



CORPVS
HISTORICVM
MEDII ÆVI.
TOMI II.

CORPVS HISTORICVM MEDII ÆVI,

SIVE

SCRIPTORES

RES IN ORBE VNIVERSO,
PRÆCIPVE
IN GERMANIA,
A
TEMPORIBVS MAXIME CAROLI M.
IMPERATORIS
VSQVE AD FINEM SECVLI POST
C. N. XV. GESTAS
ENARRANTES AVT ILLVSTRANTES,
E VARIIS CODICIBVS MANVSCRIPTIS
PER MVLTOS ANNOS COLLECTI
ET NVNC PRIMVM EDITI
A

JO. GEORGIO ECCARDO.

TOMVS PRIMVS.





LIPSIÆ,
APVD JO. FRID. GLEDITSCHII, B. FIL.
ANNO M DCC XXIII.



BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
IO. GEORGIUS ECCARDUS.

PRoœmio non admodum indigent Scriptores medii, ut vocant, ævi, præsertim historici. Usus eorum notus est viris eruditis & ultra plebem sapientibus. Unde solummodo Te, Lector benevole, certiorem facimus, nos eos, quos nunc Tibi offerimus, pro viribus accurate descriptos & solicite expensos sistere. Sunt in iis quidem loca, sed perpauca sane, ubi veterum amanuensium negligentia sensus sibi non omnino constat, aut vox una alteraque omissa eundem obscuriorem paulisper reddit. Ne tamen contra authorum mentem aliquid ibi obtrusisse videremur, nihil ex ingenio substituimus; sed singula, ut erant, reliquimus, stellula saltem addita, ubi aqua hærebat. Tu jam laboribus nostris utere feliciter, & studiis bonis fave. Stimuli hoc nobis instar erit, ulterius pergendi, & aliquid fortasse de Re Germanorum Diplomatica offerendi, quod ab aliis hactenus frustra exspectasti. Ne vero nescias, cujus generis aut bonitatis scripta illa sint, quæ nunc e tenebris eruta in lucem exponimus, de singulis accipe pauca.

I.



PRimo loco damus Tibi hic *Fastos Consulares*, ex Bibliotheca Cæsarea accuratissime descriptos, quibus olim Jo. Cuspinianus usus est in Fastis suis conficiendis. Incipiunt illi a primis Urbis Consulibus, & a variis continuati videntur. Primus author eos ita ordinavit, ut in ultimo quoque Consule literam finalem separatim poneret, & diem septimanæ, lunæque numerum adderet. Quartus quisque Consul minio scriptus est, ut annus Bissextilis indicetur. Continuatum hoc modo est opusculum usque ad *Medullinum & Potitum Coss.* sive ad ann. U. C. 386. Deinde finales nominum literæ non amplius separatim ponuntur. Producitur vero integer libellus usque ad *Constantium VII. & Constantium III. Coss.* hoc est, ad annum Christi 354. Iidem hi Fasti jam olim Viennæ exscripti sunt a Conrado Janningio, & ope celeberrimi Magliabechii Henrico Norisio communicati, qui eos Operi de Epocha Syro-Macedonum subjunxit, & doctissimo Commentario illustravit. Ex collatione vero ejus editionis cum nostra apparet, Janningium vel Norisium non per omnia Codicis scripturam secutos; sed quædam emendasse, quæ tamen, licet depravata videantur, ut erant, relinquere debuisset. Cum enim e gr. *Fleco, Celvo*, & *Pato* ibi ponatur pro *Flacco, Calvo* & *Pato*, hoc veterem nobis Romanorum pronunciationem indicat, qua *a* ad sonum *e* proxime accedebat, quemadmodum apud Anglos hoc adhuc observamus, & faciebat, ut hæ vocales subinde secum invicem commutarentur. Pro *Octavio* ponitur *Optatius*, & crediderim ferme hoc nomine ita antiquitus enunciatum & deinde in vulgari pronunciatione corruptum esse. Pro *Strabo, Noniano, Probo* in Codice itidem ponitur *Strano, Noviano* & *Prono*; unde discimus, literas *u* & *n* a scribis oscitantibus corrumpi solere, & *b* ut *v* enunciatum esse. Sic alibi observavimus similiter pro *Vuulfus* aliquando *Unulfus*, & pro *uueguuorf.n* etiam *uneguuorfin* erronee positum esse. In Codice pro *Albino* & *Æmiliano* scribitur *Bino* & *Miliano*, quæ vulgaris horum nominum decurtatio fuit; uti nos etiam vulgo *Stina* pro *Christina*, *Greta* pro *Margaretha*, *Dix* pro *Benedictus*, *Mews* pro *Bartholomeus* proferimus. Criticas alias observationes in Fastos hosce non addimus, cum abunde id jam loco citato præstiterit Norisius. Hoc saltem monemus, P. Bucherium in Commentario de Doctrina Temporum in Victorium Aquitanum aliosque Canonum Paschalium scriptores Cap. 14. referre, Jo. Bollandum sibi anno 1632. Antwerpiæ obtulisse Manuscriptum ex membrana vetustissima fideliter exscriptum, quam D. Joh. Brennerus Regius in Senatu Luxemburgensi Secretarius Domino Assonvillio Regi Bruxellæ a Privatis consiliis dono transmisisset: ibi Consulum quoque nomina cum annuis Calendarum Januariarum feriis, nomine Planetarum expressis, Epactis annisque Bissextilibus a Consulibus *Antonino II. & Geta* usque *ad Constantium Aug. VII.* & *Constantium Cæs. III.* annotata fuisse. Iidem itaque hi Fasti cum nostris fuerunt, sed nitio truncata. In Codice vero Cæsareo Fastis hisce repetitio quædam subiungitur *a Constantino II. & Licinio II.* Paschatis die sub quolibet Consule adjecto; & series ibi Consulum ad *Theodosium II. & Honorium* sive annum Christi 407. producitur. Nos prioribus Fastis inde Paschatis dies adscripsimus & continuationem, quæ hactenus inedita plane fuit, integram adjecimus.

II.

Priorum Fastorum ad Constantium Aug. *VII. & Constantium Cæs. III.* productorum author videtur etiam *Catalogum Præfectorum Urbis*, qui eodem Codice Cæsareo continetur, confecisse. In iisdem enim Consulibus is finitur, & incipit

pit

pit a *Valeriano II. & Gallieno Coss.* hoc est, ab anno Christi 254. atque ita per centum integros annos Præfectos accurate recenset. Cuspinianus eum primus detexit & adduxit Commentariorum in Cassiodori Consules pag. 385. Ejusdem Onuphrius Panvinius & nuper Felix Contelorius in peculiari *de Præfecto Urbis* libello meminerunt. Nos igitur illum integrum hic non immerito publicamus.

III.

Depositio Martyrum & Episcoporum, quæ in eodem Codice Cæsareo extat, vel ideo notabilis est, quod dies depositionis sive sepulturæ, & loca, ubi ea facta, indicet. Qui Acta Sanctorum Antwerpiæ componunt Socii Jesu, ea uti poterunt. Incipit a Lucio Papa, qui anno 269. decessit, & procedit usque ad *Julii Papæ* mortem, qui anno Christi 352. contigit. Sed post obitum Sylvestri sua consignavit, & secundum menses & dies digessit, postea *Marcum* & *Julium* adjecit. Unde hunc Fastorum & cæterorum libellorum recensitorum authorem sub hisce Pontificibus floruisse; ante obitum tamen Liberii Papæ, sive annum Christi 366. decessisse, concludas. Bucherius ex Assonvilliana membrana Depositionum hanc notitiam edidit: sed ibi transponitur *Marcus*, unde eam nostro exemplari recentiorem esse judico. Nominum orthographia quoque diversa est. Vetustissima vero cum hæc sint monumenta Christianitatis, ex vetustissimis Codicibus fidelissime atque etiam cum vitiis suis exhibenda sunt, ut Critici eo melius de singulis judicare, &, in dubiis diversas exemplarium lectiones consulere possint.

IV.

Catalogus Pontificum Romanorum vetustissimus a Petro ad Liberium usque progreditur, eoque vivo scriptus videtur, cum pro die mortis annotanda spatium relictum sit. Consules passim immiscentur, quod fide digniorem reddit. Primus eum detexit ex Codice Cæsareo Jo. Cuspinianus & Commentario suo in Cassiodori Consules inseruit, sed ita, ut subinde errores a scriba profectos emendaret. Nos venerandum hoc opusculum damus accuratissime secundum Codicem membranaceum expressum. Cuspinianus e. gr. sub Petro *Minutium* Cons. in *Vinitium* recte quidem mutavit, sed ex ingenio. Idem pro *Nerune & Vero* posuit *Nerone & Vetere*, iterum recte; sed non secundum Codicis scripturam. In MSto, quod Bollandus Bucherio communicavit, mendosius hic lectum est *Nerva & Veri* nomen; ubi *Nerva* ex *Nerone* vel *Nerune*, ut Codex Cæsareus habet; & *Verus* ex *Vetere* corruptum; & *n* omissum errori ansam dedit. Qua vero audacia Godefridus Henschenius, qui post Bucherium eundem Catalogum Act. SS. Aprilis T. I. recudi fecit, inde *Nervæ & Vestini* nomina fecerit, nondum excogitare possum. Una ratio succurrit, ut Petri ætas decem annis augeatur, & anni quatuor sedis ejus in Oriente, & septem Antiochiæ una cum XXV. sedis Romanæ conserventur. Sed, cum hoc per corruptionem veteris Codicis efficiatur, probari mihi & omnibus bonis non potest. Rationem tamen hanc immutationis hujus ipse Henschenius pag. 16. exprimit. Catalogus dicit, Petrum XXV. annis mense I. & diebus IX. sedisse. A duobus autem Geminis sive a Passione Domini eum annos Petri numerare certum est ex antecedentibus. Incidit igitur passio Petri aperte in annum Christi 55. quo *Nero & Vetus* Consules erant. *Lino* Codex noster & Bucherianus præter annos & menses *dies duodecim* tribuunt; sed Henschenius habet dies solum *decem*, ubi iterum Codicem suum non accurate expressisse animadvertitur. Is enim idem cum eo, quo Bucherius usus est, fuit. Sub Clero, præter annos & menses, sedis ejus dies numerat *septem*; at Codex Cæs. & Bucherius exhibent dies *decem*. Sub eodem Consulatum Domitiani *VI.* numerat, cum apud Bucherium & in nostro Codice

V. sal-

V. saltem cernatur. Quem *Aristum* Codices vocant, ille & Bucherius *Evaristum* nominant. *Alexandrum* Codex Cæs. & Bucherius annos *septem* sedisse affirmant; Henschenius vero hic *octo* annos ponit. De *Telesphoro* Cod. Cæs. & Bucherius dicunt, eum præfuisse *temporibus Antonini, Macrini;* Henschenius *temporibus Hadriani* corrigit. Sub *Higino* Catalogi sui hiatum fatetur; Bucherius tamen, qui eodem Codice usus est, ut jam dixi, verba deficientia hæc habet: *Fuit temporibus Veri, a Consulatu Gallicani & Veteris usque Præsente & Ruffino.* Eadem verba extant quoque in Codice Cæsareo. *Anicetum* Codex Cæsareus & Bucherius omittunt. Cur ergo Henschenius eum inde produxit? Ut nempe recentiorum Catalogorum fides salvetur. In Codice Cæsareo & Bucherio *Eleutherius* omittitur, & Consules, quos Henschenius sub eo notat, in iis sub *Sotere* inveniuntur. Sic etiam a duobus istis *Zephyrinus* omittitur, & Consules, quos ei addit Henschenius, sub *Victore* in iis inveniuntur. Imperatorum autem nomina expressa, studio Papebrochius omisit, ne agnosci posset, ipsum Codicem suum interpolasse. Sub *Anthero* idem Consulem vocat *Maximinum*, qui Codici Cæs. & Bucherio est *Maximus.* Excipiens Antherum *Fabianus* in Cod. Cæs. *Fabius* nominatur. Passionem Fabiani Bucherius & Henschenius in *XIII. Kalend. Februarii* collocant; Codex vero Cæsareus in *XII. Kalend. Octobris.* Codex Cæsareus & Bucherius sub Cornelio habent, eum sedisse a *Cons. Decio IIII. & Decio II.* Agnosco ipse hic mendum: interim illud in textu exhiberi & in notis corrigi potuisset. Quando vero Pagius dicit, Cuspiniani exemplar erronee quoque Cornelio *menses IIII.* attribuere, in hoc fallitur; illud enim *menses III.* solum habet. Qui in Cod. Cæs. *Xistus* audit, apud Bucherium & Henschenium est *Sixtus.* Porro *Eutychiani* diem obitus Bucherius & Papebrochius nominant *VII. Idus Decembris;* Codex autem Cæsareus *IIII. Idus Decembris* posuit. *Marcello* præter annum *menses VII.* tribuunt Bucherius & Henschenius; sed Codex Cæsar. *menses VI.* præfert. *Julio*, præter annos & dies, Henschenius *menses duos* assignat; Cod. Cæsareus & Bucherius tamen *mensem unum* saltem proposuerunt. Minutias has proferre volupe fuit, ex quibus apparet, Henschenium Catalogum hunc aliquantisper interpolasse, nec Codicem MStum ubique secutum esse. Antonius Pagius in Critica Annalium Baronii ad an. Chr. 67. n. 7. merito hoc in eodem reprehendit, & bene monet, *in MSStis, Numismatibus & Inscriptionibus describendis ipsa etiam opificum & librariorum errata repræsentari deberi, neque quicquam immutare licere, ut Lectores verum sensum elicere possint.* Baronius hunc Catalogum non adeo magni fecit, ob quosdam non magnos errores, & præcipue ideo, quod ejus Chronologiæ adversaretur. Sed verum ejus pretium agnovere, præter citatos, Onuphrius Panvinius, Nicolaus Peirescius, Daniel Papebrochius & alii bene multi. *Chronicon Damasi* vulgo appellatur. Sed Damasum Chronicon antecessorum scripsisse, nemo veterum prodit, & præcipue ejus non meminit Catalogus Pontificum ad Justiniani Imperatoris tempora productus atque ab Henschenio similiter editus. Et Baronius alia argumenta congessit; sed perperam, quod etiam Pagius annotavit, suspicatur, eum ex diversis auctoribus ab Anastasio collectum fuisse; cum e contrario Anastasius hoc ipso Catalogo usus esse videatur; & in Anastasio ac libro Pontificali iidem nævi, qui in Catalogi exemplaribus sunt, reperiuntur. Edidit Henschenius ex antiquo Codice Epistolam Hieronymi ad Damasum, qua rogat, ut sibi *actus gestorum a B. Petro Apostoli Principatu ad sua tempora per ordinem paucis enarrare dignetur.* Damasus respondet; *se gesta Pontificum, quæ potuerit reperire, ad eum direxisse.* Sed Epistolis hisce parum admodum fidei tribuo; &, si genuinæ essent, indicarent solum,

Dama-

Damasum Acta quædam Pontificum, antea separatim conscripta, collegisse & Hieronymo misisse. Quod si etiam author Catalogi fuisset, addidisset sine dubio tempus sedis ac mortis antecessoris sui Liberii Papæ; quod cum omissum, & vacuum, ad id supplendum, spatium relictum sit in membrana vetusta; indicat hoc, sub Liberio aliquem hoc opusculum conscripsisse.

V.

In eodem Codice Cæsareo extat *Catalogus Imperatorum Romanorum* a C. Julio Cæsare usque ad Licinium Thessalonicæ occisum productus. Barbaro stylo is conscriptus est; sed non una notabilia continet, præcipue de fabricis urbis celebrioribus. Sub Maxentio annotat, *famem magnam in Catacumbis fuisse*. Unde cernimus, eas tunc a plebe inhabitatas fuisse.

VI.

Reperitur quoque tandem in Codice laudato *vetus Consulum Romanorum Catalogus* a priori diversus a *C. Julio Cæsare & Antonio* ad *Albinum* sive annum Christi 493. procedens. Notari meretur sub finem pene illius *Theodoricum*, Gothorum Regem, *Derium* appellari, nomine ex *Theoderico* decurtato.

VII.

Alius succedit *Consulum Catalogus* ad annum Christi 534. progrediens, quo *Athalarius Rex Ostrogothorum* mortuus est, qui hic *Alaricus* vocatur. Corruptus is est in plurimis locis atque etiam alicubi mancus. Sed collatio illius cum cæteris usum suum habebit. Consules in historia Romana vetere, & recentiore quoque, Chronologiæ lucem præferunt. Sine his cœcutimus: unde catalogi illorum in pretio habendi sunt. Licet enim in iis ordinandis Cuspiniani, Onuphrii, Pagii, Almelovenii & Relandi industria enituerit; restant tamen hinc inde dubia, ad quæ dissolvenda, illa, quæ hic damus, adhiberi quin cum fructu possint, nulli dubitamus.

VIII.

Memorabilis est historia Langobardorum, qui a Narsete in Italiam adversus Gothos acciti, regnum in ea potentissimum condidêre, a Carolo demum M. capto Desiderio Rege, destructum. Subactis itaque Langobardis omnis Italia Francis paruit. Remansêre tamen Principes Beneventi, Capuæque, ex Langobardis orti, qui magnis viribus Francicæ potentiæ diu restitêre, & vix eo adigi potuêre, ut comiter colerent Imperatorum Romanorum, Regumque Italiæ majestatem. Frequentissimæ igitur in eos expeditiones ab his fiebant, quas cum non ab aliis, quam a Francis aut his faventibus descriptas habeamus, lubuit operi nostro inserere *Erchemperti Historiam Longobardorum Beneventi*, qua Pauli Diaconi libellus de rebus Longobardorum, ab ultima origine gentis hujus gesta usque ad captivitatem Desiderii Regis exponens, a Caroli M. temporibus usque ad annum 888. continuatur, & plurima notatu digna ac nullibi alias occurrentia, continentur. Usus est ea Ostiensis, ut ipse libro Chronici primo testatur in contexenda historia sua. Dehinc vero latuit, usque dum veterem ejus Codicem anno 1560. apud Salernitanos detegeret Marinus Freccia JCtus, &, ut ipse de se profitetur in libro de Subfeudis I. Cap. de Provin. & Civitat. Regni num. 36. solicite describeret. Hinc plurima exemplaria a variis facta per manus historiæ studiosorum cucurrêre, pessime plerumque descripta, aliquando & interpolata. Antonius Caracciolus hinc, multa licet in hoc libello emendarit, plura tamen coactus est corrupta relinquere, cum illum Neapoli anno 1626. una cum Chronicis Lupi Protospatæ, Falconis Beneventani aliorumque in lucem emitteret. Tandem

Camillus Peregrinus pluribus exemplaribus collatis, & nactus quoque Frecciani Codicis in Vaticanam Bibliothecam delati variis lectionibus, Lucæ Holstenii beneficio, Erchempertum, quoad fieri potuit, emendatisſime publicavit in *Hiſtoria Principum Langobardorum* Neapoli anno 1643. forma quarta impreſſa. Hic vero liber apud nos rarisſimus eſt adeo, ut neque ad notitiam pervenerit inſignium alias virorum Langleti du Fresnoy & Burchardi Menckenii; unde Erchempertum inde repetimus, additis variis Lectionibus editionis Caraccioli, & aliis ad Caraccioli marginem a viro docto annotatis, in exemplari, quod Bibliotheca Senatus Lipſienſis aſſervat. Erchempertum ipſum Joh. Gerh. Vosſius non vidit, ſed ſolum ex Baronii Annalibus cognovit, unde incerta ſolum de eo refert; merito ideo a Sandio caſtigatus Quantum ex ipſa ejus Hiſtoria nobis patet, is natione Longobardus fuit & Leone Oſtienſi lib. I. c. 46. indice, patrem habuit Adelgarium. Anno 881. captus ad caſtrum Pilanum, natale forte eidem, & amisſis omnibus bonis Capuam exul deductus eſt. Sub idem tempus monachicum habitum induit, Caſini, an Teani, incertum. Anno 886. negotiorum cauſa cum Capuam adiret una cum ſociis a Græcis captus eſt, rebusque iterum omnibus exutus. Pretio tandem redemptis famulis & equis quinque, ipſe ſolus cum præceptore ſuo Capuam pedes ivit, deinde Neapolim, unde ſine fructu Capuam rediêre. Anno 887. Athenulfus Capuæ tyrannus res Caſinatium omnes in urbe diripuerat. Angelarius itaque Abbas, Teani tunc, ob Caſinenſe Monaſterium a Saracenis vaſtatum, degens, Erchempertum Monachum ad Stephanum Papam ablegavit, repetiturum ab Athenulfo occupata. Annuente Pontifice Caſinenſium votis, Erchemperto Athenulfus ob hanc legationem ſuccenſuit, atque inde Cellam ipſi Capuæ ab Abbate conceſſam vi abſtulit. Nec diu poſt hæc is ſuperfuiſſe videtur. Cum enim ſub anno 888 pactum Widonis & Berengarii Regum Italiæ commemoret, & addat, *ſe quid deinceps egerint, ſuo opuſculo inſerturum*, nec tamen vel verbulum adjiciat; hinc concludo, mortem inexpectatam geſtorum continuationem ſufflaminaſſe. Petrus Diaconus in libello de Viris illuſtribus Caſinenſibus duo alia Erchemperti opuſcula indicavit, quæ *de deſtructione & Renovatione Caſinenſis cœnobii*, nec non *de Iſmaelitarum incurſione* compoſuerit. Sed cum hæ ipſæ res in hiſtoria, quam edimus, contineantur; crediderim ferme, Petrum hæc oſcitantius annotaſſe. *Carminum* vero *variorum* authorem ipſum fuiſſe Peregrinus recte obſervavit. Joh. Baptiſta Marus in Notis ad Petrum modo citatum Carmen ejus *de Vita Landulphi Epiſcopi Capuani* citat, quem pag. 26. ſq. evolvas.

IX.

Alpertus Monachus Metenſis libellum *de Diverſitate temporum* compoſuit, ſic vocatum, quia in eo diverſa ab hominibus ſuorum dierum geſta in unum collegit. Res in eo præcipue Lotharingicæ & Belgicæ inſigniores recenſentur, quæ ab Ottonis III. Imp. obitu usque in annum 1018. contigerunt, ordine arbitrario. Sub finem enim, quæ de Theoderici, fratris Cunigundæ Reginæ, ſubſtitutione in ſedem Metenſem habet, ante reliqua literis conſignaſſe videtur. Habebant Metenſes Prophetiam quandam de ſucceſsione ſuorum Epiſcoporum, quam ab Angelo prolatam venditabant. In hac legebatur; *Adalberoni* ſucceſſurum *item A*, quod interpretabantur: *item Adalbero*. Et habebat Adalbero, anno 1005. defunctus, nepotem ex fratre Theoderico, Duce Lotharingiæ, *Adalberonis* nomen gerentem. Huic pater deſtinabat Epiſcopatum, ubi adoleviſſet, atque eum interim committebat, Henrico Rege favente, Theoderico fratri Reginæ modo nominato. Sed ille, puero urbe excluſo, & Epiſcopatu uſurpato, ipſum etiam Theodericum

cum Ducem bello capiebat, & cum Henrico fratre suo Lucemburgensi Comite adversus Regem rebellabat. Unde multæ turbæ secutæ, Metensi præsertim Ecclesiæ graves. Ex Alperti verbis concludas, eum partem hanc sui libelli eo ipso tempore scripsisse, quo Theodericus Reginæ frater Episcopatum invaserat, & nondum mala inde Ecclesiæ Metensi acciderant, hoc est, ipso anno 1005. Separatim etiam scripta fuere, quæ lib. II. cap. XXIV. de Theoderico I. Episcopo narrat, *ab eo, qui in ejus obsequiis assidue erat, cognita:* Hæcque *Constantino* Abbati S. Symphoriani Metis *ad corrigendum direxit*. Constantinum hunc authorem esse *Vitæ Adalberonis Episcopi Metensis* recte statuit in Annalibus Mabillonius. Et hinc forte, ac ne ab Abbate suo jam dicta repeteret, Alpertus de hoc Adalberone nihil annotavit. Ipsa vero Adalberonis vita a Constantino Abbate conscripta in Bibliotheca Guelferbytana adhuc latet. *Burchardus* in Leodicensi Ecclesia educatus, atque ab Olberto Monacho Laubiensi in Canonum scientia informatus, *VVormatiensis urbis Episcopus* anno 1006. erat, vir eruditus ipse & fautor eruditorum. Annum hunc incœptæ sedis Burchardi notum nobis fecit Annalista Saxo; unde Pagius, a Sigeberto seductus, corrigendus est, qui initium sedis Burchardi in annum 1008. rejicit. Eodem anno 1006. *Immo* Gorziensis & Prumiensis Abbas etiam Augiensi Monasterio, Hermanno Contracto teste, præfectus est. Hunc *fratrem* suum appellat Alpertus; nec vox ea ecclesiastico sensu sumi potest, cum alias *Immo*, jam diu ante Abbatis honore gaudens, stylo sacro illi non *frater*, sed *pater* nominandus fuisset. Immo hic *Milonem*, qui anno 974. Episcopus Mindensis factus est, & viginti duos annos sedisse dicitur, Gorziæ honorifice aliquando excepit, & parte reliquiarum S. Gorgonii donavit, a Milone vicissim communicato ipsi libro *de Passione S. Gorgonii*, quæ apud Gorzienses desiderabatur. Indicat hæc nobis Epistola ipsius Milonis Episcopi a Labbæo Bibliothecæ MStorum novæ Tom. I. pag. 678. edita. *Immo* itaque una vice ab Augia, ut suspicor, Gorziam reversus, amoris causa, fratrem Alpertum Metis invisit, eique multa de *Burchardi* moribus egregiis retulit. Hæc Alpertum commoverunt, ut censuræ illius libellum suum submitteret, & ab eo probatum evulgaret. Hunc *etsi brevem, tamen utilem*, in Catalogo Scriptorum cap. 144. prædicat Sigebertus Gemblacensis. Trithemius Alpertum ipsum circa annum 1030. floruisse putat, de quo equidem dubito. Floruisse enim dicendus est, quando se scriptis celebrem reddidit, id quod ab anno 1005. ad annum 1019. præstitit. Meurisius in Historia Episcoporum Metensium lib. III. pag. 349. commemorat, Alpertum Historiam sui ævi Theoderico II. Episcopo Metensi dedicasse. Exemplar itaque hoc a nostro diversum paulisper erit; nisi quæ de prophetia in fine Alpertus habet, a Meurisio pro dedicatione accepta sint. Nos una cum Mabillonio nesciremus, an uspiam reperiretur historia hæc Alperti, nisi p. m. Robertus Verboeckhorst Præpositus S. Ludgeri Helmstadiensis nos ea in membrana seculo XI. conscripta benevole ante aliquot annos donasset.

X.

Ferdinandus Episcopus Monasteriensis & Paderbornensis, princeps doctissimus, in Monasterio S. Germani Parisino detexerat *Chronicon*, rerum gestarum seriem ab ortu Regni Francici usque ad annum 1139. exhibens, quod *Magdeburgicum* vocavit, quia ad annum 1074. author ejus scribit, *se vidisse Catulum esse mortuum ex pulvere pigmentario, quem VVernhero Magdeburgensi Archiepiscopo miserat Henricus IV. Imperator.* Eo ipso sub nomine idem citant Schatenius & Mabillonius. Sed ea, quæ indicavimus, verba non sunt authoris; sed ab eo mutuata saltem sunt ex Brunonis historia belli Saxonici edit. Freheri pag. 113. Inde igitur non sequitur,

 opus

opus hoc Magdeburgi confectum fuisse. Undecunque tamen fuerit, qui illud compilavit, Saxo is omnino fuit (& genuinum ejus nomen mox pandemus); unde Illustris Leibnitius ipsum *Annalistam Saxonem* non immerito olim vocabat. Res certe Germaniæ & præcipue Saxoniæ dilucide enarrandas sibi proposuit. Successio Germanicorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatumque Monasteriorum celebriorum ab eo solicite annotatur, ut vel ob hoc solum in pretio sit habendus. Sed Genealogicæ ante alia notitiæ, quas subinde, & inprimis de Familiis Saxonicis, interspergit, auro nobis contra caræ esse debent. Sine illis quippe in originibus illustrium quarundam gentium plane cœcutiremus, ut vel eæ disquisitiones genealogicæ demonstrant, quas nos nuper in lucem emisimus, atque ejus auctoritate plerumque firmavimus. Sequitur author in vetustioribus Reginonem, ejus tamen verba sæpius emendatius exhibet, quam in Pistoriana editione, negligentius curata, cernuntur. Idem excerpit Witichindum, Ditmarum, Adamum Bremensem, Cosmam Pragensem, Brunonem de bello Saxonico, Lambertum Schafnaburgensem, Chronicon Montis Sereni, Scriptores de prima expeditione cruciata, Hessonis acta Concilii Remensis anno 1119. habiti, & alia vetusta monumenta, quæ hactenus alibi nondum detecta sunt. Ditmari & Witichindi præsertim narrationem confusam in ordinem Chronologicum digessit, & ea opera facem nobis ad intelligendos exactius obscuriores hosce scriptores accendit. Amplissimo Gundlingio, Halis historiam Germanicam egregie excolenti, inde magno usui erit, si is, uti præsenti mihi spem olim fecit, Ditmari Chronicon notis suis illustrabit. Post Henrici II. Imp. mortem Annalista noster incipit, atque ad finem usque continuat plurima proferre, quæ sine eo plane nesciremus. Olim Codex ejus notissimus fuit & usus eo est author *Chronicæ Regiæ Coloniensis*, quam etiam primi edimus, Albertus Stadensis & Botho in Chronico Saxonico, quod vulgo Picturatum vocant. Unde suspicor, hunc ipsum Codicem fuisse inter libros, quibus Henricus Leo Dux Bavariæ & Saxoniæ senectutem suam oblectatus est, quosque deinde Ecclesiæ S. Blasii Brunsvicensi reliquit, a posteris tandem negligenter habitos & misere dispersos. Asservatum quoque fuit tempore Meibomii, Proavi Meibomiorum nunc viventium, in Monasterio S. Godehardi Hildeshemensi aliud ejus exemplar, & doctissimus ille vir inde varias Reginonis lectiones & emendationes excerpsit marginique editionis Pistorianæ adscripsit. Quo fato demum Parisios devenerit, equidem nescimus. Sed p. m. Mabillonii studio ejus apographum eleganter exaratum olim Leibnitius recepit, ejusque editionem sæpius in extremis vitæ suæ annis mihi commendavit. Ego itaque fidem viro, dum viveret, amico datam nunc solvo, utque historiæ cultores inde plurimum proficiant, ex animo opto. Author operis quis fuerit, hactenus incertum fuit. Memorabile tamen est cum Hildeshemensibus Annalibus a Quercetano primum & deinde a Leibnitio publicatis illud mire convenire in rebus non solum, verum etiam plerumque in verbis. Hildeshemenses Annales in anno 1137. finiuntur & quidem in morte Lotharii Imp. Annales nostri per duos annos amplius continuantur, sed stylo succinctiori, ut illos duos annos ab alio additos putes. Browerus Chronici Hildeshemensis ab *Eggehardo Vragiensi Abbate* confecti excerpta edidit in Luminibus Germaniæ. Hæc cum convenirent aliquatenus cum Chronico Hildeshemensi, quod primum Leibnitius in lucem emisit; inde is putavit, Eggehardum hujus Chronici authorem esse. Sed eadem excerpta convenirent quoque cum Annalibus Hildeshemensibus. Et cum Chronicon Leibnitianum usque ad Magnum Episcopum una serie & conformi stylo procurrat; ego illud recentius

centius esse omnino puto: *Annales* vero *Eggehardi* opus esse statuo. Eggehardus, antequam a S. Ottone Bambergensi Episcopo Vragiæ Monasterio a se fundato præponeretur, Hildesii inter S. Benedicti asseclas vixisse, & materiem rerum enarratarum ibi collegisse videtur, quam Vragiæ in otio constitutus, in ordinem redegit. Aliis etiam operibus ibi confectis inclaruit. Jo. Trithemius de eo: *Eckardus, qui Ekkehardus & Eggehardus etiam scribitur, primus Abbas Monasterii S. Laurentii, quod Vragia dicitur, Diœceseos Herbipolensis in Hercynia sylva, ordinis D. Benedicti, natione Teutbonicus, vir in divinis scripturis eruditus annis 1120. 1130. atque sequentibus clarus, metro & prosa excellens, scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus ego tantum vidi opus insigne ad imitationem Boëthii gemino stylo compactum ad instructionem & consolationem Monachorum valde utile, quod prænotavit LATERNAM MONACHORUM LIBRIS V. SERMONES QUOSDAM ELEGANTES, VARIASQUE EPISTOLAS AD DIVERSOS composuit.* Eggehardi historica scripta legit Helmoldus presbyter, & lib. I. Chron. Slavorum c. 40. de Henricis IV & V. Impp. agens, addit: *Qui vero actus eorum* (Henricorum) *& terminum schismatis bujus plenius nosse desiderat, legat historiarum Magistri Eggebardi librum quintum, quem ad Henricum juniorem describens, bona ejus amplissima laude extulit, ad malefacta aut omnino tacuit aut in melius interpretatus est.* Hæc exacte quadrant in Annalistam nostrum, qui Henrici V. initia miris laudibus extollit, nec secus acta annotat. Sequitur vero hinc Eggehardum primum opus suum in *quinque libros* digestum, qui tamen in Codice nostro non sunt annotati, Henrico V. dedicasse; postea tamen reliqua ad ejus mortem usque, & Lotharii Imp. gesta addidisse. Videbimus & Hermannum Cornerum Eggehardi Annales citare. Sed exemplar, quo usus est, a variis interpolatum atque ad annum usque 1370. continuatum fuit. Huc usque enim illos citat. Dum vero e contrario Browerus, nescio unde, dicit, Eggehardum Vragiensem Chronicon suum ad *Ecbertum Abbatem Fuldensem* scripsisse, in hoc necessario fallitur; diu enim antequam natus fuerit Eggehardus, Ecbertus jam decesserat. In Eggehardum quoque congruit, quod Annalista noster, singula S. Ottonis acta suis temporibus diligenter annotet & laudibus evehat; patronus enim is ejus & promotor erat. Audacter itaque statuo *Annalistam Saxonem* ab *Eggehardo Vragiensi*, insigni sui temporis *Historiarum magistro*, diversum non esse.

XI.

Vetus, quod sequitur, historiæ monumentum, *Chronicam Regiam Coloniensem* nominamus; quia a Coloniensibus S. Pantaleonis Monachis confectum videtur, Archiepiscopos Colonienses & Abbates S. Pantaleonis exacte recensentibus; & titulo eo hoc opus ex authorum mente insigniendum esse, manifestum fit non ex præfamine solum, sed etiam ex illis, quæ ad annum 1148. leguntur. Collectum id est, si antiquiora expendas, ex Chronicis Eusebii ejusque historiæ continuatione a Ruffino confecta, Chronicis item Hieronymi, Orosii, Bedæ, Catalogis Consulum & Pontificum veteribus, Annalibus Francicis vetustissimis, Eginhardi Vita Caroli M. Witichindo Corbejensi, Reginone, Annalista Saxone, & aliis. Citatur in eo etiam alicubi *Historia Saracenorum.* Duobus in locis aliquantum, non primus collector (qui tempore Ottonum Impp. vixit, ut ex iis, quæ de Brunone Archiepiscopo Coloniensi habet, & *ad visum suum provocat*, concludimus) sed interpolator posterior erravit, cum Ottonis Ducis Saxoniæ sororem Luitgardem, Ludovici Arnolfo Imp. nati conjugem fuisse scribit; quæ Ludovici a Ludovico Germanico geniti uxor fuit: deinde, cum Brunonem Ottonis

nis I. Imp. filium narrat Pontificem factum fuisse. Bruno enim, qui Pontifex creatus est sub nomine Gregorii V. non Ottonis Imp. sed Ottonis Ducis Carentani & Comitis Veronensis filius erat. Primus hic collector historiæ hujus *Monachus Benedictinus* fuit: sub Justiniani enim rebus de S. Benedicto agens, ipsum *suum patrem* appellat. In Monasterio vero S. Pantaleonis degisse inde concludo, quod fundationem ecclesiæ illius, Abbatesque, ut dixi, solicite recenseat. Secutus est eum alius ejusdem loci Religiosus, qui cœptum Chronicon usque ad annum 1105. continuavit. Anno 1096. is testatur, se Cometam & lumen insolitum, quod jam *Auroram borealem* vocamus, vidisse, atque cum Godefrido Bullionico in Terra Sancta fuisse. Idem prodit, se aliquando locutum esse cum Wigberto Antipapa & Archiepiscopo Ravennate, anno 1100. defuncto. Memorat quoque, se e Terra Sancta abeuntem, Joppe solvisse, & 18. Cal. Octobris anni 1102. Romam venisse; ubi in Concilio habito audivit porro Paschalem Papam in Cœna Domini sententiam in Henricum IV. proferentem. Præsens deinde fuit in Concilio Northusano anno 1105. & vidit Henricum V. Regem omnibus jura sua & leges confirmantem. Eodem anno cum Ruthardus Archiepiscopus sedi suæ restitueretur, author noster Moguntiæ erat, & rerum gestarum fusiorem enarrationem in anno 1106. finit. Conradus Abbas Urspergensis, sive quisquis Chronicon sub ejus nomine editum, compilavit, hactenus eum verbotenus fere, & absone quandoque, exscribit, additis tamen subinde quibusdam. Nec aliud præcipue ab eo mutatum invenies, nisi quod, Coloniensibus Archiepiscopis omissis, Wirtzburgensium Episcoporum seriem exhibeat, & quædam aspergat, veritati non ubique consona. Post annum 1106. omnia strictim saltem enarrantur usque ad tempora Friderici Barbarossæ, ubi iterum diffusior rerum recensio incipit, atque ad annum usque 1162. procedit. Hæc pars operis Conrado Urspergensi non est lecta & plura memoratu dignissima continet. Sub anno 1140. obsidionem Winsbergæ recenset, & meminit, loco ad deditionem coacto, mulieribus concessum esse, pretiosa sua exportandi; has vero pretiosorum loco maritos in humeros suscepisse atque ita servasse. Sed Welfum cum uxore huic rei interfuisse, ut vulgo tradunt, non addit. Quæ sub anno 1157. de origine dissensionis inter Papam & Fridericum habet, notari merentur. Mediolanenses cum anno 1162. se coacti tandem dederent, atque ad Friderici Imp. clementiam confugerent, idem præsentem se fuisse testatur, ut adeo necesse sit, eum in Reinoldi Archiepiscopi comitatu fuisse. Hic vero narrationem suam finit. Codex membranaceus, unde Chronicon hoc depromsimus, Marquardi Freheri fuit; jam vero in Bibliotheca Augusta Guelferbyti asservatur, ubi & Conringius eo usus est. *Annales Godefridi Monachi S. Pantaleonis*, a Frehero editi, eodem codice continentur, quorum cum editione collationem Amplissimo Struvio antehac concessimus.

XII.

Miraberis, Lector, scriptoribus latina lingua scriptis interseri Opusculum dialecto Coloniensi sub finem seculi decimi tertii exaratum. Ita enim ex scriptura Codicis membranacei statuo, quem p. m. Gerardus Mastrichtius vir, dum viveret, doctissimus & Reipublicæ Bremensis Syndicus, mecum benevole, ut alia multa, olim communicavit. Monumenta nostra lingua scripta ante alia omnia a nobis æstimari, legi, expendi & edi mererentur, si saperemus. Hæc enim nobis in antiquitatibus Germanicis exponendis facem præferunt: hæc nos ad fontes ultimasque vocabulorum nostri idiomatis rationes deducunt, ac sæpe quoque, attente

attente considerata, veterum consvetudinum ac jurium causas vel inopinantibus nobis pandunt. Nec ea contemnet, nisi genuinæ antiquitatis Germanicæ absonus osor. Qui vero historiam patriæ excolunt, scriptis majorum nostrorum vernaculis carere omnino nequeunt. Non ulla magis obscurior apud nos historiæ pars est, quam quæ de rebus seculi decimi quarti & decimi quinti tractat. Coætanei authores, qui in illa temporum barbarie latino idiomate scripsere, pauci sunt & jejuni: reliqui omnes apud nos Germanicis verbis res gestas annotarunt, & magnam partem adhuc manu exarati, nec impressi latent. Hos si spernas, de istis temporibus aut nihil aut parum solidi scies. Chartæ pleræque & diplomata tunc quoque vulgari sermone concipiebantur, & sæpius adhuc in judiciis producenda sunt. Ubi tamen & causæ patronus & judex plerumque, quid producat aut legat, ipse nescit, atque utrique egregios andabatas quandoque agunt. Sic se contemtus lingvæ majorum in nobis graviter sæpissime vindicat. Dabis itaque hic locum, Lector benevole, *Versioni Germanicæ Chronici Regum Imperatorumque Germanicorum* ab Henrico Aucupe usque ad Fridericum primum Imp. atque Mediolani destructionem perducti. Constituit illud majorem partem Chronicæ Regiæ Coloniensis, atque inde excerptum atque in gratiam illustrium virorum *Gerhardi de Hamerstein* & *Gerhardi de Landescron* in Germanicum sermonem translatum est a nescio quo *VVitkindo* (ita enim se in Præfatione rhythmica nominat) *Coloniensi*, ut ex stylo manifestum est. Historiam de cætero non secundum annos Christi, sed secundum annos Imperatorum nostrorum recenset, quibus Pontificum Romanorum ac Archiepiscoporum Coloniensium successiones addit. In aliquibus tamen rebus & verbis exponendis eum errasse confiteor. E. gr. Witichindum fratrem Reginæ Mathildis confundit cum Witichindo Magno Saxonum Duce: Theophanonem Ottonis II. Imp. conjugem filiam Johannis Imp. CPtani vocat: Noricum *Normandien;* Alemanniam, pro Svevia positam, sæpius *Duytschland* sive Germaniam vertit: Una vice Henrici Superbi Bavariæ & Saxoniæ Ducis uxorem *Mechtildem* appellat, cui tamen Gertrudis nomen erat. Sed hæc obiter.

XIII.

Theodoricus Episcopus Cizensis circa ann. 1123. Annalista Saxone teste, claruit *literis apprime eruditus, semper contra schismata, quæ suis temporibus nonnunquam pullulabant, propugnator catholicus & in omni pastorali solicitudine commissæ sibimet Ecclesiæ utilitatibus insudans.* Hic non longe a suburbano suæ civitatis Abbatiam summo conatu, magnisque sumtuum impensis, per aliquot annos instituerat in colle, quem antiquitas olim *Bosovva* nominaverat. Loco vero ferme perfecto, ecclesia consecrata & monachorum congregatione ibi collocata, idem Episcopus a furibundo fratre converso ante altare, cultro interfectus est. Non est dubium, Episcopum studiis excultum literas bonas novellæ congregationi commendasse, Codicibusque utilibus ei providisse. Monasterium ipsum jam *Posen* vocatur, dirutumque ac in prædium Principis conversum est. Supellex & libri ejus varie jamdudum dispersi. Interim Cizæ in Bibliotheca Episcopali restat Codex membranaceus seculo duodecimo exeunte nitide exaratus, qui Chronicon illud continet, quod deinde sub Abbatis Urspergensis nomine evulgatum est. Usque ad annum 1124. exacte id cum edito illo Chronico convenit, si vitia impressionis & malæ lectionis excipias, quorum aliquot millia ex hoc manuscripto emendare possis. Deinde vero ab anno 1125. usque in annum 1198. res gestæ annotatæ sunt a Monacho, ut videtur, Bosoviensi, unde continuationi huic Chronici laudati non immerito, credo, nomen *Annalium Bosoviensium* indidimus.

XIV.

※※※ ※※※

XIV.

Gesta Friderici II. Imp. ejusque filiorum Conradi & Manfredi Regum ex pervetusto MSto primus publicavit Ughellus Italiæ Sacræ Tomo IX. Ibi vero cum ea a paucis hactenus quæsita sint, & a nemine fere hominum nostrorum citentur, non incongruum duximus inde repetere, nostræque collectioni inserere. Author gravis, & contemporaneus est, ac perspicua scribendi ratione utitur.

XV. XVI.

Ricobaldus Ferrariensis ex Hieronymi Rubei (Lib. II. Hist. Ravennat.) indicio Ravennatis Ecclesiæ Canonicus Cardinalis fuit, quanquam huic sententiæ adversari videantur, quæ paragrapho sequenti dicentur. Idem Rubeus eundem lib. VI. *Gervasii* prænomine donat his verbis: *Gervasius Ricobaldus Ferrariensis, Canonicus Ravennas, hoc tempore* (Anno 1292.) *rerum Romanarum Ravennæ scripsit historiam: illiusque alio libro Epitomen: in qua cum nonnulla tractet de Ecclesia urbeque Ravennate, illi titulum fecit, POMERIUM RAVENNATIS ECCLESIÆ: adscribuntur autem ad Calcem Ravennatum nomina Archiepiscoporum: usque hodie liber in Bibliotheca Vaticana manuscriptus habetur:* Quæ hic nominatur HISTORIA RERUM ROMANARUM usque ad annum 1292. producta, an adhuc supersit, nescitur. Citavere tamen eam sub nomine *Chronici* Galvanus Flamma, cujus Historiæ circa annum 1320. compositæ MStæ asservantur in Bibliotheca Ambrosiana; ac Peregrinus Priscianus in Annalibus Ferrariensibus & Estensibus anno 1490. conscriptis. Testatur quoque Cl. Muratorius Antiquitat. Estens. Part. I. pag. 79. Casparum Sardum in Collectaneis MStis, in Bibliotheca Mutinensi extantibus, sæpe inde excerpta produxisse. Idem asserit, haberi Chronici hujus versionem Italicam, olim a Comite Matthæo Maria Bojardo, authore Poëmatis egregii *Orlando in namorato* dicti, confectam. *Pomerium* vero, sive rectius *Pomarium* Ricobaldi non solum in Vaticana Bibliotheca, sed etiam in Mutinensi & Guelferbytana extat. Vossius lib. II. de Historicis Latinis pag. 500. meminit etiam Codicis Scriveriani: sed is ipse est, qui jam Guelferbyti cernitur, emptus ab Augusto Duce una cum aliis libris & Codicibus a Scriverio relictis. Nitidissime scriptum admirati sæpius sumus, & opus, quod continet, digestum est in sex partes; Prima ab orbe condito ad diluvium extenditur, & inde ad Abrahæ nativitatem; altera progreditur usque ad conditam Romam; tertia ad natalem Christi; quarta continet historiam Cæsarum, sed ita, ut subinde alia admisceat; quinta ex descriptione Orosii delineat orbem terrarum; sexta recenset Pontifices Romanos, quibus addit Præsules quatuor illustrium ecclesiarum, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, Alexandrinæ & Ravennatis. Nos inde excerpimus ex quarta parte Imperatores Germanico-Romanos a Carolo M. usque ad annum 1298. & sextam partem integram atque ad Pontificatum usque Clementis V. extensam. Finiente ergo seculo XIII. opusculum de Imperatoribus & ineunte XIV. illud de Pontificibus absolvit, & tunc jam ultra sexagesimum ætatis annum progressus fuit. Anno enim 1251. testatur ipse, se puerum vidisse Ferrariæ Innocentium Papam ad populum verba facientem, & ab eo tempore aut visa aut a fide dignis audita recenset. Speciatim sub anno 1269. dicit, sibi circumstantias mortis Conradini & Friderici violentæ, nec a Guidone de Sucaria JCto approbatæ, relatas esse a Joachimo Judice, qui in comitatu Guidonis fuerit, & omnia coram exacte viderit. In antiquioribus rebus fabulas sequioribus scriptoribus communes habet, ex Pseudo-Turpino haustas de Caroli M. expeditione in Terram Sanctam, de Rolando & cæteris: Eginhardi vitam Caroli M. sub *Alcuini* nomine citat,

citat, quem errorem alicubi & Albericus commisit: *Berengarios* Reges quatuor in Italia facit, cum duo tantum fuerint: Henricum III. non filium Conradi Salici, sed generum, & filium Liutpaldi, a Cantarellorum hymnis fabulosis seductus, constituit, ut alia jam non attingam. Sed hæc compensantur iis, quæ recte dicta in sequentibus profert. In recensendis Pontificibus Romanis succinctior est. Post Bonifacium VIII. alius quidam Catalogum eorum usque ad Johannem XXIII. continuavit. Recte igitur Raphael Volateranus lib. XXI. Commentariorum Urbanorum scripsit, Ricobaldum Vitas Pontificum ad annum 1300. perduxisse. Constantinopolitanos Patriarchas non exhibuit, quia illi non a temporibus Christi, sed demum sub Constantino Magno cœperunt. Episcoporum Antiochenorum, Hierosolymitanorum & Alexandrinorum sola nomina ponit: Ravennatensibus vero Archiepiscopis brevem semper narratiunculam adjicit, eorumque recensionem usque ad Obizonem anno 1294. ordinatum persequitur. Is qui posteriora apposuit, Obizonis rebus hæc verba præmisit: *Usque ad hunc Obizonem scribit Rycobaldus.*

XVII.

Duo itaque opera habemus a Ricobaldo nota hactenus, quibus ego tertium addo *Compilationem Chronologicam* ad annum usque 1312. productam. Habuimus eam e Codice papyraceo Bibliothecæ Berolinensis Regiæ, in quo Ivonis Carnotensis & Hugonis Floriacensis Chronicis subjuncta erat. Author quidem se non nominat in ea, sed dicit solum; *se relicta non sponte genitalis soli dulcedine relegatum in urbe Ravenna degisse, & cum Canonicis Ecclesiæ majoris in choro ac eorum laribus frequenter conversatum:* hic se in Archivio Ecclesiæ aliquando invenisse *Chronica B. Hieronymi* a nativitate Abraham ad tempus Honorii res gestas virosque illustres enarrantia: hæc se excerpsisse, multa addidisse, inseruisse ac eadem continuasse *usque ad tempus Henrici Augusti, qui obsessa Brixia eam obtinuerit,* quod anno 1312. factum est. Omnia hic strictim saltem enarrantur; præcipua tamen ratio habetur rerum Ferrariensium & Ravennatensium, ut authorem Ferraria ortum, & Ravennæ degentem suspicari possit. Talis autem Ricobaldus fuit, qui tamen hic se Canonicum Ravennatensem fuisse non prodit; sed saltem se exulem in consortio Canonicorum Ravennatensium vixisse indicat, ut adeo eum Rubeus & alii non recte Canonicum Ravennatem vocare videantur, nisi hanc dignitatem post annum 1312. & morti propinquus, nactus fuerit. In narratione de Imperatoribus & rebus sui temporis iisdem plerumque verbis utitur, quibus usus est in Pomerio suo, quod etiam unum authorem prodit. Mores de cætero Clericorum sua ætate viventium graviter taxat, & Cæsareis partibus favere videtur; unde credibile, eum a Guelfis tunc adversus Gibellinos in Italia debachantibus Ferraria ejectum fuisse. Olim se Monasterium Nonantulanum invisisse refert alicubi, in Mutinensi agro situm, nec adeo procul Ferraria. Fini Compilationis Ricobaldinæ adjunxit quidam cogitata sua de natura Cometarum & earum significationibus, occasione Cometæ, qui die 11. Februarii anno 1402. apparuerat. Quis ille sit nescitur: ipse tamen prodit, se tunc *Vicarium in Mediolano* extitisse. Dum hæc scribo, incido in *Chronicon Johannis Philippi de Lignamine Messanensis, Equitis Siculi & Typographi Romani, Sixti IV. summi Pontificis Familiaris,* Romæ anno 1474. impressum, & Sixto IV. dedicatum. Philippus hic insinuat quidem illud ab alio conscriptum, a se vero auctum; sed quis ejus author sit, non indicat. Interim id idem omnino est cum nostra Compilatione, sed adeo vitiose impressum, integrisque periodis, lineis & verbis truncatum, vitioseque descriptum est, ut nihil fere distincte in eo intelligere possis. Grata itaque erit nostra editio iis, qui hisce libellis uti norunt.

XVIII.

Philippi interim *de Lignamine continuationem* Chronici hujus adjicimus ab anno 1316. usque ad annum 1469. extensam. Notatu dignum est, Philippum, qui & ipse typographus erat, inventionem typographiæ Jacobo Guttenbergio ejusque adjutori Fausto circa annum 1459. ascribere, eumque patria Argentinensem facere, sed Moguntiæ degentem.

XIX.

Chronicon Luneburgicum Saxonica lingua scriptum ex Codice Bibliotheca Gothanæ membranaceo & temporibus Interregni exarato desumtum est. Incipit ab origine mundi & procedit usque ad Wilhelmi Hollandici electionem in Regem Germaniæ. Priora, tanquam in vetustioribus scriptoribus exactius annotata, prætermisimus, & a Carolo M. solum narrationem ejus exhibuimus, quod & in aliis Chronicis post hæc faciemus; cum illi veteres tantummodo exscribant nec solidi aliquid de suo addant. A Caroli M. ætate usque ad Lotharii obitum Chronicon hoc Annalistam Saxonem sequi videtur. Intermiscet tamen varia tractum Luneburgensem & Venedos vicinos concernentia; unde & id *Luneburgi* in Monasterio S. Michaelis confectum putamus. Legit multa jam deperdita scripta, inter quæ est *Chronica VVilhelmi de Regione Trans Albina.* Ex fide digno quoque authore hausit, quæ de successione Marchionum Septentrionalium nobis primus indicavit, unde Lotharium Imp. sangvinem maternum duxisse observat. Nos hoc loco Familiam Anhaltinam illustravimus. Post Friderici I. Imp. mortem habet, quæ alibi non legas. Amatores quoque studii etymologici lingvæ nostræ invenient hic non una vocabula Germanica obsoleta & ad indagandas radices perquam utilia.

XX.

Magnum sibi seculo decimo tertio nomen peperit Chronici universalis compositione *Martinus* e Silesia oriundus, quæ aliquando Poloniæ computabatur, unde ei *Poloni* cognomen. Starovolscius ipsum e nobili Streporum familia prognatum credidit. Lambecio ex fide Codicum duorum Cæsareæ Bibliothecæ placet, *Oppavia* Silesiorum oriundum. Iniis enim se ipsum, ait, de regno *Bohemiæ* (ad quam etiam aliquando Silesia pertinebat) oriundum; & patria *Opimensem*, sive, ut Codex Monasterii Gamingensis rectius habet, *Oppaviensem* vocat. Fratres Ordinis Prædicatorum, qui S. Adalberti Conventum Wratislaviæ incolunt, eum ibi quondam professum mihi ipsi retulerunt olim, & veterem ejus picturam ibi adhuc extantem monstrarunt e Polonia anno 1703. redeunti. Ordini certe Prædicatorum se adnumerandum ipse prodit; atque indicat, tandem se Clementis IV. Papæ Pœnitentiarium ac Capellanum fuisse. Hocce munus ei sub sequentibus Pontificibus, Gregorio X. Innocentio V. Johanne XXI. & Nicolao tertio relictum fuisse verosimile est. Ab hoc vero ultimum nominato Pontifice, testibus Stephano Salhanaco & Bernardo Guidonis, fere æqualibus, anno 1278. ad vacantem jam a sex annis (ut Starovolscius indicat) sedem Gnesnensem, Poloniæ primariam, promotus & inauguratus est. Dum autem in eo esset, ut dignitatem hanc susciperet, in itinere Bononiæ vel eo ipso anno vel sequenti 1279. decessit, ibique in Ecclesia Fratrum Prædicatorum pone Odeum sepultus est sub Lapide, cui, Bzovio referente, inscriptum fuit: *Hic jacet Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Gnesnensis*; vel, ut legit Ughellus: *S. Fratris Martini Archiepiscopi, provinciæ Poloniæ.* M. R. Jacobus Echardus in Dissertatione de scriptis Vincentii Bellovacensis pag. 600. & multis sequentibus fusius de hisce omnibus videri poterit. Vir hic doctis-

doctisſimus ac diligentisſimus vetuſtioribus Codicibus compluribus collatis, artificium Chronici Martiniani poſt Leonem Allatium primus dilucide explicavit. Martinus enim ſic operis ſui methodum excogitavit, ſicque ſemper ſcribendum voluit ac ſperavit: nempe in una pagina ad lævam exhibet Pontifices, in altera ad dextram Imperatores. Unamquamque paginam in 50. lineas dividit, & in margine ad latus cujusque lineæ annum aſcribit, adeo ut in quavis pagina anni 50. expanſi ſint, ſicque Chronicon per quinquagenas currat, a Chriſto nato ad electionem Clementis IV. Nomen cujusque Pontificis ad caput lineæ poſitum eſt, cui junctus eſt annus, quo ille iniit Pontificatum, totque poſſidet ille lineas, quot ſedit annis; ſic & in Imperatoribus proceſſit. Idem Echardus pag. 617. ſq. clare oſtendit, Martinum Chronico ſuo Appendicem deinde adjunxiſſe, res a Nicolao III. geſtas complexam. Reliqua ab aliis ſubinde addita ſunt. Editionum hujus Operis prima curata eſt Baſileæ anno 1559. a Johanne Baſilio Heroldo, qui illud Mariano Scoto adjunxit. Secunda prodiit anno 1574. Antwerpiæ ex officina Plantiniana opera Suffridi Petri. Tertiam imprimi fecit Coloniæ anno 1616. Johannes Fabritius Cæſar, Ordinis Præmonſtratenſis, Canonicus Gladbacenſis. Hæc eadem editio anno 1685. inter alia Chronica ad calcem hiſtoriæ Friderici III. Imp. ab Ænea Silvio adornatæ Argentorati repetita eſt. Quibus in rebus a ſe invicem varient hæ editiones apud Echardum cernere licet. Nos monemus ſaltem Chronicon Martini mire omnibus & ubique placuiſſe; unde innumera ejus exemplaria in Italia, Gallia & Germania quotidie in Bibliothecis inveniuntur, a variis aucta, interpolata & continuata. Echardus hinc merito optat, ut aliquis ordinis Prædicatorum operam in ſe ſuſcipiat, Chronicon hoc ſecundum mentem Martini ita edendi, ut quæque pagina 50. annos præciſe contineret, & interpolationes variorum in marginem vel ſubtus paginam rejiciat. Utile quoque eſſet, ut ſecundum votum ejusdem alia Prædicatorum ejusdem ætatis Chronica hujus generis editioni ſubnecterentur, ut *F. Gerardi de Fracheto Lemovicenſis*, *F. Ægidii de Lesſinis Baccalaurei Pariſienſis* anno 1278. mortui; *Anonymi Metenſis* anno 1274. florentis; ut & *Ptolomai Lucenſis ac Bernardi Guidonis*. Apud nos novam Martini Poloni editionem moliti jam dudum ſunt, & varias ideo ejus lectiones ex diverſis Codicibus ſedulo collegerunt Joachimus Johannes Maderus ſcholæ Schoningenſis olim Rector & Caſparus Sagittarius Hiſtoriarum apud Jenenſes ante hac Profeſſor celeberrimus. Sed ambo cœptis immortui ſunt, & MSta eorum huc ſpectantia Bibliotheca Guelferbytana aſſervat. Ipſe Illuſtris Leibnitius iis uſus eſt & laborem derelictum in ſe ſuſcepiſſet, niſi multa alia negotia & ætas ingraveſcens ipſius conatui obfuiſſent. Nos Chronici quidem Martiniani editionem Ordinis ſui viris doctis relinquimus, ejus tamen continuationes inſigniores, quas hactenus vidimus, præterire nolumus. Eſt ex iis vetuſtior quam hic damus ex Codice membranaceo Weiſſenburgenſi in Guelferbytana Bibliotheca jam deliteſcente. Author, qui illam confecit, temporibus Ludovici Bavari Imp. ſe vixiſſe teſtatur. Chronicon ipſum cum edito ubique convenit, niſi quod plura ſubinde inſerantur a Martino non profecta, ut videre eſt ex iis quæ hic a Friderici I. temporibus inſerimus. Quantum ex enarratione rerum concludi poteſt, Appendicis hujus conſarcinator a diligentia laudandus eſt, degitque in ditionibus Auſtriacis in confinio Germaniæ & Italiæ, & fortasſis in ditione Patriarchæ Aquilegienſis; unde & opuſculum ejus *Martini Poloni continuationem Auſtriacam* appellamus. Alia de ipſo non conſtant. Finit autem geſtorum recenſionem in Anno Chriſti 1343.

XXI.

En tibi iterum *Continuationem Chronici Martini Poloni.* Vita Honorii IV. e Codice Jenensi desumta & cum Codicibus Weisenburgensi, Guelferbytano, duc busque Hanoveranis & Heroldi editione collata est. Post eam a Nicolao IV. us que ad Urbanum V. *Theodericus de Niem* gesta Pontificum in literas retulit. Si enim concludo ex eo, quod post Innocentii VI. vitam in Codice Weissenbur gensi Membranaceo & Guelferbytano alio Papyraceo legitur: *Finis Chronicæ Theo derici Nyem, famosissimi literarum Apostolicarum & fundatoris Hospitalis Alimanorum in Urbe, qui obiit & sepultus est Trajecti Leodicensis Diœcesis in Ecclesia S. Gervasii, in qua erat Canonicus anno Domini MCCCC.* Aliqua in his conveniunt cum Appendi ce Heroldina. Reliqua deinde usque ad annum 1418. ab anonymo adjecta sunt Codicem Papyraceum Gvelferbytanum secuti sumus, eumque cum aliis contuli mus, quorum variationes & additiones subtus paginam ubique rejecimus. Idem MStum etiam in Bibliotheca Episcopali Tridentina asservari intelligimus ex Re censione Codicum ejus infra edita, ubi num. 45. indicatur; sed author ibi corru ptius *Johannes de Nimheim* vocatur, forte quia continuator Niemii Johannis no men habuit. Engelhusius opus Niemii *de Schismate* sub nomine *Chronicæ* citat. p. 1108. sed *Minorem* eum non recte vocat. Ex opusculo enim, quod nunc edimus, patet, Niemium circa annum 1362. Canonicum Bunnæ resedisse. An. 1364. idem Avinionem secunda vice petiit litem prosecuturus adversus Capitulum Bunnense, quod ipsum a fructibus præbendæ suæ suspendisset. Hic Papæ innotuit, & meruit Canonicatum in Ecclesia Lucensi, factusque deinde est Literarum Apostolicarum scriptor & abbreviator ab anno 1378. vel saltem a Gregorii IX. obitu. Ottone deinde, filio Magni Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis ab Episcopatu Verdensi ad Archiepiscopatum Bremensem translato, Niemius a Bonifacio Papa IX. constitutus est *Episcopus Verdensis.* Antequam tamen ad plenam possessionem Rodenburgensis castri, quod Otto sibi retinuerat, & obedientiam pervenisset, iterum translatus est ad Ecclesiam Cameracensem, teste Chronico Verdensi apud Leibnitium Scriptor. Brunsvic. T. II. pag. 221. Henricus Meibomius hujus Niemii *Vitam Johannis XXIII. Romani Pontificis* edidit diffusiorem ea, quæ in opusculo, quod nos jam damus, extat. Libri ejusdem Niemii *de Schismate* impressi quidem fuerunt Norimbergæ, Basileæ & Argentorati, sed minus accurate. Vidi enim apud M. R. Hartium, Præpositum Cœnobii Mariæbergensis & Professorem in Academia Julia dignissimum, collationem horum librorum cum Codice Gothano, unde apparuit, editionem misere mutilatam esse, & ingentibus mendis scatere.

XXII.

Martinus ordinis Fratrum Minorum sacerdos, atque ita a Martino Polono Ordinis prædicatorum diversus, *Chronicon* paulo post Polonum ab initio seculi usque ad annum Christi 1290. productum composuit, sua ex Orosio, Isidoro & Martino Polono depromens atque in commodiorem ordinem redigens. In authentico exemplari pariter, ut Polonus, Pontifices a dextris, Imperatores a sinistris exhibuit, opusque suum *Flores temporum* inscripsit. Per decennium & ultra ei insudavit, & in Wurtenbergensi ducatu tunc degit, ut ipse in Rudolfi I. Imp. rebus hoc commemorat. Andreas Ratisbonensis in Chronico similiter scribit; *Fratrem Minorem* Chronica, *Flores temporum* dicta, usque ad mortem Nicolai IV. Papæ perduxisse. Reliqua ergo alius quidam addidit ac rerum seriem usque ad Carolum IV. Imp. sive annum 1347 continuavit, Alamannus item genere, ut videtur. Chronicon hoc mox inclaruit & delatum est in manus *Hermanni Ordinis S. VVilhelmi Januensis,*

nuensis, qui omnia verbotenus exscripsit, immutato saltem aliquando vocabulorum quorundam ordine, ut ex Præfatione, quam ideo hic insero, facile cuivis manifestum fiet. *Mariæ Virginis indignus famulus Ego frater Hermannus ordinis S. VVilhelmi Januensis scire desiderans, quibus temporibus quilibet sanctus floruisset super terram, chronicas diversas & multas studiose perlegi, ex quibus omnibus ab initio seculi usque ad annum gratiæ MCCCXLV. mihi soli aliqua breviavi ex verbis principalibus ac numero algorismi in margine, & usuali in textu signavi, cum ergo aliquando in prædicationibus dicerem populo, hodie tot anni elapsi sunt, quo iste sanctus migravit ad cœlos, Clerici & fratres sæpe admirantes, pertinaciter a me exigerunt copiam exemplaris in numero usuali, qui plerisque magis notus esse videtur, quod quia non solum Hebræorum opiniones & LXX. Interpretes, verum etiam Christianos Historiographos veteres & modernos in annorum numero inter se vidi heu plurimum discordantes, turbatus & anxius, viam mediam sub dubio praelegi, secutus inter veteres Orosium & Isidorum ethimologiarium; inter modernos vero Martinum Romanæ Curiæ Pœnitentiarium de Ordine fratrum Prædicatorum; quod heu nec hi tres viri autentici in toto etiam annorum numero concordabant, pro hac causa mihi istum libellum maxime soli servavi, donec Prælatorum meorum auctoritate, & de divinis Ordinibus virorum honestorum nimia devictus instantia publicavi, nec dedignor, imo opto caritative, ab aliis corrigi, malens cum beato Gregorio, salva fide alieno intellectui cedere, quam contentionibus deservire; obsecro autem scriptores, ut circa numeros annorum scribendos correcte, sollicitam diligentiam adhibeant propter Deum, alioquin ego, quantum ad homines, in vacuum laboravi, & ignaviæ meæ imputabitur error librarii dormitantis. Usualis autem numerus sic scribitur centum C. quadringenti CD. quingenti D sexcenti DC. nongenti CM. mille M. duomillia II. quinque millia V. viginti millia XX. & sic de aliis. Cumque igitur primas ætates celerius transcurrens sextæ maxime nostris temporibus duxi prolixius immorandum, ubi seorsum a dextris nomina omnium summorum Pontificum a beato Petro usque ad Clementem Sextum, qui fuit de ordine Sancti Benedicti, breviter annotavi, & singulorum Romanorum Imperatorum nomina a Julio usque ad Karolum quintum, filium Joannis Regis Bohemiæ, qui successit Ludovico Imperatori quarto a sinistris, sub anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, singulorum quoque tempora & statuta potiora elucidans ac etiam diversa mirabilia mundi interserens, etiam omnium Romanorum tempora, annos, & gesta memoriæ digna breviter annotavi, non ad eorum laudem, sed ad Sanctorum eisdem contemporaneorum gloriam & honorem, ut inter spinas principum terrenorum Cœlicæ rosæ pullulent, & lilia paradisiaca beatorum possident, & ob hoc præsens opusculum flores temporum titulavi seu etiam nuncupavi.* Vides hic eadem, quæ Martinus Minorita protulit. Hoc solummodo mutatum est: Martinus dicit; se historiam usque ad annum 1290. atque ad Nicolaum IV. Papam coacervasse; Hermannus vero ait; se ad annum 1345, atque usque ad Clementem sextum Papam & Carolum V. Imp. qui nobis Quartus dicitur, pervenisse. Restat igitur, ut dicamus, ea, quæ a Nicolao IV. Papa, atque ab obitu Rudolfi I. Imperatoris in nostro Martini exemplari leguntur, non esse Martini, sed *Hermanni*, qui anteriora quoque sua, ut jam ostendimus, ex Martino, insigni plagio, surrepsit. Hermanni vero vetus MStum Coloniæ in Monasterio S. Pantaleonis asservatur, cujus apographum nacti sumus ex Bibliotheca Mallincrotiana, cum illa anno 1720. Monasterii sub hasta venderetur. In Codice, quem edimus, Martini nomen præferente, indicatur, operi finem impositum, cum Karolus IV. adhuc viveret; & hoc conveniens est Præfationi Hermanni. Ex fine tamen Codicis S. Pantaleonis, ut in annotatiuncula addidimus, certum est, eum post obitum Caroli IV. scriptum esse. Anni enim regni illius ibi adjecti sunt forte

 a tran-

a transcriptore. Hermannus ex ordine Eremitarum S. Wilhelmi se *Januensem*, ho est, *Genua* oriundum vocat. Sed nostri scriptores vocem *Januensis* de *Janitor* sive *Æditu*o interpretati sunt; & inde eum vulgo (ast erronee, ut patet) *Hermannum Æditu*um vocarunt, & hoc sub nomine frequenter citarunt Centuriatore Magdeburgenses, Martinus Crusius aliique. Iidem eum aliquando *Hermannum Gigantem* vocant. Citant quoque *Flores temporum Honorii*, quo sub nomine ite rum Hermannum intelligunt. *Ere* enim nobis *honorem* denotat; unde *Herman*ni vocem derivatam credidere. Hermannum hunc Januensem, falso *Æditu*um di ctum, habuit etiam Jo. Bas. Heroldus, & in Præfatione Mariani Scoti & Martin Poloni ejus editionem promisit his verbis: *Amborum*, (Mariani & Martini) *Chronica eo quidem consilio in lucem dedi, quo & brevi Gottofredi Viterbiensis, Hermanni Æditui Conradi Engelbus, Petri Bertorii, Hugonis Floriacensis, Lanfranci, Ivonis, Roberti de S. Victore, aliorumque plurimorum, qui de Temporibus scripserunt, opera, ex ipsa eademque Oporiniana officina dabo.* Sed nihil hujusmodi postea comparuit.

XXIII.

Ne Martini a se separentur, alium *Martinum Fuldensem* adjungo, olim in Bibliotheca Ecclesiæ S. Ægidii Hanoverana a me repertum, qui Chronicon a Nativitate Christi usque ad annum 1379. composuit, Pontificum & Imperatorum gesta breviter perstringens. Monachum Fuldensem fuisse Martinum nostrum non patet; Fuldensi tamen in territorio vixisse ex his ejus verbis sub anno 717. extantibus concludo: *Cum*, inquit ibi, *Domini terrarum se mutuo lædunt & persequuntur, tunc frequenter ruinæ & desolationes regnorum & dominiorum subsequuntur, sicuti, heu! temporibus nostris cottidie apud Principes terrarum nostrarum, scilicet Boconiæ, Hassiæ, Franconiæ, experiuntur fieri, anno scilicet a partu Virginis 1379 & 80.* Fuldensium enim bona in Bochonia, Hassia & Franconia sita sunt, & ipse Fundationis Monasterii Fuldensis distinctiorem mentionem facit. Nos priora omisimus & ab anno tantum DCCXVI. eum exscribere incepimus; quia hic de Bonifacio Germaniæ Apostolo & Cœnobii Fuldensis fundatore agit, & in sequentibus ea exhibet, quæ nos propius concernunt. Strictim enarrat memorabiliora & candorem animi ostendit, dum insolentiam Paparum dignitati Imperatorum suo tempore insultantium graviter taxat. Idem Juris Canonici peritissimus fuit, & quæ historica in eo occurrunt, suis locis solicite citat. Glossas item in Decretum Hugwitionis & aliorum diligenter evolvit. Confirmavit præterea dicta sua testimoniis Eginhardi, Aimoini, Gotfridi Viterbiensis, Vincentii Belluacensis ac Martini Poloni, authorum ea ætate celebrium & nunc editorum. Ex ineditis vero provocat ad *Richardum* & *Cusentinum Episcopum.* De illo ipse narrat, fuisse Pictavis oriundum, fuisse Monachum Cluniacensem, & viguisse sub Friderico I. Imp. & quidem anno 1160. ac hucusque Chronicon suum ab Adamo deduxisse. Sed diligentissimus vir Jacobus Longus in Bibliotheca Franciæ historica num. 7002. dicit quidem, *Richardi Pictaviensis Chronicon ab orbe condito ad annum usque 1161.* procedere, & conservari MStum in Bibliotheca Vaticana inter Codices Reginæ Sueciæ num. 163. sed ipsum authorem anno demum 1260. floruisse addit. Idem jam statuit sub num. 6984. ubi adducit aliud Chronicon MStum *Hugonis & Richardi Pictaviensis a Cæsare Octaviano ad Ludovicum juniorem Galliæ Regem*, qui anno 1137. regnare incœpit, productum, quod in Bibliotheca Colbertina inter Codices Quercetani extet. Sed forte error in numeris est, & Richardus Chronicon suum non ad annum 1161. sed usque in annum 1261. produxit. Amalricus enim Augerii de Biterris inde quædam, sub Ottone IV. Imp. & Innocentio III. Papa acta, adducit, & simul

indi-

indicat, se Richardi Chronica suo operi inseruisse. Idem sub Johanne XXI. Papa eum *Monachum Chimanensem* vocat, & continuatorem saltem ejus, usque ad Johannem modo dictum, fuisse Martinum Polonum asserit, ut adeo & Martinus inter plagiarios locum mereatur. Sed exactius de his dijudicabunt, quibus potestas est, ipsos Richardi Codices evolvendi. Hoc etiam memoratu dignum est, *Martinum Polonum* a quibusdam vocari *Archiepiscopum Cusentinum*, unde & Ughellus eum inter Archiepiscopos Cusentinos reposuit, nulla tamen similitudine veri. Cusentinum enim a Polono diversum esse ex nostro quoque Martino demonstrari potest. Sub anno quippe 768. de Constantino Papa is scribit: *De hoc nulla Cronica mentionem faciunt præter Martinum & Cusentinum Episcopum.* Et sub Benedicto X. dicit: *ut referunt Martinus & Cusentinus.* Duæ igitur diversæ personæ fuerunt, & Cusentinus quidem Archiepiscopus post Martinum Polonum vixit & scripsit; id quod etiam ex aliis authoribus, partim nondum impressis, fuse demonstrat Echardus l. c. pag. 601. sq.

XXIV.

Johannes Vitoduranus, de oppido Wintertur ortus, ut ipse prodit, ex Minorum Ordine fuit, & Historiam sui temporis ab Innocentio III. Papa & Friderico II. Imp. usque ad annum 1348. continuavit. Vossius lib. III. de Hist. Latinis Cap. 9. jam hujus mentionem fecit, & Codicem operis manuscriptum in Monasterio S. Galli latere indicavit. Ill. Leibnitius ex Bibliotheca Reipublicæ Bremensis & in ea latentibus reliquiis Goldasti literariis initium saltem ejus accepit, & Accessionibus Historicis inseruit. Nos egregium opus integrum, ex Helvetia ad nos delatum, jam in publicum damus. Eo magis id æstimandum est, quod author priora ex Chronicis variis nondum vulgatis, & relatione hominum fidorum; posteriora vero visu proprio & auditu vel communi voce & fama celebri accepta, distincte in literas retulerit. Ab anno præsertim 1330. se sibi ipsi nota scribere affirmat.

XXV.

Habemus *Andreæ Presbyteri Monasterii S. Magni in Præurbio Ratisbonensi, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Chronica de Principibus terræ Bavarorum*, Ludovico Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ & Comiti in Mortain dedicata, & edita deinde Ambergæ atque Argentorati. Sed præterea idem Andreas *Chronicon universale* collegit ex variis monumentis usque ad Johannis Papæ XXII. & Ludovici IV. Imp. ætatem; deinde vero his addidit ex diversis libris decerpta, atque ex relatione quoque virorum fide dignorum hausta, usque ad tempora Martini V. Papæ & Sigismundi Regis Romanorum. Martinum vero Polonum imitatus, in columna prima Pontifices, & in altera Imperatores ordinavit. Nactus deinde est hoc ejus opus *Johannes Chrafft*, Prædicator oppidi Camb, diœceseos Ratisbonensis, qui eidem immiscuit ea, quæ apud Martinum Polonum & Minoritam legerat, atque ita ex tribus hisce libris unum confecit. Intelligitur hoc ex Codice MSto Bibliothecæ Johanneæ apud Hamburgenses, quem benevolentia Magnifici viri Johannis Andersonii Consulari nuper dignitate, applaudentibus omnibus bonis, ornati, ante aliquot annos communicatum accepi. Huic enim præfixa leguntur hæc verba: *In nomine Domini Amen. Incipit Chronica veteris testamenti collecta ex diversis libris cujusdam Fratris Minorum* (Martini nempe Minoritæ) *qui eam in unum redegit ab initio seculi usque ad tempus gratiæ, quam ego, Johannes Chrafft prædicator indignus in opido Camb Ratisponensis Diœcesis conscripsi & couscribere feci, adjuncta Chronica Fratris Andreæ ad S. Magnum in præurbio Civitatis Ratisponensis anno Dom. 1466. Interserui etiam Chronicam Fratris Martini Pœnitentiarii de ordine Fratrum Prædicatorum.*



rum. Post hæc verba agitur octo fere foliis *de ætatibus mundi;* & postea Præfatio *Andreæ Ratisbonensis*, quam exhibemus, cum ejusdem Chronico sequitur. Ex hoc igitur nos omnia, quæ apud Polonum & Minoritam extant, rejecimus, & Andreæ solum aut Chrafftii interpolatoris verba exhibuimus. A Rudolfo autem Habspurgico omnia integre descripsimus; quippe iis Martini Poloni Chronicon continuatur, & quidem in latere Imperatorum usque in annum 1422. sub quo legitur: *Hæc pagina per Dei gratiam ab exordio nativitatis Christi, ejus filii, usque huc perducta, XIV. Kal. Februarii finitur.* In latere vero Paparum, anni 1421. rebus relatis, dicitur: *Qui dedit Alpha & O, sit laus & gloria Christo.* Unde certum est, Andream Ratisbonensem Chronicon suum anno 1422. die 14. Calend. Februarii absolvisse. Adjecit tamen adhuc quædam hisce prius exaratis usque ad annum 1438. pertingentia, ut ipse indicat. Quæ vero tandem ab anno 1443 usque ad finem extant, ea sunt a Johanne Crafftio Prædicatore Cambensi; & cum cætera omnia in Codice quoque Flacii Illyrici Helmstadiensi habeantur; hæc ultima solummodo in Codice Hamburgensi, a Crafftio nempe conscripto, reperiuntur.

Hæc vero jam sunt, quæ primo hoc Scriptorum Tomo a nobis publicata sunt. Vale. Scrib. Hanoveræ d. 25. Febr. 1723.

INDEX SCRIPTORUM
QUI TOMO PRIMO CONTINENTUR.

I. FASTI



I.
FASTI CONSVLARES
EX
DVOBVS EXEMPLARIBVS DIVERSIS
IN VNVM CONJVNCTI.

BRuto &	Collatin	o	Lun. XXVIII	Inreligienſe	Barbat	o	Sat. XXX.
Publicola II	Tricipitin	o	Mar. X	*B Potito II*	*Mamerc*	*o*	Sol. XI
Publicola III	Pulbilli	o	Mer. XXI	Celunontiano II	Priſc	o	Mar. XXII
B Ruffo	*Aquilin*	*o*	Jov. II	Barbato II	Volſc	o	Mer. III
Voleto	Tubert	o	Sat. XIII	Mamerco II	Vinullan	o	Jov. XIV
Publicola IV	Tribicitin	o	Sol. XXIV	*B Rigillienſe*	*Priſco*	*II*	Ven. XXV.
Tuberto II	Lanat	o	Lun. V	Vinullano II	Capitolin	o	Sol. VI.
B Tricoſto	*Bigellin*	*o*	Mar. XVI	Relligienſe	Medullino	III	Lun. XVII
Arunco	Ruff	o	Jov. XXVI	Priſco	Helv	a	Mar. XXVIII
Cornuto	Long	o	Ven. VIII	*B Tricipitino*	*Cicurin*	*o*	Mer. IX
Helva	Cicurin	o	Sat. XIX	Amentino	Cornut	o	Ven. XX
B Ruffo II	*Volcul*	*a*	Sol. XXX	Publicola II	Inreligienſ	e	Sat. I.
Atratino	Augurin	o	Mar. XI	Vinulano	Malluginenſ	e	Sol. XII
Regelleſe	Tricoſti	o	Mer. XXIII	*B Rutullu*	*Carbet*	*o*	Lun. XXIII
Inreligienſe	Struct	o	Jov. IV	Pulvillo	Augurin	o	Mer. IV
B Celmiontiano	*Cicurin*	*o*	Ven. XV	Maximo	Celemontin	o	Jov. XV
Aurunco	Vigillin	o	Sol. XXVI	Vaticano	Cicurin	o	Ven. XXVI
Macerino	Augurin	o	Lun. VII.	*B Capitolano*	*Fontinala*	*e*	Sat. VII
Augurino II	Atratino	II.	Mar. XVIII	Vero	Trigemin	o	Lun. XVIII
B Cornuto	*Labo*	*II.*	Mer. XXIX	Vaticano	Lanat	o	Mart. XXIX
Julo	Mamertino	o	Ven. X	Sabino II	Augurino	o	Mer. X
Rutilo	Vigellino	II.	Sat. XXI	*B Sabino III*	*Vinullan*	*o*	Jov. XXI
Tuſco	Sabin	o	Sol. II	Barbato	Potit	o	Sat. II
B Rutilo	*Vigellino*	*III.*	Lun. XIII	Coretineſano	Tricoſt	o	Sol. XIV
Vinulano	Malucinens	e	Mar. XXIV	Macrino	Juli	o	Lun. XXV.
Mamerco	Vinulani	o	Jov. VI	*B Fuſo*	*Barbato*	*IV*	Mar. VI
Vinulano II	Potit	o	Ven. XVII	Augurino	Phil	o	Jov. XVII
B Pelos	*Vinulano*	*II*	Sat. XXVIII	Siculo	Luſcin	o	Ven. XXVIII.
Vinulano III	Pelo	V	Lun. XIX	Macerino II	Barbat	o	Sat. IX
Cincinnato	Vinulano	III	Mar. XX	*B Vinulano*	*Helv*	*a*	Sol. XX
Vinulano IV	Trutill	o	Mer. I	Fuſo	Graſs	o	Mar. I
B Mamerco II	*Struct*	*o*	Jov. XII	Macerino	Lanato	II	Mer. XII
Pulvillo	Lanat	o	Sat. XXIII	Lanato	Capitolino	VI	Jov. XXIII
Rutilo	Struct	o	Sol. IV	*B Fidenato*	*Cincinnat*	*o*	Ven. IV
Publicola	Rutill	o	Jun. XV	Fidenato	Maxim	o	Sol. XV
B Volſo	*Medulin*	*o*	Mart. XXVI	Maluginenſe	Craſſ	o	Lun. XXVII
Mamerco III	Volſc	o	Jov. VII	Julo II	Tricoiſt	o	Mar. VIII
Rufo	Volſc	o	Ven. XIX	*B Capitolino*	*Coſs*	*o*	Mer. XIX

A Vinu-

Vinulano	Faccintor e	Ven.	XXX
Mamertino	Medullin o	Sat.	XI
Cincinnato	Ment o	Sol.	XXII
B *Crasso*	*Jul o*	Lun.	III
Tricipitino	Fidena s	Mer.	XIV
Cosso	Cincinnato II.	Jov.	XXV
Structo	Mugillian o	Ven.	VI
B *Cosso*	*Fis o*	Sat.	XVII
Arretino	Meuuillian o	Lun.	XXVIII
Crasso	Fidena s	Mar.	X
Arretino	Viuullan o	Mer.	XXI
B *Capitolino*	*Mugillian* o	Jov.	II
Capitolino	Viuullan o	Sat.	III
Cincinnato III	Vulf o	Sol.	XXIV
Lanato	Rutill o	Lun.	V
B *Structo II*	*Fidenas III.*	Mar.	XVI
Tricipitino	Structo III.	Jov.	XXVII
Arratino III	Mugellano II.	Ven.	VIII
Cosso	Cincinnat o	Sat.	IX
B *Vinullano II*	*Potit* o	Sol.	XXX
Medulliano	Coss o	Mar.	XI
Vinullano	Filipp o	Mer.	XXIII
Mugilliano	Rutill o	Jov.	IV
B *Mamertino*	*Volusi* o	Ven.	XV
Cosso	Medulliano o	Sol.	XXVI
Julo	Coss o	Lun.	VII
Voluso II	Structo III.	Mar.	XVIII
B *Cosso*	*Potit* o	Mer.	XXIX
Julo II	Mamertin o	Ven.	X
Maluginense	Cicurino III.	Sat.	XXI
Mamertino	Fus o	Sol.	II
B *Structo III*	*Cornut o*	Lun.	XIII
Camello	Jul o	Mer.	XXIV
Volso	Capitolin o	Jov.	VI
Augurino	Long o	Ven.	XVII
B *Potito*	*Medullian o*	Sat.	XXVIII
Julo II	Fidena s	Lun.	IX
Pansa II	Volf o	Mar.	XX
Cosso	Medullian o	Mer.	I
B *Camello III*	*Publicol a*	Jov.	XI
Potito	Mulluginens e	Sat.	XXIII
Potito II	Capitolin o	Sol.	IV
Tricipitino	Mamertin o	Lun.	XV
B *Longo*	*Ambust o*	Mar.	XXVI
Tricosto	Albin o	Jov.	VII
Capitolino	Corb o	Ven.	XIX
Cursore	Lanat o	Sat.	XXX
B *Aluginense*	*Cincinnat o*	Sol.	XI
Capitolino	Cincinnat o	Mar.	XXII
Rufo	Camill o	Mer.	III
Publicola	Flavo III	Jov.	XIV
B *Fidenas*	*Grass o*	Ven.	XXV
Publicola IV	Tricipitin o	Sol.	VI
Publicola V	Mamertino VI	Lun.	XVII
Capitolino	Albin o	Mar.	XXVIII
B *Fidenas II*	*Sicul o*	Mer.	IX
Mamertino	Cincinnat o	Ven.	XX
Lanato IV	Protextat o	Sat.	I
Bacho	Sol o	Sol.	XII
B *Papiro*	*Juni o*	Lun.	XXIII
Sacrabiense	Cellemontan o	Mer.	IV
Prisco	Commini o	Jov.	XV
Mamertino	Sol o	Ven.	XXVI
B *Medullino*	*Potit o*	Sat.	VII
Fidenas III	Maloginense	Lun.	XVIII

Capitulino	Structo	Mar.	XIX
Cosso II	Grasso	Mer.	X
B *Mamertino*	*Laterano*	Jov.	XXI
Abentinense	Haala	Sat.	III
Petito	Calba	Sol.	XIV
Mamertino	Apuentinense	Lun.	XXV
B *Haala II*	*Abentinense*	Mar.	VI
Stola	Vetito	Jov.	XVII
Ambusto	Proculo	Ven.	XXVIII
Rottillo	Capitolin o	Sat.	IX
B *Ambusto*	*Lenas II.*	Sol.	XXI
Rutillo	Capitolino	Mar.	I
Ambusto II	Lenas II.	Mer.	XII
Petito III	Publicula	Jov.	XXIII
B *Ambusto III*	*Capitolino*	Ven.	IV
Petito IV	Publicula	Sol.	XV
Publicula	Rutillo	Lun.	XXVII
Petito	Penno	Mar.	VIII
B *Lenas III*	*Scipione*	Mer.	XIX
Camello	Crasso	Ven.	XXX
Lenas IV	Corvin.	Sat.	XI
Venno	Torquat.	Sol.	XXII
B *Corvo II*	*Visulo II.*	Lun.	III
Dorsuo	Rufo	Mer.	XIV
Rutillo III	Torquato	Jov.	XXV
Corvo III	Cosso III	Ven.	VI
B *Hala III*	*Rutillo IV.*	Sat.	XVII
Venno II	Mamerco	Lun.	XVIII
Torquato	Mure	Mar.	X
Mamertino	Phil.	Mer.	XXI
B *Camello*	*Nepote*	Jov.	II
Peto	Congo	Sat.	XIII
Crasso	Hella	Sol	XXIV
Caleno	Corvo IV.	Lun.	V
B *Caudino*	*Calvino*	Mar.	XVI
Hoc anno Dictatores non fuerunt.		Jov.	XXVII
Calvino	Arvinas II.	Ven.	VIII
Cotito	Marcello	Sat.	XIX
B *Crasso III*	*Venio*	Sol	XXX
Privernas II	Decla	Mar.	XI
Deciano II	Barbat.	Mer.	XXIII
Lentulo	Philo II	Jov.	IV
B *Libone III*	*Cursore*	Ven.	XV
Camello II	Bruto	Sol.	XXVI
Hoc anno Dictatores non fuerunt.		Lun.	VII
Lanto II	Ceretano	Mar.	XVIII
B *Corvo II*	*Rulliano*	Mer.	XIX
Calvino II	Albino II.	Ven.	X
Cursore II	Philo III.	Sat.	XXI
Murillano III	Cerritano	Sol.	II
B *Venno*	*Flaccinatore*	Lun.	XIII
Barbula	Bruto	Mer.	XXIV
Lucillo	Lena	Jov.	VI
Cursore IV	Philo III.	Ven.	XVII
B *Libone*	*Longo III.*	Sat.	XXVIII
Cursore V	Bruto II.	Lun.	IX
Maximo	Mure	Mar.	XX
Bruto III	Barbula II.	Mer.	I
B *Tulliano III*	*Rutilio*	Jov.	XII
Hoc anno Dictatores non fuerunt.		Sat.	XXIII
Mure II	Rulliano	Sol.	IV
Ceto	Niolense	Lun.	XV

B *Tre-*

B Tremulo	*Arvina.*	Mar. XXVI	Cento	Tuditano.	Sol. XXVI
Megello	Augurin.	Jov. VII	Turrino	Falco.	Lun. VII
Sofo	Saberio.	Ven. XIX	Gracco	Falco.	Mar. XVIII
Rufo	Adventinense.	Sat. XXX	Caudino	Flacco.	Mer. XXIX
B Dextro	*Paulo.*	Sol. XI	Caudino II	Vano.	Ven. X
Corvo II	Rulliano II.	Mar. XXII	Torquato	Bulbo.	Sat. XXI
Corvo V	Pansa.	Mer. III	Albino	Maximo.	Sol. XI
Petino	Torquato.	Jov. XIV	Verrucoso	Mattio.	Lun. XIII
B Scipione	*Centumalo.*	Ven. XXV	Lepido	Malliolo.	Mer. XXIV
Rulliano IV	Mure.	Sol. VI	Matho	Maso.	Jov. V
Ceco	Violense.	Lun. XVII	Barbula	Pera.	Ven. XVII
Rulliano V	Mure IV.	Mar. XXIX	Albino II	Centumalo.	Sat. XXVIII
B Megello	*Regulo.*	Mer. IX	Maximo	Verrucoso II.	Lun. IX
Curgis	Scevola.	Ven. XX	Flacco	Regulo.	Mar. XX
Megello III	Bruto.	Sat. I	Torquato II	Flacco II.	Mer. I
Dentato	Ruffino.	Sol. XII	Papo	Regulo.	Jov. XII
B Corvino II	*Noctua.*	Lun. XXIII	Torquato III	Flacco.	Sat. XXIII
Tremulo II	Arvina.	Mer. IV	Flamio	Pilo.	Sol. IV
Mercellino	Rutilo.	Jov. X	Marcello	Calbo.	Lun. XV
Maximo	Peto.	Ven. XXVI	Asina	Rufo.	Mar. XXVI
B Canina	*Lepid.*	Sat. VII	Levino	Scævola.	Jov. VII
Tucco	Metello.	Lun. XVIII	Paulo	Salinatore.	Ven. XVIII
Calvo	Maximo.	Mar. XXIX	Scipio	Longo.	Sat. XXX
Luscino &	Labo.	Mer. X	Gemino	Flaminio.	Sol. XI
B Barbula	*Filippo.*	Jov. XXI	Paulo	Varo.	Mar. XXII
Levino	Coruntiano.	Sat. II	Gracco	Albino.	Mer. III
Sabemo	Pirrico.	Sat. XIV	Verrucoso IV	Marcello III.	Jov. XIV
Luscino II	Pato II.	Lun. XXV	Maximo	Gracco II.	Ven. XXV
Rufino II	Bruto II.	Mar. VI	Pulcro	Flacco III.	Sol. VI
Gurgis	Clepsena.	Jov. XVII	Maximo	Centumalo.	Lun. XVII
Dentato II	Lentulo.	Ven. XXVIII	Levino II	Marcello IV.	Mar. XXVIII
Dentato III	Merenda.	Sat. XXIX	Verrucoso V	Flacco IV.	Mer. IX
Licino	Cinna.	Sol XX	Marcello V	Crispino.	Ven. XX
Cursore II	Maximo.	Mar. I	Nerone	Salinatore.	Sat. I
Claudio	Clepsina.	Mer. XII	Metello	Pilo.	Sol. XII
Clepsina II	Lesio.	Jov. XXIII	Affricano	Divite.	Lun. XXIV
Gallo	Pictore.	Ven. IV	Cethego	Tuditano.	Mer. IV
Soffo	Russo.	Sol. XV	Cepio	Tervillo.	Jov. XV
Regulo	Libone.	Lun. XXVII	Nerone	Gemino.	Ven. XXVI
Pera	Pistore.	Mar. VIII	Lentulo	Peto.	Sat. VII
Maximo	Vitulo.	Mer. XIX	Maximo II	Cotta.	Lun. XVIII
Caudex	Flacco.	Ven. XXX	Lentulo	Tribulo.	Mar. XXIX
Maximo	Grasso.	Sat. XI	Flaminio	Cato.	Mer. X
Megello	Vitullo.	Sol. XXII	Cetego	Rufo.	Jov. XXI
Flacco	Grasso.	Lun. III	Purpureo	Marcello.	Sat. III
Asina	Duillio.	Mer. XIV	Catone	Flacco.	Sol. XIV
Scipione	Floro.	Jov. XXV	Affricano	Longo.	Lun. XXV
Collatino	Paterculo.	Ven. VI	Merula	Termo.	Mar. VI
Regulo	Blesio.	Sat. XVII	Flaminino	Enobarbo.	Jov. XVII
Longo	Rugullo.	Lun. XXVIII	Glabrione	Nasica.	Ven. XXVIII
Nobiliore	Paulo.	Mar. X	Asiatico	Lælio.	Sat. IX
Asina II	Calatina II.	Mer. XX	Volso	Nobiliore.	Sol. XX
Cepio	Bleso.	Jov. II	Salinatore	Messala.	Lun. I
Cotta	Gemino.	Sat. XIII	Lepido	Flaminino.	Mer. XII
Megello	Pacillo.	Sol. XXIV	Albino	Filippo.	Jov. XXIII
Regulo II	Volso II.	Lun. V	Pulcro	Tuditano.	Ven. IV
Puccio	Pullo.	Mar. XVI	Pulcro	Licino.	Sol XV
Cotta II	Gemino II.	Jov. XXVII	Libone	Marcello.	Lun. XXVII
Megello II	Butilo II.	Ven. VIII	Paulo	Amphilo.	Mar. VIII
Grasso II	Licinio II.	Sat. XIX	Cetego	Amphilo.	Mer. XIX
Buteo	Pulbo.	Sol. XXX	Albino	Pisone.	Ven. XXX
Attico	Bleso.	Mar. XI	Fulviano	Fleco.	Sat. XI
Fundulo	Gallo.	Mer. XXIII	Bruto	Volso.	Sol. XXII
Catulo	Albino.	Jov. IV	Pulcro	Gracco.	Lun. III
Attico II	Cerco.	Ven. XV	Spalo	Levino.	Mer. XIV

A 2 Scevola

Scevola	Lepido.	Jov. XXV
Paulo	Scevola.	Ven. VI
Albino	Lenas.	Sat. XVII
Lenas	Ligo.	Lun. XXVIII
Grasso	Longino.	Mar. X
Mancino	Serrano.	Mer. XXI
Filippo II	Ceplo.	Jov. II
Paulo II	Grasso.	Sat. XIII
Peto	Penno.	Sol. XXIV
Gallo	Marcello.	Lun. V
Torquato	Octavo.	Mar. XVI
Torquato	Longo.	Jov. XXVII
Gracho	Haina.	Ven. VIII
Nasica	Ficulo.	Sat. XIX
Messala	Strabo.	Sol. XXX
Gallo	Cethego.	Mar. XI
Dolabella	Nobiliore.	Mer. XXIII
Lepido	Lenas II.	Jov. IV
Cesare	Horestene.	Ven. XV
Lentulo	Figulo II.	Sol. XXVI
Nasica	Marcello II.	Lun. VII
Opimio	Albino.	Mar. XVIII
Nobiliore	Fuso.	Mer. XIX
Marcello II	Flacco.	Ven. X
Lucillo	Albino.	Sat. XXI
Flaminio	Balbo.	Sol. II
Censorino	Manilio.	Lun. XIII
Magno	Cesoniano.	Mer. XXIV
Aemiliano	Mancino.	Sat. XXVIII
Gallo	Cotta.	Lun. IX
Pulduino	Macedonico.	Mar. XX
Celuo	Serviliano.	Mer. I
Ceplo	Nepote.	Jov. XII
Lellio	Cepio.	Sat. XXIII
Pisone	Lenas.	Sol. IV
Nasica	Bruto.	Lun. XV
Porcina	Mancino.	Mar. XXVI
Pilo	Serrano.	Jov. VII
Flacco	Pisone.	Ven. XVIII
Æmiliano II	Flacco.	Sat. XXX
Scepula	Pisone.	Sol. XI
Lenas	Calibo.	Mar. XXII
Muciano	Flacco.	Mer. III
Lentulo	Nepote.	Jov. XIV
Tuditano	Aquilino.	Ven. XXV
Optavio	Rufo.	Sol. VI
Ravilla	Cinna.	Lun. XVII
Lepido	Orestenn.	Mar. XXVIII
Hypseo	Flacco.	Mer. IX
Longino	Calvino.	Ven. XX
Metello	Apellato.	Sat. I
Enobarbo	Fanne.	Sol. XII
Opimio	Maximo.	Lun. XXIII
Manilio	Balbo.	Mer. IV
Metello	Cotta.	Jov. XV
Cadtue (Caudino)	Rige.	Ven. XXVI
Diademmo	Scevola.	Sat. VII
Getta	Ebuino.	Lun. XVIII
Scauro	Megello.	Mar. XXIX
Bulbo	Catto.	Mer. X
Caprario	Carpo.	Jov. XXI
Druso	Cesoniano.	Sat. II
Nasica	Bestia.	Sol. XIV
Rufo	Albino.	Lun. XXV
Megello	Silano.	Mar. VI

Calva	Hortensio.	Jov. XVII
Longino	Nepote.	Ven. XXVIII
Serrano	Ceplo.	Sat. IX
Rufo	Maximo.	Sol. XX
Mario II	Fimbrio.	Mar. I
Mario III	Oreste.	Mer. XII
Mario IV	Catulo.	Jov. XX
Mario V	Aquilio.	Ven. IV
Mario VI	Flacco.	Sol. XV
Antonino	Albino.	Lun. XXVII
Metello	Junio.	Mar. VIII
Lentulo	Grasso.	Mer. XIX
Aenobarbo	Longino.	Ven. XXX
Crasso	Scevola.	Sat. XI
Calddo	Aenobarbo.	Sol. XXII
Flaccio	Hecennio.	Lun. III
Pulcro	Perpenno.	Mer. XIV
Philippo	Cesare.	Jov. XXV
Cesare	Lupo.	Ven. VI
Pompeio	Strano.	Sat. XVII
Sulla	Rufo.	Lun. XXIX
Octavio	Cinna.	Mar. X
Cinna	Mario.	Mer. XXI
Cinna III	Carvo.	Jov. II
Carvo II	Cinna IV.	Sat. XIII
Asiatico II	Pulbo.	Sol. XXIV
Gratilliano	Carbo III.	Lun. V
Decula	Dolabella.	Mar. XVI
Sulla	Pio.	Jov. XXVII
Vatio	Pulcro.	Ven. VIII
Lepido	Catulo.	Sat. XIX
Mamerco	Juliano.	Sol. XXXI
Octavio	Curio.	Mar. XI
Octavio	Cotta.	Mer. XXIII
Lucullo	Cotta.	Jov. IV
Varro	Licinio.	Ven. XV
Publicola	Lentulo.	Sol. XXVI
Lentulo	Horesten.	Lun. VII
Magno	Crasso.	Mar. XVIII
Nepote	Metello.	Mer. XXIX
Metello	Vatia.	Ven. X
Pisone	Glabria.	Sat. XXI
Lepido	Hollo.	Sol. II
Sulla	Peto.	Lun. XIII
Cesare	Turmo.	Mer. XXIV
Cicerone	Antonino.	Jov. VI
Silano	Murena.	Ven. XVII
Calpurniano	Messala.	Sat. XXVIII
Afranio	Metello.	Lun. IX
Cesare	Viuulo.	Mar. XX
Talsoniano	Canonio.	Mer. I
Lentulo	Nepotæ.	Jov. XII
Marcellino	Philippo.	Sat. XXIII
Magno II	Grasso.	Sol. IV
Ænobarbo	Phucro.	Lun. XV
Corvino	Messala.	Mar. XXVI
Magno III	Solo.	Jov. VII
Rufo	Marcello.	Ven. XIX
Paulo	Marcello.	Sat. XXX
Marcello II	Crascello.	Sol. XI

Huc usque Dictatores fuerunt.

G. Jul. Cesare II	Isaurio.
Caleno	Vatino.
Cesare III	Lepido.

Cesa-

Cesare IV &	Solo.	
Cesare V	Antonino.	
Pansa	Hirtio.	
Lepido	Planco.	
Petate	Isaurico.	
Calvino	Pollione.	
Censorino	Sabino.	Sat. I
Pulcro	Flacco.	Sol. XII
Agrippa	Gallo.	Lun. XXIII
Publicola	Nerva.	Mer. IV
Cornificio	Pompeio.	Jov. XV
Liboni	Atratino.	Ven. XXVI
Augusto II	Tullo.	Sat. VII
Henobulbo	Sosio.	Lun. XVIII
Augusto III	Messala.	Mar. XXIX
Augusto IV	Grasso.	Mer. X
Augusto V	Apulejo.	Jov. XXI
Augusto VI	Agrippa II.	Sat. II
Augusto VII	Agrippa III.	Sol. XIII
Augusto VIII	Tauro.	Lun. XXIV
Augusto IX	Silano.	Mar. V
Augusto X	Flacco.	Jov. XVII
Augusto XI	Pisone.	Ven. XXVIII
Marcello	Arruntio.	Sat. IX
Lollio	Lepido.	Sol. XX
Apulejo	Nerva.	Mar. I
Saturnino	Lucretio.	Mer. XI
Lentulo	Lentulo.	Jov. XXIII
Turnio	Silato.	Ven. IV
Henobarbo	Scipione.	Sol. XV
Libone	Pisone.	Lun. XXVII
Grasso	Auguro.	Mar. VIII
Nerone	Varo.	Mer. XIX
Messala	Quirino.	Ven. XXX
Tuberone	Maximo.	Sat. XI
Africano	Maximo.	Sol. XXII
Druso	Crispino.	Lun.
Censorino	Gallo.	Mer. XIV
Nerone	Pisone.	Jov. XXV
Balbo	Vetere.	Ven. VI
Augusto XII	Sulla.	Sat. XVII
Sabino	Rufo.	Lun. XXVIII
Lentulo	Messalino.	Mar. X
Augusto XIII	Silvano.	Mer. XXI
B Lentulo	*Pisone.*	Jov. II
Cesare	Paulo.	Sat. XIII

Hoc consule Christus natus est 8. Kl. Jan. d. Lun. XV

Vincio	Varo.	Sat. XXIV
Lamia	Servilio.	Lun. V
B Catulo	*Saturnino.*	Mar. XVI
Voleso	Magno.	Jov. XXVII
Lepido	Arruntio.	Ven. VIII
Cretico	Nerva.	Sat. XIX
Cancello	Quintiliano.	Sol. XXX
Camerino	Sabino.	Mar. XI
Dolabella	Silano.	Mer. XXII
Lepido	Tauro.	Jov. IV
Cesare	Capitone.	Ven. XV
Planco	Silano.	Sol. XXVI
Duobus	Sextiis.	Lun. VII
Druso Cesare	Flacco.	Mar. XVIII
Tauro	Libone.	Mer. XXIX
Flacco	Rufo.	Ven. X

Tiber. Cæs. III	Germ. Cæs. II.	Sat. XXI
Silano	Balb.	Sol. II
Messala	Cotta.	Lun. XIII
Tib. Cæs. IV	Druso Cæs. II.	Mer. XXIV
Agrippa	Galbo.	Jov. VI
Pollione	Vetere.	Ven. XVII
Cethego	Varro.	Sat. XXIIX
Agrippa	Lentulo.	Lun. IX
Getulico	Sabino.	Mar. XX
Grasso	Pisone.	Mer. I
Silano	Nerva.	Jov. XII
Gemino &	Gemino.	Sat. XXIII

Hoc Consule Christus passus est die solis luna XIIII.

Vincio &	Longino.	So. IV
Tiberio Cæs. V.	Solo.	Lun. XV
Arruntio	Enobarbo.	Mar. XXVI
Galba	Sulla.	Jov. VII

Hoc Conf. Petrus & Paulus ad urbem venerunt accipere Episcopatum.

Vitello	Persico.	Ven. XIX
Camerino &	Noviano.	Sat. XXX
Gallieno	Plautio.	Sol. XI
Proculo	Nigrino.	Mar. XXII
Juliano	Aspernatæ.	Mer. III
C. Cæsare II	Cesiano.	Jov. XIV
C Cæsare III	Solo.	Ven. XXV
C. Cæsare IV &	Saturnio.	Sol. VI
Tito Claud. II	Longo.	Mar. XXVIII
Tit. Claud. III	Vitellio.	Mer. IX
Grispo II	Tauro.	Ven. XX
Vinitio	Corvino.	Sat. I
Asiatico II	Silano.	Sol. XII
T. Claudio IV	Vitellio III.	Lun. XXIII
Vitellio &	Publicola	Mer. IV
Verannio	Gallo.	
Vetere	Nerviliano.	Jov. XV
T. Claudio V	Orfito.	Ven. XXVI
Sulla	Othone.	Sat. VII
Silano	Antonino.	Lun. XVIII
Marcello	Amola.	Mar. XXIX
Nerone Cæs.	Vetere.	Mer. X

Hoc Conf. passi sunt Petrus & Paulus III. Kl. Jul.

Saturnino	Scipione.	Jov. XXI
Nerone II	Pisone.	Sat. II
Nerone III	Messala.	Sol. XIII
Capitone	Aproniano.	Lun. XXV
Nerone	Lentulo.	Mar. VI
Turpillino	Peto.	Jov. XVII
Marco	Gallo.	Ven. XXVIII
Regulo	Rufo.	Sat. IX
Grasso	Basso.	Sol. XX
Nerva	Vestino.	Mar. I
Telesino	Paulo.	Mer. XII
Capitone	Rufo.	Jov. XXIII
Trachala	Italico.	Ven. IV
Galva II	Vinio.	Sol. XV
Vespasiano II	Tito.	Lun. XVII
Vespasiano III	Nerva.	Mer. IIX
Vesp. IV	Tito II.	Mer. XIX
Domitiano II	Messalino.	Ven. XXX

Vespasiano V	Tito III	Sat. XI.
Vesp. VI	Tito IV	Sol. XXII.
Vesp. VII	Tito V.	Lun. III.
Vesp. VIII	Domit. V.	Mer. XIV.
Commodo	Prisco.	Jov. XXV.
Vespasiano IX	Tito VI	Ven. VI.
Tito VII	Domitiano VII	Sat. XVII.
Silva	Pollione.	Lun. XXVIII
Domit. VIII	Sabino.	Mar. IX
Dom. IX	Rufo.	Mer. XXI
Dom. X	Sabino.	Jov. II
Domit. XI	Furvo.	Sat. XIII
Dom. XII	Dolabella.	Sol. XXIV
Dom. XIII	Saturnino.	Lun. V
Dom. XIV	Rufo.	Mart. XVI
Fulvo	Atratino.	Jov. XXVII
Dom. XV	Nerva.	Ven. IIX
Glabrione	Trajano.	Sat. XIX
Domit. XVI	Saturnino.	Sol. XXX
Collega	Priscino.	Mar. XI
Asprenate	Laterano.	Mer. XXII
Domit. XVII	Clemente.	Jov. IV
Valeriano	Vetere.	Ven. XV
Nerva II	Rufo.	Sol. XXVI
Nerva III	Trajano.	Lun. VII
Palma	Senecione.	Mar. XVII
Trajano III	Frontino.	Mer. XXIX
Traj. IV	Peto.	Ven. X
Servillo II	Sura.	Sat. XXI
Trajano V	Maximo.	Sol. II
Surano II	Marcello.	Lun. XIII
Candido II	Quadrato.	Mar. XXIV
Commodo	Cereale.	Jov. VI
Sura	Senecione.	Ven. XVII
Gallo	Bradua.	Sat. XXIII
Palma II	Tullo.	Lun. IV
Priscina	Orfito.	Mar. XV
Pisone	Bolano.	Mer. I
Trajano VI	Africano.	Jov. II
Celso	Crispino.	Sat. XXIII
Vopisco	Asta.	Sol. IV
Messala	Pedone.	Lun. XV
Aeliano	Vetere.	Mar. XXVI
Nigro	Approniano.	Jov. VII
Adriano II	Salinatore.	Ven. XIX
Adriano II	Rustico.	Sat. XXX
Severo II	Fulvo.	Sol. XI
Vero II	Augure.	Mar. XXII
Aviola	Pansa.	Mer. III
Petino	Appuniano.	Jov. XIV
Glabrione	Torquato.	Ven. XXV
Asiatico II	Aquilino.	Sol. VI
Vero III	Ambibulo.	Lun. XVII
Titiano	Gallicano.	Mar. XXVIII
Asprenate	Libone.	Mer. IX
Marcello II &	Marcello II.	Ven. XX
Catulino	Apro.	Sat. I
Pontiano	Rufino.	Sol. XII
Augurino	Sergiano.	Lun. XXIII
Hibero	Sisenna.	Mer. IV
Serviano	Varo.	Jov. XV
Luperco	Attico.	Ven. XXVI
Commodo	Pompejano.	Sat. VII
Cesare II	Balbino.	Lun. XVIII
Nigro	Camerino.	Mar. XXIX

Antonino II	Præsente II.	Mer. X
Antonino III &	Aureliano Cæs.	Jov. XXI
Siloga &	Severo.	Sat. II
Rufino	Quadrato.	Sol. XIV
Torquato	Attico.	Lun. XXV
Avito	Maximo.	Mar. VI
Antonino IV	Aurel. Cæs. II.	Jov. XVII
Claro	Severo.	Ven. XXVIII
Largo	Messalino.	Sat. IX
Torquato	Juliano.	Sol. XX
Orfito	Prisco.	Mar. I
Gallicano	Vetere.	Mer. XII
Maximo	Condiano.	Jov. XXIII
Glabrione	Homullo.	Ven. IV
Præsente	Rufino.	Sol. XV
Commodo	Laterano.	Lun. XXVII
Severo	Sabino.	Mar. VIII
Silvato	Augurino.	Mer. XXIX
Barbato	Regulo.	Ven. XXX
Tertullo	Sacerdote.	Sat. XI
Quintillo	Prisco.	Sol. XXII
Bradua	Varo.	Lun. III
Duobus	Augustis.	Mer. XIV
Rustico &	Aquilino.	Jov. XXV
Lelliano	Pastore.	Ven. VI
Macrino	Celso.	Sat. XVII
Orfito	Pudente.	Lun. XXVIII
Pudente	Pulione.	Mar. X
Vero III	Quadrato.	Mer. XXI
Aproniano	Paulo.	Jov. XI
Prisco	Apollinare.	Sat. XIII
Claro	Cethego.	Sol. XXIV
Severo	Hereniano.	Lun. V
Orfito	Maximo.	Mar. XVI
Severo II	Pompeiano.	Jov. XXVII
Gallo	Flacco.	Ven. VIII
Pisone	Juliano.	Sat. XIX
Pollione	Apro.	Sol. XXX
Commodo	Quintilio.	Mar. XI
Orfito	Rufo.	Mer. XXIII
Commodo II	Vero.	Jov. IV
Presente	Condiano.	Ven. XV
Commodo III	Byrro.	Sol. XXVI
Mamertino	Rufo.	Lun. VII
Commodo IV	Victorino.	Mar. XVIII
Marulo	Eliano.	Mer. XIX
Materno	Bradua.	Ven. X
Commodo V	Glabrione.	Sat. XXI
Crispino	Eliano.	Sol. I
Fusciano	Silano.	Lun. XIII
Duobus	Silanis.	Mer. XXIV
Commodo VI	Septimiano.	Jov. VI
Aproniano	Bradua.	Ven. XVII
Comm. VII &	Pertinace.	Sat. XXVII
Falcone	Claro.	Lun. IX
Severo II	Bino.	Mar. XX
Tertullo	Clemente.	Mer. I
Dextro	Prisco.	Jov. XVI
Laterano	Rufino.	Sat. XXIII
Saturnino	Gallo.	Sol. IV
Anulino	Frontone.	Lun. XV
Severo III &	Victorino.	Mar. XXVI
Fabiano &	Mutiano.	Jov. VII
Severo IIII	Antonino.	Ven. XIX
Plautiano	Geta.	Sat. XXX

Cillo-

Cillone	Libone.	Sol.	XI
Antonino II	Geta.	Mar.	XXII
Albino	Miliano.	Mer.	III
Apro	Maximo.	Jov.	XIV
Antonino III	Geta II.	Ven.	XXV
Pompeiano	Avito.	Sol.	VI
Faustino	Rufino	Lun.	XVII
Gentiano	Basso.	Mar.	XXVIII
Duobus	Asperis.	Mer.	IX
Antonino IV	Balbino.	Ven.	XX
Messala	Sabino.	Sat.	I
Leto	Cereale.	Sol.	XII
Sabino	Anulino.	Lun.	XXIII
Presente	Extricato.	Mer.	IV
Antonino	Advento.	Jov.	XV
Antonino II	Sacerdote.	Ven.	XXVI
Antonino III	Comazonte.	Sat.	VII
Grato	Seleuco.	Lun.	XVIII
Antonino IV	Alexandro.	Mar.	XXIX
Maximo	Cheliano.	Mer.	X
Juliano	Crispino.	Jov.	XXI
Fusco &	Dextro.	Sat.	
Alexandro II	Marcello.	Sol.	
Albino	Maximo.	Lun.	
Modesto	Probo.	Mer.	
Alexandro III	Dione.	Jov.	
Agricola	Clementino.	Ven.	
Pompeiano	Peligniano.	Sat.	
Lupo	Maximo.	Sol.	
Maximo	Paterno.	Mar.	
Maximo II	Urbano.	Mer.	
Severo	Quitiano	Jov.	
Maximo	Africano.	Ven.	
Perpetuo	Comeliano.	Sol.	
Pio	Pontiano.	Lun.	
Gordiano	Aviola.	Mar.	
Sabino	Venusto.	Mer.	
Gordiano II	Pompeiano.	Ven.	
Attico	Protextato.	Sat.	
Atriano	Papo.	Sol.	
Peregrino	Aemiliano.	Lun.	
Philippo	Titiano.	Mer.	
Præsente	Albino.	Jov.	
Philippo II	Philippo.	Ven.	
Philippo III	Philippo II.	Sat.	
Aemiliano	Aquilino.	Lun.	
Decio II	Grato.	Mar.	
Decio III	Decio Cæs.	Mer.	
Gallo II	Volusiano.	Jov.	
Volusiano II	Maximo.	Sat.	
Valeriano II	Gallieno.	Sol.	
Valeriano III	Gallieno II.	Lun.	
Maximo	Glabrione.	Mar.	
Valeriano IV	Gallieno.	Jov.	
Tusco	Basso.	Ven.	
Aemiliano	Basso.	Sat.	
Seculare	Donato.	Sol.	
Gallicano IV	Volusiano.	Mar.	
Gallicano V	Fausiano.	Mer.	
Albino	Dextro.	Jov.	
Gallicano VI	Saturnino.	Ven.	
Valeriano II	Lucillio.	Sol.	
Gallieno VII	Sabinillo.	Lun.	
Paterno	Arcesilao.	Mar.	
Paterno II	Maximiano.	Mer.	

Claudio	Paterno.	Ven.	
Antiociano	Orfito.	Sat.	
Aureliano	Basso.	Sol.	
Quieto	Velduniano.	Lun.	
Tacito	Placidiano.	Mer.	
Aureliano II	Capitolino.	Jov.	
Aureliano III	Marcellino.	Ven.	
Tacito II	Aemiliano.	Sat.	
Probo	Paulino.	Lun.	
Probo II	Lupo.	Mar.	
Probo III	Paterno.	Mer.	
Messala	Grato.	Jov.	
Probo IV	Tiberiano.	Sat.	
Probo V	Victorino.	Sol.	
Caro I	Carino.	Lun.	
Carino II	Numeriano.	Mar.	
Diocletiano II	Aristobulo.	Jov.	
Maximo II	Aquilino.	Ven.	
Diocletiano III	Maximiano.	Sat.	
Maximiano II	Januarino.	Sol.	
Basso II &	Quintiniano.	Mar.	
Diocletiano IV	Maximiano III.	Mer.	
Tiberiano	Dione.	Jov.	
Annibaliano	Asclepidoto.	Ven.	
Diocletiano V	Maximiano IV.	Sol.	
Constantio	Maximiano.	Lun.	
Tusco	Annullino.	Mar.	
Diocletiano V	Constantio II.	Mer.	
Maximiano V	Maximiano II.	Ven.	
Fausto II	Gallo.	Sat.	
Diocletiano VII	Maximiano VI.	Sol.	
Constantio III	Maximiano III.	Lun.	
Titiano &	Nepotiano.	Mer.	
Constant. IV &	Maximiano IV.	Jov.	
Dioclet. VIII	Maxim. VII.	Ven.	
Dioclet. IX	Maxim. VIII.	Sat.	
Constantio V	Maximiano V.	Lun.	
Constantio VI	Maximiano VI.	Mar.	
Noues	Constantino.	Mer.	
Decies	Maximiano VII.	Jov.	
post Consul. X & Septimum.		Sat.	
anni II post Consul X & VII.		Sol.	
Maximian. VIII	Solo.	Lun.	
Constantino II	Licinio II.	Mar.	Idus April.
Constant. III	Licinio III	Jov.	3 Kal. Apr.
Volusiano	Anniano.	Ven.	14 Kal. Maj.
Constant. IV	Licinio IV.	Sat.	3 id. April.
Sabino	Rufino.	Sol.	8 Kal. Apr.
Gallicano	Basso.	Mar.	14 Kal. Maj.
Licinio	Crispo.	Mer.	8 Id. Apr.
Constant. V	Licinio.	Jov.	4 Kal. Apr.
Constant. VI	Constantino.	Ven.	3 Id. Apr.
Crispo II	Constant. II.	Sol.	4 non. Apr.
Priviano (al. Paulino)	Juliano.	Lun.	8 Kal. Apr.
Severo	Rufino	Mar.	7 id. April.
Crispo III	Constant. III	Mer.	4 Kal. Apr.
Paulino	Juliano.	Ven.	18 Kal. Maj.
Constant. VII	Constantio.	Sat.	3 id. April.
Constantio	Maximo.	Sol.	7 Kal. Apr.
Januarino	Justo.	Lun.	18 Kal. Maj.
Constant. VIII	Constantio IV.	Mer.	8 id. Apr.
Gallicano	Symaco.	Jov.	3 Kal. Maj.
Basso	Ablavio.	Ven.	3 id. Apr.
Pacatiano	Hilariano.	Sat.	4 non. Apr.

Dalma-

Dalmatio	Zenofilo.	Lun. 17 Kal. Maj.
Optato	Paulino.	Mar. 7 Id. Apr.
Conſtantio	Albino.	Mer. 3 Kal. Apr.
Nepotiano	Facundo.	Jov. 14 Kal. Maji
Feliciano	Titiano.	Sat. 3 non. Apr.
Vrſo	Polemio.	Sol. 8 Kal. Apr.
Conſtantio II	Conſtante.	Lun. 17 Kal. Maj.
Aquilino (al. Acyndinus)	Proculo.	Mar. 3 Kal. Apr.
Marcellino	Probino.	Jov. 13 Kal. Maj.
Conſtantio III	Conſtante II.	Ven. 3 Id. Apr.
Placido	Romulo.	Sat. 3 non. Apr.
Leontio	Saluſtio.	Sol. 17 Kal. Maj.
Amantio	Albino.	Mar. 7 Id. Apr.
poſt Amantio	Albino.	Mer. 3 Kal. Apr.
Rufino	Euſebio.	Jov. prid. Id. Apr
Philippo	Salia.	Ven. 3 non. Apr.
Limenio	Catulino.	Sol. 6 Kal. Apr.
Sergio	Nigriniano.	Lun. 17 Kal. Maj.
poſt Sergio	Nigriniano.	Mar. pr. Kal. Apr.
Conſtantio V	Conſtantio jun.	Mer. 10 Kal. Maj.
Conſtantio VI	Conſtantio II	Ven. 3 Id. Apr.
Conſtantio VII	Conſtantio III	Sat. 6 Kal. Apr.

* *Huc usque vetuſtius exemplar procedit.*

Arbitrone &	Lolliano.	16 Kal. Maj.
Conſtant. VIII	Juliano I.	7 Id. April.
Conſtantio IX	Juliano II.	3 Kal. April.
Datiano	Cæreali.	prid. Id. Apr.
Valentiniano	Valente.	pr. non. Apr.
Valentiano nomli & Victore.		16 Id. April.
Valentiniano	Valente III.	6 Id. April.
Gratiano II	Prono.	6 Id. April.
Modeſto	Arino.	16 Kal. Maj.
Valentin. IV	Valente.	7 Id. Apr.
Gratiano III	Equitio.	3 Kal. Apr.
poſt Gratiano	3tium & Equitio.	2 id. April.
Valente V	Valentin. jun.	pr. non. Apr.
Gratiano IV	Merobaudes.	16 Kal. Maj.
poſt Gratian. &	Merobaudes.	6 Id. April.
Valente VI	Valentin. jun.	prid. Kal. Apr
Olibrio	Auſonio.	12 Kal. Maj.
Gratiano VI	Theodoſio.	pr. non. Apr.
Syagrio	Eucerio.	6 Kal. April.
Antonio	Evagrio.	16 Kal. Maj.
Saturnino	Syagrio.	Kal. April.

Ricomede	Clearco.	12 Kal. Maj.
Arcadio	Paulone.	prid. id. Apr.
Onorio	Euodio.	5 Kal. Apr.
Valentinian. II	Eutropio.	15 Kal. Maj.
Theodoſio II	Cinegio.	6 id. Apr.
Timaſio	Promoto.	8 Kal. April.
Valentinian. IV	Neoterio.	id. April.
Tatiano	Symmacho.	Non. April.
Arcad. Aug. II	Rufino.	6 Kal. Maj.
Theod. Aug. III	Abundantio.	16 Kal. Maj.
Arcad. Aug. III	Honorio aug. II.	Kal. April.
Olibrio	Probino.	10 Kal. Maj.
Arcad. Aug. II	& Honorio.	prid. id. Apr.
Cæſario I	Attico.	6 Kal. April.
Honor. Aug. IV	Eutychiano.	15 Kal. Maj.
Eutropio	Theodoro.	5 id. April.
VI Stilichone	Auriliano.	8 Kal. April.
Vincentio	Frauio.	id. April.
Arcadio Aug. V	Honorio Aug.	non. April.
Theod. Aug. I	Rumorido.	14 Kal. Maj.
VI Honorio VI	Areſtenico.	5 id. April.
Stilichone II	Anthemio.	Kal. April.
Arcadio VI	Probo.	11 Kal. April.
Theodoſio II	Honorio.	8 Idus April.
		5. Kal. April.
		15 Kal. Maj.
		4 Non. Apr.
		7 Cal. Apr.
		Idus April.
		Non. April.
		13 Kal. Maj.
		3 idus April.
		Kal. April.
		17 Cal. Maj.
		7 id. April.
		3 Kal. April.
		4 Idus April.
		4 Non. April.
		7 Cal. April.
		18 Cal. Maj.
		4 Non. April.
		14 Cal. Maj.
		4 idus April.
		7 Kal. April.
		Anno Centeſimo.



II. CATA-

II.
CATALOGVS PRÆFECTORVM VRBIS.

☆ ☆ ☆

EX temporibus Gallieni quis quantum temporis Præfecturam urbis administravit.

Valeriano II & Gallieno.
Lollianus Præfectus urbis.
Valeriano III & Gallieno II.
Valerius Maximus Præfectus urbis.
Maximo & Glabrione.
Numnius Albinus Præfectus urbis.
Valeriano IIII & Gallieno III.
Junius Donatus Præfectus urbis.
Tusco & Basso.
Cornelius Secularis Præfectus urbis.
Æmiliano & Basso II.
Cornelius Secularis Præfectus urbis.
Seculare II & Donato.
Cornelius Secularis Præfectus urbis.
Gallieno IIII & Volusiano.
Numnius Albinus Præfectus urbis.
Gallieno V & Faustino.
Numnius Albinus Præf. urbis.
Albino II & Dextro.
Numnius Albinus Præfectus urbis.
Gallicano VI & Saturnino.
Paternus Præfectus urbis.
Valeriano II & Lucillo.
Paternus Præfectus urbis.
Gallieno VII & Sabinillo.
Paternus Præfectus urbis.
Paterno & Harcesilao.
Petronius Volusianus Præfectus urbis.
Paterno II & Mariniano.
Petronius Volusianus Præfectus urbis.
Claudio & Paterno.
Flavius Antiocianus Præfectus urbis.
Antiochiano & Orfito.
Flavius Antiocianus Præfectus urbis.
Aureliano & Basso.
Postumius Varus Præfectus urbis.
Quieto & Veldumiano.
Flavius Antiocianus Præfectus urbis.
Tacito & Placidiano.
Lucius Orfitus Præfectus urbis.
Aureliano II & Capitolino.
Virius Orfitus Præfectus urbis.
Aureliano III & Marcellino.
Postumius Suagrus Præfectus urbis.
Tacito II & Aemiliano.
Ovinius Pacatianus Præfectus urbis.
Probo & Paulino.
Ovinius Pacatianus Præfectus urbis.
Probo II & Lupo.
Virius Lupus Præfectus urbis.
Probo III & Paterno.
Virius Lupus Præfectus urbis.
Messala & Grato.
Virius Lupus Præfectus urbis.
Probo IIII & Tiberiano.
Ovinius Paternus Præfectus urbis.
Probo V & Victorino.
Pomponius Victorianus Præfectus urbis.
Caro & Carino.
Tifucius Roburrus Præfectus urbis.
Caro II & Numeriano.
Cetonius Varus Præfectus urbis.
Diocletiano II & Aristobulo.
Cetonius Varus Præfectus urbis.
Maximo II & Aquilino.
Junius Maximus Præfectus urbis.
Diocletiano III & Maximiniano.
Junius Maximus Præfectus urbis.
Maximiniano II & Januarino.
III Kal. Mart. Pomponius Januarius Præfectus urbis.
Basso II & Quintiano.
Pomponius Januarianus Præfectus urbis.
Diocletiano IIII & Maximiano III.
Turranius Gratianus Præfectus urbis.
Tiberiano II & Dione.
XII Kal. Marc. Junius Tiberianus Præfectus urbis.
Annibaliano & Asclepiodoto.
III Non. Aug. Cl. Marcellus Præfectus urbis.
Diocletiano V & Maximiano IIII.
III Id. Marc. Septimius Acyndinus Præfectus urbis.
Constantio & Maximiano.
Septimus Aquindinus Præfectus urbis.
Tusco & Amilino.
III Id. Jan. Aristobulus Præfectus urbis.
Diocletiano VI & Constantio II.
XII Kal. Marc. Cassius Dion. Præfectus urbis.
Maximiano V & Maximiano II.
Africanus Annibalianus Præfectus urbis.
Fausto II & Gallo.
Artorius Maximus Præfectus urbis.
Diocletiano VII & Maximiano VI.
Anicius Faustus Præf. urbis.

Constantio III & Maximiano III.
Kal. Mar. Pompejus Faustinus Præfectus urbis.
Titiano II & Nepotiano.
Ælius Dionysius Præfectus urbis.
Constantio IV & Maximiano IV.
XI Kal. Mar. Nummius Tuscus Præfectus urbis.
Diocletiano VIII & Maximiano VII.
Prid. Id. Sept. Junius Tiberianus Præfectus urbis.
Diocletiano IX & Maximiano VIII.
Prid. Non. Jan. Araclius Rufinus Præf. urbis.
Constantio V & Maximiano V.
Prid. Id. Febr. Postumius Titianus Præfectus urbis.
Constantio VI. & Maximiano VI.
XIII Kal. April. Annius Anulinus Præfectus urbis.
Maximiano VII & Maximino ex mense Aprili factum est sextum consulatum, quod est Novies.
VI Kal. Septemb. Instejus Tertullus Præfectus urbis.
Consules quod jusserint D. D. N. N. Augusti.
Ex XII Kal. Maji factum est Maxentio & Romulo.
Quod est Decies & Maximiano VII.
Id. Apr. Statius Rufinus Præfectus urbis.
Maxentio II & Romulo II.
III Kal. Nov. Aurelius Hermogenes Præfectus urbis.
Maxentio III Consule.
V Kal. Nov. Rufius Volusianus Præfectus urbis.
Consules quos jusserint D D. N N. Augusti ex mense Septembris factum est Rufino & Eusebio.
V Kalendas Novembris Junius Flavianus Præfectus urbis.
Maxentio IV Consule, qui sunt Constantio II & Licinio II.
V Idus Februarii Araclius Rufinus Præfectus urbis.
VI Kal. Nov. Annius Anulinus XXXIIII. Præfectus urbis.
III Kal. Dec. Araclius Rufinus iterum Præfectus urbis.
Constantino III & Licinio III.
VI Idus Decembris Rufius Volusianus Præfectus urbis.
Volusiano & Anniano.
Rufius Volusianus Præfectus urbis.
Constantino IIII & Licinio IIII.
XIII Kal. Septembr. Vetius Rufinus Præfectus urbis.
Sabino & Rufino.
Prid. Non. Aug. Ovinius Gallicanus Præfectus urbis.
Consules quos jusserint D. D. N. N. Augusti ex die XIII Kalend. Mart. Gallicano & Basso.
Idus Maji Septimius Bassus Præfectus urbis.

Licinio V & Crispo Cæsare.
Ex die III Idus Jul. in Idus Aug. vice illius cognovit Julius Cassius, eo quod ad Augustum profectus est. Septimius Bassus regressus est Præfectus urbis.
Constantino V & Licinio Cæsare.
Kal. Sept. Valerius Maximus Basilius Præfectus urbis.
Constantino VI & Constantino Cæsare.
Valerius Maximus Præfectus urbis.
Crispo II & Constantino II.
Valerius Maximus Præfectus urbis.
Probiano & Juliano.
Valerius Maximus Præfectus urbis.
Severo & Rufino.
Idus Sept. Lucer. Verinus Præfectus urbis.
Crispo III & Constantino III.
Lucerius Verinus Præfectus urbis.
Paulino & Juliano.
Prid. Non. Januar. Acilius Severus Præfectus urbis.
Constantino VII & Constantio Cæs.
Idus Novembr. Anicius Julianus Præfectus urbis.
Constantio & Maximo.
Anicius Julianus Præfectus urbis.
Januarino & Justo.
Anicius Julianus Præfectus urbis.
Constantino VIII & Constantino IIII.
VII Id. Sept. Publius Optatianus Præfectus urbis.
XXXI item VIII Idus Octobr. Petronius Probianus Præfectus urbis.
Gallicano & Symmaco.
Petronius Probianus Præfectus urbis.
Basso & Ablavio.
Prid. Idus April. Anicius Paulinus Præfectus urbis.
Pacatiano & Hilariano.
Anicius Paulinus Præfectus urbis.
Dalmatio & Zenofilo.
VII Idus April. Publius Optatianus Præfectus urbis.
item in dies XXXII. item VI Idus Majas Ceonius Julianus Camenius Præfectus urbis.
Optato & Paulino.
V Kal. Maj. Anicius Paulinus Præfectus urbis.
Constantio & Paulino.
III Kal. Jan. Rufius Albinus Præfectus urbis.
Feliciano & Titiano.
VI Idus Martius Valerius Proculus Præfectus urbis.
Constantio II & Constante.
Prid. Id. Julius Turgius Apronianus menses III Præfectus urbis.
It. VIII Kal. Nov. Fabius Titianus Præfectus urbis.
Acyndino & Proculo.
Ex die III Non. Majas in IIII Idus Jun. Junias Tertullius Vicarius cognovit, eo quod ad Augu-

Augustum profectus est, postea reversus Fabius Titianus Præfectus urbis.

Marcellino & Probino.

V Kalend. Mart. Aurelius Celsinus Præfectus urbis.

Constantio III & Constante II.

Kal. April. Pollianus Mavortius M. III. VI. Præfectus urbis.

It. prid. non. Jul. Aco Catulinius Philomatius Præfectus urbis.

Placido & Romulo.

Aco Catulinus Præfectus urbis.

Leontio & Salustio.

Aco Catulinus Præfectus urbis, sed III Idus Aprilis Q. Rusticus Præfectus urbis.

Amantio & Albino.

Qu. Rusticus Præfectus urbis.

III. Non. Julias Probinus Præfectus urbis.

Post consulatum Amanti & Albini.

Probinus Præfectus urbis. VII. Kal. Januarias *Placidus* Præfectus urbis.

Ruffino & Eusebio.

Placidus Præfectus urbis. Prid. Idus Junias Pimenius Præfectus Prætorio & urbis.

Philippo & Salia.

Ulpius Limenius Præfectus Prætorio & urbis.

Limenio & Catulino.

Limenius Præfectus Prætorio & urbis. Cessaverunt præfecturæ dies XII a die VI. Id. April. usque in XV Kal. Jun. XIIII Kal. Jun. Hermogenes Præfectus Prætorio urbis.

Sergio & Nigriniano.

Hermogenes Præfectus Prætorio & urbis. III. Kal. Mart. Fabius Titianus Præfectus urbis.

Magnentio & Gaisone.

Fabius Titianus Præfectus urbis. it. Kalend. Mart.

Aurelius Celsinus Præfectus urbis iterum IIII Idus Majas.

Cælius Probatus Præfectus urbis VII. Idus Junii.

Clodius Adelfius Præfectus urbis XV. Kal. Jan.

Valerius Proculus Præfectus urbis.

Decentio & Paulo.

Valerius Proculus Præfectus urbis It. V. Idus Septembr.

Septimus Mnasia Præfectus urbis. VI Kal. Octobris.

Neratius Cærealis Præfectus urbis.

Constantio VI & Constantio II.

Neratius Cærealis Præfectus urbis. VI Idus Decembris.

Vitrasius Orfitus Præfectus urbis.

Constantio VII & Constantio III.

Vitrasius Orfitus Præfectus urbis.



III.
DEPOSITIO MARTYRVM ET EPISCOPORVM.


ITEM DEPOSITIO MARTYRVM.

VIII Kalend. Januar. natus *Christus* in Betleem Judeæ.

Mense Januario.

XIII Kal. Feb. *Fabiani* in *Calisti* & *Sebastiani* in Catacumpos.

XII Kl. Feb. *Agnetis* in Nomentana.

Mense Februario.

VIII Kl. Martias, *Natale Petri* de cathedra.

Mense Martio.

Non. Martias, *Perpetuæ* & *Felicitatis Africæ*.

Mense Junio.

XIIII Kal. Jun. *Partheni* & *Caloceri* in Calixti, Diocletiano VIIII & Maximiano VIII.

III. Kl. Jul. *Petri* in Catacumbas & *Pauli* Ostense, Tusco & Basso Conf.

Mense Julio.

VI Idus *Felicis* & *Filippi* in Priscillæ; & in Jordanorum, *Martialis*, *Vitalis*, *Alexandri*; & in Maximis *Silani* (nunc *Silanum* martyrem Novati furati sunt) & in Prætextatæ *Januari*.

III Kl. Aug. *Abdos* & *Semnes* in Pontiani, quod est adversum Piliatum (Bucher. ad *Ursum Pileatum*.)

Mense Augusto.

VIII Idus Aug. *Xysti* in Calisti, & in Prætextati *Agapiti* & *Felicissimi*.

VI Idus Aug. *Secundi*, *Carpofani*, *Victorini* & *Severiani* Albano & Ostense, VII Ballistaria *Cyriaci*, *Largi*, *Crescentiani*, *Mimmiæ*, *Julianæ* & *Ixmaracdi*.

IV Idus Aug. *Laurenti* in Tiburtina.

Idus Aug. *Ypoliti* in Tiburtina, & *Pontiani* in Calisti.

XI Kl. Septembr. *Timotei* Ostense.

V Kl. Sept. *Hermetis* in Basillæ Salaria vetere.

Mense Septembre.

Non. Sept. *Alorti* (Bucher. *Aconti*) in Porto & *Nonni* & *Herculani* & *Taurini*.

V Idus Sept. *Gorgoni* in Lavicana.

III Idus Sept. *Proti* & *Jacincti* in Basillæ.

XVIII Kal. Octobr. *Cipriani* Africæ, Romæ celebratur in Calisti.

X Kal. Octob. *Basillæ* Salaria vetere, Diocletiano IX & Maximiano VIII Consul.

Mense Octobre.

Prid. Idus Octob. *Calisti* in via Aurelia, Miliario III.

Mense Novembre.

V Idus IX *Clementis*, *Semproniani*, *Clani*, (Buch. *Claudi*) *Nicostrati* in Comitatu.

III Kal. Dec. *Saturnini* intra Sonis (Bucher. *in Trasonis*.)

Mense Decembre.

Idus Decemb. *Ariston* in Portum.

DEPOSITIO EPISCOPORVM.

VI Kal. Januarias	*Dionisi* in Calisti.
III Kal. Januar.	*Felicis* in Calisti.
Prid. Kal. Januar.	*Sylvestri* in Priscillæ.
IV. Idus Januarias	*Miltiades* in Calisti.
XVIII Kal. Feb.	*Marcellini* in Priscillæ.
III Non. Mart.	*Luci* in Calisto.
X Kal. Maj.	*Gai* in Calisto.
IV Non. Augustas	*Steffani* in Calisti.
VI Kal. Octob.	*Eusebii* in Calisti.
VI Idus Decemb.	*Eutichiani* in Calisti.
Non. Octob.	*Marci* in Balbinæ.
Prid. Idus Apr.	*Juli* in via Aurelia milario III in Calixti.



IV. VETVS

IV.

VETVS CATALOGVS PONTIFICVM ROMANORVM.





Imperante Tiberio Cæsare,

PAssus est Dominus noster JEsus Christus duobus Geminis Consulibus VIII. Kal. April.& post ascensum ejus beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, quot annis præfuit, vel quo imperante.

Petrus ann. XXV mens. I d. IX. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris & Gai & Tiberi Claudi & Neronis; a Consul. Minuci & Longini usque *Nerune* & Vero. Passus autem cum Paulo d. III *Kal.* Julias Consul. SS. imperante Nerone.

Linus an. XII m. IV d. XII. Fuit temporibus Neronis a Consulatu Saturnini & Scipionis usque Capitone & Ruffo.

Clemens an. IX m. XI d. XII. Fuit temporibus Galbæ & Vespasiani, a Cons. Tracali & Italici usque Vespasiano VI & Tito.

Cletus an. VI m. II d. X. Fuit temporibus Vespasiani & Titi & initio Domitiani, a Cons. Vespasiano VIII & Domitiano V usque Domitiano IX & Ruffo.

Anaclitus an. XII m. X d. III. Fuit temporibus Domitiani a Cons. Domitiano X & Sabino usque Domitiano XVII & Clemente.

Aristus an. XIII m. VII d. II. Fuit temporibus novissimis Domitiani & Nervæ & Trajani a Consulatu Valentis & Veri usque Gallo & Bradua.

Alexander an. VII m. II d. I. Fuit temporibus Trajani a Cons. Palmæ & Tulli usque Veliano & Vetere.

Sixtus an. X m. III d. XXI. Fuit temporibus Adriani, a Cons. Nigri & Aproniani usque Vero III & Ampidulo.

Telesforus an. XI m. III d. III. Fuit temporibus Antonini, Macrini a Cons. Titiani & Gallicani usque Cæs. & Albino.

Higinus an. XII m. III d. VI. Fuit temporibus Veri, a Cons. Gallicani & Veteris usque Præsente & Rufino.

Pius an. XX m. IIII d. XXI. Fuit temporibus Antonini Pii a cons. Clari & Severi usque duobus Augustis. Sub hujus Episcopatu Frater ejus Ermes librum scripsit in quo mandatum continetur, quo ei præcepit Angelus, cum venit ad illum in habitu Pastoris.

Soter an. IX m. III d. II. Fuit temporibus Antonini & Commodi a Cons. Veri & Hereniani, usque Paterno & Bradua.

Victor an. IX m. II d. X. Fuit temporibus *Antonini* a Cons. Saturnini & Galli usque Præsente & Extricato.

Calixtus an. V m. II d. X. Fuit temporibus Macrini & Eliogabali a Cons. Antonini & Advienti usque Antonino III & Alexandro.

Vrbanus an. VIII m. XI d. XII. Fuit temporibus Alexandri a Cons. Maximi & Eliani usque Agricola & Clementino.

Pontianus an. V m. II d. VII. Fuit temporibus Alexandri, a Cons. Pompejani & Peligniani. Eo tempore Pontianus Episcopus & Yppolitus Presbiter exules sunt deportati in Sardinia, in Insula Iconia, Severo & Quintino Cons. in eadem insula discinctus est IIII Kal. Octobr. & loco ejus ordinatus est Antherus XI Kal. Dec. Cons. SS.

Antherus m. I d. X. Dormiit III Non. Jan. Maximo & Africano Cons.

Fabius an. XIV m. I d. X. Fuit temporibus Maximi & Gordiani & Filippi, a Cons. Maximini & Africani usque Decio II & Grato. Passus XII Kal. Octobris. Hic regiones divisit Diaconibus, & multas fabricas per cimiteria fieri jussit. Post passionem ejus Moyses & Maximus Presbiteri & Nicostratus Diaconus comprehensi sunt, & in carcerem sunt missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa & separavit de Ecclesia Novatianum & quosdam confessores, postquam Moises in carcere defunctus est, qui fuit ibi m. XI d. XI.

Cornelius an. II m. III d. X. a Cons. Decio IIII & Decio II usque Gallo & Volusiano. Sub Episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, & Nicostratum in Africa. Hoc facto, Confessores, qui sese separaverunt a Cornelio cum Maximo Presbytero, quod cum Moise fuit, ad Ecclesiam sunt reversi. Post hoc Centumcelis expulsi ibi cum dormitionem accepit.

Lucius an. III m. VIII d. X. Fuit temporibus Galli & Volusiani usque Valeriano III & Gallieno II. Hic exul fuit & postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est III Non. Martii, Conss.

Stephanus an. IIII m. II d. XXI. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni, a Cons. Volusiani & Maximi usque Valeriano III & Gallieno II.

Xistus an. II m. XI d. VI. Cœpit a Cons. Maximi & Glabrionis usque Tusco & Basso, & passus est VIII Idus Augusti; a Cons. Tusci & Bassi usque in diem XII Kal. Aug. Emiliano & Basso Cons.

Dionisius an. VIII m. II d. IIII. Fuit temporibus Gallieni ex die XI Kal. Aug. Emiliano &

& Basso Conſ. usque in diem VII Kal. Jan. Conſ. Claudi & Paterni.

Felix an. V m. XI d. XXV. Fuit temporibus Claudi & Aureliani, a Conſ. Claudi & Paterni usque in Consulatum Aureliano II & Capitulino.

Euticianus an. VIII m. XI d. III. Fuit temporibus Aureliani a Conſ. Aureliano III & Marcellino usque in diem IIII Idus Dec. Caro II & Carino Conſ.

Gajus an. XII m. IIII d. VIII. Fuit temporibus Cari & Carini ex die XVI Kal. Jan. Conſ. Caro II & Carino, usque in X Kal. Maji, Diocletiano VI & Constantio II.

Marcellinus an. VIII m. III d. XXV. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani ex die prid. Kal. Julias a Conſ. Diocletiano VI & Constantio II usque in Consul. Diocletiano IX & Maximiano VIII.

Marcellus an. I m. VI d. XX. Fuit temporibus Maxentii, a Conſ. X & Maximiano usque post Consulatum X & Septimum.

Eusebius m. IIII d. XVI a XIV. Kal. Majas usque in diem XVI Kal. Sept.

Miltiades an. III m. VI. d. VIII. ex die VI Non. Jul. a Consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Sept. Volusiano & Ruffino, usque in III Idus Januarias, Volusiano & Arniano Coſſ.

Sylvester an. XXI m. XI. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Volusiani & Anniani, ex die prid. Kal. Feb. usque in diem Kal. Januar. Constantino & Albino Coſſ.

Marcus m. VIII d. XX. Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano & Facundo Coſſ. ex die XV Kal. Febr. usque in diem Non. Oct. Coſſ. SS.

Julius an. XV m. I d. XI. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Feliciani & Titiani ex die VIII Idus Feb. in diem pridie Idus Apr. Constantio V & Constantio Cæſ. Hic multas fabricas fecit, Basilicam in Via Portense milliaria III, Basilicam in Via Flaminea milliar. II. quæ appellatur Valentini, Basilicam Juliam, quæ est regione VII juxta forum Divi Trajani, Basilicam trans Tiberim regione XIV juxta Calixtum, Basilicam in via Aurelia mil. III ad Calistum.

Liberius - - - - - - - - Fuit temporibus Constanti Conſ. Constanti ex die XI Kalend. Jun. in diem - - - - - - - a Consulatu Constantio V & Constantio Cæſ. Coſſ. - - - -



V. CATA-

V.

CATALOGUS IMPERATORUM ROMANORUM.


ITEM IMPERIA CÆSARUM.

C. Julius Cæsar imperavit annos III menses VII dies VI. Congiarium dedit XC occisus curia Pompeja.

Divus Octavianus Augustus Imp. ann. LVI. m. IIII d. VIIII. Cong. ded. ter. A. CCC LXII S. Hoc Imp. navis Alexandrina primum in portu Romano introivit nomine Acatus, qui attulit frumenti modios CCCC vectores MCC piper, linteamen, carta nitria & opoliscum cum sua sibi base, qui est in Circo maximo, *altum* pedes LXXXVII S. excessit Nola.

Tiberius Cæsar Imp. ann. XXII m. VII d. XXVIII Cong. dedit X. LXXII. Hoc Imp. in civitate Fidenis populo spectante amphitheater ruit & oppressit homines IIII. CC. V. Excessit Miseno.

C. Gallicula Imp. ann. III m. VIII d. XII Cong. dedit XLXXII S. & de Basilica Julia sparsit aureos & argenteos, in qua rapina perierunt homines XXXII CC XLVII & Spado occisus palatio.

Tiberius Claudius Imp. ann. XIII m. VIII d. XXVII Cong. dedit XLXXV. Hoc Imp. primum venerarii & malefici comprehensi sunt. Homines XLV mulieres LXXXV ad supplicium ducti sunt. Hic Metas in Circo Maximo deauravit. Excessit palatio.

Nero Imperator ann. XIIII m. V d. XXVIII Cong. dedit XC. Hoc Imp. fuit polyfagus natione Alexandrinus nomine Arpocras, qui manducavit pauca, aprum coctum, gallinam vivam cum suas sibi pinnas, ova C. pineas C. clavos galligares, vitrea fracta, thallos de scopa, palmea, mappos IIII porcellum lactantem, maniculum feni & adhuc esuriens esse videbatur. Nero occisus via Patinaria.

Galba Imp. M. VIII d. XII. Cong. promisit, sed non dedit. Hic domum suam deposuit & horrea Galbæ instituit. Decolatus foro Romano jacuit.

Otho Imp. dies XC ipse se Brixellis interfecit.

Bitellus Imp. m. VIII d. XI occisus palatio.

Divus Vespasianus Imp. ann. XII m. VIII d. XXVIII Cong. dedit XLXXV. Hic prior tribus gradibus am. amphitheatrum dedicavit. Excessit curis Sabinis.

Divus Titus Imp. ann. VIII d. XII Cong. promisit, sed non dedit. Hic amphitheatrum a tribus gradibus Patris sui duos adjecit; excessit Curis Sabinis cubiculo Patris.

Domitianus Imp. an. XVII m. V d. V. Cong. dedit ter XLXXV. Hoc Imp. multa operæ publicæ fabricatæ sunt, atria VII. horrea piperataria, ubi modo est Basilica Constantiniana & Forum Vespasiani, Templum Castorum & Minervæ, porta Capena, Gentem Flaviam Divorum, Iseum & Serapeum, Minervam Calcidicam, Synodum, Minuciam, veterem Stadium & Thermas Titianas & Trajanas, Amphitheatrum usque ad Clypea, Templum Vespasiani & Titi, Capitolium, Senatum, Ludos IIII, Palatium, Metam sudantem & Panteum. Occisus palatio.

Nerva Imp. ann. V m. IIII d. unum. Cong. ded. XLXXV & Funeraticum plebi urbanæ instituit XLXII S. Excessit Hortis Sallustianis.

Trajanus Imp. an. XIX m. IIII d. XXVII. Cong. dedit XDCL. Hoc Imper. mulieres in Termis Trajanis laverunt VII Idus Julias. Excessit Silenunti.

Adrianus Imp. an. XX m. X d. XIIII. Congiarium dedit XM. Hoc Imper. templum Romæ & Veneris fabricatum est. Excessit Bais veteribus.

Antoninus Pius Imp. ann. XXII m. VIII d. XXVIII. Cong. dedit XDCCC. Hoc Imper. Circensibus Appolinaribus Partectorum columna ruit & oppressit homines MCXII excessit Lorio.

Divus Verus Imp. ann. VII m. VIII d. XII. Congiar. dedit XCCCC. Hoc Imper. Scrofa porcellum peperit in figiem Elephanti. Excessit Altino.

Marcus Antoninus Imp. ann. XVIII m. XI d. XIIII. Cong. dedit XDCCCL instrumenta debitorum. Hoc Imp. Fisci in Foro Romano arserunt per dies XXX. Excessit Pannonia superiore.

Commodus Imp. ann. XVI m. VIII d. XII. Cong. dedit XDCCCL. Hoc Imper. Termæ Commodianæ dedicatæ sunt. Excessit domo Victiliana.

Pertinax Imp. d. LXXV. Cong. dedit XCL. Excessit Palatio.

Julianus Imp. d. LXV. occisus Palatio.

Divus Severus Imp. an. XVII m. XI d XXVIII Cong. dedit XMC. Hoc Imp. Septizonium & Termes Severianæ dedicatæ sunt. Excessit Britanniæ.

Geta Imp. m. X d. XII. occisus Palatio.

Antoninus Magnus Imp. an. VI. m. II d. XV. Cong. dedit XCCCC. Hoc Imp. Januæ Circi ampliatæ sunt & Thermæ Antonianæ dedicatæ sunt. Hic suam matrem habuit. Excessit inter Edissa & Carras.

Macri-

Macrinus Imper. anno uno menſ. IIII d. II Cong. dedit XCL. Hoc Imp. Amphitheater arſit. Occiſus arce Laida.

Antoninus Eliogaballus Imp. an. VI m. VIII d. XVIII. Cong. dedit XCCL. Eliogaballium dedicatum eſt. Occiſus Romæ.

Alexander Imper. ann. XIII m. VIII d. IX. Cong. dedit XDC. Hoc Imper. fuit polyfagus natione Italus qui manducavit pauca, ciſtam, lactucas, vaſcellum ſardinarium, ſardus X. melopopones LXX. tallos de ſcopa, palinta, mappas IIII. panes Caſtrenſes IIII. ciſtam, cardos cum ſuas ſibi ſpinas & ebibit vini grecanicum plenum, & venit ad templum Laſuræ & ebibit labrum plenum, & adhuc eſuriens eſſe videbatur. Et Thermæ Alexandrinæ dedicatæ ſunt. Alexander occiſus Moguntiæ.

Maximinus Imp ann. III m. IIII d. II. Cong. dedit XCL. Hoc Imper. magna pugna fuit cum Romanis & Prætorianis. Occiſus Aquileja.

Duo Gordiani Imper. dies XX exceſſerunt Africæ.

Pupenius & Balbinus Imp. dies XCIX. Cong. dederunt XCCL. Occiſi Romæ.

Gordianus Imper. ann. V m. V d. V. Cong. dedit XCCCL. Hoc Imper. mula hominem comedit. Agonem Minervæ inſtituit. Exceſſit finibus Partiæ.

Duo Philippi Imper. ann. V m. V d. XXIX. Cong. deder. XCCCL. Hi ſeculares veros in circo maximo ediderunt. Occiſus ſenior Veronæ, Junior Romæ in caſtris Prætoriis.

Decius Imp. annum unum menſ. XI d. XVIII Cong. dedit XCCL. Hoc Imperat. Thermæ Commodianæ dedicatæ ſunt. Occiſus Prætorio Abrypto.

Gallus & Voluſianus Imper. ann. II m. IIII. d. IX. Cong dederunt XCCL. His Imperatoribus magna mortalitas fuit. Occiſi in Foro Flamini.

Æmilianus Imper. d. LXXXVIII. Occiſus Ponte Sanguinico.

Gallienus cum Valeriano Imper. ann. XIIII m. IIII d. XXVIII. Valerianus occiſus in Syria. Gallienus Cong. dedit XMCCL. & binionem aureum. Occiſus Mediolano.

Claudius Imper. ann. VIIII m. IIII d. XIIII. Cong. dedit XCCL. Exceſſit Sirmi.

Quintillus Imp. d. LXXVII. Cong. promiſit, ſed non dedit occiſus Aquilegiæ.

Aurelianus Imp. ann. V m. IIII d. XX. Congiarium dedit XD. Hic muro urbem cinxit: Templum ſolis & caſtra in campo Agrippæ dedicavit: Genium populi Romani aureum in roſtra poſuit: Porticus termarum Antoninianarum arſerunt & fabricatum eſt: panem, oleum & ſale populo juſſu dari gratuitæ: Agonem ſolis inſtituit. Occiſus Reno fluvio.

Tacitus Imper. menſ. VIII d. XII. Occiſus Ponto.

Florianus Imper. d. LXXXVIII. Occiſus Tharſo.

Probus Imper. ann. VI m. II. d. XII. Hoc Imperatore Senatores agitaverunt in Circo maximo miſſos XIIII. Occiſus Sirmi.

Carus Imper. m. X d. V. Exceſſit Seleucia Babilonis.

Carinus & Numerianus Imper ann. II m. XI d. II. Cong. dederunt XD. His Imperatoribus fames magna fuit; & opera publica arſerunt Senatum, Forum, Cæſaris patrimonium, Baſilicam Juliam & Græco-Stadium. Occiſus campo Margenſe.

Diocletianus & Maximianus Imper. an. XXI m. XI d. XII. Cong. dederunt XMDL. His Imperatoribus multæ operæ publicæ fabricatæ ſunt Senatum, Forum Cæſaris, Baſilica Julia, Scena Pompeji, Porticus II. Nymfea III. Templa II. Iſeum & Serapeum, Arcum novum, Termas Diocletianas: ſparſerunt in Circo aureos & argenteos. Ponte Idorum podius ruit & oppreſſit homines XIII & quædam mulier nomine Irene peperit pueros tres & puellam Regem Perſarum cum omnibus gentibus & tunicas eorum ex margaritis n. XXXII circa templa Domini poſuerunt: elephantes XIII. agitatores VI equos CCI in urbem adduxerunt. Exceſſit Diocletianus Solonas; Maximianus in Gallia.

Conſtantius & Maximianus Imp. ann. XVI quo tempore fuit Perſecutio, & ceſſavit Epiſcopatum ann. VII m. VI d. XXV.

Severus Imp. ann. III m. IIII d. XV. ipſe ſe interfecit Via Latina miliario III.

Maxentius Imper. ann. VI. Hoc Imp. templum Romæ arſit & fabricatum, & Termas in Palatio fecit & Circum. in Catecumpas fames magna fuit. Romani traxerunt militem Mœſiacum, & occiſi ſunt Romani a militibus homines VI. Romanis omnibus aurum indixit & dederunt. Foſſatum feruat, ſed non perfecit. Occiſus ad Pontem Mulvinum in Tiberim.

Maximianus Imper. ann. IX m. VIII d. VI. Occiſus Tarſo.

Lucinius Imp. ann. XV m. IIII d. XVI. Occiſus Theſſalonica.



VI. CATA-

VI.

CATALOGVS CONSVLVM ROMANORVM.

Vsque ad Ann. Chr. 493. procedens.

☆ ☆
☆

GAjo Jul. Cæſare & Creteniano	M. Antonino.	Pamia	Servilio.
Gajo Julio II	Marco.	Magno	Valerio.
Hirtio	Marco II.	Lepido	Aruntio.
Bruto	Panſa.	Cretico	Nerva II.
Gajo Julio III	Conlatino.	Camerino	Quintiliano.
Munatio	Lepido.	Quintiliano	Sabino.
Aemilio	Planco.	Dolabella	Silvano.
Antonino	Cæſare.	Lepido	Tauro.
Chryſaurico	Servilio.	Cæſare II	Capitone.
Lentulo	Antonino.	Flacco	Silvano.
Pompejo	Oreſte.	Duobus	Settis.
Voluſiano	Craſſo.	Pompejo	Apulejo.
Lepido	Pullione.	Druſo	Flacco.
Cenſorino	Planco.	Tauro II	Libone.
Pulcro	Salvino.	Falcone	Rufino.
Gallo	Enobao.	Tiberio	Germanico.
Publicola	Agrippa.	Silvano	Balbo.
Pompejo	Nerva.	Meſſala	Colta.
Libone	Comelio.	Tiberio II	Druſo.
Cicerone	Antonino.	Agrippa	Galba.
Auguſto	Antonino.	Nerone	Piſone.
Auguſto II &	Tullio.	Cethego	Varrone.
Auguſto III	Socio.	Agrippa	Lentulo.
Auguſto IV	Craſſo.	Getulico	Sabino.
Enobao	Meſſala.	Craſſo	Piſone.
Auguſto V	Scipione.	Sillano	Nerva.
Auguſto VI	Enobao II.	Enobao	Aruntio.
Auguſto VII	Agrippa.	Vincio II	Longino.
Auguſto VIII	Agrippa.	Baſſo	Piſone.
Auguſto IX	Tauro.	Duobus	Geminis.
Auguſto X	Silo.	Chriſtus paſſus ſub duobus Geminis.	
Aruntio	Flacco.	Tiberio III	Silio.
Celſo	Marcello.	Sulpitio	Sila.
Tullio	Tiberino.	Perſico	Nitello.
Apulejo	Emilio.	Gallo	Viliano.
Saturnino	Silo.	Gallieno	Plautiano.
Duobus	Ciuna.	Proculo	Lolliano.
Lentulo	Lentulis.	Juliano	Aſperiano.
Rufino	Corneſio.	Publicola	Nerva.
Domitio	Silvano.	Cæſare II	Saturnino.
Libone	Enobaro.	Saturnino II	Venuſto.
Craſſo	Piſone.	Tiberio IV	Gallo.
Nerone	Lentulo.	Criſpino	Tauro.
Balbo	Varone.	Aſiatico	Cornelio.
Auguſto XI	Vetere.	Vincio 3	Silvano.
Sabino	Sylla.	Tiberio V	Vitellio.
Lentulo	Rufino.	Vitellio II	Publicola.
Auguſto XII	Meſſalano.	Verano	Gallo.
Lentulo	Sillano.	Vetere	Silio.
Cæſare	Piſone.	Silvano	Silio II.
Vincio	Paulo.	Tiberio VI	Antonino.
	Naro.		

Pamia C Silvano

Silvano	Ottone.	Hadriano	Rustico.
Gallieno	Antonino II	Serviliano	Fulvio.
Marcellino	Aviola.	Severo	Augure.
Nerone	Vetere.	Aviola	Pansa.
Saturnino	Scipione.	Paterno	Torquato.
Nerone II	Pisone.	Glabrione	Apronia.
Nerone III	Messala.	Asiatico	Quintillo.
Nerone IV	Cornelio.	Vero	Ambigolo.
Pio	Saturnino.	Gallieno	Triano.
Mario	Gallo.	Torquato II	Libone.
Rufo	Regulo.	Celso	Marcello.
Crasso	Basso.	Catulino	Apro.
Silvano	Paulino.	Pompejano	Rufino.
Celsino	Apulejo.	Augurino	Sergio.
Capitone	Rufo.	Tiberio	Silvano.
Italico	Turpilione.	Sergiano	Vero.
Silviniano	Ottone.	Pompejano	Catilliano.
Vespasiano	Tito.	Pompejano II	Commodo.
Vespasiano II	Tito II.	Lellio	Albino.
Vespasiano III	Tito III.	Camerino	Nigro.
Vespasiano IV	Vero.	Antonino	Præsente.
Vespasiano V	Tito IV.	Antonino II	Vero II.
Vesp. VI	Tito V.	Vero	Silvano.
Vesp. VII	Tito VI.	Rufino	Torquato.
Commodo	Rufo.	Torquato II	Herode.
Vespasiano VIII	Tito VII.	Aviola	Maximo.
Vespasiano IX.	Tito VIII.	Antonino III	Vero III.
Silvano	Vero.	Grato	Seleuco.
Domitiano	Messalino.	Claro	Severo.
Domitiano II	Rufo.	Largo	Messalino.
Domit. III	Sabino.	Torquato III	Juliano.
Domit. IV	Rufo II.	Orfito	Prisco.
Domit. V	Dolabella.	Glabrione	Romulo.
Domit. VI.	Rufo III.	Præsente II	Rufino.
Domit. VII.	Trajano.	Commodo	Laterano.
Flavio.	Nerva.	Severo	Sabino.
Glabrione &	Trajano II.	Silvano	Augurino.
Domitiano VIII	Saturnino.	Barbaro	Resulo.
Silvano	Prisco.	Tertullo	Sacerdote.
Aspernate	Clemente.	Quintillo	Prisco.
Domitiano IX	Dolabella.	Bradua &	Vero IV.
Nerva III	Rufo IV.	Antonino IV	Aurelio.
Sylvio	Rufo V.	Duobus	Augustis.
Sabino	Antonino.	Rustico	Aquilino.
Nerva IV	Trajano III.	Leliano	Pastore.
Senecione	Palma.	Marino	Celso.
Trajano IV	Scortone.	Orfito	Prudente.
Trajano V	Orfito.	Prudente II	Pulliane.
Senecione	Sura II.	Vero	Quadrato.
Vrbano	Marcello.	Proniano	Paulo.
Candido	Quadrato.	Prisco	Apollinaro.
Commodo	Areale.	Cethego	Claro.
Senecione IV	Sura III.	Vero	Eremiano.
Gallo	Bradua.	Orfito	Maximo.
Africano	Crispino.	Severo II	Pompejo.
Crispino II	Buleno.	Gallo	Flacco.
Pisone	Rustico.	Pullione	Apro.
Trajano II	Africano.	Commodo	Quintillo.
Celso	Crispino.	Orfito	Rufo.
Hasta	Pisone.	Commodo II	Vero VI.
Messala	Pedone.	Præsente	Gordiano.
Aemiliano	Vetere.	Orfito	Rufino.
Nigro	Apronia.	Commodo III	Birro.
Claro	Alexandro.	Mamertino	Rufo.
Adriano	Salinatore.	Commodo IV	Victorino.

Manilo	Aeliano.
Materno	Bradua.
Commodo V	Glabrione.
Crispo	Aeliano II.
Fusciano	Aeliano.
Duobus	Silanis.
Commodo VI	Septimiano.
Commodo VII	Pertinace.
Falcone	Claro.
Severo	Albino.
Tertullo	Clemente.
Dextro	Prisco.
Laterano	Rufino.
Saturnino	Gallo.
Anulffino	Frontone.
Severo II	Victorino.
Sabino	Mutiano.
Severo III	Antonino.
Plautiano	Geta.
Chilone	Libone.
Albino	Æmiliano.
Apro	Maximo.
Antonino IV	Geta III.
Pompejano	Avita.
Faustino	Rufino.
Gentiano	Basso.
Duobus	Asperis.
Antonino IV	Albino.
Messala	Saturnino.
Cæreale	Læto.
Sabino	Amilino.
Præsente	Extricato.
Antonino	Advento.
Antonino II	Sacerdo.
Antonino III	Comazonte.
Grato	Seleuco.
Alexandro	Severo.
Maximo	Gano.
Juliano	Crispino.
Fusco	Dextro.
Alexandro II	Marcello.
Albino	Maximo.
Modesto	Probo.
Alexandro III	Dione.
Agricola	Clemente.
Pompejano	Pelligniano.
Lupo	Maximo.
Maximo II	Paterno.
Maximo III	Vrbano.
Severo	Quintiano.
Maximo IV	Africano.
Perpetuo	Cornelio.
Pio IV	Pompejano.
Gordiano	Aviola.
Sabino	Venusto.
Gordiano II	Pompejano.
Tacito	Protestato.
Hadriano	Papo.
Peregrino	Aemiliano.
Philippo	Titiano.
Præsente	Albino.
Philippo II &	Philippo Conf.
Philippo III	Philippo II.
Aemiliano	Aquilino.
Decio	Grato.

Decio II	Rustico.
Gallo	Volusiano.
Volusiano II	Maximo.
Valeriano	Gallieno.
Maximo	Glabrione.
Valeriano III	Gallieno II.
Tusco	Basso Conf.
Aemiliano	Basso II.
Seculare	Donato.
Gallieno IV	Volusiano.
Gallieno V	Faustino.
Albino	Dextro.
Gallieno VI	Saturnino.
Valeriano IV	Lolliano.
Gallieno VII	Sabinillo.
Paterno	Acersilao.
Paterno II	Mariano.
Claudio	Paterno III.
Antonino	Orfito.
Aureliano	Basso.
Tacito II	Aemiliano.
Probo	Paulino.
Probo II	Lupo.
Messala	Grato.
Probo III	Tiberiano.
Probo IV	Victorino.
Caro	Carino.
Carino II	Numerinno.
Diocletiano	Aristobole.
Maximo	Aquilino.
Diocletiano II	Maximiano.
Maximo II	Januarino.
Basso	Quintiano.
Diocletiano III	Maximiano IV.
Tiberiano	Dione.
Annibaliano	Asclepiodoto.
Diocletiano IV	Maximiano III.
Constantio	Maximiano.
Tusco	Amilino.
Diocletiano V	Constantio II.
Maximiano IV	Maximiano II.
Fausto	Gallo.
Dioclet. VI	Max. V.
Constantio III	Maximiano III.
Titiano	Nepotiano.
Constantio IV	Maximiano IV.
Diocletiano VII	Maxim. V.
Diocletiano VIII	Max. VI.
Constantio V	Maxim. V.
Constantio VI	Maxim. VI.
Diocletiano IX	Maximiano VII.
Dioclet. X	Max. VIII.
post Conf. X. & Septem.	
Maximiano VIII	Constantio.
Constantio II	Licinio.
Constantio III	Licinio II.
Constantio IV	Licinio III.
Volusiano	Anniano.
Sabino	Rufino.
Gallicano IV	Basso.
Licinio	Crispo.
Constantio V.	Licinio V.
Constantio VI &	Constantio Co.
Crispo II	Constantio II.
Probiano	Juliano.

Severo	Rufino.
Criſpo III	Conſtantio.
Plautiano	Juliano.
Conſtantio VI	Conſtant.
Conſtantio	Maximiano.
Juliano	Juſto.
Conſtantio VIII	Conſtant.
Gallicano	Symma.
Baſſo	Ablabiano.
Pacatiano	Hilariano.
Dalmatio	Zenofilo.
Optato	Paulino.
Conſtantio	Albino.
Nepotiano	Facundo.
Feliciano	Titiano.
Vrſo	Polymio.
Conſtantio II	Conſtantio.
Aquinoino	Proculo.
Macerino	Probo.
Conſtantio III	Conſtantio II.
Placido	Romulo.
Leontio	Saluſtio.
Amantio	Albino.
P.C. Amanti &	Albini.
Rufino	Euſebio.
Philippo	Salia.
Liminio	Catulino.
Sergio	Nigriano.
Conſtantio V	Conſtantio IV.
Conſtantio VI	Conſtantio V.
Conſt VII	Conſt. VI.
Arbitrone	Lolliano.
Conſtantio VIII	Juliano.
Tatiano	Symmaco.
Euſebio	Yratio.
Conſtantio X	Juliano III.
Tauro	Florentio.
Mamertino	Nevita.
Juliano IV	Saluſtio.
Joviano	Baroniano.
Valentiniano	Valente.
Gratiano NP	Dagalaiſo.
Lupicino	Jovino.
Valentiniano III	Valente III.
Gratiano II	Probo.
Modeſto	Arintheo.
Valentiniano IV	Valente IV.
Gratiano III	Equitio.
P.C. Gratiani IV &	Equiti IV.
Valentiniano V.	Valente V.
Gratiano IV	Merobaudo.
Valentiniano VI	Valente VI.
Auxonio	Olybrio.
Gratiano V	Theodoſio.
Syagrio	Euctherio.
Antonino	Syagrio II.
Merobaudo II	Saturnino.

Richo-



Richomere	Clearco.
Arcadio	Bautone.
Monorio NP	Envodio.
Valentiniano III	Eutropio.
Theodoſio II	Cynegio.
Timaſio	Promoto.
Valentiniano IV	Neoteno.
Tatiano	Symmaco.
Arcadio VIII	Rufino.
Theodoſio VI	Abundantio.
Arcadio III	Honorio II.
Olybrio	Probino.
Arcadio IV	Honorio III.
Cæſario	Attico.
Honorio IV	Eutichiano.
F. L. Stilicone	Aurelio.
Vincentio	Fravito.
Arcadio V	Honorio V.
Theodoſio	Rumorido.
Johanne	Varone.
Conſtantino	Rufo.
Leone Aug.	Apollonio.
F. L. Ricimere	Patricio.
Magno	Apollonio.
Severino	Dagalaifo.
Leone II	Severo.
Baſilio	Biviano.
Ruſtico	Olybrio.
Herminerico	Baſilio.
Leone III	Tatiano.
Puſeo	Johanne.
DN. Anthemio	Aug. II.
Martiano	Zenone II.
Severo	Jordane.
Leontio IV	Probiano.
Feſto	Martiano.
Leone Aug. V.	
DOM. Leone juniore	Aug.
P. C. Leonis juniore	Aug.
Baſiliſco	Armato.
P. C. Baſiliſci &	Armati.
Hello uc. Conſ.	
Zenone Aug. Conſ.	
Baſilio jun. uc. Conſ.	
Placido uc. Conſ.	
Severino uc. Conſ.	
Fauſtone uc. Conſ.	
Venantio uc. Conſ.	
Derio uc. Conſ.	
Vetio uc. Conſ.	
Dinamio	Sifrido.
Probino	Euſebio.
Fauſto uc. Conſ.	
DN. Anaſtaſio PP. Aug. & Rufo.	
Albino uc. Conſ.	

VII. VETVS

VII.

VETVS CONSVLVM ROMANORVM. CATALOGVS.

Ad an. Christi 534. procedens.



C. Jul. Cæsare &	Antonino.
Creteniano	Marco.
Cæsare II	Marco II.
Hyrtio	Pansa.
Cruto	Conlatino.
Cæsare III	Lepido.
Munatio	Planco.
Hemiliano	Cesare.
Antonino	Servilio.
Antonino II	Chrysaurio.
Calbisione	Pullione.
Censurino	Salbino.
Enobarbio	Pulcro.
Gallicano	Agrippa.
Publicola	Nerva.
Pompejo	Cornelio.
Antonino III	Clibone.
Antonino IV	Cicerone.
Augusto	Tullio.
Augusto II	Socio.
Augusto III	Crasso.
Augusto IV	Mesala.
Enobarbo	Scipione.
Augusto V	Apulejo.
Augusto VI	Agrippa.
Augusto VII	Silvano.
Augusto VIII	Tauro.
Augusto IX	Psylio.
Augusto X	Pisone.
Aruntio	Marcello.
Celsino	Tiberio.
Tulliano	Hemiliano.
Apulejo	Psilliano.
Saturnino	Cynna.
Lentulo	Cornifilo.
Ruffuio	Silvano.
Nerone	Pisone.
Lentulo II	Crasso.
Nerone II	Varone.
Messala	Cyrino.
Maximo	Tuberone.
Maximo II	Africano.
Aruntio	Crispino.
Censurino	Gallio.
Nerone III	Pisone II.
Balbo	Vetere.
Augusto XI	Spylla.
Felice	Messellino.
Lentulo	Augure.

Cesare	Paulo.
Augusto XII.	Silvano.
Augusto XIII.	Syla.

His Coss. natus est Christus. Ab Adam ad Noe anni 2242, ab Arphaxad usque ad Salech 531, a Salech ad Abraam 612. ab Abraam usque ad finem Moysi 470. deinde successit Hiesu Nave, & ab Hiesu Nave usque ad Saul regem Israel anni 441. A Saul usque ad Cyrum Regem Persarum anni 545. a Cyro usque ad Alexandrum Regem Græcorum 272. ab Alexandro usque ad C. Julium Cæsarem anni 335. a Cajo Julio Cæsare usque ad nativitatem Domini anni 52. Ab Adam autem Anni 5500.

Vespasiano VII &	Tito VI.
Vespasiano VIII &	Tito VII.
Silvano	Varrone.
Domitiano	Messala.
Domitiano II	Ruffo.
Domitiano III	Balbino.
Domitiano IV	Ruffo II.
Domitiano V	Dolabella.
Vetere	Celtego.
Domitiano VI	Ruffo III.
Silvio	Nerva.
Domitiano VII	Reparato.
Trajano	Glabrione.
Domitiano VIII	Saturnino.
Silvano	Prisco.
Aspernante	Clemente.
Domitiano IX	Clemente II.
Nerva II	Ruffo IV.
Favio	Ruffo V.
Sabino	Antonino.
Nerva III	Trajano II.
Senecione	Palma.
Trajano III	Frontone.
Trajano IV	Orfito.
Senecione II	Syra.
Trajano V	Maximo.
Senecione III	Syra II.
Vrbano	Marcello.
Quadrato	Candido.
Commodo	Cæreale.
Senecione IV	Sura III.
Gallo	Bradua.
Africano	Crispino.

Voleno	Crispino II.
Pisone	Rustico.
Trajano VI	Africano II.
Celsino	Crispino III.
Hasta	Pisone II.
Mesala	Pedone.
Emiliano	Vetere.
Nigro	Aproniano.

Fuit a passione Domini usque ad consulatum Nigri & Aproniani anni LXXXIIII.

Claro	Alexandro.
Adriano	Sallinatore.
Adriano II	Rustico.
Serviliano	Fulvio.
Vero	Augure.
Aviola	Pansa.
Paterno	Torquato.
Glabrione	Aproniano.
Asiatico	Quintillo.
Vero II	Anigola.
Gallicano	Tiriano.
Torquato	Libone.
Celsino	Marcello.
Capitolino	Apro.
Pontiano	Ruffino.
Vinitio	Varro.

(*Hi Consules sub Augusto fuerunt, quæ sequuntur, sunt omnia corrupta.* Hæc recens manus adscripserat.)

Lamia	Sorbicio.
Cæsare	Saturnino.
Macrino	Volesio.
Lepido	Aruntio.
Cretico	Nerva II.
Quintiliano	Vero.
Germanico	Capitulino.
Blanco	Silio.
Pompejano	Avito.
Druso	Flacco.
J. Tauro	Libone.
Falcone	Ruffino.
Tiberio	Germanico.
Silvano	Nerva.
Ænobarbo	Aruntio.
Vinitio II	Longino.
Dolabello	Sylvano.
Lepido	Barbo.
Tiberio III	Silvio.

His Conf. Christus passus est, 8. Kal. Apr. die Veneris Luna XIII. (correxit recentior. XIIII.) Anno 31. adventus ejus.

Ruffio Genino	Rebellio Genino.
Vincio	Longino.
Sulpicio	Sila.
Prisco	Vnello.
Gallæno	Noniano.
Proculo	Aspernate.
Publicola	Nerva.
Cesare	Juliano.
Saturnino	Venusto.
Tiberio IV	Gallieno II.
Crispino	Tauro.
Vincio II	Cornelio.

(*Desunt hic plusquam CC Conf. nam hi fuerunt sub Claudio Imp. & quædam hic folia desunt.*)

Seve-

Severo II	Pompejano.
Gallo	Flacco.
Pisone	Talliano.
Pullione	Apro.
Commodo I	Quintillo.
Orfilo III	Ruffo.
Commodo II	Vero.
Præsente	Gordiano.
Commodo III	Vero II.
Mamertino & Ruffo	& Victorino.
Commodo IV	Aemiliano.
Marulo	Glabrione.
Crispino	Eliano.
Fusciano	Silano.
Duobus	Silanis.
Commodo VI	Septuniano.
Aproniano	Bradua.
Commodo VII	Pertinace.
Falcone	Claro II.
Severo	Albino.
Tertulo	Clemente.
Dextro	Prisco.
Lalliano	Ruffino.
Saturnino	Gallo.
Antonino	Frontone.
Severo II	Victorino.
Tertulo	Clemente II.
Dextro II	Prisco II.
Plautiano	Zetta.
Chilone	Libone.
Antonino II	Zetta II.
Albino	Æmiliano.
Apro	Maximo.
Antonino	Zetta III.
Pompejano	Avito.
Faustino	Ruffino.
Gentiano	Basso.
Duobus	Asparis.
Antonino IV	Albino.
Messala	Saturnino.
Læto	Cæreale.
Sabino	Anulino
Præsente	Extricato.
Antonino V	Advento.
Ant. VI	Sacerdote.
Ant. VII	Gomazona.
* Grato	Seleuco.
Alexandro	Severo.
Maximo	
Juliano	Crispo.
Faustino	Maximo.
Alexandro II	Dextro.
Abiniano	Maximo III.
Fusco	Marcello.
* Modesto	Probo.
Alex. III	Dionysio.
Agricola	Clemente.
Pompejano	Pelagiano.
Maximo	Lupulo.
Maximo II	Palemo.
Max. III	Vrbano.
Max. IV	Africano.
Perpetuo	Cornelio.
Pontiano	Pio.
Gordiano	Aviola.

Sabino

Sabino
Gordiano II
Prætextato
Adriano
Peregrino
Philippo
Præſente
Philippo II
Philippo III
Aemiliano
Grato
Ruſtico
Gallo
Maximo
Oaleriano II
Adriano II
Valeriano III
Tuſco
Aemiliano
Seculare
Gallieno IV
Gallieno V
Albino
Gallieno VI
Valeriano
Gallieno VII
Palemo
Palemo II
Palemo III
Androciano
Aureliano
Quieto
Tacito
Aureliano II
Aurel. III
Tacito II
Probo II
Probo III
Meſſala
Probo IV
Probo V
Claro
Claro II
Diocletiano
Aquilino
Diocletiano II
Januario
Baſſo
Diocletiano III
Dione
Annibaliano
Diocletiano IV
Conſtantino Cæſare.
Tuſco
Diocletiano V
Fauſto
Dioclet. VI
Conſtantino Cæſ. III
Conſtant. Cæſ. IV
Diocletiano VII

Venuſto.
Pompejano.
Attico.
Papo.
Aemiliano.
Tatiano.
Albino.
Filippo.
Filippo II.
Aquilino.
Decio Cæſ.
Decio.
Voluſiano.
Voluſ. II.
Gallieno II.
Glabrione.
Gallieno III.
Baſſo.
Baſſo II.
Donato.
Voluſiano
Fauſtino.
Dextro.
Marcello.
Lucillo.
Sabino.
Archeſilao.
Marino.
Claudio.
Orffito.
Baſſo.
Veldinniano.
Placido.
Capitolino.
Marcellino.
Aemiliano.
Lupo.
Paterno.
Grato.

& Tiberiano & Tiberiano.
& Victorino & Aſclepiodoro.
& Caſſiano & Maximiano IV.
& Numeriano & Maximiano V.
& *Ariſtobulo* & Anulino.

& Maximo & Conſtantio Cæſare II.
& Maximiano Aug. & Gallo.
& Maximiano II & Maximiano V.
& Maximiano III & Maximiano.
& Quintiano & Maximiano IV & Maxim. VI.

(Quia ſingulis iſtis conſulibus præfixum eſt & & ſunt: ut priores ſimplices, hi ipſis ordine conjungendi.)

Diocletiano VIII
Conſtantio V
Conſtantio VI
Diocletiano IX
Dioclet. X
Conſtantino II
Conſtantino III
Voluſiano
Conſtantino IV
Sabino
Gallicano
Criſpo.
Conſtantino V.
Conſtantino VI.
Criſpo II.
Probiano
Severo
Criſpo III
Plautiano
Conſtantino VII
Conſtantio
Januario
Conſtantino VIII.
Gallicano
Baſſo
Pacatiano
Dalmatio
Optato
Conſtantio & Egea.
Nepotiano
Deliciano
Vrſo
Conſtantio II
Aquintino
Marcellino
Conſtantio III
Placido
Leoncio
Conſtantio IV
Amantio &
P. C. Amanto
Ruffino
Limento
Sergio
Filippo
Conſtantio V
Conſtantio VI
Conſtantio VII
Conſtantio VIII
Tatiano
Tauro
Euſebio
Conſtantio IX
Conſtantio X
Mamertino
Turiano

Maximiano VII.
Maxim. V.
Maxim. VI.
Conſtantino.
Max. VIII.

Maximiano IX
Apiano.
Liciniano II.
Ruffino.
Baſſo.
Liciniano III.
Liciniano IV.
Conſtantino
Conſtantino II.
Juliano.
Rufino.
Conſtantino III.
Juliano.
Conſtantino IV.
Maximo.
Juſto.
Conſtantino V.

Ablabio.
Hilariano.
Xenophilo.
Paulino.

Facundo.
Titiano.
Polleocio.
Conſtante.
Proculo.
Probiano.
Conſtante II.
Cumulo.
Saluſtio.
Conſtante III.
Albino.
Albino.
Euſebio.
Catulino.
Nigrino.
Sala.
Conſtantino.
Conſtantino II.
Conſtantino III.
Juliano.
Greale.
Florentio.
Hypatio.
Juliano II.
Juliano III.
Nevita.
Varroniano.

& Maxi-

Valen-

Valentiniano	Valente Aug.
Juliano IV	Saluſtio.
Gratiano	Dagalaifo.
Lucino	Ruffino.
Valentiniano	Valente II.
Valentiniano Nep.	Victore.
Valentiniano III	Valente.
Modeſto	Arintheo.
Valentiniano IV	Valente IV.
Gratiano III	Equitio.
Gratiano IV	Equitio II.
Valentiniano VI	Valente VI.
Oxtino	Olbrio.
Gratiano	Theodoſio.
Siagrio	Nucerio.
Siagrio II	Antonino.
Merobaude	Saturnino.
Recimede	Oleario.
Archadio Aug.	Baudone.
Honorio	Epodio.
Valentiniano IV	Eutropio.
Gallieno	Plautiano.
Augurino	Sergiano II.
Tiberio	Silvano.
Vero III	Sergiano III.
Pompejano	Anliano.
Pompejano II	Commodo.
Bellio	Albino.
Gamerino	Nigro.
Antonino	Præſente.
Antonino II	Vero IV.
Severo	Silviano.
Rufino.	Torquato
Herode	Torquato II.
Aviola	Maximo.
Saturnino	Gallo.
Antonino III	Vero V.
Gialo	Seleuco.
Claro	Severo.
Largo	Meſſalino.
Torquato	Juliano.
Orfito	Priſco.
Glabirone	Vetere.
Gordiano	Maximo.
Gallicano	Tumulo.
Præſente	Ruffino.
Commodo	Laterano.
Seneca	Silvano.
Augurino	Silvano II.
Barbaro	Regulo.
Tertulo	Sacerdote.
Quintilo	Priſco.
Bardua (Bradua)	Vero.
Antonino IV	Aureliano.
Duobus	Auguſtis.
Ruſtico	Aquilino.
Selliano	Paſtore.
Macrino	Celſo.
Horfito	Prudente.
Pullione	Prudente II.
Vero II	Quadrato.
Aproniano	Paulo.
Perſio	Apollinare.
Cethego	Claro.
Severo	Herniano.

Horſito II	Maximo
Theodoſio XVI	Fauſto.
Theodoſio XVII	Feſto.
Valentiamano	Anatholio.
Cyro	Anatholio II.
Dioſcoro	Theudoſio.
Maximo	Paterio.
Theodoſio XVIII	Albino.
Valentiniano VI	Nonio.
Aetio III	Symmacho.
Fauſtino	Rufino.
Gentiano	Baſſo.
Meſſala	Albino.
Decio	Cerale.
* Grato	Seleuco.
* Modeſto	Probo.
Fuſco	Marcello.
Albino	Aſterio.
Renato	Grato.
Paſtumiano	Zenone.
Calepio	Artabure.
Valentiniano VII	Avieno.
Aſturio	Protegene.
Marciano	Adelpho.
Herenliano	Aſparo.
Opilione	Vnicomalo (Vincomalo.)

Aethio IV. & Vnicomalo & Studio.
Valentiniano VIII. & Anthemio.
Anaſtaſio Aug. II.

Paulo	UC	Conſ.
Paulino	UC	Conſ.

PC.
Paulini.
item PC Paulini.
Abieno & Pompejo.
Abieno uin & Probo.
Voluſiano (ſine &) Cethego.
Theodoro.
Meſſala.
Venantio.
Inportuno.
Boetio.
Felice.
Probo.
Senatore.
Florenti.
Petro.
Agapito.
P.C. Agapiti.
Eutarco Cilliga.
Ruſtico.
Valerio.
Symmacho.
Maximo.

Opilione	&	Filoximo.
Probo	&	Juſtiniano Aug.
Ilybrio	&	Hilaro.
Maburtio	&	Vitelliano.
PC. Maburt.	&	Juſtiniano II.
Decio jun.	&	Vitelliani.
Lampadio	&	Horeſte.
Lampadi	&	Horeſtis.

Item & horum
PC. Lampadi & Horeſtis.
& item PC. ſuperiorum
Paulino & Johanne.
PC. & Paulini & Apione.

His conſulibus mortuus eſt Alaricus Rex & Theodatus Rex & levatus eſt Guitigis Rex & Bihiliarius intravit Romam & prædata eſt Neapolis a militibus Beliſarii.

VIII.

(a) ERCHEMPERTI
MONACHI BENEDICTINI
HISTORIA LONGOBARDORVM
BENEVENTI.


(b) Langobardorum seriem, egressum, (c) situmque Regni, hoc est originem eorum, vel quomodo de Scandavia Insula egressi ad Pannoniam, & iterum a Pannonia ad Italiam transmigrauerunt, regnumque susceperunt, (d) Paulus vir valde peritus, compendiosa licet brevitate, sed prudenti (e) composuit ratione, extendens nihilominus a Gammara, & (f) duobus liberis ejus Historiam (g) Ratchis pene usque Regnum. In his autem non frustra exclusit * ætas loquendi, quoniam in eis Langobardorum defecit Regnum: mos etenim Historiographi Doctoris est, maxime de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere, quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur. Vltimo autem compulsus a compluribus ego (h) Erchempertus quasi (i) ab ortu, præcipueque ab (k) Algelgiso insigni, sagacique viro,

(a) In Anton. Caraccioli Editione titulus ita exhibetur: HEREMPERTI LANGOBARDI MONACHI CASSINENSIS HISTORIÆ DE GESTIS PRINCIPVM BENEVENTANORVM EPITOME CHRONOLOGICA.

(b) Apud Caracciolum hæc præmittuntur: *Luitprandus Rex XVI. cum per XXXII. annos feliciter regnaret in Italia, inter cætera quæ gessit magnifica, etiam omnes Vrbes, & Oppida juxta maris ora Tyrrheni sita, a Tuscia & usque ad Arelatensem Vrbem prælis cæpit, & suo regno copulavit. Post ejus obitum Hispran nepos Luitprandi octo regnaverat annos. Post hunc Ratheis regnavit annos quatuor, & menses novem. Hujus temporibus Carolo-mannus filius Caroli Martelli, Francorum Regis, pro amore Cælestis Regni, terrenum relinquens regnum, Romam adiit, & a Zacharia Papa factus est Monachus, & post aliquantum temporis ad Beati Benedicti, quod Aquinensium finibus situm est, profectus est, Monasterium. Ratheis vero ad capiendam Perusinam Vrbem, sicut cætera Pentapoleos oppida, vehementi profectus cum indignatione, quam & circundans, fortiter expugnabat, cui occurrit Zacharias Papa, & datis multis muneribus, multaque cum prece, ab obsidione ipsius Civitatis amovit, cum non multum post, idem Ratheis* (al. *Rachis*) *Divino instinctu, regalem relinquens dignitatem, devote cum uxore ad Beati Petri Principis Apostolorum pervenit limina, Clericusque effectus Monastico indutus est schemate, cum uxore & filiis, & ille quidem cum filiis ad Beati Benedicti Cœnobium profectus est, ubi sub arctissima Vitæ districtione vitam finivit, Vxor vero ejus Taxia nomine cum reptivida prole sua, similiter mutato habitu, ex propriis sumptibus Monasterium puellare in agro Plumbarolæ construxerunt, multisque dotarunt opibus, ibique sub magna districtione vitam ducentes, diem clauserunt extremum.*

Aistulfus Frater Ratheis, superioris Regis, regnavit annos septem, & menses quinque. Hic multas & gravissimas persecutiones populo excitavit Romano, ita ut Vrbem niteretur invadere, obsidione circundatam; ex omni populo per unumquemque singulos aureos expetebat, pro qua scilicet persecutione Stephanus Secundus Papa Abbates Sanctorum Benedicti, & Vincentii, ad eundem Regem obsecrando destinavit, ut a cæpta persecutione cessaret. Qui nihil proficientes, per aliud iter ad propria reversi sunt Monasteria. Hic autem Papa, & Missos Pipini Regis Francorum, & Legatos Imperiales misit ad eundem Regem pro ablatis Vrbibus, & dum nihil proficerent, ipse cum supradictis Francorum Missis, per Papiam ad Galliam profectus est, & in Sancti Dionysii Monasterio, Pipinus cum duobus filiis suis Reges sunt ab eo uncti. Pipinus autem cum exercitu super Papiam advenit, & obsedit: ac sacramentis a Longobardis acceptis, pro reddendis Vrbibus ablatis, Galliam repedavit.

Post hæc Aistulfus sacramento dirupto, nihil de rebus & statutis adimplere voluit. Cum enim supradictus Papa in Gallia degeret, Aistulfus Carolo-mannum germanum Pipini, quem superius Monachum memoratus sum, ad Galliam misit, aduersari parti Reipublicæ, qui retentus illic a Fratre, vitam finivit, cujus in locello aureo corpus ab eodem germano cum aliis muneribus ad dictum Monasterium in Cassino remissum est. Aistulfus autem deinde omnes Vrbes Ravennantium undique circundans fortiter obsedit. Tunc marino itinere id nuntiatum est Pipino Regi Francorum, qui sine mora Ticinum obsedit, donec daret idem Aistulfus missos suos cum missis Pipini, qui redderent universas Vrbes Petri Beati Vicario, quod est factum. Pipinus vero via qua venerat, rediit; Aistulfus post hæc in dimicatione sagitta percussus mortuus est.

Desiderius autem cum Adelchisio filio regnavit annis XIX. Hic cum diversas persecutiones faceret reipublicæ, & nollet ablatas Vrbes Romano Pontifici reddere, & justitiam facere, vel quia filios Caroli Magni fratres Caroli cum matre illorum ad se fugientes suscepit, super Papiam Carolus Rex advenit tempore Adriani Papæ. Si quis autem hoc nosse desiderat, legat Episcopale Romanorum, illinc discere poterit.

Ego vero narrare nequaquam volo in hac qualicunque Opere gentilium meorum Long. Ser.

(c) *primumque Regem, hoc e. or.* (d) *Paulus enim.* (e) *id comp.* (f) *duorum filiorum.* (g) *pene usque ad Regnum Rachis, sive Arechis. Sed compuls. a compl.* (h) *Herempertus.* (i) *abortivus.* (k) *Aldegisio.*

Historiolam (*a*) condere Langobardorum Beneventi degentium, de quibus (*b*) a nostris diebus nihil dignum, ac laudabile reperitur, quod veraci valeat stylo exarari: idcirco non Regnum eorum, sed excidium; non felicitatem, sed miseriam; non triumphum, sed perniciem; non quemadmodum (*c*) profecerunt, sed qualiter defecerunt; non quomodo alios superaverint, sed quomodo superati ab aliis, ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens suspiria ad posteritatis exemplum, succincto licet, & inerti, prosequar calamo. Hac quoque flagitatione devictus, non tantum ea, quæ oculis, sed magis, quæ auribus hausi, narrare me fateor, imitatus ex parte dumtaxat, Marci Lucæque Evangelistarum præconia, qui auditu potius, quam visu Evangelia descripserunt.

II. Igitur capta, ac subjugata Carolus Italia Pipinum filium suum illic Regem constituit. Tunc ille stipatus innumerabili exercituum agmine, crebrius Beneventum adiit capessendum. Quo tempore Arichis gener jam (*d*) fati Desiderii, vir Christianissimus, & valde (*e*) illustrissimus, atque in rebus bellicis strenuissimus Beneventi Ducatum regebat, qui audiens eos super se adventare, Neapolitibus, qui a Langobardis diutina oppressione fatigati erant, pacem cessit; (*f*) eisque diaria in Liburia, & Cemiterio per incolas sancita dispensione misericordiæ vice distribuit; titubans, ut conjici valet; ne ab eorum versutiis Franci aditum introeundi Beneventum reperirent. Super Beneventum autem Gallico exercitu perveniente, prædictus Arichis viribus, quibus valuit, primo fortiter restitit: postremo autem acriter præliantibus, universa, ad locustarum morem, radice tenus corrodentibus, magis civium saluti, quam Liberorum affectibus consulens, geminam sobolem, vice pignoris, jam dicto tradidit Cæsari, hoc est, Grimoaldum & Adelgisam, simulque cunctum thesaurum suum; ex quibus Adelgisa multis cum precibus proprio restituta fuit genitori: Grimoald vero secum remeans detulit (*g*) Aquis, collata Arichi pace sub fœdere pensionis.

III. Nactus itaque hanc occasionem, & ut ita dicam, Francorum territus metu, inter (*h*) Lucaniam, & Nuceriam urbem munitissimam, & præcelsam in modum tutissimi Castri idem Arichis opere mirifico munivit, & nova fabrica reparavit, quæ Civitas propter mare contiguum, quod salum appellatur, & ob rivum, qui dicitur (*i*) Lirinus, ex duobus corruptis vocabulis Salernum appellatur; vt esset scilicet futurum præsidium Principibus, superveniente exercitu Beneventum, quam Civitatem sic idem Princeps fortificavit. (*k*) Hic Arichis primus Beneventi Principem se appellari jussit, cum usque ad istum, qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur; nam, & ab Episcopis ungi se fecit, & coronam sibi imposuit; atque in suis chartis scriptum in Sacratissimo nostro palatio in finem scribi præcepit. Infra Beneventi autem Mœnia Templum Domino opulentissimum ac decentissimum condidit, quod Græco vocabulo Ἁγίαν Σοφίαν, id est, Sanctam Sapientiam, nominavit, ditatumque amplissimis prædiis, & variis opibus, sanctimoniale Cœnobium statuit, idque sub iure D. Benedicti in perpetuum tradidit permanendum. Pari etiam modo in territorio prædicto Alfano, Dei amabili viro, in honorem Domini Salvatoris construxit Ecclesiam & Monasterium Puellarum instituit, atque ditioni Sanctissimi Vincentii Martyris subdidit.

IV. Defuncto dehinc Arichi, consilio habito Beneventanorum Magnates Legatos ad Karolum destinarunt, multis eum flagitantes precibus, ut jam (*l*) fatum Grimoald, quem a genitore obsidem jam priore susceperat, sibi præesse concedere dignaretur. Quorum petitionibus Rex annuens, (*m*) illic continuo prædictum contulit virum simulque jus regendi Principatum largitus est; sed prius pactis huiusmodi vinxit: Vt Langobardorum mentum tonderi faceret. Chartasque vero nummosque sui nominis characteribus superscribi semper juberet. (*n*) Ac muros Salerni, Acherentiæ, & Consiæ funditus everteret. Accepta denique licentia repedandi, a Beneventi civibus magno cum gaudio (*o*) acceptus est. In suis aureis ejus nomen aliquandiu figurari placuit; schedas similiter aliquanto jussit tempore exarari, reliqua autem pro nihilo duxit observanda; mox rebellionis jurgium initiavit.

V. Hac etiam tempestate idem Grimoalt neptem Augusti Argiuorum in conjugem sumpsit, nomine (*p*) Vuantiam (al. Irriantiam;) sed nescitur quam ob rem ad fructum minime pervenit. In tantum enim odium primus eorum avidus prorupit amor, ut sumpta occasione Francorum, circumquaque se impugnantium, more (*q*) Hebraico, sponte eam a se sequestrarit, & dato ei libello repudii, ad proprios lares eam vi (*r*) transjecit. Hoc quidem licet callide egerit, feritatem tamen supradictarum Barbararum gentium minime quietauit; nam tellures (*s*) Theathensium, & urbes a dominio Beneventanorum tunc subtractæ sunt usque in præsens; nec non (*t*) Luceriæ urbs tunc capta est, sed celeriter a præfato Grimoalt acquisita, apprehenso in ea Guinichiso Duce Spolitensium cum omnibus bellatoribus inibi repertis.

VI. Frequenter autem Karlus cum cunctis liberis, quos jam Reges constituerat, & cum immenso bellatorum agmine Beneventum præliaturus aggreditur. Sed Deo decertante pro nobis, sub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de suis peste perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur; unde

(*a*) *volo cond.* (*b*) *his diebus.* (*c*) *præfuerunt.* (*d*) *prædicti.* (*e*) *illustris.* (*f*) *eosque de Aria in Lib.* (*g*) vox *Aquis* deest apud Caracc.
(*h*) *Lucariam.* (*i*) *Lirnus.* (*k*) *Hic Arichis --præcepit.* Hæc apud Caracciolum desiderantur.

(*l*) *dictum Grimoaldum.* (*m*) *illuc.* (*n*) *Ac muros --everteret.* Hæc a Caraccioli editione absunt. (*o*) *exceptus.* (*p*) *Irriantiam.*
(*q*) *solito.* (*r*) *trajecit.* (*s*) *Theanensium.*
(*t*) *Nuceria.*

factum

factum est, ut Pipino regnante in Ticino, & Grimoalt in Benevento præsidente, frequentissimum bellum vexarit Beneventanos, ita ut nec ad momentum pax interfuerit, illis viventibus. Erant enim utrique juvenili ætate nitentes, & ad (*a*) conjunctiones, & (*b*) bella declivi. Pipinus autem (*c*) fultorum præsidio bellatorum (*d*) jugi, continuoque prælio (*e*) exagitabat eum: Grimoalt vero, & Civitatibus munitis, & primoribus quamplurimis constipatus, parvi pendens, ac despectius ducens illius persecutionem in nullo cedebat ei. Agebat itaque per Legatos suos Pipinus (*f*): Volo quidem, & ita potenter disponere conor, ut sicuti (*g*) Arichis genitor illius subjectus fuit quondam Desiderio Regi Italiæ, ita sit mihi & Grimoalt. Quibus e contrario Grimoalt asserebat: Liber, & ingenuus sum natus utroque parente, Semper ero liber, credo, tuente Deo.

VII. (*h*) Et hoc quidem de hac luce subtracto, Grimoalt alter suscepit Beneventi jura tuenda, Thesaurarius videlicet (*i*) divæ memoriæ Grimoalt prioris: vir satis mitis, & adeo suavis; ut non solum cum Gallis, verum etiam cum universis circum quaque gentibus (*k*) constitutis inierit fœdus; & Neapolitibus supramemoratis gratiam, pacemque donarit. Sed quia antiquus hostis semper invidet pacatis & piis viris, atque bella & discordiæ semina in eis serere molitur, Dauferium quendam, Virum Spectabilem, suæ artis (*l*) malitia irretivit, & cum nonnullis filiis Belial horrendum fecit inire consilium adversus Principem (*m*) fatum hoc modo. (*n*) Depositis quippe in itinere insidiis, ut dum per pontem proficisceretur (*o*) veterrimæ urbis ad (*p*) prædictam urbem Salernum properans, impulsus a membris Sathanæ in profundum (*q*) fluctibus marinis immergeretur, & (*r*) esset beluis in pastu. Sed revelante sibi occultorum cognitore Deo, suis ad se accersitis, jam dictum incolumis pertransiit pontem. Eos autem, qui suæ salutis hostes fuerant, cepit, & vinculis injecit; Dauferius vero, quia tunc non aderat illic, hoc cognito fugam arripuit, & a Neapolitis susceptus est.

IIX. Quo comperto Grimoalt, non segniter egit, sed confestim iter Neapolim aggreditur, exercitumque post se accelerare jubet. At ubi juxta memoratam applicuit urbem, continuo (*s*) multæ juventutis populus ejusdem Civitatis, armis (*t*) evectus, obvius illi audaciter exivit in prælium. Quod ille ut intellexit, protinus itinera eorum (*u*) revertendi prius irretire molitus est, & ita demum in eos insurgere voluit; tantamque denique stragem hostium, cœpto bello, mari, terraque fecit, ut fretum adjacens vix per septem, & eo amplius dies cruore occisorum purgaretur: in terra vero tumuli nunc usque interfectorum conspiciuntur cadaverum; &, ut ab eisdem incolis referentibus compertus sum, (*x*) quinque millia fere hominum eadem tunc in acie occubuere. Idem enim Dauferius una cum Magistro militum, qui tunc inibi regnabat, soli elapsi fugibundi mœnia illius urbis tandem ingressi, nec ibi siquidem requiem capiunt; nam egressæ conjuges virorum peremptorum gladiis insequebantur illos, dicentes: Reddite nobis, o (*y*) caduci viri proditores, quos nequiter interfecistis. Quare, (*z*) inquit, adversus eos prælium insurgere (*aa*) conati estis, quam profecto injustum satis? Grimoalt vero acrius eos insecutus est usque ad Portam, quæ dicitur Capuana, ita ut (*bb*) proprio conto eam percuteret, nec erat quisquam, qui resisteret. Clausis autem obseratisque foribus, qui remanserant (*cc*) infra muros se tutaverunt. Reverso igitur Grimoalt ad Castra cum suo exercitu incolumi, altero die pro fatigio sumpto, & pro (*dd*) interemptis affinibus dictus perfuga Dux dedit in (*ee*) exenium octo millia aureos supradicto Principi, & memoratum Dauferium ad pristinam reduxit gratiam. Statim denique ob solitam misericordiam prædicto viro donationem de (*ff*) rebus suis præcepto firmavit; gratiam vero familiaritatemque (*gg*) primam non denegavit. Interea (*hh*) Radechis Comes Consinus, & Sico (*ii*) Agerentinus Gastaldeus, quem Grimoalt dudum proselytum receperat, honoribus plurimis deferens, (*kk*) sub dolo insurgentes in eum, cum jam extremum Spiritum traheret, gladio eum peremerunt.

IX. Interfecto eo innocenter, prædictus (*ll*) Radechis Siconem loco illius in Principem subrogavit. Ipse vero (*mm*) non multum post tempus cuncta viriliter mundana metu gehennæ abdicans, ad Beati se contulit Benedicti suffragia, catenaque (*nn*) cervice tenus vinctus, ejus cœnobium, Christo militaturus, adiit, se (*oo*) reum, quoque clamitans, & impium maleque se gessisse, atque crudeliter vociferans; sicque Monachicum schema sumens, in tanta se districtione corporis animique, coram oculis interni arbitris in eodem Monasterio coercuit, ut nulli (*pp*) scrupulum adsit omnium facinorum suorum veniam adipisci meruisse. Circuibat (*qq*) illo sæpe Diabolus girans septa sacri

(*a*) *concertationes.* (*b*) *ad bella.* (*c*) *fultus auxilio bellator.* (*d*) *jurgiis.* (*e*) *Grimoaldum exagitat. Grimoaldus v. &.* (*f*) *dicens: Volo q.* (*g*) *Arechis.* Sic fere semper apud Carac. pro *Arichis* scribitur. (*h*) *Sed postea de h. l. s.* (*i*) *Ducis Grimoaldi recolendæ memoriæ, Grimoaldus & iste vocatus, vir satis mit.* (*k*) *pacis in fœd.* (*l*) *irritavit & c. n.* (*m*) *factum h. m.* (*n*) *Dispositis.* (*o*) *externæ.* (*p*) *prædictæ Urbis salutem properans.* (*q*) *fluctuum maris demergeretur.* (*r*) *belluis esset cibus: sed.* (*s*) *multus.* (*t*) *arreptis, obv...* (*u*) *ne reverterentur, pr.* (*x*) *quinque homines in eadem acie supervixerunt.* *Idem en. D.* (*y*) *crudeles v. p.* (z) (*inquiebant*) (*aa*) *fecistis? Grimoalt v. acr.* Verba enim *quam profecto injustum satis?* apud Caracc. non leguntur. (*bb*) *prope eam factus, percuteret quoscunque sibi resistentes. Clauf. a. o.* (*cc*) *intra.* (*dd*) *detentis.* (*ee*) *xenium.* (*ff*) *rebellis.* (*gg*) *pristinam.* (*hh*) *Radelchis Ursus Comes Concinus.* (*ii*) *Argentinus Castaldus,* (*kk*) *subdole insurgens, eum, c. j. e. s. t. gladio peremerunt.* (*ll*) *Sico loco ill. i. P. subrogatur.* (*mm*) *Radelchis n. m. p.* (*nn*) *cervicibus vinctis, e. c.* (*oo*) *patricidam q. c.* (*pp*) *dubium sit, o. f.* (*qq*) Vocula *illo* a Vat. Cod. ap. Caracc. abest.

Monasterii, & voce perspicua, multis audientibus, clamitabat, inquiens: Heu Benedicte mi, cur me undique (*a*) rodis? inique, me (*b*) prius hinc pulso, nunc mea membra lucras.

X. Suscepto itaque (*c*) Sico Principatu, fœdus cum Francis innovavit, Beneventanos bestiali (*d*) efferitate persequitur, atque se superstite filium suum Sicardum, virum satis lubricum, inquietum, & petulantem, animique elatione tumidum heredem Principatus effecit. Per idem tempus Neapolitis, (*e*) quorum superius mentionem fecimus, bellum a Sicone creberrimum motum est, (*f*) & Civitate valide obsessa tellure, pontoque, & fortiter Scorpionibus, & jaculis oppugnata, pæne capta esset, si defuisset ingenium; nam juxta ora maris, muro Arietibus, & machinis funditus eliso, jam cum catervatim Siconis (*g*) populus urbem ingredi niteretur, Dux jam dictæ Civitatis, data mox obside genitrice sua, ac duobus propriis liberis, magnopere eum callida arte efflagitans, per nuncios (*h*) misit ita: Tua est urbs cum universis, quæ infra se retinet; placeat ergo pietati tuæ jubere, ne inter prædam detur; crastina enim die cum trophæo victoriæ gloriosissime (*i*) ingredere, possessurus nos, omniaque nostra. His ergo suggestionibus fidem accommodans, diem sustinuit venturum; subsequenti vero nocte interrupta urbs muro solidissime firmata est, & crepusculo, quo se, suamque tradere pollicitus est Civitatem, arma bellica suscipiens, contra eum se erexit ingenti certamine. Oppressi igitur durius a genitore, & filio per sexdecim continuos annos cives præfatæ urbis, cum jam ad (*k*) extremitatem maximam pervenissent, ad Francorum se contulere præsidium. His denique diebus præerat iis Cæsar Lodoguicus cognomento Almus filius Caroli superioris Augusti; qui dum Lutharium natum suum consortem Regni (*l*) adsciret, ab eo una cum (*m*) socia sua captus, & custodiæ mancipatus est; sed ab optimatibus suis ereptus, ad pristinam sublimatus est gloriam; quibus (*n*) annitentibus obsidio Neapolis ab illis aliquandiu sublevata est.

XI. Circa hæc tempora gens Agarenorum a Babylonia, & Africa ad instar examinis Apum, manu cum valida egrediens, Siciliam properavit; omnia circumquaque devastans; tandem Civitatem insignem, Panhormum nomine, captam nunc usque (*o*) commoratur, plurimasque in eadem Insula urbes, & oppida diruens, jam pene (*p*) tota illarum gentium ditioni substrata congemiscit. Inter hæc moritur Lodoguicus, qui secundus in Gallia Augustali præerat Imperio Lutharii usque supradictus illius Regni heres effectus est, atque ob hoc Francorum divisum est Regnum; quoniam Lutharius (*q*) Aquensem & Italiam, Lodoguicus autem (*r*) Bajoariam, Carolus vero ex alia ortus genitrice Aquitanum regebat Imperium. Sed retrovertam sermonem.

XII. Mortuo Sicone, Sicardus Monarchiam solus obtinuit, qui jam cum patre sæpius memorato per aliquot feliciter imperaverat annos, cœpitque populum sibi commissum ex levitate animi belluina voracitate insequi, ac crudeliter laniare. Inter hæc (*s*) ut Assuerus Aman, ita iste prætulit cæteris Roffridum quendam, filium Dauferii, cognomento (*t*) Prophetæ, cujus consilii subversione multa sacrilegia, ac blasphema patrabat. Fuit autem idem vir in mundanis rebus prudens, & nimium versutus, & ultra quam credi potest callidus; adeo enim circumvenit præstigiis suis fallacibus supradictum (*u*) virum, ut illo absente, & dissentiente nil unquam exercere, vel ad momentum efferre auderet. Sicque ab eo deceptus, & illaqueatus est, ut germanum suum Siconolfum nomine, gratis perpetuo damnarit exilio, cunctosque (*x*) Beneutanæ gentis proceres, aut (*y*) custodiis, aut morti indiderit, ad hoc nimirum tendens, ut dum relictus, & destitutus esset solatio optimatum, citra sui, suorumque sanguinis effusionem facillime interimeretur. Quamobrem & Majonem cognatum suum tonderi jussit, & in Monasterium (*z*) retrudi. Alfanum denique, quo nemo fidelior eo tempore fuit, Virum Illustrem, ac (*aa*) fortissimum, Robore laqueo suspendi fecit. Tunc factum est ingens perjurium in Benevento, ex quo conjicitur iram Dei fuisse provocatam ad perdendam terram.

XIII. Talia eo tractante, Divina actum est dispensatione; ut dum alium innocentem conaretur extinguere, præveniente interim languore, ipse cœlitus spiritu pariter, & carne percussus interierit. Prius enim quam obiret, ut cumulus suæ perditionis justius augeretur pro amore pecuniæ spectabilem, & Deo dignum virum sanctitate conspicuum, Deusdedit nomine, Beatissimi Benedicti Vicarium a Pastorali Monasterio Monachorum, seculari magis potentia, quam congrua ratione, deposuit ac custodiæ mancipavit. Cujus nunc (*bb*) quoque cineres, qua recubat humatus, nonnullos febre detentos, variisque languoribus oppressos (*cc*) ex fide poscentes creberrime curare noscuntur. Quid autem dicam de hujus viri nequitiis, quandoquidem distractis Ecclesiarum, Cœnobiorumque prædiis (*dd*) nobilium, ac mediocrum rebus violenter ablatis, (*ee*) secundum supputationem dierum anni embolismi cunctis opulentissimas aggregavit. Hoc quoque misero ita obeunte, paulo post a filiis, vel a Dauferio

(*a*) *torques, iniq.* (*b*) *tuis precibus hic pulsas, n. m. m. tollis.* (*c*) *a Sicone.* (*d*) *feritate.* (*e*) *quor. sup ment. fec.* Hæc verba apud Caracciolum non leguntur. (*f*) *ut civit. v.* (*g*) *exercitus u. i.* (*h*) *misit: Ista Vrbs tua est cum univ.* (*i*) *ingredieris.* (*k*) *extremam tenuitatem perv.* (*l*) *sciret,* (*m*) *socio suo.* (*n*) *annuentibus.* (*o*) *inhabitat.* (*p*) *totam suæ ditioni subjecit. Post hæc moritur Ludovic.* (*q*) *Aquis & Ital.* (*r*) *Bojarium.* (*s*) *Assuerus Ammonita iste prætulit c.* (*t*) *Prophetam.* (*u*) *Principem, ut il.* (*x*) *Beneventanæ.* (*y*) *custodiæ.* (*z*) *detrudi,* (*aa*) *fortissimum robore.* (*bb*) *usque cineres febre detent. v.* (*cc*) *curare sæpissime noscuntur. Q.* (*dd*) *nobilibus.* (*ee*) *divitias sibi opulentiss. aggreg.*

nomi-

nomine Sicardus supradictus Princeps gladio perimitur, Deo justo retribuente, qui plerunque reddit iniquitatem patris in filios, carnemque solummodo feriens, ulciscitur; ut quia Sico genitor suus Grimoalt Seniorem suum indebite occiderat, ulciscente Deo, filius illius a subditis interficeretur, & isto hoc (*a*) mundo decedente, percussor non diu lætatus est; nam parvo post tempore a Sicone notho, cognomento Albo, prædictus homicida extinctus est: (*b*) scilicet, ut juxta verbum Domini, qui (*c*) corpus proximi gladio transverberavit, justo valde judicio talionem, hoc est, similem ultionem in se ipso expertulit.

XIV. Decedente itaque Sicardo ab hac luce corporea, Radelgisus Principatus regimen suscepit, Thesaurarius prædicti viri, in cujus electione omnis, ut ita dicam Beneventi Provincia consensit quod vir esset blandis, ac bonis moribus pollens, ac ubi idem primatum (*d*) promeruit, Siconolfus, (*e*) quem superius exulem præmisi, a custodia carceris elapsus, fugere latibulum cœpit, & ab Urso Comite (*f*) Consino, cognatoque suo aliquandiu latuit occultatus. Quo etiam tempore liberi Dauferii Balbi, videlicet Romoalt, Arichis, & Grimoalt, nec non & Guaiferius Beneventi mœnia relinquentes, Salernum invasere, & (*g*) Siconolfum, quo latebram fovebat, repertum, Seniorem sibi unanimiter constituerunt; factaque tunc talis dissensio est, qualis nunquam fuit (*h*) in Beneventum, ex quo Langobardi in eam ingressi sunt. Ante adventum itaque Siconolfi in Salernum missus est Adelmarius a supradicto (*i*) Radelgiso Principe, ut filios Dauferii ad suam fidelitatem converteret, (*k*) illuc adiens astu doloso Principem deseruit, & se illis sociavit, eosque (*l*) ignivit deterius.

XV. Eodem quoque tempore Landulphus (*m*) S. a Capuæ præerat Gastaldeus, vir quippe ad bella promptissimus. Hic autem vetuste exercens inimicitiam cum quibusdam de genere (*n*) Saductorum, animo & gente par crudelibus viperis, interfici fecit ex (*o*) primis eorum septem viros, unius eorum manibus abscissis, reliqui præsidium fugæ sumentes, (*p*) Benevento adeunt Radelgisum affinem suum. Landulphus autem (*q*) Sicopolim ingressus a Radelgisi dominatione se subducens, Siconolfo sociatus est, ac primum cum Neapolitis pacis conjunxit fœdera. Fretus itaque Siconolfus hujus, ac liberorum ejus auxilio, totam Calabriam suo subdidit famulatui, maximamque partem Apuliæ; deinde adversus Beneventum præliis insurgere nititur, plurimasque urbes, & nonnulla oppida (*r*) ab ejus dominio auferens, suo juri subjecit. Et quia erat vir bellicosissimus præ metu illius pene cunctus Populus eum ambiens sequebatur. Prius enim quam Siconolfus Salernum obtineret a prædicto Adelmario Radelgisus invitatus, & a suis Stratoribus fraude suasus, Salernum, quasi capturus, adventavit; quo cum pervenisset, (*s*) castra metari grandi cum audacia (*t*) placuit, sed subito, (*u*) velut turbo, e Civitate vir idem cum fatis Dauferii filiis egressus, eos inaudita cæde (*x*) mactaverunt, bonaque eorum cuncta diripientes, ditati sunt; & Radelgisus vix cum paucis inglorius fugiens evasit, nec ultra ausus est Salerni metas gressibus attingere.

XVI. His quoque diebus (*y*) Pando quidam Barim regebat, qui jussis obtemperans Radelgisi, Saracenorum phalangas in adjutorium ascitas juxta murum urbis, & ora maris locavit commorandas. Hi autem ut sunt natura callidi, & prudentiores aliis in malum, subtilius contemplantes munitionem loci, intempesta nocte Christicolis quiescentibus, per abdita loca urbis penetrant populumque insontem partim gladiis trucidarunt, partim captivos fecerunt. Supradictum vero (*z*) conditorem gentis, & patriæ variis, multisque suppliciis (*aa*) debacchantes postremo, ut vere dignum fuit, marinis suggillarunt gurgitibus. Quo comperto Radelgis, quia eos urbe nullatenus evellere quibat, cœpit tamen quasi familiares amicos excolere, & ad suum adjutorium sensim provocare; ac primum castrum (*bb*) Cananense una cum Urso filio suo illis destinavit oppugnandum. Confestim igitur intimatur hoc Siconolfo; qui statim mora seposita eos debellaturus properavit, atque super eos audacter irruens, cunctos, qui fugere (*cc*) nequiverant, armis stravit, tantoque victoriæ potitus est tropheo, ut ex innumerabili (*dd*) acie Paganorum pauci elapsi essent, qui urbem residuis casum pereuntium explicarent. Rex vero eorum (*ee*) Calfo nomine solus cum dedecore fugiens, equo (*ff*) in itinere jam fesso amisso, tandem valde lassus plantis propriis urbem introgressus est.

XVII. Interea Siconolfus Beneventum crebris præliis graviter affligebat, atque, ut dici solet, (*gg*) malo arboris nodo malus infigendus est cuneus, contra Agarenos Radelgisi Lybicos, Ismaelitas Hispanos (*hh*) accivit, iisque invicem intestino, & extero alternantibus bello ultra ma-

(*a*) *modo recedente, perc.* (*b*) *scilicet ut.* Hæ voculæ a Caraccioli editione absunt. (*c*) *gladio ferit proximum, talem expectabit ultionem a seipso.* (*d*) *accepit, Sicon.* (*e*) *qui superius exules a custodiæ carceribus fugere permisit, latibulum quærere cœpit, ---* (*f*) *Compsino,* (*g*) *Siconolfus, qui latebram fovebat, repertus, senior ab eis sibi constitutus est, fact. ----* (*h*) *ex quo Langobardi ingressi sunt Beneventum. A. a.* (*i*) *Radelchisio.* (*k*) *qui illuc a. a.* (*l*) *Capuæ Castaldo tradidit. Eo qu. t.* (*m*) *Capuæ præerat Castaldus, v. q.* (*n*) *seductorum, crudelior vip.---* (*o*) *præmissis sept. vir.* (*p*) *Beneventi commorantem Radelchisium adeunt aff. s.* (*q*) *Sicopoliam.* (*r*) *, ubi jus dom. auf.* (*s*) *Adelmarium Castrametantem gr. c.* (*t*) *peremit, s.* (*u*) *turbæ Civium cum Gauferiis filiis egressæ, eos in. c.* (*x*) *vastaverunt, b.* (*y*) *parvus q. B. r.* Ipse tamen Car. locum forte corruptum esse putat. (*z*) *proditorem g.* (*aa*) *extorquentes p.* (*bb*) *Cavense v.* (*cc*) *nequibant.* (*dd*) *agmine Paganorum vix pauci effugerint, qui casum pereuntium enarrarent.* (*ee*) *Calpho.* (*ff*) *itinere valde fesso tandem lapsus, pedester Urbem introivit.* (*gg*) *malæ arbori malus nodus infigendus est; Contra Agar. R.* (*hh*) *ascivit, i. i. intestina & extera altern. bella, u. l.*

rina loca captivis (*a*) nostræ gentis diversi sexus, & ætatis fulciebantur. Quadam vero die convenere utræque acies in Forculas (*b*) Gaudinas ibique commissum est belli certamen; ac primo impetu Radelgisi pars victrix existens, Siconolfi exercitum totum in fugam vertit. Siconolfus autem in loco tutissimo tunc constitutus, cum paucis suorum mox super Beneventanos triumphantes, ac suos insequentes irruens, virili eos attrivit animo, & non minima cæde prostravit; patrataque victoria, plurimos eorum (*c*) gladiis extinxit, nonnullos cepit, reliquos vero in fugam compulit. Fretus itaque frequentissimis victoriis, omnes urbes a Radelgisi abstrahens jure, excepto Siponto, Beneventum circumdedit expugnandum. Cumque (*d*) telis, & lue famis non mediocriter coarctaretur, mandatum illico est Guidoni, ut properaret (*e*) urbem: erat autem idem Guido Dux Spolitensium, Siconolfi cognatus. Pro cupiditate (*f*) tamen pecuniarum, quibus maxime Francorum subjicitur genus postposito vinculo parentali, in adjutorium venit Radelgisi, atque per nuncios suggessit Siconolfo obsidenti urbem, ut obsessione relicta, ad propria remearet adjiciens inter cætera. Permitte me loqui cum Radelgiso, quia tuæ magis parti favebo. Recessit igitur Sinocolfus a loco illo: Guido interim applicuit, & (*g*) accepta a Radelgiso una sella pro septuaginta millibus nummis aureis dirupit quodcumque pollicitus fuerat suo cognato, & alienatus ab eo, via qua venerat, rediit.

XVIII. Post hæc prædictus Guido suasit Siconolfo, ut datis quinquaginta millia nummis aureis pro adunatione Provinciæ Beneventanæ, &: obtinere te, inquit, faciam eam (*h*) hinc, & inde ut quasi palmo eam mensurabis. Cujus tunc consilio consentiens, Romam adiit, aureos tribuit, (*i*) sacramentum dedit, jusjurandum suscepit, nihil (*k*) proficiens inanis abscessit. Erat autem adhuc inter Siconolfum, & Radelgisum (*l*) frequentissima pugnæ concertatio, & quotidiana litium seditio; unde ex diversa parte ii, quibus via justitiæ displicebat, alternatim ab uno in alterum confugiebant, fiebantque crebræ rapinæ, (*m*) incestæque fornicationes: erant universi erronei, & ad malum prompti, quasi bestiæ sine pastore (*n*) aberrantes in saltu. Sed cum jugiter civili bello invicem lacerarentur essetque omnium pernicies, &, ut ita dicam, animæ, & (*o*) cordis extrema perditio, maxime quia Saraceni Beneventi degentes, quorum Rex erat (*p*) Massari, infra extraque omnia funditus (*q*) denectarent, ita ut etiam optimates illius pro nihilo ducerent, atque, ut ineptos servulos, laureis duriter flagellarent.

XIX. His quoque diebus mortuo jam dicto Luthario Regnum Gallicum (*r*) pentisarie divisum est; quoniam Lodoguicus, & Carolus germani ejus Bajoariam & Aquitaniam regebant; primogenitus ejus filius, Lodoguicus nomine, Italiam; secundus Lutharius (*s*) Aquis, tertius Carlictus Provinciam tuebatur. Huic ergo Lodoguico Augusto suppliciter relatum est per (*t*) Landonem Comitem Capuanum filium Landulfi supradicti viri, & (*u*) per Adimarium jam fatum (*x*) virum nec non per venerabilem Abbatem Bassacium, ut ad has partes venire, eosque a nefandorum Saracenorum devastatione eripere, tantisque calamitatibus finem dignaretur imponere. Qui licet (*y*) erant admodum parvuli, pro Dei tamen zelo eorum humilibus precibus aures accommodans etiam consensum præbuit, & celeriter veniens, universos profanæ gentis hostes ab urbe vi distrahi (*z*) ac framea necari fecit; ac præsentibus omnibus Langobardis, inter duos prædictos viros totam Provinciam Beneventanam æquitatis discrimine sub jure jurando dispartivit. Hoc autem facto (*aa*) non diu supervixit Siconolfus, sed debitum mortis munus exolvens, filium suum adhuc latentem ministerii sui reliquit heredem; (*bb*) cui superstes parum qui extitit Radelgis; quo migrato Radelgarius filius ejus in principatum loco ejus electus est: vir plane fortis viribus, & animo pius, & corpore cunctis gratus.

XX. (*cc*) Per idem tempus Agareni Barim insidentes cœperunt devastantes stirpitus (*dd*) deprædare totam Apuliam, Calabriam, & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt. Tunc iterum (*ee*) suggestum est lamentabili supplicatione jam sæpe dicto piissimo Augusto per venerabilem virum Bassicium B. Benedicti vicarium, & per Jacobum S. Vincentii Abbatem, ut properare quantocyus dignaretur, & suo adventu eriperet, quos ante jam misericorditer redemerat. Et simus, inquiunt, fidelissimi famuli illius, constituatque, nos subesse cuilibet ultimo suorum. Qui sine mora veniens cum incredibili multitudine, Barim perrexit. Sed obliti Capuani suam (*ff*) ultroneam sponsionem urbibus se recondentes, Landulfum tantum Antistitem vice sua illuc destinarunt. Videns autem supradictus Cæsar, & illorum fallaciam, & se nihil proficere sine emolumento, recedens abiit, concesso Principatu Salernitano Ademario fortissimo, & illustri viro, & Siconolfi filium exulem fecit. Interea

(*a*) *gentibus d. s.* (*b*) *Caudinas.* (*c*) *gladio.*
(*d*) *Civitas non levi fame arctaretur, mand. i. e.*
(*e*) *ad Vrb.* (*f*) *ergo pecuniarum, postpos. vinc. par.* (*g*) *acceptis a Radelchisio septuag. mill. n. a.*
(*h*) *hinc & inde, ut quasi pal. eam metiaris.*
(*i*) *sacram d.* (*k*) *proficiens. Intercesserunt autem inter Sic. --* (*l*) *frequentissimæ pugnæ, & quot. l.* (*m*) *& incertæ forn.* (*n*) *oberrantes.*
(*o*) *corporis e. p.* (*p*) *Massan.* (*q*) *delebant.*
(*r*) *Pontificis auctoritate d. e.* (*s*) *Aquim,*
(*t*) *Pandonem.* (*u*) *Ademarium jam dictum.*

(*x*) *virum n. n. p. ---- dignar. imponere.* Hæc apud Caracciolum non leguntur. (*y*) *essent adm. p.* (*z*) *& a Franchis necari f.*
(*aa*) *Siconolfus n. d. supervixit, ac filium suum ministerii sui rel. hæred.* (*bb*) *At superstes parum ei extitit Radelchisius: q. m. R.* (*cc*) *Post idem temp. Ag. Barium militantes cæper.* (*dd*) *ac deprædantes t. A.* (*ee*) *supplicatum est lamentabili petitione apud jam dictum piissimum Augustum, per ven. vir. Berthariam B. Bened. v.*
(*ff*) *ultimam sponsion.*

obiit

obiit Radelgarius (*a*) Benevento, cui ſucceſſit germanus ejus nomine Adelchis, vir quippe mitiſſimus, & amabilis (*b*) cunctis, tantæque manſuetudinis, ut etiam ab exteris diligeretur. Sed, (*c*) pejus eſt provincia in multis diviſa ad exitium magis, quam ad ſalutem de die in diem a dominatoribus ducebatur.

XXI. Subtracto vero ex hac luce Landulfo Capuano Comite, ut poſt tergum redeam, quatuor reliquit liberos; Landonem videlicet jam ſatum virum, Pandonem, Landonulſum, & Landulfum futurum Pontificem: viros ſingularis prudentiæ. Ex quibus Lando Capuam, Pando (*d*) Marepahis Suram, Landonulſus Teanum regebat; Landulſus vero adhuc teneræ indolis Palatinis excubabat obſequiis. Hic autem (*e*) noviſſimus, & poſtremus in patulo claruit. Cum adhuc viſceribus geſtaretur genitricis, eadem mater cum ſe quadam die ſopori juxta viri dorſum dediſſet, facem igneam peperiſſe videbatur ſibi, quæ fax cum in humi ſolum cecidiſſet, in maximum ignis globum aucta eſt; viſaque eſt totius Beneventi confinium concremare, ſicque cum ſomno pariter & viſio elapſa eſt. Quæ nimium perterrita, mox proprio conjugi mœſta curavit indicare; cujus viſionis finem genitor ut (*f*) audivit, in fatis ſyllabarum dictionibus, futura ejus dira opera complexus eſt, dicens:

Heu me, dulcis amans, quæ nos (*g*) tunc facta ſequentur.
Augurium ſævum monſtrat tua viſio dira.
Hac tuus hic ortus, tegitur qui clauſus in alvo,
Diliget (*h*) haud ullum, ſpernet qui ſanguine claros
(*i*) Poſtremo cives viperino devoret ore,
Ac, velut ignis edax, cunctorum pectora (*k*) buret.

Quod ille in extaſi mentis licet prædixerit, nos quoque propriis intuiti ſumus obtutibus; qui innumerabiles (*l*) inſontes homines illius facto conſpicimus per ignem gladiis corruiſſe. Ignis itaque ille ipſum humani generis ſanguinem, qui poſtea, eo operante, fundendus erat, ſub quadam imaginis ſpecie (*m*) portendebat; quod ne cui incredibile (*n*) hoc, aut imaginarie forte confictum videatur, tot mihi teſtes ſunt, quot pæne homines verſantur in Vrbe: hujus etiam actio, (*o*) finisque exitus in ſubſequenti propalabitur.

XXII. Horum denique genitor cum (*p*) jam diei ultimæ appropinquaret, (*q*) ut a referentibus audivi, vocatis liberis ſuis hoc in Edictum illis tradidit: Ne unquam, quantum ad ſe pertineret, ſinerent Beneventum cum Salerno paciſci. Quia non erit, inquit, (*r*) vobis profuturum. Cujus monitum filii audientes, opere pariter patrarunt, atque ſuis heredibus (*s*) jus perpetuum, ſicut a patre acceperant, reliquerunt. Magnum ſane hereditatis ſcelus ſuæ reliquit ſoboli adverſus Divinum præceptum gerentes, quia ait Jeſus diſcipulis ſuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Accepto itaque jure regnandi, (*t*) nullo modo Siconolfo obſequuntur: parvi pendunt imperium (*u*) ejus; ſed præ omnibus Landonulfus contrarius illi ſemper, & ingratus extitit, adeo ut etiam filio illius natam ſuam neceſſitate ductus (*x*) arrharet. Hoc autem tempore Paulinus Deo (*y*) dignus, & carus vir Capuæ præſul ab hac carnea ſubtractus eſt fæce, atque Landone ſupradicto viro viriliter decertante, Landulfum fratrem ſuum Epiſcopum ordinavit; ſed incongruam viciſſitudinem filiis ejus poſt patris intulit obitum, quos velut duriſſimos hoſtes vario, ac perpetuo mulctavit exilio.

XXIII. Mortuoque itaque Siconolfo, ut unusquisque quod ſibi habile videretur, ageret, filium ejus adhuc (*z*) anno carente (al. Tarenti) loco ejus ſubrogarunt. Tunc cœperunt prædicti fratres concives ſuos partim ambitu, partim metu agitati, ferina perſequi ingluvie, & cuſtodiis mancipare; quamobrem & a Pandulfo conſanguineo ſuo (*aa*) Sueſſulam ingenio auferentes, ſuæ ambitioni nexuerunt; ipſum, & liberos ejus (*bb*) extorres fecerunt, de quibus de hinc unum gladio, alium igne perdiderunt; duosque ſuperſtites jugi, continuoque damnarunt exilio: (*cc*) Sueſſulam autem poſtea a Landulfo Landonis filio, (*dd*) annitente ſibi Sergio Magiſtro Militum, (*ee*) quod ſocer erat illius nunc usque retinet eam.

XXIV. Hac tempeſtate caſu, an judicio ſuperno actum ſit, tota urbs Sicopolis igne cremata eſt, ita ut ne una domus remaneret inuſta, præter (*ff*) Epiſcopalis Aula. Qua reperta occaſione Landulfus præſul, & Landonulfus germanus ejus (*gg*) conſilio inierunt, ut deſerta anguſti montis cohabitatione, ad plana, & præclara campeſtria deſcenderent ad commanendum. Non ſumus, inquiunt, Caprearum ovile, ut in Saxorum cavernis tueamur: ad humilia denique deſcendamus, ut altos nos, & (*hh*) inhumiles circumſpicientibus præbeamus. Quibus tunc aſſenſum Lando minime præbuit, quia (*ii*) delirum, ac frivolum erat inter tot procellas urbem munitiſſimam deſerentes, (*kk*) ut ſuillo in cœno locarent.

XXV. His invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt ædificare murum juxta Pontem, qui vulgo Caſelinum dicitur. Quorum

(*a*) *Beneventi.* (*b*) *Civis, t. m.* (*c*) *quod pej. e.* (*d*) *mare pabriſatum, Landenolſus Teean. reg.* Ipſe tamen Caracc. hanc locum corruptum eſſe fatetur. (*e*) *noviſſimus poſt, patulo clar.* (*f*) *audivit infantis, ſyll.* (*g*) *tua f. ſequuntur.* (*h*) *aut illum ſpernet, q. ſ. charos.* (*i*) *Poſthumos ac civ.* (*k*) *adurat.* (*l*) *inſontesque hom. ill. fato conſpeximus p. i. atque gladios c.* (*m*) *ſimilitudinis prætend.* (*n*) *hoc, aut im. f. confictum.* Hæc a Caracciolo omittuntur. (*o*) *exitus, finisque in. ſubſ.* (*p*) *extremo diei approq.* (*q*) *ut a ref. aud.* Hæc verba apud Caracciolum non leguntur. (*r*) *proficuum. Quod fil. aud.* (*s*) *in jus perp.* (*t*) *nullo modo.* Hæc a Caracc. Codice abſunt. (*u*) *patris, ſed p.* (*x*) *arctaret.* (*y*) *dilectus vir, Capuæ Præſul, ab h. c.* (*z*) *annis tenerum loc. ej. ſubr.* (*aa*) *Sueſſam.* (*bb*) *tolli fec.* (*cc*) *Sueſſam.* (*dd*) *annuente ſibi S.* (*ee*) *Neap. quia ſoc. e.* (*ff*) *Empolis aulam;* (*gg*) *[illegible]ſilium in. u.* (*hh*) *humiles c.* (*ii*) *dubium ac fr.* (*kk*) *ſucceſſu tutiore carere. His autem inv. i. a.*

rum opera ut perspexit Lando, illico abiit, ac mirifice perfecit ædificandam urbem. Ut autem munita est, & habitari cœpta, supervenit Guido jam dictus cum universis Tuscis, & obsedit eam hinc, & inde, graviterque angustiavit; quia (*a*) nolebant subjici (*b*) jam fato viro ob improbitatem Landulfi Præsulis, & Landonulfi; quoniam (*c*) illum præ cæteris affectu fovebat fraterno, aliis quasi exteris spretis. Dum (*d*) enim valide intus affligerentur quotidiana (*e*) pugna, & foris sata delerentur, tandem robore, & violentia devicti sua colla subdiderunt ejus famulatui, excepto Landonulfus; quamobrem (*f*) Sura, cunctaque oppida confinia a (*g*) Landonulfo domino subtracta, & Guidoni sunt tradita, (*h*) sicut promissum fuerat; quo facto in tantam animi tristitiam corruit prædictus vir, ut in proximo spiritum exhalaverit.

XXVI. Per idem tempus veterem inimicitiam vindicare volens Ademarius, filium (*i*) Marini Malfitani, cognatum videlicet Pandonis, dolo cepit, & Sergium Magistrum Militum, quo cum fœdus inierat (*k*) exulem tradidit; pro qua causa ab eodem (*l*) Sergio etiam Marinus fraude captus est. Hinc etenim æternum jurgium inter (*m*) Ademarium, & Pandonem ortum est; unde factum est, ut inscio Landone, Landulfus Episcopus, & Pando suaserint Guaiferio, filio (*n*) Dauferii Balbi, & fecerint apprehendere Ademarium Principem, Guaiferiumque sponte sibi Seniorem elegerint jurantes ei gravi (*o*) sacramento. Sed ocyus ad consueta vitia defluentes, & huic statim sunt post excessum Landonis soceri illius mentiri.

XXVII. Mortuo denique Landonulfo, non multum post Lando (*p*) dira Paralysi percutitur lectum per annum integrum fessus detinebatur. Hoc agnito Sergius Magister Militum, præsidiis illectus Ademarii, (*q*) ut priora replicem, dirupit juramentum, quod cum Landone pactum fuerat, & adversus filium illius bellum excitavit, nam octavo Idus Majas, quo B. Michaelis Archangeli solemnia (*r*) nos solemniter celebramus, qua etiam die priscis temporibus a Beneventanorum populis Neapolites fortiter cæsos legimus, (*s*) hac ergo die nullum honorem dans Deo, misit duos liberos suos, Gregorium Magistrum Militum, & Cæsareum, necnon & Landulfum generum suum (*t*) Suessolanum, cum quibus Neapolitum, & (*u*) Malfitanorum exercitum, tam pedestrem, quam & Equitum pæne ad septem millia viros misit, dans (*x*) eis in præceptum, ut Capuam obsiderent. Quibus audacter occurrit, ceu Leo, (*y*) fervidus Lando junior, reperitque eos transvadatos pontem Theodemundi (*z*) suos acriter expugnantes, qui totis viribus super eos irruit, atque cuneum eorum scindens, gladiis ventilavit, captumque Cæsareum, & ferme octingentos alios, reliquos in fugam vertit; sicque triumphans reversus est. Pando autem illius avunculus Ademarii metuens adventum, ad monumentum (*aa*); quondam Trasaraci interius observabat excubias. Post hæc Pando (*bb*) erepto Marino (*cc*) a vinculis, Cæsareum cum universis libertati restituit.

XXIIX. His quoque diebus Lando senior, crescente interim languore, ad extrema perductus est, vocatisque duobus fratribus suis, (*dd*) Pando scilicet, & Landulfo Antistite, Landonem filium suum eis supplici prece commendare studuit, atque in manibus eorum tradidit, dicens. Deo teste, sanctaque ejus Ecclesia, vobis eum comendo, ut (*ee*) eodem Judicio futuro judicemini, quo eo in præsenti abusi fueritis. (*ff*) Sicque humanum faciens, obiit. Quo migrato non diu (*gg*) ad juramentum præstere fraternum; nam subdole pro cupiditate Gastaldatus, & Landonem, & cæteros fratres urbe repulerunt, & a Guaiferio alienati sunt, cui sacramenta recentia dederant, præcipueque Landulfus per Evangelia, Missarumque solemnia, nec non per manus sacratas suas (*hh*) ille non semel juravit. Hoc facto, Lando (*ii*) Cajaziæ ingressus est, capto in ea Ajoaldo, qui a prædictis viris ad custodiendam eam fuerat directus. Eodem igitur tempore Landulfus frater Landonis Casamirtam cepit; sed superveniens Pando, cepit eum cum quadraginta Primoribus; quibus redditis, Castrum Cajaziæ recepit, & receptis filiis (*kk*) Landonis a Guaiferio, & Landulfo eorum (*ll*) fratre in Suessulam. Quibus exterminatis, minime quievit eorum rabies: Sed cœperunt eos persequi jugiter, etiam (*mm*) terminos Suessulæ expugnantes: Hos siquidem Guaiferius (*nn*) Princeps non segniter adjuvabat, & multotiens locum cedebat eis, nolens frustra Christicolum fundere cruorem. Sed Landulphus Præsul non hoc religionis gratia sed imbecillitati (*oo*) deputans, vi suum germanum contra Christum Domini pugnare cogebat. Fretus ergo filiorum (*pp*) trium Majonis, & Manienolfi, nec non & Radelgisi, filii & Adelgisi Beneventani Principis, eum adversus jam dictum Principem suum misit. Sed justo Dei judicio, a quo omni potestas, & ordinatio con-

(*a*) *nolebat.* (*b*) *Aldemario, ob impr.* (*c*) *illis præ cæt. aff. favebat fr.* (*d*) *autem valde int.* (*e*) *pugna, tanto rob. & viol. d. suas cellas subd.* (*f*) *eorum quæcunque opp. conf.* (*g*) *Landenolfi dominio subtracto,* (*h*) *sicut promissum fuerat.* Hæc apud Caracc. desunt. (*i*) *Maurini Amalfitani.* (*k*) *exilio tr.* (*l*) *Sergius, & Marinus.* (*m*) *Aldemarium.* Sic perpetuo apud Caracciolum inserta scilicet litera l. scribitur. (*n*) *Daiferii.* (*o*) *juramento.* (*p*) *dictus Paradisi, percutitur languore p. a. i.* (*q*) *ut priora replicem.* Hæc a Caracc. codice absunt. (*r*) *celebrantur, q. e. d.* (*s*) *fuisse priscis temporibus; hac e. d.* (*t*) *Suessanum.* (*u*) *Amalfitanor.* (*x*) *ei præceptum, ut C.* (*y*) *prædictus L. j.* (*z*) *& suos acr. incitans, tot v. s.* (*aa*) *quoddam Tras.* (*bb*) *creato Marino.* (*cc*) *a Cunciolis.* Ipse tamen Caracciol. vidit, locum esse corruptum. (*dd*) *Pandone sc.* (*ee*) *ab eo in futuro judicio judic.* (*ff*) *, sicque obiit. Q. m.* (*gg*) *juramentum fraternum præstitum observarunt, sed sub dolo, pro cup. G.* (*hh*) *illi n.* (*ii*) *Cajacciam ingr.* (*kk*) *Pandonis.* (*ll*) *fratre. In quibus exterminatis m. q.* (*mm*) *in terminis Suessæ exp.* (*nn*) *Principes n. s.* (*oo*) *deportatis, v. s.* (*pp*) *trium auxilio, Maj.*

sistit,

fistit, ipse (*a*) protinus occubuit, nonnullis ex eis captis, reliqui autem fugati sunt.

XXIX. Inter hæc (*b*) Sangolan nequissimus, ac sceleratissimus (*c*) Rex Ismaelitarum totam terram Beneventanam igne, gladiis, & captivitate crudeliter devastabat, ita ut non remaneret in ea aliquis; quamobrem & Gallorum exercitus crebrius adveniens ad eorum efferitatem opprimundam, sed nihil proficiens, (*d*) via, qua venerat, repedabat. Unde factum est, ut Adelgisus Beneventi Princeps (*e*) coarctata pensione, & obsidibus; pacem (*f*) eo firmaret. Quo tempore (*g*) Majelpotus Telesinus, & Guandelpertus Bovianensis Castaldei multa cum prece conduxerunt Lambertum Ducem Spolitensium, & Garardum Comitem, (*h*) & obviantes eidem Saugdan cum de Capuæ depopulatione reverteretur in (*i*) Barium tellure irruerent super eum. Sed exurgens jam dictus vir, & super Beneventanos, & Francos fortiter se injecit, & (*k*) diruptis cuneis plurimos eorum interemit, nonnullos cepit, & crudeliter extinxit. Garardus vero Comes Majelpotus, & Guandelpertus supradicti viri eadem in acie tunc occubuere. Qua de re (*l*) audaciam ex illo die (*m*) potiorem sumens, Beneventum, ejusque confinia funditus delevit; ita ut nullus locus, præter urbes præcipuas, illius efferitatem evaderet. Quibus diebus & Castrum (*n*) Benafranum cepit, & Cœnobium S. Vincentii Martyris deprædavit; & ædificiis non combustis tria millia (*o*) aureos accepit. Hoc facto, & a Vicario B. Benedicti totidem nummos accepit.

XXX. Mortuo denique Pandone, Landulfus Episcopus solus superstes remansit; qui Pandonulfum nepotem suum, vice patris sui Pandonis, Comitem in Capuam constituit; qui vulneratus (*p*) ex prælio, quo genitor occubuerat, semivivus evaserat. Hic autem in familiaritate sua habebat (*q*) Dauferium cognatum (*r*) Majonis. Cujus versutias metuens Landulfus Præsul, monuit Pandonulfum, ut dato ei adjutorio, alibi eum ad commanendum destinaret; qui nolens ejus consilio acquiescere, clam egressi tres germani (*s*) ex urbe, Polensiam cum eodem Dauferio Castellum invasere. Nam Pandonulfus Suessulam, Landulfus autem Casamirtam, Landonulfus (*t*) Gajaziæ ab illius genitore Castrum jamdudum quassatum, intraverunt, & cœperunt deprædare omnia in circuitu. Quos Landulfus ingenio decepit, simulque Guaiferium, & Adelgisum Principes delusit, nec non & Landonis filios, nepotes suos, quos jampridem extorres fecerat a solo proprio, dolo evocavit, fratrumque suorum confinia (*u*) deprædari, fecitque succendi. Dumque quotidie Capuæ (*x*) ruina excresceret, hortatus est idem vir filios (*y*) Pandonis * cum filios Landonis, nexo fœdere, utrique urbem introirent ad commanendum. At illi ex adverso in unum coeuntes, sacramento juncti sunt, adieruntque urbem, quos statim prædictus vir arte sua fefellit, & perjurare fecit, illisque divisis, mentitus est. Pro qua causa etiam Pandonulfus ad Imperialem celsitudinem misit Epistolas, ac jussionibus (*z*) ablatis in urbe memorata non est ingressus, quousque veniret (*aa*) Lodoguicus piissimus Augustus a multis per varia tempora invitatus.

XXXI. Fuit autem idem Landulfus (*bb*), ut pollicitus inseram ex natura prudens, sed ex consuetudine callidus lubricus (*cc*) nimium, & petulans, ambitiosior omni homine & elatus supra quam credi potest; Monachorum quoque infestator, & prædo. De quibus in Tribunali tumidus sedens solitus erat dicere circumstantibus: Quotiens Monachum visu cerno, semper mihi futura dies auspicia tristia subministrat. Justo valde Dei judicio, ut ab eis incommoda toleraret, quos veluti nefandissimos hostes exercebat, & persequebatur; a quibus etiam in futuro torquendus erat. Principis quoque sui derisor, & perjurus, nepotumque suorum perosor; quippe qui neminem dilexit, præter suæ carnis incentiva, pacem nunquam, nec in die obitus sui, amplexatus est, sic ubi fœdera facta sensit, totus (*dd*) se strenue injiciens, zizaniorum semina sevit. Quod si cui incredibile videtur animadvertat quot vicibus Guaiferium fefellit, cui (*ee*) prætor juravit, ipsumque ipse sibi Principem constituit. Multo enim libentius cupiebat captivari animas hominum innocentium, quam vel (*ff*) parem eum habere, non dico Seniorem: contra Apostoli præceptum agens, qui ait, Subditi estote omni Ditioni propter Deum, sive Regi, tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis. Et alibi. Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt, itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. His igitur postpositis, Ecclesiastica dogmata juraque Episcopalia contempsit; (*gg*) semiviros solummodo dilexit, eosque cunctis prætulit implevitque nihilominus Prophetiam Isaiæ. Effæminati dominabuntur eis. Hujus ego facta viri (*hh*) minutatim explicare si voluero, facilius, ut reor, tempus absumetur, quam fandi sermo terminetur. Tamen si quis medullitus nosse desiderat, versus a memet constructos requirat. Ante diem vero exitus sui Capuam trium fratrum suorum filiis ita divisit, ut omni tempore inter

(*a*) *primus occ.* (*b*) *Sedoan vocatur ab Adelgisio, nequiss.* (*c*) *Hismaelitar. t. t.* (*d*) *viam, qua ven. repetebat.* (*e*) *coarctatus.* (*f*) *confirmaret.* (*g*) *Marelpotus.* (*h*) *ut obviant. eid. Seodam c. d.* (*i*) *arvium tellure.* (*k*) *devictis c.* (*l*) *Seodam audac.* (*m*) *potissime s.* (*n*) *Venafran.* (*o*) *aureorum.* (*p*) *in prælio, in quo g.* (*q*) *Daiferium.* (*r*) *suum Majonis versut. metuens. Land.* (*s*) *ex urbe Potentia cum eod. Daifer.* (*t*) *Cajacciæ Castrum ab ill. gen. jam d. q.* (*u*) *deprædari fecit, atque succ.* (*x*) *in Curia dolos exerceret, hort. est..* (*y*) *Pandonis eum .·. .·. .·. .·. .·. filii Pandonis nexo fœd. utr. urb. introierunt.* (*z*) *Abbatis in urbem memoratam.* (*aa*) *Ludovicus.* (*bb*) *Episcopus ex nat. pr.* (*cc*) *nimirum & p.* (*dd*) *contremuit, diligens zizan. semina. Q. s.* (*ee*) *pacem juraverat, ips.* (*ff*) *pacem cum eis habere non dico sermonem, contr. A.* (*gg*) *Eunuchos sol. d.* (*hh*) *minutim.*

eos gladius rixæ nunquam omnimodo abesset; (a) & fateor si quis corde non percepit, oculis videat.

XXXII. Invitatus itaque Lodoguicus Cæsar, ut prædixi, in commune a Beneventanis, Capuanis, cunctisque (b) comarchanis ad tuitionem perditæ patriæ (a Guaiferio minime hæc, quia eum Lodoguicus pro Ademarii captione execrabatur) Beneventi fines per (c) Suram ingreditur, atque (d) pius Monasterio Benedicti Beati applicuit; quo ad eum Legati de diversis urbibus venerunt, inter quos Landulfus jam dictus, & nepotes sui ex diverso venerunt. Susceptis igitur Augustis, hoc est, (e) vir & conjux a Berthario venerabili Abbate officiosissime, Landulfus ad solitam vergens fallaciam, Capuanos (f) quos Cæsari præsentaverat, fugere compulit; ipse solus cum eo remansit, quasi satis faciens se nil culpabile penes eum gessisse. Prædictus itaque Augustus Landulfum tunc pro nihilo ducens, Capuam adiit, obsessamque (g) tribus hinc inde mensibus funditus circumcirca delevit; & cum (h) civibus illius (i) quodcumque Placitum dare nollet, Lamberto Comiti illius se tradiderunt; putantes se facere rectius, pessime corruerunt. Vnde postea pro nihilo ducti, omni fere mense diversis Judicibus dabantur in prædam. Hoc quoque ita (k) pacto, a Guaiferio omni sine sponsione prius Salernum, & sic demum ab Adelgiso Beneventum exceptus est.

XXXIII. Sequenti autem anno multis fultus auxiliatoribus Barim perrexit, atque eum sæpedicto (l) Saudagne Augustalis exercitus pugnam commisit, a quibus & superatus aufugit, amissa non modica parte bellatorum. Dehinc omnia eorum circumquaque sata comburens, Materam adiit, quam & sine mora igne cepit. Tunc venit Venusiam, castramentatusque in ea, cœpitque renovare; & Barim hinc, & inde graviter expugnans, demolitus est; positoque præsidio pugnatorum in Canusia, vicissim eos cornibus ventilabat. Quo terrore perculsi multi, ad Augustalem confugientes clementiam, dari sibi petebant dexteras; quibus tunc solitam misericordiam (m) denegat. Post hæc itum est ad (n) Oeriam urbem; sicque itidem reversus est Beneventum; atque annitente sibi dextera superna, cum jam ad extremitatem maximam pervenissent (o) Saraceni, misso exercitu Barim cepit, capto in (p) ea Saugdan effero Rege cum aliis nonnullis satellitibus suis; deinde Tarentum obsideri jussit.

XXXIV. Quibus ita patratis, ut superius promissa ponam, videns Diabolus suos eliminari, Christoque universa (q) restaurari, principia recolens, & damna inferni dolens, suo instinctu cœperunt Galli graviter Beneventanos persequi, ac crudeliter vexare; qua de re & Adelgisus Princeps (r) adversus Lodoguicum Augustum erectus cum suis, Beneventi infra mœnia degentem, ac secure quiescentem (s) astu doloso sanctissimum virum, salvatorem scilicet Beneventanæ Provinciæ, cepit, & custodiis mancipavit; bona ejus diripiens, ditatus est, cunctosque viros (t) exercitales expoliavit, & fugere compulit, & ex bonis eorum onustatus est; impletusque est sermo Domini ex Prophetia scriptus. Percute, inquit, pastorem, & dispergentur oves gregis. Consistente itaque Augusto in custodia, excitavit Deus spiritum Ismaelitum, eosque ab Africa regione protinus (u) evexit, ut ulciscerentur Augusti opprobrium, sicuti Filii Dei passionem Vespasianus, & Titus ulti sunt. Sed defensio Dei (x) dilata est in annos XLII. juxta Prophetiam Elisæi, qui XLII. pueros, a quibus illusus est, duobus Vrsis dedit in comestionem; hujus autem contemptum nec in XL. distulit dies; ex quo datur intelligi, qualis quantusve vir iste fuerit, qui tam cito defensus est.

XXXV. (y) A solo autem Domino jubente, Cæsar insciens, statim Saraceni Salernum applicuerunt quasi XXX. millia; quam graviter obsidentes, hinc & inde cuncta forinsecus stirpitus deleverunt, occisis in ea innumerabilibus colonis, & depopulati sunt ex parte Neapolim, Beneventum, & Capuam. Quo tempore ambo Lamberti Comites Augusti furorem metuentes Beneventum (z) recesserunt, & ab Adelgiso honorifice suscepti sunt; quorum auxilio fretus, super Saracenorum (aa) scaram irruit, & viriliter stravit, occisis ex eis pæne tribus millibus viris. Quibus etiam diebus Capuani juxta Suessulam mille ex eis peremerunt. Cumque in hac obsidione prope terminaretur annus, misso exercitu jam dictus Augustus per suggestionem Landulfi Præsulis (hoc enim solummodo memorabile bonum gessit a die ortus sui) perdidit ex profanis in Capua ferme novem millia viros. Post hæc per semetipsum dignatus est advenire Capuam; cujus adventu cognito Saraceni, Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamque intra se divisam reperientes, funditus (bb) depopularunt, ita ut deserta sit, velut in diluvio. Prius enim quam fugam arriperet nefanda gens, hujusmodi signum de Cœlo Deus multis ostendit: faculam igneam (cc) per maximam præpete cursu in medio navium jecit, quam mox secuta est tempestas, quæ

(a) *ut facta ejus, si quis ex cord. n. percipit, o. v.* (b) *comarchanis.* Caracciolus hanc vocem omittit. (c) *Soram ingr.* (d) *prius m.* (e) *viro & conjuge a Berth.* (f) *Proceres, quos Cæs.* (g) *funditus hinc inde circumc. delev.* (h) *cives ill.* (i) *quodcumque Plac. d. noll.* Hæc apud Caracciolum non leguntur. (k) *facto a. G.* (l) *Seodam Aug.* (m) *præbebat. Postb.* (n) *Oriam.* (o) *omnia, Sarracenorum fugato exercitu, Bar. c.* (p) *eo Seodam eff. R.* (q) *instaurari principia, recolens & d. inferni, agere studuit sua nequitia. Cœperunt ergo Galli gr. B.* (r) *aggressus Luodov. Augustum, cum suis Beneventi intra m.* (s) *actu dolos.* (t) *ejus primates expol.* (u) *erexit.* (x) *dilatata est in anno scilicet XLII.* (y) *Jubente ergo Domino, Cæsaris ultore, statim Sarrac.* (z) *accesserunt, & ab A.* (aa) *turbas irruit.* (bb) *depopulati sunt.* (cc) *quæ maxime celeri curs. in medium navium decidit, q. m.*

cunctas

cunctas Liburnas frustatim dirupit. Guaiferius vero pro sua obsessione primum Petrum cognatum suum, & Guaimarium filium suum Legatos ad jam fatum Augustum misit, quos ille consilio Landulfi retinuit, & exilio destinavit. Hujus etiam postea duos filios obsides suscepit, (a) & Langobardiam misit.

XXXVI. Per idem tempus jam dictus Cæsar Landulfum in familiaritatem alliciens, tertium in Regno suo constituit. Qua (b) electione indeptus, Archiepiscopatum totius Beneventi omni aviditate, & ut Capua Metropolis fieret, quæsivit; sed non Domino sinente ad perfectum minime pervenit. Lodoguicus autem volens Beneventum acquirere, sed minime valuit, ad (c) propria recessit conjugem, natamque suam Capuam relinquens. Qua occasione reperta, idem Landulfus Guaiferium Principem, cui noviter juraverat, (d) opprehendi fecit, & in (e) custodia detrudi; sed quia non ea (f) contigit illis, quæ putabat, dimissus est, & filios Landonis, Landonem scilicet, & * Landulfum cognatos suos, pro se obsides dedit, quos secum remeans (g) Augusta detulit, & Ravennam exilio reliquit. (h) Proles autem ipsius Augustæ Capuæ remansit; illaque abeunte, non multum post genitor illius divæ memoriæ Lodoguicus diem clausit extremum, sicque filii Guaiferii, & Landonis absoluti sunt. Qui dum ad proprium solum repedassent, filios (i) Pandonis extra urbem suam exules invenerunt, sociatique sunt illis; quorum nexionem Landulfus ut intellexit, doluit: Guaiferium Principem mox evocavit ad solatium suum; qui sine mora veniens, utrosque fratres subdidit famulatui illius.

XXXVII. Cur autem jam dicto Augusto supradictum opprobrium, Domino permittente, Beneventani inferre (k) quiverunt, de multis duo inferam. Primum quia veniens quodam tempore Romam, ut duos Episcopos condemnatos ad pristinam reduceret dignitatem; & dum nollet ei consentire Nicolaus Papa, vir Domino plenus, secundum antiquum morem obviam ei (l) venit candidatum Sacerdotale agmen; & ille, spreto timore (m) Dei, fustibus Clerum cædi fecit: cruces vero, omniaque sacra ministeria pedibus calcari, (n) Romamque pæne milliari spatio deprædatus est, Vicariumque Petri Beati quasi vile mancipium, ab officio sui ministerii, nisi Dominus restitisset, privare voluit. Secundum, quia (o) capta Bari, & Saugdan omnium hominum flagitiosissimo, non juxta voluntatem Domini eum protinus, ut dignum erat, crudeliter interfici fecerit: oblitus videlicet quid Samuel coram Saule de Agath pinguissimo Rege Amalechitarum egerit, quomodo eum in frusta discerpi fecerit. Quemadmodum etiam quidam Propheta Samariæ Regi de quodam scelerato viro dixerit. Quia dimisisti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius.

XXXIIX. (p) Dimisso igitur Adelgis Lodoguico Cæsare thesaurum omnem retinuit, & (q) Saugdan, & Annosum, nec non & (r) Abadelbachi. Reparatis etenim viribus Saraceni (s) in Tarento, quo pæne captos reliquerat Augustus, cœperunt pedetentim Barim, & Cannense territorium deprædari: quibus ter occurrit Adelgis in finibus Apuliæ. Quibus nihil prævalens, (t) invictor ille, & intriumphator abscessit. Quo etiam tempore (u) Atmagnus, quia Saugdan exul fuerat ab Africa cum Annoso, veniens, Tarentum intravit, & Rex effectus est; egressusque, Beneventum graviter deprædavit, & Telesam, & Alipham: tantamque victoriam adeptus est, ut (x) Saugdanem jam sæpe dictum in potestatem ab Adelgiso recolligeret. Nam annosum & Abadelbach ante Apocrisarios illi miserat. Hoc audientes qui Bari residebant, Gregorium Bajulum Imperialem Græcorum, qui tunc (y) in Odronto degebat, cum multis exercitibus adsciverunt, & Barim introduxerunt ob Saracenorum metum. Qui statim apprehensum (z) Ganft, illiusque Primores Constantinopolim misit, ut quibus (aa) jure jurando fidem dederat.

XXXIX. Interea ipsi Græci crebrius Legatos (bb) cum fœdis Benevento, Salerno, & Capua dirigebant, ut ab his auxiliarentur contra Saracenos. Sed in uno animo eorum spernebant flagitationes. Tunc Salernum, Neapolis, Gajeta, & Amalphis pacem habentes cum Saracenis, navalibus Romam graviter angustiabant depopulationibus; Sed cum Carolus filius Judittæ sceptrum insigne Romam suscepisset, Lambertum Ducem, & Guidonem germanum illius, Joannis Papæ in adjutorium dedit, (cc) cum quibus Capuam, & Neapolim profectus est, & Guaiferius (dd) in cunctis contendens, fædus dirupit, & multos ex eis peremit. Sergius vero Magister Militum consilio Adelgisi, & Lamberti deceptus, noluit se ab illis alienare; qui statim (ee) anathematizatus est, & cum Guaiferio belligerare cæpit; unde contigit, ut

(a) *& Langobardiam misit.* Hæc verba apud Caracciolum frustra quæres. (b) *elatione erectus, Arch.* Loc. corruptus, ipso Caracc. fatente.
(c) *propriam.* (d) *apprehendi f.* (e) *custodiam.* (f) *contigerunt, q. putabat.* (g) *Augustus d. & Ravennæ in ex. r.* (h) *Plebs a. ips. Augusti C.* (i) *Landonis.* (k) *quiverint.*
(l) *candidatum agm. sacerd. misit.* (m) *Dei.* Caracc. hanc vocem omittit. (n) *Romaque pene milliari spat. deprædata est,* (o) *capto Bari, Seodam om. h. flagitiosissimus, n. j. v. D. interfectus est crudeliter, ut dignum erat, ut fecit Samuel Agag Amalechitarum Regi, quem in frusta discerpsit: Q. e. q. Proph.* (p) *Remisso ig.* (q) *Sedoam.*
(r) *Adelchi:* (s) *In Tarento, q. p. c. r. Aug.* Caracc. hæc omittit. (t) *invictus ille & triumphator abs.* (u) *Atmagnus - - ab Africa.* Apud Caracc. non leguntur. (x) *Seodam jam dictus potestatem sub Adelgisium habere peteret; Et ob id Annosum & Adadelbach antea aprocrisanos illi mis.*
(y) *Hydrunti deg.* (z) *Ganst.* (aa) *non occidendis jur. f. d.* (bb) *Beneventum, Salernum, & Capuam dirig. u. a.* (cc) *c. q. C. & Neap. p. est.* Hæc a Caracc. editione absunt.
(dd) *in eos cont.*
(ee) *a Papa anath.*

ipse octavo die anathematis XXII. (*a*) Neapolites milites apprehensos decollari fecit: sic enim monuerat Papa. Quo etiam anathemate mulctatus idem Sergius, non multo post a proprio germano captus est, & Romam mittitur suffossis oculis, ibique miserabiliter vitam finivit. Ipse autem frater ejus in loco illius se ipsum Principem instituit: Adelgis vero dum Castrum (*b*) Trebentense obsidens caperet, ad propriam remeans urbem, a suis (*c*) generis, nepotibus, & amicis extinctus est, & in loco ejus Gaideris filius Radelgari nepos extincti (*d*) ordinatus est, ejectusque est Cailio & Duiferius generi illius. Hic etiam principare voluit, cujus cupiditate socerum suum peremit. (*e*) Hic quoque susceptus est ab Athanasio Episcopo, & Magistro Militum.

XL. His quoque diebus Landulfus jam fatus Præsul percussus interiit: qua die suæ correctionis ab omnibus Presbyteris Sancti Benedicti (*f*) Cavallos expectabat, ut in Barathrum non absque equis rueret. Videntes autem nepotes illius depositionem, in unum (*g*) collati diviserunt inter se sub jurejurando Capuam æqua distributione. Pandonulfus urbem Teanensem, & (*h*) Casamirtam; Lando (*i*) Berelais, & Suessam; alter Lando (*k*) Galinium, & Cajaziæ. Atenulfus cœpit ædificare Castrum in Calvo; Landulfum autem adolescentulum Landonis filium (*l*) alii sacramento, nonnulli assensu unanimiter Pontificem constituerunt. Sed, segnitie proprii genitoris, qua naturaliter (*m*) torpet, detentus, non est mox sacratus: (*n*) sacramentum autem fraternum non diu extitit illæsum; nam a IV. Idus Martii usque ad (*o*) VII Idus Madii vix perduravit. Cupiditate etenim extorti filii Pandonis Landonulfum, & Atenulfum fratres suos, filios videlicet Landonulfi senioris, dolo ceperunt, & custodiæ indiderunt, (*p*) rapto ab eis Cajaziæ Castro quod eis sacramento sponte ipsi in sorte concesserunt.

XLI. Sed ut cœpta breviter prosequar filii Landonulfi juncti cum filiis Landonis ad auxilium Guaiferii Principis se contulerunt: a quo aliquando (*q*) & tutati sunt. Similiter Pandonulfus ad eundem Guaiferium Legatos cum chirographis variis misit: sed ab eo minime receptus est, favens supradictis fratribus. Cernens autem prædictus vir (*r*) omnino se destitutum, Guaderisum Principem, & Gregorium Augustorum Bajulum, qui tunc cum dicto Guaiferio Nolam ad colloquendum in unum convenerant, ad Beneventum properanter Legatis invitabat, ut quivis primum veniret eum ad adjuvandum, & esset illi subditus. Quibus ex diverso sine mora per Cajaziam, Sicopolimque adventantibus, ab occasu juxta urbem Capuanam (*s*) resederunt. Guaiferius autem e contra ab ortu Solis adveniens (*t*) Berelais, hoc est Amphitheatrum, applicuit cum suis, & vallata est civitas hostibus.

XLII. Inter hæc Pandonulfus renuit subdi Gaideriso, sicut promiserat, renitente maxime Landone filio Landonulfi, cognato ejusdem Gaideris. Qua de re & dictus Bajulus, & idem Gaideris alienati sunt ab eo. Mox alii per urbem Capuanam, (*u*) nonnulli lintris fluvium transierunt partem ad alteram, & Guaiferio sociati sunt: atque recollectis Landonulfo, & Atenulfo, fratribus (*x*) junctis, volentes Pandonulfum subdere Guaiferio, sed non (*y*) quiverunt; eo quod nolebat (*z*) fratrueles suos recipere intra urbem, idcirco a Guaiferio respuebatur. Agnoscentes autem supradicti viri versutias Pandonulfi, reversi sunt ad propria. Guaiferius autem tunc remansit in urbe Capua. Hac quippe tempestate pæne omnes Capuani Illustres, & omne vulgus cum uxoribus, & (*aa*) liberis, omninoque cum omni supellectili urbe egredientes, alii filiis Landonis, nonnulli autem ex eis, filiis Landonulfi adhæserunt, factaque est inter eos valida concertatio, & pessima desolatio; nam Guaiferius hostiliter juxta murum urbis residens, obsidebat (*bb*) eam; ultra fluvium vero cum Francis Lamberti Comitis Landonem constituit.

XLIII. Alio quoque anno superveniens jam fatus Guaiferius Princeps cum (*cc*) Amelphitanis tempore messionis, & obsedit dictam urbem undique; factaque pace inter se fratres sub sacramento, ita dumtaxat: Ut neuter eorum triticum de agris prius recolligeret in (*dd*) urbibus suis, quam ab Apostolica auctoritate anathema mitteretur super eos. Ut ingressis dictam urbem nullus eorum super alios auderet insurgere. Guaiferio igitur (*ee*) reverso ad solum proprium, illico Pandonulfus sacramenti oblitus perjurus effectus est; nam Romam, ut spoponderat, minime (*ff*) missos destinavit, & contra animam suam agens, triticum omne recepit, quem statim ultio divina subsecuta est, nam cælitus ignis demissus est, & pæne (*gg*) mediam funditus consumpsit memoratam civitatem.

XLIV. Per idem tempus Athanasius Præsul (*hh*) Neapolis Magister Militum præerat, qui, ut præmisimus, exulato fratre proprio, cum Saracenis pacem iniens, ac primum infra Portum æquoreum, & urbis murum collocans (*ii*), omnem terram Beneventam, simulque Romanam, nec non partem Spoletii diruentes, cun-

(*a*) *milites Neapolitanos ap. d. fecerint.* (*b*) *Tribetense obsessum cap.* (*c*) *generis.* Car. omittit. (*d*) *Princeps Beneventi ord. e. electusque est Bailus Daif. gener. illius.* (*e*) *Hic q. susc. e. a. A. E. & M. Mil.* Hæc in Caracc. editione non leguntur. (*f*) *caballos exp.* (*g*) *collecti d.* (*h*) *Casertam.* (*i*) *Berrealis.* (*k*) *Calenum & Cajatiam. Adenolfus c.* (*l*) *, Clericorum, sacerdotumque nonnullorum assensu, un. P. c.* (*m*) *torpebat, retentus,* (*n*) *sacramentum a. fr.* (*o*) *XII. Idus Maii v. p.* (*p*) *capto a. e.* (*q*) *evocati sunt.*

(*r*) *omnino s. d. ad Guaiderisium P.* (*s*) *consederunt.* (*t*) *Berelasis* (i. *Virilassi*, ut Carac. ad h. l. observat.) *h. e. ad Amphith.* (*u*) *nonnullis l.* (*x*) *junctim, voluerunt.* (*y*) *valuerunt,* (*z*) *patrueles.* (*aa*) *liberis omnibus, & cum o. s.* (*bb*) *eum; ult.* (*cc*) *Amalphitanis.* (*dd*) *urbes suas, quam instante Pandenolfo, Apostol. auct.* (*ee*) *reverso ad s.*
(*ff*) *missum.* (*gg*) *mediam.* Hæc vox apud Caracciolum non legitur.
(*hh*) *Neapoli.* (*ii*) *fecit, ut ii omn. t. Beneventanam.*

ctaque

ftaque Monasteria, & Ecclesias, omnesque Vrbes, & oppida, Vicos, Montes, & Colles, Insulasque (*a*) depredarunt. A quibus etiam cœnobia Sanctissimi Benedicti decentissima, toto orbe veneranda, S. Benedicti, & S. Vincentii Martyris Monasteria (*b*) igne exusta sunt; aliaque innumerabilia, excepta Suessula, quæ veraciter Christianorum fraude miserabiliter suffossa est. Huic igitur sociatus est Pandonulfus, cujus adminiculo fretus, (*c*) acri cœpit persequi fratrueles suos; ac primo tempore labores eorum hinc, & inde abstulit, atque cum Neapolitibus, Cajetanis, ac Saracenis unitus, biduo super castrum (*d*) Pilense irruens expugnavit, nihilque proficiens, inanis abscessit. Sequenti vero anno (*e*) generaliter motionem faciens cum suis, Neapolitibus, & Saracenis, super Colossum, quo filii Landonis degebant, insedit: prius tamen illos, qui (*f*) residebant in Termis juxta Arenam, pecuniata deposuit, & Capuam remisit; (*g*) illis vero, videlicet filiis Landonis in Amphitheatro circumseptis, pacem cessit, *accipiens* ab eis Liburiam sub sacramento. Qua etiam vice memoratus Pandonulfus denuo super Pilanum Castrum cum Neapolitibus, (*h*) improvisa irruens fraude, cepit, ab eis, qui interius ibi morabantur, traditum; ubi & ego captus sum, & omnibus bonis a pueritia acquisitis exutus: Ipse pedester ante equorum capita usque ad urbem Capuanam exul evectus sum X. Kal. Septembris anno Domini DCCCLXXXI.

XLV. (*i*) Pandonulfus autem confestim exercitaliter super Calvum profectus est, stipatus agmine Neapolitum; ibique munitionem extruens, residebat. Sed filii Landonulfi cum suis viriliter eis resistentes, subito idem recessit, a filiis Landonis jam pridem ablata Suessa, sacramento (*k*) eis olim largita. Sed, ut ad priora nunc calamum vertam, apprehensus Atenulfus a suprafato viro, Lando germanus ejus non segniter egit, nam mox Calvense Castrum (*l*), propter quod captus est idem Atenulfus, cum suis cœpit ædificare; pars autem nobilium parata erat ad prælium, & pars vulgi (*m*) vallis, & parietibus construebat, sicque consumatus est. Post biennium ferme (*n*) igne consumptum, ab eodem Landone reparatum est memoratum Castrum; quo abiens cum universis suis, & (*o*) casis datis per singulos concives oppidi de ministrio suo, & (*p*) vasis * humatis victualium, quoque & vinum, omnia vigilantia desudans, ad pristinum statum dictum oppidum erexit.

XLVI. (*q*) Et hoc in superiori parte non est prætereundum annectere; quod in principio rixæ cum idem Pandonulfus fratrueles suos (*r*) prosequebatur bestiali efferitate, Landulfum (*s*) Electum filium, Landonis, de quo supra mentionem fecimus, cui sedem S. Stephani Episcopalem ipse sub jurejurando tradiderat, a (*t*) Claustro Episcopii expellens, & humili loco, in cella scilicet Ministeriorum, degere constituit, & sibi in Zetula Episcopali mansionem exhiberi jussit: quod & factum est. Hoc cernens (*u*) fatus di Electus; metuens dicti viri versutiam, egressus ex urbe, Episcopalem ad Sedem propriam B. Protomartyris properavit, quo (*x*) possit quietam ducere vitam. Interea occasione reperta Landonulfum germanum suum conjugatum Clericum fecit, mittensque Romam Joanni Papæ, Episcopum fieri exposuit, in quo & exauditus est.

XLVII. Pro hac insania, & fraterna, civilique expugnatione nixius flagitati Berthar sagacissimus Abbas Monasterii supradicti Sanctissimi Benedicti, & Leo venerabilis Præsul Teanensis (*y*) Vrbem profecti sunt, adieruntque dictum Pontificem, obsecrantes eum suppliciter, ut tam grave (*z*) piaculum non ageret, unde ruina terræ, & sanguinis effusio procul dubio fieret; cui etiam dictus Abbas expresse inquit: Certe si hoc (*aa*) exercuerit tua Potestas, talem ignem illuc accendis ad te usque pertingentem. Prævalens tamen voluntas Pontificis Landonulfum Episcopum ordinavit. Hoc ideo factum est, quia Pandonulfus prius se subdiderat dicto Papæ, in cujus (*bb*) vocamine, & chartæ exaratæ & nummi figurati sunt. Juxta præscientiam dicti Abbatis talis itaque ignis exortus est, ut omnis Beneventana tellus; & ipsa Romana (*cc*) a Saracenis propemodum funditus depopulata sit. Pro qua causa dictus Papa bis venit Capuam; & primo dum resedisset juxta urbem in loco, qui (*dd*) Antenianus dicitur, omnes Langobardi hostiliter illum (*ee*) aderant; nam ex una parte Athanasius Episcopus cum Pandonulfo (*ff*) aderant: ex alia vero parte utrique fratrueles cum Gaiderifo, & Guaiferio Principibus habentibus Græcos, advenerant; & quotidie, præsente Papa, utræque acies in præcinctu (*gg*) prosiliebant. (*hh*) Qua oneratus intentione Landulfum pridem Electum consecravit Episcopum in Ecclesia B. Petri Ca-

(*a*) *diripuerunt. Qui etiam decentissima, totoque orb. v.* (*b*) *deprædati sunt & combusserunt, aliaque innum. præsertim Suessulam, q. v. C.* (*c*) *acrius persequebatur fratrueles s. ac fratruelas. Primo temp.* (*d*) *Pilinzæ irr. impugnavit.* (*e*) *generalem mot. f.* (*f*) *in terris residebant, super arenam, pecunia accepta, deposuit,* (*g*) *Filiis autem Land.* (*h*) *ex improviso irruens, fraude cepit, ab eis traditum, qui intus ibi morabantur, ubi & e. c.* (*i*) *Pandolfus a. conf. super Calvum projectus est, st.* (*k*) *eidem largita. Apprehensus autem fuit Adenolfus a supr. d. viro Landone. At german. ej. n. s.* (*l*) *invasit, propter q. c. est. Idem Adenolf. c. s. c. ædificare muros Castri: pars a. n. p.* (*m*) *vallis parietem const.* (*n*) *elapsum, ab eod. Land. rep. e. m. castr.* (*o*) *satis datis.* (*p*) *vasis humat. victualium quoque, & vini, omni vigil.* (*q*) *Non est autem prætereundum, quod in princ. rix., cum id,* (*r*) *persequebatur.* (*s*) *electum filium Landonis supradicti, cui sed. S. St.* (*t*) *Castro Ep. expellens in Cellula sac. Mysteriorum degere fecit: & sibi in Z.* (*u*) *dicto electus, metuens d. v. v.* (*x*) *posset.* (*y*) *ad urbem p. s.* (*z*) *periculum n. a.* (*aa*) *fecerit t. P. grandem ign. accendes ad t. u. p.* (*bb*) *nomine e. ch.* (*cc*) *ditio a Saracen. p. f. deleta sit.* (*dd*) *Antonianus.* (*ee*) *adeunt.* (*ff*) *aderat, ex altera v. p. utriusque fratruel. c. Gaiderisio & Guaimar. Princ. b. G.* (*gg*) *exiliebant.* (*hh*) *Quo circa Johannes Papa Landenolfum prid. Electum, conf. Ep. in Ecc. B. P. Cap. totumque Ep. i.*

puani, cunctumque Epiſcopatum inter ambos æqua portione dividi præcepit: Eccleſia vero, in qua conſecratio celebrata eſt, paulo poſt a Saracenis (*a*) a Pandonulfo advocatis, & ab Athanaſio miſſis igne media exuſta eſt.

XLIIX. Circa hæc tempora Guaiferius Princeps Monachus effectus eſt, languore depreſſus eſt gravi, diem clauſit extremum. Et quia ob incurſionem Iſmaelitarum corpus ejus ad Cœnobium B. Benedicti patris ferri non valuit, (*b*) Teanenſi Caſtro in Eccleſia humatum eſt, donec cælitus requie præſtita ad ſanctum locum (*c*) vehatur. Per idem tempus Iſerniam, & Sueſſulam uno menſe, Caſtrum etiam Bovianum eodem anno (*d*) capta, & combuſta ſunt. Quo tempore ſupradictus Gaideris (*e*) a Landone cognato ſuo alienatus, Pandonulfo ſociatus eſt, filiamque ipſius ſuo tradidit filio; ſed in proximo a Tribulibus dicti Landonis captus, (*f*) ac cuſtodia mancipatus eſt; ejusque in loco Radelgis filius Adelgiſi Princeps eſt conſtitutus; qui tribus vix annis imperans, a Beneventanis ejectus, & (*g*) Ajo frater ejus loco illius ſubrogatus eſt. Gaideris vero Franchis traditus in (*h*) cuſtodia, fuga lapſus, pervenit (*i*) urbem Barenſem qua morabantur Græci; a quibus miſſus eſt ad Vrbem Regiam Baſilio pio Auguſto, a quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus (*k*) Oeriam Vrbem accepit ad convivendum.

XLIX. Hac tempeſtate Pandonulfi (*l*) nimietatem non ferens Athanaſius, relinquens eum, filiis Landonulfi, & Landonis copulatus eſt in ſocietatem. His diebus idem Præſul (*m*) miſſis Apocriſariis Siciliam, Saracenis ad radicem montis Beſubii reſidentibus, (*n*) Suchaymum Regem expoſcit, illisque veniens præfecit. Sed juſto Dei judicio, primo omnium ſuper eum inſurgens, cœpit Neapolim graviter affligere, & devorare omnia (*o*) exterius ac puellas, equos; & arma vi expetere. Hoc turbine exactus, & ut Apoſtolicum Anathema, quo erat innodatus; a ſe, & urbe ſua expelleret, Guaimarium Principem omnesque Capuanos ex urbibus, & oppidis, cunctosque maritimos in ſuum adjutorium advocavit, & Saracenos ab eodem loco vi (*p*) pepulit: illi autem (*q*) abeuntes, Agropolim caſtrametati ſunt. Hoc facto, non multo poſt prædictus Præſul una cum filiis Landonis, & filiis Landonulfi ſuper Capuam Pandonulfum capturus advenit dictamque urbem hinc, & inde obſidens affligebat. Qua neceſſitate compulſus Pandonulfus Radelgiſum Principem, cognatumque ſuum in auxilium (*r*) invitavit. Is autem ſegnitie (*s*) ſepoſita, mox Ajonem germanum ſuum advocans in comitatu ſuo, Capuam, qua reſidebat expugnans, audacter ingreſſus eſt. Poſt hæc Ajo cum Beneventanis, & Capuanis egrediens, cum filiis Landonulfi Amalphitanos habentibus, certamen iniit, & aliquandiu pugnatum eſt juxta portam urbis; cumque neutra pars alteri cederet, utræque acies ad ſua reverſæ ſunt.

L. (*t*) Repedante itaque Radelgiſo ad propria, Athanaſius ad ſolita recurrens arma, ſimulavit univerſos fratrueles paciſci, cohortatusque eſt eos, ut dato ſacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur urbem communiter habitaturi. Sed Pandonulfus ab eodem Præſule ſacramentum accipiens, ne ullas contra eum moliretur inſidias, tunc omnes fratres in unum adunati Capuam adierunt, dato prius Amphitheatro eidem Athanaſio, & ille Guaiferio ad cohabitandum tradidit ad perpetuum Capuanorum jurgium. Cum vero adeſſent univerſi, ut diximus, omnes juraverunt, ut pacifici, & ſine ulla moleſtia dicti viri intrarent ad commorandum. Pandonulfus autem recepit eos ovans cum Clericis veſte (*u*) amictis candida, illi autem mox ingreſſi intro apprehenderunt Pandonulfum, & Landonulfum fratrem ejus, quem ſupra Epiſcopum deſcripſimus, cum omnibus conſentaneis, ſequacibus, & fautoribus eorum, & hi (*x*) duo miſſi Neapolim; poſt hæc, & uxores, filii, & filiæ miſſæ ſunt illuc.

LI. Inter hæc Saraceni totam ſupradictam terram crudeliter laniabant, ita ut deſolata terra cultoribus, (*y*) ſterpibus, & vepribus repleta fatiſcat. Guaiferius autem Coloſſo reſidens, ſuaſus ab Athanaſio, imo, & Athanaſius ab illo (*z*) coactus, bellum cœpit inferre dictis fratribus, atque cum Saracenis nimium eos affligebat, & acrius inſequebatur. Tunc nutu Dei; a quo omne procedit bonum quendam Agarenum ab Africa evocans, Regia de ſtirpe procreatum, Agropolim, inde (*aa*) Garelianum, in quo reſidebant agmina Iſmaelitica, miſit, atque omnium illorum (*bb*) mentes accendens, ejus hortatu univerſi Saraceni, tam de Gareliano quam de Agropoli communiter collecti, (*cc*) Calabriam, qua reſidebat Græcorum exercitus, ſuper Saracenos in Sancta Severina commorantes, properarunt; ubi & omnes Grajorum gladiis extincti ſunt. Dehinc Amanteum Caſtrum captum eſt deinde, & dictæ Beatæ Severinæ oppidum (*dd*) apprehenſum eſt.

LII. Baſilio Sereniſſimo Auguſto (*ee*) atque his diebus defuncto, duo filii ejus in Imperio ſunt electi; id eſt Leo primogenitus, & Alexander ſubſequens; tertius vero Stephanus nomine, Archiepiſcopatum ejusdem urbis (ejecto

(*a*) *per Pandenolſum vocatis,* (*b*) *in Eccleſia Theanenſis Caſtri humat. e. d.* (*c*) *deferretur.* (*d*) *capta Iſmaelitæ combuſſerunt.* (*e*) *Beneventi Princeps a Landona cognata ſua.* (*f*) *cuſtodiæ mancip. eſt.* (*g*) *Ayo.* (*h*) *cuſtodiam.* (*i*) *ad urbem Barenſ., in qua m. Gr.* (*k*) *Oriam.* (*l*) *feritatem.* (*m*) *miſſus Apocriſarius ad Sicil.* (*n*) *Sulthaimum.* (*o*) *exterius. Itaque ut Apoſtolic. Anath.* Verba ſc. *ac puellas, eq. & ar. v. e. H. t. exactus*, apud Caracciolum non leguntur.

(*p*) *repulit:* (*q*) *Apropoli caſtr. ſ.* (*r*) *incitavit.* (*s*) *depoſita, mox Ayonem g. ſ.* (*t*) *Redeunte.* (*u*) *amictus candida. Illi a. m.* (*x*) *omnes miſſi ſunt Neapolim.* (*y*) *ſpinis & vepr. repleretur. Guaif. aut. hæc videns, ſuaſ. ab Ath.* (*z*) *vocatus.* (*aa*) *ad Garelianum, in quo præſidebant, ad mœnia Iſmaelit.* (*bb*) *mentem accendens hortatu, univerſis Sarracenos t. d. G.* (*cc*) *in Calabriam, ubi reſid. Gr.* (*dd*) *obtentum eſt.* (*ee*) *his dieb. d.*

Photio,

Photio, qui olim a Nicolao (*a*) Primæ Sedis Pontifice ob invasionem Episcopatus Ignatii adhuc superstitis, perpetuo anathemate fuerat mulctatus, & a Joanne Papa, ut ita dicam, ignaro, (*b*) ad pristinum gradum (*c*) resuscitatus) regendum suscepit.

LIII. Interea Athanasius solita fraude cupiens supradictos fratres sequestrare ad invicem, (*d*) hinc Landoni seniori, filio videlicet Landonis singularis, præstantissimi viri, neptem suam adhuc lactentem in conjugium cessit; adhoc ut (*e*) fila feminarum illaquearent eum; adscitumque eum monuit serpentino ore, ut (*f*) confratrueles suos caperet, &, quod magis ambiebat occideret: scilicet ut inter se rixantes, aut omnino interirent, aut deficerent, & ille Capuam caperet. Et quoniam (*g*) Lando, licet segnitie, ac torpore naturaliter frueretur, immobilis, & constans persistebat, re inchoata, hoc advertens Athanasius doluit, & protinus consilium reperit sibi accommodatissimum tunc, sed non in longum perniciosius; competenti etenim festinatione inter ista Atenulfum adscivit, eique secretius insidit. Ex omni gente Langobardorum, Capuam (*h*) elegi mihi habilem; & e Capua gentem vestram; & ex omnibus fratribus tuis, te solummodo prætuli consentientem mihi, & in cunctis obtemperantem, virumque industrium: idcirco si meis verbis aures tuas accommodaveris, in cunctis prosperaveris. At ille cuncta se (*i*) patrare velle respondit imperata; cui ille. Cape (*k*) filios Landonis, & esto tu solus imperans (*l*) Capuam, sicut progenitor tuus singulariter imperasse dignoscitur. Ille vero hoc fratrum consilio distulit; qui reversus omnem venenosi Athanasii versutiam (*m*) propriis innuit fratribus. At illi obstupefacti signo se crucis (*n*) Christi munierunt, dicentes: Ante moriamur, aut exulemus, quam super fratres nostros juste, aut injuste insurgamus unquam: donec enim erit in manibus nostris, non insidiabimur sanguini nostro. Mox (*o*) etenim cuncti filii Landonulfi munierunt se horribili, & pæne inaudito sacramento cum filiis Landonis (*p*) clanculo sub gravi anathematis interdictione; statimque Atenulfus abiens, Athanasio retulit voluntatem fratrum suorum ratam fore fratruelibus suis, & in nullo penitus (*q*) amoveri. At ille dubius hoc accipiens, hostis factus est illis.

LIV. Eodem tempore Guaimarius supradictus Princeps, cum nimium affligeretur ab Athanasio Episcopo (*r*) cum Saracenis, essetque ex toto depopulata tellus ipsius, ita ut capi potuisset, nisi divina pietas restitisset, ad Græcorum se contulit suffragium, a quibus nobiliter est adjutus; nam & auro, & frumento adjutus est, & auxiliatoribus stipatus, qui custodirent urbem, & populum ejus, quod (*s*) hactenus servatur, ut dictum est. Ajo autem Princeps Beneventi, & ante Principatum, & postea, partim imbellicis partim (*t*) roboreus extitit.

LV. (*u*) Ut autem post tergum redeam, abeuntibus Saracenis Calabriam, illucque pereuntibus, Decivilis Dux Cajetæ Centum pæne quinquaginta ex eis secum retinuit, ut sine Sacerdotali (*x*) officio non remaneret: ad instar Judaicorum Regum, qui diviso inter se bifarie Regno, (*y*) ut fertur, (*z*) Levitæ ex maxima parte Hierosolymam; quo inerat Templum toto orbe authenticum, congregati sunt. De quo numero ex parte fati fere ad centum viginti Saraceni urbem Teanensem (*aa*) audenter adierunt, sicut prius agere (*bb*) conspexerant, quando quippe duo millia quingenti erant; super quos Lando, ceu Leo, audacter cum suis (*cc*) irruens, usq; ad ultimam internicionem (*dd*) protrivit eos, ita (*ee*) ut de tanto numero non amplius, quam quinque evaderent, (*ff*) cæteris interfectis, ni fallor, centum quindecim.

LVI. Athanasius autem cernens se (*gg*) delusum ab utrorumque responsionibus fratrum, tristior effectus est solito, sed ocyus invenit consilium habile sibi; missis siquidem Legatis trecentos Græcos suum in auxilium adscivit, Chasano (*hh*) eos præeunte. Tunc callide pace facta cum Capuanis, mox quando vindemia legitur, cum esset Capua valide afflicta, & a foris depopulata, omnes certatim (*ii*) egressi sunt, tam (*kk*) primores, quam & mediocres ad vindemiandum; ille vero; suggerente hoc vel maximo (*ll*) Guaiferio Colossense, ex abditis Græcos Neapolites, una cum Theatralibus viris, & deprædavit totam Capuam, apprehensis in ea multis, & præstantissimis viris, peculiisque non modicis. Ab illo igitur tempore omnia circumquaque (*mm*) devastans, Liburiam vindicabat sibi, nam & Saracenos Agropolitanos, quos

(*a*) *primo Sedis Pontificiæ ob inv.* (*b*) *ad pristinum gradum.* Hæc Caracc. omittit. (*c*) *restitutus.* (*d*) *Landoni juniori, filio ultimo Landonis, præst. vir.* (*e*) *vincula fœm.* (*f*) *fratrueles.* (*g*) *Lando segnitie torpebat, naturaliter immobilis stetit, & constans, Athanasius autem protinus cons. rep. accom. tunc, sed n. in long. bene successurum. Etenim festinanter Adenolfum asciv. eiq. secr. intulit; Ex. o. g.* (*h*) *incolentium, elegi te m. hab. & ex omn. fr. t.* (*i*) *patrare.* (*k*) *filium L.* (*l*) *Capuæ, ut Sico progenitor t. Capuæ sing. imperavit. Ill. v. hæc fr. consilia reservavit, quibus omn. venenos. Ath. versut. indicavit. At. ill.* (*m*) *indicavit. At ill. obst. s.* (*n*) *Christi.* Hæc vox apud Caracc. non legitur. (*o*) *itaque juncti fil. Land.* (*p*) *& vinculo gravis anathematis. Stat. A.* (*q*) *moveri.* (*r*) *juncto c. Sar.* (*s*) *etiam adhuc servatur, Ayo autem Princ. Ben.* (*t*) *robustus est.* (*u*) *Abeuntibus autem in Calabriam Sarracenis, illamque perdentibus, Docibilis Dux Cajet. c. p.* (*x*) *Sarracenorum off. n. r.* (*y*) *ut fertur.* Hæc Car. omittit. (*z*) *Levitas majori ex parte Hierosolymam, ubi templum erat toto orb. auth. congregaverunt. De horum itaque numero fere ad cent. v. S.* (*aa*) *audacter.* (*bb*) *tentaverant, quando plus quam quingenti erant. Sed super eas Lando, c.* (*cc*) *veniens.* (*dd*) *pertrivit e.* (*ee*) *ut non nisi quinque evaderent.* (*ff*) *cæteris -- quindecim.* Hæc apud Caracc. non leg. (*gg*) *derisum.* (*hh*) *Duce eos p.* (*ii*) *aggressi s.* (*kk*) *priores, q. etiam med.* (*ll*) *Guaiferio, sicque jam dicti Græci cum Neapolitanis atque theatralibus viris deprædati sunt totam Capuam,* (*mm*) *devastantes Liburiam vindicabant Tibinam; insuper Sarac. Agrop. qui nuper juxta rivulum Clarii non pr. a. Suessula consederant, clam evoc. & Cap. misit. Sed tunc egr. Cap.*

nuper de illius magnatibus, juxta rivulam Lanii non procul a Suessula, qua ille nefandum perpetraverat scelus, ferme ducentos peremerant viros, clam evocavit, & Capuam misit; ubi tunc egredientes Capuani valide restiterunt eis; (*a*) ob hoc & absque præda ad Castra repedarunt; Lando autem senior tunc apoplexia percussus interiit.

LVII. Dictus itaque vir prout mente conceperat novis, & inauditis machinis insurgebat adversus Capuanos, adeo ut tempore Quadragesimali cum omnis plebs Christicola, & præterita deflerent mala, & (*b*) poscit a Deo, ut flendæ minime committat, ipso mediante, festo Dominico, subsequente crepusculo, collectis Græcis Materensibus, Ægyptiis, & Neapolitibus, conscio Guaiferio Duce, prætereunte Chasano, urbem Capuanam tentavit invadere; atque ascensis murum ac si trecentis viris armatis diversorum generibus telorum; sed (*c*) omnes in Domino adjuvante, alii sponte ex eo desilierunt, (*d*) qui quidem cervice tenus imis jacti sunt, nonnulli vero gladio occubuerunt. De nostris unus solum (*e*) Onericus nomine, & ut fertur, a suis extinctus est. Bellum quippe (*f*) hoc narratum in muro arbiter judex non per belligerantes, & armipotentes egit viros, sed per quatuor impubes mirifice gessit ad laudem nominis sui. Ille autem confractis (*g*) itaque viribus, quod conceperat minime agere cessavit: nam & Salernum per Saracenos prius, & postea per Græcos multotiens capere molitus est, sed non est permissum a Domino.

LVIII. Eodem quoque tempore Guido filius Guidonis Senioris super Saracenos in Gariliano (*h*) castrametatos, ut retro redeam, hostiliter irruens, Castra eorum dirupta deprædavit, & (*i*) aliquantos eorum gladiis (*k*) interfecit; reliqui (*l*) montis per opaca, ut aqua, diffusi sunt. Is autem (*m*) Capuam appropians ultra (*n*) transvadavit, & ad Pontem, qui Theudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu; & ablato ex Liburia frumento; aliisque (*o*) victualiis, Capuani refocillati sunt, cum eodem Duce non sunt fœderati. Sed cum retroverteretur, urbemque transiret, metu coacti subdiderunt se illi: Ipso ad sua remeante (*p*) sæpefatus Athanasius viriliter contra eos, subitoque illis, adjutus auxilio Græcorum, omnia a foris, sataque quæque videbantur possidere a parte Capuæ, nec non & superius; illaque replicata sunt post reditum supradicti (*q*) Ducis per Chasanum. Multipliciter patrata sunt, quæ a me strictim sunt dicta.

LIX. Post hæc suggestum est eidem (*r*) Duci, ut veniret quantocyus, & liberaret confidentes ipsi: Sin autem (*s*) omnino perditionem subirent; qui mox veniens Capuam, Ajonem Principem a Benevento ad se venientem consilio Capuanorum cepit, & sub custodia Beneventum duci fecit, in quam introiens (*t*) ordinavit eam. Inde proficiscens, Sipontum ingressus (*u*) est: Ajonem foris reliquit in Castris. Cum autem cognovissent Sipontini Ajonem Seniorem suum captum, (*x*) supradictum Ducem, unanimiter irruentes clausere (*y*) in quodam Templo, captis ejus optimatibus. Hac, illacque tunc missum est, & (*z*) abductus est Ajo, redditusque est suis. Alio vero die sacramento dato, vix cum dedecore elapsus est.

LX. (*aa*) Dehinc Chasano Constantinopolim abeunte, quidam Stratigo Augustalis Joannem Candidatum, quem lingua Pelasgica (*bb*) Joannicio vocant, cum trecentis belligeratoribus direxit Athanasio Episcopo, cum quo idem vir Capuam hinc, & inde prædavit; atque ob (*cc*) perfidiam istorum Pandonulfum ex vinculis ereptum, libertati restituit, (*dd*) & a Magiperto receptus est Suessam, (*ee*) qui junctus est Græcis, atque universa animalia Capuæ (*ff*) ablata sunt. Qua de re (*gg*) Lando filius Landonulfi, & (*hh*) Landonulfus Episcopus adierunt dictum ducem in (*ii*) Spoletum, ab eo petentes auxilium. (*kk*) Landonulfus Episcopus a Spoletio reversus est: Lando autem cum eodem Duce per Sipontum Capuam advenit; qui per (*ll*) aliquos dies (*mm*) Atellæ residens, Capuam frumento implevit. Accepto nuncio, repente Romam profectus est, (*nn*) Capuanos relinquens in manibus dicti (*oo*) Præsulis. Is autem statim super Sanctum Heremum Græcos & Neapolites dixerit, quem diu obsidentes, eos qui in sublimius residebant, cepit, & deinde Capuam ex utraque parte graviter (*pp*) affligebant, ita ut quasi obsessa videretur; nam juxta Sicopolim Græci cum Neapolitibus, & Pandonulfo residentes omnia circumquaque stirpitus devorabant: unde contigit, ut octuaginta ex

(*a*) *ideoque absque præda ad castra repedaverunt.* (*b*) *a Deo posceret, ne flenda committeret, mediante festo Dominico, f. crep. coll. Græcis, pluribusque Aegyptis & Neapolitanis, Guaiferio Duce praeunte, urb. Capuanam tentaverit invadere, atque ascenderunt murum quasi trecenti viri armati diverf. g. t.* (*c*) *omnes in.* Apud Car. non legitur. (*d*) *quidam cervice tenus fracti sunt,* (*e*) *nomine Hunnericus.* (*f*) *narratum cælestis ille Arbiter, & judex non per bellicosos & arm. e. v.* (*g*) *licet virib. quod concupierat, m. a.* (*h*) *castrametatur, & hostiliter irr.* (*i*) *aliquot e. g.* (*k*) *peremit.* (*l*) *montium.* (*m*) *Capuam.* Carac. non habet. (*n*) *transvadit.* (*o*) *victualibus delatis ad Capuanos, reconciliati sunt cum eod. Duce Spoletano non desfæderati.* (*p*) *præliatus est sæpe contra eos viriliter præfatus Athanasius, adjut. aux. Gr.* (*q*) *Ducis, per Cassanum Ducem multipliciter patrat. f.* (*r*) *Spoletano Duci.* (*s*) *se omnino perditionem subituros.* (*t*) *multa, ut Dominus ordinavit. Cumque inde proficisc.* (*u*) *esset, Ayonem f. r.* (*x*) *in suprad.* (*y*) *illum in q. t.* (*z*) *adductus e. Ayo.*
(*aa*) *Deinde Cassano C. a.* (*bb*) *vocant Joannicium, c. t.* (*cc*) *vindicandam persid. aliquorum, Pandenolfum ex v. e.* (*dd*) *qui a Magisp.* (*ee*) *& junct.* (*ff*) *ab iis.* Caracc. addit. (*gg*) *Landolfus f.* (*hh*) *Landolfus Ep.* (*ii*) *Spoletio.* (*kk*) *Landolfus.* (*ll*) *aliquot.* (*mm*) *a bello residuos, Capuam fr. implevit, acceptoque n.* (*nn*) *Capuam r.* (*oo*) *Præsidis.* (*pp*) *affligebat.*

eis

eis (*a*) Calinium adhærentes, ſuper Teanum latenter irruperunt; quibus ex diverſo (*b*) Lando cum Teanenſibus, & Atenulfus cum aliquantis Capuanis occurrerunt juxta Sanctam Scholaſticam prope Caſtrum Teani, a quibus & victi ſunt.

LXI. Per idem tempus Monaſterium B. Benedicti a Saracenis prius dirutum anno Domini DCCCLXXXIIII. ab Angelario venerabili Abbate ceptum eſt reædificari anni Domini DCCCLXXXVI. menſe Auguſti. A quo reverſi, dum Capuam repeteremus, a Græcis capti, exutique ſumus, & exequitati; ablatisque equis, & ſpoliis, & miniſtris cunctis, homines argento redempti ſunt equos recollegimus quinque: Ego autem ſolus cum præceptore (*c*) pedeſtre remanſi; a Capuanis delati ſumus in (*d*) urbem; inde Neapolim pertranſeuntes, nihilque proficientes, infructuoſi remeavimus Capuam. Deinde tria plauſtra onerata (*e*) victualiis, multisque opulentiis juxta (*f*) Anglenam, quo prius capti ſumus nos, apprehenſa, & deprædata ſunt.

LXII. His (*g*) ita crudeliter geſtis, (*h*) Atenulfus Spoletium pergens, dato (*i*) pretio, (*k*) Suabilum Gaſtaldum Marſorum cum aliis ſociis Baſſis, quaſi ad trecentos armatos, ſecum (*l*) advexit; cum quibus & conſilium iniit, ut Gaſtaldatum Capuanum (*m*) illi firmarent; ſed ingredientes Capuam, cum hoc adimplere nequiſſent dicti Franci, reſiſtente, ac contradicente præcipue Landone germano ejus, quem dudum ipſe cum cæteris fratribus Gaſtaldum in his, quæ ad eos pertinebant, inſtituerat, ab eodem (*n*) Atenulfo abſoluti, via, qua venerant, repedarunt. Tunc dictus Atenulfus conſilio habito cum ſuis, (*o*) Sadi cognatum ſuum ad Athanaſium ſæpius dictum ſubdole miſit poſcens ab eo auxilium, ut adjuvaretur ſingulariter fieri Comes in Capua. Hæc audiens (*p*) gaviſus eſt, & ſpopondit ſe in omnibus (*q*) illum auxiliaturum. Cumque hoc a plurimis, (*r*) & maxime, terque, quaterque Landoni fuiſſet relatum, (*s*) illa ſolita ſegnitie, & torpore detentus parvipendens, pro nihilo ducebat hujusmodi nuncium.

LXIII. (*t*) Exin memoratus Lando febris ardore ſuccenſus, Teanum abiit curandus a languore, quo detinebatur. Atenulfus interim a recepta, nec (*u*) greſſum, neque mentem removit; ſed protinus (*x*) effectivus exiſtens parturire quod jamdudum corde conceperat (*y*) ob hoc Neapolim ire (*z*) anxiabat feſtinus. Hoc ergo cum ad aures Landonis perveniſſet, illico (*aa*) Alciſum, & Aldefridum Capuam miſit, ut dictum virum ſuo hortatu a cepto itinere (*bb*) deviarent, & adjecit: Ego autem Miſſa audita, & comeſtione finita, ſubſequar vos. Illi (*cc*) enim abeuntes fatum virum invenientes, retinere nequiverunt; erat autem dies Dominicus. Deinde Lando proficiſcens, eum minime reperit, jam enim abierat. Quo facto ſubſtinuit Lando reditum ejus, illique (*dd*) revertenti dixit Lando, & cæteri fratres. Quid egiſti (*ee*) illuc quo iſti? Quibus ille reſpondit verba bona verbaque conſolatoria, (*ff*) & deceptionibus plena. (*gg*) His auditis nimirum creduli acquieverunt, credentes ei. (*hh*) Proinde Lando advertens fraternum dolum, ſed (*ii*) ſomno ſopitus, & negligentia depreſſus non intelligens telum latens, quo jaculabatur, donec (*kk*) transfigerentur fibræ jecoris ejus, & Teanum rediit ſanandus, (*ll*) ad quem Landonulfus frater ſuus inviſere veniens Landonulfus ſolus in urbe relictus eſt.

LXIV. Cernens autem hæc Atenulfus, & videns ſibi tempus adeſſe congruum, prius ſimulavit (*mm*) ſe cum conjuge & liberis de civitate egredi, & (*nn*) Calvum, quaſi ad habitandum, adire. Inter (*oo*) iſta cum juvenulis, & pecunia ambitioſis paciſcens dato ſacramento, & (*pp*) promiſſis multis muneribus, diſrumpens jusjurandum, quod cum filiis Landonis ter juraverat, cum ſomni tempus adveniſſet Sabbato poſt Epiphaniam, hoc eſt, VII. Idus Januarii, advocatis ſodalibus ſuis ſuper filios Landonis (*qq*) irruit bellaturus. Filii autem Landonis non ſegniter ſe præparaverunt adverſus hujuscemodi conamen; ſed fugientibus eis, in quibus confidebant, concuſſi ſunt valide. Maxime ex hoc turbabantur, quia putabant, quod Lando cum omnibus germanis ſuis (*rr*) in hoc adeſſet diſcidio. Videntes autem hi, (*ss*) quod deſtituti eſſent ab omnibus, ceſſerunt Atenulfo, & egredientes noctu ex urbe, Teanum advenerunt, (*tt*) Landonulfus, Pando, & nepos eorum Guaiferius; clamantibus eis a tergo de civitate; Nolite ire Teanum, quia certiſſime capiemini. At illi (*uu*) Teanum propinquantes hæſitare cœperunt, ne forſan a Landone tenerentur adſtricti; nunciato itaque adventu ſuo officioſiſſime ſunt ſuſcepti.

(*a*) *Calenolum adeuntes, ſuper Theanum lat. irrumperent.* (*b*) *Lando cum.* Non legitur apud Car. (*c*) *pedeſter remanſi, ſicque a Capuan.* (*d*) *urbem Capuam.* (*e*) *victualibus.* (*f*) *Anglenum, ubi prius c. ſ.* (*g*) *itaque cr.* (*h*) *Adenolfus.* (*i*) *prævio juramento.* (*k*) *Suabilum, G.--- ſ. Baſſis.* Hæc apud Car. non leguntur. (*l*) *eduxit.* (*m*) *ſibi ſ.* (*n*) *Adenolfo.* (*o*) *Sadi.* Non habet Car. (*p*) *ille gav.* (*q*) *illi aux.* (*r*) *& maxime.* Apud Car. non legitur. (*s*) *ille ſol.* (*t*) *Et febris ardore ſucc. Theanum adiit, curand.* (*u*) *greſſum quidem removit, ſed pr.* (*x*) *exiſtimans parturire ſe poſſe, quod j. d.* (*y*) *ob hoc.* Omittit Car. (*z*) *feſtinabat anxie.* (*aa*) *Aldegiſum.* (*bb*) *deviaret.* (*cc*) *ergo abeuntes dictum virum retinere nequiverunt.* (*dd*) *recurrenti.* (*ee*) *illic, quo iviſti? Cui ille reſp. v.* (*ff*) *ſed dec.* (*gg*) *Illi tamen iis auditis, & nimium creduli acquieverunt ei credentes.* (*hh*) *Deinde L. non advertens fr. d.* (*ii*) *negligentiæ ſomno depreſſus, non int. t. l.* (*kk*) *transfigeretur, Theanum red. ſ.* (*ll*) *quem Land. fr. ejus inv. ven.* (*mm*) *cum conjug.* (*nn*) *Calinium q. ad h.* (*oo*) *iſtud, cum Juvenalis & pecunia paciſceretur, dato ſacr.* (*pp*) *præmiſſis m. m.* (*qq*) *irruit h. F. a. Landonis.* Apud Carac. hæc fruſtra quæres. (*rr*) *eſſet in hoc diſſidio.* (*ss*) *ſe deſtitutos eſſe ab omnibus, c.* (*tt*) *Landenolfo, Pandone, & nepote eorum Guaiferio clamitantibus eis poſt tergum. Nolite ire Thean.* (*uu*) *Theano appropinquantes exiſtimare cœperunt.*

LXV. Atenulfus (*a*) Gastaldum Capuanum singulariter suscipiens, continuo se Comitem appellari jussit; moxque filium suum Athanasio (*b*) obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, (*c*) Liburiam, & Capuam sub jurejurando illi concessit; Athanasius vero retinuit illius sobolem, quousque factum illi a Guidone Duce repromissum susciperet (*d*) dictus Atenulfus, acceptoque fœdere Gallico, reddidit illi filium, & custodita est pax inter utrumque anno uno, & mensibus tribus. (*e*) Per idem tempus missis legatis idem Atenulfus Romam Majone venerabili Abbate, & Dauferio Diacono ut subderetur Stephano pio Papæ, essetque illi proprius famulus; & promisit quoque ei reddere (*f*) Cajetanos (*g*) quos pridem callide ceperat, adjuvaretque eum contra Saracenos (*h*) Gareliano residentes. (*i*) Quæ postea cuncta oblitus, ex his, quæ promiserat nihil omnino adimplevit.

LXVI. His quoque diebus (*k*) Theophylactus Stratigo a Bari Teanum hostiliter advenit Hiemis tempore, Saracenos tentans (*l*) impugnare; nihilque proficiens, infructuosus abscessit; abiensque Neapolim, Marinum Gastaldum Castri Sanctæ Agathæ Ajoni rebellem (*m*) accepit, & Apuliam rediens, nonnullas munitiones ejusdem Ajonis vi apprehendit; unde occasione accepta, idem Ajo adversus (*n*) Augustale dominium rebellionis jurgium initiavit, quod suo in loco inseretur.

LXVII. Ante hoc sane tempus Guaimarius Princeps Constantinopolim ad Augustorum (*o*) vestigia confisus, abscessit; a quibus benigne susceptus est; (*p*) Patritius ab eis factus, cum honore ad propria remissus est. Cum autem adhuc illic moraretur, Athanasius dolorem conceptum in (*q*) opus, erumpens, Græcos Neapolites, seu omnes Capuanos generaliter movens, super (*r*) Abellanum misit Castrum, (*s*) quo tunc præerat Landulfus Suessulanus. Mox autem ut illic supervenit exercitus, fraude illorum, qui (*t*) intro erant, captum est, apprehenso in eo Landulfo, & filio ejus juniore, (*u*) nuruque illius, uxore videlicet Landonis, qui cum Guaimario profectus fuerat.

LXVIII. His ita decursis, suasus Lando ab Algegiso, aliisque Capuanis una cum Guaiferio in quandam tractoriam (*x*) plaustro vehentem intromissus, Capuanam urbem ingressus est, atque ad Episcopalem abiit Aulam; ubi pauci ex (*y*) vi congregati sunt, Atenulfo accelerante. Tunc commissum est prælium, mortuoque Valane, illustri viro, dissolutum est cor eorum, qui in parte Landonis erant, & cœperunt illum relinquere, & Atenulfo associari. Tunc, licet ficte, pacis osculum sibi mutuo fratres obtulerunt, quod in arca cordis minime retinebant. Lando autem post illa cum Guaiferio ad propria (*z*) remeantes, reliqui consentanei illorum capti sunt, & vinculis innexi. Inter quos & Landulfus Præsul captus est, & (*aa*) custodiæ trusus. Post non multum tempus per singulos dies omnes absoluti sunt.

LXIX. In diebus illis, quando Atenulfus (*bb*) Gastaldatus regendi jura adeptus est, omnia quæque Beatus Benedictus infra urbem Capuanam possedit, fratribus exulantibus auferri præcepit; qua de re missus (*cc*) ab Angelario venerabili Abbate, & (*dd*) Episcopo ego ipse vestigia Apostolorum adii Stephanum Summum Pontificem postulaturus pro rebus nostris ablatis, a quo & Benedictionem fratribus detuli & Privilegium nostri Cœnobii, & supradicto viro literas exhortatorias attuli: (*ee*) dominicalis res ablata reddita est, mente autem ex toto (*ff*) subtracta, in proximo etiam Cellam mihi ab abbate traditam, concepto dolore, vi abstulit.

LXX. Interea cum Atenulfus jam memoratus Capuanos cepisset, advertens Athanasius Capuam fortiter concussam, cœpit occasionem quærere adversus Atenulfum, & obsides ab (*gg*) eo, seu & pacem innovare decurrentibus inter alterutros missis. Majo supradictus Abbas, & (*hh*) Ausencius Neapolim profecti sunt, quos Athanasius ad Amphitheatrum ire (*ii*) præcepit, simulque Atenulfum (*kk*) illuc adesse voluit, quatenus firmato fœdere una cum Guaiferio Consule filium suum cum aliquantis (*ll*) e Capua obsidem mitteret. Hoc autem faciens, insidias tetendit latenter cum Græcis, & suis ad capiendum (*mm*) suos. Sed (*nn*) quia, ut conjicitur, adhuc non erat completa malitia, quæ post paululum divinitus punita est, facta est morula; sed Atenulfus & filium suum infra urbem clausit, (*oo*) supradictos viros misit (*pp*) Arenam, egressusque statim Græcorum cuneus supradictos apprehendit viros (*qq*) cum aliis, & deprædavit totam Capuam graviter; moxque sine dilatione cunctum equitatum & pedestrem exercitum mittens, omnia sata Capuæ succidi exterminarique fecit funditus.

LXXI. Præsciens autem Deus dicti viri malitiam, & volens præstare Capuanis misericordiam in tam crudeli, (*rr*) impiaque persecutione,

(*a*) *Gastaldatum.* (*b*) *obsidenti d.* (*c*) *& Libur.* (*d*) *dictusque Athanasius accepto fœdere Gall.* (*e*) *Misitque idem Adenolfus Romam Mayonem Venerabilem Abbatem & Dauferium Diaconum, ut suaderent Stephano Papæ, quod ipse foret illi propr. fam.* (*f*) *Cajetam.* (*g*) *quos p. c. cep.* Apud Car. non leguntur. (*h*) *in Gariliano res.* (*i*) *Qui postea cunctorum oblitus.* (*k*) *Theophilatus Str.* (*l*) *in pugnis.* (*m*) *secum acc.* (*n*) *Augustalem Dominum.* (*o*) *subsidia confugiens, accessit.* (*p*) *& Patrit.* (*q*) *opus proferens, Græcos, & Neap. ac omnes Cap.* (*r*) *Abellarum m.* (*s*) *in quo.* (*t*) *intus e.* (*u*) *nurusque i. u. v. Land.* Hæc in Car. editione non leguntur. (*x*) *plaustrum.* (*y*) *eis c.* (*z*) *remeavit, & rel. conf.* (*aa*) *in custodiam detrusus.* (*bb*) *regendi Gastaldatum jura suscepit, omnia quæ B. B.* (*cc*) *ego ab Ang.* (*dd*) *Episcopo, ipse vest. A.* (*ee*) *Et vero domitialis res.* (*ff*) *illi subtracta, etiam Cell. m.* (*gg*) *eo accipere, & pac. inn.* (*hh*) *Auxensius.* (*ii*) *jussit, s.* (*kk*) *illic ad.* (*ll*) *ad Capuam.* (*mm*) *illos.* (*nn*) *quia nondum erat compl. mal.* (*oo*) *supradictosque.* (*pp*) *ad Arenam.* (*qq*) *cum aliis.* Apud Car. non legitur. (*rr*) *impiaque.* Omittit Car.

ne, permisit eundem Athanasium in tantam elationem (*a*) prorumpere, ut etiam Beneventi fines bis, terque prædari faceret. Ajo autem tunc Bari degens impugnabat Græcos impugnantes se. (*b*) Qui hoc audiens, illico, segnitie deposita, ferme cum tribus millibus bellatoribus clanculo veniens (*c*) Castrum in Abellinum. Vbi autem intellexit Græcos cum Neapolitibus residere super Capuam, radicitusque eam davastare, illico (*d*) recto itinere super eos audacter adventare studuit sed (*e*) quidam naturaliter zizaniorum sator Dauferius, Dauferii nostri genitor, urbe Beneventi egressus, subdole, ac si secuturus Principem, ex diverso (*f*) Capua cursu properavit, & dicto exercitui adventum indicavit Ajonis. At illi relicta Capua (*g*) præcipites Neapolim reversi sunt: Ajo autem iter, quod ceperat, peregit illisque minime repertis, Liburiam ingressus est: cum quo & Atenulfus abiit, & exusta tota pæne Liburia, ac deprædata populisque & bestiis ablatis, puteisque saxis oppilatis, (*h*) Amphiteatrum profectus est; (*i*) quo residens per aliquot dies, machinis, & diversis telis (*k*) fortiter expugnavit. Ille idemque abiens Castrum Sanctæ Agathæ insedit, atque Marinum Gastaldum sibi rebellem in fide ad se remeantem suscipiens, abscessit; (*l*) aliquandiu Beneventi commorans, per Sipontum Barim reversus est.

LXXII. Atenulfus autem ab Ajone, (*m*) se subdens per sacramentum, in adjutorium sui centum viginti ferme bellatores (*n*) suscepit; cum quibus graviter totam Liburiam deprædavit. Sed quia nonnunquam desperatio periculum gignere solet generaliter moti (*o*) Materenenses e Calvo, & (*p*) aliquanti Capuani cum dictis Apuliensibus juncti, Liburiam circumeuntes, Suessulam deprædarunt, & reverti cœperunt; quibus occurrit Græcorum, Neapolitumque exercitus juxta rivolum (*q*) Lanii, atque in unum misti supervalebat pars Atenulfi (*r*) partem Græcanicam; sed (*s*) superveniens scara Theatralis a tergo, & in medio circumsepti, devicti sunt. Hac de causa audaciam sumens Athanasius, bellum cœpit expetere unde Atenulfus non segnis redditus. Continuo cum suis Atellam (*t*) abiit; dumque prælium non invenisset, reversus est ad sua.

LXXIII. (*u*) Cum non multo post instigante inimico (*x*) humano generi collecta Athanasius multitudine, exercitu misto Græcorum, Neapolitensium, & Ismaelitarum, equitatium, & pedestrium, (*y*) misitque illos adversus Capuam pugnaturos, quibus occurrit Atenulfus ultra rivolum (*z*) Lanii juxta Sanctum Carsium, habens in comitatu auxiliatores ab Ajone missos, necnon & Saracenos: Saraceni vero ex utraque parte juncti steterunt, nulli eorum præbentes auxilium. Atenulfus (*aa*) talia cernens acrius super inimicos suos insurgens, (*bb*) ac primo impetu potentia virtute superans pertrivit eos usque ad ultimam perniciem occisis ex eis plurimis, multisque captis reliquos oppido fugere compulit victorque triumphans ad castra (*cc*) onustatus, ac lætus cum suis omnibus repedavit: de suis autem (*dd*) præter unum amisit, Alderico nomine & ipsum a suis ut fertur occisum. Ab hoc sane die cœpit (*ee*) jam quasi potens esse Atenulfus, & Athanasius impotens. Hinc inchoavit omnia fata eorum, (*ff*) qui in Colosso morabantur, diripere, cunctaque bona eorum vehiculis diversis ad urbem trahere.

LXXIV. Hoc quoque quod narro omnes (*gg*) audient aures, (*hh*) pro ut Dominus sæpe parabolice sequacibus suis dicebat: Qui habet aures audiendi audiat. (*ii*) Vt omnis pavescat homo, stupeat, & ad Deum revertatur. (*kk*) Vel vero ne quis obstinatus animo remanserit, contingat illi quod Dathan, & Abiron superbientibus advenit, nec non & Core cum fautoribus suis evenisse dignoscitur. Guaiferius enim præfectus Arenarum, qui pæne omnia mala, quæ (*ll*) sunt in diebus ejus, (*mm*) is opere suo gessit, fecitque patrare; cujus præstigio Romana tellus (*nn*) depopulata, Beneventana regio funditus desolata est, (*oo*) at hoc, & exitium, & finem accepit (*pp*) idcirco, Dei judicio, hoc modo illius scelus facinorosus finis explevit. Nam subito superna (*qq*) inspirante gratia, (*rr*) a qua omne bonum procedit, (*ss*) in illum excitati illi a quibus ipse putabatur salvari, (*tt*) mutata mente in eum surgentes, apprehenderunt, bonaque ipsius diripientes (*uu*) vincxerunt, revertentes nihilominus ad solum, de quo

(*a*) *perferri, ut &.* (*b*) *is itaque hoc aud.* (*c*) *ad castrum Abellinum, & intelligens Græcos & Neapolites res. s.* (*d*) *recto itinere.* Apud Caracciolum non legitur. (*e*) *quidam naturaliter.* Hæc itidem apud Car. non leguntur. (*f*) *itinere Capuam prop. & eis adventum ind. Ayonis.* (*g*) *præcipites.* A Car. hæc vox omittitur. (*h*) *ad amphiteatrum pr.* (*i*) *in quo r.* (*k*) *expugnavit illud, indeque abiens ad castr. S. Agathæ, illic insed.* (*l*) *atque aliq.* (*m*) *excedens p. sacr. ab eodem in adjut. s.* (*n*) *viros,* addit Car. (*o*) *Materenses.* (*p*) *aliquot Capuani cum Apuliensib. juncti.* (*q*) *Lavii.* (*r*) *parti Græcorum.* (*s*) *superveniente acie a tergo illi in med. circums. devicti sunt, & partim capti, partim gladiis extincti sunt.* (*t*) *adiit.* (*u*) *At n. m.* (*x*) *humani generis, collecto Athanasius multitudinis exercitu, mixto, Græc. Neapolitum, & Hismael. equitantium.* (*y*) *misit ill.* (*z*) *Lavii, habens in comit. suo aux. ab Ayone miss. atque Sarracenos, qui tamen ex utr. p. j. st. nulli præbent. aux.* (*aa*) *hoc videns, acr.* (*bb*) *ac primo --- v. superans.* Caracciolus hæc omittit. (*cc*) *spoliis onustatus repedavit, de s. a.* (*dd*) *unum tantum amisit, & ipsum a suis occisum esse ferunt.* (*ee*) *Adenolfus esse potens, Athanasius vero impot.* (*ff*) *qui in Col. morab.* Hæc in Carac. editione non leguntur. (*gg*) *audiant.* (*hh*) *pro ut Dominus --- aud. audiat.* Hæc in Car. editione non leguntur. (*ii*) *ut pavescant omnes, & ad Deum revertantur.* (*kk*) *Vel vero ne --- evenisse dignoscitur.* A Caraccioli editione hæc absunt. (*ll*) *facta sunt.* (*mm*) Caracciolus τὸ *is* omittit. (*nn*) *depopulata est, & Benevent. r.* (*oo*) *hoc exitium & fin. acc.* (*pp*) *idcirco -- explevit.* Apud Caracc. haud leguntur. (*qq*) *exspirante.* (*rr*) *a qua o. b. procedit.* Car. omittit. (*ss*) *adversus eum excit. sunt illi, a q.* (*tt*) *mutataque mente illum apprehend.* (*uu*) *viguerunt.* Verba autem *revertentes --- abscisi sunt*, a Caraccioli editione absunt.

 nun-

nunquam diablice abscissi sunt; ipsumque Proconsulem despicabilem Capuam, Atenulfo (*a*) consentientes, remiserunt pane tribulationis, & aqua angustiæ sustentatum. Hoc facto universi, qui a propria sede olim fuerant exulati, (*b*) superbe ad suam obedientiam reversi sunt; factumque gaudium magnum, pax, & securitas; cœperuntque præesse, qui subesse soliti erant; & qui per trecentos, & eo amplius annos imperaverant, (*c*) ut legistis, præesse cœperunt (*d*) iis, qui cum Saracenis vicerant, per aliquot Soles. (*e*) Tunc cœpit cohors Bardica triumphans, regnare super eos, quos semper armis subegerant.

LXXV. Interea videns Athanasius se in omnibus superatum, (*f*) pudore abjecto, pacis expetiit fœdus, quod adeptus est; (*g*) præmissoque jurejurando, pacti sunt ad invicem. Primum tantum sacramentum (*h*) sistebat roboreum ad mensem, aut tempus annotinum: istud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique Ismaelitæ hac, illacque discurrentes (*i*) invitantur ab omnibus, omnia devorant, (*k*) universa consumunt, & contra Neapolim unanimiter consurgunt; æquo valde examine ipsum supernum (*l*) jaculatus est folium, ut ab his procul dubio percelleretur, cum quibus Christicolum genus pæne omne protriverat; (*m*) prout Joannes dicit in Apocalypsi; immo & Dominus per Joannem de Babylone. Quantumcumque ministraverunt vobis, ministrate: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Hæc autem audientes, nolite cor (*n*) apponere, quod Deus hoc meritis alicujus Prælati fecerit sed sua misericordia, & miseriis hominum egerit motus; ut ipse per Psalmistam dicit. Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. (*o*) Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? &c. quousque ait. Hæc fecisti, & tacui: existimasti, inique, quod ero tui similis. In una tantum re moveor quod cum dicat Apostolus. (*p*) Væ qui prædaris nonne & ipse prædaberis? Quid ergo erit de his, qui (*q*) prædant proximos, & proximas, (*r*) traduntque prostibulo? ita ne prædabuntur? (*s*) Deinde sicuti enim Neapolites vastantur, qui vastarunt, (*t*) ita & nos, forsan, devorabimur, qui nunc devorantes sumus. Beati (*u*) ergo, qui Domino custodiente, immunes ab hac sæculi procella existunt, ubi omne malum, & nullum sine domino bonum regnat, (*x*) & in æterna nominantur vita, qua omnis felicitas, & beatitudo perenis floret in sæcula sæculorum. Amen.

LXXVI. Ajo denique a Benevento per Sipontum Barim profectus; super quam Constantinum Augustorum Aulicum, & Patritium insidentem reperit, rebelles Imperatorum viriliter impugnantem, adversus (*y*) quem dictus Ajo fultus auxilio Ismaelitarum, & vallatus agmine pedestrium Apuliensium audacter insurgens, primo impetu victor existens, de hostibus plures interfecit; deinde a Constantino, qui cum tribus millibus equis (*z*) in tuto consistebat in loco, valide contritus, vix cum (*aa*) aliquantis urbem ingredi valuit Barim: reliquis aut gladiis, aut traditis captivitati. (*bb*) Is autem Græcorum obsitus vallo, infra urbem (*cc*) occultatur, sustinens suffragium Atenulfi, (*dd*) quem pridem protexerat, & non invenit; nam & Gallos, & Agarenos, promissis aureis, sæpius mistim invitans, obtinere nequivit.

LXXVII. Atenulfus (*ee*) ergo cum Athanasio pace interim custodita fere (*ff*) XI. diebus, scisso fœdere utraque pars ad prædam prorupit. Sed Capuani (*gg*) prævalidiores effecti, per se, & cum Saracenis (*hh*) graviter Neapolim circumquaque vastantes, lacerant, & igne (*ii*) consumentes omnia; æquo Dei judicio, ut qui (*kk*) Saracenis innumerabiles Christicolas gladiis, & captivitatibus tradidit, bonisque eorum ditatus est, non immerito ab his flagelletur, rodatur, & prædetur, (*ll*) ut Salomo ait: Quis miserebitur incantatori a serpente percusso?

LXXVIII. Interea Atenulfus post Episcopi captionem, cunctumque Clerum sacramento revinctum, ad nova se contulit, & recentia jura Legis. Nam Monachos B. Benedicti pro rebus perditis jurare compulit, quibus cessum fuerat ab omnibus retro Principibus, cunctisque Augustis Gallicis Sacramentum per se nulli homini dandum, nisi per Scariones; se autem in hujusmodi negotio sapientiorem, ac potiorem ostendens prioribus.

(*a*) *consentiente, remiserunt, aqua tribulationis sugillatam. Tancque universi, q.* (*b*) *superbe ad s. obed.* Hæc ap. Car. non leguntur. (*c*) *legibus subesse cœperunt.* (*d*) *iis, qui --- soles.* Apud Car. haud leguntur. (*e*) *Tunc cohors Bardica triumphans, regnare cœpit super eos, a quibus semper armis subigebantur.* (*f*) *pudore abjecto.* Apud Caracc. non legitur. (*g*) *factoque jurejurando, amici ad invicem effecti sunt.* (*h*) *roboreum erat per mensem, vel tempus annotatum.* (*i*) *invitantur ab omnibus.* Hæc apud Carac. desiderantur. (*k*) *universa cons.* Neque hæc ap. Car. leguntur. (*l*) *jaculati sunt folium. Ab his proculdubio Athanasius perculsus est, cum quib. Chr.* (*m*) *prout Joannes --- illi duplum.* Apud Carac. hæc non leguntur. (*n*) *ponere ad id quod Deus merit. alic. iratus fecerit, sed ad id, quod sua miseric. miseriis hom. motus, egerit, juxta illud, Invoca m. in d.* (*o*) *Peccatori autem --- dicat Apostolus.* In Car. editione hæc non leguntur. (*p*) *Dicit quoque Propheta, Nonne qui prædaris & ips. pr.* (*q*) *prædantur prox. suos?* (*r*) *traduntque p. i. n. præd.* Hæc ap. Car. haud leguntur. (*s*) *Nunquid Neapolites vastabuntur, qui vastaverunt?* (*t*) *ita & nos --- dev. sumus.* Hæc apud Car. desiderantur. (*u*) *ergo.* Hanc voculam Car. omittit. (*x*) *& in æterna --- sæculorum. Amen.* Hæc in Carac. editione haud leguntur. (*y*) *eum auxilio fultus Hismaelitarum, & vall. agm.* (*z*) voculam *in* Car. omittit. (*aa*) *aliquot u. i.* (*bb*) *Hic a. Gr.* (*cc*) *est occultatus.* (*dd*) *quod pridem perquisierat, & non inven.* (*ee*) loco *ergo* Car. habet *autem.* (*ff*) *binis diebus, postea scisso fœd.* (*gg*) *validiores eff.* (*hh*) *graviter.* Apud Car. non legitur. (*ii*) *consumunt.* (*kk*) *cum Sarracenis gladio & captivitati Christocolas tradiderat, b.* (*ll*) *ut Salomo ---- ostendens prioribus.* Hæc omnia a Caraccioli editione absunt.

LXXVIIII.

LXXVIIII. Defuncto autem Lamberto filio Guidonis senioris, (*a*) filio suo Spoletium reliquit; quo etiam decedente, Guido junior Spoletium, & (*b*) Cammerinum suscipiens, cum Saracenis in Sepino castrametatis pacem fecit, obsidibus datis, & acceptis. Cujus etiam tempore supradicta Cœnobia, Vrbes, & oppida omnia a Saracenis capta, & exusta sunt. Regiam (*c*) ad urbem legationem dirigens, contra jus faciens, pecuniam accepit; quamobrem a Carolo III. (*d*) Augusto captus est, & nisi fugam arripuisset, capite plectendus erat. (*e*) Vnum quippe illius narro factum haud dissimile, quod in Garilianum gestum est. Denique cum a (*f*) Seponto idem Dux, (*g*) Atenulfo comitante, Capuam pergeret, in loco qui Caudi dicitur, Arranem Ismaelitam, Tyrannum crudelissimum cum trecentis pæne sequacibus suis peremit. Cognoscens autem Guido Carolum Augustum (*h*) seminecem jacere, cupiditate (*i*) regandi devictus, deceptusque a contribulibus suis, relinquens Beneventanam Provinciam sibi subactam (*k*) & Spolitentium Ducatum, abiit Galliam regnaturus; (*l*) Beneventi quidem tellus a Græcis capitum; Spoletium deprædatur ab Agarenis: ipse autem (*m*) manet invisus, & inauditus. (*n*) Cum vero pervenerit, & auditus fuerit, quid dixerit, vel quid egerit, scire volentibus per ordinem narrabo.

LXXX. Interea Ajone obsesso infra urbem Barim a Græcis, atque auxilium efflagitante a Gallis, & suis, Atenulfus (*o*) titibans Athanasii minas, Legatos suos ad Constantinum Patritium (*p*) destinavit, qui residebat super dictam urbem, & fœdus cum ipso (*q*) statuens pacis vires resistendi Ajonis, astu doloso, avertit. His, & (*r*) hujuscemodi argumentorum decipulis dictus Ajo cernens se delusum doluit; tandem necessitate coarctatus cum memorato Patritio pacem faciens urbem (*s*) remisit, & ad propria remeavit: (*t*) Atenulfo, & Majoni Abbati, qui supra fata legatione functus fuerat, haud frustra minitans. Eadem tempestate dum idem Atenulfus Dauferium nostrum Diaconum disponeret Tarentum, & inde Regiam ad urbem transmittere, ipse questus est adversus eum de inopia: (*u*) oborta inter alterutrum contentione, (*x*) ad invicem sequestrati sunt, & Atenulfo (*y*) incubante Capuam, Dauferius Teanum (*z*) commoraturus properavit. Paulo post concordia composita, ad eum, a quo se separaverat, (*aa*) egressus est.

LXXXI. Per idem tempus Græci navaliter (*bb*) a Constantinopoli ad Rhegium tellurem adventantes, ex diverso & Ismaelitæ ab Africa & Sicilia properantes (*cc*) utrique junxerunt se inter Messanam urbem Siciliæ, & Rhegium: & (*dd*) confringentes parumper (*ee*) mortui cuncti sunt Græci; tantoque metu territi sunt reliqui Achivi, qui (*ff*) remanserunt, ut tam viri, quam fœminæ, & parvuli, relictis (*gg*) utriusque civitatibus cum omnibus, (*hh*) subsidium adepti sunt, nemine contrahens bella. Sed (*ii*) ut talia permiserit Divina æquitas illi belluinæ genti (*kk*) e contra narrabo brevius. Achivi (*ll*) autem, ut (*mm*) habitudine similes sunt, ita animo æquales sunt bestiis; vocabulo Christiani, sed moribus (*nn*) tristiores Agarenis. Hi videlicet (*oo*) per se fidelium omnes prædabant, & Saracenos emebant, & ex his alios venales Oceani litora (*pp*) farciebant, alios vero in famulos, & famulas reservabant. Talia, & his similia (*qq*) animadvertens Deus, tradidit illos in opprobrium, & in devorationem, ut (*rr*) pereant, & recogitent, & intelligant, quia in operibus suis diris Deum (*ss*) jaculati sunt. Acta sunt hæc in arcto spatio maris, quod dividit Regnum a Sicilia, qui locus olim tellus erat, sed moderno tempore a (*tt*) Phari æquore occupatus est. Hæc (*uu*) itaque gesta sunt anno Domini DCCCLXXXVIII. Mense Octobris.

LXXXII. Hoc etiam anno reversus est Guido ad Italiam, quam principare (*xx*) cupit, sed obtinere (*yy*) nequit. In Italiam (*zz*) juxta civitatem Brescianam cum Berengario, & ipso Duce, (*aaa*) conflictus, in quo nimirum conflictu utriusque partis acies crudeliter cæsa est. Spolia autem cæsorum a Berengario recollecta sunt. Pacti sunt tantum ad invicem usque (*bbb*) in Epiphania, quæ celebratur VIII. Idus Januarii: (*ccc*) Cum autem uterque se junxerint ad pactum, vel ad bellandum, quod deinceps egerunt, præsenti Opusculo inseram.

(*a*) *filio suo.* Apud Car. haud legitur. (*b*) *Camerinum.* (*c*) Vocula *igitur* a Car. h.l. add. (*d*) *Augusto.* Car. omittit. (*e*) *Vnum quippe -- gestum est.* In Car. editione hæc non leguntur. (*f*) *Siponto.* (*g*) *Adenolfo.* (*h*) *seminecatum.* (*i*) *regnandi.* (*k*) *Spolitensium Ducatum adiit, ibi regnaturus.* (*l*) *At Beneventi quidem a Græc. tollitur & capitur: & Spolet. etiam depræd. ab Ag.* (*m*) *Guido manet ibi invis. & inaud.* (*n*) *Cum vero perven. --- ord. narrabo.* Hæc in Car. edit. haud leg. (*o*) *formidans Ath.* (*p*) *destinavit.* Car. hoc verbum omittit. (*q*) *statuerat pacis, vires resistendi, Ayni actu doloso abstulit.* (*r*) *aliis arg.* (*s*) *dimisit.* (*t*) *Atenulfo --- minitans.* Hæc apud Caracc. desiderantur. (*u*) *Itaque obort. i. a.* (*x*) *ad invicem.* Apud Car. non legitur. (*y*) *incumbente super Capuam.* (*z*) *commoraturus ibi, properavit.* (*aa*) *regressus est.* (*bb*) *ad Constantinopolim, Regiam tellurem advent. ex adverso & Ism. ex Afr.* (*cc*) *utrique.* Car. haud habet. (*dd*) *confringentes parumper.* A Car. edit. absunt. (*ee*) *mutuo juncti sunt Gr.* (*ff*) *remanserant.* (*gg*) *utriusque.* A Car. editione abest. (*hh*) *subsidium -- bella.* Hæc a Car. editione absunt, contra vero ibi legitur: *ad loca tuta se receperint, nemine tamen persequente.* (*ii*) *quamobrem talia permis.* (*kk*) *e contra.* Apud Caracc. non legitur. (*ll*) *autem.* Caracc. omittit. (*mm*) *habitu sim.* (*nn*) *nequiores Ag.* (*oo*) *& per se fideles.* (*pp*) *farciebant.* (*qq*) *videns Deus.* (*rr*) *pereant &.* A Car. editione absunt. (*ss*) *irritaverunt. Acta s.* (*tt*) *Pharo æq.* (*uu*) *inquam gesta s.* (*xx*) *cupiit.* (*yy*) *nequivit.* (*zz*) τὸ *enim* Car. h. l. addit. (*aaa*) *pugnatum est. In quo conflictu utr.* (*bbb*) *ad Epiphaniam.* (*ccc*) *Cum autem -- inseram.* Hæc in Caraccioli editione haud leguntur.

IX.

ALPERTI
MONACHI S. SYMPHORIANI METENSIS
LIBELLVS
DE
DIVERSITATE TEMPORVM.
AD
BVRCHARDVM EPISCOPVM WORMATIENSEM.


INCIPIT PROLOGUS.

FRater Immo causa amoris ad me venit; tua sacra studia, Venerande Præsul Burcharde, fidem, sanctitatem & honestatem morum retulit; &, quanta auctoritate exstrueres & regeres Ecclesiam tibi a Deo commissam, ostendit. Ejus relationibus fateor admodum non solum ego gaudebam; sed etiam condigna admiratione gratias de toto corde rependens, exultabam. Cumque adhuc de tua bonitate plurima scire desiderarem, quanta meditatione in sacris Scripturis, labore jejuniorum & vigiliarum, & in cæteris Christi operibus esses occupatus, exposuit. Denique quanto ampliorem tui mentionem apud nos egerat, tanto gratiorem nobis diem & jocundiorem effecerat. Et quanquam in tam laudabili vita agnitus es, quodque & ante plurimis & præstantibus viris referentibus multa præclara & illustria de te sint audita, secundum dicta Salvatoris nostri unici filii Dei; Non potest civitas abscondi super montem posita, neque lucerna super candelabrum missa; tamen interior tua conversatio, apertius manifestata, memoriam tui, sigillo caritatis Christi pectori meo arctius impressam, perpetua conglutinatione, si præsumo confiteri, mihi copulabit. Et si angustia familiarium rerum in administrandis obsequiis copiam mihi negabit, tamen piæ mentis affectus in Christo tibi semper aderit, fulcitus testimonio Scripturæ, dicentis: Voluntas bona sufficit omnia. Ceterum nomini tuo istum consecravi libellum de nostrorum dierum hominibus compositum, cui nomen est DE DIVERSITATE TEMPORVM, quia in eo diversa collecta videntur. Non enim pleniter omnia, quæ de proposita materia scribenda erant, collegi, ne verbosior, quam debuerim, viderer. Et ut propter tuas occupationes sanctissimas fastidium vitarem, brevitati animum in omnibus dedi. At si æmulus quis forte ex adverso emerserit, & livido oculo his inspectis ob invidiam rugam contraxerit, & in hoc me reprehendere temptaverit, quod superflue nova & impudenter impolito sermone ediderim, eo quod sufficiant libri, quos studiosi recipiant, ne dum etiam istis imperitis scriptis, quasi inutili fasce, onerentur, & ea causa libellum repulerit; is sciat, eum tuæ cognitioni solum esse missum, ut tuo judicio aut aboleatur aut legendus servetur. Hac spe gratiæ tuæ confisus ab hac intentione mentis me non facile quisquam retraxerit, quin quicquid sententia tua probaverit, absque ambiguitate id aliorum etiam examinatione sit stabiliendum. Et si demum hæc objecerint, & arguar, quod omnibus cognita scripserim, tuo consilio perpendatur, me hac responsione uti; nota delectabiliter sæpius audiri, ut solet fieri in cantilenis; quod veteribus ex assiduitate fastiditis, novæ frequentius indies repetitæ delectabilius audiuntur. Inter hæc novit tua dignitas, quod etiam ad evitandam ociositatem & desidiam cordis res istas scribendas susceperim, ut, quia ad opus Dei sive ad alicujus virtutis perfecte idoneus non sum, in hoc saltim opusculo miserum animum ab inani curiositate cohiberem, quod & ideo sine nomine auctoris positum est, ut si displicet, sicut prædixi superius, resecetur, sive fossa facta humo operiri jubeatur. Si vero placet, apposito nomine, causa exercitii feliciter legas.

INCIPIT EPISTOLA DOMINI BVRCHARDI EPISCOPI.

BVRCHARDVS Sanctæ Wormatiensis Ecclesiæ Provisor humillimus, Alperto speciali suo gratiæ integritatem & plurimam salutem.

Literas tuas, quas nomini meo tibi multum incognito misisti, hilariter accepi, quas & per dilectionem, pariterque tuam petitionem & ipse legi, & coram me legere præcepi, in quibus studium ac voluntatis tuæ devotionem satis superque cognovi. Sed has quotiens revolvi, totiens

totiens per singula pene capita commotus, nostris pueris præsentibus, super hoc dolui, scilicet quod his temporibus sint nulli vel vix paucissimi, qui ad studendum inveniantur idonei, vel quibus voluntas sufficiat studendi, cum & hoc negotio unusquisque reficeretur, ac labilis animus a variis tumultuantis seculi commissis interim suspenderetur, nec non cata cautione posteritati sequacium laudabile traderetur exemplum. Omnes autem dilectamento mundanorum illusi & ad deteriora pronissimi miseris hujus Seculi vanitatibus inserviunt, & tam delectabiles animorum epulas exercere aut quærere nesciunt ac penitus negligunt. Sic scriptum est: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, est nemo qui faciat bonum, nemo est usque ad unum. Igitur studii tui devotio non est inanis apud me, nec videtur vituperanda; sed multum laudanda. Nam in dictaminis tui filo haud segniter tornato, magnas & auctorales causas non titubantibus vestigiis cautissime conservasti. In omni enim expositione auctorali & in quolibet libro diversas sex causas quæri convenit, atque expediri oportet. Sic in Procemio editionis primæ Isagogarum Porphyrii Severinus prudentissimis doctor, Fabio exhortante, dicendo instituit: Primum, inquit, docent, quæ sit cujusque operis inventio, secundo quæ utilitas, tertio qui ordo; quarto si ejus, cujus opus esse dicitur, germanus, propriusque liber est? Quinto, quæ sit ejus inscriptio; Sextum est, id dicere, ad quam partem philosophiæ cujuscunque libri ducat intentio. Hæc omnia in libro tuo caute conservasti, sed nominis tui inscriptionem non apposuisti: quum autem meo arbitrio hoc judicandum reliquisti; ideo sic judico, nec non & jubeo, titulum libro apponas, nomen tuum fiducialiter inscribas, & unicuique legere volenti, liber pateat, ac stabilis inconvulsusque meo judicio permaneat. Si quis vero invidia stimulante detrectationis murmure nos nostraque vituperet, huic respondeo, & confusum his verbis obmutescere facio: Invidus es nostris, quoniam tu talia nescis.

Lib. I. EXPLICIT EPISTOLA DOMINI BURCHARDI WORMATIENSIS EPISCOPI. INCIPIT ALPERTUS DE DIVERSITATE TEMPORUM.

Apud Germanos, qui circa Rhenum incolunt, duo ditissimi Wicmannus & Baldericus summis opibus inter se de potentatu contendebant. Sed Wicmannus gratia & amicitia regis, multorumque Germanorum nitebatur; alter Coloniensis Sacerdotis itemque Gerhardi Mosellensis potentis viri auxilia sibi concibat. His rebus confirmati contumeliosum existimabant, nec alter alteri in ullo negotio cedebat. Interdum etiam pace inter eos facta dolo potius, quam ut ullius veræ amicitiæ fidem servarent, studebant. Sed Baldericus ditissimi & longe nobilissimi Wicmanni, cujus majores magnam partem Germaniæ, & maxime circa littora oceani imperia tenebant, filiam duxit uxorem; Wicmannus autem aliquos annos post Præfecti Godefridi, avunculi Balderici, filiam in matrimonium sumserat. His rebus & hic in Gallia & ille in Germania prædia & ædificia multa ex dotis jure sibi acquisierant.

II. DE CASTELLO ADDELÆ INCENSO, ET EIUSDEM MORIBUS.

Erat antea tempus, cum Baldericus suæ uxoris ullam spem potiundi ne quidem existimaret: propterea, quod habebat sororem nomine Liutgardam Abbatissam Eltnensis montis, qua nolente, nullam contumeliam suo generi degeneri connubio inferre audebat. Videbatur enim ille, secundum quorundam opinionem, quamvis loco nobilitatus, genere tamen vilis, & quidam Godizo Richizonis filius, vir magnarum opum, qui inter se, in illo spatio temporis, societatem & fidem firmaverant, in clientelam Liutgardæ se devoverat, ejusque obsequiis & imperiis obtemperarat. Erat enim Godizo consanguineus harum sororum, & primum ad amicitiam alterius se addicavit, eique studium suum & auxilium præstiterat; sed cum animi ejus levitatem & mores faciles animadverteret, ab ejus familiaritate se removit, & ad dominæ Liutgardæ clientelam se contulit; exinde post hinc biennium ob plerasque injurias, quos Adela sorori Dominæ Liutgardæ inrogabat, adjuncto sibi Balderico castellum illius subito inrumpens præda & incendio consumsit. Ipsa vero comperto eorum adventu paulo ante mediam noctem cum paucis profugit. Sed præterea res ista vehementer est admiranda, has sorores parentibus clarissimis ortas, tam divisas a se esse potuisse, ut quot reprehensiones in una notarentur, tot in altera virtutes prædicarentur, nisi cogitationibus nostris opponamus, mirum non fuisse, eo quod & primus noster parens itidem dissimiles filios genuerit, quorum alter crudelissimus parricida alterum mitissimum invidia occidit. Nostro vero silentio illa prætermittenda sunt, quæ de Adela dicebantur, quod erat clamosa in voce, lasciva in verbis, veste composita, animo dissoluta, & quod instabilitatem mentis, nutibus oculorum præferebat. Nos vero scimus, eam ad opera multa esse sollertem, magno ingenio, & numerosas cubicularias ad varietatem textrilium rerum instructas habere, & in preciosis vestibus conficiendis pene omnes nostrarum regionum mulieres superare; hæc sola humanitas in eo nota est.

III. DE MORIBUS LIUTGARDÆ.

At vero Liutgardis longe dissimilis huic. Nam moribus honestis erat celeberrima, virtutibus omnibus ultra quod credi potest præclarissima, hospitalitate tam adsueta, ut in adventu hospitum maxime delectaretur, tandemque, si quando abessent, quod tamen raro contigit, quandam quasi mœsticiam in vultu præferebat. Prudentiam in ea laudari non est necesse, cum non solum ex palatio ad eam, sed etiam ex longinquis

ginquis regionibus magnus numerus hominum ad suarum rerum capiendum consilium confluxisset. Erat etiam in ea cum summa scientia, tum verissima facultas suorum consiliorum expediendorum. Omnibus affabilis, omnibus exstitit benigna, multa etiam dando maximam gloriam adepta est; unde etiam contigit, ut omnes eam maximo honore celebrarent. Pauperes eam quasi matrem etiam ex peregrinis locis sine intervallo frequentabant, quorum neminem sine solatio a se abire permisit. Mira res, ut fragilitas fœminei sexus tantis vexationibus ne quidem ad horam gravaretur, sed potius, quod est mirabilius, ut dixi, delectaretur. Unde frequenter inter nos collocuti, dum in ejus gloria æstimaremus tantam humilitatem, fateor, nos jam tunc divinasse; id quod verum erat, illa extincta nullam in his regionibus sui consimilem tam illustri vita esse futuram. Patrimonium quoque omne, quod sibi hereditatis parte successerat, Ecclesiæ, cui ipsa præerat, contulit. Id soror ejus factum graviter ferens, traditionem illam sæpius rescindere moliebatur, sed cum id efficere non posset, in vitæ illius necem cogitabat, & consilio cum quibusdam pestiferis inito, illam veneno, ut fertur, extinxerat. Nos eam rem pro magnitudine sceleris parum nobis compertam existimationi vulgi ruminandam relinquimus. Sed illi, qui venenum confecerant, capti atque oculis dampnati sunt. Post mortem ejus, cum omnes ubique sobrietatem tantæ mulieris cum luctu & planctu deplorarent, soror illius locum furibunda invadit, & omne patrimonium, quod soror, pia intentione, Ecclesiæ contulit, ad suam potestatem retorsit. Sed non multo post, ex præcepto Ottonis tertii Imperatoris cum dedecore expulsa, his adversitatibus prævideri cogitabat, ac consilio cum suis accepto, cum post virum priorem sine occultatione capitis vixisset, & cupienti sui copiam non negasset; postquam vidua lasciva secundum dictum Sancti Apostoli diu luxuriata fuisset, illum, de quo supra diximus, Baldericum duxit maritum; cum, vivente sorore, neutiquam copulam alterius ne mente quidem concipere auderet. Nec multo post instigante illa, cum armata manu montem Eltne subito occupat. Cum oppidani repentino metu perculsi fuga salutem quærerent, in monasterio se abdiderant; Expugnatoque monasterio & jaculis altaribus trajectis, unum, quem sibi inimicum existimari voluit, captivum duxit. Sed cum id Regi compertum foret, graviterque factum hoc ferret, delictum Balderici, deprecatorum auxilio, pecunia expiatum est. Rex vero altiori consilio imposterum loci illius stabilitatem prævidere volens, Noviomago concilio indicto, cum undique frequentissimi illuc convenirent, tractandum de prædicto loco statuit. Aderat cum sua conjuge Baldericus, eo quod sententiæ senatorum processerant, ut ille convictus secundum legem, in perpetuum ab illius expostulatione Ecclesiæ se eximeret, sicque carta & privilegio loci stabilitatem firmaverat.

IV. DE OBITU OTTONIS ET DOLIS BALDRICI.

Post hæc vero Imperator tertius Otto bonæ indolis adolescens in Italia moritur, corpusque ejus ad Aquisgrani effertur, & ibi cum regio honore sepelitur. Post cujus mortem Baldericus rupit fidem & hostili manu adgressus ad montem Eltnæ, vallum, qui Ecclesiam, ad instar castelli, ambiebat, scidit, familiamque omnem sibi servire coegit.

V. DE HENRICO REGE.

Ubi vero Henricus summa rerum potitus est, iterum locum illum in priorem statum reduxit. Multa præclara de hoc viro nobis scribenda sufficiunt; qualiter facile, gratia Dei donante, ad apicem regni pervenerit: qualiter illustres viros & summæ potentiæ, bella adversum se concertantes, celeri victoria in deditionem venire coegerit: qualiter reges in interioribus Germaniæ partibus, qui sunt Winidi vocati, suæ ditioni tributarios effecerit, & Mettin in Belgis diu contra se male cogitantem, & compluribus annis obsessam pene ad internitionem vastaverit, & tandem, multis incommodis illatis, sibi subegerit; Sed quia Dominus Adelboldus Trajectensis Episcopus hæc omnia pleniter in uno volumine luculento sermone comprehendit, a nobis pars, quæ alioquin nostris scriptis necessario occurrit, prætereunda visa est, ne historia tantis & tam venustis documentis edita a nobis tanquam ab insipientis latratu obfuscaretur.

VI. DE VISO COMETE, ET FAME ET MORTALITATE.

Post hinc triennium quam rex in solium sublimatus est, commetes horribili specie flammas hac illacque jactans in australi parte cœli visus est. Sequenti anno fames & mortalitas gravissima per totum orbem factæ sunt, ita ut in multis locis præ multitudine mortuorum & tædio sepelientium, vivi adhuc Spiritum trahentes, vi qua poterant, renitentes, cum mortuis obruerentur.

VII. DE WECELINO APOSTATA.

Istis quoque diebus videlicet Henrici Regis, qui postea benedictione Apostolica Imperator effectus, quidam Wecelinus, qui fuerat Cuonradi Ducis Clericus, illusione Diabolica seductus, errori Judæorum consensit. Hoc audiens Rex, nimia, ut justum fuit conturbatione commotus est, atque illius jussione unus Discipulorum suorum, nomine Heinricus æquivocus Regis, prædictum apostatam veracissimis Sacræ Scripturæ testimoniis, ut ejus epistola affirmat, falsa verba in Christum ejusque Sanctos dixisse devicit, at quia hæc longiusculo sermone protracta sunt, in fine istius libelli ea ponere decrevimus.

VIII. DE ADVENTU NORDMANNORUM.

Wicmannus, sortita conjuge, ut supra diximus, Præfecti filia, sibi in omnibus imperare, fidemque

demque illi & amicitiam servare constituit & frequenter alter ab altero adcitus convivio, communem sibi causam fecerant; cumque jam senio confectus & ægritudine ita deprehensus esset Præfectus, ut vix pedibus incederet, pyra-
1009. tæ ex diversis insulis Oceani cum magna multitudine navium emersi per flumen Meriwido, magna celeritate vecti, usque ad portum Tyle pervenerunt. Populi vero, qui circa littora Vual fluminis habitaverant, comperto tantæ multitudinis adventu, spem omnem salutis in fuga ponentes, sua pene omnia præter pecuniam, quia mercatores erant, alienissimis reliquerunt. Præfectus vero prudens consilio, veritus ne agris hominibus destitutis, hostibus facilior pateret ingressus, vi qua poterat, ascenso equo fugientem vix retinuit populum. Hostes usque Thyle venientes, vela deposuerunt & portum nullo resistente ingressi, copiam victus magnam repererunt. Qua celeriter exportata, vicum incendio vastaverunt; Monasterium quoque Sanctæ Walburgæ irrumpentes, *vestesq*; sanctas, a quodam comite Waltgero constructore ipsius loci & sua conjuge, Domino digna Alberada ibidem collocatas, auferentes, & altare spoliato & præterea quamplurimis rebus Ecclesiasticis exportatis, Ecclesiam quidem incolumem relinquentes; ad classem se recipiunt: statimque nunciis a Præfecto in omnes partes dimissis, postero die summo mane maxima multitudo convenit; & quia Præfectus exercitui præesse non poterat, Balderico, de quo supra diximus, itemque [Vn] Ruocho comiti, strenuo viro, qui in exercitu tertii Ottonis Imperatoris in Italia in re militari opinatissimus habebatur, bellum committitur. Nostris visis & celeri eorum adventu hostes perterriti, naves quam citius solventes recedebant, adeo ut similis fugæ recessus videretur. Nostri insequentes & ex utraque parte fluminis levibus præliis factis, & utrinque paucis aut vulneratis aut occisis, ne cupiditate prædæ a ripa longius hostes vagarentur, prohibebant; Vicis vero juxta littus, quos adire poterant, exustis nona hora diei omnes de navibus desilierunt, aciem confertissimam instruxerunt, nostrisque potestatem pugnandi præbuerunt. At nostri loco se continuerunt, & quia plurimi ex agris coacti convenerant, cum his ad usum belli imperitis & superioris anni propter sterilitatem inopia familiaris rei vexatis, prælium committere non audebant. Vbi barbari neminem ad pugnam procedere conspicerent, satis ad ostentationem suæ audaciæ factum existimantes, ad naves se recipiunt, & nullo prohibente regressi sunt.

IX. DE SECUNDO ADVENTU NORDMANNORUM.

1010. Sequenti anno iterum quidam pyratarum cum nonaginta longis navibus per flumen Laicam veniebant. Nostri extemplo coacta magna multitudine equitum & peditum & paucarum navium per ripam instructi armis adventum hostium expectabant. At primi barbarorum visa tanta multitudine perterrebantur & in medio fluminis alveo anchoris naves statuentes reliquos expectare disponunt. Postquam in unum conveniebant, & sententiis inter eos collatis, invitis nostris transire diffidebant, Legatos ad eos miserant, ut ipsos per fines eorum transportari paterentur sibi esse in animo; Sine injuria & maleficio ire velle, & ut id eorum pace & licentia liceret precari, & impetrata eo die pace usi sunt. Sequenti die cum classem movissent, jamque primi Hrenum essent ingressi nostri cum paucis navibus clamore magno novissimos adhorti bello lacessere cœperunt. Quo clamore ab aliis audito, celeriter accurrunt, & armatis circa littus dispositis nostros ne adpropinquare auderent perterrent. Intermisso noctis spatio & omnibus nostris flumine transportatis, & diluculo ad nostros, qui in navibus erant, falsa fama pervenisset, equites cum hostibus magno certamine conflixisse, jamque quasdam naves direptas esse, nihil reliqui ad celeritatem sibi fecerunt, tumultu & clamore omnia complentes, nullo duce, nullo certo ordine, ut quique sibi celeriores videbantur hostibus appropinquabant. Quibus visis, in unum hostes conglobati occurrerunt; At nostri qui in navibus erant, ut viderunt Nordmannos integris viribus occurrisse relictis navibus, præcipites se fugæ dederunt, quos hostes consectati tot in ea fuga peremerunt, quot cursu consequi potuerunt.

X. DE PORTU TRAJECTENSI INCENSO.

Trajectenses de adventu barbarorum certiores facti, ne hostibus commodi aut usui ad obsidionem castelli foret portum omnem ipsi incenderunt. Portu exusto, conquesti sunt barbari cur tantum incommodum esset admissum, se nullum malum adversus locum moliri, præsertim cum Ansfridus tantæ societatis vir eidem præesset Episcopus. Religionis tamen causa, ut in castellum intromitterentur, orabant: Ecclesias oblationibus suis venerari se velle dicebant, quibus oppidani assumto vultu & constantia respondent, se aditum armatis præbere non posse: Et quamvis facillima expugnatio esset, tamen cognoscentes sanctum locum & tantum sacerdotem suis fortunis alias obsistere posse, nullam læsionem civitati inferentes abierunt. Quis hic meritis Sancti Episcopi non adscribat, oppidanos contra spem metu liberatos & periculum evasisse & locum illum inviolatum permansisse? Quia vir iste sanctis scriptis nostris intervenit. Libet pauca de vita ejus huic operi nostro inserere.

XI. DE BEATO ANSFRIDO COMITE.

Erat igitur Ansfridus, in Bratuspantium finibus, Comes summæ justitiæ, ut neque muneribus neque donis a rectitudinis calle reflecti posset; Frequenter in conciliis, & conventibus sententiæ ab eo imprimis exquisitæ: Ab ore ejus omnes erant pendentes, & quando ipse legum decreta statuit, his nulli contradicere fas

fuit. Sermo ejus ita mediocritate & discretione temperatus, ut non comici nostri dictum: Ne quid nimis, supergrederetur. Sed etiam hoc adnectendum, quia ex moderatione suorum verborum facile compositio & honestas ejus occulta cordis ab audientibus intelligi potuit. Quicquid vero in jugi & quotidiana confabulatione loquebatur, hoc divinarum Scripturarum exemplis blande leniterque condiebat, & si quando contigit ut a secularibus negotiis quietus esse poterat, aut justa judicia tractabat, aut lectioni tanto studio insistebat, ut a quibusdam insipientibus monachicam vitam illum agere derideretur; quod ideo minus sit mirum, necesse est quia quanto avidiori meditatione Sancti divinis operibus invigilant, tanto amplius viliores mundo fiunt, etiam ut patientia eorum probetur a pravis hominibus ex permissione Dei plerumque dehonestantur, teste notario Spiritus Sancti, dicente: Obprobrium insipienti dedisti me. Summi etiam atq; illustres viri dum in jure dicendo gravius quid disceptandum erat, & ut solet fieri diversi diversa sentirent, atque variari sententiæ viderentur, ad eum gratia discendi & interrogandi recurrebant. Imperialibus quoque secretis sæpissime intererat, & quotiens de majoribus rebus tractandum erat, tanta auctoritate & dignitate habebatur, ut sine ipsius consilio raro aliquid statueretur. Hoc sibi in omni ætate decretum, hoc sibi propositum, non sicut quibusdam nostri temporis, quos plerumque aut inscitia aut invidia aut judicio labi conspicimus. De juris & legis veritate nihil deminuerat. Ob hæc ab rege frequenter ascitus, & carus præ cæteris habitus. Ejus oratione & pravos cohercebat & rempublicam cum pace gubernabat. Prædonibus, quibus regio Bratuspantium maxime alebatur, infestissimus erat, & crebris occursionibus eorum conata impediebat. Principem quoque eorum desperatum hominem, cujus nomen ne dici quidem opus est, sanguine civium & præda adultum, frequenti fuga se vix eripientem, vehementer premebat; cum ille aut saltibus aut paludibus densissimis arboribus consitis præsens periculum evadere cupiens sese occultaret. Multi præterea triumphi, multa bella feliciter gesta non ad perniciem civium, sed ad reprimendam audaciam improborum. Hæc quidem Laicus gerebat.

XII. QVOMODO ANSFRIDVS COMES EPISCOPVS EFFICITVR.

Cum vero Batruvvinus sacerdos Trajectensis vita decederet, nunciusque in castra venisset, Rex Ansfridum seorsum manu ducens sacerdotium illud ei offerre cœpit: Cumque ille reniteretur, jamque se senem in militaribus armis omni tempore vitæ suæ versatum, clericatus officia suscipere omnino absurdum videri contenderet, & rex vehementer instans ut ad suscipiendum compelleret; Perspiciens quia regi resistere non posset, ut cum suis rem deliberaret, exposcit. Quare impetrata & ab suis oratione accepta, quæ rex imperarat, se facturum pollicetur. Atque accepto gladio, quo erat accinctus, super altare Sanctæ Mariæ posuit, dicens: Hactenus hoc honorem terrenum obtinui, & hostes pauperum Christi, & viduarum expuli; me deinceps huic Dominæ meæ S. Mariæ, qua virtute honorem & salutem obtineam commendo. Hæc cum diceret omnium obortis lacrimis, applausu omnium, qui aderant, dignis ejus meritis tribuitur infula pontificalis. Versiculos quidam Enricus de his rebus cecinit, quos etiam huic opusculo intexere libuit, ut & alium in nostra narratione testem haberemus.

XIII. VERSVS DE EADEM RE.

O bona Trajectum mater prælecta locorum,
Nunc retines Dominum generali laude potitum,
Ansfrid pro meritis decus est tibi pontificalis,
Est & prælectus Domino confessor & almus,
Qui prius in bello firmabat regna popello,
Ecclesiæ custos nunc est, Sanctusque Sacerdos,
Vertitur in melius sic sic certaminis usus,
Quondam bellator, nunc autem pacis amator.
Tunc pars bellorum, nunc autem dux animarum;
Quondam pugnabat, populi nunc corda gubernat;
Militis officium precis obmutavit in usum,
Veste sacerdotis nunc prorsus liber ab armis,
Accepit calicem manibus, liquitque mucronem.
Deposuit parmam, cepitque lavare patenam;
Sprevit vexillam, voluit quia psallere missam;
Nunc missam cantat, precibusque fideliter instat,
Ista sub exemplo Petri facit indubitando,
Qui primus cecinit missam barbamque totondit.
Cum vult, ut veniant, Deus, omnia protinus astant;
De cane fecit ovem Deus hic, ut fecerat olim,
Ad se cum Paulum rapuit de sorte luporum,
Quem post Ecclesiæ Doctorem jusserat esse.
Nunc est albatus cum stemmate glorificatus,
Atque stolam portat virtutis & arma ministrat,
Qui prius in multis valuit per bella periclis
Gloria pastoris sonat in sermone suavis.

XIV. DE CÆCITATE, MONACHICA VITA, ET ELEEMOSINA ANSFRIDI.

Sumpto Episcopatu aliquandiu Canonicis vestibus utebatur, non quidem elationis causa, sed ne dedignationis suspicione a cæterorum moribus sacerdotum videretur dissentire. Sed quia pius Dominus jam illum ad suam servitutem advocavit, jamque illi curam Ecclesiæ commisit, adhuc plenius sua consueta pietate sibi adjungere

pingere disposuit. Nam quamvis impossibile sit vitam illius Sancti sine peccatis transire, tamen illa, quæ fragilitate carnis incaute contracta sunt largissima, Dei maxima in hoc seculo aliquando molestia corporali soleant purgari, attestante scriptura, quæ dicit; Flagellat Dominus omnem filium, quem recipit; Ansfridus lumen harum tenebrarum amisit, taliter quodammodo manente integritate oculorum, ut nihil minus quam aspicienti videns* videretur. Defectum quidem visus sustinuit, sed deformitas faciem viri nulla dehonestavit. Hoc ex benignitate Salvatoris nostri credo actum esse, ut extincto oculorum desiderio & exclusa occasione peccandi & vultus dignitatem Episcopi servaret, & ulterius non haberet, unde concupisceret. Neque hoc incommodo accepto unquam superatus, aut animo dejectus est; sed eodem vultu, eadem hilaritate, eadem jocunditate, cum summa patientia, permanserat. Vbi respectu Dei in se propensius rediens, salutifera cogitatio sibi incidit; flores hujus mundi sordes *apud* Dominum videri, atque ea, quæ multo sumtu ad ornatum carnis putrescendæ captarentur, non solum ad detrimentum, sed quoque ad perpetuam ruinam animæ pertinere; vestem delicatiorem deposuit, indumenta ne dicam vilia, sed potius angelica ad institutionem Sancti Benedicti sumpsit. Est collis sex milibus a Trajecto distans undique circumcisus, una ex parte flumen limosum, reliquum spatium perpetua palus eademque latissima ambiendo omnem aditum excludit. Huc adacta navicula trans flumen illud se ferri jubet, & quia orationis causa tumultus hominum vitare cupiebat, verticem collis succisis arboribus & fruticibus in planitiem deduxit: Imprimis oratorium, dein sibi cellam, [construi fecit] post aliis constructis & claustro effecto conventiculum monachorum ibidem collocavit, & Abbatem præfecit. Huc se post colloquia Regis, post Synodum, post diversos conventus recipere solebat. Hic miseram curam secularis negotii a se removit; Viribus totis laudibus Dei & obsequiis institit; orationibus, vigiliis, eleemosy*nis ita* intentus, ut nemo nostra ætate sibi possit adsimilari. Vnam ex ejus innumeris liberalitatem in pauperes Christi exhibitam referemus. In ipsa cella, quam diximus, positus, consueto opere Dei expleto, post tertiam vigiliam unum ex suis ministris ad se vocat, quid fieri velit, ostendit, & ut nemo id cognoscat, summopere interdicit. Sumit situlam, immittit vectem, seque simul portando ministrum ad regendos gressus suos præcedere jubet usque ad flumen. Aqua hausta redit, igne calefacit, dolium ipse infundit; leprosum, cujus corpus miserabilis sanies totum obduxerat, pannis exutum, in balneum deposuit, putrescentia membra manibus perlustratis diligentissime lavit, lotum in lectulum ipsius collocavit & vestibus novis vestitum ante lucanum, subtestatione ne quis id sciret, abeunti præcepit. Hic si quæras, cur iste tantus *vir* tot virtutibus præditus Spiritus Sancti gratia irroratus leproso illi solatium curationis non impenderit. Facili has cogitationes obvius hac responsione excipiam.

* *Leg. cæcus.*

XV. CVR ANSFRIDVS INFIRMOS NON CVRARET.

Legimus namque, quod signa infidelibus, non fidelibus, data sint, ut in initio nascentis Ecclesiæ corda gentilium longissima consuetudine idolorum indurata visis tot prodigiis ad crescendum emollirentur. Quis enim tunc temporis, mundo in florentissimis rebus posito, prædicanti aliam vitam crederet, nisi ea exhiberentur, quæ antea nec visa nec audita fuerant. Et quæ necessitas fuit istis novissimis temporibus Ecclesiam Dei signis illustrari, cum nullus sit locus quovis gentium, non mons, non vallis, non sylva infinita, non palus immensa, non insula, arbore terræ mota*, quæ non sint Domini nostri JESV CHRISTI confessione repleta. Vir Dei namque inanibus favoribus hominum extolli noluit, qui semper intra conscientiam, quid boni egit, soli Deo cognoscendum contegere studuit. Et fortasse leproso illi infirmitas utilis fuit, ut quæ humana fragilitate illicite commisit, ad hæc iteranda illum debilitas corporis impediret. Neque ulli de istius viri sanctitate dubitandum est, quam dæmones etiam confitebantur. Audivi quendam energuminum inter diversorum criminum confessionem hæc etiam adjecisse, se frequenter Sancto illi Episcopo sine causa detraxisse, multa inhonesta de eo dixisse, cum illum sancta religio implicatum teneret; se autem nihil rei adversus eum habere, nisi solam invidiam ipsius malitiæ exercendæ. Qui tamen miser paucis diebus post cæteris dormientibus suspendio mortem sibi conscivit. Hæc breviter perstrinxi, ne quis in corde suo existimet, propter defectionem probatæ vitæ servo suo Dominum nostrum JESVM CHRISTVM virtutem signorum concedere noluisse, qui multo majora & longe his feliciora, id est, vitam æternam in cœlesti regno concessit.

XVI. DE OBITV ANSFRIDI EPISCOPI.

Igitur cum illi virium imbecillitas adcresceret, & languore corpus ad occasum vergere intelligeret, ad supradictum collem transferri jubet, cumque illic aliquanto tempore vi ægritudinis premeretur, Redemtori nostro, cui servivit, Spiritum reddidit. Aderat in exequiis 1010.
ejus filia ipsius venerabilis Abbatissa Tornensis Monasterii, consanguineusque ejus, de quo supra diximus, Vnruoch comes, corpusculumque in oratorio positum a fratribus solitis frequentabatur officiis, futurum ut postero die in ipsa Ecclesia, ut ipsi animo firmaverant, tumularetur. Interim Trajectenses, qui frequentissimi convenerant, corpus exanime Trajectum deferendum auferre moliebantur. Ad hæc peragenda Dominum Adjutorem in Ecclesia juxta feretrum prostrati totis gemitibus precabantur.

* *Leg. adeo remota.*

Tum subito ex uno latere collis officina quædam sive casu seu jussu Dei igne correpta est, omnibusque ad restinguendum ignem concurrentibus, & omnino in ea re occupatis, feretrum Trajectenses, in quo corpus viri Dei positum est, leviter levantes ad flumen usque progrediebantur, & positum in naviculam flumen transire cœperunt, & quia navicula paucos capere poterat, cæteri quandiu vadum permiserat, deinde natatu sequebantur; At hi qui ad submovendum ignem concurrerant, cum non prius consilium eorum animadverterent, quamvis brevissimum spatium interesset, quo illi naviculam ad aliud littus subducerent, sumtis armis, eorum conata advertere parabant. Ibi Abbatissa, de qua præfati sumus, passis manibus soloque prostrata, ne recedentes insequerentur, vix precibus obtinuit. Quis etiam hæc meritis beati viri non adscribat, armatos furentes animo facillime sedatos, & rusticam multitudinem in flumine transeundo impeditam, & periculum & necem evasisse? Sicque isti & illi cum summa tranquillitate invicem conjuncti cum psalmis & hymnis levissimum onus Rhenum usque deportantes in navim ad hoc ibi paratam constituerunt & Trajectum pervenerunt: Cumque in littus exponeretur, concursu populi magnis oblationibus honorabatur, & sequenti die in Ecclesia Sancti Martini, ubi ipse sedem Episcopalem habebat, religiose sepelitur. Hæc de beato viro, quæ dicerem habui, non ut pleniter de illo omnia, quæ digne commendanda memoriæ fuerant, colligerem; sed ut istud opusculum, materia ejus vitæ, quamvis insipienter edita, quasi sol illustraret.

XVII. DE OBTRECTATORIBVS ANSFRIDI EPISCOPI.

Sed libet adhuc percontari, ubinam nunc sint qui vitam Ansfridi venenatis linguis carpere solebant, qui fame seipsum afflixisse, impie calumpniabantur, & nec unquam ejus aridum corpus in tanta sui Episcopatus opulentia vel modico cibo refectum esse pestiferis invectionibus dicebant? O profanos sola ventris plenitudine gloriantes! O neminem illorum in tali studio vitæ occupatum inveniri posse! O steriles omnis pietatis, qui nullius in se virtutis conscii, sanctis hominibus invident, quod ipsi assequi nequeunt! Vere fateor illum jejunio, non fame sicut obtrectatores sui per officinas oblatrant, sæpius laborasse, ipsumque totis animis ad Deum conversum pestiferos Syrenarum sibilos surda aure transisse. Sed cum plures ex his obtrectatoribus videmus divino judicio domo expulsos; prædia, vicos, ædificia cultore destituto amisisse, jamque diu per aliena limina mendicasse, sive furto seu latrocinio sibi victum turpiter adquisisse cognovimus.

XVIII. ITEM DE QVODAM OBTRECTATORE.

Audivi fidelem nostrum referentem, quendam ex his miseris, cum in tabernis, vino æstuans, derisisset sanctum hominem, ad hanc etiam miserabilem vocem erupisse, animam hominis nihil esse & in ultimo statu penitus in auras evanescere. Et quia in notitia Deum habere noluit, insuper etiam servos Dei obscenis verbis impetere non timuit; tradidit eum Deus in reprobum sensum, ut faceret & loqueretur ea, quæ non convenirent, unde etiam contigit, ut illius potestati traderetur, cujus ista instinctu agebat. Nam [cum] aliquo spatio sibi ad pœnitentiam prius dato, nec tamen resipisceret; die quodam, sicut semper, cum gulæ deserviret jam sub solis occasum domum reversus quasi redivivam esuriem sedaturus, usque in multam noctem convivium pertraxit, tandemque optato cibo onustus, in lectulum se collocavit, & somnum subitæ morti sociavit. Qui ad sepeliendum ejicitur, & in magno sepulchro intruditur; Sed ventrem admodum porrectum cum lapis superior superpositus compressu suo stringeret, per labra sepulti in giro adeps pinguissimus integra tamen cute, proh pudor! diffusus est; nimirum si adesses fœtorem ferre non valens nares veste occlusisses. Sed quorsum ista tam multa de illo, cujus memoria prætereunda potius est quam commemoranda? Quia profecto vides miserum illum fuisse hominem, qui nec in ultima sua ætate linguam suam ab obtrectatione Sancti viri compescere voluit, cujus etiam gloriam in fine mundi conspecturus dicet: Hic est, quem aliquando habui in derisu & in similitudine improperii: Ego insensatus vitam ejus æstimabam insaniam & finem ejus sine honore; Ecce quomodo computatus est inter filios Dei, & inter Sanctos sors illius est. Audiant ista, qui soli carnali cupiditati inserviunt & consimili invidia virum Dei insequebantur, & utrorumque fine conspecto, quem potius imitari debeant, exemplum accipiant, & meminerint, alterum non ita magnis opibus locupletem, sed cotidie per domos discurrentem, nunc minis nunc misera subsannatione alvum implentem & tandem veluti pecus saginato cadavere salutem suam seculo, spemque sepulcro dedisse; item alterum, cum illi omnis boni copia suppeteret & sibi pene omnia ad usus pauperum subtraheret, fructuosum laborem gratia Dei largiente ad calcem usque perduxisse, cui quandiu vixit vivere Christus erat, & mori lucrum. Nos vero in nostræ narrationis itinere amœna prata conspicati non inutiliter a via divertimus, & per loca pulcherrima oculos circumferentes, aliquam multum demorati sumus, & necdum odore dulcissimorum florum satiati, sæpius respectantes cœptum iter perficere conabimur.

EXPLICIT LIBER PRIMVS. INCIPIT SECVNDVS. I. DE SIMVLTATE BALDRICI ET WICMANNI.

Postquam Præfecti Godefridi & item Wigmanni res in amicitiæ fœdus convenerant, eamque rem utrique imposterum satis sibi præsidii futuram existimarent, Præfectus moritur, filioque suo propter probitatem patris & summam consilii diligentiam, qua semper viguit, Præfectura

ctura traditur. Sed quia iners nulliusque consilii nulliusque pene valetudinis erat, amicitiæ tamen conventionem quam patri Wicmannus devoverat, consulto ipsi conservare constituit, sperans si eum sibi adjunctum haberet, facile se suorum omnium dominari posse. Ex eo tempore inter ipsum & Baldricum simultates nascebantur, & cum neuter alterum sibi superiorem esse pateretur; conventu tamen sæpius inter se facto, suspecta amicitia utebantur. Sed res illa conatui Wicmanni obstabat, quod eandem copiam agrorum in Gallia, quam Baldericus non habuerat, quamvis & ipse latos fines in Germania teneret, & nihil quam quod cum uxore acceperat, cis Rhenum haberet; quod tamen alterius copiis æquari non poterat. Vnde quibusdam Cisrhenanis familiaritate ad se vinctis, eis quid sui sit consilii proponit.

II. DE CASTELLO WICMANNI A BALDRICO EXPVGNATO ET DE MVNITA.

Est stagnum palustre a Mosa flumine duobus passibus distans, infra quod erat collis exiguus, difficilis aditu, nam nisi navi propter altitudinem stagni & impeditionem paludis nequaquam adiri poterat, studenti novis rebus castellum efficiendum promittebat. Hunc locum per amicos cognitum advectis navibus adiit [Wicmannus.] Quo explorato extemplo coëgit magnam multitudinem armatorum, & rusticis undique evocatis & fossa in circuitu facta editiorem admodum fecit. Quem vallo circumdedit, & turribus excitatis munitionem satis firmam perfecit. Dein finitimis non sine arrogantia imperare, ut commeatus ad oppidum apportarent. Custodes ipsos, qui ei consilium dederant, munitioni apponit. Quem locum in reliquum tempus ad obtinendam Præfecturam & Baldricum, si quid conaretur, facilius reprimendum, satis idoneum existimabat. Qua re audita Baldricus vehementer perterrebatur, suisque fortunis difficillimam credidit, & nisi his adversitatibus summa cura non prospiceret, maximum suæ dignitatis honorem se amissurum non dubitabat. Itaque convocatis clientibus suis, quorum magnum numerum habebat & legatis circumquaque missis, Lantbertum, cujus supra mentionem fecimus, & Gerhardum, cujus singulari amicitia usus est, & cæteros amicos in unum coëgit, ipsisque præsentibus, quidnam contra se pararetur, exponit. Illi causa cognita sese in eam partem futuros, quam ille constituisset, dixerunt: Quibus cum magnifice gratias egisset, ipsis hortantibus atque cupientibus ad munitionem accessit eamque, in quantum situs paludis permisit, obsedit. Nam natura loci totum circumvallare sinu stagni latius porrecto non sinebat. Oppidani vero certi, quod telum in tanto spatio ad se adigi neque remitti posset, vallo tuto sese continebant, & eventum rei expectabant. At hostes experti, quod in nullis omnino locis vado transire possent, pontem facere instituunt. Sed cum diu in hoc opere insisterent, & effectum nullum labor operantium propter immensitatem aquæ dare poterat, incepto destituerunt. Denique adductis onerariis navibus adjungunt animalia & in stagnum trahere parant, ut super naves machinis exstructis ad munitionem adpropinquarent, & pugnam committerent. Cumque complures dies in his operibus versarentur, illi qui intra oppidum erant, desperantes ne obsessione a suo Domino liberarentur, & timentes ne victi inclementius tenerentur, jamque illis victus deficere cœpisset, legatos de deditione ad Baldricum miserunt. Cognitis eorum postulatis, ut munitionem ipsam, quam fecerant, suis manibus ipsi incenderent, atque destruerent jussit. Quod ut factum est, illæsos cum suis omnibus abire permisit. His rebus confectis cum vires hostium Wicmannus sustinere diffideret, Rhenum clam transiens Munnam castellum aggere & turribus editius extulit. Et quia supra montem erat positum, tam facile illud munivit, ut nisi obsidione expugnari non potuerit. Hostes vero vicos & vicina loca crebris incursionibus, ne castellanis usui forent, rapinis & plerumque cæde vastarunt. Adjuvabat etiam res Baldrici, quod adhuc gratia Imperatoris multa utebatur, & Coloniensis sacerdotis & Domini Adelboldi Episcopi, qui celebri fama omnium nostræ ætatis sapientissimus & Latiali lingua longe facundissimus, & maximi vir ingenii est habitus, auxilia sibi adscivit. Gerhardus quoque Mosellensis & Lambertus, de quibus supra mentionem fecimus, quascunque calamitates & pericula cum eo se laturos dixerunt. Hi enim duo semper ad omnes motus & seditiones concitandas erant parati.

III. DE ASPOLA AB ADELBOLDO OBSESSA.

Post hæc causa extitit, qua Dominus Adelboldus Trajectensis sacerdos castra imprimis adiit, & his, propter quæ venerat, peractis, navi per Rhenum reportatus est. Equi vero ejus per ripam ejusdem fluminis juxta Aspolam a suis reducuntur. Quos clientes Godizonis, propterea quod favebant partibus Wicmanni, interceperant atque inter se distribuerant. Qua de re Episcopus necessario commotus, & his injuriis quam citius mederi cupiens, omnibus suis copiis cum Baldrico adscitis de improviso veniens Aspolam ex una parte obsedit, nam ex altera palude & stagno interjecto inaccessibilis erat. Cumque aliquot diebus acriter ab utrisque pugnaretur, & omnia studio oppugnandi experirentur, propter firmitatem loci & altitudinem turrium nihil proficere poterant. Sed cum frustra laborem se sumere viderent, & spes potiundi oppidi a se discederet, simul etiam, quia dicebantur hostes cum exercitu adventasse, oppugnatione destiterunt, & in suas sedes se receperunt. Episcopus vero his de causis, quod ante obsidionem castelli, Godizo ad se in petenda pace legatos miserat, & de injuriis a suis sibi inlatis omnibus rationibus satisfacturum promiserat, quamvis illum dolo loqui suspicaretur, & ideo nullam conditionem pacis dare voluis-

voluisset & suum dolorem jam satis expiatum esse populatione agrorum & vicorum & hostes jam ad sanitatem reverti arbitraretur, ab hac procella seditionis se subtraxit, & quem exitum res esset habitura, interius quietus expectare cœpit. Baldrico tamen studium suum & auxilium semper præstitit.

IV. DE PACE INTER BALDRICUM ET WICMANNUM FACTA.

Munna exstructa & firmata Wicmannus audacius resistere & spem suis augere, plerumque hostibus improvisus adveniens, eos in fugam conjecit. Sed cum diu inimicitiæ inter eos exercerentur & homicidia fierent & insidiæ ab utrisque ponerentur, & invicem alter ab altero fugaretur, tandem utrique a rege in castra sunt vocati. Et cum diu causæ eorum discuterentur, & rex sine offensione multorum neutrum familiarem in reconciliando habere posset; inter se regia potestate pacem habere jussit, qua sacramento firmata discesserunt. Wicmannus cum rem in commodiorem statum collocatam existimaret, & nihil mali dehinc suspicaretur, ut rupto fœdere aliqua seditio rursus oriretur, orationis causa limina Sancti Petri adire parabat, atque comparatis his quæ sibi in itinere necessaria erant, profectus est ad urbem. In eo itinere dum esset, uxor Baldrici quietis impatiens, atque semper prona ad res novas excitandas, hac Oratione interpellat maritum:

V. ORATIO ADELÆ UXORIS BALDRICI.

Saxonem istum in tanta propinquitate ædificiorum vicinum, pati non possum, & quem parem tibi esse ferre non valeo; si superiorem conspexero, vivere nolo. Proinde quæso utere consiliis meis, & verba mea cæteris curis postpositis menti tuæ reconde. Ex hoc enim fortunatissimum te fore licebit. Ecce iste hostis noster videns nepotem tuum esse sine scientia ullius consilii falsis adulationibus indies deludit, & dignitatem suam te invito jam invasit. Denique ille stolidus existimat, illum vera affinitate adductum sincere suis rebus favere, & non potius ob hoc, ut illum in proximo principatu dejiciat, & ipse locum ejus nimia sua calliditate arripiat. Et cui dubium est, illum jam pridem adversum te prava moliri? Egone si vir essem, eum in his regionibus consistere sinerem? Et si nunc, pace facta, justa occasio nulla intercedit, qua cum eo palam contendere possis; hoc saltim facito; Regem adito, & Præfecturam, quæ justius ex linea consanguinitatis & prosapia majorum tuorum tibi obtingit, postulato. Si propter hoc aliquis tumultus ab hoste adversum te contrahitur; ipse tibi prius peccabit, tuque sacramento adstrictus non teneberis. Quid tibi obsistit? Quid impedit? Amplissima domus, latissima prædia, milites numerosi; vires tibi & favorem adtribuent, neminem quam te hoc honore esse digniorem. Muneribus quoque dandis auri, argenti, pretiosæ vestis non deerit tibi copia. Incunctanter omnia tribuam. Persuadet facile cupido, & more hominum, qui honoribus expleri nesciunt, suscipit negotium, non solum ad suæ familiaris rei damnum; sed etiam ad perpetuam ruinam suæ salutis. Et quamvis graves causæ irarum inter eos antecessissent; tamen hæc fomes & initium utriusque extitit exitii. Et sicut Hiezabel Achab, ita & ista hunc ad flagitia semper concitavit, dans ei consilia, quibus ad perniciem suam uteretur, donec abhominabilis & odiosus omnibus fieret.

VI. DE PRÆFECTURA BALDRICO TRADITA.

Parata profectione, venit ad Regem, a quo & benigne suscipitur, oblatis his, quæ attulerat, causas adventus sui exponit, & regem ad voluntatem sententiæ suæ perduxit. Denique tradita est ei Præfectura, & ne ob hoc civiles dissensiones, unde arma excitari possent, nascantur, summopere interdictum est. Qui mox, ut rediit, Ganipæ munitiunculam Præfecti propinqui sui occupavit, & per servum fugitivum, qui se jam pridem his, qui in turri erant, devoverat, & studium suum promiserat, dolo introductus est, & eos quos propinquus suus ad tuendam turrim reliquerat, expulit, præsidiaque sua ibi ponit.

VII. DE RECONCILIATIONE ADELBOLDI EPISCOPI ET WICMANNI.

Ubi in vulgus populi elatum est, Baldricum Regem adisse, Præfecturam sibi usurpasse, Ganipæ turrim invasisse, tanta subito omnium commutatio facta est, ut mentes non solum finitimorum, sed etiam domesticorum ab eo in tantum everterentur, ut pauci reliqui essent, qui ejus facta non detestarentur. Inter Alpes, Wicmanno redeunti, res gesta nunciatur, magnaque cura afficiebatur, quod remedium huic incommodo repperire posset. Nam publice armis rem incipere, metus temporis prohibebat, unde ab animi virtute consilium & rationem quærendam esse statuit. Talia solicitanti res oportunissima ad capiendum consilium accidit: Audierat namque omnem populum contra Baldricum murmurasse, & omnibus precibus ejus facta detestari. Ideo primum in his elaborandum esse decrevit, ut etiam auxilia Episcopi Domini Adelboldi ab eo detraheret, & spem ad illum se recipiendi ulterius non haberet, amicitiam ejus sibi adjungeret; ejus auctoritate & subsidio hostem ab incepto deterreri posse existimavit. Sed quia nondum bono animo in ipsum ex his injuriis, quas Godizo illi inferebat, videbatur; primum per legatos hominem temptare disposuit. Cumque aditum in ejus amicitiam patere cognovisset, eo quod Baldrico ex his rebus, de quibus supra demonstratum est, amicus non erat; venit ad eum & [cum] de his injustitiis, quæ Episcopus questus est a se & a suis amicis sibi inlatas, satisfaciendum in potestatem ejus permitteret; pro temporis opportunitate fidem & amicitiam inter se sanxerunt. Quamvis de conventione illorum Baldricus

dricus parum moveretur, tamen potestate Episcopi in locis, qui ad Præfecturam pertinebant, jus dicere prohibitus est. Episcopus videns adcrescere dissensiones & indies lites augeri, metuens, ne temeritate eorum plebs laberetur, & sperans controversias sua auctoritate minui posse, diem colloquio constituit, eosque ad hanc venire fecit.

VIII. DE SENTENTIIS INTER EOS COLLATIS.

Postquam eo ventum est, Episcopus hoc initium orationis habuit: Se ægre ferre tot motus indies inrationabiliter adcrescere, oportere ad cognitionem suam & omnium, quo justa decernere velint, referre, & has improbas seditiones, quibus plebs læditur, agri depopulantur, debere comprimi. Si vero pertinacia desistere nollent, Imperatoris potestate & suis copiis vi coacturos, ut ab incepto tumultu absistant, demonstrat. Ad hæc Wicmannus respondit; intelligere sese, quæ commemoraret de orto tumultu esse verum, nec quenquam plus doloris quam ipsum exinde capere, & se in potestatem suam dediturum, & omnibus rationibus, siqua culpa criminatur, satisfacturum promittit: sese tamen permoveri, quod Baldricus, post amicitiam inter eos firmatam, belli initia primus concitaverit: Præfectum propinquum illius, cui fide & consilio prodesse debuit, omni honore ab eo spoliatum, etiam principatu dejectum; ipsi & omnibus nationibus; ad quas fama tantæ inhumanitatis pervenire potuit, detestabile videri: Qui nisi ab his injuriis discedat, & liberam facultatem illi in suis legibus uti permittat; ex illa saltim affinitate, quod sororem suam in conjugium duxerat, ejus injurias non neglecturum, neque hæc faciendo quicquam maleficii adversus gratiam Imperatoris se acturum, præsertim cum omnibus, unde lites augentur, studio pacis summopere se interponere, & ea submovere velle confirmat. Baldricus huic sententiæ hæc retulit: Non a se fidem læsam, neque a se commissum, unde amicitia dissolvi debuisset; scire se quidem propinquum suum non illa scientia aut prudentia esse, ut sibi commissæ dignitatis curam habere posset; ideo se illius rebus intermisisse, ut ei potius prodesset, quam obesset: & id sua voluntate jam pridem agere voluisse, si ipse copiam cum eo colloquendi habere potuisset; sed ita illum quasi sub quadam custodia semper a Wicmanno devinctum, & tali disciplina constrictum, ut neque ad momentum ab latere ejus discedere auderet: Si præcepta quoque Imperatoris servari deberent, hoc quod sibi propria manu dederat, injustum esse abullo interdici: Quod vero diceret ex affinitate injurias ejus non neglecturum, se ipsum illi propiorem esse consanguinitate, qui avunculi ipsius existeret filius, & ideo illam dignitatem ex parte majorum ipsi justius, præter nepotem, quam alteri obvenire: Quod vero se dixerit ad lites sedandas interponere velle, neminem quam se ipsum in communi salute civium consulenda studiosiorem; testimonium esse ejus rei, quod non ex ipsius arbitrio; sed, Imperatore largiente, negotium susceperit. Talia & multa alia cum jam in longum diem ab utrisque proferrentur; Episcopo tandem litibus eorum plenius cognitis in alios conventus rem differre placuit, & interim pacem inter eos firmari constituit. Baldricus vero, quod memoria tenebat sororis suæ domum paucis diebus ante quosdam ex parte Wicmanni invasisse, &, quibusdam interfectis, filium illius alterum inter Ecclesiam vix necem aufugisse, & item alterum ab indignis captum & abductum esse; & ideo cum his, a quibus tanta contumelia sibi & suis illata fuisset, nullam pacis amicitiam sine satisfactione habere posse demonstravit. Ad hæc Wicmannus; sicut ferri, inquit, injuriæ debent, unam harum hanc esse iniquissimam, quod a sororis suæ filiis nondum adultis, servili agmine congregato, Præfectum cum paucis item secure agentem, & nihil mali a quoquam suspicantem, magna insolentia, de improviso adortum & in fugam conjectum, & in sacra æde contutatum, vix morte subtractum: Neminem fore tam patientem, qui talem actam periculosam contumeliam inultam transire pati potuisset. Baldricus ubi manifestius intellexit, sibi resisti, dixit: nequaquam rem exitum illum, quem illi existimarent, esse habituram. Et cum ex hoc tumultus pene excitaretur, accessit ad eum quidam dicens, & id clariori voce, ut magna pars suorum audiret; illum ex eo agro vivum non exiturum, nisi hoc faceret, quod Episcopus & Wicmannus constituissent. Qua voce perterritus, annuit, ut pax fieret, quæ ab utrisque ad certam diem sacramento firmata est.

IX. DE DOLIS WICMANNI.

Sed præterea, dum mecum reputo tot sacramenta perfido animo perpetrata, mirandum sit, an dolendum dubito, ecquid illi, qui summo honore & dignitate præditi ad tantam perfidiam sint devoluti, ut talia contra justitiam Christianæ fidei agerent, qualia nec vile vulgus cogitatione quidem concipere præsumeret; unde etiam secundum notarium Spiritus Sancti dicentem: Non loquatur os meum opera hominum; timeo referre perversissimos nostræ mores ætatis, & pene nulla fide stabilitos, sed cœca cupiditate miseri honoris & falsæ potentiæ adductos omnis humanitatis & bonitatis esse oblitos. Sed sunt nonnulli, qui Wicmannum in his litibus iniquiorem esse contendunt, hoc in præsidium suæ opinionis assumentes, quod ea, quæ cis Rhenum minus in possessionibus habuerat, quacunque celeritate consilii opibus Baldrici adæquare niteretur. Quod ex eventu hic sequentium facile cognosci potest. Nam postero die ad sororem suam colloquendam cum paucis Rhenum transivit: Compertoque ejus per exploratores adventu, illi, de quibus prædiximus, qui domum sororis suæ impetiverant, ex Munna egressi cum magno equitatu, ripam Rheni latenter descendentes, ei adpropinquarunt. Nec antea visi sunt, quam propius vicum accessissent. At isti in pastum per segetes

tes

tes dimissis equis, & nihil timentes, propterea, quod pridie ejus diei pax esset inter eos constituta & firmata, remissius sese agebant. Sed cum hostes obstinacius cursu impetum in eos facere cernerent, celeriter revocatis equis & bipartito equitatu diviso & pro angustia temporis acie instructa, eos exceperunt, cumque acriter ab utrisque pugnaretur, etiam res in eo esset, ut superiorem manum Baldricus habere debuisset, præter opinionem omnium subito converso equo fugæ se dedit, & ad ripam naviculam nactus ea profugit. Quod cæteri conspicientes itidem fugam hac & illac inierunt. Plures in Ecclesia se concluserunt. Wicmannus autem forte ab illo loco non longe aberat, prælio per legatum accepto, celeriter accurrit, Ecclesiam irrumpit, eosque, qui in ea se abdiderant, cepit, graviusque retineri jussit, & Munnam adductos in vincula conjecit. Ex eo enim iterum redivivæ inter eos seditiones ortæ sunt: & quamvis Baldrico causæ justiores in hac, ut prædiximus, lite existerent; tamen in hoc inferiorari, * quod milites sui, crebris expeditionibus defatigati, pro tanto labore parva præmia consecuti sunt, & uxor sua dedignanter eos appellando, & ignaviam & socordiam improperando a suo obsequio eos dissuevit, &, multo infideliores, quam antea essent, effecit. Domesticis etiam ita gravis extitit, ut pro levi culpa quosdam in exilium mitteret; quosdam autem naso & auribus defectis deformes aspicientibus redderet, & odiosam vitam illis præsentem efficeret. Nobilitas generis & omnium opulentia rerum pernimium eam extulit, in tantum, ut etiam illius Satyrici versu non immerito notari posset:

Intolerabilius nihil est quam fœmina dives.

Talibus & aliis hujuscemodi rebus corda non paucorum a mariti amicitia & familiaritate avertit.

X. DE EXERCITU IN BRATUSPANTES MISSO ET CAPTO BALDRICO.

In dissensione vero, quæ nunc orta est, quia neuter eorum in tanta propinquitate agrorum, tuto sese ab altero cavere posset, concordia interim inter eos ad certum diem condicta est. In quo spatio temporis extitit causa, qua ab Imperatore exercitus in Bratuspantium fines mitteretur. Audierat enim a quibusdam importunis & seditiosis hominibus, regionem frequentibus incursionibus devastari, cui exercitui Adelboldus Episcopus & Dux Godefridus & Wicmannus præerant. Baldricum, quia his, adversus quos exercitus ducebatur, amicus erat, secum habere nolebant. His profectis, Baldricus dabat operam Gerhardo, de quo supra diximus, qui jam multis diebus munitiunculam Hengibach obsedit. In altissimis namque rupibus sita, inexpugnabilis erat. Sed tamen diutissima obsidione oppidani fatigati, & omnibus, quæ secum habebant, consumtis, se dediderunt.

Itineribus Baldrici exploratis, Gevehardus, qui domum sororis suæ viduæ prædictæ invaserat, omnes vias obsedit, & summa diligentia, si eum imparatum aliquatenus adire posset, cum suis omnibus invigilabat. Nec fefellit fortuna consilium hominis. Nam Baldricus clientibus suis in sua loca hac & illac dimissis cum paucis Coloniam versus iter incautius adgressus est. Quem mox hostis conspicit, & celeri cursu insequitur. Cum ille de improviso perterritus & viribus dissolutus, ut nec quidem ascensum equi accuratioris, qui juxta eum ducebatur, temptaret, captus est, & ab indignis barba ex parte evulsa & colafis infractis omni indignitate est habitus. Ad Munnam castellum Wicmanni cum summo probro deductus est, ibique minis & nimia furia victorum, ut Aspolam traderet, nisi capite maluisset plecti, compellebatur. Ille vero legatum, quem illuc mitteret, expostulat. Quo impetrato, aliqui ex suis ad eum venerunt, & ex casu ejus multo dolore & gemitibus affectis munitionem tradi jussit.

XI. DE GEVEHARDO, ET BALDRICI REDEMTIONE.

Godizo is, de quo supra diximus, propinquus venerabilis Liutgardæ & uxoris Baldrici moriens Hengibach & Aspolam in Gerhardi fidem, quia propinquus erat, ut uxorem & filias ejus parvulas nutriret, tradidit. Gerhardus Aspolam, quia proxima erat, Baldrico commisit, & Hengibach viduæ, suis custodiis adhibitis, tueri jussit. Quæ muliebribus rebus agitata accitum Gevehardum ad se admisit, & sibi in conjugium copulavit. Hic miles primum Baldrici fuerat. Sed quia hæc omnia eo insciente & sine ejus consilio peregerat, & Aspolam, quæ sub sua potestate erat, ex parte uxoris appetiturum cognoverat, qua carere nolebat, amicitiam ejus repulit & militem abdicavit. Qui cum ejus potentiæ resistere non posset, Wicmanno se devovit, ejusque imperiis se subdidit. Hæc erat causa quæ Gevehardum contra Baldricum accenderat, & inter eos discidium fecerat. Aliquot diebus Baldricus, cum in vinculis teneretur, postulavit, ut accepta pecunia, quantam voluisset, dimitteretur. Cumque, ut ille hoc laudare vellet, vix cogeretur; constituit, ut intra brevissimum spatium temporis duo millia librarum argenti profiteretur. Ea quidem ratione dimissus est, & ille obsidibus de pecunia cavebat. Cumque hæc conquireretur & conferretur, etiam pars quædam data esset; Episcopus & Wicmannus cum exercitu redierunt, rem gestam a referentibus cognoverunt, & eventum tantis infortuniis suis exigentibus eximia obtemperantia uxoris commiserati sunt, &, indicto conventu, simul conveniunt, Gevehardum adhibuerunt, &, ut illam pecuniam præter quadringentas libras argenti Baldrico indulgeret, perfecerunt. & ille, de his omnibus, quæ in eum commissa sunt, nullam unquam ultionem expeteret, sacramento firmavit.

* Leg. *inferior erat.*

XII. DE

XII. DE NECE WICMANNI.

Non multo tempore posthæc familiaribus amicisque Baldrici & Wicmanni complacuit, ut deinceps omni simultate postposita pax stabilis & fides firma inter eos sanciretur. Quod cum omnes uno animo collaudarent, ad constitutam diem iterum omnes conveniunt. Post multa colloquia transierunt XI. cum Baldrico & totidem cum Wicmanno, juramento inter ipsos habituram pacem & fidem & dilectionem summa alacritate omnium se obligaverunt. Quod ut factum est, satis fida amicitia sine ulla suspicione, ut quibusdam videbatur, postea usi sunt. Sed cum procederet jam non multum spatium temporis, sive nondum peracto anno, Wicmannus ad convivium Baldricum invitavit, quo pacto, & amplissimis donis oblatis & benigne his susceptis dimisit eum & eum abeuntem comitatus est. Quibus euntibus Baldricus postulavit Wicmannum, ut vicem illi rependeret, ad domum suam veniret, epulasque sibi decenti apparatu exhibere liceret. Atque *primum* renitebatur; sed, cum tantam amicitiam & dilectionem inter eos conflatam recoleret, ut nefas putaret, si non voluntati ejus acquiesceret, suis militibus dissuadentibus & quasi jam casum ejus divinantibus, tamen annuit & deducentem subsecutus est, & cum jam ante introitum castelli nomine Vpladii venissent, Wicmannus conversus dixit ad alterum: Ecce contra voluntatem meorum militum hoc castellum ingredior, in eo quid mihi sit eventurum ignorans; sed Deo & nostræ fidei me medium interpono. Cumque ille vehementer admirans super Verbo hoc, dixisset, nihil incommodi Deo disponente, aut aversitatis; sed omnia, quæ suæ saluti & honori congruerent, sibi eventura. Ingressus est, uxorque Baldrici solo corpore, non animo, procedens plurimis verbis, ut mos est adulantium, illum suscepit. Sane quidem in singulis sententiis contra eam bellum suscipere videor, dum invitus, quæ de illa referuntur, necessario ordine exponere cogor. Illa statim, ut ingressus est, de morte hominis tractare cœpit, & primum venenis extinguere *ipsum* tentavit. Sed cum hoc nihil se proficere animadvertit, insciente marito, consilio cum duobus inito, uno ex militibus, & altero servo ipsius, perditis hominibus promissione firmata, datis dextris, ut eum quomodocunque interficerent, obtinuit. Tertio die, finito convivio, magno comitatu cum lætitia & jocunditate Baldricus deducit abeuntem. Quibus proficiscentibus quidam ex parte uxoris Baldrici intuens Wicmanni elegantiam & honestatem hominis, dixit ad socium: Tam prudentem virum, & tam probis moribus decoratum & tot virtutibus præclarum non facile quisquam repperiet. Cui alter respondit: Expecta paulisper & videbis istius invidissimi hominis gloriam in brevi perituram. Ex qua re colligitur vere contra eum factam conspirationem fuisse. Sed cum non longe miliario ab oppido progrederentur, & Wicmannus cum uno de sua re familiari secum agenti paululum præcederet, & sui ante eum per agrum sparsi nullam opinionem timoris habentes præcessissent, illi nefarii homines de improviso eum adgressi subito interficiunt, & rapido cursu se inde proripiunt: cumque concursus fieret & alius alium quidnam tumultus significaret clamosis vocibus percontaretur, & nemo [quid] certi, nondum re cognita, respondere potuisset; tandem cæde comperta, & cadaver sanguine conspersum juxta viam jacens cernerent, clamore & planctu magno sublato hoc scelus unanimiter in Baldricum conferebant: Tale ejus & consilium & fidem esse; Et quamvis innocens hujus consilii esset; nullus tamen ex omnibus adduci potuit, ut illum culpa non teneri arbitraretur; ita propter malitiam uxoris in odium ejus omnium fama consentiens erat. Baldricus vero, ut audivit Comitem esse occisum, animo consternebatur, lacrymis & multis gemitibus deflens interitum viri & metuens, ne contra se ex recenti dolore tumultus excitaretur, celeriter se recipit in oppidum.

XIII. DE VBLADIO DESTRVCTA.

Hac re ubique divulgata statim ab Domino Adelboldo Episcopo & Duce & cæteris amicis eorum legationes ad Imperatorem mittuntur, qui tunc cum exercitu in Burgundia morabatur, ab his de Wicmanni cæde cognoscat. Qui de morte amicissimi & familiarissimi viri vehementer commotus, auctorem cædis ut persequantur & bona ejus diripiant, jussit, seque illico venturum denunciat. Baldricus vero intelligens neminem aliter existimaturum, quam suo consilio hominem interemptum, propterea quod ab ipso domi invitatus fuerat, & oppido receperat & abeuntem deduxerat, & in præsentia sua necatus fuerat, gravi dolore afficiebatur, quid huic rei opponeret, excogitabat. Quem dolore mœrentem, uxor accedens, multis increpationibus arguebat, & ut constantiam & vires sumeret & desidiam deponeret, hortabatur. Hanc mollitiem animi vili mancipio potius, quam illi congruere dicebat, hocque æquiore animo ferendum docet, quod nullo remedio recuperari possit. Neque etiam dubitandum, quin sua ratione, & voluntate Comitem occisum illos arbitrandos & idcirco procul dubio credendum ultionem ab eis esse expetendam. Proinde opus esse, ut suæ suorumque saluti prospiceret & rebus suis tuendis summa cura invigilaret. His & aliis hujuscemodi verbis conjugis permotus & in majores angustias adductus commeatum in oppidum comportari jubet, ut si quid facto opus esset, sibi facultas resistendi non defuisset. Mittit nuntios Coloniam ad Archipræsulem, in cujus clientela erat, & ejus largitate beneficia multa tenebat. Illi rem gestam proponit; At ille auxilia sua sibi non defutura pollicitus est. Trajectum quoque mittens supplementa Episcopi exposcit, qui ejus adjutorem & amicum fore non posse demonstrat, nisi [se] Domino suo Imperatori Augusto de admisso scelere inculpabilem esse, fida satisfactione expurgaret. Hac spe dejectus, omnes

a quibus fidem & familiaritatem sperabat, ad suum auxilium convocat: & priusquam id efficeret, propinqui & omnes amici Wicmanni & maxime Adelboldus Trajectensis Episcopus, qui illi ex hac re omnium infensissimus factus est, hostem judicaverunt, & bona sua publicaverunt, summaque diligentia clam, ne id ad cognitionem ejus perveniat, legationes inter se mittere cœperunt, ut quisque, prout possit, copias cogat, & ad constitutam noctem & certum locum conveniant, & intra munitionem Baldricum, si fieri posset, obsideant. Quod cum a cupientibus celeriter administraretur, hostis consuetudine sua ante primam confectam vigiliam timens periculum obsessionis, oppido cum paucis egressus est. Qui in tenebris, conspectu adempto, hostes videre non potuit; sed exaudito tumultu adventantium perterritus celeri fuga evasit. Castellum obsidetur, omnes vici & privata ædificia ad se pertinentia ubique vastantur, & magno numero pecoris & cæterarum rerum potiuntur. Dein quæ ad pugnam præparaverant, expediunt: Summa vi ab utrisque certatur; sed oppidanos in hoc superari, quia cum multi accessissent, & defatigatis alii successissent, propter paucitatem defendentium ex his nihil ab eis fieri potuit. Mulieres quoque galeis capitibus superpositis per murum disposuerunt, & per eas speciem pugnantium præbuerunt, ut visa quasi copia armatorum desperationem oppidi potiundi hostibus darent. Talibus incommodis fatigati aliquot diebus ægre oppugnationem sustinent. Sed hæc sola res remedio illis erat, quod locus ex planitie natura paululum adclivis & aggere egregie elevatus & muro, quod in illis locis rarissimum est, circumdatus erat. Huic firmitati potius, quam sibi ipsis confidebant. Sed cum Imperatorem adpropinquasse cognoscerent, & ejus castra procul exstrui animadverterent, desperata salute de deditione ad hostes legatos miserunt: Quibus Adelboldus Episcopus & Bernhardus veniam dederunt, & uxorem Baldrici cum suis rebus omnibus abire permiserunt. Castellum vero muro diruto & subverso incendio consumpserunt.

XIV. DE RVODOLDO REGE BVRGVNDIONVM.

Imperator illis diebus in Burgundia, ut prædixi, cum exercitu hac de causa morabatur. Nam Ruodoldus Rex Burgundiæ propter mansuetudinem & innocentiam vitæ a quibusdam principibus suis contemptus est, unde & de regno expellere eum temptaverant. Qua necessitate compulsus, ad Imperatorem venit, illique causam omnem ordine exponit, & quia laborem & negotia regni diutius ferre non poterat, quia jam ætate provectus fuerat, regnum Imperatori tradidit, & amplissimis donis acceptis in patriam regressus est. Post hæc Imperator in Burgundiam profectus conventus, quos constituit, peregit, obsides accepit & rebus necessariis imperatis rediit. Hic vero, qui antea rebellionem fecerant, cum viderent Regem a negotiis regni alienatum & se a priori potestate submotos, & auctoritatem & gratiam inter civitates, in quibus dominari solebant, esse diminutam, venerunt ad Regem, & ejus pedibus provoluti se dediderunt, & omnibus rationibus de contemptu satisfacturos promiserunt, neque se unquam ab hoc animo revocari, quin semper suis imperiis sint obedientes. Vnum illud specialiter deprecari, ne alterius gentis regem super populum suum dominari pateretur. Legem hanc perpetuam Burgundionum esse, ut regem haberent, quem ipsi eligerent atque constituerent. Horum oratione placatus & satisfactione accepta Rex legatos ad Imperatorem mittit, dicens; adversarios suos ad se venisse, veniam de his, quæ in eum commiserant, postulasse, sibique dehinc sine ulla suspicione fore obedientes confirmasse. Petit, ut hanc gratiam sibi concedat, regni sui pristina potestate pro sua clementia se uti permittat. Imperator vero, quamvis sibi hoc videretur incommodum, tamen recolens propinquum suum summa necessitate coactum ad se venisse & regnum non tam voluntate, quam necessitate adductum sibi tradidisse, ne nimis inhumane contra eum egisse existimaretur, petitioni regis annuit, sibique regnum reddidit, & principibus suis, ut illi in omnibus obsecundantes essent, imperavit. Sed si quis in his, quæ nunc diximus, propter honorem Imperatoris in paucis verbis ab historiæ veritate me declinasse contenderit, quamvis ego nihil falsi mea conscientia, sed quæ plurimorum relatu didici, scripsissem, is profecto sciat, hoc tamen omnium testimonio verum esse, Burgundiones imprimis timore perterritos regi pristinam servitutem deinceps exhibuisse. Heinricus Burgundia rediens Munnam & omnia, quæ Wicmanni erant, Bernhardo Duci, ut filium suum parvulum nutriret, donec adolesceret, commisit.

XV. DE MVNNA CLAM TRADITA.

In Munna erat servus cujusdam partium Baldrici, ad fallendum valde callidus, hic nescio quo de crimine reus, Domino suo multis diebus fugitivus erat. Qui excogitato consilio posse Domino suo in hoc reconciliari, si castellum illi traderet, clam venit ad eum, certissime promittens, si eum sequi vellet, in medium Munnæ, absque ullo periculo deducturum. Ille autem, ut est consuetudo adolescentium, nimium in pollicitatione ejus exultans, magna ei promittit munera, &, ut quam celeriter id efficiat, hortatur. Ille vero fidem dat, se ita facturum, & ad constitutum tempus reseratis portis summo mane Dominum suum intromisit. Oppidani in lectulis adhuc somno gravati inopinato clamore hostium subito excitantur. Cumque per hospitia hac & illac discurrerent, & quo se reciperent, ignorarent, inermes capiuntur, uno tantum in prima occursione interfecto, cæteri omnes de castello expelluntur.

XVI. DE

XVI. DE EXPVLSIONE BALDRICI ET MVNNA DESTRVCTA.

Baldricus domo expulsus, & omnibus fortunis amissis ad sacerdotem Coloniensem abiit, qui ejus recentes calamitates commiserans sedem in civitate delegavit, stipendiumque constituit. Gerhardus quoque Mosellensis Hengibach illi accommodavit, ut quo se recipiat, habeat, & tutus ab hostibus existat. Munna vero, ut supra diximus, a suis capta, augebatur illi spes, sperans se per hanc casum suum & dolorem expiaturum, & pristinam salutem recuperaturum. Sed longe aliter res accidit. Nam Noviomago concilio indicto, cum multi advenissent, Imperator Munnam, ne aliquod incommodum aut præda ex ea regioni fieret, destrui jussit. Ad ejus destructionem Heribertum Archiepiscopum & Gerhardum Mosellensem, & alios multos misit, qui funditus ædificia omnia subruentes, ignem immiserunt, & spem omnibus ibi ulterius constituendæ munitionis ademerunt.

XVII. DE QVÆSTIONE HABITA CVM BALDRICO DE MORTE WICMANNI.

His factis rebus de nece Wicmanni cum Baldrico quæstionem habere instituit. Cumque ad hunc conventum multi adessent, Imperator Baldricum, publica data fide, advenire jussit. In quem, cum acerrimæ sententiæ proferrentur, & ille summo conatu se inculpabilem per omnes justitias, quas Imperator constitueret, demonstrare cuperet, Dux Godefridus & Bernhardus omnem purgationem sui faciendam legibus interdixerunt, propterea quod sæpius inter illum & Wicmannum pax sacramento firmata, semper ille prior discidium fecerit, & ideo ejus satisfactionem ulterius non recipiendam esse, qui convictus tam manifestis indiciis perjurus existeret. Cumque loqui conantem vocem ejus, ne causam suam diceret, interciperent & in eum frenderent, sævientes ob innocentis mortem & vix conspectum ejus ferrent, res jam pene in eo erat, ut militum manibus discerperetur. Cumque videret, se in arto positum & evadere posse diffideret, voce magna clamavit, petens auxilium Regis. Clamore ejus audito surrexit Rex, & extensa manu, ne publicam datam fidem læderet, ex manibus sævientium eripuit, & jam disperatum abire a facie ejus jussit. Quem Archiepiscopus suscipiens magna cura tuebatur, & ab hostibus vix ereptum Coloniam remisit. Qui posthinc triennium æger factus in Hengibach moritur, corpusque ejus in possessionem suam Sefleche defertur & ibi sepelitur.

XVIII. QVOMODO GEVEHARDVS IN MORTEM DVCTVS EST.

Post cujus mortem servus isdem, qui Munnam tradidit, venit ad Gevehardum, de quo supra diximus, promittens illi, si ejus consilio adquiescere & se sequi vellet, beatum facturum, ad suum castellum Hengibach, quod ei ex parte uxoris jure successit, deducturum, & sine vulnere liberam facultatem sibi potiundi daturum. Qui ad suam infelicitatem nimium credulus, verbis servi sine mora subsequitur euntem. Et cum per exploratores eum adpropinquasse cognitum est, Gerhardus, ut condictum erat, magnam multitudinem armatorum per officinas & conclavia oppidi abscondit, & quid sui sit consilii illis ostendit, & ipse in circuitu castelli in sylva cum aliis copiis delituit. Et cum Gevehardus in medium munitionis, quasi bos ad victimam deductus esset, subito omnes de turribus & habitaculis exilientes, portas obsistunt. Paucis primo concursu viso evasis, cæteri sunt occisi; Sed ille non segniter muro ascenso insidias de foris nesciens se præcipitavit & ægre membris collisus est. Gerhardus quoque accurrens porrecta manu collum ejus graviter ferit, his verbis: Seniorem tuum eodem modo cecidisti, en, habes, quod egisti. Dein ab illo, a quo Wicmannus cæsus est, adjuncto quodam servo Baldrici, confoditur, atque interficitur, sicque dum plus appetit, illud, quod habuit, cum vita amisit.

XIX. DE ECLIPSI LVNÆ ET SOLIS ET VISO COMETE.

Anno uno ante quam concilium Noviomago indictum esset, luna post mediam noctem hyberno tempore defecit, & Rege sequenti anno in eodem loco consistente in paschali hebdomada solis eclipsis facta est. Tertio quoque anno cometes in aquilonari parte cœli longissimis crinibus & pallida specie visus est. Sequuntur hoc signum multa bella, & in plurimis nationibus maximus sanguis hominum per prœlia fusus est.

XX. DE MERIWIDO A FRISIIS OBTENTA, ET DE TIELENSIBVS.

Antequam hoc prodigium in cœlo appareret circa littus Oceani bellum coortum est. Hujus belli hæc causa fuit: Pars Frisiorum, sedibus suis relictis, in sylva Meriuuido, de qua supra diximus, habitacula construentes consederant, & adjunctis sibi prædonibus magna mercatoribus dampna intulerant. Prædones vero eis postea subjugatis, singulis ad modum uniuscujusque culturæ ad extirpanda novalia terram diviserunt, eamque colere jusserunt, & sibi vectigales fecerunt. Vnde mercatores Tielenses, qui etiam specialiter præ cæteris facile ad quascunque querimonias excitandas accenduntur, crebro regem interpellabant ut pro sua gratia eos ab his injuriis defendat. Si id non faciat, neque se causa negotiandi in insulam venire, neque ad se Britannos commeari posse, & ideo vectigalia sibi, ut oportebat, plenius provenire non posse dicebant. Sed libet pauca, non detrahendo, sed ex intimo corde condolendo, hic inserere, quibus moribus & institutis isti Tielenses ab aliis vicis differant. Homines sunt duri, & pene nulla disciplina adsuefacti. Judicia non secundum legem, sed secundum volun-

tatem decernentes, & hoc ab Imperatore Karta traditum & confirmatum dicitur. Si quis quicquam ab alio mutuum sive accommodatum acceperit, & ille ad constitutas inducias rem suam repetit, constanti animo inficias it, & sine mora se nihil ab illo accepisse jurat, & si quis deprehensus fuerit publice pejurasse, a nullo redargui posse confirmant. Si rem quoque una manu tenuerit, si tantilla est, ut pugno includi possit, cum altera juramento denegabit. Si quis Dei fidelium apud Imperatorem intercedat, ut hæc scelera interdicat, ne tot animæ cotidie pereant, magnam profecto a Deo remunerationem sibi donandam sperare poterit. Adulterium in culpam non ducunt, quamdiu uxor tacuerit; virum per nefaria scelera sordescere licitum habent, & talia agentem neminem præter uxorem in synodo interpellare debere. Summo mane potationibus student, & quisquis ibi altiori voce turpes sermones ad excitandum risum & ad vinum indocile vulgus provocandum protulerit, magnam apud eos fert laudem. Siquidem ob hoc pecuniam simul conferunt, & hanc partitam singulis ad lucra distribuunt, & ex his quoscunque potus certis temporibus in anno cernunt & in celebrioribus festis quasi solempniter ebrietati inserviunt.

XXI. DE BELLO CONTRA FRISIOS ADHIBITO.

1018. Imperator vias mercatorum patefieri volens Adelbaldum Episcopum & Ducem Godefridum ad se vocans mandat ut Frisios adeant, eosque ab his sedibus, quas injuste occuparant, propellant & prædones submoveant. His mandatis acceptis immensam multitudinem cogunt, clarissimos quoque viros, & adprime in re militari instructos, qui tamen equitatui omni vita studebant, navi nihil poterant, secum adsciscunt. Cumque in unum convenissent omnem exercitum in navibus collocant, eoque, ubi Frisios cum coactis copiis audierant esse, contendunt. At illi, qui sylvam occupabant, ut compererunt per exploratores de adventu exercitus, reliquerunt domos, & ad eos, inter quos prædones munitiunculam construxerant, fuga se receperunt; At nostri cum tota classe pleno æstu accesserunt ad Flaridingun, sic enim hæc regio Frisiorum vocatur. In cujus littus cum exponerentur milites, dux cæteram omnem multitudinem egredi jussit, paucis relictis, qui naves in altum reducerent, ne iterum commutato æstu in arido consisterent, ut si quid opus esset eis liberi uti potuissent. Frisii, ubi eos campum audacter suis agminibus complere cernerent, & neque ab his, qui in munitione erant, ullum præsidium tum sperarent, eo quod illi circumjecta tanta multitudine nullum effugium haberent, editioribus locis in stationibus coadunati, quid consilii hostes caperent, expectabant. Hæc tamen res in loco eos continuerat, eo quod illos sine equis advenisse cognoverant, se autem labore cotidiano & rustica exercitatione pedibus plurimum posse confidebant, & si ab hostibus premantur, stabant ad fugam præparati atque expediti. Vna res erat illis magno usui, quod campum omnem fossis præfoderant sive ad defendendum majorem æstum maris, qui in plenilunio validior solet fieri, sive ad impediendum iter hostium. Quas cum duci videretur cum multitudine transeundas, jussit ut, qui signa ferebant, redirent, & circuitis fossis in locis planis consisterent, ut si Frisii dimicare vellent eos excipiendi expeditior facultas esset. Et cum exercitus ducis signa referre cœpissent, ortus est inter novissimos eorum clamor a quodam scelestissimo propinquo prædonum, dicens, ut quisque vitæ suæ consuleret, ducem in prima acie impetu Frisiorum pressum fuga prœlio cessisse. Hac falsa fama per exercitum perlata omnes in fugam versi sunt, & tanto timore sunt perterriti, ut nemine urguente in flumen se præcipitarent. Multi confisi viribus ad naves transnatare cupiebant, quas cum prehendissent, & in eas summo studio ascendere conarentur, multitudine circumstipante naves demersæ sunt. Et eo modo plures perierunt, quod quisque carum suum & propinquum in mortis natatu periclitasse conspiciens, dum subvenire illi vellet, circumfunditur innumerabile vulgus, navesque in profundum trahunt, & sic pariter omnes suffocati sunt. Pauci videntes hæc & timentes periculum submersionis, &, ut solet fieri, quod plerique in tali perturbatione non recipiunt miserationem, ne simili modo perirent, incitatis remis fugam accelerant. Cum plures vero metu & lassitudine & pondere armorum pressi, sicuti cursu intrabant, ita sub aqua recti & exanimati stabant. At hi qui in munitione erant, cum viderent concursum fieri & certatim se de littore in aquam præcipitari, animadverterant eos perturbatos fugam inisse, & mox nutu & vocibus de fuga eorum Frisiis significare cœperunt. Dux vero videns fugam multitudinis cum suis, stabat stupefactus, fortissimi quoque, quorum cor ut leonum erat, ita pavore solutum est, ut loco, in quo constiterant, se movere non possent, acciditque nescio quod divino judicio quasi inauditum miraculum, adeo ut Frisii, ex significatione oppidanorum evocati, accurrerent, & eos quasi saxa immobilia stantes interficerent, & ita Dei jussu sunt in suis membris obligati, ut nemo ex tanta copia clarissimorum virorum manum stricto gladio ad resistendum erigeret, vel scutum ad se protegendum opponeret. Quibus peremptis celeri cursu pervenerunt ad littus, & complures, qui per crepidinem littoris in aqua manibus reptabant, jaculis confodiunt. Alii namque, dum ducem solum stare conspicerent, circumsistunt, sed ille consumto spiritu fortiter restitit, & missa pila excepit: Vnum tamen a tergo se impetentem aversa hasta trajecit. Quo exanimato reliquorum impetum paul本 repressit. Interim prædones ex oppido jam læti de victoria subito erumpunt, omnia cadavera mortuorum perequitant, illuc, ubi ducem a multitudine circumdatum cernebant, contendunt. Quem cognitum & jam in adversum os vulneratum & pene desperatum statim ex periculo

culo eripiant, & cum paucis captis in castellum perducunt, pedibusque ejus provolvuntur, eique se dedunt, obsecrant, ut rebus suis consulat & apud Imperatorem & Episcopum Adelbaldum pro eis de negotio confecto interveniat. Quibus, cum dixisset, omnia, quæ ab eo postularent, sese facturum, tantum, ut ipsum & cæteros qui superessent & capti erant illæsos abire permitterent, responderunt; magnas inimicitias parentum & propinquorum illorum, qui occubuerant, ipsos incurrisse. Si impunitatem illius facti juramento sibi confirment, ut nullam unquam vindictam ab ipsis exigant, sese facturos, quæ postularet, ostenderunt. Cumque Dux hæc laudaret, constituunt diem & locum, quando hæc omnia fieri debeant. illos autem qui capti fuerant usque ad inducias condictas in vinculis retinent, Ducem abire permittunt. Quo abeunte irruerunt super occisos & obliti omnis humanitatis omnia corpora vestimentis exuerunt, ut nec pannum quidem relinquerent, quo verenda tegerentur. De his quoque hæc feruntur, quod quædam corpora horum longe in altum ab incolis propter fœtorem expulsa, ab avibus & bestiis & marinis feris, quæ cupidissimæ humanorum cadaverum sunt, illæsa & intacta permanserint. Et dum iterum ad littus per æstum projicerentur per duo miliaria aut amplius candor eorum visus est, quasi littus candidissimis linteis esset expansum. Hoc quoque in ejus rei testimonium dicatur, quod novem corpora illorum Calendis Decembris adhuc colligata in quadam ripa sunt reperta, ita integra ut pene nulla putredo in eis investigari posset, quamvis cædes IV. Kal. Augusti facta fuisset.

XXII. DE CLERICO JVDÆO FACTO.

Superius me promisi relaturum de illo apostata, qui relicta religione clericatus in perfidorum voraginem incidit Judæorum. Sed in ipsa promissione exsolvenda totus contremisco, & horrentibus pilis capitis terrore concutior, diabolum potuisse homini persuadere, ut tantas sordes ausus esset contra Christum & Sanctos ejus jactasse. Scripserat enim funestis litteris infelicissimus ille:

XXIII. SCRIPTA IPSIVS APOSTATÆ.

Quid contradicis justo insipiens? Lege Abacuc Prophetam, in quo Deus dixit: Ego sum Deus & non mutor. Si ille secundum vestram maledictam fidem mutaretur, & mulieri commisceretur, principium verborum suorum non esset veritas. Dixit Dominus ad Moysen: Non enim videbit me homo, & vivere potest. Quem filium hominis prætermisit? Dicit enim David Propheta: Nolite confidere in principibus in filiis hominum, in quibus nulla est salus. Et Ezechiel: Maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, erit enim quasi miricæ in deserto, & non videbit fructum, cum venerit bonum. Quid contra hiscis animal? Quem filium hominis prætermisit? Num Petrum & Johannem atque Martinum & alios dæmones, quos Sanctos vocatis? In omnibus locis legitur Deus Israel, & non est Deus gentium. Vbi est vester sensus? Dicit David: Memor erit Dominus in seculum testamenti sui verbi, quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham & juramenti sui ad Isaac, hoc est lex sua sancta & circumcisio, quam dedit Moysi servo suo.

Respondere calumpniæ tuæ, o Judæe incredule, quam ex blasphemo ore in Christum ejusque Sanctos nunc noviter evomuisti, cuique in militia Christiana instructo facile esset, si non facilius esset, saxa in mollitiem posse converti, quam corda vestra ad recipiendam veritatem discindi, quippe cum & illa auctorem suum morientem scissa recognoverint, & tamen adhuc insensibilitas cordis vestri quamvis elisa, quamvis postrata in duricia inveteratæ iniquitatis perseveret, & licet per coæternam Dei sapientiam, qua mundus & mirabiliter est conditus, & mirabilius reformatus, obstructum est os loquentium inique & iniquitas vestra mentita sit sibi, toto seculo verbisque Prophetarum & exemplis sanctorum eluceat, quam sit dampnata infidelitatis vestræ cœca impietas, & quam glorificata assumtæ in Christo mortalitatis infirmitas; tamen quoniam adhuc non desperat de machinationibus suis Judaicæ malignitatis obstinata improbitas, & ad confutandam Christianam religionem scelerato fastu immurmurat, & per exempla patrum dictaque Prophetarum stantem florentemque Ecclesiam ipsa jam totiens devicta & omnino prostrata iterum ad certamen provocat; Aggrediamur eos dante & juvante ipsa Dei sapientia, verbo Dei Dei filio, eoque primum lapide lapidea corda feriamus, quem Daniel propheta, ut dicitis, vester, immo noster vidit sine manibus de monte concidi, & implere universum mundum. De quo etiam & David dicit: Eructavit cor meum verbum bonum. Idemque: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Idemque: Omnia in sapientia fecisti. Et Salomon: Dominus possedit me initio viarum suarum. Sed quoniam non de æterna Christi nativitate, in qua semper fuit patri æqualis; sed de temporali, in qua sicut David clamat: Minoratus est paulo minus ab angelis; cum Judæo nobis sermo est. Audiamus quid dicat, & objectioni ejus consequenter respondeamus. Dicis Judæe: Quare contradicis justo insipiens? Primum velim mihi respondeas, quem dicis justum, te aut prophetam? Si prophetam, assentior, tantum in eo, quod illi me non contradicere ostendam, te mentitum esse jure convincam. Si vero te dicis justum, quem constat prius esse mentitum; nescio, quo pacto obtinebis justitiam, quem mendacii polluit macula. Neque legis tuæ congruenter simul poteris esse assertor & prævaricator dicentis: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Quod si, uti præmisi, Prophetæ non contradicam, cum ipse pro me dicat, & quæ tu tibi contra me com-

comparaveris arma, his tibi lethalia infligam vulnera, quoniam intulisti proximo tuo falsum testimonium contra legis præceptum; legis incurres reatum, reatus autem trahet te ad pœnam, pœna vero perducet te usque ad mortem. Sed videamus sequentia. Infelix Judæe, quem vocas insipientem? Num nos credentes in crucifixum, qui factus quidem est vobis lapis offensionis, & petra scandali? Quoniam quidem lapidem, quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in c. a. A Domino factum est istud & est miraculum in oculis nostris. Ergo nos insipientes & vos sapientes estis? Tamen per stultitiam prædicationis jam mundi superbia cecidit & in frontibus regum crucis videtis tropheum. Quia quæ stulta mundi sunt, elegit Deus, ut confundat fortia. Ac per hoc libenter amplectimur stultitiam crucis Christi, quoniam credimus, nos perventuros ad Gloriam Christi. Sed, quid surdo narro fabulam? aut quid cæco appono lumen? vel Judæo Evangelium prædico? Redeamus ad sequentia. Inquis: Lege Abacuc Prophetam, non in quo, ut tu dicis, sed per quem ipse Deus dicit: Ego sum Deus & non mutor. Præmisi tibi, Judæe, testimonio Abacuc nullatenus me contradicere, & non solum Abacuc, sed & omnium Prophetarum & legis documenta me dico suscipere; quia eum colo, qui non venit legem solvere, sed adimplere. Dixit Deus per Abacuc: Ego sum Deus & non mutor, & hoc firmiter credit Christiana religio. Quod vero subsecutus es: Si ille secundum vestram maledlctam fidem mutaretur, & mulieri commisceretur, principium verborum suorum non esset veritas; quid mirum est, cum cæcus sis, si non vides lucem illam, quam non vident, nisi qui mundo sunt corde. Immo cum etiam more frenetici contra medicum resilias, & sanare te volenti maledicta & convitia opponas? Tam enim excelsa & profunda sunt incarnationis Christi mysteria, quomodo verbum Dei incommutabiliter apud Deum patrem semper manens carnem de virgine sumpsit, naturamque nostram suæ univit; quod nemo hæc capit, nisi qui spiritualiter sapit. Nemo sapit nisi Deo donante capiat, quo donante credit, qui nondum capit. Nisi enim credideritis, inquit Propheta, non intelligetis. Ergo credenti colligitur meritum, videnti reddetur præmium; quoniam si vides, non est fides: quamdiu enim peregrinamur in hujus mundi tenebris, fide mundantur corda eorum, qui Deum visuri sunt. Hac itaque fide, qua Dei filius etiam hominis filius prædicatur, quosdam vestrorum mundanos longe ante Deus prædixerat per Prophetam Ezechiel, dicens: Et erit in novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem & effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor carneum, & cætera; quibus evidenter ostenditur, in quibusdam vestrum abstulisse Deus de cordibus velamen, ut spiritu Dei agente fide præparentur corda multorum ad suscipiendam aquam salutarem, in emundationem omnium peccatorum; quosdam vero obcæcari & in infidelitatis errore remansuros; sicut per alium prophetam scriptum est: Excæcans excæcabo corda eorum, ne videant lumen. Vnde, o Judæe, cum tu palpabilibus tenebris obcæcatus sis, quomodo te putas posse advertere, qualiter Deus sine ulla sui commutatione mulieri non ut tu, perfide, garris, commisceretur; sed de carne mulieris corpus sibi fabricaret, quoniam divinitas verbi Dei in unitatem sibi personæ assumeret, ita ut nec divinitas in carnis passibilitatem, nec humanitas in divinitatem transiret, essetque tamen & filius Dei homo propter assumptum hominem & filius hominis Deus propter assumentem Deum. Prædixerit tibi propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Crede & intelliges. Et roga Deum, ut tollat velamen, ut auferat cor lapideum. Rogamus etiam & nos pro vobis, invitis vobis. Sed quoniam Judæus nec rationem recipit nec prædicationem nostram [intelliget,] nisi Deus tollat velamen: scio enim ejus cervicem durissimam. Occurramus ei oraculis prophetarum, ut vel sic credat, vel sic confusus recedat. Quod carnem Christus de virgine esset sumturus prædixit Esaias: Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Quod de tribu Juda esset nasciturus & spiritu Dei replendus, idem ipse ait: Exiet virga de radice Jesse & fructum dabit ramus ejus a & requiescet super eam Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replevit eam Spiritus timoris Domini. Quod inter hostes conversari deberet, prædixit Jheremias: Hic Deus noster & non æstimabitur alius præter eum, & post pauca: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, quod pro nobis pati deberet. Item Esaias: Vulneratus est propter iniquitates nostras, & multa alia de illo protulerunt, quibus aperte edocetur omnem dominicam conversationem inter nos a tempore incarnationis usque ad ascensionis concordare testimoniis illorum. Quid contra hæc dicis scelefte? nisi forte opponas mendacium quod ex patre diabolo est. Sic idem Dominus noster JESVS CHRISTVS dixit: Vos ex patre Diabolo estis & opera patris vestri facitis. Ecce quoniam ratione & exemplis responsum est tibi breviter, quod Deus immutabilis permanet, & tamen carnem sumpsit ex virgine; Nunc ad sequentia redeamus: Dixit Deus ad Moysen: Non enim videbit me homo & vivere potest. Hic interrogo Judæe, qui semper sequeris decidentem litteram & non vivificantem Spiritum, quomodo putas? posse hominem videre Deum, an non posse putas? Si posse? utrum corporalibus oculis, an mente?

te? Si corporalibus oculis, absurdum satis videtur; siquidem cum ille incircumscriptus spiritus, nec mole distenditur, nec loco continetur, nec tempore movetur, atque omnia late patet, quum infirmus sit humanus intuitus, si mente non videtur, impossibile, si tamen munda. Promissum nobis enim est, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Si non posse, quomodo erit verum, quia dictante veritate David dixit: Quærite Dominum & confirmamini q f e f Num non hominibus loquebatur David, quorum mentes ad exquirendam Domini faciem excitabat? Num quidnam veritas & præco veritatis dissentient? Non plane quidem intelligentibus. Item quæro, si videre homo Deum possit & vivere, annon? Si videre potest & vivere, quomodo erit verum, quod Deus dixit: Non enim videbit me homo & vivere potest. Si vero non potest, ut hoc verum esse possit, quomodo erit verum, quod Jacob dixit: Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Et Esaias: Vidi Dominum Sabaoth oculis meis. Quomodo prædicabunt contraria & veritas & prophetæ veritatis? Sed quoniam stoliditas vestra in vetustate literæ & non in novitate Spiritus ambulabat, ex eo cœci incurritis offendiculum, unde luminis possetis habere ducatum. Ac per hoc nos, qui æterni luminis suscepimus veritatem, Judaicæ coecitatis discindamus errorem, ut & fidelibus mentibus propositæ quæstionis pateat veritas, & illi audientes non intelligant, & videntes cœci fiant. Dixit Deus ad Moysen: Non enim videbit me homo & vivere potest, quod ita intelligi potest, quamdiu homo in isto mortali corpore, quod corrumpitur & aggravat animam, vivit, Deum videre non potest sicuti est in natura divinitatis, nec corporeis oculis nec ipsa etiam mente, quamvis munda & ab omni pene vitiorum labe purgata. Quæ etiamsi divina jam sit contemplatione, minus tamen habet ad summam, quod aliquam maculam contrahit ex mortalitate & ideo homo Deum non potest videre & vivere, quousque secundum hominem vivit & secundum Deum minime, & sibi non moritur, ut vivat Deo. Sed quomodo in regione mortis, ut ita dicam, mortaliter vivens Deum, qui vera vita est, & homo videret aut quæreret, nisi misericorditer inclinata vita ad mortuos descendisset? Mortui enim eramus, ex quo a facie Dei ex illa prima prævaricatione in Adam omnes cecidimus. Quapropter, miserata mortalitatem nostra diabolica fraude deceptam, ad nos vita velata carne descendit, quia non aliter inaccessibilem lucem infirmitas carnis ferre valeret, nisi eadem vita carne se velaret, per oppositionem carnis monstraret nobis lucem divinitatis, quod quasi jam factum Esaias ante prædixit: Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est &c. Hanc ergo lucem uterque Jacob & Esaias non corporalibus oculis, sed spiritualibus vidit. Atque ex hac visione in vocem exultationis alter eorum prorupit, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem & salva facta est anima mea. Intellexerat enim Deum dixisse ad Moysen: Non enim videbit me homo & vivere potest; quasi de salute animæ suæ desperasset, si non per prophetæ mysterium Deum, qui ab homine videri non poterat, per assumptionem carnis videri posse cognosceret: unde quia vidit, clamavit: vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea & in spem salutis assumpsit. Vnde per assumptæ mortalitatis speciem salutem, exspectationem mundi, per carnis suæ probationem venturam mundo cognovit. Quod & in benedictione filiorum prædicendo expressit, dicens: Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femoribus ejus, donec veniat, qui mittendus est, & in eo erit gaudium. De quo etiam Esaias ait: Super quem continebunt Reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur. Nunc quid contradicis, Judæe, cur vocas nos animalia? Ecce nos animalia ejus, de quo dixit Abacuc in medio duorum animalium cognosceris. Non ut tu improperas, hiscimus, sed ut rationabilia animalia respondemus; Quod vero prosecutus es dixisse David: Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus, ac per hoc nullum filium hominis prætermisisse, ut ex prophetæ testimonio injuriam clam videaris facere Christo. Sed aperte servos ejus blasphemas, quasi non injuria servi ad contemtum respiciat Domini. Respondemus ad hæc dicentes cum Propheta: Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniqua i & in a Et spem nostram in hominem non ponimus sed in Deum & in Christum ejus, quem Deum & hominem veraciter credimus, eumque Deum & filium Dei esse prophetarum vestrorum testimoniis comprobavimus. Petrum vero & Johannem atque Martinum non Dæmones, sed expulsores Dæmonum fideliter confitemur, & hoc verum esse certis indiciis usque hodie cernimus, non in eis spem nostram ponentes, sed spem nostram apud Deum eorum intercessionibus commendantes. Quod vero dixisti, in omnibus locis legitur Deus Israel & non Deus gentium: Refellit te Deus per David dicens ad filium: Postula a me & dabo tibi gentes h t & p t t t. Idemque ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes tibi terræ. Si vero gentes hæreditas Dei sunt, nescio, qualiter non sit Deus earum, cujus hæreditas sunt. In hoc namque, quod sub requisitione nostri sensus innectis, memorem fieri Dominum testamenti sui verbi, quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, propinquius tuo noster sensus veritati concordat. Quomodo hic intelligis in mille generationes? Si replices generationes ab exordio mundi, non invenies mille; sed quia in scripturis sacris sæpe finitum pro infinito ponitur, mille generationes omnes generationes accipiendæ sunt, ut consequen-

sequenter verum sit juramentum ad Abraham dispositum, quod in semine tuo benedicentur omnes gentes, id est, in Christo.

XXIV. [DE DEODERICI EP. METENSIS REBVS.]

977. Hujus itaque temporibus Lotharius Rex Francorum in partem Belgarum, regnique quod sub imperio Ottonis Cæsaris erat, animum intendit, ut suæ ditioni Rhenum usque sibi subjugaret. Nam dum forte Aquis Otto Cæsar ad conventus agendos tutus & omni timore sublato consisteret, & id per exploratores Lothario regi enunciatum esset; magnis itineribus ad eum contendit, & de improviso prope castra accessit, ut Imperatori vix facultas sui recipiendi relinqueretur, atque in fuga acceleranda emolumenta essent multa relicta, quæ omnia prædæ hostibus fuerant. Hac felicitate Rex sublevatus spem suis augere & audacius crebras incursiones agere, Mettimque usque proficiscitur; sed nulla re nave facta probrosus rediit. Et sicut ex felicitate obrepit insolentia, sic item ex eadem aliquando desidia mentis oriri solet. Præsul itaque Deodericus, quamvis inanes incursus regis forent, tamen ejus ineptiæ, ut reprimerentur, statuit. Vnde literis cum legatis ad Ottonem Cæsarem missis, de his rebus eum certiorem facit, dicitque in tanto imperio suo non debere eum hanc contumeliam diutius pati sibi populisque ejus fieri. Quibus auditis sibi eam rem Imperator curæ necessario æstimavit esse. Consuesse enim Francos regno ejus impetus & rapinas facere, detrimenti & contumeliæ illi esse judicavit. Convocatis itaque cunctis Principibus, de illatis sibi injuriis a Rege conquestus est, hi omnes consilio dato armis illi obviandum esse dicebant. Quorum omnium consensu suscipit negotium & ex omni parte imperii sui, etiam ex Italia innumerabilis multitudinis cogit exercitum, usque Parisios perrexit, & vastata regione sine ullius congressione rediit. Erat tum temporis in Francia vir sanctitate & spiritalis, cui divinitus revelatum omnes, consilio quorum actum est, ut exercitus in Franciam duceretur, infra VII. annorum circulos esse morituros. Cujus Prophetiam ita completam colligimus; Nam dum Francia reversus est mox in secundo anno post Imperator in Calabria contra Græcos duxit exercitum, ubi dum inconsulte & nimia celeritate, neque ut res prælii exposcit, pugnam commisit, omnis nobilitas nostri exercitus gladio & æstu nimii caloris & siti periit, nec unus quidem ex eis superfuit, qui facta posteris nuntiaret. Quo rumore ad aures Reginæ Theuphanu perlato, quæ ab Imperatore Rohsan relicta fuerat, statim procaci locutione, ut fert levitas mulierum, conterrales suos, erat enim de Græcia, ad cœlum extollere exitumque adversi prœlii cum summo probro ad derogationem Imperatoris intorquere, qui tanta frequenter virtute laudatus, a suis tam facile sit superatus. Præsul Deodericus auditis Reginæ contumeliarum verbis, multum, ut dignum erat, contra eam movetur: & cum de amicissimi & reverendissimi Domini adversitatibus, tum suorum delectorum militum & cæterorum amicorum, qui occubuerant, maximo dolore affligitur; tamen procacitatem & contumeliam reginæ oblivioni non dedit. Hoc ultione divina actum, secundum prædictum sancti illius hominis, a multis credebatur, ut qui in vastationem regni Francorum consilium dederant, ipsi in peregrinis terris sepultura & omnium amicorum solatiis carerent. Ipse vero Otto Cæsar temerario cursu cum paucis ad naves Græcorum pugnaturus advolavit, a quibus circumseptus, & nullus ei locus evadendi patuit, in mare cum equo insilivit. Super quem tamdiu sedit, donec indumenta omnia, quibus indutus erat, gladio discinderet, ut se ad natandum expeditiorem aptaret. A longe vero aspiciens navim, ad quam summo conatu, erat enim peritissimus, natatu tendere cupiebat. Quem nautæ natantem cernentes captum traxerunt in navim. Erat enim quidam in navi cum eis ex natione Sclavorum notus Imperatori, qui mox paludamentum, quo erat indutus, exuens, ut eo indueretur & nuda membra obtegeret, tradidit, & nutu, quo poterat innuit, suspicionem nautis adimeret, ne animadverent ipsum, qui esset, esse. Is etiam adprime persuasionis eloquio idoneus, ait, si monitis suis aurem præberent, & consiliis obsecundarent, fortunatissimos in brevi futuros; non longe hinc abesse Rohtsan civitatem, in quam omnes thesauri Ottonis Cæsaris sub istius, qui cubicularius ejus est, custodia retinentur, quorum maximam partem vobis dandam profecto noveritis, hunc si illuc duxeritis, & libertatem frui permiseritis. His auditis, & invicem se circumspicientibus & multa ad hæc inter se conferentibus, tandem, ut est mos humanæ cupiditatis, spe pecuniæ illecti, si quæ pollicitaveris, ajunt, re perpetraveris, hortationem consilii tui sine dilatione aggredimur. Huic pollicitationi, inquit, me ipsum & fidem interpono. Nautæ videntes constantiam promissoris, de cujus ore pendebant, semet ipsos cohortabantur, dicentes, extremæ dementiæ esse, ea quæ jure ab eis pro redemtione captivi accipienda essent e manibus amittere. Mox impulsa navi venerunt ad prædictam locum Rohsan civitatem, & applicuerunt. Ductor vero eorum cernens omnia sub animi sui voluntate esse convoluta, lætus surgit, paucis cohortatur nautas; & ut securi ejus reditum expectarent, præcepit: Se iturum & celeriter subsecuturos, captivi cum pecunia, quam promiserat, adventurum. Qui festinus ingressus civitatem Deodericum Pontificem reperit, qui, Imperatore proficiscente ad prœlium, ibi cum Regina Theophanu relictus erat, illique omnem rei ordinem expromit, & id cum summo silentio supprimat, monet & ad eum mox veniat, nullum secum si Imperatorem salvum recipere cupit, præter duos virtute probatos milites


milites sumat. Episcopus gavisus de incolumitate Regis Domini sui, Ituponi, & Richizoni militibus suis, secum pergant, jussit. Se foras muros civitatis, situs locorum & ædificia domorum visendi gratia procedere velle, & exiens altitudinem navis conspexerat, erat enim miro opere secundum Græcorum morem constructa, & subtili intuitu introitum ejus exploravit, & tandem nisu quo potuit, difficilem ejus ascensum superavit. Conspicatur ergo Dominum longe ab honore regio sedentem, & manibus applosis elevata voce clamavit, Rexque illico haud segniter foras exiluit. Nautæ vero primum familiaris captivi pecuniam portantes arbitrati sunt; sed cum aliter ac rati erant, accidisset, arma capere hostibusque resistere temptabant. Milites vero prædicti Itupo & Richezo Episcopum, ut celerrime exiret, admonebant, cunctantem ob timorem submersionis, ut etiam veste scissa de navi ejecerint, magnoque impetu strictis gladiis in nautas facto, alios interficiunt, alios sauciant; alii sub transtra delituunt, alii certatim se de navi ejiciunt, & cum periculo vitæ pelago se crediderunt. Rex vero innectens nudis pedibus calcaria & ascenso equo omnes traxit ad terram. Quibus necessariis liberalitate regia sufficienter attributis & copiosissima pecunia ditatos abire cum pace permisit. Ipse autem cum Deoderico præsule Romam rediit, ibique æger non post multos dies moritur, apud Sanctum Petrum in Paradiso juxta Oratorium Sanctæ Mariæ honorifice cum maximo fletu totius urbis sepelitur. His ita gestis Deodericus Præsul parata profectione, iter domum proficiscendi arripuit, & memor Reginæ improperii adversus Cæsarem prolati, secum volvere cœpit, qualiter illi sub occasione filii regnandi jura subtraheret. Hæc cogitanti res opportuna, ut sibi videbatur, sed absque prædestinatione Dei accidit. Erat quidam Noricus nomine Heinricus, vir magnarum opum desiderio regnandi inductus. Quoscunque potuit, adiit, persuadetque, communem cum eo causam statuant. Multis largitionibus datis facile eos ad suam sententiam perduxit. Plurimi his persuasionibus illecti se ei dediderunt & eum sub se regem nominaverunt. Vbi hæc a narrantibus præsuli nunciata sunt, devertens ab itinere ad eum profectus est, a quo & magnifice suscipitur, &, causa inter eos diu agitata, dolis Pseudoregis, erat enim astutus eloquio, Præsul circumvenitur, oblatis donis eximiis & pluriora cum maxima potestate regni pollicens electionem & deditionem fecit, & ad cœptum iter reversus est. Cumque hoc factum late per populos percrebesceret, prorsus erat nullus summus neque minimus, qui ejus acta non detestaretur: cum eum locum gratiæ apud Imperatorem teneret, ut nemo in omni regno potentia, consilio & familiaritate Regis eum præcederet, non debere eum tantum facinus contra omnium opinionem adversus filium Regis committere. Sicque factum est, ut dum repentinæ suæ temeritati consulere noluit, multorum ad sui derogationem ora aperuit. Denique, cum plurimis principibus ejus consilium displicere comperit, quia his insciis hæc omnia egerat, magno dolore affectus domi se continuit & nusquam digrediens transgressionem suam occulte! secum miserebatur. Post non multum temporis ægritudine superatus in lectum decidit, & circa quintum prædictorum VII. annorum decessit, & in cœnobio Sancti Vincentii, quod ipse construxit & innumeris atque amplissimis accumulavit ornamentis, tumulatus est. Hæc in extrema nostri Præsulis ætate acta ab eo, qui in ejus erat assidue obsequiis, cognita, confeci, non comparantia ejus superioribus gestis ab illo gloriosissime peractis, quæ quia pleniter nota erant, a nobis prætetita sunt. Verum aliqui quadam miseratione animi mirari solent, quomodo vir talis ac tot virtutibus præditus ab statu suæ auctoritatis tam facile deviare potuisset, ut regi prædicto tam repente sine consilio suorum se subderet. Huic admirationi responsio nostra hac excusatione facile medebitur; Recenti enim calamitate atque dolore vehementi, quo premebatur ex amicissimi & conjunctissimi viri morte destitutus & afflictus, & Reginæ comprobriis stimulatus, simulque Regis prædicti assentationibus seductus pene obliviscitur sui, & animo in diversa distracto, quid ageret incertus erat. Sed tum non deerat ei verissimi scientia & ratio consilii, quibus semper præ omnibus pollebat. Quin id in brevi resarciri & ad suam pristinam perducere posset dignitatem, illi diutius si vivere licuisset. Verum dum omnium virorum nostrorum causas sublimium considero, nihil in eis reperio, quod non ejus vitæ elegantia superet. Et hic quisque etiam crimen arrogantiæ subit, si existimet, se vitæ Theoderici cujusque judicio posse comparari. Multi namque non a seipsis, sed ex aliorum beneficiis vel etiam rapinis locupletes & clari effecti; Deodericus vero longe aliter generositate parentum & excellentia majorum ex innata quoque copia magna prædiorum clarissimus habetur. Aliter enim vires ejus magnitudinis ab ineunte ætate secum crescere & suæ gloriam potentiæ usque in finem vitæ apud se consistere impossibile esset. Quam frequens & sedulus circa suæ salutem animæ fuerit, testimonium est Oratorium Sancti Vincentii, de quo supra dictum est; in insula Mosellæ fluminis foras muros Mettis civitatis opere magnifico ab eo constructum, in quod etiam plurimorum corpora Sanctorum, e longinquis regionibus pio studio advecta, congessit. Quicquid etiam facultatis cœnobio & congregationi divinis sibi obsequiis insistentibus contulit, papæ Romanæ sedis, præsente Cæsare Ottone secundo, auctoritate sub anathemate stabilivit. Denique de his omnibus Papa privilegium conscribi jussit, &, Præsule rogante, dalmaticam & sandalia Abbati Sancti Vincentii misit, ut semper Abbas loci illius, absente

Episcopo, divinum officium vice sua in sede episcopali in domo Sancti Stephani Protomartyris peregisset. Hoc opusculum ego Alpertus, nec inter servos Dei nominandus de Præsule nostro digessi, tibique, Sancte Pater Constantine, ad corrigendum direxi, ne æmulus, si quis est, qui dormitando sacri vigilantia abhorret studii, amplectatur, quæ ægri torporem otii, aliquid in eis ad detrahendum reperiat. Sin autem adhuc post emendationem pertinatiam deponere noluerit, sumat sibi solatio tua licentia & meo affectu caninam licentiam, ut vel sic, inconvenienti sono deditus, ridiculum præbeat legentibus.

XXV. [PROPHETIA DE ADALBERONIS II. EP. MET. SVCCESSORE.]

Item Adalbero ann. XXII. Verba Sancti Angeli brevia & obscura solent esse, ut in his indagandis piæ mentes delectabiliter exerceantur. Ecce etenim dicit: item Adalbero: quasi diceret; Istum superiori esse similem & nomine & vita, ut qui concordabit nomine, non discrepabit operatione. Dicitur autem utrosque Episcopos devotissimos in curis pauperum extitisse & in extruendis & regendis Ecclesiis sine defectu perseverasse, unde & nomine & vita merito ab angelo coæquari meruerunt. Hæc litera illius nomini, qui in sede nunc substitutus est, minime, ut perspicuum est, congruit; unde & multi opinantur, illum in numero Pontificum non computandum, sed propter transgressionem populi suppositum, & tamdiu, quoad ille venerit, qui literam prænotatam portaverit, Episcopatum cessare dicunt; sed nos etiam ad nostram opinionem mittamus manum: Nam existimamus A positam quasi alter Deodericus, in quo nos quæstio obscura eo angustat; Cur non Angelus dixerit: item Deodericus; sicut de superioribus dixerat. Denique hujus sermonis occulta dum enodare cupimus, occurrit animo, quasi ob duas significationes alterum posuisse aut ex computatione numeri, qua dominus unus, alter, tertius, aut ex discretione alterius vitæ, ut nomine æquivocos, sed vita dissimiles futuros innotesceret. Nemo tamen nostrum vitam illorum discutere poterit, quia solus Deus corda mortalium intuetur & actus etiam sublimium, qui a nobis alioquin vel adulatione, vel amore, vel etiam ignorantia venerantur, coram oculis Dei districtioris judicii sententia examinantur. Illius itaque nomen Redemptor noster novit, quem omni cura ovibus commissis factis laudabilis conversationis & virtutum exemplis secundum dignitatem apostolicam præsidere cognovit.

EXPLICIT ALBERTI DE DIVERSITATE TEMPORVM LIBER.



X. ANNA-

X.
ANNALISTA SAXO
AB INITIO REGNI FRANCORUM
Usque ad annum 1139. res gestas enarrans.


INCIPIT HISTORIA FRANCORUM.

ANno Dominicæ incarnationis VIICXLI. Karolus filius Pipini Major domus & bellicosissimus Dux Francorum obiit anno XXVI. principatus sui, postquam Gothis superatis, Saxonibus & Fresonibus subactis, expulsis Sarracenis, provincialibus receptis, pacem & quietem regno Francorum reddiderat. Reliquit filios tres Pippinum, Karlomannum & Grifonem, quorum Gripho, qui ceteris natu minor erat, matrem nomine Suanehildem habebat neptem Odilonis Ducis Bavvariorum, hæc illum maligno consilio ad spem totius regni incitavit in tantum, ut sine dilatione Laudunum civitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret, qui celeriter exercitu collecto Laudunum obsidentes fratrem in deditionem accipiunt, atque inde ad ordinandum regnum ac provincias, quæ post mortem patris a Francorum societate desciverant, recuperandas, animos intendunt, & ut in externa profecti domi omnia tuta dimitterent, Karlomannum Griphonem in novo castello, quod juxta Arvernum situm est, custodiri fecit, in qua custodia usque ad id tempus, quo idem Karlomannus Romam profectus est, dicitur permansisse.

Eo tempore Bonifacius vir sanctissimus a Præsule sedis Apostolicæ Mogontiacæ civitati Metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatus & legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam missus & nominis, quod est Bonifacius, accipit dignitatem. Nam antea Winfrid dicebatur, qui Hessorum gentem a variis superstitionibus correxit. Apud quos etiam arborem quamdam miræ magnitudinis, quæ appellata erat robur Jovis, in loco qui dicitur Geismere, succidit. Thuringorum etiam & Austrasiorum populos ad fidem rectam, a qua diu aberraverant, convertit; monasteria quoque monachorum & virginum primus in partibus Germaniæ instituit. Quemdam etiam Scismaticum hæretica pravitate deceptum nomine Ernulfum juxta Canonum decreta damnavit; Generalem Synodum sub Karlomanno & Pippino gloriosis ducibus Mogontiæ adunavit, ubi & Ecclesiæ privilegia redintegravit & Canonum Instituta renovavit; Consulens etiam suæ imbecillitati duos bonæ industriæ Viros ad ordinem Episcopatus promovit, Willibaldum & Burchardum; & Willibaldo suæ gubernationis parrochiam commendavit in loco cujus est vocabulum Eestad; Burchardum vero in loco cujus est vocabulum Wirceburch, ubi & sedem Episcopalem constituit, annuente Karlomanno & auctoritate apostolici Papæ.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXLII. Zacharias Papa, sedit annos X. menses III. dies XV. hic Episcopis Ducibus Comitibus omnibus Deum timentibus per Gallias & Francorum provincias constitutis epistolam scripsit, in qua eos monuit, ut falsos & Scismaticos, homicidas & fornicarios sacerdotes ab ipsis expellerent. Sunt igitur a temporibus Beati Petri Apostoli usque ad hunc Zachariam anni VCCIII. menses VIII. dies XXVI. quibus si addamus XV annos Octaviani, XXIII Tiberii, III Gai, similiter III Claudii, quia quarto Claudii anno Petrus Apostolus Romam venit & ipse jam annus I. Pontificatus ejus computatur, colliguntur anni VIICXLVII. Supercrescunt itaque anni Pontificum annos Principum Romanorum XXIX annis, quid horum potius sequendum sit, prudens lector videat. Illud tamen pro certo scitur, quod nec Augustorum nec Antistitum numerus annorum ciclis Dionisii concordat; siquidem in alio plus, in alio minus invenitur. Nam secundum Dionysium anno Dominicæ Incarnationis VCCXLI. Karolus princeps moritur & Pippinus suscepit principatum. Potest autem fieri ut vicio scriptoris numerus sit depravatus annorum.

Leo Imperator Constantinopolitanus, impius obiit. Pippino natus est filius Karolus magnus, Karlomannus & Pippinus; Alamannos cum duce eorum Theobaldo rebellare tentantes mira celeritate contemnunt. Karlomannus & Pippinus duxerunt exercitum contra Hunaldum Aquitanorum Ducem & cœperunt Castrum quod vocatur Lucas, & in eodem itinere diviserunt regnum Francorum inter se in loco qui dicitur Vetus Pictavis. Karlomannus Austriam & Alamanniam atque Thuringiam sortitur, Pippinus vero Burgundiam, Neustriam atque Provinciam; Neustria vero pars est Galliæ Celticæ, illa scilicet quæ Sequanæ Ligerique interjacet; omnis namque Gallia in tres partes distincta est, in Belgicam, Celticam & Aquitanicam, quarum Belgica a Rheno, qui Germaniam ab Oceano determinat, quæ multarum gentium ferax a germinando nomen accepit & porrigitur usque in fluvium

vium Matronam, ab utroque vero latere, hinc quidem Alpibus Appenninis, inde vero maris Alpibus vallatur, cujus circumfusione insula Britannica efficitur; Celtica vero a Matrona per longum in Garumnam distenditur, cujus latera Oceani Britannici & insulæ Britannicæ limites efficiunt; Quicquid vero a Garumna protenditur in Pyreneum, Aquitanica appellatur. Hinc Rhodano & Arari atque inde Mediterraneo mari collimitatis. Constat itaque totius Galliæ spatium; Ab oriente quidem Rheno, ab occidente Pyreneo, a Septrione mari britannico, ab austro vero mari mediterraneo cingi.

Omnes ergo Galliarum populi minata audacia plurimum efferuntur, calumniarum impatientes; si incitantur, cœdibus exultant, efferatique inclementius adoriuntur; semel persuasum ac rationibus approbatum vix refellere consueverunt. Belgæ rebus disponendis sunt insigniores robore atque audacia non impares, maxima quæque magis ingenio quam viribus appetunt, & si ingenio in appetendis cassantur, viribus audacter utuntur; Cibi etiam atque potus adeo sunt parci; Celtæ vero atque Aquitani, consilio simul & audacia plurimi, rebus seditiosis accommodi, Celtæ tamen magis providi, Aquitani vero præcipites aguntur, plurimumque in ciborum appetitu rapiuntur, quod sic eis est innatum, ut præter naturam non appetant. Hinc Sulpicius Severus, edacitas, inquit, in Græcis est gula, in Gallis natura. Hos omnes Galliarum populos etiam in Paganismo fere per omnia prospere egisse tradunt historiæ; post vero a Sancto Remigio baptizati contra omnes gentium exterarum impetus clara semper atque illustri victoria emicuisse referuntur, quorum Rex Christianus primus fuisse traditur Clodoveus, vir audax & strenuus, & quo nullus post eum pietate bellisque umquam magis enituit.

Hic tempore quodam bellaturus contra Alaricum Regem Gothorum, cum venisset Turonum multa munera obtulit Ecclesiæ Sancti Martini cum equo suo velocissimo, quem multum amabat & expetito auxilio ejus contra gentem incredulam promittebat adhuc plura, si per ejus intercessionem victor rediret; Cumque interfecto Alarico reverteretur cum victoria, veniens ad eamdem Ecclesiam pro solvendo voto dona obtulit plurima; pro equo vero, quem ibi dimiserat, dedit matriculariis Ecclesiæ solidos centum, ut eum reciperet, quibus datis, equus se nullatenus movit; at ille ait, dentur alii centum, quibus itidem datis, statim equus solutus abiit. Tunc Rex cum lætitia ait: Vere beatus Martinus bonus est in auxilio & carus in negotio. Ab hoc ergo Clodoveo per succedentia tempora Imperatoribus egregiis respublica Francorum gubernata dinoscitur usque ad hæc propinqua tempora Pippinorum & Carolorum, in quibus per levitatem Regum aliquantum dilapsa per hos egregios viros, de quibus nunc sermo est, ad pristinam dignitatem magnificentius est reducta. Denique ut de Pipino & Karlomanno fratribus scribere cœpimus, mox ut de Aquitania domum sunt regressi, Karlomannus Alamanniam, quæ & ipsa a Francorum societate defecerat, cum exercitu regressus ferro devastavit & igni. Hildericus Rex Francorum regnare cœpit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXLIII. Karlomannus & Pipinus contra Odilonem Ducem Bavvariorum duxerunt exercitum & inierunt pugnam & victores effecti. Karlomannus absque fratre in Saxoniam perrexit & cœpit castrum quod dicitur Hocscoburch per placitum & pacis conditionem, & Theodericum Saxonem obsidem accepit, qui sacramentis datis in patriam permissus est redire, sed posthabito sacramento fefellit. Constantinus filius Leonis LXIIII. loco ab Augusto Romanum suscepit Imperium, regnavitque annis XXXIIII. mensibus XXVI. Hic erat perniciosissimus ferus & agrestis persecutor Legum a Patribus traditarum, tirannice non legitime usus Imperio, primo quidem a Deo & ab intemerata genitrice ejus & omnibus sanctis abscedens, magicis maleficiis & luxuriis ac cruentis sacrificiis & invocationibus dæmonum delectatus, molliciebus quoq; ac omnibus animas de corrumpentibus a tenera ætate convivens, persecutionibus etiam Sanctarum Ecclesiarum ac peremptionibus Monachorum ac violationibus Monasteriorum malisque variis supercrescens, non minus quam Diocletianus ceterique antiqui Tyranni.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXLIIII. Iterum Carlomannus & Pipinus Saxoniam cum exercitu ingressi sunt & rursus captus est supradictus Theodericus.

Anno Dominicæ Incarn. MVCCXLV. initium sumpsit fuldense Cœnobium in solitudine Boconiæ, quod construxit a fundamento Bonifacius Archiepiscopus, tradente sibi Carlomanno, quia quibusdam nobilibus prædia per circuitum a meridie & occidente Oriente & Septrione per tria millia passuum. * Karlomannus confessus est fratri Pippino, quod mente disposuisset pro amore Dei terrenum regnum deserere, ut in futura vita centuplicatum reciperet. Et hoc anno nullam fecerunt expeditionem; sed præparabantur, Karlomannus ad iter quod decreverat, Pippinus, ut fratrem ad locum destinatum honorifice cum muneribus & debita munificentia prosequeretur.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXLVI. Karlomannus Romam perrexit, ibique se totondit & in Soracti monte Monasterium ædificavit in honore Sancti Silvestri, ibique per aliquod tempus moram faciens exinde ad S. Benedictum in Cassinum usque pervenit, & ibi monachus effectus est. Fertur de hoc Sancto viro exemplum memorabile; Cum adhuc Romæ positus in Monasterio, quod ibi ædificaverat, ab omnibus propter regiam nobilitatem & quod majus est, propter contemtum regni terreni veneraretur & laudibus extolleretur, timens vir Deo plenus favorem laudis humanæ qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quam vanæ gloriæ subjacere, & hoc tantummodo uni fido socio confessus, quem

quem ab infantia fidelem probaverat; Cum eo noctu omnibus insciis aufugit, & ad Cassinum montem pervenit, nihil secum portans ex his quæ corpori erant necessaria, nudus Christum secutus est, & juxta morem portam Monasterii pulsans, colloquium Patris monasterii expetiit, in cujus potentiam cum venisset, mox in terram corruit, se homicidam, se reum omnium criminum esse, protestans misericordiam exposcit, pœnitentiæ locum exquirit; Pater cum hominem peregrinum esse cognovisset, interrogat, cujus patriæ aut gentis esset; at ille confessus est, se Francum esse; & ex Francia pro tali scelere migrasse, exilium libenter ferre paratum, tantum ut patriam cœlestem non amitteret. Spiritualis Pater ejus precibus annuens, præcepit eum in cella Noviciorum recipi una cum suo collega ibique probari, secundum quod Regula jubet, & tanto arctius quanto barbaræ & ignotæ gentis homo erat, juxta illud apostolicum: Probate Spiritus, si ex Deo sunt. Itaque probatus in omni patientia sociatus est Congregationi, una cum collega, post emensum anni circulum, professus stabilitatem, conversionem morum, obedientiam secundum regulam S. Benedicti. Cœpit autem irreprehensibiliter inter fratres conversari omnibus virtutibus. Accidit autem, ut juxta quod mos est, ad coquinæ officium ebdomadarius deputaretur, quod cum libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, cocus vino æstuans ei alapam dedit dicens; ita te fratribus deservire oportet, cui ille nil motus placito vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus, Frater & Karlomannus; neque enim nomen suum cuiquam prodiderat, ne ex vocabulo nosceretur. Rursus cum in quibusdam cibariis administrandis errasset, iterum a coco percussus est, cui eadem quæ supra imprecatus est. Et cum tertio a coco crudeliter cæderetur, indignatus ille comes individuus peregrinationis suæ, quod tantus vir a tam vili persona tam contumeliose afficeretur, jam ferre non valens, arripuit pilum unde panis in olera fratrum mittendus conterebatur, & eum cum omni annisu percussit dicens; Nec tibi Deus parcat, serve nequam, nec Karlomannus indulgeat. Fratres hoc audito felle commoti sunt, quod homo alienigena & pro misericordia receptus talia facere præsumpsisset. Protinus itaque custodiæ mancipatur, ut die sequenti talis præsumptio acrius vindicaretur. In crastinum productus de carcere in medio conventu sistitur, percunctatus cur manus extendere in fratrum ministrum ausus fuisset; quia, inquit, vidi servum nequam virum meliorem & nobiliorem omnium, quos in terra conversari scio, non solum verbis deshonestare; sed etiam plagis afficere; furore nimio exagitati, quod eum qui peregrinus venerat, ceteris prætulisset, interrogant, quis esset ille, qui bonitate & nobilitate omnes anteiret, cur saltem Patrem Monasterii non excepisset; Ille necessitate compulsus celare non valens quod manifestari jam Deus volebat ait: Iste est Carlomannus quondam Dux Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquit, qui de tanta excellentia se humiliavit ut modo a vilissimis personis non solum contumeliis afficiatur, verum etiam verberibus affligatur; quo audito tremefacti a sedibus surgunt, pedibus ejus se prosternunt, veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur. Ille e contra in terram provolutus cum lacrymis negare cœpit, hæc non esse vera, non se esse Karlomannum, sed se esse hominem peccatorem, & homicidam, collegam suum timore perterritum propter commissum piaculum hæc excogitasse; quid plura, cognitus ab omnibus cum magna reverentia est observatus. Hæc non passi sumus præterire, nunc ad Chronica revertamur.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCXLVII. Gripho fugit in Saxoniam subjectus fratri esse nolens, quamvis sub eo honorifice viveret; & Pippinus iter faciens per Turingiam in Saxoniam introivit usque ad fluvium Missaha in loco qui dicitur Scanigge; & Gripho collecta manu una cum Saxonibus supra fluvium Obacro sedit in loco qui dicitur Horheim, prælium tamen inter eos non est commissum, sed ex placito discesserunt. Rachis Rex Langobardorum dum Romam veniret, & eam inquietare niteretur a Zacharia Papa non solum a malo reprimitur, sed etiam ejus instinctu cum Uxore & filiis Romam veniens monachus efficitur, cui Haistulfus frater ejus Rex substituitur.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCXLVIII. Gripho Saxonum fidei diffidens cum copiis quæ ad eum de Francia confluxerant, de Saxonia egressus in Bavvariam pervenit, ipsumque ducatum sibi subjugavit, Hiltrudem Pippini sororem cum Tassilone filio parvulo cœpit & suæ ditioni subjecit. Suidger in solatium Griphonis venit. Hæc audiens Pippinus cum exercitu in Bavvariam venit, omnesque supra nominatos sibi subjugavit. Griphonem & Lantfridum secum abduxit in Franciam. Tassilonem Ducem Bavvariorum constituit, Griphoni vero more Ducum in partibus Neustriæ XII. Comitatus dedit, sed ille tali beneficio non contentus, fugiens Vvasconiam eodem anno petiit & inde ad Waifarium Ducem Aquitanorum pervenit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCXLVIIII. Burchardus Wirceburgensis primus Episcopus & Folradus Archicapellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam potestatem, Reges tamen vocabantur, si bene esset an non. Hic est Folradus, qui corpus sancti Viti martyris de Roma in Gallias transtulisse legitur. Solebant enim Franci ex antiqua Regum stirpe Reges habere, quorum genealogia usque ad Hildericum tunc temporis eorum Regem permansit, in quo etiam defecit. Sed licet in illo finita posset videri jam antea tamen nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes Palatii Præfectos erat, qui Majores domus dice-

dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, nec aliud quicquam Regi permittebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret ac speciem Dominantis effingeret. Legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa quæ doctus erat aut jussus ex sua velut potestate redderet, cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium quod ei Præfectus aulæ, prout videbatur exhibebat, nil aliud possideret; quanquam unam & eam perparvam reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos necessaria sibi ministrantes atque obsequium exhibentes paucæ numerositatis haberet. Quocumque eumdum erat, carpento ibat, quod junctis bobus & bubulco more rustico agente trahebatur; sic ad palatium, sic ad publicum Conventum, qui Kalendis Maji ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat & coram tota gente præsidens omnesque salutans & ab eis salutatus debitisque obsequiis honoratus, sic domum redibat, sicque secum usque ad alium Majum domi residebat: at regni administrationem Præfectus Aulæ procurabat, quo officio tunc cum prædicti Legati Romam mittebantur, Pippinus velut hæreditario jure, fungebatur. Zacharias Papa mandavit Pippino, melius sibi videri illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum, qui sine regali potestate manebat; & ne perturbaretur Christianitatis ordo per auctoritatem apostolicam jussit Pippinum Regem creari & Sanctæ Vnctionis oleo inungi.

Anno Dominicæ VIIC L. Pippinus secundum morem Francorum electus in Regem & per manum sanctæ memoriæ Bonifacii Mogontiensis urbis Archiepiscopi elevatus est a Francis in regnum in Suessionis Civitate; Hildericus vero qui falso Rex vocabatur, attonsus est & in monasterio missus. Igitur Franci primo a Sicambria egressi venientesque in Germaniam juxta Renum fluvium duos super se principes habebant Priamum & Antenorem, qui rebellantes contra Romanos victi sunt sub Valentiniano Imperatore ab Aristarco principe militiæ & tributo subjecti, occisis Vtrisque prædictis principibus. Post hæc mortuo Sunnone filio Antenoris & Marcomire filio Priami, qui super Francos defunctis Patribus regnaverunt, elegerunt Faramundum Marcomiris filium, & eum elevaverunt super se Regem crinitum. Ex hinc Franci crinitos Reges habere cœperunt usque ad Hildericum Regem, cujus Pippinus, de quo nunc sermo est, regnum simul cum nomine abstulit. Mortuo Faramundo regnavit Claudio, post hunc Merongus, a quo Franci Merongi vocati sunt; Post Merongum filius suus Hildericus pater Clodovei Regis incliti regnavit, hic a Beato Remigio cum omni exercitu suo baptizatus, expulit Egidium Consulem Romanum filiumque ejus Siagrium occidit, tulitque Romano Imperatori Martiano, quicquid Romani intra Renum & Ligerim fluvios possidebant. Post mortem Clodovei IIII. filii ejus, regnum inter se diviserunt, Clomirus, Hildebertus, Lotharius & Hugo, Thiedericus de concubina genitus, qui data Turingiorum terra maxima ex parte Saxonibus qui remanserant, Turingos regiis territoriis fecit tributarios in porcis. Mortuo Thiederico, regnavit Theodebertus, post illum Theobaldus; mortuo Theobaldo regnavit Lotharius; post hunc Helperacus; post quem Lotharius pater Dagoberti; hic Lotharius occiso Bertoaldo Duce Saxonum & pervagata omni terra eorum, nullum hominem longiorem in ea viventem reliquit, quam gladius suus fuerat, quem spatam vocant. Mortuo Dagoberto regnaverunt post eum filii ejus Sigebertus & Clodoveus, post Clodoveum regnavit Lotharius, post quem fratres ejus Theodericus & Hildericus; Erat autem ipse Hildericus levis nimis, sub cujus tempore Pippinus filius Angisi Majordomus erat. Posthæc procurationem aulæ filius ejus Carolus suscepit, quo mortuo Pippinus filius ejus, ultimo Meringorum Hilderico, Zachariæ Papæ jussu ex Palatino Comite in Regem ungitur. Hic Beatus Zacharias Papa in venerabili Patriarchio repperit caput Beati Georgii martyris in capsa reconditum, quod in Romanam urbem transtulit.

Translatio Sancti Kiliani & sociorum ejus his temporibus facta est; Nam ut in libro passionis ejus legitur, sceleratissima mulier, quæ illos extinxerat, stabulum equorum in loco ubi humati fuerant, fieri jusserat, ne quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his qui tunc fuere, posteris relatum, quod animalia super sepulcra eorum nec stercora nec urinam jacerent, honorem martyribus exhibentia. Illustrante autem Domino merita eorum consilio & præcepto Zachariæ Papæ mediante Bonifacio Archiepiscopo & Burchardo Wirceburgensi Episcopo de tumulo, quo indecenter positi fuerant, sublevati sunt.

Hisdem temporibus Sanctus Bonifacius Lullo pro se Archiepiscopo ordinato per omnem Fresiam pergens, verbum Dei prædicabat & multa millia hominum cum conmilitone suo corepiscopo Coban baptizavit, quem ad subveniendum suæ senili ætati Fresonis, injuncto sibi Episcopio in loco qui vocatur Treher, subrogavit, Presbiteros Wintrug, Waltere & Athalbere, Levitas vero Haimund & Scirbald & Bosa deputavit, Wacar & Gundacar, Illehere & Batoulf monastico ordine sublevavit; qui æternæ vitæ semen cum eodem Sancto Bonifacio Deo patrocinante late diffamaverunt & cum eo ad coronam martyrii pervenerunt.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLI. In Mesopotamia dirupta est terra & ascendit ex ea animal mulinum incontaminatum humana voce loquens, pronuntians incursionem gentium ab heremo adversus Arabes. Gripho Italiam cupiens penetrare a Theodoino Comite in valle Morienna opprimitur, idemque Theodoinus in ipso certamine occiditur. Pippinus Rex in Saxoniam iter fecit cum magno exercitu, & Hildegarius Episcopus occisus est a Saxonibus in castro qui dicitur Vigberg, & quamvis Saxones obstinatissime resisterent, Pippinus tamen victor

victor extitit, & pervenit usque ad locum qui dicitur Runiæ juxta fluvium Wisaram, & reversus est in Franciam. Vbi nuntiatum est ei, quod Gripho germanus ejus occisus esset. Hoc anno natale Domini in Theodonis villa, Pascha in Carisiaco Rex celebravit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLII. Zacharia Papa defuncto Stephanus secundus hujus nominis sedit annos V dies XXIII. Hic ordinavit Episcopos XV. Presbiteros II. Diaconos II. Walfredus Abbas claruit in Italia.

Bonifacius, qui antea Windfridus vocabatur, obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLIII. Sanctus Bonifacius Archiepiscopus in Fresonia interfectus est hoc modo; secus ripam fluminis quod dicitur Borone, quod est in Confinio eorum qui rustica dicuntur lingua Ostor & Westerche, suorum tantum stipatus clientum numero erexerat tentorium, & festum confirmationis Neophitorum diem se celebraturum indixerat; cumque dies illuxisset ingens hostium vibrantibus hastis in castra irruit multitudo, pueris ex adverso insilientibus vir Dei pugnam interdixit, cumque ad martyrium discipulos incitaret, furens paganorum tumultus felici sanctorum corpora cæde mulctavit, cumque manubias partirentur, jurgia inter eos exorta sunt, ita ut arma, quibus martyres jugulaverant, in se verterent. Fama de interemptione martyrum per pagos vicosque volitante, congregati Christiani infidelium aggrediuntur terram, & e diverso obviantes ingenti strage prostraverunt. Corpora martyrum trans flumen, quod dicitur Elmera, deducta sunt ad urbem quæ dicitur Trecht, ibique condita, donec a Mogontia fideles fratres a Lullo Archiepiscopo directi Sancti Viri corpus ad Monasterium, quod eo vivente construxerat, juxta ripam fluminis quod dicitur Wulda, transtulerunt. Sedit annos XXXIII menses sex. Ea tempestate Stephanus Papa multa mala passus ab Haistulfo Langobardorum Rege in Franciam venit quærens adjutorium & solatium pro justitia Sancti Petri. Nec superfluum judicavimus epistolam ejusdem Papæ de hac causa scriptam hic inserere, quæ continet hunc modum: Stephanus Episcopus servus servorum Dei; sicut nemo se debet jactare de suis meritis, sic non debet opera Dei, quæ in illo per suos sanctos fiunt, sine suis meritis silere, sed prædicare; quia sic Angelus admonet Tobiam. Vnde ego pro oppressione Sanctæ Ecclesiæ a Rege atrocissimo & blasphemo & nec dicendo Haistulfo, ad optimum & Sancti Petri fidelem Domnum Pippinum Christianissimum Regem in Franciam veni, ubi ægrotavi usque ad mortem & aliquot tempus aput pagum Parisiacum in Monasterio Sancti Martiris Dionysii, quo, cum jam me medici desperarent, fui sic in oratione in Ecclesia ejusdem Beati Martyris subtus campanas, & vidi ante altare Dominum Petrum & Magistrum gentium Dominum Paulum & notamente illos recognovi de illorum Surcariis, & ter Beatum Dominum Dionysium ad dextram Domini Petri subtilem & longiorem. Dixit bonus pastor Dominus Petrus; hic frater noster postulat sanitatem, & dixit Beatus Paulus modo sanabitur; & appropinquans misit manum suam ad pectus Dionysii amicabiliter & respexit ad Dominum Petrum, & dixit Dominus Petrus ad Dominum Dionysium hilariter; tua gratia est sanitas ejus; & statim Beatus Dionysius turibulum incensi & palmam in manu tenens cum presbytero & Diacono, qui in parte stabant, venit ad me & dixit mihi: pax tecum frater; Noli timere frater, non morieris, donec ad sedem tuam prospere revertaris: Surge sanus & hoc altare in honore Dei & Apostolorum ejus Petri & Pauli, quos vides, dedica, missas gratiarum agens. Moxque sanus factus sum, & volebam implere quod mihi præceptum erat, & dicebant, qui ibi aderant, quod dementarem; quapropter retuli illis & regi suisque omnibus ex ordine, quæ videram & quomodo sanus fuerim, & implevi, quæ jussa sunt mihi omnia. Gesta sunt autem hæc anno ab incarnatione Domini VCCLIII. V Kal. Augusti quo die Christi roboratus virtute inter celebrationem consecrationis præfati altaris & oblationem sacrificii unxit in Reges Francorum Regem Pippinum & duos filios ejus Karolum & Karlomannum; sed & Bertradam conjugem ipsius, indutam cicladibus regiis, gratia Spiritus Sancti septiformis consignavit in Dei nomine, atque Francorum Principes apostolica benedictione sanctificans auctoritate Sancti Petri sibi a Christo tradita obligavit & obtestatus est, ut numquam de altera stirpe per succedentia tempora ipsi vel eorum posteri regem super se præsumant constituere, nisi ex eorum progenie, quos Dei providentia ad sedem Apostolicam tuendam eligere, & per eum videlicet Sancti Petri Vicarium immo Domini nostri JEsu Christi in potestatem regiam dignata est sublimare & unctione consecrare. Pippinus Rex per apostolicam invitationem, Italiam ingressus est, justitiam Sancti Petri quærens. Haistulfus eandem justitiam contradicens, claustra Italiæ petiit obviam Pippino, &, commisso acerrimo prœlio intercedente Beato Petro, Pippinus victor extitit. Eodem anno Stephanus Papa ad suam sedem reductus est per Legatos Pippini, Folradum & alios plurimos; Haistulfus inclusus in Papia civitate necessitate ductus justitiam Sancti Petri pollicitus est faciendam, cujus promissionis Pippinus Rex obsides quadraginta recepit, & sacramento firmato reversus est in Franciam. Karlomannus autem frater Regis, qui cum Bertrada Regina in Vienna civitate remansit, correptus febre, priusquam reverteretur, obiit. Venerat autem per jussionem abbatis sui in Franciam, quasi ad conturbandam petitionem Apostolicam; invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille Abbatis sui jussa contemnere, nec Abbas Haistulfi Regis præcepto audebat resistere; Corpus ejus ad monasterium Sancti Benedicti, ubi monachus erat, jussu Regis relatum est. Anno Dominicæ Incarn. VCCLIIII

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLV. Cum

Cum audiſſet Pippinus Rex non eſſe impleta, quæ Haiſtulfus promiſerat de juſticiis Sancti Petri, iterum Italiam ingreſſus, Papiam obſedit, Haiſtulfum obſidione cinxit, & ad implenda promiſſa coëgit,& inſuper Ravennam cum Pentapoli & omni Exarchatu ad Ravennam pertinente conquiſivit & Sancto Petro dedit. Cum autem reverſus eſſet Pippinus in Franciam, meditabatur Haiſtulfus fallere quæ promiſerat. Quadam ergo die, cum venationibus inſerviret, percuſſus Dei judicio vitam cum regno finivit, cui Deſiderius ſucceſſit. Conſtantinus Imperator Conſtantinopoli Synodum trecentorum XXX. Epiſcoporum congregat, ubi edicto promulgato de imaginibus Dei & Sanctorum ejus deponendis, Eccleſiam Dei nimis ſcandalizat, & contra Orthodoxos tirannizat.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLVI. Conſtantinus Imperator miſit Pippino Regi cum aliis donis organum, quæ ad eum in Compendio villa venerunt, ubi tunc populi ſui generalem Conventum habuit. Illuc Taſſilo venit Dux Bavariorum fidelitatemque tam ipſi Regi, quam filiis ejus Karolo & Karlomanno jurejurando promiſit ſupra corpus Sancti Dionyſii & Sancti Martini, & ſimiliter ejus homines meliores fecerunt.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLVII. Pippinus Rex cum exercitu in Saxoniam iter fecit, & quamvis Saxonibus validiſſime reſiſtentibus munitiones per virtutem introivit, & in loco, qui dicitur Sitina,multæ ſtrages factæ ſunt de populo Saxonum, & tunc promiſerunt ſe omnem voluntatem Regis facturos, tributum etiam præſentare, equos ſcilicet trecentos per ſingulos annos. His more Saxonico, ut rata eſſent, confirmatis, in Galliam rediit

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLVIII. Natus eſt Pippino Regi filius, cui Rex nomen ſuum impoſuit, ſed puer immatura morte tertio nativitatis ſuæ anno diſceſſit. Eodem anno celebravit natalem Domini Rex in Longolare & Paſcha in Jopila. Stephano Papa defuncto VI. Kal. Maji in electione populus Romanus diviſus eſt; Nam alii Theophilactum Archidiaconum, alii Paulum volebant habere Pontificem; ſed pars, quæ major ac validior fuit, Paulum elegit, & ita ceteris diſperſis Paulus ſedem obtinuit. Sedit annos X. menſem unum.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLVIX. Sanctus Gungulfus in Burgundia a quodam Clerico occiſus eſt pro Vxoris ſuæ ſibi adamato adulterio; hic parentum alto genere ortus Regi Pippino militari conjunctus officio inſerviebat, qui hunc inter fortiſſimos ſui exercitus deputabat, quia erat acer animo, fortis viribus, ſtrenuus in armis & omni militari exercitio inſtructiſſimus, cujus rei indicium facit inſignis ejus armatura, quæ adhuc conſervatur in Eccleſia ejus honori & nomini dicata, quamque ſacra ejus illuſtrat præſentia, ubi habentur repoſita galea,lorica,gladiusque ejus& brachialia; corpus ad locum poſſeſſionis ejus, Varennas dictum, coruſcantibus miraculis delatum & in ſua ipſius baſilica,in honore Apoſtolorum principis dicata, eſt ſepultum.

Huc usque inter ſcriptores magna eſt diverſitas in computatione annorum ab anno ſcilicet VCCXLI. usque ad annum VCCLX. Dominicæ Incarnationis,quamvis in ipſis rebus geſtis in nullo diſcrepent, in quibus nos Reginonem Prumienſem quondam Abbatem, utpote de Francorum hæc ſuæ gentis principibus ſcribentem, ſecuti ſumus, cetera, quæ huic deerat, eo, quo ſingula invenimus loco, adnotata ſunt.

Anno Dominicæ Incarnationis VIICLX. Vuaifarius Dux Aquitaniæ cum res Eccleſiarum, quæ in ſua poteſtate erant, & ad Eccleſias ſub manu Regis conſtitutas pertinebant, reddere noluiſſet, & Regem pro his per legatos ſuos commonentem audire contempſiſſet, Rex iniit conſilium cum Francis, ut pergeret in Aquitaniam,& ſupradictas juſticias quæreret, & pervenit usque ad locum, qui dicitur Theodoad. Quod cum cognoviſſet Vuaifarius timore perterritus mittit Legatos Otherium & Davvinum,& dedit obſidem Adalgarium ſuum propinquum & mandavit Pippino, ſe omnia redditurum quæRex querebat in cauſis Eccleſiaſticis. Quibus acceptis Rex a bello abſtinuit, domumque rediit, & celebravit Natale Domini in Cariſiaco & Paſcha ſimiliter. Sanctus Othmarus in Inſulam, quæ dicitur Stein, relegatus migravit ad Dominum.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXI. Vuaifarius minime cogitans de obſidibus & ſacramentis datis, ut ſe vindicaret de injuria, quam a Francis præterito anno fuerat perpeſſus, exercitum miſit. Qui usque ad Cabilonem civitatem venerunt vaſtantes omnia. Et cum Rex Pippinus Synodum teneret in villa, quæ dicitur Duria, nuntiatum eſt ei, quid Vuaifarius perpetraſſet, protinus exercitum movit & Aquitaniam ingreſſus multa caſtella cœpit, ſcilicet Burdellum, Clarum montem, Cantelam, Arvernum, & pervenit usque Lemodicas vaſtando omnia, in qua expeditione fuit cum eo Karolus primogenitus ejus, ad quem poſt obitum patris omnis imperii ſumma pervenit; & celebravit Rex Natale Domini in Cariſiaco & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXII. Tertio Pippinus Aquitaniam, cum exercitu vaſtavit & cœpit civitatem Bituricas & caſtrum quod dicitur Toarciis; & celebravit natale Domini in villa Gentiliaco; & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXIII. Rex Pippinus habuit Conventum in Nivernis & quarto ingreſſus eſt Aquitaniam. Taſſilo Dux Bavvariorum poſtpoſitis ſacramentis,fraudulenter ſe inde ſubſtraxit, omnia beneficia oblitus, quæRex avunculus ejus ipſi præſtiterat, & Bavvariam ingreſſus amplius noluit videre faciem Regis. Rex autem Aquitaniam perluſtrans usque ad Cadurciam venit, & per Lemodicas reverſus eſt in Franciam: & facta eſt hiems valida; & celebravit Rex Natale Domini in Longolare & Paſcha ſimiliter. Rotgangus Metenſis

tensis urbis Episcopus postulavit a Paulo Papa corpora Sanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris & Nazarii, abduxitque ab urbe Roma cum honore & condidit Sanctum Gorgonium in monasterio, quod ipse construxerat, cui vocabulum est Gorzia; Sanctum Naborem in monasterio, quod dicitur Novacella; Sanctum vero Nazarium in monasterio Lauresheim recondidit, quorum merita in præfatis locis multis miraculis clarescunt.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXIIII. Rex Pippinus habuit Conventum populi sui in Wormacia & causam diligenter pertractavit inter Waifarium & Tassilonem, dilataque in futurum expeditione, illo anno se domi continuit, & celebravit Natale Domini in Carisiaco & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXV. Rex generalem Conventum habuit aput Attiniacum & eodem anno sicut & superiori nusquam profectus est. Celebravit autem Natale *Domini* in Aquis villa & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXVI. Rex Pippinus perrexit in Aquitaniam & placitum suum habuit in Aurelianis civitate, & restauravit Argentomachum Castrum, quod Vvaifarius destruxerat, ibique Francos dimisit ad continendam Aquitaniam, & similiter in Bituricas fecit; & celebravit Natale Domini in Salmoniaco, & Pascha in Gentiliaco. Turci egressi a Caspiis portis cum Avaribus bellum inierunt, multique ex utrisque perierunt.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXVII. Rex Pippinus orta quæstione de Sancta Trinitate & de Sanctorum imaginibus inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam, id est, inter Romanos & Græcos, in villa supradicta Synodum habuit, ventilataque quæstione Aquitaniam ingressus est per Narbonam. Cepit autem Tolosam & Gavaldanam; & celebravit Pascha in civitate Vienna. Eodem anno in mense Augusto iterum Aquitaniam ingressus est, usque Bituricas venit, ibique Conventum habuit: exinde profectus usque ad Garonnam pervenit, multas rupes & speluncas cepit, nec non etiam castella, Scoraliam, Torvinam & Petrociam, & reversus est Bituricas, ubi nuntiatum est ei de obitu Pauli Papæ, ibi etiam Natale Domini celebravit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXVIII. Rex Natale Domini in Biturica celebravit. Post hæc cum exercitu iter faciens Remistagnum cepit & ad Cantonas usque pervenit, ubi cepit matrem Waifarii & sororem & neptes ejus. Inde perrexit in locum qui dicitur Montes, ubi Herevicus venit ad eum, qui habebat aliam sororem Waifarii. Inde reversus Pascha in castro, quod dicitur Sels. Posthæc assumens secum Bertradam Reginam ad Santonicas civitatem pervenit ibique dimissa uxore ac familia ad persequendum Vvaifarium animum intendit, nec tamen, ut voluit, cepit; sed ille semper vastationi & fugæ intentus, tandem dolo Vvarationis peremptus, & fugæ & tirannidi finem dedit; quo interfecto, in territorio Petragorico Pipinus cum triumpho victoriæ ad Sanctonas reversus est, ibique moram faciens post aliquot dies ægrotare cœpit. Et inde profectus Turonis venit, & ad orationem ad Sanctum Martinum perrexit; inde egressus Parisius ad Sanctum Dionysium vix pervenit, ibique diem clausit extremum VIII. Kal. Octobris, corpusque ejus in Basilica Sancti Dionysii humatum est. Filii ejus Karolus & Karlomannus ambo Reges consensu omnium creati sunt, præmissa conditione, ut totum regni corpus ex æquo partirentur, & Karolus eam partem, quam pater ejus Pipinus tenuerat; Karlomannus vero eam, quam Patruus eorum Karlomannus possedit, susciperet. Igitur VII. Idus Octobris, Karolus in Noviomo Civitate, Karolus vero in Suessiona regni insignia susceperunt. Karolus qui major natu erat, Natale Domini Aquis, Pascha in Rotomacho celebravit. Susceptæ sunt autem conditiones utrinque & pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroque recepta est, mansitque ista quamvis cum magna difficultate concordia, multis ex parte Karlomanni societatem separare volentibus, adeo ut quidam etiam bello committere sint meditati; sed in hoc plus suspecti quam periculi fuisse ipse rerum exitus probavit, cum defuncto Karlomanno, uxor ejus cum Primatibus quibusdam Italiam fuga petiit, & nullis existentibus causis spreto mariti fratre sub Desiderii Langobardorum Regis patrocinium cum liberis se contulit.

Constantinus Papa sedit annum unum.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXIX. Karolus magnus Pippini filius diviso cum fratre regno regnare cœpit & XLVI. annis regnavit, annis tribus cum fratre, XLIII. postea solus. De cujus Nativitate, dicit actuum ejus scriptor Einhardus ab eodem principe educatus, quod neque scriptis umquam aliquid declaratum sit, nec quisquam suo tempore inventus sit, qui horum notitiam se habere dixerit; de actibus vero cæterisque vitæ illius partibus multa præclara & omnium pene Imperatorum gestis excellentiora digessit. Cujus anno primo Hunoldus quidam Aquitaniam, quæ in sortem Karoli cesserat, invasit & provincialium animos ad nova excitans, bellum, quod Pippinus occiso Vvaifario consummasse visus est, renovavit. Contra quem Karolus profectus fratris auxilium postulavit; sed impedientibus malis hominibus habere non potuit; colloquio tamen cum eo habito, Aquitaniam cum exercitu intravit, & totam Aquitaniam & Vvasconiam auxiliante Deo in deditionem recepit, & Hunoldi iniqua consilia dissipavit. Inde digressus ad Ecolensinam civitatem venit, & inde assumens plures Francos cum armis & utensilibus eorum abiit super fluvium Dorhdoniam, & ædificavit castrum, quod dicitur Frontiacus, ibique Francos in præsidio collocavit. Deinde misit ad Lupum Wasconum Ducem mandans, ut Hunoldum, qui ad eum fugerat cum uxore, sibi repræsentaret; adductus est igitur Hunoldus cum uxore ad prænominatum castrum, quem cum recepisset, Lupo Duce cum tota Vvasconia sibi obe-

obediente, in Franciam reversus est, & celebravit Natale Domini in Duria & Pascha in Leodio vico publico.

Stephanus Papa sedit annos tres, menses V. dies XXVII. Hic ordinavit Episcopos X. Presbyteros V. Diacones IIII.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXX. Karolus Rex Synodum habuit in Vvormacia civitate. Berta vero mater Regum cum Karlomanno minore filio aput Salussam consistens pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque negotio, adoratis etiam Romæ Sanctorum Apostolorum liminibus, ad filios rediit, filiamque Desiderii Regis Langobardorum Karolo filio suo sociandam de Italia adduxit. Et Rex Karolus celebravit Natale Domini in Magontia & Pascha in Heristellio. Corpus Sancti Othmari in Insula qua defunctus est post X. annos incorruptum invenitur, ablatumque in Basilica Sancti Galli sepelitur.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCLXXI. Karolus Rex Conventum habuit ad Valentinianas & eodem anno Karlomannus Rex in villa Salmoniaco defunctus est & Remis sepultus II. Non. Decembris. Venit autem Rex Karolus ad villam Carboniacum, ubi venerunt ad eum Willarius Episcopus Sedunensis & Folcarius & Folradus Capellani cum aliis Episcopis & Sacerdotibus, Vverinus & Adalardus Comites cum aliis Primatibus, qui fuerunt Carlomanni. Vxor vero Karlomanni cum paucis Francis ad partes Italiæ discessit, & celebravit Rex Natale Domini in Attiniaco & Pascha in Heristellio.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXII. Karolus Rex generalem Conventum habuit in Wormatia & inde perrexit in partes Saxoniæ. Et primo impetu Heresburch Castrum cepit, & ad Hermensul usque pervenit & ipsum fanum destruxit, & aurum & argentum, quod ibi repperit, abstulit. Erat autem siccitas magna, ita ut aqua deficeret in supradicto loco, & dum vellet ibi Rex duos aut tres dies manere, ut fanum funditus destruere posset, & aqua exercitui deesset, subito divina largiente gratia omnibus insciis in quodam torrente aquæ effusæ sunt largissimæ, ita ut omni exercitui sufficerent. Destructo fano Rex super Wisaram fluvium accessit, ubi cum Saxonibus placitum habuit & acceptis duodecim obsidibus in Franciam discessit & celebravit Natale Domini in Heristellio & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXIII. Adrianus Papa I. hujus nominis sedit annos XXIII. menses X. dies XVIII. Rex Karolus dum iret ad hyemandum in Theodonis villam, adiit eum Legatus Adriani Papæ nomine Petrus, invitans eum, ut pro amore Dei, Sancti Petri justicias defensurus adversus Desiderium Regem & Longobardos veniret; venerat idem Legatus per mare usque Massiliam, inde per terram usque ad Regem; qui ideo per mare venit, quia Romanis viæ clausæ fuerunt a Langobardis. Tunc Rex fideles suos consuluit, utrum petitionibus Apostolici assensum præberet. Omnibus hoc collaudantibus in partes illas profectus est, Genevamque civitatem veniens Synodum tenuit, & exercitum divisit in duas partes. Ipse cum una parte per montem Cinisium perrexit; cum reliqua parte Bernhardum avunculum suum per Montem Jovis misit. Conjunxerunt autem se uterque exercitus ad Clusas. Quod cum cognovisset Desiderius Regi & Francis cum armatis occurrit. Tunc Rex Castra posuit ad easdem Clusas & misit occulte unam turmam per montana. Hoc sentiens Desiderius, statim Clusas reliquit, & quam citius potuit Papiam ingressus est, Rex autem cum omnibus, auxiliante Domino & intercedente Beato Petro, sine læsione Italiam ingressus est, & cum ad Papiam pervenisset, Desiderium intrinsecus latitantem obsedit, ibique in suis Castris Natale Domini celebravit & Pascha Romæ. Adrianus Papa ad reprimendam rabiem hæreticorum imagines Dei Sanctorumque ejus execrantium nimis laboravit, & libro adversus eos edito multis Scripturarum inductionibus roborato errores eorum infirmavit, fidemque rectam solidavit, qua tempestate Constantinus Imperator & Habdallas Amiras Rex Sarracenorum pari vesania in Orthodoxos sæviebant, multique pro Christo perempti sunt. Constantinus insuper ægre ferens gloriam Sanctorum miraculis coruscantium, etiam Lipsana eorum ubique jubet effodi & in profundum jactari.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXIIII. Karolus, ordinata circa Papiam obsidione, ut nullus posset ingredi aut egredi, orationis causa ad limina Sancti Petri Romam venit, quem Adrianus Papa cum magna gloria suscepit.

Interea Saxones occasione accepta, postpositis sacramentis, in fines Francorum impetum fecerunt & usque ad Castrum quod nominatur Buriaburch venerunt, quorum adventum incolæ loci persentientes in eandem munitionem se receperunt. Igitur cum præfata gens sæviens cæpisset forinsecus villarum ædificia concremare, venerunt ad quandam Basilicam in loco qui dicitur Fridislar, quam Sanctæ memoriæ Bonifacius martyr consecravit atque per prophetiæ Spiritum prædixit, quod numquam incendio cremaretur; cœperuntque omni intentione certare adversus Basilicam, ut eam quomodolibet ingenio cremare potuissent. Tunc apparuerunt quibusdam Christianis, qui erant in Castello, similiter & quibusdam paganis de exercitu, duo juvenes in albis vestibus, qui Basilicam ab igne prohibebant, unde nec interius nec exterius ignem potuerunt accendere. Interea nutu Dei territi in fugam conversi sunt, nemine persequente. Inventus est autem unus ex eisdem mortuus, flexis genibus acclinis, supra pedes habens ignem, & ligna in manibus, velut ore flaret Basilicam crematurus. Interea Carolus Romæ commorans, ibique Pascha celebrans, inter cetera quæ ibi gessit, partem aliquam Saxoniæ in provincia Westphalia, quam ad fidem converterat, ut idem Papa præcepit & docuit, feria secunda Paschæ in Basilica Sancti Petri inter cetera quæ tanquam ad manum

num Papæ offerebat, Deo in sacrificium obtulit, & in loco Osbrugge vocato Episcopatum construere & decimis noviter ad fidem conversorum, si sanus & incolumis redisset, Papa ita dictante & privilegiis confirmante, dotare devovit. Posthæc igitur a Roma Papiam venit, & civitatem armis cepit, Regemque Desiderium cum uxore & filia & omnem Tesaurum Palatii, venientesque Langobardi de cunctis Civitatibus ejus se subdiderunt dominationi. Adalgisus filius Desiderii fuga lapsus mare introiit & in Græciam ad Constantinum se contulit, ibique in Patriciatus honore vitam finivit. Karolus custodiam Francorum in Papia dimittens, cum venisset in locum, qui dicitur Hengilinheim, misit quatuor turmas in Saxoniam. Tres cum Saxonibus pugnam inierunt, & Deo adjuvante vicerunt. Quarta non habuit pugnam, sed cum magna præda reversi sunt in Franciam. Eodem anno celebravit Rex dedicationem Ecclesiæ S. Nazarii & translationem corporis ejus in Monasterio Lauresheim die Kal. Septembris. Et celebravit Natale Domini in Karisiaco, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXV. Rex habuit Synodum in villa, quæ dicitur Duria, & inde pergens in Saxoniam Sigiburh castrum cœpit, Heresburh reædificavit, super Wisaram fluvium venit in loco, qui dicitur Brunesberh, ubi occurrerunt ei Saxones, volentes ripam fluminis defendere; Auxiliante Deo & Francis decertantibus; fugatis Saxonibus, Franci ambas occupaverunt ripas, & multi Saxonum occisi sunt. Tunc Rex sumpsit secum partem, & perrexit ad Obacerum fluvium, ubi Orientales Saxones, venientes cum Hussinon Duce eorum, dederunt obsides, juxta quod placuit Regi, & juraverunt Sacramenta. Similiter eo revertente venerunt Angarii in loco, qui dicitur Bucki, cum Brunone Duce suo & fecerunt sicut Orientales Saxones fecerant. Interea cum Francis qui super Vvisaram remanserant, Saxones pugnam commiserunt, & Deo largiente Francis victoriam, plures ex Saxonibus interfecti sunt. Hæc audiens Rex iterum super Saxones irruens multam stragem fecit, & copiosam prædam cepit de Vuestfalais, & coacti obsides dederunt; Obsidibus acceptis & præda multa capta, Rex in Franciam reversus est. Vbi nuntiatum est ei, quod Rotgaudus Langobardus postponens fidem & sacramenta rebellare disponeret, statimque in partes illas iter arripuit, & celebravit Natale Domini in Selexeistat, & Pascha in Elizatio. Constantinus Imperator filius Leonis persecutor Christianorum, Ecclesiarum Legumque destructor, plaga pessimi incendii divinitus percutitur, & clamans adhuc vivus igni inextinguibili sum traditus, miserabiliter moritur. Corpora Sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXVI. Karolus Rex Italiam ingressus, Forojulianorum partes petivit, Rotgaudum rebellem captum decollari jussit, deinde ad Tarvisium civitatem veniens Pascha celebravit & ordinatis rebus, derelictisque custodibus ex Francis in civitatibus, quæ adversus eum senserant, in Franciam cum prosperitate reversus est. Interea Saxones cognita absentia Regis, more solito ruptis sacramentis, in unum congregati, Heresburg Castrum aggrediuntur, fraudulenter Francis suadent, ut de castro exeant, & cum pace in patriam pergant; sed cum illi fallacibus monitis minime assensum præberent, machinas præparant, munitionem obsidione cingunt, summis viribus certant, sed nihil proficiunt. Quadam itaque die cum iterum redivivo certamine bellum parassent, apparuit gloria Dei manifeste supra domum Ecclesiæ, quæ erat infra ipsum castrum, videntibus multis tam Christianis, quam paganis. Nam duo scuta apparuerunt supra præfatam Basilicam sanguineo colore flammantia & velut in prælio quibusdam motibus agitantia. Itaque Pagani hoc signum aspicientes timore repleti mox in fugam conversi sunt, & in tantam amentiam, ut strictis gladiis mutuo se confoderent, quantoque illi plus paventes fugerunt, tanto magis Christiani confortati omnipotentem Deum laudabant, qui salvos facit sperantes in se; Ex prædicto igitur loco cum tanta confusione discedentes venerunt ad aliud Castrum, quod appellatur Desuburg, ubi voluerunt similia facere, sed Deo auxiliante Francisque viriliter resistentibus nihil prævaluerunt. Oppidani vero prosequentes eos usque ad flumen quod Lippa dicitur multos ex eis interfecerunt: Itaque Rex Wormatiam veniens Synodum placitumque publicum ibi tenuit, & Concilio soluto mox Saxonum fines penetravit, & velut ingens tempestas omnia prosternit, munitiones irrumpit. Saxones perterriti, ad locum ubi Lippa oritur, venerunt, ibi se suamque patriam Regi tradiderunt, & spoponderunt Christianos se esse debere. Tunc Rex restauravit Heresburg Castrum & aliud Castrum super Lippam, ubi venientes Saxones cum uxoribus & parvulis, innumerabilis multitudo baptizati sunt in nomine Sanctæ Trinitatis. Posthæc obsides, quantos Rex expetiit, dederunt, reformatisque Castellis, custodibusque dispositis, Karolus in Franciam revertitur. Et celebravit Natale Domini in Heristellio & Pascha in Niumago. Leo filius Constantini persecutoris LXV. loco ab Augusto Romanum suscepit Imperium, regnavitque annis V. Hic ad breve tempus visus est esse pius sanctæque Dei genitricis & monachorum amicus, unde & Metropolitanos ex monachis in primis sedibus collocavit, multosq; in urbe ordines bene ampliavit. Quapropter principes omnes cum multitudine populi copiosa ingredientes petierunt filium ejus Constantinum Imperatorem fieri, qui cum diceret illum sibi unicum esse & parvulum, seque vereri super hoc, si forte contingeret, quod humanum est, illum ab eis interfici & alium promoveri: juraverunt omnes, non se admissuros alios Imperatores præter Leonem & Constantinum & ex semine ipsorum, & hoc scripto confir-

confirmaverunt, & sic in sancto die Paschæ coronatus est Imperator.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXVII. Rex Saxoniam ingressus placitum tenuit in loco qui dicitur Padorbrunna, ubi omnes convenerunt excepto Vvidikindo, qui cum paucis Saxonibus in partes Nortmanniæ confugit. In eodem loco venerunt ad eum Sarraceni de partibus Hispaniæ, quorum hæc sunt nomina: Ibina Jarabi & filius Devizefi, qui Lamme Joseph nominabatur, & gener ejus; ubi etiam multitudo Saxonum baptizata est, & sacramenta secundum consuetudinem dederunt, ut perderent ingenuitatem & omnem hæreditatem, nisi servarent susceptam Christianitatem & promissam fidelitatem Regi & filiis ejus & regno Francorum. Rex in Franciam reversus celebravit Natale Domini in Duciaco, & Pasca Domini in Aquitania in villa quæ dicitur Casinogilo.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXVIII. Vvidikindus Saxo tyrannidem in Saxoniam contra Regem Karolum molitur. Rex Karolus cum exercitu Hispaniam ingressus est; venitque ad Pampalonam Civitatem eamque cepit, cui Stritaurus Sarracenorum Rex dedit obsides fratrem suum & filium, & reddidit civitates, quas tenebat; deinde ad Cæsar-Augustanam Vrbem perrexit, ubi innumerabilis multitudo de partibus Burgundiæ & Austrasiæ vel Bavvariæ seu Provinciæ vel Septimaniæ, pars etiam Langobardorum in auxilium Francorum convenerunt. Obsidione itaque cincta civitate territi Sarraceni obsides dederunt, & immensum pondus auri; ejectis itaque Sarracenis de Pampalona murisque civitatis dirutis, Vvasconibusque subjugatis, in Franciam victor revertitur, quamvis in ingressu Hispaniæ, fraude Vvasconum, plerique aulicorum per insidias interfecti essent. Interea Saxones audientes, quod Rex cum Francis tam longo terrarum spatio ab eis esset separatus, suadente Vvidikindo, secundum consuetudinem rebellare conati sunt, & ad Duciam usque Castrum venerunt, quod Coloniæ civitati contiguum est, rapinis & incendiis vastantes omnia; quod cum nuntiatum esset Regi revertenti & jam conmoranti Antissiodoro civitate, misit agmen ex electis viris, ut eorum violentiæ resisteret. Saxones audientes incolumitatem Regis & adventum Francorum, in fugam conversi sunt, quos Franci e vestigio sequentes, reppererunt eos super fluvium, cujus vocabulum est Adarna in loco qui dicitur Lihesi, ubi pugna inita, Franci auxiliante Deo vicerunt & multitudo Saxonum occisa est; & celebravit Rex Natale Domini in Heristellio, & Pascha similiter. Eo tempore monachi Fuldensis Cœnobii propter Saxonum timorem assumptis secum Bonifacii martyris ossibus fugerunt de Monasterio per millia passuum XIIII.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXIX. Karolus in villam, quæ dicitur Compendium, venit, ubi se obtulit Hildebrandus Spolitanorum Dux cum multis muneribus ejusque se dominationi subdidit. Eodem anno Synodum tenuit in Duria, & post hæc Saxoniam ingressus usque ad Lippam venit. Conati sunt autem Saxones resistere in loco qui dicitur Huocholl; sed nihil prævaluerunt. Aperta autem via Westfalæos subjugavit, & omnes Saxones, qui ultra Wisaram conmorabantur. Veniens autem in loco qui dicitur Medofulli, accepit obsides & Sacramenta a Saxonibus, qui ab eo defecerant, & reversus est in Franciam, & celebravit Natale Domini in Vvormacia civitate & pascha similiter, Sturmus Abbas Fuldensis Cœnobii moritur, cui successit Bougolf ejusdem Monasterii monachus. Fames mortalitasque Franciam vastavit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXX. Karolus Saxoniam ingressus ad Heresburch venit, & inde ad locum, ubi Lippa consurgit, & ibi Synodum tenuit. Inde progressus ad Albiam fluvium venit, & in ipso itinere Bardongavenses & multi de Nortluidis baptizati sunt in loco, qui dicitur Horheim, ultra Obacrum fluvium; & pervenit ad locum, ubi Ora confluit in Albiam. Dispositis itaque tam Saxonibus, quam Sclavibus, in Franciam reversus est. Inito autem consilio, ut Romam pergeret Orationis causa una cum conjuge Hildegarda, celebravit Natale Domini in Papia civitate. Leo Imperator obiit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXI. Karolus Romam veniens ab Adriano Papa honorifice suscipitur, & cum ibi Pascha celebraret, baptizatus est filius ejus Pippinus ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit; & duo filii ejus ab eo inuncti sunt in Reges, Pippinus super Italiam, Lodovicus super Aquitaniam. Inde reversus venit Mediolanum, ubi baptizata est filia ejus Gisla ab Archiepiscopo Thoma, qui & ipse eam a sacro fonte levavit; his peractis reversus est in Franciam. Per idem tempus legati Apostolici Formosus & Damasus Episcopi cum Legatis Riculfo Cappellano & Evvardo Magistro Pincernarum directi sunt ad Tassilonem Ducem, conmonentes & contestantes ex auctoritate Apostolica, ut recordaretur priorum Sacramentorum, quæ juraverat Pippino & filiis ejus. His admonitionibus consensit Tassilo & sumptis obsidibus venit Wormatiam, ubi renovavit sacramenta & dedit XII. obsides; sed ubi domum rediit non diu promissa servavit. Eo anno in Saxoniam Rex Karolus veniens divisit eam in Octo Episcopatus, Bremensem, Halberstadensem, Hildinisheimensem, Verdensem, Paderbrunensem, Mindensem, Monasteriensem, Asenbruggensem & terminos eisdem Episcopiis constituit, Sanctoque Stephano martyri in loco qui vocatur Saligenstide, nunc autem vulgo Astervvic nuncupatur, monasterium construens, dedicari fecit; cumque diu longe lateque fidelem ac prudentem dispensatorem quæreret, quem constitueret super familiam Dei, ut daret illi cibum in tempore, Sanctum Hildegrunum Catalaunensem Episcopum, a sanctis parentibus, scilicet Patre Thiatgruno, matre vero Liasburga editum, fratrem quoque Sancti Luideri primi Mimi-

Mimigardevordensis Episcopi & Confessoris, Adriano Papa Rom. jubente, in hoc opus destinavit. Sanctus autem Hildegrunus statim eodem anno, divina disponente gratia sedem Episcopalem de Seligenstide in oppidum, quod vocatur Halberstad, transtulit, ubi hodieque honorifice fulget, & usque in diem consummationis hujus sæculi, intercedente eodem patrono Beato Stephano protomartyre cum omnibus cœli civibus, in bono confirmabitur. Celebravit autem Rex Natale Domini in Carisiaco & Pascha similiter. Constantinus filius Leonis cum matre sua Hirene regnum suscepit & annis XVII regnavit. Huic filia Caroli & Hildigardis Reginæ Rotrudis nomine desponsata fuerat, sed mater ejus aliam ei invito conjungebat. Eodem anno multa signa in cœlo & in terra apparuerunt, inter quæ etiam sanguis e terra ac de cœlo perhibetur fluxisse, & in vestimentis hominum signum visum est.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXII. Karolus Coloniam veniens Rhenum transiit & Synodum tenuit, ubi Lippa consurgit, ubi omnes Saxones convenerunt, exceptis sociis rebellis Widikindi; Illuc etiam venerunt Legati Godefridi Regis Nortmannorum Altdeni & Hosmundus; Legati etiam Avarorum missi a Cacano & Vigurro, cumque soluto conventu in Franciam redisset, Widikindus in patriam reversus Saxones rebellare persuasit. Rex ea tempestate miserat Adalgisum & Geilonem atque Conradum, ut ducerent exercitum Francorum & Saxonum super Sorabos Sclavos, qui campos inter Albiam & Salam jacentes incolebant, eo quod fines Thuringorum ac Saxonum sibi confines prædandi causa fuissent ingressi, qui Saxonum motum audientes ad illos diverterunt, sed incaute agentes a Saxonibus circumventi & pene omnes interfecti sunt. Duo quoque ex Ducibus Francorum ceciderunt Geilo & Conradus in monte qui dicitur Sundal. Hoc audiens Rex cum Francis, quos sub celeritate congregare potuit, illuc perrexit, & venit usque ad locum, ubi Alara confluit in Wisaram. Iterum omnes Saxones convenientes subdiderunt se potestati Regis, & Widikindum hujus sceleris auctorem proclamabant. Sed illum quia aufugit tradere non valentes, ex his qui ei consenserant quatuor millia quingentos tradiderunt, qui omnes una die jussu Regis decollati sunt; & Rex in Franciam reversus est. Widikindus autem fugit ad partes Normanniæ. Et celebravit Natale Domini in Theodonis-villa & pascha similiter. Constantinopoli quidam lapideam arcam invenit, & in ea virum jacentem cum hac scriptura: Christus nascetur ex Maria Virgine & credo in eum, sub Constantino & Hirene Imperatoribus, o sol, iterum me videbis.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXIII. Cum ad expeditionem Saxonicam se Rex præparasset, antequam exercitum moveret, Hildegardis Regina obiit II. Kal. Maji, quod evenit tunc in Vigilia Ascensionis Domini. Hæc erat de Gente Suavorum præcipuæ nobilitatis fœmina, de qua Rex tres filios Karolum, Pippinum, Lodovvicum, totidemque filias, Rothrudem, Bertham & Gislam genuerat. Igitur Rex Saxoniam ingressus est, eo quod Saxones iterum rebellassent, & cum paucis Francis ad Thietmalli venit, ibi Saxones paraverunt pugnam in campo viriliter. Tunc Rex cum Francis super eos irruit, & magnam stragem ex eis fecit, ita ut perpauci fuga laberentur, post peractam pugnam pervenit Rex ad Patherbrunna, ubi coadunato exercitu denuo super Saxones irruit, qui se sociaverant, super fluvium cujus vocabulum est Asa. Ibi iterum pugna inita non minor numerus Saxonum cecidit, quam in superiori prœlio ceciderat, plures tamen eo bello ex nobilibus tam Francorum, quam Saxonum & functi summis honoribus viri consumpti sunt.

Tunc Rex Wizaram transiit & ad Abbiam usque pervenit, & post hæc reversus est in Franciam, & cum Wormatiam pervenisset sociavit sibi in matrimonium Fastradam Reginam, quæ de Orientalium Francorum, scilicet Germanorum, gente erat, de qua genuit duas filias Theodoradam & Hiltrudam. Erat autem filia Ratolfi Comitis Orientalis Franciæ. Eodem anno obiit Berta Regina mater ejus, quæ in magno aput eum honore consenuerat. Colebat enim eam magna reverentia, ut nulla umquam invicem sit exorta discordia, nisi in causa repudii filiæ Regis Desiderii, quam illa suadente acceperat; decessit tandem post mortem Hildigardæ, cum jam tres nepotes suos totidemque neptes in domo filii vidisset.

Quam Rex in eadem Basilica, in qua & pater situs est, apud S. Dionysium magno honore fecit humari. Et celebravit Rex Natale Domini in Heristellio & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXIIII. Karolus ingressus est Saxoniam, eo quod iterum rebellassent & cum eis aliqua pars Fresonum, & pervenit usque Huculiu circueundo & vastando omnia. Erat autem nimia aquarum inundatio. Ipse igitur per Thuringiam ab orientali parte intravit super Ostfalaos, porro filium Karolum dimisit cum valida manu contra Westfalaos. Ipse per Thuringiam venit usque ad flumen Albiæ, & inde ad Tagnofort, deinde ad Scamnigge; ex quo loco reversus est in Franciam; Westfalai vero congregaverunt se juxta Lippam, quibus occurrit filius Regis in pago, qui dicitur Dragini & inierunt pugnam, quibus viriliter superatis reversus est ad Regem Wormatiam. Rex consultis fidelibus suis iterato hiemis tempore Saxoniam intravit, & celebravit Natale Domini juxta Kidrioburh Wizzagaum villa super fluvium Ambræ in loco, qui dicitur Liuhidi.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXV. Rex usque Adrine pervenit super fluvium Wizaram, ubi confluit Vvachna, & propter nimiam inundationem aquarum inde reversus est Heresburch, ubi uxorem suam Fastradam cum filiis & filiabus venire jussit & ibi tota hyeme resedit, ibi etiam Pascha celebravit, & mul-

tis vicibus scaras super Saxones misit, & eorum Castra deprædatus est, mense Majo Synodum ad Patherbrunno tenuit & inde pergens, nullo contradicente totam Saxoniam circuivit. Venit autem in Bardengauui, & inde misit post Widikindum & Albionem, eosque ad se fecit venire, quos sacramento firmavit, ut in Franciam ad eum venirent, qui acceptis obsidibus ad Attiniacum ad Regem venerunt, ducente Amaluvino, & baptizati sunt, quievitque Saxonicæ perfidiæ cervicositas per aliquot annos, & in eadem villa celebravit Rex Natale Domini & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXVI. Audiens Rex Anglos & Saxones Britanniam invasisse misit cum exercitu Audolfum præpositum mensæ regiæ, ubi multa castella ceperunt Franci,&eorumPrimates repræsentaveruntRegi Wormatiæ in publico Conventu; Tunc Rex videns se ex omni parte pacem habere, Romam perrexit orationis causa, & ut ibi cum legatis Constantinopolitani Imperatoris colloquium haberet. Volebat præterea partem Italiæ,quæ est circa Beneventum, suæ potestati subjicere, cujus majorem partem, capto Desiderio, jam subdiderat, & eodem anno multa prodigia visa sunt. Signum enim crucis in vestimentis hominum apparuit. Sanguis quoque e cœlo terraque profluxit, & eclipsis solis facta est XV. Kl. Octob. hora quasi secunda & celebravit Natale Domini in Florentia Tusciæ civitate. Lullus secundus Archiepiscopus Mogontiacensis obiit, sedit annos XXII. cui Ricolfus successit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXVII. Karolus Romam venit & a Pontifice Adriano honorifice susceptus est, ubi per aliquot dies moratus est, quod cum audisset Herigisus Dux Beneventanorum, timore perterritus, misit Romaldum filium suum cum magnis muneribus ad Regem, postulans pacem, & promittens se omnem voluntatem Regis facturum. Sed his suasionibus minime Apostolicus credidit & hortatus est Regem, ut Beneventi fines intraret, quod & fecit; & cum Capuam venisset Herigisus reliquit Beneventum & in Salernam secessit, ibique se munivit. Exinde misit filium suum Grimaldum, nam Romaldum Rex secum retinebat, cum magnis muneribus, offerens obsides, & promittens omnem fidelitatem, tantum ut ab impugnatione cessaret. Tunc Rex cum consulto fidelium & sacerdotum, ne penitus Episcopia & Monasteria devastarentur, elegit XII. obsides & XIIIum filium supradicti Ducis Grimaldum, & accepit munera, & juraverunt ei omnes Beneventani, & reversus est Romam, ibique celebravit pascha cum Præsule sedis Apostolicæ. Venerunt etiam in eodem loco Legati Tassilonis Ducis Bavvariæ Arnus Episcopus & Heinricus abbas, rogantes Papam, ut pacem faceret litemque terminaret inter Regem & Tassilonem, quod cum ille obnixe faceret, ait Rex, hoc se per multa tempora quæsisse, sed obtinere minime potuisse, ne tamen esse inobediens videretur monitis apostolicis, asseruit, se in ejus præsentia cum eisdem legatis pacem velle firmare, illis renuentibus atque dicentibus, non se audere pro seniore suo definitivam proferre sententiam, neque se ad hoc destinatos esse, videns Apostolicus ficta mendacia & instabilitatem Ducis, iratus anathematisavit Tassilonem & omnes illi faventes nisi fidelitatem, quam Regi Pippino & filio ejus Karolo promiserat, per omnia observaret, contestans per eosdem Legatos & monens eumdem Tassilonem, ne per ejus obdurationem & perfidiam Christianorum sanguis funderetur, & terra devastaretur. Quod si ipse obedire nollet, Rex Karolus & exercitus ejus absoluti essent a Deo & Sancto Petro, ut quicquid in Ducatu ejus perpetratum esset in incendiis & homicidiis vel qualicumque malitia, totum hoc in Tassilonem & socios ejus convertatur, & Rex & Franci persistant innoxii; his verbis absolutis Legatis Tassilonis, Rex oratione ad limina Apostolorum completa & benedictione ipsius percepta in Franciam gressum dirigit, & Wormatiæ Fastradam Reginam cum filiis & filiabus suis expectantem invenit. Ibi habito generali Conventu vel Synodo manifestavit Sacerdotibus & Optimatibus Regni causas itineris sui & quomodo versutia Tassilonis Ducis coram Apostolico esset deprehensa. Misit itaque ex consulto fidelium suorum Legatos ad eumdem Tassilonem, monens, ut Apostolicis adhortationibus obtemperaret, qui cum nollet obedire, Rex in partes Bavvariæ exercitum movit, & venit ad locum, qui dicitur Lechfeld super civitatem Augustam, & venerunt Orientales Franci, Thuringi quoque & Saxones super Danubium fluvium. Porro Pippinus Rex de Italia cum exercitu venit Trientum. Tunc perspiciens Tassilo, se ex omni parte esse circumdatum, videns etiam, quod Bavvarii magis essent fideles Karolo, quam sibi, undique coarctatus supplex venit ad eum, tradens se manibus ejus ad servicium, reddensque Ducatum a Pippino Rege sibi commissum, veniam de ante gestis sibi donari rogavit, & denuo renovans sacramenta dedit duodecim obsides electos & filium suum Theodonem, quibus Rex acceptis, reversus est in Franciam, & celebravit Natale Domini in Inglenheim & pascha similiter. Eclipsis solis facta est XV. Kal. Octobris.

Anno Dominicæ Incarn. VCCLXXXVIII. Rex congregavit Synodum in eadem villa, & Tassilo Dux, sicut & ceteri primates Regni, adfuit, ubi a Bavvariis accusatus est, quod post datos obsides fidem non servaverit, sed, suadente uxore sua Lintburga Desiderii Regis filia, Avares in dissipationem Regni vocaverit. Objecta vero Tassilo denegare non potuit, & ad ultimum confessus est, dixisse, si decem filios haberet, omnes malle amittere; quam ita manere, sicut juraverat, misisse quoque ad Avares, & in vitam fidelium Regis consiliatus fuisse. Ex his & aliis multis dijudicatus est ad mortem. Et cum omnes in eum capitalem sententiam proclamarent, Rex misericordia motus, eo quod consanguineus ejus esset, obtinuit ab ipsis Dei & suis fidelibus ne moreretur. Interrogatus ergo

ergo a Rege, quid agere vellet, terræ postratus licentiam monasterium intrandi expetiit, similiter & Thiodo filius ejus fecit. Igitur attonsi sunt & in Monasterium missi, pauci Bavvarii, qui cum Tassilone senserunt, in exilium sunt missi. Eodem anno commissum est bellum inter Græcos & Longobardos, ducibus Hildebrando Spolitano & Grimaldo Beneventano & Winegiso a Rege directo cum Francis, & fugati sunt Græci, viceruntque Franci & Langobardi. Per idem tempus pugna commissa est inter Avares & Francos, qui in Italia habitabant, & victoriam obtinuerunt Franci. Tertia pugna gesta est inter Avares & Bavvarios in Campo Ibore, & fuerunt ibi Legati Regis Grahamannus & Odacer cum aliquibus Francis & Deo auxiliante victoria fuit a parte Bavvariorum; hæc autem supradictus Tassilo & uxor ejus Luitburgis terminaverant. Quarta fuit pugna contra Avares, qui voluerunt vindicare eos, qui in prælio superius dicto ceciderunt, sed Deo adjuvante victoria Christianis cessit. Post Karolus Ratisponam venit, ibique Marcas & fines Bavvariorum dispofuit, indeque reversus est in Franciam & celebravit Natale Domini in Aquis palatio & Pascha similiter. Aput Constantinopolim instantia Tharasii Patriarchæ & Adriani Papæ in Nicœa Vniversalis Synodus trecentorum quinquaginta Episcoporum congregatur, in qua fides Catholica in præsentia Hirenes & filii ejus Constantini cunctorum subscriptione roboratur, & hæresis execrantium imagines Dei in perpetuum anathematizatur.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCLXXXIX. Rex Renum Coloniæ transiit & Saxoniam ingressus ad Albiam fluvium venit, ibique duos Pontes construxit, & ex utraque parte pontis Castella fecit ex lignis & terra, & inde progressus Slavorum fines intravit, & Slavos, qui vocantur Wilzi, suo dominio subjugavit. Fuerunt cum eo in hac expeditione Franci & Saxones. Fresones vero per Habolam fluvium navigio venerunt. Fuerunt etiam cum eo Slavi Surbi & Abotridi, quorum princeps vocabatur Witzan. Itaque obsidibus acceptis reversus est in Franciam, & celebravit Natale Domini in Wormatia & pascha similiter. Hirene Imperatrix soluta pace nuptialis fœderis cum Francis, misit & adduxit puellam de Armenia nomine Mariam & conjunxit eam filio suo Constantino Imperatori, invito tamen, propter affectum, quo erga filiam Karoli flagrabat, quam antea desponsaverat.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXC. Nullam expeditionem Rex fecit, sed sedens in Civitate Vormatia Legatos Hunorum audivit, suosque ad eorum principes misit. Sanctus Willehadus primus Bremensis Episcopus migravit ad Dominum, qui missus a Karolo Rege in Saxoniam, primus omnium doctorum Maritimas & Boreales ejus provinciæ partes ac transAlbianos populos ad Christianam fidem provocavit. Hic aput Bremam domum Dei miræ pulcritudinis construxit, ubi & sedem constituit episcopalem ac dedicavit eam in honore Domini sub patrociniis Sancti Petri Apostoli; Sexto Idus Novembris die Dominico post solis ortum in Christo requievit; mansit autem in Episcopatu annis IX. mensibus tribus, diebus XXV. nam prædicavit in eadem parochia ante Episcopatum Presbiter annis VII. requiescit vero is sepultus in Ecclesia quam construxit. Rex celebravit Natale Domini in Wormatia & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXCI. Karolus ad partes Bavariæ perrexit & Ratisponam pervenit, ubi & exercitum suum convenire jussit, ibique cum Consilio Optimatum regni disposuit ire in Avarorum regnum propter malitiam intolerabilem, quam in Galliarum populos gesserunt & Ecclesiam Dei. Venit ergo cum exercitu usque ad Anisam fluvium, ubi triduanum jejunium cum Letaniis fecerunt, postulantes adjutorium Dei pro salute exercitus & vindicta inimicorum. Rex itaque littora Danubii de australi parte tenuit; Saxones autem cum quibusdam Francis & plurima multitudine Fresonum de Aquilonari; & ita procedentes pervenerunt, ubi jam dicti Avari habebant munitiones paratas, de australi parte ad Cuverberberch, de Aquilonari vero ripa in loco qui dicitur Camp: sic enim nominatur ille fluvius, qui ibi influit in Danubium. Itaque Avari cum ex utraque ripa vidissent exercitum & classem per medium fluvium venientem, tantus timor Deo faciente illos invasit, ut dimissis præsidiis munitionum fugæ latibula quærerent, & sic Christo Duce uterque exercitus absque læsione Pannoniam introivit. Pervenit autem Rex usque ad fluvium qui dicitur Raba, omnia incendiis, cædibus rapinisque devastans. Terra Hunorum, qui & Avares dicuntur, ut antiquorum temporum relatores testantur, VIII. circulis, quos Teutonici Baga vocant, cingebatur, qui singuli ita stipitibus quernis seu faginis vel abiegnis erant exstructi, ut de margine ad marginem XX. pedum spatio tenderentur in latum & totidem subrigerentur in altum, cavitas autem universa aut durissimis lapidibus aut creta tenacissima repleretur; superficies vero vallorum integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ abscisæ atque projectæ, ut cernere solemus, comas caudium foliorumque proferunt. De primo usque secundum XX. miliaria teutonica protendebantur, sicque ad tertium & ita usque ad nonum, quamvis iidem circuli alius alio multo contractiores fuissent. Inter hos aggeres ita vici villæque erant locatæ, ut de aliis ad alias hominis vox posset audiri. Contra eadem vero ædificia inter inexpugnabiles muros portæ non satis erant latæ constitutæ, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores, sed etiam interiores, solebant exire. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones & habitacula undique versum ordinata, ut clangor tubarum inter cingula cujusque posset rei significantius audiri. Ad has munitiones per ducentos & eo amplius annos, omnium occidentalium divitias congregantes, cum & Gothi & Wandali quietem

tem hominum turbarent, orbem occiduum pene vacuum reliquerant. Rex autem reversus Ratisbonam celebravit ibi Natale Domini & Pascha similiter. Palatium Wormatiense incendio consumptum est. Sanctus Burchardus primus Wirceburgensis Episcopus obiit, sedit annos XL.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXCII. Hæresis cujusdam Felicis Episcopi damnata est, qui Christum secundum hoc quod homo est adoptivum Dei filium dicebat. Quem Felicem Engelbertus in præsentiam Adriani summi Pontificis adduxit, & post confessionem hæresim abdicavit. Karolo a Nativitate Domini per totam æstatem Ratisponæ conmorante, quibusdam Francis agentibus conspiravit contra eum Pippinus filius ejus ex concubina, itemque alii propter Fastradam Reginam, cujus crudelitatem se ferre non posse Franci dicebant; quæ conspiratio cum per Fardulfum Langobardum detecta fuisset, ipse ob meritum fidei servatæ monasterio Sancti Dionysii donatur. Pippinus autem attonsus in monasterium mittitur, auctores vero conjurationis partim gladio cæsi, partim patibulo suffixi sunt. Rege autem propter bellum contra Hunos susceptum in Regenesburch conmorante, persuasum est ei a quibusdam, posse percommode a Danubio in Rhenum navigari, si intra Radantiam & Alemoniam fluvios ejusmodi fossa duceretur, quæ esset navium capax, quia horum fluviorum alter Danubio, alter Maeno misceretur. Confestim Rex ad locum huic operi aptum cum omni comitatu suo venit, ac magna multitudine hominum congregata totum tempus Autumni in eo consumpsit. Ducta est itaque fossa inter prædictos fluvios duum millium passuum longitudine, trecentorum passuum latitudine, sed frustra; nam propter juges pluvias & terram quæ palustris est naturaliter opus quod fiebat stare non potuit, sed quantum terræ a fossoribus interdiu egestum tantum noctibus humo iterum relabente subsidebat. Eodem anno nulla expeditio facta est, sed tantum pons super naves ad flumina transeunda compactus est, anchoris & funibus ita cohærens, ut jungi & dissolvi possit. Et celebravit Rex Natale Domini Ratisponæ.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXCIII. Karolus a Ratispona proficiscens ad fossatum magnum inter Alcmonam & Radinzam fluvios venit, ubi summi Pontificis Legati cum magnis muneribus in præsentiam ejus venerunt. Ibi etiam nuntiatum est ei, Saxones iterum more solito fidem & promissa violasse. Inde Navigio per Radinzam Mogonum fluvium ingressus Natale Domini celebravit in Wirceburg apud Sanctum Kilianum. Eodem anno misit filios suos Pippinum & Lodowicum in Beneventum cum exercitu; fuitque fames valida, ita ut nec in XL a carnibus abstineretur. His temporibus Alcuvinus Rethor Britannicus Diaconus & abbas monasterii Sancti Martini sanctitate & doctrina clarus habetur.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXCIIII Rex celebravit Pascha in Franconevord, ubi congregavit Synodum magnam Episcoporum Gallorum, Germanorum, Italorum, ubi fuerunt Legati Apostolici Theophilus & Stephanus Episcopi. Ibi tertio condemnata est hæresis Feliciana, & liber contra eam communi Episcoporum auctoritate compositus est, in quo omnes subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli congregata sub Hirene & Constantino septima & universalis appellata est ab eis, ut nec universalis, nec septima, nec aliquid diceretur, quasi supervacua abjudicata est. Mortua est ibi Fastrada Regina & Mogontiæ apud S. Albanum sepulta est. Habuit ex ea duas filias Theoderatam & Hiltrudam. Post hanc Liutgardam Alamannam duxit uxorem, de qua liberos non habuit. Erat ei unica soror nomine Gisla, quam ut matrem magna coluit pietate. Erat enim a puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata, quæ paucis ante ipsius obitum annis in monasterio, quo conversata fuerat, decessit. Rex diviso in duas partes exercitu Saxoniam ingressus est. Ipse per Thuringiam; Karolus vero filius ejus Coloniæ Rhenum transiit. Tunc Saxones congregantes se in loco qui dicitur Finisfelt, præparaverunt se ad pugnam. Cum vero audissent, se ex duabus partibus esse circumdatos, dissipavit Deus consilia eorum, &, quamvis fraudulenter, Christianos se esse & fideles Regi promiserunt Rex Patherbrunensi Ecclesiæ, quam ædificaverat, Hathumarum primum Episcopum constituit, & reversus in Franciam celebravit Natale Domini in Aquis palatio & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXCV. Saxones fidem Christi relinquentes iterum rebellant. Rex venit Mogontiam, ibi conventum generalem habuit in villa quæ dicitur Cufstein in suburbio ejusdem civitatis. Audiens vero, quod Saxones promissionem, quam de observanda Christianitate & fidelitate Regis fecerant, irritam haberent, hostiliter Saxoniam intravit & usque ad fluvium Albiam pervenit in loco, qui dicitur Hliuni, in quo iisdem diebus Witzan Abodritorum Rex a Saxonibus occisus fuerat. Ibi venerunt ad eum Legati Thudun, qui in gente & Regno Avarorum magnam potestatem habebat, quod cum terra & populo suo Regi se dare vellet, affirmantes, & ejus ordinatione Christianam fidem suscipere. Rex itaque afflictis magna ex parte Saxonibus, eorumque terra vastata, acceptis tertia parte virorum obsidibus in Franciam rediit & celebravit Natale Domini Aquis & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCXCVI. Adrianus Papa obiit VII. Kal. Januarii & Leo mox in Pontificatu successit, sedit annos XX. menses V. dies XVI. statimque misit ad Regem Karolum Legatos cum muneribus, cui & Claves confessionis Sancti Petri & vexillum Romanæ urbis direxit, & ut aliquem de optimatibus suis ad confirmandum sibi per Sacramentum populum Romanum mitteret, rogavit. Missus est ad hanc rem Angelbertus abbas monasterii Sancti Richa-

Richarii. Henricus Dux Forojulanorum missis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannoniam, Iringum Avarorum principem longis retro temporibus quietum civili bello, fatigatis inter se principibus, improviso exspoliavit. Cananus & Vigurro intestina clade interempti sunt. Tesaurum priscorum Regum multa sæculorum prolixitate collectum idem Dux Karolo ad Aquis Palatium misit, quo accepto, peracta largiori omnium bonorum gratiarum actione, magnam ejus partem Romam ad limina Apostolorum misit per eumdem Angelbertum Abbatem. Porro reliquam partem Optimatibus Clericis sive laicis ceterisque fidelibus suis largitus est. Per idem tempus Thudun, secundum promissionem suam, cum magna parte Avarorum ad Regem venit & se cum populo suo & patria Regi tradidit, & ipse & populus ejus baptizatus est, & muneribus susceptis redierunt ad sua. Eodem tempore Rex cum exercitu Saxoniam intravit & Pippinus Rex Pannoniam hostiliter invasit. Venitque Legatio Pippini ad patrem in Saxoniam, referens, Avaros post interfectionem priorum Ducum Regem sibi constituisse nomine Kajam, & quod Pippinus contra eum certare disponeret. Rex peragrata Saxonia in Franciam se recepit, & in Aquis Palatio filium suum Pippinum fugatis ultra fluvium Tizara Hunis e Pannonia redeuntem & partem Tesauri, quæ remanserat, adducentem lætus aspexit, & celebravit in eodem loco Natale Domini & pascha similiter. Sic igitur octavo, quam cœptum est, anno bellum Hunorum est consummatum. Quantum sanguinis in eo fusum sit, testatur Pannonia pene habitatore vacua, & locus, in quo regia Cagani erat, ita desertus, ut nec vestigium in eo humanæ habitationis appareat; Tota hoc bello Hunorum nobilitas & gloria decidit, nec ullo bello Franci magis ditati sunt, quippe cum prius pene pauperes viderentur. *

Anno Dominicæ Incarnat. VCCXCVII. Barcilona civitas Hispaniæ, quæ jam pridem a Francis desciverat, per Thatun præfectum ipsius Francis est reddita. Nam ipse ad palatium veniens civitatem Regi tradidit, post hæc expeditio facta est in Saxoniam, & usque ad Oceanum trans omnes paludes & invia loca transivit exercitus. Et Rex de Adulohog, hoc enim loco nomen est, ubi Oceanus Saxoniam alluit, tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta, Aquis palatium reversus est, ubi Abdellam Sarracenum filium Ibinmage Regis, qui a fratre regno pulsus in Mauritania exulabat, ipse semetipsum conmendante suscepit. In eodem loco & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theophilus venit, Constantini Imperatoris epistolam portans, quem honorifice suscipiens, post aliquot dies absolvit. Ipse vero mediante Novembri mense ad hyemandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque Castris juxta Wisaram fluvium locum Castrorum Heristellium vocari jussit. Illuc legati gentis Avarum cum magnis muneribus venerunt. Indeque Abdellam Sarracenum cum filio suo Lodovico in Hispanias ire jussit & filium suum Pippinum in Italiam remisit. Ipse vero ad disponendam Saxoniam totum hyemis tempus inpendens, ibi Natale Domini celebravit & Pascha similiter. Hoc anno Geroldus Comes & Bavvariæ Præfectus commisso cum Avaris bello interficitur cum duobus tantum, qui eum obequitantem ac singulos cohortantem sequebantur; de quo in visione Vvictini monachi legitur, quod inter Martyres sit annumeratus.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCXCVIII. Venit ad Regem Legatus Hoddisonsi Regis Galliciæ & Asturiæ, nomine Frola, papilonem miræ magnitudinis portans. In ipso Paschæ tempore Nortliudi trans Albiam sedentes, seditione conmota, legatos Regios, qui tunc ad justicias faciendas apud eos conversabantur, comprehenderunt, quosdam ex eis trucidantes, quosdam ad redimendum servantes. Rex collecto exercitu de Heristelli ad locum, qui Minda dicitur, perrexit, & habito Consilio in desertores arma corripuit, & totam Saxoniam inter Albiam & Wisaram depopulando peragravit. Nortliudi contra transactionem * Abodritorum Ducem & Ebroinum Legatum regis commisso prœlio victi sunt. Cæsa sunt ex eis in eo bello IIII. millia, ceteri, qui aufugerant, de pacis conditione tractare cœperunt. Rex acceptis Saxonum obsidibus in Franciam reversus est, & Aquis perveniens legationem Græcorum a Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michael Patricius quondam Frigiæ & Theophilus Presbiter, Epistolam Hirenæ Imperatricis ferentes. Nam filius ejus Constantinus Imperator a suis conprehensus & excæcatus est. Hæc autem legatio tantum de pace fuit, quos cum dimisisset, absolvit etiam cum eis Sisinnium, fratrem Tharasii Constantinopolitani Episcopi, jamdudum in Italia prœlio captum. Adefon Rex Galliciæ & Asturiæ prædata Olisipona, ultima Hispaniæ civitate, Loricas, mulos, captivosque Regi per Legatos Frojam & Basiliscum hyemis tempore misit; & celebravit Rex Natale Domini in eodem loco & pascha similiter. Hoc anno Sidus Martis in toto cœlo non comparuit. Insulæ Baleares a Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Constantinus Imperator filius Leonis & Hirenæ, postquam cæcatus est consilio matris suæ, post breve tempus obiit, sicque mater de cætero per V. annos regnavit. Obscuratus est autem eo tempore sol per dies XVII, ita ut oberrarent naves in mari & putaretur ab omnibus, quod propter Imperatoris excæcationem sol obscuratus sit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCXCVIIII. Romanis in sua securitate gloriantibus levatum est cor eorum secundum consuetudinem eorum, volueruntque ea quæ Imperialis sunt potestatis sibi vendicare. Resistente autem Leone Papa, quidam ex cognitis Beatæ Memoriæ Adriani Papæ seditionem moventes in populo concitaverunt eum adversus Papam. Vnde factum est, ut in Lætania majore cum processurus de Lateranis ad Ecclesiam Sancti Laurentii,

quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens pergeret, in insidias a Romanis positas juxta eandem Ecclesiam incidit, dejectusque equo & erutis, ut sibi videbatur, oculis linguaque amputata nudus ac semivivus in media platea dimissus est; quidam dicunt, quod alium sibi tantum oculum eruerint, alii vero neutrum, sed rasoriis per medios oculos inciderent, nec tamen visum auferrent. Deinde jussu eorum, qui hujus facinoris auctores erant, in Monasterium Sancti Erasini martyris in custodiam est missus, noctu per murum evasit, & ad legatos Regis, qui tunc apud Basilicam Sancti Petri erant, Wirindum scilicet Abbatem & Winegisum Spolitanorum Ducem veniens, Spoletum deductus est. Cujus rei nuntium dum Rex accepisset, ipsum quidem ut Vicarium Sancti Petri cum summo honore ad se præcepit adduci, iter tamen suum, quod in Saxoniam disposuerat, non intermisit. Rex Saxoniam ingressus apud Paderbrunna Castris positis consedit, & inde diviso exercitu Karolum filium suum cum medietate ad Albim propter quædam negotia cum Wilzis & Abodritis disponenda, & ad recipiendos Saxones, qui ex Nordluidis venerunt, in Bardengowi direxit. In eodem loco dum adventum filii expectaret, Leo Pontifex ad eum venit, susceptusque ab eo honorifice mansit apud eum dies aliquot, intimatisque Regi omnibus propter quæ venerat, per Legatos Regis cum honore reductus atque in locum suum restitutus est. Rex vero recepto cum prosperitate filio Aquis repedavit, ubi Legatus Michaelis Siciliæ Præfecti, nomine Daniel, ad eum venit, atque cum magno honore ab eo dimissus est. Eo anno gens Avarorum a fide, quam promiserat, defecit, & Heinricus Dux Forojulanorum post tot victorias prospere gestas juxta Tarsicam Liburniæ civitatem insidiis civium oppressus est. Hi duo Soligeroldus scilicet, de quo supradictum est, & Heinricus ex proceribus Francorum in hoc Hunorum bello perierunt, ceterum incruentum pene Francis fuit & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sui magnitudine traheretur. Insulæ Baleares, quæ a Mauris deprædatæ fuerunt, postulato & accepto a Francis auxilio, a prædonum incursu defensatæ sunt, signa quoque Maurorum in pugna sublata & Regi præsentata sunt. Wido Comes, qui Marcam contra Britones tenebat, cum sociis Britanniam ingressus totamque perlustrans, in deditionem recepit, & Regi de Saxonia revertenti arma Ducum, qui se tradiderant, inscriptis singulorum nominibus, præsentavit. Tota itaque Britannia, quod numquam antea fuit, Francis subjugata est. Eodem anno Monachus quidam ex parte Patriarchæ Jerosolimitani multas Regi Reliquias attulit. Azan Præfectus civitatis, quæ dicitur Oscadavis, Regi munera misit. Et celebravit Rex Natale Domini in eodem palatio.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCC. Rex absoluto præfato monacho Jerosolimitano misit cum eo Zachariam Presbiterum palatii, per quem multam pecuniam misit per loca sancta, ubi Dominus est corporaliter conversatus. Ipse vero mediante Martio de Aquis egressus litus Oceani Gallici perlustravit, & in ipso mari, quod tunc a piratis infestabatur, classem instituit, præsidia disposuit, Pascha aput S. Richarium celebravit, indeque iterum per litus Oceani ad Rothomagum civitatem pervenit, ubi Sequana amne transmisso Turonis ad S. Martinum orationis causa profectus est, ibi aliquot dies moratus est propter adversam valetudinem Liutgardæ conjugis, quæ ibidem defuncta & humata est. Hanc genere Alamannam post mortem Fastradæ duxerat, sed liberos ex ea non habuit, post cujus mortem tres concubinas habuit Gersuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adaldrud nata est; Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit; Adelindam quoque, quæ Theodoricum procreavit. Obiit autem Liutgardis Regina II. Non. Junii. Inde Rex per Aurelianis ac Parisius Aquis palatium venit. In eodem anno II. Non. Julii contra morem & naturam aspera & gelu concreta fuit pruina & VII. Idus Julii similiter, sed tamen nullam incommoditatem fructibus attulit. Mense Augusto Moguntiæ placitum tenuit, & inde cum exercitu Ravennam venit, ubi VII. dies moratus Romam gressum direxit, filio suo Pippino cum exercitu in Beneventum misso. Itaque cum Romam venisset, occurrit ei pridie Leo Papa & Senatus Romanorum aput Nomentum XII. ab urbe lapide & eum summa humilitate summoque honore suscepit, prandens cum eo in eodem loco. Igitur statim eum ad urbem præcessit, & in crastinum in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli stans, missis obviam Romanæ urbis vexillis cum crucibus atque reliquiis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum, quam civium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum Clero & Episcopis ante gradus Ecclesiæ humiliter eum suscepit, dataque benedictione in Basilicam Sancti Petri Apostoli cunctis psallentibus introduxit. Hæc facta sunt VIII. Kal. Decembris. Post VII. dies Rex concione vocata, cur venisset patenter indicavit, & quotidie ad ea, quæ venerat, facienda operam dedit. Inter quæ, quod maximum & difficillimum erat, de discutiendis criminibus, quæ summo Pontifici objecta erant. Vt enim se quasi absolutiores redderent ejus Calumniatores, mortiferum ei crimen imposuerunt. Causa itaque ventilata, cum nullus probator aut testis legitimus appareret, qui locum controversiæ subire præsumeret, Pontifex coram omni populo in domo Sancti Petri Apostoli Evangelium portans ambonem ascendit, invocatoque Sanctæ Trinitatis nomine jurejurando ab objectis se criminibus expurgavit. Eadem die prædictus Zacharias Presbiter cum duobus monachis uno de monte Oliveti, altero de Bethleem Romam venit, quos Episcopus Jerosolimorum ad Regem direxit, qui benedictionis causa claves sepulcri Domini ac loci Calvariæ, claves etiam Civitatis cum vexillo detulerunt, quos Rex benigne suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & mense Aprili remune-

muneratos absolvit. Et celebravit Rex Natale Domini Romæ.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCI. Karolus magnus Pippini filius anno regni sui XXXIII. cum ipso die Natalis Domini ante confessionem Sancti Petri ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit & a cuncto Populo Romano ter acclamatum est: Karolo Augusto, a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Et post laudes, more antiquorum principum, adoratus est, & ablato Patricii nomine, Imperator & Augustus appellatus est. Sicque Romanum Imperium, quod a temporibus Constantini Magni Helenæ filii aput Constantinopolim in Græcorum Imperatoribus mansit, ex hoc jam ad Reges immo Imperatores Francorum per Karolum transiit; suscepit autem Imperator unctus a Leone Papa anno ab urbe condita MVCLII. ab Augusto autem loco LXVII. Imperavitque annis XIIII. Post paucos autem dies, jussit eos, qui Pontificem anno superiori deposuerant, exhiberi, & habita de eis quæstione secundum legem Romanam, ut Majestatis rei capitali sententia damnati sunt, pro quibus tamen Papa pio affectu aput Imperatorem intercessit. Nam vita & membrorum integritas eis concessa est, ceterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Hujus factionis fuere Pascalis Numenculator & Campulus Saccellarius & multi alii nobiles Romani, qui omnes eadem sententia damnati sunt. Quidam dicunt, quod de majoribus eorum uno die in Lateranensi campo trecenti decollati sunt. Innocentiam Leonis Papæ ita Dominus approbavit, ut clariores oculos ei postea donaverit, sed in signum virtutis pulcherrima cicatrix in modum tenuissimi fili turturinas acies niveo candore decoravit; ordinatis Romanæ urbis & Italiæ tam publicis, quam Ecclesiasticis & privatis negotiis, missaque iterum super Beneventanos cum Pippino filio hostili expeditione, ipse post Pascha IV. Kal. Maji a Roma venit Spoletum; & II. Kal. Maji hora noctis II. terræ motus ingens factus est, quo Italia graviter concussa est, & tectum Basilicæ Beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus corruit. Eodem anno loca quædam circa Rhenum & in Gallia & Germania terræ motu tremuerunt & pestilentia propter mollitiem hiberni temporis facta est. Imperator a Spoleto Ravennam veniens post aliquot dies Papiam perrexit, ubi nuntiatum est ei, Legatos Aaron Amirmunmilin Regis Persarum portum Pisæ intrasse, quibus obviam mittens, intra Vercellis & Eborciam eos sibi fecit præsentari. Erat unus ex eis Persa legatus Regis Persarum, alter Sarracenus de Africa Legatus Admirati Habraham, qui in confinio Africæ in fossato præsidebat, qui Isaac Judæum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Persarum cum Lantfrido & Sigimundo miserat, venisse nuntiaverunt. Nam Lantfridus & Sigimundus in itinere defuncti sunt. Misit itaque Rex Erkenbaldum notarium in Liguriam ad naves parandas, ubi elephans & ea quæ deferebantur, subveherentur. Ipse vero celebrato die Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ aput Eborciam Alpes transgressus in Galliam reversus est. Ipsa æstate capta est Barcilona civitas Hispaniæ jam tunc minus plus biennio obsessa. Zatun Præfectus ejus & alii quamplures Sarraceni capti sunt; & in Italia Teate civitas similiter capta est & flammis exusta, ejusque præfectus Rothelinus comprehensus est, Castella, quæ ad illam civitatem aspiciebant, in deditione recepta sunt. Zatun & Rothelinus exilio damnati sunt. Mense Octobri Isaac Judæus de Africa cum Elephante regressus portum Veneris intravit, & quia propter nives, Alpes transire non potuit, Vercellis hyemavit. Imperator Aquis Natale Domini celebravit. Paulinus Patriarcha Forojuliensis obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCII. Hirene Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem ad Imperatorem de pace confirmanda inter Francos & Græcos, & Imperator Constantinopolim misit Jesse Episcopum Ambianensem & Helingaudum Comitem pro eadem causa, & ut postularent Hirenem Imperatricem, ut illi jungeretur in conjugio, quæ in hoc consensisset, si non ejus Patricius inhibuisset, prævalens, & Imperium ad fratrem suum Nicephorum transferre satagens. Nam cum adhuc in urbe essent Legati Karoli, Nicephorus Imperium invasit & Hirenen in monasterium, quod ipsa construxit, in insula quadam relegavit. Rex Pascha celebravit in eodem palatio. Eodem anno XIII. Kal. Augusti venit Isaac cum Elephante & ceteris muneribus a Rege Persarum missis in præsentiam Imperatoris, Nomen Elephanti Amhulath erat. Ortona civitas in Italia in deditionem recepta est. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata & ipsa in deditionem venit, præsidiumque Francorum in ea positum est. Imperator æstatis tempore in Arduenna venationibus operam dedit, & misso in Saxoniam exercitu Transalbianos Saxones vastavit. Grimaldus Dux Beneventanorum in Luceria Winegisum Comitem Spoleti, qui præsidio præerat, adversa valetudine fatigatum obsedit & in deditionem accepit, captumque cum magno honore tenuit. Imperator Aquis Natale Domini celebravit. Eodem anno Bougolfus Abbas Fuldensis Cœnobii relicta, quam habuit, potestate Ratgarium successorem accepit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCIII. Terræ motus Aquis Palatio factus est, & mortalitas subsecuta est; Winegisus Comes Spoleti a Grimaldo redditur. Legati Imperatoris a Constantinopoli sunt regressi & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris, qui tunc Rempublicam regebat, quorum hæc sunt nomina; Michahel Episcopus, Petrus abbas, Calixtus & Candidatus, qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluvium Sala in loco, qui dicitur Salz, & pactum faciendæ pacis in Christo susceperunt. Inde dimissi cum Epistola Imperatoris Romam venerunt, indeque Constantinopolim sunt reversi. In eodem palatio Impera-

perator Karolus Sancto Hildegruno Halberstadensi primo Episcopo suam parrochiam certis undique circumscripsit terminis suoque Augustali Imperio & inprævaricabili privilegio firmavit, anno Imperii sui III. Ordinationis autem Hildegruni Episcopi XXIII. Indictione XII. Idus Maji. Hi sunt autem termini fluvius Albia, Sala, Vnstrada, fossa juxta Grone, Altitudo Silvæ, quæ vocatur Hart, Ovacra, Dasanek, Druk, Terbike, Eleva, Isunna, palus, quæ dividit Hardengaos & Witingaos, Ara, Milda, Precekina & iterum Albia. Eodem quoque tempore in eodem loco & in eodem palatio, Imperator omnes Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide Catholica ab omni solvit Tributo, excepto quod omnes eos, divites scilicet ac pauperes, totius suæ agriculturæ ac nutrituræ decimas Christo ac sacerdotibus ejus fideliter reddere jussit. His dispositis Bavvariam profectus ac Pannoniorum causis compositis Aquis reversus est, & ibi Natale Domini celebravit.

Anno Dominicæ Incarnationis VIIICIV. Imperator Aquis hyemavit; Æstate vero in Saxoniam cum exercitu perrexit, omnes, qui trans Albiam in Wicmodi habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam & Pagos trans-Albianos Abodritis dedit. Illo tempore Imperator Hammanburh civitatem Nordalbingorum, exstructa ibidem Ecclesia, Heridago cuidam Sancto Viro, quem loci Episcopum designavit, ad regendum commendasse ferunt. In qua re ad perfectum ducenda & mors Heridagi Presbyteri & occupatio regni Karolum Imperatorem, ne desiderata compleret, impedivit, nam eamdem Ecclesiam disponebat, cunctis Sclavorum Danorumque gentibus Metropolim statuere. Eodem tempore Godefridus Rex Danorum venit cum Classe sua & omni equitatu regni sui ad locum qui dicitur Sueswic in confinio regni sui & Saxoniæ, promisitque se ad colloquium Imperatoris venturum, sed consilio suorum territus propius non accessit, sed, quicquid voluit, per legatos mandavit. Nam Imperator super Albiam sedebat in loco, qui Holdunsteti dicitur & missa ad Godefridum legatione pro captivis retentis mediante Septembri Coloniam venit. Deinde Arduennam ingressus, venationum jocis exercitatus, Aquis reversus est. Mediante Novembri nuntiatum est ei Leonem Papam cum eo Natale Domini velle celebrare, ubicumque sibi placuisset, quod & gratanter suscepit. Et statim mittens filium Karolum ad Sanctum Mauritium eum honorifice suscipere præcepit. Ipse vero in Remorum Civitatem obviam illi profectus est, ibique susceptum ad Carisiacum usque perduxit & cum eo ibi Natale Domini celebravit, deinde hunc Aquis perduxit & honoratum magnis muneribus per Bavvariam ire volentem a suis deduci fecit usque Ravennam. Causa autem adventus ejus hæc fuit. Nuntiatum est Imperatori, Jesu Christi Domini nostri sanguinem in Mantua civitate fuisse repertum, & Imperator ad Papam direxit, rogans, ut veritatem rei perquireret, qui accepta occasione Roma exeundi primo in Langobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est, deinde arrepto itinere subito ad Imperatorem usque pervenit, mansitque cum illo dies VIII. &, sicut dictum est, Romam repedavit. Hathumarus Episcopus Patherbrunnensis obiit, cui Baduradus successit. Alcvvinus abbas Monasterii Sancti Martini obiit XIV. Kal. Maji.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCV. Caganus Princeps Avarorum Imperatorem adiit, postulans sibi dari locum ad inhabitandum inter Sabariam & Carantanum, quia propter infestationem Sclavorum in pristinis sedibus manere non poterat, quem Imperator benigne suscepit ejusque precibus favit. Eodem tempore misit exercitum cum filio suo Karolo super Sclavos, qui dicuntur Boemii, qui omnem terram eorum depopulantes Ducem eorum, qui appellabatur Lecho, occiderunt. Imperator Theodonis villam venit, indeque ad Romarici montes profectus, venationibus exercitatus est. Inde Theodonis villam reversus, Natale Domini celebravit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCVI. Venerunt Beatus & Villarius Duces Venetiæ nec non Paulus Dux Jaderæ atque Donatus civitatis ejusdem Episcopus, Legati Dalmatiæ, in præsentiam Imperatoris cum magnis donis & ordinatis tam Venetiis, quam Dalmatis eorumque missis absolutis, Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda & conservanda inter filios suos & de partitione regni placitum habuit, & divisione regni in tres partes facta imperium suum partitus est inter tres filios suos, ut scilicet unusquisque sciret, quam partem tueri & regere deberet, si illum superviveret. De hac divisione testamentum fecit & sacramentis interpositis a Francis confirmatum est, & Leoni Papæ transmissum, ut hæc decreta manu sua confirmaret, quod & factum est. Posthæc Imperator dimisso utroque filio in regnum sibi deputatum, Pippino scilicet & Lodovico de Theodonisvilla profectus navigio per Mosellam Rhenum ingressus ad Niumagam venit, ibique tota Quadragesima fuit, & Sanctum Pascha celebravit. Inde Aquis rediens Karolum filium in terram Sclavorum, quæ dicitur Sorabi, super Albiam fluvium cum exercitu misit: In qua congressione Miliduch Sclavus occisus est duoque Castella ab exercitu constructa sunt, unum super ripam fluminis Sale, alterum super Albiam, Sclavisque compressis ex hac parte, Boëmos cum Bavvariis & Alamannis aggreditur eorumque terram ex proxima parte vastavit. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, de Italia classis a Pippino missa est, cujus adventum Mauri non expectantes, abcesserunt, unus tamen ex Francis nomine Athemarus, Comes civitatis Genuensis, cum imprudenter pugnaret a Mauris occisus est: in Hispania vero Navari & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos transierant, in fidem recepti sunt. Classis a Nicephoro Imperatore, cui Getra Patricius

tricius præerat, ad recipiendam Dalmatiam mittitur; & Legati, qui fere ante quatuor annos ad regem Persarum missi sunt, per ipsas græcarum navium stationes transvecti, ad Tarvisiam nullo adversariorum sentiente pervenerunt. Imperator Natale Domini Aquis celebravit. Eodem anno fuit eclipsis Lunæ IIII. Non. Septembris, statio solis erat tunc in XCVI. parte Virginis, Luna autem morabatur in XVI. parte Piscium.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCC VII. Eclipsis solis facta est III. Idus Februarii stante utroque sydere in XXV. parte Aquarii, & in eodem mense IIII. Kal. Martii eclipsis Lunæ facta est, & in eadem nocte apparuerunt acies in Cœlo miræ magnitudinis, sole morante in XI. parte Piscium & luna in XI. parte Virginis. Iterum XI. Kal. Septembris Eclypsis Lunæ facta est hora noctis III. sole posito in V. parte Virginis & Luna in V. piscium. Ratbertus missus Imperatoris, qui de Oriente revertebatur, defunctus est. Legatus autem Regis Persarum nomine *Abdella* & monachi de Jerusalem, qui legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius & Felix, [Georgius vero Abbas erat de Monte Oliveti natione Germanus, & a Parentibus Engilbaldus vocatus] pervenerunt Aquis ad Imperatorem, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat, Papilionem scilicet & tentoria atrii vario colore resperſa, miræ magnitudinis & pulcritudinis. Erant enim omnia bissina tam tentoria, quam & funes eorum diversis tincta coloribus, fuerunt etiam munera præfati Regis pallia Oloserica multa & valde pretiosa & odoramenta & balsamum atque unguenta; misit præterea horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII. horarum cursus ad Clepsidram vertebatur; cum totidem æreis pillulis, qui ad completionem horarum decidebant & casu suo subjectum sibi cimbalum resonare faciebant, additis in eodem horologio ejusdem numeri equitibus, qui per duodecim fenestras completis horis exibant & in cursu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant, nec non & alia multa in eodem horologio. Fuerunt etiam inter prædicta munera duo candelabra ex auricalco miræ magnitudinis & proceritatis, quæ omnia Aquis reposita sunt. Imperator igitur Legatum & monacos aliquamdiu secum retinens postmodum in Italiam direxit, atque ibi tempus navigationis expectare jussit. Eodem anno Burchardum Comitem stabuli sui, quod corrupte Constabulum appellamus, cum classe misit in Corsicam, ut eam a Mauris defenderet, qui prædas illic exercebant, qui juxta consuetudinem suam de Hispania egressi primo Sardiniam appulsi sunt, ibique cum Sardis prælio commisso & multis suorum amissis, namque tria millia ibi cecidisse perhibentur, in Corsicam recto cursu pervenerunt. Ibi iterum in quodam portu ejusdem Insulæ cum classe, cui Burchardus præerat, prælio decertarunt, victique ac fugati sunt, amissis tredecim navibus & plurimis suorum interfectis, adeo illo anno in omnibus locis adversa fortuna fatigati sunt, ut ipsi sibi idcirco hæc accidisse testati sint, eo quod anno priore contra omnem justitiam de Patalaria Insula LX. monachos asportatos in Hispania vendiderunt, quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris iterum in sua loca reversi sunt. Niceta patricius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino Rege & induciis usque ad mensem Augustum acceptis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Imperator Aquis Natale Domini celebravit & pascha similiter. Grimoldus Dux Beneventanus moritur, & mortalitas magna Fuldæ in Monasterio Sancti Bonifacii extitit, ut fratrum juniorum plurimi morerentur.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCVIII. hyems mollissima & pestilens erat. Vere inchoante, Imperator Niumagam adiit, & celebrato ibi Pascha iterum Aquis repedavit, ubi nunciatum est ei Godefridum Regem Danorum copias in Abodritos trajecisse, adversus quem filium suum Karolum misit, jubens vesano Regi resistere, si Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Godefridus expugnatis aliquantis Slavorum castellis cum magno copiarum suarum detrimento in patriam reversus est. Nam licet Drasaconem Ducem Obodritorum & duas partes vectigales fecisset, optimos tamen militum suorum & manu promptissimos amisit & cum eis filium fratris sui nomine Reginbaldum, qui in oppugnatione cujusdam oppidi cum plurimis Danorum principibus peremptus est. Imperatoris filius Albiam ponte junxit, & exercitum, cui præerat in Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum Regem defecerant, quanta poterat celeritate, transposuit, populatisque circumquaque eorum agris, transito iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Fuerunt cum Godefrido Sclavi in eadem expeditione, qui dicuntur Wilzi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abodritis habere solebant sponte se eorum copiis junxerunt, illoque in regnum revertente cum præda, quam in Abodritis ceperant, & ipsi domum reversi sunt. Godefridus vero priusquam reverteretur destructo Emporio, quod in Oceani littore constitutum erat, & lingua Danorum Rerich dicebatur, & magnam regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat, translatisque inde negotiatoribus, soluta classe ad portum, qui Sliesvvic dicitur, cum universo exercitu venit. Vbi per aliquot dies moratus limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo ut ab Orientali maris sinu, quam illi Ostarsalz dicunt, usque ad Occidentalem Oceanum per totam Egidoræ fluminis aquilonalem ripam munimentum valli prætexeret, una tantum porta dimissa, per quam carra & equites mitti ac recipi possent. Diviso itaque opere inter Duces domum reversus est. Interea Rex Nordanhumbrorum de Britannia Insula nomine Eardulf regno & patria pulsus ad Imperatorem, dum adhuc Niumago moraretur, venit & patefacto adventus

ventus sui negotio, Romam proficiscitur; Romaque rediens per Legatos Romani Pontificis & Imperatoris in regnum suum reducitur. Fuit autem Legatus Apostolici Adulfus Diaconus de ipsa Britannia Natione Saxo & cum eo ab Imperatore missi abbates duo Rotfridus notarius & Nantarius de Sancto Othmaro. Imperator ædificatis per Legatos super Albiam duobus Castellis præsidioque in eis contra Sclavorum incursiones disposito, Aquis Natale Domini celebravit & Pascha similiter.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCIX. Classis de Constantinopoli missa primo Dalmatiam, deinde Venetiam appulit, cumque ibi hyemaret, pars ejus ad Cumaculam Insulam venit, commissoque prælio contra præsidium, quod in ea positum erat, a civibus victi ac fugati sunt. Dux autem, qui Classi præerat, nomine Paulus cum de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset injunctum aput Pippinum Regem agere moliretur, Villario & Beato Ducibus Venetiæ omnes conatus ejus impedientibus atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita eorum fraude discessit. Dum hæc in Italia aguntur, Lodovicus Rex in occiduis partibus cum exercitu Hispaniam ingressus Tortosam civitatem super ripam Hiberi fluminis sitam obsedit, consumptoque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquam eam tam cito non posse capi vidit, dimissa obsidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. postquam Eardulfus Rex Nordanimbrorum in regnum suum restitutus est; cum missi reverterentur, Adulfus Diaconus captus est a Piratis, sed postea redemptus Romam reversus est. In Tuscia Populonium Civitas maritima a Græcis, qui Orobitæ dicuntur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania egressi & Corsicam ingressi in ipso Sabbato Sancto Paschæ civitatem quamdam deprædati sunt, & præter Episcopum & paucos senes nichil in ea reliquerunt. Interea Godefridus Danorum Rex per quosdam Negociatores mandavit Duci, qui Fresiam prævidebat, audisse se, quod Imperator ei esset iratus, eo quod in Abodritos duxisset exercitum, & suas ultus esset injurias, addens velle se denegare, quod ei objiciebatur, promissum videlicet fœdus irruptum, petivit etiam Imperatorem trans Albiam Legatos suos juxta terminos regni sui mittere, quibus ipse cum suis obviam veniret, invicemque causis discussis, quæ emendatione digna esse judicarentur absque ulla ibi contradictione corrigerentur: quod cum Imperatori nuntiatum esset, non abnuit, & colloquium habitum est cum primoribus Danorum trans Albiam multisque hinc inde prolatis, minime ad effectum res perducta est. Trasaco Dux Abodritorum, postquam filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta manu & auxilio a Saxonibus vicinos suos Wilzos aggressus, agros eorum ferro & igne vastavit. Reversusque domum cum ingenti præda, accepto iterum a Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam civitatem oppugnat, atque his prosperis successibus, omnes, qui ab eo defecerant, ad suam societatem redire coëgit. Imperator itaque cum ei multa de jactantia & superbia Regis Danorum nuntiarentur, statuit trans Albiam civitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præsidium; Cumque ad hoc per Galliam & Germaniam homines congregasset, armisque ac cæteris ad usum necessarium rebus instructos ad locum destinatum per Fresiam duci jussisset, Trasaco Dux Abodritorum in emporio Rerih ab hominibus Godefridi dolo peremptus est. Imperator autem, postquam locus civitatis constituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negotio exequendo præficiens, Albiam trajicere & locum jussit occupare; Est autem locus super ripam fluminis Sturiæ vocabulo Essesfeld. Occupatus est itaque ab Egberto & Comitibus Saxonibus & circa Idus Martii muniri cœptus. Dum hæc circa Danos geruntur, Aureolus Comes, qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pireneum contra Oseam & Cæsar-Augustam residebat, defunctus est, & Amoroz præfectus locum ejus obtinuit, missaque ad Imperatorem legatione, se cum omnibus suis ejus obsequio servitūrum promisit, eclipsis Lunæ accidit VII. Kal. Januarii. Hoc anno Sanctus Luiderus ad superna migravit, qui efferæ genti Saxonum cum fratre suo Hildegrimo Halberstadensi Episcopo jugum Christi imposuit.

Igitur Magnus Imperator Karolus cum tantus in ampliando regno & subigendis exteris nationibus existeret, & in ejusmodi occupationibus assidue versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem & commoditatem pertinentia diversis in locis inchoavit, quædam etiam consummavit. Inter quæ præcipua non immerito videri possunt Basilica Sanctæ Dei Genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, & pons aput Mogontiam in Rheno quingentorum passuum longitudinis; nam tanta est ibi fluminis latitudo; qui tamen uno anno, antequam decederet, incendio conflagravit, nec refici potuit propter festinatum illius discessum, quamquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit & palatia operis egregii, unum haud longe a Mogontiaca civitate juxta villam, cui vocabulum est Ingilinheim, alterum Noviomagi super Vahalem fluvium; præcipue tamen ædes sacras ubicunque in toto regno vetustate collapsas repperit, Pontificibus & Abbatibus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit, adhibens curam per Legatos, ut imperata perficerent.

Anno Dominicæ Incarnationis VIIICX. Amoroz colloquium Imperatoris expetiit in confinio Gallici & Hispanici limitis, in quo colloquio se promisit, cum suis omnibus Imperatoris manibus commendaturum; quod licet Imperator annuisset, multis tamen intervenientibus causis remansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe collecta, primo Sardiniam, deinde Corsicam applicuerunt, & nullo in ea invento præsidio insulam pene totam depopu-

populati sunt. Dum hæc aguntur, Pippinus Rex perfidia Ducum Venetiarum incitatus ipsam insulam bello terra marique vastabat. Duæ sunt autem Venetiæ, prima est illa, quæ in Antiquitatum historia continetur, quæ a Pannoniæ termino usque ad Addam fluvium protelatur, cujus & Aquileja extat Caput, in qua Beatus Evangelista Marcus Christum prædicavit. Secunda vero est illa, quæ Adriatici maris collecta sinu interfluentibus undis, positione mirabili, multitudine populi feliciter habitatur, qui videlicet quantum ex nomine datur intelligi & libris annalibus conprobatur, ex priori Venetia ducit originem, qui Langobardorum olim rabiem metuens, ad proximas insulas transiit, sicque Venetiæ nomen, de qua exierant, eisdem Insulis indiderunt. Pippinus igitur subjecta Venetia & Ducibus ejus in deditionem receptis, eamdem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cum Paulus Cefaloniæ Præfectus cum Orientali Classe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, regia classis ad propria revertitur. Rotrudis filia Imperatoris, quæ natu major erat, VIII. Idus Junii moritur. Imperator Aquis morabatur, ubi nuntiatum est ei, Classem ducentarum navium de Normannia in Fresiam applicuisse ternaque prælia cum Fresonibus commisisse, Danosque victores tributum victis imposuisse, & jam C. libras Argenti a Fresonibus esse solutas, Regemque Godefridum hæc omnia agere, qui Nuntius Imperatorem adeo concitavit, ut missis in omnes circumquaque regiones nuntiis ad congregandum exercitum, ipse sine mora palatio exiens illas in partes tendere cœpisset. Transito itaque Rheno flumine in loco, qui Lippia dicitur, copias quæ nondum venerant, statuit operire, ubi cum aliquot dies moraretur, elephans ille, quem ei Aaron Rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate, ad Alarum fluvium contendit, Castrisque positis minarum Godefridi Regis præstolabatur adventum. Nam ille tyrannus superbiæ spiritu inflatus, jactavit arroganter, se imperatori congredi velle. Sed cum Imperator in loco memorato resideret, diversarum rerum legationes ad eum perferuntur. Nam & Classem, quæ Fresiam vastabat, domum reversam & Godefridum a quodam suo Satellite interemptum, sive, ut quidam verius æstimant, a proprio filio, cujus matrem abjecerat; & Castellum vocabulo Huobboki Albiæ flumini contiguum, in quo Odo Legatus Imperatoris erat, & Orientalium Saxonum præsidium erat, a Wilzis captum; & Pippinum filium ejus Regem Italiæ VIII. Idus Julii de corpore migrasse; duasque legationes de diversis terrarum partibus, unam de Constantinopoli, alteram de Corduba causa pacis adventare nuntiabatur; quibus ille acceptis dispositæ pro temporis conditione Saxonia, Aquis revertitur. Tanta in ea expeditione fuit boum pestilentia, ut pene nullus tanto exercitui superesset, sed omnes usque ad unum perirent. Et non solum ibi sed etiam per omne regnum hujus generis animalia perierunt. Mense Octobris Aquis veniens memoratas Legationes suscepit, pacemque cum Nicephoro Imperatore & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Venetiam siquidem Nicephoro reddidit, & Heinricum Comitem, dudum a Sarracenis captum, Abulaz remittente suscepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt, sol VII. Idus Junii & pridie Kal. Septembris, Luna XI. Kal. Julii & XVIII. Kal. Jan. Corsica Insula iterum a Mauris vastata est. Amoroz ab Abdiraman filio Abulaz de Cæsar-Augusta expulsus & Oscam intrare compulsus est. Godefrido, ut diximus, Rege Danorum defuncto, Hemmungus filius fratris ejus in regnum successit, pacemque cum Imperatore fecit. Hoc anno Castellum, Hodenburh Albiæ flumini impositum est ab Imperatore contra Danos.

Hæc sunt bella quæ Rex potentissimus per annos XLVI. tot enim annis regnavit, in diversis terrarum partibus, summa prudentia ac felicitate, gessit, quibus Francorum regnum, quod post patrem Pippinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum reddiderit. Nam cum prius non amplius, quam ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum & Ligerim fluvium, Oceanumque ac mare Balearicum jacet; & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium ac Salam fluvium, qui Thuringos ac Sorabos dividit, postea incolitur a Francis, qui Orientales dicuntur, & præter hæc Alamanni atque Bavvarii ad Regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata primo Aquitaniam & Wasconiam totumque Pyrenei montis jugum & usque ad Hiberum amnem, qui aput Navarros ortus & fertilissimos agros Hispaniæ secans, sub Tertosæ Civitatis mœnia Balearico mari miscetur, deinde Italiam totam ab Augusta Prætoria usque in Calabriam minorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum constat esse confinia; tum Saxoniam, quæ Germaniæ quidem pars est magna, & ejus, quæ a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei in longitudine possit esse consimilis; utramque Pannoniam & appositam in altera Danubii ripa, Datiam; Histriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & ictum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit; deinde omnes barbaras & feras nationes ac insulas, quæ inter Rhenum & Danubium fluvios Oceanumque positæ, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi junctis; adeo namque Adelfonsum Galliciæ atque Asturiæ Regem sibi societate devinxit, ut is cum ad eum litteras vel Legatos mitteret, non aliter se aput illum, quam proprium; Scotorum quoque Reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum numquam nisi Dominum seque subditos & servos ejus pronuntiarent. Cum Aaron Rege Persarum,

rum, qui excepta India, totum pene tenebat Orientem, talem habebat in amicitia concordiam, ut is ejus gratiam omnium, qui in toto orbe erant, Regum ac principum amicitiæ præponeret, solumque honore ac munificentia sibi colendum judicaret. Imperatores etiam Constantinopolitani Nicephorus, Michael & Leo ultro ejus amicitiam expetentes conplures ad eum misere Legatos, cum quibus tamen propter susceptum a se Imperatoris nomen & ob hoc, quasi qui imperium eis præripere vellet, valde suspectum, fœdus firmissimum statuit, ut nulla cujuslibet scandali remaneret inter eos occasio. Erat enim semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCC XI. absoluto atque dimisso Arsafio Spatavio, Legato Nicophori Augusti, ejusdem pacis confirmandæ gratia Legati ab Imperatore Carolo Constantinopolim mittuntur Haido Episcopus Basiliensis & Hugo Comes de Turonis & Ajo Langobardus de Forojulii, & cum eis Leo quidam Spatarius natione Siculus, & Willarius Dux Venetiæ; quorum alter ante annos X. Romæ ad Imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit, & redire volens, ad patriam remittitur, alter propter perfidiam honore spoliatus Constantinopolim ad Dominum suum duci jubetur. Condicta ab Imperatore & Hemmungo Rege Danorum pax propter hyemis asperitatem, quæ inter partes conmeandi viam claudebat, in armis tantum jurata servatur, donec redeunte vere, viis apertis, advenientibus ex utraque parte Francorum scilicet & Danorum duodecim principibus super fluvium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax confirmaretur. Proceres autem de parte Francorum hi fuere Vualah, Burchard, Bernhard, Egbertus, Theoderus, Avo, Osdach, Vvigman, omnes Comites. De parte vero Danorum inprimis fratres Hemmungi Ancvvin, Angansfeo, deinde ceteri honorabiles inter suos viri, quorum nomina superfluum duximus annotare. Imperator itaque pace cum Hemungo firmata & placito generali Aquis habito, secundum consuetudinem in tres partes regni sui totidem exercitus misit, unum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastavit & castrum Hobuochi superiori anno a Vvilzis destructum restauravit, alterum in Pannoniam ad controversias Hunorum ac Slavorum finiendas direxit. Tertium super Britones ad eorum perfidiam puniendam misit. Qui omnes rebus prospere gestis domum reversi sunt. Ipse autem Imperator ad classem videndam, quam præcedenti anno fieri & fabricari jussit, ad Bononiam venit, farumque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum restauravit, & in summitate nocte igne accendit. Inde ad Scalt fluvium veniens, in loco qui dicitur Gant, naves ad eamdem classem ædificatas aspexit & circa medium Novembr. Aquis venit, ubi obviaverunt ei Legati Hemmungi Regis Ancvvin & Ebbi munera Regi & verba pacifica deferentes. Fuerant etiam Aquis adventum ejus præstolantes, qui de Pannonia venerunt, Canizave princeps Avarorum & Thudun & alii principes ac duces Sclavorum circa Danubium habitantium, qui a Ducibus Francorum, qui in Pannonias missi fuerunt, ad præsentiam Imperatoris jussi sunt venire; Karolus filius Imperatoris, qui natu major erat, obiit II. Non. Decembris. Item obiit filius ejus Pippinus monachus. Iste Pippinus ex concubina editus facie quidem pulcher, sed Gibbo deformis erat. Is cum olim pater suus bello cum Hunis suscepto in Bavvaria hyemaret, cum quibusdam e primoribus Francorum, qui eum vana promissione illexerant, adversus patrem conjuravit, quem post fraudem detectam & conjuratorum damnationem detonsum in Cœnobio Prumia religiosæ vitæ jam volentem vacare, permisit. Facta fuerat & alia prius contra eum in Germania valida conjuratio, cujus auctores partim luminibus orbati, partim incolumes, omnes tamen exilio deportati sunt, neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantum, qui cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, cum aliter coherceri non possent, interempti sunt: harum tamen conjurationum Fastradæ Reginæ crudelitas causa & origo dicitur extitisse, & idcirco in ambabus contra Regem conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens a suæ naturæ benignitate ac solita mansuetudine credebatur exorbitasse. Ceterum per omne vitæ suæ tempus ita cum summo omnium amore atque favore domi conversatus est, ut numquam ei vel minima injustæ crudelitatis nota a quoquam fuisset objecta; amabat peregrinos & in eis suscipiendis tantam habebat curam, ut multitudo non solum palatio, sed & regno videretur onerosa. Ipse tamen præ magnitudine animi hujuscemodi pondere minime gravabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac mercede bonæ famæ compensaret. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen non excederet; nam septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse mensuram, apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedenti, canitie pulcra, facie læta & hilari, unde formæ auctoritas & dignitas tam stanti quam sedenti plurima adquirebatur. Quanquam enim cervix obesa & brevis, venterque videretur projectior, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas: incessu erat firmo totaque habitudine virili, voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conveniret; valetudine prospera, præter quod antequam decederet, per IIII. annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum etiam uno pede claudicabat. Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque quicquid volebat apertissime exprimere, nec patrio sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam dabat, in quibus Latinam ita didicit, ut ea ac patria lingua orare sit solitus, Græcam melius intelligere, quam pronuntiare poterat; artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores pluri-

plurimum veneratus magnis extulit honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcvvinum, item Diaconum de Britannia, virum undecumque doctissimum, præceptorem habuit, aput quem & Rethoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Astronomicæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impertivit. Discebat & artem computandi & intentione sagaci Syderum cursum curiosissime rimabatur; tentabat & scribere tabulas, & codicellos ad hoc in lecto secum sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiandis assuesceret, sed parum successit labor præposterus ac sero inchoatus. Assidue exercebatur equitando ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac arte Francis possit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium frequenti natatu se exercens, cujus adeo peritus fuit, ut nullus ei juste valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam exstruxit, ibique extremos vitæ annos usque ad obitum perpetim duxit. In cibo & potu erat temperans, sed in potu temperantior, ita ut super cœnam raro plusquam ter biberet; cibo adeo abstinere non poterat, ut sæpe quæreretur, noxia suo corpori esse jejunia. Convivabatur rarissime, & hoc præcipuis tantum festivitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur præter carnem assam, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius, quam ullo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aut aliquod axioma, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ & antiquorum res gestæ; delectabatur etiam libris Sancti Augustini, præcipue his, qui de civitate Dei prætitulati sunt. Circa pauperes sustentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci elemosinam vocant, devotissimus erat, ut qui non in patria solum & in regno suo id facere curaverit, verum etiam trans maria in Siriam & Ægyptum atque Africam, Hierosolymis, Alexandriæ, Cartagini, ubi Christianos in paupertate compererat degere, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maxime transmarinorum Regum amicitias expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret. Colebat præ ceteris sacris locis aput Romam Beati Petri Apostoli Ecclesiam, in cujus donaria magnam vim pecuniæ congessit; Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma sua opera suoque labore veteri polleret auctoritate, & Ecclesia Sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa, sed etiam opibus suis præ omnibus ecclesiis esset ornata atque ditata, quam cum tanti penderet, tamen inter XLVI. annorum, quibus regnavit, spatium quater tantum illo votorum persolvendorum ac supplicandi causa profectus est. Vltimi adventus sui non solum hæ fuerunt causæ, verum etiam quod Romani Leonem pontificem multis acceptum injuriis, erutis scilicet, ut quidam dicunt, oculis linguaque amputata fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, propter reparandum, qui nimis erat conturbatus, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus extraxit, quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit, quod primo in tantum aversatus est, ut affirmaret, se ea die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum, si præscisset Pontificis consilium. Invidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis proculdubio longe præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Post susceptum Imperiale nomen cum multa adverteret legibus populi sui deesse, nam Franci duas habent Leges, in plurimis rebus vel locis valde diversas, cogitavit quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque perperam prolata corrigere. Sed de his nil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, scribi ac litteris mandari fecit, item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit & memoriæ mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis, mensibus etiam juxta propriam linguam vocabula imposuit, qui ante id temporis aput Francos partim latinis, partim barbaris nominibus pronuntiabantur, & Januarium appellavit Wintirmanith, Februarium Hornig, Martium Lentimanoth, Aprilem Ostermanoth, Majum Winnemanoth, Junium Bragmmanoth, Julium Howemanoth, Augustum Arnemmanoth, Septembrem, Octobrem, Novembrem Herbistmanoth, Decembrem Heilicmanoth. Item ventos XII. propriis nominibus insignivit cum tamen non amplius quam IIII. vocabula possent inveniri, & Subsolanum vocavit Ostervvint, Eurum Ostsundroni, Euroaustrum Sundrostoni, Austrum Sundroni, Austroaffricum Sundvvestroni, Affricum Westersundroni, Zephirum Westroni, chorum Westernordroni, Circium Nordwesteroni, Septentrionem Nordroni, Aquilonem Nordostroni, Wulturnum Ostnordroni. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, cum summa pietate excoluit ac propter hoc plurimæ pulcritudinis Basilicam Aquisgrani exstruxit, auroque & argento, luminaribus atque ex ære solido cancellis, & januis adornavit, ad cujus structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma ac Ravenna devehenda curavit. Ecclesiam mane & Vespere item nocturnis horis & sacrificii tempore, quoad valitudo eum permiserat, impigre frequentabat, curabatque magnopere, ut omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate, ædituos creberrime commonens, ne quid indecens, aut sordidum vel inferri vel in ea remanere permitterent, sacrorum vasorum ex auro & argento vestimentorumque

ſacerdotalium tantum in ea procuravit, ut in ſacrificiis celebrandis, ne janitoribus quidem, qui ultimi ordinis ſunt, privato habitu miniſtrare neceſſe fuiſſet. Legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendavit, erat enim utriusque admodum eruditus quamquam ipſe nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſe & in communi cantaret. Fuit autem conſuetudo, ut in Baſilica Magiſter Scolæ deſignaret pridie ſingulis quod Reſponſorium quis cantare in nocte deberet. Lectiones vero nullus cuiquam recitandas injunxit, nullus ad terminum vel ceram impoſuit, vel unguibus ſaltem quantulumcunque impreſſit, ſed cuncti omnia, quæ legenda erant, ita ſibi nota facere curarunt, ut quando inopinate legere juberentur, inreprehenſibiles aput eum invenirentur. Digito autem vel baculo porrecto vel ex latere ſuo ad procul ſedentes aliquo directo demonſtravit, quem legere voluiſſet, finem vero lectionis ſono gutturis deſignavit, ad quem verſi, ita ſuſpenſi ſunt, ut ſive finita ſententia, ſive in media diſtinctione Rege ſignante finem lecto imponerent; Sed nunc ad Cronica redeamus: Eodem quæ ſupradiximus anno facta eſt Fuldæ conſpiratio non minima in monaſterio Sancti Bonifacii & fratres XII. ex ipſa familia perrexerunt pariter cum Abbate Ratgario ad judicium Imperatoris Karoli, nec tamen ita conmotio illa quievit. Poſtea Ricolfus Archiepiſcopus Mogontinus & Bernharius Epiſcopus civitatis Vvangionum & Hatto Epiſcopus Auguſtenſis & Vvolgarius Epiſcopus Wirceburgenſis ad eandem cauſam convenerunt juſſu Imperatoris, eamque ſanaverunt.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCXII. Hemmungus Rex Danorum moritur, cui cum Sigefridus nepos Godefridi & Anilo, nepos Herioldi ſuccedere voluiſſent, neque inter eos de diviſione regni conveniret, comparatis copiis & commiſſo prælio ambo moriuntur; pars tamen Anilonis adepta victoria fratres ejus Herioldum & Reginfridum Reges ſibi conſtituit, quam neceſſario pars victa ſecuta, eosdem ſibi imperare non abnuit. In eo prælio X. millia & IXCXL. viri cecidiſſe memorantur. Nicophorus Imperator Conſtantinopolitanus poſt multas & inſignes victorias in Mœſia provincia conmiſſo cum Bulgaris prœlio moritur, & Michael gener ejus Imperator factus, Legatos Domini Imperatoris, qui ad Nicephorum Imperatorem miſi fuerunt, ſuſcepit in Conſtantinopoli & abſolvit, cum quibus & ſuos legatos direxit Michaelem ſcilicet Epiſcopum & Arſaphium atque Theognoſtum protoſpatarium, & per eos pacem a Nicophoro cœptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad Imperatorem venerunt, cum ſcriptum pacti ab eo in Eccleſia ſuſcepiſſent, more ſuo id eſt, græca lingua laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Baſileum appellantes, & in revertendo Romam venientes, in Baſilica Sancti Petri Apoſtoli eumdem pacti ſeu fœderis libellum a Leone Papa denuo ſuſceperunt, quibus dimiſſis Imperator generali conventu Aquis ſolemniter habito Bernardum, filium Pippini, nepotem ſuum, in Italiam miſit, & propter famam claſſis, quæ de Affrica & Hiſpania ad vaſtandam Italiam ventura dicebatur, Vvalonem, filium Bernhardi patruelis ſui, cum illo eſſe juſſit, quousque rerum eventus ſecuritatem ſuis afferret. hæc claſſis partim in Corſicam, partim in Sardiniam venit; & ea quidem pars, quæ in Sardiniam venit, pene deleta eſt. Nortmannorum Claſſis hiberniam inſulam aggreſſa conmiſſoque cum Scottis prœlio, multi ex eis interfecti, ceteri fuga lapſi ſunt. A Grimoaldo Duce Beneventanorum XXV. millia ſolidorum auri pro tributo Imperatori ſoluta ſunt. Eodem anno expeditio facta eſt in Vvilzos & ab eis obſides accepti, Hirioldus & Reginfridus Reges Danorum miſſa ad Karolum Imperatorem Legatione pacem petunt & fratrem ſuum Hemmingum ſibi remitti rogant. Hoc anno Idus Maji poſt meridiem ſolis eclipſis fuit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCXIII. Imperator Aquis hiemavit, & incipiente vernali tempore Hamalarium, qui Epiſcopatum Trevirenſem tenebat & Petrum Abbatem de Nonantulis ad pacem cum Michaele confirmandam Conſtantinopolim miſit, ac deinde habito generali Concilio, cum jam morbo & ſenectute premeretur, evocatum ad ſe Lodovvicum filium ſuum Aquitaniæ Regem, qui ſolus filiorum Hildigardæ Reginæ ſupererat, congregatis ſolemniter de toto Francorum Regno primoribus cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni & imperialis nominis hæredem conſtituit, impoſitoque capiti ejus diademate, Imperatorem & Auguſtum juſſit appellari. Susceptum eſt hoc ejus conſilium ab omnibus, qui aderant, cum magno favore; nam divinitus ei propter Regni utilitatem videbatur inſpiratum, auxitque majeſtatem ejus hoc factum & exteris nationibus non minimum terroris incuſſit. Dimiſſo denique in Aquitaniam filio, ipſe more ſolito, quamvis ſenectute confectus, non longe a regia Aquenſi venatum proficiſcitur, exactoque in hujusmodi negotio, quod reliquum erat autumni, circa Kalend. Novembris Aquisgrani reverſus eſt ibique hiemavit. Concilia quoque juſſu ejus ſuper ſtatu Eccleſiarum per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt; quorum unum fuit Mogontiæ, ubi præſedit Ricolfus Mogontinus & Hildibaldus Colonienſis Archiepiſcopi; alterum Remis; tertium Turonis; quartum Cabillonis; quintum Arelatæ congregatum eſt, & conſtitutiones, quæ in ſingulis factæ ſunt, ab Imperatore confirmatæ ſunt, quas qui noſſe voluerit, in ſupradictis civitatibus invenire poterit, quamquam & earum exemplaria in Archivo palatii habeantur. Eodem tempore miſſi ſunt trans Albiam quidam Francorum & Saxonum principes ad terminos Nortmannorum, qui pacem cum eis ſecundum petitionem ipſorum facerent & fratrem Regum eis redderent. Juramentis itaque datis pax firmata eſt. Tamen ea tempeſtate Reges domi non erant, ſed ad Vveſterſalt cum exercitu perrexerant, quæ regio ultima regni illorum erat, inter ſeptemtrionem & occidentem ſita,

contra

contra Aquilonem Britanniæ summitatem respicit, cujus principes ac populus eorum dominationem dedignabantur. Quibus perdomitis cum reversi essent & fratrem ab Imperatore remissum recepissent, filii Godefridi Regis & nonnulli ex primoribus Danorum, qui jam relicta patria aput Sueones exulabant, attractis undique copiis, bellum eis intulerunt, & confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra populorum turmis, commisso cum eis prælio regno paterno expulerunt. Michael Imperator Constantinopolitanus Bulgares bello appetens haud prosperis successibus utitur, ac perinde domum reversus deposito diademate monachus efficitur, in cujus locum Leo filius Bardæ Patricii constituitur. Ricolfus Archiepiscopus Mogontinus obiit anno Episcopatus sui XVI. cui Heistolfus successit. Pons Rheni aput Mogontiam, quem Imperator per X. annos ingenti labore & opere mirabili de ligno ita construxit, ut perenniter durare posse videretur, mense Majo ita tribus horis fortuito incendio conflagravit, ut præter hoc quod aqua tegebatur, ne una quidem astula ab incendio residua foret.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC XIIII. Hierosolyma vastata est a Persis & persecutionem magnam in Orientalibus partibus Christiani habebant. Karolus Imperator cum Aquis hyemaret mense Januario, febre valida correptus occubuit, statimque, ut in febribus solebat, cibi abstinentiam sibi indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli vel certe mitigari, sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci Pleuresin dicunt, illoque adhuc inediam retinente, neque corpus suum aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die sacra communione percepta die Sabbati decessit, anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœperat XLVI. Indictione VII. V. Kal. Februarii hora diei III. Cujus corpus more solemni lotum & curatum cum maximo totius populi luctu Ecclesiæ illatum est atque humatum. Dubitatum est primo, ubi reponi deberet, eo quod ipse vivens nihil de hoc præcepisset. Tandem omnium animis sedit, nusquam honestius eum tumulari posse, quam in ea Basilica, quam ipse propter amorem Dei & Domini nostri Jesu Christi & ob amorem Sanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ, proprio sumptu in eodem vicu construxit. In hac sepultus est eadem die, qua & defunctus est, arcusque supra tumulum deauratus cum imagine & titulo exstructus est, qui titulus hoc modo descriptus est: Sub hoc conditorio situm est Corpus Caroli Magni atque Orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos ferme quadraginta sex feliciter rexit.

Dum de morte Imperatoris nuntium Lodovicus filius ejus in Aquitania accepisset, XXX. postquam id acciderat die Aquisgrani venit, summoque omnium Francorum consensu ac favore patri successit. Habito autem Aquisgrani generali Conventu ad justitias faciendas, legatos in omnes regni partes misit, duosque ex filiis suis Lotharium Bavvariæ, Pippinum præfecit Aquitaniæ; his etiam post aliquantulum temporis uxores conjunxit, Lothario quidem Irmingardim Hugonis Comitis filiam, de qua ille suscepit Lotharium postea excommunicatum, Lodovicum quoque post se regnantem & Karolum. Pippino vero filiam Theoderici Comitis Matricensis junxit. Ipse autem habebat uxorem filiam nobilissimi ducis Ingorammi, qui erat filius fratris sancti Hrotgangi Metensis Episcopi; hæc vero Irmingardis dicebatur, quam consilio & consensu patris sui reginam constituerat, atque ex ea tres filios adhuc vivente patre habuit; Hos videlicet Lotharium & Pippinum & præterea Lodovicum; defuncta Irmingarda, Judith sumpsit uxorem, de qua genuit Karolum Cæsarem. Eodem anno placitum suum cum Francis Lodovicus habuit in Kalend. Augusti mensis, & Legati Græcorum auxilium petebant ab eo contra Bulgares & ceteras barbaras gentes. Cœpit autem regnare Lodovicus anno ab urbe condita MVCLXV. LXVIII. loco ab Augusto, anno Dominicæ Incarnationis VCCC XIIII.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC XV. Allatum est Regi Lodovico, quosdam de Primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam conspirasse, hocque indicio ad Pontificem delato, omnes illius factionis auctores jussu illius trucidatos fuisse; quod cum moleste ferret, Bernhardum nepotem suum Regem Italiæ ad se vocavit eumque ad investigandum, quod dictum est, misit. Lodovicus Rex placitum suum cum Francis in Saxonia ad Padherbrunnen habuit, & illuc venerunt filius ejus Lotharius Rex Bavvariæ & Pippinus Rex Aquitaniæ, Bernhardus quoque filius Pippini fratris ejus Rex Italiæ Kal. Julii mensis. Bernhardus Rex cum Romam venisset, egritudine decubuit; De rebus vero, propter quas venerat, per Heroldum Comitem, qui ad hoc ei legatus fuerat datus, Regi Lodovico remandavit quicquid compererat, quem Legati Pontificis subsecuti, de his quæ Domino suo objiciebantur, Regi Lodovico per omnia satisfecerunt. Vt autem ad superiora parumper redeam, Karolus Magnus Imperator, postquam diu infrenem & Christiani nominis tunc inmunem Saxoniam longo tandem mollitam bello fidei Catholicæ impressit sigillo, inter cetera Saxoniæ loca, quæ episcopalibus sublimanda sedibus decrevit, Aulicam villam, ab insigniente eumdem locum Regis aula appellatam, & ubi Sala fluvius parvus, sed piscosus, Leinæ influit sitam, sede Episcopatus dignam judicavit, tum propter delicatam ipsius loci amœnitatem, tum propter confluam negotiandi conmoditatem, quippe cum naves Fresiæ de Wisara per Leinam ascendentes eumdem locum locupletare, publicus etiam usitatissimusque viarum transitus celeberrimum possent reddere, quo decreto Karolus Aulicensis Ecclesiæ primam fundamenti petram ipse ponens, eamdem Ecclesiam quasi primicias Saxoniæ & desudati Christo triumphi

 titulum

titulum fundato super petram, quæ Christus est, Cœli Clavigero dicavit, & subsequenter morato ibidem pio Imperatore, ad primam usque cementarii staturam murus ejusdem surrexit Ecclesiæ. Karolo autem, quoad vixit ad promovendas, ordinandasque in Episcopatus & hanc & alias, quas construxit Ecclesias, impedito & ex negotiis bellorum & penuria prædiorum, Aulicensis interim Ecclesia per directos præfectosq; sibi a suo conditore sacerdotes, qui Saxoniam solidioris cibi tunc minime capacem, lacte Ecclesiastico imbuerant, per hos, inquam, gubernata, adjacenti provinciæ Ecclesiasticæ legis erat magistra & religionis Christianæ evidens forma, loco, quem nunc Hildinisheimensis illustrat Ecclesia, deformem adhuc situm passo, domesticis adhuc paludibus obducto, silvis horrido, venatui tantum apto; Karolo eumdem regni, quem & vitæ finem sortito, Lodovicus tam paternæ religionis, quam potestatis hæres, cum totus esset in promovendo Aulicensem Ecclesiam in caput & arcem Episcopatus intentus, & cum hac disponendi gratia eumdem locum incoleret frequentius, contigit eum, transita Leina, venandi affectum in loco, quem nunc Hildinish. occupat Ecclesia, tentorium fixisse, ibique allatis regiæ Capellæ reliquiis missam audivisse. Erant autem ex Dei providentia eædem reliquiæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ. Rege autem dehinc de Venatu Aulicam regresso, ibique tunc Missarum solemnia audituro Capellanus reliquias altari impositurus demum recoluit, se oblitum eas dimisisse, ubi missa celebrata est pridie. Revertitur sollicitudinis stimulo concitus, invenitque eas ubi & suspenderat, in ramo scilicet arboris, purissimum fontem obumbrantis; approperat hilaris, &, o stupenda Dei magnalia! o divinæ dispositionis abyssus multa! quas facili manu ibi suspenderat, nullo conatu auferre suffecit. Recurrit, Imperatorem mirando affecturus nuntio; Ille avidus audita experiri acceleratissime multis stipatus venit, reliquias de loco, cui semel inhæserant, nolle moveri, sensit. Instructus igitur hoc nutus esse divini, sacellum ibidem Dei acceleravit genitrici, altari eumdem locum obtinente, quem & suspensæ reliquiæ. Locum igitur hunc novitate miraculi illustratum, hunc tantopere Dei genitrici placuisse probatum, Rex Lodovicus toto affectu promovere aggressus, principalem Episcopii cathedram, quam prius apud Aulicensem Ecclesiam a patre suo fundatam & a se tantopere celebratam honori principis apostolorum attribuere decrevit, sacello Dei genitricis concessit, eique probatæ religionis Guntarium primum Episcopum præfecit; sic Hildinisheimensi Ecclesia principalem sedem obtinente, sic principe Apostolorum genitrici Conditoris Redemptorisque sui locum dante obtinuit Aulicensis Ecclesia, ut esset mater & filia, filia scilicet Ecclesiæ Episcopalis, mater vero Ecclesiarum quarumdam ultra, omnium autem secum cis Leinam positarum. Sacellum autem Hildinisheimense a Rege Lodovico constructum, & Sanctæ Mariæ dicatum perduravit in sibi digno religionis cultu, non adjuncto sibi alio opere usque ad Altfridum quartum præsulem ipsius Ecclesiæ. Guntarius enim primus ejus Episcopus Episcopalem Ecclesiam, in qua principalis fratrum Clerus Deo serviret cum duabus altissimis turribus remotius a dicto sacello in meridiano ejus latere construxit, & principaliter in honore Sanctæ Cæciliæ Virginis dedicavit. Sed hanc Ecclesiam fratrum celebritas & canonicalis religio non incoluere nisi præsidentibus tribus Episcopis Guntario & Remberto, qui per XX. annos illi Ecclesiæ præfuerunt, tertio Ebbone prius Remense Archiepiscopo post Hildinisheimensi Episcopo. Præceptum est ab Imperatore Lodovico ut omnes monachi cursum Sancti Benedicti decantarent.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXVI. Domnus Leo Papa anno Pontificatûs sui XXI. de corpore migravit VIII. Kal. Junii, cui successit Stephanus. Hic ergo post consecrationem suam nondum exactis duobus mensibus, quam maximis potuit itineribus ad Regem Lodovicum venire contendit; Missis interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione Regi suggererent. Quod ille audiens, Remis ei occurrit, missis obviam his, qui cum illo deducerent, honorifice eum suscepit. Pontifex vero adventus sui causam insinuans celebratis Missarum solemniis eum diadematis impositione coronavit, Romanumque Imperatorem pronuntiavit anno Regni sui secundo, secundum alios septimo.

Lodovicus Imperator consensu Stephani Papæ Aquisgrani magnam Synodum congregavit, in qua Sancti Patres Regulam Canonicorum ex dictis Gregorii, Augustini & aliorum Sanctorum Patrum excerptam observari censuerunt. Legati Regnorum & provinciarum, quæ pater ejus tenuerat, Aquisgrani palatio ad Imperatorem venerunt, ejus se ditioni & dominio subdentes. Biego de amicis Regis, qui & filiam Imperatoris nomine Elpheid duxerat uxorem, eo tempore defunctus est. Ratgarius Fuldensis Abbas accusatus a fratribus & convictus deponitur. Ansgarius Episcopus Suevos convertit.

Anno Dominicæ Incarnat. VIIICXVII. Stephanus Papa tertio mense, postquam Romam venerat, nondum exacto VIII. Kal. Febr. obiit, cui Pascalis successor electus post completam solemniter ordinationem suam munera & excusatoriam Imperatori epistolam misit, sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti Pontificatus honorem impactum asseverans. Pascalis igitur XCVIII. Papa sedit annos VII. juxta alios VIIII. Imperator generalem Conventum Aquisgrani habens, filium suum primogenitum Lotharium nominis atque Imperii sui consortem constituit, ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bavvariæ præfecit. Monasterio Fuldensi, Ratgario degradato, Egil Abbas electus & ordinatus est. Nuntiatum est Imperatori Bernhardum nepotem suum Regem Italiæ quorumdam pravorum hominum consilio tyrannidem meditatum fuisse,

fuisse, jamque omnes introitus Italiæ, quos Clusas dicunt, impositis præsidiis firmasse, atque omnes Italiæ Civitates in ejus verba jurasse; ad quos motus comprimendos Imperatore cum exercitu celeriter veniente Bernhardus rebus suis diffidens, armis depositis aput Cabillonem Imperatori se tradidit. Imperator jussit renovari omnia præcepta & concessiones Patrum suorum, & ipse manu propria resignavit. Venerunt etiam Legati Beneventanorum ejus se dominio subdentes, multa millia aureorum per annos singulos se promittentes persolvere.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXVIII. Bernhardus filius Pippini Rex Italiæ Aquis vocatus ab Imperatore dolo capitur, & primo oculis, post vita privatur; habuit autem iste Bernhardus filium nomine Pippinum, qui tres liberos genuit, Bernhardum, Pippinum & Heribertum. Iste est Heribertus, qui Rodolfum Comitem filium Baldevini, postmodum interfecit & non multo post occisus est a Balduvino Satellite *Balduwini* Ducis Flandriæ, fratris Rodolfi. Lodovicus Imperator detecta fraude conjurationis & seditiosis omnibus in suam potestatem redactis, Aquisgrani revertitur, transactoque quadragesimali jejunio paucis post pascha diebus conjurationis auctores judicio Francorum capitali damnatos sententia luminibus tantum jussit orbari: Irmingardis Regina V. Non. Octobris obiit, quæ genuit Imperatori Lotharium, Pippinum & Lodovicum. Basilica Sancti Bonifacii Martyris in Cœnobio Fuldensi ab Heistolfo Archiepiscopo Mogontino dedicata est, & eodem die translata sunt ossa Sancti Bonifacii Kalendis Novembribus. Lodovicus Imperator in Britannia Mormannum Regem vicit.

Anno Dominicæ Incarnationis VIIICXIX. Misit Lodovicus Imperator diligenter investigare per omnia regna sua, ne aut imbecillior a potentiore, aut pauperior a divite, tam in publicis, quam in Ecclesiasticis opprimeretur, mittens unicuique provinciæ Archiepiscopum unum, plures comites. Conventus Aquisgrani post Natale Domini habitus est, in quo multa de statu Ecclesiarum tractata sunt, legibus etiam Capitula, quædam pernecessaria, quæ deerant, addita sunt, quo peracto, Imperator inspectis plerisque nobilium filiabus Welfi sive Ethiconis, de principibus Bavvariorum egregiæ libertatis viri, filiam, nomine Judith, duxit uxorem, quæ genuit ei Karolum Calvum.

Anno Dominicæ Incarnationis VIIICXX. propter juges pluvias & aërem nimio humore resolutum magna incommoda contigerunt; nam & hominum & boum pestilentia grassata est, frumenta quoque & legumina corrupta sunt. Lodovicus Imperator habuit generale placitum in finibus Saxoniæ, ubi Dani postulaverunt pacem, & expeditio in Slavos directa est contra Luitwidum Regem Vvilzorum.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCXXI. *Lodovico* Imperatori nuntiatum est de morte *Leonis* Imperatoris Constantinopolitani, quod *anno* præterito in Basilica Sanctæ Dei genitricis inter palatium Episcopatus occisus sit, conspiratione quorumdam optimatum suorum & præcipue Michaelis Comitis domesticorum, qui Prætorianorum militum studio infulas Imperii suscepit, & IX. annis regnavit. Eigil Fuldensis Abbas defunctus Rabanum successorem accepit. Exercitus item contra Luitvidum dirigitur. Invenitur secundum quosdam, quod hoc anno Leo Papa decesserit, eique Stephanus successerit, quodque in Franciam veniens & in Remensi urbe honorifice susceptus Lodovicum in Imperatorem consecraverit. Item, quod sequenti anno Stephanus Papa defunctus, quibusdam miraculis claruerit, eique Pascalis successerit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXII. Inchoatum est Monasterium in Nova Corbeja per Adelhardum antiquæ Corbejæ in Francia Abbatem. Lodovicus enim electis probatissimis monachis de Gallia cum venerabili viro Adelhardo datis reliquiis Sancti Stephani Corbejense Cœnobium in Saxonia construi & dedicari fecit. Ipse Lodovicus Imperator ad idem Cœnobium tradidit donationes, abbatias scilicet Eresberg Melpiam & multa prædia in Aquilone, villam quoque Huxeri cum terminis suis; filius quoque ipsius junior Lodovicus tradidit Abbatiam Visbike, decimas quoque cum decimalibus Ecclesiis in Episcopatu Asenbruggi & piscationem in Wisara, quæ dicitur Hocwar. Insuper Reges & Principes & ceteri nobiles ipsum locum multis divitiis & prædiis ditaverunt, & Romani Pontifices magnis privilegiis & honoribus extulerunt. Hic requiescit inclitus martyr Vitus, septennis puer, translatus eo de Francia per Warinum ejus loci primum Abbatem. In hoc Cœnobio primo monastica disciplina in Saxonia floruit, & postmodum pluribus in locis ejus patriæ, quorum omnium Corbeja non immerito caput & mater & quodammodo totius patriæ decus cum Sancto Vito habetur; qui ex quo hanc venit patriam, ex eo Saxonia in Teutonico regno principatur, quia ejus precibus & meritis apud Deum, ut speramus, in omnibus adjuvatur. In regione Thuringorum quodam in loco juxta fluvium quemdam cespes longitudine pedum L. latitudine XIIII. altitudine sesquipedali de terra sine manibus præcisus & sublatus ab eo loco, in quo sumptus est, XXV. pedum spatio distans inventus est. Item in parte Orientalis Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam loco deserto juxta lacum, qui dicitur Arusem, in modum Aggeris terra intumuit & limitem unius leugæ longitudine porrectum sub unius noctis spatio absque humani operis molimine instar valli surrexit. Lodovicus Imperator filium suum Lotharium pro disponendis regni negotiis in Italiam, Pippinum vero in Aquitaniam misit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXIII. Mense Majo conventu habito apud Franconevord inter ceteras Barbarorum Legationes venerunt ad Imperatorem duo fratres de regno Vvilzorum controversiam habentes, Milegast &

& Ceadrogo, filii Liutvidi Regis Vuilzorum, qui cum Orientalibus Abodritis pugnans cum interiisset, populus Wilzorum Milegastum majorem natu regem sibi constituit, sed cum is secundum ritum gentis non digne administraret, illo abjecto honorem regni minori deferunt, quamobrem ad præsentiam Imperatoris ambo venerunt, qui cum audisset gentis voluntatem proniorem ad juniorem fratrem, statuit, ut is regnum teneret, ambos tamen muneribus donatos & sacramentis confirmatos in patriam dimisit. Pascalis Papa corpus Sanctæ Cæciliæ Virginis ipsa revelante invenit, aureis velatum vestimentis, sanguine ipsius adhuc infusis, & ipsam & Corpora Valeriani sponsi & Tiburtii & Maximi, Vrbani quoque Papæ in Ecclesiam a se eis ædificatam transposuit. Lotharius disposita Italia cum jam redire statueret, rogante Pascali Papa, Romam venit & honorifice ab eo susceptus in octavo Paschæ die apud Sanctum Petrum & Regni coronam & Imperatoris & Augusti nomen suscepit; sicque mense Junio ad patrem venit. Lodovicus Imperator Drogonem fratrem suum in Metensi Ecclesia sub Canonica vita degentem Clero ejusdem urbis consentiente atque eligente ad Pontificatus gradum inibi promoveri censuit. Ceadrogo Abodritorum Princeps cum quibusdam populi sui primoribus ad Imperatorem venit, dilatique per tot annos adventus sui rationem, unde incusabatur, non improbabiliter reddidit, & licet in quibusdam causis culpabilis esset, per merita parentum suorum tamen non solum impunitus, verum etiam muneribus donatus redire permissus est. Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua erant, terræ motus in Aquensi palatio; & in territorio Tullensi juxta villam Conmertiacum puella quædam annorum circiter XII. post sacram communionem, quam in Pascha de manu sacerdotis accepit, sine omni victus desiderio plenum biennium usque in tertium annum dimidium complevit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Cœpit autem jejunare anno Dominicæ Incarnationis VCCCXXIII. a Pascha & in VCCCXXV. circa initium Novembris, peracto jejunio cibum sumere ac ceterorum hominum more vivere cœpit. In Saxonia quoque in pago Firichsare XXIII. villæ igne cælesti crematæ sunt & fulgura in sereno visa sunt atque interdiu de cœlo ceciderunt. In cimiterio Cumetensi Italiæ civitatis in vico Grabadona in Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ Imago Sanctæ Mariæ puerum Jesum gremio continens in absidia ejusdem Ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata peneque deleta, tanta claritate per duorum dierum spatia effulsit, ut omnem splendorem novæ picturæ suæ venustatis pulcritudine penitus vincere videretur. Imagines etiam Magorum munera offerentium juxta eam erant depictæ, quas præter munera, quæ offerebant, claritas illa minime irradiabat. Nix magna a Kal. Octobris usque II. Idus Aprilis permansit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXIIII. Lodovicus Imperator, ut quidam asserunt, venit in Burgundiam Cabillonis, ibique Bernhardum custodiæ mancipavit; domestici vero Imperatoris absque scientia ipsius eum excæcaverunt. Episcopi depositi, laïci condemnati, qui pariter conspiraverant. Paschalis Papa vita decessit, in cujus loco cum duo per contentionem populi fuissent electi; Eugenius Presbyter tituli Sanctæ Sabinæ vincente nobilium parte Papa XC IX. ordinatur, seditque annos III. Legati Michaelis Imperatoris Constantinopolitani ad Imperatorem Lodovicum pro pace confirmanda cum muneribus & litteris venerunt, condignoque responso absoluti sunt. Inter cetera munera detulerunt Imperatori libros Dionysii Ariopagitæ ab eo conscriptos de Jerarchia, id est, sacro principatu, petente ipso Lodovico de Græco in latinum translatos, qui libri Parisius in ipso Sancti Martyris festo missi cum gaudio suscepti sunt, quod gaudium virtus Sancti Martyris auxit XIX. ægrotis in ipsa nocte ibi sanatis. Hoc anno paucis post æstivale solstitium diebus in territorio Augustotudinensi aëre in tempestatem subita mutatione converso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur, cujus longitudo pedes quindecim, latitudo VII. crassitudo duos habuisse dicitur. Lodovici Imperatoris expeditio secunda contra Vviomarcum Britanniæ Regem fuit, & Britanniam vastavit. Eodem anno Heistolfus Moguntinus Archiepiscopus obiit eique Otgarius Lentinus successit, ** adhuc Diaconus, quo post paucos dies mortuo Gregorius Pontificatum suscepit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXV. habito Aquisgrani Conventu Legati Bulgarum pro constituendis terminis inter Francos & Bulgares ad Imperatorem venerunt, responsoque accepto redierunt. Wiomarcus in domo sua occisus est ab hominibus Lamberti. Sanctus Adelhardus Corbejensis Abbas obiit, cui Warinus successit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXVI. Hiltvvinus abbas Monasterii Sancti Dionysii apud Parisium sacrique palatii Archicapellanus Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio Sanctæ Sedis apostolicæ tunc Præsule, corpus Beatissimi Martyris Christi Sebastiani, cepit & illud aput Suessonam civitatem in Basilica Sancti Medardi collocavit, ubi dum adhuc inhumatum in loculo, quo allatum fuerat, juxta Sancti Medardi jaceret, tanta signorum multitudo enituit, ut a nullo mortalium aut numero comprehendi aut verbis valeat enarrari, quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, Dominum, pro quo ipse passus est, omnia posse. Eodem anno Adventus fuit Sancti Viti in Saxoniam ad Novam Corbejam.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXVII. Eugenius Papa mense Augusti decessit, in cujus locum Valentinus Diaconus a Romanis Papa C. ordinatus vix unum mensem in Pontificatu complevit, qui etiam VIII. Leo dictus est. Quo defuncto

defuncto Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci Papæ CI. electus est, sed ante non est ordinatus, quam Lodovici Imperatoris Legatus Romam veniens electionem examinaret; sedit hic Gregorius IIII. annos, dies XVI. Hic civitatem Ostiæ, quæ vetustate diruta erat, a fundamento renovavit, ne Agareni eo tempore circumvagantes Christianis inibi nocere possent, eamque Gregoriopolim nominari jussit. Hic ordinavit Episcopos, Presbyteros, Diaconos per diversa loca LXXXV. Hic festum omnium Sanctorum per omne regnum Lodovici agi instituit. Corpora Sanctorum Marcellini & Petri de Roma in Germaniam translata sunt mense Novembri & miraculis clarificata sunt. Sarraceni fines Barcinonensium & Gerundensium vastant. Sanctus Hildegrinus primus Halberstadensis Episcopus XIII. Kal. Julii ad Christum migravit anno ordinationis suæ XLVII. Hic Ecclesiasticas institutiones in commissa sibi parrochia rite ordinavit, XXXV. Ecclesias plebejas in Episcopatu suo Halberstadensi constituit. Ecclesiam prætera a fratre suo Luidero Confessore & Episcopo inceptam perfecit, & in honore Martyrum Johannis & Pauli consecravit. Cui Thiatgrinus nepos eorumdem Episcoporum, Luideri & Hildegrini, ab Imperatore Lodovico substituitur.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXVIII. In regione Wasconia trans Garonnam in pago Aginensi annonam de Cœlo quasi pluvia descendisse ferunt, similem frumento, sed paululum breviora ac rotundiora grana habuisse, de qua Domino Imperatori ad Aquisgrani Palatium allatum est. Wictinus Augiensis Monachus in spiritu raptus admirabilem vidit visionem. Expeditio facta est contra Orientales Saxones & Sclavos omnisque terra eorum vastata est & subjugata.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXIX. In ipso quadragesimali jejunio paucis ante Sanctum Pascha diebus, Aquisgrani terræ motus factus est noctu, ventusque tam vehemens exortus, ut non solum humiliores domos, verum etiam Sanctæ Dei genitricis basilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam non modica ex parte denudaret. Tancradus secundus abbas Monasterii Prumiensis obiit, vir prudens & sacræ religioni deditus.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXX. Michael Imperator Constantinopolitanus obiit. Secundum quosdam invenitur, quod in hoc Lodovicus Imperator a filiis suis regno depositus fuerit. Eodem anno habuit generale placitum Attiniaco, ibique Lothario regnum dedit Italiæ. Corpus Sancti Aurelii Confessoris de Mediolanensi Civitate translatum est, & Hirsaugia primum fundata, quæ per multa tempora sub constitutis Patribus effloruit, postmodum expulsis Monachis Canonici pro his sunt constituti.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXI. Hun Abbas Herfeldensis & Rabanus Abbas Fuldensis fundamentum Ecclesiæ Sancti Wicberti in Herfeldia fodere cœperunt VI. Idus Julii feria II. Lodovicus Imperator magnum Conventum in Noviomago habuit. Amulararius librum de officiis Ecclesiasticis ad Lodovicum Imperatorem scripsit. Angelonius etiam ad eumdem tractatus in libros Regum dedit. Corpora Sanctorum Valentis, Senesii e Theopontii in Augiam Insulam delata sunt. Theophilus filius Michaelis regnavit Constantinopoli annis XII. Item secundum quosdam invenitur, quod hoc anno Imperator miserit Romam Adelongum & Hunfridum Ducem, in quorum præsentia Paschalis Papa supradictus de objectis se purificaverit, quodque eodem anno obierit eique Eugenius successerit, qui error Scriptoribus imputetur. Idem Pascalis Papa scripsit Mediolanensi Ecclesiæ de Simonia ac hæresi epistolam valde utilem. Vvalandus Episcopus Leodicensis obiit, cui Erardus successit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXII. Lodovicus pius Imperator votum parentis sui implere cupiens Hammanburch civitatem Transalbianorum Metropolim statuit omnibus barbaris nationibus Danorum, Sueonum, Sclavorum & aliis in circuitu conjacentibus populis, eique Cathedræ primum Archiepiscopum ordinari fecit Ansgarium anno Vvillerici Bremensis Episcopi XLIII. Legati Bulgarorum cum muneribus venerunt & Heroldus Rex Danorum cum uxore baptizatus est, qui a sacro fonte suscepti sunt ab Imperatore & Imperatrice. Eodem anno pugnatum est cum Sarracenis & triumphatum. Lodovicus filius Imperatoris anno regni ejus XX. conjurationem fecit contra patrem suum apud Langobardonheim.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXIII. Lodovicus Imperator dedit filio suo Karolo ex Judith nato Alamanniam, Rhetiam & partem Burgundiæ, indignantibus ceteris filiis ejus, Lothario, Lodovico & Pippino.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXIIII. Pippinus venit Compendio palatio ad Patrem dolose, voluitque eum a regno expellere. Eodem anno Imperator a filio suo Lothario Sacramentum fidelitatis exegit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXV. Lodovicus Imperator abiit obviam filiis suis dolose ad se venientibus in campo magno, qui est inter Argentinam & Basileam; sed nihil horum, quæ petebant, concessit. Adfuit illic Gregorius Papa munerans Imperatorem, & munerandus ab ipso.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXVI. Judith Imperatrix vi velata a privignis custodienda dirigitur ad Diertonam Italiæ Civitatem. Lodovicus Imperator comprehenditur & Pippino discedente in Aquitaniam, Lodovico in Bavvariam, a Lothario III. Aquas usque deducitur, ibique recluditur. Adventus Sancti Viti fuit in Saxoniam ad Novam Corbejam. Britones fœdera violant & rebellare incipiunt cum Duce suo nomine Murmanno, contra quos Imperator exercitum produxit, sed non adeo præva-

prævaluit. Corpus Sancti Liborii Episcopi de Gallia in Saxoniam translatum est.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXVII. Lotharius timore fratris sui Lodovici ad Compendium cum patre divertit, quem insecutus Lodovicus cum Drogone Metensi Episcopo & ceteris fidelibus fugam inire compulit, & patrem Aquis reductum in sede sua restituit. Remensem Archiepiscopum Ebbonem, degradatorem ejus, custodiæ mancipavit, quamvis alibi inveniatur, quod anno Dominicæ Incarnationis VCCCXXXV. Ebbo sit depositus & Hildinisheim clementia Imperatoris relegatus. In hac diversitate eligat quisque, quid sequatur. Præfuit autem Hildinisheimensi Ecclesiæ annis XII. & episcopalem Ordinem, ut sibi videbatur exercuit. Hatto Basiliensis Ecclesiæ Episcopus obiit. Murmanus Rex Brittonum moritur & Numonojo apud Ingleinheim ducatus ipsius gentis traditur. Vuillericus II. Bremensis Episcopus moritur cui Leudricus ordine tertius successit.

Anno Dominicæ Incarn. VCCCXXXVIII. Lodovicus Imperator conjugem suam recepit. Lothario filio suo indulsit, sacramento ab eo accepto, ut Italiam iret, nec inde superstite se ulterius rediret. Pippinus filius Imperatoris obiit. De quo ferunt, quod cum pater suus Lodovicus Imperator, dum adhuc puerilis esset ætatis, voluerit ad Clericatus officium promovere, ac Drogoni Metensi Episcopo fratri suo, patruo scilicet pueri, conmendare erudiendum liberalibus simul & Ecclesiasticis disciplinis, sed paternis votis Lotharius, ejusdem pueri frater, obvius nequaquam permisit eum attondi; sed vi abstraxit de manu patris. Erat enim, ut ajunt, miræ pulcritudinis, cui postmodum Lodovicus Imperator pater suus, cum inter filios suos imperium divideret, Aquitaniam tantum provinciam concessit, sed non ei in prosperum cessit, quod a servitio Dei subtractus est. Ebrietatibus enim & conmessationibus die noctuque vacans ad extremum mente captus in maniacam incidit passionem, & præsentem vitam cum dedecore amisit, successorem relinquens filium Pippinum. De hoc anno apud quosdam invenitur sic: Lodovicus a suis Imperio privatur & privatus custodiæ traditur regnique Monarchia Lothario filio ejus per electionem fratrum datur, rursumque a Lodovico filio & a Francis de Custodia eruitur, & in sedem Imperialem restituitur. Fuit autem hæc dejectio ex maxima parte propter multimodam fornicationem Judith uxoris ejus. Iterum conjuratio facta est apud Franconevord Lodovici junioris, sed conversum est regnum ad patrem ejus.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXXXIX. Lodovicus Imperator, quod reliquum vitæ sibi superfuit, divinis cultibus mancipavit, utilitati Ecclesiarum, justiciis pauperum, commodis regnorum suorum indulgens. Puto Diaconus Palatii in Judaismum lapsus est. Ventus ingens innumera ædificia subvertit, & multa damna effecta sunt VI. Non. Novembris.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCC XL. Thiatgrinus Halberstadensis Episcopus, postquam multis virtutibus Sanctorum Patrum exemplo claruit VI. Idus Februarii febre dissolutus, ad prædecessorem suum Hildegrinum & consanguineum in Verdunensi Monasterio Corpus ejus appositum, diem tremendi judicii expectat. Lodovicus Imperator filium Lodovicum trans Rhenum prosequitur, venitque ad Herolfesfelde VI. Idus Aprilis. Eclypsis solis facta est III. Non. Maji hora ante Nonam. Imperator morbo gravatus & in navim missus per Mogonum flumen in Rhenum deducitur, ibique in Insula juxta Inglinheim XII. Kal. Julii vita decessit. Inde ad Mediomatricorum civitatem deportatus in basilica S. Arnulfi honorabiliter sepelitur, statimque Lotharius, de Italia regressus Imperium arripuit. Hemmo Herolvesfeldensis monachus magis in detrimentum, quam ad profectum a Lodovico filio Imperatoris Lodovici tertius Halberstadensi Ecclesiæ est missus Episcopus. Nam decimas super totum Fresionoveld ab Halberstadensi Ecclesia, cui jure offerendæ sunt, ad Herolvesfeldensem transtulit. Rhabanus Fuldensis Abbas relicta potestate ultra Rhenum in regnum Lotharii se contulit, post quem revocandum quidam de fratribus mittuntur, illo renuente, Hattonem super se Abbatem eligunt; Rhabanus post paucos dies rediens cum concordia Abbatis & fratrum concessis sibi, quos ipse elegerat, locis ad Orientalem plagam ejusdem Monasterii Montanus efficitur & dicitur ille mons Rabenhusberg prope montem Sancti Petri in Fulda hodierna die.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCXLI. Lotharius reversus de Italia & Pippinus filius Pippini fratris ejus de Aquitania voluerunt Karolum filium Judith, cognomine Calvum, ea parte regni, quam sibi pater concesserat, privare & secundum testamentum, quod avus eorum Karolus magnus statuerat, inter se in tres partes regna dividere, Adalbertus Comes occisus est. Lodovicus & Karolus indigne ferentes, quod regno Paterno per omnia privati essent, exercitum undecumque contrahunt, & apud Autisiodorensem pagum, in loco qui dicitur Fontanith, grave prælium inter eos commissum est. In qua pugna ita Francorum vires attenuatæ sunt, ac famosa virtus infirmata, ut non modo ad amplificandos regni terminos, verum etiam ad proprios tuendos in posterum vix sufficerent, tamen non sine gravi dispendio suorum Lodovicus & Karolus vicerunt VII. Idus Martii, Theophilus Imperator Constantinopolitanus obiit, cujus filius Michael regnavit annis XXVI. Rex Bulgarum ad Christianismum cum sua gente conversus, missis ad eum a Sede Apostolica ministris sacri ordinis, acceptis etiam a Rege Lodovico subsidiis, adeo in fide solidatur, ut non multo post filio Majore in regnum ordinato ipse abrenuntians sæculo, monacus factus sit; sed cum filius ejus juveniliter agens, ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo & regio cultu resumpto, filium persecutus cepit, & oculis ejus effossis eum in carcerem trusit, & filio juniore in regnum locato, sacrum habitum

tum recepit, & in eo usque ad finem vitæ perseveravit.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCC XLII. Lotharius expulsus est de regno, & Rhabanus de Fuldensi Cœnobio. Erardus Leodiensis Episcopus obiit, cui Harcharius successit. Supradicti fratres Imperium Francorum inter se diviserunt, & Karolo quidem occidentalia regna cesserunt, a Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium; Lodovico vero Orientalia scilicet omnis Germania usque ad Rheni fluenta & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porro Lotharius, qui & major natu erat, Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, regnum sortitus est, quod ex ejus vocabulo Lotharii appellatur, totamque Provinciam & omnia regna Italiæ cum ipsa Romana urbe, quæ & nunc ab omni Sancta Ecclesia propter præsentiam Apostolorum Petri & Pauli speciali honoratur privilegio, & quondam propter invictam Romani nominis potentiam orbis terrarum Domina dicta fuerat. Pippino autem Pipini filio Lodovicus Imperator Aquitaniam concesserat.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC XLIII. Gregorius Papa IIII. hujus nominis obiit; post quem Sergius II. Sedit annos tres, menses duos, dies XV. Hic ordinavit Episcopos XXV. Presbyteros octo, Diacones tres. Mauri Beneventum occupaverunt.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC XLIIII. Lotharius Imperator cum Orientalibus Francis venit in Slaviam & ibi Regem Gestimulum occidit, ceterosque sibi subegit. Karolus Rex Pippinum Regem nepotem suum cepit, ipsis Aquitanis eum prodentibus, eo quod pace soluta eadem provincia a suis indigenis devastaretur, & multa illic mala impune perpetrarentur, & captum cum consilio Episcoporum ac procerum attondit, & habitu monachico indutum Suessionis in Monasterio Sancti Medardi misit: inde duobus monachis opem ferentibus, fuga elapsus est, qui iterum captus in Silvanectis Castro munitissimo custodiæ mancipatur.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCCXLV. Heresfeldenses Monachi cum Otgario Archiepiscopo Mogontino reconciliati sunt, & eodem anno Lodovicus Rex ad idem Monasterium venit II. Kal. Novembris, & privilegia & immunitates Monachis dedit & sigillo munivit.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCCXLVI. Sergius Papa obiit, post quem Leo IIII. ejus nominis sedit annos VIII. menses III. dies VI. hic Octavam Assumptionis Sanctæ Mariæ devotissime primum celebravit & semper celebrandam firma institutione mandavit. Lodovicus Rex Germaniæ Pannoniam subegit, & Behemos domum rediens vastavit. Hetti Treverorum Episcopus ex hoc sæculo transivit & Thietgaudus Cathedram ejus obtinuit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC XLVII. Judith Imperatrix mater Regis Karoli Calvi obiit, Eppone primum Remensi Archiepiscopo, deinde Hildinisheimense Episcopo, defuncto Altfridus IIII. ordinatur Episcopus, qui instructus Sacerdotem & Ecclesiam tali vinculo fœderari, quo virum & uxorem, secundum hanc specialis matrimonii sanctissimam legem administrata ab antecessore suo Ecclesiastica sacramenta cassavit, utpote post amissum priorem Episcopatum ad alterum promoto, iterando scilicet Ecclesiarum & Clericorum, si qui digni videbantur consecrationes; qui & duas curtes suæ proprietatis Saligenstad & Esnedi Ecclesiæ suæ condonavit, in quibus Abbatias Saligenstad Monachorum & Asnede Virginum coadunavit. Otgarius Moguntinus Archiepiscopus XI. Kal. Maji obiit, in cujus locum sæpedictus Rhabanus ordinatus est VIII. Kal. Julii.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXLVIII. Lodovicus Rex Germaniæ apud Moguntiam habuit Concilium Synodale, ibique Godescalcus hereticus convictus & damnatus est, qui Godescalcus a Rhabano jam Archiepiscopo ordinato rationabiliter convictus est, sed tamen in suo perseveravit errore. Monasterium in Brunesteshuse inchoatum est a Luidolfo Duce Saxoniæ.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCCXLIX. Leudericus Bremensis Ecclesiæ III. Episcopus obiit, cui successit Ansgarius Monachus, Hammenburgensis primus Archiepiscopus, sub quo coadunatio facta est Bremensis & Hammenburgensis parrochiæ.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCL. Ecclesia Sancti Wigberti in Heresfelde dedicata est a Rhabano Mogontinæ Ecclesiæ Venerabili Archi-Episcopo V. Kal. Novembris.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLI. obiit Irmingardis Regina filia Hugonis Comitis, conjunx Lotharii Imperatoris, Venerabilis & DEO acceptabilis matrona, quæ tres filios Lothario genuerat, Lodovicum, Lotharium & Karolum. Baduradus Paderbrunensis Episcopus obiit, cui Liuthardus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLII. habita est Synodus in civitate Mogontia de diversis quæstionibus, præsidente Rhabano Archiepiscopo cum omnibus episcopis atque abbatibus Orientalis Franciæ, Bawariæ atque Saxoniæ. Luidolfus Dux Saxoniæ cum sua conjuge Oda Romam petiit & ab Apostolico reliquias Sanctorum Præsulum Anastasii & Innocentii impetratas detulit, & in honore eorum monasterium & Cœnobium Virginum ante quatuor annos in Brunesteshuse inchoatum in Gandersheim antiquiori loco construxit. Cumque Dominus Altfridus Hildinisheimensis Episcopus Ecclesiam ibidem ædificare cœpit & Hatmodam ejusdem Ducis filiam primam abbatissam ibidem Ordinavit, decimas etiam ex proprietate suæ Ecclesiæ ibidem pro exhibendo sibi Servimine & censu in beneficium præstitit, & cetera ibi Christo famulantibus profutura ex suo paterna pietate providit.

Idem Ecclesiasticus Præsul cum religiosissimo sui Clero triduanum egit jejunium, cœlos pulsante precum instantia, Deum orans, locum sibi de-

bi demonstrari in Hildinisheimensi Civitate, quem mediator DEI & hominum dignaretur Ecclesia in sui suæque genitricis honore construenda, cumque quartus dies illucesceret, visi sunt designati & quasi ad fodiendum Ecclesiæ fundamentum artificioso metientis Orthigonio limites descripti inster vernalis pruinæ, directi quidem a primitivo Sanctæ Mariæ Sacello Occidentem versus, lati quippe & longi intra seque distantes, prout muri spissitudo & Ecclesiæ longitudo ac capacitas poscebant. Revelatum est præter hæc eidem præsuli, eadem qua jejunium finierat nocte, quia in cripta quam adjuncturus erat Sacello a Lodovico Imperatore olim constructo, duo deberet altaria dedicare, alterum Johanni Baptistæ, alterum Stephano prothomartyri. Mox illustris Præsul suæ intentioni divinam aspirare dignationem lætificatus, posito, ut sibi revelatum est, fundamento Ecclesiam tam honesti quam firmi, sed arti ædificii construxit.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLIII. Nortmannorum Classis Ligeris fluminis primum adiit littora, qui Nortmanni Britannicum mare navigio girantes, ostia Ligeris occupaverunt, & repentina irruptione civitatem Namnetis invadunt, omniaque cœdibus, incendiis ac rapinis depopulantes ipso Sancto die Sabbati Paschæ pontificem Civitatis cum baptismum ex more celebraret, in basilica interficiunt, clerumque trucidant, omnem circum quaque regionem devastantes, primum Andegavensem, deinde Turonicam occupant urbem, ac velut unanimis tempestas cuncta prosternunt, templum etiam præcellentissimi Pontificis Martini incendio cremant. Hi siquidem a Sithia inferiori egressi Normanni lingua barbara, quasi homines Septentrionales, dicti sunt; eo quod primum ab illa mundi parte venerunt. Egil Monasterii Prumiensis abbas constituitur. Hemmo Alberstadensis Ecclesiæ III. Episcopus VI. Kal. Aprilis obiens sepultus est in Ecclesia Halberstadensi, & Hildegrinus junior vir summæ prudentiæ & pietatis a Lodovico Rege IIII. ejus Ecclesiæ factus est Episcopus.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLIIII. Benedictus Papa, ut quidam volunt, hoc anno factus est, & post hunc Paulus, post eum Stephanus per annos IIII. sedisse inveniuntur.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLV. Terræ motu & insolita aëris commotione, turbinibus & multis incommodis homines quassantur, quidam quoque homo igne cœlesti consumptus est, veste illæsa manente; Ecclesia quoque Sancti Kiliani in Wirceburh fulminibus exusta est. Corpus Sancti Martini levatur de tumulo. Expeditio Lodovici Regis Germaniæ fuit contra Ratzidum Marahensium Regem in Moravia.

Lotharius Imperator convocatis Primoribus filio Lodovico Italiam tradidit & Imperatorem constituit. Lothario regnum, quod ex suo nomine vocatur, concessit. Karolo, qui inter fratres junior natu erat, Provinciæ regnum largitus est, & valedicens suis, reliquit Sæculum & in Prumia Monasterio attonsus, in Sanctæ Religionis professione diem clausit extremum IIII. Kal. Octobris.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLVI. Lotharius Rex filius Lotharii Imperatoris Thietbergam Reginam sibi in matrimonio sumpsit. Ex qua conjunctione maxima ruina non illi solum, sed etiam omni ejus regno accidit, sicut in subsequentibus luce clarius apparebit. Mense Februario IIII. die ejusdem mensis defunctus est Rhabanus Archiepiscopus Mogontinus, habens in Episcopatu annos octo, mensem unum, dies IIII. cui Karolus successit. Decessit & Hatto Abbas Fuldensis II. Idus Aprilis, in cujus locum Huodo subrogatus est. Warinus etiam Novæ Corbejæ II. Abbas XII. Kal. Octobr. obiit, cui Adalgarius successit. Leo Papa IIII. ejus nominis obdormivit in Domino XVI. Kal. Augusti, post quem Benedictus sedit VI. dies X.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLVII. Hildigart Regina obiit. Signa multa & prodigiosa, & Treveris in sede Pontificali canis visus est. Karolus Archiepiscopus aput Mogontiam magnam Synodum congregavit.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCCLVIII. Nicolaus Papa Primus hujus nominis sedit annos IX. menses VI. hic constituit ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio cognoscitur aut memoria retinetur. Karolus Rex Provinciæ, filius Lotharii Imperatoris, moritur & de regno quod tenuerat, facta est non modica controversia inter fratrem ejus Lotharium Regem & patruum ejus Karolum. Eodem anno Bremensis atque Hammaburgensis parrochiæ coadunatio facta est ultimo tempore Sancti Ansgarii ex auctoritate Nicolai Papæ, qui tam ipsum, quam ejus Successores Legatos & Vicarios Apostolicæ sedis constituit in omnibus gentibus Sueonum, Danorum atque Sclavorum, quod & ante Gregorius Papa concessit. Lodovicus Rex Germaniæ filium suum Lodovicum cum magno exercitu ad Abodritos in expeditionem misit.

Anno Dominicæ Incarnationis VIII LIX. Reges Lodovicus, Karolus & Lotharius cum juramento invicem pacem firmaverunt. Lotharius Hucberto Abbati Ducatum inter Juram & montem Jovis conmisit, eo quod tunc fidelissimus putaretur, utpote affinitate conjunctus propter sororem Thetbergam. Hildegrinus junior Halberstadensis Episcopus, Monasterium, quod a prioribus inceptum invenit, perfecit, & cœtu multorum Episcoporum conbenedicentium comitante, Non. Novembr. dedicavit in honore Salvatoris Jesu Christi & in memoria Sancti Stephani protomartyris. In supremo altari reconditus est Sanguis Sancti Stephani & dens Sancti Innocentii Papæ, & de Corporibus Martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii & de corpore Sancti Viti Martyris.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCLX. hybernum tempus asperum nimis & solito prolixius erat, frugibusque & arborum proventibus

bus

bus pernoxium, Nixque sanguinolenta in plerisque locis cecidisse reperta est. Egil abbatiam Prumiensem sponte dimisit & Ansbaldus in regimine successit vir omni sanctitate & bonitate conspicuus. His temporibus Lodovicus Rex Germaniæ plurima bella strenuissime gessit adversus Sclavorum gentes. Siquidem Marahensium regna ingressus armis cuncta perdomuit, capto eorum principe Rastiz, cui etiam propter violata fœdera oculos erui jussit. Ea tempestate inter principes Karoli magnum discordiarum ac litium efferbuit incendium, denique Lambertus, qui ducatum inter Ligerim ac Sequanam tenebat, Vivianum potentem virum dolo interfecit, rursusque Lambertum Gausbertus Comes cum aliis æque dolo trucidavit, qui Gausbertus jussu Karoli decollatus est. Destitutam terram consilio & principibus perspicientes Britones, arma corripiunt, fines Francorum invadunt, Ligerim transeunt & usque Pictavis progrediuntur, cædibus, rapinis, incendiis omnia populantes, oneratique ingenti præda ad propria redeunt. Ad compescendum hanc insolentiam Karolus cum ingenti exercitu Britanniam intravit, pugna committitur, Saxones qui conducti erant ad excipiendos velocium equorum anfractuosos recursus, in prima fronte ponuntur. Sed primo impetu spiculis Britonum territi in acie se recondunt. Brittones more solito huc illucque cum equis ad hujusmodi conflictum exercitatis discursantes, modo confertam Francorum aciem impetunt, ac totis viribus in medium spicula torquent, nunc fugam insequentium nihilominus pectoribus spicula figunt. Franci, qui communius strictis gladiis pugnare consueverant, attoniti stabant, novitate inexperti discriminis, nec ad insequendum idonei, nec in unum conglobati tuti: nox superveniens bellum diremit, multi ex Francis interfecti, quamplurimi vulnerati, innumerabiles equi perierunt. Sequenti die item pugna inchoatur, sed graviori infortunio finitur, quod cernens Carolus nimio terrore dissolutus, nocte inscio exercitu clam aufugit, relicto Papilione, tentoriis & omni regio apparatu; mane facto cum exercitus fuga lapsum Regem conperisset, nimia formidine repletus, nil aliud quam de fuga meditatur. Brittones cum clamore irruunt, castra Francorum referta divitiis invadunt, omnemque belli copiam capessunt, fugientia agmina insequuntur, obvios aut ferro cædunt aut vivos capiunt, reliquos fuga servavit. Ditati itaque Britones opibus Francorum armisque instructi in sua se recolligunt.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCC LXI. Vdo, Ernust, Bernger Comites & Valdo Abbas honoribus sunt depositi. Karolus placitum habuit apud Compendium, ibique cum Optimatum consilio Rodberto Comiti Ducatum inter Ligerim & Sequanam adversum Britones commendavit, quam cum ingenti industria per aliquod tempus rexit.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCC LXII. fames magna & morbus in Germania & in aliis Europæ partibus fuit. Sanctus Meginhardus heremita occisus est. Nomencjus Rex Brittonum moritur divino nutu percussus; nam cum Ecclesias DEI devastaret & confinia crudeliter depopularetur, eo quod Carolo debitam fidelitatem servarent, quadam die cum equum ascendere vellet, ut cœptam malitiam consummaret, repente vidit ante se Sanctum Maurilionem Episcopum astare sibique hoc torvo vultu & terribilibus oculis ingeminantem; desine crudelis prædo Ecclesias devastare; his dictis baculo, quem manu gestabat, eum in capite percussit, qui a suis domum reportatus vitam cum regno finivit. Fuit iste Maurilio Episcopus Andegavensis civitatis, cujus termini cohærebant finibus Britanniæ & ideo ab eis graviter vastabantur. Filius Nomenci Herispojus regnum paternum obtinuit.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCCLXIII. Karolus Moguntinus Archiepiscopus II. Non. Junii defunctus est, cujus cathedram regendam Luitbertus accepit. Rex Karolus item cum immenso exercitu fines Britonum invasit, sed minime, ut optaverat, prævaluit, novissime cum eis pacem fecit, datisque ex utraque parte obsidibus & Sacramentis Herispojus ad eum venit, ejusque se dominationi subdidit. Karolus vero magnis muneribus honoratum, in regnum eum abire permisit & ipse in Franciam rediit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXIIII. Lotharius Rex cœpit occasiones quærere, qualiter Thietbergam a suo consortio separaret, quam exosam habebat propter Valdradam, quæ ejus fuerat concubina cum adolescens in domo patris esset, hanc diabolo inflammante nimio diligebat amore, Guntarium itaque Coloniensem Archiepiscopum, qui tunc erat Archicapellanus primo per subinissos, deinde per se super discidio omni arte aggeditur, & ut facilius assensum præberet, promisit neptem ejus matrimonio accepturum, tantum ut Thietbergam ejus aliorumque Episcoporum auctoritate repudiare posset, qui ut erat levis animo & inconsideratus actione, omni intentione in rem inducitur. Idem Guntarius Thietgaudum Treverensem Archiepiscopum hac de causa alloquitur, sciensque virum simplicem nec adeo in canonicis sanctionibus exercitatum ex utrisque testamenti paginis quasdam sententias, aliter quam Ecclesiastica pagina docet, edisserens virum improvidum secum in foveam trahit, cæcus cæco ducatum præstans. Quid plura, facta sunt omnia, quæ huic commento videbantur necessaria, Concilium Metis convocant, reginam quasi canonice vocatam in medio statuunt, testes una cum scriptis producunt, quasi gravia crimina imponentes, protestati sunt, quod eadem Thietberga confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso concubitu fuisse pollutam; continuo Patrum statuta de incestuosis recitantur. Et non solum a legitimo viro separatur Thietberga, verum omnis ei maritalis copula inhibetur; pœnitentia juxta modum culpæ indicitur, & tam nefaria machinat

diu exoptata voluntas Regis impletur. Non multo post iterum Conventum Synodalem Aquis adunavit, ubi libellum suæ reclamationis obtulit, ubi continebatur, quod in quadam fœmina Thietberga factiosis perfidorum hominum argumentis fuerit defraudatus, immo non mediocriter repetivit, quod judicio Episcoporum discidii sententiam pertulisset, quæ si idonea esset conjugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non fuisset, nec vivæ vocis confessione publice condemnata, sponte eam retineret; porro se incontinentem esse professus est, & sine copula juvenilis ætatis ardorem ferre non posse, quibus recitatis hanc definitivam sententiam protulerunt: Credimus illam dignam non fuisse ac legitimam conjugem nec adeo præparatam, quæ publica confessione incestus crimine denotata probatur: Quocirca glorioso principi nostro pro sua in divino cultu devotissima affectione atque victoriosissima regni tuitione, cui non solum nos, verum omnis canonica auctoritas interdixit incestuosum conjugium, legitimum matrimonium non denegamus juxta indulgentiam dicentis Apostoli; melius est nubere, quam uri. His ita patratis Waldrada jam in publicum prodit stipata obsequentium multitudine, omnisque regia resultat Waldradam Reginam esse. Guntarii neptis accersitur, ac semel, ut ajunt, a Rege constupratur, & cum cachinno & omnium derisione ad avunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus Thietbergæ hæc omnia ad notitiam Nicolai Papæ deferuntur. Adventus Sanctæ Lutrudis Corbejæ eodem anno.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXV. Missi sunt Hagano & Rodoaldus Apostolicæ Sedis Legati in Galliam ad discutiendum, utrum ita se res haberet, sicut summo Pontifici nuntiata fuerat, qui pecunia corrupti magis faverunt iniquitati, quam æquitati. Tamen ad Regem venientes, cum declarassent Legationis suæ causas, responsum acceperunt, nihil se egisse, nisi quod Episcopi regni ipsius in generali Synodo agendum præmonstrassent. Dederunt autem ei consilium, ut Episcopos, qui Synodo præfuerant, ad Sedem Apostolicam destinaret, qui verbis & scriptis Papæ satisfacerent. Legati ditati opibus Romam regressi sunt, nuntiaveruntque præsuli in Galliis, quæ viderant & audierant, adjicientes, nullum se Episcopum in regno Lotharii invenisse, qui ad liquidum canonicis esset disciplinis institutus. Interea Guntarius & Thietgaudus Archiepiscopi Romam profecti sunt ea intentione; ut & Regem innoxium demonstrarent, se cum coëpiscopis Ecclesiastica & apostolica exercuisse decreta, stultitiæ quidem elogio denotandi, qui Petri Sedem pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quam nec fefellit, nec ab aliqua umquam hæresi falli potuit. Cum in præsentiam Nicolai Papæ venissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta sinodalia, quæ in Meodiotricorum Vrbe vel Aquis ab eis gesta fuerant, quæ cum a Notario coram omnibus recitata essent, interrogavit Pontifex; si hæc verbis confirmarent, responderunt, inconveniens videri, ut quod manibus roboraverant infirmare verbis mallent, & sic, nec repulsa nec admissa eorum assertione, jussi sunt ire ad hospitia sua, quo usque vocarentur. Paucis diebus interjectis ad Synodum sunt accersiti, ubi eorum damnata & anathematiza sunt scripta, & ipsi omnibus adjudicantibus Episcopis, Presbyteris ac diaconibus depositi & omni Ecclesiastica dignitate privati. Qui tam turpiter dehonestati Lodovicum Imperatorem fratrem Lotharii Regis adeunt, qui tunc in Beneventi partibus morabatur, scriptis ac dictis vociferantes, se injuste depositos, ipsi Imperatori & omni Ecclesiæ injuriam factam, cum numquam auditum sit vel uspiam lectum, quod ullus Metropolita sine conscientia principis vel aliorum præsentia Metropolitanorum fuerit degradatus: adjecerunt multa alia, eumdem Papam blasphemantes, quæ superfluum est enumerare, existimantes se Imperatoris adminiculo & intercessionis ope, & criminis objecti abolere notam & pristinæ dignitatis recuperare statum; sed spes eorum frustrata est, quamvis Imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Thietgaudus depositionis suæ sententiam patienter ferens, nil juxta præcedentem consuetudinem de sacro Ministerio contingere præsumpsit; Guntarius vero superbiæ spiritu inflatus vetitum sibi officium usurpare non expavit, parvi pendens Apostolicam excommunicationem. Revertuntur igitur in Franciam debita confusione respersi, & dum iterum ac tertio Sedem Apostolicam ob restitutionis gratiam adissent; novissime in Italia infirmitate præventi peregrini & exules moriuntur, conmunione laïcali tantum sibi concessa. Huni Christianitatis nomen aggressi sunt. Bremensis Archiepiscopus, quondam Corbejensis Monachus obiit, cui Rimbertus & ipse novæ Corbejæ monachus successit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXVI. Arsenius Episcopus Apocrisiarius & consiliarius Nicolai Papæ vice ipsius directus est in Franciam, qui tanta autoritate usus est ac si ipse Papa advenisset. Convocato denique Episcoporum Conventu Lotharium Regem alloquitur, ut unum e duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Waldradæ pelicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur ipse omnesque in hoc scelere favorem præstantes. Hac necessitate constrictus, vellet, nollet, Thietbergam Reginam matrimonio recepit, interposito jurisjurandi sacramento, se illam ita in reliquum habere, sicut æquitatis jura dictant, legitimam uxorem esse tenendam nec eam a se separaret, nec ea vivente aliam super eam induceret. Post hæc Waldradam ex auctoritate domni Apostolici Romam ire jubet, ut pro se rationem reddere debeat. Engildrudam quoque uxorem quondam Bosonis Comitis a Sede Apostolica excommunicatam esse omnibus declaravit; & proprium deseruerat maritum & Wangerum suum Vassallum in Gallias secuta est, quam excommunicationem cum omnibus, qui aderant, Episcopis renovavit. Post-

Posthæc Engeldrudis se ei Wormatiæ præsentavit, in quo loco præfatus Arsenius Lodovico Regi occurrerat, juravitque in præsentia ejus juramentum continens: Ego Engeldrudis filia quondam Matfridi Comitis, quæ fui Uxor Bosonis, juro tibi Domino Arsenio Episcopo misso & Apocrisiario Apostolicæ Sedis, & per te Domino meo Nicolao Universali Papæ juro per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum & per hæc quatuor Christi Evangelia, quæ ore osculor & manibus tango, & relicta malitia, quam in Bosone viro meo exercui, ut ovis perdita, ad Sanctam Catholicam & Apostolicam sub obligatione, quam Domnus Nicolaus Summus Pontifex me obligavit, revertor Ecclesiam, & in Italicum regnum aut vobiscum aut ante vos, quoquomodo provideritis, ibo, vel perficere non recusabo. Sed tam horribile jusjurandum non adimplevit, siquidem usq; Danubii fluenta cum eodem Arsenio perrexit, ibiq; ad quempiam consanguineum Caballorum adminiculo ire condixit & ad Augustam civitatem ad eum se reversuram pollicita est. Tali occasione gressum retorquens ex Alamannia in Franciam repedavit, quod cum Arsenius recognovisset, Epistolam misit Archiepiscopis, Episcopis, omnibusq; Sanctæ Ecclesiæ fidelibus Galliæ, Germaniæ ac Neustriæ commorantibus, obtestans per auctoritatem Nicolai Papæ, ut nullus eam in sua parochia reciperet, sed eam prædicarent excommunicatam, donec de pestiferis factionibus suis atque perpetrato perjurio ante Apostolici præsentiam dignam reciperet pœnitentiam. Legatus Apostolicæ Sedis compositis in Gallia rebus Romam reversus est, rursusque Waldrada ejusque complicibus decertantibus, Lotharii Regis animus adversus Thietbergam commovetur, excitantur iræ & in sopitis discordiarum & odiorum cineribus denuo copiosus ignis accenditur, despicitur, abhominatur, rejicitur, adulterii crimen impingitur omnique ingenii arte exquiritur, qualiter puniri ut rea possit. Illa providens, imminere sibi periculum, latenter fugiens ad Regem Karolum, ejus se tuitioni commisit, quem cum Nicolaus Papa cognovisset, misit Carolo epistolam collaudatoriam hæc continentem: Inter alios Sanctæ Ecclesiæ propugnatores & veritatis strenuos defensores neminem magis super Thietburgæ gloriosæ Reginæ contritione sollicitum, quam vestræ pietatis affectum recolimus; & post congruam exhortationem addidit: Excellentiam vestram nolumus ignorare; Lotharium Regem Thietbergam adeo diversæ afflictioni subdidisse contra juramenta, ut nunc coacta nobis scripserit, regia se velle dignitate exui seu copula, & sola privata vita fore contentam, cui nos rescripsimus, non hæc aliter fieri posse, nisi Lotharius idem elegisset. Verum sicut didicimus, Lotharius Conventum celebrem disponit & eam examini & proprio judicio subjicere. Et, si quidem eam falsis præstigiis vel argumentosis ambagibus potuerit exherere, quasi non fuerit legitima uxor, vult eam a se penitus sequestrare: Sin autem, vult quidem ut propriam uxorem accipere, deinde, quasi mœchata fuerit, insimulare ac pro hoc hominem suum hominemque Thietbergæ ad monomachiam impellere, & si homo Reginæ ceciderit, hanc sine dilatione perimere; quæ quam sint divinæ legi contraria prudentia vestra advertat. Nam de retroacta controversia Thietberga non debet ad iteratam responsionem provocari, quoniam quod bene semel definitum est, & interpositis sacramentis deliberatum nulla debet iteratione, ni fortassis, ubi major auctoritas fuerit, retractari. Et post pauca: Illud vero, quod Lotharius Thietbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum; si enim, ut ipse jactat, uxor ejus non est; quid pertinet ad eum illi de adulterio calumniam texere, cum nec mœchari potuit, si alicujus uxor non fuit. Porro si a Lothario accusatur & convictæ ultio præparatur, necesse est, fateatur uxorem. Et quibusdam interpositis: Præterea sive de conjugii fœdere, seu de adulterii crimine judicium sit agitandum, nulla ratione patet, Thietbergam cum Lothario posse legalem inire conflictum, nisi ad tempus suæ fuerit reddita potestati, & suis consanguineis libere sociata. Inter quos etiam locus providendus est, ubi nulla sit vis multitudinis formidanda, & non sit difficile, testes producere, vel ceteras personas, quæ tam a sanctis Canonibus, quam a Romanorum legibus in hujusce controversiis requiruntur. Verum hoc non, ut fiant, dicimus, quæ sine ordinatione nostra non posse fieri supradocuimus. Accensus itaque idem sanctissimus Pontifex zelo, quo vides, Waldradam die purificationis S. Mariæ in Basilica ejusdem excommunicavit & ab omni Christianorum consortio separavit, destinavitque epistolam Episcopis per Galliam & Germaniam constitutis hunc in fine sui sensum continentem: Igitur quia eadem Waldrada retro est conversa post Satanam, & Thiebergæ Reginæ cœpta interitus meditatione non cessat; Idcirco nos eam de factis suis excommunicavimus, donec Ecclesiæ Christi nobisque, qui ejus principaliter curam gerimus, quique causam ipsius exequi & investigare cœpimus, satisfecerit; donec etiam omnem sinistram suspicionem consilio nostro adunat, a pretiosi corporis & sanguinis Domini perceptione atque ab omni consortio sanctæ Ecclesiæ, judicio Sancti Spiritus Beatorumque Apostolorum Petri & Pauli nostræq; auctoritatis extraneam facimus prorsus cum universis complicibus, communicatoribus, fautoribus suis; hanc sententiam quarto Non Febr. a nobis promulgatam meminimus, quam scripto vobis destinavimus. Et ne labor noster inanis constituatur, spiritualia nobiscum vestra fraternitas arma sustollat, & in parrochia sua excommunicatam hanc fautoresque suos viva voce denuntiet, donec nostro judicio dignæ se pœnitentiæ submittat. Direxit & Lothario Epistolam, in quibusdam præmissis hæc subjungit: Didicimus te, qui prolixo tempore in scelere permanens Ecclesiæ Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc, & qui in sordibus eras, sordescere adhuc, siquidem, ut opinamur,

tibi non sufficit adulterium perpetrasse, nisi apponas animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum mergere interitum. Sed quid mirum, si paucorum animabus propter perjurium exitium adquisisti, quando in tanta sublimitate pôsitus per exemplum Mœchiæ tuæ tot hominum millia in perditionis cahos præcipitasti. Illud autem, quod Thietberga, quasi Valdradæ testimonium dicens, eam fuisse tuam legitimam uxorem, volens aut invita frustra conatur astruere, cum illius nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat; cum magis nos ita sentiamus quod justum est, & intelligamus quod æquum est,ut etiam Thietberga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis Waldradam in uxorem possis assumere. Utrum ergo Valdrada tua legitima fuerit aliquando conjunx, Ecclesia Dei satisfactione Thietbergæ non indiget. Unum tamen scimus, quoniam nec nos nec Ecclesia Dei auctore Deo, qui adulteros judicabit, te si Waldradam quandoque resumpseris, etiam Thietberga decedente non dimittet modis omnibus impunitum. Et post pauca: Itaque summo studio Thietbergam conjugem tuam, ut propriam carnem fove ac dilige, & ne illam a te separare ullo pacto consentias, attende. Nam si vult a te discedere corripe, immo corrige eam. Jam vero si amore pudicitiæ separationem quærat, certum est, Apostolo dicente, quoniam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Verum si & ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissolvere vis, tantum ne simulate fiat, concedimus. Nam licet sit scriptum, quod Deus conjunxit, homo non separet; Deus tamen & non homo separat,quando divini amoris intuitu consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur.Porro si sterilitas accusatur, cogita Saram Nonagenariam, Annam quoque & Elizabeth, quam tamen sterilitatem fortasse non facit infœcunditas, sed iniquitas. Igitur consilium nostrum accipe, & monita nostra tanquam affectuosi patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem linguam corpusque refrena, præcipue Waldradæ pelicis tuæ communionem declinans, & ejus consortium perpetuæ oblivioni tradens. Excommunicata est enim, & usque ad præsentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequestrata, sicut totus jam novit occidens & jamjamque per missos nostros cum plagis ceteris Oriens non ignorabit. Quamobrem cavendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulierculæ passione ac parvissimi temporis desiderio victus & obligatus ad sulphureos fœtores & perenne traharis incendium. Et paucis interpositis: Hæc autem non tibi nunc scripsisse, & quasi inter nos & te nostra verba excessus tuos corripientia discurrisse sufficiat. Ceterum præcave, ne quando nobis secundum Domini præceptum duos aut tres testes adhibeamus, immo vero ne hoc Sanctæ Ecclesiæ dicamus, &, quod non optamus, de cetero fias sicut Etnicus & publicanus. Circa hæc tempora Lodovicus Rex Germaniæ fratris sui Caroli regnum cum exercitu ingressus est, gestiens, occidentalia regna suo subicere dominatui, oblitus germanitatis ac consanguinitatis fœdera, oblitus pacti, quod pepigerant; immemor etiam Sacramentorum, quibus se cum magnis execrationibus coram Deo obligaverant. Karolus enim, ut prædictum est, quosdam ex nobilioribus regni aut publice adjudicatos gladio percussit, aut dolo deceptos perdidit; Ceteri formidantes, ne similia paterentur, Lodovicum Regem trans Rhenum conmorantem sollicitant adque obtinendum fratris Regnum illiciunt, promittentes semetipsos, una cum regno ei subdituros. Hac persuasione, ut animi Regum semper inexplebiles sunt, cum valida manu terminos ejus intravit, Regnumque obtinuit, & usque Senonis Civitatem pervenit, dimissoque exercitu in Germaniam cum optimatibus illius Regni cœpit negotia disponere; sed subito fortuna mutatur. Nam principes, qui eum introduxerant, videntes quod longe aliter erga eos incederet, quam existimaverant, pœnitudine tacti ad Karolum revertuntur. Karolus ex desperatis rebus vires se recepisse congaudens, contractis copiis, fratrem bello aggredi parat. Ille intuens se destitutum maturius fugam arripuit, & cum debita confusione regni fines excessit. Hac tempestate Hucbertus Abba, frater Thietbergæ Reginæ contra Lotharium Regem rebellare exorsus est, collectaque prædonum valida manu rapinas cœpit exercere. Interfectis aut fugatis Lotharii fidelibus, qui finitima possidebant loca, agros villasque eorum suæ factionis sectatoribus dedit, ad quam temeritatem comprimendam Lotharius tertio exercitum produxit, frequenter etiam cum ducibus armatorum multitudinem direxit, sed minime hanc præsumptionem extinguere potuit, quia loca inaccessibilia inter Juram & Alpes Appenninas seditiosis munitissimum præbebant receptaculum, & exercitui propter concava vallium & prærupta montium arctissima itinera difficilem ingressum. Attamen idem Acephala Hucbertus novissime a Conrado Comite peremptus est, juxta castrum quod Urba dicitur.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXVII. Apud Constantinopolim Basilius, occiso Domino suo Michaële, regnavit annis XX. Lodovicus Rex Germaniæ Episcoporum atque optimatum suorum consilio Hermenricum Archiepiscopum cum aliis Episcopis, Presbyteris ac Diaconibus ad gentem Bulgarorum Catholicam fidem prædicare destinavit, sed Romanorum Episcopi jam tunc totam terram illam baptizando & prædicando repleverunt. Illi vero, accepta a Rege licentia cum pace ad loca propria remearunt. Fertur de eodem Rege, quod a tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam cœperit, ut diebus ornamentis regiis indutus procederet, noctibus sacco vestitus super pavimentum Ecclesiæ substrato sibi tantum cilicio prostratus in oratione jaceret. Herispojus Rex Brittonum a suis interficitur, & Salomon Dux loco ejus subrogatur, vir strenuus & bellicosus & tam forma, quam animo ad regni

gni gubernacula coaptatus. Karolus Rex Galliæ tertio super Brittones cum exercitu irruere disposuit, sed cum ad terminos gentis appropinquasset, audito quod ad resistendum totis viribus parati essent, subito mutata voluntate, magis elegit pacem suscipere, quam bellum inferre; facta itaque pactione cum Salomone, quam dudum cum Herispogio fecerat, discessit. Ventus ingens cum turbine multa ædificia stravit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXVIII. fames valida & vehemens tam Germaniam quam ceteras Europæ Provincias nimium afflixit. Nortmanni oram Ligeris fluminis occupantes Namnetensem, Andegavensem, Pictaviensem atque Turonicam Provinciam iterato depopulari crudeliter cæperunt, contra quos Rodbertus, qui Marcam tenebat & Ramnolfus Dux Aquitaniæ aciem dirigunt. Illi hoc sentientes ad classem repedare accelerant, sed appropinquante multitudine cernentes se effugere non posse, villam quamdam ingrediuntur, ubi se, quantum hora permisit, conmuniunt. Erat ibi Basilica pergrandis lapidea, quam maxima pars eorum introivit, cum Duce suo Hastingo. Rodbertus & Ramnulfus irruentes, omnes extra Basilicam repertos trucidant. Ad Basilicam vero venientes, cum vidissent locum munitum, & animadvertissent non modicam turbam paganorum intus latitantem, parumper deliberantes castra in circuitu figunt, ut crastino aggeribus & machinis eos expugnarent. Rodbertus calore exestuans, galeam & loricam deposuit, ut paulisper refrigeraretur; cum in positione castrorum unusquisque intenderet, repente Normanni a munitione exiliunt, & cum clamore super Rodbertum sociosque ejus impetum faciunt, qui arma quantocitius corripiunt, hostes viriliter excipiunt, cædentesque in Basilicam compellunt. Rodbertus absque galea & Lorica accurrens, cum incautius inimicos insequeretur, interfectus est in introitu Ecclesiæ, corpusque ejus Nortmanni intrinsecus rapiunt. Ramnulfus eminus stans a quodam Nortmanno per fenestram Basilicæ sagitta graviter vulneratus & ex certamine eductus, vix triduo supervixit. Exercitus amisso capite errore ac mærore repletus, solvit eadem hora obsidionem & ad propria revertitur. Nortmanni ovantes Classem repetunt. Non multo post Hugo Abba loco Rodberti substituitur, vir omni morum honestate fundatus; siquidem Odo & Rodbertus filii Rodberti parvuli erant, quando pater extinctus est.

Per idem tempus gens Sarracenorum in Beneventum ex Affrica veniens, universam pene regionem cædibus, rapinis, incendiis omnia depolutati sunt. Contra quos Imperator Lodovicus, filius Lotharii Senioris, exercitum contrahens ad Lotharium fratrem in Gallias misit, ut sibi virtute Francorum opitularetur, qui nil cunctatus cum ingenti industria exercitum contrahit, fratrique, quanta potuit celeritate in adjutorium venit, ubi plurima bella gesta sunt, non solum fortiter; sed & feliciter DEO opem ferente. Inter hæc exercitus Lotharii ex insueto calore & intemperie aëris dissolutus, dissenteriæ vel clienteriæ morbo corripitur, quorum innumerabilis multitudo extincta est, plurimi etiam aranearum morsibus perierunt, ut jam daretur intelligi, quod propter duritiam cordis & cor impœnitens DEus non solum Lotario, sed omni regno ejus adversaretur. Revertitur itaque in Franciam cum gravi dispendio suorum.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXVIIII. Nicolaus SS. Papa post multa pro Sanctæ Ecclesiæ inviolabili statu certamina migravit ad Dominum. Denique post B. Gregorium nullus Præsul in Romana urbe illi videtur æquiperandus. Regibus ac tyrannis imperavit, eisque ac si Dominus orbis terrarum auctoritate præfuit; Episcopis ac Sacerdotibus religiosis humilis, blandus, pius ac mansuetus apparuit; a recto autem tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus extitit, ut crederetur alter Helias exsurrexisse, &, si non corpore, tamen spiritu & virtute, huic Adrianus in Pontificatu successit, seditque annos III. menses IX. dies X. Hic constituit, ut si quispiam Episcopum occiderit, a Deo & Sanctis omnibus sit anathema.

Hæc cum Lotharius comperisset, ei talia verba direxit: infausta relatio acriter nostræ Serenitatis transverberavit aures, quod Beatæ recordationis Dominus Nicolaus vocante Christo decesserit. Et post pauca; sed quod lugubriter replicamus, plus apud sanctitatem illius valuerunt æmulorum nostrorum insidiæ & simulatæ deceptiones, quam nostra simplex & pura defensio. Nos enim litteris & verbis indesinenter proclamantes & diversis legationibus eadem repetentes, humiliter postulavimus, ut nos & accusatores nostri juxta divinas & humanas leges ejus Pontificii audientiam mereremur, ut ratio docet, nostram præsentiam exhibendo. Sed semper repulsi sumus. Et post pauca; sed quia DEus Omnipotens princeps pastorum in sede illa vestri Pontificatus apicem sublimavit, si tempus arriserit, vestrum multiformiter desideramus conspectum & vestris DEO dignis animari colloquiis ac melliflua benedictione potiri. Et in fine ipsius Epistolæ: Interea modis omnibus obsecramus, ut de optabili vestra prosperitate litteris vestris Celsitudinem nostram certam reddentes caræ filiationis munus nobis impertiri dignemini. Ad hæc supradictus Papa rescripsit: sedem Beati Petri semper paratam esse dignam satisfactionem recipere, nec, quod divinæ humanæque leges juste decernunt, umquam reppulisse: Itaque si se immunem ab objectis sciret cum omni fiducia Sedem Apostolicam oporteret adire, ut expetitam benedictionem acciperet; Si autem culpam recognosceret, nihilominus absque hæsitatione venire festinaret, condignæ pænitentiæ remedia suscepturus. Thiodo Fuldensis Abbas a Lodovico Rege depositus est, pro quo vir Venerabilis Sigehart electus est.

Anno Dominicæ Incarnation. VCCCLXX. Lotharius Romam profectus ab Adriano Papa hono-

honorifice susceptus est, a quo interrogatus, si monita pii Patris Nicolai hactenus conservasset & jusjurandum custodisset, ab illo deceptus, qui in veritate non stetit, respondit: se ita omnia servasse ac si divinitus sibi essent imperata; Cumque proceres & Optimates eadem testificarentur, nec ulla opposita persona inveniretur, quæ adversus regiam auctoritatem legitimum auderet; Controversiæ vestræ conflictum, Papa prosequitur, si vestræ testificationi veritas suffragatur, cum omni alacritate DEO gratiarum actiones referimus. Restat ergo, fili carissime, ut ad Confessionem Sancti Petri accedas, ubi hostiam salutarem pro corporis & animæ tuæ incolumitate immolabimus, ex qua te nobiscum participari oportet, ut membris Christi, unde abscisus videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur Missarum solemniis invitat Regem ad mensam Christi, acceptoque in manibus corpore & sanguine Domini eum alloquitur: Si innoxium te recognoscis ab interdicto tibi a Domino Nicolao adulterii scelere, & hoc fixum habes, ut Waldradæ pellicis tuæ numquam miscearis nefario concubitu, Sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum accipe; si autem tua conscientia te letali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire disponis in Mœchiæ volutabrum, nequaquam sumere præsumas, ne fidelium remedium ad judicium & condemnationem tibi eveniat. Qui mente captus obduratusque & cœcatus absque retractatione communionem de manu Pontificis sumpsit. Deinde conversus præsul ad sequaces ac fautores Regis, unicuique communionem obtulit in hæc verba: Si Domino ac Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine favorem non præstitisti, neque consensum præbuisti & Waldradæ aliisque ab hac sede excommunicatis non communicasti, corpus & sanguis Domini prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis in his læsum se sciens communionem sub tali contestatione porrectam sumere præsumpsit, DEI judicio mortuus est, antequam subsequentis anni rediret principium; Perpauci vero, qui se a communione substraxere, vix mortis periculum evaserunt. Lotharius Roma egressus morbo corripitur, & Placentiam perveniens, diem clausit extremum VI. Idus Augusti. Tanta autem strages in populo ejus facta est, ut non peste, sed hostili gladio corruisse virtus ac nobilitas regni videretur, quæ eo tempore tantæ fæcunditatis erat, ut in modum densarum segetum pullulans velut quodam examine fines Imperii repleverit. Karolus Rex Galliæ comperiens Lotharium obiisse regnum illius occupare nititur, Metasque veniens ab Adventio Episcopo & nonnullis primoribus in regnum sublimatur. Inde Aquisgrani Palatium ingressus est, ubi multo plures ad eum confluxerunt. Carebat autem Vrbs Treveris & Colonia Agrippina Præsulibus, quia, ut præmissum est, ambo præsules in Italia defuncti erant. Karolus Bertolfum, nepotem Adventii Episcopi, Treverensi Ecclesiæ præfecit, interventu Adventii, qui plurimum apud eum valebat, eo quod illi assentando in adipiscendis regni negotiis ambitiosius faveret. Porro Coloniæ Hilduuinum Abbatem præferre tentavit, fecitque eum a Francone Tungrensi Episcopo in Aquis Palatio Presbyterum ordinari ad titulum Sancti Petri prædictæ Metropolis. Lodovicus autem Rex Germaniæ infirmitate detentus in Bawariæ finibus lecto decumbebat, audiensque a fratre sæpedictum regnum invasum, ægre tulit & Legatos cum festinatione direxit, qui cum obnixe rogarent, ut regno discederet, quod utrisque hæreditario jure æqualiter competebat, quo usque DEO sibi sanitatem reddente pariter colloquerentur & de ejusdem regni statu pari voluntate decernerent. Interim Liutbertum Moguntiæ Archiepiscopum occulte Coloniam dirigit, hortatus omni arte ordinationem Hilduuini prævenire & ex Civitatis Clero Episcopum per Electionem civium consecrare, qui assumptis secum aliis Episcopis Duizam Castrum pervenit, & formidans, ne insidiæ sibi a Karoli fautoribus tenderentur, Rhenum non transiit, sed destinans Legatos mandavit, ut honestiores ex Clero & Nobiliores ex populo illuc sibi occurrerent, quos venientes ex parte Regis alloquitur, ut sibi consulerent, & quantocius ex proprio grege Præsulem eligerent, se ad hoc destinatum, ut electum ab eis statim consecraret. Ad hæc illi respondent: Hilduuino jam Episcopatum datum jamque Presbyterum ad ipsam Sedem ordinatum omnesque pene datis manibus ejus dominationem suscepisse; quibus ille; si electionem, inquit, vobis a Rege concessam despicitis, in potestate Regis erit, quem vobis dare velit Episcopum. Tamen pro certo scitote, quod ante triduum alium, quam Hilduuinum habebitis, Episcopum. His auditis unanimiter elegerunt Willibertum Venerabilem virum, quem nimium renuentem ordinavit Liutbertus Archiepiscopus cum aliis consacerdotibus; & Rhenum transfretans eum honorifice Pontificali Sedi imposuit & sub celeritate recessit. Karolus comperta ordinatione furore accenditur, ac mox Coloniam proficiscitur. Quippe dum hæc agerentur; Hilduuinus apud Aquis Palatium in Regis obsequio morabatur. Willibertus Episcopus & omnes qui ejus ordinationi consenserant, Rhenum transeuntes sævitiam Regis declinaverunt. Rex cum neminem repperisset, in quem suas injurias ultum ire posset, via qua venerat reversus est. Iterum Legati a Lodovico mittuntur, orantes, ut a regno discederet aut sibi pugnandum cum fratre sciret, qui eum tanta ingenii arte tantaque constantia aggressi sunt, ut absque dilatione recederet, seque in suo regno reciperet. Eodem anno defuncta Hatmoda Gandersheimensi prima Abbatissa, Gerberga Soror ejus successit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXI. Lodovicus & Karolus Reges cum Optimatibus suis ad Marsanam juxta Mosam venientes, regnum quondam Lotharii æque inter se diviserunt. Karolus ad Haristallium perrexit, quia idem ei Palatium in sorte acciderat. Lodovicus

cus ad Aquis Palatium rediit, ubi duobus fere mensibus lecto decubuit. Denique cum a partibus Orientis ad Ribuariorum fines venisset & in villa Regia Flameresheim solarium ascendisset, stipatus obsequentibus, repente solarium vetustate & putredine resolutum corruit, & Rex tantum attritus est, ut duæ ejus costæ a sua conpage disjungerentur & ultra quam credi potest, dissimulato languore fratri sequenti die ad Marsanam obviam profectus est, tantæ fuit animositatis, ut cum fragor costarum ad invicem se collidentium a nonnullis audiretur, nemo tamen audierit eum suspirium emittentem. Per idem tempus Karolus Rex filium suum Karlomannum oculis privavit. Thiodo Fuldensis quondam Abbas obiit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXII. Adrianus Papa migravit ad Dominum & Johannes summi Pontificii culmen adeptus est, ad quem Johannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus Vitam primi Gregorii scribit in IIII. libellis; *hic statuit, ut nulli ducum liceat quemlibet Episcopum in præsentiam Romani Præsulis introducere, vel census ab eo ad sumptus publicos seu dona quælibet exigeret, sed nec coram laïcis Episcopum stare concessit.* Adalgisus Dux Beneventanus, Græcorum suasione corruptus, adversus Lodovicum Imperatorem manum levavit, cujus hortatu plurimæ civitates Provinciarum Samnii, Campaniæ & Lucaniæ a Lodovico recedentes Græcorum dominationi se subdiderunt. Imperator in Provinciam Samniticam exercitum transfert, petiturus harum Provinciarum Caput Beneventum opulentissimam Civitatem; Adalgisus vero territus ad callida argumenta convertitur, & Benevento egressus, Imperatori ultro se offert, numquam se defectoribus consensisse juramento confirmat; deinde muneribus Imperatorem concilians, in gratiam recipitur. Imperator ad civitates, quæ defecerant, copias transmisit, quas absque difficultate recepit excepta Capua, quæ quadro lapide constructa audaciam repugnandi præbuit. Cingitur itaque obsidione omnisque aditus intercluditur, regio in circuitu hostiliter vastatur, novissimæ vites, Oliveta ceteræque fructiferæ arbores radicitus exciduntur. Capuani desperatis rebus Episcopum Civitatis adeunt, corpus Sancti Germani Episcopi in feretro levant, & sic portis apertis Castra Imperatoris supplices petunt. Augustus ut totus pietatis visceribus affluebat, misericordia motus excessus indulsit, præcepitque exercitui, ut ab excidio manum retraherent. Expulsis itaque Græcis, custodes ex suis in civitatibus quas receperat, locat, & sic Beneventum proficiscitur, ubi aliquantisper decreverat immorari. Exercitus longa civitatum obsidione fatigatus, genitale solum cœpit suspirare, & hac ex causa quotidie paulatim diffluere. Interea Adalgisus, ut callidissimus Imperatorem alloquitur, *cur vires suorum*, nullis existentibus causis *profligaret, oportere, ut fessis requies concederetur, & regio jam pene devastata Clementia Principis salvaretur:* His flexus Imperator, exercitum ex maxima parte redire permisit. Ipse vero cum paucis in eodem loco permansit, nihil mali suspicatus, quem Adalgisus destitutum suorum viribus cernens, conceptam iniquitatem parturit, & cum suis sectatoribus Palatium, in quo Imperator meridie quiescebat, occupare nititur. Imperator clamore irruentium excitatus lecto desilit, arma corripit & cum paucis corporis custodibus procedens aditumque ferro intercludens, hostem a liminibus arcet. Adalgisus sentiens, non sine discrimine ostia domus esse penetranda, ab introitu pedem retrahit, palatiumque flammis jubet exuri. Imperator dextras sibi dari petit pacemque obnixe deposcit, cui responsum est; non aliter impetraturum, nisi jurejurando devovisset, numquam se diebus vitæ suæ Beneventi fines intraturum, neque ex calumnia, quam tunc patiebatur, vindictam aliquando exacturum. Allatis itaque Sanctorum pignoribus necessitate constrictus Sacramentum, quod exigebatur, juravit, statimque a Benevento postera die exivit. Æstatis fervor immanis & siccitas nimia totos pene perdidit fructus; plurimæque quoque domus cum hominibus & animalibus fulminibus incensæ & exustæ sunt, & eodem anno Indictione V. I. Kal. Novembr. dedicatum est principale Monasterium Sanctæ Mariæ in Hildensheim ab Alifrido ejusdem Ecclesiæ Episcopo & Rimberto Bremensi, Luithardo Paderbrunnensi ac Theoderico Episcopis cum Interventione Corbejensis Abbatis Adalgarii, sub titulo Cosmæ & Damiani, Tiburtii & Valeriani Martyrum & Cæciliæ Virginis.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXIII. Lodovicus Imperator Romam venit, ibique Conventum celebrans coram Summo Pontifice multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. Tunc a Senatu Romanorum Adalgisus Tyrannus atque hostis Reipublicæ declaratur, bellum etiam adversus eum decernitur. Johannes autem Papa Imperatorem a juramento, quo se obligaverat, auctoritate DEI & Sancti Petri absolvit, affirmans, nihil sibi obesse; quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec Sacramentum esse dicendum, quod contra salutem Reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus fuerit prolatum. His exhortationibus principis animum ad rediviva certamina provocat. Tamen ne a suis perjurus diceretur, nequaquam ipse contra tyrannum, sed Reginam cum exercitu misit. Adalgisus certis indiciis colligens, bellum adversum se, summis viribus parari, hostemque se ac tyrannum esse denuntiatum, suæ nequitiæ conscius, metu percellitur, & spem vitæ in fuga ponens, in Corsicam Insulam secessit, ibique ad tempus latuit. Fames magna invaluit in Germania. His temporibus Rex Karolus Karlomannum filium oculis privavit. Nam ex Irmindrude Regina tres filios susceperat Karolum, Karlomannum & Lodovicum; ex his duo infeliciter perierunt. Nam Karolus tentare volens Albuini constantiam, Vespertinis horis impetum in eum fecit, quem ille non agnoscens interfecit; postquam

audiens filium Regis esse, fugiens mortem devitavit: porro Karlomannus jussu Patris adhuc puerulus Clericus factus & post Diaconus ordinatus est. Post hoc per apostasiam recedens, collectis prædonibus, Ecclesias vastabat & inaudita mala perpetrabat, pro quibus crebro a Patre frustra correptus, novissime autem jussu ejus oculis orbatus Lodovicum Patruum suum adiit, qui miseratione motus Epternacum Monasterium Sancti Willibrodi ad subsidium ei vitæ præsentis concessit, ubi non multo post mortuus & sepultus est.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXIIII. Locustarum inestimabilis multitudo mense Augusto ab Oriente veniens totam pene pervastavit Galliam, quæ majores erant quam cæteræ locustæ, habebantque sena alarum remigia, & mirum dictu, ut Castrorum acies distinctis ordinibus per aëra ferebantur, vel terræ incumbentes castra metabantur. Duces cum paucis exercitum præibant itinere diei unius, quasi loca apta multitudini provisuri. Circa horam IX. ubi Duces pridie venerant, insidebant; Nec a loco occupato movebantur, quo usque sol oriretur. Tunc per turmas proficiscebantur, ut in parvis animalibus militarem cerneres disciplinam; Segetibus vescebantur, quæ ab eis ita depastæ sunt, ut tempestate consumptæ viderentur, spatium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extendebatur, pervenerunt vero ad mare Britannicum, ubi DEO volente violento flatu in profundum asportatæ demersæ sunt, æstu vero ac refusione Oeani rejectæ littora repleverunt, tantaque ex his congeries facta est, ut instar montium cumulatæ coacervarentur. Ex earum autem fœtore atque putredine aër corruptus diram pestem finitimis generavit.

Per idem tempus Rex Karolus Andegavensem obsidebat urbem. Denique Nortmanni, postquam Rotbertum & Ramnolfum & alios nonnullos generosæ stirpis viros, qui patriæ terminos armis tuebantur, DEO adversante habitatores terræ occiderunt, cum nemo inveniretur, qui eorum violentiæ resisteret, sollicitati paucarum civitatum vel regionum direptione & ex præda singularum, quantæ opes universarum essent, prospicientes, Andegavis civitatem civibus fuga lapsis, vacuam reperientes ingrediuntur, quam cum munitissimam & pro situ loci inexpugnabilem esse vidissent, in lætitiam effusi, hanc suis suorumque copiis tutissimum receptaculum adversus lacessitas bello gentes fore decernunt. Protinus navibus per Medanam fluvium deductis muroque applicatis, cum mulieribus & parvulis, veluti in ea habituri, intrant, diruta reparant, fossas vallosque renovant & repentinis incursionibus circumjacentes regiones devastant. Cumque Karolo tam perniciosa pestis in visceribus regni interclusa nuntiata esset, illico ex omnibus regnis, quæ suæ ditioni parebant, veluti ad Commune incendium extinguendum exercitum colligit, & castris in circuitu positis, Vrbem obsidione cingit; & quia Medana fluvius a partibus Britanniæ Vrbis muros alluebat; Salomoni Regi Britonum mandat, ut contractis auxiliis citius adventaret, ut communem hostem communibus viribus expugnarent, qui assumptis secum multis Brittonum millibus super ripam fluminis Medanæ tentoria figit. Igitur ex omnibus partibus urbe obsidione circumdata multis diebus undique summa virtute dimicatur, nova & exquisita machinamentorum genera applicantur, sed tamen regis conatus effectum prosperitatis non obtinuit, quia & loci facies non facilem præbebat accessum & paganorum valida manus, quia pro vita res erat, summo resistebat conamine: Exercitus inmensæ multitudinis cum longæ obsidionis tœdio fame & gravi pestilentiæ morbo attereretur, cernentes Brittones urbem inexpugnabilem, conati sunt fluvium a suo alveo derivare, ut exsiccato naturali meatu, Naves Nortmannorum invadere possent, cœperunt itaque fossam miræ profunditatis ac latitudinis aperire, quæ res tantam formidinem Normannis ingessit, ut absque dilatione ingentem pecuniam Karolo pollicerentur, si soluta obsidione eis ex suo regno liberum præberet egressum. Rex turpi cupiditate superatus pecuniam recepit, & obsidione soluta hostibus vias patefecit. Illi conscensis navibus in Ligerim revertuntur, & nequaquam, ut spoponderant, ex regno ejus recesserunt; sed in eodem loco manentes multo pejora & inmaniora quam antea fecerant, perpetrarunt.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXV. Lodovico Regi Germaniæ apparuit in somnis Pater suus Ludovicus olim Imperator, adjurans eum per nomen Sanctæ Trinitatis, ut eum eriperet a tormentis, in quibus detinebatur, ut tandem æternam requiem mereretur habere. Ob hoc ad diversa Monasteria destinans elemosinas obnixe filius succurrebat Patri; Vnde dabatur intelligi, quia licet idem Imperator multa hominibus placita fecisset, plura tamen DEO contraria in regno fieri consensit; in quibus graviora videbantur, quod hæresi Nicolaïtarum non restitit, & monita Gabrielis Archangeli XII. Capitulis comprehensa, quæ Marcus ei legenda & observanda obtulerat, servare non studuit. Altfridus Hildinisheimensis IIII. Episcopus plenus dierum XVIII. Kal. Septembris in consortium Sanctorum migravit, & Asnede in sua Ecclesia, quam ipse construxit ac dedicavit, sepultus est; ubi miraculorum virtutibus per plurima sanitatum insignia, ut ibi conmanentes perhibent, innotescit. Post hunc Liudolfus novæ Corbejæ Monachus designatur, sed subita morte præventus aufertur; Marquardus dehinc V. Episcopus successit. In Italia Brixæ triduo sanguis pluisse fertur. Cometes solito rutilantior apparuit.

Lodovicus Italiæ Imperator moritur vir pius & misericors, simplex, justitiæ deditus, Ecclesiarum defensor, orphanorum & pupillorum pater, elemosinarum largitor, servis Dei humiliter se submittens, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi. Eodem anno Karolus patruus ejus Rex Galliæ Romam perrexit & datis Apostolico Jo-

co Johanni magnis muneribus Imperator creatur LXX. loco ab Augusto, anno ab urbe condita Mill. VCVI. anno Dominicæ Incarnationis VCCCLXXV.

Eodem anno Salomon Rex Britanniæ a Pastiquano & Wrfando ducibus suis dolo interficitur; post cujus mortem cum hi duo regnum ejus inter se dividere vellent, sed in divisione dissentirent, eo quod maxima pars Pastiquani partibus faveret, bellum ab utrisque summis viribus instauratur; Pastiquanus quamquam majore multitudine abundaret, Normannorum tamen auxilia pecunia conducit, eaque ad supplementum virium suo exercitui miscet, & mox contra æmulum ad pugnam proficiscitur. Vvrfandi satellites videntes vires regni ad Pastiquanum concessisse, cœperunt ab eo diffugere, ut vix mille cum eo usque mane remanerent, qui & ipsi cœperunt suadere ut secederet, mortisque periculum declinaret, se cum paucis innumeram multitudinem sustinere non posse. Ad hoc ille respondit: absit, optimi commilitones, ut hodie faciam quod numquam, ut inimicis meis terga vertam, & gloria nominis mei infametur. Melius est nobiliter mori, quam ignominia vitam servare, nec diffidendum de victoria, fortunæ vires cum hostibus experiamur; neque enim salus est in multitudine, sed in Deo. Hujuscemodi exhortationibus animatis sociis, super XXX. & eo amplius, ut fertur, millia adversariorum irruit, clamor in cœlum tollitur, pugna summa virtute conseritur: Vvrfandus cum suis confertissimam hostium aciem irrumpit, & veluti herba pratorum recisa ante acumen falcis cadit, & uberrimæ segetes procella tempestatis desæviente proteruntur, ita ferro cædit sternitque omnia. Pastiquanus, ut mactari suos more pecudum vidit, cum paucis, qui superfuerant, fugit. Porro Normanni, qui in auxilium fuerunt evocati, monasterium Sancti Melanii Episcopi ingressi sunt, ibique se more solito communiunt; & succedente nocte fuga dilapsi ad naves revertuntur. Fuit hoc prælium gestum in Campis juxta civitatem Redonis; Erat hic Vvrfandis genere inter suos clarus, sed virtutum experimentis nobilitate clarior, quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine viriumque gloria nulli videretur esse secundus. Nam cum Salomon Rex aliquando hyemis tempore contra Nortmannos castra posuisset, ut ab eorum incursione fines regni sui tueretur, ibique multis diebus resideret, quadam die cum sermo tereretur inter socios de audacia & duritia Nortmannorum, prædictus Vvrfandus ultra vires præsumens arroganter jactavit; si Rex cum exercitu recederet se audere cum suis tantummodo sociis in eodem loco post discessum Regis tribus diebus immorari. Distabant vero Castra Britonum a Classe Normannorum tantum VIII. millibus. Nuntiata sunt verba, quæ Vvrfandus quasi leviter protulerat, nescio a quo, Hastingo Normannorum Duci: non multo interjecto tempore datis quingentis vaccis Salomon fecit pacem cum Normannis, &, acceptis obsidibus, cum redire in Regnum disponeret, Legatus Hastingi eum taliter alloquitur: Nuntiatum est Domino meo, te talem virum habere, qui se jactet, quod te recedente solus cum suis hoc in loco audeat remanere. Si ergo tantus est, quantus sibi videtur, incunctanter remaneat, quia Dominus meus vult eum videre, & audacis viri vult notitiam habere. Interrogatus Vvrfandus a Rege, utrum tale aliquid professus esset, respondit se dixisse, & eadem factis velle probare, protinusque licentiam ibi remanendi petere. Cum a Principe objurgaretur, cur tam fatua obstinatione detentus pro verbis inaniter prolatis vellet mori suosque morti tradere; nullatenus adquievit, afferens nisi manendi licentiam daret, nequaquam illi fidelis in reliquum foret. Sed cum Salomon irrevocabilem ejus animum perspexisset, dare ei solatium ex suis satellitibus voluit, qui renuit suscipere, affirmans, si alios quam suos secum haberet, jam non esset verum, quod spoponderat. Rex cum omnibus copiis in regnum recessit, Vvrfandus in eodem loco cum ducentis fere viris remansit, ibique V. diebus expectavit V. nocte Hastingus quemdam captivum a Vinculis absolvit, & eum ad Vvrfandum direxit, mandans, ut sibi ad Vadum cujusdam torrentis inter tertiam & secundam supervenientis diei horam occurrerent, ut mutuis colloquiis fruerentur, qui nihil cunctatus arma corripere sociis inperat, & ad condictum locum absque mora pergit; perspiciensque vadum torrentis inter suos & adversarios, quasi limitem fore, nullo modo ibi consistere voluit, sed transvadato gurgite, ultro obviam hostibus procedit. Nortmanni ammirantes animositatem atque audaciam Viri ab eo declinaverunt, nec eum bello lacessire ausi sunt. Ille usque in sextam horam intrepidus expectans cum neminem adversæ partis venire cerneret, cum suis ad propria reversus est. Nec illi animus minus in mortem invictus, quam in hostem fuit. Denique post peractam victoriam morbo gravatus ad extremum ducitur. Cujus invalitudinem cum persensisset Pastiquanus, resumptis viribus, fautores ipsius bello aggredi parat, qui timore perterriti ad ducem confugiunt & cum lacrimis ei minas Pastiquani apperiunt, petentes contra periculum imminens consilium; At ille hortatur, ut adversus hostem audacter procedant suum vexillum ferentes, pollicetur que Victoriam, qui cum respondissent, sine ejus præsentia non audere cum adversariis congredi, spiritum, qui una cum viribus corporis jam pene effugerat, resumens, quia nec pedibus nec equo poterat ire, jubet se in lecto portari & ante aciem inimicorum exponi & sic subiri certamen. Quod cum satellites fecissent, mox hostes in fugam versi sunt, patrata victoria cum eum reportare vellent domum, inter manus militum spiritum, qui in solo pectore palpitabat, exhalavit; paucis interpositis diebus, Pastiquanus & ipse defunctus est. Post horum duorum continuas mortes Vidichel ex filia Herispoi Regis natus, & Alanus frater memorati Pastiquani Britanniam inter se partiti sunt. Inter quos multa

jurgia & bella fuerunt, sed Vidicheile in prælio, quod contra Nortmannos magis audacter quam provide gesserat, interempto, in ditionem Alani omnis Britannia concessit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXXVI. Subita & nimia aquarum inundatio facta est in Junio, ita ut in Saxonia villa quædam longe a torrentibus & fluminibus remota in momento cum hominibus & bestiis, cum arboribus & ædificiis, cum Ecclesia & altari, penitus absorbta sit, ut nullum habitationis remanserit vestigium. Lodovicus Rex Germaniæ apud Franconevort palatium diem clausit extremum V. Kalendis Septembris, sepultus est in Monasterio Sancti Nazarii, quod Lorasham nuncupatur. Fuit autem iste Princeps Christianissimus, fide Catholicus, sæcularibus & Ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus; quæ religionis, quæ pacis, quæque justitiæ sunt, ardentissimus executor; ingenio callidissimus, consilio providentissimus, in dandis sive subtrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine tentatus, in præliis victoriosissimus, armorum quam conviviorum apparatibus studiosior, cui maximæ opes erant instrumenta bellica, plus diligens ferri rigorem quam auri fulgorem, aput quem nemo inutilis valuit, in cujus oculis perraro utilis displicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit, apud quem nullus per pecuniam, Ecclesiasticam, sive mundanam dignitatem obtinuit; sed magis Ecclesiasticam probis moribus & sancta conversatione, mundanam devoto servitio & fidelitate. Habuit autem hic gloriosissimus Rex, cujus memoria in benedictione est, Reginam nomine Hemmam, quæ nobilis genere fuit, sed magis laudandum, nobilitate mentis multo præstantior; ex qua tres filios habuit præstantissimæ indolis Karlomannum, Lodovicum & Karolum, qui felici sorte post discessum patris, Imperii moderati sunt gubernacula.

Karolus audito quod frater recessisset a sæculo, nimia, ut ajunt, exultatione perfusus est, arbitratus portionem regni Lotharii in suos libitus concessuram; Exercitum quanta potuit celeritate adunavit, & cum omnibus viribus Aquis palatium venit, ubi paucis diebus moratus Coloniam venit. Dum hæc in regno Lodevici aguntur, Karlomannus primogenitus Lodevici Italiæ fines intraverat, cupiens eam paterno suoque subjugare dominatui. Nam Lodevicus Italiæ Imperator, jam ut diximus ab hac luce subtractus erat, & Karolus patruus ejus Imperatoris nomen reportans ex Italia excesserat. Karolus frater suus in Alamannia morabatur. Porro Lodevicus, qui ad patris obitum fuerat funerisque ejus obsequia condigno honore celebraverat, apud Franconefort Orientalis regni sedem residebat, cui cum nuntiatum esset, quod Karolus patruus ejus jam regni paterni terminis occupatis circa Rheni fluenta castra posuisset, nimio furore succenditur, statimque legatos ad eum dirigit orans, ut memor esset germanitatis & consanguinitatis, memor esset Domini Jesu Christi cujus mentionem coram nonnullis testibus facientes, ipse & frater quando regnum inter se diviserunt, terribili essent alternam pacem pacto polliciti & pertimescens tantum nomen in vanum accipere reddere Domino juramenta sua, fœdus, quod alterutrum pepigerant, inviolabile manere sineret, parceret gladio, & humanum sanguinem fundere tam dira cupiditate infectus exhorresceret; foret sua sorte contentus & funiculo hæreditatis sibi divinitus collato pacifice frueretur, aliena jura non invadens, non subtrahens, non perturbans, ne esset in tanto viro vanæ gloriæ tiphus, sed justitia, caritas & concordia, summum inter illum & Nepotes teneret fastigium. Sed hujuscemodi monita Karolus sprevit, asserens se cum fratre non cum nepotibus fœdus pepigisse. Interim Lodevicus exercitum ex Saxonia, Thuringia & Orientali Francia congregat, atque in filio non tantum paternum vultum quantum animi subtilitatem artiumq; ingenia recognosceres, castra e regione Coloniæ contra castra Karoli super ripam fluminis magno apparatu collocat. Ipse autem cum omni virtute inter Confluentes & Adrenacum Rhenum transit. Non defuit, qui ad aures Karoli perferret, nepotem cum omnibus copiis Rhenum transisse. Tunc primum animadvertit Karolus, se a castris Lodevici esse illusum, movit tamen absque mora exercitum & cum quinquaginta & eo amplius, ut fertur, millibus in pago Meginense, non longe ab Andrenaco Castro, adversus eum ad pugnam procedit, sed non salvatur Rex in multa virtute: si quidem inito certamine Reginarius Comes, qui vexillum ferebat, primo impetu extinguitur; confertissimæ acies a Lodevici sociis irrumpuntur &, sicut ignis in stipula immissus in momento cuncta devorat, ita vires adversariorum conteruntur & prostrantur, exercitus Karoli graviter cæsus terga vertit & Lodevici victoria fuit. Karolus videns suos fugere & ipse fuga vitam servavit, sero secum revolvens, quanti discriminis sit æquitatis jura, divinarum humanarumque legum institutionibus roborata, immoderatæ cupiditatis ambitione violari; acta est autem hæc strages VIII. Idus Octobris.

Post hæc convenerunt supradicti tres fratres in loco qui dicitur Sualivelt & ibi diviserunt paternum regnum; Karlomannus sortitus est Bavvariam, Pannoniam & Caruntum, quod corrupte Carantanum dicitur, nec non & regna Slavorum Behemensium & Marahensium. Lodevicus Orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam, Fresiam & partem regni Lotharii. Porro Karolo Alemannia in partem cessit & aliquæ civitates ex regno Lotharii.

Anno Dominicæ Incarn. VCCCLXXVII. Karolus senior secundo Romam profectus est, ubi jam Imperatoris nomen a præsule Sedis Apostolicæ Johanne ingenti pretio emerat, regnumque Italiæ magis transeundo vidit, quam fruendo potitus est. Ab Vrbe Roma in Langobardiam reversus Bosoni germano Richildis Reginæ Irmingardem filiam Lodevici Imperatoris in matrimonium jungit, dies nuptiarum tanto apparatu tantaque ludorum magnificentia

tia celebratus est, ut hujus celebritatis gaudia modum excessisse ferantur. Dedit insuper eidem Bosoni Provinciam & corona capiti imposita Regem appellari jussit, ut more priscorum Imperatorum Regibus videretur dominari. Evolutis deinde paucis diebus Papiam ingreditur, ubi cum in disponendis publicarum rerum negotiis animum intenderet, repente nuntiatum ei, Karlomannum cum ingenti armatorum multitudine Langobardorum terminos introisse, mox pavore solutus Ticianum Padumque transiit & summo annisu Gallias repedare contendit; sed priusquam Alpium præminentia juga angustaque itinera attingeret, ægritudine pulsatur, quam protinus mors subsecuta finem vitæ imposuit. Est autem fama, quod a quodam Judæo nomine Sedechia poculum mortis acceperit, qui ei familiarius adhærebat, eo quod in medendis corporum passionibus singularem experientiam habere diceretur. Porro hic Sicophanta erat & magicis præstigiis incantationibusque mentes hominum dedebat. Obiit pridie Non. Octobris. Corpus levatum in feretro a suis extra Italiam deportatur; sed quia fœtor intolerabilis ex putredine Cadaveris portantes gravabat, compulsi sunt illud terræ mandare, post aliquantos annos, ossa ejus translata sunt & Parisius in Monasterio Sancti Dionysii honorifice sepulta, cui successit in regnum filius ejus Lodevicus. Adalgarius Corbejensis abbas obiit Tancmarus successit, quo post octo menses defuncto, Avo piæ memoriæ successit. Luitbertus Episcopus Patherburnensis obiit, cui Biso successit.

Anno Dominicæ Incarn. VCCCLXXVIII. Eclipsis Lunæ facta est mense Octobri die XVI. Item eodem mense Eclipsis solis accidit die XXIX. circa horam Nonam. Paucis diebus interjectis Lodewicus Rex filius Karoli, qui Balbus appellabatur eo quod Impeditioris & tardioris esset eloquii, ab hac luce subtractus est, fuit vero iste princeps vir simplex ac mitis, pacis, justitiæ, Religionis amator; habuit autem, cum adhuc juvenilis ætatis flore polleret, quandam nobilem puellam nomine Ausgard sibi conjugii fœdere copulatam, ex qua duos liberos suscepit elegantis formæ ac ingentis animi virtute præstantes. Horum unus Lodevicus, alter Karlomannus vocabatur; Sed quia hanc sine genitoris conscientia & voluntatis consensu suis amplexibus sociaverat, ab ipso Patre postmodum est ei interdicta & interposito jurisjurandi sacramento ab ejus consortio in perpetuum separata. Tradita est autem eidem a patre suo Adelheidis in matrimonium, quam gravidam reliquit idem Rex cum obiret, quæ tempore expleto enixa puerum nomen avi ei imposuit, eumque Carolum vocari fecit.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXIX. Avo Corbejensis Abbas obiit, cui Bovofrum amator successit. Boso, cujus superius mentionem fecimus, audita morte Lodevici a Provincia egressus, totam Burgundiam occupare nititur, denique nonnullos Episcopos partim minis, partim suasionibus in societatis fœdera colligit, & Lugdunum ingressus ab Aureliano ejusdem Urbis Metropolitano & aliis Pontificibus in Regem super præfatum Burgundiæ Regnum inungitur, pro nihilo ducens adolescentes filios Lodevici, & velut degeneres despiciens, eo quod jussu Caroli eorum genitrix spreta atque repudiata fuerit, quæ res illi magis attulit continuum cladium ac periculorum dispendium, quam gloriæ & dignitatis emolumentum, siquidem jamdicti adolescentes Lodevicus & Karlomannus industria ac studio Hugonis Abbatis & aliorum procerum in regnum sublimati sunt, eumdem Bosonem diebus vitæ suæ omni sunt instantia persecuti; Nec solum ipsi, verum & alii Reges Francorum per succedentia tempora adeo nomen ejus graviter tulerunt atque exosum habuerunt, ut pro inrecuperabili ejus dejectione ac mortis exitio non modo principes ac duces, sed etiam satellites sacramentis & execrationibus se obligarent. Fuit autem tam perspicacis ingenii, ut cum a multis, ut dictum est, regibus & regnis assidue sit insectatus, a nullo tamen aut capi aut circumveniri aliquando potuerit, tantæ moderationis ut cum sibi faventes proscriptionibus damnarentur bonisq; omnibus privarentur, numquam insidiis suorum militum sit petitus, numquam fraude proditus, cum utrumque hostes sæpe tentassent. Per idem tempus Lodevicus, qui Austrasiis imperabat, cognita morte æquivoci sui, regnum illius invadere disponit, & transvadata Mosa Imperii fines occupavit, cui occurrerunt duo fratres memorati cum valida manu, sed intercurrentibus vicissim Legationibus nequaquam pugna committitur, sed pax roboratur; adolescentes quippe agebant, ut fœderatus ab eis recederet Lodevicus, & portionem Regni Lotharii, quam avus eorum paterque tenuerat, ex integro illi concesserunt, addita insuper Attrebatis Abbatia Sancti Vedasti. Facta itaque hac pactione datisque sacramentis, cum in regnum idem Rex reverteretur, repente obviam habuit Nortmannorum innumerabilem multitudinem juxta Carbonariam, in loco qui dicitur Thimum, cum ingenti præda classem repetentem; cum quibus mox confligens maximam eorum partem prostravit, reliqui dilapsi in supradicto fisco regio se conmuniunt, ubi Hugo Regis ex pellice filius graviter vulneratus rapitur & inter adversariorum manus animam reddit. Rex existimans, quod adhuc ab hostibus servaretur, exercitum ab impugnatione jussit cessare, ut quocunque pacto incolumem illum reciperet. Interea nox superveniens, Regem adire ad Castra conpulit. Nortmanni cadavera suorum flammis exurentes noctu ad Classem fugiunt. Rex diluculo consurgens cum filium extinctum reperisset, nimio dolore afficitur, Corpus ejus in Loculo compositum ad Loresheim Monasterium inperat deferri ibique tumulari. Hoc tempore Bruno, filius Ludolfi Ducis Saxoniæ cum Ducatum totius Saxoniæ administrasset, missus a Lodovico Rege contra Danos duxit exercitum, quorum inundatione circumventus, non habens pugnandi locum cum duobus Episco-

Episcopis Marquardo Hildinisheimensi & Teoderico ceterisque militibus occisus est IIII. Non. Februarii. Ottoni fratri juniori, sed virtute multo potiori. *

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXX. Karlomannus Rex Bavvariæ paralisi dissolutus obiit VII. Non. Aprilis, sepultus honore debito in Bavvaria loco qui dicitur Huodingas. Fuit litteris eruditus, religioni deditus, justus, pacificus, omnique morum honestate decoratus, pulcritudo corporis ejus insignis, vires quoque, in hoc admirabiles fuere, nec inferior animi magnitudo: plurima quippe bella in regnis Slavorum gessit, semper triumphavit, alloquio blandus, humilitate ornatus in ordinandis regni negotiis singulari solertia præditus, prorsus ut nihil ei deesse regiæ majestati competens videretur. Huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles, sed ex quadam nobili fœmina filium elegantissimum suscepit, quem Arnulfum vocavit ob recordationem Sancti Arnulfi Metensis Episcopi, de cujus sacro germine sua aliorumque Regum Francorum prosapia pullulaverat. Hic postmodum solus de tam numerosa Regum posteritate idoneus inventus est, qui Imperium Francorum susciperet. Lodovicus Rex Orientalis comperto, quod frater obiisset, Bavvariam ingressus, Regenesburh venit, ubi omnes Optimates Regni confluentes ejus se ditioni subdiderunt. Concessit autem Arnulfo Carantanum, quod & pater ei concesserat, in quo situm est Castrum munitissimum Mosaburh, eo quod Palude impenetrabili locus vallatus difficillimum adeuntibus præbeat accessum. Vvigbertus Hildinisheimensi Ecclesiæ VI. ordinatus est Episcopus, qui suo tempore medicinæ artis peritissimus fuit, & Bibliotecam, quæ adhuc in monasterio servatur, propria manu elaboravit. Ipse omnem substantiam Ecclesiæ distribuens per villas, curtes, familias, decimas distribuens, tertiam partem ad præbendum fratrum instituere decrevit; sed obitu præventus eam inscriptionem successori suo complendam reliquit. Sol hora nona diei ita obscuratus est, ut stellæ in cœlo apparerent.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXXXI. Karolus filius Lodovici Regis quondam totius Germaniæ Karlomanni Regis Bavvariæ & Lodovici Regis Ostrofranciæ frater, cui in divisione regni Alamannia in partem cesserat, egressus de Alamannia Langobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit. Et Romam perveniens a Præsule Apostolicæ Sedis Johanne & Senatu Romano favorabiliter exceptus cum magna gloria Imperator creatus est LXXI. loco ab Augusto anno ab urbe condita M V C XII. Per idem tempus Normannorum Classis per Vval fluvium Niumago palatio Lodovici Regis applicuit, ibique castra fixerunt, quod ubi ad notitiam Lodovici perlatum est, absque dilatione cum exercitu venit & munitionem obsidione clausit, conserto nonnullis diebus certamine non adeo prævaluit, quia palatium ingentis magnitudinis mirique operis hostibus tutissimum præbebat habitaculum, in qua congressione captus est ab adversariis Everhardus Saxo, filius Meginhardi Comitis, quem postea mater Evesa magno pretio dato incolumen recepit. Postremo Rex, accepta pollicitatione, quod si ab obsidione cessaret, Normanni continuo regno ejus discederent, cum omnibus copiis recessit. Tunc pagani palatium una cum munitione flammis exurentes navibus ascensis ostia Rheni repetunt. Eodem anno mense Nov. duo Reges Nortmannorum Godefridus & Sigefridus cum inæstimabili multitudine equitum & peditum consident in loco, qui dicitur Haslon juxta Mosam, & primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem Trejectum & Tungrensem Vrbes incendio cremant, secunda incursione Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis & incendiis cuncta devastant, Coloniam Agrippinam & Bunnam Civitates cum adjacentibus castellis, scilicet Tulpiacum, Viliacum & Niusa igne comburunt. Post hæc Aquispalatium, Indam & Malmundarias & Stabulam monasteria in favillam redigunt. Aquisgrani palatium usque ad tempora Ottonis Imperatoris per annos LXXX. vastum permansit. Destructor ejus dicebatur Ordwig princeps.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCC LXXXII. Nortmanni Arduennam percurrentes, Prumiam Monasterium ingrediuntur ipso die Epiphaniæ Domini, ubi triduo conmorantes omnem in circuitu regionem depopulati sunt, in quo loco innumera multitudo peditum ex agris & villis in unum agmen conglobata eos quasi pugnatura aggreditur; sed Nortmanni cernentes ignobile vulgus non tantum innerme, quantum disciplina militari nudatum, super eos cum clamore irruunt, tantaque cæde prosternunt, ut bruta animalia mactari viderentur: his patratis onerati præda ad castra redeunt. Illis discedentibus, ignis qui in diversis habitaculis accensus remanserat, cum nullus esset, qui eum extingueret, monasterium consumpsit. Dum hæc aguntur, Rex Ostrofranciæ Lodovicus morbo apud Franconevord moritur XIII. Kal. Septembris, sepultus juxta patrem suum in Lorasheim Cœnobio. Habuit ex Liutgarde Regina filium unicum nomine Lodovicum, sed cum post obitum fratris Karlomanni ad obtinendum regnum Bavvariæ Regenesburh moraretur, idem puerulus de fenestra palatii cecidit, & fractis cervicibus expiravit, quæ non tantum inmatura, quam inhonesta mors, non solum Regi & Reginæ, sed & omni domui regiæ maximum luctum ingessit. Nortmanni audita morte Regis nimio exultant tripudio & jam non de conflictu, sed de præda cogitant. Igitur cum omnibus viribus a munitione exiliunt, & Treverim nobilissimam Civitatem Galliarum Non. Aprilis die sacrarissimæ cœnæ Domini occupant, in qua usque in sanctum diem Paschæ fessa de itinere corpora recreantes omne territorium Vrbis ad solum demoliti sunt, deinde civitatem exurentes Mediomatrico dirigunt aciem, quo comperto Vvalo civitatis Episcopus, adjuncto sibi Bertolfo Episcopo

ſcopo & Adalhardo Comite, illis obviam ad bellum procedit; inito certamine Nortmanni vicerunt. Vualo Epiſcopus in prælio cecidit, ceteri fugerunt. Pagani item quod cœperant deſerentes cum ingenti celeritate præda onerati ad Claſſem revertuntur. Ea tempeſtate Carolus Imperator in Italia morabatur, ubi diverſis Legationibus Germaniæ ac Galliæ pulſatur, ut ad ſuſcipienda regna ſibi hæreditario jure competentia feſtinaret & periclitanti Imperio ſuccurreret, quod Capite amiſſo ludibrio hoſtibus erat, qui nihil moratus cum omnibus Copiis in Franciam venit & cum Langobardis, Bawariis, Alamannis, Thuringis, Saxonibus, Freſonibus, Nortmannos in ſupradicto loco obſidere exorſus eſt; ſed conatus ejus parum profecit, quamquam ex diverſis regnis & gentibus ineſtimabilis multitudo in unum confluxiſſet, indignatione cœleſti ſuper populum Chriſti Religionem profanantem. Noviſſime Godefridus Rex Nortmannorum ea conditione Chriſtianum ſe fieri pollicetur, ſi ei ab Imperatore Freſia concederetur & Giſla filia Regis Lotharii in uxorem daretur; hæc adeptus, baptizatur, & ex ſacro fonte ab Imperatore ſuſcipitur. Sigefrido & reliquis Nortmannis immenſum pondus auri & argenti expoſitum eſt, & tali tenore fines regni excedunt. Defuncto Johanne Papa Marinus ſedit annum I. menſes V.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXXXIII. Lodovicus filius Ludovici Rex Galliæ moritur apud Sanctum Dionifium, ibique honorabiliter tumulatur, quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati ſunt: fuit enim vir virtutis, regnumque a paganorum infeſtatione potenter defendit. Inter cetera quæ ſtrenue geſſit, illud præcipue prælium commendatur, quod cum Nortmannis in loco, qui dicitur Sodalcurt, ſummis viribus exercuit, ubi, ut ferunt, pluſquam octo millia proſtravit. Carlomannus frater ejus regnum illius obtinuit. Eo tempore Bertolfus Treverenſis Epiſcopus migravit ad Dominum IIII. Idus Februarii, cui ſucceſſit Ratbodus Reverentiſſimus Antiſtes VI. Idus Aprilis. His etiam diebus Rotbertus Præſul ab eodem Archiepiſcopo Ratbodo in Metenſi Eccleſia conſecratur X. Kal. Maji. Circa hæc tempora Hugo filius Lotharii in ſpem recuperandi Regni Paterni ab aliquibus diſcordiarum ac litium Sectatoribus introducitur, omneſque, qui juſtitiam & pacem execrabantur, ad eum confluxerunt, ita ut in paucis diebus innumera multitudo prædonum ejus dominationi ſe ſubmiſerit. Inter quos etiam nonnulli ex primoribus regni vana ſpe ſeducti manibus datis accedunt, videlicet, Stephanus, Ruotbertus, Wicbertus, Thiebaldus Comites, Albricus & frater ejus Stephanus; tantaque rapina & violentia ab his in regno fit, ut inter horum & Nortmannorum malitiam nil differret, præter quod a cœdibus & incendiis abſtinerent. Sic Deus iratus regno Lotharii adverſabatur, & talibus incrementorum cladibus vires ejuſdem regni radicitus exterminabat, ut prophetia S. Nicolai Papæ, & maledictum quod ſuper idem regnum protulerat, adimpleretur. Hoc tempore idem Hugo Wicbertum Comitem ſibi fideliſſimum dolo trucidari juſſit, pulcritudine captus ipſius uxoris; quam abſque momento ſibi in matrimonium jungit. Vocabatur autem mulier Friderada, quæ antequam Bernario ſociaretur, copulata fuerat Engelgrammo potenti viro, ex quo filiam peperit, quam poſtea Richwinus Comes in matrimonium accepit, quam idem propter ſtuprum conmiſſum decollari juſſit. Wicbertus Hildinismenſis VI. Epiſcopus conſummatam in Gandersheim Eccleſiam dedicavit & Gerberga Abbatiſſa defuncta ſororem ejus Chriſtinam inſtituit. Huic Wicberto Walbertus VII. Epiſcopus ſucceſſit, qui Præpoſituram & præbendam fratrum, ut anteceſſor ſuus prætitulavit, fideliter inſtituit & ambobus æternæ retributionis præmium coram DEO adquiſivit. Ipſe etiam Chriſtina Gandersheimenſi Abbatiſſa defuncta Rotſwindam Abbatiſſam ordinavit.

Anno Dominicæ Incarn. VCCCLXXXIIII. Karlomannus Rex Galliæ Nortmannos ab Haſlon per Somnam fluvium ingreſſos pecuniis tentat, incurſiones non ſuſtinens; mox avidæ gentis animi inardeſcunt, XII. milia pondera probati argenti exigunt, totidem annis pacem promittunt & marina littora repetunt. Interea Rex in venatu ab Apro vulneratus in brevi moritur; ſepultus eſt apud S. Dionyſium; ajunt autem ab invito Satellite ſuo vulneratum rem celaſſe, ne innoxius puniretur. Nortmanni protinus redeunt, Hugo Abba & Proceres per Legatos fidem violatam proclamant; Illi reſpondent, ſe cum ſolo Carlomanno fœdus pepigiſſe, tantumdem pecuniarum a Succeſſore poſcunt. Territi Optimates Imperatorem ultro invitant, venienti ad Gundfi villam manibus Sacramentiſque datis ejus ditioni ſe ſubjiciunt. Nortmanni a Somna regreſſi in regnum Lotharienſe in Louon Caſtrum utraque regna infeſtant. Imperator ſemel & iterum exercitum miſit, tamen nil memoriæ dignum contra eos actum eſt. Nortmanni, qui in Chinheim ex Denimarca venerant, Godefrido aſſentiente Rhenum aſcendunt, in Diusburh per hyemem reſident, contra quos Heinricus Dux caſtra ponens, prædas agere non permiſit; redeunte Verni tempore caſtra exurunt, maritimis locis ſe recipiunt. Marino Papa defuncto Adrianus tertius ſedit annum I. menſes IIII.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCLXXXV. Hugo ad Godefridum occulte mittens, hortatur in patriam mittere, auxilia contrahere, & ſi ejus induſtria regnum Paternum evindicaret, ipſius medietatem pro munere pollicetur, quo veluti veneno infectus, miſit Gerulfum & Cardulfum Freſonum Comites, mandans Imperatori, ſi vellet, ut in ejus fidelitate perſeveraret, fineſque regni ſibi commiſſos ab incurſione propriæ gentis defenſaret, largiretur ſibi Confluentes, Andrenacum, Sincicha & nonnullos regios fiſcos propter vini copiam, cujus Freſia ferax non eſſet, intendens ut ſuos immiſcere regni viſceribus, & varios eventus ſpeculari poſſet;

possset; si autem negaretur, justas rebellionis causas susciperet, quod sentiens Imperator, cum Heinrico viro prudentissimo pertractat, quo ingenio hostem extinguat. Legatos responso suspensos ad Godefridum remisit, asserens per suos missos responsa reddere sibi & Godefrido decentia, tantum ut in incepta fidelitate perseveraret, Willibertum Coloniæ Episcopum, ut fraus quæ struebatur occultaretur, cum Heinrico misit. Heinricus Satellitibus clam imperans, ut per Saxoniam non agmine facto, sed sparsim & quo die & loco sibi occurrerent, cum paucis Coloniam; inde cum Archiepiscopo Batuam adiit. Godefridus in Herispich occurrit, ubi Rhenus & Wal uno alveo se resolvunt & ab invicem longius recedentes Batuam cingunt; Ingressi Episcopus & Comes cum eo multa audiunt, multa ex parte Imperatoris respondent, hospicia repetunt in crastinum reversuri. Heinricus Episcopum hortatur, Gislam conjugem Godefridi extra insulam evocare, ad pacis studium provocare, ipse de causa Everhardi Comitis acturus, cujus possessiones diripiebantur a Godefrido, suasit, ut de injustitia, quam patiebatur, surgens in medio proclamaret, illoque contumeliose utpote barbaro, summo annisu in capite percuteret, antequam a terra elevari potuisset; quid plura percussus & confossus moritur, omnesque Nortmanni, qui in Batua erant, trucidantur. Hugoni quoque ad Gunolfivilla promissionibus attracto ab Heinrico oculi eruuntur, omnes faventes dehonestantur. Missus in Monasterio S. Galli, inde ad patriam revocatur, novissime sub Zuendibolcho Rege in Brumia attonsus ibidem moritur & sepelitur. Stephanus V. Sedit annos VI. dies octo. Hic Herimannum Coloniensem Archiepiscopum & Adalgarium Hammenburgensem de Bremensi Ecclesia contendentes Wormaciam ad Synodum venire, & a Fulcone Remensi Episcopo sua vice causam eorum examinari nec tamen finiri præcepit. Liutgardis Regina obiit II. Kal. Decembris, in Asscafaburh honorifice condita jacet.

Anno Dominicæ Incarn. DCCCLXXXVI. Karolus Imperator S. Hildegrimo III. Halberstadensium Episcopo defuncto Ejulfum Hersfeldensem Successorem destinavit. Hic sane Karolus III. hujus nominis Deum timens, Sanctionibus Ecclesiæ devotissime parens, elemosinis & psalmorum melodiis infatigabiliter intentus, spem & consilia sua DEO committens, regna Francorum, quæ prædecessores multa sanguinis effusione acquisierant, sine conflictu percepit. Supererat tamen puer Karolus, filius Lodevici Regis, quem moriente Patre adhuc Regina Adelheidis utero gestabat, cui regnum Galliarum jure debebatur. Vulfarius Sardensis Episcopus occisus est a Slavis cum aliis multis. Sanctus Ansbaldus Prumiensis Abbas migravit IIII. Id. Jul. Farabertus successit.

Anno Dominicæ Incarn. DCCCLXXXVII. Karolus Heinricum Ducem contra Nortmannos, qui per Sequanam Parisius applicuerant eamque obsederant, Verni temporis misit, sed tunc minime prævaluit. Denuo æstivo tempore cum exercitibus utriusque regni venit. Foderant illi foveas latitudinis unius pedis, profunditatis III. & quisquiliis & stipula operuerant, in circuitu Castrorum semitas discursui necessarias reservantes, circumstantibus Legionibus. Heinrico vero cum paucis situm loci aditumque contemplante latrunculi, qui latitabant in concavis viis, surgunt, virum telis & voce lacescunt. Ille animi magnitudine præ indignitate rei super eos irruit, cæcis foveis equo impegit, hostes advolantes antequam a loco elevaretur ducem trucidant, arma auferunt. Exercitus impetu facto vix cadaver eruit. Suessionis deportatum a suis, in Basilica Sancti Medardi sepelitur; exercitus Duce amisso ad sua revertitur. Hugo Abba etiam vir potens & prudens Aurelianis moritur, Antissiodoro ad Sanctum Germanum sepelitur: Ducatus ejus Odoni filio Rodberti ab Imperatore datur, Parisiorum tunc Comiti, qui eam contra Nortmannos totis viribus tuebatur cum Episcopo Gocelino, cui & in ipsa obsidione a sæculo migranti Haischericus Episcopus ab Imperatore substitutus est. Karolus Gallias perlustrans Parisius cum immenso exercitu venit; sed nil dignum Imperatoriæ Majestati gessit, regiones ultra Sequanam sibi non obtemperantes Nortmannis ad deprædandum concessit. Reversus in Alamanniam Liwardum Episcopum Vercellæ unicum Consiliarium suum, quod secretorum Reginæ familiarior erat, objecto adulterio reppulit, reginam quoque in contionem vocavit, ipse toto decennio carnali coïtu cum ea se non miscuisse testabatur. Illa virginitatem se approbare DEI judicio, si marito placeret aut singulari certamine, aut ignitorum vomerum examine affirmabat; factoque discidio in Andelam Monasterium Ancillarum DEI in Alsatia, quod ipsa exstruxerat, DEO famulatura recessit, in quo sepulta multis miraculis præfulget. Karolo in festum Sancti Martini Conventum generalem convocante apud Triburias, cernentes Optimates regni Corporis & animi vires sensusque ab eo diffugere, facta conspiratione ad Arnulfum filium Carlomanni certatim transeunt, ut in triduo vix aliquis remaneret Karolo, qui officia humanitatis impenderet. Ex Liupperti Archiepiscopi sumptibus cibus & potus ei ministrabantur, qui post Karolum Magnum, Majestate, potestate, divitiis, nulli Francorum Regum postponendus esset; fortunæ spectaculo in ostentationem humanæ fragilitatis factus ex Imperatore egenus, misit ad Arnulfum, subsidia vitæ suppliciter exposcens, Bernardum filium suum ex pellice illius fidei cum xeniis commendans; Erat ei fortunæ tentatio non ad purgationem, sed quod majus est ad probationem, quam patientissime toleravit in adversis, sicut in prosperis, gratiarum vota DEO persolvens. Concessit ei Arnulfus Rex nonnullos fiscos in Alamannia: ipse vero compositis in Francia feliciter rebus, in Bawariam redit. Arnulfus itaque Rex potens principabatur Bawariis, Alamannis, Francis Orientali-

talibus & post mortem Caroli Craffi Lotharingis & Saxonibus. Witgarius Episcopus Augustensis obiit, Adalbero vir nobilis & prudens successit. Apud Constantinopolim Basilius Imperator regno decessit. Leo & Alexander filii ejus regnum tenuere annis XXII.

Anno DominicæIncarn. VCCCLXXXVIII. Karolus Crassus ex Imperatore Augusto superborum abjectio factus, omnia fallentis fortunæ ludibria expertus II. Idus Januarias animam reddit, in Augia est Monasterio sepultus & regna quæ ejus ditioni paruerant, a sua compage resolvuntur, velut hærede legitimo destituta. Multos Francia Principes genuerat, qui nobilitate, fortitudine, sapientia regnis imperare possent, sed æqualitas dignitatis & generositatis discordias augebat, nemine præcellente, cui reliqui se submittere dignarentur: Italiæ pars Berengarium Everhardi Forojulanensis Ducis filium, pars Widonem Lamberti Spolitani Ducis filium coronandos decernunt, regnoque in se diviso multo utrinque sanguine fuso, Widone victore, Berengarius pulsus, Arnulfum supplex adiit patrocinia exposcens: Galliarum vero regno assentiente Arnulfo, Odo filius Rodberti Dux & Comes Parisii forma, viribus, sapientia præstantissimus, unanimi electione adeptus, contra Normannos viriliter rexit. In regno Lotharii Rodolfus Conradi filius, Ducis Hugonis Abbatis nepos, apud Sanctum Mauritium coronam sibi imposuit, quosdam Primorum & Sacerdotum secum habens, ceteros omnes in sui favorem omni arte demulcens. Ilico Arnulfo super eum cum exercitu irruente, arctis itineribus in tuta rupium loca præocupata fugit, inter Juram & Alpes Apenninas securus degens omnibus diebus vitæ suæ. Arnolfus & Zuendiboldus filius ejus hunc persequentes lædere non potuerunt, quia loca inaccessibilia sequentes acies ab ingressu prohibebant. Nortmanni Parisium diu obsidentes & inexpugnabilem sentientes ad penetrandam Burgundiam, Classem per Sequanam sursum evehere in Hionnam sunt aggressi, Civibus omni instantia prohibentibus ascensum fluminis, inaudita sæculis virtute, naves per siccum plusquam duorum millium passibus trahunt, & declinato periculo iterum Sequanæ immergunt, & relicta Sequana per Hionnam celeriter Senonis applicuerunt, quam VI. mensibus omni machinamentorum ingenio oppugnantes DEO protegente non obtinuerunt. Burgundiam tamen pene totam cæde, rapina, incendio sunt demoliti. Inter has angustias Evehardus Metropolita ad Christum migravit, Waltarius successit.

Anno Dominicæ Incarn. VCCC LXXXIX. Arnulfus defuncto Liutberto Mogontino Archiepiscopo, annuente Poppone Thuringiorum Duce, Sunzonem Fuldensem Monachum substituit. Arn-Wirceburgensis Venerabilis Episcopus, hortatu Popponis Ducis, pugnans contra Slavos occiditur, sociis omnibus per martyrium præmissis; Rodolfus nobilis, sed stultus frater Gebehardi & Conradi Comitum successit. Nortmanni a Senonis Parisium redeuntes descensu fluminis a Civibus prorsus inhibito, totis ea oppugnant viribus, sed DEI gratia non prævalent. A Sequana Matronam flumen ingressi Trecas civitatem cremant, usque Wirdunum & Tullensem urbes omnia devastant.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCC XC. Arnulfus Rex Zuendibolh Marahensium Slavorum Regi Ducatum Boemiæ concessit. Nam etiam ante regnum Regi familiaris fuerat & filium ejus de pellice a sacro fonte susceptum Zuendibolc appellari fecerat. Vnde Boëmii suæ gentis principes habere soliti fidem Francis devotissime servatam reliquerunt, & Zuendibolh de adjectione alterius regni præsumens rebellavit. Arnulfus in auxilium vocavit gentem scelestissimam Vngarorum, retro sæculis ignoratam, a Scithia, quam Tanaïs sua refusione in immensum porrigit, tunc egressam. Scithia in Orientem extensa includitur ab uno latere Ponto, ab altero Ripheis montibus, a tergo Asia & Itasi fluvio, multum in longitudine & latitudine patens: habitatoribus ejus nulli inter se fines nec domus vel tectum vel sedes, imbrium & hyemis causa coriis pro domibus utuntur, lanæ vestiumque usum nesciunt, continuis frigoribus afficiuntur, pellibus tantum ferinis & marinis induuntur, armenta & pecora semper pascunt, per incultas solitudines errantes, uxores, liberosque secum in plaustris vehunt. Nullum scelus apud eos furto gravius, nam quid eis superesset, si furari liceret? Non aurum & argentum appetunt, venationum & piscationum exercitiis inserviunt, lacte & melle vescuntur, laboribus & bellis asperi, vires corporis immensæ, ab alieno Imperio perpetuo invicti; Asiæ Imperium ter adquisierunt, non virorum magis, quam mulierum virtutes claruere. Ipsi enim Partos & Bactrianos, illæ vero Amazoniæ regna condiderunt, Darium Persarum Regem fugaverunt, Cirum cum exercitu trucidaverunt, Alexandri Magni Ducem Zophirionem deleverunt. His alendis genitale solum non sufficit, quia Septentrionalis plaga quanto ab æstu solis remotior, tanto corporibus propagandis est salubrior, e contra meridiana, quanto ferventi soli est vicinior, eo morbis abundat, minus educandis mortalibus apta. Vniversa regio Thanai tenus usque ad occiduum, licet loca singula propriis nominibus vocentur, jure tamen a germinando generali vocabulo Germania vocatur, inde turmæ innumerabiles meridianis populis pretio distrahuntur, inde frequenter transeuntes Asiam & Europam afflixerunt. Inde Hungarorum gens a finitimis sibi Pecenacis expulsa, valedicentes patriæ, primo per Pannoniorum & Avarum solitudines venatu ac spatione victum quærebant, deinde Carantanorum, Marahensium & Bulgarum fines irruperunt, paucos gladio, sagittis multa millia perimentes, quas corneis arcubus tanta arte dirigunt, ut præviderei non possint. In acie præliari & urbes expugnare nesciunt; intolerandi essent, si quantus impetus, tanta eis perseverantia esset; pugnant procurrentibus equis aut ter-

terga dantibus; sæpe fugam simulant, nec pugnare diu possunt, prælia in ardore certaminis deserunt, quem paulo post ex fuga repetunt, ut cum vicisse te putes, tunc discrimen subeundum sit. Vivunt non hominum, sed belluarum more carnibus crudis & sanguinis haustu, corda hominum, quos capiunt, particulatim dividentes pro remedio devorant: nulla miseratione flectuntur, capillum usque ad cutem ferro cædunt, super equos ire, consistere, colloqui & meditari solent; liberos ac servos suos equitare & sagittare magna industria docent. Ingenia tam viris, quam fœminis tumida, seditiosa, fraudulenta, procatia, semper in externos motus aut domesticos inquieti, natura taciti, ad faciendum quam dicendum promptiores. Ab eis non solum memoratæ regiones, sed etiam Italiæ regnum est vastatum.

Usque ad Arnulfum interpositionibus, quas clusuras vulgus nominat, separati nec ad Occidentalem plagam nec ad meridianam habuerant exeundi facultatem. his depulsis Arnulfus per Vngaros Zuendibolh vicit, cum exercitu Marahense regnum ingressus, cuncta quæ extra urbes repperit demolitus est; Cumque fructiferæ arbores radicitus exciderentur, Zuendibolh pacem poposcit, & dato filio obside sero promeruit. Arnulfus secure potitus est imperio. Vngari observato exitu & contemplati regiones, malum cordibus, quod post in propatulo claruit, machinabantur. Nortmanni a Matrona fluvio Parisium redeunt, descensu fluminis per Pontem inhibito, tertio eam obsident, Civibus qui jam bellis induruerant, audacter reluctantibus, desperatis rebus naves per terram cum sudore alveo inmergentes, Britanniam petunt. In Constantiensi territorio Castellum, quod ad Sanctum Loth dicebatur, siti subegerunt, obsessis vitam sub pacto promiserunt, egressis fide violata omnes cum Episcopo Constantiensi peremerunt. Occasionem itaque nacti, quod Alanus & Widecheil Duces de partitione regni Britonum diffidebant, super eos irruunt, nolentibus illis invicem auxilium ferre, æstimantibus bellum singulorum, non commune fore. Cæduntur igitur passim & usque ad Blavittam fluvium eorum possessio diripitur. Tunc intelligentes per discordiam sibi perniciem, hostibus vires ministrari, per internuntios se invicem confirmant, tempus & locum in unum coëundi condicunt, bellum communibus instruunt. Widecheil, qui erat adolescentior, cupiens gloriam sui nominis, non expectato Alano cum sociis prælium conserit, multis millibus hostium cæsis, reliquos in quemdam vicum compulit & improvide persequens ab ipsis extinctus est; ignarus, quia vincere est bonum, supervincere bonum non est. Periculosa est enim desperatio. Alanus coadunata omni Britannia, vovensque si per divinam virtutem vinceret, decimas bonorum omnium Brittanniæ DEO & Sancto Petro Romam destinare, tanta strage hostes prælio fudit, ut ex XV. millibus vix IIIIC. ad classem refugerent. Sancto Williberto in rebus divinis & humanis prudentissimo ab hac luce subtracto, Archiepiscopatum Coloniæ suscepit Herimannus. Constantiensem Episcopatum post Salomonem suscepit Salomon Abbas de Sancto Gallo, vir nobilis & sapiens tertius hujus nominis Pontifex ejusdem urbis.

Anno Dominicæ Incarnationis VCCCXCI. Arnulfus Rex in extremitatibus Bawariæ morabatur, insolentiam Slavorum reprimens; & Nortmannis duobus in Britannia præliis attritis prædas iterum in Lotharii regno agentibus, misit super Mosam exercitum transitum eis prohibere, sed antequam ad condictum locum juxta Trajectum colligeretur, Nortmanni superiora tenentes juxta Leodium Mosam transierunt, & hostibus a tergo relictis in silvis & paludibus Aquis Palatio contiguis dispersi obvios perimunt, plurima plaustra & vehicula, quibus alimenta exercitui ferebantur, capiunt. Exercitus hac fama in Nat. Sancti Joannis Baptistæ audita non tam tremore quam stupore occupatur, principes non tam de periculo quam de re dubia consulunt, utrum per Ribuariorum fines Coloniam, aut per Prumiam Treverim gressum dirigerent, vel certe transvadata Mosa ad classem festinarent. Concionem nox superveniens dissolvit. Illucescente aurora omnes armantur, & levatis vexillis per descensum fluminis ad pugnam procedunt, & torrente Gulia transito acies pariter substiterunt. Ne autem omnis exercitus incassum fatigaretur, placuit, ut unusquisque procerum XII. ex suis mitteret, qui in unum agmen redacti, hostes investigarent. Inter hæc apparuerunt Speculatores Nortmannorum, quos cum omnis multitudo inconsultis ducibus confuso ordine insequeretur, peditum turmas in quadam villa offendit, quæ conglobatæ sparsim supervenientes facile retrorsum pellunt, deinde perstrepentibus pharetris clamor in cœlum tollitur & equites Nortmannorum festinato advolant. Ingravato prælio Christianorum exercitus terga vertit, Sunzo Moguntinus Archiepiscopus & Arnulfus Comes occumbunt & innumera multitudo nobilium virorum VII. Kal. Julii. Nortmanni castra divitiis referta invadunt, trucidatis quos in bello ceperant, ad classem revertuntur. Rex in Bawaria his auditis pro amissis fidelibus nimium contristatur, querelam cum gemitu depromit, quod Franci eo tenus invicti adversariis terga darent. Tunc indignitatem rei animo versans, in hostem accenditur & congregato ex Orientalibus exercitu mox Rheno transmisso circa littora Mosæ castra statuit & Nortmannis ex superiori pugna elatis ad prædandum cum omni virtute progressis occurrit, qui mox super fluvium Thilia ligni & terræ congerie suo more se muniunt, cachinnis & exprobrationibus agmina lacessunt, ut memorarentur Guliæ turpisque fugæ, cædisque, post modicum similia passuri. Rex felle commotus exercitum jubet descendere, & pedestri congressione decertare, qui dicto citius equis desilientes clamore exhortationis dato præsidium inimicorum irrumpunt, DEI auxilio ad internecionem cædunt,

dunt, ut ex innumerabili multitudine vix esset residuus, qui hæc ad Classem nuntiaret. Ratispona incendio flagrat. Stella quædam apparuit miræ magnitudinis, quam multi ferunt Cometam fore. Erat enim deorsum radios magnos emittens & multis noctibus per Zodiacum ascendens visa est XII. Kal. Aprilis mediante XL. Stephano Papa defuncto Formosus sedit annos V. menses VI. Abbatiam Fuldæ consilio Regis & Optimatum Sigehart sponte dimisit & Hugo Præpositus, præsentibus Legatis Regis Thiotbaldo & Poppone, electus Ratisponæ eam a Rege suscepit Corpus Sancti Justini translatum est Corbejam; ibi Abbate Bovo mortuo, Godescalcus successit. Sub eo quidam Monacus nomine Alfricus admodum Religiosus acriter migraneam patiens capite, jussus est pro remedio in capite secari. Est autem migranea aut ex gutta aut ex vermibus; sed de die in diem dolor augebatur, ut jam desperaretur, & catu omnibus egressis solus jacens, vidit ex cloaca VII. demones teterrimos procedere; sex portabant singuli sex libros, id est omnes XXXVI. septimus immensæ magnitudinis volumen gestans sedensque gravi lectione de his quæ ab infantia cogitando, loquendo, agendo usque in ipsam horam gesserat, infirmum terrebat; Et ecce pretiosus Martyr Vitus veste fulgida indutus, vultu angelico conspicuus, ex templo Cellæ, in qua æger jacebat, contiguo ingreditur, spiritibus immundis manu fugam indicit, & stans juxta illum, seque nominans imposita capiti manu benedixit, sanum surgere jussit, demandans per eum Abbati Godescalco; Sis Commonitus, ne tot admonitiones nostras in vano accipias, si amplius mihi inobediens fueris, a Deo contemneris, teque adhuc superstite alium in sede tua dominantem videbis; quod & factum est, permanens enim negligens, suo rogatu Bovonem juniorem meliorem se sibi superpositum vidit.

Anno Domin. Incarn. VCCCXCII. Arnulfo post peractam feliciter victoriam Nortmannorum cœdem in Bavvariam reverso, mense Februario Nortmanni, qui ad naves remanserant, transita Mosa, Ribuariorum pagum ingressi, crudelitate ingenita omnia devorantes, pervenerunt Bunnam, & inde ad Landolfestorp villam; ubi occurrit eis Christianorum exercitus, sed nil dignum, quod virtuti ascribatur, egit. Nocte Nortmanni recedentes nec se ausi committere locis planioribus vel campestribus, sed semper silvas tenentes, hostes a læva, vel post tergum relinquentes, celeriter Prumiæ Monasterio irruerunt, Abbate & congregatione fuga elapsis. Nortmanni ingressi omnia depopulantur, monachis quibusdam interfectis, familia plurima trucidata, reliquis captis Arduennam intrant, aggressique Castrum in quodam monte præminenti noviter constructum, in quod vulgi innumera multitudo confugerat, expugnant, cæsisque omnibus cum ingenti præda ad classem redeunt. Arnulfus Rex Zuendibolcho filio suo est honores Comitis Meingaudi ex parte largitus; Nam mense Augusto Meingaudus Comes nepos Odonis Regis interfectus est ab Albrico & sociis ejus in Monasterio Sancti Sixti, quod vocatur Rottila; cujus corpus Treverim deportatum apud S. Maximinum est sepultum. Poppo Dux Thuringiæ dignitatibus exspoliatur: ducatus ejus Conrado commendatur, quem paulo post sponte reddidit; deinde Burchardo Comiti commissus est, qui eum strenue aliquandiu gubernavit. Farabertus abbatiam Prumiensem concessu Regis deposuit, Regino successit, qui non diu immoratus, æmulis agentibus, Richardum fratrem Comitum Geuchardi & Matfridi invidiosum successorem sustinuit. In regno Galliarum mense Julio Comes Vvaltgarius, nepos Odonis Regis, filius Adalhelmi avunculi ejus, adversus Odonem rebellionis arma levavit, & Lugdunum Clavatum ingressus omni annisu regiæ potestati contraire nititur. Rex Odo Civitatem obsidens, mox in deditionem recepit, & omnibus Primoribus adjudicantibus, qui aderant, Vvaltarium decollari jussit, eo quod in Conventu publico contra Regem & Dominum suum gladium evaginasset. Posthæc in Aquitaniam proficiscitur contra Ramnulfum & fratrem ejus Gozbertum & Ebulonem Abbatem de Sancto Dionysio & alios nonnullos, qui ejus imperiis obtemperare renuebant. Interea Francorum Principes ex maxima parte ab eo defecerunt, & agentibus Archiepiscopo Heriberto & Pippino Comitibus in Remorum civitate Carolus, filius Lodevici ex Adelheide, in regnum elevatur.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXCIII. Arnulfus e Bavvaria egressus Franconevord venit, & Rhenum transiens civitates regni Lotharii ex maxima parte circuivit, & ab Episcopis dona ingentia oblata suscepit. Hæc fuit causa Litigii Karolingorum & Teutonicorum Regum super Lotharingiæ regno; certantibus interim Odone & Karolo de Galliæ regno, Odo compositis rebus ex Aquitania in Franciam revertitur & cum Rotberto fratre Karolum fugat, defectores persequitur. Ebulo Abbas de Sancto Dionysio cum quoddam Castrum in Aquitania ardentius expugnaret, ictu lapidis occubuit. Tunc Odo Monasterium S. Dionysii ad suum servitium revocavit. Karolus vires Odonis ferre nequiens, Arnulfi patrocinia supplex exposcit. Arnulfus siquidem æstivo tempore conventum publicum in Vvormacia celebravit, ubi Karolus venit, Arnulfum multis muneribus concilians, regnum quod usurpaverat ex ejus manu percepit, jussum est etiam, ut Episcopi & Comites, qui circa Mosam residebant, illi auxilium ferrent & in sedem regiam intronizarent; sed neutrum horum quicquam ei profuit. Denique Odo Rex hæc audiens, cum exercitu super ripam Axani fluminis sedit, & copias Arnulfi intrare non permisit. Duces Regis cernentes Odonem viriliter paratum ad pugnam ab eo declinaverunt & ad propria reversi sunt. Karolus in Burgundiam secessit, & Odone Parisius revertente, rursus regni fines occupat & Odonis fideles insectatur; sicque alternatim ex

ex utraque parte multi pereunt, ingens malitia & innumerabiles rapinæ & assiduæ prædæ fiunt. Zuendibolh Rex Marahensium Slavorum, vir inter suos prudentissimus & ingenio callidissimus, diem clausit extremum. Non desunt scripta quædam, quæ de ipso testantur, quod rebellionis suæ pœnitentia ductus spreto sæculo patriam reliquerit, ac divinis obsequiis se subjiciens in cœtu Religiosorum vitæ reliquum egerit. Ludelmus venerabilis vir in Tullensi Ecclesia a Metropolitano Rathbodo ac suis suffraganeis Episcopus consecratur; Mogontinum Archiepiscopat. post Zunzonem Hatto regebat, Antecessori moribus longe dissimilis. Nam Sunzo vir religiosus ac simplex, sacris litteris in Vulda sub Abbate a puero sufficienter imbutus: Hatto autem obscuro genere natus, ingenio acutus & qui non facile discerni posset, utrum consilio pejor, an melior foret. Regnum Zuendebalchi filii ejus pauco tempore infeliciter tenuerunt, Vngaris omnia populantibus.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXCIIII. Arnulfus cum valido exercitu Langobardorum terminos intravit & circa Purificationem Sanctæ Mariæ Pergamum Castrum armis cepit, Ambrosium Comitem Civitatis ante portam in quadam arbore suspendit. Vnde tantus timor in reliquas civitates cecidit, ut nullus auderet contradicere, sed omnes obviam procederent venienti. Pervenit autem Placentiam. Inde conversus per Alpes Appenninas Galliam intravit & ad S. Mauricium venit. Rodolfum, quem quærebat, nocere non potuit, quia montana conscendens in tutis se absconderat. Sed regiones inter Jurum & Montem Jovis graviter attrivit, deinde Wormaciæ placitum tenuit, volens Zuendibolh filium suum regno Lotharii proficere, sed Optimates regni assensum non præbuerunt. Inde Lauresheim veniens Lodovvico filio Bosonis, matre illius Irmingarde interveniente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rodolfus tenebat, dedit; qui tamen eas nullomodo de manu Rodolfi tollere valuit. Rex Ildigardam filiam Lodovici Regis fratris Karlomanni & Karoli accusatam regiis possessionibus privavit & in puellarum Monasterio Cremisse exilio destinavit; sed paulo post in gratiam rediit, & sua ex majori parte recepit. Vvido, qui nomen Imperatoris in Italia tenebat, moritur; filius ejus Lambertus Romam veniens diadema Imperii sibi imponi fecit. Sinodus magna IXXVI. Episcoporum cum Abbatibus celebrata est Triburiæ, qui plurima decreta super statu Sanctæ Ecclesiæ scripto roboraverunt contra plerosque sæculares, qui auctoritatem Pontificalem imminuere tentabant, in qua Vvicbertus Hildensheimensis Episcopus multum viguit. Posthæc Arnulfus Wormaciam venit, Optimatibus ex omnibus regnis suæ ditionis occurrentibus, Conventum publicum celebravit, omnibus collaudantibus Zuendibolh regno Lotharii præfecit. Odonem Regem cum muneribus venientem honorifice suscepit. Odo impetratis, pro quibus venerat, cum reverteretur, sui mansionarii Folconem Episcopum & Adolongum Comitem a Karolo cum muneribus missos in via offenderunt. Super eos cum clamore irruunt, sarcinas diripiunt, Episcopo fuga elapso Adolongus mortaliter sauciatur, & Trigorio in villa, quæ Beltolmus dicitur, sepelitur. Zuendibolh amplificare cupiens terminos regni sui, quasi Karolo adversus Odonem laturus auxilium, cum immenso exercitu Lugdunum Clavatum obsedit, nec tamen capere potuit, quamvis multis diebus summis viribus dimicatum sit. Audiens autem Odonem cum exercitu advenire, qui per id tempus in Aquitania morabatur, cum copiis omnibus recessit, & in proprio regno se recepit.

[N. deest annus VCCCXCV.]

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXCVI. Arnulfus secundo Italiam ingressus armis Romam cum consensu Formosi Papæ capit, res retro sæculis inaudita, excepto, quod Galli Senones Brenno Duce multo ante Incarnationem Christi eam ceperant. Mater Lamberti a filio ad præsidium relicta cum suis latenter aufugit. Ingressus, multos Romanorum Principes obviam sibi properantes, ulciscendo Papæ injuriam, decollari præcepit, cujus etiam hortatu venerat, magnoque honore susceptus & ante Confessionem S. Petri coronatus Imperator efficitur. Causa simultatis inter Papam & Romanos erat, quod post mortem Stephani Papæ quædam pars eorum Sergium Ecclesiæ Romanæ diaconum, pars vero non infima natu pro religione & scripturarum scientia Papam fieri anhelabat. Cum in eo esset, ut Sergius ordinari debuisset, pars altera non sine militari tumultu & injuria Sergium ab altari expulit, Formosum Papam constituit; Sergius in Tusciam ad suffragia potentissimi Marchionis Adalberti se contulit. Imperator Arnulfus a Roma revertens paralisi gravatus diu languescit; Lambertus Rex vocatus vita decessit, & a Longobardis invitatus Lodovicus filius Bosonis de Provincia Italiam intravit. Albericus comes, qui Meingaudum Comitem occiderat, a Stephano fratre Vvalonis interficitur circa festum Sancti Andreæ.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXCVII. Dignitates ab Arnulfo perceptas Stephanus, Odacar, Gerhardus & Matfridus Comites perdunt, & Zuendibol Treverim cum exercitu veniens, terras illorum inter suos dividit, monasterium ad Horrea & Monasterium Sancti Petri, quod Metis situm est, sibi reservans. Posthæc patrem super uxore, quam desiderabat, consulens, ejus hortatu Ottonis Comiti filiam [Odam] nomine in conjugium petivit: pater puellæ gratanter eam dedit, nuptias post pascha celebravit. Imperator Vvormaciam venit. Zuendibolh ad colloquium occurrit. Interventu Imperatoris Stephanus, Gerhardus & Matfridus cum filio reconciliantur. Inter Rodolfum Vvirceburgensem Episcopum fratrem Comitum Conradi & Gebehardi & filios Heinrici Ducis Adelhardum, Adelbertum & Heinricum implacabile odium ex minimis rebus oritur, & velut ex scintilla incendium succrescens dietim dila-

dilatatur, cum de nobilitate carnis, de parentum multitudine, de magnitudine potestatis ultra, quam decet, se extollunt, in cædes plurimas ruunt, truncationes manuum ac pedum fiunt, regiones his subjectæ rapinis & incendiis vastantur. Formoso Papa defuncto Bonifacius Sextus sedit dies XV. Post hunc quoque sedit Sergius annum I. menses tres.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXCVIII. Rex Odo ægritudine pulsatus mense Januar. die mensis III. diem clausit extremum, apud S. Dionysium cum debito honore sepultus est, & principes congregati pari voluntate Carolum Regem constituunt. Zuendibolh Rex Reginarium sibi fidissimum a se reppulit, honoribus ejus & hæreditatibus interjectis, in XIIII. diebus e regno secedere jubet. Ille adjuncto sibi Odacro Comite & quibusdam aliis cum omni familia & supellectili in loco tutissimo Durfos se communivit, quem Zuendibolh cum exercitu expugnare conatus, propter paludes & nimias Mosæ refusiones non potuit. Vt ergo ab obsidione recessit, prædicti principes Karolum adeunt, in regnum cum exercitu introducunt. Zuendibolh intelligens, se circonventum, cum paucis fugit. Karolus recto itinere Niumagum perrexit. Zuendibolh cum Francone Leodicensi Episcopo & paucis suorum Mosa transita ad Floricingas venit, ubi regni Proceres illarum partium ad eum confluxerunt. Ex desperatis rebus resumpta fiducia contra æmulum proficiscitur. Karolus a Niumago Prumiam & inde adversus Zuendibolh copias transfert; pugna tamen non committitur, sed, intercurrentibus legatis, sacramentis pax firmatur. Karolus transvadata Mosa in regnum suum revertitur; Everhardus Dux, filius Meinhardi, venatum pergens a Vvaltario Fresone, filio Gerolfi, dolo trucidatur. Ducatus, quem tenuerat, Meinhardo fratri ejus ab Arnulfo committitur. Romanus Papa sedit menses III. dies XXII. Inter Lodovicum & Berengarium in Italia multa certaminum discrimina vicissim succedunt. Novissime Lodovicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, a Pontifice Romano coronatus Imperator appellatur. Post Romanum Theodorus sedit dies XX. Post hunc quoque Johannes nonus sedit ann. II. dies XV.

Anno Dominicæ Incarnat. VCCCXCIX. Rex Zuendibolh cum Arnulfi & Karoli suisque Optimatibus apud S. Goarem colloquium habuit. Aderant ex regno Arnulfi Hatto Mogontinensis Archiepisc. Conradus & Gevehardus Comites. Ex parte Karoli Parisii Haischericus Episcopus & Odacar Comes. Quid sine Regis præsentia seorsum ibi tractatum sit, postea rerum eventus luce clarius manifestavit; Zuendibol denuo cum exercitu Durfos oppugnans, nilque proficiens, Episcopis jussit Reginarium & Odacrum & socios eorum anathematizare; sed cum recusarent, minis, exprobrationibus & contumeliis utitur, & soluta obsidione quisque ad sua recessit. Magna fames homines se invicem comedere coëgit. Richarius, Reginone cedente, abbas Prumiæ statutus est. Odilbaldus sanctus Vir Trajectensis Episcopus migravit ad Christum, Ratbodus successit. Arnulfus Imperator longa ægritudine dissolutus vel, ut quidam ferunt, afflictus a minimis vermibus, quos pediculos vocant, in corpore ejus scaturientibus, ita ut nulla medicorum arte minui possent, migravit a Sæculo III. Kal. Decembris apud Huodingas, ubi & pater ejus honorifice conditus jacet. Ipse construxit Monasterium S. Emmerammi Martyris in Ratispona.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC. Proceres & Optimates, qui sub Arnulfi ditione fuerunt, in Foracheim congregati, Lodovicum ex legitimo conjugio Arnulfo genitum, Coronatum in fastigio regni sublimant. Zuendibol propter assiduas deprædationes & bella, quæ in regno fiebant, & quia cum mulieribus & ignobilibus regni negotia disponens, honestos nobilesque dejiciebat & dignitatibus spoliabat, odiosus omnibus efficitur. Certatim igitur Priores regni ejus Lodovicum introducunt, in Theodonis villa manibus datis ejus dominationi se subjiciunt. Lodovico trans Rhenum eunte, Zuendibolh coadunatis, quoscumque potuit, civitates regni circuit, incendiis & rapinis omnia devastat, arbitratus hos, qui propter inmanem ejus maliciam ab eo defecerant, inmaniora faciens ad se revocare posse. Lodovicus iterum in regnum accersitur, & a Comitibus Stephano, Gerhardo & Matfrido in prælio circa Mosam Zuendibolh interficitur Idibus Aug. Odam Vxorem ejus Gerhardus Comes conjugem duxit. Francone Leodicensi Episcopo mortuo Stephanus subrogatur vir sanctitate & scientia clarus, qui passionem Sancti Lamberti ad Herimannum Coloniæ Archiepiscopum urbanius edidit, cantum de ipso & S. Trinitate & Inventione Protomartyris Stephani dulci modulamine composuit. Biso Patherbr. Episcopus moritur, Teodericus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCI. Arnulfi morte intellecta, incursio Vngarorum ad excidium gentium ad meridiem & occasum degentium exoritur, quorum infausto auxilio Arnulfus potiebatur imperio, destructo ingenti vallo in Pannonia, quo Karolus Magnus Barbaras nationes circumcluserat, quibus Bavvariam vastantibus, Lodovicus coacto magno exercitu juxta Licum fluvium plusquam mille ex eis interfecit, protracta ad horam septimam pugna, milites ignari doli fugientes simulate Vngaros impetu validissimo persequebantur, & ecce omni ex parte prodeunt insidiæ, qui victi putabantur, victores interimunt. Rex ipse e victore victum se miratur, fitque inopinatus gravior casus. Vngari Bawariorum, Suevorum, Francorum regna percurrunt, omnia vastant & incendunt, Langobardiam quoque ingressi, cædibus incendia miscent; cumque incolæ terræ conglobati resistere conarentur, plurimi Episcopi & Comites cum innumerabili hominum multitudine sagittarum ictibus trucidantur. Lintwardus Vercellensis Episcopus assumptis thesauris, quibus supramodum abundabat, fugiens

fugiens incidit super eos, moxque interficitur, & opes, quæ secum ferebantur, multæ & incomparabiles diripiuntur. Stephanus Comes frater Vualonis, qui Albericum Comitem peremerat, in secessu nocturnis horis residens a quodam, per fenestram cubiculi, sagitta toxitata graviter vulneratus, eadem nocte extinguitur. Benedictus Papa quartus hujus nominis sedit annos III. menses II.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCII. Vngarii Charentaniam invadunt & commisso in Sabbato Paschæ prælio occiduntur. Sarraceni ex Affrica a Rege suo missi in Italiam sub ditionem illius Apuliam & Calabriam fortiter redegerunt & Romam versus girantes, Galerianum montem sibi muniunt, unde multas Italiæ Vrbes debellant. Ostensa sunt hoc anno portenta, stellæ velut pluviæ per maximam noctis partem cadentes, Rhenus & multi Saxoniæ fluvii, ut testantur navigantes, & molendini, naturalem cursum in ipsa nocte, hoc est V. Kalend. Octobris, non habuerunt. His temporibus Adalbertus magnus Heros, cujus pater Heinricus Dux mater Baba dicebatur, idemque filius sororis Heinrici postea Regis, nepos vero Ottonis Saxonum Ducis, cum fratribus suis contra Conradum patrem Conradi postea Regis, totum Lodovici regnum inimicitiis turbabat, nec ante illum ullus Regum quiverat tam ingens bellum inter eminentes viros ortum sedare. Adalbertus, Adalardus fratres & Heinricus ex castro Babenberch adversus Conradum & Gebehardum ad pugnam processerunt. Illi viriliter impetu excepto ferro aciem irrumpunt, obvios prosternunt, tandem ad fugam agmen compellunt. Heinricus interfectus est, Adalardus captus & post modicum jussu Gebehardi interfectus. Eberhardus confossus vulneribus cecidit, inter cadavera occisorum inventus domum reportatur & in brevi moritur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCIII. Adalbertus Rodolfum Episcopum de Wirceburgensi Ecclesia fugat, possessiones Ecclesiæ crudeliter depopulatur, Everhardi filios sicut & patrem hæreditatibus & regiis honoribus expulsos ultra Spetitheshart secedere cogit. Cumque & Lodovico Regi rebellis esset, quanquam procul etiam a Castello præparavit venienti bellum. Regis enim milites præeuntes pugnæ præludio eum elicere & interficere proposuerant, sed ipse hujus præludii non ignarus, immo deviatus tam longe a Castro processerat, ut milites eum adversarium esse non cognoscerent, quousque mucrone in eorum cervices desæviret. In regno Karoli Baldevinus Comes Atrabatis, idest, abbatiam Sancti Vedasti nullo sibi concedente invaserat, quam Karolus ei auferens, Folconi Remorum Episcopo in beneficium largitus est, ad quem Baldevinus Comes Vuinimarum Satellitem suum misit, obsecrans, ne honores, quos hactenus possederat, cupiditate ductus sibi usurparet, ingentia etiam dona pollicens, si ejus interventu præfatam possessionem obtinere posset. Sed cum Episcopus amarius, quam oportebat, responderet, ille furore nimio succensus ab eo divertit in silvam cum sociis. Cumque Episcopus a Compendio palatio a Rege rediret, irruens super eum trucidavit; Cui Hireneus succedens cum multis Episcopis Vuinemarum perpetuo anathemate ob inauditum scelus condemnavit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCIIII. Leo Papa sedit dies XL. Christophorus Papa sedit menses VII. Sergius III. Papa sedit annos VII. dies XVI. Intelligi forsitan licet hunc fuisse, de quo exstant scripta veracia, quod post Formosi Papæ & Arnulfi Regis finem expulso eo, cui Formosi successio convenerat per Adalbertum Tusciæ Marchionem Papa constitutus sit: Sive iste sive alius ante istum tali modo sublimatus, Formosum sepulcro extractum in sede ac veste Romani Pontificii decollari fecit, dicens; Cum Portuensis esses, cur ambitionis Spiritu Sedem Romanam usurpasti? Exutum sacris vestibus, abscisis tribus digitis, in Tiberim jactari præcepit, quos ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit. Quantæ autem autoritatis & religionis Formosus fuerit, intelligi licet, quia cum a Piscatoribus inventus & ad B. Petri Ecclesiam deportatus esset, Sanctorum quædam imagines se inclinantes hunc in loculo positum venerabiliter salutaverunt, quod religiosissimi Vrbis Romanæ testati sunt.

Anno Dominicæ Incarn. IXC V. Lodovicus Imperator dictus, filius Bosonis, Italiæ Regnum, expulso Berengario, obtinens & nullum resistere posse, vel audere videns, de securitate præsumpsit, quæ pacis & quietis sunt cogitare cœpit, absoluto exercitu cum perpaucis Veronam, adhortante Adalhardo ipsius Episcopo, intravit, quod Cives Berengario in Bavvaria exulanti summa festinatione notum fecerunt: Ille nil moratus contractis copiis, Veronam venit, & qui parti ejus favebant, portas aperuerunt; Nocturno tempore intra muros receptus inprovidum virum dolo cepit, luminibusque privavit, & regnum Italiæ multis cædibus cruentatum infortunatis præliis diu quæsitum hujusmodi triumpho obtinuit. Mense Majo Cometes Stella apparuit, & in mense Augusto hæc mutatio regni facta est.

Anno Dominicæ Incarn. IXCVI. Conradus postea Rex missus a Patre Conrado cum manu magna insuper exercitu alio sibi associato de Lotharii regno irruere super Gerhardum & Matfridum fratres Comites, eo quod honores suos & fratris sui Gebehardi, videlicet possessionem S. Maximini & S. Mariæ ad Horrea invasissent, pervenerunt usque in pagum Blesiacum, ipsorum Satellitumque eorum possessiones rapinis & incendiis populantes, Gerhardus & Matfridus a Castro, in quo se munierant, Legationem mittentes pacem petierunt, qua concessa, datis ex utraque parte sacramentis, usque in octavas Paschæ ad propria discesserunt. Conradus senior interea in Frideslar Hessiæ cum manu peditum & equitum, Gevehardus vero in Vvedria cum omnibus, quos sibi associare poterat, Adalberti repentinam præstolabantur

irru-

irruptionem. Nec eos fefellit per omnia rerum eventus; Adalbertus enim viribus adversariorum in tribus partibus divisis diu expectatum tempus advenisse gaudens, cum sociis arma corripit, simulans copias contra Gebehardum transferre, ut & illum bello terreret & fratrem ejus securiorem redderet; Deinde quanta potuit celeritate aciem adversus Conradum direxit, qui licet sero cognosceret, in tribus ei turmis incunctanter occurrit, & commissa pugna duæ turmæ, una peditum, altera Saxonum terga verterunt, quos cum Conradus clamore ingenti hortaretur, ne hostibus cederent, sed pro suorum salute & defensione patriæ certarent, cum tertia turma animatis sociis in hostes irruit primoque impetu multis vulneribus confossus extinctus est. Adalbertus victor innumeram fugientium multitudinem gladio prostravit, regionem toto triduo perlustrans cædibus & rapinis demolitus est, & oneratis ingenti præda sociis Babenberh reversus est. Peracta est hæc cades III. Kal. Martii. Lodovicus Rex mense Julio Triburiæ generali Conventui Adalbertum adesse mandavit, ut in præsentia Optimatum Regni pro se rationem redderet, pacis conditionem prius exosam susciperet, & a violentia sero quiesceret. Cernens obduratum ejus animum, in castro Terassa eum obsedit. Egeno Adalberti Comes individuus a societate defecit cum omnibus suis ad Regis castra processit; protracta paulo prolixius obsidione Adalbertus animo fractus omni ingenio excogitare cæpit, qualiter obsidione soluta dolos, quos pectore volvebat, longe lateque effundere posset. Portis apertis cum perpaucis ultro se Regi obtulit, veniam de commissis poscens, emendationem promittens; sed a suis fraude, quæ struebatur, prodita custodiæ mancipatur, & in præsentia totius exercitus vinctis manibus adductus, omnibus adjudicantibus sententiam capitalem suscepit V. Id. Septemb. licet alii codices hanc necis ejus rationem huic satis contrariam reddant. Cum septennio ferme Adalbertus heros rebellionem exerceret, sciens Lodovicus tergiversatione quadam oportere fortitudinem ejus vinci, Hattonem Mogontinum Archiepiscopum consuluit. Et ille, ego te securum, ait, meis sollicitudinibus reddam; ego, ut ad te veniat, providebo; tu, ne redeat, curato. Hatto animi confidentia, qua nonnullas res ex infortunio secundas fecerat, Adalbertum alloquens in dolo suasit ei, cum Rege pacem facturum, aut incolumem suo loco restituturum; Adalberto consentiente rogatus, ut dignaretur prandere, negavit. Vrbemque egressi sunt, Episcopo Adalberti dexteram tenente; Dehinc Episcopus fertur clamasse: Proh! quam sæpe petit, qui oblata spernit, tædet me viæ & horæ jejunii, toto die non possumus ambulare. Adalbertus ejus genibus inclinatur. Pontifex rogatus, ut prandeat, cum eo revertitur, deputans se liberatum a vinculo juramenti, quod incolumem illum restituisset loco suo. Post hæc cum Pontifice exiens, Regi præsentatur, habito judicio decollatur in Tatissa suo Castello. Possessiones ejus in fiscum redactæ dono Regis nobilioribus distribuuntur. Rex in Orientali Francia rebus compositis Mediomatrico venit, ubi Gerhardum & Matfridum proscriptione damnavit. Inde Strasburh adiit, Episcopum & plebem inter se dissidentes ad concordiam revocavit & Rheno transmisso in Alamanniam perrexit, Baltramnus Strazburgensis Episcopus & Ludelmus Tullensis migraverunt a seculo: Otbertus Baltramno, Drogo Ludelmo successerunt. Vngari a Marahis cæduntur: Beringer, Reinold & Gerhard germani fratres occiduntur. Eodem anno Hungari fines Saxoniæ VIII. Kal. Julii depopulati sunt, multosque interfecerunt, mulierum quoque turbam innumerabilem nobilium liberalium & ancillarum nudam & per crines catervatim veluti loris per capita connexam & mamillis perforatam cum puerulis secum captivam abduxerunt.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC VII. Liutbaldus Dux Bawariæ ab Vngaris est in prælio occisus & Bawarii multa cœde sunt prostrati, Arnulfus Luitbaldi filius in Ducatu successit vir animo & corpore spectabilis, qui omnes Episcopatus Bawariæ sua manu distribuere solus omnium Bawariæ Ducum singularem accepit potestatem. His temporibus clarebat in Saxonia Otto filius Liudolfi Ducis, frater Brunonis Ducis, ab hoc regalis propago Heinrici processit, quem ei Hathwiga genuit, qui potestate libera primus in Saxonia regnavit. Cui cum essent & alii filii Thanemarus & Liudolfus, ante patrem suum obierunt, qui cum de prædii partitione tractarent, quo pater eorum Gandersheimensem Ecclesiam indotaverat, prædium videlicet XI. millium mansorum abscindere conati sunt, quos ad cor nequiens Heinricus revocare, maluit Ecclesiæ suam portionem contradere, quam excommunicationi cum ipsis subjacere; de reliquis bonis nullam sortitus est communionem, immo tanquam infortunatus exheredari patienter sustinuit: Et ecce fratribus defunctis tota hæreditas in ipsum jam Ducem derivatur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC IIX. Burchardus Dux Thuringorum cum aliis multis occisus est ab Vngariis. Otto Saxoniæ Dux perpendens Heinrici prudentiam assignavit ei exercitum adversus Dalmantiam, quam Teutonici, Deleminci, Slavi aut Glomaci appellant; trahit nomen a fonte nomine Glomaci, qui est miliaribus duobus ab Albia, paludem faciens, quem incolæ plusquam Ecclesias venerantur & timent. Cum enim aqua refertus est, pacem bonam futuram fructumque tritici, avenæ & glandium sine dubio pollicetur; quando belli tempestas imminet, sanguine & cinere indicium præmonstrant. Inde Provincia ab Albia usque in Caminizi Glomaci vocatur. Non longe ab hoc amne Arn Wirceburgensium nonus Episcopus in pago Cutizi est passus. Nam, ut superiora repetam, sub Arnulfo Rege ab expeditione Bohemica reversus & juxta plateam in parte Septentrionali fixo super collem tentoroi

torio Missam canens, vallatus ab hostibus, præmissis omnibus per martyrium sociis cum oblationibus consecratis obtulit se ipsum DEO, ubi sæpe accensa videntur luminaria; & sanctos DEI Martyres hos esse, nec Slavi dubitant. Is unam in Wirceburh Ecclesiam, in Episcopatu vero novem per X. annos fecit, quarum maximam cum benediceret & Sancti Kiliani reliquiæ cum circumferrentur, Dominus per eum LXX. operatus est miracula. Heinricus prædicta Provincia vastata & incensa victor ad patrem rediit, qui conduxerunt adversus eum Avares, qui multa strage in Saxonia facta cum infinita præda Dalmantiam reversi, obvium invenerunt alium exercitum Vngarorum, qui conminati sunt bellum inferre amicis eorum, quod auxilia eorum sprevissent, dum hos ad tantam prædam duxissent, unde factum est, ut secundo vastaretur Saxonia, & dum prior exercitus secundum expectaret in Dalmantia, in tantam penuriæ pervenit miseriam, ut aliis nationibus eo anno relicto proprio solo pro annona serviret.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC IX. Leo Imperator Constantinopolitanus obiit. Adalgario Bremensi Archiepiscopo mortuo Hoierus succedit. Rex Lodovicus Luitgardam Saxonem sororem Brunonis & magni Ducis Ottonis accepit uxorem, sine liberis tamen decessit. Vngari Alamanniam sunt aggressi.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC X. Lodovicus pugnavit contra Vngaros in confinio Bawariæ & Franciæ & Franci miserabiliter aut victi sunt vel fugati, in quo prælio Gebehardus Comes interiit, relictis duobus filiis Vdone & Hermanno, qui postea clari & nobiles in Francia extiterunt. Hic Lodovicus juxta quosdam Karolorum ultimus in Teutonico regno imperantium, juxta quosdam vero Conradus, qui post hunc regnavit ultimus, computatur, a quibus & Pater hujus Conradus ab Adelberto interfectus, frater hujus Lodovici fuisse æstimatur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XI. Defuncto Rege Lodovico cum non esset ei filius, omnis Saxonum & Francorum populus quærebat Ottoni Duci diadema regni imponere; sed ipse quasi jam gravior annis onus Imperii recusavit; tamen ejus consilio supra memoratus Conradus quondam Dux Francorum unctus est in regnum: penes Ottonem tamen summum semper & ubique vigebat Imperium. Sub hoc Conrado potentissimi Principes erant, Arnoldus in Bawaria, Burchardus in Suevia, Eberhardus Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia: inter quos Heinricus Saxonum & Thuringorum Dux præpotens clarebat, qui juvenili deceptus amore Hattevigham uxorem accepit, quamvis velatam viduam esse sciret. Hæc erat filia Erwini Senioris, qui civitatis Aldenburg maximam partem tenuerat, & filium non habens geminis filiabus, magnam hæreditatem moriens reliquit, ob pulcritudinem & hæreditates amata, multorum consiliis cedit. Nuptiis peractis Heinricus cum ipsa Mersburg venit tam illustris ex familiaritate habitus, ut universi partium illarum illustres ut amicum diligerent & ut Dominum honorarent. Postquam Sigismundus Halberstadensis Episcopus illicitum connubium audivit, zelo DEI fervens, per bannum & Apostolicam auctoritatem conmixtionem interdicens, ambos ad Synodum vocavit; Heinricus rumore turbatus ad Regem Conradum properans, quæ voluit impetravit. Nam Legato ad Episcopum misso, ut vinclum solveret & rem ad suam præsentiam deferret, effecit; sed nato demum filio Tammone vel Tancmaro ab Hathevigæ amore destitit, & cujusdam virginis Mathildis nomine amore secreto flagrans, se injusto connubio professus est. Mathildis Widekini egregii Ducis stirpe processerat; Pater ejus nomine Theodericus in Occidentali regione Comes gloriosus, mater ejus Reinildis Danorum & Fresonum germine procreata erat, quorum filiam mater Theoderici Mathildis, Herivordinensis tunc Abbatissa, suscepit nutriendam, ut doceret sacras lectiones & manuum operationes. Illuc ergo præcepto Ducis Ottonis Thietmarus Comes accelerans adminiculo matronarum eidem puellæ jussu Abbatissæ servientium cubiculo clam se inferens, perspexit formam Virginis & caute consideratis omnibus, quæ desiderabat, Domino suo reportavit hilaris, quæ viderat. Missi ergo ab Ottone cum Heinrico Thietmarus ac juvenes non pauci genere & specie elegantes castra metantur in campo; pauci quasi causa orationis ingressi viderunt virginem sedentem psalterium manutenentem, honestissimam habitu, reverendam vultu. Heinricus amore succensus in castra rediit & cum multo comitatu oratorium ornatus denuo intravit. Susceptus ab Abbatissa postulavit prece instanti Virginem sibi despondi, quæ cum diu in responso hæsitaret, & adolescens in petitione perseveraret, dignum est, ait, ut integra fide restituatur his, ex quibus est nobis commendata; quin & versat dubio, si eam alterius viri decreverit talamo, nam eam desiderabant plures genere & forma illustres, tamen si DEI aderit voluntas nostra de parte non tardamus nuptias pro excellentia vestri generis & id non est minima pars fœderis, quod iter ad ipsam direxistis. Haud mora paratis ornamentis, quæ congrua erant desponsationi virginis, sequenti die Heinricus secum duxit Virginem in partes Saxoniæ. Circumducebatur ergo per civitates Ottonis Ducis a Comite Thietmaro donec in Valehuse nuptiæ præpararentur. Connubio confirmato Heinricus, consentiente patre, tradidit nuptæ in dotem omne quod attinet ad eandem civitatem; ipse quoque Otto tribus, quos supervixit, annis eam invicem filiæ enutrivit. Heinricus autem tantam humilitatem exhibebat substitutis, ut ei si fieri posset regale solium etiam exoptarent.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XII. Conrado Regi supradicti principes rebellaverunt. Karolus jam tandem Occidentalium Rex regnum etiam Lothariense recepit. Vngri iterum nullo sibi resistente Franciam & Thuringiam

giam vastaverunt & Cometæ apparuerunt. Oda mater Ottonis Saxonum Ducis obiit anno CVII. vitæ suæ.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XIII. Vngari partes Alamanniæ vastaverunt, & juxta Ein fluvium a Bawariis & Alamannis sunt occisi. Hyems magna nimis. Karolus cum jam totum colligeret regnum, cœpit quemdam Haganonem ex mediocribus extollere & supra omnes principes diligere, adeo ut magnatibus procul absistentibus, ipse regio lateri solus hæreret, multaque regii juris ad suum jus retorqueret; Vnde primates indignati, cum eum nullatenus possent ab illius dilectione avertere, quærebant illum de regno abjicere. Einhardus Episcopus Spirensis a Werinhario & Conrado Comitibus excæcatus est. Otbertus Strazburgensis Episcopus occiditur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XIV. Otto magnificus Saxonum Dux vita discessit. Rex vero Conradus Henrici virtutem sæpe expertus, veritus est ei tradere omnem potestatem patris; ficte tamen pro laude Optimi Ducis multa locutus, majora promisit. Saxones vero suadebant duci suo, ut si eum paterno honore sponte Rex non honoraret, invito eo quæ vellet obtinere posset. Rex videns vultum Saxonum erga se solito austeriorem, nec posse publico bello Heinricum conterere, suppeditante illi exercitus multitudine egit, ut dolo interficeretur, habens huic negotio, ut fertur, idoneum supradictum Hattonem Archiepiscopum Mogontinum; hic Ducem aggressus dolo, fecit ei fabricari torquem auream, & ad Convivium invitavit. Considerandi autem operis gratia ingressus ad aurificem & visa torque ingemuisse fertur. Gemitus causam cum Aurifex requisisset, respondit: quia optimi sibique carissimi viri Heinrici Ducis sanguine torques illa deberet intingi. Aurifex audita silentio texit, opere perfecto & reddito missionem accepit, obviamque Duci eunti ad illa negotia, indicavit, quæ audivit, qui vehementer iratus, Legato Pontificis, qui aderat invitandi eum gratia, ait; Vade, dic Hattoni, quia durius collum non gerit Heinricus, quam Adelbertus, & quia melius rati sumus domi sedere ac de ejus servitio tractare, quam Comitatus nostri multitudine eum gravare. Mox omnia quæ juris ipsius erant in omni Saxonia vel Thuringia occupavit, Burchardum & Bardonem, quorum alter Regis gener erat, afflixit, ut terra cederent, eorumque possessiones militibus suis ipse divideret. Hatto vero calliditatibus suis finem videns impositum, tristitia & morbo confectus, interiit. Baudo Papa sedit menses VI. Salomon Constantiensis Episcopus prius Abbas.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XV. Rex Conradus fratrem suum misit ad vastandam Saxoniam, qui appropians urbi Heresburg superbe locutus dicitur, nihil ei majoris curæ esse, quam quod Saxones pro muris se ostendere non auderent, & ecce Saxones occurrerunt ei milliario uno ab urbe, & inito certamine tanta cæde Franci mulctati sunt, ut a Mimis clamaretur; ubi tantus ille infernus esset, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Eberhardus liberatus est a timore absentiæ Saxonum; nam eos præsentes vidit, & ab ipsis, turpiter fugatus discessit. Audiens Rex Conradus a Fratre male pugnatum, cum omni virtute Francorum perrexit ad requirendum Heinricum, quo comperto in Gruona, temptavit oppugnare præsidium, cumque pro spontanea deditione misisset, amicum se non hostem pollicens, intervenit. Thietmarus Comes, vir disciplinæ militaris peritissimus, qui calliditate ingenii multos mortales superaverat, & præsentibus legatis Regis, interrogavit Ducem; ubi vellet exercitum Castra metari. Ille jam Francis cedere persuasus, credens de exercitu ita esse, de numero Legionum interrogavit, quo respondente, ad XXX. Legiones se producere posse, ficte autem loquebatur, cum quinque enim tantum viris venerat; delusi legati ad Regem regressi sunt. Vicit illos calliditate Dietmarus, quos Heinricus ferro vincere non posset. Nam ante lucanum relictis Castris Franci unusquisque rediit in sua. Vngari totam Alamanniam gladio & igne vastaverunt, totamque Thuringiam & Saxoniam pervaserunt, & usque ad Fuldam pervenerunt. Circa hæc tempora secundum quemdam Gallicum Scriptorem, Karolus in Saxoniam secessit, urbes sedesque regias perlustrans, nullo resistente obtinuit. Heinricum regio genere inclitum ac inde oriundum, omnibus donavit. Joannes X. sedit annos XIII. menses II. dies III. Hoïerus Bremensis Episcopus obiit, cui Reinwardus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XVI. Reinwardo Bremensi Archiepiscopo defuncto Vnni successit. Hac tempestate Raginerus Princeps nobilis partium Karoli fidissimus Tutor, finem vitæ accepit, cujus exequiis Karolus interfuit. Gisilberto filio ejus jam adulto paternum honorem coram principibus, qui confluxerant, liberaliter contulit: hic opibus inclitus, temeritate princeps, pro abjectione Karoli multa moliebatur. Karolus a Celtica est egressus contra Belgas, quorum Dux erat Gisilbertus. Belgæ non ausi resistere, oppidis & municipiis se includunt. Rege promittente eis se omnia daturum, quæ a Gisilberto prius in beneficium habuerant, per Sacramenta ad eum redeunt, & contra Gisilbertum pariter surgunt. Illo in Oppido Harburg, quod hinc Mosa & inde Gullo fluviis vallatur, alias autem immani hiatu multoque horrore veprium tutissimum videbatur, clauso; Rex cum copiis properat obsidionem, locat hinc & inde navalem, alias vero equestrem. Gisilbertus clam per murum elapsus fluvium natando transmeavit, & cum duobus clientibus Rhenum transiens, apud Heinricum in Saxonia annis aliquot, patrimonio privatus exulavit. Post hæc Heinricus egit apud Regem, ut Gisilbertus reciperetur in gratiam, ea tamen conditione, ut beneficiis, quæ ipse insolenter diduxerat, quæque Rex faventibus sibi postea contulerat, quandiu possessores eorum

Q vive-

viverent, careret; ea vero quorum possessores per annos exilii sui excesserant, Regis miseratione reciperet. Recepit itaque Trajectum, Vippilam, Harstallium, Marmam, Lutam, Capremontem, quæ a defunctis derelictæ vacabant, ceteros qui sua habebant, ingenti cæde vexabat, donec omnia sua reciperet. Postea multa contra Regem machinans, Heinricum socerum postmodum suum adiit, Regi adhærere plurimum dissuasit, asserens Celticam solam ei sufficere, Belgicam vero & Germaniam Rege alio plurimum indigere, unde ut ipse Rex creari non abnueret, multiplici permovebat suasione. Heinricus cum illicita eum suadere adverteret, admodum restitit, & ut a nefariis quiesceret, crebro admonuit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XVII. Arnoldus Dux Bawariorum Regi Conrado rebellans terrore ipsius cum uxore ac filiis ad Vngarios fugit, ubi usque ad obitum Conradi permansit. Burchardus Dux constituitur. Karolus Galliarum urbibus firmiter obtentis cum Pascalis solemnitas inmineret, Aquisgrani palatio se recepit. Ex omni Gallia Principes confluunt, mediocres etiam multo favore conveniunt; Adsunt etiam Duces ex Saxonia Heinricus, ex Gallia Ruotpertus, quotidie secus fores regii cubiculi manent, egressum Regis a penetralibus aulæ præstolantes. Cum nullum responsum per dies quatuor daretur, Heinricus molestissime ferens dixisse fertur, aut Haganonem cum Karolo regnaturum, aut Karolum cum Haganone ad rerum mediocritatem deventurum, indignansque Rege inconsulto discessit. Quod Rex moleste ferens, eum revocare cupiebat per Metropolitanum Remensem Hireneum, cujus luculenta & amica oratione persuasus ad Regem rediit, multoque ambitionis honore ante eum admissus, in præcipuæ gratiæ loco familiarissime recipitur. Vngari in Alamanniam per Alsatiam & usque ad fines Lothariensis regni perveniunt, Ercanger Dux & Bertoltus fratres & Liutfridus capite plectuntur XII. Kal. Febr.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XVIII. Conradus Rex Nat. S. Joan. Baptistæ Herolvesfeld celebravit. Paucis quos regnavit annis, multis laboribus a Bawariis & Alamannis & Saxonibus sibi rebellantibus est fatigatus, quos ante obitum suum Deo propitio superavit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCXIX. Rex Conradus profectus in Bavvariam dimicavit cum Arnoldo, & ibi, ut quidam tradunt, vulneratus in patriam rediit, cumque se morbo sentiret laborare pariter cum defectione, vocans fratrem, qui eum visitandi gratia adierat, alloquitur: sentio, inquit, frater, diutius me istam vitam tenere non posse, ipso qui me creavit ita impeperante, graviq; morbo id cogente, quapropter considerationem tui habeto, & quod ad te maxime respicit Francor. regno consulito meo, fratris tui attendendo consilio. Sunt nobis, frater, copiæ exercitum congregandi, sunt urbes & arma cum regalibus insigniis & omne quod decus regium deposcit præter fortunam atque mores. Frater, fortuna cum nobilissimis moribus Heinrico cedit, rerum publicarum penes Saxones summa est. Sumptis igitur his insignibus lancea sacra, armillis aureis & clamide & veterum gladio regum ac diademate, ito ad Heinricum & facito pacem cum eo perpetuam, ut eum fœderatum possis habere. Quid est necesse, ut cadat populus Francorum tecum coram eo. Ipse enim vere Rex erit, & Imperator populorum multorum. His dictis lacrimans frater, se consentire respondit. Moritur itaq; Conradus Rex, vir fortis & potens, domi & militia optimus, largitate serenus, omnium virtutum insigniis clarus: adeo studuit publicæ utilitati, ut hanc quoque in hoste, quæ tamen rara virtus est, comprobaret. Sepultus est in civitate sua Vvilinaburh cum mœrore & lacrymis omnium Francorum.

Prænotato anno IXC XIX. ab urbe condita MVCLXXI. Heinricus I. hujus nominis cœpit potestate libera, primus de Saxonum natione regnare ab Augusto loco LXXV. & summa Regni Teutonici, quæ Francorum eatenus fuerat, ad Saxones transivit, seu pacis an belli occasione fieret, incertum est, Dei tamen ordinatione gestum esse, non est fas dubitari. In vita denique Sancti Odalrici Augustensis Episcopi, quem ad Pontificale decus Heinricus postmodum sustulit, ubi legitur Christi Martyrem Affram dilecto suo Præsuli multa in visu ostendisse, inter quæ & duos enses, unum cum capulo, alterum sine eo, opinati sunt nonnulli, ensem sine capulo Heinricum Regem consecrationis expertem demonstrasse; quidam vero ad Arnoldum Bavvariæ Ducem id referunt, qui eodem tempore ab Vngaria cum uxore ac filiis rediens, non solum honorifice a Bavvariis susceptus, sed etiam ut Rex fieret, est vehementer exoratus: Super cujus denotatione sine Capulo gladium ostensum putant, qui Rex fieri frustra cupiens, invasor regni extitit, & pro hac ambitione destructis Ecclesiis, earum reditus militibus suis in beneficium concessit.

Igitur Everhardus frater Conradi Regis peractis Regis exequiis in Vvilineburg, Heinricum adiit, seque cum omnibus Tesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter & familiariter usque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus & natu majoribus exercitus Francorum & concione in Fridesler celeriter posita, Heinricum coronaverunt & credita sibi regni insignia sub Christi & Ecclesiæ testimonio jam Regi & Domino suo non sine lacrymis commendaverunt, qui primo, ut decuit, divinæ pietatis munus, postea tantæ caritatis universalem affectum humili devotione suscipiens Deo gratias egit, seque ad hæc atque omnia quæ communi expetissent consilio assensurum promisit. Exhibitam sibi more priorum ab Herigero Mogontino Archiepiscopo Episcopalis unctionis benedictionem nec desideravit, nec suscipere voluit; sed se ad hoc prorsus indignum affirmavit. Satis, inquiens, mihi est, ut præ Majoribus meis Rex dicar & designer, divina annuente gratia & vestra pietate; penes meliores, nobis vero unctio ac diade-

diadema fit, tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit sermo coram universa multitudine, & dextris in cœlum levatis nomen novi Regis cum clamore valido frequentabant. Ita Heinricus, cognomento Auceps, communi consensu Francorum, Alamannorum, Bawariorum & Saxonum electus sæculari dignitati Dei cultum prætulit, inopum & viduarum fautor mœstorumque consolator, initium Regni sui disciplina servandæ pacis inchoavit. Unde & nullam operam dedit, ut effugatis ab Italia Tyrannis, qui quasi conductitii mercenarii, alter alteri succedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem Imperialem percipere posset. Regni I. anno abiit ad pugnandum contra Burchardum Alamanniæ Ducem, qui licet esset bellator intolerabilis, sentiens tamen, cum valde prudens esset, congressionem Regis se sustinere non posse, tradidit ei se ipsum cum universis urbibus & populo suo.

Anno Dominicæ Incarn. IXCXX. Heinricus cum inter Regni Principes sibi obtemperantes Arnoldum solum resistere cerneret cum exercitu prævalido in Bawariam tendens eum juxta quosdam in præsidio urbis Ratisponæ obsedit, qui Regi se resistere non posse perpendens, egressus, tradidit se cum regno suo & honorifice susceptus amicus Regis appellatus est. Asserunt quidam, quod non passus sit Arnoldus præstolari adventum Regis in Bawaria, sed obviam processerit ad pugnam, cumque in eo esset, ut pugnam inire deberent, Heinricus, ut vir sapiens Deumque timens, cogitans ex utraque parte damnum inreparabile posse accidere, Arnoldo, ut solus loquatur cum solo denuntiat, qui putans se acciri ad singulare certamen ad condictum solus pervenit; quem Heinricus, ut erat vir prudens animo & potens eloquio potenti sermone alloquitur, increpans, cur Dei ordinationi resisteret, cum se ab omni populo electum sciret, quod nisi Deo disponente non fieret, affirmans, quia si populus æque illum communiter eligeret, se primum fore, qui in ejus electione acclamaret, sicque copioso dicendi genere animum ejus demulcens ad suos rediit. Arnoldus rediens ad suos indicavit eis Heinrici sermones, qui dixerunt, verum esse quod audisset; nam Sapientiam per Salomonem dixisse: per me Reges regnant & prudentes justitiam decernunt. Neque enim in Heinrici electione totius populi animum potuisse fieri unum, nisi hunc a Deo constaret esse electum; Unde sibi æquum & bonum videri, ut a ceteris non dissentiens, hunc Regem eligeret, ea tamen conditione, si hoc sibi, quod decessores ejus non habuerant, concederet, scilicet ut totius Bawariæ Pontifices suæ potestati subjacerent, unoque defuncto alterum sibi ordinare liceret. Connivens igitur huic suorum consilio miles Heinrici efficitur, & ab eo, ut dictum est, concessis sibi totius Bavvariæ Pontificiis honoratur.

Anno Dominicæ Incarn. IXC XXI. Heinrico partes regni per Germaniam, Saxoniam industria procurante, apud superiorem Franciam graves & intestinæ discordiæ feruebant, Gisilberto agente & pro abjectione Karoli multa moliente. Erat & contentio ipsi Heinrico cum Karolo propter regnum Lotharii, quod situm est inter Mosam & Rhenum, qui Karolus & Odo Antecessor ejus ab Arnulfo id susceperant, quod Heinricus, qui regnum Arnulfi possideret, jure successionis a Karolo exigendum judicabat. Interea vero assiduis ejus profectibus augebat etiam Dei gratia honorem dignitatis, cooperante Mathilde Regina in omni opere bono, moribus quoque & vita. In publico quidem procedebat ornata gemmis & serico, gestans tamen interius pretiosius ornamentum cor scilicet maternum in subditos, tamque humilis & in fœdere conjugii tam pudica manebat, ut omnibus esset amori pariter & honori. Noctis tempore se a latere Regis subtrahens, derelicto thalamo, orationi intendebat, quasi Rege ignorante; ipse autem intelligebat, sed quasi se nescire simulabat, & quia veraciter noverat omnia ejus opera bene existere, faciles illi assensus præbuit ad omnia quæ desideravit; divitias non concupivit, paupertatem non timuit, manus ejus larga pauperibus & ab elemosinis raro vacua fuit. Sin autem quempiam intellexit aliqua vi opprimi, aut pro criminibus carcere includi seu populari examine morti deputari, nil habuit hilaritatis, antequam reconciliavit exacerbationem Regis. Si quando abscessit non exaudita, cogente vulgari sententia, Rex tacitus secum ingemuit, quod petentem perturbasset, & sæpe egressus a judicio quasi ipsam mulcendo arbitris reliquit, quæ fuerant legaliter punienda. Ipse autem ad Ecclesiam vel aliquod opus bonum se conferebat, sed quia hominum quilibet proclivior est ad labendum, quam sua natura muniatur ad standum, ut alibi ad terrorem aliorum de ipso Heinrico scriptum est, in cœna Domini quandoque inebriatus nocte uxori multum repugnanti illicite conjunctus est, quod humanæ salutis irretitor Satanas cuidam bonæ matronæ sic prodidit. Mathildis Regina nuper hortatu meo maritali consentiens voluptati concepit filium sine omni dubio meum; Tu vide, ut optime cæles tantum commissum. Illa tristis hoc adnuntiavit clam Reginæ, admonens ut semper Episcopos aut Presbyteros secum haberet, & in pueri nativitate baptismate ablueret, quod de eo demon jactaret. Videns demon, id est omnia sciens, se prorsus delusum, matronam increpavit, talia subnectens; etsi mea voluntas tuis frustratur blasphemiis, tamen omnibus de lumbis illius progredientibus non deerit comes discordia, nec proveniet eis pax firma. Hunc juniorem filium, nam ante regiam dignitatem Ottonem genuerat, mater quasi unicum specialiter dilexit, ipsumque regnare desideravit; Unde & inter fratres sequens discordia excrevit & temporibus Heinrici ac filii ejus crebra fuit commotio & quietis parva certitudo, donec in diebus tertii Heinrici jam Regis illa filix iniquitatis exaresceret, & tunc demum bonæ pacis

flos virens enituit. Stephanus Leodicensis Episcopus obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXXII. Rex Heinricus stabiliendæ paci ac reprimendis Slavorum moribus acerrime insistebat, cumque esset satis severus extraneis, in omnibus causis clemens erat civibus. Vnde quemcumque videbat furum vel latronum manu fortem, aut bellis aptum, a debita pœna ei parcebat, collocans in Suburbano Mersaburh, datisque armis & agris jussit civibus quidem parcere, in Barbaros, quantum auderent, latrocinia exercere. Vrbes ad honorem regni vel Ecclesias Deo pro remedio animæ devoto animo fabricavit. In nova Corbeja Altare Sancti Viti Martyris hortatu Reginæ auro & gemmis variis mirifice ornavit. Vicum Goslariæ construxit; antiquum opus Romanorum in Mersburh lapideo muro decoravit. Ecclesiam, quæ ibi mater est aliarum Ecclesiarum, lapidibus construi & XIIII. Kal. Junii dedicari fecit. Montem juxta Albiam densitate arborum occupatum excoluit, ibique urbem faciens de rivo præterfluente nomen ei Misni imposuit, præsidiisque munivit; ex qua Milzienos subactos censum persolvere coëgit. Vrbem Lubuzuam diu obsidens ad deditionem compulit, illa vero multis annis deserta permansit. Leodio contendentibus de Episcopio Hildwino, qui factione Gisilberti Ducis a fidelitate Karoli refragantis illud adeptus erat, & Richario, qui a Karolo illud consecutus erat, auctoritate Papæ Hildvvinus abjicitur, Richarius voto & electione omnium Leodicensium Episcopus constituitur. Per id tempus Gisilbertus in Celticam secessit, & in Neustriam transiit, & quia regnum parare sibi non potuit, cum Rotberto Celticæ Duce, fratre Regis Odonis, de eodem negotio pertractans, suggessit de regni susceptione & Karoli abjectione. Exultat Tyrannus & sine mora suadenti favet. Deliberant ergo sibique per sacramenta consentiunt, collectisque principibus Rex efficitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXXIII. Rex Heinricus adjunctis sibi Rotgero Archiepiscopo & Gisilberto Duce Metensem Vrbem obsedit, & Vviggerum licet diu reluctantem sibi obedire coëgit. Cumque regnum ab antecessoribus suis ex omni parte confusum civilibus & externis bellis colligeret, pacificaret, adunaret; castra movit contra Carolum ejusque sæpe fudit exercitum: Suessionis inter Karolum Regem & Rotbertum invasorem regni, tanta pugna commissa est, ut pene utrimque victores esse viderentur. Karolus tamen ori sacrilego Rotberti ita lanceam infixit, ut diffissa lingua cervicis posteriora penetraret. Occisa sunt ex parte Rotberti XI. millia CCCCXLVIIII. ex Karoli parte VII. millia CXVIII. Karolus Alsatiam & partes Franciæ juxta Rhenum usque Mogontiam sibi usurpaturus usque Paternisheim villam juxta Vvormaciam hostiliter pervenit; sed fidelibus Regis Vvormaciæ coadunatis, aliter quam decuerat, Regem * aufugit. Pretiosissimus Thesaurus sanguinis Domini venit in Augiam forte qui de imagine Domini fluxit, in qua secundo a Judeis priora passus erat. S. Herimannus Coloniensis Archiepiscopus obiit, Vvigfridus successit. Sigismundus Halberstadensis VI. Episcopus XIX. Kal. obiit, positus in dextra parte Altaris Christi Protomartyris non jacens, sed supra Cathedram sedens; qui adhuc ægrotans viderat in somnis baculum pastoralem suis manibus elapsum Bernardum Capellanum suum levasse & in aperto portasse, misitque eum ad obtinendam Regis & Optimatum gratiam. Vnde Bernardus rediens, illo jam mortuo, volente Heinrico, successit, vir nobilis & sanctus ac Regni Principum primus.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXXIIII. Reges Heinricus & Karolus apud Bunnam confœderantur, & Karolus reddidit Heinrico Regi Lotharingiam, Episcopis & Comitibus utrinque rem jurando confirmantibus. Hugo filius Rotberti, apud quos potuit, maxime apud Heribertum nobilem Magnatem cognatum suum contra Karolum agens se promoveri ob necem patris nolens effecit, ut convocatis principibus Rodolfus Richardi Burgundionis filius satis reclamans Rex levaretur, vir strenuus & liberalibus artibus eruditus, qui Bertham Burchardi Ducis Alamanniæ filiam sibi copulaverat. Heribertus Karolum dolo captum in custodiam posuit. Lodovicus Karoli filius ad Regem Adelstanum avunculum suum in Britanniam discessit. Rex Heinricus audiens casum Karoli, condoluit & humanæ mutabilitatis communem fortunam miratus judicavit abstinere ab armis & Lotharingos, ut bellis assuetos mobilesque ad rerum novitates, arte superare. Civilibus bellis cessantibus Vngari tantis incendiis & cædibus Saxoniam percurrunt, ut ultimam depopulationem conminarentur. Rex in præsidio Vverle consistens rudi adhuc militi & bello publico insueto contra tam sævam gentem non credebat. Contigit quemdam de Principibus Vngariorum capi, vinctumque ad eum deduci. Vngarii vero ipsum in tantum diligebant, ut pro redemptione illius innumera auri & argenti pondera offerrent. Rex aurum spernens, expostulat pacem, redditoque captivo cum muneribus in annos novem pax firmata est. Affricani, qui per munitionem Galeriani Montis totam Italiam laniabant, commissa pugna per miliciam Johannis Papæ & Romani Imperatoris Græcorum universi trucidati sunt vel capti, nec unus superfuit, testantibus multis, Apostolos Dei Petrum & Paulum auxilio Christianis visos fuisse. Herigerus Mogontinus Deo dignus Archiepiscopus obiit. Hildebertus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXXV. Heinrico ad dilatandum Imperium super Lotharios tendenti Legatus Karoli cis Rhenum occurrit verbisque humillimis: Domino meo, inquit, ab inimicis circumvento nil jocundius vel dulcius est, quam de tuo magnifico profectu, fama quoque tuarum virtutum consolari, & hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit; protulit de sinu manum pretiosi Martyris Dionysii

nysii auro & gemmis inclusam; hæc, inquiens, habeto pignus fœderis, perpetui amoris Vicarii, hanc partem unici solatii Francorum in Gallia, postquam Sanctus Martyr Vitus nos ad nostram perniciem deseruit, & ad vestram pacem perpetuam Saxoniam visitavit: Eo enim anno Dani & Normanni regionem nostram invaserunt, bella civilia & externa ultra non cessaverunt. Rex divinum munus omni gratiarum actione suscipiens, sanctis Reliquiis prosternitur, & deosculans summa devotione veneratur. Rodulfus Burgundio jam Rex in Italiam ad regnandum contra Berengarium vocatus, victo illo in pugna & expulso regnum Italiæ tribus annis tenuit, ubi a Samsone quodam Comite dono accepit lanceam, nova arte & figura elaboratam, quam Constantini Magni Sanctæ Helenæ filii fuisse dicebant. Juxta mediam spinam habuit utrobique quasi fenestram, & in media spina cruces ex clavis manibus & pedibus Salvatoris Nostri Domini Jesu Christi affixis. Heinricus hoc audito, ut erat totius religionis amator, Legatis directis, Rodolfum præmiis tentavit, quem sic emollire nequiens, minis terruit, nam regnum ejus cædibus & incendiis depopulari minitabat, quia vero munus, quod petebatur, illud erat, quo cælestibus terrena conjunxerat, DEus Rodolfi Regis cor emollivit, justo Regi juste justa petenti dedit, quia pace præsente simultati locus non erat. Heinricus DEI voluntate sacram adeptus est lanceam, quo amore dilexerit, tum in multis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quod hujus datorem non solum auri & argenti, verum etiam Sueviæ parte non minima honoravit. Per hanc ipse de hostibus sæpe triumphavit, ipsam decedens Ottoni filio cum Regno reliquit, hancque esse credimus, quæ ex hinc hodieque in Imperatorum tutela solet manere. Wiggerus Metensis Episcopus obiit, Benno ex ordinariis Strazburgensibus in Alpibus quondam heremiticam vitam ducens successor eligitur. Hiltine Augustensis Episcopus obiit, pro quo DEO ordinante ac Rege Heinrico cooperante, Odelricus vir Sanctus, signorum & revelationum testimonio clarus, DEO dignus Episcopus subintravit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC XXVI. Rex Heinricus Nortmannos & Danos armis fecit obtemperantes sibi & ab errore pristino revocatos jugum Christi ferre edocuit. Fertur quod in pago Selon, in loco nomine Lederun, qui caput illius regni est, post novem annos mense Januario post tempus Epiphaniæ convenire solerent, ibique Diis suis XCIX. homines & totidem equos cum canibus & gallis & accipitribus immolare; putantes sic erga inferos servire & commissa crimina apud eos placare: quem ritum Heinricus inhibuit & humano sanguini parci fecit. Vngari totam Franciam, Alsatiam, Galliam & Alamanniam igne & gladio vastavere. Berengarius ex Duce quodam Forojulensi Rex Italiæ levatus, per annos XIII. cum Widone & Lodovico prius conflictatus, dein solus XX. annis regno potitus, ab Italiensibus perimitur. Rodolfus nihilominus ab ipsis regno arcetur. Sehardus Hildinisheimensis VIII. Episcopus turrim Occidentalem in Gandersheim dedicavit, & Rotsvingam, defuncta Wendelgarda, Abbatissam ordinavit. Vngari Salardo Duce Italiam pervagantes, Papiam obsident & incendunt.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XXVII. Rex Heinricus Ducatum Alamanniæ Herimanno dedit, occiso in Italia Burchardo. Rodolfus enim Rex contra Italienses denuo resistentes socerum suum Burchardum in auxilium accersivit, quo ab eis interfecto Italiam reliquit, Burgundiamque revisit. Karolus Rex Francorum sub Heriberti custodia exul & martyr moritur. Omnes etiam ab ejus filio in Hibernia exulante deficientes, Rodolfo Regi se subdiderunt. Heinricus post pactum pacis ab Vngariis acceptæ, in munienda patria contra barbaras nationes, mira prudentia, invigilans, ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit, ut ceteris octo confamiliaribus habitacula construeret, frugum omnium tertiam partem exciperet & servaret; ceteri octo seminarent & meterent & novo colligerent, suisque locis reconderent; Concilia, Conventus & convivia in urbibus voluit celebrari, quibus exstruendis die & nocte operam dabat, ut in pace discerent, quid in necessitate agendum esset. Tali lege ac disciplina cives assuefaciens irruit super Slavos, præliisque multis fatigans, hyeme asperrima positis super glaciem castris, cæpit Branneburh fame, ferro, frigore; cumque illa potitus regione, signa vertit contra Dalmantiam obsidensque urbem Granæ XX. die cepit, præda militibus tradita, puberes omnes necati, pueri ac puellæ sunt captivati. Benno qui & Benedictus Episcopus a Metensibus excæcatur, habitaque Synodo apud Duisburgum auctores facti excommunicantur, & pro eo Episcopus Adalbero vir nobilis constituitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XXIIX. Rex Pragam Boëmiorum cum exercitu adiit, Urbem & Regem in deditionem accepit Boëmios tributarios faciens, reversus est in Saxoniam. Regnabat autem in Praga Wenezlaus DEO & hominibus acceptus, qui inter cetera quæ de ipso prædicantur, mirabilia tormentorum genera & patibula suspendiis hominum præparata dirui fecit, ne immanitas judicum excresceret, nec reparari suo tempore permisit. Hugo Arelatensium Comes ab Italiensibus, repudiato Rodolfo Rege, vocatus Regnum accepit, in quo Lotharium genuit ex uxore Alda de Ostrofrancorum Stirpe; sed ambobus postea pulsis junior Berengarius regnavit. Lodovicus filius Karoli insidiantes sibi fugiens iterum Mare transiit. Hyems magna fuit. Leo VII. Papa sedit annis VII. Rotgerus Treverensis Archiepiscopus obiit, Rotbertus successit. Sehardus Hildinisheimensis Episcopus obiit, Thiethardus Hersfeldiæ Abbas successit, qui tabulam principalis Altaris auro & gemmis ornavit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XXIX. Rex Heinricus Gerbirgam filiam suam Gisilberto Du

to Duci Lotharingiæ in conjugium dedit, nam quidam Lotharingus nomine Christianus, quærens majori apud Regem honorari gratia, simulata infirmitate vocavit Gisilbertum, venientem cepit & sub custodia regi misit, quem Lætus suscepit, arbitratus per ipsum totum Lotharii se regnum habiturum, & sciens valde industrium, genere, potestate & divitiis clarum, liberaliter cæpit habere; & desponsata ei Gerbirga affinitate & amicitia sibi junxit, sublegato omni pariter Lotharii regno. Rex Hugo quosdam Italiensium sibi suspectos consilio & virtute Sansonis Comitis substravit. Ratherius Lobiensis monacus vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, qui cum Hildwino Leodicensem Episcopatum ambierat, profectus ad Hugonem, Veronæ Episcopus ab eo constituitur. Hildwino Mediolani Archiepiscopo subrogato. Stephanus VII. Papa sedit annos II. mensem I. Regi cum essent tributarii facti Abodriti, Vulzi, Hevelli, Dalmantii, Boëmii, Redarii, & pax esset, Redarii a fide defecerunt, urbem Wallisleve in magna manu ceperunt, habitatorum innumera multitudine captis & interfectis. Unde omnes barbaræ nationes erectæ rebellare ausæ sunt. Hortatur recordatio ipsius civitatis, miram rem hic inserere, quæ in ipsa reædificata post excidium est gesta. In ipso diei orientis crepusculo solitus erat Presbiter Ecclesiæ Matutinam canere; Cum ergo ad atrium defunctorum venisset, videns in eo magnam multitudinem oblationes offerentem Sacerdoti stanti coram Templi foribus, primo substitit, postea se signo Sanctæ Crucis muniens per omnes illos nec uno saltem agnito, Oratorium tepidus adiit, quem una de sæculo nuper egressa, & sibi nota, cur venisset, interrogavit; edocta ab eo quare venerit, hæc omnia ab eis completa esse parvumque temporis eumdem victurum prædixit, quod post vicinis retulit, veraque hæc esse probavit. Ne cui incredibile hoc videatur, in Magedaburh quæ paucis postea annis fundata est, custodes in Mercatorum Ecclesia nocte vigilantes, his quæ dicta sunt convenientia, visu & auditu percipientes, optimos civitatis adduxerunt, qui cum longe ab atrio Cadaverum starent, lucernas candelabris superpositas viderunt, duos in Invitatorium, canere omnes matutinas, laudes ordinatim persolvere; accedentes autem nihil omnino intellexerunt. Tempore quoque Balderici Præsulis, qui LXXX. annos vel plures Trajecti tenuit sedem, in loco qui Deventere dicitur, Ecclesiam senio dirutam renovans, benedixit ac suo Presbitero commendavit, qui una dierum valde diluculo ad eam pergens, vidit mortuos in Ecclesia offerentes, & cantantes audivit, quod Episcopo retulit, & jussus ab eo in Ecclesia dormire, sequenti nocte cum lecto ejectus est, ob hoc trepidanti & Episcopo conquerenti, præcepit Episcopus, ut cum Sanctorum Reliquiis signatus & aqua benedicta aspersus, suam custodire Ecclesiam non desisteret. Jussus ergo, dormire in Ecclesia voluit, sed præ metu vigilans jacuit, & Ecce solita hora venientes elevaverunt eum coram altari ponentes, & igne corpus in favillam tenuem resolventes: hæc Præsul audiens pænitentia ductus indixit jejunium, ut sibi & animæ defuncti succurreret: ut dies vivis, sic nox putatur concessa defunctis. Valent hæc contra Slavos & Stultos maliloquos, qui cum morte temporali putant omnia finiri. Astruunt enim ista, futuram esse mortuorum resurrectionem & operum retributionem, quamvis & in præsenti vita retributio boni vel mali operis quandoque non dormitet. Nam in palatio hujus, de quo agitur Heinrici Regis, quidam canis eminus hostem suum consedentem agnoscens, ex improviso dextram ejus manum rabido morsu abstraxit, & quasi optime fecisset, cauda reverberante mox rediit, mirantibus omnibus & stupentibus: interrogatus quid fecisset, confessus est, se illius Dominum festum & dormientem occidisse, ipsumque canem se persequentem tunc vix evasisse, clarissimum ipse documentum factus neminem DEI circumspectionem latere, nec ultionem evadere posse.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XXX. Rex ad reprimendam barbarorum ferocitatem Bernhardum, qui Redariorum provincia subjugata præerat, cum exercitu & militari præsidio misit Legatum, addens Thietmarum Collegam, jubenturque obsidere urbem Lunkini; quinto obsidionis die venerunt custodes nuntiantes, Barbarorum exercitum adesse, & Legatus dictante Collega Conventui, qui erat circa tentoria, præcepit tota nocte in armis esse, aliis formidantibus bellum, aliis desiderantibus, nam pro qualitate morum inter spem & metum singuli versabantur. Nox tenebrosior solito adest cum ingenti pluvia nutu divino, ut pessimum consilium impediretur Barbarorum, & Saxones in armis erant, primo diliculo signo dato, & accepto Sacramento ad præsens bellum primo Ducibus, deinc unusquisque alteri suam operam sub juramento promittebant. Orto sole (nam post pluviam clara rediit serenitas) in prima fronte Legatus adversus innumerabiles cum paucis impetum faciens nec prævalens recurrit ad aciem, referens, habere Barbaros non multos equites, peditum vero innumerabilem multitudinem, sed nocturna pluvia ita impeditam, ut vix ab equitibus ad pugnam cogeretur. Igitur sole cadente in humida vestimenta barbarorum fumum ascendere fecit usque ad cœlum, fiduciam præstans populo DEI, cujus faciei claritas & serenitas circumfulsit illos, dato signo & hortante Legato Legiones cum clamore valido ruunt in hostes, quos præ densitate pertransire non valentes, dextra lævaque ferro, quos a sociis secernebant, morti dabant. Ingravato bello, cum hinc inde multi caderent & Barbari adhuc ordines tenerent, Collega postulante Legato, ut Legionibus auxilio essent, præfectum cum L. armatis lateri hostili inmisit, Ordines conturbavit. Ex hoc cædi & fugæ tota die hostes patebant, cum per omnes agros cæderentur, ad urbem vicinam fugere tentabant. Collega hoc præcavente proximum

ximum mare ingressi sunt; ita nimia multitudo illa aut gladio consumpta est, aut mari mersa. Peditum nullus, equitum rarissimus superfuit, deponiturque bellum cum casu omnium adversariorum. Postera die signa movent urbi, deponunt Urbani arma, salutem poscunt & merentur; deponere arma jussi, servilis conditio cum uxoribus & filiis, pecunia & omni supellectili, captivitatem subibant. Ceciderant tamen ex nostris in prælio duo Comites Lotharii dicti, milites Optimi, genere clarissimi, decus & solamen patriæ, & alii nobiles viri nonnulli. Legatus cum Collega & principibus Saxoniam reversi a Rege honorifice suscepti satisque laudati sunt, quod DEO favente parvis copiis CC. hostium, ut ferebatur, millia peremerant. Captivi omnes postera die ex pacto sunt obtruncati. Augebant hanc lætitiam regales nuptiæ, quæ celebrabantur tunc magnifica largitate: Rex enim filio Ottoni dedit conjugem filiam Ethmundi Regis Angliæ, sororem Adelstani, quæ genuit ei Liudolfum virum magnum, populis carum & Liutgardam, quæ nupsit Conrado Francorum Duci.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XXXI. Rex Daniam ingressus cum exercitu Wurm Regem perterruit ac vicit, & apud Sliaswic, quæ nunc Heidiba dicitur, Regni terminum ponens Marchionem ibi statuit & Saxonum Coloniam habitare præcepit. Eodem anno Rex ab Everhardo aliisque Franciæ Comitibus seu Episcopis in Franciam vocatus singillatim ab uno quoque eorum in domibus suis vel Ecclesiarum sedibus Regem decentibus est conviviis & muneribus honoratus. Johannes Papa XI. hujus nominis sedit annos IV. menses X.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XXXII. Rex Heinricus regnum Germaniæ divina & humana ope reformatum divinis jam & humanis institutis roborabat; baptizatis enim per ejus diligentiam Apodritarum & Danorum Regibus, divino cultui propagando etiam operam dedit. Quotienscumque contra DEum & antecessorem suum, dum vixit, se umquam superbiendo erexerat, totiens humiliata sua potestate ad condignam emendationem se inclinavit. Pro eadem causa, ut ipse interrogantibus confessus est, cum orationis gratia, loca orationis peteret, plus pedibus, quam equo iter faciebat. Porro in exaltando suam gentem animosus erat, nam rarus fuit, aut nullus nominatorum in Saxonia, quem præclaro munere aut officio, aut aliqua quæstura non promoveret. Et cum Avares sæpe insurgentes expelleret, una dierum attentans eos impari congressu, & victus in urbe Bicni mortis periculum fuga evasit. Unde Urbanos majore gloria, quam prius habuerant vel conprovinciales hodie habeant, & super hoc dignis muneribus honoravit. In conviviis licet satis jocundus esset, nil tamen regalis disciplinæ minuebat. Tantum favorem pariter & timorem militibus infundebat, ut etiam ludenti non crederent ad aliquam lasciviam sibi dissolvendum. In exercitiis ludi tanta eminentia superabat omnes, ut ceteris etiam terrorem ostentaret. In venatione acerrimus erat, ut una vice XL. aut eo amplius feras caperet. Et cum ingenti prudentia polleret ac sapientia, accessit & moles corporis regiæ dignitati omnem addens decorem. Thiedo Wirceburgensis Episcopus obiit.

Anno Dominicæ Incarnation. IXC XXXIII. Ungari per Orientales Francos & Alamanniam multis civitatibus igne & gladio consumptis, juxta Wormaciam Rheno transito Galliam etiam multis plagis usque ad mare Oceanum devastantes, per Italiam redierunt. Rex itaque Heinricus per novem annos induciarum, quas Ungari pepigerant, qua industria domi & militiæ subditis prospexerit, quibus consiliis contra omnium nationum vim Saxoniam præmunierit, quibusque artibus manum militum prius rudem ad confidentiam animaverit, dicto vel scripto explicari non facile potest. Postremo cum haberet equestrem manum prælio probatam, certamen contra Ungaros præsumens, convocato omni populo tali eos oratione affatur: Olim ex omni parte confusum Imperium nostrum a quantis periculis modo sit liberum, vos ipsi melius nostis, qui civilibus discordiis & externis totiens attriti, laborabatis; nunc propitia nobis summa divinitate, nostro labore, vestra virtute, pacatum & collectum cernitis, Barbaros superatos & servituti subjectos. Quod superest, necesse habemus, ut contra communes hostes Ungaros pariter consurgamus. Huc usque vos filiosque & filias vestras spoliavi, & ærarium eorum replevi, nunc templa templorumque Ministros ut spoliem, cogor, absque nudis corporibus nulla nobis alia remanente pecunia. Consulite vobis ipsis, quid super hac re vobis sit faciendum, eligite. Tesaurum divinis officiis sanctificatum tollamne, & dabo pro vestra redemptione DEI inimicis. An certe addam cultui divino honorem, ut ab ipso potius redimamur, qui vere noster extat Creator & Redemptor. Ad hoc levavit populus voces in Cœlum; se a DEO vivo & vero redimi modis omnibus desiderare, quia fidelis & justus est in omnibus viis suis & sanctus in operibus omnibus suis: operam suam deinde promittens Regi contra gentem acerrimam, dextris in cœlum levatis, pactum firmavit; sicque dimisit Rex multitudinem. Arnoldus Dux Bawariorum in Italiam contra Hugonem Regem veniens, a Veronensibus suscipitur, cum Hugone confligens superatur. Unde Ratherius Episcopus per Hugonem Episcopatu pulsus, quia Bawariis faverat, Papiæ exiliatur, ubi & librum de suis ærumnis luculenter edidit, scripsit alia multa legentibus utilia.

Anno Dominicæ Incarnation. IXC XXXIV. Rex Henricus Veranos, Slavos hostiliter invasit & vicit, sibique Tributarios fecit. Interea legati Ungarorum pro solitis muneribus eum adierunt, sed ab eo spreti vacui redierunt. Nil morati ergo Ungari cum gravi manu festinabant in Saxoniam, & iter agentes per Dalmantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes Saxones ad pugnandum cum eis para-

paratos pinguissimum pro munere canem projiciunt; Cum vero non esset vindicandi locus, ad aliam pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione prosecuti sunt amicos. Igitur quam potuerunt repentino impetu intrant Thuringorum fines hostiliter pervagantes, ibi divisis sociis Saxoniam ab Occidente & Meridie nitebantur intrare; sed Saxones cum Thuringis congregati inito certamine cum his, qui in Occidente erant, cæsis ducibus eorum cæteros per totam regionem errare fecerunt, quorum alii fame consumpti, alii frigore dissoluti, alii vel capti, ut digni erant, miserabiliter perierunt. Qui vero in Oriente erat exercitus audivit de sorore Regis, quæ nupserat Vvidoni Thuringo, erat autem nata ex concubina, quod vicinam urbem inhabitaret & multa pecunia ei esset auri & argenti, tantaque vi urbem oppugnare cœperant, ut nisi nox visum pugnantibus impediret, mox eam caperent. Ea vero nocte audientes de casu sociorum Regisque super eos adventu cum valido exercitu, nam Rex Castra metatus erat juxta locum, qui dicitur Riede, timore perculsi, relictis castris, more suo igne & fumo ingenti agmina diffusa collegerunt. Rex vero postera die producens exercitum exhortatus est, spem suam divinæ Clementiæ committerent, divinum sibi auxilium, quemadmodum in aliis præliis, adesse non dubitarent. Communes omnium hostes Vngaros esse; Vnde ad vindictam patriæ parentumque solummodo cogitarent, hostes cito vertere terga viderent, si viriliter certando resisterent, his optimis verbis erecti milites, Imperatoremque in primis mediis & ultimis versantem videntes, coramque eo Angelum [hoc enim vocabulo effigieque signum maximum erat insignitum] acceperunt fiduciam & magnam constantiam. Rex veritus, quemadmodum evenit, ut hostes viso armato milite fugam arriperent, misit Legionem Thuringorum cum raro milite, ut illi inermes persequentes usque ad exercitum protraherentur; actumq; est ita; sed nihilominus videntes armatum exercitum fugerunt, ut per VIII. milliaria vix pauci cæderentur vel caperentur. Castra vero invasa & omnis captivitas liberata est. Rex victor reversus, modis omnibus gratiarum actiones divino honori, ut dignum erat, persolvebat, tributum quod hostibus dare consuevit, divino cultui mancipavit, pauperumque largitionibus deservire constituit. Deinde pater patriæ, rerum Dominus & Imperator ab exercitu appellatus, famam potentiæ suæ virtutisque gentibus & Regibus longe lateque diffudit. Vnde & aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiam in ejus conspectu invenire cupientes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt. Inter quos Heribertus, gener Hugonis, cum ei Rex Rodolfus adversaretur, ut ei apud Dominum suum præsidio esset, supplicavit. Ipse enim Rex talis erat, qui nihil negaret amicis. Perrexit igitur in Galliam Rex, Regem alloquitur & perfecto negotio in Saxoniam revertitur. Ecclesia S. Maximini turbine cecidit. Electione ibidem monachis clementia Regis concessa Ougo ante Præpositus Abbas eligitur; Monachi non regulariter viventes expelluntur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXXXV. Heinricus Rex victoriosissimus cum omnes in circuitu nationes subjecisset, Danos, qui navali latrocinio Fresones incursabant, cum exercitu adiit, vicitque & Tributarios faciens, Regem eorum nomine Nubam baptizari fecit. Postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate corporis præreptus iter intermisit. Synodus in Erpisford Thuringiæ celebratur a compluribus Episcopis. In urbe Genuensi fons sanguinis largissime effluxit, portendens forte ipsius urbis imminentem ruinam, quæ eodem anno ab Affricanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis civibus, exceptis parvulis & mulieribus, captis aut occisis evacuata est. Mothingus Constantiensis Episcopus obiit, cui Conradus successit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC XXXVI. Rex Heinricus ac Regina inclitæ famæ Mathildis Dei Omnipotentis inspiratione desiderabant Monasteria construere & adminicula præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenus sui & suorum parentum vel nepotum memoria ibi perpetim haberetur; & principibus populi convocatis postulabant sibi consilium dari, qua parte regionis decenter possent hæc adimpleri. Principes responderunt, intra Vvinethusun esse sanctimoniales regulari disciplina carentes, quæ diutius illic demorari non possent, nisi sustentarentur adjuvamine regali, & consilium dabant, eas in Quidelingeburh transferri. Posthæc Rex adiit Botfeld, ubi sæpe exercebatur venatu, ibi paucis diebus interpositis languore correptus vi febrium laborabat, sed parumper sedato dolore ad Erpesford iter direxit; ibi cunctos regni principes convenire præcepit, ut se invicem coadunarent, quem suorum filiorum eligerent regale solium possidere. Ceteris ergo filiis prædia cum thesauris distribuens, Ottonem maximum natu, Francorum omni Imperio præfecit; in quo quantæ sapientiæ & Religionis fuerit, probari potest, quod eum, quem potissimum & religiosissimum noverat, licet in Imperio natus non esset, Regem constituit. Venit & Demot Vvinethusinensis abbatissa præcepto regis evocata & rogata, ut suas Sanctimoniales in Quidelingeburh consentiret transponi, Regis petitionem gratanter suscepit. Inde perrexit Rex ad Vnilebi, secum paucis comitantibus, ibi ejus est iterata infirmitas. Cum sentiret ergo, corporis dissolutionem instare, Reginam vocans, multis secretis cum ipsa disputatis ad ultimum: O, inquit, fidissima; nam nullus omnium umquam virorum fide firmiorem sibi mulierem adjunxit; Deo gratias ago, quod te superstitem relinquo, gratias habeas, iratum sæpe mitigasti, in omni re utili consilium mihi dedisti, revocasti ab iniquitate ad justitiam, sedulo monuisti ut in oppresso facerem misericordiam. Nunc te, & filios nostros Omnipotenti Deo commendamus & electis Dei; Simul cum anima jam recessura, cum haud

haud minus illi Regina gratias egisset, mœrore plena Ecclesiam intravit. Interea Heinricus rebus humanis excessit. Adalgaldus solus ex presbyteris casu adhuc jejunans, ad nutum anxiæ Reginæ Dominici corporis hostiam pro anima ejus immolavit, cui & Regina duas armillas aureas brachiis suis avulsas dedit, exhibens ei gratiam quandiu vixit, quin etiam in Bremis ei Episcopalem Cathedram apud Ottonem Regem impetravit, numquam tradens oblivioni, quod primam Missam animæ Regis Heinrici decantasset. Post hæc ad filios super corpus lacrymantes ac principes ingressa, postquam conjugem amarissime humi prostrata defleverat, convocans filios ad concordiam hortatur, dicens inter cetera; nolite jam contendere pro transitoria dignitate, talem finem capit omnis mundana gloria; Omnis, qui se extollit, humiliabitur & qui se humiliat exaltabitur. Obiit igitur Heinricus anno regni sui XVII. vitæ autem LX. Vnni Bremens. Archiepiscopus obiit, Adalgadus successit. Posthæc paratis omnibus, quæ funeri regio necessaria erant, cum maximo honore corpus Quidelingeburh a filiis transportatur, ubi ipse decreverat & in Basilica & Petri ante Altare honorifice sepelitur cum planctu multorum. Tunc Regina Demot Abbatissimam vocavit & congregationem ejus illuc transferri admonuit: illa primo renuit, postmodum Imperante Ottone filio ejus consensit. Igitur Regina cœnobium in monte Quidelingeburh sancta devotione construere cæpit. III. die congregationem ibi statuit, non viles personas, sed summæ ingenuitatis tirunculas, Canonicæ religioni deservituras collegit, quas materno more usque in finem vitæ commodorum spiritalium & carnalium enutrivit: hoc regnum esse gentibus voluit, hoc totis viribus fovit. Ipsa post obitum mariti flagrans Christi amore, memor cujusvis disciplinæ, ad misericordiam facilis, in omni actu & confabulatione admirandæ dignitatis, tamque honesta perseverabat in pudore, ut virginem crederet, qui fœcunditatem prolis ejus non vidisset; noctis tempore lecto se collocans & parumper dormiens, postquam persensit dormire omnes, qui erant secum in cubiculo, spreto fulgenti stratu, clam surrexit, cubicularem puellam tacita excitavit, Ecclesiam intrans suspenso gradu, sine turbarum obsequiis, sine humano favore, pernox in oratione manebat, ad altare vacua numquam accessit, nec rege vivente, nec in viduitate; ante galli cantum finierat psalterium nisi brevitate noctis impediretur; circa horam matutinalem cum silentio & nesciente aliquo iterum se collocavit in lecto, quasi totam noctem dormiendo egisset, ac numquam pedem inde movisset. Dato vero signo surgens, matutinarum laudibus intento corde aderat; postea omnibus egressis sola intus januis clausis spiritum usque ad lucis auroram non relaxabat, postmodum ingressa cubiculum paulisper ad dormiendum lassa membra reclinavit. Interim - - - - - -

Deest in Originali Columna.

Defuncto patre patriæ & Regum Maximo Heinrico omnis populus Francorum ac Saxonum Ottonem, a patre designatum notantes, universalis electionis locum in palatio Aquisgrani esse jusserunt. Duces ac Præfectorum Principes cum manu Principum ac Militum congregati in Siceo basilicæ Magni Karoli cohærenti collocarunt novum Ducem in solio ibi constructo, manus ei dantes ac fidem pollicentes, & operam suam contra omnes inimicos. At Mogontinus Pontifex interim cum universo sacerdotali ordine & omni plebe præstolabatur infra Basilicam processionem novi Regis; procedenti Pontifex obvius læva sua tangit dexteram Regis, suaque dextera lituum gestans, linea indutus stola planetaque infulatus progressusque in medium usque fani, constitit & conversus ad populum, qui circumstabat; nam erant deambulatoria infra & supra in illa Basilica in rotundum facta, quo ab omni populo cerni posset: En, inquit, adduco vobis a Deo electum & a Domino rerum Heinrico olim designatum, nunc vero a cunctis principibus Regem factum Ottonem; si vobis ista electio placeat, dextris in cœlum levatis significate. Ad hæc omnis populus dextras in cœlum levans cum clamore valido increpati sunt prospera novo Regi. Ita, more Francorum, Otto Rex creatus regnare cœpit ab Augusto loco LXXVI. anno ab urbe Roma condita M VCLXXXVIII. ab Incarn. Dom. IXC XXXVI. Provide procedit Pontifex cum Rege tunica stricta, more Francorum, induto pone altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum balteo, clamis cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate. Ipse autem Pontifex Moguntinus Hildibertus nomine Francus genere, Monacus professione, nutritus vel doctus in Fulda Monasterio & ad id honoris merito progrediens, ut Pater ejusdem Monasterii constitueretur, deinde summi Pontificatus Moguntiacæ Sedis fastigium mereretur. Hic erat vir miræ sanctitatis & præter naturalem animi sapientiam litterarum studiis clarus, qui etiam inter cetera gratiarum dona Spiritum prophetiæ accepisse prædicatur, & cum esset quæstio inter Pontifices in consecrando Rege, Treverensem videlicet & Coloniensem; Etenim Treverensis asserebat, quod ejus sedes antiquior esset & tanquam a B. Petro Apostolo fundata, Coloniensis vero quia ad ejus diocesim locus pertinebat, & ob id uterque sibi convenire arbitrati sunt hujus consecrationis honorem. Cessit tamen uterque cunctis notæ Hildeberti almitati. Ipse autem accedens ad altare assumpsit inde gladium cum balteo & conversus ad Regem ait: Accipe hunc gladium, quo Christi ejicias universos adversarios, barbaros quoque & malos Christianos, auctoritate divina tradita tibi omni potestate totius Imperii Francorum ad firmissimam pacem omnium Christianorum. Deinde sumptis armillis & clamide induit eum, his cornibus, inquiens, humi tenus dimissis, monearis, quo zelo Dei ferveas & perdurare in pace tuenda usque in finem te debere scias; Exinde sumpto sce-

ptro baculoque: *his signis, inquit, monitus paterna castigatione subjectos tuos corripias.* Primum ergo Dei Omnipotentis ministris & viduis ac pupillis misericordiæ manus porrigas, numquam oleum miserationis deficiat, ut Deo tibi propitio in præsenti pariter & in futuro sempiterno premio coroneris. Perfususque ilico oleo sancto & coronatus diademate aureo ab ipsis Pontificibus Hildiberto ac Vuicfrido. Ac omni legitima consecratione completa ab eisdem Pontificibus ducitur ad solium ad quod per cocleas ascendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulcritudinis columnas constructum, unde ipse omnes videre & ab omnibus videri posset. Divina deinde dicta sacrificioque solemniter celebrato, descendebat Rex ad Palatium & accedens ad mensam marmoream regio apparatu ornatam resedit cum Pontificibus & omni populo, Duces vero ministrabant. Lothariorum Dux Gisilbertus, ad cujus potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat; Everhardus mensæ præerat; Herimannus Franco pincernis; Arnoldus equestri ordini & eligendis locandisque castris præerat; Sigefridus vero Saxonum optimus & a Rege secundus, gener quondam Regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium interim irruptio accideret, nutriensque juniorem Heinricum secum tenuit. Rex autem post hæc unumquemque principum juxta munificentiam regalem congruenti sibi munere honorans, cum omni hilaritate dimisit multitudinem. Interea Barbari ad novas res moliendas desæviunt, percussitque Bolizlaus fratrem suum nomine Vvenezlaum Ducem Boëmiorum, virum Christianum & Dei cultura dignissimum, timensque sibi vicinum subregulum, eo quod paruisset imperiis Saxonum, indixit ei bellum; qui misit in Saxoniam ad expostulanda sibi auxilia; Mittitur autem ei Asic cum legione Mesaburiorum & valida manu Assingorum. Erat namque illa legio collecta ex latronibus. Rex quippe Heinricus, cum esset satis severus extraneis, in omnibus causis erat clemens civibus. Inde quemcumque videbat furum aut Latronum manu fortem & bellis aptum a debita pœna ei parcebat, collocans in Suburbano Mersaburh, datis agris atque armis, jussit civibus quidem parcere, in Barbaros, in quantum auderent, latrocinia exercere. Hujuscemodi hominum collecta multitudo plenam in expeditionem produxit legionem. Bolizlaus autem audiens de exercitu Saxonico & quia Saxones seorsum, & seorsum Thuringi irent contra se, divisis & ipse sociis, sicuti erat acerrimus consilio, utrique exercitui disposuit. At Thuringi, ut hostes improvise sibi occursitare viderunt, fuga periculum declinaverunt; Asic autem cum Saxonibus & ceteris auxiliariis nil cunctatus, in hostes ruit, maximamque partem ex eis armis fudit, ceteros fugere compulit, victorque ad castra reversus est, & cum ignorasset de exercitu, qui insecutus fuerat Thuringos, minus caute usus est victoria perpetrata; Bolizlaus autem videns exercitum nostrum dispersum & alios in extrahendis spoliis cæsorum, alios in suis corporibus reficiendis, alios in paleis equorum congregandis occupatos, fugatum reversumque coadunans exercitum super improvisos ac recenti victoria securos subito irruit, & Ducem cum omni exercitu delevit; pergensque inde ad urbem subreguli, primo eam impetu cepit & usque in hodiernum diem solitudinem fecit. Rex autem audito hujuscemodi nuntio minime turbatur; sed divina virtute roboratus cum omni exercitu intrant terminos Barbarorum, ad refrenandam illorum sævitiam; Datum quippe erat illis & antea a patre suo bellum, eo quod jugulassent Legatos Tancmari filii sui, de quo in sequentibus plenius dicturi sumus. Placuit igitur novo Regi novum principem militiæ constituere, elegit virum nobilem & industrium satisque prudentem nomine Herimannum, quo honore non solum ceterorum principum, sed etiam Vvichmanni offendit invidiam. Erat namque Vvichmannus vir fortis & potens, magnanimis, belli gnarus & tantæ scientiæ, ut a subjectis supra hominem plura nosse prædicaretur. Fuerunt autem ambo nobilibus, sed pauperibus orti natalibus, sicut a senioribus comperimus; & Herimannus, ut ajunt, primo VII. mansis totidemque colonis ex hæreditate parentum fuit contentus; Deinde quod erat acris ingenii, decoræ formæ, tum pro merito fidei & humilitatis, quam Dominis & Paribus exhibuit, facile notus in palatio ad familiaritatem pervenit ipsius Regis, qui comperta juvenis industria suscepit eum in numero Ministrorum, deinde nutricium præcepit esse filiorum, mox etiam succedentibus commisit ei vices præfectorum; quibus officiis strenue administrans dicitur servientes suos pro furto in judicium delatos, data sententia simul omnes damnasse ad mortem, cujus novitate facinoris & tunc carus in populo & clarissimus deinceps factus est in palatio. Postquam vero Ducatum Saxoniæ promeruit, judicio & justitia gubernavit provinciam & in defensione Ecclesiarum Sanctarum studiosus permansit usque in finem. Nam & Bremensi Ecclesiæ ac matri Hammanburh fidelis & devotus extitit multa bona faciens in fratres & in omnes Saxoniæ congregationes. Igitur Wigmannus simulata infirmitate amovit se ab exercitu; Herimannus autem cum esset in prima facie in introitu regionis, in hostium pugnam incidit, eosque fortiter vicit, & ob hoc majori invidia inimicos accendit; inter quos Ekkihardus filius Liudolfi in tantum ægre passus est fortunam Herimanni, ut se promitteret majora facturum aut vivere nolle. Vnde collectis ex omni exercitu fortissimis viris interdictum Regis rupit, & paludem, quæ erat inter urbem hostium & castra Regis, cum sociis transiit statimque hostes offendit, & ab his circumfusus cum omnibus suis periit. Erant autem, qui cum eo ceciderant, Electorum ex omni exercitu virorum XVIII. Rex autem cæsa hostium multitudine & ceteris Tributariis factis reversus est in Saxoniam. Acta sunt autem hæc

hæc XVII. Kalendis Octobris. Confortatus in DEO & in regno sceptriferorum Maximus Otto, Conjugem suam Edith filiam Ethmundi Regis Anglorum bene timoratam præcepit consecrari. Erat hæc magni apud DEum meriti, ut in quibusdam rebus claruit, nam quadam nocte Rege absente, cerva indomita veniens sæpiusque hostium pede pulsans, Dominam tandem, ut intromitteretur, evicit, & recto gressu ad eam usque perveniens, procubuit, tanquam suam locutura miseriam. Jussu itaque Reginæ considerantis aliquem inesse dolorem venator Albim transiens cerva præeunte hinnulum ejus illaqueatum invenit, quo eruto cerva lætior suis lustris recondita est. Aliud quoque memorabile cum ipsa Dominus fecit. Cum in Elemosinis pauperum largissima esset, Rex constantiam ejus experiri volens, ipsam a tanta expensione velut iratus prohibuit. Quadam igitur præcipua festivitate induta veste pretiosa Curcebold ad Ecclesiam processit, quam Rex cujusdam pauperis vestibus indutus ignorante ipsa callide præcesserat, & in foribus Templi residens eam venientem tenuit, sibique misereri postulavit. Illa vero dicens præter vestes nil se habere, audivit, ipsarum vestium particula pauperem posse juvari. Deinde Regina pudore acta illum se constanter tenentem pallio suo circumplexum, manicam prætiosæ vestis abrumpere permisit, quam pauper, qui putabatur in sinu suo abscondit & illa cum truncata veste, sed pallio occultata, ad hospitium rediens, integra veste induta scissam abscondit, sicque ad mensam venientem Rex contemplatus requisivit, cur vestem, quam mane induerat, commutasset; cumque illa occasiones prætenderet, ipse priorem vestem deferri præcepit, qui semel & iterum cum falli mutatoriis non posset, illa anxiata vestem e latibulo extractam produxit, quam expansam Rex utrasque manicas habere conspexit, ipseque, quod abruperat proferens, cunctis audientibus rem aperuit, ac deinceps Reginam in magna veneratione habuit. Hildebertus Mogontinus Archiepiscopus obdormivit in Christo II. Kal. Junii. Hic in fine suo DEO gratias egit, quod Ecclesiæ suæ nil umquam injuste adquisierit vel perdiderit. Huic Fridericus succedens DEO placuit & sæculo. Rex autem non contentus paterno regno abiit in Burgundiam & Regem cum regno accepit in suam potestatem. Quæcumque ei publice provenere nocentia, divina miseratione ac intercessione SS. contectalis suæ Edith assidua securus evasit, cujus instinctu Magedaburgensem ædificare cæpit civitatem, ad quam reliquias Christi Martyris Innocentii cum magno adduxit honore. Nam urbem hanc ob æternæ remunerationis gratiam patriæque communem salutem & adquisivit & construxit. Juvit eum ad hoc beatæ memoriæ Edith, quibus potuit, quæ innumera virtute prædita, ut signis post obitum claruit, inducias vitæ istius sibi concessas DEO hominibusque acceptæ perduxit, decrevitque idem Rex eodem anno IX. Kal. Octob. hoc est, in proximo die post festum Sancti Mauritii, Congregationem Monachorum fieri in eadem urbe ob amorem DEI & patris, suæque animæ & SS. Contectalis suæ & Rodolfi Regis, qui ei sanctum transmisit Innocentium, omniumque debitorum suorum remedium, construens Monasterium in honore Sancti Petri Apostolorum Principis & Sancti Mauritii atque Innocentii, tradens ad eumdem locum prædia multa in diversis locis, & ipsum locum Romano subiciens Mundiburdio, fratribusque concedens liberam Electionem Abbatis, peragens omnia cum Consilio Friderici Mogontini & Adaldagi Bremensis Archiepiscoporum, aliorumque Episcoporum complurium. Monasterium Sancti Galli & Monasterium Sancti Bonifacii igne comburuntur. Graves & intestinæ discordiæ inter Heinricum fratrem Regis & Eberhardum Ducem Francorum nascuntur ob exortas inter Vassallos eorum inimicitias. Rodolfus Rex Galliæ moritur, post quem Lodowicus Karoli filius in regnum Patris consilio Hugonis Ducis filii Rodberti ex transmarinis partibus ad Gallias reducitur; cui idem Hugo tamen postea adversatur. Arnoldus Dux Bawariæ mortuus est, & filii ejus ambitione Ducatus Regi rebellant. Post hoc antiqui hostes Ungarii venerunt virtutem probare novi Regis. Intrantes autem Franciam statuerunt, si possent, ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens, nihil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque & a terminis suis abegit. Cessantibus autem externis bellis civilia oriri cæperunt. Nam Saxones Imperio Regis facti gloriosi dedignabantur aliis servire nationibus quæsturasque quas habuerant, alterius, nisi solius Regis gratia habere contempserunt. Unde iratus Eberhardus contra Bruniggum collecta manu incendio tradidit civitatem ipsius vocabulo Elmeri, interfectis omnibus ejusdem civitatis habitatoribus: qua præsumptione Rex audita condemnavit Eberhardum equis centum talentorum æstimatione, omnesque principes Militum, qui eum ad hoc facinus adjuvabant, dedecore canum, quos portabant usque ad urbem regiam quam vocamus Magadaburh. Rex autem, ut erat clementissimus, dum turbatores pacis merita pœna afflixit, illico cum pietate suscepit & unumquemque eorum regio munere honorans dimisit in pace. At illi nihilominus Duci suo adhærebant ad omne nefas, quia ille quidem erat jocundus animo, affabilis mediocribus, largus in dando, & his rebus multos Saxonum sibi associavit. Mortuus est Sigefridus Comes Saxonum optimus, qui secundus a Rege procurabat Saxoniam, cujus Legationem cum sibi vendicasset Thancmarus, eo quod propinquus ejus esset, nam mater ejus filia erat materteræ Sigefridi, de qua genuit Rex Heinricus Thancmarum; Regali autem dono cessisset Geroni Marchioni, afflictus est Thancmarus tristitia magna.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC XXXIIX. Ungarii per Austrasiam & Alamanniam multis civitatibus igne & gladio consumptis, Wormatiæ Rheno transito usque ad Oceanum, Gallias

 & Bur-

& Burgundiam vastant & per Italiam redeunt. Rex filios Arnoldi debellaturus in Bawariam ibat; sed non & voluit eos pacificare valens, revertitur in Saxoniam, concesso Ducatu fratri Arnoldi Bertoldo. Dissensio autem, quæ facta est inter Eberhardum & Bruningum, ad hoc pervenit, ut cædes publicæ fierent, depopulationesque agrorum agerentur & ab incendiis nusquam abstinerent. De Legum quoque varietate facta est contentio; fueruntque qui dicerent, quia filii filiorum deberent computari inter filios, hæreditatemque legitime sortiri inter filios, si forte patres eorum abissent aliis superstitibus; unde exiit Edictum a Rege, ut universalis populi conventus fieret apud Villam, quæ dicitur Stele; factumque est, ut causa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni posse constituit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, & confirmatum est, ut æqualiter cum patruis hæreditatem dividerent pacto sempiterno. Ibi quoque pacis turbatores facti sunt manifesti, qui hactenus se negabant contra regiam potestatem aliquid fecisse, sed injuriam tantummodo in socios vindicasse. Rex autem se contemptum ab eis animadvertens, neque enim ad placitum juxta jussum venire dignati sunt, arma distulit, veniæ locum dedit, proximi sibi semper usus clementia. Sed hæc dilatio ad majorem pernitiem multos pertraxit. Fiebant præterea multa nefaria a seditiosis, homicidia, perjuria, depopulationes, incendia, æquum pravumque, sanctum perjuriumque, illis diebus parum procedebant. Junctus est autem & Thancmarus Eberhardo, collectaque valida manu oppugnat præsidium, quod dicitur Balebike, in quo erat Heinricus junior, dataque præda urbis suis conmilitonibus abiit, secum abducens Heinricum quasi vile mancipium. Interfectus est autem ibi Gebehardus filius fratris Herimanni Ducis, ob cujus necem DEO omnia ordinante Duces Francorum inter se sunt divisi. Tantis igitur spoliis Tancmari milites, divisis, jam ad omnia parabantur. Post hæc cepit urbem, quæ dicitur Heresburh & collecta valida multitudine sedit in ea, multa inde exercens latrocinia. Eberhardus autem secum tenuit Heinricum. Eo quoque tempore occisus est Dedi ante portas urbis quæ dicitur Larun, in qua erant milites Everhardi. Wichmannus autem, qui se primo alienavit a Rege, audiens tantum facinus seditiosorum, conversus pacem fecit cum Rege, quia prudentissimus erat, & utilis ac fidelis in finem permansit. Thancmarus autem filius Heinrici Regis natus erat ex matre nobili, manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus: sed inter arma minus honeste usus pudicitia. Erat autem mater ejus multam habens possessionem, qui licet a patre aliis pluribus sit ditatus, materna tamen se hæreditate privatum ægre valde tulit; & ob hanc causam arma sumpsit ad perniciem sui suorumque contra Dominum Regem suum, Rex autem licet invitus audiens rem ad tam ingens periculum procedere, ad edomandam Tancmari insolentiam cum multo comitatu perrexit Eresburch. Cives autem urbis illius cognoscentes de Rege, quia super se cum valida manu propinquaret, apertis portis introduxerunt exercitum, qui obsederat urbem. Tancmarus autem fugit in Ecclesiam a Leone Papa Petro Apostolo consecratam. Exercitus autem persecutus est eum usque in Templum & maxime satellites Heinrici, dolentes ac vindicare contendentes injuriam Domini sui, nec veriti januas ferro incidere, cum armis ingressi sunt sacram ædem. Tancmarus autem stabat juxta altare, depositis desuper armis cum torque aurea, cumque ex adverso telis urgeretur, Thiadolfus quiddam Notus Cobbonis cum conviciis ei vulnus inflixit, ilicoque ab eo vel resuscepit, ex quo vita cum terribili insania in brevi caruit. Quidam autem Militum Meinzo vocabulo per fenestram altari contiguam lancea a tergo perfossum ibi secus aram extinxit Tancmarum. Ipse autem fraternæ fautor discordiæ in Biertanico postea bello vitam cum auro ab Altari nequiter rapto miserabiliter perdidit. Earum rerum Rex ignarus & absens, cum audisset, super temeritate militum dedignatus est, sed fervente adhuc bello civili, non potuit eos contristare. Miseratus autem fratris fortunam, suique ingenii ostendens clementiam, pro laude ejus ac industria pauca locutus, Thiadericum ac tres amitæ illius filios, qui Tancmaro manus junxerant, lege Francórum damnatos strangulo fecit deficere. Inde vertit militem avidum pugnæ & præda urbis ditatum in Larun. Illi autem urbis Præfecto auctore acriter resistentes lapides lapidibus, tela telis obicere non cessabant, aggravatique bello, super consulto Ducis inducias deposcunt, quibus concessis, Ducis eis præsidium negatur. Unde urbe egressi potestati regiæ se tradiderunt. Ea pugna Tammo pincerna multis rebus bene gestis olim famosus, factus est clarus. Eo tempore, quo erat bellum Eberhardi cum Rege, missus Hadaldus, qui erat super cubiculum Regis, ad Gisilbertum Ducem pro concordia & pace, cum adhuc ad neutram partem declinaret, indigne suscipitur, & responsio de die in diem differtur. Ipse autem simultates Ducis sentiens, nec ultra talibus versutiis contentus; Imperium tibi, inquit, regale facio præsente populo, Tribunali Regis condicto die præsentari, aut certe hostem te scias judicari. Simili autem modo idem Dux & Pontificem Bernardum a Rege missum inhonoratum & responsi incertum a se dimiserat. Fertur etiam regalium litterarum sigilla sæpius corrupisse. Post hæc verba legatum meliuscule cœpit habere & cum honore transduci fecit. Eberhardus autem audiens de nece Tancmari & defectione suorum militum, fractus animo prosternitur, captivo suo veniam petit ac nequiter promeretur. Heinricus eo pacto solvit eum crimine, quo conjuratione secum facta contra Dominum suum & fratrem sibi diadema si possibile

bile esset imponeret. Fœdus itaque invicem percusserunt. Inde liberaliter Heinricus ad Regem reversus puriori fide & caritate susceptus est quam ingressus. Suasione quoque optimi viri & omni religione probatissimi Friderici successoris Hildeberti Mogontini Archiepiscopi Eberhardus adiit Regem supplex, veniam deposcit, se suaque omnia ipsius arbitrio tradens. Ne tamen ingens scelus inemendatum maneret, quasi in exilium in Hildenesheimensem urbem mittitur. Interea antiqui hostes nostri Ungarii subito irruunt in Saxoniam, & castris super litus Bodæ fluminis collocatis, inde in omnem regionem diffunduntur. Dux autem missus a castris cum parte exercitus eo die ad vesperam signa movit contra urbem quæ dicitur Stedicraburch. Urbani autem videntes hostes & ex itinere & ex pluvia, quæ ingens erat, segniores, audacter erumpunt portis, & clamore primum territantes, demum autem in adversarios repente irruentes plurimis ex eis cæsis & copiosa equorum multitudine cum aliquibus signis capta, ceteros fugere compulerunt. Urbes, quas obvias habuere, illorum fugam animadvertentes armis eos locis omnibus urgebant, & maxima ex eis parte prostrata, Ducem ipsum in quemdam luti puteum cogentes, oppresserunt; altera autem pars eorum exercitus ad Aquilonem versa & arte cujusdam Slavi in locum, qui dicitur Triminig, deducta, difficultate locorum ac manu circum fusa armatorum periit, timoremque nimium ceteris incussit. Dux autem illius exercitus cum paucis elapsus comprehenditur & ad Regem deductus pretio magno redimitur. His auditis castra hostium turbata, fuga salutem quæsierunt, nec ultra per plurimos annos in Saxonia apparuerunt. Inger Rex Ruscorum sciens exercitus Græcorum esse ductos contra Sarracenos & ad Insularum custodias dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum mille & eo amplius navibus venit, adeo de Victoria jam securus, ut Græcos non occidi, sed capi præciperet; quibus Romanus Græcorum Imperator cum paucis viriliter occurrens circumcirca Græco igne injecto pene omnes cum navibus exussit, paucis evadentibus, omnes captivos decollari jussit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC XXXIX. Otto Rex Bawarios iterum aggressus omnes sibi subdidit præter unum filium Arnoldi. Eberhardus ab exilio remittitur, totumque regnum inimicitiis & rebellionibus confunditur. Eberhardus enim & Gisilbertus cum Heinrico fratre Regis adversus Regem rebellant, suggerentes ei, regnum magis competere illi in patris regno nato, quam Ottoni ante Regnum nato. Sed & quidam Ecclesiastici viri nequam & Deo odibiles illis factione concordant omniaque passim pacis & concordiæ jura turbabant. Heinricus autem eo tempore nimis adolescens erat, & regnandi cupiditate fervebat. Eberhardus sane Gisilbertum Ducem a Regis fidelitate disjunxerat, cujus adjutorio Regi non modice resistebat, qui Gisilbertus, quanquam sororem Regis uxorem haberet, maluit tamen & ipse suscipiendi regni spe regi resistere, quam ei, ut debuerat adjutorio esse. Habuit autem Rex maximas & fortissimas copias Herimannum Suevorum Ducem, qui Burchardo successerat, fratremque ejus Utonem atque Conradum cognomine sapientem, qui quamvis affinitatis linea Eberhardo jungerentur, maluerunt tamen juste, si necessitas ingrueret cum justo Rege occumbere, quam cum consanguineo injuste triumphare. Eberhardus itaque haud secus valuit Gisilbertum a Regis fide sejungere, donec ei promitteret, se illum Regem facturum; Gisilbertus vero hac arte voluit decipere Heinricum, ut dum suo adjutorio Regem vinceret, ipse Regni solium obtineret. Verum Eberhardus longe aliter disposuerat. Voluit enim, si Regem posset devincere, utrosque de regno privare, illudque sibi usurpare, sicut ex verbis ipsius, quæ paulo antequam occideretur, uxori suæ dixerat, possumus conicere, quam dum foveret in sinu: jocundare, inquit, in gremio Comitis, in brevi lætatura in amplexibus Regis. Igitur Heinricus ardens cupiditate regnandi, celebre parat convivium in loco, qui dicitur Salaveldun. Cumque esset magnus ac potens, Majestate ac potestate Regali plurimis plurima donavit, & factioni hujuscemodi plurimos ob id associavit. Fuere tamen multi, qui rem cælare potius arbitrati sunt, ad hoc tantum, ne rei fraternæ discordiæ invenirentur. Dabant tamen consilium, quo facilius bellum solveretur, ut videlicet ipse relinqueret Saxoniam sub præsidio militari & sese inferret Lotharingis, generi hominum imbelli. Denique ita factum est, ut primo impetu eos Rex devinceret & uno certamine fatigaret.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XL. Rex Otto contra fratrem in Lotharingiam exercitum duxit: nam ille conmilitonum consultu urbibus Saxoniæ vel Thuringiæ militari præsidio traditis, cum amicis Lotharios adierat, unde omnes fama perculsi sunt, quia tam subitaneæ recessionis a Rege causam penitus ignorabant. Rex audita fama primo non credidit, postremo certum de belli negotio probans, nil morans, cum exercitu persecutus est fratrem. Ut appropiavit urbi nomine Trotmanni, milites Heinrici, qui erant in ea, memores fortunæ Tancmari non ausi Regem expectare, sed egressi urbe tradiderunt se ipsos Regi. Erat autem Agina Procurator urbis, qui a Rege vehementi juramento constrictus, quatenus si posset Dominum suum ad pacem revocaret vel certe ad Regem ipse reverteretur, dimissus est. Heinricus & Gisilbertus copias belli parantes decreverunt ad Rhenum occurrere Regi, cum jam Regis milites fluvium transmeare cœpissent. Insperato Heinricus cum suis in tanta vicinitate erat, quod ab eis videri poterat. De navibus egressi perpauci vix equos ascendere seque armis induere poterant, & legiones adversæ cernuntur præsentes. Agina memor jurisjurandi præcedens exercitum, transito Rheno Regi se præsentavit, & salutato eo verbis humillimis ait: frater tuus, Dominus meus, salvum te & inco-

incolumem magno latoque imperio regnare exoptat, tuumque ad servicium demandat quantocius festinare. Rege interrogante bellum pacemne cogitaret, prospiciens vidit multitudinem nimiam erectis signis tractim procedere, & ad sui exercitus partem, quæ Rhenum jam transierat, tendere, & conversus ad Aginam: quidnam, inquit, vult illa multitudo aut quæ est? At ille satis otiose: Dominus meus, inquit, est frater tuus, & si meæ suasioni dignaretur animum inclinare, aliter venisset, modo ut ipse juravi, veni. Rex his auditis dolorem animi motu corporis non celabat, eo quod non adessent naves, per quas Rhenum transire posset, & aliud iter ingens flumen non præbebat, nec tempus subitanei certaminis in ulteriori ripa constitutos aliud sinebat cogitare, nisi aut coram hostibus cadere debere aut vitam armis defendere, unde ad DEum supplices extendens manus: DEus, inquit, omnium rerum auctor & rector, respice populum tuum, cui me præesse voluisti, ut erepto ab inimicis, sciant omnes gentes nullum mortalium tuæ dispositioni contraire posse qui omnia potes, vivis & regnas in æternum. Protinusque de equo descendens, clamansque cum omni populo ante lanceam, in qua victoriosi clavi manibus & pedibus nostri Redemptoris infixi erant inclusi, prostratus probavit, quantum viri justi oratio valeat. Nam qui in ripa ulteriori erant, sarcinas & impedimenta in locum nomine Xantum mittentes, se invicem cohortantur in hostes, & quia piscina erat inter eos & hostes; Saxones divisi una pars ex adverso, altera a tergo irruentes & hostes in medio deprimentes, pauci urgebant plures; neque enim super centum adfuisse perhibentur; hostium vero satis ingens erat exercitus, sed cum a fronte & tergo premerentur, qua parte potissimum cavere deberent, in promptu non erat. Ex nostris etiam qui Gallica lingua loqui ex parte sciebant, clamore in altum gallice levato, exhortati sunt adversarios ad fugam, & illi socios clamasse arbitrati, fugam inierunt. Ex nostris multi vulnerati, aliqui cæsi sunt, inter quos Adalbertus, cognomine candidus, telo Ducis Heinrici vulneratus in paucis diebus defunctus est. Hostes omnes fugati, cæsi vel capti, sarcinæ & suppellex eorum divisa est. Heinricus quamvis loricæ triplicis fortitudo, usque ad carnem non admitteret ensis aciem, brachium tamen ejus pondere percussionis acerbe in livorem est conversum, ut nullis medicorum curis ita mederi posset, quin toto anno dolorem magnum sentiret. Ex parte Lothariorum bene pugnasse prædicabatur illo certamine Godefridus Niger, qui illo certamine periit; Meinzo quoque cujus supra mentionem fecimus eo die cecidit. Dadi Thuringus mandavit Præfectis urbium Heinrici in Oriente de victoria Regis, & quia Heinricus in bello cecidisset, egitque callide, ut omnes se traderent regiæ potestati, quod factum nequaquam Heinricus reliquit inultum. Ipsi tamen ex omnibus duæ tantum remanserant urbes Mersburh & Scitiggi. Regi autem visum est persequi fratrem cum genero. Ille vero audita defectione suarum urbium fractus animo cum novem tantum armatis jam tarde Saxoniam adiens, Mersburh ingressus est; quo Rex comperto & ipse reversus est fratremque ibi obsedit. Ille cum non posset fortiori resistere post duos ferme menses tradita urbe congressus est ad Regem, cui datæ sunt induciæ triginta dierum & cum militibus sibi cohærentibus secederet a Saxonia; si quis vero illorum Regem adiret, veniæ locum haberet. Quievit Saxonia ab intestinis bellis paucis diebus. Barbari vero labore nostro elati ab incendio ac cæde non vacabant. Geronem, quem sibi præfecerat Rex, interficere cogitabant. Ipse dolo præoccupans convivio delibutos ac vino XXX. principum ex eis una nocte extinxit. Sed cum non sufficeret contra tot nationes, nam Apodriti rebellaverant, & cæso exercitu nostro, Hicam Ducem quoque extinxerant, ab ipso Rege ductus sæpe dictus in ultimam eos calamitatem adduxit. Illi nihilominus bellum, quam pacem malebant, ut pote durum genus, laboris patiens, victu levissimo assuetum, & quod nostris oneri est, pro voluptate ducens. Nostris pro gloria & Imperio, illis pro libertate multo tempore certantibus, patiebantur Saxones hostes ab Oriente Slavos, ab Aquilone Danos, itemq; Slavos. Quidam itaq; Slavus a Rege Heinrico relictus nomine Tugumir, Hevellorum de paterna successione Dominus, pecuniis & promissionibus corruptus venit in Regionem Saxonum, & quasi occulte elapsus Brandeburh adiit & a populo agnitus, ut Dominus susceptus, nepotem suum, qui solus de principibus gentis supererat, ad se invitavit, dolo captum interfecit, urbemque cum Regione regiæ ditioni tradidit; quo facto omnes Barbari usque in Oderam tributis se subdiderunt. Berengarius, Berengarii ex filia nepos, timens Hugonem Regem Italiæ, persequentem se, eo quod regnum contra eum affectaret ad Herimannum Alamanniæ Ducem & per eum ad Ottonem fugit. Stephanus Papa VIII. hujus nominis sedit annos III. menses IV. dies XV. Burchardus Wirceburgensis Episcopus obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XLI. Rex, discedente a Saxonia Heinrico & cum Gisilberto morante iterum Lotharingiam petit. Gisilberti regio igni traditur. Ipse obsessus in Kievermont fuga elabitur, cumque melius pugnare arbitraretur, Immonis Comitis artibus, quam armis, ille meliori consilio usus majori se subdit, arma contra Ducem sumit, quod omnium ille laborum gravissime tulit, eum adversum sibi sustinere, cujus consilio ac fidei maxime credebat; Augebat ejus indignationem, quod subulci sui cum contra portas urbis transirent, Immo porcellum pro porta agitari fecit & omnem gregem porcorum apertis portis intra urbem recepit. Dux injuriam non ferens coacto exercitu obsedit Immonem: Ille vero plurima apum examina frangens projecit contra equites, quæ aculeis equos stimulantes in insaniam vertebant, ut etiam equites periclitarentur, quod Immo prospiciens de muro eruptionem cum sociis minitabat. Dux hujuscemodi artibus

bus sæpius ab Immone delusus solvit obsidionem & discedens fertur dixisse: Immone mecum sentiente Lotharios omnes facile captos tenui, modo hunc cum omnibus Lothariis solum capere non possum. Hugo Rex Italiæ, misso sibi Græco igne a Græcorum Imperatore, Fraxinetum oppugnat, & navibus Sarracenorum exustis eos inde fugat.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXLII. Rex Otto Kievermontis obsidionem solvit. Lodowicum Regem Karoli filium Alsatia expulit, quam consilio inimicorum Regis sub obtentu requirendi Lothariensis regni invaserat, ubi quæque potuit plus hostiliter quam regaliter gessit; quo expulso Rex Brisacam Castellum munitissimum obsedit, ubi quamplura utrinque bellica gesta sint, posterorum futura successio non ignorabit. Est in confinio Alsatiæ inde adjacens pagus, Brisagowe appellatur; fertur olim, illorum fuisse, qui dicebantur Harlunge, tunc vero milites Eberhardi ex ipso magnam provinciæ partem sibi vendicantes Regis fideles laniabant; Everhardus igitur jure spreto juramentorum cum Gisilberto conspirat, nec contenti occidentali regno, in Rheni Orientalem agrum populandum cum exercitu convertuntur; hæc dum audiuntur in castris Regis, multi se eruebant, nec ultra spes erat regnandi Saxones. Rex vero in ea turbatione tanta constantia & imperio usus est, licet raro milite stiparetur ac si nil ei difficultatis obviasset; Summi Pontifices relictis tentoriis ac supellectili; ipsi etiam defecerunt a fide; causa defectionis erat Fridericus Moguntinus Pontifex successor Hildebrandi Sancti Viri & ipse, quantum ad humanum judicium, bonis operibus deditus, nisi quod adversariorum Dei partibus favebat, quod quidem fama commendabat, ipse vero summo annisu negabat. Hic a Rege pro concordia & pace ad Everhardum missus pacto mutuo suum juramentum interposuerat, & ideo se ab eo non posse desipere fertur dixisse. Rex autem per Pontificem officio suo congrua dirigens responsa, nil ad se pertinere voluit, quicquid Archiepiscopus egisset sine suo Imperio. Regis itaque milites considerantes discessionem Pontificum, suadebant, ut & ipse Saxoniam repeteret, qui imperterritus, ut Judas Machabeus quondam suis; Nolite, inquit, talia loqui, etsi appropiavit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est pro vera justitia mori, quam fugiendo turpiter vivere; his & aliis talibus eos a fugæ proposito revocavit, & vehementer, ut pugnarent, animavit. Comitis cujusdam multitudo Regis aciem condecorabat, hic reputans nil sibi tunc a Rege negari propter instantem necessitatem petivit suorum usibus abbatiam Lauresheimensem; Rex intelligens quid portenderet hæc petitio; obedire, inquit, oportet Deo magis quam hominibus. Quis sanum sapiens ignoret hoc te non humilitatis petitione, sed comminationis auctoritate dixisse. Sanctum canibus me dare judico, si Deo militantium prædia sæculo militantibus tradidero, tibi tam provocanter injusta petenti sub testimonio totius populi testificor, nec hoc, nec aliud umquam a me accepturum. Si tibi cordi est cum infidelibus avolare, quanto citius, tanto melius. Ille rubore perfusus ad pedes Regis corruit, seque peccasse coram omnibus pœnituit. Everhardus & Gisilbertus apud Andernacum Rhenum transeunt; Vdo frater Herimanni Ducis Alsatiæ & Conradus cognomento sapiens, copiis illorum impares occurrere non ausi, tamen spoliis oneratos pone sequebantur. Quidam Sacerdos flens obviavit; Interrogatus ab eis, cur fleret: ab istis prædonibus, inquit, paupertatis meæ unicum solatium ablatum est jumentum. Quem cum interrogarent de Gisilberto & Everhardo, ubi essent: Cunctis, inquit, cum præda transmissis soli cum electis suis, quod nequaquam bene vertat, cibum capiunt. Mox super Rheni litus super eos irruunt; major exercitus pars aberat; circumfusus Everhardus, acceptis multis vulneribus ac viriliter redditis perfossus telis corruit. Gisilbertus vero fugiens navem ascendit cum plurimis, qua onere prægravata Dux cum ceteris mersus numquam est inventus; ceterorum nullus superfuit qui caperetur aut necaretur. Rex juxta consuetudinem mane ad Ecclesiam longe a castris tendens, accepto hujus rei nuntio, equo descendit, cum lacrymis Deo gratias agens, se in orationem dedit, posthanc ad Ecclesiam pertendit. De casu Gisilberti Gallicus quidam scriptor aliter narrat, dicens; Multam itaque prædam Otto adducens Rhenum transiit. At Gisilbertus Dux injuriam ultum ire festinans, collecto exercitu post hostem accelerat, transiensque Rhenum, terram illam solotenus incendiis vastat, armentorum & pecudum prædam nimiam adducit, jam flumen ingredi parabant, & ecce Otto copias accelerantibus induxit. Et post pauca: Cum Gisilbertus suos defecisse, adversarios autem illæsos arbitraretur, in tanta confusione rerum fuga periculum evadere nitebatur, in fluentum equo desiluit, sed enatare non valens vi undarum periit. Belgæ interitum Ducis ignorantes totis viribus decertabant, donec post execrabilem & innumerabilem interitum eorum qui relicti fuerant alii caperentur, alii mergerentur. Hæc sunt verba Gallici scriptoris. Rex sequenti die directis nuntiis ad Bertoldum Bawariæ Ducem toto conamine regiæ parti faventem volens lætitiæ sicut & tribulationis participem esse; omnia ei aperuit, demandans sub juramento, si sororem suam viduam Gisilberti posset habere, illi eam copularet; sin vero filiam Gisilberti ex eadem genitam, quam penes se habebat fere jam nubilem, ei jungeret. Bertoldus immenso gaudio effectus maluit nondum nubilem filiam expectare, quam matrem tollere. Fridericus Archiepiscopus X. diebus ante prænominatorum necem discedens a Rege Mogontiam, nilque ibi moratus Metensem adiit urbem, ubi cum ea Heinricus disposuerat, redeuntibus Eberhardo & Gisilberto Regi maximum bellum præparare; sed insperate occurrentes

rentes ei nuntii mortem prænominatorum indicaverunt, qui consternatus animo quid ageret, ignorabat. Interea Rex Alsatiam deserens Franciam occupabat, cujus metu a Mogontinis Archiepiscopus intra mœnia non receptus, a quodam fidele Regis capitur & in ejus præsentiam ductus Fuldam custodiendus mittitur. Rothardus Strasburgensis Episcopus Corbejam dirigitur; in brevi vero utrisque clementer ignoscens in gratia recepit & honori pristino reddidit. Heinrico Kievermont ingredi volente soror ejus vidua Gisilberti prohibuit eum dicens: Non te miseriarum mearum, quas marito perempto patior, piget? quin etiam munitionibus meis te includendo Regis iram super hanc regionem velut aquam effundas, non patiar, nec tanta mihi vecordia erit innata, ut ex meis incommodis commoda tua compares. His auditis, Lotharios deseruit & in Regnum Lodowici secessit. Ignorans ergo quid aliud ageret, assumptis quibusdam Episcopis, quorum juvaretur auxilio, die quadam, nudis pedibus ad Regis Ottonis pedes venit, ipso ignorante, supplex veniam implorans. Cui Rex, indignum, inquit, facinus tuum veniam non meretur, verum quia video te humiliatum coram me, non inducam malum super te; Jubensque eum ad palatium Ingilinheim proficisci solerti cura custodiri mandavit, quoad remota mentis ægritudine, quid super eum faceret, sapientum consilio definiret. Præfecit vero Regioni Lothariorum Ottonem filium Richwini ut & regnum procuraret, & nepotem suum Gisilberti filium bonæ spei puerulum nomine Heinricum nutriret. Mater vero pueri copulata est conjugio Lodowico Regi, cui genuit tres filios Karolum & Lodowicum & Karolum Karlomannum. Eo tempore bellum Barbarorum fervebat. Et cum milites ad manum Geronis Præsides conscripti crebra expeditione attenuarentur & donativis vel tributariis præmiis minus adjuvari possent, eo quod tributa passim negarentur, seditioso odio in Geronem accenduntur. Rex vero ad communes rei publicæ utilitates Geroni semper juxta erat. Unde factum est, ut nimis exacerbati, odia sua in ipsum quoque Regem vertissent.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXLIII. Hiems asperrima fuit, quam secuta est fames validissima. Rege natalem Domini Franconevord celebrante, Heinricus per Rodbertum Moguntinæ Ecclesiæ Diaconum, custodiam noctu clam effugiens, ante lucano tempore Regis Ecclesiam adeuntis pedibus accubuit, & concessa venia, misericordiam, quam precabatur, obtinuit, & aliquantis urbibus concessis permissus est intra Regionem Lothariorum habitare. Non latuit eum militum odium contra Regem & Geronem pro expeditionum difficultatibus concitatum. Et, ut solet fieri, dum amaris animis dulce aliquid offertur, facile persuadebat hujusmodi homines sibi concordare, spemque iterum habens regnandi, legatis intercurrentibus & munusculis invicem missis, omnes pene Orientalium partium milites sibi colligavit; ita ut conjuratione valida facta in Pascha, quæ instabat, cum Heinricus Palatium adisset, Regem cogitarent occidere, ipsi vero diadema Regni imponere. Earum rerum dum esset nullus Proditor publicus, semper protegente se summa divinitate, notæ sunt factæ Regi insidiæ modicum ante Pascha, qui die ac nocte fidelium militum vallatus manu nilque decoris vel majestatis Regiæ coram populo minuens, nimium hostibus intulit timorem. Post diem vero solemnem consilio maxime Francorum, Heremanni scilicet Vtonis & Conradi, qui dictus est Rufus, qui eo tempore sibi adstabant, secrete proditos jubet comprehendi, vel occidi. Interea Escherich cum armatos ad se properare intelligeret, conscius causarum equum ascendit, arma sumit & circumfusus hostium turmis memor pristinæ virtutis & nobilitatis elegit mori quam inimicorum dominationi subici; nam lancea perfossus occubuit, vir omni industria & virtute civibus clarus & carus. Cæteri insidiarum conscii Reinward, Wirun, Escherich, Bacco, Hereman in alteram ebdomadam differuntur, & secundum leges suis sceleribus meritas capite cæduntur. Lutarium Comitem perdere quidem voluit, sed victus familiarium Principum consilio bonis ejus late distributis, Duci Bertoldo in Bawariam mittitur usque in annum integrum, tuncque Regis gratiam & sua omnia cum magna pecunia & prædio in Sunterslevo & Vvodeneswego jacenti adquisivit. Quod vero in Dominum suum Regem taliter deliquerat abluere sedulo cogitans, Monasterium in loco qui dicitur Vvallebizi in honore sanctæ Dei genitricis construxit, concedens usui fratrum decimam partem hereditatis suæ. Heinricus iterum regno fugiens, cessit. Fridericus Archiepiscopus, quia conspirationis particeps videbatur, examinatione publica, perceptione corporis & sanguinis Domini se coram populo in Ecclesia purgavit. Cometæ sunt visæ a XV. Kal. Novembris usque in ipsas Kal. multique territi pestilentiam, vel regni mutationem metuebant, quomodo ante Heinrici Regis excessum eadem monstrata erant, ut solis splendor foris aëre absque nubilo pene nullus appareret, intrinsecus vero per fenestras domorum rubeus tamquam sanguis infunderetur. Monsque Quidelingeburh, in quo rerum Dominus sepultus est, fama prodidit, quia multis locis flammas evomeret; Hominis etiam cujusdam sinistra manus ferro amputata post annum fere integrum est restituta dormienti, quæ pro signo miraculi sanguinea linea loco conjunctionis notabatur; sed cometas & inundationem pestilentia boum est secuta. Bunna Castello præclara Synodus habita est ab Episcopis XXII. Marinus Papa sedit annos tres, menses sex, dies XIV. Rex Lotharingiæ ducatum defuncto Heinrico puerulo & Otone præside Conrado concessit, cui & unicam filiam Liutgardam desponsavit, & Liudolphus Regis filius dilectione nimia illi est adstrictus; Erat enim acer, domi & militiæ optimus & cum militonibus suis carus. Immo Comes revera nescio an falso arma sumit contra Regem,

Regem, & media hieme circumdatus exercitu se pariter cum urbe tradidit, ac deinceps fidelis & utilis permansit, nepotes quoque Gisilberti servituti Regiæ se subdebant, urbibus, quas tenebant, nihilominus receptis, Kievermont etiam ab Ansfarnbardo tenebatur, ad quos Immo mandatum dirigens: de me, ait, non sentio nisi quod vos sentitis, de vobis notum est, quia hujus gentis principes estis; nulli dubium, quin duabus manibus quisque magis valeat, quam una; Certum est itaque tres unum fortitudine præcellere & nunc quæ necessitas cogit ut serviamus Saxonibus, nisi discordia nostra; quando vos armis circumdederunt, num victoria læ tati sunt? victoribus certe turpe est servire: optimum omnium mortalium qui me a puero nutrivit & inter amicos semper habuit, & magna potestate clarificavit, nostrum communem Dominum deserui & Saxoniæ periculo capitis mei me sociavi, modo ut scitis pro merito honoris contumelia ab eo affectus armis circumdatus pene ex libero servus sum factus, ut noveritis me ex fide communi utilitati consulere, tibi Ansfrid unicam filiam meam desponsabo: date locum mutui collocui & ex me ipso pro habitis, quæ per Nuntium nondum potestis. Illi quamvis ferrei peccatoris & illum olim suspectum habentes, tamen suasibilibus verbis cesserunt, & ille opportunis locis armatos habens dolo ambos cepit, Regique misit demandans: elatior est mollior, vinculis aut verberibus non indiget, minis pandit universa quæ scit; Ansfrid durior ferro est, hunc si tormenta acerrima rimantur, magnum est. Quos Rex ubi aliquandiu custodiæ mancipatione castigavit, postea suæ gratiæ lenitate sibi associans in pace dimisit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XLIIII. In Italia Cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem quæ secuta est. Rex apud Diusburgum in Rogationibus placitum cum Primoribus Lothariorum & Francorum habuit, ubi factione Conradi Ducis Rotbertus Treverensis & Richarius Leodicensis Episcopi apud Regem infidelitatis arguuntur, sed in brevi ab objecto crimine liberantur. Corpus etiam S. Servatii a Trajectensibus Clericis apportatum est ob multimodas ab Immone Comite illatas sibi injurias. Hungari a Carantanis tanta cæde mactantur, ut nunquam antea tantum a nostratibus infirmarentur. Bertoldus Dux Bawariæ victor de Vngaris existens triumphis celebris fuit. Græcorum Rex Ottoni Regi xenia misit. Sol horribilem eclipsim passus est feria sexta, hora diei quarta, quo die in Hispania Addaram Rex Saracenorum a Radamiro Christianissimo Rege Galliceæ in bello superatus est. Stephanus & Constantinus Imperatores Constantinopolitani filii Romani Imperatoris ægre ferentes justa Patris sui severitate, se a juvenili levitate coërceri, dispositis in palatio insidiis, ignorante altero Constantino, Leonis Imperatoris filio, patrem de palatii solio deponunt & tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua cœnobilitæ philosophantur, transmittunt. Rex Otto Vgonem alterum armis edomuit, ac subjectum sibi fecit, cujus fibulam auream sibi dono concessam, gemmarum varietate mirabilem in altari videmus Protomartyris Stephani rutilantem. Adalbertus Comes filius Matfridi Comitis occisus est ab Vdilone.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XLV. Ottoni Regi Lotharienſibus omnibus subactis Adalbero Metensis Episcopus frater Friderici Ducis resistere conatus in Theodonis villa Capellam Pii Imperatoris Lodowici instar Aquensis inceptam, ne pro munimine perficeretur, destruxit, non tamen diu in rebellione permansit, Regnum enim omne vel Ducatus ex ipsis fidei visceribus ad Regem conversum est & extinctis hostibus, pax & concordia renovatur. Rex Herimannum & Conradum Duces inter se diffidentes reconciliavit. In Casella cuidam suo fideli Christiano Marchioni quotas proprietates in pago Seromunti, loco nomine Steno, & in loco nomine Quicma donavit in comitatu ejusdem Christiani. Igitur Rex monitu piæ matris suæ recordatus fratris multis laboribus fatigati, Bertoldo Duce defuncto, præfecit eum regno Bavvariorum. Erat autem Heinricus copulatus matrimonio Judithæ filiæ Ducis Arnoldi, fœminæ egregiæ formæ, mirabilisque prudentiæ. Fratrum ergo concordia Deo acceptabilis, & hominibus amabilis, sicut orbi celebris, dum unanimes respublicas augent, hostes delent, civibus potestate paterna præsunt. Nam Ducatu accepto nequaquam desidia torpuit, sed abiens Aquilegiam cepit, Vngaros bis vicit, vicinum mare transnatavit, præda magna intra regionem hostium capta, exercitum incolumem reduxit. Talium igitur mores, habitum & formam summa clementia ad delicias omnemque destinavit decorem. Ipse Dominus rerum natu maximus optimus inprimis, pietate clarus, opere omnium mortalium constantissimus, præter Regiæ disciplinæ terrorem semper jocondus, dandi largus, dormiendi parcus, & inter dormiendum semper aliquid loquens, quo eum vigilare semper putes, amicis nil negans, & supra hominem fidelis, ut etiam quidam criminis manifesti ipsum nullo modo credulum etiam advocatum haberent, & ab eo postpositi sunt, tanquam nil in eum peccassent. Ingenium ei mirandum; nam post mortem Edidis Reginæ cum litteras nesciret, in tantum didicit, ut pleniter libros legeret, & intelligeret. Lingua Romana & Slavonica loqui sciebat, sed his uti raro dignabatur. In venationibus creber, tabularum ludos amabat, equitatus gratia Regiam dignitatem interdum exercens. Accedebat moles corporis Regiæ dignitati, capite cano, sparso capillo, oculi rutilantes & in modum fulguris cita repercussione splendorem quemdam emittentes, facies rubicunda, barba prolixa contra morem anticum, pectus quasi leoninis quibusdam sparsum jubis, venter commodus, incessus quondam citus, postmodum gravior, habitus patrius, & qui nunquam fuerit peregrino usus, quotiescumque opus erat corona portanda, jejunium præcedere fereba-

rebatur. Heinrico vero tanta inerat pulchritudo, ut quisquam virorum tunc temporis vix posset ei comparari. In armis & fiducia patri similis, in adversitatum cautela matrem præferens, moribus gravis; ideoque ignotis minus clemens jocondusque prædicabatur, constanti animo, admodum fidelis amicis, ut militem mediocris substantiæ matrimonio conjugis suæ sororis honoraret, sociumque sibi & amicum faceret. Erat corpore præstanti, & qui in adolescentia omnem hominem ad se egregia forma inclinaret. Junior vero fratrum Domnus Bruno magnus erat ingenio, magnus scientia & omni virtute ac industria, quem cum Rex præfecisset, ut postea dicetur, indomitæ genti Lothariorum, Regionem a latronibus purgavit, disciplina legali instruxit, gregem sibi commissum dilexit, multos ab errore eripuit, quosdam assiduis disputationibus ad meliora ducens, quosdam doctrinæ maturitate sanctiori desiderio accendens, in sermone mitis, in doctrina humilis, malorum destructor, veritatis assertor, subditis blandus, tumidis severus, quæ alios docuit, prior implevit. Multa quoque in suo Archiepiscopatu Monasteria extruxit. Richarius Leodicensis Episcopus obiit, cui Vgo Abbas Trevirensis successit. Apud Constantinopolim Stephanus & Constantinus videntes post Patris sui depulsionem filium Leonis Imperatoris ab omnibus sibi præferri & se jam vix in secundis haberi, cum deliberarent hoc, quod de Patre fecerant, etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio, per Diabolum incentorem illius consilii, cum ad convivium ex condicto consedissent, & de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo a viris Constantini ambo fratres solio deturbantur & tonsis capitibus ad idem Monasterium, quo patrem transmiserant, philosophaturi mittuntur: ita evacuato palatio abusivis Imperatoribus Constantinus ipse & Romanus filius ejus ex Romani Imperatoris filia imperaverunt annis XVI.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXLVI. Rex Otto cum Rege Lodovvico Legatorum interventu reconciliatur, quod Lodovvico plurimum profuisse probatur. His diebus Mahtildis venerabilis Regina suorum calumnias filiorum mira patientia sufferebat, custos oris sui ne incongruum quid proferret. Nam ad aures illorum pervulgatum erat, quod innumerabiles pecunias Regalium censuum consumpsisset; reposcebantur a Rege, quæ pauperibus distribuerat; mittebantur exploratores spoliare & contumeliis afficere nuncios ejus, qui munera indigentibus portabant: compellebant eam dotales regiones relinquere, & sacro velamine se consignare, ferret vero minus moleste injurias, si Heinricus, quem unice amaverat, fratri non concordasset. Rex Otto, inquit, calumniatur nobis exigentibus meritis nostris, noverit illum Deus, qui contra nos excitavit nostrum amabilem filium Heinricum, cujus solamine sperabamus enatare, quicquid triste accidisset; Nil tamen de illo inclementius dici audiemus, quia præcordialiter diligitur a nobis, nunc cum inimicus putatur. Videns autem molestias eorum non minui, sed in dies plus augeri, relinquens quicquic Heinricus Rex in dotem dederat, in Occidentali Regione Angarinensem adiit, parcens filiis & non minus, quam consueverat, bona opera exercens. Regi vero supervenere Dei flagella, retroversis victoriæ triumphis, aliisque rebus secundis, Heinricum vero gravis morbus invasit, sed quasi voto matris moderatio divina satisfactiones feriendo pepercit. Rege usque ad mortem contristato, ingressa Edith Regina hortatu Sacerdotum & Principum revocetur, ait, sanctissima vestra mater, Regnum, ut convenit, prima possideat & omnia vestra, ut speramus, in pristinum restituentur. Rex pœnitentia compunctus missis Episcopis, Ducibus & Comitibus, & prudentissimis militum; mater inter cætera mandavit: supplicium quodlibet libenter patimur, tantum ut vestra gratia fruamur, nos & omnia nostra ditioni vestræ subdimus, quicquid injuste abstraximus, restituemus, nil nobis jocondum erit, antequam vos videre contigerit. Mox Regina omnibus, quæ pertulerat, oblivioni traditis iter ad Gruonam hilaris acceleravit. Rex cum Reginæ Edith obviam tendit, appropinquans equo desiliit, flexoque genu; o decus, inquit, & solatium nostri laboris, cujus meritis deputamus, quod solium possidemus, sumite de nobis supplicium quodcumque vultis, tantum redire nobis liceat in gratiam reconciliationis: ex quo abscessistis a vestra dotali regione nostræ vires fractæ, prosperitas omnis est retroversa, quæ flens osculum pacis præbuit: Si nostra, inquit, non exegissent merita, nulla vobis obviassent adversa, nec minori Heinricus pœnitentia compunctus; O venerabilis, inquit, Domina, & si fas est dicere mater carissima, veniam postulamus a vestra materna dulcedine, quam non meremur. Quæ lachrymas supplicantis compescens osculum a filio poposcit. Amborum satisfactione percepta in dotales Regiones a Rege Duce introducitur, mira pacis tranquillitas, unanimis voluntas in pauperes & Ecclesias a matre & filiis usque in finem servatur.

Igitur cum bella interna externaque cessarent, leges divinæ atque humanæ auctorali vigore pollerent, gravis persecutio Monachis oritur. In illis diebus affirmantibus quibusdam Pontificibus melius arbitrari paucos vita claros, quamplures negligentes inesse monasteriis oportere; obliti, nisi fallor, sententiæ Patrisfamilias prohibentis servos zizania colligere, sed utraque crescere oportere usque ad messem, quo factum est, ut plures propriæ infirmitatis conscii, deposito habitu & relictis monasteriis grave onus sacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam, qui summum Pontificem Frithericum hoc non pure, sed ficte fecisse arbitrati sunt, quatinus venerabilem virum Regique fidelissimum Vuldensem Abbatem Hadumarum, quoquomodo posset, dehonestaret. Ipse enim erat vir magnæ prudentiæ ac industriæ, sed ejus temporibus templum famosum Vuldense igne consumptum est, & ab eo restauratum,

tum, & multo majore decore perfectum. Hic Pontificem sub custodia tenuit conjurationis culpabilem, primum honorifice, sed cum litteras ab eo scriptas reprehendisset, severe satis. Pontifex vero dimissus, dum ultionem quærit, nec contra tantum virum prævalet, humillima Monasteria tentavit, ut ad excellentissima æqualiter procederet, sed hujuscemodi simultates incassum profusæ sunt. Nam Abbas in gratia & amicitia Regis permansit, & causis intercurrentibus Pontifex, quod cogitavit, non implevit. Agapitus II. Papa sedit annos X. menses VI. dies X.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XLVII. Berengarium a Suevia reversum in Italiam, videns Italiæ Rex Hugo ab Italiensibus se deserto recipi, Lotharium filium suum, ut saltem Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat. Ipse Arelatum, unde venerat, rediit. Ille annus notabilis fuit casu calamitoso totius populi, de morte scilicet beatæ Edidis Reginæ, cujus dies extrema VII. Kal. Febr. celebrata est cum gemitu & lachrymis omnium Saxonum. Hæc nata ex gente Anglorum non minus sancta Religione quam regali potentia claruit X. annis regni consortia tenuit, XI. obiit. Saxoniam XVIII. annis habitavit; reliquit filium nomine Liudolfum omni virtute animi & corporis ea ætate nulli mortali secundum, filiam quoque, nomine Lutgardam, quam desponsaverat Conradus Dux, sepulta est autem in civitate Magedeburg in Basilica nova latere Aquilonari ad Orientem. Rex autem in vænatione, ubi se sperabat paululum refocilari, turbabatur vulnere lethali, inauditumque substituit mærorem, quem adventus dilecti compescuit filii. Qui ramosam Samii Pythagoræ litteram humanæ motus vitæ signantem, laudabili puer simplicitate percurrit ad bivium & dextrum iter aggressus de die in diem ut virens hedera exsurrexit, & in omnibus Patrissans nobilitatem moribus in tantum ornavit, ut cunctis Primatibus, quod laus est non minima placeret: unde sibi Patris gratia in tantum arrisit, ut hunc communi totius Senatus electione, honoris consortem atque laboris decerneret successoremque firmaret. Hugo Leodicensis Episcopus obiit. Farebertus successit. Privilegium a Papa Agapito Quideligburgensi Ecclesiæ adfertur.

Rex in Gallicam proficiscens expeditionem, coacto apud Cameracam urbem exercitu, festinat intrare regnum Karoli, vindicandæ causa injuriæ generi sui Loduici, quo audito Hugo, jurat per Patris sui animam, qui jam olim periit, DEO Regique proprio repugnando, quia tanta sibi esset copia armorum, quantam hactenus Rex nunquam vidisset, addiditque contemptum, vane, tumideque super Saxones loquendo, quia imbelles essent, & quia facile posset unam potionem telorum Saxonicorum semper absorbere: ad quod Rex famosum satis reddidit responsum; sibi fore tantam multitudinem fœninorum pileorum, quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse, nec Pater suus unquam viderit. Et revera cum esset magnus valde exercitus XXX. scilicet & duarum Legionum, non est inventus, qui non fœnino uteretur pileo, nisi Corbejensis Abbas cum tribus suis sequacibus. Dimissus igitur Lodwigus occurrit Regi, jungiturque cum sociis exercitui illius: occurrit quoque eis cum magna expeditione Conradus Rex Gevannorum, quem Lodwicus etiam vocavit in auxilium. Juncti ergo pariter Lugdunum adeunt, eamque armis tentant, inde Parisium Rex cum exercitu perrexit, Hugonemque obsedit, memoriam quoque Sancti Dionysii honorans digne veneratus est; Ductus est inde exercitus ad urbem Remensem, ubi erat Nepos Hugonis contra jus fasque omne subrogatus Episcopus, legitimo Pontifice adhuc superstite: urbem autem armis capiens injuste constitutum expulit Sacerdotem legitimum Ecclesiæ, sedique propriæ restituens exinde collecta de omni exercitu electorum militum manu, Rothum Nortmannorum urbem adiit, sed difficultate locorum asperiorique hieme ingruente, plaga quidem eos magna percussit incolumi exercitu, infectoque negotio post tres menses in Saxoniam reversus est, urbibus Remensi atque Lugduno cum ceteris armis captis, ac Lodwico Regi redditis.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XLIIX. Bovo Corbejensis Abbas obiit vir sapiens & clarus. Hujus Patris Avus Bovo græcas litteras coram Conrado Rege legendo factus est clarus, & hic ejusdem nominis erat, ut natu major omni virtute potior; sed & iste Nepos erat Uvarini, qui ex milite factus est Monachus, & primus apud novam Corbejam regulariter electus est in Patrem, qui Saxoniæ pretiosum intulit Thesaurum, reliquias videlicet Sancti Martyris Viti.

Hugo expertus potentiam Regis, virtutemque Saxonum, non passus est ultra terminos suos hostiliter eum intrare, sed pergenti iterum in eamdem expeditionem occurrit juxta fluvium, qui dicitur Car, manus dedit juxtaque imperium Regis pactum iniit, utilisque deinceps permansit. Concurrentibus autem undique ad Regem proceribus venit & vir ditissimus Suevorum Dux Herimannus, qui post congratulationis affabilitatem, talibus aggressus est Regem sermonibus: Non clam Domino meo est ne prædiorum latitudine ac pecuniarum immensitate prædivitem absque liberis esse, nec est præter unicam filiam meam parvulam, qui mearum rerum heres existat me decedente; placeat itaque tibi Domino meo Regi filium tuum Liudolfum mihi adoptare in filium quatinus unicæ meæ copulatus, mearum rerum fiat hereditate magnificus. Placuit Regi consilium Ducis, & quod poposcerat sine dilatione complevit. Conradus Dux Regi tunc temporis pene præ omnibus carus Lutgardam filiam Regis in matrimonium sumpsit. Liudolfus filius Regis tali, ut decuerat, apparatu Idam filiam Herimanni Ducis sibi conjugio copulavit. Synodus Inglenheim a XXXIV. Episcopis habetur, cui præsidente Marino Episcopo Romanæ Ecclesiæ legato incLyti Reges Lodwicus & Otto

 affue-

affuerunt, in qua multis Ecclesiasticæ utilitatis rebus discussis, causa quoque Hugonis filii Heriberti, qui Artaldum Archiepiscopum expellens sedem Ecclesiæ Remensis invaserat, ventilatur & omnium, qui affuerant, Episcoporum judicio condemnatur. Hugone Rege Italiæ mortuo, Lotharius filius ejus in Italia solo nomine regnabat. Berengarius Rex actu & potestate cunctis acceptus per Italiam tyrannisabat, homo ferus & avarus, & qui omnem justitiam pecunia venderet. Hic ad eumdem Regem Ottonem venerat quondam, Hugonem Regem Italiæ fugiens, benigneque ab eo tractatus, cum multam pecuniam Hugo pro eo dare vellet, non est redditus.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XLIX. Waldo Curiensis Episcopus obiit, cui Hartbertus successit. Odo Comes obiit, qui permissu Regis quicquid beneficii aut præfecturarum habuit quasi hæreditatem inter filios divisit. Hermannus Dux, socer Liudolfi Regis filii, obiit IV. Id. Decembr. omni possessione cum Ducatu derelicta genero; Liudolfo Mahtildis filia nata est, Brandeburgense Episcopium per testamentum a Rege Ottone confirmatur, Thietmaro primo antistite ibi præsidente, quod XXX. annis ante Magedeburgensem Episcopatum, legitur ab ipso fuisse constructum. Taxis Rex Ungariorum Italiam veniens X. modios nummorum a Berengario pro reditu accepit. Idem Berengarius veritus virtutem singularis prudentiæ Reginæ Adeleidis a Lothario Hugonis filio relictæ, XII. Kal. Maji, captam Cumis deprædavit, & in custodia media lachrymabiliter afflixit, quo tanti decus splendoris, aut extingueret, aut certe obscuraret. Hæc autem filia fuit Rodulfi Regis Burgundionum, qui etiam in Italia regnavit & Domnæ Berthæ Reginæ Burcardi Alamannorum Ducis filiæ, quam defuncto Rodulpho Rex Hugo in conjugium sumpsit, filiamque illius filio suo Lothario copulavit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC L. Rex Purificationem Sanctæ Mariæ Franconevord celebravit, indeque Wormatiam adiit, ubi viduam Hermanni Ducis ad se venientem benigne suscepit, & filio suo Liudolfo Ducatum Alamanniæ commisit. Filiam suam Conradi uxorem, a quodam Conone, eo quod sibi satisfacere noluisset, late diffamatam & conjugem suam clam fore ab eodem dictam, idem Rex graviter ferens. sic expurgavit. Convocatis omnibus regni sui principibus primo secretis allocutionibus eamdem, si hujus rei culpabilis esset, diligenter inquirit, posteaque cum illam adhibito Christi testimonio & sacramentis se nimis excusare vidisset, præsentibus cunctis indixit: si quis ex numero sibi familiarium eam armis defendere voluisset, quod se perpetuo firmum amicum potuisset acquirere. Burcardus Comes hæc audiens, in medium prosiluit, & Cononem per omnia mentitum fore coram omnibus dixit. Ille cum id verum esse Sacramentis affirmaret, cum eodem congressus primo conflictu dextram mendacem perdidit, & injustitiam suam devictus innotuit & misericors Dominus hanc a falso crimine eripuit, quæ innocentia vitæ sibi placuit. Liudolfus igitur accepta potestate animum tranquillum, quem in puero gessit, exuit, armatumque militem in Italiam ducens aliquantis ibi urbibus captis, & sub custodia traditis, ipse rediit in Franciam. Illo quoque tempore Rex proficiscitur in militiam contra Bolizlaum Regem Bohemiorum, & cum capienda esset urbs, quæ nuncupabatur nova, in qua clausus obsidebatur, Bolizlavi filius, prudenti Rex consilio diremit prælium, ne miles in rapiendis hostium spoliis aliquod periculum incideret. Considerata itaque virtute Regis, ac innumera multitudine exercitus Bolizlavus urbe egressus maluit tantæ majestati subjici, quam ultimam perniciem pati, sub signisque stans ac Regem audiens, responsaque reddens, veniam tandem promeruit. Inde plena victoria gloriosus factus Rex Saxoniam regreditur. Rotardus Strasburgensis Episcopus obiit, cui Udo filius Udonis Comitis in Episcopatu successit. Richgowo Wormatiensis Episcopus obiit, cui Anno successit. Rotbertus Archiepiscopus pro acquirenda abbatia Sancti Maximini multum laboravit, sed DEO auctore non prævaluit. Bellum magnum factum est inter Ungarios & Bawarios. Per loca Galliæ & Germaniæ plurimi & magni terræ motus extiterunt.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LI. Rex Otto in Italiam ire volens, multo se ad hoc iter apparatu præstruxit, quomodo Adeleidam a vinculis & a custodia, in qua tenebatur a Berengario, liberare, sibique eam in matrimonium assumere nitebatur, cum quo perrexit Conradus gener ipsius, atque Fridericus Mogontinus Archiepiscopus, cæterorumque innumerabilis multitudo, ex omni regno suo, quod iter filius ejus Liudolfus cum Alamannis anticipans, patrique, si quid ibi ad ingressum suum fortiter ageretur, placere desiderans, nihil tale quod speraverat, sed potius inconsultum patrem offendens, totius inde rebellionis & discordiæ seminarium sumpsit; Patruus enim ejus Dux Heinricus omnium & prosperitatum & honorum invidus de Bawaria per Trientum legatos suos in Italiam præmisit, omniumque quos potuit Italicorum ab eo mentes avertit in tantum, ut nec civitas, nec castellum, quæ subsequenter Regis pistoribus & cocis patuerunt, filio Regis aperiretur, omniaque ibi incommoda & plena molestia pateretur. Mox subsequenter Rex Regnum Italicum ingreditur, cui iter agenti mulier quædam occurrit de Raptore suo, quod ei vim intulisset querimoniam movens; cui Rex ait: Revertens ad te, vita comite, injuriam tuam meam reputabo, qua dicente, eum oblivioni traditurum, ipse Ecclesiam digito demonstrans dixit, hanc fore notam memoriæ. Igitur Invictissimus Rex Otto ad Adelheidam Reginam DEO amabilem, vultu decoram, consilio providam, morum omni honestate valde præclaram, & regali Avorum Attavorumque prosapia ortam, conjuge illustrissimo Rege, scilicet Lothario jam tunc viduatam, connubiali sibimet sociandam acquisivit, Deoque sibi assistente totius Italiæ possessor efficitur & Mediolanen-

lanenses subjugans, monetam eis innovavit, qui nummi usque hodie Ottelini dicuntur. Tunc Liudolfus ea, quæ præscripsimus, ægre ferens inconsulto Patre, Friderico Archiepiscopo Comite, in Patriam revertitur. Eodem anno Heinricus filius Heinrici Ducis est natus.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LII. Rex expulso Berengario cum suis fidelibus in Italia Papiæ natale Domini celebravit, & celebratis juxta magnificentiam Regalem nuptiis, sicque dispositis juxta magnificentiam Regiam negotiis proficiscitur inde, cum novi matrimonii claritate acturus proximum Pascha in Saxonia. Ducem autem Conradum ad persequendum Berengarium in Italia reliquit. Quanto citius itaque reditus ejus innotuit, ita quisque cum alio stabili fide concordavit, ut nihil Rex ad judicandum inveniret. Intuens autem Ecclesiam præfatam, memorque mulieris hanc sibi præsentari, & querimoniam suam prosequi imperavit; illa autem, quæ statim post accusationem factam, Raptori suo legitime juncta per ipsum filios genuerat, modo de ipso nihil quærebatur; e contra Rex affirmat: per barbam Ottonis, quod suum jurasse fuit, Raptorem præjudicatum de illa sua bipenni sapere debere; illico petitionem implevit non volentis, bene fecit invitæ, judicavit ingratæ: Liudolfus Dux de Italia revertens Regio ambitu natale Domini Saleveld celebravit, ubi Fridericum Archiepiscopum omnesque qui in promptu erant Regni majores secum detinuit, quod convivium multis suspectum cœpit haberi, & plus ibi destructionis quam utilitatis ferebatur tractari. Persuasus autem Rex Berengarius a Conrado Duce, cui Papia cum præsidio militari relicta erat custodienda, Regem subsecutus est in Germaniam pacem cum eo facturus, & omnibus quæ imperavisset obtemperaturus; cui regiæ urbi appropinquanti occurritur milliario ab urbe a Ducibus & Præfectis Palatinorumque Primoribus, & regulariter susceptus, ductusque in urbem jussus est in hospitio sibi parato manere; neque enim faciem Regis intra tres dies videre promeruit; nihil tamen de his, quæ voluit, obtinuit; sed machinatione Heinrici Ducis vix vita & Patria indulta in Italiam rediit deditionis & spontanei fœderis diem locumque apud Augustam designans. Quod ægre ferens Conradus Dux cum Liudolfo unum secum sentiente a debita Regi fidelitate offensus defecit, qui suspectum super causa Heinricum fratrem Regis habentes quasi antiqua stimulatum invidia devitaverunt eum. Heinricus autem sciens adolescentem maternis destitutum suffragiis, contemptui cæpit eum habere in tantum, ut a Conviciis ei quoque non parceret. Tunc Fridericus Archiepiscopus & Conradus Dux amici facti sunt, nam antea inimici erant ad invicem. Eodem anno mediante Augusto mense Conventus Francorum, Saxonum, Bawariorum, Alamannorum & Langobardorum publicus Augustanam urbem Rhetiæ Provinciæ agitur, ubi præscriptus Berengarius cum filio suo Adalberto Regiæ se per omnia in vassallitium dedidit dominationi, simul & Reginæ iram supplici venia placavit, & Italiam iterum dono & gratia Regis accepit regendam. Marca tantum Veronensis & Aquilejensis excipitur, quæ Heinrico fratri Regis committitur. Berengarius autem in Italiam revertens omnia hæc in Episcopos & Comites ceterosque Italiæ Principes retorsit, omnibusque eos odiis & inimicitiis insequens, inimicissimos sibi fecit. Igitur Rex divino fultus auxilio postquam omnia Regna, quæ post mortem Karoli defecerant, suo imperio subjugavit, in Danos arma corripuit, quos ante pater suus bello compresserat. Illi vero tunc rebellare moliti apud Heidibam Legatos Ottonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum Coloniam funditus extinguentes; ad quam rem ulciscendam Rex cum exercitu statim invasit Daniam, transgressusque terminos Danorum apud Sliaswig olim positos, igne & ferro vastavit totam regionem usque ad Mare novissimum, quod Nortmannos a Danis dirimit, & usque in præsentem diem Ottinsand dicitur. Cui egredienti Haroldus filius Worm apud Slaswig occurrens bellum intulit, in quo utrisque viriliter concertantibus Saxones victoria potiti sunt, Dani victi ad naves cesserunt, tandemque conditionibus ad pacem inclinatis Haroldus Ottoni subjicitur & ab eo regnum suscipiens Christianitatem in Dania suscipere spopondit. Nec mora baptizatus est Haroldus cum uxore Gunhild & filio parvulo, quem Rex a sacro fonte susceptum Sueinotto vocavit. Eodem tempore Daniam cis marinam, quam Uitland Incolæ appellant, Rex Otto subjiciens tributo in tres divisit Episcopatus, & Hamaburgensi Episcopatui subjecit, unum constituens apud Sliaswig, quæ & Heidiba dicitur, quam fretum quoddam brachium alluit, quod Incolæ Sliam vocant, unde & civitas nomen trahit: Ex eo portu naves emitti solent in Slavoniam vel in Suediam, vel ad Semland usque in Græciam. Alterum fecit Episcopatum in Rippa, quæ civitas alio cingitur alveo, qui ab Oceano influit & per quem vela torquentur in Fresiam aut certe in Angliam, vel in Saxoniam. Tertium voluit Episcopatum esse in Arhusan, & hanc fretum quoddam a Fune dirimit brevissimum, quod ab Orientali Pelago ingrediens longis anfractibus inter Funem & Vidland protenditur in Boream usque ad eamdem civitatem Arhusan, a qua navigatur in Funem aut Seland sive in Sconiam, vel usque in Norwegiam: Servantur in Bremensi Ecclesia præcepta Regis, quæ signant Ottonem Regem in sua ditione Regnum Danicum tenuisse adeo, ut etiam Episcopatus ipse dotaverit. Aldemburgh civitas magna Slavorum, qui Waigri dicuntur, sita est juxta mare quod Balticum vel Barbarum dicitur, itinere diei ab Hamamburg, in qua Rex Otto fecit Episcopatum subiciens illum Hamamburgensi Metropoli, eo quod vicinior illi Ecclesiæ esset, quam Magadaburgensi. De Baltico Mari, sinus quidam ab Occidentali Oceano Orientem versus porrigitur, sinus ille ab Incolis appellatur Balticus, eo quod in modum baltei longo tractu per Sciticas

Regiones tendatur usque in Græciam. Idem sinus Mare barbarum seu Pelagus Sciticum vocatur, a gentibus quas alluit Barbaris. Occidentalis autem Oceanus ille videtur, quem Romani Britannicum scribunt, cujus latitudo immensa terribilis & periculosa complectitur ab occasu Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur, a meridie Fresios tangit cum ea parte Saxonum qui Diœcesi pertinent Hamamburgensi. A Solis ortu habet Danos, ostiumque Baltici Maris & Nortmannos, qui ultra Daniam consistunt. Ab Aquilone vero idem Oceanus Insulas præterlabitur Orcadas, deinde infinitis orbem terræ spatiis ambit, sinistrorsum habens Hiberniam, Scottorum patriam, quæ nunc Irland dicitur, dextrorsum vero scopulos. Affirmant autem Dani longitudinem hujus Ponti sæpe a pluribus expertam, secundo flatu aliquos a Dania pervenisse in Ostrogard Ruzziæ. Latitudo illius Ponti nusquam centum millia passuum excedit, cum in multis locis contractior inveniatur, quod in ostio ejusdem sinus videri potest, cujus ab Oceano introitus inter Aldemburgh Promontorium Daniæ scopulosque Nortmanniæ tam strictus invenitur, ut facili saltu per noctem carbasa trajiciantur. Item egressus limitem Danorum idem Pontus late brachia tendit, quæ denuo contrahit e regione Gothorum, quam a latere Vuilzos habent, qui alio nomine Leuticii vocantur. Deinde quanto interius vadit, tanto latius hinc inde diffunditur. Hunc sinum multæ circumsedent Nationes, Dani siquidem ac Sueones, quos Nortmannos vocamus, Septentrionale littus, & omnes in eo insulas tenent: ad littus australe Slavi, Haisti aliæque diversæ incolunt Nationes, inter quas præcipuæ sunt Welatabi, qui & Wilzi dicuntur. Dani & Sueones, cæterique trans Daniam Populi ab historicis Francorum omnes vocantur Nortmanni, cum tamen Romani Scriptores ejusmodi vocent Yperboreos, quos Martianus Capella multis laudibus extollit. Transeuntibus Insulas Danorum alter mundus aperitur in Sueoniam, vel Nortmanniam quæ sunt duo latissima regna Aquilonis & nostro adhuc orbi fere incognita. De his narrabat Suein scientissimus Rex Danorum, quod Nortmannia vix queat transiri per mensem, cum Sueonia non facile duobus mensibus percurratur. Hæc tria regna Danorum, Sueonum, Nortmannorum, cum Slavis, qui in illis partibus sunt Waigris, Abodritis, vel Reregis, Potabingis, Sinogibus, Wanabis, Chizzinis, Circipanis, Hammaburgensi Metropoli subjecta sunt cum omnibus Ecclesiis suis Ecclesiastico jure. Eodem anno mense Augusto apud Augustanam urbem miræ magnitudinis lapis grandinis tonitru ac tempestate turbulenta de Cœlo jactus ingens miraculum multis videntibus præbuit. Dani erant antiquitus Christiani, sed nihilominus Idolis ritu gentili servientes. Contigit autem alterationem super cultura DEorum fieri in quodam convivio, Rege præsente, Danis affirmantibus, Christum quidem esse DEum, sed alios eo majores esse DEos, quippe qui potiora mortalibus signa & prodigia per se ostenderent. Contra hæc Clericus quidam, nunc vero Religiosam vitam ducens Episcopus, nomine Poppo, unum verum DEum Patrem cum filio unigenito Domino nostro & Spiritu Sancto, simulachra vero Dæmonia esse testatus erat. Aroldus autem Rex, utpote qui velox traditur ad audiendum, tardus, ad loquendum interrogat, si hanc fidem per semetipsum declarare velit. Ille incunctanter velle respondit. Rex vero custodiri Clericum usque in crastinum jubet, mane facto ingentis ponderis ferrum igne succendi jubet, Clericumque ob fidem Catholicam candens portare jussit, Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tamque diu portat, quo ipse Rex decernit, manum incolumem cunctis ostendit, fidem Catholicam cunctis probabilem reddidit. Ad hæc Rex conversus Christum DEum solum colendum decrevit, Idola respuenda subjectis gentibus imperat, DEI Sacerdotibus & Ministris honorem debitum deinde præstitit. Rex Otto, ut hoc audivit, vocatum ad se venerabilem virum Popponem, si pugil Christi esset, interrogat, & Sacerdotali honore sublimat. Circa hæc tempora Rex Otto audita Ratisponensis Episcopi morte, eo perrexit, & ut Episcopatum non alii daret nisi qui primus sibi occurreret, in somnis est admonitus. Crastino die lucescente Rex ad Monasterium Sancti Martyris Emmerammi, Monachis hoc nescientibus, cum paucis venit, & paulatim ostium pulsans ac quodam Gunthero Ecclesiæ pervigili custode, & per omnia venerabili Patre est intromissus, quem intuens ad orandum primo processit; Deindeque talibus aggreditur: quid mihi frater pro adipiscendo Episcopatus honore vis dare? Senior ad hæc subridens calceos, inquit, meos; hunc autem cum ceteris fratribus ad electionem Antistitis ad Sanctum Petrum venientem Rex, explicato cunctis somnio ceteroque rei eventu, Sacerdotem constituit cum consilio Cleri ac totius Populi, qui accepta benedictione, sedit tantum menses VI. & compressus ægritudine valida ad modicum convaluit, sumptoque in manu cinere locum quo de sæculo migrare voluit signo Sanctæ Crucis ipse spargendo signavit, solotenusque positus illud beati Job carmen Beatus & ipse cecinit: Auditu auris audivi te Domine &c. & continuo confessione cum lachrymis peracta tradidit Spiritum. Impletum enim in eodem est quod Intercessor suus ejusdem habitus ei prædixit. Tu debes frater post secundus hanc Ecclesiam regere, sed parvo tempore vives, DEO tantum te misericorditer coronante, quod ille quamdiu hic peregrinatus est, juxta DEI voluntatem, idem fieri semper optavit. Hæc ideo protuli ut probetur, quod cælestis gratia Imperatori sæpe aperiret, quid sibi in humanis fieri placeret, qui audito obitu tanti Patris Michaëlem huic succedere fecit, qui procedenti tempore cum commissa sibi optime regeret, commoventibus iterum Orientales Ungris cum ceteris Bawariorum Principibus, his ad succurrendum venit, sed exorta inter eos pugna proh dolor! nostri ab illis victi

victi atque prostrati sunt. Episcopus autem abscissa sibi auricula & ceteris sauciatus membris cum interfectis quasi mortuus latuit, juxta quem inimicus homo jacens & hunc vivere solum, ab insidiantium laqueis jam securus, cernens, hastam sumpsit, & eumdem necare conatus est; tunc ille confortatus in Domino post longum mutui agonis luctamen victor hostem prostravit, & per multas itineris asperitates ad notos fines pervenit, unde gaudium gregi suo & omni Christum cognoscenti exoritur; excipitur bonus miles ab omni Clero, conservatur bonus Pastor populo. Fuit enim ejus militatio, non ad dedecus, sed ad honorem. Ignitus lapis quasi massa candentis ferri ab occidente volitans venit & Draco est visus.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLIII. Rex natale Domini Franconevord celebravit, indeque in Alsatiam progrediens socrui suæ Bertæ, matri scilicet Dominæ Adeleidis, Abbatiam in Erestein dedit. Tunc jam animositates & consilia contra eum occulte facta palam cœperant apparere & unusquisque eorum, quæ in corde contexerat, aperire. Redeunte enim illo de Alsatia & in Glinheim Pascha celebraturo, Liudolfus filius ejus & Conradus Dux nequam fautoribus & maxime Juvenibus de Francia & de Saxonia, & de Bavvaria sibi coadunatis conspiraverant, & quascumque poterant munitiones, & Castella futuræ seditioni muniebant. Nec enim jam clam agebatur, quo tendebant, sed aperta rebellionis signa monstrabant. Rex igitur in Glinheim perveniens, paucis suorum fidelium secum habitis non tutum ratus inter medios hostes Pascha celebrare; Mogontiam inde secessit, ubi aliter, quam Regem decebat, diutius ante portas expectans, Friderico Archiepiscopo jam cum illis conspirante, vix urbis ingressum obtinuit. At Pontifex revocatus, ubi austeriorem vitam more solito cum Eremitis ac solitariis ante Pascha agebat, suscepit Regem Mogontiæ, ibi ei aliquandiu ministrans. Tunc Liudolfus & Conradus ibi ficta ad eum humilitate venerunt, ut post claruit, nichilque talium in eum se egisse dicebant, sed si Heinricus frater ejus in Pascha in Glinheim veniret, illum se comprehensuros non negabant, quod Rex tranquille ac modeste suscipiens, navigio Coloniam attigit, indeque progrediens Drotmanni vico Pascha celebravit. Post Pascha coadunatis suis fidelibus Coloniam iterum rediit, ibique Metensem Episcopum, in quo maxima spes & fiducia Liudolfo & Conrado esse videbatur, omnesque Lotharienses, exceptis paucis, quibus prædæ & rapinæ cordi erant, obvios habuit & ab inimicis suis deficientes, benigna ad se venientes charitate suscepit, & in sua fidelitate firmos & stabiles coadunavit. Quibus dispositis in Saxoniam venit, ubi maternis gaudiis & officiis decenter curatus Regem, quem in Francia pene perdidit, in Patria magnifice recepit. Nam confortatus amicorum gentisque propriæ præsentia irritum fecit pactum, quod coactum se inisse confessus est, Edictumque est Liudolfo & Conrado, auctores sceleris puniendos tradere aut certe hostes publicos nosse. Tunc Fridericus Pontifex pactis pristinis intercessit tamquam paci & concordiæ consulturus, ob id Regi fit suspectus, amicis regalibusque consiliariis omnino spernendus. De eo nostrum nequaquam arbitramur judicare, aliquid temere, sed quod de eo probamus, quia magnus erat oratione die noctuque, magnus eleemosinarum largitate, præcipuus verbo prædicationis, non silere dignum duximus. Cæterum de accusatis causis, qui judicat, Dominus est. Earum rerum dum ibi finis non fieret, universalis populi conventus esse jubetur apud villam quæ dicitur Frideslere, super his causis discutiendis; ubi cum frater Regis Heinricus adesset, multas ac graves causas summo Pontifici obiciebat, propterea que Regis & totius pene exercitus offensam incurrit, dum eum penitus culpabilem ex illius dictis censerent. Præterea Rex severiorem animum gerens ex recenti injuria, eminentissimos viros ac sibi quondam caros & in Biertanico bello fideles fratri traditos exilio damnavit, dum accusati rationem redderent, ac se expurgare non sufficerent. Hi erant Thuringi genere potestatis Prætoriæ Dadanus & Willehelmus. Hoc facto multi scelerum conscii satis perterriti sunt. Rex firmatis in Saxonia & stabilitis rebus suis iterum in Franciam cum hostili manu revertitur, quo audito Fridericus Archiepiscopus Mogontia secessit & civitatem inimicis Regis tuendam commisit. Ipse Brisacam Castellum latibulum semper Deo Regique rebellantium intravit, totamque ibi pene æstatem rei eventum expectaturus permansit. Interea bellum factum est super Mosam inter Raginerum Hagincensium Comitem & Conradum Ducem. Lotharii enim cum Regem Duci Conrado sensissent offensum, cum jam olim ei infesti essent, eo quod Ducatum super eos administraret, ipsis invitis, arma contra eum sumunt. Ille vero imperterritus leoninum exhibens animum, signa signis contraria invexit, incredibilem multitudinem ex eis propria manu fudit, dum sanguine amici, quem in prœlio amisit, Conradi scilicet Everhardi filii, ut fera sævissima acueretur; Itaque illi fortissimo suppeditante fortium militum manu, adverso autem exercitui dum novus semper additur exercitus, a meridie usque in vesperum protrahitur bellum, nocte prœlium dissolvitur, nullus victoria lætatur. Rex audiens Mogontiam Metropolim Franciæ, Regiamque civitatem inimicis suis deditam, qua potuit celeritate eam adiit, collecta fidelium suorum multitudine tam Francorum, quam Saxonum & Lothariensium. Sed & Heinricus frater ejus de Bavvaria auxilium ei collaturus advenit, licet ibi plus incommodi quam utilitatis sibi conquisiverit. Rex igitur circa Kal. Julii movens exercitum, obvias urbes partis adversæ aut cepit aut in deditionem accepit, quo usque Mogontiam perveniret, quam filius cum exercitu intraverat, Patremque dictu miserabile expectabat. Ibi plusquam civile & omni calamitate acerbius bellum est cœptum, multæ machinæ muris admotæ, sed

ab

ab urbanis destructæ vel incensæ, crebræ ante portas pugnæ, raro forinsecus stationes fusæ, cunctando enim res universas variabant, dum dominatorem regni foris, intus successorem metuebant. Obsidio itaque dum sexaginta ferme dies excederet, sermo fit de pace, unde datus est in urbem obses consobrinus Regis Ecbertus, quo libera via cuilibet pateret in castra, crimen purgandi, de pace atque concordia tractandi, filius cum Genero castra ingressi regalibus vestigiis prosternuntur pro scelere omnia sustinere parati, tantum ut amici auxiliatores in fide suscepti nihil adversi paterentur. Rex autem non inveniens, quomodo meritas pœnas filio inferret, fautores insidiarum expostulat. Illi autem juramentis vicariis obligati, hoc omnino negabant, ingens interea oritur lætitia in castris, & a castris circum quaque est fama diffusa nunquam urbe egressos, nisi omnibus essent a Rege imperatis obtemperaturi, ea spes in cassum cessit; nam cum obedirent edictis Regis, motus Heinricus adversus adolescentem, nihil te, inquit, jactitas, contra Dominum meum Regem fecisse, & ecce omnis exercitus usurpatorem te regni, invasoremque novit; Ipse ego si accusor, reus criminis, si culpabilis existo, quare non contra me legiones ducis, signa adversum me move, & festucam de terra sumens; Hujus, inquit, pretii a me meaque potestate tollere non poteris; quid tibi visum est sollicitare hujuscemodi rebus Patrem tuum? contra summam divinitatem agis, dum Domino Patrique tuo repugnas, si aliquid scis vel vales, in me furorem tuum evome, ipse enim tuam non timeo iram. Ad hæc adolescens nihil respondit, sed audito Rege, urbem cum suis ingressus est. Consobrinus autem Regis Ecbertus, cum obses datus esset in urbem, suasibilibus verbis Regi fit adversus, cum & ante ei esset iratus, eo quod argueretur incauti certaminis, ubi oculum perdiderat. Igitur proxima nocte Bavvarii comites Heinrici, relicto eo juncti sunt Liudolfo, qui pergens cum eis cepit urbem regiam, quæ dicitur Reinesburch, cum ceteris in ea urbe munitissimis, omnemque pecuniam Heinrici diripuit, & suis militibus divisit. Juditham conjugem ejus cum filiis non solum urbe, sed & regione excedere compulit. Alnolfus filius Arnoldi Ducis cum fratribus hoc consilium machinatus est, eo quod Heinricus patris eorum regno subrogaretur, ipse autem honore patrio privatus esset. Quæ ejus incommoda Rex suis præponens, Mogontiam obsidione absolvit. Porro exercitus diutino labore fatigatus missionem petiit & accepit, Rege cum paucis admodum filium in Bavvariam subsequente. Multitudine denique deficiente a fide rari admodum erant, qui Regis partes adjuvarent, inter quos erat quidam Adalbertus, & alii cum eo admodum pauci. Militante adversus Mogontiam Rege, Herimannus Dux Saxoniam procurabat, cumque novus exercitus a Saxonia ad supplementum mitti debuisset, Theodericus Dux ac Junior Wichmannus ei præfuere. Attingentes terminos Francorum a Liudolfo Duceque Conrado subito circumfusi, in desertum quoddam coguntur castellum, quod cum oppugnare nituntur, ictu rotæ signifer ante portam brachium perdidit, quo facto bellum est sedatum, induciæque eis concessæ trium dierum in Saxoniam revertendi. Theodericus a Liudolfo magnis promissionibus est tentatus; Wichmannus autem admodum corruptus, patruum exin suum Ducem videlicet Herimannum arguere, paternæ hereditatis raptorem dicere, & suorum thesaurorum prædonem dicere cœpit. Herimannus autem consilii nequaquam ignarus, quanta sapientia, quantaque prudentia contra propinquos hostes manifestos vigilaverit, difficile est edicere. Jungitur quippe Ecbertus Wichmanno eademque sententia consurgunt in Ducem, nullumque ei dant quietis locum. Ille autem nobili patientia Juvenum furorem frangens, cavebat tumultum aliquem Rege absente, illis in partibus accrescere. Rex autem in Bawariam iter dirigens, Ratisponam obsedit, in qua obsidione pene usque ad natale Domini permansit. Bavvarii autem repentino ejus adventu nec ad bellum nec ad pacem vertebantur, nec publicum bellum præsumebant, sed clausi muris grandem exercitui laborem suæque regioni solitudinem parant. Unde minus procedente negotio absque animabus a nulla re exercitus abstinebat, sed omnia vastabant. Fridericus Archiepiscopus interea, ut ipse ajebat, timore Regis, officio pontificali amisso Heremiticam cum solitariis ducebat vitam. Non minima quoque ceteris Pontificibus erat cunctatio in Bavvariam nunc Regi assistendo, nunc alienas partes adjuvando, quia nec sine periculo alienabantur a Rege; nec sine sui detrimento ei adhærebant. Agens ergo tres integros menses in illis regionibus, demum circa Kal. Januar. infecto negotio amissis duobus principalibus viris ac potestate claris Immede & Meinwerco, quorum uterq; ictu sagittarum periit, alter Mogontiæ, alter in itinere Bavvariam pergentibus, revertitur in Saxoniam. Eodem anno Wicfridus Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus obiit, cui Bruno frater Regis vir gloriosus in Episcopatu succedens totius Lothariensis Regni Ducatum & regimen cum episcopatu suscepit; Ita cum magna religione usus est officio sacerdotis, & exigente necessitate functus est virtute magnanimi Ducis. Nemo autem super hac re illum culpabilem dicat, cum Samuelem sanctum & alios plures sacerdotes pariter legamus & judices. Liutgarda filia Regis obiit. Hæc quamvis a viro suo sæpe despiceretur & laboribus crebris fatigaretur, tamen virili patientia hæc sufferens honorem innatum servare nitebatur. Cum autem hanc vitam finiret in Ecclesia Christi Martyris Albani in Mogontia flebiliter est sepulta, cujus fusum argenteum in ejus memoriam ibidem est suspensum.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLIIII. Rex in Saxonia natale Domini celebravit, causas dicentibus coram Rege Herimanno Duce suisque nepotibus, omnes justi tenaces sententiam Ducis laudaverunt, adolescentes castigandos judicantes. Rex autem amans parcebat illis,

lis, sub custodia militari tantum intra Palatium tradens Wigmannum. Interea audivit quia Avares intrantes Bawariam jungerentur adversariis, disponerentque publico bello cum temptare; At ille satis imperterritus tali necessitate, numquam se gratia Dei Dominum ac Regem oblitus est, sed collecta valida manu obviam procedit acerrimis hostibus. Illi autem diverterunt ab eo, acceptisque Ducibus a Liudolfo omnem Franciam pervagati sunt, & tantam stragem dederunt primum ex amicis, ut cuidam Ernusto vocabulo sui, viris familias supra millesimum numerum captivassent, deinde ceteris omnibus, ut dicta fidem excedat. Deinde ante Pascha Wormaciæ eis est publice ministratum, & in muneribus auri & argenti plurimum donatum. Inde Galliam profecti per aliam viam in patriam revertuntur. Rex iterum appropinquante Quadragesima in Bavvariam remeavit. Bavvarii civili exercitu externoque fatigati, coacti sunt de pace tractare; factumque est, ut pax daretur usque in XVI. Kal. Julii, & locus esset apud Einnam rationis dandæ, & responsionis reddendæ. Ad condictum locum dum universalis populi conventus fieret, Rex taliter exorsus est: Paterer, inquit, si indignatio filii mei ceterorumque insidias tendentium me solum torqueret, & non totum Christiani nominis Populum perturbaret: Parum esset urbes meas more latronum invasisse, regionesque meas a mea potestate rapuisse, nisi propinquorum & carorum meorum sanguine satiarentur: Ecce sine filiis sedeo orbatus, dum filium gravissimum hostem patior. Ille quem plurimum amavi, & a mediocri loco ad summum gradum provexi, unicum filium meum habet adversum me: Tolerabile hoc utrumque foret, si non Dei hominumque inimici his causis introducerentur: modo regnum meum habent desolatum, populum captum vel interfectum, urbes destructas, Ecclesias incensas, sacerdotes extinctos; adhuc madent sanguine plateæ; Auro meo & argento, quibus filium generumque ditavi, hostes Christi donantur & in suas sedes redeunt referti. Quid ergo supersit sceleris, quid perfidiæ excogitare nequeam? His dictis tacuit Rex. Heinricus autem laudans sententiam Regis subjunxit, quia hostes secundo victi publico certamine, maligne ac pessime conducerentur, quo viam eis iterum lædendi iterum aperirent, omnem calamitatem, omnemque laborem consultius velle pati, quam communem hostem umquam in fide susciperet. His dictis Liudolfus procedens ait: Conductos adversum me pecunia fateor, obtinui, ut neque me, neque subjectos læderent; si in hac parte culpabilis prædicor, sciat me omnis populus hoc non voluntate, sed ultima necessitate coactum fecisse. Postremo Fridericus Pontifex rationem redditurus intravit, promittens, se quocumque Rex imperavisset judicio significaturum, nunquam se contra Regem sensisse vel velle, vel fecisse, timore coactum a Rege defecisse: offensum sibi eum, quia intellexisset innocentem gravissimis accusationibus obrutum, de cetero juramentorum omnibus argumentis fidem servaturum. Ad hæc Rex: A vobis, inquit, non exigo juramentum, nisi pacis & concordiæ; consilium in quantum possitis adjuvetis; Et hoc dato in pace & fide eum dimisit. Pontifex cum Duce Conrado, cum adolescentem non possent inclinare, quatenus patri subderetur, ejusque sententiam secutus sustineret, discesserunt ab eo, Regi se se jungentes. Proxima nocte Liudolfus cum suis a Rege discedens urbem Reinesburch cum suis militibus intravit. Rex autem sequens filium, urbemque offendens quæ dicitur Horsedal, obsedit eam; factum est certamen circa murum, quo durius nemo viderat mortalium; multi ibi ex utraque parte cæsi, plures sauciati, noctis tenebræ prœlium dirimere. Saucius ancipiti bello postera die ducitur inde exercitus, diutius non morari visum ad majora tendentibus; trium dierum proinde iter ad Reinesburch. Castrorum loca occupata munitionibusque circumsepta, obsidio urbis diligenter est incepta. Sed cum multitudo machinas urbi applicari non sineret, satis dure interdum ab utrisque pugnatum est pro muris. Diu tracta obsidio cogit clausos de belli negotiis aliquid cogitare; arbitrati sunt enim fame pejus torqueri, si ad id cogerentur, quam in acie fortiter mori. Jussum est itaque, occidentali porta erumpere equites, quasi impetum in castra facturos, alios naves ascendere, & per flumen urbi contiguum propinquare; ut dum in equestri prælio pugnaretur, castra armatis deserta invaderent. Vrbani signo notæ congregati condicta peragere, quod in castris usu non ignotum, quapropter & ipsi non segniter præparantur. Moram facientibus in erumpendo equitibus, classis ab urbe longius elabitur, exilientesq; de navibus irruunt in castra, offendentesque armatos, dum trepidi fugæ consulunt, circumfusi undique cæduntur: alii naves ingressi nimio timore deviantes flumine absorbentur: alii naves plures equo ingressi dimerguntur, factumque est, ut vix pauci de pluribus superessent. Equites vero ab equitibus fatigati devictique plures saucii in urbem revertuntur. Milites Regis victores in castra reversi, unum solummodo vulnere lethali percussum pro portis secum revehunt. Pecus omne urbis loco herboso delatum, qui erat intra Rain & Donau fluvios a fratre Regis Heinrico captum & inter socios divisum est. Vrbani crebris præliis territi, fame quoque periclitari cœperunt. Vnde egressus urbe Liudolfus cum Principalibus viris pacem postulat, sed non impetrat, quia patri obedientiam negat. Ingressus vero portam Orientalem obsidentem armis temptat Geronem, tot victoriis, quot præliis, clarum; a tertia hora usque in nonam acriter pugnatum ante portam urbis, ubi equo cadente ascensor Arnolfus armis exutus, illicoque telis perfossus occubuit. Post biduum a muliere famem urbis fugiente mors illius notificatur, dum antea nesciretur, cujus nece urbani satis confusi jam de pace tractabant. Interventu proinde Principum iterum Liudolfus cum sociis urbe egressus

dum mense integro obsideretur & dimidio, pacem obtinuit usque ad condictum diem, dum de his causis dijudicaretur, locusque concilii apud Frideslare notabatur. Rex in patriam reversus est. Heinricus vero Novam urbem obtinuit, Reinesburch pene tota proxima nocte incensa est. Exercitandi gratia venationem agente Rege in loco qui dicitur Suveldun, filius nudis plantis patri prosternitur, intima tactus pœnitentia, oratione flebili, patris primum, deinde omnium præsentium lachrymas extorquet. Amore itaque paterno susceptus in gratiam, spondet se obtemperaturum consensurumque omni paternæ voluntati. Interea Fridericus Pontifex ægrotare nuntiatur ac desperari, quapropter Regis placitum modice est dilatum. Igitur Fridericus Archiepiscopus mortuus est. Vir in sancta Religione strenuus & valde laudabilis, nisi in hoc tantum videbatur reprehensibilis, quod sicubi vel unus inimicus Regis emersit, ipse se secundum apposuit. Cujus finem, qui interfuerunt, satis laudabilem prædicant. Cui Willehelmus filius Regis ex matre quidem nobili, sed Slavonica, in Archiepiscopatu successit, a populo in Arnestat concorditer electus. Eodem anno Conradus Dux cum Lothariensibus Duce Brun Archiepiscopo in Blesensi pago apud villam Rimilinga erat congressurus, sed in ultimo, quia contra Regem erat, Deo volente, ne fieret, remanebat. Operæ pretium videtur hic annectere de eodem Archiepiscopo Brunone, qui quamvis sapientissimus esset, depravatus iniquorum consilio, pro bono mala Regi suo & germano restituere meditabatur. Vocavit namque ad se generum Regis, Regi tunc nimis infidelem, ad convivium & cum corona artificiose gemmata regnum ipsi committere, consanguinitatis & juramenti immemor, voluit; qui cum in secundo die solemnis Paschæ paratis omnibus instrumentis generum promissa fœmineo expetentem desiderio voluisset coronare, divinæ miserationis gratia sapiensque bene cuncta volventis freno puduit incœpti & pœnituit. Accersito itaque clam suo secretario, nomine Folemaro, quod in mente latebat, vulnus aperuit, qualiterque curaretur, diligenti consilio quæsivit. Sed humilium consolator Dominus huic in mentem cœlitus misit, ut curam sui senioris talibus responsis mitigaret: Sanctus, inquit, Spiritus tibi Domine carissime suggessit, ut non amplius prævaleret adversum vos tanti auctor sceleris inimicus, quem sic confundi, teque autumo posse honorari, coronam quam genero tuo cras daturum te promisisti, vobis consedentibus præsentabo, ut tua fides in conspectu omnium clarescat, & quasi invitus corruens dirumpam eamdem, ut fraternus amor modo frigidus recalescat. Placuit hoc Archiepiscopo, & sic expleri votis exultantibus divinas postulavit suppliciter aures. Mane autem facto dicta hæc ut factis sunt impleta, Archiepiscopus magnum simulavit mœrorem. Dux autem & sui tanta spe frustati inconsolabilem sustinuere dolorem, consummatisque festivis diebus aliis quam ratus sit donis honoratus rediit. Post hæc fratres, Rex, inquam, & Episcopus reconciliati, invicemque in studio pietatis perseverantes omnem inimicitiæ scrupulum amovere curabant. Tales insidiantium laqueos compluresque alios in Regni & Imperii cura Rex Otto Christo se in omnibus protegente securus evasit. Igitur, ut supra retulimus, cum deficeret in reddenda ratione Wichmannus contra patruum suum, intra Palatium custoditur. Cum vero Rex in Bavvariam proficisci vellet, simulata infirmitate, ipse iter negavit, unde monitus ab Imperatore, quia destitutus patre & matre loco filii ab eo assumptus sit, quodque ab eo liberaliter educatus sit, eumque honore paterno promoverit, rogavitque eum, ne ei molestus esset, cum aliis pluribus gravaretur. Ad hæc nihil utile audiens Imperator, discessit commendato eo Iboni Comiti. Aliquantis diebus cum eo degens, petit post hæc, ut venandi gratia in silvam ire liceret. Ibi absconditos socios secum sumens perrexit in patriam, & occupatis aliquibus urbibus, juncto sibi Ekberto arma sumit contra Imperatorem. Industria autem Ducis Herimanni facile eos oppressit, & trans Albiam coëgit. Defuncto, ut dictum est, Friderico Pontifice, universalis conventus populi celebratus est, Mogontia post annum & dimidium Regi tradita cum omni Francia, filius ac gener in gratiam suscepti sunt. Liudolfus vassallos, quos habuit & ducatum Patri reddidit, cui Burchardus in Ducatu successit; Conradus etiam omnium, quas habuit divitiarum nudus amisso ducatu, in gratiam Regis intromittitur, vita, & patria & prædio contentus. Liudolfo filius Otto nascitur. Ratherius bis Episcopatu Veronensi depulsus, Leodicensium Episcopus per Brunonem Archiepiscopum ordinatur post Farabertum. Lodewico Francorum Rege mortuo, Lotharius filius ejus ex Gerberga sorore Ottonis Regis regnavit annis XXXII. Thiethardo Hildensheimensi Episcopo defuncto Otwinus Parthenopolitanus Abbas X. Episcopus ordinatur, qui pluralem utilitatem suæ Ecclesiæ per XXX. annos providit, specialiter tamen curtem Gisenheim in usum fratrum adquisivit, vinum etiam in summis festivitatibus per XVI. dies instituit. Ipse etiam aurum pretiosum & gemmas & lapides & margaritas in constructionem Calicis & Patenæ collegit, sed infirmitate præventus sub sigillo & fide Christi successori suo reservavit. Ipse etiam, Wendelgarda defuncta, Gerbergam Abbatissam in Gandersheim ordinavit. Eo anno Slavi, qui dicuntur Vehrei, a Gerone cum magna gloria sunt devicti, cum ei præsidio esset Dux Conradus a Rege missus: præda ingens inde abducta, Saxoniæ lætitia exorta. Proximum agens Rex Pascha cum fratre ducit exercitum posthæc contra Reinesbuch. Iterum armis, machinisque urbem torquens, ubi, dum præsidio Saxonum destituitur, ac fame vexatur, portis urbani egressi, cum urbe tradiderunt se ipsos Regi. Qui Principes exilio damnans, reliquæ multitudini parcit, victoriaque gloriosus remeavit in Patriam, omni

omni regione Bawarica fratri restituta; ingressusque Saxoniam circa Kal. Julii, obvios habet Legatos Ungariorum, tamquam ob antiquam fidem ac gratiam eum visitantes; re autem vera, ut quibusdam videbatur, eventum belli civilis considerantes, quos cum secum aliquantis diebus retinuisset, aliquibus munusculis donatos dimisit. Igitur Liudolfo ad gratiam Patris reducto Conradus Dux, DEI & Regis perfuga, ad Ungarios se conferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam Silvam perduxit, & virtute DEI apud Lobias contra eos ostensa, ultra prodire prohibiti impune redeunt.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LV. Ratherio ab Episcopatu Leodicensium ejecto, Baldricus adnitente Raginero avunculo suo, Comite Montense, Episcopus substituitur. Ungari cum tanta multitudine exeuntes, ut nisi terra dehisceret, aut cœlum eos obrueret, a nullo se vinci posse dicerent, a Rege juxta Augustam Alamanniæ urbem bello sunt excepti, Conrado ad eum ab Ungariis pœnitendo refugiente & orante DEum, ut pro pœna perfidiæ suæ in ipso bello ab Ungariis perimeretur. Igitur Rex sumptis secum paucis ex Saxonibus, eo quod jam bellum Slavonicum urgeret, castra posuit in confinio Augustanæ urbis, ubi occurrit ei exercitus Francorum & Bawarorum, cum valido quoque equitatu venit in castra Conradus Dux, cujus adventu erecti milites jam optabant non differri certamen; Nam erat natura audacis animi, & quod rarum est audacibus, bonus consilio, & dum eques, & dum pedes iret in hostem, bellator intolerabilis, domi miliciaque sociis carus. Igitur ab utriusque exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur non longe exercitus ab alterutro fore jejunio in castris prædicato jussum est omnes in crastinum paratos esse ad bellum, primo diluculo surgentes pace data & accepta operaque sua; primum Duci, deinde unusquisque alteri cum juramento promissa, erectis signis procedunt castris, numero VIII. Legionum. Ducitur exercitus per aspera & difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus utuntur acerrime, arbustis ea protegentibus; Primam & secundam tertiamque direxerunt Bawarii, quibus præfuerunt Præfecti Ducis Heinrici, nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laboraret, qua & mortuus est. Quartam ordinaverunt Franci, quorum Rector ac Procurator erat Dux Conradus. In quinta, quæ erat maxima, quæ & dicebatur regia, ipse Princeps vallatus, electis ex omnibus militum militibus, alacrique juventute, coramque eo Angelus penes quem victoria, denso agmine circumseptus: sextam & septimam construxerunt Suevi, quibus præfuit Suevorum Dux Burchardus, cui nupserat filia Heinrici fratris Regis. In octava erant Bohemii electi milites mille armis plus instructi, quam fortuna: In qua erant & sarcinæ omnes & impedimenta quæque, quasi ipsa esset tutissima, quæ & novissima, sed aliter res acta est, quam arbitrabantur; nam Ungarii nihil cunctantes Lech fluvium transierunt, circueuntes exercitum, legionemque sagittis lacescere cœperunt, & impetu cum ingenti vociferatione facto aliis cæsis vel captis, sarcinis omnibus potiti, ceteros illius Legionis fugere compulerunt; similiter sextam ac septimam aggressi plurimis ex eis fusis in fugam verterunt. Rex autem cum intellexisset, bellum ex adverso & post tergum novissima agmina periclitari, misit Conradum Ducem cum quarta Legione, captivos eripuit, prædam excussit latrocinantiaque agmina hostium perturbavit, fusis latrocinantibus undique adversariorum agminibus; cum signis victricibus Dux Conradus ad Regem revertitur; mirum in modum cunctantibus veteranis militibus gloria victoriæ assuetis, cum novo milite & fere belli ignaro triumphum peregit. Postera die, id est, in servitute Sancti Laurentii Christi Martyris Rex solum se præ ceteris culpabilem professus atque prostratus, lachrymis profusis, votum fecit, si Christus dignaretur sibi eo die tanti intercessione Patroni victoriam dare, & vitam, ut in civitate Mersburgensi Episcopatum in honore victoris ignium construeret, domumque suam magnam noviter inceptam sibi ad Ecclesiam ædificaret. Nec mora erectus a terra post Missæ celebrationem, sacramque Communionem ab Egregio porrectam Odelrico Confessore suo, processit adversus hostes. Interim eo militante adversus Ungaros, varie pugnatum est adversus Barbaros - - - a Præside Thiaderico cum capere nisus esset quandam urbem illorum usque ad introitum Portæ persecutus est adversarios, cogens illos intra murum, oppido potitus & incenso, & omnibus quæ foras murum erant, captis vel interfectis, cum jam extincto incendio reverteretur, & paludem, quæ erat urbi adjacens medietas militum transisset, Slavi videntes nostros in arto sitos ob difficultatem loci, nec copiam habere pugnandi nec locum adeo fugiendi, insequebantur a tergo revertentes clamore magno, peremeruntque ex eis ad quinquaginta viros, fœda fuga nostrorum facta. Ingens interea pavor omnem Saxoniam, trepidam pro Rege & exercitu, pro hac re adversa invasit. Terrebant hos præterea portenta inusitata. Templa denique plerisque in locis tempestate valida concussa videntibus & audientibus horrorem nimium incusserunt; & Sacerdotes utriusque sexus ictu fulminis interierunt, & alia multa illo tempore contigerunt dictu horrenda, & ideo nobis prætereunda. Nunc ad inceptum redeamus. Igitur Rex exhortandi gratia allocutus est socios, hoc modo: Opus esse nobis bonorum animorum in hac necessitate milites mei, vos ipsi videtis, qui hostem vestrum coram positum toleratis: Hactenus enim impigris manibus vestris ac armis semper invictis gloriose usus extra solum & Imperium meum ubique vici; & nunc in terra mea & in regno meo terga vertam: superamur quidem multitudine non virtute, non armis; maxima enim ex parte nudos armis illos cognovimus, & quod maximi est nobis solatii auxilio DEI, illis est sola pro muro audacia, nobis spes & pro-

tectio divina; pudeat jam nunc Dominos totius Europæ inimicis manus dare; melius est ut in bello milites mei gloriose moriamur, quam subjecti hostibus vitam serviliter ducamus, aut certe more malarum bestiarum strangulo deficiamus. Plura loquerer milites mei, si nossem verbis virtutem vel audaciam animis vestris augeri; modo melius gladiis, quam linguis, colloquium incipiamus. Et his dictis arrepto clypeo ac sacra lancea ipse primus equum in hostem vertit fortissimi militis & boni Ducis officia simul gerens: hostium audaciores primum resistere; deinde, ut socios viderunt terga vertere, obstupefacti nostrisque intermixti extinguuntur. Ceterorum vero alii equis fatigatis villas proximas intrant, circumfusique armatis cum mœniis pariter excremantur; alii fluvium contiguum transnatantes, dum ripa ulterior ascendentes non sustinet, flumine obvolvuntur & pereunt. Eo die castra invasa, captivique omnes erepti, secundo die ac tertio a vicinis urbibus reliqua multitudo in tantum consumpta est, ut nullus aut rarus quis evaderet; sed non adeo incruenta victoria de tam sæva gente. Conradus quippe Dux fortiter pugnans animi fervore, solisque ardore, qui eo die nimius erat, accensus æstuabat, vinculisque solutis dum auram captat vulnere sagittæ adverso gutture defixæ cadit, cujus corpus juxta Regis imperium honorifice collectum transportatur Wormaciam, ibique sepelitur, vir omni virtute animi & corporis magnus atque famosus, cum fletu & planctu omnium Francorum. Post longum tempus Imperator Mersburch veniens a quodam proditore comperit, exuvias ejusdem a Slavis in Luencowa sub Euchavico seniore sibi multum dilecto haberi, & cum auxilio illius hos in singulari prælio devictos suspendi præcepit, prædæque maximam partem restituit, sed incertum est, utrum hanc interemptores ejusdem sumpserint, an sic casu accidente necis ejus inculpabiles invenerint, & quia hoc ullatenus celare præsumpserunt, digna morte pœnas persolverent. Interea Rex nuntios Sanctæ præmiserat Matri, qui cuncta ex ordine pandentes tam curam ejus solverent, quam mentes fidelium in laude Christi pariter accenderent. Tres Duces gentis Ungariæ capti Ducique Heinrico præsentati mala morte, ut digni erant, perierunt, suspendio namque crepuerunt. Triumpho celebri Rex gloriosus factus ab exercitu Pater Patriæ, Imperatorque appellatus est. Neque enim tanta victoria quisquam Regum ante eum intra ducentos annos lætatus est. Heinricus frater Regis desperatis rebus suis recuperatis, receptoque Bawariæ ducatu obiit, cujus filio Heinrico pius Rex Ducatum & Marcam dedit. Otto filius Regis nascitur. De præfato fratre Regis quædam feruntur, quæ impie fecit in regno suo, in quibus valet considerari, quod supradictis omnibus a nullo potest contradici. Patriarcham de Aquileja castrari & Archiepiscopum Salzburgensem præcepit excœcari. Causas exponere nolo, quia ad hæc promerenda non esse idoneas scio. Is cum in fine suo a Michahele Archiepiscopo Ratisponensi de tali commisso admoneretur, se in priori peccasse solum fatetur, in Archipræsule vero nihil, ignorans, quam parva res est, in qua flagitium deest; unde David supplex loquitur: Ab occultis meis munda me Domine. Hujus Conjux Juditha nomine, cum præsens adesset, hanc confessionem audivit, & mox viro suo moriente corpus ejusdem in Ecclesia, quam ipse in honore Sanctæ Mariæ semper Virginis construxit, cum magno mœrore deposuit, & in quocumque animam ejus umquam deliquisse scivit, vel ab aliis comperit, lacrimis & ineffabilibus emendavit elemosinis. Hæc in viduitate sua continenter vivens, cum Habraham Frisiensem Episcopum præ ceteris diligeret, invido vulgari dente admodum inculpabilis dilaniabatur; quæ cum de hac luce migraret, in die depositionis suæ ab eodem Antistite missam cantante, sic expurgata est. Ante communionem versus ad populum, quæ merita ejus fuerint circumstantibus indixit; hoc, inquiens, delictum, quo infamata fuit, si hæc umquam commisit, faciat Omnipotens Pater filii sui Corporis & Sanguinis salutare remedium mihi provenire ad judicium & ad damnationem animæque illius ad perpetuam salvationem. Tum vero cum mentis & corporis innocentia sumpsit unicum cunctorum fidelium remedium; credidit populo quamvis sero, & cum detractione injusta plus ei profuit, cum nocere studeret. Interim Rex Saxoniam lætus revisens, a cunctis Principibus a longe sibi occurrentibus, summo studio excipitur, diuque expectatus, a venerabili sua matre profusis præ gaudio lacrimis amplexatur, quibus illico suum aperiens promissum, qualiter hoc ad unguem produceret, eorum obnixe petiit consilium & auxilium. His collaudantibus piæque petitioni aspirantibus, statuit Rex Abbatiam in Magdaburgensi Civitate, incipiens Ecclesiam mirum in modum in loco ubi sancta requiescit Edith, juxta quam post obitum suum ipse pausare desiderabat. Ibi Episcopatum etiam facere conatus, apud Bernhardum Sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ Antistitem VII. in cujus Diocesi urbs præfata jacuit, quamdiu vixit, impetrare non potuit. Quicquid in prædiis vel in aliis rebus in tempore sibi contraxit concesso, totum hoc DEO militique ejus Mauricio in hereditatem concessit. Dum hæc aguntur, ex parte Slavorum, bellum ingruit horridum hortatu Wigmanni & Eberti. Qui cum sensissent se Duci Herimanno resistere non posse, sociaverunt sibi duos subregulos Barbarorum Saxonibus jam olim infestos Nacconem & Stoinnegin fratrem ejus. Ductus exercitus invenit eos in urbe, quæ dicitur Siuthleiseranne, & pene erat, ut cum urbe caperentur, nisi clamore cujusdam citarentur, quod ad arma prosilirent, cæsis tamen ante portam urbis quadraginta armatis, cæsorumque spoliis potitus Dux Herimannus discessit. Erant autem, qui eum adjuvarent, Heinricus Præses cum fratre Sigefrido viri eminentes & fortes, domi militiaque optimi. Facta sunt autem hæc in initio Quadragesimalis Jejunii. Barbari

bari post hæc proximum Pascha irruunt in Regionem, ducem habentes Wigmannum ad facinus, non ad imperium. Nullam moram agens & ipse Dux Herimannus cum præsidio militari adest, vidensque exercitum hostium gravem sibique parvas admodum copias fore, civili bello urgente, arbitratus est consultius, differre certamen rebus in dubio constitutis, multitudinique imperare, quæ maxima in unam urbem confluxerat, dum ceteris diffiderent, ut liberi cum uxoribus & natis supra murum ascenderent, conditione servili & omni supellectili in medio urbis hostibus relicta. Cumque intra urbem irruerent barbari, quidam illorum suum mancipium in cujusdam liberti uxore invenit, quam cum rapere de manu viri niteretur, ictum pugno accipit, irritumque pactum ex parte Saxonum proclamitat. Unde fit ut omnes ad cædem verterentur, nullumque relinquerent, sed omnes perfectæ ætatis neci darent, matres cum liberis captivas ducerent; quod scelus Imperator ulcisci gestiens, victoria jam de Ungariis patrata, Regiones Barbarorum hostiliter intravit. Consultum est de Saxonibus qui cum Slavis conspiraverant, judicatum est Wigmannum & Ekbertum pro hostibus publicis haberi oportere, ceteris vero parci, siquidem remeare voluissent ad suos. Aderat & Legatio Barbarorum, tributa socios ex more velle tenere, hoc pacto pacem velle, alioquin pro libertate armis certare. Imperator ad hæc respondit, pacem quidem eis non negare, sed omnimodis dare non posse, nisi injuriam perpetratam digno honore ac emendatione purgarent; omniaque vastando & incendendo per illas regiones duxit exercitum, donec tandem castris positis super Taxam fluvium, ad transmeandum paludibus difficillimum, ab hostibus circumfunduntur a tergo. Namque arborum robore obstruitur, eademque armatorum manu vallatur. Ex adverso fluvius, fluvioque contigua palus, & cum ingenti exercitu Slavi bellatores & ab opere & ab itinere prohibentes. Vexabatur autem & aliis incommodis exercitus morbo pariter & fame. Dum talia agerentur per plures dies, mittitur ad Principem Barbarorum Stoinnef Gero Comes, Dux & Marchio, quatenus Imperatori se dedat, amicum per id adepturum, non hostem experturum. Erant quippe in Gerone multæ artes bonæ, bellandi peritia, in rebus civilibus bona consilia, satis eloquentiæ, multum sciens, & qui prudentiam suam magis opere ostenderet, quam ore, in adquirendo strenuitas, in dando largitas, & quod optimum erat, ad cultum divinum bonum studium. Igitur Gero Præses super paludem & flumen, cui palus adjacens erat, Barbarum salutabat; Cui Slavus æqualia respondit. Ad quem Præses: Satis tibi esset, ut bellum gereres contra unum nostrum de servis Domini mei, & non contra Dominum meum Regem, quis tibi exercitus? quæ arma ut talia præsumas? si aliqua vobis virtus adsit, si artes, si fiducia, date nobis locum ad vos transeundi, sive nos vobis huc veniendi, & æquato loco fortitudo appareat pugnatoris. Slavus barbarico more frendens, & multa convicia evomens, irrisit Geronem, Imperatoremque, & omnem exercitum sciens cum multis molestiis aggravatum. Gero ad hæc commotus ut erat animi ardentissimi: crastinus, inquit, dies declarabit, tu & populus tuus fortes viribus sitis, an non, cras enim nos vobiscum congredientes procul dubio videbitis. Gero denique olim licet multis gestis insignis & clarus haberetur, jam tamen magnus ac celebris ubique prædicabatur, eo quod Slavos, qui dicuntur Vehri, cum magna gloria cepisset. Gero reversus in castra, retulit quæ audierat. Imperator vero de nocte consurgens jubet sagittis & aliis machinis ad pugnam provocare, & quasi vi flumen paludemque transcendere velle. Slavi autem hesterna comminatione nihil aliud arbitrati ad pugnam pariter conspiravere, iter totis viribus defendentes. At Gero cum amicis Rivanis milliario fere uno a castris descendens hoste ignorante, tres pontes celeriter construxit, & misso nuntio ad Imperatorem totum exercitum revocavit. Quo viso Barbari & ipsi obviare Legionibus contendunt. Pedites barbarorum dum longiorem viam currunt, & certamen ineunt, fatigatione dissoluti, militibus citius cedunt; nec mora, dum fugæ præsidium quærunt, obtruncantur. Stoinef autem a colle eminenti cum equitibus eventum rei expectabat, qui socios inire fugam cernens, fugit & ipse, lucoque quodam cum satellitibus repertus a viro militari, cui vocabulum erat Hoseb, certamine fatigatus, armisque nudatus capite cæsus est. Satellitum alius vivus captus, Imperatorique cum capite & spoliis Reguli ab eodem præsentatus est. Ex hoc Hoseb insignis & clarus est habitus; Merces tam famosi gesti donativum imperiale cum reditu XX. mansorum. Eo die castra hostium invasa, & multi mortales interfecti vel capti cædesque in multam noctem protrahebatur. Postera luce caput subreguli in campo positum, circaque illud VCC. captivorum capite cæsi, ejusque Consiliarius oculis erutis lingua est privatus, in medioque cadaverum inutilis relictus. Wigmannus vero & Ekbertus scelerum conscii in Galliam profecti sunt, fuga elapsi ad Hugonem Ducem. Crebris victoriis Imperator gloriosus factus atque famosus, multorum Regum ac gentium timorem pariter ac favorem promeruit, unde legatos plurimos suscepit, Romanorum scilicet, Græcorum, Sarracenorumque, per eosque diversi generis munera, vasa aurea & argentea, æreа quoque & mira operis varietate distincta vitrea vasa, eburnea etiam, & omni genere modificata stramenta, balsamum & totius generis pigmenta, animalia Saxonibus antea invisa, leones & camelos, simias & Struciones, omniumque Christianorum res atque spes in illo sitæ. Ratherio ab Episcopatu Leodicensium ejecto, Baldricus annitente avunculo suo Montense Comite Episcopus substituitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LVI. Johannes duodecimus sedit annis VII. Rex in pace & otio degens maximo suorum fidelium con-

conventu Coloniæ placitum regale habuit. Ea tempestate gravis per omnes regni partes pestilentia grassabatur, quæ innumeram populi multitudinem passim extinxit. Ex qua Rodbertus Archiepiscopus Trevirensis & Hadamarus Abbas Fuldensis obierunt, quibus Heinricus in Archiepiscopatu, & Hatto in Abbatia successerunt. Abbatia Sancti Nazarii in Laureshan electioni restituitur. Brun Archiepiscopus Coloniensis frater Regis cœnobium Sancti Pantaleonis construxit. Eodem anno Liudolfus in Italiam ad comprimendam Berengarii tirannidem dirigitur, & in brevi, expulso Berengario, totius Italiæ possessor efficitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LVII. Rex iterum Slavos hostiliter invasit. Liudolfus filius Regis, cum fidem vult servare amicis, patria cessit, Italiamque cum eis adiit, quo agens annum fere totum, diem extremum obiit, toto Francorum Imperio relinquens morte sua vulnus durum. Funus autem ejus a militibus debito honore curatum, & ab Italia Mogontiam translatum in Basilica Albani martyris sepultum est cum luctu & planctu omnium Francorum. Reliquit post se filium Patris vocabulo insignitum. Litteræ autem obitus ejus allatæ sunt Imperatori cum esset in militia contra Redarios, qua propter plurimum lacrimarum pro ejus interitu fudit. De cetero, qui adhuc ordinaret imperium suum Rectori omnium DEO fideliter commisit. Willerus Trevirensis Abbas obiit, cui Wiggerus successit. Ea tempestate Rex clementissimus Abbatiam Sancti Petri in Wicenburh multis retro temporibus ab antecessoribus suis electionis & privilegii dono privatam studio sanctæ religionis dignitati pristinæ restituit, & virum venerabilem Geilonem eidem Cenobio Abbatem præfecit. Brun Archiepiscopus Coloniensis plures Nortmanorum cum principibus eorum baptizari fecit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LIIX. Rex Pascha in Inglenheim celebravit, inde navigio Coloniam ibi placitum acturus venit. Brun Archiepiscopus & Dux Lotharingiæ secundas partes in regno fratris sui potenter & industrie administrans, Raginerum Montensem Comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentinianas evocatum cepit, & irrevocabili exilio damnavit apud Slavos, eo quod regnum bellis inquietabat, vel quod verius fuisse dicitur, pro eo quod mortuo Gisilberto Consanguineo suo, ea quæ ipse uxori suæ Gerbergæ sorori Regis in dotem contulerat, violenter auferre præsumebat. Bonis Ragineri ad fiscum publicatis, filii ejus Raginerus & Lambertus ad Lotharium Francorum Regem confugerunt. In octavis Paschæ consensu Heroldi Archiepiscopi cæcati apud Inglenheim in præsentia Regis habita ibi XVI. Episcoporum Synodo Fridericus Salzburgensi Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Alewicus Augiensis Cenobii Abbas obiit, cui Ekkihardus successit. Grado Abbas Cenobii Sancti Galli obiit, cui Burchardus successit. Eodem tempore Wigmannus sciens Saxoniam bellatoribus vacuam a Gallia profectus Saxoniam intravit, domum, conjugemque revisit, inde se iterum alienigenis immersit. Ekbertus vero interventu magni Pontificis Brunonis in gratiam recipitur. Ductus exercitus contra Wigmannum tertia vice vix obtinuit, ut in fide Geronis filiique sui susciperetur, ipsique pro eo sponderent, contra Imperatorem Imperatorisque regnum nunquam aliquid iniquo consilio aut actu facturum. Ita fide data in pace est dimissus, & bonis promissionibus ab Imperatore erectus. Eo anno prodigiosæ res apparuere, notæ scilicet crucis in vestimentis plurimorum; quibus visis plurimi salubri timore perculsi adversa formidabant, ideoque vitia sua ex parte emendabant. Fuerunt & qui lepras vestium interpretarentur, eo quod subsequens lepra multos mortales corrumperet. Sapientiores autem signum Crucis salutem victoriamque præfigurasse prædicabant, quibus & nos assensum præbemus. Ea tempestate Imperator & ipse ægrotare cæpit, sed meritis Sanctorum, quibus fidele obsequium jugiter præbebat, maximeque patrocinio incliti Martyris Viti, cui aperuit os suum, convalescit, & ut sol lucidissimus mundo post tenebras ad omnem decorem & delicias condonatur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LIX. Rex iterum Slavos invasit, ubi Thetmarus occiditur. Legati Helenæ Reginæ Rugorum, quæ sub Romano Imperatore Constantinopolitano apud Constantinopolim baptizata est ficte, ut post claruit, ad Regem venientes Episcopum & Presbyteros eidem genti ordinari petierunt; quos ille benigne suscipiens, & multum gavisus, consensit deprecationi eorum, ordinavitque ad hoc venerabilem & Catholicum virum Libutium. Hagano Heresfeldensis Abbas paralisi percutitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LX. Apud Constantinopolim Romano Imperatore defuncto, Niceforus imperavit annis X. Rex natale Domini Franconevord celebravit, ubi Libutius ex Cœnobitis Sancti Albani a venerabili Adaldago Archiepiscopo Bremensi Rugorum genti ordinatur Episcopus. Guntherus rogatu Haganonis pro ipso Abbas Heresfeldensis constituitur. Eodem anno Rex iterum pergit in Slavos. Legati ab Apostolica Sede venerunt Johannes Diaconus & Azo Scriniarius vocantes Regem ad defendendam Italiam & Romanam Rempublicam a tirannide Berengarii. Waldbertus etiam Archiepiscopus Mediolanensis & Waldo Cumanus Episcopus & Opertus Marchio Berengarium fugientes, in Saxonia Regem adeunt, sed & reliqui pene omnis Italiæ Comites & Episcopi litteris eum ac legatis, ut ad se liberandos veniat, exposcunt. Geilo Wizenburgensis Abbas obiit, cui Gerricus successit. Igitur Otto Rex fortissimus universos Slavorum populos suo imperio subjecit, & quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipse tanta deinceps virtute constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro vita simul & patria gratanter susciperent. Baptizatusque est totus gentilium populus, Ecclesiæ in Slavonia ædificatæ, Monasteria

ria

ria etiam virorum ac mulierum Deo servientium plurima constructa. Tunc Slavonia in XX. pagos dispertita est, qui dicuntur ad Christianam fidem omnes, exceptis tribus, fuisse conversi. Pax fuit continua. Slavi sub tributo servierunt.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXI. Regnante piissimo Rege Ottone anno Regni ejus XXV. præsentibus legatis Domini Apostolici & universalis Papæ Johannis XII. Johanne scilicet S. Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, & Azone Protoscriniario, Archiepiscopis vero Waltberto Mediolanensi, Willehelmo Mogontiensi, Friderico Salzburgensi, Episcopis quoque Othelrico Augustensi, Popone Wirceburgensi, Michahele Ratisponensi, Hartberto Curiensi, Adalberto Lauriacensi, Abraham Frisiensi, Lanwardo Mindunensi, Petro Novanensi, Ricberto Sabinensi, Landelao Basiliensi, in vigilia Nativitatis Domini Corpus S. Mauricii, & quorumdam sociorum, ejus defertur, quod maximo ut decuit honore Partenopolim transmissum unanimi indigenarum & conprovincialium conventu ibidem susceptum est, & ad salutem patriæ hactenus veneratum est. Insuper plurimorum Reliquiæ Sanctorum Apostolorum, scilicet Martyrum, Confessorum atque Sanctarum Virginum eodem die gloriosissimo Regi Ratisponæ allatæ sunt; ubi celebrante eo Nativitatem Domini, Poppo Wirceburgensis Episcopus Regi percarus XVI. Kal. Martii diem clausit extremum, cui proximus suus Poppo in Episcopatu successit. Libutius priori anno quibusdam dilationibus ab itinere suspensus XV. Kal. Martii obiit anni præsentis, cui Adalbertus ex Cenobitis S. Maximini machinatione & consilio Willehelmi Archiepiscopi, licet meliora in eum confisus fuerit, & nihil in eum umquam deliquerit peregre mittendus in ordinatione successit, quem piissimus Rex solita sibi misericordia omnibus, quibus indigebat, copiis instructum genti honorifice destinavit. Rex itaque in Italiam ire disponens maximam suorum fidelium multitudinem Wormatiæ coadunavit, ubi consensu & unanimitate Regni procerum totiusque populi filius ejus Otto Rex eligitur, indeque progrediens, convenientia quoque & electione omniumLothariensium Aquis Rex ordinatur. Ordinato filio Pater in Saxoniam rediens dispositis regni negotiis, filium Willehelmo Archiepiscopo tuendum & nutriendum commisit. Sicque per Bavvariam & Trientum in Italiam se admisit, ubi omnes pene Italiæ Episcopos & Comites obvios habuit, & ut decuit, ab eis honorifice susceptus, potestative & absque ulla resistentia Papiam intravit, & Palatium a Berengario destructum reædificari præcepit. Berengarius vero & Willa, filiique eorum, quibus poterant, munitionibus aut castellis includebantur, & nusquam forinsecus contra Regem quid audentes progrediebantur. Eodem anno Godefridus Spirensis Episcopus obiit, cui Otgerus successit. Eclipsis solis fuit XVI. Kalend. Junii. Rex Hattonem Archiepiscopum, Abbatem Fuldensem ad construenda sibi habitacula, Romam præmisit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXII. Amalungus Fardensis Episcopus obiit frater Herimanni Ducis, eique Bruno Corbejensis Monachus cognatus ejusdem Ducis successit. Reginbertus Dei servus obiit. Iste construxit Abbatiam S. Blasii in Suevia. Rex natale Domini Papiæ celebravit, indeque progrediens Romæ favorabiliter susceptus acclamatione totius populi & cleri ab Apostolico Johanne Imperator & Augustus vocatur & ordinatur. Papa quoque multa illum secum caritate detinuit, & diebus vitæ suæ nunquam se ab eo defecturum promisit, quæ tamen promissio longe dissimilem, quam prætendebatur, effectum obtinuit. Iste Johannes filius Alberici XII. illius nominis petente Imperatore Ottone, quem ipse benedixerat, primum decrevit fieri in urbe Magadaburch Archiepiscopalem sedem, licet postea alienasset se ab Imperatore propter perfidiam suam & successor ejus Johannes XIII. illius nominis hoc perfecisset, quod ipse primitus inchoavit. Imperatore Augusto ab urbe Romana redeunte & Papiæ Pascha celebrante, Berengarius in quodam monte, qui dicitur ad Sanctum Leonem plurimis undequescus copiis attractis, se munivit, & Willa in quadam Insula quæ dicitur ad S. Julium se inclusit; Filii vero eorum Adalbertus & Wido, huc illucque incerti vagabantur, quasdam tamen munitiones cum suis sequacibus adhuc possidebant. Hoc est Gard Castellum & Travallium, & Insulam in lacu Cumano. Tunc Willa imprimis hostiliter aditur & adempto omni de lacu exitu, fundibulariorum & sagittariorum, aliorumque belli instrumentorum impugnationibus fatigatur, & non plenis duobus mensibus obsessa capitur, & ad ultimum clementia Imperatoris dimissa, quo vellet ire permittitur; quæ quanta potuit velocitate Berengarium adiit, &, ne se Imperatori dederet, omnimodis persuasit. Eodem anno Adalbertus Rugis ordinatus Episcopus nihilque in his propter quæ missus fuerat proficere valens, & inaniter se fatigatum videns revertitur, & quibusdam ex suis in redeundo occisis, ipse cum magno labore vix evasit, & ad Regem veniens caritative suscipitur & a Domino amabili Willehelmo Archiepiscopo pro retributione tam incommodæ ab eo sibi machinatæ peregrinationis, bonis omnibus & commodis, quasi frater a fratre amplectitur & sustentatur. Missis etiam pro eo ad Imperatorem litteris, reditum ipsius in palatio operiri jubetur. Eodem anno Adalbero vir venerabilis Metensis Episcopus obiit, pro quo Theodericus consobrinus Imperatoris Episcopus subrogatur. In ipso anno reliquiæ Sanctorum Martyrum Fabiani, Eustachii, Pantaleonis, Ypoliti, Eugei, Miniatis, Valentis & Corpus Sanctæ Laurentiæ Virginis a prædicto Imperatore Quidelingeburgensi civitati transmissæ, ibi religiosissime susceptæ sunt.

Johannes Episcopus servus servor. Dei reverentissimis confratribus Archiepiscopis, Episc. Abba-

Abbatibus, Monachis, Primatibus, omni clero & populo in Gallia, Germania, Bavvaria constitutis, quociens ad profectum novæ christianitatis concessionis, firmitatisque privilegium a sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore deservimus, exposcitur, tociens omni diligentia, omnique amore impertiri opere precium duximus, ne quod erga pia desideria propensius impendi convenit, callidi hostis invidia ob desidiam indeficienter subripiat. Totis ergo viribus carissimi fratres certandum est, ut Christianitatem, quam Deus omnipotens per servos suos cœlesti tropheo quotidie extendit & provehit, nostro quoque per eum adjutorio in eodem solidetur & maneat; Nunc vero Dei operante clementia carissimus & christianissimus filius noster Rex Otto devictis Barbaris gentibus, Avaribus scilicet aliisque quampluribus, ut ad defensionem S. Dei Ecclesiæ triumphalem victoriæ, imperii culmen, per nos a Beato Petro Apostolorum Principe susciperet coronam, summam & universalem, cui Deo præsidemus auctore adiit sedem, quem paterno affectu suscipientes ob defensionem S. Dei Ecclesiæ in Imperatorem cum Beati Petri benedictione unximus, cumque in Ecclesia Beati Petri Apostoli de statu & regimine totius Christianitatis tractantes, quæ utilia sunt utiliter secundum Deum tractarentur, Præfatus piissimus Imperator Otto, qualiter Sclavos, quos ipse devicit, in Catholica fide noviter fundaverat, nostræ innotuit paternitati, deprecans & obnixe postulans, ne oves, quas ipse in Christo acquisierat, ob pastoris defectionem antiqui serpentis versutia damnarentur. Ad hanc itaque petitionem assensum fratres carissimi, merito præbuimus; totis ergo medullis cordis, prout dignum est, ut novella hæc plantatio super verticem montis in petra quæ Christus est, fundetur, intendamus. Dabit vires, qui neminem vult perire, cujus annuente clementia volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Magdaburgense Monasterium in Regno Saxonum juxta Albim constructum, quod prælibatus sanctissimus Imperator ob novam Christianitatem construxit, quia vicinius id locorum gentibus est, in Archiepiscopalem transferatur sedem, quæ per subditos suffraganeos totum Dei gregem regere & gubernare valeat. Volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Mersburgense Monasterium, quod ipse piissimus Imperator, quia Vngaros prostravit, futurum Deo devovit, in Episcopalem debeatur sedem, quæ Magedaburgensi sit subdita sedi, & quia tot gentes sub uno Pastore regi minime possunt, volumus & per nostræ auctoritatis privilegium censemus, ut censum & decimationem omnium gentium, quas idem piissimus Imperator baptizavit vel per eum suumque filium æquivocum Regem, successoresque eorum baptizandæ sunt, ipsi successoresque eorum Deo annuente potestatem habeant distribuendi, subdendi, Magedaburgensi, Mersburgensi, vel cuique velint futuræ sedi. Volumus etiam, carissimi confratres, & ex Beati Petri Apostoli jussione præcipimus, ut Mogontiensis, Treverensis, Coloniensis, Salzburgensis, Hammaburgensis Archipræsules, Magedaburgensis Monasterii, in Archiepiscopalem & Mersburgensis Translationem in Episcopalem sedem totis cordis corporisque viribus consentanei fautores persistant. Cum vero DEUS omnipotens per prætaxatum servum suum invictissimum Imperatorem, suumque filium Regem successoresque eorum vicinam Slavorum gentem ad cultum Christianæ fidei perduxerint, per eos in convenientibus locis secundum opportunitatem Episcopatus constitui, & in eisdem per consensum prædictorum quinque Archipræsulum, successorumque eorum ab Archiepiscopo Magdaburgensi Episcopos consecrari volumus suffraganeos; sed tamen si præfati filii nostri piissimi Imperatoris, suique filii æquivoci Regis successores eorum statuta frangere tentaverint, aut prædictarum Ecclesiarum cæterique præsules successoresque eorum Magedaburgensi Archiepiscopo, suisque successoribus, eorumque suffraganeis, & eorum successoribus adjutores, consentaneique non fuerint, anathematis mucrone feriantur, a summoque retributore damnationem sine fine recipiant. Omnipotens itaque Deus serenissimo Imperatori Ottoni, suoque nato æquivoco Regi spiritualibus filiis nostris longævam tribuat vitam, quatenus in hoc sæculo tranquille viventes in futuro inmarcescibili gloriæ percipiant palmam. Scriptum per manum Leonis Scriniarii S. Sedis Apostolicæ in Mense Febr. indict. V. data II. Idus Febr. per manum Georgii secundi-Cerii S. Sedis Apostolicæ anno Deo propicio Pontificatus DD. Johannis summi Pontificis & Vniversalis Papæ VII. Imperii DD. piissimi Augusti Ottonis a Deo coronati magni Imperatoris anno primo in Mense & indiction. V. factum.

Quod antiquæ Ecclesiæ a novis nec decimis, nec ulla possessione sunt spoliandæ.

Quod dotes Ecclesiæ non auferantur.

Quod Ecclesiastica statuta & privilegia ab Apostolis & reliquis Magistris Ecclesiæ tradita integra serventur, & prævaricatores eorum excommunicentur.

Quod consuetudines ecclesiasticæ pro lege sunt tenendæ.

Quod tricennalis possessio firma sit. Sicut Diocesim alienam tricennalis Possessio tollit, ita territorii conventum non admittit. Ideoque Basilicæ, quæ novæ conditæ fuerint, ad eum proculdubio Episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXIII. Imperator iterum Papiæ Natale Domini & Pascha celebravit. Interim Adalbertus huc illucque discursans quoscumque poterat sibi undique attraxit; Sed & Corsicam, ibi se tueri nitens, intravit. Romanum etiam Pontificem multipliciter in suum adjutorium sollicitavit. Dum hæc igitur aguntur Imperator a Papia movens iter, Berengarium in monte S. Leonis obsedit, totamque ibi æstatem sedens sæpe montem undique circumdedit, & ne aliquatenus pate-

pateret exitus vel introitus prohibuit. Interim Johannes Papa promissiones Imperatori factas oblivioni tradens ab eo defecit, & Berengarii seu Adalberti partibus favens, Adalbertum Romam intromittit, quas dolositates ejus Imperator audiens, relicta circa montem obsidione Romam versus pergit, cujus ipsi metuentes adventum plurimum thesaurum S. Petri rapientes fugæ subsidia petunt. Tunc Romani in plura divisi, partim Imperatori faventes, multis enim a prædicto Papa injuriis se opprimi conquerebantur, partim Apostolico blandientes licet diversa sentirent, Imperatorem tamen cum honore debito in urbem intromittunt, seque per omnia datis obsidibus illius ditioni subjungunt. Imperator vero plurimorum Episcoporum collecta multitudine Sinodum coadunavit, & consilio eorum missa legatione canonica auctoritate Aufugam Apostolicum ad Sedem Pontificalem & Apostolicam revocavit. Illo tamen hoc omnimodis renuente plebs Romana Leonem protoscriniarium virum strenuum & industrium communi consensu in locum ejus elegit & ordinavit. Cui Synodo interfuerunt omnes pene Romaniæ & Italiæ Episcopi, Angelfridus etiam Aquilejensis Patriarcha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit; sed & de nostratibus adfuerunt Heinricus Treverensis & Adaldagus Archiepiscopi, Lantwardus & Otgerus Episcopi. Postea Johannes qui & Octavianus videns se esse depositum, sera pœnitentia ductus ab Adalberto disjungitur. Adalbertus vero in Corsicam revertitur. Eodem anno Gard Castellum in Italia capitur. Interim Gero Orientalium Saxonum Marchio Lusizi & Selpuli Misiconem quoque cum sibi subjectis Imperiali subdidit ditioni. Herimannus Dux Seluberem & Mistui cum sibi subditis, Imperatori tributarios fecit. Corpus S. Gerontii de Italia allatum est per manum Otkerii Episcopi XII. Kal. Augusti jubente Ottone Imperatore, & perlatum VIIII. Kal. Octob. in Metropolim Saxoniæ Magdaburg & a Bernhardo Haberstadiensi Episcopo, in cujus parrochia civitas sita erat, honorifice susceptum est.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXIIII. Imperator Romæ Natale Domini celebravit. Berengarius cum suis in monte S. Leonis obsessus vincitur & id ipsum Castellum Imperatoris ditioni subditur, & Berengarius cum Willa in Bavvariam mittitur, & postmodum in Castello Babenberh vitam præsentem finivit. Romani iterum ab Imperatore solito more deficientes, plurimis aliis castellanis per conjurationem extrinsecus adjunctis, eum occidere nitebantur. Sed insidiis eorum patefactis, eodem die, quo eum extinguere moliti sunt, necem sibi paratam anticipans III. Non. Januarii cum paucissimis suorum eos evasit, & non modicam illorum multitudinem infra muros urbis prostravit. Die vero sequenti Romani iterum venientes centum obsides dederunt, & super corpus S. Petri sub jurejurando fidelitatem Imperatori & Papæ promiserunt. Tunc Imperator plena adhuc hebdomada apud illos manens, Spolitanum Ducatum & Camerinum ordinaturus exivit, & ad preces Leonis Papæ obsides Romanis remisit, quibus ipsi beneficiis ingrati non longe illo ab urbe adhuc posito, Johannem qui & Octavianus urbi intromittunt, & fidem Imperatori & Papæ promissum adnihilare non metuunt. Leo vero Papa vix cum paucis facultatum omnium nudus evasit & Imperatorem in Camerino Ducatu positum adiit, ibique Pascha celebravit. Johannes autem qui & Octavianus, Johannem Diaconem & Azonem Scriniarium crudeliter detruncavit, & Otgerum Spirensem Episcopum comprehensum & flagellatum aliquandiu licet incommode secum detinuit, sed postea eum spe impetrandæ ab Imperatore veniæ, remisit. Quæ spes divina eum ordinatione fefellit, nam pridie Idus Maji rebus humanis excessit. Tunc Romani non modice metuentes Imperatoris adventum, Benedictum quemdam Romanæ Ecclesiæ Diaconum fidei & electionis Domini Leonis immemores eligunt, & ordinatum Sedi Apostolicæ imponunt. Quo audito Imperator collecta undequesecus fidelium suorum multitudine, Romam adiit, & firma eam obsidione ex omni parte ne quis pateret exitus munivit. Sed prædictus Benedictus diutius ut Imperatori resisterent, Romanos animavit, ipsique Imperatori suisque fidelibus excommunicationem comminans, muros urbis ascendit, & elatiori se fastu quam Apostolicum decuerat, continuit. Ad ultimum Romani fame & obsidione constricti, se errasse & contra Imperatorem deliquisse pœnitentes VIIII. Kal. Julii, hoc est, in vigilia Præcursoris Domini portas urbis aperiunt & Imperatore cum honorificentia debita intromisso Benedictum sacrilegum & perjurum Imperatoriæ potestati reddunt & Domnum Leonem in Sedem Apostolicam restituunt. Tunc Leo Apostolicus coadunata multorum Episcoporum Synodo, eumdem Benedictum Romanæ sedis invasorem judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & pontificale Pallium, quod sibi imposuerat, abscindit, ferulamque pastoralem manu sua ejus arreptam, coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris, Diaconatus eum tantum gradu uti concessit. Idem Benedictus ab Apostolica sede dejectus Adaldago Bremensi Archiepiscopo ab Imperatore commissus est, ac in Saxoniam perductus illic vitam finivit. Celebrata vero Beati Johannis nativitate & SS. Apostolorum festivitate, Imperator ab urbe Romana revertitur, & infeliciori quam speraverat omine in redeundo fruitur; Nam tanta exercitum ejus pestis & mortalitas invasit, ut vix vel sanus quis a mane usque ad vesperam, vel a vespera usque ad mane se victurum speraverit. Ex qua pestilentia obierunt Heinricus Trevirensis Archiepiscopus, & Gerricus abbas Wizeburgensis & Godefridus Dux Lothariensis, aliorumque innumera multitudo tam nobilium quam ignobilium. Tandem miseratione divina, pestilentia cessante, Imperator in Liguriam pervenit, ibique autumnali tempore pace & otio vacans, venatione se exercitavit. Eodem anno

anno Dodo Palatii Capellanus ab Adalberto comprehenditur, & flagellis cæsus in Corsicam deducitur, sed non longo post tempore dimittitur. Ea tempestate Waldo Cumanus Episcopus insulam in Cumano Lacu cepit, & munitiones in ea a solo destruxit; quod Udoni Comiti initium malorum fuit; Nam Hattonem ejusdem Insulæ tutorem in suam fidem suscepit, & destructa Insula, non, ut speraverat, cum Imperatore reconciliari potuit. Quod indigne ferens totum in Waldonem Episcopum detorsit, & inimicitiis in eum si posset ulcisci disposuit. Erkenbertus in locum fratris sui Gerrici Wizenburgensis Cœnobii Abbas constituitur. Corpus Sanctæ Stephanæ Virginis Quidelingeburgensi urbi transmissum est.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXV. Gerbernus Corbejensis Abbas obiit, cui Liudolfus successit. Udo Strazburgensis Episcopus obiit, cui Erkenboldus successit. Per hæc tempora multa SS. corpora ab Italia Imperator ad Magadaburch per Dodonem Capellanum suum transmisit. Ejusdem Imperatoris temporibus extiterunt duo fratres de loco, qui Wimmeri dicitur, in Thuringia Willehelmus Comes, & Poppo ipsius Cæsaris Capellanus. Hic venerabilis Sacerdos quam juste & sancte vixerit, DEus in finem ipsius declaravit. Is cum Imperatori diu fideliter serviret, nimis infirmatus, & in extasi effectus in montem excelsum ducitur, ubi civitatem magnam & pulchra ejus ædificia conspicatur, in cujus summitate Christum cum Sanctis omnibus sedentem videre meruit. Ibi Brun frater Imperatoris Archiepiscopus Coloniensis vivens, ob inanem philosophiæ executionem a summo Judice accusatur, & a Beato Paulo defensus, iterum intronizatur. Tunc iste vocatus simili de causa redarguitur, sed supplici Sanctorum intercessione suffultus, talem vocem audivit: Post tres dies ad me veniens, hanc quam ego nunc demonstro tibi cathedram possidebis. Hæc omnia Sacerdos cum evigilaret Imperatori ad se accersito explicuit, & non esse somnium, sed veram affirmans visionem, gratias ei retulit pro bonis omnibus, quæ in eum fecit, & sicut ei indictum est, facta confessione indulta a præsentibus remissione, derelinquens aliena petiit sua cum pace bona, flentem consolans Regem. Frater vero illius Willehelmus venerabili senectute vivens usque ad tempora Heinrici Imperatoris de Bavenberch perduravit. Igitur Imperator natale Domini Papiæ celebravit, & peracta festivitate statim in Patriam dispositis in Italia Regni negotiis, commeavit; Cui filii sui Otto Rex & Willehelmus Archiepiscopus in confinio Franciæ & Alamanniæ in villa Heimbogesheim occurrerunt, & cum magna eum ibi alacritate susceperunt. Inde Wormatiam progressus fratrem suum Brun Archiepiscopum in Purificatione Sanctæ Mariæ sibi obvium habuit, sicque totam Quadragesimam in Francia commorans, in Inglenheim Pascha cum magno gaudio celebravit; Indeque navigio Coloniam attingens, matrem suam Domnam Machtildam & sororem suam Gerbirgam Reginam filiumque ejus Regem Lotharium sibi obvios condigno ibi amore & honore tractavit, sicque in Saxoniam iter direxit. Benedictum etiam illum depositum ab urbe Romana secum in Franciam advexit, quem Adaldago Archiepiscopo Bremensi custodiendum commisit. Duas quoque filias Berengarii in Palatio cum Imperatrice decenti sibi honore detinuit. Pretiosum quoque marmor cum auro & gemmis ad Magdaburch præcepit adduci. In omnibus Columnarum capitibus Sanctorum Reliquias diligenter includi jussit. Corpus egregii Comitis Christiani, & aliorum sibi familiarium juxta supra memoratam posuit Ecclesiam, in qua sibi sepulturam, quam diu vixit, præparari concupivit. Pentecostem Aquisgrani celebravit, concurrentibus ibi a Francia sororibus suis Regina scilicet Gerberga matre Lotharii Regis & Caroli Ducis, & Hathwide uxore Hugonis Parisiorum Comitis, quorum filius fuit Hugo, qui post regnavit in Francia. Ubi omnis illa Regalis prosapia tanto ad invicem congratulationis adjubilo affecta est, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudii huic lætitiæ potuerit æquiperari. Eodem anno quidam ex Langobardis more solito ab Imperatore deficiunt, & Adalbertum in Italiam reducunt. Tunc Imperator Burchardum Ducem Alamannorum in Italiam misit ad congrediendum ei ubicumque inveniretur. Qui cum Langobardis Imperatori fidelibus & Alamannis per Jusum & Padum navigavit, & illis ubi eum audierat esse partibus navim applicuit. Quos in primo fluminis egressu Adalbertus insiluit, ubi & frater ejus Wido cum aliis multis occubuit. Ipse vero Adalbertus vix fuga elapsus evasit, & montana quædam, ubi Imperatorem lateret, intravit. Hac victoria lætus Dux in patriam repedavit, & quæ sibi acciderant Imperatori significavit. Interim Wido Mutinensis Episcopus vulpina calliditate Imperatori fidelem se simulans ipsique fideles se proditurum jactitans, Adalberti legatione fungens, Imperatorem in Saxonia aggreditur, nec tamen visu aut collocutione ipsius participatur, sed cum dedecore redire permissus infra Alpes ultra Curiam comprehenditur, & in Saxoniam remissus in Slavis custodiæ mancipatur. Eodem anno Domnus Leo Papa obiit: Tunc Legati Romanorum Azo videlicet Protoscriniarius & Marinus Sutriensis Ecclesiæ Episcopus Imperatorem pro instituendo, quem vellet, Romano Pontifice in Saxonia adeuntes honorifice suscipiuntur & remittuntur: Et Otgerus Spirensis & Liuzo Cremonensis Episcopi cum eisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni Plebe Romana Johannes Narniensis Ecclesiæ Episcopus eligitur, & Sedi Apostolicæ Pontifex intronizatur. Iste Johannes in Magdaburh perfecit, quod Antecessor suus incepit. Qui statim majores Romanorum elatiore animo, quam oporteret, insequitur, quos in brevi inimicissimos & infestos patitur. Nam ab urbis Præfecto & quodam Reifrido comprehenditur, & ab urbe expulsus in Campania custodiæ

ſtodiæ mancipatur. Hoc demum anno Imperatore ab Italia redeunte, Heinrico Treverenſi Archiepiſcopo defuncto, ejuſdem Eccleſiæ Diaconus Thiedericus & Adalberoni Metenſi Epiſcopo Theodericus Conſobrinus Imperatoris, ſucceſſores inſtituuntur. Brun Archiepiſcopus germanus Imperatoris, vir ducatu pariter & Epiſcopatu digniſſimus, in Franciam pergens ad pacificandos Nepotes ſuos Lotharium Regem & filios Hugonis, ubi Compendium venit, febre correptus Remis rediit, ibi quicquid habuit in re mancipi per Teſtamentum Eccleſiis ſanctorum delegato, mortuus eſt octavo Idus Octobris. Corpus ejus a Theoderico Metenſi Epiſcopo Coloniam refertur. Imperator autem fraterna clade turbatus, Folcmaro ejuſdem familiari Capellano ob amorem ejus Epiſcopatum & animæ ejus curam fideliter commendavit. Eodem anno prædictus Imperator Corpus Sanctæ Juſtæ Virginis honorifice transmiſit in Saxoniam. Lotharius Rex Domnam Hemmam ſibi conjugio copulavit. His temporibus Wigmannus patriæ, ut ſupradictum eſt, donatus, æquanimiter ſe continuit, donec Imperatoris adventum ſperavit. Cum autem ejus reditus differretur, ad Aquilonales partes ſe contulit, & cum Rege Danorum Haroldo bellum ab integro machinatur. At ille mandavit ei, ſi ducem necaſſet vel alium quemlibet principum, noſſet ſine dolo ſibi eum ſociari velle, aliter rem fraudulenter agitari non dubitaret. Interea ab emptore prætereunte latrocinia ejus produntur, ſociorumque aliqui comprehenſi & tanquam contra rempublicam agentes a Duce damnati ſtrangulo vitam perdiderunt. Ipſe autem cum fratre fugit. Gero igitur non immemor juramenti, cum Wigmannum accuſari vidiſſet, reumque cognoviſſet, Barbaris, a quibus eum aſſumpſit, reſtituit. Ab eis libenter ſuſceptus longius degentes barbaros crebris præliis contrivit. Miſacam Regem, cujus poteſtatis erant Slavi, qui dicuntur Licikaviki, duabus vicibus ſuperavit, fratremque ipſius interfecit, & prædam magnam ab eo extorſit. Eo quoque tempore Gero præſes Slavos, qui dicuntur Luziki, potentiſſime vicit, & ad ultimam ſervitutem coëgit, non ſine ſuo tamen gravi vulnere Nepotisque optimi viri caſu, ceterorum quoque quam plurimorum nobilium virorum. Hoc anno II. Kal. April. Halberſtadenſis Eccleſiæ Baſilica corruit. Gero Marchionum ſui temporis optimus & præcipuus obiit. Hic morte unici filii ſui turbatus Sigefridi, Romam pergens emeritus jam Senex, coram altari Principis Apoſtolorum Petri arma victricia depoſuit & apud Domnum Apoſtolicum, Brachium Sancti Ciriaci impetrans ad DEum cum omni hereditate ſua confugit, conſtruens Monaſterium in ſaltu, quod ſuo ſignatur nomine, & nati ſui viduam prius velatam a Bernhardo Epiſcopo ſtatuit ibi Abbatiſſam, & firmatis omnibus XIII. *Kal.* Junii feliciter migravit ad Dominum. *Hujus frater* Sigefridus partem hereditatis ſuæ tradidit Sancto Vito, conſtruens ei Monaſterium *in loco*, qui dicitur Gronigge, Soror eorum Hidda nomine ſancta mulier, quæ cauſa orationis Jheroſolimam petens ibidem obiit, genuit Thietmarum Marchionem, & Geronem Colonienſem Archiepiſcopum, qui in prædio ſuo juxta Salam fluvium abbatiam conſtruxerunt in honorem Sanctæ DEI Genitricis & Sancti Cipriani Martyris, imperante ſecundo Ottone.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXVI. Imperator Coloniæ natale Domini celebravit, cunctaque ibi Lotharienſis Regni negotia, prout videbatur, diſpoſuit. Erkanbertus Wiceburgenſis Cœnobii Abbas obiit, & Imperator electione Monachorum Adalbertum Rugis ordinatum Epiſcopum eidem Monaſterio præfecit. Starkandus Rubilocenſis Eccleſiæ Epiſcopus obiit, cui Reginboldus ſucceſſit in Epiſcopatu. Udo Comes conjurationem cum Adalberto Berengarii filio habens, & in Italiam ad excæcandum Waldonem Cumanum Epiſcopum ire diſponens, Imperatoriæ Majeſtatis reus eſſe convincitur & Sacramento, ne aliquatenus ullas regni partes præſumat ingredi, regno expellitur. Wikkerus Treverenſis Cœnobii Abbas obiit, cui Aſolfus in abbatia ſucceſſit. Imperator iterum in Italiam ire diſponens, Aſſumptionem Sanctæ Mariæ Wormatiæ celebravit, ibique habito cum omnibus regni majoribus concilio, inde per Alſatiam & Curiam Alpes tranſcendens, Italiam intravit, & Sigalfum Placentinum Epiſcopum, quosdamque ex Comitibus Italicis propter Adalbertum priori anno a ſe deficientes in Tranſalpinas partes Franciæ vel Saxoniæ direxit cuſtodiendos. Tunc Romani Imperatoris metuentes adventum, Rotfredo jam mortuo, a cuſtodia, qua tenebatur, Johannem Apoſtolicum abſolvunt, & veniam pro malis quæ ei ingeſſerant poſcentes, in locum & ſedem ſuam illum reſtituunt. Eodem anno antequam Rex iret in Italiam, Machtild unica filia ejus decus ſanctimonialium communi conſenſu Cleri & populi religioſiſſime Congregationis Sancti Servatii in Abbatiſſam electa eſt, ac præſentibus Patre Ottone Imperatore, & Matre Imperatrice Athelheida aviaque ſua Machtilde Regina, nec non Rege Ottone fratre ſuo, cunctisque optimatibus Regionis illius, utriusque ſexus, non uno, uti moris eſt, benedicente Epiſcopo, ſed cunctis regni Archiepiſcopis & Epiſcopis in hoc opus collectis, benedicta eſt. Eodem etiam anno Berengarius quondam Italiæ Rex exul moritur, & in Bavenberch regio more ſepelitur, cujus vidua Willa, antequam ſepeliretur, velum ſibi ſanctimoniale aſſumpſit. Eberhardus Comes obiit. Udo Comes ſacramenti oblitus Franciam ingreditur, unde iterum abſque omni utilitate revertitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXVII. Idus Julii Dux Boëmiæ, cui agnomen ſævus Bolizaus male mercatum, fraterno ſanguine. Sancti Beati Martyris Wenezlai Boëmiæ Ducatum cum vita amiſit, cui filius ejus æquivocus ſuus in principatu ſucceſſit, multum diſſimilis patri, moribus bonis & converſatione ſpirituali; Erat enim vir Chriſtianiſſimus, fide Catholicus, pa-

U 2 ter

ter Orphanorum, Defensor Viduarum, & Clericorum & peregrinorum, præcipuusque Ecclesiarum fundator; Nam, ut in privilegio Ecclesiæ Sancti Georgii in Praga legitur, XX. Ecclesias erexit, & eas omni ecclesiastica utilitate ampliavit. Hujus fuit soror nomine Mada Virgo sacra, litteris erudita, quæ cum orationis causa Romam venisset, a Papa Johanne XIII. hujus nominis benigne suscipitur, ibique aliquandiu degens monasticis disciplinis imbuitur. Dehinc Papa consilio Cardinalium immo volens novæ Ecclesiæ subvenire consecrat eam Abbatissam, mutato nomine, Mariam, donans ei Sancti Benedicti Regulam & abbatialem virgam; Quæ Pragam rediens & a fratre suscepta obtulit ei litteras Apostolici, quarum formula hæc fuit.

Johannes Servus Servorum DEI Bolezlao catholicæ fidei Alumno, Apostolicam benedictionem. Justum est benivolas aures justis accommodare petitionibus, quia DEus est Justitia, & qui diligunt DEum justificabuntur, & omnia diligentibus DEum cooperabuntur in bonum. Filia nostra, soror tua, inter ceteras haud abnegandas petitiones cordi nostro dulces intulit, ex parte tui preces, scilicet ut nostro assensu in tuo principatu ad DEI laudem & gloriam Ecclesiæ liceret fieri Episcopatum, quod nos utique læto animo suscipientes, DEO gratias retulimus, qui suam Ecclesiam semper & ubique dilatat & magnificat in omnibus Nationibus, unde Apostolica auctoritate & Sancti Petri potestate, cujus licet indigni, tamen vicarii sumus, annuimus & collaudamus atque incanonizamus, ut ad Ecclesiam Sancti Viti & Sancti Wenzeslai Martyrum fiat sedes Episcopalis; ad Ecclesiam vero Sancti Georgii Martyris sub Regula Sancti Benedicti & obedientia filiæ nostræ Mariæ sororis tuæ constituatur Congregatio Monialium. Verumtamen non secundum ritum aut sectam Bulgaricæ gentis, vel Rusiæ aut Slavonicæ linguæ, sed magis sequens instituta & decreta Apostolica unum potiorem ac placitum Ecclesiæ totius erigas, in hoc opus clericum, latinis adprime litteris eruditum, qui verbi vomere novalia cordis gentilium scindere & triticum bonæ operationis serere atque manipulos frugum vestræ Justitiæ Christo reportare sufficiat. Vale. Statim, ut jussum fuerat, consilio Ducis & Abbatissæ Ecclesia Sancti Viti decernitur futuro Episcopo, quia Ecclesia Sancti Georgii Martyris ad præsens datur Abbatissæ sorori Ducis Mariæ. Igitur quidam de Saxonia vir eloquens ac litteratus ordine Presbyter, ac professione Monachus nomine Dietmarus olim causa orationis venerat Pragam, qui Duci cognitus, & amicitiam ejus adeptus, præsertim quia Slavonicam linguam perfecte sciebat, hunc per legatos evocat. Tunc Clerum & Primates terræ ac populum convocans precibus & monitis efficitur, ut eum sibi in Episcopum eligant, qua re postera die peracta, Dux ad Imperatorem Ottonem eum direxit, orans per litteras, ut in Episcopum Boëmiis ordinaretur; quod Imperator consilio Principum & Præsulum consulens Christianæ novitati fieri jussit; qui a Mogontino Archiepiscopo consecratus in Civitate Praga modulante Clero, & Duce populoque concinente susceptus Ecclesias a fidelibus in multis locis constructas consecravit & multos gentiles baptizavit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXVII. Imperator Natale Domini Romæ celebravit, & excepto Præfecto urbis, qui aufugerat, XIII. ex majoribus Romanorum, qui auctores expulsionis Domini Johannis Papæ videbantur, suspendio interire jussit. Inde progrediens per Spoletam Ravennam adiit, ibique Pascha celebrans cum Domino Johanne Papa, plurimos ibi ex Italia & Romania Episcopos coadunavit, & habita Synodo multa ad utilitatem Sanctæ Ecclesiæ adinvenit, & Apostolico Johanni Urbem & Terram Ravennantium aliaque conplura multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata reddidit, eumque inde Romam cum magna lætitia remisit; Ipse vero in partes Tusciæ & Lucaniæ secessit. Interim Papa Johannes & Otto Imperator Regi Ottoni litteras invitatorias miserunt, & ut cum ipsis Natale Domini celebraturus Romam veniret, jusserunt. Tunc Rex puer pro disponendis regni negotiis ante suum in Italiam iter Wormatiam venit, ibique in primo suo placito DEO propitio plurima futuræ prudentiæ simul & clementiæ suæ indicia præmonstravit, sicque nativitatem Præcursoris & Apostolorum festivitatem Franconevord celebravit. Postea iter suum acceleraturus in Saxoniam remeavit. Ea tempestate Asulfus Treverensis Abbas præsenti vitæ subtrahitur, cui Thietfridus successor eligitur. Tunc etiam Domnus Willehelmus Archiepiscopus aliquantula infirmitate detentus, in brevi DEO miserante convaluit. Domno Imperatore in Italia conmorante, Legati Nicephori Græcorum Imperatoris Ravennæ ad eum venerunt, honorifica secum munera ferentes & pacem ab eo vel amicitiam poscentes. Qui filio suo uxorem Privignam ipsius Nicephori, Romani scilicet Constantinopolitani quondam Imperatoris filiam, ab Imperatore Constantinopolitano desponsare desiderans, nuntiis ejusdem suos fideliter commisit principes, hanc legationem ferentes. Quos in ipso itinere Græci solita calliditate ex improviso irruentes, alios occiderunt, alios vero captos Domino suo præsentabant. Pauci vero ex eis fugientes Imperatori suo eventum rei aperiunt: Qui detrimentum suorum graviter ferens, milites optimos Gunterum ac Sigefridum ad ulciscendum tale facinus misit in Calabriam. Qui Danaos priori victoria elatos & sibi occurrentes occiderunt, alios autem in fuga comprehensos, naribus obtruncant, tributum a Græcis in Calabria & Apulia extorquentes spoliisque ditati cum gaudio remeabant. Constantinopolitani autem funere suorum & captivitate tristes effecti adversus Dominum suum conspiravere, dolosæq; Imperatricis consilio per quemdam militem peremerunt, eumdemq; loco illius designantes Imperatorem. Eodem anno intrante Septembre Mense Otto Rex

Rex Romam iturus decenti comitatu egressus memoriam S. Michahelis in Augusta civitate celebravit; Indeque progressus per Trientinam vallem, Veronæ patri suo occurrit. Celebrata vero ibi Sanctorum omnium festivitate, per Mantuam, indeque navigio Ravennam digressi actis ibi aliquot diebus Romam tendentes XII. Kal. Januarii pervenerunt, & tertio ab urbe milliario maximam Senatorum multitudinem cum crucibus & signis & laudibus obviam habuerunt. Domnus autem Papa in gradibus Beati Petri residens eos honorifice suscepit, & sequenti die Ottonem Regem acclamatione totius Romanæ plebis ante confessionem Beati Petri, Cæsarem & Augustum ordinavit, factaque est non modica nostratium & Romanorum lætitia de jocundissima duorum Augustorum cum Domno Papa conventione. Erant Herimanno Duci Saxoniæ duo Subreguli, his erant inimicitiæ a patribus vicariæ relictæ; alter vocabatur Selibur, alter Mistav. Selibur præerat Waariis, Mistav Apodritis. Dum invicem apud Ducem sæpe accusantur, victus tandem ratione Selibur condemnatus est XV. talentis argenti a Duce; eam damnationem graviter ferens arma sumere contra Ducem cogitavit, sed cum ei belli copiæ non sufficerent, missa legatione postulat præsidium ab Wigmanno contra Ducem: Ille nihil jocundius ducens, quam aliquam molestiam inferre patruo, cito cum sociis adest Slavo; ut autem susceptus est in urbem Wigmannus, statim urbs vallatur ab Slavo hujus inimico. Ductus quoque exercitus a Duce urbem obsedit. Interim casu nescio an prudenti consilio Wigmannus cum paucis urbe est egressus, quasi ad contrahenda sibi de Danis auxilia. Pauci dies intererant dum obsessis victus & pabula jumentis deficerent; fuerunt etiam, qui dicerent, Slavum quidem belli speciem gessisse, non verum bellum; incredibile omnimodis fore hominem a puero bellis assuetum bellicas res tam male præparatas habuisse, sed id consilii machinatum Ducem, ut quoquo pacto posset nepotem vinceret, ut saltem in patria salutem recuperaret, quam inter paganos penitus perdidisset. Fame itaque urbani ac fœtore pecorum gravati urbe egredi sunt coacti. Cumque Dux Slavum austerius alloquens de perfidia & nequam ejus actibus argueret, hoc ab eo responsum accepit: Quid me, inquit, de perfidia arguis? Ecce quos nec tu, nec Dominus tuus Imperator vincere potuistis, mea perfidia inermes assistunt. Ad hæc Dux conticuit eum suæ ditionis regione privans, filio ipsius, quem antea obsidem acceperat, omni ipsius potestate tradita. Milites Wigmanni variis pœnis afflixit, urbis spolia repperit, magnum spectaculum populo præbuit, victorque in patriam remeavit. Audiens autem Wigmannus urbem captam sociosque afflictos ad Orientem versus, iterum se paganis immersit, egitque cum Slavis, qui dicuntur Vvilini, quomodo Musacam amicum Imperatoris bello lacesserent, quod eum minime latuit. Qui misit ad Bolizlaum Regem Boëmiorum, ex genere enim ipsius erat; accepitque ab eo equitum duas acies, cumque ex jussu Ducis paulatim coram Wigmanno fugerent, a castris longius protrahitur, equitibus a tergo immissis, signo fugientes ad reversionem hostium monet; cum ex adverso & post tergum premeretur Wigmannus, fugam tentavit inire. A sociis igitur arguitur sceleris, quia ipse eos ad pugnam instigaverit, fidensque equo, cum necesse fuerit, fugam facile inierit. Coactus itaque equo cessit, pedestris cum sociis certamen iniit, eoque die viriliter pugnans armis defenditur. Jejunio autem & longiori via, qua per noctem armatus incessit, mane cum paucis admodum aream cujusdam jam fessus intravit. Optimates autem hostium, cum eum reperissent, ex armis cognoscunt, quia vir eminens esset; Interrogatusque ab eis, quisnam esset; Wigmannum se esse professus est. At illi arma deponere eum hortati sunt, fide deinde spondent salvum eum Domino suo præsentari, hocque apud eum obtinere, quatenus incolumem Imperatori restituat. Ille licet in ultima necessitate constitutus non immemor nobilitatis ac pristinæ virtutis, dedignatus est talibus manum dare, petit tamen, ut Misaco de eo adnuncient, illi velle arma deponere, illi manus dare. Dum illi ad Misacam pergunt, innumerabile vulgus eum circumdat atque acriter impugnat, ipse autem quamvis fessus multis ex eis fusis, tandem gladium sumit & potiori hostium cum his verbis tradidit. Accipe, inquit, hunc gladium & defer Domino tuo, quo pro signo victoriæ illum teneat, Imperatorique amico illum transmittat, quo sciat aut hostem occisum irridere vel certe propinquum deflere. Et his dictis conversus ad Orientem, ut potuit patula voce Dominum exoravit, animamque multis miseriis & incommodis repletam pietati creatoris omnium effudit. Is finis Wigmanno talisque omnibus fere, qui contra Imperatorem arma sumpserunt. Imperator itaque acceptis armis Wigmanni de nece ejus jam certus factus, scripsit epistolam ad Duces & Præfectos Saxonum in hunc modum: Otto divino nutu Imperator Augustus. Herimanno & Thiaderico Ducibus, ceterisque reipublicæ nostræ Præfectis omnia amabilia, Deo volente salus omniaque prospera plane succedant. Ceterum Nuntii Constantinopolitani Regis dignitate satis insignes nos adeunt, pacem ut intelleximus admodum quærentes. Quoquomodo tamen res agatur, bello nos Deo volente tentare nullo modo audebunt. Apuliam & Calabriam provincias nisi convenerimus dabunt, si vero voluntati nostræ paruerint, præsenti æstate conjugem cum æquivoco nostro in Franciam dirigentes, per Fraxinetum ad destruendos Sarracenos Deo Comite iter arripiemus, & sic ad vos transire disponimus. Præterea volumus, ut si Redares, sicut audivimus, stragem tantam passi sunt, scitis enim quam sæpe fregerint fidem, quot injurias attulerint, nullam nobiscum pacem habeant. Unde hæc cum Herimanno Duce ventilantes, totis viribus instate, ut in destructione eorum finem operi imponatis. Ipsi si necesse fuerit ad eos ibimus.

Filius noster in Nativitate Domini coronam a Beato Apostolico in Imperii dignitatem suscepit. Scripta XV. Kal. Februarii in Campania juxta Capuam. His litteris lectis in conventu populi, in loco qui dicitur Werla coram principibus & frequentia plebis, visum est pacem jam datam Redariis oportere stare, eo quod tunc bellum adversum Danos urgeret, & quia copiæ minus sufficerent ad duo bella pariter conficienda. Hereditatem Wigmanni Imperator divisit in duas partes, & unam ex his tradidit Monasterio, quod Herimannus Dux in Liuneburh construxerat, alteram concessit Abbatiæ, quæ dicitur Keminada juxta Wisaram fluvium. Hæc duo cenobia dono Imperatoris maxime fundata sunt & regali auctoritate corroborata.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXVIII. Quidam Imperatoris Ottonis familiaris Romæ ante oculos omnium arreptus a Diabolo, ita ut se ipsum dentibus decerperet, jussu Imperatoris ad Johannem Papam adductus, ut catena Sancti Petri collo circumdaretur, dum a fallacibus Clericis semel & bis alia catena furenti adhiberetur, ne quicquam remedii proveniret, ubi nihil erat virtutis, tandem vera S. Petri catena allata & collo furentis circumdata, Diabolus spumans & multum clamans abcessit. Quam catenam Theodericus Metensis Episcopus arreptam cum diceret nisi manu abcisa non dimissurum, tandem Imperator sedato litigio a Papa Johanne obtinuit, ut annulum hujus catenæ exsectum Episcopus mereretur. Willehelmus filius Imperatoris Mogontinus Archiepiscopus, cui cura ab Imperatore Domino & parente suo commissa fuit Parthenopolim disponendi, ceteraque regni necessaria regendi, cum finem ægrotantis Machtildis Reginæ Aviæ suæ expectaret, in Redulverothe VI. Nonas Martii moritur. Hujus obitum nimia corporis infirmitate oppressa venerabilis Regina, nullo adhuc certa nuntio, præsentibus cunctis intimavit; filius inquiens, meus Willehelmus proh dolor jam expirans memoria indiget salutari, & Liudolfus Abbas Corbejensis egregius corporaliter sibi occurrentem illum nocte, qua transiit, videns obstupuit, & hunc mortuum esse confratribus nuntiavit. Cujus mater licet peregrina, nobili tamen erat genere procreata. Gillulfo Abbas Herfeldensis ab Imperatore missus de Italia Fuldam veniens, constituit, ut fratres Fuldenses eligerent Wirinharium in Abbatem post Hattonem; Indeque adiens Mogontiam, perfecit, ut Clerus & Populus eumdem Hattonem virum venerabilem Archiepiscopum acciperent; Quo post annum subtracto successit Robertus. Bernardus Halberstadensis venerandus anstites, natus ex nobilissimo Saxonum, sicut adhuc perspicuum est in his, qui ex ejus genere descenderunt, & primus inter principes regni, plenus dierum vir summæ abstinentiæ & religionis egregiæ XLVIII. ordinationis suæ anno in ipso die, idest, III. nonas Februarii obdormivit in Domino, & in Ecclesia S. Stephani corpus ejus est humatum. Hic inter innumera probitatis suæ facta, Brachium Sancti Sixti Papæ & Martyris, cum plurimis Sanctorum reliquiis de Roma attulit. Versa in luctum nostrorum finium cithara & organa nostræ spei in vocem flentium Justicia Domini lætificans corda, atque præceptum Domini lucidum illuminans oculos, lucernam quæ luceret omnibus, qui in domo Dei sunt, super candelabrum posuit, videlicet Hildiwardum aureum decus Priorum præsulum, præsentibus normam, posteris sanctæ vitæ exemplum, qui regulariter unanimi totius Cleri ac populi consensu electus octavus huic Ecclesiæ ab Herimanno Saxonum Duce in Vevverlaon castello, constitutus intravit Episcopus. Nam Imperator Romam pergens prædicto Duci regendæ interim Saxoniæ commisit potestatem. Qui ab Hattone Mogontino Archiepiscopo, qui Willehelmo successerat, XII. Kal. Jan. ordinatur. Post hæc Sancta Machtildis illustris Regina pridie Idus Martii migravit ab hoc sæculo, sepultaque est coram altari Christi Præsulis Servatii juxta seniorem suum Regem Heinricum, quia quem viventem dilexerat, huic se mortuam conjungi quandiu vixit semper imploravit. Hæc piis intenta studiis, ut pauca e plurimis referantur, Cenobium SS. Dionisii & Servatii in monte Quidelingeburch situm, alterumque in Villa sub honore SS. Jacobi Apostoli & Wigberti Confessoris in curte Regia, tertium Sanctæ Mariæ Dei genitrici & S. Cruci in Norhthusen, quartum in Aggeri S. Dionisio, quintum iterum S. Servatio in Palithi, plena religione construxit. Et licet omnium statum Ecclesiarum, quas vel nuntiis invisere, vel per semetipsam adire potuerat, opibus, totisque viribus sustentare curaret; hæc tamen, quæ prædiximus, Monasteria, quasi propiori affectu sibi suoque nomini asscripta singulariter omnigeneris commodorum usibus fovere non destitit. Quis digne possit explicare ejus vigilantiam erga divinum cultum? Omnibus modis & omni genere cellulam suam divinorum carminum melodia implebat. Erat enim ei cellula Ecclesiæ proxima, in qua modice requiescebat, de qua omnibus noctibus consurgens & in via & pro foribus triformiter constitutis, qui divinam clementiam collaudarent atque benedicerent, ipsa intra Ecclesiam in vigiliis & orationibus perseverans Missarum solemnia expectabat. Deinde infirmos ubicumque audivit in vicino visitavit, & necessaria præbuit. Deinde pauperibus manum porrigebat. Deinde hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscipiebat, neminem sine affatu blando dimittens, nullum fere sine munusculis, vel necessariis adjumentis vacuum relinquens, sæpe viatoribus, quos longius a cella prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet valde humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nihil de honore regio minuebat, & sicut scriptum est, quamvis sederet tamquam Regina, circumastante populo, erat tamen mœrentium consolatrix. Domesticos omnes variis actibus famulos & famulas litteris instituit. Nam & ipsa litteras novit, quas post mortem mariti satis lucide didicit. Igitur plena dierum, plena omni

omni honore, plena operibus bonis, & elemosinis, cunctis divitiis regalibus distributis servis Dei & ancillis ac pauperibus, animam Christo reddidit. Piam famam super his nemo nos vituperet prodidisse, dum veri periculo non succumbimus. Audivimus enim a quodam solitario in spiritu an manifesta visione nescio, animam Bernhardi Episcopi & Reginæ infinita multitudine Angelorum cum ineffabili gloria in cœlos deferri vidisse. Imperator audita morte matris & filii ceterorumque principalium virorum judicavit ab expeditione fraxinetis abstinere. Vrgebat eum ad hoc timor mortis propinquæ, & quod Deo in rebus promisit anxiis, oportuno tunc tempore complere studuit. Electum namque a cuncto sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ Clero & populo Hildivvardum præpositum & a Domino suo Bernhardo ad hoc præsignatum, Romam venire præcepit; cumque eodem, quod diu latebat secretum mentis revolvit, scilicet facturum se in urbe Parthenopolitana Archiepiscopatum semper studuisse ob spem remunerationis æternæ defensionis cœlestis patriæ, seque ad omnia quæcumque umquam ab eo expetisset, promisit paratum, si consentiret sibi hoc perficere votum. Hic autem, ut erat vir sapiens, petitioni piæ annuit, partemque parrochiæ, quæ sita est inter Aram & Albim & Bodam fluvios, & insuper viam, quæ Friderici dicitur, Deo concessit, Sanctoque Mauricio ac Imperatori. Insuper caritative rogatus ab eodem Augusto Cæsare dedit Deo Sanctoque Laurentio Parrochiam jacentem inter fluvios Willerbici & Salsum Mare & Salam ac Vnstrod, & Helmana & foveam, quæ est juxta Walehusen. Tali muneri Imperator arridens per manus suscepit eumdem, curamque ei cum baculo committens pastoralem, accipe, inquit, pretium patris tui. Hunc enim Ericum nomine, cum ceteris, sicut superius dictum est, in Quidelingeburch in Pascha eum occidere conantem decollari præceperat. Igitur Imperator eodem tempore multa bona Halberstadensi Ecclesiæ & S. Stephano contulit. His ita transactis Imperator vocavit ad se Richarium Magadaburgensis Ecclesiæ Abbatem tertium, [nam Antecessores ejus Anno Wormatiæ, Otwinus Hildensheim Episcopi præfuerunt,] voluit hunc dignitate sacerdotali decorare, sed visa quadam epistola, quæ clam deferebatur, omisit, Adalbertumque Treverensem, professione monachum, Rugis prius ordinatum præsulem, & hinc a gentilibus expulsum ad Archiepiscopatus promovit apicem, inclitum patrem & per omnia probatum, quem & Romam pro pallio a Domno Papa suscipiendo direxit. Domnus autem Papa Johannes illius nominis XIII. & prius Narniensis Episcopus, justis petitionibus annuens, nihilque tarditatis impendens, privilegio Apostolicæ auctoritatis eum dignum Archiepiscopum decernens, pro amore Beati Mauricii & Innocentii & Sanctorum, qui Magadaburch requiescunt, & prædicti Imperatoris pallium ad Missarum solemnia celebranda dedit Anno Dom. IXCLXVIII. Indictione XII. XV. Kal. Novembris, hoc est, in festivitate Sancti Lucæ Evangelistæ, anno pontificatus ipsius Domni Johannis universalis Papæ quarto. Tunc Imperator misit eum ad sedem suam cum magno honore, præcipiens universis Saxoniæ Principibus, ut proximum Natale Domini cum eo essent. Iste Imperator singulis diebus habuit hujusmodi cibum, sicut scriptum invenitur; mille porcos & oves, X. carradas vini, X. cerevisiæ, frumenti maltra mille, boves VIII. præter pullos & porcellos, pisces, ova, legumina, aliaqua quamplura.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXIX. Otto Imperator Natale Domini in Apulia, Pascha vero in Calabria celebravit. Adalbertus Archiepiscopus a Clero & omni Populo magnifice susceptus in his festivis diebus consecravit Bosonem Mersburgensis Ecclesiæ Pastorem primum; Burchardum Misnensis Ecclesiæ provisorem primum; Hugonem Cicensis Ecclesiæ primum Episcopum. His confratribus coaptavit Imperator, tres prius consecratos, hoc est, Dudonem Havelbergensem, Dudelinum Brandeburgensem, & Jordanem, Poznanensem, omnes subjectionem Episcopo suisque successoribus promittentes. Monachi autem qui prius ibidem conversabantur, transpositi sunt in montem, qui dicitur ad S. Johannem in suburbio ejusdem Civitatis V. Idus August. hoc est, in vigilia S. Laurentii Martyris qui multis retro annis ob devotionem & recordationem ejusdem transpositionis nudis pedibus eadem die facere solebant processionem in urbem suppliciter implorantes S. Mauricii, ceterorumque Sanctorum patrocinia. Permansit autem talis institutio usque ad adventum Hirsaugiensis ordinis. Quo autem anno hæc transpositio facta fuerit, certum non tenemus, nisi quod legimus Imperatorem tradidisse ad idem Monasterium Anno Dom. IXCLXV. Indict. VIII. Anno Imperii sui IIII. Regni autem XXX. omnem decimam mellis de provincia Slavorum Nizizi nominata. Si eodem anno, an in superioribus factum sit, in dubio est. Interim Dux Herimannus Saxoniam regebat, positaque ad Magadaburch concione, susceptus est ab Archiepiscopo, manuque deductus est ad Ecclesiam accensis luminaribus, cunctisque sonantibus campanis. Ibi Comitem Heinricum de Stadhe tantæ resistentem superbiæ, dolo capere Dux nisus non potuit, quia hunc militum magna caterva vallabat. Præcepit tamen ei, ut Romam post Imperatorem pergeret; quod libentissime complens, transcensis Alpibus, ut primum ad Imperatorem venit, videns eum a longe solotenus se prostravit; interrogatusque quid hoc causæ esset, lacrimabiliter respondit, quod accusatus apud eum gratiam ejus, pietatemque solitam se perdidisse timeret: Quem protinus elevatum Imperator osculatur, singulaque sagaciter perquirens de susceptione Ducis, & quomodo is in medio Episcoporum ad mensam loco Imperatoris sederet, lectoque dormiret, perdidicit. Ob hoc Cæsar Augustus mascula bile succensus Athelberto mandavit Archi-

Archiepiscopo, ut tot sibi equos mitteret, quot Duci campanas sonare, vel quot coronas accendi præceperat. Imperatoria Archipræsul peragens edicta quibuscumque valuit modis se per Legatos suos excusare contendit. Comes præfatus tam ingeniosus erat, ut Cæsarem iratum præ ceteris Principibus placare potuisset facilius, & quia ejus fuit consanguineus, gratiam Imperialem usque in exitum vitæ suæ fideliter obtinuit; Habuit uxorem nomine Juditham sororem Udonis Ducis, qui postmodum in Calabria sub Ottone Rufo cum multis occubuit, qui genuit ei tres filios scilicet Heinricum, Udonem, & Sigefridum, & tres filias, de quibus omnibus in suo loco dicetur; Ipse construxit Castrum in loco qui Herseveld dicitur, cujus fundamenta & valli usque hodie discerni possunt. Sepultus est cum conjuge sua in Hesunge. Teodericus Metensium Episcopus Imperatori sanguine, dilectione ac familiaritate ceteris convinctior, dum in Italica expeditione per triennium militaret, sub eo multa corpora & pignora Sanctorum de diversis Italiæ locis quocumque potuit modo collegit, & hæc cum parte catenæ Sancti Petri Apostoli cum capillis ejusdem, & sanguine Sancti Stephani Protomartyris & parte de craticula Sancti Laurentii Martyris a Papa Johanne sibi donata, in Galliam hoc anno transtulit, & in Ecclesia Sancti Vincentii Martyris a se in Insula urbis Metensis constructa locavit. Fuit in diebus istius Cæsaris quidam Comes Hed nomine, qui Ecclesiam in honore Christi Athletæ Viti in Heslinge constructam, quia heredem non habuit, maxima proprietatis suæ parte donavit, & congregatione Sanctimonialium ibidem facta eamdem abbatiam Mundiburdio Atheldagi Bremensis Archiepiscopi subdidit. Sed præpositæ huic sedi geminæ Matronæ venerabiles, quibus unum erat vocabulum Windilgard, cito proh dolor obiere. Heinricus autem prædictus Comes de Stadhe consiliam suam Hathui nomine ibi educatam prius ac traditam cum eis succedere rogasset, ab Archiantistite præfato impetrare non potuit. Postea vero Archipræsul a Cæsare patrino suo rogatus, eamdem cum jam XII. esset annorum II. Kal. Maji velavit die Dominica & in proxima die ad Abbatissam in patris præsentia ordinavit, quod postea eum multum pœnituit. Hatto Mogontinus Archiepiscopus obiit, cui Rodbertus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXX. Imperator natale Domini Papiæ, Pascha Ravennæ celebravit. Egilolfus Herseveldensis Abbas obiit, cui Gozbertus successit. Boso Mersburgensis Episcopus obiit. Hic a præfato Imperatore constitutus Episcopus, curam sibi commissam annum unum & menses decem & dies tres regens, in Patria obiit Bawariæ Kalend. Novemb. sepultusque est Merseburch in Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ coram summo altari. Hic in Monasterio Christi Martyris Emmerammi, quod extra urbem Ratisbonam in Australi parte situm est, Monachus conversatione nutritus est & inde ad servitium Regis assumptus, beneficium Cicensis Ecclesiæ pro magni laboris sui remuneratione debita percepit, & juxta prædictam civitatem in quodam saltu quoddam Monasterium Bosowe nomine construxit, ac suo nomine vocavit. Templum Domino de lapidibus ædificavit, consecrarique fecit. Beneficium autem omne, quodquod ad Ecclesias in Merseburh & Mimenleve positas & ad Torneburh & Kircberge pertinens fuit, antequam ordinaretur, obtinuit: Et quia is in Oriente innumeram Christo plebem prædicatione assidua sacro Baptismate vendicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus constituendis Episcopatibus ei dedit, Misnensis, Cicensis & Merseburgensis. Præ his omnibus, eo quod pacificaverat, Merseburgensem expetens Ecclesiam ab Augusto, quam diu vixit studiose eamdem rexit. Hic ut sibi commissos eo facilius regeret vel instrueret, Slavonica verba scripserat, & eos Kirieeleison cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui vecordes hoc in malum irrisorie mutabant urivolsa, quod nostra lingua dicitur alnus quæ stat in fruttectis, dicentes: sic locutus est Boso, cum ille aliter dixerit. Imperator huic paucas villas ad prædictam urbem pertinentes & in pago Cutizi positum quoddam Castellum, quod Medeburu vocatur, dedit. Interpretatur autem hoc, mel prohibe. Concessit quoque ei filius suus & æquivocus Ecclesiam in Helpethi positam, quam pater ejus in honore Sanctæ Radegundis constructam Bernardum consecrare præcepit Antistitem. Quo defuncto intercessione Annonis Wormatiensis Episcopi Imperator Gisilero moribus & natura nobili Episcopatum dedit. Hic consecratus est in Magadaburh ab Athelberto Archiantistite Junio mense. Gero Coloniensis Ecclesiæ post Folmarum Archiepiscopum, ejusque germanus Thietmarus Marchio tradiderunt ad Ecclesiam Sanctæ DEI Genitricis in Thancmaresfelden partem hereditatis suæ. Actum publice in prænominata Ecclesia IIII. Kal. Septembris. Hic Archiepiscopo Folcmaro antecessore suo XV. Kal. August. de medio decedente, a Clero & ab omni populo electus est, & hoc Imperatori mox annuntiatur. Hic quia præfato fratri suo Thietmaro Marchioni ob multas causarum species iratus fuit, dare huic Episcopatum noluit. Interea idem Gero, quia Capellanus tunc erat, in una dierum Missam celebrans in Papia civitate, vidit solus Sanctum Petrum & Sanctum Ambrosium sancto se benedicentes oleo, & nulli tunc prodidit, sed divinæ pietatis munus æqua mente portavit. Imperatori autem in sancto die Resurrectionis Dominicæ apparuit Angelus Domini evaginato gladio, cum jam præparatus Ecclesiam excepta corona adire voluisset, dicens: Nisi in Gerone hodie conpleveris electionem, securus non evades hanc sedem: Expavescens hoc Cæsar: vocate, inquit, Domnum Geronem, cui venienti curam pastoralem cum baculo commisit, & indulgentiam humiliter efflagitavit. Hic a Suffraganeis consecratus, ut signis hodie declaratur, nomen & officium DEO & hominibus

nibus accepte, dum vixit, tota mentis devotione portavit. Cujus sancta mater Hilda nomine Hierosolimam orationis causa petens, illicque infirmata hanc legationem suis pedissequis commendavit: Egrediente anima mea corpus meum matri terræ commendate, & mox euntes hæc filio meo Geroni nuntiate, ut peregrinæ genitrici suæ talem in terris non deneget honorem, qualem ei in cælis pius dare dignatus est DEus, & altare mihi statuat in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ. Talibus præceptis devote obtemperantes famulæ, post hæc feliciter expirantem sepelierunt Dominam suam & statim recedentes subsecutam non insciæ miseriam effugerunt. Nam Sarraceni Hierosolimam tunc invadentes nil reliquerunt victis, quod Sancta Hilda illis clam prædixit, cum se mortuam jussit propere tumulari & suas abire. Venientes autem hæ Coloniam cuncta Archiepiscopo ex ordine pandunt; quas idem benigne suscipiens, DEO gratias egit & justæ ejusdem petitioni satisfecit. Sed quia pauca dicta sunt de laude tanti Præsulis, libet in consequentibus cetera disserere, ut virtus ejusdem valeat enucleatius apparere. Otto Imperator hereditatem Wigmanni a Slavis, ut supradiximus, occisi, divisit in duas partes & unam ex his tradidit Monasterio, quod Herimannus Dux in Luninburh construxerat; alteram concessit Abbatiæ, quæ dicitur Keminada juxta Wisaram fluvium. Hæc duo Cœnobia dono ejusdem Imperatoris maxime fundata sunt & regali auctoritate corroborata. Apud Constantinopolim Nicephorus Imperator timens a filiis suis imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchazare. Quorum mater Regina, quia nullo alio modo poterat eos liberare, suasit Johanni Nicephorum occidere & imperare. Johannes itaque occulte cum funibus intravit Palatium, & occiso Niceforo imperavit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXXI. Imperator Natale Domini Romæ, Pascha Ravennæ celebravit. Honorabile Palatium in Thornburh exustum est una cum regiis thesauris. Everacus Leodicensium Episcopus obiit. Johannes Imperator Græcorum cum magnificis muneribus, comitatuque egregio non Virginem desideratam, sed Neptem suam Teophanu vocatam Imperatori trans Mare mittens suos absolvit, amicitiamque optatam Cæsaris Augusti promeruit. Fuere nonnulli, qui hanc conjunctionem fieri prohiberent, & apud Imperatorem impedire studerent, eamdemque remitti consulerent; quos Cæsar non audivit, sed eamdem dedit filio suo Ottoni.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXXII. Imperator Natale Domini Ravennæ, Pascha Romæ celebravit. Notkerus Everaco Leodicensium Episcopo successit. Otto Imperator filio suo Ottoni Græcam illustrem, ingenio facundam, vultu elegantissimam Teophanu Constantinopolitanam in Pascha fecit adduci Romam, celebratisque ibi regalibus nuptiis in octava Paschæ Nurum filio junxit, arridentibus cunctis Italiæ Germaniæque Primatibus. Multa sanctorum corpora Imperator ab Italia ad Magadaburh per Dodonem Capellanum suum transmisit. Eodem anno Imperator venit de Italia. Interea Odo venerabilis Marchio Misseconem Imperatoris fidelem tributumque usque in Vurta fluvium persolventem, collecto exercitu petivit. Ad cujus auxilium Comes Sigefridus filius Lotharii tunc juvenis venit cum suis. In die igitur Sancti Johannis Baptistæ adversus eum pugnantes primoque vincentes a fratre ejus Cediburo, exceptis tantum Comitibus præfatis, omnes optimi milites præfati oppecierunt in loco, qui dicitur Cidni. Hac de fama miserabili turbatus Imperator de Italia nuncios misit præcipiens Odoni & Misseconi, si gratiam suam habere voluissent, usque dum ipse veniens causam discuteret, in pace permanerent.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC LXXIII. Imperator Natale Domini Franconevord, Pascha in Quidelingeburh celebravit. Igitur Imperator egressus de Italia cum magna gloria superatis Græcis, victisque Sarracenis, Bawariæque invisens Regionem ibique cunctis sapienter dispositis recto itinere ad Magadaburgensem pergens Civitatem palmas ibidem festivo duxit honore; Namque solebat in solemnitatibus universis ad Vesperas & ad Matutinas atque ad Missam cum processione Episcoporum venerabili, deindeque ceterorum ordine Clericorum cum crucibus sanctorumque reliquiis ac thuribulis ad Ecclesiam usque deduci, ibique cum magno DEI timore stare atque sedere usque dum finita essent universa, nil loquens nisi divinum; Indeque ad cubiculum suum cum luminaribus multis comitatuque multo Sacerdotum, Ducum & Comitum remeabat. Pro remedio autem animæ suæ tradidit postera luce ineffabilia DEO munera, Invictissimoque ejus militi Mauricio in prædiis, in libris ceteroque apparatu regio, confirmans omnia legitima Advocatorum præsentia traditioneque Scripturarum & laude Imperatricis & filii, atque sub omnium testimonio Christo fidelium. Dehinc ivit ad Quidelingeburh proximum Pascha divinis laudibus humanisque peragens gaudiis. Illuc confluebant Imperatoris Edicto Misseco & Bolizlaus Duces & Legati Græcorum, Beneventanorum; Ungariorum, Bulgariorum, Danorum, Slavorum, cum omnibus Regni totius Primariis, consummatisque pacifice cunctis ditati muneribus magnis reversi sunt ad sua lætantes. Herimannus autem Dux ibi tunc moriens Kal. Aprilis Imperatoris gaudia turbavit, qui prudentiæ ac justiciæ, miræque vigilantiæ in rebus civilibus & externis, cunctis retro mortalibus æternam reliquit memoriam. Hujus corpus dum ad Luniburh a filio suo Bernhardo deferretur, contigit ibi Brunonem Fardensis Ecclesiæ Antistitem in proximo esse. Hic quia Herimannum, dum vixit, banno constrictum tenuit, suppliciter rogatur a filio, ut solutionem saltem Defuncto impenderet, ut in Ecclesia eumdem sepeliri liceret; Sed is quod postulat nequaquam impetrat. Fuit hic Bruno consanguineus præfati Ducis, novæ Corbejæ Monachus

nachus & ob venerationem sui Imperator eumdem Amulungo successorem statuit Episcopo. Qui Ecclesiam in Ferdun, cui rationabiliter postmodum præfuit, de lignis egregiam fecit, quia lapis illi defuit, magnitudine & qualitate ceteris præcellentem & benedixit, & in senectute bona proficiens obiit III. nonas Maji. Sed dum senio & infirmitate assidua gravaretur & tardaret rogatus a Cæsare, ut Herimannum suum Capellanum, Folcmari Episcopi fratrem, pro filio nutrire & ad juvamen & hæredem voluisset sibi eligere, hanc legationem gementi animo suscipiens, ita respondit: Curam, quam mihi Dominus meus indigno committere dignatus est, studiose hactenus rexi, & quamdiu hic degere debeo, sine aliquo tali juvamine regere concupisco: Humilitatis ac superbiæ non est æqua societas, nec unquam consortem patitur potestas. Quodcumque in alio placet Seniori meo devotus implebo. Non spes Juveni in morte senis decrepiti, quia peccatum est; Reminiscatur, quod sæpe pendet rudis vituli pariete pellis. Talia dicens ad Ecclesiam Christi Virginis Cæciliæ se portari jubet, humoque prostratus se indigne ei servisse sic effusis lacrimis queritur: A Deo & a te repudiatum me infelix agnosco, cum alienus mihi præponitur & servituti tuæ, ut dignior assumitur, unde hinc tristis nunc abscedere volo & Christi gratiam & tuam intercessionem sanctam expectare volo. Vellem, ut sicut ego injuste aliena non appeto, ita nullus unquam de meo gaudere præsumeret detrimento. Nunc a DEO quid sibi placeat & Ecclesiæ meæ prosit supplex exoro. Finita hac oratione surrexit & discedens tamdiu in sua morabatur Parrochia, quoadusque de nece supra memorati Juvenis certus efficitur; & tunc convocatis in unum sociis dixit: Dominum non habetis novum, me ad Monasterium meum deferte, diem judicii ibidem absque omni vagatione expectaturum. Discite vos mortales omnia quæ vobis sunt salubriter profutura, non volentis nec currentis, sed miserentis esse DEI. Simus vobis in exemplum; quod nemo confidens in Dominum desolatur, nec in se sperans utiliter exaltatur. Ponite filii in DEO spem vestram, & cum auxilio Unigeniti ejus & Paracliti consubstantialis vincite timorem noxium. Propicium rogate DEum, ut quod ego in vobis, vel vos in me unquam humana fragilitate deliquimus, emendetur, deinceps in melius, & ut post me DEO carum & vobis utilem habere possitis Seniorem & tempora prospere arridentia. Post hæc verba ad prædestinatum perveniens locum quamvis multa senectutem ejus circumvenirent incommoda, tamen affabilis & laudandæ fuit conversationis. Igitur Imperator manens Quidelingeburch X. & VII. non amplius diebus descendit inde, Ascensionem Domini apud Mersburh celebraturus: Tristis autem loca illa perambulabat propter obitum optimi viri Ducis Herimanni. Ascensionem autem Domini Merseburh celebrans, quicquid de promissione remanserat, devota mente ibidem complere studuit, ac susceptos ab Affrica Legatos eum cum regio honore & munere visitantes, secum fecit manere. Tertia autem feria ante Pentecostem in locum devenit, qui dicitur Miminleve. Proxima nocte juxta morem diluculo consurgens de lecto nocturnis & matutinis laudibus intererat, post hæc paululum requievit. Missarum officiis deinde celebratis, pauperibus more suo manum porrexit; paululum gustavit, iterumque in lecto requievit. Cum autem hora esset, processit, lætus & hilaris ad mensam resedit. Peracto ministerio vespertinis laudibus interfuit, peracto cantico Evangelii æstuare atque fatigari cæpit, quod cum intellexissent Principes circumstantes, sedili eum imposuerunt, inclinantem vero caput, quasi deficeret, refocillaverunt: Expetitoque Sacramento divino Corporis & Sanguinis Christi, & accepto sine gemitu cum magna tranquillitate ultimum Spiritum cum divinis officiis pietati Creatoris omnium tradidit. Transportatur inde in cubiculum, & cum esset jam sero, nuntiatur populo mors ejus. Hujus vitam Widikindus Corbejensis Monachus descripsit, qui & Historiam Saxonum usque in hunc annum perduxit. Itaque defunctus est nonas Maji IIII. feria ante Pentecostem, Imperator Romanorum & Rex gentium, divinarum humanarumque rerum multa ac gloriosa seculis relinquens monimenta. Sequenti vero nocte viscera ejus soluta in Ecclesia Sanctæ Mariæ sunt tumulata; Quantum vero pro liberatione animæ sui Senioris Athelheidis Imperatrix invigilaverit usque in finem, dictis non valet comprehendi, nec factis imitari. Quicquid enim sibi honoris vel provectus secularis unquam provenit, non ullo sui merito, sed Christi laudibus adscribebat: Non nobis Domine, non nobis, inquiens, sed nomini tuo, Domine, da gloriam. Si qua in me facundia, scientia & memoria convenirent, in explicanda laude hujus Cæsaris deficerent. Sicut Dominus, sic & Principes ejus fuerunt; Non eos ciborum seu aliarum rerum superflua varietas, sed in omnibus delectabat aurea mediocritas: Omnes quæ leguntur virtutes, his corpore degentibus floruerunt, his obeuntibus marcuerunt. Hi etsi corporaliter non vivunt, animæ immortales supersunt, bonorum provectu operum beata æternitate gaudentes. Sed ut concludam sermonem post Karolum magnum Regale solium nunquam tantus Patriæ Rector atque defensor possedit. Præcedentibus, ut dixi, mortem ejus plurimis optimatibus, omnes qui superfuerunt tantæ jocunditatis haud immemores, novam normam, quæ postea secuta est, nec voluerunt, nec sequebantur, sed ad exitum vitæ suæ ab recta antiquæ veritatis & justiciæ semita, sua sponte non deviabant. Impleri namque videbant quod a quodam sapiente præsago futurorum scriptum est: Primum est aureum Sæculum, de hinc æreum, postque ferreum sequitur. Audiat unusquisque fidelium veridica Beati Gregorii monita: cum augentur dona, rationes crescunt donorum & in commissis se ipsum peccasse horrescat, ac pro Imperatoris anima DEum supplici mente de-

te deposcat, ut delicta servi sui, quæ in tot subditis sibi rebus præcaveri nequiverant, clementer ignoscat, regnorumque Dominator omnium populis præsentibus atque futuris pervigil custos assistat.

Mane facto spei unicæ totius Ecclesiæ Imperatoris filio, licet jam olim unctus esset in Regem & a beato Apostolico designatus in Imperatorem, certatim ut in initio manus dabant, fidem pollicentes & operam suam contra omnes adversarios, Sacramentis militaribus confirmantes. Igitur ab integro ab omni populo electus in Principem transtulit Corpus Patris in civitatem, quam ipse magnifice construxit vocabulo Magdaburh, ibi honorabiliter atque lacrimabiliter susceptum marmoreoque impositum Sarcophago sepultum est ab Archiepiscopis Gerone Coloniense, atque Athelberto Magdaburgense, ceterorumque auxilio Episcoporum & plebis totius. Æquivocus autem ejus junior Otto iterum collaudatur a cunctis in Dominum & Regem. Qui juvenis viribus corporis cluens eximiis, primo quæ sunt proterva sectatus, largitusque plurima pietatis opere absque temperamento, matura fugit consilia, deindeque castigatus a multis, imposito sibi laudandæ virtutis freno nobiliter in diebus suis est conversatus, Piæ genitricis suæ instinctu, cujus gubernaculo vigebat. Mimenleve, ubi pater suus obiit, justo adquisivit concambio, decimasque, quæ ad Heresfeld pertinebant, & congregatis ibi Monachis liberam fecit Abbatiam, datisque rebus necessariis Apostolico confirmavit privilegio. Insuper licentiam Archiepiscopum eligendi confratribus Magdaburh Deo famulantibus præcepto imperiali, præsente Archelberto Archiepiscopo, dedit, & cum uno libro, qui hodie ibidem est; in quo sua & Imperatricis Theophanu Imago auro splendet formata, munus affirmavit. Quod gratia Cæsaris & in præsentia ejus Archiepiscopus præparatus ad Missam cum peracto Evangelio more solito optime prædicasset recitato coram præcepto imperiali, quo electio continebatur ostendit, eumque qui temerarius hoc umquam auderet infringere, terribili damnationis excommunicatione cunctis prosequentibus Amen, fiat! consolidavit. Episcopatum Mersburgensem largiflua pietate respexit, & ejus Provisori Gisilero, quia hunc multum dilexerat, primo Abbatiam in Palathi, deinde Suenconam civitatem cum adpertinentibus cunctis ad servitutem S. Joh. Baptistæ tradidit. Et quicquid Merseburgensis urbis murus continet, cum Judæis & mercatoribus ac moneta & forsto inter Salam & Mildam fluvios; & Suisuli & Plisne pagos jacenti. Chorin & Nircove Butizi & Cotowe ac Borinthizi & Guntorp promisit, & hæc omnia scriptis manu propria corroboratis confirmans. Benedictus Papa sedit an. I. menses VI. Eodem anno Sanctus Othelricus Augustensis Episcopus e corpore migravit ad Christum anno ætatis suæ LXXXIII. ordinationis autem LIIII. mense Julio quarto nonas ejusdem mensis in VI. feria.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC LXXIIII. Imperator Otto secundus hujus nominis cognominatus Rufus, vivente adhuc patre, in Imperatorem Augustum consecratus regnavit post Patrem solus annis X. anno ab urbe condita MCLXXV. loco ab Augusto LXXV. Eodem itaque tempore Raginerus junior filius Raginери Longicolli, paulatim resumptis viribus a Francia rediit, & cum Warnhero Comite, qui comitatum patris sui ab Imperatore acceperat, apud Perronam conflixit, eoque cum multis interfecto hereditatem paternam recepit. Gelu magnum fuit a Kal. Nov. usque ad æquinoctium vernale.

Imperator Natale Domini in villa publica Trajecto, Pascha in Quidelingeburch celebravit. Ratherius Lobias moritur, cujus est de se monostichum hoc: Ratherius præsul, sed ter Ratherius exul. Qui hoc epitafium tumulo suo inscribi fecit: Conculcate pedes hominum sal infatuatum. Gero Agrippinæ Sedis Provisor egregius obiit, de quo quia pauca prælibavi, cetera paucis dicentur. Hic Crucifixum, quod nunc stat in Ecclesia, ubi ipse pausat, ex ligno fabricari studiose fecit, hujus caput dum fissum videret, hoc summi artificis, & ideo salubriori remedio nil de se præsumens, sic curavit. Dominici corporis portionem unicum in cunctis necessitatibus solatium & partem imam salutiferæ crucis conjungens posuit in rimam, & prostratus nomen Domini flebiliter invocavit, & surgens humili benedictione integritatem promeruit. Qui dum clara jam luce Capellam suam intraret Sanctum Victorem, ut post suis intimavit fidelibus, cum Diabolo dimicantem atque vincentem vidit. Hujus obitum cuidam Abbatissæ Gerburgæ, quam propter castitatem mentis & corporis isdem multum dilexerat, secumque sæpe detinuit, Diabolus bonorum invidus omnium, sicut prius solebat in ceteris, prodidit. Vellem tibi meum aperire secretum, nisi te scirem cuncta hactenus numquam servasse commissa; sed si fideliter hoc te continere mihi promittis, dicam ea ratione, ut quandocumque id alicui vis aperire, vitam tibi me non dubites tollere. Gero tuus familiaris in hoc anno tantam incidet infirmitatem tribus diebus, ut mortuus credatur, & si ab aliquo hoc spatium custoditur, securus potest evadere periculum. Sed ancilla Christi talibus obstupefacta verbis fideli se silentio promisit omnibus hæc occultare. Hæc, cum videret eumdem evanescere, directo mox itinere Archiepiscopo universa narravit. Quod Diabolus intelligens in tantum eam cæcidit, ut post paucos dies vitam hanc fragilem vita mutaret æterna. Archiepiscopus autem in die depositionis ejus missam celebrans, meritum ejus cunctis astantibus edixit, indulgentiamque ei ab his postulavit, & ipse fecit. Posthæc infirmitate prædicta gravatus se Evergero custodiendum commisit, qui eumdem acri dolore defatigatum, quasi mortuum lavari feretroque impositum, ad Ecclesiam portari, posteraque die sepeliri jussit. Hic, ut ajunt populi, tertia nocte quasi de gravi somno expergiscens,

gifcens, audivit fonantem campanam, & ut aperirent ei velociter terna exclamatione rogavit. Obftupefactus is, qui audivit, Evergerum cuftodem, ut Epifcopo laboranti fuccurreret, interpellavit, qui eumdem per omnia fuiffe mentitum affirmans, magno percuffit baculo. Sicque quievit divinæ memoriæ præful III. Kal. Julii. Apparuitque mox Liudolfo novæ Corbejæ Abbati, dicens: Requiem æternam nobis cantate; & evanuit ab oculis ejus. Hujus vice Warinus electione & imperatorio munere eligitur. Domnus Papa fedit annum I. menf. VI.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXV. Imperator Natale Domini in villa Polida, Pafcha Grani Palatio celebravit. Heinricus Bawariorum Dux captus eft & ad Engelenheim ductus caute cuftoditur. Hic erat filius Heinrici Ducis fratris primi Ottonis, natus ex filia Arnoldi Ducis quondam Bavvariæ nomine.... Hiems fuit dura & importune longa, adeo ut Idus Maji nix magna noviter lapfa totam terram operuerit. Rodbertus Mogontinæ Sedis Præful obiit; & Imperator Cancellarium fuum nomine Willegifum, hoc multis ob vilitatem fui generis renuentibus, eidem præfecit Ecclefiæ. Sciebat enim Petro atteftante, quod non eft perfonarum acceptor Deus, fed omnes fe ex corde diligentes præ ceteris amat, incomprehenfibili honore remunerans. Qualiter autem hunc Paftorem futurum divina Pietas præfignaverit, non eft filendum. Hujus mater paupercula quamvis effet, tamen ut in confequentibus apparebit, bona fœmina: Dum eumdem in utero portaret, vidit fomnium, quod fol e finu fuo fulgens, totam radiis flammantibus terram impleret; Et in ea nocte, qua hæc talem peperit Infantem, fimili procreatione omne jumentum quod ipfa in domo fua habuit, quafi congratulando Dominæ refpondit. Ille, qui tunc natus erat, fol fuit, quia fanctæ prædicationis fuæ radiis multorum corda a Chrifti karitate torpentium illuxit: Et idcirco in ejus nativitate mafculini fexus mirabilis multitudo gignitur; quia Vir Dei ad falutem Patriæ totius fumma prædeftinatione regnaturus exoritur. Felix mater quam Dominus præ ceteris contemporalibus fuis in tantum vifitavit, ut prolem nobilioribus coæqualem & multis meliorem pareret, & oftenfæ fibi vifionis fpeciem oculit & reipfa veram effe probaret. Ifto anno translata eft Religio Monaftici ordinis de Thancmaresfeld in quoddam Caftellum Nigenburh dictum, in ripa fluminis Salæ in Pago Northuringa fitum. Nam ipfis ac compluribus Chrifti fidelibus loci ipfius afperitas ac omnigena incommoditas inibi Chrifto militantibus obftare videbatur. Bonifacius Papa fedit ann. I. menf. I. Imperator prima expeditione fua Bufchuch civitatem cepit: Secunda Danos fibi rebelles petens ad Slefwic properavit. Ibi etiam hoftes fuos foveam, quæ ad defenfionem Patriæ parata eft, & portam quæ Wieglesdor [Heggedor] vocatur, armis præoccupare videns, confilio Bernhardi Ducis & Heinrici Comitis de Stadhe omnes has munitiones viriliter exfuperat. In hoc itinere prima malæ irrifionis in Clericos exclamatio attollitur, & a malis hominibus hodie fervatur. Admodum miferabile eft, cum aliquid boni a juftis in ufu ad modicum habetur, ftatim ut deteftabile a maxima multitudine repudiatur, quod autem Deo difplicet, & hominem ad promerendam reatus fui pœnam protrahit, hoc dicit & ruminando firmat. Quamvis enim multi irrifiones non ferio faciunt, tamen fine peccati macula has nullo modo peragunt. Bruno Fardenfis præful fupra memoratus VII. Idus Martii obiit; & Erp Præpofitus Bremenfis interceffione Atheldagi Archipræfulis, ordinatur.

Anno Dominicæ Incarnation. IXCLXXVI. Imperator Natale Domini in Hereftein, Pafcha in Altftede celebravit. Benedictus VII. fedit annos VIIII. menfes VI. Gero & Helmricus Servi Dei obierunt. Heinricus Dux Bavvariorum honore & communione privatus Boëmiam fugit, quem Imperator ibidem valido petens exercitu cum Bolizlavo Duce manentem nil ibi prorfus in neutro horum profecit, fed magnam Bavvariorum catervam fibi ad auxilium huc venientem, & juxta Plisni urbem caftra metatam, dolo cujusdam militis Bolizlavi fic perdidit. Vefpere facto Bavvarii fe lavantes nulla cuftodum fecuritate fruuntur, & ecce hoftis loricatus adveniens nudos eosdem in tentoriis & in virentibus pratis occurrentes proftravit, & cum omni præda lætus & incolumis revertitur. Imperator autem au 'ita ftrage tantorum virorum, & quod nulla fibi via redeundi patuit, recto itinere ad civitatem fuam, quæ Camma dicitur, venit, & in proximo anno præfatum Ducem ad Pataviam fugientem fubegit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXVII. Imperator Natale Domini Coloniæ, Pafcha in Engelenheim celebravit. Heinricus qu ndam Dux cum confilio minoris Heinrici filii Bertoldi Pataviam civitatem invafit, ibique, ut dictum eft, ab Imperatore obfeffus, tandem coactus ejus fe fubdidit poteftati. Heinricus ifte cognominatus minor, qui poftea marchio in Bavvaria fuit & habuit genus. Lotharius Comes fenior de Walbike, poftquam Ottonem Imperatorem, ut prædictum eft, conatus eft occidere, captus etiam in Bavvariam miffus Bertoldo Comiti committitur, deinde receptus in gratiam Cæfaris, eidem Bertoldo filiam Eilam conjugem dedit, quæ genuit ei hunc Heinricum. Lotharius Rex Francorum Lotharingiam recipere volens Aquisgrani Palatium & Sedem regiam præfumpfit invadere, fibique verfa Aquila defignare. Hæc ftat in Orientali parte Domus, morisque fuit omnibus hunc locum poffidentibus ad fua eam vertere regna. Quem abeuntem Otto Imperator celeriter infecutus usque Parifius nullo fibi obfiftente pervenit, devaftatis omnibus atque incendio confumptis. In redeundo autem circa Axonam fluvium partem impedimentorum amifit. In quo itinere multis infirmitate nimia compresfis, Brun Comes Arneburgenfis, Miles per omnia

omnia laudabilis II. Kalend. Decemb. obiit. Et quia nil pensi neque moderati habuerunt, quin etiam Ecclesias Sanctorum depopularentur, quidam famulus Dei reclusus prædixit, quod nullus auctorum hujus mali usque ad septennium vivendo duraret. Ottoni Imperatori & Theophanu Augustæ filia nata est, quam nomine matris suæ Imperatricis insignivit.

Anno Dominicæ Incarn. IXCLXXVIII. Imperator natale Domini Thorenburh, Pascha in Quidelingeburh celebravit. Heinricus quondam Dux cum Heinrico minore & Ekbertus Comes apud Imperatorem accusati, jussu Imperatoris Magdaburh capti sunt, & exilio longo deputati. Thietmarus Marchio frater Geronis Coloniensis Archiepiscopi obiit & Nuwenburg sepelitur. Hic habuit conjugem filiam Herimanni Ducis nomine Suanehildam, quæ genuit illi Geronem Marchionem. Adelheidis Imperatrix cum filia Athelheidhe Abbatissa in Italiam profecta est propter quasdam discordias inter se & filium factas. Igneæ acies in cœlo per totam noctem visæ sunt V. Kalend. Novemb. Eo anno Imperator Galliam invasit, ac devastavit.

Anno Dominicæ Incarn. IXCLXXVIIII. Imperator natale Domini in Franconevord, Pascha in Trotmannia celebravit. Accusatus apud Imperatorem Gero Comes de Alesleve a Waldone & in loco qui Sumeringe dicitur captus, hortatu Atheiberti Archipræsulis & Theoderici Marchionis, Sigefrido Comiti & Lothario fratri ejus filiis Lotharii de Waldebike, firmiter est commissus. Deinde convocatis in Magdaburh cunctis Regni principibus, congressi sunt hi duo judicio in insula quadam singulari certamine. Vulneratus Waldo bis in cervicem, ardentius insequitur hostem, percutiensque ictu valido in caput prostravit eum. Interrogatus autem Gero Comes ab eo, si plus posset pugnare, coactus est confiteri quod jam defecisset. Waldo egressus aqua, refocillatur armis depositis, & post tergum mortuus cecidit. Tunc Gero jussus est decreto Judicum & voce Imperatoris a carnifice quodam decollari III Idus Augusti. Hæc pugna nulli nisi tantum Adhelberto Archiepiscopo & Thiderico Marchioni placuit. Correptus est quoque Imperator ab Ottone Bavvariorum Duce filio Liudolfi, eodem die veniente, & a Comite Bertoldo, quod ob tam vilem causam tantus vir unquam damnari debuisset. Libet paucis exponere Liudolfi novæ Corbejæ Abbatis meritum, cui multum vigiliis jejuniisque laboranti plurima Deus dignatus est revelare. Hic in die præfati certaminis cum diluculo Missam humiliter & timorate, ut semper solebat, celebraret, vidit super altare caput Comitis Geronis, finitaque hac, aliam pro defunctis cantavit, exutisque sacerdotalibus vestimentis, cum silentio exivit, & congregatis fratribus obitum ejus indicavit, orationemque communem pro eo fieri suppliciter exoravit. Decollatio autem ejus in ipso solis occasu fiebat. Pro hujus memoria soror ejus Tetta & conjux ejus Athela Monasterium in loco, qui Alesleve dicitur, ubi ipse requiescit construentes, decimam partem totius suæ hereditatis tradidere Deo ejusque Præcursori dilecto, hoc privilegio imperiali præcepto ea ratione firmantes, ut Abbatia ibidem liberaliter facta Imperatoris suorumque successorum potestatem ac tutelam respiceret. Comitis præfati corpus post tres annos cum juxta illud contectalis sua poneretur, integrum una cum vestimentis inventum est. Filia ejus Athela nupsit Sigefrido filio Heinrici Comitis de Stathen, qui genuit ex ea Liutgerum Comitem & Irmingardem & Bertam Abbatissas de Alesleve. Ipsa Comitissa Athela prædia contulit Magdaburgensi Ecclesiæ pro redemptione capitis patris sui, insuper duobus Monasteriis scilicet in Alesleve & Hersevelden constitutis dedit bona, quæ sunt Trebenezi.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXX. Imperator Natale Domini in Polida, Pascha in Engelenheim celebravit. Lotharius Rex Galliæ cum filio suo ac muneribus magnificis ad Imperatorem venit, ipsique satisfaciens amicitiam ejus firmiter adquisivit. Hoc anno Imperator in Italiam pergens nunquam has regiones amplius invisit. Hildewardus venerabilis Episcopus sanguinem S. Stephani Protomartyris cum articulis duobus, donante Theoderico Metensi Episcopo, ad Halberstadensem Ecclesiam transtulit, ubi cum maximo honore & gloria a clero & populo simul suscipitur & sanctitas ejus signis evidentibus divinitus declaratur. Facta est autem hæc translatio VII. Idus Maji suæ vero ordinationis anno XII. Otto tertius Imperator futurus hoc anno natus est. Otto Imperator Apuliam & Calabriam ad jus regni Græcorum pertinentes transferre ad Imperium Romanum conatur propter affinitatem, quam per uxorem suam Theophanu cum Imperatore Græcorum habebat.

Anno Dominicæ Incarnat IXCLXXXI. Imperator Natale Domini Ravennæ celebravit. Pascha vero Romæ peregit, præsente matre sua cum Theophanu Imperatrice, cum sorore Imperatoris Abbatissa Quidelingeburgensi, convenientibus quoque Regibus Conrado ex Burgundia & Hugone ex Gallia, absque principibus & optimatibus perpluribus. Post hæc Athelbertus Magedeburgensis primus Archiepiscopus, Imperatore jam Romæ commorante XIII. suæ ordinationis anno suos docendo & confirmando & Gisileri præsulis, quia tunc cum Cæsare fuit, Diocesim perlustrans XIII. Kalend. Julii in Merseburh missam celebravit. Proximam vero noctem cum Hamezone venerabili Laïco in Crowate lætus duxit, crastinoque die exsurgens, tristis nimium capitis queritur dolorem, & tamen abibat. Cumque Cirmim villam ad Frekenleve pergere cupiens, præterisset, ni cito a suis sustentaretur, ex equo paulatim declinans in terram cecidisset. Is vero tapeto superpositus, completisque omnibus, quæ a Clericis dicenda erant, fideliter migravit ad Christum XII Kalend. Julii. Hujus corpus ad Givikinstein delatum atque sacerdotali apparatu vestitum navigio ad Magadaburh usque de-

ductum est, flebiliterque a Confratribus & maxime a Monachis susceptum est. Commendatum vero est ab egregio sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ Episcopo Hildewardo, favente sibi Hartwigo Abbate, in medio Ecclesiæ coram altari Apostolorum Philippi & Jacobi. Quanta sollicitudine idem Archiepiscopus sibi commissis invigilaverit gregibus, lector attende. Sæpe numero ad ovile S. Johannis Baptistæ Sanctique Mauricii noctis silentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque confratres ad matutinas convenirent, vel qui in dormitorio remanerent, ex improviso perspexit, & si bene fuit, Deo gratias egit; Sin autem culpabiles, digna castigatione redarguit. Sed Clerus & Populus tanti Patris funere turbatus Ochtricum Confratrem, & tunc Imperatori fideliter servientem communiter elegerunt in Dominum & Archipræsulem, quamvis hoc nullo modo posse fieri, dum adhuc viveret, beneque valeret, multis ex eorum numero publice prædiceret. Cum enim Episcopus & Ochtricus nunquam convenirent moribus, magna fratrum & Hospitum caterva bene elaborata, quia magister scolæ fuit; Maluit inde exire quam in Monasterio permanere. Huic Cæsar, cum apud Archiepiscopum licentiam sibi serviendi vix impetraret, contigit in die Sanctæ Resurrectionis Episcopum ad Missam paratum Subdiacono, ut moris est, sanctam crucem tenente, ambabus eam complectens manibus, ut Ochtricus & Ico sedem suam nunquam possiderent, lacrimis profusis postulat. Peracto autem divino pleniter ministerio, cum idem ad mensam sederet, præfatos sibi nunquam successores præsentibus cunctis innotuit. Qualiter autem hoc sibi revelatum fuerit, non aperuit. Post mortem quoque suam Walthardo sibi dilecto, qui & Todico dicebatur, ut ipse pro vero narravit, in somnis idem cuncta, quæ in hac re vivus pronuntiaverat, compleri talibus affirmavit. Hic in lecto positus in excessu mentis vidit Archiepiscopum in Ecclesiæ australi Janua, quæ cimeterium respicit stantem, & eumdem quasi Romam cum baculo suo pergere cupientem, his exasperavit verbis: Mi Dodico, ut quid alii meum præbetis honorem? cui respondens, ait: nonne in tristi meo habitu non voluntatem, sed obedientiam solum, senior Carissime, vales considerare. Ad hæc Archiepiscopus prosequitur, dicens: Pro certo scias Ochtricum sedem meam nunquam possessurum. Vniversus autem Clerus & Populus, ut supra memoravi, completa electione miserunt Ekkihardum, qui dicebatur Rufus, cum consortio aliorum fratrum & militum, qui hanc Imperatori nunciarent, & de promissis admonerent; Qui cum Italiæ partes, ubi tunc Imperator erat, itinere attingerent, Mersburgensis Episcopi Gisilerii suffragium, qui apud Imperatorem tunc plurimum valebat, implorantes legationis suæ secretum ei aperiunt. Promissa est his ab eo fidelis intercessio, completurque proxima hironia sibi in omnibus benevolentia. Namque ut audita Cæsaris auribus instillavit, pedibus supplex advolvitur, promissa & diu expectata longi laboris præmia postulans, Deo hoc consentiente, protinus impetrat. Egressus autem interrogatur a nuntiis & maxime ab Ochtrico, qui se fidei ejus firmiter commendaverat, si quid in sibi creditis proficeret, respondit: Quod vix suis necessitatibus in hoc subveniret. Corruptis pecunia cunctis Optimatibus, maximeque Romanis Judicibus, quibus omnia venalia sunt, qualiter ad Archiepiscopatum aliqua ratione veniret, primum secreto revolvit, deindeque palam Domini Papæ Benedicti VII. qui sic vocabatur, ex numero præcedentium æquivocorum, obnixe petit auxilium, quod cum totius consilio Senatus si posset impendi paratum se fore & hic promisit. Positum est Romæ Concilium generale, sapientissimi conveniunt, impleturque illa Jheremiæ prophetia: Quomodo obscuratum est aurum & cetera. Nam cum Judices ab Apostolico interrogarentur, si liceret Giliterum promoveri ad Archiepiscopatum, qui certam non haberet tunc Sedem. Sed ab Episcopo Hildiwardo injuste, ut semper questus sit, ablata caruisset hactenus, quam possederat. Tunc auctoritate Canonica jure meritoque hoc percipere verbis affirmabant & exemplis, Davidica transgredientes monita: Recte judicate filii hominum; & illud: corruptus Judex nescit discernere verum. Piget atque pudet hoc verbis exponere, quod hi ad præsentem futurumque pudorem noluerunt omittere. Merseburh quæ usque huc libera, donabatur Episcopali Sede destructa, Halberstadensi Ecclesiæ subditur, & Gisilerus ejus non Pastor, sed Mercenarius ad majora semper tendens desiderata IIII. Idus Aprilis percepit, proverbii non immemor illius: quanto altior gradus, tanto gravior fit casus. Certe si voluisset is in cura sibi credita persistere, omnem scrupulum in aliquo sibi resistentem Imperatoris auxilio potuisset expellere, magnamque securitatem ac rerum affluentiam cunctarum sibi successoribusque suis efficere. Sed quia Dei judicia omnibus occulta sunt, nunquam autem injusta, non illi soli, sed communibus nostris peccatis hæc imputamus, quibus Domesticis jure ascribitur, quicquid adversi accidit. Ochtricus vero Beneventum postea veniens infirmatur, viditque, uti Husvvardus, qui tunc aderat, postea retulit Athelleken Præpositum quondam Magadaburgensem, sed tunc defunctum sibi assistere, atque Annonam sibi S. Mauricii eminus porrigentem. Et expavescens ad hanc visionem: Cernis, inquit, Frater, aliquid? & exponens ei cuncta per ordinem dixit: Væ mihi misero & peccatori, quod unquam Monasterium meum & obedientiam ob ambitionem dereliqui: & si divina largitas aliquam mihi sanitatem concedere dignatur, supplex illuc veniam & nunquam inde recedam. Talia prosecutus infirmitate validiori opprimitur, & post paucos dies in præfata civitate, nonas Octobris moritur ac sepelitur, nullum sapientia atque facundia relinquens sibi similem. Gisilerus autem accepta ab Imperatore licentia Magadaburh II. Kal. Decem-

Decembris Theoderico Metensis Ecclesiæ Episcopo comitante, venit. Fuit hic amicus Cæsaris & valde carus, unusque ex numero corruptorum, qui mille talenta auri atque argenti pro veritatis obumbratione ab Archiepiscopo percepit; Cui quidam cum ab eo jussu Imperatoris ad matutinos jlocaliter benediceretur, inquit: Satiet te DEus in futuro, quem omnes hic non possumus, auro. Tunc omnia Mersburgensem Ecclesiam respicientia divisa sunt miserabiliter ritu Slavonicæ familiæ, quæ accusata venundando dispergitur. Pars Episcopatus jacens inter Salam & Elstram ac Mildam fluvios, & Pisni, Vedu, Tuschurim pagos cum villis Passini & Pisavi Friderico Cicensi Episcopo datur; Folcoldo autem Misnensis Ecclesiæ Antistiti pars illa conceditur cum adpertinentibus villis Wissepvic, Zlostarawa, quæ ad Gutizi Orientalem pertinet, ac fluviis Kaminizi, Albiaque distinguitur. Sibi autem retinuit urbes VIIII. quarum hæc sunt nomina, Scudici, Cotug, Wircin, Bichni, Ilburh, Dibin, Pauc, Libantci & Gezerisca. Præcepta, quæ munera regalia seu imperialia continebant, aut igne combussit, aut mutato nomine Ecclesiæ suæ designari fecit. Mancipia & quicquid Mersburh respicere debuit, ne unquam colligeretur, sponte dispersit; Abbatiam ibi statuit, eique Hotradum venerabilem Monachum de Sancto Johanne præfecit, postque Heunonem de eodem Monasterio constituit; Sed quæ res hanc destructionem secutæ sint, sequentia declarabunt. Mortuus est hoc anno Dux Slaswic, pater Sancti Adalberti Pragensis Episcopi, qui omni vitæ suæ tempore feliciter vixerat, honestate etiam, justicia prudentiaque, etiam pietate insignis. Hujus Metropolis fuit Lubic sita, ubi Amnis Cidlina nomen suum perdit in fluvium liberioris aquæ Labens. Habuit principatus sui hos terminos: Ad Occidentem continet Boëmiam, Riwulum Surina, etiam castrum situm in monte Oseca, juxta fluvium Nisam: Ad Austrum continet Teutonicos Orientales: Has urbes habuit terminales, Hinou, Duplebi, Netolici usque ad mediam silvam. Ad solis ortum continet Moraviam, Castrum sub silva situm, nomine Lutomisl, usque ad Rivum Suitava, qui est in media silva. Ad Aquilonem continet Poloniam, Castellum Cladzco situm juxta fluvium nomine Nizam.

Anno Dominicæ Incarnation. IXCLXXXII. Imperator Natale Domini in Salerna, Pascha in Tarento celebravit. Interim Romanum sic regebat Imperium, ut quod patrem suum respiciebat, omne detineret; & Sarracenis sua impugnantibus viriliter resisteret & a suis finibus longe effugaret. Calabriam a crebra Græcorum infestatione & Sarracenorum deprædatione magnam vim perpeti comperiens ad supplementum exercitus sui Bawarios & Alamannos vocavit. Ipse autem cum Ottone Duce fratris sui Liudolfi filio, ad urbem Tarentum, quam Græci jam præsidio munitam obtinuerant, festinavit, eamque viriliter in brevi tempore oppugnatam devicit. Sarracenos quoque valido exercitu sua populantes superare contendens, cautos illo speculatores misit, qui certa de hostibus referrent. Quos primo infra urbem quamdam devictos coëgit, postque eis in Campo ordinatis innumeram multitudinem stravit. Sed illi ex improviso collecti nostros unanimiter incurrunt, eosque paulum resistentes prosternunt III. Idus Julii Richarium signiferum, Udonem Ducem, Comitesque Thietmarum, Bezelvium, Gebehardum, Guntherum, Ezelinum, ejusque fratrem Bezelinum cum Burchardo & Dedone & Conrado, ceterisque innumerabilibus, quorum nomina DEus scit. Imperator autem cum Ottone Duce ceterisque effugiens, ad mare venit, videnseque a longe navem, Salandriam nomine, a Constantinopoli Calamini Judæi, equo sedens ad eam properavit; Sed hæc præteriens, suscipere illum recusavit. Ille autem littoris præsidia petens, invenit adhuc Judæum stantem & Senioris sui eventum sollicite expectantem. Cumque hostes adventare conspiceret, quid fieret tristis hunc interrogans, & habere se amicum apud eos, cujus auxilium speraret, animadvertens, iterum equo concitus in mare prosiliens ad alteram Salandriam, quæ sequebatur, tetendit, & ab Heinrico tantum milite, qui Slavonice Zolunta vocatur, agnitus, intromittitur, & in lecto Senioris ejusdem navis positus tandem ab ipso etiam cognitus, si esset Imperator interrogatur; Quod cum diu dissimulare studuisset, tandem confessus; Ego sum, inquit, qui peccatis meis promerentibus ad hanc miseriam veni; Sed quid modo sit faciendum diligenter accipite. Optimos ex Imperio meo perdidi, & propter hunc doloris stimulum, neque terras has intrare, nec horum amicos umquam possum vel cupio videre: Eamus tantum ad urbem Rossan, ubi conjux mea meum præstolatur adventum, & pecuniam, quam habeo infinitam cum eadem sumentes, visitemus Imperatorem vestrum, fratrem scilicet meum, certum, ut spero, in necessitatibus meis amicum. His dulcibus colloquiis Dominus Navis delectatus consensit & perdius ac pernox ad condictum pertingere locum properavit. Quo cum appropinquaret, miles ille Bionius ab Imperatore præmissus Imperatricem & qui cum ea erat, Præsulem Metensem supra memoratum Theodericum cum Sommariis plurimis quasi pecunia sarcinatis, vocavit. Græci autem ut primo Imperatricem cum tantis muneribus de præfata urbe exire viderunt, anchoram ponentes, Theodericum Antistitem cum paucis intromittunt. Cujus rogatu Imperator vilia deponens vestimenta & induens meliora, viribus suis & arte natandi confisus, ut stetit in prora, mare velociter insiluit; quem cum quidam ex circumstantibus Græcis apprehensa veste detineret perfossus gladio Liupponis egregii militis, retrorsum cecidit; fugientibus his in alteram partem navis nostri, quibus huc veniebant puppibus, incolumes Cæsarem sequebantur, eos jam littoris securitate expectantem, præmiaque promissa Græcis implere cupientem. Qui perterriti & promissioni diffidentes

dentes abierunt, patrios fines repetentes, quique dolo omnes nationes vicerant, simili modo tunc se delusos sentiebant. Est autem Salandria navis miræ longitudinis & alacritatis, ex utroque latere duos habet ordines Remorum & CL. Nautas. Duabus hoc unum nomen erat navibus, quæ jussu Basilei Nicaphoris Constantinopolitani Imperatoris, Calabriam petierant, gratia colligendi tributi; Quæ licet Romano specialiter imperio serviat, ne tamen aliquam molestiam a Græcis patiatur, auri debitum singulis annis persolvit Constantinopolitanis. Imperator autem has venientes & inextinguibilem ab omni re præter acetum ignem ferentes, sibi conjunxit & in mare ad comburendas Sarracenorum naves conductas direxit; Quarum una, ut prædixi, suscipere devictum eum recusavit seu ob ignorantiam sui, seu ob metum venientis inimici. Altera autem, quæ hunc instinctu Heinrici militis, suscepit, sicut præfatus sum, invita perdidit. Quanta autem lætitia a præsentibus & postea venientibus Imperator susceptus sit, explicari non potest. Omnes Saxonici Principes comperta tam miserabili fama, conveniunt dolentes, & ut eum sibi liceret videre per Epistolas unanimi supplicatione poscebant; quorum legationem Cæsar, ut audivit, desideranti animo consensit. Ponitur Conventus in Berna civitate, & omnis huc convocatur principatus, ut multa ibi necessaria tractarentur. Solus Dux Bernhardus in media revertitur via; namque una ex urbibus ejus, quam Imperator contra Danos opere ac præsidio firmaverat; dolo ab his denuo capta & occisis defensoribus ejus incensa est. Otto Dux egregius filius Liudolfi, fratruelis Ottonis secundi, nuper reversus a prælio Sarracenorum immatura morte obiit. Interea omnibus pro infortunio & pudore Reipublicæ animo consternatis, sola Imperatrix Teophanu feminea & græca levitate insultabat eis, quod ab exercitu suæ nationis victi essent Romani, quod verbum altius ac rata erat in pectus omnium descendit, ac per hoc cœpit primatibus exosa haberi. His temporibus mortuus est Thietmarus Pragensis Ecclesiæ primus Episcopus. Interea rediens Philosophiæ de castris, ubi decem aut plus militaverat annis, non modicam librorum copiam referens, aderat spectabilis heros nomine Wogteh, qui postea dictus est Adalbertus adhuc ordine Subdiaconus, qui velut tener agnus inter oves de sui Pastoris morte mœrentes, sedulus exhibebat exequias funebres orationibus diurnis instans etiam nocturnis, etiam largis elemosinis instans. Quem Dux Bolizlaus & ejus optimates in tam bono opere devotum cernentes juvenem nimis renitentem rapiunt, etiam adducunt in medium, dicentes: nolis, velis, noster Episcopus eris. Facta est autem hæc electio non longe ab urbe Praga in oppido Levigradeo XI. Kal. Martii, eodem anno, quo obiit Thietmarus Episcopus, qui IIII. non. Januarii decesserat. Ea tempestate rediens de bello Sarraceno adiit Veronam Imperator Otto secundus, ad quem Slavonica manus cum electo Pragensi Episcopo, ferens a Duce legationem, etiam Cleri ac populi petitionem, quo eorum confirmet electionem. Igitur Serenissimus Imperator eorum annuens petitioni III. non. Junii dat ei annulum etiam pastoralem curam, etiam Willegisus Mogontinus Archiepiscopus, qui ibi forte aderat, etiam cujus Suffraganeus erat, jussu Imperatoris consecrat eum in Episcopum, vocans eum Adalbertum. Nam Archipræsul Magdaburgensis Adalbertus olim eum chrismate confirmans hoc nomine vocitaverat. Consecutus III. Idus Junii venit in civitatem Pragam nudis pedibus, etiam omni plebe modulante Episcopalem cathedram insedit. Hujus præclari Pastoris consilio etiam sororis suæ Mariæ interventu Dux Bolizlaus quicquid Præsul Pragensis hodieque possidet, vel quicquid Abbatissa Maria optavit dari suo Cœnobio gratuita utrisque pietate concessit, etiam canonum auctoritate confirmavit. Sciendum quod Cosmas Pragensis Ecclesiæ Decanus, cujus hæc verba sunt, hanc electionem & consecrationem anno Dominicæ Incarnationis VCCCC LXVIIII. asscribit, cum conventus ille post bellum Sarracenorum Veronæ ab Ottone secundo habitus, cujus ipse in eodem loco meminit, Dominicæ Incarnationis Anno DCCCC LXXXIII. acciderit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC LXXXIII. Imperator Veronæ placitum habuit, & Henricus junior filius Bertoldi exilio solutus, Dux Bawariæ constitutus est, patruele Imperatoris Heinrico adhuc in custodia permanente. Filius Imperatoris Otto tertius ab omnibus in Dominum eligitur. Post placitum quoque & conventum Saxonum, Suevorum & Lothariorum, Bawariorum, Italicorum aliorumque natione, lingua & habitu dissimilium, occursum Veronæ gloriosissime habitum, idem Imperator Augustus Romam revertitur, ac Domnum Apostolicum digno cum honore Romanæ præfecit Ecclesiæ. Johannes XIIII. sedit menses novem. Folcmarus Partherburnensis Episcopus obiit. Gentes Slavorum, quæ suscepta Christianitate Regibus & Imperatoribus tributariæ serviebant, superbia Teoderici Ducis aggravatæ præsumptione unanimi arma commoverunt. Illo tempore Principes Winnulorum erant Mistowi & Wizzidrog, quorum ductu seditio inflammata est. His Ducibus Slavi rebellantes totam primo Nordalbiam ferro & igne depopulati sunt, deinde reliquam peragrantes Slavoniam omnes Ecclesias incenderunt & ad solum usque diruerunt, Sacerdotes autem, etiam reliquos Ecclesiarum Ministros, variis suppliciis enecantes, nullum Christianitatis vestigium trans Albiam reliquerunt. Quod Comiti Sigefrido filio Lutharii priusquam fieret, sic revelatum est. Vidit in somnis aërem nube densa contractum & præ admiratione percunctatus, quid hoc esset, audivit vocem talia prosequentem: Nunc illud compleri debet vaticinium: Pluit Dominus super Justos & Injustos. Quod scelus III. Kal. Julii percusso in Havelburh præsidio primum exoritur, ubi & Episcopalem Cathe-

thedram destruxerunt. Transactis autem trium dierum spatiis Slavorum conspirata manus Episcopatum Brandeburgensem XXX. annos ante Magdaburgensem constitutum, cum jam prima sonaret, invasit, & fugiente prius ejus tertio Antistite Folcmaro & defensore ejus Theoderico ac militibus ipsa die vix evadentibus. Clerus ibidem capitur, & Dodilo ejus sedis Antistes secundus, qui a suis strangulatus III. annos jacuit sepultus, e tumulo eruitur, & integro adhuc ejus corpore ac sacerdotali ejus apparatu ab avaris canibus prædatur, & iterum temere reponitur. Omnis Ecclesiæ thesaurus distrahitur & multorum sanguis miserabiliter effunditur. Vice Christi & Piscatoris ejus venerabilis Petri deinceps varia cultura dæmoniacæ hæresis veneratur & flebilis hæc mutatio non solum a gentilibus, verum etiam a Christianis extollitur. Temporibus his Cicensis Ecclesia a Boëmiorum exercitu, Duce Dedone filio Teoderici, qui postea Comitatum, qui inter Wipperam & Salam & Saltam & Willerlike fluvios jacet, obtinuit, quique Thietburgam Theoderici Ducis etiam Marchionis, filiam duxit, capta est & deprædata, Hugone primo tunc Episcopo hinc effugato. Qui Dedo natus ex Teoderico egregiæ libertatis viro, fratrem habebat Fridericum, virum valde prudentem. Dedo quidem serviebat Riddago Marchioni etiam in hac deprædatione Cicensis Ecclesiæ matrem suam hostis non filius cum cetera captivam turba abduxit. Postmodum reconciliatus Tertii Ottonis Imperatoris homo effectus est, & in tempore parvo gratiam, etiam familiaritatem ejus promeruit, cujus etiam posteri inter Principes Saxoniæ, ut de singulis post dicetur, nobilissime floruerunt. Nunc ad cœpta redeamus. Postea vero Mistowi Dux Abdritorum etiam sui Monasterium Sancti Laurentii Martyris in urbe quæ Calvo dicitur situm, desolantes, nostros sicuti fugaces cervos insequebantur. Mistowi Apodritorum Dux Hammanburh, ubi sedes Episcopalis tunc fuit, incendit atque vastavit. Quid ibi Christus mirabilium operatus sit, attendat universitas Christianitatis. Venit de supernis aurea dextra in medium collapsa incendium expansis digitis & plena cunctis videntibus rediit. Hoc mirabatur exercitus Slavorum & Mistowi stupebat. Post hæc Mistowi in amentiam versus in vinculis tenetur, & aqua benedicta immersus, inquit: Sanctus Laurentius incendit: & antequam liberaretur, miserabiliter obiit. Apud Hammanburh eo tempore ac deinceps multi ex Clero & civibus in captivitatem abducti sunt, plures etiam interfecti sunt propter odium Christianitatis. Narravit Rex Danorum, qui omnes Barbarorum res gestas ac si scriptas in memoria tenebat, Aldinburh civitatem populosissimam plenam Christianis inventam esse: Sexaginta, inquit, Presbiteri ceteris more pecudum obtruncatis, ibi ad ludibrium servati sunt, quorum major loci præpositus Oddar nomen habuit, noster consanguineus. Hic cum ceteris tali martyrio consummatus est, ut cute capitis in modum crucis incisa ferro cerebrum singulis aperiretur; Deinde ligatis post tergum manibus Confessores DEI per singulas civitates Slavorum tracti sunt usque dum deficerent. Ita illi spectaculum facti & Angelis & hominibus in stadio medii certaminis exhalaverunt victorem spiritum. Multa in hunc modum per diversas Nordalbingorum provincias tunc facta memorantur, quæ Scriptorum penuria nunc habentur pro fabulis. Omnes igitur Slavi, qui inter Albiam & Oderam habitant, per plures annos Christianitatem coluerunt, talique modo se absciderunt a Corpore Christi & Ecclesiæ, cui antea convincti fuerant. Et quomodo occasio se locorum præbuit, utile videtur exponere, quæ gentes trans Albiam Hammaburgensi pertinentes sint Diocesi. Hæc clauditur ab Occidente Oceano Britannico; a Meridie Albia flumine: ab Oriente Pene fluvio, qui currit in Mare barbarum; ab Aquilone vero Egdore fluvio, qui Danos dirimit a Saxonibus. Transalbianorum Saxonum Populi sunt tres: primi ad Oceanum sunt Tietmarsgoi, & eorum Ecclesia mater in Melintorp; secundi Holcetæ dicti a Silvis, quas incolunt, eos Sturia flumen interluit, & eorum Ecclesia Scanafeld; Tertii & nobiliores Sturmarii dicuntur, eo quod seditionibus ea gens frequenter agitatur, inter quos Metropolis Hammamburh caput extollit, olim viris & armis potens, agro & frugibus felix, nunc vero pecorum vindictæ patens, in solitudinem redacta est: & quamvis decorem amiserit urbis, vires adhuc retinet Metropolis. Quomodo mentio Slavorum totiens incidit, non ab re arbitramur, si de natura & gentibus Slavoniæ, historico aliquid dicamus compendio. Slavonia igitur amplissima Germaniæ Provincia a Winulis incolitur, qui olim dicti sunt Wandali, decies major esse fertur, quam Saxonia; præsertim si Boëmiam & eos, qui trans Oderam sunt, Polanos, quia nec habitu nec lingua discrepant, in partem adjeceris Slavoniæ. Hæc autem Regio cum sit armis, viris & frugibus opulentissima, firmis undique saltuum vel fluminum terminis clauditur. Ejus latitudo est a meridie in Boream, hoc est, ab Albia fluvio usque ad Mare Sciticum: Longitudo autem illa videtur, quæ initium habet ab Hamburgensi Parrochia & porrigitur in Orientem infinitis aucta spatiis usque in Bawariam, Ungariam, vel Græciam. Populi Slavorum multi; quorum primi sunt ab Occidente confines Transalbianis Waigri: Eorum civitas Aldimburch maritima. Deinde sequuntur Abodriti, qui nunc Reregi vocantur, & civitas eorum Magnopolis. Item versus Hammaburh Polabingi, quorum civitas Razisburh dicitur. Ultra illos sunt Lingones & Warnabi. Mox habitant Chizini & Circipani, quos a Tholosantibus & Retheris separat flumen Penis & civitas Diminæ. Ibi est terminus Hammaburgensis Parrochiæ. Sunt & alii Slavorum populi, qui inter Albiam & Oderam degunt, sicut Heveldi vel Heruli, qui juxta Habolam fluvium sunt & Doxani, Leubuzzi, Wilini vel Walani & Stoderani cum multis aliis, inter quos medii

& potentissimi omnium sunt Retharii; Civitas eorum vulgatissima Rethre, sedes Idolatriæ. Templum ibi magnum constructum est Dæmonibus, quorum Princeps est Redegast. Simulacrum ejus auro, lectus ostro est paratus. Civitas ipsa VIIII. portas habet, undique lacu profundo inclusa, Pons ligneus transitum præbet; per quem sacrificantibus aut responsa petentibus via conceditur. Ad quod Templum ferunt a civitate Hammaburh iter esse XIIII. dierum. Ultra Leuticios, qui alio nomine Wilzi dicuntur, Odera flumen occurrit, ditissimus amnis Slavonicæ Regionis, in cujus ostio, qua Sciticas alluit paludes, nobilissima civitas Vimne celebrem præstat stationem Barbaris & Græcis, qui sunt in circuitu. De cujus fama urbis magna quædam & vix credibilia memorantur; Est sane maxima omnium, quas Europa continet civitatum, quam incolunt Slavi cum aliis gentibus Græcis & Barbaris. Nam & Advenæ Saxones parem cohabitandi legem acceperunt, si tamen Christianitatis titulum ibi morantes non publicaverint; Omnes enim Paganicis ritibus oberrant, ceterum moribus & hospitalitate nulla gens honestior aut benignior poterit inveniri. Hæc mercibus omnium Septentrionalium Nationum locuples, nihil non habet jocundi aut rari. Ibi est Olla Vulcani, quod Incolæ græcum ignem vocant, de quo etiam meminit Solinus. Ibi cernitur Neptunus triplicis naturæ. Tribus fretis alluitur illa Insula, quorum ajunt unum esse viridissimæ speciei; Alterum Subalbidæ, tertium motu furibundo perpetuis sævit tempestatibus; Ab illa civitate brevi remigio trajicitur hinc ad Diminem urbem, quæ sita est in ostio Peanis fluvii, ubi & Runi habitant. Inde ad Semland provinciam, quam possident Pruci. Iter ejusmodi est, ut ab Hammaburh, vel ab Albia flumine VII. die pervenias ad Vimnæ civitatem per terram; nam per mare navem ingrederis ab Sliaswig vel Aldinburh, ut pervenias Vimnæ, ab ipsa die urbe vela tendens XIIII. die ascendes in Ostrogard Ruziæ, cujus Metropolis civitas est Chiwe æmula sceptri Constantinopolitani, quæ est clarissimum decus Græciæ. Odera flumen oritur in profundissimo saltu Marahorum, ubi & Albia principium sortitur; hæc longis ab invicem spatiis, sed diverso currunt meatu. Alter enim, id est Odera vergens in Boream transit per medios Winnulorum fines, donec perveniat usque ad Vimne, ubi Pomeranos dividit a Wilzis. Alter vero, id est Albia in occasum ruens primo impetu Behemos alluit cum Sorabis, medio cursu Paganos dirimit a Saxonibus, novissimo Hammaburgensem Parrochiam scindens a Bremensi, victor Oceanum ingreditur Brittannicum. Nunc ad inceptum redeamus.

Igitur desolatis omnibus præda & incendio urbibus ac villis usque ad aquam quæ Tongera vocatur, convenerunt e Slavis Peditum & Equitum plusquam XXX. Legiones, quæ sine aliqua læsione residua quæque suorum auxilio Deorum devastare non dubitarent tubicinis præcedentibus. Non latuit hoc nostros, conveniunt Episcopi Gisilerus & Hildiwardus cum Teoderico Marchione, ceterisque Comitibus Ricdago, Hodone, Binizone, Friderico, Dudone, Sigefrido, aliisque quampluribus, qui, ut dies Sabbati primum illuxit, Missam omnes audiunt, corpus animamque cælesti Sacramento muniunt. Hostes igitur obvios fiducialiter irrumpentes paucis in unum collem effugientibus prostraverunt in loco qui Belxem dicitur. Laudatur a victoribus in cunctis operibus suis DEus mirabilis, approbaturque Pauli Doctoris veridicus sermo: Non est prudentia, non est fortitudo, non est consilium adversus Dominum. Derelicti sunt, qui prius DEum spernere contempserunt, Idolaque manufacta, & prorsus inania Creatori suo stulti præposuerunt. Appropiante nocte, nostrisque a longe castra metantibus illi furtim evasere. Omnes autem nostri exceptis tribus crastino gaudentes remeabant applaudentibus cunctis quos obvios habuerunt, vel quos domi invenerunt. De Slavis autem ceciderunt XXX. millia VCCCLIIII. Post hæc pro destructione Ecclesiarum in Brandeburh, etiam Havelberga, Teodericus Dux & Marchio, qui partium illarum defensor extabat, dignitatem suam perdidit, & Lotharius de Waldbike Marcam ab Imperatore suscepit. Imperator cum Romam venisset relicta venerabili matre sua in Papia civitate, graviter infirmatur, & ut extrema persensit adesse, omnem suam pecuniam in quatuor partes divisit; unam Ecclesiis, secundam Pauperibus, tertiam matri ac unicæ sorori pro commendatione debitæ caritatis, quartam militibus, qui vitam & patriam suo amori & obsequio postposuerant; factaque latialiter confessione coram Apostolico, ceterisque Coepiscopis atque Presbiteris, VII. Idus Decembris ex hac luce subtractus est, terræque commendatur, ubi introitus Orientalis Paradisi domus Sancti Petri cunctis patet, & Imago Dominica honorabiliter formata venientes quosque, stans benedicit. Destructionis Episcopatus Mersburgensis hic extitit maximus auctor. De quo talem visionem cuidam sapienti DEus ostendit. Nocte intempesta, quando altus sopor solet occupare homines, vidit ipsum, de quo agimus, Regem Ottonem aureo solio sedentem sub pedibus ejus argenteum scabellum, Episcoporum & astantium procerum circa ipsum seriem longam aspexit: Intravit autem decora facie ad instar ignis Juvenis, quem nivea vestis ambiebat & purpurea stola in pectore cingebat. Nec stat via, vadit, argenteum scabellum sub pedibus Cæsaris, cum indignatione subtraxit, & averso vultu januam petiit, quod ægre ferens post illum cucurrit, qui tale somnium cernere meruit: Quæso, inquit, Domine mi, dedecus ne facias, suppedaneum reddas, quisquis es qui tantum audes, Regem coram Populo ne confundas. Hæc potentis Laurentii persona erat, sicut postea DEus palam manifestavit: Immo, inquit, si meum dedecus non emendat, majora faciam subtracto scabello ipsum deponam. Hujus visionis terrores cum cognovisset Rex, faci-

nus

nus non correxit, sive amor hominis suasit, sive ira Dei ita jussit. Hunc dum Patruus suus Bruno Coloniensis Archiepiscopus a primis Infantiæ annis educans magna disciplina coherceret, ipse puer quiddam non puerile peregit. Nam quadam nocte præsule nocturnas horas celebrante, puerum in urbe defunctum lecto suo imponens & sua veste operiens, quasi se exanimem subtraxit & abiit. Reversus Præsul ad lectum Nepotis, inventoque cadavere, illum credidit emigrasse & præ nimio dolore ciathicam passionem incurrit. Interim, quem omnes deflebant, puer vivus superveniens, requirenti Præsuli cur eum illusisset, respondit: De nimia verberum calumnia ulcisci commodius non poteram.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXXIIII. Otto filius Ottonis secundi natus in silva, quæ Ketil vocatur, in ipso die Natalis Domini ab Johanne Archiepiscopo Ravennate & a Willegiso Mogontino in Regem consecratur Aquisgrani, & completo hoc officio mox tristi nuntio perturbans talia gaudia, de morte Imperatoris legatus advenit; movit multorum corda ineffabilis dolor, virtus sublata queritur, quam sæpissime incolumem homo fragilis & dubius prosequitur. Regnavit hic post obitum Patris sui annos decem. Solvitur interim a Trajectensi custodia Dux Heinricus, & ab eo Rex tenellus ad nutriendum, sive ad degradandum a Warino Coloniensi Archiepiscopo, cujus firmæ fidei ab Imperatore is commissus fuit, assumitur. Interim Domna Imperatrix Theophanu novitate diri vulneris & unici absentia filii perculsa, ad Athelheidam Imperatricem Papiam civitatem veniens, magno suscipitur luctu, caritativoque lenitur solatio. Præfatus vero Dux cum Poppone venerabili Episcopo Trajectensi, sub cujus potestate diu tenebatur, & cum Ekberto Comite Monoculo Agrippinam veniens, Regem Patronus legalis a Warino, ut dictum est, Archipræsule suscepit, ejusque auxilium, cum omnibus, quos ad sui gratiam convertere poterat, firmiter est adeptus. Dispositis igitur, pro ut sibi placuit, cunctis Dux ad Corbejam cum eis venit, ibique Teodericum & ejus fratrem Comites nudis pedibus veniam postulantes dedignatur suscipere, quod illi ægre ferentes abierunt, cognatos suos & amicos a Ducis ministerio toto mentis annisu amovere studentes: Qui cum Palmarum solemnia celebrare voluisset in Magadaburh, omnes Regionis principes huc convenire rogavit, atque præcepit, tractans, quomodo se suæ potestati traderent, regnique eum fastigio sublevarent. Huic Consilio maxima pars Procerum hoc dolo consensit, ut licentiam a Domino suo, cui juraverant, prius peterent, postque securi novo Regi servirent. Quidam autem ob ejus indignationem digressi, astuciis occultis meditabantur, qualiter hoc numquam fieret. Inde egressus Dux Heinricus proximum Pascha Quidelingeburh festivis peregit gaudiis. Quo magnus Regni Primatus colligitur, a quibusdam autem illo venire nolentibus ad omnia diligenter quærenda nuntius mittitur. In hac festivitate Dux a suis publice Rex appellatur, laudibusque divinis attollitur. Huc Miseco & Mistui & Bolizlavus Duces cum ceteris innumerabilibus confluebant; auxilium sibi deinceps, ut Regi & Domino cum juramento affirmantes. Multi ex his pristinam fidem violare ob timorem Dei non præsumentes, paululum evaserunt & ad Civitatem Hesleburh, quo socii eorum adversus Ducem palam conspirantes convenerunt, festinavere, quorum hæc sunt nomina: Ex Oriente hi Comites cum Bernhardo Duce & Teoderico Marchione, Ekkihardus, Bio, Esic, Bernhardus & Clericus Sigefridus, ejusque filius Fridericus & Ciazo fratres, Comprovincialium autem Teodericus & Sibraht fratres, Hoico, Ekkihardus & Bezzeco Germani, Bruninc & sui, milites quoque S. Martini jussu Archipræsulis Willegisi, quibus adhærebat Occidentalium maxima multitudo. Quod Dux comperiens suos magnis muneribus ditatos cum gratia dimisit. Ipse autem cum valida manu ad perturbandam hanc conjurationem seu pacificandam properans ad Werlo Popponem Episcopum misit, ut adversantes disjungere aut reconciliare studeret; Qui cum cœpto itineri insisteret, hostes congregatos, jamque Ducem petere paratos inveniens, vix pacem in loco, qui Sueson dicitur, ad condictum diem pepigit: Ad quam Dux Bavvariam continuo petens, cum venire aut noluisset, aut propter Heinricum filium Bertoldi, qui tunc Bavvariis præfuit munere præfati Imperatoris, non potuisset; hostilis immanitas urbem Ekberti Comitis, quæ Ala dicitur, obsedit, destructisque protinus muris intrantes, Adelheidam Imperatoris filiam, quæ hic nutriebatur, cum pecunia plurima ibi collecta rapiunt, gaudentesque redeunt. Dux autem conversis ad se omnibus Bavvariorum Episcopis, Comitibusque nonnullis, Francorum terminos his fretus sociis adiit & in pascuis ad Bissintide pertinentibus, ad alloquendos Regionis illius Principes consedit. Mogontinæ tunc Provisor Ecclesiæ Willegisus, cum Duce Conrado, ceterisque optimatibus huc convenit. Hos Dux quibuscumque modis valuit, sibi conjungere tentans, eosque a promissa Regi suo cum sacramentis fide, numquam vita Comite recessuros unanimiter respondentibus, coactus est futuri timore duelli cum Sacramentis affirmare, ut in Kalend. Julii ad locum, qui Rara vocatur, veniret, puerumque matri suæ, illisque redderet; tunc unusquisque remeavit ad sua, mente diversa præ gaudio atque tristitia. Post hæc Heinricus Bolizlaum Ducem Boëmiorum in cunctis necessitatibus sibi semper paratum cum suis adiit, honorificeque ab eo susceptus cum exercitu ejus a finibus suis per Miseni & Deleminci Pagos, usque ad Mogelin ducitur. Deinde cum nostris obviam sibi venientibus ad Medeburun proficiscitur. Wagio vero Miles Bolizlavi Ducis Boëmiorum, qui Heinricum Ducem cum exercitu comitabatur, cum ad Misni redeundo veniret, cum habitatoribus ejus pauca locutus, Fridericum Ricdagi Marchionis, tunc in Merseburh

ſeburh commorantis, amicum & Satellitem ad Eccleſiam extra urbem poſitam venire ac cum eo loqui per internuntium poſtulavit. Hic ut egreditur, porta poſt eum clauditur, & Ricdagus ejusdem civitatis cuſtos & inclitus miles juxta fluvium, qui Tribuſa dicitur, ab his doloſe occiditur. Vrbs autem prædicta, Bolizlavi mox præſidio munita eumdem cito Dominum & habitatorem ſuſcepit. A quo Folcoldus Antiſtes vulgi varii inſtinctu expellitur & ad Willegiſum Archiepiſcopum veniens benigne ab eo ſuſcipitur, nam eumdem Archiepiſcopum pro filio nutritum & cum ad eas ordinaretur partes ſecundo Ottoni, cui magiſterio præfuit, diligenter vice ſui habendum commiſit. Hoc ſemper Archiepiſcopus in animo tenuit, & maximo honore recognovit, & tunc maxime cum ſibi neceſſe fuit, etiam in Erpesforde, quod ipſe deſideravit, procurari ſummo ſtudio præcepit. Sciendum autem in eadem Regni turbatione, principumque diſſenſione Imperatricis Theophanu odium, quod in eam quidam ex Primatibus habebant, in cauſa fuiſſe, eo quod de victoria Græcorum in Calabria græca levitate noſtratibus inſultaverat. Hi ſi quidem ad prædictum Heinricum Primi Ottonis fratruelem imperium transferre geſtiebant. Prævaluit tamen illa pars, quæ Adelheidæ & Theophanu Imperatricibus adhærebat. His etiam præſertim juſtam cauſam tuentibus Conradus Rex Burgundiæ frater Athelheidhæ Imperatricis adnitebatur, quamvis ſæpe dictus Heinricus filiæ ipſius Giſlæ matrimonio conjunctus fuiſſet, ex qua etiam Illuſtrem virum Heinricum Imperatorem genuit. Interim Regis fautores Willehelmum de Thuringia Comitem Duci nimis familiarem in Wimmeri obſidentes, comperto ejus adventu illo feſtinant, ac juxta villam, quæ Eteri dicitur, convenientes caſtra metati ſunt craſtino contra eum bellaturi. Quod cum Ducem non lateret, Giſilerum miſit Archiepiſcopum, qui voluntatem eorum perquireret, pacemque ſi poſſet ulla ratione firmaret. Hic cum Senioribus congregatis legationis ſuæ aperiret ſecretum, dictum eſt ab his, ſi Regem ſuum ac Dominum reddere, nilque de rebus ſuis præter Mersburh & Wallebike & Fraſu ad ſupramemoratum diem ſibi detinere voluiſſet, idque Sacramentis credibilibus approbaret, quod ſecuritate ex eorum parte conſolidata hunc abire liceret; ſin autem, quod eundi redeundique nullus vivo pateret locus. Quid plura? quicquid expoſcunt, craſtino impetrant, eumque ad Mersburh, ubi ductrix Giſla longo ejus abceſſu triſtis ſedebat, hi diſcedentes ire permittunt. Is vero cum fidelibus ſuis ſingula quæque diſcutiens, ſeque ob Dei timorem, patriæque ſalutem a propoſito ſuo veraciter receſſurum indicans, grates auxilii ſui ac bonæ voluntatis refert condignas, & ut cum illo ad condictum pergerent diem omnes caritative poſtulat. Ventum eſt ad Rara ab Imperatricibus hucusque humiliter divinam conſolationem præſtolantibus, & ab univerſis Imperii Principibus, fideliſque promiſſio Ducis completur: Data cunctis, qui ad Regnum pertinebant, gratia ſui abeundique licentia. Tunc cernentibus cunctis media die clara ſtella refulſit. Fit unus Laïcorum atque Clericorum in Chriſti laude concentus ac prius repugnantium ſupplex affectus & diſſona turba in unum dominium convenit. Rex puer ab Avia ſua & matre diligenter ſuſceptus, Hoiconis Comitis magiſterio committitur. Inter Regem & Ducem pax firmatur usque ad ſupramemorata Biſſinſtidæ prata, utrisque ſua petentibus, convenientibus autem illis malorum inſtinctu in malo diſceſſerunt, ſicque multum temporis ſtetit intervallum. Orta eſt quoque inter hunc & Heinricum, qui minor dicebatur, magna ſeditio, quæ Herimanni Comitis conſilio poſtmodum finita eſt. Otwinus Antiſtes Hildensheimenſis obiit Kal. Decembris. Theodericus Metenſium Epiſcopus obiit & ſecundum prophetiam viri Dei vix aliquis principum, qui in bello Gallico evaſerat, diu ſupervixit. Epiſcopatum Metenſem ſuſcepit Adalbero Vir ſanctus & nobilis filius Friderici Ducis. Otwinus, de quo jam diximus, ille eſt qui S. Epiphanium de Papia civitate Hidinisheim adduxit, & hic fuit ſecundus Abbas Magdaburh in urbe ad Sanctum Mauricium.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXXV. Otwino Pontifici Osdagus XI. Epiſcopus ſucceſſit, qui ex ſua hereditate & adquiſitione curtem majoris Alecrimesheim cum XXX. manſis in utilitatem fratrum inſtituit. Lothario Rege Francorum mortuo Lodevicus filius ejus regnat in Francia anno uno. Saxones Slavoniam invaſerunt, quibus ad ſupplementum Miſeco cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus vaſtaverunt. Interea ſupramemoratus Dux Heinricus divino inſtinctu ad ſe reverſus, & vana exaltatione ſe dejectum conſpiciens veniente Rege in Franconevord, illuc ipſe adveniens in conſpectu totius populi, complicatis manibus humilis habitu & actu, vera compunctus pœnitentia Regiæ ſe tradidit poteſtati. Quem digno honore ſuſceptum, & ductoria itidem dignitate ſublimatum inter fideliſſimos, ut jus propinquitatis exigebat, eum deinceps habebat. Celebrata eſt proxima Paſchalis ſolemnitas in Quidelingeburch a Rege, ubi quatuor miniſtrabant Duces, Heinricus ad menſam, Conradus ad Cameram, Hecil ad Cellarium, Bernhardus equis præfuit. Illuc etiam Bolizlavus & Miſeco cum ſuis convenerunt, omnibusque rite peractis, muneribus locupletati diſceſſerunt. Theodericus & Ricdagus Marchiones præclari obierunt; Hic Ricdagus cum ſorore ſua nomine Eilſuit conſtruxit & fundavit Cœnobium quod Gerbizſtidi dicitur; ubi eadem ſoror illius ſanctimonialibus præfuit, ibique ſepultus eſt ipſe cum filio ſuo Karolo & plurimis de eadem cognatione. Huic ſucceſſit Ekkihardus Guntharii filius, vir magnæ induſtriæ, qui cum patre ſuo diu ab honore proprio ſuſpenſo multa pericula ſuſtinuerat. Factus autem Marchio Misnam civitatem a Bolizlao Duce recepit; Tunc Folcoldus Misnenſis

sis Episcopus a Willegiso Archiepiscopo reversus est, cumque in Praga cœnam Domini celebraret, sequenti die, qui est Parasceve, cum memoriam Dominicæ Passionis ageret, paralisi percussus asportatur, etiam in hac infirmitate usque ad finem vitæ, quamvis interdum convalesceret, permansit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC LXXXVI. Johannes Papa XV. sedit annos X. menses VII. Mortuo Lodovvico Rege Francorum Lotharii Regis & Gerbergæ sororis primi Ottonis filio, Francis Regnum ad Karolum Ducem Patruum defuncti Regis transferre volentibus, dum ille inconsulte rem ad consilium differt, Regnum Francorum usurpat Hugo filius Hugonis Parisiorum Comitis ex Hathvvige item sorore primi Ottonis Imperatoris, & regnavit annis VIIII. Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu perrexit in Slavoniam, ibique ad eum venit Miseco Dux Polanorum cum multitudine nimia, obtulitque ei camelum & alia xenia multa, seipsum etiam subdidit potestati illius, & tunc simul pergentes devastaverunt totam terram incendiis & deprædationibus multis. Iste inclitus Dux a Boëmia Regione nobilem sibi uxorem senioris Bolizlavi sororem duxerat, quæ, ut sonuit in nomine, apparuit veraciter in re. Dobrovva enim Slavonice dicebatur, quod Teutonice Bona interpretatur. Enim vero dum Christo fidelis conjugem suum vario gentilitatis errore implicitum esse perspiceret, angusta mentis deliberatione revolvit, qualiter hunc in fide sibi sociaret. Igitur omnimodis ei placere contendebat non propter triformem mundi hujus appetitum, quin potius propter futuræ mercedis laudabilem & universis fidelibus desiderabilem fructum, hæc aliquando sponte sua male fecit ad tempus, ut postea diu operari posset bene; Namque in Quadragesima, quæ conjunctionem prædictam proxima sequebatur, cum abstinentia carnis & maceratione corporis sui decimationem Deo acceptam offerre conaretur, dulci promissione a viro suo propositum frangere rogatur. Illa autem ea ratione consensit, ut alia vice ab eodem exaudiri facilius posset. Quidam dicunt, eam in una Quadragesima carnem manducasse, alii vero tres. Audisti delictum ejus, nunc considera fructum elegantem piæ voluntatis illius. Laboravit enim pro conversione conjugis sui & exaudita est a benignitate conditoris sui, cujus bonitate faciente persecutor suimet studiosus resipuit. Dum frequenti dilectæ uxoris hortatu innatæ infidelitatis toxicum evomuit & in sacro baptismate nævam originalem detersit. Et statim caput suum & seniorem dilectum membra populi hactenus debilia subsequuntur, & nuptiali veste recepta, inter ceteros Christi adoptivos numerantur: Jordan primus Antistes eorum multum in eis sudavit, dum eos ad supernæ cultum vineæ sedulus verbo & opere invitavit. Peperit hæc viro suo filium multum sibi dissimilem & multarum perniciem genitricum, quem fratris sui Bolizlavi Ducis Boëmici nomine appellavit, de quo in consequentibus dicetur. Qua obeunte anno Dominicæ Incarnationis VCCCCLXXVII. Dux Miseco quamdam sanctimonialem de Monasterio, quod Calva dicitur, filiam Theoderici Marchionis absque canonica auctoritate duxit. Oda fuit nomen ejus, & fuit magna præsumptio illius; spreverat enim cœlestem sponsum, præponens ei virum militarem. Quod cunctis Ecclesiæ Rectoribus & maxime Antistiti ipsius venerabili Hildewardo multum displicuit, sed propter salutem patriæ & corroborationem pacis necessariæ non venit hoc ad discidium; Namque ab ea augebatur omnis Christi servitus, captivorum multitudo ad patriam reducitur, vinctis catena solvitur, reisque carcer aperitur & forsitan ei magnitudo perpetrati facinoris remittetur, dum in ea tantæ pietatis dilectio cognoscitur. Legimus tamen, quod ille frustra Deum placare studeat, qui inceptæ nequitiæ propositum non abiciat. Hæc genuit viro suo filios Misleconem, Zuentepulcum & - - - cum magno honore ibi degens usque ad finem viri, accepta cum quibus fuit, & proficua de quibus venit. Machtildis Abbatissa filia Ottonis magni Regis construxit Monasterium in honore S. Dei Genitricis Mariæ in monte occidentali ob recordationem dilecti fratris sui, sub Religione Regulæ S. Benedicti. Ida uxor Ludolfi filii primi Ottonis obiit.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXXVII. Saxones iterum Slavoniam invaserunt, & ad ultimum Slavi ditioni Regis subduntur & castella juxta Albiam flumen restaurata sunt, & in proxima hieme aquæ nimium inundaverunt, & ventus ingens plurima ædificia stravit. Æstas postea ferventissima ac pluribus perniciosa, unde & fruges minoratæ sunt. Karolus frater Lotharii Regis Dux Lothariensium, Regnum Francorum paterna & avita successione sibi debitum contra Hugonem Regem suum Nepotem repetit, eumque bello perurgens, Laudunum capit: Hugo Rex Karolum in Lauduno obsidet, sed secundo obsidionis mense mira Dei virtute & inaudito modo obsessi prosilientes, castra obsidentium incenderunt, & ipse Rex Hugo plurimis suorum interemptis turpiter fugiens vix evasit. Liudolfus Augustensis Episcopus ordinatus est. Strezizlava mater S. Adalberti Pragensis Episcopi obiit venerabilis & Deo acceptabilis matrona, digna tantæ sobolis mater dici & esse.

Anno Dominicæ Incarnat. IXCLXXXVIII. Æstatis fervor nimius ac repentinus ab Id. Julii usque Idus Augusti immanissime exardescens fruges absumpsit. Rex puer in Engelenheim Pascha celebravit. Ferunt annonam pluisse de cœlo in Harbanio, alii etiam pisciculos parvos de cœlo pluisse ferebant Karolus Dux Montem acutum expugnat Suessionem usque vastando accedit, inde Remim aggreditur, & Laudunum cum multa præda revertitur. Adeldagus Bremensis Archiepiscopus obiit, qui sedit annos LIII. huic Lievizo successit, qui Papam Benedictum exulem huc secutus, erga Deum & Regem hunc honorem promeruit. Hujus

jus Benedicti Papæ ossa jussu senioris sui Razo de Bremin Romam transtulit. Qui cum in exilio esset in Christi studiosus servitio, cumque adhuc Aquilonalis Plaga secura pace gauderet: Hic, inquit, fragile corpus meum debet resolvi, & post hæc omnis ista Regio gentili gladio desolanda ferisque inhabitanda relinquetur, & ante translationem meam omnis hujus indigena pacem firmam non videbit, postquam vero Domum revecta fuerint ossa mea, Paganos requieturos spero intercessione apostolica. Hunc venerandum Patrem Otto Cæsar, ut quidam ferunt, injuste accusatum, deponi consenserat, & in illas partes exilio relegaverat. Quem Lievizo de patria sua, quæ sita est in confinio Alpium & Suevorum secutus, quæsivit, & ne ad eum perveniret a multis itinerantibus retardatus non adquievit. Tandem perveniens & eum in divinis officiis studiosissimum videns, quamdiu vixit studiose ei adhæsit. Cumque de hoc sæculo ad cœlestia ille migrasset, Lievizo item Adaldago Archiepiscopo vice servi famulabatur. Quod ipse considerans pauperes suos ejus fidei commisit: Dehinc Camerarius ejus effectus, fideliter commissa sibi custodivit. Quo defuncto communi electione & regali munere idem Lievizo successit. His temporibus cum Gandersheimense Territorium semper ab initio sui ad Hidensheimenses Episcopos per CC. & XL. annos pertineret, nullus Mogontinus Præsul, quicquid inde vel sibi vel suæ Ecclesiæ vendicavit usque ad hæc tempora Willegisi Archiepiscopi. Hic vir in omni Catholica pietate præclarus, in hoc solo particulæ temerarius fuit, quod suadente Sophia sorore Imperatoris, quæ juvenili jactantia & dignitate generis elata a Palligero tantum velari gestivit, eumdemque locum sibi usurpare tentavit. Quæ tamen machinatio in conspectu Regis & Principum Osdago Episcopo veritatis ei & justiciæ voce resistente disperiit, quoniam vix obtentu Regis ejusque matris licentiam ab eodem Episcopo obtinuit, ut ibi in nativitate S. Lucæ Evangelistæ missam celebraret Archiepiscopus, & prædictæ Sophiæ velationem simul ageret, de ceteris vero velandis virginibus Hildimsheimensis Præsul suo jure provideret.

Anno Dominicæ Incarnat. IXC LXXXIX. Cometæ apparuerunt, quas pestilentia grandis hominum & jumentorum subsecuta est & maxime boum. Karolus Dux iterum Remim occupat; Archiepiscopum, quem Hugo Rex præfecerat, & quosdam Primates capit & Lauduno relegat. Theophanu Imperatrix mater Regis Romam perrexit, ibique Natale Domini celebravit, & omnem regionem Regi subdidit. Eodem anno Osdagus Hildenesheimensis Episcopus obiit. Hugo Wirceburgensis Episcopus obiit. Hoc anno Saxones Abodritos bis grandi irruptione vastaverunt, multique illorum & penitus notatissimi interempti sunt, alii in flumine necati. Saxones autem cum Dei gratia & victoria redierunt. Misaco etiam & Bolizlaus Duces Slavorum magnis inimicitiis inter se conflixerunt. Et eodem anno eclipsis solis facta est, quam non modica sequebatur mortalitas hominum, etiam jumentorum XII. Kal. Novembris.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XC. Eclipsis solis facta est hora V. Karolus Dux moritur, cui Otto filius ejus successit. Gerdagus Hildensheimensis XII. Episcopus ordinatur XIIII. Kal. Febr. qui etiam ex sua proprietate & adquisitione Curtem minoris Alegrimesheim & Sigebrechtesheim fratribus suis ad XL. mansos donavit. Qui III. suæ ordinationis anno Romam adiit, & inde rediens VII. Idus Decembris ad Dominum migravit. Sanctus Adalbertus Romæ ad S. Alexium inscio Abbate quis esset factus est Monachus: Nam videns quod Grex sibi commissus semper in principium iret, nec eum ad rectam viam convertere quiret, timens ne & ipse cum pereunte plebe periret, non ausus est cum eis amplius stare, nec passus est suam ulterius incassum prædicationis operam dare. Sed cum jam Romam iter arripere vellet, forte ipso tempore Zirztrahquaz filius Boleslai, qui S. Wenezlaum fratrem suum interemerat, atque ad placandum hunc, de quo loquimur, Abbati S. Emmerammi Martyris Ratisponæ imbuendum noverat & tradiderat. Qui veniebat cum sui Abbatis licentia de Ratispona post multos annos visere Patriam & Cognatos & fratrem suum Boëmiæ Ducem; Cum quo Vir Dei præsul Adalbertus secretum petiit, & multa conquestus est de infidelitate & nequitia populi, de incesta copula, & illicito discidio inconstantis conjugii: de inobedientia & negligentia Cleri; de arrogantia & intolerabili potentia Comitum: Ad ultimum intentionem sui cordis aperit, quod vellet Romam Apostolicum consultum ire, & ad gentem apostatricem nunquam redire. Inter hæc & ad hæc addidit: Et bene est, inquit, quod tu frater nosceris esse Ducis, te plebs ista mavult damnari & tibi magis obedire quam mihi. Tu consilio & auxilio fratris superbos comprimere, negligentes arguere, infideles increpare, inobedientes corripere poteris; Tua dignitas & scientia, tui habitus sanctimonia multum concordat ad hæc regimina. Quod ut fiat ego tibi cum Dei voluntate & mea potestate concedo & ut liceat, me vivente, ut sis Episcopus apud Apostolicum votis omnibus intercedam. Et quem manu forte tenebat Episcopalem baculum, ponit ei in sinum. Quem ille quasi furibundus in terram projecit, & hæc insuper verba adjecit: Nolo dignitatem in mundo, Episcopatu me indignum judico, pastorali curæ non sufficio: Monachus sum, mortuus sum, mortuos sepelire non possum. Ad hæc præsul respondit: Scias, frater, scias, quod meo non facis cum bono, facies postea, sed cum malo tuo. Post hæc Præsul, ut proposuerat Romam iter arripit, & gentem suis præceptis inobedientem, reliquit. Eo tempore Miseco Polanorum & Bolizlavus Boëmiorum Duces invicem sibi plurimum nocuerunt. Bolizlaus Liuticios suis parentibus & sibi semper fideles in auxilium sui invitat. Miseco autem Teophanu Imperatricis auxilium postu-

postulat. Quæ cum tunc in Magadaburh fuisset, Gisilerum Archiepiscopum Comitesque hos Ekkiardum, Esiconem, Binizonem, Sigefridum, cum Brunone & Udone, ceterisque compluribus eo misit, qui proficiscentes vix cum quatuor legionibus ad pagum qui Sepuli dicitur, venerunt, & juxta unam paludem supra quam Pons longus erat porrectus, consederunt; Et ecce in noctis silentio unus ex sociis Willonis, qui pridie ad perspiciendum suum prædium præcedens captus est a Boëmiis, evadens periculum imminens Binizoni primo indixit Comiti. Tunc nostri ejus admonitione celeriter surgentes se præparant & in ipso jam venientis auroræ crepusculo Missas audiunt, quidam stando, alii super equos sedendo: & in ortu solis exeunt e castris solliciti de eventu futuri certaminis. Tunc Bolizlaus cum suis venit turmatim III. Idus Julii & utrimque nuntii mittuntur, & ex parte Bolizlai quidam miles nomine Zlopam ad perspiciendum agmen nostrorum accessit & reversus inde interrogatur a Domino, qualis esset exercitus hic; si cum eo pugnare posset, an non. Hortabantur enim hunc Satellites sui, ut nullum de nostris vivum abire sineret; A quo sic ei responsum est: Exercitus hic quantitate parvus, sed qualitate optimus est, pugnare tibi cum eo potis est, sed si tibi hodie victoria evenit, sic prosterneris, ut fugiendo Misseconem inimicum te persequentem, vix aut nequaquam evadas, & Saxones tibi hostes in perpetuum adquiris; si autem victus fueris, finis est de te & omni regno ad te pertinente. Non enim remanet spes ulla evadendi inimico te undequesecus vallante. His furor ejus sedatur & per Legatos principes nostros alloquitur, ut qui contra eum venerunt, cum eo ad Misseconem pergere & in restituendis suis rebus apud eum adjuvare vellent. Annuentibus illis Gisilerus Archipræsul cum Ekkihardo, Esicone, Binizone Comitibus profectus est, ceteris cum pace domum revertentibus. Advesperascente jam die his omnibus arma sumuntur & mox cum juramento firmatis redduntur. Venit Bolezlaus cum illis ad Oderam & ad Misseconem nuntius mittitur, qui se daret in potestate sua auxiliatores ipsius habere, si regnum ablatum sibi redderet, hos incolumes abire sineret; sin autem, omnes perderet. Ad hæc Misseco respondit. Si voluisset Rex, suos adquireret salvos aut ulcisci faceret perditos, & si hoc non fieret, propter eos nihil omnino perdere voluisset. Hoc Bolizlaus ut audivit, salvis omnibus nostris quæcumque potuit ex locis circumjacentibus prædatur & incendit. Inde reversus unam urbem obsedit & hanc cum Domino ejus, urbanis nil repugnantibus, adquisivit, eumque Liuticis ad decollandum dedit. Nec mora Diis, ut ipsi dicebant, fautoribus hæc hostia offertur & de reversione ab omnibus tractatur. Tunc Bolizlaus sciens nostros ex parte Liuticiorum incolumes non posse domum sine eo pervenire, crastino dimisit eos crepusculo admonitos, ut multum properarent; quod, ut Liutici compererunt, pone sequi maxima eorum multitudo mox nitebatur. Quos Bolizlaus vix compescuit dicens: Vos qui in meum huc venistis auxilium, videte, ut perficiatis quod cœpistis bonum, pro certo scientes hos quos in fide mea suscepi, vita mea superstite nullum hodie perpeti malum: Non est nobis honor nec consilium hactenus amicos familiares nunc effici manifestos hostes. Scio magnas inter vos inimicitias esse, sed has ulciscendi evenient tempora, his multo aptiora. His Liutici sedati duos dies ab eo ibi detenti sunt, & tunc invicem se salutantes, anticumque fœdus renovantes discesserunt. Tunc vero isti Infideles ducentos Milites eligerunt, qui nostros insequerentur, quia pauci erant; Quod nostris mox a quodam Satellite Hodonis Comitis intimatum est, unde in ipsa accelerantes hora DEO gratias Magdaburh incolumes pervenerunt, hostibus in vanum sic se laborantibus. Hoc ut primum Imperatrix audivit, prosperitati eorum arrisit. Liudolfus Corbejensis Abbas obiit vir venerabilis, cui multum vigiliis jejuniisque laboranti plurima DEus dignatus est revelare, quorum unum proferam, quod frater meus Brun Episcopus in nova Corbeja educatus, & ejusdem altaris servus mihi indicavit. Erat quidam Juvenis germanus ejusdem Abbatis & Regularis Monachus in eadem congregatione, qui cum in commisso sibi officio moraretur, & reliquias pretiosorum Martyrum Crispini & Crispiniani solito more secum veheret, incurioseque tractaret persensit in pœna subsequenti celeriter quod peccavit in Martyres Christi; nam subito moritur corporaliter, qui sanctis DEI neglexit servire spiritualiter. Et ipsi Martyres Sancti ut hoc prædicto Abbati venerando innotescerent, nocte ante januas Ecclesiæ exeunti obvii fuere, quos ut vir clarus primum aspexit, timore magno perculsus modeste substitit, silentiumque servavit, cui illi dicunt; Cur venerande Pater, non interrogas, qui simus aut quare venerimus? Auditoque ab illis nomine eorum & causa adventus ob negligentiam fratris illius, & quod hæc noxa non relinqueretur inulta, mox abierunt. Discedentibus his Abbas hæc fratribus indicavit, dicens: Mortuus est ille Juvenis qui in nostra nunc erat obedientia ob incustoditam Sanctorum, quos secum habuit, reverentiam. Heu mihi talia numquam consentienti; Nec longo post venit Nuntius qui hæc vera esse affirmaret, & corpus ejusdem adduci intimaret. Venerabilis autem vir, nec huic obviam exire voluit, nec fratres more solito illud suscipere sivit; sed iratus ad truncum corporis talia fatur: Quare tu proterve eos qui cum unigenito DEI vivi filio in magno habentur, negligenter tecum ducere, vel post tale facinus huc ausus es absque supplici interventu ullatenus venire? Decanus autem Defunctum fratrem pro sua possibilitate excusans, tale a Patre responsum accepit. Mi frater amate scis quæ hic servus ad oculum in tuo aspectu egerit, quid vero absentialiter fecerit ignoras: Ego autem optime perpendo & intime ingemisco, quia hunc in tormentis gravibus cruciari intelligo: Nunc igitur pia intercessio-

cessione nostrorum Patronorum supplex peto, ut per hos divina Pietas meæ humilitati innotescat, quando ei a se laxato liceat mihi peccatori absolutionem facere & communionem dare. Enim vero asperum nimis est aculeo recalcitrare & hominibus indecens, quibus Divina Majestas irata est, indulgentiam exhibere. Post hanc vocem pius Abbas ad oratorium speciale suum in rebus anxiis asilum, nudis pedibus venit, & more solito in se & in aliis humanam fragilitatem deflens, placavit DEum & solvit reum: Et protinus cum multis gratiarum actionibus exsurgens per divinam potestatem coram fratribus cunctis Defuncto crimen remisit & Ecclesiæ communionem & corpori sepulturam dedit. Prædictorum Martyrum reverentiam in antiquioribus libris satis lucentem adhuc accipe. Regnante Tertio Ottone Albi filius Guncelini a Satellite suo in quadam silva ob inutilem caussam occisus est. Cujus Comitatum cum beneficio juxta Mildam jacenti Gisilerus Archipræsul accepit. Hujus Camerarius Gunterus mortuo Dodone Asnebrucgensis Ecclesiæ Episcopo carus Imperatori & sæpe fideliter serviens Italiam venit, cumque ibidem clementer susciperetur & in omnibus clementer exaudiretur, in sequenti nocte vidit Christi Martyres Crispinum & Crispinianum ad se venientes, & si eorum vellet Episcopatum accipere interrogantes; Quibus cum responderet; Si DEus vult & vobis placet; perfixus est ab eis duabus hastis, & mox evigilans nullatenus per semetipsum potuit exsurgere. Crastino autem Cæsar, ut ejus infirmitatem comperit, fidele promissum complevit. Post hæc idem convalescens, domum rediit, acceptaque consecratione cum dolore magno pene annos quatuor vixit. Nescio si quid DEO vel Sanctis suis in eo displicebat; hoc constat quod vir justus & bene timoratus fuit, mitis & castus & sicut hi, cum quibus modo requiescit, asserunt, plurimum eum apud DEum valere plurimis signis probatur. Nam revera DEus non judicat bis in idipsum. Hoc Anno Saxones bis Abodritos grandi irruptione vastaverunt, multique ex ipsorum nominatissimis interempti sunt, alii in flumine necati; Saxones autem DEI gratia cum victoria redierunt. Eodem anno facta est eclipsis solis: non modica secuta est mortalitas hominum atque jumentorum XII. Kal. Novemb.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCI. Remis Synodo totius Franciæ congregata Arnulfus Nepos Karoli Ducis, quem ipse Karolus Episcopum Remis substituerat, omnium judicio exordinatus damnatur, & Adelgarius Presbyter, qui urbem prodidit & portas Karolo aperuit insolubiliter excommunicatus damnatur. Gerbertus Episcopus Remorum subrogatur, cujus est hoc de se monasticum: Scandit ab r. Gerbertus ad r. post Papa viget r. Insinuans se de Remensi Præsulatu ad Ravennatium præsulatum scandere, post etiam Papam Romanum fore. Theophanu Imperatrix cum filio Imperatore tertio Ottone Paschale festum Imperiali gloria apud Quidelingeburh peregit, ubi Marchio Tuscanorum Hugo, & Dux Polanorum Miseco cum pluribus regni Principibus adfuere, diversa munera ad obsequium Imperatoris deferentes, e quibus Miseco, aliique quamplurimi honorifice donati in patriam redierunt. Hugo vero cum eadem Imperatrice filioque suo quocumque proficiscuntur famulando prosequitur, usque dum Niumagun perventum est. Ibi ergo dum quasi compede totum sua ditione collegisset Imperium, consummato in bonis vitæ suæ cursu, quod est dictum miserabile, immatura morte dissolvitur XVI. Kal. Julii, indeque lugubri Imperatoris filii sui ceterorumque suorum fidelium comitatu evecta, ad urbem defertur Agrippinam & in Ecclesia Sancti Pantaleonis Martyris, ut ipsa decreverat, sepulta est, ab Evergero Coloniensi Archiepiscopo, præsente filio, ac multa pro remedio matris fratribus largiente. Quod Cœnobium datis impensis Brun Archipræsul ubi requiescens construi præceperat. Hæc quamvis sexu fragilis, modestæ tamen fiduciæ, &, quod rarum in Græcia est, egregiæ conversationis fuit, Regnumque filii sub custodia virili servabat, demulcens in omnibus pios, terrens & superans erectos. Hujus piis monitis Domnus Imperator factus jam vir, postquam evacuavit quæ erant parvuli, semper Mersburgensis Ecclesiæ destructionem deflens, quomodo hæc renovaretur, sedula mentis intentione volvebat, & quamdiu in corpore vixit, hoc voto perficere studebat; Nam eadem Imperatrix talia, ut mihi post Meinsuit retulit, sicut ab ipsa percepit, in somnis vidit. Apparuit ei intempestæ noctis silentio Sanctus Christi Athleta Laurentius dextro mutilatus brachio, dicens; Ego sum, & nomen innotuit. Cur non interrogas, quis sim? Et illa: non audeo, inquit, Domine mi; Ille autem prosequitur dicens: Quod in me modo consideras, tuus effecit Senior ejus persuasu seductus, cujus culpa electorum Christi magna multitudo discordat. Post hæc filii sui fidei eadem commisit, seu vivente Gisilero, seu moriente fieri posset redintegratio illius Episcopatus, Patris sui animam in novissimo die ad æternam requiem revocaret. Hæc quoque de fructu ventris sui decimas DEO obtulit filias suas; unam Quideligeburh Adelheidam nomine; Alteram Gandersheim quæ Sophia dicebatur; Tertia Machtild nomine, Herimanni Comitis Palatini filio Ezoni nupsit; & hoc multis displicuit, sed quia non valuit emendari legaliter, sustinuit hoc unicus frater ejus patienter, dans ei quam plurima, ne vilesceret innata sibi a summis Parentibus gloria. Inclita Imperatrix Adelheidis, postquam de Imperatricis Theophanu morte comperit, tristis protinus effecta Regem tunc VII. annos regnantem visitando consolatur, ac ille eam matris instar secum tam diu habuit, quoadusque ipse protervorum consilio juvenum depravatus, tristem illam dimisit. Ignis de Rheno ascendens villas prope positas combussit. Piratæ etiam Staverunt deprædando vastaverunt, aliaque in littore loca perdiderunt. Otto Rex cum magno exercitu Saxonum ac supplemento Misaconis Brandeburh obsedit & vicit, illo autem inde digrediente, Saxo quidam nomine Kizo Liuticorum auxilio eamdem urbem audacter satis contra Regem invasit, atque prædicto-

dictorum Slavorum pertinacia contra jus & fas ditioni propriæ subjecit, & crebras latrociniorum irruptiones in Saxoniam molitus est. Eodem anno Erkenbaldus Strazburgensis, Fridericus Salzburgensis & Bilegrimus Episcopi obierunt; Managold quoque non infimus Sueviæ in Saxonia obiit, ac propter fidele servitium Imperatrici Athelheidhæ exhibitum ipsa comitante Quidelingeburgensem advehitur civitatem, ibique honorifice sepelitur.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCII. Gloriosissima Dedicatio Halberstadensis Ecclesiæ facta est XVII. Kal. Novemb. a venerabili suo Episcopo Hildewardo anno suæ ordinationis XXIIII. quam secum XII. Episcopi consecraverunt, quorum hæc sunt nomina: Willigisus Archiepiscopus Mogontinus, Gisilerus Magadaburgensis, Lievizo Bremensis, Ajo Capuanus, Johannes Placentinus Archiepiscopi: Præterea Liudolfus Augustensis, Hildoboldus Wormaciensis, Hretrius Patherburnensis, Erp Fardunensis, Ursus Paduanus, Hugo Cicensis, Hildericus Havelburgensis, Reginbreth Racisburgensis, Reinwardus Tridentinus Episcopi; Abbates vero hi adfuerunt; Manso, Cassinus, Thietmarus Corbejensis, Liutzo Luneburgensis, Ochtradus Mersburgensis, Lambertus Longhelus, præsente Rege Sereno Tertio Ottone, suaque avia Adelheidhe atque Amita sua Machtilde Abbatissa, Duce quoque Bernhardo & Liudolfo Capuano Comite & præfectis ac proceribus innumeris atque incomparabili multitudine Cleri ac populi in laudem DEI conclamantibus dedicantes præfatam Ecclesiam orando juverunt. Festivitas autem erat eadem Christi Confessoris Galli, in cujus Monasterio prædictus Præsul edoctus fuerat, & ideo semper studuit in hac celebritate suum perficere desiderium. Hunc adjuvit in omnibus fidelis suus Capellanus Hildo & prudentissime cuncta disposuit: Omnes Saxoniæ Principes huc convenientes caritative suscepti sunt. Numquam fuit ante nec post in divinis laudibus & negotiis secularibus in omnia plenius cunctisque acceptius peracta festivitas. Duodecimo Kal. Novemb. totum cœlum ter in nocte visum est rubrum fuisse. Miseco Dux Polanorum jam senex febricitans ab hoc exilio ad Patriam cœlestem transivit, Relinquens Regnum suum plurimis dividendum. Quod postea filius ejus Bolizlaus Noverca & tribus fratribus expulsis, excœcatisque familiaribus suis Odilieno & Pribwudio vulpina calliditate contraxit in unum, atq; ut tantum solus dominaret, jus & fas omne postposuit. Duxit hic Riedagi Marchionis filiam, postmodum dimittens eam. Post hanc ab Ungaria sibi sumpsit uxorem, de qua habuit filium, nomine Besfrim, similiter expellens eam: Tertia fuit Erminildis filia venerabilis Senioris Dobromiri, quæ Christo fidelis ad omne bonum instabilem sui conjugis animum declinavit, & immensa elemosinarum largitate & abstinentia, utriusque maculas abluere non destitit. Peperit hæc duos filios Misceonem & alium quem dilecti sui Senioris nomine pater vocavit, filias quoque tres, quarum una fuit Abbatissa; secunda nupsit Herimanno Comiti, tertia filio Regis Ruzorum Woldemiri. Otto Rex cum valida suorum manu iterum Brandeburh adiit, venitque ad eum Heinricus Dux Bawariorum, & Bolizlaus Boëmiorum Princeps cum ingenti multitudine in auxilium Regis: Bolizlaus vero Misceonis filius per se ipsum ad Regem venire non valens, imminebat quippe ea grande bellum contra Ruscianos, suos satis fideliter milites in ministerium Regis direxerat. Verum Rex bonis Slavorum promissionibus confidens, suisque Principibus resistere nolens, pacem illis iterum concessit, & inde in patriam remeavit; sed illi more solito mentiti sunt per omnia. Postea Kizo nostrorum blanditiis delinitus Brandeburh urbem Regiæ potestati cum semetipso tradidit. Unde Liutici nimio furore succensi, eum cum omnibus, quas habebant, catervis illico petebant. Interea Rex in Magdaburh fuit, & cum hoc comperiret, quos tunc habebat eo celeriter misit; Ekkihardum Marchionem, tres filios Comitis Heinrici de Stadhe, cum Friderico Comite Palatino, & Luthario Marchione de Waldbike. Hi cum suis venientes divisi sunt ab hostibus se acriter irrumpentibus, & una pars ex nostris in urbem venit, alia quæ remanserat cæsis militibus nonnullis rediit. Tunc Rex collectis undique sociis illo properat & hostes nostri magnam vim Defensoribus urbis inferentes, cum ultimam legionem vidissent, amotis castris fugerunt. Nostri autem in ereptione interius gaudentes, Kirieeleyson canunt, & advenientes unanimiter respondent. Munita urbe præsidio Rex abiit, & eam in sua potestate diu habuit. Posthæc Kizo cum Quidelingeburh veniens maneret, civitatem cum Satellitibus suis & uxore perdidit, quæ omnia excepta urbe postea recepit. Unus enim ex suis militibus Boliwit nomine, cujus consilio, quamvis absens esset, hoc agebatur, ibi dominabatur. Kizo autem cum in his partibus post latenter nocere voluisset, optimus miles cum suis interfectus est. In Burgundia Odilo ex Clerico Brivatensi monachum professus, in Cluniacensi Cœnobio præficitur, quod per annos LVI. miro Religionis fervore rexit & provexit, qui præter cetera pietate etiam insignis, non solum vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita sua claruit. Hic vitam Sanctæ Adhelheidhis Imperatricis descripsit. Adelheidhis Imperatrix Augusta debito maternæ dilectionis filiæ suæ Machtildi Abbatissæ Curtem, quæ in Saxoniæ finibus sita Walbike dicitur, cum appendiciis hereditatum eo pertinentium dono dedit & sive propriis usibus aptandi, sive quolibet alio pro velle arbitrio illius committens per Cirographi Inscriptionem imperatorio anulo signati stabili pactione firmavit. Hæc nimirum divini amoris ut erat æstu ferventissima largitatis ac benivolentiæ studio prona, non sibi, quo apud sæculum ditior videretur, quippiam reservari cupiens, sed totis desideriis ad superna semper anhelans heredem sibi eum, cujus Regni & Imperii status caret termino humili adopti-

adoptione providit, atque inibi Cœnobium in honore Sancti Andreæ Apostoli collectione Virginum sub Regula Sancti Benedicti monastice degentium construi præcepit. Eodem anno venerabilis Hildiwardus Halberstadensis Episcopus in Castello Stuterlingeburh Monasterium Sanctimonialium construxit. Bis a nostris hoc anno contra Slavos pugnatum est, primum XIIII. Kal. Julii, in quo prælio Thiethardus Fardensis Ecclesiæ Diaconus signifer cum multis occubuit; Aliud XI. Kal. Septemb. in quo Halegred signifer Bremensis presbyter occisus est. Gerdagus Hildinesheimensis Episcopus causa orationis Romam petens, cum reverteretur VII. Idus Decemb Cumis obiit & corpus ejus per singula divisum membra in scriniis duobus ad Monasticum suum a Consociis est lugubriter delatum. Hos duos Antistites Osdagum & Gerdagum Gisilerus Magdaburgensis Archipræsul casu ibi veniens terræ commendavit.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCIII. Bernwardus Regis Capellanus XIII. Hildinisheimensis Episcopus constituitur, ordinatus est in Episcopum XVIII. Kal. Febr. Qui ab exordio promotionis suæ quicquid adquirere potuit, utilitati suæ Ecclesiæ prudenter impertivit. Aurum namque & lapides, quos Beatæ memoriæ Otwinus, ut prædictum est, reservavit, in calicem & patenam miræ pulchritudinis fabricavit, & plurima utensilia suæ Ecclesiæ contulit, Monasterium quoque Sancti Michahelis construxit & ex parte dedicavit, in quo Abbatiam & Congregationem Monachorum instituit, quorum utilitati prædia & curtes & familias ad CCC. Mansos condonavit. Fratrum etiam utilitatem in præbenda & vestitura clementer ampliavit, quibus Curtem Hemedesderon cum sua possessione in familiis & decimis ad hæc implenda delegavit. In nocte natalis Sancti Stephani in primo galli cantu Lux ut dies ex Aquilone effulsit, ut plurimi dicerent, diem oriri; stetit autem per unam pleniter horam & postea rubente aliquantulum Cœlo, in solitum conversum est colorem. Fuere nonnulli, qui dicerent, eodem anno se vidisse tres Soles & tres Lunas & Stellas invicem pugnasse. Post hæc Ekbertus Treverensis Archiepiscopus obiit, cui Liudolfus successit. Mortuus est etiam Dolo Mimigardevordensis Episcopus, cui Suidgerus successit. Hic genere Saxo in Halberstad & Magdaburh a puero nutritus a Rege Ottone III. præfatæ Civitati est prælatus, quam divino munere cum omni diligentia rexit pollens multis virtutibus, quarum duas tantum hic proferemus. Camerarius suus cum pileum quemdam furto subtractum celare voluisset, diligenterque a pio Seniore interrogatus, nil profiteretur, cultellum super mensam positum & ex animo benedictum illum sumere præcepit, quem quasi ignitum celeriter projecit, seque nimis reum esse confessus est. Alio tempore quidam maligno spiritu arreptus in præsentia prædicti Patris magna vi perductus est; quem solvi protinus jubens, baculoque ad se solum acriter irrumpentem viriliter amovens, facto Sanctæ Crucis signo divina potestate hostem exire fecit. Qui hæc non suis meritis, sed divinæ virtuti asscribens vixit in Christo dies hujus vitæ sibi concessos ministrans illi fidelis servus in omni studio. Mortuus quoque est Erpo Fardensis Episcopus, cui Bernharius tunc ibi Præpositus successit. Sub hoc Erpone Episcopo quidam Juvenis nomine Goltrin in Monasterio Fardensi in clericali ordine educatus ad Diaconatus gradum indignus pervenit. Postquam vero prædictus Antistes obiit ipse fuga lapsus, nomen & ordinem, ut ille Dæmonis exemplar Julianus Apostata Cæsar abiciens vocabulum solum Christianitatis professus, sed in multis huic alienus ad terram Arctoam, idest, Septentrionalem plagam venit, quæ hoc nomen sortitur ab Arcturis, idest, Ursis duabus majore & minore, quas serpens circumflexus in se continet, ut Astrologi asserunt. Pars terræ illius tantum frigida, quantum a calore solis est aliena: Mentes etiam Incolarum a gemina caritate frigidiores sunt. Hac mundi parte Scitæ incertis sedibus vagantur. Genus hominum ferum, moribus beluinum, qui sua habitacula de pellibus aut pilis animalium secum vehunt, crudis ferarum carnibus & equino lacte pascuntur. Huc ille Goltrin ad suos veniens, ubi primo ab eis est agnitus, illico suscipitur & in regnum hereditario honore sublimatur. Rex iste servus peccati, filius mortis, non ut putabat, dominabatur, sed quotidie iniquitatis pondere gravabatur. De talibus Dominus per Esaiam clamat: filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Rex Pascha in Engelenheim celebravit, & post hæc a nativitate Sanctæ Johannis Baptistæ usque in V. Idus Novemb. pene per omnem Æstatem & Autumnum siccitas nimia & fervor immanis fuit, ita ut innumerabiles fruges non pervenirent ad temporaneam maturitatem propter solis ardorem. Post hæc non modicum secutum est frigus & magna nix cecidit, magnaque pestis simul & mortalitas hominum atque jumentorum evenit. Et eodem anno Saxones tribus vicibus expeditionem paraverunt in Slavos & nihil profecerunt. E contra Slavi crebris latrociniis Saxoniam fatigabant.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCIV. Hiems durissima III. Idus Novembris exorta usque in Idus Mai fuit rarissimis intermissa diebus, deinde pestiferis & frigidis flantibus ventis noctibus plurimis pro rore hibernum cecidit frigus, ad ultimum Non. Julii grande factum est gelu, tantaque siccitas fluminum & penuria facta est pluviarum, ut in plerisque stagnis & pisces morerentur, & in terris arbores plurimæ penitus arescerent & fruges perirent & linum. Subsecuta quoque est grandis pestilentia hominum, Porcorum, Boum, & ovium; prata etiam in plerisque locis ita exaruerunt, veluti igne exusta fuissent. Slavi insuper omnes, exceptis Sorabis a Saxonibus defecerunt. Hugone Rege Francorum defuncto, Rodbertus filius ejus regnavit in Francia annis XXXV. Liudolfus Treverensi Ecclesiæ ordinatur Archiepiscopus.

Ea

Ea tempestate Heinricus, qui Marchiam habebat, Evekerum Bernwardi Wirceburgensis Ecclesiæ Episcopi militem egregium sed nimis superbum cepit, & ob illatas sibi injurias in loco, qui Lindilog dicitur, excæcavit. Rex autem ab Internuntiis Episcopi id lugubriter conquerentibus, comperiens, hocque graviter ferens, prædictum Comitem exilio relegavit, postea gratiam suam illi dedit, & apud Antistitem digna emendatione reconciliavit. Posthæc prædictus Præsul Lippoldum Marchionem orientalis Bavvariæ & Nepotem ejus eumdem Heinricum ad Missam S. Kiliani, quæ est VIII. Idus Julii, ad se vocans, cum magna caritate eos habuit. Vbi Liuppoldus Marchio in sacra nocte post matutinam ludens cum suis militibus ex uno foramine ab excæcati amico sagitta volante vulneratus est & facta confessione VI. Idus Julii exspiravit innocens prædictæ actionis in facto & consilio. Qui postera die ibidem sepultus merito defletur, quia se prudentiorem & in omnibus actibus meliorem nullum reliquit. Filii Comitis Heinrici de Stadhe, Heinricus, Vdo, & Sigefridus piratis sua populantibus IX. Kal. Julii navibus occurrunt, factoque certamine Vdo decollatur, Heinricus cum fratre suo Sigefrido & Comite Erhelgero devictus, dictu miserabile a pessimis hostibus captus abducitur. Quod fama volante undique statim dilatatur. Bernhardus Dux, qui proximus fuit, nuntios quam propere misit, qui pretium pro redemptione eorum illis promitterent, & conveniendi pacifice colloquendique locum peterent. Qui parati firmam pacem dare ineffabilem pecuniam pepigerunt. Execranda vero Piratarum turba cum maximam partem collectæ pecuniæ immenso sui pondere percepissent, Heinrici vice filium ejus unicum Sigefridum nomine cum Gerwardo & Wolframmo, Ethelgeri autem loco avunculum ejus Theodericum & Amitæ suæ filium Olef vocatum suscipientes, ut quod de promisso eis thesauro restabat, colligeretur, eos abire permisit, Sigefrido solo remanente. Hic quia filium non habuit a sorore sua Cunigunde conjuge Sigifridi Comitis de Waldbike unius filiorum ejus remedium postulavit. Quæ tam necessariæ petitioni satisfacere desiderans, nuntium ad Abbatem Riddagum celeriter misit, ut filium suum Sigefridum ad S. Johannem in Magedaburh sub habitu monachico degentem accepta licentia reduceret. Hic quia vir valde prudens fuit, cunctis sollicite perquisitis, injustæ legationi restitit, & propter curam a Deo sibi creditam, quod hoc facere non præsumeret, respondit. Nuntius autem, ut ei jussum fuerat, ad Ekkihardum, qui tunc custos Ecclesiæ S. Mauricii & Magister Scolæ fuit, veniens ut filium suum Thietmarum ob rem necessariam matri remitteret, supplex rogavit. Qui cum laïcali habitu, quo inter Piratas conversari debuit, profectus est. In ipsa autem die Sigefridus de pervigili custodia hostium, qua multum vulneratus detinebatur, divino auxilio sic evasit. Nam in angustia vehementi positus cum Nothaldo & Edicone quomodo evaderet plurimum semper versans, præcepit eos velociter in navicula quantum his, qui eum detinebant, satis valuisset ministrare de vino & de ceteris adpertinentibus sibi deferre. Quibus sine mora completis, canes avari saturantur, factoque mane presbyter ad Missam paratur & Comes cunctis absque custodibus hesterno vino gravatis, ad proram lavaturus insiliens, puppi paratæ insiluit. Extollitur clamor, presbyter quasi consiliator capitur, Anchoræ levantur, Remiges hos velociter fugientes insequuntur: Quos Comes vix evadens, cum littoris securitatem attingeret, ut prius ipse præceperat, paratos invenit equos, & ad Civitatem suam Hersevelt dictam, ubi frater suus Heinricus & uxor ejus Athela tanti gaudii inscii manebant, pergere properavit. Hunc hostes pone secuti urbem, quæ littori vicina stabat, nomine Stetu, incurrunt, eum curiose in abditissimis quærentes locis, & non invenientes, fœminis inaures vi rapiunt, tristesque recedunt. Tunc furore nimio succensi, crastino Clericum & filium Heinrici Comitis cum universis obsidibus, auribus & naribus obtruncant, foris eos in portum projicientes. Tunc fugientibus Piratis, unusquisque a suis rapitur, mœrore inaudito surgente. Eodem anno Ecbertus Comes prudentibus sapientior, & fortibus audatior Non. Aprilis e medio excessit. Fames etiam hoc anno magna facta est plurimis in locis Saxoniæ.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCV. Saxonibus pejor annus priore exoritur; Nam in eos qui vocantur Osterluidi, tanta pestilentia exarsit, ut eorum non solum domus sed etiam villæ plurimæ mortuis habitatoribus vacuæ remanerent, fame insuper magna compressi tam assiduis Slavorum incursionibus fatigabantur, ut peccatis suis promerentibus juste de eis illud propheticum dictum videatur: Mittam super eos tria judicia mea, pestem gladium & famem. Gevehardus Constantiensis Episcopus obiit, cui Lampertus successit. Baldricus Trajectensis Episcopus obiit, cui Ansfridus Comes & Laïcus bonæ famæ vitæque honestæ successit. Hic alto progenitorum germine cum adhuc esset puerulus tum omni lege mundana a patruo suo Rodberto Trevericæ civitatis Episcopo, tum divina adprime est institutus. Inde a patre suo Ansfrido XV. Comitatuum strenuo Comite, Domno Brunoni Agrippinensi Archiepiscopo traditur ad res militares. Sic bonæ indolis adolescens penes ipsum quotidie proficiebat, donec magni Imperatoris Ottonis adversus Romam exercitum moventis accessit servitio; Cui in initio militiæ Archiepiscopus injunxit, ut Tentorium suum, quod adeo pulchrum videbatur, quotidie poneret contra Imperiale, & spatam suam duceret, ut in hoc probaret si se agiliter Palatinis initiaret. Hoc ideo tam gratanter suscepit, quia psalmos oris ejus dulcissimos per devia hunc sequens quasi aviculis insidiando delectationis causa, sine detractione frequentare poterat. Cæsare Romam ingrediente non minimum confisus in Juvene fecit eum Spataferium suum dicens: Dum ego hodie

hodie ad limina Apostolorum perorabo, tu gladium continue super caput meum teneto; nam fidem Romanam Antecessoribus nostris semper suspectam fuisse non ignoro: Sapientis enim est adversa quæque longe adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Deinde redeundo ad montem Gaudii, quantum volueris orato. Igitur a Roma reversus, Abbatiam quæ dicitur Torna de hereditate propria construxit, in qua filiam suam Abbatissam plurimarum Deo devotarum Sanctimonialium assensu Pontificis constituit, Sanctoque Lamberto pro remedio animæ suæ ex integro tradidit. Cujus Dei famulæ, quia mentionem fecimus, quod per eam Dominus optatus est, silentio non præteribimus. Hospitalitatis & benignitatis circa peregrinos tantæ erat & egenos, ut quadam die nil de vino sibi vel sororibus beneficientiæ communicationisque causa relinqueret; Hoc dum Celleraria sibi nuntiasset, ait: æquo animo esto cara, & confortare, Dei enim gratia satis nobis poterit dare: Statimque solito more ante crucem prostrata in Oratorio S. Mariæ cœpit orare, vinumque in vase funditus pridie exhaustum crescere cœpit, quoadusque superfluxit. De quo non tantum Sanctimoniales, sed alii quamplures diu ad laudem Domini biberunt circummanentes vel adventantes. Interea contigit, ut ejusdem Comitis reverenda conjunx nomine Hersuit, in Curte sua nomine Gilisa cœpit ægrotare, quæ statim velut mortis præsaga futuræ festinavit ire ad Torna. Quo dum præ nimio dolore nequiret pervenire, in domo cujusdam Majoris mansit in itinere, qui sicut ipse nobis retulit, nimiæ ferocitatis canes habuit, quorum latratum ægra graviter sustinuit; Hospes, ut audivit, rogatus ab ipsa, hos libentissime voluit capere, vel ad ultimum, si potuisset, etiam occidere. Horum dum neutrum potuisset, mirabiliter accidit, quod nullus eorum quivit latrare, donec ancilla Dei requievit in pace, quam secus Monasterium sui communis laboris Comes in secretario sepelivit. Hujus Cameraria multis annis fuit hidropica; Huic visum est in vigilia Natalis Domini, quod ad sepulchrum Domnæ suæ candelas deberet afferre, quod & fecit. Mox dum matutinæ laudes celebrarentur, exivit, solutionem habuit, sana coram omni populo rediit. Post decessum hujus Domnæ felix Comes non terreno casu desperatus, sed in virtutis volatu, eo ipso sublevatus mente disposuit, ut monasterialem vitam subiret, sicubi majori obedientiæ regulam inveniret. Quod dum in exordio per intentionem agitur, a Rege ad Episcopatum Trajectensem per Notgerum Leodii Pontificem summa necessitate vocatur: Quod ubi audivit Capellam Aquensem introiit & mundi Dominam exoravit, ut si esset a Deo, canonice perficeretur, si non, clementer adnullaretur, Sed postquam Evergerus Coloniensis Archiepiscopus suffraganeorum consensu, Regi, sibique in medium consuluit, vellet, nollet, ad Episcopum acclamatur. Non multo post V. Curtes de sua proprietate ter Beato Martino tradidit, fideli, inquam, fidejussori talionis earum. In senectute ergo sua caligantibus jam oculis factus est Monachus: Septuaginta duos pauperes propria manu quotidie pavit; Illorum quippe infirmioribus camerario præcedente cœcus ipse ab uno vallis ad summa montis balneum portans præparavit in nocte & mutatoria ceteraque necessaria corporis præbuit, jubens eos in pace recedere, ut sic sua opera celare posset. In eodem monte Monachorum ordinavit congregationem, a quorum prioribus scopis est sæpius castigatus, dum auderet resistere eorum jussionibus. Quicquid ad ultimum adquirere potuit, manibus pauperum tribuit: Aviculis etiam in hieme manipulos super arbores ad manducandum intuitu pietatis in monte suo poni fecit. Sub clamidis absconso continue vestiebatur cilicio: De cujus felici fine in sequentibus dicemus. Rex cum exercitu terras Slavorum invadens Abodritos vastavit, urbes & oppida destruxit, licet motum eorum nullo modo compresserit; Occurritque ei in auxilium Bolizlai filius Misaco cum magno exercitu, nec non Boëmii cum filio alterius Bolizlai venerunt, recepitque se Rex in Saxoniam cum exercitu incolumi. Reversus ab expeditione in Quidelingeburgensi Civitate ab Amita sua Machtilde Abbatissa venerabiliter suscipitur, ubi Adelheid ipsius soror pro Christi amore spretis terrenis nuptiis sub jugo regulari canonice degendum elegit astante fratre suo Rege & sese propriam devovit obsequio SS. Dionisii & Servatii Pontificum, atque eadem hora accepit sacrum velamen ab Hildiwardo Antistite Halberstadensi multis Episcopis coram astantibus. Post hæc Rex in Magedaburh cum principibus colloquium habuit, ad quod Heinricus Bavvariorum Dux inclitus venit, & cum inter hunc & Ratisponensem Episcopum Gebehardum longa haberetur contentio, cum bono ibidem finitur colloquio, & pius ille Dux qui omne delictum suum continuis mundavit elemosinis, inde pergens, cum ad Gandersheim venisset, ubi Domna Gerburh soror sua fuit Abbatissa, ægritudine premitur subitanea, qui vocans ad se filium suum, talibus eum instruit verbis. Vade celeriter ad Patriam ac dispone Regnum, ac numquam Regi ac Domno resistas tuo; multum enim me pœnitet unquam fecisse: Patris memor sis tui, quia nunquam hunc in hoc seculo amplius videbis. Moxque filio abeunte Dux præclarus in infirmitate sua semper Kirieleison ex corde clamans migravit ad Christum V. Kal. Septembris. Sepultus ibidem in medio Ecclesiæ coram summo altari. Hic postquam pœnitentia ductus regnum respuit, & Bavvariæ Ducatu donatus est, ita in eo pro componenda pace ultra priores suos effloruit, ut ab illius terræ incolis Heinricus pacificus & Pater Patriæ appellaretur. Quo mortuo filius ejus Heinricus Rex futurus Bavvariorum electione & auxilio bona Patris & Ducatum Rege donante obtinuit. Post discessum beati Adalberti a Boëmia, Dux Boëmiæ non erat suæ potestatis, Ducis Comites versi in Dei odium, patrum iniquo-

quorum pessimi filii, valde iniquum facinus operabantur; Nam quodam die festivo irrumpunt urbem Lubic, in qua fratres S. Adalberti & milites urbis universi velut oves innocentes adsistebant sacris Missarum solemniis; Et velut Lupi immanes masculum & fœminam usque ad unum interficientes, quatuor fratribus S. Adalberti ante ipsum altare decollatis, urbem incendunt, plateas sanguine perfundunt & præda onerati hilares recedunt. Interfecti sunt autem V. fratres Sancti Adalberti, quorum nomina sunt hæc; Sobebor, Spitimir, Dobraizlau, Porei, Caslau. His ita peractis Dux Bolizlaus inito consilio cum Clericis Moguntinum Archiepiscopum, his sollicitat verbis: Aut nostrum Pastorem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus, aut alium nobis ejus loco ordina. Tunc Archiepiscopus sollicitus, ne populus nuper Christo adquisitus in antiquum ritum relaberetur, mandat Apostolico, ut aut Pragensi Ecclesiæ suum Antistitem remitteret, aut alium ordinari sineret. Et quia in Cœnobio S. Alexii vir sanctus manebat, hunc Domnus Papa, etiam suus Abbas sic alloquuntur: Frater amantissime, per caritatem Dei te deprecamur, ut ovilium tuarum regimen dignanter recipias. Si te audierint Deo gratias, si non fugientes te fugias, ne cum pereuntibus pereas, & ad exteras nationes prædicandi licentiam habeas. Exhilaratus Præsul de data sibi docendi exteras gentes licentia, non sine magna fratrum mœstitia discessit. Et cum viro summæ discretionis nomine Nothario præsule adiens Archiepiscopum, in Palatio, rogat experiri, si suus eum grex recipere vellet: quo facto quid ille grex responderit aut quam ob causam eum non receperit, vel ad quas gentes inde transierit, quantæ frugalitatis omnibus diebus episcopii sui fuerit, quanta morum honestate nituerit, scire poterit, qui ejus vitam legerit. Tunc Ztrahquaz frater Ducis, de quo supra meminimus, videns hunc quasi regulariter repudiari tumido fastu exarsit in Episcopatum, quem Populus nequam statim in Episcopalem levat cathedram, mente tumidum, veste compositum, oculis vagum, verbis vanum, moribus Ypocritam, totius erroris mandritam, atque in operibus malis iniquorum Archigerontam. Ventum erat ad Mogontinum Archiepiscopum, ubi peractis omnibus quæ agenda erant, dum choro melodiam modulante Archipræsul infulatus procumbit ante altare & post hunc inter duos suffraganeos Ztrahquaz prosternitur in medio, atroci arripitur dæmonio, & quod illi vir sanctus clam prædixerat, palam fit coram Clero & omni populo. Hactenus hæc inseruisse sufficiat. Eodem anno in territorio Halberstadensis Ecclesiæ nomine Horedorp, natus est Infans nihil corporis a posterioribus habens deorsum, sed tantum dimidius homo, habens posteriora quasi aucæ sine plumis, aurem dextram majorem sinistra, & oculum similiter sinistrum majorem: dentibus vero crocei coloris horribilis, sinistro brachio absque quatuor digitis, solo pollice integro; dextro penitus erat brachio privatus. Ante baptismum attonitis videns oculis & post baptismum nihil, quarto nativitatis die infandum monstrum moritur. Commune damnum in pestilentia pecorum & boum omnem Germaniam vexat. Teodericus Comes Palatinus & frater ejus Sigibertus Saxones præclari obierunt. Johannes Placentinus & Bernvvardus Wirceburgensis Episcopi Constantinopolim ex latere Regis, ut illi sponsam inde peterent, directi sunt. Legati etiam Apostolicæ Sedis cum unanimitate Romanorum, atque Langobardorum Regem Romam invitant. Slavi frequenter irruptione Saxoniam vastant.

Anno Dominicæ Incarnationis IXCXCVI. Lux clara S. Augustensis Ecclesiæ Liudolfus Episcopus VIII. Kal. Augusti huic mundo subtractus cœlesti adnumeratur familiæ, cui Gebehardus Elewangensis Abbatum egregius successit Episcopus. Hildewardus Halberstadensis Episcopus cum Ecclesiam & gregem sibi commissum XXVIII. annos verus Israhelita gloriosissime rexisset; cumque ipse in agone jaceret exitus sui, vidit gloriam Dei, & vocato ad se Capellano suo Wulfario, inquit: Vides, Frater, aliquid? Ille nihil se videre respondens, audivit hæc ab eo: Caminata hæc, in qua nunc jaceo & in qua duo Antecessores mei obierunt, Majestate Domini plena est: Et hæc dicens hostia Christi immaculata ad Deum, quem sitivit anima sua, ut in Resurrectione Justorum resurgat, VII. Kal. Decembris ab hujus sæculi vanitate assumptus est. Corpus autem suum instinctu Spiritus humilitatis non in Monasterio, id est Ecclesia, sed in claustro cum fratribus suis terræ, quia suum erat, commendari præcepit. Cum vero fratres ejus in electione convenire non possent, præpositus est his de Capella Regis Arnulfus & Idus Decembris ordinatur. Sic etenim ille vir sanctus antecessor ejus, dum adhuc valeret, prædixit cunctis tunc præsentibus: Hunc, inquiens, hospitem honorate & in quantum potestis illi servite, hic enim providere vos debet post me. Hic erat illustri prosapia exortus, sed nobilior moribus & sincera largitate præclarus. Hic Civitatem Halberstat, quam invenit ex antiquitate collapsam renovare cœpit, & multis Civitatibus incomparabilem perfecit, atque in VI. feria ante Nativitatem Domini in honore Omnipotentis Dei & S. Stephani protomartyris cum multis, missalibus indutus vestibus, circumeundo aspersit & benedixit, & suo Banno Civitati pace & immunitate insolubili locum sanctum firmavit. Civitates etiam omnes, quas in sua possessione invenit dirutas, in melius renovavit. Ad hæc fratrum suorum stipendia bene auxit & quinque solidis vestitum illorum augmentavit; Adquisivit quoque S. Stephano non rapinis, sed divina favente clementia mille mansos & ducentos, exceptis mancipiis utriusque sexus. In molendinis, in areis, pratis, silvis, in fossis salinariis quantum adquisierit, explicare nequimus. Thesaurum Sancti Stephani in palliis, in indumentis missalibus ad omnes ordines pertinentibus, sine numero multi-

multiplicavit. Tabulam vero altaris summi auro puro & gemmis decoravit: Thuribulum aureum & thuris receptaculum aureum, & calicem magnum aureum cum patena, & varia ornatuum genera SanctoStephano obtulit. Hujus anni vernali tempore Rex Otto composita inter Saxones & Slavos pace, ad Italiam diu desideratus perrexit, & in urbe Papia Pascha celebravit. Johannes Papa interim obiit. Unde Rex in Italia jam positus, rumore incitatus, præmissis quibusdam Principibus publico consensu & electione fecit ordinari Apostolicum suum Nepotem Brunonem Ottonis filium, qui Marcam Veronensem servabat; imposito nomine Gregorii. Deinde Romam veniens in Ascensione Christi, quæ tunc erat XII. Kal. Junii, anno ætatis suæ XV. Regni autem XIII. indictione VIII. ab eodem unctionem percepit imperialem & Advocatus Ecclesiæ Sancti Petri efficitur: Et post hæc Imperium illud majorum suorum more gubernavit, ætatem suam moribus, industriaque vincens; habitoque cum Romanis placito, quemdam Crescentium, quia priorem Papam injuriis sæpe laceraverat, exilio statuit deportari; sed ad preces novi Apostolici omnia illi remisit. Sed non multo post Imperatore urbe excedente idem Crescentius Dominum Apostolicum nudum omnium rerum suarum urbe expulit. Imperator Italico regno disposito, in Francia hiemavit. Postquam signifer Christi Præsul Adelbertus retibus fidei cepit Pannoniam, simul & Poloniam, ad ultimum, dum in Pruciam seminat Verbum DEI, cuspide perfossus VIIII. Kal. Maji capitis abscisione optatum semper martyrium solus ex suis percepit, absque omni gemitu, ut in somnis in ipsa nocte vidit, suisque fratribus prædixit: Putabam, inquiens, me Missam celebrare, solumque communicare; sed nefandi sceleris auctores eum jam exspirasse credentes, ad augmentum sui sceleris, divinæque ultionis corpus beatum Pelago merserunt, caput sude conviciando figentes ac exultando redeuntes. Quod Bolizlaus Dux Poloniæ comperiens, data pecunia mercatur incliti Martyris cum capite membra. Imperator autem Romæ certus de hac re effectus dignas DEO supplex retulit laudes, quod suis temporibus talem sibi per martyrii palmam assumpsit famulum. Bernwardus Wirceburgensis Ecclesiæ Antistes ab Imperatore in Græciam missus, in Achaja cum maxima sociorum suorum caterva, moritur, per quem, quia plurima DEus faciat mirabilia, plurimi testantur.

AnnoDominicæ Incarnationis IXC XCVII. Gregorius Papa apud Ticinum adunato compluriun Episcoporum concilio, præfatum Crescentium anathemate perculit. Interea Johannes Placentinus Episcopus a Constantinopoli remeans Romam intromissus, Apostolicam sedem factione Crescentii invaserat; Unde ab universis Episcopis Italiæ, Germaniæ & Galliæ excommunicatur. Qui Johannes genere Calabritanus Teophanu Imperatricis Comes quondam dilectus fuerat. Hac præsumptione Crescentius Imperium usurpavit, memor nullatenus juramenti, quod Ottoni Imperatori juraverat, etiam magnæ pietatis ab ipso sibi collatæ; ab eodem etiam Invasore nuntii Imperatoris capti, custodiæ traduntur. Imperator natale Domini Coloniæ celebravit. Slavi innata sibi perfidia, Provinciæ fregerunt pactum, terminosque Saxonicos latrociniis corroserunt furtivis; contra quos commotus Imperator Stoderaniam, quæ vulgo Heveldun dicitur, egregiam inter Slavonicas terram cum magno invasit exercitu, vicit, prædavit; Victorque Magadaburh præcipuam Saxoniæ urbem gloriose intravit. Interim autem, dum Imperator Helvedun vastando decucurrit, prælium bis in Bardongo contra Slavos una die commissum est. Nam congregati Vulotabi Bardangao Provinciam improvisi rapinis aggressi sunt & incendiis. Quod videntes Westfali, quos Imperator in expeditionem pergens ad custodiendam provinciam reliquerat, celeriter Liuticos fortiterque excipiunt, ipsique, cum pauci essent, paganos maxima cæde prosternunt. In hoc certamine Ramwardus Episcopus Mindensis fuit, qui socios arrepta in manibus cruce sua sequentibus signiferis præcessit, & ad hæc facienda potenter consolidavit. In illo die Gardulfus Comes cum paucis occubuit, ex hostibus autem maxima multitudo, ceteri relicta præda fugerunt. Renovatio majoris Ecclesiæ in Quidelingeburch jussu Domnæ Machtildis Abbatissæ eodem omni studio perfecta est. Quam cum ab Avo suo Aviaque Heinrico Rege & Machtilda Regina constructam, arctiorem quam tantæ celsitudinis jus exigebat propter confluentis populi frequentiam cerneret, innata sibi benivolentia ad augmentum ejusdem in honorem Sancti Servatii latioris & altioris structuræ ædificium apponere curavit, quod consensu Cleri & totius Populi ab Arnulfo Halberstadensi Episcopo & aliis Episcopis VII. Idus Martii, dedicari fecit. Præterea Walbicensis Ecclesia in ipso Patris sui Ottonis Augusti die anniversario eodem anno ab eodem Arnulfo Episcopo cum maximo Cleri plebisque tripudio nonas Mai, honorifice dedicari fecit. Sæpe memoratus Dux Boëmiæ Bolizlaus, videns Pragensem Ecclesiam Pastore desolatam, misit ad Imperatorem Legatos, rogans, ut Boëmiensi Ecclesiæ Episcopum meritis dignum daret; ne grex noviter Christo mancipatus redeat ad pristinos vanitatis ritus & iniquos actus. Quippe profitetur non haberi in tota Boëmia tunc temporis Clericum Episcopatu dignum. Forte tum aderat in Regali Curia Capellanus nomine Thietdagus magnæ virtutis & scientiæ, genere Saxo, perfecte sciens linguam Slavonicam. Hunc omnes Palatini & ipse Cæsar valde lætificatus in Pontificem Pragensis Ecclesiæ elegit, & mittens ad Mogontinum Archiepiscopum, quod eum in Episcopum consecraret, mandavit. Bernwardo Wirceburgensi Episcopo Heinricus clarissimi Cancellarii Heriberti frater clarus & ipse substituitur Episcopus. Meminisse etiam libet Franconis Wormatiensis Episcopi brevem vitam. Qui juvenis omni probi-

probitate morum cluens Cæsari Augusto multum placuit; cumque eum familiaritati suæ convinctum, in divinis pollere sedulo vidisset, mortuo civitatis prædictæ Episcopo Hildibaldo, eumdem succedere fecit. Qui unum duntaxat sedens annum in Italia obiit, ibique sepultus est. Voluit quoque Imperator Erponem de Halberstat & Razonem de Bremin Episcopali gradu sublimare, quibus oppressis gravi infirmitate, Pastoralem baculum in lecto jacentibus dedit, sed uterque sine unctione sacerdotali decessit. Hi quamvis justi & pii, tamen inter Episcopos debent nullatenus asscribi, quia in benedictione sacra his consortes fieri non valuerunt. Razo ille est, qui Papæ Benedicti ossa de Hammaburh Romam revexit. Fuit quoque in Magadeburch quidam Canonicus nomine Conradus; Hic Archiepiscopi Geronis Avunculus fuit & ad peragendum divinum servitium assidue, quantum in homine esse potest voluntas bona & constans efficatia in eo pariter convenerunt. Audivi namque ab eodem sæpissime, quod postquam aliquid cantando vel legendo officii complesset, iterum se id facturum studiosus optavit. Nunquam præpositis suis inobediens factus est; sed eis caritate continua præ ceteris fratribus subdi studebat. Sed tam venerabilis personaImperatori ubi primum fit nota, mox ab illo efficitur amata & propinquitati vel familiaritati illius sociata: Sed ne dignitatem ab eo sibi propositam perciperet, mors immatura impedivit, eumque ex hac vita V. Kal. Septemb. abstulit. Hic genitus in Saxonia, pausat in Italia, quem filium spiritualem agnoscit Partenopolis inclita. Igitur Crescentius per Johannem Apostaticum Imperium sibi usurpavit immemor juramenti & pietatis ab Imperatore sibi collatæ. Insuper nuntii Apostolici Gregorii ab eodem Invasore capti custodiæ diligenti traduntur. Hic Johannes natione Græcus, conditione servus, astu callidissimus, ad Imperatorem secundum Ottonem sub paupere adiens habitu, interventu Teophanu Imperatricis regia primum alitus est stipe; deinde satis clementi ab eo gratia habitus pene inter primos clarus habebatur: Post hujus mortem regnante tertio Ottone præfatus Johannes ingenita sibi eo liberius callebat astucia, quo Regis Infantia & primatum illius permittebatur incuria: Defunctoque Placentinæ Ecclesiæ Episcopo, & illius successore ejecto, iste non pastor, sed lupus vastandam suscepit Ecclesiam; quam cum aliquot annis teneret, in tantum se elevavit super se, ut ipsam Beati Petri sedem Anti-Christi membrum effectus, fornicando magis fædaret, quam venerando insederet.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCIIX. Imperator tantis præsumptionibus per Internuntios compertis, secundam profectionem parabat in Italiam, summa rerum Amitæ suæ Machtildi Quidelingeburgensi Abbatissæ delegata, in qua ultra sexum mira virtute enituit. Cui venerabilis Papa Gregorius Papiæ obviam veniens, cum ei pessima Johannis & Crescentii gesta narrasset, Augustus divino zelo commotus, quantocius cum Apostolico properat Romam. Johannes autem supplantator his appropinquantibus fugit. Tunc quidam non tantum Imperatoris, quantum Christi amici, insequentes eum comprehenderunt, & timentes, ne si eum ad Augustum destinarent, impunitus abiret, linguam ei & nares absciderunt, & oculos penitus eruerunt. Hoc ita mutilato Domnus Apostolicus Gregorius sedem suam honorifice recepit, & usque ad obitum suum libere obtinuit. Crescentius autem præsidio, quod veterem Romam & Leonianum Castellum conjungit, se cum suis inclusit, & Imperatori resistere frustra tentavit. Igitur Imperator Augustus Romam veniens Dominicam Resurrectionem illic celebravit, statimque post Albas scalis & machinis domum Theoderici, ubi ille perversus sedebat, hactenus omnibus inexpugnabilem, Ekkihardum Marchionem impugnare jussit; qui eamdem perdius & pernox lacessere non desistens, tandem per machinamenta alte constructa ascendit, & eumdem decollatum voce Imperatoria per pedes laqueo suspendit cum aliis duodecim, & timorem cunctis præsentibus ineffabilem intulit: Et Imperator deinceps sine ulla læsione dominabatur. Iste Ekkihardus ex nobilissimis Thuringiæ Australis ortus, cum gradatim ad virilem ætatem pertingeret, parentelam suam omni morum & actuum gravitate decorabat; Et post multas bellorum asperitates, quas cum Patre suo Guntherio ab honore suo diu suspenso perpessus est, ad gratiam Imperatoris secundi Ottonis, & ad Patriam honorifice cum rediret, Thietmari Marchionis Comitis viduam, Bernhardi Ducis sororem, nomine Suanehildam, in matrimonium sibi copulavit, & ex ea Liutgardam primogenitam filiam suscepit. Lutharius autem ex clara Thuringiæ Septentrionalis prosapia editus, cum vir factus esset, ætatem virtutibus superavit; Cumque Ottoni secundo valde carus esset, ejus auxilio quamdam matronam nomine Godilam ex Occidentali regione nobiliter natam, in conjugem sumpsit: Hæc peperit ei decimo tertio ætatis suæ anno filium primogenitum, vocans eum sui patris nomine Werinharium. Cumque duæ propagines iste puer & puella ex tam nobili radice emersissent, jam paulatim ad maturitatem virtutum pertingere inditis earum sibi gradibus nitebantur. Sed Lutharius Comes, ut puellæ illius formam & conversationem bonam primo persensit, qualiter eam sociaret filio suo mentis secreto semper voluit; Et ad ultimum erumpens per fideles nuntios Ekkihardo jam tunc Marchioni desiderium diu latens aperuit & celeriter impetravit. Convenientibus itaque in unum familiaribus eorumdem, promisit legitime Ekkihardus Luthario eam se filio ejus daturum in uxorem, more suo & jure præsentibus cunctis Optimatibus affirmans; Cumque ab Imperatore diligeretur Ekkihardus, & apud eum inter Primores plurimum valeret, nescio qua de causa immutatus, pactum firmissime stabilitum interrumpere conabatur. Quod mox Lutharium non latuit, & ut

ut hoc non fieret, anxia mente volvebat. Iste est Lutharius, qui Theoderico Duci & Marchioni successit, qui eamdem dignitatem perdidit, postquam Slavi Ecclesias in Brandeburh & Havelbergen perdiderunt, destruxerunt & relapsi sunt denuo ad paganismum. Eodem anno Gisilero Archiepiscopo incuria sui miserabile damnum accidit. Imperator enim ob defensionem patriæ Hornaburh Civitatem opere muniens necessario, eam huic quatuor hebdomadas ad tuendum commisit. Qui fraude ignota ad placitum a Slavis vocatus, cum parvo comitatu exiit; alii namque præcesserunt, aliquos in urbe reliquit: Ecce autem unus ex sociis ejusdem a silva hostes erumpere prodidit: Congredientibus vero ex utraque parte militibus, Archiepiscopus qui curru advenerat, equo fugit allato, ex suis mortem paucis evadentibus. Slavi victores VI. Nonas Julii præda interfectorum sine periculo potiuntur, & Archiepiscopum sic elapsum esse conqueruntur. Custodivit tamen licet lugubriter urbem ad condictum diem, tristisque reversus obvium habuit Marchionem Lutharium, cujus curam Civitas prædicta tunc respiciebat, firmiterque illi eam committens abiit. Accessit autem Lutarius, & ut urbem vidit incendio fumigantem Archiepiscopum per internuntium remeare frustra petivit. Ipse autem ignem jam in duobus locis ascendentem extinguere tentans, cum nihil omnino proficeret, portam hostibus patentem derelinquens domum mœstus rediit & accusatus postea apud Imperatorem, imputatam culpam sacramento purgavit. Thietdagus Episcopus consecratus Nonas Julii a Clero & Populo Pragensis Ecclesiæ honeste recipitur, atque cum magno gaudio ad cornu altaris S. Viti intronizatur. Gaudet Dux Bolizlaus, quia Pastor bonus gregi suo arridet, & grex lætus novo Pastori alludit. Cunigund Comitissa uxor Sigefridi de Waldbike, obiit in Civitate Germersleve III. Idus Julii. Hæc erat soror Heinrici, Sigefridi, etiam Vdonis, qui contra Piratas pugnantes victi erant. Hæc genuit viro suo V. filios, Thietmarum, Sigefridum, Brunonem, Heinricum, Fridericum, quorum tres Episcopi facti sunt. Heinricus Comitatum Patris obtinuit; Fridericus præfecturam in Magdaburh administravit. Mense Julio terræ motus horribilis est factus per Saxoniam, duoque lapides igniti ex tonitruo ceciderunt, unus in ipsa Civitate Magadaburgensi, alter ultra Abiam fluvium. Eodem anno quædam mulier in Bawaria in uno partu quinque filios enixa est. His temporibus Heribertus post Evergerum Coloniæ ordinatus Episcopus, multa sanctitate clarebat.

Anno Dominicæ Incarnationis IXC XCIX. Gregorius Papa bene dispositis Romæ omnibus pridie Non. Februarii obiit; cui successit Gerbertus. Fuit hic natus de occiduis regionibus, a puero liberali arte nutritus, & postremo ad regendam Remensem Ecclesiam injuste promotus; optime callebat astrorum cursus discernere & contemporales suos variæ artis notitia superare. Tandem a finibus suis expulsus, Ottonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conversatus, in Magadaburh orologium fecit, recte illud constituens, considerata per fistulam quadam stella Nautarum Duce. Post hæc Gregorio Papa defuncto is gratia Imperatoris eidem successit Silvester vocatus. Sedit annos quatuor Mens. I. dies X. Quidam transito Silvestro Agapitum hoc in loco ponunt, quod non ociose factum creditur: Quia enim Silvester non per ostium intrasse dicitur, quippe, qui a quibusdam etiam Nicromantiæ arguitur; de morte quoque non recte tractatur; a Diabolo enim percussus dicitur obisse; quam rem nos in medio relinquimus, a numero Paparum merito exclusus judicatur. Vnde te, Lector, quæso ut hic & alibi, si qua dissonantia te offenderit de nominibus vel annis, vel temporibus Paparum, non nobis imputes, qui non visa, sed vel audita, vel lecta scribimus. Imperatore in Italia commorante & Machtilde Abbatissa rerum summam procurante, Prædicta puella Marchionis Ekkihardi filia Quidelingeburh apud eam educabatur, patre ipsius interim in Italia commorante. Factus est autem publicus Conventus in Darneburh Abbatissæ & totius Senatus. Interim Werenharius non consilio Patris, sed ob amorem Virginis, & metum manifesti dedecoris, cum patruelibus suis Heinrico & Friderico filiis Sigefridi, aliisque optimis militibus, urbem præfatam ascendit, sponsamque suam reluctantem & clamantem vi auferens cum suis ad Wallebike lætus & incolumis pervenit. Quod cum Abbatissa ab certo nuntio comperisset, graviter commota, cunctis hoc principibus obortis lacrimis queritur, rogans ac præcipiens, ut armati omnes publicos hostes insequerentur, & ut captis eis seu occisis Virginem reducere conarentur. Nec mora milites armati jussum accelerare contendunt, & priusquam urbem suam attingerent, eosdem per compendiosa itineris interruptos vi capere vel occidere seu effugare anhelabant. Compertum autem est a viatoribus, quod hi quos insequebantur clausis portis jam innotis præsidiis gauderent, nulli patere ingressum, aut velle mori, aut se ibi defendere, & nulli unquam sponsam reddere. Quo audito admodum tristis effectus revertitur. Lutarius autem cum Alfrico Seniore & milite Comitis Ekkihardi Thietmaro proficiscentes, voluntatem sponsæ perquirunt, seque tunc ibidem malle manere, quam reverti satis certi ab ea effecti, Dominæ Abbatissæ, cetérisque principibus hæc responsa intimabant. Consulenti de talibus Abbatissæ dictum est ab his, & decretum, in Magadaburh fieri conventum, huc sponsum cum sponsa venire, auxiliatores quoque omnes ante se reos ibi præsentari aut damnatos fugere, sicque factum est. Confluente etenim illuc ineffabili multitudine Werinharius cum suis cooperatoribus nudis pedibus pervolvitur; uxorem reddit, veniam de commissis sibi suisque auxilio principum promissa emendatione promeruit. Sed venerabilis in omnibus Machtildis finito colloquio

quio Liutgardam secum duxit non pro retentione, sed pro amoris magni confirmatione. Bonæ autem suæ voluntatis propositum præventu subitaneæ mortis est interruptum. Hæc insignis Abbatissa magni Ottonis Imperatoris filia, postquam virescentis rudimenta infantiæ, dehinc juventutis florida tempora sub nutricum cura transcendit, corpore sensibusque plus ceteris idætatis maturescens, nilque sibi commissi extra regiminis disciplinam errabundum relinquens, amabilis, affabilis, pia, cunctis largior quam sibi degebat. Vndecimo ortus sui anno licet impar oneri Imperatorum consultu parentum communi quidem electione & Antistitum benedictione Metropolitanæ Abbatiæ regimen suscepit. Cum vero ad Pitagoricæ perventum est bivium litteræ, sine mora, sine tædio spei, quam non confundit fiducia arrepta, se suaque ab non esse ad verum esse conata est tota animi diligentia transferre. Hæc fratruele suo Imperatore Romam proficiscente commissum sibi Regnum non levitate fœminea gubernans, Barbarorum Principum induratos vertices artificioso paterni avitique ritu ingenii ita subjugabiles, placabilesque reddiderat, ut hujusce pacis fundamenta, qua nunc sancta Dei Ecclesia pro parte fruitur, post effrenem Barbariæ motum, post tantam vastationem Provinciarum prima posuerit, nullis bellicorum apparatuum instrumentis, quamvis ad hæc præcipienda satis esset idonea. Sed continua vigiliarum, orationum, inediæque instantia Dei solius docente & confortante subsidio. Novissimis suis temporibus, colloquio, ut diximus, Partenopoli habito conventu Episcoporum cum Duce Bernhardo & Principum concursu Senatus & plebis, confluentibus etiam exterarum gentium Legatis, difficile relatu est, quam se irreprehensibilem exhibuerit, quam mira discretione cuique sua tribuerit, quanta veneratione præsulum personas præ ceteris cunctis tractaverit, quanta sollertia optimates & Judices pro consolidanda Republica, pro privatis etiam causis monuerit, quanto moderamine pios lenierit, reos terruerit, quantaque industria patriæ providerit. His ordinatis suas oviculas adventus sui expectatione sollicitas, materno amore revisit, & ab illis magnifice excepta paucis diebus superstes modica febre pulsata, inopinata cunctis, sed sibi longe ante provisa morte VII. Idus Februarii Deo animam reddidit, atque in medio Basilicæ S. Petri & S. Stephani juxta tumulos aviæ suæ, Heinrici Regis & Machtildis Reginæ cum hejulatu & planctu sepelitur. Res digna lacrimis cum orba SS. Dionisii & Servatii Præsulum catervula, & S. Dei genitricis Mariæ in monte occidentali & S. Andreæ ex Walbicensi Cœnobio vernulæ, quarum ipsa ab initio fundatrix extiterat, cum ceteris Sanctæ Pusinnæ in Winethusen, sanctoque Wigberto in plano juxta Curtem regiam famulantibus, quarum licet prima constructix non fuerit, pro memoria tamen aviæ suæ Machtildis materno more omni eos sollertia foverat, spiritualem matrem suam pridie viventem, valentem, ac populis imperantem noverant inopine subtractam, suisque obtutibus nunquam nisi in æterna visione redituram deflerent, seque cum ea mori quam superesse malle amenti vociferatione clamarent. Peractis omnibus Sanctæmoniales fœminæ cum Episcopis quos divina clementia exequiis ejus improvisos adesse disposuerat, Arnulfo & Bernwado & Duce Bernhardo convenientes fratruelem defunctæ Athelheidam, quam sibi adoptaverat, quam unice dilexerat, quam pro filia delicate nutrierat, ob doloris sui remedium in Domnam ac matrem unanimiter eligunt, Legatosque ad Imperatricem Adelheidam, deinde ad Imperatorem Romam hæc portaturos sub omni celeritate transmittunt; Qui Augustam venientes licet ante præsagientem animo Imperatricem viscerotenus sauciant, assumptisque secum ipsius Legatis Romam veniunt & Imperatorem recenti obitu nepotis sui Gregorii mœstum reperientes, ex mœsto mœstissimum reddunt: Nec solum Imperator sed omnes ejus Comites ubicumque mortis ejus fama sonuit unanimiter lugebant. Resumpto tandem Imperator animo pro obsequiis amitæ suæ exhibitis & pro electione sororis grates sanctæ Congregationi per Becelinum demandat innumeras, eamque succedere non ut potuit imperando, sed ut decuit rogando deliberavit. Quod & factum est. Nam in festo S. Michahelis electione iterata ab Arnulfo Episcopo astantibus Episcopis & sorore sua Domna Sophia & Nepte sua Hatwiga Gererodensi Abbatissa, cunctique Regni Primatibus coram altari S. Petri & S. Stephani benedicitur, atque in trono matris ac Domnæ suæ sub commissione regulæ insublimatur. Eodem anno Imperatrix Athelheidis obiit. Hæc uxor Ottonis magni fuit, & cum eodem statum imperii non minus meritis moribusque insignierat egregiis, quam ille viribus & triumphis. Post cujus obitum & ipsa per totum sæculo moriens quasi non sibi nata, sed inopum usibus tantum divinitus esset provisa regium censum & quicquid habere potuit manibus pauperum, in cœlestes tesauros deportandum commendare non destitit. Vidimus eam creberrime sed secretissime more rusticarum succinctam ambabus pro dextera utentem manibus tam diu huic pio institisse labori, quo usque vacillante incessu, non largitate sed corpore deficiens necessario se reclinaret, id tamen semper habens in voto ne vel sedens, vel stans, vel quibuslibet occupationibus detenta umquam a familiarissimo sibi misericordiarum opere cessaret. Interim urbem, quæ Celsa dicitur, ædificans, collectis ibi monachis, omnibusque perfectis emeritæ admodum ætatis ad eum quem semper sitiverat XVI Kal. Januarii remuneranda migravit, atque in Basilica Salisensi, quam ipsa in honore Apostolorum Principis construxerat, honorifice sepelitur; Cujus fideli servitio juxta recompensans præmia Deus plurima hodie miracula operatur. Habuit eadem Imperatrix ex priore marito suo Lothario Rege Italico filiam, ex qua Lotharius Rex Francorum genuit Lodowicum Regem, qui sine li-

beris mortuus regio more compendio dinoscitur fuisse sepultus. Temporibus ejusdem Imperatoris multi obiere piorum, de quorum numero erat quædam Matrona nomine Cristiana, quæ prædii sui, quod in Stuwi Civitate habuit, maximam partem S. Mauricio in Magdaburh dedit. Hæc bona sua conscientiæ secreto tegens matronabus, quæ apud Modernos sunt, longe dissimilis fuit. Qua obeunte Gisilero Archipræsuli Quidelingeburh commoranti sic manifestatum est: Apparuit ei quidam dicens ad eum; Scis ne quod omnis Militia cœlestis se præparat in adventum Christo fidelis animæ? Qui cum evigilasset Walthardo præposito primum innotuit; cumque ille venerabilem Matronam eadem nocte, qua hæc Præsul viderat, migrasse audiret, eidem retulit, & visionem completam esse dixit. Ipsius Imperatoris temporibus Conradus egregius Dux Suevorum & Heribertus Comes frater ejus & Odo inclitus Marchio, proh dolor momentanea morte depressi sunt. Sigefridus prædicti Marchionis filius in nova Corbeja, ubi Pater suus requiescit, inter monachos diu in eodem habitu conversatus cucullam projecit, laicalem recipiens vestem, qui ab eodem, Abbate suo & Gisilero Archipræsule vocatus ad Sinodum, Magdaburh venit, & quamvis invitus pristino habitu indutus judiciali sententia XII. ipse Sacramentis exsolvit, exemplo unius qui Romæ simili sententia se in conspectu Cæsaris ejusdem purgavit. In diebus illis nupsit Machtild Sanctimonialis filia Teoderici Marchionis cuidam Slavo nomine Brebizlavo; quæ post a Brandeburgensis Civitatis injusto provisore Boliutto capta, in tantum constricta est, ut neque Dominicam Nativitatem vel alias solemnitates, vel jejunio congruenti pervenire, vel festivis gaudiis potuisset celebrare: Vbi & quemdam puerum genuit, quem lugubriter educavit. Postea vero tantæ miseriæ absolutionem & Abbatiam in Magdaburh indigna percepit. Maritus vero ejus a geminis fratribus Vgione & Vfficone ante occisus erat. Cujus frater Liudolfus deposito clericatu, arma sumpsit ultricia & nostratibus graviter nocuit. Captus autem ab Imperatore iterum gradui pristino restitutus est. Iisdem temporibus Monasterium Sanctimonialium in Hidesleve ab Slavis est miserabiliter incensum & destructum, eductis inde Sanctimonialibus & eodem die ex Christianis plurimi proh dolor a paganis interempti sunt. Waic Rex Pannoniæ, gener Heinrici Ducis Bavvariæ, hortatu Imperatoris in regno suo Episcopales cathedras faciens, coronam & benedictionem accepit.

Anno Dominicæ Incarnationis M. Otto Imperator Gisilerum Archiepiscopum Magadaburgensem, eo quod duas teneret parrochias in Sinodo accusans Romana judiciali eum sententia ab officio suspendi & ab Apostolico Romam vocari per internuntios fecit. Qui tunc paralisi percussus, cum illuc venire nequiret, Rotmannum misit, qui juramento si aliter non crederetur, se excusaret. Datis tunc induciis differtur usque dum Imperator cum comprovincialibus Episcopis hoc discutere valuisset. Interim comperto Imperator matris suæ obitu, ultra quam credi potest mœrore afficitur, conspiciens lapsu trium columnarum, hoc est, Domni Apostolici Gregorii & Aviæ suæ atque Amitæ suæ discessibus Ecclesiæ statum vacillare, ac sibi soli jam inniti. Tunc his quæ in Ecclesiasticis & publicis causis agenda erant rite dispositis, patriam adire desiderat comitantibus secum Ziazone Patricio & Rodberto Oblationario cum Cardinalibus. Nullus Imperator majori gloria umquam a Roma egreditur nec revertitur. Transcensa vero Alpium difficultate ex Gallia, Francia, Suevia, agmina turmatim occurrunt, & germanæ suæ Sophia & Athelheida cum Saxoniæ & Thuringiæ Principibus unanimi gratulatione suscipiunt, & quamdiu incœpti itineris acceleratio patiebatur, debita caritate cum eo morantur. Huic Gisilerus obviam pergens gratiam ejus quamvis non firmam promeruit, & eum comitatur. Imperator itaque auditis mirabilibus, quæ per dilectum sibi Martyrem Deus fecit Adalbertum orationis causa eo pergere festinavit, cumque ad Cicensem venisset urbem ab Hugone ejusdem urbis Episcopo, decenter suscipitur. Deinde recto itinere ad Misnensem tendens civitatem a venerabili Eido ejusdem civitatis Episcopo & a Marchione Ekkihardo, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter excipitur. Decursis tunc Milcini terminis Bolizlaus Dux Poloniæ ad Diedesi pagum venienti Imperatori parato in loco, qui Ilva dicitur, suo hospitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem ab eo honoraretur & per sua usque ad Gnesin deduceretur, dictu incredibile est. Videns autem a longe civitatem desideratam nudis pedibus suppliciter advenit, & ab Episcopo civitatis Vngero venerabiliter susceptus, Ecclesiam introducitur & ad Christi gratiam sibi impetrandam Martyris Christi intercessionem profusis lacrimis invitat; Nec mora, fecit ibi Archiepiscopatum, ut spero legitime, sine consensu tum præfati Præsulis & sui Metropolitani, cujus Diocesi omnis hæc regio subjecta est, committens eumdem prædicti Martyris fratri, qui & Gaudentius, subjiciens ei Reinbernum Salsæ Colniensis Ecclesiæ Episcopum,Ypponem Cracuensem, Johannem Wrotizlaensem, Vngero Poznaniensi excepto, factoque ibi altari sanctas in eo honorifice condidit reliquias. Perfectis omnibus Imperator a præfato Duce magnis muneribus decoratur, &, quod maxime placuit, trecentis Militibus. Dispositis igitur in Slavia VII. Episcopiis a Bolizlao usque Magdaburh comitatu deducitur egregio, ubi Palmarum solemnia celebriter peracta sunt. Secunda feria Archiepiscopus Gisilerus Episcopatum priorem Imperatoris edicto recipere rogatus, data internuntiis magna pecunia, inducias usque Quidelingeburh vix impetravit. Nam illic Pascha celebraturus erat, & in ipso monte, ubi sanctimoniales fœminæ ritu canoni-

co

co DEO deserviunt, propter amorem dilectæ suæ sororis Cœnam Domini, parasceven quoque & Sabbathum sanctum, ac Dominicæ Resurrectionis noctem festive peregit. Unde in ipsis horis matutinalibus ad Curtem suam rediit. Fit ibi magnus Senatorum concursus & habita ibi Sinodo, iterum Gisilerus vocatur, qui infirmitate valida oppressus, cum a prædicto excusaretur & in multis a Walthardo præposito defenderetur, indicitur ei Concilium Aquisgrani. Imperator autem illam septimanam regalibus impendens officiis regendo, indulgendo, largiendo, remunerando transegit, ac in Octava Paschæ inde profectus, remunerato Bolizlao, sorore sua Adelheida comitante, celebritatem Pentecostes Aquisgrani feriavit: ubi etiam aliquantum temporis parando, quæ cæpto itineri congrua videbantur, quievit. Quo Gisilerus Archiepiscopus cum suis veniens iterum ab Archidiacono Romanæ sedis impetitur, qui sapienti consilio usus, generale sibi postulat dari Concilium, sicque indiscussa dilata sunt hæc omnia. Imperator Pentecostem Aquisgrani celebrans, admirationis causa Karoli magni Imperatoris ossa contra Ecclesiasticam disciplinam scire volens ubi requiescerent, rupto clam pavimento, ubi ea esse putavit, usque dum hæc inventa sunt in regio solio, fodere jussit, qui tunc in abdito sepulturæ mirificas rerum varietates invenit; Crucem auream, quæ in collo ejus pependit, cum parte vestimentorum adhuc imputribilium sumens, cetera cum veneratione reposuit. Sed ut postea claruit, ultionem æterni Judicis incurrit. Nam prædictus Imperator ei apparuit, & ei prædixit, quod sine herede esset moriturus. Nec silendum est miraculum sub eodem Imperatore Romæ cœlitus actum. Nam cum Ducis Herimanni milites Monachorum Sancti Pauli prata vi sua comprehenderent ab his sæpe suppliciter rogati discedere noluerunt, & continuo nubes variæ ascenderunt, fulmina micuerunt terrorem dominicum monstrantes, & tonitruis terribilibus aër mugire cœpit, & ex eorum numero quatuor occidens, ceterosque fugans pauperes Christi in hoc mundo non esse contemnendos ostendit. Fuit iisdem temporibus in urbe Parthenopoli quidam Decanus nomine Eppo hilaris homo, valde utilis in Monasterio & maxime in Choro, qui cum jam Senex & in cunctis actibus suis maturus esset paralisi subito percussus obmutuit, sed postmodum auxilio summi Medici psalmos optime potuit cum fratribus canere, ad cetera vero parum valuit aspirare, & in hoc laudanda virtus Christi est, quæ sibi servienti fideliter vires suggerere probabatur. Cumque hic venerabilis Pater in relicto habitu monachico se nimis peccasse facta confessione ingemuisset, idque hortatu fratrum in receptione ejusdem emendare voluisset, non longe post obiit, sepultus ad Sanctum Johannem cum ceteris fratribus, cum quibus vivere debuerat, si sic humana fragilitas fieri sineret. Prædictæ Ecclesiæ Custos Ekkihardus, cognomine Rufus, arte grammaticus & tunc Magister Scolæ, cum in una dierum altare majus auro, gemmis, & optimo electro incomparabiliter adornatum considerare voluisset, si aliquid in eo deesset, ex improviso ab eodem deprimitur, & ex hac collisione tardatus pecuniam a se diu congregatam larga manu distribuendam Walthardo præposito commisit & post paucos dies spem fidelem exalavit. Quem non in aliqua re accuso, sed hoc veraciter scio, quod si quis Sanctum Mauricium offendit, subsequens periculum imminere sibi non ignoret. Hujus thesaurum quidam Juvenis instinctu diabolico cum nocte tenebrosa furari voluisset, atque in primo aditu trepidare incipiens, jam desistere cœpisset, ut ipse post retulit, quamdam vocem ad hæc peragenda audenter exhortantem se audivit. Tunc miser ille sumpta ibidem corona celeriter in ipsa captus est Ecclesia, fractisque cruribus rotæ superpositus. Meminisse etiam volo cujusdam fratris nostri Huswardi constantiam, ad quem juxta me tunc dormientem cum Diabolus Insidiator callidus in nocte crebro accederet, ac prope eum jacendi locum frustra peteret, ad ultimum, ut sibi pro accipienda mercede servire voluisset, suppliciter rogavit. At ille, ut sibi promissum prœmium inprimis ostenderet, postque suum responsum perciperet, postulavit. Tum ille dixit: Consimili bravio, quo meum nuper in Occidente ministrum ditavi, te mihi consentientem remunerabo. Talibus auditis Presbyter alloquiis, ut semper solebat signo Sanctæ Crucis & increpationibus asperis hunc effugavit. Cumque in occiduis partibus quemdam Clericum ob criminis sui magnitudinem, laqueo suspensum esse comperisset, fratribus suis, & antecedens & consequens intimavit. Et mirum, cum omni Dominica die ni vera crux Domini Jeshu portaretur, quomodo ille malignus talia facere ausus fuerit. Qui in eodem anno victor, ut spero, effectus, de commissis suis pœnitentia facta sæculi pericula evasit. Nec tacebo Marquardi Confratris nostri visionem. Hic, ut ipse gemens retulit, ductus est in Cimiterium commune, ubi sepulchrum nimis incensum vidit, quem Ductor suus sic alloquitur: In hanc ardentem foveam tu cito debes proici & Rothulfus te deberet sequi, nisi meo in limine Liudegeri conversus staret. Ambo enim hi fuerant Monachi in Monasterio Confessoris prædicti, qui locum Helmanstide vocatum de sua proprietate construxerat tempore Karoli Regis, eratque frater Hildegrimi Catalaunensis Episcopi primi Halberstadensis Ecclesiæ Rectoris, quique primus Mimigardensis Episcopus a Karolo effectus, locum quoque, qui Wirdina dicitur, ex propriis impensis construxit. Prædictus autem Presbiter eodem anno, quo hoc vidit, habitum pristinum resumere & obedientiam vovit, & non longe post obiit. Hæc de Confratribus meis non arguendo, sed ut cauti simus, & bonos imitemur obsecrando locutus sum. Nunc ad cronica redeamus. Imperator antiquam Romanorum consuetudinem jam ex parte magna deletam suis cupiens renovare temporibus, multa faciebat, quæ diversi diverse sentiebant. Solus ad mensam quasi

semicirculus factam loco ceteris eminentiori sedebat. Cœnobium quod Helmwardeshusen & sibi vicinum Hildwardeshusen in superiori parte fluminis ab Ekkihardo Comite fundantur. Magnus terræ motus hoc anno factus est. Imperator cum nec cursum desideratum longius protrahere, nec Athelheidam sororem suam, quam maxime diligebat, dimittere posset, promisso tandem Romam post se veniendi firmiter pacto, paululum lenito mœrore, ille, ut decreverat, in Italiam ultima proh dolor profectione acceleraturus, illa Monasterium cui præerat revisura, utrique cassa spe ulterius se in hac luce videndi discedunt. At Imperator emensis iterato Alpibus, peragrata Italia, Papiæ aliquandiu moratus est. Hac tempestate obiit Bolizlaus Dux Boëmiæ secundus hujus nominis, qui post obitum patris XXXII. annis ducatum rexit, fuitque Justiciæ & Catholicæ fidei & Christianæ Religionis ardentissimus exsecutor; adpropinquante autem termino ipsius filium suum & æquivocum, astante Hemma Conjuge sua, & proceribus, alloquens inter cetera intulit hæc: Ecclesiæ, inquit, limina frequenter visita; DEum adora; Sacerdotes ejus honora, formam denarii parce dilige: Res enim publica nunc satis adaucta, per formam numismatis falsam ad nihilum erit redacta. Est aliquid, fili mi, quod Karolus Rex sapientissimus, cum filium suum Pippinum post se regnaturum disponeret, terribili eum sacramento constrinxit, ne in regno suo prava & subdola taxatio ponderis aut monetæ fieret; Non clades, non pestilentia, non si hostes terram vastarent, magis populo DEI nocerent, quam frequens mutatio & fraudulenta pejoratio nummi. Atqui post hæc senescente justicia surgent non Duces populi DEI, sed fures sine misericordia, homines DEum non timentes, ter vel quater in anno mutantes monetam, & per legum insolentiam coangustabunt hujus regni terminos, quos ego dilatavi usque ad montes, qui sunt ultra Crakou. Plura locuturus erat, sed os ejus in morte diriguit, & planctus super eum factus est magnus. Mortuus est autem VII. Idus Februarii, qui Ducatus terminos quantum ampliavit, docent Litteræ Apostolicæ in Privilegio Pragensis Ecclesiæ. Cui filius ejus tertius Bolizlaus successit, sed non eisdem rerum successibus terminos adquisitos obtinuit. Nam Dux Poloniæ mox urbem Krakou abstulit, omnibus Boëmiis, quos ibi repererit, gladio extinctis. Fuerunt autem Juniori Bolizlao duo filii Jaromir & Odelricus: Jaromir quidem in domo patris, Odelricus autem in aula Imperatoris manebat. Post hæc Bolizlaus a Duce Polonico data fide & juramentis firmata pace ad colloquium invitatur; qui vocans nobiliores ex suis, dixit: si quid mihi præter spem in Polonia evenerit, hunc meum filium Jaromir vestræ fidei committo, etiam meo loco Ducem vobis relinquo. Profectus igitur inter prandium capitur & oculis privatur, suorum aliis trucidatis, aliis carceri traditis. Erat in Boëmia quædam generatio, quæ appellabatur familia Wrissovici, quorum primus erat vir sceleratissimus, nomine Kocan. Hunc Beatus Adalbertus excommunicaverat publice in Ecclesia: Hi cum Jaromir in venationem egressi, ut audierunt, quæ de Duce gesta sunt, aspernati Dominium, Jaromir nudum & resupinum per pedes & brachia ligneis clavis affigunt humi ludentes & trans corpus Heri in equis saltantes; Interim prodente quodam servo ab amicis de Praga venientibus vivus eripitur. Interea Dux Poloniæ veniens urbem Pragam invasit, eamque per biennium fere obtinuit.

Anno Dominicæ Incarnationis M I. Imperator Natale Domini Romæ celebravit, & illo Bernwardus Hildinsheimensis Episcopus in Epiphaniis super multis infestationibus Archiepiscopi Willigisi & maxime de Sinodo, quam in sua Gandersheimensi Ecclesia cum extraneis Episcopis habuit, conquestum advenit, totamque ejusdem Metropolitani illicitam usurpationem in præsentia Silvestri Papæ & Imperatoris tertii Ottonis Sinodali auctoritate prorsus adnullavit. Interim hostis antiquus omnis doli repertor inter Romanorum præcordia serpens, ut manus improbas sine causa inferre illi moliantur, persuadet. Nam Gregorius, qui Cæsari valde carus erat, dolo eum capere nisus, occultas tendebat insidias, cumque ex improviso super eum cum suis insurgeret Imperator, de porta cum paucis evasit, mœstus, ut ferunt, maxima caterva sociorum suorum inclusa, & vulgus numquam suis contentum Dominis, malum ei pro ineffabili pietate restituit. Igitur Imperator per Internuntios omnes sibi familiares convenire rogat, demandans singulis, si umquam de honore vel incolomitate sua curarent, ad ulciscendum eum armato milite properarent. Romani autem manifesti sceleris culpam erubescentes, seque invicem supra modum redarguentes, omnes inclusos emiserunt, gratiam Imperatoris & pacem omnibus modis suppliciter expetentes. Quos ubicumque, vel in ipsis, vel in rebus suis Imperator lædere potuit, nocere non tardavit, quia verbis eorum mendacibus non credebat, & pro ulciscenda injuria assiduo tractatu instantem penitus consummavit annum. Omnes tamen regiones, quæ Romanos & Langobardos respiciebant, subditas habebat, sola Roma excepta, quam præ ceteris dilexerat & coluerat. Interea convenientibus cum Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, Leodicensi, Augustensi, Constantiensi Episcopis, & Ottone, Heinrico, Witmanno Comitibus cum plurima fidelium suorum turba, Imperator lætatur; Sed quamvis vultu exterius se semper hilarem simularet, tamen conscientiæ secreto plurima ingemiscens facinora noctis silentio, vigiliis atque intentis orationibus, lacrimarum quoque rivis abluere non desistebat. Sæpe omnem Ebdomadam excepta quinta feria jejunus perducens in elemosinis largus erat. Adpropinquantem ejus terminum multa prævenere importuna. Nam nostri Duces & Comites non sine conscientia Episcoporum multorum contra eum conspirare nituntur, Heinrici Ducis postea Regis ad hoc auxilium postulantes.

Hic

Hic ultima patris sui monita, qui in Gandesheim obiit ac requiescit, memori servans in pectore & sibi hactenus in cunctis fidelis, nullum his præbuit assensum. Gerberga Gandersheimensis Abbatissa Idus Novemb. obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis M II. Imperator Natalem Domini Tudertinæ cum Domino Apostolico celebravit. Inde Romam adiens, Salernum oppidum adiit. Interea machinationes principum adversum se comperiens patienti animo ferebat, & Paternæ, quod est Castellum Romaniæ, pustellis interiora prementibus & interdum erumpentibus infirmatur, qui facie clarus, ac fide præcipuus VIIII. Kal. Februarii exivit ab hoc sæculo, suis insuperabilem relinquens mœrorem, quia eo tempore non fuit ullus largior, ac per omnia clementior illo. Quod ne procacitati hostium citius intimaretur, hi qui aderant occultando tegebant, quousque convocatis, qui per castella dispersi vagabantur sociis, facto agmine, funebri profectione Domini sui corpus efferentes improvisi prorumpunt, pluribus tamen ibi pro penuria equorum heu sine spe evadendi relictis. Cum vero diutius res latere nequiret, Romani hostes execranda commovent bella, & qui eos privilegio amoris cunctis prætulerat populis, mortuum distrahere & injuriæ subicere tribus præliis pertentant, sed tociens repulsi, & cædibus mulctati fugerunt. Igitur tristis turba dilecti Senioris corpus comitata VII. dies continuos bellorum asperitates passa, nullam securitatis certitudinem habuit, donec ad Bernam perventum est civitatem. Exin cum ad Pollingun Curtem Sigefridi Præsulis Augustanæ venirent, ab Heinrico Duce suscepti, lacrimis ejus vehementer iterum commoti sunt, quos singullatim, ut se in Dominum & Regem eligere voluissent, multis promissionibus hortatur. Qui omnes, excepto Antistite Sigefrido, neque consentiebant, neque omnino denegabant. Sed quo melior & major populi pars se inclinaret libenter assensuros pronuntiabant. Alii tamen Codices de hisce rebus sic habent. Otto Imperator, quem uxor prædicti Crescentii spe regnandi ad amorem suum pellexerat, dum invitus ab invita suasu exercitus sui abstractus decedit ab Italia, veneno ab ea sibi transmisso consumptus inter remeandum in Italia moritur V. Kal. Februarii. Veneficio ejusdem mulieris etiam Papa Romanus gravatus asseritur, ita ut loquendi usum amiserit. Milites Transalpiani corpus Imperatoris Defuncti cum insignibus Imperii ad Galliam referentes crebris Italorum incursibus lacessiti armis sibi viam parant. Sed cum Res in tuto esse putaretur, Heinricus Bawariæ Dux, cum magna militum manu occurrit & injuriato Coloniensium Archiepiscopo, a cujus ore omnes pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit quasi jure hereditario sibi competentia. In hac diversitate penes Lectorem erit, cui magis credatur. Igitur Heinricus Dux corpus Imperatoris cum apparatu Imperiali, lancea dumtaxat excepta, quam Heribertus Præsul clam præmiserat, in suam sumpsit potestatem. Archipræsul autem custodia parumper detentus relicto ibi pro vadimonio fratre suo abiit, & sacram Lanceam mox remisit. Dux vero cum his omnibus Augustanam attingens urbem, dilecti Senioris intestina duabus lagunculis prius diligenter reposita in oratorium Sancti præsulis Othelrici, quod in honorem ejus Liudolfus ejusdem Ecclesiæ Episcopus construxit in australi parte Monasterii Sanctæ Martyris Affræ, sepulturæ honorabili tradidit, & ob animæ suæ remedium centum mansos propriæ hereditatis concessit. Deinde dimissa Populi multitudine cum pace ad civitatem suam, quæ Nova vocatur, corpus Cæsaris prosequitur. Postea vero ab æquivoco suo Heinrico, cujus sororem Cunegundam vivente adhuc Imperatore duxerat, rogatus, valedicentibus singulis corpus ad loca destinata dimisit. Quod cum usque Coloniam perductum esset, primo susceptum est ab Archiepiscopo Heriberto; Deinde secunda feria post Palmas defertur ad Monasterium Sancti Severini: III. feria ad Sanctum Pantaleonem IIII. die ad Sanctum Gereonem, in Cœna Domini ad Sanctum Petrum portatur, ubi pœnitentibus more ecclesiastico introductis & indulgentia resolutis animæ præsentis corporis ab Archipræsule remissio datur; a Consacerdotibus autem memoria exposcitur, lacrimabiliter autem a populo supplici impenditur. Sexta feria illucescente funus elevatum ad Aquasgrani sancto perducitur in Sabbatho die II. Dominica in Ecclesia Sanctæ Mariæ semper Virginis in medio sepelitur choro, impensa ab eo cunctis pietas obnixas orationes fletusque suasit producere concrepantes. Dominicæ Resurrectionis festa Angelorum & hominum gaudia communiter gratulanda propter fragilitatem convenientium non valuerunt digna veneratione compleri, quia peccatis suis promerentibus agnoverunt vindictam DEI. Maxima pars procerum, qui his exequiis intererant, Herimanno Duci auxilium promittunt ad appetendum regnum, Heinricum mentientes ad hoc non esse idoneum propter multas rerum qualitates. Hic erat Dux Alamanniæ, Alsatiæ, bene timoratus & humilis homo, sed seductus est ab his, quibus lenitas ejus placebat Langobardi autem audito Imperatoris obitu, de futuris nihil solliciti Hartwigum quemdam Episcopicidam, potius gnarum artis destruendæ Reipublicæ, quam regendæ, ut ex divino judicio ipsis hujus rei auctoribus postmodum claruit, in Regem sibi elegerunt. Eodem anno Odelricus filius Bolezlai Ducis Boëmiæ, qui in custodia ab Imperatore ob gratiam Bolizlai Polonici Ducis tenebatur, incertum utrum fuga an jussu Imperatoris absolutus patriam repetiit, & castrum munitissimum Drevic intravit. Inde præmisso in urbem Pragam quodam fideli sibi milite, qui noctu clangore bucinæ & clamore hostes perterreret, urbem eamdem fugientibus Poloniis, multis etiam in principio pontis, qui ad hostium perniciem clam destructus erat, pereuntibus, aliis in quadam prærupta via præ angustia exitus compres-

pressis, sagaciter recepit. Dux vero cum paucis vix evasit.

Principes Saxoniæ comperta Imperatoris morte ad Frasam Curtem regiam, quam tunc Guncelinus Comes ex Imperatoris dono in beneficium tenebat, tristes conveniunt, Gisilerus Archiepiscopus Magdaburgensis cum Episcopis: Bernhardus Dux, Lutharius, Ekkihardus & Gero Marchiones cum optimatibus terræ de statu Reipublicæ tractaturi. Lutharius autem Marchio, ut primo persensit Ekkihardum velle exaltari super regnum, Archiepiscopum Gisilerum & meliorem procerum partem in secretum colloquium foras evocavit, dans illis consilium, ut juramento firmarent, nullum sibi in dominum vel Regem communiter vel singulariter electuros, ante constitutum in Werlo colloquium. Quod ab omnibus excepto Ekkihardo, laudatum & constitutum est. Hic Ekkihardus Marchio paululum se a regni fastigio dilatum graviter ferens, in hanc vocem erupit: O Luthari, quid adversaris? Et ille inquit: Nam currui tuo quartam deesse rotam non sentis? Sic interrupta est electio, & vera fit antiquorum relatio, quod unius noctis intermissio fiat unius anni dilatio, & illa usque in finem hujus vitæ prolongatio. Interea Lutharius Marchio profectus occulte ad Bavenberh cum avunculo suo Ricperto, quem a Comitatu suo Imperator deposuit, & Liudigero Arnulfi Præsulis militi dedit, Ducis Heinrici gratiam ac spem retinendi & augendi beneficii, quamvis servato adhuc Sacramento manus eidem non applicuit, tamen cum sui Nepotis Heinrici Marchionis auxilio adeptus est. Hujus consilio Dux Heinricus, quemdam militem ad locum qui Werlo dicitur ad Consorores Neptes suas Sophiam & Adelheidam & ad omnes qui illuc convenerant regni Primates misit. Qui legationem suam omnibus in unum collectis aperuit, & ad regnum adquirendum Domino suo auxiliantibus bona plurima promisit. Cui mox a maxima multitudine una voce respondetur, Heinricum Christi adjutorio & jure hereditario regnaturum, se paratos ad omnia, quæ illi scirent esse placita; hocque dextris elevatis affirmant: Hereditarium dicimus, quia ut ab his, qui genealogias computare noverunt, didicimus a Karolo magno ex parte Patris decimam septimam, ex parte Matris decimam sextam lineam propagationis tenebat. Insuper tertius Otto, post cujus obitum in Regem eligebatur, & ipse tertium ad invicem Consanguinitatis gradum tenebant. Mater autem ejus Gisela erat filia Conradi Burgundionum Regis fratris Athelheidhæ Imperatricis. Ekkihardus autem cum suis, simulata tunc patientia hoc pertulit, quare quod a multis delinquitur, inultum est. Vespere autem facto cum præfatis sororibus Imperatoris, quarum una Gandersheimensem, altera Quidelingeburgensem regebat Abbatiam, in magna domo sedilia parata & mensa esset variis cibis referta, Ekkihardus eamdem præoccupans cum Arnulfo Episcopo & Bernhardo Duce ibi epulatur. Ante ruinam enim exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Quod mentem Domnarum prius tristem, aliosque complures, qui tunc interfuere, graviter commovit, renovaturque in eum odium diu celatum, sed cito proh dolor finiendum. Nam cum prædictus Marchio omnia aliter, quam sperabat, ibi provenire conspexisset, optimum ratu duxit occiduas regiones invisere, ut Herimannum Ducem cum ceteris Optimatibus de Reipublicæ & sui commoditate alloqueretur. Salutatis itaque postera die suis familiaribus & inimicis caute notatis cum Bernvvardo Antistite Hildinsheim venit, ubi, ut Rex suscipitur & honorifice tenetur. Deinde ad Patherbrunnam veniens, clausas invenit portas, & jussu venerabilis Retharii præsulis intromissus, primo Ecclesiam orationis causa intrat, dehinc ad domum, ubi Episcopus cœnabat, veniens caritative susceptus est: Ubi ei dictum est, quod colloquium in Duisburh constitutum, cujus gratia huc venerat, nullo modo fieri potuisset. Insuper animadvertit multum displicere Antistiti de inconvenienti ejus incœpto; Quapropter inde abiens cum ad Northeim Sigefridi Comitis Curtem venisset, diligenter susceptus est, atque, ut ibi pernoctare vellet, rogatur. Intimavit quoque ei occulte Comitissa, quod Sigefridus & Benno sui senioris filii, cum fratribus de Catelenburh Heinrico & Udone aliisque suis conspiratoribus de nece ejus positis insidiis tractarent, suppliciter efflagitans, ut aut ibi usque in crastinum maneret, seu alio diverteret. Talia Marchio benigne suscipiens respondit, propositum iter propter eos nec velle nec posse interrumpere. Inde igitur discedens, caute suos per totum diem illum circumspexit, & ut optimus Miles erat, ne terrerentur, admonuit. Quod eminus hostes ex latentibus insidiis considerantes, quia non utile erat, ut his videbatur, eum tunc aggredi in sequenti nocte, si possent cœpta perficere, dextris confirmabant. Pervenit ergo Marchio ad locum destinatum, qui Paliti dicitur, & facto Vespere comedit & in lignea caminata cum paucis dormitum ivit. Cæteri vero quamplurimi in proximo Solario quiescebant. Quos cum Sopor oppido lassatos gravaret, inimica manus incautos opprimens invasit, ipsumque immensis clamoribus excitavit: Qui celeriter a lecto surgens cum bracis suis & quibuscumque aliis rebus potuit igni vires suggerit, & fractis fenestris, quod tunc præmeditari non potuit, majorem nocendi aditum hostibus quam sibi defendendi opem patefecit. Nec mora pro foribus occiditur Miles Herimannus, & exterius ad auxilium Domino properans Adulfus, ambo viri fortes ac usque ad mortem fideles. Vulneratur insuper Erminoldus Imperatoris defuncti Camerarius. Solus igitur repugnabat Marchio Ekkihardus vir domi militiæque laudabilis cui Sigefridus hasta fortiter emissa nodum cervicis confregit, terramque oppetere compulit. Quo casu perspecto protinus alacriter omnes irruunt, caput amputant, &, quod miserum est, funus prædantur. Facta sunt autem hæc II. Kal. Maj. Peracto tandem

dem

dem immani scelere percussores læti & incolumes redeunt. Hi autem, qui in Solario erant ignavi, nec laborantem Domnum in aliquo adjuvabant, nec mortuum ulcisci conabantur. Abbas vero loci ejusdem Alskerus nomine vir bonæ compassionis, corpus visitavit & commendationem animæ summa devotione perfecit. Quæ vero sit causa, quæ eos ad tale facinus properandum traxerit, pro certo nescitur. Quidam dicunt Heinricum ab Imperatore flagellis cæsum, instinctu prædicti Marchionis, hæc sæpius in eum meditatum fuisse. Alii autumant, ob contumeliam sororibus illis in Werlo illatam, sicut jam dictum est, quia isti libenter illis serviebant & propter convicia minasque ab ipso illis manifestatas hæc eos incepisse. Hoc constat, quod decus regni, solatium patriæ, spes sibi commissis, terror inimicis, & per omnia perfectissimus fuit, & si in humilitate persistere voluisset, cursum hujus vitæ probabiliter egisset. Hic apud Domnum suum Imperatorem sui beneficii maximam partem in proprietatem adquisivit: Milzienos a libertate inolitæ servitutis jugo constrinxit. Boëmiorum Ducem Bolizlaum, qui cognominabatur Rufus, in militem sibi & alium in amicum familiarem blandiciis & minis adeptus fuit. Super omnem Thuringiam communi electione totius populi Ducatum meruerat, Comites vero orientales, paucis tantum exceptis, regnumque in spe habuit, quæ omnia ad hunc tam miserabilem finem devenere. Hujus rei fama longe propagata Domnam Suanehildam conjugem ejus venire fecit obviam, filiique ejus Herimanni turbavit lætitiam. Hic namque jussu patris Willehelmum Comitem senectute & omni bonitate conspicuum ob vindicandam Widikindi & Herimanni necem a filio suo eis illatam, cum in Wimmerem cum manu valida obsideret, emeritumque senem in præsentia prædicti Marchionis venire & quicquid ipse ab eo exposceret implere juramento constringeret, accepta morte patris improvisa cum matre occurrit, patrisque corpus ingenti luctu suscipiens in sua urbe nomine Gene in parrochia Mogontiensi, in loco ubi Sala & Vnstrod confluunt, sepeliri fecit. Sed post plures annos inde translatus est cum multis aliis de eadem progenie in Civitatem Nuenburh, non procul a priori loco in descensu fluminis Salæ. Quam urbem devotio succedentium heredum cum omni hereditate sua, ad servitium Dei ejusque Genitricis & S. Petri aliorumque Sanctorum tradiderunt, carnali posteritate deficiente. Ex quo tempore Episcopalis Sedes, quæ fuit in urbe Cicensi, translata est in eamdem urbem. Peracto autem tricesimo die Domnam Suanehildis cum filiis ad Misni proficiscitur. Hæc erat filia Herimanni Ducis de Liuniburh, soror Bennonis Ducis, qui & Bernhardus, & Liudigeri Comitis & Machtildis Comitissæ, quæ nupserat Baldwino Flandrensi Comiti, & post ejus mortem Godefrido Duci. Nupserat autem hæc Suanehildis primum Thetmaro Marchioni fratri Geronis Coloniensis Archiepiscopi, genuitque ex eo Geronem Marchionem. Postea ex Ekkihardo prædicto Marchione genuit Herimannum & Ekkihardum & Gunterum. Bolizlaus interim Miseconis filius Dux Poloniæ de morte lætatur Ekkihardi Marchionis, moxque collecto exercitu Geronis Marcham citra Albim jacentem, deindeque Budizin Civitatem cum omnibus adpertinentibus præmissis obsidibus comprehendens, Strelam urbem invasit. Misnenses quoque pecunia corrumpere clam tentavit. Qui novis semper gaudentes cum in una dierum præsidii magnam partem ob adquirendam equorum annonam abesse scirent, per portam orientalem irruunt & Beccionem, Herimanni Comitis Satellitem, occidunt & ad caminatam ejus omnes armati conveniunt, fenestram lapidibus grandibus impugnant, Domnum urbis Oserum nomine sibi ad occidendum reddi vociferantes. Sed Thietmarus Miles ex cubiculi municione perclamans ait: Quare sic agitis? cur in tantum scelus itis? cur obliti beneficiorum Ekkihardi Marchionis, spontaneæque invitationis sic in perniciem filii ejus assurgitis? Si causam tanti facinoris seu publice seu clam cuiquam nostrum vultis aperire commissi emendationem vobis complacitam, futurique timoris vestri securitatem ex Domni mei nostrorumque parte firmiter, qualitercumque vultis, vobis promitto: Hunc quem vobis in mortem dari inclementer exposcitis, quamdiu superſumus, non accipietis. Pauci quidem sumus, aut communiter hic moriemur, aut incolumes ex hac urbe egrediemur. Tum illi his auditis sermonibus colloquuntur, abeundique copiam illis concedunt; Itaque Ducem Bolizlaum per internuntios invitant & apertis Portis eum suscipiunt. Congregantibus se interea ad hæc prohibenda nostratibus dolosus ille & venenatus coluber Bolizlaus legatos obviam misit, qui se hæc omnia cum gratia & licentia Heinrici Ducis incœpisse protestaretur, in nullo se incolis nociturum, sed in omnibus benigne acturum, & si quando Dux in regnum elevaretur, voluntati ejus in cunctis assensurum, sin autem aliter vellent, quod eis tunc placeret, libenter facturum. Tunc illi verbis phaleratis inconsulte crediderunt & inhoneste ad eum quasi ad Domnum profecti, honorem libertatis ingenitæ supplicatione & injusta servitute Slavi mutabant. Ille autem omnes terminos regionis illius usque ad Elstram fluvium præoccupavit, suisque præsidiis munivit. Alter vero Bolizlaus Boëmiorum Dux cognominatus Rufus impietatis immensæ auctor, suo more paululum relaxato, Heinrico Duci aspiravit. Intrante igitur Junio mense Dux Heinricus Rex cito futurus de Bavvaria & Orientali Francia collecta multitudine non modica Wormaciam venit, causa Rhenum ibidem transeundi, atque in Mogontia benedictionem accipiendi. Interim Theodoricus Lothariorum Dux vir sapiens & militaris, quo se pars populi major & melior inclinaret, securus expectabat. Sed Dux Herimannus adunatis Alemannis & quibusdam Francis & Alsatientibus Wormatiam ad prohibendum

bendum transitum venit, & facile resistere poterat, qui Rhenum adjutorem habebat. Erant autem cum Duce Heinrico viri Illustres & sapientissimi Archiepiscopus Mogontinus, Archiepiscopus Salzburgensis, Episcopus Brixiensis, Episcopus Wirceburgensis, Episcopus Regeneburgensis, Episcopus Stratburgensis, Episcopus Bataviensis, Episcopus Frisiensis, Abbas Wldensis & Comites plurimi. Cum his Dux habito consilio, reditum in Bawariam simulavit, & quasi transitum desperans Lurisheim venit, inde Mogontiam festinans sine impedimento tamen. Igitur VII. Id. Junii in Regem eligitur, acclamatur, & a Willegiso præsule benedicitur & coronatur. Francorum & Musellensium Primatus manus tunc Regi applicans gratiam ejus promeruit. Erat hic Heinricus filius Heinrici Ducis, qui fuit natus de Heinrico Duce fratre primi Ottonis. Iste quondam orans in Ecclesia Ratispolitana, audivit vocem dicentem sibi: Lege scriptum in pariete; Scriptum autem erat: Post VI. Quo lecto, litteratus enim fuit, abiit secum admirans, metuensque die sexta se moriturum; Interim orationibus jejuniisque & elemosinis summopere insudabat. Quid plura? Sextam ebdomadam, sextum mensem, sextum annum sic observavit; sexto igitur anno mortuo Ottone tertio, ut præscriptum est, Rex levatur; De quo post mortem Imperatoris cuidam venerando Patri revelatione Dominica dictum est: Recordaris frater qualiter cecinit populus: DEO nolente voluit Dux Heinricus regnare; Nunc autem debet Heinricus divina providentia vel prædestinatione regni curam providere; Omnia quæ ad divina vel humana pertinebant, hunc præ ceteris suis contemporalibus ad regnum, vellent, nollent, promovebant. Hic Domnam Cunigundam felicis memoriæ virginem sororem Teoderici Metensis Episcopi & Heinrici postmodum Ducis Bawarici consortem regni factam quasi in matrimonium sibi copulavit, quam tamen voto castitatis, quæ utrisque placuerat, numquam cognovit, sed ut sororem dilexit. Considerans vero se continenter viventem filios non habiturum, constructa Bavenbergensi Ecclesia DEum bonorum omnium Datorem heredem, ut in sequentibus dicetur, habere elegit. Celebratis igitur diebus ordinationis suæ & omnibus huc confluentibus in miliciam receptis, Rex novus Rhenum iterum transiit, & cum maxima multitudine per orientalem Franciam in Alamanniam, & cum depopulatione terræ illius Herimannum ab cœptis conatur avertere. Dux autem, ut audivit a Rege sua esse prædata, contra Regem exaltans se, Argentinam civitatem caput Ducatus sui, quia Episcopus ejus civitatis Wicelinus sibi resistere præsumpsit, cum Conrado suo germano, milite petit armato, & ascendens muros nihil victis reliquit, sed Alamannorum turba ad prædas promptissima, inscio Duce majorem Ecclesiam Sanctæ DEI Genitricis Mariæ intrepide intrans, omnem thesaurum diripit, & quod pejus est, igne Domum Domini consumpsit. Tunc Antistitis militibus Reinwardo auctore viriliter repugnantibus, maxima caterva hostium propriis hastilibus perfossa, corruit. Quod Herimannus insolabili questus mœrore discessit, & quia major civium numerus restiterat, inultum reliquit. Interim Rege apud Augiam Insulam ad Nativitatem Sancti Johannis Baptistæ commoranti, fama nuntiavit Ducem Herimannum adventare, causa litem duello finiendi. Qui statuit hinc descendere, adventumque Ducis cum judicio pugnæ in pratis virentibus exspectare. Ibi tunc celebrans Apostolorum Petri & Pauli festa, longamque certitudinem præstolans Ducem in incepto persistere nec velle, nec posse comperit. Consultum est ei a malesuadis hominibus, ut in civitate Constantia damnum Argentinæ impleret; Nam ejus civitatis Episcopus Lambertus cum Curiensi Episcopo, Odelrico, Herimanno Duci favebat non tantum ex animo, quantum in civitatis contiguo. Sed Rex de DEI timore sollicitus, & de illis adquirendis certus, horum profana consilia sprevit, Curtesque Ducis vastando circuiens ad ultimum clamorem pauperum miseratus, sciensque in duricia Ducis nihil eos deliquisse, ab Alemannia recessit, & in Franciam terram unice sibi dilectam venit. Et ecce Heinricus Marchio Bertoldi filius Regi hucusque fidelis adjutor in adquirendo regni fastigio, animadvertens Regis sibi paululum alienam dignationem, per optimos ejus exercitus viros diu firmiterque promissum Bawariæ Ducatum sibi dari postulavit. Quibus tale fertur Rex dedisse responsum: Nonne scitis hoc in hac expeditione non posse fieri? Bawarii ab initio habent liberam potestatem eligendi sibi Ducem, non decet eos tam subito abicere, neque constitutionis antiquæ jus absque consensu eorum infringere; Sed si vult expectare, usque dum ego veniam ad has regiones, cum communi principum, eorum consilio ac voluntate sibi libenter in hoc satisfaciam. Quod ubi Heinricus ab Internuntiis accepit, in majorem promissi muneris desperationem veniens, paulatim se a Regis familiaritate subtraxit. Comitatur tantum eum ab Alemannia proficiscentem in Franciam posteaque in Thuringiam. Cui Willehelmus Thuringorum potentissimus obviam pergens, & cum magna gratulatione suscipiens miles ejus efficitur. Ubi Rex ab eodem Comite & a primis illius Regionis & ab omni populo rogatur debitum censum Porcorum illis dimittere, quod & fecit. Qui census a tempore Theoderici filii Clodovei, qui & Lodowicus dicebatur, usque ad hunc Regem singulis annis regiis stipendiis impendebatur per annos quingentos LXXXII. Inde Mersburh veniens susceptus est ab Heimone Abbate, & a fideli suo Comite Esicone, qui urbem hanc & Altstide & Thorneburch cum appertinentiis viriliter usque in præsentiam optati Senioris custodivit. Huc conveniunt Archiepiscopi Lievizo Bremensis, & Gisilerus Magadaburgensis, cum Episcopis Rethario Patherbrunnensi, Arnolfo Halberstadensi, Bernwardo Hildensheimensi, Ramwardo Misnensi, Bernhario Fardense, Hugone Cicen-

Cicense: Ducibus autem Bernhardo Saxoniæ, Bolizlao Poloniæ, cum Marchionibus Lutario & Gerone, ac Palatino Comite Friderico, aliisque quampluribus tam Episcopis, quam Comitibus, quorum nomina longum est enarrare per singula. Hi omnes Regem supplici devotione suscipiunt. Crastina itaque die, id est VIII. Kal. Augusti, Bernhardus Dux cum consensu omnium coram Rege voluntatem plebis confluentis aperiens, omniumque necessitatem ac legem specialiter exponens, quid eis misericordiæ dictis promittere seu factis vellet impendere, diligenter inquirit. Tunc Rex, DEO, inquit, primo, vobisque condignas grates persolvere nequaquam sufficio: notum etenim mihi est, quam fideliter vestris Regibus semper ubique obaudientiam & solatium præstare studueritis. Ideo vos magis in omnibus libet honorare, diligere, & ad regni provectum conservare, quia non renuentibus vobis, sed quasi invitantibus hac regali dignitate honoratus appareo. Legem igitur vestram non in aliquo corrumpere, sed in omnibus malo clementer adimplere, & vestræ rationabili voluntati in quantum valeo, ubique animum adhibere, & ut certi de his sitis, quomodo vobis placet, salvo honore regni affirmo. Protinus vox una omnium levatur laudes illi & grates referentium. Tunc Bernhardus Dux accepta in manibus sacra lancea ex parte omnium curam regni illi fideliter committit. Rursus tolluntur voces omnium, laudes DEO referentium. Omnes igitur qui priori Imperatori servierant Ludigero solo remanente, Regi manus complicant, fidele auxilium per sacramentum confirmant. Bolizlaus interim innumerabili pecunia Misnensem urbem tantummodo adquirere cupiebat, & quia regni opportunitas non erat, apud Regem obtinere non valuit; tamen impetravit, ut hæc fratri suo Guncelino daretur, redditis sibi Liudizi & Milzieni Regionibus. Hunc Heinricus Marchio oppido diligens, quocumque modo potuit, libenter & amicabiliter eum adjuvabat: Quem dum bene muneratum & cum licentia Regis abeuntem comitaretur, concurrentem vidit armatam multitudinem & sine Regis consilio & conscientia adversum se insurgentem. Qui cum causam tanti tumultus investigare, & ne plus damni oriretur voluisset compescere, vix securus fracta exteriori porta amicum educit. De sequentibus autem militibus nonnulli a comprimente turba sunt prædati, quidam autem admodum sauciati, mortem Bernhardi Ducis auxilio evaserunt. Hi namque Curiam Regiam armati intrantes & de hac exire nolentes culpa sua tale periculum merito sustinuerunt. Bolizlaus autem hoc factum esse dolo mali consilii autumans, gravi mœrore afficitur, Regi quod non promeruit imputando. Salutato ergo Heinrico Marchione, & si umquam indigeret auxilio suo firmiter promisso, Patriam celeriter revisit; Cumque pervenisset ad Strelam urbem, protinus eam incendens, magnam multitudinem Comprovincialium secum abduxit, nuntios quoque quosdam remittens, quoscumque potuit, Regi avertere contendit. Posthæc Rex Corbejam venit, ubi ei inclita conjunx sua Cunigundis occurrit. Ubi ambo a venerabili Abbate Thietmaro cum omni honore suscipiuntur, ibique in divinis honorati Patherbrunnam læti proficiscuntur. Postera luce quæ festiva erat Beati Laurentii martyrio, Domna Cunigundis & coronam a Willegiso Archiepiscopo suscepit. Sed & Sophia Imperatoris Ottonis soror ad Gandersheimense regimen electa licentiam Bernwardi Episcopi a Palligero benedicendi, obtentu principum, ibidem obtinuit. Interim publicum gaudium admodum turbavit insatiabilis avaritia Bawariorum. Hi namque paucis domi semper contenti, exterius vero propemodum insatiabiles, convicinorum fruges vi diriperent, eosque hoc prohibentes cæderent, pugna gravissima inter eos exoritur. Domestici Regis superveniunt, indigenæ cum adventiciis præveniunt & subsequuntur, fit magnus conflictus congredientium, devictumque agmen Bawariorum in Regalem Curtem fugit. Hic Heinricus frater Eilberti Cancellarii, qui ad mensam Regi jugiter serviebat, hasta vulneratus occubuit; quapropter, qui prius aberant, collecti Saxones iterum insequuntur, & nisi Dux Bernhardus cum validiori manu medius interveniret, numerus militum infinitus corruisset. Castigati tamen sunt omnes quicumque inveniri poterant hujus sceleris auctores: Mœstitiam autem Regis placavit Bokinevorde ipsi tradita. Rex ergo recto itinere hinc ad Diusburch perveniens, Lotharios diu tardantes expectat. Leodicensis vero & Cameracensis Præsules primi huc venientes Archiepiscopum Coloniensem diu morantem expectant. Quem cum altius, quam quisquam crederet, custodia, qua paululum, sicut jam dixi, detinebatur, in mentis secreto morderet: simulabat se ob hoc tam sero ad Regis gratiam accessisse, quod in accipienda benedictione Mogontinum sibi voluisset Rex præponere. Hi siquidem Coëpiscopi Regem eum pariter eligentes & sacramentis fidem firmantes, usque ad Aquasgrani eum comitantur, ubi in Nativitate Sanctæ Mariæ a primatibus Lothariorum in Regem collaudatur, & in sedem regiam more Antecessorum suorum exaltatur & magnificatur. Inde Franciam revisere, atque imminentem hiemis asperitatem, ibi deducere decrevit, & quia in singulis regnis antecessoris sui, excepta Italia & Alamannia collaudatus in Regem & electus erat, primo vere exorto, Herimannum Ducem in Cisalpinis partibus solum sibi resistentem persequi cogitabat. Erat hic Herimannus filius Udonis Ducis, qui apud Calabriam cum multis occubuit, quando Imperator Otto secundus contra Sarracenos pugnavit. Qui de vindicta DEI, quam in Argentina promeruit, multum timidus, populumque pro se laborantem non amplius sustinens, per fidos intercessores sibi suisque fautoribus Regis gratiam postulat. Sed antequam id ab eo deliberatum esset, Gerhardus Comes Alsatiæ accepto a Rege quodam Comitatu ejusdem Ducis, cum domum rediret,

juxta unam urbium ejusdem castra metatus est: A quo urbani pacem vix unam noctem impetrantes egressi sunt, quasi ad colloquendum, sed revera ad explorandum; e quibus unus calliditate, æque, & velocitate sæpe probatus, propius accessit, signiferamque lanceam, qua beneficium Ducis idem Comes a Rege perceperat, coram tentorio ejus affixam elevando circumspexit, ad ultimumque cum ea urbem securus cunctis incassum pone sequentibus, intravit: In urbe mox exultatio magna extollitur, porta clauditur; Comes quasi honore privatus irridetur; Qui eamdem primo dulcibus promissis tentans recipere, sed illis redditum negantibus, tristis abiit, tam vacuus a beneficio, quam a militari signo. Fuerunt quoque in Civitate munitissima Brizach dicta ad præsidium Argentinensis & Basiliensis Episcopi, quorum milites quotidie ob adquirenda equorum pabula armati exire solebant. Quod amici Ducis caute considerantes, eo tempore, quo hi paululum processerant, simili habitu, sarcinatisque equis ad urbem cantantes pergunt, & pro sociis a custodibus intromittuntur. Projectis illico oneribus magna voce se hostes manifestant, Episcopisque vix elapsis omnia diripiunt. Post hæc Herimannus Dux divina compunctione Kal. Octobris, in Brusele Regi humiliter præsentatus, misericorditer ejus gratiam impetravit, & in beneficio & in omnibus justi desiderii satisfactionem persolvens, excepto Argentinæ damno, quod idem jussu & consilio Regis de sua proprietate, & Abbatiam in eadem urbe sitam reparavit, Miles Regis efficitur. His ita dispositis Rex ad Bavvariam perrexit, quem Ratisponam venientem Gebehardus ejusdem Ecclesiæ Præsul egregius cum Cleri, totiusque populi tripudio suscepit, ibique festum S. Martini celebrantem in multis honoravit. Interim Bolizlaus Boëmiorum Dux Jaremirum fratrem suum eunuchizans, Junioremque Othelricum in thermis suffocare cupiens, una cum matre eos patria expulit, solusque vice noxii basilisci regnans, populum ineffabiliter constrinxit; Qui ejus facinora diutius ferre non valentes, Wlodowejum a Polonia clam vocantes aspidem venenosam absque omni Legis pietate suos tractantem dejecto Bolizlao hunc in ejus sedem consanguinitatis linea & pietatis affectu unanimiter collocarunt. De quo rem incredibilem dicimus, quod nunquam sine potu unam horam perdurare valuerit. Sed Bolizlaus, quæ sola fugæ via patuit, ad Heinricum Marchionem, qui proximus ei tunc erat, confugiens, propter illatas sibi injurias ab eo captus est. Postmodum, quare hospes eo venerat, dimissus ad Bolizlaum amitæ suæ filium in sceleribus comparem, licet in facultatibus disparem, vitæ dumtaxat amore perrexit. Wlodowejus autem potiori usus consilio ad Regem Ratisponæ adhuc commorantem proficiscens, cum humili subjectione & fideli promissione hunc in Domnum elegit, & quæ postulavit ab eo in beneficium adquisivit, & habitus in omnibus caritative, dimissus, rediit cum bona pace. Hujus Heinrici Regis frater erat Brun Augustensis postea sedis Episcopus, qui felicibus fratris actibus invidens multas & adversitatum injurias, in quantum potuit, inferebat: Cui frater non solum talionem non reddidit, verum etiam fraternæ dilectionis & patientiæ bono illum vincere studuit. Horum sororem Gislam bonæ memoriæ fœminam Rex Vngariorum, qui postea Stephanus in Baptismo est dictus in conjugium expetiit; sed eam ducere non promeruit, donec se Christianæ Religionis rudimenta & sacri baptismatis sacramenta, cum omni gente sua suscepturum promisit. Quod ubi complevit, religiosus Deoque devotus postea in executione bonorum operum permansit. Dum hæc in Teutonicis partibus aguntur, Hartwigus, de quo superius diximus, de prosperitate & adventu Heinrici Regis curiosus, omnes introitus Langobardiæ, qui ab incolis clusæ vocantur, vigilanti custodia firmabat, qui ut superius dixi, electionis suæ consiliatores & fautores, ut digni erant, tractare non desistebat. Inter quos Brixiensem Episcopum aliqua, quæ sibi displicebant loquentem, capillis arripiens & solotenus ut bubulcum deiciens, cunctis effrenatam manifestavit iram. Vnde nonnullos priores tunc sibi suppositos commissi pœnituit, & per internuntios & per litteras Heinricum Regem ad defendendum se venire rogabant, aut eo in aliis negotiis occupato principes suos mittere: Horum necessitati ad succurrendum Otto Carentinorum Dux & Veronensium Comes, filius Conradi Ducis, qui ad fluvium Lech contra Vngarios pugnans sub Ottone magno Imperatore occisus est, habuitque ex Liutgarda filia ejusdem Imperatoris filium hunc, de quo loquimur Ottonem, qui morum gravitate & actuum probitate parentelam suam decorabat. Et cum post mortem Imperatoris Ottonis tertii, præfatus Otto jure consanguinitatis & ætatis, virtutum quo maturitate, ab Heinrico tunc Duce in Regem eligeretur, Imperii onus humiliter recusans, eumdem primus per internuntios & per se ipsum quasi ad hæc aptiorem sibi præposuit, fideliterque semper adjuvit. Hunc ergo cum Heriberti Comitis filio Ottone & Ernesto Liuppoldi Marchionis filio cum aliis paucis ob spem majoris auxilii ab Italis promissi, Rex in Italiam direxit: quem cum Hartwigus in medio positus & linceis oculis omnia collustrans, ex parte Regis venientem, Archiepiscopumque Ravennatis Fridericum cum Marchione Thiedolfo, ceterisque Regis fidelibus, ei ad auxilium venientem, comperisset, ad irrumpendos eos Veronam cum magna multitudine venit, Clusasque ab Episcopo civitatis ejusdem huc usque munitas expugnando cepit, audiensque Teutonicos in Tridenti planitie consedisse, illo properat, & eos non inveniens, iterum velociter se in Campaniam Veronensem recepit.

Anno Dominicæ Incarnationis MIII. Hartwigus Nativitatis Dominicæ festa in quodam Castello celebrante, Otto Dux, omnia ejus acta ut primo intellexit, legatos licentiam sibi transeundi aut ex sua parte accipiendi postulantes misit. His ex profunda calliditate animi Hatwigus

wigus respondit: Hic pernoctate, ut cum meorum amicorum consilio vos crastino de his omnibus certos remittam. Ipse autem legatis ignorantibus per omnem eam noctem singillatim suos in Castris positos perlustrans ad præliandum mane contra Teutonicos mentem corroborare & arma præparare monet. Proxima primum oriente aurora Legati Ducis responsi gratia tyrannum aggressuri, cum Langobardos armata manu pugnæ intendere cernerent, ipsum, quid hoc significaret, interrogantes, certam ejus adversus Ducem congressionem jussi abire perceperunt; quos Hartwigus cum exercitu pone secutus, ad Ungarium montem, ubi Dux cum suis legatos expectabat, sole jam mediante pervenit, & Teutonicos, quamvis ad custodiendas undique vias divisos, tamen ad resistendum paratos invenit, confligunt itaque utrimque fortia agmina impetu vehementi, & nisi Teutonicorum aciem hostium numerositate imparem fuga Ottonis germani Gebehardi præsulis turbaret, & impediret, victricem eam Langobardus hostis sensisset. Tum vero ex maxima parte mutilata cæditur, & victoriæ honore privatur, sed non sine magno Hartwigi detrimento. Rex Heinricus Incarnationem Domini Franconevorde celebravit, ubi multorum legationes suscipiens, legatos cum muneribus, & dignis responsis remisit. Herimannus Dux etiam jam ante jugum pati nescius, eidem celebrationi interfuit, & ut oportuit per omnia Regiæ Majestati obediens fuit. Inde Rex discedens Muselenorum pagum visitavit, & ad Theodonis villam veniens, generale ibi colloquium cum Comprovincialibus habuit; cumque omnibus aliqua necessitatibus benigne legem dare cuperet, Herimannus ac Theodericus solo nomine Duces, tentabant hoc impedire, sed frustra; nam continuo animadvertentes auctori Justiciæ se subjecerunt. Nam Rex quoddam Castellum Ducis Mulsberh dictum ob instantem totius populi necessitatem destrui, &, ut nunquam reædificaretur, firmiter præcepit. His absque dilatione peractis, Rex ad Aquasgrani iter disposuit, ut Anniversarium Antecessoris sui summa diligentia compleret, & Luthariensès unanimiter convenirent, quem, quamvis tardaret, interim innata infirmitas tamen ad perficiendum justi desiderii propositum, vires illi inspiravit ineffabilis Christi pietas. Dein Trajectum amore Sancti Præsulis Servatii veniens de prœlio nostrorum in Italia male pugnato, ibi certum comperit, & quamvis graviter, tamen sapienter audita sustulit incommoda. Inde Leodium ab impetranda Christi Athletæ Lamperti patrocinia veniens, colica passione ibi admodum gravatus, prædicti Martyris intercessionis suffragio liberatur. Hinc ad Aquasgrani rediens Purificationem Dei Genitricis ibidem venerabiliter peregit. Inde ad Niumagun commeans, plurimis diebus Quadragesimæ ibi commoratur, primo regnum Dei justiciamque ejus quærere; postea humanæ fragilitati studens necessaria suggerere. Mortuo interim Boëmiorum Duce Wlodowejo, fratres prædicti cum matre expulsi a Boëmensibus pœnitentia ductis revocantur. Quos Bolizlaus Dux Poloniæ collecto undique exercitu petens, iterum expulit, & æquivocum suum exulem pristinis honoribus præfecit, seque domum latentibus insidiis suis alta mentis intentione recepit. Sciebat enim Nepotem suum nimis vindicaturum in fautoribus suæ expulsionis, sperans se tunc meliori occasione forte introducendum; Quod & ita accidit. Enimvero cum Bolizlaus Boëmensis cerneret populum suum execrando ritui deditum in maxima securitate constitutum impietatem suam ad infringenda fœdera pacis, quam sacramentis firmaverat, in tantum armavit, ut collectis in unam domum coram se cunctis Optimatibus, primum generum suum gladio in caput ejus merso, ipse occideret, ceterosque inermes in ipsa sancta Quadragesima vir sanguinum & dolosus nec sibi concessos dignus umquam dimiare dies, cum suæ maliciæ fautoribus interficeret. Ob hoc residuus populus multum formidans, ad Ducem Poloniæ nuntios clanculum misit, qui perpetrati facinoris magnitudinem edicerent, & futuri timoris ereptionem ab eo poscerent. Quibus libenter auditis, mox Nepotem per Legatum fidelem in arce quadam ad tractanda cum eo quædam necessaria communis utilitatis cum paucis ad se postulat venire; Qui mox consentiens ad condictum locum avunculo occurrit, caritativeque ab eo primo susceptus, in sequenti nocte erutis sibi oculis exilio longo deputatur. Sequenti die Bolizlaus ad Pragam velociter properans, ab Incolis semper de nova dominatione gaudentibus, introducitur, communiterque in Dominum laudatur. Accrescente itaque sibi seculari potentia, infrenatæ mentis contumacia attollitur. Hæc omnia Rex dictante fama comperiens honesta gravitate animi patientis tulit, suis dumtaxat peccatis imputans quicquid in Regno suis temporibus incommodi accidit. Itaque quod oportunum sibi maxime videbatur, dissimulatis omnibus nuntios ad Bolizlaum misit, mandans ei, si terram nuper a se occupatam de sua gratia more Antiquorum retinere, ac sibi fideliter in omnibus vellet servire, se ejus voluntati in his assentire; sin alias, se armis illi velle contraire. Hanc legationem etsi justam ac bene compositam tamen Bolizlaus indigne suscepit. Rex festum Paschale Quidelingeburh Antecessorum suorum more honorabiliter celebravit. Ibi tunc iniquam præsumptionem Bolizlai & aspirationem Heinrici dissimulans, familiaribus suis, ut tantam festivitatem decebat, arrisit. Ibi etiam Ottonem Ducem & Ernestum a prœlio male pugnato revertentes, regiis donis honorat, paternisque adminiculis consolatur. Nuntios quoque Redariorum & Liuticiorum misericorditer suscepit; Hactenusque Rebelles munerum dulcedine, promissionumque jocunditate sedavit, & de inimicis familiarissimos effecit. Paucis interpositis diebus Athelheidæ Abbatissæ precibus exoratus cum Regina iterum Quidelingeburh veniens S. Servatii solemniis interfuit.

terfuit. Post hæc Rogationum dies in Mersburch peregit, ubi ei de aperta rebellione Bolizlavi Ducis & Heinrici Marchionis intimatum est. Proximum Pentecosten in Halberstad celebravit. Post hæc ad Bavvariam tendens, Heinricum Marchionem primo devincere, posteaque insidiis amovere conatur. Comperit quoque adhuc aliam præsumptionem, quod scilicet Ernestus ab eo nuper honoratus & Dominus Bruno frater ejusdem Regis cum Heinrico conspiraverint. Vnde familiaribus suis undique collectis intrante Augusto bona Marchionis Heinrici invadens, vastavit. Hujus Marchionis pater Genitori Regis sæpe restitit: Imperatorque partem, ut ipse testabatur, ob confirmatam sacramentis gratiam fideliter adjuvit. Fidelis & iste ultimo Ottoni usque ad ejus finem fuit, seniorique suo usque ad hæc infelicia tempora strenue militabat. Sed Regi secreto mentis latebat repositum patris, suusque zelus non bonus & par odium. Sed hoc pro Christi amore semper inultum relinqueret, si hunc cum ceteris sibi contrariis tam crudeliter & aperte sibi resistentem non cerneret. Heinricus vero quamvis in hoc crimine culpabilis solus appareret, tamen absque consilio aliorum, hoc non est aggressus: Et quia pro magno dedecore in hoc proditor haberetur, maluit hoc gementi conscientia celare, quam suum damnum aliorum augere detrimentis, ideoque qui prius viriliter patriam suam ab hoste defendere studuerat, in rapinam modo huic eam aperuit; Mittiturque ei clam a Bolizlao auxilium nihil omnino sibi proficuum. Veniente autem Rege ad locum, qui Hatheresbrugge dicitur, Magnus Miles Heinrici cum suis thesaurum Regis præcedentem corripuit, quem inter se dividentes ad Amardelam civitatem læti redeunt: quos Rex insecutus obsedit: compositisque bellicis instrumentis, eos vitam solam reddita urbe & præda fidis intercessoribus postulare compulit. Tum vero destructa funditus eadem, divisaq; inter suos Poleniorum multitudine Rex ad Crunzi Castellum, in quo Buggo Domnam suam Gerbergam conjugem Heinrici cum filiis custodire debebat, proficiscitur. Interim Heinricus exercitum exterius impugnabat, quosdam vulnerabat, alios incaute frumentum equis congregantes peremit. Quod ne amplius fieret, Rex curiose prævidit, positis præsidio militibus CCCC. hostemque secretiora cujusdam vallis petere coëgit: quem ibi castra metantem Rustici unius incontinens lingua custodibus prodidit. Qui medii fervore diei illo latentibus insidiis tendentes, ut primum visis tentoriis cognovere, alta voce per Kirieeleison socios convocantes, hostes relinquentes, ibi omnia sua capto solo Ernesto milite effugaverunt. Quibus redeuntibus tristes eorum sodales redduntur lætiores, & præsentato Regi captivo, & capitali sententiæ a judicibus adjudicato, Willigisi Archiepiscopi Mogontini intercessione supplici, & quæ Regi placuit redemptione liberatur. Tunc audita Marchionis sui fuga, Buggo Comes gravi dolore concutitur, & quid sibi esset faciendum socios consuluit, a quibus diversa responsa percepit. Quidam enim dicebant ob fidem Domino suo promissam & ignaviam perpetuo eis improperandam malle mori, quam urbem cum tali pignore Regi umquam dare, superstite Domno suo auxilium adhuc se sperare adfuturum. Alii autem, qui magis sanum sapiebant, testabantur, arduum esse rivo torrenti contraire, viroque potenti devictos, raro aut numquam veniam promereri, se potius incolumes & nullo vulnere tardatos cum Domna sua, ceterisque bonis & hospitibus abeundi licentiam apud Regem imploraturos affirmabant. Horum consilio Buggo cum Ottone germano suo Domnam alloquitur, ejusque suffragio urbem regiæ potestati tradidit; Ipse autem cum omnibus sibi commissis securus abiit. Confestim urbs radicitus dirui a Rege jubetur, sed parcentibus hujus rei auctoribus magna ex parte cum ædificiis reservatur. Interea cum Rex urbem Crunzi obsideret, Bolizlaus eum in aliquo lædere summopere nisus clam exercitum collegit; & per nuntios suos Guncelinum fratrem hortatur, ut memor firmæ promissionis urbem Misnensem suæ ditioni redderet, amicitiamque pristinam renovarent. Qui sciens ingressu illius a gratia Regis & dignitate sua se penitus excludendum, mandatis istis taliter respondet: Omnia quæ præter hæc, frater, a me expetis, libenter impendo, & si umquam hæc faciendi oportunitas mihi acciderit, non recuso; Sunt enim mecum Senioris mei Satellites, qui talia fieri non patiuntur, & si voluntas hæc publicatur, vita mea cum omnibus quæ possideo periclitatur. Hac legatione Bolizlaus accepta, nuntios custodiri, & legionem ad Albiam properare jussit. Hic qualitatem vadorum secreto perquirens, mane facto ipse subsequitur & ad Strelam civitatem, quæ dos erat filiæ suæ demandat, ut nec sibi quicquam timerent, neque clamore aliquo vicinos de hac re certos facerent. Nec mora exercitus jussu Ducis in quatuor dividitur, & ad Zirin castellum convenire præcipitur. Duce autem phalanges præmissæ, ne sui aliquam a Marchione molestiam paterentur, prævidere volebant. Notus hic pagus Glumizi optime excultus in una hac die igne, gladio & habitatorum captivitate flebiliter desolatur. Tamen a quibusdam in Mogolinæ urbis civibus idem Slavus, sic illusus est. Hi enim cum a legione ad se missa impugnarentur, cur sic facitis, inquiunt? Domnum vestrum piissimum scimus, & hunc nostro præponere cupimus, tantum præcedite & nos cum familiis & possessionibus universis subsecuturos, non dubitetis. Illi abeuntes illos adventare Bolizlao pro certo nuntiabant. Cum vero Commilitones sero confluere & ad illos domi sedere Dux cerneret, iratus mendacibus sociis, pœnas minatur. Postera die orto jam sole præda innumerabilis promittitur & magna pars hostium suorum Albiæ immergitur, ceteri illæsi domum redeuntes prædam dividunt: optima quæque Duci suo assignantes. Fuit autem Captivorum numerus ampli-

amplius quam tria millia. Heinricus Marchio animadvertens jam se defecisse, ad urbem Grana dictam properat; ibique Sigefridum filium Sigefridi Comitis auxilio collato se expectantem inveniens, nec sibi, nec illi ullam spem rebellionis in his partibus promisit. Tandem cum eo multa locutus urbem incendit, seque ad Boëmiorum Invasorem Bolizlaum cum Domno Brunone, residuisque fautoribus contulit. Segefridus vero spe palam resistendi frustratus, non eos comitatur, sed commissi emendationem facere tractans revertitur. Rex autem ad Granam fugientem hostem insecutus, lenivit in hoc animum suum, quod in destruenda illa hostem se præoccupasse cognovit. Misit igitur Heinricum Wirceburgensem Episcopum & Erkenbaldum Fuldensis Cœnobii Abbatem, ut Suinvorde Castellum incenderent atque diruerent. Quos advenientes Mater Heinrici Marchionis Eila, ut tales decebat personas suscipiens & salutans, ubi præcepta regalia intellexit, perturbatur, concitoque cursu ad Ecclesiam properans ibidem ignis concremationem sustinere malle, quam exire testatur. Vnde Pontifices prædicti secularem timorem propter Christum præponendo decretam sententiam immutant, muros urbis & ædificia solotenus destruentes; tristem matronam promissis mulcebant, si quando cum gratia Regis fieri potuisset, se ex suis rebus quod destruxerant renovaturos. Rex autem devastata omni proprietate Marchionis & late in beneficium divisa ad Bavenberh venit, ibique exercitu in pace dimisso Nativitatem Dei Genitricis festivis gaudiis celebravit. Inde ad silvam Spechteshart quæ Bawariam a Francia dirimit veniens, post laborem expeditionis, delectationem exercuit venationis, ibi ad recreationem sibi suisque jocunditatem plenam exhibuit. Completa ibi autumnali jocunditate, per Franciam transiit in Saxoniam, indicens his proxima hieme transacta expeditionem in Milzaniam. Eodem anno Herimannus Dux Suevorum obiit. Stephanus Rex Vngariæ super Avunculum suum Regum Julum cum exercitu venit, quem cum comprehendisset cum uxore & filiis duobus, regnum ejus vi ad Christianitatem compulit. Johannes Papa XVII. sedit menses V.

Anno Dominicæ Incarnat. MIV. Johannes Papa XVIII. sedit annis V. Rex natale Domini in Palithi more priorum divinitus ac humanitus honorando peregit. Illuc ad eum Episcopus Veronensis & alii quidam Italici primores regni cum regiis muneribus venerunt. Deinde Torneburh veniens Willigisum Archiepiscopum cum suis familiaribus ad Gisilerum Archiepiscopum misit tunc nimis infirmum, ut memor Domini Jesu quicquid in destructo Mersburgensi Episcopatu hactenus deliquit, hoc resumendo, injustamque sedem relinquendo, saltem in extremis emendare voluisset. Eundem Archiepiscopum propter Herimannum Ducem Rex primum odivit, quod eum sibi præponere conabatur; postea vero data illi sua gratia inter familiarissimos habuit, commissisque ei suis rebus in Saxonia fidelem in his provisorem persensit. Tandem vero zelo Dei instinctus injustitiam tantam amplius ferre non valens, perfecto odio hunc persecutus, nuntios quos diximus ad eum misit. Quibus præ infirmitate vix talibus respondit: Dentur mihi trium vel quatuor dierum induciæ, ut mihi liceat abire, quibus transactis certa vobis referam. Hoc apud Regem impetrans, & in curru, ut diu tum solebat, exiens ad Triburi curtem suam venit, ibique duos dies commoratus VIII. Kal. Febr. migravit a sæculo. Quo audito Rex corpus Archiantistitis præcedens usque Magadaburch venit, præmittens eo Capellanum suum Wicbertum, ut de electione Taginonis unanimem fratrum voluntatem impetraret. Præpositus vero Ecclesiæ Walthardus convocatis in unum fratribus obitum Pontificis & adventum Regis indicavit eis, obsecrans, ut aliquem inquirerent, cum quo antiquam eligendi consuetudinem retinerent; Cui ab omnibus illico respondetur, eum se velle in Domnum divina favente gratia habere. Quod cum magna, ut decuit, humilitate suscipiens, veniam prostratus petiit. Delatum ex corpus Archiepiscopi ad S. Johannem, ubi proximam noctem dignis honoribus servatur. Postera autem die cum ad S. Mauricium portaretur, a Rege ibidem superveniente & omni Clero & Populo suscipitur, & secundam noctem diligenter custoditur. Mane jam facto Arnulfus Episcopus a Rege ad fratres & ad Ministeriales admodum tristes gratia eligendi Taginonem mittitur. Cui legationem pandenti Walthardus præ omnibus respondens inquit: Scimus, quid vester Senior intendat: Volumus, si licet fieri, potestatem eligendi habere, & me licet indignum electum volunt unanimes in vacuum succedere. Detrimentum Ecclesiæ nostræ timemus, quod ne accidat, pietatem regiam vestrique intercessionem petimus; non enim sumus immemores proverbii cujusdam Sapientis, scilicet libertatem Populi, quem regna cohercent, libertate Dominantis perire, tantumque umbram ejus servare, si ejus omnibus præceptis velit obtemperare. His Præsul auditis, egreditur, & omnia Regis auribus instillavit, qui mox Præpositum advocans multis promissis sui licentiam & fratrum omnium gratiam in electione Taginonis impetravit. Confestim in majorem Ecclesiam cunctis convenientibus Rex Heinricus baculo Arnulfi præsulis Clerum & populum cum reddenda summo Judici ratione Taginoni venerando patri commisit, & eum in Cathedram Episcopalem ipse constituit, præsentibus omnibus laudes Deo canentibus. Celebrata pro Defunctis memoria corpus Archiepiscopi coram australi altari sepelitur. Libet quædam de eodem, qui tunc successit, Taginone edicere. Hic fuit Clericus Pontificis Wolfgangi, qui habitu, conversatione Monachus Ratisponensem bonus Pastor Ecclesiam rexerat; huic tam carus erat iste, ut vice filii a primis annis nutritum jamque adultum bonis suis omnibus eum præficeret, Insuper Ducis & Imperatoris gratiam in tantum ei adquisivit, ut quando

do divina jussione ex hac luce ipse subtraheretur, hunc sibi successurum esse non dubitaret. Qui Venerabilis Pontifex consummato cursu hujus exilii in admirabili sanctitate cum jam ad mortem usque ægrotare cœpisset, accersitum ad se Taginonem ita alloquitur: Pone, inquit, fili carissime, os tuum super os meum, & accipe a Deo inspirationem spiritus mei, ut ubicumque ardore juventutis in gemina caritate es frigidus a summa potestate Spiritus Sancti accipias temperamentum, & si meis forte honoribus privaberis post X. annos cum mea apud Deum lucero commissa, majoribus pro certo lætaberis. Post hæc Vir Sanctus cum finem suum adesse in Spiritu præsciret, jussit se in Ecclesiam portari, expletisque ibi orationibus & cæteris quæ facienda erant a fratribus se & sibi commissos Deo commendans pridie Kal. Octobris in pace spiritum emisit. Igitur ille electus ab universis ad Imperatorem venit, sed promissa non percepit, dato ab Imperatore Ottone tertio Episcopatu Capellano suo Gebehardo. Huic Tagino fideliter committitur, & quamvis ab eo honorabiliter haberetur, tamen quia bonum & malum non sunt ad aliquid, non diu cum eo ob morum suorum inæqualitatem est moratus. Adhæsit namque Heinrico tunc Duci & propter castitatem mentis & corporis ei in omnibus complacuit, & usque ad id tempus malis moleste & bonis accepte perdius & pernox ei servivit, sua specialiter omnia sic impendere satagens, ut & Deo placerent & hominibus. Unde pro amore Sancti Viri a se unice dilecti, nam & nutritor ipsius Regis fuerat, veridicum vaticinium impletur, decursis tunc X. annorum curriculis. Qui Carissimum suum Domnum Regem & Reginam & ceteros socios muneribus, ut par erat, multiplicibus honorat nequaquam suæ adhuc benignitati suppetentibus. Rex igitur adhuc a Magadaburh cum eodem ad Castellum ipsius Guvikinstein dictum pergens, omnia quæ ibidem a Gisilero Archiepiscopo collecta sunt, singulariter perspexit, & hæc esse superflua testatur. Dehinc Mersburh diu Pastore suo viduatam, consolationis gratia adiens, eandem pristinis honoribus restituere conatur. Ibi Tagino IIII. Nonas Febr. in Epiphania Domini ab Hilderico Havelbergensi Episcopo, accepta licentia, qui primus in ordine horum fratrum fuit, a Willegiso Archipræsule Mogontino consecratus est, præsente Rege & Romanæ Sedis Legato ceteris Episcopis ad hæc faventibus. Et quia in Scriptura ejus testatur ab solo ordinandus Apostolico, huc venire propter instantem necessitatem non potuit, ibidem Sacri Crismatis delibutione tertium numerum impleuit, & Walthardo Episcopatum post se omnem commisit. Rex autem, quia aliter fieri non potuit, apud Arnulfum Præsulem Concambio centum Mansorum super solum Mersburgensem Burchwardum Episcopale bannum redemit: quicquid autem ab Archiepiscopo Taginone exposcebat bonæ voluntatis abundantia largiente percepit. De Misnæ & Cithzæ Episcopatibus regia potestate decrevit ad integrum redire, quod antiquitas hinc direptum esse valuit explicare. Convocans igitur omnes ad se regni Primates, dedit Episcopatum Mersburgensis Ecclesiæ cuidam Capellano suo Wigberto nomine cum Archiepiscopi Taginonis baculo, cum quo ipse quicquid Antecessor suus huic Ecclesiæ injuste abstulerat, renovationi ejus arridens reddidit, consentiente Arnulfo Præsule, Egido quoque & Hildwardo Episcopis, quibus illa diocesis distributa fuerat, omnique populo applaudente. Ductus igitur mox cum divina jubilatione Wicbertus Præsul ad sedem suam, ab Archiepiscopo suo & Confratribus Wigone & Hilderico eodem die consecratur. Bolizlaus interea suo furore & Heinrici Marchionis instinctu magnam vim Bawariis omnibusque finitimis intulit. Ob quam caussam Rex indicta prius expeditione Milzinæ fines hostiliter invasit, & nisi superflua nivis effusio celeriter resoluta eum impediret, omnis hæc Regio vastata habitatore caruisset. Inde tristis reversus, Guncelino Marchioni ceterisque patriæ Defensoribus positis præsidiis auxiliatur. Deinde Merseburch veniens, fratrem suum ad Ungariorum Regem gratia adquirendæ veniæ fugisse, Heinricum autem multum incœpti pœnituisse a fidis intercessoribus ab eo missis comperit; quorum legationem per Archiepiscopi Thaginonis & Bernhardi Ducis supplicationem, etsi invitus suscipiens præfato Marchioni gratiam sui ea ratione indulsit, ut prædium sibi suisque fautoribus & incolatum redderet, & quamdiu vellet, ipsum in custodia detineret. Heinricus vero se nimis in omnibus culpabilem lacrimabiliter professus more & habitu pœnitentis Regi se tradidit, ejusque jussu ab Archipræsule prædicto in Castello Givikinstein detruditur, diligenterque a suis militibus custoditur. Ubi præter aliud bonum opus in una die psalterium cum CL. veniis cantavit. Rex Italicæ non immemor injuriæ, omnes suos fideles ad hanc ulciscendam hortatur, & instanti Quadragesima ipse eo cum armato milite destinavit pergere. A Merseburh ergo veniens Magdaburch S. Mauricii intercessione apud Deum itineris prosperitatem petiit. Inde per Thuringiæ, orientalisque Franciæ fines transiens, Ratisponam venit; ubi habito regali placito Heinrico fratri Reginæ XII. Kal. Aprilis cum omni præsentium favore, cum hasta signifera Ducatum Bawariæ dedit. Dehinc Augustanam urbem itinere attingens a Sigefrido ejus Antistite honorabiliter introducitur. Ibi tum duas noctes commoratus Reginæ diligenti salutatione licentiam dedit ad Saxoniam abeundi, & eam Archiepiscopo commisit Taginoni. Ipse autem cum exercitu usque ad locum, qui Tonga dicitur, progreditur. Ibi Domnus Bruno frater ejus cum Ungaricis Intercessoribus Regi præsentatur, quem, data illi sua gratia, misericorditer suscepit. Archiepiscopus Tagino cum Regina Gerenroth venit, ibique cum venerabili Abbatissa Hathuvi Palmas solemniter peregerunt. Quarta autem feria Regina Magdaburch veniens Cœnam Domini & subsequentem Dominicæ

minicæ Resurrectionis solemnitatem celebravit. Rex autem per multas itineris asperitates ad Tridentum veniens Civitatem Palmas celebravit, & exercitum nimii laboris necessitate afflictum hac celebri solemnitate paululum respirare permisit. Quem adventantem Hartwigus præsciens, & multum expavescens ad munitiones sæpe memoratas nuntios probatos misit; ipse autem collectis agminibus in Veronensi planitie consedit sperans præsentia præteritis prosperitatibus forte respondere. Quem ubi Rex Heinricus aut vix aut nullatenus expugnabilem comperit. Alio se vertens cum suis familiaribus tractat, si Clusas hinc longe remotas Carrentanis auxiliantibus, ullatenus intercipere valeret; quod consilio prudenti quamvis arduum multis videretur effectum est. Carrentani namque regalibus jussis illico obtemperantes in binas legiones illico dividuntur, quarum una ante ipsum diei crepusculum montem Clusis superpositum cum peditibus clam præoccuparet; altera jam facto mane ad has expugnandas subsequitur, audito a præmissis Commilitonibus signo tam vehementi, ut ex latentibus insidiis audiri potuisset. Tunc hostes opinati a tergo se esse securos, venientibus armati obviam procedunt: Sed nostri in eos ex latere irruentes alios effugant, quosdam vero inundatione Brenti fluminis, plures etiam præcipitio interire compellebant. Sic igitur victores Clusas usque ad adventum Regis sollicite tuebantur. Hæc omnia Rex ut ab Internuntiis audivit, relictis omnibus impedimentis, exceptis optimis Satellitibus, cum magna difficultate eas pertransiit & juxta litus prædicti fluminis in quadam grata planitie, castra metatus est, ut ibidem Cœnam Domini & Crismatis consecrationem, Passionem quoque & Resurrectionem Dominicam summopere veneraretur. Interdicitur quoque per bannum regalem a Palatino Comite fuga & resistentibus viriliter promittitur consolatio futura. Rex autem in tertia feria aquam prædictam transiens fixis tentoriis iterum requievit, prestolans exploratores, qui missi erant, ad exquirendum sollicite Hartwigi hostis conversationem. Langobardorum vero mens hactenus in malo unanimis divinæ pietatis instinctu dividitur, & ab injusto supplantatore disjuncta a Deo coronato Regi Heinrico securum fugiens ingressum patefecit; Verona namque prima illum suscipiens exultat in Domino venisse defensorem patriæ, auctorem vero recessisse totius miseriæ. Huic diu expectato occurrunt Thiadolfus Marchio cum prædictis auxiliatoribus gaudens tempus advenisse, quo secretum bonæ voluntatis sibi liceret aperire. Rex tali comitatu vallatus Brixenam venit & ab Archiepiscopo Ravennate atque ab ipsius urbis Episcopo Athalberone ceterisque Comprovincialibus dignissime suscipitur. Inde Pergamam itinere attingens Mediolanensis urbis Archipræsulem fide sacramentis firmata recepit. Post hæc Papiam urbem visitans ab Archiantistite ejus & a primis illius Regionis decenter suscipitur & cum admirabili laudis cantu ad Ecclesiam deducitur & communi electione sublimatur inque solium regale collocatur. Sed inter tot concordiæ gaudia subito fremuit inimica pacis discordia, & a superflua vini ebrietate de vili causa miserabiliter interrupta est fidei & sacramentorum connexio: Cives enim adversus noviter electum Regem armantur, ad palatium properant, hi maxime, quibus Justicia Heinrici Regis displicebat, Hartwigi autem umquam relaxatio placebat. Rex audito clamore, quid hoc esset explorari citius jussit; cui respondetur plebeios furore subitaneo inflammatos & servili præsumptione animatos, commotionem hanc primum incepisse, ceteros quoque omnes in detrimentum Regis & dedecus se illis conjunxisse. Quos jam irrumpentes Heribertus Coloniensis Archiepiscopus sedare conatus de fenestra cum causam præsumptionis inquireret, lapidum imbre & sagittarum effusione repellitur. Palatium autem impugnatum a Domesticis Regis facile numerandis est defensum viriliter. Tandem audito clamore ad Regem gregatim sui properant, hostesque adhuc insanientes paululum repellunt, sed imminente jam nocte sagittis atque lapidibus obviis tardantur. Qui, ut providerent pericula, urbis mœnia incendunt. Qui autem foris erant urbis propugnacula fortiter ascendunt & adversariis viriliter resistunt. Ibi tunc egregius Juvenis Gisilbertus frater Reginæ ab Hostibus vulneratus occubuit, & sociorum tristiciam vehementer adauxit. Quem Wolframmus Miles Regis in medium agmen prosiliens & unum ex his per galeam in jugulum feriens securus vindicavit. Sic igitur prælii asperitate noctis mutabant quietem. Nonnullos vero ex hostibus quos vi capiebant nostri, vivos Regi præsentabant. Interea una domus quæ Teutonicos tuebatur a Langobardis incensa ruit, & eos nulla spei certitudine potitos alacriores pugnæ reddidit. Alemanni interea cum Francis & Lutariis hæc mala demum rescientibus fractis muris intrant & in tantum Cives persecuti sunt, ut ne unus e munitione domuum suarum egredi auderet, in quarum summitatibus stantes emissis jaculis nostros gravabant, sed illato incendio cito perierunt. Difficile dictu est quanta strages ibidem diversis modis fit facta. Igitur Milites Regis victoria potiti sine ulla offensione spoliis interemptorum utuntur. Hoc miserabili aspectu Rex ad misericordiam flexus, ut residuis parcerent, præcepit, se vero ad munitionem S. Petri contulit, & hostibus veniam suppliciter implorantibus misericorditer indulsit. Tunc absentes quique accepta Regis victoria aut per se venerunt, ut talia declinarent, aut obsides miserunt, fidem, auxilium & subjectionis debitum ei promittentes. Sedatis itaque Papiæ calamitatibus Rex ad Pontem longum venit, & residuum agmen Langobardorum per manus suscepit. Habito itaque ibidem cum omnibus colloquio, rebusque maximis prudenter ordinatis, Mediolanum petiit: Moxque ad pratum prædicti pontis reversus præsentem populum conquerentem de subito ejus discessu, celeri reditu

reditu promisso, aliisque multis consolationibus placavit. Insistentem vero Pentecostes solemnitatem in loco, qui Grommo dicitur, celebravit, & hinc procedens in Tuscos obvios sibi in consortium servientium sibi accepit. Patriam dehinc festinans revisere, Alamanniæ fines Herimanni Ducis sui gubernatione nuper destitutos, filio ejus adhuc puerulo ad regendum commisit. Inde Argentinam Alsatiæ petens venerandam Nativitatem Christi Præcursoris ibi celebravit. In cujus Vigilia Domus, in qua Rex Populo jura dabat, subito cecidit, unum dumtaxat presbiterum opprimens cum quadam excommunicata Domna sæpius, quam liceret, commorantem. Rex igitur ab Argentina discedens S. Martini Præsulis Limen Mogontiæ supplex adiit, ibique Apostolorum Petri & Pauli solemnia venerabiliter coluit. Post hæc per Franciam Orientalem iter faciens Saxoniam revisit & ad compescendam sævitiam arrogantis Slavi Bolizlai expeditionem Augusto jam mediante indixit. Statuto igitur tempore in Mersburh fit exercitus collectio & in hostem tandem secreta promotio; assimulato namque in Poloniam itinere naves in Borue & Nisani glomerantur, ut ficta suorum benivolentia non fieret inimico circueundi aliqua facultas. Bolizlavo inter hæc quadam die unus e nostris adsistens, Capellanus scilicet Reinberni Præsulis sui, de adventu exercitus alloquitur, & ab eo auditur quid dixerit, inquiritur. Illo verba eadem repetente Tyrannus refert: Si reperent ut ranæ, jam poterant huc advenisse. Interim magna imbrium effusione in transeundis fluminibus exercitui fit difficilis progressio, sed citius, quam quis conicere potuit, in Boëmiam Rex transiit. Cujus adventum Leo rugiens subsequenti cauda impedire satagens, in Silva quæ Miriquidu dicitur, montem quemdam cum sagittariis omni prorsus aditu interclusso firmavit. Rex autem id comperiens, clam præmisit electos milites armis adprime instructos qui invitis hostibus viam arduam irrumpentes, facilem sequentibus paraverunt. Adjuvit etiam Regem Comitatus Exulis Jaremiri & ejus optatus adventus Boëmiorum agmen delinivit. Horum consultu & vocatione Regi introitus patefactus est, & in ipso Regionis introitu unum Castellum sponte illi redditur. Rex autem propter Bawarios nondum adventantes tardato paululum itinere ad urbem, quæ Satzi dicitur, venit, & concives hos portas sibi illico aperientes & Polonios intus præsidio positos occidentes comperit. Videns Rex tantam stragem commovetur, & superstites in una Ecclesia retrudi præcepit. Adest etiam qui Bolizlaum a Comprovincialibus interemptum nuntiaret, lætantur familiares Regis in Deo; corrupti vero ejus fautores contristantur. Nam invicem musitantes dicebant: Si Rex, inquiunt, umquam in bona securitate constiterit, ad nihilum ultra valebimus, multaque ab eo pati contraria debemus; Quapropter latente igniculo sub cineribus sæpissime in hoc itinere, & postea hostem illum Bolizlaum Regi suo præposuerunt, ignorantes quod speculator astans desuper vicarium suum in terris ab eorum fraude liberaturus erat de Cœlis. Tunc Jarimirus jussu Regis cum Militibus Teutonicis & Accolis sibi adhærentibus ad capiendum seu occidendum Bolizlaum processit & Pragam venit. Quem præoccupantes Nuntii corruptorum de exercitu Bolizlavo rem ex ordine pandunt, prius tamen de hoc periculo securo, qui commonitus, clam se præparat; Jamque subsequenti nocte mediante audit in urbe proxima, quæ Wessegrode dicitur, Campanas sonitu Cives ad bellum hortantes, & cum prima legione exiens ad patriam tendebat. Quem Zebizlovo frater Christi Martyris Athalberti Præsulis persecutus in Ponte vulneratus oppetiit & magnum hostibus gaudium, suis autem luctum ineffabilem reliquit. Crastina autem die Jarimirus adveniens populis jura veniamque commissi poscentibus ante portam urbis dedit, illicoque intromissus pristinis honoribus magna jocunditate intronizatur, depositisque vilibus indumentis, pretiosioribus ornatur. Igitur quicquid unusquisque hostium fugitivo vel occiso spoliorum abstulit, illi præsentatur, quibus & aliis multis muneribus delectatus Wessegrodam introducitur, ibique in Domnum declamatur & ipse Regis indulgentiam & secum huc usque perseverantibus diu elaboratum bravium spopondit. Confluit igitur tam vulgi quam Nobilium ad percipiendam novi Ducis gratiam turbæ innumerabilis multitudo & ut gloriosi Regis adventum præstolarentur. Igitur Rex Heinricus adveniens ab Antistite Pragensi Thietdago & Duce Jarimiro cum immenso Cleri totiusque Populi tripudio suscipitur, & ad Ecclesiam S. Georgii deducitur. Confestim Jarimirus cunctis paternis dignitatibus a Rege honoratur coram omnibus convocatis indigenis. Cumque ibidem Rex S. Dei Genitricis ortum celebraret, Godescalcus Frisungensis venerabilis Episcopus nomen cum re possidens Missam canere & populos instituere ab eo præcipitur, & ab Episcopo Thietdago permittitur. Lecto Evangelio gradum ascendens præsentes admonet de timore divino, de conservando geminæ dilectionis vinculo, de obedientia Dei, de honore sublimium potestatum. Deinde Regem blande alloquitur, ut semetipsum agnosceret & quicquid honoris aut commoditatis umquam percepit divinæ pietati, non suis meritis, ascriberet. Insuper & misericordiæ mentionem fecit; quæ unicum salutis est præsidium, summum fidei ornamentum, & remissio peccatorum, in cujus operatione servanda unicuique fidelium tria sunt adoptanda, velle, posse, perficere. Quæ cum a cunctis sint implenda, maxime tamen ab his, qui nullum lædentes sibi cavent, similia a Domino recompensari, & ut acceptabile Deo ab his votum fiat, ex corde debent quæque petita largiri, & omnibus suis debitoribus debita remittere, & hæc concludens, inquit; Te ergo, gloriose Rex, obtestor per nomen & amorem ejus, qui suo debitori decem millia talentorum, id est, conversis suorum trans-

transgressionem mandatorum indulsit, ut Heinrici quondam Marchionis, nunc autem, ut spero, vere pœnitentis, Domine carissime, miserearis, vincula solvas, & gratiam tuam dones, ut libero animo hodie Deum interpelles, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos debitoribus nostris. Qua lacrimabili exhortatione, Rex & ipse lacrimatus placatur, & sic se facturum firmiter spopondit, & post hæc domum rediens misericorditer implevit. Dispositis omnibus in Praga, Bavvarios domum remisit. Ipse vero cum Bohemiorum Duce novo Milzaniæ terminos per ineffabilem itineris difficultatem adiens Budizin urbem obsedit, cumque in una dierum singulos ad pugnam hortaretur, ab uno sagittariorum jaculo appetitur, quod ei qui proximus astabat nocuit, & in alio propositum inimici peregit. Vrbs vero præfata igne adportato exusta fuisset, nisi Guncelini jussio infausta prohibuisset. Vulnerantur invicem multi & nonnulli sunt perempti. Ex nostris autem unus nobilis & genere & animo, Hamuzo nomine, cum Vrbanos sæpe provocatos pene usque ad muros persequeretur, ictu dimidii molaris lapidis per galeatum caput prosternitur & ab insidiantibus inimicis in urbem trahitur; Cujus corpus Heinricus Comes filius Sigefridi de Waldbike, quia miles ejus fuerat, pretio comparavit & ad Patriam reduxit, alter vero, qui ob assiduum venationis exercitium indomitus Thamino vocabatur, dum in Sprevia flumine hostibus fortiter restitit, torrentis lapidum imbricatione corruit, optimaque protectus lorica tardo vulnere tandem oppetiit. Quem unus suorum Satellitum cum protegere voluisset, ne ab aliquo læderetur vel corpus a Slasvis subtraheretur, cuspide confossus super eum corruit. Vrbs itaque prædicta belli asperitate jam pene devicta jubente per nuntium suum Bolizlao Regiæ potestati traditur, salvis defensoribus, præsidioque novo munitur. Post hæc Rex cum exercitu itinere & inedia jam defatigato domum rediit, & Marchiones regni sui ubicumque opus habebant, solitis adminiculis adjuvit; Cumque in Mersburch optatæ quieti indulgeret, Esiconem dilectum Comitem longa infirmitate vexatum, in Liubizi obisse comperit. Cujus corpus adveniens ipse suscepit, & juxta Ecclesiam S. Johannis Baptistæ in Septentrionali parte honorifice sepeliri fecit; pro cujus animæ remedio quoddam ejus prædium Vphusen nominatum cum duobus argenteis candelabris altari sancto & fratribus Deo ibidem famulantibus tradidit. Insuper Wicberto Antistiti mercatores & Judæos ab Gisilero adquisitos & diu commutatos reddidit. Comitatum super Mersburh & beneficium ad ipsum pertinens Burchardo dedit, & Thietberno cuidam super quatuor urbes juxta Mildam positas beneficium concessit. Omne autem Esici prædium sibi judicio retinuit. Post hæc Marchionem Heinricum absolutum a custodia abire præcepit cum gratia. In Patherbrunna Monasterium & omnis apparatus, qui erat permaximus, vorax flamma iniquitatum ultrix consumens multorum fidelium corda commovit: Quos amor divinæ remunerationis ad hæc renovanda communiter accendit.

Anno Dominicæ Incarnationis M V. Rex Natale Domini Thornburh feriavit & in partibus Saxoniæ usque ad tempus Quadragesimæ. In Quadragesima autem Thiele degebat. Pascha vero Aquisgrani celebravit. Bernharius Abbas Herveldensis obiit. Qui licet esset vir venerabilis genere & dignitate, populari tamen famæ nimis intentus, fratres debito fovit indulgentius, ita ut morem Canonicorum in privatis ædificiis & cultioribus vestimentis & ceteris mundanæ gloriæ pompis usurparent. Quo ante obitum suum ægrotante & ultra Fuldam flumen in lenioribus locis cum suis militibus morante, fratres contemptos se putantes, querimonias crebras ad Regem perferunt, sibi necessaria negari & res Ecclesiæ per inutilia dissipari. Quod Rex prudenter intelligens, & eorum vitam non nesciens, tandem modificato sermone respondit; Abbatem si convalesceret de omnibus admoniturum; sin autem, Pastorem illis secundum timorem Dei provisurum. At memorato Abbate paulo post defuncto Godehardum eis patrem gubernatoremque præposuit, quem & de singulis prudenter admonuit, qui per Willegisum Archiepiscopum inductus, primitus eis juxta regulare duriora & aspera mandata præposuit, & licentiam eis aut hæc secum tenendi, aut quo vellent discedendi, ad preces Metropolitani concessit. Qui unanimiter conspirantes paucis tantum Senioribus vel puerulis remanentibus egressi, per diversa loca sunt dispersi. Quos tamen postea saniori consilio & eorum, qui remanserant, industriam ejus ac mansuetudinem intelligentium auxilio quosdam citius, quosdam vero serius pene omnes ad ovile revocavit. Civitatem vero ipsam & claustrales habitationes a superfluis & ineptis ædificiis illico purgavit & in condigna Monachicæ necessitatis habitudinem honeste reformavit. Posita est in loco, qui dicitur Trotmanni, magna Sinodus, ubi Rex, Episcopis & omnibus præsentibus plurima Ecclesiæ inconvenientia & communi eorum consilio hæc statuit deinceps prohiberi, & optimo novæ institutionis decreto gravem peccatorum sarcinam relevari. Actum est hoc decretum Nonas Julii in conspectu Regis Heinrici & conjugis ejus Cunigundæ & Archiepiscoporum Heriberti Coloniensis, Lievizonis Bremensis, Thaginonis Magdaburgensis; Episcoporum quoque Suicgeri Mimigardevordensis, Theoderici Metensis, Bernharii Fardensis, Bernwardi Hildenesheimensis, Retharii Patherbrunnensis, Burchardi Wormatiensis, Notgeri Leodicensis, Auffridi Trajectensis, Thietmari Asnebruggensis, Wicberti Mersburgensis. In obitu cujusque supra nominatorum singuli Episcoporum infra XX. dies, nisi infirmitas impediat, missam pro defunctis celebrent & unusquisque Presbiterorum similiter faciat. Presbiteri vero Forenses tres missas peragant. Diaconi & ceteri inferioris ordinis X. psalteria. Rex & Regi-

Regina infra XXX. dies mille quingentos denarios pro animæ redemptione erogent & totidem pauperes pascant, & XXX. denarios expendant; & totidem lumina accendant. Dux autem Bernhardus quingentos pauperes pascat & XV. solidos expendat. Vigiliam S. Johannis Baptistæ & Vigiliam Apostolorum Petri & Pauli & Vigiliam S. Laurentii & omnium Sanctorum in pane, sale & aqua decernimus jejunare. Vigiliam assumptionis S. Mariæ & omnes Vigilias Apostolorum, sicut in Quadragesima, quatuor tempora, sicut in Quadragesima, excepta sexta feria ante Natale Domini, quam in pane, sale, & aqua decernimus jejunare. Fresones Rex navali expeditione adiens ab incepta contumacia desistere & magnum zelum Liutgardæ sororis Reginæ placare coëgit. Præcepit etiam in Palatio & in omnibus Regni Comitatibus expeditionem in Poloniam & conventum in Liezica per bannum indicari. Convenit exercitus XVII. Kal. Septembris in condicto loco, & Rex S. Mariæ assumptionem in Magdaburh celebrans in ipso die post Missam & caritatem expletam comitante Regina Albiam transnavigavit. Dein ordinatis legionibus progreditur & Regina celeriter reversa in Saxonia sollicite ipsius præstolabatur adventum. Exercitum autem cum prosperitate ad locum, qui Dobraluh dicitur, in pago Liudice venientem, Heinricus frater Reginæ & Jarimirus Duces ad supplementum ejus cum suis venientes lætificant. Sed a Ducibus corruptis, & sua defendere cupientibus per solitudines & paludes circumductus exercitus admodum gravatur, & ne cito ad hostem lædendum perveniret, invida eorum malignitate tardatur. Itaque provinciam Nize vocatam itinere attingentes vix ad Spreviam flumen castra metati sunt; Cumque Slavos ex abdito exercitum lædentes Thietbernus miles inclitus comperiret, ob amorem laudis optimos e sociis clanculo eligendo convocans, eos dolo intercipere tentat. At illi satis providi ut insequentes melius læderent, inter lignorum jacentium densitatem fugerunt & sagittis quibus maxime defenduntur remissis, primo ipsum, dehinc Bernhardum, Isin & Bennonem Arnulft Præsulis milites inclitos cum multis aliis VIII. Idus Septemb. incautos prostraverunt, & spoliaverunt. Ob hoc Rex & omnis exercitus gravi dolore concutitur, & Bolizlaus doluisse a veracibus dicebatur. Post hæc Liutici pridie, quam Oderam flumen attingerent, exercitui sociati sunt, Dominos suos se præcedentes secuti. Inde mox imparibus Ducibus inæquales turmæ usque ad Oderam flumen pervenientes fixerunt tentoria juxta amnem, qui Sclavonice Pober, & latine Castor dicitur. Quos Bolizlaus munitis littoribus præfati fluminis cum grandi exercitu in Crozne sedens nullomodo transire permisit; Cumque Rex ibidem VII. dies commorans naves atque pontes pararet, missis interim speculatoribus suis optimum vadum reperit; Quem VI. Legiones in ipso diei crepusculo jussu Regis intrantes incolumes transierunt. Quod eminus Bolizlai custodes agnoscentes triste & incredibile nuntium Domno suo celeriter detulerunt. Qui tandem per tres & amplius nuntios de his certus effectus castris amotis cum suis propere aufugit, relictis ibidem plurimis rebus suis. Id Rex caute considerans cum omnibus gratias Deo agens, securus flumen transiit. Illi autem qui præcesserant hostes, in tentoriis improvisos oppressissent, nisi Liuticios diu tardantes exspectarent. Profectus inde Rex usque ad Abbatiam, quæ Metcertze dicitur, pervenit, & annuam Tebaidæ Legionis festivitatem, quam maxime venerabiliter potuit, celebravit, & ne monasterium & mansiones absentiam Monachorum, fugerant enim, aliquam molestiam paterentur, sollerter prohibuit. Dehinc hostem in nulla suarum urbium pernoctare præsumentem proxima quæque vastando persequitur, & non amplius quam per duo milliaria ab urbe Poznani a Primatibus suis rogatus consedit. Exercitus autem in colligendis frugibus, ceterisque necessariis divisus magnam cladem ab hostibus insidiantibus sustinuit. Bolizlaus interea per fidos intercessores Regis gratiam petiit, cujus benivolentia exaudiri mox meruit. Vnde Thagino Archiepiscopus cum aliis familiaribus Regis ad civitatem prædictam a Bolizlao rogatus venit, & cum juramentis ac emendationibus dignis firma pacis fœdera apud eum pepigit. Itaque exercitus lætus revertitur, quia itineris longitudine cum intermixta belli asperitate magnum laborem sufferebant. Post hæc Rex nequitiæ auctores eruens, Brunitionem inclitum Satellitem in Merseburh, e Slavis autem optimos Borisen & Vezemisclen cum ceteris fautoribus in Weleresleve laqueo suspendi præcepit. Sæpe cum Slavis in Wirbeni juxta Albim sitam conventione habita, vellent, nollent, necessaria regni sui potenter tractavit atque finivit. Arneburch prius devastatam ob defensionem patriæ renovavit, & quæ diu hinc injuste ablata erant, restituit. Sinodali judicio injustas fieri nuptias & Christianos gentilibus venundari præsens ipse canonica & Apostolica auctoritate prohibuit.

Anno Dominicæ Incarnationis MVI. Rex Natale Domini Palithi egit, Pascha in Niumago celebravit. Burchardus Wormatiæ ordinatur Episcopus, qui in scripturis studiosus magnum illud Canonum edidit volumen, scripturarum sententiis undique compilatis defloratum. Gunterus vir nobilis ac potens de Thuringia consilio Godehardi Abbatis renuntians omnibus quæ possedit, in Alatha monachus est factus. Interea Balduwinum Ducem Flandrensem juventus & rerum affluentia ac mala iniquorum inflatio adversus Regem armavit & Valentinianam urbem possidere in Marcha Franciæ & Lotharingiæ sitam volebat. Quod Rex ubi primum comperit, ipse cum signis militaribus accedens eripere eamdem assidua impugnatione tentavit, sed nil proficiens, abiit expeditionem suam in proxima æstate super Balduwinum orientalibus & occidentalibus firmiter indicens. Hilpericus librum de ratione compoti scripsit.

Anno

Anno Dominicæ Incarnationis M VII. Eclipsis solis facta est hora diei II. Rex item Natale Domini Palithi celebravit, Epiphaniam vero in Gandersheim, ubi odibilem dissensionem inter Willegisum Archiepiscopum & Bernwardum Antistitem de eadem Ecclesia prudenti ingenio diremit. Ubi Bernwardus Episcopus in præsentia Regis & Archiepiscopi ceterorumque Regni primorum eamdem Ecclesiam dedicavit & omnem ibi Episcopalem provisionem sine cujusquam interdictu potestative celebravit. Nam Willegisus Archiepiscopus publice æstimationis suæ culpam professus, juri & repetitioni ejusdem loci abrenuntiavit & in testimonium hujus rei ferulam Episcopalem Bernwardo Episcopo, ut postea in Franconevordensi Concilio claruit, coram Clero & populo condonavit. Archiepiscopus vero hac lite sedata Bernwardum Episcopum omni honore & caritate deinceps dilexit, & in Hildenesheim fraternitate honorifice adquisita, summam dilectionem loco & fratribus exhibuit. Rex Heinricus collecto grandi exercitu ad Sceldam fluvium contra Balduwinum venit. Ibi se Balduwinus cum armata manu præsentans transitum Regi prohibere frustra nititur; Nam Regis milites navibus alio transvecti præsumptionem ejus ex improviso irruentes confundunt. Quo fugiente Rex in Christo lætatus flumen transgreditur, Regionemque contiguam populatur. Cum autem ad Abbatiam, quæ Gent dicitur, veniret, a fratribus illius loci susceptus loco eidem & bonis adpertinentibus cunctis pepercit. Interim Balduwinus necessitate coactus humili supplicatione veniam impetrat, & non longe post, per manus miles Regis effectus, Walecorn & Valentinianam in beneficium adipiscitur. Igitur pacificatis occiduis partibus, generale Concilium in Franconevorde a Rege ponitur & hoc omnibus Cisalpinis Episcopis aditur. Nam Rex Heinricus a puero civitatem suam Bavenberh in orientali Francia sitam unice dilexerat & coluerat, & eam Conjugi suæ Cunigundi in dotem dederat. Postquam autem ad Regni curam divina miseratione est promotus, ibidem Episcopatum constituere semper gestiebat; Et quia dimidium facti qui cœpit, habet, novam ibi Ecclesiam cum duabus criptis inchoavit & perfecit. Omnia quoque quæ ad divinum cultum & ministerium pertinent paulatim congregans, Heinricum Wirceburgensem Episcopum sæpe rogavit, ut proposito animi sui aspirare voluisset, & parrochiam in pago, qui a Radinzea fluvio nomen sortitur, positam justo concambio sibi concederet. Qui dilecti Senioris justas petitiones benigne suscipiens, ea ratione concessit, ut suæ Ecclesiæ pallium permittens Babenbergensem Episcopum sibi subiceret; hocque baculo suo Regi dato & quodam prædio pro commutatione præfata tradito clam firmavit. Cum vero Archipræsulatum se nullatenus adipisci posse sentiret, promissa complere renuit, & ad prædictum Concilium vocatus venire noluit. Consedentibus igitur per ordinem Archiepiscopis cum suis suffraganeis Rex Heinricus humotenus prosternitur, & a Willegiso Archiepiscopo, in cujus Diocesi Sinodus habebatur, elevatus cunctis præsentibus talia fatur: Domini & Patres a mea parvitate huc asciti convenistis, & quamobrem vos ascierim, aperiam, precorque omnium clementiam, ut in his quæ divina gratia mihi, ut spero, inspiravit, pro ejus amore faveatis. Nam quia in sobole habenda nulla mihi spes superest, Christum heredem elegi, Episcopatum in Bavemberh, cum licentia Episcopi mei facere hactenus concupivi, & hodie perficere statui. Ob hoc serenissimam pietatem vestram interpello, ne ejus absentia, qui apud me voluit obtinere, quod mihi non licuit concedere, propositum meum valeat impediri. Ecce baculus, in quo mutuæ confirmationis signum clarescit, quod non propter Dominum, sed ob dignitatis nullatenus adipiscendæ dolorem fugerit. Moveat corda omnium præsentium quod augmentum S. Matris Ecclesiæ cum nugigerula legatione adnullare præsumit. Ecce ad hæc conjugis meæ præsentis & unici fratris mei & cohæredis larga benivolentia aspirat; meque placita sibi redditione illis restituere uterque pro certo sciat; sique Episcopus venire & promissa dignatur suscipere, paratum me ad omne quod vobis placuerit, inveniet. Tunc Beringerus Heinrici Wirceburgensis Episcopi Capellanus surrexit, dicens; timore Regis Antistitem suum non venisse, detrimentum Ecclesiæ a DEO sibi commissæ in aliquo fieri numquam eum laudasse; obsecrat omnes præsentes per amorem Christi, ne talia fieri, eo absente, sibi futurum in exemplum patiantur. Privilegia quoque ejusdem Ecclesiæ alta voce ibi recitantur. Inter hæc, quotiens Rex anxiam Judicum sententiam nutare perspexit, tociens humiliatus solotenus prosternitur. Tandem Archiepiscopo Willigiso, quid de his faciendum esset, judicio perquirenti, Thagino Archiepiscopus primus respondit. Justa voluntas & petitio Regis consensu omnium vestrum legaliter potest impleri; cunctisque præsentibus sermonem ejus confirmantibus, Rex gloriosus Eberhardo Cancellario suo curam pastoralem commisit, quem præfatus Archipræsul Willigisus eodem die consecravit. Post hæc Heinricus Episcopus auxilio Heriberti Archipræsulis Regis gratiam & adimpletionem sibi placitam adquisivit; Itaque eumdem Episcopatum in honore Sancti Georgii & Sancti Petri Apostoli constituit; locumque ipsum prædiorum divitiis & omni ornatus decore ut in præsentiarum cernitur copiosissime ditavit. In meridiana quoque parte civitatis Monasterium in honore Sancti Stephani Protomartyris sub ordine canonico construens; ex altera vero, hoc est, aquilonari aliud Monasterium sub Monachili Regula in honore Sancti Michahelis Archangeli, Sanctique Benedicti constituens, sibi suæque civitati supra Petram Apostolicæ firmitatis fundatæ, muroque & propugnaculis meritorum Sancti Georgii ceterorumque Sanctorum munitæ ac exornatæ contra incentivos vitiorum jactus tur-

rim fortitudinis in Stephano & contra refrigerantes flatus illius, qui in Aquilone, unde malum omne panditur, sedem ponere disposuit, refugium certum in Angelico præparavit præsidio, ut a dextris & a sinistris justiciæ armis vallatæ in nullo sufficiat prævalere. Aliis quoque Sanctorum locis per regni latitudinem munificentiæ suæ impertivit largitatem, quædam dilapsa in melius restituens, quibusdam quæ minus suppetebant adiciens. Rex Pascha apud Ratisponam celebravit, ubi ab Liuticis & ab his qui erant in civitate magna Luvirm [Luibni] & Jarimiro Duce nuntii venientes Bolizlaum sibi multa contraria moliri asserebant, seque ad hæc perficienda verbis & pecunia temptari affirmabant. Intimabant quoque ei, si eum amplius in pace & gratia sua haberet, servitium eorum devotum habere non posset. Hæc ergo Rex cum primatibus caute considerans & ab eis diversa consilii responsa percipiens, iniquæ voluntati eorum in hoc consensit, ut Herimannum Marchionem Bolizlai generum illuc mittens condicta pacis fœdera interdiceret. Quam legationem ab Internuntiis ille comperiens præfatum Comitem, quamvis prius ad se invitatum indigne suscepit, & percepta legatione in multis se excusavit: Sciat, inquiens, Testis Justus omnium Christus, quicquid deinceps facturus sum, invitus faciam. Posthæc collecto exercitu Pagum, qui Morizine dicitur, juxta Magdaburh jacentem, populatur, & fraternitatem, quam in Christo cum Parthenopolitanis prius conjunxerat, hostili asperitate disrupit. Inde ad urbem, quæ Zirwesti dicitur, veniens, urbanos terrore gravi & hortatu dulci devictos secum vehebat. Hæc omnia Principes Saxonum comperientes, nimis tarde conveniebant, & morosius eos insequebantur. Horum primicerius fuit Thagino Archiepiscopus, qui hæc præsciens parum caute res agebat; cumque ad locum, qui Jutriboch appellatur, venissent, visum est prudentioribus non esse consilium hostes cum tam parva multitudine persequi, unde & reversi sunt. Bolizlaus autem Liudize & Zara & Selpuli denuo occupat. Nec longe post Budizin civitatem præsidio Herimanni Comitis munitam socer malignus obsedit: mittensque nuntios suos urbanos postulat, ut urbem sine labore utrorumque sibi redderent, & nullam a Domno suo ereptionem sperarent. Facta pace ad VII. dies, Bolizlaus parat impugnationes, illi per legatos a Domno suo & principibus regni auxilium suppliciter poscunt, alios VII. dies se hosti posse resistere dicentes. Venit Marchio Herimannus Magadaburh, Walchardum præpositum interpellans, omnesque singulariter Principes per legatos evocat, quos diu tardasse querebatur; tamen milites suos interim per legatos animabat. Qui cum assidua Slavi impugnatione laborarent, viriliterque diu resisterent, videntes nonnullos ex sociis animo nutare, Domnumque suum ad se liberandum non venisse, licentiam abeundi cum omnibus, quæ habebant, apud Bolizlaum impetrant, urbemque & reddentes, tristes ad patriam redierunt. Rex hæc audiens animo dolet, hortaturque suos, ne id inultum ferrent, sed hujusmodi affectum nescio quo obstaculo nullus sequebatur effectus. Herimannus Comes frater Arnulfi Episcopi obiit Kal. Junii. Gisla venerabilis Matrona mater Regis obiit XII. Kal. Augusti & Ratisponæ sepelitur.

Anno Dominicæ Incarnationis M IIX. Rex Natale Domini Paliti, Pascha Mersburh, Pentecosten vero Agrippinæ celebravit. Stella Paschalis Ebdomadæ feria II. media die visa est. Mortuo post Pascha Liudolfo Trevirensis Ecclesiæ venerabili Archiepiscopo Capellanus ejusdem Athalbero frater Reginæ immaturus Juvenis plus timore Regis, quam amore Religionis communiter eligitur. Rex autem, ut hoc audivit, non immemor prioris in germano illius Theoderico Metensi Episcopo non præmeditatæ constitutionis conjugem dilectam ceterosque suos familiares de Archiepiscopatu eidem impetrando sollicitos sprevit, & Meingaudo Willigisi Archipræsulis Camerario nobili secundum carnem viro Trevirensem Episcopatum dedit. Propter hoc subdolæ generationis furor accenditur, palatium a Lothariensibus contra Regem firmatur, ac terra hæc hactenus pacifica crebris concremationibus quatitur. Tali præsumptione Rex commotus illo cum exercitu properat, Archiantistitem intronizatum consecrari, Athalberonem vero excommunicari jussit. Deinde obsidione continua per sedecim Ebdomadas, eos qui palatium tuebantur, in tantum constrinxit, ut fame, & assidua impugnatione defatigati aut interius perire, aut in potestatem Regis deberent inviti procedere. Quod ne fieret Heinricus Dux Bawariæ frater Reginæ improvisa calliditate intercepit, eosque exire illæsos apud Regem obtinuit. Postquam vero de his rei certitudinem Rex inquisivit; gravitate mentis id tunc sufferens, postea ultus est. Notkerus Leodicensis Episcopus, & prius Monasterii Sancti Galli præpositus ad Christum migravit, cui Haldericus Ratisponensis Vicedomnus moribus præclarus successit. Gunterus Monachus Athahensis sancta conversatione in Monasterio probatus Heremita est effectus. Hildericus Havelbergensis Episcopus, ut sibi diu ante revelatum fuerat, in Christo spiritum exhalavit; Nam quondam in Magadaburh nimia infirmitate invalescente, a quodam egregio viro in somnis sibi apparente, sic est admonitus: quod finis nunc instet tibi, ne solliciteris; quatuor annos & duas vel tres Ebdomadas adhuc expectabis: Tu vero tempus a DEO tibi concessum non negligas, sed quicquid boni possis, instanter operare, ut æternam vitam promerearis. Præterea Thietmaro Magdaburgensi Canonico, qui Wicberto Mersburgensi Episcopo post parvum temporis in Episcopatu successit, in ea ebdomada, qua recordatio fratrum a cunctis fidelibus universaliter celebratur, paulo antequam ordinaretur Episcopus, quidam per somnium talia revelavit, dicens: In hoc anno præsul Hildericus & Meinricus Decanus, & tu ipse mandatum DEI imple-

implere debetis; cui ille respondit: sicut est voluntas in cœlo, sic fiat; Et in ipso mense Episcopus morte subitanea lineam supremam hujus vitæ conclusit. In sequenti nocte lux magna a multis visa apparuit. Subita & nostris temporibus insolita aquarum refusio facta est III. Idus Januarii feria II. Luna X. damnum inferens & VII. diebus in sua rabie persistens.

Anno Dominicæ Incarnationis M IX. Papa Johannes Phasianus, id est, Gallus positus obiit, cujus privilegii auctoritate Mersburgensis Ecclesia noviter renovata, roborata est. Sergius IIII. qui dicebatur Bucca porcus, sedit annis II. mensibus IX. qui etiam Episcopii consolidator fuit Mersburgensis. Rex Natale Domini in Palithi celebrans cum Simmista suo Thaginone tractavit, qualiter post mortem Wicperti Præsulis Mersburgensem Ecclesiam bono Provisori commendaret. Hic enim longa infirmitate detentus diem supremum sollicitus præstolabatur; cui ille inquit; Est in meo Monasterio quidam frater nomine Thietmarus, quem vos nostis; Hunc sua modo prudenter disponentem ad hoc largiente DEO spero idoneum. Ad hæc Rex ait: utinam hanc voluisset suscipere; nam me fautorem certissimum ad ea, quibus indigeret, non dubitaret habere. Mittitur illico Theodericus ipsius Nepos, qui hæc illi ex parte Regis & Archiepiscopi intimaret, & ad hæc facienda pro posse suaderet; qui in Magdaburh positus postquam legationem suscepit, taliter respondit: DEus omnipotens Domno & Patri nostro vicissitudinem tribuat, quod mentionem mihi alicubi in bonum facere dignatur, me ad hæc immeritum judico. Potens est etiam DEus Episcopum adhuc viventem de manu mortis eruere; si autem prorsus recuso, a solita ejus gratia me repudiari vereor, non est mihi præter hanc aliquod auxilium, a quo vel hæc promereri, vel majora valeam percipere. Post mortem Præsulis, quod DEO placet & potestatibus ab eo constitutis, libenter implebo. Retharius Patherbrunnensis Episcopus pridie Nonas Martii obiit, cui Meinwercus Regis Capellanus successit. Sanctus Bruno, qui & Bonifacius Archiepiscopus gentium, primum Canonicus Sancti Mauritii in Magdaburh XVI. Kal. Martii Martyr inclitus Cœlos petiit. Pater hujus Bruno dicebatur, mater Ida, frater vero ejus Gevehardus dicebatur. Gebehardus genuit Burchardum & Idam, Burchardus genuit Gevehardum Patrem Conradi Archiepiscopi Magadaburgensis. Ida peperit Gebehardum patrem Lotharii Imperatoris. Fuit igitur hic Beatus Martyr Bruno ex genere clarissimo editus, sed divina miseratione præ ceteris parentibus suis inter filios DEI dilectus: hic ab Ida venerabili matre sua unice dilectus magisterio Geddonis Philosophi traditus est, & omnia quibus indigebat, cum abundantia ei præbebantur. Qui cum mane ad scolam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petiit, & sociis ludentibus in oratione ipse fuit. Otio negotium præposuit & sic fructificans ad maturitatem pervenit. Ad Ottonem Imperatorem tertium diu desideratus venit, quem non longe post deserens, solitariam vitam quæsivit, & de opere manuum suarum vivebat. Regnante autem II. Heinrico Mersburh veniens benedictionem Episcopalem cum licentia Domni Papæ ab eo petiit & ejus jussu ab Archiepiscopo Thaginone consecrationem, &, quod ipse huc detulit, pallium ibidem suscepit. Dehinc ob lucrum animarum laborem grandis & diversæ viæ subiit, castigans & crucians corpus suum inedia & vigiliis. Multa a Bolizlavo, aliisque divitibus bona suscepit, quæ mox Ecclesiis & familiaribus suis & pauperibus nil sibi retinendo divisit. Duodecimo anno suæ inclitæ conversationis, ad Pruciam pergens, steriles ejus agros semine divino fœcundare studebat, sed spinis pullulantibus horrida non poterant facile molliri. Cum igitur in Confinio Rusciæ & Lituæ prædicaret, primo ab Incolis prohibetur, & plus evangelizans capitur, & amore Christi qui Ecclesiæ caput est XVI. Kal. Martii mitis ut agnus decollatur, cum XVIII. sociis suis. Quorum corpora insepulta jacuerunt quoadusque Bolizlaus id comperiens ipsa mercatus est, & domui suæ futurum solatium adquisivit. Pater ejusdem Antistitis longe post infirmatus, ut ipse narravit, præcepto filii monachicum habitum suscepit. Wicbertus Mersburgensis Episcopus obiit IX. Kal. Aprilis. Hic ex optimis parentibus Australis Thuringiæ originem duxit; in Magadaburh vero ab Ochtrico disciplinæ regimen sumpsit. Hunc egregie educatum Gisilerus Archiepiscopus sibi in servitium familiariter ascivit, & multo tempore secum habuit singulari beneficio, & Archipresbyteratus officio eum demulcens; Sed iniquorum susurratione assidua quidam ei subtrahens mentem ejus in tantum abalienavit, ut relictis omnibus suis Regi Heinrico adhæreret, & ei optime placeret. Erat enim egregius statura & facundia & voce pulcherrima, sapiens in consilio, jocundus in colloquio & largitatis immensæ. In diebus sibi hæc suæ Ecclesiæ adquisivit; Sidageshusen & Wiribeni; in Derdelunge VIIII. Mansos; in Dalewi VII. in Menstide III. De sua vero proprietate concessit Ecclesiæ V. in Ophusen VII. Mansos, & saltum, qui Pulcher mons dicitur. In libris & in aliis divinum servitium respicientibus plurimum contraxit. Non minus quam X. annos toxicata læsus potione crebram passionem corporis & in Mense Martio magnum sustinebat laborem. Prædicatione assidua commissos a vana superstitione erroris reduxit, lucumque Zudiburc dictum, ab accolis ut DEum in omnibus honoratum & ab ævo antiquo numquam violatum, radicitus eruens, Sancto Martyri Romano in eo Ecclesiam construxit; præter hanc tertiam & quartam in Magdaburh, multasque alias ipse dedicavit. Quinque annos & sex ebdomadas & dies quinque in Episcopatu sedit. Flebiliter peracta confessione ab Episcopis Wigone Brandeburgensi, & Herico Havelbergensi, qui Hilderico successerat, percepta remissione ad Christum migravit. Rex autem in Franconevord audita ejus morte memori-

moriam pro eo debitam fieri præcepit. Jam tunc quorumdam instinctu voluit Ethelgero cuidam bene merito Episcopatum dare; quod cum Thagino Archiepiscopus resciret, summopere renuit, & cum assidua supplicatione Thietmarum cum gratia Regis per Gezonem præpositum vocavit. Ea nocte vidit in somnis baculum Episcopalem juxta lectum suum stare, & quemdam interrogantem, si vellet Episcopatum Mersburgensem suscipere, qui ait: Si DEus vult & Archiantistes, qui me jubet venire. Ille autem persecutus, inquit, præcave tibi quam cautissime, quia quicumque Sancto Laurentio cerebrum moverit, statim insanit; cui ille respondit: Tueatur me custos hominum Christus, ne in hoc vel in aliquo offendam Majestatem Divinam aut Sancti intercessionem mihi avertam. Interim legatus Archiepiscopi ingreditur, & ostensis illi duabus epistolis in Sabbato magno ad Augustanam urbem præcepit eum venire; Venitque Parthenopolim & in die Palmarum cum licentia præpositi & fratrum inde profectus est. Hoc anno Dominica Palmarum die Guttæ sanguinis in quibusdam locis vestimentis hominum instillabant. Sol nebula horribili obscuratus & colore stupendo mutatus mirantibus intuentium oculis velut sanguineus ac minor se visus terrorem incussit III. Kal. Mai feria VI. Luna I. duobus diebus tales minas ostendens III. die proprio vix lumine vestitur. Pestilentia & mortalitas graviter secutæ sunt. Rex Pascha celebravit in civitate Augusta. Ibi cum electione omnium præsentium pastoralem curam Mersburgensis Ecclesiæ in III. feria post Pascha cum baculo, Thietmaro dedit. Hujus Avus Lotarius, postquam in Domnum suum Ottonem primum Imperatorem deliquit, nævam hanc abluere sedulo cogitavit. Unde Monasterium in loco, qui latine Silvaticus Rivus, Teutonice Waldbike dicitur, in honore Sanctæ Mariæ construxit, & Willigisium ibi præpositum statuit, concedens his fratribus ad victus vestitusque necessaria decimam partem hereditatis suæ; quo vita discedente, uxor illius Machtildis votum dilecti sui Senioris faventibus ad hæc duobus filiis suis Lothario & Sigefrido perficere anhelavit, & post obitum egregii patris Willigisi Reinbertum de orientali Francia natum succedere fecit. Hic post multorum annorum curricula mortuo jam Sigefrido & Machtilde matre ejus, auxilio Lotharii antiquæ civitatis a III. Ottone Antistes est effectus. Tunc quidam Clericus nobilis genere nomine Theodoricus suasu Lotharii decem mansis hanc præposituram ab ipso comparavit. Post hæc idem, de quo loquimur, Thietmarus, mortua jam matre sua, prædii medietatem, quod præfatum Cœnobium respiciebat, a fratribus suis in hereditatem accepit. Deinde patruum suum sæpe alloquebatur, ut sibi liceret curam ejus Cœnobii subire, si non dono, saltem mediocri pretio. Qui post longam deliberationem posthabito caritatis & affinitatis debito magna ab ipso poposcit, & quia in germanis suis nullo fruebatur adminiculo, desiderio ejus consensit, suscepitque curam Cœnobii, annuente Antecessore suo, ob acceptam commutationem sibi placitam. Post hæc mortua uxore fratris sui, rogatus est ab eo, ut sepulturam optatam illi præpararet. Qui cum sciret Willigisum venerabilem præpositum ibi tumulatum primo renuit, tandem rectum & pudorem voluntatis ejus posuit, & quod gentibus nefas videtur, ille Christianus in dejectione sepulcri & ossuum operabatur. Calicem quoque argenteum, quem ibi invenit, in elemosinam pauperibus reservari præcepit, quem nullatenus postea comperit. Sed in subsequenti infirmitate agnovit, quia per hoc in Domnum nimis peccaverit, sed cum hanc divino adjutorio superasset, orationis causa Coloniam petiit. Quadam autem nocte audiens clamorem immensum, quid hoc esset, percunctatus est, & vox de contra infit: Et ego Willigisus hic sum, qui tui culpa hic vagor. Qui expergefactus obstupuit, & quamdiu supervixit, hæc se fecisse gemebat. Factus Episcopus Wiligisum fratrem suum ex patre ipsius altaris servum communi fratrum electione eidem Monasterio præposuit. Rex ab Augusta discedens proximo Sabbato Novam urbem advenit. Ibi Thietmarus in octavo Dominicæ Resurrectionis die ab Archiepiscopo Thaginone, Hildewardo Cicense & aliis non minus quam quatuor aspirantibus in præsentia Regis Crismate in Sacerdotem perunctus est VIII. Kal. Maj. Inde Rex per Danubium fluvium navigio Ratisponam venit. In diebus illis in Saxonia maxima fames fuerat. Interea Dux Heinricus frater Reginæ rebellionis gratia Bawariam clanculum intrare præsumens, interclusum sibi aditum a provida Regis sollertia ut primo persensit, mox fugiendo rediit. Quapropter optimi Bawariorum regali edicto Ratisponam conveniunt, & quamvis Duci suo sponte omnes jurassent, se per tres annos, alium aliquem non eligere, tamen a Rege objurgati blanditiis & minis, ab ejus famulatu & auxilio abducuntur, sibique specialiter assumuntur. Fratres quoque de Monasterio Christi martyris Emmerammi, quod Arnulfus Imperator in urbe Ratispona construxit, ibique pausare corporaliter elegit, unanimiter Regis pedibus pervoluti, ex parte præsulis sui Gerhardi multa flebiliter querebantur, & Laïci præsentes magnis lamentationibus hos subsequuntur. Difficile est enarrare, quanta de eo populus præsens ad vanam superstitionem animæque suæ detrimentum pertinentia differerent. Optime prius culta destruens, novis insudabat multis laboribus. Patriam cum commissis deserebat; aliena quamvis longinqua supervacuis cultibus excolebat. Si interiora exterioribus concordarent, aut ceteris esset melior aut longe inferior. Rex Pentecostem Mersburh celebravit. Deinde Magadaburh venit. Ibi Marchio Werinharius a Rege in multis accusatus: gratiam ejus & beneficium suum instinctu Dedonis Comitis perdidisset, nisi infirmitas ejus subitanea id impediret, & nisi Burchardus Palatinus Comes hoc differri prudenti consilio satageret. Erat hic Dedo de

do de quadam tribu, quæ Butzieci dicitur; pater ejus erat tempore primi Ottonis nomine Theodericus egregiæ libertatis vir, qui genuit hos fratres Comites Dedonem & Fridericum: Dedo Marchioni Ricdago & filio suo Karolo ab infantia serviebat, & gemina cordis ac corporis virtute pollebat. Hic Boëmios insurgentes ad Cicensem Civitatem perduxit, & cum his vastando circumquaque perlustrans ad ultimum Matrem suam hostis non filius captivam cum ceteris abduxit. Post hæc reconciliatus Imperatori Ottoni III. in parvo tempore gratiam ejus & familiaritatem promeruit. Interim Bio Comes Mersburgensis in expeditione obiit, & Gisilerus Archipræsul hujus Comitatum inter Wipperam & Salam & saltum Willerbike fluvios jacentem huic Dedoni adquisivit. Insuper Zurbike Burcwardum, quem Antecessores sui in beneficium possiderunt, sibi & fratri suo Friderico vendicavit. Thietburgam quoque Theoderici Marchionis filiam duxit, & ob hæc omnia adeo superbia intumuit, ut Regi molestiam in occulto & aliis multis nobilioribus inferret in aperto. Dotem & patrimonium Reginæ Cunegundis quæ soror sua erat, Ecclesiæ Bavenbergensi a Rege delegari dolens, contra ipsum rebellat. Rex a Parthenopoli digressus instabiles mentes occidentalium probare & ne solito commoverentur, sedare tentavit. Hos plerique laudant quasi injusticiam Domnorum suorum pati nolentes, nos autem quasi ignavos e contra vituperant, sed probabiliores multo sunt, qui Deo, potestatibusque ab eo constitutis se humiliant & cedunt, quam hi qui æquitatis freno a Deo imposito regi nullatenus curant, sed vitia sua aut viribus corporis, aut arte, aut eloquentia defendere nituntur. Igitur Rex dolore & ira motus in Franciam venit, & in pluribus locis multa damna perpetrata sunt, ibique peracta æstate rediit in Saxoniam sine pace. In diebus illis Teodericus Metensis Episcopus & Dux Heinricus frater ejus cum conspiratoribus suis Regi & suis familiaribus magnam molestiam inferens, sibi suisque successoribus inexorabile detrimentum promeruit; Quædam enim Ecclesia, quæ extra Metensem civitatem stabat & congregatio ibi Deo serviens, a Slavis Deum non timentibus devastatur. Hoc damnum Rex cum juramentis ex magna parte de sua proprietate restituens, ne quid huic simile accideret, cunctum exercitum suum cavere præcepit. Vineas tantum & ædificia cum frumento ceterisque utilitatibus læsit. Octingenta mancipia S. Stephani propter famem & alias necessitates a patriis finibus egressa sunt absque consensu præpositorum, exceptis his, qui cum licentia eorum abierunt. Satius esset huic Ecclesiæ si natus non fuisset homo ille. Dedo Comes interea Werenhario Marchioni magnum dedecus verbis & operibus inferebat, & seminarium mali rursus excitavit, quod eum oblitum fuisse putavit; Ejus enim consilio & auxilio urbs patris ipsius, quæ Teutonice Walmarstide dicitur, Slavonice autem Vsture, eo quod Ara & Albia fluvii hic conveniunt, incensa est & depopulata. Hæc ergo omnia animosum pectus egregii Juvenis commoverunt, cumque hostem de civitate Tongeremuthe dicta, quia Tongera fluvius ibidem in Albiam cadit, equitare veraciter comperisset, Fridericum filium patrui sui Sigefridi cum XX. militibus armatis secum assumens, in summitate unius Campi ad Mosum villam pertingentis, qua eminus aspici potuit, eum viriliter aggreditur, & mox fugientibus plusquam XL. sociis fortiter resistentem cum Eilhardo suo milite occidit, & post hæc juste perdidit, quod ipsius Dedonis instinctu prius irrationabiliter pene amiserat. Incendia multa facta sunt, ita ut homines in quodam vico exusti interirent. Monasterium quoque Mogontiacense constructum a Willigiso Archiepiscopo cum maximo decoris stu[illegible]io in honore S. Martini cum omnibus ædificiis sibi cohærentibus, sola veteri Ecclesia remanente miserabiliter igne consumitur III. Kal. Septemb. Anno Regni Heinrici secundi VIII. tonitrua & coruscationes hiemali tempore sæpe fiebant. Sub eodem Heinrico civitas Goslaria hoc modo fertur fundata fuisse. Locum hunc Heinricus II. frequentare venatus gratia consuevit, nam nemorosus erat, & ursorum, cervorum, caprarumque venatu insignis. Erat in eodem loco homo pauper vitæ agrestis nomine Gundelcarl, cujus tugurium Rex post venationem intrare solebat. Cui idem spe majoris mercedis focum & mensam præparare, cibos coquere, & ei post laborem solebat offerre; Nam & Reges in tali negotio servitia servulorum vel rusticorum non repudiant. Quod cum sæpe faciens substantiolam suam expendisset, Regem, ut servitii sui memor esset, admonuit, sibique aliquid, quo inopem vitam tueretur, concederet, quod tamen regiæ magnificentiæ conveniret. Tunc Rex, cum oportunum, inquit, fuerit, servitii tui prœmia recipies; Sed, ut solet, pauperis memoria a corde potentis citius elapsa est. Post hæc rursum Rex ad præfatum locum veniens, rustici casam more suo intravit, cui ille totius anni victum undecumque contractum expendit. Quod cum sæpius fecisset & nihil ab eo consecutus fuisset, quodam die pedibus Regis prosternitur, & ut aliquid mercedis consequeretur, precatur. Qui optionem quid vellet petendi illi dedit. Ille nil aliud se velle dixit, quam ut mons sibi contiguus, qui Rammesberch dicitur, in beneficium sibi daretur. Tunc Rex liberalissimus, quæ illi magis expedirent petere jussit; sed ille nihil aliud se velle affirmabat, forte non ignarus quid utilitatis mons ille sibi conferre potuisset; Tandem Rex victus importunitate hominis montem concessit, dicens se tamen velle, quod utiliora sibi petivisset. Nec mora homo jam dictus Franconiam adiit, erat enim & ipse Franco, & plures gentis suæ assumens socios, locum Goslariæ ædificare cœpit, primusque venas metallorum argenti, cupri, seu plumbi ibidem reperit. Qui multis morer? Homo ille ultra modum cum suis ditatus est, multique mortales locum incolere cœperunt,

perunt, resque suas, ut ab ipsis emerentur, deferre. Hoc modo forum rerum venalium quam maxime celebratum habuit initium. Itaque sicut fieri solet, illis ex divitiis superbia crevit, & undecumque illuc adventantes spreverunt, multisque injuriis affecerunt. Res ad Principes Saxoniæ perlata est, qui eis per legatos mandant, si quietam & tranquillam vitam vellent agere, cessarent illo adventantes injuriis lacerare; sed illi de divitiis confidentiores facti, ut consueverant, venientes illuc opprobriis affecerunt. Vnde Principes Saxoniæ commoti suos illo miserunt, & multos eorum necaverunt; alii vero manus furentium vix evaserunt. Sic locus ille prius ab Alienigenis inhabitatus Saxonibus cessit. Rem taliter esse gestam ab his qui tunc fuere cognovimus. Verum utrum constet, an contra sit, minus compertum habemus. Nam & montem a primis incolis illius loci Frankenesberch nominatum dicunt.

Anno Dominicæ Incarnationis MX. Rex Natale Domini Palithi celebravit, ubi Theoderico Dedonis occisi filio Comitatum Patris & omne reliquum beneficium jure & hortatu Reginæ & Principum suorum dedit; Insuper & Marcam, & quicquid Werinharius ex parte Regis tenuit Bernhardo ejusdem Theoderici avunculo concessum est. Hic erat filius Teoderici Ducis & Marchionis, qui eamdem dignitatem perdidit succedente sibi Lothario ejusdem Werinharii patre, postquam Slavi, Ecclesias in Branneburch & Havelbergam destruxerunt, & relapsi sunt denuo ad paganismum. Heinricus Comes filius Heinrici de Stathe destruxit Castrum Herseveld, quod pater suus construxerat, & fecit ex eo Monasterium & congregationem canonicorum. Erat hic venerabilis Comes litteratus, & in divino servitio valde studiosus, adeo ut ter se daret in proprium servum S. Dei Genitrici Mariæ, tociensque se redimeret cum libris & reliquis ornamentis Ecclesiasticis. Herimannus Comes filius Ekkihardi Marchionis, gener Bolizlai, & Guncelinus Marchio invicem diffidentes in Saxoniæ Regionibus inusitato more conflixerunt. Nam Guncelinus Strelam civitatem a militibus Herimanni custoditam expugnare tentans & nil proficiens, Rocholenci urbem juxta Mildam flumen sitam non bene provisam incendio consumi præcepit. Quicquid tamen incommoditatis eidem Comiti inferre potuit, quia semper patrui in fratrum filios sæviunt, facere non distulit. E contra Herimannus Comes & Ekkihardus frater ejus Castellum quoddam juxta Salam situm, quod Guncelinus unice dilectum sibi muris & præsidio firmaverat, bonisque innumerabilibus repleverat, ex improviso circumdantes expugnant, & divisa inter se omni illa congerie, radicitus illud dejiciunt & incendio consumunt. Hæc omnia ad aures Regis perveniunt. Nec mora ipse Merseburh veniens ad ea discutienda, cum prædictorum Comitum sententias advertisset, culpam omnem Guncelino Marchioni imputat, qui a se prius in multis spreverat & de illato sibi dedecore ultorem non exspectaverat. Adjecit quoque his, quod familias multorum sæpe id sibi conquerentium Judæis vendidit, nec jussu suo has reddere mandavit; nec latrocinia a sua potestate aliquando compescere curavit. Questus est etiam, majorem apud Bolizlaum fratrem suum gratiam habere eum hactenus, quam deceret, aut sibi placere deberet. Aderant ibi præsentes quidam, qui cum propria vita eum esse reum Majestatis affirmare voluerunt. Inter tot querimonias & ipsius suorumque excusationes commune consilium principum a Rege quæritur, a quibus diu hoc secrete volventibus ita respondetur. Scimus equidem eum apud vestram dignitatem non esse inexcusabilem, & ut vestræ pietati omni reluctatione remota tardatur, bonum nobis videtur Misericors autem Deus vos admonere per suum spiritum dignetur, ut non qualitate sui meriti, sed quantitate vestræ clementiæ, quam magnam esse compertum est, in eo faciatis. Eorum itaque consilio Rex benignus aspirans, eum suscepit, & Arnulfo Antistiti firmiter custodiendum commisit. Misnæ vero præsidii continuationem ab hostibus muniens Friderico eam ad tempus providendam commendavit. Proxima vero messe interventu Reginæ & instinctu Archiepiscopi Taginonis, cum consilio etiam & laude principum aliorum Herimanno Comiti Marcham dedit. Eamdem urbem interea Brun Comes frater Guncelini ordine vicis suæ custodiebat; Et ecce priori die, quam Herimannus adventaret, magna Poloniorum caterva in primo diei crepusculo Albiam transgressa usque ad portam civitatis sibi promissæ latenter accessit; sed cum facilis ei propter intus positos milites non pateret ingressus, reversa est tristis proh dolor illæsa, nemini tamen nocens. His ductores erant duo Wenetici ex suburbio. Hi namque sanguine suo talem præsumptionem merito persolverunt. Bolizlaus autem inter spem & metum sollicitus Budizin eos expectabat, quos ubi adventantes comperit, delusum se esse graviter sustinuit. Posthæc Herimannus Marchio per regalem nuntium introducitur, & debitoribus suis, quicquid in eum deliquerant, dextra affirmans remisit. Ansfridus Episcopus Trajectensis, de cujus vita in priori libro aliqua dicta sunt, postquam creatori suo humiliter obediendo divinis se mancipavit præceptis, virtutibusque enituit insignis, calcatis terrenis inter Angelicos Choros æternis fruitur bonis. A Natali Domini usque ad inventionem S. Crucis, infirmabatur, appropinquante jam carnis ejus dissolutione Crucem in fenestra, quæ ibi post caligationem oculorum ejus facta fuit, vidit & circumstantibus se videre, manifestavit, laudans Deum & dicens: In circuitu tuo Domine, lumen est, quod numquam deficiet. Tandem sacra viatici perceptione munitus doctus tota expectatione judicem diligere, atque, ut ita dixerim, timendo præsentialiter, renuit timere perpetualiter. Multum in S. Dei Genitricis intercessione, cui se suaque dederat, confisus, tam

tam diu signaculo S. Crucis sese signavit, quoadusque dormiens in pace, mente simul, & manu quievit. Post cujus obitum Trajectenses nudis pedibus & armatis manibus venerunt flentes, orantes & domesticis ejus dicentes: Pro Dei nomine date nobis Pastorem nostrum, quo portetur ad suæ sedis tumulum; quod contra venerabilis Abbatissa ejus videlicet filia sacratissima cum Capellanis & militibus respondit: In eodem loco debet sepeliri, ubi vita præsenti a Deo permissus est exui. Prope erat, ut armati ex utraque parte periculosissime convenire, & plures vita deberent carere, sed Domna Abbatissa se in medio eorum prostravit, & pacem inter illos ad momentum impetravit. Interea videbatur militibus, quod ex illa parte, qua fratrum fuerant officinæ, ab aqua Ema nominata ad montis supercilium ipsius traherent sarcophagum, quod, dum niterentur, corpus a Trajectensibus sustollitur, & levissime, sicut ipsi testati sunt, trans aquam ducitur. Sic fortior pars militum delusa est. Post translationem corporis sacri fragrantia miri odoris per viam ultra tria milliaria veracium hominum, sicut ipsi testati sunt, nares perfudit & pectora. Huic Adelboldus successit: Basilica in Wugerestorp fulmine terribiliter interiit cum sibi pertinentibus. Sed etiam Cometæ tunc visæ sunt. Rex in hac æstate & proxima hieme consilio & virtute pacificatis hostibus contumelias & damna a Bolizlavo sibi illata ulturus post Pascha expeditionem suam atroci jussione indixit.

Anno Dom. Incarn. MXI. Rex Natale Domini Franconevord celebravit; Et in capite jejunii Corbejam venit, ubi Bernhardus pius Dux V. Idus Febr. obiit, & in Luniburch Cœnobio Beati Michahelis magno exequiarum planctu sepultus, quod ipse a fundamento construxerat, & in quo Monachorum congregationem adunaverat. Willigisus Mogontinus Archiepiscopus ad Christum migravit, in cujus locum Erkenbaldus Fuldensium Abbas successit; quem Bernwardus Hildenesheimensis Episcopus Kal. Aprilis consecravit. Mortuo Duce Bernhardo filius ejus Bernhardus in Ducatu successit. Hujus frater erat Thietmarus Comes, qui interfectus est postmodum in duello coram Heinrico Imperatore. Octavo decimo die mortis supradicti Ducis mortuus est Ludigerus frater ejus, & eodem anno Hildigardis Ductrix obiit; Machtildis quoque Abbatissa, filia Liudolfi, filii Ottonis magni Imperatoris. Pestilentia & mortalitas ubique gentium monasteria, castella & oppida devastabant. Post hæc convenit exercitus Regis in Belegori, quod pulcher mons dicitur, in prædio Geronis Marchionis; multæque miseriæ eidem Marchioni tunc acciderunt; Nam vice amicorum inimici ei fuerunt, exceptis duntaxat quibusdam mancipiis omnia consumentes, quædam etiam igne exurentes. Tunc Bernhardus Dux & Walthardus Præpositus Magadaburgensis gratia convertendi Bolizlaum præcesserunt; ac nil ibi quod sibi placeret invenientes, reversi sunt. Venit etiam huc Jarimirus Boëmiorum Dux inclitus & Regi per omnia fidelissimus. Hinc ad Liutize pagum venerunt, in cujus fronte est urbs quædam Geronstat a Gerone, qui magnus fuit, sic vocata. Ibi tunc capti sunt duo fratres prædicti ex provincia Hevellun & urbe Brandeburch, qui ut Bolizlaum contra Regem instigarent, ierant; sed revertentes palam laqueum inciderunt, quem clam tetenderunt. Hi de multis interrogati, nilque de his omnibus volentes confiteri, in uno colle periere suspendio. Infirmabatur interea Rex & Thagino Archiepiscopus. Tunc Principes angusto in pectore versabant, quid de incepta expeditione fieri deberet. Tandem decretum est ab eis, ut Rex cum Episcopis quibusdam & infirmiori multitudine rediret. Arnulfus autem Halberstadensis & Meinvvercus Patherbrunnensis Episcopi cum Duce Jarimiro & Marchionibus Gerone & Herimanno ceterisque compluribus Cilensi & Diedesi vastarent. Sic ergo, ut decreverunt, factum est. Prædicti seniores cum urbem Glogovva dictam, ubi Bolizlaus erat, ac eos perspicere poterat, gregatim ac loricati transirent, militum hæc a muris cernentium animos provocant; moxque Ducem suum, cur talia pateretur, alloquentes, sibi eos adtemptandi licentiam poscunt; Quibus ille ait; Exercitus, quem videtis, numero parvus est, virtute magnus & e millibus ceteris electus; Hunc si aggrediar, sive vincam, sive superabor, imposterum depressus sum: Regi possibile est, alium exercitum illico congregare; multo melius est vos hoc modo patienter ferre, & alias si fieri possit, absque magno nostri detrimento his superbientibus nocere, & nostras injurias vindicare. Sic insolens animus militum sedatur, & in hoc itinere nulla eorum voluntas in Saxonum adversitatibus satiatur. Quamvis autem crebra inundatione imbrium Saxones aliquantum tardarentur, tamen late magnum hostibus damnum intulerunt. Tandem vastatis omnibus circumquaque jacentibus Boëmii ad sua, Saxones autem læti ad Albiam remeabant; præmissisque ad Regem veredariis se cum omni prosperitate advenire indicant. Qui jam bene convalescens legationem istam & eos pone sequentes amicabiliter suscepit in Mersburh ad se venientes. Archiepiscopus autem Thagino de Strela prius a Rege divisus sanctam Thebæorum solemnitatem Magadaburh celebravit, & ad Regem Mersburh incolumis venit. Tractatis igitur patriæ laborantis plurimis necessitatibus, Rex iterum occidentales Regiones adiit; Fluctivagos habitatorum animos sapientiæ freno edomans. Eodem anno III. Kal. Augusti feria II. luna XXVI. cecidit glacialis grando ingens & horrenda; Ventus ingens plurima ædificia subito turbine subvertit & multa alia damna intulit. Asico presbyter inclusus obiit. Item Adhela Romæ inclusa ad Christum migravit. Eodem anno Rex habuit Concilium in Mogontia civitate, ubi Theodericus Metensis Episcopus & Heinricus Dux fratres Reginæ interfuerunt; cumque omnia ibi juxta suum placitum eis respondere

non potuissent, revertebantur irati, pace tamen ad tempus facta. Et cum eos Heimo Episcopus Wirdunensis & Dux Theodericus nil male sperantes eadem via sequerentur, illi latentes in insidiis, ex improviso irruunt, & paucis effugientibus cum Episcopo interfecti sunt innumerabiles viri. Dux Theodericus graviter vulneratus, quia amicus eorum fuerat, captus abducitur, & multos dies custoditur. Post hæc datis obsidibus solvitur, & ob hoc a Regis gratia non amovetur. Eodem anno inter milites Balderici Leodicensis Episcopi eo præsente & Lambertum Comitem Lovaniensem apud villam Hugardis dictam prælio conserto Episcopus Lamberto vincente multis suorum captis aut occisis, gravi atteritur infortunio. Fuerat hoc anno hiems insolita, pruinarum asperitate importune longa, ita ut a solis calore insolubilem multo tempore glaciem retineret, ac multa hominum corpora languida redderet. Suicgerus Monasteriensis Episcopus venerabilis sedens annos XVI. magna infirmitate, quæ omnigenam virtutem perficit gravatus, in Christo obiit XIIII. Kal. Decembris.

Anno Dominicæ Incarnationis M XII. Rex Natale Domini in Palithi festiva jocunditate celebravit. Benedictus Papa VIII. hujus nominis sedit annos XII. hic Gregorio cuidam in electione prævaluit. Ob hoc ille in Nativitate Domini ad Regem in Palithi venit cum omni apparatu Apostolico expulsionem suam lamentando omnibus innotescens. Hujus crucem Rex in suam custodiam suscepit & a ceteris abstineri præcepit, promittens cum ipse eo venisset, hæc secundum morem Romanum diligenter finiri. Posthæc dilectam sibi Mersburh invisit, & firmata ibi ad quinque annos pace cum consilio paucorum, urbem Liubuzuam ædificari & confirmari præcepit; de qua multi prædixere futurum malum, quod in brevi agnitum est non esse falsum. Venerunt itaque missi a Rege in fine Mensis Januarii, & ibidem purificationem Sanctæ Mariæ peragentes in XIIII. diebus opus impositum compleverunt, & præsidio urbem munientes redierunt. Juxta hanc in parte Aquilonari stat civitas quam a prædicta urbe una tantum vallis dividit: In hac XII. portæ sunt, hæc si quis diligenter lustraverit, opus Julii Cæsaris & magnam Romanorum structuram mirabitur; hæc plusquam decem millia hominum capere potuisset: Minor autem, quæ tunc perfecta est, a primo Heinrico usque ad illud tempus vacua steterat.

Peracta in civitate Bavenbergensi majori Ecclesia, cum natalitius dies Regis instaret & XXXV. jam inciperet annus pridie Nonas Maji omnis Senatus ad dedicationem illius aulæ congregatur, & hæc sponsa Christi per manus Johannis Patriarchæ Aquilejensis & aliorum XXXVI. Episcoporum consecratur; quæ, ut summo Regi decuit, in omnibus ornata fuit. Posthæc Synodus fit ibidem magna, in qua Gebehardus Ratisponensis Episcopus ab Archiepiscopo suo arguitur, & Metensis Præsul Theodericus a Rege increpatur, quod in Epistola sua injuste hunc apud Papam accusaret. Hæc omnia & multa alia consilio prudenti finita sunt. Rex omnibus in Orientali Francia dispositis Pentecosten in Mersburh celebravit, atque in primo mane ipsius diei Archiepiscopus Thagino infirmari cœpit & missam canere non potuit. Tunc jussus est Thietmarus ejusdem urbis Episcopus huic officio succedere. Postera die Archiepiscopus ad modicum convaluit, & ad Regem ambulans se multum commovit, atque in tantum tardatus est, ut per se nihil amplius posset. Accersitoque Sigefrido Abbate fratre Thietmari Episcopi & Erico Havelbergensi Episcopo peccatorum confessionem his fecit: cumque abire vellet juxta caminatam Regis, solio suo portatur, & dormientem Regem alloquitur: Gratias tibi condignas, Domne mi, referat omnipotens DEus de cunctis miserationibus tuis, quibus me peregrinum hactenus visitasti & consolatus es. Tunc ad Ecclesiam veniens Missam audivit, præsentes ipse benedicens. Inde portatus ad navim Givicanstein deductus est. Ibi Sabbato requiescens die Dominica juxta urbem suam Spuziu vocatam navigio venit. In secunda feria cum in ipso itinere jam pene defecisset, Walthardum Præpositum vocavit, ejusque fidei se suosque committens V. Idus Junii ad Christum, quem semper amavit, lætus abiit. Fit oratio a Confratribus cum intermixtis fletibus & Bodo miles hæc ei indicare ad Regem mittitur. Corpus autem ipso die ad Frasam venit, ubi Sacerdotali veste præparatum ad sedem suam transfertur, & cum ingenti tristitia suscipitur. Rex audita morte Archiepiscopi, misit Ericum Havelbergensem Episcopum ad fratres, præcipiens, ut electio non fieret, sed tantum consensus unanimis & hic ei indicaretur. Illi autem ne perderent, quod ab Antecessoribus Regis acceperant, concorditer elegerunt cum Episcopis Suffraganeis Eido, Wigone, Erico, Thietmaro, Walthardum Præpositum, & miserunt Redingum custodem Ecclesiæ ad Regem, ut memor Domini & antiquæ promissionis, ut familiam Sancti Mauricii orbatam tanto patre consolari voluisset. Corpus autem Archiepiscopi benedictum usque ad locum sepulchri cum cantu & planctu defertur, ac positum est in occidentali parte in Choro, quam ipse fecit & consecravit, & in se quamdiu vixit, rogavit coram altari sepeliri, ubi & lacrimabiles sæpe effudit orationes. Sed Walthardus locum hunc, in quo nunc pausat, quia non erat dedicatus, animæ salubrem & introeuntibus cunctis conspicabilem dilecto suo Seniori providit. Erat hic Archiepiscopus justus ac timoratus ac miræ caritatis, largus, & fidelis, castus ac mitis, prudens & stabilis, Canonicus habitu, sed Monachus in omni conversatione sua: vitia omnium ob meliorationem aspere carpebat, bona quæque laudans. Non fuit apud modernos ullus Pastor, qui fratribus suis familiarior esset, hos amavit, hos coram populis laudavit, Regibusque & Principibus. Primo ordinationis suæ anno Templum Domino ædificare cœpit; Pres-

Presbyteris & Diaconibus vestitum VIII. siclis, Subdiaconibus autem & infantibus quatuor adauxit. Nisi infirmitas obsisteret omni die Missam & psalterium cantavit: Et quia ob lassitudinem jejunare non potuit, hoc elemosinarum multitudine redemit. In vigiliis supra modum laborabat: Nobiles genere & moribus amavit; Ignobiles autem non contempsit; sed in familiaritate non habuit: omnia sibi divinitus commissa excolebat, & lucrari contendebat; Antequam divinum perageret ministerium serius fuit, quo peracto, omnibus hilarem se præbebat, & sæpe cum suis Kirie eleyson canebat. Arnaburch & Frasam ac Pretim urbes cum Curte una, quæ Esiconis fuit Comitis, suæ adquisivit Ecclesiæ. Apparatum Episcopalem satis egregium & affluentem congregavit. Sedit annos VIII. menses IIII. dies VIII. Eodem die Wugerus Posnaviensis Episcopus XXX. ordinationis suæ anno obiit. Redingus autem ad Regem veniens legationem suppliciter profert, & quamvis ardue desiderata impetrat, ac Walthardum Præpositum per Internuntium vocat, qui in exequiis dilecti Senioris sui studiosus jam viginti talenta argenti excepto victu distribuerat. Ergo profectus a Magdaburh in Sabbato Gronam venit, comitante Thietmaro Mersburgensi Episcopo, cum ceteris Confratribus & mox in præsentiam Regis venientes & misericorditer suscepti Rege pauca pro tempore locuto ad hospitium ire sunt permissi. Nam extra urbem hospitati erant juxta lucum Ecclesiæ Sancti Alexandri. Crastino erat dies Dominica & festivitas Sancti Martyris Viti. Tunc audita Missa vocati sunt ad Regem, solusque intromittitur Walthardus, & usque ad tertiam horam soli colloquebantur. Deinde omnes in præsentiam venientes examinatione Regis ipso cum primitus eligente in patrem elegerunt, & optimi quique aspirabant. Accepto a Rege baculo & sacramento Regiæ potestati exhibito, introductus est in Ecclesiam & laus a præsentibus DEO canitur. Quem in proximo Sabbato Arnulfus Halberstadensis Episcopus jussu Regis Archiepiscopum intronizavit, & uterque cum honore & jocunditate susceptus est. Postera die unctus est ab Eido Misnensis Ecclesiæ venerabili Episcopo cum adjutorio fratrum suorum Wigonis Brandeburgensis, Hilliwardi Cicensis, Erici Havelbergensis ac Thietmari Mersburgensis; adjuvit etiam eos Arnulfus Præsul. Tunc Redingus ab Archiepiscopo constitutus est in præpositum cum communi electione fratrum. Rex Generum suum, hoc est, Reginæ fratrem, iterum cum exercitu petere volens cum præsentibus Principibus, qualiter Bolizlaus ab eis invaderetur, tractavit. Hæc omnia novo Archiepiscopo suasque curias in Saxonia positas commendavit. Interim a Bolizlai nuntiis rogatus Ziciani causa pacem faciendi venit; ubi magnifice susceptus duas noctes mansit, nilque proficiens cum muneribus magnis revertitur. Adfuit mox expeditionis statuta dies, id est VIIII. Kal. Augusti, & exercitus juxta locum qui dicitur Zribenz convenit, & sic sursum usque prope Belegori ascendit. Tunc visum est Principibus non esse bonum perfici iter inceptum, sed optimis Marcam firmari præsidiis. In sequenti nocte Archiepiscopus capite nimis infirmatur, & quia Inventio Protomartyris Stephani tunc fuit, Missam cantavit proh dolor ultimam. Quinta die Givicanstein veniens, Bernwardum Hidinsheimensem Episcopum benedictionis, & cujus peritus fuit, curationis causa vocavit. Erat quoque ibi Fridericus frater Dedonis Comitis & Eid Misnensis Episcopus multum pro eo in oratione continua laborans. Venerunt etiam adhuc eo vivente Arnulfus & Hilliwardus cum Meinwerco, Erico & Thietmaro Coëpiscopis. Omnes ei indulgentiam faciebant: Thietmarus autem unxit eum oleo sanctificato. Qui cum jam finis adesset, videns ad lævam aliquid, quod sibi displiceret, signo crucis dextra potenter se muniit, & aversus corpore & vultu contraxit faciem quasi ploraturus, & mox remisit lætus. Jamque semianimem a lecto elevaverunt ac tapeto superposuerunt; accensisque luminaribus vocatur Thietmarus Episcopus. Jamque stola induto crux sancta fuit pectori superposita, in manibus cinerem & subtus cilicium habebat, ut Eid Episcopus monstrabat; Et cum sol die jam mediante declinaret adhibito incenso II. Idus Augusti transiit anima ejus ad creatorem unde erat. Post hæc solutis visceribus & intra Ecclesiam & caminatam sepultis corpus præparatur & altari præsentatur, factaque pro Defunctis memoria corpus ad Conri eodem die, crastino ad villam juxta montem Sancti Johannis sitam defertur. Adfuit ibi flens omnis Clerus & Judæorum pars magna &, quorum pater erat, Orphanorum multitudo lamentantium, amici quoque cum hæreditariis omnibus, cum luctu corpus suscipiunt. Mox Confratres, excepto Bennone, conservandæ electionis gratia Theodericum elegerunt, licet ob juventutem electionem in eo impleri diffiderent. Vesperi Arnulfus Episcopus venit. Crastino tumulatur corpus ad dextram Antecessoris in australi manica in Vigilia Assumptionis Sanctæ Mariæ. Fuit hic homo timoratus, bene morigeratus, pollebat gemina dilectione summaque Religione creber in Vigiliis orabat cum lacrimis, largus in elemosinis, opem ferens miseris. Sciebat hæc omnia in se compleri debere, sed speravit in majori tempore. Sacorphagum magnum ad includendas sanctorum Reliquias fecit de argento. Ecclesiam Rotundam post incendium magnum illius civitatis dilapsam a fundamento erexit, ibique Canonicorum congregationem facere proposuit: Non fuit hic verbosus, sed conscientiæ secreto congruis manifestanda declarabat. Librorum copiam & Sacerdotalem apparatum cum plurimis secularia respicientibus, quæ in ejus fine multorum inutiles manus distraxerunt. Sedit VII. ebdomadas & II. dies. Rex Metensem urbem obsedit, donec justicia mediante pax inter eos convenit. Regina autem, ut primum hæc omnia comperit, per Gezonem Pincernam su-

um Regi juxta Metensem urbem cum exercitu sedenti nuntiavit; qui vehementer admiratus & de singulis requirens per eumdem, ut regnum ipsa procuraret usque ad suum adventum, ei celeriter demandavit. Bolizlaus interea de morte Archiepiscopi certus, congregato exercitu Libuzuam, de qua supra diximus, quia sciebat ob inundationem Albiæ nullum a Saxonibus auxilium advenire posse, obsedit, hortatuque milites accessit & defensores ad modicum restiterunt: Magnam enim hanc urbem mille tantum homines tuebantur, cui vix tria millia suppeterent. Bolizlaus interim ad prandium sedebat, & Satellites suos victores lætus cernebat. Porta aperitur, & multorum sanguis effunditur; Capiuntur ex eis optimi Guncelinus & Wilo & urbis infelix custos Isich vulneratus. Hic namque urbem quamcumque umquam tuendam accepit, non ignavia sui, sed infortunio semper amisit. Omnes in præsentiam superbi Triumphatoris ducuntur, cujus jussu ad custodiendum mox abducuntur. Ex suis tamen sociis non minus quam quingentos amisit. Divisa ergo immani præda & urbe incensa XIII. Kal. Septembris victrix turba cum Duce lætissima rediit. Regina Mersburh manens ab Internuntiis festine comperit hæc omnia, jussitque Comprovinciales juxta Mildam congregatos sedere & usque ad adventum Regis patriam tueri. Rex ab expeditione occidentali reversus, Geronem suum Archiepiscopum facere conatur, cui Præsul Ericus legationem pro Theoderico electo aperiens, non exauditur. Theodericus autem Gronam vocatus venit, & a Rege per manus suscipitur, & in vice Geronis deinceps habetur. In Natale Sancti Mathæi Sehusen venit: postera die Magadaburh venit, & in Refectorio fratres omnes convenire fecit. Ibi Regis petitione & salva in posterum electione Gero communiter eligitur. Itaque in Ecclesia se primum altari tradens & communia fratrum X. mansis adquirens, baculum pastoralem a Rege accepit; Mox intronizatus ab Eido Episcopo unctus est, Coëpiscopis eum adjuvantibus. Rex inde Mersburh veniens, diu ibi manebat, & procurationem Regni cum summis tractabat. Erlwinus Cameracensis Episcopus obiit. Conradus quoque & Herimannus puer egregii Duces obierunt. Hoc anno quadragesimali tempore Monacho cuidam in extasi rapto ostensa est visio mirabilis, quam interim dum ipse loquebatur, præsentes scripto notaverunt, & pro maximo habetur miraculo: quæ quantum terribilis impiis, tantum laudabilis prædicatur piis. In quadam villa Saxoniæ Sueviæ Cokstiden nomine, nati sunt gemini fratres cum dentibus os habentes quasi aucæ, alter vero dextrum brachium dimidium quasi ala aucæ; tertia die nativitatis dicuntur inter se risisse, quos civili consensu contigit mori; quare diu eos vivere omnibus erat timori. In Francia quidam miles dum bona Sancti Clementis Budineveldun per vim raperet & justiciam inde facere nollet, una dierum ab innumerabilibus muribus intra cubiculum impugnatur; qui primum fuste arrepto eos prohibere tentans, posteaque evaginato ense eos aggressus, sed nil omnino proficiens arca quadam, ut ipse rogavit, inclusus in medium fune suspenditur, cumque plaga exterius sedaretur, jamque liber solvi debuisset, intus ab aliis usque ad mortem corrosus invenitur. Interea Jarimirus Dux Boëmiorum Regis gratiam suppliciter petens, pro misericordia & restitutione exilium & custodiam Athelboldi Præsulis, Ansfridi successoris, accepit. Qui pro immensa cæde Bawariorum ad Bolizlaum sine licentia Regis ac sua cum muneribus tendentium & trucidatione ibidem sibi commissorum, & non aliqua Regis infidelitate hanc ultionem meruit. Hoc Regis inimici audientes irriserunt; Provinciales autem ut sibi futurum timuerunt. Postea Odelricus frater ejus Mersburh venit a Rege vocatus, & Regnum, quod injuste usurpaverat, gratuito munere suscepit. Eadem tempestate a piratis magna vastatio facta est in partibus Aquilonis provincia Unna, multisque interfectis & captis incensisque omnibus, pauci nudi evaserunt. Quo tempore inundante Danubio & stagnante Rheno ita ineffabilis populi ac pecoris ædificiorumque & silvarum impetu erutarum multitudo periit, ut habitatores illarum partium sua vel Antecessorum memoria id nunquam accidisse firmarent. Terræ motus quoque per loca fiebant, & ingens commotio aëris cum tonitru & fulgure. Rex a Mersburh navigio Arneburh venit, & cum Slavis confluentibus multa discutiens rediit, & omnium Sanctorum festa in Helmanstidi celebravit. Deinde ad occidentales abiit regiones. Post festum Sancti Martini, Confluentiæ Sinodum habuit, Theodericum Metensem Episcopum, ceterosque suos rebelles causa damnandi, si nollent converti. Quod Regis decretum illi aliquantulum timentes, legatos de pace miserunt. In eodem Concilio ab omnibus adsidentibus Episcopis Theoderico interdictum est, ut ante purgationem Missam non celebraret. Rex recenti injuria saucius pacem poscentibus per omnia non satisfecit. Tamen Mogontiæ se videndi licentiam dedit, quo quidam ex illis venire neglexerunt; Alii regio imperio parentes sine securitate suspensi adhuc redierunt. Expulsio Judæorum a Rege facta est Mogontiæ & quorumdam hæreticorum refutata est insania. Liudgard uxor Wernharii Marchionis mortua & Wallebike sepulta a viro suo multum defletur: Ipsa enim fuit vitæ ejus etiam animæ & rerum diligens custodia; Divino quoque famulatui insudans jejuniis in frigore & oratione continua magis pro illo quam pro se, ab hostium insidiis eum hactenus protegebat. Godehardus relicta Herfeldensi Abbatia remeavit ad Altaha.

Anno Dominicæ Incarnationis M XIII. Rex Natale Domini in Palithi festivis peregit gaudiis. Duæ lucernæ ardentes mundo subtractæ Cœlo Lievizo Archiepiscopus Bremensis & Wonleph Presbyter & solitarius. Archiepiscopus namque vi febrium detentus cum laboris sui præmium morte imminente a Deo speraret.

ret, ut erat nimiæ caritatis, providebat suis portum salutis. Erat inter ceteros Clericos Otto quidam ei specialius familiaris; Quem nobiliter Episcopatu dignissimum esse prædicans, ipse primus in hoc opus elegit. Deinde Cleri ac populi unanimiter acclamantis eadem vota persensit, ac sic lætus obdormivit in Christo II. Nonas Febr. Erat enim unus ex eorum numero, quos ut nubes & quasi columbas ad suas fenestras volare propheta miratur. Ipse enim ob vigiliarum & jejunii assiduitatem, dum adhuc valeret, quasi mortuus ignotis videbatur. Ad altare Domini sine oblationibus nunquam accessit: assiduus erat populi monitor & omnibus arridens hilaris dator. Suis precibus apud Deum meruit, quod inter continuas incursiones furentium Piratarum sedes sua intacta permansit. Rex interea de Alstide discedens, postquam Epiphaniam Domini celebravit, & Bolizlavi Nuntios pacem poscentes & confirmationem cum filio ejusdem Mesicone fieri promittentes audivit, ibique Lievizonis obitum comperit, recordationem ejus summopere faciens. Posthæc Purificationem S. Mariæ in Magadaburh celebravit, & in ipsa die prædictus Otto Clericis ac Laicis comitantibus supplex venit, & Regis gratiam ad completionem electionis per fidos intercessores postulavit; quos Rex nullatenus audivit, sed Capellano suo Vnwano cum laude advenientium, etsi non spontanea, Archiepiscopatum dedit, Ottonem per manus suscipiens & promissa sibi pietate demulcens. Tunc jussu Regis in præsentia ejusdem a Gerone Archipræsule & auxilio Episcoporum Ekkihardi, & Thurgati Vnwanus ungitur. Hic Archiepiscopus in plerisque Paschæ festivitatibus septem Episcopos secum habuit, insuper Abbates, nec minus Ducem & aliquos hujus Provinciæ Comites, magno honore singulos amplectens. Interpositis paucis diebus Miseco Bolizlai filius cum magnis muneribus veniens, Regis miles efficitur & fidem sacramentis firmat. Dehinc cum honore magno remittitur &, ut iterum veniat, delectatur. Principale templum Hildinsheimensis Ecclesiæ, Diabolo insidiante, per noctem igne succensum, sed solo divinæ miserationis subsidio velociter est extinctum. Sed hoc nobis restat lugendum, quare in eodem incendio cum pretiosissimo Missali ornamento immensa periit copia librorum XII. Kal. Febr. Interea pervenit ad aures Regis, quod Wernharius Lotharii filius cum Ekkihardo Herimanni Marchionis fratre ad Bolizlaum sine sui licentia pergerent, ibique multa suæ gratiæ contraria loquerentur, ejusque sæpe nuntios in secreto haberent. Hæc omnia Rex graviter suscipiens, utrosque in sui præsentiam venire jussit: Qui cum venire non auderent, comprehensis omnibus eorum bonis, quod Regiæ potestati resisterent, diffamantur. Tandem Werinharius gratiam & incolatum cum prædio suo & auro multo comparavit. Ekkihardus vero longe post cum fideli interventu revertitur. Wanlief Heremita verus Israhelita XV. Kal. Aprilis in Domino obdormivit. Crispianus Pataviensis Episcopus obiit, cui Beringerus ejusdem loci Decanus successit. Obiit quoque Ekwardus Presbyter & Monachus in claustris. Rex in Quadragesima Werlu veniens, diu colica passione laborans infirmatur, & multa sibi per visionem monstrata sunt. Statuerat autem sanctum Pascha se Aquisgrani acturum, quod repentina infirmitas distulit. Quæ divinitus tantum ei timorem incussit, ut alios dignitate exutos, alios gratiæ suæ dulcedine privatos remittendos priori redderet loco; sed lacrimis & orationibus multorum convalescens, quia ad prædestinatum locum pervenire non potuit, Paschale festum Patherbrunnæ cum Meinvverco Episcopo celebravit, quod eatenus Regibus fuit insolitum. Tempestatis validæ horrida tenebrositas homines subito perterruit, quam fragor & ignis subsequuntur, & in locis quibusdam Ecclesias subvertentes, multa alia damna commoverunt, Idus Maj. Luna I. Feria VI. Rex Pentecosten Mersburh celebravit. In cujus vigilia Bolizlaus cum securitate obsidum, quos secum detinuit, eo venit cum apparatu diversorum munerum, & optime susceptus est. In sancto die manibus applicatis miles Regis efficitur, & post sacramenta Regi ad Ecclesiam ornato incedenti armiger habetur. In secunda feria Regem & Reginam magnis muneribus oblatis placavit. Ipse vero regia largitate his majora & meliora cum beneficio diu desiderato suscepit, & obsides cum honore & lætitia remisit. Post hæc Rusciam Teutonicis auxiliantibus Bolizlaus petiit & magna Regionis illius parte vastata, cum commotio inter suos & hospites Pezineigos fieret, eos, quamvis sui essent fautores, jussit omnes interfici. Regnabat in hac terra Wlademirus. Hic duxerat a Græcia uxorem Helenam tertio Ottoni desponsatam, sed ei fraudulenta calliditate subtractam; cujus hortatu Christianitatis fidem suscepit, sed eam justis operibus non ornavit; Erat enim fornicator immensus & crudelis, magnam vim Danais imbellibus inferens; Tres vero habens filios uni eorum Bolizlai Ducis filiam in matrimonium junxit; Cum qua missus est a Polonia Reinbertus Præsul Salsecolbergensis, qui in pago Hasegun dicto natus, liberalique scientia a prudentibus Magistris doctus, gradum Episcopalem dignus ascenderat. Nam fana Idolorum destruens incendit, & mare dæmonibus sacratum immissis quatuor lapidibus sacro crismate perunctis, & aquam spargens benedictam, novam Domino propaginem in infructuosa arbore, id est, in populo nimis insulso sancta prædicatione eduxit. Vigiliarum & abstinentiæ ac silentii assiduitate corpus suum affligens, cor ad speculum divinæ contemplationis infixit. Quem prædictus Rex, audiens filium suum hortatu Bolizlai clam velle sibi repugnare, comprehendit cum filio proprio & uxore ejus, & in singulari custodia clausit. Vbi cum se lacrimis, assiduæque orationis ex contrito corde prolatæ hostia summo sacerdoti reconciliaret, ex arcto corporis carcere solutus, ad libertatem perennis gloriæ gaudens transiit. Bolizlaus autem

hæc omnia comperiens, in quantum potuit, vindicare non destitit. Post hæc Rex ille plenus dierum obiit, integritatem hæreditatis suæ duobus filiis relinquens, tertio adhuc in carcere posito; Qui postea elapsus conjuge ibidem relicta ad socerum fugit. Prædictus Rex lumbare venereum habuit innatæ fragilitatis augmentum, sed Christus cum lumbos præcingi juberet, continentiam & non aliquod provocamen innotuit. Sed quia idem Rex a suis prædicatoribus de lucerna ardente audivit, peracti criminis maculam assidua elemosinarum largitate detersit; Cumque diu regnum illud tenuisset, decrepitæ jam ætatis obiit, sepultus in civitate magna Cuiewa juxta Helenam conjugem suam in Ecclesia Christi Martyris Clementis, Sarcophagis eorum in medio Templi stantibus. Rex sapiens Heinricus stultorum forsitan depravatus consilio, Fuldensis Monasterii bona miserabiliter diripuit, dum sibi fratrum vita displicuit, data occasione corrigendi, invaluit potestas destruendi. Branhago ejusdem Cœnobii Abbas deponitur, & succedente sibi Poppone Lauresheimensi tunc Pastore hoc Monasterium fratribus late discedentibus proh dolor a priori statu mutatur. Commotio aëris valida hoc anno fiebat, ut in plurimis locis ædificia ruerent, & res quædam pretiosæ a fulmine interirent. In civitate Bernhardi Ducis Lumiburh dicta horribilis hiatus terræ patuit, ipsi templo minas ruendi præbens, & incolis timore perterritis spem effugii ad tempus auferens. Eodem anno Arnulfus Halberstadensis Antistes Gerenrothe a venerabili ejusdem loci Abbatissa Hathwi ad festivitatem Christi martyris Ciriaci invitatus venit, & in die sancto cum post Missam de Ecclesia ambularet, vidit Clericum quemdam accipitrem in manu tenentem, & zelo commotus eumdem per brachium apprehendit, & secum duxit, non ut puniretur, sed verbis mansuetis corriperetur. Fama volans Geronis Marchionis Satellites congregat, quorum primus Hugal nomine ad Episcopum veniens; cur Domnum suum sic inhonorare voluisset? interrogat: Et Antistes inquit, quid feci. Vidi abominationem Christi, quam quare in meo facta est Episcopatu sustinere non potui. Nil mali factum est. Ponamus diem vobis placitam, si a communibus amicis culpabilis invenior, digna emendatione restituo. At ille prosequitur, dicens. Non sic esse debet, nec fieri ita valet; Hodie aut sacramentis vos expurgate, aut Domno meo & nobis dignam emendationem promittite. Ad hæc præsul infit. Sancta solemnitas me jurare prohibet & vos illud suscipere, multumque est miserabile, quod justicia mihi soli a vobis denegatur. Post hæc ille iratus egreditur, & milites armati ignorante Marchione glomerantur; cumque jam Episcopus cœnare vellet, videt omnes appropinquantes, & domus in qua fuit, firmiter obseratur & munitur, cumque eam impugnare voluissent, dictum est illis pro vero, quod Episcopus alia via declinans ibidem non inveniretur: Itaque in Monasterio & in Claustro quæritur, & sine dedecore latens atque hæc omnia cernens nullatenus invenitur. Tandem sedato furore illi ad hospitium pergunt, & domum suam tristes revisunt. Convocatis postera luce militibus suis Episcopus ad propriam remeavit Sedem, Abbatissamque nimis flentem consolatur. Rex hæc omnia comperiens hos conspiratores sibi præsentari præcepit. Quem cum Marchio prædictus nimis iratum cerneret, per internuntios eum placare nititur. Quos Rex ea ratione audivit, ut prius trecenta pondera talentorum Episcopali ditioni solverent, & qui in hoc facto culpabiliores deputarentur, aut sacramento XI. amicorum expurgarent, aut secundum Canonicam auctoritatem ei satisfacerent. Facta itaque inter eos mutua pace, post Pascha induciæ ponuntur, huc utrorumque amici conveniunt, & Episcopus in occidentali Monasterii parte venit, sedens in solio summi gradus. Ibi solus Marchio juramento satis credibili expurgat, Satellites vero sui more pœnitentium de manu prædicti Antistitis singulariter suscipiunt ea ratione jejunium, ut si quando admonerentur, onus subirent impositum. Hoc tempore Odelricus Boëmiorum Dux Bosionem inclitum suum militem, ceterosque complures interfici præcepit; eo quod eos fratrem suum exulem a falsis criminationibus adjuvare audierit, tamen omnes caute in his cladibus discerent, qualiter sibi in futurum præcavere debuissent. Boemii quondam regnante Zuentepulcho principes vicinarum gentium fuere; huic census multo tempore vel annis solvebatur, & hic in regione sua, Marierim dicta, Episcopos habuit; quæ omnia hic & ejus successores propter sui arrogantiam perdiderunt. Sine maximo timore in his provinciis nemo dominatur, quia pura caritate inde exclusa, regnat ibi perjurium cum fraude socia. Rex ad Occidentis Regiones pergens, iter suum in Langobardiam disposuit, & iterum Mersburh repedavit & inde XI. Kal. Octob. discedens per Bavvariorum fines atque Suevorum transivit. Mox inundatio nimia facta est aquarum multa damna inferens XVIII. Kal. Januarii Luna VIIII. feria II. quod Rex parvipendens iter, quod ceperat, peregit: Ad quem exercitus undique confluxit & bene juvantium voluntas patuit. Ad supplementum hujus itineris Bolizlaus antea invitatus, nil aspiravit, & in bene promissis solito mendax apparuit. Insuper antea Domno Papæ questus est per Epistolam, quod sibi non liceret propter latentes Regis insidias promissum censum Principi Apostolorum persolvere. Tum missis eo tacite nuntiis rimatur, quomodo Rex in his partibus haberetur, quoscumque potuit ab ejus gratia per eosdem amovere conatus. Tantus huic imperio respectus Dei erat. Sic piorum interventum quæsivit. Ita cluebat militis incliti firma fides & de sacramentis terribilibus adeo curavit. Inter hæc scelera cum se peccasse graviter aut ipse sentiebat, aut aliqua fideli castigatione perpendebat, Canones proferri, qualiterque id debeat emendari quæri faciebat, & secundum hæc scripta scelus commissum purga-

purgare contendebat; Sed major erat illi consuetudo perniciose peccandi, quam in salutari pœnitentia perdurandi. Hujus compar & quasi Collega Hartwigus a Langobardis falso Rex appellatus adventum magni Regis & potentiam exercitus doluit, & suis viribus huic ad nocendum diffidens in Castelli cujusdam munitionem se protinus recepit, hoc solum ingemiscens, quod Rex vocatus ad majorem honorem tunc accessit. Itaque post longam animi æstuantis deliberationem, legatos ad Regem misit, qui comitatum quendam dari sibi peterent, & coronam suam cum filiis ei reddíturum veraciter promitterent; quod, quare consilio quorumdam consentiens, Rex facere noluit, ad magnum suis familiaribus damnum id provenire postea persensit. Hujus Heinrici temporibus Romæ in una Ecclesia in dextra parte altaris ab uno foramine pavimenti per integrum diem multis cernentibus oleum manavit; de quo Johannes Crescentii filius ampullam plenam Regi transmisit. Hic Johannes Apostolicæ Sedis destructor muneribus suis & promissionibus phaleratis Regem in palam honorificavit, sed Imperatoriæ dignitatis fastigium eum ascendere multum timuit, omnimodisque id prohibere clam tentavit. Rex enim erat zelo Dei fervens, & Ecclesiarum prædationes fortis armatus ubique vindicabat, & omnibus juste judicabat. Ille vero terrenus natura & actibus cœnulenta voragine traxit in prædam, quod multorum devota manus ad aram Apostolorum concesserat.

Anno Dom. Incarn. M XIIII. Rex Heinricus Natale Domini Papiæ honorifice celebravit. Item diluvium fuit. Rex Ravennam properans habita Sinodo Arnoldum fratrem suum Episcopali dignitate prius donatum, & quorumdam vi redire coactum auctoritate Papæ ac cuncti Senatus consilio revocat, eumque Archipræsulem digno honore stabilivit. Deinde Romam venit. It obviam tota civitas, licet dissono voto, tamen, ut par erat, suo Domno dant laudum præconia extollentes ad sidera. Anno Regni sui XIII. VI. Kl. Mart. die Dominica Heinricus Rex inclitus XII. Senatoribus vallatus, quorum sex rasi barba, ceteri prolixa cum baculis mistace incedebant, cum Regina Cunigunda ad Ecclesiam venit S. Petri, Clero & populo expectante. Ante quam ab Apostolico introduceretur, interrogatur ab eo, si Romanæ Ecclesiæ Patronus & defensor, sibi autem & suis successoribus per omnia fidelis esse vellet: At ille devota professione id se facturum respondit, & sic ab eo unctionem Imperialem & coronam cum conjuge sua suscepit. Priorem autem Coronam super altare Principis Apostolorum suspendi præcepit. Eodem die Papa eis cœnam copiosam Lateranis fecit. In octava vero die inter Romanos & Teutonicos in Ponte Tiberino magna contentio oritur, & utrimque multi corruerunt; tandem nox eos diremit. Hujus rei auctores tres germani extiterunt Hugo, Hezil, & Ezelinus, qui capti sunt & in custodia detenti, e quibus unus in his partibus evasit; Secundus ad Fuldam ductus est; tertius autem in Castello Giwkinstein diu servatus. Arnoldum fratrem suum Imperator ab Apostolico consecrari fecit; Supplantatorem autem ejus Adelbertum injuste diu ibi sedentem primo degradare voluit, sed assidua piorum intercessione devictus Aricinæ præfecit Ecclesiæ. In Ravenna duos & Romæ totidem Sinodali judicio Papa deposuit ab Archiepiscopo Leone iam muto consecratos. Sanctorum Patrum Instituta diu in his partibus neglecta cum excommunicatione redintegrata renovantur. Prohibent namque Canones, ut ante XXV. annos Diaconus, Presbyter autem & Episcopus ante XXX. annos aliquis nullatenus ordinetur. Imperator Dominicam Resurrectionem in Papia celebrans instabilem mentem Langobardorum caritate cunctis exhibita firmabat. Dehinc sedatis cunctis tumultibus reversus est ab Italia. Ob id Hartwigus admodum gavisus Vercellensem civitatem invasit, Leone ejus Episcopo vix effugiente, omnem hanc civitatem comprehendens iterum superbire cœpit: Multi quoque obsides & alii Romanorum custodiæ traditi Imperatore redeunte callide fugam inierunt, violantes pacem, & belli rursus consilia captantes. Imperator Episcopatum in Bobia civitate, ubi Confessores incliti Columbanus & Attala corporaliter requiescunt, quod erat tertium ornamentum devotionis ipsius, communi consilio & licentia comprovincialium Episcoporum construxit. Post hæc cum magna gloria Alpinas difficultates superavit, & nostræ Regionis serenitatem adiit, & Pentecosten Bavenberch festive peregit; ubi privilegia ejusdem loci jussit inscribi firmata sigillo suæ auctoritatis, & jure Apostolico Romani Pontificis. Karolus Comes filius Ricdagi Marchionis obiit IIII. Kal. Maji, qui omne suum beneficium turgida inflatione injuste accusantium & nulla sui culpa prius amiserat, & illatum facinus æquanimiter toleraverat. Eodem die Machtildis nobilis virgo, quæ in saltu Geronis cum Domna Hathwi Abbatissa jure consanguinitatis nutriebatur, animam exalavit; quam quia sibi successuram venerabilis Matrona semper optavit, insolabili mœrore flevit; quam sibi proximo mense Julio IIII. Nonas ejusdem mensis subsecuta est. De cujus laudabili vita quædam perstringenda sunt. Hæc erat Machtildis Reginæ inclitæ Neptis & in tertio decimo ætatis suæ anno Sigefrido Geronis Marchionis filio nupserat, & ei per VII. tantum annos conjuncta fuit. Post cujus excessum ob Dei amorem & mariti solatium sacrum velamen a Bernhardo Halberstadensi Antistite & mox consecrationem suscepit, ut dictum est. Sedit vero L.V. annos tam assidua in Dei servitio, ut Anna vidua, & tantæ largitatis ut Sareptena; castitate, & abstinentia similis Judith. Ecclesiam vero sibi commissam diversis & multis ornatibus decoravit; Hujus obitum ista signa prænuntiabant. Vivarium, quod in orientali parte urbis est situm, usque in mediam diem sanguineum apparuit, & post in viridem colorem est mutatum. Multis quoque visum est, quod Neptis ejus

ejus Machtildis cum palma virginitatis eam præcederet. Sepulta est autem a Bernhardo antiquæ civitatis Episcopo non ubi petiit, sed ubi gemens congregatio rogavit, scilicet in medio Ecclesiæ ante altare Sanctæ Crucis, ubi postmodum per ejus merita cuidam viro diu debili, & cum scabellis reptanti omnipotens DEus rectum gressum tribuit. Imperator hoc anno Corbejam venit ad visitandos fratres, quorum sibi vita displicuit, & eam imperiali auctoritate corrigere voluit. Unde plures illorum Instituta Patrum defendentes, & plus justo contra jus imperii sævientes eheu misere desipiunt, cum percussi in maxillam non præbent alteram, sed sine consilio rebelles male parant pugnam. Quid deinceps actum sit nostris temporibus magis est stupendum, quam stylo commendandum. Res miseranda, nimiumque stupenda contigit III. Kal. Octob. in partibus Occidentalium Regionum Walacheri & Flanderi: horrendæ nubes apparuerunt, quæ per tres noctes miro modo immobiles minas intuentibus dederunt. Tertia vero die tonitrui inauditus fragor turbavit maria, ita ut terribiliter intumescerent & incredibiliter crescendo nubibus cohærerent. Cumque gementes Incolæ repentinæ calamitatis miseriam in tantæ inundationis mole conspicerent, & sicut post mortem Juliani Apostatæ naves ad prærupta montium penderent, timore mortis terga vertere cœperant, sed peccatis præpedientibus multa millia hominum interierunt, quia vultum Domini iratum effugere non potuerunt. Imperator dedit Athelheidæ Quidilingeburgensi Abbatissæ Monasterium Geronroth & Frethunensium congregationem. Hoc etiam anno Sol & Luna dant metum tristium signorum, quæ mox pestilentia sæva & mors subitanea secutæ sunt. Eodem anno Werinharius quondam Marchio instinctu malesuadæ Juventutis, & dolosarum machinamento mulierum pacis obtentu Dominica die ad urbem Bichlinge dictam venit cum paucis & Domnam ejus urbis Reinildam a se prius desideratam fraudatis custodibus invitam rapuit. Imperatori namque, ut nulli marito absque ejus scientia & consilio umquam sociaretur, hæc antea firmiter promiserat, & ob hoc cum clamore & ejulatu deducitur. Hoc audientes Satellites cum reliqua clientela armati conveniunt, e quibus unus Willard nomine diro vulnere tardatur; Sed una ex ancillis cum se pariter abduci rogaret, & jussu Domni sui hanc sumere Alcwinus nobilis voluisset, undique vallatur, & Werinharium jam egressum in auxilium revocat, sed antequam ei succurreretur, occubuit; Werinharius autem adveniens infra clauditur & ab uno servorum sauciatur; quem protinus lancea perfossum muro affixit, & ceteros, ut sibi propius non auderent accedere, terruit; Cumque suos longe cum matrona jam abisse, sibi autem nullum evadendi locum patere vidisset, relicto protinus equo a muro se dimisit, & a lapide sequenti admodum depressus vix ad socios pervenit. A quibus usque ad Villici Cæsaris domum portatus ibi cum paucis dimissus est. Domnam autem cum magna festinatione avexerunt, nunc hic, nunc illic cum ea latitantes & adventum Domni sui sollicite præstolantes. Sed Villicus iniquitatis hospitem infirmum Imperatori mox prodidit, eumque satis hilarem fecit. Nox erat & Bernhardus ac Guncelinus & Willehelmus Comites cum suis militibus ab Imperatore missi, ubi ægrotus tacuit, veniebant; quos adesse Werinharius a suis præsciens, Willehelmum sibi familiarem salutat, ceteris duobus indicens, si gladium elevare potuisset, quod numquam in eorum potestatem incolumis venire voluisset. Willehelmus vero ejus vulnera ligans, quod Mersburh, ut sibi jussum fuerat, venire nullo modo valuisset, intellexit, & a suis ad villam proximam Eterstide dictam eum portari fecit, ibique in domo lapidibus nimis munita custodiri præcepit. Ipse vero cum suis ad Imperatorem reversus est. Tunc optimi quique consilium dederunt, ut comprehensis omnibus ejus bonis Domna revocaretur, & hujus rei auctores aut capti præsentarentur, aut si fugerent usque ad mortem persecutionem paterentur. Ipse autem Comes superata infirmitate, si culpabilis efficeretur, capite privaretur; Si autem hæc omnia cum consensu matronæ acta fuissent, sponsa optime uteretur. Comes Heinricus filius Sigefridi de Waldbike ad hæc implenda illico mittitur, &, ut Alstide ad publicum colloquium venirent, jubetur. Illo itaque discedente prædicti Comites advenerunt, & Imperatori, quæ facta sunt, nuntiaverunt. Postera die, id est, in festivitate Sancti Martini Werinharius patienti animo adversa quæque hactenus sustinens exspiravit, nullum hostibus lucrum, suis autem damnum invincibile relinquens. Ob hoc Imperator admodum tristatur, & Theodericus hostis ejus lacrimatur. Hoc Thietmarus Mersburgensis Episcopus comperiens, Theoderico nepoti suo ab Rege abeundi licentiam petiit, & corpus cognati per Satellites suos de Mimenleve, ubi tunc Abbatia erat, & Reinoldus ejus loci provisor debita hoc humanitate procuraverat, Hepethi, ubi hoc Thietmarus Episcopus expectabat, reduxit. Sed eo nimis fœtente jussit viscera ejus exsolvi & juxta Ecclesiam sepeliri, & ipse usque Waldbike prosequitur, ponens illud ad lævam dilectæ conjugis suæ. Post XIIII. dies Sunehildis socrus ejus obiit VI. Kal. Decembris. Interim Imperator in Alstide populis jura dabat, &, ut præsentes affirmabant, amicis præfati Episcopi hæc denegabat. Insulam, quæ Porci dicitur, qua prius Comes Bernhardus prædictum voluit occidere Werinharium per injustos judices sibi præcepit assignari. Hoc Wigmannus Comes prohibet, injustumque esse affirmat. Omnes populi mussitant & Christum Domini peccare occulte clamitant. Ibi tunc stella multis in medio die apparuit. Miseco filius Bolizlai Ducis Polanorum ab Odelrico Boëmico Duce captus est. Nam Bolizlaus mille artium scientia plenus eumdem filium suum ad Odelricum misit, ut memores mutuæ consanguinitatis se invicem pacifi-

pacificarent, & cunctis hostibus suis, maximeque Imperatori resisterent. Ille vero hæc omnia in detrimentum sui esse composita a veracibus accipiens eum comprehendit, & ex sociis ejus optimos quosque interfecit, ceteros cum Misecone capto reduxit, & in carcerem projecit. Quod cum Imperator comperiret, per Theodericum Capellanum suum mandavit, ut Satellitem suum sibi redderet, & si de gratia sua aliquid curaret, hanc nullatenus perderet. Cui Odelricus fertur dixisse: Senioris mei in omnibus jussa sequi tam posse, quam velle mihi admodum necesse est: eripuit me indignum nuper omnipotens DEus de ore leonis, ejusque catulum in perniciem meam missum mihi tradidit, & si hunc liberum abire permitto, certos hostes in patre & filio semper habebo. Sin autem retineo aliquem cum eo fructum me adquisiturum spero. Videat Imperator de his omnibus jubens quid sibi placeat, mihi tamen aliquatenus prospiciat; & hæc devotus implebo. Theoderico cum hac legatione reverso, alius mox remittitur, promittens ex parte Imperatoris omnem sollicitudinem ejus excludi & bonam pacem firmari. Tunc Odelricus volens, nolens captivum reddidit, & Imperatorem multum placavit. Bolizlaus autem de ereptione filii gavisus, per Legatos suos condignas grates Imperatori egit; postulans ut eum sibi ad honorem, inimicis autem suis ad dolorem eum remitteret, & futuram utriusque remunerationem veraciter agnosceret. Quod Imperator tum non posse fieri respondit, cum vero Mersburh veniret cum communi consilio Principum satisfacturum promisit. Hoc ille, ut audivit, non bene suscepit, qualiterque filium in suam potestatem reduceret, cogitavit. His temporibus Afinceon Monachus de monte Sina claruit, qui Jherosolimam veniens longam peregrinationem suscepit, & cum Poppone Trevirensi Archiepiscopo ad Gallias perveniens Treveris in altitudine turris inclusus, post multas Dæmonum tentationes, post multas hominum tribulationes beato illic fine quievit: Cujus merita frequens miraculorum gratia declaravit. Hoc tempore Richardus Comes Nortmannorum, dimissa Chnud Regis Danorum sorore, propter metum Danorum exulans a patria Jherosolimam profectus ibique defunctus est: Cujus socii XL. revertentes in Apulia resederunt, & ex illo tempore Nortmanni possederunt Apuliam. Reliquit autem in Nortmannia filium nomine Rodbertum, cujus filius fuit Willehelmus, quem Franci Bastardum vocant.

Anno Dominicæ Incarnationis M XV. Imperator Natalem Domni Palithi celebravit, & Duces Boëmiorum & Polanorum in Pascha Mersburh venturos determinavit. In quarta feria ante Pascha Mersburh veniens, fidem & auxilium Bolizlai fidelibus suis innotuit, & ut ab eis ad emendationem vocaretur poposcit. In Cœna Domini crisma in ejus præsentia Thietmarus Episcopus benedixit. In vigilia Paschæ Redbaldus Abbas Wirdunensis obiit & Heithenricus ejusdem Cœnobii præpositus eligitur. In secundo die Gero Archiepiscopus Missam cantavit. Interim Odelricus Boemiæ Dux venit, & hos dies solemnes hilares duxerunt. Herimannus Marchio Pascha cum Bolizlao socero duxit; postque ad Imperatorem cum nuntio ejusdem Stoignevo diu expectatus venit. Isdem Stoignevus mentiri semper solitus nuper in occiduis partibus ad Imperatorem plus ad disturbandum, quam ut simulabat ad pacificandum a Bolizlao missus venerat; Quem familiaribus suis committens, fratres Imperatricis nudis pedibus gratiam quærentes misericorditer suscepit, & ut hæc Nugigerulus cerneret, præsentari eum jussit, tuncque publice Domno ejus respondit. Sed quare alia quam Imperator jusserat domum retulit, cum Herimanno Marchione pacem firmare cupienti remissus, in conspectu Imperatoris & principum fallax & invicem disturbans esse convincitur. Iterum Bolizlaus ad excusandum vocatus venire noluit; sed coram suis principibus hæc fieri postulavit. Sed inter hæc Imperator de Misecone quid faciendum esset, optimates consuluit; e quibus Gero Archiepiscopus primus ait: cum tempus fuit, & vestro honore id fieri potuit; me ista hortantem non audistis, nunc a vobis mens Bolizlai ob longam filii custodiam est aversa, & vereor si hunc sine obsidibus & confirmationibus remittitis, in posterum fidelis servitii amborum careatis. Sic loquentem præsentium plurimi consequuntur; sed pars corrupta, id cum honore fieri, ingeminat. Vicit pecunia consilium, & Bolizlao filius remittitur, moneturque, ut ipse & filius memores Christi & suæ fidei nullum amplius Imperatori incommodum inferrent. Huic dulci hortatui fistulæ blandientis more respondetur, quod factis minime impletur. Imperator hæc agnoscens a Mersburh discessit, & proximos Rogationum dies in Capungun fuit, quo ipse Curtem suam de civitate sua Cassulun dicta transtulit, ubi cum consilio Heriberti Coloniensis Archipræsulis, Heithenrico Wirdunense Cœnobium commendavit; Et tractatis ibi rebus necessariis in vigilia Pentecostes ad Immedeshusen venit. Illic cum Antistite Meinwerco hanc sanctam solemnitatem festive peregit. Ibi Wal Corbejensis Abbas prius ab cura sua suspensus deponitur, & Cœnobii privilegia & consuetudines, quas Lodowico pio dante habuerant, potestative ab Imperatore mutantur, & ex Lauresheimensi Cœnobio Druchtmarus sine fratrum consensu Abbas assignatur, quo ad sedem suam in hac ebdomada veniente, illi vitam suam, quæ cunctis pene Monachis exemplo claruerat, vilescere gementes, omnis congregatio exceptis VIIII. flens abiit. Sic enim Liudolfus venerabilis Abbas futurum prædixerat. Sed multis iterum DEI gratia conversis placuit se subdere Regulæ, quam miserabiliter in sæculo vagari. His diebus Pentecostes Ernost inclitus Dux Alamanniæ successor Herimanni pueri cum in silva quadam illicite venaretur ab uno militum suorum, quamvis nolente, ut cervum sagittare debuit,

buit, vulneratur. Qui mortem sibi imminere videns, socios vocat & reo parcere supplicat: Et quare presbyter cui peccata confiteretur, non erat, unum ex militibus ejus vice jussit accedere: quo astante ait: omnes accedite & commortalis vestri & peccatoris facta aure cordis percipite, &, ut curentur unanimiter, succurrite; absentibusque fidelibus peccatricem animam meam commendate, & uxorem meam, ut pudicitiam suam conservet, & mei non obliviscatur, admonete. Hæc dicens, in quocumque umquam se peccasse meminit, cunctis præsentibus innotuit. Mox de hac luce II. Kal. Junii discessit. Sepultus Wirceburh juxta patrem suum Marchionem Liuppoldum, ut ipse rogavit. Iste Juvenis felicem habuit animam, qui sicut ipse vivens testatus est, maluit coram multis erubescere, quam in conspectu DEI reus apparere. Ad eamdem festivitatem in Immedeshusen quidam Rusticus de occiduis veniens partibus novam Imperatori legationem detulit, & hanc nulli, nisi illi soli aperire voluit, portans adhuc illum stimulum, quo tunc pecus arans minavit, cum hoc ei cœlitus per columbam jussum fuit, & hic fuit tantæ longitudinis, ut qui eum viderant, nimis admirarentur. Ipse vero rediens cunctis interrogantibus dixit: jussu Imperatoris se ad Aquasgrani post expeditionem venturum, & responsum ab eo accepturum: Et quia hanc admonitionem & alias multas Imperator sprevit, vindictam sensit. Imperator in nativitate Sancti Johannis Baptistæ quæ tunc proxima erat Goslariam veniens Ernesti Ducatum nepti suæ & filio ejus dedit; & Magdaburh veniens interventum Christi militis Mauricii ad exsuperandam hostis Bolizlai contumaciam suppliciter rogavit. Addidit Imperator hoc anno legationem mittere ad Bolizlaum pro restituendis regionibus quas abstulerat. Dehinc ad locum qui Sclancisvord dicitur, glomerato exercitu perrexit; ubi VIII. Idus Julii collectio facta est exercitus, & his habitatoribus illata est ab his pro defensione prædatio; Cumque Albiam transissent Regina cum Thietmaro Episcopo reversa Mersburh, adventum Imperatoris expectabat. Qui cum ad pagum Liudizi venirent, ab his qui ex Cianis præsidio erant urbe egressi tentabantur, quorum multos occiderunt, & Horicum, qui Superbus dicebatur, qui de Saxonia ob homicidium illo fugerat, captum Imperatori præsentant. Imperator ad Oderam profectus ad locum, qui Crozna dicitur, optimos de exercitu ad Mesiconem ibi turmatim sedentem misit; ut eum de promissa fide admonerent, & ne provinciam vastari sineret, sed id sua deditione præoccuparet. Quibus ille respondit: Agnosco me gratia Cæsaris ereptum, fidemque promisisse; libenterque adimplerem, si liber existerem. Nunc patris dominio subditus, quare ille hoc prohibet, & milites ejus hic præsentes non patiuntur, invitus omitto. Patriam meam volo, si possum, usque ad adventum patris mei defendere, tum vero ad Imperatoris gratiam eum inclinare cupio. Hoc illi reversi Imperatori detulerunt. Interim Bernhardus Dux cum suis fautoribus Episcopis & Comitibus, & profanorum Liuticiorum turba ab Aquilone Bolizlaum petiit, & hunc præsentem munitum undique Odera habuit. Imperator autem Inventione Christi Protomartyris Oderam transmeans, resistentem Poloniorum multitudinem prostravit; De ipsius autem exercitu Hodo inclitus Juvenis cum Ekkrico, & alio Comitis Guncelini satellite cecidit. Hic cum Sigefrido Hodonis Marchionis filio ab Imperatore accusatus, eo quod Bolizlavo nimis familiaris fuisset, eo die se viriliter expurgavit, & a suis longe digressus, cum hostes fugientes solus insequeretur, sagitta per caput accepta, primo oculum & post vitam perdidit. Corpus ejus Miseco agnoscens, quia in captivitate custos ejus & sodalis fuerat, deflevit, & bene procuratum suis remisit. Hostium vero plusquam VC. perierunt, prædam ineffabilem relinquentes. Quod Bolizlaus, ut rescivit, quamvis illo ire cuperet, tamen præsentibus inimicis introitum patefacere ausus non est. Nam quocumque hostes navibus declinabant, illuc cum suis equo sequebatur allato. Tandem erectis velis per integrum diem nostri navigabant, & inimicis comitari non valentibus, litus comprehendunt, & proxima quæque incendunt. Bolizlaus autem fugit. Dux Bernhardus cum Imperatori ad auxilium venire nequivisset, per pedites clam missos necessitatem inobedientiæ edicens, vastatis circumjacentibus locis domum rediit. Odelricus quoque Boëmiorum Dux, qui cum Bawariis venire debuit, ob multas causarum qualitates, omisit: Uterque tamen fidele servitium sua vicinitate ostendit. Nam Odelricus urbem magnam Busiuc, captis non minus mille viris absque mulieribus & liberis, incendit & sic rediit. Heinricus autem Marchio cum Bawariis, audiens Bolizlai milites juxta se prædam fecisse, insequitur & VCCC. resistentes occidit, prædamque recepit. Imperator rediens de Polonia ad pagum, qui Diadesisi dicitur, venit, in angusto castra metatus; ubi nullus excepto Apum magistro, qui tunc interfectus est, sedit. Bolizlaus audiens Imperatorem alia, quam venerat, via exiturum, juxta Oderam omnimodis sua firmavit. Sed cum hunc abisse comperisset, multitudinem peditum, ad locum, ubi exercitus consederat, præmisit, jubens, si opportunitas accidisset, aliquam ejus partem læderent. Insuper Abbatem suum nomine Thuni simulata pace ad Imperatorem misit, qui explorator cognitus detinetur, quousque omnis pene exercitus præjacentem paludem factis priori nocte pontibus transiret. Tunc ille monachus habitu, sed dolosa vulpis in actu, & ob hoc amatus a Domno rediit, & Imperator Geroni Archiepiscopo & Geroni Marchioni & Burchardo Palatino Comiti residua committens progreditur, proutque solita cautius se circumspicerent, hortatur. Post hæc ab hostibus prope in silva latentibus magnus clamor ternis vagitibus attollitur, & Imperatoris agmen sagittariis intercurrentibus appe-

appetitur; quibus primo & secundo conflictu fortiter resistunt, & multos eorum palantes occidunt; sed quibusdam ex nostris fugientibus illi conglomerati, eosque incurrentes dissipant, sicque sagittis fallentibus perdunt. Gero autem Archiepiscopus & Burchardus Comes vulnerati, vixque evadentes, hæc Imperatori nuntiant. Liudolfus quidam Juvenis cum paucis capitur. Gero Marchio, & Folcmarus Marchio cum ducentis militibus occisi spoliantur. Imperator ut hoc triste nuntium audivit, ad tollenda corpora redire voluit; sed multorum tardatus consilio Eidum Antistitem, qui eis sepulturam impenderet, & Geronis Marchionis corpus impetraret, remisit: Qui voluntarie consentiens concitus revertitur, & ut miserabilem stragem aspexit, flebiliter pro his oravit. Quem Victores in præda occupati ut viderunt, de sequentibus timidi primo fugerunt; dein propius accedentem salutaverunt & abire permiserunt. Qui a Bolizlao, quod postulabat, impetrans, sine mora rediit, & corpora sociorum cum magno labore inimicis faventibus sepelivit. Corpus vero Marchionis Misnæ fecit reduci. Quod Herimannus Marchio flebiliter suscipiens, usque ad Novam urbem, ubi pater & patruus ipsius Abbatiam construxerant, cum suis fratribus comitatur; quem Archiepiscopus Gero terræ commendans, Domnam Athelheidam, filiumque ejus Thietmarum, mœstosque amicos & milites solatur. Interim Imperator ad Strelam urbem pervenit, & Misceconem cum exercitu subsequi sciens, Herimannum Marchionem ad defensionem Misnæ remisit, ipse vero Mersburh tetendit. Miseco instructus a patre, ubi hostes abisse, & nullam post se custodiam reliquisse persensit, Idus Septemb. Albim juxta Misne in ipsa aurora transiit, quosdam suorum proxima loca vastare, alios urbem præcipiens impugnare; quod Wenenici videntes, seque tueri posse desperantes, superpositam Civitati munitionem relictis pene omnibus suis ascendunt. Hostes gavisi suburbium intrant relictum, quod ablatis rebus omnibus incendunt, & superius Castellum in duobus locis accensum infatigabiliter aggrediuntur. Herimannus videns suos admodum paucos jam defecisse, Christi pietatem & S. Donati Martyris intercessionem prostratus postulans, mulieres ad succurrendum hortatur, quæ propugnacula ascendentes lapidibus viros adjuvant, & deficiente aqua ignem medone extinguunt. Hoc Miseco de monte juxta posito cernens socios adventantes expectabat: qui omnia usque ad Granam fluvium concremantes fero lassis revertuntur equis, ibique cras ad urbem pugnaturi pernoctarent, nisi Albim crescere viderent. Unde fatigati milites cum securitate inopinata redeunt & Ducis sui cor anxium hac securitate relevant. Imperator ut hæc audivit, quoscumque tunc colligere potuit ad succurrendum Herimanno propere misit, & suburbium redintegrari præcepit. Quo Archiepiscopus Gero & Arnulfus & Thietmarus Episcopi cum Comitibus VIII. Idus Octob. convenientes & in XIIII. diebus incœpta ad unguem perducentes abierunt, commissa urbe Friderico Comiti ad quatuor ebdomadas. Interim Hardwigus nomine tantum Rex, prædicta urbe Vercelli, quam expulso Leone Episcopo diu injuste tenuerat, infirmatur, radensque barbam & monachus factus III. Kal. Novemb. obiit, sepultus in Monasterio. Eid Episcopus a Polonia cum muneribus reversus ægrotare cœpit & in urbe Libzi fidelem animam Christo XIII. Kal. Jan. reddidit. Tunc Hildewardus Cicensis Episcopus vocatus domum, in qua obierat, optimis odoribus redolere sensit, & corpus Misnam prosecutus auxilio Willehelmi Comitis, qui ordine suo civitatem tum custodiebat, coram altari sepelivit. Iste de his, ex quibus vivere debebat, sibi subtrahens ducentos Mansos Ecclesiæ suæ adquisivit. Oculi ejus ob nimiam fletus effusionem jam caligabant. Contemporalibus suis ejus conversatio displicuit, & illi eorum. Viginti & tres annos in maximo labore vivens, finem suum sibi imminere prædixit, & ob metum futuræ desolationis, ne Misnæ sepeliretur, rogavit; Sed in loco Colidizi, ubi magnus Christi Martyr requiescit, tumularetur. Sed Comes Herimannus sperans ejus precibus Misnam adjuvari, ibi eum poni fecit. Imperator occidentales invisens regiones, quæ ibi emendanda erant, corrigebat. In Vigilia Nativitatis Domini Meingaudus Trevericæ Civitatis Antistes obiit in Confluentia urbe sua. Corpus ejus ad Sedem suam delatum honorifice ad Antecessores suos locatur. Imperator audiens de tantorum morte Patrum turbatur; & qualiter loca vacua bene suppleret, cum suis familiaribus tractavit. Eila filia Lotarii de Waldbike, mater Heinrici Marchionis, XIIII. Kal. Septemb. obiit, sepulta in Monasterio, quod in Suinvorde ipsa construxerat.

Anno Dominicæ Incarnationis MXVI Imperator Natale Domini Patherbrunnæ celebravit; & Popponem Liuppoldi Marchionis filium Babenbergensem præpositum Treverensi Ecclesiæ præfecit, qui cum ab Erkenbaldo Mogontino Archiepiscopo jussu Imperatoris & licentia Verdunensis Episcopi, qui in ordine suffraganeorum primus erat, consecrari debuisset, a Theoderico Metensi Episcopo, eo quod a se id justius fieret, assidua acclamatione, & humili petitione in cassum prohibebatur. Nam Imperator scripta monstrantem & banno interdicentem hunc non audivit, sed unctionem compleri præcepit. Eilwardus quoque Misnensi Ecclesiæ vice Eid ab Imperatore substituitur, & in Dominica die ante Palmas Mersburh a Gerone Archiepiscopo, Thietmaro Episcopo favente benedicitur. Imperator festum Palmarum Wirceburh cum Heinrico Episcopo peragens, quarta feria Babenberh venit, ubi Cœnam Domini & Passionem & Pascha honorabiliter peregit. Et quia Rodolfus Burgundiæ Rex avunculus ipsius vocatus venire non potuit, Nepotem sibi dilectum occurrere sibi rogavit. Fit ergo conventus in urbe Argentina & mutuæ caritatis larga benignitas invicem arrisit. Fuit quo-

quoque ibi Rodolfi Regis inclita conjunx quæ familiaritatis hujus adjutrix duos filios suos mariti sui privignos Imperatoris gratiæ commendavit. Imperator sapienti usus consilio militibus item dedit in beneficium, quicquid illi ab avunculo tunc est concessum. Sed & quæ Willehelmus Pictaviensis regio munere habebat, firmius sibi subdere voluit, quare sic post mortem suam futurum Rodolfus Rex longe prius sacramentis firmaverat. Igitur omnem primatum Burgundiæ Imperator a Rodolfo Rege, & de maximis rebus sine suo consultu non fiendis firmam securitatem per manus suscepit. Nam & Episcopatum cuidam nobili viro dedit. Quod ubi Willehelmus vir præpotens comperit, fugientem Episcopum canibus fecit inquiri, quos cum Episcopus jam fatigatus latrantes audiret, quod unicum tunc habuit solatium, signo S. Crucis post se vestigia signans, quasi mortuus jacuit, & ad prædam paratus fuit: & ecce canes rapidi loca signata eminus olfacientes, quasi grandi turbine retroacti redibant. Sic Dei famulus per incognita prorsus loca, quo voluit, pervenit. Imperator Rodolfo Regi & conjugi ejus, cunctisque principibus ineffabilem pecuniam dedit, & firmato antiquo fœdere, eos abire permisit; ipseque exercitu collecto ad Basileam urbem perrexit; Cumque Willehelmum munitis urbibus resistentem & sibi introitum prohibere cupientem audisset, parva manu diffisus amicos undique collegit, & provincias Rebellium incendio late desolavit; cumque nullam urbium capi posse sciret, reversus est tristis, quod nec hic, nec in occiduis partibus nocituram molestiam hostibus suis intulerit. Interim Bolizlaus de eventu Imperatoris certus effectus lætatur & extollitur: Sed Imperatrix in his partibus commorata defensionem Patriæ cum principibus meditabatur. Burgundiæ vero Rex mollis & effœminatus, quæ nepoti suo bona promiserat, instinctu iniquorum mutare voluit, nam Regis nomen tantum & coronam habebat. Episcopatus his dabat, qui a principibus eligebantur. Ad suos usus pauca tenens, ex impensis Antistitum vivebat, & eos vel alios in aliquo extrinsecus laborantes eripere nequibat. Vnde illi manibus complicatis primatibus, velut Regi serviebant, & sic pace fruebantur. Ob hoc vero solum talis Rector inter eos dominabatur, ne nova lege alterius Regis inolita consuetudo mutaretur. Willehelmus Comes, miles ejus nomine, sed Dominus erat in re, & nullus ibi Comes vocabatur, nisi qui Ducis honorem possidebat. Bernharius Fardensis Ecclesiæ pius Antistes obiit VIII Kal. Augusti. Sedit XXIIII. annos & Ecclesiam suam CCC. mansis adauxit: turrim unam de lapidibus, qui ibi pauci habentur, juxta Ecclesiam fabricare cœpit. In cujus vice Imperator Wiggerum Coloniensis Ecclesiæ quondam præpositum, sed ab Heriberto Archiepiscopo depositum VIIII. Kal. Septemb. diu renitentem posuit, & ab Erkenbaldo Archiepiscopo consecratum ad sedem suam cum honore transmisit. Monasterium in Mimenleve a libertate diu corroborata in servitutem est redactum; Deposito namque ejus Abbate Reinoldo & fratribus late dispersis, Heresfeldensi Abbati Arnoldo subjectum est. In Suevia provincia in Comitatu Becelini Comitis res terribilis accidit, quam idem Comes Imperatori multis præsentibus intimavit. Mulier quædam maritata subita morte defuncta, post debitam curationem a suis mœrentibus est ad Ecclesiam delata. Tunc corpus a feretro se ex improviso erigens, omnesque præsentes effugans, virum suum ad se vocat cum suis familiaribus, quos dulcibus verbis consolata, post hæc in pace quievit. Constat hanc mulierem multum apud Deum valuisse, cui post mortem gustatam justum complere desiderium & tunc sine gemitu licuit somnio pacis obdormire. Hoc anno obiit Athelhardus Rex Angliæ, sub quo Angli ineffabiles miserias passi fuerant a Sueino Haraldi filio, immiti Danorum Rege, atque ad hoc usque coacti, ut, qui prius tributarii erant Principis Apostolorum, paganis indictum censum multis annis solverent, & magnam partem regni sui captis & interemptis habitatoribus inhabitandam hostibus relinquerent. Nam prædictus Suein non Rector, sed destructor, post mortem patris sui a Notmannis insurgentibus captus, cum a subditis ingenti pretio redimeretur, & ob hoc iniquorum susurratione servum se nominari comperisset; quod salubriter in paucis potuit ulcisci, communi omnium damno meditatur vindicare. Nam potestatem suam hostibus extraneis relinquens, securitatem vagatione, pacem bello, regnum exilio mutavit. Nam habitata quæque vastando non suorum empticium dominum, sed spontaneum inimicum, late proh dolor regnans, crebro jactitavit. Sic inter pios impius diu conversatus, tarda morte mors multorum deprimitur, & fugientibus sociis ibidem sepelitur. Quod cum Adalradus Anglorum Rex multo tempore ab eo expulsus comperisset, gratias agens Deo, patriam revisit; collectisque militibus corpus inimici exterminare nitebatur; Quod ne fieret, quædam matrona per familiares suos admonita servatum corpus a terra elevans navigio direxit ad terram arctoam, ubi Scitæ incertis sedibus vagabantur. In his partibus regnabat Goltrin, qui in monasterio Fardensi sub Episcopo Erpone educatus apostataverat, atque ad suos veniens, ut supradictum est, in regnum sublimatus erat. Habuit autem Suein duos filios, quos peperit ei Misseconis Ducis filia, soror Bolizlai, quæ ab eodem Sueino diu expulsa non modicam cum ceteris controversiam perpessa fuerat. Cujus filii in omnibus patrissantes dilecti Genitoris corpus allatum flebiliter suscipiunt & tumulant: & quicquid dedecoris patri suo Angli proposuerant inferre, paratis navibus properant ulcisci. Interim Athelhardo Rege mortuo, prædicti fratres Harold & Cnud cum duce suo Thurgut CCCXL. navibus egressi, urbem quamdam Liudunam nomine, ubi Regina tristis de morte viri sui cum filiis Athelsteino & Ethmundo & duobus Episcopis ceterisque primati-

matibus præsidio sedebat, obsederunt, & naves LXXX. viros singulas habentes per flumen, quod Timese vocatur, ducentes VI. menses impugnant. Regina autem bello defatigata assidue nuntios misit, qui ab eis pacem expeterent, & quid ab ea poscerent, diligenter inquirerent. Respondetur ab his, si Regina voluisset dare filios suos in mortem seque cum XV. millibus argenti ponderibus, & Episcopos cum XII. millibus omnibusque loricis, quarum XXIIII. millium numerus incredibilis erat, & CCC. electos obsides dare vellet, sibi tantum suisque sociis pacem & vitam adipisci posset. Sin autem, omnes ter clamabant, eos una gladio perituros. Qua legatione Regina cum suis admodum turbatur; tamen post longam deliberationem æstuantis animi omnia spopondit, & datis obsidibus firmavit. Interim illi duo fratres nocte in navicula promissum periculum evadentes, quoscumque poterant ad defensionem patriæ, & ereptionem matris hoste adhuc ignorante congregabant; Cumque Thurgut Dux ad populandos proximos fines egrederetur, hostes repente offendit, & exhortans viriliter eos adiit, & ceciderunt utrimque Ethmundus & Turgut cum multitudine sociorum, & utrimque sine spe victoriæ discessum est. Dani amicis sociis naves revisunt, & intelligentes urbi solatium ab Athelsteino superstite cum Britannis veniente afferri, truncatis obsidibus fugiunt. Eodem tempore Notmanni Duce Turkilo Cantuariæ civitatis egregium Antistitem nomine Dustein, captum cum ceteris, vinculis & inedia more suo crudeliter constrinxerunt: qui humana motus fragilitate pecuniam promisit & inducias poposcit, ut si redemptione acceptabili mortem evadere non posset, semetipsum gemitibus interim purgaret. Transactis induciis, promissum poscentibus ait: Præsto sum paratus ad omnia pro Christi amore, ut suorum servorum exemplum merear fieri, quod autem vobis mendax videor, non voluntas mea, sed egestas effecit. Illis sævientibus Dux Thurkil accurrens, inquit: Ne, quæso, faciatis; omnia quæ habeo, excepta navi, ne in Christum Domini peccetis, libens trado. At illi effrenes boum capitibus & lapidum imbribus innocentem sanguinem effundunt, statimque unus de primiceriis membris debilis effectus, agnovit in semetipso, quod peccavit in DEI electo. Quarto Idus Febr. tonitrua cum fulminibus horribiliter intonuerunt; Quo impetu quidam confractis domibus perierunt, alii collisis membris vix evaserunt. In dejectione quoque arborum grave damnum accidit. Bernhardus Marchio Magadaburh noctu appetiit, ubi miles Archiepiscopi unus capitur, alter vulneratur. Burchardus Palatinus Comes paralisi percussus est. In provincia, quæ Hessen dicitur, quatuor fratres Elli, Burchard, Thiederich, Poppo a quodam Bernone bono milite sæpe contempti, collecto agmine plusquam centum viros scutatos habentem peremerunt, nonnullis utrimque occumbentibus. Sarraceni in Langobardiam navigio venientes Lunensem civitatem fugato Episcopo invadunt, & secure regionem inhabitantes, uxoribus Incolarum abutuntur Quod cum Apostolico Papæ Benedicto innotesceret, omnes Sanctæ Ecclesiæ Rectores & defensores congregans hortatur, inimicos Christi viriliter appetere; Insuper navium multitudinem clam præmisit, ut illis reditum prohiberent. Quod Rex Sarracenorum animadvertens, primo indignatus, dein paucis comitatus, navicula periculum imminens evasit. Cujus milites relicti miserabile dictu Christianos adventantes mox fugant, & per tres dies ac noctes prosternunt. Respexit tandem gemitum piorum DEus, & odientes se contrivit, ita ut nec unus superesset, & occisorum spoliorumque multitudinem victores numerare nequirent. Regina quoque capta capite plectitur. Aurum capitale & ornamentum ejus gemmatum Papa sibi specialiter vendicavit, & Imperatori suam partem misit, quæ mille libris computabatur. Rex Sarracenorum morte conjugis & sociorum turbatus, saccum castaneis plenum Apostolico misit, ita ei demandans: Proxima æstate tot milites tibi venturos non dubites. Qui Marsupium milio plenum remisit, dicens; Secundo veniat & tot loricatos vel amplius hic se inventurum pro certo sciat. In Augia Insula XVII. Kal. Nov. naves novem hominibus promiscui sexus plenæ aquis submersæ sunt. Godefridus Dux Comitatum Ragineri Montensis populatur; Quem Raginerus cum patruo suo Lamberto Lovaniense insecutus apud castrum Florinis pugnam confert, ubi Lambertus multorum inimicus occubuit: Non enim deterior ipso ullus erat; qui multos in Ecclesiis per funes campanarum strangulavit; quantos exheredaverit, vel occiderit explicari non potest. Verumtamen pænitentiam de sceleribus numquam suscipere curavit. Iste est, qui cum fratre suo Raginero Wernherum & fratrem ejus Reinzonem pariter occidit. Pater hujus ab Ottone magno in exilium missus in Boëmia obiit. Hos patria viventes doluit, amissis lætata est. Sed hoc dolendum est, quod in eo conflictu propter unum nocentem ex utraque parte innocentes plurimi perierunt; ubi res mira contigit. Cum Lambertus spem victoriæ jam haberet, habebat quippe philacterium a collo usque ad pectus dependens Sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat, instante sibi termino vitæ philacterium illud a collo ejus exiens super tumulum campi exilivit; moxque Comes antea invictus perimitur. Quod quidam militum videns philacterium illud cum stupore colligens, in caliga sua abscondit, sed celari non potuit, quia coxa ejus & crus intumescens eum prodere coëgit, & philacterium Domno suo Herimanno fratri Ducis dedit. Erat autem idem annus peccati vindex bissextus, multæque strages factæ sunt. In regno quoque Rotperti Pacifici Regis Francorum Provinciales mutuo confligentes interierunt plusquam tria millia hominum. Henricus Comes filius Heinrici de Stathe in Christo & in sæculo multum valens justa senectute in bono

bono fine obiit VI. Nonas Octob. Uxor ejus Mactildis dicebatur, floruerantque uterque in omni bonitate, unde usque hodie multi frequentant sepulcra eorum, ubi mira quædam dicuntur visa; de quibus est unum: Mater Friderici Comitis nuper defuncti cum staret super sepulcrum ejus, subito venit manus & apprehendit tibiam ejus & valde constrinxit; cumque vocem emitteret, interrogata, quid sibi esset, dixit; quid senserit & in tibia ostendit signum digitorum, quod & habuit toto tempore vitæ suæ. Eodem anno Wigmannus Comes patriæ per omnia utilis hortatu alteræ Herodiadis servili præsumptione miserabiliter periit. Nam inter eumdem Comitem & Baldricum Comitem longa contentio fuit; quæ Baldricum mutuo prælio sæpe devictum in tantum humiliavit, ut inter ceteros primates cum magno dedecore versaretur. Wigmannus Comes hanc prosperitatem æquo animo ferens, & divinæ clementiæ asscribens pacis fœdere diutinam discordiam sedare cogitabat. Quapropter hostem amica petitione ad domum suam vocans, convivio & muneribus placabat. Post hæc ab eodem reinvitatur, suggerente per uxorem ejus Diabolo, ut qui per vim capi non poterat, dolis ejus illaquearetur. Primo itaque optime susceptus, mox potione veneno infecta turbatur, nimioque dolore ingravescente vix sequentem diem ibidem expectabat. Cumque quasi bene remuneratus & caritative salutatus abisset, militibus suis dolo tardatis a quodam servo, furtive prosternitur, præsente Domno ejus Baldrico & minime ulciscente. Tunc unus Militum Wigmanni eumdem servum occidens, mox interficitur, fugiente Baldrico, & conscientiam in hoc manifestante; Quæ miseria fama vulgante dilatatur. Igitur Teodericus Monasteriensis Episcopus primus advenit, & dilecti amici obitum mœrore insolabili questus corpus ad Fretheni civitatem comitatur, hocque ad patres suos cum omni studio collocavit. Dehinc missis per omnem regionem nuntiis, affines & amicos suos ad hæc vindicanda incitavit; Itaque valida manu urbem Baldrici nomine Upplan obsedit, contigua quæque devastans & igne consumens. Advenit tandem Bernhardus, qui filii Comitis adhuc parvuli tutor & sceleris ultor extabat, qui, quantum valuit, milites solatus urbem die noctuque oppugnat. Imperator interea a Burgundia ubi æstatis magnam partem morabatur, digressus, ubi primum omnem rei eventum comperit, navigio illuc ire perrexit. In quo itinere Gebehardus Heriberti Comitis filius regiæ potestati multum acceptus & omni bonitate præcipuus obiit, Imperatorem & Provinciales tristes post se relinquens. Archiepiscopus autem Coloniensis Heribertus pro parte sui militis Baldrici multum sollicitus, Imperatorem sæpe interpellat, ut urbem diu obsessam suæ subderet potestati. Cujus assidua petitione devictus Imperator consensit. Sed interim urbs capta omnino destruitur, Comitissa vero aspis venenosa, cujus sibilo tanto defensore carebat Ecclesia, cum omnibus quæ habebat, proh dolor, servatur. Eodem anno Theodericus Monasteriensis Episcopus & Herimannus Comes Gerbergæ filius de inani re mutuo certantes sua devastabant. Dehinc amicis persuadentibus, maximeque jussu Imperatoris sedati, præsentiam Imperatoris præstolabantur. His temporibus Heinrici Imperatoris & Geronis Magdaburgensis Episcopi in urbe Magdaburh duæ sorores fuere, quarum prior Alured, junior Irmengard dicebatur. Ambæ admodum laudabilis vitæ, non cum ceteris sanctimonialibus conversando, sed in Ecclesia, quæ Rotunda, singulariter Christo ejusque Genitrici sedulum exhibebant obsequium, quarum junior ante obitum suum exteriorum lumen oculorum perdiderat, & non longe post ad patriam semper optatam VI. Idus Febr. transiit. Cujus Senior germana nepti suæ Fritherunnæ innixa & crebro amissæ sororis & assiduæ infirmitatis dolore deficiens XIIII. tantum ebdomadas & tres dies supervixit. Hæc pridie quam carnis debitum persolveret, in excessum mentis effecta, in præsentiam DEI Genitricis est delata, ubi Walthardum & Thaginonem Archiepiscopos & Eidum venerabilem Misnensem Episcopum magno lucentes honore sibi indulgere promeruit. Cognovit quoque ibidem materteras Geronis Archiepiscopi Mirisuidam ac Emnildam & Eddilam, quæ Abbatiam suam relinquens, pro Christi amore juxta Monasterium Doctoris gentium inclusa fuerat, & aliam quæ Oda dicebatur. Omnes illud * salmigraphi cantantes: Placebo Domino in regione vivorum: Interim præsentibus cunctis mortua videbatur. Tandem expergiscens & oculos elevans, quod vidit, omnibus innotuit; Hactenus, inquiens, vobiscum libenter commorabar; nunc consideratis multo melioribus his piget in hac lutea me amplius remanere casa: Dico vobis in veritate, quod cras vos relictura, locum mihi præordinatum munere divino possidere debeo: sicque factum est; transiit autem XI. Kal. Junii. Hisdem temporibus fuit quædam solitaria, Sisu vocata, in Trubike immensæ pietatis. Quæ adulta cum tempore primi Ottonis a quodam desponsaretur, ad Christum, cujus speciale signaculum jam cordi præ omnibus infixerat, concita properavit, & in prædicti Monasterii secreto annis LXIIII. cælesti sponso illibatam supra humanam fragilitatem se custodire studuit. In tanto enim spatio numquam aliquo foco frigus licet asperrimum resolvit, sed hoc ei maximum temperamentum fuit, quod lapide aliquantulum calido pedes vel manus cum jam pene deficerent, refocillabat. Assiduis precibus & mixtim fletibus cellam suam interius ornabat, exterius autem populo confluenti, crebra institutione & necessaria consolatione multum proderat. Vermes se jugiter comedentes non abjecit, sed cadentes reposuit, more Simeonis monachi, qui in columna diu stabat. Quicquid de assidua populi oblatione suscepit, sibi subtrahens & Christi pauperibus largiter impertiens peccata offerentium redimebat. In agonia titubantis sæculi contendens ab illicitis abstinebat,

bat, non pro corruptili, sed pro cœlestis bravii recipienda gloria. Nocte qua hæc obiit transitus ejus Thietmaro Mersburgensi Episcopo per somnium revelatus est hoc modo. Vidit quasi duos Infantes de antiquo, quod adhuc ibi est, oratorio procedentes canere: Martinus Habrahæ sinu lætus excipitur, & cetera. Infantes geminam ejus innocentiam & præmium pronuntiabant, scilicet pietatem & paupertatem spiritus & humilitatem cordis & harmoniam cœlestem. Quod fratribus suis referens, ait: Scitote, quod hodie anima Deo grata de hac luce separata est: post VI. dies intimatum est ei, quod Dei famula de corpore transierat.

Anno Dominicæ Incarnationis M XVII. Imperator Natale Domini Palithi celebravit, ubi in Kal. Januarii, Gero Archiepiscopus jussu Imperatoris Bernhardum Marchionem nudipedem, promittentem sibi emendationem, suscepit, & solutis plurimis ab eo illi impositis bannis, Ecclesiæ præsentavit. Imperator a Palithi exiens in Altstide Epiphaniam Domini solemniter peregit. In eadem sacra nocte Fridericus Comes frater Dedonis a Werenhario occisi, fidelis Christo & Imperatori obiit in urbe sua Ilburh dicta. Hic quia vir sapiens erat, & finem vitæ appropinquare sibi cernebat; Ilburh urbem filio fratris sui Theoderico ea ratione dedit, ut ipso promittente, quare heres suus erat, & aliter legitime fieri non poterat, tribus filiabus suis omne prædium, quod remansit, liceret sibi tradere. Cujus Comitatum & potestatem super Suisile pagum idem Theodericus Imperatoris munere suscepit. Facto igitur in Altstide publico Principum conventu litigium inter Bernhardum Marchionem & filios Lotharii de Waldbike emendatione sibi accepta & juramento pacificatum est. Inter Theodericum Monasteriensem Episcopum & Herimannum Comitem, Gerbergæ filium, graves inimicitiæ diu exortæ, præterea odium, quod erat inter Ekkihardum & filios Vdonis Senioris usque in III. Kal. Octobris, ab Imperatore sedantur. Ibi etiam Bernhardus Marchio Geroni Archiepiscopo quinque argenti talenta pro recompensatione illati damni promisit. Imperator diu ibidem moratus plurima bene perfecit. Pax etiam facta est inter Gebehardum & Willehelmum Comites; Nuntii quoque de Italia venientes gratulabundi ad sua redierunt. Iter Imperatoris ad Occidentem dispositum ob viæ asperitatem, dilatum est. Imperator ex parte Bolizlai rogatus dixit, convenisse principes suos, si quid boni vellet sibi exhibere, cum eorum consilio libenter se suscipere. Nuntii ergo invicem mittuntur, & induciæ ponuntur. Imperator interim Mersburh veniens certitudinem hujus rei expectabat. Ibi tunc multi latrones a gladiatoribus singulari certamine devicti, suspendio perierunt. Duo Archiepiscopi Erkenbaldus Mogontinus & Gero Partenopolitanus & Arnulfus Episcopus Halberstadensis cum Comitibus Sigefrido & Bernhardo, ceterisque principibus XIIII. dies sedentes Bolizlaum per internuntios ad colloquium diu ab eo desideratum venire rogabant. Imperator Purificationem S. Mariæ Mersburh celebravit; postquam Episcopi & Comites ob contemptum Bolizlai se fallentis tristes adveniebant & Imperatoris mentem apertis legationibus incenderunt. Itaque de futura expeditione tractatur, fidelesque, ut se præparent, admonentur, & ne inter publicum hostem nuntius mitteretur vel susciperetur, ab Imperatore interdicitur. Inde Magdaburh veniens Imperator honorifice suscipitur. Postera luce, Dominica prima Septuagesimæ erat, & secunda feria, Archiepiscopus Capellam Septentrionalem benedixit præsente Imperatore. Gunterus conversus abiit ad Liuticios causa prædicationis. In Cathedra S. Petri Imperator & Regina ab Archiepiscopo Gerone muneribus honorati postera die Halberstad adeunt. Vbi ab Arnulfo Episcopo magnifice suscepti, III. feria Quidelingeburh profecti sunt, & ab Athelheidha venerabili Abbatissa non minori gloria honorantur. Quarta die Monasterium in occidentali monte situm ab Arnulfo Episcopo dedicatum est III. Kal. Martii auxilio Geronis Episcopi & Coëpiscoporum, Imperatore talentum auri ad altare offerente. Inde digressus Goslariæ quatuor ebdomadas sedit. Post hæc Bertoldus Lutarii filius cum suis fautoribus urbem Mundam Kal. Aprilis conducto custode intrans, Baldricum Wigmanni Comitis inclitum Satellitem cum suis diu repugnantem occidit, victorque in ea sedit. Interea Principes Imperatoris edicto Goslariam conveniunt, ubi Sigefrido fratris sui Heinrici de Stathen comitatus, expeditioque Imperatoris ordinatur, multaque periclitanti patriæ necessaria disputantur. Imperator Palmarum diem Mogontiæ, Pascha Ingilinheim honorifice celebravit. Mense Aprili VI. Idus ejusdem Luna visa est in plenilunio ut nova scilicet cum est prima, diei hora III. diu rutilans. Post hæc Imperator Aquisgrani generalem Conventum habuit, ubi consilio Heriberti Coloniensis Archiepiscopi Theodericum Metensem Episcopum & Heinricum fratrem ejus placavit. Regina Coupungen veniens infirmatur, vovitque ad laudem Dei Monasterium ibidem se facturam. Audiens Imperator Reginam levius habere, & votum Deo fecisse, grates Deo persolvit. Igitur Pentecosten in Wirtina celebravit, Heitheinrico Abbate sibi serviente. Hinc ad Orientem tendens, Reginam Patherbrunnæ occurrere jussit, & Magdaburch pariter profecti a Gerone Archiepiscopo honorifice suscepti sunt. Sequenti nocte Nonas Julii horrida tempestas hominibus, pecoribus, ædificiis & frugibus late nocens ingruit, immensus quoque fragor silvas concutiens vias omnes occupavit. Postera die ad Liesca cum exercitu veniens, ibique duas noctes in castris sedens tardantem turbam expectavit. Post hæc regressa Imperatrice cum plurimis, ipse turmatim processit. Ipsa die Heinricus quondam Dux Bavvariæ a Bolizlao, ad quem pacis gratia perrexerat, cum nuntiis ejusdem rediit; quem audita referentem cum legatio-

gatione iterum remisit, nilque proficientem ad Domnam & sororem suam redire permisit. Interim Miseco Bolizlai filius Boëmiam absentia Othelrici Ducis sui minus solito repugnantem cum X. legionibus invadens duobus diebus hanc deprædatur & cum innumerabili multitudine captivorum reversus Patrem immensis gaudiis replevit. Imperator cum exercitu suo & Boëmiorum & Liuticiorum obvia quæque devastans V. Idus Augusti ad urbem Glogowam, ubi Bolizlaus cum suis sollicite præstolabatur, venit, & suos, ne hostem inter latitantes sagittarios provocantem persequerentur, prohibuit. Inde XII. Legiones ad urbem Nemzi præmisit, ut venturum habitatoribus auxilium præoccuparent. Quibus castra metatis hostes adventare rumor indicat. Quos nocte tenebrosa & pro imbrium effusione lædere non valentes, quibusdam fugatis ab introitu tamen civitatis, ceteros prohibere non poterant. Hæc civitas in pago Silensi posita, ob qualitatem sui vel quantitatem cum execranda gentilitas ibi veneraretur ab incolis nimis honorabatur. Imperator post tres dies illuc cum exercitu veniens, castris undique obsideri urbem jubet; sed in efficiendis rebus auxiliantium ei affectus defuit: Nam noctis silentio per omnes custodias magnum urbi præsidium advenit. Tunc omnium instrumentorum species parari jubentur & mox ex parte adversa his admodum similia videntur. Nam & crucem sanctam spe victoriæ ex parte gentilium erigebant: si quid vero prosperum eis accidit, numquam exclamabant, sed nec adversitatem aliquo gemitu ingravescente aperiebant. Mararenses interea Boëmiam ingressi urbem quamdam expugnant, & cum ingenti præda incolumes exiebant. Quod cum Marchio Heinricus audisset, festinus insequitur & interfectis eorum plusquam mille viris, captivitatem omnem solutam domum remisit. Alii quidam milites Bolizlai urbem Belegori XVIII. Kal. aggressi, & bello diutino impugnantes nihil profecerunt. Imperator perfectis omnibus instrumentis cum jam tres ebdomadas ibi sedisset, urbem impugnari jussit: Sed hæc omnia injecto a propugnaculis igne celeriter arserunt. Othelricus Dux cum suis ascendere tentans nil profecit. Tunc Liutici similia aggressi deducuntur. Cæsar videns exercitum infirmitate depressum in urbe capienda in vanum laborare, iter suum ad Boëmiam direxit, ibique ab Odelrico injusto Duce decenter susceptus, muneribus honoratur. Interea Satellites Bolizlai jussu ipsius inter Albiam & Mildam XIII. Kal. Octob. plusquam mille mancipia ceperunt, & plurima late consumentes, prospere redierunt. Eodem anno Godefridus Dux & Gerhardus Comes diu discordes diem condixerunt, quo cum suis fautoribus hoc certo duelli judicio discernerent. Igitur VI. Kal. Septemb. in quadam prati florentis area conflixerunt, sociisque Gerhardi in fugam versis CCC. ex eis prostrati sunt, capti autem Sigefridus ejus filius, Nepos Imperatricis, cum Balderico & aliis plurimis. Sauciatus est ibi Cono qui & Conradus, cui jam illicite nupserat Gisla neptis sua, Ernusti Ducis vidua. At Dux Godefridus in eodem certamine XXX. milites perdidit, sed eos multum elegantes. Eo anno Thiedagus Pragensis Episcopus successor Christi Martyris Adalberti viam universæ carnis III. Idus Junii fideliter intravit; cui Imperator Ekkiardum Novæ Civitatis Abbatem substituit, quem II. Nonas Novembris ab Erkenbaldo Mogontino Archiepiscopo consecrari præcepit. In monte S. Johannis Magdaburh XII. Kal. Aug. in Dormitorio fratrum quiescentium lucerna quædam ardens major solito illuxit & proxima quæque occupans Monasterium & duas Capellas cum aliis habitaculis late flagrans ignis absorbuit; sed divina pietas & confluentium devotio omnes Sanctorum reliquias & maximam partem Tesauri eripuit, uno tantum ex fratribus ob eripiendum Sacerdotalem apparatum amisso, & in medio ignis peccata sua confitente. Obierunt hoc anno Episcopi præclari Amulricus, Fermundus, & Becellinus & paucas ebdomadas sedens Altmannus. Marchio Heinricus longa ægritudine vexatus XIIII. Kalend. Octob. Orientalium Francorum decus obiit, & in Suinvorde civitate sua in Septentrionali parte Monasterii sepelitur. Curtis regalis in Palithe pars maxima & in Trajecto major Ecclesia cum omnibus ædificiis & mansionibus Othelbaldi Præsulis; Ilburch quoque urbs Thiederici Comitis casu accidente combusta sunt. Imperator Kal. Octob. Mersburh venit, ubi nuntius Bolizlai Liudolfum Juvenem diu captivum remitti promisit, ejusque milites custodia detentos pro eo relaxari petiit, & si pro Imperatoris gratia adquirenda nuntium mittere liceret, inquisivit. Quibus Imperator principum interventu omnibus assensum præbuit. Tunc quoque comperit Regem Ruscorum, ut sibi promiserat, contra Bolizlaum venisse, sed nil ad urbem obsessam profecisse. Igitur a Mersburh Altstide venit, ubi memoriam omnium Sanctorum digne celebravit, ubi ebdomadas quinque & quatuor dies sedens, Bavenberh mense Decembri visitavit. Prima nocte, quæ adventum ejus subsecuta est, Guncelinus diu ibi in custodia tentus solvitur, catena de pedibus ejus per divinam Majestatem leniter cadente, integraque permanente. Heinricum etiam quondam Bawariæ Ducem per octo annos & pene tot menses depositum pristino honori restituit, quod ei firmaverat Poppo Trevirensis Archiepiscopus. Hoc anno in Bavvariorum & Marahensium confinio quidam Peregrinus nomine Colomannus ab Incolis, quia Explorator, captus ad professionem culpæ, quod non meruit, diris castigationibus compellitur, quo se excusante pauperemque Christi esse, & sic vagari affirmante, in arbore diu arida suspenderunt; sed Deus malignis, quid in eo egerint, ostendit. Caro enim ejus a quodam post paululum incisa sanguinem fudit, ungues quoque & capilli crescebant; ipsaque arbor virescens floresque producens, hunc Christi Martyrem esse cunctis monstravit. Quod ubi Heinricus, qui inter

inter Vngarios & Bavvarios Marchiam tenebat, comperit, corpus ejus in Mezelikun honorifice sepelivit. Imperator Bavenberh discedens, per Wirceburh Franconevorde Natale Domini celebraturus venit.

Anno Dominicæ Incarnationis M X VIII. Imperator Natale Domini festivis gaudiis, circumcisionem quoque & Theophaniam Frankenevorde celebravit. Post hæc assidue supplicante Bolizlao in urbe Budisin jussu Imperatoris a Gerone & Arnulfo Episcopis, Thiedrico & Herimanno Comitibus, & Friderico Camerario Regio pax non quidem, ut decuit, sacramentis firmata est, acceptisque ab invicem obsidibus reversi sunt. Oda Ekkihardi Marchionis filia a Bolizlao diu desiderata per Ottonem filium vocata, Zicezane ad eum venit, eique contra canonicam auctoritatem in Septuagesima nupsit. Rodolfus Burgundionum Rex, Avunculus Imperatoris, coronam suam & sceptrum cum uxore sua & privignis & optimatibus universis concessit, reiteraturque sacramenti confirmatio. Acta sunt hæc Moguntiæ mense Februario. Mense Martio XVII. Kal. Aprilis magna Synodus fit in Niumagon, ubi Otto quidam de primoribus Francorum & uxor ejus Irmingard consanguinitate proximi injuste diu conjuncti ob inobedientiam continuæ vocationis excommunicati sunt, cooperatoresque eorum a suis Episcopis ad satisfaciendum vocati. Ibi etiam constitutum est, antiquo exemplari perlecto, ut Corpus Dominicum ad sinistram & calix ad dextram sacerdotis poneretur. Imperator Palmas & sanctum Pascha in prædicto loco celebravit, quia Baldericum de nece Wigmanni Comitis nil se excusantem legitime cum suis Conspiratoribus recalcitrare comperit. Gero Archiepiscopus & Bernhardus Marchio in Wanzleve reconciliati sunt XVIII. Kal. Maj. Godefridus quoque Dux & Gerhardus Comes imperatoria potestate reconciliantur. Tempore illo in Anglia XXX. navium Piratæ a Rege eorum Sueini Regis filio occisi sunt. Mediolanensis Archiepiscopus obiit; & præpositus ejusdem Ecclesiæ Heribertus successit. Volcmarus Abbas Fuldensis & Laurisheimensis obiit. Bertoldus Mundæ civitatis invasor imperatoriæ potestati sponte cum suis fautoribus traditur, & urbs continuo concrematur. Imperator post longam habitationem, a Niumagon discedens solemnes dies Rogationum Aquisgrani studiose celebravit. Lampertus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus XVII. Kal. Junii obiit. Imperator Pentecosten in Engelenheim celebravit, ubi Rothardum Capellanum suum Constantiensi Ecclesiæ præfecit. Otto Comes in Imperatoris & Erkenbaldi Archipræsulis præsentiam veniens, prædictam uxorem suam tribus juramentis amisit. Baldericus etiam reconciliatur. Transactis paucis diebus **Heinricus, qui Marcam inter Vngarios & Bawarios sitam habebat, vir fortis & strenuus defunctus est. Imperator Basulam civitatem veniens cum exercitu in Burgundiam properat. Regina vero Capungun veniens, Monachicam** ibi vitam instituit, & per Orientalem Franciam in Bavvariam profecta fratrem suum Heinricum Ratisponæ in Ducatum restituit. Cometa visa est, quæ luctum vastationis Galliæ partibus per Theodericum Imperatricis Nepotem, pestilentiam insuper & mortalitatem mundo nunciavit. Theodericus enim Othelbaldi Trajectensis Episcopi infaustus Satelles erat. Hic in quadam Silva Mirumde vocata, magnum prædium habuit, quod ab ipso injuste sibi ablatum omnes Comprovinciales in Niumagon questi sunt. Vnde Imperator Episcopo Trajectensi præcepit ea loca incendi, & conquerentibus reddi. Cumque Episcopum a talibus mandatis infaustus Juvenis compescere nequivisset, licentiam abeundi petiit & se id prohibiturum minatus est. Itaque Kal. Aug. III. Feria petiit Othelboldus Episcopus prædictum Theodericum, auxilio amicorum & Godefridi Ducis, quem idem in nece militum suorum multum nocuerat. Itaque in Insula quadam fit Conventus collecti exercitus, ubi a Fresonibus ex insidiis undique erumpentibus & a Theoderici militibus circumeuntibus dictu horribile gladio & aqua sine illorum damno pene omnes perierunt. Episcopus vix navicula aufugit, & Dux ab hostibus vix salvatus est. Godefridus Comes & Johannes Miles optimus sternuntur, utque veraces affirmant, plusquam tres legiones Interfectorum fuere, omnisque illa regio defensore carens piratis in rapinam facta est. Balderici quoque Leodicensis Episcopi & Cameracensis præsulis milites pene omnes in prædicta Insula oppetierunt & in tribus proximis provinciis non supererat ulla domus, ubi non deesset habitatorum saltem unus. Hanc insuperabilem ærumpnam aves undique congregatæ & semetipsas invicem interficientes, quæ innumerabiles erant, præsignaverunt, & locum ubi isti postea corruerunt, præoccupaverunt. Eodem die Baldericus Leodicensis Episcopus obiit in Tiele, cui Walbodo successit. Sed Godefridi Ducis auxilio Othelboldus Antistes cum Theoderico hoste reconciliatur, non voluntate, sed necessitate, quare non erat Regionis ullus præpotens defensor, si inimicus acrior insurgeret. Obierunt eodem anno Heinricus Wirceburgensis Episcopus & Arnoldus Ravennensis Archiepiscopus; aliique perplurimi nobiles utriusque sexus, de hac luce subtracti sunt. Imperator ex Burgundia reversus nil de promissis percipiens & parum sibi renitentibus nocens, colloquium in Suevia de Republica habuit; & mox per Rhenum sollicitus descendit. Nam cooperatores sui & Columnæ regni maxima ex parte jam ceciderant, sibique grave pondus in occulto imminebat, quare fidei simulatores occultis ei insidiis per extraneos resistere nitebantur, ut non liceret ei libertate debita congruenter imperare, eorumque injustam temeritatem & libertatis insolentiam in aliquo minorare. In diebus illis Vdo Comes Herimannum coæqualem sibi tam nobilitate quam potestate cepit. Theodericus quoque Dux egregius & fidelis Imperatori cum post superiorem

riorem expeditionem ab Imperatore separatus domum redire voluisset, a quodam Senore Stephano locis abditis impugnatur, cumque jam victor existeret, milite in præda cadente, iterum invasus & victus cum paucis aufugit. Bolizlaus regnum Jarizlai Regis Ruscorum cum exercitu invadens fratrem illius generumque suum Zuentupulcum intronizavit. Horum Pater Rex Wladamirus uxorem a Græcia Ottoni III. desponsatam ducens nomine Helenam ipsius hortatu Christianitatis fidem susceperat. Tres vero habens filios uni eorum Bolizlai filiam in matrimonium sumpsit. Cum qua missus fuit a Polonia Reinbernus Præsul Salsecolbergensis, qui novam Domno propaginem in insulso populo prædicationis plantatione produxit. Quem prædictus Rex audiens filium suum hortatu Bolizlai clam velle sibi repugnare cepit, & cum filio proprio ejusque uxore in singulari custodia clausit, ubi assiduis lacrimis & orationibus intentus ad perenne regnum moriens transivit. Post hæc Rex ille moriens integritatem hereditatis duobus filiis reliquit, tertio adhuc in carcere posito, qui postea elapsus conjuge ibidem relicta ad socerum fugit. Igitur Bolizlaus XI. Kal. Augusti ad quemdam fluvium veniens, exercitum suum castra metari, pontesque necessarios parare jubet. Juxta quem Jarizlaus Rex cum suis sedens duelli eventum sollicitus expectabat. Interim ad bellum Poleniorum provocatione excitatus ab amne, quem tuebatur, inopinata eorum prosperitate fugatur. Quo comperto Bolizlaus extollitur, & flumen cum sociis velociter, etsi laboriose, transivit. Inimica acies econtra turmatim ordinata, defendere patriam frustra nititur; Nam primo conflictu pulsi sunt, cæsaque est innumera multitudo fugientium: ex victoribus autem pauci ceciderunt. Ex illa die Bolizlaus prosperitate fretus inimicos palantes insequitur, & ab Incolis susceptus muneribus honoratur. Interea Jarizlaus quamdam civitatem fratri obedientem vi cepit, habitatoresque abduxit. Urbs autem Kitawa a Pedeneis hortatu Bolizlai impugnata incendio graviter atteritur. Quæ a Rege suo fuga lapso relicta XVIIII. Kal. Sept. Zuentupulcum, quem diu desideraverat, cujus gratia & Christianorum timore omnis hæc regio conversa est, suscepit. Archiepiscopus civitatis cum Sanctorum reliquiis & ornamentis diversis eos honoravit in Monasterio Sanctæ Sophiæ. Ibi fuit Noverca prædicti Regis, uxor quoque & VIIII. ejus sorores, quarum unam prius amatam antiquus fornicator Bolizlaus, propriæ uxoris oblitus, abduxit. Ibi ineffabilis pecunia ei ostenditur, cujus magnam partem hospitibus & fautoribus suis distribuit, aliqua etiam ad patriam misit. Fuerunt in ejus auxilio Teutonici CCC. ex Ungariis V. ex Pedineis viri mille, quos omnes domum remisit, quare Indigenas genero suo fideles invenerat. In hac magna civitate Kitawa, quæ caput est hujus Regni, plus trecentæ Ecclesiæ habentur, & nundinæ VIII. populi autem ignota manus, quæ sicut omnis hæc provincia ex fugitivorum servorum robore undique confluentium & maxime Danorum, Pecineis multum se infestantibus, hactenus resistebat. Hac elatus prosperitate Bolizlaus ad Jarizlaum misit, qui ab eo filiam suam reduci peteret, & uxorem ipsius cum Noverca & Sororibus reddi promitteret. Post hæc Abbatem Thuni virum, in quo regnabat tota hypocrisis, ad Imperatorem cum muneribus misit, ut ejus gratiam amplius adquireret, & ipsi placentia facturum se firmiter promitteret.

Anno Dominicæ Incarnationis M XIX. Imperator Natale Domini Patherbrunnæ celebravit, & in Goslaria Quadragesimale tempus transegit, ubi Bernwardus Hildensheimensis Episcopus præsente Imperatore cum Episcopis ceterisque regni Primoribus Synodo habita Godescalcum Ekkehardi præsidis filium & Gerdrudam Egberti Comitis filiam separavit. Inde Imperator Walbike iter agens comitante Imperatrice cum Episcopis & Principibus diem Palmarum solemniter celebravit. Deinde Mersburch Paschalia festa celebraturus pervenit; ubi multorum nequitia manifestata meritis pœnis est mulctata. Hoc anno Fridericus frater Imperatricis defunctus est. Herimanni Consobrini Imperatoris filii cum Thietmaro Bernhardi Ducis filio rebellare cœperunt, qui tamen comprehensi custodiæ deputantur. Interim Thietmarus fuga elapsus patriam repetit, sed post non multos dies omnes pariter Imperatoris gratia condonantur. Thietmarus Mersburgensis Episcopus obiit, cui Bruno successit. Eodem anno Werinherus Argentinæ Episcopus cum Alemannis contra Burgundiones pugnavit & vicit. Heimeradus presbiter vir sanctus in Hasungun de hac vita feliciter ad Christum migravit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XX. Imperator Natale Domini Wirceburh celebravit. Bernhardus Junior Dux Saxoniæ, frater supradicti Thietmari, Imperatori rebellaturus Seaskesburh intravit, quam statim Imperator obsedit. Sed Bernhardus justiciæ cedens interpellante Imperatrice, gratiam Imperatoris pariter cum beneficio patris obtinuit. Hujus frater Thietmarus interfectus est in duello coram Heinrico Imperatore. Hoc anno hiems solito asperior atque diuturnior inhorruit adeo dura, ut plerique in algoris rigore extincti occumberent. Quam subsecuta est inaudita mortalitas, & totum pene orbem subitaneo vastavit occasu. Benedictus Papa cum Imperatore Heinrico in civitate Babenberh Cœnam Dominicam festumque Paschale decenti excoluit ministerio ac multiplici opum copia donatus Romam lætus ac sospes revisit. Terræmotus magnus IIII. Idus Maji feria V. factus est. Dein XV. Kal. Aug. feria II. Luna XXIII. incipiente hora diei III. usque ad sextam apparuit circulus magnus circa solem, colorem yris habens, quem alii IIII. lucidiores circuli binis locis in modum crucis complexi sunt. Attamen tribus rarescentibus duo, id est, medius & Aquilonalis, diutissime perstiterunt. Interim res mira cunctisque retro temporibus inaudita Incolis

colis Septentrionalibus accidit. Nam fluvius Albis ac Wisara insolita inundationis mole alveos suos egressi & nimia violentia ventorum evulsi cuncta rura late circumjacentium terrarum cum collibus ac montibus, quos natura quadam præ ceteris sublimitate munierat, altius insurgendo submergebant, & quod his mirabilius est, & omni incredibilius auditu, villas integras nequaquam soluta ædificiorum compage cum inibi degentibus de alia in aliam transvehendo ripam, eadem qua prius positione, constituebant. Inter hæc Ecclesiam quamdam pia majorum diligentia olim constructam eodem ut cetera impetu, pristino omnimodis statu evulsam alibi translatam affirmant. Sed & supradicti fluvii Albis & Wisara ternis dierum ac noctuum vicibus flammivomis contra naturam superficietenus visi sunt arsisse vaporibus. Postea decrescente diluvio dum pia quorumdam solertia debitum sepeliendi humanis cadaveribus præbere studuit, quorum erat innumera multitudo in plures cumulos concreta, ita serpentibus & colubris concreta reperiuntur, ut nec ferro nec cujuslibet artis instrumento ea dissolvendi ullam timidi homines viam invenire quivissent. Otto prædictus qui uxori injustæ adhæserat, quam tribus juramentis amiserat, felle commotus contra Erkenbaldum Mogontinum Archiepiscopum, eo quod sæpius ab illo correptus esset pro jam dicto incertu, dispositis insidiis Christo Domini manum paravit inferre. Sed cum Archiepiscopus DEI se protegente gratia illæsus evasisset, socios qui navali eumdem sequebatur itinere comprehendit, & custodiæ tradidit, multisque injuriis tractavit. Quod cum Imperatori nunciatum fuisset, habita cum Episcopis & principibus deliberatione eum ab hac immani tentavit revocare vesania. Qui rebellis & incorrigibilis perseverans ab Episcopis vinculo anathematis innodatus est; ut vel sic timore pœnali victus dignis pœnitentiæ lamentis reddere se studeret: quæ ille omnino despectui habens copias suas cum conjuge in quamdam munitionem Hamerstein vocatam contraxit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXI. Imperator Justiciæ fidens Hamerstein firma obsidione circumdedit, ibique Dominici Natalis diem egit. Tandem famis inopia coacti instante celebri per orbem Stephani Protomartyris festo se suaque omnia Imperatoriæ potestati dedunt. Imperator post victoriam Saxoniam properavit, festum Palmarum Walbike, Pascha Mersburh debita devotione celebraturus. Interim pervenit ad aures ipsius Heribertum venerabilem Coloniensem Archiepiscopum humanis rebus excessisse. Hic divæ Memoriæ præsul, quam studiosus extiterit in omni Ecclesiastica Religione, miracula ad tumulum ejus divinitus acta testantur. Huic Pilegrimus successit. Imperator emensa, quam cœperat via, Dominicam Resurrectionem summa celebravit gloria. Postea Parthenopolim perveniens sacros dies Pentecostes cum Gerone Archiepiscopo gloriosissime peregit. Inde Altstide Curtem regiam repetens, publicum habuit conventum, & inter illius provinciæ civitates totum illum peregit annum. Sanctorum Tebæorum solemnia Halberstad honore celebravit dignissimo, Arnulfo præsule ministrante. Inde Quidelingeburh venit, ubi dedicatio Monasterii ipso jubente peracta est. Dedicatum est autem ab Arnulfo Episcopo & altare summum in honore Sanctæ & individuæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ, Johannis Baptistæ, Sancti Petri, Sancti Stephani Protomartyris, Dionysii & sociorum ejus & Sancti Servatii Confessoris. Octavo Dedicationis die Imperator discedens Mersburgensis Ecclesiæ Dedicationi interfuit. Postea in Altstide cum primoribus imperiale habuit colloquium. Erkenbaldus Mogontinus Archiepiscopus obiit, cui Aribo Regius Capellanus successit, cujus super aliquot psalmos Tractatus invenitur. Hic Monasterium construxit super montem Hasunkun in honore Petri & Pauli Apostolorum, & in memoriam supradicti Beati Heimeradi. Bracilaus Boëmiæ Ducis Odolrici filius Juditham sororem Ottonis de Suinvorde, filiam sæpedicti Marchionis Heinrici, de Monasterio ubi erudiebatur rapuit, sociisque id ignorantibus & ab irruentibus comprehensis aliorum erutis oculis & naribus abscisis, aliorum manibus & pedibus truncatis, ipse cum paucis & virgine per noctem vix evasit; Et ne Teutonis calumpniandi Boëmios justa esset occasio, salutato cum nova nupta patre, in Moraviam profectus est. Nam hanc sibi pater tradiderat, fugatis inde Poloniis, ex quibus multos comprehensos, centenos & centenos catenatos vendi jusserat, quare post obitum secundi Bolizlai, sicut urbem Pragam, ita totam Moraviam vi obtinuerant Polonii.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXII. Imperator Natale Domini celebravit in Italia. Post hæc obsedit novam Trojam, quam, licet obsidione longa, gloriosissime devincens; Inde perrexit Romam, ibique aliquantulum moratus nivosa Alpium cacumina citato transgreditur cursu: & mortalitas magna in exercitu facta est. Mox synodale colloquium confluentibus undique diversarum regionum Episcopis aliisque populis quamplurimis in partibus peregit occidentalibus. His ita peractis, perventum est ad quemdam locum Grona dictum, ubi in præsentia Imperatoris inter Geronem Magdaburgensem Archiepiscopum & Arnulfum Halberstadensem Episcopum nefanda omnique ævo execranda oritur seditio. Theodericus Mimigardevordensis Episcopus X. Kal. Februarii obiit, cui Sigifridus Abbas Magdaburgensis successit. Theodericus Mindensis præsul XI. Kal. Martii decessit; Post quem Albericus ejusdem loci præpositus est electus, sed morte præventus, nec consecrationem accepit, nec in cathedram pervenit. Sigibertus vero in Episcopatum intravit. Bernwardus venerabilis Hildensheimensis Antistes XII. Kal. Decembris ad Christum migravit. Interea Imperator Gronæ sedebat, & Godehardum Altahensem Abbatem pietatis more secum habebat, qui postquam

fidelem Christi suique amicum condigno mœrore deflevit, eumdem Abbatem secreto soliloquio de ejusdem sedis Episcopatu convenit. Deinde per Episcopos duritiam cordis ejus mollire tentavit, sicque per totam ebdomadam inter eos causa tractabatur; sed ille semper eadem sententiæ suæ tenacitate renitebatur. Tandem in vigilia Sancti Andreæ aspexit in visione, in atrio Ecclesiæ, in qua post triduum consecrandus erat, multitudinem de eodem Episcopatu concertantem. Tunc accessit ad eum cum pulchra caterva puellarum quædam matrona vultu & habitu mirabilis & apprehensa ejus dextra in Ecclesiam introduxit, ipsoque ad ejus nutum ante Crucifixum ad pedes se inclinante cum circumastantibus clara voce psallere cœpit: Infunde unctionem tuam Clemens nostris sensibus. Quid plura? sequenti die in Natali Apostoli cum summo Cleri plebisque tripudio ei jam volenti pastoralis cura commendatur, & ab Aribone Archiepiscopo Mogontiaco digne DEO consecratur. Sed tamen ipso die ordinationis suæ ante Missarum solemnia secretius eum cum Episcopis convenit, eique in Gandersheimensi loco & circumjacente territorio omnem Pontificalis officii provisionem banni sui interpositione prohibuit. Nam superiori anno eumdem Archiepiscopum imperialis anuli dono regio more præsignatum Bernwardus Episcopus ad principale altare prænotatæ Gandersheimensis Ecclesiæ presbyterum ordinavit eique verbi DEI & banni Sancti Petri auctoritate ejusdem altaris loci etiam vel circumjacentis territorii usurpationem, invasionem vel repetitionem, astante Imperatore cum Episcopis publice interdixit. In hujus banni vindictam ille beato Godehardo tentationem prædictam intulit. Erat tamen idem Archiepiscopus genere & dignitate, probabili etiam morum gravitate vere venerabilis, sed in hac tantum temeritate erga beatum virum pro parte culpabilis. Quem quidem bannum Episcopus Godehardus suæ simplicitatis more nec approbavit, nec renuit, sed ad Imperatorem, patrocinium quærens, confugit: Qui accersito cum fratribus Archiepiscopo familiariter & dissimulata cordis molestia hunc novum conflictum banno soluto sapienter pacificeque diremit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXIII. Heinricus Imperator festa paschalia Mersburh celebravit. Godehardus Episcopus prima post ordinationem suam æstate, Monasterium in Australi parte principalis Ecclesiæ honorifice fundando inchoavit. Ekkehardus IIII. Pragensis Ecclesiæ Episcopus, prius autem Nienburh, novæ civitatis, Abbas VI. Idus Augusti ab hac vita migravit. Hic constituit in Boëmia, ut pro decimatione unusquisque sive potens, sive dives, sive pauper, tantum qui de suo allodio araturam haberet, duos modios palmarum quinque & duorum digitorum, unum tritici & alterum avenæ, Episcopo persolveret. Nam antea sicut a primo Episcopo Dietmaro constitutum erat, pro decimatione duos Messis acervos dabant: Acervum autem dicunt quinquaginta manipulos habentem. Arnolfus Halberstadensis Ecclesiæ nonus Episcopus Christi fidelis famulus VII. Idus Septembris obdormivit in Domino. Hic divina favente clementia adquisivit Sancto Stephano mansos mille & ducentos & alia multa in molendinis, in areis, silvis, fossis, salinis, in diversis locis adquisitis. Thesaurum Sancti Stephani in palliis, in indumentis missalibus ad omnes ordines pertinentibus valde multiplicavit. Tabulam altaris supremi auro puro, & gemmis decoravit, Thuribulum aureum & thuris receptaculum aureum, & calicem magnum aureum cum patena & varia ornatuum genera Sancto Stephano obtulit. Corpus ejus in claustro sepultum est. Gero Magdaburgensis Archiepiscopus multis doloribus confectus XI. Kal. Novembris sæculo moriens & Christo vivens decessit. Hic consilio fidelium suorum commutavit Xenochium, quod primus Otto Imperator construxerat in villa, quæ dicitur Rothardestorp & facto infra urbem Monasterio in honore Sanctæ DEI Genitricis Mariæ eadem prædia, unde prius egentibus necessaria præbebantur, cum aliis bonis pretio per se adquisitis eidem Ecclesiæ obtulit, & Præposituram ibi constituit. Aliam præterea Ecclesiam in honore beati Johannis Evangelistæ construxit, & dedicavit; Canonicisque ibidem DEO servientibus de sua proprietate unde sufficiens illis victus & vestitus esset, deputavit, & statum loci cum illis Ecclesiis honorifice ampliavit. Muros etiam urbis, quos Otto Imperator incœpit, ipse perfecit. Domum Sancti Mauricii cum variis ornamentis & ædificiis Episcopii renovavit, & omnia in sua Ecclesia tam exterius quam interius melioravit & ampliavit. Decessit autem in villa Wadderroth vocata in parrochia Halberstadensi, relinquens Posteris plurima monumenta suæ industriæ. Pater ejus Dedi dicebatur de Wodeneswege; Mater vero Cilica. Eodem anno Eilwardus Misnensis Episcopus, & Bernhardus Mikilenburgensis Episcopus, aliique Antistites plurimi obierunt. Liudolfus Comes obiit. Interea Imperator Dominicæ Nativitatis gaudia celebraturus regio comitatu Bavenberch profectus est. (Hic aliqua desunt.)

Sublimatus autem in regni sede consilio Brunonis Episcopi Augustensis fratris Heinrici Imperatoris, qui semper, ut supra dictum est, felicibus ejus actibus invidebat, Babenbergensem Episcopatum meditabatur destruere; quia idem Brun Episcopus promisit Gislæ Reginæ omnia prædia hereditario jure ad se pertinentia, filio ejus Heinrico contradere. Locus igitur & tempus conventui statuitur, ubi hæc res ad certum perducatur. Nocte vero, quæ diem præcesserat, in qua hæc ventilanda erant, Everhardus Babenbergensis Episcopus ad Tentorium prædicti Brunonis clam accessit, lectoque ejus assidens multa super hæc monendo, obsecrando memoriam fratris animo inculcando cum eodem sollicitus egit. Postquam multa noctis hora transacta recesserat & Episcopum pro

pro auditis sollicitatum somnus oppresserat, visus est ei frater suus Imperator Heinricus lecto suo astare, faciemque suam barba ex una parte depilata turpatam obicere. Cui super hoc stupido & admiranti, & quis tam temerarios ausus in eum præsumeret, interroganti; Tu, ait, hæc fecisti; qui me & Sanctos Dei, quos rebus a Deo mihi concessis dotavi, despoliare disposuisti. Cave jam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus ac de visione non parum perterritus, membrorum quoque horrore ac tremore non leniter est attactus. Mane autem facto cum diu expectatus ad conventum procerum non veniret, Regina pro filio sollicitata nuntiis missis obnixe rogavit, ut veniens promissa perficeret. Ille vero affirmabat se tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto surgere, nec pedem posset quoquam movere; Cumque rogaretur, ut se in lecto ad conventum portari pateretur, quo vel sic promissum perficeretur, omnino abnuit, seque in Deum & Sanctos ejus, & in fratrem suum peccasse libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina Pietas per merita famuli sui ne spe, quam in se posuit, fraudaretur, omnia illius pravæ conspirationis machinamenta repressit. Idque quod ab eo bene cœptum est, confirmando semper exinde ad meliora provexit.

Anno Dom. Incarn. MXXV. Conradus Rex primum suæ felicitatis annum in Natali Domini Mindæ iniciavit: Epiphaniam Domini in Patherbrunna more regio peregit. Inde Hildinsheim venit, ubi Aribo Archiepiscopus, qui vivente Imperatore Heinrico jam per biennium obticuerat, iterum inventa occasione beatum Godehardum super Gandirsheim inquietare cœpit, quam tamen ejus machinationem novus Rex Principum consilio diremit. Postea venit Halberstad, ubi aliquamdiu moratus, multa disposuit. Deinde Quidelingeburh properat. Postea Purificatione S. Mariæ in Magdaburch festive celebrata, Mersburh lætus aggreditur. Sic peragrata compendioso itinere Saxonia Quadragesimali tempore per Thuringiam, Franciamque in Bavvariam progressus, Reinesburch Sanctum Pascha honorifice feriavit, & ea æstate partes Bavvariæ, Sueviæ & Karentinorum cum circumjacentium Provinciarum terminis pertransivit. Interea Bolizlaus Dux Poloniæ obitu Imperatoris Heinrici comperto, animo elatus superbiæ veneno perfunditur, adeo ut uncto imponi sibi coronam temere usurpaverit. Qui tamen eodem anno defunctus est. Post hæc Miseco filius ejus natu major haud dissimili superbia tumens virus arrogantiæ longe lateque diffudit. Eodem anno legati Liuticiorum ad Regem in Palithi venerunt, ejusque auxilium contra Miseconem petierunt, seque Regi fideliter servituros promiserunt; sed mentita est iniquitas sibi solito more. Eodem anno Godehardus Hildinisheimensis Episcopus Montem speciosum in occidentali parte suæ civitatis incolere cœpit, quem postea titulo ac nomini S. Mauricii sui summi patroni dedicavit.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXVI. Rex Natale Domini Leodii celebravit, & Heinricum filium suum ex Gisla Regem fecit. Hæc Gisla, & soror ejus Machtildis, fratresque ejus Rodulfus & Bernhardus nati erant in Westfalia, de loco, qui dicitur Werla. Gisla nupsit primum Ernesto filio Liuppaldi Marchionis, genuitque illi Herimannum Ducem Suevorum. Duce Ernesto defuncto accepit eam uxorem Comes Bruno de Bruneswic, peperitque illi Liudolfum Comitem. Comite Brunone etiam defuncto, duxit eam violenter Conradus suus cognatus, genuitque ex ea hunc, de quo loquimur, Heinricum. Machtildem desponsavit Comes Esicus de Ballenstide, genuitque ex ea Comitem Adalbertum Seniorem, patrem Comitis Ottonis. Rodolfus frater earum genuit Comitem Herimannum patrem Domnæ Odæ, quam desponsavit Vdo Comes de Stathen, qui primus ex illo genere adquisivit Marchiam Aquilonalem. Bernhardus Comes, alter frater ejusdem Reginæ, habuit filias, quarum unam nomine Idam duxit Heinricus de Castro, quod Loufe dicitur, Brunonis Treverensis Episcopi & Poponis Comitis frater, quem cum mures corrosissent usque ad mortem, viduam illius Idam quidam nobilis de Saxonia accepit uxorem, habuitque ex illa Comitem Sifridum de Ertiniburh. Filiam ejusdem Idæ ex Comite eodem Heinrico, nomine Adelheidham duxit Adulfus de Huvili, genuitque Adulfum Juniorem & fratres ejus. Post cujus mortem sociavit eam sibi Comes Palatinus Fridericus de Sumersenburch, genuitque Palatinum Comitem Fridericum Juniorem. Igitur Rex Conradus, ut dictum est, filium suum Regem fecit, cui etiam filiam Cnud Regis Danorum mediante Vnwano Bremensi Archiepiscopo deposcens uxorem, dedit ei Sliaswic civitatem cum Marca quæ trans Egdoram est, in fœdus amicitiæ, & ex eo tempore fuit Regum Daniæ. Purificationem S. Mariæ Augustæ mansit, inde iter suum ad partes Italiæ direxit, & proximum Pascha Vercellis prospere celebravit, & ita contiguas circumquaque regiones in novo regio decore visitando peragravit. Eodem anno Aribo Mogontinus Archiepiscopus in Natali S. Mathæi Apostoli Seligunstad Concilium generale duodecim Episcoporum concivit; in quo præsulem Hildinisheimensem super Gandirsheimensi territorio publice convenit. Quam tamen Synodum unanimitas fratrum in futurum annum compendinavit. Vval Corbejensis Abbas obiit Idus Februarii; Sedit annis quatuor, cui Druhtmarus successit.

Anno Dom. Incarn. MXXVII. Rex Natalis Domini festum Yporcæ iniciavit; Inde ad limina Apostolorum tendens feria tertia ante Cœnam Domini Romam felici prosperitate gaudens intravit, & in Sancto Resurrectionis die Coronam Imperialis honoris a beato Johanne Apostolorum Vicario gloriose percepit. Inde in proxima Dominica regressus ac pervasa circum-

circumquaque potestative ea regione in pace repatriavit, & Nativitatem S. Johannis Baptistæ Imbripoli novus Imperator celebravit. Vbi & defuncto in bona senectute Heinrico Duce Bawariæ, filio suo Heinrico eumdem Ducatum principum delectu commendavit. Eodem item anno Aribo Mogontinus Archiepiscopus Franconevorde Concilium Sinodi habuit cum Episcopis XXIII. in quo iterum beatum Godehardum de sæpius præventilata causa more suo inquietavit. Pulchra siquidem ibi erat etiam rationabiliter tam regalis, quam & Episcopalis Confessio. Nam in Orientali parte ante Altare Archiepiscopus Aribo cum suis suffraganeis Werinhero Argentinensi, Brunone Augustensi, Meinwerco Patherbrunnensi, Eberhardo Babenbergensi, Meinhardo Wirceburgensi, Brantago Halberstadensi, Godehardo Hildinisheimensi, Hazecone Wormatiensi, Wiggero Fardensi consedit. In occidentali parte Imperator consedit, & a dextris ejus Piligrimus Coloniensis Archiepiscopus cum sibi subditis Sigiberto Mindensi, Sigifrido Monasteriensi, Bennone Trajectensi. A sinistris ejus Hunfridus Partenopolitanus Archiepiscopus cum suis Hildiwardo Cicensi, Brunone Mersburgensi, Liuzone Brandeburgensi, Thioderico Misnensi. In Australi autem parte Episcopi Rambertus Wirdunensis, Rodolfus Sleswicensis, Hildolfus Mantuanus, Reinoldus Aldenburgensis assederunt. In Aquilonali etiam Abbates Richardus Fuldensis, Reinboldus Lorisheimensis, Arnoldus Herveldensis, Gerbertus Mogontinus cum aliis etiam ejus ordinis sex adfuerunt. Ibi tandem præsul Godehardus summa veritate, quæ Christus est, miserante pariter & adjuvante Episcopatus sui proprietatem super totum Gandirsheimense territorium testimonio septem Episcoporum, qui prædictam pactionem in Gandirsheim & audierant & viderant, canonice retinuit, scilicet Brunone Augustensi concionante, Werinhero Argentinensi decernente, ipso vero Metropolitano vere invito verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Episcopi qui suum testimonium sicut viderant & audierant præbuerunt, Bruno Augustensis, Everhardus Bavenbergensis, Meinwercus Paderbrunnensis, Meinhardus Wirceburgensis, Sigibertus Mindensis, Hilliwardus Cicensis, Bruno Mersburgensis. In hac Synodo Domna Sophia Abbatissa Gandersheimensis Nonnas suas cogente Synodali decreto ab Archiepiscopo recepit. In eadem Synodo Gebehardus juvenis frater Imperatoris, arma compulsus deposuit & clericalem tonsuram invitus accepit. Bruno Augustensis Episcopus & Welf Comes prædas & incendia inter se faciunt.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXVIII. Imperator Natale Domini Leodii celebravit; Pascha vero Aquisgrani festive feriavit, ubi & filius ejus Heinricus Regalis nominis coronam a Piligrimo Archiepiscopo, Cleri plebisque electione honorifice percepit. Eo anno iterum Aribo Archiepiscopus Sinodum suam Geizlicæ concivit ad item beatum Godehardum inquietandum, legatis & scriptis vocavit, quo ille venire dissimulans, venerabilem virum Tadilonem Decanum illius Ecclesiæ cum fratribus ei obviam misit, qui eum honorifice ex parte Senioris salutando de præteritæ Sinodi diffinitione commonuit, & plurali altrinsecus auctoritatum collatione profusa Episcoporum auxilio eum ab ipsa repetitione tunc tantummodo compescuit. In eadem Sinodo inter cetera quidam homo ingenuus de homicidio Sigefridi Comitis incusatus, candenti se ferro excusavit; qui ex decreto Sinodali post duas noctes probatus illæsus apparuit.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXVIIII. Imperator in Palithi Natale Domini celebravit, ubi prædictus Archiepiscopus iterum Sinodo habita veterem querelam contra beatum Godehardum præsente Imperatore incœpit, sed post multa & varia disceptationum colloquia vix tandem ab Episcopis commonitus destitit. Eo anno Bruno Augustæ Civitatis Episcopus obiit, cui Eppo successit, Werinherus etiam Strazburgensis Præsul sustollitur, post quem Willehelmus subrogatur. Ernest Dux & Welf Comes Imperatori ad deditionem veniunt. Imperator Conradus Stephanum Pannoniæ Regem cum exercitu petit, difficili & laborioso itinere regionem ejus invadens. Eodem anno Pentecosten in Mersburh celebravit, ubi Aribo Archiepiscopus & Godehardus Episcopus inter se super diutina eorum disceptatione reconciliati sunt; Nam ipse Metropolitanus Patrem Godehardum secreto coram Episcopis convenit, seque errasse super Parrochia Gandirsheimensi confessus est, & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem sub vero Christi & Ecclesiæ testimonio promisit, sibique priora errata propter Deum remitti suppliciter petiit. Hoc ipso anno Imperator ducere exercitum in Poloniam decrevit. Statuto tempore ultra Albim in loco qui Liezeke vocatur, multitudinem exercitus congregavit, & iter quod cœperat, properavit. Imperatrix autem reversa in Mersburh expectabat eventum rei. Delusus namque Imperator cum exercitum silvis deviis, palustribus desertisque locis ac periculosis admodum fatigatus, nec quo voluit pervenit, sed quorumdam consilio tantum Budasim urbem sui quondam regni obsedit, circa quam multi ex utraque parte vulnerati interierunt. Videns ergo Imperator adversarios superari non posse, in proximum annum distulit, seque Saxoniæ, partibus recepit. In Alamannia Ernest Dux & Werinherus Comes cum aliis multis occiduntur. His temporibus mortuus est Thietmarus Marchio filius Geronis Marchionis ex Athelheidhe marchionissa sepultusque, ut putatur, est in Monasterio, quod Helmwardeshusem dicitur. Filius hujus fuit Odo Marchio, qui sine filiis obiit. Pater vero ejus Gero patrem habuit Thietmarum Marchionem & patruum Geronem Coloniensem Archiepiscopum, a quibus fundatum est Cœnobium Nienburch juxta Salam fluvium. Mater ejus erat Suanehildis

hildis filia Herimanni Ducis, soror Bernhardi, quæ post mortem viri sui nupsit Ekkihardo marchioni filio Guntarii, genuitque illi Herimannum, Ekkihardum, Guntarium, & Liutgardem.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXX. Imperator Nativitatem Domini Paderbrunnem celebravit, peractisque diebus festis ultra Rhenum ire proposuit. Res miranda cunctisque Christi fidelibus stupenda XVII. Kalendas Febr. accidit. Miseco Dux Polanorum, qui contra Romanum Imperium regale sibi nomen usurpavit, comperto obitu Thietmari marchionis clam assumptis Satellitibus Diaboli Sigefrido aliisque sceleratis exercitum Paganorum in Sanctam duxit Ecclesiam. Iste est Sigefridus Avunculus Esici Comitis de Ballenstidi filius Odonis incliti Marchionis, qui sub tertio Ottone defunctus & in Nienburh sepultus fuerat. In quo Monasterio iste Sigifridus diu inter Monachos in eodem habitu conversatus est. Sed post obitum patris habitum cum Religione proiciens, apostata factus est. Igitur Miseco inter Albiam & Salam plusquam centum villas incendiis, cædibusque vastavit; Christianorum VIIII. millia & LXV. viros ac mulieres miserabiliter captivavit. Reverentissimum Brandeburgensem Episcopum Liuzonem, ut vile mancipium cepit, nec sacris altaribus pepercit, sed omnia homicidiis, sanguineque polluit; Matronas Religiosas, ac nobiles armata manu sibi vendicavit; hoc namque solum tantorum fuit levamen malorum scilicet pretiosa & exoptata mors; honestas etiam mulieres & gravidas violenta paganorum manus, quasdam gladiis trucidavit, quasdam lanceis perforavit; omnes ergo quibus grandæva senectus, vel tenera ætas, vel ægritudinis infirmitas vires negaverat, armis interire præcepit. Interea Theodericus Comes superveniens cum militibus, plures ex illis occidit, ceteros effugavit. Hoc anno Vnwanus Bremensis Archiepiscopus obiit. Hic in plerisque Paschæ festivitatibus VII. Episcopos secum habuit, & præterea Abbates; nec minus Ducem & aliquos Provinciæ Comites, magno honore singulos amplectens. Huic Lievizo in Archiepiscopatu successit. Hoc anno Bracilaus Dux Boëmiæ Vngaros magna cæde prostravit, & terram eorum usque ad urbem Strigoniam devastavit. Eodem anno III. Idus Feb. Hizo V. Episcopus Pragensis obiit. Hic solitus erat quotidie XL pauperes pascere, quibus quotidie abunde procurans cibum & potum, ipse benedixit & ipse hilaris distribuit.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXXI. Conradus Imperator Natale Domini Padherbrunnæ Pascha Nieumago celebravit. Hoc anno Imperator & filius ejus Heinricus Dux Bawariæ & Stephanus Rex Vngariorum cum juramento pacem ad invicem firmaverunt. Eodem anno piæ memoriæ Aribo Mogontinus Archiepiscopus celebrante Imperatore festum Natalis Domini, ut dictum est, in Padherbrunna in sancto die inter Missarum solemnia publico sermone habito licentiam ab Imperatore & fratribus Romam pergendi rogavit, simulque a Clero & populo indulgentiam sibi a Deo impetrari postulavit. Sicque post Purificationem S. Mariæ iter assumens Romam adiit, inde vero digrediens Idus Aprilis obiit anno ordinationis suæ XI. cunctis Catholicis merito flebilis, cui vir simplex & rectus Bardo Herveldensis Abbas successit, qui Deo provehente in brevi ad culmen summæ perfectionis feliciter processit. Qui propter dulcisonam prædicandi melodiam Bardo Crisostomus dicebatur; qui cum primo Wirtinensis Cœnobii procurator fuisset, succedente sibi Geroldo Fuldensi Monacho, Herveldensis Ecclesiæ Abbati Arnulfo est suggestione Gislæ Imperatricis subrogatus, viro in divinis & humanis rebus præcipuo, qui tunc quorumdam fratrum ejusdem loci criminis objectione accusatus miserabiliter proprio est honore privatus. Sed mox Archiepiscopus effectus, successorem accepit in Abbatia Herveldensi Rodolfum Cœnobii Stabulon Præpositum, a quo Imperatoris Decreto inibi mutata est monachica consuetudo. Eodem anno in Natali Apostolorum Petri & Pauli Severus Pragensis Ecclesiæ sextus Episcopus ordinatus est a Mogontino Archiepiscopo Bardone. Imperator cum parva manu Saxonum Slavos autumnali tempore invasit, & Misceonem diu sibi resistentem regionem Liusizi cum aliquot urbibus & præda, quæ prioribus annis in Saxoniæ partibus facta est, restituere, pacemque juramento firmare coëgit. Qui Miseco post mensis tantum spatium a fratre suo Bezbremo subita invasione perturbatus ad Odelricum Ducem in Boëmiam fugere compulsus est. Idem Bezbrem Imperatori coronam cum aliis regalibus, quæ frater ejus injuste usurpaverat transmittens, se ei humiliter subditurum per Legatos suos sponte promisit. Wiggerus Fardensis Episcopus obiit, postquam Wiggerus * intravit. Meinwercus Patherbrunnæ Episcopus in Suburbio Episcopii sui Monasterium construxit, & in honore omnium Sanctorum dedicavit, præsentibus & adjuvantibus auctoritate sua Episcopis Hunfrido Partenopolino, Godehardo Hildinsheimense, Sigiberto Mindense, in quo & Monachicum ordinem Cluniacensem instituit.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXXII. Imperator Natale Domini Goslariæ gloriose peregit, & Pascha Seligenstad. Hoc anno prædictus Bezbriem ob immanissimam suæ tyrannidis sævitiam a suis interfectus est machinatione fratrum suorum, sicut populi sermo est. Statim Miseco domum rediit, cognoscensque sibi propter immoderatam insolentiam omnia, quæ perpessus est, divino judicio evenisse, misit ad Imperatorem, & tempus se præsentandi, digneque satisfaciendi postulavit. Quem Imperator clementius, quam ipse opinaretur, suscepit, eique & patrueli ejus Theoderico regnum, quod ipse prius possederat, divisit: Quod tamen solus iterum usurpavit. Odalricus vero Boëmiæ Dux, eadem regali jussione invitatus venire contempsit, quem Imperator postea Wirbeni,

beni, ubi contra Liuticios pacificandi regni gratia consedit ad se venientem & ratione convictum, de insidiis etiam quas ante biennium ipsi Imperatori fecerat confessum, in exilium transmisit. Rodolfus Rex Burgundiæ moriens Diadema suum Conrado Imperatori misit. Ruotbertus & Richardus a Nortmannia digressi Apuliam expetunt, & incolas illius terræ fortiter debellant. Lievizo Bremensis Archiepiscopus VIII. Kal. Septembris obiit, cui Herimannus Halberstadensis Præpositus successit. Arnolfus Abbas quondam Herifeldiæ obiit & in Gellinge sepultus est, ubi tunc manendi gratia habitavit; sed post tres dies, totidemque noctes effossus ex præcepto sui successoris Herfeldiæ in Ecclesia Sancti Michahelis est tumulatus. Sigefridus Mimigardevordensis Ecclesiæ Episcopus filius Sigefridi Comitis de Waldbike & Judithæ filiæ Heinrici Calvi de Stathen V. Kal. Decembris obiit. Fratres ejus erant Thietmarus Mersburgensis & Bruno Fardensis Episcopi, & Heinricus Comes, & Fridericus Magdaburgensis Præfectus. Huic Herimannus Coloniæ præpositus in Episcopatu successit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXXV. Conradus Imperator Natale Domni cum decentissima suorum frequentatione Goslariæ celebravit, quo ad eum diversarum gentium legati cum muneribus convenerunt, qui inde ut Imperatoriam Majestatem oportebat, remunerati abierunt. Ubi etiam prædicto Domno Albuino Abbatiæ dignitatem in ipsis Kal. Januarii, conmendavit, & Conradum Alberici filium exilio reum Majestatis deputavit. Tempore Quadragesimali urbs Wirbini a Liuticis capitur & præsidium Dedonis captivum deducitur. Degarense Monasterium incensum est V. Kal. Martii. Imperator Pascha Paderbrunæ, Ascensionem Domini Seliginstad celebravit, Pentecosten vero Babenberh egit, unde expeditionem suam in Liuticios serio mandavit. Ibi etiam Heinrico Regi filio Imperatoris filia Chnut Regis Danorum juramentis desponsatur: & Otto de Suinvorde, filius Heinrici Marchionis, de Gerberga matre genitus, Machtildem filiam Bolizlai Polonorum Ducis sibi desponsavit. Imperator cum valido exercitu regionem Liuticiorum intravit, quam longe lateque incendiis & populationibus vastavit. Eodem anno Herimannus Hammaburgensis Metropolitanus ex hac luce migravit, cui Becelinus qui & Adelbrandus Regius Capellanus successit, qui cum summo conprovincialium gaudio a suis Suffraganeis Episcopis Sabbato ante Nativitatem Christi in vigilia Sancti Thomæ Apostoli presbiterii honorem & in crastinum pontificalem promotionem honorifice suscepit. Opertus Elewangensium Abbas obiit, cui Richardus Fuldensis Monacus successit. Alberad Molenbechiensis Abbatissa, machinatione Sigeberti Mindensis Episcopi, (regimen) Domnæ Meinsuit Wongerestorpensis Abbatissæ, quæ pridie Kal. Novemb obierat, tota Congregatione nimium renitente, suscepit. Cnut Rex Danorum decessit in Anglia, qui tenuit regna Danorum, Anglorum & Nortmannorum in ditione sua per XXII. duos annos. Post cujus mortem succedunt in regnum filii ejus Haroldus in Anglia, Suein in Nortmannia, Hardecund in Dania. Iste, cum esset filius Immæ Reginæ, sororem habuit eam, quam Rex Heinricus in conjugium accepit. Nam Suein & Haroldus a concubina geniti erant, qui, ut mos est Barbaris, æquam partem hæreditatis inter liberos sortiti sunt. Gebehardus Ratisponensis Episcopus obiit, cui item Gebehardus successit. Ota sanctæ Commemorationis Abbatissa de Confeugun obiit XIIII. Kal. Octobris. Bruno Comes obiit XIIII. Kal. Junii. Italia civium discordia laborat.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXXVI. Imperator Incarnationem Domini Argentinæ magnifice celebravit, Purificationem vero Sanctæ Mariæ Augustæ peregit, ubi & publicum conventum habuit, in quo Conrado patrueli suo Ducatum Carentinorum conmisit, a quo priori anno Adalberonem Majestatis reum dimoverat. Hisdem diebus Adalbero Willehelmum Comitem interfecit, & postea in Castellum Eresberch latendi causa confugit. Imperator Pascha Ingelenheim feriavit, deinde Triburiam tendens generali ibidem Synodo præsedit, in qua germanitas XL. Episcoporum priora decreta redintegravit & quædam etiam ad firmamentum Ecclesiæ necessaria confirmavit. Ibidem quoque prædictus Otto de Suinvorde; cogente Synodo, Machtildem sibi desponsatam juramento a se abalienavit. Post hanc accepit uxorem, quæ Emilias vel Immula seu Irmingardis dicta fuit, sororque illius Adeleis dicta nupserat Ottoni Marchioni de Italia. Peperit autem prædicta Immula seu Irmingardis, Ottoni quinque filias, quarum ista sunt nomina, Eilica, Juditha, Beatrix, Gisla, Berta. Eilica fuit Abbatissa; Juditha nupsit Cononi Duci Bawariorum, illoque defuncto, accepit eam Bodo quidam valde nobilis, peperitque illi Adelheidem, ex qua Heinricus Dux de Lintburh genuit Walrabonum Ducem qui & Paginus dicebatur & filias duas, quarum una Agnes nomine nupsit Friderico Comiti Palatino de Puthelendorp; alteram duxit Fridericus Comes de Arnesberge. Beatrix nupsit Marchioni . . . peperitque ei filiam, quam Godefridus de Cappenberch accepit, habuitque ex ea duos filios Gotefridum & Ottonem. Bertam duxit quidam de Principibus Bawariorum, qui agnominatus fuit, de munitione sua Havekesberh dicta, genuitque ex ea filiam quæ Juditha dicebatur, quam quidam Ministerialis generositati illius inconveniens sibi eventu infelici conjunxit, peperitque ei duas filias Juditham, quæ Fortis est dicta, & ejus sororem, quam Folradus de Hantorp accepit. Gisla fuit sociata Wigmanno Comiti de Seburch. genuitque ex ea Geronem Comitem patrem Wigmanni Magedaburgensis Archiepiscopi & Hathwigam Abbatissam de Geronrothe. Hujus Wigmanni Comitis frater erat Willehelmus Comes de Lutisburh; & horum pater fuit Christinus Comes,

mes, frater Gebardi de Guerworde. Imperator Ascensionem Domni Paderbrunæ peregit, Pentecosten vero Nativitatemque Sancti Johannis Niumago: Ubi filio Imperatoris Heinrico Regi a Dania venit Regina Cunihilde nomine, quæ ibidem in Natali Apostolorum Regalem Coronam accepit, & mutato nomine in benedictione Cunigunde dicta est. Imperator regionem Liuciorum cum exercitu intravit, sed DEI gratia omnibus pro suo velle dispositis, acceptis obsidibus & innumerabili pecunia, in pace remeavit. Meinwercus Padherbrunnensis Episcopus Non. Junii obiit, cui Rodolfus Herfeldiæ Abbas successit, pro quo Abbatiæ dignitatem Meginherus ejusdem loci Decanus sanctæ conversationis Monachus obtinuit. Bruno Mersburgensis Præsul, Idus Augusti sustollitur, post quem Hunoldus Halberstadensis Præpositus subinfertur. Coloniensis Ecclesiæ Metropolitanus venerandæ memoriæ Biligrimus ad omnia in divinis & humanis perstrenuus IX. Kal. Septembris ad Christum migravit, in locum ejus nobilissimæ indolis juvenis ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, Regius Capellanus & Cizalpinus Cancellarius cum inenarrabili gaudio piorum omnium successit. Brantogus Halberstadensis Pontifex obiit in Domino VI. Kal. Septembris, hic fecit duas Præpositurasin Halberstad, unam in honore Sancti Johannis Baptistæ & Sancti Johannis Evangelistæ, alteram in honore Sancti Bonifacii Episcopi & Martyris in Bossenleve, huic Burchardus Imperialis Cancellarius successit; Sigibertus Mindensis Præsul obiit VI. Idus Octob. post quem nobilis prosapiæ Bruno idem antisticium suscepit. Gozmarus Asnebrucgensis Episcopus IV. Idus Decembris obiit, cui Albericus regius postsequentaneus successit. Domnus Godehardus Hildinsheimensis Episcopus Brunonem Mindensium & Burchardum Halberstadensem Pontifices XV. Kal. Januarii Sabbato ante Natale Domini in Halberstad Presbyteros ordinavit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXXVII. Imperator Natale Domini Veronæ celebravit & Imperatrix cum filio Rege & Nuru eosdem dies Imbripoli egit, tuncque in Natali Sancti Stephani Prothomartiris Burchardus Præsul Halberstadensis Pontificalem benedictionem a Bardone Mogontino Metropolitano suisque Suffraganeis, Heligenstad honorifice percepit. Imperator post Natalem Domini in Salerno oppido generalem Conventum de republica cum Cizalpinis nostrisque principibus habuit. Contigit autem Miolanensem Episcopum, qui eidem Conventui interfuit, ex parte Imperatoris infidelitatis notari & a Conprovincialibus in multis accusari. Cumque ab Imperatore admoneretur, ut talia corrigeret, primo cum amicis secessum petiit, & inde regrediens spiritu arrogantiæ inflatus audenter ait; si quid in proprietate Ecclesiæ Sancti Ambrosii invenerit vel quoquomodo adquisierit, se semper vita comite firmiter habiturum, nec ullius jussione vel petitione vel minimum quid dimissurum; a primoribus autem, ut vel solam Imperatoris personam exciperet, admonitus, prædictum tantum sermonem iterando peroravit. Super hoc Imperator conmotus, consiliante Senatu, injuste usurpata restitui præcepit, eumque apprehensum Aquilejensi Patriarchæ Popponi servandum commisit, a quo liberius debito habitus post aliquos dies fuga lapsus evasit, quodam suo Monacho machinante, qui solus cum eo miserationis causa permissus est habitare: Sicque Mediolanum rediit & munita civitate, quæ tamen per se plus satis muniminis ac firmitatis habet, totum illum annum temeraria transgressione, legum contemptor resedit. Deinde consentientibus tribus Episcopis, Vercellensi, Cremonensi, Placentino missis Ecclesia nuntiis cum sæpe dicto Ottone Burgundiæ tyranno pacificantur, quomodo ipse in Romanum Imperium suo suorumque complicium juvamine Augusto aufugato aut negato introducatur. Quod ipse libenter audiens ejusque consilium hianti cupiditate evidenter ad interitum festinando promtus arripiens, diem locumque determinat, quo eorum omnium Legati convenirent, qui ejusdem sacrilegæ suæ temeritatis conspirationem juramentis ad invicem confirmarent. Imperator autem rebellantem Episcopum e vestigio insecutus urbem per totum subsequentem annum cum totius periculo exercitus obsedit. Bruno Mindensis Præsul in sancto die Pentecostes Episcopalem unctionem ab Herimanno Coloniensi Metropolitano in campo juxta Mediolanum, astantibus Imperatore & Rege cum quampluribus Regni primoribus condigne suscepit. Eodem die magna Tonitrus fulgurisque exorta collisio hora diei sexta, de exercitu Imperatoris non minus LX. viros, ut dicitur, cum inenummerabili equorum, armentorumque multitudine peremit. Sed & sequenti die hora eadem etiam aliquos ademit. Plurimos quidem varios & etiam insolitos difficilium rerum eventus per hanc æstatem exercitus in multis ibidem sustinuit. Interea supradictorum conspiratorum, DEO nequitiam detegente quædam fidelis Domna, socrus scilicet Herimanni Suevorum Ducis, in hisdem finibus commorans, Legatorum conventum rescivit, missisque suis satellitibus omnes simul comprehensos, reique veritatem confessos Imperatori ubi in publico Conventu eisdem prænominatis tribus Episcopis præsentibus consederat, transmisit. Augustus statim cum fidelibus Christi condignas pro posse divinæ pietati gratias retulit, & ex Senatus Decreto eosdem Episcopos trans alpes, quo sibi visum est servandos contulit, sicque illa conspiratio deperiit. Odelricus Boemiorum Dux V. Idus Novemb. obiit, huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles propter infœcunditatem conjugis; Sed ex quadam fœmina nomine Bozena filium prudentissimum Brasilaum, de quo supradictum est, suscepit. Jaromir frater Ducis ab ipso cæcatus, audiens de morte fratris in vinculis, impetravit, ut ad urbem Pragam duceretur & stans ad funus juxta feretrum in se conmissa ex toto fratri corde remisit & expletis

exequiis Bracizlaum fratruelem ducit ad principalem sedem, & ad populum conversus; accedat, inquit, de gente Muncia & de gente Tepca, & vocat eos nominatim, quos norat armis potentiores, fide meliores, divitiis eminentiores, quos ut sensit adesse, dixit: quomodo mea fata non sinunt, ut sim vester Dux, hunc vobis assignamus Ducem, ut ei obediatis, ut par est vestro principi; Te autem, fili, moneo, istos colere ut patres, diligere ut fratres, & in omnibus negotiis consiliarios habere: At illos, qui sunt Wrissovici iniquorum Patrum nequam filii, nostri generis hostes domestici, ut cœnosam rotam devita & consortia eorum declina: Ecce me Innocentem & principem suum in primis ligatum affecerunt ludibriis, & postea fraudulentis consiliis egerunt, ut frater fratrem me hisce privaret oculis; habeas, fili mi, semper in memoria Sancti Adalberti præconia, qui ob facta eorum crudelia fieri super eos excidia ore sancto confirmavit & excommunicavit eos in Ecclesia. At illi audientes hæc dissecabantur cordibus & fremebant dentibus in eum; quorum primus & quasi caput totius iniquitatis Kohan, vir sceleratissimus, post non multos dies misit lictorem suum, qui Jaromirum purgantem alvum acutissima sica perforans extinxit. Hoc anno Sigifridus Comes & Dancmarus Comes obierunt. Uto Burgundiæ tyrannus quia in priori machinatione condignum sibi exitium non invenit alia via divina sententia eum manifeste perpellente perire tentavit. Nam ante ruinam corde elato Aquisgrani palatium invadere decrevit, seque ibi Nativitatem Christi sessurum præjactavit, sicque mensis tantum spatio ante idem festum, Urbem Imperatoris, quæ Bera dicitur, sitam in Lotharingia juxta Marcam Gozelonis Ducis filiique ejus Godefridi, circumquaque debachatus prædando obsedit, juxta quam ab hisdem Ducibus occupatus consertoque prælio inter primos inglorius occubuit. Ab ipsis sane victoribus ignoratus, in crastinum inter vulgus inventus est nudus vita pariter, & regno, quod affectabat spoliatus. Iste est Gozilo filius Machtildis, quæ filia fuit Herimanni Ducis Saxonum de Liuniburch, soror Bennonis sive Bernhardi Ducis & Liudigeri Comitis. Hæc primo nupserat Balduino Flandrensi Comiti, filio Arnulfi magni, qui juvenis morbo variolæ obiit & apud Sanctum Bertinum sepultus est, genuitque ei Arnulfum. Post mortem vero Baldewini nupsit Godefrido Duci de Heiham, ex quo suscepit tres filios Gozelonem prædictum Ducem, Godefridum, Hezelonem.

Anno Dominicæ Incarnationis M XXXIIX. Imperator cum nobilissima familia sua Nativitatem Christi Parmæ celebravit, qui Urbani ex levi causa sancto die Nativitatis Domini ad vesperam certamen inierunt, in quo de exercitu quam plures, sed præcipue ex clientibus regiis Cononem, Magnum, Suicgerum peremerunt, pro qua insolentiæ temeritate in crastinum diluculo ipsi simul cum civitate omnibusque, suis præda, igne, ferro perierunt. Imperator sine quavis molestia in castello Spella, Pascha pacifice feriavit, præscriptus autem Mediolanus Episcopus adhuc in incœpta permanens transgressione, quia nec minis terreri, nec venialibus promissis, quæ ei conpassionis gratia tam a Domno Apostolico quam a ceteris Episcopis offerebantur ad pœnitendi satisfactionem potuit adduci, Domnus Apostolicus illum generali Pontificum decreto anathematis condemnatione percussit, & in ejus Pontificatum Ambrosius vir nobilis regius Capellanus, illius terræ indigena, donante Imperatore successit, illo infra muros residente, isto de foris pro posse res suas contrahente. Sanctæ memoriæ Godehaldus Hildinisheimensis Episcopus, appropinquante manifestius fine suo, sacratissimos Quadragesimæ dies summo affectu expectabat, quos corporaliter quasi extra corpus mirabiliter transiens vix cohærentibus nervis ad sacrosanctum Pascha pervenerat. Attamen Dominicam Palmarum, Cœnamque Domini & festum resurrectionis Christi debito Episcopali officio ultra vires collecto robore peregit, sicque Paschæ ferias per circumpositas stationes juxta solitam religionem fideles admonendo visitavit, & etiam publice denuntiavit, se cum eis ultima corporalis consortii lætitia jocundari & in Ascensione Domini, quo DEus jusserit, invitari. Post Albas cum Nepote suo Rathmundo Abbate Enstad venit nec diutius infirmitati valens reluctari decubuit; quo comperto Præpositus ac Decanus cum prioribus ad eum visitationis gratia convenerunt, quorum se orationibus commisit, obitusque sui diem & tempus funerisque & exequiarum & sepulturæ ordinem, ut postea exitus invenit, prædixit, sicque mirantes pariter & stupentes dimisit. Deinde ingravescente febre, Holthusen, ubi confluenti multitudini sufficiens ædificiorum copia erat, provehitur. Ibi inter multam Cleri populique frequentiam Domna Sophia Abbatissa de Gandersheim venit, & populari Turba remota, astante Clero, de frivola illa contra Beatum virum sua pertinacia exordium fecit, & debitam satisfactionem promittere cœpit. At ille Domna, inquit, per DEum paulisper reticete, & hæc, donec in festivitatem Sanctæ Mariæ conveniamus, suspendite. Ipse autem, ut videbatur, omnibus finem ejus citius adventurum intelligens & tamen verba ejus vehementer expavescens: Utinam, inquit, Pater dilecte, tamdiu vita vestra nobis supersit, donec hoc tempus veniat. Ille vero fortiter collectis viribus & omnibus diu circumspectis, ait, in potestate quidem DEI vita nostra exitusque consistit. In veritate tamen, quæ DEus est, dico, quia in festivitate Sanctæ Mariæ, ubi DEus voluerit, certe simul erimus, ibique coram veraci judice, de his quæ inter nos dissident, tractabimus, & hæc dicens, oculis compressis reticuit. Transacta ebdomada, deficiente jam funditus corpore, ab Abbate ceterisque fratribus sacri olei liquore perungitur, & ita ut prædixit in vigilia Ascensionis Domini in Montem Sancti Mauritii transvehitur. Ubi media nocte matutinali officio

ficio jam peracto, dum ad Psalmum: Benedictus Dominus Deus Israel, perventum esset, vir sanctus in ultimo tunc agone desudans vix dum apertis oculis Clero cantante: Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent; ille inquit, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Dumque Antiphona: Ascendo ad Patrem meum canebatur, ipse ab astantibus de lecto levabatur, sicque felix ejus anima a corpore quasi obdormiente solvebatur. Corpus ejus ad Monasterium S. Michaelis, ut ipse prædixerat, defertur, deinde ad sanctum Andream, inde ad principalem Ecclesiam, ubi cum debita veneratione collocatum est. Ipse in curte sua Hildinisheim, veteri Ecclesia, quam Otwinus Episcopus ibidem ædificavit, dilapsa, pulcrum Monasterium in honore Ascensionis Christi construxerat, in quo Clericos plures in diverso studio scripturæ & picturæ rationabiliter utiles congregavit, quibus de adquisitione sua victus & vestitus necessaria sufficienter prævidit; Sed peccatorum culpa idem Monasterium igne consumitur, congregatio dilabitur, utilitas ibidem collocata in diversa distrahitur, in cujus locum Domnus Thietmarus, regius Capellanus successit ad omnia in divinis & humanis vir strenuus & a Bardone Metropolitano Mogontino XIII. Kal. Septemb. Lauresheim est consecratus, qui utilitatem Ecclesiæ suæ & fratrum benignam dilectionem in pluribus ampliare decrevit, sed peccatis impedientibus non implevit. Cotidianam tamen præbendam fratrum ampliavit, & prædium in villa, quæ dicitur Vvangerda, a Vvalberto Presbitero adquisitum fratribus donavit. Dedit etiam coronam auro & argento radiantem coram principali Altari pendentem. Eo anno Liudolfus Comes Saxonicus filius Brunonis de Brunesvvic & Gislæ Imperatricis IX. Kal. Maji inmatura morte cum maximo suorum conprovincialium mœrore obiit. Et ejus frater Herimannus Dux Alemanniæ, filius Ernesti Ducis & ejusdem Gislæ Inperatricis, Inperatoris expeditionem in Romaniæ partes secutus, subita infirmitate præventus, bonis flebilis omnibus XVI. Kal. Julii de hac vita discessit. Hi ambo privigni erant Inperatoris Conradi, fratres Heinrici Regis ex matre Inperatrice. Genuit autem Liudolfus ex Gertrude Comitissa Brunonem, qui juxta villam Niethorp occisus est, & Ecbertum Seniorem Marchionem. Eodem anno nobilis Regina Conihild XV. Kal. Augusti ex hoc mundo migravit, cujus intempestivus obitus, plurimos cujusque ordinis per totum Imperium contristavit. Sigifridus Palatinus Comes frater Brunonis Mindensis Episcopi VII. Kal. Maji moritur & Vvidmidiburh tumulatur. Stephanus religiosus Vngariorum Rex obiit, qui cum omni gente sua ad fidem Christi conversus fuerat; hunc Sanctus Adalbertus Episcopus & Martir baptizavit & uxor ipsius Gisla nomine Heinrici Inperatoris Babenbergensis soror fuit.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIX. Inperator Natalem Domini cum reverentissima Principum congratulatione Goslariæ decenter celebravit. In die Sancto dum ad Missam in decore regio processurus expectaretur, horrendum dictu, insolita & terribilis nubium collisio ab hora tertia in sextam ab astantibus cum timore pariter & admiratione consideratur. Ibi Legatos cunctarum adjacentium regionum cum debitis vectigalium professionibus in augmentum suæ magnificentiæ suscepit, quosque, ut Inperialem munificentiam decebat tam sui, quam optabant, gratia, quam & rerum abundantia donatos dimisit. Ibi etiam inter cætera Institutionis suæ decreta Brunonem Mindensem Episcopum Alberadæ Abbatissæ de Molenbach abbatiam in Vvongerestorp invitum assignare præcepit, quam tamen idem Episcopus post Pascha vel spontaneam vel invitam ab eadem dignitate desistere fecit. Domna Sophia Venerabilis memoriæ Gandersheimensis Abbatissa triduo ante purificationem Sanctæ Mariæ obiit sicque prophetiam Sancti Godehardi Deus liquido declaravit. Huic soror ejus Adelheit Quidelingeburgensis Abbatissa, Imperatore quandiu vivebat renitente, sed filio ejus Heinrico concedente in Domno successit, & abbatiam Esnethi Theophanu neptis earum obtinuit; qua videlicet Abbatissa Sophia defuncta, decimas super Gandersheim circumjacentesque villulas, quas a prioribus Episcopis ipsa habuerat in beneficium, Thietmarus Hildinisheimensis Episcopus in suam vestituram recipi jussit: cui Bezeca Præposita cum suis fautoribus Frivola machinatione restitit. Hasmet decimas adveniente Athelheidhe Abbatissa Pontificali auctoritate repetivit & easdem Comite Christiano, ejusdem Ecclesiæ advocato, reddente suscepit, & sibi suæque Ecclesiæ in proprietatem banni sui auctoritate conmunivit, astante Herimanno Coloniensi Archiepiscopo cum innumera Cleri & populi - - has eidem Altari & Abbatissæ repræstitit, pro eo scilicet servimine & censu, quem Beatus Bernwardus Episcopus ibidem instituit. Inperator purificationem Sanctæ Mariæ Altstide egit, deinde compendioso itinere peragrata Saxonia Orientali, rebusque pacificatis Niumagon tetendit, ibique tempus Quadragesimæ & Sanctum Pascha & Ascensionem Domni podagra laborando consedit. Inde ad celebrandum Pentecosten Trajectum venit, & ibi quidem in summa lætitia sanctum diem scilicet in regalis diadematis decore procedendo peregit: sed sequenti die hora diei sexta pridie Non. Junii mensæ, gratia reficiendi, adsidens subita defectione præreptus vixdum confessionis sententia prolata flebiliter exspiravit. O ergo occulta divinæ dispensationis judicia, admiranda pariter & metuenda, qui priori die maximo mundialis pompæ tripudio Rex & Imperator Orbis coronatus processit, posteriori die viam universæ carnis ingressus cinis vermisque futurus discessit, nisi quod vere speratur, quia quicquid carnaliter contraxit negligentiæ, pro hac in defensionem animæ supplicatio interveniat Ecclesiæ, sed ut quidam ait: O nil gnara sui mortalia

talia pectora fati. Verum ut verius dicamus, o dura & insensibilia humani generis corda, quia in quo viro pene totius orbis caput virtusque concidit, ad ejus obitum tam subitum tamque periculosum sane nullus ingemuit. Obierunt eodem anno Episcopi Eilbertus Frisiensis, Reinboldus Spirensis, Lambertus Wirdunensis Episcopus cum multis aliis nobilibus. Conradus Carentinorum Dux patruelis Conradi Inperatoris XIII. Kal. Aug. inmatura morte morbo regio diu fatigatus decessit. Eodem die venerandæ memoriæ Richardus Abbas Fuldensis obiit, cui Sigehardus juvenis ab ipso regulariter & sapienter nutritus successit. Eclipsis solis facta est XI. Kal. Septembris. His temporibus Kazimer filius Misseconis Ducis Polanorum reversus in patriam a Polanis libenter suscipitur, duxitque uxorem Regis Rusciæ filiam, procreavitque duos filios Wladizlaum, & Bolizlaum, quo mortuo & filiis ejus in infantia positis, Dux Boëmiæ Bracilaus non distulit oblatam occasionem calummiandi suis inimicis, immo ulciscendi de injuriis, quas olim Dux Misseco intulerat Boëmiis, & congregatis Boëmiis intrat terram Poloniæ desolatam Principe, ac velut ingens tempestas sic villas cædibus, rapinis, incendiis devastat, vi munitiones irrumpit. Krakou autem eorum Metropolim ingressus a culmine subvertit, veteresque Tesauros ab antiquis Ducibus absconditos evolvit; similiter & ceteras urbes igne succendit; cumque venisset ad Castrum Gedec, Castellanos simul & Villanos, qui illuc confugerant, rogantes cum suis omnibus transtulit in Boëmiam, deditque eis partem silvæ, quæ vocatur Crinin, constituens eis unum ex ipsis Præfectum & decernens, ut sub lege quam in Polonia habuerant, tam ipsi, quam eorum posteri in sempiternum vivant atque nomine ab urbe derivato, usque hodie nuncupantur Gedcune. Non longe a prædicta urbe ventum erat ad Metropolim Gnezden natura loci & antemurali firmam, sed facilem capi, raris eam inhabitantibus civibus. Vbi tunc in basilica Sanctæ Dei genitricis Mariæ quiescebat Sanctissimi Adalberti Martiris corpus, qua mox Boëmii sine pugna potiuntur: cum lætitia intrant Ecclesiæ limina atque omni præda posthabita solam exposcunt pretiosi corporis massam, quorum, ut vidit Præsul Severus temeritatem & pronam in omne fas nefasque voluntatem: fratres, inquit & filii, non ex tam facili constat, ut sacri corporis glebam tam temere quis mortalium contingere præsumat; Timeo enim ne percellamur aut mentis oblivione, aut cœcitate aut aliqua membrorum debilitate si id temere præsumpserimus agere. Quapropter triduo jejunate, de peccatis vestris pœnitentiam agite & ab omnibus abominationibus, quas B. Adalbertus abominatus est in vobis, abrenuntiate, & ex toto corde, quod eas non repetatis, promittite. Spero enim in misericordia Dei & Patroni nostri Sancti Adalberti, quod non privabimur spe petitionis nostræ, si persistimus in devotione fidei & oratione. At illis visa sunt Præsulis verba, quasi deliramenta & quia post altare juxta parietem conditum sacrum corpus fuerat & aliter evelli non poterat nisi altare destrueretur manus improbæ cum mente ferina profana operabantur; Sed in ipso temeritatis opere non defuit ultio divina steteruntque sensibus obstupefactis per tria fere horarum spatia, donec iterum propitiante Dei gratia rediere pristina officia; & licet sero pœnitentia ducti faciunt jussa Episcopi triduo jejunantes & veniam postulantes. Tertia nocte Severo Episcopo post matutinalem Sinaxim quiescenti S. Adalbertus in visione apparens: Dic, inquit, Duci & Comitibus ejus, Pater de cœlo dabit, quod petitis, si non repetatis mala, quibus abrenuntiastis in Baptismate. His mane insinuatis Duci & Comitibus, intrant Ecclesiam Sanctæ Mariæ & ante sepulcrum S. Adalberti humi prostrati sunt & fusa diu conmuni oratione, surgit Dux & stans in Ambone hac rupit silentia voce: Vultis prævaricationes vestras emendare & a pravis operibus resipiscere? At illi obortis clamant cum lacrimis; emendare parati sumus, quicquid in Sanctum Dei Adalbertum patres nostri vel nos prævaricati sumus. Tunc Dux extendens manum super sacram tumbam, sic exorsus est: Extendite fratres simul vestras ad Deum dextras & ad meos attendite sermones, quos volo, ut vestræ fidei Sacramento confirmetis, hoc meum maximum & primum sit decretum, ut vestra connubia, quæ hactenus habuistis, ut Lupanaria a modo juxta Canonum scita sint legitima, sint privata, sint insolubilia, ut una vir conjuge, conjunx uno viro contenti vivant. Si autem conjunx virum aut vir conjugem spreverit & rixa inter eos usque ad discidium efferbuerit, qui ex his in priorem copulam redire noluerit, nolo, ut secundum nostræ terræ ritum in servitutem redigatur, sed per hujus decreti angariam redigatur in Vngariam, qualiscumque sit persona, nec liceat, ut pretio se redimat, aut in hanc terram redeat, ne contagio unius oviculæ totum serpat per ovile. Severus Episcopus dixit: quicumque aliter fecerit anathema sit: Eadem sententia sint plectendæ Virgines & viduæ & adulteræ, quæ nomen bonum amisisse ac per scortum concepisse noscuntur. Tunc Dux subjungens ait; si vero mulier proclamaverit pari vice non amari, sed inclementer a viro affligi, detur inter eos judicium Dei & qui inventus fuerit reus, pœnas solvat. Similiter de his, qui homicidiis infamantur, Archipresbiter Comiti illius civitatis nomina eorum adscribat, & Comes eos conveniat, & si sunt rebelles in carcerem redigat, donec aut pœnitentiam dignam agant, aut si negant ignito ferro sive adjurata aqua examinentur. Fratricidas autem & parricidas sive sacerdotum Interfectores & hujusmodi capitalium criminum reos Archipresbiter assignet Comiti vel Duci, qui per manum & ventrem ferratos, de regno ejiciat, ut instar Cain jugi & profugi circueant terram. Tabernam quoque, quæ est radix omnium malorum & parari & paratam comparari prohibemus; Et qui fuerit hujus decreti violator Tabernarius, in foro ad palum suspensus

fus & usque ad præconis fastidium cæsus depiletur; res tamen ejus non infiscentur, sed potus tantum in terram projiciatur, ne quis eo polluatur, potatores autem deprehensi non prius de carcere exeant, quam in fiscum Ducis unusquisque CCC. nummos componat. Fora vero Dominicis diebus fieri interdicimus, quæ immo maxime in his celebrant regionibus, ut ceteris diebus suis vacent operibus. Si quis autem Dominicis diebus vel festis publice ad Ecclesiam feriari indictis in servili opere inventus fuerit, ipsum opus & quod in opere inventum fuerit, Archipresbiter tollat & CCC. nummos in fiscum Ducis componat. Et qui in agris vel silvis sepeliunt mortuos ab hujusmodi Archipresbiter bovem tollat, & CCC. nummos in fiscum Ducis solvant; mortuum tamen in Poliandro fidelium condemnat denuo. Hæc sunt quæ DEus odit, hæc sunt quæ Sanctus Adalbertus pertæsus, nos suas deseruit oves & ad exteras maluit ire, docturus gentes. Severus Episcopus dixit: ista Ducis deliberatio justa sit anathemate firma, & invocato nomine Sanctæ Trinitatis, malleoque sumpto, cum aperuissent sarcofagum, omnes qui in Ecclesia aderant, flagrantia suavissimi odoris sunt referti, & infirmi sanati sunt eadem die quamplurimi. Erat vero Sanctus Martir ita vultu & habitu clarus, & sic integer corpore per omnia, ac si eadem die sacra missarum celebrasset solemnia. Tunc Dux & Episcopus sine impedimento corpus levantes coopertum serico locant in altari, ut plebs vota sua solveret. Tunc ascendit in cor Ducis, ut similiter transferret corpus Archiepiscopi ejusdem civitatis Gaudentii, qui & carnali & spirituali conjunctione frater & Comes Sancti Adalberti in omni labore & ærumna fuit, &, si cum eo non corpore, martirium mentis compassione tulit. Item visum est Duci & Episcopo ut quinque fratrum reliquias Benedicti, Mathei, Johannis, Isaac, Christini, qui in alia Ecclesia quiescebant, transferrent. Quid plura? Ventum erat cum omni sarcina in Boëmiam in vigilia Sancti Bartholomei per Pragam, ubi lucescente die Clerus & universa plebs cum processione occurrit. Dux & Episcopus humeris subnixi portabant corpus Christi martyris Adalberti; post quos Abbates ferebant Reliquias quinque Fratrum; Deinde Archipresbiteri gaudent onere Gaudentii Archiepiscopi; postque XII. Presbiteri sustentantes pondus aurei crucifixi sequuntur. Nam Dux Meseco ter semetipsum hoc ponderaverat auro. Deinde tres tabulas auro graves, postremo plusquam centum plaustris ducunt inmensas campanas & omnes Poloniæ gazas & captivos insuper plurimos manicis ferreis astrictos. Facta est hæc translatio Beati martyris Adalberti, Anno Dominicæ Incarnationis M XXXIX. Kal. Septemb. Non defuit qui hæc Domno Apostolico, ut gesta erant, retulit, Episcopum & Ducem Boëmiæ sanctiones Patrum violasse. Aderant Legati Ducis Boëmiorum ferentes mandata cum muneribus, pœnitentes simul & veniam postulantes. Adhæc Apostolicus ait: Si pœnitet error. Mox summoti a Concilio potiuntur hospitio & per noctem circueuntes sperabant lenire judicialem sententiam. Postera die Legatis in Concilio præsentatis Apostolicus ait: Magnum est peccatum aliena rapere; Christianos autem spoliatos & captivatos ceu bruta animalia vendere, nimis est abominabile, quod autem nulli liceat sine nostra permissione de loco ad locum transferre sacrum corpus Canones Patrum testantur; sed quia sive ignoranter, sive bona intentione hæc fecisse vos dicitis, præcipimus, ut Dux vester & Episcopus Cœnobium Ecclesiasticis usibus amplicatum construant & officia servientium DEO Clericorum ex more constituant, ut vel sic in conspectu DEI reatus vestri transgressio deleatur, quibus Dux libenter obtemperans, in honore S. Wenceslai in urbe Bolezlau juxta flumen Labe, ubi idem sanctus olim feliciter martirium consummaverat, Præposituram faciens, venustissimum sicut hodie cernitur Clericorum Cœnobium fabricavit.

Defuncto, ut dictum est Imperatore Conrado & in Spira sepulto, Heinricus filius ejus in omni virtutum exhibitione perstrennuus ante scilicet in specialem Regni Monarchiam generali Cleri populique præelectione coronatus, nunc autem sine quavis contradictionis molestia solio patris eodem anno est intronizatus anno scilicet Dominicæ Incarnat. M XXXIX. ab urbe condita M DCC XCI.

Anno Dominicæ Incarnationis M XL. Novus Rex Incarnationem Domini Ratisponæ decenter peregit & Purificationem Sanctæ Mariæ, Augustæ degens placitum habuit cum Cisalpinis Principibus de Reipublicæ stabilitate, cunctisque pro velle dispositis Franciam repetens, tempus Quadragesimæ juxta Rhenum in locis opportunis consedit, Pascha vero in Engelenheim honorifice feriavit; ubi ad eum Primates Burgundiæ humiliter cum muneribus venerunt, qui inde læti gratia ipsius simul & muneribus condonati redierunt. Illuc etiam post Pascha Metropolitanus Mediolanensis adveniens, & de omni sua controversia, quam contra Imperatorem Conradum exercuit, satisfaciens interventu Principum gratiam Regis promeruit, & iterum juramentis pacem fidemque se servaturum affirmavit; sicque Regem Agrippinam prosecutus inde ad patriam cum pace simul & gratia Regis remeavit. Rex Ascensionem Domini Niumago, Pentecosten vero Leodio celebravit, deinde expeditionem suam in Regionem Boëmiæ pro vastatione Poloniæ destinavit, & eo properans exercitum in Assumptione Sanctæ Mariæ Camba adunavit. Inde comitatu in eandem regionem digrediente & Ottone Marchione de Suinvorde cum Bawariis explorandi causa per saltuosa & invia irrumpente quidam ex latere Regis emissi sperantes se fortiter facturos obstructionem quandam in saltu expugnaturi inconsulte processerunt, ubi prætensis insidiis a Sagittariis circumventi Werinerus Comes Primicerius & Signifer Regis cum aliquot regiis Satellitibus, & Reinhardus Co-

mes Major domus Ecclesiæ Fuldensis cum electissimis ex familia Sancti Bonifacii cruenta, proh dolor, cæde procubuerunt XI. Kal. Sept. Posteriori die quidam ex legione Ottonis, quæ prætergressa erat, eandem obstructionem ex alia parte aggressi & ab eisdem prædictis Sagittariis obruti Gebardus Comes, Wlfranus, Thietmarus cum pluribus Bawaricis militibus miserabiliter perempti sunt. Saxones quoque cum Metropolitano Mogontiæ Bardone & Ekkihardo Marchione in prædicta Sanctæ Virginis festivitate, Donin convenerunt, & eandem regionem divina eos, ut patuit, protectione comitante, cum parva admodum manu die Dominica IX. Kal. Septembris violenter introierunt, & per IX. dies potestative peragrantes cæde, præda, incendio vastaverunt, donec tandem, venerabili viro Guntario Monacho cum legatione Regis adveniente & acta docente, reditumque suadente, pace data & accepta victores exierunt. Tres tantum ibi illustres de Nostratibus Geroldus, Radulfus & Buco II. Kal. Sept. procubuerunt. Rex vero Nativitatem Sanctæ Mariæ Babenberch celebravit; hinc Saxoniam repetens festum Sancti Michaëlis Corbejæ resedit. Eodem anno Domnus Bruno Mersburgensis Ecclesiæ Antistes obiit, in cujus locum Hunoldus successit. Rex in festo Sancti Andreæ in Alstide placitum habuit, ubi & Legatos Ruzorum cum muneribus suscepit. Interea nuntiatum est Duci Bracilao, quod Pricos Comes, qui præfuit in urbe Beline, correptus pecunia Saxonum, non stetisset ex adverso munitionis in custodia, sed ubi sunt nemora hostibus pervia, ibi posuisset præsidia; hunc enim Dux præfecerat toti cohorti, quæ fuit de Moravia & tribus Legionibus de Ungaria. Nam Petrus Rex Ungariæ adversus Regem Heinricum, hæc Boëmiis miserat auxilia. Dux ergo eundem Comitem, erutis oculis, manibus & pedibus præcisis, in flumen præcipitari jussit. Eodem tempore aquæ longe lateque inundaverunt. Unde multi per diversa loca miserabiliter interierunt. Eberhardus piæ memoriæ Babenbergensis Episcopus obiit, cui Rex Heinricus Suitgerum suum Capellanum boni testimonii Diaconem generali piorum omnium electione successorem destinavit; Hujus mater fuit Amulrad soror Waltardi Magdaburgensis Archiepiscopi, quæ nupsit Conrado de Maresleve & Horneburch, genuitque ei hunc Suitgerum, qui erat Canonicus Sancti Stephani in Halberstad, postea Episcopus in Babenberch, tandem Romæ Papa, & Conradum, qui, ut dicitur, fuit Canonicus Sancti Mauricii in Magedaburh, postea Aquilejæ Patriarcha, & Adalbertum. Hic quandam fœminam, quæ sua propria extitit sibi in matrimonium conjunxit, quæ sorori suæ, quæ Dignamenta vel Margareta dicebatur, nimiam intulit injuriam; Unde ejus consilio & jussione in eadem urbe Horneburch dicta occisa est; Propterea ipse Adalbertus eandem urbem cum prædiis illuc pertinentibus tradidit Halberstadensi Ecclesiæ precaria vicissitudine, ne videlicet ipsa aut filii ejus eandem hæreditatem sortirentur. Ipsa autem Dignamenta vel Margareta nupserat cuidam Theoderico, cujus frater Hanulf dicebatur de Amenesleve, peperitque ei filiam nomine Amulradam. Hanc igitur Amulradam prius duxit uxorem Ekbertus de Hertbike & Mesburge, genuitque ei filias quatuor Bertradam & Margaretam moniales, Idam quoque & Biam. Ida genuit ex Gevezone de Thuringia Ekbertum, Canonicum Sancti Stephani in Halberstad; quo defuncto, nupsit Meinhardo de Orlagemunde genuitque ei Meinhardum & alios; quo item defuncto Kizo, filius Arnoldi de Warmonestorp sortitus est eam. Bia nupsit cuidam, cujus nomen Dedi fuit, illoque defuncto item Dedi de Crozok accepit eam, genuitque ex ea Guncelinum & filiam nomine Machtildam, quam duxit Verinherus de Weltheim peperitque Verinherum. Prædictam vero Amulradam, defuncto Ekberto accepit Theodericus filius sororis Herimanni Regis, cujus Dedi prædictus frater fuit, qui filiam Amulradis Biam primus duxerat, genuitque ex eodem Theoderico Milonem Comitem & fratres ejus, filias quoque Odam & Gislam. Milo Comes duxit Liutburgam filiam Ottonis Comitis & Adelsindis Comitissæ de Eilikistorp, genuitque ex ea Comites Herimannum & Ottonem de Hildesleve & Biam, quam desponsavit Burchardus de Conradesburk genuitque Burchardum & alios. Oda soror Milonis nupsit Gevehardo de Quernevorde peperitque Conradum Magedaburgensem Archiepiscopum & Burchardum ejusdem urbis præfectum & Gisla conjuncta est Waloni de Vakenstide: Nunc ad Cronica redeamus.

Anno Dominicæ Incarnationis M XLI. Heinricus Rex Natale Domni Mimigardevorde festive celebravit. Ibi Domnus Suitgerus Babenbergensis Præsul Pontificalem promotionem a venerabili Mogontino Archiepiscopo Bardone in Natali Innocentum die Dominica, Rege cum aliis primoribus astante, gloriose percepit, sequenti vero die quarto Kal. Januar. ibidem Monasterium præclarum ab Herimanno ejusdem loci Episcopo noviter constructum generali Episcoporum consecratione in honore Sanctæ Mariæ semper virginis dedicatur.

Anno Dominicæ Incarnationis M XLII. Heinricus Rex ulcisci volens suorum ruinam inclitorum, in Assumptione Sanctæ Mariæ parte Bawariorum cum magno exercitu Boëmiam intravit. Petrus quoque Ungariorum Rex eidem Duci contra Heinricum Regem misit auxilia. Eodem ferme tempore Ekkihardus Marchio cum Mogontino Archiepiscopo, aliisque Episcopis & Primatibus altera ex parte expeditionem Saxonum invexit, illamque regionem incendiis aliisque populationibus admodum vastantes in Nativitate Sanctæ Mariæ non longe a Praga civitate in subteriori ejusdem urbis parte castra metati sunt: ex uno latere fluminis Multe exercitus Regis, & ex alio Ekkihardo Marchione cum Saxonibus. Ibi conmorantes aliquod tempus tractaverunt, quid sibi esset agendum. Interim Severus Pragensis Episcopus

pus conperit Bardonem Mogontinum Metropolitanum, Sinodali jure eum velle inquietare, eo quod destructor esset Ecclesiarum Poloniæ & reliquias Sancti Adalberti & aliorum Sanctorum ibi quiescentium raptu transtulisset in Boëmiam, pallium autem apud Apostolicum contra jus & fas sibi usurpare vellet. Idcirco Duce ignorante, clam ad Regem venit ac se de his omnibus plene ac fideliter excusavit & ulterius Duci non confidens mansit apud Regem. Rex vero & Marchio inde moventes castra, ex utraque parte fluminis Multe longe lateque vastaverunt Boëmiam, donec in festivitate S. Michaelis in superiori parte Pragæ Deo donante victores honorifice convenerunt, ibique data pace & accepta reversi sunt Imbripolim. Dux namque Boëmicus quantocius se fidei Marchionis Eckihardi committens humillima satisfactione venit ad Regem, offerens censum Boëmicæ terræ cum maxima honorificentia Regalium donorum, deinde pro fidelitate ac servitute facto juramento datisque obsidibus reversus est in Patriam: Herimannus Episcopus Mimigardensis obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XLIII. Rex Heinricus Natale Domini Augustæ peragens Burgundiam intravit, ibique republica optime gubernata, paceque firmata, Coloniæ Resurrectionem Domini gloriosissime celebravit: Vngarii quemdam Ovonem Regem sibi eligentes, Petrum Regem suum expellunt, qui profugus & exul Heinrici Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam quæsivit & invenit. Ovo Rex Vngariorum ob susceptum ab Heinrico Rege Petrum a se expulsum, fines Bawariæ præda & incendiis depopulatur, sed magna pars exercitus ejus ab Adalberone Marchione deleta est. Adalbrandus Bremensis Archiepiscopus decessit, cui successit Adalbertus Haberstadensis Præpositus & Aquisgrani ordinatur, præsente Rege cum Principibus XII. Episcopis adstantibus & imponentibus manum. Hujus pater fuit Fridericus Comes, qui duxit uxorem filiam Dedonis Marchionis Misniæ, sororem junioris Dedonis, & ex matre Ottonis Marchionis de Orlagemunde, genuitque ex ea hunc Adalbertum Archiepiscopum & Dedum & Fridericum Palatinos Comites. Ejus Archiepiscopatus tempore tanta erat opulentia Bremensis Episcopii, quod quinquaginta Curtes Dominicales habuit Archiepiscopus, ex quibus maxima unius mensis, ceterum minima XIIII. dierum persolvebat servitia. Ipse fecit duas præposituras in Bremis, unam Sancto Willehado, alteram Sancto Stephano, cujus se famulum multotiens gloriabatur, has construxit ex Bonis, quæ ipse adquisivit; Tertiam Sancto Paulo de bonis, quæ hospitali pertinebant. Abbatia quæ dicitur Gozzica a parentibus ipsius fundata est, quam ipse Bremensi Ecclesiæ obtulit. Alia etiam plurima diversis in locis inchoavit opera, quorum pleraque defecerunt, ipso adhuc vivente. Eodem anno tanta fames fuit in Boëmia, ut tertia pars populi interiret.

Anno Dominicæ Incarnationis M XLIIII. Rex Heinricus Natale Domini Treveris celebravit & eodem anno Pannonias invadens duas populosissimas civitates evertit, plures deditione subjecit. Sed cum Petrum Regem, quem secum ducebat, provinciales recipere nollent; alium, quem petebant Ducem eis constituit, quem Ovo post discessum ejus in Boëmiam fugavit. Gisla Imperatrix mater Heinrici Regis XVI. Kal. Martii moritur & apud Spiram sepelitur. Thietmaro Hildinisheimensi Episcopo subita morte prævento Azelinus regius Capellanus successit, qui Ecclesiæ suæ pluralem utilitatem diversa adquisitione contulit. In hoc tamen, ut veremur, ante Deum reus extitit, quod Monasterium igne consumptum inconsulte dejecit. Dedit Ecclesiæ anulum pontificalem, dorsale quoque & campanam, Cantabone vocatam propter sonoritatis excellentiam. Hactenus Hildenesheimensis Clerus tam districta religione, obsequio Dei se mancipaverat, ut in professione Canonica districtione gauderet monachica: Nam, ut taceatur, quam severe animadvertebatur, si quis Choro, mensæ, dormitorio non dico deesse, sed tardius adesse, nisi aut gravi necessitate irretitus aut licentia animatus præsumpserat, scolaris disciplinæ jugo absoluti, artiori habena in claustro frænabantur, & quotidianam scripturam Decano præsentare, Evangelium cum lectione, cantum quoque, ipsos etiam psalmos reddere exigebantur, ut timidius in claustro, quam in scolis, manum ferulæ subducere viderentur; Delicatioris etiam vestitus tam nulla illis erat cura, ut gulas, quibus nunc ardet Clerus, nescirent, linguas pelliciales ac manicas non pallio, sed nigrato panno ornarent; linguas autem Claustralium superpelliciarum non minus, quam tunicarum equestrium, fibularent. Sic igitur rusticalem justiciam curiali facie prætulerant, sic fortunam adnullando, nec altiora quam de claustro administrabantur affectando tam exterius quam interius claustrali districtione clausi, renuntiato nondum sæculo, sæculum nescirent. Hujus claustri statum secundo Heinrico Imperatori Bavenbergensis scilicet Ecclesiæ constructori, qui ibidem natus & a parentibus eidem Ecclesiæ in Canonicum promissus fuerat, & ob id ibi sæpius morabatur, referunt in tantum placuisse, ut ab exterioris eorum hominis compositissimo habitu interioris hominis religionem sibi experto credendam protestatus suæ Babenbergensi Ecclesiæ cum studio Leodiensi Hildinisheimensis claustri rigorem optaret. Hæc censura claustri usque ad hujus Azelini XVI. Præsulis tempora permansit. Eo præsidente irrepsit ambitiosa curialitas, quæ dum in victu lautior, in vestitu mollior, in omni cultu accuratior, amari maluit, quam timeri, disciplinæ mollito rigore claustri claustra laxavit. Accessit ad hæc, quod exorto a pirali principalium fratrum incendio principale Monasterium & alterum in meridiano ipsius latere a Sancto Godehardo constructum, utrumque cum suo claustro est igne consumptum, quorum muris, præter solum Ecclesiæ principalis Sanctuarium, Præsul Azelinus deje-

dejectis & solo æquatis matris Ecclesiæ ædificationem longe priori capaciorem, respiciente occidentem ejus Sanctuario, incœpit, & quantum ad exteriores ejus muros pene perfecit, obtinente Orientali ejus pariete locum, quem habuit Prioris Occidentale, sed muro ejus nunc alicubi cadente nunc casum minante, nunc columnarum aliqua Orthogonalem sui erectionem, denormante, data operi opera teritur, nec ad perfectum aspirat opus, cujus semper casus reparatur; sed nondum finito opere auctor operis decessit. Gozelo Dux Lotharingiæ obiit, cujus filius Godefridus nobilissimæ indolis juvenis atque in re militari admodum exercitatus, quia Ducatum Patris obtinere non potuit, arma contra Rempublicam corripuit, Adalbertum Ducem, quem Rex patri ejus subrogaverat, prælio victum occidit, cædes hominum & populationes agrorum maximas fecit, loca omnia usque ad Rhenum, præter ea quæ vel murorum præsidio hostilem impetum subterfugerant, vel se pecunia redemerant, in cinerem redegit.

Anno Dom. Incarn. MXLV. Heinricus Rex iterum Pannonias invadens satisfactionem, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem accipiens discessit. Inde reversus Constantiensi Sinodo affuit, ubi debita cunctis dimisit, destructisque omnibus inimicitiis, pacem hactenus inauditam tam in tota Suevia, quam in aliis regni sui provinciis regia censura per edictum confirmavit; Deinde Agnetem Willehelmi Pictaviensis principis filiam Reginam apud Mogontiam ungi faciens, regalibus sibi nuptiis Ingelenheim copulavit. Vnde infinitam multitudinem histrionum & joculatorum sine cibo & muneribus vacuam & mœrentem abire permisit. Bruno Wirceburgensis Episcopus VI. Kal. Junii obiit, pro quo Adalbero ordinatur. Sedit isdem Bruno an. XI. mensem I. dies XIIII. Liutpoldus Marchio Adalberonis filius, maxima Vngariorum clades, immature obiit. Pestis pecudum maxima; hiems magna & nivosa fuit.

Anno Dom. Incarn. MXLVI. Rex Heinricus Natale Domini Goslariæ celebravit. Ekkihardus Marchio subitanea morte præfocatus interiit, & Willehelmus Marchiam illius adquisivit. Hujus pater fuit Willehelmus Comes de Wimmare, venerabilis senex, qui ab Heinrico Imperatore Babenbergensi pro gente Thuringorum impetraverat, ut census porcorum, qui annis singulis ab ea regiis stipendiis persolvebatur, remitteretur. Quem censum instituerat Theodericus Rex, qui eosdem Thuringos ex maxima parte delevit, & terram eorum Saxonibus dedit. Huic Willehelmo Comiti erant tres filii, hic, de quo loquimur, Willehelmus Marchio, Otto & Poppo. Willehelmus etiam Marchio Aquilonalis & frater suus Otto, ab hoc Willehelmo & fratre ejus Ottone denominati proxima eis consanguinitatis linea jungebantur, licet nomina & ordo ejusdem consanguinitatis certius non teneatur. Supradicto autem Willehelmo Comite defuncto, uxor ejus Oda nupsit Dedoni Marchioni, ut supra dictum est. Rex Heinricus tertio Pannoniam ingressus iratus, Dei favente Clementia & Beato Odalrico Episcopo impetrante victor factus, Ovonem cum uxore & filiis cognatisque, quibus locus evadendi erat, effugabat, Petrum in Regno restituit, subditoque sibi Vngariorum Regno, cum summo honore revertitur. Godefridus Dux Lothariorum deditione sui facta a Rege in Castello Givikinstein usque ad dignam satisfactionem, sub custodia mancipatur, sicque Regnum brevi tempore quietum & pacatum mansit. Cathelo Cicensis Episcopus obiit, cui Eppo successit. Druchtmarus Abbas Corbejensis obiit, cui Rothardus successit. Heinricus Rex domitis Pannonum seditionibus Ecclesiastica necessitate Romam tractus est, Comitem habens cum ceteris Imperii Magnatibus, Adalbertum Bremensem Archiepiscopum, ubi sinodaliter depositi sunt tres Schismatici, Benedictus, Gratianus, Silvester, qui pro Apostolica Sede certarant. Super quibus Regi quidam Heremita scripserat: Vna Sunamitis nupsit tribus maritis; Rex Heinrice, Omnipotentis vice, Solve Connubium triforme dubium.

Anno Dominicæ Incarnationis MXLVII. Rex Heinricus Romæ Natale Domini celebravit & Suitgerum Babenbergensem Episcopum Papam constituit, a quo ipse & conjunx ejus Agnes Regina eadem die Inperiali benedictione sublimantur. Inperatrix vero inde revertens aput Ravennam genuit filiam. Imperator vero per Apuliam multasque provincias feliciter ducens exercitum cum magno honore revertitur. Interea Petrus Vngariorum Rex a quodam Tyranno Pannonico captus & cæcatus est. Ille autem, qui eum expulit, regnare cœpit. Corpus Sancti Vidonis de Italia allatum est Spiram Inperii sui anno I. Regni autem IX. Indictione XV. Suitgerus Papa eodem anno, quo constitutus est, obiit, pro quo Poppo Aquilejensis Patriarcha ordinatur, mutato nomine Damasus. Eodem anno Otto Dux Suevorum obiit; In cujus locum Otto Marchio de Suinvorde, Marchionis Heinrici a Gerberga Marchionissa filius, surrexit. Damasus Papa qui & Popo eodem anno, quo constitutus erat, decessit.

Anno Dominicæ Incarnationis MXLVIII. Inperator Natale Domini Polithe celebravit. Bruno qui & Leo Tullensium Antistes post Damasum Romanæ Sedis Pontifex ordinatur. Hic Conradi Inperatoris consobrinus fuit, oriundus de Alsatia ex Castello, quod dicitur Engenesheim, qui cum ad capessendam Sedem Apostolicam Romam tenderet, audivit nocte voces Angelorum in sublimi canentium; Dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis, invocabitis me, & ego exaudiam vos & reducam captivitatem vestram de cunctis locis. De hoc inter cetera legitur, quia cum pauperem Leprosum ante fores domus suæ offendisset, eum fotum & curatum diligenter in lecto suo collocavit, quem reserato ostio

ostio cum non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit. Hic undecunque doctissimus cantus dulci & regulari modulatione composuit de aliquibus Sanctis, Gregorio scilicet Papa, Ciriaco Martire, Gorgonio Martire, & aliis: fecit & scripsit multa alia Ecclesiæ utilia. Hic etiam in Gallia & Germania Sinodis canonice habitis statum Ecclesiæ meliorabat. Quodam tempore ad invisendum Regnum Teutonicum ingressus ad filium sororis suæ, Comitem Adalbertum in Sueviam venit & illum sub comminatione tremendi judicii Dei admonuit, ut Hirsaugiense Cœnobium ab eo injuste possessum relinqueret, & sacræ Regulæ observatores in eodem loco restituere studeret, quod ipse Comes confestim opere complevit. Idem Papa in Cœnobio Virginum, quod nominatur Andela in Alsatia, corpus Sanctæ Richardis Imperatricis de Tumulo honorifice elevavit & in Ecclesia recondidit. Heinrico Imperatori filius IV. Heinricus natus est.

Anno Dominicæ Incarnationis MXLVIIII. Imperator Natale Domini Frisinge celebravit. Hunfridus Magadaburgensis Archiepiscopus criptam Majoris Ecclesiæ Idus Julii dedicavit, in honore Sanctæ Mariæ, Sancti Johannis Evangelistæ, Sancti Kiliani & sociorum ejus, adjuvantibus confratribus Godescalco Episcopo, Hunoldo Mersburgensi Episcopo. Bruno Fardensis Episcopus, Sigefridi Comitis de Waldbike & Judithæ Comitissæ filiæ Heinrici Calvi de Stadhen filius, frater autem Friderici Magedaburgensis Comitis, succedente sibi Sigiberto, vita excessit. Frater ejus Fridericus genuit ex Thietberga Comitissa Conradum Magedaburgensem Comitem. Defuncto Friderico viduam illius Thietbergam accepit quidam nobilis de Proceribus Hessorum, genuitque illi Meinfridum, qui prædicto fratri suo Conrado, quia filium non habuit, in Comitatu successit; At prænominatus Conradus duxerat uxorem de Bavvaria nomine Adelheiden, quæ genuit illi filiam nomine Machtildem, quam desponsavit Theodericus Comes de Ploceke totumque patrimonium illius cum ea suscepit, genuitque ex ea Conradum & Helpricum Comitem & duas filias Irmingardem & Adelheidem. Conradus, ut dicitur, Virgo obiit & frater ejus Hilpricus duxit viduam Theoderici Comitis de Katalenburh nomine Adelam, quæ genuit ei duos filios Bernardum Comitem & Conradum Marchionem: Sororem Hilperici Athelheidem duxit uxorem Otto Ratisponensis Comes: Altera Irmingardis nupsit Vdoni Marchioni, totaque hæreditas avi sui Conradi Comitis, cessit ei, genuitque ei Heinricum Marchionem & duas filias. Filiam autem prænominati Sigefridi de Waldbike nomine Odam accepit quidam illustris nomine Gozwinus de Valkenberh, peperitque illi Gerhardum & Gozwinum Comites. Gerhardus Comes duxit Irmingardem Marchionissam viduam Vdonis Marchionis, quibus tamen ambobus illicite nupserat, quia utriusque neptis consanguinea fuit.

Anno Dominicæ Incarnationis ML. Heinricus Imperator anno X. regni sui, Imperii autem IV. quasdam partes Galliæ invasit contra Godefridum & Baldewinum Duces, quibus ad deditionem coactis, regnoque in his partibus pacificato victor cum triumpho revertitur. Hunoldus Mersburgensis Episcopus obiit, cui Albericus successit. Dedicatio eodem anno facta est Goslariensis Monasterii per Herimannum Coloniensem Archiepiscopum in honore Apostolorum Simonis & Judæ.

Anno Dominicæ Incarnationis MLI. Inperator Natale Domini Wormaciæ celebravit. Sinodus generalis habita est apud Mogontiam, præsidente Domno Apostolico Leone & Inperatore Heinrico cum Archiepiscopis Bardone Mogontino, Eberhardo Treverensi, Herimanno Coloniensi, Engelhardo Magdaburgensi, qui Hunfrido Archiepiscopo eodem anno II. Kal. Martii decedenti de Choro Wirceburgensi assumptus successerat, ceterisque provinciarum Sacerdotibus. In eo Concilio quidam Spirensis Episcopus Sibico, cui crimen adulterii impingebatur, examinatione sacrificii purgatus est. Præterea multa ibidem ad utilitatem Ecclesiæ sancita sunt, præ quibus Simoniaca hæresis & nefanda Sacerdotum conjugia olographa Sinodi manu perpetuo damnata sunt. Vngari item Inperatori rebellant, quibus Gebehardus Ratisponensis Episcopus, patruus Imperatoris, vice ipsius obviam factus, in fugam conversos non minima cæde afflixit; Insuper urbem Heimenburch in Marca positam ædificiis restauratam militari præsidio muniri fecit, & ipse cum summa pace reversus est. Bardo Archiepiscopus Mogontinus in Fuldensi Monasterio sub monachica professione nutritus, indeque pro vitæ merito, ad Pontificalem dignitatem provectus virtutibus clarus in Christo quievit, cui Liutpoldus Bavenbergensis Præpositus successit, Græcis in hæresim multiformem declinantibus auctore Michaele Patriarcha Constantinopolitano & Leone Acridano Bulgarum Episcopo, Leo Papa errores eorum redarguens scripsit contra eos librum firmis scripturarum testimoniis roboratum. Nicetas etiam Monachus Constantinopolitanus, qui agnominabatur Pectoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris & stultitiæ prætitulatum de Azimo, de Sabbato, de nuptiis Sacerdotum. Leo itaque Papa per Epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptam animum ejus sibi concilians, Apocrisiarios suos Humbertum scilicet Cardinalem Episcopum Silvæ candidæ, Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Fridericum VII. Levitam & Cancellarium Constantinopolim dirigit ad confutandas Græcorum hæreses, qui ut Simoniaci donum Dei vendebant, ut Valesii hospites suos castratos venaliter ad Episcopatum promovebant, ut Arriani rebaptizabant Latinos Baptizatos in nomine Sanctæ Trinitatis, ut Donatistæ in sola Græcia Ortodoxam Ecclesiam esse jactabant, ut Nicolaitæ Sacerdotibus nuptias concedebant, ut Severiani maledictam dicebant Legem Moysi, ut Pnevtomagi professionem Spiritus Sancti a Simbolo præcidebant,

debant, ut Nazarei Judaismum observabant, parvulos morientes ante octavum a Nativitate diem baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitatas communicari, vel, si paganæ forent, baptizari prohibebant, de fermentato sacrificabant, latinos vocabant azimitas, & eos nimium persequebantur, & eorum Ecclesias claudebant, in suis filiis Romanam Ecclesiam anathematizabant, eique Ecclesiam Constantinopolitanam præponebant: Legati ergo ab Imperatore benigne suscepti & habiti Monachum Nicetam ante eum convicerunt, adeo ut librum quem contra Romanos scripserat anathematizaret & incenderet: Michaele Patriarcha eis colloqui denegante, carta excommunicationis super altare posita coram Clero & populo recesserunt; Michael cartam ipsam corrumpens populoque legens illos revocatos ad Sinodum absente Imperatore convocavit, ut a populo lapidarentur, quod Imperatore prohibente, Michael commovit populum contra eum, sed convictus cartam excommunicationis falsasse, Michael, omnesque sui a gratia & palatio Imperatoris remoti sunt. Humbertus Episcopus Silvæ candidæ hæc descripsit, & scripta Nicetæ Monachi & Leonis Acridani Bulgarum Archiepiscopi planis divinæ scripturæ testimoniis capitulatim, sub nomine Constantinopolitani & Romani confutavit, quæ de Græco in Latinum per Paulum & Smaragdum interpretata, jussu Imperatoris Constantini a Græcis recepta sunt.

Anno Dominicæ Incarnationis M LII. Imperator Natale Domini Polithe celebravit. Herimannus Contractus obiit. Heinricus Imperator iterum Pannonias ingressus, divisa in duas partes multitudine militum, utrinque regionem ipsam silvis & maxime aquarum collectionibus circumseptam occupans intravit. Sed illa gens durior ceteris cum suo Rege dolose & ignave agens sua pariter cum alienis diripiens, fame & siti, multisque cladibus lassatum exercitum fugiens evasit. Milites vero Imperatoris vastata magna ex parte provincia multis insuper inibi occisis, pacifice, quamvis inacte, cum Imperatore ad propria redierunt, Heinricus Imperator iterum Pannonias petit & inacte redit, habens in comitatu Leonem Apostolicæ sedis Præsulem; qui Papa veniens Ratisponam, Reliquias Beati Dionysii martiris, de quibus diu dubitatum, an ibi haberentur, præsentibus Parisiorum Legatis perspexit, ibique haberi probavit, sanctum quoque Wolfangum ejusdem urbis Episcopum de tumulo levavit, indeque Bavenberch cum Imperatore transiens, privilegia ejusdem loci a Cancellario suo Friderico fratre Godefridi Ducis, qui sibi postea successit, perspici & coram Imperatore populoque pronuntiari mandavit, suaque auctoritate illa confirmavit. Inde simul Apostolicus & Imperator in partes Rheno contiguas tetenderunt.

Anno Dominicæ Incarnationis M LIII. Leo Apostolicus & Heinricus Imperator Wormaciæ Natale Domini celebrabant. Ubi Papa Missarum solemnia in sancta die, ut oportuit, celebrans, sequenti die Liuppoldum Mogontinum Archiepiscopum, utpote in sua diocesi, huic subrogavit officio, qui peracta processione, & ubi ad hoc ventum est, dicta oratione, postquam se in sua sede locavit, quidam ex Diaconibus suis, Humbertus, sicut multi ob illius festi venerationem solent, lectionem decantavit, quod quidam ex Romanis Papæ assistentibus vituperantes & contra Papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes persuaserunt, ut ad eum mitteret, decantationem interdiceret, quod cum ille juvenum more contemneret, item mittendo Papa interdixit, qui eadem vocis sonoritate, qua prius, cantavit, decenter lectionem usque ad finem perduxit, qua finita Papa illum ad se vocavit & quasi pro inobedientiæ contumacia degradavit. Archiepiscopus vero misit ad illum, ut suum sibi redderet ministrum, quod ubi Apostolicus abnuit, Pontifex, ut erat antiquæ disciplinæ, licet ægre patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem Evangelio, & decantato offertorio, ubi sancti sacrificii tempus advenit, Pontifex in sua sede resedit, vere contestans, nec se nec alium quemquam completurum illud officium, nisi reciperet suæ processionis ministrum, quod ubi Apostolicus intellexit, Pontifici cessit, reindutumque ministrum continuo remisit, quo recepto, debito se Præsul injunxit officio, qua in re & Pontificis auctoritas & Apostolici consideranda est humilitas; dum & ille officii sui dignitatem defendere studuit, & iste licet Majoris dignitatis Metropolitano tamen in sua Diocesi cedendum perpendit Post hæc Apostolicus Romam rediit, multis eum diversarum provinciarum militibus imperiali præceptione & amicorum subventione comitantibus, & post Pascha exercitum per Apuliam contra Nortmannos duxit. Nortmanni vero barbara lingua quasi homines septentrionales dicti sunt, eo quod primum ab illa mundi parte venerint. Hi autem annos fere CLXVI. duce quodam Rollone nomine a Scithia inferiori, quæ est sub Asia, a flumine Tanai ad Aquilonem egressi atque per Oceanum vecti, cum sæpenumero ante tam Germaniam, quam Galliam more piratico per eadem Oceani littora excurrentes infestassent, tandem Karolo, qui Simplex dictus est, Francis imperante egressi, Galliam, qua in parte Britanniam respicit, pervaserunt, civitatemque in ea Rothomagum occupantes, usque in hanc diem, Nortmanniam de suo nomine vocaverunt. Ubi postquam confirmati sunt, etiam ultra manus extendere conati sunt. Nam circa hæc tempora Richardus Comes Nortmannorum dimissa Cnud Regis Danorum sorore, propter metum Danorum exulans, a patria Jerosolymam profectus ibique defunctus est. Reliquit autem in Normannia filium nomine Rodbertum, cujus filius fuit Willehelmus, quem Franci Bastardum vocabant, qui post Angliam subjugavit. Hujus Richardi socii XL. revertentes in Apulia remansisse narrantur. Et ex illo tempore Normanni possederunt Apuliam & procedente tempore Calabriam, Siciliamque occupaverunt. Contra hos igitur quon-

quondam illius terræ Advenas, sed tunc Apostolicarum rerum Invasores & Romani Imperii hostes Leo Papa pugnavit, & infinita utrobique cæde peracta, XIIII. Kal. Julii Papa cum paucis fugiens absque victoria regreditur, relictis illic Suevorum ac Noricorum militibus optimis, & Beneventana in urbe consedit, ubi tunc Odelricus genere Noricus Episcopatum tenebat. Goslariæ hæretici, per Godefridum Ducem deprehensi, suspensi sunt.

Anno Dominicæ Incarnationis M LIV. Religiosus Papa Bruno qui & Leo gloriose vitam finivit XIII. Kal. Maji, sepultusque Romæ in Ecclesia Beati Petri, miraculis claruit. Hicil Comes piæ memoriæ de Oberensteinvelden obiit VI. Kal. Febr. Conradus Dux Noricus fœderatis sibi Ungariis graviter Imperatori rebellat. Item rebellant Balduinus & Godefridus, qui Godefridus, Bonifacio Italorum Marchione superiori anno defuncto, Beatricem viduam ejus accipiens, Marcam & ceteras ejus possessiones conjugii prætexta sibi vendicavit. Azelino Hildeinshemensi defuncto Hetilo Goslariensis præpositus successit; hic, neglecto opere, quod antecessor suus in Occidentali civitatis parte inchoaverat, quippe cujus magnitudo tenuitatem rerum excedebat, antiquo operi, quod Altfridus Episcopus in eodem loco divina revelatione fundaverat novum corpus moderatæ compositionis mira arte conjunxit, quod procedente tempore prædiis de sua adquisitione ditatum, palliis, calicibus, corona imaginem cœlestis Jerusalem præsentante, ceterisque Ecclesiasticis ornatibus & Tesauris decoravit. Ipse præbendas fratrum determinato non conprehensas numero ad certum numerum L. scilicet redegit, & ut secundum regularem institutionem æqua omnibus portio daretur, quod hactenus consuetudo non habebat, banni sui auctoritate firmavit. Fuit studiosus in honorando clericali nomine, diligens in promovendis ad spiritualia arma clericalis militiæ pueris & juvenibus, quibus quod verbo docuit qualiter fieri oporteret se ipsum exemplum proposuit. Largus erga pauperes in elemosinis fuit, quorum tamen hac discretione supplebat inopiam, ut prorsus ab his, qui utcumque parum poterant operari, vitiorum matrem exstirparet desidiam: habet tamen in eo divina sententia, quod feriat, quia Institutionem ordinis in abbreviatione divini officii, in superfluitate vestium, in relaxando regularis vitæ districtione, non dico mutavit, sed mutantibus non contradixit. Post hæc in honore Sancti Mauritii in Monasterio quod Sanctus Godehardus ædificaverat, Moniales instituit, sed considerato hoc sexu cum oportunitate loci, tum natura ad peccandum proniore, ipsis ejectis, viginti Canonicos in Novo Monasterio reposuit, quibus necessaria procurans, Cononem consanguineum suum post Brixfiensem Episcopum eis præposuit. Ad ultimum in Orientali parte civitatis prius domum belli, in domum pacis adjuncto etiam novo opere conmutavit, & XV. Canonicis Institutis, abundeque illis necessariis provisis Adelboldo Præposito commendavit; Sed quia idem Monasterium infirmitate præventus consecrare non potuit, Burchardo Halberstadensi Episcopo sub titulo Sanctæ Crucis & Apostolorum Petri & Pauli consecrandum commisit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LV. Imperator Natale Domini Goslariæ celebravit. Leoni Papæ Gevehardus genere Alamannus, qui & Victor, prius Echstatensis Episcopus successit. Huic Diaconus toxicum in calicem misit, quem cum ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, a Domino causam facti inquisiturus cum populo ad orationem prosternitur, statimque Toxicator a dæmone arripitur. Ita causa manifestata Domnus Papa calicem cum sanguine Dominico cuidam altari jussit includi & pro reliquiis conservari. Heinricus Imperator Italiam cum exercitu petens, omnia in pace disposuit, reversusque neptem suam Beatricem, matrem Machtildis, quam Gozelo filius prædicti Godefridi Ducis uxorem accepit, secum duxit, indigne eam tractans propter quandam ejus insolentiam, qua mortuo viro suo Bonifacio, vivere consueverat. Bracizlaus Dux Boëmiæ, postquam Poloniam subjugaverat, proposuerat invadere Pannoniam, in quo itinere pulsatus ægritudine defunctus est IV. Idus Januarii. Reliquit V. filios, Spitigneum, Wratizlaum, Conradum, Jaromirum qui & Gevehardus, & Ottonem. Ducatum autem Boëmiæ Spitigneus primogenitus obtinuit, qui omnes Teutonicos de Boëmia eliminari jussit, inter quos & matrem suam Juditham sororem Ottonis de Suinvorde, Abbatissam quoque Sancti Georgii expulit. Post hæc ivit in Moraviam, quam olim Dux Bracizlaus inter filios dividens, dimidiam ejus partem Wratizlao, alteram Conrado & Ottoni dederat, Jaromiro studiis scolaribus deputato. Et mittens ad illius terræ primates trecentos ex eis sibi occurrere mandat, quos statim conprehensos & catenatos misit custodiendos per Boëmiæ civitates. Eques autem & arma eorum inter suos distribuit & tenuit iter in Moraviam, quod audiens Wratizlaus, relicta conjuge, fugit ad Regem Andream in Pannoniam, conjugem ejus comprehensam Dux ignominiose tractavit, & post mensem interventu Severi Episcopi, ut ad maritum rediret, permisit; sed quia partui vicina erat, infra triduum defuncta est. Wratizlaus vero post mortem ejus Adlectam filiam Andreæ Regis adamavit, quod ille non recusans, post dies matrimonio sibi eam copulavit. Quod cum audisset Dux Spitigneus sagaci ingenio præcavens, ne forte invaderet frater suus totam terram Moraviæ cum Ungaris, mittens nuntios revocavit eum ab Ungaria & reddidit ei civitates, quas ei antea pater suus Bracizlaus dederat in Moravia. Eodem anno Welf Dux Carinthiorum obiit. Conradus Dux antea Noricus ab Imperatore expulsus in Pannonia exul male moritur. Herimannus Coloniensis Archiepiscopus obiit, cui Domnus Anno successit, qui a fundamento V. Congregationes fecit, duas in

Colonia, unam in honore Sanctæ Mariæ, alteram in honore Sancti Georgii martiris, unam in loco, qui vocatur Grafschaf, & unam in alio loco, qui vocatur Saleveld, & unam in Monte, qui Sigeberch vocatur; in quo etiam nunc corpus ejus feliciter requiescit. Arnolfo Spirensis Ecclesiæ Episcopo defuncto Conradus successit. In eodem Anno fames magna fuit. Adalbertus Marchio obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LVI. Dedo Palatinus Comes vir bonus a quodam Presbitero Bremensi occisus est, quem a fratre suo Adalberto Archiepiscopo susceperat, pro criminibus, quæ ei obiciebantur, exilio deportandum, sepultusque est jubente Imperatore in Goslaria, eique frater suus Fridericus in Comitatu successit. Ipse fecit Præposituram in loco, qui Sulza dicitur, & ipsius filius fuit Palatinus Comes Fridericus, quem Lodowicus Comes de Thuringia jussit dolo interfici, viduamque illius, sororem Udonis Marchionis accepit in matrimonium. Habuit autem ex ea Palatinus Comes filium nomine Fridericum, qui patre occiso nondum fuit natus, avo adhuc superstite, cujus sororis filius Fridericus de Sumersenburch Comitatum Palatii adquisivit & ejus pater Adalbertus Seveco dicebatur. Herimannus Comes Orientalium Francorum obiit VI. Kal. Februarii. Gebehardus Ratisponensis Episcopus, Heinrici Imperatoris patruus, hostis occulte pessimus, deprehensus, convictus & custodiæ mancipatus, sed misericorditer tractatus, exilio remittitur & sedi pristinæ restituitur. Godefridus Dux ad deditionem venit. Magna cædes a Barbaris, qui Liutici dicuntur, in Christianos facta est, quorum quidam gladio fugientes in aqua perierunt, inter quos Willehelmus Aquilonalis Marchio occiditur non procul a Castro, quod Prizlava dicitur, quod situm est in littore Albis fluvii in ostio ubi ipse recipit Habolam fluvium. Ibi ergo in medio duorum fluminum religiosus princeps dolose a Paganis circunventus cum multis occubuit. Corpus ejus a Barbaris mille vulneribus confossum ac dilaniatum a suis amplius, ut dicitur, non est inventum. Hic siquidem Willehelmus Marchio & frater ejus Otto proxima consanguinitatis linea jungebantur fratribus his Villæhelmo & Ottoni filiis illius magni, Willehelmi de Wimmare, qui post mortem Ekkehardi Marchionis secundi, Marchiam illius unus post unum tenuere, licet nomina & ordo ipsius consanguinitatis certius non teneatur. Cum quo interfectus est Comes Theodericus de Hatalanburh filius Udonis, qui cum fratre suo Heinrico & aliis quibusdam occidit Ekkihardum Marchionem in Palithi post mortem tertii Ottonis Imperatoris. Huic Udoni erat uxor, de Suevia, nomine Bertrada, quæ genuit ei hunc Theodericum; huic quoque erat uxor, item Bertrada, soror Suanehildis Comitissæ de Castro, quod dicitur Lon in Hasbania, cujus filius fuit Arnoldus Comes Mogontiensis, quæ peperit ei filium qui & ipse Theodericus vocabatur, & filiam quæ Othilhildis dicebatur; quæ nupsit Conrado fratri Dedonis Marchionis. Idem Theodericus accepit uxorem Gertrudem, filiam Ekberti Marchionis senioris, matrem Richenzæ Imperatricis, ex qua genuit item Theodericum, qui sine liberis obiit. Willehelmo autem Marchioni successit Udo Comes de Stadhen, vir industrius & nobilis. Nam Heinricus Calvus Comes de Stathen, qui fuit temporibus primi Ottonis consanguineus ejusdem Imperatoris, uxorem habuit Juditham sororem Udonis Ducis, qui aput Calabriam cum multis occubuit, quando Otto Rufus Imperator contra Sarracenos pugnavit; hæc peperit ei liberos Heinricum Udonem, Sigefridum; qui Sigefridus defuncto Heinrico fratre Comitatum fratris sui a Cæsare Heinrico Bevenburgensis Ecclesiæ fundatore suscepit; habuit uxorem Adhelam, filiam Geronis Comitis de Alesleve, quem Ruffus Otto Imperator in Insula quadam juxta Magedaburh decollari jussit, quæ genuit ei Ludigerum Comitem, qui a plerisque dictus est Udo; ejusque uxor Adelheidis dicebatur, Amita Rodolfi Regis, ex qua genuit hunc Udonem, qui, occiso Willehelmo, primus ex illa generatione Marchiam Aquilonalem adquisivit. Hisdem temporibus multi diversarum provinciarum principes perierunt. Fames multas provincias afflixit, egestas & penuria undique prævaluit, multaque mala tunc temporis acciderunt. His doloribus Heinricus Imperator cordetenus conpunctus infirmari cœpit, & perductus usque ad mortem, sapienti tamen usus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petens, quibusdam prædia, quæ abstulit, restituens, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt relaxans, filium suum Heinricum Romani Pontificis cæterorumque principum electione Regem constituit. Erat enim præsens victor Romanus Pontifex, Aquilejensis Patriarchus & Patruus Imperatoris Gebehardus Ratisponensis Episcopus & alii innumerabiles tam Laïci quam Ecclesiastici Ordinis dignitates. Decessit autem in Saxonia in silva, quæ dicitur Harz, in loco Botvelde nominato, ubi autumnali tempore exercitandi gratia, venationem agens morabatur. Idem Imperator omnipotenti DEO duas congregationes in Gozlaria regali villa instituit, & unam ex his ad regendum Adalberto Bremensi Archiepiscopo conmisit. Igitur omnibus rebus suis, prout possibilitas vitæ admisit, bene dispositis III. Non. Octob. præsentem vitam in Domino finivit. Corpus ejus juxta patrem suum Conradum Imperatorem Spiræ sepultum est.

Post obitum Imperatoris Henrici tertii, Heinricus filius ejus IV. hujus nominis regni Monarchiam obtinuit, per cujus insolentiam mala in terra multiplicata sunt, cædibus, rapinis, incendiis, sacrilegiis omnes fere Imperii Romani provinciæ, sed præcipue Saxonica tellus fœdata est, & secundum propheticum eloquium, sanguis sanguinem tetigit; quem tandem, gladio sæcularis potestatis supra modum abutentem, Gregorius qui & Hildebrandus gladio Sancti Petri percutiens, a corpore Christi &

sti &

sti & Matris Ecclesiæ tanquam inutile membrum præcidit, & indissolubili anathematis vinculo perpetuo innodavit; qui postmodum per annos plurimos nunc ovinam mansuetudinem simulata humilitate præferens, nunc lupinam rabiem, aperta crudelitate exerens justo Dei judicio, modo adversis, modo ut videbatur prosperis alternantibus, adeo varie fortuna usus est, ut merito ei coaptandum videatur illud, quod in loco quodam dicitur:

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.

Cœpit autem regnare puer quinquennis, eodem anno quo Imperator obiit. LXXXI. loco ab Augusto, anno, ut dictum est, ab Inc. Domin. MLVI. Ab urbe condita MDCCCVII. & regnavit annis L. Sed quia adhuc puerulus erat Domina Agnes Imperatrix mater ipsius regnum sub sua cura aliquandiu tenuit ac sapienter & strenue rexit. Filiam autem ejus Rodolfus Suevus mox post obitum Imperatoris Romoldo Episcopo Constantiensi commendatam, utrum consilio raptam, an dolo, nescitur, uxorem duxit.

Anno Dominicæ Incarnationis MLVII. Rex puer Heinricus Natale Domini Ratisponæ celebravit, præsente adhuc Victore Papa. Agnes mater ejus Ducatum Bavvariæ obtinuit. Gebardus qui & Victor Pontifex Romanus multis bene in Germania aliisque Romani Regni partibus, Pontificum vel principum sæcularium consilio, dispositis, incipiente, ut dictum est, anni illius Quadragesima, Romam cum pace rediit, eodemque anno, vitam finivit: pro quo Fridericus, qui & Stephanus, frater Godefridi Ducis, jam Monachus factus in Monte Cassino, a Romanis Pontifex summus constituitur. Saxones iterum congregato exercitu, gentem efferam Liuticiorum hostiliter invadunt diversisque malis eam affligentes Romanæ ditioni subdiderunt, & acceptis obsidibus & tributis ad sua cum pace redierunt. Eodem tempore quidam Fridericus & fratres ejus in quibusdam Germaniæ partibus tirannidem contra Romanum Imperium exercentes, ab Agnete Imperatrice & principibus Regni victi ad deditionem venerunt. Stephanus Papa & Adalbero Babenbergensis Episcopus eodem anno vitam finierunt. Otto frater Willehelmi Marchionis superiori anno a Luiticis interfecti, sed matrimonio inpari, matre scilicet Slavica natus, vir acer ingenio & manu impiger ad Curtem Regis in Mersburh pergens a Brunone & Ecberto Comitibus filiis Liudolfi de Bruneswic, qui fuerat patruus Regis, circumventus est juxta villam quæ dicitur Nienthorp secus fluvium Salicam. Mox Bruno & Otto, ambo pleni irarum tam concitatos in se se vicissim impetus dederunt, ut uterque alterum primo incursu equo excussum letali vulnere transfoderet, statimque Ekbertus quamvis graviter saucius, dolore interempti fratris efferatus, Bernhardi Comitis filium, egregium adolescentem, sed vixdum militiæ maturum interficit. Otto de Suinvorde Dux Suevorum IV. Kal. Octobris obiit & in Suinvorde cum parentibus suis sepultus est. Ducatum ejus Rodolfus de Rinvelden, cui desponsata fuit soror Regis, obtinuit, quod magnum fuit seminarium earum, quæ regnum perturbabant, conmotionum. Eumdem namque Ducatum, vivente adhuc Ottone Duce, Heinricus Imperator Bertoldo Comiti, qui postea Carinthiorum accepit Ducatum, promiserat, eique anulum suum velut hujus rei conmonitorium dederat, quem ille diligenter servans post amborum obitum, Imperatoris scilicet & Ducis, Imperatrici Agneti tunc Imperium disponenti obtulit, eamque anulum agnoscentem pro Ducatu sibi commisso conmonuit; Sed Imperatrix, recepto jam in gratiam Rodolfo, eidem illi Ducatum causa filiæ dedit, quod animum Bertoldi non parum conmovit, pro qua commotione lenienda Ducatus Carinthiorum ei conmittitur, quem postea filio suo & æquivoco, rogatu ipsius, Rex Heinricus conmisit; sed postmodum quorumdam instinctu eumdem Ducatum Liudolfo, consanguineo, dedit, sicque patrem & natum parvi pendens offendit. Vnde quasi renovata priore injuria, cum Bertoldus Dux permoveretur, omnia consiliorum machinamenta, quibus satis pollebat, ad hoc vertebat, ut ab utroque id est, Rege & Rodolfo se ulcisceretur; ab hoc scilicet, quomodo a Ducatu sibi promisso se supplantavit, ab illo vero quia se accepto privavit. Multæ interim causæ, quæ inconsulte tunc gerebantur, sibi concurrebant, & huic machinationi occasiones præbebant. Pollebat hisdem temporibus in Saxonia Otto Dux de Northeim genere Saxo; Dux autem Bavvariæ vir amplissimæ nobilitatis, filius Bennonis de Northeim, cujus frater nomine Sigefridus cum Henrico & Vdone fratribus de Catelenburh Ekkihardum Marchionem Guntarii filium interfecit. Hunc Ottonem Rex Heinricus a Ducatu postmodum dejecit. Conradus genere Suevus a Militibus Regis interficitur, & quasi a Rege jussum sit, ipsis crimen indicitur. Conspirant igitur Otto in Saxonia, Bertholdus in Suevia; fiunt motus & Conventus utrobique, in quibus odia & invidiæ in Regem suscitantur. Multa quoque interea in regno fiebant, quæ utrosque populos justis & necessariis, ut videbatur, causis, ne Regi adhærent, avertebant. His temporibus Johannes senex Episcopus peregrinationis amore Scotiam egressus, venit in Saxoniam, & clementer susceptus ab Adelberto Bremensi Archiepiscopo non multo post in Slaviam ab eo directus est ad principem Godescalcum; aput quem conmoratus illis diebus multa paganorum millia baptizasse narratur.

Anno Dominicæ Incarnationis MLVIII. Rex Natale Domini Mersburh, Pascha in Magadaburh cum matre sua Imperatrice celebravit. Juditha soror Ottonis Ducis de Suinworde, uxor Bracilai, Ductrix Boëmiorum obiit IV. Non. Augusti, quam filius suus Spitigneus Dux de Boëmia ejecerat; cum non posset aliter injuriam ulcisci in filio, ad contumeliam ejus & omnium Boëmiorum nupserat Petro Regi Vngario-

gariorum. Hæc postea a filio suo Wratizlao Duce inde translata est & Pragæ sepulta juxta virum suum Brazilaum in Ecclesia. Burchardus sacrosanctæ Halberstadensis Ecclesiæ insignis IV. Idus Octobr. obiit, cui successit idem Burchardus, qui & Bucco Goslariensis Præpositus, vir magnæ in Christi Ecclesia reverentiæ, qui eo tempore in Domo Domini & in atriis DEI nostri plantatus, ut palma, effloruit. Huic Dominus tantam fidei constantiam & caritatis perseverantiam contulit; pro lege DEI sui usque ad mortem certare & usque ad sanguinem adversus peccatum non dubitavit resistere.

Anno Dominicæ Incarnationis M LIX. Rex Natale Domini in civitate Marawa, quæ in confinio Ungarorum & Bulgarorum sita est, celebravit. Benedictus Papa X. hujus nominis sedit menses IX. Heinricus Rex Galliæ obiit & Philippus filius ejus regnavit pro eo. Bernardus junior Dux de Luniburh obiit, cujus Ducatum Ordulfus filius ejus obtinuit: habuit Patrem Bernhardum seniorem qui & Benno, avum Herimannum, quem primus Otto Imperator Ducem & Principem militiæ constituerat, eique idem Imperator & Bremensis Archiepiscopus vices suas in Saxonia conmendantes in Italiam discesserunt. Ipse vero Ducatum adeptus in judicio & justitia gubernavit provinciam & in defensionem Ecclesiarum studiosus permansit usque in finem. Habuit hic junior Bernhardus ex Eilica, quæ erat filia Marchionis Heinrici de Suinvorde, duos filios Ordulfum Ducem & Herimannum Comitem, qui sine legitimis liberis obiit. Ordulfus Dux accepit uxorem Wifhildem nomine, filiam Olaph Normannorum Regis & Martiris, genuitque ex ea filium, quem vocavit Magnum, quia frater Ductricis Rex Danorum ac Nortmannorum Magnus dicebatur. Istum Beatus Olaph Rex & martyr ex concubina procreavit. Iste est Beatus Olaph Rex & Martyr, cujus festivitas agitur IV. Kal. Augusti omnibus septentrionalis Oceani populis Nortmannorum, Sueonum, Gothorum & Danorum atque Slavorum æterno cultu memorabilis. Corpus ejus in civitate magna Regni sui, Trondemnis, cum decenti est honore tumulatum in Nortmannia.

Anno Dominicæ Incarnationis M LX. Rex Natale Domini Wormaciæ celebravit. Nicolaus Papa II. hujus nominis sedit annos II. menses VI. Liuppoldus Archiepiscopus Mogontinus obiit, pro quo Sigefridus Fuldensis Abbas constituitur, qui per Ottonem de Orlagemunde, postea Marchionem, decimas a Thuringis expostulare cœpit: Sed executus non est, quia bella jam tunc in regno exoriebantur, quæ eum impediebant. Spitigneus Dux Boëmiæ in civitate Praga Ecclesiam Sancti Viti, quam Sanctus Weneslaus ad similitudinem Romanæ Ecclesiæ, Rotundam construxerat, in qua etiam corpus ipsius quiescebat; quia concurrentem populum capere non poterat, & aliam Ecclesiolam, quæ fuit contigua & quasi in porticu sita ejusdem Ecclesiæ, in cujus medio loco nimis arcto, erat Mausoleum Sancti Adalberti, ambabus destructis, unam utrisque patronis Ecclesiam construere cœpit; Sed sequenti anno morte interceptus consummare non potuit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXI. Heinricus Rex Willehelmum Marchionem filium Willehelmi de Wimmare & Epponem Cicensem Episcopum cum Duce Boëmiorum & Exercitu Bawarico misit in Ungariam ad ferendum auxilium Regi Andreæ. Albuinus Niemburgensis Abbas obiit, eique Folcmarus successit. Spitigneus Dux Boëmiæ V. Kal. Februarii obiit, de quo fertur, quod cum ad bellum vadens, unius diei iter ageret, obviam habuit viduam, quæ flens & ejulans ad pedes ejus deosculans currens, post eum clamabat dicens: Domne vindica me de Adversario meo: Et ille faciam, inquit, cum de expeditione rediero. Et illa, quid si, ait, non redibis, qui ad viduæ petitionem intermissa expeditione, justo judicio de Adversario eam vindicavit. Erat præterea ejus moris, ut semper Quadragesimali tempore aut Monachorum aut Clericorum degens in claustro elemosinis, vigiliis & orationibus, instaret, sic tamen, ut ante matutinalem aut cum extensione manuum aut cum genuflexionibus totam ruminaret psalmodiam, post completorium vero servabat silentium usque ad Primæ spatium. Ecclesiastica negotia jejunus disponebat, post prandium autem sæcularia negotia tractabat, cui frater suus Wratizlaus succedens, Moraviam inter fratres suos divisit, dans Ottoni Orientalem partem, quam ipse prius obtinuerat, quæ fuit aptior venatibus & abundantior piscibus; Occidentalem vero, quæ est versus Teutonicos, dedit Conrado, quæ est planior & campestris atque fertilior frugibus. Jaromir autem, audita morte fratris Ducis, deposito puerili metu, redit a studiis, sperans se aliquam partem paternæ hæreditatis habiturum, quem Dux Wratizlaus, mense Martio, quando celebrantur sacri ordines, invitum ac renitentem totondit, & in præsentia Ducis ordinatus est usque ad Diaconatus officium, legitque publice Evangelium & Pontifici celebranti Missam juxta morem ministravit; Post hæc factus Apostata sumpsit militare cingulum & cum suis sequacibus fugit ad Ducem Poloniæ, mansitque aput eum usque ad obitum Severi Pragensis Episcopi. Dux autem Wratizlaus genuit ex filia Andreæ Regis Ungariæ Juditham & Ludmilam filias, & Brazilaum juniorem & Wratizlaum, qui in primo flore juventutis occidit; & illa defuncta, accepit uxorem Zuatavam, Kazimer Ducis Polonorum filiam, Bolizlai vero & Wladislai germanam; ex qua habuit quatuor liberos Bolezlaum, Borivoy, Wladizlaum & Sobezlaum; filiarum ejus unam Wicbertus senior accepit, genuitque ei Wicbertum juniorem, altera conjuncta est Duci Polonico.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXII. Rex puer machinatione quorumdam principum, Sigefridi Mogontini videlicet Archiepiscopi, Ottonis Ducis de Northeim & Ecberti Comitis de Bruneswic, qui ipsius Regis patruelis erat, a matre Imperatrice subtrahitur, quorum

rum

rum numero Domnus Anno Coloniensis Episcopus se immiscuit, qui puerum in loco, qui dicitur Werida, navi imponens abduxit, quod ille, qua intentione fecerit, vel qualiter divino judicio placuerit, discernere non valemus, multa tamen incommoda ex tunc orta & deinceps aucta, certum tenemus. Nam perinde dissentiones Ecclesiæ, Regno perturbatio, Monasteriorum destructio, Clericatus despectio, totius Religionis ac Justitiæ conculcatio & cœpit & permanet. Willehelmus Marchio reversus in Thuringiam, dum redire in Ungariam & sponsam suam cum magna opum suarum ostentatione abducere pararet, inter eundum secunda mansione morbo correptus obiit. Sponsam ejus Sophiam Odalricus Marchio Carentinorum, cognatus ejus, accepit. Marcham vero frater ejus Otto de Orlagemunde obtinuit. Horum, scilicet Willehelmi & Ottonis Marchionum, frater fuit Popo, qui habuit filium Odalricum, qui sororem Ladizlai Regis Ungariæ Sophiam duxit uxorem, quæ genuit ei juniorem Odelricum, qui accepit filiam Lodovici Comitis de Thuringia. Otto autem Marchio beneficia Mogontini Archiepiscopatus aliter obtinere non potuit, nisi promitteret decimas de suis in Thuringia possessionibus daturum, & ceteros Thuringos, ut idem facerent, coacturum: quæ res multorum malorum seminarium fuit. Habuit autem uxorem nomine Adelam de Brabantia, ex Castello, quod Lovene dicitur, quæ peperit ei tres filias, Odam, Cunigundam, Adelheidam. Odam accepit Ecbertus Marchio junior de Bruneswic & hæc sine liberis obiit; Cunigunda nupsit Regi Ruzorum, genuitque filiam, quam nobilis quidam de Thuringia Gunterus nomine accepit, genuitque ex illa Sizonem Comitem; post cujus mortem reversa in patriam conjuncta est Cononi Comiti de Bichlingge, filio Ducis Ottonis de Northeim, genuitque illi quatuor filias; quo item defuncto, Wipertus senior Tertius eam desponsavit. Adelheidis vero conjuncta fuit Adhelberto Comiti de Ballenstide, quem Egeno junior de Conradesburh, filius Burchardi, nepos Egenonis senioris, campanæ sono proditum, superveniens interfecit; qui Adalbertus genuit ex ea Ottonem Comitem & Sigefridum Palatinum Comitem.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXIII. Rex Natale Domini Goslariæ celebravit. Nicolaus Papa obiit, cui Alexander Lucensis Episcopus successit, quodam tamen Parmensi Episcopo Papatum turpiter ambiente, & usque ad sanguinis effusionem Christi Ecclesiam scandalizante, sed multo post per Annonem Coloniensem Archiepiscopum, Ultramontanarum partium tunc legatione fungentem, ac universos Italiæ præsules eadem est controversia dirempta, Parmensis abdicatus; Alexander, ut jus erat, est confirmatus, seditque annis XI. menses VI. dies XXV. Rege in Goslaria Pentecosten celebrante seditio inter Fuldenses & Hildinisheimenses in vigilia ad vesperam exorta est, in qua Reinbodo Comes ex Abbatis parte cum multis aliis occisus est. Eggilhardus Magadaburgensis Archiepiscopus obiit, pro quo Wezelo, qui & Verinherus, frater Annonis Coloniensis Archiepiscopi constitutus est. Agnes Imperatrix sacrum velamen accepit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXIV. Sigefridus Archiepiscopus Mogontinus & Gunterus Babenbergensis & Willehelmus Trajectensis aliique quamplures Præsules & Nobiles multo comitatu Hierosolymam tendentes, multas infestationes a Barbaris perpessi sunt, tandemque perventione fruentes optata, numero & rebus admodum attenuati redierunt.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXV. Rex Natale Domini Goslariæ celebravit, ibique per concessionem Adalberti Bremensis Archiepiscopi primum se arma bellica succinxit. Pascha vero Wormatiæ peregit. Gunterus Babenbergensis Episcopus ab Hierosolima rediens in Pannonia moritur, perlatusque Babenberh ibi sepelitur, post quem Herimannus ordinatur. Goswinus Comes in Episcopatu Wirceburgensi Tirannidem exercens a Comitibus Adalberonis Præsulis occisus est. Eo tempore interfectus est a Paganis Princeps Godescalcus, vir omni ævo memorabilis, qui magnam partem Sclavoniæ ad divinam Religionem conversam habuit: Passus est autem in civitate Leontia VII. Idus Junii cum Presbytero Ippone, qui super altare immolatus est, & aliis multis Laicis & Clericis, qui diversa ubique pro Christo pertulerunt supplicia.

Ansuerus Monachus apud Razisburh cum multis aliis lapidatus est, qui cum ad passionem veniret, Paganos flagitasse fertur, ut prius socii, quos deficere metuebat, lapidarentur, quibus coronatis, ipse gaudens cum Stephano genua posuit; Passio illorum Idus Julii occurrit. Johannes Episcopus senex cum ceteris Christianis in Magnopoli civitate captus servabatur ad triumphum, ille igitur pro Confessione Christi fustibus cæsus, deinde per singulas civitates Slavorum ad ludibrium ductus, cum a Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus, corpus ejus in platea projectum est; Caput ejus desectum, Pagani Conto præfigentes in titulum victoriæ DEO suo Redegisti immolaverunt. Hæc in Metropoli Sclavorum Rethre gesta sunt IIII. Idus Novembris: filia Regis Danorum apud Michelenburh civitatem Apodritorum inventa cum mulieribus nuda dimissa est. Hanc Godescalcus Princeps habuit uxorem, a qua & filium Heinricum suscepit, & Sclavi quidem victoria potiti totam Hammaburgensem provinciam ferro & igne demoliti sunt. Sturmarii fere omnes aut occisi aut in captivitatem ducti, castrum Hammaburh funditus excisum & in derisionem Salvatoris nostri etiam cruces a paganis truncatæ sunt. Hujus cladis auctor Blusso fuisse dicitur, qui sororem habuit Godescalci, domumque reversus & ipse obtruncatus est. Itaque omnes Sclavi facta conspiratione generali ad Paganismum relapsi sunt, occisis his qui in fide perstiterunt. Ordulfus autem Dux Saxoniæ in vanum sæpe contra

tra

tra Sclavos dimicans per XII. annos, quibus Patri suo Bernhardo supervixit, numquam potuit habere victoriam totiensque victus a paganis, etiam a suis, derisus est. Ipso tempore Sliaswic civitas Saxonum transalbianorum, quæ sita est in confinio Danici Regni, opulentissima ac populosissima, in proviso Paganorum incursu funditus excisa est. Hæc est Sclavorum Tertia negatio, qui primo facti sunt a Karolo Imperatore Christiani, postea iterum ab Ottone Imperatore, Tertio vero nunc sub Godescalco principe.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXVI. Rex Natale Domini Goslariæ celebravit, Pascha Trajecti. Eberhardus Treverensis Archiepiscopus dum in Sabbato Sancto Paschæ, divino peracto officio, corpus & sanguinem Domini percepisset, reclinans se in gremium Archidiaconi, ita ut erat, veste indutus sacerdotali ad Christum migravit. In cujus locum Sanctus Cono Coloniensis Præpositus destinatus est, qui a Theoderico ipsius urbis Comite, eo quod sine ejus electione constitutus est captus, & a Satellitibus ejus in silvam ductus martyrisatur. Nam de scopulosi montis cacumine ter præcipitatus est, & cum adhuc illæsus esset, gladio transverberatus est. Sepultus est Doleis, ubi per illum Dominus multa signa operatus est. Ipse Comes pœnitentiam agens ac Jerosolymam pergens vitam finivit, & omnes ejus consentanei mala morte perierunt. Deinde omnium consensu Udo Archiepiscopatum suscepit. Reginherus Misnensis Episcopus obiit, cui Craht Goslariensis Præpositus successit; sed is dum suscepto Episcopatu Goslariam venisset, post refectionem in cubiculo, ubi thesauros suos, quorum nimius amator erat, infoderat, quasi paululum requiescere volens, se inclusit; Cumque die vergente in vesperam præter modum consuetudinemque suam somno indulgere videretur, rem insolitam mirantes Cubicularii, pulsare ostium cœperunt. Sed quando nec pulsantibus nec vociferantibus ullum dabatur responsum, effractis foribus irrumpentes, invenerunt eum fractis cervicibus, colore tetro exanimem, ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubantem; Episcopatum vero pro eo suscepit Benno prædictæ Goslariensis Ecclesiæ Canonicus. Cometa per totum orbem diu apparuit & Anglia Nortmannis subjecta est per Willehelmum filium illius Rodberti, quem Ricardus Comes Nortmannorum ex sorore Knut Regis Danorum genuerat. Nam post mortem sacrosanctissimi Regis Eduardi contendentibus pro regno Anglorum principibus, Haroldus quidam Dux Anglorum, vir maleficus, sceptrum invasit. Hoc frater ejus nomine Tostin moleste ferens contra eum Regem Norwegiæ duxit, qui & ipse Haroldus dicebatur, Regemque Hiberniæ; Sed occisus est ipse Tosti cum utrisque Regibus & toto exercitu ipsorum ab Haroldo Rege Anglorum. Vix, ut ajunt, octo dies transierant & ecce Willehelmus, cui pro obliquo sanguinis cognomen erat Bastardus, ab Gallia transfretavit in Angliam, lassoque victori bellum intulit. In quo Angli primo victores, deinde victi a Normannis usque in finem contriti sunt. Haroldus ibi cecidit & post illum ex Anglis fere centum millia. Hujus Haroldi conjux, amita Rodberti Comitis de Flandria, ex cognatione Beati Ethmundi Regis fuit, hanc postea Welphus filius Azzonis Marchionis Italorum duxit uxorem, genuitque ex ea Duces Welphum juniorem & Heinricum. Hæc Juditha dicta fuit, maximamque pecuniam & vix credibilem de Anglia secum adduxit, quia interempto Haroldo omnis pecunia Ethwardi Regis & ipsius Haroldi, sicut fama est, ad eam devenit. At Rex Norwegiæ Haroldus, qui cum Rege Hiberniæ peremptus erat, CCC. naves magnas habuit: insuper Massam auri, quam de Græcia adduxerat, cujus pondus vix juvenes XII. lecta cervice levarent, quæ omnia ad Bastardum tali fortuna pervenerunt. Bastardus victor omnes pene ejusdem Regni præsules exilio, nobiles vero morti destinavit, mediocres autem suis militibus in servitutem, uxores indigenarum universorum advenis in matrimonium subjugavit. Præterea in ultionem DEI, quem ipsi Angli offenderant, omnes fere Clericos & Monachos absque regula viventes expellens Lantfrancum philosophum in Ecclesia posuit Doctorem, cujus studio & prius in Gallia & postmodum in Anglia multi ad divinum animati sunt obsequium.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXVII. Heinricus Rex Bertam filiam Ottonis Marchionis de Italia & Adelheidis, quæ soror erat Comitis, qui agnominatus est de Monte Bardonis in Italia, & Immulæ seu Irmingardis, quam post mortem Ottonis Ducis de Suinvorde Ekbertus Marchio senior de Bruneswic uxorem tunc habebat ducens, nuptias Triburi celebravit. Et eodem tempore consilio quorumdam perversorum Castella in Saxonia & Thuringia construxit, quæ res multorum malorum causa fuit. Ut vero per excessum quædam supra repetantur, cum post mortem patris puerulus quinquennis esset, ipsum cum regno curandum cunctorum jussu principum mater ipsius Agnes venerabilis Imperatrix accepit; sed cum procedente tempore puer ætate quidem, sed non sapientia proficeret, matrisque monita regio fastu tumidus jam minus audiret, Anno venerandus Coloniensis Archiepiscopus eum matri violenter eripuit & omni diligentia, sicut decebat Imperatoriam prolem, non tam Regi quam Regno prospiciens, nutrire proposuit. Verum ille postquam puerili simplicitate transcursa ad bivium Samiæ litteræ pervenit, derelicta sublimi semita dexterioris angustiæ, declivem plateæ sinistræ latitudinem, qua incederet, elegit, quod ut liberius facere posset (non enim sub illo Magistro sibi licebat, quicquid libuit) prius Magisterii illius auctoritatem a se penitus excussit, & qui ad gubernandum Regnum fuisset electus ab aliquo gubernari est dedignatus. Igitur ab Archiepiscopo manumissus, cum sui juris esse cœpisset, totis viribus post concupiscentias suas ire disposuit, nec eas aliquis ab eo Rege, videlicet moni-

monitores aspernante exstirpare audebat; Cujus lateri Adalbertus Bremensis Archiepiscopus summa familiaritate se adjunxit, tantum ut germina viciorum ejus nulla auctoritate erueret, immo etiam adulationis aqua rigaret. Hunc Rex ab ineunte adolescentia nactus consiliarium, ipsius suasionibus cœpit in desertis locis altos & natura munitos montes quærere, & in his hujusmodi castella fabricare, quæ si in locis competentibus starent, ingens Regno firmamentum & ornamentum forent, quorum præcipuum Hartesburh appellavit, quod tanto muro, turribus & portis exterius munivit, ita Regalibus ædificiis intus munivit, tale Monasterium in eo construxit, in quo ejusmodi ornatus locavit, tales & tot Clericos illuc undique congregavit, ut aliquot Episcopales locos apparatu suo æquipararet, aliquot etiam transcenderet; quicquid in orationibus quemlibet Episcopum magis decorum videbat habere, præcepto vel precibus acceptum suo Monasterio studebat conferre. Cetera vero castella non tam pulcra, quam fortia esse volebat, in quorum instructione indigenæ primo contra exteras nationes bellicosum divinantes, opibus vel operibus eum adjuvabant, sed præsidia in eis locata, postquam cœperunt in circuitu sui prædas comportare, liberos homines ad opus servile cogere, filias vel uxores alienas ludibrio habere, tunc, quid hæc portenderent, intelligentes, tamen defendere se non præsumpserunt; tantum querelas faciebant apud illos, qui remoti nil adhuc patiebantur, qui dum opus ferre negligebant, Tyrannidi vires in se ipsos dabant; Nam ab Agricolis ad militares, a terræ fructibus ad libertatem adimendam ascendit. Nam Fridericum de Monte, qui inter homines liberos & nobiles eximius habebatur, famulum suum esse asseruit; Willehelmum quoque, qui propter nimium cultum Rex de Lutisleve appellabatur, quia multa ei erant prædia, sed non multa sapientia, tantum persecutus est, ut propter hos duos ab omni Saxonia sit facta contra Regem conjuratio, licet ab his pessima sit reddita retributio, hoc vero postea patebit. Otto Marchio de Orlagemunde obiit, gaudentibus in morte ejus omnibus Thuringis, quia is primus principum Thuringiæ decimas ex suis in Thuringia possessionibus dare consenserat & per hoc calamitatem maximam genti suæ invexisse videbatur; Marchiam quam ille tenuerat Rex patrueli suo Ekberto Comiti de Bruneswic concessit. Severus Pragensis Episcopus utramque fortunam satis expertus decessit. Nam aliquando a Bracilao Duce catenatus & incarceratus fuerat. Ipse primus, flagitatione victus Ducis Wratizlai, consensit promoveri Johannem Episcopum in Moravia, deliberato prius concambio, ut Pragensis præsul XII. potiores Boëmiæ villas pro illo Episcopio eligat & C. marcas argenti annuatim de Camera Ducis accipiat. Tunc fratres Ducis Otto & Conradus Jaromir de Polonia revocatum & attonsum offerunt Duci, monetaque germanitatis & sacramentorum, quibus pater ipsorum obligaverat fidem Comitum, ut post mortem Severi Jaromir eligerent in Episcopum, qui timens, ne Jaromir factus Episcopus, cum fratribus contra se conspiraret, volebat Lanzconem genere Saxonem Præpositum Lutomericensem Episcopum statuere. Fit igitur per castra commotio & exercitus ad tres fratres cessit. Dux destitutus fuga & mox fratres Pragam evocans, Jaromir elegit in Episcopum. Conradum vero & Ottonem datis & acceptis Sacramentis dimisit in Moraviam. Rex Heinricus in nativitate Sancti Martini Goslariam veniens infirmari cœpit atque eadem valitudine per multos dies lecto recubabat.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXIIX. Rex Natale Domini Goslariæ celebravit, nec dum sospitate ad plenum recuperata, a quo Ekbertus Marchio patruelis ipsius, qui Ottoni Marchioni de Orlagemunde successerat, exactis diebus festis digressus, cum se in sua recepisset, modica febre pulsatus finem vitæ accepit, sed Marcham adhuc vivens adquisierat filio suo tenerrimo Infantulo nomine Ekberto, quem ei Immula vel Irmingardis vidua Ottonis Ducis de Suinvorde genuerat, Bertæ Reginæ matertera, cui tamen ipse paucis diebus antequam vita discederet, repudium scribere cogitaverat, & contra statuta Canonum viduam prædicti Ottonis Marchionis ducere, quod hæc forma elegantior & efferatis suis moribus oportunior videretur, sed mors oportune interveniens, nefarios conatus ejus intercepit. Jaromir Pragensis Electus venit ad Regem Mogontiam, ubi festum Sancti Joannis Baptistæ celebrabat, a quo confirmatus VI. Non. Julii mutato nomine Gebehardus ab Archiepiscopo Sigefrido consecratur. Igitur Heinricus Rex adolescentiæ usus libertate Saxoniam solam ex omni Romano Imperio cœpit incolere, principes despicere, venatui, lusibus & hujusmodi exercitiis plus, quam justiciis faciendis, operam dare; filias illustrium quibuslibet obscure natis conjungere, privata præsidia, nimirum potentibus regni non satis credens, instituere. Præscriptis discordiæ seminariis contigit Regi, quamplurimos insidiatores tam vitæ quam regni succrescere; qui tamen, cum maturitatis nondum attigisset annos, erant, qui non tam ipsum, quam Adelbertum Bremensem Archiepiscopum, cujus hæc omnia consilio ageret, culpandum judicarent; qui Archiepiscopus tipho superbiæ sic erat turgidus, ut nec sæculari nobilitate, nec sancta conversatione quemquam sibi putaret æqualem. Nam in summa quondam festivitate publicam Missam præsente Imperatore, celebrans & populo sermonem faciens, inter cetera quasi bonos & nobiles conquærens defecisse, se solum & Regem dixit de nobilitate remansisse, cum duo fratres ipsius isdem orti parentibus starent præsentes. Asseruit etiam, quod quamvis fratris sui Petri Apostolorum principis nomen non haberet, se tamen eandem, quam Petrus, habere potestatem vel majorem, quia Dominum suum, non, ut Petrus, umquam negasset. Ipse cuidam Abbatissæ præcepit per obedientiam ut infra dies XV. moreretur, quæ

Ii quia

quia tunc ægrotabat, ille vanus præceptum suum impleri sperabat. Illa XV. die recuperata sanitate misit ad eum nuntium pro quacunque causa, quem, ut de longe vidit, assidentibus lætabundus ait: Numquid mea potestas minor in ista, quam fratris mei Petri fuit in Saphira: Sed postquam a Nuntio eam convaluisse cognovit, valde confusus obticuit. Cum aliquando in curia Regis esset & venustioribus ferculis, quam ipse Rex quotidie mensam regiam oneraret, sciens quodam die, pretium sibi in hos usus defecisse, ea die latitabat, volens dapiferum suum pretiosum cibum ipsique Regi comedendum propria industria sibi adquirere, quem audiens, ostium Capellæ, quo confugerat, pulsare, subito quasi in orationem se prostravit. Ille ingressus, quia nec tussi nec screatu eum erigere potuit, se juxta illum extendit & in aurem loquens: Orate, ait, ut sit quod hodie super mensam vestram honeste ponatur. Tunc velut ab extasi expergefactus, quid, ait, stultissime a colloquio Dei temerarius me abstulisti, si quid frater Trosmandus videre meruit, vidisses, mihi in oratione non adpropinquasses; Erat autem ille pictor ab Italia, & videns Archiepiscopo placere, angelos cum eo loquentes in Oratione jamdudum vidisse dixerat. Hic ergo Archiepiscopus, ubi Regem velut equum infrenem per abrupta flagitiorum ruere vidit, ejus se lateri adjungere familiariter quæsivit, ac velut Apostolicum dabat ei præceptum fac omnia, quæ placent animæ tuæ, hoc solum observans, ut in die mortis tuæ in recta fide inveniaris, quasi sit in hominis potestate una hora vitam suam mutare, cum proverbium sit; Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Qua doctrina Rex confortatus, ibat per libidinum præcipitia, binas vel ternas simul concubinas habebat. Insuper cujuscunque filiam vel uxorem juvenem aut formosam audierat, si seduci non poterat, violenter adduci præcipiebat; Interdum uno vel duobus comitatus, ubi tales esse noverat, nocte pergebat. Aliquando voti compos efficiebatur, aliquando vix effugiebat, ne a parentibus vel marito amatæ occideretur. Vxorem suam nobilem & pulcram sic exosam habebat, ut post nuptias celebratas eam sponte numquam videret, quia & nuptias non sponte, sed principum suasione celebraverat, ac multis modis eam separare a se quærebat. Denique cuidam familiarium Reginæ concubitum petere præcepit, magnumque præmium, si eo potiretur, promisit, quod illam non negaturam sperabat, quia juvencula virum experta jam quasi deserta vivebat, quæ sub fœmineo corpore cor habens virile, consilium cito intellexit, & primo velut indignata negavit, sed instanti tandem promisit. Rex omnia edoctus ad cubiculum cum adultero pergit, sperans eam deprehensam legaliter abjicere vel, quod magis volebat, occidere. Cavens autem ne adultero intromisso excluderetur, Regina januam aperiente, prior irrupit, quem illa cognoscens & adultero foris relicto includens, solum cum suis virginibus scamnis & baculis, quæ arma ad hoc collegerat, verberans semianimem reliquit: Fili meretricis, inquit, unde tibi audacia, ut Reginæ, quæ fortissimum habet maritum, sperares adulteria; quo clamante, se esse Heinricum, ac legitimum ejus voluisse concubitum; illa reclamavit: si maritus esset, cur non aperte ad suum thorum accederet. Sic eum de cubiculo ejecit & clauso ostio lectum suum petivit. Ille rem non ausus confiteri, aliam ægritudinem simulans jacebat, nam non capiti, non ventri pepercerat, sed totum corpus integra cute contuderat; qui postquam convaluit, quamvis acriter correptus, antiqua flagitia non deseruit. Si qua coram eo de injuriis quereretur, si ætas vel forma ejus placebat, pro justitia quam petebat, injustitiam multiplicem reportabat; nam sua libidine expleta alicui de famulis hanc velut uxorem dabat, ita nobiles hujus terræ mulieres servili conjugio dehonestabat. Hæc ille Archiepiscopus Adalbertus vidit nec prohibuit, &, quo sine pudore vel timore talia faceret, confortavit. Multa sunt ejus in hoc genere flagitia, sed hoc ultimum hic locum teneat, quod in eo justus judex inultum non relinquet, sororem suam manibus suis depressam tenuit, donec alius ipsius jussu cum ea concubuit, cui non profuit, quod Imperatoris filia, quod ipsius ex utroque parente soror unica, quod sacro capitis velamine Christo fuerat desponsata. Sed quia nefanda stupra nefandiora generant homicidia, erat omnibus horribiliter crudelis, sed maxime familiarissimis suis. Nam dum quis securus sui de aliorum morte tractanti favebat, mortem pati cogebatur, quam non timebat, propterea quia unum contra ejus voluntatem verbum dixerat vel consilium aliquod non placere sibi gestu ostenderat. Nec prius ostendebat iram, quam incauto faceret auferri vitam. Quendam de Secretariis suis Conradum, juvenem nobilem & moribus insignem, audiens esse Goslariæ, cum uno armigero ad se venire mandavit. Erat autem ipse in Castro Hertesburh, quo præter facinorum conscios & fautores nullus nisi vocatus ascendebat, qui putans ad consilium, cui præter se nulli liceret adesse, vocari, ut majorem fidem ostenderet, cunctis incomitatus equitavit; Sed videns insidias in silva, Ecclesiam, quæ prope erat, petivit. Inde cum per Burchardum Misnensem Præfectum, interposita fide fuisset eductus, ducentes eum in solitudinem interfecerunt, nec in ipsa ei morte cur moreretur indicaverunt, nec quisquam hujus cædis causam scire potuit, nisi quidam musitabant, quia illi Rex imponeret, quod cum quadam concubina sua jacuisset: Rex dissimulandi gratia interfectores, quos latitare ad horam jusserat, ab omnibus amicis suis jussit inquiri & ipsum in honorabili loco sepeliri; & ipse exequiis interfuit ac multum lacrymarum fudit, sed nulli, quin ejus præcepto esset occisus, credibile fuit. Fama fuit, quod quemdam familiarem sibi adolescentem manu sua quasi jocando interfecerit, quo furtim sepulto, in crastino quasi pœnitens ad Archiepiscopum Adalbertum venerit & ab eo sine omni

satis-

satisfactione indulgentiam perceperit. Frater Archiepiscopi ejusdem Fridericus Palatinus Comes fratri jactans aliquando narrabat, nullum esse in curia, qui magis quam ipse esset in Regis gratia; quem cum Archiepiscopus diligenter admoneret ut eam omnibus modis conservaret, tunc ille; veraciter, inquit, agnovi, quod qui hujus Regis familiariter habet gratiam, habere non poterit æternam vitam. Igitur jam minus ad secreta Regis accedebat & nec omnino aberat, nec tamen, ut prius frequens aderat; quod Rex considerans causa non quæsita misit eum Legatum ad Regem Rusciæ: quam legationem ille libenter suscepit, nec quid de se dispositum foret intellexit. Post aliquot dies, cum in diversorio Comites ejus aliquantum bibissent, exiliens quidam Sclavus, vilis persona: nescio, ait, quid est, quod porto, quod Episcopus Cicensis Eppo mihi dedit, & ut Regi darem, ad quem vadis; mihi præcepit; Tunc illo rogante protulit Epistolam Regis imagine signatam, quam aperiens invenit hunc sensum in litteris: Scias in hoc, an amicus mihi sis, posse patere, si effeceris, ut hic nuntius in regnum meum non possit redire, quod utrum æterno carcere, an ejus morte efficias nihil differt: Litteris itaque incensis, Legationem prudenter peregit, non parvo munere donatus rediit & regalia dona Regi portavit. Quidam intimus Regis consiliarius, cum non esset ortus a Saxonia, duxit uxorem de Saxonia virginem formosam & nobilem genere. Rex eam illi a parentibus impetravit ac nuptiis interfuit ac nondum virginitate deposita, ut eam sibi ad lectum suum mitteret, sponsum petivit: quod ille verecunde refutavit. Rex dissimulato dolore post aliquot dies misit, ac media nocte eum ad se venire fecit, qui quamvis de morte certus, tamen quo jubebatur ivit; sed prius loricam triplicem subtus tunicam induit, itaque in vestibulo cubilis regii duo gladii lateribus ejus affixi in mediis visceribus sibi obviarent, nisi eos thoracis fortitudo reppulisset. Ille tamen ad Regem pervenit & qualiter ante cubile ejus susceptus fuisset indicavit. Cui Rex præcepit, ut si deinceps vivere vellet, hoc ab eo nullus umquam sciret. Omnibus his nefarium illud addidit, quod Episcopos statuebat non pro qualitate meritorum, sed si quis majorem pecuniam dedit vel major flagitiorum ejus adulator fuit, hoc dignior Episcopatu fuit; Sed si alius plus illo daret vel magis ejus facinora laudaret, priorem, ut Simoniacum deponi & hunc quasi sanctum consecrari faciebat: unde multas civitates contigit illis temporibus duos Episcopos habere, quorum neuter Episcopatu dignus esset. Præter hæc omnia, ferebat imaginem quandam, ad instar digiti, ex Egypto adlatam adorare, a qua quotiens responsa quærebat, necesse erat homicidium aut in summo festo adulterium procurare, infeliciter ergo vixit, quia sicut voluit, vixit.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXIX. Rex Natale Domini Goslariæ, Pascha Quidelingeburh celebravit. Agnes Imperatrix tædio affecta vel potius divinitus compuncta Ducatum Bavvariæ deposuit, & regni gubernacula penitus pro Christo contemnens, Romam se contulit ibique dignis pœnitentiæ fructibus mira humilitate inserviens, post aliquot annos vitam præsentem in Domino finivit. His temporibus gens Suevorum, audita Saxonum calamitate, clam legatos ad illos misit & fœdus cum eis fecit, ut neuter populus ad alterius oppressionem Regi ferret auxilium: volebat enim eos opprimere, &, ut de prædiis suis tributa darent, cogere; quod fœdus si Saxones servassent ab infamia perfidiæ & a magna parte calamitatis liberi fuissent. Sigefridus etiam Mogontinus Archiepiscopus Vverinhero Magedaburgensi & Burchardo Halberstadensi Episcopis litteras querimoniis plenas misit, Regem in Episcopatu suo loca prædationibus apta Castellis & præsidiis firmasse & rebus Ecclesiæ suæ vim multam inferre; Rogavitque ut se, cum Archiepiscopo Coloniensi Annone, cujus Vverinherus quidem germanus, Burchardus vero consobrinus erat, fidelissime fœderarent, quia non talis eos amicitia adjuvabat, ut uterque alteri secreta sua credere, prout vellet, auderet. Hoc autem omni regno fore necessarium, quia hi duo, utpote majores in regno, si fideliter consentirent, in multa securitate regnum constituere possent; Eandem querimoniam fecerunt ad invicem omnes pene Teutonici regni principes, sed palam nullus audebat fateri; tanto Rex erat omnibus terrori. Sic quamvis Saxones hoc bellum aperte soli viderentur incipere, ipsorum solummodo consilio non fuit conceptum, qui scilicet in calamitatibus & contumeliis positi, dum intactus non condolebat injuriato, nondum communi malo, communi resistebant consilio. Rex universale damnum disponebat, impedimenta ad id removens, & adjutoria comparans: hi vero speciale malum putantes contra communem perniciem nil defensionis parabant. Ottonem denique virum genere Saxonem, qui Dux erat Bavariæ, virum utique nobilissimum prudentia rebusque bellicis perpaucis comparabilem & apud universos Primates in tanta excellentia habitum, ut hunc, si res secus cederet, etiam in regnum elevari posse formidaret: Hunc, inquam, a Ducatu Bawariæ omni calliditate deponere quærebat. Nam illum cum omnibus Bawariis Saxones adjuturum non dubitabat. Hinc materiam arripiens quidam Egone mediocri loco natus, rebus admodum tenuis, audacia tantum & nequitia satis diffamatus, patrocinantibus sibi quibusdam Regis fidelibus, curiam irrepsit & magnum illum Heroem, qui se numquam noverat, secum de nece Regis tractasse commentus est; Se ipsum etiam, ut mos est, potestati regiæ vadem obtulit, quousque campionis duello cum Duce confligens vera comprobaret, quæ diceret. Quid multa? placitis vel colloquiis regalibus, uno Mogontiæ, altero Goslariæ condictis, Otto cum Eginone, utpote Dux cum latrone, primas cum ignobili, congredi contempsit, a Primatibus amicis suis nimirum præmonitus, quod si Goslariam, ubi duellum futurum erat, venisset, etiam

etiam si vicisset vivus evadere non posset; Elegit honore suo injuste privari, quam tale judicium subire, ubi sciebat, ipsi justitiæ violentiam fieri. Sic Otto Ducatum Bawariæ, ut reus Majestatis, amisit, idque principalis discordiæ semen in perpetuos heu præliorum & seditionum, prædarum & incendiorum, scismatum etiam & hæresium lamentabiles fructus germinavit atque succrevit. Igitur Otto ad sua recessit & associato sibi Magno Ordulfi sive Ottonis Saxonici Ducis filio per duos fere annos cum Rege bellum crudele gessit. Rex Ottonem usquequaque persecutus quamplures munitiones ejus destruit, prædia devastat, & ut vere Reipublicæ hostem delere pertractat. E contra ille militibus electis instructus, ipse quoque manu fortissimus & animo nimis efferatus, quia regiis confligere non poterat, nunc præda, nunc flammis, nunc etiam ferro quocunque sors obtulit, suas injurias ulcisci satagebat. Postea consiliis amicorum coacti cum se regiæ traderent potestati, Rex Magnum Ducem in carcere suo per integrum biennium tenuit, ita ut nullus hoc toto tempore sciret, utrum viveret, vel ubi esset.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXX. Rex Natale Domini Frisingæ celebravit. Godefridus Dux Lothariorum omnibus pene terris magnitudine suarum rerum gestarum compertus & cognitus obiit & Werdunis sepultus est cui filius suus Godefridus qui & Gozelo præstantis quidem animi adolescens, sed gibbosus & statura pusillus successit. Dedo Marchio, non sine Saxoniæ principum consensu, tyrannidem in partes regias orditur, quæ tamen in brevi cœlesti simul & terrena Majestate compescitur; nam ipsius castella Seidingin & Bichlingin a Rege destruuntur, & non multo post filius ejus Dedo junior vir æque militaris, quem illi Oda mater Ottonis de Orlagemunde genuerat, cum quadam nocte ad necessitatem naturæ secessisset, apposito extrinsecus insidiatore confossus in inguine, occisus est, quis necis ejus auctor fuerit non satis constat, quamquam dolo Novercæ interfectum vulgi sermonibus jactaretur; hæc erat vidua prædicti Ottonis, quam defuncto Ottone & matre ejus Oda Dedo senior uxorem duxerat, genuitque ex ea Heinricum Marchionem de Ilburh & Conradum Comitem, qui a paganis occisus est. Ipsa autem Adhela dicebatur nata de Brabantia ex Castello quod dicitur Lovania seu vulgariter Lovene, erantque fratres ejus Heinricus Comes & Reginherus. Ipse si quidem Dedo Marchio, cum Regi ad deditionem venisset, aliquandiu habitus in custodia tandem adempta possessionum & redituum non modica parte dimissus est. Odalricus Marchio Carentinorum obiit, cujus viduam Sophiam, sororem Ladislai Regis Ungariæ Magnus, Ordulfi Saxonici Ducis filius, accepit uxorem, genuitque ex ea duas filias Wishilden & Eilicam. Eodem anno Burchardus Halberstadensis Episcopus, animarum curæ deditus, quamdam DEI famulam nomine Biam enutritam in Monasterio DEI genitricis, quod situm est ad Occidentem civitatis Quidelingeburh, solitariam vitam desiderare intelligens, in loco competenti Huysburh nomine fecit includi. Cui ne divinum servitium deesset Ekkehardum Canonicum Sancti Stephani in Halberstad, quem ipsa secreti sui desiderii antea conscium fecerat, Presbyterum ibidem constituit & competentem tribuens mansionem, stipendia utrisque necessaria providit, cum tamen ignoraret Episcopus amborum animos jamdudum in eodem fuisse proposito. Est autem locus excelsus, fuitque in eo curia Halberstadensis Episcopi domuique Episcopali adhærens Capella, quam prior Burchardus Episcopus devotissime construxerat, ibique divinum servitium quandoque fore honestissime instituendum spiritu prophetico prædixerat. Sexto dehinc anno quædam DEI ancilla de Gandersheimensi Monasterio nomine Adelheidis, tum divina revelatione, tum prædicti Ekkehardi conmonitione persuasa & per Burchardum Episcopum de suo claustro educta ibidem est inclusa; hujus hortatu Monachi ab ipsis sunt aliqui evocati, adjuvante eos & in hoc venerabili Episcopo Burchardo, sed & prædictus Ekkehardus habitum Monachicum suscepit & ibidem postmodum Abbas præfuit, & duabus prædictis ancillis Christi Biæ & Adelheidi tertiam nomine Idam de Quidelingeburh DEI famulam adunavit. Præfuerat ante ipsum aliquandiu Herraudus, quem Burchardus Episcopus Ilseneburgensi Cœnobio ad informandum, quæ ibi tepuerat, monachicam religionem præfecerat. Igitur Domnus Burchardus Episcopus Huisburgensi Cœnobio tali ordine inchoato locum a suo jure absolvit, decimas & alios reditus contulit, multa quoque, ipso adhuc vivente, oblato Christi fidelium adjecit. Sigebertus Fardensis Episcopus obiit, cui Ricbertus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXI. Rex Natale Domini Goslariæ celebravit, ubi per interventum Rodolfi Ducis Suevorum Welf vir illustris, acer & bellicosus, filius Azzonis Marchionis Italorum, Ducatum Bawariæ suscepit. Is filiam Ottonis de Northeim, qui hactenus Bawariæ Ducatum tenuerat, filiam nomine Ethelindam uxorem duxerat, & per jusjurandum altera jam vice matrimonio fidem dixerat. Domnus Anno venerandus Archiepiscopus Coloniensis, expulsis de Saleveld Canonicis, vitam illic instituit monasticam. Eodem anno Domnus Burchardus sive Bucco Halberstadensis Episcopus principale Monasterium in Halberstad XII. post combustionem anno consummatum Indict. IX. Epacta XVII. concurrente V. anno Cicli lunaris V. Cicli decennovalis VIII. honorifice dedicavit in II. feria Pentecostes Idus Junii, prosecuti sunt eum VII. Episcopi in mysterio septiformis Spiritus Sancti in Laudem Regis Regum deputati; in II. post ipsum loco Adalbertus Bremensis Archiepiscopus: III. Ricbertus Fardensis IV. Werinherus Argentinensis. V. Benno Osnabruggensis VI. Thietgrinus Brandeburgensis VII. Bircensis nomine Johannes. Circuivit etiam cum jocundi-

cunditate magna Rex Heinricus Regalibus indutus. Comitabantur eum Episcopi Abbates quoque multi cum extensa processione Cleri, Otto Dux & plurimi Regni principes cum innumera multitudine utriusque sexus in laudem DEI proclamantes; adfuit etiam præclara Regina Bertha cum matertera sua Immula seu Irmingarda Marchionissa & sorore Regis Adelheida Quidelinburgensi Abbatissa; Qui beatæ memoriæ Episcopus Elemosinarum largissimus, modestus quoque & caritate perfectus, corde & opere in ædificatione fervebat, fundavit Basilicam Sancti Liuderi Confessoris & tam copiose dotavit, ut inde hospitale fieret, in quo quotidie XII. pauperes infirmi reficiantur & omnia eis necessaria provideantur; & in alia basilica Sancti Alexis Confessoris, quam etiam construxerat, in perpetuum eis divinum officium jugiter provideatur. In civitate Halberstad honestam Ecclesiam in honore Sancti Pauli Apostoli fundavit ac pro posse ditavit; Canonicorum vitam in ea ordinavit, &, si ulterius vixisset, ulterius quam credi potest, eam sublimasset, omni siquidem tempore in his solummodo studebat, quæ ratio & justitia dictabat. Enimvero diligenter perpendens, cui Villicationis suæ curam deberet, eos præcipue sibi in familiaritate jungebat, quos DEO familiares per meritum vitæ agnoverat. Ordulfus sive Otto Dux Saxoniæ, filius Bernhardi Ducis & Eilicæ Ductricis, obiit, cujus filius Magnus fuit, quem Rex captivum diu detinuit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXII. Rex Heinricus Natale Domini Wormaciæ, Pentecosten Magedaburh celebravit. Adalbertus Bremensis Archiepiscopus obiit, qui in extremis positus, fertur gratulans dixisse, quod amplius quam duo millia mansorum suæ Ecclesiæ ex sua hæreditate vel proprio labore contulisset: huic Liemmarus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXIII. Heinricus Rex Natale Domini Babenberh celebravit. In media Quadragesima Synodus apud Erpesford est habita, ob exigendas decimas Thuringorum, quæ res Thuringos cum Saxonibus contra Regem exacuit. Jam enim Saxones insolitas injurias non ferentes, ut sunt animis acerrimi, contra rationem non cessabant adversus Regem conspirare, accusationes & blasphemias multas ad sedem Apostolicam in illum referre, socios sibi ex omni regno Teutonico litteris & nuntiis adsciscere. Nam Sigefridum Mogontinum Metropolitanum, Adalberonem Wirceburgensem, Adalbertum Wormatiensem aliosque plures præsules, & per ipsos Alexandrum Papam, fautores sibi efficiunt. Quidam quoque Annonem Coloniensem Archiepiscopum horum non inscium fuisse asserunt. His temporibus Rex Heinricus ad Regem Danorum misit & Bardewich sibi occurrere rogavit. Cum quo secretum colloquium habuit, cui præter Archiepiscopum Adalbertum & unum de regiis consiliariis nullus interfuit; qui etiam pactum illorum prohibere non valens, quod poterat, effecit, ut principes Saxoniæ, quorum id intererat, ipsum consilium non lateret. Rex enim Danorum Heinrico Regi juravit, ut ei contra omnes hostes suos & nominatim contra Saxones terra marique auxilium ferret, & ei Rex Heinricus promisit cunctas nationes regno suo contiguas in proprium dare. Finito colloquio Rex Liuneburh Castrum Magni Ducis, quem adhuc captivum tenebat, quia vicinum erat, consideravit, ejusque cupiditate exarsit, quasi si id obtineret, nullus in his partibus ei resistere posset. Ex his ergo, quos secum adduxerat LXX. fere in eo dimisit, qui regionem cogerent regio parere serviliter Imperio. His temere ingressis Herimannus magni Ducis Patruus, qui id cum Duce Magno hereditario jure tenebat, dum Rex finibus suis egrediatur, expectat; & mox castrum multa virtute circumdat. Erat autem castrum forte & nisi soli fami insuperabile, sed præter paucos panes, quos discedentes Monachi reliquerant, nil quod manducari posset, habebant: paucis autem non erat tutum cum exercitu inire prælium; deditionem ergo Comiti Herimanno offerebant; sed ille nisi Magnus Dux rediret, nullum horum evasurum dicebat. Quid plura? Rex post multas cogitationum angustias Magnum Ducem reddidit & suos fideles recepit. De reditu Magni Ducis omnis Saxonia lætissima efficitur. Solus enim timor, ne ille occideretur, effecerat, ut tot injuriis acceptis bellum non inciperetur. Quem enim patruus suus inæstimabili prædiorum seu pecuniarum pretio redimere non potuit, hunc divina pietas eo modo, quem humana prudentia excogitare non posset, liberavit. Cum festivitas Principum Apostolorum Petri & Pauli instaret, præcepit Rex, ut universa principum Saxoniæ multitudo Goslariam conveniret, ut si quid de regni negotiis dignum agi emergeret, communi principum consilio tractaret. Illuc alacres cuncti festinabant, diutinarum calamitatum solatium sperantes. Celebrata igitur festivitate, Episcopi, Duces, Comites ad palatium diluculo congregantur: Rex intus cum suis aleis & nugis operam dabat, & tot Magnates ad januam suam excubare, ut vilia mancipia parvi pendebat. Cum tota dies transisset nec aliquis vera portans Nuntius ad eos exiret, jam nocte facta quidam de parasitis egressus nuntiavit, Regem per aliam egressum januam, celeriter ad urbem suam pergere, qui omnes adeo sunt turbati, quod a Regis superbia tanto habiti fuerant contemptui, ut nisi Dedo Marchio eorum furorem sua prudentia compesceret, omni projecto timore eadem hora Regi manifeste omnes renuntiarent. Illa dies & hæc causa principium omnium, quæ sequuntur, malorum fuit. Eadem enim nocte principes omnes parum pransi cum singulis, quibus maxime credebant, in unam Ecclesiam ceteris dormientibus convenerunt, ibique non paucis prius lachrymis fusis, melius fore mortem quamlibet pati, quam talem vitam in contumeliis ducere. Constituto itaque die & loco, ubi cum omnibus Saxonibus convenirent, ita sunt digressi quasi non amplius ad Regis servitium

vitium venturi. Igitur Magni & parvi, ut constitutum fuerat, ad villam, quæ Holeinesleve vocatur, omnes convenerunt. Cur autem tantus conventus in parvo loco factus fuerit, non omnes cognoverunt. Tunc Otto, qui Dux Bavvariæ fuerat, sed adhuc Ducis nomen habebat, collem, unde ab omnibus audiri posset, ascendens, Conventus illius cœpit rationem reddere, injurias a Rege illatas & multo majores, nisi obsisteretur inferendas replicare; De exstructione & firmissimis præsidiis inutilium nisi ad solas rapinas Castellorum, de direptionibus substantiarum, constuprationibus conjugum & filiarum, contumeliis quoque liberorum hominum ad aliena præcepta servulis jumentis & humeris suis servientium disseruit: Dehinc quod futurum videbatur, ut tandem universi suis hæreditatibus cederent & ingenuitate amissa advenarum servi futuri essent, ad animum reduxit; &ad hæc propellenda ut exsurgerent, admonuit: Fortasse, inquit, quia Christiani homines estis, Sacramenta Regi facta violare timetis? Optime! Sed Regi, dum mihi Rex erat, & ea quæ sunt Regis faciebat, fidelitatem juratam integram servavi; postquam Rex esse desiit, cui fidem deberem, non fuit: Sed ne cuiquam vestrum causa non satis vehemens videatur, unusquisque suas, quas ab eo passus est injurias exponat, & tunc utrum satis magna necessitas injurias repellere cogat, judicium commune decernat. Ergo Werinherus Magedaburgensis Archiepiscopus civitatem suam bis a Rege cædibus & prædationibus invasam dicebat. Præterea communes injurias non minus quam proprias se dolere asseruit, & his quasi solus omnes passus foret, obviaturum promisit. Burchardus seu Bucco Halberstadensis Episcopus querebatur, prædia cujusdam nobilis viri, cui nomen Bodo, quæ de jure suæ deberentur Ecclesiæ, a Rege injuste ablata. Otto Dux querimoniam fecit, quia Ducatum Bawariæ, quem diu juste habuerat, Rex nullius criminis convicto, fraude quadam excogitata, sibi rapuerit. Dedo Marchio de prædiis per injuriam sibi ablatis querelam fecit. Herimannus Comes exposuit Liuneburh Castrum suum Regem callide occupasse, quam si retinuisset regionem a parentibus suis sibi relictam, injusta non regia potestate possidere voluisse. Fridericus Comes Palatii questus est, beneficium quod de Abbatia Heresfeld magnum habuerat, injusta Regis jussione sibi ablatum, C mansis ab Rege redimere voluisse, nec valuisse. Fridericus de Monte & Willehelmus de Lutesleve, quorum priori libertatem, alteri eripere voluit hæreditatem, utramque pro se querelam faciebat, quæ cunctos plus aliis querimoniis commovebat, quia in his quid universalis cogitaret, æstimare licebat. Omnes ergo qui convenerant [convenerat autem ingens exercitus] singillatim juraverunt, Episcopi quidem, ut quantum salvo ordine suo possent totis viribus Ecclesiarum suarum & totius Saxoniæ libertatem contra omnes homines defenderent, laici vero ut quandiu viverent, libertatem non amitterent, terramque suam deinceps nullum violenter prædari sinerent. Non multo post ad Castrum Harcesburh, ubi Rex erat, cum magno exercitu pervenerunt & contra urbem, ut inde videri possent, castra fixerunt; quos Rex subito videns expavit, sed, ut erat dissimulator, quasi nil timens, per nuntios eis mandavit: mirari se quid vellet hæc congregatio populi; non se meruisse, quare civile bellum debuerint incipere, discedere eos ab armis, se paratum pacato animo querenda cognoscere & corrigenda corrigere. Nuntii autem erant Fridericus Episcopus, Bertoldus Dux, Sigefridus Regius Capellanus. Nam mortuus nuper Adalbertus Bremensis Archiepiscopus: quibus omnium Saxonum Dux Otto dedit responsum; non se ad civile bellum congregatos esse, si Rex esse vellet, se illi omni fidelitate servituros; orare tamen, ut Castella, quæ ob nullam regni munitionem exstruxerat, vellet destruere, alioquin se intelligere, cur exstructa forent; se libertatem & bona sua contra omnium hominum violentiam defensuros esse. Cumque nuntii reversi, licet multum tentassent, hæc Regi persuadere non potuissent; ipse jam nec familiaribus, quia non, ut volebat, consilium sibi dederant, fidem habuit; sed solus secum deliberans, cum nec honestum putaret, Castella sua multis annis constructa destruere, nec exercitui ad omnia parato cum paucis, quibus jam minus credere cœperat, auderet ad colloquium occurrere, paucis quibus Castrum commendabat scientibus, noctu Saxoniam deseruit V. Idus Augusti, & per confraga silvarum, quæ sæpe locos Castellis quærens peragraverat, fugiens ad Franciam Orientalem paucis comitantibus pervenit. Cujus fugam ut principes, qui cum eo fuerant, cognoverunt, qui Castrum, quod facile destrui non poterat, obsiderent, ibi reliquerunt, ceteri ad cetera non adeo fortia destruenda perrexerunt: quidam ex his ad Thuringos transierunt, & his rei seriem innotescentes, ipsos in suam societatem, sacramentis datis & acceptis adjunxerunt; quicumque etiam prius, dum Rex erat in provincia, secum jurare ausi non fuerant, eos, jam Rege fugato, aut de terra sua fugiendo, Regem sequi aut secum pro terra sua contra Regem jurare cogebant. Igitur cum Harcesburg capi esset difficillimum [nam si loco competenti situm esset, regali palatio locus idoneus esset] idque omittere foret omni Saxoniæ periculosum, quia præter famem expugnari non poterat, castrum æque firmum construxerunt, in quo positis per vices præsidiis, alimenta inferri prohibebant; sed hi, dum novo Castello deferrentur alimenta, erumpentes infra suos muros ea deferebant, ex quo magis industrios Saxones effecerunt. Ergo ex utraque parte quotidie acriter pugnabatur. Sed Saxones inde plus valebant, quod eorum Castrum excelsius erat, & fatigatis novi milites succedebant, & alimentis abundabant, quæ omnia hostibus contraria erant; nam dudum ad deditionem coacti fuissent, nisi eis cibos quidam ex Saxonibus furtim ministrarent, qui prius eis familiares fuerant. Interea Rex singulos Teutonici Regni prin-

principes supplex adiit, se de Regno Saxoniæ ejectum flebiliter exposuit, eosque in se despectos esse asseruit, auxiliumque ad vindicandas injurias postulavit; Sed non multos ejus sermones movebant, quia calamitates Saxonum pene omnes noverant, præsertim quia easdem etiam Suevis & Orientalibus Francis inferre voluerat: honori tamen suo prospicientes auxilium ei hac ratione promittunt, ut Saxonibus ad placitum convocatis partium causas agnoscerent, ac si injuste ejectus foret, totis eum viribus restituerent; si autem stultorum consiliis credulus terram opulentam sua culpa perdidisset, opus esse, ut furore deposito subjectis nationibus pius Rex existeret, nec deceptores suos amplius audiret, se contra Christianos innocentes sibique sanguine propinquos gratis pugnare non posse. Quos sermones Rex quasi gratos accepit, quia non posse fieri videbat, ut Saxoniam violenter intraret, eosque ex liberis omnes servos faceret. Misit ergo nuntios ad principes Saxoniæ omne bonum promittens, ut se permitterent cum pace redire. Ottoni Duci, de quo sciebat omnium consilia pendere, honorem pristinum pollicetur cum augmento restituere, si se vellet in regnum Saxoniæ reducere. Eisdem temporibus Anno Coloniensis Archiepiscopus & Herimannus Bambenbergensis Episcopus Romam missi sunt, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregandi causa, qua legatione peracta reversi, Regi Apostolici litteras detulerunt, ad satisfactionem illum vocantes pro Simonia & aliis, quæ de illo Romæ audita fuerant. [Deest columna in Originali.]

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXIIII. Rex Natale Domini Wormaciæ celebravit. Post hæc exercitu quidem magno, sed non ad præliandum parato, nisi magna necessitas cogeret, congregato Kalend. Februarii Saxoniam ingredi disposuit. Saxones terram suam defensuri cum maximo exercitu apud oppidum Bachan prope Wirram occurrunt, & a Rege non longius, quam ut uterque exercitus alterum videre posset, castra constituunt. Cum vero esset tanta hiemis asperitas, ut omnes fluvii vel paludes iter terrestre præberent, & viris omnibus contra Regem congregatis solæ mulieres cum parvulis domi relictæ fuissent, pagani semper eis infesti, Saxoniam his adductis poterant in cinerem convertere, nisi Deus eos mirabili pietate genuinæ crudelitatis oblitos intra suos fines juberet quiescere. Igitur missi invicem exploratores, vera utrimque renuntiant. Siquidem Saxonum duplo quam Regis major esse videbatur exercitus: ergo qui erant ex parte Regis audita Saxonum multitudine & armorum instructione; nam his Rex dixerat, illos nec arma, nec equos habere, sed esse rusticanos & rerum bellicarum imperitos, cum prius ad prœliandum fuissent incerti, quia dignam non videbant causam pugnandi; nunc ad non pugnandum facti sunt certi, quia cum causa deerant & copiæ. Missis itaque Rex, ut principes jubebant, Legationibus, promisit, se facturum omnia, quæ vellent ipsi præscribere, dum paternam dignitatem, quam pueritiæ & pravorum consiliorum culpis se fatebatur amisisse, nollent sibi denegare. Tunc Otto Dux & ceteri, quibus magna fuerant promissa, suaserunt ceteris hac conditione illum recipere, ut Castella destruens, hæc ultra non exstrueret, prædationes in terra nullas exerceret, Saxonum consilio in Saxonia disponenda disponeret, nullumque extraneæ gentis eorum rebus agendis consiliarium admitteret, & hanc sui expulsionem in nullo ipsorum vindicaret. Cum hæc & his majora Rex fidelissime promisisset, exercitu dimisso, cum paucis ad Saxoniam transivit & cum laudibus ac triumphali gaudio deductus Goslariam venit. Hujus fœderis inconsulta compositio Saxonibus maximorum malorum fuit origo. Nam, qui fœderis cum Saxonibus facti non immemores, cum Rege contra Saxones venire noluerant, in faciendo cum Rege fœdere fuerunt obliti, ob quod illis Suevi facti sunt ex amicis hostes atrocissimi. Igitur cum Rex comitante Saxonum exercitu Goslariam venisset, sui non oblitus, cœpit occasiones quærere, nec, sicut promiserat, deberet in præsenti castella sua destruere. Tunc quidam Saxonum principes placere illi volentes suaserunt, ut Castrum Harcesburh, quod manere volebat, alicui ipsorum quasi in deditionem traderet, donec vehemens populi furor aliquantum tepesceret, & tunc castrum, ut volebat, integrum permaneret. Nam nisi dirueretur, populus se ab integro rebellem fore clamabat. Rex ergo in angustiis positus quid faceret, nesciebat, quia nec Castrum destruere volebat, nec alicui Principum, qui illud, si sibi traderetur, staturum promittebant, fidem habebat, & populum ne recidiva bella resumeret, valde metuebat; quia enim virtute pene solus in medio exercitu deprehensus se defenderet, vel qua fuga septus undique sævis hostibus se absconderet. Igitur excogitavit dolum, qui non eum, quem sperabant, tenuit effectum; quibusdam de antiquis familiaribus suis præcepit occulte, ut ejus tantum propugnacula summatim deponerent, ut sic decepto populo, postmodum restauratis ruinis integrum permaneret. Illi vero labori suo parcentes vicinos abduxere rusticos, quos, ut erant jussi, summos muros demoliri jusserunt, qui cum potestatem cœpissent ejus loci, a quo tot mala passi fuissent, non quid jussi forent attendentes, a diruendo non quieverunt, quandiu lapidem super lapidem remanere videbant. Legati Regis non ausi sunt verbum facere, quia si quid contradicerent & eos minabantur interficere. Ergo regalia ædificia multo sumptu exstructa cum Monasterio deiciunt, & in tantis mœnibus nec fundamenta relinquunt; Totum quoq; Tesaurum sive Regis esset sive Ecclesiæ diripiunt, campanas dulcisonas confringunt. Ossa filii Regis & fratris effossa dispergunt. His Rex auditis magno dolore intrinsecus turbatur; sed superfluum putabat, his, quos oderat, dolorem suum monstrare, cum non posset ad præsens in eorum suppliciis, ut volebat, odium suum saturare; quem Principes Saxoniæ non immerito com-

commotum ſcientes, omnibus modis mitigare quærebant, ſe a crimine conſilii & voluntatis, quo ipſe juberet modo, purgare, & reos in crimine quacunque vellet pœna punire promittebant. Sed nil proficiebant. Nam Rex ipſis magis iraſcebatur & dedignans iraſci in ruſticos, in majores regionis ſævire cogitabat. Interea tamen Caſtella quælibet ac munitiones præter antiquas urbes ad honorem regni conſtructas dirui juſſit, quod Imperium ex iracundia, non ex juſtitia prodiiſſe hinc præcipue agnitum eſt, quod Caſtella quædam mali nullius infamata deſtrui; plurima vero de prædis & latrociniis convicta, ſi pecunia data fuiſſet, intacta manere præcepit. Igitur Martio menſe nondum peracto, Saxoniam reliquit & ad habitatores Rheni male læta mente tranſiit. Fertur autem a Saxonia diſcedens cum juramento dixiſſe, quod ulterius in Saxoniam non rediret, niſi eam virtute contraxiſſet, qua in Saxonia poſſet agere quicquid ſibi libuiſſet. Congregatis itaque illarum partium principibus nunc ſingulis, nunc univerſis humilem ſe proſternens, querimoniam fecit, priores expulſionis ſuæ injurias jam leves eſſe, in illis ſe cum ſuis principibus fuiſſe deſpectum: In his vero ſuo ſuorumque deſpectui conjunctum eſſe Majeſtatis divinæ contemptum. Narravitque lacrymans, dum contra ſuam voluntatem, ipſorum conſilio cedens, regale caſtrum Saxonibus demoliendum tradidiſſet, illi Monaſterium DEO ſanctisque dicatum paganis crudeliores diruerint, campanas, calices & cetera ad honorem DEI collecta ac ſi profana confregerint aut diripuerint, fratrem filiumque ſuum utrumque ſtirpem regiam a ſepulcris ejectos membratim diſperſerint, &, quod magis eſſet nefarium, ſanctorum reliquias a ſacris Altaribus erutas per profana loca diſſipaverint. His non ſine largo fletu peroratis ſingulorum pedes oſculans oravit, ut ſi non ſuam, ſaltem DEI ſanctorumque contumeliam non paterentur inultam. Enim vero Saxones non dicendos eſſe Chriſtianos, qui per hujusmodi ſcelera Chriſtum ſe nec amare nec timere monſtrarent, ipſos Chriſti fideles ſe eſſe in hoc debere oſtendere, ſi ejus zelo ferventes injurias ipſius, ipſo adjuvante, vindicarent. Has querimonias & ſupplicationes dum ad omnes principum Conventus repeteret, annus evolutus eſt, antequam in Saxoniam ducere poſſet exercitum. Nam qui miſerias Saxonibus illatas noverant, cum omne bellum res ſit aſpera, nec hujus belli pateret cauſa ſatis idonea, ad dilationem quaslibet occaſiones quærebant. Quod niſi, quando cum Rege fœdus inierant Saxones, offendiſſent, Rex forſitan copias contra ipſos non haberet. Is enim a Saxonibus deceptus, Regi, quo potuit modo, reconciliatus eſt & ei primus Saxones hoſtiliter invaſurum promiſit. Interea miſſis ad gentes circumquaque Legatis, donis & promiſſis, Saxonibus voluit hoſtes efficere, quia hos non tam ſuæ poteſtati, quod ſine bello poterat, ſubicere, quam funditus quærebat extinguere. Duci Boëmiæ Wratizlao Miſnam civitatem cum omnibus ad eam pertinentibus promiſit, Liuticenſibus paganis crudelitatis frena laxavit & quicquid poſſent Saxoniæ finium obtinere conceſſit, qui dixerunt ſe Saxones multis tempeſtatibus expertos & de bellis eorum raro fuiſſe gaviſos, ſe dum ſuos terminos defendere valeant, contentos eſſe; Regem Danorum juramenti ſui commemorat, ſeque daturum ei omnia quæ ſit pollicitus confirmat. Philippum Latinæ Franciæ Regem promiſſis ſollicitat, ut amicitiæ memor, quando vocatus fuerit, ſibi in auxilium veniat, qui ſimiliter a ſuis ſolio pene depoſitus vix ſuum honorem ſe dixit retinere, ne dum illi ſuum tentaret reponere. Willehelmum Angliæ Regem hac conditione vocavit in auxilium, ut ei vicem æquam redderet ſi ſe umquam neceſſarium haberet; qui reſpondit: ſe terram illam per vim invaſiſſe, quam ſi reliquerit, ne in ea non recipiatur formidare. Willehelmum Ducem Pictavorum matris ſuæ germanum rogat, nepotis ſui miſereri, ut ejus auxilio poſſit regno, quo injuſte careat, reſtitui; Ille tantas Francigenarum, Nortmannorum vel Aquitanorum virtutes inter ſe & ipſum eſſe reſpondit, per quos nullo ingenio cum exercitu tranſire poſſet. His omnibus præter Boëmios fraudatus, peſſimum conſilium adinvenit, ut Saxonibus contra Saxones pugnaret, ut quælibet pars caderet, ipſe exultans triumpharet, & quia Saxonum principes ſimplici animo quocumque jubebat, eum adire non recuſabant, ſingillatim eos evocavit, grandem fingens cauſam, quam vellet eorum conſilio terminare. Venientes ergo ſingulos primo blandus accipiebat & cum aliquandiu ſecum ſtarent, animum ſuum eis aperuit, utque ad opprimendam Saxoniam ſe adjuvarent, idque nulli procederent jurare cogebat, quod niſi ſtatim facerent, ab eo recedere non valebant. Inde factum eſt, ut in hac parte pater, in adverſa filius: hinc frater unus, illinc alius eſſet. Multi etiam ex Majoribus, qui in utrisque regionibus bona habebant, ut utraque ſervarent, ſponte relicto hic filio ſive fratre, ad Regem tranſibant, vel ipſi hic remanentes, fratres vel filios ad Regem tranſmittebant. Pleroſque militaris ordinis etiam evocabat & prout cujusque animum noverat, minis ſeu promiſſionibus ad bellum civile ſollicitabat. Etiam famulos ad ſe vocatos non dedignabatur orare, ut vel interficiendo vel deſerendo Dominos mererentur libertate donari, vel etiam Domini Dominorum ſuorum fieri. Sed hæc omnia adhuc occulta erant, quia ſi quis ei ſuum jurabat adjutorium, jurare cogebatur ejusdem fidele ſilentium. Quid dicam? quod Epiſcopis quos attrahere non poterat, hujusmodi dona mittebat, quibus illis Epiſcopatum & vitam adimeret, ut his perſonis daret Epiſcopatus, qui ſuæ voluntati præberent ad omnia conſenſum. Per quemdam falſum Monachum Wernhero Magedaburgenſi Archiepiſcopo pulverem pigmentarium miſit, quem contra multas ægritudines ſalubrem ab Italia ſibi a matre ſua miſſum eſſe mandavit; Cujus partem cruſtæ panis inſertam catulo dari eumque ſine mora mori vidimus; & quod Epiſcopus talem medicinam non guſtaverat,

verat, læstati sumus. Postquam hæc omnia per Saxoniam fama cœpit prædicare, plebs nescia causas pensare lætatur, & omnes, qui terras suas invadere tentaverint, prosternere minatur; at Nobilitas magnis angustiis afficitur, dum robur Regis prævalidum suumque perexiguum subtiliter metitur; Illuc venturos in pugnam Francos utrumque litus Rheni tenentes Suevos, Bawarios, Lotharingos, Boëmios: Hinc vero Saxoniæ vix tertiam partem inveniunt. Nam omnes in Westfalia & omnes circa Misnam habitantes auro Regis corrupti defecerant. Ipsa quoque pars tertia vix secum fida manebat, quia singulos in ea Regis promissa assidue sollicitabant: Omnes etiam Episcopi præter quatuor, Magedaburgensem, Halberstadensem, Mersburgensem, Patherbrunnensem, aut aperte ad Regem transierunt, aut animo nutanti steterunt, ut quacunque res prospere cederent, illuc securi declinarent. Eo tempore in Saxonia signa plurima evenerunt. In Magedaburgensi prato visi sunt corvi tam acriter inter se pugnantes, ut alii alios relinquerent exanimes; Episcoporum virgæ pastorales in æstivo calore stantes in capellis ita madescebant, ut manum ejus aqua implerent, si quis eas tangebat. In Stideraburh erat lignea Christi in cruce pendentis imago, qui tanto sudore hisdem æstivis diebus manabat fluvio, ut nec mappulis tersa quiesceret, & vascula nonnulla suscepto sudore repleret. Werinherus Mersburgensis Episcopus, dum sacra Missarum solemnia celebraret & more solito sanguini Dominico partem corporis Christi imponeret, fundum calicis pars illa petebat ac si caro Christi in plumbum versa fuisset. Quidam Presbiter in Episcopatu Magedaburgensi in neutra parte conversationis egregius, dum in Sacramentorum confectione venisset ad Communionem, calice levato vidit vinum non solum spiritualiter, sed & visibiliter in sanguinem conversum, cujus rubore pariter & densitate perterritus, nil inde sumere præsumpsit; sed in Magedaburh, ubi adhuc venerabiliter servatur, cum magno timore portavit; quæ omnia quid significasse putandum, nisi laborem gentis, quem post modicum passa est.

Ea tempestate bonæ memoriæ Alexandro Papa defuncto Hildebrandus, qui & Gregorius VII. dictus est, professione Monachus & Archidiaconus Romanæ sedi successit, sub quo omnis Ecclesia inauditis Schismatum erroribus periclitari cœpit. De cujus pueritia rem dignam relatu hic placuit inserere. Pater ipsius Faber lignorum Romæ a quodam Clerico ad opus cujusdam ædificii, isto adhuc puerulo mercede conductus erat. Interim puerulus puerili ludo decidentes stipites in modum litterarum disponebat, cum litteras omnino nesciret. Superveniens ergo prædictus Clericus & quid puer ageret advertens, ex eisdem litteris collegit hæc verba: Dominabor a mari usque ad mare; qui vehementer admirans prædixit patri ejus, hunc Apostolicæ sedis Pontificem summum esse futurum. Unde, ut prius animo conceperat, hunc litteris erudiendum apposuit; quibus instructus curiam Heinrici Imperatoris ingressus est & Capellanis ejus scribendo quæ jussus fuisset obsequi cœpit. Erat autem valde fuscus & deformis aspectu, quem videns filius Imperatoris Heinricus & despectui habens, ut erat puer tenerrimus, multis hunc injuriis inhoneste tractabat, & per hoc Imperatori frequenter risum movebat. Verum Imperatrix moleste id accepit & filium ab illis injuriis severe compescuit. Quadam nocte vidit Imperator somnium, filium suum regaliter ad mensam consedisse & eundem scolarem ex adverso, in alta mensa residere, seque invicem injuriis provocare. Interim a fronte illius scolaris vidit cornu excrevisse, quo apprehenso adversarium projecit in lutum. Cumque Imperatrici somnium retulisset, illa prædixit, scolarem illum Papam futurum & filium suum a regno dejiciendum: Imperator sollicitus pro filio & consilium DEI sperans inmutare apprehensum scolarem misit in castrum Hamerstein, ut ibi fame necaretur; quod Imperatrix ferre non valens in cœtu multorum Primatum pro ipso intercessit, inpingens Imperatori notam, quod propter somnia sua, hominem necare voluisset. Tali modo absolutus ad fontem philosophiæ potandum ivit. Ad ultimum despecto præsenti sæculo veram philosophiam assequi proposuit, si quidem Monachus effectus Romam cum Abbate suo frequenter venit & tandem a Benedicto Papa ascitus Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus constitutus est. In quo officio positus, cum de vita Regis Heinrici turpem famam audisset, ob clarissimæ parentelæ ejus reverentiam per litteras ad emendationem vitæ frequenter eum provocabat. Cum vero Alexandro in Apostolatu successit idem facere, quandiu ipse patiebatur, non desiit, quod postea ex ipsius litteris suo loco inserendis melius clarebit.

Gregorius Papa, habita Synodo Simoniacos, venditores scilicet doni Sancti Spiritus & emptores anathematizavit, & Nicolaitas, uxoratos scilicet Sacerdotes, ab Altaris ministerio removeri decrevit, & Laicis eorum Missas audire interdixit: qui Beatus Papa cum absque Regis consensu, solis tantum Romanis faventibus, sunt, qui illum non canonice constitutum, sed tyrannice sibimet Papatum asseverent usurpasse. Patet tamen non pro hujusmodi accusatione Principum offensam illum incurrisse, quam quod Simoniacam hæresim, quæ illis pro maximo fuit lucro, Clericos vero per hoc maxime offendit, quod spurcissimam luem Nicolaitarum tantum zelabat, ut ea sordentes ab Altaris removeret officio. Gebehardus Pragensis Episcopus cum nec precibus, nec muneribus, nec per amicos flectere quivisset fratrem suum Wratislaum Ducem, ut suum reciperet concambium & Johannem Moraviæ eliminaret Episcopum atque iterum utrumque coadunaret Episcopium, ad urbem Olomuc, tanquam Johannem Episcopum visitaturus, venit, quem arreptum cum his qui ad hoc facinus parati erant, capillando inhumanis injuriis affecit, unde jubente

 bente

bente Rodolfo Apocrisiario, qui flagitatione Ducis a Gregorio Papa in Boëmiam directus fuerat, proficiscuntur prædicti Episcopi Romam, & Apostolico litterarum suarum offerunt normam. Hisdem diebus venerat Romam Macthildis potentissima per Italiam fœmina, filia Bonifacii Marchionis Italici. Hanc omnis ordo Senatorius honorabat, & Papa ipse per eam divina & humana negotia disponebat: De cujus genealogia Gebehardus materno sanguine descenderet, quod, ut illa, eodem referente, recognovit, cœpit eum honorare ac Domino Apostolico commendare. Si hæc Romæ non fuisset, Gebehardus nomen, bonum & honorem cum gradu amisisset, qua interveniente & multis Apostolicum precibus fatigante pax facta est inter prædictos Episcopos ea ratione, ut quieti & propriis Episcopalibus contenti vivant. Sin autem, iterum post X. annos ad Apostolicam Sedem de eadem causa judicium accepturi veniat. Ita agente Macthilda Gebardus in gradum pristinum restituitur. Nam Rodolfus Cardinalis jam antea tumultibus Boëmiorum coactus reddiderat illi tantum Sacerdotale officium. His ergo temporibus cum idem B. Papa Gregorius Regem Heinricum ad emendationem vitæ sæpius hortaretur, & ille devotas salutationes remitteret se excusando & suos excessus tum ætati fluxæ, tum pravis consiliis eorum, qui Curiæ præerant, imputando, tandem Apostolicus quosdam familiarium ejus, quorum instinctu multos Episcopatus & Monasteria vendiderat, ad satisfactionem vocavit, quod cum illi spernerent, a communione Ecclesiæ Catholicæ illos separavit, & Regem ne omnimodo his communicaret, admonuit. Interea Rex cum Saxoniam cum exercitu invadere proposuisset, satisfactorias Apostolico direxit epistolas, in quibus orabat, ut, si quid contra justitiam in causis Ecclesiasticis ab eo gestum esset, auctoritate Apostolica corrigeret, ad quod suum auxilium fideliter promisit. Idem etiam Legatis Apostolici, quos ad eum direxerat, & per quos ad pœnitentiam susceptus est, promittendo firmavit. Erant autem Legati Humbertus Prænestinus Antistes & Geraldus Hostiensis Episcopus, quæ promissa qualiter more suo mentitus fuerit, postea dicetur.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXV. Heinricus Rex Natale Domini Argentorati celebravit. Herimannus Babenbergensis Episcopus ob hæresim Simoniacam auctoritate Hildebrandi vel Gregorii Papæ deponitur. Interea cum Regis ira diuturnitate temporis in Saxones nimis accensa diutius latere non posset, principes Saxoniæ tam singuli quam universi legationes assiduas, nunc litteris, nunc sine literis ipsi Regi miserunt, hoc solum supplicantes, ut cœtu principum collecto, se aut culpabiles ostenderet & convictos eorum judicio puniret; aut ipsi suam ostenderent innocentiam, in ejus gratia permanerent. Sed cum eum de sua tantum perditione omnibus modis tractare cognovissent, ad principes, qui cum eo erant, Legationes dirigunt, & ut animum Regis placare sibi velint humiliter petunt. Ex quibus unam Epistolam Sigefrido Mogontino Archiepiscopo ex persona Magedaburgensis Archiepiscopi Werinheri & omnium de Saxonia Pontificum, Ducum & Comitum & omnium Clericorum, Laicorum, Magnorum & parvorum directam placuit supponere, in qua præmissa humillima salutatione hæc suggesserunt: Dominus noster Rex postquam factus adolescens abjecto principum consilio sui juris esse cœpit & eorum qui nec æquum nec bonum considerant Magisterio se subdidit, semper nos insolito more quærebat opprimere, bona nostra nobis eripere & suis familiaribus tradere, non ob aliam culpam nisi quod illi domi parum vel nihil habebant & terram nostram fructuosam videbant. Itaque munitiora nostræ Regionis Castella fortissima occupavit, in quibus armatos nonnullos constituit, qui nos aut serviliter servire compellerent, aut libertatem defendere volentes occiderent, ibi quot pericula, contumelias, damna in nostris corporibus, uxoribus, possessionibus passi sumus, & qualiter nos inde ad tempus misericordia Dei liberaverit, quia vobis nota esse credimus, præterimus. Postquam hac tempestate sedata, gratiam suam nobis reddidit, nil contra eum nos scimus deliquisse, unde merito debeat in nos recidiva bella movere: prædia, quæ sibi querebatur ablata legati ejus, reddidimus, donec ipsi dicerent, nihil esse reliquum, quod reddi deberet; Castella & munitiones, quas destrui præcepit, confregimus, nisi quas nobis volentibus ipse manere permisit. De Monasterio suo destructo & sepulcris filii vel fratris sui violatis, cum, qualiter factum sit, audieritis, quia nos sumus innocentes, agnoscetis: ipsius castri destructionem nulli nostrum credere voluit, sed hanc operam suis familiaribus injunxit, qui negligentes & pigri, quo citius, quod jussi erant, peragerent, rusticos vicinos convenire jusserunt & eis demoliendi potestatem dederunt. Rustici vero, sicut Rustici imperiti & ab eodem castro multa mala perpessi, cum nullus adesset, qui castigaret, nil ejus voluere relinqui, quod iterum deberet renovari: Postea sæpius Domino nostro Regi legationem, ut humiles servi cum multa supplicatione misimus, ut, si quid in illa vel qualibet causa contra eum egisse videremur, principum judicio vel negando vel emendando satisfaceremus, quam legationem, quia adhuc, ut accipere vellet, nullius auxilio obtinere potuimus, vestræ sanctitatis pedibus simul omnes advoluti, supplicamus, ut nobis iram Domini nostri Regis mitigare, eique suadere dignemini, ut quod faceret uni homini, facere dignetur universæ Genti scilicet, ne prius nos furore bellico devastare quærat, quam nos criminosos & crimen emendare volentes ostendat, securitatem, quam vos & alii principes jusseritis, a nobis accipiat, ut ad nos sine bello veniat & vestro nos judicio vel puniat, si meruimus, vel in pace cum gratia sua dimittat, si innocentes inventi fuerimus: Sin hoc noluerit, in qualibet Regni sui parte principes suos convenire jubeat, & quoscunque ex nobis adesse

adesse voluerit, eis eundi & redeundi securitatem tribuat, & quicquid vos judicaveritis de nobis faciendum, faciat. Hæc Domino nostro suggerite & ei pro Dei timore suadete, ut nos homines esse cogitet, ne ad periculum animæ suæ nos innocentes perdere desideret: Si vestra sublimitas pigra vel minus pia in his agendis fuerit, districtum Dei judicium nostras animas a vobis exigere habebit; quod si vestrum pium consilium Rex forsitan audire noluerit, obsecramus, ut saltem vos & vestros instrumentum sui furoris non habeat, ne dum furori ejus ministratis, vitæ vestræ & animæ periculum incurratis. Eumdem sensum continentes litteris vel verbis legationes cunctis illius partis principibus, singuli principes hujus partis miserunt. Tandem a Rege importunitate, non pietate victo responsum acceperunt, quod hoc solummodo gratiam suam habere mererentur, si se suamque libertatem & omnia quæ possiderent suæ potestati sine omni conditione traderent; quod facere renuebant, quia nullius eum pietatis esse sæpe experti fuerant. Cumque Rex Mogontiæ Resurrectionem Dominicam celebraret, Saxonum Nuntius, illuc cum litteris venit, quos Udoni Treverensi Archiepiscopo, qui Missas eo die celebrabat, cum stans in pulpito faceret sermonem populo, porrexit, & ut eas omni populo recitaret & exponeret ex omnium persona Saxonum pro Dei amore rogavit; quod cum Rex fieri prohiberet, Nuntius ipse litterarum sensum omni populo fidenter exposuit, & omnes qui Deum timerent, ne se priusquam criminis convicti fuissent, armis invaderent, oravit. Tunc Rodolfus Dux Suevorum fœderis Saxonum cum Rege præter se initi non oblitus, Regem, ne contumeliam Deo sibique ac principibus illatam dimitteret, instigavit, & ei secum tota virtute, quam posset habere, promisit. Idem ceteri principes universi fecerunt, aliqui promissionibus illecti, plures vicinæ mortis necessitate adducti. Quod ubi Saxonibus est auditum, tunc frequentes Regi, cunctisque Primatibus Legationes miserunt, ne se ferro innocentes invaderent, quia si Majestatis regiæ rei ostenderentur, ad ipsorum arbitrium parati essent pœnas dare. Tunc Rex Magedaburgensi Archiepiscopo cum quibusdam aliis gratiam suam mandavit, sibi ab amicis suis discedere, sibique Burchardum Halberstadensem Episcopum, Ottonem Ducem, Fridericum præfectum Palatii cum ceteris, quos adhuc quæreret, trahere; Cui Legationi consensu ipsorum, qui poscebantur, est responsum, ut ipsi ei hac conditione præsentarentur, quatenus sub utrorumque principum judicio starent, ut eos illorum sententia vel convictos damnaret vel innoxios gratiæ Regis reconciliaret; Sed Wilhelmus de Lutisleve & Fridericus de Monte cum viderent aperte, jam bellum cœpisse, Sacramenti, quod cum ceteris Saxonibus fecerant, obliti, & quod ipsi principalis causa belli fuerant, patriam infideles deseruerunt & ad hostem patriæ Regem noctu transfugerunt. Nam postea nec cives nec hostes eis fidem habebant, sed apud utrosque viles & infideles & miseri erant. Ergo in mense Junio Rex manu valida tam ex Alamannia, quam Bavvaria & Germania atque Boëmia congregata ad Unstrod fluvium venit & juxta Beringa positis castris consedit. Ex alia parte Saxones circa Nechilstede sua castra locant, & dum Rex eos ad Concilium vocet, expectant, & dum verba quibus suos accusatos purgaturi erant, disponerent, aderat Nuntius, qui Regem non verbis, sed ferro disputare velle dicebat, & huic disceptationi diem crastinum determinabat. Vix Nuntius ille verba finierat, cum alter veniens Regem cum exercitu adventare dicebat, quod primo non credentes, ubi nimis verum esse cognoscunt, quia nec consilii nec exercitus ordinandi locus erat, quod ex improviso deprehensi facere solent, pauci quibus vel animus vel arma in promptu fuerunt, fortiter ibant ad pugnam, plures, si quibus animus & arma longe fuerunt, vertuntur in fugam: Verum nisi Deus superbiam Saxonum humiliare voluisset, pauci, qui perstiterunt totum illorum exercitum vertissent in fugam. Nam ipsi hostes tantos ictus gladiorum se fatebantur numquam audisse. Et quidem postremi hostium nescientes, quod major pars Saxonum fugisset, cœperant & ipsi fugere, ac pene victoriam reliquerant, nisi prius fugam Saxonum agnovissent. Quem cui casus belli daret occidere, nec ipsis qui occidebant, dabatur agnoscere propter pulverem, qui tantus erat, ut inter civem & hostem nulla esset discretio. Verum quod compertum est Udo Marchio de Stadhen consobrinum suum Rodolfum Ducem Suevorum, qui eo die fortiter pro Rege dimicasse notatus est, fortiter percussit in faciem & nisi galea dependens eum defenderet, capitis ei superiorem partem abstulisset: Fratres in hoc prœlio fuere diversi, patres quoque contra filios, sed si quis scelus in suo propinquo faceret, a nemine poterat sciri. Sævissimum quidem illud prælium fuit, sed brevissime peractum. Nam Saxones deserti a suis, ex paucis pauciores a periculo se paulatim subtraxerunt Regique victoriam, sed cum multa suorum ruina reliquerunt. Nam cum de Saxonibus ex summis principibus Gebehardus Comes, ex mediis vero Folcmarus & Suidgerus cecidissent; ex parte Regis jacuerunt VIII. Primates non minus ipso Rege nobiles, factum est hoc prælium Idus Junii feria III. Rex itaque aliquot diebus in castris manebat, donec eos quos metus dispersérat, recollegit & mortuos aut sepeliri aut in patriam sepeliendos fecit deportari. Dehinc Saxoniam nimis lætus intravit & omnia obvia prædando aut incendendo crudeliora omnibus paganis exercuit. Viri siquidem omnes per silvas & ubicunque spes salutis erat, aufugerant; fœminis vero nil proderat cum rebus suis in Ecclesias confugisse, quas etiam si ad altare fugissent, corrumpebant, ac mox eas cum ipsis Ecclesiis comburebant, quo tempore apud Magedaburh cuidam ancillæ Dei ante prædictum prælium per visionem fuerat revelatum, si caput Sancti Sebastiani, quod in eadem civitate reve-

renter honorabatur, circa terminos Episcopii fuisset portatum, hostilis furor eos non posset intrare; quod cum illa Meinfrido urbis Præfecto & Præfectus antequam exirent ad bellum Archiepiscopo retulisset, peracto jam prælio caput ipsum circa omnes Episcopii terminos, antequam Rex veniret, est portatum. Tunc quod ancilla DEI prædixerat, est comprobatum. Nam ubicunque Rex ad eosdem terminos venit, divino nutu territus nusquam illud Episcopium intravit. At principes Saxoniæ diversas munitiones intraverunt, & Legationes principibus Regis obviam miserunt obsecrantes, ut vel nunc DEO de sua victoria gratias agerent, & suis in Christo fratribus vel victis parcerent. Ex his unam Epistolam Sigefrido Mogontino & Athelberoni Wirceburgensi Præsulibus a Magedaburgensi Archiepiscopo directam descripsimus. Nam præmissa humillima salutatione hoc subjecit: In primis igitur meam causam cum Domino nostro misericorditer tractate, scilicet quia semper volui & volo ultra vires meas ejus honori servire, quod si me forte Majestati ejus incusat, quod nuper quasi cum eo pugnaturus venerim, hoc quod veritas ipsa quæ Christus est verum esse novit, respondete, me ob hoc solum sicut coram Legatis ejus erat constitutum venisse, ut eos quos in nostris partibus suos vocaverat inimicos volentes sive nolentes ei præsentarem, ut vestro aliorumque principum judicio vel in crimine deprehensi supplicio subjacerent vel innocentes inventi vobis intercedentibus gratiam ejus reciperent, quorum causam quia dignatus non est accipere, quid me nisi, ut feci, decebat abscedere; si alias mihi quaslibet culpas imponet, ne longum faciam, vestram aliorumque ejus ordinis virorum patiar sententiam: Deinde Domno nostro dignetur Almitas vestra suggerere, ut recordetur se cœlestis Regis vicem & nomen habere, qui dicit, se misericordiam magis velle, quam sacrificium, quatenus dum eum cujus est membrum & cujus nomen habet, studet imitari, mereatur in regno cœlesti æternæ beatitudinis gloria coronari. Per totum fere annum litteris aliisque legationibus, omnes fere principes regni suppliciter adivimus, & ut nobis copiam coram veniendi adquirerent, oravimus; quatenus eorum judicio vel noxii damnaremur vel innoxii solveremur; quod quia impetrare non potuimus, iterum vos & omnes DEI fideles suppliciter rogamus, ut saltem nunc, postquam iram suam nostro cruore satiavit, postquam illi DEus, sicut oportebat, honorem donavit, furorem deponat, DEO gloriam reddat, & quod ante sanguinem effusum fecisse poterat, nunc tanto sanguine effuso faciat. Det nobis locum ubi vobisbum & cum Rodolfo, Bertoldo & Godefrido Ducibus conveniamus, & in quacunque re culpabiles vobis esse videbimur, omni voluntate nostra deposita vestræ prudentiæ judicium volentes patiemur; quod si tantummodo sanguinem nostrum laborat effundere, cogitet, hoc non facile fieri posse sine aliqua suorum admixtione. Item in alia epistola ad eosdem Episcopos post priorem Missam præmissis quibusdam hæc adjecit: Culpa mihi prius imponatur, defensionis locus non denegetur, ubi vel nocens vestro judicio subire cogar supplicium vel innocens vestrum sub gratia Domni nostri Regis merear habere consortium: quis umquam fuit juste prius damnatus quam de aliquo crimine fuisset accusatus; Nondum mihi cognovi culpam quamlibet imponi, & jam quasi criminum multorum convictus pœnas sævissimas dedi. Quod si me quisquam Domno meo fuisse vel esse perfidum criminatur, non minus qui Domino dixit, dæmonium habes, mentitur. Hæc igitur cum Domno nostro clementer tractate, & ut se Regem esse recogitet, suadete, & unde Rex sit appellatus edocete: Vestra quoque sapientia dignetur secum pensare, cujus vel quanti criminis sit Ecclesiarum bona vastare, ipsas Ecclesias polluere vel incendere, & si ullum vel magnum crimen esse videatur, in hoc vos Domno nostro fideles esse probate, ut dum eum ab injusto revocatis, ejus animam ab incendio gehennæ liberetis. Recordetur etiam prudentia vestra, quia mortem minatur Apostolus non solum digna morte facientibus, sed etiam consentientibus; Fridericus vero Monasteriensis Episcopus, quia de Saxonia erat oriundus & Magedaburgensis Ecclesiæ fuerat Canonicus, Archiepiscopo Magedeburgensi literas misit, quibus eum, ut fidelis terræ, de qua natus erat, commonuit, ut quocunque modo potuisset pacem facere cum Rege satageret; quibus literis Archiepiscopus has item litteras remisit: Sacerdoti DEI F. sanctissimo Werinherus, eo quod vocatur indignus, devotos fraternæ servitutis affectus, quamvis eo mœrore, quem nova tribulatio genuit, ita sim plenus, ut in penetralibus cordis mei nullus ulli gaudio possit inveniri locus, consolationis tamen vestræ literas ut accepi, non parum lacrymas mœroris repressi, quia nonnullum lenimen cordis habeo, cum vel unum fratrem fraterno dolore dolere video. Tunc autem solido gaudio gauderem, si vos sicut tribulationem nostram, sic innocentiam considerare viderem, vel si consilium, quod mihi de facienda pace datis, ut ipsa re fieret adjuvare possetis. Ut enim a Rege nostro cunctisque regni principibus & maxime a fratribus nostris Episcopis igni & ferro terra nostra vastaretur, quod crimen nostrum præcessit, vel si ullum fuit, in quo Concilio sacerdotum, in quo palatio Principum declaratum patuit? quando vocati ad satisfactionem venire contempsimus? a quibus accusati vel convicti sumus? Immo postquam iram Domni nostri Regis licet sine causa exarsisse cognovimus, singulos Principes, Sacerdotes & Laicos oravimus, ut coram veniendi copiam nobis impetrarent, quod cum frustra esset, ipsi Regi, ut humiles servi sæpe supplicavimus, ut nos vel in crimine deprehensos principum judicio palam damnaret, vel innocentes gratiæ suæ serenitate donaret: hac de culpa terram nostram sævus vastator invasit, ac pene desertam reddidit, quod si soli laici in

ci in illo exercitu fuissent, forsitan Ecclesiis & Ecclesiasticis rebus pepercissent; nunc vero, quia plurimi Sacerdotes aderant, nulli sacræ rei parcebant, Ecclesias, quas ipsi vel eorum confratres dedicaverant, succendi videbant, nec contradicebant. Quid igitur tunc Laici facerent? sed quamvis ultra modum puniti, quamvis ab illis cæde & igne vastati simus, a quibus nos oportebat, vel in aperto crimine defendi, tamen de pace facienda consilio vestræ pietatis adquiescimus, si eam posse fieri sine majori damno nostro viderimus. Illarum partium principes in locum, quo nos tuti possimus occurrere, veniant, nosque sua sapientia, quid acturi simus, edoceant, & quod eis placuerit; dummodo nobis vel posteris nostris non noceat, noster consensus concorditer implebit; quod si Paternitas vestra suscipiens hanc piam operam opere complebit, cum cœlesti præmio nos omnes fideles amicos semper habebit. Sed Rex cum exercitu comitante venisset Goslariam, & a quibusdam Saxonicis Episcopis esset triumphali gloria susceptus, ab amicis quid sibi esset agendum quæsivit, sed consilium pene omnium, ut devictos Saxones in gratiam, ut Christianus Rex, acciperet, non recepit, quod vero ipse volebat, ut statim omnes servituti subjiceret, ad præsens implere non potuit. Nam nec dispersos Principes omnes capere valebat, nec diu cum exercitu manere poterat, quia fames eo anno Saxonibus utilis fuerat, & Julius mensis maturas segetes nondum exibebat. Tutum vero non putabat sine exercitu in Saxonia remanere. Abiit ergo cum toto exercitu & Saxoniam, sicut prius, habuit in incerto. Tunc Saxones congregati se invicem, ut unanimiter pro sua libertate tota virtute pugnent, hortantur, Deique misericordiam non ex toto sibi sublatam inde conjectant quod quasi paterna pietate flagellati ad recipiendam virtutem discessu Regis tempus acceperant. Rex vero post peractam victoriam emendationis suæ vota, quæ in anxiis rebus Apostolico promiserat, infregit, atque inter cetera excommunicatos in familiaritatem denuo recepit, quo tempore inter ceteras commotiones per Legatos & litteras sibi directas, hanc Epistolam a Papa Gregorio suscepit: Gregorius Episcopus servus servorum DEI H. Glorioso Regi & in Christo dilecto filio, salutem & Apostolicam Benedictionem. Quando litteras tuæ Magnitudinis accepi, longe ab urbe maxime causa infirmi aëris aberam, cum quibus necessarium erat tractare, quod vestræ Legationi ad plenum sicut oportet responderem; Vester etiam Nuntius horum videlicet portitor ob prædictam causam ægritudinis, timebat diu nobiscum manere. Sed quia desideramus non solum vobiscum, quem DEus in summo rerum culmine posuit, sed & cum omnibus hominibus pacem quæ in Christo est habere, jus suum unicuique observare, cupio tibi summopere corde & animo adhærere. Novi enim, quod te credo non ignorare quia qui DEum revera diligunt, & Romanam Ecclesiam Romanumque Imperium ad vindictam suorum criminum non pertimescunt, inter nos pacem & concordiam inserere agendo vel orando concupiscunt; quapropter bonam concepi fiduciam, quod hanc nostram, immo totius Ecclesiæ causam cæpisti Religiosis hominibus committere, qui nos non nostram injuste diligunt, & ut Christiana instauretur religio sancta intentione requirunt. Ego autem, ut paucis loquar, horum consilio paratus sum, Christo favente gremium tibi Sanctæ Ecclesiæ aperire, teque, ut Domnum & fratrem & filium suscipere, auxiliumq;, prout oportuerit præbere, nihil aliud a te quærens, nisi ut ad monita tuæ salutis non contemnas aurem inclinare & Creatori tuo, sicut te decet, non contradicas gloriam & honorem offerre, valde quippe indignum est, ut honorem, quem a conservis & fratribus nostris exigimus, Creatori & Redemptori nostro reddere contemnamus; Moveat itaque nos divina promissio qua dicitur: Ego glorificantes me glorifico, & qui me contemnunt, erunt ignobiles; & offeramus ei, quod placet nobis in hac vita sæculari, ut perfruamur in cœlestibus dono spirituali. De superbia Saxonum vobis injuste resistentium, quæ divino judicio a facie vestra contrita est, & gaudendum est pro pace Ecclesiæ & dolendum, quia multus sanguis Christianorum effusus est. Vos autem in talibus plus honorem DEI & justitiam ejus procurate defendere, quam honori proprio providere. Securius enim quilibet princeps mille impios potest causa justitiæ punire, quam suæ gloriæ causa quemlibet Christianum gladio sternere. Omnia creavit & regit, qui dixit: Ego gloriam meam non quæro. Saluti quippe nostræ tunc providemus, dum in cunctis actibus nostris gloriam DEI præponimus. De Herimanno vero quondam nuncupato Babenbergensi Episcopo noverit vestra Sublimitas, quia jam diu est, ex quo per quendam ejusdem Ecclesiæ Clericum misimus literas nostras vobis nostroque Confratri Archiepiscopo Mogontino, quod auctoritate Apostolicæ sedis ab omni Episcopali & Sacerdotali dignitate sit depositus & anathematis vinculo alligatus, quia non timuit Simoniacæ hæresi sacrilegium adjicere sanctamque Ecclesiam sibi commissam, sicut Tyrannus, devastare. Unde rogavimus & ex parte Beati Petri præcepimus & præcipimus, ut in prædicta Ecclesia secundum DEum talis pastor ordinetur, qui, quod fur & Latro mactavit, DEO favente vivificet, & quod ille dissipavit valeat resarcire. Omnipotens DEus a quo cuncta bona procedunt meritis & intercessione Beatorum Apostolorum Petri & Pauli sua vos pietate in hac vita protegat & defendat & cum dupla victoria perducat ad vitam æternam. Sed Rex vacanti illi Cathedræ suo more consuluit, subrogato ei dem Herimanno alio nomine Rodberto, non quia vita & sapientia esset Episcopatu dignior, sed quod Regis flagitiorum major esset in omnibus assentator. Interea Rex iterum congregabat exercitum, ut Octobri mense Saxoniam ingressus, fruges quas Julio mense multas in agris viderat, aut utendo aut comburendo consumeret,

ret, populumque totum vel morti vel perpetuæ servituti traderet. E contra Saxones magno periculo facti prudentes cum non minore venerunt exercitu, aut suam libertatem bello retenturi, aut eam cum vita simul amissuri. Itaque uterque exercitus in loco, qui dicitur Everha, convenerunt. Tamen exercitus Regis, ad prælium non ut antea promtus erat, quia, non, ut audierant, inbelles esse Saxones experti erant, & magna sibi pars de priori multitudine deerat. Nam Bertoldus & Rodolfus Duces a priori prælio reversi quadragesimas publice pro Dei timore jejunaverant & amplius pro Rege contra Saxonum innocentiam non pugnare fideliter Deo voverunt. Hi ad Saxones miserunt, acceptaque & data fide ad secretum colloquium principes utrinque convenerunt, illique in sua fide promiserunt; Si Principes Saxonum se sponte tradendo Regi vellent honorem facere & tota Saxonia staret in pace, & ipsi nec in dura, nec in longa forent captivitate. Fama etiam erat Regem jurasse principibus, si hoc ad honorem suum perficerent in principio Novembris proximi, omnes ad sua cum gratia sua remitteret. Tunc Episcopi, Duces, Comites, ceterique Majores Saxonum & Thuringorum fide accepta Regiæ potestati se sponte tradiderunt, suumque populum valde tristem in patriam redire jusserunt, quibus per custodias distributis Rex omisso exercitu Saxoniam cum magna gloria ingreditur, & ab ipsis qui domi erant cum majore gloria suscipitur: Sed quia crudelitatis antiquæ non immemor timeri tantum, nec amari curabat, nec Saxones sibi fideles, nec alias regni sui nationes devotas habebat, & laudem apud exteras gentes, quam posset habere, perdebat. Amicis enim non minus quam hostibus crudelis erat, quamvis prius in amicos crudelitatem exercebat, ut hostes ex hoc cognoscerent, quid sibi futurum sperarent. Denique Ekberti Marchionis de Bruneswic, qui Saxonibus nullum fecerat auxilium, sed Regi, utpote valde propinquo genere, toto animo favebat, possessiones prius invasit, deditque illas Othelrico de Godesheim, qui quia prorsus timorem Dei abjecerat, Godeshaz agnomen habebat; Deinde captivorum Principum bona, quæ ipsis manere integra debuerant, suis est largitus, & quæ suis Principibus bona promiserat, in eos omnia fefellit. Tunc urbes & Castella & quascumque munitiones adhuc habebat Saxonia suis sequacibus commendavit & ut per totam regionem tyrannidem exercerent, imperavit. Interea omnes semitas, quæ per Montes ducunt in Italiam, Rex claudi præcepit, ne rei veritas ad Apostolicum prius veniret, quam ipse per Legatos in suum favorem ipsum Apostolicum traduceret. Deinde misit Rom. Pontifici Legatos eique mandavit Episcopos Saxoniæ sui ordinis oblitos contra se in prœlio congressos fuisse, rogavitque eos, utpote infideles, perjuros & belli civilis auctores a gradu Sacerdotali deponi, quatenus tales per quos Ecclesia pacata regeretur ipse in eorum locum subrogaret, sed fama jam ad Apostolicum præcesserat eique totam rei gestæ seriem veraciter indicaverat. Misit ergo Regi litteras, quibus eum de multis aliis criminibus arguebat, & ut captivos Episcopos Ecclesiis bonisque suis integre restitutos, concilium in eo loco, quo venire posset Apostolicus, congregaret, oravit, ubi Episcopi, vel si digni essent Episcopalem perderent dignitatem vel injuriarum quas erant passi Canonicam reciperent satisfactionem, quod si in his Rex sacris Canonibus inobediens existeret, & excommunicatos a sua societate non repelleret, se eum anathematis gladio ab unitate Ecclesiæ abscisurum. Qua legatione suscepta & venientibus suis, quos miserat Apostolico, confirmata, tristis valde fuit, quia in Apostolica dignitate malitiæ suæ, sicut sperarat, auxilium non invenit.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI. Rex Heinricus cum frequentia suæ partis Principum Natale Domini Goslariæ celebravit ac festum salutis humanæ principium Ottonis Ducis nece contaminare disposuit, quem Christus ad honorem suæ Nativitatis mirabiliter eripuit, quem Ottonem Roberto Babenbergensi Episcopo Rex servandum conmiserat, qui eum in Castello quodam, dum ipse ad curiam Regis iret, militibus suis custodiendum tradiderat. Quo Rex, nesciente Episcopo, mittens adduci eum præcepit, ita ut temporum vicibus mutatis per noctes irent & per dies noctium vice quiescerent. Cumque in media nocte a quatuor armatis inermis ipse ductus Goslariam venisset, & illi per curtem & silvam tendere cœpissent, tunc primum intellexit, quod in silva se furtim occidere jussi fuissent, rogavitque ut sibi ad Monasterium orare liceret, quibus negantibus subito unius eorum gladium apprehendit per capulum, & sic elapsus ab eis ad Episcopi Babenbergensis hospitium pervenit, & cum magno strepitu ipso excitato, quid secum ageretur, innotuit auxiliumque poposcit, quibus per oppidum divulgatis Rex eum perdere non ausus, libere per curiam quo vellet ire permisit. Ille, ut erat vir prudens, frequenter ad Consilia Regis accessit, ac in brevi promeruit, ut quicquid ad honorem Regis pertineret, ejus consilio Rex maxime disponeret; Et quia Principes illos, qui Saxonum Principes in custodia habebant, Goslariæ esse, compertum erat. Magedaburgenses quidem Vdoni Treverensi Archiepiscopo, ceteræ quoque civitates vel provinciæ singulæ pro sui Episcopi seu Primatis ereptione singulis illis supplicationum litteras transmiserunt. Hoc tempore Godefridus qui & Gozelo Dux Lotharingiæ occisus est in civitate, quæ dicitur Antverpia, per insidias Ruodberti Flandrensis Comitis. Nam cum nocte quiescentibus omnibus ad necessitatem naturæ secessisset, spiculator confodit eum per secreta natium, relictoque in vulnere ferro aufugit. Erat quidem vir magnanimus sed gibbosus, & pro parte Regis Saxonum hostis sævissimus. Mortuus est IV. Kal. Martii atque Werdunis juxta Patrem suum sepultus est, nec purgatus ultima Confessione, nec munitus sacra Communione. Huic

Huic nupserat supradicta Macthildis, filia Beatricis ex Bonifacio Marchione de Langobardia, quam postea Dux Vvelpho Ducis Bavvariæ, Welphonis filius uxorem duxit, sed neuter horum filios ex ea suscepit. Igitur cum Rex omnes in Saxonia munitiones suis præsidiis occupasset, obsides multos secum ducens & qui tributa exigerent, apud eos relinquens, in media Quadragesima a Saxonia ad alias regni partes profectus est, & his qui fortiter pro se pugnaverant, pro triumphalibus donis mortem inferre molitus est. Itaque cum tribus fortissimis armatis quandam domum desertam medio noctis intravit, & unum ex militibus Rodolfi Suevorum Ducis secreto introduxit, qui cum, visis gladiis, obstupuisset, Rex quoque multis eum promissionibus onerasset, ut Rodolfum Ducem occideret. Ille non amore promissorum sed timore præsentium gladiorum, hoc se facturum juramento confirmavit: Mane cum Dux de virtute & fide laudatus cum multa suavitate dimissus abiret, ille velociter insequitur, & lancea protensa per mediam turbam festinans alto clamore Ducem occidere minabatur; A militibus vero circumdatus & causam interrogatus, quod in nocte gestum erat, exposuit & projectis armis ipsi Duci, quod eum occidere coactus jurasset, aperuit. Alio tempore cum idem Dux Reginam manu sua a Monasterio duceret, Rex sagittario cuidam præcepit, ut eum juxta Reginam transfigeret, sed ab ipso sagittario Dux præmonitus, inventa quacunque occasione, festinus a Regina recessit. Tertia vice, cum causæ quædam coram Rege agerentur & Dux cum paucis suorum interesset, nunciatum est ei, quod duo Regis famuli cum nudis gladiis januam obsiderent, qui eum egredientem perfoderent, qui occulte suos cum gladiis adesse & aliquos cubiculum intrare, ceteros jussit pro foribus stare, & accedens ad januam; tales, inquit, janitores hic nollem vidisse, nec deinceps volo videre; abiitque cum magno furore dicens, quod & implevit, nunquam se amplius ad Regis curiam venturum. Simili dolo Bertoldum Ducem de Zaringe perdere voluit, quia hi ejus malitiæ magis videbantur obsistere. Fertur etiam, dum ipse quadam die cum suis moraretur in cubiculo, & Episcopi ceterique Primates excubarent in vestibulo, consciis suis & fautoribus dixisse. Isti sunt, qui Regni mei divitias habent, & me meosque omnes in paupertate reliquerunt, si viri estis & divitias habere cupitis, hos inermes invadite, & omnia, quæ illi possident, accipite. Habebat autem semper in cubiculo multas secures lato ferro splendentes, quibus nec clipeus, nec galea possent obsistere, quod nisi Anno Coloniensis Archiepiscopus ab uno consciorum fuisset submonitus, nefarium scelus ea die fuisset admissum. Rex Pascha Trajecti celebravit, ubi Ducatum Lotharingiæ filio suo Conrado, Marcam vero, quæ Antverpa dicitur, Godefrido consobrino prædicti Gocelonis seu Godefridi Ducis inpigro ad rem militarem adolescenti tradidit, qui etiam postea Lotharingiæ Ducatum obtinuit. Iste est Godefridus qui post annos ferme XX. cunctis, quæ possederat, in precia redactis cum armata manu Jerosolymam profectus eam expugnavit, ipseque in ea regnavit. Pater ejus fuit Comes Eustachius, mater vero Ida soror prædicti Gocelonis Ducis: Fratres ejus erant Balduinus, qui ei in regno Hierosolimitano successit, & Eustachius Comes de Bar. Concilium habitum est apud Wormaciam præsente Rege Heinrico, qui Heinricus correptiones Domini Apostolici dedignatus, cum suis deceptoribus singulis vel binis consilium iniit, qualiter vicem redderet contumeliæ, quod eum Romanus Pontifex minatus sit excommunicandum, cum id priscis temporibus foret inauditum. Vnde factum est ut Wormaciæ Concilio Episcoporum habito omnes pene Teutonici Regni præter paucos de Saxonia Pontifices Papam Hildebrandum Gregorium abdicarent, mittentes Epistolam ad illum post multas culpationes in illum conjectas ita conclusam: Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis initiatus & Eccl. Dei tam gravi tempestate per abusionem tuarum novitatum periclitatur & vitam, conversationemque tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam quam tibi nullam promisimus, nec de cetero ullam servaturos, renuntiamus, & quia nemo nostrum, ut tu publice declamasti, tibi hactenus fuit Episcopus, tu quoque nulli nostrum eris Apostolicus. Rex vero ne ullus eorum posset id postmodum negare, fecit unumquemque eorum propria manu nomine suo prænotato, cartis singulis inscribere abdicationem in Hildebrandum hoc modo: Ego N. Civitatis N. Episcopus, Hildebrando subjectionem & obedientiam ex hac hora & deinceps interdico, & eum Apostolicum nec habebo nec vocabo. Sciendum vero quod pauci Episcoporum hæc fecerunt ex animo, qui & ipsi auctores fuere consilio, plures vero mortis timore tunc subscripserunt. Sed cum primum data est opportunitas, Apostolico supplices Confessionis litteras direxerunt, reos se profitentes, sed excusationem necessitatis obtendentes. Deinde Rex per totam Italiam misit epistolas donis & promissis in suum favorem illius terræ Episcopos inclinans in tantum, ut quem Teutonici solummodo scripto, illi abdicarent etiam juramento. Romanos etiam plurimos pecunia corrumpens, ut Hildebrandum abjicerent per litteras oravit; Apostolico etiam, ut Sedem Apostolicam nomenque relinqueret, plenas contumeliis litteras misit, quarum omnium exemplar hoc est: Heinricus Dei gratia Rex, universo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Clero & populo gratiam, salutem, & omne bonum; Hæc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti & absenti servatur, nec diuturna ejus cui debetur absentia, nec longi temporis tædio immutatur, quam talem vos nobis servare scimus & gratias agimus, & ut eadem perseveret petimus, videlicet, ut sicut facitis amicis nostris amici, inimicis inimici jugiter existatis. Inter quos scilicet Hildebrandum Monachum notantes vos in ejus inimicitiam excitamus, quia hunc Ecclesiæ

ſiæ invaſorem & oppreſſorem & Romanæ Reipublicæ vel regni noſtri inſidiatorem deprehendimus, ut in ſubſequenti Epiſtola ſibi a nobis directa pernoſcere in promptu eſt: Heinricus DEI gratia Rex Hildebrando. Cum hactenus ex te ea quæ Patris ſunt expectarem, tibique in omnibus magna fidelium noſtrorum indignatione obedirem, percepi, a te viciſſitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique noſtri pernitioſiſſimus eſſet hoſtis. Nam cum in primis omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa ſede debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes, longius inde progrediens, regnum Italiæ peſſimis artibus alienare tentaſti. Nec hoc contentus in reverentiſſimos Epiſcopos, qui nobis velut dulciſſima membra uniti ſunt, manum mittere non timuiſti, eosque ſuperbiſſimis injuriis acerbiſſimisque contumeliis contra divina & humana jura, ut ipſi ajunt, exacerbaſti, quæ omnia cum ego quadam patientia diſſimularem, tu hoc non patientiam ſed ignaviam exiſtimans, in ipſum caput auſus es inſurgere, mandans, quæ noſti, ſcilicet, ut tuis verbis utar, quod aut tu morereris aut mihi animam regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam, ego non verbis, ſed re confutandam dijudicans generalem Conventum omnium regni Primatum ipſis ſupplicantibus habui, ubi, cum ea quæ hactenus metu & reverentia tacebantur, in medium deducta fuiſſent, veris aſſertionibus illorum quas ex ipſorum literis audies, palam factum eſt, te nullatenus in Apoſtolica ſede poſſe perſiſtere; quorum ſententia quia juſta & probabilis coram DEO hominibusque videbatur, ego quoque aſſentiens omne tibi Papatus jus, quod habere viſus es, abrenuntio, atque ut a ſede urbis, cujus mihi Patriciatus DEO tribuente & jurato Romanorum aſſenſu debetur, ut deſcendas, edico. Hæc ſeries Epiſtolæ noſtræ ad Hildebrandum Monachum, quam idcirco & vobis ſcripſimus, ut & vobis noſtra voluntas & nobis, immo DEO & nobis veſtra ſatisfaciat caritas. Exſurgite igitur in eum, fideliſſimi, & ſit primus in fide, primus in ejus damnatione. Non autem, ut ſanguinem ejus fundatis, dicimus; quippe, cum major ſit ei poſt depoſitionem pœna vita quam mors, ſed ut eum, ſi nolit deſcendere, cogatis, & alium communi omnium Epiſcoporum & veſtro conſilio a nobis electum in Apoſtolicam ſedem recipiatis, qui quod iſte in Eccleſia vulneravit, curare & velit & poſſit. Heinricus non uſurpative, ſed pia DEI ordinatione Rex Hildebrando, jam non Apoſtolico, ſed falſo Monacho. Hanc talem pro confeſſione tua ſalutationem promeruiſti, qui nullum in Eccleſia ordinem præteriſti, quem confuſionis non honoris, maledictionis non benedictionis participem non feceris. Ut enim de multis pauca & egregia loquamur Rectores Sanctæ Eccleſiæ videlicet Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbiteros non modo tangere ſicut Chriſtos Domini non timuiſti, quin ſicut ſervos neſcientes quid faciat Domnus eorum ſub pedibus tuis calcaſti, in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparaſti, quos omnes nil ſcire, te autem omnia noſſe judicaſti; qua utique ſententia non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem uti ſtuduiſti, ut jure hoc B. Gregorium, cujus nomen tibi vindicaſti, de te prophetaſſe credimus ſic dicentem: Ex affluentia ſubjectiorum plerumque animus prælati extollitur & æſtimat ſe plus omnibus noſſe, cum ſe videt plus omnibus poſſe. Et nos quidem hæc omnia ſuſtinuimus, dum Apoſtolicæ ſedis honorem ſervare ſtuderemus, ſed tu humilitatem noſtram timorem fore intellexiſti, ideoque & in ipſam regiam poteſtatem nobis a DEO conceſſam exſurgere non timuiſti, quam te nobis auferre auſus es minari, quaſi nos a te regnum acceperimus, quaſi in tua & non in DEI manu ſit regnum vel Imperium, qui Dominus noſter Jeſus nos ad regnum, te autem non vocavit ad Sacerdotium. Tu enim his gradibus aſcendiſti, ſcilicet aſtucia, quod monachica profeſſio abominatur, pecuniam pecunia, favorem favore, ferrum ferro, ſedem pacis adiſti, & de ſede pacis pacem turbaſti, dum ſubditos in Prælatos armaſti, dum Epiſcopos noſtros a DEO vocatos tu non vocatus ſpernendos docuiſti, dum laicis miniſterium eorum ſuper Sacerdotes uſurpaſti, ut ipſi deponant vel contemnant, quos ipſi a manu DEI per impoſitionem manuum Epiſcopalium docendi acceperant. Me quoque, qui licet indignus inter Chriſtos ad Regnum ſum unctus, tetigiſti, quem Sanctorum Patrum traditio ſoli DEO judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi a fide, quod abſit, exorbitaverim, deponendum aſſeruit, cum etiam Julianum apoſtatam prudentia Sanctorum Epiſcoporum non ſibi ſed ſoli DEO judicandum deponendumque conmiſerit. Ipſe quoque verus Papa B. Petrus clamat: DEum timete, Regem honorificate. Tu autem quia DEum non times me conſtitutum ejus inhonoras. Unde Beatus Paulus ubi Angelo de Cœlo, ſi alia prædicaverit, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Tu ergo hoc anathemate & omnium Epiſcoporum noſtrorum judicio & noſtro damnatus deſcende, vindicatam ſedem Apoſtolicam relinque; alius in ſedem Beati Petri aſcendat, qui nulla violentiam Religione palliet, ſed Beati Petri ſanam doctrinam doceat. Ego Heinricus DEI gratia cum omnibus Epiſcopis noſtris tibi dicimus; deſcende, deſcende. Quæ litteræ cum Domno Papæ in Baſilica Lateranenſi ſanctæ Synodo Præſidenti fuiſſent allatæ, & coram Synodo palam recitatæ, tanta fit in Eccleſia conmotio, ut legatus, niſi inter Apoſtolici pedes defenſionem inveniſſet, membratim laniatus interiſſet. Sequenti die Domnus Papa coram Synodo declaravit, qua manſuetudine Regem de magnis criminibus corripuiſſet, utque Epiſcopos a captivitate liberaret quanta ſuavitate rogaſſet, & juſſiſſet, quantamque ſuperbiæ amaritudinem recepiſſet. Deinde cunctis acclamantibus ne talis contumelia remaneret inulta, omnium conſilio & conſenſu Heinricum Sinodali judicio damnavit, Regisque nomine & honore privavit, atque anathe-

anathematis gladio percussit. Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi & usque ad hanc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt & odiunt. Tu mihi testis es & Domina mea mater Domini & Beatus Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quod tua Sancta Romana Ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, & ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potius volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi, pro ingenio sæculari arripere, & in DEO ex tua gratia non ex meis operibus credo, quod placuit tibi & placet, ut populus Christianus specialiter tibi commissus mihi obediat specialiter pro vice tua mihi conmissa; & mihi gratia tua est potestas a Deo data ligandi & solvendi in cœlo & in terra. Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesiæ tuæ honore & defensione ex parte omnipotentis DEI Patris & Filii & Spiritus Sancti per tuam potestatem & auctoritatem Heinrico Regi filio Heinrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecerunt vel facient, absolvo; & ut nullus ei, sicut Regi, serviat, interdico. Dignum est enim, ut qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat, quem videtur habere, & quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad DEum rediit, quem dimisit, participando excommunicatis & multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro salute sua sibi misi, te teste spernendo seque ab Ecclesia tua tentans eam scindere separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, & sic eum ex fiducia tua alligo, ut sciant gentes & comprobent, quia tu es Petrus & super hanc Petram filius DEI vivi ædificavit Ecclesiam suam & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam. Non multo post Domnus Apostolicus ad Teutonicas partes misit Epistolam, cujus exemplar, hoc est: Gregorius Episcopus servus servorum DEI Omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus, ceterisque fidelibus in Regno Teutonico Christianam fidem defendentibus salutem & Apostolicam Benedictionem. Audivimus quosdam inter vos de excommunicatione, quam in Regem fecimus, dubitare ac quærere, utrum juste excommunicatus sit, & si nostra sententia ex auctoritate Legalis censuræ ea qua debuit deliberatione progressa est. Quapropter, qualiter ad excommunicandum illum adducti sumus, prout verius potuimus, teste conscientia nostra oculis & intellectibus omnium patefacere curavimus, non tam ut singulas causas, quæ heu nimium notæ sunt quasi nostro clamore in publicum projiciamus, quam ut eorum opinioni satisfaciamus, qui putant, nos spiritualem gladium temere & magis motu animi nostri quam divino metu & omni humilitate plenam, in qua omnipotenti DEO & Beato Petro ac nobis valde culpabilem se videns etiam preces obtulit, ut quod ex sua culpa in Ecclesiasticis causis contra Canonicam & decreta SS. Patrum factum esset, nostra Apostolica providentia & auctoritate corrigere studeremus, atque in ea suam nobis per omnia obedientiam, consensum, & fidele promisit adjutorium; hoc etiam postea a confratribus nostris & Legatis Humberto Prænestino & Geraldo Ostiensi Episcopis, quos ad illum misimus, ad pœnitentiam susceptus, in illorum manus per sacratas stolas, quas in collo tenebant, repromittendo confirmavit. Deinde post aliquod conmisso cum Saxonibus prælio pro victoria, quam adeptus est, tales DEO grates & victimas obtulit, ut vota, quæ de emendatione sua fecerat, continuo frangeret, & nihil eorum, quæ promiserat, attendens, excommunicatos in suam familiaritatem & conmunionem reciperet & Ecclesias in eam, quam consueverat, confusionem traheret; qua de re gravi dolore percussi, quamvis post contempta cœlestis Regis beneficia, pene omnis spes correctionis ejus nobis ablata sit, adhuc tamen animum ejus tentandum fore decrevimus, magis cupientes eum Apostolicam mansuetudinem audire, quam experiri severitatem. Itaque misimus ei epistolas commonitorias, ut meminerit quid & cui promiserit, ne credat se posse fallere DEum, cujus quanto prolixior est patientia, tanto severior est, cum judicare cœperit, ira; neu inhonoret DEum honorantem se, neu potentiam suam ad DEI contemptum & Apostolicam tentet extendere contumeliam, sciens quod superbis DEus resistit, humilibus autem dat gratiam. Præterea misimus ad eum tres viros religiosos, suos utique fideles, per quos eum secreto monuimus, ut pœnitentiam ageret de sceleribus suis, quæ quidem dictu horrenda sunt, pluribus autem nota & in multis partibus divulgata, propter quæ eum non solum excommunicari usque ad condignam satisfactionem, sed ab omni honore regni absque spe recuperationis destitui, divinarum & humanarum legum testatur auctoritas; postremo nisi excommunicatos a sua participatione divideret, nos nil aliud de eo judicare posse, nisi ut separatus ab Ecclesia in excommunicatorum consortio foret, cum quibus ipse potius quam cum Christo partem elegit habere. Sane si nostra monita suscipere & vitam suam corrigere vellet, DEum testem invocavimus & invocamus, quantum nos de ejus salute & honore gauderemus & cum quanta lætitia eum in gremium sanctæ Ecclesiæ amplecteremur, utpote eum, qui princeps populi constitutus & amplissimi regni gubernacula tenens Catholicæ pacis & justitiæ defensor esse deberet. Verum quanti ipse aut scripta aut per Legatos missa verba nostra fecerit, ejus facta declarant, qui indigne ferens se a quoquam reprehendi aut corripi, non solum a perpetratis ad emendationem revocari non potuit, sed ampliori conscientiæ suæ furore arreptus non prius cessavit, donec Episcopos pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit circa fidem Christi, naufragare fecit, dum eos debitam Beato Petro & Apostolicæ sedi obedienti-

entiam & honorem a Domino nostro JEſu Chriſto conceſſum abnegare ſubegit. Cum igitur iniquitatem ejus ad ſummum prodiſſe vidimus, pro his cauſis, videlicet primum, quod ab eorum communione, qui pro ſacrilegio & reatu Simoniacæ hæreſis excommunicati ſunt, abſtinere noluit, deinde quod pro criminoſis actibus vitæ ſuæ pœnitentiam non dico ſuſcipere, ſed nec promittere quidem voluit, mentita ea fide quam in manus Legatorum noſtrorum promiſerat, nec non quod corpus Chriſti id eſt unitatem Sanctæ Eccleſiæ ſcindere non expavit; pro his inquam culpis Sinodali judicio eum excommunicavimus, ut quem mites non potuimus, vel ſeveri ad viam ſalutis Deo adjuvante revocare valeamus; aut ſi, quod abſit, nec diſtrictionis cenſuram pertimuerit, noſtra ſaltem anima negligentiæ aut timoris diſcrimini non ſuccumbat. Siquis igitur hanc ſententiam injuſte vel irrationaliter prolatam eſſe putaverit, ſi talis eſt, ut ſacris regulis intelligentiæ ſenſum præbere non velit, nobiſcum inde agat, & non quid nos, ſed quid divina auctoritas doceat, quid diſcernat, quid conſona SS. Patrum vox judicet, patienter audiens, adquieſcat; Noſtri non æſtimamus, quemquam fidelium, qui Eccleſiaſtica ſtatuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc, etſi publice affirmare non audeat, vel in corde ſuo recte factum eſſe perhibeat, quamquam, &, ſi nos, quod Deus avertat, non ſatis gravi de cauſa, aut minus ordinate eum hujusmodi vinculo ligaverimus, ſicut SS. Patres aſſerunt, non idcirco ſpernenda eſſet ſententia, ſed abſolutio cum omni humilitate quærenda. Vos autem, dilectiſſimi, qui juſtitiam Dei non pro regia indignatione, non pro aliquo periculo deſerere voluiſtis, fatuitatem eorum, qui de execratione & mendacio in conſummatione parvi pendentes, viriliter ſtate & confortamini in Domino, ſcientes, quod illius partem defenditis, qui inſuperabilis Rex ac ſemper Magnificus triumphator, judicaturus eſt vivos & mortuos, reddens unicuique ſecundum opus ſuum; de cujus multimoda retributione & vos certi eſſe poteritis, ſi usque in finem fideles & inconcuſſi in ejus veritate perſtiteritis: propter quod & nos inceſſanter pro vobis rogamus Deum, ut det vobis virtutem corroborari per Spiritum Sanctum in nomine ejus, & convertat cor Regis ad pœnitentiam, ut & ipſe aliquando agnoſcat, nos & vos multo verius amare eum, quam qui nunc ſuis iniquitatibus obſequuntur & favent; qui ſi Deo inſpirante voluerit reſipiſcere, quicquid contra nos moliatur, ſemper tamen nos ad recipiendum cum in S. Communionem, prout veſtra caritas nobis conſuluerit, paratos inveniret. Scripſit idem B. Papa de ipſo negotio Epiſtolam valde inutilem, ubi inter cetera dicit: Si Beatus Gregorius Doctor utique mitiſſimus, Reges qui ſtatuta ſua ſuper unum Xenodochium violarent, non modo deponi, ſed & excommunicari atque in æterno examine damnari decrevit; quis non Heinricum non ſolum Apoſtolicorum judiciorum contemtorem, verum & ipſius matris Eccleſiæ, quantum in ipſo eſt, conculcatorem, totiusque regni, quantum in ipſo eſt, & Eccleſiarum improbiſſimum prædonem & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe & excommunicaſſe reprehendat, niſi forte ſimilis ejus. Et poſt aliqua: quis neſciat Reges & Duces ab his habuiſſe principium, qui Deum ignorantes ſuperbia, rapinis, perfidia, homicidiis, poſtremo univerſis pene ſceleribus, mundi principe diabolo agitante, ſuper pares dominari cæca cupiditate & intolerabili præſumtione affectaverunt, qui videlicet, dum Sacerdotes Domini ad veſtigia ſua inclinare contendunt, cui rectius comparantur, quam qui eſt caput ſuper omnes filios ſuperbiæ, qui ipſum ſummum Pontificem ſacerdotum caput tentans, & omnia illi mundi regna promittens ait: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me. Et aliquantis interpoſitis: nec valde ſane mirandum eſt, quod mali Pontifices iniquo Regi, quem adeptis male per eum honoribus, diligenter metuunt, conſentiunt, qui Simoniace quoslibet ordinando Deum pro vili etiam pretio vendunt. Contra quos profecto non tam diſſerendo quam pro eis eſt lacrimoſis planctibus gemendum, ut Omnipotens Deus illos a laqueis Satanæ, quibus captivi tenentur, eripiat, & tandem vel poſt pericula ad agnitionem veritatis perducat; ſed quia noſtri officii eſt, unicuique ſecundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem diſtribuere, Imperatoribus & Regibus ceteriſque principibus, ut elationes maris & ſuperbiæ fluctus comprimere valeant, arma humilitatis curamus providere. Et poſt pauca: quapropter quos Sancta Eccleſia ſua ſponte ad regimen vel ad Imperium deliberato conſilio, advocat, non pro tranſitoria gloria, ſed pro multorum ſalute humiliter obediant & ſemper caveant, quod B. Gregorius in libro Paſtorali teſtatur; Apoſtata Angelo ſimilis efficitur dum homo hominibus eſſe ſimilis dedignatur. Et paucis interpoſitis: Honorem Dei ſemper ſuo præponant, juſtitiam unicuique ſuum jus ſervando amplectantur atque cuſtodiant, non eant in conſilio impiorum, ſed religioſis ſemper adquieſcendo corde adhæreant, Sanctam Eccleſiam non quærant ſicut ancillam ſibi ſubicere, ſed permaxime oculos illius, videlicet Domini Sacerdotes, Magiſtros & Patres recognoſcendo, decenter ſtudeant honorare, non carnali amore, vel electi ſtudeant filium ſuum gregi, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, proponere, ſi meliorem illo & utiliorem poſſunt invenire, non plus Deo diligendo filium, maximum Sanctæ Eccleſiæ inferant detrimentum. Patenter enim, Deum & proximum, ſicut Chriſtianum oportet, non amare convincitur, qui tantæ utilitati tamque neceſſariæ Sanctæ Matris Eccleſiæ, prout melius poteſt, negligit providere. Et in fine Epiſtolæ: Admonemus vos fratres & coëpiſcopos noſtros ne faciem principum trepidantes veritatem eis dicere timeatis, juxta illud Gregorii: Cum in terra hominem contra quilibet * pavet, ejusdem veritatis iram cælitus ſuſtinet.

Legatus itaque Regis reverſus, cum Regi qui tunc

tunc erat Trajecti, quod erat excommunicatus, indicaret, Willehelmi ipsius urbis Episcopi consilio Rex excommunicationem illam vilipendit. Episcopus quoque idem timens, ne si populus hæc audisset, a Rege discederet, inter Missas sermonem faciens ad populum, derisorie quod Rex esset excommunicatus indicavit, sed excommunicationem hanc nil valere, quibus poterat verbis, utpote facundus homo confirmavit. Mox in ipso loco, in quo Romano Pontifici derogabat, mala valetudine corripitur, qua ingravescente, dum esset cum eo quidam homo Regis, cumque rogaret, ut secum suo mandato remitteret ad Regem; Hoc, inquit, ei mitto mandatum, quod ipse & ego & omnes iniquitati ejus faventes damnati sumus in perpetuum: Cumque a Clericis suis, ne talia loqueretur, esset admonitus: quid aliud, inquit, loquar, nisi quod visibiliter intueor: Ecce enim dæmones lectum meum circumstant, qui me cum expiravero, rapiant. Rogo ergo vos & omnes fideles, ne, cum obiero, fatigemini pro faciendo supplicationes. In hac desperatione defunctus ille sapiens & per omnia vir honestus, si non esset avaritiæ veneno infectus, nullis Orationibus Deo reconciliatus diu jacebat insepultus, donec Romæ quæsito Consilio, ne populus fœtore corrumperetur, Apostolici jussu sine commendationibus sepelitur. Non longe autem post mortem suam Abbati Cluniacensi apparuit, priusquam eum obisse cognovisset; non sum, inquit, vivus, sed mortuus & in inferno sepultus. Igitur comperta Legatione Papæ & excommunicatione seu depositione Regis, qui Saxonum principes captivos habebat, eos in patriam gratis, Heinrico nesciente, dimiserunt. Quo tempore Bucco sive Burcardus Halberstadensis Episcopus a miseranda damnatione Dei est gratia mirabiliter liberatus. Dum enim Heinricus esset juxta Danubium, habens secum Salomonem sororis suæ maritum ab Vngriæ regno similiter expulsum, quia temporibus illis vigebat depositio Regnum, genero suo redituro in patriam, in cujus extremitate paucas urbes vix retinebat, Episcopum commisit, & ne in Teutonicis finibus amplius videretur oravit; quod & ille promisit. Quod cum Episcopus præsensisset, amicos, quos ibi paucos habebat, paucis, ut tempus monebat, allocutus rogavit pro Dei nomine, ut de sua cogitarent ereptione. Tunc Odelricus quidam dixit ei, stare quamdam domum desertam non longe a littore, monuitque eum, ut hanc tentaret arte qualibet intrare. Episcopus ergo cum uno tantum Capellano navi impositus jubetur præcedere donec Heinricus cum socero pransus sequeretur, qui cor ad Deum cum devotione levans, ubi præmonstratam vidit domum, rogavit nautas, in litus se exponere ob exequenda debita naturæ: qui nil suspicantes cum Capellano eum exire permiserunt, qui longe remotus a littore clamantibus illis, ne longius abiret, appropinquat Domui, Deumque invocans leniter pulsavit: At Odelricus paratis equis & sociis die quiescens & nocte festinans, Dei misericordia comitante, Halberstad eum perduxit; Vbi cum inæstimabili gratulatione populi est susceptus, ut etiam, qui prius eum odio habuerant, in occursum ejus læti gaudentesque concurrerent. Principes ergo Saxoniæ ab exiliis diversis pene omnes reversi ora suorum aperuerunt in laudem Dei. Invenerunt totam pene gentem congregatam, exigi tributa, jam libertatis retinendæ spe deposita, quæ juberetur, facturam. Herimannus autem magni Ducis patruus & Theodericus de Catelenburh, hi namque prius aliquanto ceteris venerunt, obstupefactis omnibus: Nolite, inquiunt, optimi Saxones, nolite servitutis jugum recipere; nolite hæreditatem vestram tributariam facere; nolite de misericordia Dei desperare. Ecce nos, qui vestri causa nos in captivitatem dedimus, Dei clementia illo, qui nos tenebat, invito, redimus, pro vobis & vestris pugnaturi, quandiu vivimus: Retinete ergo manus a tributis, retinete possessiones vestras liberas, sicut liberas eas a vestris parentibus accepistis. Vos autem fautores iniquitatis, qui miseræ plebis oppressione gratiam Tyranni quæsistis, ex hac hora vel nobiscum fideliter & jurati manete, vel sicut hostes infidi & perjuri a patria vestra numquam amplius reversuri discedite. Talibus verbis & hostes confusi a ferocitate quiescunt, & cives confortati in unanimitatem facile coalescunt. Coadunati denique præsidia Heinrici ab omnibus Castellis ejiciunt & his, quorum erant, libera restituunt; possessiones alias quas Tyrannus injuste ereptas aliis donaverat, ad justos possessores redire faciunt. Post hæc diem & locum determinant, ubi ad defensionem Patriæ Concordiam renovaturi conveniant, & in quibus infidelitatis suspicio remaneret, aut a finibus suis exire aut secum fideliter convenire compellerent. His auditis, Heinricus Mogontiam turbatus venit & cum residuis captivis de pretio Redemptionis suæ agere cœpit. Interea orta seditione inter Mogontinos & Babenbergenses milites, civitas a Babenbergensibus incenditur, ita ut tota vel maxima pars ejus arsura videretur, ad quam restinguendam dum Heinricus ipse & omnis populus festinaret, captivi sine custode relicti, inventa navi Rhenum transierunt & die noctuque festinantes in patriam venerunt. Inter quos erat Gertrudis, mulier nobilissima, Magni Ducis Noverca, quam Lodowig ante biennium captam ad extorquendam pecuniam Heinrico adduxerat. Heinricus videns suæ voluntati cunctas res adversari, volebat Legatos ad Saxoniam mittere, qui dicerent, se penitus injustitiam cum viciis omnibus quo ad posset velle abjicere, se eis in omnibus pariturum dedere; sed qui hanc legationem portaret nullum ex suis poterat invenire. Nam nullus dubitabat, quin siquis Saxonibus valde exasperatis hoc nuntium falsitatis afferret, pro falsis promissis pœnas veraciter daret. Remanserant autem apud eum Werinherus Magedaburgensis Archiepiscopus & ejus nominis Mersburgensis Episcopus, qui cum possent, invito Rege, ut alii redire, noluerant, quia in illo

impio DEum, a quo est omnis potestas, offendere timebant. Hos ergo Legatos ad Saxoniam misit, sed de reditu nihil eis dixit. Illi vero Saxonibus tota voluntate, quod erant jussi suadebant; sed Saxones cognitis tot ejus mendaciis & hæc promissa falsa esse non ambigebant, cum vero vellent ambo Episcopi eorum responsa reportare, jussi sunt unum e duobus eligere aut nunc cum eis stare, aut ad eos ultra non redire, Principes ergo Saxonum simul adunati juramentis & obsidibus invicem datis in unum se confirmant, & ut ad invicem firmissime cohærerent Regem cui subjaceant omnes eligere deliberant, sed cum audissent quod Suevos tam crudeliter antiquum fœdus infregisse pœnituit, ad eos Legatos de renovando fœdere mittere complacuit, ut in unum convenientes & invicem sibi donantes contra communem hostem uno de se Rege facto concorditer starent, Apostolico etiam literas miserunt orantes, ut vel per se vel per Legatum Genti pene perditæ consolator adesset, sed & aliæ regni partes a bellorum confusione liberæ non erant: Nam hi qui Heinrico in abdicatione summi Pontificis assensum dare noluerant, quique summo Pontifici ne ei ut Regi post depositionem servirent interdicenti obedierant, graves ab illo persecutiones perferebant. Mense igitur Septembri mediante, Colloquium maximum apud Oppenheim factum est, ubi Regni Principes pene omnes præsidentibus Patriarcha cum Episcopo Pataviensi Romani Pontificis Legato, subjectioni Heinrici renuntiabant, eo quod a duobus Apostolicis vocatus, ad satisfactionem non venisset, & excommunicationis ac depositionis sententiam, ipse tamen inauditus & absens, in Romana Sinodo a Papa Gregorio accepisset. Erat ibi Suevorum magna multitudo, qui cum ceteris omnibus Saxonicum exercitum dum veniret, expectabant, quibus propinquantibus Patriarcha ceterique Primates, quia de recenti prælio utrorumque gladii adhuc cruore madebant, quamvis per legationes mutuas invicem sibi donassent, tamen ne, quod facile est, armatis seditio a vilibus personis exorta, factum fœdus fœde corrumperet, obviam Saxonibus ibant, & amicitiam, quam renovaverant absentes, nunc præsentes firmare monebant. Hinc ergo Dux Otto Ducatu Bawariæ injuste privatus, illinc Welpho eodem honore non juste sublimatus, hac conditione sibi invicem pacis osculum dederunt, ut Electo, propter quod utrinque convenerant, novo Rege, quicumque eorum honorem jure obtineret, alter ei non invidens cederet. Similiter pacis oscula dederunt ordinis secundi sive tertii partis utriusque milites, quicquid invicem læserant non sine multo fletu invicem sibi donantes. Tunc facti ex hostibus amici fideles, castra tam vicina posuerunt, ut vicissim populus uterque sermones alterius non difficile posset audire. Cumque cœpissent de Rege constituendo sermones conferre; Saxones ex Suevis, Suevi ex Saxonibus unumquemlibet volebant eligere. Heinricum interim in altera Rheni ripa tenebat civitas Moguntia, omni spe regni retinendi deposita. Misit tamen Nuntios, qui tentarent eos ad misericordiam flectere, ut ejus jam satis correpti correctionem dignarentur accipere; quam illi legationem accipere dedignati sunt, ubi prius per Apostolici Legatum ab anathematis vinculo solveretur. Postremo Heinrici pœnitentis humilitatem ea conditione accipere promiserunt, si omnia implere vellet, quæ ei facienda proponerent: quod cum ille spopondisset, hoc primo proposuerunt, ut Episcopum Wormatiensem qui jam diu fuerat expulsus, potentem faceret urbis suæ, deinde ut mox litteras scribi faceret, in quibus se fateretur injuste Saxones afflixisse; quas ab illis perspectas imagine sua ipsis præsentibus signari faceret & signatas per Italiam & Teutonicam terram mittendas ipsorum nuntiis daret; Ipseque Romam veniens per dignam satisfactionem anathematis vinculo careret. Igitur Episcopus statim cum magno honore Wormatiam deducitur; litteræ quoque eo quo dictum est modo bulla Regis signatæ mittuntur. Ipseque Heinricus tota se festinatione parabat, ut per summi Pontificis indulgentiam ligamen anathematis exueret. Tunc Primates, qui convenerant, singuli sacramento firmaverunt, ut nisi Heinricus quartus Heinrici Imperatoris filius in Februarii mensis initio a Banno per Apostolicum solutus fuisset, numquam amplius ullo ingenio Rex eorum nec appellaretur, nec esset. Quod sacramentum primus fecit Patriarcha, & in litteras redactum apud se reposuit. Idem fecit Pataviensis Episcopus Romanæ sedis Legatus, & post hos, omnes qui aderant Episcopi, Duces, Comites ceterique majores & minores. Sed Episcopi plus aliis in hoc egerunt, quia juramentum etiam in litteris servaverunt. Tunc misso Legato rogaverunt Apostolicum, in principio Februarii Augustam venire, ut causa diligenter examinata coram omnibus, aut Heinricum absolveret aut eo arctius ligato alium sibi cum ipsius consensu eligerent, qui regnare sciret. His omnibus ibi peractis, exercitus uterque, Saxonum scilicet & Suevorum, cum multa caritate dividitur & uterque tripudians & DEO laudes cantans, ad sua revertitur. Verum prædictus Patriarcha, qui horum maximus auctor extitit, postmodum Heinrico sociatus retrogradus efficitur. Post modicum temporis repentina morte præventus, quia communicabat excommunicatis inconmunicatus & inconfessus huic vitæ subtractus est cum quinquaginta sociis; ut quos habebat in iniquitate participes, haberet in retributione consortes. Quid hunc solum memorem miserabiliter obisse, cum manifestum omnes Heinrici familiares æque miseras mortes incurrisse & eos miseriores, qui erant illi fideliores, quia fides illa vera erat perfidia. Ex his erant Willehelmus Trajectensis Episcopus & Dux Lothariorum Gozelo vel Godefridus, de quibus jam dictum est, & Udo Treverensis & Eppo Cicensis Episcopi, ut postmodum dicetur. Burchardus Misnensis Præfectus, dum in quadam urbe,

cui

cui præerat, ab Urbanis invaditur, equo cui insidebat, frustra calcaribus vulnerato fugere molitur, quia equus sæpe de velocitate laudatus, modo cum maxime cursu opus erat, Stationarius effectus est. Mortuus est ergo cum magno animæ suæ periculo, quia sæpe assensum præbuit periculoso sævissimi Regis consilio. Godobaldus, dum equo suo noviter ferrato, pedem posteriorem levaret, ut, an apte repositum esset, perspiceret, ab ipso pede in frontem percutitur, & sic ab hac vita abstrahitur. Liuppoldus frater Bertoldi, Regis Consiliarii, qui & ipse ejus Consiliarius erat, dum quadam die juxta Regem equitans cum eo sermones conferret, accipiter, quem sinistra portabat, volitare cœpit quasi capturam peteret. Ille vero post avem se parumper inclinans, ab equo gravis cecidit, & ensem, quo accinctus erat, vagina elapsum capulo terræ defixo in pectore medio recepit, & qui sæpe pravi consilii consors vel auctor fuit sine consilio perpetuæ salutis ab hac vita recessit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXVII. Hyems magna & nivosa ac nimis prolixa fuit; A VI. Kal. Decembris omnia flumina glacie constricta sunt usque XIIII. Kal. Aprilis. Gregorius Papa cum versus Augustam, ut erat rogatus, tenderet, ut ingrediente Februario cœtui Primatuum, ut placuerat, adesset, & hi sedi Apostolicæ obediebant, Principes ad hunc venerabiliter excipiendum festinarent, nuntiatum est ei, Heinricum cum magno exercitu Italiam intrasse; &, si ipse Alpes, ut volebat, transcendisset, alium Papam pro illo constituere velle. Itaque misso Principibus obviam celeriter Legato ipse tristis & multa timens revertitur, ut Italiam a gladio & igne tueatur. Heinricus autem per Italiam vagans loco, sed magis animo, quid ageret, nesciebat. Nam nisi supplex Apostolicum adiret ac per eum a banno solveretur, regnum se non recepturum sciebat; si autem eum adiret, ne pro magnitudine criminum regnum sibi auferret aut inobedienti vincula potestatis Apostolicæ duplicaret, timebat. Tamen illam partem, in qua aliquid spei esse putabat, elegit & invento Papa in oppido Canusii per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu, discalceatus & in lana, qua indutus, perstitit, & asserens se plus amare regnum cœleste quam terrenum, non prius eum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quam omnium, qui aderant, precibus & lacrymis intercedentibus, a Domno Apostolico, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesiæ receptus est, acceptis ab eo correctionis in futurum vitæ suæ securitatibus multis. Eratque inter ceteras conditionis species præscriptum, ut Regalem ornatum non nisi permittente Apostolico sibi reponeret; secundo, ut eos, qui erant excommunicati, convivio vel colloquio vitaret; Tertio, ut quocunque tempore Domno Apostolico placeret, de omnibus, quæ sibi objicerentur, criminibus satisfaceret; quarto, ut ammodo nullum, qui ad limina Apostolorum de quibuscunque terrarum locis tenderent, vel ipse vel aliquis eorum, quos cohercere posset, prohiberet. His ergo jurejurando firmatis absolutus dimittitur, multumque monitus, ne DEO mentiatur; quia si promissa non impleverit, non modo priora vincula non auferantur, sed & alia strictiora superaddantur. Itaque reversus ad suos, cum cœpisset eos a suo convivio separare, cœperunt tumultus facere, dicentes ei, quia si eos, quorum sapientia & virtute regnum obtinuisset, nunc a se repelleret, Apostolicus ei nec illud redderet nec aliquid adquirere posset. His & aliis talibus verbis animus ejus immutatur & ad consueta pravorum consilia revertitur. Imponit capiti aureum Diadema & in corde retinet ferro fortius anathema. Cum ergo Domnus Apostolicus satisfactionem criminum, ut præfinitum est, ab eo exigeret, iidem ipsius familiares portitores Apostolicarum litterarum comprehensos injuriis subdiderunt. Iterum aliqui ex principibus Apostolicæ sedi faventibus litteras cum eisdem Apostolicis mandatis ad eum miserunt, quas ille non accepit, & ad ea, quæ dicebantur, respondere nihil voluit. Tunc Domnus Cardinalis, qui huic Legationi præerat, excommunicationem ipsius, de qua conditionaliter, ut dictum est, absolutus erat, ut sibi mandatum fuerat, iteravit, ac regni gubernacula ei denuo interdixit. Igitur mense Martio Saxones ac Suevi, mediantibus Sigefrido Mogontino Metropolitano & Adalberone Wirceburgensi Episcopo, Ottone de Northeim, Bertoldo Duce de Zaringe apud Forcheim conveniunt, sed & de aliis regionibus Legati aderant, qui quicquid isti de Reipublicæ commodo statuerent, laudare suos indicabant. Aderat etiam Legatus Apostolici, qui cuncta quæ de regno illi viriliter statuerent, Apostolica auctoritate firmaret. Ex multis, quos dignos probitate in electione proposuerunt, tandem Rodolfum Ducem Suevorum Saxones & Suevi concorditer sibi in Regem elegerunt. Quem cum singuli rogarentur laudare, quidam volebant conditiones aliquas interponere. Otto Dux namque non prius volebat hunc Regem constituere, quam sponderet honorem injuste ablatum sibi restituere; sic & alii multi singulares causas interponebant, quas, ut ille se correcturum promitteret, volebant; quod intelligens Legatus Apostolici fieri prohibuit, & ostendens eum non singulorum, sed universorum fore, ut universis justum se promitteret, satis esse perhibuit: Ait etiam si eo modo, quo cœptum erat, promissionibus singillatim præmissis, eligeretur, Electio non sincera, sed Simoniaca hæresi polluta videretur. Tamen sunt quædam ibi causæ specialiter exceptæ, quas quia injustæ erant, deberet emendare, scilicet ut Episcopatus non pro pretio, nec pro amicitia daret, sed unicuique Ecclesiæ de suis Electionem juxta decreta Canonum permitteret. Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum, Romani Pontificis est auctoritate corroboratum, ut regia potestas nulli per hæreditatem, sicut ante

ante fuit consuetudo, cederet; sed filius Regis, etiam si valde dignus esset, potius per electionem spontaneam, quam per successionis lineam Rex perveniret. Si vero non esset dignus Regis filius, vel si nollet eum populus, quem Regem vellet facere, haberet in potestate. His omnibus legaliter constitutis Rodolfus Rex Mogontiam ab eis cum magno honore perducitur, ubi & consecratur a Sigefrido Mogontino Archiepiscopo anno Dominicæ Incarnationis MLXXVII. VII. Kal. Aprilis.

Rodolfus itaque, Indigena Sueviæ, eo quo dictum est modo in regnum elevatus, non integris IV. annis regnavit, in illis tantummodo Teutonici regni partibus, quæ ab Heinrico jam excommunicato defecerant. Quam Regni divisionem bella intestina & homicidia Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum inaudita vastatio est secuta. Nam Heinricus Regnum secundo sibi interdictum invadens, reliquas ejus partes obtinuit, novis etiam præsumptionibus veteres exagerans, quia regales reditus in duorum Regum dimicationibus adnihilati erant, Ecclesiarum imo Episcopatuum facultates, fugatis Episcopis suis suorumque usibus usurpavit. Sævissimis quoque præliis adversus Rodolfum conflixit, de quibus in suo loco dicetur. Igitur Rodolfus cum in civitate Mogontia Regalem unctionem percepisset, in ipso unctionis die, quo scilicet in introitu Missæ tota fidelium Ecclesia sub nomine Hierusalem ad spiritualem lætitiam invitatur, unde & eodem die inter fideles haberi solet ludendi etiam a Religiosis haud spernenda consuetudo. Prandio novi Regis finito juvenes ejus ad communem ludum duplicem ob causam venerunt, tum regiæ consecrationis, tum maxime antiquæ consuetudinis; Vrbani vero magis faventes Heinrico miserunt quosdam ex suis juvenes, ut curialium ludo se miscerent & qualibet arte materiam belli construerent. Itaque unus ex ipsis cujusdam nobilis ex Curia Crusinam gulis ornatam quasi furtim præcidit, & quasi furtum volens abscondere recessit. At ille, cujus vestis dehonestata erat, eum insecutus colaphum dedit, suique vestimenti particulam recepit: Tunc urbani in subsidiis ad hoc ipsum collecti inermes illos incurrunt armati, & multos ex eis acriter vulneraverunt, aliquos etiam occiderunt. Arma enim Curialium, dum illi circa Regem sequentes essent, ipsi præripuerant. Talia Rex videns, volebat se pro suis periculo dare; sed qui circa eum erant, tumultum propter eum fuisse incœptum cognoverunt, eumque de palatio descendere non permiserunt. Cuncti ergo exercitus cum Curialibus se in majorem Ecclesiam Sancti Martini contraxerunt, consiliisque & armis muniti magno impetu exierunt, & Vrbanos aut occiderunt aut ceperunt, præter eos qui se fugæ credentes evaserunt. In crastino omnes ex urbe Majores ante Regem supplices venerunt, & de his, quæ gesserant, supplicia, quæ Rex volebat, dederunt, &, ut in perpetuum fideles ei manerent, juraverunt; Sed Rex non habens eis fidem, discessit, & in Sueviam abiens parumper ibi moratus est & Resurrectionem Dominicam in civitate Augusta celebravit. In Pentecoste Erpesfort venit, unde cum non parva Saxonum manu regaliter deductus Principum Apostolorum solemnitatem Mersburh celebravit, quo cum de cunctis Saxoniæ partibus majores & mediocres convenissent & Regem; ut a Principibus erat electus, unanimiter in regno confirmassent hortatus est eos Rex, ut armati hostiles ultro partes invaderent, & a se desidiæ, qua notati erant, notam abjicerent, & hosti, qui de victoria tumebat, arrogantiam minuerent, quod & illi læti perfecerunt. Igitur mense Augusto Rex Rodolfus Wirceburgenses Heinrico fidem servantes, & tam se, quam Adalberonem Episcopum suum contemnentes obsedit, & machinas diversi generis parari jussit. Cogitans vero quia, si urbs capta fuisset, vulgus semel intromissum, ab Ecclesiis diruendis & Ecclesiasticis rebus diripiendis nec ipse posset revocare, occasiones diversas ne pugnaretur ad urbem quærendo, integrum fere mensem lentus sedebat. Heinricus vero jam in initio Julii mensis ab Italia reversus ac interim exercitu nec magno nec forti congregato, nam magna pars ejus ex mercatoribus erat, obviam Rodolfo ire parabat & paulatim progrediens Bavvaros & Boëmios auxilio venturos expectabat, quo audito Rodolfus, obsidione dimissa, hosti occurrere festinavit. Ad fluvium ergo Neckar ambo exercitus convenerunt, & in diversa ripa, diverso pugnandi animo castra posuerunt. Nam Rodolfi milites optionem hostibus dederunt, ut aut illi facultatem sibi transeundi littoris concederent, vel ipsi hujus ripæ spatio securi accepto, ad se pugnaturi transirent. Illi vero quamvis multis, ut utrumlibet facerent, conviciis agitati, neutrum facere voluerunt. Cumque multos dies ibi sedissent, fecerunt illi cum his pacem sequestram, qua, si posset fieri, per mutua colloquia ad perpetuam pacem pervenirent. Ad se invicem igitur veniendi securitate concessa spopondere, qui erant Heinrici partium; Si horum causam justitia commendaret, se derelicto Domino suo illis sociari ea conditione, ut si sua causa melior probaretur, Rodolfi adjutores eadem lege illis conjungi non dedignarentur; Cumque hi consensissent & Rex Rodolfus, ut fida pax fieret, libenter se descensurum promisisset, die constituto, quo ad hæc terminanda neutro Rege præsente convenirent, ab invicem ambo exercitus discesserunt: Et ecce illi exercitum de Bavvariis & Boëmiis diu expectatum adesse viderunt. Tunc Heinricus factæ pacis oblitus hostes a tergo invaderet, si non principes illi, qui faciendæ pacis mediatores vel auctores fuerant, fidem suam contaminare timerent. Itaque Saxones domum reversi annum fuere integrum, nec lædentes aliquem nec ab aliquo læsi. Heinricus Alamanniam cum exercitu petiit, ubi quendam ex indigenis Hugonem aliosque sibi resistentes non sine magna ejusdem Provinciæ vastatione debellat. Inter hæc Bertoldus Dux Carinthiæ in oppido suo Lintberh naturaliter, munito positus vitam præ-

præsentem finivit. Anno Coloniensis Archiepiscopus plenus sanctitatis meritis defunctus est, & in Monasterio Sigebergensi, quod ipse construxerat, feliciter requiescit, cui eodem anno Hildolfus Goslariensis Præpositus successit. Eodem anno consecratum est in civitate Magedaburh a Werinhero Archiepiscopo summum altare majoris Ecclesiæ in honore Salvatoris nostri Sanctæque Mariæ & Sancti Petri Apostoli Sanctorumque Martyrum Mauritii, Innocentii & sociorum eorumdem, nec non Timothei & Apollinaris Martyrum. Agnes piæ memoriæ Imperatrix obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVIII. Gregorius Papa celebravit Sinodum Romæ in Ecclesia salvatoris, quæ dicitur Constantiana, ubi interfuerunt Archiepiscopi & Episcopi numero C. & diversi ordinis Clericorum & Laicorum innumerabilis multitudo, in qua Apostolica statuta corroborans multa corrigenda correxit, & firmanda firmavit. Inter cetera namque in fine Sinodalis absolutionis hæc adnexuit, & perpetuæ memoriæ posteris scribenda mandavit: quomodo multos exigentibus peccatis nostris pro causa excommunicationis perire cernimus, partim ignorantia, partim simplicitate, aut timore aut necessitate, misericordia devicti anathematis sententiam, prout possumus, ad tempus opportune temperamus. Apostolica namque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, mancipia, rusticos, servientes & omnes qui non adeo Curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, & illos, qui ignoranter excommunicatis communicant, & qui communicant eis qui communicant excommunicatis. Quicunque autem Orator aut peregrinus aut viator in terram excommunicatorum venerit, ubi non possit emere, vel non habet, unde emat, ab excommunicatis accipiendi damus licentiam. Et si quis excommunicatis non pro sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus. Quo anno iterum cum Rege suo Rodolfo Saxonicus congregatur exercitus & Missa Legatione Suevos occurrere sibi rogaverunt, ut juncta virtute adversantes sibi aut ad se transire cogerent, aut bellis attererent; quod agnoscens Heinricus cum suo exercitu medius intervenit. Exercitus ergo Saxonicus ad Methelrichestad venit, ibique Heinricum cum non parvo virtutis robore invenit. Mox prælium crudele incipitur, fugientibusque his & illis eventus belli diversi erant. Ex parte Rodolfi Regis primi fugam fecerunt Werinherus Magedaburgensis Archiepiscopus & ejusdem nominis Mersburgensis Episcopus. Sed Archiepiscopus ab incolis illius terræ interceptus indigne perimitur: Mersburgensis vero despoliatus in patriam nudus revertitur. Præter hos in eadem fuga capti sunt Bernhardus Romanæ Sedis Archidiaconus, Sigefridus Mogontinus Archiepiscopus, Athelbertus Wormaciensis Episcopus. Horum ergo fugam tanta est multitudo secuta, ut Rex Rodolfus totum exercitum se fugæ dedisse arbitraretur, quos cum revocare nullatenus posset, relictum se cum paucis existimans, cœpit & ipse paulatim revertendo Saxoniæ finibus appropinquare. Interea milites ipsius, qui se in primo conflictu hostibus miscuerant, fortioribus hostium imminebant, timidos vero effugebant. Ibi unus Saxonum adversarium sibi habens obvium salutavit ut socium, dicens Sancte Petre, quod nomen pro Simbolo Saxones in ore tenebant: Ille deridere nomen exorsus in verticem ejus mucronem librabat. Cum, ecce alterius Saxonis gladium in cerebrum ipse suscepit. Willehelmus Comes de Camburh patrem habens Geronem, patruum vero Dedonem Marchionem cum temere paucis se comitantibus iret, ab Everhardo Barbato Principe prænobili ex improviso capitur & Heinrico magna triumphi pars præsentandus a militibus ipsius ducitur. Ipse vero ne ab aliquo eripiatur prospiciens, non longe insequitur: Et ecce majores hostium copiæ illum de latere invadunt, & aliquantum repugnantem occidunt, quod videntes, qui Willehelmum ducebant, ejus obliti, ad Dominum suum festinabant. Ille vero sui non oblitus quanta potuit celeritate ad suos evasit. Interea Dux Otto & Fridericus Palatii Præfectus diversis in partibus acriter pugnantes non ante cessaverunt, quam Heinricum cum omnibus suis ad fugam coëgerunt, quos fugientes tandiu sunt insecuti donec eos muro Wirceburgensi viderent includi; Sed Fridericus nesciens, quid Otto egisset, ad locum prælii triumphans rediit, quem si quis fugatis hostibus obtinuerit victor haberi solet. Otto vero non longe post eodem reversus, visa tanta multitudine, putabat, eos hostes esse, & quia valde fessus erat, non credebat utile cum eis pugnam incipere; misit tamen exploratorem, qui veritatem perquireret, qui cum moram faceret, reputans Otto quod occisus vel captus esset, quia nullum ibi de sociis quem cognosceret, invenit, victor quidem, sed tristis, quia nesciebat, ad patriam perrexit. Fridericus autem collectis ad se de diversis partibus a pugna redeuntibus, noctem illam in multa lætitia & maxime in Dei laude transegit. In crastino receptis omnibus, quæ vel socii vel hostes ibi reliquerant, meliora, quæ poterant asportare, secum tulerunt, cetera, ne prodessent hostibus, igni dederunt. Inde cum gaudio & cantu redeuntes Smellekallan & ceteros in circuitu vicos, quia incolæ illi pridie fugientes Saxones spoliaverant vel occiderant, prædationibus & incendiis vastaverunt. Sigefridum quoque Mogontinum Archipræsulem, quem captum cum aliis multis adhuc servabant, violenter eripiunt, & secum gaudentes in Saxoniam reducunt. Erepto etiam per Dei gratiam Bernhardo Rom. Sedis Legato, solus ex captivis principibus Athelbertus Wormaciensis Episcopus perductus est ad Heinrici præsentiam, quem tamen illo invito, longe post Dei clementia eripuit. Postquam vero ex diversis locis omnes Rodolfi Regis partium principes convenerunt & de actis vel periculis suis invicem sibi retulerunt,

runt, non sine multo fletu laudes DEO reddiderunt, tum pro victis hostibus, tum pro liberatis tantis Sacerdotibus. Nam suæ partis præter Magedaburgensem Archiepiscopum, qui in fuga ceciderat, nemo qui dignus sit nomine in illa pugna periit; ex hostili vero parte jacuerunt ibi de nobilissimis principibus Eberhardus Barbatus, qui hujus belli sævissimus incentor erat. Poppo quoque vir mire fortis, Thiebaldus etiam & Heinricus de Lechesmundi. Factum est hoc bellum secundum VII. Idus Augusti feria III. Heinricus vero in proximo Octobri Regenesburh veniens principibus collectis narravit, jam longo labori se finem fecisse solumque restare, ut laboris socios præmii participes faceret. Saxones namque dicebat proximo conflictu sic prostratos, ut nisi exteri cultores advenirent, terra desolata bestiis habitanda remaneret; quod ut illis fieret credibile, simul legatos produxit, qui cunctis audientibus Regi, ut erant docti, dicebant ex persona Ducis Ottonis & Herimanni Comitis se solos ex liberis hominibus aliis interfectis beneficio fugæ in Saxonia relictos, nunc nimis sero pœnitere, quod umquam multitudini suorum confisi præsumpserint Regiæ virtuti resistere, se Regis adventum, quo terræ daret cultores, humiliter expectare, se sibi non honorem, non libertatem, sed solam vitam, quamvis vel hac essent indigni, postulare: Quibus verbis, ut ipse callidus dictaverat, peroratis, hi qui credula hæc aure perceperant, inani spe jam totam Saxoniam possidebant, nec exercitum valde magnum esse volebant, ne singuli eo minus illius regionis acciperent, quo plures illam divisuri fuissent. Venientes ergo ad silvam, quæ Thuringiam dirimit a Francia, audierunt Saxones ex altera parte silvæ cum majori quam umquam antea multitudine convenisse. Nam LX. fere armatorum millia habebant, paratos aut mori aut terram suam tueri, quod cum per Exploratores verum esse cognovissent, omissa spe redire properabant. Sed Heinricus, ne frustra collegisset exercitum, Suevos petiit, ubi nec Ecclesiis pepercit & inter sacras profanasque res nullam differentiam fecit, ut illorum avaritiam saturaret, quos Saxoniam pollicendo fefellerat. In qua expeditione Udo Treverensis Archiepiscopus vir satis misericors, dum nimis mansuetus tirannidi non resistens Heinrico, plusquam decebat, obsequitur, ejus flammeo furori, sui consensus oleum ministrat, & ut Ecclesiæ deprædentur licentiam donat, & mox in crastino mane mortuus invenitur, ut omnibus aperte constaret, ideo tali eum morte obisse, quia in Ecclesiarum prædationibus non timuit assensum præbere. Eppo quoque Cicensis Episcopus, cum per hæc tempora in Episcopatu Wirceburgensi, quendam rivum forte, sedens in equo transiret, quem quilibet pedes sine periculo transire potuisset, ubi nec ullus timor fuit, equo cadente, moriens interiit. Erat & ipse hostis Saxonum inconciliabilis, ipseque inreconciliatus DEO ab hac vita migravit, Sancto Kiliano sic disponente, ut qui ejus urbis violentus incubator injuste vinum suum biberat, aquam quoque suam juste bibens, vinum ultra non quæreret. Supradicto anno Hildolfus Coloniensis Archiepiscopus obiit, cui Sigewinus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXIX. Regni Teutonici divisio immo confusio ac duorum Regum pro ipsius retentione ambitiosa contentio atque inter hæc Ecclesiæ DEI destructio, inaudita quoque servitus & oppressio, ut cœperat, permanebat. Omissis tamen interim præliis, Legationibus tantum res agebatur. Nam uterque Regum a Domno Apostolico adjutoria requirebant, ac litterarum bajuli frequenter inter partes discurrebant. Verum hi, qui erant Rodolfi Regis partium, difficulter nuntios mittebant, quia iter illud omnibus antea pervium Heinrici ac suorum fautorum factione his claudebatur. Igitur Gregorius Papa longe a priori sententia diversas litteras direxit, quæ allatæ sunt mense Februario. Scribens ergo Bernhardo Romanæ Ecclesiæ Diacono & Bernhardo Massiliensi Abbati præmissa salutatione hæc subjunxit: Fraternitati vestræ notum esse non ambigimus, quia ideo ab urbe confisi de misericordia DEI egressi sumus, ut ad Teutonicorum partes compositiuri inter eos ad honorem DEI & utilitatem SanctæEcclesiæ pacem transigeremus; Sed quia defuerunt, qui nos secundum quod dispositum erat conducerent, impediti adventu Regis in Italiam, in Langobardia inter inimicos Christianæ Religionis cum magno periculo remansimus, & adhuc, sicut desideravimus, ultra montes proficisci nequivimus. Quocirca monemus vos, & ex parte Beati Petri præcipimus, ut fulti auctoritate hujus nostri præcepti, nostra vice ab eodem Apostolorum Principe accincti, utrumque Regem Heinricum & Rodolfum commoneatis, quatenus viam nobis illic secure transeundi aperiant & adjutorium, atque ducatum per tales personas, de quibus vos bene confidatis, præbeant, ut iter nobis Christo protegente pateat. Desideramus enim consilio Clericorum & Laicorum ejusdem regni, qui DEum timent & diligunt, causam inter eos DEO favente discutere, & cujus parti magis justitia ad regni gubernacula faveat demonstrare. Et post aliqua: Quapropter, si alteruter prædictorum Regum huic nostræ deliberationi parere & ad vestra monita locum dare renuerit, suamque superbiam & cupiditatis faces contra honorem DEI accendens ad desolationem Romani Imperii anhelaverit, omnibus modis, omnique ingenio usque ad mortem, si oporteat, nostra vice refulcite. Et quibusdam interpositis: Alteri vero qui nostræ jussioni humiliter paruerit, & obedientiam universali matri, sicut decet Christianum Regem, exhibuerit, convocato Concilio Clericorum & Laicorum consilium & adjutorium in omnibus præbete, & in regia dignitate per auctoritatem Apostolorum Petri & Pauli nostra vice confirmate, omnibusque Episcopis, Abbatibus, Clericis ac Laicis, ut ei fideliter sicut Regi obediant, præcipite. Alias quoque litte-

litteras eadem mandata continentes. Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, & universis Christi fidelibus in regno Teutonico consistentibus, direxit. Igitur Bernhardus Cardinalis quod sibi injunctum erat, exequebatur. Acceptis vero, hi qui erant Rodolphi partium, his mandatis, a magna spe, quam in Apostolica Petra posuerant, exciderunt. Unde & litteras conmonitorias ad Apostolicum miserunt, præmissis quibusdam, hæc subnectentes: Testis est Excellentia vestra & litteræ vestræ, quas in testimonium habemus, quia nec pro consilio nostro nec pro causa nostra, sed pro illatis sedi Apostolicæ injuriis Regem nostrum regia dignitate privastis, nobisque terribili interminatione, ne ei sicut Regi serviamus, interdixistis, & omnes Christianos a vinculo juramenti, quod ei fecerunt vel facient, absolvistis, eumque vinculo anathematis alligastis. In his omnibus paternitati vestræ cum magno periculo nostro, sicut nunc patet, obedivimus, & quia eidem deposito ad depositionem vestram cum ceteris concordare noluimus, tantam in nos crudelitatem exercuit, ut plures ex nostris amissa omni substantia animam in hoc certamine ponerent, & filios exhæredes & ex divitibus pauperes reliquerunt; qui autem residui sunt, de vita quotidie solliciti vitæ subsidia pene omnia amiserunt: Sed cum nulla nos persecutione superaret, superatus est ille, ut licet nolens suam nobis præsentiam exhiberet, & ei quem inhonoravit cum suo dedecore honorem impenderet: pro quo labore hunc fructum recepimus, quod is, qui cum periculo animarum nostrarum vestigia pedum vestrorum adorare coactus est, absque nostro consilio & sine correctione absolutus, ad nocendum nobis libertatem recepit. Et paucis interpositis: Ergo cum jam ultra anni terminum sine Rectore essemus in locum, de quo prævaricatus est, ille alius Principum nostrorum electione subrogatus est. Cumque de Electo nobis Rege & non de Regibus spes ad refocillandum Imperium succresceret, ecce ex insperato litteræ vestræ duos in uno regno Reges pronuntiant, duobus Legationem decernunt, quam regii nominis pluralitatem ac regni divisionem divisio quoque populi ac studia partium subsecuta sunt; quippe cum in Epistolis vestris prævaricatoris personam semper præponi cernerent & ab eo sicut a potente exigi, quatenus Ducatum vobis in has partes ad discutiendam causam præberet. Et post pauca: hoc quoque infirmitatem nostram movet quod sicut nobis persuadetur, ut in incœpto firmiter perduremus; sic etiam contrariæ parti verbis & rebus spes innuitur. Nam familiares prædicti Heinrici, qui ab omni regno infamia notantur, quique illi ut Regi serviendo Sinodalibus præceptis manifeste inobedientes sunt, & una cum capite suo per Legatum Apostolicum ab Ecclesia separati, ad hanc sedem venientes benigne suscipiuntur, & non solum impuniti redeunt, sed insuper gloria & honore coronantur, & ad priorem inobedientiam superbiendo revertentes nostræ miseriæ insultant. Nobis autem quasi ridiculis ad insipientiam reputatur, quod ab illorum consortio abstinemus, qui ab ipso capite nostro tam caritative in communionem recipiuntur. Accedit & hoc ad cumulum infortunii nostri, quod præter illa, quæ nos ipsi delinquimus, etiam adversariorum culpa in nobis cuditur, dum nostræ negligentiæ attribuitur, quod idoneos & frequentes Legatos huc non mittimus; Luce enim clarius patet, quod illi hoc fieri prohibent, qui ne prohiberent jurejurando vobis promiserunt. Et nunc de violenta sacri itineris interclusione & de manifesto illorum perjurio tacetur, & nobis imputatur, quod nuntios non mittimus. Scimus, & ex consideratione vestræ pietatis speramus, quia hæc omnia bona intentione & subtili aliqua deliberatione agitis, sed nos homines imperiti occultam illam dispensationem penetrare non sufficientes, quod manifeste audivimus & vidimus de illa utriusque partis confortatione & rerum certarum incerta dilatione ortum esse, & quotidie oriri vobis exponimus, hoc est, bella intestina, homicidia innumerabilia, vastationes & incendia domorum & Ecclesiarum sine differentia, oppressiones pauperum, direptiones rerum Ecclesiasticarum, quales numquam audivimus, legum quoque divinarum & secularium defectus sine spe reparationis; postremo in dimicatione duorum Regum, quorum uterque ad obtentum Regni spem a vobis accipit, tanta profligatio Regalium, ut post hac Reges nostrarum partium rapinis sint sustentandi. Hæc incommoda aut nulla essent jam, aut multo minora, si neque ad dexteram nec ad sinistram vestra sententia divertisset. Et quibusdam interpositis: Nam si hoc, quod in Synodo Romana definitum & post a Legato sedis Apostolicæ confirmatum est, silentio contegi oportet, quid post hac nobis credendum vel pro rato habendum sit, omnino nescimus. Ad quas litteras cum gratum sibi responsum nullum recepissent, has item ei litteras miserunt: Novit Sanctitas Vestra & omnibus circumquaque, notum est, quam difficulter, quantoque bajulorum discrimine Legationes ad vos transmittimus, quia iter, quod omnibus temporibus, populis, Tribubus, Linguis fuit prævium, nunc clauditur illis maxime, qui non minimum pro honore illius laboraverunt, ad cujus corpus eadem via ducit. Et post aliqua: Post longam expectationem reverso nuntio nostro nihil aliud nobis consolationis relatum est, nisi ut decretis his, quæ mandavimus, fidem vos non habuisse. Et quare, carissime Domine, incredibile vobis visum est, quod fratres nostri & Coëpiscopi Wirceburgensis & Pataviensis cum aliis religiosis vobis in veritate nuntiaverunt, quodque se vidisse & audisse testati sunt; Certe non in verbis mendacii confidimus liberari, sed credimus, quia veritas liberabit nos; DEus non deseruit sperantes in se; Nam Rex noster Rodolfus fortis in eo, qui dat salutem Regibus, de inimicis Domini potenter triumphavit. Heinricus autem cum suis complicibus præter eos, qui in gladio ceciderunt, in fugam

versus est, Comite illo, cujus malitiam vos in bono vincere frustra tentastis, Roberto Babenbergense, qui horum omnium auctor & incentor est. Et, o utinam de sua & sociorum ejus fallacia satis edoctus fuissetis. Nolite karissime Domne, amplius ad irrisionem sancti nominis vestri hujusmodi homines mulcere, & post tam frequentes repulsas iterum Ducatum ab eis quærere. Adventus vester ad nos tantum nobis esset desiderabilis, quantum & necessarius, sed vere scimus, quia sponte illorum ad nostras partes numquam venietis, nisi certi sint, vos illorum parti favere, & post pauca; Ergo si non propter nos, tamen propter honorem Sedis Apostolicæ confirmate, quod operatus est ejusdem Sedis Legatus, ita ut sine ambiguitate denuntietis, quid in hac Ecclesiæ divisione tenendum sit, quid sequendum: quod si jamdudum factum fuisset, forte pars iniqua adeo jam vires perdidisset, ut nec nobis nec vobis nocere prævaleret. Rogamus etiam, ne in hæc statuta canonica deficere patiamini, ut corpora excommunicatorum, qui in persequendo Ecclesiam occisi sunt, in atriis Ecclesiarum sepeliri non permittatis; ubi autem sepulta sunt, divina officia celebrari prohibeatis. Multi ex eis in Augusta civitate sepulti sunt: Ejusdem loci congregationibus litteras vestras per discurrentes peregrinos satis mittere potestis. Tertiam quoque direxerunt epistolam, quam in Romana Sinodo jusserunt recitari, si Domnus Apostolicus vel universalis Ecclesiæ interventu ad dignitatis Apostolicæ rigorem posset excitari: Conquerimur Beato Petro ejusque Vicario Domno Papæ Gregorio omnique Sancto Concilio super injuriis & violentiis, quas a Domno Heinrico passi sumus & patimur ob hanc causam, quod Sedi Apostolicæ obedientes sumus. Pervenit autem ad nos in Romana Sinodo nuper habita dubitatum & quæsitum fuisse, utrum ille excommunicandus sit, an non. Quapropter nos, quibus gravi experimento id innotuit, pro nostra æstimatione adnuntiamus, quantis existentibus causis jam vere sit excommunicatus. Testis est Romana Ecclesia, pro quantis sceleribus & quam inaudita præsumptione in Sinodo ejusdem Ecclesiæ vinculo anathematis est ligatus, non prius tamen, ut ex litteris ipsius Apostolici didicimus, quam multa ipsius monita spernentem, semper ex correptione deteriorem factum probatum est. Pensetur ergo, qui ante triennium incorrigibilis inventus est, jam resipuerit, ut nunc de proferenda in illum sententia dubitari oporteat. Excommunicatus vero, quam diuturna pertinacia Sedem Apostolicam despexerit, undique notum est. Tandem necessitate, quæ non est incognita, coactus, absolutionem quærens, non prius impetravit, quam jurejurando pollicitus est, de objectis satisfacturum, prout Domnus Apostolicus tempus sibi constitueret; hac conditione absolutus, recessit. Cumque placuisset Apostolico missis litteris exegit ab eo, quod promisit, quarum latores a suis fautoribus capti, quidam pecunia redemti, alii excoriati ac decapillati sunt; quod cum ad nostros fuisset relatum per alium nuntium litteras Apostolicas transmiserunt, a quo ipse legationem audiens, nil respondit, litteras vero recipere recusavit; cujus rei multi sunt testes idonei ac legatus Sedis Apostolicæ Domnus Bernhardus, qui ob id negotium in partes illas missus erat; quia quamvis certum fuisset pro adjuncto inobedientiæ perjurio priori anathemate illum jam esse innodatum, tamen quod sibi a Sede Apostolica injunctum est, superimposuit, ac regni gubernacula denuo ei contradicendo cum sibi consentientibus a corpore & sanguine Domini nostri & liminibus Ecclesiæ separavit, & virum alium in regiam dignitatem Apostolica auctoritate confirmavit: quæ edicta ille, sicut alia multa, contemnens, regnum secundo sibi interdictum invadens, adeo demolitus est, ut regnum dici non valeat, cui nulla pene regalia supersunt. Cumque ad conciliandos fautores facultates regni non sufficerent, Ecclesiarum publicus invasor factus est, & quidem incomparabiles & sine exemplo prævaricationes istæ sunt. Nam non quælibet prædia, sed Episcopatus quamplures, aufugatis Episcopis usurpavit; pro qua re proclamantibus Episcopis Domnus Apostolicus in Sinodo, quæ XVII. Kal. Decembris habita est, excommunicavit omnes, qui bona eorum invaserunt, qui postea, nec ipse propter hoc ab invasione cessavit, nec eos, qui cum ipso excommunicati sunt, a sua Communione nec ad horam reppulit. Audivimus, quod sui defensores hanc excusationem obtendant, quod ipse de bonis Ecclesiarum nulli aliquid præstiterit vel aliquis ipso jubente invaserit, neque de manu ejus acceperit, quod nec nos illi objicimus; sed hoc probare paratissimi sumus, quod sui sua permissione bona Ecclesiastica invaserunt, quibus ipse rogantibus hoc concessit, dividens singulis, prout voluit, & hac mercede conducti sunt iniquitati vires ministrare. Quæcunque autem non concessa superfuerunt, his ipse tanquam propriis utitur; in qua accusatione, si falsitatis convincimur, qui accusatores sumus accusati, pœnam subire parati sumus. Judicet ergo Sancta Sedes Apostolica: Inquirantur SS. Patrum Concilia & Romanorum Pontificum Decreta, utrum, qui ista faciunt vel consentiunt facientibus pro excommunicatis & sacrilegis habendi sint; vel si ipsorum fautoribus communicandum sit, qui, cum sciant vera esse, quæ de eo loquimur, scienter communicant operibus ejus malignis, & huc ad hoc veniunt, ut injustitiæ latebras obtendant & tantorum scelerum patroni existant. Cumque in Concilio hujus Sanctæ Ecclesiæ, quæ semper ab excommunicatis abstinere docuit, se quasi oratores exhibent, ita patienter audiuntur, sicut & nostri, nullo discrimine inter læsos & lædentes habito. Hi etiam nuper in comitatu Domni sui, in eos insurrexerunt, qui præceptis Apostolicis obediunt, ut ad inobedientiam constringerent, scilicet in partibus Sueviæ, ubi incendiis Ecclesiarum & altarium destructionibus sacrilegia innumerabilia commissa sunt. In qua re illos nec accusamus

famus nec excusamus; illud autem vere affirmamus, quod rapina illa in Ecclesiis & earum atriis facta, consensu & permissione tam principis quam omnium pene Majorum qui aderant, perpetrata est, ea deliberatione, quod sacrilegum exercitum aliter sustentari non posse censuerunt. Hoc quoque novit Sancta Rom. Ecclesia, quod præfatus Heinricus Domino Apostolico jurejurando affirmavit, quod nullum a modo, qui ad limina Apostolorum de quibuscunque terrarum locis tenderet, vel ipse vel aliquis eorum, quos constringere posset, prohiberet, qualiter id observaverit, nobis tacentibus ipsa rerum indicia manifestant: Ergo præter illam, quæ ab antiquis patribus & a vestra Sanctitate in hujusmodi prævaricatores est promulgata sententia, Archiepiscopus Mogontinus Majorum exempla secutus, adjunctis Episcopis numero VII. quibus eadem injuriæ ratio fuit, pro defensione Ecclesiæ sibi commissæ prædictum Heinricum, qui parrochianus est ipsius, tradidit Satanæ in interitum carnis, cum universis complicibus suis. Item Domnus Episcopus Wirceburgensis, præsente & cooperante Sedis Apostolicæ Legato Domino Bernhardo, omnes illos anathematizavit, qui actu vel consilio in hoc culpabiles extiterunt, quod ille a sua sede prohibitus est, cujus prohibitionis auctor non incertus est, qui etiam in ejusdem Sedis civitate, in qua pene nemo non excommunicatus est, frequenter moratur. Ecce audivit S. Vestra quam multis modis vir ille cum suis damnatus sit & vere damnandus: Rogamus ergo vos per nomen Domini nostri Jesu Christi & per eum cujus vicem agitis, ut, si jam prolatis in hos homines sententiis aliquid superaddere necessarium non putatis, hoc tamen firmissime prohibeatis, ne vel in hac Sancta Sede vel alicubi ad communionem recipiantur, priusquam Ecclesiis, quas læserunt, satisfaciant, ne Grex vobis commissus amplius ab eis contaminetur, & ne pessimum illud fermentum totam Massam corrumpat. Tunc ab ipsa Sinodo in partes Teutonicas subjectam misit Epistolam: Gregorius Episcopus servus servorum Dei: Omnibus Clericis & Laicis in Regno Teutonico constitutis, qui excommunicationis vinculo non tenentur, salutem & Apost. Bened. Quæ & quanta Cura nobis fuerit & est, ut pestilentia, clades & desolatio a regno vestro auferatur, pax, honestas, & solitum decus reddatur, in Sinodo, quæ in hoc anno in Quadragesima Romæ celebrata fuit, declaravimus. Judicio Sancti Spiritus decrevimus, ut in regno vestro Episcoporum omnium & Laicorum eorum, qui Deum timent & pacem desiderant, fieret conventus & coram nostris Legatis discerneretur, cui, Henrico scilicet, an Rodolpho, qui de Regno inter se decertant, amplius justitia faveret, parsque injustior ratione devicta & Beati Petri auctoritate constricta facilius cederet; justior vero pars amplius de Deo confideret & adjuta Beati Petri potestate de victoria speraret, ac neutram mortem timeret. Sed quia pervenit ad nos, quod inimici Dei & filii diaboli quidam apud vos contra interdictum Apostolicæ Sedis prædictum Conventum procurent in irritum ducere & non justitia sed superbia ac totius regni desolatione suas cupiditates anhelent implere & Christianam Religionem destruere. Ex parte Beati Petri præcipimus, ut talibus nullum auxilium præbeatis nec illis communicetis. In prædicta enim Synodo jam omnes excommunicationis & anathematis sunt vinculo innodati, & ut nullam victoriam possint obtinere Beati Petri potestate sunt obligati, ut saltem coacti confundantur, & a morte animarum suarum & desolatione propriæ patriæ revocentur. Vos autem, fratres carissimi, de me nullo modo dubitetis, quod injustæ parti scienter aliquomodo faveam; Magis pro vestra salute desidero mortem subire, quam totius mundi gloriam ad vestrum interitum arripere; quod si aliqui de falsitate confisi litteris & verbis aliter vobis indicaverint, nullomodo eis adquiescatis: Deum enim timemus & pro ejus amore quotidie affligimur, & ideo superbiam & oblectamentum sæculi parvipendimus, quia cito apud eum consolari indubitanter credimus. Omnipotens & misericors Deus, qui ultra spem, ultra meritum miseretur & consolatur nos in tribulatione nostra, aperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis confirmet vos, ut auctoritate Beati Petri a cunctis peccatis absolutos vos ad cœleste regnum perducat. Contra quæ Rodolfi fautores aliam item miserunt Epistolam, quibusdam præmissis hæc subdentes: Novimus memoriæ vestræ non excidisse, quod tam assiduis querimoniis frequentatum est apud vos, quod pene omnes Episcopi, qui Sedi Apostolicæ obediunt, expulsi a facie persequentium fugiunt & latitant, & quomodo cum suis persecutoribus convenire & conferre de his causis possunt; pro quibus aliqui illorum occisi sunt, quidam in captivitatem abducti, reliqui vero omnibus rebus suis expoliati. Deinde hoc quoque mirandum censemus, quod illius hominis causam cum illis discutere jubemur, quos utrosque Legatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vestra jussione a liminibus Sanctæ Ecclesiæ separavit. Si autem nil horum obstitisset, quid vestra interest, ut jam dudum finitam Sinodi Romanæ sententiam retractemus; quid ad nos, ut discutiamus, si illi justitia faveat ad obtinendum regnum, cui vos regni gubernacula jam ante triennium, Sinodo judicante, interdixistis? Nonne magis oportuit, ut discussio judicium illud præcederet, quam nunc tandem subsequatur? Novimus intelligentiam vestram, quia numquam de re indiscussa Sinodus, vobis præsidentibus, judicavit; quæ ergo necessitas secundæ discussionis? Si autem prædictus ille nondum discussus est, sed adhuc discutiendus; quæ ratio, ut indiscusso homini regalis dignitas ex dignitate Apostolica, sine ullo conditionis additamento interdiceretur? quare Regi alteri obedire jussi sumus, priusquam certum fuisset, istum non posse regnare? Et post pauca: Ut autem de reliquis omnibus taceamus, certe si sola illa absolutio Sacramentorum, quam in

Sinodo fecistis, effectum habitura est, indubitanter constat, quia iste Rex esse non potest. Quomodo enim regnare potest, cui nullus ammodo fidelitatem ex debito servat? quomodo regere populum potest, qui in agendis causis legalibus neminem ad faciendum justum judicium Sacramenti obligatione constringere potest? Si autem, quod absit, illa Apostolica Indulgentia pro rato habenda non est, quid erit de Episcopis & aliis, qui spe prædictæ absolutionis juramenta Heinrico facta infregerunt? Nonne manifeste perjurii convincuntur. Adhuc aliud, quid de illis Sacramentis erit, quæ postea Regi Rodolfo facta sunt, cujus ditioni vestra auctoritate subjugati sumus? Et in fine Epistolæ: si ab incœpto itinere retrorsum redire & ob difficultatem diverticula quærere vultis, non solum vulnera non sanatis, sed quæ sana sunt, vulneratis; Nam si ea dissimulando, quæ jam vestra statuit auctoritas, in media tempestate, quam pro vobis incurrimus, nos derelinqueris, Testes sunt super nos cœlum & terra, quod injuste perditi sumus. Item post aliquod temporis intervallum, Apostolico hanc Epistolam miserunt: Non latet Sanctitatem Vestram, quantas vobis obediendo persecutiones passi sumus, quomodo æstimati sumus sicut oves occisionis, quomodo traditi sumus in fabulam & improperium. Si ergo talia pro vobis sustinendo, nil a vobis gratiæ meruimus, nec digni sumus, quorum liberationi studium impendatur, quare saltem justitia, quæ nec inimicis deneganda est, nobis denegatur? Si ergo justum est, quod justum esse vestris hortationibus didicimus, ut illi sententiæ vestræ, quæ in Heinricum processit, obediamus, qui eidem sententiæ superbe repugnant, quare secundum justitiam non constringuntur? Ecce illi, sicut Regi serviunt, quem vos eo usque a regia dignitate deposuistis, ut omnes a vinculo juramenti, quod ei fecerunt, absolveretis, illi participando communicant, quem Legatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ denuo sibi regnum interdicendo a liminibus Sanctæ Ecclesiæ separavit; Illi ad oppressionem nostram cum omni studio vires administrant; quicquid enim patimur ab illis patimur, quos vos prohibere potestis, quibusdum nulla a vobis auctoritate resistitur, sine dubio ad internecionem nostram fræna laxantur. Igitur vestra illa famosa strenuitas, quæ juxta Apostolum semper in promtu habuit ulcisci omnem inobedientiam, quare istam non ulciscitur? & talem quidem inobedientiam, de qua mala infinita oriuntur, mala quorum non est numerus. Si quando nos miseræ oves excessimus, sine dilatione in nos Apostolicæ Austeritatis vindicta processit; Nunc autem, cum ad Lupos perventum est, qui apertis morsibus in Gregem Dominicum desæviunt, omnia cum patientia & longanimitate differuntur, omnia in spiritu lenitatis tolerantur. Rogamus ergo vos, per nomen Domini Jesu, ut sive vos terror viri peccatoris, cujus gloria stercus & vermis est, exorbitare fecit, sive familiarium personarum mellita persuasio delinivit, ut redeatis ad cor, ut memor sitis honestatis & timoris Domini, & si non nobis propter nos parcitis, saltem vestræ innocentiæ in tanti sanguinis effusione provideatis. Nam si illos amplius in nos grassari permittitis, quos prohibere potestis & debetis, timendum est, ne coram justo judice de perditione nostra excusationem non habeatis. Sic totus ille consumitur annus, ut pene nil aliud memorabile ageretur, nisi quod Legati Apostolici frequenter venientes, & nunc his, nunc illis Apostolicum favorem promittentes, ab utrisque pecuniam, quantam poterant, Romano more, secum detulerunt. Rodolfus Rex in Magedaburh Hartwigum constituit Archiepiscopum, ea die post annum, quo ejus antecessor fuerat interemtus: præcepit quoque Cicensi Ecclesiæ Gunterum fratrem Willehelmi Comitis de Camburh, quem Magedaburgensis Ecclesia, cujus filius erat, sibi præesse satis desiderabat. Hetilo Hildinisheimensis Episcopus, perpolitis tribus suis Monasteriis, infirmitate excoctus, Bucconis Halberstadensis Episcopi admonitu, fratribus suis curias Wangerde, Embrike, Poppenburh & decimas quas abstulerat pœnitens reddidit, & ex his, quæ diu congregaverat, nullam in Saxonia Congregationem prætermisit, quam non aliquo caritatis munere honoraverit. De immutatione ordinis pœnitens, ut restitueretur, fratres astantes contestando, consulendo, præcipiendo admonuit: Denique in abjurationem Papæ Gregorii VII. cum ceteris Episcopis ipse quoque timore mortis subscripsit; Sed quod scripserat Obelo supposito damnavit. Hinc ab Episcopis Adalberone Wirceburgensi & Eggelberto Mindensi, auctoritate Apostolica absolutus, postea quanquam corpore, animo vero numquam excommunicatis communicavit: Sepultus est in Monasterio Sancti Mauritii, eiq; Udo nobilis ejusdem Canonicus successit. Rex Rodolfus expeditionem movit super Westfalos, qui muneribus datis pacem cum eo fecerunt. Item ejusdem expeditio in Hassiam fuit, in qua Frideslar cum Monasterio quod Sanctus Bonifacius construxit, est exustum. Similiter expeditio Heinrici in Sueviam contra fautores Rodolfi fuit.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXX. mense Januario, Heinricus iterum congregato multo exercitu, Saxoniam volebat invadere, reputans eos quietem, dum pax erat, amantes, non frequentes exire hiemis tempore. At illi multis jam laboribus exercitati cum Rege suo Rodolfo, tota ei virtute studuerunt occurrere, sed ille solita calliditate Saxones ab invicem multa promittendo diviserat, ut non diu ante diem prælii Widikin, Wipertus, Theodericus filius Geronis Comitis, cum multis aliis a Saxonibus ad hostes transirent, & Ekbertus Marchio cum sua legione neutræ parti accedens non longe a præliantibus lentus sederet, ut cui parti victoria cederet, ei gratulando socius accederet. Igitur exercitus in loco, qui Fladecheim dicitur, consederunt & rivus inter eos non quidem latus, sed profundus erat. Rodolfi partes ad defendendum suæ partis litus ordinati, in declivi montis hostes expectant, & Ottoni Duci, quo

quo primus pugnam conserat, imperant. At illi, ut semper solebant, calliditate pugnaturi nostros improvise circumveniunt. Tunc Rex Rodolfus velocem misit Ottoni Duci nuntium, per DEum obtestans, ut antiquæ memor virtutis, ut dispositum erat bellum, primus incipiat, qui respondit: si, ut putabatur, sibi primum obvenissent, se eorum violentiam non formidare; nunc vero se non posse suæ legionis ordinem convertere. Rogabat ergo, ut quibus primo venissent, tota eos virtute susciperent: se enim cum primo posset, eis auxilio venturum. Deniq; multo aliter, quam dispositum fuerat, incipitur; nam novissimi fiunt primi & primi novissimi. Acriter itaque utrinque pugnatur, sed brevi momento finitur: Nam Saxones citissime conversi hostibus, qui sibi a tergo venerant, horribiles vultus ostendunt, nec ante quiescunt, quam ipsos terga sibi monstrare compellunt, victoresque reversi laudes referebant Deo bonorum omnium largitori. Ex parte Saxonum cecidit in illo prælio Magedaburgensis Præfectus Meginfridus; ex hostibus vero Folcmarus & Pragensis Præfectus & cum eis Boëmiorum ceterorumq; non parvus numerus. Heinricum autem, qui mox incœpto prælio fugæ se commendavit, Lothowicus per silvam, semitis latentibus, abduxit. Exercitus vero ejus non multo post ad idem fugæ præsidium coactus juxta Castellum Wartberh, donec cibis & requie recrearetur, repausavit. Saxones vero, qui Castellum tenebant, impetu in eos facto & eis fugatis omnia pene quæ habebant diripiunt, equos, arma, vasa aurea & argentea, piper & alia pigmenta, pallia & vestimenta pretiosa. Erat enim in eadem societate Patriarcha Aquilejensis & alii partium illarum principes, qui secum divitias ingentes portaverant. Factum est hoc tertium Saxonum prælium VI. Kal. Febr. feria II. In ipso anno Domnus Apostolicus in Teutonicas partes a Sinodo subjectam misit epistolam: Gregorius servus servorum DEI omnibus Archiepiscopis & Episcopis in Teutonico atque in Saxonico regno conmanentibus, omnibusque principibus, cunctisque majoribus & minoribus, qui non sunt excommunicati & obedire voluerint, salutem & Apostolicam Benedictionem. Quomodo ex lite & dissentione vestra maximum in sancta Ecclesia periculum fieri quotidie cognoscimus, visum est nobis, visum est & fratribus nostris in Concilio congregatis, summa ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii, tam religione quam scientia pollentes e latere Apostolicæ sedis ad partes vestras mitterentur, qui Religiosos Episcopos, Laicos etiam pacis & justitiæ amatores in partibus vestris commorantes ad hoc opus idoneos congregarent, qui Domni gratia præeunte die & loco ab illis statuto tam ipsi quam quos ipsis adjungere adhuc debemus, aut pacem componant aut veritate præcognita super illos, qui sunt tanti dissidii causa, canonicam censuram exerceant. Verum quomodo nonnullos diabolico instinctu confectos iniquitatis suæ facibus ignitos, cupiditate inductos, discordiam potius quam pacem fieri & videre desiderantes fore non ignoramus; statuimus in hac Synodo, sicut & in præterita, ut nulla persona alicujus potentiæ vel dignitatis, sive parva, sive magna, sive princeps, sive subjectus, aliqua præsumptione audeat Legatis nostris obsistere, & cum ad vos pervenerint de componenda pace contraire, nec postea contra interdictum illorum alter in alterum audeat insurgere, sed usque ad diem ab illis statutum firmam pacem omnes sine ulla occasione & fraude observent; Quicumque autem hæc vestra instituta ulla præsumptione violare tentaverit, anathematis vinculo eum ligamus, & non solum in spiritu, verum etiam in corpore & in omni prosperitate hujus vitæ Apostolica auctoritate innodamus & victoriam in armis auferimus, ut sic saltem confundantur, & duplici contritione conterantur. Item Domnus Papa Rodulfo Regi: Gregorius Episcopus servus servorum DEI Rodulfo Regi & omnibus secum Christianam Religionem defendentibus salutem & Apostolicam Benedictionem. Quod Regnum Teutonicorum hactenus inter omnia mundi Regna nobilissimum jam video incendiis, cædibus & rapinis devastari, confundi & adnullari, quam magnus exinde cordi meo dolor insideat, quam continuus in visceribus meis me gemitus afficiat, testis est ille solus, qui hominum corda scrutatur & probat. Deferuntur enim mihi jam sæpius Legationes Heinrici tum per proprios nuntios, tum per cognatos & aliarum terrarum principes & affines, modo omnem obedientiam promittendo, modo per varia ingenia sollicitando, id a me summo conamine cupientes efficere, quo me ad votum suum suæ parti valeant inclinare. Verum quia hinc inde & Romana gravitas & Apostolica mansuetudo me per mediam justitiæ viam cogit incedere, omnibus quibus possum modis hoc oportet intendere, quomodo veram a falsa justitiam, perfectam a ficta obedientiam judicio Sancti Spiritus valeam discernere & rato ordine ad finem perducere. Hæc & alia si propitio DEO ad vos sani perveniunt Legati mei, melius quam hæ litteræ viva voce testificabuntur & docebunt. Item Domnus Apostolicus Regi Rodolfo: Gregorius Episcopus servus servorum DEI Rodolfo Regi & omnibus secum in Regno Saxonum conmanentibus tam Episcopis quam Ducibus & Comitibus, majoribusque ac minoribus, peccatorum absolutionem & Apostolicam Benedictionem. Cum veritas ipsa dicat, omnium qui propter justitiam persecutionem patiuntur, Regnum esse Cœlorum; & Apostolus clamet, neminem nisi qui legitime certaverit posse coronari: Nolite filii mei in hoc, qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere; Nolite per illius fallentis personæ mendacia de nostro fideli adjutorio dubitare, sed magis magisque pro tuenda veritate Ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis libertate, labori jam citius finiendo incumbite, & ex adverso ascendite vos & corpora vestra quasi murum pro domo Jerusalem opponendo. Quid jam in duabus Sinodi vestræ Conventionibus de Rege Rodolfo & de Heinrico statutum,

tum, quidque ibi de pace & concordia Regni etiam cum juramentis sit diffinitum, per nostras litteras & per vestros Legatos, nisi forte capti sunt, apertissime potestis agnoscere; & si quid adhuc remansit per Episcopos Metensem & Pataviensem & Abbatem Augustensem, qui vobiscum, finem rei præstolando, morantur, cum ad vos ipsi pervenerint, quasi in promptu habetis audire. Postremo hæc vos ignorare nolumus, quia omni qua oportet instantia tum orationis nostræ assiduitate, tum officii nostri gravitate & prospiciendo consulere & consulendo prospicere vestræ necessitati non dubitamus. Mense Octobri ejusdem anni Heinricus militiæ laboribus infatigabilis, iterum congregavit exercitum, ut invaderet Saxoniæ Regnum. Saxones vero cum ingenti multitudine occurrerunt ei in loco, qui Canoul vocatur, ibique castris positis sederunt, cumque missis exploratoribus Heinricus Rodolfi Regis & Saxonum virtutem cognosceret, ad artem malitiæ conversus, agmen illorum in duas partes dispersit. Nam cum prælium devitans, cum universo exercitu suo contra Erpesfort tenderet, velocissimos equites retro contra Goslariam misit, qui quibusdam villis incensis ad se velociter properarent. At Saxones per suos exploratores iter ejus contra Erpesfort edocti, cum eum facile possent insequi, vel etiam prævenire, viso post dorsum fumo illuc universi festinant, ut ei Goslariam & illas partes Saxoniæ prohibeant. Heinricus vero cœptum iter ad Erpesfort peragens, oppidum jam succensum fuerat deprædatus, cum Saxonum exercitus se deceptum intelligens, magna turba peditum & equitum derelicta illum insequitur; & quia Heinricum Nienburch Episcopatum incendere velle videbant, per montana eum prævenientes, urbem ab incendio protexerunt, quo cognito Heinricus obvia omnia comburens & vastans ad Elsteram fluvium pervenit. Hinc diversorum diversa est opinio, alii dicebant, quia bis prælio victus amplius fortunam prælii noluerit tentare; sed Saxonibus arte deceptis magnam Regionis partem comburere, sicque quasi victorem in suas partes declinare, sed inscium fluminis hujus profunditatem incurrisse, & sic coactum prælio se conmisisse. Alii putabant, quod ex industria malivolentiæ hunc elegisset locum, ubi suis, quibus non bene credebat, aut fortiter esset pugnandum, aut fugæ præmium periculum fluvii subeundum. Alii credebant quod ideo regiones illas peteret, ut si Misnenses & Boëmii, sicut sperabat, sibi essent adunati, inde per Mersburh & Magdaburh Saxoniam transiens depopulari, suæque in perpetuum posset subicere Dominationi.

Igitur Heinricus castris in Elstre ripa collocatis crastino mane primo suas acies disposuit, quia nullam per se prælii moram fieri voluit, eum Saxones festinatione & itineris asperitate fatigati, multis in via præ lassitudine relictis, adveniunt, & audientes, quod e contra hostes essent, se ad defensionem suæ patriæ disponunt. Cum vero pedites admodum pauci esse, pluri-mis non valentibus sequi, conspicerentur, omnes qui non satis fortes equos habebant ex equitibus pedites fieri jubentur, & tunc ordinati hostibus obviam paulatim progrediuntur; Episcopi vero Clericos omnes, qui aderant, psalmum LXXXII. multa devotione cantare admonebant. Exercitus autem uterque ad paludem, quæ vocatur Grona, convenerunt, & quia sine vado palus erat, utrinque dubitantes substiterunt, & alteros alteri, ut transirent, opprobriis increpantes, utrique ripam suam immoti tenuerunt. Tandem Rodolfi pars caput paludis non longe esse cognoscens, illuc tendebat, quo viso adversarii equo itinere eodem pergebant. Heinricus itaque mox, ut agmina vicissim misceri conspexit, se sicut solitus erat, in fugam dedit. Exercitus vero ejus tanta virtute hostibus instabat, ut quibusdam illorum terga dantibus in castris illorum victos esse Saxones fama nuntiaret; Dumque Præsules, qui Heinricum adjuvabant, cum suis Clericis Te Deum laudamus gaudentes canerent in castris: Ecce Rabodo unus de summis principibus partium Heinrici apportabatur occisus, quem qui ferebant de longe: Fugite, fugite, clamabant; Sed ex parte Saxonum Rex Rodolfus letali vulnere sauciatus, Mersburh tamen vivus pervenit; Victoria tamen ipsius exercitui cessit. Nam Dux Otto assumpta peditum turma eos, qui jam partem Saxonum fugaverant, effugavit, quos insequi non ante destitit, quam per media castra sua festinantes fluvium cum periculo transisse conspexit. Nam fere non minor quam in prælio pars hostium periit in fluvio. Tunc pedites certi de victoria, castrorum volebant invadere rapinam: Sed Dux Otto timens, ne hostes aliqui post tergum remansissent, eos interim prohibuit, & reversus cum eis invenit in loco prælii Heinricum de Lacha cum magna parte hostilis exercitus jam quasi de victoria tripudiantem & Kyrieleyson clamantem: quos Dux Otto paucitati suorum diffisus primo voluit declinare, sed recogitans, quia Deo non est difficile in multis & in paucis vincere, fortiter adiit, & Deo dante illi spiritum timoris, cito eos in fugam convertit. Omnibus ergo aut ultra fluvium fugatis aut in fluvio mersis; nunc, ait Dux Otto, castra securi perquirite & quicquid hodie fuit hostium, vestra præstante virtute vestrum vocate. Sunt autem inventa multa pretiosa tentoria & Episcoporum scrinia sacris indumentis & vasis plena, multa vasa aurea & argentea, quotidianis usibus apta, multæ quoque argenti & auri laminæ, multoque maxima pars numeratæ pecuniæ, equi quamplurimi simul & optimi, arma generis universi, mutatoria, ceteraque sine æstimatione vestimenta. Ergo quicquid Vnstrod, ubi fere ante quinquennium Saxones victi fuerant, in eos peccavit, Elstera dupliciter vindicavit. Illic tantum suas res fugientes amiserant, hic & suas, quas hostes tulerant & hostiles pariter, fugientibus illis & interfectis abstulerunt. Nam quicquid Episcopi Coloniensis, Treverensis & alii fere XIIII. quicquid Dux Fridericus

cus

cus & Comes Heinricus, ceterique ditissimi homines secum portaverant; quicquid in Erpesfort rapuerant, omnia tollentes ad sua castra victores redierunt. Qui vero ex hostibus gladium effugerant incredibiles calamitates in fluvio, silvis, paludibus sustinebant. Fluvius enim utraque parte tales ripas habebat, ut hic nemo nisi cadens possit intrare. Illic nemo nisi frutectis vel herbis arreptis possit exire. Multi ergo fugientes, postquam hic proni ripam velociter inciderant & alteri ripæ de dorsis equorum insilierant, gladio ripam cædebant, ut equos post se de fluvio extraherent, tandemque cædendo fatigati, equis derelictis & armis projectis fugam trepidi corripiebant: quorum plurimi fortes viri sunt a Rusticis in fuga securibus vel fustibus occisi; multi nobiles & illustres sunt a personis vilibus capti; multi fame coacti, ut equos vel gladios suos pro frusto panis venderent. Si qui vero ex eis capti ad aliquem probum hominem sunt adducti, sanati, si vulnerati erant, in patriam gratis remittebantur, vestibus & armis decenter instructi. Cumque audissent, quod Heinricus Boëmios evocaret, ut cum his & illis qui de exercitu supererant Saxoniam repeteret, responderunt, si possibile foret malle se orbem terræ circuire, quam Saxoniæ terram ulterius intrare. Factum est hoc prœlium IV. Id. Octob. feria V. Saxones post pugnam ad castra sua reversi reppererunt imminutam magnam partem gaudii sui. Nam Rex Rodolfus amputata sibi manu dextera, aliud quoque letale vulnus, ubi venter ad Ilia descendit, susceperat, magis tamen quam suum, populi casum dolebat. Audita vero suorum victoria; nunc, ait, lætus patior sive vivens, sive moriens, quicquid voluerit Deus. Ergo, ut eos, quos de morte sua videbat dolentes consolaretur, se in præsenti non moriturum fidenter promisit, suique postponens curam suis vulneratis ostendebat, quam deceret adhiberi medicinam, qua fortitudine simul ac pietate principes valde commoti concorditer ei omnes spoponderunt, ut si Deus Omnipotens vitam illi servare vellet, etiam si utraque manu careret, nullum alium eo vivo Saxonia Rectorem eligeret; qua ille fide multum lætatus felici est morte resolutus & apud Mersburg honorifice humatus. Decembri rursus mense cum Principes Saxonum congregati de regni sui statu tractarent, Nuntius, qui diceret, Heinricum ad suos de prœlio reversum, jactasse, quod Rege Saxonum occiso totam Saxoniam suæ ditioni subjugasset, & nunc exercitu congregato adventare, ut Natalem Domini Goslariæ celebraret; qui magno exercitu per triduum collecto obviam ei exierunt, virtute sua m patriam defensuri, quod ille agnoscens, a magna spe cecidit, quia Saxones non habentes Rectorem facile vinci posse speravit. Igitur exercitu suo dimisso mutatoque consilio misit ad Saxones Legatos rogans, ut quandoquidem nollent esse sine Rege, filium suum sibi Regem facerent seque illis juraturum, quod numquam intraret terram Saxoniæ. Cui Legationi Dux Otto jocose, sicut erat solitus magna seria nonnullo ludendi schemate velare, respondit, sæpe dicens: Sæpe ex bove malo malum vitulum vidi generatum, ideoque nec filii nec patris habeo desiderium. Eodem anno cum apud Brixinam Noricorum XXX. Episcoporum Conventus nec non Optimatum exercitus non solum Italiæ, sed & Germaniæ, jussu Regis Heinrici congregaretur, factus est omnium consensus adversus Hildebr. Gregorium VII. cognominatum, quem illi Pseudomonachum totiusq; vesaniæ pestiferum principem & S. Ecclesiæ Romanæ ac Sedis invasorem affirmabant, &, ut dictum sit, mille conviciorum tela in illum jacientes ab Apostolica Sede pellendum, quamvis absentem judicabant, & Wicbertum Ravennæ Episcopum ipsi subrogandum eligebant, cujus decreti conclusio hæc est: Quia, inquiunt, illum constat non a Deo fuisse electum; sed a se ipso, vi, fraude, pecunia impudentissime objectum, qui Ecclesiasticum ordinem subvertit, qui Christiani Inperii regimen perturbavit, qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum defendit Regem, qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, divortia inter conjuges, & quicquid quietis inter pie viventes stare videbatur concussit; Nos auctore Deo congregati in unum Legatis ac litteris freti XVIII. Episcoporum die Sancto Pentecostes Mogontiæ congregatorum contra eumdem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia & incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam Sedem de corpore ac sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem manifestum, Nigromancicum phitonico Spiritu laborantem, & id circo a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum; & nisi ab ipsa Sede, his auditis, descenderit, in perpetuum condemnandum. Scripsit post hæc Anselmus Lucensis Episcopus Epistolam ad eumdem Wicbertum; In illa is illum prævaricatorem superbum nominabat, præscriptæ sententiæ contrariam inter alia subinferens: Vt ergo de Beato Gregorio patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit B. Cyprianus, factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium &, ut verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis quæ tunc aderat, suffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum locus Alexandri, Sedes Petri, gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret; quo occupato & de Dei voluntate atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est; nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, licet multum de se jactans, sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est; & cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debet, factus est, jam non secundus ille, sed nullus est. Fuit iste Anselmus litteris

teris adprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus & quod omnibus majus est in DEI timore & sancta conversatione nominatissimus, adeo ut tam in vita quam post mortem referatur miraculis clarus.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXXI. In Natali Domini tam validus ventus subito exortus est, ut totius orbis exitium minaretur. Inter hæc Heinricus Italiam intrare disponebat, ut imponeret aliquem finem rerum suarum, longo labori scilicet, ut Domno Papa Gregorio aut ficta humilitate placato, aut vi tyrannica coacto vincula banni exueret; vel, quod magis volebat, illo per vim ejecto Wipertum Ravennatem Episcopum jam triennio juste excommunicatum pro eo collocaret, sicque libere ageret, omnia quæ suæ tyrannidi placerent cum de sede Apostolica totius suæ voluntatis favorem haberet, sed familiares ipsius non tutum putabant Saxonibus recenti prælio vehementer exacerbatis invadendos relinquere, cum de adventu illorum nil dubitarent, si pergentes in Italiam fines suos, sine virtute militari dimitterent. Miserunt ergo ad principes Saxonum rogantes, ut singulari colloquio tempus & locum præfinirent quo utrinque principes Electi de communi bono tractaturi convenirent. Convenerunt igitur ultra fluvium Wisaram in Silva, quæ inde Capuana dicitur, quia pertinet ad urbem, quæ Capua vocatur; Erantque Episcopi ex illa parte Coloniensis, Trevirensis, Babenbergensis, Spirensis, Trajectensis: Ex Saxonum vero parte Mogontinus, Magedaburgensis, Salzburgensis, Patherbrunnensis, Hildinisheimensis; Cumque qui ex illa parte erant, secretum, quod soli Principes audirent, colloquium cuperent: Hi e contra nullum sermonem conferre volebant, nisi quem cunctis qui convenerant magnis & parvis audire liceret: Jam vero sedentes ex utraque parte diu tacebant, quia & Saxonici principes rogati occurrerant, & illi non se rogasse, sed rogatos venisse videri volebant. Tandem rogatus a sua parte Gebehardus Salzburgensis Archiepiscopus, ut erat vir prudens & honestus & officio quod gerebat non minimum conferens honoris, vultu modesto, voce mediocri sensum sapientis & pii pectoris profudit: Episcopi venerabiles ceterique quos videtis adesse principes Saxonici hanc operam mihi dignati sunt imponere, ut animos omnium debeam mei sermonis officio vobis exponere. Unde vos sancti Sacerdotes ceterique eximii principes dignamini me patienter audire, & causæ communi, quam sum jussus agere, animum tranquillum, quo verum possitis agnoscere & examinare velitis, adhibere, quia non plus nostra, quam vestra interest. Si vultis quæ dicturus sum agnoscere, vestro testimonio fidenter innitimur, quia quamvis a nostra societate discesseritis, a veritatis amore non discedere confidimus, vestro inquam testimonio probare, quantis contumeliis affecti simus, dum toto animo, ut decebat, Regis eramus servitio subjecti. Vos scitis quotiens singillatim vel communiter vestrum petivimus auxilium, quomodo pro servitute nostra vel hoc intercessione vestra nobis redderet præmium, ut a fasce levaret importabilium calamitatum; hoc postulando quid profecimus, optime scitis. Inde vos non incusamus, quia pro nostra causa licet parum nobis prodesset, sæpe laborasse agnovimus, quid nunc opus dicere, quia cum manifestum sit oculis omnium, quia quod habuit, maximum nobis rependit extremum; Sacerdotes non solum de nullo crimine convictos, sed nec regulariter accusatos aut in vincula ut Latrones conjecit aut a sedibus, quos capere non poterat, omnium rerum suarum nudos effugavit; Ecclesiarum bona, quibus ipsi vivere vel pauperes DEI sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus dissipanda concessit; Terram nostram multis jam vicibus vastavit; cognatos sive milites nostros in nostris finibus innocentes occidit, cum non esset causa bellorum, nisi quod servos habere volebat filios hominum liberorum; Sæpe ipsi & vobis singulis & universis supplicavimus, ut gladio deposito, causam judiciis ageret, nosque vestrum secuturos judicium animo libenti spopondimus, quid his profecerimus, vos in testimonium vocamus. Ergo nos qui adsumus cum omnibus, quos tenet Saxonia, vobis sanctissimi Sacerdotes & Nobilissimi principes ac fortissimi milites supplicamus, ut memores DEI & vestri officii, quod estis animarum pastores non perditores vocati; vos vero, quod gladium ad defensionem, non internecionem innocentum accepistis: Cogitetis nos fratres in Christo, cognatos in carne, nosque persequi ne velitis, quod hactenus perpessi sumus vobis donantes peccatis nostris imputabimus, & correptionem divinæ pietatis appellabimus, ut decet homines Christianos: causam rationibus non cædibus agite & quod ante cruoris effusionem postulavimus vel nunc cruore nostro satiati præstate. Multas nobis ærumnas Domnus vester Heinricus crudeliter intulit, & tamen parati sumus ei, ut prius, fidelitatem jurare & fideliter servare, tantum vos veris assertionibus astruite, quod salvo nostro ordine, & laici possint hoc facere sine fidei suæ detrimento; nec nos ab hoc campo recedemus, nisi quæ dixi compleverimus; quod si nostras sententias dignamini audire, veris & manifestis & ex scripturis firmis rationibus ostendemus, quod Heinricum nec Clerici nec laici Regem habere possumus cum animarum nostrarum salute. Quod si obicitis vos Sacramento ei astrictos, simili modo confirmabimus nullo sacramento vos ad nos persequendos jure vos posse compelli. Summa est nostræ petitionis, ut Domnum Heinricum vel vos jure regnare probetis, vel nos quia non possit probare sinatis, & cum res alterutra claruerit, nos persequi cessetis. Tunc illi responderunt: se nec ob id convenisse nec esse tantæ sapientiæ, ut tam magnam rem ex improviso præsumant agendam suscipere, præsertim cum non ad se solum, sed ad Regem, omnesque Regno subditos pertinere videatur. Rogabant autem, ut ab initio Februarii præsentis usque ad medietatem Junii pax daretur, ut interim con-

ventu

ventu facto eadem causa, communi totius regni consilio tractaretur. Hi vero dolos intelligentes, responderunt; se nec decipere velle nec decipi, sed usque in prædictum terminum integram & veram pacem dare ac petere. Cumque illi omnibus hujus partis Teutonicis pacem promitterent: ita ne, ait Dux Otto, stolidos nos esse putatis, petitis partibus vestris securitatem, donec Apostolicam inhonoretis dignitatem, & nobis pacem vestram promittitis, donec caput nostrum pro vestro libitu si DEus permiserit male tractetis. Ergo nobis & nostris omnibus date, & vobis & vestris omnibus accipite pacem integram aut nullam: quod si non vultis, pergite iter, quod cœpistis; Hoc tamen ante prædicto, quod in finibus vestris hospites molestos cito habebitis, nec res vestras, ut velitis, ab Italia reversi custoditas invenietis: nam hoc nolumus vos celare, quod cum primo potuerimus, Rectorem habebimus, qui & ab injuriis nos DEO juvante defendat, & his qui nos læserunt, æquitatis vicem rependat. Milites ergo plebei partis adversæ conclamant, illos æquiora quam suos principes & petere & offerre, se post hac ad pugnandum minus paratos fore, quia causæ justitia penes Saxones foret, plusque eis illum conventum, quam trium præliorum prodesse victoriam, quia quod numquam de illis credere possent, ipsi præsentes audissent. Heinricus igitur intrante Martio in Italiam seminaturus discordias est profectus. Magnus terræ motus cum gravi terræ mugitu factus est VI. Kal. Aprilis, prima hora noctis, portendens, ut quibusdam visum est ea, quæ Heinricus apud Romam in ejectione Gregorii Papæ & substitutione Wicberti exercuit. Principes vero Saxoniæ Teutonicos populos tam inimicos quam amicos per nuntios orabant, ut præter Heinricum & filium ejus, quemlibet sibi Regem eligerent, ut regni membra, sicut olim fuerant, in unum convenirent. Mense vero Junio in magno exercitu, pro illatis sibi injuriis Orientalem Franciam vastaverunt & flamma latum iter sibi facientes non longe a Babenberh Suevis amicis suis occurrerunt & de constituendo Rege communiter tractaverunt, & tandem, ut Herimannum Regem eligerent, unanimiter consenserunt. Sed cum Saxones gloriosi redissent, nec de recipiendo Rege dubium haberent, principes adversæ partis, quia electum Regem valde timebant, Ottonem Ducem solum sibi loqui rogabant, & multis pollicitationibus, ut in electione vacillaret persuadebant, non tamen, ut certum quid eis promitteret, effecerunt. Sic eo dubitante & magna parte dubitationi ejus consentiente, tota præteriit æstas & totam pene Saxoniam commoverat ejus instabilitas. In Novembri vero mense, iterum vocatus ad soliloquium, cum jam totus esset hostibus Saxonum inclinatus, misericordia DEI faciente, ne tot pro patria labores in ultimis temporibus perderet, equus, cui insidebat in plano campo cecidit & fessori unum crus ita - - - -

Rex Heinricus Italiam cum exercitu petiit, Romamque perveniens in vigilia Pentecostes, resistente sibi Hildebrando sive Gregorio Papa cum Romanis, ante Castellum Sancti Petri castra posuit, ubi etiam per biennium incursionibus urbanorum crebro infestatus parva manu multa viriliter peregit. Interea in Palatino Monte munitionem instituens non paucos, quos in præsidio posuerat, ingravescente super eos æstatis insueto fervore amisit. Sed & de exercitu multos eadem mortalitas absumpsit. Monasterium Babenbergense in vigilia Paschæ igni deflagrat. Mogontia ex maxima parte incendio conflagravit, principali Ecclesia & tribus Monasteriis combustis. Saxones & Alamanni in Orientalem Franciam ad colloquium venientes non sine magna clade ejusdem provinciæ ad sua redierunt. Graves inimicitiæ exortæ sunt inter Liuppoldum Marchionem Orientalis Bawariæ & Diarcham Moraviæ Conradum, Ducis Boëmici fratrem, nam antea semper fuerunt amici ad invicem. Cum enim utriusque provinciæ terminos non silva, non mons dirimant, sed rivulus fluens per plana, semper noctibus improbi homines alternatim latrocinantes damna populis inferebant. Cumque frequenter Conradus pro his ad Marchionem misisset & ille eum despiceret, supplex adiit Ducem Wratislaum petens auxilium, qui venit in Orientalem Bawariam cum exercitu Boëmiæ & Poloniæ & non paucis militibus Ratisponensis Episcopi, quos pretio conduxerat: Cui Liuppoldus ad pugnam paratus occurrit & multis hinc inde occisis Liuppoldus cum paucis aufugit IIII. Idus Maji. Item bellum commissum est inter Alamannos & Bawarios III. Idus Augusti juxta Danubium apud Hohostem, ubi Palatini Comitis Cononis filius, Cono occisus est. Heinrico Regi, filius Heinricus junior natus est.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXXXII. Herimannus quidam præpotens ac nobilissimus ex Germania a Saxonibus & Alamannis Rex constituitur, cui cum in suis partibus, id est, Lotharingia, nemo in rebus bellicis vel divitiis posset æquari, sumpto Regis nomine tam suis, quam alienis cœpit in brevi despectus haberi. Hic a Sigefrido Mogontino Archiepiscopo Goslariæ in Regem consecratus est. Eodem anno Monasterium Sancti Johannis Baptistæ in suburbio Magedaburgensis civitatis consecratum est, ab Hartwigo Archiepiscopo & Godescalco & Gifrodo Episcopis. Udo senior Saxonicus Marchio defunctus est IIII. Non. Maji Uxor ejus Oda dicebatur, cujus paternum genus tale fuit: Rodulfus Comes natus de Westfalia ex loco, qui dicitur Werla, frater Gislæ Imperatricis, genuit filium nomine Herimannum, qui duxit uxorem nomine Richenzam, genuitque ex illa prædictam Odam; Hæc genuit prædicto Udoni Heinricum, Udonem, Sigifridum, Rodulfum, & filiam quæ Adelheidis dicebatur, quam Fridericus Palatinus Comes de Putelenthorp accepit, illoque mortuo, Comes Lodowicus senior de Thuringia eam duxit uxorem. Matrem autem prædictæ Odæ post obitum Comitis Herimanni duxerat uxorem Otto de Northeim quondam Dux, genuitque

ex ea præclarissimos viros Heinricum Crassum Comitem, patrem Richinzæ Imperatricis & Gertrudis Palatinæ Comitissæ & Comitem Sifridum de Boumeneburh & Cononem Comitem de Bichlinge, & tres filias, ex quibus unam nomine Ethilindam accepit Vuelpho Dux Bawariæ & postquam eam repudiavit, duxit eam Herimannus Comes de Calverla, genuitque illi Herimannum Comitem. Tertiam vero duxit Conradus Comes de Arnesberge genuitque ex ea Fridericum Comitem. Igitur defuncto Vdone seniore successit ei filius ejus Heinricus Marchio, hic habuit uxorem Eupracciam, filiam Regis Rusciæ, quæ in nostra lingua vocabatur Adelheid, quam postea duxit Heinricus Imperator.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIII. Herimannus Rex cum paucis Orientalem Franciam hostiliter invasit & per easdem partes visus est quasi equitum discurrens exercitus, quorum tamen vestigia nullo modo poterant agnosci. Æstas adeo fervida fuit, ut piscium copiosa multitudo in aquis periret. Magnus puerorum & senum interitus fuit morbo dissenterico. Heinricus Rex Pascha celebrans apud Sanctam Rufinam moxque Romam tendens castra posuit ubi & prius ad Occidentalem partem Castelli Sancti Petri, captaque est urbs III. Non. Junii feria VI. ante octavam Pentecostes. Hoc tempore Hildebrandus Papa in Castello crescentii, quod vulgo domus Theoderici dicitur, inclusus, expectabat eventum rei; Romani autem XX. obsides Regi dantes ex nobilibus petierunt diem constitui, quo Papa & omnes senatores in præsentiam ejus venirent qui diem constituens Kal. Novembris ipse ad Montana conscendit intrante Julio ibique commorans usque ad statutum tempus Romam rediit. Papa vero Hildebrandus in præsentiam ejus non venit, sed occulte fugiens Salernam secessit, ibique usque ad diem mortis suæ permansit. Eo tempore Legati Græcorum ad Regem Heinr. venerunt, munera multa & magna in auro & argento vasisq; & sericis Regi deferentes. Eodem anno Welpho filius Azzonis, Dux jam tunc Bawariæ, Augustam civitatem summo mane intravit & Episcopo civitatis Sigefrido vix evadente Vvigboldum quemdam ejusdem loci Canonicum Episcopum intronizavit. Pax Dei orta est. Otto de Northeim vir prudens & nobilissimus, Dux quondam Bawariæ, sed per Heinricum Regem injuste dejectus, defunctus est III. Idus Januarii. Hujus avus fuit Sigefridus Comes de Northeim, qui genuit ex Comitissa Macthilde Sigefridum Interfectorem Magni illius Ekkehardi Marchionis & Bennonem, qui ex Comitissa Eilica genuit hunc, de quo loquimur Ottonem. Reliquit & ipse filios ac filias, quos ei Richeza Ductrix genuit, de quibus locis suis dictum est.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIV. Heinricus Rex Natale Domini Romæ apud S. Petrum celebravit. Circa Kal. vero Febr. in Campaniam transiens ipsam & magnam partem Apuliæ cepit. Post hæc per Legatos Romanorum rogatus, ut pacificus rediret Romam, rediit & ad portam Lateranensem castra ponens omnes in deditionem accepit & XI. Kal. Aprilis feria VI. ante diem Palmarum, multis stipatus cum magna gloria intravit, ducens secum Vvigbertum Ravennatem Episcopum, qui sequenti Dominica Apostolico nomini dicatus nomenque Clementis accipiens Kathedræ Petri est intronizatus, a quo & Heinricus Rex cum Regina Bertha in Sancta Dominica Paschæ Imperiali est nomine sublimatus. Post hæc Imperator Heinricus de Italia egressus Augustam civitatem ab Alamannis invasam obsedit & cepit. Herimannus quondam Babenbergensis Episcopus, sed ab Hildebrando Papa pro Simonia depositus, defunctus est. Sigifridus Mogontinus Archiepiscopus obiit in Thuringia & apud Hasungun sepelitur, pro quo Wecel constituitur. Magnus Principum Conventus factus est in villa Gerstungun causa recuperandæ pacis inter Regem & ipsos, sed infecto negotio discessum est.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXV. Nativitatem Dominicam egere Herimannus Rex Goslariæ, Heinricus Imperator Coloniæ, confluentibus ad ejus Curiam plurimis, utpote novi dominii cupidis. Similiter Gregorius Papa Salerni, ejus supplantator Romæ Natale Domini celebraverunt. Post hæc utriusque partis Primates ob discutiendam tam immortalem controversiam XIII. Kal. Febr. aput Perestad Thuringiæ villam convenerunt. Hinc Archiepiscopi, Otto Ostiensis a suo Gebehardo Constantiensi digressus, Harwigus Magedaburgensis, & improperium Christi Tesauris Egiptiorum præferens Gebardus Vvianensis; Episcopi quoque Hugo Hildinisheimensis, Burchardus sive Bucco Halberstadensis, Hartwich Viridunensis, Guernerus Mersburgensis, Heinricus Patherbrunensis designatus & adhuc tantum Subdiaconus; Illinc Liemmarus Bremensis, & qui ab illius partis Papæ Pallia acceperant, Mogontinus, Coloniensis, Treverensis & quicunque eis favebant eorum suffraganei, susceperunt defensionem causæ: Hinc Gebehardus Juvanensis Archiepiscopus, illinc vero Mogontinus legendo, Trajectensis sermocinando stabant, arrectis auribus diversæ secularium personæ velut in turbulentissimi temporis causa, Angelico quodam examine discutienda: Juvanensis vel Salzeburgensis exordiens dixit: Venimus probare, prout condictum est, licitum nobis non esse, ut communicemus his qui nobis nuntiati sunt excommunicati & maxime quos Papa, possessa absque contradictione Apostolica Sede, in publica Synodo excommunicavit, nobis & eos excommunicatos cum causa excommunicationis, & ne eis communicemus per litteras demandavit. Hæc dicendo, ut fidem verbis daret mandati ejusdem indices sigillatas Apostolici epistolas conplures præsentat & obediendum ejus edictis, nec communicandum his, qui nuntiantur excommunicati, Evangelica, Apostolica, Decretali Apostolicæ Sedis Præsulum & diversorum Canonum auctoritate probat.

bat. E contra Trajectensis: Sententiæ, ait, vestræ nullus nostrum refragabitur, sed Dominum nostrum, cujus hic causa discutitur, negamus excommunicatum, quia Apostolicus injuste secum egit, exconmunicans quem excommunicare non debuit. Cujus sermocinatione cum Mogontinus jam probaturus esset legendo, Juvanensis responsum non differens astipulatur, ex Institutis Gelasii & Synodorum Nicenæ & Sardicensis nulli quamvis injuste excommunicato communicandum ante utriusque partis justam examinationem & nisi reconciliato per suum exconmunicatorem. Et ecce Mogontinus expectato potitus silentio legerat Capitulum; nullum rebus suis spoliatum ad Sinodum posse vocari, judicari, damnari; & hoc laicis exponens testatus est, quia nec potuerit Apostolicus excommunicare Dominum ipsorum, postquam Saxones & aliqui Suevorum ab eo defecerant, magna parte Regni spoliatum. Ad hæc Juvanensis: Capitulum, ait, hoc nec universaliter verum, nec hujus auctoritate illum, de quo agitis, ab excommunicatione Apostolica defensum, facile probaremus, sed de nostro periclitaremur gradu, si contra Apostolicorum Gelasii, Nicolai & aliorum multorum edicta Apostolicæ Sedis retractaremus judicia, cum illius sit de omni judicare Ecclesia, nullius de illa. Et ideo cum primum hæc indicta est dies colloquii hujus, actionem hanc cautelæ respectu determinavimus, ut de alia re nulla vobis hic respondendum affirmaremus, nisi catholica lege nos constringi, ut eis non communicemus, quos nobis Præsul Sedis Apostolicæ & a se exconmunicatos & ne eis communicemus certa legatione demandavit. Et hoc, non alio nos pacto ad hunc Conventum inductos vestros hujus colloquii testamur mediatores. Sic istis edicta Patrum exorbitare nolentibus, illis quod Romæ oportuit definitum esse in bivio & subalterno auditore retractari poscentibus, infecto disceditur negotio. Sequenti die Saxones item & Thuringi convenere, scituri, qui secum usque ad sanguinem resistere, si qui ab eis vellent deficere. Accusantur Vdo Hildinisheimensis Episcopus & frater ejus Conradus & Comes Theodericus Heinricum hostem eorum infestissimum convenisse & patriæ traditionem ei promisisse. Sed cum protestati dicerent, se nullam adhuc subjectionem Heinrico pollicitos, non negarent autem, se ei locutos, expetuntur obsides dare ad certificandum conpatriotas de præmissa fide: Illis reclamantibus non esse innatæ eorum dignitatis, ut ad patrocinium patriæ, cujus ipsi Primates & hactenus defensores fuissent, ab his quorum id minus referret cogerentur, Theodericus egregiæ dignitatis Comes a quibusdam præcipitati impetus interficitur, Episcopus & suus frater & eorum complices fugantur. Nec mora Vdo Episcopus hanc vindicaturus injuriam ad Heinricum Fritislare sibi occurrentem venit, subjectionem ei firmavit. Et ut Saxones sollicitandi, ac Herimannum Regem deferendi peroraturus mediator esse posset, Sacramentum ab Heinrico accepit, si Saxones ad eum converterentur, eumque paterno uti regno paterentur, numquam jus hujusmodi ipse eis infringeret, quod a tempore expugnatoris eorum Karoli aptissimum honestissimumque habuerant, ut si quisquam suorum cum aliquo de Saxonibus contra legem ageret, ipse a die sibi factæ proclamationis infra sex septimanas digna illud emendatione componeret. Juraverunt quoque alii ejus Primates & Episcopi, ut si Heinricus hoc statutum umquam postponeret, ipsi nullum sibi supplementum contra Saxoniam essent: Episcopus mox in sua reversus compatriotis, quod sibi juratum est, promittendo multos conciliaverat parti, cui ipse accessit. Heinricus, ne sibi in tam optata opportunitate ipse deesset, expeditione indicta Saxoniam erat aggressurus. Herimannus ei cum eisdem, qui sibi remanserant, erat obviaturus, sed utriusque collectam impedierat instans tempus Quadragesimæ, in qua propter juratam usque in octavam Pentecostes Dei pacem nec licitum erat vel arma portare. Designati, alter jam VII. alter IV. anno Sigefridus Augustensis, Nortbertus Curiensis Episcopi, consecrati sunt apud Mogontiam ab illo Mogontino in Purificatione S. Mariæ, tenente adhuc magnam partem Augustensis Episcopatus Guigone, quem Goslariæ Sigefridus Archipræsul consecraverat sub Rodolfo Rege. Videres tunc temporis faciem Saxoniæ inrevocabiliter alteratam. Qui enim se antea pro solo Apostolicæ Sedis patrocinio Heinrico adversatos affirmaverant, qui se ei nisi per suum excommunicatorem Papam scilicet Gregorium reconciliato numquam conmunicaturos juraverant, jam obliti Papam eumdem violenter expulsum, Herimannum Regem inhumane destitutum, Heinrico per crebras legationes non solum communicant, verum etiam Imperatorem, quamvis ab excommunicato consecratum, appellant in captanda ejus benivolentia, altero alterum præoccupante & illum sibi ipsi defuturum judicante, quicumque Heinricum jam Saxonia & integritate Teutonici Regni potiturum sibi debitorem suæ restitutionis non faceret. Conspirans quippe omnis fere Saxonia tanto excommunicatum reposcit affectu, quanto prius nondum excommunicatum reppulit impetu. Reclamant Archiepiscopi cum Episcopis: Sed narratur fabula surdis, utpote jam defunctis, qui robustioris ætatis & ingenii erant, Ottone scilicet, qui Dux fuerat Bawariæ, Vdone Marchione Theoderico Comite, Saxonici principatus cesserant fluctuanti pueritiæ, quibus allectis multis Heinrici promissis hoc concordat sententia, nullatenus alicujus eorum interesse, ut Heinricus per eos avito exhæredetur regno, cum ipse experta Saxonum vi correctus eos velit securos reddere de numquam infringendis Patris eorum legibus, nec bellandi causam jam sibi superesse, expugnato propter quod pugnavere. Hac negotiorum executione expectatur statutæ pacis terminus, æstas scilicet media. Notum est, quod eandem sententiam Wecelonis Mogontini Episcopi, Heinrici Regis adversarii

 tanto

tanto insequebantur zelo, ut habito postmodum in Quidelingeburh colloquio, ubi Otto Episcopus Hostiensis Legatus Hildebrandi Gregorii Papæ interfuit, ipsam nimium ventilantes, hæresim Wezelonis ipsumque heresiarcham appellarent, contra fidem illum dogmatizasse culpantes, quod quandiu quis suis spoliatus sit rebus, divinis non subjaceat legibus. Sinodus itidem Mogontiæ apud Sanctum Albanum habita est, cui interfuit Heinricus, ubi præsentibus Legatis Wicberti Heresiarchæ & Romanorum omnes sibi rebelles Episcopi deponendi judicantur. Ibi etiam conmuni consensu atque consilio constituta est pax DEI. Non multo post substitutis ab Imperatore per parrochias abdicatorum Præsulibus in locum Adalberonis Meginhardus conversatione probabili, litteris etiam & ingenio atque facundia nulli pene secundus Wirceburgensium Præsul ordinatur, dignus qui felicioris temporis esset Episcopus. Hildibrandus Papa qui & Gregorius VII. apud Salernam exulatus moritur & ibidem in Ecclesia sepelitur, cui Nortmannorum ex Apulia & Macthildis potentissimæ per Italiam fœminæ cunctorumque ejusmodi sectam æmulantium assensu Desiderius Cardinalis Romanus & Abbas Cassinensis verus Christi famulus, licet multum corde simul & corpore renitens, substituitur, Victor nominatus. Etenim cum infirmitate gravi laborans, ad summum hunc apicem invitus immo captivus proveheretur precibus obtinuit, ut infra non multos dies ab hac vita tolleretur. Post hæc per eosdem Electores & Ordinatores, Otto Hostiensis Episcopus eidem officio delegatur mutatoque nomine Urbanus appellatur. Recepto jam a Saxonibus pacifice Heinrico Imperatore Ecbertus Marchio de Bruneswich Imperatoris consanguineus, animis strenuus & animosus atque ditissimus, iterum in Saxonia contra Imperatoris Tyrannidem suscitavit, qua cognita Imperator propere in Franciam rediit. Obierunt eodem anno Thietmarus Wormatiensis Episcopus & Herimannus Palatinus Comes. Godescalcus Abbas Sancti Albani, deponitur, cui Adalmannus subrogatur. Volcmarus Abbas Nienburgensis obiit, cui Erembertus successit. Heinricus Imperator magno Exercitu coacto Saxoniam intravit, eamque vastavit, Ecberto Marchione sibi repugnante, Imperator inconsulte agens, quosdam in Saxonia statuit solo nomine Episcopos, Bucconi Halberstadensi Episcopo viro Ecclesiastico expulso Hamezo subrogatur, Parthenopolitano Episcopo Hartwigo fugato, Hartwigus Herveldensis Abbas substituitur; Reinhardo quoque Mindensi Episcopo Helmwardense Monasterium regulari professione ingresso æmulus ejus Volcmarus Episcopatum obtinuit, sed idem Reinhardus non multo post in Episcopatum suum regressus est. Heinricus autem æstatis tempore, castris positis juxta Magadaburh in pratis virentibus cum optimatibus suis intravit urbem, ibique susceptus est regio more. Sed quia propter metum ipsius advenientis Archiepiscopus Hartwigus cum Burchardo Halberstadensi Episcopo & Herimanno Rege ad Danos abierat, hos, quos prædiximus, constituit Episcopos, Hartwicum scilicet Herfeldiæ Abbatem in Magedaburh, in Halberstad vero Hamezonem ejusdem Ecclesiæ Canonicum avunculum Lodowici Comitis de Thuringia. His ita gestis illoque abeunte, Episcopi a Dania regressi sunt & ipse Heinricus cum illis superpositis mox de patria effugatus est. Godescalcus Episcopus Havelbergensis obiit.

Anno Dominicæ Incarnation. M LXXXVI. Heinricus Imperator Saxoniam vastat. Saxones & Alamanni Wirceburch obsident, ad quam liberandam Heinricus copiosum tam peditum, quam equitum congregat exercitum, pugnaque juxta Bleichfelt commissa digreditur absque victoria, mox urbe ab hostibus capta, Episcopus Adalbero introducitur relictoque cum eo militari præsidio ad propria unusquisque proficiscitur. Sed paulo post eadem urbs ab Imperatore recipitur, expulsoque Adalberone, Meginhardus cum suis restituitur. Herimannus Comes, patruus Magni Ducis, sine legitimis liberis obiit. Imperator Wratizlaum Ducem Boëmiæ tam Boemiæ quam Poloniæ præfecit, & inponens capiti ejus manu sua regalem circulum, jussit Egilberto Treverensi Archiepiscopo ut eum in sua Metropoli Praga in Regem ungeret & Diadema capiti ejus imponeret. In eodem Concilio frater ejusdem Ducis Gebehardus Pragensis Præsul scripta suæ antiquæ querimoniæ præsentavit, de Johanne Moraviense Episcopo, qui eodem anno ab hoc sæculo migraverat. Replicavit etiam privilegium Sancto Adalberto prædecessori suo a Benedicto Papa & Imperatore primo Ottone confirmatum. Unde factum est, ut Wratizlaus Dux, & frater suus Conradus eidem Gebehardo Episcopo Moraviæ parrochiam reprofiterentur & redderent. Cujus redintegrationis auctoritatem Imperator in carta describi & sigilli sui inpressione jussit insigniri. Acta sunt hæc Mogontiæ III. Kal. Maji. Egilbertus autem Treverensis Archiepiscopus Pragam veniens XVII. Kal. Julii inter sacra missarum solemnia Wratizlao Regalibus fascibus induto tam ipsi quam conjugi ejus Zuatavæ diadema inposuit & ipse muneribus donatus rediit.

Anno Dominicæ Incarnation. M LXXXVII. Herimannus Regis nomine deposito permissione Imperatoris ad propria reversus post paucos dies in cujusdam oppidi obsidione interiit. Conradus filius Imperatoris a Sigewino Coloniensi Archiepiscopo consecratur in Regem Aquisgrani. Frequens conventus Principum totius regni Spiram convenit pro regno conciliando, sed factione quorumdam, major ibi discordia orta est. Imperator expeditionem movit in Saxoniam, sed amicorum suorum consilio usque Herveldiam rediit. Illuc ex parte Saxonum Ecbertus Marchio ad eum venit pro pace inter eos facienda, qui cum omne bonum de se Imperatori promitteret, Imperator exercitum dimisit, & Ecbertus omne bonum, quod promiserat, adnihilavit, & non occultum sed manifestum

festum inimicum Imperatori se postmodum exhibuit. Saloman Ungariæ quondam Rex & Knut Rex Danorum a suis occisi sunt. Heinricus Marchio de Stadhe filius Udonis defunctus est sine filiis & factus est Marchio frater ejus Luitgerus cognomento Udo. Hic dedit Comitatum suum Stadhe Friderico, quem habuit quadraginta annis. Iste Udo & mater ejus Oda & frater ejus Rodolfus & maritus sororis ipsorum Fridericus Comes Palatinus de Putelendorp, consilio Herraudi Halberstadensis Episcopi, & aliorum religiosorum virorum expulerunt Clericos de loco suæ constructionis Herseveld & posuerunt illic Monachos; sicque erat Præpositura, facta est deinceps Abbatia. Huic Udoni erat uxor Irmingardis soror Helperici Comitis de Ploceke, habuitque ex ea filium nomine Heinricum & duas filias. Adventus Reliquiarum Sancti Nicolai Barum.

Anno Dominicæ Incarnation. M LXXXIIX. Berta Imperatrix obiit & Spiræ sepulta est. His temporibus Burchardus sive Bucco Halberstadensis Reverendus Episcopus cum aliis æque Catholicis viris se prorsus a Communione Imperatoris Heinrici sequestravit, & potius quælibet extrema pati, quam ei communicare decrevit. Verum quia similia similibus gaudent, & facinus quos inquinat, æquat; Ecbertus Marchio, injustæ parti pertinaciter favens, venerabili Antistiti palam cœpit adversari, ferro & igne Dominico die in media XL. fines Episcopii depopulari; Sic opprimendo virum justum tirannicæ potestatis Imperio cogeret subjici. Ille vero multas jam antea propter justitiam persecutiones passus, quippe qui annis pluribus captivus & exul, miroque DEI favore ab intentato mortis periculo ereptus fuerat, omnia quidem adversa æquanimiter ferenda censuit; Attamen pro conmissis sibi ovibus pastorali sollicitudine anxius, pacem per Legatos postulat, rebus Sancti Stephani parci flagitat, inducias usque in proximam Dominicam petit; vixque impetrat, ut familiari colloquio Goslariæ habito cum amicis, competentem causæ terminum imponat. Ecbertus autem petitis dolose annuit, radicatam animo maliciam non deferens, sed conceptam adversus hominem DEI injustitiam toto annisu parturiens. Siquidem adventum eorum Goslariam anticipans & quosdam civium secretius evocans Imperatoris quidem partem magnifice favoribus extollit, contraria vero sentientes multifariam arguens, variis allegationibus inexcusabiles ostendere contendit. Taliter iniqua factione memorabili viro clandestinas insidias machinatur, ut quacunque occasione, seditione concitata cum suis fautoribus repentino tumultu circonventus intereat. Tertia igitur ante Palmas die vir DEI Burchardus Goslariam venit cum suis ministerialibus. Hartwigus quoque Magadaburgensis Archiepiscopus non paucis comitatus adfuit; Comes etiam Cono de Bichlinge, Ottonis quondam Ducis filius cum pluribus Saxoniæ atque Bavariæ optimatibus advenit. Hos plane omnes non minus Marchionis odium quam Antistitis favor attraxerat, & una omnium voluntas ... eadem vota hujus conatibus obsistere; Episcopo vero pro viribus in quolibet proposito assistere. Cæterum postera die Burchardus Præsul familiarissimis ex his qui convenerant propositum sui cordis aperuit, contestans se tam diutino langore, quam ætate confectum, utpote jam sexagenarium militaribus ultra tumultibus non sufficere, tirannicæ vero conmunionis consortium tanquam letiferam pestem quoad vixerit fugiendam decrevisse; Ea propter id sibi potissimum cordi esse, quatenus præsenti soluto conventu, quodcumque sors obtulerit exilium expetat, ubi non solum a communione, verum etiam ab aspectu tiranni perpetuo exsors maneat. His aliisque pro tempore tractatis ac multis hinc inde verborum alternationibus habitis refectionis obtentu digrediuntur, condicto, ut proxima nocte transacta diligentior denuo de singulis tractatus haberetur. Jam quisque sui penetralia hospitii subierat, jam Beatus Pontifex curis postpositis animum divinæ contemplationi assuetum in otium remiserat. Cum repente seditiosus in civitate tumultus exoritur, & ad arma cum tumultuosa vociferatione concurritur. Siquidem ex Comitibus Episcopi Wulferus quidam de nobilioribus Sancti Stephani militibus venerat, adversus cujus Conmilitones occasione quæsita, ipsum cum suis conmilitonibus furens impetus extinxit. Videres viros forma conspicuos, statura proceros, viribus præstantissimos inopinato tumultu præventos tanquam vilia pecora sterni & conculcari. Postremo ad viri DEI habitaculum turmatim convolant & ne ullus effugii locus pateat, mœnia undique ambiunt. Ipse autem, ne nuntio quidem super his prius accepto, tumultuantis turbæ vocibus, excitus lapidea conclavi non parvæ munitionis excipitur, ubi eum per fenestram illis loquentem gratis impugnant, manusque in signum deditionis protendentem ferro impetunt; Quidam interim parietibus januisque violenter effractis, omni genere crudelitatis debacchantur, omnesque illic inventos inermes etiam pueros trucidarunt, dehinc effera multitudo, Cameræ summitatem ascendit, eamque lapideis opertam tegulis, trabibusque ac denso pavimento adversus omne incendii periculum munitam certatim diruit. At Beatus Pontifex ædiculam superficietenus videns opertam, exemplo Beati Lamberti Martyris extensis in oratione manibus in modum crucis solo tenus prosternitur animamque ac spiritum suum in manibus misericordiæ Altissimi quam intimis precibus ac suspiriis conmendans; nec mora impii super justum jacturam fecerunt, lapidibus, lignis, ferro, cum omni crudelitatis genere in eum sævientes; Oportebat enim adimpleri visionem, quam Esicus vir præpotens ante annos XIII. de ipso viderat, qua videlicet eum in conventu Candidatorum diversi sexus & ætatis Martyrum stolis sanguine aspersis præfulgentium, simili decore ac schemate conspicuum, summo cum tripudio conspexerat. Cum igitur saxorum crepitantium turbine quatere-

tur innocens & justus sine causa damnatus, tam senio, quam morbis confectus & adeo podagra constrictus; ut jam annis ferme octo absque reda vel cujuslibet vehiculi adminiculo prodire nequiverit, in tam multiplici tamen martyrio inmobilis in precibus persistebat, utpote qui pro bono certamine quo certaverat, pro cursu quem consummaverat, pro fide quam servaverat, coronam justitiæ sibi esse repositam & a justo Judice in proximo reddendam præsumebat. Vnus tandem ceteris crudelior hostiam Christi totis viribus lancea perfodiens in præcordiis ejus ferrum reliquit, quod Vir Dei hastili retracto in visceribus retinuit. Interea milites ejus, qui paulo ante tumultuantibus civibus civitate profugerant, denuo resumpta fiducia plurimi, quidem ignem civitati iniciunt, ceteri ut vel exanime corpus Domni sui a carnificibus eripiant, armati perniciter advolant. Hostes itaque his visis animo consternati, alii armatorum metu diffugiunt, alii exsurgentium flammarum globis territi ædibus suis consulendum arbitrantur. Taliter sublata formidine venerabilis Præsul in lectica reclinatus eadem nocte ad Ilseneburgense Cœnobium perducitur, quod dudum fere omni religione destitutum in Monasticæ Religionis normam ipse reformaverat, prædiisque ac diversis donariis amplians, sibi locum sepulturæ, ubi & nunc jacet, præsignaverat. Illuc suo nutu in Monasterium perlatus ymnum: Jam Bone Pastor Petre, altisona exorsus voce cum suis Clericis concinuit, & secundum versum, tertium quoque, pari tenore continuavit. Deinde Catholicæ fidei normam condigna depromens reverentia, quod recte credebat corde, ad justitiam ore confitebatur ad salutem: Orationis quoque puræ suavissimum incensum & contribulati Spiritus acceptabile sacrificium cum contritione humiliati cordis divinæ pietati supplici devotione offerebat. In secretiori deinde collocatus cubiculo spiritualibus spiritualia comparans, spirituali colloquio totum diei tempus occupabat, nemini tamen de telo corpori suo infixo quicquam aperuit. Etenim cuidam Religiosæ Dei famulæ super hoc familiarius sciscitanti, Deo, quem nullum latet secretum, notum esse compendiose respondit. Jam sol ad occasum vergebat cum dolore ad vitalia converso pluribus religiosis astantibus, Monachis, Clericis, Laicis lacrimosa pro suis excessibus Confessione publice facta, omnibusque rite peractis, meritis maturus & annis die VII. Id. Apr. V. feria ipse alacri devotione: Credo in unum Deum exorsus, viam universæ carnis ingressus, ut ita dixerim, sol cum sole occidit. Venerabili sane corpore ad lavandum exposito, ferrum, quod celaverat, cunctis videre volentibus ostenditur, atque ipsi, ut desideraverat, consepelitur, quod & in universali judicio testimonium passionis ejus universo mundo declarabitur. Situs est in eodem Monasterio in medio chori, ut ipse desiderat. Terræ motus factus est magnus V. Idus Maji. Augusta urbs Suevorum insidiis in Cœna Domini capta II. feria Paschæ destruitur, & Sigefridus ejus Episcopus custodiæ mancipatur. Vvigboldus, qui per Vvelfonem Ducem idem Episcopium invaserat, inter paucos dies moritur. Obierunt quoque Vvecel Mogontinus Episcopus & Meinhardus Wirceburgensis, [substituitur] Emehardus Adalberone adhuc vivente. Rex Boëmicus Wratizlaus quoddam castrum nomine Guozdec prope urbem Misnam, donante Heinrico Imperatore ædificans, misit electos ex suis cum filio suo Bracizlavo ultum ire olim illatas sibi injurias, eo quod quodam tempore de Curte Inperatoris rediens & in villa magna hospitans, orta seditione inter suos & cives duos ex Primatibus patriæ suæ occisos amiserat. Et qui missi erant festinantes tertia luce diluculo invadunt villam, ac omnia diripiunt & ædificia exurentes, equis & pecoribus abductis abibant: cumque meridie venissent ad amœna loca cujusdam fluminis, filius Wratizlai post prandium propter calorem refrigerabatur in flumine natans. Interim plusquam XX. apparent juvenes de Saxonibus, ut eos ad bellum provocarent & statim armata Legio prosiluit ex insidiis, & ex Boëmiis, qui insecuti fuerant, nullus evasit. Postea ab his qui in castris remanserant gravi pugna conserta, Boëmii tandem cruentam habuere victoriam, ex quibus soli tantum nobiles interierunt, quia secundi ordinis milites jam cum præda præcesserant, filius Ducis vulneratus est sub dextro pollice & nisi capulus ictui obstitisset, manum ex toto amisisset.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIX. Otto Ratisponensis Episcopus moritur, pro quo Gebehardus adolescens constituitur. Heinricus Imperator Coloniæ nuptias celebravit, Heinrici supradicti Marchionis de Stadhe viduam, filiam Regis Ruzorum ducens uxorem. Marchio Ecbertus Hildinisheim obsedit, & Vdonem Episcopum diu obsessum cœpit. Obierunt Episcopi Sigevvinus Coloniensis, Otto Ratisponensis. Constituuntur Episcopi Herimannus Coloniensis, Richardus Mogontinus, Emehardus Wirceburgensis VIII. Kal. Aug. Iterum exorta inter Gebehardum Pragensem Episcopum & fratrem ejus Vratizlaum Ducem discordia; Dux iterum intronizat Capellanum suum Vvezlonem, ut in territorio Moraviensi Episcopum. Pro qua injuria Præsul Gebehardus iturus erat Romam, sed consilio cum suis inito adiit Vvladizlaum Regem Pannonicum, patefaciensque ei Ecclesiæ suæ injuriam, poscit auxilium; ubi primo die adventus sui tactus corporis molestia defunctus est in urbe Strigonia VI. Kal. Julii Heinricus Imperator congregato exercitu oppidum quoddam Ecberti Marchionis, quod Glichi dicitur, in Thuringia positum, nimis firmum obsedit. Quem Ecbertus suis confidens viribus in vigilia Nativitatis Domini, quia jam magna pars Primatum ob diem festum abierat, audacter invadit & inaniter primo resistentem tandem cedere compellit. Ibi Burchardus Losannæ Episcopus, qui ea die sacram Imperatoris lanceam ferebat, occisus est: Liemmarus Bremensis

mensis Archiepiscopus & Bertoldus Comes Imperatoris Drusius capti sunt.

Anno Domin. Incarnationis M XC. Heinricus Imperator Natale Domini Ratisponæ celebravit. Spiræ quoque Conventum habuit de agenda pace. Herrandus Abbas qui & Stephanus Halberstadensis Episcopus eligitur, & Gebehardus adolescens Ratisponensis Episcopus constituitur. Huzmannus quoque Spirensis Episcopus obiit, pro quo Johannes constitutus est. Liudolfus Dux & Bertoldus Dux & Herimannus Metensis Episcopus obierunt. Inperator Heinricus Italiam rursus ingressus est, ibique fere per VII. continuos annos moratus est. Ecbertus Marchio a quibusdam Imperatoris fidelibus in quodam molendino pausandi gratia deprehensus turpiter occubuit. Adalbero XX. post Beatum Burchardum sacrosanctæ Wirceburgensis Ecclesiæ Episcopus, defuncto Domno Brunone III. Kal. Julii constitutus vixit post acceptum Episcopatum annos XLV. menses III. dies VII. substitutis tamen duobus Episcopis Meinhardo juniore, & Emehardo, obiit pridie Nonis Octobris in prædio patris sui, sepultus in Monasterio suo Lambach, ubi in pace requiescit.

Anno Dominicæ Incarn. M XCI. Machtildis de Langobardia Heinrico Imperatori rebellat, Corpus Sancti Viti a Marquardo Abbate & Senioribus Corbejensibus requisitum & inventum est. Cosmas electus est in Episcopum Pragensem a Wratizlao Duce & omni populo Boëmiorum. Eodem anno XV. Kal. Maji IIII feria in ebdomada Paschæ combustum est Monasterium SS. Martyrum Viti, Wenczlai, Adalberti in urbe Praga. Erpo Episcopus & Bodo Comes cum multis Hierosolimam pergunt: Visi sunt per multas regiones vermiculi nimis ignoti non longe a terra volantes, hoc est, ut vel manu vel virga tangi possent, grossitudine quidem muscis æquales, sed longitudine satis deductiores, quorum tamen infinitus extitit exercitus, ut unum pene milliarium in latitudine, II. vero vel tria in longitudine viderentur occupare, densitate vero sua ipsam solis lucem terris denegare, per quam prodigiosam visionem, quæ post quadriennium facta est, Hierosolymam tendentium profectionem, quidam interpretantur præfigurari. De cujus profectionis occasione quædam supra repetere utile videtur. Ante plurimos siquidem annos Patriarcha Oreste Hierosolymitanam Ecclesiam regente Achim Soldanus venit de Babilonia nepos Orestis Patriarchæ, & misit exercitum suum Jerusalem & destruxit omnes Ecclesias quatuor millia scilicet, & avunculum suum Patriarcham abduci fecit Babiloniam & ibi occidit. Oresti Patriarchæ successit Theophilus, Theophilo Nikiforus, hic ædificavit hanc Ecclesiam sancti Sepulcri favente Soldano Achim. Nikiforo successit Sophronius. Sub his igitur Patriarchis Hierosolyma Sarracenis civibus possessa, Babiloniæ, quæ nunc est caput Regni Ægyptii, serviebat: jam tenuis in ea Christianæ professionis Religio quotidiano se tributo redimebat: Bethleem domus panis Angelorum stabulum, facta est Armentorum; universæque circum circa Ecclesiæ per omnia ludibriis numeroso annorum circuitu subjacebant Paganorum. Orto interea bello sorte miserabili inter Christianos Orientales id est Græcos & Armenios, Armenii utpote regnis & numero pauciores affines asciscunt sibi de Persis bellatores inclitæ famæ, Turcos; quorum auxilio sedata juxta placitum suum seditione dimiserunt eos ad propria nimis allectos terrarum ipsarum copia & fertilitate, qua de re sumpto post annos aliquot consilio emerserunt ab Aquilonali plaga, de terra Gorizana, quæ plus hominum quam victuum ferax esse narratur, præscriptorum Paganorum copiæ multæ, quæ sub quatuor Sultanis divisæ, sic enim suos Satrapas nominare solent, uni tantum Persico Imperatori pene divini cultus more subjecti, per Armeniam, indeque Capadociam, totamque Romaniam atque Siriam diffusi sunt. Primo quippe Niceam Catholicæ quondam fidei turrim validissimam expugnant, trucidatisque in ea Christianis, quos ceperant, Solimannum quemdam de suis Tirannum cum præsidiis locant universas circumquaque regiones usque ad Paludem sive Sinum maris, qui Brachium Sancti Georgii dicitur, funditus devastantes, nulli Ecclesiæ vel Monasterio, immo nec ipsis Sanctorum imaginibus parcentes. Vidimus enim in semidirutis partium illarum oratoriis ipsam Salvatoris nostri ejusdemque gloriosæ genitricis seu quorumlibet Sanctorum picturas truncatis naribus vel auribus, manibus vel pedibus desolatarum Ecclesiarum quodammodo luctum visibiliter prætendere, divinique judicii super se vigilantem virgam plagis quasi semper recentibus ostentare. His te gladiis o nobilissima Constantinopolis nec Regis tui tutavit milleformis astutia, nec civium populositas innumera; non te frequentia nundinarum vel infinita congeries auri redemit; non te Waringorum, non Turcopolorum tuorum, vel Pincinatorum classiumve multitudo defendit: Solum tibi stagni prædicti interstitium præsidio fuit, immo sola te Creatoris tui operatio munivit. Subjacuit furoribus istis præpotens quondam Antiochia &, ne multis morer, dextras dederunt tota simul Siria atque Palæstina. Igitur terra repromissionis subacta, mater nostræ Redemtionis ac fidei Jerusalem duplici captivitatis jugo gravatur, solamen tamen erat utique perparvulum, quod opprimentium se Sarracenorum Turcis multo turpior plebs æqua sorte mulctabatur, posito inibi Sultano militibusque numerosis ad instaurandum antemurale, quod hactenus cernitur, aliave quælibet ædificia destruuntur, illa quæ extra civitatem erant monasteria, Domini vero sepulcrum quæstus dumtaxat gratia intemeratum relinquitur: Templum Domini famosissimum, nulli ut arbitror humani operis structuræ comparandum sacrilegæ paganorum Religioni reservatur, tantæque semper apud illos habebatur venerationi, ut nunquam illud nisi nudis & lotis pedibus intrarent, nullumque de Christianis quos maxime

xime immundos judicabant, per tot annorum curricula tam Sarracenorum, quam Turcorum tempore vel intra atrium ingredi permitterent. Cum vero victores iidem nunc armis, ut res poscebat, insudarent, nunc lusibus ac deliciis, utpote a glarea jejuna in terram maxime fructiferam transplantati, sibimet indulgerent, in illorum servitio, quæ tormenta, quas cruces, quasve per omnia miserias superstites Christicolæ paterentur, vix cuilibet inexperto credibile est. Per Legationes tamen frequentissimas universalem Ecclesiam Ecclesiæ Hierosolimitanæ in præsidium lugubriter inclamabant. Eo tempore Jerosolimitanus Patriarcha erat Sophronius, quando Turci Jerusalem & Sarracenos oppugnantes occiderunt omnes, & obtinuerunt civitatem. Post hunc fuit Euchemius & post illum Simeon, in cujus tempore venerunt Franci cum Godefrido Duce, & ceperunt civitatem, ut postea dicetur.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCII. pestilentia magna facta est hominum atque pecudum. Eodem anno inchoante, disponente Rege Bohemico Cosmas Electus ad Pragensem Ecclesiam & Andreas similiter ad Olomucensem sedem per conductum Rapothæ Palatini Comitis venerunt Manthuam ad Imperatorem Heinricum. Kal. Januarii & II. Non. ejusdem mensis sedens in palatio Mantuano Palatino Comite Rapotha mediante confirmavit eorum Imperator Electionem. Tunc Præsul Monasteriensis, qui eodem tempore venerat a Hierosolimis, periculosum est, inquit, a paucis destrui, quod multorum sanctione confirmatum est. Multi enim interfuimus Episcopi & Principes Imperii Romani atque Apostolicæ sedis interfuere Legati, quando vestro privilegio confirmastis, ut uterque Episcopatus Pragensis & Moraviensis, sicut fuit ab initio, unus & idem permaneat. Ad hoc Imperator ait: sine modo, ut quod meus amicus rogavit, faciam; de his autem suo tempore discutiam. Et statim desponsati anulis ad singulas Ecclesias redierunt Veronam. Interea Rex Wratizlaus obierat, & frater ejus Conradus successit in Principatu, qui statim cursorem mittens ad Heinricum Imperatorem, Episcoporum electionem cassari petiit; sed impetrare non potuit. Post hæc Episcopi venientes Pragam in ipsa die Palmarum, susceptique a Clero & Populo adierunt Ducem Conradum, quos ille mutato jam animo benigne suscepit. Eo anno in ipsa ebdomada Paschæ Kal. Aprilis, descendit nix maxima & tantum frigus mixtum glacie inhorruit, quantum raro contigit in media hyeme. Conradus Comes de Werla cum filio suo Herimanno, multisque aliis nobilibus a Fresonibus, qui dicuntur Morseton, occisus est. Conradus Dux Boëmiæ VII. mense sui Ducatus defunctus est, cui junior Bracizlaus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCIII. Visus est splendor quidam quasi facula volans per aërem ab Oriente in Occidentem. Eclipsis solis facta est IX. Kal. Octobris hora III. & mortalitas magna facta est & Draco visus est. Conradus Heinrici Imperatoris & Berthæ Imperatricis filius patri suo rebellavit. Magnus Dux Saxonum Sclavos rebellantes XIV. urbibus captis subegit.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCIV. Discessio facta est inter Imperatorem Heinricum & uxorem ejus Adelheidam. Cosmas Pragensis & Andreas Coloniensis Episcopi consecrati sunt. Mogontiæ a Rothardo Archiepiscopo IV. Idus Martii Ecclesia mortalitate immensa crudeliter vastata est, insuper pestilentia, turbinibus, diversisque cladibus nimis afflicta. Saxones & Thuringi inter se pugnaverunt.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCV. Ladizlaus Rex Panoniæ vir piæ memoriæ, item Liuppoldus Marchio & Heinricus Palatinus Comes obierunt. Sophia quoque Ductrix obiit piæ memoriæ XIIII. Kal. Junii. His temporibus præsidente Romanæ Ecclesiæ Urbano Pontifice, regnante IIII. Heinrico Imperatore in Germania, Alexio in Græcia, Philippo in Francia, juxta præsagium Evangelicum surrexit undique gens contra gentem & regnum adversus regnum & terræ motus magni erant per loca & pestilentiæ & fames, terroresque de cœlo & signa magna, & quia jam in omnes gentes Evangelica tuba justi Judicis Adventum præconabatur, etiam totum mundum signa properata portendentem universalis Ecclesia contemplabatur. Subsecuta est expeditio non tam humanitus, quam divinitus ordinata Jerosolimam ex omni pene mundi sed maxime Occidentalium Regnorum partibus tendentium. Unde merito redarguendi sunt, qui vetusto semper errore contenti novitatem hanc jam senescenti mundo necessariam ore temerario reprehendunt. Laudemus autem alios quosdam nostri temporis viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, qui relictis propter pium ovis centesimæ quæsitorem, conjugibus ac liberis, regnis & divitiis, posuerunt animas suas in manibus suis, zelo zelantes pro DEO Exercituum, excitati scilicet in zelum frequentibus nuntiis super oppressione Dominici sepulcri ac desolatione omnium Orientalium Ecclesiarum, quas Gens ferocissima Turcorum per aliquot annos suo subactas Dominio inauditis calamitatibus jamjamque deleverat; quibus, ut dictum est, subvenire cupientes, sicut diversis agminibus, ita diversis etiam & incertis Ducibus plerique properabant, sicut in sequentibus dicetur.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCVI. Welpho Dux Bawariæ, qui ab Imperatore dudum abjuraverat & ob id Ducatum perdiderat, in gratiam ejus rediit, Ducatumque recepit. Signum in sole apparuit V. Non. Martii II. feria incipientis Quadragesimæ, & Eclipsis Lunæ facta est VI. Idus Augusti Luna XIIII. Diversa quoque prodigia mundus parturisse referebatur, ex quibus aliqua hic interseri duximus utilissimum, cuncta vero longissimum. Nam & nos cometem in plaga meridiana stantem fumumque splendorem in obliquum gladii more protendentem, tunc circa Non. Octobris vidimus. Anno vero posthæc III. stellam aliam in Orien-

Orientem locum suum longo interstitio saltibus mutantem VI. Kal. Martii conspeximus, nubes quoque sanguineas tam ab Occidente, quam ab Oriente surgentes sibique invicem in cœli centro concurrentes, rursumque mediis fere noctibus a Septentrione igneos exsurgere splendores, plerumque etiam faculas per aerem volitantes vidisse nos testibus comprobamus. Nam multo ante hos annos, quidam venerabilis vitæ Presbyter nomine Suiggerus cujusdam diei hora fere IX. duos equites conspexit concurrentes in aëre diuque concertantes, alterum qui & Crucem non modicam ferebat qua & percutere videbatur, in altero Victorem existere. Eodem tempore quidam Presbyter cum aliis duobus in silva deambulans gladium miræ longitudinis venti vertigine, ignotum unde levaretur, in sublime deferri vidit, & quousque visum altitudo celaret tam fragorem auribus, quam metallum auribus discrevit. Referebant aliqui, qui in equorum pastibus vigilabant, civitatis se speciem in aere vidisse, diversas etiam turbas diversis ad eam partibus tam equestri, quam pedestri itinere properantes conspexisse. Non nulli etiam Crucis signaculum sibimet in frontibus vel vestibus sive in quolibet loco corporis divinitus impressum ostendebant, ipsoq; se stigmate ad Domini militiam præscriptos credebant. Quid referam temporibus ipsis, mulierem quandam duobus annis continuis inprægnatam tandemque dirupto utero filium loquentem fudisse, itemque infantulum per omnia bimembrem, alterum vero capite bino; agnellos quoque aliquos binis capitibus exortos fuisse, pullos etiam equarum dentes majores, quos equinos vulgo appellamus, quosque non nisi trimis Caballis caballi satura concessit, in ipso partu protulisse. Die quadam advesperascente nulla in aere apparente nubecula, diversis in locis globi apparuere ignei rursumque in alia cœli parte se recondiderunt. Ut hæc ergo manifesta fierent, quæ signa portenderent, quidam, cui Petrus nomen erat, in finibus emersit Hispaniæ, qui ut ferebatur primum reclusus, inde claustris exiens prædicatione sua totam conmovit Provinciam, & non solum viros plebejos, verum etiam Duces, Reges, ceterasque mundi potestates, utque ad majora veniam, Episcopos, Monachos, reliquosque Ecclesiæ ordines, ut se sequerentur, persuasit, quamdam circumferens cartulam, quam de cœlo afferebat lapsam, quaque continebatur universam de cunctis mundi partibus Christianitatem Jerosolimam armis instructam debere migrare, indeque Paganos propulsantem, eam cum suis finibus in perpetuum possidere, hocque de illo Evangelii testimonio confirmabat, ubi Jesus de destructione urbis illius faciens sermonem, sic conclusit: & Jerusalem, inquit, calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora gentium. Consentientibus igitur dictis ejus omnibus regna rectoribus, urbes pastoribus, vici desolantur habitatoribus, nec tantum viri seu pueri, sed & mulierum quam plurimæ, hoc iter sunt aggressæ. Qua tempestate Alexius Imperator Constantinopolitanus super Barbaris supradictis videlicet Turcis per majorem jam regni sui partem diffusis non paucas Epistolas Urbano Papæ direxit, quibus in defensionem Ecclesiarum Orientalium se non sufficere deploravit, obtestans totum, si fieri posset, Occidentem, qui jam ex integro Christiana professione censeretur, sibi in adjutorium advocari; promittens, per se cuncta necessaria prælaturis terra marique ministrari. Inde conmotus Apostolicus & omnis Ecclesia in Arvernia apud Clarummontem in Confinio Hispaniæ Concilium generale congregari fecit, quo etiam ipse laborioso nimis itinere perveniens, innumeris, qui ibidem convenerant, populis, diversorumque regnorum legatis, universa quæ præscripta sunt & multo ampliora ore facundissimo declamavit. Mox tot milibus in lacrymas resolutis variarumque linguarum planctibus in altum levatis in hoc eis doctor egregius in remissionem omnium condonat peccatorum, si renuntiatis omnibus, quæ possidebant, Crucem post Christum unanimiter portantes, periclitantibus Conchristianis ferrent auxilium; qua sponsione arrectis auribus omnium designata sunt ad præsens in Domini militiam circiter centum millia virorum ex Aquitania scilicet atque Normannia, Anglia, Scotthia, Hibernia, Britannia, Galicia, Wasconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, ceterisque gentibus Christianis, qui omnes crucis signaculum in vestibus suis ob mortificationis conmonitorium præferebant. Quibus omnibus venerandæ sanctitatis & sapientiæ virum Hademarum Episcopum Urbanus Papa præfecit, cui ligandi solvendique potestatem concessit, insignitumque cœlestis militiæ exercitum stigmate, Apostolica benedictione consignans, condicto ab universis tempore profectionis ipse cum non modica ejusdem expeditionis turma in Italiam rediit; Legatis denique singulis ad sua regressis, pervagata cis citraque mox orbem totum fama conmovit, insuper ipsum Oceanum supervolans Insulanorum classibus, maria, in cœlestis Regis militiam redundare fecit. Denique tam ignotos effudit Oceanus populos, quorum non dicam mores & habitus, sed nec loquelam quisquam hujus littoris habitator vel de ipsis Marinariis agnosceret, rursumque alios, quibus nihil præter panem & aquam in usu victus esset; itemque quosdam, quibus argentum pro ferro in omnibus suis utensilibus esset; Francigenis Occidentalibus facile persuaderi poterat sua rura relinquere. Nam Gallias per aliquot annos nunc seditio civilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis afflixerat, postremo plaga illa, quæ circa Nivalensem Sanctæ Gertrudis Ecclesiam orta est, usque ad vitæ desperationem terruerat: tactus enim quisquam igne invisibili quacumque corporis parte tamdiu sensibili tormento incomparabiliter & inremediabiliter ardebat, quousque vel spiritum cum cruciatu vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret. Testantur hoc nonnulli manibus vel pedibus hac pœna truncati. Reliquarum Nationum plebes vel personæ aliæ præ-

præter Apostolicum edictum prophetis quibusdam inter se nuper ortis seu signis cœlestibus & revelationibus ad terram se repromissionis vocatas, aliæ se quibusdam incommoditatibus ad talia vota compulsos fatebantur; magna quippe pars eorum cum conjugibus ac prole, totaque re familiari onusti proficiscebantur. Orientalibus autem Francis & Saxonibus, Thuringis quoque, Bawariis ac Alamannis hæc buccina minime insonuit propter illud schisma, quod inter regnum & sacerdotium Alexandri Papæ, Teutonicos Romanis & Romanos Teutonicis invisos & infestos fecerat. Inde quod idem Teutonicus populus in principio hujus profectionis causam ignorantes per terram suam transeuntes tot legiones equitum, tot turmas peditum, totque catervas ruricolarum fœminarum ac parvulorum quasi inaudita stultitia delirantes subsannabant, utpote qui pro certis incerta captantes terram nativitatis relinquerent & terram repromissionis incertam certo discrimine appeterent, renuntiarent facultatibus propriis, inhiarent alienis. Sed quamvis nostra gens ceteris multo sit insolentior, respectu tamen divino inclinatur tandem ad verbum ejusdem remunerationis furor Teutonicus a conviantium scilicet turbis rem ad integrum edoctus. Præterea signum in sole, quod præscriptum est, visum aliaque portenta ad hujusmodi exercitia non paucos antea torpidos excitaverunt. Nec moratur inimicus ille generis humani bono illi semini zizania superseminare, pseudoprophetas suscitare, Dominicis exercitibus, falsos fratres & inhonestas fœminei sexus personas intermiscere. Sicque per aliorum hypocrisim atque mendacia, per aliorum vero nefarias pollutiones Christi greges adeo turbabantur, ut in errorem mitterentur, si fieri posset, etiam electi. Primi quidem Petrum sequentes heremitam ad quindecim millia æstimati per Germaniam, indeque per Bawariam atque Panoniam pacifice transibant; quamplurimi vero navali per Danubium, vel per Alamanniam pedestri itinere; alii ad XII. millia per Saxoniam atque Boëmiam a quodam Presbitero Folcmaro; itemque nonnulli a Godescalco Presbytero per Orientalem Franciam ducti sunt. Surrexit in eisdem diebus quidam vir militaris Comes tamen partium illarum quæ circa Rhenum sunt, Emico nomine, dudum tirannica conversatione nimis infamis, tunc vero revelationibus, ut fatebatur, divinis in hujusmodi religionem excitatus, in XII. millium signatorum sibimet ducatum usurpaverat. Hi siquidem habebant in professione, ut vellent ulcisci Christum in gentilibus vel Judæis. Vnde etiam in civitate Mogontia interfecerunt circiter IXC. De Judæis non parcentes vel mulieribus vel parvulis. Erat tunc Episcopus civitatis Rothardus, ad cujus auxilium & defensionem cum thesauris suis confugerant Judæi, quos nec Episcopus nec milites ejus, quorum tunc ibi multitudo aderat, vel defendere, vel eripere poterant ab Hierosolimitis, quia fortasse Christiani contra Christianos pugnare nolebant pro Judæis, verum expugnato Atrio Episcopi, in quo erant ad firmamentum sui, vel etiam expugnatis ipsis penetralibus Archiepiscopi, omnes inde interfecti sunt, quotquot ibi inventi sunt Judæi. Fuerat hæc cædes Judæorum ante Dominicam Pentecostes fer. III. eratque miseria spectare multos & magnos occisorum acervos efferri in plaustris de civitate Mogontia. Sed & qui per Boëmjam transierant, irruentes in Judæos in Boëmia manentes invitos eos baptizabant, contradicentes vero trucidabant. Quos Cosmas Pragensis Episcopus tentavit prohibere, sed frustra, quia non habuit, qui eum adjuvarent. Nam Dux Bracizlaus eo tempore cum exercitu suo erat in Polonia. Similiter Coloniæ, Vvormatiæ aliisque civitatibus Galliæ vel Germaniæ interfecti sunt Judæi præter paucos, qui ad Baptismum confugerunt coacti, cum illi minime debeant ad fidem inviti [cogi] Iidem tamen seductores, quemadmodum singuli a suis fructibus sint cogniti, quomodo sub ovina veste lupi sint denotati, qui ex illis adhuc supersunt, licet, ut perquirantur, scilicet quo portu juxta promissum suum absque navigio mare transierint, quibus præliis vel locis multos paganorum parva manu straverint, quas eorum munitiones ilico ceperint, qua postremo parte murorum Jerusalem castra posuerint, nihilque habentes quid respondeant, de oblationibus fidelium per hipocrisim susceptis & de cæsis ob rapinam, quas seduxerant, turbis oportet, ut ad pœnitentiam cogantur. Nam plebs Folmarum per Boëmiam sequens cum apud Nitram Pannoniæ civitatem seditione concitata partim ferro, partim captivitate disperisset, paucissimi, qui supererant, testantur, quod crucis signum super se cœlitus apparens ab imminenti eos nece liberasset. Godescalcus vero falsus Dei servus, postquam non sine damno Orientalis Noricæ Vngariam cum suis intravit, admiranda falsæ Religionis specie munitionem in arce quadam instituere & in ipsis locatis præsidiis Pannonias circumcirca vastare cœpit, quo nimirum oppido ab indigenis sine dilatione capto, turba multa trucidata atque captivata, grex reliquus dispersus, ipseque Mercenarius non pastor turpiter fugatus est. Emico vero supradictus cum suis postquam per civitates Rheni, Mœni quoque atque Danubii in Judæos desævierunt, cumque ad confinia Pannoniarum innumeris jam utriusque sexus copiis multiplicati pervenissent, Regnum ipsum, quod scilicet partim paludibus, partim silvis cingitur, per obfirmata præsidia vetantur ingredi. Fama quippe Colomanni jam præmonuerat aures, inter Paganorum & Vngariorum necem nil apud Teutonicas differre mentes, qua de re munitionem Misenberh per VI. ebdomadas expugnantes plura incommoda pertulerunt, inter quæ etiam quis illorum sub nomine Regis Pannoniarum potiretur terris, stultissima quatiuntur discordia. Itaque oppugnatione insudantes, ultima jam muris interruptis, jam fugientibus oppidanis, jamque indigenarum exercitu vastante propria flam-

flammis, miro Dei Omnipotentis nutu victor peregrinorum exercitus terga nihilominus vertit, relictisque supellectilibus nil quisque præter miseram animam emolumenti reportavit. Sic nimirum nostræ gentis homines zelum Dei, sed non secundum scientiam Dei habentes, quippe qui in militia, quam in liberandis Christianis Christus providerat, alios vicissim Christianos persequi cœperant, miseratione divina fraterno sanguine repressi, Vngarii quoque liberati sunt. Hæcque est causa qua quidam simpliciores fratres, utpote rem ignorantes, scandalizati totum hujus profectionis conatum vanum atque frivolum ipsi nimis præproperi Judices interpretati sunt.

Anno Dominicæ Incarnationis MXCVII. Cometes apparuit. Heinricus Imperator ab Italia ubi jam per VII. annos manserat, rediens Ratisponam venit, ibique aliquandiu moratus Judæis, qui baptizari coacti sunt, Judaizandi ritum concessit. Eo anno æstas fertilissima, hiems vero lenis & pestilens fuit. Imbrium & fluminum inundationes nimis increverunt. Heinricus Imperator cum principibus colloquium de pace habuit circa Kal. Decembris. Conradus filius Imperatoris patri rebellat. Ideoque minori filio Heinrico regnum injungit. Hartwigus Fardensis Episcopus obiit, cui Mazo successit. Mense Martio inchoatum est iter Hierosolimitanum in eodem anno.

Godefridus Dux Lotharingiæ vir genere, armis & ingenio clarissimus, qui priori anno cunctis, quæ possederat, in pretia redactis militibus copiosis fideque non modica instructus, iter per Orientalem Franciam fecerat, neque ab Vngaria fugientibus territus, sed tam Imperatoris Heinrici, quam Colomanni Regis permissione; Pannonias Bulgariamque permeavit cum gente sua & Alamannis & Saxonibus & Suevis; similiter alii Principes, quorum hæc sunt nomina: Hugo Magnus frater Philippi Regis Franciæ, Boëmundus Princeps Apuliæ. Roberti Wischardi filius, frater Godefridi Ducis Baldewinus qui postea regnavit in Jerosolimis, Raimundus Comes de Sancto Ægidio cum Gothis & Wasconibus, Rotbertus Comes Nortmannicus, Willehelmus Regis Anglorum filius, Rotbertus Comes de Flandria & Stephanus Comes Blesensis, Comes Baldewinus de Monte, & Baldwinus Comes de Ganda, Pisanus Archiepiscopus de Tuscia, Strazburgensis Episcopus, & Aimarus Podiensis Episcopus cum suis conpatriotis, diversis temporibus Jerosolimitanum iter aggressi sunt; præterque hos frater Regis Danorum cum duobus Episcopis aliique perplures totius Europæ Principes. Mira autem & inæstimabili divinitatis dispensatione tot Christi membra linguis, Tribubus, & nationibus differentia, subito in unum Christi caritate coaluere corpus, uno omnes Christo Rege, sed singulis singulæ gentes Ducibus procuratæ. Igitur prænominati Dominicæ militiæ principes singuli cum suis supra omnem stellarum dispositionem speciosis castris ab universis, quas pertransibant, gentium principibus pacem ac favorem humilitatis atque caritatis exemplo, ut vere Christi discipuli, consequebantur, donec diversis itinerum difficultatibus Constantinopolitanas attigerant arces. Constat autem, quod fictis omnino beneficiis Alexius Imperator tantos sibimet heroas amicaverit. Postea vero sacramentis extortis, ne regno suo vim inferrent, constrinxerit; quamvis constet, quod, dum moram ibidem primæ quæque cohortes alios adventantes expectando facerent, dolis eos interfecisset, nisi Godefridi Ducis solertia super ipsos cautius vigilasset. Testantur seditionem ipsam suburbana, quæ tunc destruxit, pons quem expugnavit. Per duorum fere mensium spatium novicios indies Bizantium sive Constantinopolis suscepit exercitus, e quibus tandem absque vulgi parvulorum ac mulierum incredibili multitudine recensita sunt trecenta millia pugnatorum; Porro cohortes Petrum secutæ jussu Alexii transpositæ Paganis fuerant jam ludibrio factæ. Motis itaque castris omnes apud Nicæam Bithiniæ XVII. Kal. Junii convenerunt, quam quinque septimanis obsidione vallantes Turcos, qui intus erant, ad deditionem coëgerunt, & reddita est civitas illa Inperatori Constantino Alexio in fine Junii mensis die solstitii æstivalis, fugato inde Solomanno Turcorum Principe. Sic enim Sacramento firmaverant, ut urbes quasque Imperio Alexii Imperatoris detractas si vincerent, redderent, ipsique vicissim tam armis quam stipendiis regiis infra Metam eandem se foveri non dubitarent. Cumque exercitus inde discederet, licet tantæ esset multitudinis, ut universam Romaniam occupare, flumina epotare, depascere segetes omnes posse videretur, tamen cum plenitudine tanta eduxit eos Dominus, ut aries nummo, bosque Siclo veniisset. Inde per regnum Constantini tendebant, versus mare Rusciæ. Post duos dies occurrerunt eis Turci cum ingenti multitudine pugnatorum, ad dimicandum contra eos, sed invocato divino auxilio victi sunt a Christianis & de spoliis eorum valde ditati sunt. Ob hæc igitur felicia gesta, quia quidam illorum intumuerant, opposuit illis Deus Antiochiam urbem Siriæ celeberrimam, humanis viribus inexpugnabilem; Hanc obsidione cingunt, castraque figunt XII. Kal. Novembris. In cujus obsidione novem mensibus detentos ita Deus eos humiliavit, ut omnis superbiæ illorum tumor desideret. In qua obsidione cum morarentur, perculsis pavore universis per Orientem nationibus, discurrentibus ab omni parte orbis terrarum missis & exploratoribus, aliis pacem, aliis bellum machinantibus, etiam Babilonici Regis Legati Conventui principum se præsentes exhibent, inter alia pollicentes, si victis Antiochenis etiam Turcos de Hierosolima pepulerint, Domnum suum fratrem & amicum illis futurum cum universis Sarracenis. Nam, ut prædictum est, Judæam cum Hierusalem totaque Palestina jam olim Turci Sarracenis abstulerant. Hac de causa securitate accepta non pauci Electissimorum militum Babiloniam diriguntur, quorum proce-

proceritate, fortitudine, habitu, incessu, omnique elegantia attoniti Barbari, Francos, sic enim universos Occidentales populos nominare solent, plusquam homines, id est, DEos esse fatebantur, affirmantes non esse omnino mirum, quod hujusmodi bellatores totum affectarent sibi subicere mundum. Unde inito postmodum consilio Rex Babiloniæ Jerusalem obsedit ostensisque Legatis Francis se fœderatum affirmavit, quorum gladiis si civitatem sibi non traderent, ipse tradendos esse minatus est. His itaque dolis Rex Barbarus non suo timore, sed Francorum, sic enim universos Occidentales populos nuncupare solent, civitate recepta, dimissis cum suis omnibus Turcis, omni conatu, machinis atque militibus contra Christianorum Adventum præmunivit. Sic factum est, ut Hierusalem bis uno caperetur anno scilicet ab Incarnatione Domini M CIX. primo a Sarracenis, postmodum a Francis.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCIIX. Heinricus Imperator Natale Domini apud Argentinam celebravit. Conradus Comes de Hohenburch Imperatori rebellans expulsus est. Imperator Mogontiæ consistens cum de facultatibus Judæorum interfectorum quæreret, & tam Rothardus Archiepiscopus, quam ejus consanguinei de eisdem pecuniis culparentur, commotus Archiepiscopus in Thuringiam se cum suis contulit. Heinricus vero Episcopii reditus suis usibus universaliter adjecit. Fugativorum quoque possessiones publicari & mœnia dirui præcepit. Welpho Bawariorum denuo Dux filios suos & ipsos rebellare tentantes gratiæ Imperatoris reconciliavit & uni eorum Ducatum post se committi impetravit. Dux quoque Boëmicus Bracizlaus, audiens Judæos in suo regno positos, qui ad Judaïsmum relapsi fuerant, alios fuga lapsos, alios divitias suas transferre; partim in Poloniam, partim in Pannoniam misit, qui eorum domos everterent, multamque pecuniam ex eorum spoliis congregavit. Eodem anno Cosmas Pragensis Episcopus defunctus est. Tunc Dux Bracizlaus, habito consilio cum Wicberto Saxone viro sapientissimo, qui gener ipsius erat per sororem, Herimannum genere Teutonicum Bolezlavensis Ecclesiæ Præpositum virum venerabilem in Episcopatus honorem, quamvis invitum, subrogavit cum consensu omnium Boëmiorum.

Igitur exercitus Christianorum cum in obsidione Antiochiæ per IX. menses sic humiliati essent, ut in toto exercitu vix centum equi boni reperirentur, aperuit illis DEus copiam suæ Benedictionis & misericordiæ. Post multos enim labores & angustias, quas passi sunt in fame & siti, frigore & nuditate, variisque incommodis, tandem Domino miserante per manus cujusdam Turci tradita est eis Antiochia, quam cum armis ingredientes cædebant, quotquot inveniebant, præter illos, qui se intra castrum munitissimum in excelsa rupe situm & toti civitati inminens receperunt. Ipse Admiraldus civitatis Capsianus nomine in fuga decollatus est. Capta civitate cæsisque hostibus ac fugatis gratias agentes DEO refecti sunt omnibus bonis & de spoliis illorum ditati, quia vero & hæc quasi suis viribus adquisita reputabant, nec DEum, qui hæc contulerat, digne magnificabant; statim altera die subsecuta est obsidio a Persis, Turcis & Barbaris & multis nationibus, ita ut de civitate nullus ex tanta turba egredi auderet. Præterea fames in civitate ita convaluerat, ut multi ex ipsis equos & asinos comederent, & vix ab inhumanis dapibus aliqui se continerent. Facto igitur triduano jejunio clamaverunt ad Dominum bellumque inire cum hostibus proponunt. Respiciens enim Dominus populum, quem tandiu flagellaverat, primo quasi pro satisfactione tribulationis, lanceam suam, qua in cruce vulneratus est, munus non visum a tempore Apostolorum pignus victoriæ illis obtulit, deinde corda illorum adeo animavit, ut quibus ægritudo & fames ambulandi vires denegaverat, arma sumendi & viriliter contra hostes dimicandi vires infunderet; quo signo salutari præeunte, cum hostibus foras muros congrediuntur, eosque DEI virtute in fugam vertunt, cœdunt & persequuntur & de spoliis illorum ditati regressi sunt in urbem, laudantes & benedicentes DEum. Capta est autem Antiochia II. Nonas Junii; qua capta, mox Hugo Magnus reversus est per Constantinopolim in Franciam. Comes vero Stephanus Blesensis, etiam antequam caperetur, turpiter inde recesserat. Post in Kal. Augusti obiit Aimarus Podiensis Episcopus beatæ memoriæ. Morantes apud Antiochiam & in circuitu ejus per quatuor menses, cum jam fame & tædio deficerent, maxime propter discordias principum, sumpto consilio recesserunt, & de communi consensu traditur Antiochena civitas & principatus provinciæ Boëmundo, cujus vi & ingenio ipsa urbs capta fuerat. Ceteri Principes in duo exercitu diviso, Barram & Marram civitates Sarracenorum in Siria ceperunt, & toto hyemis tempore civitates & urbes Barbarorum oppugnantes Christiano Imperio subjugabant; cumque in Siria moram facere disposuissent, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jam fœtentium a populo Christiano comesta sint. Inde cum divino nutu in interiora Romaniæ progrederentur, cives & Castellani Regionis cum donariis Legatos præmittebant, parati servire & oppida sua reddere, sed quia exercitus non multus erat, ita ut una de multis civitatibus, quæ in maritimis illis sunt, plures homines haberet, quam in exercitu illo fuissent, nam plurima pars eorum Antiochiæ, Rohas, Loodiciæque consederat; acceptis securitatibus tributarias eas fecerunt. Festinabant enim ad Jerosolimam, instante utique jam hora, ut excutiens se de pulvere filia Sion, Jerosolimitana nimirum Ecclesia, canticum novum dilecto suo, qui secum fecit mirabilia, decantaret; secundum multitudinem, inquiens, dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Hoc tempore Baldewinus Comes fratri Godefridi Ducis in Rohas quæ & Rages civitas Medorum putatur, quæ

quæ est civitas inclita, immo pars & regio Armeniæ, consedit, principatumque est gentis illius adsecutus, defuncto scilicet interim grandævo seniore illo Christianissimo, qui se ab Antiochia in propugnatorem sibi asciverat, multaque prælia naviter gerentem etiam in filium & hæredem adoptaverat. A diebus quippe antiquis semper inexpugnata numquam manum dederat urbs illa ampla paganis, eo quod muris ultra humani operis qualitatem firmis, fluvio quoque intus ebulliente, omni etiam situ naturali populique & victuum muniatur fertilitate. Non est operis hujus vel temporis, litteris tradere, quotiens ibidem prædictus Baldewinus parva manu multitudinem Barbarorum grandem straverit, nonnumquam victus vicerit, exercitu amisso, alium ab Antiochia conduxerit, postremo falso sibi fœderati, cujusdam Turci Balduc nomine dolis semet expedierit, ipsumque comprehensum necaverit, quæ omnia scribere volentem, ante tempus deseret, quam materia.

Anno Dominicæ Incarnationis M XCIX. Heinricus Imperator Natale Domini Coloniæ celebravit, Epiphaniam vero Aquisgrani; ubi filium suum Heinricum juniorem Regem fecit, reprobato filio majore Conrado, quem prius coronaverat. Conradus vero causam rebellationis suæ paucis in regno sibique familiarissimis detegens, assumpto quodam ex ordine ministerialium æque Conrado nomine, forti admodum & prudente viro, per quasdam Italiæ partes & nomen & dignitatem Regis annis fere novem obtinuit, tantum indolis suæ per orbem Romanum interim diffundens odorem, ut nemo religiosus, nemo sapiens in ipso salutem reipublicæ constituendam fore dubitaverit. Erat enim vir per omnia Catholicus & Apostolicæ sedi subjectissimus, plus religioni, quam fascibus vel armis deditus, fortitudine tamen & audacia satis superque instructus, lectioni quam lusibus vacare malebat, miseris omnimodis, sed præcipue militibus inopia strictis compassione & misericordia proximus, nemini contemptum, nemini præjudicium intendens, omnique personæ omnique conditioni affabilis, ideoque merito & DEO & hominibus erat amabilis; cœlibatus pudorem perpetuo servare proposuerat, sed coactus a suis filiam Rotkeri Ducis Siciliæ famosissimi pene nostrorum temporum viri duxit uxorem, cujus tam caste usus est conjunctione, ut vix crederetur eam umquam cognovisse. Legalis præcepti memor, turpitudinem patris tui non revelabis, itemque honora patrem tuum, murmur quod per totum Romanum Imperium patris sui mores laniabat, quod etiam offensæ patris, ac suæ discessionis ab illo sibi causa extiterat, auribus propriis numquam patiebatur inferri, semper illum Domnum suum Cæsarem vel Imperatorem cognominans, universos a palatio illius venientes, sub appellatione conservorum, licet infimos, sociali benivolentia tractabat. Præter has animi virtutes corpore fuit ad prime decorus, ac statura procerus. Heinricus Imperator Pascha Ratisponæ celebravit, ubi subito mortalitas magna exorta Rabodonem Palatinum Comitem, & Odelricum patruelem ejus qui prædives fore ferebatur, & de inferioribus quamplures absumpsit, per civitates quoque atque regiones non modicam vulgi stragem fecit. Conradus Trajectensis Episcopus quarta feria Paschæ a Negotiatore Fresico occiditur, cui Burchardus successit. Herimannus Coloniensis Archiepiscopus obiit, pro quo Fridericus constitutus est. Item Odalricus Eichstadensis Episcopus obiit. Hildiboldus Magedaburgensis Abbas ordinatus est, qui ordinem ibi Hirsaugiensem instituit. Urbanus Romanus Pontifex decessit, & in Romana Ecclesia majori scilicet Sancti Petri sepultus est. Hic super Ecclesiarum hactenus manente commotione concilia multa congregavit, multaque decreta promulgavit. Inter quæ etiam convocatis in Placentina civitate ducentis fere Patribus Heinricum Imperatorem tam a se, quam a prædecessoribus suis conmunione privatum, declaravit, maxime adstante Regina Adelheide ipsius Henrici uxore, multaque nefanda in illum ad aures totius Synodi testificante; sed antequam ex hac vita migraret, Spiritu DEI instructus Rainerum Cardinalem de Sancto Clemente sanctæ conversationis & boni testimonii Abbatem, nobilem Romanum, designavit in regimen Apostolicum eligendum, quem etiam revelationibus aliis insuper denotatum universa Romana Ecclesia pastorem sibi consecrat licet invitum, Pascalem eum appellans.

In ejusdem anni exordio, cum auditum fuisset Antiochiæ atque Laodiciæ & Rohas, quia manus DEI esset cum exercitu Christianorum, qui præcesserat, plures qui ibi remanserant, consecuti sunt eos apud Tirum, sicque unanimes mense Aprili DEO conviatore ac cooperatore versus Jerusalem proficisci cœperunt. Quo venientes VII. Junii undique obsidione vallabant. Rotbertus Comes Flandriæ & Rotbertus Comes Nortmanniæ, erant in parte septentrionali ante portam Sancti Stephani, Dux Godefridus cornu civitatis, quod est super Vallem Josaphat, cum suis occupavit. Tancredus aliud cornu versus turrim David obsidebat, Comes Raimundus cum suis montem Sion occupabat. Per sex ergo dies scalas præparantes septimo die assultum fecerunt ad civitatem, & per scalas muros scandere cœperunt; sed frustrati sunt illo die & infecto negotio cessaverunt. Cumque exercitus in obsidione maxime propter inopiam aquæ laboraret, habito Consilio Episcopi & principes circinandam esse civitatem nudis pedibus prædicabant, ut ille, qui pro nobis in humilitate eam ingressus est, per humilitatem ipsorum ad judicium de suis hostibus faciendum, illis eam aperiret, quod & factum est. Deinde composita turri quadam cum propugnaculis ex lignis Cedrinis & Cipressinis veteribus, paratis etiam arietibus & scrophis & fundibulis & omnium generum instrumentis & civitati propius admotis die ad hoc constituta Idus Julii summo mane omnibus modis & totis viribus undique impetere cœperunt

runt & telorum grandine ac lapidum, hostibus a muro repulsis ipsi per machinam & scalas muros conscendunt. Itaque octavo suæ humiliationis die, eo scilicet die quo primitiva Ecclesia inde abjecta fuit, cum festum de dispersione Apostolorum a multis fidelibus celebratur, Domino auxiliante ex omni parte intrantes civitatem capiunt, hostes omnes perimunt, nec mulieri nec parvulo parcentes, ita ut in porticu, qui dicitur Salomonis, victores equitarent in sanguine Sarracenorum usque ad genua equorum. Mundata civitate ab incredulis, ad sepulcrum Domini omnes cum oblationibus & cereis accensis, laudes & gratias agentes Deo festinanter vota persolvunt, in gaudio lacrimas offerunt. His patratis, primates per aliquantum temporis recreati, omnes communi consensu Godefridum Ducem in Regem ac principem civitatis Hierusalem ac totius regionis extulerunt, Canonicos, qui sepulcro Domini deservirent, ibidem statim creaverunt, Eruilfum eis quasi Patriarcham præposuerunt; donec super hoc Romanum Pontificem consulerent. Tunc Domino revelante, per quemdam Sirum revelata est eis Crux Dominica diu abscondita & ab hostibus conservata. Vnde omnes Deo gratias egerunt. Deinde cum ordinatum esset, qui civitatem retinere deberent, & alii amore patriæ & pietate parentum suorum redire voluissent, nuntius venit, qui diceret, adventare Ducem militiæ Regis Babilonis, nomine Lavendali, cum infinito exercitu. Itaque cum in veritate comperissent, hi qui in Jerosolimis erant, exercitum Babiloniorum Ascalonæ esse, contenderunt obviam illis, relictis sarcinis & infirmis suis in Jerusalem cum præsidio. Vespere autem præcedente, die belli, jam sole occidente, contigit, ut multitudo magna animalium, boum, camelorum, ovium & caprarum de montibus acta secus exercitus Christianorum se contulisset & mane facto, cum ordinatis aciebus, exercitus Christianus ad bellum procederet, animalia quoque, quod est dictu mirabile, paulatim subsequentia, agmen fecerunt, ita ut cum currentibus currerent, & cum stantibus starent. Nubes quoque ab æstu solis Christianos defendebat, & refrigerabat; Cumque exercitum hostium conspexissent innumerabilem, genubus flexis Deum invocaverunt. Nec mora clamantibus ad se Deus adfuit, atque tantas audaciæ vires ministravit, ut qui eos in hostem currere videret, fontem Aquæ vivæ sitientem cervum segnem adjudicaret, miro videlicet modo, cum in exercitu Christiano non plusquam V. millia equitum & XV. millia peditum fuissent, & in exercitum hostium C. milia equitum & CCCC. milia peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in servis Deus apparuit, cum antequam confligerent, pro solo impetu eorum hanc multitudinem in fugam convertit, & omnia eorum arma diripuit, ita ut si deinceps istis repugnare vellent, non haberent arma, in quibus sperarent. De spoliis vero non est quærendum quantum captum sit, ubi thesauri Regis Babiloniæ occupati sunt. Ceciderunt ibi plusquam C. millia Maurorum gladio; Timor autem illis tantus erat, ut in porta civitatis, ad duo millia suffocati sint. De his vero, qui in mari interierunt, non est numerus, Spineta etiam ex ipsis multos contriverunt. Pugnabat certe orbis terrarum pro Christianis & nisi spolia castrorum de ipsis multos detinuissent, pauci de tanta multitudine hostium superessent, qui de bello renuntiare potuissent. Celebrata hac victoria reversus est exercitus Jerusalem & relicto ibi Duce Godefrido, Raimondus Comes de Sancto Ægidio, & Rotbertus Comes Flandriæ, & Rotbertus Comes Nortmanniæ Laodiciam reversi sunt, ibi classem Pisanorum & Boëmundum cum suis invenerunt. Non modica quippe multitudo præter eos, qui cum Boëmundo Antiochiæ consederant, vel cum Baldwino Rohas abierant, Tiroque remanserant, ac per diversas regiones dispersi erant, ibidem Conventum faciebant. Cumque Archiepiscopus Pisanus, dudum discordantes principes concordare fecisset, maxima multitudo repatriare contendit. Godefridus vero Magnanimus Dux & cui vix quisquam in religione comparabilis inveniatur, parva licet manu fultus, magna quæque in Domino cœpit attentare, reliquias gentilium quacunque manentes persequi, præsidia locis oportunis instituere, Joppen diu destructam, portum ibi jamdiu desolatum renovare, Ecclesias, Clerumque quantum potuit reparare; Cœnobitas alibi congregare, donaria multa tam monasteriis, quam hospitali, quod in Jerusalem numquam defecerat, devotissime conferre, pacem firmissimam cum Ascalonitis atque Damascenis gratia Commerciorum habuit, nostræ gentis milites præ cunctis bellatoribus honoravit, feritatemque illorum suavissima urbanitate Gallicis caballariis commendans, invidiamque quæ inter utrosque naturaliter quodammodo versatur, per innatam sibi utriusque linguæ peritiam mitigavit.

Anno Dominicæ Incarnationis MC. Heinricus Inperator Pascha Mogontiæ celebravit, ubi Herimannus Pragensis electus missus a Duce Boëmico per Wicbertum ejusdem Ducis per sororem generum consecrandus præsentatur. Sed quia Rothardus Archiepiscopus expulsus in Thuringia morabatur, a quodam Ruoperto Wicberti Cardinale, jubente Inperatore in octavis Paschæ ordinatur VII. Id. Aprilis. Eo anno hyems durissima fuit; Fames etiam per multas regiones invaluit, & mortalitas magna erat. Congregatio Ilsineburgensium Monachorum Friderico Halberstadensi invasori & excommunicato subdi & obedire nolens, hac de causa ab ipso coacta est claustrum egredi. Post obitum Burchardi II. XVIII. anni computantur, usque ad electionem Rheinardi, quo tempore Thietmarus Diaconus & Herraudus Abbas canonice electi pauco tempore præfuerunt, quorum prior statim veneno interemptus occubuit, alter ab hæreticis expulsus est, & alter Thietmarus, Patruus scilicet Lotharii Imperatoris, ab ipsis est Episcopus constitutus; quo sine consecratione defuncto Fridericum pro illo substi-

substituerunt, vivente adhuc Herraudo Episcopo, sicque per tot annos Ecclesia ab Hæreticis & Schismaticis multipliciter est vexata. Otto Ilsineburgensis Abbas Jerusalem causa Christi petens, Andrinopoli migravit e sæculo, sepultus apud Monasterium Dei Genitricis Mariæ. Otto Argentinensis Episcopus obiit, pro quo Baldwinus constitutus est, qui vixit duos menses & mortuus est. Adhela sive Adelheit Palatina Romam pergens defuncta est. Hæc & soror ejus Cunigunda filiæ erant Adelhæ Marchionissæ ex Ottone Marchione. Vdo Marchio & alii complures Saxonum barbaros, qui Liutici dicuntur, invasit, & de ipsis honorifice triumphans urbem Brandeburh per quatuor menses obsedit & cepit. Willehelmus Rex de Anglia sagitta interfectus est. Heinricus vero frater ejus in eodem loco pro remedio animæ suæ volens Monasterium constituere prohibitus est. Apparuit enim ei, & duo dracones ferentes eum, dicens, nihil sibi prodesse, eo quod suis temporibus omnia destructa essent, quæ antecessores sui in honorem Domini construxerant. Bracizlaus Dux Boëmiæ in vigilia Sancti Thomæ, cum a venatione nocte rediret, a quodam venatore ex latibulo prosiliente venabulo inter ipsa ilia percussus post duas noctes defunctus est XI. Kal. Jan & frater ejus Borivoi in Ducatu successit. Ex eo tempore Boëmia per plures annos civilibus bellis vehementer est vexata, pro eo quod eadem Regio non adeo ampla jamplurimis Dominis herili stirpe editis subjaceret. Erat autem justitia Boëmiorum, ut semper inter principes eorum major natu principatu potiretur. Erant autem eo tempore trium fratrum scil. Wratizlai, Conradi & Ottonis complures filii: Vratislai quidem filii, fratres Brazizlai, de quo jam diximus, erant Dux Borivoy, Bolizlaus, Vvladislaus, Sobezlaus. Conradi autem filii erant Odalricus & Lutoldus; Ottonis autem Suatopluk & Otto. Igitur postquam Borivoy Ducatum obtinuit Odalricus & Lutoldus expulsis præsidiis in Moravia, quæ ibi Dux Borivoy abiens reliquerat, receperunt civitates suas, quas Pater ipsorum Conradus habuerat in Moravia. Eodem, quem prædiximus, anno, Godefrido Duce Jerosolimitanam Ecclesiam defensante conventus ingens factus est in Jerusalem ab omnibus, qui sunt in Oriente Christicolis, maximeque qui vel Antiochiæ vel in Siria Rohas vel Palestina resederant peregrinis, in tantum ut in ipsis Nativitatis Dominicæ festis conplures regionibus adjacentibus consecrarentur Episcopi, versis in historias visibiles eatenus misticis prophetiis: Surge & illuminare Jerusalem, quia gloria Domini super te orta est. Et illud: Lætare Jerusalem & conventum facite omnes, qui diligitis eam, gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, ut e & S. ab. V. consolationis ejus. Incalescente post hæc æstate corrumpitur per Palæstinam aër Cadaverum fœtore. Sunt etiam, qui dicunt fontes infectos a barbaris veneno vel cisternas occisorum sanie. Vnde exorta pestilentia, multos ex nostris, utpote sub aëre peregrino militantes, occidit, inter quos ipsum totius Ecclesiæ Catholicæ lacrymis plangendum Godefridum populo Dei, quem paterna sollicitudine curabat, materna pietate fovebat, nimis inmature subtraxit. Sane exceptis sive tacitis, quibus pollebat multis virtutibus, tanta se mansuetudine conjunxerat tam indigenis, quam conperegrinis, ut vix adverteretur, Francisne plus plangeretur, quam Siris vel Græcis. Ante Montem Calvariæ in vestibulo Golgotanæ Ecclesiæ ejus Mauzoleum lapide pario constructum. Audito obitu fratris in Rohas civitate Baldewinus juniori Baldewino cognato suo civitatem & populum committit, ipseque cum trecentis fere viris Hierosolymam tendit, insidiantium sibi paganorum milia delusit, congreditur, vicit, onustusque spoliis cum triumpho Jerusalem intravit. Rogatus & collaudatus ab omnibus ut princeps esset eorum, consensit, nec multo post inclinans caput suum super Dominici Sepulcri tumbam, ipsius se servituti perpetualiter subjugavit. Post hæc, quo major Christianorum timor paganis incuteretur, per legatum Apostolicæ Sedis accepta regali benedictione coronatur. Deinde Assur & Cæsaream civitates maritimas debellavit, cæsisque qui ibi erant, Saracenis regnum suum Regis Babiloniæ damno dilatavit. Wicbertus quondam Ravennensis Episcopus supervivențem Papam, quod quidam ajunt, invitus ascendens, postquam tribus alternatim sibimet succedentibus supervixit, extortis sibi utraque Sede Romæ & Ravennæ obiit, malens, ut ipse dicebat, Apostolici nomen numquam suscepisse. Erat utique vir ingenio, facundia, nobilitate, personæque reverentia satis clarus, qui cum obedientiam, quam Apostolicæ Sedi, juramento, promisit non attendere, sed contra ipsam omnimodis superbire studuisset, in Romana Synodo inrecuperabiliter depositus & anathematizatus est ab Apostolica Sede & ab Episcopis totius Ecclesiæ, nec hoc semel in una Sinodo, sed in omnibus Sinodis per septennium celebratis. Ita ut perjuriis inveteratus & pro his inrecuperabiliter depositus & anathematizatus Sedem Romani Pontificis per manus anathematizatoris invasit, legitimo pastore adhuc eidem Sedi præsidente. Ipsorum autem excommunicatorum nullus eum consecrare, immo execrare præsumpsit, præter Mutinensem & Aretinum, qui ambo pro suis criminibus jam tribus annis conmunione & officio caruerunt: Sed hi etiamsi officium & conmunionem haberent, & Romana Sedes pastore careret, nullum tamen eidem Sedi Pontificem ordinare possent. De ordinationibus vero ejusdem Wicberti sæpedictus Vrbanus Papa in Placentino Concilio tale Decretum promulgavit, inter cetera dicens: Ordinationes, quæ a Wicberto hæresiarcha, postquam ab Apostolicæ memoriæ Gregorio & a Romana Ecclesia est damnatus, & a ceteris hæresiarchis nominatim excommunicatis, & ab his, qui Catholicorum & adhuc viventium Episcoporum Sedes invaserunt, factæ sunt, irritas esse omnino judicamus; Qui vero ab Episcopis quondam quidem Catholice ordinatis.

dinatis, ſed in hoc ſchiſmate a Romana Eccleſia ſeparatis conſecrati ſunt, eos nimirum ſervatis propriis ordinibus miſericorditer ſuſcipi jubeatis; ſi tamen vita & ſcientia eos conmendat, & his noſtris decretis cognitis mox ab errore ad Catholicam Eccleſiam tranſierint, & nobis noſtrisque imperatis ſe per omnia obedire promiſerint. A modo vero quicumque a prædictis ſchiſmaticis ſanctæque Eccleſiæ adverſariis ſe ordinari permiſerint, nullatenus hac venia digni habeantur: quamvis autem miſericordiæ intuitu magnaque neceſſitate cogente, hanc in ſacris ordinibus diſpenſationem conſtituerimus, nullum tamen præjudicium ſacris Canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur; nam ceſſante neceſſitate, illud quoque ceſſet, quod pro neceſſitate factum eſt. Ubi enim multorum ſtrages jacet, ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut amplius addatur caritati. Eo anno ex Langobardis cum Mediolanenſi & Papienſi Epiſcopis L. millia ad Jeroſolimitanam profectionem ſignati in Bulgariæ civitatibus hiemaverunt.

Anno Dominicæ Incarnationis MC I. Heinricus Imperator Natale Domini apud Mogontiam celebravit, ubi multi Principes convenerunt & conſilium Imperatori dederunt, ut Romam mitteret Nuntios propter unitatem Eccleſiæ & Papam conſtitueret ſecundum electionem Romanorum & omnium Eccleſiarum. Conradus Rex adoleſcens nono poſtquam a patris palatio diſceſſerat anno, Machtildis illius nobiliſſimæ & potentiſſimæ, & ut quidam dicunt Religioſæ fœminæ, ſicut ſanguine ita & contubernio conjunctus, & in rebus per Italiam diſponendis tam illius, quam Domni Apoſtolici ceterarumque DEum timentium perſonarum conſilio ſemper uſus, inmaturo præventus occaſu, plena fide & bona confeſſione a regno tranſitorio ad perenne creditur migraſſe. Sunt etiam qui veneno illum dicant interiſſe. Teſtari ſolent, qui aderant, in brachio corporis exanimis ſignaculum crucis exortum ſubito ſe vidiſſe, ipſasque ejus exequias quibusdam miraculis honorificatas fuiſſe. Brandeburh ab Odone Marchione & Saxonibus per quatuor menſes obſeſſa capta eſt. Heinricus Craſſus potentiſſimus Comes Saxoniæ gratiam Imperatoris adeptus Marchiam Freſiæ ab Imperatore in beneficium ſuſcepit, ſicut fertur, etiam per Teſtamentum ſcripturæ; qui profectus in Freſiam poſſidere comitatus ejusdem provinciæ pertinentes, prius ad Trajectenſem Epiſcopatum a militibus Trajectenſis Epiſcopi & a Vulgaribus Freſonibus, quibus dominationis ſuæ jugum grave fuit, obſequium eorum ſpectans, inſidiis vallatur, re quoque cognita fugiens ad mare vulneratur a nautis, ſimul & ſuffocatur; uxor autem ipſius Gertrudis, ſoror Ecberti Marchionis junioris, vix evaſit. Habuit autem duas filias Richenzam poſtea Imperatricem & Gertrudem Palatinam Comitiſſam. Hujus tanti viri, utpote Ottonis de Northeim potentiſſimi quondam Bawariæ Ducis filii, qui nimirum totius Saxoniæ principatum ſecundus ab Rege gerebat, interitus ab univerſo regno Teutonico graviter ferebatur. Imperator Leodio Paſcha celebravit, ubi filius ejus junior Heinricus gladium accepit. Heinricus Comes de Linthburh cum Theoderico Comite, Imperatori rebellat. Unde Imperator caſtellum ſuum Lintburh obſedit & deſtruxit, poſtremo ipſe Comes ſe in poteſtatem Regis tradidit. Congregatio Monachorum in Roſſenvelde cœpit inſtitui, & expulſis inde Clericis Werinherus primus ibi Abbas electus eſt, quod ſcilicet Monaſterium libertati conceſſum a Marchione Udone & matre ipſius & fratre & marito ſororis ipſorum datum eſt Romæ Sancto Petro.

In ipſo anno viſus eſt ab Occidente in Orientem volans ignis ad inſtar non modicæ civitatis. Vermiculorum quoque, quos Papiliones vocant, a ſimilitudine Tabernaculorum exercitus incredibilis multitudinis per tres continuos dies quaſi a Saxoniæ finibus in Bawariam volabat. Mox profectio populoſa & quæ pene priori numero poſſet dumtaxat æquari, ſubſequitur, quæ poſt auditas ultra ſpem res Jeroſolimæ proſpere geſtas, a reſiduis totius occidentis gentibus maxime ab his, quorum prius votis timor vel inopia, diffidentia vel imbecillitas obſtabat, denuo parabat primum ab Epiſcopis Mediolanenſi, Papienſi, ut dictum eſt, ceterisque Langobardorum populis ad quinquaginta milia ſignatis, deinde a diverſarum provinciarum Teutonicis, poſtremo Aquitanicis, quibus Willehelmus, Pictavienſis præerat, præter vulgus, ad triginta millia Loricatis Langobardorum, permiſſu - - Ducis, Carinthia permeata, Ungris a tergo relictis, in Bulgariæ civitatibus hiemarent, numero rareſcere cœperunt, tandemque Conſtantinopolim pervenientes, in alteram ripam, (illud enim beneficium Alexius Imperator peregrinis accelerare ſolebat,) tranſpoſitæ ſunt, immo paganorum ſagittis expoſitæ. Turci enim explorata Langobardorum inertia ſtipularum eos terrebant more, in tantum ut exercitus Teutonicus, qui eadem via ſubſecutus circa Junii Kal. ad eamdem Metropolim pervenit, quod de præcedentibus ſe geſtum ſit, nullomodo, utpote nullo ſuperſtite de Romania redeunte, poſſet inveſtigare. Ab ingreſſu quippe vel prima civitate Bulgariæ usque Conſtantinopolim ſedem Alexii ſemper pacifici ejus Nuntii occurrebant, qui tamen aliquando præcedentes vel comitantes favillarum evaneſcentium more diſparebant. Militum etiam ſuorum, quos Pincinatos vocant, exercitus, nunc a tergo damnum intulit, nunc a latere vim inferre, nunc a fronte directa acie manum conferre, nunc per noctes caſtra irrumpere diſpoſuit, ſemper tamen per XX. dies vicinus & infeſtus fuit, donec ſtatione fruentes prænominata cum turma Ducis Velphonis, exercituque Willehelmi, diverſis quoque confluentibus copiis, per dies XV. ad centum millia congregabantur. E quibus omnibus ſingularum turmarum principes Alexius more ſuo ſub appellatione filiorum ſuſcepit, eisdemque per manus acceptis, ſacramentoque firmatis, ſicuti prioribus exerciti-

citibus, munera dispertivit, pauperibus vero extra civitatem elemosinam largiri mercatumque parari præcepit. Nam obsistente suspicione paucissimis personis & ipsis pretio furtimque cujusque urbis vel castri sive munitionis per totum Imperium ejus promittebatur ingressus, qua etiam causa dum Willehelmus cum exercitu per mediam Adrianopolim, qua regia strata ducit, transire prohiberetur, Aquitani mox genitali tumescentes fastu simbola conclamant, suburbana succendunt, civitatem invadunt, cujus oppugnationi dum acriter insistunt, Pincinatorum exercitum, qui semper, ut præmissum est, iter ipsum jussu Imperatoris observant, a tergo suscipiunt, quibus congressi multos sternunt, multos amittunt, tandem via dudum contempta vadunt. Igitur tantus ille populus per Romaniam iter dirigere disponebat, necessaria sibi quisque per deserta coëmebat, ultra Brachium illud maris, quod Sancti Georgii dicitur, tam conpulsi, quam voluntarii transvehuntur. Sed quotidiani principum conventus, quotidiana etiam ipsorum cum Imperatore colloquia, quem finem sint habitura penduli nimis operiuntur, & ecce subito murmur oritur, invisum Imperatorem Turcorum potius, quam Christianorum parti favere, exploratisque, quæ circa illos erant, frequentibus nuntiis, Turcos adversus eos animare: Hic est, inquiunt, perfidus ille Alexius, qui Domno suo Michaëli per quorumdam Alamannorum conductitiorum auxilium depulso Imperium ejus usurpavit; ipsosque sui sceleris cooperatores exilio damnatos necari fecit, nuncque se tanti facere dicit Francos cum Turcis præliantes, quanti canes se invicem mordentes, cumque navigia quidam conducere tentarent, auditum est, Imperatorem peregrinis insidias etiam in mari posuisse, multasque eodem facinore naves cum submersisse. Incredibile memoratu est, & ad recordandum expertis horribile, quanta in nostro, hoc est, germanico Collegio, quod omnibus erat rarius, tunc fuerit titubatio, dum videres patrem a filio, fratrem a germano, socium ab amico multo amarius, quam mors separat, alterum terræ, alterum se mari conmittere, rursumque quosdam post appensum naulum, post unam vel duas in navi transactas noctes resumpta supellectili ad litus cum ingenti damno prosilire, redemptis pretio ampliori, quos nuper distraxerant equis, ad necem suam fugiendo mortem properare. Nos quoque eadem animi mutatione diu multumque vexati, tandem inter eos, qui se salo credere præsumpserant, Joppen portum post sex ebdomadas attigimus. Porro exercitus universalis ab Imperatore trecentis Turcopolis, qui legiones apto itinere deducerent, acceptis, contra Nicomediam vertitur, indeque Romaniam declinans ad Aquilonarem plagam contra terram Chorizanam, quæ Turcorum est patria, convertitur; Loca quippe Romaniæ, quæ circa stratam publicam erant, perjurus Alexius devastaverat, dum Christianis Antiochiæ dudum obsessis, auxilium, ut juraverat, ferre non auderet, suspectus scilicet ex tunc tam Turcis, quam Francis. Insuper militia hæc nomen sibi facere in gentibus quemadmodum anterior proposuit, sed ut rei probatur eventus, divinæ id prædestinationi non complacuit. Nam ante paucos dies iidem pagani in Langobardos, ut prædictum est, vix tepido sanguine hebetatos antea gladios duraverant, unde animati tam infinitæ multitudini bellatorum resistere præsumebant. Non multo plus quam quatuor erant milia Turcorum, qui tamen ipsi electi & equis velocissimis, armis, telisque & sagittandi peritia nimis instructi fortunam suam seu virtutem ignoti exercitus experiri potius explorando, quam aperte congrediendo veniebant. Unde inprimis latrocinantium more vulgus extremum diripere, post hæc capere vel occidere, deinde per compita percurrentes, incendio vel quocunque molimine pabula prævastare, aliquando etiam per vinceta vel carecta gradientem exercitum tota die, flammis vel fumo vexare, nonnumquam per noctes nunc hac nunc illac castrorum parte irrumpentes cunctis inquietudinem inferre: Inter hæc omnia tamen numquam acie directa, numquam fronte aperta more præliantium congrediebantur, sed resistentibus cedebant, insequentes fugiebant, revertentes denuo sequebantur. Si miserias illas omnibus miseriis miserabiliores stilo prosequi temptamus, possibilitatem simul & modum excedimus. Ibi turpiter tot nobiles, per inopiam tot divites, sine ferro tot fortes occubuerunt, dum Domno servus præsens locupleti pecunia sufficiens minime quivit subvenire, nec forti licuit pugnare. Loca quippe eadem erant arcta, invia, inhabitabi ia, hostibus cognita, nostris ignota, quia tantum DEI populum Alexii traditoris incarcerabant machinamenta, sic per dies XX quasi signum ad sagittas expositi, sic quotidie tanquam oves occisionis æstimati. Tandem in extrema jam sorte positi, nemorum se saltibus noctu tradunt, morosam, sed certam sibi mortem accelerare satagunt, quamvis paucissimi quicquam emolumenti fuga contulerit, præter quod omnium ultima fata tardantia consummavit. Nam de tam innumero populo DEI heu heu non credimus mille viros superfuisse, quos postea vix ossibus hærentes Rhodo, Papho, ceterisque portubus, raros autem Joppe vidimus, e quibus Bernhardus Comes & Heinricus Comes Ratisponensis obierunt Jerosolimæ, Dux vero Welphus revertendo moriens Papho est humatus. Inter longissimam cruciatuum suorum historiam, quam hic texere longum est, Archiepiscopum Salzburgensem, captum, Marchisiam etiam trucidatam, duos Brunones Canonicos nobiles viros inedia sitique defecisse referebant. De Latinis principibus Willehelmum, Regimundum, Stephanum ceterorumque partem aliquam superesse adhuc quidam dicebant.

Dum hæc ita geruntur nec his, qui in Judæa sunt Christianis parcitur; sed tam ab Aschalonitis atque Damascenis quotidiana latrocinia, quam a Babilonibus bella parabantur. Post

Pp Maji

Maji quippe Kal. non longe a Rama castra metatus Babilonicus exercitus, contra quem aciem Baldewinus instruxit, hortatus suos, ut sicut ante paucos dies per Dei gratiam parva manu multam de Arabia prædam tulerant, ita nunc hostium multitudini non cedant. Illorum, inquit, damno vivamus aut periculo moriamur. Ecce bellum, o boni milites, quod olim optavimus, pro quo patriam, parentes, pacem, contempsimus. Porro pro Christi hæreditate contra invasores sanctæ terræ, prædonesque alienigenas pugnare honestum est, vincere tales nequaquam incertum, mori gloriosum. Illis patria ministrat fugam, nobis exilium victoriam. Conprobemus jam, quod ipsi exprobrant, Francos mortem non timere, immo Christi peregrinos aut in Christo vincere aut in Christo mori velle. Talia multa postquam peroravit, arrectis suorum animis, miro Dei Omnipotentis nutu ingens Sarracenorum populus uni tantum vel paulo plus Legioni nostratuum cessit; Adeo ut ne congredi quidem præsumerent, sed post transactos aliquot in eadem statione dies turpiter & inacte redirent. Rursus circa Kalend. Septembris, quo scilicet tempore Christianorum, quos ante memoravimus, adventantium fama Babiloniæ regna terruerat, inito consilio præoccupare universorum, qui tunc in Judæa vel in cunctis finibus illis reperirentur, perditione disponebant, missisque Epistolis Damasco, Tripoli, Gibel, ceterisque barbaris civitatibus adversus nomen Christianorum se qualicunque pacto confortabant. Egressus itaque XL. milium exercitus de Babilone primum ad Joppen tendens, non longe ab Ascalone sumptis nimirum inde sociis consedit; Baldewinus vero rem non ignorans, suos undique, id est, ab Jerusalem, Nicopoli, Monte Thabor, Ebron, Cæsarea, Assur in Joppen, ubi tunc non parva manebat peregrinorum turba, convocavit. Cujusdam diei hora III. præcedente Regem Baldewinum ligno Dominicæ crucis extra civitatem Joppen totius populi Conventus est factus, jussuque Regis Arnoldus quidam venerabilis & bene litteratus Clericus sic in medio populi exorsus est: Beata gens, cujus est Dominus Deus, ejus populus, quem elegit in hereditatem sibi. Vos, o fratres, gens estis illa Beata, vos populus ille Christi hæreditatis, populus adquisitionis, qui relictis omnibus, patria, parentibus & rebus crucem quotidianam post Christum tulistis; vos corpora pro Christo ad supplicium tradidistis; vos pugnasse videmini, sed Christus vestro voluntarie sibi sacrificato sanguine, vestrorumque fratrum & conmilitonum pretiosa morte locum sanctificationis suæ dignatus est mundare, civitatem requiei suæ Jerusalem voluit post tam annosa spurcissimæ gentis vincula per vestram devotam servitutem expedire: Hæc, inquit, requies mea, in seculum seculi hic habitabo quomodo e. eam. Contra quam divina sponsione nobis inditam spem, ecce Paganorum litteræ Dei nutu ante diem hesternum comprehensis Legatis oblatæ, vaticinata perhibent dæmonia, nos illorum præliis hoc anno delendos, Jerusalem funditus destruendam, & quod omnibus his horribilius est, ipsam Dominici & gloriosi sepulcri petram frustratim confringendam, sicque camelis ad mare delatam in remotissimo, & quod numquam a Christianis resciri possit pelago submergendam. Unde quid facto opus sit, o Christicolæ, videte; quem finem hæc tanta præsumptio sit habitura perpendite. Plura disputare volentem, clamor interstrepens compescit; aut gloriose, inquiunt, mori pro Christo, Christique legibus & vivere æternaliter instat, aut turpiter cedere, brevique vita perpetuam mortem comparare restat; Sed nec temporaliter nec æternaliter vivere liceat, quem contra tam profanam, tam blasphemam paganorum audaciam pugnare non libeat. Protinus ante crucem redemptionis nostræ confessione peccatorum, unanimi humiliatione facta, ac post dictam indulgentiam ab Apostolici Legato, qui tunc forte aderat, benedictione accepta, Domini inclamantes adjutorium, castro sunt unanimes redditi; indeque summo mane ad septem peditum milleque equites recensiti periculo sunt ingenti cum magno gaudio præsentati. Visa igitur statione Barbarorum, tanta fervescere fide cœperunt, ut unusquisque se solum tot legiones sternere posse non dubitaret; Unde contigit, ut dum per unum pene miliarium inordinate currendo, incaute se hostibus infundunt, prima cohors a latere invasa, ilico tota rueret. Tunc Rex efferatus animo tanto illos equitum impetu involat, ut licet Idolorum responsis de victoria certificati acrius, quam antea umquam, resisterent, sicut cera a facie ignis ante ipsum liquescerent. Referebat venerabilis abbas Gerbertus qui Crucem Dominicam Regis lateri semper contiguus ferebat, se numquam tantam nivis vel pluviæ, quantam tunc telorum contra Regem volitare densitatem vidisse, at post ligni pretiosi intuitum nullum ex hostibus telis se vel armis, sed omnes fugæ se præsidio conmisisse. In his diebus tanta fuit mortalitas, ut ad trecenta cadavera singulis diebus Jerosolimis exportata numerarentur. Joppe vero ingens campus intra paucos dies tumulis occuparetur. Itaque post victoriam dum castra prædamque diripiunt, adest nuntius a Joppitis, qui civitatem a terra multis equitibus, a mari vero quadraginta duabus navibus rostratis diceret obsessam. Mox onusti spoliis, reliquis vero incendio traditis, obsessis in auxilium properant: postque tot hostium incursus, tantas penuriæ pestilentiæque miserias festum Nativitatis Sanctæ Dei genitricis, quod ipso die cum mœrore ceperant, maximo illos tripudio complere faciebant. Sequenti die multam eis abundantiam frumenti cunctorumque victualium cum peregrinis ad XII. æstimatis XXX. naves deferebant, quas dum hostium classes invadere niterentur, per virtutem Sanctæ Crucis quæ dum nil carnalis adjutorii posset conferri, in altum e contra jubente Rege levabatur, adeo repressi sunt, ut nullo conatu vel arte unam saltem de tot navibus loco moveri posse tam pagani quam Chri-

Christiani mirarentur; Eodem anno die sacratissimi Sabbati, quo secundum antiquæ misericordiæ Domini Paraclisin baptismate consecrato, lumen de cœlo Christianus populus expectans, ministrari usque ad vesperam orationibus instabat, sed dono cœlesti, quod etiam in conspectu gentium suscipere semper solebant, frustrati absque festiva Sinaxi noctem Dominicæ Resurrectionis mœrendo transegerunt. Summo mane cum Lætaniis a Sepulcro Domini nudis pedibus procedunt, ingressique Templum Domini, quo loco, id est, Monte Moria, in Arca David exauditum, cunctosque exaudiendos, qui devoto corde ibi oraverint, Salomoni promissum legimus; mox post preces lacrymas vix atrium egressi signa concrepantia & laudes ab his, qui remanserant, audiunt, ingressique duas lampades cœlitus accensas gaudentes aspiciunt. Quid plura? Totum a Baptismo servitutis pensum dudum subtractum usque ad missæ conpletionem persolvunt. Itemque inter Missam Sirorum, qui semper post nostrum egressum, eodem choro psallere solent, lampades aliæ divinitus accenduntur, ante vesperas vero & inter ipsas vesperas usque ad XVI. hujusmodi lumina visibiliter ampliantur, sicque contigit, ut pauci intra Jerusalem seu Christiani seu pagani reperirentur, qui tam evidentem Christi potentiam se non vidisse testarentur.

Anno Dominicæ Incarnationis MCII. Heinricus Inperator Natale Domini Mogontiæ celebravit, ubi Heinricus Comes de Lintburh Dux effectus est. Imperator, habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum ac generale Concilium in Kal. Febr. inibi habiturum condixit, quatenus tam sua, quam Domini Apostolici causa Canonice ventilata, Catholica inter regnum & sacerdotium firmaretur unitas, quæ tot annis scissa permanserat. Constat tamen nec ipsum juxta placitum venisse, nec nuntia dignitati Apostolicæ subjectionem profitentia misisse; nec hoc latet, quod alterum Papam Domno Pascali superponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit. Transacta post hæc media XL. convenientibus universis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tuscaniæ totiusque simul Italiæ Præsulibus, Vltramontanorum autem quamplurimorum Patrum Legatis Sinodus magna Romæ est habita, ubi præter antiqua Patrum instituta reverenter confirmata, etiam præsentis temporis schisma inter præcipuas hæreses computatum ac perpetuo cum suis auctoribus atque sequacibus anathemate est damnatum, subscripta hujusmodi professione: anathematizo omnem hæresim, præcipue eam quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet & astruit anathema contemnendum, & Ecclesiæ suæ ligamenta spernenda esse; promitto autem obedientiam Apostolicæ Sedis Pontifici Domno Pascali ejusque successoribus, sub testimonio Christi & Ecclesiæ affirmans, quod affirmat & damnat sancta & universalis Ecclesia. Ibi etiam hanc sententiam in Inperatorem vel Patricium Romanum Heinricum idem Apostolicus promulgavit; Quia, inquit, Tunicam Christi scindere, id est, Ecclesiam rapinis & incendiis vastare, luxuriis, perjuriis, homicidiis conmaculare non cessavit, primo a Beatæ memoriæ Gregorio, deinde a SS. Viro Vrbano prædecessore meo propter suam inobedientiam exconmunicatus est atque condemnatus, nos quoque judicio totius Ecclesiæ anathemati perpetuo eum tradimus. Id notum volumus omnibus & maxime ultromontanis esse, quatinus ab ipsius se contineant iniquitate. Rotbertus Episcopus Babenbergensis obiit, cui per Heinricum Inperatorem substituitur Otto Cancellarius, vir bene, ut creditur, religiosus; Hartwigus Magedaburgensis Archiepiscopus obiit, vir per multa laudabilis, maxime tamen popularis & Ecclesiæ, cui præerat, utilitatibus multum insudans dilatandis, pro scismate quoque resarciendo, inter utramque partem mediator infatigabilis. Ærbo nobilis de Carinthia princeps & quondam Palatinus Comes in Bawaria Hartwici Palatini Comitis filius jam grandævus migravit in Domino; Rotbertus Comes Flandriæ Cameraci fines vastavit; Ipsam Cameracum obsedit, sed viriliter ab his, qui urbi præsidio erant, repulsus est. Vnde Inperator conmotus autumnali tempore expeditionem fecit adversus Rotbertum, cujus provinciam magna ex parte vastavit, & Castella pleraque cepit. Denique Rotberto in terræ suæ firmiora se recipiente nec locum pugnæ dante Imperator rediit. Seditio quoque facta est inter Fridericum Coloniensem Archiepiscopum & Fridericum Comitem Westfaliæ; Siquidem Comes Episcopatum Coloniensem præda flammisque aggreditur. Vnde Archiepiscopus permotus castrum ejus Arnesberch obsedit & in deditionem accepit. Erich Rex Danorum cum conjuge sua Jerusalem profectus est, amboque in itinere defuncti sunt. Fuit quoque civile bellum in Boëmia: Odalricus enim conquerens apud Imperatorem, præreptum sibi a patruele Borivoy, juniore se, Boëmiæ principatum. Tandem impetravit, ut liceret sibi debitam armis invadere Provinciam; Cui sociantur Odalricus Frisiensis Episcopus & frater ejus Comes Sigehardus atque suus per sororem gener Fridericus & alii Teutonici quibus falso pollicitus erat suos fautores esse omnes Boëmiæ majores; quibus adunatis Odalricus cum fratre Lutoldo Aug. mense intrat partes Boëmiæ; Sed Duce Borivoy cum exercitu occurrente & Sutopluk cum fratre Ottone post illos via qua venerant in auxilium Borivoy veniente, coarctati angustiis per angustam semitam nocte elapsi, cum dispendio rerum suarum redierunt.

Anno Dominicæ Incarn. MCIII. Inperator Heinricus Natale Domini Mogontiæ celebravit, ubi Principes convenerunt, & in Epiphania Domini Emehardus Wirceburgensis Episcopus apud S. Martinum Missam celebravit. Inter ipsa Missarum solemnia Episcopo populum monente, Imperator quasi corde conpunctus, filio suo Heinrico Regi rerum summam dimissurum, seque sepulcrum Domini visitatu-

sitaturum per Emehardum Episcopum publice prædicari fecit, indeque favorem maximum tam vulgi, quam principum & Clericorum regnique totius fallendo adquisivit, multosque ad ejusdem itineris comitatum se præparare voto ipso succendit. Cumque Principes ad ejus curiam sæpe convenirent, nihil de Republica agebant, propter quod sua consumebant. Proinde secum ficta fide versabantur & adversus eum conspirabant, eo quod regni Principes deciperet, & nil rerum veritatis in republica fieret, suisque temporibus cuncta vilescerent. Multæ urbes & oppida ejus bello sunt destructa; Ecclesiarum DEI raptor erat, scilicet causa reconciliandi Principes, illarum prædia distribuendo. Quid multa? Nemo umquam talia in antiquis voluminibus repperit scripta, qualia is perpetraverat facinora, & nisi mira DEI clementia eum sufferret, & ad pœnitentiam distulisset, terra forsitan vivum sicut Dathan absorbuisset. Cono filius Ottonis Ducis quondam Bawariæ, frater Heinrici Crassi, qui ante biennium, ut dictum est, peremptus erat, unus ex summis Principibus & cui nihil supra in omni humanarum rerum dignitate, natu scilicet, litterarumque scientia, fortitudine atque divitiis præpollens, elegantia atque facundia bonis omnibus amabilis & affabilis, quorumdam funestorum hominum conspiratione noctu, dum iter agit, invaditur & interimitur, ingentem relinquens nobilibus regni luctum simul & suspicionem, dum ab infimis in summos tanta scelera præsumuntur.

Habuit idem Cono Comes uxorem nomine Cunigundam, filiam Ottonis Marchionis de Orlagemunde, hæc primum nupserat Regi de Ruzia, quo defuncto reversa in patriam, nupsit huic Cononi; filiam autem ejus, quam habuit ex Rege Ruzorum, quidam de Principibus Thuringorum Gunterus nomine accepit, genuitque ex illa Sizonem Comitem. Genuit post hæc ex Conone Comite quatuor filias, ex quibus unam accepit Heinricus Comes de Siutfene, alteram Willehelmus Comes de Licelenburh, tertiam quæ Adela dicebatur Thiedericus Comes de Katelenburch; sed illo defuncto Helpericus Comes de Ploceke duxit eam, peperitque illi Conradum Marchionem & Bernhardum; Quarta Cunigunda nominata, sicut mater, nupsit Wiperto juniori, quo defuncto accepit eam Thieppoldus Marchio de Bawaria; Senior autem Wipertus desponsavit matrem illorum tertius. Heinricus Marchio de Ilburh filius Dedonis Marchionis ex Adhela Marchionissa, quæ vidua extabat Ottonis Marchionis de Orlagemunde defunctus, vir sui temporis in Saxonia præpotentissimus. Habuit autem filium de Gertrude Comitissa de Bruneswic Heinricum Marchionem juniorem, qui suppositus nec vere filius ejus esse dicebatur. Principes Saxoniæ contra Udonem Marchionem congregati, Alesleve obsident, patria autem ab utraque parte nimio incendio vastatur. Rotbertus Comes Flandriæ cum per Legatos suos pacem ab Imperatore expeteret, inducias accepit, ut apud Leodium Imperatori occurreret, ibique res determinaretur. Ergo in festo Apostolorum Petri & Pauli Imperator Heinricus cum frequentissimo Principum totius regni conventu Leodium venit, ibique Rotbertus gratiam ejus obtinuit; Heinricus filius Imperatoris Glizberh castrum munitissimum cepit.

His temporibus obiit Wladizlaus Dux Poloniæ habens duos filios unum de Concubina dictum Spigneu, alterum ex Juditha sorore Ducis Borivoy, nomine Bolezlaum, quibus regnum suum divisit per medium. Spigneu post obitum patris mox contra fratrem sumit arma & promissa pecunia Ducem Borivoy associat sibi in auxilium, qui post Suatopluk in Moraviam misit, & convenientes castra metantur juxta oppidum Recen, quod audiens Bolezlaus rogat Borivoy, ut memor propinquitatis sibi per Juditham ejus sororem sit, qui statim accepta ab eo pecunia reversus est in Boëmiam. Et quia nil Suatopluk patrueli de accepta dedit pecunia, succensus ira Suatopluk discessit, ortaque est ex tunc inter eos discordia.

Anno Dominicæ Incarnationis MC IV. In Natali Domini magna inæqualitas aëris, multos ne Ecclesiam peterent, prohibuit, petentes quidam in flumine Fulda submersi sunt. Heinricus Imperator Natale Domini Ratisponæ celebravit, ibique aliquandiu moratus est. Monasterium in Alesleve igni deflagrat: Humbertus Bremensis Archiepiscopus obiit, cui successit Fridericus. Imperatore in Ratispona commorante, orto quodam prius murmure inter Bawariæ Principes, eo quod Saxones vel Franci familiarius illic & honorabilius, quam indigenæ ab Imperatore tractarentur; Sigehardus Comes filius Friderici, Patruelis autem supradicti Erbonis Principis de Carinthia, qui hujusmodi suspicionem maxime notabat, cœpit Imperatori paulatim invisus haberi propter hoc maxime, quod is solus præ cunctis, qui tunc aderant, Principibus abundantiori militum copia adducta ad resistendum se, si forte de curia quicquam secus cederet, videbatur conmunisse. Diebus aliquot exactis, cum jam securior factus, idem Comes suorum Turmas defluere permisisset, conspirantibus tam Urbanis Ratisponensibus, quam diversarum partium ministerialis ordinis hominibus, excitatur in illum seditio furibunda, quæ nullomodo vel ipso Imperatoris filio interveniente sedari potuit, donec ab hora diei tertia usque ad horam nonam in hospitio obsessus, tandemque fractis foribus ipse prius confessione facta sumpto etiam Dominici sacramenti viatico capite truncatus occubuit. Unde orta est maxima persecutio Imperatori a cognatis illius & a cunctis regni principibus, quia si vellet ei subvenire nequaquam esset interemptus. Cum ob id non paucos sentiret habere adversarios insidiis eorum circumquaque vallatus aptum evadendi cœpit inquirere locum. Tandem discessit & ad celebrandum Pascha Mogontiam venit. His tamen exceptis undique terra satis quievit, pace simul & fertilitate; nec non aeris qualitate corporumque

que

que sanitate delectabiliter jocondata. Boto Comes cognomento fortis Erbonis supradicti germanus jam plenus dierum non longe a Ratispona defunctus est, & ad Monasterium Tharienie, quod ipse suis opibus atque prædiis large ditaverat, delatus, ibique est humatus. Hi duo fratres Erbo scilicet & Boto paterno sanguine Noricæ gentis antiquissimam nobilitatem trahebant, illius famosi Erbonis posteri, quem in venatu a Visonta bestia confossum vulgares adhuc cantilenæ resonant, Hartwici Palatini Comitis filii, qui germanus fuit illius Friderici, qui Sigehardum genuerat, quem Ratisponæ peremptum jam diximus. Maternum illis erat stemma de Saxonia, Immidingorum Tribus egregia, quæ Ottonum inclitæ stirpi traditur vicina. Nam ejusdem Immid historia Saxonum meminit, his verbis: Erat, inquit, clara & nobilissima ac singularis prudentiæ Regina Machtildis scilicet Magni Ottonis mater, filia Theoderici, cujus fratres erant Widikint, Immid, Regebern. Regebern is erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque illos, liberans patriam ab illorum incursibus usque in hodiernum diem; & hi erant stirpis Magni Ducis Widikindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Karolum per XXX. ferme annos. Horum clarissimorum Principum semine nobilis Friderun Erbonis & Botonis mater, a Retingo filio Botonis, filii Retingi, item ex Botone nati, procreatur, quæ post mortem Hartwici statim viduitatis velamine consecratur, adhuc Erbone parvulo, Botone inprægnata postumo; quorum utrumque litteris & armis atque rebus satis profecisse constat. Attamen Bottonem, sicut corpore proceriorem & elegantiorem, ita rebus bellicis famosiorem atque præstantiorem totius pene Germaniæ atque Italiæ populus testatur. Pannonia vero talem illum ac tantum se fatetur aliquando sensisse, ut is vere de gigantibus antiquis apud illos fuisse credatur. Johannes Spirensis Episcopus obiit & in Monasterio suo apud Sunnesheim sepultus est. Conradus adolescens filius Beatricis Marchisiæ, postquam spretis litterarum studiis, quibus adprime eruditus erat, armis operam dedit, juxta Christi præsagium, quia gladium accepit, gladio periit. Nec multo post etiam ipsa Beatrix obiit, & juxta patrem suum Ottonem Ducem in castello Swinvorde sepulturam accepit.

Eo anno circa solstitium æstivale conmutato in tempestatem aëre decidisse fertur inter grandinum lapides in pago Wirceburgensi tantæ magnitudinis glacies, quæ in quatuor divisa totidem hominibus importabilis videretur. In Episcopio Spirensi sanguis ex panibus fluere visus, nec non & in lenticularum edulio repertus, civile, imo intestinum bellum portendere secundum antiquam historiæ Romanæ similitudinem coniciebatur. Igitur Imperator Heinricus apud Mogontiam sancto Pascha solemniter peracto Leodium venit. Teodericus interea Comes Saxonicus, Imperatoris propinquus, quosdam de Magadaburgensibus post Imperatorem Leodium ituros ad Imperatoris injuriam deprædatus est, cœpitque inter eos Asicum quemdam Magadaburgensis Ecclesiæ Canonicum, imponens ei Simoniace Episcopatum affectare, cumque eo Herimannum Magadaburgensem Comitem, arguens eum, hujus emptionis esse auctorem. Talibus Imperator compertis nimium indignatus est, & circa festum Sancti Andreæ congregato exercitu, Rege etiam Heinrico filio suo comitante, expeditionem adversus eumdem Theodericum direxit. Sed cum in Frideslar consedisset, orta est dissentio inter eum & filium. Nam detestabatur eum filius, quemadmodum cuncti fideles, quia denuntiabatur excommunicatus ab Apostolicis Gregorio, Urbano, Paschali. Et assumens de Patris familiaribus Herimannum & alios quosdam II. Idus Decembris clam abscessit, & in Bawariam divertit. Comperto igitur discidio filii a patre, Thieppoldus Marchio supranominati Sigehardi Comitis nepos, gaudens cum cunctis Regionis illius primatibus obviam venit & honorifice suscepit, optimumque visum est, ut Natale Domini Ratisponæ celebrarent. Imperator mane comperto, se privatum filio, nimio dolore constringitur, & Mogontiam Natale Domini celebraturus revertitur.

Anno Dominicæ Incarnationis MC V. Heinricus Rex V. illius nominis, bellum adversus Patrem Imperatorem in Bawaria parat, machinantibus Thieppoldo Marchione, Beringero Comite & Ottone nobili quodam viro sibique materna stirpe cognato, quorum consilio & adjutorio a patris latere discesserat; qui post Natale Domini nuntios Romam dirigens, præscriptamque hæresim anathematizans, Apostolicæ sedi debitam profitetur obedientiam, quærens consilium propter juramentum, quod patri juraverat, numquam se regnum sine ejus licentia & consensu invasurum. Apostolicus, ut audivit inter patrem & filium discidium, sperans hoc a DEO evenisse, mandavit ei Apostolicam Benedictionem per Gebehardum Constantiensem Episcopum, de hoc conmisso sibi promittens absolutionem in judicio futuro, si vellet justus Rex & gubernator esse Ecclesiæ, quæ per negligentiam patris sui deturbata esset multo tempore, mox ut Apostolicæ consolationis verba percepit & bani absolutionem a prædicto Episcopo, castellum, quod vocatur *, obsedit & suæ potestati subegit. Imperator itaque Natale Domini Mogontiæ celebrans, statim post Epiphaniam Legatos direxit in Bawariam, Coloniensem & Treverensem Archiepiscopos & Ducem Fridericum & Erlolfum Cancellarium ad Regem, si quomodo possent reconciliare eum: Rex vero respondens fatetur, se nulla ratione Imperatori conmunicare posse, nisi prius purgaretur excommunicationis noxa, qua diu tenebatur sedis Apostolicæ censura. Media Quadragesima maxima pars principum Saxoniæ Quidelingeburh convenerunt, ibique obvii aderant Marchio Thieppoldus, Comes Beringerus de Sulzbach, a Rege directi, omnem fidem & omnem justitiam promittente per eos, si ei

si ei de regno obtinendo assensum præberent. Denique ex communi consensu Regi fidem & servitium per eos demandaverunt, & ut ad se veniret, in proximo Pascha invitaverunt. Rex autem iter suum multa comitante caterva direxit in Thuringiam ad civitatem Erpesford, ubi decenter a Rothardo Mogontinæ Sedis Archiepiscopo suscipitur, & ibidem diem palmarum celebravit. Hinc ad Saxones convertitur, a quibus honorifice susceptus in Cœnobio Geronroth Cœnam Domini celebravit & in Parasceve nudis pedibus ambulavit Quidelingeburh, ibique Sanctum Pascha festive peregit. Itaque in brevi omnibus Saxoniæ civitatibus potitus & ab Optimatibus dignitate regia satis honoratus consilio & Ministerio Rothardi Mogontini & Gebehardi Constantiensis Episcopi totam Saxoniam Apostolicæ Sedi reconciliavit. Denique post Pascha Halberstad venit & Canonicos, quos Fridericus Episcopus injuste expulerat, locis & rebus suis restituit, ceterique Canonici a banno solvuntur; eo quod Inperatoris anathematizati Episcopo consenserunt. Ilsineburgenses quoque Monachi, qui Fridericum Episcopum declinantes, jam per quinquennium exularunt, regio jussu honorifice reversi, Martinum Abbatem elegerunt; Post hæc Rex adiit Hildinsheim, cumque urbi appropinquaret, Vdo Episcopus cum paucis abiit. Canonici vero a banno solvuntur; Ordinati sicut & Ordinator ab officio suspenduntur. Post hæc Episcopus Canonicorum consilio revocatus rediit & banno solutus gratiam Regis obtinuit. Dum hæc in Saxonia aguntur, Patriarcha de Aquileja conplacandi gratia si fieri posset ad Imperatorem venit, dicens non audere sibi conmunicare, nisi se Deo reum recognoscere, & omni regno humiliare, & Romanæ vellet Sedi in omnibus obedire. Timebat enim ne & ipsum ejus astuti sermones deciperent, sicuti ceteros antea sæpe delusit. Itaque Sanctum Pascha Mogontiæ idem Patriarcha celebravit, & post Pascha acceptis ab eo muneribus ad propria remeavit. Interea Rex filius post Pascha Goslariam venit, ibi generale colloquium cum Saxoniæ Principibus habuit, qualiter Dei adjutorio & eorum Consilio sua ordinaret & Ecclesiam a schismate ad unitatem redintegraret. Aderat Apostolicæ Sedis Legatus Gebehardus Constantiensis Episcopus, qui & Regem cum suis omnibus absolverat, & quemdam Præsulem nomine Mindensem Widelonem omnium scelerum Inperatoris & spurcitiarum auctorem auctoritate Apostolica jam deposuerat, & alium in loco ejus a Rege & populo ejusdem loci electum constituerat. Visum est igitur eidem Gebehardo & Rothardo Mogontino Pontifici in ebdomada ante Pentecostem habere Concilium in loco qui Northusen dicitur, ibique Ecclesiam pro posse ad pristinum revocare statum, & antiquam Patrum Regulam recitare, invasores Episcopos & qui tunc temporis Simoniace intraverant, vivos deponere, sepultos effodere, ab his ordinatos manus inpositionem a Catholicis recipere & Vxoratos Clericos ab officio divino removere. In quo Concilio super sententiis instantibus patrum decretis primum relectis, quæque poterant ad præsens laudabiliter corrigebantur, quædam vero graviora ad Apostolicam audientiam differebantur; præter illa quæ prædicta sunt, jejunium Mensis Martii prima ebdomada Quadragesimæ, jejunium vero mensis Junii in ipsa ebdomada Pentecostes Romano more celebrandum a præscriptis Præsulibus Apostolica auctoritate indicitur & pax Dei confirmatur. Ordinatis autem a Pseudoepiscopis per Catholicam manus impositionem proximo jejunio reconciliatio danda fore promittitur; Crisma eorumdem, quod contra edictum Archiepiscopi, in Cœna Domini confecerant, adnihilatum est; Rex autem cum servorum Dei conventui nonnisi vocatus interesse vellet: Ingens enim cum Episcopis & Clericis, Abbatum etiam & Monachorum Ecclesiæ unitatem sitiens turba confluxerat; tandem in abjecto productus habitu, stansque in editiori loco juxta Principum decreta omnibus suas leges & jura innovavit, si qua vero irrationabiliter rogabatur, prudenti responso & avita magnanimitate confutavit. Interea obortis lacrimis Deum testabatur, nonnulla se cupiditate regnum invasisse, nec patrem & Dominum suum deponi ab Imperio exoptare, immo pertinaciæ & inobedientiæ ejus debitam compassionem exhibere; Quod si Sancto Petro & ejus Vicario lege Christiana velit subjici se illi aut regno cedere aut serviliter spondebat subesse: quæ verba omnis multitudo collaudans tam pro patris conversione, quam pro filii prosperitate lacrimas & preces effudit, voce magna Kyrieleyson declamans. Eadem hora Vdo Hildinisheimensis & Fridericus Halberstadensis & Heinricus Patherbrunensis Episcopi vestigiis Metropolitani prostrati Apostolicæ se dedunt obedientiæ, quorum conmissa Apostolico nihilominus judicio reservantur, sub officii sui tantum suspensione, & si ab Ecclesiis quibus quocunque modo præerant, bonum testimonium vivendo mereri studerent, locus veniæ non denegatur. His rite dispositis Rex Pentecosten Mersburh celebravit & Dominum Heinricum de Sasle Magadaburgensis Ecclesiæ jam dudum designatum Archiepiscopum, sed ab amicis Imperatoris expulsum, consecrari constituit. Gebehardus vero Constantiensis Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus in Sancto Sabbato ebdomadæ Pentecostes Goslariæ ordines fecit, ordinatos Vdonis Hildinisheimensis sine albis, Heinrici vero Patherbrunensis indutos albis ceterisque indumentis, unumquemque ad sui ordinis habitum præparatum inter ordinandos locavit, & per manus impositionem redintegravit; ibique Dominum Heinricum Magadaburgensem electum ad Presbiterii gradum sublimavit. Similiter Rothardus Mogontinus Archiepiscopus in præpositura Heliginstad ordines celebrans ordinatos Heinrici Patherbrunensis, qui eo venerunt, eodem modo quo Gebehardus ordinibus suis restituit. Post hæc Rex assumptis secum Saxonibus, volens Rothardum Archi-

Archiepiſcopum diu ab Imperatore expulſum, Mogontinæ Sedi reſtituere ad Rhenum venit, patre intus expectante cum non parva militum manu & nonnullis ſibi tamen parum fidis Principibus; qui mercede hos omnes maxime Palatinum Comitem corrumpens, quia is Regi transmeandi promiſerat apparatum, Claſſem navium ad Mogontinum portum tranſtulit, manuque militum & civium, ne tranſiret, prohibuit. Plura tamen hinc & inde nuntia navigabant, multa conſilia conmunes regni Principes inter ſe trutinabant, patre regni diviſionem & hæreditariæ ſucceſſionis confirmationem pollicente, filio vero nihil niſi Apoſtolicam ſubjectionem & Eccleſiaſticæ unitatis efficientiam expoſtulante. Rex itaque videns ſe patris potentia præventum, nec poſſe transmeare; Rothardus Archiepiſcopus in Thuringiam revertitur; Ipſe vero Wirceburh adiit & Erlolfum, quem Inperator ibi conſtituerat Epiſcopum, depellens, Rotbertum ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitum per Rothardum Archiepiſcopum intronizavit, ſicque Eccleſia eadem Apoſtolicæ Conmunioni reconciliata & ſecuritate ab Vrbanis accepta Saxonibus dimiſſis ipſe cum Bawariis Nuorimberch caſtrum obſedit, quod poſt duos menſes proſpere capiens, ſoluto exercitu Ratiſponam ſe contulit. Ad vincula vero Sancti Petri Imperator collecto exercitu Erlungum in Wirceburh, fugato Roberto, reſtituit, omnia quæ fautorum Regis erant devaſtans, Ratiſponam venit. Rex, ut audivit, urbi Imperatorem ex inproviſo appropinquare vix aufugit, & fluvium qui Regen dicitur cum ſuis transvadavit. Imperator urbe potitus quemdam adoleſcentulum nomine Odalricum eidem Cathedræ præfecit; Gebardus enim, qui eandem ſedem per annos XVI miſerabiliter occupaverat, eodem anno a quodam quem intolerabiliter injuriaverat proprio milite trucidatus duplo plangendus diſceſſerat. Inperator congregato item exercitu Marcham Thieppoldi maxime per Boëmiorum crudelitatem devaſtavit. Rex autem & ſui milites nihil ultra morantur, conventum usque quaque facere, Inperatoris ſociis a tergo flammis prædamque vicem reddere, poſtremo cum X. millibus electæ juventutis in V. Legiones diſpartitis congreſſum expetere. Jam caſtris in contrarium poſitis ſpectaculo horribili per triduum continuum ex una parte fluminis Regen Inperatoris, altera ex parte volitabant ſigna filii; jam frequentia graſſabantur in ipſo fluminis alveo duella, inter quæ & Hartwigus Comes ex parte Inperatoris occubuit. Sigehardus Comes capitur, nec paucos ex utraque parte Martis ſors anceps abſumpſit. Sed diem, quæ generalem congreſſionem præcedebat, Principes utriusque exercitus, conceſſis invicem pacificis colloquiis, poſt moroſe ventilatam belli præſentis cauſam, parum juſtitiæ parum emolumenti tam duro periculo ineſſe cernentes, Chriſtiano populo utrinque parcendum, immo parricidali pugna ceſſandum, pari voto judicabant; Rex etiam, dum per ordinatas acies Mars frendere cœpiſſet, conmotis viſceribus ſuper patre ſuo exclamaſſe fertur, gratias affectui veſtro circa me, conmilitones, ſummopere refero, unicuique veſtrum par pari referre, ſi res exegerit, non abnuo; non tamen in hoc me ſibi credat fore fœderatum, ut patrem & Domnum meum per ſe glorietur occiſum aut umquam exiſtimet occidendum. Ego quidem Chriſtianis Legibus ſubarratum mihi regnum ut hæres & ſucceſſor Auguſti tenere, ſi tamen Deo placuerit, cupio, parricida vocari vel eſſe nolo; Quod ſi pater meus Apoſtolicæ ſe ſubjecerit obedientiæ jugo, ego in his, quæ ipſius mihi conceſſerit clementia, contentus ero, interim me non impugnatorem patris, ſed paterni regni propugnatorem eſſe noveritis. Itaque veſperaſcente jam die Regis phalanges loco ceſſere, Inperatoriæ Majeſtati reverentiam ſe exhibere clamantes. Inperator autem in caſtris dum de craſtino certior conflictu diſponit, nec pugnam, nec pugnandi votum, principibus eſſe per Boëmiæ Ducem, Liuppoldumque Marchionem præter ſpem audivit. Vnde animo conſternatus ſupplex adjutorium illorum petit, nec impetrat. Inſuper inſtructus ſecretis filii nuntiis ſuorum conſpirationem ſe adverſum factam, latenter e caſtris cum paucis admodum viris ſubtrahitur. Cujus abſentia poſtquam per caſtra innotuit, maturaverunt fugam, latibulo noctis opacæ ſecuritate illis miniſtrante. Rex autem diſturbatis inimicis ad libitum frui poſſet, parcere quam perſequi maluit, civitatem tamen Ratiſponam ob dati prius fœderis defectum auſteriori pacto ſibi confirmat; Et abdicato Odalrico, Hartwigum virum nobilem, probatum Catholicum Epiſcopum ibi intronizat. Præſules etiam quosdam & principes paternæ militiæ intra murum repertos ſibi conciliat, & rediens in Franciam perfidis ſibi Wirceburgenſibus eodem calice propinat. Erlungus autem, qui Præſulis ibi nomen ſuſceperat, ſpe fruſtratus Rotberto, ſede cedens Regi deditur, & ex hoc inter Capellanos æque fidelis æſtimatur; Imperator autem per auſtralem plagam intrat Boëmiam, quem Dux Borivoy honorifice ſuſcipiens deduxit ad generum ſuum Wicbertum illuſtriſſimum & prudentem virum, qui in partibus illis quas Sorabi inhabitabant, principabatur, ſicque cum magna difficultate ſaltuum & fluminum transcurrens dante ſibi Rege Ducatum usque ad Rhenum Mogontiam revertitur; ſi forte tranſitum, ut antea, prohibere valeret. Rex autem cum ſuis inſequens Spiræ venit ad Rhenum, præfectumque Spirenſem mercede conduxit & in vigilia omnium Sanctorum navium apparatum ſibi commodavit, & manu militum, ne transmeanti quis obſiſtere poſſet, eum communivit. Rex civitate Spira patrisque ibidem reconditis theſauris potitus in die omnium Sanctorum, venerabilem Gebehardum Hirſowecenſem Abbatem ſublimavit in Epiſcopum Spirenſem. Vt autem compertum eſt Imperatori filium Spiræ ad Rhenum veniſſe, continuo a Mogontia illuc properans & tranſitum præpedire illi ſperans, illum cum ſuis jam transvadaſſe nimium ſtupefactus audivit,

& ea-

& eadem die cum nimio timore rediens, jejunus & nimis fatigatus Mogontiam venit. Altera vero die Abbatem de Sancto Albano nomine Theodericum Spiram dirigit ad Regem, obtestans eum per DEum, ut recordaretur, se patrem ejus esse, & ne tam pertinaciter eum a regno vellet pellere. Ille audire distulit, sed hoc illi mandavit, ut festinaret ab urbe digredi, ne occuparetur ab inimicis; qui quantocius urbe egressus ad castellum Hamerstein venit, ibique aliquandiu est conmoratus. Rex vero Mogontiam venit, Legatosque in Thuringiam ad Archiepiscopum Rothardum misit. Qui ad sedem, cui per octo annos tirannicam declinans rabiem abfuerat, præsidio Catholicorum Principum deductus, maximo nobilis Mogontiæ tripudio Kathedræ suæ restituitur, Clerumque & populum Apostolicæ reconcilians Ecclesiæ, non jam, ut pater grandævus, sed velut ex mortuis redivivus, omnimodis excolitur. Rex autem circa Rhenum compositis rebus, Burgundiam convertitur, sed propter nova machinamenta Patris fidelium suorum nuntiis revocatur. Nam Imperator videns multitudinem principum ex omni regno Mogontiam confluere; & certior factus, quod Rex in Natali Dominico generale ibi colloquium statuisset habere & Legatos Apostolici interesse debere, cogitans si forte posset aliqua ratione eorum voluntatem interrumpere, præmisit Palatinum Comitem Sigefridum & Willehelmum Comitem, qui mercede conducti adhuc secum remanserant, si forte possent condictum placitum impedire, seque post eos, dixit, clam esse venturum. Cumque ad silvam, quæ San dicitur, venissent, & Regem cum magno exercitu ex alia parte repperissent, non valentes ei resistere, noctu fugam inierunt, quos Rex consecutus ad Confluentiam venit, & patrem ex alia parte fluminis invenit. Tunc Imperator Nuntios ad filium misit, rogans ea quæ pacis sunt, qui venit ad eum trans flumen, cujus pedibus pater se advolvens, quia filius & sanguis suus esset, ut recordari vellet, præmonuit; e contra filius patris genibus advolutus rogabat, ut Apostolico & omni regno vellet obedire, quod si nollet, DEum Patrem se habere, & sibi terreno videlicet Patri in præsentiarum velle renuntiare. Cumque hæc & his similia de statu Ecclesiæ & de salute animæ ejus per totum diem sermocinaretur, vespertino tempore uterque ad hospitia redierunt. Pater quidem incumbentibus tenebris noctis tentabat aufugere, sed vallatus ab inimicis nequaquam poterat. Rex autem mane assumpto patre ad castellum Pinguiam simul venerunt & ibi pernoctaverunt. Altera die Patrem quasi invitum in Bekelenheim castellum deduxit & in vigilia Natalis Domini Spirensi Episcopo diligenter custodiendum commisit; nam quia aliqua, quæ paci non convenirent, per occultos nuntios eum conari fideles Regis denotaverant, placuit, ut in castello separatim cum suis conventum principum expectaret; præsertim cum Præsules Spirensis & Mogontinus ceterique qui aderant intra nuper reconciliatas Ecclesias suas conmunionem illi præstare se non posse publice reclamarent. Rex igitur dispositis custodibus, ne novi quicquam ab ipso vel ad ipsum procederet, publico Principum conventui Mogontiam occurrit. Imperator autem non balneatus & intonsus & ab omni Dei servitio privatus inibi permansit. Fridericus Dux Suevorum, vir prudentia, moribus & nobilitate satis clarus, insuper clarissimo matrimonio Adelheidis inclitæ famæ filiæ Imperatoris, & ex eadem miræ indolis prole decoratus obiit.

Christi gratia peregrinis suis apud Antiochiam, Siriam, Palæstinam perque totam Asiam prosperante, eorumque servitute barbaricas spurcitias eliminante, occultus eatenus hostis Imperator Alexius diu tectam perfidiam suam evaginat. Turcis, quibus jam nulla vel rara in oriente spes regnandi remanserat, se conciliat, Nicæam multo Christianorum sanguine redemptam Solomanni Tyranni filiis reddidit, Babiloniæ Regem frequentibus nuntiis contra Christianos excitavit, custodias ad prohibendum peregrinis transitum terra marique constituit, cujus etiam classes numerosas navium rostratarum contra Antiochenos directas ipsi bello cœperunt, & in confusionem Alexii nasis atque pollicibus omnium abscisis, unam de scafis ex his onerantes, ei transmiserunt. Boimunt quoque jam trienni captivitate per divinam solutus providentiam Italiam navigio venit, ibique classes fabricari constituens, ipse usque ad Hispaniæ regna peragrare, cunctamque, quam posset militiam, quocunque pacto contra præscriptum Tyrannum cœpit congregare. Pridie ante vigiliam Natalis Domini visus est ab Occidente tantus inter sidera ignis flammare, ut solis jubar crederetur si in Orientis esset parte. Hisque temporibus nonnulli palmati de Jerosolyma redeuntis Acris quæ & Achon sive Ptolomaïda expugnatam nuntiant, alia quoque fausta super statu Ecclesiæ Jerosolimitanæ. Inter quæ & Regem Baldewinum Rotgeri Ducis Siciliæ filiam, Coradi Regis filii Heinrici Imperatoris viduam, in matrimonium duxisse, adducentem sibi tantam Siculorum ac Normannorum classem, quæ Ascaloni Christiano nomini infestissimæ sufficerent a parte Maris ad obsidionem, quam etiam idem Rex a terra cum suis obsidens tributariam fecit. Post aliquot menses quinquaginta millia Sarracenorum inprovise se invadentium virtus divina ante ipsum quatuor tantummodo millium manibus stravit, quodam scilicet Ammirate, qui secundus a Rege Babiloniæ videbatur, capto, altero inter ceteram multitudinem occiso.

Anno Dominicæ Incarnationis MC VI. Rege Heinrico V. hujus nominis mediante in Natali Domini aput Mogontiam tantus factus est conventus totius regni Teutonici, quantus per multa annorum curricula numquam est visus. Nam LII. optimates ibi tunc vel amplius ferebantur, adeo ut Magnus Dux Saxoniæ, quem gravior ætas impediebat, solus notaretur defuisse. Igitur per tot annos obnubilata cœpit oriri nostris in partibus lux ortodoxa. Depublicatur, respuitur, anathematizatur hæresis Wig-

Wigbertina vel Heinriciana. Supervenerant illuc Apostolicæ sedis Legati Albanensis scilicet & Constantiensis Episcopi sententiam anathematis in Heinricum seniorem dictum Imperatorem a tot succedentibus sibi Apostolicis sæpius sæpiusque promulgatam scriptis & dictis testificantes, toto orbe diffusam Ecclesiam ab ejus conmunione, Christi & Beati Petri auctoritate, multis jam annis sequestratam confirmabant. Jam enim exaltatis sibi divinitus Romana Ecclesia cornibus ad incutiendum timorem cunctis usquequaque schismatum membris, etiam ipsius capitis ossa Wicberti scilicet dicti Papæ de sepulcro suo, quod per VI. annos in Ecclesia Ravennensi possederat, projici fecerat, universaque ejus instituta adnullari decreverat. Unde in tantum subito divinæ legis zelus efferbuit, ut pseudoepiscoporum cadavera ab Ecclesiis eliminarentur eorumque ordinati usque ad generalem audientiam ab officiis suspenderentur. Imperator interea cœpit lacrimari & mœstus esse & de peccatis suis dicebat sibi talia evenisse, timensque sibi multo pejora a principibus futura, rogabat Episcopum Spirensem se de Castello, quo manebat Mogontiam præsentari, seque consilio ejus & Magnatuum Regni cuncta facturum promisit, regalia & castella, quæ optima & munitissima habebat, filio tradere, ut saltem sibi prædia ad usus necessaria impenderet. Episcopus vero in Natali Sancti Joannis Evangelistæ Mogontiam venit, ibique ipse & Rotbertus Wirceburgensis Episcopus sacræ unctionis ordinem a Rothardo Archiepiscopo acceperunt, & post Missarum solemnia cuncta, quæ audierat, Regi & cunctis Principibus enarravit. Sed Principes propter cavendum tumultum vulgi patris potius, quam filii parti favere solentis, in Gilenheim ei II. Kal. Januarii occurrunt, ibique præsentatum Imperatorem generali circumeuntes consilio ad reatus confessionem & satisfactionis professionem perducunt, qui filio regnum tradens atque omnium pedibus provolutus præcipue Legato sedis Apostolicæ veniam & absolutionem banni precabatur, confitens, se multo tempore anathematizatum esse a Papa Hildebrando & injuste super eum Wicbertum constituisse, & suis temporibus rempublicam nimis esse turbatam, & cuncta quæ sibi objecerant confessus est, excepto, quod idola non adoraret. Cardinalis autem, qui inopinate ad hæc facta convenerat, ait, se nullo modo tam magnam personam, propter quem tanta mala in regno sint perpetrata, absente Apostolico nullo modo suscipere. Rex autem deposito patre cum principibus Mogontiam revertitur & propter regalia Werinherum Comitem & nequissimum Volcmarum, qui fuit Consiliarius Patris & omnium scelerum conscius, Hamerstein misit, quibus in vigilia Epiphaniæ allatis a Rothardo Archiepiscopo & omni Clero & populo honorifice suscipiuntur. Quæ coram principibus Archiepiscopus Regi tradidit inprecans, ut si non justus Regni gubernator & Ecclesiarum DEI defensator existeret, ut ei sicut Patri suo eveniret. Hoc ordine Heinricus illius nominis V. primum a Patre, deinde ab universis Germaniæ Principibus, in Regem jam secundo electus, ab Apostolicis quoque Legatis per manus impositionem Catholice confirmatus, acceptis tam ab Episcopis, quam Laïcis juxta morem patriæ sacramentis regnare cœpit LXXXII. loco ab Augusto L. regni patris sui anno, ab urbe condita anno MDCCC LIIX. ab origine mundi VMLVIII. Dominicæ vero Incarnationis MCVI. anno. Delatis igitur coram Rege cunctisque totius Germaniæ Optimatibus & Præsulibus omnique Clero & populo Legationibus Romanæ sedis super Ecclesiarum Teutonici Regni conmaculatione diversa & inveterata & e contra emendatione ab universis unanimiter promissa, placuit tam Regi, quam Primoribus ad sanctam Romanam Ecclesiam tantos ac tales a partibus istis Legatos transmitti, qui & de objectis rite rationem reddere & de incertis sagaciter investigare, ac per omnia utilitatibus Ecclesiasticis sapienter consulere sint idonei. Separantur in hoc opus nulla secundum DEum & sæculum veneratione indigni a Lotharingia Bruno Trevirensis, a Saxonia Heinricus Magedaburgensis Archiepiscopi, ab Orientali Francia Otto Babenbergensis, a Bawaria Eberhardus Eistatensis uterque designatus Pontifex, ab Alamannia Gebehardus Constantiensis Episcopus, aliique nonnulli Præsules plerique etiam nobiles de latere Regis laïcæ professionis, idque præcipuum inter cetera suscipiunt mandata, ut si fieri possit, per illos impetrata Domni Apostolici cisalpinis partibus exhibeatur præsentia. Inter hæc Verinherus quidam ex ordine Ministerialium regni, qui Marchæ, quæ in partibus est Aquino, præerat, quasi hæresim eamdem resuscitaturus, collectis undecunque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia nonnullis Romanis, dum Domnus Apostolicus Beneventanis moraretur in finibus, quemdam pseudo-Abbatem de Farsara Cathedræ Sancti Petri imposuit, & ipsum Papam Imperatoris sub vocabulo Silvestri appellari voluit, qui tamen post paululum turpiter, ut merebatur, a Catholicis eliminatus, vesaniæ suæ prœmium rettulit, male acquisiti priusque dispersi æris damnum præter fidei, quod cœco corde miser non doluit, dispendium. At vero Eximperator Heinricus, ut vidit sibi denegatam esse veniam, cogitabat secum, quomodo excitaret vindictam contra Rempublicam. Porro proceres jam dicti, dum e suis singuli partibus in valle Tridentina convenientes, apud ejusdem nominis civitatem Tridentum pernoctarent, quidam adolescens Adelbertus, partium tamen illarum quodam comitatu insignis, summo mane super ipsos, utpote inermes & peregrinos cum civibus armatis irruit, spoliat, capit, custodiæ trahit, idque per Legationes Domni sui Heinrici scilicet Imperatoris demandatum conprobat; Artibus quippe solitis idem Heinricus usus clanculis & querelosis epistolis ac nuntiis quascunque poterat regni civitates & provincias inpleverat, quibus se vim a principibus passum, immo ab unico filio

Inperio pulsum deplorabat regnum in suis miseriis confusum, cunctis usquequaque patribus ejusdem fortunæ timendum fore præmonebat exemplum; qua de causa nullus jam per Italiam liber eisdem transitus patuit Legatis. Gebehardus tantum Constantiensis Episcopus cum suis per occultiores Alpium semitas ingressus Macthildæ Comitissæ præsidiis Apostolicis præsentatur vestigiis; Reliqui Proceres utpote a stultissimo captivatore indigne tractantur, præter Ottonem Babenbergensem, cui eo, quod suus miles esset, parcere cogebatur. Quo etiam mediante, Bruno Treverensis Archiepiscopus & Wicbertus Comes eo pacto dimittuntur, quatenus Heinricum Eximperatorem pacem cum illo facturi conveniant, & quid de reliquis ipse præcipiat, relaturi redeant. Verum tamen tertia die Vvelfo Dux Noricorum superveniens valida manu clusas obstructas effregit, Gevehardum Tridentinæ Ecclesiæ a Catholico Rege novum constitutum Episcopum, quem numquam se suscepturos cives conspiraverant, recipi coëgit, Adelbertum suosque complices adeo perterruit, ut eductos, quos clauserant, Proceres, ipsumque Castellum novo Episcopo redderent. Ipsi insuper nudipedes ab his, quos afflixerant, veniam postularent. A prima ebdomada XL. qua prædicti Proceres hæc passi sunt, Cometa immensi fulgoris usque ad passionem Domini apparuit. Inter hæc Heinricus Exinperator Coloniam venit cum paucis, qui secum remanserant, civibusque illius omnia, quæ ipsi acciderant, flebiliter enarravit. Deinde venit Leodium, ibique honorifice ab Otberto Episcopo civibusque susceptus & consolatus convocavit ad se Heinricum de Lintburh Ducem Lotharingiæ, & alios plures optimates, quorum se pedibus advolvens petivit ab eis auxilium, eventumque suum eis per omnia enarravit. Illi, ut audierunt ejus querimoniam, misericordia moti super eum fictum adjutorium ei promiserunt, optimumque duxerunt, ut Sanctum Pascha cum ipsis Leodio celebraret. Interea quidam per Alsatiam seditiosi Heinrico Regi rebellaverant. Præterea Juliacum, quæ est Verona, cum eo conspiraverant ceteraque partium illarum oppida Rex Heinricus ut hæc audivit quasi partes inimicas humiliaturus Leodium & ipse, Pascalem ibi habiturus curiam convertitur, & regni principibus ibidem convenire denuntiat. Post festum Palmarum Coloniæ satis jocunde cedentibus hostibus celebratum licet cognita machinatione patris, qui se utique ut vir bellator ab adolescentia sua satis argumentose per conductas copias ad civitatem, ubi curia celebranda erat, resistere parabat, ipse juvenili nihilominus animositate succensus, illo ut cœperat ire contendit, præmissisque trecentis viris, qui pontem super Mosam fluvium in loco qui Vvesegaze dicitur, observarent, nam omnes fluminis transitus jam hostes interruperant, ipse in palatio Aquisgrani Cœnam Domini celebravit. Interea Heinricus Dux Lotharingiæ ipsius ad pontem milites invasit, naviterque resistentes arte quadam equitandi, qua gens illa plus ceteris utitur, in latiora deductos multitudine Legionum cingit, opprimit, sternit atque capit; nonnullos etiam cedentes fluvius voravit. Videres fortissimos Machabæos in bello Catholicæ pacis post stragem plurimam Apostaticæ genti illatam fide magna & lætitia Christo pro se passo commendantes ac hujusmodi per transitum priorum delictorum veniam in eadem indulgentiæ die se consecutos invicem consolantes. Rex, ut hæc comperit, timens, ne inimici irruerent super eum, declinavit inde ad Castellum Bunnam ibique sanctum Pascha, pro ut potuit, celebravit. Exinperator autem apud Leodium Pascha cum suis cum magno gaudio celebravit & post Pascha iterum Coloniam reversus Archiepiscopum expulit, eique cives urbem custodire juramento firmaverunt, ac deinde sicut ab eo docti fuerant civitatem vallis & propugnaculis omnique genere repugnandi permagnifice munire cœperunt; ipse vero Leodium reversus est. Rex autem apud Vvangionum civitatem in Pentecoste placitum habuit, ibique Heinricum Ducem Lotharingiæ judicio Optimatum ut hostem Regni rebus publicis privavit, ac generalem expeditionem contra Lotharingiam accepto a Principibus sacramento per totum regnum indixit. Post festivitatem S. Petri & Pauli Apostolorum ad partes Confluentiæ venit, ibique collecto exercitu XX. millium Coloniam Junio mense jam mediante venit, eamque obsedit; Illi vero stabant inperterriti strenue resistentes & qualiter numquam antea visum est decertantes, cumque eis quoddam genus hominum, quod vocatur Gelduni, quos Dux Heinricus eis in auxilium miserat, viri bellatores & strenui & nimis docti ad prælia, cecideruntque multi vulnerati & exercitus Regis eis minime poterat prævalere. Ibi etiam Dietericus Comes Regi fidelissimus infirmitate pressus, postea Aquisgrani communi fine migravit, vir utique nobilissimus, nobilissima Saxonum stirpe progenitus, & tam omnimodæ religioni, quam Catholicæ defensioni non mediocriter deditus, litteris etiam aliquantum instructus. Interea Regi Heinrico patris Legati a Leodio missi præsentes litteras tam sibi quam Principibus deferentes, quarum exemplar hic inseri non absurdum duximus, ad comprobandum scilicet ejusdem viri multimodam tergiversationem, qua se toto vitæ suæ tempore cunctis sibi resistentibus ficta subjectione eatenus fecisset superiorem: Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, ceterisque regni Principibus gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere. Conquerimur Deo Omnipotenti & Dominæ Sanctæ Mariæ & Beato Petro Patrono nostro, quod injuste, inhumane & crudeliter confisi in illa fide, de qua dubitare non debuimus, tractati sumus, & tam honore regni, quam prædiis contra divinum & humanum jus ad infamiam regni ita exspoliati sumus, ut nihil penitus præter solam nobis vitam relictum sit. Vbi cum ferme omnes

effectis,

effetis, magna pars vestri dolere visa est, & tristari; Sed nihil nobis contulit proh dolor vestra tristitia, quin de nobis sibi satisfaceret inimicorum voluntas odiosa. Et quia cum rogatu filii nostri, accepta primum fide & securitate vitæ nostræ & honoris fiducialiter Mogontiam in præsentiam Legati Romani & Principum tenderemus, ut eorum dispositione ageremus tam de statu Ecclesiæ & honore regni, quam de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate & obedientia nos contra fidem datam capere & usque ad articulum mortis ferme deducere? Idcirco non ausi sumus ita nos illi credere, ut injuriis & contumeliis pro voluntate sua, ut prius nos valeat tractare. Quapropter obnixe precamur, ut pro timore Dei & honore Regni & honestate vestra dignemini studere, quomodo de injuria in manibus vestris nobis illata per vos possimus recuperare justitiam. Nos quoque pro consilio vestro & aliorum, qui nos odio non habent, religiosorum virorum parati sumus tam filio nostro, si in aliquo eum offendimus, quam alicui in regno libenter emendare. Præterea sicut Domino Papæ in præsentia legati sui & vestra obedire parati fuimus, ita ut nunc parati sumus, debitam ei reverentiam & obedientiam sincero corde præsentialiter exibere & tam consilio vestro quam Spiritualis Patris nostri N. Cluniacensis Abbatis aliorumque Religiosorum virorum de statu Ecclesiæ & honore Regni, quantum in nobis est disponere. Cum ad hæc omnia parati simus, rogamus vos, quatenus pro Deo & honore Regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, cum secundum præfatam sententiam, nulla ei adversum nos residua sit occasio, ammomodo desistat, nos & fideles nostros persequi, & quiete & pacifice vivere permittat, ut supradicta integre cum tranquillitate perficiantur; quod si noluerit, rogamus vos per auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, cui nos conmittimus & honorem regni, ne super nos & super fideles nostros veniatis, quia manifestum est, eum non divinæ Legis zelo vel Romanæ Ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni patre injuste captivato hoc incepisse, apud quem si interpellatio vestra nullaque alia interventio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem & Sanctam universalem Romanam Sedem & Ecclesiam. Post lectas coram multitudine tam has, quam alias litteras parum verbis, nihil autem intentione prioribus dissonantes, filii tamen personæ specialiter directas; Rex Heinricus Optimatum Consilio legationem vicariam Patri destinavit, quam tamen prius publice prædicari per Magedaburgensem Archiepisc. Heinricum fecit, hocq; facto suorum animos secum valde roboravit, erat autem hujusmodi: Post inveteratam, id est, per annos circiter XL. discissionem Imp. Romani, quæ tam divinas quam humanas jam pene leges abolevit, & exceptis mortibus omnimodis, sacrilegiis, rapinis & incendiis ipsum regnum nostrum non tantum in solitudinem, sed etiam ad apostasiam Catholicæ fidei, sive in ipsum paganismum propemodum redegit. Inspiciente tandem suam Ecclesiam divina clementia nos ejusdem Christi sponsæ filii per Spiritum Sanctum in unitatem fidei æquanimes resipuimus, ipsumque incorrigibile schismatum illorum caput, Heinricum scilicet dictum Inperatorem nostrum, zelo Dei & Apostolicæ fidei obedientia abdicavimus; Catholicum nobis, licet ipsius de semine natum, Regem elegimus. Cujus Regni principium sui finem esse conspiciens, etiam ipse tanquam voluntarius, sed ut ejus fatentur litteræ nimis invitus collaudavit, regalia reddidit, filii curam cum regno nostræ fidei lacrymando conmisit, de reliquo se nullam regni pompam, sed animæ potius suæ medelam ulterius affectaturum promisit. At nunc ecce pristinis se reddens tergiversationibus præjudicium se passim per orbem terrarum conqueritur, Gallorum, Anglorum, Danorum, ceterarumque finitimarum gentium gladios cordibus nostris infigere meditatur. Super illatis etiam injuriis recuperari sibi justitiam precatur, consiliis quoque nostris se ammodo promptius obedire pollicetur, re autem vera solitis argumentis castra hæc Domini dispergere, Christi exercitum exarmare conatur, & ut in propatulo est, vineam Domini, quæ jam sero florescere cœpit, tam per se singularem ferum denuo depascere, quam per vulpes illos, nimirum, qui sibi adhærent, pestilentes homines demoliri ac per sacrilegia Sacerdotum Belial anathemati recidivo reddere, immo quod dictu nefas est, Christum jam iterum in Ecclesia sua resurgentem in omnium cordibus crucifigere meditatur. Quapropter placet tam Regi, quam universis Regni principibus, immo cuncto exercitui ortodoxo, quo senior idem, ne ulla sibi pateat adversum nos justa querela, quacunque elegerit securitate, quacunque maluerit statione coram præsenti senatu simul & populo causam suam agat, justitiam suscipiat, simulque justitiam reddat, quatenus ab ortu schismatis omnibus seditionum causis, ac si nil inde fuerit diffinitum, undique discussis tam filio, quam sibi sua justitia respondeat, Ecclesiæ vero regnique status non ut ipse proponit, post longas inducias, sed in præsentiarum his controversiis diremptis vacillare desinat. Quam legationem Presbiteri singularis prudentiæ Albuwinus & Richuwinus una cum quibusdam Laicali sub habitu viris religiosis susceptam sæpedicto Exinperatori vix ejus præsentiam sandique licentiam nacti cum rettulissent, incredibile memoratu est, quanto vitæ suæ periculo per VI. dies, eo quod nullo modo eidem conventui malignantium communicare voluerint, indigne tractarentur, tandemque ab irruente sibi in eadem, qua manebant, custodia vulgo liberati, absque omni ducatus præsidio, castris circa Coloniam positis redderentur, id tamen præcipuum inter senioris responsa referentes, quatenus ad præsens ab armis discederetur & in futurum super hujusmodi simultatibus Curiale colloquium universaliter indiceretur: Interea in Saxonia Vdo Marchio Aquilonaris habita conventione cum magno Duce & Bremensi Archi-

episcopo vehementi infirmitate repente cœpit laborare, qua ingravescente ad locum, qui Rossenvelde dicitur, est delatus IV. Non. Junii de hoc sæculo migravit, eo felicius quo sanctæ illius Legionis Monachorum, cui ipse studiosius stipendia vitæ præsentis & fomenta paternæ consolationis contulerat, jejuniis & orationibus adjuvatur intentius. Rodolfo fratri illius commissa est Marchia per octo annos ab Heinrico Rege, ut nutriret filium ejus Heinricum. Magnus quoque Dux Saxoniæ obiit, qui duxerat uxorem Sophiam viduam Odelrici de Wimmar, sororem Ladislai Regis Ungarorum, genuitque illi duas filias Withildem & Eilicam; Eilica nupsit Ottoni Comiti de Ballenstide, genuitque ex ea Adelbertum Marchionem & filiam Adelheidem, quæ nupsit Heinrico Marchioni de Stathen. Wifhildis nupsit Heinrico Duci, filio Welfi Ducis Senioris de Bawaria, genuitque Heinricum inclitum Ducem Saxoniæ & Bawariæ & Welfonem, & quatuor filias; unam earum nomine Juditham duxit Fridericus Dux Suevorum, alteram nomine Sophiam Bertoldus Dux de Zaringe, illoque interfecto duxit eam Marchio Liuppoldus de Stire, qui de Fortitudine cognomen habuit, tertiam nomine Wifhildem Rodolfus Comes de Bregence accepit; quarta Macthildis nomine nupsit Thieppoldo juniori filio Thieppoldi Marchionis Senioris, illoque mortuo duxit eam Gebehardus filius Beringeri Comitis de Sulzbach. Igitur Rex Heinricus per tres ebdomadas Coloniam obsidebat, & nulla spes adquirendi erat. Erat enim æstas magna & præ nimio fœtore non poterat exercitus amplius sustinere laborem: Auditur præterea quia Heinricus Eximperator & Heinricus Exdux exercitum undecunque conflant, & adhuc vel semel tentare fortunam omnimodis parant: qua propter universa militia Regis immo Christi saltem ferro rebus finem facere desiderans, ne forte, quod certissimum erat, hostibus urbani contra semet auxilio forent, obsidionem solvunt, & contra Lotharingiam moti munitiones ac cetera, quæ rebellium erant, interim diripiunt, præmittentes ad Heinricum Seniorem secundos nuntios, qui sibi deliberationem proponerent aut causa pacis pacto præscripto conponendæ ad Aquisgrani propediem filio occurrere, aut imminens sibi bellum non dubitare; quibus Legatis custodiæ nihilominus traditis, ad resistendum omnimodis occulte tamen præparari molitur; sed dimissos post aliquot dies eosdem nuntios inopinata, &, qua nihil acceptabilius castris illis inferri posset, fama mortis ejusdem Eximperatoris subsequitur. Luna obscurata est per aliquot horas noctis XV. Kal. Augusti. Circa idem tempus Heinricus Eximperator Leodii moratus somnium relatu dignum vidit. Putabat se quasi in Viridario proceris arboribus consito deambulare, quarum quæ eminentior videbatur ad terram corruens unam arborum oppressit & terræ secum prostravit. Deinde ceteræ arbores paulatim lapsæ sunt, quod postea rei exitus probavit. Nam postea idem Heinricus non longo interjecto tempore octo diebus ægrotans nono moritur; quinto abhinc die Theodericus Comes de Embike Aquisgrani moritur. Comites etiam Adulfus & Godefridus moriuntur.

Igitur Heinricus senior moriens gladium & diadema, quæ adhuc secum habebat, filio suo misit cum Erkembaldo fidelissimo Camerario suo & Burchardo Episcopo Monasteriensi, quem tunc vinctum tenebat, mandavitque ei, ut omnibus veniam daret & indulgeret, qui secum in angustiis suis permanserant, rogavitque eum sepelire se Spiræ juxta parentes suos. Rex vero statim convocavit ad se principes Regni, quærens ab eis consilium, quid de patris exequiis esset facturus. Erat enim humatus sicut Regem decebat, si tamen apud DEum meruisset, apud Sanctum Lambertum Leodii coram altari Sanctæ Mariæ honorifice ab Episcopo, qui semper sibi extitit fidelis in omnibus. Tunc Principes Regni dederunt consilium, ut juberet eum effodi & in æde non sacrata poneret, ne in eadem esset sententia, qua & pater, si ullas ei faceret exequias, utque Romam nuntios mitteret & ab Apostolico banni solutionem, si fieri posset, impetraret. Leodiensis autem Otbertus ceterique Coëpiscopi hæc inter cetera recipiuntur in communionem pœnitentiæ conditione, quo cadaver ejusdem excommunicati per se pridie in Monasterio tumulati effoderent, conprobantibus his, qui aderant, Archiepiscopis & Episcopis, quia quibus vivis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis conmunicare possit. Sicque factum est & in quandam Mosæ insulam est positus, nullumque divinum officium ulterius super eum est factum, nisi Hierosolimitanus quidam Monachus casu venit, qui die noctuque, quandiu ibi stabat, indesinenter sibi psalmodiam decantabat. Proh dolor, quod umquam talis persona ita meruit tractari a filio suo, & nisi adesset ultio divina nequaquam in extremis suis id ei evenisset. Si quis autem obitum ejus scire voluerit, VII. Idus Augusti hunc esse sciat, quo scilicet die primo matrem suam Ecclesiam juxta Unstrot fluvium invadens, innumeras ad inferos præmisit. Post hæc placuit Regi, ut patris corpus Spiram deferret, jussitque de aliquibus familiaribus ipsius maxime Erkembaldo, qui semper in angustiis illi adhæserat, præbere illuc famulatum; Cumque tertio Nonas illuc allatus esset, solito more defunctorum a Clero & populo suscipitur, & in Basilicam Sanctæ Mariæ, quam summo studio construxerat, deportatur. Unde Episcopus interdixit, ullum ibi divinum celebrari officium, donec ab hoc facto purgarentur, sicque extra Monasterium fecit corpus statui in Capella non diu consecrata, unde & factus est tumultus & planctus magnus in populo, quia dilexit locum & populum illum præ omnibus. Itaque multo tempore inhumatum corpus ab incolis ibi frequentabatur. Leodicensis vero Episcopus cum aliis, qui Regi rebellaverant, cum viderent, se destitutos morte Imperatoris, Aquisgrani ad deditionem venerunt, excepto Duce Hein-

Heinrico, qui in rebellione permansit. His expletis Rex cum magna ira reversus est Coloniam, præcepitque per omnes civitates Rheno adjacentes congregare exercitum, ut sibi in adjutorium navigio venirent, ut se vindicaret in eis: Colonienses hoc audientes nimis obstupefacti & perterriti undique ab inimicis vallati & in nullo spem habentes, promiserunt se Regi daturos sex millia talentorum argenti. Rex vero dolens, quod in obsidione multi cecidissent, diu denegavit, tandem DEO inspirante concessit, sicque exercitus dilabitur & unusquisque cum gaudio ad propria revertitur. Post hæc ebdomada quarta mensis Octobris habitum est Concilium generale in provincia Langobardia super ripam Padi fluminis loco, qui Warstallis nuncupatur, ubi præsidente vere per omnia Apostolico viro Pascali secundo coram multitudine maxima Clericorum & Laïcorum qui de diversorum regnorum Ecclesiis convenerant, præsentibus etiam legatis Heinrici Regis multa sunt, pro ut canonica dictabat æquitas, de inimici zizaniis evulsa, multa de structuris super arenam positis destructa, plura quoque pistici seminis plantaria profundius plantata simul & rigata, nonnulla etiam tutissimæ munitionis per Ecclesias propugnacula sunt ædificata. Nam cum eadem Dominica, quæ erat XII. Kal. Novembris, Juvanensibus Conradum, Tridentinis Gebehardum Præsules consecrasset, enarrare longum est, quam indefesse conservos suos verbi DEI tritico lautissime quotidie reficeret, pseudoepiscopos deponeret, Catholicos restitueret, Archiepiscopis pallia, Monasteriis privilegia concesserit, præsentes ovium Christi pastores melliloquiis, absentes paternis conmonitoriorum litteris instruxerit, quædam olim abscissa membra Ecclesiæ iterum incorporaverit, quædam etiam quæ insanabilia videbantur anathematis abscisione truncaverit. Super ordinationibus autem tempore schismatis factis, unde permaxime ventilabantur quæstiones, decretum discretione maternorum viscerum artificiose medicatum in hæc verba promulgavit: Per multos jam annos regni Teutonici latitudo ab Apostolicæ sedis unitate divisa est. In quo nimirum schismate tantum periculum factum est, ut, quod cum dolore dicimus, vix pauci Sacerdotes aut Clerici Catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot ergo filiis in hac strage jacentibus Christianæ pacis necessitas cogit, ut super hos materna Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum igitur nostrorum exemplis & scriptis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas & alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt, præfati regni Episcopos in schismate ordinatos, nisi aut invasores, aut Simoniaci, aut criminosi sint probati, in officio Episcopali suscipimus. Id ipsum de Clericis cujuscunque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat. His & hujusmodi super Ecclesiam divini luminis Orientis auroræ jocunditati splendoribus, quia nimirum tandem venerat tempus miserendi ejus pariterque Apostolicis macti benedictionibus ad sua quique convertuntur. Nos vero, id est, Alpium transcensores speciali quodam præ cunctis efferebamur tripudio, eo quod certi essemus, Domni Apostolici profectionem sic fuisse dispositam, ut Natale Domini Mogontiæ celebraret præsente Rege Heinrico cum universis regni Principibus. Ruotbertus Wirceburgensis Episcopus tendens ad Concilium ineundo defungitur, & Domnus Erlongus pridem depulsus, summopere tam a Clero, quam a populo Wirceburgensi postulatur, concessusque tam a Rege, quam a Papa per Legatos Romanæ sedis, magna expectatione & incredibili totius civitatis & populorum tripudio susceptus honorifice intronizatur. Ducatum Saxoniæ post Magnum Ducem suscepit Lotharius sive Liuderus Comes de Suplingeburch ortus ex cognatione Sancti Brunonis, qui cognominabatur Bonifacius, primo Canonicus Sancti Mauricii in Magedaburch, deinde Monachicum habitum suscipiens, tempore Imperatoris Heinrici II. Babenbergensis Ecclesiæ constructoris ad Mersburch veniens benedictione cum licentia Domni Papæ Episcopalem ab eo petiit, & ejus jussu ab Archiepiscopo Magdaburgensi Taginone consecrationem, & quod ipse detulit pallium ibidem suscepit. Dehinc in XII. conversionis ac inclitæ conversationis suæ anno ad Pruciam pergens, steriles hos agros semine divino studuit fœcundare, sed spinis pullulantibus, horrida non potuit facile molliri. Tunc in confinio prædictæ regionis & Rusciæ & Lituæ cum prædicaret primo ab incolis prohibetur, & plus Evangelizans capitur. Deinde a paganis manibus ac pedibus præcisis ac tandem capite plexus cum suis XXIIII. inclitus martyr XVI. Kal. Martii cœlos petiit. Pater hujus Episcopi & Martiris Bruno dicebatur, mater Ida, frater Gebehardus; Gebehardus genuit Burchardum & Idam; Burchardus genuit Gebehardum patrem Conradi Magedaburgensis Episcopi, & Magedaburgensis Comitis: Ida peperit Gebehardum patrem Lotharii sive Liuderi Ducis, postea Imperatoris.

Anno Dominicæ Incarnationis MCVII. Rex Heinricus Natale Domini Ratisponæ celebravit, præsentibus Legatis Domni Apostolici Pascalis, cujus adventum ipse jam aliquandiu aput Augustam Alamanniæ Metropolim, ceterasque superiores partes præstolatus fuerat: Ille vero suorum consiliis, quasi proterviam Teutonicorum declinans, maxime propter seditiosum quendam tumultum, qui sibi Veronæ hospitanti dudum occurrerat; insuper suggerentibus quibusdam, quod non facile gens nostra decretum illud recipiat, quod quamlibet Ecclesiasticam investituram a Laïcis manibus vetat, nec non animosum cor Regis adolescentis, quod nondum per omnia Dominico jugo sit habile; hæc, inquam, multaque id genus vir DEI percepta considerans & nec dum sibi ostium germanicis in partibus apertum esse cum gemitu pronuntians, profectionem suam cum Hispaniarum Legatis per Burgundiam agit, Gallias convertit, & Natalis Domini gaudium sua præ-

ſentia Cluniacenſibus multum ampliavit. Inde ſecedens ab univerſis finium illorum Eccleſiis, ut vere Chriſti diſcipulus & Apoſtolorum Vicarius ingenti honore ſuſcipitur, digna reverentia tractatur, non aliter quam Legifer de cœlo miſſus auditur. Reinhardus Halberſtadenſis electus imperio Heinrici Regis, conſilio quoque principum & violentia quamvis invitus aſſumitur & Mogontiæ a Rothardo Archiepiſcopo II. Kalend. Aprilis conſecratur. Rex Heinricus Paſcha Mogontiæ celebravit, indeque obviam Papæ in confinio Lotharingiæ & Franciæ venit, & per triduum Legatis invicem miſſis, infecto, pro quo venerant, negotio diſceſſerunt. Paſcalis Papa circa Aſcenſionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda correxit, ſententiam de libera paſtorum electione, & de cohercenda paſtorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione juxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgavit. Ex ejuſdem Synodi ſcientia Rothardum Mogontinum Archiepiſcopum ab officio ſuſpendit, eo quod Vdonem Hildinisheimenſis Eccleſiæ Epiſcopum reſtituit, & quia Reinhardum a laica manu inveſtitum contra jura Canonum Halberſtadenſi Eccleſiæ Epiſcopum ordinavit. Similis ſententia de Gebehardo Conſtantienſi datur, quia his conſenſit, qui Godeſcalcum Mindenſi Eccleſiæ loco Epiſcopi intruſerunt, & quia Heinricum Magedaburgenſem ordinavit. Omnibus ibi Eccleſiis ex præcepto Canonum Apoſtolicus, ut prælatos ſibi eligant, quos dignos viderint, libertatem reſtituit. Heinricus Rex inducias totum anni ſequentis ſpatium Romam veniendi & eandem cauſam generali Concilio ventilandi accepit. Rurſum necdum humilitatem, quam quæſivit, Germanicis in cordibus invenire ſe conqueſtus, nos nequaquam, ut propoſuerat viſitare; ſed finibus Italicis ſe comitatumque ſuum diſponit inferre; quo licet moroſe perveniens tantis Romani tam Cleri quam populi tripudiis ſuſcipiebatur, ac ſi de mortuis redivivus crederetur. Rex Heinricus Pentecoſten Metis celebravit. Dehinc Orientalibus redditus, colloquium Ratisponæ cum Bawariis habuit, in quo expeditionem ſuam verſus Flandriam contra Rotbertum conſtituit, qua circa Octobrem mota, terram rebellium ingreſſus non ſine gravi exercitus ſui diſpendio per unum & alterum menſem vaſtat, donec per internuntios res ad proximam Curiam dilatam litem ſeparavit. Inde per Thuringiam ad Saxoniam vadit, Radelburch & Bemelburch præſidia munitiſſima in Thuringia propter latrocinia, quæ inde in finitimos exercebantur, cremari præcepit. In menſe Octobri ejuſdem anni terram Rotberti ingreſſus, non ſine gravi exercitus ſui diſpendio per unum & amplius menſem vaſtat, donec per internuntios res ad proximam Curiam dilata litem ſeparat. Marquardus Corbejenſis Abba moritur, cui Rex Erkembertum Mersburgenſem Abbatem adveniens ſubſtituit. Heinricus Magadaburgenſis Archiepiſcopus obiit, quem Reinhardus Halberſtadenſis Epiſcopus VI. Kal. Martii ſepelivit, eique Adelgotus eodem anno ſucceſſit. Heinricus Rex dum in Goslarienſi oppido Conventum habuiſſet, & jura regni, prout voluit, diſpoſuiſſet, ſubito nimia tempeſtas & horribilis ſulgurum & coruſcationum & tonitruorum exorta, Regem & omnem populum perterruit. Adeo enim vehemens fuit, ut enſem Regalem tempeſtas perſtringens, partem non modicam in acumine cum baltheo clipei regalis abſumeret, coriumque interius ejuſdem clipei per partes in rugam contraheret. Eisdem temporibus in Boëmia quidam verſipellis a ſupramemorato Suatopluk ſubornatus veniens ad Ducem Borivoy, manus Suatopluk ſceleſtas ſe vix effugiſſe aſſeruit. In quo, inquit, quomodo aliter me ulciſci nequeo, fas mihi ſit, omnes, qui in hac terra ſunt ejus familiares prodere; ſicque miſcens veris falſa multis criminatur Suatopluk flagitiis, &, ut ſibi magis credatur, dicta ſua confirmat Sacramentis. Talibus artibus atque inſidiis Dux Borivoy deceptus, amicos ſuos Boſey & Mutinam capere, & ut hoſtes punire voluit, quod ipſos non latuit, qui ſtatim transferunt ſe ad fratrem ejus Wladizlaum, cui jam frementi & ſævienti addunt ſtimulos, ut magis ſæviat contra fratrem ſuum Ducem Borivoy, cui jam abrenuntiaverat fidelitatem & fraternitatem & amicitiam ſuam & palam miſerat ad Suatopluk in Moraviam, quem venientem ad ſuam perniciem trahunt, ut lupum in ovile ovium. Sic Borivoy mitis regno privatur, & Suatopluk ſævior tigride Dux elevatur. Multi autem, quos Borivoy de Proſelitis fecerat Comites, ſecuti ſunt eum in Poloniam. Videns autem, quæ fiebant, Sobezlaus, jam bonæ indolis juvenis, ſecutus eſt fratrem in Poloniam. Et quia Rex Heinricus erat tunc in Saxonia, Borivoy accelerans ad eum, injurias deplorat & ut injuſte ſublatum recipiat Ducatum, pecunias promittit. Protinus Rex mittens mandat Suatopluk ad ſe venire, qui mox coadunato exercitu ſub ipſo introitu Silvæ, juxta oppidum Lumec convocat Proceres, & præponit eis fratrem ſuum Ottonem, &, aſſumptis ſecum paucis, venit ad Regem; quem ſine audientia Rex juſſit retrudi in cuſtodiam, & convocans eos, qui ſecum venerant, tradidit eis Borivoy Ducem, ut reducentes eum in urbem Pragam iterum relevent eum in principalem Cathedram; qui remeantes cum eo tertia die metati ſunt caſtra juxta Caſtellum Donin, quod audiens Otto, ordinatis ſex Legionibus noctu tranſcendens montes, irruit in caſtra Borivoy. Sed ille præſcius jam fuga lapſus delituerat; quia per quemdam profugum Ottonis conatus clam illi innotuerat. Præſul autem Pragenſis Herimannus, vir prudens & juſtus, inter varios caſus utriusque Ducis, ne videretur utramvis partem eorum incertam ſecutus, ſeceſſit ad amicum ſuum Ottonem Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopum. At Suatopluk poſitus in cuſtodia per primos palatii iram Regis flectere tentat, promittens ei decies mille

mille Marcas argenti: Hujus rei accipiens ab eo Rex Sacramentum fidei, dimisit eum, mittens secum unum ex clientibus, qui pecuniam reciperet, qui cum venisset Pragam, sacra spoliat delubra, ornamenta contrahit muliebria &, quicquid micabat auri & argenti, in Boëmia corrasit, & vix collegit septem millia marcas argenti; de cetero dat fratrem Ottonem Regi obsidem similiter Herimannus Præsul reversus, de dote Pragensis Ecclesiæ LXX. marcas auri & quinque pallia pretiosa: non fuit Abbas, non Præpositus, non Clericus, non Laicus, non Judæus, non Mercator, non Trapezeta, non Citharista, qui non de suo aliquid conferret invitus. Post paucos dies Otto elapsus fuga regressus est ad fratrem, quod Regi valde displicuit. Eo anno obierunt Gebehardus Episcopus Spirensis & Burchardus Basiliensis, qui Ecclesiam diu impugnans tandem resipuerat.

Anno Dominicæ Incarnationis MCVIII. Rex Heinricus Mogontiæ Natalem Domini celebrans Rotbertum Flandriæ Comitem in gratiam recepit. Eo tempore orta simultate inter Colomannum Regem Pannoniæ, germanumque ejus vocabulo Almum, eo quod uterque sibi potius regiam competere dignitatem jure gentis illius contenderet, spoliatus tam rebus, quam Ducatu, quo inter Vngaros clarus &, ut decuit fratrem Regis, a Rege secundus claruit. Almus Regem Heinricum adiit, & in auribus totius senatus haud secus, quam ille quondam Atherbal, miserias suas deplorans, Romani Imperii magnificentiam in compassionem & defensionem sui flectere curavit. Eo tempore Ita conjunx Ducis Suatopluk peperit filium, pro quo Rex Heinricus misit & de sacro fonte Baptismatis eum levans suo nomine Heinricum appellat. Quem remittens ad patrem omne debitum, scilicet tria millia talentorum conpatri suo Suatopluk dimisit, præcipiens ut paratus sit in expeditionem contra Vngariam. Ergo Rex Heinricus Almi querelis motus, insuper etiam, quod Colomannus fines regni sui scilicet in locis maritimis invaserit, Vngariam cum excitu petit; sed præparatis multiformiter adversariis, maximeque per obstructa fluminis undique vada post morosam & cassam obsidionem castri Bresburh pene inacte rediit. Mense Septembri morante Suatopluk cum Rege in Vngaria Borivoy cum Poloniis hostiliter intrans Boëmiam fugavit Magnates Vvacconem & Mutinam cum præsidiis de munitione, quæ fuit posita versus terminos Poloniæ [his enim Suatopluk tutelam Boëmiæ conmiserat.] Cumque Vvacko vidisset socium Mutinam non acriter pugnare super munitionem, ratus quod ejus consilio Borivoy Boëmiam intraret, misit, qui hæc omnia Suatopluk intimaret. Similiter alium Militem instructum dolis misit in castra Borivoy, qui se finxit de castris Borivoy fugisse, ipsumque jam de Vngaria redisse & in crastinum cum eis pugnaturum confirmat, per suæ fidei sacramentum. His mendaciis illi perterriti eadem nocte in Poloniam sunt reversi. His auditis Rex Heinricus, injurias Suatopluk de Poloniis ulturum se esse confirmat. Interea Suatopluk inflammatus ira pro nihilo reputat, si unum Mutinam puniat; Sed juramento se obligat, quod Wrissovici generationem extinguat: Reversus itaque stansque in cœtu suæ gentis procerum, invehitur cum criminationibus in Mutinam: Fit Murmur confusum & iram Ducis accendunt per suum assensum. Tunc Dux astanti & conscio lictori innuens exiit foras, qui statim super Mutinam irruit, eumque occidit; filii quoque ejus capti sunt & occisi. Præterea Bosey frater Mutinæ in villa sua Lubic cum filio suo Boruch occisi, velut jumenta nudi in fossam præcipitati sunt, sexta Kal. Novembris, & opes eorum immensæ direptæ sunt. Scire mihi non licuit, quot capita ex illa gente interierint, quia nec una die, nec uno loco perempti sunt; alii namque in forum ducti ceu bruta animalia sunt mactati, alii in Monte Petrin decollati, multi in tectis sive plateis trucidati: Ceteri, qui superstites fuerunt, ex gente illa delituerunt, fuga alii fugientes in Poloniam, alii in Vngariam. Factum est autem, cum Rex Heinricus soluta obsidione, reverteretur ab Vngaria, Colomannus volens illatas sibi a Suatopluk ulcisci injurias, intrat Moraviam, eamque hostiliter devastat; quod postquam Suatopluk audivit, coadunavit exercitum Boëmiæ, atque Moraviæ, cumque festinaret in opaca nocte per silvam, ardens latenter subire inimicum & cum eo in crastinum committere pugnam, inter tot millia secum festinantium in pupilla oculi ipsius Ducis male prominens præcisus ramus tam fortiter fixus est, ut surculo vix eruto simul & oculo, seminecem tollentes Ducem reversus est exercitus mœstus ad propria II. Idus Novembris.

Anno Dominicæ Incarnationis MCVIIII. Rex Heinricus Natale Domini Mogontiæ celebrat, & paulo post Franconevord conventu Procerum habito Sigefridum Palatinum Comitem apud Wirceburgensem Episcopum custodiæ deputavit, eo quod, prodente Heinrico prius Duce Lotharingiæ jam in gratiam Regis recepto, in necem & regnum ejus insurgere consiliatus sit. Ibi etiam deposito Godefrido Fuldensium Abbate Wolfhelmum eis præfecit ex eadem congregatione. Mense Februario, quia magnum frigus inhorruerat, & omnes Aquæ congelaverant, Dux Suatopluk jam eruti sanato vulnere oculi coadunato iterum exercitu tribus diebus & tribus noctibus festinans intrat Vngariam, & omni regione illa devastata cum multis captivis & magna præda reversus est. Rex Heinricus memor indignationis suæ contra Bolezlaum Ducem Poloniæ, mense Septembri cum exercitu intrat Poloniam, & circa primum ejus oppidum Glogou disposita obsidione devastat eam ex utraque parte fluminis Odoræ, ab ipso oppido usque ad castrum Recen, & iterum cum magno præda reversus est ad castra. Ibi cum disposuisset, ut in crastinum Ducem Suatopluk dimitteret, totum in regalibus negotiis usque ad noctem deduxerunt diem. Adfuit interea in castris miles audacissimus missus a Johanne de gente Wrissovici, stetitque sub

sub patula fago, observans reditum Ducis, quem, ut vidit jam noctis in crepusculo, stipatum caterva obsequentium insiluit equum & paulisper se immiscuit in agmen medium & toto annisu virium inter scapulas Ducis jaculum vibravit; Qui citius quam terram tangeret spiritum exhalavit, reportato corpore, a suis fit tumultus in castris Boëmiorum, donec a Rege missus Burchardus, incertos motus plebis vix compescuit. Mane facto venit Rex lugere super conpatre suo & concessit Boëmiis, ut quemcunque voluissent ex filiis Principum Ducem sibi eligerent. Tunc Wacko, sicut erat lugubris, rogavit cum lacrimis, ut fratrem interfecti Principis Ottonem decerneret eis Ducem, quod, quia sine consensu Boëmiorum & Episcopi Herimanni fuit, frustrata est hæc temeritas & Sacramenta olim exhibita in medio Concilio recitantur in urbe Praga. Nam cum Suatopluk eligerent Ducem, cuncti Boemii sacramentis firmaverunt, ut post ejus obitum Wladizlaus, si superesset, succederet. Igitur Herimannus Præsul Pragensis & Fabianus Præfectus urbis Wissegrad, quia dignitate & sapientia ceteris præeminebant, consilio prævaluerunt & toto annisu effecerunt, ut Wladizlaus principatum obtineret. Rex Heinricus in Polonia multo labore desudans, diu rogatum a terra illa tributi exegit debitum. Rothardus Mogontinus Archiepiscopus obiit, cui Adalbertus successit. Eclipsis solis facta est, pridie Kal. Junii. Plures fulmine perierunt. Eodem anno Rex Heinricus desponsavit filiam Regis de terra Anglica, Archiepiscopus Coloniæ Fridericus, Bruno Treverensis, Adalbertus Cancellarius, Comes Herimannus de Winceburch, aliique Principes satis clari Romam cum pompa non parva vadunt inter Domnum Apostolicum & Regem concordiam facturi. Domnus Apostolicus omni paternitate, omni mansuetudine, eum se excepturum spondet, si ipse se, ut Regem Catolicum, ut Ecclesiæ filium & defensorem, ut justitiæ amatorem, Romanæ sedi exhiberet. Ut audivit autem Borivoi Dux quondam Boëmiæ, quod frater suus junior Wladislaus Ducatu potiretur, descendit a Polonia ad Wicbertum Comitem generum suum per sororem, cujus consilio fretus & auxilio & quorumdam Boëmiorum promissis confisus, in vigilia Nativitatis Domini ingressus est mane diluculo, nemine resistente, urbem Pragam, multis Boëmiorum ad eum concurrentibus; quos ille benigne suscipiens, obligat sacramentis & committens eos Grabissæ Comiti transtulit se cum aliis ad tutiora urbis Wissegrad mœnia.

Anno Dominicæ Incarnationis MCX. Heinricus Rex Natale Domini Babenberch celebravit. Eadem die Borivoy ad horam primam reversus Pragam cum magna Cleri processione suscipitur. Dux autem Wladizlaus vocatione Regis Heinrici debuit in octavis Domini regali colloquio interesse Ratisponæ; Sed audiens, quæ gerebantur in urbe Praga, postposuit Regis jussa, rediensque congressus est cum filio Wicberti Comitis, qui veniebat in auxilio Borivoy, sicque pervenit in sua castra jam ad radicem urbis Wissegrad posita, filius autem Wicberti Pragam subiit. Interea Dux Wladizlaus præmiserat ad Heinricum Regem, qui tunc in urbe Babenbergh Natale Domini celebrabat, promittens pecuniam, quo dignaretur aut per se aut per suos nuntios a fratre Borivoy instinctu Wicberti Comitis sublatum sibi Boëmiæ Ducatum restituere. Rex autem Heinricus, licet eo tempore iratus esset Wicberto, tunc magis succensus continuo concitato exercitu in Kal. Januarii ingressus est Boëmiam, præmittensque Thieppoldum Marchionem, & Beringerum Comitem, mandat, ut Borivoy & Wladizlaus & Herimannus Præsul, ac filius Wicberti Comitis, ceterique Boëmiæ majores sibi occurrant, qui cum venissent, sine audientia Borivoi & filius Wicberti Comitis capitur; Præsulis autem causa justa probatur. Omnes vero fautores Borivoy jussu Wladizlai Ducis, alii visu, alii rebus spoliati sunt, alii ad Sobezlaum, in Poloniam fugerunt. Rex Heinricus in Epiphania Domini Ratisponæ cum Principibus colloquium faciens eis aperuit, quod transalpinis partibus se exhibere vellet, quatenus benedictionem Imperialem a summo Pontifice perciperet, & Italiæ provincias in societatem Regni Germanici pace & justiciis ac legibus antiquis conponeret, insuper ad omnia quæ defensio posceret Ecclesiastica ad nutum Apostolici promptum se demonstraret, arrectis animis omnium ad votum pie providi consulis & indubitati jam patriæ amatoris vir esse non crederetur, si quis a tam virilis negotii consortio se subtrahere conaretur: Itaque Sacramento voluntario confirmatis in id ipsum qui aderant, Rex alacer per singulas Germaniæ civitates eadem instanter tractare non cessat. Sinodus gloriosa Non. Martii in Lateranensi Ecclesia præsidente Domno Papa Pascali celebratur, præsentibus plurimis Abbatibus, Episcopis, ubi omnium communi consensu hæc capitula edita sunt: Apostolorum canonibus statutum est, ut omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut DEO contemplante dispenset. Item in Antiocheno concilio statutum est, ut quæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine & conscientia bona, & fide, quæ in DEum est, conserventur; quæ etiam dispensanda sunt judicio & potestate Pontificis, dispensentur, cui commissus est populus, & animæ, quæ infra Ecclesiam sunt, congregentur. Item Stephanus martyr scribit: Laïci quamvis religiosi sint, nulla tamen de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur umquam attributa facultas, neque deinceps fieri permittimus; sed omnino interdicendo prohibemus. Si quis ergo Principum vel aliorum Laïcorum dispositionem vel donationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus judicetur. Clerici vero sive Monachi, qui eas per illorum potestatem susceperint, excommunicationi subjiciantur. Quicumque res naufragorum diripiunt, ut raptores & fratrum necatores ab Ecclesia excludantur. Illud etiam

etiam repetitum & confirmatum est, quod in Trecensi concilio de investituris confirmatum est, quod ita se habet: Constitutiones Patrum sequentes, &c.

Prædicti Legati Regis Leodium ad Regem veniunt, responsum Papæ referentes. Ibi Rex Anglici Regis filiam sponsam suscepit, quam in Pascha apud Trajectum regio more dotavit. Expeditio in Italiam ab universis Occidentis Principibus Trajecti collaudatur. Eclipsis Lunæ facta est II. Non. Maji. Circa V. Non. Junii stella adulta jam nocte apparuit radios admodum longos versus austrum de se effundens. Slavi regionem Albianorum irrumpunt, multisque occisis & captis redeunt. Occiditur ibi Godefridus Comes de Hammaburh. Inde Dux Liuderus sive Lotharius permotus terram Slavorum hostiliter invadit. Regionem prædabundus perambulat, novem urbes munitiores capit, obsidibusque ab ipsis acceptis victor rediit. Rex Heinricus, licet terrente quorumdam animos ortu Cometæ sideris infausti per sex fere mensium inducias regia munificus liberalitate, datis ubique inæstimabilis pecuniæ stipendiis, circa Augustum moveri undique exercitum imperat, aliis secum per montem Jovis, aliis per vallem Tridentinam Alpes transcendentibus. Providerat autem Rex, sciens rempublicam olim non tantum armis, quantum sapientia gubernari consuetam, se non solum armatis, sed etiam litteratis viris necessario muniri, paratis scilicet ad rationem omni poscenti reddendam. Igitur superata nimis laboriose montium asperitate Rex cum suis lætus & incolumis Eboreium pervenit. Alter vero exercitus, captis antea quibusdam castellis apud Viruncalia, uti condictum fuerat, post expugnatam ab ipso Novariam ipsum lætanter excepit, paucis ibidem diebus, moratus Padum prospere transiit, Placentiæ castra metatus, munera copiosa magnamque fidelitatem a civibus accipiens, & per tres septimanas in his partibus conmoratus, Parmamque perveniens Machtildam Comitissam per internuntios sibi subjectam, gratia sua propriisque justitiis donavit. Post hæc asperrima nimis afflictus hyeme, montemque Bardonis cum maximo exercitus dispendio rerum & equorum miserabili defectu transcendit, incessanter cadentibus super se juxta qualitatem illius climatis inmensis pluviis. Hasque per septem septimanas passi, tandem Florentiam nimis afflicti pertingunt, instante festo Nativitatis Domini. Polonii interea in festo Sancti Wenezlai cum fratre Borivoy Sobezlao impetum fecerunt in Boëmiam & eam devastantes rapinis & incendiis, inmensa præda onerati juxta Pontes Cruici sunt castra metati; quibus Wladizlaus Dux congressus est, & post magnam utriusque partis stragem Boëmii terga dederunt; Sobezlau vero plusquam civili potitus est victoria VIII. Idus Octob. Eodem anno Gebehardus Constantiensis Episcopus obiit. Oda Marchionissa filiastra Ducis Ottonis, uxor Udonis Marchionis senioris de Stadhen, mater autem Heinrici & Udonis junioris & Rodolfi Marchionum, eodem anno obiit: filiam ejus Adelheidam, Fridericus Comes de Putelendhorp habuit uxorem, quo defuncto Lodowicus senior de Thuringia eam accepit. Præpositura in Hildesleve mutata est in Abbatiam, ubi primus ordinatur Alvericus Abbas.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXI. Rex Heinricus, rebus per Langobardiam atque Tusciam dispositis apud Florentiam Dominicæ Nativitatis gaudia cum ingenti suorum tripudio & mirando ac eatenus illius patriæ civibus numquam viso decore & honore percelebravit. Moto inde versus Ariciam exercitu, illoque perveniens a Clericis benivole, a civibus subdole recipitur, quorum etiam insolentiam satis abundeque perdomuit, scilicet civitate illorum cum turribus, quas ad repugnandum Regi paraverant, funditus eversa, Ecclesiæ tamen omni sua justitia, quam iidem cives violenter abstulerant, juxta Clericorum petitionem restituta. Inde ad Aquampendentem progressus, Legatos suos dudum ab Aricia missos, ab Apostolico boni nuntii bajulos repperit, remissisque aliis cum Romanorum nuntiis, qui supplices illic sibi occurrerant, paulatim Sutriam processit. Ibi Legati Apostolici cum missis regiis advenientes paratum esse Apostolicum ad consecrationem & omnem Regis honorem & voluntatem, si tamen ipse sibimet annueret libertatem Ecclesiarum laïcam ab illis prohibens investituram, recipiendo nihilominus ab Ecclesiis Ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, Monetas, Telonea, ceterorumque Regalium, quæ possident summam. Præbuit Rex assensum, sed eo pacto, quatenus hæc transmutatio firma & autentica ratione, consilio totius Ecclesiæ ac regni Principum assensu stabiliretur, quod tamen vix aut nullomodo fieri posse credebatur. Qua conventione facta, dimissis Legatis & obsidibus utrinque missis, Rex hilariter ad urbem properat. Domnus autem Apostolicus cum omni Clero, immo tota Roma, se in ejus occursum adornat. Longum est enarrare, quam immensa honorificentia sit receptus & per Argenteam portam usque ad mediam Rotam antiquo Romanorum instituto sit deductus, ibique lectis publice privilegiis, tumultuantibus in infinitum Principibus, pro Ecclesiarum spoliatione ac per hoc beneficiorum suorum ablatione, quam ingenti periculo, quam varia disceptatione tota dies illa consumpta sit. Dum hæc aguntur, factione quorumdam tumultus in Ecclesiæ gradibus oritur, vulnerantur plures, quidam trucidantur; quo audito a Rege, Concilium disturbatur, Apostolicus cum Cardinalibus regiæ custodiæ deputatur, Romani trans Tiberim diffugiunt. Apostolicus ab Episcopis & aliis fidelibus Regis interim est custoditus usque ad pacatam & Ecclesiasticam consecrationem Imperatoris, in exemplum Patriarchæ Jacob dicentis ad Angelum: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. His in Dominica XL. transactis, eadem nocte civitas Lateranensis tumultu bellico concutitur. Orto mane erectis signis Lateranenses unanimiter Regem ex improviso

invadunt. Cubicularii vero Regis arma corripiunt, multitudini viriliter resistunt. Rex vero & acies sua jam adaucta, quæ prius rara erat, venientes audacter invadit, occursantes multos obtruncat, ceteros fugat, plenaque victoria potitus, adducto secum Apostolico cum Cardinalibus versus Albam tendit, castra in campis urbi adjacentibus figit, ubi per totam XL. moratur. His ita gestis, Regis Optimates quidam communicato consilio Papam qui adhuc in custodia regia detinebatur, adeunt, monent, orant, ut super Regis negotio mitius agat. Injuriæ, si quam adversus Regem habeat, obliviscatur; fœdus cum Rege ineat, Regis sibi fidelitatem & obedientiam proponunt, omnino sollicitant, ut quæ pacis & concordiæ sunt, cum primoribus regni disponere dignetur. Rex ipse pedibus ejus humiliter profusus veniam postulat, obedientiam spondet, dummodo ei regia potestate jure antecessorum suorum Catholicorum Regum uti concedat. Sique sæpius Dominum Papam ut animi rigorem aliquantisper temperaret attemtavit. Tandem Papa vincitur & cedit, & sic Romam honorifice redire permittitur. Igitur cum Cardinalibus ceterisque personis ad tale negotium dignis de consecratione Regis tractat. Rex Heinricus Pascha non longe ab urbe in castris suis celebravit & post octavas Paschæ die scilicet Idus Aprilis in Ecclesia Beati Petri in Imperatorem consecratur; Cumque usque ad communicandum Missæ solemnitas esset celebrata, Apostolicus, dato silentio, Imperatorem sic alloquitur: Hoc corpus Domini N. Jesu Christi, natum ex Maria Virgine, passum pro salute generis humani sit confirmatio veræ pacis & concordiæ inter me & te, & communicantes invicem osculati sunt. Donatus est etiam in præsenti per manum Apostolici privilegio investituræ Ecclesiasticæ juxta quod utriusque prædecessoribus placuerat & permanere consueverat, cujus inconvulsibilem stabilitatem Papa mox anathemate confirmabat. Sic denique ea die: Gloria in Excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ut ita dixerim, est recuperata, dum tam inveterata & eatenus incorrigibilia de regno Christi schismatum ablata sunt scandala, Post hæc Imperator Apostolicum regiis muneribus donat, a quo tanquam filius a Patre salutatus dimittitur. Pentecosten autem Veronæ celebrans per Langobardiam ad Alpes, indeque ad terras Germanicas est reversus. Post reditum quoque suum nonnulla tam ab ipso, quam ab Episcopis secum comitantibus, quæ corrigenda videbantur, juxta quod summus Pontifex concesserat vel injunxerat, ad planum sunt expolita, viciata quoque ad purum excocta. Sic Christo respiciente in terras de cœlo sancto suo sicut ubique devotio & Religio Christiana, ita etiam rerum prosperitas & copia frugum ac nova circumquaque crescere cœpit lætitia. Heinricus Imperator mense Augusto plurimos Episcopos & Abbates nonnullos etiam Principes Spiram convocat, quorum assensu & cooperatione patris sui anniversarium permagnifice celebrant. Nam toto quinquennio suspensa conmunio sepulturæ & Orationum Apostolica auctoritate ab eisdem Sacerdotibus, qui & Romæ coram Papa pœnitentiæ illius testimonium reddiderant, tunc testificantibus conceditur, & quibus nulli Imperatori augustiores impensæ sint exequiis, juxta majores suos in Ecclesia sepelitur. Imperator habita in assumptione Sanctæ Mariæ Mogontiæ Curia Adalbertus omnium Cancellariorum, qui ante eum fuerunt in Aula Imperatoris, celeberrimus, præsente Imperatore & consentiente unanimi Ecclesiæ electione, Mogontinus Archiepiscopus constituitur. Inperator Sigefridum, Palatinum Comitem, diutina satis afflictum custodia juxta Principum consilium atque petitionem sibi reconciliatum dimittens benigne tractare cœpit, adeo ut ejus filium de Baptismate susciperet & injuriarum præteritarum oblivisci se facturum sponderet. Wladislaus Dux Boëmiæ matre sua Suatava satagente & Herimanno Episcopo Pragensi mediante fratrem suum Sobezlaum revocavit de Polonia & dedit ei civitatem Satec cum omni ad eam pertinente provincia. Ottonem vero patruelem suum idem Dux in trienni detinuit custodia.

Anno Domin. Incarnationis M C XII. Inperator Natale Domini Goslariæ celebravit. Conmotio adversus Inperatorem concitata est a Duce Liudero & Rodolfo Marchione propter Fridericum Comitem de Stadhen, quem illi captum vinculis mancipaverant, quod Inperator graviter accepit. Pro qua dissentione Inperator Principes Goslariam convocat, quorum sententia utrique damnantur. Ducatus Ottoni de Ballenstad committitur, Marchia Helprico de Plocеke: Imperator Salwidele obsidet, ipsi non longe cum Imperatore pugnaturi cum exercitu manent. Sed misericordia Dei omnis illa bellica rabies dissipatur, & prædicti Principes gratiam Imperatoris obtinentes honoribus suis restituuntur. Eo tempore Domnus Apostolicus multas a Romana Ecclesia pertulit injurias obicientibus ei, quod contra Instituta totius Ecclesiasticæ disciplinæ Regem Heinricum tirannicum reipublicæ vastatorem & Ecclesiarum destructorem Imperiali benedictione sublimasset, insuper privilegio sacrilego condonasset. Inde habita Synodo contra Regem Heinricum CXXV. Episcoporum & aliorum Catholicorum XV. Kal. Aprilis Lateranis in Ecclesia Constantiniana ultima die Concilii, facta coram omnibus professione Catholicæ fidei, ne quis de ipsius fide dubitaret, dixit: Amplector omnem divinam scripturam veteris & novi testamenti, Legem a Moyse scriptam & a Sanctis Prophetis. Amplector quatuor Evangelia, VII. Canonicas Epistolas gloriosi Doctoris Beati Pauli Apostoli, Sanctos Canones Apostolorum, quatuor universalia Consilia, sicut quatuor Evangelia; Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Calcedonense & Antiochenum Concilium, & Decreta SS. Patrum Romanorum Pontificum & præcipue Decreta Domni mei Papæ Gregorii VII. & Beatæ memoriæ Vrbani

bani

bani Papæ; quæ ipsi laudaverunt, laudo; quæ ipsi tenuerunt, teneo; quæ confirmaverunt, confirmo; quæ damnaverunt, damno; quæ repulerunt, repello; quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus & per omnia, & in his semper perseverabo. Quibus expletis surrexit Gerhardus Engolismensis Episcopus Legatus in Aquitania & communi assensu Domni Papæ & totius Concilii coram omnibus legit scripturam hanc: Privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere debet dici pravilegium, pro liberatione captivorum Ecclesiæ a Domno Papa per violentiam Regis Heinrici extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio congregati canonica censura & Ecclesiastica auctoritate judicio Sancti Spiritus damnamus & irritum esse judicamus & omnino ne quid auctoritatis & efficaciæ habeat, penitus excommunicamus, & hoc ideo damnatum est, quia in eo privilegio continetur, quod electus canonice a nemine consecretur, nisi prius a Rege investiatur, quod est contra Spiritum Sanctum & canonicam Institutionem. Perlecta carta acclamabant omnes. Amen, Amen. Archiepiscopi, Johannes Patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus & alii C. fere Episcopi subscripserunt. Ex hac occasione Viennensis Archiepiscopus cum suis complicibus novum schisma nostras in partes seminare & gladium anathematis in Imperatorem molitur extendere; sed quia cœptum ejus Apostolica indeque omni Ecclesiastica videbatur auctoritate carere, parum interim potuit vigere. Attamen ejusdem dissentionis seminario circumquaque cœpit invidiæ malum serpere, adeo ut nonnulli contra Rempublicam quicquam intentantes hujus rei materiam in suæ Communionis arripere meditarentur clipeum. Inter quæ prædictus Adalbertus Mogontiæ Pontifex, qui per omnia secundus a Rege semper fuerat; sine cujus consilio nihil facere solebat adversus Imperatorem, quod vix quisquam crederet, conspirare cum quibusdam principibus, infamatur, reque cognita custodiæ ab illo traditur. Moritur eo tempore quidam de Saxoniæ Principibus Odalricus de Wimmar Lodowici Comitis de Thuringia dudum gener, sed jam propter ejus filiæ repudium invisus, cujus possessiones prædictus Palatinus Comes Sigefridus, hæreditaria sibi vendicabat successione, sed Domnus Imperator easdem in jus regni conabatur attrahere: Nam idem Sigefridus priores miserias suas sequentibus exagerans totam pene Saxoniam, suam videlicet patriam, tantis implevit querimoniis, ut tam Ducem Lotharium, quam Rodolfum Marchionem, Fridericum Palatinum Comitem, Wicbertum & Lodowicum Comites nonnullosque alios ab obsequio retraheret Inperatoris. Sed & Reinhardus Halberstadensis Episcopus, nec non Gertrudis illa præpotens per Saxoniam vidua violentiam se nihilominus pati ab Inperatoris præjudiciis invasione prædiorum suorum clamitabant. Hæc & his similia scandalorum zizania murmur infinitum in nuper pacato regno suscitant. Eberhardus Episcopus Eistaciensis obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XIII. Heinricus Imperator Natale Domini Erpesfurt celebravit. Illuc cum prædicti Saxoniæ Principes Curiam non adissent, indignatione nimia conmotus Inperator, bona eorum diripi, possessiones incendiis devastari etiam inter ipsa festa præcepit. Post hæc absente Episcopo Halberstad venit, Castellum ejus Horneburch obsedit. Episcopus vero & Sigefridus Palatinus Comes & Wicbertus Comes & Comes Lodowicus cum Imperatore pugnaturi castris haud longe fixis manent, sed deditione urbis facta, ipsique Episcopo die statuta, ut se, si posset de objectis excusaret, bellicus ille tumultus solutus est: quo tempore Rex civitatem Halberstad violenter intravit, & timens ab Episcopo in illa poni præsidium fractis muris ac domibus ipsam & adjacentes villas prædis & incendiis vastavit, quod ei nequaquam impune cessit. Inter hæc Wicbertus Comes & Sigefridus Palatinus Comes perdita Regis gratia ab Hogero de Mannesfeld in quadam villa deprehensi; Wicbertus quidem capitur & Inperatori offertur; Sigefridus vero vulneratur, ex quo vulnere non multo post moritur, vir sane nobilissimus & suo tempore nulli in omni probitate secundus. Barbari, qui dicuntur Liutici, consilio Rodolfi Marchionis propter odium, quod habebat adversus Milonem, multas strages patriæ intulerunt. Quidam Reinoldus Burgundiæ provinciæ Comes Inperatoris consanguineus tirannidem juvenili insolentia actus contra Rempublicam orditur, qui superveniente sibi cum manu valida Imperatore, munitionem, in qua maxime confidebat ipse, captus amisit, sicque lite cito dirempta custodiæ traditur.

Eodem anno Sobezlaus frater Ducis Boëmici in obsequio fratris, interfecto Wacek Comite quamvis innocenti, eo quod relatum illi fuisset, quod eum frater suus capere vellet, Wacek suggerente tenuit cum suis Vanperzribiam, quam nos dicimus Suorviam, volens transire in Poloniam; cumque transisset Silvam, occurrit ei Erkenbertus Præfectus de castro Donin, qui pollicens ei, quod per Cæsaris gratiam suam obtineret justitiam, invitavit eum, cum paucis ad vescendum ascendere in oppidum. Erat enim tunc idem castrum sub Imperatoris potestate, quem vinculatum misit per Saxoniam in quoddam firmissimum castrum, tradens eum cuidam Clerico nomine Odalrico ad custodiendum; a quo scilicet Clerico post unum mensem noctu absolvitur & cum ipso & quodam milite Conrado fugit in Poloniam. Imperator Wormatiæ Pascha celebrat; eo adducitur Episcopus Mogontinus, Triveles Inperatori reddit, denuo custodiæ mancipatur, post Pascha Goslariam venit. Reinhardus Halberstadensis Episcopus interventu principum gratiam Regis obtinet, castro Horneburh igne cremato.

Anno Dominicæ Incarnationis M C XIIII. Inperator Natale Domini Babenberch cum summa magnificentia, copiosaque principum multitudine celebravit, & hoc non simpliciter, quia virum Dei Ottonem urbis Episcopum

 propter

propter quædam jam in regno orientia scandala curiam frequentare renuentem ex parte suspectum habebat. Ipse vero rebus transitoriis pro concordia Ecclesiastica non parcens beneficiis indefessis animositatem Regis gloriose devicit. Hinc indicto conventu Mogontiæ nuptias post Epiphaniam Domini augustissime instituit, ubi etiam vix aliquem vel nullum de Magnatibus abesse voluit, ubi filiam Heinrici Regis Anglorum Machtildam dudum desponsatam legitime sibi conjungens, regni consortem instituit. Ibi Lodowicus Comes Thuringiæ, qui se putabat bene in gratia Imperatoris esse jussu ejus conprehenditur & custodiæ mancipatur, quæ res multos Principum contra Imperatorem exacuit. Udo Hildinisheimensis Episcopus obiit. Imperator contra quosdam in locis Palustribus ultra Fresonum insulas habitantes navalem expeditionem multo studio instituit, quo dum tendit, Coloniam sibi rebellem & in hoc complures trans-Rhenanos atque Westfalos consentientes invenit, quorum numerantur nominatissimi Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, Godefridus Dux Lovaniæ, Heinricus quondam Dux Lotharingiæ & Fridericus Comes de Arnesberch. Intermissa itaque profectione manum in hostes præsentes extendere cupiens, Coloniæ partibus assedit, civitati vero munifice munitæ non prævalens regionem circumquaque vastavit, tandemque soluto exercitu recidivam expeditionem contra eosdem rebelles instituit; qua circa Kal. Octobris congregata, Friderici possessionem aggreditur, qua undique vastata & in medio regionis illius castro firmo constructo, eoque militibus armis atque stipendiis instructo, hieme superveniente, ab armis disceditur; Liuderus Dux Saxoniæ expeditionem movet super Dumarum Slavum ejusque filium & eos ad deditionem coëgit, principem quoque Rugianorum ad se in bellum venientem sagaci agilitate circumvenit, qui, ut circumventum se vidit, pacem colloquiumque Ducis depoposcit, Germanum fratrem suum obsidem dedit, pecuniam copiosam spopondit, fidem sacramento confirmavit. Rodolfo Marchione de Marchia ejecto Heinricus filius fratris ejus Udonis Marchionis eam recepit.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XV. Imperator considerans Saxoniam manifeste jam a se deficere, contra eam, ut iratus, ita & armatus, venit; & tam ex his, quos adduxerat, quam quos inibi sibi volontarios invenerat, castra non modica instituit. Natalem Domini Goslariæ celebravit, & Reinhardo Halberstadensi Episcopo, Duci Liudero, Palatino Comiti Friderico, Marchioni Rodolfo, ut curiæ huic intersint, edicit. Non veniunt; in Walbike præsidio interim commorantur. Imperator Bruneswic occupat, Halberstad devastat, Orlagemunde ab amicis ejus obsidetur. Contra quos Dux Liuderus & principes prædicti, adjunctis sibi Friderico de Arnesberch, Heinrico fratre suo, Heinrico de Lintburh, Herimanno de Cavelage tendunt, non pugnandi contra Domnum suum audacia, sed defendendi se necessitate coacti, ut ipsi per internuntios Imperatori confirmabant. Imperator vero eis, in loco qui dicitur Welpesholt occurrit, ibique III. Idus Febr. cum eo congrediuntur. Nam cum per aliquot dies pars utraque alteri minaretur & parceret, Hogerus de Mannesfeld assumpta omni electa juventute, quæ, ut ipse, impatiens Saxones suos compatriotas audacter invasit, & gloriæ cupiditatem, qua flagrabat, multis secum cadentibus propria morte comprobavit. Interfuit huic conflictui, immo quodammodo præfuit Episcopus Halberstadensis Rheinardus, qui suis magnam prædicavit justitiæ consolationem. Imperatoris vero de parte cæsis sepulturæ interdixit conmunionem. Interea Otto Comes de Ballenstide cum LX. de Teutonicis vicit duo millia & octingentos de Slavis in loco, qui Cothene dicitur; ex quibus ibidem corruerunt mille VCC. & amplius V. Idus Febr. Imperator non parum amaricatus, ad Rhenum convertitur, Saxonum vero consensus ad resistendum illi magis ac magis roboratur. Ad hæc quemdam Cardinalem Romanum nomine Diedericum legatione in Pannonias functum per Nuntios ascifcunt, quo etiam præscripti concilii actionem & per ipsam Imperatoris excommunicationem prædicante tam Adelgotus Magedaburgensis Archiepiscopus, quam ceterarum Ecclesiarum Præsules reconciliationem recipiunt, sicque iterum scisso Regno undeque novæ res exoriuntur & contraria quælibet in invicem utræque partes moliuntur. Itaque directi ab Italia nuntii obitum illius inclitæ Machtildis nuntiant, ejusque prædiorum terras amplissimas hæreditario jure possidendas Imperatorem invitant, quia nimirum fœmina, sicut nemo nostris in temporibus ditior ac famosior, ita nemo virtutibus ac religione sub laïca professione reperitur insignior. Conventus post hæc Imperator amicorum consiliis, immo totius regni compulsus querimoniis, generalem in Kal. Novembris curiam Mogontiæ fieri instituit, ubi liberam omnibus audientiam, de sibi objectis satisfactionem, de suis extraordinarie vel juveniliter gestis correctionem ad Senatus Consultum repromisit. Episcopus autem Halberstadensis, Palatinus Comes Fridericus & Marchio Rodolfus Quidelingeburh obsidet. Dux vero Liuderus cum supradictis Occidentalibus principibus præsidium Imperatoris in Trotmunde destruit. Post paucos vero dies Fridericus Coloniensis Archiepiscopus occupat castrum Imperatoris munitissimum Luofereskit, itemque duo municipia amicorum Regis. At Saxoniæ Principes Quidelingeburh, Hermeinburh in deditionem accipiunt, Colonienses Wischele præsidium Theoderici destruunt. Richeza Ductrix XV. annos sterilis manens Duci Liudero filiam in festivitate Paschali genuit. Liuderus Dux adjunctique Principes Monasteriensem civitatem obsident. Monasterienses vero juramento facto se eis fidos permansuros spondent, si Episcopus Burchardus consiliis eorum adquiescere nollet pro pace apud Imperatorem impe-

impetranda, sicque pace facta, Corbejam tendunt. Ibi Welfo Dux Suevorum & Episcopus Wirceburgensis ex parte Imperatoris de pace & concordia Regni acturi veniunt. Dux Liuderus ad injuriam Herimanni Comitis Valkenstein & Walchusen propter latrocinia & prædas, quæ inde fiebant, destruxit. Post hæc incertus si Imperator bellum an pacem vellet, simul etiam cavere cupiens, ne Imperator ex inproviso immineret, collectis copiis versus Erpesford tendit. Cum interim Episcopus Ratisponensis Hartwigus vir sapiens & modestus & Theodericus de Ara vir militaris Reipublicæ utilis & in hoc negotio per omnia laudabilis obvii veniunt, qui Ducem ceterosque Principes certificant, Imperatorem omnia, quæ ad honorem Regni convenirent, tractare velle principum consilio. Post Udonem Bruningus ab Imperatore investitus Hildinisheimensi Ecclesiæ præfertur Episcopus. Statuto itaque tempore, dum Imperator Mogontiæ præsens condictum frustra præstolaretur conventum, (nam præter paucos Episcopos nemo Principum adventabat) Mogontini aptum sibi tempus arridere perpendentes, subito palatium loricati & armati vallant, alii in atrium irrumpentes in turmas & cuneos se glomerant, omnia strepitu & clamoribus implentes, aulicis horribile spectaculum demonstrant. Quid plura? dubium non est, quod nisi datis ad præsens obsidibus Imperator ea, quæ sibi imponebantur, facturum se citissime confirmasset, ipsum fortasse palatium cum universorum, qui in eo erant crudelissima nece, illico corruisset. Ita vix sedato militum plebisque ferventissimo furore Cæsar ab urbe recessit & juxta placitum tertia die Adalbertum, quem jam per annos tres arctissima mancipaverat custodia, vix ossibus hærentem, Cathedræ suæ remisit, qui non multo post Sedis Apostolicæ Legato Dieterico se nuntiis & litteris subjiciens, ipsum sibi ceterisque non paucis Præsulibus Coloniam occurrere postulavit, ubi & mandata Papæ, quæ ipse detulerat, communiter perciperet, ille suam consecrationem diu interclusam tanta auctoritate consequi posset. Qui conventus instante festo Natalis Domini factus est, non absque indignatione Imperatoris, qui nec dum plene voluntarius erat in consensu ejusdem consecrationis. Ejusdem anni mense Julio Dux Boemiæ Wladislaus & ejus patruelis Otto, quem jam a vinculis absolverat, cuique eam, quam post obitum fratris sui Suatopluk habuit, dimidiam Moraviæ provinciam reddiderat, cum Sobezlao fratre Ducis & Duce Poloniæ Bolezlao, qui nepos ipsorum ex sorore erat, juxta fluenta amnis Nizan in condictum conveniunt placitum, atque inter se datis & acceptis sacramentis confirmant fœdera pacis. Interea Odalrico Ducis Conradi filio mortuo, fratre vero ejus Lutoldo jam antea similiter defuncto, filiis autem illorum adhuc ætate parvulis, Dux Wladislaus germano suo Sobezlao dedit alteram partem Moraviæ, quam quondam pater prædictorum fratrum Conradus habuerat.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXVI. Imperator Heinricus Natale Domini Spiræ cum paucis Episcopis & Principibus celebrans, ea, quæ interim Coloniæ gerebantur, graviter tulit. Audivit enim quamplurimos ibi convenisse non solum Metropolitanos, sed etiam alios Episcopos vel Optimates Regni, causa præcipua verbum excommunicationis in se manifestandi, quamvis Dietericus Cardinalis, cujus hæc iniciabantur auctoritate, in itinere jam defunctus illo ad sepulturam potius, quam ad actionem Concilii delatus esset. Sepultus est Coloniæ astantibus Episcopis XIIII. cum Liudero Duce aliisque nonnullis principibus. In Natali Sancti Stephani Adalbertus Mogontinus Archiepiscopus ab Ottone venerabili Babenbergensi Episcopo ordinatur. Missus autem ab Imperatore illuc Erluwinus Wirceburgensis Episcopus audientiam vel communionem non nisi reconciliatus habere meruit. Reversus vero post redditam legationem Imperatori communicare renuit; sed vitæ periculo coactus Missam coram Imperatore celebravit, indeque usque ad mortem contristatus latenter discessit, sicque rursum conmunioni pristinæ multis lacrimis reconciliatus ultra Imperatoris aspectu simul & gratia caruit. Hac commotione succensus Imperator, Ducatum Orientalis Franciæ, qui Wirceburgensi Episcopio antiqua Regum concessione conpetebat, Conrado sororis suæ filio, qui postea regnavit, conmisit, ipseque scandala Principum declinans, in Italiam se una cum Regina totaque domo sua contulit, ac circa Padum regni negotiis insistens, Legatos ad Apostolicum pro conponendis causis pacifice, quæ iterum Regnum & Sacerdotium disturbare cœperunt, suppliciter destinavit, cujus Legationis Primatum Abbas Cluniacensis cognatus, ut putabatur Domni Papæ, tenuit, qui & inter utramque partem pro conponendis pacifice rebus fidelis & impiger Apocrisiarius invigilare studuit.

Eodem igitur anno, qui est XVIII. ordinationis Domni Papæ Pascalis secundi, II. Non Martii Romæ in Sede Lateranensi in Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, celebrata est Sinodus universalis Concilii, congregatis ibidem ex diversis Regnis & provinciis Episcopis, Abbatibus catholicis, Ducibus, Comitibus, Legatis universarum provinciarum quamplurimis, prima die, quæ secunda erat feria, tertiæ ebdomadæ Quadragesimalis inter Mediolanenses Episcopos Grosulanum & Jordanem, in alterum de invasione, in alterum quod Ecclesiæ suæ desertor extiterit, ventilata est controversia. Hanc causam Apostolicus Cardinalium, Episcoporum consilio tractandam distulit. Sequenti die in eandem causam plurima tractata sunt, sed res minime finita IV. feria Lucensis Episcopus de invasione terræ juris Ecclesiæ suæ Pisanos impetebat. E contra dum Pisanus suos defenderet, inter utramvis partem, utriusque populi suffragio, longo litigio disceptatur. Tunc quidam Episcoporum, de medio Concilii surgens, ita exorsus est: Domnum

mnum Patrem Papam recordari decet, quare hujus præsentis generalis Concilii multitudo S. per omnia periculorum genera mari, terraque convenerit, invitata, ibi non de Spiritualibus vel Ecclesiasticis, sed de sæcularibus ordine præpostero tractari negotiis; expediendum prius, propter quod principaliter convenerint, ut evidentius pernoscatur quid Domnus Apostolicus sentiat, quidquid in Ecclesiis suis reversi prædicare debeant. Tunc Apostolicus Concilii causam & animi sui intentionem his verbis exposuit: Postquam Dominus de servo suo fecit, quod voluit, & me populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidie passim fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria, hæc & hujusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci; feci autem, ut homo, quia sum pulvis & cinis; fateor me male fecisse, sed rogo vos omnes orare pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem scriptum, quod in tentoriis factum est, quod pro pravitate sui pravilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, ut nullius umquam sit bonæ memoriæ, & rogo vos omnes, ut omnes idem faciatis. Tunc ab universis conclamatum est, fiat, fiat! Bruno autem Signinus Episcopus altius exorsus ait: Gratias agimus Omnipotenti Deo, quod Domnum Pascalem Papam, qui præsenti Concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem illud pravilegium, quod pravitatem & hæresim continet. Ad hæc quidam cavillatorie subjunxit: Si privilegium illud hæresim continebat, qui illud fecit hæreticus fuit. Joannes autem Cajetanus commotus ad hæc Signino respondit: Tune hic & in Concilio nobis audientibus Romanum Pontificem appellas hæreticum: Scriptum quod fecit Domnus Papa, malum quidem fuit; Sed hæresis non fuit. Et alter quidam adjecit: Immo nec malum dici debet, quia si liberare populum Dei bonum est, quod Domnus Papa fecit, bonum fuit; Sed liberare populum Dei bonum est auctoritate Evangelii, qua præcipimur, animas quoque pro fratribus ponere. Ad hæc patientia Domni Papæ horrendo hæresis nomine expergefacta est, & manu silentium indicens dissidentium clamores & murmura tali ratione compescuit, dicens: Fratres & Domni mei, audite, Ecclesia ista numquam habuit hæresim, immo hic omnes hæreses conquassatæ sunt. Hic Arriana hæresis, quæ per trecentos fere annos viguit, adnullata est: Ab hac Sede hæresis Euticiana, Sabelliana contrita, Folinus ceterique hæretici destructi sunt: Pro hac Ecclesia filius Dei in passione oravit, cum dixit: Ego pro te oravi, Petre, ut non deficiat fides tua. V. feria Domnus Papa in Concilio non sedit, multis & maxime Regis negotiis per Domnum Cluniacensem, Johannem Cajetanum & Petrum Leonis & Præfectum urbis ceterosque illius partis fautores inpeditus. Sexta feria Apostolicus in generalem omnium Ecclesiarum causam animum advertit, & Johanne Cajetano cum Petro Leone ceterisque fidelibus Imperatoris in faciem resistentibus, prædicto Cononi Prænestino verbum excommunicationis exponere cupienti, murmura hujusmodi verbis & manu ita compescuit: Ecclesia primitiva Martirum tempore floruit apud Deum & non apud homines: Dein ad fidem conversi sunt Reges Imperatores Romani & principes, qui matrem suam Ecclesiam sicut boni filii honestarunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia & allodia, sæculares honores & dignitates, regalia quoque jura & insignia, quemadmodum Constantinus ceterique fideles; & cœpit Ecclesia florere tam apud homines, quam apud Deum. Habeat ergo mater Ecclesia sibi a Regibus sive principibus, collata dispenset & tribuat ea filiis suis, sicut scit & sicut vult. Pravilegium investituræ, quod in tentoriis concessisse videbatur, oblitterare volens, iterans sententiam Gregorii Papæ VII. investituram Ecclesiasticarum rerum a laica manu rursus excommunicavit sub anathemate dantis & accipientis: Cardinalis vero Domnus Cono Prænestinus talem Papæ fecit inductionem Legationis suæ & contra disturbatores præsentis negotii conpetentem: Domne Pater, si tuæ placet majestati, si vere tuus fui Legatus & quæ feci tibi placent esse rata in auribus præsentis Concilii, ore tuo edicito, & legationem meam tua auctoritate corrobora, ut sciant omnes, quia tu me misisti. Ad hoc Apostolicus respondens ait: Vere legatus ex latere nostro fuisti missus, & quicquid tu ceterique fratres nostri Cardinales Episcopi & Legati Apostolorum Petri & Pauli hujus Sedis ex nostra auctoritate fecerunt, probaverunt, confirmaverunt; ego quoque probo & confirmo; quicquid autem damnaverunt, damno. Et Domnus Prenestinus consequenter subjunxit, qualiter pro Sedis illius legatione Jerosolimis adierit, & quod Regem Heinricum, post Sacramenta, obsides & oscula in ipsa Beati Petri Ecclesia Domnum Papam tenuisse captum & indigne tractatum; potiora Ecclesiæ, Cardinales videlicet, exutos, tractos & male tractatos, nobiles quoque Romanos occisos & captivatos & populi stragem factam audiens ingemuerit; & pro hujusmodi facinoribus, Ecclesiæ Jerosolimitanæ consilio, zelo Dei animatus excommunicationis sententiam dictavit, & eandem in Græcia, Vngaria, Saxonia, Lotharingia, Francia in V. conciliis consilio prædictarum Ecclesiarum renovando confirmavit; Orare se demum, ut sicut Domnus Papa Legationem suam confirmasset, ita præsentis Concilii Patres & Episcopi concorditer annuerent. Ad eumdem modum litteræ & Legati Domni Viennensis postulant. Dum tali ratione & ordine tam variæ & dissonæ multitudinis assensus exquiritur, a saniori parte veritati & apertæ rationi nil contradictum, a paucis submurmuratum est, ab Episcopis & Abbatibus nullomodo declaratum. Sabbato denique inter Mediolanensium Episcopos controversia tali dispensatione terminata est, Apostolico docente, duobus modis translationes Episcoporum fieri, necessitate vel utilitate, hujus translationis Grosulani, quæ videbatur utilitatem in anima-

animarum & corporum damna conversam, Grosulanum quidem in locum, unde translatus fuerat, restituit, Jordonem vero Mediolanensibus concessit. His autem, qui propter Concilium & animarum suarum remedium Apostolorum limina visitaverant, qui de Capitalibus pœnitentiam agerent, XL. dierum pœnitentiam indulsit, & Apostolica benedictione Concilii exameron laudabiliter absolvit. Scindebatur inter hoc & hujusmodi regnum Teutonicum, quod jam vix decennio vel paulo plus concorditer quieverat; & quia Imperator aberat, unusquisque, non quod rectum, sed quod sibi videbatur, hoc faciebat. Primo igitur pars utraque Conventibus assiduis agros alterius vastare, colonos despoliare cœpit; maximeque in Episcopio Wirceburgensi per prædictum Conradum, fratrem Friderici Ducis Suevorum, lues ista succreverat. Post hæc occasione nacta undique latrunculi pullulabant, qui nullam temporibus vel personis distantiam exibentes, ut dici solet, rapere & clepere, invadere & occidere, nilque per omnia victis reliqui facere satagebant. Longum est Præsulis Mogontini machinamenta contra Inperatoris fideles, eorumque adversus illum insidiosas discursiones enarrare, seditiones nonnullorum urbanorum describere, civitates aliquas suis Præsulibus per has pestes orbatas, munitiones locis insolitis instructas, Castella quamplura invicem destructa, regiones præda flammaque vastatas, congressiones & cædes mutuas ab utriusque partis equitibus factas, oppressiones pauperum & peregrinorum, atque captivitates more barbarico a Christianis in Christianos exercitatas, multaque id genus litteris tradere. Nam neque pax Dei, ceteraque sacramentis pacta custodiebantur; sed uniuscujusque conditionis & ætatis præter solos Ecclesiasticæ professionis homines, quibus jam pene nihil præter animam restat; ceteri, inquam, hoc tempore belluino furore bacchantur, hinc undique vastatis agris, villis depopulatis, oppidis ac regionibus nonnullis in solitudinem pene redactis, deficiente quotidiana per Ecclesias Clericis præbenda, cessabant in quibusdam Ecclesiis Clericalia nimirum officia. Et, o effusum calicem furoris Dei! locupletissimum illud, ac per totam Germaniam famosissimum ac principale Fuldense Cœnobium usque ad ultimam redactum est inopiam victus etiam necessarii. Dux Liuderus Binithelm urbem egregiam & firmam obsidet, captamque concremat. Heinricus cum Capite de Misna a filiis Comitum Lodovici & Wicberti qui capti ab Imperatore detinebantur, capitur. Circa festum Sancti Petri Apostoli Principes sæpedicti ab Imperatore diffidentes, facta acie, in campis Wormatiæ considunt. In urbe vero Fridericus Dux Suevorum consobrinus Inperatoris, Godefridus Comes Palatinus pluresque ex amicis Inperatoris proceres cum turba non parva consistunt. Cumque mutuæ partis principes ea quæ pacis sunt tractaturi convenissent, urbani cum hostibus pugnaturi, inconsultis Ducibus temere erumpunt, cum subito adversarii irruunt, plures ex eis fugant vulnerant, trucidant, sicque urbani pluribus amissis vix in urbe devicti confugiunt. Postera die amici Inperatoris tristiores effecti, pacem, quæ pridie eis offerebatur, renuentibus, ultro expetunt; Colloquium in Franconevord unanimiter in festo S. Michaelis collaudant. Et prædicti quidem Principes ad colloquium condictum vadunt. Principes vero Bawariæ machinatione Friderici Ducis Sueviæ detenti non veniunt, quia ne aliquid Imperatori contrarium in hoc colloquio statueretur, omnimodo satagebant. Quin ipse Abbatiam quandam Linthburch occupat, & loca finitima diripit. Cumque prædicti principes Franconefort convenissent & ibi aliquot dies manendo consumpsissent, Adelgotus Magedaburgensis Archiepiscopus, Palatinus Comes Fridericus, Marchio Rodolfus revertuntur, Mogontinus vero & Coloniensis, Trajectensis, Halberstadensis & Paderbrunensis Episcopi, Abbas Corbejensis, Dux Luiderus, Comes Herimannus Rhenum transeunt. Ordinatur Mogontiæ in Monasterio Sancti Albani Consilio Episcoporum qui aderant ab Archiepiscopo Coloniensi Friderico Thietmarus Verdensis Episcopus, quo facto Episcopus Paderbrunnensis remeat. Alii vero principes amicos Imperatoris in prædicta Abbatia Lintburh parva manu obsident: contra quos Fridericus Dux Sueviæ omnibus Alsatiæ populis excitis immensa manu pugnaturus vadit, cumque hostes numero plures adfore cernerent, hi qui Lintburch per tres jam ebdomadas vallabant, versis armis discedunt & Rhenum transeunt, qui hæc sola gloria fuit, quod nullo suorum læso vel amisso revertuntur, maxime cum eis ita hostes inminerent, nunc fugiendo, nunc subsequendo, ut etiam colloquerentur. Mogontini Abbati Corbejensi omnia sua vi auferunt; ipse vero cum suis vix abiit. Idem Mogontini, Archiepiscopum Adalbertum expellunt, sed non diu hoc facto gaudentes pœnas dant. Amici enim Archiepiscopi non longe post inconsultos aggrediuntur, meliores quosque trucidant, ceteros capiunt, quo facto iterum Archiepiscopus urbi dominatur. Magna aëris inæqualitas facta est, Gertrudis Ductrix avia Liuderi Ducis obiit, Wicbertus & Lodowicus Comites dimissi sunt. Circa Natale Domini Luna clare fulgente alia orta est ab occidente, qua diu cum naturali Luna congressa, modo assultus, modo fugam utrisque simulantibus, obscurissima tandem nube tectæ sunt, qua recedente naturalis Luna sola fulgebat; similis quoque conflictus in stellis visus est. Quo etiam anno principes Vngariæ mortuo Colomanno Rege suo cum Rege novello nomine Stephano occurrerunt Wladislao Duci Boëmiæ ad corroborandam antiquam pacem & amicitiam. Ventum erat ad rivulum, qui Pannoniæ & Moraviæ dirimit fines, ubi exorta rixa atrox & cruenta exoritur pugna & Wladizlaus Dux est in fugam conversus. Otto vero & Sobezlaus cum electis sociis circuierunt Monticulum, qui eos forte dirimebat & repente

repente irruerunt super Ungarorum castra & Laurentio Archiepiscopo cum Rege aufugiente nobiles & ignobiles Pannones multi interierunt.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XVII. Dum cuncta per circuitum regna Nationum suis limitibus rebusque contenta diu sanguine madentes gladios ceteraque vasa mortis in vagina concordiæ reconderent, universalis etiam mater Ecclesia post numerosa persecutionum, hæresium ac schismatum bella jam sub vera vite Jesu lassa oppido membra per multas gratiarum actiones mandatis divinis inservitura locaret, solus heu furor Teutonicus cervicositatem suam deponere nescius, & quam multa sit pax legem DEI diligentibus, immo qualiter per præsentis prosperitatem tranquillitatis ad æternæ visionis pacem pertingi possit ediscere, nequaquam voluntarius; solus, inquam, nostræ gentis populus in perversitatis inolitæ pertinacia incorrigibiliter perstitit; Indeque jam perjurium & mendacium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, nec minus, quam quondam Sodomorum & Gomorreorum, clamor hujusmodi in aures Domini Sabaoth introivit, quapropter inter ipsa Dominicæ Nativitatis festa III. Nonas Januarii hora vespertina super tantis divini judicii contemptibus commota est & contremuit terra ab ira nimirum furoris Domini, adeo ut nemo sit inventus super terram, qui tantum se unquam sensisse fateatur terræ motum. Unstrod fluvius alvei sui profundo scisso ex toto absorptus est terræ motu, repleto autem ipso hiatu, licet post multa horarum spatia, solito fluebat lapsu. Maxime vero in Italia minax hoc periculum per multos dies continue deſæviit, adeo ut montium collisione & subversione Edesse fluminis meatus per aliquot dies obstrueretur. Verona civitas Italiæ nobilissima ædificiis concussis multis quoque mortalibus obrutis corruit. Similiter in Parma & Venetia aliisque urbibus, oppidis & castellis non pauca hominum millia interierunt. Quin etiam tonitrua valde terribilia tertio Kal. Febr. cum grandi turbine sunt audita, fulgura etiam eodem tempora crebra visa. XIII. Kal. Martii hora vespertina vidimus nubes igneas vel sanguineas ab Aquilone surgere & per medium firmamentum sese extendendo mundo terrorem non modicum incutere, nam unicuique civitati tam vicinus videbatur, ut ibidem rerum omnium finem minitari videretur. Leodium civitas est Lotharingiæ, Beati Lamberti martyris ibidem quondam Pontificis patrocinio satis inclita, studiis etiam litterarum præ ceteris adprime famosa, in qua dum in vigilia Dominicæ Ascensionis universus Clerus, decem videlicet congregationes, intra matrem Ecclesiam ex more convenissent, & vespertinalem sinaxim concenturi, jam primum psalmum complessent, subito serenissimus aër in turbinem conversus tanta simul tonitrua & fulgura cum sulphureis ignibus excussit, ut extremam ultimi judicii horam instare nemo, qui aderat, dubitaverit. Duobus nimirum Clericis, & uno de Illustribus milite inter sacras ædes assumptis XV. dehinc die, ex vicino quondam monte ejusdem Episcopii, qua numquam aqua præter pluviam visa est, fluvius ingens erupit, qui non modicam civitatis partem diluens cum maximo Leodicensium damno, Trajectensium se finibus infudit. His & hujusmodi cladibus Heinricus cordetenus sauciatus non cessat legationes satisfactorias ad Apostolicam sedem, licet ipse multum infestationibus Italicis insudans destinare, quas tamen constat minime profecisse; Nam Domnus Apostolicus propter securitatem, quam Imperatori licet coactus fecerit, diffitetur illum se anathematis vinculo colligasse, ab Ecclesiæ tamen potioribus membris excommunicationem connexam non nisi ipsorum consilio se denegat posse dissolvere, concesso nimirum utrimque Sinodalis audientiæ jure. Ad hæc etenim ultramontanis affirmat se quotidie litteris impelli, & maxime Metropolitani Mogontini Adalberti. Qua de re non desinunt undique seditiones cœptæ per partes utrasque, bacchari præcipue transrhenanis in finibus, immo in ipsa Mogontia, ubi multis cadentibus regiones nobilissimæ hinc inde vastantur. Abbas Corbejensis Erkenbertus pluresque de Saxonia Jherosolimam vadunt. Dux Alsatiæ Fridericus cum Mogontinis acriter dimicat, ibique occiditur Comes Emico, Folcold de Malesburch capitur. Rursus ante Natale Domini concurrunt, & ex parte Ducis multitudo vulgi plurima perimitur. Gerdrud Marchionissa Saxonica nobilissima & potentissima obiit. Bernhardus Monachus, filius Folcmari de Domenesleve, vir nobilis obiit. Nam Egeno senior de Conradesburch genuit Burchardum seniorem: Burchardus genuit Egenonem, qui interfecit Adalbertum Comitem de Balenstide, habuitque duas filias, quarum una nomine Gerburch nupsit Folcmaro de Domenesleve, procreavitque ei Alvericum & Bernhardum. Alvericus interfectus est relinquens fratrem Bernhardum heredem. Bernhardus autem omnem hereditatem suam tradidit Sancto Mauricio & Sancto Nicolao, & ipse Monachus factus est. Prædictus vero Egeno de Conradesburch & Alvericus de Kakelinge patrueles erant. Alvericus genuit Bernhardum Comitem, Bernhardus Teodericum, Teodericus Helpricum de Plocike.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XIIX. Domnus Papa Paschalis secundus diutina ægritudine purificatus vitam finivit; pro quo Johannes Cajetanus vir prudens & venerandus, & in Romana semper Ecclesia irreprehensibiliter eidem Apostolico collaborans eligitur, & cunctorum Catholicorum unanimi consensu rite consecratur. Imperator Heinricus, dum Paduanis regionibus immoraretur, audito transitu Domni Apostolici Paschalis, Romam properavit & primo quidem in electione Johannis, qui & Gelasius secundus dictus est, assensum præbens, postea vero eodem a sua se communione subtrahente non sine quorumdam Romanorum favore alterum quemdam Mauricium, cognominato Burdinum ex Hispania supervenien-

nientem Apostolicæ sedi imposuit, sicque schisma quod sperabatur emortuum, crudeliter revixit. Nam eodem Romana Cathedra libere potito, Gelasius cum his, qui secum abierant Cardinalibus, ceterisque, quos congregare poterat, Catholicis apud Capuam juxta quod litteræ ab ipso circumquaque transmissæ testantur, Imperatorem cum Idolo suo damnavit. Adalberti Mogontini Archiepiscopi milites, Comesque Herimannus præsidium Friderici Ducis in Openheim diruunt, concremantque, ubi mille ducenti homines & eo amplius igne consumpti sunt. Principes Saxoniæ castrum munitissimum Cufese, cui præfuit Fridericus junior de Sumersenburch filius Friderici Comitis Palatini, obsident, quare ipse regionem adjacentem prædis & multis incommodis infestabat; quod & multo labore, & longa obsidione fatigati tandem capiunt. Bernhardus Havelbergensis Episcopus obiit, cui Hemmo successit. Bernhardus presbiter solitarius de Lapide Sancti Michahelis in Christo obiit. Item obiit Helpricus Comes de Ploceke, hujus pater Teodericus filius Bernhardi Comitis & Irmingardis, quæ erat de Bawaria, desponsavit filiam Conradi Magedaburgensis Comitis Machtildam, ex qua genuit duos filios Conradum & hunc Helpricum, & duas filias Irmingardem & Adelheidham, ex quibus Irmingardis nupsit Udoni Marchioni, totaque hereditas avi sui Conradi Magedaburgensis Comitis cessit ei. Athelheidham duxit uxorem Otto Ratisponensis Comes. Conradus, ut fertur, virgo obiit, & ejus frater Helpricus duxit viduam Theoderici Comitis de Catelenburch nomine Adhelam, quæ genuit ei duos filios Bernardum & Conradum Marchionem, cui desponsata fuit filia Ducis Polanorum; Bernardus frater ejus cepit uxorem de Bawaria, & uterque sine liberis obierunt. Item eodem anno obiit Herimannus Magedaburgensis Comes, pro quo Wicbertus Comes electus est. Maxima inundatio aquarum in omni Europa fuit. Balduvinus Rex Jherosolimitanus in expeditione contra Arabes positus cum langvorem, quo licet lenius tamen diu vexabatur ad vitalia pervenisse sentiret, alterum Balduvinum de Rohas Regem pro se designavit, ipseque Christo Domino, pro quo multa prælia præliatus est, animam fide plena & confessione bona tradidit in Dominica Palmarum, juxta fratrem suum Godefridum loco Calvariæ Mauzoleum germani Mauzoleo simillimum cum maximo diversorum populorum planctu suscepit. Valde mane Dominicæ Resurrectionis die cœlum a parte meridiana apertum tantum lucis effudit, ut lunæ, quæ tunc clarissima videbatur, lumen inæstimabili fulgore detergeret, & per unam vel amplius horam omni solis luce clarior permaneret; Ipso tamen spatio crux non modica per ipsum foramen dependens apparuit, cujus tam auri, quam gemmarum varietas evidenter discerni potuit.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XIX. Domnus Apostolicus Gelasius secundus apud Viennam Sinodum congregavit, eoque transacto per paucos dies in Monasterio Cluniacensi vitam præsentem in Domino finivit; quo ibidem honorifice recondito, qualiter Milo Viennensis Archiepiscopus successerit, ipse Mogontino Archiepiscopo his verbis innotuit: Domnus vester felicis memoriæ Gelasius a Vienna discedens injunxit mihi, ut ad ejus præsentiam festinarem, postquam ipse Cluniacum pervenisset: quod cum implere satagerem, in itinere de ejus obitu nuntiatum est. Ergo ut fratribus, qui cum eo venerant, solatium prout ratio exigebat, exhiberem, Cluniacum cum gravi dolore perrexit, dum autem super eorum consolatione attentius cogitarem, ipsi mihi gravissimum onus & vires meas omnino transcendens imposuerunt; Congregati namque in unum die altera per adventum meum Episcopi Cardinales & centum Clerici & Laïci Romanorum me penitus renitentem in Romanum Pontificem Calixtum nominantes unanimiter assumpserunt. His temporibus Cono Prænestinus adhuc legatione Gelasii functus Sinodum Coloniæ cum Teutonicis habuit, ubi Imperatoris Excommunicationem omnimodis propalavit. Alteram quoque Sinodum in Frideslar indixit, qua & habita eamdem quam prius excommunicationem propalavit. Imperator his auditis insuper etiam, quod principum consensus generale vel principale colloquium non multo post apud Wirceburh proposuissent, ubi ipse aut præsens ad audientiam exhiberi aut absens regno deponi deberet, efferatus animo Italiæ suis copiis cum Regina relictis Germanicis se regionibus nimis insperatus exhibuit. Cumque ab æmulorum suorum injuriis abstinere nimietas iracundiæ hunc non permitteret, deprædationum & incendiorum furor, qui jam sopiri posse sperabatur, hoc exemplo Rectoris universalis excitatur. Qua nimirum tempestate universæ provinciæ adeo vastationis continuæ improbitate inquietantur, ut ne ipsa Sacramenta pro observatione divinæ pacis professa custodirentur; quapropter Imperator totius regni Sacerdotum atque procerum nuntiis compulsus generalem fieri apud Triburium Conventum consensit in festo Sancti Johannis Baptistæ; ubi de omnibus, quæ sibimet imponerentur, juxta Senatusconsultum se satisfacturum spopondit, quo Conventu, circa Novembris initium in Rhenanis partibus habito tam adversariorum quam amicorum usus Imperator consilio, per omne regnum unicuique suis rebus spoliato propria concedi præcepit, cunctaque Regum antiquorum fiscalia suam in ditionem interim recepit, paxque universalis per provincias ab omnibus haberi collaudatur, sed parum profecisse reipsa comprobatur. Aderant etiam Legati tam Romanorum, quam Viennensium, immo diversarum Ecclesiarum, confirmantes electionem Domni Calixti, cui cum omnes nostrates Episcopi obedientiam professi, Sinodum quæ circa festum Sancti Lucæ indicebatur, collaudassent, Imperator pollicebatur, se ipsum ibi ob reconciliationem universalis Ecclesiæ præsentandum iri. Id enim Catalaunen-

sis Episcopus & Cluniacensis Abbas apud Argentinam ipsum convenientes multis ratiocinationibus obtinuerant. Hoc anno multi mortalium a lupis devorati sunt. Calixtus Papa Sinodum Remis circa festum S. Lucæ celebrat, ubi quid actum sit, scire volentibus difficile non est invenire ex scriptis cujusdam scolastici Hessonis, prout se interfuisse testatur, enucleatim omnia describentis. Eidem Concilio Adalbertus Mogontinus, pluresque Germaniæ Episcopi interfuerunt. Imperator non longe cum suis abfuit, auditurus super sinodalibus decretis, sicut in superiori principum conventu laudatum fuerat. Sed peccatis exigentibus nil ibi ad reconciliationem Imperatoris & principum agitur. Immo Imperator anathematizatur. Vnde major in regno controversia recrescit. Adelgotus Magedaburgensis Archiepiscopus & Hugo Abbas item Magadaburgensis obierunt, quibus Rockerus in Episcopatu, Arnoldus in Abbatia successerunt. Bruningus Hildinisheimensis Episcopus deponitur, cui Bertoldus substituitur.

Anno Dominicæ Incarnationis M C X X. Imperator Natale Domini Wormatiæ non imperialiter celebravit. Postea ductu Friderici de Arnesberch in Saxoniam venit. Dux Liuderus, Fridericus Palatinus Comes & Rodolfus & plures alii Imperatori reconciliantur Goslariæ. Fames valida fuit; nam modius siliginis duobus solidis venit. Imperator illius regionis Episcopis ab ipsius communione abstinentibus in Franciam convertitur, ubi nonnullis acceptus, compluribus etiam invisus habebatur: Nec minus interea scissionem inconsutilis tunicæ suæ Dominus detestatus, inter multa quibus pro ipso orbis terrarum flagella pugnavit; In Episcopatu Trevirensi Mense Junio suscitata tempestate glaciem miræ magnitudinis effudit, quæ & ædificia evertit & alia pericula intulit. Saxoniam quoque in Episcopatu Halberstadensi dira grandine flagellavit in tantum, ut in novem villarum finibus non solum frumenta, sed & bestias agri cum volatilibus innumeris consumpserit. Qua correptione Saxones admoniti crebros conventus ob concordiam facere, dissidentes inter se pacare, dextras invicem dare, prædones exterminare, suppressaque Imperatoris persona contra omnem hominem terras suas invadere molientem se unanimiter armare cœperunt; ac inter hæc etiam quosdam milites Cæsarianos Thuriangiam infestantes in Castello Wassenburch singulis præsidiis circumcludentes, tandem penuria afflictos expulerunt, sicque in brevi pacem jocundissimam, licet alibi Werra salita grassante, suis in partibus instituerunt. Litteris etiam ac legationibus Papæ roborati cathedris vacantibus canonice Pastores elegerunt, quos mediante Mogontino Præsule, qui tunc illo Imperatoris declinaverat furorem, probabiliter & Ecclesiastica libertate consecrari fecerunt. Fridericus Palatinus Comes, qui nuper se a ceteris dissociatis Saxoniæ principibus Imperatoris fidelitati devinxerat, obiit, jam provectus ætate, &, ut cuidam servo Dei revelatum, evidenter affirmant, ad loca pœnalia fertur descendisse. Bonæ memoriæ Dieggerus primum Abbas Cœnobii S. Georgii, indeque per Legatum Apostolicum Metensi Ecclesiæ ordinatus post multas ab Imperatoris fidelibus illatas sibi injurias, requievit in Domino, in eadem Ecclesia, cui præerat, sepultus, vir adprime litteratus, & in sancta conversatione usque ad ultimam ætatem constantissimus. Sunt in Saxonia duæ quædam munitiones non longo a se intersticio remotæ, Glichen dictæ, quarum vocabula nunc minime occurrunt memoriæ, media fere nocte videbatur utriusque Castelli vigilibus non imaginarie, sed vere persona viri a muro unius progrediens, & ad alterum per totam campi interjacentis latitudinem procedens toto corpore in modum faculæ vel massæ cadentis exardens, quæ etiam prope Castellum oppositum disparuit: Hæc visio non semel, sed bis vel tertio similiter apparuit. Dux Boëmiæ Wladizlaus fratrem suum Borivoi, quem ante biennium de exilio revocaverat, eique satisfaciens consilio Herimanni Pragensis Episcopi, ac se submittens ejus dominio in principali solio collocaverat, iterum expulit. Hemmo Havelbergensis Episcopus obiit, cui Gunbertus successit. Theodericus senior de Ammenesleve & Cono de Wippera obierunt.

Anno Dominicæ Incarnationis M C XXI. Teodericus Monasteriensis Episcopus vir illustris natu & virtutibus famosus, qui Burchardo Rufo in Legatione Imperatoris Heinrici Constantinopoli mortuo per electionem Ecclesiasticam successerat, a suis indigne tractatus Saxonicis principibus querimoniam injuriarum suarum detulit. Vnde Dux Liuderus & Herimannus Comes de Winceburch numerosa & forti manu Monasterium vadunt, eumque etiam contra Imperatoris voluntatem restituunt. Contigit autem occulto Dei judicio, dum inimicos videndo cives terrerentur, ac pro imminenti periculo singuli sua molirentur, casas aliquas incaute succendi, paulatimque dominante flamma Basilicam majorem funditus comburi. Ad cujus restaurationem pecuniam multam conferunt; Interpretantes nonnulli caussam tanti excidii, quod defuncti Præsulis Burchardi, qui multa illic ex iniquitate comportasset, oblatio manifestaretur Deo non placuisse. Dux Liuderus omnes fere urbis defensores, tam nobiles, quam ministeriales captos abducit. His actis Dulmene urbem munitam in deditionem accepit. Post hæc collecto exercitu valido Sclaviam invadit, terramque cujusdam Zuentubaldi usque ad mare prædabundus perambulat, urbibusque in deditionem acceptis, quarum una Kizun dicebatur, famosior & opulentior ceteris, obsidibusque acceptis cum pecunia non parva victor regreditur. Interim a Roma venientibus nuntiis declaratur Pseudopapam Mauricium sive Burdinum Castello Sutriæ, quo miserrimo suo inserviens officio residebat, per Romani exercitus zelum destructo captum, & post plures a vulgo sibi contumelias illatas, vix a manibus eorum ab Apostolico erepτum,

ptum, & ob agendam pœnitentiam, Monasterio cui nomen est cavea, intrusum. Sunt etiam qui talibus eum asserant flagitiis deprehensum, quod nostris indignum duximus tradere scriptis. Heinricus Imperator inito fidelium suorum consilio rebelles sibi Mogontinos affligere curavit, ac primo navium commeatum omnimodis interclusit; Deinde præsidiis circumquaque munitis hujusmodi insidiis nundinas sive mercatus fieri sive quicquam victualium in civitatem deferri inhibuit, ad extremum in obsidionem ejusdem urbis publicam expeditionem indici constituit. His auditis Archipræsul Adalbertus totam Saxoniam, ubi tunc manebat, commovit, & quare legationem Apostolicam ab ipso Papa dudum acceperat, hac auctoritate Pontifices & Principes ipsius Provinciæ pro utilitatibus matris Ecclesiæ frequenter convocat. Vbi vir eloquens & Primatum in Cisalpinis partibus multiformiter tenens ad defensionem Metropolis totius Germaniæ animos omnium Catholicam obedientiam profitentium tandem excitat. Huc etiam accessit quod Episcopi Spirensis & Wormatiensis, & si qui alii resistere non valentes, tamen Apostolicam obedientiam professi, pulsi suis sedibus vagabantur extorres, quos proprio quemque loco restituere disponebant. Iidem principes pro Domino Deo exercituum zelo zelantes. Denique circa solsticium æstivale cara jam ubique, per vastatas nimirum regiones, Annona, geminus tibi o nobilis Mogontia conflatus exercitus, alter scilicet in Alsatia; ast alter in Saxonia annosæ tuæ dignitatis mœnia quæritantes; alter destructionem tuam, alter defensionem quæritantes, ac si conquerendo dicenti tibi; filii matris meæ pugnaverunt contra me; rebus responderet Christus: Ecce iterum isti congregati sunt, venerunt tibi: Fiebant interim per omnes Ecclesias jejunia, supplicationes vel lætaniæ, nec erat ulla filia Sion, quæ se faceret expertem tanti periculi matris suæ; quapropter respexit Dominus in orationem humilium & non sprevit precem eorum, sed misso principali spiritu suo, spiritu consilii, spiritu pacis, inter principes utriusque populi, dum jam longe ab invicem uterque consedisset exercitus pro eo quod in alterutrum acies dirigere disposuerant, missis utrimque quibusdam sapientissimis atque religiosis proceribus, de concordia sua scilicet fraterna honorabiliter tractare cœperunt. Quid plura? eo usque Spiritus Jesu pro pretio sanguinis filii sui, filiisque Sponsæ suæ dimicans, spiritui superbiæ & maligno prævaluit, ut mentibus universorum tam in uno divinæ voluntatis assensu connexis ipsorum consilio, suasione ac obsecratione Regis indignatio in tantum mitigaretur, ut ipse præsens negotium non suo, sed optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decreverit; Inde rerum omnium gubernatori cunctis gratias agentibus denominati sunt ex utraque parte XII. primates, quorum corda timor Dei possidens, inveteratam discordiam inter regnum & sacerdotium sedare nemine resistente sufficeret; Ad hæc terminanda collaudatur conventus totius Regni principum, Curia Wirceburh, tempus festum S. Michahelis. Et uno quoque propria manu in alterius manum hujusmodi pactum quasi sub sacramento firmante, cum pace & gaudio discessum est. Evolutis post hæc tribus fere mensibus Heinricus Imperator venit cum ingenti comitatu in civitatem Wirceburh, juxta condictum vero Saxonum principes una cum Mogontino Præsule, ceterisque castra metati sunt juxta Rivum qui Werna dicitur, unius diei iter habentes a Rege interstitium. Ibi securitate per internuntios utrobique composita post triduum loco prænominato Imperatorem conveniunt, a quo pacifice extra muros, propter nimiam utrius partis turbam recepti exinde per continuam septimanam uni se quotidie Curiæ colligunt, ibique semper super præsenti schismate regni & Sacerdotii solerter tractare non cessaverunt; sed licet nonnulli pacem odientes scandala nova veteribus superseminare tentaverint, tamen quia ordinationis divinæ proposito, unde tot capita Reipublicæ convenerant, resistere nemo potest; tandem Imperator sponsionis suæ non immemor universas quæstiones, quæ ventilabantur, non suimet arbitrio nec suorum quorumlibet contentione, sed juxta Senatusconsultum concludi per omnia in omnibus concessit. Vnde quia multa, quæ ibi tunc magnanimiter disposita sunt, enarrare longissimum est, ea tantum quæ etiam maxima causa ejusdem conventus fuerunt, hic annotare sufficiat, utque pacem firmissimam, & ab omnibus universalem sub vitæ periculo legaliter institutam, Regalia vel Fiscalia Regno, Ecclesiastica Ecclesiis, prædia deprædatis, hereditates heredibus, omnique personæ vel conditioni propriam adjudicatam esse justiciam; ad hæc prædones furesque edictis imperialibus persequendos sive legibus antiquitus constitutis coërcendos unanimi conjuratione confirmatum est; & quicquid scandali ac perturbationis per regna Germaniæ succreverat, omnimodo eradicari decretum est. De verbo autem excommunicationis, unde scandala pene cuncta pullulaverant, nihil est definitum, tamen ad Apostolicam audientiam concorditer in divino timore dilatum, denominatis in præsenti Legatis, qui Romam hæc omnia deferrent, quatenus indicto per auctoritatem Apostolicam generali Concilio quæcumque humano non possent, Spiritus Dei judicio terminarentur. His ita reverenter pro honestate simul & utilitate regni dispositis designati sunt in præsenti Domnus Otto Babenbergensis Præsul, Dux Heinricus, Comes Beringerus, qui hæc omnia Noricis principibus, qui tunc forte aliis occupati Reipublicæ causis prædicto Conventui deerant apud Ratisponam Kal Nov. convocari intimarent, quos & ad omnia hæc voluntarios invenerunt. Ejusdem anni hiems ventosa nimis fuit & calida & aquarum inundatio magna. De Monasterio Fuldensi turris australis corruit, ac Sanctuarium orientale, & eam, quæ subtus erat, cryptam, altariaq; septem circumcirca compressit.

 Anno

Anno Dominicæ Incarnationis MC XXII. In festo Natalis Domini vehementes turbines ventorum innumera ædificia & arbores a radicibus subruerunt & inundatio aquarum ex imbrium distillatione super quam cuiquam mortalium credibile sit evenit, multisque mortalibus submersis his qui evaserant diuturni doloris causa extitit. Domnus Erlungus Episcopus Wirceburgensis per quatuor annos elephantino morbo vexatus in Natali Innocentum obiit, & prohibente schismate non in civitate, sed in Monasterio Suarzaha sepulturam obtinuit. Imperator vacanti Cathedræ consulturus illo devenit, & consilio suorum usus quemdam adolescentem bene quidem natum, sed adhuc præ studiis scolaribus nulla ecclesiastica promotione mancipatum pontificali investitura sublimavit, non modica quidem & saniori parte Cleri ac populi id ipsum renuente, alterum autem nomine Rokkerum ejusdem Ecclesiæ Diaconum, ibi nutritum, atque Canonicum canonice eligente. Hinc dissensiones non parvæ oriuntur in tantum, ut eidem parti faventes relictis, quæ possidebant in civitate, cogerentur offensam Imperatoris declinare; Ducem quoque Fridericum, fratremque ejus Conradum electioni eidem dum frustra consentiunt indignatos ab Imperatore Avunculo suo discedere; qui tamen non multo post cum Metropolitano Mogontino Adalberto, nonnullisque Saxoniæ principibus colloquium juxta fluvium Wirraha facientes, prædictum Rokkerum contra voluntatem Imperatoris per auctoritatem Archiepiscopi Adalberti ceterorumque Legatorum Papæ, qui nuper a Roma venerant, præsulatus electione & investitura confirmabant. Ipso etenim tempore Episcopus Spirensis & Abbas Fuldensis legatione totius regni apud sedem Apostolicam peracta redierant, ducentes secum Ostiensem Episcopum vicem Domni Apostolici per omnia tenentem, cum duobus Cardinalibus, qui nihilominus a sede Sancti Petri ob reconciliationem regni & sacerdotii missi fuerant. Hac de causa iterum colloquium generale per provincias indictum est Wirceburch in festo Sancti Petri; quo instante appropinquare cœperunt condictæ civitati non sine damno Orientalis Franciæ diversarum provinciarum principes & turmæ. Sed ubi nuntiis veracibus Imperatorem illo minime venturum, utpote circa Rhenum aliis irretitum negotiis, didicerant unusquisque in sua redire disponebant. Interim G. fœderatis sibi firmiter Urbanis intra muros copiosa cum turba dum residet, quadam die post meridiem, assumpta de his, qui secum erant, manu valida quosdam, qui jam uno pene milliario ab urbe castra posuerant, nil mali suspicantes invadere tentavit, & quia hostes regni reputans sive turpiter pellere sive incautos sternere proponit. At illi clamore venientium excitati gemina contra acie celeriter instructa naviter resistendo, se suaque castra defendebant & ex utraque parte cæsis, vulneratis, atque nonnullis captis die etiam advesperascente hi ad urbem, isti ad tentoria redeunt. Hinc efferati principes ad civitatem unanimiter convertuntur Rokkerum intronizare contendentes: verum id non sine sanguine fieri posse perpendentes ad Monasterium Suarzaha divertunt, ibique illum coram omni concilio tam Metropolitanus Adalbertus, quam ceteri Romani legati præsulem urbis Wirceburch consecrantes ad propria se quisque convertunt. Exinde Rokkerus eam partem Episcopii quæ Necaro fluvio circumjacet in proprios usus tenuit: G. - - - vero urbem & quæ illi contigua sunt secure possedit. Interea Adalbertus Archipræsul ab indignatione Imperatoris sibimet undique prospiciens, castrum antiquum & jam per multas generationes funditus dirutum, quod vel a Rivo alluente Ascafa, sive, ut quidam volunt, ab Ascanio Conditore Ascenburch dicitur, miro conatu cœpit munire. Imperator quoque id ipsum ob injuriam sui & contra Rempublicam fieri judicans obsidionem e contrario ordinare decrevit. At benignus & amator Jesus per industriam servorum suorum sedis Apostolicæ Legatorum, qui tunc Mogontiæ morabantur, immo per habitantem in eis spiritum suum, spiritum principum paci contrarium auferre caritatemque in eorum cordibus diffundere cœpit; quare ut vere creditur, post tot Christi tunicæ scissuras, post tot Christianorum intestina bella, tempus miserendi Syon, quæ est Ecclesia, licet sero, jam venerat. Facto igitur universali conventu apud urbem Wangionum, sicut longum ita & incredibile memoratum est, quam prudenti, quam instanti, quamque per omnia sollicito cunctorum procerum consilio pro pace & concordia per unam vel amplius ebdomadam certatum sit, donec ipse, in cujus manu cor Regis est, omnem animositatem Imperatoris sub Apostolicam obedientiam causa matris Ecclesiæ, etiam ultra spem plurimorum inflexit; Moxque ab Apostolicæ sedis apocrisiariis in communionem receptus, tam ipse Imperator, quam universus sibi subjectus exercitus immo generali absolutione cunctis hoc schismate pollutis per auctoritatem Apostolicam facta, qualiter ecclesiasticas investituras ceteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæque ipse, ne Regni imminueretur honor, nunquam vita comite se dimissurum proposuerat. Humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegaverit, & in manus Episcopi Ostiensis ac per ipsum Domino nostro Jhesu Christo, suæque in perpetuum jus Ecclesiæ dimiserit, rursumque qualia sibi ob honorem regni observandum auctoritas Apostolica concesserit, utriusque partis melius edocebunt subter annotata scripta.

Ego Heinricus DEI gratia Romanorum Imperator Augustus pro amore DEI & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domni Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto DEO & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem Investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & regalia Beati Petri, quæ a principio

pio hujus discordiæ usque ad hodiernam diem sive patris mei tempore, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium Ecclesiarum aliarum & principum & aliorum tam Clericorum, quam Laïcorum consilio, principumque justiciæ, quas habeo, reddam, quas non habeo, ut reddantur fideliter juvabo; & do veram pacem Calixto sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt & fuerunt, & in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo.

Ego Calixtus servus servorum DEI dilecto filio Heinrico DEI gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia; Et si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Comprovincialium consilio vel judicio saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum a te recipiat exceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, &, quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero querimoniam mihi feceris, secundum officii mei debitum auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem & omnibus, qui in parte tua sunt, aut fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno Dominicæ Incarnationis MC XXII. VIIII. Kal. Octob. Hujusmodi scripta atque rescripta propter infinitæ multitudinis conventum loco campestri juxta Rhenum lecta sunt, data & accepta, postque multimodas laudes rerum Gubernatori redditas, celebratis a Domno Ostiensi divinis Sacramentis, inter quæ Domnum Imperatorem cum pacis osculo sanctaque communione plenissime reconciliavit. Discessum est ab omnibus cum lætitia infinita. Alterum quoque in festo Sancti Martini colloquium Imperator cum principibus, qui priori non aderant, Babenberh habuit, ubi & cunctis in sua vota concordantibus inter multa, quæ tam ad Regni, quam ad Sacerdotis congruebant honorem, more majorum compositis, legatos proprios cum Romanis destinavit & utrosque nuntia simul & munera ferentes honorifica Domno Apostolico Calixto, consanguineo scilicet jam sibimet mitissimo, direxit. Præterea Domno Orlolfo, qui Fuldensibus etiam invitis præerat, ante paucos dies defuncto, cum consensu præsentium Principum electione regulari præmissa Domnus Odelricus ejusdem congregationis frater in regnum successit, & juxta privilegium præscriptum regalia vel fiscalia eidem Cœnobio pertinentia ab Imperatore suscepit. Herimannus Pragensis Ecclesiæ Episcopus obiit, cui Meginhardus successit.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XXIII. Heinricus Imperator Natale Domini Trajecto celebravit. Oritur in ipsis festis diebus quædam simultatio inter aulicos & Episcopi ministeriales, quæ etiam eo processit, ut universa curia simul ac civitate commota utriusque partis armatæ concurrerent cohortes. Fit clamor confusus, quasi a Trajectensibus in Imperatorem conjuratio sit facta, sicque illis irruentibus & istis resistentibus acris pugna committitur, adeo ut multi caderent, plures de oppidanis caperentur, reliqui in turrim firmissimam, quæ illic erat, confugerent. Pontifex Godebaldus etiam ipse quasi pravi consilii particeps & ob hoc Majestatis reus habitus custodiæ traditur; a qua postea magna pecuniæ summa mulctatus, multis etiam principibus illarum partium intervenientibus, & maxime Friderico Coloniensi Archiepiscopo vix redimitur. Cœpit etiam tunc germinare discordiæ illius seminarium, quod sequenti æstate maximo illius regionis damno, quæ vulgo Hollant dicitur, morose ac laboriose & vix tandem ipso Imperatore copiosum illo ducente exercitum terminabatur, ubi soror Liuderi Ducis Gertrudis sive Petronella ejusdem Ducis patrocinio confisa Imperatori rebellare præsumebat. Proxima feria post Natale Domini quidam ex parte Episcopi Halberstadensis Heimenburch reædificant, ad injuriam Ducis Liuderi, qui castrum non longe positum Blankenburch tunc insedit. Cum subito prædictus Dux rapta acie prædictum castrum obsidione vallat. Nec mora Episcopus Halberstadensis, Marchio Heinricus de Stadhe; Marchio Heinricus de Ilburch, quem suppositum nec vere filium Marchionis Heinrici de Ilburch ajebant, Comes Lodowicus de Thuringia, Comes Rotholfus ad congrediendum Duci Liudero unanimes conveniunt. Quibus Dux obviam nihil veritus procedit. Tandem consulente Archiepiscopo Mogontino, qui Duci in auxilium venerat, in potestatem Ducis castrum redigitur & comburitur, Dux victor remeat. Claruit hoc tempore Dietericus Cicensis Episcopus litteris adprime eruditus, semper contra schismata, quæ suis temporibus nonnumquam pullulabant, propugnator Catholicus & in omni pastorali sollicitudine commissæ sibimet Ecclesiæ utilitatibus insudans. Hic non longe a Suburbano suæ civitatis Abbatiam summo conatu, magnoque sumptuum vel ædificiorum impensis per aliquot annos instituebat in colle, quem antiquitas olim Bosowa nominaverat. Quo loco jam fere ad unguem perducto, utpote non modica consecrata Basilica, congregatione quoque Monachorum ibi locata, invenitur inter eos quos conversos fratres dicimus, quidam perversus ex eadem gente Soraborum progenitus, nequaquam sanctæ regulæ, sed propriis desideriis per omnia subjectus, hic pro suis excessibus frequenter ab Abbate corripitur, sed non melioratus Episcopo præsentatur corrigendus, quem ipse frequenter, ut dignum erat, acrius corripuit; Ille autem in tantam proterviam erupit, ut Episcopum ante altare in oratione stantem cultro perfoderit. Unde post triduum venerandus Sacerdos ad Christum migravit. Cono Strazburgensis Episcopus solo nomine, quare in nece Bertoldi

Ducis consensit ab Episcopatu deponitur, & Bruno Babenbergensis Ecclesiæ Canonicus ibidem Episcopus constituitur. Reinhardus Halberstadensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus decessit . . . Kal. Martii, cui Oddo Magedaburgensis Ecclesiæ Canonicus successit. Obierunt Lodowicus Comes de Thuringia Monachus factus, & Otto Comes de Ballestad. Heinricus quoque Marchio de Ilburch veneficio interiit. Imperator circa Pentecostem ad fines occidentis venit; Sculenberch ad injuriam Episcopi Trajectensis Godebaldi obsedit. At Dux Liuderus & Teodericus Monasterii Episcopus, ut prædictum castrum ab obsidione solverent, contra Imperatorem rapta acie vadunt & non longe ab invicem fixis castris considunt. Palus interjacens, ne congrederentur, eos detinet. Tandem Dux Liuderus motis castris super Daventre irruit, hoc modo sperans Imperatorem ab obsidione discessurum, & pugnandi locum sibi fieri. Quidam vero de Monasteriensis Episcopi parte, quia prædabundi villam prædictam invadunt, vallum trascendunt, propugnacula magna ex parte diruunt. Villani vero, prout res monebat, fortiter resistendo eos repellunt, sicque aliquot amissis, in Campo proximo considunt. Quo audito Imperator castrum deserit, Daventeri auxilium laturus tendit; Castellani ab obsidione solvuntur. Dux vero Castellanis vires reparat, ipsum castrum victualibus replet. His actis voti sui compos remeat. Adalbero Bremensis Archiepiscopus post Fridericum, qui III. Kal. Febr. obierat, canonice electus pro reposcenda pallii dignitate Romam vadit. Ibi a Domno Apostolico Calixto honorifice excipitur, in Archiepiscopum ab eo consecratur, habitaque Sinodo Canonico & judiciario ordine pallium obtinuit, negligentia duorum Antecessorum suorum amissum, & in Danos translatum. Addidit quoque Domnus Apostolicus hanc auctoritatem, ut prædictæ Ecclesiæ Pontifex liberam prædicandi licentiam habeat quousque terra ad Oceanum versus partes illas extenditur. His ita actis in hoc quoque Domnus Papa honorem sibi adauxit, quod quemdam bonæ conversationis Clericum, qui secum Romam venerat, Suethis Episcopum ordinavit. Post ad Patriam remeat addito sibi Cardinale viro Religioso, qui ex decreto Domni Apostolici omnibus Datiæ Episcopis, ut ei sicut Metropolitano obedirent, ediceret. Ab Imperatore gloriose exceptus Bremam venit, frequentissimis totius provinciæ illius conventibus solemniter eum excipientibus. Imperator Marchiam in Misne Wicberto tradit. Dux Liuderus cum aliis principibus super hoc indignantibus, suscipit bellum, & in eamdem Marchiam Conradum de Witin ducit & collocat. Quo facto cum Adelberto filio Ottonis de Ballenstide, usque Ilburch procedit, eorumque consensu, qui in utrisque Marchiis primates erant, ambo marchias singulas regendas suscipiunt. Iidem diebus Wladizlaus Dux Boëmiæ & Otto jussu Imperatoris tam Boëmiæ quam Moraviæ coadunato exercitu transeuntes silvam metati sunt castra ultra oppidum Guozdec ex adverso Liuderi Ducis; Præsul autem Mogontinus & Comes Wicbertus citra fluvium Mildam stabant cum multitudine armata. Saxones autem in medio positi dirimebant eos, nec sinebant invicem coire adversarios suos. At Wicbertus quasi fugiens rediit. Dux autem Boëmiæ multis amissis in terram suam abiit. Dux autem Liuderus Libuze obsidione vallat, acceptoque obside filio Heinrici cum capite, qui Castello præerat, victor [sicut] semper consuevit, rediit. Godebaldus Trajectensis Episcopus gratiam Imperatoris per interventum Imperatricis adnitentibus principibus obtinet. Sculenberch concrematur. Hugo de Dagesburch moritur, Trojanum illum Alexandrum pulchritudine, virtute vero Hectorem repræsentans. Eo itaque tempore, primo per Saxoniam, deinde per totam pene Germaniam, externis quiescentibus bellis, civilium ubique seditionum tempestas increvit; &, ut ait propheta, mendacium & perjurium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Prædones quippe, qui sub nomine equitum, undique superabundabant, villas & agros Ecclesiarum invadebant, Colonos domi forisque spoliabant, & ah scelus ab his, qui pane solo & aqua victitare solebant, delicias sibi ministrari tormentis exigebant; sicque prædis & incendiis unoquoque suas injurias vindicante, cœpit ubique caritas, immo raritas annonæ succrescere. In Pago Wormatiensi videbatur per aliquot dies non modica & armata multitudo equitum euntium & redeuntium, & quasi ad placiti colloquia nunc hic, nunc illic turmas facere; Circa nonam vero horam cuidam monti, a quo & exisse videbantur, se reddere. Tandem quidam de incolis illius Regionis non sine magno timore hujusmodi tam prodigiosæ concioni, crucis signaculo munitus, appropinquat mox quamdam ex illis occurrentem sibi personam per nomen Omnipotentis Domini nostri manifestare causam populi, qui sic appareret, adjurat; Cui ille inter cetera: Non sumus, inquit, ut putatis, fantasmata, nec militum, ut a vobis cernimur, turba, sed animæ militum non longe ante hac interfectorum, arma vero & habitus atque equi, quia nobis prius fuerant instrumenta peccandi, nunc nobis sunt materia tormenti & vere totum ignitum est, quod in nobis cernitis, quamvis id vos corporalibus oculis discernere non possitis. In hujusmodi comitatu dicitur etiam Emico Comes ante paucos annos occisus apparuisse, & ab hac pœna, orationibus & elemosinis se redimi posse docuisse. Referunt quidam, quod nocte quæ diem Dominicæ Cœnæ præcessisset, dum ad vigilias more Ecclesiastico properarent, vidisse se quasi stellas innumeras de Cœlo cadere in tantum ut pluviæ guttas & multitudine & casibus imitari. Adela Comitissa obiit. Præpositura in Balenstid, mutatur in Abbatiam, ubi primus ordinatur Johannes Abbas. Eodem anno Wladislaus Dux Boëmiæ immani motus ira contra fratrem suum Sobezlaum mense Martio movit arma

arma & eum cum suis omnibus expulit de Moravia, & reddidit Corado filio Liutoldi hæreditatem suam; partem autem quartam illius terræ, quam habuerat Odalricus frater Lutoldi, addidit Ottoni fratri Ducis Suatopluk. Sobezlau autem fugiens adiit Imperatorem in urbe Mogontia, sed, infecta causa, tendit ad Wicbertum Comitem & apud eum mansit per VII. menses & posthæc pertransiit in Poloniam ad Ducem Bolezlaum; conjugem autem ejus, Almi Ducis natam, Stephanus Rex Pannonicus gratanter recepit, cognoscens suam cognatam esse. Eodem anno maxima fuit ubertas tam autumno, quam vere, seminatis nisi quod grando locis nocuit in pluribus. Hiems aspera fuit nimis & nivosa.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXIIII. Heinricus Inperator Natale Domini Aquisgrani celebravit. Eclipsis Lunæ apparuit in purificatione Sanctæ Mariæ. Vnde etiam perterritus Conradus consobrinus Imperatoris, conversionem morum suorum professus, Jerosolimam se profecturum, ibique Christo militaturum devovit, indeque favorem non modicum ab omnibus, qui hæc audierant, adquisivit. Nonnulli quoque nequitiæ studiis antea dediti eidem se sociari profitentur Comitatui; Inperator movit expeditionem contra eos, qui sibi in Regione Hollant contrarii existebant, hisque licet tarde subactis ad superiores se partes contulit. Circa fines Lotharingiæ Regina relicta; circa mediam Quadragesimam colloquium Wormatiæ cum quibusdam Optimatibus habuit; ceteris vero, qui non aderant, id est, Saxonibus, Bawariis atque Boëmiis Curiam Non. Maji Babenberch indixit, maxime propter Luideri Ducis insolentiam, qui nova quædam moliri notabatur contra Rempublicam ob sororis suæ illatam sibi ab Inperatore injuriam. Ejusdem hyemis intrante vere vehementissimi incubuerunt venti per totam Lunationem mensis Martii; quo tempore mortuus est Borivoy quondam Dux Boëmiæ, qui annos XV. exul & ex his sex in carcere pertulerat, bis quoque sublimatus in solio & bis reprobatus fuerat. Interea Sobezlaus de Polonia venit ad Ducem Saxoniæ Liuderum, a quo honorifice suscipitur, hospicio & optato potitur solatio. Nam audiens Wladizlaum Ducem Boëmiæ Babenberch Inperatoris Curiæ interesse, misit Legatum cum Sobezlao ad Imperatorem, monens, ut ad præbendum omnibus principalis gratiæ documentum viro innocenti & injuriam patienti justitiam faceret, eumque fratri suo reconciliaret; unde Imperator indignatus respiciens ad omnem cœtum dixit: Satis pro Imperio Dux iste locutus est; Ipse nobis facit injuriam, & ulcisci poscit injuriam, aut quæ potest esse major injuria, quam quod vocatus ad Curiam non venit. Inperator igitur a principibus Sacramentum accepit, ut ad festum Sancti Jacobi sequerentur se contra Saxoniam; Erat itaque conventus idem non modicus: nam singularum provinciarum Duces aderant præter Liuderum Ducem paucosque sibi consentientes de Saxonia principes, quibus singulis necessarios sumptus vel ex toto vel ex parte ministrabat venerandus Episcopus Otto præter atque antiquitus constitutum Imperatoriæ Majestati, quod Aulicis etiam importunius exigebatur servitium; Ab ipsis quippe pater idem notabatur rarius quam ceteri præsules palatium visitare, ipse vero monasteriis construendis & restaurandis, elemosinis dispensandis, orationibus invigilandis, ceterisque tam practice, quam theoretice studiis insudandis se maluit occupare. Nec deerant, qui id invidiæ causa musitantes, publicis etiam functionibus inpendendum judicarent, sicque Imperatoris animositatem contra virum Dei conmovere tentarent. Sed quia Dominus custodit omnes diligentes se & vias peccatorum disperdet, ille rebus transitoriis pro tempore non parcens miro modo, quamvis undique regiones stringente penuria sufficienter omnibus ministrando, bonitate malitiam vicit ac non ficte caritatis officiis totius in se regni benivolum in se affectum conmeruit. Vnde dispositis causis ejusdem Conventus insinuat tam Inperatori, quam Primatibus se litteris atque nuntiis pluribus a Duce Poloniæ Bolizlao vocatum, insuper etiam permissu Domni Papæ Calixti atque benedictione directum ad gentem Pomeranorum, quam nuper idem Dux sibi finitimam subegerat & ad Christianitatis confugium impulerat. Annuit tota, quæ convenerat Ecclesia, annuit & aula, prosperitatem piis conatibus imprecantes, soli Babenbergensis Ecclesiæ filii patrem dulcissimum inviti deserunt, multis eum lacrimis, ac si funus prosequentes. Interim Wicbertus mortuus est. Videns autem Sobezlaus, quia fortuna & regius census magis juvat fratrem suum Wladislaum, vertit iter suum ad Wiperti natum, suum per sororem cognatum, ut eum consolaretur super obitu patris sui, ibique aliquandiu morabatur; quia post obitum patris sui prædictus puer atrociter undique ab inimicis coarctabatur; Inperator indignatus his, qui Curiam in Babenberh adire contempserant, instituit expeditionem generaliter fieri mense Augusto, specie quidem contra Saxoniam, re autem vera contra Galliam in regnum Regis Lodowici, præbiturus auxilium socero suo Heinrico Regi Angliæ pro possessione Normanniæ provinciæ, contra eumdem Regem Galliæ Lodowicum contendenti; cujus fines postquam Teutonicus exercitus cœpit attingere, exploratores quotidie affirmabant, Francigenas maximo domi congregato exercitu congressum expectare, immo temere expetere. Inperator autem non multas ducebat copias, quia Teutonici non facile gentes impugnant exteras. Nuntiatur interim Wormatienses auxilio Ducis Friderici contra voluntatem Inperatoris B. . . . . Episcopum suum Sedi suæ restituisse, seque intra civitatis muros ad rebellandum omnimodo munisse, quo audito reversi, urbem eamdem magna invadunt feritate, nec obsidionem ejus solvunt, donec multis hinc inde conatibus expensis, multis ante murum captis vel occisis, ad ultimum deficientibus alimo-

alimoniis, quinque millibus talentorum Urbani mulctati, relicto Episcopo, pactum ad arbitrium Imperatoris faciunt. Magnæ molis grando cecidit VIII. Kal. Augusti. Item III. Idus Augusti XI. hora diei solis eclipsis fuit, & secuta est maxima pestilentia boum, ovium, atque suum: magna fames fuit. Domnus Papa Calistus II. vir sanctissimus, quippe cujus faciem in Apostolatu suo nemo unquam vidit immutatam, præterea genere, moribus, sapientia quoque cunctisque divinarum humanarumque rerum dispositionibus præcipuus in Domino vitam finivit; post cujus decessum pars aliqua Romanorum Ravennatem Archiepiscopum omni Religionis testimonio satis commendatum Apostolicæ sedi præficere nituntur, item aliqui Lambertum Ostiensem Episcopum qui & universali postmodum electione concordante voti compotes efficiuntur. Nam vir idem & in Romana tamdiu probatus Ecclesia & in ea largitione, qua dudum ipse in reconciliatione regni & Sacerdotii, germanicis in partibus strenue laboraverat cis citraque notificatus, tam illorum, qui longe, quam illorum qui prope erant, sacerdotum unanimi favore canonice consecratur & more sedis illius, ut vere tanto dignus honore, Honorius II. appellatur. Rodolfus Comes frater Udonis Marchionis, Marchio aliquandiu & ipse obiit. Erat ei uxor nomine Richardis filia Herimanni Magedaburgensis Comitis, de qua suscepit filios Rodolfum, Udonem & Hartuwigum Bremensem Archiepiscopum & filiam nomine Luiccardem, ex qua Fridericus, junior de Sumersenburh Palatinus Comes genuit Adalbertum, sed Udo & Rodolfus non habentes filios interfecti sunt, mortuus quoque est patruelis ipsorum Marchio Heinricus sine liberis, cum tamen conjunctus esset Adelheidæ filiæ Ottonis, sorori Adelberti Marchionis: sicque miserabiliter nobilis illa progenies in masculino genere defecit. Moritur hoc anno Fridericus Comes de Arnesberch, cujus oppressione omnis fere provincia Westfaliæ in servitutem redacta erat. Idem ille alter Cedar; manus enim ejus contra omnes & manus omnium contra eum, castrum quoddam Wifelesburch tempore Hunorum constructum, sed vetustate temporis postea neglectum, anno non integro antequam moreretur, reædificavit. Unde totam vicinam & ultra adjacentem regionem ineffabili angaria vexando exhausit, quod misericordia DEI &, ut speratur, precibus Sancti Mainulfi confessoris intervenientibus illo defuncto in momento ab Agricolis, qui eo cogente id construxerant, dirutum est; similiter & Rietbike, Duce Liudero jubente, ubi ejus satellites prædis inhiantes, tamquam in sentinam confluxerant, destructum est.

Anno Dominicæ Incarnationis MC XXV. Heinricus Imperator Natale Domini Argentinæ, quæ & Strazburh, celebravit, frequentantibus ibi curiam Principibus Alsatiæ, Lotharingiæ ceterarumque Transrenanarum partium optimatibus, quo tempore hiemem asperrimam, ver tempestuosum, fames validissima ac mortalitas crudelissima secutæ, tantam stragem per universas provincias, maxime tamen de Vulgaribus, dederunt, ut pene pars tertia populi notetur occubuisse. Hoc tempore Sobezlau degens in Saxonia, audivit fratrem suum Ducem Boëmiæ graviter infirmari, nulli vim inferens, aliquam quærens tantum fratris gratiam. Omnes quippe Boëmii primi & secundi ordinis favebant ei; sola ductrix & pauci cum ea adjuvabant Ottonem, quomodo sororem ejus sibi copulaverat; sed, supplicante matre sua Suatava cum lacrimis, Dux recordatus est fratris sui Sobezlai. Interea Babenbergensis Episcopus, Otto, miles Christi invictus, destructis Idolis Pomeranorum visitat Ducem jam viribus deficientem, cui cum Dux se & animam suam per sanctam Communionem commisisset, non prius posse dari aut consequi indulgentiam Præsul spopondit, quam fratri suo pacem veram & firmam promisisset gratiam. Mox curam animæ ejus & causam perficiendæ pacis Meinhardo Pragensi Episcopo injungens, munificenterque donatus tenuit viam; festinabat enim, ut ante Cœnam Domini perveniret in sedem suam. Mittitur interea pro Sobezlao Nuntius, ut sensit Otto, qui semper adhærebat lateri Ducis, timens ne forsan caperetur, tristis revertitur in Moraviam, pacificatusque cum fratre suo Dux Wladizlaus II. Idus Aprilis defunctus est & Sobezlaus omnibus Boëmiis faventibus XVI. Kal. Maji principatum accepit. Hoc tempore scilicet in sacro sancto Paschæ Sabbato desiderantissimus cœlitusque provisus Babenbergensis Ecclesiæ Præsul Otto, post multas pro Christo tribulationes emersas, gregem sibi commissum revisit nec aliter quam Christus ipse susceptus, gaudentibus discipulis, gaudium Dominicæ resurrectionis duplicavit. His temporibus per latitudinem Imperii prodigia nonnulla cladesque diversæ frequentabantur, adeo ut nec numerus nec species eorum a quoquam scientia colligantur, quorum pauca nostris auribus fama intulit. Quarta feria ebdomadæ Pentecostes dirissimæ pruinæ frigus plagam magnam tam novellis ubique fructibus, quam vineis abundantissimam jam fœtuum suorum spem turgendo promittentibus, intulit; nec multo post, id est XVI. Kal. Julii residuum frigoris tempestas tam immensa, quæ diluvium minari videbatur, alicubi devastavit. Item quædam ex locis palustribus, ultra solitum erumpentes segetes contiguas & maxime triticeas aurugine vel uredine depravavit: apum etiam fœtus ex toto pene deperiit: Nonnulli quoque in sole & Luna vel stellis diverso modo se vidisse signa testantur, adeo ut etiam fidem excedere quibusdam videantur. Puero cuidam in pago Tullifelt nato crus dextrum diutino livore tumefactum tandem loco collecti puris crepuit & pro sanie mirabile dictu grana non pauca tritici, siliginis, farris, hordei ac avenæ evidenter effudit. Heinricus Imperator hujus vocabuli V. apud civitatem Trajectum Pentecosten celebraturus ægritudine, quam diu celaverat, superatus ad extrema cœpit propinquare, vocatisque, qui secum

secum erant, id est, Regina Mathilde & consobrino suo Friderico Duce Sueviæ ceterisque Primatibus, prout potuit, de regni statu consilium dedit, proprietates suas atque Reginam ejusdem Friderici, utpote hæredis sui, fidei conmisit, coronam ceteraque Regalia usque ad conventum principum conservanda in castello firmissimo, quod Trisfels dicitur, reponi dispofuit, sicque viatico Christi sacramentorum conmunicans diem clausit extremum X. Kal. Junii; cujus corpus more regio curatum Spiram est delatum & coram multitudine nobilium & inferiorum Clericorum atque Laïcorum juxta majorum suorum Mausolea honorifice conditum, anno Regni sui XX. Imperii vero XIIII. Hic ut præscriptum est primo sub specie Religionis patrem excommunicatum imperio privavit, confirmatus in honoribus mores mutavit, sed post injurias Apostolicæ sedi illatas semper se ipso inferior fuit, justitiis regni non multum invigilavit, acer fuit ingenio, fortis & audax, licet parum felix, in præmiis multus, in appetendis alienis pecunias, ut ajunt, infinitas congesserat, quas secundum scripturas cum tesaurizasset, ipse sine filiis obiens, heu heu ignorabat. Hoc etiam anno nonnullos ex nobilibus una cum innumera multitudine vulgarium sæviens mortalitas absumpsit. Inter quos Odalricum Eihstatensem ac Rogerum Wirceburgensem Episcopos, Arnoldum quoque Arnoldi Comitis filium bonæ indolis adolescentem pluresque alios sors ultima pressit. Nam post vulgi stragem inmensam tam fame, quam pestilentia, judicio divino patratam lues tanta tamque indifferens per populos grassari ubique cœpit, ut nulli conditioni, sexui vel ætati parcendum fore mors minitaretur pallida, vixque vivi sufficerent ad curanda morientium cadavera. Rochkerus etiam Magedaburgensis Archiepiscopus & Gumbertus Havelbergensis Episcopus obierunt. Eodem anno Dux Luiderus contra Slavos Transalbiam ivit, sed inacte rediit. Circa hæc tempora obiit Fridericus filius Friderici Palatini Comitis, post humationem Patris genitus ex Adelheida sorore Udonis Marchionis.

In festo Sancti Bartholomei, omnes totius Imperii principes Moguntiam convenerunt. Ibi Episcopi, Duces, Marchiones, Comites omnes unanimiter Ducem Saxoniæ Liuderum sive Lotharium in Regem elegerunt, virum jam inde ab adolescentia in bellis experientissimum & in victoriis frequentissimum. Quocumque enim se verterat speciali quodam fato, quo Cæsar Julius usus, vincebat. Ut enim de aliis præliis taceam, quæ DEO favente gloriose gessit; Henrico Imperatori hostiliter Saxoniam invadenti in loco, qui dicitur Welpesholt, viriliter occurrit, eumque vincendo fugavit. Item in Sculenburch Imperatorem prædictum castrum obsidentem obsedit, & ab obsidione discedere compulit, castroque militibus & victualibus repleto victor rediit. Et quomodo Ecclesiæ studiosus defensor erat, adnitentibus Episcopis & maxime Archiepiscopo Adelberto una cum Archiepiscopo Coloniensi Friderico viris in Ecclesiasticis negotiis disertissimis Rex effectus est. Erat enim vir totius prudentiæ Sacerdotii & regni fidelissimus coadunator, apud DEum summæ devotionis, providus in consilio, strenuitate bellorum fortissimus, & nullius umquam timore periculi perterritus, ita ut eisdem temporibus ad regni gubernacula videretur esse decentissimus. Denique in schismate, quo Ecclesia DEI sub ejus antecessoribus Imperatoribus propter discordiam regni & Sacerdotii plurimum desudabat & multorum animos in utroque ordine Cleri videlicet & populi quodam erroris nubilo contenebraverat. Iste religiosus & Catholicus princeps principalem animum gerens, quorumlibet Ecclesiæ fidelium defensor extitit, & tantis virtutum insignibus præditus Henrico illius nominis quinto sine superstite hærede decedente, unanimi voto totius Ecclesiæ & regni Principum, utpote fidelissimus patronus, in solium regni est sublevatus. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo CXXV. ab urbe condita millesimo VCCC LXXVII. Octogesimo tertio loco ab Augusto regnavitque annis XII. menses III. dies X. uxor ejus Donna Richeza Coloniæ a Friderico Archiepiscopo in reginam consecratur. Igitur Rex Luiderus electus & consecratus versus Bawariam tendit & apud Ratisponam regio more suscipitur, rebusque ibi rite dispositis remeat.

INCIPIUNT ANNI PACIFICI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo sexto, Rex Luiderus Natale Domini apud Argentinam celebravit & Fridericus Dux Alsatiæ nova quædam contra Regem molitus principum judicio damnatur. Rex in patriam regreditur. Apud Corbejam Wisera glacie quasi obice eam repellente inundando totam urbis aream occupat, pavimentum Ecclesiæ pretiosi Martyris Viti more stagni contegit, sed paulo post opitulante eodem sancto sine periculo ad solitum meatum redit. Præterea multis aliis in locis diversarum regionum magni terrores seu pericula ex nimia aquarum inundatione contigerunt. Frequens principum conventus Goslariæ præsente Rege fit, & expeditio post Pentecosten contra Ducem Fridericum ab omnibus collaudatur. Rex Luiderus rapta acie admodum parva in Boemiam pro restituendo Ottone qui injuste Ducatu se privatum querebatur, tendit, incaute quidem; tria enim millia non plus secum assumpsit, hostium vero viginti millia aut amplius erant. Ducenti vero expeditiores Regem præcedebant ad præcidendas indagines silvæ, quæ Boëmiam a Saxonia disterminat, dispositi. Cumque hi per invia & abrupta silvæ quasi repentes laborarent tam nivium magnitudine, quam indaginum incisione fatigati, hostium insidiis ex improviso circumveniuntur; obtruncantur ibi plerique terræ meliores, viri fortes & nobiles, domi militiaque clari, numero CC LXX. Intra quos erant præcipui Milo Comes de Ammenesleve, Gebehardus de Querenvorde, Berengerus

gerus de Quenstide, Bertoldus de Achemi, Walterus de Arnstide & alii plures, quos numerare longum est. Quibus si in plano congrediendi copia esset, profecto quantæ virtutis essent, posteris innotuisset. Cadunt tamen, non ut ignavi aut fugientes. Nemo ibi averso vultu, quod fugientis signum est, sed adverso corruit, quem quisque locum vivendo tenuit, eum moriendo non amisit, hostium quoque magna strages fuit. Otto, cujus supra mentionem fecimus, intra hostium cadavera confertissima exanimis repertus est. Marchio Adelbertus egregiæ indolis juvenis & militaris capitur. Quo audito, Rex acrior in hostem concitatus & ut Leo efferatus, pugnæ se præparat, omnia experiri malens quam turpi fuga sibique insolita vitæ consulere.

Dux autem Sobezlaus audita Regis constantia de adversis casibus nil tremefacti, expavit, supplicesque ad Regem Legatos destinavit. Tandem adductus coram Rege prosternitur, veniamque deprecatur. Denique Regis gratia vix impetrata homo Regis efficitur, amodo se regi subditum & fidelem fore juramento confirmat, captivos reddere repromittit, provinciam in beneficium accipit, & dolorem Regis, qui pro clade exercitus acciderat, magnæ humilitatis subjectione temperavit.

His actis Rex admodum tristis super fortissimorum militum interitu regreditur. Rex Sacrosanctum dominicæ Resurrectionis festum Magedaburh celebrans cum Majoribus Ecclesiæ & Regni, de provisione ejusdem sedis, quæ tunc vacabat, tractavit, ubi cum magna in electione difficultas facta fuisset, juxta voluntatem & consilium Regis, majores Magedaburgensis Ecclesiæ apud Spiram unanimiter conveniunt ac communi Regis & Ecclesiæ consilio, Domnum Nortbertum virum Religiosum & omnibus Ecclesiis verbi Dei pronuntiatorem exuberantissimum in Episcopum Deo prosequente unanimi pace & concordia constituerunt. Rex expeditionem movit super Fridericum Ducem Alsatiæ, sed eo in munitiora terræ suæ se recipiente, Rex infecto negotio rediit. Arnoldus Mersburgensis Episcopus occisus est in vigilia Pentecostes. Treveris apud Sanctum Eucharium reperitur corpus Sancti Mathiæ Apostoli subtus Altare Sancti Johannis Baptistæ, quo digne locato deinceps ab omni populo Teutonico devotione maxima colitur.

Henricus Dux Bawariæ & uxor ejus Wulfildis filia Magni Ducis Saxonum obierunt. Hic Henricus filius Welphonis Ducis itemque frater Welphonis junioris fuit, **de quorum progenie ita se res habet.**

Tempore pii Ludovici Imperatoris filii Caroli magni extitit quidam de principibus Bavarorum, qui fuit binomius, nam & Eticho & Welfus dicebatur, cujus filiam nomine Judith ipse Ludovicus post mortem Irmingardis Imperatricis accepit in conjugium, genuitque ex ea Karolum Cæsarem Calvum, unde longa filiorum ac nepotum successione claruit regnum Francorum; cujus avus prædictus Eticho vel Welfus erat egregiæ libertatis princeps, qui numquam alicui nec ipsi Imperatori pro aliquo beneficio se subdidit dominio, hocque filio suo nomine Henrico præcepit; ut numquam alicujus dominationi se submitteret, quod præceptum filius sibi incommodum ratus persuasione sororis suæ Imperatricis Judith dominio Imperatoris se subdidit, ea conditione, ut tantum de prædiis in terra suæ uxoris sibi condonaret, quantum meridiano tempore cum aratro suo posset circuire. Pater ergo ejus ex mirabili morum inæqualitate supra rationem hoc graviter ferens actum a filio, recessit de Bavaria & in terra montana, in parva provincia juxta silvam, quæ Scerenzerewald dicitur, cum proceribus XII. qui sibi præ ceteris adhærebant, reliquum vitæ tempus peregit, obstruens viam per quam venerat & nec ipse filium, nec filius illum deinceps vidit; filius autem calliditate sua promissa sibi prædia sic adquisivit. Nam facto aureo aratro & apud se recondito infra meridiem, cum Imperator dormiret dispositis in via equis festinanter per girum jam dicta prædia circuivit, lassatisque omnibus equis, equam forte inventam ascendens, tentavitque quemdam montem oppositum etiam adjungere, sed equa subsistente, nec ascendere valente ibi cessavit, unde mos increvit eisdem principibus de Ravanesburh, nulli eorum hactenus propter aliquam necessitatem *, & idem Mons Merenberg usque hodie ab hoc eventu denominatur. Interea Imperator Ludowicus de somno surrexit, & Henricus cum aratro suo ei se præsentavit, rogans, ut promissa compleret, & auctoritate Imperiali firmaret, qui licet aliquantulum indignaretur, quod sic callide circumventus esset, tamen memor promissionis suæ omnia, quæ circuierat ex integro adquirens tradidit ei. Et ex illo tempore idem princeps de urbe Ravanesburch, quæ cum eis circuita in possessionem eorum devenit, agnomen sumpserunt, qui prius de quadam villa Altorp dicta denominabantur. Ex qua progenie per successiones temporum descenderunt tres fratres Rodolfus, Eticho qui & Welphus & Conradus, qui tempore Henrici Regis patris Ottonis Magni extiterunt, ex quibus Conradus Constantiensem rexit Ecclesiam & cum Sancto Othelrico Augustensi Episcopo prudentia & sanctitate vitæ claruit. Rodolphus genuit Welphum Comitem, Welphus genuit Cunizam; Cuniza nupsit Azoni Marchioni de Langobardia de Castris Calim & Estin, quæ in Langobardia sita sunt, genuitque ei Welphum Seniorem; hic prius duxit uxorem Ethilindam nomine filiam Ottonis Ducis Bavariæ viri genere Saxonis & amplissimæ tam dignitatis quam nobilitatis, ita ut Henrico Imperatori hujus nominis quarto rebellandi fiduciam acciperet, quem tamen Imperator licet injuste oppressum ducatu privavit eique successorem generum ejus prædictum Welphum constituit; qui Welphus deinde nescio qua de causa eamdem Ethilindam dimisit, duxitque viduam Haroldi Ducis Anglorum Juditham nomine; ex qua duos filios genuit, id est, Welphum Ducem juniorem &

& hunc, de quo nunc agitur, Henricum. Welphus quidem natu major Mathildem illam potentissimam de Langobardia duxit & sine filiis obiit, fratrique Henrico ducatum reliquit; qui Henricus a longævis audiens ea, quæ superius dicta sunt de Ethicone primo, veniens ad loca montana, in quibus a filio secedens habitaverat, ubi quoque sepultus fuerat causa experientiæ, jussit sepulcrum illius & eorum, qui cum eo tumulati fuerant, aperiri, veraque esse comprobans Ecclesiam in eodem loco super ossa illorum fabricari jussit. Ipso etiam præsente corpus jam dicti S. Conradi de tumulo honorifice levatum est, quem tunc & prius Deus per multa miracula glorificaverat: pro cujus amore & honore idem Dux plurima donaria in prædiis & utriusque sexus familia Constantiensi Ecclesiæ ipso die contradidit, & hoc pignore se nepotem tanti viri evidenter ostendit. Hic ex prænominata Wulfilde genuit duos filios, Henricum Ducem Saxoniæ & Bawariæ & Welfum & quatuor filias, de quibus alio loco dictum est.

Walo junior de Vakenstide cum uxorem suam Gislam filiam Theodorici de Ammenesleve, sororem Milonis Comitis destituere, & Agnetem sororem Heinrici Ducis de Lintburh superducere vellet; cumque illa circa muntana Hart prope Bodam fluvium sibi occurrisset, a Comite Wernhero de Weltheim, scilicet cognato ipsius Gislæ, ibidem peremptus est; sed illa evasit. Mox Fridericus junior Palatinus Comes de Sumersenburh castrum ejus Derneberh suo comitatui nimis importunum funditus destruxit. Habuit hic Walo patrem nomine Walonem, qui & ipse superioribus annis fuerat interemptus, matrem vero Friderindam, sororem Lodowici de Wippera; filiam ejus ex prædicta Gisla duxerat Bernardus Hildensheimensis Vicedominus, genuitque ex ea Conradum.

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo C XXVII. Rex Luiderus Natale Domini celebravit Coloniæ, absente Archiepiscopo, Epiphaniam vero Domini Aquisgrani. Ibi temerarius tumultus coram Rege exoritur, sed moderatione ejus adnichilatur. Quidam scelestus homo Gisilbertus dictus, qui Dominum suum Trajectensem Episcopum S. & Ecclesias Dei sub eo positas superioribus annis infestabat comprehensus jussu Regis capitalem sententiam accepit. Rex Luiderus Pentecosten Merseburh celebravit, ubi decentissimo multorum principum habito conventu unicam & dilectam filiam suam Gertrudem, glorioso Bawariæ Duci Heinrico, Ducis Heinrici & Wulfildæ, Magni Ducis natæ, filio, cum multa honorificentia in matrimonii honore sociavit. Inde adversus Castrum Nurinberh expeditionem fecit eamque obsedit, sed nil relatu dignum actum est ibi, sed sine effectu cum damno suorum rediit. Fridericus namque Dux Suevorum & frater ejus Conradus Heinrici Imperatoris consobrini ipso adhuc superstite voluntatis suæ libertate male potiti, Heinrico Imperatore decedente, plurima Castella & multa alia regii juris sibi vindicantes, temeraria potestate sub principatus sui conditionem hereditario jure usurpaverunt, ipsumque religiosum principem Luiderum Regem ad fastigia regni subrogatum invida æmulatione zelantes multis injuriis provocabant, ita ut Conradus in Italiam profectus, apud Mediolanum a complicibus suis in Regem se consecrari fecerit. Theodericus Episcopus Monasteriensis obiit II. Kl. Mart. cui successit Wernherus Præpositus Sancti Bonifacii in Halberstad. Henricus quoque Paderbrunensis Episcopus obiit, cui Bernhardus successit; Godeboldus Trajectensis Episcopus etiam obiit, cui Andreas Leodicensis Præpositus successit. Eodem anno Karolus Comes Flandrensis in oratione procumbens in Ecclesia a propria militia perimitur. Willehelmus Comes Burgundiæ a suis noctu in Cubiculo perimitur. Meinfridus quoque Comes Slavorum occisus est.

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo C XXVIII. Rex Natale Domini Wirceburh celebrat, ibique sinistro rumore percellitur; Conradum fratrem Friderici Ducis Alsatiæ regium nomen usurpasse; Hac de causa Magedaburgensis & Moguntinus & Salseburgensis Archiepiscopi aliique plures, qui tunc aderant, Episcopi Conradum excommunicaverunt. Rex Pascha Mersburh celebravit & Pentecosten Aquisgrani. Conradus falso nomine Rex & Fridericus frater illius cum suis complicibus a Domno Honorio Papa in Paschali die extinctis luminibus a Sancta Ecclesia damnati & excommunicati sunt. Lothario autem Regi expansis ad cœlum manibus benedicebant & eum collaudabant, vitam & salutem, pacem & victoriam ei a Domino exoptantes. Circa Nativitatem Sancti Johannis Baptistæ, expeditio Regis fuit contra Conradum invasorem regni, obseditque eum Spiræ, in qua ille suum præsidium, expulso Episcopo collocaverat, acceptisque obsidibus cum juramento multorum nobilium circa festum Sancti Martini discessit. Signum quoddam sanguinei coloris in cœlo visum est nocte XIIII Kl. Decembris & multotiens hoc eodem anno signa talia visa sunt. Henricus Marchio filius Udonis Marchionis mortuus est. Otto Halberstadensis Episcopus Romæ ab Honorio Papa canonice deponitur.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo C XXVIIII. Rex Luiderus Natale Domini Wormatiæ celebravit, ubi Gerhardus de Gelre absens accusatus ab Hermanno de Calvelage male in parte Regis sensisse, inducias se expurgandi accepit. Rex festum Purificationis Sanctæ Mariæ Coloniæ celebrat, absente Archiepiscopo, qui tunc sicut & duobus superioribus annis inimicitias contra Regem exercebat. Ibi prædictus Gerhardus absque ulla conditione se in potestatem Regis tradit, mille marcas pro ejus liberatione & gratia Regis impetranda sui spondent. Rex Pascha Goslariæ celebravit & Pencosten Quidelingeburh, Monasteriumque Sancti Servatii ipso instituente consecr tum ac dedicatum est. Feria II. Adalbertus March o Hildegesburh quadam nocte cœpit & combussit.

 Fre-

Frequens Principum Conventus fit apud Corbejam XVII. Kal. Jun. præsente etiam Rege, ubi Fridericus Coloniensis Archi-Episcopus interventu Principum Regi reconciliatur. Post Pentecosten Rex Luiderus urbem Spiræ iterum obsidione circumdat, quia fidem quam superiori anno spoponderant, & juramentum, quod juraverant, infregerunt. Eodem anno in commemoratione Sancti Pauli facta est commotio permaxima civium in Magadeburh contra Nortbertum Archiepiscopum, eo quod majorem Ecclesiam, sicut sibi dictum erat, pollutam nocturno tempore purificaverat. Crescente itaque tumultu ascendit in superiora antiquioris Monasterii cum Misnensi & Havelbergensi Episcopis & Præposito Majoris monasterii, ibique diu multum obsessus est, sævientibus, atque objurgantibus adversariis, quod altaria fregerit & Reliquias sanctorum furto abstulerit. Sed hunc divina gratia mirabiliter de insidiis eorum eripuit & persistentes in malo excommunicans sibi eos subjecit. Hoc eodem anno circa festum Sancti Michaelis infesta vis ventorum oborta usquequaque per regiones & provincias in urbibus, castellis & villis plurima ædificia subruens, magnum hominibus terrorem incussit. In partibus occidentis viris malo usu comam nutrientibus subito Capilli circa capita multis ardere cœperunt. Adelbertus Marchio turrim Gunderslevo obsedit, a qua per amicos Regis pellitur.

Anno Dominicæ Incarnationis M C XXX. Rex NataleDomini cum multa frequentia principum circa urbem Spiræ in tentoriis celebrat, Tandem Spirenses videntes Constantiam Regis fame insuper & bellis coacti se se una cum urbe in deditionem Regis tradiderunt in Natali Sanctorum Innocentum. Conjunx Ducis Friderici, quæ civibus ad solatium a Duce infra urbem relicta fuerat, fame & nuditate acriter afflicta a Rege Lothario regalibus donis liberaliter ditata cum suis discessit. Rex autem cum suis ingressus Epiphaniam Domini infra urbem coronatus celebrat. Treverensis Archiepiscopus contra Regem sentiens eo inconsulto Romam tendit, Regis causam apud Domnum Apostolicum disturbare. Sed in ipso itinere a Conrado, cui favebat æmulo Regis, miro Dei judicio capitur & in vincula conjicitur, ibique in captivitate moritur. Honorius Papa moritur, eique Innocentius succedit. Post cujus constitutionem aliquot diebus elapsis quidam Petrus, qui & Analectus, filius Petri Leonis, qui Papatum multis retro diebus affectaverat, militari manu Papa substituitur, annitentibus quibusdam Cardinalibus, timore magis, quam voluntarie. Rex Pascha Goslariæ celebrat, Pentecosten vero Quidelingeburh, ubi quidam Principes inter se diffidentes in concordiam redeunt. Rex Nurenberh urbem munitissimam, quam superiori anno obsederat, in deditionem accepit. Bertoldus Hildinisheimensis Episcopus obiit, pro quo Bernhardus ejusdem Ecclesiæ Canonicus constituitur. Vdo Comes de Frekenleve filius Rodolfi Marchionis apud Ascherleve ab hominibus Adalberti Marchionis occisus est, pluresque de parte ejus capti ac vulnerati sunt. Idus Martii. Item Conradus de Eikstide aput Hallam a civibus ejusdem oppidi cum aliis multis miserabiliter occisus est, hic erat vir nobilis. Siquidem Esicus Comes de Ballenstide desponsavit Mathildem sororem Gislæ Imperatricis, habuitque ex ea Adalbertum Comitem seniorem, patrem Ottonis & filiam nomine Adelheidem, quam quidam nobilis Thiemmo, dictus de Scroppoulo, duxit uxorem, peperitque illi Esicum seniorem & fratrem ejus Ekkihardum. Esicus senior genuit Esicum juniorem de Burnstide, & Ekkihardus frater ejus genuit hunc Conradum & Ekkihardum de Eikstide. Item Heinricus Raspo frater Ludovici Comitis de Thuringia signifer Regis clam confossus immatura morte obiit. Burchardus de Luckenheim amicus Regis Comes Fresonum in quodam cimiterio a militibus Domini sui Comitis Herimanni de Winceburh, quia ipsius voluntas erat, insidiose circumventus, infideliter est interemptus. Vnde Rex Luiderus non minima affectus animi tristitia tam de interitu amici, quam de perpetrata injustitia, castrum Wincenburh obsidione circumdat, & circumjacentia igne cremavit, & Comitatum ejus prædicto Lodov. de Thuringia dedit. Marchia etiam septentrionalis, quam Heinricus filius Vdonis habuerat, tradita est Conrado filio Helperici Comitis de Ploceke. Concilium XVI. Episcoporum mense Octobri a Rege Wirceburh congregatur, cui affuit Archiepiscopus Ravennæ Apostolicæ Sedis legatus, ubi Gregorius qui & Innocentius, qui Petro Leoni in electione prævaluit, a Lothario Rege & omnibus ibi congregatis, eligitur & confirmatur.

Ibi excommunicati sunt Petrus Leonis, Conradus & frater suus Fridericus cum omnibus eis faventibus.

Anno Dominicæ Incarnationis M C XXXI. Rex Natale Domini Gandirsheim celebrat. Herimannus Comes de Winceburh diffidens rebus suis, se una cum prædicto castro, consilio Principum, potestati Regis tradit, quem Rex custodiæ deputat, castrum vero everti solo tenus imperat. Dominica ante mediam Quadragesimam XI. Kal. Aprilis celeberrimus Conventus XXXVI. Episcoporum & Principum fit Leodii Domno Apostolico Innocentio & Rege Lothario ac Regina præsentibus, ubi multa tam de Ecclesiasticis quam de regni utilitatibus provide ordinata sunt. Ibi excommunicati sunt Petrus Leonis, Conradus & frater suus Fridericus cum omnibus eis faventibus. Ibi Halberstadensis Episcopus Otto ab Honorio Papa jam triennio Episcopatu privatus interventu Regis & Principum officii sui restitutionem promeruit. Heinricus Magedaburgensis præfectus, filius Wicberti Marchionis, Marchiam, quam Patre suo defuncto Adalbertus de Ballenstad a Rege adquisierat, legali jure recepit. Rex Pascha Treveris celebrat & Pentecosten in civitate Argentina, & Bruno ejusdem loci Episcopus pastoralem curam amisit Gebehardo sibi succedente.

dente. Et quia Fridericus Dux cum illis conprovincialibus Regi resistere conabatur, deprædationes Ecclesiarum faciens, contra eum expeditionem movit, sed Duce locum pugnæ non dante plurima castella in eadem provincia ab ipso eodem tempore obsessa & confracta sunt. Urbs Trajectensis tota cum omnibus Ecclesiis incendio conflagravit; similiter & in aliis pluribus locis incendia tam Ecclesiarum, quam aliarum ædium facta memorantur. Rex Saxoniam regressus, expeditione mota contra Danos, eos ad deditionem coëgit, qui pro ejus gratia impetranda quatuor millia marcarum persolverunt. Simili modo super Slavos rebellantes irruit eosque subjugavit. Innocentius Papa iterum collectis Ecclesiasticis viris & fidelium turbis aput Remensem urbem in festo Sancti Lucæ generali Synodo per aliquot dies præsidebat. Fridericus Coloniensis Archiepiscopus obiit, pro quo Bruno electus constituitur a Rege Lothario.

Anno Dominicæ Incarnationis M C XXXII. Rex Lotharius Natale Domini Coloniæ celebravit, ubi Monasteriensis Episcopus Ecbertus infirmatus obiit, reportatusque ad Sedem suam honorifice tumulatur, cui successit Wernherus Halberstadensis Canonicus, fratruelis Sancti Annonis Coloniensis Archiepiscopi. Rex Purificationem Sanctæ Mariæ Babenberh celebrat. Eclipsis Lunæ facta est V. Non. Martii. Vehementissima vis ventorum innumera ædificia subvertit. Corpus Sancti Godehardi Hildinisheimensis Episcopi cum magna miraculorum declaratione elevatur IIII. Non. Martii, ubi hactenus cooperante Dei gratia plurima sanitatum dona infirmis præstantur. Rex Aquis Pascha, & Pentecosten in Fuldensi Monasterio celebravit. Cono Ratisponensis & Heremannus Augustensis Episcopi obierunt. Rex Lotharius celebravit assumptionem Sanctæ Mariæ in Wirceburh & inde cum exercitu profectus est in Italiam pro consecratione sua ab Apostolico aput Romam in Imperatorem, in quo itinere, cum ad urbem Augustanam venisset, eam pacifice ingressus est, sed quorumdam factione civium seditio contra Regis homines exorta est, & hac de causa repentino incendio, ut in tali tumultu fieri solet, civitas fere tota conflagravit, & multi tam gladiis, quam flammis perierunt. Rex Langobardorum fines intravit, & quia Coloniensis Archiepiscopus abfuit, qui prisco debet jure Cancellarius in illis esse partibus, Nortbertus Magedaburgensis Archiepiscopus huic officio deputatus est. Cometa visa est VI. Non. Octobris.

Anno Domin. Incarnationis M C XXXIII. Rex Lotharius Natale Domini in Langobardia aput villam Modoëcia dictam celebravit, & Conradus de Ploceke post festivos dies in obsequio regis pergens sagitta transfigitur, sicque egregius juvenis heu immatura morte obiit. Huic desponsata fuit filia Ducis Polanorum, sed antequam duceret eam, ut fama est, impollutus, ut patruus illius Conradus, de mundo migravit; cujus corpus in patriam delatum commendatum est terræ in Kakelinge cum parentibus suis.

Rex Lotharius per Italiam pleraque munita loca sibi resistentia capit & sanctum Pascha apud Sanctum Flavianum celebrans, tandem II. Kal. Maji Romam cum summo favore ingreditur & ad Sanctum Johannem in Lateranis ab Apostolico & Clero ac Romanis honorifice suscipitur. Ergo ibidem Pentecosten celebravit & in ipso sancto die in monte Aventino ad Sanctam Sabinam coronatus processit. Ibidem ergo per sex continuas hebdomadas commoratus, tandem ex consilio & voluntate Principum mediante Nortberto Archiepiscopo in præfata Basilica Constantini a Papa Innocentio Imperialem suscepit benedictionem cum conjuge sua Richeza II. Non. Junii die Dominica, quæ tunc tertia extitit post adventum Spiritus Sancti. Bernhardus Paderbrunensis Episcopus, qui tunc cum Imperatore aderat, usum Rationalis in celebrationibus Missarum constitutis temporibus & in consecrationibus Ecclesiarum seu ordinationibus Ecclesiasticorum graduum in proprio tantum Episcopatu sibi suisque successoribus a prædicto Apostolico Innocentio promeruit. Post hæc in reditu dum Rex cum suis ad quemdam locum venisset, qui propter situs angustiam Clus, quasi præclusus vocatur, quippe ex una parte excelsissimo monte adjacente, ex altera parte profundissimo flumine currente via in medio quatuor seu quinque simul itinerantium spatio patente, & cum ibidem transitus Regi ab incolis negaretur, ipse miro eventu & perspicuo Dei auxilio eumdem locum celeriter irrumpendo fugatis hostibus cum suis pertransiit, & urbem in supercilio ipsius excelsissimi montis positam repentino adsultu cepit, & principem ejusdem urbis, auctorem hujus rebellionis, secum captivum abduxit.

Duo circuli major & minor circa solem apparuerunt VI. Kal. Julii circa horam tertiam, minor circulus ambiens principalem Ecclesiam Paderbrunensis Sedis & major circulus circumdans ipsam civitatem, ut ibidem consistentibus videbatur. Ipso die hora IX. ipsum principale Monasterium cum omni fere civitate incendio conflagravit. Consobrinus Imperatoris Lotharii Florentius filius Florentii Comitis de provincia Hollant, occiditur Trajecti a Godefrido & fratre ejus Hermanno de Kuc. Eclipsis solis facta est quarto Nonas Augusti circa horam sextam in tantum ut stellæ in cœlo apparerent, magna inæqualitas aëris & pluviarum inundatio per totum tempus Messis subsecuta est. Imperator Lotharius transcensis alpibus Nativitatem Sanctæ Mariæ Wirceburh celebravit, habuitque gloriosum occursum ad Curiam suam ex principibus diversarum provinciarum tam Ecclesiastici Ordinis sublimitate, quam & seculari dignitate præfulgentibus. Ibi confirmantur electiones Episcoporum Heinrici Ratisponensis & Walteri Augustensis; Et quia Heinricus Basiliensis Episcopus a Papa omnino degradatus fuit; Adalbero Nurenburgensis Abbas antea Prior Monasterii Sancti Blasii de Ni-

gra silva eidem Canonica electione Cleri & populi per consilium Imperatoris successit. Rex Danorum pluribus advenis Teutonicis terram suam incolentibus truncationes membrorum facit, qua de causa Imperator expeditionem super eum movere intendit. Hoc anno XVI. Kal. Julii prima fundamenta sunt Ecclesiæ S. Godehardi ab Episcopo Hildinisheimensi venerabili Bernardo.

Anno Domin. Incarnationis MCXXXIIII. Lotharius Imperator Natale Domini Coloniæ celebravit, ubi temerarius tumultus urbanorum coram Imperatore exoritur, quo nondum sedato inde discessit.

Marchiam Conradi, videlicet septentrionalem, Adalberto pro studioso sibi exhibito obsequio in Romano itinere concessit. Imperator celebravit Pascha Halberstad, ubi Rex Danorum Magnus se in potestatem ejus tradidit, obsides dedit, juramentum fecit, se successoresque suos non nisi permissu Imperatoris regnum adepturos, atque ipso sancto die Paschæ regio more coronatus, coram coronato Imperatore gladium ejus portavit. Posthæc in gratia Imperatoris redire permissus, in sancto die Pentecostes occiditur a quodam Herico & fratre illius cum V. Episcopis & LX. Clericis adnitentibus advenis Teutonicis, quos truncatione membrorum damnaverat. Pater etiam ejusdem Nicolaus nomine in civitate Sueswic ante Ecclesiam cum suis occubuit insidiose invitatus & infideliter interemptus.

Imperator Pentecosten Mersburh celebravit, & in feria quarta ejusdem hebdomadæ Nortbertus Magedaburgensis Archiepiscopus obiit & II. feria sequentis hebdomadæ in Monasterio Sanctæ Mariæ est sepultus. Festivitatem Apostolorum Petri & Pauli Imperator Magedaburh celebravit, & Conradus ejusdem Ecclesiæ Canonicus Imperatore consentiente generali electione Cleri & populi Archiepiscopus constituitur. Berthou Fuldensis Abbas veneno vitam finivit, cui Conradus successit. Imperator Assumptionem Sanctæ Mariæ Wirceburh celebravit, & inde cum exercitu Sueviam intravit. Super Fridericum Ducem & fratrem ejus Conradum, qui quoddam oppidum Vlma dictum, contra eum munierant, & cives ad resistendum incitaverant, sed Heinricus Dux Bawariæ Imperatorem præveniens oppidum expugnavit, deprædavit, incendit absque Ecclesiis, Duce & fratre suo inde fugientibus & XII. de præstantioribus captivos abducentibus. Postea plures provincialium ad Imperatorem confluxerunt, quibus & gratiam suam dedit ipsique fidelitatem ei promiserunt. Devastata autem plurima parte regionis Fuldam divertit. Fridericus videns se a pluribus derelictum & adhærentes sibi valde afflictos, adiit Imperatricem Fuldæ cum Imperatore degentem satis humiliter nudis pedibus flagitans ejus gratiam, quæ fecit eum absolvi per Legatum Apostolici, qui præsens erat ab excommunicatione, qua per septem annos continuos separatus fuit a communione Ecclesiæ primo in Teutonicis partibus a tribus Archiepiscopis, postea Romæ, dehinc in Leodicensi Concilio, obligavitque se magnis sacramentis Imperatori fideliter adhærere & ad proprium placitum coram principibus gratiam ejus exquirere.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV. Lotharius Imperator Natale Domini Aquisgrani celebravit, ubi Colonienses gratiam Imperatoris obtinent. Ibidem Imperator & Coloniensis Archiepiscopus ab invicem discordati discedunt. Purificationem Sanctæ Mariæ Quidelingeburh celebravit. Dominica ante mediam Quadragesimam scilicet XVI. Kal. Aprilis, sicut promiserat, cum totius fere Principum regni Conventu Babenberch cum valida manu electorum militum & armorum venit, & Fridericus cum suis, licet aliquandiu reniteretur, gratiam Imperatoris publice provolutus pedibus illius humiliter exquisivit, & mox impetravit. Qui etiam se profecturum cum Imperatore in Italiam proximo anno spopondit & pacem per totam Sueviam, sicut decretum fuit, firmiter observari præcepit. Ibidem Bruno Coloniensis Archiepiscopus, interventu principum & satisfactione sua, veniam delicti sui in Imperatorem promeruit. Imperator Pascha in Quidelingeburh celebravit, Pentecosten vero Magadeburh, ubi primo principes regni coram ipso firmissimam pacem domi forisque ad decem annos juraverunt & deinde cetera multitudo plebis tam ibi, quam per singulas regni partes hæc eadem facere suadetur & compellitur. Ibidem Dux Bohemiæ & Dux Vngariæ inimicitias ad invicem habentes confœderantur. Insuper Legati Bolizlavi Ducis Polanorum & Godefridi de Lovene Ducis Lotharingiæ, Vngarorum etiam & Danorum nec non & Slavorum illic adfuere, quos omnes cum dignis responsis remisit. Lodowicus Augiensis Abbas occisus est in Ecclesia a Ministerialibus suis per insidias, sicut fama fuit, Othelrici fratris Friderici Comitis de Zolre, qui ei successit, sed ipse eodem anno veneno vitam finivit.

Congregatio Sanctimonialium Canonicarum in Luttera commutatur ab Imperatore in regularem vitam Sancti Benedicti, & Eberhardus de Monasterio Sancti Joannis in Magedaburh illuc cum Monachis missus primus ibi ordinatur Abbas & eodem anno ab Imperatore & Imperatrice positis in fundamento primis lapidibus novum Monasterium incipitur. Imperator commemorationem Sancti Petri ad vincula Nienburh, festivitatem vero Sancti Laurentii & Assumptionem Sanctæ Mariæ Mersburh celebravit. Illuc confluebant cum primariis regni Poloniæ & Boëmiæ Duces, & Legati Græcorum Imperatoris honorifica secum munera ferentes, pacem ab Imperatore & amicitiam ac auxilium contra Rokkerum tyrannum poscentes, qui partem Romani Imperii & terram Græcorum nimis vexaverat. Quibus decenter remuneratis cum suis Legatis Anselmo Havelbergensi Episcopo & ceteris eos in propria remisit. Dux autem Poloniæ Bolizlaus in die sancto manibus applicatis miles ejus efficitur,

tur,

tur, & ad Ecclesiam processuro gladium ejus ante ipsum portavit. Postea causa orationis pergens ad sanctum Godehardum, indeque rediens, Magedaburh pro petitione Imperatoris festive suscipitur, quod nullus meminit factum, nisi tempore Adalberti primi Archipræsulis, qui Herimannum virum prudentem & defensorem Ecclesiarum ibidem simili modo suscepit, in quo Ottonem Imperatorem fundatorem ejus loci nimis offendit, & vix tandem placavit, licet ille majoris reverentiæ esset, quam hic Slavus & alienigena. Imperator post festum Sancti Michaëlis Mulehusen venit, ubi Conradus usurpator regii nominis, frater Friderici Ducis, coronæ ac totius regalis ornamenti oblitus, humiliter per Conradum Archiepiscopum Magedaburgensem ab excommunicatione solvitur, ac per intercessionem Imperatricis pedibus Imperatoris provolutus gratiam illius promeretur.

Sane sciendum, quod eumdem Lotharium Imperatorem Reges & Regna plurimum reverebantur, ita ut, sicut jam prædiximus, Ungariorum & Ruthenorum, Danorum & Francorum & ceterarum gentium & Regum muneribus & Legationibus assidue frequentaretur; sub illo enim Imperium pace affluebat, copia rerum exuberabat, Religio Monasteriorum florebat, justitia regnabat, iniquitas conticescebat.

(Epistola Lotharii Imp. ad Papam.)

Conmonuit nos sæpe & rogavit paternitas tua, ut quantum possemus salva imperiali reverentia, rigorem nostrum contra Imperii inimicos remitteremus, ipsisque propter necessitatem, quæ Ecclesiæ imminebat, locum consequendæ gratiæ nostræ concederemus, quod, ut competentius fieret, non nostræ, sed divinæ fuit ordinationis, quæ omnia quemadmodum voluisti & petisti, sui misericordia ad honorem Ecclesiæ & imperii mitigavit & composuit. Siquidem tam materiali quam spiritali utroque convictus gladio Fridericus in Babenberg, Conradus in curia proxime celebrata ad gratiam nostram venit, ambo ad Ecclesiæ servitium sacramento nobis obligati, quos tamen non minus tibi obligatos sub hac cautela & conditione recepimus, ut plenitudinem absolutionis suæ non nisi aput tuam Paternitatem obtineant, ita omnibus pro voto compositis, sicut omnino ad liberationem Ecclesiæ essemus obligati, si Halberstadensi Ecclesiæ melius consultum esset. Super cujus negotio sæpius hoc anno nuntios & litteras nostras tibi direximus, in quibus, teste DEO, nil nisi rei veritatem & ordinem executi sumus, omnino circa hæc intenti, ut pacem & concordiam eidem reformaremus Ecclesiæ. Qualiter autem id quidam mendaciis suis perverterint, teque a consilio nostro averterint, iterato tibi scribi non oportet; hoc tamen pro constanti tibi promittimus, quod coram Ecclesia Romana in præsentia tua vita comite evidenter probabimus, omnia se ita habere, sicut nuntio nostro & litteris tibi significavimus. Hæc tamen ob contemptum consilii nostri minus vellemus, si quomodo unitas & concordia reformari potuisset, satisque passi fuissemus, si in hoc malo aliquis usus fuisset. Quod longe aliter est. Dum enim secundum paternitatis tuæ præceptum Ecclesia illa in eligenda persona convenire debuisset, tam Ecclesiæ, quam Imperio idonea, duæ partes factæ sunt. Nam Canonici matricis Ecclesiæ electionem de Martino Præposito factam aliquando proponebant, hancque omnes exceptis quatuor unanimiter affirmabant, tres tantum alias personas ejusdem Ecclesiæ secundario designantes, ut si hujus canonice reveretur, unam istarum obtinerent. Regulares vero nullam istarum approbantes, assensum his non præbuerunt, sicque communi utriusque partis consilio, electionem in sequentem diem distulerunt. Interim regulares, advocatis quatuor, sicut diximus, de majori Ecclesia, Gerhardum Præpositum elegerunt, Clero & populo alterius partis invito & reclamante & appellante Apostolicam audientiam sub testimonio Canonicæ censuræ, quæ jubet nullis invitis dari Episcopum vel Pastorem. Quia vero in partibus Saxoniæ, maxime in præfata Ecclesia Imperialis dignitas consistit; Saltem adhuc paternitas tua nobis adquiescat & audita utraque parte ita nobis eos remittas, ut salva libertate electionis nos pro consilio Archiepiscopi & Suffraganeorum adhibitis religiosis personis talem provideamus, qui Ecclesiæ & Imperio expediat. Talis enim, necesse est, ut eligatur, qui in exequendis his, quæ DEI & Cæsaris sunt, vires habeat & scientiam. Ut autem simplici oculo nos hæc, quæ diximus, desiderare cognoscas, Legatum tuum Cardinalem ad nos dirigas, quo præsente & consulente Ecclesiæ desolatæ succurratur. Scire autem te volo, quia Natale Domini Spiræ celebraturi convocatis principibus de Romana expeditione tractabimus, ad quam curiam Legatos & litteras tuas mitti desideramus, per quas Archiepiscopos & Abbates qualicumque comminatione ad tuum & nostrum servitium commonefacias.

Venerando sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici Domno Innocentio Erpo Decanus Halberstadensis Ecclesiæ cum ceteris Domni Gerhardi Electoribus, tam devotam, quam debitam cum servitio & oratione obedientiam: Quod paternitatis vestræ mansuetudinem angustiarum nostrarum incommodis totiens gravamus, quod vestræ Dominationis aures querimoniis nostris totiens pulsamus, DEus scit, quanto cordis mœrore simul ac pudore tabescimus, & ingravescente doloris pondere jam pene deficimus. Cum vero divinæ bonitatis magnitudinem erga omnes afflictos, itemque vestræ pietatis paternum semper erga nos affectum pensamus, ingenti spe recuperandæ salutis animati omnem sollicitudinem vestram vel ejus gratiam & in vestræ paternitatis consilium jactamus; sed jam novas & inopinatas miserias nostras expositurі totius veritatis auctorem DEum testem invocamus in animam nostram, quia puræ veritati, quantum epistolaris brevitas permittit, studentes, rem sicut gesta est, vobis insinuare curamus, acceptis dulcissimæ paternitatis vestræ litteris, in quibus & de Ecclesiæ nostræ liberatio-

ratione & vestra pia erga nos sollicitudine plurimum gavisi sumus, intervenientibus hinc inde variis dilationum & impedimentorum causis, & transactis jam pene diebus ex præceptione vestræ auctoritatis ad eligendum Episcopum præscriptis, tandem in majori Ecclesia sicut justum erat, convenimus, & invocata primitus sicut vos primo - - - Sancti Spiritus gratia - - - Episcopum DEO dignum - - - & ad restaurationem Ecclesiæ nostræ miserabiliter, tam in Spiritalibus, quam temporalibus jam dilapsæ, idoneum eligeremus; prima quidem die a mane usque ad vesperas laborantes nihil profecimus. In secunda vero die sub invocatione Sancti Spiritus, iterum nobis in unum congregatis & de permissione vestri præcepti ac reatu inobedientiæ plurimum metuentibus, post multa consilia, tandem in personam Domni Gerhardi Præpositi Sancti Johannis in Halberstad, viri in Ecclesia vita & moribus satis probati, nos videlicet harum litterarum portitores ac missores convenimus, & eum sedi Halberstadensi in Episcopum Canonice elegimus, nulla omnino alia causa ad hoc inducti, nisi quia in majori Ecclesia neminem, in quem omnium consensus occurreret, invenire potuimus, quam electionem nostram quibusdam confratribus nostris contradicentibus, & ne fieret omnino impedire cupientibus, & inter alia electionem in Domnum Martinum factam, sed coram legatis vestris cassatam prætendentibus, ad extremum & per inordinatam appellationem Apostolicæ sedis nos in cœpto opere deterrere cupientibus, nos divinum timorem & præcepti vestri auctoritatem & temporis brevitatem pensantes quod incepimus cum consensu multorum Clericorum & Laïcorum perfecimus. Hunc igitur, reverentissime Pater, in tanto tempestatum nostrarum turbine ad vestræ paternitatis consilium & ad piæ compassionis consuetum nobis solatium quasi ad tutissimum post DEum spei nostræ portum confugientes, sanctitatis vestræ pedibus, omnes in commune, tam absentes quam præsentes provolvimus, Domnum Cancellarium & omnem Romanam curiam, quanta possumus cordis devotione & precum instantia ad condolendum & subveniendum nobis invitamus & excitamus; quatenus secundum datam vobis a DEO sapientiam in præsenti negotio, quicquid justitia dictaverit, decernatis, & adhibito magni Consilii Angelo, vestro honori & nostræ necessitati consulentes certum aliquem finem nostris calamitatibus imponere non differatis. Nos vero, qui sub obedientia vestra quælibet extrema pati & ipsam mortem subire parati sumus, sicut fessus umbram & sitiens fontem ita vestræ prudentiæ solatium spe non dubia expectamus.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVI. Lotharius Imperator Natale Domini Spiræ celebravit & Heinricus Marchio Magedaburgensisque Comes, filius Wicberti Marchionis, ad curiam pergens Mogontiæ obiit, cui in Comitatu Magedaburgensi Burchardus frater Conradi Archiepiscopi successit, Marchia vero concessa est Conrado Marchioni.

Otto Halberstadensis Ecclesiæ Episcopus olim ab Honorio Papa depositus, sed per Innocentium Papam ob petitionem Lotharii Imperatoris plurimorumque Episcoporum in priorem honorem restitutus, secunda vice per Legatos supradictos, qui eum Pisis accusaverant, ab eodem Papa Innocentio legitime deponitur.

Lotharius Imperator in media Quadragesima Goslariæ conventum habuit, cui Gerardus Cardinalis interfuit. Ibi Rodolfus Halberstadensis Ecclesiæ Vicedominus Canonice eligitur, & secundo Idus Aprilis Erpesford in Episcopum consecratur.

Imperator Pascha celebravit Aquisgrani, Pentecosten Mersburch, Natalitia Apostolorum Petri & Pauli Goslariæ, ibique Anselmus Havelbergensis Episcopus rediens a Constantinopoli, quo missus fuerat, ad eum venit. Hoc anno obsides numero duodecim Godefridi Comitis de Kuc se in potestatem Imperatoris tradunt. Ipse Godefridus cum fratre suo Herimanno ab Imperatore proscribitur in terra ipsorum scilicet Salica, more antiquorum. Havelberga capta est a filiis Widikindi & Ecclesia destructa. Adalbertus Marchio propter irruptionem Slavorum in partes Saxoniæ factam exercitum movens terram eorum non semel hostiliter invasit & depolutatus est. Inter Sosatienses & Arnesbergenses, deprædationes, incendia, homicidia exercentur, absente Imperatore jamque in Italiam profecto.

Imperator Lotharius Assumptionem Sanctæ Mariæ Wirceburh, habita generali curia gloriose celebravit, unde in Italiam proficisci destinavit, ad componendum illic statum Imperii, maxime vero adversus Rokkerum quemdam Siciliæ Tyrannum, qui plerasque Apuliæ civitates invaserat, & eas turribus & diversis munitionibus in suam ditionem firmaverat. Convenientibus ergo diversarum provinciarum principibus cum suis sequacibus longe ante præfatam expeditionem conjuratis grandis satis & fortis exercitus coadunatur. Inter quos erant præcipue Bruno Coloniensis, Adalbero Treverensis, Conradus Magedaburgensis Archiepiscopi cum aliis pluribus Episcopis & Abbatibus, Heinricus Dux Bawariæ, Conradus Dux, frater Friderici Ducis de Suevia, Conradus Marchio Saxoniæ cum frequentia reliquorum principum & procerum. Compositis ergo pro tempore Teutonici regni negotiis, Imperator cum prædictis iter inchoabat, nec prædari exercitum sinebat. Motis autem de loco ad locum castris, cum erectis signis pergerent, repente dissentio magna oritur inter milites Coloniensis & Magedaburgensis Archiepiscopi, contendentibus amborum signiferis, uter eorum regio signifero a latere dextro incederet. Unde decurrentibus utrinque pluribus adeo lis increvit, ut nudatis ensibus hostiliter concurrerent, & nisi audiens Imperator, ut forte tunc ad mensam epulaturus consederat, prosiluisset, & armatus interveniens furentium animos manu minisque

nisque sedasset, profecto magna clades in illa die accidisset. His ita compositis cum Tridentinæ civitati applicuisset, quidam Athasis fluvii pontibus interruptis transitum prohibebant, sed reperto & superato vado hostes repulsi fugerunt. Similiter habitatores Clusæ ingressum negantes valida manu expugnati sunt; ex quibus pauci qui procedendo nostris insultaverant conviciando, ungulis equorum protriti, reliqui vero capta munitione & principe illius, occisi & capti sunt. Igitur prospero cursu transcensis Alpium jugis Imperator Veronam honorifice susceptus adiit, inde secus Mintam fluvium castra metatus est, ubi occurrentibus Langobardorum principibus & debitam subjectionem spondentibus, curiam maximam in festo Beati Mauricii coronatus procedens gloriose celebravit, ubi & Mantuanus Episcopus, antea Imperatori subjici nolens, judicio superatus, ad requirendam ejus gratiam se humiliavit. Inde profecti cum Imperatore iidem Langobardi jussu ipsius oppidum munitissimum Warstal nomine impugnantes ceperunt, & castellum supereminens oppido nihilominus firmissimum obsederunt. Tali siquidem more in plerisque Italiæ civitatibus & majoribus oppidis castella vel pro cohercendis vel defendendis habitatoribus condita habebantur a possessoribus eorum, maxime a prædicto Roziero. Alia autem die post destructionem prædicti oppidi, ut auditum est in castris Imperatoris, quæ fuerant ex altera ripa Padi fluminis, mox quingenti ex his armati milites contra castellum elevata voce cantantes processerunt. Unde & Castellani divino nutu territi deditionem fecerunt. Inde profectus Imperator, Cremonam civitatem rebellem, ad alia festinans, interim declinabat, sed destructis vineis eorum & possessionibus pertransiens, Casalam, item Cincillam, oppugnavit, cepit & destruxit, interfectis & captis pluribus; sicque Runcaniam, scilicet antiquam Imperatorum repausationem, utpote amœnam & lautissimam planitiem ingressus placitum habuit, ubi Mediolanenses cum XL. millibus occurrerunt, illum læti suscipientes, quique pro devotione, quam circa honorem ipsius haberent, ostendenda castrum munitissimum Samassan oppugnantes, ejus tandem adjutorio ceperunt, gladio tandem & igni plurima consumentes, reliqua vero captiva ducentes. Cum ipsis ergo Imperator Papiam adiens in suburbio ejusdem civitatis castra metatus est; Cujus habitatores non solum suscipere illum, ut par erat, contempserunt, sed etiam remissis contumeliosis verbis inhonoraverunt; sed contra spem & opinionem ipsorum, eodem die a parte exercitus, civitate capta, insidiis circumventi sunt, & ad deditionem compulsi & gravi vastantium oppressione afflicti, adnitentibus maxima invidia Mediolanensibus ob antiquas discordiæ & bellorum inimicitias, quibus populus utriusque civitatis, Mediolani scilicet & Papiæ, alterutrum se prosequens exagitabatur. Cumque victores undique cædibus & incendio bacharentur, Cleri & Monachorum cœtus assumptis crucibus & sanctorum reliquiis urbem egressus, lugubri voce & habitu Imperatoriis prosternitur vestigiis, deposcens ejus clementiam cum interventu bonorum, donec pius Imperator suscepta pœnitentium satisfactione pepercit populo & civitati eorum.

Altero vero die Otto Comes de Wulfradeshusen cum aliis quibusdam ex castris civitatem inconsulte adiit & aliquos inde egredi ad se causa miliciæ jactando petiit. Quod cum illi pro conditione datæ pacis recusarent, ipse acceptis securibus portas effringere aggressus est, ubi & mox interfectus occubuit, & Adelbertus quidam procerum Saxoniæ. His auditis in castris Imperator commotus cum omni exercitu civitatem vallans expugnavit & interitum omnium minabatur. Illi autem magis innocentiam suam offerre quam Imperatori resistere cœperunt, nec voluntate sua, sed necessitate occisionem prædictorum accidisse dixerunt, sicque illum rationi cedentem data pecunia XX. millium talentorum placaverunt. Inde castra movens Imperator Vercellis, deinde Gamundi, & Thurin civitates pertransiit, quarum habitatores sibi rebellantes obpugnans, capiens & interficiens humiliavit. Sic fecit castello, quod dicebatur Rokkepandolf. Post hæc ingressus est terram Hamadan principis suæ Majestati contradicentis, quem destructis innumeris urbibus & locis munitis subjici sibi compulit. Unde reversus Placentinam urbem expugnavit, deinde Parmam adiit, cujus cives illum devote susceperunt, quibus & castrum quoddam & præsidium concessit contra Cremonenses illorum adversarios.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo C XXXVII. Lotharius Imperator castra fixit in campestribus Boloniæ civitatis, quam propter asperitatem hiberni temporis statim expugnare non valens, aliquandiu obsedit. Erat abhinc non longe castellum, ad quod multi ob firmitudinem confugerant, quia uno tantum præangusto aditu patente mons in altum vergens & scopulosus horrendum undique præcipitium minabatur. Huc ergo quidam ex castris forte venerunt, sed repulsi sunt, Bernhardo quodam regni ministro cum duobus aliis perempto, a quodam Præsbytero aditus observante, horum amici reversi ad castra & assumpta parte exercitus castrum ceperunt, & amplius trecentis gladio, incendio & præcipitio interemerunt.

Presbyterum vero miserabili cæde mulctatum ungulis equorum protriverunt. Imperator capta tandem Bolonia venit Cassan pacifice, ubi & celebravit Purificationem Sanctæ Mariæ, occurrente illic sibi Duce Ravennæ cum debita devotione. Inde Ducem Bawariæ Heinricum misit, ut Eggelbertum Marchionem a suis expulsum priori dignitati restitueret & urbes, quas ipse pro tædio divertendi itineris adire non poterat, subiceret. Imperator vero veniens secus Ravennam honorifico ritu Archiepiscopi, Cardinalium Cleri & principum longe obviam procedentium susceptus est. Post hæc

Uu aggres-

aggressus est Lutizan, quam prioribus satis rebellem & inexpugnabilem Imperatoribus primo impetu cepit. Inde Vanam, deinde Sinegalla civitates obsedit & expugnavit, sicque Avennam Civitatem adiit, cujus habitatores contradicentes sibi, cum magna multitudine occurrerunt & primos exercitus, qui tunc fuerunt, Conradus Magdaburgensis Archiepiscopus & Conradus Marchio actu impugnantes molestaverunt, quos tamen illi valida manu resistentes propulsaverunt. Imperator autem hæc cognoscens, facto impetu in eos peremptis amplius duobus milibus, reliquos fugavit & civitatem hinc exercitu circumdatam, hinc navali bello coartatam ad deditionem compulit, & centum naves stipendiis oneratas in suum servitium ducere jussit. Difficile vero est enarrare, quanta ambitione & studio principes harum regionum suis stipati agminibus obsequio fervente Imperatorem comitabantur, alii autem copioso navium apparatu pro commeatibus & aliis quæ bello usui forent deportandis vel maritimis civitatibus expugnandis sequebantur.

Imperator Pascha Firmæ celebravit, inde castra movens Fir - - - habitatores illius rebellare paratos, de civitate expulit. Ibi orta est seditio inter Saxones & Bawarios, in qua spoliatus est Conradus Archiepiscopus cum suis fidelibus, sed auxilio Conradi Marchionis, victi, deprædati ac fugati sunt Bawarii, occiso quodam nobili Nitardo. Ita compositis in Italia rebus Imperator Apuliam ingressus secus Truntam fluvium placitum habuit, ubi Thomam & Mathæum Marchiones cum Domno eorum Willelmo Palatino, illustri valde viro, in gratiam & hominium suum suscepit, sicque per terminum ejusdem Palatini venit Civitatem Castelpagan. oppidum scilicet cum castello, ob altitudinem natura & opere munitissimam humanis viribus insuperabile, cujus adquirendi cum desperatio cunctis esset, Oppidani ob odium Rozieri graviter illos de prædicto Castello obprimentis deditionem sponte fecerunt, unde Castellani territi deditionem coacti fecerunt, quorum Præfectus Richardus non multo post ad Rozierum reversus, ab ipso cœcari jussus est. Alius autem quidam Richardus, qui post illum ab Imperatore idem Castellum susceperat, Roziero illud se proditurum spe pecuniæ spopondit, qua persoluta juxta eamdem suspendi ab illo non inconvenienter ob perfidiam jussus est. Imperator autem Ducem Conradum cum parte exercitus misit ad oppugnandum Castellum Rigian, cujus habitatores venientium sola vociferatione territi deditionem fecerunt. Unde Dux Conradus profectus Montem Garganum obsedit tribus diebus, donec veniente cum exercitu Imperatore villamque & Castrum impugnante uno ex ipsis interfecto, qui virtute & audacia ceteris præstabat, se omnes tradiderunt. Super ipso autem Castello & in Ecclesia prope Montem occultius sita magnam supellectilem auri & argenti lapidum ac vestium ceperunt, quam Simon Dux Dalmatiæ ibi collocaverat; Adoratoque humiliter Beato Michaele Archangelo Imperator Trojam, deinde Rannas, post hæc Barlit transiit, quarum Civitatum habitatoribus causa ostentandæ virtutis temere contra exercitum egressis, multi capti sunt, plures interempti, multorum vero naribus & aliis membris detruncatis, reliqui fugientes in oppida vix evaserunt. Imperator autem hac eorum clade contentus civitates ipsas ad alia festinans obpugnare destitit, quas tamen eo postea redeunte cives ob metum sponte deserentes in diversa fugerunt. Inde venit Tranam, quem Incolæ cum gaudio susceperunt, illoque primum adpropinquante animati ejus fiducia Castellum Rozieri subverterunt, ubi & occurrentibus Rozieri XXXIII. navibus in præsidium suorum ab eo missis octo ex eis submersis & ductoribus earum peremptis, aliæ vix fuga elapsæ non comparuerunt. Illic feria quarta ante Pentecosten Bruno Coloniensis Archiepiscopus, sanguinem sibi minui fecit, & tertia die repentina morte obiit, eique Hugo substituitur. Interea Heinricus Dux Bawaricus, quem superius diximus, a Cassan causa Eggelberti Marchionis ab Imperatore directum, veniens in planitiem Musellæ Widonem Comitem eidem Marchioni rebellantem devicit, & destructis tribus ejus Castellis ipsum Domno suo reconciliari coëgit, sicque cum ipso Florentiam adiens obsedit & ad deditionem compulit ac ejusdem Civitatis Episcopum injuste expulsum sedi suæ restituit. Unde transiens Pistoriam venit ad Sanctum Genesium ejusque incolas, sed & Wicik Castelli rebellantes expugnando subdidit, turrique Capian destruxit, domicilium scilicet Latronum & transeuntes injuste expoliantium; Inde duro & aspero itinere, multis amissis, laboriose Lukkam adire temptavit, quam & obsidere paravit, sed mediantibus quibusdam Episcopis & Abbate Clarevallensi, data magna pecunia, ducem placaverunt, cogente etiam ad hoc eos timore Pisensium, suorum videlicet adversariorum, quos modo inventa oportunitate audierant petere Ducis auxilium ad destructionem sui & Montis Sanctæ Mariæ, in quo se refugium habere sperabant. His ita compositis, Dux castra movit Hunsiem, quam expugnavit, exusta omni circumjacentia, aliud quoque castrum huic vicinum destruxit; sicque ad civitatem Grosset iter tetendit, quo missis nuntiis cum debitum Imperatori servitium exigeret, illi cum despectu lapides se missuros & in campo occursuros minitabantur, quapropter civitatem obsidione circumdedit, ubi & castrum quoddam munitissimum sibique plurimum resistens bellicis tandem machinis expugnatum cepit, eoque timore prædictæ civitatis habitatores deditionem fecerunt. In ipsa autem Papam Innocentium Dux invenit, quem honorifice suscipiens & contra adversarios potenter per civitates circumducens venit Biterviam, cujus major pars Innocentio, firmior autem favebat Petro Leonis, qui & prius urbem Sancti Valentini adjacentem & forum Imperatoris destruxerant, qui tandem Papæ monitis & terrore Ducis impulsi se tradiderunt cum tribus millibus

bus talentis, ubi & dissentio magna facta est inter Papam & Ducem, illo eandem pecuniam ex proprietate suæ civitatis vendicante, isto vero jure belli eam obtinente. Inde venientes Sutheren Episcopum, Petri Leonis fautorem, deposuerunt, & loco ejus Johannem Abbatis Vuldensis Capellanum subrogaverunt; Sic ergo per Romanam intrantes Campaniam, aditum Montis-Cassini Dux obsedit & ad deditionem compulit; deinde veniens secus Capuam cum de obsidione ejus tractaret, princeps pro incolumitate civitatis, datis quatuor millibus talentis, cum ipso in expeditionem profectus est. Transeuntes ergo circumquaque castella vel oppida, quæ rebellare temtassent, subruentes tandem Beneventum petierunt, cujus cives hostilia minantes Dux superavit, pluribus occisis, innumerabilibus captis, ibique Papam sedi suæ restituit, cujus judicio duos Cardinales pro Schismate Petri Leonis depositos claustro Monachorum imposuit. Hinc præfatam transiens Trojam illamque quibusdam captis despolians cum Papa Imperatorem petiit, qui eo tempore, id est, ante solemnitatem Pentecostes Barum ingressus, castra metatus fuerat circa Castellum Rokkeri munitissimum contra ipsam civitatem positum, quod diu vi magna exercitus impugnatum est machinis bellicis, & multis ex utraque parte cadentibus capi non potuit; ubi etiam Sigefridus Comes sagitta percussus interiit.

Denique multis machinationibus elaborantes tam milites Imperatoris, quam Barenses, tandem muros turrium suffodientes ruere fecerunt, & ingressi omnes interemerunt, exceptis paucis, quos captivos duxerunt. Aput Barum quoque in die Sancto Pentecostes Papa Missarum solemnia celebrante astantibus Imperatore, Episcopis & Principibus, visa est super Monasterium Sancti Nicolai corona aurea de cœlo descendens, super quam columba, subtus vero thuribulum cum incenso ferebatur, quam & præcedentes duo cerei ardentes videbantur. Ibi etiam honorifice sepultus est Bruno Coloniensis Archiepiscopus, pro quo Hugo ejusdem Ecclesiæ Decanus constitutus ibidem pontificalem benedictionem & pallium a Papa suscepit. Rozierus etiam missis illuc nuntiis gratiam Imperatoris quæsivit & infinitam pecuniam filiumque suum obsidem illi promisit, si Apuliæ principatum alteri filio traderet. Imperator autem paci Ecclesiæ magis consulens, quam pecuniæ, semipagano tyranno tradere provinciam omnino recusavit. Post quatuor vero hebdomadas apud præfatam civitatem exactas Imperator reversus est Tranam, inde adiit Melphiam, unde XL. milites armati in montem speculatum egressi ab exercitu circumventi sunt & aliquot ex eis interemptis, reliqui fugerunt, quod videntes oppidani ad subveniendum suis exierunt, sed amplius trecentis occisis, aliis autem captis terga verterunt. Et altera die cum de obsidione Imperator tractaret, civitatem tradiderunt. Eodem tempore apud Germaniam obiit Adelbertus Mogontiacensis Archiepiscopus & magna pars ejusdem civitatis igne cremata est. Archiepiscopatum autem Adelbertus junior suscepit.

Eodem anno multa incendio vastata sunt loca scilicet Mogontiense, Spirense, Strasburgenseque Monasteria & pars magna Goslariæ. Riebertus Monachus de Cella Walesrod interficitur. Imperator Lotharius Natal. . . Apostolorum Melphiæ celebravit, ubi Hugo Coloniensis Archiepiscopus sanguinem sibi minui faciens, quarto die, id est, secundo Kal. Julii obiit & in Abbatia sepultus est. Imperator autem castra fixit super montana Melphiæ, ubi quorumdam instinctu seditio magna exorta est, Papam & alios Cardinales & Episcopum Treverensem necare volentium, illisque imputare volentium, consulto eorum tempora mansionum in singulis locis protelari & idcirco reditum ad propria prolongari. Hoc tumultu excitus Imperator ascenso equo intervenit & severe innoxios vindicavit. Descendens autem a montanis Fuldam Regalem abbatiam honorifice susceptus adiit, ibique traditis donariis suis Potentiam petiit, ubi Ratisponensem Episcopum pro Coloniensi Archiepiscopo Cancellarium instituit. Inde quoque Heinricum Ducem & Adalbertum Marchionem cum aliis strenuis viris ad obsidionem Salernæ præmisit, quam illi petentes, sed pro sagittariis eos graviter impetentibus angustum aditum transire non valentes, misso Pisensibus Nuntio petierunt sagittarios, quibus prædictos ab aditu deterrerent; quo tempore Pisenses Amalphiam civitatem maximam & potentissimam causa Imperatoris expugnantes Imperio subdiderant, sicque Neapolim aggressi fuerant ad liberandum eam a Roziero, qui longo tempore eamdem obsessam ad magnam famem & calamitatem compulerat; Sed audiens de adventu eorum & obsidione civitatis suæ ad succurrendum ipsi festinans, præfatam Neapolim deseruit; Pisenses ergo hanc suscipientes miserunt Duci sagittarios VC. Ipsi vero assumptis suis & Genuensium LXXX. simulque Amalphianorum trecentis navibus cum innumera multitudine Salernam a parte maris obsederunt. Dux autem cum suis castra fixit in campestribus contra civitatem. Unde hostium multitudo egressa sæpius incursando eum propulsare nitebatur. Contra quos ille facto impetu pluribus occisis nec paucioribus captis in civitatem refugere compulit, quam unita cum Pisensibus virtute, hinc terrestri, inde navali graviter impugnantes coartaverunt, donec Imperatore a Potentia per Avellan transeunte, & castro S. Severini expugnato, sicque Salernam adeunte, Pisenses magno sumptu machinam mira arte fabricati sunt, quam factis lapsibus propellentes muros civitatis cum turribus attrahentes subruerunt, sicque illam ceperunt. Illic celebrata assumptione Sanctæ Mariæ & Imperatore ad Sanctum Severinum revertente, cum ipse & Papa aliquamdiu dissiderent, utri eorum principatus quæsitæ Apuliæ cederet. Communicato tandem Consilio illum pariter Reinaldo Duci commiserunt. Inde Beneventum petentes & ibi de diversis negotiis

Apuliæ componendis cum Duce tractantes hortantur eum, ut Teutonicorum militum, utpote virtute animi & usu militiæ, fortitudinis & audaciæ Latinis præstantium, quoscunque posset contra Rozierum sibi adjungeret, quorum mox octingenti ad ipsum congregati reversi sunt Melphiam, Duce Richardo filio ipsius Reginhaldi & Alexandro. Vnde venerunt Gerennam, quam ipse Alexander dolo cepit a Wilhelmo, scilicet fingens adventum Imperatoris, quo præ timore abscedente milites ceperunt castrum, & Wilhelmum fugientem persecuti captum suspenderunt cum uxore & aliis trecentis militibus Rozieri, itemque ducentis, quos in urbe ceperunt: quo peracto auxilio Barensium & vicinarum civitatum liberaverunt Manopolim obsessam a Roziero & eodem exercitu Brundusium obsidentes, tradentibus se oppidanis, similiter & castellum impugnantes ceperunt submersis habitatoribus ejus & captis XXV. navibus. Imperator autem a Benevento Capuam & Campaniam transiens venit in Montem Cassinum, cujus Abbate reprehensibili deposito & alio in locum ejus subrogato, plurima Ecclesiæ prædia & castella perdita partim vi, partim judicio requirens, restituit. Ibi quoque Episcopus Concordiæ defunctus ac sepultus est. Inde veniente Imperatore Præneste oppidum quoddam sub illo situm scilicet domicilium Latronum & peregrinos Apostolorum ad limina tendentes spoliantium milites magna vi sagittariorum expugnatum ceperunt, cum castello, & civibus expulsis maximam prædam Latrociniis congestam venientes tulerunt. Apud Præneste quoque defunctus ac sepultus est Giso Comes Hessiæ. Vnde pertranseuntes Tiburtinam petierunt Faruam, cujus Ecclesiæ Abbati castella multa cum prædiis violentia Petri Leonis & aliorum ablata restituit, sed & oppidum quoddam magnum & opulentum cujus habitatoribus subdi cum contumelia contradicentibus, exercitus captum cum castello oppidum igni tradidit, in quo & multitudo non parva hominum præcipicio & varia calamitate periit. Post hæc data & accepta honorifice ab Imperatore & principibus licentia Papa remeavit in sua. Imperator autem Narnis pertransiens eamque subjiciens sicque Æmilium magnam urbem aggrediens & cives probrosa insultatione imperium ejus refutantes, tandem victos, pluribus captis, aliis autem varia clade affectis, humilians, transito illic Tyberi Orvet quoque, id est, urbem veterem transcurrens venit Ariciam; Ibi Adalbertus Episcopus Basiliensis obiit. Deinde Imperatore plana Mosellæ permeante vulgus ignobile conglobatum, lapidibus, contumeliis, latrociniis postremos exercitus tentantes prosecuti sunt, e quibus quicumque capti & Imperatori oblati fuissent, truncati naribus & affecti pœnis inglorii redierunt. Sic postquam Boloniam perventum est, exercitus, accepta ab Imperatore licentia, paulatim dilapsus & quisque in sua reversus est. Denique Lotharius Imperator, Trigentinam veniens ibique festum Sancti Martini cum gaudio celebrans infirmari cœpit, quo langore quotidie ingravescente, amore magno revisendæ patriæ nec ob hoc iter suum remorari patiebatur; Sed prævalente mortali ægritudine desperatus, cum Episcopi, qui aderant, exitum ejus, unctione sacri olei & vivificis sacramentis munissent, tandem aput Breduvan villam, in faucibus Alpium constitutam, ille heu multis lamentabilis, utpote pax Ecclesiæ, amator religionis & justitiæ, III. Nonas Decembris a sæculo migravit. Tempora ipsius jocunda fuerunt, nam bona aëris temperie, omnigena terræ fertilitate, cunctarum rerum copia, non solum per regnum, sed & per orbem exuberabant. Merito a nobis nostrisque posteris pater patriæ appellatur, quia erat egregius defensor & fortissimus propugnator, nihili pendens vitam suam contra omnia adversa propter justitiam opponere; & ut magnificentius de eo dicamus, in diebus ejus populus terræ non pertimuit. Vnusquisque enim sua liberaliter pacificeque possidebat. Corpus ejus delatum in patriam sepelitur regio more in hæreditate paterna in loco dicto Lutheron. Marchio Adalbertus collecta valida manu hyemali tempore terram Slavorum prædabundus perambulavit. Meingotus Mersburgensis Episcopus de expeditione usque in Sueviam languens perductus obiit, cui successit Ekkilesus. Gerburh abbatissa Quidelingeburgensis obiit.

Anno Domin. Incarnationis M C XXXVIII. Imperatrix Richenza indixit conventum principum in festo Purificationis Sanctæ Mariæ apud Quidelingeburh, qui conventus impeditus est ab Adelberto Marchione & suis conmanipularibus tollentibus omne servicium Imperatricis ad hoc præparatum & introitum urbis ei prohibentibus, & plurima damna tam rapinis, quam incendiis ei inferentibus. Lambertus ex Abbate Ilsineburgensi Brandeburgensis Ecclesiæ electus Rodolfi Halberstadensis Episcopi rogatu, Romam profectus est, rediensque a latronibus interfectus est; Successit Wiggerus Præpositus Sanctæ Mariæ in Magedaburh. Pro Gerburga Quidelingeburgensi Abbatissa substituta est Beatrix Abbatissa Cœnobii quod dicitur Herse. Petrus Leonis, qui contra Innocentium Sedem Apostolicam usurpaverat, obiit. Colonienses pro Hugone Arnoldum Præpositum Sancti Andreæ, Moguntini vero Adalbertum juvenem prioris Adalberti nepotem super se levant Archiepiscopos Folcmarus Corbejens Abbas obiit; cui successit Adalbero frater Heinrici Ducis, electus ex eadem congregatione.

Principes communicato consilio decreverunt generalem Conventum in Pentecoste Mogontiæ fieri, ut communiter regno præficerent, quemcumque Deus ad id præordinasset. Sed Conradus Suevus, frater Friderici Ducis, quondam usurpator regii nominis, factione Adalberonis Treverensis Archiepiscopi & quorumdam Principum Confluentiæ, - - - -
Die Dominicæ Oculi mei, successitque provectus in regnum Romanorum a Thietwino

Cardi-

Cardinali Episcopo consecratus, regnavitque LXXXIIII. loco ab Augusto anno ab urbe condita M VCCC XC. ab Incarnatione Domini MCXXXVIII. Ad hujus tamen negotii honorem multorum magnorum Principum consensus est minime requisitus. Qui Conradus regalia, quæ Heinricus Dux Bawariæ qui & Dux Saxonum gener Lotharii Imperatoris sub se habuit, callide adquisivit & eumdem Ducatu Saxoniæ privare voluit, dato eodem Adalberto Marchioni; Cujus electioni a nonnullis præsertim Saxoniæ principibus contradicitur; Siquidem animis accensis Conradus Marchio, Fridericus Palatinus Comes, Sifridus Comes de Boumeneburh, Rodolfus Comes de Stadhen, instigante eos Imperatrice Richeza, condixerunt, ut pariter venientes adversus Adalbertum Marchionem dimicarent. Anticipavit ille manum inimicam in loco, qui dicitur Mimirberh & inopinate victor existens plures adversariorum captivavit. Bolizlaus Dux Polanorum obiit, relinquens quinque filios superstites, quibus & divisit hæreditatem suam coram illius terræ Episcopis & principibus, ex quibus Bolizlaus, quia senior erat & Conradi Regis gener, Ducatum obtinuit. Castrum, quod Berneburh dicitur, igne crematum est propter tyrannidem, quam inde Marchionissa Eilica exercebat.

Anno Dominicæ Incarn. MCXXXIX. Rex Conradus Natale Domini Goslariæ celebravit, ubi & publicum Conventum habuit, sed nihil de Rei publicæ utilitate tractatum est, sicq; nonnullis dedignantibus Curia defluxit, illo ibidem per integrum mensem inutiliter degente. Eo tempore Dux Bawariæ Henricus latenter Saxoniam introivit, & obnitentes Regi in suum contubernium ascivit. Intrante Februario Rex Quidelingeburh venit, ubi Purificationem S. Mariæ peregit, Conradum Magedaburgensem Archiepiscopum ceterosq; principes Saxoniæ, qui Goslariæ deerant & illuc venire se spoponderant, expectans. Quibus venientibus & prope ipsum locum hospitantibus ipse subito recessit & expeditionem suam fieri in Saxoniam in proxima æstate firmiter jussit. Post Pascha Conradus Archiepiscopus cum Duce Heinrico & aliis principibus Plozeken castrum Bernhardi Comitis, eo quod fautor esset Marchionis, obsedit, cepit, destruxit. Ita crescente odio propinquorum Heinrici & Adalberti, quorum unus Dux in Bawaria, pro desponsatione filiæ Lotharii Imperatoris etiam Saxoniæ ab eo Ducatum acceperat; alter eum avito beneficii jure vendicans apud Conradum Regem obtinuerat, Saxonia alterno est turbata litigio; Sed Heinricus militari copia prævalens, Adelberto civitates ejus & castella expugnans delevit. Appropinquante festo Assumptionis S. Mariæ Conradus Archiepiscopus cum Heinrico Duce & prædictis principibus apud Ernceburh contra Regem convenit, qui Saxoniam devastare summis viribus conabatur; Sed Episcopi, qui perplures illo cum Rege convenerant, pugnaturis impedimento fuerunt, factaque compositione inter utramque partem usque ad condictum tempus singuli cum pace redierunt. Deinde facto colloquio in Quidelingeburh, Heinricus nobilissimus atque probissimus Dux Bawariæ atque Saxoniæ veneficio ibidem, ut fertur, infectus XIII. Kl. Nov. vitam finivit. Corpus ejus Lutteræ ad dextram Lotharii Imperatoris positum est. Tunc Adelbertus, æstimans se amodo Ducatu libere potiturum, forum aput Bremam in festo omnium Sanctorum adiit, loco competenti placitum habiturus. Hic angustiatus, matura sibi quorumdam familiarium ope fretus, ab amicis mirabiliter ereptus, illæsus est restitutus. Concilium Romæ habitum est ab Innocentio Papa. Otto sanctissimæ memoriæ Babenbergensis Episcopus obiit. Andreas Trajectensis Episcopus obiit, cui Hartbertus successit. Lodovicus Thuringiæ Comes obiit.



 X. MONA-

XI.
MONACHORUM S. PANTALEONIS ORDINIS S. BENEDICTI
CHRONICA REGIA,
Usque in annum 1161. continuata.

* * *

Chronica dicor ego, mendacia cuncta relego,
Mundi principio temporis acta scio.
Munus munifici custodis Theoderici
Lætor ego dici, pagina plana mihi.
Pantaleon, multos codices, æque mihi cultos
Quos fecit scribi contulit iste Tibi.
Auri splendore nitet ara, chorusque colore,
Theca libris; studii sunt tria signa pii.

PRÆFATIO SEQUENTIS OPERIS.

NEminem jam esse hominem arbitror, quem latere possit, quia hominem in hoc mundo Deus fecerit. Unde & peccante homine mundus arguitur, ac propter nostram intemperantiam comprimendam terra hæc, in qua vivimus, defectu cæterorum animalium & sterilitate suorum fructuum castigatur. Itaque si creatura Dei, merito & dispensatio Dei sumus. Quis enim magis diligit, quam ille, quod fecit? Quis autem ordinatius regit, quam is, qui & fecit & diligit? Quis vero sapientius & fortius ordinare & regere facta potest, quam qui & facienda prævidit, & prævisa perfecit. Quapropter omnem potestatem a Deo esse, omnemque ordinationem, &, qui non legerunt, sentiunt, & qui legerunt, cognoscunt. Quodsi potestates a Deo sunt, quanto magis regna, a quibus reliquæ potestates progrediuntur. Si autem regna divisa, quanto æquius regnum aliquod maximum, cui reliquorum regnorum potestas universa subjicitur. Quale a principio Babylonicum & dein Macedonicum fuit, post & Africanum atque in fine Romanum quod usque nunc manet. Eademque ineffabili ordinatione per IIII. mundi cardinales IIII. regnorum principatus distinctis gradibus eminentes, ut Babylonium regnum ab oriente, a meridie Carthaginense, a septentrione Macedonicum, ab occidente Romanum. Quorum inter primum ac novissimum, idem inter Babylonium & Romanum quasi inter patrem senem ac filium parvum Africanum ac Macedonicum brevia & media, quasi tutor curatorque, venerunt potestate temporis, non jure hæreditatis admissi. Quod utrum ita sit aptissime expedire curabo.

Rex primus apud Assyrios qui eminere cæteris potuit Ninus fuit, occiso Nino Semiramis uxor ejus, tocius Asiæ regina, Babyloniam urbem instauravit, caputque regni Assyrii ut esset, instituit. Regnum Assyriorum diu inconcussa potentia stetit.

Sed cum Arbatus, quem alii Arbacen vocant, præfectus Medorum, idemque natione Sardanapaullum regem suum apud Babyloniam interfecisset, regni nomen & summam ad Medos transtulit. Ita Nini & Babylonis regnum eo anno in Medos derivatum est, quo anno apud Latinos Procas Amulii & Numitoris Pater, avus autem Rheæ Sylviæ, quæ mater Romuli fuit, regna recepit. Ut autem omnia hæc ineffabilibus mysteriis & profundissimis Dei judiciis disposita, non autem humanis juribus aut incertis casibus accidisse perdoceam, omnes hystoriæ antiquæ a Nino incipiunt, omnes hystoriæ Romanæ a Proca exoriuntur. Deinde a primo anno imperii Nini, usque quo Babylon a Semiramide instaurari cœpta est, intervenerunt anni LX. & IIII. Et a primo anno Procæ cum regnare cœpit usque ad conditionem Urbis factæ a Romulo intersunt æque anni LX. & IIII. ita regnante Proca futuræ Romæ sementis jacta est, etsi nondum gramen appareret. Eodem anno regni ipsius Procæ, Babylonis regnum defecit, etsi adhuc Babylon ipsa consistit. Discedente autem Arbato in Medos, partem regni penes se retinuerunt Chaldæi, qui Babyloniam sibi adversus Medos vindicaverunt. Ita Babyloniæ potestas apud Medos, proprietas apud Chaldæos fuit. Chaldæi autem propter antiquam regiæ urbis dignitatem non illam suam, sed se illius vocari maluerunt. Unde factum est, ut Nabuchodonosor cæterique post eum usque ad Cyrum Regem, quamvis Chaldæorum viribus potentes & Babyloniæ nomine clari legantur, in numero tamen & cardine Regum non habebantur illustrium. Babylon itaque eo anno sub Arbato Præfecto dehonorata, quo Roma sub Proca Rege, ut prope dixerim, seminata est. Babylon novissime eo tempore a Cyro rege subversa, quo primum Roma a Tarquiniorum regum dominatione liberata est. Siquidem sub una eademque convenientia temporum illa cecidit, ista surrexit: illa tunc primum alieno-

alienorum perpessa dominatum, hæc tum primum suorum est aspernata fastigium. Illa tunc quasi moriens divisit hæreditatem, hæc vero pubescens hunc se agnovit hæredem. Tunc orientis occidit, & ortum est occidentis imperium. Et ne diutius verbis morer, committo me dentibus insanientium, sed veritatis præsidio liberandum. Regnavit Ninus annis L. & duobus, cui successit, ut dixi, uxor sua Semiramis, quæ cum & ipsa XL. annis & duobus regnaret, medio imperii sui tempore Babylonam caput regni condidit. Ita Babylon post annos CLX. & propemodum IIII. quam condita erat a Medis & ab Arbato rege eorum, præfecto autem suo spoliata, opibus & regno atque ipso rege privata est. Ipsa tamen postea aliquamdiu mansit incolumis. Similiter & Roma per annos totidem, hoc est, CLX. & fere IIII. a Gothis & Alaricho rege eorum, comite autem suo irrupta & opibus spoliata. Nam in regno manet adhuc & regnat incolumis. Quamvis in tantum archanis statutis inter utramque urbem convenientiæ totius ordo servatus sit, ut & ibi præfectus ejus Arbatus regnum invaserit, & hic Præfectus hujus Attalus regnare temptaret; tametsi apud hanc solam merito Christiani Imperatoris attemptacio profana vacuata sit. Itaque ob hoc commemoranda credidi, ut tanto archano ineffabilium judiciorum DEI ex parte patefacto intelligant hi, quod insipienter utique de temporibus Christianis murmurant, unum DEum disposuisse tempora & in principio Babyloniis, & in fine Romanis: Illius clementiæ esse, quod vivimus, quod autem miseri vivimus, intemperantiæ nostræ. Ecce similes Babyloniæ ortus & Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala, tamen non similis exitus similisve defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet, illa interfectione regum orbata, hæc incolumi Imperatore secura est, & hoc quare? quoniam ibi in rege libidinum turpitudo punitur, hic Christianæ religionis continentissima æquitas in rege servata est. Ibi absque religionis reverentia aviditatem voluptatis licentia furoris implevit. Hic & Christiani fuerunt, qui parcerent, & Christiani, quibus parcerent, & Christiani, propter quorum memoriam & in quorum memoria parceretur. Qua propter desinant religionem lacerare, & lacessere patientiam DEI, propter quam habent, uti & hi quod impunitum habeant, si aliquando desistant. ADAM & EVA, ut revelatum fuit Sancto Metodio in carcere, virgines egressi sunt de paradyso, & anno vitæ Adæ XV. natus est ei Cain & soror ejus Kalmana. Post alios XV. annos natus est ei Abel & soror ejus Delbora. Anno vitæ Adam CXXX. Cain occidit Abel & luxerunt eum Adam & Eva centum annos. Tunc natus est ei Seth XXX. anno primæ chiliadis. Inchoat enim Methodius secula post ducentos annos Adæ, & vocat seculum unam chiliadem, & in hoc consonant septuaginta, qui dicunt Adam CCXXXV. annorum esse, cum genuisset Seth. Nam plurimos filios & filias Adam genuit, quos legislator prætermisit. Seth anno CV. genuit Enos. Enos anno XC. genuit Cainan. Cainan anno LXX. genuit Malalehel. Malalehel anno LXV. genuit Jareth. Jareth anno CLX. genuit Enoch. Enoch anno LXV. genuit Matusalam. Sicut igitur in generatione Cain, septimus fuit pessimus Lameth, ita in generatione piorum septimus fuit optimus Enoch, & transtulit illum DEus in paradisum voluptatis, ut in fine temporum cum Elia convertat cor patrum ad filios. Judæi tamen causam translationis hujus potius septenario attribuunt quam sanctitati ejus, quia plures leguntur sanctiores eo, quorum nullus translatus est. Matusalam anno CLXXXV. genuit Lamech. Lamech anno CLXXXII. genuit Noë, sub quo factum est diluvium.

Igitur Adam protoplasto de paradysi felicitate propter inobedientiam expulso, & Abel a Cain fratre exstincto, multam peragrans terram cum uxore sua Calmana Cain, collocatus est in loco, qui Naida nuncupatur, in quo nati sunt ei filii. Qui etiam rapinis & violentia opes congregans suos ad latrocinia invitabat, & simplicitatem vitæ hominum, & inventionem mensurarum & ponderum permutavit, atque ad calliditatem & corruptionem perduxit, Terminos terræ primum posuit, civitates muravit, & timens quos lædebat, ob securitatem suos in urbibus collegit. Civitatem etiam ab Enoch seniore filio suo Enoycham appellavit. Enoch vero Jarad filius fuit, ex quo Maruhal, cujus filius fuit Matusalas. Qui habuit filium Lamech, cui fuerunt filii septem & septuaginta, qui ex duabus uxoribus ei sunt nati, Sella & Ada. Horum quidem Jubaël, qui fuit de Ada, tabernacula fixit & greges amavit. Jobel autem consanguineus ejus existens musicam coluit, & psalterium citharamque laudavit. Jobal autem qui ex altera natus est, fortitudine cunctos excellens, res bellicas decenter exercuit, ex his etiam, quæ ad libidinem pertinent corporis, enutrivit, ferrariam autem primus invenit, habuitque filiam nomine Naainam. Lamech autem res divinas sapienter sciens, videns Cain ob necem fratris pene subjacere, sibi vero majorem deberi pœnam, prædixit hoc mulieribus suis sic: quoniam occidi virum in vulnus meum & adolescentem in livorem, septuplum dabitur ultio de Cain, de Lamech autem septuagies septies. Lamech vir sagittarius diu vivendo caliginem incurrit oculorum, & habens adolescentem ducem, dum exerceret venationem pro delectatione tantum & usu pellium, quia non erat usus carnium ante diluvium, casu interfecit Cain inter fruteceta, æstimans feram. Quem quia ad indicium juvenis dirigens sagittam interfecit, iratus illi cum arcu eum ad mortem verberavit, occiderat enim Cain vulnere, adolescentem livore vulneris, vel utrumque occiderat in vulnus & livorem suum, id est, dampnationem suam, & ideo cum peccatum Cain punitum esset septuplum, suum punitum est septuagies septies, id est, septuaginta & septem animæ egressæ de Lamech diluvio perierunt. Fuerunt Adam & alii

& alii filii plurimi, inter quos & Seth. Hic namque nutritus & perveniens ad ætatem, quæ jam posset ea, quæ sunt bona, discernere, virtuti studuit. Et cum fuisset vir egregius imitatores sui filios deliquit. Illi autem omnes cum boni fuissent orti in eadem terra sine aliqua vexatione viventes felicissime commorati sunt, nihilque eis usque ad vitæ terminum crudele provenit. Disciplinam vero rerum cœlestium & ornatum earum primitus invenerunt, & ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab eis inventa videbantur, aut, antequam ad notitiam venirent, perirent, cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram vero aquarum vi ac multitudine fore venturam, duas facientes columnas, aliam quidem ex lateribus, alteram vero ex lapidibus. In ambabus, quæ invenerant, conscripserunt, ut, etsi constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere. Simul & quia lateralem aliam posuissent, quæ tanquam lapidea permanet hactenus in terra Syria. Et isti quidem VII. generationibus permanserunt, DEum judicantes esse Dominum omnium, & ad virtutem semper inspicientes, deinde tempore procedente de paternis sollempnitatibus ad mala progressi sunt, videntes quod filii Seth, qui filii DEI vel angeli dicebantur, filias eorum qui de Cain progenie nascebantur, desiderio pulchritudinis earum succensi, acceperunt ipsi sibimet uxores: Quæ viris suis parentum suorum nequitias infundentes, ab illa eis ingenita sanctitate ac simplicitate paterna corruperunt. Qui & ab illa vera philosophiæ disciplina tradita sibi a majoribus exciderunt, quam primus homo ille qui universarum naturarum institutionem e vestigio subsecutus est, & in quem tanta fuit non solum sapientiæ plenitudo, sed & genera prophetiæ, illa divina insufflatione transfusa, ut universis animantibus nomina rudis adhuc mundi hujus habitator imponeret, ac non solum omnigenarum bestiarum ac serpentium furores virusque discerneret, sed & herbarum & arborum lapidumque naturas & temporum necdum expertorum vicissitudines partiretur. Hanc igitur scientiam omnium naturarum per successiones generationum semen Seth paterna traditione suscipiens, donec divisum a sacrilega propagine perduravit, quemadmodum sancte præceperat, ita & vel ad DEI cultum vel ad utilitatem vitæ communis exercuit. Cum vero impiæ generationi fuisset admixtum res prophanas ac noxias, quæ pie didicerat, instinctu quoque dæmonum derivavit, curiosasque ex eo maleficiorum artes ac præstigias ac magicas superstitiones audaciter instituit, docens posteros suos, ut sacro illo cultu divini nominis derelicto vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur & colerent. Hæc igitur, quam diximus, curiosarum rerum notitia, quomodo in diluvio non perierit, aut supervenientibus seculis innotuerit, sic antiquæ traditiones fuerunt: Cham filius Noë, qui superstitionibus istis ac sacrilegis ac profanis erat artibus institutus, sciens nullum se posse super se memorialem librum in arcam prorsus inferre, in quam erat una cum patre justo ac sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes ac prophana commenta diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum corrumpi inundatione non possent, & durissimis lapidibus insculpsit, quæ peracto diluvio eadem, qua celaverat, curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. Hac itaque ratione illa vulgi opinio, qua credunt angelos vel maleficia vel diversas artes hominibus tradidisse, in veritate completa est.

De illis igitur, quemadmodum diximus, filiis Seth & filiabus Cain nequiores filii procreati sunt, qui fuerunt robustissimi venatores, violentissimi & truculentissimi viri, qui pro enormitate corporum vel crudelitatis atque malitiæ gygantes nuncupati sunt. Hi namque finitimos populari ac rapinas inter homines primi exercere cœperunt, præda potius exigentes vitam suam, quam sudore operis ac labore contenti, & quorum usque eo scelera supercreverant, ut expiari mundus alias nisi diluvii inundatione non posset. Iratus itaque DEus peccatis hominum dixit: Pœnitet me fecisse hominem, & dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, disperdam itaque eos cum terra, id est, cum fertilitate terræ. Tradunt enim vigorem terræ & fœcunditatem longe inferiorem post diluvium, unde esus carnium homini concessus est, cum antea fructibus terræ victitaret; præcepitque ei arcam construere. Noë vero cum esset quingentorum annorum secundum præceptum Domini cepit arcam construere, & in centum annos consummavit eam. Qua perfecta, ingressus est cum uxore & tribus filiis Seth, Cham, & Japhet & uxoribus eorum. Præcepit etiam ei ex cunctis animantibus & volucribus universæ carnis secundum genus suum inducere in arcam. Sexcentesimo itaque vitæ suæ anno ingressus est Noë arcam cum omnibus, quæ dixerat ei Dominus, quæ & nutu Divino & ministerio angelorum adducta sunt. Pluitque Dominus super terram quadraginta diebus ac noctibus & elevata arca sublime ferebatur. Super omnes montes excrevit aqua altior quindecim cubitis, ut ablueret sordes aëris, usque quo ascenderant opera hominum; usque ad eundem locum ascendet ignis judicii ob aëris purgationem, & mortua est omnis anima vivens super terram. Post dies CL. cœperunt aquæ minui, mense scilicet septimo, ita quod XXVII. die mensis requievit arca super montes Armeniæ. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, primo die mensis aperuit Noë tectum arcæ, & vidit, quod exsiccata esset superficies terræ, sed egrediendi exspectabat Domini præceptum. Mense secundo, septima & vicesima die mensis dixit Dominus ad Noe: Egredere de arca tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum. Et egressus est Noë cum universis, quæ erant cum eo eadem die, qua ingressus fuerat, revoluto anno ædificavitque Noë altare Domino & de mundis animantibus

tibus septimum obtulit Domino, & odoratus est Dominus odorem suavitatis & dixit ad Noë: Non ultra maledicam terræ propter homines, quia proni sunt ad malum. Tempus sementis & messis, frigus & æstas, nox & dies non requiescent. Forte nondum ita plene distincta fuerant tempora, quia nec usque ad diluvium aquæ erant collectæ in nubes, & pepigit cum eis, quod ultra non fieret diluvium, & in signum fœderis hujus posuit arcum suum in nubibus, quod est signum duorum, judicii per aquam præteriti, ne timeatur, & futuri per ignem, ut exspectetur. Inde est, quod duos habet colores, ceruleum, qui aqueus est & est exterior, quia præteriit, & rubeum qui est igneus, qui est interior, quia futurus est ignis. Et tradunt sancti, quod XL. annos ante judicium non videbitur Iris, quod & naturaliter ostendet aëris desiccationem jam inceptam. Cœpit enim Noë exercere terram & plantavit vineam bibensque vinum & ignorans vim ejus inebriatus est, & dormiens nudatus est in tabernaculo suo. Quod videns Cham, scilicet, patris verenda nudata, irridens, nuntiavit hoc fratribus. Sed illi imponentes pallium in humeris, & euntes retrorsum, ne viderent, operuerunt patris verenda. Evigilans Noë cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus junior, maledixit non filio, sed filio filii, quia sciebat in spiritu filium suum non serviturum fratribus, sed semen ejus. Vixit itaque Noë post diluvium annis CCCL, & ex tribus filiis suis ad huc ipso vivente nati sunt XXIIII. milia virorum & centum, extra mulieres & parvulos, habentes super se tres Duces Nemroth, Jectam & Suffene. Et impleti sunt dies Noë DCCCCL. & mortuus est. Dicit autem Josephus, quod nemo falsa putet, quæ de antiquorum longævitate scripta sunt, quia propter virtutes & gloriosas utilitates, quas jugiter perscrutabantur, id est, astrologiam, astronomiam & geometriam, DEus eis amplius vivendi spatia condonavit, quæ haud ediscere potuissent, nisi sexcentos vixissent annos. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Post obitum vero Noë moventes pedes suos ab oriente, convenerunt Duces in unum campum Sennaar & timentes diluvium, consilio Nemroth volentis regnare, cœperunt ædificare turrim, quæ pertingeret usque ad cœlos. Sumebat igitur altitudo facilitatem, & plus quam sperare quis posset multis manibus utique fabricata crescebat. Latitudo enim ita erat fortissima ut prope eam respicientibus longitudo videretur imminui. Ædificabatur autem ex latere cocto colligato bitumine, ne forte penetraretur aut dissolveretur aquis. Sed illos insanientes DEus intendens, exterminare omnes pariter non decrevit, quoniam nec aliis dudum perditis formidabant, sed discordiam immisit illis diversarum linguarum, ut per multas absonasque voces intellectu carere potuissent. Locus autem in quo turrim ædificabant, nunc Babylon vocatur, dicta propter confusionem, quam circa elocutionem suam tunc habuerunt. Divisi sunt itaque post hæc diversitate linguarum, migrationes agentes ubique, & terram apprehendentes unusquisque felicem, & ad quam eos DEus adduceret, ita ut omnis terra per eos compleretur, mediterranea simul atque maritima. Quod autem subditur de terra Sennaar egressus est Assur, intelligendum est de Nemroth; expulit eum vi a terra illa & turre, quæ erat ejus jure hæreditario: Vel non est intelligendum de Assur filio Sem, qui invenit purpuram & ungentia crinium vel corporum, de quo Caldæi & Assyria dicta. Sed Assur, id est, regnum Assyriorum inde egressum est, quod tempore Saruch proavi Abrahæ factum est. Regnum quidem Babyloniæ habuerunt, qui de semine Nemroth usque ad quartam chiliadem. Interim vero obtinuerunt Ægyptios & Assyrios, ita in diebus Saruch Belus Nemrotides, quia fuit alter Belus Rex Græciæ, intravit Assyriam & parum obtinuit in ea. Quo mortuo filius ejus Ninus totam obtinuit Assyriam, & civitatem, in qua caput regni erat, itinere trium dierum ampliavit, & a suo nomine Niniven dixit. Ninus vicit Cham, qui adhuc vivebat & regnabat in Bactria & dicebatur Zoroastres inventor magicæ artis, qui & VII. liberales artes invenit, & in XIIII. columpnis scripsit, VII. æneis & VII. latericiis contra utrumque diluvium; Ninus vero libros ejus combussit. Ab eodem inventa sunt idola. Sic mortuo Belo, Ninus in solatium doloris imaginem patris sibi fecit, cui tantam exhibebat reverentiam, ut quibuslibet reis, qui ad eam confugissent, parceret. Proinde homines de regno ejus divinos honores imagini cœperunt impendere. Hujus exemplo plurimi caris suis mortuis imagines dedicarunt. Exortum est autem regnum Assyriorum anno vigesimo quinto Saruch proavi Abrahæ sub Belo, & cucurrit usque ad annum septimum Oziæ regis, inde per annos mille trecentos & duos per reges XXXVII. Igitur Ninus Beli filius universam Asiam, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur, ad magnitudinem vero dimidia reperitur, usque ad Libyæ fines subegisse traditur. Solis quippe Indis in partibus orientis non dominabatur, quos tamen, eo defuncto, Semiramis uxor ejus aggressa est bellando, ac superavit.

Finit prima ætas hominis.

Noë vir justus in generationibus suis ante diluvium genuit tres filios Sem, Cham & Japhet. Sem filius Noë biennio post diluvium genuit Arfaxat, a quo Chaldæi orti sunt. Arfaxat anno XXXV. genuit Sale, a quo Samaritani & Indi. Sale anno tricesimo genuit Heber, a quo Ebræi. Heber anno XXXIIII. genuit Phaleg. Hujus temporibus turris ædificabatur a gigantibus. Phaleg anno XXX. genuit Reu. Dii primum adorantur. Reu anno XXXV. genuit Saruch. Regnum Scitharum inchoat. Saruch anno XXX. genuit Nachor. Regnum Ægyptiorum nascitur. Nachor anno XXXIX. genuit Thare. Regnum Assyriorum & Sicunorum oritur. Thare anno LXX. genuit Abraham. Hoc tempore Semiramis condidit Babylo-

byloniam & Zoroastres magicam artem reperit. Quem occidens Ninus & ipse postea decessit, relicto adhuc impubere filio Nina & uxore Semirami. Hæc neque immaturo filio ausa tradere imperium nec ipsa palam tractare, simulat se uxor Nin pro filio, filium autem pro fœmina. Nam & statura utrique mediocris & uxor pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio consimilis. Igitur brachia & crura - - - - caput tyara, id est, diademate tegit, & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet. Quem morem vestis exinde gens universa tenet. Sic primis initiis sexum mentita puer esse credita est. Multas deinde res gessit. Siquidem non contenta acquisitos viro terminos tueri, Æthiopiam & imperio adjecit. Sed & Indis bella intulit, quo præter illam & Alexandrum Magnum nemo intravit. Babyloniam etiam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit. Hæc campi planitie undique conspicua natura loci lætissima castrorum facie mœnibus paribus per quadratum disposita, murorum ejus vix credibilis relatu firmitas & magnitudo, id est, latitudine cubitorum L, altitudine quater tanta. Cæterum ambitus ejus CCCCLXXX. stadiis circumvenitur, fossa extrinsecus late patens vice amnis circumfluit: a fronte murorum C. portæ æreæ. Ipsa autem latitudo in consummatione pinnarum, utroque latere habitaculis defensorum æque dispositis, media intercapedine sui, citas quadrigas capit. Semiramis autem ad postremum cum concubitum filii petiisset, ab eodem interfecta est. Duos & XXX. annos post Ninum regno potita est. Filius ejus Nina, contentus elaborato a parentibus imperio belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, raro a viris visus, in fœminarum turba consenuit.

Finit secunda ætas hominis annos DCCCCXLII.

Abraham anno C. genuit Isaac. Isaac anno LX. genuit Jacob & Esau. Jacob anno nonagesimo genuit Joseph. Memphis in Ægypto conditur. Joseph XVI. annorum per invidiam a fratribus in Ægypto venditur, qui postea a Pharaone princeps totius terræ constituitur. Eo tempore Prometheus frater Adhlantis primus dictus est fecisse homines, tum quia legitur fecisse imagines hominum, quas arte quadam deambulare fecit. Invenit etiam primus anulum, sed ferreum, & inclusit gemmam, unde & ungulum vocavit, quia sicut ungues carne, sic gemma metallo circumdatur. Tradidit autem, ut in quarto digito, quem medicum vocant, poneretur ad ornatum, digniorem hunc reliquis dicens, quia ab eo usque ad cor quædam vena pertingit. Dicitur & ea tempestate Triptolomus in navi, in qua pictus erat Draco, in Græciam venisse, & ampliasse agriculturam. Igitur mortuo Joseph, regno translato ad aliam domum, rex ille, ab hoc quasi novus, ignoravit beneficia Joseph, quæ contulerat Ægypto: cœpit opprimere Israël, ne multiplicati in eum consurgerent, imposuitque eis graves angarias operum, quibus fracti non vacarent amplexibus. Sed quanto plus eos opprimebat, tanto magis multiplicabantur. Videns igitur Pharao dolos sibi non prodesse, aperte aggressus est eos præcipiens, ut quicquid masculini sexus nasceretur in Israël, in flumen projiceretur, & multi eo tempore submersi perierunt. Pro quo peccato crediturDEus tradidisse Ægyptios in hunc errorem, ut Apim pro DEO colerent. Erat autem Apis, ut ait Plinius, qui & testatus, se eum vidisse, quidam taurus, qui ex improviso de flumine (emersit), habens in humero dextro signum candidum instar lunæ corniculatæ: Ad quem statim confluxerunt Ægyptii omni genere musicorum psallentes. Levabatur in aëra, & super eos tanquam psallens ferebatur, & ad motum vel stationem ipsius, ipsi in terra movebantur & stabant, & eadem die evanescebat. Dicunt tamen quidam, quod in festo Serapis annuatim emergebat, unde & ipsum Serapim, id est, consecratum, Serapi autumant vocatum. Alii tantum per decennium semel apparere dicunt: Alii tantum tempore justi sacerdotis Eliopoleos, injusti non, ut quasi divinitus justitia indicaretur sacerdotium. Peccatum igitur fluminis punivit DEus in errore fluminis. Servierunt igitur Hebræi in Ægypto in his miseriis quadringentis annis. Eodem tempore Cicrops egressus de Ægypto venit in Græciam & urbem Athenas condidit. Traditur & eadem tempestate egressus Dionysius Bacchus, qui & Argos condidit, & usum vineæ Græcis dedit. Dicitur & diluvium secundum in Thessalia sub Deucalione, & incendium sub Phetonte circa tempora Mosi; & sub eo Hercules Anteum vicit. Erictonius filius Vulcani currum, & Troilus primus quadrigam junxisse feruntur.

Finit tertia ætas habens annos DCCCCXLIII.

Moses annis quadraginta præfuit, quo mortuo Josue annis XXVI. rexit Israël. Mortuo Josue Othoniel præfuit annis XL. Tempore hujus Othonielis egressi sunt ex quadam parte Græciæ duo fratres Cathmus & Phœnix, & Cathmus condidit Thebas & regnavit ibi. Phœnix venit in Tyrum & Sidonem & regnavit ibi, & primus tradidit Tyriis & Sydoniis usum quarundam literarum circiter VII. tradidit & usum minii coloris & est color ille per corruptionem puniceus: & ad honorem ejus Tirii & Sidonii primi fecerunt literas capitales de hujusmodi colore minii, & redactum est in usum, ut literæ capitales vel rubricæ non fiant de atramento, sed de colore Minii.

Mortuo Othoniele post XVIII annos Aoth judex factus est, qui præfuit annis LXXX. Hoc tempore Amphion Musicus claruit. Tempore ejusdem Fœmonœ una de Sibyllis erat in Phitia, unde dictus Phicius Apollo, quia specie Phytonicus, de quo in sequentibus habebis, aliunde dicitur. Hæc divino spiritu multa prophetavit de regno Judæorum sublimando, & postea evertendo, & quæ prophetavit versibus exame-

exametris scripsit. Eodem tempore Rex Dionysius Liber Bacchus expugnavit Indiam, & constituit ibi civitatem, quam a nomine suo denominavit Nisam. His etiam diebus mortuo Jano, qui primus in Italia regnavit, Saturnus, filium suum Jovem e Græcia fugiens, venit in civitatem Italiæ, quæ ex ejus nomine Saturnia dicta est, ibique latens nomen Latio dedit. Delbora judicavit Israel annis XL. Apollo artem medicinæ invenit. Tuncque in Italia Picus filius Saturni regnare cœpit. Post hunc filius ejus Faunus regnavit, qui fuit pater Latini, cujus mater Carmenta latinas literas dicitur reperisse. Hoc tempore Orpheus Linusque Musici claruerunt. Mortua autem Delbora post VII. annos Gedeon Judex Israel factus est, qui præfuit annis XL. Deinde filius ejus Abimelech præfuit Israel annis tribus, post quem Tola judicavit Israel annis XXIII. Huic successit Jair, qui præfuit annis XXII. Hoc tempore apud Trojam Priamus regnavit, & in Italia Fauni filius Latinus, qui latinam linguam correxit, & Latinos de suo nomine appellavit. Mortuo Jair post annos XVIII. Jepte judex Israel factus est, qui præfuit annis VI. Hoc tempore Hercules flammis se injecit. Post Jepte judicavit Abessa Israel annis VII. Hujus tempore Alexander Helenam rapuit. Post Abessa judicavit Israel Zabulon annis X. Hoc tempore Troja a Græcis obsessa est. Post Zabulon judex factus est Jabdon, qui præfuit annis VIII. Eo agente tertium principatus sui annum, Troja occupata est, cum apud Assyrios Tautanes, apud Ægyptios Thous regnaret. Capta Troja Æneas in Italiam venit, qui cum Turno Dauni filio Tuscorum dimicans eum interemit, ejusque sponsam Laviniam Latini regis filiam, in conjugium accepit, anno III. post Trojæ excidium, regnavitque Æneas in Latinis annis tribus, quo vita decedente, Ascanius filius ejus regnum accepit, qui Albam civitatem condidit. Hoc regnante Samson judicavit Israël, qui præfuit annis XX. Ascanius autem cum regnasset annis XXXVIII. fratrem suum Sylvium cognomento postumum regni reliquit hæredem, qui regnavit annis XXXVIII. Eo tempore Hely sacerdos Judæis præfuit annis XL. Regnum quoque Sicimorum finitum est. Post Sylvium Postumum regnavit Latinis Æneas Sylvius annis XXXI. & Judæis Samuel præfuit, qui eis Saul regem constituit, qui videlicet Samuel & Saul præfuerunt annis XXXII. Hoc tempore Homerus poëta fuisse perhibetur, & regnum Lacedæmoniorum exortum.

Finit quarta ætas, habens annos quadringentos LXXXII.

Mortuo Saul, David regnavit annis XL. & apud Latinos Rex fuit Latinus, regnans annos L. Hoc tempore Karthago a Didone conditur. Post cujus obitum regnavit Latinis Alba Sylvius annis XXXVIIII. & apud Hebræos regnavit Salemon annis XL. Post Albam Sylvium Ægyptus sive Atis filius ejus regnavit an. XXVIII, qui urbem Capuam in Campania condidit. Deinde Carpentus Sylvius filius Capis regnavit annis XIII. Post hunc Tiberinus filius ejus regnavit annis VIIII. ab hujus nomine Tiberis fluvius dictus est, qui prius Albula dicebatur, eo quod in eum decidens extinctus sit. Huic successit Agrippa filius regnans annis XL. Hoc tempore Helias raptus est. Post Agrippam regnavit filius ejus Aremulus Sylvius annis XVIIII, qui ob impietatem fulmine ictus interiit. Post hunc filius ejus Aventinus Sylvius regnavit annis XXXVII, qui Aventino monti vocabulum dedit, sepultus in eo. Hoc regnante Joas apud Hebræos Rex fuit, cujus consensu Zacharias filius Jojadæ sacerdotis lapidatus est. Successit Aventino filius ejus Procas Sylvius, qui regnavit annis XXIII. Quo regnante Sydon Archivus mensuras & pondera reperit, cum apud Hebræos Amasias, qui & Azarias, regnaret. Proca autem mortuo junior filius ejus Amulius, expulso Numitore fratre, regnum arripuit, qui regnavit annis XIII. Eo tempore regnum Assyriorum ad Medos & Persas translatum est, quod a principio Beli steterat annis MCCCII. Nam ultimus Rex Assyriorum Sardanapalla fuit, vir muliere corruptior, qui inter scortorum greges fœminæ habitu purpuram colo tractans a præfecto suo Arbacto, qui tunc Medis præerat, visus atque execrationi habitus, mox etiam excitis Medorum populis ad bellum provocatus & victus ardenti pyce se injecit & periit. Ex tunc Arbactus regni potestatem, quæ erat in Babylonia, transtulit in Niniven Medorum & regnavit illic. Stetitque regnum Medorum annis CCXXX. usque ad annum XXX. primum captivitatis Judæorum. Et Babylonia quidem Reges habuit, sed imparis potestatis usque ad Nabuchodonosor.

Tunc etiam Olympias a Græcis constituta est, regnante apud Hebræos Ozia. Filia autem Numitoris Rea dicta Remum & Romulum Marte, ut putabatur, patre, uno partu edidit.

De conditione urbis ROMÆ.

Romulus vero cum esset XVIII. annorum urbem exiguam in Palatino monte constituit, quam ex suo nomine Romam vocavit, anno post Trojæ excidium, ut Orosio placet, CCCCVIIII. sive ut aliis placet CCCCXVIIII. Condita urbe templum fecit, quod asylum appellavit, cunctisque ad se venientibus impunitatem promisit. Quam ob rem ingens multitudo latronum & aliorum, qui ullam domi offensam contraxerant, ad eum confluxerunt. Cumque multum diversi generis coadunasset populum, centum ex senatoribus legit, quos senatores vocavit, eorum consilio cuncta agens. Mille etiam pugnatores delegit, quos a numero mille vocavit milites. Cumque ipse & populus ejus uxores non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas nationes, atque earum virgines rapuit. Commotis autem bellis propter raptarum injuriam Centinenses vicit, Antennates, Sabinos, Fidenates, Vejentes Hæc omnia oppida urbem cingunt. Tunc etiam virgo Tarpeja Sabinorum clypeis in monte obruta est, qui ab ejus nomine Tarpejus dictus est.

Pepigere autem Romani cum Sabinis, quorum filias acceperant, amicitiam, adeo ut Sabinorum Rex Tacius cum Romulo regnaret, & ad confirmandum fœdus Romani nomina Sabinorum suis præponebant nominibus, & Sabini eorum similiter, unde & consuetudo tenuit, ut nullus Romanus sit absque prænomine. Remus autem, quia vallum urbis nimis artum dixerat, eumque saltu transiit, a Fabio Duce Romuli, dubium an jussu fratris, rastro pastorali extinctus est. Romulus vero, cum apud paludem Capræ nusquam comparuisset, anno regni XXXVII. ad Deos transisse creditus est. Hic in X. menses descripsit annum prius sine aliqua supputatione confusum. Deinde per quinos dies senatores Romæ imperabant, & his regnantibus annus completus est. Postea Numa Pompilius Rex creatus est, cum apud Hebræos Ezechias regnaret. Hic duos menses Januarium & Februarium anno addidit, & leges Romanis dedit, auguria quoque & sortes Romæ primus instituit. Templa plurima Deorum construxit, fundamenta Capitolii jecit, quod postea constructum a Romanis unum de septem mirabilibus mundi fuit. Nam ipsum Capitolium Romæ salvatio civium major, quam civitas. Ibique olim fuerunt omnium gentium a Romanis captarum statuæ vel Deorum imagines, & in statuarum pectoribus nomina gentium scribebantur, a quibus captæ fuerant, & tintinnabula in collis appendebantur. Sacerdotes autem pervigiles noctibus per vices & diebus omnibus ad harum custodiam curam habentes intendebant, si quælibet earum moveretur, sonum mox faciente tintinnabulo, ut scirent, quæ gens Romanis longe vel prope militibus repugnaret. Hoc autem cognito Romanis principibus verbo vel scripto nuntiabant, ut scirent, ad quam reprimendam gentem mox exercitum destinare deberent. Hujus temporibus Sybilla Erictea claruit, quæ ad ipsum veniens Numam Romæ plurima futura ei prædixit, & in pariete ipsius Capitolii hunc versum conscripsit:

Non cadet ista domus, nisi virgine parturiente.

Dicunt etiam quod in ipsa hora nativitatis Domini cum omnibus idolis corruerit. Glaucus de Choo primus ferri glutinum inter se excogitavit. Decessit autem Numa anno regni sui XLIII. Huic successit tertius Romanorum Rex Tullius Hostilius. Hic primus Romanorum Rex purpura & fascibus usus est, qui post longam pacem bella reparavit, Albanos, Vegentes, Fidenates, bello vicit, & adjecto Celio monte urbem ampliavit. Eo tempore Sybilla Erofila claruit in Samo, unde & Samia dicta est, regnante in Judæa Manasse. Hic malum in conspectu Domini fecit, & multorum prophetarum sanguinem fudit. Ysaiam quoque avum maternum ejectum extra Jerusalem circa piscinam Siloë serra lignea per medium secari jussit. Qui dum in principio sectionis angustiaretur, petiit sibi dari aquam, ut biberet, quod cum nollent ei dare, Dominus de sublimi misit aquam in os ejus, & exspiravit, non tamen carnifices destiterunt a sectione. Ob hanc aquæ missionem confirmatum est nomen Syloë, quod interpretatur missus, nec sepelierunt eum in sepulchro Prophetarum, sed sub quercu Rogel, juxta transitum aquarum, quem fecerat Ezechyas in memoriam miraculi, quod fecerat Dominus in aquis illis ad preces Ysaiæ. Nam cum exercitus Sennacherib obsideret Jerusalem, castra metatus est circa piscinam Siloë, ut aquis ejus uteretur, eratque piscina quasi communis, nam & cives ad eam descendere poterant & hostes. Orans autem Ysaias obtinuit a Domino, ut cum egrediebantur cives, erant ibi aquæ sicut prius, cum vero accedebant hostes, siccabantur aquæ prorsus, ita ut mirarentur Ægyptii, unde esset aqua in urbe. Porro in jugem memoriam hujus facti adhuc aquæ Siloë non jugiter, sed in horis ebulliunt. Hoc tempore Byzantium civitas est condita, quæ postea Constantinopolis appellata est. Tullius autem cum regnasset annis XXXII. fulmine ictus cum domo sua arsit. Post hunc Ancus Marcius filius filiæ Numæ suscepit imperium, quo tempore Josias apud Hebræos regnavit. Eodem tempore Epidaurus est condita, quæ postea Dyrachium est nominata.

Ancus autem Latinos bello vicit, Aventinum montem civitati adjecit, anno imperii sui XXIIII. morbo periit. Deinde regnum Priscus Tarquinius accepit. Hic numerum senatorum duplicavit, circum & ludos Romæ instituit, muros & cloacas & capitolium extruxit. Eo regnante Arion Methymneus a Delphino dicitur esse portatus. Tunc etiam Massylia condita est, & Jerusalem sub rege Sedechya a Nabuchodonosor Rege subversa est. Nam XVIIII. anno Nabuchodonosor regis Babylonis Nabuzardan incendit domum Domini & domum Regis & omnes domos Jerusalem, & totum murum per circuitum destruxit, & tulit omnia vasa domus Domini, & columpnas duas & mare eneum & ligavit populum ut adduceret eum in Babylonem. Et tulit Jeremyam de vestibulo carceris secundum jussum Nabuchodonosor, volens eum deducere in Babylonem, ut honoraret eum. Sed cum non acquiesceret, tradidit ei cibaria & munuscula & dimisit eum. Et præfecit terræ Godolyam filium - - ut præesset pauperibus qui relicti erant, & agricolis & vinitoribus ut redderent singulis annis vectigalia Regi Babylonis. Nabuzardan vero abiit in Babylonem trahens secum captivitatem. Post cujus recessum venit quidam malignus homo de regio semine nomine Ysmahel & occidit Godolyam. Quod timentes Judæi, qui remanserant, quanquam reluctante & contradicente Jeremia cum mulieribus & parvulis & omni substantia sua secesserunt in Ægyptum, ducentes secum Jeremiam & Baruch & desolata est terra & sabbatizavit multis annis, sicut prædixerat Jeremias. Sed cum ibidem multa mala committerent, & mulieres eorum Diis alienis sacrificarent, & eos cottidie Jeremyas argueret, & gladio & fame in terra Ægypti perituros prædiceret,

diceret, insurrexerunt adversus eum & lapidaverunt eum. Ægyptii vero honoraverunt prophetam, sepelientes eum juxta tumulum Regum, memores beneficiorum quæ præstiterat Ægypto. Oratione enim sua fugaverat aspides & bestias aquarum, quas Græci cocodrillos vocant, quibus prius Ægyptus infestabatur. Tradunt etiam quod adhuc de pulvere ejusdem loci aspidum pressura sanatur, & fugantur cocodrilli. De eodem ait Epiphanius: audivimus de senioribus viris qui ex servorum Antigoni & Ptolemei stirpe descenderant, quod Alexander Macedo veniens ad sepulcrum Prophetæ, & cognoscens loci mysterium, transtulit ipsum in Alexandriam & sepelivit gloriose, & ex tunc a terra illa prohibiti sunt cocodrilli & aspides penitus. Nam & idem Alexander prius introduxerat illuc serpentes quosdam, qui vice Marsorum aspides fugabant, sed non poterant eas penitus exstirpare, quos quia ab Argis Peloponesii avexerant, Argones nominavit. Hic est Jheremyas, qui Regibus Ægypti signum dedit, quod eorum idola subverti oportet, dum virgo pareret. Vnde & sacerdotes eorum in secreto templi loco imaginem virginis & pueri statuentes adorabant. Dum vero Ptolemeus Rex interrogaret eos, quare hoc agerent, responsione dixerunt paternæ traditionis esse mysterium quod a sancto Propheta acceperant majores & credebant in rebus ita fore futurum.

De Ezechyele Propheta.

Ezechyel Propheta in Chaldæa inter concaptivos judicavit transgressores legis & præcipue quosdam de tribu Dan & Gad, quod in Dominum committerent impia, legis persequendo custodes, & fecit, ut dicit Epiphanius, contra eos prodigium magnum, quia filii eorum & universa pecora a serpentibus perierunt; & prædixit, quod tribus illæ non reverterentur ad propria, sed in mediis regionibus remanerent, propter quod exacerbati in eum, distraxerunt eum equis, & per crepidines saxorum, & excerebraverunt eum, & sepeliverunt eum in agro Maulim sepulcro Sem & Arfaxat, in spelunca duplici, in cujus similitudinem Abraham in Ebron sepulchrum Sare composuit. Duplex autem dicitur, eo quod concamerata sit & aversa a superficie terræ summitas ejus a parte una, verum ex alia parte in petra suspensa sit super terram. Iste propheta dedit signum populo in fluvio Cobar, ut quando deficeret, sustinerent desolationem terræ suæ; tunc sperarent regressum ad Jerusalem quando inundaret. Ad eum quandoque convenerat multitudo plurima concaptivorum ad fluvium Chobar. Et Chaldæi rebellacionem reveriti irruerunt super eos. Ipse vero precibus suis sistens aquas fluminis super aquas ambulans, cum omni multitudine ad alteram ripam se recepit, & quotquot hostium præsumserant eos sequi, submersi, & per orationem subito largam piscium copiam populo præstitit ad vescendum. Sæpe quoque multis deficientibus vitam restituit.

De morte Nabuchodonosor.

Et mortuus est Nabuchodonosor magnus, & regnavit pro eo filius ejus Nabuchodonosor, qui de manubiis hostium templum Belis magnifice decoravit, civitatem reparans ita ut nequaquam obsidentes valerent fluvium evertere. Paternis regalibus majora superaddidit & in diebus XV. consummavit, juxtaque posuit lapides grandes instar montis, & superplantavit arbores & hortum, qui suspensivus dicebatur, eo quod uxor ejus quæ in finibus Mediæ nutrita fuerat, regionem suam a longe videret. Hujus meminit Megastenes in libro judiciorum, & asserit fortitudine & actuum magnitudine Herculem transcendisse. Sed & Diocles in libro coloniorum dicit, quod iste Nabuchodonosor obsedit Tyrum tribus annis & X. mensibus; Eo mortuo regnavit Anulina Thapachus, hic est Evilmerodach qui XXXVII. anno transmigrationis mense XII. XXVII. die mensis, sublevavit caput Joachin regis Juda de carcere, & posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone, & comedebat coram rege cunctis diebus vitæ suæ, & hanc fecit cum eo misericordiam, quia pater ejus non servaverat ei fidem. Tradunt enim quidam quod Evilmerodach frater minoris Nabuchodonosor in diebus ejectionis paternæ multa gessit impie in terra, & patre restituto accusatus apud eum missus est in carcerem, ubi erat Joachin, usque ad mortem fratris sui, cumque regnare cœpisset, elevavit Joachin, quem socium habuerat in carcere, timensque ne resurgeret, qui de bestia redierat in hominem, consuluit Joachin, ad cujus consilium cadaver patris effossum divisit in CCC. partes & dedit eas CCC. militibus, & ait ad eum Joachin: Non resurget pater tuus nisi redeant milites in unum. Hic habuit tres filios, Egyssarium, qui & Regusar dictus est, & Labosardacum, & Nabar, qui Baltasar cognominatus est, ad quem post regna fratrum regnum devolutum est.

Hic finis imperii Medorum, & initium regni Persarum.

Igitur Astyages unicam habuit filiam & vidit somnium, quod de genitalibus filiæ oriebatur vitis, quæ totam occupabat Asyam, & accepit a conjectoribus se habere nepotem ex filia, qui Dominus esset Asiæ, & ipsum dejiceret de regno. Quod timens dedit filiam suam uxorem militi plebejo, ne filius nasceretur nobilis & potens. Præterea filiam prægnantem ascivit, & natum ex ea filium cuidam Arpago, principi archanorum tradidit occidendum. Qui credens regnum transiturum ad filiam, filium ipsius veritus est occidere, & uni de pastoribus regis tradidit puerulum exponendum in nemore. Qui cum exposuisset eum & id indicasset uxori, quæ in diebus illis pepererat, supplicavit ei mulier, ut parvulum deferret ei alendum & proprium pro eo exponeret. Reversus autem pastor ad sylvam invenit juxta infantem caniculam parvulo ubera præbentem, & a feris alitibusque

defendentem. Tollensque puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prosequente. Quem ubi in manum mulier accepit, allusit ei tanquam diu noto, vocavitque puerum Spartacum, i. e. catulum, Spartas enim persice canem sonat. Puer autem postea Cyrus dictus est, i. e. hæres. Qui cum esset grandiusculus a pueris ludentibus factus est Rex eorum, & contumaces & inobedientes sibi graviter affligebat. Quod dure ferentes patres eorum verbum detulerunt ad regem de filio pastoris, quem cum advocasset Rex & argueret eum, quod pueros plagasset, se ut Regem fecisse respondit, & admiratus Rex & quædam signa generis sui in eo reprehendens, accito pastore secretius veritatem rei agnovit. Veruntamen timor ejus de nepote mitigatus est, æstimans quod verbum conjectorum de regno impletum esset de regno puerorum. Cæterum Arpago amico suo infestus in ultionem servati nepotis filium ejus interfecit, epulandumque patri tradidit. Ast Arpagus ad præsens dissimulato dolore odium regis in vindictæ occasionem distulit. Interjecto deinde tempore cum adolevisset Cyrus, misit eum Rex in Persidem, ut indomitam gentem ibi edomaret, vel ibidem occumberet. Post hoc Arpagus scribit ei ut allegatus ab avo in Persas fuerit, ut occidi eum parvulum avus jusserit, ut beneficio suo servatus sit, ut regem offenderit, ut filium amiserit. Hortatus ut exercitum paret, & pronam ad regnum viam ingrediatur, Medorum transitionem pollicitus. Epistola quia palam nequibat, regis custodibus omnes aditus obsidentibus eviscerato lepori inferitur, lepusque in Persas Cyro ferendus fido servo traditur, addita retia ut sub specie venatoris dolus lateret. Lectis ille epistolis congregata Persarum manu bellum avo indicit. Porro Astyages oblitus sceleris sui quod in Arpagum dudum commiserat, ipsi summam belli committit. Qui accepto exercitu statim Cyro per proditionem tradit. Quo comperto Astyages raptis secum copiis in Persas ipse proficiscitur, acriusque certamen instaurat, proposito suis metu, si quis e prælio cedere moliretur, ferro exciperetur. Qua necessitate instante Medis pugnantibus, pulsa iterum Persarum acies cum paulatim cederet, matres & uxores eorum, eis occurrunt obviam, orant ut in prælium revertantur, cunctantibus sublata veste obscœna corporis ostendunt, quærentes num in uteros matrum vel uxorum vellent refugere. Quo facto in prælium redeunt erubescentes, & facta impressione quos fugerant fugere compellunt. Ibi tunc Astyages capitur, cui Cyrus nichil nisi regnum abstulit, eumque maxime Hyrcanorum genti præfecit. Hic finis imperii Medorum fuit. Sed civitates quæ tributariæ Medorum erant a Cyro defecerunt, quæ res multorum bellorum ei causa & origo fuit. Igitur Cyrus Asiam Scytiam totumque orientem armis pervagabatur. Perdomitis itaque cunctis adversum quos ierat, Assyrios & Babyloniam petit, gentem urbemque tunc cunctis opulentiorem. Sed imperium ejus Cindes fluvius secundæ post Eufratem magnitudinis intercepit. Quem tamen fluvium per magnas concisum deductumque fossas in CCCC LX alveos comminuit. Eo opere perdoctis fossoribus, etiam Eufratem longe validissimum & mediam Babyloniam interfluentem derivavit, & sic meabilibus vadis siccum etiam patentibus alvei partibus iter fecit, cepitque urbem quam vel humano opere extrui potuisse, vel humana virtute destrui posse utrumque pene incredibile apud mortales erat. Ibi tunc Chresus Rex Lydorum famosus opibus cum ad auxiliandum Babyloniis venisset, victus sollicite in regnum refugit. Cyrus autem posteaquam Babyloniam ut hostis invasit, ut victor evertit, ut Rex disposuit, bellum transtulit in Lydiam. Ubi conterritum superiore jam prælio exercitum nullo negotio superavit. Ipsum etiam Chresum cepit, captumque & vita & patrimonio condonavit. Cyrus subacta Asia, & universo oriente in potestatem redacto, bellum Scytis infert. Eo tempore erat regina Scytarum Tamiris, quæ non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, & sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus objecta fluminis fugam difficiliorem. Igitur Cyrus trajectis copiis, cum aliquantisper Scitiam pertransisset, castra metatus est. Deinde postera die simulato metu, quasi refugiens castra deseruit, sed ibi scilicet in castris vinum affatim, & ea quæ epulis erant necessaria reliquit. Quod cum nuntiatum reginæ esset, adolescentulum filium ad insequendum eum, cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum esset ad castra Cyri ignarus & militaris adolescens, veluti ad epulas non ad prælium venisset, omissis hostibus insuetos barbaros vino se onerare patitur, priusque Scitæ ebrietate quam bello vincuntur. Nam cognitis his Cyrus reversus per noctem saucios opprimit, omnesque Scytas cum filio reginæ interfecit. Amisso tanto exercitu, & quod gravius dolendum erat unico filio Tamyris, orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, sed in ultionis solatia intendit, hostesque recenti victoria exultantes pari insidiarum fraude circumvenit. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis CC millia Persarum cum ipso rege trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantæ cladis superfuit. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum conjici regina jubet, cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te, inquit, sanguine quem sitiisti, cujusque insatiabilis semper fuisti. Regnavit Cyrus annos XXX. In hujus anno primo suscitavit Dominus spiritum ejus ut impleretur verbum Jeremiæ prophetæ, & dedit libertatem omnibus Judæis qui erant in omni regno ejus, ac licentiam redeundi in Judæam, & ædificandi domum domini, & reversi sunt sub Zorobabel Duce Judæorum LII. millia & CCCCLX. Reliqui erant servi & ancillæ & homines promiscui generis. Et remisit cum

cum eis Cyrus partem vasorum Domini quinque millia & XL.

De Cambyse.

Mortuo Cyro succesfit ei filius ejus Cambyses, qui in historia Judith vocatur Nabuchodonosor, hic prohibuit reædificare domum domini. Hic etiam plurimas gentes per Holofernem subdidit imperio suo, & ingressus Ægyptum vastavit eam, & abhominatus est religionem ejus & ceremonias & templa deposuit & ædificavit Babylonem in Ægypto. Cumque reverteretur ab Ægypto ægrotabat, & ferebatur cervicibus regum, & mortuus est in Damasco.

De Dario.

Post Cambysen quidam magus Ereneides nomine regnum obtinuit Persarum, ducens Panthei filiam Cambyse in uxorem, simulans non velle se regnare sed conservare regnum Mergo fratri Cambyse, qui puer erat. Hunc tamen Mergum Cambyses occiderat in penetrabilibus templi, solo isto Ereneide conscio hujus sacrilegii & parricidii. Cumque post VII. menses regni sui moreretur, Ereneides substituit sibi fratrem Oropasten nomine, juvenem elegantem forma & viribus, dicens hunc esse Mergum filium Cyri & Cambyse fratrem. Hæc autem occultatio regum de facili fieri potuit in Perside, quia ad regem fere nullus intravit præter domesticos ejus. Unus autem de VII. satrapis Persarum Ostanus nomine cœpit illum habere suspectum, suspicans non esse Mergum. Hic inter concubinas regis filias habebat, qui secretius loquens cum ea, monuit eam ut de nocte attentius palparet caput regis, utrum auriculas haberet. Hunc enim Oropasten quondam sibi offensum Cambyses mutilaverat auribus. Cumque puella deprehendisset aures non habere, indicavit hoc patri. Qui cum reliquis satrapis hoc indicasset, conjuraverunt in eum, & occiderunt eum, & non regnaverunt per annum isti duo fratres. Porro VII. satrapæ dum tractarent inter se quis eorum duceret filiam regis & regnaret pro eo, placuit eis ut tali vaticinio unus ex eis eligeretur. Diluculo venirent super equis ante fores palacii, & cujus equus prior hinnitum daret rex constitueretur. Erat unus eorum Darius filius Ytaspis, qui secretius loquens cum custode equorum suorum mandavit ei, ut in loco ad quem crastino convenire debebant equo suo de nocte supponeret equam. Quo facto cum in crastinum septem satrapæ ad eundem locum devenissent, statim ad equæ memoriam equus Darii hinnitum dedit, & sine cunctatione in regem sublimatus est, & regnavit anno XXVIIII. Persarum. Huic familiaris erat Zorobabel. Cum enim interdixisset Cambyses Rex reædificationem templi, adscendit ad eum Zorobabel, & per hujus Darii interventum temptavit animum regis mutare. Sed non poterat, & tunc persuasit Dario secretius, ut voveret votum Deo Israel, quod si eum regem faceret, restauraret ejus templum, & universa vasa Domini, quæ adhuc penes reges Persarum erant, remitteret in Jerusalem. Cum audisset itaque Zorobabel hunc regnare, venit ad eum & postulavit templi reædificationem fieri & vasa Domini remitti Jerusalem. Et gravisus est Rex, nam id ipsum meminit se vovisse. Et scripsit per epistolam principibus suis, qui erant trans flumen, ut nullatenus impedirent Judæos, sed de sumtibus regiis adjuvarent eos, & remisit vasa Domini per manus Zorobabel. Post hæc Darius Scithis bellum infert; Scithia autem in orientem porrecta includitur ab uno latere ponto, ab altero montibus Riphæis, a tergo Asia, & Ytasi flumine multum in longitudinem & latitudinem patet, hominibus inter se nulli fines, neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla aut tectum aut sedes est armenta & pecora pascentibus & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, corium imbrium hyemisque causa tectis pro domibus utuntur. Justitia gentis ingeniis culta non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius, lacte & melle vescuntur, lanæ his usus ac vestium ignotus, & quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis ac murinis utuntur. Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, nichil alienum concupiscentibus. Imperium Asiæ ter quæsivere ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut invicti permanserunt. Parthicum & Bactrianum Imperium ipsi condiderunt, gens laboribus & bellis aspera, vires corporum immensæ. Nihil victores propter gloriam concupiscunt. Quindecim annis Asiæ pacandæ morati, uxorum flagitatione revocantur per legatos denuntiantibus ni redeant sobolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum gens per fœminas intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus Rex Assyriorum imposuit. Sed apud Scytas medio tempore duo regii juvenes Ylynos ac Scolopitus per factionem optimatum domo pulsi, ingentem juventutem secum traxerunt, & in Cappadociæ ora juxta amnem Thermodonta consederunt, subjectosque Themiscyrios campos occupaverunt. Ibi per multos annos spoliare finitimos assueti, conspiratione populorum per insidias trucidantur. Horum uxores cum viderent exilio additam orbitatem arma sumunt, finesque suos submoventes primo, mox etiam inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere, servitutem non matrimonium appellantes. Singulare omnium seculorum exemplum ausæ semper vivere sine viris. Asiam etiam cum contemtu virorum tuentur, & ne feliciores aliis aliæ viderentur viros qui domi remanserant. Ultionem quoque cæsorum conjugum excidio finitimorum consecuntur. Tunc pace armis quæsita ne genus interiret concubitus finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur interficiebant, virgines in eundem ipsarum morem non otio & lanificio, sed armis, equis, venationibus exercebant, inustis infantium exterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediatur, unde dictæ Amazones.

Harum

Harum duæ fuere reginæ, Marpesia & Lampheto, quæ agmine diviso in duas partes vicissim curam belli & domus custodiam sortiebantur. Igitur cum Europam maxima parte domuissent, Asiæ vero aliquantis civitatibus captis ipsæ Ephesum aliasque urbes condidissent, præcipuam exercitus sui partem onustam opulentissima præda domum revocant. Reliquæ ad tuendum Asiæ imperium relictæ cum Carpesia regina concursu hostium trucidantur. Hujus locum filia Synope capessit, quæ singularem virtutis gloriam perpetua virginitate cumulavit. Hac fama excitas gentes tanta admiratio & formido invaserat, ut Hercules quoque, cum jussus fuisset Domino suo exhibere arma reginæ, quasi ad inevitabile periculum destinatus, universam Græciæ lectam ac nobilem juventutem contraxerit, VIIII. longas naves præpararit, nec tamen certamine virium & improviso aggredi, & insperatas circumvenire maluerit. Duæ tunc sorores regno præerant Anthyope & Orithia. Hercules mari advectus incautas inermesque & pacis incuria desides oppressit. Inter cæsas captasque plurimas duæ sorores Ethyope, Melanipe ab Hercule, Ypolite a Theseo retentæ. Sed Theseus Yppoliten matrimonio ascivit, Hercules Menalippen sorori reddidit, & arma reginæ pretio redemtionis accepit. Post Orythiam Pentesylea regno potita est, cujus Trojano bello clarissima inter viros documenta virtutis accepimus. Proch dolor pudet erroris humani. Mulieres patria profugæ Europam atque Asiam, i. e. plurimas fortissimasque mundi partes intraverunt, pervagatæque late deleverunt. Centum pene annis evertendo urbes plurimas, atque alias construendo tenuerunt. Igitur Darius postquam Assyrios ac Babyloniam Persarum regno deficiente bello recuperavit, Antyro Regi Scytharum hac vel maxime causa bellum intulit, quod filiæ ejus petitas sibi nuptias non obtinuisset. Magna scilicet necessitas pro unius libidine hominis, DCC. milia virorum periculo mortis exponi. Incredibili quippe apparatu cum DCC. milibus armatorum Scythiam ingressus non facientibus hostibus justæ pugnæ potestatem, insuper repentinis incursibus extrema copiarum dilacerantibus, metuens ne sibi reditus interrupto ponte Hystri fluminis negaretur amissis LXXX. milibus bellatorum trepidus refugit, quamvis hunc amissorum numerum inter dampna non duxerit. Inde Asiam Macedoniamque aggressus perdomuit. Ionas quoque navali aggressione superavit. Inde in Athenienses, cur Ionas adversum se auxilio juvissent, impetum fecit atque arma direxit. Porro Athenienses ubi adventare Darium compererunt, quamvis auxilium a Lacedæmoniis poposcissent, tamen cum detineri Persas quatriduanæ religionis ocio compertum haberent, spem occasione sumentes instructis tantum X. milibus civium, & Plateensibus auxiliaribus mille adversus DC. milia hostium campis Marathoniis proruperunt, Miltyades ei tunc bello præfuit, qui celeritate magis quam virtute fretus alacri satis expeditione prius hosti cominus incessit, quam possit expedito sagittarum jactu propulsari. Tanta eo in bello diversitas fuit certandi, ut ex alia parte viri ad occidendum parati, ex alia pecudes ad moriendum præparatæ putarentur. Ducenta milia Persarum apud campos Marathonios ea tempestate ceciderunt. Sensit Darius hoc dampnum, nam victus fugatusque arreptis navibus refugit in Persas. Cum autem instauraret bellum & ulcisci in victores moliretur, in ipso apparatu concidit.

Mortuo Dario Xerxes pater successit.

Mortuo Dario Xerxes pater in regno succedens, bellum a patre cœptum adversus Græciam per quinquennium instruxit. Quod demoratus Lacedæmoniorum Rex qui apud Xerxem exulabat per tabellas primum scriptas, deinde ceratas suis prodidit. Igitur Xerxes DCC. milia armatorum de regno, ac CCC. milia de auxiliis, rostratas etiam naves, & alias onerarias decies C. milium numero habuisse dicitur, ut ingenti & inopinato exercitui, immensæque classi vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum suffecisse memoratum sit. Denique ante experimentum belli fiducia virium, veluti naturæ ipsius Dominus, & montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat. Cujus introitus in Græciam quam terribilis tam turpis ac fœdus discessus fuit. Namque cum Leonida Rex Spartanorum cum IIII. millibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerses contemptu paucitatis eos pugnam capescere jubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti fuerant. Qui dum ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere. Succedente deinde inutili turba major cædes editur. Triduo ibi cum dolore & indignatione Persarum dimicatum est. Quarto autem die cum videret Leonida undique hostem circumfundi, hortatus auxiliares suos, ut subtrahentes se pugnæ in cacumine montis evadant, ac se ad meliora tempora reservent, sibi vero cum Spartanis suis aliam sortem esse subeundam, plus se patriæ debere quam vitæ. Dimissis sociis Spartanos admonet de gloria plurimum, de vita nihil sperandum, neque exspectandum vel hostem vel diem, sed occasione noctis perrumpenda castra, commiscenda arma, conturbanda agmina fore, nusquam victores honestius quam in castris hostium esse perituros. Persuasi igitur mori malle, in ultionem futuræ mortis armantur. Mirum dictu DC. viri castra sexcentorum milium irrumpunt. Tumultus totis castris oritur; Perses quoque ipsi Spartanos adjuvant mutuis cædibus suis. Spartani priusquam Regem non invenerunt, per omnia castra victores vagantur, cædunt sternuntque omnia ut qui sciunt se pugnare non spe victoriæ, sed in mortis ultionem. Prælium a principio noctis in majorem partem diei tractum, ad postremum non victi sed vincendo fatigati inter ingentes stratorum hostium catervas

tervas occiderunt. Xerxes his victus in terra navale prælium reparat. Sed Themistocles Dux Atheniensium cum intellexisset, Ionas, quibus dum auxilium superiore bello præbet, in se Persarum impetum verterat, in auxilium Xerxis instructam classem deducere, sollicitare eos parti suæ, hostique subtrahere statuit. Et quia loquendi facultas negabatur, locis quibus accessuri Iones navibus videbantur, proponi simbolos saxisque affigi jubet, socios quondam & participes periculorum, admonens eos, ut commisso prœlio cedentium vice inhibeant remos, seseque bello aufferant. Igitur rex partem navium sibi detinens spectator pugnæ in littore manet. Contra autem Arthemisia regina Alicarnasi, quæ in auxilium Xerxis venerat, inter primos duces acerrime bello immiscetur, ita ut versa vice in viro fœminea cautela in fœmina virilis audacia spectaretur. Cum autem anceps pugna esset, Iones juxta præceptum Themistoclis paulatim se certamini subtrahere cœperunt, quorum defectio Persas jam fugam circumspicientes aperte fugere persuasit. In qua trepidatione multæ naves mersæ captæque sunt; plures tamen sævitiam regis velut immanitatem hostis timentes, domos dilabuntur. Hac clade perculsum & dubium consilii Xerxen Mardonius aggreditur, hortatus ut in regnum abeat, ne quid seditionis admoveat fama adversi belli, & in majus, sicut mos est, omnia extollens, sibi trecenta millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat. qua manu aut cum gloria ejus perdomiturum se Græciam, aut si alter eventus fuerit, sine ejusdem infamia hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur, reliquas copias rex ipse deducere in regnum parat, & traditis ducibus milites perducendos, ipse cum paucis abitum contendit, ubi pontem veluti victor maris construxerat; sed cum pontem hibernis tempestatibus dissolutum offendisset, piscatoria scapha trepidus transiit. Erat res spectaculo digna, & æstimatione humanæ sortis, rerum varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat, carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant. Nec pedestribus copiis, quas ducibus assignaverat, felicius iter fecit, siquidem cottidiano labori, neque enim est ulla metuentibus quies, etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum copia contraxerat & pestem, tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque & bestiæ illecebris sollicitatæ exercitum sequerentur.

Interim Mardonius in Græcia Olynthum expugnat, Athenienses quoque reges sollicitat, spondens incensæ eorum urbis & in majus restitutionem. Postquam nullo pretio libertatem his venalem videt, incensis quæ ædificare cœperat, copias in Boetiam transfert. Eo & Græcorum exercitus, qui centum milium fuit, secutus est, ibique prælium est commissum. Sed fortuna regis cum duce mutata non est, nam victus Mardonius velut ex naufragio cum paucis profugit, castra referta regalis opulentiæ capta. Unde primum Græcorum, diviso inter se auro Persico, divitiarum luxuria cœpit. Eodem forte die, quo Mardonii copiæ deletæ sunt, & navali prælio in Asia, sub monte Mesio adversus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex adverso starent, fama ad utrumque exercitum venit, vicisse Græcos, & Mardonii copias occisione cecidisse. Tantam famæ velocitatem fuisse, ut cum matutino tempore prælium in Boëtia commissum, meridianis horis in Asia per tot maria & tantum spatia tam brevi horarum momento de victoria nunciatum sit. Xerxes bello in Græcia infeliciter gesto, contemptibilis suis factus per Artabatum præfectum suum in regia circumventus occiditur, cui Artaxerxes filius succedit, sub quo acta sunt ea, quæ de Ezra scribuntur & Nehemia. Post hunc alter Xerxes, post hunc Darius qui est notus, post hunc filius ejus Artaxerxes. qui & Assuerus, sub quo historia Hester scribitur acta. Post hunc Artaxerxes, qui & Ochus, & post eum filius ejus Arses. Ultimus Darius Arsami filius contra quem Alexander, & hic finis regni Persarum.

Igitur Tarquinius Rex Romanorum, cum regnasset XXXVII. annis, ab Anci filio occisus est. Post hunc Servius Tullius accepit imperium. Hic tres montes, Quirinalem, Viminalem, Esculinum adjunxit urbi, primusque omnium census ordinavit. Sub eo Roma, omnibus in censum relatis, habuit capita LXXXIIII. milia civium Romanorum, cum his qui in agris erant. Cum regnasset annis XLIIII, scelere Tarquinii postcessoris sui occisus est. Dein Tarquinius superbus invasit imperium. Hic primus apud Romanos excogitavit vincula, taureas, fustes, latumias, carceres, compedes, catenas, exilia. Hujus tempore Judith Holofernem interemit, tunc etiam Pythagoras philosophus Samo oriundus claruit. Tarquinius autem cum imperasset annis XXV, a regno expulsus est, quia filius ejus nobilissimam fœminam Lucretiam Bruti filiam & Collatini uxorem stupravit.

Anno ab urbe condita CCXXIIII. Tarquinio expulso consules Romæ facti sunt Lucius Junius Brutus pater Lucretiæ, & Tarquinius Collatinus maritus ejus. Sed Collatino statim sublata est dignitas. Placuerat enim, ne quis in urbe maneret, qui Tarquinius vocaretur. Sumpto igitur omni patrimonio suo ex urbe migravit, & in loco ejus consul factus Lucius Valerius Puplicola. Rex autem Tarquinius contra Romanos bellum movit, in quo Brutus consul, & Arruns Regis filius se invicem occiderunt. Romani tamen victoriam obtinuerunt. Brutum vero pudicitiæ defensorem Romanæ matronæ per annum luxerunt. Valerius Publicola Spurium Lucretium Tricipitinum patruum Lucretiæ fecit sibi collegam. Quo statim mortuo, Horatium Pulluinum sibi sumpsit. Ita primus annus V. consules habuit. Tarquinius autem post multa bella cum non susciperetur in regnum, Tusculum se contulit, ibique per tredecim annos privatus consenuit.

Anno V. post reges exactos Valerius Bruti collega & quater consul mortuus est adeo pauper, ut collatis a populo nummis sumptum sepulturæ habuerit. Anno octavo post reges nova dignitas Romæ creata est, quæ appellatur dictatura majorque consulatus. Eodem anno magister equitum factus est, qui dictatori obsequeretur. Dictator autem Romæ primus fuit Largus, primusque magister equitum Spurius Cassius. Anno XVI. post reges plebs Romana sibi tribunos constituit. Eodem tempore concedente Xerxe Persarum rege, Neemyas in Judæam venit, qui muros & urbem restituit. Anno XVIII. post reges Marcius ab urbe pulsus Volscis se conjunxit, & contra patriam cum exercitu venit, sed precatu matris & uxoris removit exercitum. Cajo & Flavio & Lucio Virginio consulibus, nobiles qui erant ex Fabia familia omnes profecti ad bellum contra Vejentes omnes pene extincti sunt, unus tantum superfuit, qui propter ætatem puerilem ad bellum duci non poterat. Post hoc census in urbe habitus est, & inventa sunt civium capita CXVIIIIM. Sequenti anno Romani exercitu in monte Algido obsesso, Lucius Quintius Cincinnatus dictator factus est, qui agrum IIII. jugerum possidens propriis manibus colebat. Is cum in opere arandi esset inventus, sudore deterso togam prætextatam accepit, & cæsis hostibus victor, quasi stivam tenens, subjugatos hostes post se primus egit.

Anno CCCII. ab urbe condita imperium Consulare cessavit, & pro duebus consulibus decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, & decemviri nominati sunt, quibus in sequenti anno potestas ablata est, quia unus ex Xviris virginem quandam corrumpere voluit. Hoc tempore imperabat Medis Artaxerxes, quo regnante Esdras incensam legem renovavit. Anno CCCXXXVIII. Vejetanis rebellantibus Furius Camillus dictator factus est, qui contra ipsos missus, primum eos acie vicit, & civitatem eorum diu obsidens cepit. Sed & alteram civitatem non minus nobilem cepit, quæ erat Faliscorum. Commota autem contra eum invidia quasi prædam male divisisset, dampnatus est, & expulsus ab urbe. Post hæc statim Galli Senones contra Romanos venerunt, qui eos apud fluvium Albiam victos insecuti etiam urbem occupaverunt, neque defendi quicquam præter Capitolium potuit. Quod cum diu obsedissent & jam Romani fame laborarent, Camillo superveniente constricti, accepto tamen a Romanis auro recesserunt. Sed Camillus eos insecutus, aurum & omnia quæ ceperant eis abstulit, tertioque triumphans urbem ingressus est, & appellatus est secundus Romulus. Circa hæc tempora Hester historia conscripta est, imperante Medis Artaxerxe, qui & Assuerus. Plato quoque philosophus his temporibus fuisse perhibetur. Anno ab urbe condita CCCLXV. pro duobus consulibus facti sunt tribuni militares, quorum potestas post tres annos cessavit rursusque consules facti sunt. Lucio Genucio atque Servilio imperantibus mortuus est Camillus, cui honor post Romulum secundus delatus est. Post mortem Camilli anno tertio triste prodigium Romæ factum est, siquidem in medio urbis terra dissiluit, vastoque prærupto inferna patuerunt, aruspicibus interpretantibus responsum est, quod vivi hominis sepulturam barathrum illud exigeret. Marcus Curtius eques Romanus sese armatus injecit, sicque conclusum est. Per idem tempus Romanis contra Gallos in Ytalia certantibus Lucius Mallius Gallum quendam in certamine occidit, & ablatum sibi torquem aureum collo suo imposuit, unde & Torquatus nominatus est. Eodem tempore Phylippus rex Macedonum tota Græcia ferro perdomita cum exercitum infinitæ multitudinis Persicæ expeditioni in Asiam missurus instrueret, a Pausania nobili Macedonum adolescente occisus est.

De Alexandro Magno.

Igitur Alexander anno ab urbe condita CCCCXXVI. patri Phylippo successit in regno, annos XX. natus, in qua ætate ita moderate de se - - - - sollicitus erat, ut appareret plura cum experimentis reservare. Prima illi cura paternarum exsequiarum fuit, in quibus ante omnia cædis conscios ad tumulum patris occidi jussit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit, orientis nonnullas seditiones extinxit. Atheniensibus bellum deprecantibus remisit, quos insuper etiam - - - - metu solvit, Thebanos cum diruta civitate delevit: reliquos sub corona vendidit, cæteras urbes Achajæ & Thessaliæ vectigales fecit. Illyrios & Thracas translato mox abhinc bello domuit. Inde profecturus ad Persicum bellum omnes agnatos novercæ suæ, quos Phylippus in excelsiorem dignitatis locum provehens, imperio præfecerat, interfecit. Sed nec suis, qui regno apti videbantur, pepercit, ne qua materia seditionis procul se agente, in Macedonia remaneret. In exercitu ejus fuere peditum XXXII. milia, equitum IIII. milia quingenti, naves CLXXXII, tam parva manu universum terrarum orbem utrum sit admirabilius vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est. Cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes robustos, non primum flore ætatis, sed veteranos plerosque & emeritæ militiæ, qui cum patre patribusque militaverant, elegit, ut non tam milites, quam magistros militiæ electos putares. Prima igitur congressio cum Dario in campis Adrestis fuit. In acie Persarum sexcenta milia militum fuerunt, quæ non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum, superata, terga verterunt. Magna itaque cædes Persarum fuit, de exercitu Alexandri novem pedites, & CXX. equites ceciderunt. Post victoriam major pars Asiæ ad eum defecit. Gessit & plura bella cum præfectis Darii, quos jam non tam armis quam terrore nominis sui vicit. Post hæc Gordien urbem petit, eo quod audierat in ea urbe in templo Jovis jugum Gordii positum, cujus nexum si quis solvisset eum tota Asia regnaturum, antiqua oracula cecinisse.

Igi-

Igitur Alexander capta urbe, cum in templum Jovis venisset, jugum plaustri requisivit. Quo exhibito, cum capita loramentorum inter nodos abscondita reperire non posset, ut evidentius oraculo, usus gladio loramenta scicidit, atque ita resolutis nexibus latentia in nodis capita invenit. Inde nuntiato sibi Darii cum magnis copiis adventu, timens angustias, quibus inerat, locorum, Taurum montem mira celeritate transcendit, & quingentis stadiis sub una die cursu transmissis Tharsum venit, ibique cum sudans in Cydnum præfrigidum amnem descendisset, obriguit, contractuque nervorum proximus morti fuit. Interea Darius cum CCCXIIII. milibus peditum, & C. milibus equitum in aciem procedit. Moverat hæc multitudo hostium etiam Alexandrum maxime respectu paucitatis suæ, quamvis jam pridem DCtis milibus hostium eadem paucitate superatis non solum non timere pugnam, sed etiam victoriam sperare didicisset. Itaque cum intra jactum teli uterque constitisset exercitus, & intentos ad signum belli populos discurrentes principes variis incitamentis acuerent, ingentibus utrinque animis pugna committitur, in quo ambo reges Alexander & Darius vulnerentur, ac tamdiu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. & inde cædes Persarum secuta est. Ibi tunc peditum LXXX milia & equitum X. milia cæsa, capta autem XL. milia fuere. Ex Macedonibus vero cecidere pedites CXXX. & equites quinquaginta In castris Persarum multum auri cæterarumque opum repertum. Inter captivos castrorum mater & uxor eademque soror & filiæ duæ Darii fuere, quarum redemtionem Darius cum etiam oblata regni dimidia parte non impetravisset, tertio cunctis Persarum viribus sociorumque auxiliis contractis bellum instaurat. Sed dum hæc Darius agit, Alexander Parminionem ad invadendam Persicam classem cum copiis mittit. Ipse in Syriam proficiscitur, ibi & multis sibi regibus cum infulis ultro occurrentibus, alios allegit, alios mutavit, alios perdit. Tyrum urbem antiquissimam, fiducia Carthaginensium sibi cognatorum obsistentem cepit & oppressit. Cyliciam & Rhodum atque Egyptum pertinaci furore pervadit. Inde ad templum Jovis Hammonii pergit, consulturus & de eventu futurorum & de origine sua, ubi a sacerdote, ut Hammonis filius, salutatur, & victoriam omnium bellorum possessionesque terrarum dari sibi respondetur. Reversus autem ab Hammone ad tertium Persicum bellum, Alexandriam in Ægypto condidit. Darius vero spe pacis missa, CCCXL. milia peditum & C. milia equitum Alexandro ab Ægypto revertenti apud Tharsum opponit bello. Nec pugnæ mora, omnes cœca rabie in ferrum ruunt Macedones. totiens a se victis hostibus animosi, Persæ nisi vincant mori præoptantes. Raro in ullo prælio tantum sanguinis fusum est. Sed Darius cum vinci suos videret, mori paratus in prælio, persuasu suorum fugere compulsus est. Hoc prælio Asiæ vires & regna ceciderunt, totusque oriens in potestate Macedonici cessit imperii, atque ita attrita est in hoc bello Persarum omnis fiducia, ut post hoc nullus rebellare ausus sit, patienterque Persæ post imperium tot annorum jugum servitutis acceperint. Alexander XXXIIII. continuis diebus castrorum prædam percensuit Persepolim, caput Persici regni, famosissimam confertissimamque opibus totius orbis invasit. Darium vero cum a propinquis suis vinctum compedibus aureis teneri comperisset, statuit persequi. Itaque jusso, ut subsequeretur, exercitu, ipse cum sex milibus equitum profectus invenit in itinere solum relictum multis confossum vulneribus, & extrema vitæ per vulnera efflantem, hunc mortuum inani - - - - referri in sepulchrum majorum sepelirique præcepit. Uxorem matremque in maxima veneratione, ut reginas, haberi præcepit. Filias quoque non sordidius dignitate patris sperare matrimonium jussit. In his igitur tribus præliis totidemque annis quinquies decies centena milia peditum equitumque consumta sunt. Igitur Alexander Magnus post Darii mortem Hyrcaniam Mardosque subegit, ubi ei Thalestris sive Minithe occurrit regina, cum trecentorum milium mulieribus XXX. dierum intra confertissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quæsitura. Cujus conspectus adventusque omnibus admirationi fuit, & propter insolitum fœminis habitum, & propter expetitum concubitum, ob hoc tredecim diebus otio a rege datis, ut est visa uterum implesse discessit. Post hæc Parthorum pugnam congressus, quos diu obsistentes delevit propemodum, antequam vicit. Inde Dramoas, Evergetas, Parimas, Parapameos, Adaspios cæterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanahi condidit, intra diem XVII. muro sex milia passuum consummato, translatis earum civitatum populis, quas Cyrus condiderat. In Bactrianis quoque Sogdianisque XII. urbes condidit, distributis his quoscunque in exercitu seditiosos habebat. Post hoc Indiam petit. ut oceano ultimoque oriente finiret imperium. Inde montes Dedalios regnaque Cleophydis reginæ petiit, quæ cum se dedisset ei, concubitu redemtum regnum ab Alexandro recepit, illecebris consecuta, quod virtutibus non potuit, filiumque ab eo genitum Alexandrum nominavit, qui postea regno Indorum potitus est. Peragrata India, cum ad saxum miræ asperitatis & altitudinis, in quo multi populi confugerant. pervenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione ejusdem saxi terræ motu prohibitum. Captus itaque cupidine Herculis acta superare, cum summo labore ac periculo potitus saxo, ejus omnes loci gentes in deditionem accepit. Unus ex regibus Indorum fuit Porus nomine, viribus corporis & animi magnitudine pariter insignis, qui bellum jam pridem audita Alexandri opinione in adventum ejus parabat. Commisso itaque prælio exercitum suum Macedones impugnare jubet, sibi regem eorum privatum hostem

 depo-

deposcit. Nec Alexander pugnæ moram fecit; nam cum ipso Poro singulariter congressus occisoque equo dejectus est, sed concursu satellitum præsentiam mortis evasit, Porus multis vulneribus obrutus capitur, qui victum se adeo doluit, ut cum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit, ægreque sit ab eo obtentum, ut vellet vivere. Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. Duas urbes condidit, unam Niceam, alteram ex nomine equi Bucefadem vocavit. Inde Arestas, Gesteanos, Prasidias, Gangaridas cæsis eorum exercitibus expugnat. Cum ad Cusites ventum esset, cum jam milites ætate detriti, animo ægri, viribus lassi, difficile vicissent, castra ob memoriam posteritatis solito magnifica condiderunt, ibi contra CC. milia equitum hostium pugnam conseruerunt. Exin Alexander ad amnem Agesinem pergit, per hunc in oceanum devehitur, inde Gesonas - - - quos Hercules condidit, oppressit. Hinc Mandros & Subagros navigat, quæ gentes eum armatis LXXX. milibus peditum & LX. milibus equitum excipiunt. Commisso prælio diu anceps & cruenta pugna tandem tristem pene victoriam Macedonibus dedit. Nam fusis hostium copiis Alexander ad urbem exercitum duxit, & cum murum prius ascendisset, vacuam civitatem ratus solus introrsum desiluit, quem cum undique infesti hostes circumdedissent, incredibile est, ut eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot milia ceciderit ac fugarit. At ubi se obrui cum fusa multitudine persensit, muri obice posteriora tutatus, contrarios facilius eo usque sustinuit, donec ad periculum ejus clamoremque hostium perfractis muris exercitus ejus irrumperet. In eo prælio sagitta sub mamma transjectus fixo genu eatenus pugnavit, donec eum, a quo vulneratus esset, occideret. Inde conscensis navibus dum oceani littora peragraret, venissetque ad urbem Ambigeri regis, oppidani eum ferro invictum audientes sagittas veneno armant, & ita gemino mortis vulnere hostem a muris submoventes, plurimos interficiunt. Cum inter multos vulneratos etiam Ptolomæus esset, moriturusque jam jamque videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in potu accepta statim periculo liberatus est, majorque pars exercitus hoc remedio servata, urbs etiam expugnata & capta est. Post quasi circumacta meta ab oceano Indum flumen ingressus Babyloniam celeriter rediit, ubi eum exterritarum totius orbis provinciarum legati opperiebantur, hoc est, Carthaginensium totiusque Affricæ civitatum, sed & Hyspanorum, Gallorum, Siciliæ, Sardiniæque, plurimæ præterea partis Italiæ. Tantus timor in summo oriente constituti Ducis populos ultimi occidentis invaserat, ut inde peregrinam toto mundo cerneres legationem, quo vix crederes pervenisse rumorem. His igitur omissis ad ea quæ Hierosolymis cum Judæis fecit, redeamus. Alexander itaq; cum esset in obsidione Tyri, scripsit ad principem sacerdotum in Jerusalem, invitans eum, ut sibi præberet auxilium & exercitui venalia præpararet, & redderet ei tributa, quæ prius Dario conferebat. Et respondit Jadus, se Dario sacramenta dedisse, nec eo vivente posse transcendere constituta. Tunc comminatus est Alexander genti Judæorum, quod per eum disceret, quibus deberet constituta servare. Tunc injectis aggeribus Tyrum fecit continentem. Qua vastata Gazam obsedit. Captaque Gaza in Hierosolymam festinabat. Quod timentes Judæi clamaverunt ad Dominum, & immolaverunt hostias, & Jadus oravit pro gente. Qui cum post sacrificium obdormisset, præcepit Dominus, ut confideret, sertisque civitatem ornaret, & ipse pontificalibus indutus & reliqui sacerdotes cum eo legitimis stolis induti obviam irent Alexandro. Qui surgens a sopore oraculum omnibus indicavit, audiensque non longe esse a civitate Alexandrum, processit cum sacerdotibus & civium multitudine sacra ad locum qui Saphym appellatur, unde Hierosolyma & templum videri potuisset. Et factum est contra spem omnium, qui sequebantur regem. Nam Alexander intuens Antistitem pontificali stola insignem, & super cydarim laminam, in qua scriptum erat nomen Domini, descendit de equo & adiit eum solus, & nomen DEI tetragrammaton adoravit, & pontificem veneratus est, & obstupuerunt principes exercitus, & ludificatam regis mentem putaverunt. Solus Parthenius quæsivit ab eo, cur sacerdotem gentis Judææ adorasset, & respondit, non hunc adoravi, sed DEum cui sacerdotii principatum gerit. Nam per somnium in tali habitu DEum conspexi, adhuc in Lidia civitate Macedoniæ constitutus. Dumque mecum cogitarem, utrum Asiam possem obtinere, jussit me confidere, nam ipse exercitum meum perduceret, & Persarum mihi traderet potestatem. Nunc autem primo vidi in hoc sacerdote ejus effigiem, & quæ mihi promisit proventura confido, propterea DEum adoravi & hominem veneratus sum. Et ingressus est urbem Alexander, & in templo sacrificavit secundum sacerdotis ostensionem, & attulerunt ei Danielem, in quo scriptum erat, quendam Græcorum perditurum Persarum potentiam; Et arbitrans de se scriptum esse gavisus est, & in crastinum convocans populum jussit petere quæ vellet, & ipsis petentibus concessit Judæos ubique patriis uti legibus, & VII. annum sine tributis esse propter Sabbatum terræ. Exinde ad Pamphyliam profectus cum insequeretur Darium, exercitui ejus mare Pamphylicum divisum est DEO jubente, qui per eum regnum Persarum delere volebat. Post hæc Alexander cum venisset ad montes Caspios, miserunt ad eum filii captivitatis X. tribuum. Ex edicto enim tenebantur egredi non licere, postulantes ab eo egrediendi licentiam. Cumque quæsisset causam captivitatis, accepit, eos recessisse aperte a DEO Israelis, vitulis aureis immolando, & per prophetas DEI pridem prædictum, a captivitate non redituros.

Tunc

Tunc respondit, quod arctius includerent eos. Cumque angusta viarum obstrueret molibus bituminatis videns laborem humanum non sufficere, oravit DEum Israel, ut opus illud compleret, & accesserunt ad se invicem prærupta montium, & factus est locus immeabilis. Ex quo liquido apparet, non esse DEI voluntatem, ut exeant. Egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum stragem facturi.

De mirabili eventu Alexandri, & quomodo veneno perierit.

Igitur Alexander, nobili & multiformi præda onustus se cum suis copiis a finibus Indorum subripiens, & compendiosas agens dietas proximis fovebatur mansionibus, in promunctoriis fluminum mari adjacentium indulgens quodammodo quieti ad recreandum exercitum suum, post multæ & periculosæ fatigationis incommodum. Qui quocunque locorum divertebat, benigne & honorifice suscipiebatur, omnium famulatu ab universis gentibus honorabatur, tum pro sua libertate & gratia, cum pro compescenda & evadenda suorum bonorum direptione. Satagebant enim principem beneficiis prævenire, ut comites ejus pacificos & benevolos experirentur, quos adversarios & raptores arbitrabantur. Hoc ordine devenit ad fluvium latissimum, in cujus ripa offendit navim magnæ amplitudinis, velis & remigiis nec non diversis armamentis omnique compositione structam, & ad laborem firmissimam. Sciscitatus de nomine fluvii didicit hunc esse Gangem qui & Physon, cujus origo est Paradisus voluptatis. Cernebat etiam arborum folia permaxima domorum tectis superposita, quæ per amnis decursum effluentia longissimis virgis attingunt incolæ, quæque sole siccata & in pulverem tusa gustum miri saporis præstant utentibus. Horum omnium seriem edoctus, insuper de creatione & situ loci, ait cum suspirio: Nihil profeci in mundo, totiusque meæ ambitionis quæstum nihilipendo, nisi hujus voluptatis participium promeruero. Statimque suorum copiis tuto in loco stabilitis, assumsit quingentos clypeos electæ juventutis acris animi totiusque periculi imperterritos, & promtissimos, dispositisque victualibus sufficienter ad totius æstatis decursum, conscensa navi prosperis se credidit flatibus. Consumtaque mensis unius navigatione nimia cum difficultate contra impetum fluvii, nam ad ejus originem, si fas esset, intenderant pertingere vires juvenum, qui se invicem cohortantes voluntarie labori ingerere certatim cœperunt & lacescere. Cumque ulterius progrediendi nulla suppeditaret facultas; nam crebris inundationibus quassati fatigabantur, & incredibilis fluctuum sonitus pene omnium auditus adeo debilitabat, ut nullus vocem comparis nisi altius inclamantis advertere posset. Tandem die tricesima quarta conspicantur eminus quasi ædificium miræ altitudinis & longitudinis. Quo cum nimia difficultate pervenientes flumine suos impetus quodammodo propter littora cohibente, sonitusque fragorem mitius producente. Littoris angustia tellusque lutea juxta maceriam vetabat iter pedestre. Quapropter urbis latus quod absque termino porrigebatur ab aquilone in austrum pene triduo non absque tædio navigavere, explorantes sicubi forte pateret aditus ad ingrediendum. Maceriæ illius magna erat æqualitas, nullis turribus seu propugnaculis in gyro surgentibus, cujus tota superficies adeo veteri musco erat obducta ut lapidum nulla pateret compositio vel junctura. Tertia vero die perbrevis fenestellæ interius munitæ aditus apparuit, qui cunctorum intuentium labores & tædia, quasi spe magni profectus relevavit. Statimque Alexander nonnullos suorum in scaphas deponens, si forte pulsantibus quispiam aperiret, mandata sua incolis loci illius perferenda tradidit. Qui ad locum venientes, & graviuscule impingentes aditum patefieri clamitabant. Mox interius quidam pessulum solvens blanda voce sciscitatus ab illis, qui vel unde forent, causamque sibi intimare tam insolitæ & inauditæ exactionis postulat. At illi sumus, inquiunt, legati non cujuscunque principis, sed regis regum Alexandri invictissimi, cui omnis mundus obtemperat, quem omnis potestas expavescit. Hæc consultu primatum suorum mandat regia nobilitas, quod gentium genus, quarumve legum hujus loci sint incolæ, quantæ copiæ, qua confidunt securitate? Quis Rex eorum? vel qua spe subsistit, qua fiducia gloriatur, quibus viribus nititur? Postremo imperat Dominus, si spe vitæ, si corporis salute, si temporum quiete cupitis perfrui, ne extollamini per insolentiam, sed omnibus gentibus consuetudinarium persolvatis ei tributum. At legationis auditor in nullo verborum motus hilari facie mitique affatu respondet exactoribus: Ne fatigemini plurima minarum exaggeratione, seu multiformi exactione, sed patienter præstolamini me quantocius ad vos reversurum. Hoc dicto clausit, & post duas ferme horas denuo aperiens operientium se aspectibus dedit, perferensque gemmam miri fulgoris rarique coloris, quæ quantitate & forma humani oculi imitabatur speciem exactoribus dedit, eisque dixit: mandant loci hujus incolæ reddi quocunque modo, sive dono seu tributario debito decreveris: prodigii commonitorium suscipe in hoc, quem tibi Karitatis intuitu mittimus lapidem, qui terminum tuis cupiditatibus poterit imponere. Nam cum naturam ejus virtutemque didiceris, ab omni ambitione ultra cessabis. Noveris etiam tibi tuisque non expedire hic immorari, quoniam si fluvius hic vel modico spiritu procellæ afflatur, procul dubio naufragium incurretis, cum detrimento vitæ vestræ. Quapropter celerius Te sociis restitue, & DEO DEorum pro tibi collatis beneficiis, ne ingratus esse videaris. His dictis conticuit, obseratoque aditu recessit. At illi navem festinato repetentes Alexandro gemmam cum mandato detulere. Ille vero ut vir sagacis animi rei considerans eventum vimque verborum perpendens, celeri reditu ad nota se contulit littora, suo-

suorumque revisit contubernia. At illi de optato sui ducis adventu gratulabundi, & eventus ejus seriem edocti fortunæ laudum solvunt libamina, quod incolumem meruerunt recipere, de cujus vita graves succubuerant diffidentiæ. Compererant enim expertorum relatione multimoda furentis fluvii pericula, auræ incertitudinem, aquarumque gravissimam inundationem, cursus velocitatem, vehementiam undarum, & intolerabilem strepitum, gaudebantque, post multam desperationem, suarum virium rectorem felici auspicio superasse hæc omnia. Inde vero progredientes in Susis civitatem opulentissimam devenere, susceptique cum omni honorificentia, ut decebat regiam majestatem, munificentissimos omnes, maxime majores natu experti sunt. Plerique enim procerum imperialem nobilitatem donis præcipuis honorabant, nec minus ipsi regio munere amplificati recedebant. Sequenti vero die sapientibus quibusque Judæorum ac gentilium, in quibus erat spes certæ responsionis, secreto sibi adscitis, seriem sui eventus replicandum cum illis mysterium rei ventilare cœpit, gemmamque suam proferens naturam ejus virtutemque investigabat ab eis. At illi de propositis nulla certitudine præditi, quod solum poterant, felicitatem viri laudabant, eventum magnificabant, potentiam extollebant, tempusque redimentes ambiguitati operam dabant. Quod Alexander ægre ferens molestiam mentis maxima probitate dissimulabat, & ignorantiam hominum simplicitatemque nullo contemptu denotans, personas donis regiis honorabat. Erat in illo loco senex quidam Papas nomine, Judæus, qui annosæ vitæ debilitate fessus, nusquam locorum, nisi in gestatorio, duobus se ferentibus, converti poterat. Hic amicorum relatione cognoscens regis adventum, eumque pro mysterio lapidis incerto anxietate plurima gravari, petiit se aspectibus ejus præsentari. Quo viso Alexander nobilitati suæ consuetudinariam honorificentiam canis reverendis exhibuit, senemque juxta se decenter collocans, congratulabatur diuturnæ vitæ viri speciosæ formæ & honestæ gravitati, susceptoque sermone qui ei familiaris & desiderabilis cum senibus erat, de antiquitatis notitia cœpit perscrutari. Quo de singulis satisfaciente Alexander considerabat in viro pelagus adjacentis ei sapientiæ, ingressusque suæ perfectionis seriem multiplicitatem laborum, eventusque sui prosperitatem cœpit proponere. At Judæus audita ejus prospera navigatione & eventus felicitate supra modum humanæ æstimationis admirans, protensis sursum manibus ait coram omnibus. O Rex quantum DEO cœli debeas, modis omnibus perpendere ne negligas. Nulli enim mortalium huic simile concessit, nec est fatalis eventus, sed divinæ largitatis munus. Memini me pueros nonnullos juvenum viribus ingenioque præditos navigationem hanc assumsisse, sed nullo modo prævaluisse urbis illius mœnibus applicare, & tamen pene omnes inutiles extitisse. Nam plerique nimietate laboris viribus exhausti, fluctibus sunt absorpti, plerique cœci, plerique surdi, plerique membrorum omnium tremore multati perpetualiter sic periclitati. Dein alii atque alii diversis temporibus hanc fatigationem aggressi, sed frustra moliti sunt, quoniam diversis passionum generibus debilitati vix evaserunt, terminumque huic inutili negotio ante tempora multa posuerunt. At Tu, quo fatorum moderamine Te cum tuis incolume furentes fluctus superasti, urbem omnis hospitis ignaram apprehendisti, responsa omnium mortalium insueta accepisti? Revera permissu seu dispositione Divina, aut magni prodigii gratia. Hujusmodi propositionibus Alexander animæquior redditus a priorum ambiguitate, respondet exhilarato corde: Nequaquam fallit scriptura protestans, quoniam in antiquis est sapientia. Assertio tua, o Judæe, quodam spirituali mysterio consonat relationi veridicæ, quam mihi destinaverunt urbis illius incolæ. Quapropter ad illius, de quo suspicaris, prodigii indaginem consultis hujus loci sapientibus grandi coartabar tædio. Mox aperiens lapidem, quem manu tenebat absconsum, en, inquit, propositionis hujus initium & summa; quem Judæus accipiens & diu considerans, hic est, ait, vere prodigium & commonitorium non contemnendum regiæ dignitati. At Alexander, quam, inquit, in nullo discrepas a datoris hujus sententia, jam ne diutius me suspensum trutines, si quid nosti super hoc edissere, ut rumpas ambiguitates meæ ignorantiæ. At hic Judæus, quamvis, ait, verbis veridicis plerumque fides adhibeatur: tamen in diffinitionem novæ actionis facilius persuadere potest visus, quam auditus. Lapis hic modicæ quantitatis est, sed immensi ponderis, ita ut ejus gravitati nihil queat æquiparari. Nunc igitur coram me deferatur statera ponderis & libra auri. Quibus præsto, faciens, imposuit uni vasculo stateræ lapidem, & alteri aureum numisma, quod lapis præponderans post se traxit in altum. Additis etiam duobus ac tribus, quatuor, novissime tota libra auri, insuper & quantum poterat trutina capere, ne uno quidem momento valuit lapis a gravedine sui ponderis moveri. Dein quæsita & reperta statera quæ capacior in loco inveniri poterat, trabibus est appensa, multaque imposita auri centenaria, quæ, ut primum numisma pari modo impetu celeri lapis post se traxit ac si pro tanto auri pondere levissima penna videretur imposita. Quo spectaculo Alexander super altitudinem humanæ æstimationis attonitus, ait: Non mediocriter in admirationem me commovet, quod tantillæ gemmæ brevis substancia manibus attrectata pene nullius ponderis est; stateræ vero appensa tantæ videtur gravitatis. Vnde quam evidens experientia sufficienter persuasit oculis, quod nullo modo auribus suggerere ad fidem assertio potuit cujuspiam narrationis: edissere jam voce mysterium hujus novitatis. At Judæus pacienter, ait, sustine, o bone Rex, donec evidens operacio suæ propositionis executionem determinet, & sic demum indagine competenti mysterio-

riorum seriem urbis aperiam. Sumptaque minori statera, qua ponderis ordinem iniciaverat, in parte una lapidem injecit, eumque subtili terræ pulvere operuit, & in altera aureum unum posuit, quæ statim inferiora petens, lapidem facili motu post se traxit. Expositoque aureo plumam levissimam injecit, quæ pari modo lapidem post se traxit & pondere superavit. His pene ex sensu factus Alexander, fateor, inquit, me nunquam in rebus humanis huic simile vel mente concepisse vel auditu comperisse vel visu didicisse. At Judæus, sufficiat, inquit, jam actionis assertio, & nunc, quid in his latet, pandam, & quæ sit evidens verborum executio. Ad hoc Alexander, quum, inquit, de urbe, quam vidi ejusque incolis & eorum conditione non minima me movet ambiguitas, quæso, ut de singulis mihi satisfacias. His prælibatis, & in faciem ejus cunctis intendentibus, Judæus hac voce solvit silentium: Quod vidisti, o bone Rex, urbs non dici debet, nec est, sed maceria solida & inpenetrabilis omni carni, quam in terminum ulterius progrediendi statuit universorum conditor justorum spiritibus carne solutis & ibidem corporis resurrectionem præstolantibus; fruitura autem ibi quiete opaca, quam Deus illis disposuit, sed non perhenni, quam post judicium recepta carne cum creatore suo regnabit in æternum. Hic spe humanæ salutis avidi, commonitorium felicitati tuæ hodie destinaverunt tibi lapidem, ad commonendum te & ad compescendos inordinatos & indecentes ambitionis tuæ conatus. Et revera quidem incommodum præstat insatiabilis cupiditas, quæ crebris consumit curis, nulli credens, suspicione torquetur & diffidentia; & homo rationabilis omni exhaustus quiete, servi sui servus turpis effectus, anxietate custodiendi noctes pervigiles diebus continuat. At tu, si propriis sedibus contentus, patrimonii tui sufficientia delectareris, nunquam ad defectum Regii honoris pertingeres; dum quiescenti tibi, & curis omnibus exuto, quæstus & divitiæ famularentur totius regni: & omnium thesaurorum copia tua repleret gazophylacia. Hic vero nec tuis, nec extraneorum copiis contentus, in medio thesaurorum tuorum egestate deprimeris, nulla sufficientia satiaris, sed cum grandi vitæ tuæ periculo & non absque tuorum detrimento, extranei æris pondere indecenter oneraris. His commonitionum promulgationibus prodigii summa continetur, quid lapidis hujus natura testatur. Hic, quemadmodum videtur, forma & colore revera humanus est oculus, qui quamdiu tali potitur luce, totius concupiscentiæ æstibus agitatur, novitatum multiplicitate pascitur, & auro sibi redivivam famem subministrante nulla prorsus facietate compescitur, & quo amplius multiplicando proficit eo sollertius exaggerandis incumbit, sicut in præsentiarum mirifici ponderis nova operatio probavit. At ubi vitali motu subtracto materni cespitis visceribus commendatur, nullius utilitatis usibus patet, nullo affectu mutatur, quia nec sentit. Vnde & penna levis quæ, etsi modicæ, tamen cujuscunque utilitatis est, hunc lapidem terræ pulvere opertum pondere superavit. Te igitur, o bone Rex, te, inquit, moderatorem totius prudentiæ, te victorem Regem, te possessorem regnorum, te mundi Dominum lapis iste præfigurat; te monet, te increpat, te substantia exilis compescit ab appetitu vilissimæ ambitionis. Quod salva gratia tua, Domine mi Rex, dixerim, &, si forte honoris Regii formam invectiva oratione excessi, exactionis tuæ imperio tactus insipientiæ meæ cessi. Mox Alexander morarum impatiens, in oscula ruit senis, Regiisque manubiis onustum remisit ad propria inprecans prospera vitæ ejus & saluti. Ipseque finem omni cupiditati imponens omnique ambitioni, liberalitati atque honestati vacabat, & ut magnificentiam Regiam decebat, in suis munificus, & in cunctis largifluus. Indeque secedens per locorum compendia suæ ditioni subacta, detentusque diversis ac necessariis justitiarum ordinationibus, tandem post circulum alterius semis anni devenit Babyloniam; ubi, quia jam patriæ redditus post multimodas agones laborum indulgere cœpit securitati atque quieti, missionem concedens viæ comitibus omnibus, secundum qualitatem cujusvis probitatis auri argentique multiplicitate ditatis. Quum autem de Babylone proficisci disponeret, contigit, ut quædam mulier infantem pareret, cujus superior pars ad hominem pertinens, jam quidem putrefacta ac semiviva videbatur; beluinisque capitibus pars inferior, qualem Scillam ferunt fabulæ poëtarum, præter quod non caninis lupinisve, enimvero leonum & pardorum ursorumque atque draconum capitibus inguina cingebantur. Quod ubi Alexandro intimatum est, protinus mulierem advenire jussit partumque monstrare. Adveniens illa nudatum infantem monstratumque ostendens, professa est se peperisse. Rex autem prodigiorum confestim interprete accersito, sciscitabatur, quidnam hoc portenderet, qui mox secreto respondit Regi, dicens: O Rex, utinam interpretatio hostibus & inimicis tuis esset: Superior quippe pars, quæ ad hominem pertinet, quæque jam putrida ac semiviva videtur, te significat, Domine Rex: in promptu quoque est, ut tu moriaris atque intereas. Inferior pars, quæ ferinis capitibus cingitur, quæque vivere videtur, hi sunt principes tibi subjecti, qui ut hæ feræ inter se diffident, sicque post mortem tuam hi inter se discordes erunt. Hæc interpretatio non modicam Alexandro mœsticiam intulit. Occasio igitur illius mortis hæc fuit. Mater ejus scripserat ad eum de simultatibus Antipatris, & divinatione patris præmonuitque eorum insidias cavendas. Sic enim oraculo præmonitus erat, Babylone morieris, non ferro, sed veneno. At ille statuit Antipatrem ad se de Macedonia venire, alio in loco ejus subrogato. Vnde Antipater iratus in ipso itinere efficacissimo veneno elaborato atque potentissimo per ministrum Regi destinavit hauriendum. Quo ille hausto mox lectulo datur, intellexitque se moriturum. Intuentibus

tibus lacrimæ obortæ præbuere spem jam non Regem, sed funus ejus visentis exercitus. Mœror tamen circumstantium lectum eminebat. Quæso, ut respexit, invenietis, inquit, cum excessero dignum talibus viris Regem. Incredibili dictu & auditu, in eodem habitu corporis in quem se composuerat, cum admissurus milites esset, duravit, donec a toto exercitu salutatus est. Dimissoque vulgo, velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra rejecit; propiusque adire jussis amicis, natura & vox deficere jam cœperat, detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, adjectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri juberent. Quærentibus his, cui relinqueret regnum, respondit, ei, qui esset optimus. Certe provide ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi jussit. Rursus Perdicca interrogante, quando cœlestes honores haberi sibi vellet, dixit: se velle, cum ipsi felices essent. Decessit Alexander Magnus mensem unum & annos tres & XXX. natus, vir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus. Qua nocte cum mater Olympias concepit, visa per quietem eam cum ingenti serpente volutari. Nec decepta somnio est. Nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit. Quam cum Eacidarum gens ab ultimo seculorum memoria, & regna patris, mariti ac deinceps majorum omnium illustraverit, nullius tamen nomine, quam filii clarior fuit. Prodigia magnitudinis ejus ipso ortu nonnulla apparuere. Dum enim Philippus in quadam regione, ubi aves plurimæ circumerant, intentusque agendis rebus animum occupasset, repente gallina in sinum ejus supersiliens consedensque enixa est ovum. Sed ovum illud sinu ab ejus evolutione humi concrepuit; Cui testula dissiliente, visus est de ea dracunculus exisse. Isque circumversans atque ambiens undecies ovi testulam, duodecima vice cum eo, unde exierat, intrare vellet, morte præventus est. Rex igitur Phylippus Antiphontem, qui conjector imprimis egregius habebatur, accersiri jubet, supra re visa sciscitans illum. At ille respondit, filium nasciturum qui omnem mundum obiret, omnemque ditioni suæ per XI. annos subjugaret, sed XII. anno, antequam in patriam, unde exierat, redeat, occasu celeri periturum. Ea etiam die, qua natus est Alexander, duæ aquilæ tota die per pedes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicis imperii Europæ Asiæque præferentes. Eadem quoque die nuntium pater ejus duarum victoriarum accepit, altera belli Yllirici, altera certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat. Quod omen universarum terrarum victoriam infantis portendebat. Puer acerrimis litterarum studiis eruditus fuit. Ex hac puericia per quinquennium ab Aristotele Doctore inclytissimo omnium Philosophorum crevit. Adepto deinde imperio Regem se terrarum omnium ac mundi appellari jussit. Tantamque fiduciam suis militibus fecit ut illo præsente, nullius hostis arma nec inermes timuerint. Itaque cum nullo hostium unquam congressus, quem non vicerit; nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit; nullam gentem adiit, quam non calcaverit. Igitur Alexander per XII. annos timentem sub se orbem ferro pressit: principes vero ejus XIIII. annis dilataverunt, &, veluti opimam prædam a magno Leone prostratam avidi discerpsere catuli, seque ipsos invicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt. Eo tempore Demostenes & Aristoteles famosi erant. Igitur Samnites apud Caudinas furcas Romanos vicerunt & eos armis & vestimentis nudatos, tamen verecundia corporis tecta, ire sub jugum longo ordine fecerunt. Eo tempore Appius Claudius viam Appiam stravit. Tempore quo Jadus Jherosolimis Pontifex fuit, cujus frater Manases templum in monte Garizi construxit. Interjectis aliquot annis Romani Tarentinis bellum indixerunt. Hi Pirrum Epyri Regem contra Romanos adjutorem asciverunt. Eo primum tempore Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Commissa pugna Pirrus fugisset, si non elephantorum auxilia adessent, quos incognitos Romani formidaverunt. Pirrus autem Romanos MDCCC. cepit, quos summo honore tractavit. Ipse etiam cum occisos adverso vulnere & truci vultu & mortuos jacere vidisset, elevatis ad cœlum manibus fertur dixisse, se totius orbis Dominum esse potuisse, si tales haberet milites. Deinde legatos ad eum de redimendis captivis missos honorifice suscepit, captivos sine precio Romam misit. Fabricium unum ex legatis sic admiratus, cum eum pauperem cognovisset, & ad se eum transire rogaret quarta parte regni promissa, contemptusque est a Fabricio. Statimque Pirrus Cineam legatum ad Romanos pro pace postulanda misit. Remandatum est Pirro a senatu, a Romanis eum pacem habere non posse, ni ex Italia recederet. Reversus legatus cum a Pirro interrogaretur, qualem Romam invenisset, dixit: se Regum patriam vidisse, talesque fere omnes ibi esse, qualis unus Pirrus in Græcia putaretur. Posthæc contra Pirrum Fabricius missus est, quem Rex Pirrus seducere non potuit. Cumque vicina castra ipse & Rex haberent: medicus Pirri ad eum nocte venit, promittens, se veneno Pirrum occisurum, si sibi aliquid polliceretur: quem Fabricius vinctum reduci jussit, & Pirro dici, quæ contra caput ejus medicus spospondisset. Tunc Rex, admiratus eum, dixisse fertur. Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest. Post hæc Curius Dentatus consul contra Pirrum missus exercitum ejus prostravit, ipsumque Regem Tarentum fugavit. Curius triumphans elephantos Romam primus duxit. Pirrus a Tarento discedens, Argis occisus est. Hoc tempore apud Judæos pontifex maximus fuit Symon Onyæ filius. Machabæorum liber primus hoc tempore scriptus est. Tarentini, morte Pirri comperta, Cartaginenses contra Romanos auxiliatores sibi elegerunt. Anno conditæ urbis CCCCLXI. Romani civitates Ariminum in Gallia & Beneventum in Samnio condiderunt. Anno CCCCLXXVII. census

census in urbe habitus est & inventa sunt civium capita CCXCII. millia CCCXXVIIII. quanquam a condita urbe nunquam fere bella cessassent. Tunc etiam contra Afros bellum susceptum est, quod per XXIII. annos tractum est. Lucio Malleo Vulsone, Marco Atilio Regulo consulibus contra Amilcarem Cartaginiensium Ducem in mari pugnatum est. Eo superato Mallius victor Romam rediit. Regulus in Africa remansit. Illic XVIII. milia hostium occidit XVIII. elephantos cepit. LXXX. & duas civitates in deditionem accepit. Igitur exercitum faciens, haud procul a flumine Bagrada constituit, ubi cum plurimos militum aquandi necessitate ad fluvium descendentes serpens miræ magnitudinis devoraret, Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu profectus est; sed nihil in tergo ejus proficientibus jaculis balistas deferri fecit, per quas murale saxum cominus spinæ ejus incussum compagem totius corporis solvit, ac mox circumventa telis facile oppressa est. Corium ejus Romam devectum, quod fuisse CXX. pedum spatio cunctis miraculum fuit. Kartaginienses victi pacem petierunt, quam cum Regulus dare nollet, nisi durissimis conditionibus, Afri auxilio a Lacedemoniis petito, Regulum ita vicerunt, ut duo tantum ex omni Romano exercitu fugerint. Romanorum XXX. milia occisa sunt, D. cum ipso Regulo capti sunt. Hac tempestate Ptolomæus Phyladelphus Judæos, qui in Egypto erant, liberos esse permisit, & LXX. interpretes ad divinas scripturas ex Hæbræa lingua in Græcam transferendas elegit. Eleazaro Jherosolimis pontificatum habente. Eo tempore Sostratus Pharum in Alexandria construxit. Hoc fuit unum de mirabilibus mundi. Pharus enim turris erat altissima, super quatuor cancros vitreos per passus XX. sub mari fundata, tantæ magnitudinis, quod ignis in summo positus totum litus irradiat. Tertium est miraculum mundi in Rodo insula Coloso imago ærea fusilis facta miræ magnitudinis, ut sagitta ad summum dirigi non valeret, & caput ejus tantæ magnitudinis, quod capere poterat XXX. choros grani & inferiori parte in pedibus apertura erat, unde poterat homo intrare & ascendere in caput. Hoc de ea mirum, qualiter tam immensa potuit moles fundi vel facta erigi, ut staret: hæc terræ motu corruit. Quartum est miraculum simulachrum Bellerefontis ferreum, cum arcu suo, in Smirna civitate in aere suspensum, nulla re innixum, sed magni magnetis lapidis, qui habetur in arcu, assumptione mirabiliter trahit & mensura æquiparati consistit. Est autem ponderis æstimatio circa V. milia librarum ferri. Quintum miraculum est theatrum in Eraclya civitate marmoreum de monte ita sculptum, ut omnes cellulæ, mansiones, muri etiam, & antra bestiarum ex uno solidoque lapide facta videantur. Et nemo in gyro ipso tam secrete solus vel cum alio loqui potest, ut non ab omnibus audiatur, qui in gyro ipsius ædificii consistunt. Sextum est miraculum balneum, cujus cum aquæ calefiant, unius accensione candelæ paratur; & sic in brevi sine lignorum subsidio thermæ totæ calescunt. Septimum est miraculum templum Dyanæ Ephesi in columpnarum magnitudine mirabile. Igitur Kartaginienses Regulum Ducem, quem ceperant, Romam proficisci rogabant, ut & pacem eis obtineret, & captivos pro se remitti faceret. Qui cum Romam venisset, inductus in senatum, nihil quasi Romanus egit, dixitque se ex die qua captus fuerit, Romanum esse desiisse. Suasit itaque senatui, ne pax fieret cum Pœnis jam desperantibus, Romanisque offerentibus, ut eum Romæ tenerent, negavit, dixitque; tanti se non esse, ut tot milia captivorum propter unum se & senem redderentur. Regressus igitur ad Africam, circumcisis palpebris, ut usque ad mortem cruciatu intolerabili & dolore vigilaret, demum omnibus suppliciis extinctus est. Anno belli Punici ultimo Lutacius Catulus consul contra Kartaginienses in mari pugnans LXXIII. naves cepit, XXV. mersit, XXXII. milia hostium cepit, XIII. occidit. Infinitum aurum & argentum Romam vexit, paxque Pœnis petentibus data est. Finito Punico bello, Postumius Albinus primus ex Illyricis triumphavit. Hoc tempore Quintus Ennius poëta Tarento oriundus fuit. Lucio Emilio consule, Gallicum DCCC. milibus contra Romanos Duce Brittomaro venerunt, de quibus Emilius triumphavit, XL. milibus hostium occisis. Gallorum quidem animi feroces, corpora plusquam humana erant, sed experimento deprehensum est, quod virtus eorum, sicut primo impetu major, quam virorum est, ita sequens minor, quam fœminarum. Hi juraverant non prius posituros baltea, quam Capitolium incendissent, quos victos Emilius in Capitolio discinxit. Aliquot deinde annis histi a Minutio Ruso superati sunt. Eodem anno bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibalem Kartaginiensium Ducem, Amilcaris filium. Hic Saguntum florentissimam Hispaniæ civitatem, Romanis amicam, oppugnare aggressus est, annum agens XX. ætatis. Saguntini interea fame victi sunt & VIII. demum mense capti ab Hannibale ultimis pœnis afficiuntur, quibus hoc anno portenderat triste prodigium. Nam cum pene enixa mulier esset, infans in uterum regressus civitatis excidium significavit. Igitur Hannibal relicto in Hispania fratre Hastrubale, Pyrenæos transivit montes, inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit, & nono demum die a Pyrenæo ad Alpes pervenit, ubi montanos Gallos, repellere eum ab ascensu obnitentes, bello superat, atque invias rupes igne, aceto ferroque rescindit, qua triduum commoratus, quinto demum die cum maximo labore ad plana pervenit. Traditur ad Italiam C. milibus peditum, C. & XX. milibus equitum, XXX. & VII elephantos adduxisse. Interea Lygures & Galli Hanibali se junxerunt. Huic Publius Cornelius Scypio apud Tizinum primus occurrit. Commisso prælio, fugatis suis & pene omnibus extinctis, ipse a filio Scypione, qui postea Africanus dictus est, a morte liberatus,

saucius

saucius tamen in castra rediit. Pugnatum deinde est eodem consule ad Trevium fluvium, item Romani superati sunt. Iterum a Simpronio Gracco apud eundem amnem pugnatum est, ubi amisso exercitu solus evasit. Post hæc in Tuscia Flammineum consulem interemit, Romanorum XXX. milia occidit. Ibi etiam Hannibal nebulis, quæ de paludibus exhalabantur, prospectum auferentibus, magnam partem sociorum jumentorumque perdidit, oculum etiam, quo jam in Alpes æger erat dudum, violentia frigoris vigiliarumque ac laboris amisit. Tantoque ardore ab utrisque pugnatum est, ut gravissimum terræ motum, qui tunc forte tam vehemens factus est, ut urbes diruisset, montes transtulisset, discidisse rupes & flumina retrorsum coegisse referatur, pugnantes omnino non senserint. Anno ab urbe condita D. XL. Lucius Emilius Paulus, Publius Terentius Varro consules contra Hannibalem mittuntur. In Apulea pugnatum est: ambo consules ab Hannibale vincuntur. De exercitu Hannibalis tria milia cæsa sunt, & magna pars sauciata. Romani tamen nullo Punico bello gravius excepti sunt. Periit in eo Emilius Paulus, perierant consulares aut prætorii viri XX. senatores XXX. nobiliores viri CCC. pedestrium militum XL. milia, equitum tria milia quingenti. Varro consul cum L. equitibus Venusium fugit. Hannibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent, responsumque est a senatu, eos cives non necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit; idem quibusdam una pedum amputavit, alios in castris binos inter se ipsos compulit dimicare, maxime fratres aut consanguineos: non prius spectaculum finiebatur, quam unus cædibus superfuisset, sed & ipse jugulandus. Et pro testimonio victoriæ suæ tres modios anulorum aureorum Kartaginem misit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum senatorumque & militum detraxerat. Usque adeo ultima autem desperatio reipublicæ apud residuos Romanos fuit, ut senatores de relinquenda Italia sedibusque quærendis consilium ineundum putarunt. Quod auctore Cæcilio Metello confirmatum fuisset, nisi Cornelius Scipio, Tribunus tunc militum, idem qui post Affricanus dictus est, districto gladio deterruisset, singulis mortem minitans ac potius pro patriæ defensione in sua verba jurare coëgit. Is imperium in Hyspaniam proconsulare sortitus, ultionem patris & patrui animo intendens Pyrenæum transgressus, primo impetu Kartaginem novam Hyspaniæ cepit, ubi stipendia maxima, præsidia valida, copia auri argentique magna Pœnorum habebantur, & nobilissimi obsides, quos ab Hispanis acceperant. Ibi etiam Magonem fratrem Hannibalis captum cum cæteris Romam misit. Alium etiam fratrem Hannibalis Astrubalem victum fugat & prædam maximam capit. Hannibal interea multas civitates Romanorum per Apuleam, Calabriam, Briciamque occupavit, plurima bella cum eis commisit, Marcellum & Cispinum consules contra se missos insidiis circumventos cum exercitu interfecit. Tercio igitur anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus fuerat, res inclitas gessit, regem Hispanorum magno prælio victum in amiciciam accepit, & primus omnium a victo obsides non poposcit. Ibi etiam quædam adulta virgo pulcherrima cum ab eo comprehensa fuisset, eam paterna pietate servavit, concedens parentibus, ut eam redimerent. Ad se etiam sponsum puellæ nobilissimi generis virum venire persuadens, ei ipsam quasi pius genitor in matrimonium tradidit, dotisque nomine puellæ precium, quod a parentibus acceperat, condonavit. Pro quibus factis, maxime adnitente puellæ sponso ejusque parentibus, omnes fere Hispani ad eum transierunt. Præterea LXXX. civitates in potestatem redegit, Afris sub corona venditis, sine precio dimisit Hispanos. Desperans itaque Hannibal Hispanias diutius contra Scipionem posse retineri, fratrem suum Astrubalem ad Italiam cum omnibus copiis accersivit, actumque de Romano imperio erat, si fratri jungeretur. Qui per Gallias & Italiam veniens, cum maximo exercitu proditus est Romanis, & ignorante Hannibale apud Metaurum fluvium in insidias compositas incidit, strenue tamen pugnans occisus est LVIIII. milia de exercitu ejus occisa sunt, capta V. milia quadringenti. Magnum pondus auri atque argenti Romam relatum est. Hannibali caput fratris sui Astrubalis ante castra projectum est. Quo viso & simul clade Pœnorum cognita anno XIII. quam in Italiam venerat, refugit in Britios. Post hæc Scipio, qui jam universam Hispaniam a Pyrenæo usque ad Oceanum in Provinciæ formam redegerat, Romam cum ingenti gloria venit. Anno XIIII. posteaquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio multa bene in Hispania egerat, consul creatus & in Africam missus, Hannonem ducem cum exercitu suo prostravit, Astrubalem ducem Kartaginis fugavit. Siphacem Numidiæ regem captum Romam cum ingentibus spoliis misit. Qua re audita omnis Italia fere Hannibalem deserit, ipse a Kartaginiensibus redire in Africam jubetur, quam Scipio vastabat. Ita anno XVII. Italia ab Hannibale liberata est, quam flens dicitur reliquisse, omnibus Italici generis militibus, qui eum sequi nollent, interfectis. Interea Hannibal in Africam veniens, frequentibus præliis cum Scipione victus est. Ultimum jussu Kartaginiensium cum eodem Scipione conseruit, quod diu magnis ducum artibus dispositum, magnis copiarum molibus gestum, quale vix ulla memoria fuit, cum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit LXXX. ibi elephantes vel capti sunt vel occisi. Kartaginiensium militum interfecti sunt XX. milia D. Hannibal vix cum quatuor militibus elapsus ad Rumetum confugit. Post id bellum pax cum Kartaginiensibus facta est. Scipio jam tunc cognomento Affricanus cum ingenti gloria triumphans urbem Romam ingressus est. Anno ab urbe condita DXLV. bellum Punicum secundum finitum est, post annum XVIII. quam ceperat. Transacto

acto secundo Punico bello Titus Quintus Flaminius adversus Philippum regem Macedonum bellum prospere gessit. Sed & cum Lacedemoniis prælians, ducem eorum navali bello devicit, & qua voluit conditione in fidem accepit. Triumphans ante currum duxit nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium,& Harmenem Navidis filium. Romani, qui sub Hannibale per Græciam venditi fuerant, omnes recepti, capitibus rasis ob detonsam servitutem currum triumphantis secuti sunt. Eodem tempore Insubres & Boji, a quibus Ticinum civitas condita est, atque Cenomanni Italiam vastantes, a Lucio Fulvio Prætore difficilimo bello superati sunt. Deinde consulem Marcellum Boji oppresserunt: Sed a Furio consule prorsus deleti sunt. Post Macedonicum bellum Marcus Acilius Glabrio consul contra Antiochum regem Syriæ pugnans strenue, eum fugavit. Philippo, quia contra Antiochum Romanis fuisset auxilio, filius Demetrius redditus est. Publius Scipio Affricanus contra Antiochum profectus, Hannibalem ipsius adjutorem navali certamine vicit. Lucius Cornelius Scipio adjutorio Eumenis regis fratris Attali & Rodiorum contra Antiochum in Asia dimicans, L. milia peditum & tria milia equitum ex parte regis occidit. Tunc regi pacem petenti a senatu data est ea conditione ut X. milia talentorum & XX. obsides præberet. Hannibalem belli concitatorem dederet, ipse ab Europa recederet in Asiam. Scipio, quia Asiam vicerat, Asiaticus dictus est, sicut frater ejus Affricanus propter Affricam edomitam. Hannibal, qui victo Antiocho ad Brusiam Bitiniæ regem fugerat, repetitus ab eo per Quintium Flaminium cum tradendus esset Romanis, veneno hausto expiravit. Eodem anno Scipio Affricus, ab ingrata sibi urbe diu exulans, Amiterni periit morbo. Tunc Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente in mari est edita. His quoque temporibus actum est, quod de Eliodoro Machabæorum narrat historia. Philippo rege Macedonum mortuo filius ejus Perseus cum rege Thraciæ & Gentio Illirici rege Romanis rebellans victus est ab Emilio Paulo consule, qui ei non quasi victo honorem habuit. Mox etiam captis LXX. civitatibus Epiri in navi Persei Romam rediit, quæ tam magna fuisse traditur, ut XVI. remorum ordines habuerit. Triumphum egit in curru aureo cum duobus filiis suis. Sed & Anitius Gentio rege devicto de Illiricis gloriose triumphavit. Hoc tempore Machabæorum liber secundus scriptus est. Publius Cornelius Scipio Affricani Scipionis nepos in Hispaniam missus magnas gentium strages dedit. Insequenti anno Lucius Numius in Lusitania bene pugnavit. Anno LI. postquam secundum Punicum bellum transactum est, Lucius & Mallius consules in Affricam profecti urbem Kartaginem obsederunt. Cujus muri cum aliquam partem diruissent, a Kartaginiensibus victi sunt atque repulsi. Quos fugientes Scipio tunc Tribunus militum adhortatos reduxit, perque eum multa a consulibus prospere gesta sunt. Per idem tempus Masinissa rex Numidarum amicus populi Romani mortuus est anno vitæ XCVII. Scipio autem juvenis adhuc consul factus est, & contra Kartaginem missus. Contra quam cum VI. continuis diebus noctibusque pugnasset, cives tandem, desperantes, urbem dederunt, in qua tunc Hastrubal regnavit. Incensa autem civitas XVII. diebus continuis arsit. Diruta est autem Kartago omni murali lapide in pulverem comminuto, cujus fuisse situs hujusmodi dicitur: Viginti duo milia passuum amplexa muro, tota pene mari cingebatur, absque faucibus, quæ a tribus milibus passibus aperiebantur. Is locus murum XXX. pedes latum habuit, saxo quadrato in altitudine cubitorum XL. Arx, cui Byrsæ nomen erat paulo amplius, quam duo milia passuum, habebat. Ex una parte murus communis urbis & Byrsæ imminens mari; quod mare stagnum dicitur, quoniam objecto protentæ linguæ tranquillatur. Spolia ibi inventa, quæ variarum civitatum excidiis Kartago collegerat, & ornamenta urbium Siciliæ, Italiæ, Affricæ civitatibus reddita, quæ sua cognoscebant. Itaque Kartago septingentesimo anno, postquam condita erat, deleta est. Interim etiam Pseudo-Phylippus in Macedonia a Quinto Cecilio Metello captus est. Et Chorintus civitas Græciæ decus a Numio consule diruta est. Eo tempore Romæ puer ex ancilla natus est quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor & auribus totidem, naturam virilem duplicem habens. Post hoc Romano exercitu a Numantinis bis superato, Scipio Affricanus junior secundo consul factus est, & ad Numantiam Hispaniæ civitatem missus. Mox pugna cum Numantinis commissa, exercitus Romanus fugit; sed increpatione motus consulis, in hostes rediit & fugatos in urbem, obsidione conclusit. Numantini autem rursus cum Romanis periculosum commiserunt prælium. Iterumque Romani fugissent, nisi sub Scipione pugnassent. Tandem Numantini interfectis suis fortissimis bello cedunt, iratique clausa urbe omnes se pariter ferro, veneno & igne consumpserunt. Romani ex his nihil aliud, quam securitatem adepti sunt, seque magis evasisse Numantinos, quam vicisse dixerunt. Hac tempestate apud Judæos, occiso Juda Machabeo, frater ejus Jonathas Pontifex habetur. Tunc etiam Pacuvius scriptor claruit. Attalus rex Asiæ mortuus Romanum populum heredem reliquit. Post hæc bella contra Jugurtam vario eventu gesta sunt. Qui tandem per Metellum victus, per Marium captus, in carcere strangulatus est. Hoc tempore Johannes Hyrcanus Judæorum Pontifex fuit. Deinde contra Cimbros & Teutonos Marius missus duobus præliis eos vicit. In primo prælio CC. milia bellatorum interfecit, Gallorum LXXX. milia cepit. Teutobodum ducem eorum occidit. Quorum mulieres parvulis suis ad saxa collisis, cunctæ sese ferro suspendioque peremerunt. In secundo prælio contra Teutones & Cimbros dimicans C. XL. milia eorum occidit, LX. milia cepit. Sexto Julio Cæsare & Marco Phylippo consulibus, Picentes, Marsi, Pelignique

que bellum Romanis graviſſimum intulerunt, quod per Lucium Cornelium Syllam quinto anno finem accepit. Ipſo tempore dira prodigia viſa ſunt, globus ignis cum maximo fragore cœli emicans, cruor e panibus quaſi vulneribus fluens, multaque alia. Apud Judæos hac tempeſtate primus Ariſtobulus rex pariter & Pontifex dyadematis ſumpſit inſigne. Hoc anno primum civile bellum Romæ commotum eſt. Nam cum Sylla conſul contra Metridatem Ponti regem pugnaturus mitteretur, Marius affectavit, ut ipſe illuc mitteretur. Vnde Sylla iratus cum exercitu ad urbem venit, primusque urbem armatis invadens, Marium fugavit, Mariique ſocium Sulpitium interfecit, atque ita ordinatis conſulibus in futurum annum Cnejo Octavio & Cornelio Cinna ad Aſiam contra Metridatem profectus eſt. Quo potentiſſimo ſuperato & ad pacem poſtulandam coacto, Marius auxilio Cinnæ conſulis urbem ingreſſus nobiliſſimos ex ſenatu, qui Syllæ faverant, quosdam proſcripſit, quosdam interfecit. Quod cum Sylla comperiſſet, feſtinanter ad Italiam venit, & contra Marium Marii filium dimicans XII. millia occidit. Deinde apud Collinam portam LXXX milia occidit. His diebus Carbo conſul in Sicilia a Pompejo occiſus eſt. Sylla mortuo Lepidus Marianæ partis adverſus Catulum Syllanum ducem conſurgens ab eo victus eſt ac peremptus. Hoc tempore Alexandra uxor Alexandri Iheroſolymis regnavit cum filiis ſuis Ariſtobolo & Hircano. His diebus Sertorius in Hiſpania a Pompejo occiſus eſt. Hoc anno mortuus eſt Nycomedes Rex Bitiniæ, Romano populo herede facto. Tunc etiam Metridates a Lucullo conſule victus eſt ac fugatus. His diebus LXX & IIII. gladiatores in Italia duce Spartaco Veſubium montem occupantes, multa Romanis mala intulerunt. Eos Craſſus devicit. His temporibus Metridates item a Lucio Lucullo ſuperatus a Tigrane Armeniæ rege eſt ſuſceptus. Hoc tempore Quintus Metellus Cretam vicit appellatusque eſt Creticus. Mortuo quoque Apione, Libia Romano imperio per teſtamentum acceſſit. Interim Gnejus Pompejus contra piratas miſſus, intra paucos menſes eos vicit, & a mari recedere coëgit. Deinde contra Metridatem miſſus, eum fugere compulit. Qui cum ad filium Pharnacem refugiſſet & ille eum occidere vellet, uxores ſuas ac filias & ſe ipſum veneno hauſto peremit. Dehinc Pompejus, Tigrane ſuperato, Itireos & Arabas atque Judæos cum multis aliis nationibus vicit. Ariſtobulum regem Judæorum vinctum Romam duxit, fratrique Ariſtoboli Hyrcano regnum ſimul ac ſacerdotium conceſſit, XIIII. milia Judæorum occidit, Iheruſalem deſtruxit; cujus circuitus IV. milia paſſuum dicitur fuiſſe. Nam cum alias aliis legiones dies noctesque ſuccedere cogeret, ſine requie vix tertio menſe eam expugnavit. Rediens autem Romam cum triumpho ducti ſunt ante currum ejus filii Mitridatis & filius Tigranis & Ariſtobulus Rex Judæorum. Anno ab urbe condita DC. XCIII. Cajus Julius Cæſar conſul factus eſt. Decreta eſt ei Gallia transſalpina & ciſalpina & Illiricum cum X legionibus in quinquennium datæ. Galliam comatam poſtea ſenatus adjecit. Veniensque in Galliam cum fortiſſimas gentes Helvieiorum, Thuringorum, Latobogiorum, Tauracorum & Bajorum apud Rodanum fluvium habuiſſet obvias, magno difficilique bello bis vicit, & CLVIII. milia ex eis occidit, cæteros ad deditionem coëgit. De hinc Ariobiſtum regem fugere compulit, cui auxiliabantur Arudes, Marcomones, Tritiboci, Vangiones, Nemetes, Edures, Eudeſes & Suevii. Poſt hæc gentem Belgarum & Sueſſionum cum CX. milibus interemit. Præterea has gentes domuit Atipates, Abianos, Menappos, Caletos, Velacaſes, Velomandos, Condurſes, Eburones, Ceroſos, Cemanos, qui uno nomine Germani vocantur. Per Titurium Albinum legatum ſuum Alvercos, Eburones, Lixivios delevit. Cæſar rurſus Germanos, qui Renum tranſierant, ut ſibi Gallias ſubjicerent, bello fundit; quorum feruntur fuiſſe CCCCXL milia. Deinde facto ponte Renum transgresſus, Suevorum maximam & ferociſſimam gentem, quorum eſſent C pagos, multi prodidere, totamque Germaniam expugnavit. Mox in Galliam ſe recepit. Brittannos quoque quibus ante eum nec cognitum quidem erat Romanum nomen, potentiſſime vicit. Inter tot ſucceſſus ter male pugnavit, apud Alvernos ſemel præſens, & abſens in Germania bis, ubi legatus ejus Titurius & Aurunculius per inſidias occiſi ſunt. Hoc tempore Craſſus conſul apud Carras ab Herode rege Parthorum auro infuſo in os ejus occiſus eſt. Igitur rediens Cæſar victor ex Gallia decerni ſibi abſenti iterum conſulatum popoſcit. Contradictum eſt a Marcello conſule, a Bibulo, a Catone, annitente Pompejo. Iratus Julius cum exercitu Romam venit. Conſule cum Gneo Pompejo omnisque ſenatus & univerſa nobilitas ex urbe fugit, & in Græciam tranſiit, & Pompejo duce apud Dirachium contra Ceſarem bellum paravit. Cæſar vacuam urbem ingreſſus, Dictatorem ſe fecit, negatamque ſibi ex ærario pecuniam, fractis foribus, invaſit, protulitque ex eo auri pondera IIII. milia CXXXV. argenti pondera prope XC. milia. Interea apud Dyrachium multi Orientis reges ad Gnejum Pompejum cum auxiliis venerunt. Cæſar deinde ad Hyſpanias contra Pompejanos duces contendit, & poſtea in Græciam cum exercitu contra Pompejum. Ibi primo prælio victus eſt Cæſar, ſed nox interveniens ei, ut evadere poſſet, contulit. Deinde rurſus in Theſſalia productis utrinque ingentibus copiis dimicaverunt. Pompeji acies habuit XL. milia peditum, equites in ſiniſtro cornu DC. in dextro D. præterea totius Orientis auxilia. Cæſar in acie ſua habuit peditum non integra XXX. milia, equites mille. Pompejus victus Alexandriam petiit, ut a rege Egypti, cui tutor a ſenatu datus fuerat, propter juvenilem ejus ætatem, acciperet auxilia. Qui fortunam magis, quam amicitiam ſecutus, occidit Pompejum, caput & anulum ejus Cæſari miſit. Quo conſpecto Cæſar etiam lacrimas fudiſſe dicitur, tanti viri caput

put intuens, & generi quondam sui; & inundatum odoribus cremari imperavit. Cæsar compositis apud Tessaliam rebus Alexandriam venit, ubi & ipse a Ptolomæo fere per insidias peremptus est. Inde in Africam profectus Jubam regem, cui se Cato & cæteri Pompejani conjunxerant, evicit potenter. Deinde in Hispania contra filios Pompeji dimicans, majorem occidit, minor evasit. His peractis Cæsar Romam rediens, arrepta Monarchia contra senatores & cæteros nobiles agere insolentius cœpit. Unde senatores irati conjuratione facta, cum inter cæteros venisset ad curiam XX. tribus cultris senatoriis confectus vulneribusque confossus interiit. Quo facto senatores strictis pugionibus in Capitolium successerunt. Corpus ejus raptum populus, dolore stimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremavit. Columpnam ei solidam lapidis Numidici XX. prope pedum in foro statuerunt, super quam tumulatus, quæ & Julia dicta est. Confossus est itaque Cæsar, vir quo nullus unquam bellis magis enituit. Ejus siquidem ductu undecies CXC. & II. milia hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis civilibus fuderit, nolui annotare. Signis collatis quinquagies dimicavit. Marcum Marcellum supergressus solus, qui triginta novem civilibus bellis pari modo fuerat præliatus. Ad hoc celerius nullus scripsit, nemo velocius legit; quaternas etiam epistolas simul dictavit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat clementia magis vicerit. Eodem tempore Romæ tres simul exorti sunt soles, paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta, quæ toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se urgeri: non enim frumenta, sed homines brevi defuturos.

Quomodo mortuo Julio nepos eius Octavianus ei successerit.

Anno ab urbe condita, septingentesimo nono, interfecto Julio Cæsare Octavianus adolescens annos X. & septem natus, patre Octavio senatore genitus, maternum genus ab Enea per Juliam familiam sortitus, Cæsaris nepos, Acciæ sororis ejus filius, quem ille testamento heredem reliquerat, & nomen suum ferre jusserat. Hic est, qui postea Augustus est dictus & rerum summa potitus. Nam, ut breviter coacervationem malorum explicem, bella civilia V. gessit, Mutinense, Philippense Perusinum, Siculum, Actiacum. E quibus duo, hoc est primum ac novissimum adversus Marcum Antonium, secundum adversus Brutum & Cassium, tertium adversus Lucium Antonium, quartum adversus Sextum Pompejum Gnei Pompeji filium confecit. Interea Brutus & Cassius interfectores Cæsaris magnis exercitibus comparatis per Macedoniam & Orientem apud Athenas convenerunt, totamque Græciam depopulati sunt. Rodios Cassius terra marique oppugnatos ad deditionem coëgit, quibus præter vitam nihil reliquit. Igitur profecti sunt contra eos Cæsar Octavianus Augustus & Marcus Antonius. Remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus. Apud Philippos Macedoniæ urbem contra eos magnis bellorum apparatibus pugnaverunt. Eosque persecutos ad mortem compulerunt. Nam invitatis percussoribus, Cassius caput, Brutus latus præbuit. Ibi etiam infinitam nobilitatem victam interfecerunt, & sic inter eos divisa est respublica, ut Cæsar Hispanias & Gallias & Italiam teneret, Antonius Asiam, Pontum & Orientem. Cæsar intra Tauromeniam trajecerat, quem repentino impetu Pompejus afflixit, unde multis demersis navibus suis, ac magna multitudine suorum militum perdita, in Italiam Cæsar aufugit. Nec interveniente mora in Siciliam rediit, ibique Lepidum ex Africa adventantem obvium habuit, summas sibi partes terrore, minis ac superbia vendicantem. Post dies paucos Agrippa jussu Cæsaris a littore cum acie instructa prospectantis, atrocissimo navali prælio adversum Pompejum conflixit & vicit. Nam C. sexaginta & tres naves aut demersit aut cepit. Pompejus cum decem & VII. navibus vix lapsus evasit. Lepidus quoque magna XX. legionum insolentia tumens, cum Messanam militibus permissam diripuisset, ipsum Cæsarem ad se venientem semel atque iterum sprevit, ac potius telis appeti jussit, quæ ille, collecta in lævum brachium lacerna, repellendo vitavit; mox inmisso equo ad suos reversus, instructo exercitu adversus Lepidum veniens plurimas legiones ejus, paucis interfectis, in suam partem transire coëgit. Lepidus tandem intelligens, quo sua vanitas tenderet, deposito paludamento, assumpta veste pulla, supplex Cæsari factus, vitam & bona impetravit, perpetuo quidem emendatus exilio. Quadraginta IIII. legiones sub unius tunc imperio Cæsaris erant, unde milites multitudine feroces, quosdam pro accipiendis agris tumultus excitaverant. Sed Cæsar animo ingens XX. milia militum exauctoravit. XXX. milia servorum dominis restituit, VI milia quorum domini non extabant in crucem egit, jam tum præsignans suo tempore nasciturum esse, per quem superbientes reprimendi & omnes servi suo vero domino restituendi essent, qui tamen dominum suum recognoscerent, qui vero sine domino invenirentur, mortis supplicio punirentur. Post hæc Cæsar ovans urbem ingressus, ut in perpetuum Tribuniciæ potestatis esset, a senatus decreto accepit. Antonius igitur, qui Asiam & Orientem tenebat, Artabanem Armeniæ regem proditione & dolo cepit, victumque argentea catena ad confessionem thesaurorum regiorum coëgit, expugnatoque oppido, in quo erant thesauri, magnam abstulit copiam argenti & auri. Qui elatus pecunia bellum Cæsari indixit atque Octaviæ sorori Cæsaris repudium denunciavit, & Cleopatram, ex Alexandria sibi occurrere imperans, uxorem duxit. Mox ingens bellum civile commovit, cogente Cleopatra, dum cupiditate muliebri cupit etiam in urbe regnare. Cæsar igitur cum ducentis XXX rostratis navibus in Epyrum a Brundusio profectus est. Agrippa vero præmissus a Cæsare multas onerarias naves frumento

to atque armis graves ab Egypto, Syria, Asiaque ad subsidium Antonio venientes cepit, peragratoque Peloponensium sinu Mothonam urbem validissimo Antoniano præsidio munitam expugnavit. Inde Corcyram cepit, fugientes navali prælio persecutus profugavit, multisque rebus cruentissime gestis ad Cæsarem venit. Antonius defectu & fame militum suorum permotus bellum maturare instituit, ac repente instructis copiis ad Cæsaris castra processit & victus est. Tertio post pugnam die Antonius castra ad Actium transtulit navali prælio decernere paratus. Ducentæ XXX. rostratæ fuere Cæsaris naves & XXX. sine rostris triremes, velocitate Liburnicis pares; & octo legiones classi superpositæ absque cohortibus V. prætoriis. Classis Antonii C. septuaginta navium fuit, quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens. Nam X. pedum altitudine a mari aberant. Famosum & magnum hoc bellum apud Actium fuit, qui locus in Epyro est, ab hora quinta usque in horam septimam incerta vincendi spe, gravissimæ utrinque cædes factæ sunt. Reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinavit. Prior regina Cleopatra cum sexaginta velocissimis navibus fugit. Antonius quoque detracto insigni Prætoriæ navis, fugientem secutus est uxorem. Illucescente jam die victoriam Cæsar consumavit. Ex victis XII. milia cecidisse referuntur; sex milia vulnerati sunt, e quibus mille inter curandum defecerunt. Antonius & Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad Rubrum mare præmittendos censuerunt, ipsi præsidiis circa duo Egypti cornua Pelusium, Parthoniumque dispositis, classem & copias instaurando bello paraverunt. Cæsar sexto Imperator est appellatus, & quartum ipse cum Marco Licinio Crasso consulatum agens, Brundisium venit. Ibi orbis terrarum præsidia divisis legionibus composuit. Interim in Syriam profectus, mox Pelusium adiit, ubi ab Antonianis præsidiis ultro susceptus est. Interea Cornelius Gallus præmissus a Cæsare IIII. legiones, quas Antonius apud Cyrenæas præsidii loco constituerat, suscepit in fidem atque interim Panthonium, primam Egypti ac Libiæ partium civitatem victam cepit, ipsumque Antonium continuo apud Pharum vicit. Antonius equestre adversum Cæsarem bellum iniit, in eo quoque miserabiliter victus aufugit. Kalendis sextilibus prima luce Antonius cum ad instruendam classem in portum descenderet, subito universæ naves ad Cæsarem transierant. Cumque unico præsidio spoliatus esset, trepidus cum paucis se recepit in Regiam, deinde imminente Cæsare turbataque civitate idem Antonius ferro se transverberavit, ac semianimis a Cleopatra in monumentum, in quod illa se mortuam condi disposuerat, perlatus est. Cleopatra exornata diversis ornamentis ad Cæsarem venit, sperans eum, ut cæteros, sua specie ad libidinem illicere, sed ille se intra pudicitiam coartans ad ejus concupiscentiam minime inflexus, eam mox custodiri mandavit. At illa postquam se ad triumphum servari intellexit, e custodia lapsa, in precioso suo sepulcro juxta Antonium suum se collocans, sibi aspidem in sinistro brachio admisit, & veneno ejus exanimata est, frustra Cæsare etiam psyllos ammovente, qui venena serpentium ex vulneribus hominum haustu revocare atque exsugere solent. Cæsar Alexandria urbe omnium longe opulentissima & maxima victor potitus est, cum tota Egypti regione, præpositusque ei ab Augusto Gneus Cornelius Gallus datus est. Hunc primum Egyptus Romanum judicem habuit. Nam & Roma in tantum opibus ejus est aucta, ut propter habundanciam pecuniarum dupplicia, quam usque ad id fuerant, possessionum aliarumque rerum venalium statuerentur, ita ut annona urbem copiosam efficeret. Fossas in curia vetustatis limo clausas labore militum patefecit & urbi annuatim ex Egypto ducenties centena milia frumenti inferebantur. Interea occisi sunt jussu Cæsaris major Antonii filius, & Publius Canidius infestissimus quidem semper Cæsari, sed Antonio infidus, & Cassius Palmentis, ultima violati patris Cæsaris victima, & Quintus Obinnius, ob eam maximam notam, quod obsceníssimæ Reginæ lanificio textrinoque Senator populi Romani præesse non erubuerat. Dehinc Cæsar pedestribus copiis in Assyriam venit, demum in Asiam ad hiberna concessit, ac post per Græciam Brondisium pervectus est.

Anno ab urbe condita septingentesimo vigesimo V. ipso Imperatore Cæsare Augusto quinquies & Lucio Apulejo consulibus, Cæsar victor ab Oriente rediens, octavo Idus Januarias urbem triplici triumpho ingressus est. Ducti sunt ante ejus cursum sol & luna, Cleopatræ liberi; ac tum primum ipse Jani portas, sopitis finitisque omnibus bellis civilibus, clausit. Hoc die primum Augustus, eo quod rempublicam auxerit, consalutatus est; Quod nomen cunctis antea insolitum & usque ad nunc cæteris inauditum, dominis tantum orbis licite usurpatum, apicem declarat imperii. Atque ex eadem die summa rerum ac potestatum penes unum esse cœpit & mansit, quod Græci Monarchiam vocant. Non ullo tempore ante Cæsarem Augustum magis Romana res floruit. Nam cum primo Gajo Cæsare avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens, urbem ingrederetur, hora circiter tercia, repente liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit, quasi eum unum ac potissimum in hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore venturus esset, qui solem ipsum solus mundumque totum & fecisset & regeret. Deinde cum secundo in Sicilia receptis a Pompejo & Lepido legionibus XXX. milia servorum Dominis restituisset, & XL. & IIII. legiones solas imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuisset, ovansque urbem ingressus, omnia populi Romani debita donando, litterarum etiam monimentis abolitis censuisset. Anno ab urbe condita septingentesimo vigesimo sexto Imperatore Augusto Cæsare sexies & bis Marco Agrippa consulibus. Cæsar parum

parum in Hispania per ducentos annos actitatum intelligens, si Cantabros atq; Austures, duas fœtissimas Hispaniæ gentes, suis uti legibus fineret. Aperuit Jani portas atque in Hispanias ipse cum exercitu profectus est. Ibi apud Taraconem citerioris Hispaniæ urbem legati Indorum & Scitarum toto orbe transmisso, tandem invenerunt, quod jam quærere non possent, refuderuntque in Cæsarem Alexandri Magni galeam, quem sicut Hyspanorum Gallorumque legatio in medio Oriente apud Babylonias contemplacione pacis adiit, ita hunc apud Hyspaniam in Occidentis ultimo supplex cum gentilicio munere eum Indus & Scitaboreus oravit. Cantabrico bello per V. annos facto totaque Hyspania in æternam pacem cum quadam respiracione lassitudinis reclinata ac reposita, Cæsar Romam rediit. Quibus etiam diebus multa per se multaque per duces & legatos bella gessit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges populi Romani amici in honorem ejus conderent civitates quas Cæsarianas nominarent, sicut in Mauritania a rege Juba & in Palæstina, quæ nunc est urbs clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, & habitu Romano togati scilicet ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. Denique erga cives clementissime versatus est, in amicos suos fidus extitit, quorum præcipui erant ob taciturnitatem Mæcenas, ob potenciam laboris modestiamque Agrippa. Diligebat præterea Virgilium, Flaccumque poëtas. Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus, liberalibus studiis præsertim eloquentiæ in tantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. Leges alias novas, alias correctas protulit suo nomine. Auxit ordinavitque Romam ædificiis multis, isto glorians dicto: urbem latericiam repperi, relinquo marmoream. Fuit mitis, gratus, civilis animi & lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis, quorum acies clarissimorum syderum modo vibrans, libenter aspiciebat cœlum ab intendentibus tanquam solis radiis aspectui suo, a cujus acie dum quidam miles averteret oculos & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit: quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Nec tamen vir tantus viciis caruit. Fuit enim paululum impaciens, leniter iracundus, occulte invidus, palam factiosus. Porro autem dominandi supra quam æstimari potest cupidissimus, studiosus aleæ lusor. Cumque esset cibi ac vini multum, aliquatenus vero somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famæ. Nam inter XII. Katamitos totidemque puellas accubare solitus erat. Abjecta quoque uxore Scribonia, amore alienæ conjugis possessus, Libiam, quasi marito concedente, sibi conjunxit; cujus Libiæ jam erant filii Tyberius & Drusus. Cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vicii severissimus ultor, more hominum, qui in ulciscendis viciis, quibus vehementer ipsi indulgent, sunt acres. Nam Poëtam Ovidium, qui & Naso, pro eo quod tres amatoriæ artis libros scripserat, inrevocabili dampnavit exilio.

Itaque anno ab urbe condita septingentesimo quinquagesimo vero * Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas tertio ipse tunc clausit. Quas ex eo per XII. fere annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo signavit, nec prius unquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ Atheniensium seditione & Dacorum commotione patuerunt. Clausis igitur Jani portis, rempublicam, quam bello quæsierat, pace nutrire atque amplificare studens, Leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reverencia disciplinæ morem gereret. Domini appellationem, ut homo, declinavit. Nam cum eodem spectante ludos, pronunciatum esset a mimo: o dominum equum & bonum; universique quasi de ipso dictum esset exultantes approbavissent, & statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se post hac appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel joco passus est. Hujus temporibus Romæ sapientes insignes erant. Virgilius, Flaccus, Salustius, Libius, Ortensius, Terentius, Ovidius, Athenodorus, Tarseus & Sitio Alexandrinus.

Idem vero Augustus habitatoribus Romæ urbis per facies dinumeratis invenit virorum inhabitancium in ea C XXX. & unum milia XXX. septem. Interea Cæsar Augustus annos natus septem & septuaginta, ingressus Nolam, morbo interiit: quanquam alii scribant, dolo Libiæ extinctum, metuentis, ne quia privignum suum Agrippam, quem odio novercali in insulam relegaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, pœnas daret. Sepultus est Romæ in Campo Martio. Igitur mortuum, seu necatum multis novisque honoribus Senatus censuit decorandum. Nam præter id quod antea patrem patriæ dixerat, templa tam Romæ, quam per urbes celeberrimas ei consecravit, cunctis vulgo jactantibus, utinam aut non nasceretur aut non moreretur vir: qui enim inmerito ex maxima parte DEO similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior aut in pace moderatior. Quadraginta & quatuor annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, quos tantis evexerat honoribus, ut pene æquaret fastigio suo.

Imperavit annos LVI. XII. cum Antonio & Lepido, XL. vero & quatuor solus. Qui certe numquam aut reipublicæ ad se potentiam traxisset, aut tamdiu ea potiretur, nisi magnis naturæ & studiorum bonis habundasset. Rempublicam beatissimam Tyberio successori reliquit. Anno primo Octaviani jussu Senatus bellum adversus Antonium movit eumque devicit. Anno secundo Curcius Salassus in Insula Aratho cum quatuor cohortibus exhustus est vivus, eo quod tributa gravius exigeret. Anno tertio Octavi-

Octavianus interveniente Senatu in amicitiam regreditur cum Antonio. Anno quarto Cornificius Poëta desertus a militibus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellavit. Anno quinto secunda secessio Cæsaris & Antonii. Anno sexto Cornelius nepos scriptor historicus clarus habetur. Anno septimo Formius cum filio Formio claruit: sed filius consularis ante patrem obiit. Anno VIII. Brutus & Cassius immaturam sibi mortem ante belli terminum intulerunt. Anno VIIII. Varus poëta, quem Virgilius in Buccolicis notat, in Cappadocia moritur. Anno X. Herodes alienigena Antipatri Idumæi & Cipridis Arabitæ filius suadente Antonio a Senatu Romano Rex Judæorum constituitur, regnavitque annos XLVIII. Anno XI. Salustius quadriennio ante bellum Acciacum. Anno XII. lunæ cursus secundum Romanos hoc anno inventus est. Anno XIII. Antonius Cleopatræ junctus, illi Arabiam dedit. Anno XIV. Octaviani & Antonii terciæ dissensionis exordium, eo quod Antonius repudiata sorore Cæsaris duxisset Cleopatram. Anno XV. Antonius & Cleopatra semet interficiunt & Egyptus fit Romana Provincia, in qua usque ad Cleopatram regnaverunt, qui vocabantur Lagidæ, annis CCLXXIII. ipsa vero regnavit annis XXII. qui fiunt anni CCXCV. Anno XVI. Nicopolis juxta Actium promunctorium condita est. Anno XVII. Octavianus Cæsar cum ingenti triumpho Romam ingressus est ductis ante currum ejus filiis Cleopatræ sole & luna, eodemque die sui triumphi nomen accepit Augusti. Anno XVIII. Cornelius Gallus Foro-Juliensis Poëta, cujus Virgilius meminit in Ecloga ultima, qui & Egyptum in provinciam redactam primus rexit, XLIIII. ætatis suæ anno se propria manu interfecit. Anno XIX. Augustus Calabriam & Gallos vectigales fecit. Anno XX. Marcus Gnatius Plaucius Ciceronis discipulus orator insignis habetur, qui cum Galliam Comatam regeret Lugdunum condidit. Anno XXI. Quintilius Cremonensis Virgilii & Oracii amicus moritur. Anno XXII. Tyberius ab Augusto missus Armeniam occupavit. Anno XXIII. Herodes apud Jherosolimam multas & magnas ædes construxit. Anno XXIIII. Virgilius Brundisii moritur & Neapolim transfertur, cujus tumulus versu notatur, quem, ut ajunt, ipse moriens dictavit: Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc Parthenope, cecini pascua, rura, duces. Anno XV. Herodes in Paneade id quod Panum vocatur, exstruxit. Anno XXVI. Augustus Samiis libertatem dedit. Anno XXVII. Herodes Samariam olim jam in cineribus sedentem a fundamentis suscitans, in honorem Augusti Sebasteam, id est, Augustam appellavit. Anno XXVIII. in Cypro plurimarum civitatum partes terræmotu ceciderunt. Anno XXIX. Varus & Tucca Virgilii & Oracii contubernales Poëtæ habentur illustres, qui libros Eneidos postea emendandos ab Augusto susceperunt, ea lege, ut nihil de suo adderent. Anno XXX. Agrippa Bosphorum cepit. Anno XXXI. Augustus a Senatu maximus Pontifex nominatur. Anno XXXII. Herodes Cæsaream nomine Cæsaris condidit, quæ prius turris Stratonis vocabatur. Anno XXXIII. Oracius LVII. ætatis suæ anno moritur Romæ. Anno XXXIIII. Julius Iginus cognomento Polyhistor Grammaticus habetur illustris. Anno XXXV. Herodes Hyrcanum, qui olim sacerdos & Rex Judæorum fuerat, causa illius amicitiæ pristinæ, ipso regnante de captivitate regressum, Parthica accidit, metuens, ne acciperet regnum. Anno XXXVI. Herodes Aristobulum fratrem uxoris suæ Mariamnis suffocari jussit. Anno XXXVII. Tyberius Augusti privignus sed jam in filium adoptatus, deletis Vindelicis, Armeniis & Pannoniis, triumphavit. Anno XXXVIII. Augustus Juliam filiam suam in adulterio deprehensam dampnavit exilio. Anno XXXIX. Marcus Tullius Tyro Ciceronis libertus, qui primus notas commentatus est, in Puteolano prædio usque ad C. annos consenescens moritur. Anno XL. Portius Cato Latinus declamator, tædio duplicis quartanæ se interfecit. Anno XLI. Cyrinus ex consilio Senatus ad Judæam missus census hominum possessionumque descripsit.

Anno ab urbe condita DCCLII. Olimpiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ, evolutis ab initio creationis humanæ annis V. milibus CXXIX. quando firmissimam verissimamque pacem ordinatione DEI Cæsar Augustus composuit, anno XLII. imperii sui, nascitur in Bethlehem Juda Dominus noster Jesus Christus, cui pax ista famulabatur, qui etiam sextam mundi ætatem suo piissimo consecravit adventu. Ipso autem natalis die Romæ trans Tyberim de taberna meritoria fons olei e terra exundavit ac per totum diem largissimo rivo fluxit. Tunc quoque in medio foro agnus locutus est.

Anno Dominicæ Incarnationis secundo, qui est Augusti XLIII. Augustus amicitiam facit cum Parthis. Anno Domini III. Herodes occidit infantes XLV. Anno Domini IIII. Judas Galilæus ad rebellandum cohortatur Judæos. XLVI. Anno Domini V. Asinius Pollio Orator & Consularis, qui de Dalmatis triumphavit, in villa Tusculana moritur, anno vitæ LXXX. XLVII. Anno Domini VI. Herodes magno cruciatu moritur, pro quo filius ejus Archelaus regnavit annis IX. Anno Domini VII. qui est Augusti XLVIII. fames Romæ facta est adeo dira, ut omnes peregrinos & servorum maximas copias, exceptis medicis & præceptoribus, ex urbe trudi præceperit Augustus. XLIX. Anno Domini VIII. Tyberius jam Cæsar factus, Dalmatas & Sarmatas in Romanam potestatem redegit. L. Anno Domini IX. qui est Augusti quinquagesimus, ab urbe vero condita DCCLVIII. quatuordecim vicos urbis incertum unde consurgens flamma consumpsit. LI. Anno Domini X. Athenienses moliuntur novas res contra Romanos. LII. Anno Domini XI. LIII. Anno Domini XII. Jani portæ per XII. annos jam clausæ ab Augusto aperiuntur LIIII. Anno Domini XIV. LV. Anno Domini XV.

XV. qui est imperii Augusti LVI. Archelaus accusatus ob insolentiam nono regni sui anno in Viennam ab Augusto relegatus est & Judæa Tetrarchis committitur Herodi, Antipatro, Lysaniæ, Philippo. Eodem anno Augustus Nolam ingressus morbo capitur, unde & moritur.

Anno Dominicæ Incarnationis XVI. qui est a condita urbe DCCLXII. Tiberius Libiæ filius imperium Romanum adeptus est ab Augusto secundus & regnavit annis XXIII. Iste, quia Claudius Tyberius Nero dicebatur, eleganter a jaculatoribus Claudius Biberius Mero ob vinolentiam dictus est, satis prudens in armis satisque fortunatus ante sumptum imperium, tantusque sub Augusto fuit, ut nec immerito reipublicæ dominatus ei committeretur. Nusquam ipse pugnavit, sed nec per legatos quidem aliqua gravia bella gessit, nisi quod tantum aliquantis in locis præcogniti cito gentium tumores comprimebantur. Sane quarto imperii ejus anno Germanicus Drusi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Augusto missus fuerat, triumphavit. Quosdam Reges ad se per blandicias evocatos nunquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in Provinciæ formam redegit, & maximam civitatem appellari nomine suo jussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum Mazeca antea diceretur. Getulorum latrocinia compressit. Marobodum Suevorum Regem callide circumvenit. Plurima imperii sui parte cum magna & gravi modestia reipublicæ præfuit adeo, ut quibusdam præsidibus augenda provinciis tributa suadentibus scripserit: Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglutire. At postquam passus est Dominus Christus atque a mortuis resurrexit & discipulos suos & prædicandum misit, Pylatus præses Palestinæ provinciæ ad Tyberium Imperatorem atque ad senatum retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos ejus in nomine ipsius fiebant, & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tyberius cum suffragio magni favoris retulit ad senatum, ut Rex pacis Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, Consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse urbe Christianos, præcipue cum & Sejanus præfectus Tyberii suscipiendæ religioni obstinacissime contradiceret. Tyberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Nam & plurimos Senatorum proscripsit & ad mortem coëgit. Viginti sibi Patricios viros consilii causa legerat, horum vix duos incolumes reliquit, ceteros diversis causis necavit. Sejanum præfectum suum res novas molientem interfecit. Filios suos Drusum & Germanicum, qui adoptivi erant, manifestis veneni signis perdidit. Filios Germanici, filii sui, interfecit. Hic tertio & vigesimo imperii anno ætatis septuagesimo octavo & mense quarto cum inmani furore insontes, noxios, suos pariter, ut diximus, externosque puniret, resolutis militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœsia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a finitimis gentibus direptæ sunt. Ipse ingenti omnium gaudio in Campania Caligulæ insidiis extinctus est.

Anno Domini XVII. qui est Tyberii secundus, Asinii Pollionis filius Asinius Gallus diris a Tyberio suppliciis enecatur. III. Anno Domini XVIII. Ovidius Poëta in exilio moritur. IIII. Anno Domini XIX. Germanicus, Drusi filius, Caligulæ pater de Germanis, ad quos ab Augusto jam sene missus fuerat, triumphat. V. Anno Domini XX. Germanicus Cæsar a Tiberio patruo suo veneno interficitur. VI. Anno Domini XXI. VII. Anno Domini XXII. Tyberius multos Reges per blandicias ad se vocavit, quos nunquam remisit. VIII. Anno Domini XXIII. Pompæi theatrum incensum est. IX. Anno Domini XXIV. Tyberius Drusum filium fratris sui regni consortem fecit, quem eodem anno veneno interemit. X. Anno Domini XV. XI. Anno Domini XVI. Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes construxit, Cæsaream Philippi vocavit. XII. Anno Domini XXVII. Pylatus a Tyberio præses Judeæ mittitur. XIII. Anno Domini XXVIII. XIIII. Anno Domini XXIX. Herodes Tetrarcha frater Philippi ad magnam amicitiam Tyberii pervenit, ædificans civitatem, quam ex ejus nomine Tyberiadem vocavit. XV. Anno Domini XXX. Johannes baptizare cœpit populum. Cujus baptismate Dominus noster JEsus Christus in Jordane baptizatus. XXX. ætatis suæ secundum carnem anno cœpit signa facere & prædicare, virtutibus vera comprobans esse quæ diceret. XVI. Anno Domini XXXI. Dominus noster JEsus Christus discipulos eligens evangelicis eos imbuit sacramentis. Johannes baptista decollatur ab Herode Tetrarcha, filio Herodis illius, sub quo natus est Dominus, machinante Herodiade uxore sua, quam abstulit fratri suo, ut Marcus dicit, Phylippo. XVII. Anno Domini XXXII. discipuli Christi evangelicis instructi documentis verbum fidei per civitates Judææ ipso mittente prædicaverunt. XVIII. Anno incarnationis suæ XXXIII. Dominus noster JEsus Christus, passus est in carne & resurrexit: in cujus passione multa contigisse miracula etiam Gentilium scriptores testantur. XIX. Anno Domini XXXIV. Jacobus frater Domini Jherosolymis Episcopus ordinatur ab Apostolis, sedensque annos XXX. XX. Anno Domini XXXV. Pylatus imaginem Cæsaris in templo statuere volens, seditiones in Judæis excitavit. XXI. Anno Domini XXXVI. Sejanus præfectus cohortatur Tyberium, ut Judæos deleat. Persius Volitinis nascitur. XXII. Anno Domini XXXVII. Agrippa Aristoboli filius, cognomento Herodes, Romam veniens, a Tyberio clementer tractatur, sed cum accusaretur, quod optaret Tyberium citius mori, regnumque Gajo dari, in vincula ab eo conjicitur, nec eo vivente solvitur. XVIII. Anno Domini

ni XXXVIII. Tyberius Romanos graviter affligens ingenti omnium gaudio in Campania veneno periit, insidiis Caligulæ, anno imperii sui XXIII. ætatis vero LXXVIII.

Anno Dominicæ Incarnationis XXXIX. ab Vrbe vero condita DCCXC. tertius ab Augusto Gajus cognomento Caligula regnare cœpit Germanici Drusi filius, privigni Augusti, & ipsius Tyberii nepos: & quia natus in exercitu fuerat cognomentum calceamenti militaris Caligula idem sortitus est. Homo omnium ante se sceleratissimus & qui etiam Tyberii dedecora purgaverit. Ante principatum omnibus carus fuit acceptusque: in principatu vero talis, ut non immerito vulgaretur atrociorem illo Dominum non fuisse. Nam, ut breviter magnitudinem crudelitatis ejus exprimam, exclamasse fertur: Vtinam populus Romanus unam cervicem haberet. Sæpe enim de conditione temporum suorum conquestus est, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Bellum ipse contra Romanos suscepit, & ingressus nihil strenue fecit. Stupratores sororibus suis intulit, ex una etiam natam filiam cognovit. In palatio matronas nobiles publice libidini subjecit. Primus diademate imposito Dominum se jussit appellari. Hisdem autem diebus Judæi, quia jam tunc ob passionem Christi meritis utique cladibus exagitabantur, apud Alexandriam seditione excitata, profligati cæde, atque urbe propulsi, exprimendarum querelarum causa Phylonem quendam virum sane in primis eruditum, secunda vice legatum ad Cæsarem miserant. Is Romam veniens, locutus est cum Apostolo Petro ejusque habuisse eum amicitias manifestum est. Sed Caligula cum omnibus hominibus tum præcipue cum Judæis infestissimus esset, spreta legatione Phylonem omnes Judæorum sacras sedes atque inprimis antiquum illud Jherosolimis sacrarium profanari sacrificiis Gentilium ac repleri statuis simulachrisque imperavit, seque ibi, ut Deum, coli præcepit. Pylatus autem Præses, qui sententiam damnationis in Christum principem dixerat, postquam plurimas in Jherosolimis seditiones excepit ac fecit, tantis irrogante Gajo angoribus coartatus est, ut sua se transverberans manu malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Igitur Gajus, cum adversus cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate sæviret, interfectus a militibus in palatio est, anno ætatis suæ trigesimo octavo, imperii tertio, mense decimo, dieque octavo.

Anno Domini XL. imperii Gaji secundo, Agrippam cognomento Herodem a vinculis absolvit, in quem illum Tyberius conjecit, eique Tetrarchiam Phylippi patrui sui, qui jam decesserat, tradidit, Regem appellavit, cui & postea Tetrarchiam Herodis patrui sui adjecit. Iste est, qui in Actibus Apostolorum Herodes appellatur, qui & Jacobum occidit, & Petrum in carcerem misit, & postea ab Angelo percussus, vermibus scaturiens, exspiravit: cujus filii fuerunt Agrippa Rex æquivocus ejus & Beronicen soror ejus. III. Anno Domini XLI. Pylatus multis calamitatibus a Gajo oppressus, se ipsum interfecit. IIII. Anno Domini XLII. Mathæus Evangelista Evangelium scripsit Hebraice. Herodes Tetrarcha, qui in Johannis Baptistæ nece auctor extitit, passioni Domini interfuit. Filius Herodis magni, sub quo natus est Christus, Romam venit, cogente Herodiade uxore sua, quam abstulit fratri suo. Sed subsequente eum & accusante Agrippa filio fratris sui Aristoboli, Gajus eum de avaritia vehementer increpavit, eique Tetrarchiam auferens Agrippæ commisit: ipsum vero perpetuo exilio Lugdunum relegavit. Cognoscens autem, quod Herodias soror esset Agrippæ, voluit ei opes & quæque propria concedere; sed mariti causa contempnens omnia, secuta est eum in exilium, ibique pariter perierunt. Eodem anno Gajus, cum adversus omnes ingenti crudelitate sæviret, a militibus in Palatio occisus est, anno ætatis XXXVIII. regni quarto.

Anno Dominicæ Incarnationis XLIII. ab urbe autem condita DCCXCIIII. Claudius Titus ab Augusto quartus, regnum adeptus est, patruus Caligulæ filii Drusi, privigni Augusti, qui apud Moguntiacum monumentum habet, Filius ejus, cujus Caligula Nepos erat. Iste, cum senatus censuisset gentem Cæsarum exterminari deformi latebra latere repertus a militibus, quia vecors erat, mitissimusque videbatur imprudentibus, Imperator effectus est. Hic ventri, vino, libidini fœde obediens, vecors & prope hebes, ignavus & pavidus, libertorum & conjugis imperiis subjectus fuit. Hujus tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias Imperator creatus continuo occiditur. Aqua Claudia Romæ est introducta. Igitur in exordio regni ejus Petrus Apostolus Domini nostri JEsu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit, atque exinde Christiani Romæ esse cœperunt. Sensit hoc collatum fidei suæ Roma beneficium. Accidit enim eodem tempore præsentis gratiæ Dei grande miraculum. Siquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum civile molitus, legiones multas fortissimasque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dato, ut in unum undique Imperatorem conveniretur, neque aquilæ ornari, neque convelli quoquo modo signa, moverive potuerunt. Exercitus tanta & tam inusitata miraculi fide motus & conversus in pœnitentiam, Scribonianum secundo statim die destitutum interfecit, seseq; sacramento prioris militiæ continuit. Igitur Claudius medie imperavit, multa gerens tranquille atque moderate, quædam crudeliter & insulse; idem triginta quinque senatores & trecentos simul equites Romanos minimis causis interfecit. Britanniæ intulit bellum, quam nullus Romanorum post Gajum Cæsarem attigerat, eaque devicta per Gneum Sentium & Aulum Plautum, illustres & nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam insulas & ultra Britannias in Oceano positas, imperio Romano addidit, quæ appellantur Orcades. Filio

Filio autem suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos extitit, ut etiam Plautum nobilem virum, qui expeditione Brittannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur & conscendenti Capitolium lenius incederet. II. Anno Domini XLIIII. XII. Apostoli cum eatenus in Judæa tantum prædicarent, juxta præceptum Domini, ut Beda scribit, anno a passione Domini XII. in totum orbem divisi sunt. III. Anno Domini XLV. Herodes ab Angelo percutitur, cujus regnum Claudius Cæsar in provinciam redegit. IIII. Anno Domini XLVI. Claudius de Brittannis triumphavit. Eodem anno facta est gravissima fames per Syriam, quam & Agabus Propheta prædixit; ut in Apostolorum legitur Actibus: sed Christianorum necessitatibus apud Jherosolymam, convecto Egypto frumento, Helena Adiabenorum Regina largissime ministravit. V. Anno Domini XLVII. Domitius Orator clarus habetur, qui postea sub Nerone ex cibi redundantia in cœna moritur. VI. Anno Domini XLVIII. inter Therasiam & Theram in mari Egeo nova Insula emersit XXX. stadiorum spatio extenta. Cumanus quidam successit Tyberio Alexandro in procuratione Judææ. VII. Anno Domini XLIX. sub procuratore Judææ Cumano tanta seditio Jherosolymis in diebus azimorum exorta est per culpam militis unius, ut coartato in exita portarum populo XXX. milia Judeorum cæde prostrata & comprehensa dicantur. VIII. Anno Domini L. tanta fames erat Romæ, ut Imperator in medio foro correptus a populo, conviciisque & fragminibus panum turpissime infestatus, vix furorem plebis evasit. Eo tempore Paulus apud Athenas aram ignoto Deo superscriptam reperit. IX. Anno Domini LI. Claudius Judæos expulit urbe Romana. X. Anno Domini LII. Fœnix apud Egyptum visus est, quem volucrem ferunt anno DCLIIII. ex Arabia memorato loco advolare. XI. Anno Domini LIII. Claudius Felicem Judææ procuratorem fecit. XII. Anno Domini LIIII. Symon magus auctor Symoniacæ hæresis extitit. XIII. Anno Domini LV. Egyptius quidam pseudopropheta Judæos complures seducens a Felice comprimitur. XIIII. Anno Domini LVI. Claudius ab uxore sua Agrippina veneno, ut dicitur, interemptus est anno vitæ suæ LXIIII.

Anno Dominicæ Incarnationis LVII. ab urbe vero condita DCCCVIII. Domitius Nero, patre Domitio Enobardo genitus, ab Augusto quintus, principatum adeptus est. Iste quinquennio tolerabilis visus, unde quidam prodidere Trajanum solitum dicere, procul distare cunctos principes Neronis quinquennio. Postea in omnibus Caligulæ avunculo suo simillimus, qui Romanum imperium & deformavit & minuit, inusitatæ luxuriæ sumptuumque, ut qui exemplo Gaji Caligulæ in frigidis & calidis unguentis lavaret, retibusque aureis piscaretur, quæ blatinis funibus extrahebat. Plurimos senatorum nulla extante causa bonis privavit, necatorum omnium sub una die tormentis quoquoque adhibitis omnem penitus censum absterſit. Crudelitatis autem rabie ita effrenatus est, ut plurimam senatus partem interfecerit, equestrem ordinem pene destituerit. Bonis omnibus hostis fuit. Parricidia multa commisit, fratre, uxore, matre, interfectis. Vrbem Romam per sex dies septemque noctes incendit, ut spectaculi imaginem cerneret, quali olim Troja capta arserat. Hic primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit, ipsumque nomen exstirpare conatus. Beatissimos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio caput secuit. Statim autem post hæc ab omnibus destitutus, & a senatu hostis judicatus est, & dum quæreretur ad pœnam [quæ pœna talis erat, ut nudus per publicum ductus furca collo inserta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo] fugit de Palatio & in suburbano liberti sui se interfecit, anno imperii sui XIIII. II. Anno Domini LVIII. Paulus Apostolus apud Festum, præsente Agrippa Rege, religionis suæ rationem exponens, ab eodem Festo vinctus Romam mittitur, cui & Petrus occurrens Paulum convenit, & quia Linus jam excessit, Cletum in locum ejus subrogavit, qui & ipse annis XII. Ecclesiam rexit. Petrus vero prædicationi deservivit. Hucusque Lucas Actuum Apostolorum librum perduxit. III. Anno Domini LIX. Probus Beritus eruditissimus Grammaticus claruit. IIII. Anno Domini LX. Statius Sursulus Poëta Colosensis celebris fuit. V. Anno Domini LXI. terræ motus Romæ & eclypsis solis facta est. VI. Anno Domini LXII. Festo succedit Albinus in præsidiatu Judææ. VII. Anno Domini LXIII. Jacobus frater Domini lapidatus est a Judæis & Symeon frater ejus subrogatur ei. VIII. Anno Domini LXIIII. Marcus Evangelista passus est Alexandriæ. IX. Anno Domini LXV. Persius moritur anno ætatis XXIX. Ante mensam Neronis fulmen cecidit. X. Anno Domini LXVI. Annæus Lucanus Cordubensis Poëta in Pisoniana conjuratione deprehensus brachium ad secandas venas præbuit. XI. Anno Domini LXVII. Nero incendit Romam ad similitudinem Trojæ. XII. Anno Domini LXVIII. Annæus Seneca Cordubensis præceptor Neronis & patruus Lucani jussus a Nerone genus mortis eligere, incisione venarum & haustu veneni interiit. XIII. Anno Domini LXIX. Vespasianus in Judæam mittitur. XIIII. Anno Domini LXX. Petrus Apostolus peracto prædicationis suæ tempore iterum Romam veniens, defuncto Cleto, discipulo suo Clementi cathedram Romanam commisit, dans ei successoribusque potestatem ligandi & solvendi, sicut ipse accepit a Domino. Eodemque anno ipse Petrus, jubente Nerone, cruxifixus est; Paulus vero decollatus. Nero autem post interfectionem Apostolorum se ipsum interfecit, quamvis quidam scribant, illum in silva errantem a lupis esse devoratum.

Anno Domini LXXI. ab urbe vero condita DCCCXXII. Galba nobilis senator succedit.

Qui ab Hyspanis & Gallis Imperator electus, mox ab universo exercitu libenter est acceptus; sed imperii ejus mense VII. insidiis Lucii Othonis occisus est. Eo occiso Otho invasit imperium, turpis valde & Neroni familiaris. Iste XCV. imperii die victus a Vitellio, quem tunc Germani imperatorem constituerant, semet occidit. Post hæc Vitellius imperio potitus est. Hic cum multo dedecore imperavit, omni vitio notabilis, sed præcipue ingluvie. Quippe cum de die sæpe quatuor vel quinque feratur epulatus, notissima cœna certe memoriæ mandata est quam ei frater Vitellius exibuit, in quam super cunctos sumptus duo millia piscium & septem millia avium apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet, imperii ejus mense VIII. captus est a Vespasiani Ducibus &, tractus per urbem Romam, magno dedecore interfectus est, & in Tyberim dejectus est. Antiochiæ sedis ordinatur Episcopus Ignatius.

Anno Dominicæ Incarnationis LXXII. ab urbe condita DCCC XXIII. brevi illa quidem, sed turbida tyrannorum tempestate discussa, tranquilla sub Vespasiano serenitas rediit. Is obscure quidem natus, sed optimis comparandus, privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam & deinde in Brittanniam missus, tricies & bis cum hoste conflixerat: duas validissimas gentes, XX. oppida, insulam Vectam Brittanniæ proximam imperio Romano adjecit. Namque, ut paulo altius repetam, Judæi post passionem Christi, destituti in totum gratia Dei, cum omnibus undique malis circumvenirentur, a quodam in monte Carmelo seducti, sortibusque portenderent, exortos a Judæa Duces rerum potituros fore, prædictumque ad se trahentes, in rebellionem exarserunt; Extinctisque Romanis præsidiis, legatum quoque Syriæ, cui Palæstina nomen est, suppetias ferentem, rapta aquila & cæsis copiis fugaverunt. Ad hos Vespasianus a Nerone missus, Titum filium suum majorem inter legatos habuit. Nam multas & validas legiones secum in Syriam trajecit. Itaque cum Judæos multis eorum oppidis captis in Jherosolymorum urbem præcipue ob diem festum congregatos clausisset obsidione, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum Regum & Ducum [maxime Josephi Judeorum Ducis, qui captus, cum in vincula conjiceretur, constantissime dixerat, sicut Suetonius refert, continuo se ab eodem sed Imperatore solvendum] imperium adeptus est. Relictoque in castris ad procurationem obsidionis Jherosolymorum Tito filio, per Alexandriam profectus est Romam. Sed cognita interfectione Vitellii paulisper Alexandriæ substitit. Titus vero magna & diuturna obsidione Judæos premens, machinis cunctisque bellicis molibus non sine multo suorum sanguine, tandem muros civitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam clausa multitudo sacerdotum ac principum tuebatur, majore vi & mora opus fuit. Nam infra XX. dies capta est. Quod tamen postquam in potestate redactum, opere atque antiquitate præcipuum conspexit, diu deliberavit utrum tamquam incitamentum hostium incenderet, an in testimonium victoriæ reservaret. Itaque cum nunciatum ei a Roma fuisset, quod pater ejus imperio potiretur, ex hilaritate nimia crus ejus dextrum crementum carnis accepit, ita ut calciamentum non reciperet, quod Josephi Ducis Judæorum consilio, ut aliud, restitutum est, qui jusserat, ante eum hominem transire, in quo plurimum odium habebat. Igitur Titus Imperator ab exercitu pronunciatur, templum Jherosolymis incendit ac diruit, quod a die conditionis primæ usque ad diem eversionis ultimæ manserat annis mille C. & duobus. Muros urbis universos solo adæquavit. Sexcenta milia Judæorum eo bello interfecta, Cornelius & Suetonius refert. Josephus vero Judæorum Historiographus, qui eo bello tunc præfuit & apud Vespasianum propter prædictum imperium, veniam gratiamque meruerat, scribit, undecies centena milia gladio & fame periisse, reliquias vero Judæorum diversis auctas conditionibus, toto orbe dispersas, quarum numerus ad nonaginta milia hominum fuisse narratur. Igitur Vespasianus & Titus magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt. Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter CCC XX. triumphos, qui in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit patri & filio uni triumphali curru vectis, ii gloriosissimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportassent. Igitur Vespasianus Romæ se in imperio moderatissime gessit, pecuniæ tantum avidior fuit, ita ut eam nullis injuste auferret, quam cum omni diligentiæ provisione colligeret: tamen studiosissime largiebatur, præcipue indigentibus. Nec facile ante eum cujusquam principis vel major est liberalitas comperta vel justior. Placidissimæ lenitatis, ut majestatis quoque contra se atrociores & reos non facile punierit extra exilii pœnam. Plura dicere, studium coëgit imprimis boni, quem ab Augusti morte post annos sex & quinquaginta Romana respublica exsanguis, sævitia tyrannorum, quasi fato quodam, ne penitus rueret, assecuta est. Cumque Romam incendiis ruinisque veteribus destitutam repararet, ac multa regno Romano adjiciens cum Tito filio de superatis Judæis triumpharet, cunctisque amabilis existeret, profluvio ventris fessus in villa propria circa Sabinos interiit, anno ætatis LXIX. Anno Domini LXXIII. Jerusalem a Tito capitur. III. Anno Domini LXXIIII. Vespasianus Capitolium cœpit reædificare. IIII. Anno Domini LXXV. seditio in Alexandria orta est. V. Anno Domini LXXVI. Colossus erectus est habens altitudinem pedum CVII. VI. Anno Domini LXXVII. Josephus Historiographus claruit. VII. Anno Domini LXXVIII. Tres civitates Cypri terræ motu corruerunt. VIII. Anno Domini LXXIX. Pestilentia Romæ tanta facta est, ut intra non multos dies X. fere milia hominum morerentur. IX. An. Dom. LXXX. Vespasianus profluvio ventris mortuus est.

Anno

Anno Domini LXXXI. ab urbe vero condita DCCCXXXII. Titus Vespasiani & Domitillæ filius, octavus ab Augusto, imperium suscepit & duobus annis, duobus mensibus regnavit. Hic etiam Vespasianus ex nomine patris dictus est; vir in utraque lingua scilicet Græca & Latina disertissimus, bellicosissimus, moderatissimus, omniumque genere virtutum mirabilis, adeo ut amor & deliciæ generis humani diceretur. Tantæ vero largitatis erat, ut nulli a se petenti negaret. Cumque reprehenderetur ab amicis cur hoc faceret, respondit, nullum debere ab Imperatore tristem exire. Quadam itaque die, dum recordaretur in cœna, quod ea die nulli quicquam præstitisset, dixit assidentibus: Amici, hodie diem perdidi. Anno autem ætatis XLII. obiit in eadem villa, qua & pater ejus. Tantus vero planctus fuit in urbe Roma pro morte ejus, quasi orphani relinquerentur a patre. Primo igitur imperii sui anno Amphitheatrum Romæ ædificavit, in cujus dedicatione V. milia ferarum occidit. II. Anno Domini LXXII. repentinum incendium Romæ per triduum fuit. Secundum ecclesiasticam historiam defuncto Lino Anacletus ordinatur Papa, seditque annos XII. sed alii hoc negant.

Anno Domini LXXXIII. ab urbe autem condita DCCCXXXIIII. Domitianus, Vespasiani & Domitillæ libertæ filius, Titi germanus junior, nonus ab Augusto, accepit imperium. Iste Neroni aut Caligulæ aut Tiberio similior, quam patri aut fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit, mox ad ingenita vicia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, avariciæ, tantum in se odii concitavit, ut merita patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos e Senatu: Dominum se & DEum primus appellari, scribi colique jussit. Segnisque, ridicule, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur, furens libidine, cujus fœdum exercitium Græcorum lingua clinopalem vocabat. Hic percunctatus a quodam, quisquamne in Palatio esset; nec musca quidem, ait. Nullam sibi nisi auream aut argenteam statuam in Capitolio passus est poni. Consobrinos suos interfecit. Romæ quoque in eo execrabilis fuit. Romæ quoque multa ædificia vel cœpta perfecit vel a fundamentis construxit, in his Pantheum, Capitolium, Forum, Transitorium Divorum, porticus, Isium ac Serapium & stadium, horrea piperataria, Vespasiani templum, Minervam Calcidicam, ludum matutinum, Micam auream, Metam sudantem. Iste persecutionem in Christianos agi secundus a Nerone imperavit, quorum multi martyrio coronati sunt, inter quos & Flavia Domitilla Flavii Clementis consulis ex sorore neptis in Insulam Pontianam ob fidei testimonium exiliatur. Quo tempore & beatissimus Johannes Apostolus jussu ipsius Romam veniens in ferventis olei doleum ante portam Latinam mittitur, inque eo cum illæsus exisset, in Pathmos Insulam ab eodem Metello religatur. Cumque odiosus esset omnibus conjuratione suorum interfectus est in Palatio, ascita in consilium uxore sua Domicia, ob amorem Paridis histrionis, anno vitæ suæ XXXV. Funus ejus per vespilliones cum ingenti dedecore exportatum & ignobiliter est sepultum. Senatusque nomen ejus abradendum decrevit, ne quis eum Imperatorem nominaret. II. Anno Domini LXXXIIII. Titus decreto Senatus inter deos reputatur. III. Anno Domini LXXXV. Domitianus plurimos Senatorum in exilium mittit. IIII. Anno Domini LXXXVI. Annianus primus post Marcum Alexandriæ Episcopus post XXII. episcopatus sui annum obiit, cui Abilius secundus successit. V. Anno Domini LXXXVII. VI. Anno Domini LXXXVIII. Domitianus Mathematicos & Philosophos urbe expulit. VII. Anno Domini LXXXIX. Anacletus tertius a Petro Clementi successit sedensque annis XII. menses X. Passus est sub Trajano VI. Kal. Maj. VIII. Anno Domini XC. Domitianus forum & multa ædificia fecit. IX. Anno Domini XCI. hæresis Menandri & aliorum multorum exoritur. X. Anno Domini XCII. Domitianus de Dacis & Germanis triumphavit. XI. Anno Domini XCIII. Domitianus prohibuit vites in urbibus seri. XII. Anno Domini XCIV. Domitianus persecutionem secundam in Christianos primus post Neronem movit. Juxta ecclesiasticam historiam in urbe Roma Anacletus XII. annis in Episcopatu exactis sacerdotii sedem Clementi tradidit, quam ille IX. annos tenuit. XIII Anno Domini XCV. Domitianus multos nobilium perdidit. XIV. Anno Domini XCVI. Dionysius Areopagita primus Atheniensium Episcopus a Paulo Apostolo constitutus, sed postea in Gallias prædicator directus, apud Parisium decollatus est cum Rustico & Eleutherio sub Sisinnio præfecto, anno a passione Domini LXIIII. XV. Anno Domini XCVII. Flavia Domitilla in Insulam Pontianam exiliata est. XVI. Anno Domini XCVIII. Domitianus a suis interfectus est.

Anno Domini XCIX. urbis vero conditæ DCCCI. Nerva Coccejus oppido Varniensi genitus, mediæ nobilitatis, admodum senex, decimus ab Augusto, suscepit imperium, regnavitque anno uno, menses IV. diebus VIII. Hic in privato moderatus & strenuus, in imperio civilissimum se & æquissimum præbuit. Hic ex decreto Senatus constituit irritum fieri, quicquid Domitianus fieri jussit, & edicto suo exules omnes revocavit. Unde & Johannes Apostolus ab exilio Ephesum rediens, & Ecclesiam hæresibus turbatam inveniens, hortatu fratrum Evangelium scripsit, quo fidem rectam confirmaret. Nerva vero adoptato in Regnum Trajano, morbo infectus obiit mense quinto anno secundo imperii sui, ætatis LXXII. Eodem die, quo interiit, solis defectio facta est.

Anno Dominicæ Incarnationis C. urbis conditæ DCCCI.I. (Ulpius Crinitus Trajanus ex urbe Tudertina, Ulpius ab avo dictus, Trajanus a Trajo paterni generis auctore, vel de nomine Trajani patris sic appellatus est) tertius decimus ab Augusto imperium adeptus est. '.. ex Hispania familia antiqua magis, quam c' ra. Nam pater ejus primum consul fuit. Im perator au-

tem apud Agrippinam nobilem Galliæ coloniam factus est. Hominis diligentiam in re militari, in civilibus lenitatem, in sublevandis civitatibus largicionem, cumque duo sint quæ ab egregiis principibus expectentur, lenitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudencia; tantus erat in eo maximarum rerum modus, ut quasi temperamento quodam miscuisse virtutes videretur, nisi quod cibo vinoque paululum deditus erat. Rempublicam ita administravit, ut omnibus principibus merito præferatur; inusitatæ civilitatis & fortitudinis. Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, finem longe lateque diffudit. Urbes trans Rhenum in Germania reparavit; Daciam Decibalo victo subegit; Provincia trans Danubium facta in his agris, quos Taifali nunc Victoali & Terungi habent. Ea provincia decies centena milia passuum in circuitu tenuit. Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, Farmato Syriæ occiso, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Hyberorum regem & Sauromatarum & Bosphoranorum & Arabum & Bosdroenorum & Cholchorum in fidem accepit. Carduenos, Marcomedas occupavit, & Antemusium magnam præsidis regionem, Seleuciam & Thesiphontem, Babylonem, Messionos vicit ac tenuit: usque ad Indiæ fines & mare rubrum accessit: atque ibi tres provincias fecit Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum his gentibus, quæque attingunt Madenam; Arabiam postea in provinciæ formam redegit. In mari rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines vastaret. Gloriam tamen militarem civilitate & moderatione superavit. Romæ & per provincias æqualem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans, vel ægrotantes, vel, cum festos dies habuisset, convivia cum eisdem indiscrete vicissim habens, sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum Senatorem lædens, nihil injustum ad augendum fiscum agens, liberalis in cunctos publice, privatimque ditans omnes, & honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset, orbem terrarum ædificans, multas immunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum & placidum agens, adeo ut omni ejus ætate unus Senator dampnatus sit, atque is tamen per Senatum, ignorante Trajano. Ob hæc per orbem terrarum DEO proximus, nihil non venerationis meruit & vivus & mortuus. Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium: Amicis enim culpantibus, quod nimium circa omnes communis esset, respondit: talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset. Hic postea deceptus errore, cum persecutionem tertiam moveret in Christianos, & Plinius secundus, qui inter cæteros judices, ut Tertullianus refert, persecutor datus erat, ei suggereret: hos homines nihil morte dignum gerere, nisi quod diis non immolarent & Christum veluti DEum ante lucem surgentes laudarent; a malis vero omnibus abstinerent: rescripsit ei Trajanus Christianos ex fide nullatenus inquirendos, sicque persecutio sedata est. Igitur Trajanus post ingentem gloriam bello domique quæsitam, e Perside rediens, apud Seleuciam Hysauriæ profluvio ventris extinctus est, anno vitæ suæ LXIII. mense I. die IIII. mense vero septimo anni vicesimi regni sui. Cujus exusti corporis cineres in urna aurea relati Romam, humati sunt in Foro Trajani sub ejus columpna, cujus altitudo CXL. pedes habet & imago subposita est. Triumphantium more invecta Senatu & exercitu præeunte, solusque omnium intra urbem sepultus est. Hujus memoriæ tantum delatum est, ut usque ad nostram ætatem non aliter in Senatu principibus acclamaretur nisi: Felicior Augusto! melior Trajano! Hujus anno I. Johannes Apostolus & Cunigula apud Ephesum obdormivit anno a passione Domini LXVIII. vitæ suæ XCIX. Alexandriæ tertius ordinatur Episcopus Cerdo, qui sedit ibi annos XI. II. Anno Domini CI. Nerva jussu Senatus inter DEos refertur. III. Anno Domini CII. IV. Anno Domini CIII. Evaristus Papa quartus ordinatur sedensque annos VIII. patitur sub Trajano. VI. Kal. Novemb. V. Anno Domini CIV. Trajanus multos Romano subjecit imperio. VI. Anno Domini CV. VII. Anno Domini CVI. Trajanus de Dacis & Scytis triumphavit. VIII. Anno Domini CVII. terræ motu quatuor urbes Asiæ subversæ sunt. IX. Anno Domini CVIII. X. Anno Domini CIX. Trajanus persecutionem tertiam movit in Christianos, in qua Symeon filius Cleophæ, qui in Jherosolimis Episcopatum tenuit post Jacobum crucifigitur, cum esset annorum CXX. Pro quo Justus ordinatur. Ignatius quoque secundus Antyochiæ Episcopus Romam adductus, bestiis traditur, pro quo tertius heros constituitur. XI. Anno Domini CX. Plinius secundus clarus habetur & pro Christianis agit. XII. Anno Domini CXI. Alexander quintus Romanæ Ecclesiæ Papa ordinatur, sedensque annos X. cum Eventio & Theodolo patitur. V. Non. Maj. sub Adriano, Duce. Aurelianus Quartus Alexandriæ ordinatur Episcopus nomine primus seditque annos XV. XIII. Anno Domini CXII. XIIII. Anno Domini CXIII. tres civitates Galaciæ terræ motu corruerunt. XV. Anno Domini CXIV. Jherosolimæ quartus Episcopus ordinatur Zacheus, post quem Tobias, quintus Benjamin, sextus Johannes, septimus Matthias, VIII. Philippus, IX. Seneca, X. Justus, XI. Levi, XII. Effrem, XIII. Joses vel Joseph, XIV. Judas; Hi XV. ab Apostolis usque ad eversionem & restaurationem Jherusalim, quæ sub Adriano facta est, ex circumcisione præfuerunt Jherosolymis. A passione Domini per annos fere C. & VI. XVI. Anno Domini CXV. Trajanus Armeniam & Syriam & Mesopotamiam fecit provincias. XVII. Anno Domini CXVI. XVIII. Anno Domini CXVII. Salaminam Cypri urbem subverterunt Judæi. XIX. Anno Domini CXVIII. Trajanus profluvio ventris moritur. His temporibus apud Asiam supererat adhuc & florebat ex Apostolorum discipulis Policarpus Smirneorum Ecclesiæ

siæ episcopus & Papias similiter apud Iherapolim sacerdotium gerens.

Anno Dominicæ incarnationis CXIX. urbis conditæ DCCCLXX. Helius Adrianus, genere Italicus, filius Adriani, qui fuit consobrinus Trajani (de Adria civitate agri Piceni, unde & mare Adriaticum dicitur) duodecimus ab Augusto Imperator efficitur, regnavitque annis XVI. Qui Trajani gloriæ invidens statim tres provincias reliquit, quas Trajanus addiderat. Ipse etiam de Syria & Mesopotamia atque Armenia revocavit Romanum exercitum ac finem Imperii esse voluit Eufratem. Iste fuit Latino sermone facundissimus, Græcoque eruditissimus. Orbem Romanum circuivit, multa passim ædificavit. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum & Aristidem Atheniensem virum fide sapientiaque plenum & per Serenum Granium legatum libris de Christiana religione compositis instructus atque eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanium Proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione dampnare: idemque continuo pater patriæ in senatu ultra morem majorum appellatur, & uxor ejus Augusta. Igitur Adrianus rempublicam justissimis legibus ordinavit. Judæos sane perturbatione scelerum suorum exagitatos & Palæstinam Provinciam quondam suam depopulantes ultima cæde perdomuit, excidio Iherosolimis novissime desolatis, ita ut nec lapis super lapidem secundum divinam vocem sit in ea relictus, ultusque est Christianos, quos illico Cheba duce, cum sibi adversus Romanos non assentarentur, excruciabant; præcepitque, ne cui Judæo introëundi Iherosolimam esset licentia, Christianis tantum civitate permissa, quam ipse in optimum statum in eo loco, ubi Dominus extra portam crucifixus est, murorum exstructione reparavit, & Heliam de suo nomine vocavit. Obiit in Campania apud Baias morbo subcutaneo, anno ætatis suæ LXII. imperii XXI. mense decimo. Primo anno suo Alexandriam publicis restauravit impensis. II. Anno Domini CXX. Senatus inter deos refert Trajanum. III. Anno Domini CXXI. Alexander Papa passus est. Cui succedens Sixtus sextus sedit annos IX. patiturque sub Adriano. VIII. Id. April. IV. Anno Domini CXXII. Justus Alexandriæ quintus ordinatur episcopus. V. Anno Domini CXXIII. VI. Anno Domini CXXIV. VII. Anno Domini CXXV. VIII. Anno Domini CXXVI. Saturnides & alii duo hæresin condiderunt. IX. Anno Domini CXXVII. X. Anno Domini CXXVIII. Quadratus Apostolorum discipulus & Aristides Atheniensis vir Philosophus libros de fide composuerunt. XI. Anno Domini CXXIX. XII. An. Domini CXXX. Thelesphorus Papa VII. ordinatur sedensque annos X. patitur sub Adriano non Jan. Hic constituit missas in secunda Dominicæ nativitatis nocte celebrari & tempore sacrificii Gloria in excelsis cantari. Antiochiæ quartus episcopus Cornelius ordinatur. XIII. A. Domini CXXXI. Nicopolis & Cæsarea terræ motu corruerunt. XIV. Anno Domini CXXXII. Eumenes Alexandriæ VI. ordinatur episcopus seditque annos XIII. XV. Anno Domini CXXXIII. XVI. Anno Domini CXXXIV. XVII. Anno Domini CXXXV. XVIII. An. Domini CXXXVI. XIX. Anno Domini CXXXVII. Iherosolima ab Helio Adriano restaurata & ab ejus nomine Helia vocata est. XX. An. Domini CXXXVIII. XXI. Anno Domini CXXXIX. Adrianus morbo subcutaneo moritur. Hoc regnante, Aquila Ponticus scripturas sacras de Hebræo transtulit in Græcum.

Anno Dominicæ incarnationis CXL. urbis conditæ DCCCXCI. Antonius filius Bajonius, qui propter clementiam postea cognominatus est Pius, genere claro, sed non admodum vetere, tertius decimus ab Augusto sortitus est imperium regnavitque annis XXII. menses III. Iste ab Adriano in filium adoptatus, cujus gener fuerat, vir insignis, & qui merito Numæ Pompilio conferatur, ita ut Romulo Trajanus æquatur. Vixit ingenti honestate privatus, majore in Imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari moderata gloria, defendere magis provincias quam ampliare studens, viros æquissimos ad ministrandam rempublicam quærens, bonis honorem habens, sine aliqua improbos acerbitate detestans, regibus amicis, cum orbem terrarum nullo bello per annos XXIII. auctoritate sola rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis regibus, nationibusque & populis, ut parentem seu patronum magis, quam dominum imperatoremve reputarent, omnesque in morem cælestium propicium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent. Quin etiam Indi, Bracti, Hircani, legatos misere, justitia tanti imperatoris comperta: quam ornabat vultu serie pulchro, procerus, membra decenter validus. Adeo mansuetus ut instantibus patribus, ad eos, qui contra eum conjuraverant, persequendos, compressit questionem: profecto non necesse esse sceleris insemetipsum cupidos pertinacius indagari, nisi plures reperirentur, quantis odio esset, intelligeretur. Hic ante imperium ditissimus fuit: opes quidem omnes suas stipendiis militum & circa amicos liberalitatibus detrivit: verum ærarium opulentum reliquit. Pius propter clementiam dictus est. Hujus temporibus Justinus Philosophus librum pro religione Christiana compositum eidem Antonino tradidit, benignumque eum erga Christianos homines fecit: Qui non longo post suscitata persecutione ac crescente, scripserat universis plebibus Asiæ epistolam, his verbis. Ego quidem non ambigo etiam ipsis Diis curam esse, ne quis noxius lateat. Multo enim magis ipsis convenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quam vobis: sed vos confirmatis eorum, quos persequimini, sententiam, quam de vobis habent, dicentes, vos impios & sine Deo esse: unde & optabilius habent, animam suam ponere pro Deo suo, & mortem libenter amplecti, quam nobis acquiescere & in vestræ religionis jura concedere. Obiit autem anno vitæ suæ LXXVII.

LXXVII. Primo hujus anno Yginus Papa octavus ordinatus sedit annos IV. decessitque IV. Idus Jan. Hic Clerum constituit & gradus distribuit. II. Anno Domini CXLI. Valentinus & Cerdo ecclesiam impugnant hæresi. III. Anno Domini CXLII. Idem hæresiarchæ Romam venerunt. IV. Anno Domini CXLIII. Justinus Phylosophus librum pro Christiana religione compositum Antonino obtulit, eumque benivolum erga Christianos fecit. V. Anno Domini CXLIV. Pius Papa IX. sedit annos XV. migravitque V. Idus Julii. VI. Anno Domini CXLV. Antiochiæ quintus constituitur episcopus Heros. VII. Anno Domini CXLVI. Alexandriæ septimus ordinatur Marcus, seditque annos X. VIII. Anno Domini CXLVII. IX. Anno Domini CXLVIII. X. Anno Domini CXLIX. XI. Anno Domini CL. Apollonius Stoicus Caldedonicus claruit. XII. Anno Domini CLI. XIII. Anno Domini CLII. XIV. An. Domini CLIII. Crescens quidam Cynicus Phylosophus in Justinum nostri dogmatis Phylosophum persecutionem movit, quia illum gulosum & Phylosophiæ prædicatorem esse coarguit, in qua persecutione Justinus gloriose pro Christo sanguinem fudit. XV. Anno Domini CLIIII. Antoninus commotus hæresi Crescentis, universis Asiæ plebibus scripsit epistolam pro Christianis. XVI. Anno Domini CLV. Alexandriæ Peladion ordinatur. VIII. qui sedit annos XIV. XVII. Anno Domini CLVI. XVIII. Anno Domini CLVII. XIX. Anno Domini CLVIII. XX. Anno Domini CLIX. Anicetus Papa Decimus ordinatur, qui sedit annos X. sub quo Polycarpus Romam veniens multos correxit, quos Valentini & Cerdonis error subvertit. Hic vero Anicetus constituit, ut Clerus comam non nutriat, passusque est sub Marco & Severo XVI. K. Maji. XXI. Anno Domini LX. Iherosolimæ post Marcum ordinatur Cassianus XVII. deinde Publius XVIII. Maximus XIX. Julianus XX. Gajonus XXI. Simmachus XXII. Gajus XXIII. XX. Anno Domini CLXI. Antonius obiit apud Dorium villam suam.

Anno Dominicæ incarnationis CLXII. ab urbe condita DCCCCXIII. Marcus Aurelius Antoninus Verus XIV. ab Augusto imperium adeptus est, in quo regnavit annis XIX. Is haud dubie nobilissimus, quippe cum ejus origo paterna a Numa Pompilio, materna a Solentino rege penderet, & cum eo Lucius Annius Antoninus Severus. Tumque primum Romana respublica duobus æquo jure administrantibus paruit, cum usque ad eum singulos semper habuisset Augustos. Hi & genere inter se conjuncti fuerunt & affinitate. Nam Verus Marcus Antoninus gener Antonini Pii fuit per uxorem Gallam Faustinam juniorem consobrinam suam. Hi bellum contra Bologesum regem Parthorum gesserunt, qui post victoriam Trajani tum primum rebellaverat, & gravi eruptione Armeniam, Capadociam, Syriamque vastabat. Lucius Severus Annius Antoninus ad id bellum profectus est. Qui dum Athenis sacrificaret, ignis in cœlo ab Occidente in Orientem ferri visus est. Qui Antyochiæ & circa Armeniam agens, per duces suos ingentia patravit. Seleuciam Assyriæ urbem nobilissimam super Hydaspen fluvium sitam cum quadringentis milibus hominum cepit. Parthicum triumphum revexit. Obiit tamen in Venecia intra Altinum atque Concordiam civitatem, dum proficisceretur & cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Græci apoplexin vocant. Carminum maxime tragicorum studiosus, ingenii asperi atque lascivi, reverentia tamen fratris nihil unquam atrox ausus. Cum obisset undecimo imperii anno inter divos relatus est. Post eum Marcus Antoninus Verus rempublicam solus tenuit, quem mirari facilius quisquam, quam laudare possit. A principio vitæ tranquillissimus, ut ab infantia quoque multum nec ex gaudio nec ex mœrore mutaverit. Phylosophiæ deditus Stoicæ, etiam ipse non solum vitæ moribus sed etiam eruditione Phylosophus, ammirationis adhuc juvenis tantæ, ut eum successorem paraverit Adrianus relinquere. Adoptato tamen Antonino Pio generum ei idcirco esse voluit, ut hic ordine ad Imperium perveniret. Institutus est ad Phylosophiam per Oppolium Calidonem, ad scientiam litterarum Græcarum per Cheronensem Plutarchi nepotem. Latinas autem litteras eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo jure egit, ad nullam insolentiam elatus est. Imperium fastigio liberalitatis promtissimæ, provincias ingenti benignitate & moderatione tractavit. Contra Germanos, eo principe, res feliciter gestæ sunt. Iste virtutum omnium cœlestisque ingenii extitit, ærumpnisque publicis quasi defensor objectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profecto quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe armis quies nusquam erat, perque omnem Orientem, Illyricum, Italiamque bella fervebant. Bellum contra Marcomannos gessit, quod Squadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis barbaria commoverant. In quo multa hominum milia interfecit. Ipse etiam permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, & ministris similibus exhiberent. Iis diebus Parthici belli persecutiones Christianorum quarta jam post Neronem vice agi imperavit, quæ tam graves ejus præcepto extiterunt, ut in Asia & in Gallia multi sanctorum martyrio coronati sunt. Igitur cum fortunatam rempublicam & virtute & mansuetudine reddidisset, obiit in Pannonia apud oppidum Bendobonam, octavo decimo imperii anno, vitæ sexagesimo primo. De ejus morte nuncio Romam profecto, confusa luctu publico urbe, senatus in curiam veste tetra amictus lacrimans convenit, &, quod de Romulo ægre creditum est, omnes pari sensu præsumpserunt, Marcum cœlo receptum esse, ob cujus honorem templa, columpnæ, multaque alia decreta sunt. II. Anno Domini CLXIII. Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis in cœlo ab occidente in orientem ferri visus est. III. Anno Domini CLXIV. Fronto orator insignis habetur,

tur, qui Marcum Antoninum Verum Latinis litteris erudivit. IV. Anno Domini CLXV. Seleucia urbs Assyriæ cum CCC. milibus hominum a Romanis capta est. V. Anno Domini CLXVI. VI. Anno Domini CLXVII. Orta persecutione quarta a Nerone, sub his regibus, Policarpus & Penius & alii multi passi sunt. VII. Anno Domini CLXVIII. VIII. Anno Domini CLXIX. Sother Papa XI. ordinatur, sedensque annos IX. decessit XI. Kal. Maji. Agrippinus Alexandriæ nonus ordinatur episcopus. IX. Anno Domini CLXX. Theophylus vir sapiens ordinatur Antiochiæ sextus. X. Anno Domini CLXXI. Dyonisius Corinthiorum episcopus clarus habetur & Pinnitus Cretensis episcopus, Melito Sardensis, Phylippus & Apollinaris Musanus, Modestus & præcipue Hireneus Lugdunensis episcopus. Egesippus quoque his temporibus claruit, qui sub Aniceto Papa Romam veniens usque ad Eleutherium papam permansit multaque ingenii sui monimenta reliquit. XI. Anno Domini CLXXII. Lucius Annius Antonius Severus obiit & Aurelius Marcus Antoninus Verus regnum solus obtinuit, sed Lucium Commodum filium suum regni consortem fecit. XIV. Anno Domini CLXXIII. Melito Sardensis episcopus Apollogeticum Antonino Imperatori pro Christianis dedit. XIII. Anno Domini CLXXIV. XIV. An. Domini CLXXV. XV. Anno Domini CLXXVI. XVI. Anno Domini CLXXVII. Antyochiæ septimus ordinatur Maximus. XVII. An. Domini CLXXVIII. Eleutherius Papa XII. ordinatur sedensque annos IIX. decessit VIII. Kal. Junii. Ad hunc Lucius Rex Brittanniæ litteras misit, rogans, ut baptizaretur, quod & impetravit. XVIII. Anno Domini CLXXIX. XIX. An. Domini CLXXX. Antoninus in Pannonia moritur.

Anno Dominicæ incarnationis CLXXXI. urbis vero conditæ DCCCCXXXII. Lucius Aurelius Commodus Antoninus, filius Marci Antonini Veri, quintus decimus ab Augusto, imperium accepit, & annis XII. ac mensibus VIII. regnavit. Hic qualis futurus esset, in ipso primordio ostendit. Nam cum in supremis moneretur a parente, avitos jam barbaros ne permitteret vires recipere; responderat, ab incolumi quamvis paulatim negocia perfici posse, a mortuo nichil. Iste nichil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter & ipse pugnavit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. Sed luxuriæ & obscœnitatis dedecore depravatus, gladiatoriis quoque armis sæpissime in ludo depugnavit. Deinceps & in Amphiteatro cum hujusmodi hominibus & cum feris dimicavit. Interfecit etiam plurimos senatores, maxime quos animadvertit nobilitate industriaque excellere flagicia regis, inter quos & Salvium Julianum legislatorem occidit. Huic Marcia libertini generis uxor fuit, forma & meretriciis artibus pollens: Quæ cum animum ejus penitus devinxisset, egresso e balneo veneni poculum obtulit, inmissoque ei fortissimo palæstrita in domo Vestiliani eum strangulari fecit, anno etatis suæ XXXII. Qui in tanta execratione fuit omnibus, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur. Hic primo imperii sui anno de Germanis feliciter triumphavit. Julianus Alexandriæ decimus ordinatur, seditque annos X. II. Anno Domini CLXXXII. Panthenus & Clemens Alexandriæ claruerunt. IIII. Anno Domini CLXXXIII. Iherosolymis ordinatur Maximus episcopus XXVI. postque Antonius XXVII. Valens XXVIII. Dulichianus XXIX. Narcissus XXX. Dius XXXI. Germanus XXXII. Gordius XXXIII. Item Narcissus qui supra. Horum episcopatus anni & tempora non sunt cognita. V. Anno Domini CLXXXV. VI. Anno Domini CLXXXVI. VII. Anno Domini CLXXXVII. VIII. An. Domini CLXXXVIII. Origenes Alexandriæ nascitur. IX. Anno Domini CLXXXIX. X. Anno Domini CXC. Serapion Antyochiæ ordinatur episcopus VIII. XVII. Kal. Maji. XI. Anno Domini CXCI. Victor Papa XIV. ordinatur sedensque annos X. patitur sub Severo. Demetrius ordinatur Alexandriæ XI. seditque annos XLIII. XII. Anno Domini CXCIII. XIII. Anno Domini CXCIII. Aurelius Commodus omnibus incommodus strangulatur.

Anno Dominicæ incarnationis CXCIV. urbis conditæ DCCCCXLV. Helius Pertinax decimus sextus ab Augusto suscepit imperium regnavitque menses VI. Hunc septimo mense, sive ut alii volunt, octogesimo primo die, occidit in Palatio Didius Salvius Julianus Jurisperitus Mediolanensis, vir nobilis, nepos Salvii Juliani illius, qui sub Divo Adriano leges composuit, factiosus princeps, regni avidus. Occiso autem Helio Pertinace idem Julianus rempublicam invasit, sed non ultra VII. menses regnavit. Hoc enim eodem tempore Niger Piscenius apud Antyochiam & Severus Septimus in Sabana Pannoniæ elevantur imperatores. Ab hoc Severo Julianus bello civili victus est apud pontem Molbium, & fugiens in Palatium captus est & extenta cervice, more dampnatorum, decollatus est.

Anno Dominicæ incarnationis CXCV. ab urbe condita DCCCCXLVI. Severus Septimius adeptus est imperium, septimus decimus ab Augusto, regnavitque annis XVIII. mensibus III. Iste oriundus ex Affrica solus memoria omnium ex Affrica imperator fuit. Hic primum fisci advocatus, mox militaris Tribunus: per multa deinde & varia officia atque honores usque ad administrationem reipublicæ totius venit. Bella multa & feliciter gessit. Parthos vicit & Arabas interiores & Azabenos, ideo Parthicus, Arabicus, Azabenicus dictus est. Multa in toto orbe Romano reparavit. Erat tamen parcus admodum, natura sævus, in omni, quod inceperat, efficax. Clarus etiam in civilibus studiis fuit & litteris doctus. Phylosophiæ scientiam ad plenum adeptus. Sub eo Albinus se Cæsarem fecit, qui mox victus apud Lugdunum est, & interfectus. Hoc regnante, Samarites quidam Simmachus Judæorum factus proselitus: item Divinas scripturas ex Hebræo in Græcum

cum transfudit, suamque editionem condidit. Sed hic, ut in Ecclesiastica Historia legitur, Hebionæus fuit, quæ est hæresis asserens Christum de Joseph & Maria natum purum hominem fuisse, & legem ritu Judæorum servandam esse. Commentarios etiam quosdam idem conscripsit, in quibus conatur de Evangelio secundum Matthæum auctoritatem suæ hæreseos confirmare. Post hunc anno pene tertio Theodocio Ponticus item suam in eodem opere editionem fecit. Primo anno suo Severus Julianum interfecit seque Pertinacem appellari præcepit. II. Anno Domini CXCVI. Clemens Alexandrinus Presbyter & Panthenus Stoicus Phylosophus in disputatione dogmatis nostri disertissimi adhuc floruerunt. III. An. Domini CXCVII. Quæstione orta in Asia inter Episcopos, an secundum legem Moysi XIV. die mensis primi Pascha celebrandum esset. Victor Papa datis late libellis, constituit die Dominica Pascha celebrari, sicut & prædecessor ejus Eleutherius a XIV. luna primi mensis usque in vigesimam primam. Cujus decretis favens Theophylus Cæsariæ Palestinæ Episcopus cum ceteris Episcopis, qui in eodem Concilio erant, scripsit Synodicam Epistolam valde utilem adversus eos, qui cum Judæis celebrant. IV. Anno Domini CXCVIII. V. Anno Domini CXCIX. VI. Anno Domini CC. Severus Parthos & Arabas superat. VII. Anno Domini CCI. VIII. Anno Domini CCII. IX. Anno Domini CCIII. Zepherinus Papa XIV. ordinatur seditque annos XVIII. migravit VII. Kal. Sept. X. Anno Domini CCIV. Persecutio V. facta est in Christianos, in qua inter multos alios Leonides pater Origenis passus est pro Christo: ipse vero Origenes octavum decimum ætatis agens annum, in multisque proficiens, Grammaticam etiam gentiles docebat, multosque ad fidem convertebat; inter quos Plutarchum & fratrem ejus Heraclam, quorum Plutarchus etiam Martyrii palmam consecutus est. Heraclas vero post Demetrium Alexandriæ prælatus est. XI. Anno Domini CCV. Alexander ob confessionem Christi clarus habetur. XII. Anno Domini CCVI. XIII. Anno Domini CCVII. Perpetua & Felicitas bestiis deputantur Cartagini. XIV. Anno Domini CCVIII. XV. Anno Domini CCIX. Severus bellum in Brittannos transfert. XVI. Anno Domini CCX. Tertullianus omnium ore celebratur. XVII. Anno Domini CCXI. Origenes Alexandriæ studet. XVIII. Anno Domini CCXII. Severus Eburaci moritur in Brittannia.

Anno Dominicæ Incarnationis CCXIII. ab urbe condita DCCCCLXIV. Marcus Antoninus Bassianus Caracalla filius Severi. XVIII. ab Augusto, successit patri in imperium, regnavitque annis VII. mensesque II. Hic Bassianus ex avi materni nomine dictus est. Karakalla autem cum e Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque Karakallas fecisset, coëgissetque plebem ad se salutandum indutam talibus talaribus, de nomine hujuscemodi vestis Karakalla cognominatus est. Hic fratrem suum Getam peremit, ob quam causam furore pœnas dedit, dirarum infectatione, quæ non inmerito ultrices vocantur, a quo post furore convaluit. Hic corpore Alexandri Macedonis conspecto, magnum atque Alexandrum se jussit appellari, assentantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte & ad lævum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Iste morum fere paternorum fuit, paulo asperior & minax. Opus Romæ egregium fecit lavacri, quod Antonianum vocatur, nihil præterea memorabile. Inpatiens libidinis, qui novercam suam Juliam uxorem duxit. Is dum moliens adversum Parthos expeditionem, cum Charras iter faceret, apud Edessam in Osdroena secedens ad officia naturalia, a milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est, anno imperii VI. mense secundo, vitæ vix egressus quadragesimum tertium annum. Corpus ejus funere publico Romæ relatum est. II. Anno Domini CCXIIII. Alexander Episcopus Capadociæ cum locorum sacrorum desiderio Jherosolymam tenderet, vivente adhuc Narcisso Episcopo ejusdem urbis XXX. persenilis ætatis viro, & ipse ibi ordinatus est Episcopus, Domino, ut id fieret, per revelationem præcipiente. Hic itaque Narcissus miræ sinceritatis vir fuit, qui inter plurimarum virtutum insignia in vigiliis Paschæ cum oleum luminaribus deesset, aquam infundi jussit, quam benedicens, oleum fecit. Postea a quibusdam male sibi consciis cum judicium ejus formidassent, noxio quodam crimine infamatus est, quorum unus, ita ut non igni consumeretur, vera se dicere testabatur; alius ne morbo regio corrumperetur; tertius ne luminibus privaretur. Et quamvis nullus, qui viam ejus noverat illis, licet jurantibus, crederet: ille tamen molestias non ferens & quietam vitam diligens subterfugit & in secretioribus locis per annos delituit. Primus autem ille testis ex parva scintilla nocte domo sua succensa cum omni familia igni consumptus est: alius regio morbo a pede usque ad caput corruptus est: tertius priorum cernens exitum, tandem confessus est reatum suum, & eo usque perstitit in fletibus quousque luminibus orbaretur. Narcissus vero, cum non inveniretur, necessarium visum est Episcopis, ut ordinarent pro eo alium, cui nomen Dius: cui post parvum tempus successit Germanio, & huic Gordius. Cum ecce subito quasi redivivus apparuit Narcissus, rursusque rogatu fratrum loco suo est restitutus, cum jam C. & XVI. annorum esset. Cui Alexander, divino monitu, vivo succedit, & cum eo Ecclesiam strenue rexit. III. Anno Domini CCXV. IIII. Anno Domini CCXVI. V. Anno Domini CCXVII. VI. Anno Domini CCXVIII. VII. Anno Domini CCXIX. Editio, quam nominamus quintam, Jherosolimis est inventa.

Anno Dominicæ Incarnationis CCXX. ab urbe condita DCCCCLXXI. Opilius Macrinus, qui Præfectus erat Prætorii. XIX. ab Augusto,

gusto, Imperator efficitur ab exercitu cum Diadumeno filio suo regnansque annum unum & menses duos ab eodem exercitu apud Archelaidem tumultuante occiditur cum filio Antyochiæ ordinatur Phyletus Episcopus decimus.

Anno Dominicæ Incarnationis CCXXI. urbis vero conditæ DCCCCLXXII. Marcus Aurelius Antoninus Verus, qui putabatur filius Antonini Karakalla, ex consobrina sua occulte stuprata, XX. ab Augusto Imperator factus, regnavit annis IV. Sacerdos autem Eliogabali templi erat, proinde Eliogabalus dictus est. Hujus matris Semeæ avus, Basianus nomine, fuerat solis sacerdos, quem Semees, unde erat, Eliogabalum nominabant, a quo iste Eliogabalus dictus est. Is cum Romam ingenti & militum & senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminavit, impudicissime & obscœnissime vixit. Cupiditatem stupri quam assequi naturæ defectu non poterat, in se convertens muliebri nomine Basianam se pro Basiano jusserat appellari. Vestalem virginem quasi matrimonio jungens suo, abscissis genitalibus Matri se magnæ consecravit. Hic Marcellum, qui post Alexander dictus est, consobrinum suum Cæsarem fecit, biennioque post & octo mensibus, quo imperare cœperat, Romæ tumultu militari interfectus est, anno vitæ sexto decimo & cum eo mater sua Risera. Hujus corpus per urbis vias more canini cadaveris a militibus tractum est, militari cavillo appellantium, indomitæ rabidæque libidinis Catulam. Novissime cum angustum foramen cloacæ corpus minime receperit, usque ad Tyberin deductum, adjecto pondere, ne umquam emergeret, in fluvium projectum est: atque ex his quæ acciderant, Tyberinus Tractiriusque appellatus est. Primo Aurelii anno Calixtus Papa XV. ordinatur sedensque annos V. passus est sub Alexandro Imperatore II. Idus Octob. II. Anno Domini CCXXII. Ypolitus Episcopus multorum conditor opusculorum canonem temporum, quem scripsit, huc usque perduxit; qui etiam sedecentalem Paschæ circulum reperiens, Eusebio decennovenalem componendi occasionem dedit. III. Anno Domini CCXXIII. Nycopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Affricano temporum scriptore. IV. Anno Domini CCXXIV. Aurelius tumultu militari occiditur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCXXV. a conditione urbis DCCCCLXXVI. Aurelius Severus Alexander ignobilis fortunæ, XXI. ab Augusto, Imperator factus est. Juvenis admodum ab exercitu Cæsar nominatus, a senatu Augustus, regnavit annis XIII. Qui suscepto bello adversus Persas, Xersen Regem eorum gloriosissime vicit: militarem disciplinam severissime rexit; quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Assessorem habuit vel scrinii Magistrum Vlpianum juris conditorem, cujus mater Mamea Christiana, Origenem Presbyterum audire curavit. Bonus quoque reipublicæ fuit, ærumpnosus sibi. Hujus temporibus Taurinus in oriente Augustus effectus, ob timorem ipse se Eufrate fluvio abjecit. Tunc & Julius Maximinus apud Gallias regnum arripuit, pluribus de exercitu corruptis. Alexander vero cum deseri se ab stipatoribus apud Mogontiacum vidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans, accurrenti percussori obvoluto capite cervices manibus valide compressas præbuit, anno vitæ vigesimo sexto, imperii XIII. die octavo. In Mameam matrem suam unice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Hæc eo filium coëgerat, ut illa ipsa permodica, si mensæ prandioque superessent, quamvis semesa, alterno convivio reponerentur. II. Anno Domini CCXXVI. Vrbanus Papa XVI. efficitur, sedensque annos VIII. convertit plures ad fidem, & ad martyrium exhortatus est, ipseque passus est sub Alexandro VIII. Kal. Jun. III. Anno Domini CCXXVII. IV. Anno Domini CCXXVIII. V. Anno Domini CCXXIX. VI. Anno Domini CCXXX. VII. Anno Domini CCXXXI. Antyochiæ constituitur Zebennus Episcopus. XI. VIII. Anno Domini CCXXXII. IX. Anno Domini CCXXXIII. X. Anno Domini CCXXXIV. Pontianus Papa XVII. ordinatus sedit annos VI passusque est sub Maximino XII. Kal. Dec. Heraclas Alexandriæ ordinatur XII. XI. Anno Domini CCXXXV. Origenes de Alexandria in Palestinæ Cæsaream transit. XII. Anno Domini CCXXXVI. XIII. Anno Domini CCXXXVII. Alexander Mogontiæ occiditur.

Anno Domin. Incarnationis CCXXXVIII. urbis conditæ DCCCCLXXXIX. Julius Maximinus genere Trax, ordine miles. XXII. ab Augusto Imperator factus est, sola militum voluntate sine senatus auctoritate regnavitque annis III. Is primus ex corpore militari Imperator factus sola militum voluntate, cum nulla senatus intercessisset auctoritas, neque ipse senator esset. Hic bello adversum Germanos feliciter gesto, cum insontes persequitur, pecuniosos pariter, noxiosque, apud Aquilejam a Papiano interfectus est, militibus suis cum deferentibus cum filio Dyadumeno nomine, adhuc puero, cum quo imperaverat - - & paucis diebus; cunctis militari joco conclamantibus ex pessimo genere nec catulum habendum. Iste persecutionem in Christianos sextus a Nerone exercuit. Hujus imperio duo Gordiani pater & filius principatum arripientes unus post unum interiere. II. Anno Domini CCXXXIX. Maximinus persecutionem sextam movit in Christianos, in qua cum Pontinianus Papa occubuisset, Anteros ei successit XVIII. Papa, sed post mensem unum diesque XIII. & ipse passus est III. Non. Jan. III. Anno Domini CCXL. Fabianus Papa XIX. ordinatur sedens annos XIII. menses XI. passus est sub Decio XIII. Kal. Febr. Maximinus Imperator Aquilejæ occiditur. Antyochiæ Babillas ordinatur XII.

Anno Dominicæ incarnationis CCXLI. ab urbe condita DCCCCXCII. Gordianus nepos Gordiani ex filia ortus Romæ ex clarissimo patre. XXIII. ab Augusto, imperator creatus, regna-

regnavit annis VI. Hic cum Romam venisset, Balbinus & Pupianus in Palatio interfecti sunt. Gordianus admodum puer cum Tranquillinam Romæ duxisset uxorem, Jani gemini portas aperiit, quas post Vespasianum & Titum apertas a nemine scripsisse memini: & ad Orientem profectus Bellum Parthis intulit, qui jam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, præliisque ingentibus Persas afflixit. Rediens haud longe a Romanis finibus apud Thesiphontam civitatem Persidis interfectus est, fraude Philippi præfecti Prætorii, qui post eum imperavit, accensis in seditione militibus, anno vitæ vigesimo, imperii sexto. II. Anno Domini CCXLII. Origenes in Cæsarea Palæstinæ Theodorum cognomento Gregorium & Anthenodorum fratrem ejus, postea Ponti Episcopos insignes, divina imbuit sapientia. III. Anno Domini CCXLIII. IV. Anno Domini CCXLIV. V. Anno Domini CCXLV. Gordianus bellum Parthis intulit. VI. Anno Domini CCXLVI. Gordianus a Philippo interficitur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCXLVII. urbis conditæ DCCCC XCVIII. Marcus Julius Philippus XXIV. ab Augusto invasit Imperium occiso Gordiano, & una cum filio suo Gajo Julio Saturnino Philippo regnavit annis VII. Isti omnium Imperatorum primi Romæ Christiani effecti sunt, & in ipsis Paschæ vigiliis cum jungi vellent sacrificiis & communicare, a Fabiano pontifice Romano non permissi sunt, nisi prius confiterentur peccata sua & inter pœnitentes starent. Quod illi suscipientes libentissime, divinum sibi metum & plenissimam Christianitatis fidem rebus & operibus comprobabant inesse. His anno jam tertio imperantibus millesimus annus conditæ urbis Romæ impletus est, quo sollempniter ab omnibus celebrato, innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ sunt, ludique theatrales in Campo Martio celebrati, tribus diebus ac noctibus populo pervigilante. Ambo deinde scilicet pater & filius ab exercitu interfecti sunt, Patre Veronæ medio capite supra ordines dentium præciso; filius vero Romæ, cum esset annorum XII. Hic adeo severi fuit animi, ut jam in quinquennii ætate nullo cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit, patremque ludis specularibus petulantius cachinnantem, licet adhuc puer, vultu aversato notaverit. Philippus primo regni sui anno Philippum filium suum consortem regni fecit. II. Anno Domini CCXLIIX. III. Anno Domini CCXLIX. Alexandriæ Dyonisius ordinatur Episcopus XIII. Annus ab urbe condita millesimus festive celebratus est Romæ. IV. Anno Domini CCL. V. Anno Domini CCLI. VI. Anno Domini CCLII. Philippus senior Veronæ, junior occiditur Romæ. VII. Anno Domini CCLIII.

Anno Dominicæ Incarnationis CCLIV. ab urbe condita MV. Decius in Pannonia inferiori Bubaliæ natus XXV. ab Augusto, invasit imperium interfectis ejus fraude Phylippis, hoc patre & filio, & XXX. mensibus, id est, duobus annis & dimidio regnavit; quamvis quidam scribant, eum uno anno tantum regnasse. Hic persecutionem VII. post Neronem in Christianos movit, occasionem sumens odium Phylipporum, quos interfecit. In qua persecutione multi sanctorum passi sunt. His temporibus, cum plurimi Gothi Histrum fluvium transmeantes, Romanorum civitates devastarentur, Decius cum filio suo illos bello aggressus XXX. milia ex eis occidit, de suis quoque multos amissis; filius etiam ejus interfectus est, ipseque in confusas turbas gurgiti cujusdam paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus inveniri potuerit, anno imperii sui tertio, vitæ L. Hæc juxta hystoriam. In passionum vero scriptura reperitur, quod interfecto Syxto Papa & ejus Archidiacono Laurentio aliisque ac deinde Ypolito sociisque ejus XXVII. die post Passionem sanctorum Decius & Valerianus præfectus sedentes in Karruca, cum tractarent adhuc de nece sanctorum, dæmoniis arrepti sunt & in præsentia Decii Valerianus exspiravit. Decius vero rediens in Palatium triduo vexatus fit & in conspectu Triphoniæ, uxoris suæ exhalaverit. Qualiter autem super his veritas habeatur, in scriptorum narratione consistat. Primo Decii anno facta in Christianos persecutione, Fabianus Papa XIX. passus est XIII. Kal. Febr. cui Cornelius XX. succedens sedit annum & menses VII. & dies aliquot. Alexander Jherosolimitanus Episcopus Narcissi successor cursum bonum consummavit, cui Azabanes successit. Antyochenus quoque præsul æqualiter Alexandro decertans in mundis moritur, post quem Fabianus XIV. constituitur. II. Anno Domini CCLV. Cornelius Papa XX. passus est XVIII. Kal. Octob. cui Sixtus succedens Papa XXI. sedit menses X. III. Anno Domini CCLVI. Sixtus Papa passus est VIII. Idus Aug. cum aliis. Passi sunt hoc anno Polochronius Episcopus cum sanctis Abdon & Sennes. Olimpiades quoque & Maximus, Laurentius post Sixtum, Ypolitus cum sociis suis passi sunt, alii quam plures. Dyonisius Papa XXII. post Sixtum ordinatus sedit annis II. menses V.

Anno Dominicæ Incarnationis CCLVII. ab urbe condita M VIII. Virius Gallus Hostilius XXVI. ab Augusto Imperator ab exercitu creatur & cum Volusiano filio suo regnavit annis duobus menses IV. Hujus temporibus Emilianus quidam in Mœsia Imperator elevatus est, contra quem ambo pater scilicet & filius pergentes ab exercitu suo interfecti sunt; pater habens annos vitæ XLVII. Emilianus autem Maurus genere post menses quatuor occisus est. Primo anno regni Galli & Volusiani Origenes Presbyter anno ætatis suæ LXX. nondum expleto moritur, & in Tyro sepelitur, qui in tantum sedulus scribendi, ut Jheronimus quodam loco dicat, quinque milia librorum ejus se legisse. Antiochiæ constituitur Demetrianus Episcopus XIIII. II. Anno Domini CCLVIII. Gallus & Volusianus occiduntur. Dyonisius Papa XXII. migravit VI. Kal. Jan. Hic presbyteris Ecclesias distribuit & parochias divisit.

Anno

Anno Dominicæ Incarnationis CCLIX. urbis conditæ MX. Licinius Valerianus cognomento Colubius in Rœtia & Norico agens, ab exercitu Imperator creatus, mox Augustus est appellatus XXVII. ab Augusto; Romæ vero Gallienus filius ejus a Senatu Cæsar appellatus est, regnaveruntque simul annis sex. Gallienus vero solus postea novem, qui faciunt annos XV. Valerianus igitur filium suum Gallienum fecit Augustum & Cornelium Valerianum Gallieni filium Cæsarem constituit. Persecutionem etiam a Nerone octavam in Christianos exercuit. Præterea in Mesopotamia bellum gerens a Sapore Persarum rege captus luminibusque privatus miserabili servitute ibi consenuit. Nam quamdiu vivebat semper acclimis humi regem in equum ascensurum dorso attollebat. Unde Gallienus tam claro DEI judicio territus, pacem nostris dedit. Ob meritum tamen vel propriæ libidinis vel paternæ teomachiæ innumera, barbaris assurgentibus, Romani regni detrimenta sustinuit. Alemanni vastatis Gallis Italiam penetraverant. Græcia & Pontus & Asia vastabatur a Gothis. Pannonia a Sarmatis Quadisque populata est. Germani usque ad Hispanias bellando venerunt & Tarraconem civitatem nobilem expugnaverunt, deleto fere Romano Imperio. Postumus in Gallia purpuram sumpsit & provincias pene consumptas ingenti virtute reparavit. Iste seditione militum occisus est, quod Mogontiacum, quia contra eum rebellaverat, diripiendam militibus tradere noluit. Gallienus igitur profectus adversus Aureolum ducem suum, qui Mediolano regnare tenptavit, comprehendit illum apud Pontem, qui ex nomine ejus Aureolus nuncupatur, & Mediolanum obsedit; sed cum ibi luxuriose viveret, artificio ejusdem Aureoli, a suis interfectus est anno vitæ L. Hac autem persecutione quæ sub patre suo facta est, aliqui passos esse confirmant Cornelium Lucium Stephanum & Sextum Romanos Pontifices, cum tamen Cornelius & Sixtus, ut dictum est, in Passionum libris sub Decio passi legantur. Primo regni sui anno Licinius Valerianus persecutionem in Christianos movit. Lucius Papa XXIII. ordinatur sedensque menses VIII. patitur IV. Non. Mart. Cui successit Stephanus Papa XXIV. sedit annis II. paturque IV. Non. August. II. Anno Domini CCLX. III. Anno Domini CCLXI. IV. Anno Domini CCLXII. Sixtus Papa XXV. ordinatus sedit annis XI. paturque VIII. Idus August. Cyprianus Kartaginensis Episcopus Doctor præcipuus, cujus doctissima extant opuscula, Martyrio coronatur XVIII. Kal. Octob. V. Anno Domini CCLXIII. Theodorus cognomento Gregorius, cujus supra mentionem fecimus, Neo-Cæsariæ Ponti Episcopus magna virtutum gloria claruit, qui est stagnum quoddam precibus exsiccavit, & montem, ut Ecclesiæ locus sufficeret, movit. VI. Anno Domini CCLXIV. VII. Anno Domini CCLXV. Valerianus a Sapore rege capitur. Antiochiæ ordinatur Episcopus XV. Paulus Samosatenus. VIII. Anno Domini CCLXVI. Gallienus casu patris perterritus, pacem Christianis dat. Olimpiades CCLXI VIII Anno Domini CCLXVII. IX. Anno Domini CCLXVIII. X. Anno Domini CCLXIX. XI. Anno Domini CCLXX. Jherosolimorum Episcopus Ismenius ordinatur. Alexandriæ constituitur Episcopus XIV. Maximus. XII. Anno Domini CCLXXI. Antiochiæ ordinatur Domnus Episcopus XVI. XIII. Anno Domini CCLXXII. XIV. Anno Domini CCLXXIII. Dyonisius Papa XVI. ordinis sedit annos IX. Galienus Mediolano interficitur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCLXXIV. urbis vero conditæ M XXV. Claudius, quem multi dicunt a Gordiano creatum XXVIII. ab Augusto a militibus electus, a Senatu Augustus appellatus, regnavit annum unum, menses VIII. vir parcus & modestus & justi tenax ac reipublicæ idoneus. Hic Gallieni morientis sententia Imperator designatus est, ad quem Ticini positum vestimenta regalia illi direxit. Hic interfecto a suis Aureolo, recipiens legiones, Gothos jam per XV. annos Illiricum Macedoniamque vastantes ingenti prælio vicit. Deinde adversus CCC. milia Alemannorum haud procul a lacu Benaco dimicans, tantam eorum multitudinem fudit, ut vix dimidia pars remaneret. Qui cum intra biennium morbo interiret, tanto eum Senatus decoravit honore, ut divus appellaretur, & in curia clippeus aureus, in Capitolio vero aurea statua ei poneretur. Cujus frater Quintillianus vir miræ moderationis & civilitatis solusque fratri præferendus a militibus electus & consensu Senatus Augustus appellatus XVII. imperii die Aquilejæ occisus est. I. Anno Domini CCLXXV. Paulus Samosathenus Antyochiæ Episcopus a multis Episcopis hæreticus esse convincitur, dogmatizans Christum communis naturæ hominem tantum fuisse, adversus quem Malchion disertissimus Antyochenæ presbyter Ecclesiæ, utpote qui in eadem Ecclesia rethoricam docuerat, accipientibus notariis, disputabat, qui Dialogus usque hodie extat. Dejecto autem Paulo. XVI. Antiochiæ subrogatur Domnus Episcopus.

Anno Dominicæ Incarnationis CCLXXVI. a condita urbe millesimo XXVII. Aurelianus patre Medioci, ut dicunt, Aurelii Senatoris colono progenitus. XXIX ab Augusto Imperator electus, regnavit annis V. menses VI. vir in bello potens, sed animi immodici & ad crudelitatem propensioris, ita ut non solum nobiles plures dampnaret, sed etiam sororis suæ filium necaret. Disciplinæ tamen militaris & morum dissolutorum magna erat ex parte corrector, quique Gothos strenuisse vicit, haud dissimilis Magno Alexandro seu Cæsari dictatori. Nam Romanum imperium triennio ab invasoribus receptavit, cum Alexander annis XII. per ingentes victorias ad Indiam pervenit & Gajus Cæsar decennio pugnaverit. Hic primus apud Romanos diadema capiti suo imposuit, & vestes auro gemmisque contextas in usu habuit, quod antea Romanis moribus incognitum fuit: porcinæ quoque carnis usum populo instituit. Hic

cum persecutionem nonam post Neronem in Christianos movisset, fulmen ante illum magno circumstantium pavore ruit, ac non multo post inter Constantinopolim & Heracleam a militibus occisus est. II. Anno Domini CCLXXVII. Antiochiæ Timæus ordinatur Episcopus XVII. III. Anno Domini CCLXXVIII. IV. Anno Domini CCLXXIX. Eusebius Laodicenus Episcopus insignis habetur. V. Anno Domini CCLXXX. Aurelianus occiditur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCLXXXI. ab urbe condita millesimo XXXII. Tacitus ab Augusto XXX. suscepit Imperium, vir egregie morigeratus & ad regendam rempublicam idoneus, nihil potuit ostendere, quia post VI. menses apud Pontium occisus est. Hinc Florianus successit, sed nec hic aliquid dignum memoria egit, quia duobus tantum mensibus & XX. diebus in Imperio vixit. Nam dum magna pars exercitus Equitum Probum militiæ peritum (eligeret,) Florianus quasi per ludum tenuit imperium diebus LX. deinde sibimet venas incidens sanguine interiit effuso.

Anno Dominicæ Incarnationis CCLXXXII. urbis conditæ millesimo XXXIII. Probus ab Augusto XXXI. imperium adeptus regnavit annis VI. menses IV. Iste patre genitus rustico, hortorum cultore studiosissimo, nomine Dalmatio, gloria militari ad administrationem publicam accessit. Gallias a barbaris occupatas ingenti præliorum felicitate restituit. Vir acer, strenuus & justus, multa gerens bella & qui Aurelianum gloria militari coæquaret. Interfectus est autem apud Sirmium, militari tumultu. Primo Probi anno Felix Papa XXVII. ordinatus sedit annis V. decessitque III. Kal. Junii. Hic constituit missas celebrari supra memorias martyrum. II. Anno Domini CCCLXXXIII. Manes quidam genere Perses extitit vita & moribus barbarus, tam acer ingenio, ut insanire vel Dæmone videretur impleri, ex quo insania Manichæorum hæresis orta est. III. Anno Domini CCLXXXIV. IV. Anno Domini CCLXXXV. Cyrillus XIIX. Antyochiæ ordinatur Episcopus. V. Anno Domini CCLXXXVI. VI. Ann. Domini CCLXXXVII. Luticianus Papa XXIIX. ordinis sedit menses X. decessitque VI. Idus Decemb. cui succedens Gajus XXIX. sedit annis XV. patiturque sub Diocletiano X. Kal. Maji. Alexandriæ ordinatur Episcopus Theonas XV. Archelaus Mesopotamiæ Episcopus librum disputationis suæ, quam habuit adversus Manen hæresiarcham, Syro sermone composuit, qui translatus a Græcis habetur a multis.

Anno Dominicæ Incarnat. CCLXXXIIX. urbis conditæ M XXXIX. Carus Narbone in Gallia natus XXXII. ab Augusto Imperator factus, moxque filios suos Carinum & Numerianum Cæsares faciens, duobus cum his annis regnavit. Is nuntiato sibi Persarum tumultu profectus in Orientem, cum apud Antyochiam maneret, Numerianus filius ejus Ecclesiam voluit intrare & Christianorum mysteria explorare. Quem cum Sanctus Cyrillus prohiberet, dicens illi, non licere divina mysteria videre, qui pollutus esset sacrificiis idolorum, indignatus ille, occidit eum. Carus autem cum Persas fortiter in bello sterneret, & notissimas urbes eorum caperet, supra Tygridem fluvium castra ponens ictu fulminis interiit. Numerianus vero filius ejus cum dolore oculorum captus in lectica veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est. Cumque mors ejus occultaretur, donec Aper regnum posset invadere, fœtore corporis scelus proditum est. Interea Carinus in Italia relictus, Sabinum Julianum invadentem Italiam in Campis Veronensibus occidit, se ipsum vero sceleribus inquinavit, multos falsis criminibus occidens, nobilium matronas vi corrumpens, omnibusque invisus, non multo post trucidatus cujusdam Tribuni manibus, cujus uxorem dicitur polluisse. II. Anno Domini CCLXXXIX. Carus fulmine periit. Filii ejus occisi sunt.

Anno Dominicæ Incarnationis CCXC. ab urbe vero condita MXLI. Diocletianus XXXIII. ab Augusto Imperator ab exercitu creatus est, regnavitque annis XX. vir obscurissime natus de Dalmatia, adeo ut a plerisque scribæ filius, a nonnullis Anolini Senatoris libertinus fuisse credatur, matre pariter atque oppido nomine Dioclea. Hic Aurelium Maximianum, cognomento Herculium, Cæsarem fecit, eumque in Galliam contra tumultuantes Amandum & Emilianum duces misit, quos ille facile devicit. Inter hæc per omnes Romanos terminos turbatio facta est. Carausius quidam sumpta purpura occupavit Brittanniam, Julianus Italiam, Achillæus Egyptum, Quinquegentianus Affricam, Narseus Rex Persarum Orientem. Ob hoc Diocletianus Maximianum fecit Imperatorem, Constantium vero & Galerium Maximianum Cæsares constituit, quorum Constantius, Claudii nepos fuit ex filia. Galerius vero in Dacia Ripensi natus est ex parentibus agricultoribus, fuitque pastor armenti, unde & Armentarius appellatus est: sed satis laudabilis fuit, pulcher corpore, magnus & fortis bellator. Hic accepit filiam Decii Valeriam uxorem. Karausius post septennium a socio suo Allecto fraude occisus est in Brittannia. Maximianus Herculius Quinquegentianos vicit in Affrica. Constantinus in Gallia juxta Linguonas una die & adversam & prosperam habuit fortunam. Nam, cum repente barbaris irruentibus, intra civitatem claudi cogeretur, vix quinque horis medi- is adventante exercitu fere LX. milia Alemannorum interfecit. Diocletianus ante obsessum Alexandriæ Achillæum octavo fere mense superavit & occidit. Galerius autem Maximianus contra regem Persarum Narseum dimicans primum victus est, fugiensque venit ad Diocletianum in Mesopotamiam, a quo male tractatus, ita ut faceret eum aliquandiu ante currum suum currere, collectis iterum militibus rediit, magnamque victoriam acquisivit. Nonodecimo igitur imperii sui anno Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente persecutionem decimam post Neronem exercue-

cuerunt in Christianos, quæ cæteris sævior per decem annos ecclesiam afflixit incessanter, quamvis & antea Christianos persequerentur. Sed tunc tam crudelis & tam sæva tamque crebra persecutio flagrabat, ut intra unum mensem XVII. milia martyrum pro Christo passi inveniantur. Nam & Occeani limbum transgressa, Abinum & Aaron ac Julium cum aliis pluribus viris & fœminis Brittanniæ felici cruore dampnavit. Passus est & Pamphilus presbyter Eusebii, Cæsariensis episcopi necessarius, cujus ipse vitam tribus libris comprehendit. Secundo autem persecutionis anno Dyocletianus, videns se propter senectutem minus ydoneum ad regendum imperium, dixit ad Maximianum Herculium, videri sibi bonum, ut junioribus publicam causam regendam committerent, ipsique in ocio quiete viverent, quod licet ille non ex tota voluntate faceret, tamen consensit, & in uno die purpuram regnique potentiam deposuerunt. Dyocletianus apud Nychomediam, Maximianus apud Mediolanum: & concessit Dyocletianus Salonam, Maximianus in Lucaniam, Persecutio tamen permansit usque in septimum annum Constantini Helenæ filii. Privatus itaque in villa, quæ haud procul a Salonis est, præclaro ocio senuit. Qui dum ab Herculio & Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit. Utinam Salonæ possetis olera nostris manibus insita videre, profecto istud temptandum judicaretis. Vixit annos LXVIII. e quibus communi habitu prope novem egit, morte consumptus est, ut satis patuit, per formidinem voluntaria: quippe cum a Constantio atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum per senectam, quo minus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse ac Maximiano favere, suspicans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse, inusitata virtute usus, ut solus omnium post conditum Romanum imperium ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum civilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut cum privatus obisset, inter divos tamen referretur. Primo anno Dyocletiani Bagaudæ in Gallia tumultum fecerunt. II. An Domini CCXCI. Dyocletianus Maximianum Herculeum Cæsarem fecit. III. Anno Domini CCXCII. Carausius sumpta purpura Brittanniam occupavit. IV. Anno Domini CCXCIII. Quinquegentiani Affricam infestaverunt. V. Anno Domini CCXCIV. Achyllæus occupavit Egyptum. VI. Anno Domini CCXCV. Dyocletianus Maximianum Herculeum fecit Augustum & consortem regni. Constantium vero patrem Constantini & Galerium Maximianum Cæsares constituit. VII. Anno Domini CCXCVI. VIII. Anno Domini CCXCVII. IX. Anno Domini CCXCVIII. primus Dyocletianus venerari & adorari se, ut Deum, jubet. X. Anno Domini CCXCIX. XI. Anno Domini CCC. XII. Anno Domini CCCI. Zabda Iherosolimis ordinatur episcopus. XIII. Anno Domini CCII. Victurius magister militiæ Christianos persequitur, paulatim ex illo tempore persequutione in nostros crescente. XIV. Anno Domini CCCIII. Marcellinus Papa XXX. ordinatur, sedit annis IV. patiturque VI. Kal. Maj. XV. Anno Domini CCCIV. Iherosolimis præficitur Thermon episcopus. Antiochiæ Tyrannus ordinatur XVIII. XVI. Anno Domini CCCV. Petrus Alexandriæ ordinatur episcopus XVI. XVII. Anno Domini CCCVI. Marcellus Papa XXXI. ordinatur, sedit anno & menses VIII. passusque est. XVII. Anno Domini CCCVII. publicata undique persecutione Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente ecclesias subvertit, libros divinos succendit & Christianos decima post Neronem persecutione affligit. XIX. Anno Domini CCCVIII. Dyocletianus & Maximianus purpuram deponunt. Marcello Papa martyrizato successit Eusebius Papa XXXII. Cui post menses VIII. passo, succedens Melciades XXXI. sedit annis IV. decessitque IV. Idus Dec. XX. Anno Domini CCCIX.

Anno Dominicæ incarnationis CCCX. ab urbe condita MLXI. cum Dyocletianus & Maximianus jam a regno secessissent, ad administrationem reipublicæ Constantius & Galerius Augusti creati sunt, divisusque est inter eos ita Romanus orbis, ut Constantius Italiam, Galliam & Affricam; Galerius Illiricum, Asiam & Orientem obtineret. Sed Constantius Augusti dignitate contentus, administrationem Italiæ & Affricæ recusavit. Galliam tantum obtinuit. Vir egregius & mansuetus & paratissimæ civilitatis; non modo amabilis, sed etiam venerabilis, præcipue Gallis, quod Dyocletiani suspectam prudentiam & Maximiani sanguinariam temeritatem ejus imperio evaserunt. Galerius autem vir probe morigeratus & egregius in re militari, videns Italiam quoque suæ administrationi accessisse, sinente socio suo Constantio, Cæsares duos creavit, Maximinum, quem Orienti præfecit, qui & ipse persecutor Christianorum fuit, & Severum, cui Italiam dedit. Ipse vero in Illirico moratus est. Constantius vero filium suum Constantinum Cæsarem fecit, eique Galliam commisit: ipse autem tercio anno persecutionis, qui est imperii sui XVI. Eboraci in Brittannia obiit. Quo mortuo Galerius Licinium Cæsarem fecit, natum de Dacia, notum sibi antiqua consuetudine ex bello, quod adversus Narseum regem gesserat. Erat enim strenuus laboribus & officiis acceptus. Interea Romæ Prætoriani excitato tumultu Maxentium Herculii Maximiani filium nuncupaverunt Augustum. Quo audito pater ejus Maximianus Herculius arrectus in spem resumendi principatus, quam suasu Dyocletiani invitus amiserat, Romam advolavit e Lucania. Dyocletianum quoque per litteras adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem, quas ille irritas habuit & sprevit. Galerius autem Severum cum exercitu contra Maxentium misit, qui veniens Romam obsedit eam, sed militum suorum scelere desertus Ravennam fugit & in itinere ab Herculio est occisus. Posthæc Herculius Maximia-

ximianus in contentione exercituum filium suum Maxentium imperio nudare conatus, sed a militibus injuriatus conviciis ad Gallias tetendit, dolo composito, quod a filio expulsus esset, ut genero Constantino jungeretur, moliens & ipsum, si posset, reperta occasione interficere, regnumque ejus invadere, qui in Galliis & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat. Detectis autem insidiis ejus per filiam Faustam, quæ dolum ejus viro nunciavit, inde profugit; sed a Constantino insequente captus Massiliæ, fractis laqueo cervicibus, perfidiæ suæ pœnas dedit anno vitæ suæ LX.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXI. urbis conditæ MLXII. Constantinus ex obscuriori matrimonio, scilicet ex Helena concubina Constantii, filius, mortuo patre, annuentibus cunctis, qui aderant, præcipueque Croco Alemannorum rege auxilii gratia cum eo comitante XXXIV. ab Augusto in Brittannia creatus est Imperator VI Kal. Aug. & in locum patris exoptatissimus moderator accessit, regnavitque annis XXX. menses X. Hic sororem suam Constantiam Licinio Mediolanum accito conjunxit, filiumque suum nomine Crispum ex Minervia concubina ejusdem. Eliebus Arelatensi opido natum, & Licinianum Licinii filium mensium fere XX. Cæsares fecit.

Interea Galerius Maximinus, cum persecutionem a Dyocletiano & Maximiano immissam atrocioribus edictis cumularet, divina tactus vindicta putrefactus intrinsecus, pectore & vitalibus dissolutis, cum ultra humanæ horrorem miseriæ vermes etiam eructaret, medici, jam fœtorem ejus non ferentes, crebro jussu ejus occiderentur, a quodam medico, ex desperatione constantiam sumente, increpatus est, dicente pœnam ejus a Deo esse, & ideo non posse sanari: moxque late missis edictis Christianos de exilio revocavit: ipse tamen cruciatus non sustinens, vitæ finem dedit. Inter hæc respublica a novis quatuor Imperatoribus tenebatur. Constantino, Maxentio, filiis Augustorum, Licinio & Maximino, hominibus novis. Quinto tamen imperii sui anno Constantinus bellum civile Maxentio intulit, ejusque copias præliis fudit, propter magicas tamen artes, quas ille multum dilexerat, metuebat eum. Cumque congredi cum eo multum hæsitaret, vidit licet adhuc paganus, partem in cœlo signi crucis igneo fulgore rutilare, & tanto visu exercito sibi astare angelos, dicentes: Constantine, in hoc vinces. Fertur autem & ipse Christus sibi apparuisse & signum crucis ei monstrasse, &, ut simile faceret, præcepisse. Quod & fecit, habens eam in vexillis depictam.

Igitur Constantinus Romam veniens contra Maxentium castra posuit juxta pontem Molbium, & ecce Maxentius portis erumpens sequentibus cæteris præcucurrit armatus. Constantinus vero crucem, quam formaverat, ante se jussit portari; factaque congressione superati sunt, qui circa Maxentium fuerunt Ipse autem fugiens paulo superius a ponte Molbio, ubi prius ad decipulam quasi pontem fecit ex navigiis fieri, tabulis desuper stratis, cum vellet eundem pontem ex latere intrare, lapsu equi in profundum demersus est, vixque corpus ejus inventum est. Erat tunc annus Constantini VII. Interea cives Romani civitatem coronant & cum gaudio victorem Constantinum vivificamque crucem suscipiunt.

Inter hæc Maximinus Christianorum & ipse persecutor sævissimus, in Oriente adversus Licinium res novas molitus, cum adversus eum duceret exercitum, repente divino judicio doloribus viscerum internorum correptus vehementer exagitari cœpit: deinde homo antea vorax semperque vino repletus, nec ne summis quidem labris cibum degustare aut vinum potuit odorare, sicque carnibus suis inedia & ariditate consumptis ad hoc solum perfecit infelix ut justam Dei profiteretur esse vindiciam in se. Ad ultimum tamen morbo amissis prius luminibus finem vivendi accepit. Valens quoque in Oriente ab exercitu Imperator appellatus a Licinio occisus est. Alexander etiam quidam apud Kartaginem Imperator effectus, ab exercitu Constantini jugulatur. Sic itaque omnis potestas imperii ad Constantinum & Licinium pervenit. Qui Licinius cum primo se probum & quia erga Christianos se ostenderet devotum, postea videns profectum imprimis Constantini, ductus invidia, occultis insidiis maxime per familiares & ministros principem decipere molitus est: sed cum id parum procederet, apertum illi bellum intulit. Christianos vero privato & speciali odio persequi parat. Hoc in querelam devocans, quod non ita pro se, sicut pro Constantino excubarent orationibus. Cujus flagitiis Constantinus obvius ire parat, devictoque Licinio solus cum filiis Monarchiam imperii obtinuit, anno regni sui XIV. Unde per insolentiam imperii, ut ajunt, mutatus & crudelior effectus, primum sororis suæ filium egregiæ indolis juvenem interfecit, mox Crispum filium suum ex Minerva, suggerente, ut dicunt, Fausta conjuge sua necari jussit; deinde ipsam Faustam in balneas ardentes conjectam interemit. Cum eum dolore nimio mater Helena pro nece nepotis increparet, postea numerosos interfecit amicos. Qui cum in multis flagitiis grassaretur, cum tamen in eo multæ virtutes animi haberentur, divinitus lepra percussus per sanctum Silvestrum Papam una cum matre aliisque multis ad fidem conversus est & baptizatus & a lepra curatus. Moxque omne studium ad ecclesiæ transtulit profectum legesque statuens Christianas fecit basilicas multas.

Testamentum, quod statuit Constantinus Imperator Silvestro Papæ & successoribus ejus.

Ex testamento constituti nostri concedimus sanctis Apostolis, dominis meis beatissimis Petro & Paulo, per eos etiam beato Silvestro, patri nostro, summo pontifici & universalis urbis Romæ Papæ & omnibus successoribus ejus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus

mus Palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis; Deinde dyadema, coronam videlicet capitis nostri, simulque Frigium nec non & superhumerale, videlicet lorum, quo imperiale circumdari assolet collum, verum etiam clamidem purpuream atque tunicam coccineam & omnia imperialia indumenta seu dignitatem imperialium præsidentium, equum conferentes etiam & imperialia sceptra, simulque cuncta atque signabunda etiam diversa ornamenta imperialia & omnem processionem imperialis culminis & gloriam potestatis nostræ. Viris enim reverentissimis clericis, in diversis ordinibus eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus, illud culmen singulare, potentiam & præcellentiam habere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adornari: eosdem patricios atque consules effici, nec non cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgantibus decorari decrevimus; & sicut imperialis militia ita & clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinari decernimus. Item ibi: Ipse beatissimus Papa supra coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsam ex auro non est passus uti corona. Frigium vero candido nitore splendidum resurrectionem Dominicam designans ejus sanctissimo vertici manu nostra imposuimus, & tenentes frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris ei officium exhibuimus, statuentes eodem Frigio omnes ejus successores singulariter in processionibus uti ad imitationem imperii nostri. Vnde, ut pontificalis apex non vilescat sed magis amplius, quam terreni imperii dignitas & gloriæ potentia decoretur; ecce tam palatium nostrum, ut prælatum est, quam Romæ urbis & omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca & civitates sæpe præfato beatissimo pontifici patri nostro Silvestro universali Papæ contradentes & relinquentes ei vel successoribus ipsius pontificum potestati & ditioni firma imperiali censura, per hanc nostram divalem - - - - & pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanendum. Vnde congruum prospeximus nostrum imperium & regni potestatem Orientalibus transferri ac transmutari regionibus & in Bizantiæ provincia in optimo loco nomini nostro civitatem ædificari & nostrum illic constitui imperium, quam vi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab imperatore cœlesti constitutum est. Justum enim est, ut imperator terrenus illic habeat potestatem. Igitur Constantinus propriam volens habitare civitatem, venit ad campum ante Vium positum juxta Hellespontum super Eantis tumulum, ubi Achivi contra Trojam pugnantes castra habuerunt, civitatem designavit, portasque fecit, quæ hactenus videntur a navigantibus. Hoc eo agenti per noctem Deus apparuit monens, ut alium quæreret locum, eumque monens ad Byzantium Thraciæ, ibi eum habitare jussit. Fertur etiam cum quadam nocte innumerabilis operariorum exercitus per immensam castrorum latitudinem in papylionibus dormirent, omnia ferramentorum genera, quibus diversorum operum artifices uti consueverant, subito ablata & post hæc undique quæsita & tandem Byzantii inventa. Quo comperto Imperator maximo eam muro circumdedit & ambitum murorum per XII. milia passuum extendit & diversis ornatam fabricis æquam imperiali Romæ eam constituit, & denominatam Constantinopolim appellari secundam Romam lege firmavit, sicut lex ipsa in marmoria platoma noscitur esse scripta, & in strategio juxta equestrem statuam ejus esse constituta. Jamque summa liberalitate ditatam illustribus domibus eos, qui ab urbe Roma erant, viros rationabiles collocavit, & ex aliis locis secundum genus eligens, & domos magnas eis tribuens, ut habitaretur civitas, egit. Tunc etiam & templum sanctæ Sophiæ & sanctæ Hyrenæ & Apostolorum sanctique Motii & Archangeli Dei amicus princeps ædificavit. Tunc funditus templo Asclepii penes Ægæas & Veneris in Amphacis sito destructo atque aliis multis, horum reditus donavit Ecclesiis.

Interea mater Imperatoris Helena nomine in somnis monita Jherosolimam properavit, & sepulchrum Christi, quod licet difficillime, tamen invenit sordibus opertum & desuper templum veneris ædificatum, ubi cantibus virgines insultabant. Præcepit destrui sceleratissimum templum ipsumque pulverem funestis sacrificiis violatum ejici, & procul a civitate dispergi. Exin locum purgari præcepit & statim palam Domini monumentum apparuit. Apparuerunt & circa eum suffossæ tres cruces & clavi insimul & titulus hebraicis litteris, græcis latinisque conscriptus: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Dicitur autem, quia etiam mortuus tactu crucis surrexit. De hoc ligno Sybilla dixit apud paganos: o ter beatum lignum, in quo Deus extensus est. Tunc quoque, quæ crux esset Domini, dubitare ceperunt. Proinde Macharius civitatis præsul hujusmodi tractatu dubitationem solvit. Mulieri namque nobilitate claræ longa ægritudine fatigatæ unam illarum crucium cum oratione promptissima adhibens, virtutem salvatoris agnovit. Mox enim, ut mulierem crux attigit, passionem sævissimæ ægritudinis effugavit, & fœminæ salutem restituit. De clavis quidem, quibus manus Christi fuerant perforatæ, alios in galeam misit Imperatoris filii capitis, providentiam gerens, ut jacula bellica summoveret, alios freno equino permiscuit & cautelam Imperatoris agens & veterem prophetiam adimplens. Olim enim Zacharias propheta clamaverat, dicens: Et erit, quod in freno est, secundum Domino vocabitur omnipotenti. Salvatoris vero crucis partem quidem aliaque filio distribuit, quam Constantinus suscipiens, & credens salvari civitatem, ubi hæc particula servaretur, in sua statua, sicut fertur, in foro Constantini posita, super columpnam porphiriticam, devote condidit. Reliquam vero partem in capsa argentea clausam Macha-

rio civitatis tradidit sacerdoti, & undique congregans artifices, maximas illic ornatasque ædificavit Ecclesias.

Post hæc igitur Imperator curam maximam Christianorum habens, paganorum superstitiones aversabatur, primamque legem scripsit, Idolorum templa his tradi, quæ Christo sunt deputata: Secundam vero, Christianos solos militare gentibusque ac exercitibus principari: tertiam, duas paschales ebdomadas, scilicet unam ante & alteram post resurrectionem, sine labore cujusque operis celebrandas. His ita gestis, pax profunda & tranquillitas obtinuit orbem & exultatio fideles, concurrentibus assidue omnibus nationibus ad fidem Christi & baptizatis ac patria conquassantibus simulachra. Ejusdem principis tempore Arrius Alexandrinæ Presbyter Ecclesiæ a veritate fidei Catholicæ devians exitiabile plurimis dogma constituit: sed mox ab Alexandro ejusdem urbis Episcopo ex urbe pulsus est. Cumque homines, quos in errorem duxerat, etiam in seditionem excitaret, apud Niceam urbem Bytiniæ conventus CCCXVIII. Episcoporum factus est sub Silvestro Papa, per quos Arrianum dogma exitiabile proditum, palam est dampnatum. Interea Constantinus republica bene ordinata cum tres filios suos Constantinum & Constantem ac Constantium & filium fratris sui Cæsares fecisset, ægritudine captus est. Obiit autem in suburbana villa Nychomediæ XI. Kal. Junii anno vitæ LXVI. imperii XXXI. sepultusque est in Byzantio in Basilica Apostolorum. Hujus primo anno Maxentius Herculii filius Augustus appellatur. II.

Anno Domini CCCXII. Maximianus apud Massiliam turpiter occiditur. III. Anno Domini CCCXIII. Quirinus Suscianus Episcopus gloriose passus est. IV. Anno Dom. CCCXIV. Silvester Papa XXXIV. ordinatur, sedensque annis XXII. menses X. migravit II. Kal. Januarii. V. Anno Domini CCCXV. Constantinus Maxentio bellum infert. VI. Anno Domini CCCXVI. Petrus Alexandrinus Episcopus martyrizatur. VII. Anno Domini CCCXVII. Achyllas Alexandriæ Episcopus ordinatur XVII. Jherosolimis ordinatur Macharius XXXIX. Maxentius interiit. VIII. Anno Domini CCCXVIII. IX. Anno Domini CCCXIX. Dyocletianus moritur. X. Anno Domini CCCXX. Licinius persecutionem movet in Christianos. XI. Anno Domini CCCXXI. XII. Anno Domini CCCXXII. XIII. Anno Domini CCCXXIII. Licinius occiditur. Alexander ordinatur Alexandriæ Episcopus XVIII. XIV. Anno Domini CCCXXIV. XV. Anno Domini CCCXXV. XVI. Anno Domini CCCXXVI. XVII. Anno Domini CCCXXVII. Concilium CCC. Episcoporum in Nicæa congregatur. XVIII. Anno Domini CCCXXVIII. XIX. Anno Domini CCCXXIX. Crux Domini ab Helena invenitur. XX. Anno Domini CCCXXX. beata Helena Papam Silvestrum adiit, petens ut Trevericæ civitati misereatur, & ejus infidelitatis tenebras aliquo idoneo prædicatore illustrare dignaretur. Nam primo per beatum Eucharium, Valerium & Maternum ad fidem conversi fuerant: sed post mortem illorum rectæ fidei tramitem dimittentes ad pristinum paganismi vomitum ex magna parte redierunt. Sanctus autem Silvester, inquisitione habita, omnium fidelium consilio, sanctum Agricium Anthiocenæ civitatis præsulem evocavit & ad petitionem Reginæ Treveris destinavit. Quæ etiam beata Helena pretiosissimas reliquias, quas de Judæa tulerat, scilicet corpus Mathyæ Apostoli cum tunica & clavo Domini & dente Sancti Petri Apostoli & capite Cornelii Papæ cæterisque reliquiis deferendas tradidit.

Huc usque Hystorias scribit Eusebius. Ex hinc Jheronimus.

Anno Domini CCCXXXI. Anthyochiæ ordinatur Vitalis Episcopus XX. post quem Phylogonus XXI. dehinc Paulinus XXII. Posthæc Eustasius XXIII. quo ob fidem exiliato, successerunt hæretici Episcopi numero XI. XXII. Anno Domini CCCXXXII. Sanctus Agricius Treverim veniens, ut alter Eucharius populum ab antiquo errore Idololatriæ eripuit, & domum beatissimæ Helenæ in honore Sancti Petri dedicavit & caput Ecclesiæ Trevirensis ut esset, instituit. XXIII. Anno Domini CCCXXXIII. Juvencus presbyter Hispanus Evangelia versibus composuit. XXIV. Anno Domini CCCXXXIV. Athanasius Alexandriæ ordinatur Episcopus. XXIV. XXV. Anno Domini CCCXXXV. XXVI. Anno Domini CCCXXXVI. XXVII. Anno Domini CCCXXXVII. XXVIII. Anno Domini CCCXXXVIII. Marcus Papa XXV. sedit menses VIII. XXIX. Anno Domini CCCXXXIX. Julius Papa XXXVI. sedit annis XVI. obiit II. Idus Aprilis. XXX. Anno Domini CCCXL. Constantinus imperator, dum bellum molitur adversus Persas, qui Mesopotamiam infestabant, egrediens a Constantinopoli juxta Nychomediam moritur.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXLI. urbis autem conditæ MXCII. Constantius filius Constantini XXXV. ab Augusto imperium adeptus XXXIII. annis cum fratribus suis Constantino & Constante regnavit. Fuit etiam inter successores Constantini Dalmatius, filius fratris sui Dalmatii, quem ipse Constantinus in consortium regni adoptavit. Hi singuli singulas partes regendas ab ipso Constantino acceperunt. Constantinus cuncta trans Alpes, Constans Italiam & Illiricum & Affricam, Constantius Asiam & Orientem, Dalmatius Thraciam & Macedoniam & Achajam. Verum Dalmatius prosperrima indole & patruo haut dissimilis, non multo post a militibus interfectus est, Constantio patrueli suo sinente, quam jubente. Posthæc inter Constantinum & Constantem discordia exorta est propter Italiam & Affricam. Constantinus itaque, dum nititur partes fratris junioris invadere, bellum movit contra eum, sed dum inconsultus apud Aqui-

Aquilejam prælium aggressus est, a militibus Constantis interfectus est, & in fluvium, cui nomen est Alza, non longe ab Aquileja, est projectus: sicque Romani imperii principatus occidentalium quidem partium ad Constantem; Orientalium vero pervenit ad Constantium. Igitur Constantis imperium aliquandiu strenuum fuit & justum; deinde cum pravioribus uteretur amicis, intolerabilis provincialibus & militibus factus est injocundus. Unde dum circa Gallias venandi cupiditate inter silvas & saltus erraret, auctore Magnentio quodam regni avido a militibus occisus est anno ætatis XXX. imperii XIIX. Tribus autem annis Cæsar fuit. Cujus regnum Magnentius invasit & Decentium consanguineum suum, sive, ut quidam volunt, fratrem suum Cæsarem fecit. Constantius vero Gallum patruelem suum Cæsarem fecit nomenque suum ei imponens, eum in Antyochiam Syriæ misit, ut ibi habitans partes illas custodiret; Quem tamen postea jussit occidi. Post hæc Constantius Magnentio bellum intulit, factaque congressione Magnentius solus fugit Lugdunum, ibique coartatus gladium occulte a parte parietis accepit, sicque perfossus interiit anno ætatis prope L. imperii III. Cujus morte audita Decentius laqueo fascia composito vitam finivit. Acta sunt hæc anno imperii Constantii VI. Eo tempore Romano imperio Constantius solus princeps & Augustus præfuit. Vir egregiæ tranquillitatis, nimium familiaribus & amicis credens, uxorum amori deditus, quibus contentus nulla transversa libidine aut injusta se polluebat. Ex omnibus tamen uxoribus, quas plures habebat, Eusebiam præcipue diligebat, cujus etiam suasu Julianum fratrem Galli Cæsarem faciens, in consortium regni assumebat. Post hæc antiquo hoste paci Ecclesiæ semper invidente, Arrius suique sequaces locum familiaritatis apud Constantinum acceperunt, qui eum in erroris sui consortium declinaverunt. Unde impietas Arriana Constantii fulta præsidio exiliis, carceribus, variisque afflictionum modis primo Athanasium deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est. Constantinus vero inter hæc Parthis bellum præparans, cum audisset Julianum ad imperium inhyantem, Parthica expeditione relicta rediit, & inter Ciliciam & Cappadociam febri acerrima, quam indignatio augebat, obiit anno ætatis XLV. imperii XXIII. Sanctus Agricius pontificatus sui officio expleto migravit ad Dominum, cui successit Sanctus Maximinus discipulus ipsius, qui Eufratem Coloniensium hæreticum deposuit, & Severinum in loco ejus subrogavit, Athanasium Alexandrinum Episcopum persecutionem Constantii imprimis fugientem honorifice suscepit & intrepidus. Nam antea toto orbe profugus vagabatur, nec ullus ad latendum ei supererat locus. Tribuni, Præpositi, comites, exercitusque ad investigandum cum edictis Imperatoriis moti, totis regni viribus concertaverunt, si quis vivum maxime, sin minus certe caput detulissent. Veruntamen Treberis VI. annis latuit in quadam cisterna, in qua non erat aqua, sed ossibus sanctorum plena, ut solem nunquam viderit; & ibi fidem catholicam, hoc est, quicunque vult salvus esse, composuit, & beato Hilario Pictavorum Episcopo, qui pro fide catholica multa ab Arrianis perpessus fuerat, transmisit. Quam idem Hilarius nimium amplectens & ultimum versum: hæc est fides catholica adjiciens, cunctis fidelibus commendavit. Fertur etiam quoddam miraculum de eodem beato Hilario. Arriana namque hæresi per orbem furente, multi, qui Ecclesiæ videbantur filii esse, colubri hujusmodi veneno infecti misere ac desipienter a fidei salute languebant in tantum, ut ipse tunc Apostolicæ sedis Papa Leo ipsius lepræ commaculatione respersus, veri dogmatis & ipse prævaricator, ut ex antiquitate relatum memoratur, existeret. Cumque omnes fere Episcopi ejus litteris commoniti Romam super his tractaturi venissent, venit & Dominus Hilarius quamvis tardius, armis universaliter munitus; quod cum a nunciante dictum fuisset, adesse Hilarius Pictaviensis Episcopus præ foribus, Papa velut sero venienti immo magis catholico indignatus, mandavit Synodo, ne ullus ei corporum assurgeret, aut locum sessionis annueret. Præsentatus siquidem vir DEI concilio, honore pontificatus Papam præveniens ipsique & cunctis residentibus verba salutationis digna reverentia inferens: Avete, inquit. Cui ille, quasi quem ignoraret, insultans talibus respondisse fertur: Tu ergo Hilarius Gallus es. Ille vero ad id, quod erat fatendum, sermonem convertens, dixit. Non sum, inquit, Hilarius Gallus, sed de Gallia. Nam gente Aquitanicus, pontificali vero dignitate præminebat Gallis. Ac si diceret ei: Non sum natura Gallus, sed de Gallia præsul. Et Papa animi stomachatione permotus hæc infit: & si tu Hilarius de Gallia, ego sum Leo Romanæ sedis Apostolicus & judex. Tunc Hilarius ejus pertinacem intelligens controversiam, respondit ei non stulte quidem, sed sapienter: Quod si tu Leo, sed non de tribu Juda; & si judicans resides, sed non in sede majestatis. Mox ille cum indignatione, spreta sede immo sedis dignitate, surrexit, multumque præsago antistiti minans, exivit dicens: Vide quia revertens te ab his tumidis sermocinationibus mitigatum humilitati restituam. Et, si, inquit Hilarius, non redieris? Quod autem ei locus dignæ sessionis denegatus fuerat, non adeo vir DEI moleste tulit, sed terræ se insidere parans, dixisse fertur supplex illud psalmistæ: Domini est terra & plenitudo ejus. Ad quam prædicationis vocem statim, ut sese habet, ad præsens usque relationis fama, ipsa tellus erumpens sursum excrevit atque fideli famulo Christi in medio residentium Episcoporum sessum nec humiliorem præbuit. Quod universis & maxime Catholicis stupentibus, Dominumque pro sancti merito laudantibus attollitur clamor: Apostolicum morte præventum repentino defecisse interitu. Quid

plura? Clerus conventusque turbatur, civitas omnisque populus hoc attonitus facto miratur. Synodus disjungitur: Episcopi omnes cum reverentia & laudibus beatissimi viri Hilarii ad propria, erroris capite contrito, revertuntur. Primo Constantii anno Jacobus Sinibinus Episcopus agnoscitur, cujus precibus sæpe urbs de discrimine liberata est. II. Anno Domini CCCXLII. III. Anno Domini CCCXLIII. Constantinus fratri bellum inferens apud Aquilejam occiditur. IV. Anno Domini CCCXLIV. V. Anno Domini CCCXLV. Maximinus Trevirorum Episcopus clarus habetur. VI. Anno Domini CCCXLVI. VII. Anno Domini CCCXLVII. IIX. Anno Domini CCCXLIIX. IX. Anno Domini CCCXLIX. Athanasius Episcopus ad Constantis litteras regressus est Alexandriam. X. Anno Domini CCCL. XI. Anno Domini CCCLI. XII. Anno Domini CCCLII. XIII. Anno Domini CCCLIII. Constans haut longe ab Hispania interficitur anno ætatis XXX. XIV. Anno Domini CCCLIV. Gallus Constantii patruelis Cæsar factus est. XV. Anno Domini CCCLV. Liberius Papa XXXVII. ordinatur, quo ab hæreticis ob fidem in exilium truso, Diaconus ejus Felix XXXIIX. in sacerdotium substituitur. Qui cum Constantium devinceret esse hæreticum, ab eo post annum dejectus est, &, ut quidam dicunt, capite truncatus est IV. Kal. Aug. Liberius vero exilii tædio victus hæresi subscripsit Romamque quasi victor intravit. XVI. Anno Domini CCCLVI. Victorinus Rethor & Donatus Grammaticus Romæ insignes habentur. XVII. Anno Domini CCCLVII. Julianus a Constantino Cæsar efficitur. XIIX. Anno Domini CCCLIIX. Eusebius Vercellensis Episcopus & Dionysius Mediolanensis & Lucifer Karalitanus exiliantur. XIX. Anno Domini CCCLIX. Antonius Abbas migravit anno ætatis CV. XX. Anno Domini CCCLX. Ossa sancti Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ & Timothei Constantinopolim allata sunt. XXI. Anno Domini CCCLXI. Paulinus Trevirorum Episcopus in exilio obiit. XXII. Anno Domini CCCLXII. XXIII. Anno Domini CCCLXIII. Constantius moritur anno ætatis suæ XLV.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCLXIV. urbis vero conditæ MCXVI. Claudius Julianus jam Cæsar, frater Galli, filius Constantii fratris Constantini Magni, XXXVI. ab Augusto imperium accepit, & annos II. & octo menses regnavit. Erat idem Julianus ab initio Christianus. Cumque per doctores in lectione proficeret & fama per populum volitaret, quod etiam rempublicam gubernare posset, cœpit imperii cupidinem menti ejus immittere. Cumque hæc non laterent aures Imperatoris, Julianus inter spem metumque constitutus suspitionem celare volens, tonsus monachicam simulabat vitam, & latenter quidem exercebatur in Philosophia, in manifesto autem sacros Christianorum legebat libros. Denique in Ecclesia Nychomediæ lector est constitutus & divinos codices populo audiente legebat, ut super hoc habitu furorem declinaret Imperatoris. Hæc equidem faciebat pro timore, nequaquam ab spe recedens, quam mente conceperat; dicebatque plurimis amicorum suorum felicia fore tempora, quibus ipse regno potiretur. Cœpit itaque Julianus imperialia sceptra desiderare. Post hæc Constantius evocavit Julianum & constituit Cæsarem, dansque ei conjugem Helenam sororem suam contra barbaros eum destinavit ad Gallias.

Hi namque barbari, quorum Imperator Constantius contra Magnentium solatia petierat, cum nihil profuissent contra tyrannum, Romanorum vastabant urbes, alias expugnabant, ita ut ubique fœda vastitas esset. Romanumque imperium non dubia jam calamitate nutaret. Interea Julianus in Gallias veniens, facta congressione cum modicis copiis Romanorum apud Argentoratum Galliæ urbem ingentes hostium copias extinxit. Stabant acervi montium similes; fluebat cruor fluminum modo, captus Rex nobilis Nodomarus & Constantio missus; fusi omnes optimates; redditus limes Romanæ possessionis; ac postmodum cum Alamannis apud Renum fluvium residentibus dimicans, potentissimum eorum regem cepit Badomarium; claraque victoria decoratus a militibus appellatus est Augustus. Cumque corona deesset imperialis, unus signa portantium torquem, quem habebat in collo, sumens, Juliani capiti circumposuit, hocque modo Julianus Imperator est factus. Igitur Julianus repente religione mutata cum prius Christianus esse putaretur, semetipsum pontificem Paganorum nominabat, & veniens ad templa Idolorum sacrificabat, subjectisque talia colere suadebat & abrenunciare ecclesiasticæ professioni. Post hæc mortuo Constantio Constantinopolim veniens appellatus est Augustus. Mox cœpit cogitare, qualiter populum complacaret, si ejus favorem acquireret, quod arte fecit. Bene sciebat, Constantium ab omnibus orthodoxis odio haberi, ob quam rem ab Ecclesiis videbantur expulsi & Episcopi confiscati exilioque directi; simul etiam noverat paganos fuisse contristatos pro sacrificiorum prohibitione & desiderare, quo eorum aperirentur templa. Artificioso itaque molimine apud utrosque se commendans, primum quidem crudelitati Constantii circa subjectos derogabat, eamque coram omni populo redarguens, jussit Episcopos exilio deportatos revocari & confiscatas eorum substantias reddi: templa quoque paganorum velut sibi necessariorum fecit aperiri: multaque alia agens utrisque conciliabat, præcipue tamen paganis occulte favebat.

Igitur dudum studens paganitatem in omni ditione sua dilatari & Christianitatem exterminari, ad Idolorum culturam se transtulit, blandaque persecutione Christianos primum seducere temptavit, illiciens potius, quam impellens ad sacrificandum, unde multi decepti sunt. Inter hæc, ut ad paganitatem milites insuesceret,

ret, studuit ad priscum reformare signum illud labarum sublimius Romanorum, quod Constantinus, sicut dictum est, in crucis formam mutaverat. Interea Julianus dum Constantinopolim apud Fortunam sacrificaret, accessit ad eum Maris Episcopus Calcidoniæ & publice impium & sine DEO apostatamque vocavit. Ille vero pro sola eum properasse cæcitate putavit: senex enim erat & pro imbecillitate oculorum manu alterius regebatur. Super hæc volens etiam lacerare Dominum consuete dixit: neque Galilæus DEus tuus te curare potest. Respondens vero Maris: ego quidem, inquit, DEO meo pro cæcitate gratias ago, quia hoc ideo gestum est in me, ne te videam pietate nudatum. Imperator autem nihil respondens, abscessit. Sic enim putabat paganitatem potius roborari, si se patientem ac mitem demonstrasset erga Christianos. Igitur dum Persæ mortuum cognovissent fuisse Constantium, capta fiducia venerunt ad terminos Romanorum, denunciantes bellum. Ob quam rem Romanas vires contractas undique Julianus ad destinatam secum trahebat perditionem. Misitque in Delphos & Delos atque Dodonem ad percipienda responsa, si ei expediret bella suscipere. Tunc universi vates & pugnandi fiduciam dabant & victoriam promittebant. Post hæc ergo deceptus infelix & victoriam mente somniabatur, & post Parthicum triumphum pugnam Galilæis inferre præparabat. Multos itaque vicos castraque detinens, jam & civitates capiebat, Assyriamque depopulatus castra apud Thesiphontem civitatem habuit. In qua tantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur, offerens dare suæ patriæ partem, si solutus bello discederet. Quod ille noluit, neque supplicantibus est misertus, neque mente præcepit, quia vincere quidem bonum est, superiorem vincere nimis invidiosum; credens præcipue magicis artibus, quas ei Maximus philosophus exhibebat, & arbitratus Alexandri Macedonis percepturum se gloriam aut certe potiorem. Putabat enim secundum Pythagoream Platonisque sententiam ex mutatione corporum, Alexandri animam possidere, aut esse potius in altero corpore alius Alexander. Ob hanc itaque causam Persarum regis noluit preces admittere: Cumque eum hinc inde Parthi urgerent, castris jam positis, arrepto tantum clypeo procucurrit. Cumque inconsulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab uno ex hostibus, & quidem fugiente, conto percutitur: Relatusque in tabernaculum rursusque ad hortandos suos egressus paulatim sanguine vacuatus circa noctis fere medium defecit. Quidam autem dicunt, jaculum repente delatum & discurrens per brachium in ejus latus immersum esse. Qui vero justissimum intulit vulnus hactenus ignoratur. Sed alii quendam invisibilium hoc intulisse ferunt. Alii vero unum pastorem Hysmahelitarum. Aliique militem fame & itinere fatigatum. Sed sive homo sive angelus fuerit divinis visionibus ministravit. Cumque mortuus fuisset Julianus & Jovianus successisset pius, ingredientes templum invenerunt mulierem a capillis appensam extensas habentem manus: ejus uterum aperuerat, ut Persarum victoriam in jecore ejus inspiceret. In qua urbe dum ejus nuntiatus fuisset interitus, publicam cuncti habuere festivitatem, & non solum in Ecclesiis & sepulturis martyrum exultabant; sed etiam in theatris victoriam prædicabant cum sacerdotibus exultantes. Communiter enim clamabant omnes. Maxime fatue, ubi sunt vaticinia tua: vicit DEus & Christus ejus. II. Anno Domini CCCLXV. Pagani apud Sebasteam Palestinæ urbem sepulchrum Sancti Johannis Baptistæ invadunt, ossa per agros spargunt eademque rursus collecta & cremata latius dispergunt: sed quidam monachi ex Jherosolymis, intermixti colligentibus, quæ potuerunt colligere ad patrem suum Philippum pertulere. Ille hæc supra se ducens ad Athanasium per Diaconum Julianum misit Alexandriam. Quæ ille paucis arbitris sub cavato sacrarum pariete inclusa prophetico spiritu posteræ generationi conservavit profutura. Cujus præsagium sub Theodosio per Theophilum Episcopum completum est, qui destructo Serapis sepulchro Sancti Johannis ibidem consecravit Ecclesiam. Athanasius Alexandriam rediit. Impius Julianus ad bellum Persicum profectus occiditur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCLXVI. ab urbe vero condita MCXVII. Jovianus ab Augusto XLI. imperium suscepit, & menses IIX. regnavit, genitus patre Barroniano, incola provinciæ Pannoniæ. Cujus pater cum liberos crebro amitteret per somnium ei dictum est, ut eum, qui instante partu edendus foret, Jovianum diceret. Fuit autem insignis corpore, lætus ingenio, studiosus in litteris, fortis viribus, miles illo in tempore, quo Julianus legem militibus proposuerat, ut aut sacrificarent aut milicia cederent. Qui cingulum magis elegit amittere, quam Imperatoris præceptis obedire. Sed Julianus tunc propter belli necessitatem inter milites eum habebat. Qui cum violenter a militibus ad imperium traheretur, clamabat, nolle se paganis hominibus imperare, cum Christianus esset. Cumque omnium vox communiter proclamaret, se quoque Christianos esse, suscepit imperium. Deinde cum in Constantinopolim festinaret, venit ad præsidium Dadastani, ubi tempore hyemis languore constrictus cum in novo cubiculo recubaret, calore prunarum & nidore parietum super calce illitorum suffocatus obiit IIX. mense imperii, anno vitæ XXXIII. XII. Kal. Septemb.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCLXVII. ab urbe autem condita MCXIIX completis ab origine mundi annis quinque milibus quingentis LXVI. Valentinianus XLII. loco ab Augusto imperium assumpsit, vir optimus & apice principali dignissimus, & regnavit annis XI. Iste fuit Pannonius genere de Cybala civitate Cum tribunus scutariorum esset, tunc ei erat militum cura commissa, eo quod probatissime militarem noverat disciplinam. Fuit etiam vir magnani-

mus & semper præsenti fortuna melior apparebat non modo fortitudine tantum, quantum prudentia. Temperantia atque justicia & corporis magnitudine præfulgebat. Sic enim fuit regalis pariter & urbanus, ut dum exercitus temptasset alium sociare consortem, ille responderet, quod cantatur ab omnibus: Verum, inquit, o milites, Imperatore non existente, mihi dare regimen imperii; verum ego, ubi hoc suscepi, meum jam est, non vestrum, de rebus cogitare communibus. Cujus verba mirati milites ejus secuti sunt voluntatem. Cumque Constantinopolim devenisset post XXX. dies imperii sui fratrem Valentem in communionem regni assumpsit. Largitus ei partes Orientales, sibi retentis occidentalibus. Hujus pater Gratianus mediocri stirpe ortus apud Cybalas, Funarius appellatus est, eo quod venalicium funem portanti quinque milites nequiverunt extorquere. Eo merito ascitus, in milicia usque ad præfecturæ Prætorianæ potentiam ascendit. Ob cujus apud milites commendationem Valentiniano imperium resistenti illatum est. Qui cum sub Juliano Augusto Christianitatis integram fidem gereret, cum, ut dictum est, scutariorum tribunus esset, ingrediente cum Juliano in templo Fortunæ, ministri templi ex utraque parte januarum stantes & aspersione aquæ, sicut ipsi dicebant, purgarent ingredientes, Valentinianus, præcedens principem, aspersionis guttam sua vidit in clamyde, & indignatus pugno percussit templi ministrum, dicens, se potius maculatum, quam purgatum. Quod respiciens Imperator, eum jussit in custodia retrudi, dicens: ut aut sacrificaret Idolis aut milicia decederet, sponte discessit. Nec mora, Juliano interfecto Jovinianoque mortuo, qui pro Christi nomine amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium. Qui cum jam annum tertium cum fratre Constante ageret, Gratianum filium necdum plene puberem, hortatu socrus & uxoris, Augustum creavit. Interea Valente in Syriam moram faciente, surrexit Constantinopolim tyrannus nomine Procopius, qui parvo tempore multam miliciam sibi coacervans, festinabat contra Imperatorem. Quod dum ei nuntiatum fuisset, conturbatus Valens paululum suum impetum retinuit. Cumque tyrannus Procopius de Constantinopoli digressus, castra moveret adversus Imperatorem, audiens Valens, venit ab Antiochia & cum eo congressus est circa civitatem Frigiæ Nacoliam, & prima quidem pugna convictus est, post paululum vero Procopium cepit, tradentibus eum Agelonæ Gomarique militibus, quos etiam postea inopinatis quibusdam suppliciis jussit expendi. Despiciens enim jusjurandum, quod eis præbuerat, ferris divisos crudeliter interemit. Tyrannum vero duabus vicinis arboribus flexis singulos in eis pedes ejus ligari fecit, quæ dimissæ, aërem repetentes, Procopium diviserunt. Interea Auxentio Ariano Episcopo defuncto Ambrosius Præsidiatum urbis agens, nec dum baptizatus communi civium consensu Episcopus eligitur, jubenteque Valentiniano baptyzatur & tanquam dignus in Episcopatum ordinatur.

Igitur Valentinianus Saxones gentem in Occeani littoribus & paludibus inviis sitam, virtute & agilitate terribilem periculosam Romanis finibus, eruptionem meditantes, in ipsis Francorum finibus oppressit. Contra Alanos etiam Romanis rebellare cupientes duxit exercitum, ubi plurimi ex eis occisi sunt, reliqui vero Mæotidas paludes intraverunt. Tunc Valentinianus dixit exercitibus suis, quod si qui ex eis Mæotidas paludes intrarent & Alanos inde propellerent, per X. annos absque tributo eos permitteret. Tunc quidam de Sicambria egressi, pugnaverunt contra Alanos, factaque victoria ejecerunt eos. Quo facto Valentinianus eos Attica lingua Francos appellavit, hoc est, feroces, duros ac fortes. Valentinianus vero anno imperii sui XI. cum Sauromatarum gens, quæ pusilla & infima est, contra eum insurgens, sese per Pannonias diffudisset, easque devastarent, bello ab eo superata; dum apud Brigitionem, oppidum Quadorum, legatis missis, pacem expostulat: Cumque a legatis eorum sciscitaretur, utrum Sauromatæ tales & tam vilium corporum omnes existerent, responderunt Imperatori, dicentes: quia meliores eorum hic habes & vides. Tunc validissime ille clamans, ait: atrocia Romanum imperium sustinet ad Valentinianum pertingens, si Sauromatæ tales existentes contra Romanos insurgunt. Ex animositate autem nimia & manuum plausu vena corporis recisa, & plurimo erumpente sanguine, quæ Græcis Apoplexis vocatur, voce amissa, sensu integer exspiravit (quod quidem intemperantia cibi ac securitate, qua artus diffuderat, accidisse plures detulere) anno ætatis quinto & quinquagesimo, consulatu Gratiani & Equitii. XV. Kal. Dec. Valentinianus primo regni sui anno fratri Valenti regnum Orientis dedit. II. Anno Domini CCCLXVIII. Damasus Papa XXXIX ordinatus sedit annis XVI. sub seditione tamen, quia Ursinus quidam Dyaconus Romanæ ecclesiæ sacerdotium sibi usurpavit. Damasus vero constituit, ut psalmi die noctuque canantur in ecclesia. III. Anno Domini CCCLXIX. Lana vera pluviæ permixta de nubibus fluxit IV. Anno CCCLXX. Hylarius Pictaviensis episcopus obiit. V. Anno Domini CCCLXXI. Athalaricus rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur. VI. Anno Domini CCCLXXIII. Valentinianus Saxones cæde perdomuit in Francia VIII. Anno Domini CCCLXXIV. Didimus Alexandrinus multa de nostro dogmate commendat. IX. Anno Domini CCCLXXV. sanctus Martinus Turonis ordinatur Episcopus. X. A. Domini CCCLXXVI. Magnentia quæ & Tecla Romanorum nobilissima Hierosolimis veniens, magnis virtutibus & humilitate claruit XI. A. Dom. CCCLXXVII. Valentinianus rupta vena nuper incisa moritur.

Igitur Valens frater Valentiniani dum per concessionem fratris regnaret cum eo in regno Orientis, id est, in Constantinopoli annis XI. post mortem fratris regnavit, ibi annis quatuor, Gra-

Gratiano & Valentiniano fratris sui filiis regnum Occidentis, hoc est, Romanum imperium tenentibus. Hic itaque Valens mox ut frater ejus ab eo discessit, Dominica uxore sua, ut ajunt, suadente, ab Eudoxio Arriano episcopo rebaptyzatus est, statimque in Christianos persecutionem moveret, si fratrem non timeret. In Antyochia tamen plurimo tempore commorans, omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare, gentibus scilicet & Judæis & hæreticis: illis vero tantum inimicus erat, qui Apostolicam doctrinam prædicabant. Post mortem vero fratris impietatem, quam mente conceperat, operibus explebat. Nam sacerdotes Domini exiliabat, monachos in militiam cogebat, nolentes militare interfici jubebat. Ea tempestate Hunnorum gens inaccessis seclusa montibus repentina rabie percita exarsit in Gothos eosque conturbatos ab antiquis expulit sedibus. Qui transito Danubio ad Valentem venerunt, & sine pactione suscepti, Thracias ad habitandum ab eo acceperunt. Deinde cum idem Imperator non daret eis, quod sufficeret, non sustinentes famem, apprehenderunt arma, euntesque per Thraciam, omnia licenter vastabant & incendebant. Hoc audiens Valens, egressus ab Antiochia, congregavit exercitum, ut pugnaret cum Gothis, primumque moratus apud Constantinopolim misit Thrajanum magistrum miliciæ contra eos, qui victus ignominiose reversus est. Cui, cum Valens molliciem exprobraret, ait: Non ego victus sum, o Imperator, sed tu, qui, contra Dominum pugnans, barbaris natum ejus concilias. An nescis, quos ab ecclesiis expulisti, & quibus eas tradidisti? Ille, fera pœnitencia stimulatus, episcopos ceterosque sanctos revocari de exiliis præcepit. Inter hæc per Thraciam Barbari discurrebant, jamque suburbana Constantinopolitana, nullo prohibente, incendebant. Egressus itaque de Constantinopoli, duxit exercitum ad urbem Adrianopolim, commissaque pugna cum Gothis, primo impetu Gothorum, Romani equites nudatos deseruere pedites, quos Gothi mox circumdederunt ac sagittarum nubibus huc & illuc fugientes oppresserunt. Ipse quoque Imperator Valens sagitta sauciatus & in fugam versus, cum ob nimium dolorem de equo laberetur, in vilissimam casam deportatus, ubi, Gothis supervenientibus, igne imposito concrematur anno vitæ L. regni autem XV. quorum XI. regnavit cum fratre, IV. post illum. Justo itaque judicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Antea quippe, petentibus Gothis, ut eis mitteret prædicatores & doctores, qui eos catholicam fidem instruerent, misit Arrianos doctores, sicque omnis illa Gens Arriana facta est. Anno Domini CCCLXXVIII. regnante Valente post mortem fratris sui Valentiniani cum Gratiano & Valentiniano filiis ejusdem fratris sui, Basilius Cæsareæ Cappadotiæ vir sapientissimus & continentissimus claruit: sed superbiæ, ut ajunt, vicio laboravit. II. Anno Domini CCCLXXIX. Anastasius Alexandrinus episcopus LXVI. sacerdotii sui anno migrans, Petrum successorem reliquit. III. Anno Domini CCCLXXX. Gothi ab Hunis expulsi diffunduntur per Thraciam. IV. Anno Domini CCCLXXXI. Gothi, fame compulsi, rebellant Valenti, quos ille bello petens, sed occiso exercitu fugiens in casa quadam vivus crematur, anno XV. regni sui, quibus XI. cum fratre, quatuor post illum regnavit.

Hucusque Cronicam Eusebii Hieronymus perduxit: hic Prosper digessit.

An. Dominicæ incarnationis CCCLXXXII. ab urbe vero condita MCXXXIII. Gratianus, filius Valentiniani, XLIV. ab Augusto post mortem patris sui electus est ad imperium, & regnavit cum fratre suo Valentiniano annis VI cum prius regnasset annis IV. cum patruo. Eo tempore apud Mediolanum beatus Ambrosius, apud Turones beatus Martinus magnis lampabant virtutibus, toto orbe doctrina & scientia clari; Apud Bethleem beatus Iheronimus presbyter, apud Hipponem Affricæ civitatem sanctus Augustinus episcopus radiabant. Igitur Gratianus admodum juvenis cum inæstimabilem multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potencia, longe impari numero militum sese in hostem dedit & apud Argentariam Galliæ oppidum plusquam XXX. milia Alemannorum interfecit. Deinde audiens Thraciam Datiamque & Pannoniam tamquam genitales terras a Gothis atque omni pernicie atrocioribus Hunis & Alanis possideri, Pannoniam venit. Eo tempore Theodosius tam propter parentum nobilitatem, quam pro fortitudine propria nominatissimus habebatur, & ob hanc causam invidia similium judicum fatigatus in Hyspania morabatur, ubi & ortus fuerat & nutritus. Cumque Imperator, quid faceret hæsitaret: quippe, cum barbari elevati victoria inexpugnabiles esse viderentur, eadem provisione, qua quondam elegerat Nerva Hyspanum virum Trajanum, per quem res publica reparata est, accitum & ipse nichilominus æque ab Hyspania Theodosium, cujus ducatu credens barbaros superari repente, siquidem eum magistrum militum esse denuntians, cum exercitu ad barbaros destinavit. Itaque Theodosius afflictam rempublicam ira Dei, reparandam credidit misericordia Dei. Omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens, maximas illas Scyticas gentes formidatas, qui cunctis majoribus Alexandro quoque illi magno, ut Pompejus, Corneliusque testati sunt, evitatas, at tunc extincto Romano exercitu, Romanis equis armisque structissimas, hoc est, Alanos, Hunos & Gothos incunctanter aggressus est. Barbari vero impetum non ferentes suas acies relinquerunt; & illi quidem fugiebant. Hi vero fortiter sequebantur immensaque cædes tunc facta est barbarorum: pauci, qui evaserant, latenter Hystrum fluvium transierunt. Mox dux optimus, exercitu disperso, per vicinas urbes, ipse velociter remeavit ad principem, ita ut ipse triumphorum suorum nuntius extitisset, quod tamen ipsi Imperatori, dum miraretur factum, incredi-

credibile videbatur. Invidi siquidem etiam fugisse eum dicebant & exercitum perdidisse. At ille derogantes sibi petiit dirigi, qui viderent hostium multitudinem peremptorum. His verbis Imperator flexus direxit, qui res actas inspicerent, eique renunciarent. Porro Dux optimus inter hæc divinam visionem vidit, & ab ipso omnium Deo aperte sibi monstratam conspexit: viderat enim in somnis, quia sanctus Meletius Anthyocenæ civitatis antistes eum clamide vestiret imperiali & corona caput ornaret. Hæc cum nocte vidisset, cuidam mane retulit amicorum. At ille clarum esse somnium dixit, & nihil ænigmatum, nihil dubium continere. Cumque pauci omnino transissent dies, qui pro victoriæ inspectione missi fuerant, remearunt, peremptaque hostium multa milia narraverunt. Quam ob rem lætus princeps Gratianus Theodosium, cunctis faventibus, apud Sirmium purpuram induit, ætatis annum tertium tricesimumque agentem, Orientisque & Thraciæ simul imperio præfecit, consulatu Ausonii & Olibrii XIV. Kal. Febr.

Igitur Theodosius urbem Constantinopolim triumphans intravit & ne parvam ipsam Romani exercitus manum assidue bellando deterreret, fœdus cum Athalarico Gothorum rege percussit. Athalaricus ad Theodosium Constantinopolim venit, quem ille mira jocunditate animi & affectione suscepit. Denique cum urbem Athalaricus intrasset & tam ædificia civitatis quamque exornati quasi ad diem festum populi frequentiam cerneret, ac per singula mente inhæreret; cumque deinceps Imperatoris ingressus Regiam, obsequia officiaque diversa conspiceret, sine dubio, inquit, Deus terrenus est Imperator, contra quem quicunq; levare manum nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus existit. Nec mora, tamen superveniente invaletudine rebus excessit humanis. Cujus exequias Imperator ipse præcedens digne cum tradidit sepulturæ. At universæ Gothorum gentes, Rege defuncto, aspicientes virtutem benignitatemque Theodosii Romano se imperio dediderunt. In hisdem etiam diebus Parthi, qui, Juliano interfecto aliisque Imperatoribus sæpe victis, ac etiam Valente in fugam acto recentissime victoriæ facietatem cruda insultatione ructabant, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemque supplices poposcerunt, junctumque cum eis fœdus est. Interea Theodosius causa fœderis, a Gothis acceptis obsidibus, Thesalonicam venit, ubi dum in ægritudinem incurrisset, baptyzari cupiens, Acolium ejusdem civitatis Episcopum requisivit, cujus fidei esset. Quo respondente, quod Arriana pestis in Illiricum non valuisset accedere, sed inviolatam ab inicio fidem Nicæni Concilii observarent, ille libenter ejus verba suscipiens baptizatus atque ægritudine liberatus est. Inter hæc Theodosius Imperator filium suum Archadium designavit Augustum, consulatu Merabaudis secundo & Saturnini XVII. Kal. Febr. In Italia vero puero satis existente Valentiniano rerum curam Probus Exconsul atque Præfectus habebat. Justina vero Valentiniani mater cum esset Arriana, vivo quidem marito non quivit lædere orthodoxos; eo mortuo & filio juvenculo valde, Mediolanum veniens, Episcopo Ambrosio erat infesta, ita ut eum destinari juberet exilio. Cumque, dum Ecclesia juberetur exire Ambrosius, ait: Ego sponte hoc non ago, ne lupis septa ovium contradere aut blasphemantibus Dominum videar, hic si placet occide; hoc loco mortem prona suscipio voluntate. Ea tempestate Maximus quidem vir strenuus atque Augusto dignus nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset in Brittannia, invitus ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transiit. At vero Gracianus dum exercitum negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret, adeoque barbarorum comitatu prope amicitia capi, ut nonnumquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. Maximus quoque, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum atque in Italiam transire meditantem dolis circumventum interfecit. Causa autem interfectionis fuit hæc: Maximus enim misit opinionem in vulgus, quia uxor Gratiani suo viro festinaret occurrere in Lugduno Galliæ civitate fluvium transeunti: Gracianus autem credens conjugem revera venire quam nuper acceperat, non præcavit ejus insidias, sed veluti cæcus in foveam in manus hostium incurrit. Dum quoque venisset Gratianus quasi ad uxorem vehiculo ex improviso exiliens, Andragathius Gratianum interfecit. Mortuus ergo est consulatu Merabaudis & Saturnini anno imperii XV. vitæ XXIX. Mox Maximus Valentinianum Augustum cum matre Justina Italia expulit in Illiricum. Deinde Constantinopolim veniens, a Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam in imperio restitutus est. II. Anno Domini CCCLXXXIII. qui est Gratiani secundus, Theophylus paschales circulos inchoavit. III. Anno Domini CCCLXXXIV. Synodus CL. Episcoporum Constantinopoli adversus Macedonium congregatur sub Damaso Papa, qui XX. tribus annis regebat Ecclesiam. IV. Anno Domini CCCLXXXV. V. Anno Domini CCCLXXXVI. Archadium Theodosius pater consortem regni fecit. Anno Domini CCCLXXXVII. Maximus tyrannus apud Lugdunum Gratianum occidit, fratremque ejus Valentinianum Italia expulit.

Anno Dominicæ Incarnat. CCCLXXXVIII. Vrbis conditæ MCXXXVIII. Theodosius genitus patre Theodosio, matre Teremantia. XLV. Imperator ab Augusto, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romani orbis solus obtinuit, mansitque in eo annis XI. cum jam in Orientis partibus VI. annis, Gratiano vivente, regnasset. Itaque Justinæ Cæsarisque causis ad bellum civile permotus, cum e duobus Augustis fratribus unius interfecti ultionem procuraret, sese adversum Maximum tyrannum sola fide major, nam longe minor universi apparatus

ratus bellici comparatione, proripuit. Aquilejæ tunc Maximus insidebat. Andragathius comes ejus summam belli administrabat. Qui cum largissimis militum copiis astuto consilio omnes Alpium ac fluminum aditus communisset, dum navali expeditione incautum hostem prævenire parat & obruere, sponte eadem claustra, quæ obstruxerat, deseruit. Ita Theodosius, nemine sentiente, vacuas Alpes intravit, atque Aquilejam improvisus adveniens, magnum hostem Maximum ac trucem ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exigentem, & sine controversia clausit. Cumque Maximi milites impetum imprimis sustinere non prævalerent, apprehendentes tyrannum, vinctum ei protinus obtulerunt, qui eorum consulatu peremptus est VI. Kal. Sept. Hanc Maximo perditionem beatus Martinus ante prædixit. Valentinianus recepto Italiæ potitus imperio est. Andragathus Comes, qui peremerat Gratianum, cognita Maximi nece, præcipitem sese e navi in vicino fluvio projiciens, suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam, Deo procurante, suscepit, Victorem quoque, Maximi filium, quem Imperatorem pater Gallis infantili ætate reliquerat, extinxit. Tunc igitur Imperatores Valentinianus & Theodosius, peracta victoria, venere Romam. Erat enim cum eis pariter & Honorius valde puer, quem post victoriam contra Maximum gestam ab urbe Constantinopolitana Theodosius evocaverat. Theodosius igitur Imperator in Roma urbe agens, multum profuit civitati, alia præbendo, alia utiliter auferendo. Duas tamen res dignas confusione prohibuit. Erat ab initio in urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricata, in qua panis fiebat, quæ universæ civitati ministrabat. Horum mancipes, tempore procedente, pistrina publica latrocinia esse fecerunt. Cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ per singula latera eorum domuum tabernas constituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios, qui pro pane veniebant, alios, qui ibi pro luxuriæ turpitudine festinabant. Arte namque mechanica in molam de taberna cadebant & hoc patiebantur maxime peregrini, & ita fiebat, ut multi usque ad senectutis tempus laborantes exinde non permitterentur exire, æstimantibus eorum propinquis, eos esse defunctos. In hujusmodi laqueo quidam miles Theodosii imprimis incurrit. Cumque fuisset clausus ad molam, nec dimitteretur exire, evaginato gladio prohibentes occidit. At illi terrore detenti militem dimiserunt. Hoc agnoscens Imperator, & mancipes suppliciis interemit, & ipsa pistrina destruenda funditus esse præcepit. Aliam hujusmodi abrogavit causam. Si quæ mulier in adulterio capta fuisset, hoc non emendabatur; sed potius ad augmentum peccandi contradebatur. Includentes eam enim in angusto prostibulo, & admittentes qui cum ea fornicarentur, hora qua turpitudo noscebatur, tintinnabulum percutiebant, ut ejus sono illius injuria fieret manifesta. Hæc audiens Imperator permanere non passus est: sed ipsa prostibula destrui jussit. His actis, relicto Valentiniano Romæ ipse cum Honorio Constantinopolim remeavit. Igitur Grammaticus quidam nomine Eugenius, litterarum Latinarum doctor, relinquens scholas in palatio militabat. Eratque Imperatoris Valentiniani antigrapheus & propter eloquentiam a multis honorabatur. Tunc ergo, ut fertur, non mediocriter cogitans, cooperatorem assumpsit Arbogastum, de minoribus Galliis ortum, militaris ordinis ducem, virum sævum & necibus præparatum cultoremq; sordidissimum Idolorum. Quo facto declinavit ad tyrannidem & contra Valentinianum necem machinabantur, cubilarios apud Viennam Galliæ urbem corrumpens eunuchos. At illi dormientem principem suffocaverunt, atque, ut voluntariam sibi conscivisse mortem putaretur, suspensus est. Quo extincto moxque Eugenio in principatu electo ab Arbogasto, collecta multitudine Francorum atque Gallorum, præparaverunt se in pugnam contra Theodosium. Quod ille audiens, congregavit multitudinem militarem filiumque suum Honorium constituit Imperatorem. Misit autem Euterpium eunuchum sibi fidelissimum in Thebaydam ad Johannem monachum præscientia clarum, de quo legitur in vita patrum, ut aut eum venire volentem deduceret, aut nolentem de belli eventu requireret: Qui venire nolens, mandavit ei, quod interfecto tyranno victoria sit potiturus, sed ipse in Italia moriturus. Relictis igitur ambobus filiis in urbe Constantinopolitana Theodosius contra Eugenium pergit, moxque illi exercitus Wisigothorum plusquam XX. milia occurrit. Eugenius itaque & Arbogastus, cum transitus Alpium tenerent, Theodosius in summis Alpibus constitutus jejuniis & orationibus intentus erat. Circa gallorum vero cantum sopore constrictus vidit in somnis quasi duo viri in vestibus albis, equis candidissimis residentes, jubentes eum habere fiduciam, primoque diluculo præparare milites ad victoriam, seque ad solatium sibi dicebant destinatos. Quorum alter dicebat se esse Johannem Evangelistam, alter Phylippum Apostolum. Quæ visio etiam alicui militi revelata est. Qua visione comperta uberiores in oratione lacrimas fudit, & in crastinum facta congressione turbo ventorum maximus a parte Theodosii in ora hostium surrexit, qui tela, quæ ipsi mittebant, in ipsos retorquebat. Ea vero quæ ab ejus parte missa sunt, ultra mensuram humani jactus, valenter hostibus infigebat. Eugenius itaque corruens ad pedes Imperatoris veniam rogabat, sed a militibus circa pedes ejus capite truncatus est. Arbogastus vero propria manu se interfecit, consulatus Archadii anno tertio, Honorii secundo. Ad laudem vero Theodosii ob insignem victoriam poëta quidam nomine Claudianus, sed paganus inter cetera hujusmodi versibus Deo & hominibus testimonium cecinit. O nimium dilecte Deo, cui militat æther, Et conjurati veniunt ad classica venti. Igitur

Theodosius Mediolanum veniens post laborem publicum corpore fatigatus ægritudinem incurrit, & sperans se moriturum de republica cogitavit, quæ hominibus solent evenire, Imperatore moriente. Filium itaque Honorium de Constantinopoli evocavit velociter & Imperatorem Romæ ordinavit. Cumque Honorius Mediolanum venisset, pater de ægritudine relevatus circum de victoria celebrat, & ante prandium quidem quasi sanus exhibuit, post prandium vero repente pergravatus ad spectaculum venire non potuit. Filium tamen ludis adesse præcepit: superveniente vero nocte defunctus est, XVI. Kal. Febr. anno imperii XVII. vitæ vero L. Fuit autem propugnator reipublicæ & defensor eximius, clemens & misericors, communis cunctis, solo habitu differens a ceteris, in omnes honorificus, in bonos vero profusus. Quantæ autem mansuetudinis apud homines fuit, tantæ humilitatis coram Domino extitit. Defuncto autem Theodosio XVI. Kal. Febr. corpus ejus Constantinopolim delatum est VI. Idus Novemb. & ab Archadio filio suo sepulturæ traditur. Dimisit autem regnum duobus filiis suis Archadio in Oriente, Honorio in Occidente; curam vero administrationis viris potentissimis mandavit habere, Rufino aulæ Orientalis, Stiliconi Occidentalis. Post paucos autem dies quando translatum est corpus Theodosii id est XV. Kal. Dec. etiam exercitus, qui cum eo fuerat, contra Eugenium reversus est, & dum Imperator Archadius ad portas occurrisset exercitui, milites Rufinum Præfectum peremerunt. Erat enim suspectus quasi tyrannidem meditaretur assumere, & Hunos & Gothos in Romanorum provincias contra Imperatorem evocare. Ea tempestate apud Palestinam provinciam in castello Emmaus natus est puer integer & perfectus, sed ab umbilico sursum divisus, ita ut haberet duo pectora & duo capita, & unusquisque sensus est, cum unus edebat & bibebat, alter non edebat; unus dormiebat, alter vigilabat; non nunquam insimul dormiebant, insimul ludebant ad alterutrum, & flebant, & utrique se invicem percutiebant: Vixerunt autem annis ferme duobus, & unus quidem mortuus est, alter autem supervixit diebus quatuor. II. Anno Domini CCCLXXXIX. qui est secundus Theodosii post mortem Gratiani idem Theodosius vir virtutibus plenus Valentinianum Italia expulsum a Maximo in regnum restituit. III. Anno Domini CCCXC. Reliquiæ Sanctorum Gervasii & Protasii a Sancto Ambrosio repertæ sunt. IV. Anno Domini CCCXCI. Augustinus conversus ad fidem ab Ambrosio baptizatur. V. Anno Domini CCCXCII. VI. Anno Domini CCCXCIII. Johannes heremita claruit. VII. Anno Domini CCCXCIV. Syricius Papa XL. sedit annis IIX. decessitque VI. Kal. Decemb. IIX. Anno Domini CCCXCV. Hieronimus librum, quem de illustribus viris scripsit, huc usque perduxit. IX. Anno Domini CCCXCVI. X. Anno Domini CCCXCVII. Valentinianus dolo Arbogastis occiditur, ejusque locum Eugenius invadit. XI. Anno Domini CCCXCIIX. Theodosius Eugenium Tyrannum superavit. Arbogastes se sua manu interfecit. Theodosius vero Mediolano in pace quievit. Augustinus doctor facundissimus Hipponi ordinatur Episcopus.

Hucusque Ecclesiasticam historiam Eusebius, Rufinus perduxit.

Anno Dominicæ Incarnationis, CCCXCIX. urbis autem conditæ MCL Archadius & Honorius filii Theodosii XLVI. loco ab Augusto commune imperium, divisis tamen sedibus, tenuerunt, Archadius in Oriente, Honorius in Occidente. Interea ingens terræ motus Constantinopoli factus est, ita ut subtus terra tremeret & desuper fusa cœlitus flamma penderet, tamdiuque, donec orationibus Archadii principis & populi Christiani præsentem perditionem DEus exoratus averteret, probans se solum esse & conservatorem humilium & punitorem malorum. Archadius itaque Imperator vir erat mitis & quietus, & circa finem vitæ pro hujusmodi causa venerabilis æstimatus. In urbe Constantinopoli domus est maxima habens cognomen Kariæ, id est, nucis. Est enim in ejus domus vestibulo arbor nucis, in qua, ut sermo est, fuerat appensus martyr Acatius & defunctus. Ob quam rem etiam oratorium illic est ædificatum. Hanc Archadius videre volens ad orationem venit, votoque completo revertebatur. Proinde cuncti circa oratorium commorantes, volentes Imperatorem videre, currebant, & alii quidem foras domum præcesserant, ut melius aspectum principis & ordinem viderent obsequii, alii vero sequebantur. Dumque omnes cum mulieribus atque filiis atque mancipiis extra domum fuissent egressi, repente maxima domus, oratorio cohærens, subito tota corruit. Clamor cum admiratione secutus est, quum oratio tantos a ruinæ imminentis periculo liberavit. Igitur Archadius Orientalis Imperator regnans post obitum patris annis XIII. defunctus est anno ætatis XXXI. relinquens filium nomine Theodosium annorum IIX. quem ante mortem suam appellavit Imperatorem, qui succedens patri regnavit annis XLI. cum patruo Honorio XV postea XXVI. qui fuerunt XLI. Hujus tempore Claudianus & Prudentius poëtæ insignes habentur. Primo autem anno Archadii & Honorii, qui est annus Domini CCCXCIX. Johannes heremita claruit. II. Anno Domini CCCC. Sanctus Martinus ad superna migravit. III. Anno Domini CCCCI. Sanctus Ambrosius carne solutus est. IV. Anno Domini CCCCII. Anastasius Papa XLI. ordinatus est sedensque annis tribus migravit V. Kal. Maji. V. Anno Domini CCCCIII. Gothi Radagaiso & Alarico regibus Italiam prædati sunt. VI. Anno Domini CCCCIV. Synodus Alexandriæ fit propter doctrinam Origenis. VII. Anno Domini CCCCV. Innocentius Papa XLII. ordinatur, sedit annis XV. discessitque IV. Idus Martii. IIX. Anno Domini CCCCVI. IX. Anno Domini CCCCVII. Severus vitam Sancti Martini describit. X. Anno Do-

no Domini CCCCIIX. XI. Anno Domini CCCCIX. XII. Anno Domini CCCCX. XIII. Anno Domini CCCCXI. Archadius Imperator apud Constantinopolim moritur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCXII. Honorius post mortem fratris cum Theodosio filio fratris regnavit annis XV. Ea tempestate Alaricus Gothorum Rex ditioni Romanorum & Theodosio Imperatori subjectus atque contra Eugenium tyrannum solatia præbens & propterea Romanis dignitatibus honoratus, felicitatem suam non ferens, imperare quidem non elegit, sed discedens ab urbe Constantinopolitana venit ad partes Occidentis.

Cumque venisset Illiricum omnia subvertebat, & transiens Thessaliam, habita congressione circa fluvium Pinum apud Nicopolim Epyri, pene tria milia virorum ejus Thessalii peremerunt. Post hæc autem Italiam ingressus cum ab Honorio sedes, quo cum suo exercitu consistere posset, expeteret, Honorius deliberato consilio eis Gallias concessit. Qui dum ad Gallias pergens ob recuperationem jumentorum apud Polentiam aliquantulum resedisset, Stilicho Patricius in perniciem reipublicæ Gothos pertemptans, dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam Sauli pagano duci commisit. Qui ipso sacratissimo die paschæ, Gothis supplicantibus nihilque tale sperantibus, super eos irruit, magnamque eorum partem prostravit.

Nam primum perturbati Gothi ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more se solito cohortantur, victoremque virtute potiori prosternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris excitati, cœptum iter deserentes, Romam contendit petere, cuncta, per quæ ierant, igni ferroque vastantes. Nec mora, venientes, urbem capiunt, devastant, plurima quidem miraculorum ejus incendunt, multosque Senatorii ordinis diversis subdidere suppliciis: dato tamen prius præcepto, ut si quis in sancta loca præcipueque Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos in primis inviolatos securosque esse sinerent. Deinde, in quantum possint, prædæ inhiantes a sanguine temperarent. Romanum imperium deridentes, Imperatorem fecerunt quendam Attalum, quem una die tanquam Imperatorem fecerunt procedere, altera vero servi scemate ministrare. Capta itaque Roma est IX. Kal. Septemb. anno millesimo centesimo sexagesimo quarto conditionis suæ. Die autem tercia sponte Gothi urbe discedunt. Fertur itaque, quia cum Alaricus pergeret Romam, vir quidam venerabilis, conversatione monachus, eum monuisset, ut mala talia facere non auderet, neque necibus gauderet aut sanguine. At ille, non, inquit, ego volens proficiscor Romam; sed quidam mihi cottidie molestus est, torquens & dicens: perge & Romanam destrue civitatem. Deinde per Campaniam, Lucaniam, Braciamque simili strage Gothi debachantes Regium pervenere, in Siciliam transfretare cupientes. Quo cum transmeare ascensis navibus vellent, perpessi naufragium, plures suorum amisere. Alaricus inter hæc, cum diu quid ageret, deliberaret, apud Consentiam subita morte defunctus est. Gothi Basentem amnem de alveo suo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio ejus alveo cum multis opibus sepeliunt, amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset, captivos, qui interfuerant, extinguunt. Regem deinceps Ataulfum, Alarici affinem, Gothi constituentes Romam redeunt; si quid residuum fuit, more locustarum eradunt, auferentes exinde Gallam Placidam Theodosii principis filiam, sororem Honorii, quam sibi Ataulfus apud Forum Cornelii conjugio sociavit, quæ multo post reipublicæ commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio subtilibus blandimentis inflexit, ut ultro a Romanis pacem expeteret; qui ad Gallias proficiscens, dein apud Barcilonem fraude suorum occisus est. Post quem Egericus regnum capiens, dum pacem Romanis servare disponit & ipse a suis interemptus est. Deinde Wallia regnandi jura suscepit, ad hoc electus a Gothis, ut pacem infringeret, ad hoc adeo ordinatus, ut confirmaret. In his ergo diebus, præcipiente Honorio, & adjuvante Constantino, firma pax omnibus Catholicis Ecclesiis per universam Affricam reddita est, quamdiu præclarissimus magister Ecclesiæ apud Ipponem regiam florebat Augustinus. Inter hæc Wallia Rex Gothorum pacem fecit cum Honorio & reddidit ei Placidiam uxorem suam, quam ipse Constantio Patricio, qui eam revocaverat, in matrimonium dedit. Honorius vero postquam cum Theodosio fratris sui filio regnavit annis XV. & rempublicam pacificatam dimisit, Romæ mortuus est. II. Anno Domini CCCCXIII. III. Anno Domini CCCCXIV. IV. Anno Domini CCCCXV. Alaricus Rex Gothorum Romam invadit. V. Anno Domini CCCCXVI. VI. Anno Domini CCCCXVII. VII. Anno Domini CCCCXIIX. Corpora Sanctorum Stephani Nychomedemi & aliorum revelata sunt. IIX. Anno Domini CCCCXIX. IX. Anno Domini CCCCXX. Zosimus Papa XLIII. ordinatur, sedit annum I. decessitque VII. Kal. Jan. Hic constituit, ut Diaconus lævam tegat. X. Anno Domini CCCCXXI. Bonifacius Papa XLIV. sedit annis tribus, menses IIX. XI. Anno Domini CCCCXXII. XII. Anno Domini CCCCXXIII. Sanctus Hieronymus migravit anno vitæ XLIX. XIII. Anno Domini CCCCXXIV. Honorius apud Ravennam Constantium consortem regni fecit. XIV. Anno Domini CCCCXXV. Cœlestinus Papa XLV. sedit annis IX. Hic constituit sanctos ad missam cantari. XV. Anno Domini CCCCXXVI. Honorius Romæ moritur anno imperii sui XXX. Franci Faramundum filium Marcomiri Crinitum elegerunt in regem.

Paulus Orosius presbyter librum suum historicum a conditione mundi huc- usque perduxit.

Anno Dominicæ Incarnation. CCCCXXVII. urbis vero conditæ MCLXXIIX. Theodosius

 junior,

junior, Archadii filius, nepos Theodosii Magni XLVII. loco ab Augusto solus tenuit imperium, regnavitque annis XLI.

Igitur Honorio defuncto Johannes quidam regnum occidentale invasit, misitque legationem ad Theodosium Imperatorem, suscipi deprecans: Qui legatis in carcerem trusis, Ardubarium Prætorem contra eum misit, quem ille apud Ravennam aggressus inclusit. Quo Theodosius agnito, Valentinianum amitæ suæ Placidiæ ex Constantio filium Cæsarem fecit, & cum matre sua ad recipiendum Occidentale regnum direxit: & Asparem Ardubarii filium ante eum contra Johannem misit. Angelus autem Domini in habitu pastoris apparens deduxit Asparem, & qui cum eo erant, per paludem, quæ Ravennæ adjacuit prius invia, quam tunc Deus fecit perviam, venientesque Ravennam, portas invenerunt apertas, &, ingredientes, tyrannum Johannem occiderunt. Valentinianus igitur veniens Italiam, consensu omnium factus est Imperator, ideoque decreto Theodosii appellatur Augustus. Qui mox ad eundem Theodosium consobrinum suum Constantinopolim profectus, filiam ejus Eudoxiam, quam sibi Eudoxia genuit, in matrimonium accepit, Romamque rediit.

Interea Valentinianus non solum Brittanniam, Galliam & Hyspaniam salvare nequit, sed & occidentalem Libiam, quæ videlicet regio Afrorum vocatur, amisit hoc modo. Duo Prætores erant, quos diximus, Ethius scilicet & Bonefacius, quos Theodosius, postulante Valentiniano, Romam direxit. Cumque Bonefacius principatum Occidentalis Libiæ percepisset, & apud Affricam potentia gloriaque augeretur, invidia inflammatus Etius accusationem facit adversus eum, tanquam rebellionem meditantem, & obtinere Libiam satagentem. Et hæc quidem Placidiæ fatebatur Valentiniani matri. Ceterum Bonefacio scribit; quando accersitus fueris, accedere noli, incusatus enim es; & volunt te dolose imperatores occidere. Hæc suscipiens Bonefacius, & veluti proprio servo Etio credens, accersitus accedere distulit. Tunc Imperatores Etium quasi devotum receperunt, & adversus Bonefacium Mavortius & Galbio mittuntur, qui dum Bonefacium obsidere parant, ab eo interempti sunt. Rursus contra Bonefacium Sigisvuldus comes dirigitur. Bonefacius sentiens se non posse tuto Affricam tenere, cernensque sibi periculum instare, in perniciem totius reipublicæ exservescens, transfretans a Lybia in Hyspaniam ad Wandalos Alanosque venit. Cumque Modigisclum invenisset mortuum, & filios ejus Gontharium & Geisericum principatum moderantes, hortatus est, ut Hesperiam Libiam in tres partes dividerent; polliciti sunt unicuique tertiæ parti se una cum ipso principaturos, in communi tamen in quemlibet hostem ulturos. In talibus ergo professionibus Wandali Alanique fretum transmeantes, Libiam habitaverunt, & cunctam pene Affricam ferro flamma rapinis crudelissime devastantes, Catholicam insuper fidem Arriana impietate subverterunt. Sub hoc turbine beatissimus, ut præmissum est, Augustinus Hipponensis episcopus, ne civitatis suæ ruinam cerneret, tercio ejus obsidionis mense VI & LXX. vitæ annis expletis, ex quibus XL. in Clericatu sive in episcopatu transegerat, migravit ad Christum. Post hæc Geisericus rex Wandalorum Karthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit, nec ab ecclesiarum exspoliatione abstinens, quas sacris vasis exinanitas & sacerdotum amministratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula; in universum captivi populi ordinem sævus, sed præcipue nobilitati & religioni infestus, ut discerni omnino non possit, hominibus magis, an Deo bellum intulisset. Igitur Kartago a Wandalis hoc modo capta est, annis quingentis LXXX & V. evolutis postquam Romano cœperat juri parere. Tricesimo autem anno imperii Theodosii terræ motus magni facti sunt Constantinopoli per IV. menses, ita ut timentes Byzantii extra civitatem in loco, qui dicitur Campus, cum episcopo Proculo perseverarent, in Letaniis ad Dominum vociferantes. Quodam ergo die terra fluctuante & omni populo attentius Kyrieleison clamante, circa horam terciam, omnibus videntibus, quidam adolescentulus in aërem sublevatur, audivitque vocem dicentem sibi, ut nunciaret episcopo & populo letanias facere ac sic dicere: sanctus Deus, sanctus, fortis, sanctus & immortalis, miserere nobis; nilque aliud apponentes. Quod cum fieret, terræ motus cessavit. Porro beata Pulcheria soror Theodosii una cum fratre, super hoc miraculo valde mirata, sanxit per universum orbem hunc Hymnum taliter decantari. Sub his fere diebus Roma tanto terræ motu concussa est, ut multa ædificia corruerent. Per hæc tempora rex Hunorum Attila, dum Tracias & Illiricum devastaret, coactus Theodosius legatione ad eum missa, sex milia librarum ei pro recessu præbuit, & mille librarum tributum annuum promisit. Post hæc Theodosius morbo consumptus Constantinopolim obiit anno imperii XLI. Fuit autem sapiens multum, patientia & clementia præcellens. Sic enim fuit clemens, ut si quando aliquis dignum morte quippiam committeret, non usque ad portas civitatis moriturus perveniebat, sed ejus clementia mox subsequens eum revocabat. Quem cum quidam familiarium interrogaret, cur nullum se lædentium morti subjugaret; utinam, inquit, mihi esset possibile mortuos etiam ad vitam revocare. Hoc autem mortuo beata Pulcheria soror ejus, nondum morte ejus divulgata, Marcianum in religione & pudicitia conversantem senem & idoneum virum ad se accersivit, eique dixit: Quum Imperator mortuus est &, ego te elegi tanquam bene placentem ex omni senatu, da mihi verbum, quod virginitatem meam custodieris, quam Deo devovi, & pronuntiabo te Imperatorem. Quod illo cum sacramento pollicente, accersito Patriarcha Anatholio, coram omni senatu pronuntiavit eum Romanorum Imperatorem. Hujus tem-

tempore Sanctus Servatius episcopus floruit. II. Anno Domini CCCCXXVIII. III. Anno Domini CCCCXXIX. IV. A. Domini CCCCXXX. V. Anno Domini CCCCXXXI. Etius multis Francis occisis, partem Galliæ, quam possederant, recepit. Mortuo Pharamundo Clodius filius ejus in regno Francorum sublimatur: hic in finibus Turingorum habitavit, postea cum grandi exercitu Renum transiit, populo multo Romanorum prostrato, victoriam obtinuit. Turnacensem & Cameracum urbes obsedit & cepit, exinde usque ad Sunnam fluvium terram occupavit & cepit. VI A. Domini CCCCXXXII. Cassianus Collationes Patrum scribit. VII. Anno Domini CCCCXXXIII. VIII. Anno Domini CCCCXXXIV. Sixtus Papa XLVI. sedit annis VIII. obiit V. Kal. Aprilis. IX. Anno Domini CCCCXXXV. X. A. Domini CCCCXXXVI. Sanctus Germanus Antisiodori episcopus claruit. XI. Anno Domini CCCCXXXVII. Synodus tertia universalis CC. episcoporum sub Sixto Papa congregatur in Epheso contra Nestorium. XII. An. Domini CCCCXXXVIII. XIII. Anno Domini CCCCXXXIX. Etius Gundicharium Burgundionum regem vicit, petentique gratiam tribuit, quem Huni postea peremerunt. XIV. Anno Domini CCCCXL. Valentinianus filiam Theodosii accepit. XV. Anno Domini CCCCXLI. Julius Pelagianista hereticus a Sixto Papa dampnatur. Terræ motus magni facti sunt Constantinopolim. XVI. Anno Domini CCCCXLII. Leo Papa XLVII. ordinatur, seditque annis XVI. migravit ad Dominum IV. Kal. Julii. XVII A. Dom. CCCCXLIII. XVIII. Anno Domini CCCCXLIV. Theodosius bellum contra Wandalos inutiliter movit. XIX. Anno Domini CCCCXLV. Alani terram Galliæ ulterioris vi possident. XX. Anno Domini CCCCXLVI Sanctus Briccius Turonorum episcopus migravit ad Dominum. XXI. Anno Domini CCCCXLVII. Eustochius Sancto Briccio successit. XXII. An. Domini CCCCXLVIII. XXIII. Anno Domini CCCCXLIX. XXIV. An. Domini CCCCL. XXX. An. Domini CCCCLI. Mortuo Clodio Meroveus filius ejus in regno Francorum sublimatur. Hic utiliter regni negotia tractavit. Nam ab ipso Franci Merovingi nuncupati sunt. XXXI. A. Domini CCCCLII. Theodosius junior Imperator obiit anno imperii sui XLI.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCLIII. ab urbe condita MCCIV. Marcianus XLVIII. loco ab Augusto Orientali aulæ præficitur Imperator. & regnavit cum Valentiniano annis VII. Igitur Valentinianus Occidentalis rector imperii pacem firmavit cum Geiserico, divisa inter utrosque Affrica. Geisericus vero, dum de rerum successu etiam apud suos superbiret, valida suorum conspiratio facta est adversus eum. Qua detecta multos ex eis per diversa occidit supplicio. Marcianus autem Imperator admodum religiosus & egentibus multa beneficia præstans, regnum, quod delicati decessores ac predecessores ejus per annos fere XL. vicissim imperantes, minuerant, divina provisione sic reparavit, ut exultatio ingens cunctis accresceret. Nam cum Parthis & Wandalis, omnino regnum infestantibus, pacem instituit, Attilæ minas compescuit, Novades Blenesque ex Ethyopia prolapsos per Florum Alexandriæ urbis Procuratorem a finibus Romanorum expulit. Interea rex Hunorum Attila, dum cum fratre Bleba regnum intra Pannoniam Daciamque gereret, Macedoniam, Misiam & Achajam, utrasque etiam Græcias immanissima rabie, ut dictum est, devastaret, Blebam suum germanum regni consortem peremit, ejusque sibi populos parere compulit. Fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subjugaverat, præsidio, ad Occidentale demoliendum animum intendit imperium. Cujus exercitus quingentorum milium fuisse numero ferebatur, vir in concussionem natus in mundo, terrarum omnium metus, quibus vulgatus erat. Namque superbus incessu, huc atque illuc oculos circumferens, ut elati animi potentia ipso quoque motu corporis appareret; Bellorum quidem amator, sed ipse manum temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis, forma brevis, lato pectore, capite grandiori, immitis oculis, rarus barba, canis aspersus, semirasus, teter colore, originis suæ signa restituens. Erat siquidem ejus subjectus dominio rex ille Gepidarum famosissimus Ardaricus; Gualamir etiam Gothorum regnator, ipso, cui tunc serviebat, rege nobilior. Fortissimæ nihilominus gentes Marcomanni, Suevi, Quadi, præterea Heruli, Turcilingi sive Rugi cum populis Regulis, aliæque præter hos barbaræ nationes, Aquilonis in finibus commanentes; horum omnium Attila superbus imperio quamquam virium robore facile se posse adipisci putaret, quod optaret, non minori tamen consilii astutia, quam armorum fortitudine, hostes aggredi satagebat. Prævidens itaque sagacitate, qua callebat, nisi forte tutum, si Gothi, qui intra Gallias morabantur, Romanis auxilio jungerentur, amicum se Gothis simulans, adversum Romanos se asserit præliaturum; Romanorumque e diverso, qui amicitias appeterent, in Gothos videlicet eorum hostes se pollicetur arma moturum. Agebat itaque versuta barbaries, quatinus si hos posset a societate dividere, facilius utrosque singulari certamine proculcaret. Quas Etius astucias non minori acumine prævidens, legatos ad Theodoricum qui eo tempore Gothis apud Tolossam regnabat, dirigit, quo cum eo pacis fœdera sociaret. Annuit juxta Etii votum Romanorum legatis Theodoricus, jungitque cum eis, non minus sibi prospiciens, fortissimum fœdus, promittitque se pariter pugnaturum. Fuere interea Romanis auxilio Burgundiones, Alani cum Sangibano suo rege, Franci, Saxones, Riparioli, Briones, Sarmatæ, Armoritiani, Liciani ac pene totius populi Occidentis; quos omnes Etius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli asciverat societatem. Convenitur ex utraque parte in campos Catalaunicos, qui centum in longitudine leugas, ex latitudine LXX. leugas, ut Gal-

lis mos est, metiri feruntur. Attila itaque primo impetu, mox ut Gallias introgressus est, Gundiciarium Burgundionum Regem sibi occurrentem contrivit. Deinde cum ad locum certaminis ventum est, inquirit aruspicem, si quid sibi de belli sorte venturum prædiceret. Qui arte dæmonica exta pecudum perscrutans, Attilæ infausta denunciat: hoc tamen quantulumcunque solatium fore, quod summus ex parte hostili in certamine ductor occumberet. Attila vero cum hæc de Etii interitu, cujus mortem sitiebat, nunciari putaret, non dubitavit vel cum suorum perditione bellum committendum, modo Etium suis motibus fortiter obsistentem poterit extinguere. Committit itaque pugnam jam in vesperam die vergente, ut si superaretur ab hostibus, imminentis se noctis tenebris occuleret. Conveniunt hinc & inde fortissimæ nationes, conseruntur acies, fit bellum acre nimis & pertinax, quale vix ulla narrat historia, nec ante a præliandi ardore quievere, quam eis nox superveniens pugnandi facultatem adimeret. Eo siquidem prælio CLXXX. milia hominum cæsa referuntur, tantumque est sanguinis effusum, ut parvus, qui ibidem labebatur, rivulus immodicus subito torrens effectus, cadavera secum traheret peremptorum. Attilam sane de morte Etii sua suspicio fefellit. Nam incolumi Etio Rex ibi Gothorum Theodoritus occubuit. In quo prælio quamvis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attilam fuisse superatum. Qui cum die altera intra plaustrorum munimenta se continens erumpere non auderet, nec tamen cessaret tubis & clamore perstrepere, Thorismundus Theoderiti Regis filius, dolens de paterno funere statuit Attilam obsidione coartare, ut eum ejusque exercitum ad internetionem usque deleret. Tunc Attila de vitæ fiducia desperans, ex equitatoriis ingentem pyram sellis construxit, ut ibidem se Gothis imminentibus supposito igne cremaret, ne aut quisquam de ejus lætaretur vulnere aut Rex tantarum gentium in potestate hostium deveniret. Etius vero incaute perpendens Romanos a Gothis, perempto Attila, deprimi, nec deinceps adversum Gothos necessitas incumberet, solatium habere Thorismundo, quasi ejus rebus consultis, persuadet, ut domum reverteretur, regnum paternum arriperet, ne si ab ejus invaderetur germanis, acerbius ei esset cum suis, quam cum hostibus dimicare. Hoc ille consilium, tamquam pro sua salute prolatum, libenter amplectens, domum revertit. At vero Attila cernens, se relicto, hostes ad propria remeasse, erectis animis ac spe salutis elevatus, Pannonias repedavit, potioremque exercitum coacervans, ut aper ferus per Gallias irruens omnes civitates & castra cepit & diruit; inter quas nobilissimas civitates Linguonas, Tungrim, Treverim cœpit & evertit. Huni vero non dispari rabie in sacra vigilia paschæ urbem Mettis circumdedere; sed dum contra firmitatem murorum nihil proficerent, fatigatique demum inanes recederent, muri solidissimi ultro corruerunt; hostes reversa spe introierunt; cives in ore gladii perierunt. Solum protomartyris Stephani oratorium periculis substitit illæsum; cui cœlestibus quidam desuper in armis splendidissimis astans, tela hostium procul reppulit & flammas. In portis Remensium ipse Sathan sese ostendit ductorem barbarorum, prostrato etiam illic sanctissimo Nycasio Præsule cum Eutropa virgine universaque plebe. Ventum est Trecas, pugnabatur ad portas. Desuper beatus Lupus pontifex ultro hostem compellans; quis nam es, inquit, qui terras demoliris nostras gentemque perturbas? Cui Rex sceleris agitatus in furiis; ego sum, ait, Attila, flagellum Dei: quo contra humilis antistes graviter ingemiscens; & ego sum Lupus, inquit, heu vastator gregis Dei, dignusque nimium flagello Dei. Moxque ad hanc vocem, ut ingrederetur, jussit portas patefieri. Miro miraculo inimici divinitus cœcitate percussi transierunt a porta ad portam per civitatem mediam, tum neminem videntes, tum neminem lædentes. Igitur Attila truculentior, quam venerat, ab Etio rediens, Italiam intravit, ac primum Aquilejæ civitatem in ipso Italiæ sitam principio expugnare aggressus est, quam continuo triennio obsidens cum adversum eam, strenue civibus repugnantibus, nihil prævaleret, jamque murmur sui exercitus non valentis famis tolerare penuriam audiret, cum die quadam civitatem circuit, ut, ex qua eam parte facilius posset expugnare, inquireret, cernit repente aves in ædificiorum fastigiis nidificare solitas, quæ ciconiæ vocantur, uno impetu ex urbe migrare, fœtusque suos sublatos rostris per rura forinsecus deportare. Aspicite, inquit ad suos, aves futurorum præscias perituram relinquere civitatem, statimque adhibitis machinis tormentisque hortatur suos. Acriter expugnabat civitatem, & sine mora capit. Diripiuntur opes, captivantur vel trucidantur cives, residuum direptionis igne supposito flamma consumpsit. Fuerat siquidem in ea civitate fœminarum nobilissima digna nomine, forma quidem eximia, sed candore pudicitiæ amplius decorata. Hæc dum habitaculum supra ipsa urbis mœnia haberet, turrimque excelsam suæ domui imminentem, subter quam Natissa fluvius labebatur fluentis, ne sordidissimis hostibus ludibrium fieret, animæque pulchritudinem vel vi illata libidine viciaret, mox ut ingressum hostium captamque urbem præsensit, ex summa se eadem turri obvoluto capite in gurgitem præcipitem dedit, metumque amittendæ pudicitiæ memorabili exitu terminavit. Plura præterea ejusdem regionis castella immanis hostis, extinctis vel captivatis civibus, succendit ac diruit; Concordiam, Altinum sive Patavium, vicinas Aquilejæ civitates, fluminis instar demoliens solo coæquavit. Exinde per universas Venetiarum urbes, hoc est, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Pergamum seu reliquas, nullo resistente, Huni bachabantur. Mediolanum Ticinumque pari sorte diripiunt, ab igne tamen abstinentes & ferro. Deinde Emiliæ civitatibus similiter exspolia-

ſpoliatis, noviſſime eo loco, quo Mintius fluvius in Padum influit, caſtra metati ſunt. Vbi Attila conſiſtens, dum utrum adiret Romam, an deſiſteret, animo fluctuaret, non urbi, cui infeſtus erat, conſulens, ſed Alarici exemplum pavens, qui captæ a ſe urbi non diutius ſupervixit. Dum ergo has animo tempeſtates revolveret, repente illi legatio placidiſſima a Roma advenit. Nam per ſe vir ſanctiſſimus Leo Papa ad eum acceſſit, qui cum ad Regem barbarum introgreſſus eſſet, cuncta, ut optaverat, obtinens, non ſolum Romæ, ſed & totius Italiæ ſalutem reportavit. Territus namque nutu Dei Attila fuerat, nec aliud Chriſti ſacerdoti loqui valuit, niſi quod ipſe præoptavit. Fertur namque poſt diſceſſum Pontificis interrogatum eſſe Attilam a ſuis, cur ultra ſolitum morem tantam reverentiam Romano Pontifici exhibuerit, quandoquidem pene ad omnia, quæ ſibi ille imperaſſet, obtemperarit, tum Regem reſpondiſſe, non ſe ejus, qui advenerat, perſonam reveritum eſſe, ſed alium ſe virum juxta eum in habitu ſacerdotali ſtantem vidiſſe, forma auguſtiore, canitie venerabilem, illumque evaginato gladio ſibi terribiliter mortem minitantem, ſi non cuncta, quæ expetiebat ille, expleſſet. Igitur Attila tali modo a ſua ſævitia repreſſus, relicta Italia, Pannonias repetit. Qui reverſus ad proprias ſedes ſupra plures, quas habebat uxores, puellam valde decoram, Ildico nomine, ſibi in matrimonium junxit. Ob cujus nuptias profuſa convivia exercens, dum tantum vini, quantum antea nunquam inſimul bibiſſet, cum ſupinus quieſceret, eruptione ſanguinis, qui ei de naribus ſolitus fuerat effluere, ſuffocatus extinctus eſt. Eadem denique apud Conſtantinopolim nocte Marciano Imperatori in ſomnis Dominus apparens, arcum Attilæ fractum oſtendit, quo ſcilicet armorum genere gens illa fidere ſolet in bello maxime. Erat autem Marcianus admodum religioſus & timens Dominum, qui in letaniis campi pedibus diſcalceatis incedebat, multa egentibus beneficia præſtans. Inter hæc Pulcheria beata & pia dormivit in Chriſto, quæ multa bona fecit & omnia ſua pauperibus dereliquit, quæ Imperator Marcianus, cum multa eſſent, alacriter diſpertivit. Conſtruxit autem eadem & multa oratoria domoſque pauperibus & hoſpitibus, nec non & ſepulchra peregrinis ædificavit; inter quæ beatæ Dei genetricis Mariæ in Blachernis & ſancti Laurentii Levitæ & martyris templa conſtruxit.

Igitur, quia ſemper virtus invidiam parit, Valentinianus Imperator, quantum res edocuit, proſperos Etii ſucceſſus, ut ſupra præmiſſum eſt, pertimeſcens, eum, ſimulque Boëtium ſenatorem nobiliſſimum, gladio peremit. Ita vir bellicoſiſſimus Etius, & quondam Attilæ Regis potentiſſimi terror, occubuit, cum quo pariter & Occidentis imperium ſaluſque reipublicæ corruit, nec hactenus ultra valuit relevari. Sed nequaquam Valentiniano mors Etii impune conceſſit. Nam & ipſe anno ſequenti a Tranſila, Etii milite, per conſilium Maximi cum triginta annis imperium geſſiſſet, confoſſus interiit; ex quibus, cum Theodoſio ſocero XXV. cum Marciano V. imperavit. Mortuo Valentiniano, imperii jura jam dictus Maximus apud Vrbem invadens, Eudoxiæ Valentiniani relictæ vi ſociatus eſt. Per quæ namque quis peccat, per ea quoque & corripitur. Inter hæc ergo Eudoxia coartata, nullum fore auxilium exiſtimans a Conſtantinopoli, Theodoſio patre ſuo & Pulcheria amita ſua defunctis, accerſit Geiſericum ex Affrica ad urbem Romam, rogans ex Maximi tyrannide liberari. Magna vero cum claſſe e ſuis Geiſericus ad urbem Romam navigans, fultus eſt inſuper præſidio Maurorum, cum adhuc Romanæ Eccleſiæ beatiſſimus Leo Papa ageret pontificatum. Perculſis itaque Romanis tam terribili nuncio, plurimi e nobilibus ſive popularibus ex urbe fugerunt, inter quos & Maximus tyrannus fugiens a Romanis occiditur. Præterea Geiſericus, nemine ſibi reſiſtente, introivit Romam tertia die Maximi fugæ, occurrente ſibi extra portam eodem ſancto Leone Epiſcopo: Cui ſupplicans ita eum, Deo adjuvante, lenivit, ut cum omnia poteſtati ejus eſſent tradita, ab igne tamen & cæde atque ſuppliciis abſtineretur. Quatuordecim interim diebus ſecura & libera, direptione omnibus opibus & miraculis ſuis Roma vacuata eſt, in quibus erant Eccleſiaſtica cimilia tota ex auro, & lapidibus precioſis ornata, & vaſa Ebraica, quæ Titus Veſpaſiani filius poſt captivitatem Hieroſolimorum Romam detulerat: multaque milia captivorum, prout quique ætati aut arti placuerunt, cum Regina Eudoxia, quæ jam dictum Geiſericum ad hoc facinus invitaverat, duabuſque filiabus ejus Kartaginem abducta ſunt. Capta itaque hoc modo a Geiſerico Roma eſt, poſtquam eam primo Alaricus invaſerat, ſecunda jam vice, expletis ab eo jam tempore XLIV. annis, a conditione ſua mille ducentis atque octo evolutis. Relicta itaque urbe per Campaniam ſeſe Wandali Maurique effundentes, cuncta ferro flammiſque conſumunt, quicquid ſupereſſe poteſt, diripiunt. Captam nobiliſſimam civitatum Capuam ad ſolum uſque dejiciunt, captivant, prædantur. Nolam nihilominus urbem ditiſſimam aliaſque quam plures pari ruina proſternunt. Neapolim præterea, quaſque ob firmitatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas, relinquunt. Quicumque gladio ſuperfuerant, captivitatis jugo ſubiciuntur. Inter has procellas vir piiſſimus Paulinus Nolanæ urbis Epiſcopus, poſtquam, quicquid habebat, in captivorum redemptionem expendit, noviſſime cum nihil aliud ei, niſi ipſe ſibi ſolummodo ſupereſſet, pro cujuſdam viduæ filio maternas non valens piis viſceribus ferre lacrimas, cum eadem ad Affricam proficiſcens, quo jam hoſtes diſceſſerant, ſeſe barbaro viro vice vicaria in ſervicium tradidit. Cujus ſanctitas cum apud eandem barbaram gentem Dei nutu cognita fuiſſet, demum cum omnibus ſuis civibus ad urbem propriam remeavit. At vero Geiſericus poſtquam ditatus Italiæ opibus ad Affricam regreſſus eſt, Eudoxiam Valentiniani principis filiam, quam urbe captivitatis

vitatis forte abduxerat, Traſſamundo filio ſuo in matrimonium copulavit, ex qua videlicet Hyldericus natus eſt, qui quartus poſtmodum a Geiſerico Wandalis apud Affricam regnavit. Recedente igitur Geiſerico ab urbe, Romani ſequenti menſe exinanitæ reipublicæ Imperatorem nomine Habitum præficiunt. At vero Marcianus Imperator cum apud Conſtantinopolim ſeptem annis regnum adminiſtraſſet, facta ſuorum conſpiratione, peremptus eſt.

Hujus tempore Johannes baptiſta caput ſuum, juxta Herodis quondam regis habitaculum reconditum, revelavit duobus monachis orientalibus, qui Hieroſolimam cauſa orationis venerunt, quod deinceps Ediſſam Fœnicis urbem perlatum, digno cultu eſt honoratum. Primo anno, qui eſt Dominica Incarnat. CCCCLIII. Etius Attilam ſuperavit. II. Anno Domini CCCCLIV. III. Anno Domini CCCCLV. Synodus IV. DCXXX. Epiſcoporum in Calcedone congregata eſt ſub Leone Papa contra Euticen. IV. Anno Domini CCCCLVI. Valentinianus Etium Patricium occidit. V. Anno Domini CCCCLVII. Valentinianus ab amicis Etii occiditur. VI. Anno Domini CCCCLIIX. Hylarius Papa XLIIX. ordinatur, ſedit annis VII. deceſſitque IV. Idus Septemb. Per hunc ſcribit Victurius Paſchalem cyclum quingentorum XXXII. annorum. VII. Anno Domini CCCCLIX. Marcianus Orientis Imperator occiditur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCLX. urbis conditæ MCCXI. Leo, Beſſica ortus progenie, ex tribuno militum Imperator electus & ab Anatholio patriarcha coronatus XLIX. loco ab Auguſto regnum Orientale accepit & XVI. annis tenuit, qui deinde ſequenti tempore filium ſuum Leonem ſocium ſibi fecit in regno. Igitur exempto in Italia humanis rebus Etio Majorianus apud Ravennam invadit imperium, ſed quarto anno haut procul a Derthona civitate occiſus eſt, ſtatimque Severus ſine juſſu Leonis apud Ravennam Imperator efficitur & Auguſtus appellatur; ſed & ipſe poſt quatuor annos Romæ defunctus eſt. Poſt cujus mortem conſenſu totius militiæ Leo Imperator Anthemium divi Marciani generum ex Patricio Cæſarem faciens Romam miſit in imperium. Sequenti anno Servandus, qui Præfectus erat in Gallia, volens invadere imperium ab Anthemio in exilium miſſus eſt. Rurſus poſt annum Romanus Patricius temptans fraudulenter accipere imperium, juſſu Anthemii occiſus eſt. His temporibus Leo Imperator Zenonem generum ſuum totius Orientis magiſtrum fecit, & Baſiliſcum fratrem Verenæ uxoris ſuæ magiſtrum Affricæ conſtituit. Per hæc tempora Anthemius a Ricimere Patricio genero ſuo occiſus eſt, cum quatuor annos regnaſſet; ſed & ipſe Ricimer poſt menſem tertium excruciatus languore interiit. Inter hæc Olibrius a Leone Auguſto miſſus ad Urbem venit, vivoque adhuc Anthemio, regiam adeptus dignitatem, Placidiam Valentiniani principis natam duxit uxorem. Qui, cum VII. menſes imperium tenuiſſet, morte propria Romæ defunctus eſt. Poſt cujus mortem Licerius apud Ravennam Imperator factus eſt; ſed anno ſequenti veniens cum exercitu Nepos Patricius, Nepotiani filius, Licerium expulit, ipſeque ſumens imperium, ipſum in Salona civitate Dalmatiæ ordinavit Epiſcopum. Eo tempore Euricus apud Toloſam ſuper Wiſigothos regnavit, filius Theodorici, qui cum Etio contra Attilam pugnans occubuit. Leo igitur Imperator poſtquam Orientale imperium XVI. rexerat annis, Leonem nepotem ſuum ex Ariagne filia, Zenonis filium, ordinans Imperatorem, diem clauſit extremum. Leo itaque junior cum paucis menſibus rexiſſet imperium, manu ſua coronans genitorem ſuum Zenonem, conſtituensque Imperatorem, rebus exceſſit humanis. Mox Baſiliſcus magiſter Affricæ Imperator acclamatus Marcum filium ſuum Cæſarem fecit, & Zenobiam uxorem ſuam in Auguſtam coronavit. Interea Zeno totius Orientis magiſter cum Ariagne uxore ſua ad regiam perveniens urbem, ſuſceptus a populo & Senatu; Baſiliſcus vero fugiens ad Eccleſiam, imperiali depoſita corona in divina menſa, ad baptyſterium confugit cum Zenobia uxore ſua; & Zeno continuo Auguſtalem nactus eſt dignitatem. Porro Hyllus Patricius cum Leontio & reliquis venit ad caſtellum Papyrii, & educta Verena Auguſta in Tarſum Ciliciæ, fecit eam coronari extra civitatem apud Sanctum Petrum. Leone itaque, de quo præmiſſum eſt, quem pater Leo aſciverat in regni poteſtatem, mater ſua Zenonis impetum formidans, occulte clericum fecit, exigentique vehementer Zenoni, ut filium proderet, pro eo forma ſimilem obtulit. Qui Leo deinceps in Clericatu ad Juſtiniani usque tempora vixit. Primo anno Leonis qui eſt Dominicæ Incarnation. CCCCLX. corpus ſanctæ Anaſtaſiæ delatum eſt a Sirmio & repoſitum eſt in templo ejus in porticibus Domnini. II. Anno Domini CCCCLXI. III. Anno Domini CCCCLXII. IV. Anno Domini CCCCLXIII. V. Anno Domini CCCCLXIV. VI. Anno Domini CCCCLXV. Simplicius Papa XLIX. ſedit annis XII. VII. Anno Domini CCCCLXVI. IIX. Anno Domini CCCCLXVII. Pictor quidam, cum ſalvatorem pingere præſumpſiſſet ſecundum ſimilitudinem Jovis, areſacta eſt manus ejus, quem peccatum ſuum confeſſum ſanavit Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. IX. Anno Domini CCCCLXIIX. translatus eſt apud Alexandriam Eliſæus propheta in monaſterio Pauli leproſi, qui leproſum ſanavit, & leproſum fecit, & in ea, quæ leproſi erant, translatus eſt. X. Anno Domini CCCCLXIX. XI. Anno Domini CCCCLXX. XII. Anno Domini CCCCLXXI. XIII. Anno Domini CCCCLXXII. XIV. Anno Domini CCCCLXXIII. XV. Anno Domini CCCCLXXIV. XVI. Anno Domini CCCCLXXV. Leo ſenior obiit, pro quo Leo junior paucis menſibus regnavit. Igitur Meroveo rege Francorum mortuo, Hydericus filius ejus ſucceſſit. Hic de Baſina regina Thuringo-

ringorum filium Clodoveum nomine habuit, qui fuit Rex magnus super omnes ante se reges Francorum. In illis temporibus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Renum, quam Coloniam vocaverunt; & Treverim civitatem juxta Mosellam, quæ ab Hunis antea diruta & afflicta fuit succenderunt. Tunc circa Renum usque Ligerim fluvium habitabant Romani, quorum princeps erat Egidius; ultra Ligerim enim dominabantur Gothi, quorum princeps erat Alaricus; Burgundiones quoque juxta Rodanum fluvium, quorum princeps erat Gundebadus. Huic fuerunt quatuor filii, Gundebadus, Godegisilus, Helpericus & Godomarus. Gundebadus igitur Helpericum fratrem suum interfecit gladio, uxoremque ejus ligato ad collum Saxo in aqua necari præcepit; filias ejus duas, quarum senior vocabatur Crhona exilio condempnavit, juniorem vero nomine Rothildam domo retinuit.

Anno Dominicæ Incarnat. CCCCLXXVI. ab urbe vero condita MCCXXVI. Zeno genere Isaurus, gener Leonis Imperatoris L. loco ab Augusto adeptus imperium Orientale, regnavit annis XVI. Occidentale vero imperium tenuit Nepos. Quem Orestes Patricius de regno proturbans Augustulum filium suum Imperatorem fecit, sequentique anno cum rege Wandalorum Geiserico fœdus statuit. Dum hæc Romæ geruntur Odoaccar cum fortissima Herulorum multitudine, fretus insuper Turcilingorum sive Scirorum auxiliis, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare contendit. Qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognita Severini fama Christi Domini servi, qui in illis tunc degebat locis, ad eum, sibi benedictionem petiturus, accessit. Qui dum benedictione suscepta ab ejus egredi cella vellet & caput, ne in superliminari ostii, eo quod proceræ esset staturæ, allideret, inclinasset, a DEI viro futurorum præscio mox talia audivit: Vade nunc ad Italiam, vade Odoaccer vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus. Hæc ille verba rerum exitu comprobavit: nam aliquantis postmodum annis totius Italiæ insuper & Urbis usus est potestate. Ingresso ergo Italiam Odoacere, statim ei apud Liguriæ terminos Orestes Patricius occurrit, qui adversus fortissimam multitudinem nihil se prævalere conspiciens, maxime cum eum jam quidam suorum deseruissent, metu trepidus intra Ticinum se munitionis fiducia conclusit. Mox adveniens cum exercitu Odoacer, expugnatam fortiter ingreditur civitatem. Vastantur universa rapinis, sævit ubique gladius, divina quoque privataque ædificia igne consumpsit. Captus demum Orestes ab hostibus Placentiam usque perducitur, ibique gladio detruncatur. Exinde per universas iidem barbari urbes diffusi, cunctam sine aliqua tarditate Italiam proprio juri subdiderunt, multasque tunc civitates, parantes resistere, extinctis habitatoribus, ad solum usque dejecerunt. Odoacar itaque prosperos sibi cernens successus accrescere, statim regiam arripuit dignitatem. Augustulus siquidem, qui imperii præsumpserat dignitatem, cernens universam Italiam Odoacaris viribus subdi, inopinabili metu perterritus, sponte miserabilis purpuram abiciens, cum vix XI. mensibus rempublicam obtinuisset, imperialem deposuit majestatem. Ita Romanorum apud Romam imperium toto orbe terrarum venerabile & augustalis illa dignitas, quæ ab Augusto quondam Octaviano cœpta est, cum hoc Augustulo periit, anno urbis conditæ MCCXXIIX. a Gajo vero Cæsare, qui primus singularem arripuit principatum, anno quingentesimo XVII. Igitur dejecto ab augustali dignitate Augustulo, urbem Odoacer ingressus, totius Italiæ adeptus est regnum, quod dum per annos XIV. nullo inquietante tenuisset, Zeno Imperator, deliberato consilio, Theodoricum regem Ostrogothorum ad Italiam possidendam misit, Senatum ac populum Romanum ei committens. Cui mox cum magno exercitu totisque Italiæ viribus Odoacar occurrit, quem Theodoricus alacriter excipiens magno superavit prælio, in fugam convertit. Iterum apud Veronam cum eo commisit, & summa clade exercitum ejus contrivit, quem tamen postea apud Ravennam occidit. Qui totius Italiæ potitus ditione, Romam profectus est, & a Romanis cum gaudio est susceptus. Quibus ille singulis ad subsidium victus VI. milia modiorum tritici concessit. Zeno itaque Augustus, dum præfuisset orientali regno annis XVI. vitæ terminum accepit. Cujus frater Longinus imperium temptans invadere, ab Ariagne repulsus & Anastasius Silentiarius per ejus suasum ab omni Senatu & populo eligitur, indutusque purpura eandem Ariagnem in conjugio sortitur. II. Anno Domini CCCCLXXVII. Felix Papa L. sedit annis IIX. III. Anno Domini CCCCLXXIIX. Odoacar Italiam intravit. IV. Anno Domini CCCCLXXIX. Corpus Sancti Barnabæ Apostoli, & Evangelium Sancti Matthæi Apostoli, stilo ipsius scriptum, inventum est. V. Anno Domini CCCCLXXX. VI. Anno Domini CCCCLXXXI. VII. Anno Domini CCCCLXXXII. IIX. Anno Domini CCCCLXXXIII. IX. Anno Domini CCCCLXXXIV. Hylderico rege Francorum mortuo, Clodoveus filius ejus successit. Hic Siagrium, filium Egydii, Ducem Romanorum, qui in successoris civitate residebat, bello petiit, vicit & occidit, & omnia, quæ illius ditionis erant, suæ potestati subegit. X. Anno Domini CCCCLXXXV. Gelasius Papa LI. sedit annis IV. menses IIX. XI. Anno Domini CCCCLXXXVI. Hunericus Rex Wandalorum, filius Geiserici, plus quam XXXIV. Episcopos Catholicos exiliavit, quibusdam linguas abscidit, qui tamen loquebantur, quorum beatus Gregorius in libro dialogorum meminit. XII. Anno Domini CCCCLXXXVII. XIII. Anno Domini CCCCLXXXIIX. XIV. Anno Domini CCCCLXXXIX. XV. Anno Domini CCCCXC. Anastasius Papa LII. sedit annum unum menses X. XVI. Anno Domini CCCCXCI. Clodoveus Rex Francorum commoto

moto exercitu Thuringiam sibi subjugavit. Inde Gundebadi regis Burgundionum neptem, filiam videlicet fratris sui Helperici, quem gladio interfecerat, nomine Rothildam, pulchram satis puellam & vere Christianissimam, nutu Divino in conjugem sumpsit. Clodoveus vero, dum esset gentilis & ydola coleret, regina non cessabat ei prædicare, ut Deum verum colêret, & ydola vana relinqueret; sed nullo modo animum ejus ad credendum poterat commovere, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos & Suevos moveret, exercitusque ejus nimis corrueret. Tunc Aurelianus Consiliarius ejus, intuens regem ait: Domine mi rex, crede modo Dominum cœli, quem domina mea regina prædicat, & dabit tibi victoriam. Ille vero levatis in cœlum oculis, commotus in lacrimas, ait: Jesu Christe, quem Rothildis regina mea prædicat esse filium Dei vivi, tuum adjutorium devotus postulo, ut si mihi victoriam super hostes meos dederis & expertus fuero virtutem tuam, credam tibi, & in nomine tuo baptyzabor. Cumque hæc orans clamaret, Alemanni in fugam lapsi terga dederunt, & videntes regem suum interfectum, Clodovei se potestati subdiderunt. Tunc rex terram eorum sub jugo tributario constituens, reversus est in Franciam ad Reginam suam, & narravit ei, qualiter per invocationem nominis Jesu Christi victoriam obtinuisset. Tunc regina gavisa sanctum Remigium Remensium Antistitem ad se vocavit, deprecans eum, ut regi salutis viam prædicaret. Quem sanctus sacerdos per multam salutaris vitæ doctrinam ad baptysmum venire prædicabat, quod dum factum fuisset, & rex ad baptysterium venisset, Clericus, qui crisma ferebat, a populo est interceptus, ut ad fontem venire nequiret. Sacrificato autem fonte nutu Divino crisma defuit, & quia propter populi pressuram nulli patebat egressus ecclesiæ vel ingressus, sanctus Pontifex oculis ac manibus extensis in cœlum cœpit tacite orare cum lacrimis. Et ecce subito columba nive candidior attulit ampullam in rostro, crismate sancto repletam, cujus odore mirifico super omnes odores, quos ante in baptisterio senserant, omnes, qui aderant, inæstimabili suavitate repleti sunt. Accipiente autem sancto pontifice ipsam ampullam species columbæ disparuit, de quo Crismate fudit episcopus in fontem sacratum. Viso autem rex tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis & operibus ejus, petiit se a sancto pontifice baptyzari: tunc baptyzatus est in nomine sanctæ Trinitatis & sacro crismate perunctus. Baptizantur autem de exercitu ejus tria milia virorum, exceptis parvulis & mulieribus: baptizantur sorores ejus Alboftedis & Landebyldis & postea omnis populus Francorum ab ipso beato Remigio ad Christum convertitur & baptyzatur. Post hæc Clodoveus contra Gundebadum & Godegysilum cum exercitu perrexit. Cui illi cum ingenti Burgundionum multitudine occurrerunt, initoque certamine Burgundiones cum regibus suis terga verterunt & in fugam versi vix evaserunt. Gundebadus se in Navione civitate reclusit & per Aredium consiliarium suum pacem a Clodoveo expetiit. Clodoveus vero infinita pondera auri & argenti ab eo suscipiens, cum maxima præda reversus est victor. Clodoveus igitur dolens quod Gothi, qui erant Arriani, optimam partem Galliarum tenerent, contra Alaricum regem eorum proficiscitur, veniensque juxta pagum Turonicum reverentiam beato Martino exhibuit, & equum suum velocissimum, quem multum amabat, cum aliis muneribus ad ecclesiam beati Martini misit, ejus poscens auxilium. Tunc miliario X. ab urbe Pictavis bellum conseruit. Illisque inter se pugnantibus, Alaricus cecidit, & Gothi nimis collisi terga verterunt. Parata victoria & multis civitatibus suæ ditioni subjugatis usque Tolosam perrexit & thesauros Alarici accipiens per Equolisinam civitatem, cujus muri ante conspectum ejus corruerunt, ad propria rediit. Deinde Turonis veniens multa munera Basilicæ sancti Martini tribuit & equum, quem antea illuc miserat, datis C. solidis pro ipso, ut eum reciperet, nullatenus abduci potuit: at ille ait ad suos: date adhuc centum solidos; cumque dedissent statim equus solutus abiit. Tunc rex cum lætitia ait: vere beatus Martinus bonus est in auxilio & carus in negotio.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCXCII. urbis conditæ MCCXLVIII. Anastasius imperium suscepit & XXVII. annis regnavit. LI. loco ab Augusto. Theodericus vero cum Gothis Romano præsedit imperio. Hic Arrianus, hic Euticianus hereticus. His temporibus magna discordia facta est Romæ propter Symmachum & Laurentium, quibusdam eligentibus Laurentium præter consuetudinem Romanorum; alii vero sanioris consilii Symmachum diaconum. Pro qua causa facta sunt multa homicidia civium Romanorum, clericorum & sacerdotum, per tres circiter annos, usque quo Theodericus princeps Romam venit, qui quamvis Arrianus esset, habita tamen synodo, episcopum Symmachum Romæ firmavit; Laurentium vero in civitate Nucerina episcopum fecit. Qui tamen nullo pacto quiescens, sed seditionem commovens a Symmacho deponitur, & in exilium Dalmatiam mittitur. Eodem tempore Trasamundus Geiserici filius, qui jam super Wandalos regnavit, secutus patris & fratris perfidiam ecclesias Dei clausit & CCXX. episcopos in Sardiniam exiliavit, quibus beatus Symmachus Papa cottidiana subsidia ministravit. Anastasius itaque, dum in heresi, qua dilapsus fuerat, perseveraret, Hormisda Papa successor Symmachi misit ad eum Enodium Tycinensem episcopum cum aliis catholicis, ut eum reducerent ad fidem Catholicam: sed ille non solum monita eorum salubria sprevit, verum etiam a conspectibus suis non sine injuria expulit, navique veteri fragilique impositos, ne uspiam per totam Græciam civitatem ullam intrarent, præcepit. Quam ejus impiam temeritatem divina mox ultio subsecuta est. Quidam

dam vero ajunt, quod fulmine percussus sit. Nam cum XXVII. annum ageret imperii, mortuus est. II. Anno Domini CCCCXCIII. III. Anno Domini CCCCXCIV. IV. Anno Domini CCCCXCV. V. An. Domini CCCCXCVI. VI. Anno Domini CCCCXCVII. VII. Anno Domini CCCCXCVIII. VIII. Anno Domini CCCCXCIX. IX. Anno Domini D. X. Anno Domini DI. XI. Anno Domini DII. XII. Anno Domini DIII. Boëtius consul Romæ plurima ingenii sui monimenta scribendo reliquit. XIII. Anno Domini DIV. XIV. Anno Domini DV. Theodericus Romam venit & multa miranda ædificia in ea construxit, insuper & supra Tyberim fortissimam domum ædificavit. XV. Anno Domini DVI. Ormisda Papa LIV. sedit annis IX. XVI. Anno Domini DVII. XVII. Anno Domini DVIII. XVIII. Anno Domini DIX. XIX. Anno Domini DX. XX. Anno Domini DXI. XXI. Anno Domini DXII. XXII. Anno Domini DXIII. Clodoveus rex obiit, relinquens quatuor filios suos heredes regni XXIII. Anno Domini DXIV. Lotharius Clodovei filius regnavit annis LI. XXIV. Anno Domini DXV. Johannes Papa LV. sedit annis II. menses IX. XXV. Anno Domini DXVI. XXVI. Anno Domini DXVII. XXVII. Anno Domini XVIII. Felix Papa LVI. sedit annis quatuor.

Anno Dominicæ incarnationis DXIX. urbis conditæ MCCLXX. Justinus genere Illiricus vir catholicus & Senior multumque peritus, comes excubitorum a militibus proficiens ad senatum LII. loco ab Augusto Senatus electione accepit imperium, regnavitque annis VIII. Ad hæc ob causam redintegrandæ fidei directus a Romano præsule vir sanctitate præcipuus Germanus Capuanæ urbis episcopus digne ab eo est susceptus, multorumque corda dubia in fide solidavit. Eo tempore mortuo apud Affricam Transmundo rege Wandalorum, Hyldericus filius ejus ex Eudoxia captiva, Valentiniani filia, regnum suscepit, qui non patrem avumque Arrianos, sed matrem catholicam secutus, rectæ fidei cultor extitit. Hic universos episcopos, qui in exilio erant, revocavit, eisque ecclesias reformare præcepit, quæ a Geiserico usque ad ipsum per LXX. annos fuerant destructæ. Justinus quoque Augustus VI. imperii sui anno pro ardore fidei catholicæ decertabat hereticos dissipare, præcepitque, ut illorum ecclesias catholici episcopi consecrarent. Quod audiens Theodericus, qui & ipse fuit Arrianus, misit Johannem tunc temporis Papam ad Justinum, ut aut hereticis ecclesias suas redderet, aut ipse totius Italiæ populum gladio feriret. Quo abeunte ipse interim Symmachum Patricium & Boëticum senatorem gladio peremit, redeuntemque Papam fame in carcere necavit. Unde divinæ judicio vindictæ XCIX. de hinc die subitanea morte defunctus est. Cujus animam, ut sanctus Gregorius in dyalogo scribit, solitarius quidam vir magnæ virtutis apud Lypparam insulam vidit inter Johannem Papam & Symmachum Patricium discinctam & discalceatam deduci & in ollam Vulcani demergi. Justinus vero Augustus cum jam VIII. annis regnasset, ægrotare incipiens, provexit ad imperium Justinianum sororis suæ filium, & sic rebus excessit humanis. II. Anno Domini DXX. III. Anno Domini DXXI. IV. Anno Domini DXXII. Bonifacius Papa LVII. sedit annis II. V. Anno Domini DXXIII. VI. Anno Domini DXXIV. Johannes qui & Mercurius Papa LVIII. sedit annis II. Hic missus Constantinopolim a Theoderico, cum venisset ad Portam auream cœcum illuminavit. VII. Anno Domini DXXV. VIII. Anno Domini DXXVI. Agapitus Papa LIX. sedit annis X. Ipso tempore in Vienna urbe terræ motus maximus fuit, unde multæ ecclesiæ subversæ sunt; Palacium etiam, quod in ipsa urbe erat, divino igne succensum est. Multæ etiam bestiæ portas civitatis ingressæ plurimos homines per annum devorarunt.

Anno Dominicæ incarnationis DXXVII. ab urbe autem condita MCCLXXVIII. Justinianus filius sororis Justini Imperatoris LIII. loco ab Augusto imperium solus obtinuit & XXXVIII. annis regnavit. Hic leges Romanos, quarum prolixitas gravabat, minoravit, & inutiles dissonancias mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra XII. libros coartavit, & idem volumen codicem Justinianeum appellari præcepit. Rursumque singulorum magistratuum sive judicum leges, quæ usque ad duo milia pene librorum erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque Codicem Digestorum sive Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Institucionum libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit. Novis quoque legibus, quas ipse statuerat in unum volumen reductis eundem codicem legem Novellam nuncupari sanxit. Extruxit quoque isdem princeps intra urbem Constantinopolim Christo Domino, qui est sapientia Dei patris, templum, quod Græci Sophyan, id est, sanctam sapientiam, nominavit, cujus opus ideo cuncta ædificia excellit, ut totis in terrarum spaciis huic simile non possit inveniri. Erat hic princeps fide catholicus, in operibus justus, ideo ei omnia concurrebant in bonum. Hic etiam ad reparandum reipublicæ statum animum intendit, nam per Bysilarium Patricium Persas fortiter devicit, perque ipsum Bysilarium Wandalorum gentem, capto eorum rege Gelismero, usque ad internecionem afflixit. Affricam totam post annos nonaginta & sex Romano imperio restituit. Rursumque Bisilarii viribus Gothorum in Italia gentem, capto Witisicorum rege, superavit. Mauros quoque post hæc Affricam infestantes eorumque regem Attilam per Johannem consulem mirabili virtute protrivit. Pari etiam modo & alias gentes belli jure compressit. Quam ob causam propter horum omnium victorias, ut Alamannicus, Gothicus, Francus, Germanicus, Atticus, Ibericus, Wandalicus, Affricanusque diceretur, habere hæc nomina emeruit. Hoc quoque tempore Felix

Tarvisianæ Ecclesiæ præsul & Fortunatus condiscipuli ejus fuerunt. Hic Fortunatus fuit de loco, qui dicitur Duplabilis, non longe a Tarvisio; Grammaticam vero & Rhetoricam didicit apud Ravennam. Qui cum dolorem pateretur dentium simulque socius ejus Felix, abierunt ad Ecclesiam sanctorum Johannis & Pauli, quæ est in eadem civitate Ravenna, in qua est & altare sancti Martini, juxta quod fenestra est, in qua lucerna poni solebat, de cujus oleo super oculos suos posuerunt & sanitatem receperunt. Pro qua causa Fortunatus beatum Martinum in tantum dilexit, ut patriam relinquens, ad sepulchrum ejus Turonum veniret, antequam Longobardi Italiam intrarent, indeque Pictavium tendens ibique manens multas passiones sanctorum, alias per versus, alias per prosas composuit, ibique primum presbyter, postea Episcopus factus est. Hisdem temporibus sanctus pater noster Benedictus post heremiticam vitam, quam duxit in loco, cui Sublacus vocabulum est, in monte Cassiano doctrina & miraculis claruit. Quo cum primo tenderet, relicta priore habitatione, ex divina jussione tres corvi, quos cottidie nutriebat, prope ipsum semper volando secuti sunt eum, sicut in Longobardorum hystoria scribitur. Cumque veniret ad quoddam bivium, duo angeli apparuerunt ei in specie duorum juvenum, ostendentes ei, per quam viam ire deberet. In loco autem ipso quidam Dei servus habitabat, cui vox de cœlo dicebat: His tu parce locis, alter amicus adest; quod apercius dicitur: Amice exi de loco isto, quia alter amicus debet hic habitare. Veniens autem sanctus Benedictus in summitatem montis in magna se constrinxit abstinentia, factoque monasterio habitavit ibi, sicut in Dyalogo legitur. Igitur postquam Witigis captus est a Busilario, Gothi Transpadani Heldebaudum sibi Regem constituunt, qui eodem anno interemptus est. Cui succedit Erarius, & ipse, nec dum expleto anno, jugulatur. Deinde Totilam sibi præficiunt, moxque, collecto undique exercitu, totam Italiam invaserunt. Exinde cum percurreret Campaniam idem Totila, veniens ad cœnobium beati patris Benedicti, qui tunc in monte Cassino magnis virtutibus claruit, ab eo talia audivit. Multa mala facis, multa fecisti, jam ab iniquitate compesce: equidem mare es transitus, Romam ingressurus novem annos regnabis, decimo morieris. Inde digrediens per Lucaniam, invadit Siciliam, indeque revertens, Romam petiit, eamque obsidione conclusit. Romanis itaque fame laborantibus nec mœnia diutius tueri valentibus, a porta Ostiensi Totila ingressus est. Volens autem parcere Romanis per totam noctem clangere buccina jussit, quo se a Gothorum gladiis aut in Ecclesiis tuerentur, aut quibuscunque modis occulerent. Habitavit autem cum Romanis aliquantum temporis, quasi pater cum filiis: sed hanc animi benignitatem ei, qui antea nimiæ crudelitatis erat, beati Benedicti ammonitio, ut conici datur, conferebat. Elapsi sane ex urbe quidam e numero senatorum, Constantinopolim afflicti properant: quibus calamitatibus Roma subjiceretur, principi narrant. Qui statim Narsetem Eunuchum cubicularium suum Italiæ fecit exarchum, Romamque cum manu valida dirigit, ut afflictæ Romæ quantocius subveniret. Is ad Italiam veniens, legatos ad Alboin Regem Longobardorum misit, qui tunc in Pannonia habitabant, & Romanis amici erant, mandans ei, quatinus sibi pugnatorum cum Gothis auxilium ministraret. Tunc Albon electam e suis magnam manum direxit. Qui per maris Adriatici sinum transvecti, Romanisque sociati, magnum cum Gothis certamen inierunt. Quibus ad interitum pene consumptis, Regem eorum Totilam, qui jam per decem annos super eos regnaverat, Narses interfecit & vestimenta ejus sanguine cruentata cum corona lapidibusque preciosis ornata ad regiam urbem misit, quæ jactata sunt ad pedes Imperatoris coram senatu. Deinde urbes eorum duas munitas, id est, Veronam & Brixiam suscipiens, universam Italiam cum Romana civitate ad reipublicæ jura reduxit, & Longobardos honoratos cum magnis muneribus ad propria remisit. Qui omni tempore, quo Pannoniam possederunt, Romanis adversus æmulos adjutores fuerunt. Sic igitur famosum regnum, fortissimamq; gentem Gothorum, diu regnantem, tandem post mille XL. annos victor diversarum gentium Justinianus Imperator, & prius per Bysilarium & post per Narsetem vicit. Italiam ab eorum servitute liberatam pristinæ libertati restituit. Justinianus vero Imperator, postquam XXXVIII. annis regnavit, rebus humanis excessit. Igitur post mortem Clodovei quatuor filii ejus Theodericus, Clodomirus, Hildericus & Clotarius regnum ejus inter se diviserunt. Rothildis autem mater eorum, cum esset Parisiis, ait ad filios suos: Non me pœnitet, filii mei, vos dulciter enutrisse, precor, indignamini injuriam meam, & patris mei mortem vindicate. Qui mox cum exercitu Burgundiam petierunt, contra Sigismundum & Gotmarum Reges, filios Gundebadi pugnaturi. Quibus illi cum Burgundionibus occurrere statuerunt. Congressione autem facta, cæsi Burgundiones cum Gothmaro fugierunt; Sigismundus vero, dum ad monasterium sanctorum Auganensium martyrum, Mauricii & sociorum ejus, quod ipse tunc temporis ædificabat, fugerunt, insecutus eum Clodomirus Rex, apprehendit & cum uxore & filiis occidit, & in puteum projecit. Iterum Clodomirus cum exercitu venit in Burgundiam contra Gothmarum, ubi rursus Burgundiones collisi cum Gothmaro terga dederunt. Cumque instaret Clodomirus eos persequens, equus, cui insederat, rapido cursu fertur in medios hostes, percussusque corruit & mortuus est. Quod videntes Franci nimio dolore & ira commoti, Gothmarum persequentes occidunt, Burgundiones perimunt, cunctamque regionem vastantes, a puero usque ad senem interimentes, reversi sunt. Clotarius hoc audiens, uxorem fratris sui nomine Godehugam accepit in conjugium, filios-

filiosque ejus orphanos Theudoaldum & Gittarium occidit, quorum corpora ad se deducta Rothildis Regina cum maximo dolore Parisiis sepelivit. Clodoaldus vero, tertius frater, fugiens liberatus est. Qui postea relicto terreno regno propria se manu totondit, &, clericus factus, in bonis operibus usque ad finem perseveravit. Primo Justiniani anno missus contra Persas Bysilarius Patricius magnis eos præliis fudit, & ex voluntate principis Constantinopolim triumphans intravit. II Anno Domini DXXVIII. terræ motus magnus Antyochiæ factus est. III. Anno Domini DXXIX. Justinianus sententiam promulgavit, ne militarent pagani vel heretici, dans illis tres menses ad inducias conversionis. IV. Anno Domini DXXX. Theodericus & Theorbertus filius ejus & Clodarius Rex cum Francorum exercitu Renum transeuntes in Turingiam venire disponunt contra Ermenfridum Regem Turingorum. Quod audientes Turingi, fossas plurimas fecerunt, sub dolo desuper cooperientes cespitibus, belloque commisso, cum equi Francorum in his corruissent, tanta in eos cæde juxta fluvium Hunestrudem deſæviunt, ut ipse fluvius ex eorum cadaveribus ita repleretur, quod Franci per humana corpora tanquam per pontem transirent. Totaque regione illa vastata atque captivata cum maximis spoliis & præda reversi sunt. Ermenfridus vero per fugam elapsus evasit. Sed præterea cum filiis suis a Tiderico Rege apud Tulpiacum occisus est. V. Anno Domini DXXXI. Cassiodorus apud urbem Romam tam seculari quam divina scientia claruit, qui inter cætera, quæ nobiliter scripsit, præcipue Psalmorum occulta potentissime reseravit. Hic primitus consul, deinde senator, ad postremum vero monachus extitit. VI. Anno Dominicæ Incarnationis DXXXII. Dyonisius Abba, in urbe Roma constitutus, Paschalem calculum miranda argumentatione composuit. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis, ut ita dixerim, profunda rimatus est: tuncque nihilominus Arator Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, poëta mirabilis, Apostolorum Actus versibus exametris exaravit. VII. Anno Domini DXXXIII. Hildebertus Rex cum esset Averno civitate, misit soror ejus, uxor Amalrici Regis Gothorum, de Hispania nuncios ad eum, indicans, quanta mala ab eo pateretur propter fidem Catholicam. Nam cum ad Ecclesiam Christi iret oratum, stercora & multos fœtores ipse Amalricus super ipsam projiciebat, atque in tantum eam verberabat, ut sudarium suum sanguine suo illitum fratri transmitteret. Quod audiens Hildebertus, ira commotus exercitum colligit, Hyspaniam intravit, pugnam cum Amalrico iniit. Vbi Gothi valde collisi, fugæ præsidium arripiunt. Amalricum vero dum ad Ecclesiam Christianorum fugere niteretur, quidam Francus lancea eum percussit, & mortuus est. Tunc Hildebertus Toletum urbem ingressus, thesauros maximos inde abstulit. Revertensque cum sorore, in ipso itinere mortua est, & Parisiis in Ecclesia beati Petri Apostoli juxta patrem sepulta. VIII. Anno Domini DXXXIV. In Pompejopoli, Misiæ civitate, scissa est terra a terræ motu & obrutum est medium civitatis cum habitatoribus & voces eorum auditæ sunt desubtus terra clamantium, ut sibi succurreretur, & Imperator, ad educendos multa donavit, viventesque liberabiliter liberavit. Eodem anno tradidit Justinianus ad psallendum Ecclesiæ illud quod canitur: Vnigenitus filius & Verbum Dei. IX. Anno Domini DXXXXV. Hildebertus & Teotbertus commoventes exercitum contra Clotharium, ut eum occiderent; Quod audiens Rothildis Regina, ad sepulchrum sancti Martini veniens, in oratione prosternitur, tota nocte Dominum deprecans pro filiis suis. Mane autem facto in loco, ubi erant congregati, orta est maxima tempestas, tentoria disrumpens, cum immixtis fulminibus & tonitrus, cuncta subvertit. Illi vero prostrati in terra grandine & fulmine mixta percussi graviter corruunt. Nulli eorum tegumentum remansit nisi clypeus, tamen equi eorum fuga elapsi sunt. Super Clotarii autem viros nec una gutta pluviæ cecidit, nec tonitruum auditum est. Sic namque divinitus moniti pœnitentiam egerunt, & cum fratre pacem & concordiam inierunt. X. Anno Domini DXXXVII. XII. Anno Domini DXXXVIII. Vigilius Papa, eo quod nollet revocare Antemum Episcopum Constantinopolitanum, a Justiniano in exilium truditur; revocatus ab exilio, cum reverteretur, in Sicilia civitate Syracusana calculi dolore moritur. Hic sedit annos XIV. XIII. Anno Domini DXXXIX. XIV. Anno Domini DXL. XV. Anno Domini DXLI. Ypapanti Domini sumpsit initium ut celebraretur apud Byzantium, cum esset eo anno ibi maxima mortalitas. XVI. Anno Domini DXLII. XVII. Anno Domini DXLIII. factus est terræ motus magnus universo mundo, eodemque anno apparuit quidam ex regione Italorum nomine Andreas Pervillas, discurrens habens canem Cœcum & Rufum, qui visus ab eo, fecit miranda. Cum enim staret in foro & turba in circuitu adesset, clam eodem cane deferebantur astantium anuli aurei & argentei ac ferrei & ponebantur in terra, quos ille cooperiebat, ipsoque præcipiente canis tollebat & unique suum dabat. Similiter diversorum Imperatorum nomismata mixta porrigebat per nomina. Turba etiam astante interrogatus ostendebat in utero homines fornicarios & adulteros, avaros, magnanimos, & quicquid interrogabatur de singulis cum veritate demonstrabat. Vnde dicebant quidam, quod spiritum Phytonis haberet. XVIII. Anno Domini DXLIV. Corpus sancti Antonii repertum Alexandriæ reconditur. XIX. Anno Domini DXLV. XX. Anno Domini DXLVI. XXI. Anno Domini DXLVII quinta Synodus universalis in Constantinopoli congregata est sub Vigilio Papa contra Theodorum & omnes hereticos. XXII Anno Domini DXLVIII XXIII. Anno Domini DXLIX facta sunt encenia

cenia sanctorum Apostolorum Constantinopoli mense Junio & recondita sunt lypsana Andreæ & Lucæ & Thymothei Apostolorum, & transiit Menas Episcopus cum sanctis lypsanis sedens in Carruca Imperatoris aurea & gemmata tenens tres thecas Apostolorum in genibus suis & ita celebravit encenia. XXIV. Anno Domini DL. Theodericus Rex moritur & Teotbertus filius ejus post eum regnat. XXV. Anno Domini DLI. Hildebertus & Clotarius reges cum exercitu Hispaniam intrant, Cæsaraugustam civitatem obsident, cives induti cilicio tunicam Sancti Vincentii super muros circumferunt, DEumque contrito corde exorant. Reges divina inspirante miseratione flexi obsidionem solvunt. Episcopus ejusdem civitatis Hildeberto regi pro munere stolam beati Vincentii dabat. Qui Parisiis veniens basilicam in honore Sancti Vincentii construxit, & non post multum tempus idem Hildebertus moritur, qui in eadem basilica sepelitur; Regna, quæ fratres & nepotes tenuerunt, in Clotharii rediguntur potestatem. XXVI. Anno Domini DLII. Sanctus Medardus Episcopus migravit ad Dominum, quem Clotharius Rex cum debito honore Suessionis sepelivit. XXVII. Anno Domini DLIII. Clotharius Rex moritur & in basilica Sancti Medardi sepelitur. Quatuor filii ejus regna inter se diviserunt, scilicet Hildebertus, Guntarminus, Helpricus & Sigebertus. XXIIX. Anno Domini DLIV. Pelagius Papa LXVII. sedit annis XII. XXIX. Anno Domini DLV. Sigebertus Rex legationem mittens in Hispaniam Brunchildem Adanachildi regis filiam petiit, eamque in conjugium accepit; de qua filium, Hildebertum nomine, suscepit. Hildebertus derelicta legitima uxore, quæ vocabatur Ingoberta, duas sorores Marcoliesam & Marcofilidam sibi in matrimonium junxit. Ex quo scelere excommunicatus est a sancto Germano Parisiorum Episcopo, & justo DEI judicio percussus moritur, & in basilica sancti Romani sepelitur, regnum ejus Sigebertus arripuit. Helpricus Geilsiundam sororem Brunichildis in conjugium accepit, quam pauco interjecto tempore, suggerente matre Fredegunda, in lecto strangulavit. Deinde Audoveram reginam a se reppulit, eo quod, hortante Fredegunda, filiam propriam ex sacro fonte suscepit, & eandem Fredegundam in matrimonium jungit. Habuit vero de supradicta Audovera tres filios Theodebertum, Maroveum & Clodoveum. XXX. Anno Domini DLVI. Theodebertus jussu patris trans Ligerim regionem, quam avunculus ejus Herebertus tenuerat, occupabat, & apud Pictavis cum Gunthaldo Duce Sigeberti dimicat, eumque superat. Sigebertus cum exercitu Parisiis venit, fratremque Helpericum bello aggreditur: in quo prælio prædictus Theodebertus occubuit. Helpericus fugiens cum uxore & filiis Tornacum ingressus est, ibique se communivit. Quem cum Sigebertus ibi persequitur, dolo Fredegundæ reginæ, a duobus pueris ejus interficitur, quem frater in Basilica Sancti Medardi sepelivit. XXXI. Anno Domini DLVII. XXXII. Anno Domini DLIIX. XXXIII. Anno Domini DLIX. Albinus Episcopus Andegavis clarus habetur. Ea tempestate Brunichildis cum filio adhuc parvulo Parisiis morabatur. Gunthaldus Dux apprehensum puerum nocte latenter aufugit, eumque in regnum paternum reportavit. Eadem Brunichildis Rotoma in exilium mittitur, ubi veniens Meroveus filius Helperici eam sibi in conjugium sociavit, ex qua causa postea a patre attonsus monachus efficitur & presbyter ordinatur. XXXIV. Anno Domini DLX. XXXV. Anno Domini DLXI. XXXVI. Anno Domini DLXII. XXXVII. Anno Domini DLXIII. Sanctus Germanus Parisiorum Episcopus migravit ad Dominum & in basilica Sancti Vincentii sepelitur. Hildebertus matrem Brunichildem requirit, quem Helpericus reddere jubet. XXXIIX. Anno Domini DLXIV. Johannes Papa LXIII. sedit annos XIII. Justinianus Imperator obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis DLXV. ab urbe autem condita millesimo CCCXVI. Justinus minor, Justiniani nepos, genere Trax, LIV. loco ab Augusto monarchiam accepit, & XI. annis regnavit, habens uxorem nomine Sophyam, quam coronavit Augustam, coronatus & ipse ab Euticio Patriarcha. Hic cum esset pius & ortodoxus adornavit Ecclesias, quas Justinianus ædificavit, dans eis thesauros & omnem reditum misitque Photinum monachum privignum Bysilarii Patricii, dans ei potestatem contra omnem personam & causam, ut pacificaret universas Ecclesias Ægypti & Alexandriæ. Fuit autem, ut dictum est, in initio bonus, postea vero in omnem avaritiam incidit, factus exemptor pauperum, spoliator Senatorum, faciens archas ferreas, in quibus, quæcunque rapiebat, auri talenta reconderet. Hujus anno octavo rupta est pax inter Romanos & Persas, eo quod Homeritæ Indi legationem miserint ad Romanos, & Imperator miserit Julianum magistrum cum epistola ad Aretham regem Indorum. Qui susceptus est cum gaudio multo ab Aretha rege, appetente nimium amicitias Imperatoris Romanorum. Enarrabat autem idem Julianus cum redisset, quod idem Aretha Rex, quando eum suscepisset nudus, habens in lumbis cincturam & linea vestimenta auro contexta, circa ventrem vero portabat indumenta scissa, margaritis preciosis conserta. Habens in brachiis qui nos circulos & aureas armillas in manibus suis, in capite autem pannum gemmatum, habentem ex utroque ligamento plectas IV. & in collo torquem auream, & stabat super quatuor elephantes stantes & habentes jugum & rotas quatuor & super se currum excelsum velatum petalis aureis, stansque ipse desuper ferebat scutum parvissimum deauratum, & duas lanceolas auratas, & Senatus ejus omnis erat cum armis, canentes modulationes musicas. Introductus ergo legatus Romanorum, cum adorasset, jussus est ab eo erigi & adduci ad se. Cum autem accepis-

cepisset Imperatoris literas, sacrum osculatus est signaculum, quod habebat Imperatoris pectusculum. Susceptus autem & donis gavisus est valde. Porro cum legisset epistolam, invenit, ut se armaret contra regem Persarum & ejus regnum vastaret. Quod protinus fecit, tenensque caput Juliani, dedit ei pacis osculum, dimisitque eum in magna benivolentia multisque ditatum muneribus. His temporibus Narses Bucellinum Ducem Francorum a Theoderico rege missum ad devastandam Italiam occidit & Sindoaldum regem Brendorum, qui remanserat de generatione Herulorum, quos Odoaccar duxit in Italiam apprehendit, & in alta trabe suspendit, totamque Italiam ab hostibus liberam reddidit. Erat enim vir sapientissimus, in fide Christiana catholicus, in pauperes largus, recuperator Ecclesiarum, in vigiliis & orationibus assiduus in tantum, ut victoriam magis orationibus, quam armis obtineret. Hujus temporibus facta est magna mortalitas, in Italia, incipiens a Lyguria, ita ut pene destitueretur habitatoribus terra illa. Inter hæc mortuus est Justinianus, & successit Justinus. Narses autem Patricius, cum, superata gente Gothorum, Italiam securus jam teneret, Romani per invidiam accusationem adversus eum direxerunt Justino Augusto & Sophyæ uxori ejus dicentes: Melius esset nobis servire Gothis, quam Græcis. Ubi Narses castratus imperat, & nos serviendo premit, & noster sanctissimus princeps hoc nescit: Aut libera nos de manu ejus, aut certe civitatem Romanam & nosmet ipsos gentibus trademus. Audiens hoc Narses, scripsit ad Augustum dicens; Si male feci cum Romanis, male inveniam. Sed Augustus ira motus adversus Narsetem Longinum statim Præfectum misit in Italiam, qui locum Narsetis obtineret. Sophya quoque Augusta inter alia verba Romanis sic scripsit de eo: Ponam illum castratum de genecio, ut propensam filet lanam cum puellis. Ad hæc Narses respondit: Talem eidem ordiar telam, ut quamdiu vixerit ipsa Sophya, non possit deponere eam. Itaque odio metuque exagitatus in Neapolim Campaniæ secedens, legatos mox ad Longobardorum gentem dirigit, mandans, ut paupertinæ Pannoniæ rura desereret & ad Italiam cunctis refertam divitiis possidendam veniret, simulque multimoda pomorum genera aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatinus ad veniendum eorum animos posset illicere. Longobardi læta nuncia & quæ ipsi optabant, gratanter excipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia noctu visa sunt signa, hoc est, igneæ acies in cœlo apparuerunt, eorum scilicet, qui postea fusus est, sanguine chorusçantem. Igitur Albuin & Longobardi Pannoniam, in qua triginta duobus annis habitaverant, amicis suis Hunis contribuunt, & cum uxoribus & filiis omnique supellectili Italiam possessuri properant. Primo Tarvisium & Vincentiam & reliquas Venetia civitates ceperunt; Deinde Mediolanum & universas Liguriæ civitates. Tirinensis vero civitas post tres annos & aliquot menses obsidionem perferens, tandem Albuin & Longobardis se tradidit; omnesque civitates, præter Romam & Ravennam vel aliqua castra quæ erant in maris littore constituta, armis ceperunt. Justinus autem Imperator Tyberium comitem excubitorum sibi filium faciens, Cæsarem appellavit, & confessorem suum constituit. Erat Imperator pedibus æger, & per hoc magis in lectulo jacuit. Post hæc infirmatus, sed post paululum a languore dimissus, convocavit tam Euticium Pontificem & Senatum, quam omnes sacerdotes & cives, & adducto Cæsare Tyberio palam omnibus appellavit eum Imperatorem, his sermonibus usus: Ecce DEus benefecit tibi hunc habitum, DEus dedit tibi, non ego. Honora illum, ut tu quoque honoreris ab illo. Hæc cum loqueretur Imperator, replebat lacrimis totum collegium. Post hæc Justinus anno XI. regni sui mortuus est, relicto Tyberio successore. Primo anno Justini Armenii susceperunt fidem. II. Anno Domini DLXVI. III. Anno Domini DLXVII. Narses Patricius Totilam regem occidit, Gotosque dispersit. IV. Anno Domini DLXIIX. Longobardi Italiam petentes de Pannonia egressi sunt. V. Anno Domini DLXIX. Narses Patricius de Campania Romam venit, ibique moritur. Corpus autem ejus in locello plumbeo cum omnibus divitiis ejus Constantinopolim perlatum est. VI. Anno Domini DLXX. Longobardi Mediolanum intraverunt. VII. Anno Domini DLXXI. IIX. Anno Domini DLXXII. IX. Anno Domini DLXXIII. X. Anno Domini DLXXIV. XI. Anno Domini DLXXV. Justinus Imperator obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis DLXXVI. ab urbe vero condita MCCCXXVII. Tyberius Constantinus, genere Trax, LV loco ab Augusto imperium accipiens coronatus est ab Euticio Patriarcha, regnavit annis IIX. Qui mittens adduxit uxorem Anastasyam, coronavit eam. Quæ cum coronaretur, clamabant partes: Anastasya tu vincas! Salva Domine quos jussisti imperare! Hoc audiens Sophya, uxor Justini, animo perculsa est; nesciebat enim, quod haberet uxorem, volebatque ipsa nubere Tyberio & permanere Augusta. Quidam vero dicebant, quod vivente Justino adamicata fuerit Tyberio, & ipsa persuaserat Justino, ut Cæsarem faceret. Qui cum adhuc, vivente Justino, præesset palatio, & ut vere Christianus thesaurum multum, quem Justinus male congregavit, pejusque in ferreis archis composuit, pauperibus distribueret, Sophya Augusta frequenter eum increpavit dicens: Quod ego per multos annos congregavi, tu in modico tempore expendis. Cui ille ait: Confido in Domino, quia pecunia non deerit fisco regali, tamen pauperes elemosinas accipiant & captivi redimantur. Quadam itaque die deambulans per palatium, vidit in pavimento petram in qua sculptum erat sanctæ crucis signum, & ait: Cruce Domini frontes & pectora nostra signare debemus, & ecce sub pedibus eam calcamus. Et jussit

sit eam aufferri: Quæ cum levaretur, invenerunt aliam simili modo: cumque & hanc sublevari jussisset, apparuit tercia; hanc quoque cum sublevassent, invenerunt plus quam mille centenaria auri: Quo sublato multum pauperibus donavit ex eo. Narses quoque Patricius magnam domum habuit, in qua cisternam faciens, multum aurum & argentum in ea recondidit, occidens omnes hujus rei conscios præter senem unum, a quo juramentum exigens omnia ei commendavit. Mortuo autem Narsete prædictus senex ad Tyberium venit, & de eadem pecunia ei indicavit. Qui gavisus misit pueros suos cum eo, qui aperientes cisternam tantam pecuniam invenerunt, ut per multos dies vix potuisset deportari. Quam more suo pene omnem pauperibus erogavit. Hic, cum temporibus Benedicti Papæ vastantibus omnia Longobardis, Roma fame laboraret, multa milia modiorum frumenti navibus ab Ægypto dirigens, eam misericordiæ studio relevavit. Huic Sophya Augusta insidias temptavit ingerere. Procedente eo ad villam, ut juxta ritum imperialem XXX. diebus ad vindemiam jocundaretur, vocato Justiniano, nepote Justini mariti, voluit eum in regno sublimare: quo comperto, Tyberius apprehensam Augustam omnibus thesauris spoliavit, solum ei victum relinquens. Hujus exercitus Persas debellavit, tantamque prædam cum XX. pariter elephantis detulit, ut humanæ crederetur posse sufficere cupiditati. Ad hunc Helpericus rex Francorum suos legatos dirigens, multa ab eo ornamenta suscepit, aureos etiam singularum librarum, habentes ab una parte effigiem Imperialem & scriptum in circulo: Tyberius Constantinus perpetuus Augustus: in alia parte habentes quadrigam & ascensorem, in circuitu scriptum: Gloria Romanorum. Hujus diebus Gregorius dyaconus cum esset Apocrisiarius in urbe Constantinopolitana morales libros composuit, Euticiumque ejusdem urbis episcopum de resurrectione errantem in conspectu Augusti superavit. Tyberius autem cum regnarit annis VII. & infirmatus mortem sibi propinquam sentiret, cum consilio Sophyæ Augustæ Mauricium generum suum, genere Cappadocem, ad imperium elegit, eique principatum dedit, dicens: In mente habe, ut rectitudinem & justitiam semper ames. Hoc postquam dixit, de hac luce migravit, quem omnes populi multum planxerunt pro bonitate ejus. Fuit enim summæ bonitatis, ad elemosinas promtus, in judicio justus, in discretione cautissimus, nullum despiciebat; sed omnes cum bona voluntate suscipiebat. Et quia dilexerat omnes, ab omnibus dilectus est. Primo hujus anno tesaurus magnus sub pavimento palatii & in domo Narsetis Patritii inventus est, ut supra dictum est. II. Anno Domini DLXXVII. Benedictus Papa LIV. sedit annos IV. III. Anno Domini DLXXVIII. IV. Anno Domini DLXXIX. V. Anno Domini DLXXX. Helpericus rex descriptiones novas per consilium Fredegundæ in omni regno suo facit, ut unusquisque possessor de propria terra de uno aripenne unam amforam vini ad partem regis daret, de jugere modium: unde populus valde oppressus vociferabat ad Dominum. Immisit autem Dominus plagam in domum regis & ipse ægrotare cœpit, & duo filii ejus mortui sunt. Rex perterritus descriptiones combussit, & tributum indulsit. Post hoc cognovit uxorem suam, quæ peperit filium, appellavit Clotarium: hic fuit postea magnus rex. VI. Anno Domini DLXXXI. Pelagius Papa LXV. Romanam rexit ecclesiam, qui absque jussione principis ordinatus est, eo quod Longobardi Romam obsiderent, non posset quisquam progredi. VII. Anno Domini DLXXXII. Tyberius Constantinus obiit.

Anno Dominicæ incarnationis DLXXXIII. ab urbe condita MCCCXIV. Mauricius genere Cappadocus LVI. loco ab Augusto, primus ex genere Græcorum adeptus est imperium, regnavitque annis XXI. Hic secundo imperii sui anno consul appellatus est, & multos thesauros urbi donavit. Provexit autem Phylippicum quendam Prætorem orientis, cui & filiam suam Gordiam uxorem dedit, quem tamen postea quasi regni usurpatorem suspectum habuit. Hujus temporibus, ipso anuente, beatus Gregorius ad gradum Romani pontificatus provectus est, cujus filium idem Gregorius Anam de baptismate suscepit, postea idem Mauricius Gregorio Papæ infestissimus fuit. Magnæ quippe avaritiæ, & rapacitati deditus erat, pro qua re Gregorius, in quantum potuit, eum corripiebat. Et quia Imperatorem non verebatur, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur. Sed eodem anno, qui fuit imperii sui XIX. vir quidam monachico indutus habitu, spatam dextra tenens a foro usque ad æneam gladiatoris discurrit, &, Imperatorem gladio moriturum, omnibus pronunciavit; quod Mauricius ut audivit, a tyrannide Gregorio inferenda semet continuit, & reversus in se, cogitavit, quod Dominum lateat nihil; sed reddat omnibus secundum opera eorum; recognoscens etiam excessum, quem in captivatione multorum fecerat. Multa enim bella in diversis mundi partibus per diversos duces suos exercuerat, expedire judicavit in hac vita recipere pro peccato & non in futura, compositasque scripto preces eidem Gregorio & ad omnes Patriarchas sedes & ad omnes civitates & monasteria civitatum sive solitudinum cum cereis & thymiamatibus & pecuniis transmisit, &, ut pro peccatis suis intercederent, supplicavit, hoc potissimum deprecans, ut hic & non in futuro, quæ meruit, reciperet. Cumque hoc & ipse vehementius cum lacrimis per tempora multa postularet, quadam nocte dormiens vidit in visu apud æneam palatii portam, se coram multo populo ymagini Domini salvatoris assistere, & vocem terribilem ex eadem ymagine se audire, dicentem: Date Mauricium, & tenentes eum judiciorum ministri posuerunt eum apud purpureum umbilicum, qui illic erat. Cui eadem vox caracteris ait: Vivus reddam tibi, an in futuro seculo. At ille respondit: Amator hominum

num Domine & judex juste, hic mihi potius, quam in futuro retribue. Et jussit dominica vox tradi Mauricium & Constantinam uxorem ejus & filios & omnem cognationem ejus Phocæ militi. Evigilans ergo Mauricius vocavit eum, qui ante se dormiebat, misitque & vocavit ad se Phylippicum generum suum, quem dudum suspicabatur, velle sibi regnum surripere. At ille pro suspicione prædicta se perdendum coniciens, advocatæ Gordiæ uxori suæ, tanquam ultra se non visuræ, valedixit, sacramentoque communionis accepto ad palatium venit, & in cubiculum regis ingrediens, ad pedes ejus procidit. Cui assurgens Imperator ad pedes ejus nihilominus corruit, dicens: ignosce mihi, deprecor, propter Dominum, quia peccavi in te, nec enim certissime scio, quod nihil peccaveris in me. Si quem vero scias in agminibus nostris, qui soleat Focas nominari, dicito mihi. Et Phylippicus diu secum recogitans, dixit: unum sic vocatum scio, qui nuper ab exercitu procurator positus, tuo contradicebat imperio. Cum autem Imperator de ejus quæreret qualitate. Phylippicus ait: Est quidem juvenis & temerarius, attamen timidus. Tunc Mauricius: si est timidus profecto & homicida. Et narravit Phylippico somnium, quod vidit. Porro nocte illa visa est stella, qui dicitur Cometa. In crastinum vero venit Magistrianus, quem misit ad heremitas, ferens ab eis hujusmodi responsum: Deus recepta pœnitentia tua salvabit animam, & cum tota Domo tua in numero sanctorum te constituet; Ab imperio vero cum ignominia & discrimine discedes. His auditis Mauricius glorificavit Dominum magnifice, & pœnitentiam quidem tenuit. Sed avaritiæ malum adeo non reliquit, ut exercitum in periculosis locis hyemare & victum ab extraneis juberet cum periculo quærere, ne videlicet alimenta publica deberet eis ministrare. Quod audiens exercitus in seditionem convertitur exaltavitque super clypeum Focam centurionem, acclamavit Exarchum. Commoto autem gravi tumultu Constantinopoli Mauricius mutata veste cum uxore & filiis noctu Dromonem conscendit & fugiens apud sanctum Antonium venit. At Focas cum exercitu veniens in Septimum, Imperator efficitur, a quo Mauricius cum uxore & filiis penes Calcedonem missus decollatur. Verum Mauricius infelicitatem pacienter sustinuit, dum in omnibus invocans, crebro pronuntians; justus es Domine, & rectum judicium tuum. Ajunt autem quidam, quod eo occiso, lac cum sanguine fluxit, ita ut omnes inspicientes dire lamentarentur. Sic ergo Imperator etiam naturæ legibus celsior factus vitam commutavit. Porro ex illo tempore non defuerunt Romano imperio ingentes erumpnæ. II. Anno Domini DLXXXIV. Mauricius Imperator Hildeberto regi Francorum L. milia solidorum mittens, petit, ut Longobardos de Italia exterminaret. Qui mox cum Francis Italiam intravit: sed Longobardi munera ei offerentes pacem cum eo faciunt. III. Anno Domini DLXXXV. IV. Anno Domini DLXXXVI. Levigildus rex Wisigothorum Harrianus Ermunigildum filium suum ob fidem Catholicam, quam a Leandro episcopo percepit in sancta Dominica paschæ fecit occidi. V. Anno Domini DLXXXVII. tale diluvium aquæ fuit in omni Italia, quale post Noë tempus creditur non fuisse. In hac diluvii effusione in tantum fluvius Tyberis apud Romam excrevit, ut aquæ ejus super muros urbis influerent & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alveum ejusdem fluminis cum plurima serpentium multitudine draco etiam miræ magnitudinis urbem transiens usque ad mare descendit. Subsecuta est statim hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant, quæ tanta strage populum devastavit, ut de inæstimabili multitudine pauci remanerent. Primum Pelagium Papam venerabilem perculit & sine mora extinxit; deinde pastore interempto sese per populum extendit. In hac tanta tribulacione beatissimus Gregorius, qui tunc Levita erat, a cunctis generaliter Papa electus est. Qui dum septiformem letaniam fieri ordinasset, & intra unum horæ spacium hic Dominum precarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes spiritum exhalarunt. VI. Anno Domini DLXXXVIII. Rycharedus rex Gothorum frater Erminigildi per prædicationem Leandri episcopi ad fidem catholicam convertitur. VII. Anno Domini DLXXXIX. Mauricius Imperator legationem ad Hildebertum regem mittit mandans ei, ut, quod prius non fecerat, nunc adimpleret, ut Longobardos ab Italia removeret; qui exercitum in Italiam direxit, & commissa pugna cum Longobardis Francorum acies graviter contritæ sunt. Hildebertus iterum exercitum Francorum in Italiam CXX. ducibus ad debellandum Longobardorum gentem direxit. Qui per tres menses Italiam pervagantes, plurima castra deposuerunt, & innumerabilem multitudinem captivorum abduxerunt. Regem autem Otharium nocere non potuerunt, qui intra Tizinensem urbem se communierat; Qui postea ad Guntraminum regem, patruum Hildeberti, legatos mittit, ut per ejus nutum pax inter Hildebertum & ipsum firmaretur. Erat autem iste Guntraminus rex pacificus, omni bonitate conspicuus. Is dum quadam die venatum in silvam isset, sociis ejus hac illacque discurrentibus, ipse cum uno fideli suo solus remansit, & gravi somno depressus, capite in genibus ejus reclinato, obdormivit. De cujus ore parvulum animal territum rivulum, qui prope discurrebat, transire moliebatur. Tunc is, in cujus gremio quiescebat, spatam suam eduxit, eique ex ea pontem fecit, per quem ad partem aliam transivit, & in quoddam foramen montis ingreditur, & post paululum revertitur, & per eandem spatam rivulum transiens, in os Guntramini ingreditur. Guntraminus post hæc expergefactus de somno mirificam se visionem vidisse narravit. Retulit enim apparuisse sibi in somnis, quod fluvium quendam per pontem ferreum transisset & sub montem quendam in

troisset, & multum auri pondus asspexisset. Is vero, in cujus gremio caput tenuerat, cum dormisset, quid de eo videret, per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille & inæstimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse Rex postmodum cyborium solidum miræ magnitudinis & magni ponderis fecit, multisque illud preciosissimis gemmis decoratum ad sepulchrum Domini Hierosolimam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus beati martyris Marcelli, quod in civitate Cavalonis sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit. Nec est usquam ullum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari. Nec post multum tempus isdem Rex cum thesauros suos Ecclesiis & pauperibus erogasset, moritur, & in eadem basilica sepelitur. VIII. Anno Domini DXC. IX. Anno Domini DXCI. Sanctus Goar ex Aquitania veniens in territorio Trevirensi super ripam Reni Oratorium in honore sanctæ Dei genitricis construens, orationibus, elemosinis & prædicationi verbi insistens, plenus virtutibus, in eodem loco quievit. X. Anno Domini DXCII. Helpericus Rex insidiis suæ conjugis Fredegundæ propter Landricum, qui erat major domus, cum quo fornicari solebat, cum de venatione rediret, interficitur, & Parisiis in basilica sancti Vincentii sepelitur. Clotarius filius ejus adhuc puer in regno sublimatur. XI. Anno Domini DXCIII. audiens Hyldebertus avunculum mortuum, regnum ipsius occupare nititur & cum immenso exercitu Francorum & Burgundionum juxta Suessionis civitatem venit, ubi eis cum Landrico Duce occurrit Fredegundis, & pugna commissa exercitus Hyldeberti graviter cæsus fugit. Post idem Hyldebertus moritur. Habebat autem duos filios, unum ex concubina nomine Theodebertum, qui major natu erat, alterum ex Regina nomine Theodericum, hujus Regis major domus fuit sanctus Arnolfus. Theodebertus regnum patris obtinuit. Theodericus regnum Guntramini in Burgundia cum avia sua Brunichilda habuit. XII. Anno Domini DXCIV. Bellum inter Clotharium & Theodericum filium Hildeberti oritur super fluvium Aroana, tantaque cædes de utroque populo facta est, ut ipse alveus de cadaveribus hominum repletus, magis cruorem, quam aquam fundere videretur. In prædicto, ut ajunt, certamine visus est angelus Domini, evaginatum gladium super populum tenens. XIII. Anno Domini DXCV. sanctus Columbanus ex Hybernia cum beato Gallo & aliis probatis discipulis in Burgundiam venit, ibique, permittente Theoderico Rege, Monasterium, quod Luxovium dicitur, ædificavit. Exinde fugatus a Brunichilda Alemanniam ingressus est, & sanctum Gallum discipulum suum reliquit. Ipse vero in Italiam transiens, Monasterium, quod Bavium dicitur, ædificavit, & multorum pater Monachorum exstitit. XIV. Anno Domini DXCVI. Gregorius Pontifex, Synodum Episcoporum XXIV. congregans apud sanctum Petrum, de necessariis Ecclesiæ decrevit. XV. Anno Domini DXCVII. XVI. Anno Domini DXCVIII. Gregorius missis Doctoribus Augustino, Mellito, Johanne alisque pluribus, Anglos convertit ad Christum. XVII. Anno Domini DXCIX. XVIII. Anno Domini DC. Cœnobium sancti Benedicti Albanis a Longobardis noctu invaditur; monachi Romam petierunt, secum codicem sanctæ Regulæ nec non pondus panis & mensuram vini deferentes. XIX. Anno Domini DCI. XX. Anno Domini DCII. Tunica Domini, super quam milites sortem miserunt, in Ziphat non procul ab Hierusalim in archa marmorea reperitur, quam Gregorius Hierosolimitanus & Johannes Constantinopolitanus cum aliis multis Episcopis, facto triduano jejunio, ordine pedestri Hierosolimam in ipsa archa producentes, in Ecclesiam, ubi crux Domini adoratur, posuerunt. XXI. Anno Domini DCIII. Mauricius pœnas scelerum suorum, ut ipse oravit, in hac vita persolvens, a Foca turpiter decollatur.

Anno Dominicæ Incarnationis DCIV. urbis autem conditæ MCCCLV. Focas quidam, ut ajunt, Prisci Patricii quondam strator, post ad militiam provectus, dehinc a populo Procurator factus, ad ultimum vero, vivente adhuc Mauricio Imperatore, ab exercitu in Imperium electus, LVII. loco ab Augusto imperium invasit, & VIII. annis regnavit, habens uxorem nomine Leontiam. Hujus tempore Cosdroë Rex Persarum adversus publicam rem bella gravissima gerens, multas Romanorum provincias & ipsam Hierosolimam abstulit, & destruens Ecclesias, ac sancta profanans, inter ornamenta locorum vel sanctorum vel communium, quæ abstulit & vexillum Dominicæ crucis abduxit. Focas autem cum homicidia cæteraque mala multa fecisset in populo, Priscus Patricius, gener ipsius, dolens pro his, scripsit Eraclio Patricio & Prætori Affricæ, ut filium suum Heraclium mitteret. Qui veniens cum exercitu pugnavit cum eo, & vicit eum; vulgus autem apprehensum interfecit, & igne apud Taurum cremavit. II. Anno Domini DCV. Gregorius Papa LXVI. ordinatur, sedensque annos XIII. IV. Idus Martii anno II. Phocæ Imperatoris. III. Anno Domini DCVI. Sabinianus Papa LXVII. sedit annum unum menses V. cujus rogatu Phocas constituit sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum: nam antea Constantinopolitana Ecclesia se scribebat primam omnium. V. Anno Domini DCVIII. VI. Anno Domini DCIX. Bonefacius Papa LXIX. sedit annos VI. menses octo. Cujus tempore, rogatu idem Focas jussit in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, Ecclesiam beatæ virginis Mariæ & omnium martyrum fieri, ut ubi quondam omnium non Deorum, sed Dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium sanctorum memoria celebraretur. VII. Anno Domini DCX. Inter Theodericum & Theodebertum fratres, instigante Brunychilda avia, gravissimum oritur bellum, quod Theodebertus non legitimus heres regni diceretur, quia de

de pellice erat natus: & apud Tulpiacum castrum summis viribus decertatum. Theodebertus terga vertit & Coloniam fugit. Quem persecutus frater Coloniam ingreditur, jussu ejus cives caput ejus amputaverunt, & per murum projecerunt. Ipse autem ingressus civitatem totum thesaurum fratris de palatio abstulit, & sic revertens Mettis venit. Ibique Brunichildis Regina adveniens apprehensosque duos pueros filios Theodeberti occidit. Post hæc præfatus Theodericus fraude ipsius Brunechildis veneno periit, duo etiam filii ejus ab ipsa interficiuntur. Regna, quæ præfati Reges tenuerant, in potestatem Clotarii transierunt. Qui in Burgundiam veniens, Brunichyldem dolose, quasi eam ad conjugium vellet habere, invitavit, quæ mox ornata cultu regio ad eum venit. Quam cum vidisset, ait: Inimica Domini, cur tanta mala invaluisti, & tam nobilissimam prolem regalem interimere maleficiis tuis non formidasti? Tunc jubente Rege, in camelum levata, toto exercitu gyrato, deinde equorum indomitorum pedibus ligata, dissipatis membris, ad extremum sepulchrum ejus ignis fuit, ossa ejus combusta. VIII. Anno Domini DCXI. Phocas occiditur.

Anno Dominicæ incarnationis DCXII. urbis autem conditæ MCCCLXIII. Heraclius LVIII. loco ab Augusto accepit imperium, occiso Phoca, regnavitque annis XXVII. Hic coronatus est a Sergio Patriarcha in oratorio sancti Stephani, quod est in palatio, cum desponsata sibi Eudoxia, simulque acceperunt nuptiarum coronas & una eademque die Heraclius & Imperator & sponsus ostenditur. Sequenti anno nascitur Imperatori filius de Eudoxia Heraclius minor, qui & Constantinus novus est dictus, & mortua est Augusta eodem anno. Deinde anno sequenti duxit Heraclius inceste Martinam neptem suam, sororis suæ filiam, quæ coronata est in Augustam a Sergio Patriarcha heretico; de qua suscepit filium Heraclonam. Anno imperii sui VIII. Heraclius misit in Persidem legatos ad Cosdroen postulans pacem. Qui sprevit eos, dicens: Non parcam vobis, donec crucifixum, quem Dominum fatemini, esse abnegetis, & solem adoretis. Sequenti anno Kajanus Rex Avarum direxit aciem contra Thracem; sed missis ab Heraclio legatis, fecit cum eo pacem. Duodecimo autem imperii sui anno contracta omni militia sua movit exercitum in Persidem, multaque prælia cum diversis ducibus committens, per VI. annos Persidem devastavit & vicit, occisoque Cosdroe VII. anno Constantinopolim, ablato a Perside vivifico crucis ligno, rediit, moxque sequente vernali tempore Hierosolimam tendit, preciosum illuc lignum reportans, ad gratiarum Deo actiones referendas. Heraclius ex divinorum signis cognoverat, quod a circumcisis gentibus, divino nutu, ejus imperium esset vastandum. [Hinc Judæos suspectos habuit] sed Imperatori non de Judæis, sed de Sarracenis fuerat demonstratum; mittensque ad Dagobertum Regem Francorum omnes regni ejus Judæos baptizari petiit & impetravit, ipseque per omnes Imperii sui fines & provincias eadem fieri decrevit. Post hæc Aggareni, qui & Saraceni, gens circumcisa Provincias Heraclii vastant. Contra quos dum Heraclius dimicat, CL. militum ejus Sarraceni interficiunt & spolia eorum Heraclio remittunt. Quæ ille percipere nolens, sed vindictam ab eis quærens, Portas Caspias, quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium fecit, & propter sævissimarum multitudinem gentium ferari jussit, aperuit, indeque CL. milia auro armata, cum omnibus universarum Provinciarum militibus, contra Sarracenos in prælium misit. Cumque in crastinum essent præliaturi, ipsa nocte LII. milia de exercitu Heraclii in castris percussit angelus Domini, reliqui cum egredientes appropinquassent Hierosolymam, videns Heraclius, se nequaquam posse resistere, mœrore correptus est, factusque hydropicus, mortuus est. II. Anno Domini DCXIII. III. Anno Domini DCXIV. Anno Domini DCXVI. Anastasius monachus illustre martyrium pertulit. Nam a Persis multa pro Christo perpessus ad extremum a Cosdroë Rege eorum decollatur cum aliis LXX. IV. Anno Domini DCXVI. Deus dedit Papa LXX. sedit annos sex. V. Anno Domini DCVII. VI. Anno Domini DCVIII. VII. Anno Domini DCCIX. fuit in palatio Clotarii Regis major domus Arnolfus nomine, vir, ut postmodum claruit, Deo amabilis, qui post gloriam seculi, Christi servicio se subdens & Episcopus Mettis factus, mirabilis in Episcopatu exstitit: qui habuit filium nomine Angisus, qui de nomine Angise Trojani creditur appellatus, sub nomine Majoris domus principatum in regno Francorum postea tenuit. Hic duxit uxorem Beggam, filiam Pippini Principis, sororem scilicet sanctæ Gertrudis virginis, de qua genuit filium, nomine Pippinum, qui postea Major domus fuit in omni Gallia. VIII. Anno Domini DCXX. IX. Anno Domini DCXXI. X. Anno Domini DCXXII. XI. Anno Domini DCXXIII. Bonefacius Papa LXXI. sedit annos V. XII. Anno Domini DCXXIV. XIII. Anno Domini DCXXV. XIV. Anno Domini DCXXVI. XV. Anno Domini DCXXVII. Dagobertus cum Pippino Duce in Austro regnaturus a patre dirigitur, & sancto Arnulpho Mettensi Episcopo commendatur. XVI. Anno Domini DCXVIII. Honorius Papa LXXII. sedit annos X. menses XI. dies XVII. XVII. Anno Domini DCXXIX. Heraclius, interfecto Cosdroë Rege Persarum, crucem Dominicam Hierosolimam cum debita veneratione reduxit. XVIII. Anno Domini DCXXX. XIX. Anno Domini DCXXXI. XX. Anno Domini DCXXXII. XXI. Anno Domini DCXXXIII. XXII. Anno Domini DCXXXIV. XXIII. Anno Domini DCXXXV. XXIV. Anno Dom. DCXXXVI. Severinus Papa LXXIII. sedit annum unum menses duos. XXV. Anno Domini DCXXXVII. Isidorus Hispalensis Episcopus floruit, nulli modernorum doctorum postponendus. XXVI. Anno Domini DCXXXVIII

DCXXXIIX. Heraclius Imperator ydropicus factus, moritur senex & plenus dierum.

Anno Dominicæ Incarnationis DCXXXIX. Constantinus filius Heraclii & Eudoxiæ LIX. loco ab Augusto suscepit imperium. Qui cum regnaret mensibus quatuor a noverca sua Martina & Pyrro Patriarcha veneno potionatur, illoque extincto, ipsa cum filio suo Heraclona dominatur, unde omnis Senatus Constantinopolitanus cum omni populo indignatione justa commotus, Heraclonam reppulit, linguaque Martinæ & naso Heraclonæ abscisο, eisque in exilium destinatis, Constantem filium Constantini, nepotem Heraclii provehunt. Johannes Papa LXXIV. sedit annos II. menses IX. dies XIIX. Cyrus Alexandrinus Episcopus & Pirrus Constantinopolitanus & alii multi heresin instaurant. Sed Senatus & tota civitas Pyrrum, ut impium, cum Heraclona ac matre sua expulerunt; & regnante Constante Paulus consecratur Episcopus & ipse hereticus. Johannes autem præsul Romanus, collecto Episcoporum consilio, omnes hujus heresis fautores anathematizavit. Quo defuncto Theodorus pro eo Papa consecratur. I. Anno Domini DCXL. II. Anno Domini DCXLI. Heraclonas filius Heraclii occiso per venenum fratre suo Constantino regnum invasit & cum matre sua Martina regnavit annos duos. Heraclonas turpiter dejicitur cum matre.

Anno Dominicæ Incarnationis DCXLII. ab urbe autem condita MCCCXCIII. Constans filius Constantini, nepos Heraclii, LX. loco ab Augusto in regnum eligitur, dejecto Heraclona cum matre sua, & regnavit annis XXIIX. Hoc regnante, ut supra dictum est, in locum Pyrri heretici consecratur Paulus Episcopus & ipse hereticus, qui exposuit typum adversus Catholicam fidem, nec unam nec duas voluntates aut operationes in Christo definiens esse confitendas, quasi nihil velle vel operari credendus sit Christus: unde a Martino Papa & CV. Episcopis sub anathemate dampnati sunt supra nominati Episcopi. Hac de re idem Martinus Papa in exilium mittitur apud Cersonam, ibique moritur, ubi etiam miraculorum gloria fulget. Eugenius Papa constituitur, quo vita decedente Vitellianus in ejus loco subrogatur. His diebus Constans Augustus, Italiam a Longobardorum manu eripere cupiens, Constantinopolim egressus, Athenas venit, inde mare transgressus Tarentum applicavit: Inde Beneventum intravit, omnesque pene civitates Longobardorum, per quas venerat, cepit: Lucernariam usque ad solum prostravit. Deinde Beneventum cum omni exercitu circumdedit, ubi Rumaldus filius Rimaldi se incluserat. Imperator accepta obside, prædicti Rumaldi sorore, soluta obsidione proficiscitur Neapolim, inde Romam perrexit, ubi sexto ab urbe miliario Vitellianus Papa cum sacerdotibus & populo Romano occurrit, qui obtulit beato Petro pallium auro textile. Et morans apud Romam diebus XII. omnia, quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamentum civitatis, deposuit: interim etiam, ut Ecclesiam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, disco operiret, tegulasque æreas inde auferret. Post hæc Neapolim reversus, itinere terreno perrexit civitatem Regium, ingressusque Siciliam, habitavit in Syracusana sex annos. Ibi post plurimas & inauditas deprædationes in balneo a suis extinctus est. Quo sepulto Micium quendam Armenium fecerunt Imperatorem vi cogentes eum. Erat autem valdè decorus & speciosus. Filius autem ejus Constantinus audiens de patris obitu cum multo navigio Siciliam intravit, & aggressus Mitium, interfecit cum occisoribus patris sui, ordinatisque Hesperiis, Constantinopolim rediit, & Romanis cum Tyberio & Heraclio fratribus imperavit. Theodorus Papa LXXV. sedit annos VI. II. Anno Domini DCXLIII. III. Anno Domini DCXLIV. Anno Domini DCXLV. Dagobertus filius Clotarii cum Saxonibus dimicans, graviter ab eis vulneratur, patremque per legatum in auxilium vocat. Qui festinus cum exercitu venit, &, interfecto duce eorum Beraldo, Saxones perdomuit. IV. Anno Domini DCXLVI. V. Anno Domini DCXLVII. VI. Anno Domini DCXLIIX. VII. Anno Domini DCXLIX. Martinus Papa LXXVI. sedit annos X. His collectis CCLX. Episcopis Cyrum, Sergium, Pyrrum & Paulum condempnavit. Pro qua re a Constante Imperatore, ab eis seducto, exiliatus est in Cersonam. IIX. Anno Domini DCL. IX. Anno Domini DCLI. X. Anno Domini DCLII. Cinis e cœlo descendit & timor magnus factus est in populo. XI. Anno Domini DCLIII. XII. Anno Domini DCLIV. XIII. Anno Domini DCLV. XIV. Anno Domini DCLVI. XV. Anno Domini DCLVII. XVI. Anno Domini DCLIIX. Martinus Papa apud Cersonam migravit IV. Idus Novemb. XVII. Anno Domini DCLIX. Eugenius Papa LXXVII. sedit annos duos, menses IIX. XIIX. Anno Domini DCLX. XIX. Anno Domini DCLXI. XX. Anno Domini DCLXII. Vitellianus LXXIIX. sedit annos IX. menses VI. XXI. Anno Domini DCLXIII. XXII. Anno Domini DCLXIV. Anno Domini DCLXV. Clotharius Rex Francorum moritur, & suburbano Parisius in basilea Sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus Monarchyam totius imperii obtinuit, excepto, quod fratri suo Heriberto citra Ligerim & limitem, quo tenditur partibus Wasconiæ, pagum scilicet Tolosanum, Caturcinum, Aganense, Petrogoricum & Screonicum vel quod ab his Pyrenæos montes excluditur, concessit. XXII. Anno Domini DCLXVI. XXIII. Anno Domini DCLXVII. XXIV. Anno Domini DCLXIIX. Anno Domini DCLXIX. Constans in balneo occiditur a quodam Andrea.

Anno Dominicæ Incarnationis DCLXX. urbis conditæ MCCCCXXI. Constantinus filius Constantis LXI. loco ab Augusto regnat cum fratribus suis Heraclio & Tyberio; sed cum venirent aliqui orientalium partium & dicerent: si in Trinitatem credimus, tres etiam coronemus, turbatus est Constantinus, qui solus

lus erat coronatus & per Theodorum Patricium convocans majores natu ex eis, qui in colloquium & consilium, ut fieret voluntas, in patibulum eos suspendit. Quod videntes ceteri fugierunt; ipse vero regnavit cum filio suo Tyberio annis XVII. Hic Constantinus Augustus CL. Episcopos congregari fecit in urbe regia, inter quos etiam legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ missi ab Agathone Papa, Johannes Diaconus & Johannes Constantinopolitanus Episcopus, qui omnes heresin dampnaverunt. Quæ unam operationem & voluntatem in Domino Jesu Christo asseverabant. Recta autem fides & vera hæc est, ut in Domino nostro Jesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, DEI & hominis, sic etiam credantur duæ esse voluntates sive operationes. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur, & per hoc significatum est, quod sordes hereticæ pravitatis depulsæ essent, & Georgius quidem Patriarcha Constantinopolitanus correctus est; ceteri vero in sua defensione perseverantes anathematis sunt ultione percussi. His temporibus solis eclypsis facta est V. Non. Maji, moxque subsecuta est gravissima pestis tribus mensibus, Julii, Augusti & Septembris. Tunc visibiliter multis apparuit, quia bonus & malus angelus nocte pugnantes per civitatem & jussa boni angeli malus angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo ostium cujuscunque domus percussisset, tot de eadem domo sequenti die homines interirent.

Igitur in regno Francorum post decessum Sancti Arnulfi Episcopi Dogobertus Rex Pippini patris sanctæ Gertrudis, ut & Sancti Kuniberti Coloniensium Archiepiscopi utebatur consilio, & prosperitatis ac justiciæ amore complexus universarum sibi gentium subditarum favoribus extollebatur. Habuit autem filium ex quadam puella nomine Regindruda, quem frater ejus Heribertus Aurelianis veniens de sacro fonte suscepit. Namque dum eundem puerum Sanctus Amandus Episcopus benediceret, eumque catecuminum faceret, finita oratione cum nemo respondisset Amen; aperuit Dominus os pueri, qui non amplius quam XL. dies habebat, & cunctis audientibus respondit Amen. Vocatus est isdem puer Sigebertus. II. Anno Domini DCLXXI. III. Anno Domini DCLXXII. Adeodatus Papa LXXIX. sedit annos IV. IV. Anno Domini DCLXXIII. Huni & Bulgares inter se prælia conferunt; sed Huni Bulgares superabant; qui devicti & de Pannonia expulsi, novem milia cum uxoribus & liberis regem Dagobertum expetunt, terram ad manendum requirunt. Quos Rex ad hyemandum Bajoariam ire præcepit, dispersosque per domos omnes una nocte cum mulieribus & liberis interficere fecit. V. Anno Domini DCLXXIV. VI. Anno Domini DCLXXV. Dagobertus Rex Mettis veniens cum consilio pontificum & procerum filium suum Sigebertum regno Austriæ sublimat & eum Kuniberto Episcopo Coloniensis Ecclesiæ & Pippino Duci commendat. VII. Anno Domini DCLXXVI. Donus Papa LXXX. sedit annum menses V. IIX. Anno Domini DCLXXVII. natus est Dagoberto filius ex Nanhylda regina, quem Ludowicum appellavit. Cui regnum Nepticum (Neustricum) atque Burgundiæ dandum post suum obitum nominavit. IX. Anno Domini DCLXXIIX. Agatho Papa LXXXI. sedit annos V. menses VI. X. Anno Domini DCLXXIX. Dagobertus moritur & in Basylica Sancti Dyonisii sepelitur. Fuit autem providus in consilio cautus in judicio, strenuus in disciplina militari, largus in elemosinis, studiosus in componenda pace Ecclesiarum, & præcipue devotus in dotandis sanctorum cœnobiis. Huic Clodoveus filius successit. XI. Anno Domini DCLXXX. XII. Anno Domini DCLXXXI. XIII. Anno Domini DCLXXXII. XIV. Anno Domini DCLXXXIII. Leo Papa LXXXII. sedit annum unum menses X. XV. Anno Domini DCLXXXIV. Clodovæus, inspirante Diabolo, brachium beati Dyonisi abscidit, per idemque tempus conscidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit autem ipse Clodovæus omni spurcicia deditus, fornicator & illusor fœminarum, gulæ & ebrietati serviens. Hic ex Bachylde regina tres filios habuit Clotarium, Hildericum & Theodericum. Clodovæo itaque mortuo Franci Clotarium seniorem regem sibi statuerunt. Quo quarto anno mortuo Theodericus frater ejus ei successit, Hildericus quoque alius frater in Austrasia præficitur. XVI. Anno Domini DCLXXXV. Benedictus Papa LXXXIII. sedit menses X. XVII. Anno Domini DCLXXXVI. Constantinus Imperator obiit. Johannes Papa LXXXIV. sedit annos II. cui successit Conon Papa LXXXV. seditque annos II. menses XI. Eo tempore Franci adversus Ebroinum majorem domus insidias præparant, super Theodericum consurgunt, eumque de regno eiciunt, crinesque amborum in capite abscindentes Ebroinum totonderunt, eumque Luxovio monasterio in Burgundia dirigunt. In Austrasia post Hyldericum mittunt, eumque regem faciunt. Erat autem ipse Hildericus levis nimis & incaute se agebat, Francos valde opprimens, & affligens quoscunque poterat. Ex quibus unum nomine Boithlono ad stipitem ligatum cedere valde sine lege præcepit: unde Franci nimis irati sedicionem contra eum concitantes, occiderunt eum una cum regina ejus prægnante, quod dici dolor est.

Anno Dominicæ Incarnat. DCLXXXVII. urbis conditæ MCCCCXXXIIX. Justinianus filius Constantini LX. loco ab Augusto regnum accepit, & X. annis regnavit. Hic pacem firmam decennio fecit cum Sarracenis terra marique; sed & provincia Affrica subjugata est Romano imperio, quæ a Sarracenis fuerat tenta. Hic beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere & subscribere noluit, misso Zacharia pro eo spatario suo jussit Constantinopolim deportari; sed milicia Ravennatæ urbis vicinarumque partium nefanda principis jussa prævenit, & eundem Zachariam contu-

contumeliis & injuriis ab urbe Roma reppulit. Idem Justinianus a Gallinicio Patriarcha exegit, ut orationem faceret ad destruendam Ecclesiam sanctæ DEI genetricis Mariæ juxta Palacium sitam, quæ Metropolitæ dicebatur, volens ibi ædificia facere, ubi a populo susciperetur. Patriarcha vero dicebat: Orationem quidem ad statuendam Ecclesiam habemus, in destructionem vero Ecclesiæ orationem non suscepimus. Cogente autem Imperatore & omnimodis exigente, dixit Patriarcha: Gloria DEO, qui jugiter sustinens patitur nunc & semper & in secula seculorum. Quo audito destruxerunt Ecclesiam. Alia quoque multa improvide faciens odium populi in se excitavit. Unde Leontius Patricius, quem ipse quondam Prætorem & Magistrum militum Orientalium fecerat, sed jam per tres annos in custodia tenuerat, cum enim protractus in exilium mitteretur, contra eum sensit, junctisque sibi multis Justinianum comprehendit, nasoque præciso in Insulam quandam relegavit, ipseque regnavit. Illis diebus Ebroinus capillos crescere sinens, & Luxovio cœnobio egressus in Franciam revertitur, & adjuncto sibi Theoderico rege plurimos nobiles Francorum interfecit, Beatum etiam Leodegarium Augustodunensem Episcopum, eo quod sibi contrarius fuisset, gladio necari fecit. Post hæc plurima mala in regno faciens a quodam Ermenfrido occiditur. Theodericus Rex moritur & Clodovæus filius ejus adhuc puer regalem sedem suscepit. Qui, cum duobus annis regnasset, decessit, & Hyldebertus frater ejus ei successit. II. Anno Domini DCLXXXIIX. Sanctus Kylianus cum sociis suis passus est. III. Anno Domini DCLXXXIX. Pyppinus filius Angysi major domus efficitur in Gallia, regnumque Francorum administravit annis XXVI. cujus etiam anni suorumque successorum deinceps annotantur in Catalogo Regum. Hic multa bella contra Suevos & alias plurimas gentes gessit. Erat huic uxor nobilissima & sapientissima nomine Plectrudis. Quæ etiam Coloniæ in Capitolio egregiam Ecclesiam in honore sanctæ DEI genitricis Mariæ construxit, Sanctimoniales ad serviendum DEO & beatæ virgini illic constituens, ditans etiam eam reditibus & prædiis multis. Habuit etiam de Pippino duos filios Drocam & Grimoaldum. Drocus ducatum accepit Campaniæ, sed pauco supervixit tempore. Grimoaldus quoque in aula regis Hyldeberti major domus effectus est, qui postea ægrotante Pippino patre suo, cum visitandi gratia ad eum accessisset, Leodii a quodam Carantario gentili, filio Belyal, peremptus est. IV. Anno Domini DCXC. Sergius Papa LXXXVI. sedit annis XVI. mensibus IIX. hic constituit, ut Agnus DEI cantaretur infra sacrificium. V. Anno Domini DCXCI. VI. Anno Domini DCXCII. quidam Franci de Celmannicorum regione venientes in castrum Cassinum jam desertum, venerabilis patris Benedicti ejusque germanæ Scolasticæ corpora auferunt & in suam patriam asportant. VII. Anno Domini DCXCIII. IIX. Anno Domini DCXCIV. Sanctus Remaclus Episcopus Trajectensis migravit ad Dominum. IX. Anno Domini DCXCV. Willebrodus, qui & Clemens, a Sergio Papa ordinatur Episcopus ad prædicandum gentibus. X. Anno Domini DCXCVI. Justinianus ob culpam perfidiæ suæ regno privatur & exiliatur.

Anno Dominicæ Incarnationis DCXCVII. Leo qui & Leontius LXIII. loco ab Augusto, depulso Justiniano, regnum invasit tribusque annis regnavit. Cujus anno primo Sergius Papa in Sacrario beati Petri capsam argenteam, quæ in loco obscurissimo diutissime jacuit, Domino revelante invenit, & in ea crucem diversis & preciosis lapidibus adornatam repperit. De qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ inclusæ erant miræ magnitudinis, porcionem Dominicæ crucis interius repositam conspexit, quæ omnibus annis in basilica Salvatoris, quæ dicitur Constantiniana, in die exaltacionis ejus ab omni populo salutatur. II. Anno Domini DCXCIIX. III. Anno Domini DCXCIX. Sanctus Gutbertus Episcopus & anachorita obiit: Cujus corpus post XI. annos sepulturæ ejus integrum inventum est. Leontio itaque apud Constantinopolim posito, venit Tyberius qui & Absimarus, ex adverso civitatis cum multis, & prodita sibi civitate Leontium cepit, præcisoque naso ejus in monasterio Dalmati sub custodia constituit ipseque regnavit.

Anno Dominicæ Incarnationis DCC. urbis autem conditæ MCCCCLI. Tyberius qui & Absimarus dictus est, LXIV. ab Augusto imperium invasit, dejecto Leone, & regnavit annis VI. Hujus tempore Synodus in Aquileja facta ob impericiam fidei. Nam quidam beatam Mariam solum hominem, non DEum & hominem genuisse affirmabant. In qua Synodo Catholicæ institutum est, ut Maria semper virgo Theotocos diceretur, quia non solum hominem, sed & verum DEum & hominem genuit. Hoc tempore occisus est Sanctus Lambertus Episcopus. Hæc autem causa fuit. Pyppinus, abjecta Plectrude conjuge sua, puellam nobilem & elegantem Alpaidem nomine sibi junxit, ex qua suscepit filium nomine Karolum, cui postmodum propter indomitam bellandi fortitudinem Tudetes sive Martellus agnomen fuit. Hæc fuit soror Dodonis, qui domesticus Pyppini principis erat, vir, dives & nobilis. Igitur Lambertus zelo zelatus pro domo Domini oportune, importune, arguebat principem, suadens ei, ut dimissa pelice legitimam revocaret. Alpas itaque, ut olim Herodias adversus Johannem, sic adversus Lambertum veneni odio accensa, furentem animum fratris contra eum concitat. Qui timens, ne propter censuram Episcopi inter sororem & principem divorcium fieret, per se & cognatos compescere eum laborat ab increpatione principis. Quem quia vidit inflexibilem, per amicos suos lacessendi quærit oportunitatem. Primo in Ecclesiæ familiam consurgit, deinde cognatis & amicis bellum intulit, supremo armata manu Leodium veniens, irruptis portis, foribus effractis, domum

domum intrat episcopi, & ingressus cubiculum in oratione prostratum eum occidit. II. Anno Domini DCCI. III. Anno Domini DCCII. IV. Anno Domini DCCIII. V. Anno Domini DCCIV. VI. Anno Domini DCCV. VII. Anno Domini DCCVI. Johannes Papa LXXXVII. sedit annos III.

Beda venerabilis presbyter Anglorum Cronicam minoris sui libri hucusque perduxit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCVII. urbis conditæ MCCCCLVIII. Justinianus filius Constantini, quem superius a Leone expulsum diximus, per adjutorium Terbelli regis Bulgarum, expugnata Constantinopoli, regnum recepit, & postea VI. annis regnavit. Recepto autem regno multa dona & regalia Terbello tribuit, eumque in pace dimisit. Absymarus autem, qui & Tyberius ex urbe profugit, sed insecutione captus & ad Justinianum est adductus. Adductoque Leontio, qui eum dejecit, fecit ambos cathenis constrictos, dum ludi equestres agerentur, per plateas trahi, tractosque publice ante pedes suos, dum in solio resideret, projici, calcavitque colla eorum fortiter, universa plebe clamante: super aspidem & basiliscum ambulasti & leonem draconemque conculcasti; sicque eos præcepit decollari, innumerabilemque multitudinem eorum, qui contra eum consenserunt, diversa morte fecit necari. Quia enim se naso detruncaverant, quoties defluentem guttam reumatis manu detersit, tatiens pene aliquem ex illis jugulare præcepit. Kallinicum vero Patriarcham, erutis oculis, Romam exiliavit, & pro eo Cyrum in Episcopatum provexit, qui fuit Abbas in Ponto, quique illum exulem alebat, & eum in imperium restituendum prædicebat. Natus est autem ei filius eodem anno, quo recepit imperium ex Theodora filia Kajani, quam accepit, dum esset in exilio, quem vocavit Tyberium, coronavitque eum cum matre sua, regnaveruntque cum eo. Hic Constantinum Papam accersiens, honorifice suscepit, prostratusque in terram pro suis peccatis intercedere rogavit, cunctaque privilegia ecclesiæ renovans, eum cum honore remisit. Qui cum mitteret exercitum in Pontum ad comprehendendum Phylippicum, quem illic relegaverat multum Constantinus Papa eum prohibuit, sed animum ejus revocare non potuit. Exercitus autem, quem miserat, conversus ad partem Phylippici, fecit eum Imperatorem, reversusque cum eo Constantinopolim pugnavit contra Justinianum miliario ab urbe duodecimo, victoque illo & occiso, accepit regnum Phylippicus. Filius quoque Justiniani adhuc puer ab his qui a Phylippico præmissi sunt occisus est. II. An. Domini DCCVIII. III. Anno Domini DCCIX. Johannes Papa LXXXIX. sedit annos duos menses VII. IV. Anno Domini DCCX. Dagobertus junior regnare cœpit. V. An. Domini DCCXI. Sisimnius Papa LXXXX. Sedit dies XX. Cui succedens Constantinus Papa XCI. sedit annos VI. VI. Anno Domini DCCXII. Justinianus a Phylippico interficitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXIII. urbis vero conditæ MCCCCLXIV. Phylippicus LXVI. loco ab Augusto invasit imperium occiso Justiniano, regnavitque anno uno & mensibus VI. Hic priusquam imperaret, habuit quendam amicum monachum Inclusum, qui erat hæreticus & tamen prævisor. Qui dixit imperium tuum est. At ille turbatus est; Cui ait Inclusus: Si Deus jubet, tu quare contradicis? hoc autem dico tibi quod VI. Synodus male acta est. Si ergo regnaveris, hanc abjice, & efficietur imperium tuum forte atque longævum; Qui cum juramento spospondit, se hoc facturum. Cum ergo regnaret, fecit Synodum pseudo-episcoporum juxta illius pseudo-monachi Inclusi sermonem, & abjecit sanctam & universalem sextam synodum. Eodem vero anno vanus ille inclusus oculorum cœcitatem incurrit. Reperiens autem Phylippicus quendam sui consensus Johannem, fecit eum Constantinopolitanum præsulem. Cyrum vero deponens ad Monasterium suum redire præcepit. Idem Phylippicus in disputationibus quidem suis rationabilis videbatur & prudens, in actibus autem inhoneste & indigne vitam consumens, inprobabilis ubique demonstrabatur. Erat enim hæreticus & adulter. Hic Constantino Papæ misit litteras pravi dogmatis, quas ille respuit. Hac de causa fecit Constantinus picturas in portica sancti Petri, quæ sex sanctarum Synodorum Acta continerent. Nam & hujusmodi picturæ habebantur Constantinopoli, quas Phylippicus jussit auferri. Statuit autem populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen aut cartas aut figuram solidi susciperent. Unde nec effigies ejus in ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum solempnia prolatum. Sabbatho autem Pentecostes cum lavaret in balneo publico, ingressus est cum equitatu & organis, habitoque prandio cum civibus antiquæ prosapiæ, cum requiesceret meridie, repente per auream Portam introivit Rufinus primus strator cum Theodoro Patricio, festinansque in palacium, & inveniens eum quiescentem, apprehendit eum, & eruit oculos ejus; in crastinum vero, id est, die Pentecostes congregato in magna ecclesia populo coronatus est Artemius mutato nomine Anastasius.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXIV. urbis vero conditæ MCCCCLXV. Anastasius LXVI. loco ab Augusto imperium adeptus est, regnavitque annis tribus. Quidam autem libri habent, quod Phylippicus regnaret annos duos, menses novem. Anastasius vero annum unum & menses tres. Anastasius vero, ubi regnum accepit, Constantino Papæ per Scolasticum Patricium litteras Romam misit, quibus se fautorem & defensorem catholicæ fidei & sancti sexti Concilii prædicatorem esse docuit. Quo repugnante, quidam adversus eum conjuraverunt, & contra regiam cum exercitu adscenderunt. Cum autem Ramium ascendissent, & essent sine capite, invenerunt illic hominem

nem indigenam Theodosium nomine, inertem ac ydiotam, qui publicorum tributorum erat exceptor, & hortati sunt eum imperare. At ille fugiens latebat in monte. Quem inventum, ut Imperatorem, laudibus extulerunt, vi cogentes eum. Quibus Anastasius cognitis Niceam abiit, ibidemque se munivit. Theodosius autem secutus magno prælio vicit eum, datoque sibi sacramento, clericum eum fecit, & postea presbyterem fecit ordinari. II. Anno Domini DCCXV. Pyppinus senior major domus obiit, pro quo filius ejus Karolus successit. Qui Karolus a Plectrude postea captus custodiæ mancipatur, sed, auxiliante Deo per fugam elapsus, liberatur. Dagobertus rex Francorum obiit. III Anno Domini DCCXVI. Karolus Pippini Senioris filius in administratione regni patri successit, adhuc quidem regibus in Francia manentibus, sed parva dignitate regnantibus. In Romano vero imperio apud Constantinopolim Imperatores erant, sed & ipsi intestinis pariter & extrinsecis bellis pene adnullati parum valebant. Karolus vero regnum Francorum administravit annis XXVII. Igitur Franci Danielem quendam clericum, mutato nomine, Helpericum regem faciunt & Raginfridum in principatum Majoris domus eligunt, & cum exercitu eos contra Karolum mittunt. Qui ad Mosam venientes, deinde usque Renum progredientes, Coloniam hostiliter intrant, plurimos civium trucidant, multos capiunt, & maximam prædam ibi cum Plectrude matrona accipientes, in Ardennam silvam revertuntur. Quos prosecutus sanctus Agylolphus ejusdem civitatis archiepiscopus, volens intercedere pro civibus suis & prædam revocare, ab eisdem capitur & crudeliter occiditur: sed mox in loco, qui dicitur Amblavia, maximum, Karolo in eos irruente, perpessi sunt dispendium. Item secundo & tercio cum eisdem Karolus committit, & victor extitit, vastataque omni regione cum multa præda in Austrasiam revertitur. Posthæc Coloniam veniens, cum Plectrude matrona disceptavit & thesauris patris sui receptis, regem nomine Clotarium ibidem statuit. Igitur Helpericus & Raginfridus Eodonem ducem in auxilium invitant. Qui movens exercitum contra Karolum perrexit. At ille constanter eis occurrere statuit. Sed Eodo fugiens Parisius, regressus cum thesauris regalibus, Helperico capto, ultra Ligerem secessit. Post hæc Karolus Raginfrido Andegavensem civitatem ad habitandum permisit, ipse vero super cunctam Francorum gentem principatum tenuit. Gregorius Papa XLII. sedit annis X. migravitque Idus Febr. Hic sanctum Bonefacium ordinavit Episcopum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXVII. urbis vero conditæ MCCCCLXVIII. Theodosius a militibus electus LXVIII. loco ab Augusto imperium Romanum accepit, & anno uno regnavit. Leo quippe, qui erat Prætor orientalium, quum auxiliabatur Athanasio, non est subjectus Theodosio. Unde veniens Nycomediam apprehendit filium Theodosii cum omni apparatu regio & primis viris Palacii, & venit Chrysopolim. Quod audiens, consilio a Germano Patriarcha & Senatu percepto, per eundem Patriarcham accepit a Leone indempnitatis verbum, & ecclesiæ sine perturbacione servandæ, & sic ei committit imperium. Ipse vero Theodosius una cum filio suo Clericus factus, residuum vitæ suæ tempus transegit in pace. Hoc anno Tyberis alveum suum egressus multa Romæ subvertit ædificia, ita ut in via lata ad unam & semis staturam excresceret. Mansit autem diebus VII. donec agentibus letanyas crebras civibus octavo demum die regreditur.

Anno Domini DCCXVIII. urbis vero conditæ MCCCCLXIX. Leo Prætor Orientalium, genere Syrus, LXIX. loco ab Augusto Romanorum provehitur in imperium, regnavitque annis XXIV. Hic a Justiniano, cum prius regnaret, exiliatus in Mesembriam Tracæ regionis; posteriore vero tempore cum regnaret secundo, veniens ei obviam una cum Bulgaribus, optulit ei munera, oves scilicet quingentas, placatusque Justinianus fecit eum Spatarium, & habuit hunc sicut germanum amicum. Unde quidam invidia ducti, detraxerunt ei, tanquam imperium appetenti, sed habita quæstione inventi sunt falsi. Justinianus tamen suspectum illum habens, sed manifeste hunc lædere nolens, misit eum pecuniis in Alaniam ad commovendos Alanos contra Abasgyam. Ubi cum multa ei feliciter provenirent, Justiniano interempto & Phylippico visu oculorum orbato, cum imperasset Anastasius, provexit eum in Prætorem Orientalium. Depulso autem Anastasio a Theodosio ipsoque regnante, Leo & hunc expulit, ipseque regnavit: sed in Christianos & ecclesias Dei ac religionem sanctam impius fuit. Primum quippe præcepit in Constantinopoli, ut, quicunque haberent ymagines Domini salvatoris seu sanctæ genitricis ejus sive aliorum sanctorum, sibi eas afferrent, quas ille in medio civitatis incendere fecit, & quia multi de populo huic impietati non consenserunt, decollati sunt. Germanus quoque Patriarcha de sede sua est dejectus, & Anastasius presbyter in loco ejus constitutus. Misit & ad Papam Romanum Gregorium, ut similiter faceret, ille vero noluit; sed tributa omnia Romanæ urbis & Italiæ sibi dari prohibuit. Cui anno imperii sui tertio natus est filius de Maria uxore sua, quem Constantinum vocavit, qui magis illo impius & antiChristi præcursor extitit: cui postea filiam Chajani Scypharum regis sociavit, eamque Christianam faciens, Hyrenen nominavit. Quæ cum sacras litteras didicisset, pietati operam dedit, & hos sæpe impietatis redarguit. II. Anno Domini DCCXIX. Karolus princeps contra Ratbodum regem Fresonum multa certamina conserit; Qui tyrannus divino nutu petitur & moritur. III. Anno Domini DCCXX. Karolus cum Saxonibus pugnat & vincit. IV. Anno Domini DCCXXI. Sarraceni Constantinopolim obsident & per triennium ibi morantes multasque provincias devastantes, tandem populo ad Dominum clamante,

te, fame pesteque depulsi sunt, multique frigore & ferro naufragioque perierunt. V. Anno Domini DCCXXII. Karolus cum Bajoariis pugnavit eosque vicit. Item Alemanniam ingressus contra Lantfridum dimicavit & sibi eandem gentem subjecit. VI. Anno Domini DCCXXIII. Luitprandus Rex Longobardorum audiens, quod Sarraceni depopulata Sardinia etiam illa loca fœdassent, ubi aliquando propter devastacionem barbarorum ossa beati Augustini translata fuerant, misit & per pretium adduxit ea Tycinum, ibique, ut decuit, honorifice recondidit. Leo Imperator coëgit Judæos & Montanos baptyzari; sed Judæi abluebant unctionem crismatis & post cybum participabant sacramentis, & contaminabant fidem. Montani vero definientes sibi diem, introierunt domos errori suo deputatas, & incenderunt semetipsos. VII. Anno Domini DCCXXIV. Karolus Wasconiam ingressus Eudonem Ducem Aquitaniæ bello perterruit. IIX. Anno Domini DCCXXV. IX. Anno Domini DCCXXVI. Pyrminius Episcopus Augiam intravit eamque a serpentibus mundavit.

Hucusque Beda Cronicam suam in majori libello perduxit.

X. Anno Domini DCCXXVII. Gregorius III. Papa XCIII. sedit annos IIX. decessitque IV. Kal. Decemb. Hic augmentavit in Kanone, non enim illorum omnium, quorum sollempnia *. XI. Anno Domini DCCXXIIX. Sarraceni ex Hyspania cum uxoribus & parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ Provinciam, quasi in ea habitaturi, intrant. Karolus quidem, ut deinde est, cum Eudone Aquitaneæ principe tunc discordiam habebat: Qui tamen in unum se conjungentes contra Sarracenos pari consilio dimicarunt. Nam irruentes Franci super eos, CCCLXXV. milia ex eis interfecerunt. XII. Anno Domini DCCXXIX. XIII. Anno Domini DCCXXX. Pyrminius ex Augia venit in Alsaciam. XIV. Anno Domini DCCXXXI. Germanus sanctissimus Patriarcha videns impietatem Leonis, abrenunciavit summo sacerdotio, tradens pallium & in domo sua quieti operam dedit, functus sacerdotio annis XIV. mensibus quinque. In cujus locum Anastasium ejus quondam discipulum, sed tunc impietati consentientem Leo constituit. Sane Gregorius sanctus præsul Romanus hunc anathematizavit, & Leonem, tanquam impie agentem, per epistolas redarguens, Romam cum tota Italia ab ejus imperio recedere fecit. Beda venerabilis presbyter Anglorum obiit. XV. Anno Domini DCCXXXII. Karolus filium suum Pippinum ad Luitprandum regem Longobardorum pro tondenda cæsarie misit, quod ille fecit, cum multisque muneribus ad patrem remisit. XVI. Anno Domini DCCXXXIII. Karolus major domus Fresiam vastat. XVII. Anno Domini DCCXXXIV. Karolus Wasconiam ingressus Eudonem regno simul & vita privavit. XIIX. Anno Domini DCCXXXV. Zacharias Papa XCIV. sedit annos XIIX. Hic quatuor libros dyalogorum beati Gregorii transtulit in Græcum. XIX. Anno Domini DCCXXXVI. Sarracenorum exercitus rursus in Galliam introiens, multam devastationem fecit. Contra quos Karolus non longe a Narbona bellum committens, eos sicut prius maxima cæde prostravit. XX. Anno Domini DCCXXXVII. Theodericus Rex Francorum obiit. XXI. Anno Domini DCCXXXIIX. XXII. Anno Domini DCCXXXIX. Sarraceni Gallias iterum invadentes ceperunt civitatem Arelatem. Tunc Karolus misit ad Luitprandum, qui venit ad eum cum omni exercitu Longobardorum, quod audientes Sarraceni, fugierunt de terra illa. XXIII. Anno Domini DCCXL. Karolus Saxoniam intrat. XXIV. Anno Domini DCCXLI. Leo Imperator impius obiit.

Anno Domini DCCXLII. urbis conditæ MCCCCCXCIII. Constantinus filius Leonis LXX. loco ab Augusto Romanum suscepit imperium regnavitque annis XXXIV. mensibus II. diebus XXIII. Hic erat perniciosissimus ferus & agrestis persecutor legum a patribus traditarum, tyrannice non legitime usus imperio, primo quidem a DEO & intemnata ejus genitrice & omnibus sanctis abscedens, magicis maleficiis & luxuriis, ac cruentis sacrificiis & incantationibus dæmonum delectatus, mollitiebus quoque ac omnibus animas corrumpentibus a tenera ætate convivens, persecutionibus etiam sanctarum Ecclesiarum ac interemptionibus monachorum ac violationibus monasteriorum malisque variis supercrescens, non minus quam Dyocletianus ceterique antiqui tyranni. Cujus anno primo qui est Dominicæ Incarnationis DCCXLII. Karolus Pippini filius Major domus in regno Francorum obiit, relinquens filios tres Pippinum, Karlomannum & Gryfonem. Quorum Gryfo, qui ceteris minor natu erat, matrem nomine Suanahyldem habebat, neptem Udilonis Bawariorum Ducis. Hæc illum maligno consilio ad spem totius regni incitavit, ut sine dilacione Laudunum civitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto Laudunum obsidentes, fratremque in deditionem accipiunt atque interim ad ordinandum regnum ac provincias, quæ post mortem patris a Francorum societate desciverant, recuperandas animos intendunt, & ut, in externa profecti, domi omnia tuta dimitterent, Karolomannus Grifonem in Nullo castello, quod juxta Avernum situm est, custodiri fecit, in qua custodia usque ad tempus, quo idem Karlomannus Romam profectus est, dicitur permansisse. I. Anno Domini DCCXLIII. Pippinus & Karlomannus principatu potiti primo Aquitaniam recipere volentes contra Hunoldum illius provinciæ Ducem cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, & capto quodam castello, quod dicitur Lucas, priusquam ex ea provincia secederent, regnum, quod communiter habuerunt, inter se diviserunt in loco, qui vocatur vetus Pictavis; & Karlomannus Austrasiam & Alemanniam at-

que Thuringiam sortitur, Pippinus vero Burgundiam, Neustriam atque Provinciam; sicque Karlomannus usque in annum sextum, Pippinus vero usque in undecimum principabantur. Denique, ut de Pippino & Karlomanno fratribus scribere cœpimus, mox ut de Aquitania domum sunt regressi, Karlomannus Alemanniam; quæ & ipsa a Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro devastavit & igni. Hildericus Rex Francorum regnare cœpit. II. Anno Domini DCCXLIV. Karlomannus & Pippinus junctis copiis contra Udilonem Ducem Bawariorum profecti sunt, prælioque commisso exercitum ejus fuderunt. Sed postquam a cæde reversi sunt, Karlomannus cum suis in Saxoniam profectus est eodem anno, & cepit castrum, quod dicitur Hochsceburg, & Theodericum Saxonem illius loci primarium in deditionem accepit. III. Anno Domini DCCXLV. Interim Karlomannus & Pippinus juxta manum Saxoniam ingressi sunt, prædictumque Theodericum Saxonem ceperunt. Initium Fuldensis monasterii. IV. Anno Domini DCCXLVI Karlomannus patefecit fratri suo, quod jamdiu præmeditatus, se scilicet velle seculum relinquere & in habitu monachico DEO servire. Propter hoc nullam expeditionem eo anno habuerunt; sed præparavit se uterque; Karlomannus, ut iter in votum suum perficeret, Pippinus qualiter illum honorifice dimitteret. V. Anno Domini DCCXLIIX. Karlomannus Divino succensus amore Romam tendens, Zachariæ Papæ se obtulit, & ab eo Clericus factus in Serapte monte monasterium ædificavit in honore Sancti Silvestri, ibique aliquod per tempus moram faciens, exinde ad Sanctum Benedictum in Cassinum usque pervenit, & ibi monachus effectus est. Fertur autem de hoc sancto viro exemplum memorabile. Cum adhuc Romæ positus in monasterio, quod sibi ædificaverat, ab omnibus propter regiam nobilitatem, &, quod magis est, propter contemptum regni terreni & gloriam præsentis seculi veneraretur, & laudibus extolleretur, timens vir DEO plenus favorem laudis humanæ, qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quam vanæ gloriæ subjacere. Et hoc uni fido socio confessus, quem ab infantia in omnibus fidelem probaverat, cum eo noctu omnibus aufugit insciis, & ad Cassinum montem usque pervenit, nihil secum portans ex omnibus bonis, quæ corpori erant necessaria, nudus Christum secutus est. Et juxta morem portam monasterii pulsans, colloquium patris monasterii petiit. In cujus præsentiam cum venisset, mox in terram corruit, se homicidam esse, se reum omnium criminum protestans, misericordiam exposuit, penitentiæ locum exquirit. Pater cum hominem esse peregrinum cognovisset, interrogat, cujus patriæ aut gentis esset. At ille confessus est, se Francum esse, & ex Francia pro tali scelere migrasse, exilium libenter ferre, paratum tamen, ut patriam celestem non amitteret. - - - - pater ejus precibus annuens, præcepit eum in cella novitiorum recipi una cum suo collega, ibique probari, secundum quod regula jubet. Et tanto arctius, quanto Barbaræ & ignotæ gentis homo erat, implens illud Apostolicum. Probate spiritus, si ex DEO sunt. Itaque probatus in omni patientia sociatus est congregationi, una cum collega suo, post emensum anni circulum professus stabilitatem, conversionem morum & obedientiam, secundum regulam Sancti Benedicti. Cœpit autem inreprehensibiliter inter fratres conversari omnibus virtutibus pollens. Accidit autem, ut, juxta quod mos est, ad coquinæ officium ebdomedarius deputaretur. Quod cum libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, cocus, vino exæstuans, alapam ei dedit, dicens: Ita te fratribus deservire oportet? Cui ille nihil motus placido vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus frater & Karlomannus. Neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursum, cum in quibusdam cibariis administrandis errasset, iterum a coco percussus est. Cui eadem, quæ supra imprecatus est; & cum jam tertio a coco crudeliter cæderetur, indignatus ille comes individuus suæ peregrinationis, quod tantus vir a tam vili persona tam contumeliose afficeretur, jam ferre non valens arripuit pilum, unde panis in olera fratrum mittendus conterebatur, & cum omni adnisu percussit, dicens: Hæc tibi DEus parcat, serve nequam, nec Karlomannus indulgeat. Fratres vero hoc audito, felle commoti sunt, quod homo alienigena, & pro misericordia receptus, talia facere præsumpsisset. Protinus itaque custodiæ mancipatur, ut die sequenti talis præsumptio acrius vindicaretur. In crastinum productus de custodia in medio conventu sistitur; percunctatus, cur manus extendere in fratrem ministrum ausus fuisset, respondit: Quia, inquit, vidi servum nequiorem omnibus virum meliorem & nobiliorem omnibus, quos in terra conversari scio, non solum verbis dehonestari, sed & plagis affici. Furore nimio fratres exagitati, quod eum, qui peregrinus venerat, ceteris prætulisset, interrogant, quis ille esset, qui bonitate & nobilitate omnes anteiret; cur saltem patrem monasterii non excepisset? Ille necessitate compulsus celare non valens, quod Deus jam manifestare volebat, ait: Iste est Karlomannus quondam rex Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquit, qui de tanta excellentia ita se humiliavit, ut a vilissimis personis non solum contumeliis afficiatur, verum & verberibus affligatur. Quo audito tremefacti a sedibus surgunt pedibusque ejus se prosternunt; veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur. Ille e contra in terra pervolutus cum lacrimis negare cœpit, hæc non esse vera, non esse se Karlomannum, sed hominem peccatorem & homicidam; collegam suum perterritum propter commissum piaculum hoc excogitasse. Quid plura? cognitus ab omnibus cum magna reverentia est observatus. Hæc non passi sumus præterire, nunc ad Cronicam revertamur. VI. Anno Domini

Domini DCCXLVIII. Gryfo fratri suo subjectus esse nolens, quamvis sub eo honorifice viveret in Saxoniam profugit, collectoque Saxonum exercitu super fluvium Ovacra in loco, qui dicitur Orheim, consedit. Pippinus vero cum exercitu Francorum in Thuringiam profectus contra dolos fratris Saxoniam ingressus est, conseditque super fluvium Missaha in loco qui dicitur Scahaningi. VII. Anno Domini DCCXLIX. Gryfo Saxonum fidei diffidens, cum copiis, quæ ad eum de Francia confluxerant, Bawariam petiit, ipsumque ducatum in suam potestatem redegit. Tassilonem cum Hiltrude in deditionem accepit: Suiggerum sibi in auxilium venientem suscepit. Hoc audiens Pippinus, cum magno exercitu Bawariam venit, fratremque suum Gryfonem cum omnibus suis cepit, Tassilonem in Ducatum restituit, domumque reversus, Gryfoni more ducum XII. comitatus dedit, sed ille tali beneficio non contentus, eodem anno ad Vvaifarium Aquitaniæ Ducem profugit. VIII. Anno Domini DCCL. IX. Anno Domini DCCLI. sanctus Burchardus accepit Pontificatum Wirzburgensem, in quo sedit annis XL. Hic itaque sanctus Burchardus & Folradus Archicapellanus, quem quidam abbatem, quidam presbyterem scribunt, ad Zachariam Romanum Pontificem missi sunt, ut consulerent eum super regibus, qui tempore illo fuerunt in Francia, nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habentes. Solebant enim Franci ex antiqua regum Styrpe reges habere, qui a Merovæo Clodii scilicet regis eorum filio Merovingi dicebantur, quorum genealogia usque ad Hyldericum tunc temporis regem permanebat, in quo etiam deficiebat. Sed licet in illo finita posset videri, jamdudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se præter inane regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes Palacii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur: nec aliud quicquam regi permittebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, in solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ doctus erat aut jussus, ex sua velut potestate redderet, cum præter inutile regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nichil aliud possideret, quam unam & eam perparvam reditus villam, in qua domum & ex qua famulos, sibi ministrantes atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis haberet. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod junctis bobus & bubulco, more rustico, agente trahebatur. Sic ad palacium, sic ad publicum conventum, qui Kal. Maji ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat, & coram tota gente præsidens omnesque salutans & ab eis salutatus, debitisque obsequiis honoratus, sic domum rediebat sicque secum usque ad alium Majum domi residebat. At regni amministrationem & omnia, quæ vel domi vel foris agenda erant, ac disponenda, præfectus aulæ procurabat. Quo officio tunc, cum prædicti legati Romam mittebantur, Pipinus Caroli filius, itemque Karoli magni pater, jam velut hereditario jure fungebatur. Zacharias vero Papa super hujusmodi negotio consultus remandavit, melius esse, illum vocari regem, apud quem summa potestatis consisteret, dataque auctoritate sua Pippinum regem constitui jussit. XI. Anno Domini DCCLII. Pippinus per auctoritatem Zachariæ Papæ, more Francorum, electus in regnum, per manus sancti Bonifacii archiepiscopi Mogontiensis elevatus est in regni solium in Suessionum civitate. Translatio sancti Kyliani facta est. Beatus Papa Zacharias in venerabili patriarchio repperit caput beati Georgii martyris in capsa reconditum, quod in Romanam urbem transtulit. XII. Anno Domini DCCLIII. Stephanus II. Papa XCV. sedit annis V. diebus XXVIII. XIII. Anno Domini DCCLIV. Pippinus rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est, & quamvis ei Saxones obstinatissime resisterent, pulsi tamen cesserunt, & ipse usque ad locum, qui dicitur Rimie juxta fluvium Wisaram, accessit. In qua expeditione Hildigarius episcopus occisus est in monte, qui dicitur Wiburg. Revertenti vero de Saxonia nuncius venit de morte fratris sui Gryfonis, a quo vel qualiter interfectus esset. Eodem anno Stephanus Papa multa mala passus ab Haistulfo Longobardorum rege, venit ad Pippinum regem in villa, quæ dicitur Parisius suggerens ei, ut se & Romanam ecclesiam ab infestatione Longobardorum defenderet. Venit & Karlomannus frater regis, jam monachus factus, jussu Abbatis sui, ut apud fratrem suum precibus Romani pontificis obsisteret. Invitus autem hoc fecisse putatur, quia nec ille Abbatis sui jussa contempnere, nec abbas ille præceptis regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat resistere. Stephanus autem Papa apud Parisius aliquamdiu infirmatus, rursumque per sanctum Dionysium convalescens, postquam a rege Pippino pro sanctæ Romanæ ecclesiæ defensione firmitatem accepit, ipsum sacra unctione in regiæ dignitatis honore confirmavit, & cum eo duos filios ejus Karolum & Karlomannum cum matre eorum Bertrada consecravit, Francorumque proceres una cum populo benedictione Apostolica sanctificans, auctoritate beati Petri Apostoli obligavit & protestatus est eos, ut nunquam ipsi vel quique ex eorum progenie per succedentium curricula temporum progeniti de alia stirpe regem sibi proponerent nisi ex eorum propagine, quos divina providentia tunc in defensionem ecclesiæ dignata est sublimare. Sic ergo Pippinus ex Præfecto palatii auctoritate Apostolica sublimatus & unctus in sedem regni, postea regnavit annis quindecim, absolutus per eundem Papam Stephanum a juramento, quod regi Hylderico & ceteris regni primoribus fecerat. Hyldericus vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est.

XIV. Anno Domini DCCLV. Pippinus Rex, invitante ac rogante prædicto Stephano Papa, propter justiciam beati Petri exigendam a rege Longobardorum Haistulpho, Italiam cum manu valida intravit, resistentibusque Longobardis & claustra Italiæ tuentibus, ad ipsas montium clusas acerrime pugnatum est, cedentibusque Longobardis omnes copiæ Francorum intraverunt. Haistolfus vero Rex in Papia civitate se inclusit, quem Pippinus Rex tamdiu obsedit, donec firmitatis causa pro facienda sanctæ Romanæ Ecclesiæ justicia obsides XL. recepit. Quibus datis promissisque jurejurando firmitatis, Pippinus quidem domum rediit, Stephanum vero Papam cum Capellano Folrado & non minima Francorum manu Romam remisit. Karlomannus autem frater regis, qui cum Bertrada regina in Vienna civitate remansit, correptus febre, priusquam reverteretur, obiit; cujus corpus jussu regis ad monasterium Sancti Benedicti, ubi monachus erat, relatum est. Sanctus Bonefacius passus est. XV. Anno Domini DCCLVI. Haistulphus Rex Longobardorum, cum nihil eorum, quæ datis obsidibus & facto juramento promisit, complesset, Pippinus Rex iterum cum exercitu Italiam veniens, eum in Papya obsedit & ad implenda, quæ promisit, obsidione coëgit, redditamque sibi Ravennam & Pentapolim omnemque exarchatum ad Ravennam pertinentem Sancto Petro dedit: Hisque peractis in Galliam rediit. Post cujus abscessum Haistulphus cum hæc, quæ promiserat, commutare meditaretur, in venatione de equo suo prolapsus & ex hoc infirmatus intra paucos dies vivendi finem fecit. Cui Desiderius successit. XVI. Anno Domini DCCLVII. Constantinus Imperator misit Pippino regi munera, inter quæ & organum, quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt, ubi tunc populi sui generalem conventum habuit. Illuc & Thassylo Dux Bawariorum, cum primoribus gentis suæ venit, fidelitatemque tam ipsi regi Pippino, quam filiis ejus Karolo & Karlomanno, jurejurando supra corpus Sancti Dyonisii promisit, non solum ibi, sed etiam supra corpus Sancti Martini, itemque Sancti Germani id ipsum sacramentum cum omnibus primatibus suis firmavit. XVII. Anno Domini DCCLIIX. Pippinus Rex cum exercitu Saxoniam aggressus est, & quamvis Saxonibus validissime resistentibus & se munitionibus tuentibus, pulsis propugnatoribus, prælio per ipsum, quo patriam defendere conabantur, vallum intravit, commissoque passim prælio, plurimam ex ipsis multitudinem occidit, & eos ad hoc coëgit, ut promitterent se, omne quod juberet, facturos, & annis singulis CCCC. equos causa honoris daturos. His ita compositis & more Saxonico, ut rata essent, confirmatis, in Galliam repedavit. Paulus Papa XCVI. sedit annos X. XIIX. Anno Domini DCCLIX. natus est Pippino regi filius, quem suo nomine Pippinum vocari voluit; sed puer immatura morte præventus, tertio post nativitatem suam anno decessit.

XIX. Anno Domini DCCLX. Waifarius Dux Aquitaniæ cum res Ecclesiæ, quæ in sua potestate erat, & ad Ecclesias sub manu Pippini regis constitutas pertinebant, reddere noluisset, ipsumque regem pro hiis per legatos suos se commonentem audire contempneret, contumacia sua eundem regem ad suscipiendum contra se bellum concitavit. Contractis ergo Rex undique copiis Aquitaniam intravit, seque res ac justicias Ecclesiarum exacturum pronunciavit. Cumque in loco, qui dicitur Tedoad, positis castris consedisset, Waifarius bello concertare non ausus, missa legatione ad regem spospondit, se imperata facturum, Ecclesiarum justitias redditurum. Dedit etiam obsides duos de primoribus gentis Adalgarium & Itherium. Quibus acceptis Rex a bello abstinuit, domumque rediit. Sanctus Othmarus in Insula, quæ dicitur Stein religatus migravit ad Dominum. XX. Anno Domini DCCLXI. Waifarius licet obsides dedisset, & sacramenta jurasset, satius tamen ratus, si de illato sibi bello superiori anno ultionem exigeret, exercitum, qui Francorum possessiones popularetur, usque ad Cabillonem civitatem fecit accedere. Quod cum Pippino regi, generalem conventum agenti in villa Duria, nunciatum fuisset, coactis undique copiis cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, omnia bello, ferro & igne vastavit, & quædam oppida & castella manu cepit, quædam victori se ultro dederunt. Cumque omnia vastando Lemovigas venisset, regressus est iterum in Carisiaco, hybernis habitis, natalem Domini & Pascha ibi peregit. In hac expeditione fuit cum eo filius ejus primogenitus Karolus, ad quem post obitum patris omnis imperii summa pervenit.

XXI. Anno Domini DCCLXII. Pippinus Rex, suscepto a se bello finem imponere cupiens, tertio Aquitaniam intravit, captisque Biturica civitate & castello Toarcis revertitur, hyemavitque in villa Gentiliaco. XX. Anno Domini DCCLXIII. Pippinus, habito conventu in Nivernis, quarto Aquitaniam intravit, cunctisque extra munitiones vastatis usque ad oppidum Carduciam, cum integro exercitu in Franciam se recepturus per Lemovicum regreditur. Tassilo Dux Bawariæ postponens sacramenta, quæ juraverat, & oblitus omnia bona, quæ sibi avunculus suus Pippinus Rex fecerat, simulata infirmitate, ab hac expeditione per dolum se subduxit & in Bawariam rediit, firmatoque ad defectionem animo, ad conspectum regis se ulterius venturum abjuravit. Rex autem dimisso exercitu in villa Longlare hyemavit. XXX. Anno Domini DCCLXIV. Rex Pippinus, distracto in diversa animo, propter duo bella, Aquitanicum scilicet jam olim susceptum, & Bawaricum propter Thassilonis Ducis defectionem suscipiendum, conventum populi sui habuit in Wormacia, dilataque in futurum expeditione, illo anno se domi continuit. XXIX. Anno Domini DCCLXV. Pippinus generalem conventum in Atiniaco villa habuit, sed & hoc anno nusquam movens expeditionem Aquis hyemavit. Corpora sanctorum Gorgonii,

gonii, Naboris & Nazarii de Roma translata sunt in Franciam. XXV. Anno Domini DCCLXVI. Turci egressi a Caspiis portis cum Avaribus bellum inierunt multique ex utrisque perierunt. Pippinus propter conficiendum Aquitanicum bellum, conventu in Aurelianis habito, in Aquitaniam quinto profectus est, & destructum a Waifario Argentomagum castrum reædificavit, dispositoque ibi & in Biturica civitate præsidio regreditur. XXVI. Anno Domini DCCLXVI. orta quæstione de Sancta Trinitate & de sanctorum ymaginibus inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam, id est inter Græcos & Romanos, Rex Pippinus in villa Gentiliaco Synodum habuit, ventilataque questione ad bellum prædictum conficiendum post Natalem Domini VI. in Aquitaniam proficiscitur, multisque Castellis & pagis captis Viennam revertitur, ibique Pascha celebrato & exercitu recreato, mense Augusti ad reliquias belli profectus est, & Bituricas veniens conventum in campo habuit, indeque ad Garrunnam fluvium accedens, multa castella ac petras atque speluncas, in quibus se hostium multitudo defendebat, cepit, reversusque Bituricam, exercitum in hyberna dimisit. XXVI. Anno Domini DCCLXIIX. Pippinus in Biturica Natalem Domini celebravit, & cum primum ad gerendum bellum tempus aptum videret, evocatoque undique exercitu ad Santonicam civitatem contendit, captoque in itinere Rimisteino, cum ad urbem predictam venisset, mater & soror & neptis Waifarii Ducis ad eum adductæ sunt: Quas cum pie susceptas servari jussisset, ad Gorronnam fluvium proficiscitur, ubi ei Herwicus cum alia præfati Ducis sorore occurrit, seque & illam regi tradidit. Rebus igitur aliquot prospere gestis, Rex revertitur & in castello, quod dicitur Sels, Pascha celebravit, assumptaque secum uxore sua atque familia, iterum ad urbem Santonicam venit, dimissaque ibi uxore ac familia cum omnibus copiis ad persequendum Waifarium Ducem animum intendit, nec prius desistere instituit, quam aut vivum caperet aut rebellantem interficeret. Quo interfecto in territorio Petragorico, confectoque bello Aquitanico, Santonas reversus est, ibique demorans aliquandiu ægritudine decubuit. Delatus tamen Turonis apud Sancti Martini memoriam oravit, indeque Parisius veniens IIX. Kal. Octob. obiit, corpusque ejus in basilica Sancti Dyonisii humatum est. Filii vero ejus Karolus & Karlomannus omnium Francorum consensu ambo reges creati sunt, ea conditione præmissa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur, & Karolus eam partem quam pater ejus Pippinus tenuerat, Karlomannus vero eam, quam patruus Karlomannus possedit, susciperet; & Karolus VI. Idus Octob. in Noviomo civitate, Karlomannus vero in Suessionia regni susceperunt insignia. Karolusque, qui major erat natu, Aquisgrani profectus Natalem Domini ibi celebravit, Pascha vero in Rotomago civitate. Susceptæ sunt itaque conditiones utrimque & pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroque recepta est, mansitque ista quamvis cum magna difficultate concordia, multis ex parte Karlomanni societatem separare volentibus, adeo ut quidam eos etiam bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspecti, quam periculi fuisse, ipse rerum exitus approbavit, cum defuncto Karlomanno uxor ejus & filii cum quibusdam ex primoribus ejus Italiam fuga petiit, & nullis exsistentibus causis, spreto mariti fratre, sub Desiderii Longobardorum regis patrocinium cum liberis suis se contulit. Et Karlomannus quidem post amministratum communiter biennio regnum morbo decessit. Karolus autem, defuncto fratre, consensu omnium Francorum, Rex constituitur. Qui mox bellum Aquitanicum a patre inchoatum, sed nondum finitum, quia cito peragi posse videbatur, fratre adhuc vivo etiam auxilium ferre rogato, suscepit, & licet eum frater malis quibusdam machinantibus auxilio frustrasset promisso, susceptam expeditionem strenuissime executus, non prius destitit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perfecit. Hic etiam rogatu & precibus Adriani Romani pontificis, insolentiam Desiderii Longobardorum regis ferre non valentis, Italiam cum exercitu intravit. Desiderium regem longa obsidione in Papya fatigatum, in deditionem suscepit & perpetuo exilio mandavit. Adalgisum ejus filium non solum regno, sed etiam Italia excedere compulit, totamque Italiam suæ ditioni subjugavit. Pippinum quoque filium suum regem ibidem præposuit. Post hæc suscepit adversus Saxones bellum, quod magna utrinque animositate, majore tamen Saxonum dampno per continuos XXX. annos gerebatur. Tandem bellum per tot annos tractum ea conditione constat esse finitum, ut abjecto Dæmonum cultu Christianæ religionis sacramenta susciperent. Hyspaniam quoque debellavit. Aquitaniam & Wasconiam subjecit. Brittones etiam perdomuit, missaque expeditione imperata facere coëgit. Italiam cum exercitu intravit; ad Capuam Campaniæ urbem accessit, bellum Beneventinis, nisi dederentur, comminatus est. Prævenit hoc Dux gentis Arasgilfus, filios suos ei obsides tradens, & Beneventanas & alias civitates fidelitatis sacramenta sibi facere promittens. Bawaricum deinde bellum & repente ortum & celeri fine completum est. Thassilo enim Dux, qui hortatu uxoris suæ, quæ filia Desiderii regis Longobardorum fuit, ac patris exilium per maritum ulcisci putabat, bello regem provocare temptabat. Rege autem cum exercitu Bajoariam ingresso, ille pertinaciter agens, sibi nec genti utile ratus, regi se supplex permisit, obsides, qui imperabantur, dedit. Sed cum reus majestatis judicatus capite dampnaretur, clementia regis sibi vita concessa, mutato habitu in monasterium missus est. Filius quoque ejus Theodo detonsus monasticæ conversationi deputatus est. Post hoc Sclavis bellum intulit, in quo ita sunt domati, ut ulterius jussis non contrairent. Post hoc contra Avares sive Hunos factum est bellum, quod ille

& animosius quam cetera, & longe majori apparatu, amministravit. Unam tamen per se in Pannoniam, nam hanc provinciam ea gens incolebat, expeditionem fecit; cetera filio suo Pippino & præfectis provintiarum, comitibus etiam ac legatis perficienda commisit. Quæ cum ab his strenuissime fuissent adimpleta, octavo tandem anno idem bellum consummatum est. Quot prælia in eo gesta sint, quantumque sanguinis effusum, testatur Pannonia omni pene habitatore vacua; & locus, in quo regia Chajani erat, ita desertus, ut nec vestigium quidem humanæ habitationis in eo appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congesti ex longo tempore thesauri, direpti sunt; neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sint; quippe cum usque ad id temporis pene pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia repertum, tot spolia pretiosa in præliis sublata, ut merito credi possit, hoc Francos Hunis abstulisse, quod Huni prius aliis gentibus eripuerunt. Ultimum contra Northmannos, qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde majori classe littora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum susceptum est. Hæc sunt bella, quæ rex potentissimus per annos XLVI. tot enim annis regnavit, in diversis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit, quibus Francorum regnum, quod post patrem Pippinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum reddiderit. Nam cum prius non amplius, quam ea pars Galliæ, quæ inter Renum & Ligerem fluvium Oceanumque ac mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium ac Salam fluvium qui Thuringos & Sorabos dividit, & incolitur a Francis qui Orientales dicuntur, & præter hæc Alemanni ac Boioarii ad regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata primo Aquitaniam & Wasconiam totumque Pyrenæi montis jugum & usque ad Hyberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hyspaniæ agros secans, sub Tertosæ civitatis mœnia Balearico mari miscetur; deinde Italiam totam ab Augusta Prætoria usque in Kalabriam minorem, in qua Græcorum & Beneventanorum constat esse confinia, tum Saxoniam, quæ Germaniæ quidem magna pars est, & ejus, quæ a Francis colitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine possit esse consimilis; deinde utramque Pannoniam & appositam in altera Danubii ripa Daciam Hystriamque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem permisit habere; deinde omnes barbaros & feras nationes, quæ inter Renum & Wisulam fluvios, Occeanum atque Danubium positæ, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conjunctis. Adeo namque Adefactosum atque Astriciæ regem, Scottorum quoque reges inclinatos ad suam voluntatem habuit, ut eum dominum seque servos ejus pronunciarent. Cum Aaron rege Persarum talem habebat amicitiam, ut eum omnium, qui in toto orbe erant, regum ac principum amicitiæ præponeret. Nam cum legati ipsius Karoli, quos cum donariis ad sanctum sepulchrum Domini miserat, ad eum venissent, & ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum ac salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit, & revertentibus legatis vestes & aromata, & ceteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona direxit. Constantinopolitanos etiam Imperatores, Nyceforus, Mychahel & Leo ultro amicitiam & societatem ejus expetentes, complures ad eum misere legatos. Hic & Romam veniens propter Leonem Papam Imperatoris & Augusti nomen accepit. Quod primo interim tamen adversatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum, si pontificis consilium præscivisset. Itaque post susceptum imperiale nomen, cum adverteret, multa legibus populi sui deesse, cogitavit, quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque, ac perperam prolata corrigere. Omnium nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, describere & litteris mandari fecit: Mensibus & ventis juxta propriam linguam vocabula imposuit. Circa pauperes sustentandos & peregrinos suscipiendos studiosissimus fuit. Nam per omnes partes terrarum, ubi Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime & cum summa pietate coluit, ac propter hoc pulchritudinis plurimæ basilicam in honore sanctæ Dei genitricis Aquisgrani construxit, auroque & argento & luminaribus atque ex ære solido cancellis & januis adornavit; ad cujus structuram, cum columpnas & marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit. Ecclesiam mane & vespere, item nocturnis horis, & sacrificii tempore, impigre frequentabat, curabatque magnopere ut omnia, quæ in ea gerebantur, cum summa fierent honestate. Sacrorum vasorum ex auro & argento, vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne janitoribus quidem privato habitu ministrare necesse fuisset.

CRONICA A TEMPORE KAROLI MAGNI.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXIX. Karolus Magnus Pippini filius diviso post patrem regno cum Karlomanno fratre regnare cœpit, & XLVI. annis regnavit, tribus cum fratre, XLIII. solus postea. Cujus anno primo Hunoldus quidam Aquitaniam, quæ in sortem Karoli

Karoli cesserat, invasit, & provincialium animos ad concitanda nova excitans bellum, quod pater ejus Pippinus, occiso Waisario, consummasse visus est, renovavit. Contra quem Karolus profectus fratris auxilium postulavit, sed impedientibus malis hominibus habere non potuit. Colloquio tamen cum eo habito ad persequendum Hunoldum profectus est, eumque ad Lupum Wasconiæ ducem fugitivum, missa legatione, recepit cum uxore sua, ipsoque Lupo cum tota Wasconia sibi obediente, regressus est. II. Anno Domini DCCLXX. Karolus rex habuit generalem conventum in Wormacia civitate. Bertrada vero mater regum cum Karlomanno minore filio apud Salussiam locata, pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque negocio, pro quo ibat, adoratis Romæ sanctorum Apostolorum liminibus ad filios regreditur. Corpus sancti Othmari in Insula, qua defunctus est, per decem annos incorruptum reperitur, ablatumque, in basilica sancti Galli sepelitur. III. Anno Domini DCCLXXI. Karlomannus in villa, quæ dicitur Salomonciacum defunctus est. Et Karolus Rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, Carbonacum villam venit, ibique Williharius episcopus Sedunensis & Foraldus presbyter aliique plures sacerdotes, Comites atque primates fratris sui ad eum venerunt, uxor vero Karlomanni cum filiis & parte optimatum ad Italiam profecta est. IV. A. Domini DCCLXXII. Rex Karolus, congregato Wormatiæ generali conventu, Saxoniam aggredi bello statuit, eamque sine mora ingressus, cunctaque ferro & igni depopulatus, Eresburg castrum cepit. Idolum, quod a Saxonibus Irminsul vocatur, evertit, in cujus destructione, cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam celi serenitatem, exsiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset. Sed subito divinitus, ut creditur, in cujusdam torrentis concavo tanta vis aquæ eruperat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc rex Idolo destructo, Wisaram fluvium accessit, ibique acceptis a Saxonibus XII. obsidibus recessit. V. Anno Domini DCCLXXIII. Anno Domini DCCLXXIII. Adrianus Papa cum insolentiam Desiderii regis & oppressionem Longobardorum ferre non posset, legationem ad Karolum mittens, opem ejus imploravit. Qui collecto exercitu veniens, Desiderium intra Ticinum obsedit, totumque hybernum tempus multa moliendo in hac obsidione consumpsit. Dum hæc in Italia geruntur, Saxones, nacta occasione, per absentiam regis contiguos sibi Hassorum terminos propalantes, venientesque in locum qui Friteslar nominatur, ecclesiam a beato Bonefacio dedicatam incendere moliti sunt, quam ipse sanctus pater per spiritum prophetæ nunquam incendio violari prædixit. Cumque multa vi eam incendere conarentur, apparuerunt quibusdam e Christianis atque paganis duo juvenes in albis, qui eam protexere ab igne, nutuque Divino, immisso terrore, omnes in fugam versi sunt, nemine extrinsecus persequente. Inventus est autem postea unus ex eis de Saxonibus mortuus juxta ecclesiam ipsam, genibus acclinis, ligna & ignem habens in manibus, & quasi ore flans ad incendendam basilicam. At rex dimisso ad obsidionem & expugnationem Ticini exercitu, orandi gratia Romam proficiscitur, peractisque votis, ad exercitum reversus, fatigatam longa obsidione civitatem ad deditionem compulit, quam cæteræ civitates secutæ, regis se potestati subdiderunt. Et rex subacta ac pro tempore ordinata Italia in Franciam revertitur, captivum ducens Desiderium regem. Adalgis vero filius ejus in Græciam ad Constantinum Imperatorem, diffidens rebus patriæ, se contulit, ibique in Patriciatus honore vitam finivit. VI. Anno Domini DCCLXXIV. Karolus domum regressus, priusquam Saxones eum venisse sentirent, tripertitum in eorum regiones misit exercitum, qui direptionibus & incendiis cuncta vastantes, compluribus, qui resistere conati sunt, interfectis, cum ingenti præda regressi sunt. VII. Anno Domini DCCLXXV. Karolus Rex consilio habito decrevit Saxoniam ingredi, & in ea tamdiu perseverare, dum aut Christianæ religioni subderentur, aut omnino tollerentur. Totis ergo regni viribus Saxoniam petens, primo impetu Sigiburgum castrum, in quo Saxonum præsidium erat, cepit; Eresburgum castrum a Saxonibus destructum munivit, in eoque Francorum præsidium posuit, multaque strage facta, obsides ab eis & ab Westfalais accipiens, regressus est. Corpora sanctorum Gordiani & Epymachi de Roma in Alemanniam translata sunt. Constantinus Imperator filius Leonis persecutor Christianorum & ecclesiarum legisque destructor obiit.

Anno Dominicæ incarnationis LXXVI. urbis vero conditæ MDXXVII. Leo filius Constantini persecutor LXXI. loco ab Augusto Romanum suscepit imperium, regnavitque annis V. Hic ad breve tempus visus est pius esse sanctæque Dei genitricis Mariæ & monachorum amicus, unde & Metropolitanos ex monachis in primis sedibus collocavit, multosque ordines in urbe bene amplificavit. Quapropter principes omnes cum multitudine populi copiosa ingredientes, petierunt filium ejus Constantinum Imperatorem. Qui cum diceret, illum sibi unicum esse & parvum, seque vereri pro hoc, si forte contingeret, si, quod humanum est, illum ab eis interfici & alium promoveri, juraverant ei omnes, se non admissuros alios Imperatores præter Leonem & Constantinum, & ex semine ipsorum; & hæc scripto confirmaverunt. Et sic in sancto die Paschæ coronatus est Imperator. Leo autem cum regnaret annis V. mortuus est, & regnavit filius ejus Constantinus pro eo cum Hyrene matre sua. Primo autem anno Leonis, qui est octavus Karoli, nunciatur eidem Karolo, Ruothgaudum Longobardum, quem ipse foro-Juliensibus ducem dederat, novas res in Italia meditari & complures civitates ad eum defecisse. Quo

Quo ſtatim tendens, Ruothgaudum interfecit, civitatesque a ſe defecerant, recepit, impoſitisque Francorum præſidiis rediit: & ſtatim audiens, Saxones rebellaſſe, illuc tetendit, & inveniens eos denuo ſupplices, veniam dedit, baptizatisque, qui volebant, & obſidibus receptis, iterum Franciam regreſſus eſt. II. Anno Domini DCCLXXVII. Karolus Rex habito conſilio in loco, qui Paterbrunno vocatur, iterum Saxoniam intravit, omnesque fallaciter devotos invenit. Cuncti quippe ad eum venerunt, præter Witikindam unum ex primoribus Weſtfaliorum, qui cunctorum ſibi conſcius facinorum, regem timuit, & ad Sigefridum Danorum regem cum paucis profugit. Ceteri, qui venerant, in tantum ſe Regis poteſtati permiſerunt, ut ea conditione veniam tunc mererentur, quatinus ſi ſua inſtituta ulterius violarent, patria & libertate privarentur. Baptizata eſt autem & multitudo magna, quæ ſe, licet falſo, Chriſtianam fore promiſerat. III. X. Anno Domini DCCLXXIIX. Karolus Rex partes Hyſpaniæ petens, quaſdam urbes ſubegit, obſides a Sarracenis accepit; ſed in regreſſu, fraude Waſconum, plerique aulicorum per inſidias interfecti ſunt. Interea Saxones, comperto quod tam longe receſſiſſet, ſumptis armis, Renum usque profecti ſunt; ſed cum amnem tranſire non poſſent, quicquid a Tuicio civitate usque ad fluvium Moſellam vicorum villarumque fuit, ferro & igni populati ſunt, nullum diſcrimen ſexus aut ætatis ira hoſtis fecerat, ut liquido appareret, eos non prædandi, ſed ulciſcendi gratia terminos Francorum introiſſe. Quod cum Rex, Autiſiodoro poſitus, audiſſet, Orientales Francos & Alamannos ad propulſandos eos continuo miſit: Quorum adventum Saxones audientes receſſerunt; ſed illi, eos e veſtigio ſecuti, invenerunt eos in partibus Haſſorum ſuper fluvium Adernam, ſtatimque in ipſo fluminis vado illos adorti, tanta cæde ſtraverunt, ut ex ingenti multitudine vix pauci redirent. XI. Anno Domini DCCLXXIX. venit ad Karolum Hyldebrandus Dux Spolitanus cum magnis muneribus in villa Wircimaco, quem ille benigne ſuſcepit, donatumque in ſuum Ducatum remiſit. Ipſe vero animo in Saxoniam tendens, Renum in eo loco, qui Lippia vocatur, cum exercitu trajecit. Cui cum Saxones in eo loco, qui Bucholz dicitur, reſiſtere temptarent, victi fugatique ſunt, & Rex, Weſtfaliorum regiones ingreſſus, eos omnes in deditionem accepit, indeque ad Wiſaram veniens caſtra poſuit; ibi Angrarii & Oſtfali obſides dederunt, & ſacramenta juraverunt. Quibus peractis Rex Wormatiam in hiberna ſe recepit. V.

XII. Anno Domini DCCLXXX. Karolo Saxoniam venienti omnes Orientalium partium Saxones occurrerunt, multique de populo baptizati ſunt. Veniensque in locum, ubi Hora & Albia confluunt, ordinavit res tam Saxonum, quam Sclavorum; reverſus in Franciam, habito conſilio, Romam cauſa orationis cum uxore ſua Hildegarda & liberis perrexit, & Natalem diem Papiæ celebravit. Leo Imperator obiit.

Anno Domini DCCLXXXI. urbis vero conditæ MDXXXII. Conſtantinus filius Leonis LXXII. loco ab Auguſto imperium cum matre ſua Hyrene ſuſcepit, & annis XVII. regnavit. Huic filia Karoli & Hyldegardis reginæ Ruothrudis deſponſata fuerat; ſed mater ejus aliam ei invito conjungebat. Horum temporibus quidam in Tracia fodientes, invenerunt corpus humanum in ſarcophago poſitum cum ſcriptura ſic continente: Chriſtus naſcetur ex Maria virgine & ego credo in eum: Conſtantino & Hyrene regnantibus, o ſol! iterum me videbis. Hoc anno Carolus Romam veniens, ab Adriano Papa honorifice ſuſcipitur, & cum ibi ſanctum Paſcha celebraret, baptizavit idem pontifex filium ejus Pippinum, cumque de ſacro fonte ſuſcepit, & ungens eum in regem Italiæ impoſuit ei coronam; fratrem vero ejus Ludewicum in regem Aquitaniæ unxit, ipſique coronam impoſuit. Rex vero Roma digrediens, Mediolanum venit, ibique baptizata eſt filia ejus Giſla ab Archiepiſcopo Thoma, & ab eodem de ſacro fonte levata. Miſit autem Adrianus Papa Formoſum & Damaſum Epiſcopos cum legatis regis, Rycholfo Diacono & Everhedo Pincernarum magiſtro ad Thaſſylonem Ducem, ut commonerent eum de juramento, quod Pippino & filiis ejus olim juraverat. Qui venientes cor ejus emollierunt, ut cum eis Wormatiam ad regem veniret, datisque XII. obſidibus regi fidelitatem juraret: ſed ubi domum rediit, non diu in fide permanſit XIV. II. Anno Domini DCCLXXXII. Karolus in Saxoniam eundum, & ibi, ut in Francia, quotannis generalem conventum cenſuit habendum. Trajectoque apud Coloniam Reno ad fontem Luppiæ venit, ibique poſitis caſtris, inter cætera negotia legatos Sigysfridi regis Danorum, & quos Caganus & Vigurrus principes Hunorum, qui pacis cauſa miſerunt ad ſe, audivit & abſolvit. Cumque habito conventu in Franciam rediſſet, Witikindus in patriam reverſus, Saxones rebellare perſuaſit. Nunciatum eſt regi, quod Sorabi Sclavi, qui campos, inter Albiam & Salam jacentes, incolunt, in fines Thuringorum ac Saxonum ſibi confines deprædandi cauſa fuiſſent ingreſſi. Contra quos cum tres miniſtros ſuos cum Orientalibus Francis direxiſſet, illi Saxonum audientes motum, ad illos diverterunt; ſed incaute agentes a Saxonibus circumventi, pene omnes occiſi ſunt. Ad quam rem examinandam cum Rex veniſſet, omnes Witikindum hujus ſceleris auctorem proclamaverunt; ſed illum, quia aufugit, tradere non valentes, ex aliis qui ei conſenſerunt, usque ad quatuor milia & quingentos tradiderunt, qui omnes una die juſſu regis decollati ſunt. XV. III. Anno Domini DCCLXXXIII. cum ad expeditionem Saxonicam Rex ſe præparaſſet, antequam moveret exercitum, Hyldigardis regina uxor ejus obiit. II. Kal. Maji, in quibus tunc erant vigiliæ aſcenſionis Domini. Cujus funeri cum ſollempni more juſta perſolveret, Saxoniam tetendit, pugnansque cum eis in loco, qui Theotmelli vocatur, vicit eos; indeque ad Paterbrun-

brun-

brunnem veniens, audivit eos in finibus Westfaliorum iterum paratos ad pugnam; ad quos tendens eadem, qua prius, felicitate cum eis dimicavit. Inde reversus in Franciam, duxit uxorem filiam Radolphi comitis de Orientali Francia, nomine Fastradam, de qua habuit duas filias. Eodem anno defuncta est bonæ memoriæ Bertrada regina mater regis IV. Idus Julii. XVI. Anno Domini DCCLXXXIV. Karolus transjecto Reno in loco, qui Lippeheim vocatur, pagos Westfaliorum vastavit, veniensque ad Wisaram, cum inundatio aquarum transitum negaret, dimisit filium suum Karolum in finibus Westfaliorum, ipseque per Thuringiam divertens, depopulatus est partes quæ sunt circa Albiam fluvium, reversusque est in Franciam. Saxones vero congregati pugnaverunt cum filio ejus Karolo; sed ille, magna cæde facta, cum victoria rediit ad patrem suum Wormatiam. XVII. Anno Domini DCCLXXXV. Wittikind & Abbio ex Transalbiana regione venerunt ad Karolum regem apud Attiniacum, adducente Amalwico aulicorum uno, ibique, in gratiam recepti, baptizati sunt, quievitque Saxonicæ perfidiæ pervicacitas per aliquot annos. XIIX. Anno Domini DCCLXXXVI. audiens Rex, Anglos & Saxones Brittanniam invasisse, misit illuc cum exercitu Adolphum præpositum mensæ regiæ: Qui veniens, perfidæ gentis contumatiam cito repressit, acceptosque obsides cum plurimis populi primoribus Wormatiam duxit ad regem. Rex autem pace undique parta, statuit Romam ire & partem Italiæ, quæ est circa Beneventum, suæ potestati subjicere, cujus majorem partem, capto Desiderio, jam sibi subdiderat. Veniens igitur in Italiam Natalem Domini celebravit apud Tusciæ civitatem Florentiam. XIX. A. Dom. DCCLXXXVII. Karolus Rex Romam veniens, honorifice susceptus est ab Apostolico Adriano, moratusque ibi per aliquot dies, cum eodem pontifice Beneventum contendit. Quod audiens Aragisus Dux Beneventorum, misit ad regem filium suum Rumoldum cum magnis muneribus, rogans, ne terram illam intraret. Quod ille abnuens & Rumoldum secum detinens, Capuam venit; indeque bellum gesturus, castra ibi posuit: Aragisus vero relicta Benevento, quæ caput est illius terræ, Salernum se quasi munitiorem contulit, missaque legatione utrosque filios suos regi obtulit, promittens se per omnia obediturum, tamen ne ad conspectum ejus venire cogeretur. Cujus precibus Rex annuens, minorem filium, nomine Grimoldum, secum retinuit, majorem patri remisit. Accepit insuper a populo obsides XI. misitque legatos, qui & ipsum Ducem & omnem populum Beneventanum sacramento confirmarent. Ipse posthæc cum legatis Hyrenæ & Constantini filii ejus, qui propter petendam filiam ejus missi fuerant, locutus est, illisque dimissis, Romam reversus, sanctum Pascha ibi cum magna hylaritate celebravit. Tunc venerunt ad Papam legati Thassylonis Ducis Arnoldus Episcopus & Hunricus Abbas, rogantes, ut inter se & regem mediator pacis fieri dignaretur. Quod cum ille benigne faceret, & Rex se id velle diceret, interrogati missi, quo pacto pacem firmare vellent; responderunt sibi super hac re nihil imperatum fuisse. Unde Papa commotus, quasi fallaces ac fraudulentos anathemate statuit feriendos, si a fide regi olim promissa discederent. Hocque duci remandans, hos infecta pace remisit. Apostolicus autem & Rex invicem sibi valedicentes, discesserunt; acceptaque benedictione Rex in Franciam rediit, & filios ac filias cum uxore sua Fastrada Wormatiæ invenit. Ibi ergo habito generali conventu coram optimatibus suis, omniaque facta sibi in itinere suo narravit, eorumque consilio legatos misit ad Thassilonem, qui experirentur, si Apostolici jussis obedire, sibique fidem servare disponeret. Quo jussa contempnente, statuit Rex tripertito exercitu Bajoariam petere, & filio suo Pippino cum Italicis copiis in Tridentinam vallem confluente, Saxonum atque Orientalium Francorum exercitu super Danubium in loco, qui Pheringa dicitur, conveniente, ipse cum exercitu, quem adduxerat, super Lycum fluvium in civitatis Augustæ suburbio considebat. Videns autem Thassilo se undique circumfusum ad regem supplex venit, veniamque de ante gestis sibi dari rogavit. Rex autem, ut semper erat mitis, deprecanti pepercit, acceptoque ab eo filio ejus Theodone cum aliis XII. obsidibus in Franciam rediit. XV.

Anno Domini DCCLXXXIIX. Karolo rege apud Ingelnheim Pascha celebrante, & generale concilium habente, Thassylo Dux, sicut & ceteri regni primates, advenit; sed ab Awariis accusatus, quod post datos proxime obsides fidem non observaverit, sed suadente uxore sua Luitburga, Desiderii Longobardorum filia, Avares in dissipationem regni vocaverit, multaque alia & dixisse & fecisse hostiliter; cum hæc negare nequiret, majestatis reus judicatus est. Et dum omnium ore capitali dampnaretur sententia, Rex ab amorem DEI, & quia consanguineus ejus erat, liberare eum cupiens, interrogavit quid jam agere vellet? Ille autem rogans licentiam sibi dari pro peccatis pœnitendi, tonsuratur, & in monasterium missus est, similiter & filius ejus Theodo. Ceteri vero hujus perfidiæ consortes per diversa exilia dampnati sunt.

XXI. Anno Domini DCCLXXXIX. Karolus contra gentem Sclavenorum, qui Wilzi dicuntur, exercitum ducens, amnem Albiæ duobus pontibus conjunxit, quorum unum ex utroque capite vallo munivit, imposita turri ex lignis & terra, ingressusque terram Wilzorum, ferro & igni cuncta vastavit, donec eos subjugavit. Hoc anno Hyrene soluta pace nuptialis fœderis cum Francis, misit & adduxit puellam de Armeniacis nomine Mariam, & junxit eam filio suo Constantino Imperatori multum contristato propter affectum, quo erga filiam Karoli flagrabat, quam antea desponsaverat. XXII. Anno Domini DCCXC. Karolus nullam expeditionem fecerat, sed residens in Wormatia legatos Hunorum audivit, suosque ad eorum

principes misit. Agebatur autem inter eos de confiniis regnorum suorum, quæ res futuri belli fuit seminarium.

XXIII. Anno Domini DCCXCI. Sanctus Burchardus Wirziburgensis episcopus obiit IV. Non. Febr. Eodem anno dissensio facta est inter Constantinum & matrem ejus Hyrenem, malorum hominum instigatione, in tantum ut ipsa vellet eum regno privare. Karolus autem de Wormatia movens, Bajoariam tetendit, ea intentione, ut Hunis bellum inferret; divisoque exercitu Theodericum Comitem & Meginfridum Camerarium suum cum una parte per Aquilonale Danubii latus ire jussit, ipse cum altera per Australem descendit; venientesque ad Anesium fluvium, qui est limes Pannoniæ atque Bawariæ, castra posuerunt, & per triduum letanias ibi fecerunt. Huni autem videntes exercitus utrasque ripas tenentes, divinitus immisso terrore, munitiones suas dimittentes, fugerunt, & uterque exercitus libere ingressus, magnam partem Pannoniæ usque ad fluvium, qui dicitur Raba devastavit. Sic rex per Sabariam reverti statuit. Altera pars exercitus per viam, qua venerat, rediit.

XXIV. Anno Domini DCCXCII. Karolo a Natali Domini per totam æstatem Ratisponæ commorante, quibusdam Francis agentibus, conspiravit contra eum filius ejus Pippinus ex Concubina itemque alii, propter Fastradam reginam, cujus crudelitatem se ferre non posse Franci dicebant. Quæ conspiratio cum per Fardulfum Longobardum detecta fuisset, ipse ob meritum fidei servatæ monasterio Sancti Dyonisii donatus est; auctores vero conjurationis partim gladio cæsi, partim patibulo suspensi sunt. Rege autem propter bellum cum Hunis susceptum Renesburch sedente, persuasum est ei a quibusdam posse percommode a Danubio in Renum navigari, si in Radantiam & Altmonam fluvios ejusmodi fossa duceretur, quæ esset navium capax; quia horum fluviorum alter Danubio, alter Reno misceretur. Confestim rex cum omni comitatu suo ad locum huic operi aptum venit, ac magna hominum multitudine congregata, totum autumpni tempus in hoc consumpsit. Ducta est itaque fossa per prædictos fluvios duum milium passuum longitudine, trecentorum pedum latitudine, sed frustra: nam propter juges pluvias & terram, quæ palustris est, naturaliter opus, quod fiebat, stare non potuit, sed quantum terræ a fossoribus interdiu egestum fuerat, tantum noctibus, humo iterum relabente, subsidebat. In hoc opere regi occupato nunciata est Saxonum omnimoda defectio & Francorum plurima a Sarracenis interfectio. Quibus rebus commotus, in Franciam revertens, Natalem Domini ibi celebravit apud sanctum Kylianum, Wirziburgæ scilicet juxta Mœnum fluvium. Pascha vero super eundem in villa Franconovort, ubi & hyemaverat. XXV. Anno Domini DCCXCIII. Karolo in Franconovort Pascha celebrante, Synodus Episcoporum magna collecta est ex omnibus regni provintiis, legati quoque Adriani Papæ in ejus vice affuerunt. In hac Synodo hæresis cujusdam Episcopi Felicis nomine dampnata est, qui Christum secundum hoc, quod homo est, adoptivum Dei filium dicebat; & liber contra eam cummuni episcoporum auctoritate compositus est, in quo omnes subscripserunt. Synodus etiam qui ante paucos annos in Constantinopoli congregata sub Hyrene & Constantino filio ejus septima & universalis ab episcopis appellata est, ut nec septima nec aliquid diceretur, quasi supervacua ab omnibus abdicata est. Mortua est autem ibi & Fastrada regina & Mogontiæ apud sanctum Albanum sepulta est.

XXVI. Anno Domini DCCXCIV. Rex diviso inter se & filium ejus Karolum exercitu Saxoniam cum magno intravit apparatu; sed ipsi faciem ejus solito reveriti, datis obsidibus, se per omnia obsecuturos juraverunt. XXVII. Anno Domini DCCXCV. Rex perfidiæ Saxonum non immemor, conventum generalem habuit in villa, quæ dicitur Cuffestun ultra Renum contra Mogontiam juxta Mœnum fluvium, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, pene totam populando peragravit, iterumque acceptis obsidibus in Galliam remeavit.

XXVIII. An. Domini DCCXCVI. Leo Papa C ordinis sedit annis XX. alii dicunt XXV. Hic Carolum fecit Imperatorem. Qui mox, ut ordinatus est, claves confessionis Sancti Petri & vexillum Romanæ urbis ad regem Karolum misit cum aliis muneribus, & ut aliquem de optimatibus suis ad confirmandum sibi per sacramentum populum Romanum mitteret, rogavit. Missus est ad hanc rem Angilbertus abbas Monasterii Sancti Rycharii, per quem etiam magnam partem thesauri, quem Henricus Dux Forojuliensis, spoliata Hunorum regia, quæ Ringus vocabatur, eodem anno regi de Pannonia attulerat, misit; reliqua inter optimates & aulicos & palatio deservientes liberaliter distribuit. Rex autem post hæc Saxoniam petens, filium suum Pippinum Italiæ regem in Pannoniam misit: ipse autem depopulata Saxonia Aquisgrani revertitur. Pippinus vero fugatis ultra fluvium Tizaha Hunis cum residuo Hunorum thesauro ad patrem regreditur.

XXIX. Anno Domini DCCXCVII. expeditio facta est in Saxoniam, & usque ad Occeanum ultra omnes paludes & invia loca transitum est, & rex de Hadoloha regressus, nam id nomen est loco, ubi Occeanus Saxoniam alluit, totam Saxonum gentem in deditionem per obsides accepit, & ad palatium Aquisgrani regressus Abdellam Sarracenum, filium Ibimauge regis a fratre depulsum sibique se commendantem, suscepit. Illuc & legatus Nycetæ, qui tunc Siciliam regebat, venit, portans epistolam Imperatoris Constantini. Quem magnifice suscipiens post paucos dies absolvit. Mediante autem mense Novembre ad hybernandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque castris apud Wisaram, locum castrorum Heristal vocari præcepit. Illuc legati Hunorum cum magnis muneribus venerunt, indeque Abdellam Sar-

Sarracenum cum filio suo Ludewico in Hyspanias reverti fecit. Pippinum in Italiam remisit: ipse vero ad disponendam Saxoniam totum hyemis tempus impendens, Natalem Domini & Pascha sequentis anni ibi celebravit.

XXX. Anno Domini DCCXCVIII. Saxones Transalbiani seditione commota legatos regis, qui tunc ad faciendam justitiam missi sunt, comprehendentes, alios trucidant, alios ad redimendum servant; unde rex collecto exercitu ad locum, qui Minida dicitur, perrexit, habitoque consilio totam Saxoniam inter Albiam & Wisaram populando peragravit. Transalbiani vero superbia elati contra Abodritos regi semper fideles arma corripiunt; sed Dux eorum Trasico, commisso cum eis prælio, quatuor ex eis occidit, reliquos vero fugatos, ut regi se dederent, coëgit. At rex in Franciam reversus, ubi Aquisgrani venit, missos Hyrenæ imperatricis, de pace agentes, audivit, cujus filius Constantinus ob insolentiam captus a suis excœcatus est, vel, ut quidam verius fatentur, ipsius matris suæ consilio hoc factum est, ipsaque sola regnum tenere contendit. Hos ergo legatos ubi rex absolvit, venerunt de Hyspania legati Hadefonsi regis Galaciæ & Asturiæ Basyliscus & Froja, deferentes munera, quæ ille de manubiis, quas victor apud Olisiponiam, ultimam Hyspaniæ civitatem, a se expugnatam ceperat, regi mittere curavit; Mauros videlicet septem cum totidem mulis & loricis. Quos & benigne suscepit & honorifice remuneratos dimisit. Constantinus Imperator filius Leonis & Hyrenæ, postquam cœcatus est, consilio matris suæ post breve tempus obiit, sicque mater per V. annos imperavit. Obscuratus est autem sol per dies XVII. ita ut oberrarent naves in mari, & omnes dicerent, quod propter Imperatoris obcœcationem sol obscuratus sit.

XXI. Anno Domini DCCXCIX. Leo Papa a Romanis excœcatus est. Romanis enim in sua securitate gloriantibus, levatum est cor eorum, volueruntque ea, quæ imperialis erant potestatis, sibi vendicare. Resistente autem Leone Papa, quidam ex cognatis beatæ memoriæ Adriani Papæ seditionem moventes in populo, concitaverunt eum adversus Papam. Unde factum est, ut in letania majore, cum processurus de Lateranis ad ecclesiam sancti Laurentii, quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens, pergeret, in insidias a Romanis dispositas juxta eandem ecclesiam incidit, dejectusque de equo, & erutis oculis ejus, ut sibi visum est, linguaque amputata, nudus & semivius in media platea dimissus est. Quidam autem dicunt, quod unum tantum oculum eruerent, alii vero neutrum, sed rasoriis per medios oculos inciderent, nec tamen visum auferrent. Deinde jussu eorum, qui hujus facinoris auctores erant, in monasterium Sancti Herasmi martyris missus, cujusdam Albini cubicularii sui cura noctu per murum demissus a Winigyso duce Spolitano, qui, audito hujusmodi facinore, Romam festinus advenerat, susceptus ac Spoletum deductus est. Cujus rei nuncium dum rex accepisset, ipsum quidem ut vicarium Sancti Petri cum summo honore fecit adduci, iter tamen suum, quod in Saxoniam disposuerat, non intermisit. Habito itaque conventu super Renum, in loco qui dicitur Lippeheim, transfretavit, & ad Paterbrunnem veniens, Pontificis ibi adventum expectavit. Misit autem interea Karolum filium ad Albim cum exercitu propter quædam negotia cum Wilzis & Abodritis disponenda; & cum ejus reditum expectavit, pontifex venit, susceptusque ab eo honorifice, mansit apud eum dies aliquot, intimatisque regi omnibus, propter quæ venerat, per legatos regis cum honore reductus, atque in suum locum est constitutus. Eodem anno Avares, qui & Huni, a fide, quam promiserant, defecerunt, & Geroldus Bawariorum Præfectus, pugnans contra eos, interfectus est. XXXII. Anno Domini DCCC. Karolus rex Turonum pergens causa orationis, moratus est ibi aliquot diebus propter adversam valetudinem Dominæ Luitgardæ conjugis suæ, quæ II. Non. Junii ibidem defuncta & humata est. Mense autem Augusto inchoante, Mogontiacum veniens iter in Italiam condixit. Cui Romam tendenti, pridie quam urbem intraret, occurrit Leo Papa apud Nomentum XII. lapide ab urbe, prandensque cum eo, dimisit eum ibi nocte illa, & præcessit eum ad urbem. In crastinum vero ordinatis per loca congrua turbis, ipse stans in gradibus cum episcopis & Clero honorifice eum suscepit, cunctisque psallentibus, in basilicam sancti Petri eum introduxit. Facta sunt hæc VIII. Kal. Dec. Post septem vero dies rex concione vocata, omnibus, cur venisset, patefecit, inter quæ potissimum erat, de discutiendis, quæ objecta sunt pontifici, criminibus, ut enim se quasi absolutiores redderent ejus calumpniatores, mortiferum ei crimen imposuerunt. Rege autem de hoc inquirente, cum nullus esset criminis probator, pontifex assumpto ewangelii textu coram rege & omni populo ambonem conscendit, astantibusque incusatoribus, invocato sanctæ Trinitatis nomine, ab objectis se expurgavit.

Karolus Magnus Imperator consecratus est anno regni sui XXXIII. sicque imperavit annis XIV.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCI. ab urbe vero condita MDLV. KAROLUS Magnus Rex Francorum, Pippini regis filius LXXIII. loco ab Augusto Romanorum Imperator consecratus est, anno regni sui XXXIII. sicque imperavit annis XIV. Cum enim pro calumpnia, Leoni Papæ ingesta, Romam veniret, & Natalem Domini ibi celebraret, in ipsa die sacratissima ad missarum sollempnia veniens, dum ante confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, nihil minus speranti Leo Papa coronam imposuit & Imperatorem Romanum pronunciavit, & a cuncto Romano populo acclamatum est: Karolo Augusto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria! Post quas laudes unctus ab Apostolico, & antiquorum more principum ab eo adora-

adoratus, ablato Patricii nomine, Imperator & Augustus appellatus est. Post paucos dies, habita quæstione de adversariis Papæ, secundum legem Romanam, ut majestatis rei, decollationi adjudicati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu intercessit; nam & vita & membrorum integritas eis concessa est; ceterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Quidam autem dicunt, quod de majoribus eorum uno die in Lateranensi campo CCC. decollati sunt. Innocentiam vero beati Leonis Papæ Dominus ita approbavit, ut clariores postea oculos ei donaverit; sed in signum virtutis illius pulcherrima cicatrix, in modum tenuissimi fili turturinas acies niveo candore decoravit. Ordinatis deinde Romanæ urbis & Apostolici totiusque Italiæ non tantum publicis, sed etiam ecclesiasticis & privatis rebus Imperator IIX. Kal. Maji Romam egressus est. Hic est annus regni ejus XXXIII. imperii vero primus. II. Anno Domini DCCCII. Hyrene imperatrix de Constantinopoli misit legatum suum nomine Leonem ad Imperatorem Karolum de pace firmanda inter Græcos & Francos, & Imperator vicissim misit Jesse Episcopum Ambianensem & Elingaudum Comitem Constantinopolim pro eadem re, & ut postularent Hyrenem imperatricem, ut ei jungeretur in conjugio. Quæ in hoc consensisset, nisi Ecius Patricius inhibuisset, prævalens & imperium in fratrem suum Nicephorum transferre satagens. Nam cum adhuc in urbe essent legati Karoli Nicephorus imperium invasit, & Hyrenem in monasterium, quod ipsa construxit in Insula quadam, relegavit. III. Anno Domini DCCCIII. Imperatoris Karoli legati de Constantinopoli reversi sunt, & cum eis venerunt Apocrisiarii Nicephori, qui tunc rempublicam apud eos regebat, Mychahel Episcopus & Petrus Abbas & Calixtus Candidatus, qui invenerunt Imperatorem in Germania super fluvium Sala in loco, qui dicitur Salz, & pactum faciendæ pacis in scripto susceperunt, indeque cum epistola Imperatoris Romam regressi, domum sunt reversi. IV. Anno Domini DCCCIV. Imperator Aquisgrani hyemavit: æstate autem, ducto exercitu in Saxoniam, omnes, qui trans Albiam habitabant Saxones, cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abodritis dedit.

Eo tempore Godefridus Rex Danorum venit cum classe & omni equitatu suo ad locum, qui dicitur Sliesdorp, in confinio regni sui & Saxoniæ; promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum; sed consilio suorum territus, propius non accessit, sed quicquid volebat, per legatos mandavit. Nam Imperator super Albim fluvium sedebat in loco Holdunsteti dicto. Eadem quoque æstate perlatum est ad Imperatorem Sanguinem Domini in Mantua civitate fuisse repertum, misitque ad Papam, ut hujus famæ veritatem perquireret. Qui nacta occasione exeundi, primo in Longobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est, indeque subito arrepto itinere ad Imperatorem, mandavit ei medio Novembre se velle cum eo Natalem Domini celebrare. Qui statim misso filio suo Karolo ad Sanctum Mauricium honorifice eum suscipere jussit, ipseque obviam ei Remis pergens, apud Cariliacum villam Natalem Domini celebravit; deinde Aquis perduxit, donatumque magnis muneribus per Bajoariam ire volentem deduci fecit usque Ravennam. V. Anno Domini DCCCV. Imperator misit filium suum Karolum cum exercitu in Boëmiam, qui depopulatis omnibus Ducem terræ illius nomine Lechonem occidit, indeque regressus ad patrem, in Vosego silva venatui studentem invenit. VI. Anno Domini DCCCVI. Imperator habito conventu iniit consilium cum primoribus Francorum de pace constituenda atque servanda, & de divisione regni facienda inter filios suos in tres partes, ut sciret unusquisque, quam partem tueri & regere deberet, etsi sibi superstes deveniret. De hac partitione testamentum est factum & jurejurando ab optimatibus confirmatum. VII. Anno Domini DCCCVII. Legati regis Persarum venerunt ad Imperatorem, deferentes ei munera papilionem & tria tentoria vario colore facta miræ magnitudinis & pulchritudinis, omnia bissina, tam tentoria, quam funes eorum. Præterea pallia serica multa pretiosa atque ungenta & balsamum, nec non & horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsidram vertebantur, cum totidem æreis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant, abditis in eodem ejusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius apertæ erant, claudebant. Alia quoque multa erant in ipso horologio, quæ enumerare longum est. IIX. Anno Domini DCCCIIX. Imperator audiens Godefridum regem Danorum in Abroditos cum exercitu trajecisse, Karolum filium suum cum manu valida Francorum & Saxonum misit contra eum, si forte terminos Saxonic aggredi temptaret. Ille autem expugnatis aliquot Sclavorum castellis cum magno copiarum suarum detrimento reversus. Nam manu promptissimos amisit, inter quos & filium fratris sui nomine Reginoldum. IX. Anno Domini DCCCIX. Ludewicus Rex filius Imperatoris cum exercitu Hyspaniam ingressus, Dertosam civitatem obsedit, sed non valens eam capere, dimissa obsidione in Aquitaniam se recepit. X. Anno Domini DCCCX. Pippinus Rex Italiæ filius Imperatoris, perfidia Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra marique jussit appetere subjectaque Venetia Duces eorum in deditionem accepit. Imperator autem adhuc Aquisgrani agens & contra Godefridum regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem ducentarum navium de Normannia Fresiam appellasse, totasque Fresico littori adjacentes insulas vastasse, jamque exercitum illum in continenti terra esse. Qui congregatis, quanta potuit celeritate,

copiis,

copiis, e regione contendit, positisque juxta Wisaram castris, minarum Godefredi præstolatur eventum. Nam Rex ille superbus vanissima spe victoriæ inflatus, cum Imperatore se congredi velle jactabat. Sed dum Imperator stativa castra haberet, diversarum rerum nuncii ad eum venerunt, classem scilicet prædictam fuisse regressam, Godefridum regem a quodam satellite suo, sive, ut quidam dicunt, a filio, cujus matrem nuper, alia conjuge ducta, dimiserat, interfectum; Hochburgi, castellum Albiæ flumini appositum, in quo Vado legatus Imperatoris & Orientalium Saxonum erat præsidiis a Wilcis captum & Pippinum filium ejus regem Italiæ IIX. Idus Julii defunctum. Quibus auditis dispositâ pro temporis conditione Saxonia domum revertitur. Eodem anno sol & luna bis defecerunt; sol VII. Idus Jun. & II. Kal. Decemb. luna II. Kal. Julii & XIIX. Kal. Januarii. Ruothdrut filia Imperatoris major natu IIX. Idus Junii obiit. Godefrido rege Danorum mortuo Hemmigus, fratris sui filius, in regnum successit, & pacem cum Imperatore fecit. XI. Anno Domini DCCCXI. Imperator pace cum Hemmigo firmata, & placito generali Aquis habito, in tres partes regni sui totidem exercitus misit; unum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastavit, & castellum Hochburgi, superiori anno a Wilcis destructum, restauravit; alterum in Pannonias ad controversias Hunorum & Sclavorum finiendas; tercium in Brittones, ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes prospere egerunt. Karolus filius Imperatoris major natu II. Non. Decemb. obiit. XII. Anno Domini DCCCXII. Nycephorus Imperator Constantinopolitanus pugnans contra Bulgares occiditur, & Mychael gener ejus imperio potitur. Qui legatos Karoli Imperatoris ad Nicephorum missos suscepit & absolvit, cum quibus & legatos suos direxit, per quos pacem a Nicephoro ceptam firmavit. XIII. Anno Domini DCCCXI. Imperator habito generali conventu Aquisgrani filium suum Ludewicum regem Aquitaniæ ad se vocavit, eique coronam imponens, Imperialis nominis sibi consortem fecit. Bernhardum vero nepotem suum, filium Pippini filii sui, Italiæ præfecit, & Regem appellari jussit. Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Mogontiæ, alterum Remis, tertium Remis, quartum Cabillone, quintum Arelato. Mychahel Imperator Bulgares bello appetens haut prosperis successibus utitur, ac proinde domum reversus, deposito dyademate monachus efficitur: in cujus locum Leo filius Bardæ Patricii constituitur. Pons Reni apud Mogontiacum, quem Imperator per X. annos ingenti labore & opere mirabili de ligno ita construxit, ut perhenniter durare posse videretur, in mense Majo ita tribus horis fortuito incendio conflagravit, ut præter hoc, quod aqua tegebatur, ne una quidem hastula ex eo remaneret. XIV. Anno Domini DCCCXIV. Karolus Imperator, dum Aquisgrani hyemaret, febre & pleurisi tactus V. Kal. Febr. rebus excessit humanis, anno ætatis circiter LXXI. regni autem XLVII. subactæ vero Italiæ XLIII. ex quo vero Imperator & Augustus appellatus est, anno XIV. & sepultus est in basilica sanctæ DEI genitricis, quam ipse Aquisgrani ædificavit. Cujus rei nuntium cum Ludewicus filius ejus in Aquitania accepisset, XXX. postquam id acciderat, die Aquisgrani venit, summoque omnium Francorum consensu ac favore patri successit, & ad suscepti regni amministrationem cura conversa primo legationes, quæ ad patrem venerant, auditas absolvit, inter quas præcipua fuit Leonis Imperatoris, qui Mychaheli successit. Habito autem Aquisgrani generali conventu ad justitias faciendas legatos in omnes regni partes misit: duos ex filiis suis, Lotharium Bajoariæ, Pippinum præfecit Aquitaniæ.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXV. ab urbe autem condita MDLXVI. completis ab origine mundi annis sex milibus XIV. Ludewicus Caroli magni filius LXXIV. loco ab Augusto regnavit, regnumque XXVI. annis obtinuit. Huic anno primo regni sui allatum est, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam conspirasse, hocque indicio ad pontificem delato, omnes illius factionis auctores jussu illius trucidatos fuisse. Quod cum moleste ferret, Bernhardum nepotem suum regem Italiæ ad se vocavit, eumque ad investigandum, quod dictum est, misit. Qui cum Romam venisset, ægritudine decubuit. De rebus vero, propter quos venerat, per Heroldum Comitem, qui ad hoc ei legatus fuerat datus, regi Ludewico remandavit, quicquid compererat. Quem legati pontificis subsecuti de hiis, quæ domino suo objiciebantur, regi Ludewico per omnia satisfecerunt. II. Anno Domini DCCCXVI. Dominus Leo Papa anno pontificatus sui XXI. de corpore migravit. IIX. Kal. Junii. Stephanus quoque Dyaconus in locum ejus Papa CI. ordinatus est, qui sedit menses VII. Hic ergo post consecrationem suam nondum duobus mensibus exactis, quam maximis potuit itineribus ad Imperatorem venire contendit, missis interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod ille audiens, Remis ei occurrit, missisque obviam his, qui eum illo deducerent, honorifice illum ibi suscepit. Pontifex vero statim adventus sui causam insinuans, celebratis deinde missarum ex more sollempniis eum dyadematis impositione coronavit, Romanorumque Imperatorem pronunciavit, anno regni sui II. secundum alios VII. III. Anno Domini DCCCXVII. Stephanus Papa tertio mense, postquam Romam venerat, nondum exacto IIX. Kal. Febr. obiit, cui Paschalis successor electus post completam sollempniter ordinationem suam munera & excusatoriam Imperatori epistolam misit, sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum pœnitenti pontificatus honorem inpactum asseverans. Paschalis Papa CII. sedit annis VII. juxta alios IX. Imperator vero generalem conventum Aquisgrani habens, filium su-

um suum primogenitum Lotharium nominis atque imperii socium sibi constituit, ceteros reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bojoariæ præfecit. Post hæc nunciatum est ei, Bernhardum nepotem suum, Italiæ regem, quorumdam pravorum hominum consilio tyrannidem meditatum fuisse, jamque omnes introitus Italiæ, quos clusas dicunt, impositis præsidiis firmasse, atque omnes Italiæ civitates in ejus verba jurasse, quod ex parte verum, ex parte fuerat falsum. Ad quos motus comprimendos Imperatore celeriter cum exercitu veniente, Bernhardus rebus suis diffidens, armis depositis, apud Cabillonem Imperatori se tradidit. IV. Anno Domini DCCCXVIII. detecta fraude conjurationis & seditionis, omnibus in suam potestatem redactis, Imperator Aquisgrani revertitur, transactoque quadragesimali jejunio, paucis post sanctum Pascha diebus conjurationis auctores simul & regem judicio Francorum capitali dampnatos sententia luminibus tantum jussit orbari. Irmingardis regina V. Non. Octobris obiit. V. Anno Domini DCCCXIX. conventus Aquisgrani post Natalem Domini habitus est, in quo multa de ecclesiarum statu tractata sunt, legibus etiam quædam per necessaria, quæ deerant, addita sunt. Quo pacto Imperator inspectis plerisque nobilium filiabus, Welpi Comitis filiam, nomine Judith, uxorem duxit, quæ genuit ei Karolum Calvum. VI. Anno Domini DCCCXX. propter juges pluvias, & aërem nimio humore resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & boum pestilentia grassata est: frumenta quoque & legumina corrupta sunt. VII. Anno Domini DCCCXXI. allatum est Imperatori Ludewico de morte Leonis Imperatoris Constantinopolitani, quod anno præterito in basilica sanctæ Dei genitricis intra Palatium interemptus sit, conspiratione quorundam optimatum suorum, & præcipue Mychahelis Comitis domesticorum, qui, Prætorianorum militum studio, infulas imperii suscepit, & VIIII. annis regnavit. VIII. Anno Domini DCCCXXII. In regione Thuringorum quodam in loco juxta fluvium quendam cespes longitudine pedum L. latitudine XIII. altitudine sesquipedali de terra sine manibus præcisus, & sublatus ab eo loco, in quo sumptus est, XXV. pedum spacio distans inventus est. Item in parte Orientalis Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco, juxta lacum, qui dicitur Arnse, in modum aggeris terra intumuit, & intra limitem unius leugæ longitudine porrectum sub unius noctis spacio absque humani operis molimine instar valli surrexit. Dominus Imperator filium suum Lotharium pro disponendis regni negotiis in Italiam misit, cui præcedenti anno conjunxerat Irmingardam, Hugonis Comitis filiam, de qua ille suscepit Lotharium postea excommunicatum, Ludewicum post se regnantem & Karolum. Pippinum vero filium suum Imperator in Aquitaniam misit, cui filiam Theoderici comitis Matricensis junxit. IX. Anno Domini DCCCXXIII. mense Majo conventu habito apud Franconovort, inter cæteras barbarorum legationes, venerunt ad Imperatorem duo fratres de regno Wilzorum, controversiam habens, Milegast & Celeadrogo, filii Luithit regis Wilzorum. Qui cum Orientalibus Abodritis pugnans, cum interisset, populus Wilzorum filium ejus Milegastum, majorem natu, regem sibi constituit; sed cum is secundum ritum gentis suæ non digne amministraret regnum, illo dejecto, juniori regium honorem deferunt. Quam ob rem ad præsentiam Imperatoris ambo venerunt. Qui cum vidisset gentis voluntatem proniorem ad juniórem fratrem, statuit, ut is regnum teneret; ambos tamen muneribus donatos & sacramento confirmatos in patriam remisit. Lotharius, disposita Italia, cum jam redire statueret, rogante Paschali Papa Romam venit &, honorifice ab eo susceptus, in sancto Paschæ die apud sanctum Petrum & regni coronam & Imperatoris & Augusti nomen accepit; sicque mense Junio ad patrem venit. Imperator Druogonem fratrem suum apud Mettensem ecclesiam sub canonica vita degentem, clero ejusdem urbis consentiente, & eligente, rectorem ibi constituit, eumque ad Pontificatus honorem promoveri censuit.

Celeadrogo Abodritorum princeps cum quibusdam populi sui primoribus ad Imperatorem venit, dilatique per tot annos adventus sui rationem, unde incusabatur, non improbabiliter reddidit; & licet in quibusdam causis culpabilis esset, per merita tamen parentum suorum non solum impunitus, verum & muneribus donatus ad regnum redire permissus est. Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipue erant, terræ motus in Aquensi palatio; & in territorio Tullensi juxta villam Commercia cum puella quædam annorum circiter XII. post sacram communionem, quam in Pascha de manu sacerdotis accepit, sine omni victus desiderio, plenum biennium usque in tertium annum dimidium complevit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Cœpit autem jejunare Dominicæ incarnationis DCCCXXIII anno a Pascha & in DCCCXXV. circa initium Novembris mensis, peracto jejunio, cibum sumere ac ceterorum hominum more manducando vivere cœpit. In Saxonia quoque in pago Firihsaze XXIII. villæ cœlesti igne crematæ sunt, & fulgura in sereno visa sunt, atque interdiu de cœlo ceciderunt. In territorio Cumetensi Italicæ civitatis in vico Grabadon in ecclesia sancti Johannis Baptistæ imago sanctæ Mariæ, puerum Johannem in gremio continens, in absida ejusdem ecclesiæ depicta & ob nimiam vetustatem obscurata peneque deleta, tanta claritate per duorum dierum spacia effulsit, ut omnem splendorem novæ picturæ suæ venustatis pulchritudine penitus vincere videretur: imagines etiam magorum, munera offerentium, juxta eam erant depictæ, quas propter munera, quæ offerebant, claritas illa minime irradiabat. X. Anno Domini DCCCIV. Paschalis Papa vita decessit: In cujus locum cum duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius

II. ta-

II. tamen presbiter tituli Sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte, Papa CIII. ordinatur, seditque annis tribus. Legati Mychahelis Imperatoris Constantinopolitani ad Imperatorem Ludewicum pro pace firmanda cum muneribus & litteris venerunt, condignoque responso absoluti sunt. Hoc anno, paucis post æstivale solstitium diebus, in territorio Augustunensi, aëre in tempestatem subita mutacione converso, ingens fracmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur, cujus longitudo pedes XV. latitudo septem, crassitudo duos habuisse dicitur. XI. Anno Domini DCCCXXV. habito Aquisgrani conventu legati Bulgarorum pro constituendis terminis inter Francos & Bulgares ad Imperatorem venerunt. XII. Anno Domini DCCCXXVI. Hyldwinus Abbas monasterii Sancti Dyonisii apud Parisios sacrique Palacii archicapellanus Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio sanctæ sedis Apostolicæ tunc Præsule, corpus beatissimi Sebastiani Episcopi martiris accepit, & illud apud Suessionam civitatem in Basilica Sancti Medardi collocavit, ubi, dum adhuc inhumatum in loculo, quo allatum fuerat, juxta tumulum Sancti Medardi jaceret, tanta signorum multitudo enituit, ut a nullo mortalium aut numero comprehendi, aut verbis valeat enarrari, quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, Dominum, pro quo ipse passus est, omnia posse. XIII. Anno Domini DCCCXXVII. Eugenius II. Papa mense Augusto decessit, in cujus locum Valentinus I. Dyaconus a Romanis Papa CIV. ordinis vix unum mensem in pontificatu complevit. Quo defuncto Gregorius IV. Presbyter tituli Sancti Marci Papa CV. electus est, sed ante non est ordinatus, quam Imperatoris legatus Romam veniens electionem populi, qualis esset, examinavit. Quo decedente Sergius II. Papa CVI. successit; post quem Leo V. CVII. exstitit. XIV. Anno Domini DCCCXXIIX. In regione Wasconia trans Garonnam in pago Aginensi annonam de cœlo quasi pluviam descendisse ferunt, similem frumento, sed paululum breviora ac rotundiora grana habuisse, de quo Domino Imperatori allatum est ad Aquisgrani palatium. XV. Anno Domini DCCCXXIX. In ipso quadragesimali jejunio paucis ante sanctum Pascha diebus Aquisgrani terræ motus noctu factus est, ventusque tam vehemens exortus, ut non solum humiliores domos, sed & ipsam sanctæ DEI genitricis basilicam, quam capellam vocant, tegulis plumbeis tectam non modica denudaret ex parte. XVI. Anno Domini DCCCXXX. Mychahel Imperator obiit, cui Theophylus filius ejus successit. XVII. Anno Domini DCCCXXXI. XIIX. Anno Domini DCCCXXXII. XIX. Anno Domini DCCCXXXIII. Imperator filio suo Karolo ex Judith nato dedit Alemanniam, Rætiam, partem Burgundiæ, indignantibus cæteris filiis. XX. Anno Domini DCCCXXXIV. XXI. Anno Domini DCCCXXXV. XXII. Anno Domini DCCCXXXVI. XXIII. Anno Domini DCCCXXXVII. XXIII. Anno Domini DCCCXXXIIX. XXIV. Anno Domini DCCCXXXIX. XXV. Anno Domini DCCCXL. Ludewicus Imperator obiit. XII. Kal. Julii, sepultusque est in Ecclesia Sancti Arnulphi Mettis.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLI. urbis vero conditæ MDXCII. Lotharius Ludewici filius LXXV. loco ab Augusto regnare cœpit, & XIIX. annis regnavit. Hic de Italia reversus cum Pippino & Ludewico fratribus suis, voluit Karolum filium Judith, cognomine Calvum, ea parte, quam sibi pater concesserat, privare, & secundum id Testamentum, quod avus eorum Karolus magnus statuerat, in partes tres inter se regna dividere. Qua de re apud Autisiodorensem pagum, in loco qui dicitur Fontaneth, grave prælium inter eos ortum est, & magna strage pugnatum, & neutra parte est triumphatum. II. Anno Domini DCCCXLII. Lotharius & fratres sui pacificati per quatuor tetrarchias regna dividunt. Pippino itaque cessit Aquitania, Karolo occidentalia regna a Brittanico occeano usque ad Mosam fluvium, Ludewico vero orientalia, scilicet omnis Germania usque Reni fluenta & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis trans Renum, propter vini copiam. Porro Lotharius, qui & major natu erat, & Imperator appellebatur, medius inter utrosque incedens regnum sortitus est, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharium regnum nuncupatur, totamque Provinciam, nec non & omnia regna Italiæ cum ipsa Romana urbe, quæ & modo ab omni Ecclesia propter præsentiam Apostolorum Petri & Pauli speciali quodam veneratur privilegio, & quondam propter Romani nominis invictam potentiam orbis terrarum Domina dicta fuerat. III. Anno Domini DCCCXLIIII. IV. Anno Domini DCCCXLV. V. Anno Domini DCCCXLVI. VI. Anno Domini DCCCXLVII. Judith Imperatrix uxor Ludewici Imperatoris obiit. VII. Anno Domini DCCCXLIIX. Anno Domini DCCCXLIX. IIX. Anno Domini DCCCL. IX. Anno Domini DCCCLI. Obiit Irmingardis regina conjux Lotharii Imperatoris, venerabilis & DEO acceptabilis matrona, quæ tres filios Lothario genuerat, videlicet Ludewicum, Lotharium & Karolum. X. Anno Domini DCCCLII. XI. Anno Domini DCCCLIII. XII. Anno Domini DCCCLIV. Nortmanni Brittannicum mare navigio gyrantes, hostia Ligeris fluminis occupaverunt, & repentina irruptione civitatem Namnetem invadunt, omniaque cædibus, incendiis, rapinis depopulantes, Pontificem civitatis ipso die Sabbatho Paschæ, cum baptismum ex more celebraret, interficiunt, clerumque trucidant, omnemque circumquaque regionem devastantes, primum Andegavensem, deinde Turonicam occupant urbem, ac velut immanis tempestas cuncta prosternunt; templum etiam præcellentissimi Pontificis Martini incendio cremant. Tunc primum

mum Nortmannicorum classis, ut ajunt, Ligeris attigit littora. Circa hæc tempora Karolus Pippinum regem Aquitaniæ, nepotem suum, ipsis Aquitaniis eum prodentibus, eo quod pace soluta eadem provincia a suis indigenis devastaretur, & multa illic mala inpune patrarentur, cepit, & captum cum consilio Episcoporum ac procerum attondit & habitu monachico indutum Suessionis in monasterium Sancti Medardi misit. Is duobus monachis consentientibus, simul & opem ferentibus, fuga dilapsus est; sed iterum captus & Silvanectis castro munitissimo custodiæ mancipatur. XIII. Anno Domini DCCCLV. Lotharius convocatis primoribus regni imperium suum inter filios divisit, Ludewico Italiam tradidit eumque Imperatorem appellari fecit; æquivoco vero, id est Lothario, regnum, quod ex suo nomine vocatur, concessit; Carolo autem, qui junior natu erat, Provinciæ regnum largitus est. Dispositis itaque atque ordinatis regni negotiis, valedicens suis, seculum reliquit, atque in Prumia monasterio veniens, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto, in religionis professione diem clausit extremum III. Kal. Octob.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLVI. urbis vero conditæ MDCVII. Ludewicus filius Lotharii LXXVI. loco ab Augusto regnare cœpit, & XXI. anno regnavit. Hujus primo anno Lotharius Rex frater ejus Thyetbirgam reginam in matrimonium sibi junxit, ex qua conjunctione maxima ruina omni regno ejus accidit. II. Anno Domini DCCCLVII. Leo Papa obiit, cui Benedictus CIV. succedit, & ipse anno eodem decessit, & Nycholaus CV. ordinis Papa constituitur. III. Anno Domini DCCCLIIX. Karolus Rex filius Lotharii moritur, qui Provinciam regebat, & ex regno, quod tenuerat, facta est non modica controversia inter Lotharium regem & avunculum ejus Karolum. IV. Anno Domini DCCCLIX. Hyldegardis regina obiit. V. Anno Domini DCCCLX. Ludewicus Senior, frater Lotharii Imperatoris, plurima bella strenuissime gessit adversus Sclavorum gentes. Siquidem regna Marhensium ingressus, armis cuncta perdomuit, capto principe eorum nomine Rastrix, cui etiam propter violata fœdera oculos effodere jussit. Ea tempestate inter principes Karoli magnum discordiarum ac litium efferbuit incendium. Denique Lantbertus, qui Ducatum tenebat inter Ligerim & Sequanam, Vivianum potentem virum dolo interfecit. Rursum eundem Lantbertum Gozbertus cum aliis æquali dolo trucidavit. Idem Gozbertus, jussu Karoli, decollatus est. Destitutam terram Principibus & consilio nudatam perspicientes Brittones, arma corripiunt, fines regni Francorum invadunt, Ligerim transeunt, & usque Pictavis progrediuntur, cædibus, rapinis ac incendiis omnia depopulantes, oneratique ingenti præda ad propria redeunt. Ad compescendam hujus præsumptionis insolentiam, Karolus cum magno exercitu Brittanniam intravit, pugna committitur, Brittones victores existunt, multi ex Francis interfecti, quam plurimi vulnerati, & innumerabiles equi perierunt. Sequenti die rursus pugna inchoatur, sed graviori infortunio finitur. Quod cernens Karolus nimio terrore dissolutus, inscio exercitu, noctu clam aufugit, derelicto papylione, tentoriis & apparatu regio. Mane facto cum exercitus fuga lapsum regem comperisset, nimia formidine repletur, nihilque aliud nisi de fuga meditatur. Brittones cum clamore irruunt & castra Francorum omnibus divitiis referta invadunt, omnemque belli copiam capessunt, fugientia Francorum agmina insecuntur, obvios quosque aut ferro cædunt, aut vivos capiunt, reliquos fuga servavit. Ditati itaque Brittones opibus Francorum, armisque instructi, in sua se recolligunt. VI. Anno Domini DCCCLXI. Karolus placitum habuit in Compendio, ibique cum optimatum consilio Ruotberto Comiti Ducatum inter Ligerim & Sequanam adversus Brittones commendavit, quem ingenti industria per aliquot tempus rexit. VII. Anno Domini DCCCLXII. Numenous Rex Brittonum moritur, divino nutu percussus. Nam cum Ecclesias DEI devastaret, & confinia crudeliter depopularetur, eo quod Karolo debitam fidelitatem servarent, quadam die, dum equum ascendere vellet, ut ceptam malitiam consummaret, repente vidit ante se sanctum Maurilionem Episcopum astare, sibi hoc torvo vultu & terribilibus oculis ingeminantem: Desine jam crudelis prædo Ecclesias DEI devastare. His dictis baculum, quem manu gestabat, elevans, eum in capite percussit, qui a suis in domo reportatus, vitam cum regno finivit. Fuit autem iste in Maurilio Episcopus Andegavensis urbis, cujus civitatis termini cohærebant finibus Brittanniæ & idcirco ab eis graviter depopulabantur. Filius Numenoi Herispotus regnum obtinuit paternum. VII. Anno Domini DCCCLXIII. Karolus iterum cum inmenso exercitu fines Brittonum intravit, sed minime ut optaverat, prævaluit; novissime cum eis pacem fecit. Datis itaque ex utraque parte obsidibus & sacramentis, Herispotus Rex ad eum venit, ejus dominationi se subdidit. IIX. Anno Domini DCCCLXIV. Lotharius Rex cœpit occasiones quærere, qualiter Thietbirgam reginam a suo consortio separare potuisset, quam exosam habebat propter Waldradam, quæ ejus fuerat concubina, cum adhuc adolescens esset in domo paterna. Hanc siquidem Dyabolo inflammante, nimio diligebat amore. Guntharium itaque Coloniensis urbis Episcopum, qui eo tempore erat archicapellanus, Rex primo per subintroductos missos, deinde per semetipsum super hujuscemodi discidio omni arte aggreditur, & ut facilius præberet, promisit, se ejusdem Episcopi neptem in matrimonium accepturum, tamen ut prædictam Thyetburgam ejus aliorumque Episcoporum auctoritate repudiare potuisset; qui, ut erat levis animo ac inconsideratus actione, pro intentione introducitur, vana spe, ut postea claruit, seductus. Rursus idem Guntharius Thiergaudium Episco-

Episcopum Trevirensem de hac causa alloquitur, & sciens esse virum simplicem, nec adeo in divinis scripturis eruditum, canonicisque sanccionibus exercitatum, ex utriusque testamenti paginis quasdam sententias profert, quas aliter, quam ecclesiastica regula docet, edisserens, virum improvidum secum in foveam trahit, cæcus cæco ducatum præstans. Quid plura? Facta sunt omnia, quæ huic commento videbantur necessaria. Consilium Mettis convocat, Reginam quasi canonice evocatam in medio statuunt, testes producunt una cum scriptis, qui valde gravia crimina inponentes, inter alia protestati sunt, quod eadem Thietburg confessa fuisset, semetipsam fratris germani in æstuoso concubitu esse pollutam. Continuo allatis diversorum conciliorum libris, statuta patrum de incestuosis recitantur, & non solum a legitimo viro separatur, verum etiam omnis copula maritalis inhibetur, pœnitentia juxta modum culpæ indicitur, & tali nefaria machinatione diu exoptata voluntas regis adimpletur. His ita patratis, Waldrada jam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisque regia aula resultat, Waldradam reginam esse. Guntharii Episcopi neptis ad regem accersitur, ac semel, ut ajunt, ab eo constupratur atque cum cachinno & omnium irrisione ad avunculum remittitur. Igitur, agentibus fratribus Thietbirgæ reginæ, hæc omnia ad notitiam Nycholai Papæ deferuntur. IX. Anno Domini DCCCLXV. missi sunt Hagono & Rodoaldus Apostolicæ sedis legati in Galliam, ad discutiendum, utrum ita se haberet, ut summo Pontifici nuntiata fuerat. Qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis faverunt iniquitati, quam æquitati. Tamen ad regem pervenientes ei declarant, se nihil aliud egisse, nisi quod Episcopi ipsius regni in generali Synodo sibi agendum præmonstrassent. Dederunt autem iidem legati consilium regi, ut illos Episcopos, qui illi Synodo præfuerant, ad sedem Apostolicam destinaret, qui verbis & scriptis universa-li Papæ satisfacerent. Legati inmensis ditati opibus Romam regressi sunt, nunciaveruntque Præsuli, quæ in Galliis viderant & audierant, adjicientes nullum sapientem se Episcopum in regno Lotharii invenisse, qui ad liquidum canonicis esset instructus disciplinis. Interea Thietgaudius & Guntharius Archiepiscopi Romam profecti sunt, ea animi intencione ut & regem in supradicto facto innocentem demonstrarent, & se cum cæteris Coepiscopis Ecclesiastica & Apostolica exercuisse decreta. Nycholaus autem Papa, congregata Synodo, eorum synodalia gesta coram omnibus recitari præcepit. Quæ mox ab omnibus dampnata & anathematizata sunt, & ipsi, omnibus adjudicantibus, sunt depositi, ac omni ecclesiastica dignitate privati. Tam turpiter dehonestati Ludewicum Imperatorem, fratrem Lotharii regis, adeunt, qui ea tempestate Beneventanis morabatur in partibus, scriptis & dictis vociferantes, se injuste esse depositos, ipsi Imperatori & omni sanctæ Ecclesiæ injuriam esse factam, cum numquam auditum sit, vel uspiam lectum, quod ullus metropolita sine conscientia principis vel præsencia aliorum metropolitanorum fuerit degradatus. Adjecerunt insuper multa alia, blasphemantes eundem Papam, quæ hic superfluum duximus enumerare, existimantes ejusdem Imperatoris adminiculo simul & intercessionis ope & criminis objecti aboleri notam, & pristinæ dignitatis recuperari statum. Sed spes eorum frustrata est, quamvis Imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Thietgaudus depositionis suæ a sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens, juxta præcedentem consuetudinem nihil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit. Guntarius vero superbiæ spiritu inflatus, vetitum sibi officium usurpare non expavit, parvi pendens Apostolicam excommunicationem. Revertuntur igitur in Franciam debita confusione respersi, & dum iterum atque tertio sedem Apostolicam ob reparationis ac restitutionis gratiam adissent, novissime in Italia infirmitate præventi, peregrini & exules moriuntur, communione laicali sibi tantum concessa. X. Anno Domini DCCCLXVI. Arsenius Episcopus, Apocrisiarius & Consiliarius Nycholai Papæ, vice ipsius directus est in Franciam. Quo perveniente tanta auctoritate & potestate ac si idem præsul pervenisset, convocato denique Episcoporum conventu Lotharium regem alloquitur, aut unum e duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Waldradæ pellicis consortio; aut protinus anathematis gladio feriretur, ipseque omnesque ei in hoc scelere favorem præstantes. Hac necessitate constrictus, vellet, nollet, Thietburgam reginam in matrimonium recepit, interposito jurisjurandi sacramento se illam ita in reliquum habere, sicut æquitatis jura dictant, legitimam uxorem esse tenendum, non eam a se separaret, nec ipsa vivente aliam super eam induceret. Post hæc Waldradam ex auctoritate DEI & Sancti Petri & verbo Domini Apostolici Romam ire jubet, ut pro se rationem reddere studeat. Legatus itaque Apostolicæ sedis, compositis in Gallia rebus, Romam, unde venerat, reversus est. Rursusque, Waldrada ejusque complicibus decertantibus, regis animus adversus Thietburgam commovetur. Excitantur iræ & insopitis discordiarum & odiorum cineribus denuo copiosus ignis accenditur. Despicitur, abhominatur, rejicitur, adulterii crimen impingitur, omnique ingenii arte exquiritur, qualiter puniri quasi rea possit. Illa prævidens, imminere sibi periculum mortis, latenter aufugit, & ad Karolum veniens, ejus tuicioni se commisit. XI. Anno Domini DCCCLXVII. Karolus audiens Herispotum regem Brittonum a suis interfectum tertio super Brittones cum exercitu irruere disponit. Sed cum ad terminos gentis appropinquasset, audito, quod ad resistendum totis viribus parati essent subito mutata voluntate, magis elegit pacem suscipere, quam bellum inferre. XII. Anno Domini DCCCLXIIX. Gens Sarracenorum in Benevento ex Affrica

 veni-

veniens, universam pene regionem illam invaserunt, cædibus, rapinis ac incendiis omnia depopulantes. Contra quos Ludewicus Imperator exercitum contraxit. Et veritus, ne forte adversus innumerabilem hostium multitudinem vires regni non sufficerent, ad Lotharium fratrem in Gallias legatos mittit, omnino exposcens, ut ad præfatæ nequissimæ gentis vires extenuandas audaciamque refrenandam sibi cum DEI auxilio & virtute Francorum opituletur. Qui nihil cunctatus, exercitum cum ingenti industria undique trahit, fratrique, quanta potuit celeritate, in adjutorium venit; ubi plurima bella gesta sunt non solum fortiter, sed & feliciter, DEO opem ferente. XIII. Anno Domini DCCCLXIX. Nicholaus Papa obiit, cui Adrianus CVI. succedit. His temporibus gens Vulgarum ferocissima ac bellicosa, relictis Idolis, renunciatisque gentilium superstitionibus in Christum ex permaxima parte credidit, & abluta salutari baptismatis unda, in religionem Christianam transiit. Directi sunt autem in eandem gentem de sede Apostolica sacerdotes ac viri religiosi, qui populum adhuc rudem divinis informarent præceptis, & incultam barbariem sacris dogmatibus excolentes, Christo gratum habitaculum præpararent. Ut hujus vero sanctæ devotionis opus prosperum obtineret effectum, Ludewicus Christianissimus Rex, qui Germanis imperabat, non mediocre præbuit sublementum. Fertur autem de hujus gentis rege, quod in tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam staret, ut diebus ornamentis regiis indutus coram populo procederet, noctibus vero, sacco indutus, Ecclesiam latenter intrans, super pavimentum ipsius basilicæ substrato sibi tantum cilicio prostratus in oratione jaceret. Non post multum tempus divina inspiratione commonitus regnum terrenum dimisit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinato in suo loco in regem filio suo, qui erat major natu, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto, monachus effectus est, elemosinis, vigiliis & orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem regem constituerat, longe a paterna intentione & operatione recedens, prædas cœpit exercere, ebrietatibus, commessationibus & libidini vacare & omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, & militiæ cingulum resumpsit, & cultu regio indutus, associatis sibi DEum timentibus, filium persecutus est. Quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, & in carcerem misit. Deinde convocato omni regno suo filium suum juniorem regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta Christianitate deviaret. His ita patratis, deposito cingulo & resumpto sanctæ conversationis habitu, monasterium ingressus in sancta conversatione reliquum præsentis vitæ tempus duxit. XIV. Anno Dom. DCCCLXX. Lotharius Romam profectus est. Quo cum pervenisset, ab Adriano pontifice susceptus est, qui cum interrogatus ab eodem fuisset, si antecessoris sui pii patris Nycholai monita observasset, respondit, se omnia, quæ sibi injuncta ab eo fuerant, diligenter observasse. Cumque & hoc idem optimates, qui cum eo venerant, affirmarent, Papa cum omni alacritate DEO gratias referens, ait: Restat ergo, fili karissime, ut ad confessionem Sancti Petri accedas, ubi DEO propitio salutarem hostiam pro tua non tantum corporis, quam animæ incolumitate immolabimus, ex qua te nobiscum participari oportet, ut per hanc participationem membris Christi, unde abscissus videbaris, merearis incorporari. Finito igitur missarum officio, invitat summus Pontifex eundem regem ad mensam Christi. Acceptoque in manibus corpore & sanguine Domini ita eum alloquitur: Si innoxium te recognoscis a prohibito atque interdicto tibi a Domino Nycholao adulterii scelere, & hoc fixa mente statutum habes, ut nunquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ, dudum a te repudiatæ miscearis nefario concubitu, fiducialiter accede & sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe. Si autem tua conscientia te accusat, & letali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire disponis, in mœchiæ volutabro, nequaquam sumere præsumas, ne forte ad judicium & condempnationem tibi eveniat, quod fidelibus ad remedium divina præparavit providentia. Qui mente captus, obduratus pariter & obcæcatus, absque retractione communionem corporis & sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit, non expavescens illam sentenciam, quæ dicit, horribile esse incidere in manus DEI viventis. Deinde conversus idem præsul ad sequaces & fautores regis, unicuique communionem obtulit in hæc verba: Si Domino ac Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine favorem non præstitisti, neque consensisti, & Waldradæ & aliis ab hac sede Apostolica excommunicatis non communicasti, corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis in hisce Jesum sciens, ausu temerario communionem sub tali contestatione porrectam sumere præsumpsit, divino judicio percussus ab hac luce subtractus est, antequam subsequentis anni rediret principium. Perpauci, qui se a communione subtraxerunt, vix periculum evaserunt. Porro Lotharius Romam egressus morbo corripitur, & Placentia civitate perveniens diem clausit extremum VI. Idus Augusti. Tanta autem strages in præfati regis populo facta est, ut non peste perisse, sed hostili gladio corruisse virtus & nobilitas totius videretur regni. Igitur Karolus audiens Lotharium fratrem suum obisse, regnum illius occupare nititur, ac veniens Aquisgrani consilio optimatum suorum Bertulphum Ecclesiæ Trevirorum præfecit Episcopum: deinde Coloniensibus Hilduinum Abbatem præponere temptavit. Quod audiens Ludewicus Imperator, frater ejus, iratus misit Luitbertum Mogontiæ Archiepiscopum Coloniam & Willibertum venera-

nerabilem virum eis præfecit, mandans fratri, ut unum e duobus eligeret, aut cito a regno recederet, aut sibi pugnandum cum fratre foret. XV. Anno Domini DCCCLXXI. Ludewicus & Carolus una cum optimatibus & proceribus suis in locum, qui dicitur Morsana juxta Mosam venientes, regnum Lotharii inter se æquis partibus diviserunt. Per idem tempus Carolus Carlomannum filium suum oculis privavit. Siquidem prædictus rex ex Irmindruda regina tres filios susceperat, Carolum scilicet, Carlomannum & Ludewicum. Sed duo ex his infeliciter perierunt. Nam Carolus a quodam Albuino occiditur & Carlomannus ad huc puer jussu patris attonsus clericus effectus est. Dein ad dyaconatus officium promovetur, ewangeliumque in ecclesia publice legit. Post hæc per apostasiam recedens, abjecta religione, alter Julianus efficitur, collecta prædonum non modica turba ecclesias cœpit devastare, & inaudita mala perpetrare. Pro quibus cum crebro a patre correptus fuisset, nec tamen ab incepta pravitate cessaret, ex præcepto patris ei oculi eruuntur. XVI. Anno Domini DCCCLXXII. Adrianus Papa moritur, & Johannes CVII. ordinis succedit, post quem Martinus CVIII. post quem Adrianus CIX. post quem Agapitus CX. post quem Basilius CXI. post quem Stephanus CXII. His diebus Adalgysus dux Beneventanus, Græcorum persuasionibus corruptus, adversus Ludewicum Imperatorem manum levavit. Etenim ejus hortatu plurimæ civitates provinciarum Samnii, Campaniæ atque Lucaniæ a Ludewico recedentes Græcorum se dominationi subdiderunt, Quibus cognitis, Imperator in provinciam Samniticam exercitum transfert. Peritus harum provinciarum capit Beneventum ditissimam & opulentissimam civitatem. Adalgisus adventare sentiens exercitum, timore perterritus, ad callida argumenta convertitur, &, Benevento egressus, Imperatori ultro se offert, paratum se esse & semper fuisse ad ejus obsequium profitetur, nunquam defectoribus se assensum prebuisse juramento affirmat; deinde muneribus regem sibi placat, ac mox in pristinam recipitur gratiam. Imperator in Campaniam & Lucaniam civitates, quæ defecerant, transponit copias. Quas absque difficultate in deditionem recepit absque Capua, quæ, quia quadro lapide erat constructa, audaciam repugnandi cum civibus præbuit. Cingitur itaque obsidione, omnisque aditus intrandi aut exeundi penitus intercluditur; Regio ab circuitu vastatur, cuncta hostili rapacitate diripiuntur; novissime vites, oliveta & ceteræ fructiferæ arbores radicitus exciduntur. Capuani desperatis rebus, episcopum civitatis adeunt, corpus sancti Germani episcopi, cujus animam venerabilis pater Benedictus in sphæra ignea ab angelis in cœlum deferri vidit, in feretro levant; & sic portis apertis supplices castra Imperatoris petunt, orantes ejusdem sancti interventu veniam sibi largiri. Augustus, ut totus pietatis visceribus affluebat, misericordia motus, erratus atque excessus benigne indulsit, præcepitque exercitui, manum ab excidio retrahere. Expulsis itaque habitatoribus, custodes ex satellitum numero in civitatibus, quas receperat, locat, & Beneventum proficiscitur, ibique dimisso exercitu per aliquot tempus immorari disponit. Adalgisus vero regem destitutum suorum viribus cernens, jamdudum conceptam iniquitatem parturit, & cum suæ conspirationis sectatoribus palatium, in quo Imperator meridie quiescebat, occupare nititur. Rex a strepitu & clamore irruentium excitatus, lecto desiliit, arma corripuit, & cum perpaucis corporis sui custodibus ad ostium domus turbatus repente processit, aditum ferro intercludens, hostem a limine arcessus est. Adalgisus sentiens, non sine discrimine ostia domus esse penetranda, ab introitu pedem retrahit, palatiumque flammis jubet exuri. Interea rex dextras sibi dari petit, pacemque obnixe deposcit. Cui responsum est, non aliter petita impetraturum, nisi prius jurejurando devovisset, nunquam se diebus vitæ suæ Beneventi fines intraturum, neque de calumpnia, quam tunc patiebatur, vindictam aliquando exacturum. Allatis itaque sanctorum pignoribus, necessitate constrictus, sacramentum, quod ab eo exigebatur, juravit, statimque postera die a Benevento exivit. XVII. Anno Domini DCCCLXXIII. Ludewicus Imperator Romam venit, ibique conventum celebrans, coram summo Pontifice multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. A senatu Romanorum idem Adalgisus tyrannus atque hostis reipublicæ declaratur, bellum adversus eum decernitur. Johannes Papa Imperatorem a juramento, quo se obligaverat, auctoritate Dei & sancti Petri absolvit, affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, non sacramentum esse dicendum, quod contra salutem reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus fuerit prolatum. His exhortationibus principis animum ad rediviva certamina provocat. Tamen ne a suis perjurus diceretur, nequaquam ipse contra tyrannum procedit, sed reginam cum exercitu dirigit. Quod audiens Adalgisus timore perculsus in Corsicam Insulam secessit, ibique ad tempus delituit. XVIII. Anno Domini DCCCLXXIV. XVIIII. Anno Domini DCCCLXXV. Karolus Rex Andegavensem obsidebat urbem. Denique Nortmanni, occisis principibus terræ, Andegavensem civitatem, civibus fuga dilapsis, cum mulieribus & parvulis ingrediuntur, diruta reparant, fossas vallosque renovant, & ex ea prosilientes, repentinis incursionibus circumjacentes regiones devastant. Cernens igitur exercitus regis urbem inexpugnabilem esse, conati sunt fluvium a suo alveo derivare, ut exsiccato naturali meatu, naves Nortmannorum invadere possent. Ceperunt itaque fossam miræ profunditatis ac latitudinis aperire, quæ res tantæ formidinis metum Nortmannis ingessit, ut absque dilatione ingentem pecuniam Karolo pollicerentur, si soluta obsidione, eis ex suo regno liberum præberet egressum. Rex turpi

cupiditate superatus pecuniam recepit, & ab obsidione recedens, hostibus vias patefecit. Illi autem, sicut promiserant, a regno non recesserunt, sed pejora ibidem peregerunt. Anno Domini DCCCLXXVI. Ludewicus Imperator obiit.

A. Dominicæ incarnationis DCCCLXXVII. ab urbe vero condita MDCXXIX. Karolus junior, filius Ludewici, qui fuit nepos Caroli LXXVI. loco ab Augusto regnare cepit, & cum fratribus suis Karlomanno & Ludewico annis undecim regnavit. Ludewicus quippe, ut ajunt, tenuit Ostro-Franciam, Karlomannus Bajoariam, cujus filius Arnoldus postmodum tenuit Monarchiam. II. A. Dom. DCCCLXXIIX. Karolus Senior Romam secundo profectus est, ubi jam pridem Imperatoris nomen a præsule sedis Apostolicæ Johanne, ingenti pretio emerat, regnumque Italiæ magis in transeundo vidit, quam fruendo potitus est. Ab urbe Roma in Longobardiam reversus, Bosoni, germano Richildis reginæ, Irmingardam filiam Ludewici Imperatoris in matrimonium jungit. Deinde Papyam ingressus, cum in disponendis publicarum rerum negotiis animum intenderet, repente nuntiatum est ei, Karlomannum cum ingenti armatorum multitudine Longobardorum regna introisse. Mox pavore solutus, Ticinum Palumque transit, & summo annisu in Gallias repedare contendit. Sed prius quam Alpium præminentia juga angustaque itinera attingeret, ægritudine pulsatur, quam protinus mors subsecuta, finem vitæ posuit. III. Anno Domini DCCCLXXIX. Ludewicus filius Karoli, qui Balbus appellabatur, ab hac luce subtractus est. Hic ex Ansgarda conjuge habuit duos filios, Ludewicum & Karlomannum. IV. Anno Domini DCCCLXXX. Ludewicus, qui Austrasiis imperabat, cognita morte Caroli in regnum illius invadere disponit, & transvadata Mosa, imperii fines occupavit. Cui occurrerunt duo memorati fratres scilicet Karlomannus & Ludewicus cum valida manu; sed intercurrentibus vicissim legationibus, nequaquam pugna committitur; sed pax roboratur. Adolescentes quippe, ut fœderatus ab eis recederent, portionem regni Lotharii, quam avus, paterque tenuerat, ex integro illi concesserunt, addita insuper Atrabatis Abbatia sancti Vedasti. Facta itaque pactione, datisque sacramentis cum in regnum isdem rex reverteretur, repente obviam habuit Nortmannorum innumeram multitudinem juxta Cabonariam, in loco qui vocatur Thymum, cum ingenti præda ad classem repedantem. Cum quibus absque mora conflixit, & Deo propitiante maximam ex eis partem gladio prostravit. V. Anno Domini DCCCLXXXI. Karlomannus Rex, paralisi dissolutus, diem clausit extremum, sepultusque est cum debito honore in Bajoaria. Fuit vero iste præcellentissimus rex litteris eruditus, Christianæ religioni deditus, justus, pacificus, in omni morum honestate decoratus. Huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles propter in fœcunditatem conjugis, sed ex nobili quadam fœmina filium elegantissimæ speciei, quem Arnolfum nominari jussit, ob recordationem reverentissimi Arnolphi Mettensis ecclesiæ episcopi, de cujus sancto germine omnis Francorum nobilis prosapia pullulaverat. Ludewicus igitur comperiens, quod frater ejus obisset, Bojoariam ingressus ad Radesponam venit, ubi omnes optimates regni ad eum confluentes, ejus ditioni se subdiderunt. Concessit autem idem rex Arnolpho Carantanum, quod ei pater jampridem concesserat, in quo situm est castrum, quod Mosburg nuncupatur, eo quod palude impenetrabili vallatur, difficillimum adeuntibus præbet accessum. VI.

Anno Domini DCCCLXXXII. Karolus de Alemannia egressus Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit. Et Romam perveniens, a præsule sedis Apostolicæ Johanne & senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum gloria magna Imperator cum Richarda uxore sua ordinatur. Per idem tempus Nortmannorum classis Wal fluvium ingressa, Noviomagi ad regium palatium applicuit, ibique castra posuit. Quod cum comperisset Ludewicus cum exercitu statim venit, & munitionem obsidione clausit. Conserto nonnullis diebus certamine, non adeo prævaluit, quia palatium ingentis magnitudinis mirique operis hostibus tutissimum receptaculum præbebat. Postremo rex accepta pollicitatione, quod si ab obsidione cessaret, Nortmanni continuo de regno ejus decederent, cum omnibus copiis recessit. Quo recedente palatium una cum munitione exurunt & navibus ascensis hostia Reni repetunt. Item eodem anno Godefridus & Syfridus reges Nortmannorum cum magna multitudine juxta Mosam venientes, & finitima loca depopulantes, Leodium, Trajectum, Tungrim, civitates incendio consumunt. Deinde Ribuariorum finibus effusi cædibus, rapinis ac incendiis cuncta devastant. Coloniam Agrippinam, Bunnam, civitates cum adjacentibus castellis, scilicet Tulpiaco, Juliaco & Misia, igne comburunt. Post hæc Aquis palatium, etiam Malmundarias & Stabulaus Monasteria in favillam redigunt. Arduennam etiam percurrentes, Prumiam ingrediuntur, ipso die Epiphaniæ Domini, ubi triduo commorantes, omnem in circuitu regionem depopulati sunt. VII. Anno Domini DCCCLXXXIII. Ludewicus Rex morbo gravatus apud Franconovort moritur, sepultusque est in Lorasham juxta patrem in cœnobio. Habuit autem Luidgardam in matrimonium copulatam, ex qua unicum filium suscepit, quem nomine suo Ludewicum appellavit. Sed, ut præmisimus, post obitum fratris, dum ad obtinendum regnum ejus Bajoariam ingressus est, & in Ratispona moraretur, idem puerulus de fenestra cecidit, &, confractis cervicibus, statim exspiravit: quæ tam immatura mors non solum regi & reginæ vel etiam omni regno maximum luctum ingessit. Nortmanni audita morte regis, nimio exultabant tripudio etiam non de conflictu, sed de præda cogitabant.

bant. Igitur cum omni festinatione exibant, & Trevirorum nobilissimam civitatem Galliarum nonarum Aprilis die sacratissimo Cœnæ Domini occupant. In qua usque sancto die Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt. Deinde civitatem flammis exurentes, Mediomatrico dirigunt aciem. Quod cum reperisset ejusdem urbis antistes, adjuncto sibi Bertulfo Episcopo & Adho Comite ultro illis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine Nortmanni victores extiterunt. Is dum Episcopus cecidit, cæteri fugerunt. Pagani iter, quod ceperant, deferentes, cum ingenti præda summa celeritate ad classem revertuntur. Ea tempestate Karolus Imperator in Italia morabatur, ubi diversis legationibus Germaniæ ac Galliæ pulsatur, ad suscipienda regna sibi hereditario jure competentia festinaret, & periclitanti reipublicæ succurreret, quod capite amisso ad ludibrium hostibus erat. Qui nihil tardatus, cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum Longobardis, Bojoariis, Alamannis, Thuringis, Saxonibus, Fresonibus & omnibus regnis suæ ditioni subditis Nortmannos in supradicto loco obsidere conatus est. Sed voluntas ejus parum effectum optinuit, quanquam, ut diximus, ex diversis regnis & gentibus inæstimabilis multitudo in unum confluxit, indignatione cœlesti super populum Christianum ob religionem profanatam desæviente. Novissime Rex Godefridus Nortmannorum ea conditione Christianum se fieri pollicetur, si ei munere regis Fresia provincia concederetur, & Gisila filia Lotharii in uxorem daretur. Quæ, ut optaverit, adeptus, baptizatus est, & ex sacro fonte ab Imperatore susceptus est. Sifrido & reliquis Nortmannis inmensum pondus auri & argenti expositum est, & tali tenore fines regni excedunt. IIX. Anno Domini DCCCLXXXIV. Ludowicus Rex frater Karlomanni moritur apud Sanctum Dionysium, ibique honorabiliter tumulatur, quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati sunt. Fuit enim virtutis studiosus, regnumque sibi subditum a paganorum infestatione potenter viriliterque defendit. Inter cætera, quæ strenue gessit, illud præcipue prælium commendatur, quod adversus Nortmannos in loco, qui vocatur Sodaltcurt, summis viribus exercuit, in quo certamine, ut fertur, plusquam octo milia hominum gladio prostravit. Karlomannus frater regnum illius obtinuit. IX. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXV. Nortmanni, qui ab Ahslon recesserunt, Somnam fluvium intrant, ibique consederunt. Quorum creberrimas incursiones cum Karlomannus sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si a regno ejus recederent. Mox avide gentis animi ad obtinendam pecuniam exardescunt, & XII. millia pondera argenti puri atque probati exigunt, totidemque annos pacem promittunt. Accepta tam ingenti pecunia, funes a litore solvunt, naves conscendunt & marina litora repetunt. Interea Karlomannus ad venatum perrexit, ubi ab apro graviter vulneratus, post modicum vitam cum regno amisit, sepultus est apud Sanctum Dionisium. X. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVI. Hugo rebellare Imperatori disponens, legatos ad Godefridum occulte dirigit, eo quod esset illi affinitate conjunctus propter sororem, quam in conjugium acceperat, petens, ut contracto exercitu sibi opem ferret, quatinus recepto paterno regno medietatem ipsius pro munere acciperet. Hiis suasionum promissionibus Godefridus, veluti veneno infectus, a fidelitate Imperatoris se subducere temptat. Quod audiens Imperator Willibertum venerabilem Episcopum Coloniæ & Heinricum Comitem virum prudentissimum ad eundem misit, quatenus ejus animum ab incepta malitia revocarent. Qui in provinciam, quæ Batua dicitur, venientes, multa a Godefrido audiunt, multa ex parte Imperatoris respondent. Sed illo in nequitia sua perseverante, consilio Heinrici a quodam Evardo, cujus possessionem sæpe deprædatus fuerat, ibidem occiditur, omnesque Nortmanni, qui in Batua reperti sunt, trucidantur. Hug etiam dolo Heinrici capitur, & jussu Imperatoris ab eodem Heinrico cœcatur, omnesque ei faventes dehonestantur. XI. Anno Dominicæ Incarnation. DCCCLXXXVII. Nortmanni a Sona fluvio exeunt, & rursus in regno Lotharii revertentes, in loco qui dicitur Louon, castra sedesque statuunt, scilicet in confinio utriusque regni, & continuis incursionum infestationibus utraque regna fatigant. Ad quorum ingentem malitiam compescendam Imperator semel & iterum exercitum misit, sed nihil dignum adversus tantam violentorum rapacitatem actum est. Post hoc Sequanam ingrediuntur, & Parisius applicantes castra ponunt, & civitatem obsidione claudunt. Contra quos Imperator Heinricum Ducem cum exercitu vernali tempore dirigit: sed minime prævaluit. Erant enim, ut fertur, XXX. & eo amplius adversariorum millia, omnes pene robusti bellatores. Post hæc Imperator Galliarum populos perlustrans, Parisius cum immenso exercitu venit, ibique adversus hostes castra posuit: sed nil dignum ab Imperatore in eodem loco factum est. Ad extremum concessit terras & regiones, quæ ultra Sequanam erant, Nortmannis ad deprædandum, eo quod incolæ illarum sibi obtemperare nollent. Recessit & recto itinere in Alamanniam perrexit. Et primo quidem Luidwardum Episcopum Vercellensem, virum sibi percarum & in ministrandis publicis utilitatibus unicum consiliarium, objecto adulterii crimine, quod reginæ secretis familiarius, quam oporteret, immisceretur, a suo latere cum dedecore repulit. Deinde paucis interpositis diebus conjugem Richardam, sic enim Augusta vocabatur, pro eadem revocat. Et mirum dictu publice protestatur, nunquam se carnali coitu cum ea miscuisse, cum plusquam decennio legitimi matrimonii fœdere ejus consortio esset sociata. Illa e contra non solum

ab ejus, sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profitetur, ac de virginitatis integritate gloriatur, idque se approbare DEI omnipotentis judicio si marito placeret, aut singulari certamine aut ignitorum vomerum examine fiducialiter affirmat. Erat enim religiosa fœmina. Facto discidio in monasterium, quod in proprietate sua construxerat, DEO famulatura recessit. His ita gestis Imperator corpore & animo cœpit ægrotare. Mense itaque Novembri circa transitum Sancti Martini Triburias venit, ibique conventum generalem convocat. Cernentes optimates regni non modo vires corporis, verum etiam animi sensus ab eo diffugere, Arnolfum Karlomanni filium ultro in regnum attrahunt, & subito facta conspiratione ab Imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim transeunt, ita ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet. Cibus tantum & potus ex Liutberti Episcopi sumptibus administrabatur. Erat res spectaculo digna & æstimatione sortis humanæ rerum varietate miranda. Nam sicut ante, secunda fortuna rebus ultra quam arbitrari posset affluentibus, tot tantaque Imperii regna sine laborum sudoribus, sine bellorum certaminibus, attraxerat, ita ut post Magnum Karolum majestate & potestate, divitiis nulli regnum Francorum videretur esse postponendus, ita nunc adversa, velut in ostensione fragilitatis humanæ, deficiens, quæ fortuna cumulaverat, cuncta inhoneste in momento abstulit, quæ prospero arridens successu quondam gloriose attulerat. Mittit ergo ad Arnolfum ex Imperatore effectus egenus, & desperatis rebus non de imperii dignitate, sed de victu cotidiano cogitans, tantum alimentorum copiam ad subsidium vitæ præsentis supplex exposcit. Dirigit etiam Bernardum filium, quem ex pellice susceperat, cum xeniis, eumque ejus fidei commendat. Miseranda rerum facies, videre Imperatorem opulentissimum non solum fortunæ ornamentis destitutum, verum etiam opis egentem. Concessit autem Arnolfus Rex nonnullos fiscos in Alemannia, unde ei alimonia præberetur, ipse vero, compositis in Francia rebus, in Bajoariam revertitur.

Anno Dominicæ Incarn. DCCCLXXXIIX. urbis conditæ MDCXXXIX. Arnolphus filius Karlomanni fratris Karoli junioris LXXVII. loco ab Augusto regnum suscepit, annisque XII. regnavit, V. vero imperavit. Cujus anno I. Karolus Imperator junior, dimisso prius imperio, obiit. Arnolphus itaque Rex potens principabatur Bajoariis, Suevis, Francis orientalibus & post mortem Karoli Calvi Lotharingis, audacibusque Saxonibus, cui & Venteboldus Maravianorum Dux viriliter repugnavit. Usque ad hæc autem tempora Ungariorum gens, cujus omnes pene nationes expertæ sunt sævitiam, quibusdam difficillimis interpositionibus, quas clusuras nominat vulgus, separata erat a nobis, ut neque ad meridianam neque ad occidentalem plagam exeundi facultatem habuit. Arnolfus igitur Rex cum & Venteboldum supra dictum superare nequiret, depulsis, proh dolor! his munitionibus, Ungariorum gentem, scelerum cupidam, in auxilium vocat; si tantum auxilium dici potest, quod paulo post, eo moriente, cum genti suetum, cæteris in meridie occasuque degentibus grave periculum immo exitium fuit. Devicto itaque Zendeboldo Arnolfus secure potitur regno. Ungarii vero interim, observato exitu, contemplatique regionem, malum cordibus, quod post in propatulo apparuit, machinabantur. II. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIX. Luitperto Archiepiscopo Sunderoldus successit. Arn Wirziburgensis Episcopus in Saxonia occisus est inter missarum sollempnia, sedit autem annis XXXVI. menses VII. Ratispona incendio flagrat. III. Anno Domini DCCCXC. Arnolfus Rex exercitum Nortmannorum delevit. IV. Anno Domini DCCCXCI. Williberto Episcopo ab hac luce subtracto, Herimannus venerabilis vir per electionem cleri ac plebis Ecclesiæ Coloniensi præficitur. V. Anno Domini DCCCXCII. VI. Anno Domini DCCCXCIII. Sunderoldus Archiepiscopus a Nortmannis occiditur, pro quo Hatto ordinatur, obscurus quidem genere, sed acutus ingenio, & qui difficile discernetur, consilio melior foret, an pejor. VII. A. Dom. DCCCXCIV. Arnolfus cum valido exercitu Longobardorum fines intravit, & circa purificationem Sanctæ Mariæ castrum, quod nuncupatur Pergamis, cepit. Ambrosium comitem ipsius civitatis laqueo ante portam ipsius urbis in quadam arbore suspendit. Unde tantus timor super reliquas civitates cecidit, ut nullus auderet contradicere, sed omnes obviam procederent venienti. VIII. Anno Domini DCCCXCV. Arnolfus Rex Romam veniens a Formoso Papa imperiali benedictione sublimatur. IX. Anno Domini DCCCXCVI. X. Anno Domini DCCCXCVII. Karolus jam quindennis creatur in regem Gallie Ottone adhuc vivente & injuriam dissimulante, eodem tamen anno defunctus est. Cui Ottonis frater Ruotpertus a Karolo Dux Celtiæ prelatus cum postea regnum affectaret, a militibus Karoli interemptus est. Cujus filius Hugo ob necem patris regi semper infensus, consilio egit per quoscunque potuit ut Rudolphus filius Richardi Burgundionis eo multum reclamante rex crearetur, & Karolus Rex ab Heriperto eiusdem Hugonis cognato per insidias caperetur carcerique manciparetur in quo post quinquennium defunctus est anno regni sui XXXVI. vite vero LIII. Idem autem Karolus ex sorore Adelstani Regis Anglorum filium genuit nomine Ludewicum qui inter perturbationes patris infantulus ad huc transmarinis partibus advectus ad avunculum Adelstanum post patris necem & Rudolfi mortem paternum & avitum rexit imperium. Hic etiam ex Gerga Heinrici Ducis Saxonum & postea regis sorore Ottonis magni, quam extincto Giselberto ejus viro conjugem duxit, Lotharium filium suscepit, qui in eodem regno patri successit. XI. Anno Dom. DCCCXCVIII. XII.

XII. Anno Domini DCCCXCIX. Magna fames homines se invicem comedere persuasit. XIII. Anno Domini DCCCC. Arnolfus Imperator obiit moxque eodem anno Ungarii morte ipsius audita collecto permagno exercitu Moravanorum gentem quam illorum auxilio Arnolfus Imperator sibi subdiderat invadunt sibique vendicant. Bajoariorum quoque fines occupant castella diruunt ecclesias igni consumunt, populos jugulant & ut magis magisque timeantur interfectorum sese sanguine potant. Cujus Arnolfi temporibus Formosus Papa vehementer affligebatur a Romanis cujus & hortatu Arnolfus Rex Romam advenerat & eam armis ceperat. Qui ingressus urbem multos Romanorum principes obviam sibi properantes ulciscendo pape injuriam decollari precepit. Causa autem simultatis inter Romanos & papam hec fuit. Formosi decessore defuncto quedam pars Romanorum Sergium quendam, Romane Diaconum ecclesie papam sibi elegerat, quedam vero pars non infima natu Formosum Portuensis civitatis episcopum pro vera religione divinarumque scripturarum & doctrinarum scientia papam fieri anhelabat. Cum autem in eo esset ut Sergius ordinari debuisset pars que Formoso favebat non sine mediocri tumultu & injurias Sergium ab altari expulit & Formosum Papam constituunt. Unde Sergius descendit in Tusciam quatenus Adelberti Marchionis potentissimi juvaretur per potenciam. Quod & factum est. Nam Formoso defuncto & Arnolfo in patria miserabili morte scilicet vermium quos pediculos dicunt, tanta scaturitione ut nullis medicorum curis minui possent extincto, is qui post necem Formosi constitutus est expellitur, Sergiusque per Adelbertum Papa constituitur. Qui constitutus ut impius sanctarum doctrinarum inscius Formosum e sepulchro extrahi atque in sede Romani pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum locari sicque decollari precepit. Cui & ait. Cum Portuensis esses episcopus cum ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti. Deinde sacris exutum vestibus abscisisque digitis tribus in Tyberim jactari precepit, cunctosque quos ipse ordinaverat gradu propio depositos iterum ordinavit. Quod quam male & injuste egerit in hoc animadverti poterit quam & hi qui a Juda proditore ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperunt, ea post proditionem propriique corporis suspensionem non sunt privati nisi quos improba forte fedarunt flagicia. Benedictio siquidem que ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur sed qui non videtur sacerdotem infunditur. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis quantæque religionis Formosus Papa fuerit, hinc colligere possumus, quem dum a piscatoribus postmodum esset inventus atque ad beati Petri principis Apostolorum ecclesiam deportatus, Sanctorum quidam imagines sese inclinantes hunc in loculo positum venerabiliter salutaverunt. Quod religiosissimi Romane urbis testati sunt. Post Formosum Johannes Papa CXV. extitit, cui Stephanus CXVI. successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCI. ab urbe condita MDCLII. Ludowicus Arnolfi Imperatoris filius LXXVIII. loco ab Augusto admodum puer Imperium suscepit & XII. annis regnavit. Cujus anno primo Ungarii Bajoariam vastarunt sed Ludowicus gentis sue depopulationem non ferens magno exercitu coacto juxta Licum fluvium cum eis pugnavit & plusquam mille ex eis interfecit. Cumque pugna usque ad horam septimam jam protraheretur & regis victoria estimaretur, Ungarii callide positis ex adverso insidiis fugam simulant, quos dum regis milites doli ignari impetu validissimo insequerentur omni ex parte prodeunt insidiæ & quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse e victore se victum esse miratur fitque illi non opinatus gravior casus. Ungarii vero ut rabiem perfidie sue saciarent, Bajoariorum, Suevorum, Francorum regna percurrunt cunctaque vastando incendunt. Hujus temporibus Adelbertus non quilibet mediocris sed ex primatibus magnus ille heros filius sororis Heinrici Ducis sed postea regis, nepos Ottonis Ducis Saxonie, simultatem non modicam in castello Bavenberg contra rem publicam exercebat. Nam cum inimicitiæ essent inter Cunradum patrem postea regis, primum a Cunrado interfectus est frater Adelberti, in cujus ultionem Cunradus quoque postea occisus est ab Adelberto. Non ullus regum potuit tam ingens bellum inter eminentes viros ortum sedare. Cumque ipsi etiam Regi Ludowico rebellis existeret Adelbertus, sæpe Rex, congregatis omnibus, super castellum ejus irruit. Cui nominatus heros non juxta castellum, ut plerique solent, sed procul a munitione præparat bellum. Regis itaque milites priusquam hujus virtutem re ipsa experirentur, regem præcuntes pugnæ præludio hunc extra castra elicere atque interficere cogitabant, sed ipse hujusmodi præludio non solum non ignarus, sed etiam - - - - - his obviam tam longe a castro processerat, ut hunc milites eo usque ex adversariis esse non cognoscerent, quo ad eorum cervices istius mucro cædis impatiens desæviret. Igitur cum septennio ferme Adelbertus heros rebellionem hujusmodi exerceret, sciens Ludowicus fortitudinem illius audaciæ, haudquaquam nisi se tergiversatione quadam posse devincere, Hattonem Mogontinæ sedis Archiepiscopum, quid super hac re faciendum esset, consuluit. Qui ut erat versutia plenus; desine, ait, ego te securum meis sollicitudinibus reddam: ego ut ad te ille adveniat providebo: tu, ne redeat, curato. Hatto itaque animi confidentia, qua nonnullas res ex infortunio secundas effecerat, animatus, Bavelberg, quasi Adelberti rebus consulturus, adiit, multaque locutus in dolo, suasit ei ad regem venire, spondens ei jurejurando, aut ei pacem cum rege facturum, aut incolumem illum suo loco restiturum. His pactis consentiens Adelbertus, fidei & amicitiæ gratia

ut

ut dignaretur prandere rogavit Episcopum. Quo calliditatis obtentu negante, ilico urbem egressi sunt, episcopo dextram Adelberti tenente. Cumque pertransissent oppidum cum omni comitatu, fertur episcopum clamasse; proh, inquiens, quam sæpe petit, quæ oblata spernit. Tædet me longioris viæ & tardioris horæ; jam jejuni tota die non possumus ambulare. Hæc audiens Adelbertus, nihilque mali suspicatus ad genua Pontificis se lætus inclinavit, &, ut in urbem gustandi gratia revertitur cum Adelberto, deputans, se liberatum a vinculo juramenti, eo quod incolumem illum sic restituisset in loco suo. Post hæc cum pontifice exiens, regi Ludowico ab eo præsentatur; moxque habito judicio principum, qui affuere decreto, capitalem subiit sententiam, & in proprio castello Tharissa accepit sepulturam. II. Anno Domini DCCCCII. Ungarii Charentaniam invadunt, & commisso in Sabbato Paschæ pugna occiduntur. III. A. Domini DCCCCIII. IV. Anno Domini DCCCCIV. V. Anno Domini DCCCCV. VI. An. Domini DCCCCVI. Ungarii a Montanis occiduntur. Berengir, Reinold & Gerhard gemini fratres interficiuntur. VII. Anno Domini DCCCCVII. Pugna inter Adelbertum fratrem eorum & Conradum fratrem Ludowici Imperatoris, in qua Cunradus occiditur. VIII. An. Domini DCCCCVIII. IX. Anno Domini DCCCCIX. Ungarii Saxoniam & Thuringiam vastant. Leo Imperator Constantinopolim obiit. X. Anno Domini DCCCCX. Ungarii Alemanniam petunt. XI. Anno Domini DCCCCXI. Franci pugnant cum Ungariis. XII. Anno Domini DCCCCXII. Ludowicus Rex sine filiis moritur. Hic juxta quosdam ultimus dicitur Karolorum apud orientales Francos imperantium; juxta quosdam vero Cunradus, qui post eum imperavit, ultimus computatur, a quibus pater illius Cunradus, qui ab Adelberto interfectus est, frater Ludowici hujus fuisse æstimatur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXIII. urbis autem conditæ MDCLXIV. Cunradus filius Cunradi, quem Adelbertus occidit, Francorum ex genere oriundus, vir strennuus, bellorumque exercitio doctus, omnium electione. LXXIX. loco ab Augusto regnum accepit & VII. annis regnavit. Sub quo potentissimi principes erant, Arnoldus in Bajoaria, Burchardus in Suevia, Eurardus comes potentissimus in Francia, Gisilbertus dux in Lotharingia, inter quos Heinricus Saxonum & Thuringorum dux præpotens clarebat. Secundo autem regni ejus anno memorati principes huic præsertim rebelles extiterant, quos ille tam sapientiæ vigore, quam fortitudinis robore superavit, suamque ad fidelitatem perduxit. Arnolfus autem nimio terrore coactus cum uxore ac filiis ad Ungarios fugit, ibique usque ad obitum Cunradi permansit. Primo anno Cunradi regis Ungarii ab Alemannis & Bojoariis juxta fluvium Eni, qui vulgariter Ine dicitur, occiduntur. II. Anno Domini DCCCCXIV. prædicti principes regi rebellant. Rudolfus rex moritur, post quem Ludewicus Karoli filius in regnum patris consilio Hugonis ducis, filii Ruperti, ex transmarinis partibus ad Gallias reducitur, cui idem Hugo tamen postea adversatur. Hoc tempore Martinus Papa CXVII. extitit III. Anno Domini DCCCCXV. Ungarii Alemanniam devastant. IV. Anno Domini DCCCCXVI. A. D. DCCCCXVII. Ungarii Alemanniam totam igne & gladio devastant. V. Anno Domini DCCCCXVIII. Erkinger dux & Bertoldus germani fratres decollantur. Basylea ab Ungariis destruitur. VI. Anno Domini DCCCCXIX. Ungarii per Alemanniam & Alsatiam transeuntes, Lotharingiam invadunt. Cunradus rex moritur, cujus consilio & præcepto Heinricus Dux Saxoniæ, filius Ottonis Ducis, in regnum provehitur. Sed quia Karoli stirpe in regno Francorum deficiente, regnum jam ad Saxones per Heinricum transfertur, de eo pauca narrare incipiamus, sicque ad initium regni pertendamus.

Quomodo Cunrado mortuo Heinricus Saxo filius Ottonis ei successerit.

Igitur Karolus susceptum contra Saxones bellum, quod magna utrorumque animositate, majore tamen Saxonum dampno per continuos XXX. annos tractum est, ea conditione constat esse finitum, ut abjecto Dæmonum cultu Christianæ religionis sacramenta susciperent. Quod & factum est. Wittikint quoque, qui inter eos & claritate generis & opum amplitudine eminebat, & qui perfidiæ eorum auctor & incentor indefessus erat, ad fidem Karoli sponte veniens, apud Tiniacum baptizatus, & a rege de fonte susceptus est; sicque Saxonia tota superata & subjecta est. Hujus Witikindi filius Wigbertus, Christianæ religionis cultor devotus, filium procreavit, quem Waltbertum vocavit, qui & ipse ab infantia religiosus, cum factus esset vir, Romam causa orationis & reliquiarum acquirendarum tetendit, corpusque Alexandri filii sanctæ Felicitatis integrum accipiens a Papa tunc temporis Leone, Saxoniam detulit, & in loco, qui dicitur Wildishuson, locavit. Ex ejusdem Saxoniæ gentis stirpe vir nobilis permagnificus est egressus nomine Luitholfus, qui & ipse religionis gratia Romam profectus, beati Papæ Innocentii reliquias inde adduxit. Hic habuit filios duos, Brunonem & Ottonem, quorum major Bruno cum totius Saxoniæ ducatum administrasset, exercitum contra Danos duxit, ibique occisus, ducatum fratri Ottoni reliquit. His erat soror nomine Luitgard, quam Ludowicus rex filius Arnolphi Imperatoris uxorem duxit, sed non diu postea vixit. Quo sine filiis mortuo omnis Francorum Saxonumque populus voluit Ottoni Duci diadema imponere regni; Quod cum ille quasi jam senio gravior recusaret, ejus consultu Cunradus Francorum Dux ungitur in regem, summa tamen rerum semper & ubique fuit penes Ottonem. Natus est autem eidem Ottoni filius, nomine Heinricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia. Qui cum in primæva ætate omni virtutum genere vitam suam exor-

exornaret, pater ejus videns prudentiam adolescentis, reliquit ei exercitum adversus Dalmatiam, contra quam ipse diu militavit. Igitur pater patriæ magnusque Dux Otto defunctus, illustri & magnifico filio Heinrico totius Saxoniæ ducatum reliquit. Rex autem Cunradus cum sæpe expertus fuisset virtutem novi ducis, veritus est ei committere omnem potestatem patris, quo factum est, ut offensionem incurreret totius exercitus Saxonici, quorum vultum erga se austeriorem cernens rex, nec ducem eorum publico bello se posse conterere præ innumera exercitus multitudine perpendens, egit, ut quoquo modo interficeretur dolo: ad hoc habens, ut fertur, maxime idoneum Moguntinæ sedis episcopum nomine Hattonem, cujus consilio & Adelbertus Babergensis deceptus est. Hic prædictum ducem aggressus dolo, fecit ei fabricari torquem auream, & invitavit eum ad convivium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea pontifex considerandi operis gratia ingressus ad aurificem, visaque torque, fertur ingemuisse. Gemitus causam cum aurifex requisisset, respondit, quia optimi sibique carissimi viri, scilicet Heinrici Ducis, sanguine torques illa deberet intingi. Aurifex audita silentio texit ac opere perfecto & reddito, missionem petiit & accepit, obviansque duci, eunti ad ea negotia, indicavit ea quæ audivit. Ipse autem vehementer iratus, vocat legatum Pontificis, qui jam pridem aderat, invitandi eum gratia, & ait: Vade, dic Hattoni, quia durius collum ingerit Heinricus, quam Adelbertus, & quia melius rati sumus domi sedere, & de ejus servitio tractare, quam comitatus nostri multitudine eum gravare. Et statim reversus, omnia quæ juris ipsius erant, in omni Saxonia vel Thuringia occupavit. Burchardum quoque & Bardonem, quorum alter regis gener erat, in tantum afflixit, ut terra cederent, eorumque possessiones ipse militibus suis totas divideret Hatto autem episcopus, videns suis calliditatibus finem impositum, nimia tristitia ac morbo pariter non post multos dies confectus interiit. Fuerunt etiam, qui dicerent, quia fulmine tactus ejusque ictu dissolutus, post tertium diem defecisset. Rex autem misit fratrem suum Everardum cum exercitu ad devastandam Saxoniam. Qui appropians urbi, quæ dicitur Heresburg, superbe, ut tradunt, locutus est, quod nulla sibi cura major esset, quam quod Saxones pro muris se ostendere non auderent, quo cum eis dimicare potuisset. Adhuc sermo in ore ejus erat, & ecce Saxones ei occurrerunt miliario uno ab urbe, initoque certamine tanta cæde Franci multati sunt, ut a mimis declamaretur, ubi tantus ille infernus esset, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Frater autem regis a timore absentiæ Saxonum liberatus est, quia eos & præsentes vidit, & ab ipsis turpiter fugatus discessit. Audiens autem rex, male pugnatum a fratre, congregata omni virtute Francorum, perrexit ad requirendum Heinricum. Quo comperto, in præsidio urbis, quæ dicitur Gruona, temptavit illud oppugnare præsidium. Et missa prius legatione pro spontanea deditione, spondet, se pro hoc sibi amicum affuturum, non hostem experturum. Huic legationi intervenit Dietmarus ab orientalium Saxonum parte, vir disciplinæ militaris peritissimus, varius, consilioque magnus, & qui calliditate ingenita multos mortales superaret. Hic superveniens legatis regis præsentibus interrogat ducem, ubi vellet exercitum metari. At ille, jam persuasus cedere Francis, accepit fiduciam, audiens de exercitu, credens ita esse. Dietmarus vero ficte loquebatur: cum quinque enim tantummodo viris advenerat. De numero autem legionum suscitante duce, ad XXX. fere legiones se producere posse respondit. Ita delusi legati regressi sunt ad regem. Vicit vero illos calliditate sua Dietmarus, quos ipse dux ferro vincere non potuit Heinricus. Nam ante lucanum rediens, castris Franci unusquisque rediit in sua. Septimo autem anno regni sui Cunradus Rex ægrotare cœpit, sciensque vocationis suæ tempus adesse, principes regni, excepto Heinrico, convocavit, & eos ita convenit: Vocationis meæ tempus agnosco, & ut cernitis, præsto est; proinde pacem concordiamque vos sectari etiam etiamque rogo. Me hominem exeunte, nulla vos regnandi ambitio inflammet. Heinricum Saxonum Thuringorumque ducem prudentissimum regem eligite, dominumque constituite. Is enim est & sapientia pollens, & justæ severitatis censura habundans. Quibus in hæc verba consentientibus, vocat fratrem suum Everhardum, sicque alloquitur illum: Sentio, frater, me diutius istam vitam tenere non posse, idcirco considerationem tui habeto, & quod ad te maxime respicit, omni Francorum regno consulito, in eo fratris tui intendito consilio. Sunt nobis copiæ congregandæ atque ducendi exercitus, sunt urbes & arma cum regalibus insigniis & omne quod decus regnum deposcit, præter fortunam & mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Heinrico cedit. Rerum publicarum summa secus Saxones est. Sumptis igitur his signis, lancea scilicet & armillis aureis, cum clamide & veterum gladio regum ac diademate, ito ad Heinricum, pacemque facito cum eo, ut eum fœderatum habere possis in perpetuum. Quid est enim necesse, ut cadat populus Francorum tecum coram eo. Ipse enim vere rex erit, & Imperator populorum multorum. His dictis frater lacrimans se consentire respondit. Post hæc rex moritur, vir fortis & potens, domi militiaque optimus, largitate serenus, & omnium virtutum insigniis clarus; sepeliturque in civitate sua Wilinaburg cum mœrore ac lacrimis omnium Francorum. Ut ergo rex imperavit, Everhardus Heinricum adiit, seque cum omnibus thesauris illi tradens, pacem cum eo fecit, amicitiamque eius promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus & natu majoribus, exercitus Francorum in loco, qui dicitur Frideslare, designavit eum regem coram omni populo

pulo Francorum atque Saxonum. Cui cum unctio & diadema offerretur a summo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sprevit, nec tamen suscepit; satis, inquiens, mihi est, ut præ majoribus meis rex dicar & designer divina annuente veraque pietate; penes meliores vero nobis unctio ac diadema sit, tanto honore nos arbitramur indignos. Placuit iste sermo coram universa multitudine, &, dextris in cælum levatis, nomen novi regis clamore valido salutantes, frequentabant. Hoc ordine rex factus Heinricus, perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra Burchardum ducem Alemanniæ, cujus filiam habuit uxorem Rudolfus Burgundio, qui post interfectionem Ruperti Regis Galliarum, patris Hugonis Ducis, fratris vero Ottonis Regis, ab inimicis Karoli Regis rex elevatus est, sicut & Rupertus decessor ejus. Burchardus vero dux, licet esset bellator intolerabilis, sentiens tamen, cum valde prudens esset, congressionem regis se sustinere non posse, tradidit ei semetipsum cum universis urbibus & populo suo. Eodem tempore Arnoldus Dux cum uxore & filiis ab Ungaria rediens, honorifice a Bajoariis suscipitur; non solum suscipitur, sed etiam, ut rex fiat, vehementer ab eis exhortatur. Rex autem Heinricus, cum inter omnes regni principes sibi obtemperantes, Arnolfum solum resistere cerneret, collecto exercitu prævalido, Bajoariam tendit, eumque juxta quosdam in præsidio urbis Ratisponæ obsedit. Quod ille videns, seque regi resistere non sufficere perpendens, portis apertis egressus est ad regem, tradens semetipsum cum omni regno suo & honorifice susceptus ab eo, amicus regis appellatus est. Rex autem Heinricus de die in diem proficiens, robustior & clarior habebatur. Cumque regnum ab antecessoribus suis ex omni parte confusum, civilibus bellis & externis colligeret, pacificaret & adunaret, signa movit contra Galliam & Lotharii regnum, qui & Giselbertum Ducem Belgicæ, nobilem juvenem, desponsata sibi filia sua nomine Gerbirga, affinitate pariter & amicitia junxit eum sibi, sublegato & omni Lotharii regno.

Post hæc Rex Ungarios Saxoniam percurrentes, probare volentes, an novus rex solita vellet tributa persolvere, collecto exercitu de finibus suis expulit, cæsis eorum exercitibus. Pragam etiam adiit, Boëmiorum urbem, regemque ejus accepit in deditionem, qui erat pater Bolizlai, qui, quamdiu vixit, regi fidelis & utilis fuit. Boemia itaque tributaria facta, rex reversus est in Saxoniam. Heinricus etiam pater patriæ & rerum dominus, Imperatorque ab exercitu appellatus, famam potentiæ virtutisque cunctis regibus & gentibus longe lateque diffudit. Unde & aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamque in conspectu eius invenire quærentes, fidem talis ac tanti viri dilexerunt; intes quos Heribertus, gener Hugonis Ducis, cum ei Rudolfus Rex adversaretur, ut apud illum sibi præsidio esset, supplicavit. Ipse enim talis erat, ut nihil negaret amicis. Perrexit igitur Galliam Rex, regem alloquitur, perfectoque negotio, Saxoniam revertitur. Accepit etiam ab ipso rege Rudolfo lanceam quandam, quam Constantini magni, sanctæ Helenæ filii, fuisse dicebant, quæ excepta ceterarum specie lancearum, novo quodammodo opere, novaque elaborata arte & figura, juxta mediam spinam habuit utrobique quasi fenestram, & in media spina cruces ex clavis manibus & pedibus salvatoris domini nostri Jesu Christi affixis. Quam sanctam lanceam adeptus Heinricus, maxima veneratione semper habuit, per eam sæpe de hostibus triumphavit, eamque filio suo Ottoni Magno, decedens, cum regno reliquit, eamque credimus esse, quæ ex tunc hodieque in Imperatorum tutela solet manere. Sed & Hugo Rex Italiæ legatos ad eum direxit ejusque amicitiam habere summo studio quæsivit. Erat autem Regi Heinrico uxor & consors regni clara ac nobilissima, nomine Mathylda, filia Theoderici ex eadem Saxonum gente, cui patres erant Witikint & Immod & Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernam diem. Et hii erant ex stirpe magni Ducis Witikindi, qui bellum potens gessit contra Karolum Magnum per annos ferme triginta. Genuit autem Heinrico Mathilda ante regni susceptionem filiam Gerburgam, quam Gisilberto Duci Belgicæ dederat; filium quoque Ottonem mundi amorem; post regiam vero dignitatem genuit secundum, quem patris nomine vocavit Heinricum, virum fortem & industrium, facetia satis ornatum, consilio providum, vultus nitore gratiosum. Tertium quoque filium genuit, nomine Brunonem, quem Pontificis summi ac Ducis magni officium vidimus gerentem; frater quippe ejus Otto, dum post patris excessum regeret imperium, hunc omni litterarum scientia imbutum, præsulem fecit Coloniensium, factaque de hinc nimia perturbatione in regno, ita ut etiam filius Regis Ludolfus contra patrem consentiret pravorum consilio, Rex Otto ad disponendum regnum secedens in partes Orientis, fratri Brunoni Præsuli providendas commisit orientis. Ita cum magna religione usus est officio sacerdotis, & exigente necessitate, jussu regis, functus est virtute magnanimi Ducis. Nemo autem super hac re culpabilem dicat, cum Samuelem sanctum & alios plures sacerdotes pariter legamus & judices. Duxit autem Otto filius regis, vivente adhuc patre, uxorem ex gente nobilissima Anglorum, filiam fratris Adelstani Regis, quæ ab aliis appellatur Otgit, ab aliis Edidit. Hæc peperit ei filium, quem vocavit Ludolfum, quem ille multum dilexit; sed ipse postea sibi rebellavit. Heinricus autem Rex cum esset in exaltando gentem suam studiosus, rarus aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia erat, quem aut præclaro munere aut officio aliquo non promoveret. Erat autem ingenti prudentia pollens, formam quoque corporis regiæ dignitati

dignitati decoram adjiciens. In exercitiis autem ludi tanta eminentia omnes superabat, ut terrorem cæteris ostentaret. In venatione tam fuit acer, ut una vice XL. aut amplius feras caperet, & licet in conviviis satis jocundus esset, nihil tamen regalis disciplinæ minuebat. Tantum quippe favorem pariter & timorem infundebat, ut etiam ludenti non crederent ad aliquam lasciviam se dissolvendos.

Perdomitis itaque circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus, iter intermisit. Infirmatus est autem in castello, quod dicitur Mimelewa, quod est inter Saxonum & Thuringorum confinia, ubi & defunctus est. Cumque se jam gravari morbo sensisset, convocato omni populo, designavit Ottonem filium suum regem; cæteris filiis suis prædia cum thesauris distribuens. Ipsum vero Ottonem, qui maximus natu & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit. Et hoc quantæ sapientiæ fuerit & religionis, probari potest, quod eum, quem potissimum & religiosissimum noverat, licet in imperio natus non esset, regem constituit. Testamento itaque legitimo facto, & rebus omnibus rite compositis, defunctus est anno regni sui XVII. vitæ autem LX. Translatum est autem corpus ejus a filiis suis in civitatem, quæ dicitur Quintilingaburg, & in basilica Sancti Petri ante altare sepultus cum planctu & lacrimis plurimorum. Post cujus mortem Otto magnus filius ejus ab omni populo Saxonum & Francorum electus in regem Aquisgrani, & mox unctus a summo Pontifice Mogontinæ sedis nomine Hildeberto, genere Franco, professione monacho, qui nutritus in Fuldensi monasterio ad id honoris merito provectus est, ut pater ejusdem loci constitueretur, deinde ad fastigium summi pontificatus Mogontiacæ sedis proveheretur. Erat enim vir miræ sanctitatis, &, præter naturalem animi sapientiam, litterarum scientia satis illustris. Qui &, inter cætera gratiarum dona, spiritum propheciæ prædicatur accepisse. Rex autem unctione benedictionis accepta, quam sapientem in regni moderamine, quam fortem in adversantium certamine, quam strenuum in religione se exhibuerit, facile enarrari non valet. Primum itaque barbaris ad novas res moliendas desævientibus, Bolizlaus fratrem suum percussit, virum Christianum, regno fidelem, &, ut fertur, religiosum DEI cultorem. In cujus ultionem cum Rex exercitum mitteret adversus Bolizlaum, primo nostri victores extiterunt, deinde pro recenti victoria securius agentes, repentina incursione, omnes ab eo occisi sunt. Et bellum hoc perseveravit usque ad XV. imperii regis annum, ex eo regi fidelis servus & utilis permanens. Posthæc antiqui hostes Ungarii venerunt probare virtutem novi regis, &, intrantes Franciam, statuerunt, si possent, intrare ab occidentali parte Saxoniam. Quod audiens Rex nil moratus cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque illos a terminis suis. Cessantibus autem bellis externis civilia oriri cœperunt. Mortuus est quippe Arnolfus Dux Bojoariæ, & filii ejus superbia elati jussu regis contempserunt ire in comitatum, cujus Ducatum Rex dedit fratri ejus Bertolfo. Mortuus est & Sigefridus Comes optimus Saxonum, qui secundus a rege procurabat Saxoniam. Cujus legationem cum sibi vendicasset affinitatis causa Dancmarus, frater regis ex patre, non ex matre, & regali dono cessisset Geroni comiti, afflictus est Dancmarus tristitia magna. Erat autem manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus cujus mater filia erat materteræ Sigifridi, de qua suscepit eum Rex Heinricus, & ditavit eum prædiis multis absque his, quæ fuerant matris. Everhardus quoque Comes iratus contra Bruniggum quendam ex primoribus, collecta manu succendit illius civitatem vocabulo Elmari, interfectis omnibus illius civitatis habitatoribus, pro qua præsumptione condempnavit eum C. talentis, omnesque principes, qui ad hoc eum inviabant, dedecore canum, quos portabant usque ad urbem regiam, quæ dicitur Magadeburg. Unde commotus Everhardus, junxit se Dancmaro, collectaque valida manu, oppugnant præsidium, quod dicitur Badilika, in quo erat Heinricus frater regis juvenis adhuc, dataque militibus suis præda urbis, abduxit secum Heinricum quasi vile mancipium. Dehinc cepit Dancmarus urbem, quæ dicitur Heriburg, seditque in ea & multa inde exercuit latrocinia. Rex autem, licet invitus, cum multo comitatu perrexit illuc ad reprimendam illius insolentiam. Cives autem ejusdem urbis, apertis portis, introduxerunt exercitum regis. Dancmarus vero fugiens ad Ecclesiam beati Petri Apostoli stansque juxta altare, depositis desuper armis a quodam per fenestram a tergo confossus est. Everhardus autem Heinricum habuit secum, qui audiens necem Dancmari, fracto animo, prosternitur suo captivo, veniam petit, ac nequiter promeruit, ea scilicet conditione, ut contra Dominum & fratrem suum secum faceret conjurationem, &, si fieri posset, ipse sibi coronam imponeret. Heinricus vero eo tempore nimis adolescens erat, & regnandi cupiditate fervebat. Everhardus sane Gisilbertum Lotharingorum Ducem a regis fidelitate disjunxerat, cujus adjutorio regi non modice resistebat. Qui Gisilbertus, quanquam sororem regis haberet uxorem, maluit tamen & ipse suscipiendi regni spe regi resistere, quam ei, ut debuerat, adjutorio esse. Habuerat autem Rex nonnullas maximas & fortissimas copias, Herimannum scilicet Suevorum Ducem, fratremque ejus Otonem, atque Cunradum cognomine Sapientem. Qui quamvis affinitatis linea Everhardo jungerentur, maluerunt tamen juste, si necessitas urgeret, cum justo rege occumbere, quam cum consanguineo injuste triumphare. Everhardus itaque haut secus valuit Gisilbertum a fide regis sejungere, donec illi promitteret, se illum regem facturum. Gisilbertus vero hac arte Heinricum decipere voluit, ut dum suo adjutorio regem vinceret ipse regni solium obtineret. Verum Everhardus longe aliter dispo-

fuerat. Voluit enim, si regem potuisset devincere, utrosque regno privare, illudque sibi usurpare, sicut ex verbis ipsius, quæ paulo ante quam occideretur uxori suæ dixerat, possumus conjicere, quam dum foveret in sinu: Jocundare, inquit, in sinu Comitis, in brevi lætatura in amplexibus regis. Igitur Heinricus, ardens cupiditate regnandi, celebre convivium fecit, in loco, qui dicitur Salaveldon, & dum esset magnus ac potens majestate & potestate regali, plurimis plurima donavit, & factionis hujuscemodi socios sibi ob id plurimos conciliavit. Deinde profectus in Lotharingiam ad Gisilbertum Ducem Belgicæ cum ipso pariter & Everhardo bellum cœpit præparare. Quod cum regi esset nuntiatum, primum non credidit, sed mox certificatus, e contra properat lætus, non eorum multitudine territus, sed in DEI pietate confisus. Cumque ad Renum cum suis pervenisset, jamque fluvium sui transmeare cœpissent, Heinricus cum suis insperato in tanta vicinitate erat, quod ab his videri non poterat. Perpauci denique de navibus egressi vix equos ascendere, seseque armis induere poterant, cum legiones adversæ non nunciantur venientes, sed intuitu ipso cernuntur præsentes. Rex autem in altera parte fluminis cum multitudine adhuc manens, & hæc intuens, dolorem animi motu corporis non celabat, eo quod non adessent naves, per quas Renum transcendere posset, nec tempus subitanei certaminis in ulteriori ripa constitutos aliud sinebat cogitare, nisi aut coram hostibus cadere debere, aut certe armis vitam defendere. Recordatus itaque populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi servi Domini devicit, Rex protinus equo descendit, lacrimansque cum omni populo ante lanceam, in qua victoriosi clavi manibus pedibusque Salvatoris nostri affixi erant inclusi, sese prostravit, quantumque justi viri oratio, secundum quod Jacobus ait, valeat, res manifesta probavit. Hii namque, qui in ripa ulteriori erant, sarcinas & impedimenta quæque in locum, qui dicitur Xantus, transmittebant, seseque invicem cohortati, hostes præcipiti cursu invadebant. Cumque esset piscina inter hos & hostes, Saxones divisi, una pars ex adverso ruit in hostes, altera insequitur a tergo & in medio, hostes deprimentes, pauci vehementer urgebant plures. Neque enim nostratium super centum armatos fuisse perhibetur: hostium vero satis magnus erat exercitus. Sed cum a fronte pariter & a tergo urgerentur, qua parte potissimum cavere debuissent, in promptu non erat. Rege itaque orante, cum ex suis nullus occumberet, hostes omnes in fugam conversi sunt, nonnullique eorum, cur fugerent, ignorabant, quum quidem præ paucitate hostes insequentes videre non poterant. Ex nostris etiam fuere, qui Gallica lingua loqui sciebant, qui clamore in altum Gallice levato, exhortati sunt adversarios ad fugam. Illi socios hujusmodi clamantes arbitrati, fugam, ut clamatum est inierunt. Cæsis igitur multis, Heinricus vehementer in brachio est percussus, & quamquam loricæ triplicis fortitudo usque ad carnem non admitteret ensis aciem, pondere tamen percussionis acerbæ brachium adeo in livorem est conversum, ut nullis medicorum curis ita mederi posset, quin toto anno illo dolorem sentiret magnum. Quidam ex Thuringis nomine Teti mandavit ad Præfectos urbium, quæ erant in Oriente partis Heinrici de victoria regis, & quia ipse Heinricus cecidisset in bello, egitque callide, ut omnes se traderent regiæ potestati. Ipsæ autem duæ tantum ex omnibus remanserant urbes Meresburg & Scindigon. Qui audiens de defectione urbium suarum fractusque recenti regi victoria cum novem tantum armatis iter arripuit, Saxoniamque jam tardius adiens, urbem Meresburg ingressus est. Quo Rex comperto, & ipse reversus est, urbemque, in qua frater erat, obsedit. Ille autem cum non posset fortiori resistere, post duos ferme menses, tradita urbe, egressus est ad regem. Cui datæ sunt induciæ XXX. dierum, quatinus cum militibus sibi cohærentibus secederet a Saxonia. Si cui vero illorum regem adire voluisset, veniæ locum haberet. Heinricus itaque discedens a Saxonia, Lotharios iterum adiit, & cum Duce Gisilberto aliquandiu mansit. Iterum ducitur exercitus contra Gisilbertum, & omnis regio, ejus subjacens imperio, igni traditur, obsessusque in castello Kiervermont, quod est Capræ mons, elapsus fuga inde proficiscitur. Rex etiam profectus ad obsidendum castellum Everhardi in confinio Alsatiæ, vocabulo Brisac, in quo ipse suorum posuit multitudinem militum, quorum terrore non solum magnam partem provinciæ præfatæ sibi vendicabat, verum etiam circum circa fideles regis misere laniabat. Everhardus autem & Gisilbertus audientes regem esse in partibus Alsatiæ, collecto permagno exercitu, alveum Reni apud Andernacum transeunt, regisque fideles circumquaque demoliri procedunt. Udo sane frater Herimanni Ducis Suevorum, nec non Cunradus cognomento Sapiens, ipsis in partibus erant; sed quia eorum copiæ illorum copiis impares extiterant, his occurrere trepidabant; eos tamen cum spoliis multis redeuntes, pone secuti sunt. Cumque paululum processissent, quidam Sacerdos flens & ejulans eis obviavit, interrogatusque ab eis, unde veniret, aut cur fleret; ab his, inquit, prædonibus unum paupertatis meæ solatium, quod habui, ablatum est jumentum. Quem cum interrogarent, si Gisilbertum & Everhardum vidisset, aut ubi essent; cunctis, ait, cum præda Renum transmissis ipsi soli cum suis electis, quod nec benevertatur, cibum capiunt. Hoc illi audientes summa cum celeritate super eos irruunt, moxque Everhardus occiditur; Gisilbertus vero in fluentum equo prosiliens, undis submergitur, quas quia absorbere non potuit, anima recedente, defecit. Cæterorum vero nullus aufugit, quin aut vivus caperetur, aut gladio truncaretur. Quod cum regi nuntiatum fuisset, gratias egit DEO, præfecitque regioni Lotharingiorum Ottonem filium Ricwini, ut & regnum pro-

procurare, & nepotem suum Gisilberti filium, bonæ spei puerum, nomine Heinricum, nutriret. Qui tamen ambo in brevi defuncti sunt, & ducatum regionis Rex Cunrado concessit, cui & unicam filiam suam Lutgardam desponsavit, qui erat adolescens acer & fortis domi militiaque optimus, comilitonibus suis carus. Huic Ludolfus filius regis nimia dilectionis familiaritate astrictus est; Sororem etiam regis Gerbergam uxorem Gisilberti Ludewicus Rex Galliæ duxit uxorem, quæ ei genuit duos filios, Carolum & Lotharium, qui & patri postea successit. Post hæc Heinricus, frater regis, adjutorio quorundam Episcoporum, nudis pedibus, regis prosternitur, supplex veniam promeruit, aliquas etiam urbes ipsius usibus concessit. Dein in processu temporis, defuncto duce Bajoariorum Bertoldo nomine, ducatum ei tradidit, monitu & intercessione sanctæ matris suæ, faciens cum eo concordiam & pacem, in quo etiam fideliter permansit in finem. Erat autem ipse Heinricus copulatus matrimonio filiæ ducis Arnolfi, fœminæ egregiæ formæ, mirabilisque prudentiæ. Moritur posthæc Edidis regina, mater Ludolfi & Luitgardæ, quæ nupserat Cunrado duci. Post cujus mortem Otto Rex Italiam intravit, causa Adeleridis reginæ, eamque sibi in conjugium sociavit, & cum ea urbem Papiam, quæ sedes est regni, obtinuit; ex qua postea tres filios genuit, primogenitum Heinricum, secundum Brunonem Romanæ ecclesiæ postea Pontificem, tertium patris æquivocum, filiamque nomine Methildam. Ludolfus autem filius regis & Cunradus gener ipsius nova quædam moliuntur contra regem. Quod cum eum non lateret, circa Kal. Julii moto exercitu contra eos, obvias urbes patris adversæ aut armis aut deditione cepit, quousque Mogontiam perveniret, quam filius jam cum exercitu intravit, patremque, dictu miserabile, armatus expectavit. Ubi plusquam civile omnique calamitate acerbius bellum cœptum est, machinæ multæ muris admotæ, sed ab urbanis destructæ sunt vel incensæ, crebræ ante portas pugnæ, raro forinsecus stationes fusæ. Cunctando enim res variabant, dum Dominatorem regni foris, intus successorem timebant. Obsidio itaque dum LX. ferme dies excederet, fermo fit de pace, unde datur obses in urbem consobrinus regis Ekbertus, quo liber in castra illis pateret accessus. Filius cum genero castra ingressi regalibus vestigiis prosternuntur, spondentes, pro scelere omnia se passuros. Rex autem non inveniens quomodo meritas pœnas filio inferret, fautores insidiarum expostulat. Illi autem juramentis vicariis obligati & quodammodo arte antiqui hostis constricti hoc omnino negabant, sicque infecta re in urbem rediebant. Ekbertus autem, qui obses datus fuerat in urbem, suasibilibus verbis regi fit adversus, cum & antea propter correptiones ejus illi fuisset iratus. Sequenti igitur nocte Bojoarii, comites Heinrici fratris regis, relicto eo, juncti sunt Ludolfo, cum quibus ipse pergens Ratisponam urbem regiam cepit cum ceteris in ea regione locis munitissimis, omnemque pecuniam ducis Heinrici suis militibus distribuit, conjugem ejus cum filiis & amicis non solum urbe, sed regione excedere jussit vel coëgit. Hæc omnia fiebant consilio Arnolfi junioris fratrumque suorum, eo quod ipse Heinricus paternum haberet ducatum. Rex vero filium subsequens, urbem Ratisponam obsidione circumdedit, sed cum multimode machinas urbi applicari non sineret, satis dure interdum ab utrisque pugnatum est pro muris. Urbani crebris attriti præliis, fame quoque periclitari cœperunt. Unde Ludolfus urbem egressus cum principalibus viris pacem postulat, sed non impetrat, quia patri obedientiam negat. Regressus vero in urbem portam orientalem obsidentem armis temptat Geronem, tot victoriis, quot præliis clarum. A tertia igitur hora usque in nonam cum acriter pugnaretur, ante portam urbis, equo cadente, ascensor Arnolfus armis exutus, ilico telis perfossus occubuit. Post biduum a muliere famem urbis fugiente mors illius notificatur, dum antea nescitur. Cujus morte urbani satis consternati, jam de pace tractabant. Proinde interventu principum Ludolfus iterum de urbe progressus, dum mense integro & dimidio obsideretur, pacem obtinuit usque ad condictam diem, dum de his caussis dijudicaretur, locusque concilii apud Frieslari notabatur. Rex tamen in patriam reversus est. Heinricus vero Novam urbem obtinuit. Ratispona proxima nocte pene tota exusta est. Post hæc cum exercitandi gratia venationem ageret in loco, qui dicitur Sweldon, patri filius nudatis plantis prosternitur, intima tactus pœnitentia. Et primum patris, deinde omnium præsentium movebat lacrimas. Amore itaque paterno susceptus in gratiam, spondet se obtemperaturum omni paternæ voluntati. Rebus igitur rite compositis per omnem Franciam Saxoniamque & vicinas circumquaque gentes, Romam proficisci statuens, Longobardiam perrexit. Ubi qualiter regem Longobardorum Beringarium, multa mala cum filio Adelberto ecclesiis inferentem, duobus annis obsederit, captumque cum uxore & filiis in exilium miserit, Romanos duobus præliis vicerit, duces Beneventonem subjecerit, Græcos in Calabria & Apulea superavit, terra Saxonica venas argenti aperuerit, imperium quoque filio sibi coæquivoco quam magnifice dilataverit, majoris est operis, ideoque conscribi non valet a nobis. Hoc tamen breviter notandum, quod a Johanne Papa literis suppliciter exoratus, quamvis pro amore Dei & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Sanctam Romanam ecclesiam ex faucibus Beringarii suorumque liberaret, aliorumque episcoporum alteriusque ordinis & Laicorum quæstibus motus, filium suum Ottonem contra morem priorum in puerilibus annis regem constituens, in Saxonia dereliquit; ipse collectis copiis Italiam percitus venit, Beringarium cum uxore sua Willa & filio Adelberto captivos Bavimberg in exilium misit, ubi idem Beringarius defunctus est. Ipse vero

vero Romam veniens mirifico apparatu susceptus, & ab Apostolico Johanne imperiali unctione & benedictione sublimatus, Imperator & Augustus est appellatus. Aliquanto autem tempore in partibus illis commoratus, filium suum Ottonem ad se venire fecit, qui & in Natali Domini coronam regni ab Apostolico accepit. Missa etiam legatione Constantinopolim filiam Imperatoris Johannis, Thephanii nomine, inde accepit, quam celebratis in Italia nuptiis eidem filio suo copulavit. Post hæc regressus de Italia Imperator Otto cum filio rege, Galliam ingressus est, in Germaniam transiturus, & Quintilingiburg Pascha celebraturus. Manens autem ibi XVII. diebus discedit inde, Ascensionis diem Merisburg celebraturus. Tertia vero feria ante Pentecosten venit ad locum, qui dicitur Mimilewa. Proxima nocte transacta, hora constituta, lætus ad mensam consedit, venienteque nocte vespertinis laudibus interfuit, sed peracto cantu evangelii æstuari & fatigari cœpit. Quod cum intellexissent principes, imposuerunt eum sedili, expetitoque sacramento Dominico spiritum reddidit Non. Maji. Sepultus est Magadeburg a principibus honorifice.

CRONICA A TEMPORE HEINRICI REGIS PRIMI. DE GENTE SAXONUM.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXX. ab urbe autem condita MDCLXXVI. Heinricus genere Saxo filius Ottonis ducis LXXX. loco ab Augusto in regnum eligitur, regnavitque annis XVII. Hic successor Cunradi I. Imperatoris, qui ultimus de stirpe Karolorum regnum in Saxones consilio suo moriens transtulit, ab omnibus acclamatus, cum unctio & diadema a summo pontifice ei offerretur non sprevit, nec tamen suscepit; satis, inquiens, est mihi, ut præ majoribus meis Rex dicar & designer; divina annuente veraque pietate tanto nos honore arbitramur indignos. Placuit iste sermo coram omnibus & hoc ordine Rex effectus Heinricus cœpit omni industria regnum propagare, hostes circumquaque assiduis bellorum insultibus conterere. II. Anno Domini DCCCCXXI. III. An. Domini DCCCCXXII. Rutpertus frater Ottonis regis, pater Hugonis, machinante Gisilberto duce socero Heinrici regis, in dejectionem Karoli regno Galliarum præponitur. IV. An. Domini DCCCCXXIII. V. Anno Domini DCCCCXXIV. VI. Anno Domini DCCCCXXV. Sanctus Uldericus Augustiensi sedi præficitur. Ipso anno dominus Herimannus Coloniensis archiepiscopus cognomento Pius obiit, qui sedit in episcopatu annos XXXV. cui successit Dominus Wigfridus a beato Materno primo ejusdem sedis episcopo XXIV. VII. A. Domini DCCCCXXVI. VIII Anno Domini DCCCCXXVII. Sanguis Domini in Augiam venit. IX. Anno Domini DCCCCXXVIII. Ungarii totam Franciam, Galliam, Alsatiam atque Alemanniam gladio & igne vastant. Post Johannem X. Papam succedit Romæ Stephanus VII. Papa. Burchardus Dux Alemaniæ in Italia occiditur. Herimanno Alemannia committitur. Eodem anno dominus Bruno Coloniensium Archiepiscopus Heinrico regi nascitur ex Mathilda regina, filia Theodorici principis, cujus fratres erant Witikint, Immud & Reginbern. Reginbern autem erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam devastantes, vicitque eos liberans ab illorum incursione patriam usque in hodiernum diem. Et hii erant ex stirpe magni ducis Witikindi, qui bellum potens gessit adversus Karolum Magnum per annos ferme XXX. Porro nati fuerant ante hoc tempus ex eadem regina Otto primogenitus, qui successit patri; Heinricus Dux Noricorum, & filia Gerberga, quæ nupserat Gisilberto duci Belgicæ, quam postea, defuncto Gisilberto, Ludewicus Rex Franciæ conjugem accepit & genuit ex ea Karolum & Lotharium, qui etiam patri successit. X. Anno Domini DCCCCXXIX. XI. Anno Domini DCCCCXXX. Post Stephanum Papam Johannes XI. substituitur. XII. Anno Domini DCCCCXXXI. Heinricus Rex Boëmiam petit. XIII. An. Domini DCCCCXXXII. XIV. Anno Domini DCCCCXXXIII. Johanni Papæ succedit Leo VII. XV. Anno Domini DCCCCXXXIV. Heinricus Rex Ungarios expugnat. XVI. Anno Domini DCCCCXXXV. Leoni Papæ succedit Stephanus VIII. XVII. Anno Domini DCCCCXXXVI. Heinricus Rex perdomitis circumquaque gentibus postremo Romam proficisci statuit; sed infirmitate correptus iter intermisit. Cumque se gravari jam morbo sensisset, convocato omni populo designavit Ottonem filium suum regem, cæteris filiis suis prædia cum thesauris distribuens. Ottonem vero, qui maximus natu fuit omni Francorum imperio præfecit. Testamento itaque legitimo facto & rebus omnibus rite compositis defunctus est anno regni sui XVII. vitæ ferme LX. sepultus est a filiis in civitate, quæ dicitur Cuintilingaburg, ante altare basilicæ sancti Petri, cum planctu & lacrimis plurimorum.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCCXXXVI. ab urbe autem condita MDCLXXVIII. completis ab origine mundi annis sex milibus centum triginta & sex. Otto magnus Heinrici filius LXXXI. loco ab Augusto eligitur in regnum ab omni populo Saxonum & Francorum, regnavitque annis XXXVIII. Cujus anno primo Ungarii Franciam & Alemanniam & Galliam usque Occeanum Burgundiamque devastantes per Italiam redierunt. Monasteria Sancti Galli & Sancti Bonefacii cremantur. Rudolfus Rex Burgundiæ & Arnolfus Dux Noricorum obierunt. Stephano Papæ succedit Marinus II. Sub hoc Sanctus Uldericus claruit. II. Anno Domini DCCCCXXXVIII. Heinricus frater Ottonis regis ab Everhardo Comite comprehenditur. III. Anno Domini DCCCCXXXIX. Otto Rex cum fratre Heinrico & Gisilberto Ewerhardoque pugnantibus militibus suis victoriam reportat. Marino Papæ Agapitus II. successit.

IV. An-

IV. Anno Domini DCCCCXL. Rege in partibus Alsatiæ castellum Brisach obsidente, episcopi quidam noctu relictis tentoriis subtraxerunt se. Everhardus Comes ab Odone & Conrado juxta Renum occisus est. Giselbertus Dux in aqua suffocatur. V. An. Domini DCCCCXLI. Otto Rex Gallias petit. VI. Anno Domini DCCCCXLII. Otto & Ludewicus reges pacificantur. Edidis regina obiit, mater Ludolfi ducis. VII. Anno Domini DCCCCXLIII. VIII. Anno Domini DCCCCXLIV. Ungarii cum Bojoariis pugnant & vincuntur. IX. Anno Domini DCCCCXLV. X. Anno Domini DCCCCXLVI. XI. Anno Domini DCCCCXLVII. Bertoldus Dux Bojoariorum, frater Arnulfi ducis, moritur & Heinrico fratri regis ducatus committitur. XII. Anno Domini DCCCCXLVIII. Herimannus Dux Alemannorum moritur, pro quo Ludolfus filius regis Dux constituitur. XIII. An. Domini DCCCCL. Otto Rex Italiam petiit eamque sibi subjecit, rediens Papyam Cunrado duci Lothariorum commisit tuendam. XIV. Anno Domini DCCCCLI. Otto Rex Italiam intravit causa Adilheidis reginæ, ipsamque uxorem acceptam nuptias celebravit Papyæ, ex qua postmodum tres filios genuit, primogenitum Heinricum, secundum Brunonem, tertium Ottonem, filiamque nomine Mathildam. XV. Anno Domini DCCCCLII. Beringarius Rex Longobardorum, Cunrado duce suadente, apud Augustam cum filio suo in deditionem venit, factusque miles regis, remissus est in regnum cum pace. Ibi miræ magnitudinis lapis tonitru & tempestate jactus de cælo, multis visentibus, ingens miraculum præbuit. XVI. Anno Domini DCCCCLIII. Ludolfus Dux patri suo rebellat & Cunradus Dux cum eo. Eodem tempore dominus Wigfridus Coloniensis Pontifex decessit, qui XXIX. præfuit annis. Porro destitutus populus pari deliberatione in virum Domini Brunonem fratrem regis conspirat, quem missis primoribus ecclesiæ ipsius expetit & impetrat; qui consensu regis & principum cum summo favore & laudibus omnium viduatæ cathedræ intronizatus, quis quantusque fuerit adhuc monimenta vigilantiæ ejus in ædificiis & ornatu ecclesiarum videre licebit. XVII. Anno Domini DCCCCLIV. Ungarii Italiam petunt, Noricam & Franciam. XVIII. Anno Domini DCCCCLV. Ungarii totam Bajoariam depopulantes juxta Augustam Alemanniæ urbem ab Ottone rege pugna victi immensa cæde necantur. XIX. Anno Domini DCCCCLVI. Ludolfus Dux Italiam hostiliter intravit. XX. Anno Domini DCCCCLVII. Ludolfus Dux Adelbertum filium Berengarii vicit, & ipse eodem anno obiit. XXI. Anno Domini DCCCCLIIX. Cruces in vestibus hominum apparuerunt. XXII. Anno Domini DCCCCLIX. XXIII. Anno Domini DCCCCLX. XXIV. Anno Domini DCCCCLXI. XXV. Anno Domini DCCCCLXII. Post Agapitum Papam Romæ Johannes successit. Otto Rex Romam venit rogatu Romanorum contra Beringarium, ibique Imperator effectus, eundem Beringarium capit & cum conjuge sua ad castellum Baviberg misit, ibique præsentem vitam clausit. Quidam dicunt, Imperatorem Romam venisse rogatu prædicti Papæ Johannis, qui & Octavius. Sed hæc discrepantia relatorum diversitatem & errorem in Chronicis generat, quam maximum: verum secundum alios idem Johannes indignis sceleribus officium suum dehonestans, ipsum Imperatorem Romam venientem, conscientia se terrente, metuendo Campaniam petiit, ibique in silvis latuit, pro quo Leo VIII. ab Imperatore Romanorum consensu constitutus & ordinatus, non multo post, eo recedente, est expulsus. Qui ex urbe fugiens in partes Spoleti ad Imperatorem venit, suasque ei injurias conquestus est. Cumque iratus Imperator Romam infesto exercitu repeteret, mors illi Johannis nunciatur, & Benedictus Diaconus a Romanis Papa postulatur. Abnuente vero Imperatore, idem Benedictus a Romanis ordinatus sedit mensibus duobus. Nec multo post civitate ab Imperatore obsessa, tantaque fame oppressa, ut modius furfuris XXX. denariis venderetur, afflictis subactisque Romanis, dedita urbe, tradito Benedicto, Leonem Papam Imperator restituit, eique subjectionem a Romanis sacramento fieri fecit, qui tamen Papa multis postea ab ipsis affectus injuriis præfuit annis duobus, cui successit Johannes XIII.

Ipso tempore dominus Bruno Coloniensis Pontifex commendata sibi a fratre Imperatore regni negotia strennue administravit, terram a latrociniis purgans, rebelles & seditiosos circumquaque opprimens, pacem firmissimam interim absente Imperatore per totum Lotharicum regnum componens. Signum in sole. XXVI. Anno Domini DCCCCLXIII. Otto Imperator natalem Domini Papiæ agit. XXVII. Anno Domini DCCCCLXIV. Otto Imperator natalem Domini Romæ moratur, ubi & filius ejus secundus coronatur. Hic jacta sunt fundamenta Basilicæ Sancti Pantaleonis, ubi Sanctus Maurinus inventus multis claruit miraculis. XXVIII. Anno Domini DCCCCLXV. Sanctæ memoriæ Bruno Dux & Archiepiscopus ad compescendas seditiones in occidentalis regni partibus exortas & pacem componendam inter primores Compendium adiit, ubi gravi infirmitate detentus, Remis civitatem defertur, ibique dispositis & ordinatis episcopii sui rebus migravit ad Dominum. Quando autem vel qualiter Francis rebellantibus bellum intulerit, Parisius urbem obsidens irruperit, & spoliaverit, ducem Lotharingiæ ceperit, & in se ipsum ducatum & omnes successores suos, ut sint duces & archiepiscopi, annuente fratre Imperatore, retorserit, pontem super Renum & Duuterense castrum propter rebelles effregerit, & alia miranda in construendis & ornandis monasteriis, & Sanctorum corporibus undecunque transferendis, quia in gestis de ipso specialiter conscriptis continentur, hic non duximus ponenda. Corpus a Remis Coloniam reportatum in monasterio beati Pantaleonis, quod

quod ipse inchoavit & perficiendum ordinavit, humatum est. Sedit in episcopatu annis duodecim, cui successit Folcmarus. XXIX. Anno Domini DCCCCLXVII. Otto Imperator de Italia rediit. Wilhelmus filius ejus Mogontiæ Archiepiscopus obiit. XXXI. Anno Domini DCCCCLXVIII. XXXII. Anno Domini DCCCCLXIX. Mathildis mater Imperatoris obiit. Archiepiscopatus Metburgi fundatur ab Imperatore Ottone. Johanni Papæ succedit Benedictus, qui postea a Romanis criminatus in castello sancti Angeli mancipatus, ibidem strangulatur. Sed eo adhuc vivente Bonifacius quidam Papa ordinatus post unum mensem expulsus Constantinopolim petiit, & successit Benedictus VIII. Folcmarus Coloniensis Archiepiscopus obiit, cui bonæ memoriæ Gero successit. XXXIII. Anno Domini DCCCCLXX. XXXIV. Anno Domini DCCCCLXXI. Signum quoddam in cœlo ignei coloris apparuit. XXXV. Anno Domini DCCCCLXXII. XXXVI. Anno Domini DCCCCLXXIII. XXXVII. Anno Domini DCCCCLXXIV. Otto Imperator anno regni sui XXXVIII. Imperii autem XIII. obiit, cujus corpus cum magnis lugentium exequiis a filio, rege jam facto, translatum est in civitatem Magatburg, quam ipse construxit. Ipso anno sanctus Udelricus episcopus defunctus est.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCCLXXV. ab urbe autem condita MDCXXVI. Otto Secundus, magni Ottonis filius LXXXII. loco ab Augusto regnare cœpit, & annis novem regnavit, secundum alios X. Huic pater ad huc juvenis filiam Johannis Græcorum Imperatoris Theophanu nomine in conjugium sociaverat, simulque cum ipso nuptias eius Papiæ celebraverat, a qua filium nomine suo insignem filiamque vocabulo Mathild procreaverat. Hic Romam profectus coram totius regni principum frequentia ab Apostolico Leone cum Theophanu uxore Imperiali benedictione coronatur. Suscepti itaque Imperii strenuissime disponens moderamina, Lotharium Regem secedere cogit a Gallia, rem publicam undique augens & ordinans. Defuncto post hæc Johanne Imperatore Græcorum patre Theophanu alioque rege in loco ejus substituto cum sibi de Calabria uxoris suæ hereditate consuetum denegaretur tributum, affirmantibus Græcis Calabriam non Theophanu Imperatricis, sed hæreditatem & dotem esse sanctæ Crucis, quam Helena Regina Jerosolymis inventam, partem ibidem reliquit, partem Constantinopolim invexit. Unde idem Imperator ira commotus cum exercitu, quem habebat in præsenti numero pauciorem Calabriam ingreditur & Græcis bellum indicit. Quod audiens novus Rex, congregata multitudine suorum, Sarracenorum & plurimum exercitum auro argentoque paciscitur in auxilium, & contra exercitum Imperatoris dirigit. Qui mox Imperatoris exercitum explorantes pauci contra ipsum ad prælium proficiscuntur; reliqui omnes per loca insidiis opportuna circumquaque disponuntur. Pugna conseritur, omnes pariter Sarraceni prosternuntur. Insidiæ undique consurgunt, bellum ingravatur, exercitus Imperatoris sagittis Græcorum valde sauciatur. Jamque diutissimo prælio protracto plurimis occisis, Romani Imperii strenuissimi defensores Buccho, Ekehardt, Udo ibidem interficiuntur. Imperator vero confertissimas hostium acies inpetu interrumpens, & utrimque viam gladio secans, lancea, lorica, ceterisque omnibus, quæ oneri essent, jactis in mare, equo etiam, cui insederat, deficientibus fluctibus maris tota innatat nocte. Mane vero a piscatoribus captus, &, quis esset interrogatus, occisi Imperatoris armigerum se esse respondit. Quod quidam Romani, qui periculum mortis evaderant, audientes, pro servo Domini pretio redimunt, Romam mœsti lætique redeunt. Infirmatus autem eodem labore atque dolore X. imperii sui anno ibidem defunctus & in Porticu Sancti Petri est honorifice sepultus. Benedictus VII. Papa obiit, cui successit Johannes XIV. prius Papiæ episcopus. Quem Bonifacius septimus de Constantinopoli, quo prius fugerat, reversus, in castello S. Angeli relegavit, & fame venenoque, ut perhibent, interemit, & in ejus loco ordinatus, mensibus XI. subita morte præventus interiit. Qui a suis confossus & turpiter pedibus tractus, tandem clericis miserantibus sepultus est: Cui successit Johannes XV. II. A. Domini DCCCCLXXVI. Dominus Gero Coloniensis antistes constructor Gladebacensis cenobii defungitur & succedit in episcopatum Dominus Warinus annis X. III. Anno Domini DCCCCLXXVII. IV. Anno Domini DCCCCLXXVIII. V. Anno Domini DCCCCLXXIX. VI. Anno Domini DCCCCLXXX. dedicatur ecclesia beati Pantaleonis IX. Kal. Novembr. a venerabili Warino Archiepiscopo. VII. Anno Domini DCCCCLXXXI. VIII. Anno Domini DCCCCLXXXII. IX. Anno Domini DCCCCLXXXIII. Otto II. Imperator apud Calabriam occiso exercitu a Græcis de navi exiliens natando fugit. X. Anno Domini DCCCCLXXXIV. Otto Imperator Romæ moritur. VI. Idus Decembr. & ibi sepelitur, relinquens regnum filio Ottoni III.

An. Dominicæ incarnat. DCCCCLXXXV. urbis vero conditæ MDCCXXXVI. Otto tertius filius Ottonis Secundi, admodum puer, cum matre Theophanu Imperatrice LXXXIII. loco ab Augusto Romanum Imperium suscepit & per annos XVII. strenue administravit. Ipso anno obiit Dominus Warinus Coloniensis archiepiscopus, cui successit Evergerus annis XVI. II. Anno Domini DCCCCLXXXVI. III. Anno Domini DCCCCLXXXVII. IV. Anno Domini DCCCCLXXXVIII. fames magna. V. Anno Domini DCCCCLXXXIX. Johanni Papæ succedit Gregorius V. qui & Bruno filius Ottonis primi Imperatoris. VI. Anno Domini DCCCCXC. VII. Anno Domini DCCCCXCI. Domina Theophanu Imperatrix mater Imperatoris obiit, & in basilica Sancti

Panta-

Pantaleonis Coloniæ ſepelitur, quam, dum advixit, ſummo honore coluit, & rebus propriis munificenter cumulavit. VIII. Anno Domini DCCCCXCII. Gregorius Papa obiit, cui ſucceſſit Gerbertus Ravennæ epiſcopus & dictus eſt Sylveſter ſecundus. Hic ſeculari litteraturæ & præcipue Aſtrologiæ deditus & ob hoc curioſo Imperatori Ottoni amatus fuit. Hunc, appropinquante die mortis ſuæ, ſimulachrum ab eo, quando moreretur, conſultum, hoc modo feſellit; dum Jeruſalem, inquiens, miſſam celebraviſſet. Eſt autem Romæ eccleſia Jheruſalem nuncupata, ubi dum Apoſtolica ſtatio media ferme quadrageſima facta fuiſſet, peractis miſſarum ſollempnibus, dum valde ægrotaret, iterum conſulens: ecce, inquit, morior, Jheruſalem non vidi, quare me feſelliſti? Qui cum reſponſum accepiſſet, quia Jheruſalem cantaverit: acta congrua pœnitentia de ſuperſtitione ſua non multo poſt catholice obiit, cui etiam Johannes XVI. ſuccedit. IX. Anno Domini DCCCCXCIII. X. A. Domini DCCCCXCIV. Sanctus Albertus Prachorum epiſcopus cum genti Pruzorum verbum vitæ prædicaret a paganis ſepties perfoſſus & capite truncatus, tribus diebus ab aquila cuſtoditus eſt, & primo apud Polanos tumulatus, ſed poſtea a Bulezlao Duce ad ſedem ſuam Pracham urbem ſummo cum honore eſt relatus. XI. Anno Domini DCCCCXCV. XII. Anno Domini DCCCCXCVI. XIII. Anno Domini DCCCCXCVII. Cunradus Dux obiit. Johanni Papæ ſuccedit Johannes VII. qui & Faſſanus. XIV. Anno Domini DCCCCXCVIII. XV. Anno Domini DCCCCXCIX. XVI. Anno Domini milleſimo Dominus Evergerus Colonienſis archiepiſcopus obiit, cui ſuccedit ſanctus Heribertus. XVII. Anno Domini MI. Otto Imperator expeditionem jam tertio movens in Italiam contra rebellantes Romanos, nam Creſcentius quidam, ſtrangulato Benedicto Papa, ſedis Apoſtolicæ aſſumpta tyrannide, oppreſſit Romam, invaſit Italiam, arbitratus facile univerſum imperium ſuæ poteſtati cedere, quippe qui cum ſuis omnibus ſe munierat in validiſſima turri Adriani Imperatoris, quæ & Theoderici tyranni fuit fabrica, quæ ſine ulla læſionis injuria contra omnem impulſionis machinam durare videtur in ſæcula. Cujus inſolentiam rex indigne ferens Italiam tendit cum omnibus pene regni ſui optimatibus, non ſolum tempeſtatis illius auctoribus pœnas debitas illaturus, ſed etiam firmata Romæ, quæ diu vacillaverat, ſede Apoſtolica, ſanctæ eccleſiæ ſtatum ſimul & imperium reparaturus. Interea Creſcentio non ſua, ut opinabatur, munitio imperii gloriam, ſed longam carceris efficiebat cuſtodiam, & quem Imperatoris longanimitas ſua ſuorumque ſibi indulta impunitate flectere non potuit ad deditionem, juſtam ſuæ Dei judicio pertinatiæ paſſus eſt ultionem. Tandem enim ad præſentiam ejus, fide interpoſita, evocatus venit, monitus, ut ſeſe cum omnibus ſuis Imperatoris gratiæ dederet, tumens abnuit, redire permiſſus electis militibus, qui fidem ſuam virtute probarent, eum perniciter inſequentibus, revertitur, & ad altioris ædis ſecretum aſcendere, oſtiumque peſſulo obfirmare nititur: ſed repente velociori perſequentium impetu repulſus, clamore in altum levato ſimulque ſtrictis e latere, quos abſconderant, gladiis perterritis ſuis, ipſe vecors impigre a cavea ſua extrahitur, Imperatori præſentatur, ut reus majeſtatis capite dampnatur. Ductus vero in montis illius planitiem, qua totam videre poſſet urbem capite truncatur, idemque mons usque hodie ob triumphatum tyrannidis præſumptorem a Teutonicis Mons Gaudii, a Romanis autem Mons malus vocatur. Cernens autem Imperator ejusdem tyranni pulcherrimam eſſe uxorem, ejus in exitiabilem incidit amorem, quam nocte ſequenti conſtuprans, ab eadem veneno inficitur, & augeſcente graſſantis per venas veneni peſte non multo poſt graviſſimo languore corripitur. Heriberto autem Colonienſium archiepiſcopo iam dudum Chriſti virtutum operatore mirifico, cujus tota imperialis curia parebat conſilio, familiarius eum obſervante ibidem moritur, & mox, ut ab ipſo fuerat diſpoſitum, ac ſi vivus eſſet, purpura indutus ſuper equum velut expeditionem acturus arte extruitur, & ita morte ejus Romanis incognita, quorum nonnullos, occiſo Creſcentio, offenderat, cis Alpes in Sueviam defertur. Sepultis ejus inteſtinis in civitate Auguſta, corpus delatum in Franciam in medio Oratorii ſanctæ Mariæ, quod eſt Aquisgrani, honorifice ab eodem Archipontifice ſepelitur; propter quod eundem locum cultu quam maxime honoraverat, & conſtructis ibidem etiam aliis monachorum atque canonicorum monaſteriis illuſtriorem, quam eatenus eſſet, fecerat; Monachorum monaſterium, quod dicitur Porcetum, in honore Sancti Johannis Baptyſtæ & Sancti Nycholai Mirrenorum Archiepiſcopi conſtituerat, quod materno ex ſanguine Græcus erat; Canonicorum in honore Sancti Albani epiſcopi & martyris, quod idem de Boemia natus, ſuo tamen tempore & monachus & martyr factus, clarus virtutibus enitebat. Ipſo anno ſanctæ memoriæ Chriſtianus Abbas primus cenobii ſancti Pantaleonis migravit ad Dominum, cui ſucceſſit Dominus Reginbertus.

Anno Dominicæ incarnationis milleſimo ſecundo ab urbe autem condita MDCCLIII. Heinricus ſecundus primum Dux Bajoariæ, deinde defuncto Ottone III. absque filiis in regni culmine ſublimatus LXXXIV. loco ab Auguſto regnum accepit, & annis XXIII. & menſibus V. regnavit, duodecim annis ſub nomine regis, XI. dignitate & nomine Imperatoris. Hic in regni ſede ſublimatus cum Heinricum Marchionem aliosque in initio regni ſui ſibi reſiſtentes ſuperaſſet, Italiam ac Boëmiam & Bolizlaum cum omni gente Sclavorum ſubjugaſſet, data ſibi requie a Domino, conſiderans ſe filios non habitaturum, quippe qui, ut multi teſtantur, conſortem regni Cunigundam nunquam cognovit, ſed ut ſororem dilexit, dominum bonorum omnium habere delegit heredem, ſextoque

LII regni

regni sui anno sapienti consilio Episcopatum Bavinberg in honore Sancti Petri sanctique Georgii constituit, locumque ipsum prædiorum divitiis & omni ornatus decore, ut in præsentiarum cernitur, copiosissime ditavit. In meridianaque parte civitatis monasterium in honore Sancti Stephani protomartyris sub ordine canonico construens; in altera vero, hoc est, in aquilonari parte aliud monasterium sub monachili regula in honore Sancti Mychahelis Archangeli sanctique Benedicti Abbatis constituens, sibi suæque civitati supra petram Apostolicæ firmitatis fundatæ, muroque & propugnaculis meritorum Sancti Georgii cæterorumque sanctorum munitæ ac exornatæ, contra incentivos vitiorum jactatus turrim fortitudinis in Stephana, & contra refrigerantes flatus illius, qui in aquilone, unde omne malum pandetur, sedem ponere disposuit, refugium certum in Angelico præparavit præsidio; ut a dextris & a sinistris justitiæ armis vallatæ in nullo sufficiat insidiator prævalere. Aliis quoque locis sanctorum per regni latitudinem non minus, prout opus erat, munificentiæ suæ impertivit largitatem; quædam dilapsa jam in melius restituens, quibusdam, quæ minus suppetebant, adiciens. Regis autem frater erat Brune Augustensis sedis Episcopus, qui felicibus fratris actibus invidens, multas ei adversitatum injurias, in quantum potuit, inferebat, & ubi per se non poterat, inferentibus se adjungebat, vel alios ad inferendas exhortando, stimulos eis incitationis subigebat. Cui frater non solum talionem non reddidit, verum etiam fraterna instructus dilectione omnia dissimulando & patienter sustinendo, illum bono vincere satagebat: Horum sororem bonæ memoriæ fœminam Rex Ungariorum Stephanus in conjugium expetivit, sed eam ducere non promeruit, donec se Christianæ religionis rudimenta & sacri baptismatis sacramenta cum omni gente sua se suscepturum promisit. Quam pollicitationem ubi rebus perfecit, religiosus DEoque devotus postea in exercitio bonorum operum permansit, quod divina pietas post mortem ejus evidentibus indiciis ad sepulturam ejus factis signorum miraculis demonstravit. Johanne Papa mortuo succedit Sergius IV. quo defuncto succedit Benedictus IIX. II. Anno Domini MIII. Henricus Rex Italiam, Boëmiam, Bolizlaum Ducem cum omni Sclavorum gente subjugavit. III. Anno Domini MIV. fames magna facta est. IV. Anno Domini MV. V. Anno Domini MVI. VI. Anno Domini MVII. Episcopium Bavenberg a rege Heinrico constituitur. VII. Anno Domini MIIX. Bruno Episcopus ex monacho a Prucis multis suppliciis afflictus & manibus pedibusque abscisis, postremo capite plexus, cœlos petiit. IIX. Anno Domini MIX. IX. Anno Domini MX. X. Anno Domini MXI. Cum Ezzelinus Palatinus Comes adversaretur regi, & per continuos decem annos ejusdem Comitis magnanimitate, sive confirmata ad ejus sententiam sacramentis publica fide, ab universis Lotharingiis omnis regius honor eidem regi abdicaretur, Rex consultius arbitratus, virum egregium beneficiis placare, quam molestiis ullis infestare, amicitiam ejus exposcit; Insulam, quæ est in Reno, Sancti Suitberti cum omnibus suis appenditiis, Duisburg etiam atque Salaveld, non modica regni sibi subsidia suisque liberis perpetua hereditate possidenda largitur. Duxerat hic Comes uxorem nomine Mathildam, filiam Theophanu & sororem Ottonis III. Imperatoris, ex qua nati sunt tres filii & septem filiæ, Herimannus postea Coloniensis Archiepiscopus, Luidolfus & Otto; Richiza, Adelheit, Theophanu, Heilemich, Mathilt, Ida & Sophya: quarum Richizam Misecho Rex Poloniorum duxit uxorem; Adelheidis in Nivella; Theophanu in Essindæ; Heilewich in Misia, Mathilt in Didikircha atque Wilica; Ida in monasterio Sanctæ Mariæ Coloniæ; Sophya similiter in monasterio Sanctæ Mariæ Mogontiæ atque Gandersheim sanctimonialibus feminis sunt prælatæ loco regiminis. XI Anno Domini MXII. XII. Anno Domini MXIII. Heinricus Romæ Imperiali benedictione coronatur a Benedicto Papa. XIII. Anno Domini MXIV. Ernestus Dux in venatu occiditur. XIV. Anno Domini MXV. Dominus Reginbertus Abbas obiit, cui Kylianus successit. XV. Anno Domini MXVI. XVI. Anno Domini MXVII. XVII. Anno Domini MXIIX. XIIX. Anno Domini MXIX. Helyas Abbas efficitur. XIX. Anno Domini MXX Terræ motus magnus factus est. Ipso anno Sanctus Heribertus, constructor Tuiciensis Cœnobii, obiit, cui successit Pilegrinus Coloniensis, sedit XXI. XX. Anno Domini MXXI. Heinricus Imperator novam Trojam deditione cepit: & mortalitas magna in exercitu facta est. XXI. Anno Domini MXXII. XXII. Anno Domini MXXIII. Heinricus Imperator secundus anno regni sui XII. imperii XI. vitæ autem LII. defunctus est & sepultus Bavinberg in monasterio Sancti Petri.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXIV. Cunradus II. ex regni primoribus unus, sed regno ante per rebellionem adversus, LXXXV. loco ab Augusto regnum suscepit, & XV. annis regnavit. Cujus primo anno dissensio magna contra eum in regno tumultuatur, sed divinitus cito sedatur. Sublimatus autem in regni sede, consilio Brunonis Episcopi Augustensis, fratris Heinrici Imperatoris, qui semper, ut supra dictum est, felicibus ejus invidebat actibus, Bavimbergensem Episcopatum meditatur destruere, quia idem Bruno Episcopus promisit, reginæ Gisilæ omnia prædia hereditario jure ad se pertinentia filio ejus Heinrico contradere. Locus igitur & tempus statuitur conventui, ubi hæc res ad certum perducatur. Nocte vero, quæ diem præcesserat, in qua hæc ventilanda erant, Everhardus Episcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam accessit, lectoque ejus assidens, multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando, cum eodem sollicitus egit; qui jam ubi multa noctis hora transacta recesserat, & Episcopum pro auditis

ditis sollicitatum somnus oppresserat, visus est ei frater suus Heinricus Imperator lecto suo astare, faciemque suam barba ex una parte depilata turpatam objectare. Cui super hac re stupido & ammiranti, ac quis tam temerarios ausus in eum præsumeret interroganti: tu, ait, hoc fecisti, qui me & sanctos DEI, quos rebus a DEO mihi concessis donavi, spoliare disposuisti. Cave jam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus ac de visione satis perterritus, membrorum quoque horrore ac tremore non leniter est attactus. Mane autem facto cum diu expectatus ad consilium procerum non veniret, regina pro filio sollicita, nuntiis missis obnixe rogavit, ut adveniens promissa perficeret. Ille vero affirmabat, se tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto surgere, nec pedem posset quoquam movere. Cumque rogaretur, ut se in lecto ad conventum deportari pateretur, quo vel sic promissio perficeretur, omnino abdicavit, seque in DEum & in sanctos ejus & in fratrem suum peccasse libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina pietas per merita famuli sui, ne spe, quam in se posuit, fraudaretur, omnia illius pravæ conspirationis machinamenta repressit, idque, quod ab eo bene cœptum est, confirmando semper exinde ad meliora provexit. Benedictus Papa obiit, cui Johannes XIIX. succedit prioris Papæ frater, ex laico Papa ordinatus. II. Anno Domini MXXV. Heinricus, Cunradi regis filius, Rex efficitur. Cunradus vero Romam tendens Imperiali benedictione coronatur. III. Anno Domini MXXVI. IV. Anno Domini MXXVII. Bruno Augustensis Episcopus, frater Heinrici defuncti Imperatoris, & Welpho Comes prædas & incendia inter se conficiunt. V. Anno Domini MXXIIX. Ernestus Dux Alamanniæ & Welpho Comes Cunrado Imperatori ad deditionem veniunt. VI. Anno Domini MXXIX. Anno Domini MXXX. Cunradus Imperator Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit. Interea in Alemannia Ernest Dux & Wernerus Comes cum aliis multis occiduntur. VII. Anno Domini MXXXI. Stephanus Rex per legatos cum Imperatore pacificatur. IIX. Anno Domini MXXXII. Rudolphus Rex Burgundiæ moriens, dyadema suum Cunrado Imperatori misit. Romæ Johanni Papæ succedit Benedictus IX. qui & Theophilactus, moribus tanto ordini indignis occupans sedit annis XII. quo expulso Romani quendam Silvestrum pro eo constituunt, quem ipse postea excommunicavit & depulit & sedi suæ redditus, se ipsum privavit, aliumque pro se ob avaritiam contra canones ordinavit. IX. Anno Domini MXXXIII. Cunradus Imperator in hieme Burgundiam petit. Eclypsis solis facta est III. Kal. Julii hora VI. X. Anno Domini MXXXIV. Imperator Franciam petit contra Udonem. Item Burgundiam vastat. XI. Anno Domini MXXXV. Wirbinam, castellum in confinio Saxoniæ, pagani, qui Luitici dicuntur, optinent, multis ex Christianis occisis & captis, quos Imperator cum exercitu petit. Sanctus Symeon Græcus Treviris migravit ad Dominum. Ipso anno Dominus Pylegrimus Coloniensis antistes decessit & in basilica Sanctorum Apostolorum, quam ipse construxit, sepelitur, cui Herimannus cognomento Nobilis successit, de prosapia Heinrici regis primi Saxonici. XII. Anno Domini MXXXVI. Heinrico Imperatoris filio Knut regis Danorum filia conjungitur. Luitici tributarii facti sunt Imperatori. Eodem tempore Richeza regina facto inter se & regem conjugem suum divortio, per odium & instigationem cujusdam suæ pellicis, barbaros Sclavorum pertæsa ritus, veste mutata venit cum paucis ad Imperatorem Cunradum in Saxoniam, a quo honorifice suscipitur, & ubicunque in regno habitare vellet, illi concessit, quæ postea defunctis fratribus suis Ottone Swevorum Duce & Herimanno Coloniensi Archiepiscopo, venit ad Annonem successorem ejus, & Salevelt & Coburg beato Petro contulit; Ecclesiæ etiam Sancti Nykolai Brunivillere Cloteno & alia plurima dona obtulit, eo quod pater ejus Ezelinus & mater Methildis filia Theophanu locum eundem fundassent. Non multo post apud Saleveld ipsa defuncta est, corpusque ejus congruo apparatu Coloniæ delatum & ab Archiepiscopo Annone in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ est ad Gradus, cum honore est humatum. XIII. Anno Domini MXXXVII. Cunradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanensem Episcopum in custodiam mittit, qui fuga lapsus Imperatori rebellat. Udo Karolingorum princeps a Gozelone Lothariorum Duce pugna victus, fugiensque, a quodam milite occiditur. XIV. Anno Domini MXXXIIX. Cunradus Imperator obiit II. Non. Junii & sepultus est Spiræ, relinquens imperium filio suo Heinrico. Eodem anno Cunigunt Imperatrix, mater pauperum Christi, & Herimannus Dux Alemanniæ, filius Gislæ Imperatricis, obiit. Eclypsis solis facta est.

Anno Dominicæ Incarnationis MXL. ab urbe autem condita MDCCXCI. Heinricus III. Cunradi Imperatoris filius jam dudum patre vivente Rex constitutus, LXXXVI. loco ab Augusto patri successit, & XVII annis regnavit. II. Anno Domini MXLI. Heinricus Rex Ducem Boëmiæ Fratizalum bello petiit, sed multis proceribus & militibus in præstructione silvæ citra ultraque occisis vel captis nil dignum memoria efficere potuit. III. Anno Domini MXLII. Ungarii quendam Ottonem sibi regem fecerunt, & Petrum regem suum expulerunt. Qui profugus & exul, Heinrici regis, cui priori anno rebellavit, gratiam quærit & invenit. Heinricus Rex Boëmiam ingressus, igne prædaque cuncta devastat & rebellem Ducem obsides dare, ipsumque post se Radisponam ad deditionem humillimam venire, sibique jurejurando fidelitatem ac servitium jurare coartat. Ovo Rex Ungariorum ob susceptum a rege Heinrico Petrum, a se expulsum, fines Bajoariæ prædis depopulatur; sed magna pars exercitus ejus ab Albione Marchione deletur. Dominus

minus Helyas abbas moritur, & successit Aaron. IV. Anno Domini MXLIII. Heinricus Rex Pannoniam ingressus duas populosissimas civitates evertit, plures deditione sibi subjecit. Gisila Imperatrix, mater ejus obiit XVI. Kal. Martii & apud Spiram sepelitur. V. Anno Domini MXLIV. Heinricus Rex Pannoniam rebellantem iterum sibi subjugat & inde reversus synodo Constantiensi affuit, ubi cunctis in se delinquentibus debita dimisit, omnibusque inimcitiis destructis, pacem hactenus inauditam, tam in Sevia, quam in aliis regni sui provinciis confirmavit. Deinde Agnetem, Wilhelmi filiam Pictaviensis principis, apud Mogontiam ungi faciens in reginam, regalibus sibi nuptiis apud Hengelheim copulavit. Pestis pecudum. Hiemps dura fuit & nivosa. VI. Anno Domini MXLV. Heinricus Rex tertio Pannoniam sibi rebellantem subjugans, Ovonem cum uxore & filiis & cognatis expulit; Petrum in regnum restituit, & cum magno honore revertitur. Godefridus Dux Lothariorum regi rebellans ad deditionem coactus in Castello Gibichenstein usque ad dignam satisfactionem custodiæ mancipatur. VII. Anno Domini MXLVI. Heinricus Rex Italiam ingressus pacifice a Romanis suscipitur, & synodo apud Sutriam habita Gratianum Papam, qui duobus, id est, Theophilacto & Benedicto singillatim ejectis, a Romanis substitutus erat, canonica auctoritate deposuit, & Suidegerum Bavenbergensem episcopum, Clementem secundum dictum, Papam constituit, qui etiam novem præfuit mensibus. Porro Rex cum Agnete regina ab ipso Papa imperiali benedictione coronatus, in sancto Domini natalis die per Apuliam multasque provincias ducens exercitum, cum magno honore revertitur. VIII. Anno Domini MXLVII. Suidegerus Papa, qui & Clemens, nono promotionis suæ mense in Romanis partibus obiens, ad episcopium suum Bavenberg reportatus tumulatur, cui successit Poppo Aquilejensis Patriarcha, secundum quosdam Brixiensis episcopus, & Damasus II. vocatur. IX. Anno Domini MXLVIII. Poppo Papa, qui & Damasus obiit, necdum completo anno, ex quo constitutus est, pro quo Bruno successit, prius Tullensium episcopus & Leo IX. est dictus. Heinricus IV. nascitur. Otto Dux Suevorum obiit, pro quo Otto de Suinuorte successit. X. Anno Domini MXLIX. Heinricus Imperator anno imperii sui IV. quasdam Galliæ partes invasit contra Godefridum & Baldevinum duces, quibus ad deditionem coactis & regno his in partibus pacificato, victor cum honore revertitur. Leo Papa festum sancti Petri cum Heinrico Imperatore Coloniæ celebravit. Præsidente domino Herimanno Archiepiscopo, Synodus Mogontiæ habetur, cui interfuerunt Leo Apostolicus & Heinricus Imperator. XI. Anno Domini ML. Ungarii iterum rebellant, quibus Geveherdus Radisponensis episcopus, qui erat patruus Imperatoris obvius, vice ipsius Imperatoris, in fugam conversos, non minima eos cæde afflixit & cum summa pace rediit. XII. Anno Domini MLI. Imperator Heinricus iterum Pannoniam adiens, divisa in duas partes multitudine militum, utrimque regionem illam occupans intravit & vastata magna parte provinciæ, multis insuper ibi occisis, pacifice, licet inacte, rediit. XIII. Anno Domini MLII. Imperator iterum Pannoniam petit & inacte redit, ducens secum Leonem Apostolicæ sedis Præsulem. Iter simul tendentes in partes Reno contiguas, proximum natalem Domini Wormaciæ celebrant. Dominus Aaron abbas obiit, qui cantum nocturnalem de beato Gregorio, a domino Apostolico Leone compositum, has in partes, ipso tradente, ab Italia primus attulit; cui Hemericus successit. XIV. Anno Domini MLIII. dominus Apostolicus Leo de Gallia Romam rediens, multis eum diversarum provinciarum militibus comitantibus, ex præcepto Imperatoris, & post pascha exercitum ducens per Apuliam contra Nortmannos, illius terræ quondam advenas, sed tunc possessionum Apostolicarum invasores & Romani imperii hostes, XIV. Kal. Julii pugnavit, & infinita utrobique cæde peracta, Papa cum paucis fugiens sine victoria regreditur, relictis illic Teutonicorum militibus optimis, & in urbem Beneventana consedit, ubi tunc Udalricus, genere Noricus, episcopatum tenuit. XV. Anno Domini MLIV. Sanctus Leo Papa gloriose vitam finivit. XIII. Kal. Maji & magnifice in ecclesia sancti Petri Romæ juxta beatum Gregorium sepultus miraculis claruit. Successit autem in episcopatum Victor secundus, qui antea Geveherdus dictus, Eistensis erat episcopus. Fames magna. Cuno Dux Noricorum, fœderatis sibi Ungariis, graviter rebellat. Item Godefrid & Baldevinus. Heinricus IV. filius Heinrici, unctus est in regem Aquisgrani in dedicatione ecclesiæ. XVI. Anno Domini MLV. dominus Herimannus Coloniensis Archiepiscopus decessit & successit Anno secundus. Albertus Marchio & Welpho Dux Carinthiorum obierunt. Heinricus Imperator Italiam cum exercitu petit, omnia in pace disponit, revertensque, neptem suam Beatricem matrem Mathildæ secum duxit, indigne tractans eam, propter quasdam insolentias ejus, quibus vivere consueverat, mortuo viro ejus Bonifacio duce. Cuno Dux Noricorum ab Imperatore pro perfidiæ suæ culpa expulsus in Pannonia male exul obiit. XVII. Anno Domini MLVI. Geveharduss Radisponensis episcopus Imperatoris Heinrici patruus, hostis occulte pessimus deprehensus & convictus custodiæ mancipatus, sed misericorditer tractatus, exilio remittitur, & sedi pristinæ redditur. Godefredus Dux ad deditionem venit. Magna cædes a Luiticis in Christianos facta est, quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt, inter quos Wilhelmus Marchio occiditur. Hisdem temporibus multi adversarii principes provinciarum perierunt. Fames multas regiones afflixit, egestas & penuria undique prævaluit, multaque mala tunc temporis facta sunt. Heinricus Imperator pro his rebus cordetenus dolore com-

compunctus, consilio ab omnibus, quibus potuit, veniam petiit, quibusdam prædia, quæ abstulit restituens, cunctis qui contra eum & regnum culpas dampnabiles fecerunt, relaxans; filium quoque suum Heinricum Romani pontificis cunctorumque pontificum & principum regni electione regem constituit. Hiis & aliis, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispositis, bono fine consummatus præsentem vitam clausit III. Non. Octobris. Post cujus obitum, quia filius ejus Heinricus ad huc puerulus erat, domina Agnes Imperatrix, mater pueri, regnum sub sua cura aliquamdiu tenuit, ac sapienter & strennue rexit, donec aliqui principes, invidia ducti, puerum matri abstulerunt, eamque regimine regni abalienaverunt, quorum numero dominus Anno Coloniensis Archiepiscopus se implicuit, qui puerum in loco, qui dicitur Werida, navi imponens matri abduxit. Ipsa vero Imperatrix rerum permutationes considerans, Italiam se contulit, & apud monasterium, quod Fruteria dicitur, religiosam vitam aliquanto tempore duxit, postea defuncta, & in ecclesia sanctæ Petronillæ honorifice est humata.

Anno Dominicæ Incarnationis MLVII. ab urbe autem condita MDCCCVIII. Heinricus quartus, Heinrici Imperatoris filius, admodum puer, patri succedens LXXXVII. loco ab Augusto regnum accepit, & L. annis regnavit. Agnes Imperatrix mater ipsius ducatum Bajoariæ suscepit. Gevehardus, qui & Victor pontifex Romanus, multis bene in Germania gestis aliisque Romani regni partibus pontificum vel principum secularium consilio dispositis, Romam cum pace rediit, incipiente anni illius XL. Hic etiam eodem anno finivit vitam, pro quo Fridericus, Godefridi ducis frater, jam monachus factus, a Romanis Pontifex ordinatur, & Stephanus appellatur. Hic eodem anno obiit, pro quo Benedictus X. antea Johannes dictus, quorundam Romanorum gratia contra canones promotus, post septem menses sine consecratione obiit; deinde dissensione regis & principum & ipsorum Romanorum diversis constitutis vel succedentibus, I. Nykolao, qui & Gebehardus; secundo Honorio II. qui & Chadelo; Alexandro II. qui & Anselmus, prius Lucensi episcopo. Alexander Papa usque ad obitum suum honorifice in sede Apostolica permansit, nequaquam de eo regni principibus vel pontificibus dissentientibus. Hujus tempore Hildebrandus postea pontifex archidiaconatus functus est officio Romæ. Eodem tempore Fridericus quidam & fratres ejus in Germania tyrannidem exercentes, contra Romanum imperium ab Agnete Imperatrice & principibus regni victi, ad deditionem venerunt. Otto de Suinwrte Dux Suevorum obiit, & Rudolfus de Rinvelden, qui postea regnum invasit, ducatum accepit, quod magnum fuit seminarium earum, quibus regnum perturbatur, commotionum. Eundem namque ducatum Heinricus Imperator Bertolfo Comiti, qui post Carinthiorum Dux effectus est, promiserat, quem post mortem Imperatoris eidem Rudolfo causa filiæ suæ illi conjunctæ Imperatrix tradidit, quod animum Bertolfi valde commovit; unde de utroque ulcisci volens, rege scilicet & Rudolfo, omnes contra regem incitavit. Conspirat cum eo Otto in Saxonia, dejectus a Ducatu Bavariorum. Fiunt motus & conventus utrobique, in quibus odia in regem suscitantur & invidiæ. Multa quoque interea in regno fiebant, quæ Suevos & Saxones justis & necessariis, ut videbatur causis, ne regi adhærerent, avertebant, eoque res perducta est, ut Rudolfus in dampnationem sui regnum invaderet; sed hæc res, quem effectum haberet, nec rusticos latet. II. Anno Domini MLVIII. III. Anno Domini MLIX. IV. Anno Domini MLX. V. Anno Domini MLXI. VI. Anno Domini MLXII. VII. Anno Domini MLXIII. VIII. Anno Domini MLXIV. IX. Anno Domini MLXV. sanctus Cuno Trevirorum episcopus martyrrizatur. X. Anno Domini MLXVI. Cometa per totum orbem diu apparuit. Eodem anno Anglia per Wilhelmum Bastardum Nortmannorum principem miserabiliter afflicta, tandemque subacta, cujus & Rex effectus est. Qui mox pene omnes ejusdem regni præsules exilio, nobiles vero morti destinavit, mediocres autem suis militibus in servitutem, uxores indigenarum omnium advenis in matrimonium dedit. Dominus Hemericus abbas obiit, cui postmodum Humbertus successit. XI. Anno Domini MLXVII. Heinricus Rex Bertham Ottonis cujusdam Italici & Adelheidæ filiam accepit uxorem, nuptias celebrans Triburiæ. XII. Anno Domini MLXVIII. Heinricus Rex adolescentiæ usus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano imperio cœpit incolere, privata præsidia, nimirum potentibus regni non satis fidens, instituere; unde contigit, regi quam plurimos insidiatores, tam vitæ, quam regni, succrescere. XIII. Anno Domini MLXIX. Agnes Imperatrix, mater Heinrici, regni tædio affecta, vel potius divinitus compuncta, ducatum Bawariæ deposuit, & regnum penitus contempnens, pro Christo Romam se contulit, ibique dignis pœnitentiæ fructibus mira inserviens humilitate, post aliquot annos præsentem vitam in Domino finivit. XIV. Anno Domini MLXX. Teti Marchio non sine Saxoniæ principum consilio regi rebellat. XV. Anno Domini MLXXI. Otto Dux Bajoariæ, amisso ducatu, rebellat regi; cui in ducatum successit Welpho, vir strennuus & bellicosus, natu Suevus. XVI. Anno Domini MLXXII. conjurant principes Saxoniæ contra regem cum Ottone, quos Rex usquequaque persecutus, quam plures munitiones ejus vastat & diruit. XVII. Anno Domini MLXXIII. Saxones Hartesburg munitionem regis cum aliis destruunt, &, quod dictu nefas est, cujusdam innocentis regis filii ad injuriam patris sepulchrum violant & ossa dispergunt. XVIII. Anno Domini MLXXIV. beatæ memoriæ Alexandro Papa defuncto, Hildebrandus, qui postea Gregorius septimus dictus est, Abbas monasterii sancti Pauli & Archidiaconus Romanæ sedis, successit; sub quo Romana respubli-

publica & omnis ecclesia novis schismatum erroribus periclitari cœpit. Hic Heinricum regem crebris nuntiis & epistolis ad synodalia responsa vocavit. XIX. Anno Domini MLXXV. Heinricus Rex manu valida tam Alemannorum, quam Bajoariorum & Germanorum atque Boëmiorum, congregata Saxones petit, eisque juxta Unstrut fluvium congreditur, & non modica strage utrimque peracta, tandem victoria potitus regreditur. Ubi Rudolphus Dux Alemanniæ & Burgundiæ, qui postea regnum invasit, fortiter cum suis pro rege dimicasse notatus est. XX. Anno Domini MLXXVI. Concilium Wormatiæ habitum est, ubi præsente Heinrico rege, universi pene Teutonici episcopi præter Saxonicos Hyldibrandum Papam abdicarunt. Eodem anno circa XIX. Kal. Octobris colloquium maximum apud Oppenheim factum est, ubi totius regni pene principes subjectioni regis renunciabant, causam prætendentes, quod a duobus Apostolicis vocatus ad satisfactionem non venisset, & pro hoc contemptu in Romana synodo absens a Papa excommunicatus esset. Unde commotus Rex Romam humiliter tetendit, inventoque Papa in oppido Canusino, discalceatus & laneis indutus cum multo fletu & lacrimis tandem absolutionem meruit, acceptis a Papa correctionis in futurum vitæ suæ securitatibus multis. Ipso tempore defunctus est dominus Anno Coloniensis Archiepiscopus, & in cœnobio Sigibergensi, quod ipse construxit, sepultus est, cui Hildolfus succedit. XXI. Anno Domini MLXXVII. Rudolfus indigena Sueviæ, quæ omnino regalis stemmatis est aliena, apud Forcheim in regem elevatur, & apud Mogontiam unguitur. Deinde collecto copioso exercitu a Saxonia, Wirziburgenses regi Heinrico fidem servantes, obsedit, sed terrore ipsius circa Kal. Julii ab Italia reversi, obsidio solvitur. Bertolfus autem de Zaringon, Dux quondam Carinthiæ, præ dolore, quod videbat ex arbitrio regem Heinricum impune cuncta vastare, Phrenesi occupatus vitam finit. XXII. Anno Domini MLXXVIII. Bellum juxta Strowi commissum est a Rudolfo contra Heinricum regem VII. Idus Augusti, ubi inter alios Wecel Magdeburgensis episcopus perimitur, Magnus Dux despoliatur, Herimannus comes ejusdem Magni patruus & Albertus Wormaciensis episcopus comprehensi, ac plurimi de militibus Saxonicis turpiter sunt interempti. Ex parte quoque regis Heinrici Poppo vir mire fortis occubuit. XXIII. Anno Domini MLXXIX. dominus Hildolfus Coloniensis Pontifex obiit, cui Sigewinus successit. Iterum bellum fit inter Heinricum & Rudolfum in loco, qui dicitur Fladecheim, hieme nimis aspera, ubi in primo congressu Saxones terga verterunt, occiso ibi Meinfrido Comite. XXIV. Anno Domini MLXXX. Apud Prixinam Noricam XXX. episcoporum magnæque partis optimatum regni conventus contra Hildebrandum habetur. Rursus inter Rudolfum & Heinricum geritur bellum juxta fluvium Ellestram, in quo idem Rudolfus cecidit, sed a suis Marsburg cunis delatus & in brevi defunctus, honorifice ibidem est humatus. Fertur tamen in extremis positus & abscisam dextram intuitus, ad episcopos, qui forte aderant, graviter suspirans dixisse: Ecce hæc est manus, quæ domino meo Heinrico fidem sacramento firmavit: ecce ego jam regnum cum vita desero, videte, qui me solium ascendere fecistis, ut recta via me, vera monita sequentem, duxissetis. Hoc etiam prælio ex parte regis Heinrici Rabodo Comes satis fidus interiit. XXV. Anno Domini MLXXXI. Rex Heinricus Italiam cum exercitu petit, Romamque veniens in vigilia Pentecostes, resistente sibi Hildebrando Papa cum Romanis, ante castellum sancti Petri castra posuit, ubi etiam crebris per biennium incursibus urbanorum infestatus, parva manu multa viriliter peregit. Monasterium Babenbergense in vigiliis Paschæ crematur. Monasterium sancti Martini Mogontiæ exustum & tria monasteria prope posita & pene omnis civitas exusta est. Heinricus junior nascitur. XXVI. An. Domini MLXXXII. Herimannus quidam vir præpotens ac nobilis ex Germania a Saxonibus & Alemannis Rex constitutus, tam suis, quam alienis, cœpit in brevi despectus haberi. Dominus Humbertus abbas obiit & successit Herimannus. XXVII. Anno Domini MLXXXIII. Herimannus cum paucis Orientalem Franciam hostiliter invasit. Roma capitur ab Heinrico rege IV. Non. Junii feria VI. ebdomadis Pentecostes. Hildebrandus autem Papa occulte fugiens, Salennam secessit, ibi usque ad diem mortis suæ permansit. Pestilentia magna fit. XXVIII. Anno Domini MLXXXIV. Heinricus Rex in locum Hildebrandi Wigbertum Ravennæ episcopum petentibus Romanis statuit, & dictus est Clemens secundus, a quo ipse Rex cum regina Bertha in sancta Dominica Paschæ imperiali benedictione sublimatur. Posthæc Imperator de Italia digrediens, Augustam civitatem ab Alemannis invasam obsedit & cepit. XXIX. Anno Domini MLXXXV. Hildebrandus Papa, qui & Gregorius septimus, apud Salernam moritur, & ibi sepelitur, pro quo Otto qui & Urbanus, prius Ostiensis episcopus substituitur. XXX. Anno Domini MLXXXVI. Heinricus Imperator Saxoniam vastat. Wirziburg a Saxonibus capta est, & mox ab Imperatore adquisita. XXXI. Anno Domini MLXXXVII. Herimannus, falso regis nomine deposito, permissione Imperatoris ad propria reversus, post paucos dies in cujusdam oppidi obsidione interiit. XXXII. Anno Domini MLXXXIIX. Bertha Imperatrix obiit & Spiræ sepulta est. Augusta urbs insidiis Suevorum in Cœna Domini capta, secunda feria Paschæ destruitur. XXXIII. Anno Domini MLXXXIX. Dominus Sigewinus Coloniensis Archiepiscopus obiit & successit Herimannus III. cognomento Dives. Imperator nuptias Coloniæ celebravit, quandam Odonis Marchionis viduam, Rusorum regis filiam, ducens uxorem. Cunradus filius ejus senior ungitur in regem Aquisgrani. XXXIV. Anno

Domini

Domini MXC. Imperator Italiam rursus ingreditur ibique fere per VII. annos moratur. XXXV. Anno Domini MXCI. Mathildis de Longobardia Imperatori rebellat. XXXVI. Anno Domini MXCII. Pestilentia magna hominum atque pecudum. XXXVII. Anno Domini MXCIII. Cunradus Imperatoris filius & Berthæ Imperatricis patri rebellasse insamatur. Ecclipsis solis facta est IX. Kal. Oct. hora tertia, & draco visus est. Mortalitas magna subsecuta est. XXXVIII. Anno Dom. MXCIV. Pestilentia facta est. XXXIX. Anno Domini MXCV. Leopoldus Marchio & Heinricus Palatinus Comes obiit. XL. A. Domini MXCVI. Expeditio prima Jherosolymitana sub Petro monacho & Godefrido Duce Lotharingiæ ex omnibus populis Europæ. Præterea signum visum est in sole, multaque, quæ tam in aëre, quam in terris, portenta apparuerunt, ad hujusmodi exercitia non paucos antea torpidos excitaverunt, in quibus aliqua hic interseri duximus, cuncta vero longissimum. Nam & nos Cometem in plaga meridiana stantem suumque splendorem in obliquum gladii more protendentem tunc circa Non. Octobris vidimus: Stellam etiam aliam in Oriente locum suum longo interstitio saltibus mutantem VI. Kal. Martii conspeximus. Nubes quoque sanguineas tam ab occidente, quam ab oriente surgentes, sibique invicem in cœli centro concurrentes, rursumque mediis fere noctibus a septentrione igneos exurgere splendores plerumque, etiam faculas per aërem volitantes vidisse nos testibus plerisque conprobamus. Non multo ante hos annos quidam venerabilis vitæ presbyter, nomine Suiggerus, cujusdam diei hora fere nona duos equites conspexit concurrentes in aëre diuque concertantes, alterum qui & crucem non modicam, quam percutere videbatur, in altero victorem existere. Quidam etiam presbyter hora quadam meridiana cum duobus comitibus in silva deambulans, gladium miræ longitudinis venti vertigine, ignotum unde levaretur, in sublime deferri vidit, & quousque visum altitudo levaret, tam fragorem auribus, quam metallum oculis discrevit. Referebant aliqui, qui in equorum pastibus vigilabant, civitatis se speciem in aëre vidisse, diversas etiam turbas, diversis ad eam partibus, tam equestri, quam pedestri itinere, properantes perspexisse. Nonnulli etiam crucis signaculum sibimet in frontibus vel vestibus, sive in quolibet corporis loco, divinitus impressum ostendebant, ipsoque se stigmate ad eandem Domini militiam præscriptos credebant. Quid referam turpibus ipsis, mulierem quandam, duobus annis continuis impraegnatam, tandemque dirupto utero filium loquentem fudisse: Itemque infantulum per omnia bimembrem alterum vero capite bino; agnellos aliquos binis capitibus exortos fuisse. Qualiter autem terra a gentilibus subacta sit breviter intimabimus. Tempore Heinrici quarti Romani & Alexii Constantinopolitani principis, juxta præsagium Evangelicum, surrexit undique gens contra gentem & regnum adversus regnum, & terræ motus magni erant per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna; & quia jam in omnes gentes Evangelica tuba justi judicis adventum præconabatur, ecce etiam totum circumquaque mundum signa prophetata portendentem universalis ecclesia contemplatur. Jam Jherosolima Sarracenis civibus possessa, Babyloniæ, quæ nunc sedes est regni Egyptii, serviebat: jam tenuis in ea Christianæ religio professionis cottidiano se tributo redimebat. Bethlehem, domus panis angelorum, stabulum facta armentorum, universaque circumcirca ecclesiæ per omnia ludibriis numeroso annorum circuitu paganorum vexabatur. Orto interea bello, forte miserabili, inter Christianos Orientales, id est, Græcos & Armenios, Armenii utpote regnis & numero pauciores, affines asciscunt sibi de Persia bellatores inclitæ famæ, Turcos quorum auxilio sedata juxta placitum suum seditione, dimiserunt eos ad propria nimis allectos terrarum ipsarum copia & fertilitate. Qua de re inito post annos aliquot consilio, emenserunt ab Aquilonali plaga de terra Gorrizana, quæ plus hominum, quam victuum fertilis esse narratur, præscriptorum paganorum copiæ multæ, quæ sub quatuor Sultanis divisæ, sic enim Satrapas suos nominare solent, vi tamen Persico Imperatori pene divini cultus more subjecti, per Armeniam indeque Cappadociam totamque Romaniam atque Syriam diffusi sunt. Primo quippe Niceam, Catholicæ quondam fidei turrim firmissimam, expugnant, trucidatis in ea Christianis, quos ceperant, Solomanum quendam de suis tyrannum cum præsidiis locant, universas circumquaque regiones usque ad Paludem sive sinum maris, qui brachium Sancti Georgii dicitur, funditus devastantes, nulli animæ christianæ, nulli ecclesiæ vel monasterio, imo nec ipsis sanctorum imaginibus parcentes. Vidimus enim, & adhuc videre miserabile spectaculum est, in semidirutis partium illarum oratoriis, ipsam salvatoris nostri ejusque gloriosissimæ genitricis seu quorumlibet electorum picturas, truncatis naribus vel auribus, manibus vel pedibus, desolatarum ecclesiarum quodammodo luctum visibiliter prætendere, divinique judicii super se vigilantem virgam, quasi semper recentibus plagis, ostentaret. Igitur terra repromissionis subacta, mater nostræ redemtionis ac fidei Jherusalem duplici captivitatis jugo gravatur. Solamen tamen erat utique perparvulum, quod opprimentium se Sarracenorum Turcis multo turpior plebs æqua forte multatur. Posito inibi Sultano, militibusque numerosis ad instaurandum antemurale, quod hactenus cernitur, aliave quælibet ædificia, destruuntur illa, quæ extra civitatem erant, monasteria. Domini vero sepulchrum quæstus duntaxat gratia intemeratum relinquitur. Templum Domini famosissimum, &, ut arbitror, humani operis structuræ nulli comparandum, sacrilegæ paganorum religioni reservatur, tantæque semper apud illos habebatur venerationi, ut nunquam illud, nisi nudis

nudis & lotis pedibus, intrarent; nullum vero de Christianis, quos utique maxime immundos judicabant, per tot annorum curricula, tam Sarracenorum, quam Turcorum tempore, vel intra atrium ingredi permitterent. Prædictus etiam Alexius Imperator Constantinopolitanus super eisdem barbaris prædonibus per majorem jam regni sui partem diffusis, non paucas epistolas Urbano Papæ direxit, quibus in defensionem Orientalium ecclesiarum se non sufficere deploravit, obtestans totum, si fieri posset, occidentem, qui jam ex integro Christiana professione censeretur, sibi in adjutorium advocari, promittens, per se cuncta necessaria præliaturis terra marique ministrari. Inde commotus Apostolicus & omnis ecclesia Romana concilium generale in Hispaniæ confinio congregari fecit, quo etiam ipse laborioso nimis itinere perveniens, innumeris, qui ibidem convenerant, populis, diversorumque regnorum legatis, universa, quæ præscripta sunt, & multo ampliora ore facundissimo declamavit. Mox tot millibus in lacrimas resolutis, variarumque linguarum planctibus in altum levatis, in hoc cis doctor egregius remissionem omnium condonat peccatorum, si renunciatis omnibus, quæ possidebant, crucem post Christum unanimiter portantes, periclitantibus Christianis ferrent auxilium. Qua sponsione, erectis animis, omnium designata sunt ad præsens in Domini militiam circiter C. milia virorum, ex Aquitania scilicet atque Normannia, Anglia, Scotia & Hibernia, Britannia, Galatia, Flandria, Lotharingia, cæterisque gentibus Christianis, quarum nunc minime occurrunt vocabula; quibus omnibus venerandæ sanctitatis & sapientiæ virum Hademarum Episcopum præfatus Apostolicus præfecit, cui & ligandi solvendique potestatem, a beato Petro Romanæ sedi hereditatam, sua vice semper exercendam, concessit insignitumque cælestis militiæ stigmate exercitum apostolica benedictione consignans, condicto ab universis tempore profectionis, ipse cum non modica ejusdem expeditionis turma Italiam rediit.

DE EXPEDITIONE JHEROSOLYMITANA, QUÆ FACTA EST SUB GODEFREDO DUCE LOTHARINGIÆ.

Igitur in prima expeditione diversæ nationes Petrum quendam monachum sequentes, & Ungariam attingentes, quibusdam seditionibus, ut videbatur, indigenis invisi facti, re autem vera facultatum suarum habundantia eosdem semibarbaros in avaritiam accendentes, jussu regis eorum Colomanni dolis potius, quam armis & viribus nudati, fugam pro maximo lucro reportabant. Interea Godefridus **Dux Lotharingiæ, vir genere, armis & ingenio clarissimus, qui priori anno cunctis, quæ possidebat, in pretium redactis, militibus copiosis, fideque non modica instructis, cum fratribus suis Baldewino & Eustatio iter per Orientalem Franciam fecerat, neque ipsis ab Ungaria** fugientibus territus, sed tam Imperatoris Heinrici, quam regis Colomanni permissione, Pannonias Bulgariamque permearat. Constantinopolitano fœderatur Imperatori ejusque præsidiis fultus, Romaniam attingit, ibique sociatis sibi tam Siciliæ, quam Græciæ, Danorum, Nortmannorum cæterorumque transmarinorum exercitibus, immo universorum Christum colentium nationum auxiliis, frequenti congressu barbaros atterere cœpit, tandemque, Romania subacta, in Antiochiæ consedit obsidio. Posthæc sociatis in ea expeditione Hugone fratre Philippi Regis Galliæ, Reimundo Comite sancti Ægidii, Ruberto Comite Normanniæ, Ruberto Comite Flandrensi, cum turmarum copiis, quibus præerant, multa usque Jherusalem difficultate pertingunt; quarto jam anno, post quam in eandem militiam pro crucifixo sibi Christo tanti bellatores se sponte crucifixerunt. Reliqua enim multitudo præter eos, qui cum Boemundo Antyochiæ consederant, vel cum Baldewino Rohas abierant, Laodiciæ, Tyro remanserant, per diversas circumquaque regiones dispersi erant. Legimus Jherosolymæ libellum a loco præsenti totam hujus historiæ seriem diligentissime prosequentem, plurimosque populi Dei per triennium labores in captæ Jherusalem lætissima victoria concludentem. Quapropter nos hinc tam pauca de pluribus assignamus, videlicet, quod fictis omnino beneficiis Alexius Imperator tantos sibimet heroas amicaverit, postea vero sacramentis extortis, ne regno suo vim inferrent, constrinxerit; quamvis constet, quod dum moram ibidem primæ quæque cohortes alias adventantes expectando facerent, dolis eos interfecisset, nisi Godefridi Ducis sollertia super gregem Domini cautius vigilasset. Testantur seditionem ipsam suburbana, quæ tunc destruxit, pons, quem expugnavit. Quid multa? per duorum fere mensium spatia novitios indies suscepit exercitus Bizantium, e quibus tandem, absque vulgi, parvulorum ac mulierum incredibili multitudine, recensita sunt trecenta millia pugnatorum. Porro cohortes Petrum secutæ, jussu Alexii dudum transpositæ, paganis fuerant jam ludibrio factæ. Motis itaque castris Niceam applicuerunt, quam, fugato prædicto Solomanno principe, expugnantes, captam Imperatoris præsidiis tradunt, sic enim sacramento firmaverant, ut urbes quasque suo imperio detractas pristinæ ditioni, si vincerent, redderent, ipsique vicissim tam armis, quam stipendiis regiis infra metam eandem se foveri non dubitarent. Inde per regnum Constantini, terram opulentissimam, progredientes, mare contingunt Rusciæ; sicque, ut epistola docet, Ruberto Comiti delata, cum tanta alimentorum habundantia militiam suam Christus deduxit, ut aries nummo, bosque siclo venderetur. Præterea, inquit, quotiens reges vel principes Sarracenorum consurrexerunt in nos, Deo volente, facile victi & conculcati sunt. Ob hæc itaque feliciter acta, quia quidam intumuerant, opposuit eis Deus Antyochiam, urbem humanis viribus in-

inexpugnabilem, ubi per novem menses eos detentos in obsidione ejusdem ita humiliavit, ut omnis superbiæ illorum tumor desisteret. Igitur eis sic humiliatis, ut in toto exercitu vix centum equi boni reperirentur, aperuit illis DEus copiam suæ benedictionis & misericordiæ, & induxit eos in civitatem, atque Turcos & omnia eorum potestati tradidit. Cumque & hæc quasi viribus suis acquisita obtinerent, nec DEum, qui hoc contulerat, dignificarent, tanta Sarracenorum multitudine obsessi sunt, ut de civitate nullus ex tanta turba egredi auderet. Præterea fames in civitate ita convaluerat, ut ab humanis dapibus se aliqui non continerent. Longum est enarrare miserias, quæ in civitate fuere. Respiciens autem Dominus populum, quem tamdiu flagellaverat, benigne consolatur, ac primo quasi pro satisfactione tribulationis, lanceam suam, qua in cruce vulneratus est, munus non visum a tempore Apostolorum, pignus victoriæ illis obtulit, deinde corda illorum adeo animavit, ut etiam, quibus ægritudo vel fames ambulandi vires denegaverat, arma sumendi & viriliter contra hostes dimicandi virtutem infunderet. Triumphatis itaque hostibus cum fame & tædio exercitus deficeret, Antyochiæ, maxime propter discordias principum in Syrias profecti, Marcam & Barcam urbes Sarracenorum expugnaverunt, & castella regionis obtinuerunt. Ubi cum moram facere disposuissent, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jam fœtentium a populo Christianorum commesta sint. Inde cum Divino nutu in interiora progrederentur, largissimam atque misericordissimam & victoriosissimam manum omnipotentis patris secum habuerunt. Iterum cives & castella regionis illius per quam procedebant, ad eos cum multis donariis legatos præmittebant, parati servire & oppida sua reddere. Sed quia exercitus non multus erat, & in Hierusalem unanimiter festinabant, acceptis securitatibus tributarios eos fecerunt, quippe cum una de multis civitatibus, quæ in maritimis illis sunt plures homines haberet, quam in exercitu Christiano fuissent. Cumque auditum fuisset Antiochiæ atque Laodiciæ & Rohas, quia manus Domini esset cum eis, plures de exercitu, qui ibi remanserant, consecuti eos sunt apud Tyrum. Sic itaque DEO conviatore & cooperatore usque ad Jherusalem pervenerunt. Cujus in obsidione cum laborarent, maxime propter aquæ inopiam, habito consilio Episcopi & Principes, circinandam esse civitatem nudis prædicabant pedibus, ut ille, qui pro nobis in humilitate eam ingressus est, per humilitatem istorum pro se ad judicium de suis hostibus faciendum, illis eam aperiret. Placatus itaque hac humilitate Dominus, octava post humiliationem illorum die, civitatem eis tradidit, eo videlicet die, quo primitiva Ecclesia inde abjecta fuit, cum festum de dispersione Apostolorum a multis fidelibus celebratur. Inter hæc minime prætereundum videtur, quod dum exercitus in obsidione Antiochiæ moraretur, pavore perculsis universis per Orientem nationibus, discurrentibus ab omni parte orbis terrarum missis & exploratoribus, aliis pacem, aliis bella machinantibus, etiam Babylonici regis legati conventui principum se præsentes exibent; inter alia pollicentes, si victis Antiochenis, etiam Turcos de Hierosolyma pepulerint Dominum suum fratrem & amicum cum universis Sarracenis habeant. Ut enim præscriptum est, Judæam cum Jherusalem totaque Palæstina jam olim Turci Sarracenis abstulerant. Hac de causa securitate accepta, non pauci lectissimorum Babyloniam diriguntur, quorum fortitudine, proceritate, habitu & incessu omnique elegantia attoniti barbari Francos, sic enim universos occidentales populos nominare solent, plusquam homines, id est, DEos esse fatebantur, affirmantes omnino, non esse mirum, quod hujusmodi bellatores totum affectarent sibi subjicere mundum. Inito denique consilio Rex Babyloniæ Jherusalem obsidet, ostensisque legatis, Francis se fœderatum affirmat, quorum gladiis, si civitatem sibi non traderent, ipsos tradendos minitat. His itaque dolis Rex barbarus non suo, sed Francorum timore civitatem receptam, dimissis cum suis omnibus Turcis, omni conatu machinis atque militibus contra Christianorum adventum præmunivit, sicque factum est, ut Jherusalem bis uno caperetur anno; primo a Sarracenis, deinde a Francis. De hostibus vero ibi repertis quid actum sit, si quis nosse quærit, sciat, quia in porticu, qui dicitur Salomonis & in templo ejus victores equitabant in sanguine Sarracenorum usque ad genua equorum. Deinde cum ordinatum esset, qui civitatem retinere deberent, & alii amore patriæ & pietate parentum suorum redire voluissent, nunciatum est eis, quod Rex Babyloniorum Ascalonam venisset, cum innumerabili multitudine paganorum, ducturus Francos, qui Jherosolimis erant in captivitatem, & expugnaturus Antiochiam, sicut ipse prædixerat, aliter autem Dominus statuerat. Itaque cum in veritate comperissent hi, qui Hierosolymis erant, exercitum Babyloniorum Ascalonæ esse, contenderunt obviam illis, relictis sarcinis & infirmis suis in Jherusalem cum præsidio. Cumque hostium conspexissent innumerabilem multitudinem, genibus flexis DEum invocaverunt, ut qui in aliis sibi necessitatibus suis semper affuerat, in præsenti bello, confractis viribus paganorum & diaboli, regnum Christi Ecclesiæ a mari usque ad mare usquequaque dilataret. Nec mora clamantibus ad se DEus affuit, atque tantas audaciæ vires ministravit, ut qui eos in hostem currere videret, fontem aquæ vivæ sitientem cervum segnem adjudicaret, miro videlicet modo, cum in exercitu Christiano non plus quam V. millia equitum & XV. milia peditum fuissent; & in exercitu hostium C. millia equitum & CCCC. peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in servis suis DEus apparuit, cum antequam confligerent, pro solo impetu eorum hanc multitudinem in fugam convertit, & omnia eorum arma diripuit, ita ut si deinceps

istis repugnare vellent, non haberent arma, in quibus sperarent. De spoliis vero non est quærendum, quantum captum sit, ubi thesauri regis Babyloniæ occupati sunt. Ceciderunt ibi plus quam centum millia Maurorum gladio. Timor autem illis tantus erat, ut in porta civitatis ad duo millia suffocati sint. De his vero, qui in mari interierunt, non est numerus; spineta etiam ex ipsis multos obtinuerunt. Pugnabat certe orbis terrarum pro Christianis, & nisi spolia castrorum de ipsis multos detinuissent, pauci de tanta multitudine hostium essent, qui de bello renunciare potuissent. Pridie autem quam bellum fieret, multa millia camelorum & boum & ovium cepit exercitus. Cumque jussu principum populus hæc dimisisset, pugnam progrediens, mirabile dictu, multas & multiplices turmas fecerunt cameli, similiter autem & oves & boves. Hæc autem animalia ita comitabantur exercitum, ut cum stantibus starent, cum procedentibus procederent, cum currentibus currerent. Nubes etiam ab æstu solis Christianos defendebant & refrigerabantur. Celebrata itaque victoria reversus est exercitus Jherusalem; & relicto ibi Duce Godefrido, Regimunt Comes Sancti Ægidii & Rubertus Comes Normanniæ, itemque Rubertus Comes de Flandriæ, Laodicium reversi sunt, ibi classem Pisanorum & Boëmundum invenerunt. Cumque Archiepiscopus Pisang Boëmundum & alios cum eo discordantes concordare fecisset, Reigimundus pro DEO & pro fratribus regredi disposuit. Magna vero multitudo, ut supra dictum est, ad patriam remeare contendit; cæteri qui remanserunt terram DEO disponente hactenus in pace obtinuerunt. Dux quoque magnanimus & cui vix quisquam in religione comparabilis inveniatur, parva licet manu fultus, magna quæque cepit in Domino attemptare, reliquias gentilium quacumque remanentes persequi, præsidia locis oportunis instituere, Jopen diu destructam, portumque ibi diu jam desolatum renovare, Ecclesias clerumque, quantum potuit, reparare, cœnobitas alibi congregare, donaria multa tam monasteriis, quam hospitali, quod numquam defecerat, in Jherusalem devotissime conferre. Pacem firmissimam cum Ascalonitis atque Damascenis gratia commerciorum habuit, nostræ gentis milites præ cunctis bellatores honoravit, feritatemque illorum suavissima urbanitate Gallicis caballariis commendans, invidiam, quæ inter utrosque naturaliter quodammodo versatur, per innatam sibi utriusque linguæ peritiam mitigavit. XXXII. Anno Domini MXCVII. XXXIII. Anno Domini MXCIIX. Heinricus Imperator Natalem Domini Coloniæ celebravit; in Epiphania vero Aquisgrani filium suum juniorem, Heinricum quintum, regem fecit, reprobato majore filio Cunrado, quem prius coronavit. Cunradus vero causam rebellationis suæ paucis tantum sibique familiarissimis in regno detegens, assumpto quodam ex ordine ministerialium patris, æque Cunradi nomine, forti admodum & prudenti viro, per quasdam Italiæ partes & nomen & dignitatem regis annis ferme novem obtinuit, tantum indolis suæ per orbem Romanum diffundens interim odorem, ut nemo religiosus, nemo sapiens in ipso salutem reipublicæ constituendam fore dubitaret. Erat vir per omnia catholicus & Apostolicæ sedi subjectissimus, plus religioni quam fascibus vel armis deditus, fortitudine tamen & audacia satis & super instructus; lectioni, quam lusibus, vacare malebat: miseris omnimodis, sed præcipue militibus inopia strictis, compassione & misericordiæ fructu proximus fiebat, nemini contemptum, nemini vim, nemini non judicium intendens, omni personæ omnique conditioni fuit affabilis, indeque non immerito DEO & hominibus semper extitit amabilis. Cœlibatus pudorem perpetualiter servare cum proposuisset, coactus tamen a suis, filiam Rutkeri Ducis Siciliæ, famosissimi pene nostrorum temporum viri, duxit uxorem, cujus tam caste usus est conjunctione, ut vix crederetur eam unquam cognovisse, quæ tamen turturnina nihilominus prædita fide, secundos ultra detestabatur amplexus, adeo ut post ablatum tantum corpori suo caput, reliquum vitæ suæ tempus labori consecravit sexagesimi fructus. Legale illud præceptum: turpitudinem patris tui non revelabis; Itemque honora patrem tuum. Murmur, quod per totum Romanum imperium patris sui mores laniabat, quodque ipsum sibi offensæ patris ac suæ ab illo discessionis causa extitit, auribus propriis nunquam patiebatur inferri, semper illum dominum suum & Cæsarem, vel Imperatorem cognominans, universos a palatio patris adventantes sub appellatione servorum, licet infimos, sociali benivolentia tractans. Præter animi virtutes morumque compositionem corpore fuit aprime decorus ac statura procerus. XXXIV. Anno Domini MXCIX. Mortalitas magna facta est. Cunradus Trajectiensis Episcopus quarto feriæ Paschæ a negotiatore quodam crudeliter occiditur. Eodem tempore Dominus Herimannus Coloniensis Archiepiscopus decessit, in cujus locum Fridericus successit. Fames improvisa multis locis invaluit. Urbanus Papa obiit. Hic super Ecclesiarum hactenus, heu! manente commotione concilia multa congregavit, multa etiam decreta promulgavit, inter quæ etiam convocatis ad Placentinam civitatem cunctis fere patribus, Heinricum Imperatorem, tam a se, quam a prædecessoribus suis communione privatum declaravit, maxime regina Agnes ipsius Cæsaris uxore astante, multaque nefanda in illum ad aures totius Synodi testificante. Sed antequam ex hac vita migraret, spiritu instructus divino, Rainerum Cardinalem de sancto Clemente, sanctæ conversationis & boni testimonii Abbatem, nobilem Romanum, in regimen Apostolicum eligendum: quem etiam revelationibus aliis insuper denotatum Romana Ecclesia pastorem sibi consecrat, licet invitum, Paschalem appellans eum. XXXV. Anno Domini MC. Jherosolyma a Christianis capitur, Godefrido Duce exercitum regente. Udo Mar-

Marchio, & alii plures Saxonum, barbaros, qui dicuntur suitici invasit, & honorifice triumphavit. Wigbertus Ravennensis Archiepiscopus, qui super Hildebrandum beatum positus, Clemens Papa dictus est, obiit; vir utique satis ingenio, facundia, nobilitate, personæque reverentia clarus, nec Roma tunc, nec Ravenna bene usus, & qui super unum Papam viventem, quamvis coactus, ut ajunt, ascendit, ipse sibimet tres alternatim succedentes supervixit, extorris utraque sede Romæ & Ravennæ, malens, ut ab ore ipsius didicimus, Apostolici nomen nunquam suscepisse. Rex Wilhelmus de Anglia sagitta interfectus est in venatione: frater vero ejus Heinricus dum vellet in eodem loco pro remedio animæ ejus monasterium construere, apparuit ei, & duo dracones eum ferentes, dicens; sibi nihil prodesse, eo quod suis temporibus omnia destructa essent, quæ sui antecessores in honorem Domini construxerant. XXXVI. Anno Domini MCI. Cunradus Rex adolescens nono, postquam a patris discesserat palatio, anno, Mathildis magnæ illius & nobilissimæ, &, ut quidam dicunt, religiosæ fœminæ, sicut sanguine, ita & contubernio conjunctus, & in rebus per Italiam disponendis tam illius, quam domini Apostolici, ceterarumque Deum timentium personarum consilio semper usus, immaturo præventus occasu, plena fide & bona confessione a regno terreno ad æternum creditur regnum migrasse. Sunt etiam, qui eum veneno dicunt interiisse. Testari solent, qui aderant, in brachio corporis examini crucis signaculum subito exortum se vidisse, ipsasque exequias quibusdam miraculis honorificatas fuisse. XXXVII. Anno Domini MCII. Imperator Heinricus, habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum ac generale Concilium circa Februarii Kalendas inibi convocaturum condixit, quatinus tam sua, quam domini Apostolici causa canonice ventilata, catholica inter regnum & sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen ipsum nec juxta placitum venisse, nec nuncia Apostolicæ dignitati subjectionem profitentia misisse. Nec hoc latet, quod alterum Papam ipsi domino Paschali superponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit. Transacta post hæc media quadragesima, convenientibus universis Apuliæ, Siciliæ, Thuscaniæ, totiusque Italiæ Præsulibus, Ultramontanorum autem quam plurimorum patrum legatis, synodus magna Romæ est habita, ubi præter antiqua Patrum instituta solito more reverenter confirmata. Etiam sæpe dictum nostri temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur, ac perpetuo cum suis auctoribus ac sequacibus anathemate, hujusmodi subscripta professione, condempnatur: Anathematizo omnem hæresin, & præcipue eam, quæ statum præsentis ecclesiæ perturbat, quæ docet & astruit anathema contempnendum, & ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ sedis Pontifici domino Paschali ejusque successoribus sub testimonio Christi & ecclesiæ; affirmans, quod affirmat, & dampnans quod dampnat sancta & universalis ecclesia. Ibi etiam quam sententiam in Imperatorem vel Patricium Romanum Heinricum idem Apostolicus promulgaverit, nos quoque inter innumeras diversarum gentium catervas proxima Cœna Domini in ecclesia Lateranensi ab ejus ore didicimus, nimirum postquam VIII. Kal. Oct. maris fluctibus Joppæ traditi, Romæ sumus per Christi gratiam prædicta majori ebdomada introducti; quia, inquit, tunicam Christi scindere, id est, ecclesiam rapinis & incendiis devastare, & luxuriis, periceriis, homicidiis maculare non cessavit, primo a beatæ memoriæ Gregorio Papa, deinde a sanctissimo viro Urbano, prædecessore meo per suam inobedientiam excommunicatus est & condempnatus, nos quoque in proxima synodo nostra judicio totius ecclesiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum volumus omnibus & maxime Ultramontanis esse, quatinus ab ipsius se contineant iniquitate. XXXIIX. Anno Domini MCIII. Heinricus Imperator nativitatem Domini Mogontiæ celebravit, filioque suo Heinrico regi regni summam dimissurum, seque sepulchrum Domini visitaturum, per Emerhardum Episcopum publice prædicari fecit, indeque favorem maximum tam vulgi, quam principum & clericorum regnique totius, acquisivit, multosque e diversi regni partibus ad ejusdem itineris comitatum se præparare voto ipso succendit. Kuno, filius Ottonis Ducis, de magnis Principibus unus, quorundam funestorum hominum conspiratione occiditur. Heinricus Marchio, vir sui temporis in Saxonia præpotentissimus, obiit. XXXIX. Anno Domini MCIV. Heinricus Imperator natalem Domini Ratisponæ celebravit. Cumque ibidem aliquamdiu moraretur, orto quodam prius murmure inter Bajoariæ principes, eo quod Saxones vel Franci familiarius illic & honorabilius, quam indigenæ ab Imperatore tractarentur. Sigehardus Comes, qui hujusmodi suspicionem maxime notabat, cœpit Imperatori paulatim invisus haberi. Propter hoc autem maxime, quod ipse solus præ cunctis, qui tunc aderant principibus, habundantiori militum copia adducta ad resistendum se, si forte de curia quicquam secus cederet, videbatur communisse. Diebus post hæc aliquot exactis, cum jam securior factus idem Comes, suorum turmas defluere permisisset, excitatur in illum, conspirantibus tam Urbanis Ratisponensibus, quam diversarum partium ministerialis ordinis hominibus, seditio furibunda, quæ nullo modo vel ipso Imperatoris filio interveniente sedari potuit, donec ab hora diei tertia usque ad horam nonam in hospitio obsessus, tandemque fractis foribus ipse, prius confessione facta, sumpto etiam Dominici sacramenti viatico, capite truncatus occubuit. Hoc anno circa solstitium æstuale commutato in tempestatem aëre, decidisse fertur inter grandinum lapides in pago Wirciburg tantæ magnitudinis glacies, quæ in quatuor divisa, totidem hominibus inportabilis

lis videretur. In Episcopio vero Spirensi sanguis ex panibus visus est, nec non & in lenticularum edulio prodigiose repertus, civile immo intestinum bellum portendere, secundum antiquam historiæ Romanæ similitudinem, coniciebatur. XL. Anno Domini MCV. dum Imperator Heinricus Natalem Domini Mogontiæ celebrat, Heinricus filius ejus, nominis illius Quintus Rex dictus, rebellationem adversus patrem in Bajoaria parat, machinantibus scilicet Diepoldo Marchione, Beringero Comite & Ottone quodam nobili viro, sibique materna stirpe cognato, quorum consilio & adjutorio ante paucos dies a patris latere discesserat. Primo quippe hæresim præscriptam anathematizans, Apostolicæ sedis Pontifici debitam profitetur obedientiam, indeque fœderatis sibi Noricis principibus, atque ab Alemannia, nec non Orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones convertitur, a quibus honorifice susceptus & in Quintilinburg Pascha celebrans, in brevi universis Saxoniæ civitatibus potitus & optimatibus est dignitate regia satis honoratus. Consilio tamen atque ministerio Ruthardi Moguntini atque Gevehardi Constantiensis episcopi, responsalium scilicet domini Paschalis Papæ, totam Saxoniam Romanæ ecclesiæ communioni reconciliavit; episcopis vero & clericis conventum generalem in villam regiam, quæ Norhusin dicitur, IV. Kal. Junii, ubi super ecclesiasticæ institutionis jam depravata disciplina tractaretur, indixit. In quo Concilio super sententiis instantibus, patrum decretis primo relectis, quæque poterant, laudabiliter corrigebantur ad præsens; quædam vero, quæ graviora videbantur, ad Apostolicam audientiam differebantur. Symoniaca quippe hæresis Patrum consuetudine condempnata; Nycholaitarum quoque fornicaria commixtio ibidem est ab omnibus abdicata. Jejunium mensis Martii ebdomada Quadragesimæ, jejunium vero mensis Junii in ipsa ebdomade Pentecostes Romano more celebrandum, a præscriptis Præsulibus Apostolica auctoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. His vero, qui a pseudoepiscopis fuerant consecrati, per catholicam impositionem reconciliatio proximo jejunio danda fore promittitur. Vidimus autem hoc, quod silentio præterire non possumus, Regem Heinricum non modicam bonæ indolis spem magna simul & humilitate & auctoritate coram omnibus prætendentem. Nam cum servorum Dei conventui non nisi vocatus interesse vellet (ingens enim ibi cum episcopis & clericis) & abbatum atque monachorum ecclesiasticam sitiens unitatem turba confluxerat, tandem in abjecto productus habitu, locoque editiori, omnibus, juxta Principum decreta, suas leges atque jura rationabiliter innovavit; si qua vero irrationabilia rogabantur, mira ac ultra suos annos prudenti responsione & avita magnanimitate confutavit; in omnibus his & sibimet miro modo servans adolescentiæ verecundiam, & Christi sacerdotibus dignam exhibens reverentiam. Inter hæc obortis lacrimis ipsum regem cœli, cunctamque militiam cœli testabatur, se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regnum usurpare, neque Dominum & patrem suum a Romano deponi Imperio exoptare, immo debitam pertinaciæ ac inobedientiæ ejus semper compassionem exhibere; sique sancto Petro & suis successoribus lege Christiana subjici velit, sive regno cedere sive serviliter ipsi se subesse promisit. Quod auditum omnis multitudo laudans, lacrimas simul & preces, tam pro patris conversione, quam pro filii prosperitate, fundere cœpit, voce magna Kyrieleison declamans. Eadem hora Udo Hyldenesheimensis & Heinricus Patherbrunnensis & Fridericus Halurastatensis præsules vestigiis Metropolitani prostrati, ipsius atque regis astantis, totiusque præsentis ecclesiæ testimonio, Apostolicæ se dederunt obedientiæ. Quorum etiam commissa Apostolico nihilominus judicio reservantur, sub officii tamen suspensione. His rite dispositis Rex idem Pentecosten Merseburg celebrans, Heinricum Magdeburgensi ecclesiæ dudum designatum Archiepiscopum, sed ab Imperatoris fidelibus repulsum, consecrari fecit, nec multo post expeditionem contra Mogontiam movit, expulsum inibi pontificem restituturus, patre intra muros rem expectante, cum non parva militum turba, nonnullisque, tamen sibi sat fidis, principibus. Sicut autem istis Reni inter fluentia, naviumque subtractio urbis aditum denegabat, ita illis sacramentorum, tam filio, quam patri, factorum consideratio parricidale bellum interdicebat. Plura tamen hinc & inde nuncia navigabant, multaque consilia communes regni proceres inter se trutinabant, patre regni divisionem & hæreditariæ successionis confirmationem pollicente; filio vero nil nisi Apostolicæ subjectionis & ecclesiasticæ unitatis efficientiam postulante. Sic inacte discedens Wirzburg devenit. Errolongum quendam, quem dudum Emerardo defuncto, Præsulem Imperator designaverat, expellens Rubertum ejusdem ecclesiæ Præpositum, & tam prius, quam tunc, a clero & populo electum, per prædictum Rubertum Archiepiscopum intronizavit, sicque ecclesia eadem Apostolicæ communioni reconciliata; & securitate ab urbanis accepta, dimissis Saxonibus, ipse cum Bajoariis ad obsidium castelli Nurinberg conversus, illudque post duos vel amplius menses prospere capiens, soluto exercitu Ratisponæ se contulit. Quem pater e vestigio subsequens, Errolongum, fugato Ruberto, Wirciburg restituit; indeque omnia, quæ fautorum filii erant, devastans, tandem faventibus sibi dolis Ratisponensium filium urbe fugavit. Qua residens Præsulem eidem cathedræ quendam adolescentulum nomine D. - - - præfecit, exercitum undecunque congregavit, progressusque, Marcam Diepoldi per Boëmicæ gentis maxime devastavit crudelitatem. Nec plus una cum suo domino regii morantur milites, conventum usquequaque facere, Cæsarianis a tergo flammis prædaque vicem reddere, postremo cum decem electæ juventutis in quinque legiones

nes dispertitis congressum expetere. Jam castris in contrarium positis spectaculo nimis horribili per triduum continuum ex una ripa Regini fluminis Imperatoris, ex altera Regis velitabant signa: jam frequentia grassabantur in ipso fluminis alveo duella, inter quæ & Hartvigus Comes ex parte Imperatoris occubuit, nec paucos ex utraque parte Martis sors anceps assumpsit. Attamen die quæ generalem certissime congressionem præcedebat, principes, qui capita roburque utriusque videbantur exercitus, pacificis invicem concessis colloquiis, post morose ventilatam inter se belli præsentis causam, tandem divino, ut creditur, edocti spiritu, parum justitiæ, parum emolumenti, tam duro tamque periculoso inesse negotio, unanimi consideratione conferebant, indeque nimirum fratribus, id est, populo utraque parte Christiana parcendum, immo parricidali pugna cessandum, pari voto judicabatur. Rex etiam adolescens, dum jam, ut diximus, per ordinatas omni parte acies Mars cruentus cœpisset frendere, commotis visceribus super patre suo lugubriter fertur inclamasse: Grates, inquit, o boni commilitones, affectui circa me vestro summopere refero, unicuique vestrum, par pari referre, si res exigerit, non abnuo; nemo tamen in hoc me sibi velit vel credat fœderatum, ut dominum & patrem meum per se glorietur occisum, vel unquam æstimet occidendum. Ego quidem Christianis mihi legibus subarratum regnum, ut hæres & successor Augusti tenere, si tamen rerum omnium dominatori placuerit, cupio; parricida vocari vel esse nolo. Quod si pater meus Apostolicæ se subjecerit obedientiæ jugo, ego mox in his, quæ sua dumtaxat mihi clementia concesserit, contentus ero. Interim me non impugnatorem patris, sed paterni regni propugnatorem esse noveritis. Vesperascente jam itaque die, cessere loco regiæ phalanges, imperatoriæ majestati se reverentiam exhibere clamantes. Imperator autem dum in castris de crastino certior conflictu disponit, nec pugnam, nec pugnandi votum principibus esse per Boëmiæ ducem, Marchionemque Luipoldum contra spem audivit. Qui mox animo consternatus, supplex illorum adjutorium petit, nec impetrat, instructus etiam secretis filii nuntiis, suorum conspirationem adversus se factam, latenter e castris cum paucis admodum viris subtrahitur, sicque divina dispositione, uno salvo, multorum, qui fudendus credebatur, sanguis salvatur. Nam protinus ut Imperatoris absentia totis undique versum castris innotuit, unusquisque propria repetiens, maxime noctis opacæ latibulo divertendi securitatem ministrante, contendit. At Rex, dum disturbatis inimicis ad libitum frui posset, parcere quam prosequi deliberans, civitatem, ob dati prius fœderis defectum, austeriore nimirum pacto sibi confirmat. Hartwicum virum itaque probatum catholicum atque nobilem abdicato D. ibidem intronizat. Præsules etiam quosdam ac principes paternæ militiæ intra muros repertos sibi conciliat, moxque Franciæ redditus, eodem propinavit calice, perfidis sibi Wirziburgensibus. Intra hæc prædictus E. . . qui Præsulis inibi nomen usurpaverat, spe frustratus concepta, Ruberto sede cedens, regi deditur, & ex hoc inter suos Capellanos æque fidelis æstimatur. Audiens interim Rex, patrem suum apud Wigbertum quendam illustrissimum & prudentem virum, qui partibus illis, quas Sorabi inhabitant, pricipabatur, esse repertum, usque ad Renum illi ducatum (hoc enim per legatos ipse supplicabat) administrari permisit, ne tamen aliquo illius inibi infestaretur molimine, mature Wirziburg digressus, non longe a Spira præscriptum flumen non sine periculo transfretavit, moxque civitate ipsa patrisque ibidem reconditis thesauris, potitus, virum sapientem & nobilem ac pro sanctæ conversationis fama morumque dignitate omnibus sanum sapientibus amabilem, Gevehardum Hirsaugiensem Abbatem, præfecit Spirensibus Episcopum. His etiam diebus venerabilis Ruthardus Archiepiscopus a Thuringia, qua per annos octo tyrannicam declinaverat rabiem, præsidio catholicorum principum deductus, maximo nobis Mogontiæ tripudio, cathedræ suæ restituitur, sicque tam populum, quam clerum Apostolicæ reconcilians ecclesiæ ab universis non solum, ut pater jam grandævus, sed etiam velut ex mortuis redivivus excolitur. Rebus igitur circa Renum compositis, Burgundiam Rex Heinricus convertitur, sed revocatus fidelium suorum nuntiis, machinamenta patris, quæ Sigefridi Comitis auxilio moliebatur, mira velocitate prævenit. Nam illum Mogontiam tendentem & colloquium curiale, quod ab universis regni principibus super præsenti negotio condictum in Natali Dominico expectabatur, impedire temptantem, Bingæ circa Idus Decembris repperit, ore ad os de anathematis vinculo, ceterorumque insolenter in rem publicam commissorum, ordine quidem præpostero, sed necessarie commutato, filius patrem commonuit, obedientiæ debitum, si resipiscere duntaxat dignetur, repromisit. Senior has & hujusmodi quam plures causas ad audientiam optimatum & senatusconsultum instanti curiæ distulit, sicque comitatus uterque pacificus ad invicem pariter contra prædictam se metropolim convertit. Inter hæc aliqua, quæ huic pacto pacique non convenirent, dum per occultos nuntios patrem conari filio fideles denotarent, visum est eisdem, ut pater separatim cum suis in castello quodam tutissimo principum conventum expectaret, præsertim cum Præsules Mogontinus atque Spirensis cæterique, qui aderant, intra nuper reconciliatas suas ecclesias communicationem illi præstare se non posse, publice reclamarent. His ita dispositis, custodibus quoque, qui ne novi quicquam ab ipso vel ad ipsum procederet, adhibitis Rex Mogontiam publico conventui principum occurrit, sed vulgaris inde stultitia patrem a filio dolo captum & custodiæ mancipatum, circumquaque diffamavit.

Anno Dominicæ incarnationis MCVI. mediante

diante Heinrico juniore tantus apud Mogontiam factus est in natali Dominico totius regni Theutonici conventus, quantus per multa annorum curricula nunquam est visus. Referunt enim, qui tunc aderant LII. optimates vel eo amplius ibi affuisse, adeo ut solus Dux Saxoniæ Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuisse. Ibi supervenientes Apostolicæ sedis legati, Episcopi scilicet Albanus cum Constantiensi sententiam anathematis in Henricum seniorem, deinde Imperatorem, a tot sibi succedentibus Apostolicis sæpius sæpiusque promulgatam, scriptis simul & dictis testificantes universam multitudinem, immo totam, toto orbe diffusam ecclesiam, ab ejus communione Christi & beati Petri auctoritate multis jam annis sequestratum, confirmabant. Qua de causa, dum ipse se de castello, quo manebat, Mogontiam exhibere temptaret, principes propter cavendum tumultum, vulgi suæ potius, quam filii parti favere solentis, ipsi Ingelnheim occurrerunt, tandemque generali illum circumvenientes consilio, usque ad reatus confessionem satisfactionisque professionem perducunt. Cui cum legati communionem seu pœnitentiæ modum absque generalis Synodi atque Apostolicæ discussionis censura reddere ad præsens non possent, ipse partis utriusque consiliis annuens regalia vel imperialia insignia, crucem scilicet & lanceam, sceptrum, globum atque coronam filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum optimatibus multo fletu commendans, & ex tunc secundum summi sacerdotis totiusque ecclesiæ decreta suæ consulturum animæ promisit. Hoc ordine Heinricus illius nominis quintus primum a patre, dein ab universis Germaniæ principibus in regem jam secundo electus, ab Apostolicis quoque legatis per manus impositionem catholice confirmatus, acceptis tam ab episcopis quam a laicis, juxta morem patriæ, sacramentis, regnare cœpit LXXXVIII. loco ab Augusto, quinquagesimo patris sui anno, ab urbe vero condita MDCCCCLVIII. anno, ab origine autem mundi sex millibus trecentis quinque, Dominicæ vero incarnationis, ut dictum est, MCVI. anno. Circa quadragesimam novum & tremendum in cœlo signum apparuit. Nam per continuas tres ebdomadas aut amplius, versus occidentem stella oriebatur, radium latissimum, ad instar solaris lampadis, vespere emittens, & longam cœli partem versus orientem hoc splendore illuminabat. Iterum inter Heinricum Imperatorem & Heinricum regem filium eius controversia oritur. Qui Heinricus Rex festum Palmarum Coloniæ agit, invitatus ab ejusdem sedis Archiepiscopo. In Aquisgrani tendit. Pascha apud Leodium acturus, ubi tunc pater ejus morabatur. Cumque Aquisgrani venisset, quosdam suorum principum præmisit observare pontem, qui trans Mosam fluvium ducit ad oppidum Wegsaz. Ibi Heinricus Dux Lotharingiæ & Paganus filius ejus & Godefridus Comes de Namut venientes, nilque timentes excipiunt, vulnerant, trucidant, fugant, ubi ad CC. equites dimerguntur, & plures ingenui capiuntur. Hæc in cœna Domini facta sunt. Imperator de Leodio Coloniam regreditur, urbem vallo & fossis munit. Deinde Burchardus Episcopus Monasterii a Coloniensibus apud Nussiam capitur, ad Imperatorem ducitur, vinculis conjicitur. Filius Imperatoris expeditione facta, Coloniam obsidione premit cum ingenti exercitu, ubi civibus viriliter repugnantibus, territus aufugit. Interim Imperator Leodii regressus, parvo tempore superveniens moritur, anno regni sui L. imperii XXIII. & in ecclesia beati Lamberti ante altare sanctæ Mariæ tumulatur. Comites Theodericus, Godefridus, Adolfus moriuntur. Heinricus Dux Lotharingiæ Regi Heinrico V. subditur, ducatu privatur, Udoni Hyldinisheim Episcopo commendatur. Comes Godefridus Brabantiæ Dux Lotharingiæ statuitur. Colonienses deditionem faciunt, mediante duce Bertolfo Karinthiæ. Imperator effoditur & versus Spiram vehitur, Papa super eo tumulando consulitur. Dux Magnus Saxonum moritur, ducatus Comiti Lothario de Supelingeburg simul cum Marchia commendatur. Heinricus Dux de custodia fuga labitur. II. Anno Domini MCVII. Controversia inter regem Heinricum & Apostolicum Paschalem de investitura. Generalis Synodus Papæ omnibus episcopis apud Trecas indicitur, ubi Fridericus Coloniensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis a divino officio suspenditur, eo quod se huic sanctæ synodo subtraxerit. Ibi Apostolicus banno confirmavit, ut nemo investituram neque ecclesiasticam dignitatem a laicali susciperet manu, quousque quæstio hæc inter eum & regem synodaliter terminaretur. Circa festum nativitatis sanctæ Mariæ summo mane rege in Goslariensi aula dormiente, repente tonitrus veniens parietem, qui erat ad caput lecti ejus, concussit, inde vi fulminis aliquot clavos de clypeo regis excussit, gladiumque, quem rex ad latus collocavit, in acumine ambussit, ipse rex territus foras exilivit. Rex collecto exercitu contra Rubertum Comitem Flandriæ jam de Jherosolymis reversum tendit. III. Anno Domini MCVIII. IV. Anno Domini MCIX. Eclypsis solis facta est II. Kal. Junii. V. Anno Domini MCX. Synodus gloriosa Romæ, præsidente domino Apostolico, celebratur, præsentibus plurimis Episcopis & Abbatibus, ubi plurima utilia tractata sunt. Rex apud Leodium sponsam suscepit Heinrici Regis Anglorum filiam. In Trajectum venit, ubi ex ejus jussu quidam capite truncatur, qui in necem Cunradi Episcopi consensisse arguebatur. Ibi rex sponsam suam dotavit, quam postea Fridericus Coloniensis Pontifex Mogontiæ in reginam consecravit, Cometa apparuit. Eclypsis lunæ facta est. VI. Anno Domini MCXI. Rex Romam veniens ab Apostolico honorifice suscipitur, ubi cum datis utrinque pacis obsidibus consedissent super negotiis ecclesiasticis tractaturi, factione quorundam tumultus repentinus a Ro-

a Romanis excitatur, & in tantum rex angustiatur, ut pene jam fugam iniret, nisi Coloniensis Archiepiscopus cum valida manu succurrisset, & Romanos inaudita cæde confectos fugere compulisset. Potitus ergo victoria Papam abduxit, sed postmodum invicem concordantes Romam redeunt, pacatisque Romanis, rex ab Apostolico in Imperatorem consecratur, cui inter communicandum cum osculo pacis confirmandæ tradidit privilegium, quod postea, eo recedente, jussit vocari pravilegium, omnes in parte ejus sentientes excommunicans, Romæ synodo habita contra eum CXXV. episcoporum. VII. Anno Domini MCXII. Dissensio ducis Lotharii & Marchionis Rudolfi cum Imperatore. Conjuratio Coloniæ facta est pro libertate. Querra inter Imperatorem & principes Saxoniæ, in qua Wibertus & Sigefridus Palatinus Comes ejus perdunt gratiam, & Wibertus quidem capitur & regi offertur, & Sigefridus vulneratur, ex quo postea moritur. Cometa apparuit. VIII. Anno Domini MCXIII. Imperator expeditionem super Fresones fecit, ubi Colonienses, qui inter alios huic expeditioni intererant, fraude ipsius Imperatoris a Fresonibus circumventi, interventu Ducis Saxonum evaserunt. Otto locupletissimus Comes de Sutuenæ obiit. IX. Anno Domini MCXIV. Imperator memor injuriarum suarum in Colonienses, & illam florentissimam totius Galliæ & Germaniæ civitatem, toto etiam orbi famosissimam aut extenuare, aut obfuscare toto conatu deliberans, adunato grandi exercitu Alamannorum, Bajoariorum & Saxonum cum Duce suo Lothario Divitense castrum obsidere & evertere venit, ut in illo præsidio collocato, commeatus navium a Coloniensibus arceret. Cujus rei nuntium cum Colonienses accepissent, coacto in unum delectæ juventutis copioso apparatu cum valida manu Sagittariorum Renum transmeant, & aciebus ordinatis virili expectatione Imperatoris impetum excipere non dubitant. Quorum audaciam Imperator considerans, accepto suorum consilio, bellum usque ad vesperam satagit protrahere, ut quasi tædio affectis, illorum acies attenuarentur, & sic facilius vincerentur. Interim equites utrimque quasi ad spectaculum in campo mutuo coëquitantes exercebantur, sed grandine sagittarum densissimo a parte Coloniensium supervolitante, aut vulnerabantur adversarii aut interficiebantur. Erat autem in exercitu Imperatoris quædam legio, quæ loricis cornis, ferro impenetrabilibus utebatur, quas dum captandæ auræ gratia exuissent, æstus quippe erat, continuo sagittis excepti ad sex in monumento sunt extincti. Verum Imperator loco non cedentibus adversariis, sed immobiliter persistentibus, satius arbitratur campo cedere, quam male pugnare, & illa nocte inter munimenta plaustrorum se continens, sequenti die versus Veronam & Juliacum, præsidia Coloniensium, cum exercitu properat, præda, flammis & rapinis omnia vastat, unde reversum Fridericus Archiepiscopus, Godefridus Dux Lotharingiæ, Heinricus Comes de Sutuen, Theodericus Comes de Are excipiunt, viriliter quidem, sed infeliciter. Capti sunt enim ibi ex eorum melioribus Comes Gerhardus de Juliaco, Lambertus de Mulinhare. Everhardus de Gandernol vir militaris occisus. Superveniente autem Friderico Comite Westfaliæ & fratre ejus Heinrico valida acie Imperator bello avertitur, & insequentibus adversariis vix fuga labitur. Tertio post hinc bello in campis Anturnacensium, novem miliaribus a Colonia distantibus valido apparatu congrediuntur, ubi Colonienses, sicut solebant, victores efficiuntur. Congregato namque plurimo tam pedestris quam equestris militiæ comitatu, Saxonum videlicet, Francorum, Alemannorum, Bawariorum, Burgundiorum quoque fortissimo equitatu, Imperator per suos duces pugnaturus, cum intolerabili multitudine Anternacum venit, ipse quidem bello abstinens & non longe eventum pugnæ operiens. Aderant & Coloniensium bellicosissimæ acies longe satis impari copia, sed non impari virtute & audacia, ductoribus Friderico Duce & Archiepiscopo suo, Heinrico quondam duce Lotharingiæ, Theoderico Comite de Are, Heinrico Comite de Kesle & aliis æque militaribus viris, bello adprime assuetis. In prima acie Heinricus Dux cum parva manu ingentem armatorum copiam incurrens, tanta oppressus multitudine castris se recepit. Deinde cum horrisono tubarum strepitu uterque exercitus grandi animositate congreditur, & diu anceps bellum agitur. Tandem Coloniensium lectissima juventus efferata aut vincere aut mori deliberat, & gravissima cæde debachata adversarios fugere coartat. Ibi Theodoricus Comes miles fortissimus, magna pars victoriæ, totus cum suis, hostibus instans, more leonis circumquaque strages immensas operatur, plures ingenui & militares trucidantur & capiuntur, inter quos & Bertolfus Dux Karinthiorum, Imperatori fidissimus captus, ipsius Comitis Theoderici custodiæ mancipatur. Nullus præterea principalium virorum ex parte Coloniensium aut captus refertur aut occisus, præter Heinricum Comitem de Kesle virum egregium, qui, per fraudem suorum, equorum pedibus suffocatus, Coloniæ juxta ecclesiam majorem beati Petri honorifice tumulatus est. X. Anno Domini MCXV. Imperator Bruneswich ad injuriam Lotharii Ducis Saxonum occupat & Halverstat devastat. Contra quem idem Dux cum Saxonibus, adjuncto sibi Friderico Archiepiscopo cum Coloniensibus, Friderico Comite Westfaliæ cum Heinrico fratre ejus, Heinrico de Limburg, Herimanno de Calvelage properat in loco, qui dicitur Welpishold, ubi commisso certamine Imperator terga vertit & plenam victoriam principes assecuntur. Sub eodem tempore Imperator Mogontiam venit, ubi episcopum loci jam triennio captum coactus civibus reddidit. XI. Anno Domini MCXVI. in Nativitatem Domini multi principes Coloniæ conveniunt, Mandato Theoderici cardinalis,

cujus

cujus fama jam per regnum celebris habebatur, de ecclesiæ rebus tractaturi. Sed idem Cardinalis in itinere moritur, & corpus ejus humandum Coloniæ deportatum est. Magna inæqualitas aëris facta est. XII. Anno Domini MCXVII. In octava sancti Johannis Evangelistæ terræ motus maximus late per orbem plurima ædificia subruit. In Italia sane tantum desævit, ut Verona sive Berna, civitas nobilis, eodem concussa, oppressis multis mortalibus corrueret. Similiter in aliis Italiæ urbibus plures interierunt. XIII. Anno Domini MCXVIII. Dominus Paschalis Papa obiit, cui successor eligitur Johannes, ipsius antea Cancellarius, qui & Gelasius secundus dictus est. Kuno Prænestinus Episcopus a domino Paschali missus, & eo mortuo a successore suo, quem diximus, Gelasio ad officium sanctum per Episcopum Winariensem ordinatus, litteris adprime autoritate patrum roboratus veniens Coloniam, multis clericis cum convenientibus Wormatiæ Synodum celebravit. Balduinus Rex Jherosolymitanus, frater Godefridi, moritur, & in sepulchrum suum sepelitur, cui alius Balduinus de Burga subrogatur. XIV. Anno Domini MCXIX. Dominus Apostolicus Gelasius synodum in Francia celebraturus apud Cluniacum moritur & sepelitur, cui Archiepiscopus Viennæ succedit, & vocatur Calixtus secundus. Hic Papa Synodum Remis in festo sancti Lucæ celebrat, ubi Imperator anathematizatur. Imperator a Coloniensibus honorifice excipitur, absente Episcopo, unde Episcopus divinum officium eis interdicit. XV. A. Domini MCXX. Terræ motus factus est. Principes cum Imperatore in concordiam redeunt. Fridericus Palatinus Comes obiit. XVI. Anno Domini MCXXI. Dominus Herimannus bonæ memoriæ abbas, postquam præfuit XL. annis obiit & succedit Rudulfus. XVII. Anno Domini MCXXII. Fridericus Coloniensis Archiepiscopus cum Coloniensibus Kerpene, castellum Imperatoris, obsidens, cepit & diruit. Circa festum Sanctæ Mariæ Spiræ conventus principum fit, ubi Hostiensis Episcopus, sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus, consulente Apostolico Calixto Imperatorem banno absolvit. Imperator e contra investituras ecclesiasticarum dignitatum beato Petro remisit, ita dumtaxat, ut libera electione præcedente, Imperialis dignitas, quod suum est, in constituendis episcopis, abbatibus vel abbatissis non variaret. Bertolfus Dux de Zaringon, assultum ad villam Mollenheim incaute faciens, occiditur, vir vere egregius, Imperatori fidissimus. XVIII. Anno Domini MCXXIII. Gerhardus Abbas efficitur. XIX. Anno Domini MCXXIV. Magnæ molis grando cadit IX. Kal. Augusti. Magna fames, ingens æstus, asperrimum bellum consecutum est. Kalixtus schismaticos & hæreticos omnes, qui suo tempore invalescebant, coëgit, obiit. Heinricus Imperator Trajecti infra ebdomadam Pentecostes obiit, corpus ejus Spiræ humandum deportatur.

Anno Dominicæ incarnationis MCXXV. ab urbe autem condita MDCCCLXXVI. annis ab origine mundi sex millibus trecentis viginti quatuor, Lotharius Dux Saxonum bellicosissimus & victoriosissimus, LXXXIX. loco ab Augusto ab omnibus in regem eligitur, & Coloniæ ab Archiepiscopo Friderico cum conjuge sua domina Richeza consecratur, regnavitque annis tredecim. II. Anno Domini MCXXVI. Fridericus Dux Alsatiæ nova quædam contra regem molitur, principum judicio dampnatur. Treveris apud sanctum Eucharium reperitur corpus sancti Matthiæ Apostoli subtus altare sancti Johannis baptistæ. Heinricus Dux Bajoariæ obiit. III. Anno Domini MCXXVII. Rex natalem Domini Coloniæ celebrat, absente episcopo; Epiphaniam vero Domini Aquisgrani. Ibi temerarius tumultus coram rege oritur, sed moderatione ejus adnullatur. Karolus Comes Flandriæ & Wilhelmus Comes Burgundiæ a suis crudeliter occiduntur, Karolus quidem in oratione prostratus in ecclesia, Wilhelmus vero nocte in cubiculo suo. Quidam nefarius homo Giselbertus, qui dominum suum Episcopum Taurensem & ecclesias Dei sub eo positas superioribus annis sæpius infestabat, apprehensus jussu regis, capitis sententiam accepit. IV. Anno Domini MCXXVIII. Rex nativitatem Wirziburg celebrat, ubi rumore percellitur, scilicet Cunradum fratrem Friderici Ducis Alsatiæ regium nomen usurpasse. Hac de causa Magabertus & Moguntinus Episcopus & alii plures eundem Cunradum excommunicaverunt, & postea eadem excommunicatio a domino Apostolico confirmatur. Contra quem rex veniens Spiram, in qua ille præsidium suum, expulso episcopo, collocaverat, obsedit, sed acceptis obsidibus discessit. V. Anno Domini MCXXIX. Rex purificationem sanctæ Mariæ Coloniæ celebrat, absente Episcopo, quia, sicut & duobus superioribus annis, inimicitias exercebat contra regem. In partibus occidentis viris, malo usu comam nutrientibus, subito capilli circa capita multis ardere cœperunt. Ipso tempore Fridericus Coloniensis Archiepiscopus regi reconciliatur. VI. Anno Domini MCXXX. Rex Lotharius Spiram obsidens, civibus fame victis, urbem capit. Honorius Papa efficitur, cui Innocentius secundus succedit, qui etiam Gregorius. Eodem tempore astruitur ei alius, Petrus filius Petri Leonis, Anacletus secundus vocatur. Hac dissensione Innocentius hinc expulsus ad regem in Galliam se contulit, ipso annuente, vices Apostolicas his in partibus sibi vendicavit. Cæterum ex illa parte Alpium omnes Anacleto favebant. Verum Innocentius regis & optimatum regis conboratus auxilio, ex hac parte Alpium quatuor annos agens, concilia habuit, decreta statuit, episcopos ordinavit, & omnia quæ viri Apostolici erant, libere egit. VII. Anno Domini MCXXXI. Dominica ante mediam XL. XI. Kal. Aprilis celeberrimus conventus principum fit Leodii, domino Innocentio Apostolico & rege Lothario præsentibus. Urbs Trajectinensis tota cum omnibus ecclesiis ibi constructis incendio

cendio conflagravit. Similiter & in aliis pluribus locis multa incendia facta sunt. Dominus Fridericus Coloniensis Archiepiscopus obiit. Rex Lotharius expeditionem super Danos & Sclavos movit, eosque subegit. VIII. Anno Domini MCXXXII. Rex natalem Domini Coloniæ celebrat, in cujus præsentia gravissimæ partes fiunt utriusque ordinis, cleri scilicet & populi, in electione domini Godefridi Santensis Præpositi, præsidentibus tribus Cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiæ legatis, Wilhelmo scilicet Prænestino episcopo, Widone, qui Innocentio Romæ successit, & Johanne Cremensi episcopo. Tandem judicio regis & principum & ipsorum cardinalium ad unanimitatem ecclesia perducitur, atque saniori consilio, Godefrido cessante, dominus Bruno Præpositus sancti Gereonis Coloniensi cathedræ intronizatur. Interim dum hæc agenda tractantur, Ekbertus Monasteriensis Episcopus, primum decanus majoris ecclesiæ beati Petri Coloniæ, qui huic concilio intererat, ibidem infirmatus moritur, reportatusque ad sedem suam tumulatur, cui Wernerus successit. Vehementissima vis ventorum innumera ædificia subruit. Ipso anno elevatum est corpus sancti Godehardi. IX. Anno Domini MCXXXIII. Rex Romam proficiscitur ad restituendum Innocentium sedi Apostolicæ. Transiens ergo per Italiam pleraque munita sibi resistentia capit, tandemque II. Kal. Maji Romam summo favore ingressus; cum jam defunctus esset Anacletus, sedi Apostolicæ restituit Innocentium, a quo etiam II. Non. Junii Lateranis in ecclesia sancti Johannis in Imperatorem consecratus, post bella & victorias aliquantas in Gallias rediit, ducens secum captivum Principem quendam Italiæ. Eclipsis solis facta est IV. Non. Augusti, hora diei sexta, in tantum, ut stellæ in cælo apparerent. Magna inæqualitas aëris & pluviarum inundatio per totum tempus messis subsecuta est. Consobrinus Imperatoris occiditur Trajecti a Godefrido & fratre ejus Herimanno de Kuch. X. Anno Domini MCXXXIV. Novus Imperator Natalem Domini Coloniæ celebrat. Ibi temerarius tumultus urbicorum coram Imperatore exoritur, &, eo nondum sedato, inde discessit. Rex Dacorum veniens, se in potestatem Imperatoris tradit, obsides dat, juramentum facit, se successoresque suos non nisi permissu Imperatoris successorumque suorum regnum adepturos. Post hæc cum pace redire permissus in sancto die Pentecostes ab æmulis suis est occisus. XI. Anno Domini MCXXXV. Imperator Natale Domini Aquisgrani celebrat, ubi Colonienses ejus gratiam obtinent. Ibi etiam Imperator & Coloniensis Archiepiscopus dissentientes ab invicem discordati discedunt. Postea ipse & Fridericus Dux Alsatiæ interventu principum Imperatori reconciliantur. In festo Pentecostes omnes principes regni coram Imperatore firmissimam pacem ad decem annos juraverunt, & deinceps cætera multitudo idem facere compellitur. XII. Anno Domini MCXXXVI. Imperator Natalem Domini Spiræ celebrat. Ibi mortuus est Heinricus Marchio, filius Wiberti comitis. Hoc anno obsides numero duodecim Godefridi de Kuch sese in potestatem Imperatoris tradunt. Ipse Herimannus, frater Godefridi, cum fratre suo proscribitur. Circa festum assumptionis Mariæ expeditio Imperatoris in Italiam. Inter Susatienses & Arnosbergenses deprædationes, incendia, homicidia fiunt, absente Imperatore. XIII. Anno Domini MCXXXVII. Imperator Natale Domini & Pascha in Italia celebrat, Pentecosten vero apud Barim cum generali conventu principum Italicorum. Ibi dominus Bruno secundus Coloniensis Archiepiscopus obiit & in ecclesiam beati Nycholai ibidem honorifice tumulatur, cui dominus Hugo Decanus sancti Petri successit, & ab Apostolico Innocentio ordinatus, eodem anno exul moritur. Princeps Apuliæ Ruotigerus nomine, ob cujus insolentiam maxime Imperator Italiam intraverat, statuit castrum satis munitum in ipso latere civitatis Haræ, in quo prædones collocaverat, qui terra marique inauditis calamitatibus regiones opprimebant. Simili modo per totam pene Italiam fecerat. Pentecoste celebrato, Imperator castrum cum exercitu vallat, quod magno labore devincens igni tradit, soloque coæquant. Prædones comprehensi, suspensi sunt circa turrim exustam numero quingenti vel eo amplius. Quo terrore omnis civitas & omnis munitio regiæ se potestati tradidit. Ex hinc Imperator in Calabriam ambulavit, ubi legatos Græcorum obviam habuit. Ipso tempore Mogontia una cum principali templo combusta est. Imperator rebus in Italia compositis, cum jam repatiare disponit, in ipso itinere tam senio, quam infirmitate, gravatus II. Non. Decembris obiit, vir egregius & digne pater patriæ appellandus, quo decedente pax & tranquillitas & rerum copia, qui eo imperante vigebant, hactenus cessaverunt. Corpus ejus delatum in patriam sepelitur regio more in hæreditate paterna, loco qui dicitur Luitheron. Hujus regis tempora jocunda fuere. Nam bona aëris temperie, omnigena terræ fertilitate, cunctarum rerum copia, non solum per regnum, sed & pene per totum mundum exuberabat. Hic pace affluebat, concordia regnabat, tranquillitate imperabat, moderatione fulgebat. Pace belloque clarissimus erat; merito a nobis nostrisque posteris pater patriæ appellatur, quia erat egregius defensor & fortissimus propugnator, nihili pendens vitam suam contra omnia adversa propter justitiam opponere. Et ut magnificentius de eo dicamus, in diebus ejus populus terræ principem terræ non pertimuit; non violentorum manibus subjacuit. Unusquisque enim sua liberaliter pacificeque possidebat.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIIX. ab urbe vero condita MDCCCLXXXIX. Cunradus ejusdem nominis tertius, Dux Alemanniæ, frater Friderici ducis Alsatiæ, XC. loco ab Augusto eligitur in regem, regnavitque annis quatuordecim. Coloniæ Archiepiscopus levatur

vatur Arnoldus, primus præpositus sancti Andreæ. Ipso anno seditio gravissima inter cives & ipsum Episcopum oritur, & vix tandem post magnam tumultuationem sedatur. Cunradus Rex effectus, regalia, quæ penes Heinricum ducem Saxoniæ & Bawariæ, generum Lotharii Imperatoris erant, callide acquisivit, & ipsum ducatu Saxoniæ privare voluit, dato eodem Adelberto Marchioni. Hinc cædes, rapinæ, incendia per totam Saxoniam facta sunt. Unde Heinricus Dux fratri Welphoni ducatum Bajoariæ cum provincia committens, valida manu Saxoniam tendit, & ipsum Adelbertum Marchionem post regem exulare fecit. II. Anno Domini MCXXXIX. Circa festum sancti Jacobi expeditio regis in Saxoniam contra Heinricum ducem; sed illo viriliter cum magno exercitu juxta Crucenberg occurrente, Rex infecto negotio rediit. Nec multo post idem Dux veneno, ut fertur, vitam finivit. Albertus Marchio morte ducis exhilaratus, cum forum apud Bremam gloriabundus adiret, ut a turbis inibi confluentibus quasi Dux patriæ susciperetur, ab amicis Imperatricis circumventus, fuga vix cum paucis evasit. III. Anno Domini MCXL. Rex urbem Welphonis ducis Bawariorum, Winesberg dictam, obsedit, & in deditionem accepit, matronis ac feminis ibi repertis hac regali liberalitate licentia concessa, ut, quæque humeris valerent, deportarent. Quæ tamen fidei maritorum, quam sospitati cæterorum consulentes, omissa supellectili descendebant, humeris viros suos portantes, duce vero Friderico ne talia fierent, contradicente, Rex favens subdolositati mulierum dixit: regium verbum non decere immutari. IV. Anno Domini MCXLI. Rex festum Pentecostes Wirziburg celebrat. Ibi celebris conventus principum fit, pro pace & concordia in regno componenda; sed infecto hujus rei negotio discessum est. Domina Imperatrix Richiza piæ memoriæ obiit. V. Anno Domini MCXLII. Rex Pentecosten Frankenefurt celebrat, coadunata principum, tam Bawariæ, quam Saxoniæ, universitate. Ibi quorundam familiarium suorum principum fretus auxilio, dominam Gertrud, famosissimam Saxoniæ matronam, filiam videlicet Lotharii Imperatoris & prædicti Heinrici ducis viduam, uni e fratribus suis conjunxit, sciens, hac conjunctione multos confœderari, quod & factum est. Nam principes hactenus discordantes, hac occasione regi reconciliantur. Celebrantur ergo nuptiæ regali apparatu per XIV. dies, quas ipse Rex per se amministravit. Wecel Monasteriensis Canonicus ab ecclesia Osnaburgensi Episcopus eligitur; sed Coloniensium Archiepiscopo aliisque quibusdam resistentibus, per suspensionem divini officii ecclesia a legitima electione arcetur, unde Philippum Præpositum Daventrensium in ejus locum suscipiunt. VI. Anno Domini MCXLIII. Hoc anno hiems validissima & prolixa fuit Romæ. Domina Gertrud prædicta ductrix, conjunx Heinrici, fratris regis, ob difficultatem partus diem clausit extremum, & apud patrem & matrem & priorem conjugem suum Heinricum cum mœrore totius Saxoniæ sepelitur in Lutheron. Rex in Quadragesima Saxoniam iterum intrare attemptans, usque Goslariam & Hildensheim processit, cum subito Welpho Dux Bajoariæ, consociato sibi consobrino suo Friderico, qui postea regnavit, filio scilicet Friderici ducis, Sueviam ingressus, quæque regis erant, concremando, diripiendo acriter depopulatus est. Quæ res regem remeare coëgit. Tota æstate & autumpno pluviæ intolerabiles. Innocentius Papa obiit, cui Cœlestinus II. qui & Wido, successit. VII. An. Domini MCXLIV. Cœlestinus Papa obiit, cui Lucius secundus, qui & Gerhardus, successit. VIII. Anno Domini MCXLV. Lucius Papa obiit, cui Eugenius III. qui & Bernhardus, Clarevallensis monachus, succesit. Natus est regi filius nomine Heinricus, quem alii Beringerum ex nomine avi ejus vocant. Deinde natus est ei Fridericus, qui totius Alamanniæ ducatum adeptus est. IX. Anno Domini MCXLVI. Cometa apparuit. Renus fluvius alveum suum Coloniæ egressus, inaudita antea magnitudine excrevit. Ipso anno gravis dissensio oritur inter Harpertum Trajectensem Episcopum & Ottonem principem, filium Ottonis Palatini Comitis, patruelem Herimanni Salmonis, quem Colonienses in prælio Tuiciensi ceperant, in tantum ut, pugna conserta, ipse Otto ab episcopo caperetur & custodiæ traderetur. Sed postea reconciliatus ei & dimissus. Pugnavit cum Herimanno Palatino Comite atque iterum capitur, abductus.* X. Anno Domini MCXLVII. Eclipsis solis facta est VII. Kal. Novembris circa horam diei pene IV. Ipso anno fames maxima facta est, ita ut modius siliginis XII. solidis Coloniensis monetæ venderetur. In mense Junio famem etiam pestilentia & mortalitas subsecuta est intolerabilis. Wolbero Abbas efficitur, cum Gerhardus Abbas senio gravatus curam pastoralem administrare non sufficeret, & baculum in præsentia domini Archiepiscopi & Priorum reddidisset. XI. Anno Domini MCXLVIII. Expeditio Jherosolymitana secundo facta ex omni regno occidentis per Cunradum regem, anno regni sui XI. Indictione XI. cum quo & Ludowicus Rex Francorum & plures alii principum proficiscuntur cum innumerabili multitudine bellatorum equestris & pedestris exercitus, accensi desiderio eundi in Jherusalem, visitare sepulchrum Domini ac dimicare contra gentes, quæ ignorant Deum, & dilatare terminos Christiani imperii in Oriente. Hujus viæ auctores maxime fuerunt Bernardus Abbas Clarevallensis & quidam monachus nomine Rudolfus. Ergo, ut diximus, non solum plebeji & milites, sed & ecclesiarum multarum antistites, Duces, Comites, Principes, ipsi & reges, in hanc se expeditionem contulerunt. Nec vero aliquis poterit credere, quanta hominum multitudo cum eis & per eos adunata sit. Non ad excidium Trojæ tantam Græcia militiam misit, nunquam Cyrus Rex tanta hominum vallatus est acie. Et heu, proh dolor! quo plures &

& fortiores erant, eo minora virtutis reliquere vestigia. Nil quod regiæ Cronicæ dignum sit imprimi, hoc actum est itinere, tantum ea quæ Romano plena sint rubore & infortunio. Periit maxima ex parte innumerabilis ille conventus, fame, peste, paganorum gladio; plurimi a Turcis & Sarracenis capti fœda servitute & vinculis consenuerunt. Solum Damascum nobilissimam Syriæ urbem bello aggressi sunt, ubi Adolfus fortissimus adolescens, filius Adolfi Comitis de Berge, infatigabiliter cædi Sarracenorum instans, occisus est. Et cum jam civitas in manus regis Cunradi tradenda esset, perfidia Jherosolymitanorum, & quorundam principum, avaritia seducti ab ea sine victoria continuere manus. Ditata & repleta est terra paganorum de spoliis & armis, quæ a Romano exercitu in hac expeditione ceperunt. Ergo quia omnia, quæ hac via gesta sunt, plena sunt luctus & miseriæ & nullius victoriæ, melius est inde silere & Romano parcere pudori, quam tradere cognitioni futurorum. Per idem tempus in octava Paschæ quæ fuit V. Kal. Maji, movit exercitus navalis de Colonia & XIII. Kal. Junii venerunt in portum Angliæ, ubi Comitem de Arscoth cum ducentis fere navibus tam Anglorum, quam Flandrensium, invenerunt. Deinde in portum Hispaniæ venientes sexta feria ante Pentecostem in portum Galiciæ applicuerunt, qui portus a sancto Jacobo octo miliaribus distat, ad cujus venerabile sepulchrum in vigilia Pentecostes venientes, sanctam sollempnitatem exegerunt. Dein per alveum fluminis, qui Tagus dicitur, intrantes, in vigilia Petri & Pauli Vlixibonam applicuerunt. Quæ civitas, ut tradunt historiæ Sarracenorum, ab Vlixe post excidium Trojæ condita mirabili structura tam murorum quam turrium super montem humanis viribus insuperabilem fundata est. Circa quam figentes tentoria Kal. Julii suburbana ejus divina virtute adjuti ceperunt. Post hæc circa muros assultus varios, non sine magno suorum & illorum detrimento facientes, machinas & turres erexerunt & usque ad XII. Kal. Novembris eam obsederunt. Interea Sarraceni, qui habundabant alimentis, suis concivibus egentibus victum adeo negabant, ut plures fame morerentur, quidam autem eorum canes & cattos devoraverunt. Horum pars plurima Christianis ultro se obtulit, & baptismi gratiam suscepit. Erat autem turris lignea a Christianis erecta & bellicosis viris impleta, quæ muro supereminebat, in qua & milites regis Hispaniæ pugnabant. Qui milites magnellis Sarracenorum territi, minus viriliter resistebant, donec Teuthonici eis auxilio venerant. Videntes autem Sarraceni Lotharingos tanto fervore turrim ascendere, tanta formidine sunt territi, ut arma submitterent, & dextras sibi dari peterent. Unde factum est, ut Algaita, princeps eorum, hoc pacto cum Christianis conveniret, ut exercitus omnem supellectilem cum auro & argento acciperet: Rex autem Hispaniæ totam civitatem cum nudis Sarracenis & tota terra obtineret. Consummata est autem hæc divina, non humana, victoria in ducentis millibus & quingentis viris Sarracenorum in festivitate undecim millium Virginum. Quorundam Christianorum corpora variis occisionibus extincta apud Vlixibonam sepulta miraculis claruerunt. Eodem tempore Heinricus Dux Saxonum & Wernerus Monasteriensis Episcopus expeditionem fecerunt super Sclavos. Otto princeps in custodia Herimanni Comitis moritur, vel ut quidam dicunt, Comite strangulatus. Dominus Gerhardus abbas obiit. XII. Anno Domini MCXLIX. Dominus Apostolicus Eugenius Remis consilium habuit, congregatis ibi ex omni Gallia & Germania Episcopis & ecclesiarum primatibus, ubi Coloniensis Archiepiscopus ab officio suo suspenditur, quia se huic Concilio subtraxerit. Ibi plurima de utilitate ecclesiæ tractata sunt. Eodem anno Cunradus Rex de Hierosolyma rediit, filium etiam suum Heinricum ungi fecit in regem Aquisgrani, qui non multo post obiit. Sanctus Malachias Lemoriensis Archiepiscopus ex Hybernia veniens ad Clarevallense cœnobium migravit ad Dominum, & miraculis multis claruit. XIII. Anno Domini MCL. Hiems validissima & nimium diuturna. Igneæ Acies. Urbs Trajectum tota cum ecclesiis & ædificiis incendio conflagravit, ubi crux quædam lignea de alto cadens, desuper cadente templi tecto cum trabibus, illæsa permansit, quæ etiam diutissime in incendio posita, postmodum incorrupta est inventa, solummodo clavis patibuli, quibus dominica imago detinebatur, liquefactis. Hæc ad memoriam miraculi in templo sancti Bonefacii honorifice servatur. Ipso tempore in mense Majo Coloniæ pars aliqua civitatis exusta & dampna inrecuperabilia facta sunt. Hoc anno ignis & aqua per diversas mundi partes innumeras clades operantur. Ipse totus annus plenus miseriarum, subsequenti præsagium erat. Dominus etiam Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus Romam veniens, domino Papa in sententia sua perseverante, minime reconciliari potuit, & sine restitutione officii sui rediit. Wernerus Monasteriensis Episcopus obiit, cui Fridericus ejusdem ecclesiæ canonicus successit. XIV. Anno Domini MCLI. Dominus Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus obiit & successit Dominus Arnoldus secundus Cancellarius regis & Præpositus Majoris domus. Ipso anno fames horrenda, & omnium rerum inaudita penuria. Igitur Cunradus Rex apud Bavinberg infirmitate decumbens, & diem mortis sibi adesse sentiens, Duci Friderico, filio fratris sui, regalia tradidit, filium suum Fridericum adhuc parvulum commendavit, &, ut pro regno sibi adquirendo principibus loqueretur, suasit, sicque rex vita decessit XI. Kal. Martii, anno regni sui XIV. sepultusque est in prædicta civitate. Hujus regis tempora admodum tristia fuerunt. Nam inæqualitas aëris, famis & inediæ, perseverantia bellorum, varius tumultus sub eo vigebat. Erat tamen vir militari virtute strennuus, &, quod regem decuit, valde animosus, sed quodam infortunio res publica sub eo

eo labefactari cœperat. Post cujus mortem celebris conventus principum & episcoporum apud Frankenvort habitus est. Ibi summo favore cunctorum prædictus Fridericus Dux Sueviæ in regem eligitur.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLII. ab Urbe autem MDCCCCIV. Annis ab origine mundi sex milibus trecentis & tribus, Fridericus Dux, filius Friderici fratris Cunradi regis, ab omnibus in regem electus, XCI. loco ab Augusto regnare cœpit, postea ab Arnoldo Coloniensis Archiepiscopo unctus Aquisgrani Palatio. Dominus Arnoldus Romam proficiscens ab Apostolico Eugenio ordinatur, a quo etiam honorifice accepto pallio remissus, cœpit pacem diu neglectam, toto studio reformare, prædones severis legibus & judiciis arcere, præsidia eorum evertere, inter quæ Seine, fortissimum præsidium Comitis Everhardi, combussit & solo coæquavit. II. Anno Domini MCLIII. Eclipsis solis facta est, VII. Kal. Febr. Heinricus Mogontinus Archiepiscopus depositus est a duobus Cardinalibus Gregorio scilicet & Bernhardo, cui substitutus est Arnoldus regis Cancellarius & Aquensis Præpositus, item Heinricus Mindensis Episcopus, dum propter Clericum quendam, qui in civitate, a suis, ipso consentiente, ut dicebatur, cœcatus fuerat, expurgare se non posset, multis pertæsus adversitatibus, coram præfatis Cardinalibus episcopatui renunciavit, cui successit Wernerus ejusdem ecclesiæ major Præpositus. Eugenius Papa obiit & succedit Anastasius, qui & Cunradus. Coloniæ quidam ex patre Judæo, sed converso, dum sacramentum corporis Christi in Paschali festivitate oretenus suscepisset & ecclesiam egressus, nescio quid exinde acturus, domum inferre cogitasset, divinitus territus exhorruit, & nescius, quo se verteret, id in cimiterio facta fossa sepelit; sed superveniens sacerdos & rem discens, fossam aperuit, & formulam infantuli inveniens, ad ecclesiam cum reverentia asportare voluit, sed mirum dictu, luce cœlitus emissa cum ipsa e manibus ejus elabens, cœlos petiit. III. Anno Domini MCLIV. Circa festum sancti Michaelis expeditio regis facta est in Italiam. Anastasius Papa obiit, cui Nicolaus Cardinalis & Episcopus Albanensis successit, & vocatur Adrianus. Rex in Italiam trajecto exercitu, primo impetu Placentiam, Æmiliæ civitatem, edomuit; quædam etiam castella ob insolentiam Mediolanensium & Cremensium igne devastat, deinde Spoletum opulentissimam Umbriæ civitatem totam incendio concremat, sicque versus mare cum exercitu pacifice transiens, Romam venit, ubi a Pontifice Romano & omni senatu honorifice susceptus, in Imperatorem consecratur, postque sollempnem ordinationem, a quibusdam vulgaribus facta seditione, ex improviso tempore meridiano bello inpetitur. Imperator vero & sui subito armati, hostes strictis gladiis trans Tyberim remittunt, & tanta in eos cæde deſæviunt, ut ipse alveus fluminis totus sanguine occisorum immutaretur. Hac cruenta victoria XIV. Kal. Julii parva manu suorum perpetrata. Sequenti die non moratur, reditum instituit, & exercitum incolumem in patriam reduxit. IV. Anno Domini MCLV. Imperator de Italia Galliam reversus, perturbatores regni & pacis adeo edomuit, ut in brevi quies firmissima terrore sui adventus redderetur. V. Anno Domini MCLVI. Imperator Coloniam circa festum omnium Sanctorum veniens, ab Archiepiscopo Arnoldo & civibus honorifice suscipitur, ubi quidam miles, Bernardus nomine, qui in necem Herimanni de Winceburg conspirasse, a Duce Saxonum convictus est, inconsulte procedens, jussu ipsius Imperatoris decollatur. VI. Anno Domini MCLVII. Dominus Arnoldus Archiepiscopus obiit, deinde generali electione clerus & populus habita, gravi partium scissione, a se invicem dividuntur, & una pars Gerhardum Bonnensem Præpositum, altera Fridericum Præpositum sancti Georgii acclamando variatur. Sed utrimque justitiam partis suæ defensantes cum magna animositate, pro confirmatione & investitura electorum primo apud Nurinberg, postremo apud Radasponam ad audientiam imperialem & principum proficiscuntur; ubi tandem voluntate & judicio imperii, dum partes non conveniunt, Fridericus investitur, indeque continuo cum suis electoribus digrediens, Romamque veniens, a domino Adriano in Archiepiscopum consecratur. Post hoc etiam, accepto pallio, cum summo suorum tripudio, Coloniam regrediens, in brevi castrum Randenrode ad favorem Gozuini de Heifmesburg & injuriam Harperni ejusdem castri tutoris obsidet & dejicit, quod postmodum in melius restruitur, & firmiori vallo circumdatur. Eodem tempore inter dominum Apostolicum Adrianum atque Imperatorem Fridericum graves controversiæ oriri cœperunt, quæ hujusmodi causam habuisse feruntur. Papa Innocentius ejus nominis secundus, Romæ quondam in muro pingi fecerat se ipsum quasi in sede Pontificali residentem, Imperatorem vero Lotharium complicatis manibus coram se inclinatum, coronam imperii suscipientem. Accessit huic, si dici debet, contumeliæ, aliud quiddam persimile, quod novæ commotionis atque dissensionis magnum seminarium fuit. Imperatore etenim cum primoribus regni curiam habente in Burgundia apud civitatem Bisunzium, affuerunt Cardinales duo, litteras Apostolici Adriani deferentes, in quibus inter alia hæc continebantur: Beneficium coronæ tibi contulimus, neque pœnitentia moveremur, si excellentia tua majora a nobis beneficia suscepisset. Quod verbum, scilicet beneficium, hii qui circa Imperatorem erant, usualiter interpretantes, animum ejus in iram concitaverunt, atque prædictos Cardinales iniuriis affectos, e conspectu suo ejecerunt. Ait itaque Imperator; quod a solo Deo habemus coronam videlicet imperii, non Romano Pontifici, sed soli Deo attribuimus. Primam vocem regiæ electionis Episcopo Mogontiensi recognoscimus, regalem consecrationem Archie-


chiepiscopo Coloniensi permittimus, imperialem consecrationem Romano Pontifici assignamus. Picturæ itaque deleentur, scripturæ corrigantur, alioquin inter regnum & sacerdotium concordia & pax stare non poterit. At Romani indignationem & iram Imperatoris metuentes, aliam interpretationem nominis hujus protulerunt, & beneficium quasi benefactum intelligi debere dixerunt. VII. Anno Domini MCLVIII. Imperator Italiam intraturus, Reginaldum Cancellarium suum, postea Archiepiscopum & Ottonem Palatinum Comitem præmisit. Qui Bononiam venientes, peractis ibi negotiis imperialibus, Ravennam secesserunt, ibique ab Archiepiscopo civitatis ipsius & multis aliis Episcopis honorifice suscepti sunt. Cumque causam adventus sui civibus intimare voluissent, Præfectus ejusdem urbis & ceteri quique nobiliores ex urbe secedentes Anchonam profecti sunt, quasi non Imperatori Romanorum, sed Græcorum, pro pecunia sibi promissa, fidelitatem debitam servaturi. Quibus redeuntibus accepta pecunia, prædictus Cancellarius eis occurrit & inito certamine cum X. suis trecentos illorum fugere compulit, ipsum Præfectum cum filio & sex nobilioribus cepit, secumque Ariminum deduxit. Sequenti autem die versus Anchonam iter arripuit, & dum eum suscipere renuerent, urbem cum exercitu circumdedit, civesque ad deditionem coëgit. Post hæc, intercedente Archiepiscopo Ravennate pro civibus suis, quos Cancellarius captos tenebat, eorum absolutionem meruit, totaque civitas domino Imperatori fidelitatem juramento firmavit, quod ante ducentos annos nulli Imperatorum exhibitum fuerat. Igitur Imperator eodem anno propter insolentiam Mediolanensium, valido exercitu adunato, Longobardiam ingreditur, multis se comitantibus regni principibus, quorum præcipui erant Dux Boëmiæ, Heinricus Dux Saxoniæ, Fridericus Dux Alemanniæ, Bertolfus Dux Karinthiæ, Heinricus Dux Alsatiæ, Ludewicus Lantgravius, Conradus Comes Palatinus, Fridericus Coloniensis Archiepiscopus. Transcensis itaque Alpibus, cum ventum fuisset ad fluvium, qui Adua nuncupatur, & eum sine gravi periculo nemo transire potuisset, eo quod Mediolanenses omnes pontes ejus diruissent, Boëmii quendam Longobardum capientes, minis extorserunt, ut eis vadum fluminis ostenderet. & sic demum construtis pontibus per triduum incolumis transivit exercitus omnis. Post hoc Papienses & Cremonenses cum valido exercitu se Imperatori conjungentes, quia & ipsi hostes Mediolanensium existebant, repente castrum, cui Trutium nomen erat, ubi præsidia Mediolanensium fuerant, obsidentes & expugnantes ceperunt. Imperator vero Mediolanio appropinquans, præmisit Marschalcum suum cum L. militibus ad investiganda oportuna castrorum loca. Quibus dum se Ekkebertus Comes Austriæ cum D. & eo amplius militibus sociasset, consideratis castrorum locis, dum redirent, & Comes prædictus aliquantulum moras faciens, tardius sequeretur, Mediolanenses ad duo pene millia, subito e portis eruperunt, & commisso prælio Comitem cum nonnullis peremerunt, quosdam vero captos abduxerunt. Hac temeritate eorum motus Imperator, die sequenti cum omni exercitu ad loca castrorum accessit, & excisis juncis, quæ in circuitu civitatis erant, ipsam obsidione forti circumdedit. Cum ergo sic Mediolanenses obsessi essent, quadam die, quietis Cæsarianis, arma corripiunt, & e tribus portis audacter erumpunt, ex una scilicet, ubi Imperatoris castra erant, ex alia, ubi rex Boëmiæ observabat, ex tertia, ubi dux Saxoniæ erat. Commissum est itaque grave prælium, Cæsarianis pro gloria, Mediolanensibus pro salute pugnantibus. Victi sunt tandem Mediolanenses, & in urbem redire coacti. Ergo per aliquot tempus sic obsessis, multitudine rusticolarum intus conglobata, cum animalia ad pascua exire nequirent, fœtor ingens in urbe prævaluit; considerantes quoque Mediolanenses, nequaquam se imperatoriæ majestati posse resistere, deditionem facere disposuerunt. Episcopo autem præcedente & clero ac deinde militibus, ad extremum plebe sequente, pulchro spectaculo ad tentoria Imperatoris processerunt, pacem & misericordiam postulantes. Imperator itaque ex consilio principum veniam pacemque victis indulsit, sub congruenti conditione & annui tributi redibitione. Facta est conditio hujus victoriæ in nativitate Dei genitricis Mariæ. Ipsa die Cæsar coronatus Mediolanum intravit, multis ante se Imperatoribus hoc ingressu negato. Itaque Imperator victoriosus inde digressus, acceptis obsidibus fere D. velut de Mediolano securus, ad alia negotia intendit animum. Nec multo post Reinoldum Cancellarium & Cunradum Palatinum misit Mediolanum pro conditione tributi, quod eis victis imposuerat. Mediolanenses vero ingenitæ sibi fraudis memores, necare legatos Imperatoris & bellum innovare disposuerunt. Quod cum Cancellario & Palatino innotuisset, mutato habitu nocte de civitate fugientes ad Imperatorem venerunt, & ei singula, quæ acciderant, indicaverunt. Quibus cognitis, Imperator furore succensus, directis undique nuntiis, principes & exercitum readunari jussit, ac denuo Mediolanum obsideri mandavit, sicque per triennium in obsidione & vastatione non urbis, sed regionis insudavit. Eodem tempore Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, qui erat in eadem expeditione, casu de equo corruens, ruptis interioribus, post paucos dies apud Papiam vitam finivit, corpusque eius exossatum ad sedem propriam relatum est. VIII. Anno Domini MCLIX. Imperator coadunato universo exercitu Cremam urbem munitissimam per VII. menses expugnabat. Hii autem, qui in urbe erant, loci munimine freti, duos Teutonicos milites captos in conspectum Cæsaris suspenderunt. Quibus visis tam Imperator, quam exercitus urbem assultu impetebant, nec pacis aut veniæ locus erat; sed quicunque ex utraque parte capiebantur, statim suspendebantur. Interea dux Saxo-

Saxoniæ circa ortum cujusdam diei cum militibus fere XL. agris Mediolanensium astitit, viditque eos agriculturæ operam dare & pone unumquodque aratrum equitem armatum incedere. Nacta ergo opportunitate, cum clamore militari in eos irruit, qui dimissis aratris, fugæ præsidium arripuerant. At hii, qui in civitate erant, viso duce, portas clauserunt, nec fugientes socios intromiserunt. Alii ergo a militibus ducis occisi, alii sunt rapti. Captus est ibi a duce ex Mediolanensibus miles pulcherrimus, armis decorus & sericis indutus, in omni membrorum qualitate spectabilis. Dux itaque Cremis ad Imperatorem revertitur; miles vero ille pro vita sua duo millia marcarum spopondit; sed Cæsar vindictam animo gerens, æqua sorte, ut cæteros, jubet eum ante portam urbis suspendi, multis etiam ex Teutonicis pro forma illius compatientibus. Tandem Cremenses vim militum ferre non valentes, petitis dextris, Imperatoriæ se & urbem tradunt potestati. Dedit autem Imperator facultatem singulis, ut quæque humero gestare potuissent, ex urbe afferrent. Vbi matrona quædam, neglectis opibus, virum suum debilem permissu Cæsaris humeris impositum, urbe eduxit. Sic itaque Crema victa & subacta est, in qua spes maxima Mediolanensium erat. Interea legati Coloniensium Italiam veniunt, dominum Reinoldum Cancellarium suum Electum deposcunt. Gavisus ergo Imperator, quod locum honoris deferendi ei invenisset; grato animo Coloniensem Episcopatum, & quæ sui juris erant, tradidit. Nec multo post idem Reinoldus, accepta licentia Imperatoris, de Italia Coloniam venit, novam militiam Imperatori adducturus. Susceptus itaque honorifice a capitaneis & civibus Coloniensis ecclesiæ, depositis in brevi negotiis suis, cum trecentis electis militibus rursum in Longobardiam ad Imperatorem revertitur. Illis diebus Imperator relictis tentoriis ac somariis & omnibus inpeditivis, expedite cum militibus & armis per diem & noctem rapuit se in terram & montana Brixiensium, destruens pontes & castella pontium per diversas aquas, unde mercatus adduci poterat Mediolanensibus: villas quoque innumeras circumquaque devastans. Erat quidam Burgus civitati comparabilis, clausus lacu, Alpibus & palude, tam natura & situ loci fortissimus, quam omni divitiarum genere opulentus, adeo ut Brixienses ibi plus, quam in Brixia, fiduciam haberent, et, ut dicebatur, Mediolanenses ibi se recipere cogitaverant, si Mediolano pellerentur. Cum igitur milites Brixienses & habitatores loci illius innumerabiles fossatis ac vectibus & multiplici munitionis genere ad defensionem se præparassent, ubi per paludem artissimus patebat introitus, attemptati a militibus Teutonicis, subito victi, fugati cæsi & captivati sunt innumeri, civitas capta & præda mirabilis in ipsa est deprehensa. Totus exercitus hujus prædæ copia esset ditatus, nisi intempesto noctis silentio ignis fortim immissus prædam simul & civitatem in cinerem redegisset. Accessit huic fortunæ, quod ante festum sancti Laurentii capti sunt ex Mediolanensibus amplius quam quingenti, innumeri occisi, militibus Coloniensibus pugnam incipientibus, & a meridie usque ad noctem cum magno hostium dampno viriliter perseverantibus, Imperatore circa vesperam tantum cum centum quinquaginta militibus eis succurrente, & ita ibidem ante ipsam portam Mediolani militante. Ibi sub eo equus suus optimus est interfectus & ipse inter clypeum & corpus lancea crudeliter est petitus. In alium tamen transiliens equum, per gratiam Dei intactus & omnino incolumis evasit, miles strennuus, Imperator incautus, felix uterque. IX. Anno Domini MCLX. Imperatore curiam apud Parmam urbem Italiæ habente, advenit quidam Stephanus, frater regis Ungariæ, regnum laborans percipere ab Imperatore, & ei tria millia marcarum per singulos annos persolvere promittebat; sed ea res effectum non habuit. Affuerunt etiam nuntii Venetorum, pacem & gratiam Imperatoris obnixe postulantes, cum quibus ipse honorabiles legatos remisit. Affuit etiam ibi quidam Episcopus legatus principis Sardiniæ, viri potentis & ditissimi. Promisit namque idem princeps investituram & coronam regni Sardiniæ a manu Imperatoris suscipere & tributum excellentiæ ejus condignum annuatim persolvere. Dux etiam Welpho eidem curiæ interfuit, Ducatum Spolitanum ac Marchiam totius Tusciæ superbe ac minaciter postulans. Sed Imperator talia tantaque nimis importune requirenti, nil ex omnibus his concedens, inexauditum & quasi confusum abire permisit. Eodem anno Arnoldus Mogontiensis archiepiscopus a civibus suis, cum quibus diu contenderat, apud monasterium sancti Jacobi, quod in superiori parte urbis situm erat, crudeliter peremptus est, ipsumque monasterium cum claustro igne penitus consumptum. IX. Anno Domini MCLXI. Adrianus Papa, audito Imperatoris adventu, circa festum beati Petri, quod dicitur ad Vincula, cum Cardinalibus suis Romam egressus, consilium habuit, ut ipsum Imperatorem excommunicaret, sed nocte ipsa morte præoccupatus, consilium infectum reliquit. Sed dum Cardinales quidam hoc se voto pertinaci constrinxissent, quod nullum ei successorem, nisi qui ejusdem propositi & voluntatis erga Imperatorem esset, eligerent, Dominum Rolandum, prioris Papæ Cancellarium concorditer elegerunt. Quem dum Romano more inmantare voluissent, restitit obstinatissime, indignum se hoc honore, quinimo onere, contestatus. Hoc illi audientes, qui imperio favebant, Octavianum Cardinalem virum nobilem elegerunt, & Romano more inmantatum, Victorem appellaverunt, & in jubilo vocis in sede beati Petri collocaverunt, qui mox Romæ consecratus est Nonas Oct. Quidam vero ex Cardinalibus nono die apud Cisternam castrum convenientes favore Siculi & eorum, qui discordiam inter regnum & sacerdotium facere nitebantur, prædictum Rulandum rursus eligentes, inmantuatum ibidem consecraverunt & Alexan-

Alexandrum vocaverunt. Itaque Imperator, qui adhuc in obsidione Mediolani morabatur, ut hoc scisma sanctæ ecclesiæ removeret, concilium & curiam in octava Epiphaniæ apud Papiam indixit omnibus Episcopis & principibus tam totius Alemanniæ, quam Longobardiæ, Tusciæ, Ungariæ & Franciæ, misitque Episcopos Prajensem (Parisiensem) & Verdensem & Mantuanum, vocans utrosque electos & electores ad judicium ecclesiæ. Itaque Octavianus, qui & Victor cum suis fautoribus curiæ & concilio se devote præsentavit. Rolandus vero, qui & Alexander, audita legatione Imperatoris in hæc verba respondit: Ego vocare debeo, non vocari; ego judicare debeo, non judicari. Quod ejus responsum a sanioribus valde detestatum est, eo quod judicium ecclesiæ refugeret. Qua de causa omnes Episcopi, qui præsenti concilio aderant, Rulandum excommunicaverunt, & Octavianum pro Apostolico susceperunt. Similia acta sunt apud curiam & synodum, quam Imperator Cremonæ habuit, in Dominica, quæ est ante ascensionem Domini. Itaque Imperator, & qui sub ejus erant imperio, Victorem loco summi Pontificis habebant, aliarum autem reges & principes provinciarum episcopi & abbates, populique omnes Alexandro, tanquam catholico Papæ, parebant. Qui posthæc transiens in Franciam, a rege Franciæ omnibusque episcopis & abbatibus honorifice suscipitur, a quibus etiam per aliquot tempus habundantissime sibi suisque necessaria subministrantibus, detinetur. Anno Domini MCLXII. Mediolanum devictum atque destructum est. Quod qualiter acciderit succincte expediendum est. Clausis igitur per hiemem stratis, cum illi fortiter jam artarentur, animos principum callidis propositionibus attemptabant, ut si quo modo, tamquam re peracta, eos securos facerent, ipsi interim vel de Brixia, vel de Placentia mercatum adducerent, viribus coadunatis. Sed cum nil proficerent, & tam ingenio, quam viribus jam deficerent, tandem post multos terminos & machinationes plurimas, suprema necessitate famis & inediæ coacti, in Capite jejunii termino constituto, duo proponebant, videlicet, ut sine omni tenore se dederent, vel per conventionem gratiam invenirent: Conventio talis erat, totum fossatum planare, muros & omnes turres destruere, CCC. obsides dare, quoscunque eligeret Imperator, & ut hii per tres annos in captivitate tenerentur, potestatem, quam vellet Imperator, sive Teutonicam sive Longobardicam recipere, omnia regalia dimittere, pecuniam solvere, Imperatori palacium, quantum & ubi vellet, sive infra sive extra urbem suis expensis levare, nec unquam de cætero fossatum vel murum sine verbo Cæsaris facere, nec cum aliqua civitate aut populo confœderari aut jurare, tria millia hominum extra civitatem ejicere, & Imperatorem cum exercitu intra urbem, quam diu velit, recipere. Super hiis igitur agitato consilio, magna pars principum, quorum caput Coloniensis Episcopus conditionem recipiendam consuluit, quia tunc plena esset victoria, & Imperator vindictam & misericordiam pro velle posset exercere. Quidam etiam utrumque honestum dicebant imperio. Major etiam pars, cujus caput erat Blandratensis, conventionem recipiendam persuasit, tum quia Mediolanenses ad hanc promptiores viderentur, tum quia ipsam solvere non possent, & tunc Imperator in miseria minus peccaret, si conventione non soluta, fortius in eos vindicaret. Et tandem omnes, licet inviti, in hanc consenserunt, eo quod quasi certum haberetur, conventionem servari non posse, cum strata ad transducendum mercatum non aperiretur, nisi tota vel major pars conventionis prius impleretur. Protractis igitur aliquot diebus pro remissione sacramenti, quo Mediolanenses Brixiensibus & Placentinis tenebantur, cum difficultatem conventionis attenderent, & rerum exitus longius metirentur, stupefacti, & dimissa conventione, ipsi deditionem elegerunt, & ad solius misericordiæ propitiatorium se contulerunt. Ipsis Kal. Martii, id est, prima die mensis, consules Mediolanensium cum aliis nobilibus, numero quasi XX. se cum civitate, cum rebus & personis, remota omni simulatione fraudis, qua in prima deditione Imperatorem circumvenerant, sine omni tenore vel conditione prostrati, cum nudis gladiis in cervicibus, palam in plena curia domino Imperatori reddiderunt, præstantes sacramenta quæcunque jubebantur, pro se & pro cæteris omnibus Mediolanensibus. Rursum sequenti die Dominica, qua convenirent, cantabatur: Reminiscere miserationum tuarum Domine. Plus quam trecenti electissimi milites Mediolanensium cum præfatis consulibus venientes, item præsidente domino Imperatore, prociderunt, & tam pulchre, quam miserabiliter perorantes, solam misericordiam invocabant. Claves civitatis obtulerunt omnium portarum atque curiarum, resignantes vexilla principalia, quæ erant numero XXXVI. & ipsi sacramenta eadem, quæ consules, præstiterunt. Postea tertia feria venit populus cum Barrotio, quod apud nos Standare dicitur, & reliqua militum multitudine, afferens omnium vicinarum vexilla, numero centum & paulo plura. Per ordinem igitur novam Laudam ingressi, populus trium portarum currum præcedebat, reliqua vero multitudo sequebatur, usque ad Imperatoris palatium. Qui in solio excelsior residens, quam cito ab illis videbatur, tubicines stantes in curru, tubis æreis fortius intonabant & superbiæ suæ tunc morienti, ibidemque sepeliendæ, quasi supremas exequias compulsabant, & finito clangore imperatoriæ receptioni sunt oblati Deinde singuli vicinarum majores procedebant, profitentes, & vexilla sua per ordinem a primo usque ad ultimum resignantes. Stabat autem currus multiplici robore septus ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissime ligatus, de cujus medio surrexit arbor procera ab imo usque ad summum, ferro, nervis & funibus tenacissime circumtexta. In hujus summitate supereminebat crucis effigies, in cujus

cujus anteriori parte beatus depingebatur Ambrosius, ante prospiciens & benedictionem intendens, quocunque crux verteretur. Is post omnes Mediolanensium honoris resignationem ultimus accessit, & ipse caput suum declinaturus. Cui qui præerant, arte totam machinam illam & arborem illam usque ad terram declinabant, adeo, ut nos, qui juxta solium domini Imperatoris eramus, ruinam machinæ veriti, excuteremus; sed arbor deflexa non cecidit, nec reascendit, donec Imperator fimbriam vexilli collegit, currumque reascendere fecit & stare subjugatum. Tunc milites & populus unanimiter in facies suas ceciderunt, plorantes & misericordiam invocantes. Post hæc quodam consule miserabiliter perorante, finita oratione omnis multitudo rursus procidit, & cruces, quas tenebat, extendens, cum ejulatu magno, in virtute crucis misericordiam invocavit. Unde vehementer moti sunt ad lacrimas, quicunque audierunt, sed Imperatoris facies non est immutata. Tertio Comes Blandratensis pro illis olim amicis suis miserabiliter perorans, vim fecit omnibus, ut possint lacrimari, & ipso crucem præferente, & tota multitudine item cum ipso suppliciter procidente, sed solus Imperator faciem suam firmavit, ut petram. Deinde ab Episcopo Coloniensi facta est deditionis eorum pura distinctio, & ab ipsis responsa est mera confessio. Porro Imperator implorantibus illis respondit, quæcunque eum decebant, & oportuno tempore, se facturum ex consilio promisit, & sic dimittens universos. Sequenti die item omnes præsentari facit. Illi autem spe misericordiæ cruces, quas tenebant in manibus, per cancellos in caminatam Imperatoris projiciebant, cum ante conspectum ejus introitum non haberent. Illis igitur altera die præsentatis & plorantibus, respondit Imperator, se velle facere principium misericordiæ & principium judicii, dixitque; si justitiæ judiciis esset agendum, omnes eos vita debere privari; sed nunc misericordiæ locum dari oportere. Illi vero, hoc verum esse ex legibus affirmabant; istud respectu divinæ miserationis fieri optabant. Jussit igitur Imperator omnes Consules & Exconsulares, Majores & Milites, Legistas & Judices in obsidatu teneri; populum vero tanquam minus culpabilem tantum sacramento affectum, in civitatem remitti. Deinde missis magistratibus in civitatem, jussit ab omnibus, qui duodennes essent vel ultra, sacramenta præstari, quod & factum est. Jussit & singulas civitatis portas, & circa portas fossatum & murum planari, ut ad singulas portas singulis aciebus, lata fronte, æquabili gressu, pateat introitus. Factum est ita. Et cum de duobus millibus castrorum, tantum quatuor ipsis superfuissent, eadem jussa resignaverunt, & hoc ad judicium. Item dominus Imperator cum Mediolanum vicisset, a misericordia victus est, & ne communione præscriptorum peccaretur, &, ut misericordiæ satisfaceret, personas Mediolanensium a banno imperiali absolvit. Deinde muri civitatis & fossati & turres paulatim destructæ sunt, & sic tota civitas de die in diem magis ac magis in ruinam & desolationem detracta est. Mediolanensibus autem præceptum est, ut quilibet ad villas & domos suas reverteretur, &, ut agricolæ agrorum culturæ darent operam. In civitate vero nulli permittebatur habitatio.

SEQUITUR GODEFRIDI MONACHI PANTALEONITÆ CHRONICON AB ANNO 1162. AD 1237. EDITUM JAM A FREHERO.



XII. CHRO-

XII.
CHRONICÆ REGIÆ
AB HENRICO AUCUPE USQVE AD CAPTVM A FRIDERICO I. IMP. MEDIOLANVM CONTINVATÆ.
VERSIO VETVS GERMANICA.

* * *

GOtt des hemels yn der erden,
Dy den Mynschen lyes gewerden,
Begyn ynde ende aller dynch
Bystu ynd der naturen Sprinch.
Du got yn gode sunder grundt,
Dyn kan vol loven nimmer munt
Dyn unbegripeliche cracht
Byn Seben dagen hayt volbracht
Alder naturen Kunst yn macht,
Den Engel, Duvel, dag yn nacht;
Dyn gude hayt gemachet das,
Dye blomen, loyf yn och das gras;
Dyn Wysheit hayt beslosen al,
Was mynschen ende vvesen sal,
Her sy Keyser ochde here,
Kunych, Byshoph, myner merre.
Du hayst geordeth sunderlich
Alle dynch gar wunderlich.
Der ein yst here, der ander knecht,
Also als dir das duncket recht;
Engel, duvel eyn orden hayn,
Dye Sterryn, och das sunder Wayn,
Mynsche, Dyre ynde Vysche,
Der Vögel och, des lyth gewysse.
Du hayst dye rych yn dyner hant
Beslosen gar, ynd och gewandt
Na Willen yn na dir gewalt;
So syth al dye dynch gestalt,
Das yst dorch mynschen willen gar
Gescheyn, das her möyg kommen dar,
Dar her zo geschaphen yst
Van dyner grundeloyser lyst.
Went alle lude nyth lych yn doyt,
Dar um so dochs das gode goyt,
Das yn dysser vverylt vveren
Keyser, Konynch ynde heren,
Pauys, Byschoph ynde Paphen
Greven, Rydder ynde Knaphen,
Dye de Werylt algemeyne
Van unrechten machen reyne,
Rychten recht zo allen Zyden.
Al undoygt sult sy vormyden,
Vor das recht so sult sy stryden,
Myth den armen altoys lyden.
Nu hayt der leyder vyl yn gar
Gewesen boys, yn och so schwar,
Das dy Wereylt, das ist war,
Yn kunde gelyden ere jar.
Der hayt gewesen och eyn deyl,
Dye der rethichg[illegible]e Zeyl
Gevolget haynt gelyche,
Yn aller Zycht, van erme ryche;
As uns dye meyster haynt bewyset,
Dye dar van dye böche scriuet.
Vps das wir den guden volgen,
Uph dye boysen uns vorbölgen.
Eusebius, Jeronymus,
Beda, yn meyster Martinus,
Dye alle zo latyne hayn
Gescriven, wat dar ist gedayn
Vor eren Zyden yn dem ryche,
Ith sy recht ocht ungelyche.
Went nu des latines grunt
Der lüde vil ist gar unkunt
So hebbent mich gebeden heren,
(Wilt ir wesen, wye dye weren?)
Das ich dyths zo dude wolde scriuen,
Yn dye Zychs darmede vordryuen,
Van Hamersteyn yn Landeschrone;
Van doygden syth sy beyde scone:
Gerhart syth sy beyde genant,
Vere syth sy wal bekant,
Och das rydder ynde Vrowen
Daz inne mogen scowen
Zucht yn ere an guden heren
Yn och selben, dye dar inne leren;
Vlyen undoget, dye sy dar vynden,
Yn das leren eren kynden.
Nu hylpz mir Got dorch dyne Guze,
Das ich vollenbringen muze,
Des ich nu begynnen denche:
Dyn gutlich gude mir och schenche,
Suder dye yn mach nyth vvesen
Kunst, Wysheit ocht leuen.
Das wyse cruz, das ich nu drage,
Virlüchzen muych mich alle dage,
Das ich, zo lobe yn zo eren
Godes, allych dichz muchz keren,
Yn Maryen syr muter syn,
Dye da ist genaden eyn Scryn.
Herze junc vrowe dyn minne,
Dye vorluchde mir dye Sinne;
Got van gode sy dar ynne,
Vrowe hilpz, nu ich beginne.
Hayn ich gebrochen weder dir,
Dorch dyne guze virgif daz mir.
Yn namen Godes begin ich dan;
Nu hylpz mir och Baptist Johan.
Myth Slechzen Worden wil ich scriuen,
Der guder leuen wil ich prysen,

Sunder rym so wil ich melden
Der boser leuen yn besceelden;
Went dye heren des begerden,
Das sy vornemen ynde lerden
Dye Warheyt, sunder vyle wort,
Der zo dem ryme vil behort.
Landescroyn yn Hamersteyne
Haynt gewesen altoys reyne,
Das bewiset uns ir Kunne,
Das noch is des landes Wunne,
As ich Witkint hayn vornomen;
Dar um so byn ich her an komen,
Das ich dyth volbrengen dencken,
Dar ich yn wil mede schenken.

NA der Zyth das dye Werelt had gestayn Seys dusent jar, hundert und dru yn Vunzich dar zo; yn van der Zyth, das Romen gezymberth wart, seys hundert jar yn seys yn zebenzich dar bouen, yn dusent jar; Inde van Godes geborth nuyn hundert yn zuyncih jar, du wart das Keyserdoym van Konich Carls geslechte yn dye Sassen gegeben, ynd das gescede van rade Keysers Conrades an synen lesten, dye van Konich Carls geslechte der leste was, du her sterven solde. Darna so wart gekoren Koninch Heynrich, Hertzogen Otten Son van Sassen, dye was der echtzichde van Keyser Octavianus, dye dar geheyssen wart Augustus, want her here was alder Werelt alleyne. In dys Heynrich dye hylt das rych van Romen Zebenzeyn jar yn guden dyngen. In do eme der Paues Johann dye Keyserliche crone boyt, hen wolde der nyth; nyth das her sy vorsmade, mer her sprach, is wer genoych, das her van genaden Godes eyn Koninch were yn hese, bouen dye anderen van syne Geslechte. Yn das behagede dem Volke algemeyne, das her sich oytmudliche bewisede, yn aldus so wart her Koninch van gemeynen Willen des Volkes, ynde der heren. Went der Keyser Conrad, dy vir eme was, das uph syne Sele nam, das zo dem ryche neyn bethzer man en were; alleyne her al syn dage myth eme yn suaren orloyge hedde gelegen. Ynde dar her Koning worden was, dar begunde her das Koningrych myth syner macht yn dyphen sinnen zo breyden yn vredelichen halden yn allen dyngen. Her vorwan och al dye lant, ynde ere heren, dye sich weder ene sathzden, sy weren, we sy weren. In synen drythden jare do wart Kuninch gekoren Roperth, de Vader was Hertzogen Hugen yn broder was Kuninch Otten weder Kuninch Karle yn Welzchen lande. In dem zeschem jare do wart gekoren Sent Ulrich Byscoph zo Ausburg. In deme selben jare starph der erste Byscoph Herman van Kolne, dye der erste was van dyssen namen, dye zo eyme zonamen der mylde was genant, dys de was Biscoph Vunfh ynde drizchit jar, yn berychde och das lant, na dyssen quam der Byscoph Wigfrid, dye der Vyren zuynchizde na Sente Maternus was, dye der erste Byscoph zo Kolne e gesaz. In dem echzen jar quam das bloythz uns heren Jhesu Christi zo Augien. In deme neuyden jare do slogen ynde branden dye Ungeren was das sy vunden yn Vranchrichen, in Welzehem lande yn Elzazen ynde yn Duzychen lande dar zo. Zo Romen was Pauys der zende Johan, dar na quam der zebende Stephan. Hertzoghe Burchardt van Duyzchen lande wart yn Italien erschlagen, na deme beual der Kuninch Heynrich das lant Hertzoghen Hermanne, as ich hor sagen. In dem selben jare do wart geboren Byscoph Bruyn van Kolne van Kuninch Heynrich yn van der Kuninchinnen Mechtylt, dye dochter was Vursten Dyderich, dye van dem geslechte was des grosen Hertzoghen Witkinds van Sassen. Ynde dye vorsprochen Kuninchynne, dye hade dry brüder: der eyne was genant Witkind, der ander Immud, der dritte Regebern. Inde dis was Regebern, dye geweldichlike myth dem Swerde yn langer Zyth van den Denen vri machte Sassen lant an dyssen hüdelichen dach, das lange hade gewesen in der Denen hant. Inde dis was Witkind, dar van dar vure ist gesprochen, das her der grosse Hertzoge van Sassen were geheysen, das quam dar van, went her weder den grosen Kuninch Karle geweldichlike orloygde drychzich jar zo allen ziden. Vor der zyth so waren och van der selber Kuninchynnen Otto, dye na dem vader Keyser wart, ynde Hertzoghe Heynrich van Noriken geboren, ynde Gerberth dye gegeven wart dem Hertzoghen Gyselbreth van Belgyce, yn na synen dode Kuninch Lodewich van Vranchrich zo eyner Vrowen, yn gewan van ene Karolum ynde Lotharium, dye na synen Vader das rich besathz. In dem elfzem jare na Pauys Stephayn, gekoren wart der elfze Pays Johan. In dem zuelfthen jare do gewan der vorgenomede Kuninch Heynrich al Bremenlant. In dem virzendem jare quam na Pauys Johan der sebende Pauys Leo. In dem vunfzende jare do gewan Kuninch Heynrich das lant van Ungaren alzomale. In dem zeszinden jare do quam na Pauys Lewen, der echze Pauys Stephayn. In den zebenzynden jare do Kuninch Heynrich dye lant na synen Willen ynde gebode hadde bedwungen, ynde her sich bereyth hadde zo varen zo Romen, her wart sych, ynde moysth den wegh bewerden lasen. Ynde do her vornam, das eme de Suchte zo swar wolde werden, her geboyt, das de heren gemeyne myth dem Volch vor eme quemen, ynde machte synen ersten Soyn Ottzen Kuninch van al Vranchriche, den anderen gaf her golt in Sylber lant yn Burghe, allso als eme das duchte guyth. Darna do her syn Testament yn all syn dynch hadde berych, do gaf her synen geythz in Godes gewalth yn dem zebenzynden jare van synen riche, do her was by zeszich jaren alth, ynde wart van synen Kinden zo Quedelingeburgh yn Sassenlande vor den altare Sente Peters yn dem Muynster begrauen myth grosen eren ynd myth scryen yn myth weynen des volckes algemeyne.

Dyth

Dyth ist das rych Otten des Ersten.

Na der Zyth das Goyt geboren wart nuyn hundert yn Zes un Ayrzich jar, du wart gekoren der grose Otte, Kuninch Heynrichs Son van al den volcke van Vranchriche ynde van Sassen, dye was der eyn ynde echzichde van Keyser Augustus, ynde der was yn dem riche echt yn drychzic jar geweldich. In synen ersten jare, do vuren de Ungaren yn Vranchrike ynde yn Wallant ynde Duyzchlant, Burgundien, went an das meer, so machten sy dye lant zo scanden, ynde voren weder dorch Italien zo lande wart. In dem selben jare worden vorbrand dye Müynster Sente Gallen, ynde Sente Bonifacius alle beyde; ynde sturuen Kuninch Rodolf van Burgundien, ynde Hertzoge Arnold van Norichen Lande: ynde na Pauys Stephan so quam der ander Maurinus, under deme so was Sent Ulrich gar vormereth. In deme anderen jare do wart gevangen Hertzoghe Heynrich, Kuninch Ottzen Broder, van Greue Ewehards gesinde. In dem dryzden jare streyth Kuninch Ottze ynde syn broder Hertzoghe Heynrich, weder Greuen Gyselbrecth ynde Ewerharde, ynde nam over hant. In deme selben jare na Pauys Marinus quam der ander Agapytus. In dem vyrden jare bestalde der Kuninch Brysach in Elsazen ynde ethzliche Byscoph, dye myt eme dar komen woren, ynth reden eme styllichlichen yn der nacht ynde leten ere gereytzaph dar, Do erslogen Greuen Ewerharde by den Ryne, Udo ynde Conrad, dyë zuene heren, ynde Hertzoge Gyselbreth de vordranch zo dem selben male. In dem Vumsten jare vor Kuninch Ottze zo Welzhem lande. In dem Zesten jare vvart der Kuninch Ottze versonet myth Kuninch Lodewich. Edydis de Kuninchynne dye starph, moder Hertzogen Luytdolf. In den echzen jare do streden de Ungaren myt den Beyeren ynde vorloren den stryth. In dem elzehen jare starph Hertzoge Bertold van Beyeren, dye Broder was Hertzogen Arnulfz yn syn broder Heynrich wart das lant bevolen. In den Zuelzehen jare starph Hertzoge Herman van Duyzchen lande, ynde das lant wart bevolen Ludolf, des Kuninch Sone. In dem dryzehenden jare vor Kuninch Ottze yn Italien, yn wan das lant myth hers scilde, ynde beval Hertzogen Conrade van Lotharinghen das lant zo waren, ynde her vor weder zo Papyen. In dem virzinden jare vor auer der Kuninch Ottze yn Italien ynde nam dar die Kuninchynne Adelheit zo rechzer e ynde hylt den hofh zo Papyen. Van dysser so gewan her dry Söne, der erste heyst Heynrich, der ander Bruyn, der dryzde Ottze, ynde eyne dochter dye wart Mechtiltz genant. In dem vumfzenden jare do quam der Kuninch van Lumbarden Berengard myt syme Sone zo Ausburgh van rade Hertzogen Conrads yn genade des Kuninchs ynde wart des Kuninchs Ridder, ynde her sanden myth vreden weder yn syn land. Zo den selben Zyden vyl dar eyn grüelich groys steyn yn eyme Dunre, das vyle lude myth grosen Wunder sagen. In dem seyszindem jare sath sych Hertzoge Luthdolf weder synen Vater, ynde Hertzoge Conrad bestund eme des mede. In dem selben jare starph der Byscoph Wygfrid van Kolne, du her echt en zuynchitz jare Byscoph hade gewesen, ynde das Volch myth eynen gemeynen Willen koren Byscoph Bruyn, des Kuninch broder, ynde sanden na eme dye Oversten van deme capitel, ynde behylten eren Willen by deme Kuninchge, ynde by eme, yn by de Vursten van dem lande; ynde vorden ene myth grosen eren yn synen Stoyl, wy groyz ynde was mannes her were, das bewyset wal syne Wrech so na so vere, an Kerken ynde an clusen, an cloysteren ynde an hüsen. In dem zebenzinden jare do vören dye Ungaren yn Italien, yn Norikhen ynde yn Vranchrike myth her Scylde. In dem echtzinden jare do quamen dye Ungaren yn Duyzlant, ynde vorstürden Beygeren gar yn ganz. Ynde dar na quam Kuninch Ottze, ynde streyth myth yn vor Ausburgh, ynde dar wurden sy geschant ynde van eren doden so bleif och vol das lant. In deme nuynzinden jare do vur Hertzoge Ludolf yn Italien myth gewapender hant. In dem zuynchichdem jare do vorwan Herzoghe Ludolf (Berengers) synen Son Adelbert ynde her starph yn demselben jare. In dem eyn ynde zuynzichdem jare erzhenen vile cruce yn der lude cleyderen yn manygen lande. In dem vumf en zuynzichden jare na Pauys Agapitus quam Pauys Johan. In demselben jare vor Kuninch Ottze zo Romen van Willen ynde van bede der Romer weder Kuninch Beringard den her veynch, ynde her wart Keyser gekronet zo den selben Ziden. Ynde her sande Kuninch Beringard ynde dye Kuninchynne zo Bauynbergh, dar sy beyde sturven, ynde do Pauys Johan vornam, das der Keyser zo Romen komen solde, van Vruchten so vlo her van Romen yn Campanyen, want her an vilen undogeden sich sculdich wyste, ynde wonde heymeliche da yn eynen Walde, yn der Keyser Otte myth der Romer Wile leys den echzen Pauys Lewen consecryren. In do der Keyser vor van Romen, do vordreuen Pauys Lewen dye Romer gemeyne, ynde her vor yn das lant van Spoleth zo deme Keyser ynde clagede eme syne noyt das her vordreuen were. Der Keyser dye zurnde sych gar sere ynde vor myt groser mankracht zo Romen wart. Hir under do starph Pauys Johan yn Campanyen, ynde de Romer kosen Benedictum eynen Dyaken weder des Keyser Willen zo eren ynde zo synen scanden; Went her nyth dan zuene mande Pauys yn was. Der Keyser legede sich vor Romen ynde wart yn der Stad so groyth Hunger das eyn Zester clyen galt drizchiz penninchge, ynde moysten de Romer dye stad ynde den Pauys Benedictus geuen yn des Keysers gewalt, do sathz der Keyser Pauys Lewen weder in den stoyl van Romen ynde moysten de Romer eme truwe sweren zo halden. Doch so brochen sy eme den cyth, ynde mysdaden eme yn manygen dyngen also das nyth langer

 her

her Pauys yn bleyf, dan zuene jare: ynde na eme quam der drizuynde Pauys Johan. In demselben Zyden beual der Keyser al Lotharingere ynde al Duyzlant synen broder Byscoph Bruyne van Kolne; yn das bewarde he geweldichliche van allen mysdedighen lüden, ynde machte ganzen steyden Vreden yn al dem riche. In der seluer Zyth sagh man grose deychen yn der sunnen. In deme zeys yn zuynchizdem jare was Keyser Otto zo Weynachten zo Papyen. In dem zeben yn zuynchizdem jare was der Keyser zo Romen zo Wynachten, ynde dar wart syn Son Otto do Kuninch gekronet. In den selben Zyden worden dye fundament van Sente Pantaleones Kercken zo Kolne geleygeth, ynde wart da vunden Sente Marinus, de dar vil genade dede: der erste Abbeth der was Christianus genant. In dem echt yn zuynchizdem jare do vor der edele Byscoph Brun ynde Hertzoge in Vranchriche, zo sonen dye orloghe de dar zo den Zyden vile waren, ynde do her zo Companyen, quam do wart her swerlichen sychz ynde warth van danne gevöreth zo Reynsch, ynde do her al syn dynch gesazeth hadde na synen Willen, do vor her da zo Godes. We och dys edele Byscoph ynde Hertzoge Brun der stride vyle gewune yn Vranchrichen yn Paryzh bestalde ynde wunne ynde berouede dar zo, yn den Hertzoge van Lotharingen Venghe ynde das Hertzogdom eme ynde allen syn nakümelynge van deme Keyser gegeuen wart, das sy Hertzogen ynde Byscophe syn ynde heysen, ynde we her dye Bruchge over den Ryn zo Kolne ynde dye Burgh van Duyzh zo brach ynde vorstürde dor gewaldes ynde unrechts willen, dye dar van gescheden zo allen Zyden, ynde Kloyster ynde Kerken zo zymmern, ynde das heiligdom van anderen landen dar zo brengen; went das sunderlich yn anderen boychen bescryuen ist, so vorswige ich hir nyth, des syn lychgam wart gevöret van Reynsz zo Kolne, yn wart begrauen yn Sente Pantaleones Münster, das her gezymmert hadde. Her was Byscoph zuelf jare ynde na eme so quam Byscoph Volchmare. In deme dryzchizden jare quam de Keyser weder van Italien, ynde syn Soyn Byscoph Wilhelm van Meynse starph och do. In deme zuey ynde dryzchizden jare starph Kuninchynne Mechtilt, des Keysers muter. Inde do wart gestycht das Erzchebysdom van Megdeburch van Otten. Na Pauys Johanne quam der zeyste Benedictus, ynde dye wart van den Romern gevangen ups der Burch der Heyligen Engels, ynde dar so bleyf her unbarmhertzichlichen doyt. Inde do her noch leuede do koren dye Romere Bonefacium, ynde de wart vordreuen na eynen manede, ynde her vlo zo Constantinopyl ynde do koren sy den echten Benedictus. Byscoph volcmare van kolne dye starph och do, ynde na eme so quam Byscoph Gero, der gude man. In dem vir yn dryzchizden jare sach man eyn vurich Zeychen yn der sunnen. In dem echt yn dryzchizden jare van synen Kuninchriche yn van synen Keyserdöm yn deme dryzenden jare do starph Keyser Otten der grose, yn syn lycham wart gevöret van synen Sone Kuninch Otten myth Scryen ynde myth Weynen, ynde dar mede myth grosen eren zo Megdeburch das her gezymmer hadde yn Sassen lande. In dem seluen jare starph Byscoph Ulrich, der heyliger man, do her vumfchiz jare Byscoph hadde gesyn.

Dyt ys van den anderen Otten.

Na der zyth das Got geboren wart nuyn hundert ynde vumf ynde zebenzich jare, do begunde das das Rych zo halden Otte der ander, des grosen Keysers Otten son, dye was der zueyn ynde echtzichde van Keyser Augustus, ynde her was yn dem riche nuyn jare oder zeyn na den andern. Dysser nam zo e Keysers Johannys dochter van kreken, dye da was geheysen Theophanu, do syn Vater nochtan leuede, ynde der hof der was zo Papyen; ynde van der so vvan her eynen son, de Otte vvart genant, ynde eyn dochter, de Mechtyl vvart geheysen. Her vor na synes Vater dode alde hant zo Romen vvart, ynde dar vvart her ynde syn Vrovve van Pauys Levven zo dem Keyserdom gekronet vor alle den Vürsten van dem lande. Inde do her Keyser vvorden vvas, do berycht her das vrömelich, ynde vor dreyf Kuninch Lotarium myt gevvalt van Welzhem lande, ynde breyde ynde bericht das rich erlichen yn allen dyngen. Darna so starph der Keyser van Krecken der Keyserynne Vater van Romen, ynde der nüvve Keyser van Kreken vorsagede eme synen Zyns, den man eme plach zo geuene van dem lande van Kalabrien, dye eme myth der Keyserynnen gegeuen vvart, ynde segeden de Kreken, das Kalabrien des heyligen cruces vvere, das Helena vvant zo Jerusalem, ynde nyth Theophanu der Keyserynnen. Umb dysse sachen so vvart Otte der Keyser tornych ynde unduldich, ynde vor myth deme selben volche, das her do hadde, des doch cleyne vvas, yn Kalabrien, ynde vorboyt den Kreken den stryth. Zo hant dar der Keyser van Kreken das horde, he zamende gar syn land ynde gevvan dar zo myth Golde ynde myth Syluere vyle heydene ynde anderer lude van allen lande, ynde vor gegen den Keyser van Romen, ynde leys des Keysers Volch bescovven, vver her myth eme stryden möchte. Ynde do her horde, das her nyth vval gemanneth yn vvas, do legede her eme vyle lagen ynde vor myth cleynen Volche vveder eme zo stryden. Ynde da vvorden de ersten myth den heyden gar erslagen: Do das gescheyen vvas, do brochen de Kreken up van den lagen, ynde der stryth vvart harth, allso das des Keysers Otten Volch van den Kreken myth Scothze gar svverlichen vvart gevvont, aldus so vvart der stryth lanc ynde svvar ynde blyuen doyt vromer heren ynde lüde vil, inde sünderliche van deme Romschem riche, as vvaren dye Vürsten ynde helde Buccho, Echhart ynde Udo, de och doyt bleuen do. Do das ersach der Keyser Otte eynen vvech, sloch her myth synen svverde gevveldichlich dorch de Kreken,

Kreken, ynde do syn perthz nyth mer en möchde, yende her sach das her enkomen nyth enkunde, her vvarph van eme syne Waphen al, ynde spranch yn das meere, das dar by em vvas, ynde dar so svvam her ynne al dye ganze nacht, des morgens vru do vvart her van den Vischeren vonden ynde yn genomen; ynde do sy ene vrogeden, vve her vvere, her sprach, her vvere Scylt-Knecht des doden Kyesers van Romen, das erhorde ethliche Romer de enkomen vvaren van den Krechen ynde loysten eren heren vor eynen Knecht van den Vischeren, ynde vorden ene zo Romen myth droyffnysse ynde myth vroueden. Van dem arbeyte ynde ruvven, den her dar van hadde, so vvart her sych ynde straph yn den Zynden jare van syme Riche, ynde vvart begrauen myth grosen hogen eren yn Sente Peters Munster bynnen Romen. In dem selben Zyden starph Pauys Benedictus, ynde na eme quam der Vyrzende Johan, dye Byscoph vvas zo Papyen, ynde den dodede der Zeuende Pauys Bonifacius, de gevluvven vvas zo Costantinopyl, myth hunger ynde myth Venyne upz der Burch des heyligyn Engels zo Romen dar her gevangen vvas, ynde her bleyfh Pauys elzf manede ynde starph des geen dodes, ynde do her doyt vvas, do vvart her scendlichen getrezgyt ynde dorch stechen och van den synen, doch so vvart her begrauen van den Paphen, dye sych des erbarmeden. Inde na eme so quam der Vümfzynde Johan. In dys Keyser Otten anderen jare de straph Byscoph Gero van Kolne de das Cloyster van Gladebach hiyt gestycht, ynde na eme quam Byscoph Waryn, dye Zeyn jare Byscoph vvas. In dem Zeysten jare do vvart sente Pantaleones Münster van Byscoph Waryne gevvyget, In deme nuynden jare vorloys den stryth Keyser Otte yn Kalabrien vveder de Krechyn. In deme Zeynden jare starph her zo Romen ynde vvart och dar begrauen, ynde lyes das Rich synen sone Otten dem Drydten.

Dyt is van den Drytden Otten.

Na der Zyth das Got geboren wart Nuyn hundert ynde Vumf yn echtzenzich jar, do entfynch der drydte Otte, de da noch was eyn Kynt, myth syn muter Theophanu das Romsche riche. Dye was der dru yn echzichde van Keyser Augustus, ynde hylt das Zebenzeyn jar myth grosen eren. In dem Jare straph Byscoph Waryn van Kolne, ynde na eme quam Evergerus ynde was Byscoph Zeystzeyn jar: In den vyrden jare quam gros hunger yn das lant. In dem vümfzem jare na Pauys Johan quam Pauys der vumfze Gregorius, Son des ersten Keyser Otten, de dar vorgeheysen was Brun. In dem Zebenden jare starph Theophanu des Keysers muter, ynde wart zo Kolne begrauen yn sente Pantaleones münster, dem sy vyl gudes hadde gedan ze Wile das sy leuede, In deme echzen jare starph Pauys Gregorius, ynde myth hülphe des Keysers wart gekoren Byscoph Gerberth van Rauennen, de er Byscoph hadde gewesen zo Reyns, ynde wart der ander Silvester genant. Dys de was eyn meyster Paph ynde sünderlich van Astronomien das her kunde seyn yn den sterren, was dar sulde gescheyn na der naturen loph, ynde was och gewesen des Keysers meyster, dar umbe so was her dem Wonderlichen Keyser gar lyef. Des Keyser de was geheysen Otte das Wunder van der Werlt. Der Pauys Silvester de plach dem duvel zo tho sprechen, wan her wolde, van des hulphe was her an all dyssen herscaph komen ynde vor synen dode eyn cleyne vragede her ene, wye lange das her leuen sulde, her antword eme, das her leuen sulde went her zo Jerusalem gesungen misse, her wart vro ynde blyden, ynde vvunde, das her so vere were den dode, as her was den Willen zo Jherusalem zo varen; yn doch wart her bedrogen; Went eyne cappelle steyt zo Romen, de ist Jerusalem genant, ynde dar plych van rechte ynde van langer gewunde zo myth-Vasthen, al man synget Lætare Jerusalem, der Pauys misse zo syngen: ynde do her da gesungen hadde, do vornam her den doyt; do sprach her dem düvel zo: och ich moys steruen, jerusalem yn sagh ich ny; War umbe hayst du mich bedrogen: Do sprach der düwel weder; neyn ich nyth, mer du hast zo Jerusalem gesungen. Upz der stat dede der Pauys bycht van synen Sunden, ynde der Got des barmherzichgeit gruntlos ist: gaf eme waren ruwen ynde aflazych van allen synen Sünden, ynde na eme quam der ZeystzyndePauys Johan. In dem Zynden jare do wart der Byscoph van Praghe sent Albreth, do her predichde den gelouen in Prüsen lande, van den heyden Zeben Weryf dorstechgen ynde dar na syn houet afgeslagen myth eyme Swerde ynde syn licham hudede eyn are dry gantze dage, ynde dar na vvart her begraben yn Polenen, mer dar na vorden van danne der Hertzoghe Buleslaw zo Praghe myth grosen eren. In dem Dryzynden jare starph Hertzoge Cunrad. Ynde na Pauys Johan quam der Zebenzynde Johan, de was vor geheysen Fassan. In dem Zeyszynden jare starph Byscoph Evergerus van Kolne, ynde der gude Sente Heryberth dye quam na eme. In deme Zebenzinden jare do vor Keyser Otte in Italien vveder de Romer, de eme nyth under dene yn wolden syn, yn das was das dirde mayl; Want Crescencius eyn edel Romer Pauys Benedictus hade erslagen, ynde dwanc Romen myth gewalt ynde al Italien lant; ynde vvonde das her das ganze rich behalden möchte, ynde legede sich mith al den synen yn das unwynlich Keysers Adrianus Pallaz, das och hade gewesen den Tyrannys Didrich, went das nyth yn stund zo wynnen myth keyner handt werche. Dar umbe so vor der Keyser yn Italien myth al den here van riche nyth alleyne sich Selven ze vvrechen, mer och zo sazen das riche ynde das Pauysdom, das lange yrre yn sunder recht houet hade gestayn. Also lechte sich der Keyser vor das pallaz ynde lach dar lange Zyth, ynde dys Vorsprochyn Tyran Crescentius vor Schmade ze komen zo Syr genaden, dye eme de Vürsten vval hedden behalden. Ynde doch quam her vor den Keyser,

ſer, vvent der Keyſer eme Vreyden gaf, zo eme zo kumen, ynde van eme zo varen, ynde do eme de heren ryden, das her ſich in genade des Keyſers geue, her vorſmade das, ynde gyngh van eme myth ſtoltzen muth. Zo denſelben male traden vor das pallaz vytherkoren ryddere vile, yn her trath vveder zo rughe myt den ſynen, ynde do her vveder vvolde vlyen yn das pallaz ynde de porze myth deme gryndele besluzen, des Keyſers ryddere underlyphen eme de porthe, ynde myth gezogenen Svverden ynde myth groſen rophen vorverden ſy de ſyne. Ynde her vvart gevangen, yn vor den Keyers bracht al dar vvart das ordel ouer ene gegeben, ynde wart geleyten uph eynen hogen bergh dar her Romen beſcovven muchte, ynde da vvart eme ſyn houet afgeslagen, ynde der Bergh de heyzith van den Duyzhen der Bergh van dem Svverde, ynde van den Romern heyzith her der buſe bergh vvent an dyſen dagh. Ynde och leyder dar vvart der Keyſer dis vorsprochens Creſcencius Wyph, vvent ſy uther maſen ſcone vvas, ſo ſere mynnen, das her ſi des negeſten nachtes by eme lyt bryngen; ynde das Wyph venynede den Keyſer yn derſelver nacht: ynde als vvart her ſych, ynde ſtarph kurtzlichen dar na. Zo den ſeluen zyden vvas by dem Keyſer Byſcoph Heryberth van kolne, an des rade ſtundt der hoff ze male, vvant her vvys ynde anmynlich vvas gode ynde der Werelt al. In do der Keyſer dot vvas, do dede ene der Byſcoph myth ſynen Keyſerlichen cleyden uph ſyn perth ſetzen of her leuendig vvere, ynde of her zo ſtryde varen vvolde, ynde alſo voren ſy alle van Romen, das dye Romer nyth en vvyſten van des Keyſers dode. Went de Vurſten hadden angeſth vor de Romer, dye tornich vvaren vvorden dor Creſcentius dodes vvillen. Inde do ſy quamen yn Suauen, do grouen ſy ſyn yngevvant myth den hertzen zo Ausburgh; das licham grouen ſy zo Aken, yn unſer Vrovven münſter; Went her ſunderlich genade hade, do her leuede zo der Stath, ynde her geſtychtith hade dar bey de Münyghe ynde Kanonyke zo ſyner Selen heyl, ynde hade die ſtath geeret ynde gebeſzert ſere. Her ſtychte de och eyn Kloyſter van Munychen das dar heyzyt Porcetum yn Sente Johannes Baptyſten ere, yn ſente Nicolaus, vvant her geboren vvas van Krechen van der muter vveghen, och ſtychtede eyn van Kanonyken yn ſente Albertus ere, vvant her gebohren vvas van Behem, ynde vvent her by ſynem Zyden gemarzyt vvart: In deme ſeluen jare ſtarph abbeth Chriſtianus van ſent Pantaleone, ynde na eme quam abbeth Regynbertus.

Dyth iſt van den anderen Heynrich.

Na der Zyth das Got geboren vvart Duſent ynde Zvvey jare, do vvart gekoren der ander Heynrich, de vvas hertzoge van Beyeren, vvent Keyſer Otte neynen ſon en hade; ynde dys vvas der Vir yn echtzichde van Keyſer Auguſtus, ynde hylt das riche dru yn Zuynzich jar yn Vümf manede; der vvas her Zuelf jare konnych ynde due Keyſer genant. Dyſſe in deme erſten van ſynen riche hade zo vyende Marchgreuen Heynrich ynde anderer heren vil; dye alle myth groſen eren vorvvan, ynde dar na vorvvan her Italien ynde Beheym ynde den Vurſten Bolizlavv, myt al den Wenchenlande, alſo das ſy eme moſten underdenych ſyn. Dar na do her das proyuede, das eme Got vrede hade gegeben, ynde das her och neyne erue hayn en ſolde, vvant her de Kuninchynne Coninchgunt nyth anders yn hylt, dan oft ſy ſyne Sveſther vvere yn reyne Kuſchen leuen, do macht her Jeſum Chriſtum ſynen rechten eruen; vvent yn dem Zeſten jare van ſynen riche, do ſtycht her das Byſdom van Bavenberghe yn ere des guden Sent Peters ynde Sente Georgens, ynde macht das rich ynde herlich yn allen dynghen, as man noch dar ſeyn mach an gulde ende och an ſyluer, das her dar gegeuen hayt, her zymberde och yn das Suden van der ſtath eyn ſtychte van Kanonychen yn ere des guden Sente Stephanys, ynde och yn das norden van der Stath zymberde her eyn Cloyſter van Münychen yn ere Sente Michaelis des erchen-engeil yn des guden Sent Benedictus, upz das her gevvaphent ynde bevvahret vvere van dyſſen vorſprochenen Helygen zo der lochzer ynde rechzer hant in allen ſtunden vveder den düvel ynde alle ſyne Werch Yn anderen landen van ſynen rich dede her daſſelve. De cloyſter ynde de Kerchen de vorgayn vvoren, den gaf her zo, ynde de vorvallen vvoren, de zymberde her och vveder. In denſelven Zyden vvas eyn Byſcoph zo Ausburgh her Brun, deſſelben Kunninchges broder, derſelbe hayſt den Kunnich herthchen dor ſyner guden vverche vvillen, ynde dede eme all de Boyſheit, de her kunde ynde mochte: ynde da her daſſelbe nyth volbrengen yn kunde, dar half her anderen luden dar zo, myth hulfen ynde myth rade. Ynde des yn vvolde der Kunninch nyth vverchen an eme, mer begerde des, das her ene myth den beſten vorvvonne. Sy hadden och eyne Sueſter, de vvart gegeuen Kuninch Stephan van Ungaren zo rechter e, alſo becheyden, das her myth allen ſynen Volche zo erſt Cryſten vvorde ynde dar na vvart her an dem gelouen ſo vollen komen; das her na ſunen dode van Godes gevvalt vele Zeychen dede. In denſelben Zyden ſtarph Pauys Johann, ynde na eme quam der Vyrde Sergius; ynde na deme quam der echze Benedictus. In dem anderen jare gevvann Kuninch Heynrich Italien ynde Beheym, ynde hertzogen Bolizlavven macht her eme underdenich myth al deme Weynchenlande. In deme dirden jare vvas groys hunger ynde ſmacht. In dem Zestzen jare ſtycht her das Byſdom van Bauenbergh. In dem Zebenden jare vvart gemarzelt Byſcoph Brun, de eyn munynch vvas, van den Prüſen, ynde ſlogen eme af hande ynde Vüze ynde daden eme vyl pynen an, ynde dar na ſlogen ſy eme ſyn houet af. In dem Zynden jare do ſvoren dye van Lothryngen algemeyne vveder den Kuninch Heynrich myth den Palaz-Greuen Ezzelyne de

de zeyn jare vveder den Kuninch gevveldiglichen eyn ſvar orloge hade gehalden. Yn da der Kuninch das vornam, eyme dochte das beſer vveſen, das her den geveldigen unvorſzageden man vorvvunne myth guden, dan myth der Waphen cracht, ynde begerde ſyner vryntſcaph, ynde ſünede myht eme; In gaf eme eyne Inſule, de dar heyzet Sente Sviberthe, de da gelegen iſt yn den Ryne, myth aldeme das dar zo horde, ynde Dusburgh, ynde Salaveld och dar zo, erflichen zo halden, eme yn den ſynen. De ſelbe Greue hade eyne Vrovve, de vvas geheyſen Mechtilt, ynde vvas dochter der Keyſerynne Theophanu ynde Sveſter des dirden Keyſer Otten; van der vvorden geboren dry Sone ynde Zeben dochtere. Herman de dar na vvart Byſcoph zo Kolne, Ludolf ynde Otte; Rychze, Adelheyt, Theophanu, Heylvvich, Mechtilt, Ida, ynde Sophia. Rychze vvart gegeben Kunych Myſetho van Polenen, Adelheit zo Nyuelle, Theophanu zo Eſſynde, Helvvich zo Nuſſe, Machtilt zo Dydenkerchen ynde zo Vyliche, Ide zo Kolne zo unſer Vrovven, Sophia zo Meunche zo unſer Vrovven ynde zo Gandersſeym, dar ſy alle vvorden Abdyſſen yn korchzen tyden. In dem zuelfzen jare vvart Kuninch Heynrich Keyſer gekroneth zo Romen van Benedictus den Pauyſt. In den drizeynden jare vvart erslagen Hertzoge Erneſth, do her jaghen ſolde. In dem virzeynden jare ſtarph Abbeth Regynberth van Sente Pantaleone, ynde na eme quam Abbeth Kylian. In dem echtzzynden jar wart Abbeth Helias gekoren. In dem nuynzenden jare vvas gros ertbevinghe. Inde do ſtarph Sente Heribert Byſcoph zo Kolne, de da geſtycht hade das Cloyſter van Duythze. Ynde na eme quam Byſcoph Pylgrim, de eyn ynde drizchyz jar Byſcoph vvas. In dem zuynchitzden jare vvann der Keyſer Nuen Troyen, ynde blyuen vele lüde doyt van Suchten yn deme here. In dem zuey yn zuynzichden jare ſtarph Keyſer Heynrich der ander, do her alt vvas zuey ynde vumpfzich jare und do her Kuninch hade geſyn zuelf jare, ynde Keyſer elf jar ynde vumf manede; ynde vvart begraven zo Bauenberghe yn Sent Peters Münſter myht groſen eren.

Dyt iſt van Keyſer Conrad.

Na der Zyth das Got geboren wart duſent ynde vir en zuynzich jare, do wart gekoren Kuninch Conrade, de der Vürſten eyn was van dem Riche, ynde doch lange weder das riche gevochzen hade myth alle ſyner macht: dys was der vumpf ynde echtzichde van Keyſer Auguſtus zyden ynde was yn dem riche vumpfzyen jar. In ſynen erſten jare was groys orloge weder ene yn den lande, das wart doch verſönet van Gotes genaden wunderlich. Dar na quam Byſcoph Brun van Ausburgh, dye Keyſer Heynrich broder was yn doch ſyn Vyant, as da vorgeſprochen iſt, ynde royth dem Kuninch, das her das Bysdom virſtörde van Bauenberghe, das zyn broder geſtichzet hade: ynde louede de renthe algemeine van dem Bysdom der Kuninchynne Gyslen ynde eren Sone Hynrich erflichen begauen ynde aldus ſo wart eyn dach gelacht van dyſen dyngen. Des nuchtz ze voren vür den dage, as das weſen ſolde; quam Byſcoph Ewerhard zo Byſcoph Brunnes bedde ynde bat ene hertzlichen, das her das beweren leſe dor Gott yn dorch ſynes broders Selen willen. Ynde do Byſcoph Ewerhart yn wech was gegayn ynde Byſcoph Brun yn ſclaphen was, do docht eme, das her ſege ſynen Broder Keyſer Heynrich vor ſynen beddeſtayn, ynde zoych ut de hare oph eyner ſyden ſynes bardes ynde vvarph de oph den Broder ſyn: do ſprach der Byſcoph vve de vvere de eme ſo ſmelichen handeln dorſthe, do antvvorde der Keyſer ynde ſprach; das haſt du gedayn, de mich ynde de Heyligen Godes berouen denkys des gudes, das mir Got virlenet hade ynde ich ene gegeben hayn durch miner Selen vvillen. Nu hüde dich da vör, oph das du das myth groſer unſacken nith yngeldes. Oph der ſtat do der Byſcoph yn ſpranch van groſen angeſt, den her geleden hade, ſo beueden eme alle ſyne lede, alſo das her der gevveldich nyht en vvas. Des morgens do de Vurſten ſyner lange gebeydeth haden ynde her nyth yn quam de Kuninchynne dede ene ſere bydden, das her queme ynde hülph, das ſy behylde eren vvillen. Der Byſcoph antvvorde den boden, das her noch hant noch vus gerügen müchde. Darna leyth ſy ene bidden, das her ſich dar mith eynen bedde vvolde lazen dragen, oph das ſy eren vvillen müchde behalden, her vurſegede ze zur male, ynde bekande des ophenbare das her vveder Got ynde de Heligen ynde ſynen broder ſuar ynde unrecht hedde gedayn: ynde aldus vor ſtorde de gutliche gude dyſen unrechten rayt, ynde der Byſcoph Brun vorderde das ſtycht dar na, vvar her möchte dorch ſynes Broders vvillen. In deme ſelben jare ſtarph Pauys Benedictus, ynde na eme quam der echtzynde Johan de broder vvas des Pauys, de vor eme vvas, ynde dys vvart van eyme leygen Pauys gekoren. In dem anderen jare vvart Kuninch Heynrich, des Kuninghes Conrad Son, ynde Kuninch Conrad vvart zo Romen Keyſer gekroneth myth groſen eren. In dem virden jare orlogden ſvverlichen under ſich Byſcoph Brun Keyſer Heynrichs broder, ynde der Greue, dye Welpho vvas genannt. In dem vümfzen jare quamen Hertzoge Erneſt van Duyzchen lande ynde Greue Welpho zo des Keyſers genaden. In dem zeſtzen Jare vor Keyſer Conrad myth groſer kracht vveder Kuninch Stephan van Pannonien, Inde vvurden erslagen och yn Duyzchen lande Hertzog Erneſt ynde Greue Werner myth vele volkes. In dem zebenden jare vürſonete Kuninch Stephan myth dem Keyſer. In dem echtzen jare ſtarph Kuninch Rodolph van Burgundien, ynde ſande Keyſer Conrad ſyne Krone. Do ſtarph och Pauys Johan, ynde na eme quam der nuynde Benedictus, de vor geheyſen was Theophilactus, de van

van bösen seden des unwerdlich was, doch bleyf her Pauys zuelf ganze jare, dar na vurdreuen ene de Romer myth gewalt, ynde koren eynen, de Sylvester wart genant, den vurdreyf her myth den banne ynde quam weder in syne gewalt; Inde do her weder komen was, her vurcophte das Pauysdom heymelichen eynen anderen van groser Gyrichgeit, ynde gaf das oph myth goden willen, ynde vordreuen dye Romere och, ynde machten eynen de was geheysen Gratianus. In dem nuynden jare vor Keyser Conrad yn den Winter yn Burgundien lant, do vorgynch och de Sonne yn demselben jare. In dem zenden jare vor der Keyser weder Uden den Vursten yn Vranchricke ynde vurstorde dar zo Burgundien sere. In deme elfzen jare gewunnen de heyden eyn Casteyl an Sassen lande, das dar heyzet Wyrbyn ynde dar bleuen vyle cristene doyt van eren handen ynde och gevangen, ynde weder dese vor der Keyser och myth groser macht. Do starph och Sente Symeon zo Trere de van Kreken was geboren. In demselben jare starph Byscoph Pylgrim van Kolne ynde wart begrauen yn der Apostel Münster, das her gestychzit hade myth grosen eren: ynde na eme quam Byscoph Herman der ander, de was van Kuninch Heynrich des ersten van Sassen geslecte gekoren, ynde was zo eyme zonamen der Edele genant. In deme zuelfzen jare nam Kuninch Heynrich, des Keysers Son, des Kuninches dochter van Dennemarchen, de dar Knut geheyzen was. Ynde das lant, das da heyzet Luttich, wart den Keyser underdan. In demselben jare lyth sich scheyden de Kuninchynne Rychze van eren Manne den Kuninchge: went her bey eynen anderen Wyue plach ze lychgen ynde vorwandelde ere cleyder ynde quam heymelich zo Keyser Conrad yn Sassenlant, ynde van eme wart sy myth grosen eren wal yntfangen ynde gaf ere den küre, war sy wonen wolde yn al dem riche, das sy das doyn müchte, na allen eren willen. Aldus so zymberde sy Hammersteyn, de edele burgh, ynde andere vesten vile. Dar na do storuen ere broder Hertzoge Otte von Suauen, ynde Byscoph Herman van Kolne, do vor sy zo Byscoph Annen, de na eme zo Kolne gekoren wart, ynde gaf Sente Peter ynde eme Saleuelt ynde Coburgh erflichen yn Godes ere: ynde Sente Nycolas Cloyster van Brunwillere gaf sy och Cloctzene ynde anderes gudes vile. Went her vader Greue Ezzelyn ynde ere muter Mechtilt, dochter Theophanu, das Cloyster gestichzet haden: Dar na nicht lange starph sy zo Saleuelt ynde ere licham wart gevüret zo Kolne, yn den begroyf Byscoph Anne zo Sente Marien Greten myth grosen eren. In deme dritzeynden Jare vor Keyser Conrad yn Italien mith groser macht ynde veynch den Byscoph van Meylane, ynde de en quam dar na ynde sathz sich weder den Keyser, vvar her muchte. Do vorvvan och Hertzoge Gozeleyn van Lothringen Uden den Vürsten van Karlinghen yn eynen stride, ynde do her vlo, do vvart her van eynen Riddere erslagen. In dem virtzeynden jare starph Keyser Conrad ynde vvard begrauen zo Spire, ynde lychs das riche synen Sone Kuningh Henrich. In dem selben jare starph de Keyserynne Cuninchgunt, de dar eyn Muter der armen Godes geheysen vvas, do starph och Hertzoge Herman van Duyzchen lande, de Son vvas von Gislen der Keyserynnen; do vvas och de sonne vorgangen in demselben jare.

Dyth ist das rich des dritten Heynrich.

Na der zyth das Got geboren wart dusent ynde virtzich jar, do wart bevolen das rich Kuninchge Heynrich den dridden, Keyser Conrad Son, ynde de was de zest ynde echtzichde na Keyser Augustus zyden, ynde hilt das rich sebenzeyn jare na synen Vader. In synen ersten jare vor her zo Beheym weder Herzoghe Fratislawen myth gewaphender hant, ynde dar vorloys her heren ynde Ridder vile an eynen Walde, ynde also kunde her gescaphen nyt, mer vur weder utz dem lande. In dem driden jare vordreuen de Ungaren eren Kuninch Peter ynde machten eynen de Ovo was genant. Do vor Kuninch Peter zo Kuninchge Heynrich, des Viant er doch was bevoren, ynde socht genade an eme, ynde vant her sy ynde och hulphe dar zo. Dar na vor Kunninch Heynrich in Beheym, ynde brande ynde rovede das lant ynde duanch den Herzogen van Beheym dar zo, das her müste yn komen zo Reygensburch oph syne genade, ynde dar svur her eme truwe ynde dynesth myth alle synen Volcke. In dysen dyngen vor Kuninch Ovo van Ungarien weder Kuninch Heynrich in Beyjaren, went her Kuninch Peter synen Vyant un halde ynde bestund das land bernen ynde roven, do quam Marchgreue Albertyn ynde ersluch eme synes volches vyle also rumede her das lant myth grosen scanden. Do starph och Abbeth Helyas van Sente Panteleone, ynde na eme quam Abbeth Aaron. In dem virden jare vor Kuninch Heynrich yn Pannonyen ynde gewan dar myth kracht Zuuagze stede ynde vursturde de zemale, ynde der anderer stede vile gaven sich yn syne genade. Do starph Keyserynne Gysla des Kuninchges muter ynde wart begraven zo Spyre myth grosen eren. In dem vumfzen jare vor auer der Kuninch yn Pannonyen ynde gewan alle das lant ynde machde das eme underdayn; Dar na vor her zo Constantien, dar vile Prælazen ynde heren zo eymen houe gesament vvaren, ynde dar virgaf her al den de vveder ene haden misdayn, yn svur myth den heren eynen gantzen Vreden ze halden yn al den ryche. Dar na dede her krönen zo eyner Kuninchynnen Vursten Wilhelmys dochter van Pyckauien zo Meynsche ynde hylt den hoff zo Yngelheym myth grosen eren. In denselben zyden starph das vyhe sere, ynde vvas eyn hart vvinter ynde grose Sne. In dem zestzen jare de sathz sich auer Pannonyen vveder den Kuninch, ynde do vor her zo deme driden male yn das lant ynde gevvan das myth groser gevvalt ynde vordreyf Kuninch

ninch Ouen myt all den Synen ynde sathz Kuninch Peter yn das rich das syn gevvesen hadde ynde quam vveder myth grosen eren. In demselben jare gaf sich Hertzoge Godefryd van Lothringen yn gevanchnysse des Kuninhges oph genade, ynde lach gevangen zo Gybichensteyn as lange as der Kuninch Hynrich vvolde. In deme sebenden jare vor der Kuninch Heynrich yn Italien ynde de Romer unfyngen ene gemeynlichen myth vreden. Ynde hylt myth den Prælazen ynde myth den Romern eyn Concilium, ynde unsathz den Pauys Gratianum de gesathz vvas van den Romeren vveder zuuene Pause de se vordreuen hadden, ynde gaf das Pauysdom Byscophe Suigere van Bauenberghe ynde der vvart der andere Clementz genant, ynde de starph bynnen nuyn manden, van dysen Pauys vvart Kuninch Heynrich ynde de Kuninchynne Agnes gekronet zo dem Keyserdom in dem heligen Wynnachtes dagen. Darna vor her dorch Apulien ynde anderer lande vyle, ynde quam vveder yn syn land myth vrövveden ynde myth eren. In dem echzen jare starph Pauys Clemens, do her nuyn mande Pauys hade gewesen, ynde wart gevöret van Romen zo Bauenbergh, ynde wart dar begrauen, ynde na eme quam Poppo der Patriarch van Aquileygen, ynde, na der Buchge eyn deyl, Byscoph zo Brixien, ynde dys wart der ander Damasus geheysen. In dem nuynden jare starph Pauys Damasus ere syn erste jare umbe queme, ynde na eme quam Byscoph Brun van Thol, ynde wart der nuynde Leo genant. Do vvart och geboren der virde Keyser Heynrich, ynde Hertzoge Otte van Svauen starph, ynde na eme quam Otte van Suinvvrde yn das Hertzogdom vor eynen heren. In dem zynden jare vor der Keyser vveder Hertzoghen Gotfride ynde Hertzoge Baldevvyn yn Welzlant ynde duuang sy dar zo, das sy eme musten vvesen underdenich, ynde vor myth eren vveder ze lande. In demselben jare an Sent Peters dage vvas Pauys Leo ynde Keyser Heynrich zo Kolne ynde dar vvas och der Bischoph Herman, van derselber stadt. Dar na vvas eyn Concilium zo Meynsche, dar quamen och der Pauys ynde der Keyser beyde samen. In deme elfzen jare de sathzen sich de Ungaren auer vveder den Keyser, ynde vveder de sande der Keyser synes Vater broder Bischoph Geuehardt van Reynsburgh, ynde vvan den strith ynde er sloch er vile ynde vor myth Vreden in syn lant. In dem zuelfzen jare vor auer der Keyser yn Pannonyen ynde deylde das her yn zuey ynde vor an zuen ende yn das lant, ynde rouede ynde brande dar ynne ynde ersloch vile lude, ynde vor myth vreden van danne, nochtan yn kunde her das lant beduingen nicht. In dem dridzeynden jare vor her auer yn Pannonyen, ynde quam van dannen sunder synen vvillen, ynde hade myth eme Pauys Levven van Romen, ynde voren zo samene uph den Ryn, ynde vvaren zo Wormethe an Wynnachten dage do starph Abbeth Aaron van Sente Pantaleone, de Sente Gregorius Sanch Vander nacht yn dyth lant aller erste bracht, den eme Pauys Levve yn Ytalien gaf; ynde na eme quam Abbeth Herman. In dem virzeynden jare do vor Pauys Leo vveder zo Romen vvart myth vile heren ynde riddern van manyghen landen, van des Keysers gebode. Inde na paschen vor her myth grosen volche dor Apulien vveder de Nortmanne, de dar ynkomen lüde vvaren, ynde Sente Petrus erue anevochten ynde des Romschen riches och; ynde streyth myth ene ynde blyuen unbegriphelike vile lüde doyt an beyden syden ynde der Pauys quam myth cleynen volke zo Beneuetane yn de stat ynde lyth dar vile vromer ridder van Duyzchen lande. In derselber stat vvas do Bischoph her Ulrich geboren van Normandien. In dem vumfzeynden jare Sente Leo der Pauys myth grosen eren syne Sele ophgaf dem allmächtigen Gode, ynde vvart herlich begrauen by Sent Gregorius yn Sent Peters Munster, dar Got van syne vverdigheit vile vvunders hat gedayn, ynde na eme quam der ander Victor, de Biscoph vvas van Eystet ynde vvas Geuehard genant. Do vvas och gros hunger yn den lande. In demselben jare sathz sych der Hertzoge Kune van Normandien myth den Ungaren vveder den Keyser, ynde zuene Vürsten Gebhard ynde Baldevvyn; dar zo do vvart des Keysers son der virde Heynrich zo Acken Koninch gekrönet, do man das Münster vvygede. In dem zestzeynden jare starph Biscoph Herman van Kolne, ynde na eme quam Anno der ander. Do starph och Marchgreue Alberth, ynde Welpho der Hertzoge van Karyntyn. Do vor och Keyser Heynrich myth grosen volche yn Italien ynde sathz das lant yn ganzen vreden, ynde vorde van danne myt eme Beaten, de Hertzogynne, de muter vvas von Mechtiltde ynde handelde sy nyth vvale; vvant sy sych nyth herlichen en hade gehalden na eres mannes Hertzoghen Bonifatius dode. Do starph och Hertzoghe Cuno yn Pannonyen de vordriuen vvas van synen lande van Noryken van den Keyser, vvant her eme truvve gebrochen hade. In dem zebenzynden jare, do vvart gevangen Biscoph Geuehard van Reynsburgh, de des Keysers vater broder vvas, ynde vvart vorvvonnen oppenbare, das her den Keyser dicke heymeliche hade vorraden, doch so erbarmede sych der Keyser ouer ene, ynde sande en vveder yn synen stoyl; do quam och Hertzoge Godefrid zo genaden. In demselben zyden vvonnen de heyden de da heyzeten Luttici vveder de Cristen eynen stryth, ynde bliuen der Cristen vile doyt eyn deyl van deme Swerde, ynde vile yn einen Waſſer do sy vlyn wolden; dar so bleyf och Marchgreue Wilhelm doyt; do blyuen och doyt yn manyhgen landen vile heren ynde an quaden doyt. Gros hunger was och do ynde kummer unde jamer gar vile un groyz yn manigen Kunichriche, dar umbe so was der Keyser hertzelichen sere bedroysch unde gaf al das weder das her zo unrecht hade, unde vorgaf aldem de weder das riche hade gedayn van grunde synes hertzen

ere mysdayth of das sich Got erbarmede ouer das rich unde och dye lant, de yn groser noyt waren allgemeyne. Do macht her och Kuninch synen Son Heynrich van Willen des Pauys unde der Vursten van dem riche, ynde do her al syn dynch bericht hade na synen Willen, do gaf her oph synen Geist yn Godes gewalt. Ynde do der Keyser doyt was, do bericht das rich eyne vvile de Keyserynne Agnes myth grosen eren, want Kuninch Heynrich nochtan der jare nicht yn hade. Das haszen sulgh heren sere, der eyne was Biscoph Anno van Kolne, ynde sathden das Kynt stillichlichen zo vorde yn eyn scyph ynde beroueden de Keyserynne van eren Kinde: do de Keyserynne das vornam, sy begaf alle vorgenchliche dynch, ynde hylt sich an den guden Got ynde vor yn Italien ynde wart Nonne yn eynen Cloystere, das Fruteria ist genant, yn dar so leuede sy gotlichen ynne went an eren doyt, ynde wart begrauen yn Sente Petronillen Munster zo Romen bynnen, myth grosen eren.

Dyt ist das Rich des vyrden Keysers Heynrich.

Na der zith das Got geboren wart Dusent ynde zeben ynde vumfzich jare do begunde das rich zo halden der virde Heynrich des Keysers Son, de dar noch was gar eyn Kynd ynde was der zeben ynde echzichde na Keyser Augustus ynde was yn dem riche virtzich jar. Syn Muter Agnes de Keyserynne, de hade eyne wile das Hertzichdom van Beygheren zo ere hant. In demselben jare vor Pauys Victor, de vor was geheysen Geuehard van Duyzchen lande, do her das lant wal bericht hade, na synen willen zo Romen wart ynde das was van rade der Biscoph un der Vürsten algemeyne, ynde quam dar in den beginne der Vasten myth guden Vreden, ynde starph och al dar yn demselben jare, Do zathzen de Romer eynen Münnich, de broder was Hertzoghen Godefridis, de Frederich vor geheysen was, ynde wart Stephan dar na genant; dys de starph och yn demselben jare; na den so wart eyn weder das recht van der Romer eyn deyl gezathz, de hylth Johannes, ynde wart der zynde Benedictus genant, ynde dys de starph bynnen seben mavnden, ere her wurde consecryret. In den selben zyden waren vyle Pauyse, want der Kuninch ynde de Vürsten myth den Romeren nyth wal ouer eyn yn drogen. Der erste was Pauys Nicolaus der ander, de vor was geheysen Gerhart; der ander Honorius der ander, de vor was Ehadelo genant; der dridde Alexander der ander de Byscoph was zo Lucha, ynde was Anselmus geheysen, dys de bleyf went an syn Doyt yn dem Pauysdom myth eren, want das deme Kuninchge ynde den Vürsten och wal behagede. By synen zyden was zo Romen her Hyldebrand Archydyaken, de na eme Pauys och wart. In denselben zyden vurwan de Keyserynne Agnes Vürsthen Frederich unde syne bröder de weder das riche swerlichen orlochden yn Duytschen lande, ynde müsten sich och geben yn ere genade, do starph och Hertzoghe Otte van Svauen, de van Suinwrte geheysen was, ynde na eme quam Hertzoghe Rodolf van Rynuelden yn das selbe Hertzogdom, unde zath sich dar na weder das Romsche rich. Dyth Hertzogdom, das hade gelouet der Keyser vur synen dode Greue Bertolde, de dar na Hertzoghe wart zo Kerthen, mer de Keyserynne gaf das Vursten Rodolf, went her ere dochter hade, ynde dar umbe so zorde sich Greue Bertold sere, unde machte zo Vyande deme riche, wen her muchte, uph das her sich wrechgen muchte van dem Kuninchge unde och van Hertzoghen Rodolf, de dar vure genant ist; ynde dar zo halph eme Hertzoghe Otte van Sassen, de van Beygeren vordreuen was, unde al dus myth runen ynde myth rade dyser vurgenanter heren quam das so vere, das sich al Svauen ynde al Sassen lant weder den Kuninch zathden, want vele ungelich unde gewalt do gescach yn den riche, ynde quam och so vere das sich Hertzoghe Rodolf zathde weder das rich zo synen grosen scanden unde schaden. In dem nuynden jare wart Sente Cuno gemarzilt de Biscoph zo Trere was. In dem zynden jare erscheyn eyn Cometa auer al de werelt lange. In demselben jare gewan myth groser gewalt al Engelant Wilhelm der Bastard, de Vürste was van den Nortmannen, unde wart da Kuninch, unde do her Kuninch wurden was, do vurdref her al de Biscophe van den lande unde dodede vil edeler lüde, unde das gemeyne volch gaf her zo eyghen synen rydderen, unde ere Wif gaf her synen Kuechten, de myth eme dar kumen waren. Do starph Abbeth Hemerich van Sente Pantaleone, unde na eme quam Abbeth Humbrechtr. In dem elfzyn jare nam zo rechzer e Kuninch Heynrich Vursten Otten dochter van Italien, de Berta was genant, ynde der hof was dar van zo Dribrugh. In dem zuelfzyn jare began der Kuninch na kyntlicher begerunghen zo leuene unde erkuys utz al dem riche Sassen lant, dar her wonnen wolde ynde dar zymberde her vyl Keyserlicher burghe; want her den Vürsten van den Riche nyt wal yn gelouede, ynde quam so vere, das her yn kurtzen daghen gewan vyle Vyande des riches yn des lyues. In deme drizynden jare gaf dye Keyserynne Agnes uph das Hertzoghdom van Beygeren dorch Godes lyue unde vugr zo Romen ere Sunden zo beteren, unde dar dynde sy Gode yn groser oytmudichgeit unde starph och aldar in Götlichen dinghen unde wart dar begrauen myth grosen eren. In dem virzynden jare zathz sich Marchgreue Thez weder den Kuninch van rade der Vürsten van Sassen. In dem vumfzynden jare Hertzoghe Otto van Beyeren wart vurdreuen unde sathz sich och weder den Kuninch, unde das Hertzogdom wart gegeben Vürsten Welphen den starchen unvurzageden manne de van Svauen geboren was. In deme zeystzynden jare svuren de Vursten van Sassen algemeyne myth Herzogen Otten weder den Kuninch, unde der Kunnich vur yn syn lant unde gewan burghe unde stede vyl, unde

unde geboyt das man de brechgen (solde.) In deme zebenzynden jare gewunnen de Sassen Hartdesburgh, das Keyserliche huys, das der Kuninch gezymberth hade ynde vursturden das gar ynde ganz. Ynde van grosen haz, den sy weder den Kuninch haden, so brochen sy uph eyn graf dar syr Kynd eyn ynnen lach, das doch unsculdig was, unde wurphen die beyne den bergh neder, das jemerlich zo scriuen ist. Yn den echtzynden jare starph Pauys Alexander, ynde na eme quam Abbeth Hildebrant van sente Pauyl, de och Archydyaken vvas des houes van Romen, ynde vvart der zebende Gregorius genant; ynde under eme so vvas de heylige Krystenheit van ungelouen yn manyghen vurdreyz. Des de scref vyl bryue dem Kuninche Heynrich, das her queme zo dem houe: yn her vorsmade das zo doyn. In dem Nuynzynden jare vur der Kuninch myth groser macht yn Sassen lant, unde hade myth eme de Bemen unde de Beyeren ynde all Duyzchlant unde (slog) myth den Sassen by eyne vvalere, das Unstrot ist genant, unde dar blyuen van beyden Syden vyl liede doyt; so behylt der Kuninch das Veld unde quam myth eren utz den lande. Dar stryth och vur den Kuninch gar Vrumelich Hertzoghe Rodolf van Duyzchen lande unde van Burgundien, doch zathz her sich och dar na vveder den Kuninch. In deme Zuenzichden jare vvas eyn Concilium zo Wormese, unde dar vvas Kuninch Heynrich unde alle de Biscophe van Duyzchen lande, unde dar zathzen sich de Biscoph van Duyzchen lande algemeyne vveder den Pauys Hildebrand ane de Biscoph van Sassen alleyne. In denselben zyden vvas eyn gros hoff zo Oppenheym, ynde dar zachtzen sich vol na alle de Vursten van dem riche vveder den Kuninch ynde hadden das vur eyne sachge; vvant her zo houe van zuen Pauysen geladen vvas um syne mysedayt, ynde her dar zo komen hade vursmayt, ynde dar umbe vvere her zo banne gedayn, dar umbe so zurde sich der Kuninch sere unde vur oythmudelich zo komen vvart, ynde vant den Pauys yn eynen Castele, das dar Canusyn ist genant, al dar quam der Kuninch Wullen unde barvvz vur den Pauys myth grosen scrien ynde vveinen: her oh dar van den banne vvart vurloyst, dar zo myste her den Pauys seckerheyt doyn, das her syn leuen beseren sulde unde deme houe van Romen underdennich syn. In demselben jare starph Biscoph Anno van kolne unde vvart zo Syberghe yn das Cloyster begrauen das her gestycht hade unde Biscoph Hyldolf quam na eme. In deme eynen zuenzichgen jare vvart zo Franckenvort vveder Kuninch Heinrich gekoren Rodolf, de eyn ynkumen man vvas van Svauen, unde zo male ungeboren zo Kuninchlicher ere, unde vvart zo Meynse gekrunet myth grosen eren, dar na stalde her vur Wyrzeburch myth grosen volche vvant sy truvvelich Kuninch Heinrich halden vvolden, unde do her vurnam das Kuninch Heinrich van Italien kumen vvas, her vur van danne; vvant her angesth hade eynes strydes. Zo denselben male van grosen ruvven vurloys her Bertolf van Zaryngon, de Hertzoghe hade gevvesen zo Kerthen, synen syn, ynde bleyf doyt, vvant her sath, das das lant zo scanden vvart, ynde das der Kuninch Heinrich das gekeren nyth yn kunde. In deme zuey unde zuenzichden jare vvas ein groys stryth by Strovvich zuischen Kuninch Heynrich unde Kuninch Rodolf, unde dar bleyf doyt van Kuninch Rodolf syden Biscoph Wezel van Magdeburgh, unde vvart gevanghen unde berouet Hertzoghe Magnus, unde Greue Herman, Hertzogen Magnus vater broder, unde Biscoph Alberth van Wormese unde vile ryddere van Sagssen wurde och jamerlichen erslagen, do bleyf och doyt van Kuninch Heynrich syden Vurste Poppo, eyn starch, unvurzagyth man. In deme dru unde zuenzichten jare starph Biscoph Hyldolf van Kolne, unde Biscoph Segewyn quam na eme. Do vvas och eyn stryth van dysen zuen Kuninchen zo Fladecheym yn eynen harden wintere, ynde dar bleyf doyt Greue Meinfrid, ynde de Sassen vluwen yn deme ersten van den stryde. In deme Vyr unde Zuenzichden jare was eyn Concilium weder Pauys Hyldebrant zo Prixina yn Normandien van alden Vursten van dem richge, ynde van drizchiz Byscophen dar zo. Do was auer eyn stryth van Kuninch Heynrich, ynde van Kuninch Rodolf by eyn wasser das da heyzet Ellestram, ynde dar wart Kuninch Rodolf zo den dode gewunt; ynde wart van den synen zo Mersburgh geuoret, dar her kurtlichen starph unde myth grosen eren wart begrauen, ynde do her lach ynde steruen sulde, do sach her ane syne rechter hant, de eme afgeslagen was, ynde sprach zo den Biscophen de by eme waren myth grosen Süchzen: Seyth dis ist de hant, dar ich mede svur mynen heren den Kuninch truwe zo halden; Nu seyth das uwe lere mych den rechtzen wech hebbe bracht zo dem richge, want ich mus das leuen nu lasen myth den richge. Dar bleyf och doyt Greue Rabodo, de Kuninch Heynrich gar getruwe was. In deme Vümf ynde Zuenzichden jare vur Kuninch Heynrich myth grosen Volke yn Italien ynde quam zo Romen an Pyncht-auende, ynde want der Pauys Hyldebrant myth den Romeren weder ene was, dar umbe so legede her sich myth synen Volche vur Sent Peters Castele ynde dar bleyf her lychgen zuey ganze jare ynde dede myth cleynen Volkes Wunder vyle, alleyne her alledage van den Romeren sverlichen ane gevochzen wurde. In den zyden vurbrande das Münster zo Bauenberghe an Paschen auende, ynde do vurbrande och Sent Martyns Münster zo Meynse, ynde drü Münster; de dar by gelegen synt, ynde de stat dar zo vol na zo male: Do wart och geboren der Vümfze Keyser Heynrich. In deme zeys und zuenzichden jare machten de Sayssen unde de Duyzchen algemeyne Kuninch eynen Edelen geweldichgen man van Germanien, de Herman was genant, dem wart das lant kurtzlichen gar unholt unde och syne sunderliche vrynth. Do starph Abbeth Humberth van Sente Pantaleone, unde Abbeth Herman quam na

na eme. In deme zeben unde zuenzichden jare vur Kuninch Herman myth kleynen volche yn Oyst-Frens-rychge ynde dede da grosen scaden. Do gewan Kuninch Heynrich och Romen des fridages na Pynsthen, ynde der Pauys Hyldebrant de vlo zo Salernen heymelichen unde bleyf dar want an syn doyt. Do was och grose steruinghe yn den lande. In deme echt unde zuenzichden jare do zazht der Kuninch van willen der Romer Biscoph Wyberth van Rauenen, unde wart der ander Pauys Clemens genant unde van dysen wart Kuninch Heynrich unde Kuninchynne Bertha an Pasche dage zo dem keyserdom zo Romen gekronet myth grosen eren. Dar na vur der Keyser van Italien unde gewan Ausburgh de stat, de her bestalt van den Almannen vant. In deme Nuyn unde zuynzichden jare starph Pauys Hildebrant, de der zebende Gregorius was genant unde wart zu Salernen begrauen, dar her straph, unde do wart gekoren Biscoph Otte van Hosteyn na eme, unde wart geheysen Urbanus. In deme Drizchizden jare vursturde der Keyser Sayssen lant, unde gewan Wirtzeburch van den Sayssen, das sy gewunnen hade. In den eyn unde drizchizden jare gaf uph der vurgenant Herman des Kuninchges namen, den her zo unrechte entfanghen hade, unde vur weder yn syn lant van des Keysers genade unde gebode, dar bleyf her vur eyner burgh, de her bestalt hade, kurtzelichen doyt. In deme zuey unde dirtzichden jare starph de Keyserinne Bertha unde wart begrauen zo Spire yn der stat. Do gewunnen och de Svauen myth vurrathnysse Ausburgh de stat des dunnersdages vur Paschen, unde des mannendages dar na vursturden sy de gar. In dem dru unde dritzichden jare starph Biscoph Segewyn van Kolne unde na eme quam der dritde Biscoph Herman, de zo eyme zonamen der Riche was genant, do nam zo rechter e der Keyser des Kuninchges dochter van Russen, de Marchgreuen Vden Vrowe hade gewesen, ze wyle das her leuede, unde den hoff hylt der Keyser zo Kolne myth grosen eren. Do wart och syn elfte Son Conrad zo Aken Kuninch gekronet. In dem vir unde dritzichden jare vur der Keyser auer yn Italien unde bleyf al da zeben jare vol na. In dem vumf unde dritzichden jare sathz sich de Kuninchynne Mechtilt van Lombardien weder den Keyser. In deme zeys unde dritzichden jare wart den Keyser unboden, das Kuninch Conrad syn Son unde Keyserinne Berthen sich weder eme gesathz hedde. Do was och de sunne vurgayn, unde sach man do och eynen drachen ophenbare. Dar na starph des volches vile. In dem echt unde dritzichenden jare was och eyn grose Sterfhunge yn al den lande. In den Nuyn unde dritzichden jare starph Marchgreue Lupolth unde her Heynrich der Palanse-Greue: In deme virtzichden jare was de erste vart zo Jherusalem unde in das heilige lant, unde de daden her Peter der Munynch unde Hertzoge Godefrid van Lothringen myth vile volckes van manychen lande. Do erscheyn och eyn zeychen yn dem hemele unde in der sunnen, unde och wurden gesen vile zeychen yn der lucht unde yn der erden, de vile lude dar zo brachden, das sy och vuren yn das heilige lant. Do wart geseyn eyn Cometa yn das Suden, de van eme gaf eynen schyen as eyn gekrumbeth Swerth. Do sach man och yn das Oysthyn eynen anderen Sterren, de syne stat myth Springen wandelde, do sach man och bludyghen Wolken ophgayn van den Oysthen yn das Westhen, unde och van den Westen yn das Oysthen, unde quamen zo samen yn deme mittege van den hemele. Do sach man och dicke, das das Vuyr des nachtes vloch van den Norden an grossen stucken. In den selben zyden sach eyn Pristher, den wal zo gelouen was, de Svigger was genant, zo mythdage zuene rydende man yn der lucht lange stryden unde der eyne hade eyn crüz unde der nam ouerhant. Do sach och eyn ander Pristher yn eynen walde, dar her myth zuen gesellen was gegayn, yn eynen mythdage eyn Swerth, das utzer masen lanch was, van der erden uphgayn allso hoche als her geseyn muchte; unde horde och das Svverth rusghen englichen yn der lucht. Do vvart och geseyn eyne forme eyner stat yn der lucht, dar manich man zo gingh unde reyth. Do vunden vyle lude och crüze an eren lyue, de yn vvunderlich gevvagssen vvaren. In demselben zyden dr..ych eyne Vrouve eyn Kynt zuey ganze jar yn eren lybe, unde do brach er das lyb unzuey, unde quam hervur eyn Kynt das sprechen kunde. Do vvart och eyn Kynt geboren, das aller lede zuey hade, da das eyn hauen solde. Do vvart och geboren eyn ander Kynt myth zuen houeden, unde vyl scaph vvurden gevvurphen myth zuen houeden yn denselben zyden.

Dyt ist de erste Varth ouer meer.

By dys Keysers Heynriches zyden van Romen, vvas Alexius Keyser zo krychen, unde under dysen zuen vvart volbracht, das das Evangelium spricht; das eyn volch vveder das ander stryden sule, unde eyn Kuninchriche vveder das ander, unde grose erthbevunghe, unde hungher, unde sterfhunghe unde jamer unde engstliche zeychen yn dem hemele vvesen sulen er de vverelt al vurga. Do vvas Jherusalem under den Soldayn van Babylonien, unde de Cristen, de dar vvaren, de musten dem Soldain zyns geben, dasselbe vvas och Bethleem unde all das Heilige lant unde all de Cristen de dar ynne vvaren: vvant der Soldayn hade das lant gar yn syr gevvalt. In demselben zyden vvas och eyn jemerlich orloyge under den Krychen, unde under den van Armenyen, de beyde Cristen synth; unde vvant de Krychen gevveldyger vvaren dan de van Armenyen, so gevvunnen de Armenyen van den Persen rydder unde knaphen vyl umbe eren solth, de Thurke synt genant unde behylden eren vvyllen vveder de Krychen yn allen dynghen. Dar na vuren de Turche vveder yn ere lant unde vvurden zo rade das sy yn Armenyen varen vvulden myth gevvalt; vvant yn das lant van Armenyen docht guth unde rich yn allen dynghen. Do vur

vur och myth ene eyner hande volch, das da heyzet van Gorryzana, der lant hade vile lüde unde cleyne ſpiſe, unde ſynt under den Keyſer van Perſen gelegen, unde quamen yn Armenyen unde Capadociam unde Romanyen unde Syriam unde begunden de lant ſverlichen anezovechten. In dem erſten gevvunnen ſy de ſtarchge ſtat van Nycenen, de lange gevveſen hade yn der Cryſten gevvalt unde erslogen al de Cryſten, de ſy dar ynne vunden, unde ſathzden eynen Tyran dar yn vur eynen heren, de geheyſen vvas Solomant; unde gevvunnen al de lant de dar gelegen vvaren, vvent an des meres ſtranch, de dar iſt Sent Jurianes arm genant unde unſcoynden nyth noch kirchen noch cluſen ocht eyniger hande lüden, ſy vveren vvyf ocht man, junch ocht alt, de Cryſten vvaren, noch den bylden, de da yn den kyrchen ſtunden, ſy vveren na Gode, ocht na ſyr Muter gemacht. Do ſach man yn vile vurſturden kirchen de bylde jemerlichen ſtayn, das eyne ſunder hant, das ander ſunder vüze, das dritte ſunder houet och naſen, oren ochte munt; ja de bylde unſers heren Jheſu Chriſti unde ſyr liber muter och recht of ſy vvarche beden unde riphen zo Gode in den himel ouer de Heyden, de has haden gedayn. Och leyder do vvas das heylige lant, dar Got ſyn bloyt yn ſturzen vvolde um unſen vvillen, nyth alleyne beſvveret van den Soldayn unde van den heydenen; mer och van den Thurchen, de vil unbarmhertzigher waren. Unde do de heilige ſtat van Jheruſalem unde das Heilige lant al unde gar gevvunnen vvas van dyſen vorgenanten heyden, do legeden ſy ere Vürſten eynen, de da eyn Soldayn iſt genant, myth vyl ridderen unde knechten yn de ſtat van Jheruſalem, unde machten eyne ſtarke rynchmure um de ſtat unde vurſtürden al de Münſter unde kirchen, de buſen der ſtat gelegen vvaren. Das graf uns Heren Jheſu Cryſti das bleyf doch as das vvas; vvant de heyden ſaghen, das man vyl ſelbers unde goldes dar brachte van manygen lande, der Tempel Godes, dar van in den Evangelio geſcriven iſt, der bleyf och, as her vvas: vvant de heyden unde de Thurchen algemeyne denſelben Tempel haden yn ſo groſen eren, das ſy nymmer dar ynn undurſthen gayn dan myth barvüzen vüzen, de vyl ſcon gevvaſchen vveren, ſy en leſen och geynen Cryſten mynſchen dar yn gayn, vvant ſy de Criſten hylden vor unreyne lüde. Unde do der vurgenante Keyſer Allexius van Krichen ſach, das de heyden unde de Thurche das heilige lant gevvunnen haden unde och ſyn lant gevvynnen vvolden, dar ſy al reyde ynne vvaren; myth groſer kracht her ſcreyf den Pauſe Urbanus vyl Bryue unde clagede eme darynne jemerlichen, das her van den heyden unde van den Thurchen groys noyt lede, unde her de cryſtenheit van den beſchyrmen nyth yn kunde ſunder des Pauys hulphe unde rayth. Her louede och den Pauyſe yn denſelben briuen, das her al den Criſten, de zo eme quemen, ochde kumen muchten, geben vvolde vvaphen unde ſpyſe unde al de dynch, der ſy behuveden zo ſtryde, üth vver zo vvaſer ocht zo velde. Do der Pauys dyſe briue ſach, zo hant lyz her eyn Concilium beruphen yn alder der Criſtenheit, unde dar vur her myth groſen arbeyde, vvant das Concilium vere yn Hyſpanien gelegen vvas. Unde dar quamen och vyl heren unde prælazen van manychen landen, den der Pauys, vur al deme volche, des dar och vyl kumen vvas, clagede myth ſcryen unde myth vveynen des heiligen landes byth-zerlich noyt, unde och das eme der Keyſer van Krichen myth groſen clagen yn ſynen briuen kunt hade gedayn. Zo hant do der Pauys de claghe vollenbrachte, dar ſere unde vveynde manych duſent mynſchen bythzerlichen unde riphen al gemeyne, das yn der Pauys das crüz vur al ere ſunden gebe; ſy vvolden gerne Godes anden vvrechen unde ere bloyt dorch Got ſtürzen yn dem Heyligen lande: unde dar untfeynghen das crüz mer dan hundert duſent man, de van Engelant, Normandien, Scothlant, Brytanyen, Aquitanyen, Hybernyen, Gallacyin, Waſchonyen, Flandryn, Düytſchen lande, Lothringen unde van manygen anderen lande dar kumen vvaren. Dyſen volche gaf der Pauys zo eynen heren yn ſyne ſtat, unde das her bynden unde untbynden muchde, as der Pauys ſelbe, eynen Byſcoph, de Hademarus vvas genant, unde gaf eme unde alle ſyne volche ſynen heiligen ſeghenunge unde vur vveder yn Italien, dan her kummen vvas.

Dyth iſt van der varth, de Hertzoghe Godefrid dede.

Nu vvyl ich ſaghen van der erſten mervart, de geſcach van vyl volkes van manygen landen, under eynen Mvnych, der her Peter vvas genant. Dys do her myth dyſen vurgenanten volche varen vvolde in das Heylige lant, quam zo Ungaren; vvant das lant yn ſynen vveghe gelegen vvas, unde do dye Ungaren ſaghen, das das volch groſe guth hatte, dar mede ſy ouer mer varen wolden, van rade eres Kuninchges, de geheyſen was Colomannus, machten ſy myth den vurgenanten volche eynen Kyf unde erslogen des volckes vyle, das daden ſy doch al myth vurraythnyſſe. Unde eyn deyl des Volkes untflo unde lyzen dar ere haue ganz unde gar. Hyr under, do dyth geſcach, do vur Hertzoghe Godefrid van Lothringen, do her vurkopht hade, was her vurkophen müchte, myt groſen volcke unde vyl rytteren unde knechten zo Krychen wart, unde vürde myth eme ſyr bröder zuene, der [ene] was Baldewyn, der ander was Euſthatius genant; unde quam myth vreden zo deme Keyſer van Krychen, dar van vur geſprochen iſt. Unde der Keyſer louede eme zo helphene myth al deme das her vurmuchte. Dar na vur dys vurſprochen Hertzoghe Godefrid myth vil volkes van Sycilien, van Krychen, van Dennemarchen, van Normandyen unde myth anderen volkes vyle van anderen landen, de her dar vant, de dar dorch Godes willen och kumen waren, unde quam yn

yn eyn lant, das dar Romanyen iſt genant, unde dwanch das utzermaſen ſere, unde gewan och das myth gewalt yn kurzen zyden. Dar na legede her ſich vur Anthyogien, de edele ſtat, do quam och zo eme Hugo, des Kuninchges broder van Gallyen, unde Greue Raynmunt van Sent Egydius unde Greue Roperth van Normandyen, unde Greue Roperth van Flandren myth groſen volche, unde quamen myth eme myth groſen arbeyde yn deme virtden jare zo Jheruſalem; doch bleyf des volkes eyn deyl zo Anthyochien myth eyme Vürſten, de Bemunt was genant, unde eyn deyl zo Rohas myth Baldewyn, de des vurſprochen Hertzoghen Godefrides broder was, unde och bleyf des eyn deyl zo Laodicyen, unde zo Tyro, unde yn anderen landen, de dar gelegen waren. Wir vunden och eyn boch zo Jeruſalem yn denſelben zyden, da was ynne beſcreuen al, das geſcach vur Jeruſalem zo wyle das das van den Chriſten belegen was al de drü ganze jare. Dar van wyl wir eyn cleyne ſcriuen; das eyne was das, das Keyſer Allexius van Krychen heymelichen eyne ſone myth den heyden machde, unde das ſy eme ſwuren das ſy ſyne lande geyne gewalt noch unrecht doyn yn ſulden, unde her wolde de Criſten al irslagen hayn yn guden truwen: mer der vurgenante Hertzoghe Godefrid vurnam das, unde wederſtunt eme myth groſer cracht, unde gewan das vurburghe van der ſtat, unde de bruchge dar zo, do gewan her och eyne ſtat de Byzans was genant, dar ynne waren drü hundert duſent mane de ſtryden muchten ane wyf unde ane kynt, unde das geſcach bynnen zuen manden al. Das volch das den vurſprochen Peter de Munich gevolget, was van Keyſer Allexius wegen yn eyn ander lant geſant, dar ſy leyder nyth vile gelüchkes yn hadden yn al den ſtücken, der ſy begunden, Dar na vuren ſy gemeyne myth Hertzogen Godefrid vur de ſtarche ſtadt van Nycenyn, unde verdreuen van danne myth gewalt den Vürſten Solomannum, dar van vor geſprochen iſt, das yn de heyden dar ynne lyſeif, do ſy de vurgenant ſtat gewunnen hatten. Unde dar na gewunnen ſy de ſtat unde van rechter truwen gauen ſy de ſtat den Keyſer van Krichen weder, want ſy ſyn geweſen hatte unde her och Criſten was, dar na vuren ſy dorch Kuninchges Conſtantines lant, das rich unde fruchtbur was van allen dynghen, unde quamen an das mere, das Ruchyen iſt genant, unde dar wart Greuen Roperth gegeben as vyl ſpyſe van den volche van den lande, das man eynen weder kophen müchte um eynen penninghe unde eynen oſſen um eyn loth ſylbers. In dem vurgenanten boch iſt och geſcreuen, das wannere de Vürſten unde de Kuninchge van den heyden myth eren volche vechzen wolden weder de Criſten, das ſy wunderlich den ſtryth vurloren van Godes genaden zo allen zyden. Unde des erhouen ſich de Criſten ſere, unde gaben Gode da van cleyne ere, dar umb ſo machte Got, de alle dynch machen kan, das de ſtat van Anthyochien, de unwynnentlich iſt van mynſchlicher cracht, ſych ſathz weder de cryſtenheit ſverlichen, unde dar lagen ſy vure nuyn manden unde wurden ſo ſere beſweret, das ſy alles homodes vurgaſſen gar, alſo das ſy yn al eren volcke kume hatten hundert man zo guden roshen. Doch erbarmede ſych Got ouer ſy, do her ſach das ſy ſich bekanden gegen ene, unde gaf de ſtarche unwynnentliche ſtat yn ere gewalt unde de Thurche, de darynne waren unde al das guyt das och dar ynne was. Dar na erhouen ſich auer de Criſten, unde docht yn, das ſy de ſtat gewunnen hetten myth ere macht, unde yn loueden Got um ſyne güde nyth; do ſtade des Got, das ſo vile heyden quamen vur de ſtat, das geyn Cryſten mynſche yn dorſte dar utzgayn, unde wart och yn der ſtat ſo gros hungher, das de Criſten vyl kummers leden, dar van lanch were zo ſcriuen. Unde do das cryſten volch ſo ſere was geplaget, do erbarmede ſich der barmhertzige Got auer ouer yn unde gaf yn das Spere, dar her an den vronen crüz mede dorch ſyne gebenedyde ſyde geſtechen wart dorch des mynſchen willen; das ſpere dan was van der zyt, das de Apoſtelen uph erthrich waren, want an den dach ny geſeyn; do ſy das ſpere ſaghen do wurden ſy ſo vro unde Got gaf yn dar van ſo groſe macht, das geyn man yn was de hungher oder ſmacht an eme gezaſtzen kunde. Do greyph eyn eyglicher man ſynen ſcylt unde ſyne waphen al unde lyphen algemeyne myth vrolichen hertzen under de heyden und gewunnen den ſtryth unde erslogen der heyden vyl. Dar na, want das volch al nyth ſpiſen genoch zo Anthiochien yn hatte, do vur des volkes eyn deyl yn das lant van Syrien unde gewunnen dar zvue groſe ſtede; de eyne was geheyzen Marcha, de ander was Parka genant, unde och dar zo vil caſteyl unde burghe. Unde dar na wart yn dem lande ſo groys hungher das de Criſten dychke muyſten eſſen de heyden, de da doyt waren, unde muyſten van hungers noch van danne varen. Do quamen ſy van Godes gnaden yn eyn ander lant das vol ſpyſen unde gudes was, unde do de ſtede unde de burghe vurnamen das, das de Criſten kumen waren yn er lant ſy ſanden ere boden myth groſen gude gegen de Criſten, unde droghen yn oph ſtede, burghe unde das lant uph genade, alſo das ſy den Criſten geuen zyns van deme lande na eren willen, unde want de Criſten zo denſelben zyden nyth vil yn waren unde och gerne zo Jheruſalem weren geweſen; ſo docht yn das guyt, das ſy van deme lande das dar vur genant iſt nemen burghen unde ſecherheyt, das ſy den zyns geben alle jar den Criſten ſunder zuyuel. Doch yn der warheyt waren vile ſtede van denſelben lande de mer volches hatten dan de Criſten hetten yn den ſelben zyden. Unde do das vurnamen de Criſten, de blyuen waren zo Anthyochyen unde zo Laodicien unde zo Rohas, do vur der eyn groys deyl na yn unde quamen zo ſamen yn eynen lande, das Tyrus iſt genant, unde vuren allgemeyne unde beſtalden de ſtat van Jheruſalem myth groſer macht.

macht. Dar na so leyt das Cristen volch grose noth van Wassere, want das dar gar düre was, unde van rade des Byscoph, de dar vur genant ist unde der Vursten algemeyne, de dar waren, so geynch das volch gar unde barvuz umbe de stat unde baden Got myth ganzen hertzen, das her ansfeyn wolde de oytmudicheit synes eynborens sones unses heren Jhesu Cristi das her oph eynen esel dar yn ryden wolde unde och syn cruz darna darutz selben swerlichen draghen, unde geben de stat yn ere hant. Do erbarmede sich Got ouer das Crysten volch unde gaf de stat uph den echtzen dach dar na yn ere gewalt, unde das was uph denselben dag, das de Apostele dar van vurdryuen wurden, unde de dach ist nu de deylunghe der Apostele genant. Dar wurden so vil heyden erslagen yn der stat, das de Cristen ryden muchten vur den tempel und yn den tempel yn der heyden bloyt went zo der perde kne. Dar na quam der Soldayn van Babylonien myth all syner macht, de grose was, unde wolde de Cristen van danne dryuen, unde do her komen was zo Ascalonien, do besathzen de Crysten de stat van Jherusalem, unde vuren myth den anderen volche gegen den Soldan zo Ascalonen: unde do sy ersaghen das grose volche, sy vilen uph ere kne al gemeyne unde riphen Got ane myth ganzen hertzen umb syne gotliche hulphe; do vuren sy myth vryen unvurzachden hertzen zo stryde weder den Soldan, want sy das vournamen, das Got myth yne was myht syr genachten. De cristen hatten vumf dusent man zo rosse unde vümfzeyn dusent zo vuze: der Soldayn hatte mer dan hundert dusent man zo rosse unde vir hundert dusent mane zo vuze. Unde do quamen sy zo samen vor der stat van Ascalone unde by den mere unde de Cristen gewunnen den stryth yn den ersten zo ryden unde erslogen uph den dach mer dan hundert dusent man myth den swerde, unde bleuen och yn der porzen van Ascalonen mer dan zuey dusent doyt unde de yn das mere vluwen unde vurdrunken, der yn was geyn zale: unde eyn deyl vluwen yn eynen bös, de dar by gelegen was. Do gewunnen de Cristen al den grosen scatz, den der Soldayn van Babylonien myth eme hatte bracht, unde alle der heyden waphen dar zo, also das de heydenscaph geyne waphen yn hatten, wer das sach gewesen, das sy myth den Cristen gestreeden wolden hebben dar na. Wer och das Sake gewesen, das Cristen nyth so sere yn den stride na dem gewynne des gudes unde der haue gestanden yn hetten der heyden, yn were eyn nyth kumen van den velde, de mucht gesagyt hayn, was dar were gedayn: want de wolcken bewaren de Crysten van Godes genaden van der sunne, de do gar heychz scheyn unde de heyden nyth. De Crysten hatten och eynen grosen royf genomen des anderen dages zo vuren, do man stryden sulde unde de heren van den volch heysen, das sy den royf bevvenden leysen. Alleyne da ynne vveren manych dusent Camele unde Ossen unde Scaph vyl, unde do das vvas gescheyn unde de Christen striden sulden, do quamen de vur genante Camele, Ossen unde Scaph unde machden under sych manyghe schare, as man plycht yn den striden doyn, unde vvanner de Cristen stunden, so stunden sy och, unde vvanner sy gyngen ofte lyphen, dasselbe daden sy och zo allen zyden, as lange vvynt der stryth vvas al gedayn. Do das allet vvas gescheyn, do vur das volche vveder zo Jerusalem, unde der Edele Hertzoghe Godefrid de bleyf myth synen volche dar yn den lande unde Greue Reygimunt van Sent Egidius, unde Greue Roberth van Normandyen, unde Greue Roberth van Flandren, de vuren vveder zo Laodicyen, unde vunden dar Vürsten Bohemunde, unde das volch, das de stat van Pysa dar hatte gesant. Unde do der Erthebyscoph van Pysa unde Vürste Bohemunt vursonet vvaren, de vur vynde hatten gevvesen, do vur des volckes vil zo lande un der heren och. Do bleyf al da Greue Reymunt van Sent Egidius unde andere lude vyl, unde behilden das lant yn guden vreden. Do vur och der unvurzaghede Hertzoge Godefrid, dem geyn man gelich yn vvas an guden dynghen, unde gevvan och dasselbe lant, das noch de heyden behalden hatten, unde zymberde yn das lant burghe unde vesthen, dar eme das noyt dochte, unde zymberde och de stat van Joppen vveder unde de porze van dem mere, de lange vvas vurstürth van den heyden: unde zymerde vveder och all de clöster unde de Kyrchen de vursturet vvaren, unde gaf och groys guyt deme heyligen Hospitale, das alle zyth zo Jherusalem bynnen gevvesen hatte, unde och den anderen Münstren, de dar bynnen vvaren. Her hylt och ganzen vreden myth den van Aschalonen, unde myth den van Damasco dorch de komanscaph vvillen, de sy plaghen yn den lande zo driuen. Her erde de Rydder van Duyzchen lande unde ere Knechte bouen al den Volche, vvant sy vrum vvaren yn allen stryden, unde sprach vveder de Ryddere van Wallande, das sy das vur geyn arg hayn yn sulden, vvant her vval vvyste, das eyn langhe natürlich haz hayt gevvesen under den Duyzchen un den Walen. Her kunde och beyde sprachen vvale, vvant sy eme beyde angeboren vvaren, unde macht das alle zo gude, vvat dar nyth guyt yn vvas.

Do Kuninch Heynrich dru unde dritzich jar das rych hade gehalden, do vvas her zo Kolne an Wynachten unde vur van danne zo Aken, unde unt sathz synen son Kuninch Conrad van dem richge, unde machte synen junesten Son Heynrich Kuninch an syne stat an drutzynden dage myth groser ere. Unde do das vurnam Kuninch Conrad her yn vvolde nyth saghen, vvarumbe das her sich gesathz hette vveder synen vater, dorch synes vater ere; mer her nam zo eme eynen vvysen unvurzachden man de och Conrad vvas genant unde vur myth synen volche yn eyn ende van Italien, da her vol na nuyn jare bleyf yn Kuninchlicher eren, unde das lant vvas eme gar holt, unde nyth das lant alleyne, mer och al de vverelt gemeyne, vvant her

her vvas underdenich deme Pauyse yn allen dinghen des syn vater nyth yn vvas; her strycht mer myth der reychtichgeit dan myth den svverde, alleyne her doch des lyues eyn helt vvere: her mynde och mer de buchge dan das spil, her vvas och barmhertzich ouer de arme lude, unde sunderliche ouer edel lüde de vurarmet vvaren: her yn dede geynnen Meynschen gevvalt oder unrecht, her hylt sich zo allen lüden güytlichen alsso das her Gode un der werelt behegelich was: her wolde och yn reynen leuen blyuen wesen, doch so wart her van den synen gedwunghen, das her muyste nemen zo rechter e des grosen heren dochter Hertzoghe Ruthgeris van Sicilien; doch so wenet man des, das sy beyde reyne blyuen an eren doyt. Her hilt och das gebot Godes das da spricht, du salt nyth ophenbaren de scande dynes vaters; unde och das da spricht: du salt dynen vater eren; want alleyne al de werelt van syner misedayt spreche, doch yn mucht her das hören nyth, mer her sprach zo allen zyden, her were syn here der Keyser van Romen, unde al de quamen van synen vater zo eme, sy weren knechte oder heren, de untfeynch her myht grosen eren, her was och nyth van dogeden alleyne scone, mer och an deme licham was her des landes crone. In deme vir unde dritzichden jare was eyne grose sterf hunghe yn dem lande do wart och Byscoph Conrad van Utricht erslaghen van eyme Koyfmane des gudes dage na Paschen. Do starph och Biscoph Hermann van Kolne, unde Biscoph Frederich quam na eme. Do was och gros hungher yn manighen landen. In den selben jare so starph och der Pauys Urbanus, dys de hatte zo banne gedayn Keyser Heynrich yn eyme grosen Concilio zo Placencien, dar och de Keyserynne Agnes yn gegenwürdich was. Unde er her sturue, so macht her das, dat na eme gekoren vvart Ramerius der Cardinal van Sent Clement, vvan her vval vvyste das dat Godes vville vvas, unde och vvant her eyn heylich Abbeth unde eyn edel Romer vvas. Unde ald us na Pauis Urbanus dode vvart her gekoren vveder synen vvillen, unde vvart Paschalis genant. In den vümf unde dritzichden jare gevvan Hertzoge Godefrid myht den Cristen de stat van Jherusalem. Do gevvan och Marchgreue Udo myth den Sassen eynen grosen strith vveder de heyden de Luttici geheysen sint. Do starph och Pauys Clemens de Byscoph hatte gevvesen zo Rauennen, de heysen vvas Sigbertus, unde vvart gesathz vveder Pauys Hildebrant; dys de hatte vyl genaden van Gode, her vvas vvys, scone, edel unde rich, doch so uurloys her das Pauysdom myth den Bisdom, want de wyle dat her leuede waren dri Pauesen weder ene, der eyn vur, der ander na; alsso das her plach zo sprechen, das her wolde, das her ny Pauys genant en were. In denselben jare wart Kuninch Wilhelm van Engelant myth eyne pyle zo dem dode gewunt, do her jahgen solde. Unde dar na, do syn broder Kuninch Heynrich an der selber stat, dar syn broder doyt blyuen was, eyne Kirche zymberen wolde vur syne Sele; do sach her zuene gruwelichen draken, de syn broder tuschen yn droghen unde sprach syne Sele zo eme, das eme das nyth vromen yn muchte, want de Cloyster unde de Kirchen de syne vurvaare gestichzit hatten yn Godes ere, by synen zyden vursturct weren sere. In dem seys unde dritzichden jare starph der Edel Kuninch Conrad yn dem nuynden jare, dat her van synen vater Keyser Heynrich gevaren was um synes vater missedayt, unde vur van dyse vurgenchlichen richge zo dem ewighen riche; want her starph in gansen gelouen unde yn waren ruwen aller syner sünden; unde do her doyt was, do sach man eyn crüz an synen arme, dat her nyht yn hatte, do her leuede. Unde Got dede och dar andere zeychen do man ene begrauen solde. Eyn deyl der buchge spricht, dat eme vurgeuen wurde. In dem seben unde dritzichden jare hilt Keyser Heynrich eynen hoff myth den heren van den lande, unde sprach her wolde varen zo Romen unde machen eyn Concilium myt den Pauyse, unde dat vrede wurde tüschen deme richge unde deme stule van Romen, dat lange unvrede tuschen hatte gewesen, doch so yn quam her dar nyht, noch en sande deme Pauys noch boden, noch briue, war umbe her das lese: mer her wolde eynen anderen Pauys hebben gesathz na synen willen, het her das künnen vollebrengen. Do das der Pauys vurnam her macht eyn Concilium zo Romen yn der Vasthen, unde dar quamen vyl Prælaten unde heren van manighen lande, unde wart dar zo banne gedayn der Keyser unde alle syne hülpher, want her lange sunder horsam hatte gewesen. Dar na an deme dunresdage vur Paschen do sprach der Pauys Paschalis vor all dem volche gemeyne al dus: want Keyser Heynrich de heylighe Kyrche myth roue unde myth Brande vurstoreth hayt, unde myth ouerspyle unde myt meyneyden, unde myth manicher hand morde unde missedayt noch umbegayt, so do wir ene zo banne, unde deylen ene van der heyliger Christenheit ewelichen van der gewalt de uns beuolen ist: unde want her och zo banne was gedayn van Pauys Gregorius unde van Pauyse Urbanus, de unse vurvaren waren, so wille wir das, dat all de werelt weze unde sunderlich das volch van Duyzchen lande, das sy van eme lassen. In deme echt unde dritzichden jare was Keyser Heynrich an Wynachten zo Meynse unde sprach, her wolde das rich lassen synen Söne Kuninch Heynrich, unde wolde varen voyr syne sunden zo dem heiligen graue, unde das kündichde Biscoph Evehart van synen weghen ophenbare voyr al den volche, unde also gewan her auer gunsthe der Paphen unde des volches algemeyne; unde vile lüde dorch Godes lyue wolden myth eme gevaren syn. Do wart och erslagen Hertzogen Otten son. Kuno de eyn gros here was. Do starph och Marchgreue Heynrich de eyn geweldich man yn Sayssen was. In deme nuyn unde dritzichden jare was Keyser Heynrich zo Reynsburghe an Wynachten daghe unde dar bleyf

bleyf her eyne vvyle, unde vvart eyn kyf under den heren van Beyeren unde den Saſſen unde den Francken, vvant der Keyſer ſich mere zo yn hilt, dan zo den heren van den lande: unde dar mede vvart beſprochen Greue Sygehart, das her das aller machde, unde quamen de burgher algemeyne van der ſtat myth vyl Rydderen unde knechten van beyden Partyen vur ſyne herberge, dar her lach, unde brachen de doren myth gevvalt; unde das yn kunde des Keyſer ſon och nyth gekeren, de dar geſant vvas; doch ſo lezen ſy ene ſyne bygith doyn unde unſes heren licham untfayn, unde dar leſſen ſy eme ſyn houet afslayn. Do vyel bey Wirtzeburghe yn eynen hagele eyn ſtuch yſes, das vir man nyth gedraghen yn kunden. Do vvart och yn deme ſtychte van Spire bloyt yn brode geſeyn do man das ſnyden ſolde. In dem Virtzichden jare was der Keyſer zo Meynſe an Wynachten daghe unde do ſathz ſich Kuninch Heynrich ſyn ſon vveder ene, unde das geſcach van rade unde van hulphe Marchgreuen Dypoldes unde Greuen Beringeres unde Vurſten Otten, de van ſyr muter weghen ſyn neue vvas. Dar na gelouede her deme ſtoyl van Romen horſam zo ſyn, ynde machte eme zo vrynde myth dyſer vurgenanten heren hulphe al de Vurſten van Noriken unde van Duyzchen lande unde voyr myth yn ſo Saſſen wart. Do her quam, do untfenghen ene de Saſſen mith groſer ere, unde hylt eynen groſen hoff zo Quedelingenburgh an Paſche daghe, unde dar na wurden eme de ſtede unde das lant ophgedraghen na ſynen vvillen. Dar na machte her eyn Concilium zo Northuſen van rade des Erthzebiſcoph van Meynſe heren Ruthardis, unde heren Geuehardys des Biſcoph van Conſtancien, oph dat ſy das lant unde de paphen unde de prælaten van dem lande horſam muchten machen deme Pauys Paſchalis, deme ſy lange van ſynes vater vveghen ungehorſam hatten gevveſen; unde vvas da vvas, das zo ſuare, dat hylte ſy deme Pauys, das her das rychte. Unde dar vvart geboden den Saſſen, ſy halden ſulden al das de heilige Kirche van Romen zo halden plycht, unde vvart och geloiet al den paphen, de gevviget vvaren van unrechten biſcophen, dat man ſy ander vverf vvigen ſulde yn der Vaſthen. Der Kuninch de yn vvolde yn dat Concilium ne kumen, ith yn vvere dat ene de Prælaten dar leſen halen, der dar och vyl kommen vvaren; unde vvanner das her dar och quam, ſo antvvorde her zo allen dynghen ſo vviſlichen, das all der vverelt vvunder vvas van ſynen jaren, unde geboyt ſyn Kuninchliche recht zo halden, och as man van alden zythen geplaghen hatte, unde erede de Paphcit yn allen dinghen ſere. Dar na do ſprach der Kuninch myth vveynenden oghen vur al den Volche, unde nam des zo gezüghe Gott des hemels unde all der creaturen, unde al dat eme dynet, dat her um anders geyne dynch ſich undervvunden hette des riches ſynes heren des Keyſers van Romen, mer vvant her nyth horſam vveſen yn vvolde deme ſtole van Romen as her van recht ſulde: Und vver das ſachge dat her noch das dede, her vvulde eme das rich gerne ophdraghen unde dynen eme alſo as eyn knecht ſynen heren plycht zo recht. Zo hant do das dat volch vurhorde, ſy boden Got myth ſcryen unde myth vveynen, dat her ſynen Vater bekeren muyſte, ynde ene behuten unde bevvaren voyr allen ungeualle unde das rich laſen halden zo ſyner eren langhe zyth. In denſelben ziden quam Udo der Biſcoph van Hildeſſeym unde Heynrich der Biſcoph van Patherburne, unde Biſcoph Frederich van Halberſtat unde vylen zo vüze eren Erthſchen-Biſcoph van Meynſe unde gauen ſich in gevvalt des voyr deme Kuninche unde al dem volche oph genade, unde ere ſachge vvart gehalden an den Pauys. Darna do voyr der Kuninch zo Mersburgh unde vvas dar zo Pyntſten, unde dede dar conſecryren Biſcoph Heynrich van Merteburch, de langhe gekoren vvas, mer her vvas vurdreuen van ſynes vater vveghen. Zo hant dar na voyr her zo Meynſe vvart myth groſen volche, unde vvulde ſynen vater dar ynne beſtallen: doch vvant de heren unde Rittere deme vater as dem ſone truvve hatten geſvaren, ſo yn vvaren ſy nyth vvillich zo ſtryde, mer ſy ſuchten vveghe des vredes vvar ſy muchten. Der vater boyt das rich myth deme ſone zo deylen, der ſon yn vvulde anders nyth mer, das der vater deme ſtole van Romen underdenich vveſen vvulde; aldus ſo voyr der ſon van danne ſunder ende unde quam zo Wirtzeburg yn de ſtat unde vurdreyf van danne Biſcoph Errolongum, den ſyn vater hatte Biſcoph vveder recht gemacht, unde der vurgenante Biſcoph van Meynſe conſecryrde Proyſt Ruperth, den de paphen unde das volch gekoren hatten, unde aldus ſo quam och dyt Bisdom vveder under den ſtoyl van Romen. Dar na nam her ſycherheit van der ſtat unde de Saſſen voyren zo lande unde her voyr myth den Beyeren vur Nürynberg unde gevvan das yn zuen maneden myth gevvalt: unde voyr van danne zo Reynsburgh. Do voyr Keyſer Heynrich zo Wirtzeburg unde vurdreyf Biſcoph Ruberth van danne, unde ſathz ſynen Biſcoph Errolongum vveder yn den ſtoyl myth gevvalt, unde brande unde rouede alle ſynes ſones hulphere, unde vurdreyf och Kuninch Heynrich van Reynsburgh, vvant eme de ſtat nith truvve yn vvas; unde ſathz dar ein Kynt voyr eynen Biſcoph vveder das recht. Dar na voyr der Keyſer myth den Bemen unde myth groſen volche van manighen lande yn Marchgreuen Dypoldes lant unde vurſturede das gar ſere. Do quam Kuninch Heynrich myth uzerkoren Ridere viel, alſo das her vumf legiones hatte, alſo das eyn legion heyt ſeys duſent unde ſeys hundert unde ſeys unde ſeystzich Ritter, unde voyr vveder ſyn vater zo ſtride; unde der Keyſer lach myth ſynen volche, das gar vyl vvas, oph der ander ſyde van den Ryne, unde bleuen aldus dri ganze daghe lychgen: unde des daghes zo vuren, do man ſycherlichen ſtriden ſulde, do quamen de vürſten van den rade des Keyſers unde des Kuninch zoſamen, unde vvurden des rade, das ſy geynen

nen volchvvych hebben yn tuschen dem vater unde den sone, vvant das jemerlichen unde ungotlich vvere. Unde ze vvyle dat dyse heren yn den rade vvaren van beyden parthyen, do sprach Kuninch Heynrich zo synen volche gemeyne: Ir heren unde ir Rittere, ich dancke uch sere der grosen truvven, de ir mir nu dyt; unde ist das sachge das vvir striden sulden, so neme vvir das gerne, das ir uns helphs myth rechten truen as ir noch hayt gedayn; doch sal eyn ychlich das vvesen, das vve mynen vater unde mynen heren den Keyser erslughe, das her myne hulde vurloren hette: vvant ich vvill meynen vater nicht erslayn, mer das rich vvil ich halden, as lange vvent myn vater horsam vverde den stoyl van Romen, vvyl mir das Got gunnen. Des morghens do der Keyser sichger vunde vvesen des strydes, unde her vurnam, das de vursten van beyden Partyen nith yn vvolden striden, her vvart bedruuet sere, und bath sere dat sy striden vvolden dor synen vvillen, unde sy vursagheden eme algemeyne, ynde vvolden ene erslaghen hayn. Unde do dat vurnam Kuninch Heynrich, her vvarnede heymelichen synen vater myth eynen boden, unde her voyr utz dem Volche myth cleynen gesynde heymelichen. Unde do das volch vurnam, das der Keyser van danne geryden vvas, eyn jechlich voyr vveder yn syn lant bey nacht unde och by daghe. Unde do Kuninch Heynrich das vurnam, her yn vvolde synen vyenden geynen scaden doyn, mer her voyr zo Reynsburch unde duanc de burghere sere; vvant sy eme yn hatten geyne truvve gehalden; unde muysten eme sveren truvve ymmermer zo syn, unde vurdreyf den Biscoph, den syn vater da vveder recht hatte dar gesathz, unde sathz yn syne stat eyenen edelen guden vvysen man de Hartvvich vvas genant. Datselue dede och der stat van Wirtzeburg, de eme och truvve gebrochen hatte; unde Biscoph Errolongus gaf myth vvillen das Bisdom van Wirtzeburch oph, unde vvart des Kuninchges Cappellayn, unde der Kuninch sathz de Biscoph Roberth vveder yn den stoyl. Do machde och Kuninch Heynrich den heyligen vvisen man Abbeth Geuehard van Hyrsuelden Biscoph zo Spyre. In denselben Zyden quam och Biscoph Ruthard van Meynse vveder yn synen stoyl, do her hadde gevvesen yn Düringhen echt jar, vvant ene der Keyser vurdryuen hatte, und de stat untfeynch ene myth grosen eren; unde her machte das de stat gehorsam vvart den stoyl van Romen, des sy langhe nyth yn hatte gedayn. Dar na do Kuninch Heynrich na synen vvillen dye stede van den Ryne hatte vvalbesathz, her voyr zo Burgundien vvart myth grosen volche. unde do her dar komen vvas, do quamen boden van synen vrynden zo eme unde daden eme kunt, das syn vater myth rade Greue Syfriths vveder ene doyn vvolde, vvar hermuchde; unde do her das vurnam her lys alle dynghe bevverden, unde voyr vveder an den Ryne. Dar na legede der Kuninch eyn hof zo Meynse, unde dar quamen al de heren van den lande, unde do der Keyser das vurnam, her voyr zo Bynghe, unde vvolde den hof hynderen of her muchde, do voyr der Kuninch zo synen vater zo Bynghen, want ith do in vreden stunt, unde sprach aldus zo eme: Here vater, her Keyser, wylt ir underdenich syn den stoyl van Romen, unde dar na stayn, das ir utz den banne wert gedayn, ich wil uch dynen na alle uwen willen. Unde der Keyser sprach, das her wolde doyn, was eme de heren doyn hesen, de zo deme hoffe kumen sulden, unde aldus voyr der Kuningh zo deme houe; hir under so warf der Keyser heymelichen weder den Kuninch wat her muchde, unde do der Kuninch das vurnam, her machde van rade des biscoph van Meynse unde van Spire das der Keyser zo den houe nyth kumen yn muchde; want de Biscoph algemeyne sprachen, das her zo banne were, unde also muyste her bliuen oph eyner burgh by Meynse myth den synen: unde wurden och lude dar zo gesathz de das bewaren solden, das der Keyser geyne boden yn muchde senden zo dem houe, noch och de synen dasselbe muchden doyn zo eme. Unde do das was gescheyn, do voyr der Kuninch zo dem houe, unde do der Keyser nyth yn quam, do wart eyn gemeyne geruchde, das der Kuninch syn son yn hedde myth vurraythnysse gevanghen unde das her ene sverlichen hylte, alleyne des doch nyth yn were.

Dyt sint de jare des Vümfzen Heynrich.

Na der Zeyth das Got geboren wart elf hundert unde seys dar zo, do hatte Kuninch Heynrich eynen hof zo Meynse unde des glich ist nyt er gesеyn yn dutschen lande, want dar waren zuene unde vumfzich landes heren, also das alde heren van duyzchen lande da waren sunder alleyne Hertzoge Magnus van Sayssen, de dar van alder nyth kumen yn kunde. Do quamen och dar zuene legaten van Romen, der eyn was der Biscoph van Sent Albane, der ander was der Biscoph van Constancien, unde daden ophenbare den Keyser zo banne myth munde unde myth Briuen, unde vurboden al der Cristenheit das myth eme geyne meynscaph ynde hetten, want her och van vil ander Pausen langhe zo banne hette gestayn. Unde do das der Keyser vurnam, her wolde zo Meynse gevaren syn, mer de Vürsten, de da waren, de en staden eme das nyth, vvant sy das wal wysten, das dat gemeyne volch deme vater beser, was dan deme sone; unde hatten angesth, vver der vater dar kumen, das dar eyn gros kyf wer wurden. Unde dar umbe vuren sy algemeyne zo dem Keyser zo Ingelheym, unde reyden deme Keyser allgemeyne, das her queme zo genaden unde bekende syne missedayt: unde do her das gedayn hatte, do sprachen de Legaten, das sy eme geyne penitentie sethtzen yn muchden, sunder des Pauys rayt unde des houes algemeyne. Do gaf der Keyser van rade der heren das crüyz, de crone unde das spere unde alle de ander dynch, de zo dem Keyserdom behoret yn synes sones gewalt, unde bat Got das her lange myth ehren leuen muyste unde beval ene den heren unde den Vursten

Vurſten myth ſcryen unde myth weynen: unde louede das her na allen dynghen na willen des Pauys leuen wolden. Do wart och Kuninch Heynrich van den Legaten unde van al den Vurſten van Duyzchen lande ander werf gekoren, unde ſwuren och eme truwe zo halden myth al deme lande, unde aldus begunde her das rych zo halden; unde was der echt unde echrzig van Keyſer Auguſtus zyden, do ſyn Vater das vumfzich jar gehalden hatte. Do wart och yn der Vaſthen eyn nuwe gruwelich wunder yn dem hymele geſeyn: dru ganze wechen geynch eyn ſterren oph, de gaf van eme eynen ſchyn als de ſunne, unde de ſtunt yn das Weſthen unde gaf ſynen ſchyn yn das oyſten. Do ſach man och eynen ſterren myth eyme langhen ſchyne, de eyn Comete iſt genant. Do wart auer eyn orloghe under deme Keyſer unde deme Kuninchge ſynen Sone. Do voyr Kuninch Heynrich zo Kolne unde was da an Palme daghe unde voyr van danne zo Aken, unde wolde zo Ludyth an Paſche dage weſen blyuen dar, do der Keyſer ſyn Vater och was. Unde do der Kuninch zo Aken kumen was, do ſande her eyn deyl ſynes volches, dar ſy de bruchge bewarende zo Weſagh, vuer de Maſe geyt: unde do ſy dar kumen waren ſunder alle ſorghe, do vunden ſy dar Hertzoghen Heynrich van Lothringhen unde ſyn Son Paganus, unde Greue Gotfrid van Namuth, unde de erſloghen des Kuninchges geſynde dar vyl unde wunden unde vynghen der och vyl, alſſo das dar och vurdruncken wal zuey hundert man zo guden Roſſen, unde das geſcach des dunresdages vur Paſchen. Dar na voyr der Keyſer weder zo Kolne unde ſterchgede de ſtat myth grauen unde myth muren, war ſy des noyt hatte. Do wart och Biſcoph Burcharth van Munſtere van den Kolneren by Nüſſe gevanghen, unde wart deme Keyſer geantworth. Dar na voyr der Kuninch unde beſtalde Kolne myth groſen volche, doch voyr her van danne ungeſcaepht, want das volch van bynnen ſwerlichen weder ene vacht. Hir under voyr der Keyſer weder zo Lütich unde ſtarph alda bynnen kortzen zyden, do her vumfzich jar Kuninch hatte geweſen, unde dru unde zuenzich jar Keyſer; unde wart zo Sent Lamberth begrauen voyr unſer Vrowen altare. Do ſtarph och Greue Dydrich, unde Greue Gotfrid, unde Greue Adolf. Do wart och underdenich deme vümfzen Kuninch Heynrich Hertzoghe Heynrich van Lothringen, unde her nam eme das Hertzogdom, unde bevall das Biſcoph Uden van Hyldesheym. Dar nach macht der Kuninch Greuen Gotfrid van Brabant Hertzogen zo Lothringhen. Do quam och de ſtat van Kolne zo des Kuninch genaden. Do wart och der Keyſer utzgegrauen unde wart zo Spyre gevuryth, unde wart dar begrauen van des Pauys genaden unde willen. Do ſtarph och Hertzoghe Magnus van Sayſſen unde das lant wart bevolen Greuen Lotharius van Suppelingenburgh unde dar zo de Marchge och. Do untquam och Hertzoghe Heynrich van Lothringhen, dar her gevanghen lach. In deme anderen jare wart under dem Pauyſe unde deme Kuninch eyn kyf; den de Kuninche plaghen de Byſcoph zo ſethzen yn eren richge na eren willen. Do macht der Pauys eyn Concilium zo Trecas; unde da waren Biſcoph Frederich van Kolne unde ſynen Suffraganyus ſyn amt genomen, want her dar nyt kumen yn was. Unde do geboyth der Pauys Paſchalis by den banne, das geyn man noch Bisdom, noch Prælature, van geynes leyghen hant untfynch, want as langhe das dar myth recht utzgedraghen würde, wer das weſen muchte. In denſelben zyden was der Kuninch zo Goſlar yn Sayſſen umbe unſer Vrowen dach der Leyſter; unde do her lach unde sliph yn ſynen zale eynes morgens vro, do quam eyn ſnel dünnerslach unde zoſloch de want gar, de zo ſynen houede ſtunt an ſynen bede, unde sloch och de negele utz, de waren yn des Kuninchs ſcylde, unde der blych vurbrande das ouerſte deyl van ſynen ſwerde, das hynch an ſynen bette: unde do der Kuninch das ſach, her wart ſere vurveryt, unde liph utz dem zale ſo her erſt kunde. Da na voyr der Kuninch myth groſen volche weder Greue Ruberth van Flandren do her van Jheruſalem kumen was. In dem vyrden jare was de ſunne vurgayn. In dem vumfzen jare was eyn gros Concilium zo Romen under Pauys Paſchalis, unde dar vvaren vil Biſcophe unde Prælaten, unde vvart och vyl guder ſtucke geſathz. Hir under nam der Kuninch des Kuninch Heynrich Dochter van Engelant zo Ludych. Dar na voyr her zo Utrycht und lyth eynen ſyn houet afslayn, de beſprochen vvas das her ſculdig vvere an Byſcoph Conrad dode de erslaghen. Dar gaf och der Kuninch ſyner Vrovven ere lyfzucht. Unde do voyr her zo Meyns; unde da vvart de Kuninchynne gekronet van Byſcoph Frederich van Kolne. Do ſach man och eynen Cometen, unde der Mayn der vvas och vurgayn. In dem ſeyſten jare quam Kuninch Heynrich zo Romen unde der Pauys untfench yn myth groſen eren. Unde do der Pauys unde der Kuninch zo ſamen vvaren unde ſprachen um eynen ganzen Vreden tuſchen deme Pauysdom unde dem richge, do vvart van den Romeren geſeyn, das ſy ſich alle waphenden unde vvolden den Kuninch hebben erslagen. Do das der Kuninch vurnam, eme vvart gar leyde, unde vvolde van danne gevluvven ſyn, mer Biſcoph Frederich van Kolne quam myth groſen volche unde ersloych der Romer vyl, unde duanch de ander, das ſy vlyen muyſten algemeyne. Unde do der Kuninch den ſtryth gevvunnen hatte her voyr van danne unde voyrde den Pauys myth eme; darna vurſonde de Romer myth den Kuninch, unde der Kuninch voyr vveder zo Romen, unde der Pauys conſecryrde ene zo dem Keyſerdom myth groſen eren, unde der Pauys gaf eme vyl guder Privilegia. Unde do der Keyſer van danne kumen vvas, do vvederryph der Pauys de alſamen, unde macht eyn Concilium zo Rome weder ene, unde dede den Keyſer unde al ſyne hulpher zo banne; unde da waren do vumpf unde zuenzich

zich Biscoph unde hunderth. In deme zebenden jare sathz sich Hertzoghe Lotharius van Sayssen unde Marchgreue Rodolf weder den Keyser. Do wart och eyn lantvrede zo Kolne gesvaren. Do was och eyn gros orloghe under den Keyser unde den Vürsten van Sayssen: unde dar vurloryn des Keysers lüde, Greue Wyberth unde Segefrid der Palanzgreue: unde Greue Wyberth wart dar gevanghen unde wart deme Keyser bracht. Unde der Palantz-Greue wart so sere gewunnet, das her van den wunden yn kurtzer zyth starph. Do wart och eyn Cometa geseyn. In deme echtden jare voyr der Keyser weder de Frysen, unde de van Kolne, de dar och waren, de untforen deme Keyser styllich, van rade des Hertzoghe van Sayssen unde vorloren des Keysers hulde. Do starph och Greue Otto van Suthsyn, de utzermathen rich was. In dem nuynden jare voyr der Keyser zo Kolne wart, unde wolde dy stat vürstüren of her möchde; unde quam zo Duyze myth grosen volche, unde wolde de burch van Duyze vursturen och, unde de stat van Kolne dar van duynghen. Unde do de stat van Kolne das vurnam, sy vuren algemeyne ouer Ryn weder den Keyser myth vyl Scüthzen unde myth grosen volche, unde wolden stryden myth den Keyser myth fryen hertzen. Unde do der Keyser das sach, her wolde beyden went an den auent, oph das dye Kolnere sich deylen van vurdroze, unde das her ze bas myth yn dan och stryden muchte; hir under so reden sy van beyden syden zo samen, unde de Kolner schuszen so sere, das geyn man zo yn kumen yn kunde, unde würden dar och van yn vyl lüde gewunt; unde och blyven dar van beyden syden lude doyt. Der Keyser hatte do och under synen volchge seys dusent seys hundert unde seys unde seyszig Rittere van eynen lande de alle hatten halsberghe van horne gemacht, dar geyn man dorch schezen yn kunde, der bleuen och dar seys doyt, de hatten ere halsberghe utzgedayn, want ith do gar heyth vveder vvas. Unde do der Keyser sach, das dat volch so kunne vvas, her voyr des morgens van danne zo Bunne unde zo Gulike vvart, dar de Kolner och volch hatten lygen, unde vurbrande, rouede unde vursturde das lant gar unde ganz, as dar geleghen vvas. Unde do der Keyser van danne varen vvolde, do quam geghen ene Biscoph Frederich van Kolne unde Hertzoghe Gotfrid van Lothringhen, unde Greue Heynrich van Suythsen unde Greue Dydrich van der Are unde ander heren vyl, unde stryden künlich vveder den Keyser, unde doch vorloren sy den stryth, unde vvurden de besten van al den volch och gevanghen; der eyne vvas Greue Gerharth van Gülicke, der ander vvas Greue Lambreth van Mulynarthen: dar bleyf och doyt her Evharth van Gandernol de eyn vroym Ritter och vvas. Unde do das gescheyn vvas, do quam Greue Frederich van Westfalen unde syn broder Heynrich myth grosen volchge, unde do der Keyser dat sach, her rümede das velet zo hant, vvant syn volch gar müde vvas van stryde. Dar na vyor der Keyser auer zo stryde oph das velt vor de stat van Andernach, unde hatte myth eme vyl volchkes unde heren zo rosse unde och zo vuz van Sayssen, van Francken, van Almanyen, van Beyeren unde van Burgundien unde myth anderen heren unde volchkes vyl. Unde do her dar quam, her vant den vurgenanten Biscoph Frederich myth der stat van Kolne dar, unde sy hatten och myth yn Vürsten Heynrich de Hertzoghe van Lohtringhen hatte gevvesen, unde Greue Dyderich van der Are, unde Greuen Heynrich van Kesle, unde anderer heren unde Rittere vyl. In den ersten van den stryde nam der Keyser ouerhant unde Hertzoghe Heynrich de vlo in de stat; dar na quam das volch van beyden syden zo samen myth unvurzachden hertzen, unde stryden langhe also das geyn man geprüven kunde, vve des strydes ouerleghe. Do dachten de Kolnere unde de heren algemeine van erer syden, dat sy dar doyt bliuen vvolden, och sy vvolden das velt behalden, unde striden hertzlichen sere, also dat der Keyser myth den synen dat velt lassen muste. Dar streyth Greue Dyderich van Are als eyn unvurzachget Levve unde sloch unde veynch oph den dach manighen man: her veynch do Hertzoghen Bertolf van Kernthen, unde sande ene yn synen toryn: van der ander syden bleyf doyt Greue Heynrich van Kesle eyn herlich Ritter, unde vvart begrauen zo Kolne yn den Dome myth grosen eren. In dem zynden jare voyr der Keyser yn Sayssen unde bestalde Brunschvvich unde vursturde Halberstat och sere. Do quam gegen den Keyser Herzoghe Lotharius van Sayssen myth al synen lande, unde hatte och myth eme Byscoph Frederich van Kolne unde de stat van Kolne och, unde Greuen Frederich van Westfalen unde synen broder Heynrich, unde Greue Heynrich van Lymburgh, unde Greue Herman van Calvelaghe, unde quamen zo samen zo Welpisholt, unde dar vvart eyn gruvvelich groys stryth, unde bleuen unbegrisphelichen vil lüde dar doyt; unde der Keyser vlo, unde de Sayssen behilden das velt. Dar na voyr der Keyser zo Meynse unde vvart gedronghen van der stat, dat her yn eren Byscoph vvedergeuen muste, den her dru jare gevanghen hatte. In dem elfzen jare vuren de Vürsten zo Kolne, unde vvarden dar eynes Cardinales, den der Pauys dar hatte gesand vveder den Keyser, doch starph der Cardinal oph den vveghe, unde vvart gevöret zo Kolne unde vvart dar begrauen. In dem jare vvas och eyn svar vveder. In dem zuelfzen jare an deme echtzen dage na sent Johannes daghe Evangelisten vvas groys ertbeunge ouer al de Werelt, also das vyl zymber neder vylen, unde de Edele stat van Berne yn Italien vyl as mer as zo male, unde och ander stede vyl yn demselben lande. In deme dritzynden jare starph Pauys Paschalis unde na eme quam Pauys Johan, unde wart der ander Gelasius genant. Do wart eyn ander Cardinal van den Pauys gesant, de hoylt eyn groys Con-

Concilium zo Kolne. Do ſtarph Baldewin der Kuninch van Jeruſalem, de broder was des vurgenanten Hertzoghen Gotfrides, de das heilige lant gewan, unde wart by ſynen broder begrauen, unde na eme wart Kuninch her Baldewyn van Burch, de van Sayſſen geboren was. In deme virzynden jare ſtarph Pauys Gelaſius zo Cluniaco in den cloyſter, dar her kumen eyn Concilium zo halden yn Vranchrichge; unde na eme wart gekoren der Erthzebiſcoph van Vyennen unde wart der ander Kalixtus genant. Unde dis Pauys hylt eyn Concilium zo Romen yn Sent Lucas dage unde dar wart der Keyſer auer vurbannen, hir under untfeynch de ſtat van Kolne den Keyſer myth eren; unde dar umbe dede ſy der Biſcoph van Kolne zo banne. In dem vumfzynden jare was groys ertbeunghe: unde do wart och vrede under den Vürſten unde den Keyſer. Do ſtarph Frederich der Palanz-Greue. In deme ſeyszynden jare ſtarph Abbeth Herman van Sent Pantaleone, do her virzich jare Abbeth hatte geweſen, unde na eme quam Abbeth Rodolf. In dem zebenzynden jare gewan Biſcoph Frederich van Kolne myth der ſtat eyn Caſteyl des Keyſers, das Kerpen was geheyſen, unde brach das yn den grunt. In denſelben jare was eyn hof van den Vurſten zo Spire, unde dar quam der Cardinal van Hoſtyen unde abſolvirde den Keyſer van den banne van Pauys Kalixtus weghen. Do bleyf och doyt Hertzoghe Bertolf van Zarigon vor Molleſheym, do her das ſturmen wolde: dys was eyn vroym, junch, ſtarth Ritter unde was dem Keyſer gar getruwe. In deme nuynzynden jare was de ſunne vurgayn unde vylen och vyl groſer ſtucke yſes yn eme hagel. Do was och gros hunger unde ein hart winter, alſo das der Ryn bevroren was. Do ſtarph Pauys Kalixtus och, unde Pauys Honorius quam na eme. Do ſtarph och Greue Frederich van Arnesberghe. Do ſtarph och der Keyſer zo Utricht yn der wechge na Pynchden, unde wart gevört zo Spyre dar her myth groſen eren begrauen wart.

Dyt iſt das rich Kuninchges Lotharius.

Na der zyth das Got geboren wart elf hundert jare unde vumf unde zuynzich dar zo, do wart gekoren Hertzoghe Lotharius van Sayſſen, de eyn helt des liues was, unde vvas der nuyn unde echtzichde van Keyſer Auguſtus zyden, unde vvart van al den Vürſten zo Kolne gekoren, unde gekronet van Biſcoph Frederich myth ſyner Vrovven, de Ryche vvas genant, unde hilt das rych drutzyn jar. In deme anderen jare van ſynen richge ſathz ſich vveder den Kuninch Hertzoghe Frederich van Elſaſen zo ſynen groſen ſcanden unde ſcaden, do vvart Sent Mathyas vunden zo Trere yn Sent Lucharius Kirchen under deme altare Sent Johannis Baptiſten. Do ſtarph och Hertzoghe Heynrich van Beyeren. In deme dritden jare vvas der Kuninch zo Kolne an Wynachten daghe, unde voyr dar na zo Aken, unde da vvart eyn ſnel gros kyf under den heren de myth eme dar kumen vvaren; unde der Kunninch, do her das vurnam, her macht das zo hant zo gude. Do vvart och Greue Karolus van Flandren erſlagen yn eyner Kyrchen, dar her lach unde ſprach ſyn gebeth. Do vvart och erſlagen Greue Wilhelm van Burgundyen eynes nachtes oph ſynen bette. Do lys och der Kuninch heren Gyſelbreth ſyn houet aff layn, vvant her ſich geſathz hatte zo unrechte vveder ſynen heren den Byſcoph van Utreycht. In dem virden jare vvas der Kuninch zo Wyrzeburgh an Wynachten dage, unde do quam de mere dar, das Vürſte Conrad de broder vvas Hertzoghen Frederich van Elaſen vvere Kuninch gemacht van etzlichen heren zo unreycht; unde dar umbe daden den vurgenanten Conrad zo banne der Byſcoph van Kolne unde der Biſcoph van Megdeburgh unde andere Biſcoph vyl, unde der Pauys de confirmirde denſelben bann, dar na beſtalde Kuninch Lothari denſelben Conrad zo Spyre; vvant her den Biſcoph van Spyre danne gedreuen hatte: unde Kuninch Lotharius dvvanc yn dar zo, dat her eme bürghen ſethzen müſte, das yn des Kuninch Lothari genaden bliuen vvolde, unde aldus voyr her van danne. In deme vumfzen jare vvas der Kuninch zo Kolne an unſer Vrovven dage zo Lythmyſſen unde der Biſcoph van Kolne yn vvolde da nyth vveſen, vvant her des Kuninch vyent vvas. Do vvas och eyner hande volch yn eyne lande by Kreken, de droghen lanch har as de Wyf duyt, unde das helſche vuyr vurbrande yn das har oph eren houeden zo eyme teychen, das dat Got nyth leyf yn vvere. In denſelben jare vvart Biſcoph Frederich van Kolne des Kuninchs vrynt. In dem ſeyſtzen jare legede ſich der Kuninch auer vur Spyre, unde gevvan de ſtat, vvant de Burger geyne ſpyſe yn hatten. Do ſtarph och der Pauys Honorius, unde na eme quam der ander Innocentius, de vur Gregorius vvas genant. Do vvart och eyn ander Pauys gekoren het Peter, ſon heren Peters des Levven, unde vvart der ander Anacletus geheyſen. Dar na vvart Pauys Innocentius van Romen vurdrouen, unde quam zo deme Kuninch yn Duyzlant, unde van des Kuninch vvillen hylt her ſich yn Duyzchen lande vur eynen Pauys as her vvas, unde dede al de dynch de eyn Pauys van Recht plycht zo doyn, unde der ander dede dat ſelue zo Romen, unde yn al den lande das dar gelegen iſt ouerbergh, unde aldus bleyf Pauys Innocentius an dys ſyde berghes vir ganze jare ane alle hynder, van hulphe des Kuninch unde der heren unde hilt Concilia unde ſathz vvas eme guyt dochte. In den ſebenden jare vvas eyn Concilium zo Ludich, unde dar vvas Pauys Innocentius unde Kuninch Lotharius unde anderer heren vyl; do vurbarnde de ſtat van Utrycht unde alle de Kirchen de dar bynnen vvaren. Do ſtarph och Biſcoph Frederich van Kolne. Dar na geyvan der Kuninch Lotharius al Denmarchken unde alle Weyntzlant, unde wurden eme underdenich. In dem echtden jare was der Kuninch zo Kolne an Wy-

nachten daghe, unde da waren och dri Cardinale zo deme selben male, want man einen Bischoph zo Kolne kysen solde unde do man kisen solde do wart och ein gros kyf under den volch unde den Paphen, want ere eyn deyl wolden hebben heren Gotfrid den Proyst van Santen, das ander deyl heren Brun den Proyst van Sent Gereone; doch van rade der Cardinale unde der heren algemeine lyth der Proyst van Santen af, unde Proyst Brun behilt dat Bisdom myth gemache. Hir under starph Bischoph Geberth van Münstere, de och dar was, unde hatte vur Domproyst zo Kolne gewesen, unde wart zo Munster doyt geuoret; unde Bischoph Werner quam na eme. Do was och gros wynt, also das her vil zymbers yn manyghen lande dar neder sloch. Do wart och erhauen Sent Godehart, de Bischoph zo Hildenseym hatte gewesen. In den nuynden jare voyr der Kuninch zo Romen wart, unde vürde den Pauys Innocentium myth eme; unde do her dorch Italien voyr, her gewan al de stede unde de Burghe de weder eme waren; unde quamen zo Romen myth gewalt, unde de Romer untfynghen ene myth groser ere, unde do sathz der Kuninch Innocentium yn das Pauysdom, want Pauys Anacletus do och doyt was. Unde do wart Kuninch Lotharius van Pauys Innocentius zo dem Keyserdom consecriret yn Sent Johannes Münstere van Latheran. Unde dar na gewan der Keyser das lant as das gelegen was, unde voyr weder yn Duyzlant unde vurde myth eynen grosen heren gevanghen van Italien. Do was och de sunne vurgangen yn der seyster stunde van den daghe, also dat man de sterren seyn muchte; dar na was al der arn dorch groys reghen unde gar böse weder. Do wart och erslagen des Keysers neue zo Utrycht van Vursten Godefrid unde synen broder Herman van Kuch. Indem zynden jare was de Keyser zo Kolne an Wynachten daghe: unde do wart dar eyn groys kyf yn der stat under den bürgeren, unde do der Keyser das sach, her voyr van danne, unde lyth sy bewerden we sy wolden; do quam der Kuninch van Dennemarchken unde gaf sich yn genade des Keysers unde sathz deme Keyser burghe, und svur och eme dar zo, das her unde alle syne nakumel ere Krone van deme Keyser vursanghen sulden: unde do her vveder kumen vvas yn syn lant, do vvart her erslagen an Pynchtdaghe van synen vyenden. In deme elfthen jare vvas der Keyser zo Aken an Wynachten daghe, unde do quam de stat van Kolne zo des Keysers genaden: unde der Bischoph van Kolne unde der Keyser vvurden da vyende. Dar na quam der Bischoph zo des Keysers genaden, unde Hertzoge Frederich van Elsasen van hülphe der Vürsten algemeyne. Do svuren al de Vürsten unde de heren unde al dat lant an Pynchtdage eynen gemeinen gantzen vreden zo halden zo zyn jaren. In dem zuelfzen jare vvas der Keyser an Wynachten daghe zo Spire, unde dar starph de Marchgreue Heynrich Greue Wyperth son: do quamen och zuelf burghe yn des Keysers gewalt unde genade heren Gotfrides van Kuch, dar voyr van is gesprochen, das her des Keysers neven ersloghe; unde Herman syn broder unde nochtan eyn syn broder de vvurden van den Keyser vredeloys gelagt. Dar na voyr der Keyser in Italie myth groser macht um unser Vrouven dach; der erster unde ze vvyle dat der Keyer utz dem lande vvas, do vvas eyn groys orloghe van brande unde van rove under der stat van Soysth unde den Greuen van Arnesberghe. In deme dritzynden jare vvas der Keyser zo Wynachten unde och zo Paschen yn Italien, unde an Pynchtdaghe vvas her zo Bare, unde da vvaren al de Vürsten van Italien. Dar starph der ander Bischoph Brun van Kolne unde vvart aldar myth grosen eren yn Sent Nicholaus Munster begrauen; unde na eme quam Hugo der Deken van Sent Peter, unde de wart consecryrth van Pauys Innocentius, unde starph och yn den jare er her queme zo lande. In denselben zyden hatte der Prins van Apulien eynen burch gezymberth an den bergh van Bare, unde dar hatte vyl böser rover gelegen, de das lant roueden unde das mere, unde besverden sere aldas dar bynnen was: unde dar umbe was der Keyser in Italien gevaren. Unde do das hogheziete vurgayn was, do stalde der Keyser vur de vurgenante burch unde gewan de myth grosen arbeyde, unde vursturde de burch zo grunde unde alle de rouere, de dar uph gevangen wurden, de lyth der Keyser hencken al um de thoren, de och vurbrant was: unde der waren vumf hundert unde me, unde do das de stede unde burghe horden, de dar gelegen waren, van angest eres liues gaven sy sich yn des Keysers gewalt. Dar na voyr der Keyser in Kalabryen, unde dar quamen de legaten des Keysers van Krecken zo eme. In den zyden vurbrande de stat van Meyns unde der Dom darzo. Unde do der Keyser Italien unde al de ander land, de dar by gelegen synt, na synen willen hatte gesathz, unde wedervaren wolde yn Dützlant, do starp der edel man, de geyn gelich van vromegeyt un hade yn al erthrichge, unde wart syn licham gevüreth yn Sassen lant unde wart begrauen oph synen vaterlichen erue zo Luchter yn dem cloyster. Al syne zyth de her das rich hylt, de was vrölich unde guyt in allen dynghen; her was och vredesam unde hilt eynen yglichen Minschen na syner acht; her was synen vrynden gar guth unde synen lande, unde syne vyende was her alze svar; her en was och der Keyser nyt alleyne genant, mer och eyn vater des landes dar zo, want her was der das lant beschyrmen kunde unde wolde, unde waghede synen lyf dorch de rechtigheit; unde das lant unde das volch yn wyste nyth van roue, noch van brande; mer eyn yglich man besathz dat syne yn guden vreden ze wyle das her leuede unde langher nyth.

Dyt is dat rich des Dritten Kunings Conrads.

Na der zyth das Got geboren wart elf hundert unde echt unde drythzich jar, do wart Kuninch

ninch gekoren der dritte Conrad, de Hertzoghe was yn Almanyen unde Broder Hertzoghen Frederich van Elsazen, unde dys de was der nuynzvchde van Keyser Augustus zyden. Do wart zo Kolne Biscoph gekoren Arnold, de der erste Proyst was van Sent Andreys, unde wart yn synen ersten jare under eme unde der stat eyn groys kyf de doch van Godes genaden kurtzlichen wart vursonet. In dem ersten jare gewan Kuninch Conrad van Hertzoghen van Sayssen unde van Beyeren, de des Keysers Lotharius dochter hatte, behenthlichen das Sper unde de crone unde al de dynch de zo dem richge horen: unde do dat al yn syner gewalt was, do wolde her eme nemen das Hertzogdom van Sayssen, unde wolde das geuen Marchgreuen Albrecht, unde aldus quam altehant royf unde brand yn all Sayssenlant. Do beval Hertzoghe Heynrich das Hertzogdom van Beyeren synen broder, de Welpho was genant, unde voyr zo Sayssen wart myth grosen volche unde vurdreue van danne Marchgreuen Alberth myth gewalt. In deme anderen jare um Sent Jacobs dach voyr Kuninch Conrad in Sayssen weder Hertzoghe Heynrich; unde do der Hertzoghe das vurnam, her quam myth grosen volche gegen den Kuninch by Creutzbergh; unde do der Kuninch das horde, her lyth de reyse bewerden. Dar na wart deme vursprochen Hertzoghen Heynrich vurgeuen yn kurtzen daghen. Do wart Marchgreue Alberth vro, unde wolde zo Bremen zo eyme houe varen, oph das her da van deme volche vur eynen Hertzoghen untfangen würde; unde do her dar kumen was do wolden yn erslagen hebben Keyser Lotharius vrynd unde maghe; unde do her dat sach, her vlo van danne myth cleynen volchge. In deme drithden jare voyr der Koninch Conrad zo Beyeren unde bestalde dar eyne stadt, de Wynesbergh is genant, unde gewan de vursprochene stat; unde do de stat gewunnen was, do gaf der Kuninch orloyf al den juncfrowen unde den vrowen de dar waren, dat sy mugthen myth yn nemen, wat sy utz der stadt gedragen kunden; unde do worden de Vrowen des zo rade, das sy alle ander dynch bewerden lysen, nam eren man oph synen rughe; unde de geyn man un hatten, de namen ere vrynt unde droghen sy den bergh neder; unde do dat sach Hertzoghe Frederich, her wolde das keren; mer der Kuninch sprach alleyne; yn de Wyf bedroghen hetten, yth en wer nyth reden noch erlichen, dat eyn Kuninch synen wort nyth stede yn hilte. Unde aldus behilden de wyf alle de manne van der stat. In deme virtden jare was der Kuninch an Pynchtdage zo Wirtzeburgh, unde dar waren och vyl heren kumen eynen gantzen vreden zo machen, unde dat yn geschah doch nyth. Do starph och de Keyserinne Ryze, Keyser Lotharius Vrowe. In deme vumfzen jare was der Kuninch zo Franckenvorth an Pynchtdage, unde da waren al de heren van Beyeren unde van Sassen, unde oph das eyn ganze vrede wurde yn deme lande, so macht der Kuninch dat, dat eyn syner bröder nam zo rechter e Keysers Lotharius dochter, de des vurgenanten Hertzoghen Heynrich vrowe was, unde was Mechtyl genant, unde aldus wart vrede yn dem lande. Unde der hoff van der brulocht de werden virzyn ganse daghe, unde der Kuninch dede selue de coyst. Do wart her Weccel de zo Munster Kanonich was Biscoph zo Osnabrughe gekoren, unde der Biscoph van Kolne, de syn Erthzebiscoph is, de yn wolde ene nyth confirmiren unde vurboyt dar umbe den sanch: unde aldus so wart Biscoph gemacht Philippus der Proyst van Deuenther weder recht. In dem seystzen jare was eyn hart lanch Wynther. Do starph och Hertzoghynne Gertrud de Kunnich Conrad broder vrowe was, as vur gesprochen ist, unde starph an eynen kynde, unde wart myth grosen ruwen des landes van Sayssen begrauen yn dem vurgenanten cloyster zo Luchter, dar och ere vater Keyser Lotharius unde ere muter begrauen ist, unde och er erste man Hertzoghe Heynrich van Beyeren unde van Sayssen, deme vurgeben vvart. Darna vvolde Kuninch Conrad yn Sayssen varen in der Vasthen; unde do her kumen vvas zo Goslar unde zo Hyldesseym yn Sayssen, do vurnam her, dat Hertzoghe Welpho van Beyeren unde Hertzoghe Fredrich, de na eme Kuninch vvart, yn Suauen gevaren vvaren unde roueden unde branden, so vvat eme so behorde; unde do dat der Kuninch vurnam, her voyr vveder yn Suauen, dan her kumen was, do was och gros regen al den sumer unde och den herwesth. Do starph Pauys Innocenti, unde na eme quam der ander Celestinus. In demselben Jare starph Pauys Celestinus, unde na eme quam der ander Lucius, de vur Gerhard was genant. In dem echten jare starph Pauys Lucius, unde na eme quam der dritte Eugenius, de vur Bernardt was geheysen, unde was eyn Gra munich zo Clarendale. Do wart och den Kuninch eyn son geboren, de Heynrich wart genant, unde wart och Beringer under vvylen geheysen, van synes alder vater vveghen; dar na wurd eme geboren Frederich, de dar vvart Hertzoghe van al Almanien. In dem nuynden jare vvart eyn Cometa geseyn; do vvas och der Ryn so gros, as her je gevvart, unde dede grosen scaden. Do vvas och eyn svar orloghe under Biscoph Hartperth van Uthtrycht unde Vürsten Otten, de des Pallanz-Greuen Otten son vvas, unde quamen so vere, dat der Biscoph yn eyme stryde nam ouerhant unde vingh den vurgenanten Vürsten Otten; unde dar na vvart her myth den Biscoph vursonet, unde vvart quit. Dar na streyth Vürste Otte myth Herman den Palanz-Greuen unde vurloys den strith unde vvart auer gevanghen, unde vvart utz dem lande gevöreth. In deme zynden jare vvas de sunne vurgayn. In demselben jare vvas gros hungher yn dem lande, alsso dat eyn seyster rochgen galt zo Kolne zuelf scillige des pagamenthis; unde na deme hunger yn demselben jare quam eyn groys sterf hunge.

Dyt

Dyt is dey andere vart zo Jheruſalen ouer Meyr.

In dem elfften jare vvar eyne varth ouer mere zo Jheruſalem vvart, unde dyth vvas de ander varth, unde dyſe dede Kuninch Conrad myth unbegripheliche vyl heren unde volkes van manighen landen, unde myth eme voyr och Kuninch Lodevvich van Vranchrichge, de helige man, myth groſen volke; unde das volch vvas algemeine van eynen vvillen alſo dat ſy vvolden dorch Got das helige graf vvynnen, ocht ſy vvolden alle ſteruen, unde dyſe varth de macht zo erſt Abbeth Bernard van Clarendale unde eyn ander Münich de Rodolf vvas genant. Unde yn dyſer varth vvaren och vyl Byſcophe unde Prælaten van manighen landen, unde vvart des volkes ſo vyl dat des geyn man un kan gelouen, alſo dat geyn here ny ſo vyl hette volkes oph eynen velde: unde och leyder ſo ere mer vvas unde ſo ſy ſtarker vvaren, ſo ſy mynre manheyt begyngen, alſo dat ſy leyder geyn der dynch un daden, de man myth eren ſcriuen müghe. Des volkes ſtarph vyl van hunger unde ſüchden, unde des vvart och van den heyden vyl erslagen, unde vvart och des volkes leyder vyl gevanghen van den Türcken unde van den heyden, unde muchten danne kumen nyth, unde dynden yn myth unreynen ſuaren vvercken. Doch beſtalden de Criſten de edele ſtat van Syrien de Damaſcus is genant, unde da bleyf doyt eyn edel ſtarch junchman Adolf, Greuen Adolf ſon van den Berghe, de vyl heyden myth ſynes ſelves hant erslagen hatte, unde do de ſtat as mer as gevvunnen vvas, unde de heyden de ſtat nyth langer halden yn kunden, do quamen ytliche heren de da och do vvaren unde reden Kuninch Conrade, dat her van danne vure, want ſy dar umbe geld van den heyden genomen hatten; unde aldus wart der Kuninch leyder vurraden, unde voyr van danne ungeſcafth. Do wurden och de heyden rich van der Criſten vvaphen unde eren gude, das ſy och dar hatten bracht; unde vvant alle dyſe varth vol ſcanden unde jamers vvas, ſo yn vvill ich dar van nyth mehr ſcriven. In derſelver zyth voyr eyn gros volch myth ſciphen van Kolne na Paſchen unde quamen yn Engelant, unde dar vunden ſy den Greuen van Arſcoth myth zuen hundert ſcyphen, ſo van Engeland, ſo van Flandren, unde vuren do zo ſamen, unde quamen yn Hyſpanien unde des Fridaghes vur Pynchten quamen ſy zo lande zo Galatien, dat van Sent Jacob echt milen geleghen iſt. Do vuren ſy van danne an Pyncht-auende unde quamen zo Sent-Jacob unde blyuen dar an Pyncht-daghe yn Sent Jacob ere. Do vuren ſy van danne yn eynen vvaſſere dat Thagus is genant, unde quamen zo lande an Sent Peters unde Pauvvels auende vur eyner edeler ſtat de Vlixibona is genant, unde dat is de ſtat, de Vurſte Vlixi zymberde, do Troien gevvunnen vvas; unde de ſtat leget oph eynen ſtarchken groſen berghe, unde hatte ſtarchde mure unde vaſthde Türne, de geyn man je geſach, unde vvas unvvynlich ſunder Godes hulphe. Do legede ſich dat volch dar vure, und gevvunnen myth Godes hulphe dat vurburghyt van der ſtat, unde darna machden de Criſten blyden unde andere vverch unde ſtormeden de vurgenante ſtat dychke unde manichvverf, unde blyuen dar vyl lude doyt van beyden ſyden: hirunder de heyden yn der ſtat vyl ſpiſen hetten, doch un vvolde der eyne den anderen nyth vurkophen, unde dar umbe ſtoruen dar ynne vyl heyden van groſen hungher unde aſen och alle de catten unde hunde de yn der ſtat vvaren; der heyden vvas och vyl de utz der ſtat yn der Criſten genade quamen unde leſen ſich och deuphen; do hatten och de Criſten eynen Torn van holde gemacht, unde hatten den an de ſtat gedreuen de vvas ſo ho, dat her bouen de mure unde de Türne ſtunt van der ſtat, unde da vvaren oph des Kuninch van Hyſpanien Rittere, unde de Rittere yn ſtreden nyth myth vlyze, unde dar umbe vvürden yn de Duyzche Ritter, der och vyl dar vvas, geſant zo hülphe; unde do traden de Duyzchen allgemeine zo der ſtat unde ſtormden de ſtat hertzlichen ſere, al ſo langhe, dat de heyden yn kunden geyne vvere gedoyn; unde do der here, des de ſtat vvas, dat geſach, her bat myth alle ſynen volke, dat do yn der ſtat vvas, dat de Criſten de ſtat nemen wolden oph genade. Unde dar na do de Criſten kumen waren yn de ſtat, do wart dat geordennyrith, das der Kuninch van Hyſpanien de ſtat myth den bloden heyden hebben ſulde, unde dat ander Criſten volch ſulde hebben al dat ſyluer unde dat golt, waphen unde al dat guth, dat dar bynnen der ſtat was, unde dyt geſcach al van Godes gewalt: want de ſtat ſtarch unde unwynlich was, unde dar waren och ynne zuey hundert duſent unde vumf hundert man, unde de ſtat wart gewunnen yn der elf duſent Megede daghe. Do grouen de Criſten al de van eren volch da doyt bliuen waren zo Vlixibona yn der ſtat myt groſen eren; unde der dede och vyl zeychen eyn deyl van Godes genaden. In denſeluen zyden voyr Hertzoghe Heynrich van Sayſſen unde Biſcoph Werner van Münſtere weder de Wynde yn Wynchslant myth groſen volche; do ſtarph och der genante Vürſte Otte yn Greuen Heynrich gevanghnüſe, de yn gevanghen hatte, doch wolden ſulche lüde, das her yn leſe heymelichen doden. In dem zuelfzen jare do hilt Pauys Eugenius zo Renys yn Vranchriche eyn Concilium, unde da waren alle de Biſcoph van Wallant unde van Duyzchlant an der Biſcoph van Kolne; unde dar umbe wart eme ſyn ambeth vurboden. Do quam och Kuninch Conrad van Jheruſalem unde voyr zo Aken, unde lys ſynen Son Heynrich dar Kuninch kronen, do ſtarph her al de hant dar na. Do ſtarph och der helige Biſcoph Malachyas van Lemorykyn, dat in Schotland gelegen iſt, unde wart begrauen zo Clarendale yn den Grawen Cloyſter, da her och ſtarph, unde deyth dar vyl zeychen van Godes genaden. In dem drythzynden jare was eyn langh utzermaſen hart Wynther.

vvynther. Do vurbrande de ſtat van Utreycht gar unde gantz myth al den Kyrchen de da vvaren. Do vyl eyn crütz al da van eynen hoghen balken, do der balch vurbrant vvas in der Kyrche, unde dar na do de Kirke gar vurbrand was, do vylen de vüryghe balken unde de ſparen oph dat crutz, unde dat cruyz yn vurbrant nyth, ane de negel de dorch dat bylde gyngen yn das crüz, de waren al vurbrant unde vurgayn, dat crüyz iſt noch zo wunder yn Sent Bonifacius Kyrken behalden. Do was och zo Kolne eyn gruwelich groys brant yn den Meye. In dyſen jare geſchyde vyl groys ſcade yn manighen lant van dem vüre unde dem vvaſſer, unde vvas eyn Zeychen manyghes jamers, de dar na quamen. Do voyr Biſcoph Arnold van Kolne zo Romen unde hatte gerne ſyn Ambeth vveder gehayt, unde do her ſach das her geyne genade vynden yn kunde, her voyr van dannen as her kumen vvas. Do ſtarph och Biſcoph Werner van Munſter, unde na eme quam Biſcoph Frederich de dar Kanonich vvas. In deme Virtzinden jare ſtarph Biſcoph Arnold van Kolne, unde na eme quam des Kuninch Cenceeler, de och Arnold vvas genant. In deme jare vvas gruvvelich groys hungher unde alles dynghes vvas eyn ungehorde brack. Do lach och Kuninch Conrad ſych zo Bauen berghe, unde do her ſach das her ſteruen muſthe, do gaf her Hertzogen Frederich, de ſynes broder ſon vvas, das Sper unde de Crone unde al de dynghe, de zo deme rich horet, unde beval eme och ſynen ſon Frederich, de nochtan eyn Kynd vvas; unde reyth eme, das her na deme richge ſtunde. Unde dar na ſtarph der Kuninch, do her Vyrzeyn jar das rich hatte gehalden, unde vvart begrauen yn der vurgenanter ſtat. Dys Kuninch Conrades zyth van ſynen rich vvas vol jamers unde hungers unde ſmacht, unde das lant vvas och vol orloges yn alle ſyner zyth. Doch vvas her eyn unuorzhaget Ritter in allen dynghen, unde dede al de dyngh van vryen hertzen, de enych man doyn mochte, auer dorſthe; alſo dat ſcolt ſyn nyt yn vvas, mer van groſen ungliichke, ſo vurgeynch alle dynch under eme: unde do her doyt vvas, do quamen de vürſten myth vyl volkes zo Franckenvort unde van gemeinen vvillen unde rade ſo koren ſy algemeyne den vurgenanten Hertzogen Frederich van Svauen.

Dit ſint dey jar unde dat rich Keyſer Frederich des erſten.

Na der zyth dat Got geboren wart Duſent unde anderhalf hundert, unde zwey jar dar zo, do wart Kuninch Frederich gekoren, de Hertzoghen Frederich ſon was, de broder was Kuninch Conrades; unde was der eyn unde Nuynzchide van Keyſer Auguſtus zyden, unde wart da na myth groſen eren gekronet zo Aken van Biſcoph Arnold van Kolne, de her van Romen was: do voyr och Biſcoph Arnold van Kolne zo Romen wart unde wart van Pauys Eugenius myth eren untfanghen, und wart aldar van eme och conſecrireth; unde do dat was geſchyn, her voyr ze lande wart, unde macht vrede yn dem lande, war her mochte, de langhe dar vure geweſen hatte; unde de rouere vurdreyf her utz den lande, unde de burghe dar ſy laghen de vurſturede her och, war her kunde. Do gewan her och de burch van Seyne de Greuen Everhardes was, unde vorbrande de unde vurſturede de zo grunde. In dem anderen jare was de ſunne vurgayn, do wart och Biſcop Heynrich van Meyns untſahtz van zuen Cardinalen, de der Pauys dar hatte geſant; unde wart weder geſachtz yn ſyne ſtat Biſcoph Arnold de des Kuninch Cenceler och was, und was dar zo och Proyſt zo Aken. Do wart och untſathz van den vurgenanten Cardinalen Biſcoph Heynrich van Minden, vvant her des vurwunnen wart, dat eme Paphen van ſynen gebode ſyn oghen utzgebrochen wurden, unde yn ſyne ſtat wart geſathz Biſcoph Werner de Doym-Proyſt dar was. Do ſtarph Pauys Eugenius, unde na eme quam Anaſtaſius de vur Conrad was genant. Do geſchach och eyn gros deychen zo Kolne oph eynen Paſche dag. Ein criſten man de eyn Jude hatte geweſen, de untfeinch unſes heren licham; unde do her den untfanghen hatte, her vvolde dar mede gayn ſyn yn ſyn hus, unde do her auer den Kirchhof gayn ſolde, yn ginch ſo groſe angeſt unde gruvvel ane, das her eynen vutz nyth vort kumen yn kunde; unde do her dat ſach her machte eyne kule oph den Kyrchhof unde vvarph unſes heren licham dar yn; hirunder vvart dys eyn Priſter gevvare, unde quam zo der Kulen; unde do her de oph gegrauen hatte, her vant dar ynne eyn utzermathen ſuuerlich kind; unde do her das kynt yn de kyrche draghen vvolde, do quam eyn gros ſchyn van eme gotlichen leychte; unde yn deme ſchyne vurloys her dat gotlich kynt vvunderlichen. In deme Drytten jare voyr der Kuninch myth groſer macht yn Italien um Sent Michgeles dach. Do ſturph Pauys Anaſthaſius, unde na eme quam Pauys Adryanus, de der Cardinal van Sent Albane zo vuren vvas. Do gevvan der Kuninch och yn Italien de edele ſtat, de Placentien iſt genant, unde gevvan vyl caſtele, de der van Meylane unde der van Cromygen vvaren; vvant ſi ſich vveder ene ſathzen. Dar vvan her och de edele richge ſtat van Spoleth, unde brande de yn den grunt: unde aldus quam her by den mer myth vreden zo Romen yn, unde vvart myth groſen eren van dem Pauys und van den Senatoren und van al den volche untfanghen, unde vvart alda zo deme Keyſerdom geconſecryreth. Alze hant, unde do dat myth groſer ere vollenbracht vvas, do vvart eyn ſnel gerüchte yn der ſtat, unde dat volch quam algemeyne yn eynen myttendaghe vur des Keyſers pallaz, do her ſich nyth yn hude, unde vvolden den Keyſer unde ſyn volch erslagen hayn. Unde do der Keyſer das vurnam, her vvaphende ſich myth alle ſyme volche gar ſnel, unde quam myth künen hertzen zo ſtride, unde dref de Romer myth gevvalt ouer das vvaſſer das de Tyber is genant; unde dar vvurden der Romer ſo vil erslagen, das de Tyber royt vvas vvurden van eren blode.

Unde do her dysen grosen ſtrith myth cleynen volch gevvunnen hatte myth grosen eren, do voyr her des anderen daghes dar na van danne zo lande vvart. In deme Virtten jare quam der Keyser van Italien vveder in Duyzlant, unde machte dar eynen ganzen vreden unde dvvanch alle de heren dar zo, dat ſy den muyſten halden. In deme Vumfzen jare bey aller heyligen daghe quam der Keyser zo Kolne, unde vvart van Byscoph Arnolde unde der ſtat myth grosen eren untfanghen. Unde da vurvvan der Hertzoghe van Sayſſen vur deme Keyser einen Ritter, dat her ſculdich vvere gevvesen an dem dode heren Hermannes van Wynthenburgh, und de Keyser geboyt dat man eme ſyn houet afsluge. In dem Seyſten jare ſtarph Biſcoph Arnold van Kolne, unde vvurden zuene gekoren, der eyne vveder den andern myth grosen kyue: der eyne vvas Proyſt Gerharth van Bonne, der ander vvas Proyſt Frederich van Sent Juriane zo Kolne, unde vuren beyde zo deme Keyser, ir ichlich myth ſyner parthyen, de ene gekoren hatte; unde quamen zo deme Keyser zo Nurenberghe unde un kunden nyth eyndrechzich vverden; unde dar na vuren ſy auer zo deme Keyser zo Reynsburgh, unde do ſy da nyth kunden vurdraghen, da gaf der Keyser dat recht Proyſt Frederich van Sent Juriane; unde gaf eme briue an den Pauys, unde ſante eme zo Romen myth den genen, de yn gekoren hatten; unde do her dar komen vvas, her vvart van den Pauys Adrianus conſecryret unde der Pauys gaf eme ſyn Pallium, unde her voyr myth vrovveden zo lande vvart. Dar na do her zo Kolne kumen vvas, zo hant beſtalde her de burgh van Randenrode, unde dat geſcach van rade heren Gosvvins van Heysmberghe, unde gevvan de burch unde vurſturde de zo grunde; doch vvart de burch dar na vveder gezymberth unde vaſther gemacht dan ſy er vvere. In denſelben jare vvart eyn gros Kyf under Pauys Adrianus und under Keyser Frederich, unde dat geſcach aldus vur eren zyden langhe; do Keyser Lotharius van Pauys Innocentius gekronet vvas, do lys der vurgenante Pauys ſich ſelben malen an de muren van Romen, alſo dat her dar ſathz yn eyme ſtule, unde Keyser Lotharius ſtunt vur eme myth geualden hande; unde myth geneggeden houede unde untfench de crone des richs van den Pauys: eyn ander ſake des Kyues vvas dyſe, Keyser Frederich de hilt eynen hof myth al den Vurſten van den richge in Burgundien zu Beſinszum, unde dar quamen och do zuene Cardinale, unde brachten deme Keyser eynen breyf van Pauys Adrianus, unde under anderen ſtucken de dar ynne geſcreuen vvaren, ſo vvas dar ynne eyn vvort, dar umbe der Keyser tornich vvart, unde dat vvas dyth; vvir hebben dir gegeuen van genaden de krone, unde dat ys uns nyth leyth, al un hette dyne edelicheyt mer van uns untfanghen. Dorch des vvordes vvillen vvart der Kuninch gar tornich und ſprach. Wir bekennen de Gode alleyne, dat vvir van ſir genaden de Krone dragen des riches, unde dem Pauys van Romen nyth, want yth is van unſen vurvaren, de vur uns Keyser ſint gevveſen, deme Pauys gegeuen, dat her uns kronen ſal van rechte, nyth dat her uns de krone geue van ſyner macht ofte genaden, mer alleyne van des almächzichdes Godes genaden unde vvillen: Deme Biſcoph van Meynſe hebbe vvir gegeuen unde de Keyser de vor uns gevveſen ſint de erſte ſtemme, vvanner man eynen Künnih kyſen ſal; vvir hebben och gegeuen den Biſcoph van Kolne, das her de Kuninchge kronen ſal, vvan ner ſy gekoren ſynt; Aldus ſint de dynch an uns komen, unde ſulden alſo bliuen van Godes genaden; unde dar umbe ſprech vvir by Gode unde unſer kronen, de vvir van ſir genade draghen, ſal vrede unde genade vveſen under deme richge unde deme ſtule van Romen, ſo moychtz man afdoyn das dar gemaler iſt, unde moythz eyn ander vvyſe halden, as man uns briue ſcriuen ſal, ocht yth ſal tuſchen dem richge unde deme ſtoyl van Romen nymmer vval geſtayn. Unde aldus vvurde de Cardinale beyde van des Keyſers geſinde myth vvorden nyth vval gehandelt, unde muchten dar na vur den Keyser nyth mer kummen: unde aldus vuren ſy van danne myt groſen ſcanden. Unde do de Romer und de Pauys dat vurnomen ſy hatten groſen angeſt vur des Keyſers toryn unde ſcriuen algemeine deme Keyser, dat ſy doyn vvolden gerne, ſo vvat der Keyser vvolde; unde vvat dar geſcriuen vvere, dat vver geſcheyt ſunder alle argeliſt, unde vvere des ſcriuers ſcolt, de den breyf geſcriuen hette. In deme Sebenden jare do der Keyser varen vvolde auer in Italien, her ſande vure ſynen kenſeler, de Reynald vvas genant; unde de dar na Biſcoph zo Kolne vvart, unde myth eme Otten den Palanz-Greuen, oph dat ſy alle dynghe bereyden, der der Keyser muchte behouen; unde do ſy komen vvaren zo Bononyen yn de edelen ſtat, unde hatten dar gedayn, dat yn der Keyser beuolen hatte, ſy vuren van danne zo Rauennen unde dar vvurden ſy van den Biſcoph und van der ſtat unde van vyl anderen Biſcophen unde heren de dar komen vvaren dorch eren vvillen untfanghen myth groſen eren. Unde do ſy den heren unde deme volchge hatten kund gedayn des Keyſers vvillen dar ſy umme komen vvaren, do vuren van danne de beſthen unde de rychten van der ſtat zo Anchonen unde nomen geld van deme Keyser van Kreken vveder den Keyser van Romen; unde do ſy vveder varen vvolden unde ere ſolt genomen hatten van dem Keyser van Kreken, do untmode yn der vurgenant Kenſeler Reynald unvurſeyn myth ſynen mannen, unde erer vvaren mer dan druhundert, unde ſtryth myth yn myth vryen hertzen, unde ſy vluvven alze male, und der Kenſeler vench dar den Balyf de dar richter vvas yn der vurgenanter ſtat van Rauennen und ſynen ſon unde ſeys de Beyſten unde de edelſten van der ſtat, unde vvurden ſy gefanghen myth yn zo Arynnon yn de ſtat, de deme Keyser underdenich vvas. Darna vuren ſy algemeyne des anderen daghes zo Anchonen, unde do de ſtat ſy nith untfangen yn vvolde, do beſtalden

bestalden ſy de vurgenante ſtat myth groſen volchge unde quamen ſo vere, dat de ſtat ſich müſte geuen yn ere genade. Dar na quam der Biſcoph van Rauennen und bath vur ſyne bürger, de der Kenſeler gefanghen hatte, unde machte dat dat de ſtat van Rauennen ſych gaf in des Keyſers gewalt, dat yn zuen hundert jaren ny yn was geſcheyn; unde aldus gaf her de gevanghen utz, unde de ſtat ſvur deme Keyſer truwe unde holt zo zyn yn allen dynchgen. Dar na quam der Keyſer unde voyr vur de ſtat van Meylane myth vil heren van Duyzchen lande unde van anderen lande unde myth groſen volchge, unde beſtalde de ſtat, want ſy deme Keyſer nyth underdenich weſen yn wolde. Dar was och der Kuninch van Beheym unde Hertzoge Henrich van Sayſſen, unde Hertzoghe Frederich van Almanyn und Hertzoghe Bertolf van Kerthen unde Hertzoge Heynrich van Elſaſen, unde Lantgreue Frederich, unde Conrad der Palanz-Greue, unde Biſcoph Frederich van Kolne. Unde do ſy komen waren an eyn waſſer dat Adua iſt genant, do hatten de van Meylane de brüchgen alle zo brochgen, alſo dat geyn man yn kunde dar ouer kumen. Unde do des Kuninchs volch van Beheym dar kumen was, ſy vunden dar eynen man, de van dem lande geboren was, unde dwunghen yn dar zo, dat her deme volchge müſte wyſen, dat ſy ſycherlichen ouerrythen muchten; unde aldus reden ſy bynnen dryn daghen ſunder ſorghe algemeine ouer dat vurgenante waſſer. Dar na quamen de van Papien unde de van Cremoyn myth groſen volchge zo dem Keyſer, want ſy do och vrynde waren der ſtat van Meylane, unde gewunnen alzehant eyne burch, dar de van Meylane volch hatten lyghen, de Erucium was genant. Dar na ſande der Keyſer ſynen Marſchalch zo Meynlane myth vümfzich Rittern, dat her ſeghe, war das volch lyghen muchden, unde myth eme voyr Greue Echberth van Oyſtrichge myth vümf hundert Ritteren unde mer. Unde do ſy ſeyn hatten, war das volch lygen muchde, ſy vuren van danne, unde der vurgenante Greue Echberth wolde ryden myth gemache na dem volche, unde do dat geſaghen de van Meylane, ſy reden utz mer dan myth zuen duſent mannen, unde beſtreden den Greuen myth dem volche dat achter myth eme blyuen was, unde dar wart erſlagen der vurgenante Greue unde och ſynes volchges eyn deyl, unde vynchen och dar ſynes volches vil. Unde do dat geſcheyn was, do wart der Keyſer tornich, do her das vurnam, unde voyr van danne des anderen daghes vur de ſtat van Meylane, unde vurſturden al de wyngarden de vur der ſtat gelegen waren; unde beſtalde de ſtat myth groſen volchge, unde do de van Meylane ſaghen, dat ſy ſo ſwerlichen van deme Keyſer beleghen waren, ſy waphenden ſich algemeine unde reden utz dryn porthen van der ſtat, unde ſtreden myth deme Keyſer unde ſynen volche an dryn enden; vvant der Keyſer myth ſynen Ritteren laghen vur eyner porthen, der Kuninch van Beheym lach vur der anderen, vur der dritten lach der Hertzoghe van Sayſſen; unde aldus ſo vvart eyn langh ſuar hart ſtrith unde blyuen vyl lude doyt, unde des Keyſers volch nam ouerhant yn alle den dryn enden; unde de van Meylane vluen weder yn der ſtat. Dar na do de ſtat eyne wyl belegen hatte geweſen, do wart dar ynne ſo gros ſtanch unde ſo boſe lucht van den vyhe, des dar utzer machden vil bynnen was, dat de lude van dem lande dar hatten bracht, alſo dat vil volchkes dar van ſtarph, unde do de vurgenante ſtat ſach dat ſy deme Keyſer nyth yn kunden weder ſtayn, ſy wurden des zo rade, dat ſy deme Keyſer de ſtat uphgeuen wolden uph ſyne genade; unde do dat was geſcheyn, do gynch der Biſcoph van Meylan vur utz der ſtat; unde na eme gynghen de heren unde de ritter, unde dar na dat gemeine volch van der ſtat, unde quamen algemeine vur deme Keyſer, unde droghen eme de ſtat oph, uph ſyne genade; unde vilen alle neder an de erde unde boden den Keyſer, dat her ſich wolde ouer yn erbarmen, unde do der Keyſer dat ſach van rade der Vürſten de dar myth eme waren, ſo nam her de ſtat in ſyne genade, unde müſten ſveren deme Keyſer unde ſethzen bürghe, dat ſy eme truwe hylten, unde ſynen zyns geuen van jare zo jare as eren rechten heren. Unde dyth geſcach an unſer Vrowen daghe, dat ſy geboren wart; unde des ſeluen daghes reyth der Keyſer gekronet in de ſtat, dat by langher zyth ny Keyſer yn kunde geſchyn. Dar na voyr der Keyſer van danne unde vürde myth eme vümf hundert man van Meylane de beſten, oph dat her der ſtat ſeker were. Unde nyth lange dar na do her van danne gevaren was, do ſande der Keyſer weder zo Meylane den vurgenanten Kenſeler Reynolt unde myth Conrad den Palanz-Greuen umb den zyns, den ſy deme Keyſer hatten gelouet. Unde do ſy dar kumen waren, ſy vurnomen, dat de falſche loſe bürger van Meynlane ſich dar zo hatten bereyth, dat ſy deme Keyſer eren heren nyth yn wolden halden, dat ſy eme hatten gelouet unde geſvaren: unde wolden och des Keyſers boden in der ſtat hebben erſlagen. Unde do der Kenſeler unde der Greue dat vurnam, ſy wandelden ere kleyder unde vluwen myth behendichgeyth eynes nachdes utz der ſtat, und quamen zo deme Keyſer, unde ſegeden eme dyſe mere. Zo hant do der Keyſer dat vurnam, her wart gar tornich unde ſande na al den Vurſten unde na al den volch, da van eme gereden was, unde geboyth, dat ſy zo eme quemen ſnel unde begeuen alle ander dynch. Unde do ſy zo eme kumen waren, do voyr der Keyſer yn dat lanth, dat vur der ſtat gelegen iſt, unde vurſturde dat bynnen dryn daghen zo grunde. In denſelben zyde vil Biſcoph Frederich van Kolne van eynen perthe, de och dar was, myth deme Keyſer, unde zo barſth eme dat lyph, dat her dar van kurtzlich zo Papien ſtarph, unde wart gevoreth zo Kolne, unde wart dar begrauen myth groſen eren. In dem echtzen jare beſtalde der Keyſer myth groſen volchke de ſtarchge ſtat

 van

van Cremuyn, unde gewan de in seben maneden: unde de burgher van der stat waren so sycher unde stolt, dat sy zuene Ritter van Düyzhen lande hynghen uph de mure van der stat, da der Keyser selve zo sach, de sy hatten vur der stat gevanghen. Unde do der Keyser dat sach, her tornede sich utzer masen sere, unde al dat volch dat dar myth eme was; unde traden algemeine zo, unde stormeden de stat, unde we dar na gevanghen wart van beyden syden de müsten steruen, her were knecht oder here. Hirunder reyth der Hertzoghe van Sayssen myth virtzich Rittern vur Meylane uph aventüre; unde do her dar kumen was, her sach dat de plughe gyngen uph den velde vur der stat, unde dat by yn reden gewaphende lüde sy zo höden; unde do eme des dochte, dat her sy hebben muchte, her quam myth grosen ruphen dar sy waren, unde streyth myth yn; unde do sy dat saghen sy vluwen zo der stat wart, unde dar bynnen waren, de slozen de porthen zo, unde lesen ere vrynde da erslagen; unde eyn deil wart der da gevanghen. Do vynch och der selue Hertzoghe den sconsten Ritter, den man e gesach, unde myth den sconsten waphen de wesen muchten, unde all myht syden gewande ouerdechket: unde do voyr der Hertzoghe weder zo Cremuyn zo dem Keyser, unde antworde eme den vursprochenen Ritter myth den anderen, de dar och gevangen waren; do boyt der scone Ritter deme Keyser vur synen lyph zuey dusent march siluer zo geuen, unde vur eme baden vil heren unde Ritter dorch syner sconden willen: unde der Keyser sprach eme were smaheyt geboden, de wolde her wrechgen, wa her muchte, unde yn wolde geyn man dar an sconen nocht untseyn: unde aldus wart her myth den anderen vur de stat gehanghen van des Keysers gebode. Dar na do de van Cremuyn saghen, dat de stat so sere stormde unde geynen man sconen wolde; do baden sy den Keyser, dat her de stat nemen wolde yn syne genade, unde alle de lude dar zo de dar ynne waren. Do gaf der Keyser van genade al den dar bynnen waren, dat sy muchten draghen utz der stat, wat eyn yglich oph synen rugge gedraghen kunde; unde dar was eyne Vrowe, der man sere sych lach, unde de Vrovve begaf al eren scathde, unde nam eren man uph eren rugghe unde druch den utz der stat; unde dat hylt der Keyser stede. Unde aldus vvart Cremuyn deme Keyser underdenich, dar den van Meylane gros troyst unde hulphe ane lach. Hirunder quamen boden van den Capitel van Kolne unde der stat zo deme Keyser unde baden ene, dat her yn geue zo eynen Biscoph synen Kenseler heren Reynold, vvant sy eme myth einen gemeynen vvillen gekoren hetten, des vvart der Keyser gar vro, dat dat dar zo kumen vvas, dat her eme syne truvven dynsten lonen mochten, unde gaf eme aldas recht das der Keyser zo Kolne hatte, vvanner der Keyser dar selue nyth yn vvas. Darna nam der Biscoph van Kolne her Reynold orlof van deme Keyser. Unde voyr zo Kolne vvart, unde vvolde deme Keyser nüwe hulphe brengen. Unde do her zo Kolne quam, her wart myth grosen eren wal untfangen van deme Capitel unde der stat gemeine. Unde do her das lant na synen willen hatte gesathz, do voyr her vveder zo dem Keyser yn Lombardien, unde hatte myth eme dry hundert utzerkoren Rittern van Duyzchen lande. Darna do her zo deme Keyser kumen vvas, do begaf der Keyser alle dynch unde voyr vur Brixyen, unde vurstürde unde rouede al ere vvonnichgen, de sy hatten yn deme gebyrgethe, unde brach alle de brüchge, unde alle de castele, unde alle de dorph, der utzer masen vyl vvas, dar man den van Meylane spyse af muchte bringhen. Dar vvas och gelegen eyne uytzer masen starchke vestennunghe de al umbe beslozen vvas myth bergen unde myth eyner standen se, dar geyn vvech zo un geynch, dan alleyne: unde derselue vvech gynch dorch eyn groys gruvvelich bruch, also dat dye van Brixien sich mer vurlesen oph de stat, dan oph de stat van Brixien unde de van Meylane vvolden och dar gevaren vvesen, vvere dat sake gevvesen, vver dat der Keyser Meylan hatte gevvunnen. In dyser stat vvas groys guyt unde de ritter van Brixien lagen dar ynne myth groser macht. Unde do dat vur nomen de Ritter van Duytschen lande, si vuren dorch eynen enghen path vur de stat, unde de dar ynne vvaren de zhogen myth groser kracht vveder yn zo velde; unde de Ritter van Duytschen lande gevvunnen den stryth unde erslogen unde vynghen utzer masen vyle lude zo dem seluen male, unde gevvunnen de stat unde al dat guyt dat dar bynnen vvas, des gar vil vvas, also dat al dat her dar van rich vvurden vvere; mer des nachtes vvart duyslichen yn de stat vuyr geschossen, unde de stat vurbrande gar unde gans myth al den gude, dat dar bynnen vvas. Zo deme seluen male vvas eyn stryth vur Meylane unde den hatten begunnen des Biscoph Ritter van Kolne, unde streden van mythdage vvent zo vesperen vrumelichen, myth grosen scade, der van Meylane alleyne; unde do der Keyser dat vurnam, her quam yn zo helphen myth anderhalf hundert Ritteren unde myth synes selues lyue, unde streyth dar vur der porthen van der stat, vvynt yn de duysther nacht. Dar bleyf och des Keysers edele Ros under eme doyt, unde her vvart zuyschen deme scylde unde deme lyue myth eym spere sverlichen anegereden; doch quam her van Godes genaden ungevvunt alze hant oph eyn ander ros, unde vvas des daghes eyn unvurzaghet vrom rytter, unde eyn uytzermasen ruychloys Keyser, alleyne yth queme zo den besten, yn allen dyngen. Dar vvurden oph den dach gevanghen vümf hunder Ritter van Meylane, ane de dar doyt blyuen, der geyne zale yn vvas. In deme nüynthden jare hylt Keyser Frederich zo Parmen yn Italien eynen hof, unde dar quam her Stephayn des Kuninch broder van Ungeren, unde boyt dem Keyser alle jar zo geuen drü dusent march, dat her yn Kuninch zo Ungeren machen vvolde, unde der Keyser yn vvolde des nyth doyn.

Dar

Dar was och eyn Biscoph, den der Vürste van Sardinien dar hatte gesant, unde gelouede deme Keyser van des Vürsten weghen van Sardynien alle jar zyns zo geuen unde syne krone van des Keysers hant ze nemen van des Keysers genaden. Dar was och Hertzoghe Welpho, unde eys deme Keyser dat Hertzochdom van Spolethen unde dar zo dat her Marggreue were van al Tuschyen myth stoltzen mude; unde dar umbe so gaf yn der Keyser nyth mer: her vuyr myth scanden danne. In deme seluen jare wart erschlagen Biscoph Arnold van Meynse by Sent Jacobs kirch ze Meynse yn bynnen van den burgheren, dar her langhe myth hatte gezuyeth, unde vurbranden och de kirche unde das kloyster gar unde gantz. In deme zynden jare do der Pauys Adrianus vurnam, dat der Keyser zo Romen komen wolde, her voyr van Romen myth den Cardinalen unde hylt myth yn eyn Concilium; unde wolde Keyser Frederich ze banne doyn; unde alle de myth eme waren; unde dat yn hatte geynen vortganch, want der Pauys de starph des neyhsten nachtes dar na. Unde do dat gescheyn was, do svuren de Cardinale eyn deyl, dat sy geynen Pauys nymmer yn gekuren, hen were van denseluen willen weder den Keyser, des Pauys Adrianus was. Unde aldus wart des Pauys Kenseler gekoren, her Rolant, myt eyn gemeinen willen. Unde do de Cardinale eme synen namen wandelen wolden unde eme ere boden, na des Pauys recht, her wedersprach dat myth stoltzen worden; unde do de Cardinale dat saghen, de deme richge holt waren: sy koren al de hant eynen edelen manne, de der Cardinal och eyn was unde was Octavianus genant, unde dys wart geheysen Victor, unde wart myth grosen eren zo Romen yn Sent Peters stoyl geconsecryret as eyn recht ist. Do voyr de ander Parthye van den Cardinalen, de weder den Keyser unde dat rich waren, des nuynden dages dar na oph eyne burch by Romen, de Cysterne is genant, unde koren ander werf den vurgenanten Rolant unde hesen eyne Allexandrum, und consecryrden ene dar oph der seluer burch. In dysen seluen zyden lag der Keyser vur Meylayn, unde do her dat vurnam, her lys eynen hof zo Papien berophen, oph dat her de heylige Kyrche ze vreden zechtzen muchte; unde loyth dar alle de Biscophe unde de Vürsthen van Duytshen lande, unde van Lombardien unde Tuskanien, unde van Ungeren, unde van Franchrichge. Unde santhe den Biscoph van Parys, unde den Biscoph van Verden, unde den Biscoph van Mantuen, unde loyth de Pauyse beyde unde de Cardynale alle samen, dat sy quemen, unde nemen unde geuen reycht na gotlichen dynchen, sve dat van rechte hebben sulde. Do dat vurnam Pauys Victor her voyr ze hant myth den Cardinalen de eme gekoren hatten zo houe wart; unde do Pauys Allezander dat vur nan, her sprach myth stoltzen mude, dat her der gene were, de laden sulde unde geyn man yn muchte ene laden; her were der gene der rychten sulde, unde geyn man yn muchte noch yn sulde ouer ene rychten. Unde dat mishagede al den Volche sere, dat her geynes rechdes yn wolde volgen; unde dar umbe so daden ene alle de Prælaten unde de Biscoph zo banne de zo deme vursprochen Concilium komen waren; unde hylten Pauys Victor vur eynen rechten Pauys yn allen dynghen: unde dat selve geschach och yn den Concilium dat der Keyser hilte dar na zo Cremuyn, unde aldus so hylt der Keyser und alle de lant, de under eme waren, Pauys Victor vur eynen rechten Pauys yn allen stucken: unde alle de ander lant, de under den Keyser nyth yn waren, de hylten Pauys Allexander vur eynen rechten Pauys. Dar na voyr her yn Vranchrike und der Kuninch unde alle de Biscoph unde de Prælaten van dem lande de untfeynghen ene as eynen rechten Pauys myt groser ere, unde dar bleyf her eyne wyle, unde der Kuninch gaf eme wes her behouede zo allen dynchgen.

Wey Meylan dey stat verstorit wart.

Na der zyth dat Gode geboren wart elf hundert jar unde zuey unde sestzich jar, dat was yn den zynden jare Keyser Frederich, do gevvan dys vurgenante Keyser de edel stat van Meylayn unde vursturde de na synen wille, und we dat gescach dat wil ich hir kurzelich scriuen. Do de stat van Meylayn sach dat sy sich nyth yn kunde langer weder den Keyser unthalten, want der Keyser hatte yn alle strathen benomen, dar syn spise muchte komen: do begerden sy eynes vreden zo eyner zyth myth los heyde van den Vursten, uph dat sy de stat spisen muchden myth hulphe der van Brixien, unde ander ere vrynde; unde do sy saghen, dath sy myth geyner kunst noch behendichheyt, der sy doch van naturen vyl kunden, bedrygen yn muchden den Keyser unde de Vursten, dat sy eynen vus van danne wolden wychen, unde do sy van groser hunger noyt de stat nyth langer yn muchden halden, sy boden den Keyser under zuen dynghen eyn zo kesen; anthwer dat her de stat neme purlichen uph syne genade, ocht dat her selue eysche we her sy nemen wolde; sy boden och deme Keyser dat sy alle de grauen vullen wolden van der stat, de mure unde alle dye Turne ze brechen, drie hundert man de besten van der stat deme Keyser ze gysel ze geuen, de der Keyser seluen kysen wolde, unde dat de vursprochene drü hundert man in des Keysers gevengnyse drü ganse jar wesen sulden, unde der Keyser muchte de stat na synen willen besethzen, yth were myth Duytzchen, ochte myt Walen, we eme dat selve guth duchte; unde dem Keyser zo antworden alle den scath, den sy lange zyth vyl Keyseren unthalden hatten; dar yn bouen boden sy deme Keyser eynen Pallas van ere kost zo zymberen, war her seluen keysen wol-

de yn der ſtat ocht dar buſen, unde we gros her dat ſeluen hebben wulde; unde dat ſy nymmer geyne Mure noch grauen machgen yn muchde, yn were myth des Keyſers willen; unde och dat ſy nymmer gyn vurbunt oder gelofnyſſe myth geyner ſtat machen yn ſulden; unde dat ſy uytz der ſtat dru duſent mynſchen dryuen wolden, oph dat der Keyſer myth ſynen volch yn der ſtat myth gemachge lychgen muchte alſo lange as her wolde. Do de ſtat dyt geboden hatte, do hylt der Keyſer eynen rath myth den Vurſten, wat yn her zo guyth duychte. Do de Vürſten zo rade waren komen, do ſprach Biſcoph Reynolt van Kolne, dat ynne dyt guyt duychte genomen, want der Keyſer hettes dan yn allen dynghen ſynen willen, unde muchde reychten na rechte oder na barmhertzichgeyt, ſo her wolde. Unde de anderen Vurſten ſprachen, dat der Keyſer dyt wal myht groſen eren doyn muchde: do reyth och dat ſelue der Vurſt van Blandrachen, unde alle de heren de myth eme waren: want dye van Meylayn dyſe gelofniſſe nyt yn kunden gehalden as eme dochde, unde ſo muchde der Keyſer wrechgen ſich dan myth merren eren, unde aldus ſo nam der Keyſer deſe gelofnyſſe van al der heren willen: alleyne dar vil heren waren, dye eren willen dar zo nyth un hetten gegeuen, mer dat yn das dochte, dat de van Meylayne der gelofnyſſe gehalden nyth yn kunden. Dar na do boden de van Meylayn, de van Brixien unde de van Placencyen, dat ſy ſy leſen quith unde ledich van dem eyde, den ſy ene hatten gedayn, vvant ſy anders zo des Keyſers genaden nyth kumen yn muchte. Unde do dat vvas geſchyn, do begunden de van Meylane ze prüven, dat ſy deme Keyſer hette ſo ſvvare ſtüchke unde ſo groſe dynch gelouet, dat ſy dat öuel muchden volbrengen, unde begauen alle dynch unde quamen zo des Keyſers genaden, alſo dat her myth yn dede ſo vvat her gebode: unde do de ſtat des zo rade vvurden vvas, do quam der rayth van der ſtat unde alle die edel lüde, de dar bynnen vvaren, unde droghen deme Keyſer uph ſich ſeluen myth der ſtat unde alle de lüde unde alle dat guyt, dat bynnen vvas ſunder eynicher hande vurvvurden, unde hatten alle bar ſvvert uph eren halſen, unde vilen deme Keyſer ze vüzen vur al den volche, unde baden, dat her ſich ouer yn erbarmen wolde, unde boden deme Keyſer vur ſich unde vur al de ſtat gemeine ſicherheyt ze done, na alle ſynen vvillen; unde ſvuren dem Keyſer truvve ze halden yn allen dynghen; doch un vvolde der Keyſer yn geyne genade doyn, mer her boyt yn, dat ſy vveder gingen yn ere ſtat. Des andern dages quamen auer de vurſprochen heren van der ſtat van Meylayn unde myth yn mer dan drühundert uytterkoren Ritter van der ſtat, unde vilen alle den Keyſer ze vuze as ſy des andern daghes hatten gedayn, unde antvvorden deme Keyſer alle de ſluthzel van der ſtat unde alle de Bannir van der ſtat van Maylayn, der vvaren ſeys unde dryszich unde me, unde dyth vvaren de ouerſte bannir van Meylayn. Unde ſwaren och deme Keyſer, as de van deme rade hatten gedayn, unde nochtan yn vvolde yn der Keyſer geyne genade doyn. Dar na des drythen daghes quam alle dat gemeine volch van der ſtat, unde dar zo mer dan hundert ander bannir, de der gemeinheit vvaren van der ſtat, unde vylen alle ze vüzen deme Keyſer unde baden genade as alle de anderen hatten gedayn, unde dat geſchach aldus. Dat volch van Meylayn edel unde unedel, cleyn unde gros, dat gingh alle ze dryn Porthen utz unde gynghen uph ſtunt, unde des volches gyngh och eyn deyl deme wagen na, unde der Keyſer ſas ho yn eyme keyſerlichen ſtole, als dat man yn verre muchte ſeyn. Unde do dat volch den Keyſer ſach, ſy vylen algemeine uph der erde, unde boden genade des liues mit ſcryen unde myt weynen. Unde do de ſtat alle ere bannir unde ere lyf unde ere guyth uph genade deme Keyſer uph hatte gedraghen, do ſprach ein here van deme rade dat wort der gemeiner ſtat vur deme Keyſer, myth jemerlichen reden unde bat, dat der Keyſer yn genade wolde doyn, der ſy leyder doch nyth wert yn weren, dorch den doyt den Got dorch des mynſchen willen an den crütz liden wolde. Unde do her de rede hatte vollenbracht, do vyl auer alle dat volch uph der erde, unde eyn ytlich Mynſche hatte eyn Cruytz yn ſyner hant, unde beden algemeine dorch des Cruytz ere, dar Got den bitteren doyt ane doghen wolde dorch des mynſchen willen, de doch des nyth wert yn was, dat ſych der Keyſer ouer yn erbarmen wolde. Dar ſcre och do manich edelman van des Keyſers parthye, do ſy dat horden unde ſaghen, doch ſo yn wandel ſich des Keyſers angeſichtz ny dar van. Zo dem dritten mahle do de heren ſaghen, dat der Keyſer geyne genade doyn yn wolde der vur genanten ſtat, do erbarmede ſich ouer de van Meylane der Greue van Blandrachen, dar och van vur geſprochen iſt, unde ſprach ere wort vur deme Keyſer jemerlichen, alſo das dat volch algemeine ſcryen unde weynen müſte, und nam och eyn crütz yn ſyene hant; as de van Meylane alle hatten; unde vyl myth yn auer deme Keyſer ze vuzen. Unde in allen dyſen dinghen unde yn allen dyſen jamer ſo yn vurwandel ſich der Keyſer ny. Dar na kundichde der Biſcoph van Kolne vur deme Keyſer unde alle deme volche: we dane wys, dat de van Meylane weren kumen zo des Keyſers genaden? Unde de van Meylane riphen alle, datz das ware were, dat ſy kumen weren yn des Keyſers genaden, alſo dat her yn muchte doyn, ſo wat her wolde. Do dat was gedayn, do ſprach der Keyſer; her wolde ſich beraden myth den ſynen. dat ſy des anderen daghes dar na weder quemen. Unde do ſy dat vurnomen, ſy wurden vro, want ſy hophden

den dat der Keyſer ſyne genade myth yn doyn wolde: unde wurphen alle de crütz, de ſy droghen yn eren handen, vur des Keyſers vüze. Des anderen daghes quamen ſy auer weder unde boden genade, as ſy dychke hatten gedayn. Do ſprach der Keyſer, her wolde yn doyn dat begyn van der barmhertzichgeit, unde dat begyn van der reychzichgeit. Unde ſprach: ſulde wir na reychde rychden, ſo het ir alle das lyf vurbüreth: unde darumbe ſo wyl wir och eyn deyl na der barmherzichgeit doyn myth uch. Do ſprachen ſy allegemeine; das dat ware were na rechte, mer dat her yn dorch genade dede. Do geboyth der Keyſer alle den heren van deme rade van Meylane unde alle den meyſteren van deme wereltlichen rechte unde alle den anderen heren unde Ritteren van der ſtat, de dar bynnen geweldich waren, dat ſy vuren ze hant van der ſtat yn des Keyſers sloyth, dar her ſy ſenden wolde, nymmer danne ze kummen, yn were myth ſynen wille; unde dat geſchach, do ſy dat geſvaren. Dar na ſande der Keyſer ſynen Marſchalch yn de ſtat, unde muſten man unde wyf deme keyſer truwe ſveren ſo wat bouen zuelf jaren was; unde dat geſchach na alle des Keyſers willen: her geboyth och, dat man de porthen alle van der ſtat dar neder brechge, unde dat man och de grauen by den porthen myth erden vulde, als dat der Keyſer myth ſynen volchge dar yn ryden muchte ſunder hynder na alle ſynen willen; unde dat wart och gedayn, as der Keyſer geboden hatte, dar zo droghen de van Meylayn deme Keyſer uph vyr burghe de ſy van zuen duſent burgen behalden hatten, unde do dat geſcheyn was do geboyt der Keyſer dat man de mure van der ſtat unde de turne unde de grauen van daghe zo daghe vulde unde vurſturde unde aldus wart de ſtat van Meylane dat ſy vuren utz der ſtat, unde dat ſy dat lant unde de dorppe boweden de dar vor ſtoreth waren unde der Keyſer behylde de ſtat myth ſynen volchge na alle ſynen willen.

Verſus:

Circulus annorum poſt ſexaginta duorum
Mille cum centum fit M digammate junctum.

Hos verſus olim Sybilla in Capitolio Mediolani conſcripſerat. Sed tunc primo cives devicta civitate conſideraverunt numerum illum ab anno Dominicæ incarnationis eſſe completum, & duo gamma eſſe F primam literam nominis Friderici Imperatoris.



XIII. ANNALES

XIII.

ANNALES BOSOVIENSES

Ab anno 1125. usque ad ann. 1198. continuati.

* * *

ANno 1125. Richwinus Cicensis Episcopus obiit, pro quo Uto Senior constituitur, cujus sacerdotii optima fuerunt initia. Kalixtus Papa secundus obiit, pro quo Honorius constituitur. Henricus quartus Imperator nominis hujus & quintus Rex, X. Kal. Jun. obiit, quo tempore per tres continuas noctes ante mortem ejus tanta frigoris immanitas fuit, ut in plerisque regni partibus maxima pars frugum, vini atque pomorum deperiret. Lotharius Dux Saxonum, apud Mogontiam Rex eligitur, & Aquisgrani benedictione regali sublimatur. Otto quidam, principatum gerens, provinciæ, quæ Merehern dicitur, Regem interpellando adiit, conquerens, se Ducatu Boëmiæ, velut hæreditaria dignitate injuste privatum. Rex Udalrico, Boëmorum tunc temporis Duci, prius datas judicio Principum inducias, quas idem contempserat, publice bellum indicit. Ruggerus, Magdeburg. Archi-Episcopus obiit, pro quo Nortbertus constituitur. Mirabile signum in luna apparuit. Anno 1126. Bellum Boëmiæ inter Lotharium Regem, & Udalricum, Ducem Boëmorum, commissum est, XII. Kal. Martii, in quo multi nobilium de exercitu Regis ceciderunt: Adelbertus quoque Marchio & Ludewicus comes de Lara captivi abducti sunt ubi & Otto Dux de Merhern occubuit, qui totius belli causa exstitit. Cometa apparuit. Anno 1127. Lotharius Rex apud Merseburg Pentecosten celebrans, Udalricum Ducem Boëmorum in amicitiam recepit, & filium ejus de sacro fonte baptismatis suscepit, & mox castrum Nurenberc cum exercitu obsidet, habens secum in auxilium eundem Ducem cum grandi exercitu Boëmorum: pervastata itaque omni circum posita regione per III. menses, Dux prædictus cum suis ad propria revertitur, moxque Rex a Cunrado, fratre Ducis Friderici fugatur; unde & Cunradus idem nimium inflatus superbia, contra jus fasque regium sibi nomen usurpat. Karolus, Comes Flandrensis, vir justi tenax, ob defensionem justitiæ a suis in templo Domini occiditur, sed populis inter se disfidentibus, duo mox Comites loco ejus subrogantur, Willehelmus de Anglia, & Theodericus de Alsatia, quibus contra se pugnantibus, immensa cæde, diversisque cladibus Flandrensium devastatur populus. Anno 1128. Rex Natale Domini Wirciburc celebrans, Embrichonem eidem præfecit Episcopum, ejecto Gebehardo, ubi & Cunradus Regi rebellis excommunicatur; Rursum Romæ idem Cunradus a Papa Honorio excommunicatur. Spira dolo capitur a Friderico & Cunrado Ducibus. Rex etiam mox eandem cum exercitu occupat, jamque capienda erat, sed pacem postulantibus Rex dextras dedit, & obsidibus acceptis ab eis dimissoque exercitu, Rex abiit; at mentiti sunt, rursumque rebellant. Otto, Halberstadensis Episcopus, a Regularibus de Symonia Romæ injuste, ut multis visum est, accusatus a Papa Honorio deponitur. Anno 1129. Spira a Rege Lothario per VIIII. menses continuos oppugnata, capitur. Dux Gotefridus de Bravanzia a Rege deponitur: & Paginus pro eo Dux constituitur. Cui Pagino ad peragenda Ducatus sui negotia descendenti, Gotefridus cum armatorum multitudine occurrit, sed inito certamine, idem Gotefridus fugam iniit, Paginus Victor Ducatum a Rheno usque ad fluvium Getum obtinuit. In Halberstat duo Episcopi per dissensionem Clericorum & Regularium statuuntur, sed a Rege & Archiepiscopo Mogontino Adelberto ambo reprobantur. Henricus Marchio de Staten, obiit: Uto, Comes de Saxonia, occiditur. Anno 1130. Honorius Papa obiit, & mox duo per dissensionem loco ejus constituuntur: scilicet Innocentius II. & Gregorius & Anacletus, qui & Petrus, ambo Romæ uno die electi, ambo uno die consecrati. Anacletus majoris potentiæ, Romam obtinuit; Innocentius Galliam fugiendo devenit, ibique ab omni Gallicana Ecclesia susceptus, etiam a totius Germaniæ Episcopis & a Rege Lothario, Papa pronunciatur & confirmatur. Henricus Comes, frater Ludewici, obiit. In villa Halla occiduntur a civibus Cunradus de Eyestete, Adelbertus & Erbo, duo fratres, cum pluribus militibus, Domina Eilica de Wirbene vix miserabiliter effugit. Rex ergo Lotharius adversus Hallam misit exercitum, ubi truncatis aliis, aliis cœcatis, nonnullis diversorum generum mortibus excruciatis, aliis effugientibus, reliqui infinita pecunia vitam redimentes, cum ingenti rerum suarum dispendio pœnas sui sceleris solverunt. Burcardus, Consecretalis Lotharii Regis, Comes Luchenheymensis de Saxonia, dolo domini sui de Winciburc, principalis Comitis Turingiæ & Misnensis Marchionis, occiditur; ob quod idem Hermannus a Rege Lothario deponitur, & Comes Ludewicus pro eo constituitur Lantgravius: & Comes Conradus de Witin pro eodem Hermanno Marchio constituitur in Misna. Signum sanguinei coloris apparuit. Anno 1131. Hermannus de Winciburc Regi Lothario se suaque omnia dedens, captivus abducitur, & in Blankenberc custodiæ mancipatur. Winciburc ad solum usque destruitur. Rex Lotharius, congregato exercitu, in Daciam, id est;

est, in Daniam proficiscitur propter intestina bella, quæ gerebantur in ea; filius quippe Daniæ Regis filium patrui sui occiderat, timens, ne se depulso, regnaret; quia ejusdem occisi pater Rex fuerat. Cujus fratre apud Regem conquerente mortem fratris, Lotharius contra partes easdem exercitum movit; cujus timore omnes illius gentis velut arena maris ad rebellandum in unum coacti, cum ex adverso exercitum Regis, multo licet minorem, loricatum conspiciunt, divinitus perterriti, se suaque dedentes, dextras petunt, utque Rex ipsorum proprium regnum ab ipso & ab omnibus cæteris imperatoribus suscipere debeat, constituunt, & ut eidem suo Regi idem beneficium impendere dignetur, humiliter obsecrant. Quod & fecisset, ni pius Lotharius ei, cujus frater occisus erat, in hoc pepercisset. Susceptis tamen obsidibus pro ingenti pecunia sibi promissa, ad propria remeavit, cum VI. tantum armatorum millibus immensum triumphum referens. Synodus apud Leodium sub Papa Innocentio congregatur, ubi præsente Rege Lothario residentibus L. Episcopis, cum innumeris diversorum ordinum personis, Otto Halberstadensis Episcopus, a Papa Honorio dudum depositus, cunctis annuentibus a Papa Innocentio denuo infula episcopali investitur, & sedes ei redonatur ejusdem ecclesiæ; statuitur & hoc semper memorabile, secundum decreta Canonum, Presbyteros parochianos castos & sine uxoribus esse debere; uxorati vero Presbyteri missam a nemine audiendam esse. Ibi etiam Adelbertus Marchio de Saxonia, gratia Regis carens, deponitur, & Henricus, filius Marchionis Wicperti, hactenus ab eodem Adelberto violenter expulsus, pro eo Marchio constituitur in Lusiz. Anno 1132. Sanctus Godehardus ab anno dormitionis suæ CI. ipsius anni die ultimo IIII. Nonar. Maji in Hildesheym terra elevatur, cujus signorum admirabili magnitudine omnis Germania illustrata lætatur. Rex Lotharius cum Regina Richiza Romam pergit ad visitandum regnum Italicum, suoque Dominio mancipandum, & ad Papam restituendum in Apostolicam sedem scilicet Innocentium, & ad suscipiendam Imperialem benedictionem, modicum quidem pro rerum negotio ducens exercitum M. scilicet & quingentos armatorum, sed in Domino per omnia confisus, quod & rerum probavit eventus. Augusta civitas a Regis exercitu destruitur, igne crematur, plurimi de civibus captivi abducuntur, eo quod Regem ad se pacifice ingressum, nilque tale suspicantem bello præsumpserint lacessere. Hinc Montana Rex Lotharius transiens, omnem Italiam suæ ditioni subjecit, solis Veronensibus & Mediolanensibus renitentibus. In eadem expeditione Heinricus Marchio de Staten occiditur, sed a militibus suis Saxoniam, unde oriundus erat, sepeliendus refertur. Anno 1133. Rex Lotharius Romam veniens, Innocentium Papam in sede Apostolica restituit, & Imperialem benedictionem ab eodem suscepit. Hoc autem Latranis apud S. Johannem Baptistam ideo fieri voluit, & congruum duxit, quia imperatorium Palatium ibi situm est, & ejusdem loci auctoritatem aliquotiens Imperatorum consecratio roboravit. Accessit etiam, quod Petrus, qui sibi dignitatem Apostolicam usurpaverat, templum beati Petri, ubi Imperialis benedictio danda est, cum multitudine armatorum occupaverat, quem locum Imperator facile ferro obtinuisset nisi pietate consulente, propter excidium sacri loci, declinasset. Lotharius Imperator Roma digrediens, ad Clusas, quæ Brixam ducunt veniens, Adelbertum quendam tyrannum cum X. millibus transitum prohibentem, Domini fretus auxilio devicit, & in suo castro Lodrin, quamvis inexpugnabili, quo confugerat, obtinuit, captivum abduxit; post victoriam ad propria rediit: Ecclipsis solis facta est IIII. Non. Aug. mediante hora octava. Anno 1134. Lotharius Imperator Pentecosten Halberstati celebravit, ubi Magnus filius Nicolai Regis Danorum ob gratiam ejus immensum pondus auri & argenti eidem obtulit, eo quod suas injurias, a Rege sibi illatas, vindicando multos Teutonicorum in suis partibus comprehensos occiderat, truncaverat, aliisque mortibus affectos Dania expulerat, Rege interim in Italia agente; quem tamen Imperator pius super hoc pœnitentem & satisfacientem recepit, diademate coronatum Regem esse decrevit suumque spatarium in ipso sacro die constituit. Qui remeans ad sua, Imperatoris tantum abusus est clementia, ut Erico filio patrui sui, cujus fratrem occiderat, bellum inferret, & in Lundina civitate, armatorum & navium multitudine confisus, obsedit. Cumque navibus egressi, applicarent civitati, tantus horror invasit eos, ut omnes cuperent ac peterent revehi. At Magnus, quid, inquit, timetis, milites fortissimi? Viginti millia armatorum nobiscum sunt, cum quibus ipsam Romam obtinere potuissemus; illis econtra diffidentibus, & nulla solatione metum ponentibus, David, adolescens egregius, Erichi sororis filius, civitatem cum CCC. armatis erumpens, adversariorum turbavit exercitum, illisque fugientibus, Magnus relinquitur solus in terra prostratus. Quem super astans David adolescens, o, inquit, latro & parricida sceleratissime, qui avunculum meum, patrui tui filium osculans interfecisti, ut Judas Dominum tradidit, nunc te premunt peccata tua, nempe te Dei persequuntur judicia. Hodie recipies, quod mereris, ut impio capite tuo cum manibus scelestis abscisso, omni seculo fabula fias. Quo tali morte perempto, Rex Nicolaus, pater Magni, timore correptus immenso, jamque se & a coëssentibus sibi cominus moriturum suspicatus, fugiendo cum multitudine armatorum, juxta Sleswic est Castra metatus. Cives autem ejusdem Civitatis in dolo ei pacifice loquentes, Episcopum suum cum cæteris primatibus ad eum quasi pacis obsides emiserunt, & introductum ad se statim pro foribus Ecclesiæ positum, in Oratione peremerunt, & loco ejus Erichum, filium fratris ejus, Regem constituerunt. Imperator Lotharius cum exercitu adversus ducem Fridericum & fratrem ejus Cunradum Sueviam ingreditur, villa Ulma

funditus destruitur, castella, munitiones plurimæ evertuntur, tantaque clade tota Suevia atteritur, ut nihil antea simile factum a cunctis Regibus memoretur. Anno 1135. Fridericus, Dux Suevorum, gratiam Imperatoris Lotharii Babenbèrc acquisivit ad curiam media Quadragesima habitam; & ex sententia Imperatoris, & unanimi consensu Principum pax esse decernitur. X. annis per regnum universum conjurantibus cunctis. In id ipsum Imperator Lotharius curiam suam apud civitatem Merseburc in ad vincula Sancti Petri habuit, ubi ex ejus præcepto Dux Polenorum affuit: qui sæpe numero anteriorum Imperatorum impetitus bello, sæpe rogatus, sæpe suasus promissionibus, nunquam tamen ad eorum curiam venire consensit vocatus. Affuit etiam Dux Boëmorum Udalricus, qui cum esset Ducis Polenorum infestissimus inimicus, Imperator reconciliavit eos. Venerunt etiam ad eum Dux unus & Episcopus a Rege Græciæ missi cum legatis Ducis Venetiæ, conquirentes & vindictam postulantes adversus Ruggerum quendam Comitem Siciliæ, eo quod Regi Græciæ Affricam paganis auxiliantibus, abstulerat, quam suo Dominio subdens, Regium sibi nomen usurpaverat, insuper Venetiam spolians, mercium diversarum XL. millium talentorum pretium abduxerat. De imperio quoque Romano totam Apuliam atque Calabriam subtraxit, aliaque perplura contra jus fasque perpetravit: contra hæc promittuntur Imperatori a legatis ad supplementum Teutonici exercitus, naves, copiosæ militum legiones, innumeræ auri & argenti sufficientia. Quantis & qualibus eo tempore adeo imperator donis diversarum gentium honoratus fuerit, quis explicare possit? aurum, lapides pretiosos legati Græciæ attulerunt cum diversorum colorum purpura, aromata multa nimis, & in hac terra hactenus incognita. Sed & Dux Poloniæ, Duxque Boëmiæ pelles griseas atque Mardelinas, cum variis auri & argenti & pretiosarum rerum muneribus. tanta afferebant copia, ut nullus superesset Principum, qui & Ducum illorum & Imperatoris muneribus se non gauderet honoratum. Nec minus Regis Ungariensis nuntii Imperatorem cum cæteris Principibus lætificaverunt, qui Dominum suum ad omnem ejus voluntatem paratissimum nuntiarunt. Rursum Imperator curiam suam in Mulehusin villa regia habuit, circa festum Sanct Michahelis, ubi Cunradus frater Friderici Ducis, gratiam Imperatoris promeruit, cui cum omnia sua restituisset, regiis donis honoratum, ad sua remisit. Ventus vehementissimus, & hactenus incognitus, naves, ædificia, arbores fructuosas & silvestres cum magna parte silvarum in interitum misit. A. 1136. Imperatore Lothario Natalem Domini Spiræ agente, visus est sol in vigilia Epiphaniorum nullis apparentibus nubibus, quasi ex parte præruptus; in aliis quoque partibus non post multo apparuerunt prodigia. Lapis unus, magnitudine Capitis hominis, juxta locum Oldelleybin Abbatiam cecidit de nubibus, a fratribus postmodum ibidem diligenter custoditus. Per idem tempus Imperatore in Quidinlingeburc civitate existente, visum est desuper civitatem in aëre quiddam in modum scalæ, transvolare niveo corpore, rubro rutilans capite. Testati sunt quoque non pauci eodem tempore, se vidisse quasi crucem rubeo colore coruscam de cœlo ad terras descendisse, & non procul a terra aliquamdiu in aëre pependisse, qua rursus ad cœlos remeante, aër tanta resplenduit claritate, ut nullus intuentium ad hanc perspiciendam, tanquam contra solis radium visum obtunderet. Lupoldus Marchio in venatione occiditur. Imperator in Italiam secundo proficiscitur, & divina fretus gratia, mirabili prosperitate cum paucis quaqua versus progreditur, victor existit; Apuliam de potestate Ruggeri Siculorum ducis eripuit, eamque juri sedis Apostolicæ restituit: In qua expeditione Brun Coloniensis Archiepiscopus obiit, & apud Barum Apuliæ civitatem sepelitur. Anno 1137. Monasterium Sancti Martini in Moguntia, cum magna parte civitatis crematur. Imperator Lotharius de Italia revertitur, sed cum Germaniæ fines intraret, dumque Principes apud Wirciburc ejus præstolantur adventum, infirmitate correptus, diem clausit extremum, III. Non. Decembr. omni regno de morte sua relinquens mœstitiam. Corpus ejus a Richiza Imperatrice Saxoniam refertur, & apud Lutrensem Abbatiam, ab ipso constructam, præsentibus Saxoniæ atque Thuringiæ Principibus II. Kal. Jan. regio more sepelitur. Anno 1138. Indict. I. Cunradus, Friderici Ducis Suevorum germanus, qui antea quoque regium sibi nomen usurpaverat, apud Confluentiam media Quadragesima in Regem eligitur, & ad proximam Pentecosten ad curiam in Babenberc habitam, a quam plurimis Regni Principibus confirmatur. Anno 1139. Synodus magna apud urbem Romam, cum diversarum provinciarum Episcopis & Abbatibus, media Quadragesima sub Papa Innocentio celebratur. Heinricus, Dux Bajoariorum & Saxonum obiit, relinquens filium puerum ejusdem nominis. Quo mortuo, discordia gravis exorta propter Ducatum Saxoniæ a Rege Adelberto Marchioni præstitum, & contra voluntatem omnium Principum puero Heinrico ablatum. Cui cum Saxones Ducatum armis defenderent, Rex hoc indigne tulit! & Saxoniam hostiliter intraturus, circa Hersfeldiam exercitum constituit; Saxones egressi, super fluvium Wirrha castrametati sunt paribus atque ardentibus animis in utrumque parati, aut fortiter vincere, aut non inulte mori; quorum Rex audaciam veritus sanguine judicium facere timuit, sed consilio cum Regni primatibus habito, dextras dedit accepitque, & pacis dilatione usque in Pentecosten composita, exercitum dimisit. Gotefridus Dux Lovaniæ obiit. Otto Babenbergensis Episcopus, vir maxime atque omni merito vitæ laudabilis, postea quam plurimas Deo servientium congregationes longe & prope instituit, beato fine quievit. An. 1140. Ludowicus, Provincialis comes obiit: Item Vdalricus, Dux Boëmorum, & Willehelmus Palatinus Comes obiit. Cunradus Rex circa Purificationem S. Mariæ curiam habuit Wormatiæ. Ibi Ludewicus

wicus adhuc puer provincialis efficitur. Eodem anno destruuntur Castella Anahald, Gruninge, Gebilizi, Withekke. Anno 1141. Richiza Imperatrix obiit. Anno 1142. VI. Idus Maii. ad curiam in Franckenfurt Rex & Saxones, qui hactenus quorundum factionibus non minimum discordaverunt, in concordiam redierunt. An. 1143. Hyems magna & nivosa. Berchta Morunhen, filia Wicperti, Marchionis, obiit. Anno 1143. Innocentius Papa obiit. Anno 1144. Rudolfus Comes de Staden occiditur. Anno 1146. Cunradus Rex, Ulodislao Ducatum dedit. An. 1147. Cunradus Rex, & Ludevvicus Rex de Gallia cum Episcopis & Ducibus atque Comitibus, cumque multarum provinciarum multitudine innumerabili diversæ conditionis tam equitum, quam peditum, quorundam magnæ æstimationis & religiosi habitus hominum sermonibus territi, dicentium, quod instaret dies Domini, Hierosolymam zelo fidei contra Paganos pugnaturi proficiscuntur. Et Cunradus quidem cum immensis copiis, quas habebat, per Vngariam versus Constantinopolin iter faciens, a Rege Græcorum magnifice tractatur, muneribus honoratur, & ultra progressus, difficultatem maximam locorum & penuriam necessariarum rerum summam incurrit, incursionibus quoque Paganorum suorum infinitam multitudinem amisit, tandemque cum parte reliqui exercitus Constantinopolin rediit. Rex ergo Græciæ, quia sororem ejus in matrimonio habuit, ejus necessitati supplicantis subveniens, duces itineris ad sepulcrum Domini cum eo destinavit, & ita cum paucis Rex Cunradus, reliquis in diversa dispersis, Hierosolymam adiit, ubi nihil pro Imperialis & Teutonici nominis magnificentia peregit. Eccliplis solis VII. Kal. Novembr. hora diei sexta facta est, Anno Hierosolymitanæ profectionis ipsaque die retrocessionis Cunradi Regis & Christiani exercitus, dieque interfectionis Bernhardi Comitis de Saxonia & aliorum plurimorum. An. 1148. Uto Cicensis Episcopus ab Hierosolymis revertens, cum multis aliis naufragio periit, pro quo Wicmannus, Cunradi Marchionis sororis filius, constituitur. Hedevvic relicta Ludevvici Provincialis comitis obiit. In media Quadragesima Eugenius Papa Remis concilium celebravit. Rodibernus Princeps Pomeranorum fidem christianam firmavit juramento. Anno 1149. Cunradus Rex ab Hierosolymis revertitur. Bucco Wormatiensis Episcopus obiit. Anno 1150. a Vigilia Nativitatis S. Johannis Baptistæ frequenter tonitrua gravi horrore plena, fulmina terribilia, tempestates horribiles, vis Imbrium, nimia inundatio aquarum, tenebrosæ nebulæ & fœtentes & spissæ, & secuta gravissima pestilentia & mortalitas tam hominum quam pecorum, & magna penuaria frugum, unde & sequenti anno ante messem tanta fames secuta, quantam non viderant homines illius temporis. Astrologi asserunt, hunc annum Saturni scilicet illius planetæ fuisse, qui in XXX. annis cursum suum peragens, hæc indicia relinquit. Hyems aspera & longa, & in sequentem annum nimis producta. Anno 1151. Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus obiit, cui Arnoldus Coloniensis Cancellarius successit. Anno 1152. Lampertus Comes obiit: & Comes Hermannus de Wincenburc, cum Lukarda Conjuge sua. IIII. Kal. Febr. feria III. post Septuagesimam, suorum insidiis in propria domo interficitur. Rex Cunradus obiit, XV. Kal. Mart. & Dux Fridericus, filius fratris ejus Friderici Ducis, media Quadragesima, Principum assensu, Rex eligitur. Anno 1153. Fridericus Rex in Saxoniam venit. Heinricus Moguntinus Archiepiscopus a legatis Domini Apostolici deponitur, cui successit Arnoldus Cancellarius. Eugenius Papa obiit, cui successit Cunradus, qui & Anastasius. Anno 1154. Fridericus Rex Romam profectus est, & postea Pascha in Magdeburg celebravit. Anastasio Papæ successit Nicolaus, Albanensis Episcopus, qui & Adrianus. Anno 1155. Fridericus Rex Imperiali benedictione ab Adriano Papa sublimatur & coronatur, sicque Romanis eum invadentibus, cum gloriosa victoria rediit. Sweno Rex Danorum, a Regni primoribus, Regno depellitur, cujus Regnum a Knuto & Waldemaro, nepotibus ipsius, occupatur. Anno 1156. Heinricus Dux, Frisiam hostiliter ingreditur, & inacte revertitur. Fridericus Imperator Ratisponæ conventum habuit, ubi ipso mediante, Heinricus Dux, Ducatum Baioariæ obtinuit, & Heinricus antecessor, Marchionatum in Hosterriche obtinuit. Marchio Cunradus obiit, in Sereno Monte conversus, cujus fundator ipse in honore S. Petri fuit. Heinricus Dux Swenonem in Regnum Daciæ reduxit. Anno 1157. Brandenburc obsidetur & capitur. Fridericus Imperator Poloniam hostiliter ingreditur. Knutus Rex a Swevone dolose interimitur; Waldemarus vero vulneratus, vix evasit. Non multo post congrediuntur Svveno & Baldemarus, Svveno vincitur, capitur, occiditur. Adelbertus Marchio Hierosolymam petiit. In Purificatione Imperator curiam habuit Frankenfurt sequenti anno. Anno 1158. Imperator Pascha apud Trajectum agens, postea Italiam cum exercitu intravit, & Mediolanum obsedit. Heinricus terram Sclavorum igne vastavit. Hoc anno tempestas extitit, quæ vento turbinis etiam arbores radicitus evulsit, Ecclesias & Domos evertit, & aquarum inundatione homines & pecora mersit. Anno 1159. Principes Saxoniæ Longobardiam intrant. Adrianus Papa obiit, & duo electi sunt & confirmati, Octavianus, qui & Victor, Imperatori & ei faventibus, prohdolor! complacuit; Rulandus, qui Alexander, ab aliis electus est & confirmatus per XVIII. annos, contra voluntatem Imperatoris & omnium Principum, ab ipsis abjudicatus & abjuratus. Mortuo Victore & aliis ejus partis successoribus, tandem communi omnium post tot, ut diximus, annos, in Venetia, occurrente ipso Imperatore cum omnibus Principibus, gloriose Apostolicus universalis efficitur; & scisma & scismatici abdicantur. Hoc anno concessione Imperatoris Heinricus Dux in Sclavorum regione hos Episcopatus instituit, Liubech, Zvverin, Razesburc, Aldinburc. Anno 1160. Imperator

rator castrum Grimme cum magno labore obtinuit & destruxit. Arnoldus Mogontinus Archiepiscopus in atrio Ecclesiæ Beati Jacobi, a suis civibus in Mogontia obsessus & comprehensus, miserabiliter occiditur, & ipsum Monasterium omne concrematur. Heinricus, Dux terram Sclavorum vastavit, ubi Princeps eorum Nuiclat occiditur. Idem Dux Udalricum Halberstadensem Episcopum deposuit auxilio Cardinalis ex parte Victoris Papæ, cujus electioni idem Episcopus nunquam inclinari potuit, cui Gero superponitur. Fridericus Imperator de Mediolanensibus triumphator clarissimus in toto celebratur orbe. Episcopi in Sclavorum regionem destinantur, Geroldus in Aldenburc, Evermodus in Razesburc. Berno in Magnopoli, qui translatus est in Zvvarin. Anno 1161. Magna discordia inter ducem Heinricum & Episcopum Ratisponensem. Anno 1162. Mediolanum Imperatori traditur, & terræ funditus æquatur. An. 1163. Dux Heinricus, Werlam castrum Sclavorum obsidens, ad deditionem coegit. Imperator Mogontiam veniens, murum civitatis & propugnacula ejus destruxit: Interfectores Episcopi vita quosdam, alios rebus mulctavit. Anno 1164. Inæqualitas aëris, turbo, fulgura terribilia, inundationes etiam maris & aliorum fluminum, maritima loca vel insulæ periclitantur, homines & jumenta Ecclesiæ, & domus circa orientem & aquilonem perierunt IV. Kal. Mart. Werra inter Reinholdum Coloniensem, & Palatinum de Rheno propter Castrum Rineke. Victori successit Wido Cremonensis, qui & Paschalis, Alexandro Papa nondum a nostris recepto. Anno 1165. Anno 1166. Werra exoritur inter Ducem Heinricum & Principes Saxoniæ, quæ XV. annos in deterius ad totius Saxoniæ periculum processit. An. 1167. Castrum detestandum Haldesleibon, & sæpius nominandum Meindorph etiam a Principibus destruuntur. Imperatore fortiter in Italia agente, Romani ad XL. millia coadunati, Tusculanum Imperatori fidelem obsidione cinxerunt in vigilia Pentecostes. Hoc comperto, Christianus Moguntinus electus, cum Flandrensibus & Brabantinis accessit, & juxta Castra disposuit; Romanis arma sumentibus, bellum graviter commissum est. Interim Reinholdus Coloniensis, cum Imperator adhuc nihil horum resciret, cum suis exoptato super eos irruit, & Romanis fortiter insistens, prævio beati Petri vexillo, in cujus adjutorium conclamaverant, VIII. millia prostraverunt: IIII. millia capiunt, cæteri saucii vix effugiunt,: ibi captus est filius Ottonis Frangipanis, quem pro multa pecunia reddere noluerunt: Hæc victoria in secunda feria Pentecostes accidit. Corpora tum Magorum a Mediolano per Reinholdum Archiepiscopum Coloniæ gloriose translata sunt. Anno 1168. Italici Iterum Imperatori rebellant. Anno 1169. Antiochia & quædam aliæ illius partis civitates terræmotu concussæ sunt. Waldemarus, Rex Danorum, ad Rugianos cum exercitu profectus, deos eorum, & idola diripuit, aurum & argentum eorum a fanis auferens, Christianos eos fieri coëgit, & inopia Doctorum paulatim eos fecit paganizare. Daniel Pragensis Episcopus obiit, post quem Fridericus, filius Palatini de Putelendorf. Imperator Fridericus curiam habuit in Babenberc, ubi Christiano Episcopo vice ejus proloquente, Heinricus, filius Imperatoris quinquennis, in Regem eligitur, & in Festo S. Johannis Baptistæ intronizatur Aquisgrani. Anno 1170. Imperator Fridericus, Festum Nativitatis Domini Spiræ egit Fervor æstatis nimius. Gerungus, Misnensis Episcopus obiit, post quem Martinus. In die Innocentum S. Thomas Archiepiscopus Cantabrigensis a militibus Regis Angliæ martyrizatur; ipsa die mutus ibi locutus est, duo cœci viderunt. Anno 1171. Imperator Fridericus Plozeka & alia prædia filiorum Marchionis Adelberti obtinuit, & gravem discordiam commovit. Mortalitas hominum. Dux Heinricus transiit mare. Anno 1172. Imperator Merseburc Curiam habuit; post expeditionem Imperatoris & aliorum principum in Poloniam Ludevvigus Landgravio obiit. Anno 1173. Imperator curiam habuit in Ermindorf, ibi Rex Boëmiæ deponitur, & Zibizlao Ducatus datur: fervor æstatis & siccitas, & frugum inopia, nebula quoque periculosa. Ludevvigus junior Landgravio filios Marchionis Adelberti, ob gratiam Imperatoris avunculi sui, infestat, illi econtra Thuringiam vastant. Qua vastata, etiam Wimar destruitur a Landgravio. Anno 1174. Imperator in Assumtione Sanctæ Mariæ, Longobardiam cum exercitu intrat, terram devastat, Alexandriam obsedit, in qua obsidione cum multa præclara a nostris acta essent, proh dolor! una die multi ex nostris miserabiliter, concidentes in subterraneum vallum, suffocantur. Obsidio per annum duravit, vinum & fruges perierunt. Wimar destruitur a Landgravio; idem in obsidione Wirbene telo graviter sauciatur. An. 1175. Exacta totius anni obsidione, Longobardi ex omni terra congregata multitudine Imperatorem invadunt, quibus Cæsar soluta obsidione obviavit. Longobardi quasi divinitus mutata mente, arma ponunt, gladios jugulis inponunt, ad pedes Imperatoris prosternuntur, qui clementer eos accipiens, Papiam venit; postea Cæsar Principes a se remisit & Longobardi, rupto federe, ad curiam sibi indictam non venerunt; tamen Cæsar hoc dissimulans, Papiæ interim sedit. Heinricus Dux circa Bodam initium devastationis faciens, Askerleve, & alia Bernhardi Comitis, igne & præda depopulatus est. Helphede a Landgravio insidiis capitur. Anno 1176. Imperator a Papia Principes Saxoniæ & aliarum partium invitat in Longobardiam, quorum adventu congaudens, exivit eis cum paucis in obviam. Interim Longobardi cum infinito exercitu, undique insidiis collocatis, repente super eos irruunt. Proximo igitur Sabbato post diem Pentecostes a paucis Teutonicis contra tantos dimicatum est. Imperator ferro iter aperiens, ab exercitu declinavit, cæterique, prout potuerunt & quando, secuti sunt eum. Quousque enim signum Imperatoris præsens fuit, a nostris ita viriliter & animose certatum est, ut magnam multitudinem

nem hostium prosternerent, & duo tantum ex nostris milites ceciderint. Sed ubi signum Imperatoris disparuit, nostris ignorantibus, eum cum paucis cessisse & evasisse, tunc nostri sarcinis & armis abjectis, cedebant, & multi capti sunt ab hostibus. Ea die Longobardi se putabant gloriose vicisse, Imperatorem aut captum aut occisum: sed ubi audierunt, Imperatorem & Principes numero sanos Papiæ convenisse, animo conciderunt, & supra modum contristantur. Eodem tempore Dominus Imperator Dei inspiratione tactus, & admonitione eorum, qui circa eum erant, missis legatis & epistolis in totum regnum, concilium indixit omnibus Episcopis & Prælatis & Principibus pro rescindendo tam diuturno scismate, quatinus Apostolicus, immo Scismaticus, quem Imperator tenebat, abjiceretur, & Alexander revocaretur. Anno 1177. Imperator cum Marchione de Monte Ferrato Natalem Domini celebravit, unde Ravennam cum multis Prælatis & Principibus venit. Quo cum Alexander invitatus, pro imbecillitate maris pericula transire non posset, eo annuente, idem concilium Venetiis transpositum est. In vigilia Annunciationis, Alexander Venetiis cum ingenti gloria, absente Imperatore, ab his, qui ob concilium convenerant, suscipitur. Apostolicus Pascha apud Ferrariam celebrat, rursusque Venetiam redit. Tandem omnibus pene lassatis pro adventu Domini Imperatoris & pro compositione, in Vigilia Sancti Jacobi Imperator adveniens, a tanta multitudine suscipitur, ubi pene totus Orbis confluxisse videbatur, ubi ipse ab Apostolico ante Monasterium Sancti Marci in osculo pacis recipitur. Sequenti igitur die Dominus Papa in Concilio residens, scismaticos omnes, & ab eis ordinatos anathematizavit, præter eos, quos mediante gratia restituere ex consilio monitus est. Nam Christanum Mogontiensem petitione Imperatoris confirmavit, Cunradum ab illa Ecclesia nuper ejectum, in Salzburgensi Ecclesia præfecit, Udalricum etiam Halberstadensem restituit, Geronem removit; & præterea alii multi projecti & suscepti sunt. Concilium per XIIII. dies habitum est. Dominus Papa in Apulia, Imperator in Longobardia hiemavit. Dux Henricus & Otto Marchio Brandenburgensis ad Sclavos profecti, Dimin obsederunt, ibi obsidibus & pace acceptis, redierunt. Inter eundem Ducem & Ulricum Halberstadensem Episcopum discordia oritur, & a Duce Castrum Episcopi Hornebure destruitur. Anno 1178. Alexander Papa duce Mogontino Christano & aliis ab Imperatore destinatis, Romam veniens honorifice suscipitur, in ipsa Quadragesima plures ad se venientes in pace recepit, & multos in ordines suos per pœnitentiam restituit, & magna cottidie, propter cautelam circumvallatus suorum & Imperatoris acie, stationes in media Quadragesima & in Palmis celeberrimas egit. Legatos Imperatoris cum honore & muneribus remisit. Imperatori etiam xenia per eos misit. Eodem anno nuntii Papæ universale Concilium ubique indixerunt. Philippus Archiepiscopus Coloniensis cum exercitu multo usque Wisaram, omnia quæ Ducis Heinrici fuerant, miserabiliter vastavit, ubi proh dolor! etiam Ecclesiis non parcitur. Wicmannus Magdeburgensis & Eberhardus Merseburgensis, cum aliis obviam pacifice venientes, impetum Coloniensium amice retinuerunt. Udalricus Halberstadensis, urbem juxta Civitatem Biscofesheym, auxilio Marchionis Ottonis de Misna & Bernhardi Comitis instruxit. Dux Heinricus cum exercitu superveniens, eos impedire conatus est; Sed Magdeburgensis rursus eos sedavit, pace inter eos ad tempus promissa; exercitu dimisso, urbs eadem quorundam arte exusta est. Interim Episcopus Wicmannus diligentior de pace interrupta, & rursus reparanda, suo & omnium Principum auxilio, eandem reparandam promisit, quo cum magno exercitu ex omni terra Principes convenerunt. Interim & Palatinus Comes de Sumerissenburc, cum multis militibus Ducis superveniens juxta paludem castra metatus est, Principibus urbem restaurantibus: Audito adventu militum Ducis, quidam ex adversa parte, signifero Bernhardo Comite de Anahalt, armati illos invadunt, quorum signifer præfatus Palatinus statim fugam iniit, & omnibus causa ruinæ factus est; nam ex militibus Ducis amplius quam quadringenti capti sunt ibi, pauci occisi, & aliqui, in palude etiam suffocati sunt, vel armis abjectis miserabiliter effugierunt, & hostes, armis & equis pluribus adeptis, ad urbem & ad socios, qui ista nesciebant, reversi sunt, Legatione tamen Imperatoris & præcepto eandam urbem reparare sunt inhibiti. Imperator Pascha apud Arelatum celebravit, quæ Civitas etiam ex Regni sedibus esse cognoscitur. Ibi ergo in sede Imperiali coronatus processit, & insignia Regni prælata sunt. Etenim Imperator causa orationis, ad Sanctum Ægidium profectus, reliquas civitates ejusdem provinciæ sibi fideles & subjectas fecit, postea in festo Sancti Martini ex hac parte Alpium a Principibus Teutonicis ei occurritur. Anno 1179. Imperator Fridericus curiam Wormatiæ habiturus, eo in octavis Epiphaniæ venit, ibi auctoritate Imperiali, nullo contradicente, filios suos hereditate propria & beneficiis multorum nobilium virorum, plurimis etiam urbibus & ministerialibus ditavit. In media Quadragesima, Romæ præsidente Domino Alexandro Papa, concilium est habitum cum tribus Patriarchis & Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, millenarium numerum excedentibus, præter Præpositorum & Clericorum ac laicorum infinitum numerum: ibi multa decreta sunt promulgata, omnibus subscribentibus; Episcopi & Clerici a scismaticis ordinati remoti! violenter extrusi sunt repositi. Pascha pene ab omnibus ibi celebrato Dominus Papa subter minatione anathematis omnibus ad Apostolicam sedem intendentibus pacem firmam constituit, omnesque cum Apostolica benedictione dimisit. Imperator Fridericus curiam Magdeburc intra Civitatem Sancti Johannis Baptistæ, habuit, ubi propter absentiam Heinrici Ducis nihil determinari potuit.

potuit. Nativitatem etiam Apostolorum Petri & Pauli, ibidem cum Imperatrice Beatrice & filio Rege coronatis, ipse coronatus celebravit. Postea curiam in Nurenberc habuit, ad quam Dux Heinricus secundo vocatus, venire renuit. Tertiam curiam in Cuine Castello eidem Duci indixit, & non venit; statimque ab omnibus Principibus expeditio contra Ducem indicta est. Mortalitas ovium & aliorum jumentorum propter nimis diuturnam hyemem: in ipsa enim Festivitate horrida nix diu duravit in Pascha, ut etiam volucres ingemiscerent nobiscum, ut lætitiam Paschalem, gelu tristi nondum terso, vix concineremus. Messis serotina, Vinum periit: Signa multa in sole, & Luna & stellis, & pressura magna; postquam enim Udalricus Halberstadensis Episcopus a Clero suo, & civibus, aliisque nobilibus honorifice suscipitur, Gerone cedente omnes a Gerone ordinatos & statuta ejus omnia immutavit. Ducem, & omnes, qui a Gerone beneficia susceperant, ea dimittere coëgit. Castrum Horneburc reædificavit. Imperatore a Saxonia excedente, post diem Sancti Mauritii Dux Heinricus vel ab eo immissi cum armata manu Halberstat intrant, nulloque resistente, omnia igne concremant; Monasteria quatuor, Sancti Stephani, Sanctæ Mariæ, Sancti Johannis Baptistæ, Sancti Pauli, cum omnibus aliis Ecclesiis ignis corripuit. Mille & amplius homines exusti sunt, tres Canonici, plures Presbyteri & Scolares quamplurimi, qui in Sacra loca confugerant: quidam fumo suffocantur, alii sagittis & gladiis, quidam spoliati, quidam captivi ducti sunt; ipse Episcopus cum Præposito suo Rumaro, & aliis Capellanis, & nonnullis militibus capitur, deducitur, omnia aut flamma vel præda diripuit. Væ unum abiit, duo ventura sunt in brevi: post VIII. enim dies Magdeburgensis Episcopus cum multitudine armatorum castrum Ducis Haldesleyben circumdedit, ad cujus auxilium non tantum nostri Principes, sed & Episcopus Coloniensis cum duobus Ducibus & VIII. Comitibus quatuor millia armatorum ducens, convenit. Qui omnes non destructionem illius castri, sed ad ultimam desolationem totius Saxoniæ convenerunt. Cœnobium siquidem Hildesleve dictum, & omnes circumpositas Ecclesias villasque pedites Colonienses, Rotten dicti, despoliaverunt, & omnia vastaverunt; post quartam hebdomadam, cum etiam Provincialis Comes quadringentos milites adduxisset ad auxilium eorum, discordia inter eos oriri cœpit, sicque paulatim, infecto negotio, ab omnibus discessum est; gravius enim exercitus abeuntium provinciam devastavit omnem, quam antea fecerat. Illis abeuntibus, Dux Heinricus coadunatis armatis, omnia circa Bodam fluvium devastavit igne & præda: & VIII. Idus Novembr. Calve, Curiam Episcopi, & omnia destruxit & igne consumpsit, & rediit. Anno 1180. Imperator Fridericus Ulmæ Nativitatem Domini egit, Udalricus Halberstadensis Episcopus, a captivitate in civitatem suam remittitur; & omnes cum eo captivi relaxantur, conditio & compositio, quam in captivitate cum Duce fecit, a Domino Papa & Imperatore cassatur. Imperator post Epiphaniam curiam habuit in Wirceburc, ad quam Dux Heinricus vocatus, non venit, & ideo ex sententia Principum, reus Majestatis adjudicatur, præterea omnis hereditas ejus & omnia beneficia, quæ & a regno & ab episcopis possedit, eidem abjudicantur. De qua curia Principes reversi, pacem composuerunt inter ipsos & ducem, usque in octavam Paschæ. Imperator curiam habuit Geilinhausen ante Pascha XIIII Noctes, ibi Legati Domini Papæ affuerunt duo Cardinales, ubi etiam Sifridus transfertur ab Episcopatu Brandenburgensi ad Bremensem Archiepiscopatum, & Bernhardo Comiti, fratri Episcopi Ducatus Saxoniæ, ex omnium Principum sententiis, adjudicatur circa Orientalem partem fluminis Wisera; Ducatum vero ad Occidentalem plagam ejusdem fluminis in Westphalia Coloniensis Episcopus obtinuit. Ludewigus Provincialis Comes Palatinus efficitur loco Adelberti de Sumirsinburc, qui sine hærede obiit. Expeditio usque ad Festum Sancti Jacobi omnibus Principibus contra Ducem Heinricum indicitur ab Imperatore Friderico, qui etiam Wormatiæ Pascha celebravit. Post octavam Paschæ Dux Heinricus, congregato exercitu, circa Goslariam folles & conflatoria ejusdem civitatis ad Imperatoris injuriam evertit, & ipsis civibus annonam inferri inhibuit, deinde Northusen concremavit, ubi etiam Monasterium Sanctimonialium incensum est & omnia igne & præda vastantur. Cui occurrerunt Ludewigus & Bernhardus Principes, & nondum coadunato eorum exercitu juxta Wizinsen Ducem Heinricum invadentes, acriter & supra vires humanas pugnatum est; sed, proh dolor! Thuringorum turba statim tergavertente, & eo gravius Duce & exercitu ejus eis insistente, Ludewigus Provincialis & frater ejus Hermannus circumventi, cum aliis capiuntur, Bernhardo Comite & ejus militibus fortiter agentibus, & nullatenus cedentibus; sed ubi & hi, qui ad pugnam nondum convenerant, turpiter retrocesserunt, & hi, qui ex parte primi fuerant, fugam inierant, & reliqui pene ad CCCCtos milites cum Provinciali Comite circumventi & capti fuerant, Bernhardus & sui cedere compulsi sunt; sicque Dux Heinricus & sui victores effecti, fugientes Thuringos in Mulehusen usque prosecuti sunt, omnia præda & igne miserabiliter vastantes. Item Heinrici Ducis instinctu, Sclavi Liwitici & Pomerani, regionem Lusiz trans Albiam depopulantur, multi capti & occisi sunt ab ipsis, & cum præda redierunt. Imperator Fridericus in Nativitate Sancti Johannis Baptistæ curiam Ratisponæ habuit, ubi Ducem Heinricum ex sententia Principum Ducatu Bawariæ & hæreditate & beneficiis privavit, & cum exercitu post Festum Sancti Jacobi Saxoniam intravit, & cum Principibus Castrum Ducis Lichtenberc obsedit, & in deditionem post paucos dies accepit. In Assumptione Sanctæ Mariæ, in Curia apud Werle habita, omnibus fautoribus Ducis, termini, ut ab eo resipiscant, præfiguntur ex sententia Principum, scilicet Nativitas Sanctæ

ctæ Mariæ, Festum Sancti Michahelis; tertius terminus ad Festum Sancti Martini, scilicet nisi interim ad gratiam Imperatoris rediissent, ipsi & filii eorum jure hæreditario abjudicarentur. Imperator deinde ad oppressionem Ducis duas urbes, Biscofesheim & Hartesburc instruxit, & ibi dimisso exercitu, & in Aldenburc veniens, ex sententia Principum, ducatum Bajoariæ Ottoni Palatino de Witilinginbach adjudicavit. Eo tempore traditæ sunt urbes Ducis Heinrici Domino Imperatori, Heinenburc, Lewenberc, Regenstein & alia Castella; item Dux congregato exercitu obsedit Sigeburc, urbem Adolfi Comitis, & cum nil proficeret, pace falsa pollicita, dolo eam obtinuit, & quibus pacem jurari fecerat, eos captivos detinuit. Sifridus Bremensis Archiepiscopus ad sedem suam cum legatis Apostolici & pallio veniens, honorifice suscipitur; Baldemarus in Brandenburc ei subrogatur. Item Bernhardus de Lippa a Coloniense, quia prædo fuerat, repulsus in Haldisleybon cum aliis plurimis prædonibus a Duce Heinrico est inmissus, ubi totam Provinciam vastare cœperunt, nullo resistente, & omnem censum, qui debebatur Canonicis in Magdeburc & aliis multis Ecclesiis, violenter extorserunt. Imperatore iterum circa Goslariam in Saxonia manente, Hartesberc & Stuphenberc, & Schiltberc ei traduntur, urbes egregiæ Ducis, & præterea multi nobiles, hactenus Ducis fortissimi fautores, scilicet Comites de Waltinroth, de Scharfelt, de Hilvelt, se cum Castris suis Domino Imperatori obtulerunt, & in gratiam fideles regno suscepti sunt. Kazamarus Princeps Sclavorum & diu prædo Christianorum repentina morte obiit. Anno 1181. usque ad hunc annum computantur anni 66. a bello facto in Saxonia in Welfesholtz, & Anni 55. a bello, quod factum est in Boëmia a Saxonibus. In Kalendis Februar. Wicmannus, Magdeburgensis Archiepiscopus, dolore tactus nimio propter incursionem militum Ducis Heinrici de Haldisleybon, qui totum Episcopatum deprædantes, jam in solitudinem redegerant, quamvis multi dissuaderent, & tale tantumque negotium ipsi Imperatori dicerent sufficere; ipse, ut credimus, divina roboratus inspiratione, cum omnibus, quos attrahere potuit, Haldisleybon aggressus obsedit. Missis igitur nuntiis circum quaque ad Principes, omni qua potuit aut scivit, eos attraxit, ammonitione. Nova ergo & a seculis nunquam experta & audita arte, concludens meatum & alveum fluminis ejusdem castri Horæ vel intercipiens, & undequaque glebas & moles comportari faciens, ipsa unda, Ore dicta, tantum intumescendo excrevit, ut infra paucos dies in tota Haldisleybon, superficies terræ nusquam appareret. Tunc milites & cives, tectis omnium domorum suarum avulsis, in trabibus ipsis mansiones & receptacula cibariorum faciebant: denique tanta inundatione afflicti sunt, ut nullius defuncti corpus terræ commendari posset, sed imposito navi, navigio peterent Ecclesiam, super cujus trabes corpora defunctorum jaciebant. Interim etiam alterius fluvii additamento præfatus fluvius dupliciter auctus est, cumque interceptio aquæ, sua inundatione molem congestam in parte diremisset, Haldisleybenses ad horam exhilarati, Principes vero turbati sunt. Sed Episcopus invictus labore & expensis, rursus opus recens firmiori & graviore mole congestum & congerendum aggreditur, cujus constantia obsessi nimium perterriti, missis nuntiis ad Dominum suum Heinricum Ducem, commonent eum, ut de ipsis consulat. Qui monebat eos ab incepta constantia non deficere, se non defuturum eis, & consilio vel auxilio promittit, missis etiam clam nuntiis ad exercitum & ad aliquos sibi non per omnia inimicos agebat, ut in priori ejusdem castri fecerat obsidione, ut diversa sententia inter eos versaretur, si quomodo per discordiam eos averteret. Sed Domino favente non profecit, nullo etiam sufficiens erat, eos violenter amovere: tandem ipso permittente, ad deditionem cives & milites Episcopus ea conditione suscepit, ut quantum potuissent, de rebus suis infra tres hebdomadas efferrent, de cætero Magdeburgensibus civibus castrum traditum est, funditus destruendum, milites & cives, quocunque voluerunt, cum firma pace diverterunt. Imperator expeditionem omnibus Principibus indixit ad Festum Sancti Johannis. Tidericus Halberstadensis Episcopus Blankenburc in media æstate obsedit, quæ sola in partibus illis Heinrico Duci fidem servabat. Coloniensis vero Philippus cum quibusdam aliis ab Imperatore destinantur juxta Brunswic, nequa excursio fieret a militibus Ducis. Principes Imperatorem juxta Horneburc præstolantur, inde moto exercitu Bartwic Imperator tendebat. Interim Dux Heinricus in Ertineburc, ejus & Principum adventu cognito, quoniam hi, qui animaverant eum ibi præstolari, statim ab eo declinabant, omni consilio & auxilio destitutus, incenso eodem castro, per navigium vix evasit. Reliqui omnes civitates & urbes Ducis, Imperatori panduntur. Ducissa, quia in Luneburc remanserat, & eandem urbem dotem suam esse affirmavit: eam, sibi Imperatore libenter annuente, conservavit. Imperator inde in Lubiche movens exercitum, occurrente sibi in pace Rege Danorum, & Principibus Sclavorum, omnia, quæ Ducis in partibus illis fuerant, celeriter obtinuit, & victor rediit. Anno 1182. Indict. XV. omnes Principes regni Teutonici pacem se servaturos juramento confirmant. Heinricus Dux de Brunswic, sicut juravit, Saxoniam egressus, ad Regem Angliæ socerum suum divertit. Anno 1183. Indictione I. Ordo Indictionum 78mus. Anno 1184. Imperator Fridericus in Pentecoste cum Beatrice Regina, & cum omnibus regni Principibus, Mogontiæ curiam gloriosissime celebrans, duos filios suos gladio accinxit; ibi Dux Heinricus nullam impetravit gratiam. In Festo Sancti Jacobi cum filio Imperatoris, Rege Heinrico, in Erpisfordia. Cunradus Moguntinus VII. Kal. August. Fridericus de Avenberc, Heinricus de Swarzburc, Burkardus de Wartberc, & alii Comites & nobiles multi, adunati, dum colloquia diversa conferrent, subito trabibus

bibus magnæ domus, in qua manebant, decidentibus, quicunque in cancellis non consederant, miserabili ruina sunt involuti, fœtidissima sentina suffocati. Ibi Landgravius & alii pauci vix eripiuntur, reliqui mortui absorpti sunt. Anno 1185. Lucius Papa obiit, pro quo Urbanus. Ministeriales regni circa Elstram fluvium contendentes mutuo incendiis vastantur. Anno 1186. Udo, Nuenburgensis Episcopus, obiit, pro quo Bertoldus. Beatrix Regina obiit. Imperator curiam in Gelinhusen habuit. Scisma oritur inter Apostolicum Urbanum & Imperatorem Fridericum. Quidam Episcopi contra Imperatorem conjurant; Imperator paulatim Episcopos a conjuratione potenter & callide distraxit, præter Philippum Coloniensem & alios paucos. Imperator, ab Apostolico canonice citatus, quod spiritalia suo juri vendicasset, pro compositione legatos destinavit. Anno 1187. Nuntii Imperatoris sine pace ab Apostolico redierunt, sententia contra eum data pro usurpatione spiritalium. Eclipsis solis media die, III. Nonar. Septembris. Philippus Coloniensis Archiepiscopus exercitum Imperatoris inhibuit transire Rhenum ad partes suas. Hoc anno multa apocriphorum somnia, quasi vaticinia, scriptis per omnes regiones delata, de tonitruis & tempestatibus, & præcipue de terræ motu, de ventorum timenda eruptione, de civitatum & Ecclesiarum subversione, multos timidos perculerunt. Hierusalem & cæteræ Civitates transmarinæ a Paganis capiuntur, & exercitus omnis, quem vel de peregrinis vel suis contrahere potuerant, ultra quinquaginta millia Christianornm bellatorum a Paganis Dei permissione circumventus, miserabile omnibus seculis excidium regni sui reliquit: Omnibus enim in bello aut captis aut occisis, superna Hierusalem, ut credimus, ea die cives suos collegit. Ibi cum ligno Domini inter alios præliantes Cunradus Marchio de Farra & multa millia Christianorum capiuntur. Tyrannus ergo & Princeps Paganorum, Saladinus nomine, missis nuntiis Hierusalem, omnia sub suam mandavit redigi potestatem, a suis tamen commonitus & edoctus, quod & fama vulgante, omni mundo percrebuerat, de munificentissima caritatis exhibitione ab eis, qui hospitali præerant, & de susceptione cottidiana seu refectione tam peregrinorum, quam pauperum & infirmorum, post aliquot dies omnes, de quorum animis diffidebat, civitatem exire compulit; demum ordinatis paucissimis ex numero Christianorum, qui tam sepulcro Domini, quam hospitali ac templo aliisque sacris locis pro posse subservirent, singulis de tota civitate censualem exactionem indixit. Sic omnia in potestatem satanæ, peccatis exigentibus nostris, rediguntur. Sola Tyrus, quæ nunc Sur vulgari nomine dicitur, refugium Christianorum post multa pericula remansit. Urbanus Papa, qui Imperatori Friderico diu per justiciam resistere videbatur, obiit, pro quo Gregorius. Anno 1188. Gregorius Papa obiit, pro quo Clemens. Clemens Apostolicus demandat omnibus Christianis pro remissione peccatorum suorum, Hierosolymitanam miseriam ulcisci. Multa millia Christianorum ex omnibus orbis partibus pro ereptione Sancti sepulcri Domini peregrinationem assumpserunt. Anno 1189. Indictione 7. Legati Nurenberc ad Imperatorem Fridericum venerunt post Nativitatem Domini, missi a Rege Græcorum, & a Soldano, & a Rege Arabum, promittentes Imperatori certum conductum & mercatum peregrinis Christianis pro ereptione Hierusalem & Sancti sepulcri, regiones eorum transire volentibus. Post diem Purificationis Sanctæ Mariæ Marchio Otto a filio suo Adelberto capitur, & ea provincia propterea incursionibus utrique parti faventium turbatur. Hic Marchio filius erat Cunradi Marchionis de Witin. Annona valde cara erat hoc anno V. Idus Martii, ventus gravissimus a circio oritur. In Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, multa millia armatorum militum apud Ratisponam Bajoariæ Civitatem convenerunt, præstolantes Imperatorem, quos Imperator insecutus est post aliquot dies ut per gratiam Dei Jerusalem devenirent. A Rege igitur Ungariorum Imperator & sui cum grandi suscipitur apparatu, ubi Pentecoste celebrato, post Bulgariam silvam in Græciam tendunt, Philippus vero maximam civitatem Macedoniæ, Kal. Oct. Dominus Imperator possedit. Quam, qui in eam a Rege Græcorum missi fuerant. - - - - Postquam Imperator Fridericus & exercitus, qui peregrinationem cum eo condixerat, a Ratispona iter arripuit, ipsius Imperatoris jussu Utto Misnensis Marchio a captivitate solvitur; sed cum compositio, quæ inter eum & filium, qui se ceperat, a quibusdam non sincere proposita, Marchioni penitus displiceret, sibi cohærentibus indixit pacem rumpere, bella moliri; quod & fecerunt: & cum hii, qui ex parte filii erant, nil agerent, coacti sunt, & illi bellantibus exercitu collecto resistere, totaque provincia rapinis ac incendiis devastatur. Oppida Isinberc, Lipze, & alia castella dampna sunt experta. Interim Dux Boëmiæ, nomine Otto, qui de Merhern transpositus fuerat, Misnam cum exercitu venit, regione circumcirca depopulata. Quo post multa dampna eorum supplicatione, qui Marchionem inpetebant, remoto, inter alia mala thesaurus ejusdem Marchionis, ultra XXX. millia Marcarum distractus est, ab ipsius filio A. - - Heinricus Rex, filius Friderici Imperatoris, qui, ut præscriptum est, quinquennis, in Babenberc in Regem electus, coronatus, intronizatus fuerat, viginti ex eo transactis annis, post festum Sancti Laurentii curiam in Wirceburc habuit; ibi reconciliantur Otto Misnensis Marchio & filius ejus; ibi inter alia regni disponenda negotia idem Heinricus Rex pro Imperiali benedictione a Domino Apostolico percipienda exegit a Principibus expeditionem parari in Italiam, post revolutionem unius anni. Item Heinricus Rex, in festo Sancti Galli curiam habuit in Mersebure. Ibidem expeditio contra Heinricum Ducem, & contra Bruniswic pro querimonia Bernhardi Ducis, post IIII. ebdomadas proponitur. Et cum convenissent in loco Saxoniæ Horneburc dicto, omnia circa Bruniswic devastabant præda & incendio; & quia hyems imminebat, aliam expeditionem contra Heinricum in Kal. Maji proponunt. Anno 1190. Imperator Fridericus & exercitus Domini, qui peregrinationem pro redemtione Sancti sepulcri susceperant, in Græcia hyemare coacti, post Palmarum diem maris meatum, qui Brachium Sancti Georgii dicitur, navigio transierunt. Eodem anno Fridericus Imp. in fluvio Nar suffocatus exspiravit. Anno 1191. An. 1192. Dominus Wicmannus, Magdeburgensis Archiepiscopus XVI. Kal. Sept. obiit, cui successit Ludolfus. An. 1193. An. 1194. An. 1195. Indictione XIII. Epacta VII. concurrente VI. Imperator Heinricus de Apulia cum grandi revertitur victoria. Adelbertus Misnensis Marchio obiit, cui successit Theodericus frater ejus. Anno 1196. Primus annus Solaris cycli. Anno 1197. Heinricus Imperator obiit in Apulia. An. 1198. Philippus regnare cœpit, vir militari virtute & omnium morum honestate præcipuis, & optimis comparandus.

XIV. GESTA

XIV.

GESTA FRIDERICI II. IMP. EJUSQUE FILIORUM CONRADI ET MANFREDI REGUM.

☆ ☆ ☆

INter eos, quos memoria hominum habet, ac antiqua scripta commemorant Romano præfuisse Imperio, Fredericus imperator ex patre aliquando Imperatore clarissimam ducens originem, ipsius imperii dignitatem sapientia, & generositate sua cæteris amplius decoravit, ut majorem decorem ipse Imperio, quam sibi Imperium contulisse probetur. In pupillari quidem ætate sua, post utriusque parentis mortem inter tyrannos se, suamque substantiam lacerantes, quasi agnus inter lupos, divina tantum eum dextera protegente remansit; donec ad puberes annos perveniens, Innocentio Papa III. Romanæ Ecclesiæ præsidente, Oddonem Imperatorem, qui post acceptum Imperium ad Regnum Siciliæ, pretiosam pupilli hæreditatem, manus extenderat, cælesti magis quam terrena virtute superavit, & vindictam, subsequendo tyrannos, accepit: adeptusque est coronam Imperii tam electione Principum, quam avita, & materna successione.

Honorio Papa III. Sedem Apostolicam gubernante, compositaque Alamania sub præsidiatu Henrici filii sui primogeniti, quem ex consorte sua Imperatrice Constantia Hispana susceperat, ipse Siciliam aggressus Saracenos qui tempore pupillaris ætatis ejus rebellantes, se in excellis montibus collocaverant, potentiæ ac sapientiæ suæ armis de montibus in plano dejecit, & magnam tunc eorum partem; processu vero temporis omnes penitus Saracenos ipsos in Apuliam ad habitandum sub debita servitute in locum qui dicitur Luceria misit.

Dejectis autem Saracenis, totoque Regno in pace stabilito, transfretavit ad regnum suum Hierosolymitanum, in quo Saraceni Ultramarini, nominis in sui præjudicium quoniam in sepulchro Domini in Christianæ fidei contumeliam superstitionis suæ turpitudines operabantur: cumque statum ipsius Regni reformare intenderet, intellecto quod Gregorius Papa, qui Honorio successerat, immisso in Siciliæ Regnum exercitu jam usque Apuliæ confinia ipsum in absentia Imperatoris recepisset, prout temporis brevitas patiebatur, Regni Hierosolymitani statu composito in Regnum Siciliæ ingressus est, propulsatoque externo exercitu extra Regni fines, & regnicolarum suorum turbatione sedata, ad partes Italiæ & Alamaniæ, quas eadem causa turbaverat, potenter accessit: indeque removens Henricum primogenitum suum, quem prius æmulorum suggestionibus contra se mutatum invenit, quasi viscera sua extra se videns ipsum in Calabriam misit, ordinatoque Conrado secundo filio suo in Alamania loco sui quem Imperatrix Isabella Hierosolymitana sibi genuerat, in Lombardiam venit, ubi primo civitatem Vicentiæ, & Imperio rebellantem potenter expugnavit: deinde Mediolanenses, & complices rebelles imperii campestri conflictu, capto ipsorum exercitu debellavit, pluresque Lombardiæ magnates in ipsa expugnatione captos carceri suo in Regnum misit adactos. Brixiam quoque circumquaque vastavit; Faventiam mirabili obsidione circumdatam ad deditionem coegit: pluresque alias civitates in Lombardia & Tuscia, quæ contra Imperium rebellaverant potentiæ suæ viribus ad subjectionem debitam acclinavit.

Quasdam quoque civitates in Regno fundavit & construxit, videlicet Augustam, & Heracleam in Sicilia, Montis-Leonis, & Alitheam in Calabria, Dordinam & Luceriam in Apulia, Flagellam in Terra-Laboris contra Ceperanum.

Destruxit autem quasdam civitates alias tempore minoritatis suæ, alias quæ post sibi rebellaverant, videlicet in Sicilia Centorbium, Capizium & Trajanam in provincia Beneventana Beneventum in Apulia sanctum Severum.

Vir quidem fuit magni cordis, sed magnanimitatem suam multa quæ in eo fuit, sapientia temperavit, ut nequaquam impetus eum ad aliquid faciendum impelleret, sed ad omnia cum rationis maturitate procederet, multoque sane fecisse majora quoniam fecit se cordis sui motibus posse absque freno philosophico moderamini obtemperasse, utpote qui philosophiæ studiosus erat & quam & ipse in se coluit, & in Regno suo propagari ordinavit.

Tunc quidem ipsius felici tempore in Regno Siciliæ erant literati pauci, vel nulli, ipse vero Imperator liberalium artium, & omnis approbatæ scientiæ scholas in Regno ipso constituit, Doctoribus ex diversis mundi partibus per præmiorum liberalitatem accitis, constitutoque tam eis salario, quam pauperibus auditoribus sumptum de sui ærarii largitate, ut omnis conditionis & fortunæ homines nullius occasione indigentiæ a philosophiæ studio retraherentur.

Ipse quoque Imperator de ingenii sui perspicacitate, quæ præcipue circa scientiam naturalem vigebat, librum composuit de Natura, & Cura Avium: in quo manifeste patet in quantum ipse Imperator studiosus fuerit philosophiæ. Justitiam quoque sic dilexit & coluit, ut nemini vetitum esset etiam cum ipso Imperatore de suo jure contendere, nec suffragaretur sibi favoris Imperialis eminentia quominus ei eam conce-

concederet, & justitia esset æqualis. Nullus advocatus contra se alicujus quantumcunque pauperis assumere patrocinium dubitaret, cum & ipse etiam Imperator hoc licitum fore statuerit, gratius reputans servari etiam contra se justitiam, quam habere de lite victoriam.

Justitiam autem sic coluit, ut tamen rigorem ipsius nonnunquam clementia temperaret: nam cum prædictus Papa Gregorius concilium contra eum in urbe congregare vellet, ad quod omnes fere Prælati Ultramontani vocati per mare cum stolio Januensium præmunitissime veniebant. Admiraus Imperatoris qui deputatus erat ad custodiendos transitus maris navali bello Januensium expugnavit, omnesque prælatos cum duobus Cardinalibus Legatis Apostolicæ Sedis qui prælatos ipsos ad concilium evocaverant, cepit, & vinculatos in Regnum duxit. Sed Imperator * - - - - - - - - - - - magis Deo quam sibi satisfaciens, liberatos abire permisit. Proinde ipsum variis hinc inde adversitatibus ex æmulorum suorum studio concussum, sed nullo modo dejectum, sola virtus sagacitatis protexit: & licet eum quandoque aliquorum domesticorum suorum studio concussum perfidia insurrexisset, eorum conspiratione jam publicata etiam in ipsius necem familiaris se gladius exemisset: licet etiam in ipsi9 necem ex fortium Lombardorum coadunatum magnitudini cordis ejus incomparabili improvisum objecisset victoriæ suæ casum ipse tamen usque ad ultimum fati sui diem gloriosus, & per totum urben terrarum admirabiliter vixit & qui omnibus fuerat insuperabilis solius mortis legi succubuit.

Mortuus est autem ipse Imperator apud Florentinum in Capitanata Apuliæ - - - die mensis Decembris 9 Indictionis superstitibus sibi Conrado, quem ex Hierosolymitana, Manfredo quem ex Italica, & Henrico minore quem ex Anglien consorte susceperat: constituitque sibi hæredem memoratum Conradum Romanorum in Regem electum, qui præmortuo Henrico majore in Calabria primogenitus remanserat inter fratres; ipsi autem Conrado hæredi instituto tam in Imperio, quam in Regno, minores fratres videlicet Manfredum & Henricum substituit.

Cum autem idem Conradus esset in Alamania, dictus Manfredus quem Imperator præ cæteris filiis dilectissimum, & in aula sua nutritum suisque documentis instructum Principem Tarenti constituerat, concessit sibi Comitatus Gravinæ, Tricarici, & Montis Caveosi, necnon & Honorem Montis Sancti Angeli, quem Imperator ipsius Principis matri, quam summe dilexerat, donatione fuerat elargitus, generalis Balius ipsius Regni Siciliæ ageret, & illi qui ab Imperatore remunerationem aliquam obtinuerat de suo arbitrio provideret: postquam autem Rex veniret in Regnum ipse Princeps Principatum Tarenti, & totam terram sibi prælegatam teneret in capite, & merum imperium, in ea tanquam Dominus esset ut pote in cujus indole præcognoverat pater quis qualisque Princeps futurus esset. Formavit enim ipsum natura gratiarum omnium receptabilem, & sic omnes corporis sui partes conformi speciositate composuit, ut nihil in eo esset quo melius esse posset: a pueritia enim paternæ philosophiæ inhærens ostendebat per certa ingenitæ discretionis inditia, quantum in majori ætate prudentiæ esset habiturus, & qualiter ipse erat per quem domus Augusta gubernari poterit, & in statu gloriæ conservari; & non sine causa Manfredus vocatus fuerit, quasi manens Frederico, in quo quidem vivit pater jam mortuus, dum paterna virtus in ipso manere conspicitur. Vel Manfredus, id est Manus Frederici utpote sceptrum tenere dignus est, quod manus paterna tenuerat: Vel Manfredus idest Mens Frederici, sive Memoria Frederici, quasi in eo mens, vel per eum memoria Frederici perduret. Vel Manfredus idest minor Frederico, majori ablato subcrescens. Vel Manfredus, idest Mons Frederici, sive Munitio Frederici in quo videlicet Frederici nomen & gloria ultro usque in monte, sive munitione excelsa quasi ad sepulchrum posterorum servata consistunt, ut perquamcunque vocalem etymologiam ipsius nominis varietur, paterna ibi res, & nomen inveniatur. Nec immerito ad tam præclari nominis etymologiam cunctæ vocales literæ pro sua quælibet diversitate conveniunt, ut liquido demonstretur talem esse personam hoc nomine denotatam, quæ ad regimen universale conveniat, ut sicut cæteræ literæ nullam quidem per se sonum efficiunt nisi vocalibus adjungantur, vocales autem per se ad soni perfectionem secundum aliarum literarum adjectionem sufficiunt, sic persona Principis rem nomenque paternum in se per omnium vocalium varietatem concludens, ea esse videatur secundum quam universale regimen per se subsistere nequeat, & quæ ad idem regimen adminiculo alieno non indigens sola perfecte sufficiant: & sic nihil est quod sine vocabulo aliquo exprimi possit, aut scribi, ita nihil eorum sit quæ in patre Augusto ad universale regimen convenerunt, quod filio tam ex paterni nominis specie, quam ex suæ sapientiæ mutatione non congruat. Cum igitur ipse Imperator plures genuerit filios prudentes quidem atque magnificos paternasque virtutes particulariter imitantes, iste tamen Princeps Manfredus paternarum gratiarum atque virtutum hæres fuit universalisque successor, ut jus primogenituræ quod secundum carnem apud aliquos ex fratribus suis erat, ex præfiguratione aliqua in filiis Isaac atque David, in eum esset divinæ provisionis consilio transferendum.

Erat autem idem Princeps annorum XVIII. cum defuncto Imperatore balium fratris sui Conradi Regis in Italia, & Regno Siciliæ paternæ sibi commissum dispositione gerere cœpit, misitque Henricum fratrem suum minorem ad gubernadam Siciliam & Calabriam vice sui, ut homines regionum illarum in ipsius pueri facie Imperialem aspicientes memoriam speciemque Regiam considerantes quietem sperarent & consolationem acciperent de turbatione quam eis mors Imperatoris ingesserat; ipse vero Princeps in Terra Laboris processit.

Cum

Cum autem Imperatore mox mortuo credetur maximam turbationem in toto Regno esse futuram, sicut sæpe solet contingere in obitu Dominorum: tale tamen regiminis ipsius Principis fuit ex Dei nutu principium, quod ex morte Imperatoris nulla quodammodo visa fuit interruptio facta paternæ tranquillitatis & pacis, sed continuato dominio patris ad filium idem videbatur esse regimen Principis, quod fuerat Imperatoris: Curiam enim paternam omnibus officiis integram, stipendiis quoque: præstationibus consuetis in nullo diminutam reservavit, ut de priori statu, vel jurisdictione justitiæ vel in aliis nihil penitus videri possit immutatum. Habebat quoque secum consiliarios patris sui circumspectus adolescens, & ætatis suæ faciem, sed non irrationabilem sensum illorum maturitate componebat, ut in hoc etiam sapientissimus perpenderetur, quod lubricum licentia juvenilis ætatis, ad cujus moderamen innata sibi prudentia sufficere posset alienæ etiam sapientiæ necessitate tractaret: non quidem imitans superbum & ignarum filium Salomonis qui dum seniorum consilia sprevit, & juvenilium, vel coætaneorum suorum suasionibus adhæsit, paterni Regni divisionem in diebus suis vidit, & servum patris sui passus est in Regno consortem. Ille quidem imprudens imprudentium utens consiliis, factus est imprudentior: iste vero Princeps philosophiæ filius & alumnus ex ingenita sibi habuit sapientia, ut sapientum consilia, quamquam necessaria sibi non essent, veneraretur, ne vel in hoc argueretur minus habere sapientiæ si forte aliorum consilio uti dedignans suæ tantum prudentiæ inniti videretur; & ideo dum sibi, & gloriæ suæ quodammodo in hoc ipse diminuit, quod plenitudinem gratiæ, quæ in se erat, adjectione quoque alienæ sapientiæ indigere ex virtute reputavit, divina sibi gratia, quæ humilibus præsto est semper affuit, ut super humanum modum, & omnem credulitatem in cunctis suis processibus prosperaretur.

Post modicum enim tempus a morte Imperatoris ex qua, etsi non in aperto, in occulto tamen multorum sunt corda concussa, cœpit in Terra Laboris & Apulia quædam occulta fieri conjuratio, non absque aliquorum instigatione, qui olim honoris & nominis Imperialis æmuli fuerant, quæ quidem conjuratio in Apulia, in Andrensibus, Fogitanis & Barolitanis; apud Terram Laboris in Capuanis & Neapolitanis primo visa est manifestari. Rebellantibus autem Neapolitanis & Capuanis, factaque ab eis confœderatione, cum quibusdam ipsarum partium magnatibus, qui propter odium & inimicitias Bertholdi Marchionis de Honeburch a Principis latere discesserunt. Princeps autem a prædictis Magnatibus precum spe dimissus, imo eos sibi esse adversarios cognoscens, cum non haberet tunc tantas armatorum hominum vires, ut prædictas civitates & magnates oppugnare posset, venit in Apuliam & exercitu ibi congregato ad expugnationem prædictarum civitatum & magnatum potentior interea reverteretur.

Cum autem in Apuliam venisset nec adhuc conjuratio esset in Apulia publicata, constituit stipendiarios suos Theutonicos manere in Troja sub quodam Capitaneo eorum nomine Hegano, qui tempore Imperatoris Capitaneus fuerat Theutonicorum in Marchia Anconitana, ubi multum prudenter & strenue se gesserat. Dimissis igitur Theutonicis ipsis in Trojam, ipse Princeps cum familia sua Fogiam processit: cumque post paucos dies Theutonici prædicti armati omnibus armis quasi ad pugnam venissent de Troja ad Fogiam, & se exclarassent in aciem ante civitatem, miserunt ad Principem quem sciebant tunc pecuniam non habere, ut Princeps eis stipendia daret. Huc enim dare videbatur eorum intentio, ut Principe non valente eis dare stipendia propter defectum pecuniæ, quem tunc patiebatur, ipsi contra eum in civitatem Fogiæ venirent, ut eos disrobarent. Princeps autem magnanimus nullo modo fecit armari suam familiam, & Fogitanos, sed prædictis Theutonicis sic animose per suos nuncios responderi fecit: Vos numquid contra me armati venistis? sed si me amplius cogitis, sic contra vos munitus exibo, & me esse Imperatoris filium cognoscetis: si ergo stipendia petitis, mittite quatuor ex vobis inermes, ut decet, & vobis respondebitur, ut decebit. Audientes itaque Theutonici hujusmodi alta Principis verba, & videntes quod non erat Princeps homo vel corde, vel genere, cui vis aut metus potuisset inferri, pœnitentes de eo quod sic improvide fecerant, miserunt quatuor ex eis inermes ad Principem, qui de stipendiis respondit, ut decuit, & de ipsorum præstatione prout potuit in illa temporis necessitate providit.

Post paucos vero dies Princeps quemdam apud Andrensem civitatem enormia contra statum pacis & fidei Regiæ de novo audiens commisisse, illuc cum exercitu suo processit, scire volens an vera essent ea quorum clamor ad ipsum de illa civitate pervenerat. Ante autem quam ad civitatem appropinquasset exercitus cuncti pene Andrenses cives tanquam sibi conscii, dimissa civitate, mulieribus tantum parvulisque relictis a civitate fugerunt. Terruerat enim eos Principis famosa potentia, conscientiaque læsa pupugerat. Cum autem ante Principis faciem stare non possent: Princeps autem advertens in multorum strage non peccantium securitati esse detrahendum, cives ad civitatem ipsam reverti jussit, & prout magnificentiam suam decuit eis remisit pœnam quam juste meruerant, & alia pœna quæ correctionem potius quam perniciem ipsis induceret eos mulctavit, & deinde apud Luceriam profectus est, ubi audivit quod jam Fogitani aggeribus circumcirca vallare se cœperant, & præter solitum ad pulsationem campanæ populo convocato consilia quædam non sine certa suspicione tractabant.

Princeps autem orientis morbi materiam antequam invalesceret præcedere satagens cum exercitu suo de nocte procedens ante Fogiam summo diluculo repente dispositis hinc inde

inde aciebus apparuit: cumque Fogitani mane summo Principis exercitum de quo quidem nihil in nocte præcogitaverant, ante civitatem vidissent, subito tremore concussi, quasi in erroris sui primordiis deprehensis, & Principis sagacitate præoccupati antequam munire se possent missis ad Principem eorum nuntiis veniam suppliciter postulantes egressæ mulieres civitatis ipsis crinibus resolutis ad pedes Principis implorantes cum lachrymis ejus misericordiam. Princeps vero lachrymosa civium supplicatione permotus licet rigorem in eos justitiæ rationabiliter exercere potuisset, & eorum pœna, terror & correctio foret aliorum in exemplum, tamen sic erga eos pietate uti voluit, ut nec veniam eis negaret, nec delictum eorum penitus impune dimitteret faciensque unum ex justitia, & misericordia temperatum, ne videretur in justitia regidus, nec in mansuetudine dissolutus. Pœnam etenim corporalem quo ex delicto incurrerant in pecuniariam pœnam benigne convertens, aggeres quibus se circumquaq; vallaverant explanari mandavit. Delictum quidem Fogitanorum adeo fuerat perniciosum exemplo quod quæcunque eorum citra sanguinem pœna fuit, magnæ lenitatis ipsis apparuit. Princeps enim qui non ad desolationem sed ad correctionem & regimen populi natus erat, hoc agebat in pœnis delinquentium, ne essent quos peccare pœniteret, nisi peccantibus vitam adimeret, quid emendaret, correctio non haberet: in plectendo quidem, & cognoscendo hæc erat ejus intentio ut vita hominum corrigeretur, ut non per pœnam penitus tolleretur: quæ suspicione carere non solent. Constituerant enim sibi consiliarios in civitate præsidentes, & formam judiciorum solitam transmutantes, non jam apud Præsidem a Principe constitutum, vel apud loci Bajulum ex more ordinatum criminales aut civiles querimorimonias causasque tractabant, sed apud prædictos Consiliarios noviter creatos petendam sibi exequendamque justitiam decernebant, prætendentes alias fidem, & obedientiam Regiam, & se ad novitatem illam processisse salva fidelitate Regis asserebant. Quod ubi Princeps audivit, volens an ea quæ dicebant vera essent experimento cognoscere, civitatis ipsius universitati mandavit, ut eorum aliquos pro parte omnium civium ad suam præsentiam mitterent: cumque nuncii civitatis ad ipsius præsentiam juxta suum mandatum accessissent, alloquutus est eis Princeps, ut decuit, reducens inter alia ipsis ad mentem juramentum fidelitatis, quod sibi tam ipsi, quam alii Regnicolæ tempore assumptionis prædicti Balii pro Regis parte præstiterant, ex cujus forma juramenti tenebantur sibi ad terram regis tuendam præstare subsidium. Licet enim potentia & industria ejusdem Principis magna esset, tamen ipsa & virtus in actum prodire non poterant sine operatione subsidioque fidelium. Quantum enim ad vires corporis attinet, nullus quidem est qui per se quantumcunque fortissimus sit, ad regimen universale sufficiat, sed ea est potentia, ea virtus in mundi rectoribus, ut habeant cum quibus, & per quos animi sui virtutes exerceant; vt in hoc maxime rectorum industria, virtusque probetur, quod rudes animos aliorum, & vires, quæ sine exercitio in aliquibus habentur inutiles consilio & moderamine suo ad laudabilia utilium operum experimenta ratificant, atque disponunt: sicque in rectore potentia crescit & gloria dum subjectorum sibi subsidia, & vires assistunt: decrescit autem & deperit, si ea suo præsidio subtrahuntur. Quemadmodum inutiliter bonus est artifex si necessaria sibi ad artificium instrumenta deficiant: sit autem ejus peritia ex opere luculentior si instrumenta habeat quibus operetur.

Hac itaque ratione Princeps cum per id tempus necessarium sibi esset subsidium tam illorum quam aliorum Regni fidelium contra Neapolitanos & Capuanos, qui rebellionem suam jam probaverant, requisivit eos ex debito fidelitatis, & præstiti sacramenti ut subsidium sibi hominum armatorum præstarent, quam requisitionem taliter fieri alia quoque causa suggesserat, ut videlicet ex responsionis eorum qualitate comprehenderetur qualis eorum animus esset. Nuntii vero recepta principis requissitione reversi Barolum insinuaverunt hoc populo civitatis. Quo audito populus quidem concitatus est, sed inferiores motus explicare non volentes in publicum remiserunt ad Principem nuntios vacua sibi verba referentes: metiebantur enim ejus ex ætate prudentiam, frustra cogitantes expectationem ejus inanibus promissis obedire, & se melius interim præmunire. Princeps autem cujus industria pravos eorum motus dissimulare noverat, sed nescire non poterat interea processerat ad oppidum Cannarum quod a Barolo sex fere millibus distat ibique nuntius Barolitarum remissos secunda vice recepit, auditisque ipsorum verbis, sensuque verborum medulliter intellecto remisit eos, ut certum sibi responsum non suspensivum, ac dubium a civitate referrent, quibus redeuntibus Barolum nec aliquo deinde responso a Barolitanis Principi facto, solertissimus Princeps manifestam agnoscens eorum fraudulentiam quam jam dissimulare amplius dedecebat; considerans etiam quod dissimulatio manifesta eorum sceleris amplioris posset esse causa victoriæ: cum fere omnes majores civitates Apuliæ conjurationis illius consciæ, vel participes essent propter quod si exorienti scandalo a principio non occurreret majorem sibi laborem inantea generaret cum exercitu suo ante civitatem, Baroli provectus est, vidensque viros in propugnaculis stantes armatos, portasque civitatis obseratas, primo quidem verbis pacificis ingressum sibi ad civitatem Regiam dari poposcit, cumque illa non verbis, sed sagittis responsum sibi dedisset; imperavit magnificus adolescens circumstantibus viris portas civitatis violenter aperire: cum autem illi propter Sagittas ab intus venientes propius dubitarent accedere. Princeps moræ impatiens, talemque pati resistentiam alto corde

de dedignans; pusillanimitatem ipsorum suorum increpans, qui instantis victoriæ gloriam degeneri timore calcabant, ipsemet mœnibus civitatis appropinquare non dubitans descendit de equo suo, & ad aperiendas portas animosum fecit initium, ex quo quidem omnes animati sunt, & accensi quod vitæ jacturam honori & gloriæ postponentes non jam tela pavescant, sed vincendi cupidine cujuscumque casus discrimina terroresve superarent. Uno itaque omnium impetu facto remotis lignaminum diversimode oppositionibus, portisque violenter effractis ipse Princeps de primis introeuntibus unus fuit, multique de exercitu suo, qui de ingressu desperaverant vexillo Principis intus in civitatem provecto, eamdem ingressi Principem jam intus esse admirabantur. Quis enim tantam sibi inesse crederet in illis adolescentiæ annis audaciam? cujus ætas ne dum ad armorum exercitia, sed etiam ad experienda ipsorum præludia vix reputabatur indonea. Quis unquam corde conciperet puerum in deliciis Imperialis aulæ nutritum, cujus artus teneros adolescentis paternus amor sine armorum compressione gaudebat, in tantam subito post patris mortem mutasse duritiem, ut armorum usui ejus ætas immatura sufficeret, & ea jam nunc experientia exerceret! Stupebant quidem omnes qui audiebant adolescentulum Principem, cujus tunc adhuc lanugo tenera replere genas incœperat taliter expugnasse civitatem vereque dicebant; Manum Domini esse cum illo, processus alto inscrutabilique consilio dirigentem.

In eisdem quoque diebus miserat idem Princepes Bertholdum Marchionem de Honeburch, cum quadam gente sui exercitus in terra Beneventana propter quasdam terras, quæ in partibus illis ad rebellionem tendere videbantur: cumque civitas Avellini prædicto Marchioni misso a Principe parere nollet per fortunatam Principis ab eodem Marchione potentiam expugnata & capta est eo ipso die, quo in Apulia civitas Baroli capta fuit, ut non sine Divino nutu talis visa sit processisse victoria quod duæ civitates in diversis Regni partibus sitæ magnifici Principis potentiam ubicumque præpollentem simul in suæ rebellionis conculcatione sentirent.

Capta autem civitate Baroli, murisque ejus in signum rebellionis depositis, & dirutis, omnes aliæ civitates Apuliæ quæ conjurationis consciæ fuerant, & Barolum respiciebant, in suo proposito frustratæ sunt totumque fere Regnum ex tam gloriosa Principis victoria in magna pace & tranquillitate firmatum est. Remanserant tamen in Terra Laboris Neapolitanorum Capuanorumque civitates rebellatæ. Civitas quoque Aversana, quæ inter Capuam & Neapolim media in fidelitate manebat & prædictis duabus civitatibus rebellibus vehementer obstabat tractatu quorumdam infidelium ad partem contrariam trahebatur. Jamque ad id deventum erat, quod pars contraria in civitate ipsa se publicare præsumpserat, & manifestis jam armis cum fidelium parte pugnabat. Quod audiens Princeps, prudenterque considerans, quod si civitas Aversana in partem aliam declinaret, pars contraria plurimum vigoris assumeret, & ipsius civitatis adversatio totius fere Regni esse posset amissio; confestim de Apulia in Terra Laboris accessit, collectoque in unum toto exercitu tam ea parte, quæ cum Marchione prædicto fuerat, quam ea, quæ secum venerat de Apulia, civitatem Aversanam potenter ingressus est, parteque contraria viriliter expugnata atque dejecta civitatem ipsam in statu fidelitatis & pacis, ut decuit reformavit. Deinde processit versus Capuam, & eam obsidens usque ad muros circumquaque vastavit. Civitatem quoque Nolam, quæ in partem rebellium lapsa erat cum ad mandatum Principis venire nollet potenter expugnavit & cæpit.

Procedens deinde versus civitatem Neapolitanam, civitatem ipsam ex ea parte, qua Vesuvium montem habet, obsedit, & faciens depopulationem circum circa usque ad mœnia, Neapolitanos ad bellum exercitus provocabat, qui cum portis civitatis obseratis depopulationem potius fieri malo eorum velle paterentur, quam ad pugnandum exire tentarent; Princeps qui castrenses labores prius tolerare cœpit quam experiri bellorumque vias, & astutias ex quadam sibi innata virtute sciebat, eos ad bellum per aliam viam provocare decrevit, eoque loco obsidionem mutare constituit in quo Neapolitani quasi ad certam habendam de ipso victoriam exire ad bellandum allicerentur. Erat enim quidam locus ex Septentrionali civitati propinquans versus Neapolim, videlicet Puteolum, mari, montibusque inaccessibilibus circumquaque conclusum, ubi quidem de prope rupes Sulphureas continuo quadam evaporatione fumigare conspicitur: ex aliaque parte est antrum vetusta murorum compagine fabricatum; in quod ingredientes nihil quidem aquæ inveniunt, sed sudare præ calore inviti quasi in fornace compelluntur, unde & Sudatorium vulga appellatur. In medio vero maris & montium planitie est locus continens, qui vocatur Anglomum, cujus nemorum lacus aquæ non pisces, imo serpentes, aliaque nociva animantia nutrit. In locum ergo istum per asperas, & angustas vias cum toto exercitu Princeps intravit. Obsidioneque in illa civitatis parte fieri mandavit. In hunc autem discriminosum locum aquæ, aliorumque bonorum penuria, ipsoque situ formaque horribilem, ideo Princeps cum exercitu ingressus est, ut vel Neapolitani ad pugnandum ibi cum eo, sic undique circumcluso sub spe certæ victoriæ, ut dictum est, confidenter exirent, vel si exeundi audaciam non haberent, tam ipsi, quam alii cognoscerent, quod non ita sicut ex ætate videbatur, delicatus erat, ut castrenses labores; quicquidve durum, aut asperum in bello robustæ ætatis viri, qui ejus vexillia sequebantur, ea quæ idem Princeps suffere poterat in tenera ad huc ætate constitutus ad capessendam dulcis victoriæ gloriam magnanimi adolescentes exemplo suffer-

 rent.

rent. Dicebat enim non fugiendum sed appetendum esse laborem, per quem pervenitur ad gloriam, nec gratum esse solatium, quod non præcederent experimenta laborum. Si autem ad locum illum Neapolitani cum Principe bellaturi exissent, oportuisset Principem, & suos bellum de necessitate recipere, cum nullus pateret fugæ locus absque discrimine: quin imo ipsa loci periculosi necessitas bellandi disiderium Principi, & suis eo magis accenderet, quo magis dispendiosum fugæ dedecus, casumque declararet: licet autem magis dispendiosum hæc omnia Principis industria præcogitasset, & id præcipue, quod per illam viam existimavit Neapolitanos posse ad bellum allicere, quia tamen gratius Neapolitanis fuit timere ne vincerentur, quam haud quod vincerent, exire noluerunt ad pugnam cum Princeps ibi eos per triduum expectasset.

Facta autem depopulatione ibidem in quantum placuit sibi, & æstivi temporis intemperies passa est, recessit de loco illo Princeps ad alias partes Terræ Laboris in statu pacifico, & fide Regia reformandas incedens: processuque temporis intelligens Regem Conradum fratrem suum de Alamania in Regnum per mare esse venturum reversus est in Apuliam, ibique moram trahens, & pro adventu Regis opportuna quæque disponens, dictum Regem cum magna Theutonicorum comitiva per mare venientem apud Sypotum debita reverentia, & devotione recepit sub anno Domini 1252. Regnumque cujus pro ipso Bajulum gesserat in pace totaliter fere constitutum sibi assignavit.

Rex autem valde Principi gratificatus est recognoscens Regnum ipsum in absentia sua, post Imperatoris patris sui mortem per ejusdem Principis industriam sapienter, atque viriliter fuisse gubernatum, cum vix credidisse potuerit se sic quietum, & pacatum Regnum inventurum esse, sicut invenit, propter quod ipsum Principem in magna benevolentia est amplexatus. Itaque præ ordinato solemni palleo sub cujus umbraculo Rex a maris litore, ubi descenderat in terram usque ad civitatem processurus erat ex consuetudine Regiæ dignitatis, Rex sub eodem palleo Principem secum simul procedere turpis circumquaque spectantibus voluit, ostendens eum quodammodo in illa pallei communicatione participem, quem invenerat negotii fidelissimum exequutorem; fecitque eum sibi in Regno secundum, ut vicem suam in omnibus gereret propter magnam sapientiam, quam in ipso esse considerabat.

Parum autem duravit hæc affectio Regis ad Principem, nam processu dierum videns Rex ipsius Principis solertiam, suspicionem de ipso incerto recipiens, quod ratione magnæ sapientiæ, quæ in ipso erat, homo esset magis dominandi, quam obsequendi conditione dignus, mutari cœpit adversus eum, ipsumque deprimere quomodocunque posset intendebat. Ut autem animi sui motum sub quadam generalitatis specie occultaret, ut eum quidem læderet, lædere tamen nolle videretur, fecit eidem Principi notum, se omnes donationes post Imperatoris obitum factas revocare velle, Principique suggessit, ut quo magis aliis Regni Majoribus daret exemplum, revocationem factarum sibi donationum æquanimiter patiendi. Ipse Princeps primus, atque spontaneus honorem Montis Sancti Angeli, & civitatem Brundusii, quam ratione Principatus Tarenti possidebat Regi resignaret, sicque factum est, quod Princeps Regis voto satisfaciens, animique motum plene cognoscens honorem Montis Sancti Angeli, & civitatem prædictam Regi obtulit, atque dimisit.

Rex autem generalem prædictarum concessionum revocationem faciens cœpit prædicto Principi paulatim favorem subtrahere, terramque illam, quam Princeps tenebat ex concessione Paterna, non quidem simul, sed successive, quibus poterat occasionibus ab ejus dominio, & possessione revocavit: solum quæ Principatum Tarenti mutilatum Comitatibus Gravinæ, Tricarici, Montis-Caveosi, & prædicta Brundusina civitate sibi remanserat subsidium habere posset, hominibus ipsius Principatus collectam generalem gravissimam imponi & exigi mandavit Regio ærario applicandam. Justitiarium quoque in Principatu ipso a Principe ordinatum removit, & Justitiarium suum, sicut in aliis Regni partibus in ipso constituit, subtracta sibi in eodem Principatu mera Imperii potestate quam ex concessione patris Imperatoris habuerat, ut Princeps non nisi in civilibus tantum Jurisdictionem in Principatu ipso retineret. Princeps vero prudentissimus in tali quidem adversitate fortunæ minime frangebatur, virtutumque suarum auxilio cum magis necessarium sibi erat, utens propter ea quæ Rex sibi faciebat.

Nec quidem tantis malis in fratrem Rex exsaturatus est, sed ad majorem, extremamque ipsius Principis depressionem Gualuanum Lanceam qui Imperatori diu serviverat, quem propter magnam ejus fidem, atque prudentiam Imperator Vicarium suum in Tuscia per multum temporis spatium habuit Fredericum quoque Lanceam fratrem ejus, & Bonifacium de Anglono ipsius Principis avunculum, omnesque ipsius consanguineos, & affines ex parte materna conficta in eos occasione cum uxoribus, matribus sororibus, ac filiis, & filiabus, magnis, & parvis Regnum exire mandavit qui omnes exeuntes Regnum cum se ad Imperatricem Romaniæ sororem ipsius Principis contulissent, misit Rex post modum Bertholdum Marchionem de Konebruch in Romaniam, qui prædictos Gualvanum, & fratres ab Imperatore Romaniæ fecit de Imperio suo licentiari, multum displicuisse Regi asserens, si Imperator eos circa se retineret.

Licet autem Rex ita graviter contra Principem moveretur, Princeps tamen libenter omnia patiens, Regi cum omni devotione obsequebatur, & cum ipso Rege procedente in Terra Laboris contra rebelles illarum partium cum toto suo exercitu profectus est. In processu autem

autem illius in Terra Laboris Rex civitati Aquini, Suessæ, S. Germani, pluraque vicina Castra, quæ per Regis adventum rebellaverant vicit. Civitatem quoque Capuanam, & quodammodo Neapolitanorum obsidionibus terra, marique ordinatis, machinis quoque circum circa dispositis, cavis etiam subterraneis ad murorum obversionem, & fossis ad deditionem coegit, magnaque victoria ex illarum civitatum deditione Rex illustratus est.

Reversus autem in Apuliam in hyeme sequenti, mortuoque Henrico minore fratre suo disponebat Rex versus partes Imperii procedere, & cum circa veris initium ordinato exercitu processurus castra metari cœpisset, in campis prope Lavellum infirmitate correptus cum esset circa annos ætatis 26. in triumphorum suorum primordiis acerbo mortis fato succubuit. Mortuus est autem idem Rex 21. mensis Madii anno Domini 1254. 12. Indictions superstite sibi filio nomine Conradino duorum jam annorum ex Elisabeth Regina suscepto, cujus pueri Balium prænominatus Bertholdus de Honebruch per magnam sui astutiam procuravit sibi a Rege committi propter favorem Theutonicorum, quos omnes ratione communis nationis munerum allectione adeo sibi devinxerat, quod de eis omne suum beneplacitum facere poterat. In ipsa enim Regis infirmitate cum ipse Rex de filio, & Regno suo dispositurus esset, requisiverat Marchio Principem an ipse Princeps balium ipsum vellet assumere cum esset balium ipsum, cuicumque vellet, committendum. Princeps autem ejusdem Marchionis astutias prudenter advertens, sciensque quod prædicta requisitio Marchionis non fiebat ad aliud nisi ut de assumptione prædicti Balii animum Principis investigaret, respondit ei se non velle balium ipsum assumere, sed ipsum Marchionem propter magnam sapientiam, & rerum experientiam, quæ in eo esset ejusdem Baliatus officio fore dignum: ne si aliter idem Princeps responderet, Marchio contra eum Theutonicos, quod facile sibi erat ad ejus proviniæ partes conduceret. Licet enim idem baliatus officium ad eundem Principem, tam jure agnationis legitime (cum patruus pueri esset) quam paterna voluntate deferretur. Sciebat enim Rex, quod negotium filii sui in Regno per nullum alium quam per Principem fratrem suum Imperatoris mortem fuerat utiliter gestum: permisit tamen Princeps cautissimus satisque sibi placere monstravit, quod ipsum officium Marchioni committeretur, ut & sua ambitioni super hoc satisfaceret, & ipse periculum ex furore Theutonicorum, quem contra se concitare poterat, declinaret.

Assumpto itaque Baliatus officio Marchione Bertholdo tota Camera, cunctaque Regis gaza in auro, argento, lapidibus pretiosis & aliis quæ in ipsa Camera continebantur ad ipsius Marchionis manus, & dominium pervenerunt, cumque inter alia quæ dictus Rex Conradus de filio, & Regno suo in ultima voluntate disposuit, filium suum in manibus, & gratiæ Sedis Apostolicæ submittendum esse mandasset Papa, Innocentius IV. qui Sedi tunc Apostolicæ præerat ex Regis dispositione quandam sumens occasionem asserens Regnum Siciliæ ad Ecclesiam Romanam spectare, Regnum ipsum vendicare indendebat. Cumque prædictus Marchio Regni Balium gerens misisset Legatos ad Papam super petenda Regi pupillo Sedis Apostolicæ gratia prout pater suus in ultima voluntate statuisse videbatur, Summus pontifex illam Legatorum missionem, & Apostolicæ gratiæ postulationem magis debilitati partis Regiæ, quam devotioni ascribens respondit præcise se habere velle Regni possessionem, atque dominium promittens Regi pupillo, cum ad pubertatem veniret de jure, si quod haberet in Regno gratiam esse faciendam: cœpitque ex parte Summi Pontificis autem tractari cum aliquibus Regni Magnatibus qualiter Regni possessionem adipisci Ecclesia posset.

Cum autem jam aliqui de Regni majoribus ad partem Ecclesiæ inclinare cœpissent, & prædicti Marchionis non erat tanta potentia, quod tam gravi dissidio urgenti posset obstare, videns Marchio se in tanta difficultate perplexum, cum Summus Pontifex exercitum jam congregare cœpisset ad occupandum Regnum, pluresque Magnates quos ipse Marchio habere sperabat, auxilium, alii Ecclesiæ, alii manifeste ad partem Ecclesiæ declinarent, Baliatum officium se assumpsisse pœnituit, & ex tunc onus quidem incaute susceptum, non sine pudore hoc modo deponendum existimavit. Multos quidem hoc modo vallit ambitio, qui onera, que insunt honoribus a principio non attendunt quoniam ambitione cœcati videre singula quæ sunt videnda non possunt. Vident quidem, & appetunt quod delectat, nec inspiciunt illa alia delectationis qualitate quæ gravant, & dum improvidem honorem sine contemplatione honoris amplectuntur, de honore sub onere turpiter cadunt. Sic nimirum Marchio Bertholdus prædicti honoris Baliatus delectatione allectus, sed mox ab oneris gravitate compressus, honorem improbe affectatum, onusque incaute susceptum sapientius deposuit quam assumpsit.

Marchione itaque dimittente Baliatus officium Comites, Barones, & alii Magnates Regni in Regis fidelitate manentes, ipse etiam Marchio unanimiter convenerunt rogantes Principem Manfredum, ut balium nepotis Regis pupilli a Marchione dimissum quod eidem Principi jure agnationis legitime offerebatur assumere publice protestantes, quod si ipse Princeps balium ipsum non reciperet, negotium pupilli Regis in Regno Siciliæ penitus periclitabatur, quod eidem Principi præcipue posset imputari ad culpam, quod ipse qui singulariter regnum ipsum defendere poterat, ipsum in præjudicium Regis pupilli nepotis sui, & suum relinqueret indefensum. Princeps autem balium ipsum recipere hac ratione recusabat, quia ipsum balium testamento Regis commissum fuerat Marchioni, ad quem de cætero pertinebat omne periculum, quod posset pupillo

pillo Regi de ipsius Marchionis administratione accidere, quod non debebat Princeps ad se balium ipsum subeundo transferre: cum ex quo Marchio semel baliatus officium gerere cœperat se ab eo exonerare non posset; quia etiam Regni negotium ad id erat sub Marchionis administratione deductum, quod nulla poterat humana ope revelari, propter quod si ipse Princeps illud assumeret, & in manibus suis pupilli jura deperirent, materiam sibi pudoris potius quam honoris generaret. Contra vero ea quæ Princeps ad excusationem tanti oneris allegabat ex parte alia Comitum, Baronum, Regnique Magnatum fidelium proponebatur, quod licet in testamento Regis balium ipsum commissum videbatur fuisse Marchioni, tamen voluntas Regis fuerat ipsum sibi fratri suo Principi committere, si Princeps ipsum assumere vellet, quod non ob aliud prætermisit, nisi quod de ipsius Principis voluntate dubitavit propter quasdam offensionis causas quæ ab eo contra Principem processisse videbantur: ipseque Marchio testabatur se ante mortem requisivise Principem si balius esse vellet, quod quia tunc Princeps renuit, ut supra memoratum est, Rex Marchioni ipsum officium baliatus concessit, & ea quidem contemplatione commisit, ut Princeps sibi in eo exercendo auxilio & cura præsideret; intendens autem esse videbatur Principem sibi cooperatorem esse in exercitio balii; qui solus omnia quæ huic officio competebant, sufficiens erat operari. Propter quod si Princeps balium ipsum Principaliter gerendum acciperet, eo magis testantis Regis voto satis faciebat, qui ipsum contemplatione auxilii, & curæ Principis Marchioni commiserat, quo magis vitilitas filii sui procurabatur si curam, & auxilium Principis sibi in baliatus officio exercendo accessoria pater esse decreverit per quos res de qua agitur magis valeat; quam per eum, & præcipue ubi pupillorum versatur utilitas, circa quos rigorem suum non servant, sed ad id quod magis eis expediat se inclinant. Ea quoque occasione, quod ex quo testamentarius balius semel officium baliatus gerere cœperat, se ab eo excusare non posset, Princeps baliatus officium, quod sibi in defectu testamentarii jura decernebant recusare non poterat, qua ex quo Marchio Bertholdus, qui testamentarius fuerat, ipsum officium dimiserat jam tempore balius erat, se balium legitime fecerat: & licet ipse Marchio balium semel receptum dimittendo deliquisse, & contra jus fecisse videretur, Princeps tamen ipsum assumendo non contra jus venire, sed juri potius favere probaretur. Deliquisse quippe Marchio videbatur balium contra jura deserendo, majus tamen delictum erat ipsum in pupilli damnum retinere. Justum quoque videbatur testamentarium bajulum cœptam semel administrationem non deserere, sed cogi perficere magis, tamen justum, piumque erat pupilli jura perire non finere, & damna ejus quocunque modo relevare. Delictum sane Marchionis in desertione bajulatus superior corrigere vel punire non poterat, & sine ultione pupilli miserabilis læsura transibat: Justitia tamen Principis in ipsius officii recusatione videbatur delicto illo deterior, quæ & damnum generat pupillo indefenso perpetuum & Principi recusanti culpam, & infamiam servaret inposterum; sed qualis esset illa justitia, tutelam pupilli legitimam testamentario balio, ac tutore cessante recusare, cum ne dum tutelam deseruit, verum etiam quia inutilis tutor erat, non videbatur esse tutor, cum etiam verba intentioni deserviant, & effectus attendatur potius in his, quæ verbis sunt declaranda quam sonus. Quis enim qualisve tutor est, qui vel non tuetur, vel inutiliter, aut damnose tuetur? Cessat ergo testamentarius tutor aut balius, ut legitimo fiat locus, cum testamentarius, vel tutelam animo non suscipit, vel susceptam inutiliter gerit, aut deserit; cum nec in hoc casu tutori quidem inutili adjiciendus videatur esse contutor, aut tutelam deserens ea præsumere sit cogendus. Cum ille, qui vel contutorem adjicere, vel desertorem ad resumendum cogere posset, aut desit, aut ille quidem sit, qui pupillo Regi adversus ideo sit, atque contrarius, ut ipsius substantia vendicare sibi potius, quam gubernare censeatur. Videri namque poterit ad Summum pertinere pontificem, vel compellere balium testamentarium, tutelam pupilli resumere, vel ei tamquam inutili alium adhibere, sed ipsius ad hoc erat specialis intentio, ut pupilli Regnum Ecclesiæ vindicaretur potius indefensum, quod defensum pupillum esse desiderabat, ut votum suum de prædicto Regno contra eum liberius, & efficatius prosequeretur. Ea quoque ratione, quod pupilli negotium sub Marchionis administratione periclitatum erat ejus balium, & curam non quidem recusare, sed magis debebat Princeps assumere, quia si negotium ipsum relevare forte non posset, non sibi pudor, sed ei qui causa periclitationis fuerat remanebat, si autem posset, honor sibi crescebat, & gloria, cum virtus circa difficiliora probetur nec ex eo laus debeatur quando facit, quæ alii faciunt, sed quod id etiam tentare audet, quod alii perhorrescunt. Alia quoque potissima ratione Princeps Regni gubernaculum recusare non poterat, nec debebat, quidam enim eo tempore a malevolis rumor exiverat, quod Rex Conradus Secundus parvulus nepos Principis in fata concesserat ex quo Summus pontifex majorem sibi habendi Regni rationem adaptabat, pluresque Regnicolæ justiorem quodammodo sibi causam declinandi ad partem Ecclesiæ extimabant non quidem attendentes, quod si prædictus parvulus defecisset, qui ratione primogenituræ Patris sui Regis Conradi Primi Principem Manfredum in Regni successione præcedebat, mors ipsius pueri locum Principi in eodem Regni successione fecisset: quamobrem Princeps ad hujusmodi quidem æmulorum intentionem repellendam Regni gubernaculum, tam ad utilitatem pupilli nepotis sui, si viveret, quam ad suam si forte de facto aliud contigisset assumere de jure debebat. Ad magnam quoque prædictorum Comitum Baronum, & aliorum regni fidelium, ipsiusque etiam Marchio-

Marchionis instantiam, quam ipsius pupilli, ac suam in defectu ejus utilitatem attendens, Regni balium, & gubernaculum in Marchionis defectum, tanquam causam penitus desperatam assumpsit, promittente sibi firmiter Marchione prædicto in Apuliam ire, & eidem Principi mittere aurum, argentum, totasque Gazas Regiæ Cameræ, quæ ad ipsum Marchionem tempore mortis Regis pervenerant, cum magno quoque exfortio armatorum ad ipsum Principem sine mora redire, statimque tam ipse Marchio, quam Comites, Barones, aliique Regni fideles, eidem Principi juraverunt fidelitatem Regis, & suam, ita videlicet ut si Rex parvulus viveret eidem Principi, tamquam Generali balio ejus intendere, & parere, sin autem ipse puer vel jam defecisset, vel post, liberis non susceptis, deficeret, ipsum Principem Manfredum ex tunc in Regem, & Regni dominum haberent.

Princeps itaque assumpto Regni gubernaculo cœpit ordinare exercitum, negotiaque Regni disponere prout rei temporisque qualitas patiebatur. Marchione autem profecto in Apulia, & de promissione facta Principi parum curante, qua milites Theutonici quos Princeps habebat sine stipendiorum præstatione sub expectatione meliores ultra retineri non poterant. Cum prædictus Marchio haberet totam Cameram Regis Conradi, cunctasque gazas, nec Principi aliquid de eis mitteret, Princeps ad ipsorum militum stipendia ærarii gazas exposuit, usque quo argentea, quæ ad familiare ministerium erat ad usus, & stipendia militum erogari mandavit sciens cum Salomone tempus esse spargendi, & tempus esse retinendi, nihilque pretiosius reputans quam honorem. Constituit ergo quandam Theutonicorum & aliorum, equitum, ac peditum comitivam ad sanctum Germanum. Itemque in Capuana civitate, seu quadam alia Comitiva firmavit; ut tam ipsam quam alias vicinas terras, quæ jam in fide Regia, & sua vacillare cœperant, sua præsentia coerceret. Interea Summus Pontifex in Siciliam Nuntios miserat ad Petrum Ruffum de Calabria, qui Siciliæ, & Calabriæ bajulus fuerat ordinatus sub Marchione Bertholdo, quorum Nuntiorum tractu ad id deventum erat, quod dictus Petrus Ruffus Fulconem nepotem suum, & alios solemnes Nuntios pro parte sua in civitate Messana misit ad Papam, cum duobus galeis per mare usque Terracinam venientes, famaque erat, quod tam Sicilia, quam Calabria ad convertendum se in partem Ecclesiæ disponebantur. Richardus enim de Monte Nigro, qui propter odium, & inimicitias, quas habuerat cum Marchione Bertholdo in partem contrariam declinaverat, qui in Regni finibus Terras, & Castra tenebat, confœderationem jam fecerat, cum campanis, & exercitui Papali transitum in Regnum dare promisit. Alii etiam per occultos Nuntios suos donationes sibi a Sede Apostolica impetraverant, sicque totum Regnum per diversas partes perfidiæ, & ambitionis erat vitio violatum, quod impossibile videbatur ruinæ illius humana subventione succurri; ni Deus aliter de suæ infinitæ potentiæ auxilio provideret.

Conjuratio quoque facta erat a quibusdam in Capua, ut statim quod Papalis exercitus Regno appropinquasset, ipsi uno impetu in Principem latenter insurgerent, & ipsum aut caperent, aut interficerent. Prædictus quoque Marchio Bertholdus in promissione, quam Principi fecerat de mittenda sibi pecunia, & de veniendo ad eum cum exfortio de Apulia sibi defecerat: imo per Apuliam discurrendo negotia sua, commodaque tractabat & requisitus etiam per Gualvanum Lanceam ex parte Principis ad eum missum de periculis in quibus Principem dimiserat non curabat. Princeps autem qui post assumptum Regni gubernaculum fuerat pluries per Nuntios a Summo Pontifice requisitus, ut ipsum Regni gubernaculum in manu Ecclesiæ dimitteret tam grave periculum prudenter advertens ex circumstantibus undique malis minus malum decrevit eligere, ut exteriores hostes, quos habebat in januis ex cautela declinaret, interiores inimicos, quibus jam erat circumdatus, ex dissimulatione circumspectus evaderet. Cogitavit enim minus esse periculum si Papam intrare Regnum sponte ipse permitteret, quam si Papa violenter intraret, quod ipse Princeps deficientibus, imo obficientibus sibi suis prohibere non posset: cum efficacius, & cautius ipse Princeps posset sibi sic ingresso post jurium, & processuum suorum experientiam resistere, quam improvisis, & inexpertis ejus se viribus objectare; majoris esse honoris & gloriæ reputans ex prudentia vincere, quam ex audacia vinci. Certus enim erat, quod si Regnum Papa violenter intraret, hi qui contra Principem conspiraverant efficacius sibi nocituri erant. & quamvis eos ipse forsan evadere, nullo modo tamen modo vires ad resistendum resumere posset, si autem voluntarie Papam in Regno reciperet, conspirationis periculum declinaret, & quicquid in antea facturus esset ex ipsius Papæ, ac suorum processibus quos quales futuri erant ex magna sua sapientia prænoscebat, viam & materiam inveniret.

His ergo aliisque rationibus circumscriptis Nuntiis, qui ad se a Summo Pontifice missi erant Princeps respondit, & talem per eum, & suos Nuntios missos ad Papam deprecationem, cum, ea devotione qua decuit fecit, ut videlicet Sanctus Pater Apostolicus, ad quem causa, & præcipue pupillorum defensio Dei vice defertur ipsum Principem, qui causam pupilli Regis nepotis sui gerendam ex sola ætatis imbecillis miseratione suscepit, in ipsius administratione contra debitum pietatis Apostolicæ non turbaret; imo sibi super hoc auxilium tribuens, prædictum pupillum Regem in Matris Ecclesiæ sinu reciperet, ut pater suus Conradus in ultima decreverat voluntate; & si eidem Summo Pontifice prorsus placebat Terram pupilli regere, paratum se obtulit idem Princeps eundem sanctissimum Patrem in Regnum recipere sine præjudicio Regis, & suo, & tam ipsius Regis, quam suo in omnibus jure salvo, sub cujus auctoritate petitionis expositæ finibus tractatum est, quod

Papa sine præjudicio pupilli Regis & Principis, cum juris utriusque protestatione ex permissione Principis ingrederetur Regnum. Ad majorem autem sui devotionem ad Sacrosanctam Ecclesiam ostendendam Princeps Summo Pontifici obviam processit usque ad Ceperanum; & Papa Regnum intrante Princeps stratoris ei officium exhibens frenum tenuit; quousque ad pontem Garigliani transiret: In ipso autem ingressu Papæ in Regnum res mira contigit, nam Crux, quæ ante Summum Pontifitificem de consuetudine dignitatis Apostolicæ ferebatur Capitulo funis Crucem circumplectente conscisso de manu illius, qui ipsam portabat statim post transitum pontis in terram cecidit. Sic ergo Summus Pontifex ingressus est Regnum præmisso Legato Sedis Apostolicæ G. S. Eustachii Diacono Cardinali viro quidem juvene, & ipsius Papæ consanguineo.

Cœpit autem statim idem Legatus non tanquam Rector, aut Gubernator in Regno agere, sed tanquam Regni Dominus pupilli Regis, & Principis jura subvertere, & a Comitibus, Baronibus, & aliis tanquam Rex juramenta fidelitatis exigere, nullo jure Regis, & Principis salvo, sibique tanquam Regi Siciliæ intendi ab omnibus faciebat, ipsumque etiam Principem requirebat; ut sibi simile juramentum præstaret, Princeps autem sibi respondit, quod cum exactionibus habitis inter Summum Pontificem, & ipsum de Regni negotio cautum esset nepotis, & sua jura salvari, nec usque ad tempora pubertatis ipsius pupilli aliquid de Regni statu immutari debere, cum extimandum esset de jure pueri, & quod Ecclesia in Regno habere contendit juramentum ipsum ab eo exigi non debebat. Licet autem ad juramentum tale præstandum nullatenus Princeps induci potuerit, cœpit tamen apud eundem Principem reverentia hominum consueta diminui cum dictus Legatus ipsum Principem, sicut & alios Regni Magnates nulla contemplatione habita Cæsareæ nobilitatis, qua ipse aliis excellebat, suo intenderet suppeditare dominio.

Cum autem hoc modo ipse Legatus potentiam suam magnificaret in Regno, & cuncti pene Regni majores sibi tanquam Domino reverentiam exhibebant, itaque Princeps jam non superior, sed aliorum videretur æqualis, accidit quod quidam de Dominis Angloni BVRRELLVS nomine, cui Princeps ipse dudum Imperatore defuncto balium Regni gerens quandam terram, qua juste fuerat per Imperatorem privatus, gratiose restituit, & quem etiam quondam Rex Conradus honore militiæ decoraverat Comitatum Alesinæ, ac honorem montis sancti Angeli, qui erat ejusdem Principis pertinentiæ a summo Pontifice ante ingressum ejus in Regnum ut in partem Eclesiæ declinaret obtinuerat sibi concedi, cumque Princeps Comitatum ipsum juris sui esse juste contendens, ipsum Burrellum pacifico modo requireret, ut se de Commitatu ipso nullatenus intromitteret: Imo de quadam alia terra quam tenebat de prædicto honore Montis, S. Angeli, si eam teneret, sibi Principem in Dominum recognosceret, & assecurationis sibi juramentum ex Regni more præstaret, alioquin terram ipsam dimitteret; idem Burrellus in superbiam elatus, nedum dimittere Comitatum ipsum, vel terram ipsam a Principe recognoscere, ac juramentum assecurationis ei præstare negavit verum etiam de pari incœpit cum ipso contendere, indignumque reputare ipsum Principem tenere in dominum, quem ei cui ipse idem subjectus erat asserebat non debere esse subjectum. Princeps autem acuto cordi suo frenum rationis apponens procacitate verborum illius non dedignabatur, & cum inferiore contendere sordidum reputabat.

Intellexit interea Princeps, quod quædam gens a Burrello transmissa Comitatum Alesinæ invaserat, & duas Terras Comitatus ipsius jam occupaverat, Princeps autem ipse ne juris sui videretur esse neglector, nihil de contigentibus volens obmittere, Summum Pontificem adiit sibique exposuit qualiter Comitatus Alesinæ, quem dictus Burrellus sibi asserebat ab ipso Papa fore concessum, & jam ipsum occupare incœperat ratione honoris Montis S. Angeli sui juris erat; propter quod ipse Summus Pontifex sic super hoc provideret, quod inconveniens inde aliquod evenire non posset. Summus autem Pontifex respondit se præfato Burrello nihil de juribus Principis concessisse: quæ quidem Pontificis responsio duplicitatem in se continere videbatur, magisque ad implicationem quam ad explicationem negotii faciebat, adeo ut post multas hujusmodi responsiones implicitas visum fuerat Papam dixisse, quod prædictus Comitatus ad honorem montis S. Angeli non spectaret, sicut fuerat a prædicto Burrello suggestum, voluntatis tamen suæ esse postquam esset in Capua de ipso negotio secundum justitiam providere. Mirabantur autem omnes Principis prudentiam, quod contra dicti Burrelli instantiam non viribus, sed juribus uti contentus erat, dixitque quidam de Romana Curia Magnus, quod sic deceret facere Principem, ut non ipse de alio, sed de eo alius quæreretur.

Inter hæc Summus Pontifex, cum esset apud Theanum quadam corporis infirmitate deductus, & diceretur quod Bertholdus Marchio de Honeburch de Apulia veniebat ad Curiam Summi Pontificis, Princeps nolens in occursum eidem Marchioni procedere, petita eundi a Papa ex curialitate licentia, processit: cumque per modicum viæ a civitate processisset, visa est quædam acies equitum in quodam loco eminenti exclarata consistere super quendam angustum viæ transitum Princeps cum sua comitiva tunc transiturus erat, de quibus cum nesciretur in primo aspectu qui essent, fuit qui diceret Burrellum esse cum comitiva sua, qui pluries inter alia, quæ de Principe fuerat obloquutus ipsam etiam Principis personam offendere conatus erat. Certa ergo habita comitiva ex his, qui præcesserant, quod ex loci inæqualitate, in quo erat idem Burrellus ad offensionem principis in loco illo angusto ejus transitum ex-

expectaret, dictum fuit aliquo de comitiva Principi quomodo videbatur locus idoneus requirendi Burrellum si se vassallum Principis recognoscerat de terra quam de honore Montis S. Angeli teneret, cum præsertim ipse videretur ad offensionem Principis, quam sæpe minatus fuerat, præparatus, Princeps autem ne per dictum locum angustum incaute transiret, & posset sibi forsan ex incautela evenire periculum, cum esset inermis, galeam sibi ad munimen capitis tantum dari fecit, & capiti suo superimposuit. Aliqui quoque de comitiva sua quos insolentia prædicti Burrelli multoties in principalis nominis, & honoris obtrectationem turbaverat, & ad tantæ ultionem injuriæ latum sibi videbant, & tempus oblatum, descenderant de roncenis quos equitabant, & destrerios ascenderunt, quod cum aspexisset Burrellus, & sui in fugam protinus se proruperunt, quidam de comitiva Principis, qui non ex ejus mandato, sed ex zelo ultionis injuriæ tantum nimis animose processerat, prædictum Burrellum & suos evaginatis ensibus insequuti sunt. Princeps vero qui honori suo se satisfactum fore de fuga tantum ipsius Burcelli contentus erat; & propter reverentiam tantum Summi Pontificis tunc ab ipsius interfectione temperatum esse voluisset, milites & domicellos suos prædictum Burrellum insequentes voluit quidem revocare, nec potuit imo cum Burrellus versus Theanum fugeret, & jam ictum lanceæ fugiendo recepisset in dorso propter insolentiam suam quam omnes noverant, credebantque quod ipse Burrellus personam Principis offendisset, & ideo fugeret, subito surrexit clamor in populo, rumorque increbuit, quod principem percussisset, sicque factum est in fuga illa quod Burrellus in civitate Theanensi ab insequentibus eum, qui de Principis injuria dolebant vulneratus fuit atque peremptus.

Erat autem in comitiva Principis tunc quidam miles summi Pontificis nepos nomine Thitius, qui animositatem sociorum, & Principis videns in insequutione Burrelli & de illius interfectione propter Summi Pontificis reverentiam timens, Principem rogabat ne ille nobilis interficeretur, cumque super hujusmodi materia confabulatio inter eum, & Principem familiariter esset cum de interfectione Burrelli Princeps nihil sciret, aut crederet, venerunt aliqui de societate illius, qui in fuga illa equos amiserant Principi supplicantes, ut equos ipsos eis restitui faceret ab illis de comitiva sua, qui eos ipsis abstulerant: Princeps autem equos eis restitui mandans. Redite (inquit) ad Dominum vestrum, & dicite sibi ne sit ita stultus sicut hactenus fuit; nos enim de stultitia, & insolentia ejus propter reverentiam Domini Papæ, & nostrum honorem non curamus. Inter hæc autem quidam qui ad aurem Principis erat dixit Burrellum esse interfectum. Princeps autem interea qui cum prædicto Thitio, de insequutione suorum & ne idem Burrellus interficeretur, confabulabatur, de ipsius interfectione certificatus, eidem Thitio, Tu quidem, inquit, ne Burrellus interficiatur conatus es, scias autem ipsum interfectum esse, sicut nunc secreta nobis relatione patefactum est: de cujus quidem morte propter Summi Pontificis reverentiam dolemus, propter ipsius vero insolentiam non dolemus, cui etiam propter nostrum propositum secundum stultitiam suam responsum est. Taliter autem contingente hujusmodi casu, cum Princeps ad summum Pontificem quosdam familiares suos videlicet Gervasium de Martina & Goffredum de Cusentia remittere vellet ad excusandum dictum Principem, & exponendum qualiter propter Principis voluntatem atque propositum casus ille contigerat, ne Summus Pontifex aliquid in casu illo contra suam reverentiam crederet processisse, Memoratus Thitius, si aliquis, inquit, de vestra Princeps familia pro hujusmodi faciendi excusatione perrexerit contingere poterit, quod illi de societate Burrelli in familiares vestros mortem sui domini vendicabunt, propter quod consultius esse videtur vos bono omine ad occurrendum Marchioni, sicut proposuistis, cum vestra comitiva procedere, ego autem qui præsens vestram innocentiam in casu isto vidi, excusationem vestram ante præsentiam Summi Pontificis, ut decuerit propositurus accedam.

Redeunte autem Thitio ad Summum Pontificem in Theanum pro excusatione Principis, ut propositum fuerat, Princeps cum suis collegis inivit consilium in quantum illa temporis brevitas patiebatur, & inventum est de consilio, quod Princeps nullo modo se in Capua figeret, sed occasione eundi cum celeritate in Marchionis occursum continuato equitatu usque Acerras procederet ad Comitem Acerrarum cognatum suum. Licet autem Princeps statim casu illo contingente præordinari custodiam transitus fecerit, ne quis præcedere posset, & casum illum Cardinalibus, qui cum Papali exercitu erant Capuæ, manifestaret, tamen jam in Capuam casus illius fama pervenerat, non tamen de morte ipsius Burrelli fama certa erat, sed de quadam rixa habita inter Burrellum, & aliquos de familia Principis, & de vulneratione ipsius Burrelli inter homines diversus quidem rumor, incertusque vagabatur, aliis asserentibus Burrellum fuisse tantummodo vulneratum, aliis vero ipsum fuisse peremptum, ita quod Princeps cum comitiva sua procedens, civitati cum appropinquasset Cardinales, qui in occursum Papæ, qui tunc Capuam credebatur venturus civitate exeuntes, Principis vexillum videntes parumper a via secesserunt, Principis quodammodo vitantes occursum, quem eis exhibere consueverant. Audito enim eo quod dicebatur de casu dicto decreverunt Cardinales venientem Principem esse capiendum, sed sicut postea compertum est cogitantes, quod hoc fieri sine multa hominum strage non posset, præsertim cum animositas ipsius Principis, & suorum nota esset, magisque propter eventum prædicti casus ex desperationis periculo timenda esset, captionem ipsius Principis diffe-

differendam tunc esse melius existimarunt, ne strages aliqua hominum sanguinis eis præsentibus fieret: quod eorum ordinem, & suæ dignitatis eminentiam lædere viderentur.

Cardinalibus autem, ut dictum est, divertentibus, quia equites, & alii populares in occursum Principis recta via procedebant, Princeps autem diversionem Cardinalium, qui semper sibi occurrere læta facie consuerant, cœpit habere certa ratione suspectam; vidensque Cardinalibus a via secedentibus equites alios, & populum versus se recta via procedere, firmiter credidit contra se tunc aliquid esse tentandum, cogitavitque tunc suam quomodocunque melius posset experiri fortunam. Factum est autem quod equites illi, & populus eum læta facie receperunt, & procedens cum eis simul versus civitatem cum tubis, & alio genere musicorum, cum pervenisset ad rectitudinem loci ad quem Cardinales prædicti a via diverterant, versus Cardinales ipse procedens eos in ea qua decuit devotione salutavit, expositoque eis se omnino Marchioni Bertholdo obviam procedere, & ideo cum festinantia equitare, ab eis licentia petita, non juxta solitam affectionem recepit.

Cum autem Princeps pervenisset ad pontem Vulturni, quo intratur ad civitatem, volebat quidem cum festinatione transire, sed tibicines quos in illa frequentia populi declinare, & præire satagebat, contra eum semper in suæ festinantiæ impedimentum inveniebantur, & sic usque ad hospitium quo consueverat hospitari inter honorem, timoremque deductus regratiatus, ut decuit eis quod sic honorifice sibi occurrerant, dicensque cum magna festinantia ire obviam Marchioni Bertholdo, processit, & versus Acerras iter direxit.

Cum autem quatuor fere millibus a Capuana civitate esset elongatus, post eum qui diceret magnam partem arnesiorum Principis, & suorum apud Capuam esse captam, magnamque comitivam equitum post Principem cum magna præparatione venire. Princeps verbo his auditis, nec faciem quidem, nec animum mutans, viginti Theutonicos equites post se remanere, & sub uno vexillo venire constituit, & ipse cum reliqua sua comitiva passu quidem parumper concitato, non tamen dissoluto processit, & cum per aliquantulum viæ passu ita incitato pergerent, cum via ejus loci arcta esset, & sæpibus fossisque hinc inde limitata, Princepsque suos omnes attenderet, suorum dissolutionem ne in turpem fugam prorumperent modesto retinens gressu; cum perventum fuisset ad locum quendam spatiosum, ubi diverti a via poterat, Princeps a via parumper in Campum declinans in retrorsum aspiciens, videre, inquit, volo, si aliqui nos insequuntur, ne videamur fugere nullo prosequente, tunc autem venit unus de suis qui retro se remanserat dicens, Theutonicos omnes qui retrorsum, ut dictum est pro guardia remanserant fuisse captos ab illis, qui contra Principem a Capua missi fuerant, Princeps autem; Quomodo, inquit, hoc esse potest, ut illi omnes capti essent, & tu evaderes? Inter hæc verba G. de Ocra Cancellarius, & J. - - - - Principi se adjunxerunt dicentes properandum esse, quia major tunc non erat. Princeps autem cum suis in illa planitie se recolligens cœpit cum eis adeo composito passu procedere, ut unus de familia sua, qui cum festinantia de loco illo processerat Acerras ad denuntiandum Comiti Acerrarum Principis adventum, non prius ad Principem reversus fuerat, quam Princeps pervenisset ad aquam difficilis, & periculosi transitus, quæ ab Acerris duobus fere millibus distat: Cumque perventum esset ad locum ipsius aquæ, in quo gurges profundus, & periculosus erat, cujus transitum pons eminens angustus, & fragilis dabat, ita quod unum post unum transire non sine periculi timore oportebat, dubitans Princeps ne propter festinantiam transeundi aliquis suorum in illo gurgite pericitaretur, remansit ipse in ipso pontis ingressu, ut concursam aliorum ad transitum festinantium cohiberet, & singulos unum post unum, sicut angustia fragilitasque pontis patiebatur transire faceret, postremusque omnium ipse transivit, sicque ipsi, & sui ad oppidum Acerrarum salubriter pervenerunt. Isti autem sunt qui in adversitate hac Principem non deseruerunt, & juncti sunt cum eo apud Acerras.

Interea Bertholdus Marchio de Honeburch de Apulia veniens, perveniens ad castrum Argentii, quod ab Acerris sex millibus fere distat, qui casum quidem accidisse, casumque intelligens, Modo, inquit, fecit Princeps, ut filium Imperatoris fecisse decuit, quod stulti illius insolentiam se Imperatoris filio pacificare nolentis contra se diu invalescens ultus inde est. Erant autem cum Marchione ipso quidam nobiles, qui cum eo venerant de Apulia, qui casu prædicto audito considerantes Principi Manfredo tunc necessarium esse auxilium, atque consilium, suaserunt Marchioni Bertholdo, ut antequam ad Summum Pontificem accederet, ad Principem apud Acerras declinaret, cum tunc magis suum necessarium esse sibi consilium, & auxilium, quam aliquo tempore fuisse probaretur: cumque Marchio ad id per eosdem nobiles nullo modo induci potuisset dicens, quod si tunc Principi loqueretur, Principem apud Papam juvare non posset, dicti tamen nobiles ad Principem apud Acerras accesserunt expositoque Principi inter alia qualiter Marchio Bertholdus recta via ire disponebat ad Papam nec per eos induci potuit, ut prius ad Principem declinaret, quidam ipsius Principis familiaris nomine Goffridus de Cusentia, & quidam miles Comitis Acerrarum nomine Giroldus ad Marchionem ipsum, cum jam sero esset transmissi sunt, qui ad Marchionem de nocte pervenientes, totumque prædictum negotium seriatim exponentes deprecati sunt ipsum cum omni affectu inducere, quod ad Principem in illa sua necessitate diverteret, cumque Marchio se de hoc alicujus licet frivolæ pallio rationis excusaret, & ad exaggerationem excusationis

tionis suæ diceret se indebite in Papæ, & Principis compositione fuisse contemptum, aliquorumcunque Collateralium Principis utilitatem fore tractatam, suam vero penitus fuisse prætermissam ab iis qui compositionem hujusmodi tractaverant, & in hac objurgatione Gualuanum Lanceam compositionis ipsius tractatorem specialiter tangeret, & se inde ab eo reputaret offensum, ut prædictus Goffridus apud ipsum Marchionem fiducialiter instans semper, inquit, o Marchio, auxilium, consiliumque tuum necessarium Principi fuit, sed nunquam ita utile, sicut modo. Imperator enim decedens ipsum Principem in brachiis tuis, ut nosti dimisit, & tu qui consanguinitate ex parte patris, & affinitate ex parte matris ei es proximitate conjunctus, erga Principem in tenera tibi ætate commissum patris, matrisque vicem expleres. Ad tuam ergo gloriam honor ejus, ad tuum pudorem ejus confusio pertinet, tuumque honorem ipsius Principis honorem defendendo procuras, tuæque satis gloriæ detrahis, si nunc præsertim cum eum tuum implorare auxilium fortuna compellit, confusioni ejus, dum potes non resistis: etsi tum quidem in præsenti articulo derelinquis, non profecto ipse solus, sed tota domus Augusta ex qua tota gloria tua pendet, periclitatur, breve est, & modicum, quod a te petitur, unius videlicet horæ colloquium, magnum autem surget inde periculum, si negatur; ex hoc enim colloquio inter te, & Principem ad horam habendo magnum invenietur instantis ruinæ remedium, magnusque habebitur communis honoris, gloriæque tractatus, quod quidem nulla occasione deberes renuere, etiamsi oporteret te ad hoc per multas dietas, ne dum per sex fere milliaria quibus nunc elongaris a Principe laborare. Nec certe alicujus offensam, quam tibi factam reputas in Principis debes retorquere periculum, nec tu in tantum offensæ illius ultimo debes attendere, ut ne dum Principi, sed tibi quoque sint manifestæ causæ jacturæ expertissimæ; sed prudentia tua ex hoc imprudentiam generare conspicitur, si dum ulcisci credis in alium ultionem moliris, ne dum in alium, sed in te ipsum. His ergo aliisque rationibus convictus quodammodo facultas sibi excusationis præmissæ deficeret memoratis Nuntiis respondens, Cras, inquit, Marescallus Summi Pontificis, sicut ex ejus notificatione accepi, mihi e Capua usque ad nemus, quod est contra Magdalena in loco, ubi dicitur Sanctus Petrus de Cancellis debet occurrere, ibique cum eo loqui debeo antequam Summo Pontifici me præsentem: redeatis ergo ad Principem, sibique ex parte mea dicatis, ut cras ante horam tertiam ad prædictum nemus inermis cum paucis veniat, ut quasi ex alia causa equitans ad locum ipsum casualiter venire videatur, & secundum adventum suum prædictus Papæ Marescallus anticipet, & sic cum eodem Principe potero ibi sine aliqua suspicione habere colloquium.

Accepta ergo hac responsione a Marchione, eadem nocte ante diluculum ad Principem apud Acerras reversi sunt, ipsaque responsione Principi patefacta summo diluculo juxta Marchionis dictum ad designatum locum iturus Princeps, cum paucis de suis equitavit: cum autem ad locum destinatum pervenisset per quem quidem locum recta via erat eundi Capuam, ibique Marchionem transiturum expectaret, venit ad eum in loco ipso Nuntius a Marchione destinatus significans Marchionem recepto Summi Pontificis expresso mandato, ut ad suam accelerares præsentiam in magna festinantia equitasse, & per aliam viam ad Summum pontificem ivisse, ideoque Principem expectare in loco ipso hac de causa non potuisse. Suggessit autem idem Nuntius Principi ex parte Marchionis, ut Nuntios suos Capuam mittere processuros de consilio, & instructione Marchionis ipsius ad causam Principis coram Summo Pontifice proponendam. Princeps autem hoc audiens ex illo eodem loco, ubi per dictum Nuntium Marchionis verba recepit Nuntios suos videlicet Gualuanum Lanceam, & Riccardum Filangerium Capuam misit, juxta consilium Marchionis, ipseque Acerras reversus est.

Euntes autem Principis Nuntii Capuam, primo quidem præsentaverunt se Marchioni, quem nimis elatum, alteratumque ab eo, quod ipsi crediderant, invenerunt, cœpitque idem Marchio Gualuanum Lanceam ex prædictis Nuntiis vehementer objurgare quod ipse qui tractator compositionis inter Papam & Principem fuerat ad compositionem ipsam sine præsentia sua procedere præsumpsisset, suamque tantum utilitatem tractasset, & de ipso Marchione, qui plura castra tenebat, propter quæ sua utilitas in ipsa compositione potius procurari potuisset aliquatenus non curasset. Dictus tamen Gualuanus Lancea vir quidem corde purus & ore moderatus ipsius Marchionis objurgationi suæ causam non subesse legitimam, nihilque in prædictæ compositionis tractatu ad contemptum, vel incommodum ipsius Marchionis intervenisse, quinimo ipsius Marchionis factum, quod propter sui absentiam digne, ut decebat tractare non poterat Princeps, secundum ipsius Marchionis, ut credebatur, votum esse reservatum, nec debere propter hanc, quam ipse sibi factam reputabat offensam, vel quamcunque aliam, auxilium suum Principi in articulo maxime præfato subtrahere, sed cum viribus suis ad ipsius revellationem astare, cum quæcunque ad id ab eodem Marchione proponeretur excusatio quominus Principem in tanta necessitate juvaret potius quidem sui accusatio, quam excusatio videretur. Finita autem allocutione hujusmodi, & Marchione promittente causam Principis juvare pro posse, perrexerunt ipse Marchio & Nuntii Principis ad Summum Pontificem; qui antequam sibi se præsentasset, ingressus est ad eum Marchio, & quid sibi clanculo suggesserit ex qualitate responsionis factæ postmodum Nuntiis a Summo Pontifice compertum est. Cum enim Nuntii post id attendentes excusationis Principis coram Papa proponere, ostendentes qualiter

 mors

mors Burrelli sine aliqua Principis culpa contigerat, & legitimam super hoc purgationem pro parte Principis faciendam offerrent, asserentesque Principem libenter ad suam velle remeare præsentiam pro complenda justitia dummodo sibi personæ securitas aut literis promitteretur aut verbo, judiciumque procederet secundum Romanas leges, vel constitutiones Imperiales, aut secundum approbatas Regni constitutiones, ubi lex, aut constitutio scripta deficeret, Summus Pontifex a Marchione sicut præsumitur informatus justitiam quidem servandum Principi esse respondit, personæ tamen securitatem, nec literis, nec simplici etiam verbo promisit. Et licet ex parte Nuntiorum Principis super securitate tantum habenda diutius fuisset allegatum, nullo modo alia super hoc potuit haberi responsio: nec mirum si tantæ tunc inerant animis cælestibus ire, & tantum rigorem mentis Apostolicæ masvetudo diruerat, ante quidem Marchionis adventum Summus Pontifex casum prædictæ mortis Burrelli non ita gravem acceperat, sed cordi sibi fuerat si etiam Princeps ex eo facto culpabilis probaretur per dispensationem, quam personæ, ac temporis qualitas inducebat ipsum quantumcumque grave esset, levigare delictum: sed prædictum Marchionem suggessisse, dictum est sibi, quod si rigorem in delicto illo puniendo non servaret, multum sibi ad acquisitionem Regni proficeret, vel quia capta persona Principis non esset, qui sibi in Regni acquisitione resisteret, vel quia si Princeps in ipsius rigoris formidine ad suam præsentiam non veniret maximam contra eum procedendi materiam haberet, illa ergo de causa Summus Pontifex contra Principem taliter obriguerat, ut quantumcunque Princeps in omni humilitate, & devotione se justitiæ pariturum offerret, dummodo personæ sibi securitas promitteretur, nunquam tamen ad id Papa inclinari potuit ut aliud sibi quam sibi responderat, responderet. Suadebatur ergo Principi ab aliis, ut abstineret, ab aliis vero, ut Summo Pontifici se præsentaret. Sciebatur enim ab aliquibus, quod si Princeps non veniret ad Papam mitti debebatur contra ipsum exercitus ad insequendum eum quocunque iret, donec caperetur, vel de toto Regno fugaretur, si autem veniret ad Papam propositum erat quod vel traderetur statim in carcerem vel extra Regnum omnibus bonis destitutus ejiceretur, vel ultimo supplicio puniretur.

Nuntii ergo Principis una cum Marchione super his diutius cogitantes, & differentes ad invicem, quod esset minus periculosum, vel venire ad Papam, vel recedere, tandem remiserunt ad Principem unum ex ipsis, videlicet Goffridum de Cusentia hæc omnia sibi significantes per eum, & asserentes, quod si ipsi essent in ea conditione qua Princeps erat, de his duobus periculis hoc eligerent, scilicet venire ad Papam dicentes non esse justitiæ, nec Apostolicæ mansvetudinis juris prosequutionem incipere a captione, vel punitione personæ, præsertim ubi ea persona convenitur, quæ sine magno scandalo in suo jure non læditur, nec esse verisimile Papam circa personam Principis ab æquitate divertere cujus est proprium æquitatis viam omnibus esse.

Perrexit ergo dictus Goffridus ad Principem, quem omnibus sibi seriatim expositis remisit Princeps ad Papam, qui tunc iturus Aversam sequenti die dicebatur, ut sibi ex parte Principis significaret, quod cum civitas Capuana esset Principi manifeste suspecta propter conspirationem, quæ jam ibi facta fuerat contra eum, & quod arnesia sua ibi capta fuerant; quæ etiam ad mandatum Papæ sibi restitui non poterant, & quod etiam quamplures de Imperio ibi erant, quos Imperator pater suus offenderat, qui in ultionem offensionis ipsius injuriam sibi de levi inferre præsumerent, propter hujusmodi suspicionem dubitavit Princeps, & dubitat ire Capuam ad præsentiam suam, ex quo autem ipse Summus Pontifex iturus erat Aversam, illuc Princeps ad eum ire volebat. Prædicto ergo Goffrido eunte Capuam, & hoc totum Papæ ex parte Principis exponente, & supplicante, ut id admittere dignaretur. Papa respondit se nolle quod Princeps ad suam præsentiam veniret, sed ad præsentiam Legati. Goffridus ergo responsionem hujusmodi sibi factam a Papa Gualuano Lanceæ significavit; ipse autem Gualuanus, qui Papæ voluntatem erga Principem caute præsenserat, miratus quod Princeps adhuc erat Acerris, monuit quod recedat, & in Apuliam vadat, laboretque habere secum Joannem Morum, ut per ipsum habeat Luceriam quam si habuerit bene faciet facta sua, Ego autem, inquit, hic morabor quia si modo recederem, ex recessu meo recessus Principis argueretur, & sic de levi impediretur, donec vero hic ego sum, nihil de recessu Principis præsumetur, & prius erit Princeps in loco securo quam de recessu ejus aliquid hic sciatur. Remansit ergo Gualuanus Papali Camera, seu Curia ex causa prædicta remanente; magis adventum Principis reputante, quam recessum.

Prædictus autem Goffridus ad Principem reversus est, & cum exposuisset ei responsionem Papæ, & sanum prædicti Gualuani consilium Princeps ei dixit priusquam tu venires ad nos, id idem cogitavimus, & in hoc nos firmavimus, ut recedamus. Ut autem Princeps omnia cum cautela faceret, ne forte posset sibi sinistrum ex incautela venire, fecit publice dici, quod ipse Aversam iturus esset ad Papam, missique sunt alii, ex mora de familia sua pro recipiendis sibi hospitiis, ut ex hoc Princeps illuc crederetur iturus, sicque factum est, quod hac sapientes simulatione interposita Princeps fortunam sequens & divinæ tantum se provisioni relinquens de oppido Acerrarum versus Apuliæ partes, cum sua securus modica comitiva recederet.

Fuerat autem prædictus Joannes Morus quidam servus Niger de domo Imperatoris qui pro eo quod a pueritia sua visus fuit homo industriosus, & in omni obsequio sedulus in aula Imperatoris crevit, & in oculis suis satis acceptus fuit, adeo quod ipse Imperator qui non tam

tam conditionem originis in omnibus, quam virtutes, moresque considerabat; cum illa sibi clarior videretur esse nobilitas, quæ ex moribus quam illa, quæ ex sangvine procedebat prædictum Joannem licet aspectu deformem, & ex ancilla natum Cameræ suæ custodem, & secretorum aulæ participem & - - - - suorum præpositum fecerat. Mortuoque Imperatore Princeps Manfredus dum baliatum fratris sui gesserat ipse Joannes Morus in eodem officio invitus Magister, & præpositus Regiæ Cameræ factus fuit, adeoque magnificatus a Rege, quod etiam civitati Luceriæ ipsum præposuit, & præpositum ipsius civitatis vocari fecit. In civitate vero ipsa vivente Rege ipse Joannes magis quam ipse Rex dominabatur, nec plus ipse de Saracenis ipsius civitatis faceret, quam ipse Joannes Morus, qui Rector & tanquam Dominus ipsius civitatis remansit. Contingente ergo prædicto casu mortis Burrelli Princeps, dum apud Acerras esset ad prædictum Joannem, de quo tanquam de nutritura Cameræ patris sui confidebat suos Nuntios misit, per quos ei casum prædictum exposuit auxiliumque ejus in ea qua erat necessitate confidenter postulavit, prudentiamque Principis in casu prædicto commendans auxilium sibi cum omni affectione promisit: aliud tamen in corde, quam in ore habebat, sicut expost facto aperuit: quanta enim Princeps ipse de Acerris recedendo mala pertulit, & qualiter dictus Joannes Morus sibi defecerit dicendum est.

Recessit enim Princeps de Acerris ante mediam noctem concitante eum Comite Acerrarum cognato suo usque ad quoddam castrum, quod Magliarum vocatur, erantque in comitiva ipsius Principis duo juvenes fratres nobiles Neapolitani, quorum alter Marinus Capece, alter vero Conradus vocatur: ii quia castrum quoddam, & vicos patrimoniali jure habebant; sciebant ex assuetudine locorum illorum qualitates, & transitus per quos Princeps salubriter esset transiturus: ducatu ergo illorum duorum juvenum Princeps cum comitiva sua proficiscebatur, cumque perventum esset ad castrum Montis fortis, quod tenebat Ludovicus frater Bertholdi Marchionis de Honeburch ex dono Regis Conradi, per quod quidem castrum viæ publicæ transitus erat, cum locus ipse non immerito Principi suspectus esset propter prædictum Marchionem, qui Principem, sicut dictum est, manifeste deseruerat, & publice in partem contrariam conversus erat, ex instructione prædictorum Marini, & Conradi declinatum est a transitu illius castri Montisfortis, & arreptum est iter per montes excelsos, & invios, ne dum equitum sed peditum transitui difficillimos, cum enim nox esset, Luna tamen lucente apparebant declivia montis per quæ transitus erat, longe terribiliora, & profundiora, quam erant, & ad id loci quandoque perveniebatur in quo vel propter imminentis ruinæ formidinem, vel propter aeris opacitatem splendore lunæ per oppositionem aliquando deficiente nulla spes ei inde exeundi remaneret, & certum quisque ibi suum periculum expectaret. Levigabatur sane eis in illa tenebrosa periclitatione quodammodo timor si ab equis descenderent, & eundo pedites timorem pro labore commutarent, magis propriis quam equorum suorum pedibus credebant viæ illius, imo ac dubitabilis peregrinationis leviorem quidem existimantes esse ruinam, si ex propriorum pedum lapsu forsitan caderent, quam si sedentes in equis cum equorum ipsorum præcipitatione corruerent.

In hac ergo difficultate, & multo discrimine Princeps, cum sua comitiva transivit, & circa diluculum perventum est ad quoddam castrum, quod Maglianum vocatur, per cujus Castri medium Princeps, & sui transituri erant; quærentibus autem illius castri incolis de comitiva illa quæ esset, dictum est ab aliquibus comitivam esse Marchionis Bertholdi: verum tamen cum fama casus mortis Burrelli, & discessus Principis ibi jam sparsa esset, cæpit apud aliquos de castro illo esse credulitas, quod illa comitiva Principis esset, dicebantque aliqui conveniens esse scire qui essent isti, quod sic transeunt, & non permitti eos sine requisitione, & discussione transire. Erat autem transitus illius loci difficilis, ita quod oportebat eos unum ire post alium, municipes quoque illi portas clauserant de municipii captione dubitantes, viamque transeuntibus dederant satis angustam, & difficilem pro exteriori municipii parte juxta ipsos municipii muros, itaque cum onerata animalia, quæ cum arnesiis præcedebant propter transitus illius angustiam se fixissent, aliqui de comitiva Principis qui sequebantur, crediderunt animalia illa cum arnesiis per municipes esse retenta, & transitum eis impediri, cœperuntque de fortuna quisque sua experienda cogitare. Factum est autem quod locum illum difficilem non sine magna dubitatione transierunt Princeps, & sui divertentes a civitate Avellini, in qua prædictus Marchio de Honeburch potestatem, & vires habebat, ad castrum Atripaldæ, quod est prædictorum Marini, & Conradi quasi ante horam tertiam salubriter pervenerunt.

Fuit autem Princeps in castro ipso cum magna reverentia, & honore receptus, pransusque est ibi Princeps aliquantulum, uxoribus prædictorum fratrum nobilibus quidem & speciosis mulieribus ad utriusque Principis latus in mensa sedentibus, viris suis honestam earum cum Principe refectionem gratam satis habentibus, & ad honorem sibi maximum reputantibus, quod cum eis Imperatoris filius prandium participare dignatus esset, in quo quidem Princeps nihil de suæ sibi magnitudinis honore diminuit, cum in hoc quædam videatur esse prærogativa dominarum, ut plura circa eas ad honorificentiam veniant, quæ circa viros quantumcunque, magnos fortassis decere viderentur. Prandio autem illo a Principe, & suis breviter & summarie celebrato discessum est, illoque die ad quoddam castrum Comitis Acerrarum, quod dicitur Nuscum, Princeps cum sua comitiva pervenit, fuitque ei & magnus honor exhibitus ex parte prædicti

dicti Comitis cognati suiper ipsius loci, municipes taliter quod tunc eum dubitare non oportebat, nisi quatenus dubitari posset, ne de Papali exercitu aliqui post eum mitterentur. Pernoctavit ergo Princeps in ea securitate, quam loci tantum illius conditio dabat: summo sequenti mane inde recedens versus Guardiam Lombardorum iter direxit.

Erat autem terra ipsa Guardiæ de pertinentiis Comitatus Andrensis, quem possidebat Marchio Bertholdus, unde Princeps ad ipsam Guardiam quamquam ad terram ipsam pervenisset, non accessit, quia quidam rumor factus est, quem etiam suspicio ipsa formabat, quod quædam gens armata dicta fuisset in Principis occursum venire, Princeps autem conspiciens in mente quicquid pro incautela sibi posset evenire, contrarium ex improviso commisso quendam de familia sua nomine Abbantinum ad explorandum, si de eo quod dicebatur aliquid esset, ipse Princeps se, cum suis in aciem ordinatam exclaravit, & licet prædictus Abbantinus, qui ad explorandum prædicta missus fuerat rediens diceret nullam gentem se alicubi videre potuisse, Princeps tamen cum sua comitiva stipatus quasi ad bellum recipiendum composita, & accincta processit, & cum appropinquasset ad Guardiam Lombardam, præmisit ad terram ipsam nuntios suum significans adventum, & qualis esset ipsius terræ status agnosceret antequam ad ipsam veniret.

Nuntiis autem reversis, & statim ipsius terræ non mutatum in aliquo significantibus Princeps ad terram ipsam processit, non tamen terram intravit, sed ad burgam ipsius populo confortare cœpit, & monere eos ut decuit quod in solitæ fidei constantia manerent. Populus autem ipsi Principi exposuit qualiter quidam Legatus Apostolicæ Sedis, qui apud Arianum cum magno exercitu Ecclesiæ erat, requisivit eos, ut se, & terram Ecclesiæ darent, & de voluntate sua quid super hoc facturi essent, ad certum terminum responderent, quem quidem terminum in diem crastinum prorogari dicebant, quod si in eodem termino se reddere nolle responderent, exercitum ipsum consequenter ad sui oppugnationem, & destructionem expectarent. Princeps autem, non decet, inquit, de hujusmodi comminationibus timere, dummodo fides vestra non vacillet, ecce enim nos in Apuliam descendimus ad disponenda sic negotia Dom. Regis nepotis nostri, & nostra, quod vos, & fideles alios contra omnium adversariorum machinamenta tuebimur, gratia nobis assistente divina, propter quod vobis districte præcipimus, ut nihil de statu vestro timeatis, nec aliquid vel ad Legati, vel ad alicujus personæ requisitionem sine nostro speciali mandato facere præsumatis. Nos enim pro vobis, & aliis fidelibus stabimus, & prædicto Legato, ac quibuscunque aliis adversariis volentibus sicut respondendum fuerit respondebimus. Vestrum ergo & aliorum subjectorum est stare ut statis, nostrum vero de statu vestro, & aliorum curam gerere ne status vester aliquorum turbetur infestatione.

Facta igitur tali ad incolas Guardiæ proloquutione Princeps processit inde, & ipso eodem die pervenit ad oppidum, quod Bisaccia vocatur, ibiq; per incertos præmisit de eodem loco ad castrum Bimium nuntium suum pro adventu suo incolis ipsius castri notificando, quod quidem castrum ad ipsum Principem ratione prædicti Comitatus Adriæ pertinebat. Audito autem salubri adventu Principis incolæ, ipsi valde lætati sunt, & lætitiam suam luminaribus, aliisque quibus potuerunt modis demonstraverunt: sicque Princeps quendam militem de familia sua nomine Arduinum misit illuc ad castrum ipsum pro parte sua fideliter custodiendum, miserat quoque prædictus Princeps Malphiam nuntios scilicet Gualterium de Ocra Regni Siciliæ Cancellarium, & Geruasium de Martina qui euntes, & significantes ipsius terræ civibus adventum Principis, facto eis colloquio sicut decuit, voluntatem eorum exquisierunt, si ipsum Principem, & suos in civitate recipere vellent. Melphienses autem responderunt se Nuntio Papæ fidelitatem, & homagium juravisse, & ideo non debere, nec velle contra ipsum juramentum venire, velle autem se recipere Principem in civitate, dummodo cum modica comitiva civitatem intraret, & sine Theutonicis, ac Saracenis. Redeuntibus ergo prædictis Nuntiis ad Principem, & responsionem Melphiensium sibi significantibus, asserentibus etiam quod Melphienses civitatem munire jam cœperant, ipse Princeps ad civitatem Exculanam procedere disposuit: prius autem quam ad civitatem ipsam procederet præmisit ad eam nuntium suum cum literis ad notificandum ibi adventum suum, & prævidendum statum, & voluntatem ipsius civitatis incolarum. Pergens autem ipse Nuntius in civitatem ingressus invenit seditionem ibi tunc nuper exortam & Comestabulum civitatis ipsius fuisse in illa seditione peremptum, tantamque in ipsa civitate turbationem, quod ipse nuntius literas Principis quas habebat ad civitatem, nec dare, nec ostendere ausus est; imo de aliquorum consilio, qui Principi benevoli videbantur ipsum latere oportuit & de nocte postmodum civitate exire.

Interea Princeps sequenti die de oppido Bisacciarum moverat versus Exculum processurus, cum autem procederet occurrit sibi in via prædictus nuntius de Exculo rediens, & quidam juvenis nepos Comestabuli qui pridem apud Exculum fuerat in seditione interfectus, & exposita Principi civitatis illius conditione suggerebatur ei tam ab illo juvene, qui ultionem mortis patrui sui desiderabat, quam ab aliis de comitiva sua qui magnum habebant bellandi desiderium ut versus civitatem ipsam recta ipsa procederet, utileque esse suis gentibus ut civitatem ipsam antequam melius munire se posset, subito intraret. Positum ergo & firmatum est a Principe & suis recta via procedere in civitatem, & jam singuli de comitiva sua certam victoriæ spem amplectentes magisque desiderantes invenire resistentiam, ut vires suas, & animos experiri possent,

possent, quam tranquillum, & pacificum habere ad civitatem ingressum, jam de ipsa rebellum strage futura, & de spoliorum direptione quandam exultationis sibi materiam anticipabant. Dum autem sic animose procederent prædictus juvenis nepos Comestabuli interfecti comitivam Principis cœpit præcedere, ut qui requisitionis illius erat, viæ qualitatem investigaret quatenus securior Principis comitiva procederet. Cumque per aliquantulum viæ processisset, dixit se pro certo accepisse per viam, quod Marchio Oddo frater Marchionis Bertholdi cum quingentis militibus Cornetum venerat, quod quidem ab Exculo sex millibus distat.

Tali autem rumore in comitiva Principis exorto, & prædicto juvene id esse verum tenaciter affirmante, licet mendacium esset, quod vel ipsa conditio temporis suspecta verisimile suggerebat, vel ipse juvenis destructionis Terræ suæ timore confixus, atque damno mortis patrui sui, quod incurrerat damnum patriæ nollet inferre, Princeps tamen consideravit sapienter, quod id quod de adventu prædicti Marchionis Oddonis dicebatur, vel verum jam esset, vel adhuc contingere posset, sciebat enim post recessum suum de Acerris: quod gens procul dubio ventura erat: magis etiam de prædicto Oddone credebat propter Marchionem Bertholdum fratrem suum, qui jam cor suum contra Principem, ut supra memoratum est, manifestaverat. Arbitratus est ergo Princeps circumspectus, quod si civitatem tunc Exculanam invaderet, & capere forte non posset pro eo quod non tantas vires armatorum tunc habebat quantas haberi ad unius civitatis oppugnationem oporteret multum de suo sibi honore decresceret, & dum vires magis suorum ex illa prima sinistra fortuna trepescerent adversarii, sui multum inde vigoris assumerent si autem civitatem illam violenter forsitan caperet, contingere posset quod dum sui se in spoliorum direptione occuparent prout manifeste jam innuebant, posset aliquod sibi, & suis intervenire periculum, vel etiam si hoc non contingeret, licet ipse Princeps ibi sine aliquo periculo se receptaret prædicto Marchione Oddone apud Cornetum existente, & exercitu illo Ecclesiæ, qui erat apud Arianum ex parte alia veniente ipse Princeps, & sui in ipsa civitate Exculi viderentur inclusi, & prius contra eum adversarii sui circumquaque insurgerent, quam ipse Princeps potentiam, & vires suas collectas hinc inde præsidiis augere, & firmare posset, illiusque modicæ gloriæ favor, qui tunc obvenire poterat, si civitatem Exculi caperet, gloriæ majoris emolumentum, quod in antea erat habiturus impediret. Ratus est ergo Princeps in illis dubiis revelationis suæ primordiis, suam quodammodo per ingenitam sapientiam viare fortunam, & more sapientis opificis qui primo apparatum facit, & tunc demum destinatum opus aggreditur, cum necessariorum, quæ jam parata sunt defectus aliquis non timetur, sapienter decrevit se prius pro illius temporis qualitate componere, ut debile principium melior fortuna sequatur.

Mutato ergo ex prædictis rationibus proposito Princeps ab incœpto itinere Exculi divertens ad quoddam castrum quod dicitur Lavellum perrexit quod a civitate Venusii octo fere millibus distat, ibique fuit satis reverenter, & honorifice receptus cum ibi per unam noctem mansisset. Sequenti mane nuntii Venusinorum venerunt illuc ad Principem, supplicantes ei ex parte suorum concivium, ut Princeps ad regiam, & suam civitatem Venusii venire dignaretur, asserentes qualiter de salubri adventu Principis valde civitas illius universitatis lætata est, magisque ac magis lætarentur, si personam ejus in ipsa civitate videre mererentur.

Ad supplicationem ergo, & devotionem Venusiorum Princeps cum sua comitiva ad civitatem ipsam profectus est, cunctique ipsius terræ cives contra civitatem sibi devote occurrentes, ipsum, & suos in magno gaudio, & tripudio receperunt, & omnes sibi expensas pro se, & tota eius comitiva de communi omnium civium largitione hilariter tribuerunt.

Interea Joannes Morus qui sicut superius dictum est, significaverat se præstiturum omne auxilium & consilium Principi statuto loco sui in custodia civitatis Luceriæ quodam de familia sua nomine Marchisio adhibitis sibi mille Saracenis armigeris inter equites, & pedites, & trecentis Theutonicis equitibus locatis contra Luceriam in domibus Regiis, quæ sunt ibi; qui Theutonici post mortem Imperatoris locati fuerant in civitate Trojana: post mortem vero regis de civitate ipsa per ipsius Terræ cives ejecti fuerant, receptoque ab ipso Marchisio juramento, & facto sibi districto mandato, ut neminem, sive Principem, sive quamcunq; aliam personam civitatem Luceriæ intrare permitteret, ad Summum Pontificem profectus est, significans Principi, quod ipse ad hoc ibat, ut apud Summum Pontificem negotium, & utilitatem Principis tractaret. Licet illius esset intentio, ut se & civitatem Luceriæ in manibus Ecclesiæ poneret, & quantum posset confusionem Principis procuraret. Princeps vero audito Joannis Mori discessu a Luceria miserat diversos jam nuntios ad civitatem ipsam humilis quidem conditionis ad contractandum, & qui familiaritatem, & usum cum Saracenis ipsius civitatis habebant, qui sine suspicione introire poterant, & exire civitate ad explorandum ibidem quæ & qualis voluntas civitatis ipsius recipiendi Principem esset, per quos nuntios ad se redeuntes intellexit Princeps qualiter voluntas ipsorum hominum satis bona esset, & quod mirabantur quare Princeps recta via Luceriam non venisset cum ipsi omnes se ad defensionem, & honorem Principis, & bona eorum omnia disponerent, & parata essent.

Cum autem Princeps apud Venusium morans, & talia nova de Luceria recepisset tractare cœpit cum secretariis suis qualiter ad terram ipsam Luceriæ conferre se posset, aliis asserentibus melius esset Principem solum cum uno, aut duobus tantum in specie privatæ personæ ire, & civitatem intrare, aliis vero dicentibus ipsum debere cum tota sua comitiva procedere, cum oporteret ipsum transire inter civitatem Exculanam,

nam,

nam, quæ rebellaverat, & civitatem Fogiæ ad quam Oddo Marchio de Honeburch, cum Papali magna militia certissime venerat. Resedit tamen in hoc consilium, ut Princeps iret in specie privatæ personæ, quia nullo modo per medium prædictarum duarum civitatum rebellium cautius transire posset, quam si totam suam comitivam non duceret secum, quæ propter multitudinem, cum illa multitudo pauca esset non posset forsitan ita transire quia ad aliquam prædictarum civitatum forte inde notitia perveniret.

Interim autem dum hoc tractaretur venerunt cives Venusini ad Principem dicentes se a Mephiensibus esse requisitos ad confœderationem ad invicem faciendam, asserentes se confœderationem ipsam esse cum Melphiensibus facere, salvo in omnibus Principis honore & salute. Princeps autem audiens Venusinorum verba voluntatem eorum de facienda ipsa cum Melphiensibus confœderatione, monstravit quasi parum curare.

Disposito ergo Princeps, cum prædictis tantum secretariis suis de itinere suo ne ad alios forte hujus rei notitia perveniret, fecit Ecclesiam Sancti Nicolai de Aufido loquuturus cum Frederico de Antiochia fratre suo, quem illuc ipse Princeps venisse confixit, & deinde processurus erat Spinaczolam: mandavit ergo illis de familia sua, qui remansuri erant, ut sequenti mane Spinaczolam cum camera sua proficiscerentur; secretariis autem dixit, qui cum reliqua familia & camera remanere debebant, ut de Spinaczola cum camera ispa non recederent donec rei futuræ qualitas quicquid faciendum esset indicaret.

Erat autem primus dies Novembris hora quasi vespertina cum hoc tractaretur, vixque ad hoc completo super materia ista colloquio cuidam de hominibus longe astantibus super mutationem gratiam fecit, quod Princeps signum bonum ingens id esse auspicatus subito ensem sibi dari postulavit, & cum ensis tunc nullo modo inveniri potuisset, quod aliqui non bono evenire auspicio suspicati sunt, ipse nihilominus Princeps quodam alio ense cujusdam socii sui militis qui sibi oblatus est se accinxit, & armis aliis competenter munitus equitavit, tres tantum scuterios secum ducens: cumque in illa modica societate civitatem exivisset, quosdam de familia sua iter ignorantes equitantes post Principem invenit cum se, seque sibi in via junxerunt, quos Princeps revocare noluit, ne ipsis revocatis aliquid de suo forsan proposito perpendi posset. Inventæ sunt autem omnes illius comitivæ, cum Principis persona, quibus procedentibus supervenit nox, & cum nocte pluvia, quæ adeo grandis erat, & tenebras noctis augebat, quod euntes non poterant se ad invicem videre, sed se solo verbo, vel mutuo contactu sentiebant, nec scire poterant versus quam partem incederent, cum nec ipsos certa via duceret; quam ipsi studiose diverterant, & per invios ire campos dum adhuc lux esset elegerant, ne ad aliquam prædictarum civitatum causaliter declinarent. Ibant ergo non ex arbitrio, sed sola eos ducente fortuna, cum stellæ quas ad Itineris nocturni demonstrationem nox ipsa parare curaverat, aer tunc pluviosus abscondisset, & omne illis in ipsa tempestate remedium subtraxisset. Erat autem inter eos quidam miles Adenulphus Pardus, qui fuerat magister venationum Imperatoris Frederici, qui ex nimia venationum assuetudine magnam illarum partium notitiam habebat, & inter illas tenebras, quantum de industria sua poterat Principi ducatum præstabat ita ut inter illas fortunæ adversitates in ducatu ipsius Adenulphi magnam partem fiduciæ suæ Princeps posuisse videretur magnumque spei remedium sibi in illo errore faciebat notitia Regionis, quam ipsum Adenulphum ex nimia venationum Imperialium assuetudine habere sciebat. Licet autem sicut eis tunc fortuna sæviens minari videretur, ut in incertum se tunc eorum quisque crederet, non periculum, sed quam ut forsitan non errarent, ipsi tamen potius se errare præsumerent, tamen circa noctis medium ad quemdam locum eos error ille perduxit, qui vocatur sanctus Agapitus, qui medius est inter Fogiam & Luceriam. Erat enim ibi quædam domus quam Imperator Fridericus pro venationis solatio construi fecerat, quæ quidem domus in illa nocti tenebrositate albescens aliquantulum apparuit, nec tamen Princeps ad domum illam prius divertere voluit quam loci illius qualitate circumquæsita, quantum poterat in illa noctis opacitate comprehendi de loco ipso quod esset sanctus Agapitus certificatus esset alicui prædictarum rebellium proximus, ad quem divertere sibi periculosum esse potuisset, præsertim cum similes domus per similes Apuliæ partes, & maxime in Capitanata per prædictum Imperatorem constructæ fuerant in venationum solatiis quarum aliqua civitati Fogiæ, in qua prædictus Oddo Marchio cum Papali exercitu erat, nimis vicinabatur.

Rigente ergo illa tempestate pluviali Princeps cum suis illis paucissimis sociis ad domum illam declinavit, ut homines, & equi qui pluviam indesinentem illa in tenebrositate vagantes pertulerant, per modicam in illo pausationem, aliquam tanti laboris refocillationem acciperent, adeoque gratulanter loci illius quietem amplexi sunt, quod quodammodo præteriti paulo ante discriminis obliviscentes in tantum se solatii luxum in illa requie, locique angustia laxaverunt, ut ignem maximum, lignorum sibi oblata copia facerent, qualiter sibi magni Reges, & Principes in illis solatiis suis facere fieri consueverunt, quod licet reprehensibile quodammodo visum fuerit cum ex ignis illius fulgore, qui usque Fogiam vel Trojam præ sui magnitudine pervenire poterat, aliquid de ipso Principis transitu per locum illum ab adversariis suis perpendi potuisset, tamen sic factum est, & pro infecto haberi non potest. Per totum noctis residuum moratus est in illo loco Princeps, & sui, & tam ipsi quam equi magnam ibi de labore, quem habuerant refocillationem rece-

receperunt. Paulo autem ante diluculum equitaverant, & cum ad tria milliaria civitati Luceriæ appropinquassent cogitavit Princeps, quod si omnes simul ad civitatem accederent, contingere posset quod homines civitatis multitudinem illam, licet paucam, suspectam haberent, & forsitan ingressum sibi negarent, si autem cum duobus, aut tribus tantummodo iret, ingressum sibi dare non dubitarent, & posito quod ingressum non darent facilius, & salubrius cum paucis, quam cum multis deinde salvare se posset: cogitabat enim Princeps, quod si in Luceria forte non reciperetur, ad castrum Bibiani quod pro eo tenebat, pergeret, & ibi se receptaret.

Missis ergo in loco illo omnibus illis, qui secum ibant Princeps ipse cum tribus tantum, quorum unum idioma Saracenorum bene noverat ad portam appropinquabat, quo ex interiori parte plures homines, qui ad noctis custodiam deputati ad portam custodiendam asserentes, equites civitatem versus venire, convenerant propter magna sollicitudinem custodiendi civitatem, quam eis illius temporis qualitas ingerebat. Cum ergo Princeps esset extra ante portam, & homines civitatis ex interiori parte in ipsius portæ propugnaculis starent unus ex famulis Principis linguam Saracenicam sciens prius accessit, & hominibus qui portam custodiebant dixit. En Dominus vester Princeps filius Imperatoris juxta desiderium vestrum ad vos venit, aperite ergo sibi portas, & ipsum recipite in civitate, sicut jam pridem cum magna bona vestra liberalitate promisistis. Cum autem illi dubitarent an ibi Princeps esset, prout ille dicebat, & suspicarentur ab ipso illudi, Princeps ut se illis cognitum faceret appropinquavit magis ad portam, & cognitus est ab eis: Statim autem quod cognoverunt, quod princeps esset, anxiabantur ad portam sibi aperiendam, volebantque prius mittere ad Marchisum statutum per Joannem Morum, ut supra dictum est, in civitate Luceriæ, qui claves prædictæ civitatis habebat, tunc vero unus ex illis qui intus erant, fidem suam ulterius erga Principem ostendens sic inquit. Pro clave ad Marchisum mittimus: Ipse Marchisius qui mandatum habuit a Joanne Moro, quod nec Principem, nec aliquem alium ingredi civitatem permitteret clavem ipsam non dabit. Sed Principis ingressum, quantumcunque poterit impediet. Bonum ergo est, ut quomodocunque melius fieri potest Princeps intret: ipso enim ingresso omnia postmodum plana erunt: Erat autem clivus quidam a civitate productus, per ipsam portam ad labem aquæ pluvialis extra civitatem educendam, qui clivus limen portæ per medium secabat, ita quod clausa porta tantum foraminis ex illo clivo remanebat, quod homo prostratus ingredi inde poterat civitatem: ille ergo qui sic fuerat proloquutus, Ingrediatur inquit, Princeps per foramen quod sub porta est, & sic in civitate quomodocunque ipsum habere possumus, habeamus. Tunc Princeps, nec advertens ingressus illius turpitudinem, sed magnæ fructum gloriæ, quæ ex illa turpitudine resultabat, cogitans per labores, & angustias transeundum esse ad gloriam, & ex illa contumeliosa quidem, sed utili prostratione surrecturum se ad magnæ solium exultationis aspirans, cum jam ad id cum fortuna duxisset, ut non tanquam homo directus, sed tanquam ruptile incurvatus, terræque prostratus gradi deberet, animadvertit sapientissime quod processus forte qui jam ad illius depressionis ultimum venerat ad suæ relevationis tendebat initium, descenditque de equo suo, & se in terram prosternere ad ingrediendum per foramen parabat, quod Saraceni videntes, magnaque ex illa Principis miranda quidem, sed necessaria humilitate permoti. Numquid, inquiunt, ferendum est, ut Dominus noster, ita viliter civitatem intret? Effringamus igitur portas ut ingrediatur sicut Principem decet. Uno ergo impetu facto irruerunt ad portas, ipsasque fregerunt & intus Principem, cum magno gaudio recipientes ipsum usque ad medium civitatis in brachiis suis relevatum a terra portaverunt. Itaque circumcinctus Princeps innumera multitudine populi confluentis ad aspectum ipsius in illa honorifica delatione sui, magnam personæ defatigationem sustinebat, dum homines magis suo communi gaudio quam ipsius Principis habilitati satisfacientes, in tantum exhibitionem illam honoris extenderent erga Principis personam, ut de labore & compressione, quam tunc Princeps patiebatur, parum cogitarent, quod cum oblato sibi in illa frequentia populi, cum maxima difficultate equo equitasset, sensit de persona graviori tunc periculo, quam id quidem habuerit, respirasse.

Cum autem hoc fieret, & adventu Principis civitas tota ferveret, pervenit hoc ad notitiam Marchisii statuti per Joannem Morum in civitate, qui Marchisius in Regio palatio erat, qui cum audisset Principem fore in civitate, admirans qualiter id esse potuisset, cum ipse portarum omnium claves haberet, fecit confestim armari Saracenos deputatos per Joannem Morum sub se ad custodiam civitatis, ipseque armis munitus egressus est de palatio, & simul cum prædictis armatis contra Principem venire cœpit, Principe autem procedente ad palatium, cum maxima populi multitudine, ipso quoque Marchisio cum armatis suis contra Principem ab ipso palatio veniente, cum ventum esset ad id loci quo dictus Marchisius Principem euntem aspiceret, factus est illico clamor, & concursus populi ad ipsum Marchisium, ut in continenti descenderet, & ad pedes Principis iret, ille obstupefactus, & de necessitate virtutem faciens, statim descendit, armisque depositis ante Principem se prostravit, & pedes Principis osculatus est, sicque Princeps cum magno honore, & gaudio ad palatium Regium populo comitante perductus est.

Inter hæc illi de familia Principis qui ipso, ut dictum est, cum tribus tantum ad civitatem accedente retro remanserant, cum e vestigio venientes ad civitatem appropinquassent, audientes

tes Principem esse intus, accesserunt ad portas civitatis, cum autem Principe mox ingresso portas, quæ apertæ fuerant, clausæ interim, & obfirmatæ fuissent, illi autem ante portas ipsas stabant, & intrare non poterant, custodes enim portarum nesciebant, nec credebant eos de familia Principis esse: dum autem illi sic starent ante portas civitatis collecti ecce Marchio Oddo cum quadam comitiva sua veniebat de Fogia ad Luceriam, cumque civitati appropinquans, equites illos ante portam civitatis stantes videret quæsivit a quodam rustico, quem secus viam fodientem invenit, qui essent illi qui ante portam civitatis equites stabant, illo autem rustico respondente sibi, illos esse de familia Principis & eundem Principem civitatem asserente ingressum, statim ipse Oddo miratus nimis, atque turbatus de roncino, quem equitabat descendit, & ad dextrerium suum, qui sibi a dextris jam ducebatur ascendit, & versus Fogiam retrocedebat.

Cum autem illi de familia Principis stantes ante portas vidissent, & agnoscentes ex vexillo, quod ille erat Marchio Oddo, post eum se proripuerunt, ipsum viriliter insequentes, cumque vero equi eorum essent valde fatigati ex labore noctis præteritæ, videntes quod eum attingere non poterant, ab ipsius insecutione temperaverunt, & reversi ad portas civitatis postquam scitum est eos de Principis comitiva esse, apertis januis civitatem intrarunt, & ad Principem qui in palatio regio erat accesserunt, Principi significantes qualiter Marchio Oddo venerat atque recesserat.

Congregato ergo universo populo civitatis ante palatium Regium Princeps in ipso palatio residens ad fenestram, quæ prospicit inter Meridiem, & Occasum, de qua ipsi populum respiciebat, totusque populus ipsum videbat, proloquutus est ad populum sicut negotii qualitas requirebat, exponens causam propter quam a Summo pontifice recesserat, & qualiter voluntatis suæ erat jura Regis nepotis sui, & sua, & libertatem, bonumque statum Regni, & civitatis ipsius viriliter manutenere, atque defendere: statimque omnes se in personis, & rebus ad servitium, & beneplatium Regis & Principis obtulerunt, & juramentum fidelitatis, & homagii sibi pro parte regis, & sua secundum eorum ritum corporaliter præstiterunt.

Interea secretarii Principis, & alii de comitiva sua, qui cum camera sua remanserant apud Venusium, & juxta ipsius Principis mandatum Spinaczolam processerant, ibique manebant nihil penitus sciebant de his quæ Principi feliciter obtigerant. Princeps autem id eis significans, mandavit eis ut non per viam, quæ est inter Exculum, & Fogiam, sed per castrum Bivini, vel per Sypontum Luceriam venirent, illi autem tutius elegerunt per Sypontum venire, si enim per Bivinum venissent, sinistrum eis procul dubio contigisset, nam eo ipso die, videlicet secundo Novembris, quo Princeps Luceriam ingressus est, Bertholdus Marchio de Honeburch G. Cardinali Apostolicæ Sedis Legato in Apulia cum magno exercitu venienti per unam dietam obviam procedens Fogiam venerat, qui Marchio veniens cum sibi significatum fuisset in via, Principem esse Luceriæ, conturbatus est nimis, nuntiumque ad Legatum ad id sibi significandum celeriter misit, tantusque terror ad comitivam Marchionis ex illo rumore factus est, sicut aliqui postmodum de comitiva illa dixerunt, ut quam plures de Apulia qui cum Marchione veniebant, cum ipse Marchio venerit Fogiam se ibi non fixerunt, sed ipso eodem die usque Barolum nuntius Marchionis adeo festinavit, quod ipso eodem die, videlicet secundo Novembris, fuit apud Trojam, propter quorum Legati, & Marchionis adventum, tam prædictum castrum Bivini, quam aliæ civitates & castra per Apuliam in partem ipsius Legati, & Marchionis declinaverant.

Inventæ sunt autem in prædicto palatio Regio Luceriæ Camera Imperatoris Frederici, & Camera Regis Conradi, Camera quoque Marchionis Oddonis, & Camera Joannis Mori in quibus Cameris inventum est aurum, argentum, vestes lapides preciosi & arma quamplurima. Cœpit ergo Princeps de Gazis, & bonis quæ in Cameris ipsis inventa sunt inter milites distribuere, & tam eis, quam illis qui secum de partibus Terræ Laboris venerant, quam aliis quos undecunque habere poterat stipendia præstare: dicti enim Theutonici equites quos Joannes Morus, ut dictum est, in prædictis domibus extra Luceriam constituerat, statim Principe veniente Luceriam se sibi ad suum servitium præsentaverunt, Princeps eos libenter recepit, & stipendia eis concessit. Plures etiam Theutonici, qui post mortem Regis per diversas Regni partes, & præcipue per Apuliam dispersi erant audito Principis adventu in Luceriam ad ipsum venerunt, & ad stipendia recepti sunt, & licet aliqui eorum equos, vel arma non haberent Princeps eis equos, & arma prout unumquemque indigere videbat, præstabat: multi enim de exercitu Legati & Marchionis audita liberalitate Principis de exercitu suo ipso recedentes venire ad Principem, & Princeps eis stipendia tribuebat, ita quod per modicum temporis spatium exercitus Principis adeo est augmentatus, quod terror ejus totam Apuliam concutiebat: statim enim quod Princeps Luceriam intravit, & exercitum suum sic augmentare cœpit, per singulas vicinas Terras misit literas suas ut Luceriam foderum rerum victualium necessariarum pro suo exercitu mitterent: misit & litteras Fogiam, ubi erat Marchio Bertholdus, quæ literæ receptæ ab universitate civitatis præsentatæ fuerunt Marchioni prædicto, quas literas cum legisset Marchio, valde miratus est quod Princeps qui paulo ante in tanta depressione, & humiliatione fuerat, quod eum supplicare aliis oportebat, sic subito ex depressione illa in excellentem statum erectus esset, ut de fodero sibi mittendo, ita imperiose mandaret, ac si totius jam Regni Dominus esset; turbatus ergo valde ex hoc Marchio convertit se ad consuetas versutias, & quasi amicabiliter

motus,

motus, & de honore ac salute Principis zelum habens, magisque se intimum, & familiarem Principi ostendere volens, misit ei quasdam vestes lineas & laneas, ut Princeps qui pro diuturnis armis fatigatus erat, & qui in solis armis suis Luceriam venerat, cum nondum camera sua cum vestibus, & aliis personæ suæ necessariis pervenisset ad eum, vestibus illis a Marchione missis indueretur misitque sibi consilium, ut Princeps de gratia Ecclesiæ non desperaret, nec tanquam desperans eam, faceret quæ ad majorem aggregationem odii & discordiæ redundarent: confidere enim se dicebat, quod adhuc poterat factum suum sic cum Summo Pontifice componi, quod honor sibi & commodum increscere potuisset. Princeps autem Marchionis ipsius vestes tanquam necessarias recepit, verba vero tanquam superflua & dolosa contempsit, viresque, & potentiam suam quod magis sibi necessarium, & utile erat augumentare quotidie satagebat. Principe autem sic suas quotidie vires augente cœpit de concordia inter ipsum & Legatum tractatus haberi, tractatumque est quod Princeps usque ad ripam fluminis, quod est inter Luceriam, & Trojam veniret, Nuntiique Legati usque ad ripam ejusdem fluminis ex parte alia venirent a Troja, ut ibi ad invicem de negotio concordiæ loquerentur. Præfixo ergo ad hoc die Princeps cum equitum, & peditum comitiva Luceria exivit, & usque ad ripam prædicti fluminis comitiva sua parum retro dimissa cum paucis accessit. Illi vero de parte Legati, cum magna similiter comitiva Trojam exeuntes Principis videntes exercitum longe citra ripam fluminis consistere, nec ad ripam fluminis aliquatenus appropinquare volebant. Princeps vero hoc videns cum illis suis paucis sociis qui secum erant ad ripam fluminis transivit, & comitiva, quæ retro remanserat ad ripam, ubi prius ipse steterat venire fecit. Cumque Principe flumen transeunte illi de parte Legati adhuc ad ipsum appropinquare nollent, Princeps versus eos magis appropinquavit, & per tantum loci spatium eundo versus illos se jam a sua comitiva elongaverat, quod aliquibus temerarium quodammodo visum fuit sic hostili parti se credere, ubi pars hostilis de eo sic dubitaret; Cum autem illi nullo modo se vellent de prima statione movere, & jungere se ad colloquium, Princeps vel pusillanimitatem illorum spernens, vel fraudem conjiciens retrocessit & Luceriam cum sua comitiva reversus est.

Post paucos autem dies cum videret Marchio Bertholdus, quod Principis potentia nimis augumentabatur, misit ad Principem quendam suum secretum nuntium religiosum, de domo videlicet Sanctæ Mariæ Theutonicorum sibi significans, quod ipse Marchio ad gratiam Principis redire volebat, si Princeps volet ipsum recipere, & certa sibi pacta, & conditiones, quas Marchio petebat adimplere: inter ipsa autem pacta continebatur, ut Princeps filiam suam Ganarro nepoti Marchionis nuptui traderet. petiitque Marchio quod Princeps Gualterium de Ocra Regni Siciliæ Cancellarium secretarium suum ad eundem Marchionem pro hujusmodi tractatu habendo destinaret apud Trojam, sub eo quidem prætextu quod idem Cancellarius ad Legatum pro tractatu concordiæ mitti videretur. Princeps autem sapienter considerans, quod si Marchionem ex parte sua, quocunque modo habere posset partis adversæ vires multum decrescerent, sua vero potentia nimis augmentaretur. Tali petitioni Marchionis acquievit & prædictum Cancellarium ad Marchionem prædicto modo mittere disposuit. Cumque prædictus Cancellarius solus nollet ipsius negotii onus assumere, tum quia Marchionis astutias habebat suspectas, tum quia ad palliandum causam profectionis ipsius ad tractandum cum Legato concordiam, unam tantum personam transmitti inconveniens quodammodo esse videbatur, adhibitus est de Cusentia ipsius Principis secretarius, factaq; est unicuique eorum a Principe commissio eundi ad prædictum Legatum Trojam de concordia cum ipso tractanda, dataque eis a Principe commissio eundi plena potestate, & auctoritate tractandi cum Marchione qualiter ad partem Principis reverteretur, & offerendi, ac firmandi sibi pro parte Principis omnia pacta, & conditiones quas ipse Marchio postulaverat.

Profecti ergo prædicti Nuntii Principis Trojam ad Legatum Sedis Apostolicæ ibi existentem, ut de concordia cum ipso tractaretur, Legatus autem potentiam suam quodammodo ex dedignatione magnificare volens nuntios ipsos admittere nolebat, sed quosdam eis auditores dedit, videlicet Archiepiscopum Ravennatensem, Episcopum Faventinum, & Albertum de Flisco consanguineum suum coram quibus auditoribus nuncii Principis causam tractandæ concordiæ pro qua venerant exposuerunt, Principem minus ipsius concordiæ esse nocivum, sed nihil cum ipsis facere potuerunt, sicque nuntii ipsi ad Marchionem se contulerunt, & licet non possent cum ipso tractare aliquid ita sicut volebant, quia in verbis ejus, quæ dolo, & astutia plena erant se aliquatenus firmare non poterant quamvis enim pactis, & conditionibus sibi oblatis acquiescere videbatur, tamen dicebat se expectare Marchionis Oddonis fratris sui voluntatem, & consilium, quod magis in dilationem conclusionis afferre videbatur; tamen ne ipsorum nuntiorum accessus illuc penitus inutilis esset, per illud modicum temporis quo in Troja fuerunt, ab eis sapienter, & caute tractatum est, quod una conestabulia Theutonicorum, quæ in exercitu Legati erat ab exercitu ipso discederet, & ad partem Principis veniret; cum se ad id commode faciendum loci, & temporis opportunitas daret. Sicque prædicti nuntii negotio pro quo venerant infecto ad Principem redierunt.

Princeps ad hoc cum magnum jam exercitum congregatum haberet, animusque ejus ad potentiæ suæ vires experiendas esset accensus, præsertim cum exercitus Papalis qui erat in Fogia multum se quotidie roboraret vallando se circum-

circumcirca in fossatis intendendo etiam succidere nemus Palmulæ civitati Fogiæ propinquam ad construendum palatia circumcirca in fossatis ad majus sui munimen, cogitavit quod melius erat hostes suos impugnare antequam ipsi se sic præmunire possent, & laborem sibi postea majorem darent. Præfixit ergo in corde suo certum diem, videlicet in quo exiturus esset in campum, jussitque omnes de exercitu suo se interim præparare, ut ad aliud mandatum singuli se ad belli expeditionem præparatos decenter invenirent.

Interea vero Comes Gualterius de Manupello de partibus Comitatus sui veniebat ad Legatum ab ipso vocatus, qui ad quoddam castrum quod dicitur Serra Capriola dicebatur jam pervenisse. Princeps autem scripsit ei; ut antequam ad Legatum iret, ad ipsius Principis veniret præsentiam: cumque prædictus Comes respondisset se dubitare hoc facere sine voluntate Legati, misit interim Princeps ad eundem Comitem nuntios speciales, videlicet Riccardum Filangerium militem, & præfatum Goffridum de Cusentia, ut ipsum Comitem inducerent, ut iturus ad Legatum per Luceriam transiret, & Principi loqueretur, quod quidem sibi convenire volebat per eum super facto concordiæ Legato ex parte Principis exponendo.

Cum autem hæc fierent venit dies, quem ad exeundum in campum Princeps sibi præfixerat, ipsoque die tanta pluviæ inundatio a præcedenti nocte incipiens facta est, quod difficile erat hominibus, ne dum in campum procedere, sed etiam extra domos exire, sicque in diem tertium, videlicet processus in campum necessario dilatus est; quo die veniente Princeps summo diluculo Comitem Henricum de Spernaria virum strenuum, & bellici discriminis expertum ad se venire jubens, En hodie, inquit, dies est in quo sub spe certa victoriæ contra nostros hostes nostra possumus explicare vexilla: accipe ergo tecum aciem unam equitum armatorum, & felici animo exeas procedens usque ad locum inter Trojam & Fogiam, & Luceriam medium, & quacunque ex parte de Troja, sive de Fogia aliqui de hostili parte prodierint prævideri possint, constituasque duos viros cum duobus vexillis in colliculo illo, quod aliquantulum exeuntibus huic civitati apparet oppositum, & de quo usque ad vicinitatem Fogiæ & Trojæ potest uterque haberi prospectus, quos viros informes, & instruas, ut de loco illo versus utramque partem intente respicientes, si gentem aliquam ex aliqua prædictarum partium prodire viderint primo unus illorum, & deinde alius vexilla in circuitu ventilent, nos enim inspectores alios hic in palatii summitate constituemus, qui ad vexilla prædicta prospectum certissimum habeant, ut si prædicta vexillorum viderint, per quæ significetur, ut positum est, aliquam gentem de aliqua prædictarum partium exire nobis statim hæc dicant, nosque ad signum ipsum cum exfortio confestim exhibimus ad ejus subsidium: si autem antequam hoc fiat, vel etiam post, ante nostrum occursum aliqua gens de hostili parte tibi occurrerit, viriliter ipsam aggrediaris, quia procul dubio victoriam obtinebimus.

Egressus est ergo juxta mandatum Principis Comes Henricus, cum quadam equitum comitiva, pervenitque ad locum, quem sibi designaverat Princeps, ordinavit quoque Princeps duos viros cum vexillis in loco eminenti, juxta Principis designationem ad prospiciendum, & notificandum si qua gens partis adversæ exivisset a Fogia, vel a Troja, ipse vero Comes cum comitiva sua reposuit se in quodam valle depressa ut a longe videri non posset: Princeps autem constituerat prospectores in summitate palatii Luceriæ, ut signa vexillorum, quæ facienda erant ad ostendendum exitum gentis de Fogia, vel Troja, sicut fuerat præordinatum, viderent, & Principi significarent, cumque aliquantulum transisset spatium, ecce prospectores in summitate palatii constituti dixerunt Principi se signa vexillorum vidisse, quæ inter Principem & Comitem posita fuerant, ut dictum est; Princeps autem tanquam leo diu passus exuviem ad aliquod præcedentis inditium subito concitatus exurgens, prospectu signorum sibi significato animosius exhibuit, & cum comitiva equitum & peditum, quam decenter ordinaverat statim civitatem exivit, & Comiti Henrico jam in Luceriam redire incipienti se junxit; cumque Comes miraretur quia Princeps exiverat, cum nulla signa vexillorum facta fuissent, affirmatum est ab inspectoribus in summitate palatii constitutis, quod ipsi signa vexillorum certissime viderant, & ea Principi significaverant, cui quidem illudere fas non erat, ut sibi aliud pro alio diceretur.

Licet autem in veritate signa aliqua facta non fuerant, tamen procul dubio facta fuisse apparuerunt propter victoriam, quæ disposita erat a Deo per Principem ipsa die habenda de adversariis suis. Cum enim Princeps & Comes super hujusmodi materia colloquerentur, & se ad revertendum in Luceriam direxissent. Ecce quædam equitum caterva longe retro apparuit, & cum dubitaretur qui essent prima facie creditum est quod esset illa conestabulia Theutonicorum de qua per nuntios Principis ad Marchionem transmissis, ut dictum est tractatum caute fuerat, ut de exercitu Legati recederent, & ad partem Principis venirent. Dixit ergo Princeps, tu cum comitiva tua illis in occursum eas, qui si pacifici veniunt, ipsos pacifice recipias, & eos ad nos honorifice ducas, si autem adversarii sunt non dubites eos viriliter aggredi; nos enim viso congressu ad te confestim cum toto illo exfortio veniemus. Principe ergo ibi remanente cum illis, qui secum de civitate venerant, Comes Henricus cum illis quos primo secum duxerat versus catervam equitum venientem processit. Cumque interim appropinquasset, quod per vexilla poterat, quæ gens esset illa discerni, cognovit Comes quod illa caterva esset Marchionis Oddonis, quæ de Fogia exierat ad deprædationem aliquam faciendam, statimque contra eum cœpit animosius ire, quo viso

viso prædictus Oddo Marchio quia non erat cum eo tanta gens, & talis quod bellum recipere posset, cœpit retrocedere. Comes autem ipsum insequens animosum contra eum fecit insultum, in quo insultu aliqui de parte Marchionis in terram fuerunt prostrati. Princeps autem viso illo insultu præmisit Fredericum de Acerris militem suum cum quadam acie armatorum in succursum Comitis, quo Frederico acelerante Marchio Oddo se versus Fogiam quantum poterat retrahebat, commissoque inter eos conflictu Marchione prædicto se viriliter defendendo quo usque vidit Principem a longe cum certa comitiva venientem: ipsius ergo Comitis & Principis exercitus animosior factus contra Marchionem potentius dimicare cœpit, Marchio comitivam Principis venientem videns, & de sua comitiva diffidens in fugam se versus Fogiam proripuit, paululumque moratus ante civitatem, & bellum ibi recipere volens, cum vidisset quod illi de civitate ad ejus subsidium non exirent, sed in civitatem descendere præpararent, Comes autem Henricus viriliter insectabatur eum, & magnam jam stragem de suis facere cœperat, cum etiam jam comitiva equitum Principis Comiti Henrico se adjunxisset, videns ipse Marchio deterius esse stare quam fugere, se ad fugam dissolute convertit, & usque ad castrum Canutii fugit, ibique se receptavit.

Principi autem cum suis usque ad introitum civitatis Fogiæ appropinquanti nimis vehementer in ipso ingressu a parte contraria resistebatur, cœpitque ballistis, & arcubus ex utraque parte pugnari, cumque per duarum fere horarum spatium sic bellaretur ante civitatem, nec posset Princeps cum suis hostiliter illam catervam irrumpere, & civitatem intrare, ecce pedites arcerii qui Principem sequuti sunt a Luceria, nec poterant cum equitibus simul venire ad civitatem appropinquaverunt, qui non ea parte in qua Princeps, cum suis equitibus erat, sed ex alia parte civitatis, quæ respicit Semptentrionem de ordinatione Principis accesserunt, in qua videlicet parte resistentia aliqua non habebatur, quam Princeps appropinquabat. Cum ergo fossata, quæ Fogitanti, & illi de Papali exercitu fecerant circumcirca non essent multum elevata ex illa parte quam prædicti pedites petierunt, ingressi sunt ipsi pedites ex illa parte, & fuerunt in burgo civitatis ipsius, quod erat ex illa parte: cum autem illi qui erant in speculis civitatis constituti pedites ipsos vidissent ingressos, & jam ipsi pedites sagittis eos hinc inde lacesserent, factus est subito clamor quod civitas ex parte alia capta esset, quod cum pervenisset ad alios qui civitatem ex parte alia contra Principem defendebant, statim dimissa defensione se verterunt in fugam versus palatium Regium civitatis ipsius: quibus sic fugientibus Princeps, & sui post eos civitatem ingressi sunt, aliosque eorum contrucidaverunt, alios vero ceperunt præter illos qui se in prædicto palatio receptare potuerunt.

Posita autem civitate ipsa indireptionem, & prædam potuisset quidem Princeps si voluisset contra illos, qui se receptaverant in palatio bellum inferre, & eorum per violentiam personas habere, sed cum jam sero esset factum, cogitavit Princeps, quod si per instantem noctem ad obsidionem illorum in civitate ipsa remaneret, Legatus Apostolicæ Sedis, qui cum magno exercitu erat apud Trojam, hoc audito posset contra illum cum exercitu illo venire, & forte illum offendere, præsertim cum milites, & pedites sui propter laborem illius diei valde fatigati essent: cogitavit enim post hæc quod cum aliqui viri Ecclesiastici qui cum exercitu Papali Fogiam venerant, in prædicto palatio cum aliis se receptassent, posset sibi ad magnam sævitiam imputari, si se ad obsidionem illorum inclusorum perseverante, & palatio ipso per violentiam capto prædicti viri Ecclesiastici cum aliis caperentur. Hac ergo potissimum causa, & ne etiam ex sui præsentia civitas per suorum deprædationem magis damnificaretur, vidit Princeps melius esse recedere, quam ibi in nocte ipsa remanere, & illi qui in palatio se receptaverant, capta Principis absentia fugerent, & votum suum Princeps de eis sine aliqua nota crudelitatis haberet.

Reversus est ergo Princeps illo sero cum toto exercitu suo Luceriam, & ad mediam fere noctem pervenit ad civitatem; Sequenti vero mane in ipso diluculo venerunt ad Principem duo cives Trojani missi ab universitate civitatis Trojæ dicentes quod Legatus Apostolicæ Sedis qui in Troja fuerat, audita victoria, quam Princeps habuerat in Fogia cum exercitu, quam ibi habebat, de civitate Trojana nocte recesserat, tantaque fuerat in fuga illius, & exercitus sui dissolutio, quod aliqui relictis penitus arnesiis suis personas tantum onerare, & portare tentantes ipsa ad terrorem etiam muliercularum onerata in animalibus suis dimittebant, & se ad fugam, sicut melius potebant expediebant: ita etiam quod mulieres civitatis ipsius animalia fugientia arnesiis onerata trahebant, aliqui etiam armis induti, cujuscunque seu viri, seu mulieris timentes occursum, arma ipsa libentius deponebant, & viro seu etiam mulieri, ut secure abire sinerentur dimittebant. Aliqui etiam non curantes equis sellas aptare, equos ad nudum equitabant, & civitatem exibant. Aliqui quoque vix tantum sibi spatium in illa fugiendi occupatione laxabant, ne equos suos de præsepe resolverent, & equitarent, sed dummodo salvare quocunque modo se possent dimissis equis pedites fugiebant. Prædicti ergo nuntii Trojanæ civitatis hoc Principi exponentem ipsum ex parte universitatis ipsius suppliciter deputabantur, ut ad civitatem Trojanam venire dignaretur ne eis imputaret ad culpam quod Legatum prædictum, & Marchionem cum Papali exercitu receperunt, cum eorum violentiæ nullo modo resistere potuissent. Simili quoque modo Rogerius de Parisio, qui cum prædicto Papali exercitu Trojam venerat significavit Principi quod fugiente Legato ipse castrum civitatis ipsius ad honorem Regis & Principis cepit, ipsum-

ipsumque ad fidelitatem regis & Principis custodiebat.

His auditis totus exercitus Principis valde lætatus est, instabantque omnes apud Principem, & præcipue illi Theutonici, qui pridem de civitate Trojana post mortem Regis Conradi fuerant, ut dictum est, a Trojanis expulsi, ut Princeps cum exercitu proficisceretur Trojam, Princeps autem sapienter corde consideravit, quod si tunc Trojam accederet magna destructio civitati eidem posset accidere cum ex cupidine spoliorum, qua fere omnes ad eundem illuc accendebantur, tum ex ultione injuriæ qua prædicti milites Theutonici miro modo videbantur accensi præsertim, cum data eis materia debaccandi ad quælibet enormia committenda inpune prosilirent belli præcipue tempore, quo licite comittuntur illicita, & quæ pacis tempore injusta sunt. Ex hac ergo provida cosideratione Princeps exercitus sui motum contra civitatem Trojanam a direptione in ipso sui primordio revocavit, gravius sibi futurum existimans eorum impetum semel in sui voti prosequutione permissum ab illius postea civitatis destructione compescere, quam a principio revocare. Dixit itaque Princeps non esse necessarium Trojam appetere, quæ jam Legato,& exercitu Papali inde fugientibus ad mandatum Regis, & suum conversa erat, necessarium autem esse, & magis utile repetere Fogiam propter illos, qui pridie in palatio se receptaverant, ne si sic sine impugnatione aliqua dimitterentur, possent forsitan, & ipsi animum viresque resumere, & alii de secta ipsorum, qui per vicina fortassis loca collecti erant aliquid resistentiæ in corde concipere, & nocumentum aliquod fidelibus irrogare.

Habitum est ergo pro meliori redire Fogiam, quam ire Trojam, sicut Princeps edixerat, arreptoque itinere, & sui versus Fogiam vexillis explicatis procedebant. Cum autem essent ad quatuor fere millia prope civitatem, occurrit exercitui Principis in via quidam Nuntius de Fogia veniens qui dixit, quod omnes illi qui die præterita se in palatio Fogiæ receptaverant de nocte recedentes fugerunt. Cum autem rumor hujusmodi in exercitu Principis de fuga illorum insonuisset, omnes uno impetu, & præcipue Theutonici per camporum invia versus illam partem, quam illos fugientes ire extimabant animose currere cœperunt, ut eis ex transverso possent occurrere, qui quidem ex magna prosequendi animositate, quam hostium fuga nimis augebat videbatur in equis non quidem incedere sed volare: non quippe ut fieri solet ante positas hostium acies illi gressibus modeste procedebant quasi congressuri & in campo stantibus hostibus sapienter bellum inferrent, sed cum hostes qui non apparebant ex animo quærerent, moderamen eis sola videbatur effrenitas, qua ipsos invenire possent. Insequuti sunt ergo eos hoc modo per viæ plurimū, nec ullo modo eos attingere potuerunt, quia illi tempestive nimis de nocte fugam arripuerant, & timor eis ad fugiendum alas adjunxerat, in tantam enim dissolutionem fugiebant, quod eorum aliqui viam ignorantes, vel potius pro cautela ipsam deserentes, & per devia montium divertentes, cum pervenissent ad loca quorum exitus nives undique clauserant, post dies aliquot mortui reperti sunt, per plura etiam loca bonettæ pannis,& rebus aliis plenæ inventæ sunt, quas ut fugerent expedite in via dimiserant.

His itaque taliter gestis,& talem quippe Principe apud Fogiam assecuto victoriam, prædictus Legatus Apostolicæ Sedis de Troja recedens cum Papali exercitu versus Neapolim ad Summum Pontificem properabat, qui cum tanta festinantia ibat, quod Marchioni Bertholdo, qui pridie ab ipso fuerat missus ad Papam in via se adjunxit, & deinde ambo simul Neapolim pervenientes invenerunt quod ipsis diebus, videlicet Idibus Decembris Papa defunctus erat. Tantus autem Cardinalibus, & aliis de Romana Curia ex illa victoria Principis timor accessit, quod viso Legato & Marchiones omnes voluere de Neapoli recedere, & in Campaniam redire. Ad magnam autem stantiam, & reconfortationem Marchionis ipsius steterunt, & in unum collecti ad electionem novi Summi Pontificis Cardinales de mane procedentes elegerunt Dominum Raynaldum, aliis Raymundum, Episcopum Ostiensem, vocatusque est Papa Alexander.

Princeps autem post habitam prædictam victoriam mirabatur partibus Copitanatæ, clamabantque tam Theutonici quam Saraceni Barolum, Barolum, Barolum. Ergo cum tota alii Terra Bari partem Ecclesiæ adhuc teneret, audita victoria, quam Princeps habuerat, & qualiter Theutonici,& Saraceni versꝰ eos incursionis suæ vota direxerant, memores destructionis quam jam pridem fecerant ex alii sua rebellione perpessi, Nuntios miserunt ad Principem, se & civitatem ad mandatum Regis & Principis exponentes. Ipsis ergo Barolitanis venientibus ad mandatum Regis & Principis, tota alia terra Bari adhuc in rebellione durabat: Princeps autem non ipsam Terram Bari, sed superiores Apuliæ partes, quæ magis parti adversæ vicinabantur repetere decrevit, processitque versus Barolum disponens antequam obsidionem contra castrum ipsum firmaret, ut ipsum violenter caperet sed hyeme adversante noluit ibi frustra laborare.

Processit ergo Venusium,& ex insperato civitatem ipsam adhuc in rebellione perseverantem intravit, ipsamque ad mandatum suum habuit: petierunt enim ipsius civitatis incolæ humiliter a Principe veniam, proponentes qualiter contra Melphienses, & alios qui eos in rebellione præcesserant, quod destructionem eis ex vicinitate comminabantur, stare in proposita fide non potuerant, propter quod de necessitate in partem eorum declinarunt, fidem autem suam non deseruerant in eodem, sed quando potuerant in adventu Principis ipsam declaraverunt, talibusque verbis & alius hujusmodi coram Principe præpositis veniam promeruerunt. Memoratus est enim Princeps qualiter pridem ipsum a Terra Laboris procedentem & in Apuliam venientem

nientem

nientem omnique spe frustratum Venusini devote receperunt & honorem, quem possent sibi concumulati fuerunt ex qua potissimum causa Princeps ad præstandum eis veniam inclinatus est.

Interea vero Joannes Morus erat in Acheruntia, & eodem tempore quo Princeps Luceriam, ut supradictus est, intravit, ipse Joannes Morus a Papali Curia rediens cum audisset in via Principem esse Luceriæ valde turbatus est admirans quomodo civitatem ipsam introire potuerat, cum ipse ante recessum suum valde diligenter eam ordinasset custodiri, misitque ad Principem Nuntios, supplicans quod & literas suas de securitate mitteret, cum ipse ad pedes suos venire vellet. Princeps autem infidelitatem, & proditionem ipsius Joannis Mori dissimulare contemnens literas suas ei denegavit, dixit tamen quod si venire vellet secundum quod merita sua exigebant recipiendus erat, quod ipse Joannes audiens non Luceriam venit ad Principem utpote læsam conscientiam habens, sed recta via profectus est in Acheruntiam, ibique, ut dictum est morabatur. Saraceni vero ibi cum morantes ipsius proditione cognita ferino potius, quam humano instinctu eundem Joannem Morum in eis plurimum confidentem interfecerunt, & corpore ejus ab eis membratim diviso caput ejus in Luceriam delatum est, & ad portam Fogitanam ipsius civitatis spectaculum suæ nefandæ proditionis appensum est. Saraceni ipsi miserunt nuntium ad Gualvanum Lanceam avunculum Principis de Romana Curia redeuntem (erat in castro suo quod Tulle vocatur) sibi hoc significantes & petentes ut veniret in Acheruntiam, & terram ipsam pro parte Principis reciperet. Dictus enim Gualvanus qui, ut supra dictum est, Principe recedente de Acerris apud Romanam Curiam ex utili quidem & necessaria causa remanserat, donec in prædicta Curia fuit tanquam homo astutus, & discretissimus ostendebat se non pro se, sed contra Principem esse, ut caute sibi de ipsius Principis utilitate tractaret: capta vero temporis opportunitate de Curia ipsa recessit, & ad castrum suum prædictum quod dicitur Tulle interfecto prædicto Joanne Moro ad petitionem Saracenorum Acheruntiam intravit, terramque ipsam pro Principis parte recepit, & cum Princeps, ut prædictum est, apud Venusium esset, idem Gualvanus ad Principem illuc venit lætatusque est nimis Princeps de adventu suo, tum quia ipsum de manibus adversariorum suorum recepit incolumem, tum quia consilium, & auxilium ejus circa illa ardua negotia, quæ Principi incumbebant sibi necessarium & utilissimum erat. Ipso enim Gualvano ad Principem veniente multis cogitationibus se Princeps exoneravit, cum ipse Gualuanus tantæ quidem prudentiæ ac strenuitatis esset quod de toto guerræ negotio Princeps sibi secure posset incumbere, & ipse tanquam Dominus sine cogitatione aliqua remanere.

Interim autem civitas Rapollæ, quæ ipsius Gualvani erat, in rebellione durabat: mittitur ergo illuc prædictus Gualuanus, cum multitudine equitum, & peditum armatorum, cumque cives ipsius oratione requisiti pacifice ad mandatum venire nollent, datus est viriliter in civitatem insultus, & licet incolæ loci se nimis audaciter in primo congressu defenderent, cum situs loci ipsius defensioni eorum magnam audaciam daret, inde animis & viribus Principalis exercitus ex illorum magis resistentia, & defensione crescentibus, cum resistentiam illorum solatium reputarent & defensionem, quam illius loci homines faciebant suarum esse sentirent incitamenta virtutum violenter tamen civitas capitur, pluresque de civitate ipsa propter rebellionem ipsam in qua pertinaciter devenerant neci traduntur, & ad extremam quodammodo desolationem civitas ipsa non minus ex incolarum suorum stultitia, quam ex principalis exercitus triumphali ultione perducta est.

Capta autem tali modo civitate Rapollæ Melphinenses qui eidem civitati ad quinque fere millia vicinantur timentes ne ipsi in rebellione persistentes simul paterentur statim missis ad principem nuntiis ad mandatum ipsius redeunt. Tranenses quoque & Barenses, & alii de Justitiariatu Terræ Bari audita captione Rapollæ, & quod alia etiam superior pars Apuliæ ad mandatum Principis venerat, satis temerarium esse putantes in rebellione ultra perseverare ad mandatum Principis revertuntur; totaque jam fere Apulia, præter quasdam civitates Terræ Idrunti mandato, & jurisdictioni Principis se sponte supposuit.

Interea post assumptionem Summi Pontificis Alexandri, dum sic Princeps in Apulia prosperaretur Thomas Comes Acerræ cognatus Principis, & Riczardus Filangerius venerunt ad Principem a quibusdam, ut credebatur, Cardinalibus missi, admirantes quare cum mos esset, ut assumpto novo Papa Nuntii amondi Principibus mitterentur ad ipsum, nec ipse Princeps Nuntios aliquos ad novum Papam miserit, suadebant sibi quod Nuntios ad novum Papam delegaret. Princeps vero ad mittendos nuntios induci non potuit, ne Papa, vel alii de Romana Curia ex hujusmodi nuntiorum missione aliquam debilitatem, vel pusillanimitatem esse in Principe cogitarent, dixitque Princeps, ad Papam non ad aliam pacem tractandam eos mitteret nisi ut Regnum in dominio & possessione Regis Conradi secundi nepotis sui, sub baliatu Principis remaneret. Compositio autem super eo tantum esset, ut census pro ipso Regno Romanæ Ecclesiæ augeretur. Cum autem Princeps per prædictum Comitem & Riczardum Filangerium ad mittendos nuntios non potuisset induci, venit ad eum quidam Episcopus a Sede Apostolica missus, citavitque ipsum ex parte Summi Pontificis, ut in festo Purificationis Beatæ MARIÆ proxime futuro ad Curiam Romanam accederet responsurus de interfectione BURELLI DE ANGLONO, & de injuria quam Apostolicæ Sedi intulerat expellendo Legatum & exercitum Ecclesiæ de Apulia. Princeps vero ad citationem hujusmodi sibi factam respondit per literas suas Summo Pontifici, excusans

cusans se rationabiliter, de his quæ sibi objiciebantur, & qualiter nullam injuriam Romanæ Ecclesiæ fecerat nepotis sui, & suam justitiam defendendo. Principe autem sic perdurante in proposito non mittendi aliquos nuntios ad Summum Pontificem, venit ad eum de Apulia Magister Jordanus de Terracena Apostolicæ Sedis Notarius, qui ejusdem Principis benevolus videbatur, & qui etiam in Romana Curia magnum locum habebat, consulitque Principi quod nuntios suos ad Papam mitteret, quod ex illa nuntiorum missione non aliud quam honor, & commodum sibi poterat provenire.

De consilio ergo Magistri Jordani Apostolicæ Sedis Notarii Princeps motus est ad Nuntios ad Summum Pontificem destinandos, misitque Gervasium de Martina & Goffridum de Cusentia secretarios suos, & suæ voluntatis plene conscios, dans eis potestatem de concordia cum Summo Pontifice tractanda in certa forma, quæ commodum regium & honorem Principis sapiebat, profectis itaque prædictis nuntiis ad Romanam Curiam, quæ tunc Neapoli erat, cœpit de concordia tractatus haberi, & cum non posset tractatus ipse per eosdem nuntios ad finem perduci, propter aliqua dubia quæ non poterant, nisi per præsentiam Principis declarari, petebant nuntii non ex mandato Principis, sed ex nutu suo, & certitudine quam habebant de Principis voluntate, ut aliquis Cardinalium pro declaratione prædictorum dubiorum, & agnoscenda personaliter Principis voluntate ad Principem mitteretur: dicebantque Nuntii ipsi Summo Pontifici, quod si Cardinalis ipse mitteretur ad Principem pax nullo modo poterat infecta remanere, cum ad multa Princeps descenderet propter præsentiam, & reverentiam Cardinalium ad quæ alias induci non posset. Dicebant autem aliqui de Cardinalibus id non convenire Sedis honori, ut Cardinales hoc modo mittantur, verum tamen si Princeps hoc peteret, vel si nuntii ipsi hoc de mandato Principis eis facto esse restarentur, quod Cardinalis mitteretur, & quod negotium pacis considerationis debitam ex Cardinalium missione reciperet, bene posset Apostolica Sedes induci ad Cardinalem mittendum. Super hujusmodi autem articulo satis visum est, sed quia nuntii ipsi dicebant petitionem ipsam non fieri de mandato Principis, sed ex suo motu procedere, sperantitibus ipsis, imo pro firmo gerentibus quod pax fieret penitus, si Cardinalis ad Principem mitteretur, Papa & Cardinales super hoc articulo simpliciter prædictorum nuntiorum verbis stare nolentes ad mittendum Cardinalem non potuerunt induci.

Licet autem Princeps Nuntios ut dictum est ad Romanam Curiam pro tractanda pace misisset nihilominus ipse ad conquirendum terram ad suum specialiter Principatum pertinentem, quæ propter turbationem præteritam a suo se dominio subduxerat intendebat, perrexitque cum suo exercitu ad Guardiam Lombardorum, quæ sibi ratione Comitatus Andrensis, ut supra memoratum est, spectat: quamvis autem terræ ipsius incolas prima facie resistentes invenerit, tamen disposita circa eam obsidione, cepit eam & ad suum dominium revocavit, quod cum ad notitiam Papæ pervenisset, id grave tulit asserens quod Princeps Ecclesiæ Romanæ videbatur illudere, dum ex una parte concordiam peteret, ex alia vero terram, quæ erat in manu Ecclesiæ occuparet, cumque id dictum fuisset nuntius Principis, qui in Romana Curia erant pro pace tractanda. Nuntii responderunt dicentes, quod Princeps non ad illusionem Ecclesiæ, nec ad contrarium tractandæ pacis hoc faciebat quia Terra illa Guardiæ erat de speciali jure ipsius Principis, super quo Curia Romana nullam Principi controversiam facere intendebat propter quod non debebat Summo Pontifici grave videri, si Princeps faciebat quod licite facere poterat, licet autem hac de causa Summus Pontifex gravatum se diceret, quod Princeps Terram quæ erat in manu Ecclesiæ occupare videbatur, tamen alia causa erat potissima ex qua adventum Principis ad Guardiam Lombardorum, & ipsius Terræ captionem moleste tulit, dubitabant enim tam ipse, quam Cardinales, ne Princeps contra eos Neapolim cum exercitu veniret, & cum de hoc in magna dubitatione essent, adeo quod si Princeps ultra venire tentasset, Summus Pontifex & tota Romana Curia de Neapoli recessissent, cum omnes hoc audito vasa jam sibi parare cœperunt, ut per mare recederent. Dictum est ergo Nuntiis quod si Princeps Ecclesiæ pacem volebat, sic Nuntii ipsi instarent quod Princeps de Guardia Lombardorum recederet, & in Apuliam rediret.

Nuntii ergo Principis totum hoc Principi significaverunt, significantes ei quod a Guardia Lombardorum discederet, occulte tamen sibi exponentes qualiter Summus Pontifex, & alii de Romana Curia dubitabant de adventu ejus Neapolim contra eos, & qualiter si ipse Princeps tunc in Terram Laboris venisset de levi posset totam terram quam Ecclesia occupaverat recuperare. Quo intellecto Princeps dum cogitaret quid esset melius faciendum, & in proposito esset quodammodo procedendi versus Terram Laboris, licet via esset valde nivibus impedita, subito recepit quendam nuntium de partibus Terræ Idrunti exponentem sibi qualiter Manfredus Lancea consanguineus suus quem Princeps Capitaneum constituerat in Terra Idrunti cum Brundusiensibus, qui contra Terram Nerito iverant ad conflictum, & in conflictu ipso fuerat expugnatus; & qualiter terra ipsa Nerito a Brundusiensibus capta fuerat, & destructa, multis de comitiva ipsius Capitanei, & de ipsius terræ Nerito interfectis hominibus. Quo Princeps intellecto revocavit propositum suum quod de procedendo in Terram Laboris conceperat, consultius reputans in terram Idrunti propter casum qui ibi acciderat festinare, ne Brundusienses & eorum complices ex illa victoria quam tunc habuerant animosiores effecti contra fideles insurgerent, & in absentia Principis impune illos offendere possent. Ex eodem enim facto, & prædicto periculo prudenter occurrere

currere & voluntati Summi Pontificis, quæ erat, ut ipse de Guardia Lombardorum recederet in Apuliam rediret studiose satis facere videbatur.

Recessit ergo Princeps de Guardia Lombardorum, & iter arripuit eundo ad partes Terræ Ydrunti pro causa prædicta. Nuntii autem ejus, qui in Romana Curia pro tractatu pacis erant, nihil de pace facere poterant, cum Papa jam Legatum alium ordinasset in Regno, videlicet Octavianum Sanctæ Mariæ in Via-Legata Diaconum Cardinalem, & Legatus ipse cum tractare cepisset de congregando exercitum contra Principem, quod Nuntii ipsi videntes de Romana Curia recesserunt, & venerunt ad Principem apud Guardiam Alguadianam, ubi Princeps cum exercitu suo erat in processu eundi versus Terram Ydrunti.

Ab inde ergo Princeps recta via processit eundo versus Terram Ydrunti, & pervenit cum exercitu ante Brundusium, quæ civitas erat caput rebellionis, & factionis terrarum aliarum terræ Idrunti, Oriæ, videlicet civitas Ydrunti Liciæ & Misagniæ, quæ Principi rebelles erant. Obsedit itaque Princeps civitatem Brundusii, & cum civitas ipsa mœnibus & populo valde munita esset, nec posset per insultum eam de facili capere, fecit fieri depopulationem arborum circumcirca civitatem ipsam usque ad mœnia Misagniæ, quæ erat Gualterii de Ocra Regni Siciliæ Cancellarii cum ad mandatum Principis venire nollet, nec eidem Cancellario parere ut domino, per violentiam capta est, & ad instantiam ipsius Cancellarii qui rebellionem ipsius molestissime tulerat destructa est. Ibi ergo Princeps morabatur cum exercitu suo propter abundantiam rerum victui necessariarum, quæ ibi erant, de quo loco quotidie ibat exercitus usque ad mœnia civitatis Brundusii cum prope ipsam esset ad octo fere millia, & magnam depopulationem ibi faciebat.

Licienses autem audita Principis potentia considerantes stultum esse sibi resistere, & destructionem timentes ad mandatum Principis sponte venerunt. Facta autem ingenti depopulatione circumcirca civitatem Oriæ, & ante eam obsidione disposita cum cives terræ ipsius requisiti ad mandatum venire nollent, mandatum est fieri depopulationem circumcirca. Fiebat autem quotidie depopulatio, nec tamen illa aliquatenus ad mandatum venire volebat; dabatur quoque insultus quandoque ad mœnia, sed in tantum populus civitatis se satis animose, & viriliter defendebat. Factæ sunt quoque caveæ subterraneæ ad dirutionem mœnium, & cum quædam pars ipsorum mœnium pro hujusmodi caucis cecidisset apparuit statim alius murus ex interiore parte fabricatus, quem cives Oriæ contra aliam partem qua cavea fiebat exterius, interius erexerunt, & cum muro exteriori cadente propter caveam, exercitus se ad civitatis ingressum pararet invento alio muro noviter facto intrare non potuit. Fecit etiam fieri Princeps Machinam elevatam, cujus summitas civitatis mœnibus supereminceret, & cum eam prope ad mœnia duci artificiose fecisset, ut ex ea civitas opportunius oppugnari posset, illi de civitate injecto ab intus igne, ipsam Machinam combusserunt.

Dum itaque sic Princeps in obsidione ipsius civitatis existeret intellexit per tertium nuntium, & literas sibi missas quod Petrus Ruffus de Calabria Comes Contenzarii qui baliatus officium in Sicilia, & Calabria gerebat a Messanensibus fuerat de Messana expulsus, quod qualiter processit enarrandum est.

Fuit quidem prædictus Petrus Ruffus de familia Imperatoris Frederici, qui curiam ipsius Imperatoris Frederici pauper ingressus adeo per successiva incrementa in Imperiali Curia erat quod Magister Imperialis Marescallus, & ipsius Imperatoris Consiliarius imo omnium consiliorum suorum intimus factus est, ac tandem in ultimis Imperatoris totius Regni Siciliæ Marescallus constitutus fuit. Principe autem Manfredo Balio totius Regni & Italiæ ab Imperatore ordinato ipse Petrus cum rege Henrico juniore filio Imperatoris in Siciliam & Calabriam missus est, ut ipsum Regem in annis pupillaribus constitutum, & ipsas provincias Siciliæ & Calabriæ gubernaret: licet autem in partibus illis ad gerendam ibi vicem Principis ordinatus fuisset, & per omnia mandatis, & ordinationibus Principis obedire teneretur, ipse tamen Petrus de mandatis, quæ sibi Princeps faciebat non nisi ea tantum, quæ ipse volebat exequebatur: videbaturque sibi quod non subesset Principis in prædictis provinciis gubernandi, sed ipse in capite in ipsarum gubernatione præpositus esset, Princeps enim qui ex dispositione paterna bene meritis quibus provisum condigne non fuerat providere tenebatur Gualvano Lanceæ qui diu in Lombardia, & Tuscia Imperatoris satis strenue prudenterque servi verat, & retributionem ab ipso morte prævento habuisse non poterat, cujus etiam præsentia, & auxilium valde necessaria Principi erant in exercendo balio sibi commisso, de Comitatu Buteræ decreverat providendum, restituerat etiam sibi Terras Paternionis & sancti Philippi de Argiro, quas eidem G. materno jure spectantes Imperator ab ipso revocaverat, dato tantum sibi minus competenti excambio in Calabria, cujus valor excambii vix ad tertiam partem valoris terrarum ab ipso revocatarum perveniebat. Cumque Princeps mandasset prædicto Petro ut Comitatum Buteræ, & prædictas Terras Paternionis, & Sancti Philippi nuntio ipsius G. assignari, & de ipsius Comitatus, terrarumque proventibus faceret sibi responderi, præfatus Petrus nullo modo mandatum Principis exequi voluit. Quin imo hominibus Comitatus ipsius, & prædictarum Terrarum Ecclesiis fecit indictiones fieri, ut contradicerent, & reclamarent se prædictum Gualuanum Lanceam nolle aliquatenus habere in dominum. Providerat etiam Princeps Fredericum Lanceam fratrem prædicti Gualuani avunculi sui de Comitatu

tatu Squillacii propter multa, & immensa servitia, quæ Imperatori contulerat, & nullam inde retributionem habuerat, cujus similiter Frederici consilium, & auxilium Principi ad exercitium balii sibi commissi satis utile, & necessarium erat. Et cum de assignatione ipsius Comitatus facienda nuntio ipsius Frederici præfato Petro Princeps mandatum fecisset, ipse Petrus nihil inde penitus facere voluit, imo manifeste ipsi contradixit, De provisione quoque plurium aliorum qui diu Imperatori servierant simile modo mandavit, sed ipse Petrus nihil inde complebat. Mandavit etiam sibi quandoque Princeps, ut de equis Marescalliæ Calabriæ sibi mitteret, quia sibi necessarii erant pro impugnatione rebellium qui in Apulia, & Terra Laboris ut supra memoratum est, insurrexerant, de quo nihil omnino ipse Petrus facere voluit, adeoque dominium & potestatem provinciarum ipsarum Siciliæ, & Calabriæ sibi ipse Peterus adduxerat quod si interdum Princeps ad officiales ipsarum provinciarum literas, vel pro negotiis Curiæ, vel pro negotiis privatorum destinaret, officiales ipsi literas Principis nisi prædicto prius Petro consulto exequi dubitabant. Quæ omnia Princeps antenderat in quantum possibile erat ad majorem turbationem partium Regni vitandam, quæ ex ipso facto posset accidere, processus ipsius Petri dissimulare nitebatur, ut omnia posset cum prudentia, & meditatione peragere, misit prædictum Gualuanum in Siciliam cum literis ad dictum Petrum, ut ipse Petrus ad Principem pro quibusdam arduis servitiis quibus præsentia ejus necessaria erat venire, ipse vero Gualuanus in Sicilia remaneret: quod ipse Petrus præsentiens procuravit ita quod prædicto Gualvano, perveniente Messanam factus est subito rumor & clamor, populus miratus est, & in tantum commotus quod in prædictum Gualuanum, quasi ipse Messanam in Proregis offensionem venisset insurrexerat, nisi ipse sapienter, & caute injuriam in personam passus fuisset. Post adventum Regis Conradi in Regnum dictus Petrus factus est ab eodem Rege Comes Catanzarii, remissusque est in Siciliam & Calabriam ad Regis vicem in provinciis ipsis gerendam, Mortuo vero Rege Conrado, & dicto Petro in Sicilia permanente, commissoque sibi balio provinciarum ipsarum sub Marchione Bertholdo, qui, ut supra dictum est, totius Regni balius fuerat constitutus, Summus Pontifex nuntios ad eum misit cum certis capitulis, ut ipse Petrus Siciliam & Calabriam in manu Ecclesiæ poneret, ipse Petrus Fulconem nepotem suum cum Siracusano Episcopo, & nuntiis civitatis Messanensis in duabus galeis ad Summum Pontificem misit, quibus euntibus, & post certum cum Summo Pontifice tractatum habitum redeuntibus cum ad ea quæ nuntii ipsi ab Apostolica Sede retulerant dictus Petrus, & civitas Messana, aliæque Siciliæ partes inclinari, & acquiescere nollent, nuntios alios quatuor duos Fratres prædicatores, & duos Fratres Minores ipse Petrus ad Apostolicam Sedem remisit, per quos suam, & Messanensium, & aliorumque Siculorum voluntatem super Capitulis, quæ priores nuntii ab Apostolica Sede retulerant Summo Pontifici declaravit.

Inter hæc autem dum Princeps Manfredus, ut superius memoratum est, interesset Luceriæ, & undecumque poterat auxilium sibi, & consilium in illa magna necessitate quærere cogeretur, misit nuntios suos scilicet Gervasium de Martina & Joannem de Terraca ad prædictum Petrum petens ab eodem ut quia ipse Princeps causam Regis Conradi pupilli nepotis sui resumere, & viriliter defendere intendebat ipse Petrus ad hoc sibi auxilium & consilium præstaret, & secum eo in jure prædicti pupilli defendendo tenderet. Nuntiis ergo Principis ad prædictum Petrum Messanam euntibus, licet intentio nuntiorum ipsorum fuisset id cum ipso Petro tractare, ut Principe Balium Regni gerente ipse Petrus tanquam eidem Principi subjectus provincias Siciliæ & Calabriæ vice Principis, & sibi tanquam generali balio Regni in omnibus obediret, non tamen aliud tractare cum ipso prædicti nuntii potuerunt, nisi confœderationem quandam inter ipsum, & Principem pactionibus confirmatam, licet indignum esset sic inter Principem, & ipsum Petrum fuisse tractatum, tamen propter magnam necessitatem in qua Princeps tunc erat dicti sui nuntii tractari eam expedire viderunt, & eam Principi retulerunt.

Hujusmodi autem confœderatione sic facta, Princeps cum in Apuliæ partibus, ut supra memoratum est prosperaretur, dictus Petrus assensu Principis generalis Balii Regni nec requisito, nec habito, monetam novam cudi fecit, in Messana sub nomine Regis Conradi Secundi, ad quam monetam novam faciendam processit de consilio quorundam qui sibi adulabantur, magisque proprium lucrum, quam utilitatem Regiam de ipsa moneta captabant, & contra aliquorum judicium sanius sentientium qui totum periculum quod de ipsa moneta Panormitani primo, & deinde ex suggestione Philippi Pactensis Episcopi Pactenses rebellare cœperunt. Quod audiens dictus Petrus cum exfortio Messanensibus, in quibus plurimum confidebat, ad civitatem Pactarum processit, & tam Episcopum, quam civitatis ipsius cives a rebellione tunc revocavit. Reversus autem Messanam misit nuntios suos Panormum, qui quidem ibi recepti non fuerunt, & ipse cum Messanensibus versus Calatagironem, cujus jam cives se cum Panormitanis ad rebellandum confœderare parabant, ire disposuit. Erat autem in medio palatio civitatis Messanæ collumna marmorea perforata ad aquam ex sui summitate artificiose fundendam, cui collumnæ cum dictus Petrus suum vexillum imponi fecisset, ut ad signum vexilli ii qui cum eo ituri erant in palatio convenirent, statim quod vexillum fuit ipsi columnæ super impositum, columna ipsa fracta est, & vexillum in terram columna ipsa dejectum, repositumque est dictum velum in reliqua parte columnæ, quæ post fracturam erecta

erecta remansit: præmissis quibusdam equitibus in Panormum ipse post duos dies cum Messanensibus, in quibus totam suam spem posuerat, de Messana processit, cumque pervenisset Leconium, & sequenti die pararet se ire Lentinum, & ivisset usque ad flumen, invenit pontem a Leuconensibus fractum, intellexitque quod Leconium & Argiro manifeste rebellaverant. Reversus ergo in civitatem Cathaniæ, moratusque ibi per aliquot dies, recepit tam a Messanensibus, quam ab aliis Siciliæ partibus in fidelitate manentibus equitum, peditumque præsidium cum jam Calatagironum, Heraclea, Biczanum, Aydona, Placia, Mistretta, Policzium, & Cephaludum aperte rebellassent cum perplexus esset, & nesciret cui parti prius occurrere deberet, recepit a Castellano castri Joannis nuntium nomine Guaimarium qui significavit ei quod civitas Castri Joannis parata erat ad rebellandum si tamen ipse properanter iret illuc, posset civitas ipsa de levi a rebellione cohiberi. Processit itaque prædictus Petrus, cum multitudine armatorum equitum, & peditum versus Castrum Joannis, cumque fuisset apud Sanctum Philippum de Argiro intellexit ibi quod oppidum Cisari quod est inter Sanctum Philippum, & Castrum Joannis, & ipsa etiam civitas Castri Joannis publice rebellaverant. Perrexit ergo ad oppidum ipsum, cumque locus difficilis esset, nec posset de levi per insultum haberi, tractatu pacifico ad oppidum ipsum receptus est, moratusque ibi per unam noctem tantum, sequenti mane fuit ante Castrum Joannis.

Est autem civitas ipsa Castri Joannis in medio Siciliæ posita cunctis aliis Siciliæ locis situ eminentior, solo Monte-Gibello super excelsa, qui sibi ex parte orientali oppositus est. Lapidibus etiam circumquaque decisa, & rupibus angustissimis, & declivibus viis ex tribus tantum partibus accessibilis aquæ abundantiam in ipsa etiam summitate montis habens. Cum ergo prædictus Petrus cum exercitu ante ipsam civitatem ad duo fere millia pervenisset, invenit magnam multitudinem hominum civitatis ipsius hostiliter egressam ad defendendum civitatis ingressum, quæ ad duo fere millia longe a civitate poterat ex loci montuositate & passuum angustia, & declivиositate defendi, qui cum essent homines rustici, & bellice exercitationis ignari, & viso prædicto exercitu territi in fugam ad montis altiora se receperunt. Exercitus autem ex illorum pusillanimitate, fugaque animatus versus civitatem procedebat, quantoque ipse magis exercitus civitati vicinabatur, tanto illi magis fugiendo superius se retrahebant. Cepit itaque exercitus viam ex parte castri civitatis, in quo castro prædictus Castellanus cum castri servientibus, & qui fideles ipsius Terræ cives qui se ibi in civitatis turbatione receperant, morabantur, qui stantes in castri mœnibus venienti exercitui animositatem augebant; via equidem illa qua tendebat exercitus poterat tantum a castro defendi, & nullo modo poterat a civibus impediri, licet cives ante adventum exercitus quasdam sibi macerias lapidum, per diversa ipsius viæ loca fecissent. Quibus maceriis delatis ab ipso exercitu remotis perventum esset ad castri auxilium, & confortationem ad planitiem, quæ est inter castrum & civitatem, viso autem exercitu ante castrum, remotisque quibusdam lignorum oppositionibus plantatis ad impediendum ex parte castri civitatis ingressum omnes ipsius Terræ homines in fugam conversi sunt, & sic civitas capta est deprædationi exercitus derelicta.

Capta autem hoc modo civitate Castri Joannis magnus terror vicinis civitatibus quæ rebellaverant incussus est eo quod civitas invictissima erat, & præ cæteris Siciliæ civitatibus tam situ, quam populo minus expugnabilis, credebaturque apud omnes quod sicut civitas illa ita de levi expugnata fuit, ita & aliæ civitates, quæ minus illa difficiles erant facilius essent expugnandæ, atque vincendæ. Licet autem tunc in ipsius civitatis captione dicto Petro de Calabria fortunæ quodammodo vultus arriserit, & in magnam exultationem de tam insperata victoria cor ejus exaltabatur, tamen eodem ipso die, ipsoque fere momento ab illa summitate prosperitatis in qua sic eum fortuna posuisse videbatur, degradari pedetentim quodammodo cœpit, & dum ad processus ejus attingunt, quo altius ascendere non poterant, in descensu jam de necessitate revolverentur: ipsa etenim die qua prædicta civitas Castri Joannis contra credulitatem omnium capta est, civitas Nicosiæ, quæ ab ea viginti fere milliaribus distat, captionis adhuc illius ignara rebellavit, ita quod famam, quæ per Siciliæ diversas partes de Castri Joannis captione processerat, & iis qui jam rebellaverant timorem incusserat, famam illico de Nicosiæ rebellione superveniente opprimebat & securitatem iis qui rebellaverant excusso terrore subministrabat. Ex rebellione ergo Nicosiæ cœperunt plura alia loca circumadjacentia rebellare. Messanenses quoque qui cum prædicto Petro fuerant in Castri Joannis captione, indigne ferebant, & jam id quod in corde gerebant contra prædictum Petrum de illa civitate dolendo quodammodo propalabant post captionem ipsius civitatis.

Tertio die processit dictus Petrus cum exercitu ad oppidum Hundronis ab Aydona, & Placia per sex fere millia distans & cum Placienses quendam nuntium ipsius Petri ad eos pridie missum, pro eis, si fieri posset a rebellione revocandis, nomine Fratrem Fortem de Ordine domus Altipassus interfecissent, & nimis tenaciter in rebellione perdurassent, idem Petrus ad suggestionem quorundam Aydonensium sibi adhærentium, & asserentium quod ipsorum studio qui introitus, & exitus civitatis Aydone sciebant civitas Aydonæ poterat leviter capi, præmissis cum eis de nocte quibusdam balistariis ad indicium luminis sibi factum ab eis processit de nocte ipsa cum exercitu versus Aydonam, & cum præmissis balistariis & alii de supervenienti exercitu pervenisset ad locum in quo erat quædam specula ab Aydonensibus erecta

pro custodia civitatis, & speculam ipsam partim occisis, partim fugatis inde custodibus cepissent, potuissent quidem ipsa nocte ingredi civitatem, & obtinuisse eam, nisi quia ex pusillanimitate quadam diem fieri expectabant: donec vero ipse exercitus ita staret, & diem expectaret, venerunt ad civitatem ipsam plures armati de Placia, quæ civitati Aydonæ ad quatuor fere millia vicinatur, venerunt etiam alii, de Calatagirone, qui præcedenti die fuerant ab Aydonensibus in auxilium vocati, ita quod in illo diluculo dum prædictus exercitus facto insultu civitatem ingredi vellet, apparuit magna multitudo armatorum civitatem defendentium & longe major, quam credi potuisset.

Cum autem Fulco nepos prædicti Petri, juvenis quidem animosus nimis prope civitatem accessisset, paucis ipsum sequutis, cum exercitus paulo inferius remansisset, cœperunt illi de exercitu visa multitudine armatorum civitatis unus post unum paulatim retrocedere, quod cum vidissent illi de civitate, animum sumpserunt, cœperuntque procedere versus exercitum, & nisi prædictus Fulco, qui aliis retrocedentibus cum paucis comitibus suis in superioribus montibus remanserat exeuntibus a civitate prudenter restitisset, & gressu modesto non dissoluto descendes, venientes quadam solerti defensione cohibuisset, Aydonenses illo die magnam stragem de exercitu prædicto fecissent: locus enim erat valde declivis, minusque concedenter equites, quam pedites poterant inde descendere. Illi quidem de civitate desuper incumbebant, magisque lapidibus, quam armis aliis hostes infra se positos oppugnabant, pluresque tunc de exercitu præcipitio magis quam ex percussione aliqua perierunt, qui cum non essent decenter armati ad recipiendos ictus lapidum desuper missorum, se super declivia montis dissolute præcipitantes in fugam, dum imminens eis periculum fugere satagebant, cursu suo inordinato, & stolido se altius præcipitantes in mortis se periculum injecerunt. Aliqui etiam equites frena laxantes, ut unum quidem vitarent periculum, aliud incaute subibant; nam respuentibus equis, & parum se in illis declivibus præ fugiendi celeritate regentibus in terram turpiter equis ruentibus corruebant, & in ipsa ruina se cum equis per terram alternatim volutantes fugæ suæ aliquid in illa etiam necessitate addebant; dum ruina illa eos inferius ex clivosi loci natura traheret, & sic in illo præcipitationis incommodo commodum aliquod sibi inesse, sentirent. Nam quidam erant ibi nobiles Messanenses fugientium aliorum postremi his qui post eos forte clamabant, ne sic dissolute procederent, respondentes indignum fore, si lapis ex alicujus rustici manu missus alicujus nobilis Messanensis tergum percussisset. Sic ergo descensum est, aliis quocunque poterant se proripentibus, aliis vero modesto, & ordinato passu modo inferiora petentibus, modo se versus hostes repugnando volventibus quousque in planitie ad pedem montis totus colligeretur exercitus. Aydonensibus autem ab insequutione se retrahentibus, & ad civitatem reversis dictus Petrus, cum exercitu ipso ad Sanctum Philippum de Argiro reversus est. Ad magnam quoque instantiam Messanensium regressus est Messanam. Antequam autem ad civitatem pervenisset, & esset in quodam Monasterio quod dicitur Sancta Maria de Rocca Amatoris, quod a Messana minus quatuor millibus distat, occurrerunt ei ibi omnes fere Messanenses consuetam honorificentiam sibi exhibentes.

Præsentiens autem ibidem Petrus, quod in crastinum in hora tertia quando ipse ingressurum civitatem esse se dixerat, aliqui Messanenses, qui occultam conspirationem contra se fecisse videbantur, subito in eum insultum facturi essent, retinuit ibi ad comitivam suam Leonardum de Aldigerio, & quosdam alios de majoribus Messanæ civibus, qui eum similiter in Sicilia assotiaverant. Subito autem de media nocte surgens simul cum aliis de familia sua processit ad civitatem, & palatium Regium civitatis ingressus est. Mane autem facto ortus est clamor in civitate quod præfatus Leonardus, & alii cives Messanenses in palatio detinentur: ille quidem Leonardus valde a populo diligebatur, propter quod ad clamorem ipsum totus populus concitatus, & contra prædictum Petrum commotus. Quæ res cum ad ejusdem Petri notitiam pervenisset, permisit prædictum Leonardum, cum aliis de palatio exire. Statim illi qui factionis hujusmodi caput erant, cum aliquibus de populo civitatis qui eos sequebantur dictum Leonardum circumdederunt, & eum ducentes ad Archiepiscopalem, Ecclesiam universo populo ad campanæ sonitum convocato ipsum in Capitaneum civitatis assumpserunt, factumque est statim in Ecclesia ipsa colloquium in quo multa fuerunt contra prædictum Petrum posita ad concitandum populum contra eum, & ad auferendum ab eorum cordibus multorum bonorum memoriam, quæ eis fuerant ab ipso Petro collata. Cum autem dictus Petrus, hoc audiens Carnelevarium de Papia, qui secum in palatio erat, pluresque alios consanguineos, & affines suos misisset ad populum ad sedandam commotionem ipsius, quæ sic sine causa orta esse videbatur, prædictus Carnelavarius, & alii a populo retenti sunt, nec ad dictum Petrum redire permissi. Provocatus itaque adeo totus populus contra eum, ut nisi in continenti ipse Petrus Castrum civitatis Messanæ, Castra quoque Millatii, Montisfortis Ramettæ, Scalettæ, Taurimenii, Calatabiani, Francavillæ, & Castiglionis in Sicilia, Castra quoque Regii, & Calanæ in Calabria prope Messanam posita redderet, ipsi statim in palatium irruerent, & ipsum ac suos omnes qui secum ibi erant neci traderent. Sic itaque post multas altercationes missis hinc inde tractatoribus tractatum est, & juramento hinc inde firmatum, quod dictus Petrus prædicta Castra eis assignari faceret ad honorem & fidelitatem Regis custodienda per eos & ipsi eum, ac suos cum familia & bonis suis salvos in Calabriam transire permitterent.

Resigna-

Resignato ergo eis Castro Messanæ, factisque ab ipso Petrus mandatis ad Castellanos aliorum de assignatione ipsorum eis facienda, dimissis etiam ad abundantiorem cautelam quibusdam consanguineis, & affinibus suis obsidibus, usque ad Castrorum assignationem retinendis, ipse Petrus cum suis, & cum parte bonorum suorum quam secum portare potuit, in Calabriam transivit, dimissis quibusdam servitoribus suis cum parte rerum, quæ in palatio remanserant, ut post eum res ipsas in Calabriam transferrent; ipso autem Petro transeunte Pharum, statim post exitum suum a palatio, Messanenses in palatium irruerunt, & omnes res ipsius Petri, quas dimiserat ibi post se portandas, diripuerunt. Quod cum dictus Petrus in Calabria existens intellexisset, attendens quod cum Messanenses fidem sibi promissam de rerum suarum salvatione non servassent, ipse etiam fidem eis promissam licite frangere posset, cogitavit se in castrum Calanæ recipere, quod quidem Castrum eis resignare promiserat, ut supradictum est, nondum tamen nuntio Messanensium ad ipsum recipiendum transmisso assignaverat. Misso ergo statim post transitum suum Jordano Ruffo nepote suo ad partes Vallisgratæ, cum quibusdam armatis ut ibi vicem ejusdem Petri gereret, ipse in Castrum Calaiti ire festinavit, antequam prædicto nuntio Messanensium, qui jam pro dicto Castro recipiendo processerat assignaretur: cumque pervenisset ad Castrum illud, inveniens nuntium Messanensium circa ambitum Castri nondum sibi castri assignatione facta, cœpit ipsum de persona, & in castro ipso posuit detinendum quandiu Messanenses obsides quas ipse Petrus dimiserat in Messana sibi redderent; fecit quoque capi quemdam filium Leonardi de Aldigerio tunc in Calabria casu inventum.

Circa id quoque temporis quo dictus Petrus de Messana in Calabriam transivit combustum fuit palatium Regium Catohæ, quod ab eodem Petro procuratum fuisse creditum est, ne Messanenses contra eum in Calabriam transeuntes se in eo receptare possent, fecit quoque ipse Petrus muniri præsidium Castri Calanæ Monasterium Xillæ, & Monasterium Badulariæ posita in Calabria supra Pharum: quendam etiam locum qui dicitur sanctus Nicolaus de Latronibus prope civitatem Regii ad ipsam impugnandam pro eo quod in partem Messanensium contra ipsum Petrum declinaverat: ipse autem Terram - - - - a Pharo per tria fere millia distantem, & prædicto castro Calanæ proximam muniri fossatis fecerat faciens fieri circumcirca eam per mœnia speculas ligneas, & se in ea Terra quæ situ quidem difficillima incolis quasi vacua videbatur, fortificare satagebat contra Messanenses, qui ad occupandam magnam Calabriæ partem ad opus suum, transituri dicebantur.

Venerat autem diebus illis quidam familiaris, & nuntius Principis nomine Riccardus de Frosina ad dictum Petrum, quando videlicet ipse Petrus de Sicilia rediens Messanam venit, qui ipso Petro a Messanensibus expulso in Calabriam transiens usque ad Neocastrum processerat, & procuraverat cum suis post transitum Petri in Calabriam, quod Castellanus Castri Neocastri nomine Fulcomerus Theutonicus, qui Principi suspectus videbatur de castro ipso ejectus sit, quo ejecto Rogerius de Frosina ejusdem Riccardi pater castrum ipsum ad honorem Regis & Principis custodiendum accepit. Cum autem dictus Jordanus Ruffus a prædicto Petro, ut dictum est, missus pervenisset Neocastrum cum multitudine armatorum, qui ipsum Petrum partim sine stipendiis de diversis Calabriæ partibus sequebantur, dictum Rogerium compulit castrum prædictum sibi resignari, in quo ipse Jordanus quendam consanguineum suum posuit Castellanum, & prædictum Riczardum familiarem, & nuntium Principis, ipsum quoque Rogerium patrem suum, & Guillelmum Decanum Neocastrensem ipsius Castellani germamanum de personis cepit, & prædictum Riczardum in castro Tropeæ, Rogerium vero patrem ejus in castro Mesiani, Decanum autem in castro Montis Leonis custodiendos injunxit. Idem Jordanus monitus quia præfatus Riccardus quendam nuntium suum usque Cusentiam, & parte alias Vallisgratæ præmisisse dicebatur qui Petrum Ruffum Messanensibus interfectum asserebat, ex quo facto Cussentini nomen Principis quod usque tunc in Calabria terrebatur, prius invocare, & exaltare cœperunt. Castellanum quoque castri Cusentiæ ejecerunt, in quo quidem facto Cusentini constanter perseverassent, nisi quia ex insperato casus ille supervenerat, & se repente firmare, ut deceret non potuerant, ut quod ex fide cœperant, ex debita constantia servare possent, prædictus enim Jordanus habito castro Neocastri, & prædicto Rogerio, & filiis captivatis, ut supra dictum est cum multitudine prædictorum armatorum processit Cusentiam nomine quidem Regis procedens, nomen vero Principis nec supprimens nec exprimens quin potius etiam nuntium suum misit ad Principem cum literis excusatoriis de captione prædicti Riczardi, & suorum, asserens se ipsos cepisse ex causa seditionis quam in Sicilia & Calabria contra fidelitatem Regiam & statum pacificum regionis movissent.

Erat ergo prædictus Jordanus in Cusentia cum magna societate equitum, peditumque armatorum, totamque provinciam Vallis gratæ, & terræ Jordanæ ita sua potestate cohibebat, quod illi qui ad exaltandum nomen Principis affectabant terrore ipsius Jordani, & militiæ, quæ secum erat subjacebant, & eum quocumque volebat sequebantur.

Audiens autem Princeps, dum esset in obsidione Oriæ per quosdam Cusentinos, qui ad eum illuc ex timore prædicti Jordani confugerant, qualiter prædictus Jordanus & Petrus de Calabria a Messanensibus fuerant ejecti, statim nuntium suum, videlicet Gervasium de Martina, ad ipsum in Calabriam misit, qui cum pervenisset Cusentiam ubi prædictus Jordanus mora-

morabatur, & vellet ire usque ad dictum Petrum qui Messanæ, ut dictum est morabatur, habiturus cum eo tractatum ex parte Principis super iis, quæ illius temporis necessitas exigebat, idem Jordanus ipsum Gervasium ultra Cusentiam procedere non permisit, propter quod ipse Gervasius reversus est ad quoddam oppidum, quod dicitur Amindolaria, cujus oppidi Dominus Rogerius nomine tunc temporis justitiariatum Vallisgratæ ex commissione dicti Petri exercebat, cum quo Rogerio cœpit idem Gervasius collationem habere de iis quæ in Calabria fiebant, & qualiter etiam idem Gervasius ad prædictum Petrum de Calabria non fuerat transire permissus. Compertum est autem a prædicto Gervasio, quod hoc ideo factum est, quia tractari dicebatur, quod Calabria in manibus Ecclesiæ daretur. Jam enim nuntii ad Romanam Curiam super hoc missi esse dicebantur, cui periculo dictus Gervasius volens occurrere, Principi significavit ea quæ suggessit, ut gentem armatam in Calabriam mitteret ad Terram ipsam suæ ditioni pro parte Regis Conradi Secundi nepotis sui subjiciendam, antequam de ea posset prædictum incommodum evenire.

Ad instantiam ergo præfati Gervasii, & quorundam etiam Cusentinorum qui honorem Principis zelabantur, & propter hoc specialiter ad Principem accesserant; misit Princeps quandam competentem comitivam equitum, & peditum armatorum, constituitque Capitaneum Calabriæ Conradum Thruich, ut una cum prædicto Gervasio terram ipsam conquireret, & gubernaret. Erat autem prædictus Conradus Thruich in Vallegrata quando per Principem constitutus est recepitque prædictos equites, & pedites in ingressu Vallisgratæ, qui congregatis cum eis armatis aliis de familia sua, & Berardi Thruich fratres sui, nec non & plurium aliorum Baronum, cum prædicto Gervasio de Martina processit usque ad Antonium de Stridola: Prædictus autem Jordanus Ruffus erat apud Casanum, cum tota comitiva sua propter Cusentinos, qui pridie audito gentis Principalis ingressu in Vallemgratam ab ipso Jordano recesserant, & Cusentiam reversi erant.

Interea Petrus de Calabria, qui, sicut dictum est, in Castro Calanæ morabatur, tum quia Messanenses jam transierant ad civitatem Regii, & exinde contra eum ire disponebant, tum quia intellexit quod gens Principis ingressura erat in Vallemgratam dimissis in partibus illis Calabriæ Carnelevario de Papia Fulcone nepote suo, & Bonamundo de oppido, ut ipsi tanquam Capitanei ipsarum partium facerent, & tractarent cum Messanensibus de castro Calanæ, & obsidibus in Messana detentis, quod viderent esse utilius tractandum, recessit de castro Calanæ, & ivit Catanzarium ad celebrandum ibi Pascha Dominicæ Resurrectionis. Celebrato autem ibi Paschate processit Cusentiam cum paucis armatis expectans alios de Calabria postea, venturos, ipsa autem eadem die qua ipse Petrus pervenit Cusentiam Jordanus Ruffus nepos ejus qui pridie de Terra Cassani ad terram Sancti Marci cum comitiva sua profectus erat, a gente Principis apud Sanctum Marcum captus est, & in carcerem missus, quod cum supradicto die summo mane diluculo ad prædicti Petri notitia pervenisset, antequam plene factum hoc divulgaretur, de Cusentia recessit, & cum iret ad castrum Agelli, ibique se receptare intenderet, non ibi receptus est, sed deinde Catanzarium repetiit, & licet ibi se firmare proponeret, tamen quia pro parte una processerat usque Cusentiam, ex alia vero parte usque Catronum, timens dictus Petrus ne ab utraque parte a Principali gente in Catanzario concluderetur, recessit inde cum uxore, & rebus suis, ut iret ad quoddam castrum quod fuerat nepotis sui Jordani, quod dicitur castellum Maynardi, & cum ibi recipi non potuerit, ivit ad castrum Mesiani, quod quidem consanguineus uxoris suæ custodiebat, cumque fiducialiter appropinquasset ad castrum, custodes ipsius castri faciente & procurante prænominato Rogerio de Frosina, qui ut supra dictum est in castro dicto Musiani captivus custodiebatur, accessum ejusdem Petri ad castrum sagittis in eum jaculatis compescuerunt. Quod videns dictus Petrus, cum in castro Messiani se receptare non posset, ivit Tropeam, ex qua quidem civitate oriundus erat, & in qua prædictus Jordanus nepos suus domicilium habuerat, ibique paululum morans fecit armari unam sagittam, ut in ea per mare recederet; cumque descendisset ad mare cum uxore sua, & uxore ac filiis prædicti Jordani nepotis sui, Castellanus castri Tropeæ hæc videns Riczardum de Frosina, qui ut supra dictum est a memorato Jordano Ruffo captus fuerat, & in castro Tropeæ captivus custodiebatur, liberavit ob reverentiam, & timorem Principis cujus familiaris ipse Riczardus erat. Ipse autem Riczardus tali modo liberatus statim ipsius terræ Capitaneus pro parte Principis a populo constitutus est, qui mox, ut vidit prædictum Petrum esse in littore maris, cum sagitta paratus ad recedendum fecit dari bannum ex parte Regis, & Principis, ut nullus de civitate Tropeæ, cum prædicto Petro in sagitta ipsa ire præsumeret alioquin proditor Regis & Principis haberetur & pœnam proditionis pateretur, quod bannum cum audissent marinarii sagittæ unus post unum sagittam dimiserunt, sicque prædictus Petrus in littore manebat, & nec per mare fugere poterat, nec ad terram Tropeæ redire permittebatur, fecerat enim prædictus Riczardus claudi portas civitatis, & optime custodiri, ne dictus Petrus civitatem ingredi posset. Cum autem sic staret Petrus in littore & omne sibi auxilium, & consilium deesse videretur; subito quædam barca de partibus Principatus, quæ maritinam illam casu transibant, ipsisque barcis ad locatorum velle conductis ipse cum familia sua, & prædicti nepotis sui quam tunc habuit de nocte recessit, & Neapolim ad Papalem Curiam, quæ ibi tunc erat profectus est.

Prænominati

Prænominati autem Geruasius de Martina, & Conradus Thruich Capitanei processerant de Cusentia euntes versus Martoranum, antequam autem pervenissent Martoranum intellexerunt quod Martoranenses, licet pridie nuntios suos misissent ad eos, ac mandatum Principis se & cives alios facere spopondissent, tunc tamen se tenere, & eos non recipere intendebant. Nihilo minus autem exercitus Principis ad civitatem appropinquavit: cumque cives ipsius terræ gentis Principalis accessum lapidibus jactis compescerent, cum locus illis difficilis esset, & valde declivis, ita quod per levem defensam poterat contra gentem illam defendi, retrocessit exercitus, & declinavit ad quoddam casale quod dicitur Pictarella, ubi dum ipse exercitus pernoctaret, procurante Roberto de Archis, qui cum exercitu ipso erat, & prædictæ civitatis civis habebatur nocte ipsa venerunt nuntii ipsius civitatis ad prædictos Geruasium, & Conradum, civitatem ipsam ad mandatum Principis exponentes, missique sunt ad civitatem ipsam nuntii ex parte Capitaneorum, qui juramenta hominum pro parte Regis & Principis receperunt. Inde autem profecti sunt Neocastrum cumque in castro ipsius terræ Neocastri esset Castellanus quidam dicti Petri de Calabria nepos nomine Johannes de Mele, ille Johannis statim visis vexillis Principis claves Castri Capitaneis misit, & castro eis assignato recessit. Processit ergo exercitus Principis aliqua resistentia usque ad oppidum quod Seminaria vocatur. Circa ejus oppidi partes Carnelevarius de Papia, Boamundus & Oppido, & Fulco Ruffus nepos prædicti Petri de Calabria castra quædam revoluunt. Prædicti autem Carnelevarius & Boamundus veniente exercitu Principis requisiti a prædictis Geruasio & Conrado ad mandatum Principis venerunt, & juraverunt; dictus autem Fulco se in castro suo sanctæ Christinæ recollegit, ad mandatum prædictorum venire dubitans. Habebat quidem ipse Fulco præter ipsum castrum sanctæ Christinæ castrum aliud valde difficile quod Babalinum vocatur, quæ duo castra ad duodecim fere milliaria mediantibus excelsis montibus distant, habentque difficilem ab aliis ad alterum transitum, qui nullo modo auferri, aut impediri potest. Receptus ergo prædictus Fulco in illis duobus castris ad mandatum Principis venire nolebat; licet enim sibi per prædictos Geruasium & Conradum securitas data fuisset, ipse tamen Fulco asserens Jordanum Ruffum fratrem suum post securitatem sibi promissam ab eis, inique fuisse captum, eis se credere dubitabat, ne simul sibi contingere posset quod contingerat fratri suo.

Stabat ergo exercitus Principis in planitie sancti Martini cum pro reprimenda rebellione prædicti Fulconis, tum etiam quia difficillimi transitus erant inde in antea ut sine magno discrimine transire non posset. Miserant autem prædicti Geruasius & Conradus nuntios suos ad civitatem Giracii, quæ adhuc se tenebat, & sic tractatum est quod civitas ipsa quæ si resistere voluisset non sine magna difficultate debellari poterat sponte ad mandatum Principis reversa est. Præterea civitatem Regii ad quam propter difficillimos transitus exercitus ire non poterat, & præter dicta duo castra sanctæ Christinæ & Bubalini, quæ prædictus Fulco tenebat, castrum quoque Styli tenebat quidam Berardus Theutonicus, qui nec aperte rebellis videbatur, nec tamen castrum ipsum dimittere volebat dicens, concessam sibi fuisse castri ipsius custodiam a Rege Conrado in vita sua secundum consuetudinem Alamanniæ, propter quod dicebat se castrum ipsum non debere, nec velle dimittere, sed ipsum ad honorem, & fidelitatem Regis & Principis custodire: plures tamen suspectos qui a facie Principalis exercitus fugerant in castro ipso receperat, propter quod videri poterat rebellionis potius, quam fidelitatis: ita autem castrum ipsum loci natura munitum & difficile est, quod neque per insultum, neque per famem capi aliquatenus posset, est enim saxis & rupibus circumquaque vallatum continens circa se magnum terræ nemorosæ, & laboratoriæ spatium quæ ad vitam sexaginta personarum cultura indeficiente sufficeret, quæ etiam terra caules silvestres usui hominum aptos sine aliquo seminario producit, multaque animalia pascuis indeficientibus vivunt.

Interea Messanenses audito quod exercitus Principis totam jam fere Calabriam acquisiverat, & videntes se quodammodo per id voto suo frustrari, quod erat magnam Calabriæ partem in suo velle districtu habere, congregaverunt magnum exercitum equitum & peditum armatorum, miseruntque ipsum contra exercitum Principis in Calabriam. Exercitu quoque Principis existente apud sanctum Martinum, ut supradictum est, exercitus Messanensium ex insperato venit oppidum Seminariæ quod a sancto Martino sex fere millibus distat, ceperuntque Messanenses ipsum oppidum & in ipsius loci hominum præda se vitiose multum exercentes, statim inde cum præda recesserunt: ita quidem eos excæcavit aviditas quod gloria illius qualiscunque visa est vilipensa, chordis balistarum sarcinulas pannorum, & aliarum rerum quas diripiebant, ligebant. Cum ergo pervenisset ad notitiam Principalis exercitus quod Messanenses Seminariam venerat, ordinatum est quod Geruasio de Martina remanente cum aliquibus in sancto Martino ad ipsius loci cautelam, propter castrum sanctæ Christinæ quod Fulco Ruffus ibi prope tenebat, & in quo aliqui Messanensium diebus illis dicebantur receptati esse, Conradus Thruich Capitaneus cum exercitu Principis versus Seminariam iret. Sed quia auditum est quod Messanenses jam de oppido ipso cum præda recesserant, propter hoc divisus est Principalis exercitus parte sub Capitaneo in Seminariam procedente, alia pars sub Roberto de Archis per alterius viæ compendium contra Messanenses exiret, ut Messanenses ante & retro ab utroque intercepti manus eorum evadere non possent.

Procedente ergo hoc modo utraque parte exercitus ventum est ad planitiem, quæ est inter Semina-

Seminariam, & nemus Solani, qui locus Corona vocatur, cum autem Messanenses vidissent Principalem exercitum primo pede se collegerunt in unum, & quia timor eis apparitione Principalis exercitus repentinus irruerat cœperunt quidem non deliberare quid agerent, sed quodammodo fluctuare. Capitaneus autem Principalis exercitus, & pauci alii de ipso exercitu qui cum ipso Capitaneo ad planitiem illam acceleraverant videntes multitudinem Messanensium ita collectam, nolebant quidem a principio ipsos aggredi, tum quia equi fatigati erant ex properantia veniendi ad locum illum ad quem aridus, & montuosus erat accessus, tum quia major pars exercitus retro erat nec adhuc ad planitiem venerat, & ideo expectabat. Dum autem sic Capitaneus staret cum illis paucis ad aspectum Messanensium, vidit moveri vexilla eorum alterum contra alterum cum quadam tumultuositate, ex quo inordinato & tumultuoso motu comprehensum est, quod Messanenses pavorem jam ex apparitione Principalis exercitus concepissent, & titubarent inter se, nec scirent quid facerent. Dum ergo considerante hoc Capitaneo ecce apparuit Robertus de Archis, cum illa parte exercitus quam ducebat. Cumque Messanenses ita inter se scrutantes tumultuarent subito contra eos prædictus Capitaneus cum Roberto de Archis, & illis paucis qui tunc ibi inventi sunt de exercitu Principis cum magna animositate proripuit, cui quidem aliqui de Messanensi exercitu equites resistere tentaverunt, sed statim uno eorum qui caput Messanensis exercitus dicebatur per ictum Conradi Truich Capitanei exercitus Principalis, mox quoque alio per ictum Roberti de Archis ab equis eorum in terram dejectis, statim totus ille Messanensium exercitus dissolutus est, & turpiter se convertit in fugam. Tunc plures Messanenses instante Principali exercitu interfecti sunt, alii gladio, alii vero ruina, dum semper in via sicut melius poterant fugientes præcipue montium eis occurrentium, vel ex timore periculum quod fugiebant videre non poterant, vel quasi unum de duobus periculis, quæ vitare non poterant, eligebant. Aliqui profecto de oppido Seminariæ, qui deprædationem, ut dictum est, a Messanensibus passi fuerant sequuti sunt Principalem exercitum per Seminariam transeuntem sub spe recuperandi bona eorum quæ a Messanensibus asportabantur, horum quidem aliquis sive masculus, sive fœmina ex illo exercitu Messanensium equitem, sive peditem armatum capiebat, & si volebat interficiebat, pluresque illo die de Messanensibus ab illis de Seminaria propter odium deprædationis prædictæ, quam ab illis de exercitu Principi interfecti, & vulnerati fuisse dicuntur, itaque quod pauci eis salvi evadere potuerunt. Capti autem fuerunt ex eis quinquaginta septem numero qui alicujus valoris homines esse exstimati sunt, & in carcerem missi, alios autem qui interfecti, aut capti non sunt, vel fugæ desperatio, vel vilitas personæ servavit, & salvavit.

Ex illa igitur expugnatione Messanensium civitas Regii ad mandatum venit. Captum est etiam astrum Calanæ quod Messanenses usque tunc tenebant ab eo tempore quo, ut supra dictum est prædictus Petrus de Calabria ab ipso recesserat.

Cum autem sic in Calabria gereretur Princeps erat adhuc in obsidione Oriæ: cumque civitatem ipsam angusta obsidione teneret Thomas de Oria, qui caput factionis & rebellionis ipsius, & Brundusinæ civitatis erat, videns civitatem ita obsidione circumdatam quod nullo modo ex ea pateret egressus, cum vires, & subsidium aliquod a Brundusinis recipere obsidione Principis impediretur, nec posset, nec haberet unde stipendia solveret soldaneriis, quos ad defensionem civitatis tenebat, ad fraudulentia commenta se convertit, misitque Principi nuntios suos significans ei quod ipsi, & Orietani libenter se & civitatem Oriæ in manibus dare volebant, sed quia juramento, & pactionibus inter se & cives Brundusii habitis tenebantur Orietani, nihil sine conscientia Brundusinorum facere, petebat sibi dari tempus & copiam mittendi nuntios ad civitatem Brundusii, ad notificandum civibus Brundusinis qualiter ipsi Orietani nullo modo contra Principem tenere se poterant propter quod ipsi mandatum Principis facere omnino disponerent, & ad persuadendũ etiam Brundusinis, quod & ipsi similiter mandatum Principis facerent, cui rei si forte Brundusini refragarentur, nuntii ipsi eis exponerent qualiter Orietani penitus a societate sua recederent, & ad Principis mandatum redirent. Princeps autem petitionem ipsius Thomasii & Orietanorum super hoc audire considerant petitionem talem non ex fraude, sed ex necessitate procedere quam Orietani ex nimia obsidionis angustia pati videbantur dedit eis copiam mittendi nuntios ad Brundusinam civitatem, prout illi petierunt. Missi sunt ergo Nuntii Orietanorum Brundusium, non quidem pro causa prædicta quam Principi exposuerant, sed & Brundusini per eos pro soldaneriis Orietanis stipendia mitterent, qui jam ultra sine stipendiis retineri non poterant, reversisque nuntiis ipsis a Brundusio infra diem statutum cum stipendiis soldaneriorum, dum crederet Princeps statim post reversionem nuntiorum ipsorum civitatem juxta quod Orietani promiserant esse dedendam, Orietani responderunt, quod nullo modo se dedere vellent, sed pertinacius in antea quam olim in rebellione perseverare, declarantes veram causam pro qua nuntios ad Brundusium miserant, & commendantes se quod Principi super hoc illusisse videbantur. Multum enim eis tunc illa fraus profuit, quia fraude illa mediante, & superveniente postmodum causa majore, deditio civitatis illius tunc dilata est. Si enim Princeps ad obsidionem civitatis ipsius ad modicum tempus ultra institisset, procul dubio eam ad mandatum suum tunc habuisset, sed quia majora ipsum negotia trahebant, oportuit ipsum obsidionem ipsam dimittere, & utilioribus se laboribus occupare.

Pervenit enim ad notitiam Principis quod Octavia-

Octavianus Apostolicæ Sedis Legatus magnum exercitum congregaverat, & in Apuliam cum ipso exercitu venire parabat. Recessit ergo Princeps ab obsidione Oriæ, & ivit Melphiam, ipsoque in civitate morante pro eo quod quædam susurra hominum ibi & in civitate Potentiæ esse videbantur, Gualuanus Lancea avunculus ejus ad civitatem Potentiæ profectus est, & eam sapienter, prout temporis qualitas dabat, reformavit, & in bono statu composuit, & ad Principem in Melphia reversus est. Princeps autem in Melphio ipso Gualuano dimisso pro ipsius civitatis, & adjacentium partium statu pacifico conservando Luceriam ivit, & congregato ibi magno exercitu, tam de ipsius Terræ incolis, quam aliarum Apuliæ partium, & de Theutonicis, & aliis soldaneriis quos per Apuliæ partes dispersos habuerat prima die Mensis Junii 13. Indictionis cum exercitu ipso exivit, & campum processit continuato progressu ad montem Formicosum, quem Imperator Fredericus mutato nomine Montem Sanum vocari jusserat. Jam enim Papalis exercitus venerat usque ad locum qui vocatur Bulsida, quod Princeps intelligens valde gavisus est, audiverat enim a tempore patris sui Imperatoris Frederici quod quædam scriptura inventa fuerat ex qua vaticinari videbatur quod unus de posteris Imperatoris ipsius in loco illo Bulsida magnam victoriam esset habiturus, propter quod cum ex casu insperato Papalis exercitus ad locum jam ipsum venisset, credebat Princeps, & pro firmo sperabat advenisse tempus de illius scripturæ vaticinatione quod in persona ipsius Principis prædicti Imperatoris filii compleretur, eratque sibi in argumentum præcedens victoria, quam si feliciter, ut supra memoratum est apud Fogiam de hostibus habuerat, quæ præparatoria, & incentiva ad majorem futuram victoriam esse videbatur.

Cum ergo Papalis exercitus esset in loco illo Princeps ad Guardiam Lombardorum quæ sibi rebellis erat processit, intendens ipsam Terram anticipare antequam Papalis exercitus ad ipsam veniret, erat autem in ipsa Terra quædam magna comitiva armatorum de parte Ecclesiæ qui terram ipsam defendebant, ita quod Princeps tunc ipsam capere non potuit, & propter collium oppositionem videri non posset ab exercitu Principis in quam partem iret: ab aliquibus credebatur exercitum ipsum retrocessisse ob timorem Principis: ab aliquibus non immensam illius exercitus multitudinem metientibus putabatur non quod fugere, sed quod per loca vallosa exercitus ipse incederet, & contra Principalem exercitum in loco tutiori collocaret. Ad hanc ergo dubitationem tollendam missus est a Principe Comes Henricus de Spernaria, cum quibusdam Theutonicis armatis ad explorandam viam prædicti Papalis exercitus, qui Comes cum prædictis armatis procedens, cum pervenisset ad nemus quod est prope Frequentum, constituit prædictos armatos in quodam loco ipsius montis depresso quidem & arboribus obsito, ipseque ad superiores nemoris partes ad explorandam viam prædicti exercitus solus processit: cumque ita explorando procederet incidit in quosdam armatos de Papali exercitu, qui per nemus illud casu discurrebant, & cum ipse solus esset, illi vero pauci, dum per amfractus nemoris vellet ab occursu illorum secedere & fugiendo quodammodo trahere eos versus locum in quo suos Comites armatos dimiserat, in illis viis nemoris cespicavit equus ejus, totusque in terram revolutus, ipsum in terram dejecit, sicque ipse Comes ab illis de Papali exercitu eum insequentibus captus fuit: cumque ducerent eum captum, nec tamen scirent quis esset, nec præsumerent eum magnam de Principis comitiva esse personam, pro eo quod sic solum in nemore illo ipsum invenerant quasi errantem, studebat dictus Comes quasi viarum ad exitum illius nemoris conscius ducere illos per locum, ubi comites suos dimiserat, ut ab eis posset sibi succurri: cumque ad locum illum cum ipsi suis ductoribus pervenisset, non invenit comites suos ibi, unde quodammodo desperatus credebat e manibus illorum ex tunc evadere non posse. Licet autem in eo facto de comitibus suis non inventis fortuna sibi adversata fuisse videretur, tamen statim sibi in ipsius contiguo adversitatis arrisit, nam cum paululum e loco illo processissent apparuerunt de prope quidam Saraceni arcerii, de Principali exercitu quos cum dictus Comes Henricus cognovisset, statim clamavit ad eos vocans eos Compatres quo nomine Saraceni & Theutonici de Principali exercitu se ad invicem vocare assueverant. Illi autem voce Comitis audita, ipsoque cognito statim in eos qui eum captum ducebant irruerunt, & Comite liberato alios ex eis occiderunt alios vulneraverunt, alios in fugam turpiter converterunt, & coegerunt.

His itaque de Comite Henrico gestis Principalis exercitus qui prædicto modo & loco in quo primo steterat se movens per collium oppositionem disparuerat, ex alia parte quæ ad aspectum Papalis exercitus directa erat prope Frequentum apparuit de viso Princeps cum suis versusque ipsum Papalem exercitum procedebat, intendens eidem exercitui contra se venienti occurrere, & cum ipso pugnare. Papalis autem exercitus viso quod Princeps ad ejus aspectum non quidem ex illorum multitudine territus, sed ad pugnam accensus ad veniendum contra eum castra movisset, non ultra processit, sed in loco se fixit, quo viso Princeps similiter cum exercitu suo stetit, nec tunc prius illos appetiit, sed ad stationem unde se moverat est reversus.

Erat autem circa partes illas quidam locus eminens de quo Princeps consideravit, ut sapiens quod si locus ille caperetur ab hostibus magnum sibi posset evenire nocumentum, quia loco illo ab hostibus habito foderum ex illa parte Capitanatæ posset ad suum exercitum pervenire, & in eo loco Princeps castra metatus est, in quo ante & retro hostes habebat; ex una enim parte erat Guardia Lombardorum rebellis in qua erat quædam pars Papalis exercitus, ut

ut prædictum est, ex illa vero parte erat Legatus cum exercitu infinito. Cum ergo post paucos dies prædictus Legatus cum Papali exercitu a loco in quo erat prope Frequentum recessisset versus prædictum locum eminentem venturus, Princeps credens, quod pro occupando loco ipso veniret, statim cum exercitu suo se movit, & contra Papalem exercitum venientem animose procedens, ut prædictum locum eminentem præoccuparet, & defenderet contra hostes recepturus pugnam si illi tanti essent antequam ipsam inferrent. Procedente autem sic Principe contra eos illi ad Principis animose venientis aspectum non venerunt, nisi usque ad nemus quod est citra Frequentum, ibique se in quodam loco tuto locaverunt, & tentoria sua ibi fixerunt. Videns autem Princeps quod illi ultra non procedebant, ipse similiter ultra non ivit, sed ad stationem suam reversus est. Erat autem locus ille in quo se fixit tunc Papalis exercitus ex tribus undique partibus naturali terræ montuositate vallatus, ex quibus partibus nullus in eo de facili poterat haberi accessus, ex altera vero parte ad aspectum Principalis exercitus cliviositate mediocri in planitiem quandam locus ille vergebat, sicque ibi exercitus ille collocatus erat, ut ipsis euntibus contra alios esset inde descensus, aliis vero ad eos accedentibus esset ascensus. Ex illa ergo parte mansionis illius, quæ ad aspectum Principalis exercitus erat, & quæ non ita sicut tres mansionis partes naturaliter munita videbatur, facta est quædam clausura de paliciis, tantaque erat ipsius exercitus multitudo qui ibi tunc collectus erat, quod hastarum solummodo elevata congeries ad similitudinem alicujus nemoris apparebat.

Cum ergo sic in aspectu mutuo uterque staret exercitus, & exercitus Papalis incomparabiliter major & copiosior quam exercitus Principis appareret, expectabat Princeps ut ipse requireretur ad bellum, tum quia ipse ad defensionem Terræ stabat, non quidem oppugnare debebat, sed oppugnantibus resistere satis esse credebat, tum quia, ut dictum est, sine comparatione major erat exercitus ille, quam suus, cum innumerabilis esset in eo multitudo peditum: equitum quoque numerus exercitus sui in septuplum videbatur excedere. Stabat ergo Princeps bellum expectans ab inimicis, nec tamen illi de loco illo, ubi tentoria fixerant, & se circumquaque concluserant ullo modo exibant. Unde cum aliquos dies in hujusmodi Princeps belli expectatione stetisset, cogitavit quod ideo illi eum aggredi dubitarent, quod ipse cum exercitu suo in eminentiori parte stare videbatur, propter quod ut eos ad bellum posset allicere, decrevit de loco illo in planum descendere & exercitui Papali magis appropinquare, & quia certum gerebat de bellando propositum, & sic suam tunc volebat experiri fortunam, ut solus vincendi amor ipsum ad bellandum impelleret, ut nulla eum expugnationis in se forsitan faciendæ verecundia, vel formido retraheret, effossis de loco illo tentoriis in tres acies totum suum divisit exercitum, & cum tribus aciebus illis exclaratus descenderet in planum, ecce tres aquilæ super exercitum ipsum apparuerunt volantes in aere, quod omnes illi de exercitu, & Theutonici maxime videntes, cœperunt exultare lætitia quasi certæ victoriæ signa ex illa aquilarum supervolantium apparitione comprehendentes: unde etsi prius ad pugnandum nocivi, & ardentes fuerant, tunc magis, ac magis ex illo signo aquilarum accendebantur ad pugnam. Taliter igitur procedens Princeps Papali exercitui ad unius stadii spatium appropinquavit parans se sibi ad pugnam recipiendam, ipse enim pugnam eis inferre non poterat commode, nisi illi de clausura illa qua circumcingebantur exirent, quia si Princeps eos in illa clausura invaderet palitia illa quibus Papalis exercitus se totum clauserat, magnum sibi posset victoriæ impedimentum inferre. Præcedebant autem pedites Principis cum arcubus, balistisque adeo prope clausuram, ut illos de Papali exercitu ad exeundum allicerent, qui mittebant in eos sagittas, & eos quatenus poterant lacessebant, sed nullo modo de sua statione movebant, imo si quando aliqui sui pedites extra clausuram exire tentabant, equites eos celeriter revocabant, manifesteque ostendebant quod bellandi animum non habebant.

Videns ergo Princeps quod ipso taliter bellum desiderante adversarii sui bellare sic penitus recusarent, cum Principis acies esset in eo loco, ubi si bellum committeretur melior adversariorum suorum conditio futura esse videbatur, cum per sex fere horarum spatium Princeps in illo loco fuisset ad bellum recipiendum paratus, ne amplius in vanum ibi sic stare videretur, cogitavit ad stationem suam retrocedendum: sic tamen retrocessionem ipsam sapienter fieri procuravit, ne ipso retrocedente adversarii sui qui in loco eminenti, ut dictum est, stabant contra eum in ipsa retrocessione incaute irrumperent, & aliquod sibi, sicut sæpe fieri solet in talibus, nocumentum inferrent. Disposuit ergo Princeps quod prima acies sua quæ castris hostium vicinior erat, & secunda similiter quæ prope ipsam in loco suo fixæ & stabiles permanerent, ipsisque duabus aciebus in loco suo sic stantibus tertia acies quæ ultima erat, moveretur, & modesto ac ordinato regressu ad unum stadium de loco suo retrocederet, & ibi ordinata maneret, quo facto etiam acies subsequenter, prior ipsa de loco suo similiter moveretur, & ad locum unde acies tertia recesserat se ordinata retrocessione reciperet ac deinde prima acies, quæ in castrorum hostilium vicinitate remanserat, ad locum unde secunda acies recesserat, reliquis duabus aciebus non nimis longe ab ipsius tutela distantibus verteretur. Sicque factum est, quod aciebus ipsis gradatim una ante aliam cum prædicta cautela retrocedentibus adversarii non minus de sapientia, & prudentia Principis obstupescentes, quam de suæ armatæ potentia trepidantes nullo modo contra ipsum in ipsa etiam hujusmodi exercitus retrocessione exire ausi fuerunt, & Princeps composito, & in-

inoffenso regressu ab hostium suorum facie ad stationem suam ubi prius steterat regressus est.

Post recessum quoque Principalis exercitus facta sunt de ingenio Marchonis Bertholdi quædam lignea instrumenta triangulata sic artificiose composita, quod de loco ad locum leviter ducebantur, & quocumque modo revolverentur semper ex uno capite erecta constabant. His ergo ligneis instrumentis Papalis exercitus ex illa parte qua erat exercitus Principalis aspectus se circumcinxit, & sic se ipsorum compositione vallavit, ut non de facilia ex illa parte posset irrumpi. Mirum autem valde, videlicet quod Papalis exercitus etiam provocatus ad bellum non exivit; cum sicut dictum est, exercitus Principis in immensum excedere videretur; additus enim erat ipsi exercitui diebus illis quidam alius Papalis exercitus, qui Archipresbytero Paduano prædicti Legati Vicario per partes Principatus ad invadendam, & conquirendam Calabriam dirigebatur. Eo etenim tempore magnus Papalis exercitus sub prædicto Octaviano Legato Apostolicæ Sedis in Apuliam venire dispositus erat. Ordinatus etiam fuit prædictus Arcipresbyter cum magna comitiva equitum & peditum ire in Calabriam, & prædictus Petrus Ruffus de Calabria, qui, ut supra dictum est, de Calabria pridem fugiens ad Romanam Curiam se contulerat ordinato navilio constitutus fuit ire per mare cum Archiepiscopo Cusentino noviter a Papa creato. Itaque fuerat inter ipsos cognitum ut simul eodemque die Arciepresbyter ille cum exercitu quem ducebat per terram, & prædictus Petrus de Calabria per mare in Calabriam invaderet. Dumque in Calabria utrimque procederetur, prædictus Archipresbyter qui jam ad duas fere dietas cum prædicto exercitu Calabriæ finibus appropinquaverat a prædicto Legato Apostolicæ Sedis ad subsidium magni Papalis exercitus, qui contra Principem stabat in itinere Calabriæ revocatus est, cujus revocationem prædictus Petrus, cum per mare proficisceretur ignorans de illo quod cognitum fuerat a se simul cum prædicto Arcipresbytero ex diversis partibus invadendam esse Calabriam, ad castrum Sancti Lucidi de Vallegrata cum navigio prædicto pervenit, & in castro cum prædicto Archiepiscopo & armatis quod duxerat se receptavit, statimque autem sparsus est in Calabria & præsertim in civitate Cusentiæ rumor quod prædictus Petrus, cum duodecim galeis, & infinita multitudine armatorum per mare venisset, & quod Papalis exercitus per terram veniens ex duabus partibus, videlicet prædictus Archipresbyter per introitum Morani, & Oddo Marchio de Honeburch cui Comitatus Catanzarii per Papam concessus erat, per introitum pontis Roseti Vallisgratæ fines intrasset, & quod Gervasius de Martina, multique cum eo armati qui apud castrum Vallis ad defensionem finium Vallisgratæ stabant a Papali exercitu capti essent. Item quod duodecim galeæ Brundusinorum venissent ad maritinam Cutroni ad partes terræ Jordanis pro parte Ecclesiæ oppugnandum, & quod Princeps apud Guardiam Lombardorum a Legato Apostolicæ Sedis & Papali exercitu, qui ibi erat foret expugnatus in campo.

Dum autem rumoris hujusmodi per Calabriam, & præsertim in civitate Cusentiæ duceretur, & diversorum narratione hinc inde venientium firmarentur, magisque verisimiles in eo viderentur, quod prædictus Petrus de Calabria ad prædictum castrum Sancti Lucidi quod a civitate Cusentiæ ad quindecim milliaria vicinatur sic audacter, & secure cum uxore sua, & aliis mulieribus quas pridem fugiens de Calabria secum duxerat, descendisset, quod non videbatur ab eo potuisse acceptari, nisi cum multitudine armatorum magna venisset, & nisi rumores alii qui dicebantur de ingressu Papalis exercitus in Vallegrata, & de captione prædicti Gervasii & suorum, & de expugnatione Principis in aliquo viri essent, venit quidam Nuntius dicti Petri Cusentiam cum literis ejus, & Archiepiscopi Cusentini per quas universitati ipsius civitatis ex parte Apostolica firmiter, & expresse mandabant, ut incontinenti nuntios mitterent ad eorum præsentiam pro parte totius universitatis ipsius mandatum per eos Apostolicum recepturos, alioquin insequentem diem essent cum toto eorum exfortio in ipsius civitatis excidium. Cum autem tunc temporis quando hæc fiebant omnes fere meliores homines civitatis Cusentiæ ab ipsa civitate abessent, quoniam cum prædicto Gervasio de Martina ad defensam finium Vallisgratæ apud Castrum Vallis morabantur, nec remansissent in civitate ipsa nisi quidam populares, & illi qui vel de personis nobiles erant nullum armorum exercitum habere videbantur veniente prædicto nuntio Petri de Calabria cum literis illis homines civitatis prædictæ qui ibi tunc inventi fuerunt, diuturnitate quietis, & pacis quam a tempore Imperatoris Frederici habuerant inexperti & prorsus ignari guerrarum, cum nescirent, nec præ angustia temporis prævidere possent quid melius esset eis in illo articulo faciendum; cum præsertim civitas ipsa Cusentiæ propter incendium quod anno præterito passa fuerat, tam domibus, quam aliis quæ ad defensionem competerent esset immunita, ex illa minaci, & aspera prædicti Petri, & Archiepiscopi requisitione providerunt, ut nuntios ad prædictum Petrum, & Archiepiscopum mitterent, non quidem, ut aliquod mandatum Apostolicum ab ipso reciperent sed ut ipsorum nuntiorum missione, & tractatu super instate negotio hinc inde habendo dictus Petrus, & Archiepiscopus morandi apud Sanctum Lucidum occasionem haberent, donec lateret certitudo de prædicto Gervasio, & aliis qui capti esse dicebantur, vel si hoc factum esset, dictus Gervasius totum hoc negotium sciret, vel ipse veniret, vel cives Cusentiæ quos secum habebat, & alios ad defensam civitatis ipsius mitteret. Missi ergo nuntii a civitate Cusentiæ in sanctum Lucidum ad prædictum Petrum de Calabria, & ad Archiepiscopum Cusentinum, missi quoque sunt

 nuntii,

nuntii, literæ ad prædictum Gervasium de Martina per quos sibi totum negotium de calarabatur, & petebatur ut de defensione civitatis provideret, sicut esse ad eorum salutem, & fidem melius providendum, & ad explorandum etiam de statu ipsius Gervasii & aliorum, & si verum esset quod de ipsorum captione dicebatur, & de aliis etiam rumoribus, qui, ut supra dictum est, contra salutem Principis, testabantur, procederetur ab eis in antea, sicut esset pro qualitate ipsius procedendum.

Cum ergo prædictæ civitatis nuntii profecti essent ad castrum Sancti Lucidi, ubi prædicti Petrus & Archiepiscopus Cusentinus erant, invenerunt eum cum paucis quidem amicis quos de partibus Terræ Laboris secum navigio duxerant. Veruntamen quia dictus Archiepiscopus commissionem ab Apostolica Sede habebat cruce signandi homines ad auxilium Ecclesiæ sub ea remissione & indulgentia, quæ conceditur illis qui cruce signantur ad auxilium Terræ Sanctæ, multi rustici & ignobiles de maritima illa & adjacentibus Valli audita tam grandi remissione, & indulgentia, quæ fiebat a prædicto Archiepiscopo illis qui vellent crucem recipere ad locum ipsum confluxerant, & crucem ab Archiepiscopo ipso receperant pro timore, & pro servitio Ecclesiæ, & si opus esset sub spe remissionis. Itaque fere duo millia hominum cruce signatorum cum prædicto Petro & Archiepiscopo ipso jam erant præter illos qui cum eis venerunt navigio Terræ laboris. Statim autem quod prædictus Petrus & Archiepiscopus viderunt nuntios civitatis Cusentiæ ad se venientes, primo quidem eos læta, & curiali facie receperunt, magna eis & civitati Cusentiæ promissa ex parte Ecclesiæ facientes. Intelligentes vero quod civitas Cusentiæ vocaverat Gervasium de Martina ad defensionem finium Vallisgratæ, statim quidem totus exercitus Principalis, qui cum eo erat in castro Vallis, ipseque turbatus est, cœperuntque omnes, & illi præcipue qui partem Principis contra prædictum Petrum animose tenuerant, valde timere, & quilibet de se potius, quam de defensione Provinciæ cogitare; timebant enim de potentia in qua dictus Petrus sic subito erectus esse videbatur, ex multitudine hominum quæ ad ipsum tunc confluxisse dicebatur, longeque plus de eo quam verum erat referebatur.

Cum itaque sic exercitus ipse titubaret, & his quæ dicebantur, omnesque ad dissolutionem ipsius exercitus proinde tendere viderentur, Gervasius de Martina qui capitaneus ipsius exercitus erat, habito cum Baronibus, & aliis secum existentibus consilio, captis quibusdam de Cusentinis, qui suspecti de ipsius Petri parte videbantur, omnes alios Cusentinos qui in ipso exercitu secum erant, Cusentiam remittendos decrevit, eisque sub juramento fidei præcepit, ut euntes Cusentiam sic facerent, ut prædictum Petrum vel caperent, vel fugerent, ipse vero Gervasius cum aliis remansit in exercitu expectans. Venientes ergo Cusentiam invenerunt Petrum præfatum magna hostium multitudine circumfultum ex quibus licet multi non affectionibus, & armis decentibus armati, tamen omnes cruce signati erant, & alii eorum lanciis, alii gladiis, alii vero armis, alii erant prout poterant licet incompetenter muniti. Licet autem eis competentia arma deeßent, animositatem tamen quandam habere videbantur se mori paratos pro servitio Ecclesiæ conclamantes, incitantes etiam dictum Petrum, ut illico exirent in campum, & ipsos ad hostes Ecclesiæ debellandos produceret in sequentem diem contra Gervasium de Martina ubicunque eum invenire possent.

Statim ergo quod venerunt prædicti Cusentini Cusentiam, & potentiam dicti Petri viderunt, alii ex eis secesserunt, nec ante faciem ejus apparere voluerunt, alii vero ut efficatius possent operari ea quæ prædictus Gervasius eis facienda de ipso Petro mandaverat comparuerunt quibus mandatum Ecclesiæ jurare fecit astantibus sibi viris armatis paratis ad capiendum, & offendendum omnes illos qui ad ipsius Petri jussum mandata Ecclesiæ jurare forte renitérent. Compulsi ergo tunc illi mandatum Ecclesiæ ex necessitate magis quam corde juraverant. Videntes autem quod in personam ipsius Petri nihil facere, vel etiam acceptare auderent propter magnam hominum multitudinem quæ circa ipsam erat, cogitaverunt, ut id quod per vires eorum facere non poterant, dolis operarentur, ut sicut dictus Petrus per dolum & falsos rumores per Calabriam seminatos in Calabria taliter receptus esse videbatur, sic & inde per dolos, & falsas adinventiones expelleretur. Ordinatum est per Cusentinos quod nuntii mitterentur ad Maritimam sancti Lucidi relaturi rumores per maritimam illam, sparsuri, quod gens de Calabria ventura erat ad castrum Sancti Lucidi ad uxorem dicti Petri capiendam, qui relatores ita fecerunt quod rumores hujusmodi ad uxorem dicti Petri pervenire possent: sicque rumores ipsi a diversis concorditer recitarentur quod credibiles viderentur. Ordinatum est etiam a Cusentinis prædictis quod submitterentur quædam personæ ex parte aliquorum qui prædictum Petrum diligere viderentur, asserentes ei se occasione ex parte ipsorum, atque testantes quod se custodiret, quia ab illis qui magis adhærere videbantur sibi proditio tractaretur, sicque positum est quod Gervasius de Martina de nocte venire deberet, quo ante civitatem existente, ipse Petrus ab illis qui in civitate essent immisso in civitate igne caperetur. Euntibus ergo prædictis nuntiis & relatoribus ad maritimam S. Lucidi, & prædictos rumores in maritima spargentibus eo modo quo credibiles dictæ uxori Petri de Calabria facti sunt. Statim rumoribus ipsis auditis, & sibi multorum concordi assertione verificatis, misit literas, & nuntium viro suo apud Cusentiam quæ literæ ad eum de media nocte pervenerunt continentes qualiter ipsa timens valde ne caperetur a gente illa, quæ contra eam ventura de Calabria dicebatur, rogabat, & sollicitabat eum quod sibi succurreret.

Ita

Ita etiam eadem nocte quidam missi ab aliquibus de parte sua venerunt ad eum qui tremore simulato secreta ei confessione dixerunt ex parte illorum a quibus ad eum missi esse videbantur quod ipse Petrus se custodiret, & si caute posset de civitate recederet, quia pro certo contra eum ab illis qui sui esse videbantur proditio tractabatur. itaque nisi se custodiret procul dubio sic ordinatum erat quod caperetur, multaque sibi alia figmenta suggesserunt, per quæ dictus Petrus ad ea credenda, quæ dicebantur moveretur; iisque dictus Petrus attonitus intelligens etiam quod Judex Joannes de Marturano, qui secum de Curia Romana venerat per Robertum de Archis, juxta Calabriam apud Marturanum captus fuerat, & dum duceretur Neocastrum, a quibusdam sibi occurrentibus interfectus in via; audiens quod dictus Robertus de Archis venturus erat supradicta die cum magna multitudine hominum contra eum, perpendens quoque quod Cusentini de ipsius captione tractabant, & quod illi qui Principis partem fovebant intendebant ignem mittere in civitatem, habito cum prædicto Archiepiscopo Cusentino in ipsa nocte tractatu, & deliberatione, quæ in illa temporis angustia potuit haberi summo diluculo fecit edici quod ipse volebat facere monstram de armatis qui secum erant, aliis qui ad ipsum confluxerant, & in campo ante civitatem factaque ipsa monstra procedere ad incendendum quoddam casale prædicti Roberti de Archis prope civitatem Cusentiæ positum quod Venera vocabatur, ac deinde prandio ire contra Gervasium de Martina, ubicunque eum inveniret.

Egressus est itaque ipse cum Archiepiscopo Cusentino & armatis equitibus ac innumera multitudine peditum extra civitatem, & simulata quadam monstra, ibi cœpit procedere contra casale prædictum, credebaturque ab omnibus Cusentinis quod ipse ad casale prædictum iret, & postea reversurus esset ad civitatem: dimiserat enim tam ipse quam Archiepiscopus coquos, & ministros alios ad prandium præparandum. Cum igitur usque ad pertinentias ipsius casalis processisset, & pedites eum longe retro sequerentur, cœpit statim ipse, & qui cum eo erant tenere viam qua itur ad sanctum Lucidum ex quo facto & exeundi festinantia cognitum est quod fugeret, reversisque peditibus qui post eum ibant. Cum Cusentini eundem Petrum fugisse cognovissent valde contristati sunt, & turbati quod sic eos dictus Petrus eluserat; & a manibus ipsorum evaserat, nuntiaveruntque statim Gervasio de Martina, qui hoc audito cum gente quæ sibi remanserat profectus est ad castrum Montis Alti, quod propter adventum dicti Petri rebellaverat. Cumque ipsius castri municipes se contra ipsum Geruasium satis animose defenderent, ita quod aliqui ex suis insultu castri ipsius fuerint lethaliter vulnerati, tandem per fortunam Regis & Principis potentiam castrum ipsum violenter captum est, igneque crematum. Capto vero & combusto ipso oppido Montis-Alti processit exercitus ad castrum Rondæ quod similiter ex adventu ipsius Petri rebellaverat, & licet aliqui de illis qui cum prædicto Petro venerant ibi essent, & ipsius loci municipes ad resistendum animarent, tamen statim quod exercitus ante oppidum fuit, & ipsum oppidum dum cepisset, incolæ loci ex timore instantis exercitus omnem animum, & vigorem ad se defendendum amiserunt, solumque illi qui a Petro prædicto fuerant missi oppidum regere & exercitum repellere satagebant. Videntes autem quod municipes animum & vigorem amiserant, nec ipsos ad resistendum juvare volebant, in fugam exercitu jam intrante conversi sunt, & cum prædicto Petro apud sanctum Lucidum se receperunt. Capti autem sunt ibi quidam Neapolitani. Canaymus de Grisagni cum resistere vellet, aliis fugientibus apprehensus est, detentusque in carcere in Apuliam missus.

Capto autem castro Rondæ cum exercitus pararet se ire versus sanctum Lucidum contra prædictum Petrum, qui se ibi cum suis receperat. Dictus Petrus hoc audiens galeis in quibus venerat cum Archiepiscopo, & omnibus illis qui cum eis venerant, & de Cusentia, & Ronda fugerant festinanter ascendit, profectusque est Tropæam, cumque ibi non fuisset permissus ad terram ascendere, recessit inde & tentavit ire Messanam. Messanenses autem hoc præsentientes, cum ipse Petrus esset adhuc in ingressu Phari, & ibi quiesceret, miserunt ad eum nuntios sibi prohibentes ne ad civitatem veniret, imo potius de loco illo discederet.

Recessit ergo Petrus ad insulam Lipari, ibique aliqua exenia de pane, & rebus victui necessariis quibus plurimum indigebat a comunitate, & singularibus personis Liparensibus recipiens in Terram Laboris regressus est G. licet autem prædicti Petri adventus in Calabriam in offensionem, & damnum Principis attentatus fuisset, magnam tamen Principi utilitatem & gloriam procuravit, quia cum usque tunc plures de Calabria vacillarent, tamque in prædicto Petro, quam in viribus Papalis Curiæ fiduciam aliquam haberent, tamen ex adventu ipsius, tam ejus quam Papalis Curiæ quæ ipsum misit impotentiam experientes in Principis fide confirmati sunt, & vanis verbis atque rumoribus, quæ corda hominum plerumque movere solent nunquam amplius credere voluerunt.

Interea dum hæc sic ad triumphum, & gloriam Principis in Calabria peragerentur, Princeps cum exercitu suo erat in colle illo qui est inter Guardiam Lombardorum, & nemus Frequenti expectans aggressuram Papalis exercitus, qui de die in diem continuum recipiebat augumentum. Exibant quoque aliqui de exercitu Principis in planitiem, & adversarios provocabant ad bellum, illi tamen nullo modo extra clausuram quam circumcirca se fecerant progrediebantur: tantusque eos de Principis potentia timor invaserat, quod si quando exire deberent hic aliqui de utroque exercitu ad aliquid ut moris est acquirendum, quinquaginta viri de Legati exercitu, sex aut octo viri de parte Principis

Principis occurrerent, ab eorum aspectu protinus fugerent, & eorum aggressum nullatenus expectarent. Morabatur igitur sic uterque exercitus, alter ad aspectum alterius, nec ullo modo Legati exercitus ad quem impugnatio pertinebat movebatur ad bellum.

Factum est autem quod diebus illis quidam Marescallus Ducis Bavariæ avunculi Regis Conradi Secundi ex parte Reginæ Elisabeth matris ipsius Regis,& ex parte etiam ipsius Ducis venit a Theutonica in Regnum missus ab eis ad Principem,& deinde ad Romanam Curiam pro negotio dicti Regis tractando. Cumque Legatus Apostolicæ Sedis & B. Marchio de Honeburch ipsius Marescalli scivissent adventum, & causam pro qua ipse de Theutonica venerat, occasionem habuerunt tractandi cum Principe treguas, donec de negotio Regis pro quo ipse Marescallus venerat posset aliquid cum Summo Pontifice tractari. Mediantibus ergo ex utraque parte viris nobilibus, & magnificis qui in utroque exercitu erant, initæ sunt, & firmatæ treguæ inter Principem & Legatum utriusque partis, & multorum hinc inde magnatum juramentis corporaliter roboratæ, qualis treguæ talis erat in summa conditio, ut donec dictus Marescallus, & alii Principis nuntii ad Summum Pontificem irent pro tractando Regis negotio atque redirent, quinque quoque diebus post reversionem ipsorum nihil ab utraque parte innovari deberet. Responsum fuit eis quod in relatione treguarum quam Legatus Summo Pontifici, ac fratribus fecerat nihil de adjectione quinque dierum continebatur, & quod totum negotium Legati providentiæ, ac arbitrio commissum erat propter quod nullum a Romana Curia responsum habere potuerunt nisi quod redirent, & cum Legato de negotio ipso tractarent. Ex hujusmodi igitur responso conjectum est, quod Legatus qui in relatione treguarum Romanæ Curiæ, per se facta de adjectione prædictorum quinque dierum nihil expresserat, Principem decipere disposuerat, quod quidem ex postea facto satis clare & aperte manifestatum est.

Nam statim quod treguæ ipsæ firmatæ fuerunt, ut superius dictum est, securus Princeps quod nihil treguis durantibus innovari per Legatum deberet, recessit a loco illo in quo contra Papalem exercitum tentoria fixerat, perrexitque cum gente sua versus inferiores Apuliæ partes, ut & terram illam tanquam bonus Rector perambulando visitaret & confortaret in fide,& a laboribus quos in campo passus erat per urbium amœnitates æstivando quiesceret. Descendit itaque per Cornetum ad maritimam Terræ Bari; quod cum Legatus Apostolicæ Sedis, & Bertholdus Marchio de Honeburch Capitaneus Papalis exercitus intellexissent contra pacta treguarum firmata cum Principe processerunt versus Rubum, ac deinde continuato progressu in Capitanatam profecti sunt, civitatem Fogiæ quasi ex insperato moventes. Cumque terra ipsa Fogiæ totum Papalem exercitum capere non posset, pars ipsius exercitus in oppido Sancti Laurentii de Caraman, quod Fogiæ per tria fere millia tantum proximatur se receptavit. Erat enim prædicta civitas Fogiæ frumento, ordeo, cæterisque rebus victui hominum & equorum necessariis abundans; locaque similiter sibi adjacentia, propter quod tunc Papalis exercitus ibi se recepit, ut res prædictas victui necessarias haberet ad copiam,& ut etiam Princeps qui in maritima Terræ Bari tunc erat, Papali exercitu apud Fogiam existente cun Luceriam jungi non posset, & facile esset ipsum Principem a Luceria separatum, vel Luceriam ipsius Principis auxilio carentem superari.

Cum itaque Princeps existeret apud Tranum, venit sibi rumor insperatus, & subitus quod Papalis exercitus venisset in Capitanatam & Fogiam occupasset, minime credibile reputavit & miratus est quod si verum esset quod Legatus Sedis Apostolicæ vir quidem ecclesiasticus, & qui magis aliis fidem servare tenebatur firmata inter se, & Principem treguarum pacta fregisset, cum nondum rediissent a Papali Curia Principis nuntii, usque ad quorum reditum,& quinque diebus ultra treguæ ipsæ durare debebant. Comperto autem & veraciter cognito quod Papalis exercitus Fogiæ erat, Princeps moræ impatiens, & Marchionis Bertholdi præcognoscens astutiam, cujus consultu hoc actum esse dicebatur profectus est Barolum: ibique parum moratus persuasit Barolitanis ut in regia & sua fide persisterent, nec propter adventum Papalis exercitus in Capitanatam se de suæ fidei stabilitate mutarent, imo finalem rei expectantes adventum non prius in partem contrariam ire deberent, quam ipsum Principem si id fortuna daret, victum viderent, quia si usque ad finalem belli eventum in sua fide persisterent, vincente Principe gloriosi reputarentur, vel eo forsitan succumbente sine vitio in partem alteram declinarent. Facta itaque persuasione hujusmodi Barolitanis recessit, & per attinentias castri Canusii transiens quod Oddo Marchio de Honeburch tenebat, Gaudianum pervenit; inde quoque processit ad civitatem Exculi, receptisque de ea obsidibus Luceriam profectus est. Et licet Papalis exercitus transitum Principis per partes illas, utpote vicinum perpendere potuisset, non tamen ipsum impedire tentaverunt, sed sine aliquo impedimento Princeps cum gente sua Luceriam intravit, paucisque diebus in civitate ipsa permanens cum toto exercitu suo egressus est, juxta flumen qui dicitur - - - - quod a civitate Fogiæ per sex inde milliaria distat, mansitque ibi per dies - - - - Cum autem civitas Sancti Angeli in supercilio Montis Gargani ad adventum Papalis exercitus contra Principem rebellasset, misit Princeps partem exercitus sui contra civitatem ipsam, sicque civitas ipsa per violentiam capta est & ad mandatum Principis devoluta.

Cum autem Princeps in prædicta statione per aliquot dies stetisset, & videret quod Papalis exercitus, qui se in Fogia receptaverat, ut prædi-

prædictum est, ad egressum Principis non exiret in campum, Princeps eorum pusillanimitatem ex hoc prænoscens aliquantulum magis appropinquavit cum exercitu suo ad civitatem Fogiæ, ut videretur si vel tunc ad bellandum exirent: illi autem aliquatenus non exibant, imo incœperant se circumcirca vallare fossatis, & super fossatis stichatos erigere, destruentes etiam domos quas Imperator Fredericus construi fecerat in riveria Sancti Laurentii valde pulchras, quo lignaminibus domorum ipsarum quæ inde dirumpere potuerunt facerent stichatos sive palliciata circumcirca civitatem. Non enim licuit eis in totum domus ipsas destruere. Princeps ad obsidionem ipsorum procedens juxta flumen quod est ante Fogiam tentoria sua fixit, & super quadam Ecclesia Sancti Bartholomæi, quæ magis civitati vicinatur speculam unam ad excubias, ut moris est contra hostes faciendo ipsis suum vexillum imponi fecit pro majori exercitus sui cautela totam castrorum suorum stationem fossatis fecit circumcirca vallari, ne forsitan hostes sui qui, videbantur innumerabiles subito in ipsum irrumperent, & ipsum offendere possent fecitque capi & muniri prædictas domos in riveria Sancti Laurentii ut dictum est, ad eos qui erant in Fogia ire non possent, ex quo Princeps ad obsidionem civitatis Fogiæ sicut appropiquavit, ita Papalis exercitus qui ibi inclusus erat, & pro obsidenda Luceria, & Principe in ea fuerat congregatus, reperit se incarceratum potius quam obsessorem, & præ timore Principis extra palitia exire nullatenus audebat, nunquam enim credere potuerunt quod Princeps tanti animi esset, ut equo Luceriam auderet exire, firmumque erat & certum ipsorum propositum ipsum in Luceria obsidere: unde etiam Legatus Sedis Apostolicæ, qui Papali exercitui præerat postquam Fogiam intravit, si quas literas per Regnum, vel ad partes alias mittebat, eas in obsidione Luceriæ subnotari faciebat. Spes autem decepit eos, & animositas Principis, quæ juvenili in eo ætate vigebat, eorum propositum penitus annullavit, & pœnitudinem eis de eo quod fecerant vehementer ingessit. Bertholdus enim Marchio de Honeburch statim quod Principem intellexit tantæ fuisse audaciæ, quod Papali exercitu existente apud Fogiam ipse de terra maritimæ Bari transivit Luceriam, & exire disponebat in campum, valde in se turbatus est, & ex tunc cogitare cœpit qualiter ad gratiam Principis recipi posset. Unde autem melius hoc & liberius tractaretur qualiter ad ipsam gratiam reciperetur antequam Princeps Luceriam esset regressus ad obsidionem Fogiæ processurus, assumtis secum octingentis militibus de Papali exercitu de voluntate Legati Fogiam exivit, & ad civitatem Trani processit, cujus processus causa vel occasio fuit, ut idem Marchio terram maritimæ Bari, quæ melior, & ditior pars Apuliæ est ad partem Ecclesiæ revocaret, & terra ipsa ad partem Ecclesiæ devoluta, congregata de partibus illis multitudine illa, & ea quæ Fogiæ cum Legato remanserat, Principem & exercitum ejus non tam vinceret quam devoraret. Firmatum est inter Legatum & Marchionem interpositione juramenti, ut nullo modo Legatus ad bellandum exire permitteret, antequam Marchio cum gente rediret.

Profectus est itaque Marchio ad civitatem Trani, in cujus civitatis castro morabatur uxor ejus Isolda filia Marchionis Lanceæ, quæ Principi ex parte matris suæ proxima linea sanguinis attinebat, cujus studio tractari cœpit qualiter Marchio ad gratiam Principis reciperetur: licet autem uxor ejus hoc tractare niteretur, Marchio tamen in duplicitate ambulans primo civitatem Trani deinde civitatem Baroli, & subsequenter omnes alias civitates maritimæ Terræ Bari ad partem Ecclesiæ revocavit, præter civitatem Andrensem, quæ sibi obedire noluit: nam Comes civitatem ipsam contra Marchionem viriliter defendebat. Cum enim inter civitatem ipsam & Barolum, quædam antiquæ inimicitiæ essent, Marchio cum militibus suis, & Barolitanis omnibus per comminationem contra civitatem ipsam processit, & cum nihil facere posset propter defensionem prædicti Comitis & civium civitatis ipsius qui satis animose resistebant eis, & civitatem ipsam viriliter tuebantur, Marchio & Barolitani non sine verecundia expugnati inde recesserunt.

Interea vero tractatum est per uxorem Marchionis Bertholdi, quod quidam nepos ipsius Marchionis nomine Bertholdus, quem Marchio valde diligebat cum exiret venatum versus civitatem Andriæ captus fuit ab Andrensibus, & in custodia detentus, quod ideo procuratum est, quod aliqua Principi ex hoc cautela fieret quod Marchio contra ipsum non esset. Licet ex hoc aliquibus posset videri, & credi quod captio prædicti juvenis de conscientia Marchionis procurata fuisset, tamen Marchio totum contrarium operibus ostendebat. Intendebat enim omni studio congregare gentem equitum & peditum, per totam maritimam Terræ Bari quæ jam ad partem Ecclesiæ studio suo conversa erat & quomodocunque poterat partem Ecclesiæ juvabat.

Misit quoque in diebus illis Legato Apostolicæ Sedis apud Fogiam existenti pro stipendiis exercitus Papalis omnia vasa argentea, quæ inventa sunt in camera uxoris in castro Trani, sicque taliter in negotio Ecclesiæ se gerebat, quod nullo modo verisimile videbatur ipsum Marchionem occulte, vel manifeste in partem Principis declinasse: congregata enim magna multitudine armatorum equitum & peditum, multoque fodero pro exercitu tam in rebus victui hominum & equorum necessariis, quam etiam in diversis speciebus medicinalibus pro infirmis, qui multi in exercitu ipso apud Fogiam erant, ipse Marchio cum prædicta gente & fodero per mare ad civitatem Syponti profectus est, quæ a Fogia per quindecim millia distat; cumque esset cum tota ipsa gente, & fodero, cogitavit quod si Fogiam ire tentaret, exercitus Principis qui ante Fogiam erat ipsum & prædictam gentem impedire posset, misit ergo nuntium

tium suum ad Principem significans ei qualiter ipse cum quadam gente erat in civitate Syponti, suadensque sibi, ut ipsum cum prædicta gente Fogiam intrare permitteret, quia ipse erat ea cum Legato Sedis Apostolicæ tractaturus, quæ ad ejus honorem & commodum redundarent. Princeps autem astutias & fraudes ipsius Marchionis agnoscens, respondit ei præcipiendo quod nullo modo Fogiam cum gente illa venire tentaret, Marchio vero Principem decipere putans, respondit se non intraturum, & per aliquos dies moratus est cum gente illa Syponti. Cumque sic aliquandiu moraretur subito cujusdam diei crepusculo cum gente illa movit de Syponto, ut nocte tota procedens ante diluculum Fogiam sine impedimento exercitus Principalis intraret. Non autem latuit Principem astutia Marchionis, quando cum gente illa movit de Syponto sed per exploratores caute positos processu Marchionis cum gente illa præcognito, missi sunt de exercitu Principis tercentum inter Theutonicos & Saracenos equites in occursum gentis illius. Erat autem nox, Luna tamen lucebat, dum Marchione cum tota gente prædicta in quadam securitate versus Fogiam procedente subito in eos factus est clamor nominis Principalis, & cum clamore violentus gentis Principalis insultus: cumque gens Marchionis majorem esse occurrentis gentis multitudinem crederet subito stupore correpti, & ad clamationem nominis Principalis vehementer exterriti terga verterunt, & se per aulam proripientes in fugam, alii ex eis gladio perierunt, alii capti sunt, alii cum prædicto Marchione fugiendo salvati; fuit enim gens illa tunc equites 2300. & pedites 1500. ex quibus in illo conflictu occisi fuerunt 1400. vulnerati vero citra mortis periculum, & capti circa 450. Remanserunt itaque currus soderum & species alias quæ pro infirmis deferebantur, portantes, eorum ductoribus aut peremptis, aut fuga salvatis, inter quos currus unus inventus est mosterinis, & flabellis tantum oneratus, quæ pro infirmis deferebantur ad muscas depellendas, vel ad refrigerium aeris caloris incendii faciendum, & alii rebus medicinalibus oneratus; multique alii currus cum gallinis, & pullis & rebus aliis victui hominum, & animalium opportunis quæ omnia in Principalis exercitus usum commodum cesserunt.

Talis autem tempore illo fortuna Principis fuit, quod licet de Papali exercitu in Fogia multi quotidie morerentur, multique infirmi jacerent, Principis tamen exercitus qui ante civitatem erat paucissimi infirmi, duoque tantum ibi defuncti fuerunt: civitas enim Fogiæ, quæ licet fertilissima esse consueverat propter multitudinem gentium Papalis exercitus ibi existentis, & propter obsidionem præcipue Principis quæ nihil illuc permittebat inferri, in tantam jam erat versa penuriam, quod pro gallina una dabatur equus, & vix ad tale pretium poterat inveniri: ex qua penuria, & ex corruptione aeris propter fumum equorum & immuditias alias tanta gentem illam invasit infirmitas quod etiam ipse Legatus Apostolicæ Sedis, cui abundantius quam aliis omnia suppetere poterant, infirmitate ipsa non remansit intactus.

Cum ergo Legatus Apostolicæ Sedis adversantem sibi fortunam, & Principis prosperitatem videret, & ex multis argumentis convinceretur quod ex fortuita necessitate erat ut Princeps victoriam, & dominium haberet, volens consulere tam sibi quam aliis qui ibi per obsidionem Principis intolerabiliter opprimebantur, misit nuntios ad Principem de concordia facienda: sicque factum est quod tractatu hinc inde habito ad hanc Princeps, atque Legatus concordiam devenerunt, videlicet, ut Princeps pro parte sua, & Regis Conradi nepotis sui Regnum teneret excepta Terra Laboris quam Princeps Ecclesiæ concessit tenendam, ita tamen quod si Papa transactionem, & concordiam ipsam forte non acceptaret, liceret Principi terram ad suum jus & dominium revocare. Qua transactione sic facta inter Principem & Legatum, cautionibus intervenientibus firmata, Legatus obnixe rogavit Principem, ut intuitu divinæ pietatis quibusdam Regni nobilibus parceret, qui a tempore Imperatoris patris sui a Regno exulabant, & in præsentiarum cum ipso Legato erant: ad cujus Legati preces motus Princeps præfatis nobilibus clementer indulsit, terras quas juste amiserant eis restituit, & in Regno eos manere concessit, dummodo sic se in antea gererent quod præteritas offensas laudabili conversatione delerent & vindictam ex sola Principis clementia contra ipsorum præterita delicta cessantem recidivo malo non subirent.

Ab illa quoque tam immensa gratia Bertholdus Marchio de Honeburch & fratres non fuerunt exclusi: nam licet enormiter contra ipsum Principem deliquissent, & eorum recens culpa pœnam imminentem rationabiliter expectaret, tamen Princeps divinam imitatus misericordiam, quæ nulli quantumcunque peccatori deest, idem Marchioni & fratribus pepercit & omnem præteritam remisit offensam & in familia sua eos manere jussit & tenere terras, & alia bona sua quibus rationabiliter debuerant, & in perpetuum caruisse.

Legato itaque cum toto illo suo innumerabili exercitu a Fogia recedente & in Terram Laboris eunte Princeps motis ab obsidione castri ad quendam locum amœnum & venationibus delectabilem qui Sanctus Gervasius vocatur, habiturus de obsidionis labore solatia profectus est, & qui in planitie Fogiæ inter calores æstivos, & continuas pulveris nebulas dudum prædictæ obsidionis tempore sanus, nullaque tactus infirmitate permansit, tamen in prædicto loco Sancti Gervasii inter venationum solatia, & nemoris refrigeria discaldatus aliquantulum ægrotavit, non tamen propter illam discaldationem animus ejus ex vana virtute corporis languescebat, sed in illa tali ægrotatione nuntios dimisit ad Papam, ut si placeret ea prædicta compositio facta cum Legato; acceptaret eam, alioquin ipse ad recipiendam Terræ Laboris pote-

potestatem procederet. Nuntii autem Principis ad Papam profecti invenerunt in Papali Curia Comitem Guaserbuch per quem Comitem intellexerunt, quod prænominatus Bertholdus Marchio de Honeburch & fratres, qui pridem ad gratiam Principis recepti fuerant conspirationem quandam contra Principem cum quibusdam Regni nobilibus tractatarent, quod nuntii ipsi statim Principi significaverunt, ut Princeps sibi ab ipsa conspiratione caveret. Quo audito Princeps de tractatu prædictæ conspirationis certa plura habuit inditia quibus violenter præsumpsit verum esse quod dicti sui nuntii significaverant sibi, sicque prædictum Marchionem & fratres capi fecit & in carcere retineri.

Prædictis autem nuntiis a Papali Curia negotio infecto reversis indixit Princeps Curiam generalem Baroli celebrandam in festo Purificationis Beatæ Mariæ, & ne inperfecta remanere videretur acceptatione prædictæ compositionis, quam fecerat cum Legato Sedis Apostolicæ interim alios nuntios misit ad Papam, requirens adhuc prædictæ compositionis acceptationem, quam cum Papa negasset, redeuntibus ad Principem nuntiis celebratus est Curia generalis apud Barolum dicto anno Incarnationis Domini 1256. mense Februarii 13. Indictionis in festo Purificationis Beatæ Mariæ, in qua Curia Gualuanus Lancea Principis avunculus factus est Comes Principatus Salernitani, & magnus Regni Siciliæ Marescallus, deposito per sententiam Comitum & Baronum Petro de Calabria tam ab honore Comitatus Catanzarii, quam ab officio Marescalliæ Regiæ, Regni Siciliæ propter proditionem suam. In eadem quoque Curia receptus Lancea Principis avunculus prædicti Gualuani frater factus est Comes Squillatii, & Henrico de Spernaria concessus est Comitatus Marsici. In ipsa Curia Bertholdus Marchio de Honeburch, & fratres ejus patefacti, & legitime probata conspiratione quam contra Principem facere tentaverant, per Comites, & Barones Regni concordes sententialiter fuerunt condemnati ad mortem: pœna tamen mortis commutata est eis ad pœnam carceris perpetui, in quo miserrimam vitam fatalem finierunt.

Hæc quidem, ut prædiximus in Apuliæ partibus gesta sunt; qualiter autem in Calabria & Sicilia res interim gerebantur, enarrandum est.

Eo sane tempore quo Papalis exercitus in Apuliam descendebat, ut supra est memoratum, Princeps Manfredus constituit Fredericum Lanceam avunculum suum Vicarium generalem in Calabria & Sicilia, misitque eum in Calabriam, quæ in fidelitate Principis erat, ut in statu pacifico gubernaret, & Siciliam, quæ adhuc in rebellione durabat, quocunque ingenio, ac virtute posset ad mandata ejus revocaret. Profectus itaque prædictus Vicarius in Calabriam a Calabrensibus devotissime receptus est, totamque terram invenit in pace, & in fide Principis manentem præter duo castra, videlicet Sanctam Christinam, & Bubalinum, quæ Fulco nepos Petri de Calabria tam situ loci, quam omnibus necessariis, & viris armatis munita tenebat: contra quæ castra prædictus Vicarius obsidionem constituit, machinas ordinavit, & ea viriliter oppugnare cœpit. Licet autem Vicarius in Calabria corporaliter per præsentiam maneret, tamen animus ejus in Sicilia versabatur, & ad obtinendam eam tota sua cordis virtute fervebat: ordinavit etenim dum in Calabria morabatur per nuntios frequenter, & caute in Siciliam missos quod magna pars Principis per diversa Siciliæ loca facta est: ita quod ex pluribus civitatibus Siciliæ nuntios ad Principem mitti procuravit, per quos hinc inde tractabatur qualiter Provincia illa revocaretur ad mandatum ejus. Erat autem in Sicilia quidam Apostolicæ Sedis Legatus nomine frater Rosinus de Ordine Minorum, qui nomine Ecclesiæ Romanæ Siciliæ præpositus erat, omnesque fere Siculi ei tanquam Domino nomine Romanæ Ecclesiæ obediebant præter quosdam paucos quorum aliqui aperte Principis partem tenebant. Sic enim prædictus Vicarius in Calabria manens procuravit studio suo quod Principis pars jam in manifesto in Sicilia erat, sicque factum est ipso Vicario procurante quod crescente parte Principis, & invalescente captus fuit in Panormo prædictus Legatus, & alii sequaces ejus, sicque civitas Panormitana capto Legato, & aliis rebellium fuga lapsis, aliis captis ad mandatum Principis conversa est, pluresque aliæ civitates, in quibus pars Principis usque tunc in occulto erat propter prædicti Legati captionem in aperto ad mandatum Principis redierunt. Factus est in Sicilia exercitus pro parte Principis hac illac discurrens, & cum timore exercitus multi coacte ad partem Principis reversi sunt, quidam etiam voluntarie venerunt.

Erat illis diebus in Sicilia Rogerius Fimetlus, qui a tempore Imperatoris Frederici a Regno exulaverat, & mortuo Rege Conrado in Siciliam studio Petri de Calabria reversus erat, qui Rogerius eo tempore Lentinum tenebat, & omnium rebellium Siciliæ Caput erat; hic congregata rebellium multitudine contra exercitum Principis in plano Fabariæ stare præsumpsit: & licet longe plures ex parte sua essent, quam ex parte exercitus Principalis, tamen facto utrinque congressu ab exercitu Principis expugnatis pluribus rebellibus de parte sua, aliis captis, aliis vero interfectis ipse se in castro Lentini receptavit. Exercitus autem Principis talis prosperatus de die in diem augebatur, ut nomen Principis in Sicilia nimis magnificari cœperit: ordinatoque prædicto Frederico Lancea Vicario generali, dum adhuc in Calabria moraretur exercitus Principis robaratus satis, & augumentatus direxit se contra Messanam, in qua erat Potestas quidam Romanus nomine ab ipsius Terræ communitate constitutus sub quo civitas more civitatum Lombardiæ & Thusciæ vivebat, sub cujus regimine communitas ipsius civitatis jam egressa bis fuerat exercitu congreato in offensionem illorum qui

Principis partem tenebant, pluresque civitates Principi obedientes ab ipsius obedientia coegerat declinare, & secum tenere in sua rebellione. Procuratum est itaque per prædictum Comitem, ut exercitus Principis Siciliæ, ut dictum est, satis roboratus, & augumentatus contra Messanam procederet: quo exercitu contra Messanenses directo, Messanenses de statu suo satis dubitare cœperunt, aliquibus eorum de resistendo consulentibus aliquibus vero saniori consilio suadentibus, ut se ad Principis mandatum converterent.

Civitate itaque sic inter se titubante, imminente sibi terrore Principalis exercitus, qui contra civitatem ipsam regebat videns meliores & majores civitates libenter velle ad Principis mandatum redire, videns etiam populum civitatis ipsius nimis timere de exercitu Principali, qui jam civitati appropinquabat, de civitate ipsa navigio recessit, cum jam qui partem Principis occulte in civitate ipsa tenuerant vexillum signo Principis insignitum aspexerunt, nuntios ad Comitem Fredericum in Calabria miserunt, ut Messanam transiret, & civitatem ad mandata Principis reciperet. Qui confestim - - - - transiens civitatem Messanam pro Principis parte recepit & inde revertens cum Messanensibus aliquibus ad obsidionem castri Sanctæ Christinæ, in quo prædictus Fulco nepos Petri de Calabria se tenebat, adeo castrum ipsum machinis oppugnavit, sicque introitum & exitum ejus circunquaque vallavit quod prædictus Fulco, qui magnam spem in Sicilia, & præsertim in Messanensibus habuerat, videns totam fere Siciliam, & civitatem Messanam ad Principis mandatum conversam, videns etiam se ita Comitis Frederici obsidione arctatum quod nullo modo amplius tenere se poterat, se & castra sanctæ Christinæ & Bubalini Comiti Frederico dedit & sic tota Calabria in pace & quiete remansit.

Cum hæc itaque in Sicilia & Calabria studio Comitis Frederici gererentur, in Apulia Princeps ut prædictum est, morabatur, qui certificatus per nuntios suos a Papali Curia redeuntes quod Papa compositionem inter eum & Legatum Apostolicæ Sedis in Fogia factam acceptare nollet, versus Terram Laboris sua vexilla direxit ad Terram ipsam in suum verum dominium revocandam, quam ex forma prædictæ compositionis Ecclesiæ Romanæ dimiserat, si Papa compositionem ipsam acceptare voluisset. Cum autem esset in via procedendi versus Terram Laboris, in via ipsa recepit nuntios solemnes a civitate Messana transmissos exponentes qualiter civitas Messana ad sua mandata redierat & quod omnibus ipsius Terræ civibus de omnibus offensis præteritis quas a rebellione commiserant misericordiam a Principe flagitantes, quos Princeps clementer admittens omnem eisdem civibus remisit offensam, & procedens ad fines Terræ Laboris cum fines intrasset, & esset in quadam villa, quæ dicitur Sanctus Petrus de Cancello, recepit ibi nuntios Neapolitanorum offerentes sibi civitatem pro parte concivium suorum, a quibus fuerant ad hoc specialiter destinati, sicque Princeps recta via processit Neapolim, & ingressus civitatem recepit in nuntios Capuanorum similiter offerentes sibi civitatem Capuæ pro parte suorum concivium, tanta ibi erat multitudo armatorum & peditum qui Principis vexilla sequebantur quod non videbatur aliquibus tutum expectari ipsos ad bellum, & ideo prædictæ duæ civitates Neapolis & Capua sponte sua se ad mandatum Principis converterunt. Similiter autem fecissent Aversani, sed erant in civitate Aversæ multi milites & armati, alii ad stipendia Ecclesiæ constituti qui civitatem ipsam ne rediret ad mandatum Principis cohibebant.

Procedit itaque princeps in obsidionem civitatis Aversæ, datoque insultu nihil a principio fieri potuit propter magnam resistentiam stipendiariorum Ecclesiæ qui erant in civitate. Principe igitur ab insultu dato retrocedente ad castrum, subito magnus in civitate clamor factus est, partes enim illæ, videlicet qui partem Principis tenebant, atque illi qui pro Ecclesia ibi erant cœperunt inter se confligere, in quo conflictu pluribus stipendiariorum Ecclesiæ interfectis pars Principis quæ intus erat favore Principalis exercitus, qui etiam obsidonem foris instabat contra partem Ecclesiæ pervaluit, & sic est habitata civitas ad mandatum Principis, præter castrum quod tenebat Riczardus de Avella vir quidem strenuus, & potens, qui usque ad dies illos in tota fere Terra Laboris pro sua potentiæ & virtute dominari videbatur, nullusque quantumcunque potens in Terra Laboris ei resistere poterat, vel obesse, qui postquam Principis adventum Terra Laboris novit se in civitate Aversa ad resistendum ibi eidem Principi receptavit. Et licet civitas ad mandatum Principis conversa esset, ipse tamen castrum tenebat, donec se videns ultra non tenere posse castrum, ipso clanculum exire disposuit, sed dum exiret, & dum fugeret in ipso egressu castri cognitus est, & percussus interiit, habitaque sic civitate Aversæ, Princeps se Capuam contulit, processurus inde ad alia partes Terræ laboris, sed cum adhuc ibi moraretur audita potentia ejus non expectaverunt aliæ civitates, ut ad eas Princeps personaliter conquirendas accederet, sed singulæ civitates, & castra, quæ sunt ibi ultra Vulturnum nuntios ad Principem Capuæ commorantem miserunt offerentes se sponte ad mandatum & beneplacitum ejus, & sic tota terra Laboris ad ipsius dominium versa est præter castrum Soræ, & Rocca de Arcis in quibus erant Castellani quidam Theutonici statuti, per prænominatum Bertholdum Marchionem de Honeburch. Statuto autem in partibus ipsis Comite Henrico de Spernaria per Principem Capitanea castra ipsa ad mandata Principis habita sunt.

Pridem autem antequam hæc omnia sic essent, erat villa quædam circa partes Sancti Germani, quæ vocatur Sancti Petri, cujus municipes

pes miserant ad Comitem Bonifacium de Anglono, qui erat Capitaneus in Comitatu Molisii, ut de gente sua mitteret ad Villam illam recipiendam, qui quidem missam ipsius Capitanei gentem in Villa ipsa receperunt, sed postea expulerunt, & ex eis aliquos occiderunt. Capitaneus vero assumpto exfortio villam ipsam aggrediens violenter cepit, & in pœnam commissi facinoris, & proditionis ipsam cremari fecit.

Habita autem sic tota Terra Laboris Princeps in Capitanatam rediit, & tamen in Siciliam se conferre disponens voluit divertere per civitatem Brundusii, quæ adhuc in rebellione durabat, cum quibusdam aliis civitatibus Terræ Ydrunti, cumque fuisset ante civitatem illam, voluit ibi moram trahere, sed statuta obsidione, terra marique processit Tarentum, & ab inde in Siciliam profecturus. Cum autem adhuc esset Tarenti intellexit ibi quod Brundusini volebant se dare eidem Principi: nam quidam de ipsa terra civis nomine Aytoldus de Ripa Alta attendens Principis potentiam esse in continuo incremento, stultum reputans illi resistere quem Dominus exaltabat, volens & Principi complacere, & se & civitatem ab errore suæ rebellionis revocare tractavit, & ita in civitate Thomas de Oria qui caput erat rebellionis, & ipsi civitati dominabatur cum suis Comitibus captus est, quibus captis civitate Brundusina ad mandatum Principis redeunte habita est Oria & Ydruntum, quæ cum prædicta civitate se tenuerant, & sicut ipsam in rebellione sequebantur, sic & in conversione sequutæ sunt.

Vsque ad illos autem dies civitas Ariani, tam situ loci, quam populo invictissimo satis animose contra Principem se tenuerat, quia cum in excelso monte posita esset, & difficilis nimis, & angustos haberet ascensus, non poterat aliquo modo vel obsidione claudi, vel viribus invadi, sed quantum difficile erat exterioribus ad ipsam accedere, tantum facile erat interioribus omnes, quantumcunque illuc accedere volentes ab ipsius ingressu propulsare. Cum ergo vires contra ipsam civitatem nullo modo valerent, Fredericus Maletta Principis avunculus qui tunc temporis in Capitanata & Luceria Capitaneus erat, ad prædictam civitatem evincendam totas animi sui cogitationes ingeniumque convertere cœpit, arbitrans non esse inconveniens militari disciplinæ contra suum hostem sive dolo, sive viribus pugnare. Tractavit itaque dictus Capitaneus quod sub specie cujusdam confœderationis initæ inter homines Ariani, & quosdam de Luceria qui contra Principem se occulte esse finxerunt, illi de Luceria quasi de terra fugientes, & se in Arianum auxilium Arianensium receptare volentes, civitatem Ariani noctu ingressi sunt, qui postquam in civitate fuerunt infidam fidem fregerunt, & fidelem perfidiam direxerunt: nam statim occurrentes sibi quadam securitate Ariani cives trucidare cœperunt, & nocturno tempore nullum inter hostes & cives fieri patiente discrimen, facta est magna inter se civium cædes, sicque civitas capta est atque districta, multis eorundem civium in illa nocte cæsis, multis fuga captis, & aliis majoribus civitatis qui caput rebellionis fuerant captibus, & sententialiter damnatis ad mortem, aliis mediocribus & vilioribus qui cædem nocturnam causaliter causerunt, & qui a condemnatione mortis pro eorum numerositate, & vilitate exempti sunt, de loco illo ejectis, & per alia loca Regni ad habitandum transmissis.

Vsque ad idem quoque tempus civitas Aquilæ, quæ a quondam Rege Conrado in confinibus Regni condita fuerat magna populi numerositate plena etiam in rebellione duraverat, ad quam terram evincendam multum laboris hactenus fuerat exactum, nec ullo modo poterat expugnari. Statutæ autem erant circa territorium civitatis ipsius multæ familiæ militum, & aliorum armatorum, quibus civitas ipsa aliquantulum arctabatur, non tamen adeo, quod non posset cives quocunque vellent ad suas necessitates exire. Audientes autem ipsius civitatis incolæ victoriam Principis, & præsertim qualiter Terram Laboris de facili recuperavit, qualiter etiam tota Sicilia ad suum mandatum redierat, nec inconsulte residerantes, quod difficile erat eis ultra resistere Principi, cui tota Sicilia & Terra Laboris resistere non potuit, miserunt nuntios ad Principem per quos se & civitatem ipsam ad mandatum Principis humiliter obtulerunt.

Infra id quoque temporis quædam civitates Siciliæ, videlicet Placia Aydona & Castrum Joannis in rebellione duraverant, & licet tota Sicilia ad mandatum Principis rediisset, & prædicto Comiti Frederico Lanceæ Vicario Principis Generali obediens esset, illæ tamen tres civitates in naturali locorum munitione confidentes prædicto Vicario obedire nolebant, qua de re Vicarius exercitu fidelium congregato contra civitates ipsas armata manu procedens Placiam ipse obsidere decrevit, cumque civitatem ipsam ingenti obsidione circumdedisset incolæ civitatis nimis animose resistere cœperunt, adeo quod penitus difficile, & quasi impossibile videbatur civitatem ipsam violenter haberi: tanta in ipsa civitate multitudo populi erat contra exercitum, qui ipsam obsederat, præparata. At vero Comes magnanimus moræ longioris impatiens, indignum existimans obsidionis cœpisse negotium & vires suas non ostendere per effectum, animato, prout decebat, exercitu, & aciebus decenter instructis civitati appropinquavit, nec mora facta dato instanti insultu, nulla resistentia, licet magna, & violenta fuerit civibus posuit, quin civitatem exercitus violenter intraret, multis ex parte civium, multis vero ex parte exercitus cæsis: sicque civitas ipsa per vires evicta est, punitis paucis qui caput rebellionis extiterant: omnibus aliis quos ad sequendum majores minoritas traxerat, eximia sibi benignitate Comes clementer indulsit, eosque in civitate sub pace Principis habitare permisit. Civitate autem ipsa sic violenter capta cives Aydonæ,

quæ ab inde ad quatuor milliaria distat, in clementia vero Comitis quam erga Placienses cives audiverant valde confisi, nuntios ex parte Universitatis suæ miserunt statim ad Comitem, qui corrigiis ligatis ad collum venientes ad Comitem, Placiæ morantem veniam pro omnium civium suorum parte petierunt, & se, & civitatem ad mandatum Principis humiliter offerentes, quibus nuntiis clementer Comes receptis, processit Aydonam, eamque in mandatum Principis recipiens pœnam eis ex rebellionis præteritæ culpa debitam ex devotionis eorum humili oblatione remisit quod sanctum & reliquos rebelles excrevit, & fideles alios in devotione, & fide Principis solidavit. Licet autem prædictæ duæ civitates ad mandatum Principis sic habitæ essent, tamen civitas Castri-Joannis, quæ ab eis viginti millibus distat, in sua rebellione manebat: hæc enim civitas in excelso monte posita lapideis rupibus, circumquaque vallata populi multitudine plena aquis in ipso monte currentibus abundans, de nulla sui parte aggressionem timebat, & ideo sub quadam securitate a dicti Comitis obsidione sibi ponenda manebat. Fuerat autem in ipsa civitate castrum a tempore Imperatoris Frederici constructum, quod eo tempore quo Sicilia sub Legato Apostolicæ Sedis manebat, Castellano ipsius sub promissa fidei securitate egresso, & primo clam crudeliter interfecto, a civibus ipsius terræ dirutum funditus est, ex quo tempore civitas ipsa quasi ab ipsius castri freno liberata cœpit libere agere quod volebat, & tam loci situ, quam multitudine monita omnibus aliis civitatibus, & castris ad Principem reversis ipsa solum in rebellione durabat. At Comes magnanimus cum exercitu suo versus ipsam procedens obsidionem circa eam constituit, adeoque ipsam arctavit, depopulationem circumcirca faciens vinearum & arborum, & nullum de ipsa civitate exire permittens, quod cives ipsi tædio obsidionis affecti antequam damna majora paterentur nuntios ad Comitem pro pace miserunt, & fidelitatem Principi juraverunt, sicque tota Sicilia in pace posita est. Nec minus omnes aliæ partes tam in Apulia quam in Principatu & Terra Laboris a tumultibus quieverunt.

Toto itaque Regno sic in pace stabilito Princeps Manfredus in Siciliam ire decrevit, ingressusque Siciliam paucis diebus Messanæ moratus ad civitatem Panormitanam proficiscitur, viam faciens per civitatem castri Joannis, in qua civitate cum esset, vidit ruinas Castri, quod a civibus ipsius Terræ destructum fuerat usque ad solum: attendens autem quod civitas ipsa nullo modo bene regi poterat sine Castro, ipsum statim castrum reædificari præcepit; & quia magnum opus erat, nec poterat sic cito ut expediebat per homines ipsius loci tantum reædificari; omnibus simul civitatibus Siciliæ onus reparationis ipsius castri distribuit, ut onus ipsum per omnes divisum levius a singulis portaretur.

Interim autem dum in Siciliam Princeps iret, venit rumor in Regnum quod nepos ejus Rex Conradus filius quondam Regis Conradi Primi in Alamania obiisset: quo rumore audito Comites, & alii Magnates Regni, Prælati etiam Ecclesiarum in Sicilia ad Principem profecti sunt: singularum quoque magnarum civitatum nuntii ex parte civitatum suarum ad eundem Principem perrexerunt, unanimiter omnes petentes ab eo ut ipse Princeps, qui usque tunc pro parte prædicti Regis Conradi, & sua Regnum rexerat, & in tanta pace constituerat ipsius Regni gubernaculum, & coronam tanquam Rex, & ipsius Regni verus hæres acciperet, qua petitione unanimiter sibi facta ab omnibus idem Princeps per concordem omnium Comitum, & Magnatum, ac etiam prælatorum Regni electionem in Regem electus coronam Regni Siciliæ in majori Ecclesia Panormitana juxta consvetudinem, & ritum prædecessorum suorum Regni Siciliæ solenniter accepit an. Dominicæ Incarnationis 1258. die 11. mensis Augusti 1. Ind.

Dignitatis autem Regiæ celeriter honore suscepto novus Rex partes Apuliæ feliciter repetit, sed cum ubique per Regnum bellorum seditio tumultuosa quiesceret, & spes jam probabilis quietis gratæ delicias propinaret, generale colloquium apud Barolum celebravit, multis ibi per eum decoratis honore militiæ, & nonnullis per investituram vexilli ad Comitatus excellentiam sublevatis. Post hæc solemnem Curiam apud Fogiam universis citra portam Roseti nobilibus, & Baronibus convocatis induxit altitudines, ubi ad honorem Regis clarificanda fastigia, tam de conservatione justitiæ, quam de aliis publica bona compendiis statutis utilibus publicata de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium choros, & agmina distinctio purpurata lætificat, quam plures ibi regnant honores cingulis militiæ nonnulli magnificantur excellentium fascibus dignitatum dies totus solemniter agitur, & post diei cursum flammificis facibus hinc inde lucentibus ponderosa ceræ coacervata compagine in agone, vigore ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis & pacis longis laboribus quæsita utilia compendia occasio temeritatis exterminans infringeret, Rex curas exercituales aggrediens cum magnifico & potenti exercitu versus Regni confinia consilio delibrato procedit.

Erat enim in extremis Regni partibus olim Rege Conrado favente civitas Aquilæ in odium Baronum illius contratæ per eorum villanos de novo constructa, ab inde videlicet anno Domini 1252 in qua de diversis circum adiacentibus incolis non absque complurium comprovincialium jactura nobilium coadunata congeries in tantam jam multitudinem populosam concreverat, quod de suarum virium temeritate superbiens se vicinis exhibebat horribilem & Domino Regi suis operibus indevotam. Quin potius velut pars universo non congruens generalibus Regni statutis repugnabat, contemnens colla submittere, & singulares sibi vivendi formas conficere præsumebat. Sperabat enim assumpto libertatis statu contra nobiles de contrada Ecclesiæ auxilio, consoveri, & ideo contra

contra Manfredum etiam post tempora coronationis suæ pertinaciter rebellione durescens, sub velamine devotionis Ecclesiæ Regi parere contumaciter contemnebat. Ad hujus utique domandam proterviam per hæc restituenda læsis jura sua Rex victoriosus accingitur: sed antequam civitatis mœnibus ejus se vicinaret exercitus, tanquam parvulorum difformibus erecta periculis materia ruinosa dispergitur. Dum volare supra se nititur Aquila plumis nudata solo deprimitur. Universis habitantibus, quibus in personis & rebus tutelæ veniam clementia Regalis indulsit subito vacuata deseritur, & quæ dudum plena populo stare nescierat, in combustionem, & cibum ignis illico tradita sola sedet, & sic itaque redacta ad nihilum Rex in Apuliam exercitu dissoluto revertitur, ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratæ dulcedine, solatiisque placidis restauraret. Acta sunt hæc anno Domini 1258.

Inter ea Regem omnium Imperialium sanguinis fastigiis comitatum, & a primis naturæ vestibulis assuefactum desideriis magnis de remotis partibus honoris & gloriæ cupido sollicitat, & dum posset ejus affectibus tam nobilis Regni possessio blandiri, & copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiæ ubi dignitatis paternæ præfulsit auctoritas mentis suæ dirigit intellectum extendit enim potentiæ suæ robur ad Ligures, dilatat ad Tuscos & vicinitate suarum virium concutit Marchianos. Per diversas namque provincias de antiqua extranea consvetudine cœtus hominum divisi in partes remanserant. In Liguria Ubertus Marchio Pallavicinus utique prudens & nobilis qui propter fidem & servitia sua de Imperiali munificentia beneficia multa receperat, & Cæsaris quoad vixit, ac posterorum suorum honorem præterea cordis affectione zelabat, remanserat. In Tuscia pars Gibellinorum, & civitas Senarum præcipue, quæ Gibellinitatis senescens in fide tunc temporis semper erga Imperatorem, & hæredes suos in servitiis juvenis & devota manebat.

Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quæ dum hæc unum, illa vero aliud appetunt, inter se rediviva semper altercatione concertant. Ab istarum itaque regionum partibus cum ob fidem quam erga Imperatorem habuisse prætendunt, tum ad ultionem injuriarum, quam de hostium depressione concipiunt Rex Manfredus instanter requiritur, oblatis sibi præ nuntiis eorum antiqua devotio vires auxiliares ipsius Regis ad Regionis eorum postulat favorem; his autem diversa consilia, Regis affectus, & successorem se paternæ dilectionis exhibebant, & ne oblatæ sibi victoriæ gloriæ negligenter annuere videretur, ad Provincias ipsas vires suas porrexit in subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii Marchionem Pallavicinum in Lombardia Capitaneum statuit. Jordanum de Anglono Comitem Sancti Severini consanguineum suum in Tusciam, Percivallum de Oria affinem, & familiarem suum in Marchiam generales loco sui vicarios destinavit. Deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica quibus stipendia menstrua providit assidue de ærarii sumptibus eroganda. Sub horum itaque Vicariorum manibus, & arduis præfecturis cœpit continuo Regis honor augeri, pavorque concrescere, ut rumores prosperi successive de singulis cor ejus exhilararent, & potentiæ suæ vires illustrarent. In Lombardia namque sub Marchione prædicto magnificentiæ Regiæ viribus ampliatis sic ejus arrisit prospera fortuna successibus, quod in eodem quoque loco ubi olim Parmensium audacia Imperialia castra combusserat, ignominiosæ cladis excidia amissionem carrocii & expugnationis valide pertulit detrimenta, sicque interdicta viriliter injuria patris a filio locus ille qui nominatus nuncupatione victoriæ visus Imperatori fuerat illusisse, grandem Regi prædicto ex hostibus victoriæ gloriam reservavit. Civitates enim Cremonæ, Papiæ, Placentiæ, Brixiæ, & plures aliæ ei reverenter obediunt, & nomen ejus ultra quam credi posset triumphaliter exaltatur, sub ejus quoque felicitate cecidit pestifer ille Tyrannus Ezelinus de Romania, cujus impietatis rigidæ, severitatis horridæ interdictæ & execrabilis acta describere longum per se tempus exigeret. Sed prius necessarium videtur armatæ successum prosequi, quam rebus atque personis, tam nefandis, tamque tristibus apponere calamum vel auditorum animos appellare. Hic siquidem ab Imperatore Frederico ditatus, & promotus in altum, ejus nutibus tota fere Trivisina Marchia serviebat. Post infinita & inusitata pœnarum genera, quorum narrari potest a posteris nefandæ crudelitatis exemplum jam Regi Manfredo devotionis solitæ signa non exhibens, dum collectis undique viribus contra Mediolanenses infestis angustiis processisset prope castrum Cassiani in manibus Cremonensium, qui sub præsidiatu Marchionis prædicti in auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope flumen adeo miserabiliter cecidit, ubi lethaliter vulneratus ductusque Succinum morti succubuit, qui raptor fuerat vitæ multorum.

Eodem quoque tempore civitas Florentina, cum parte Guelforum non minus vitiis quam divitiis affluens sic superstitiosa jam cœperat tam multitudine populi, quam superbiæ vento plena consurgere quod de suorum civium temeritate lasciviens, & de elati spiritus superfluitate confidens dedignabatur pacificare se aliis, sed suppeditare sibi vicinos multipliciter satagebat. Hujus itaque temeritas actibus fastuosis incumbens, nec futuros eventus debita circumspectione præmeditans, suis omnibus, & fautorum viribus suorum congregatis ad obsidionem civitatis Senensis commorante ibi memorato Jordano Comite cum stipendiariis Regiis viriliter præsumpsit accedere, factaque ibi mora quam voluit, & usque ad civitatem eandem ingenti depopulatione peracta exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat ad invadendum via Mortis-Alcini, quem victualibus, & aliis opportunis munitum Florentini prædi-

prædicti tunc in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum prope civitatem eandem ad duo fere milliaria superbe processerunt, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuissent: Contigit quod dictus Jordanus Comes cum Teutonicis secum morantibus in Senensi populo cum parte Gibellinorum Regis auspiciis in Florentinos eosdem, & fautores eorum viriliter irruentes ipsos commissis hinc inde conflictibus expugnaverunt. In cujus expugnationis eventu sic potentia Florentina deflorata commarcuit, & defecit, quod ex eis, eorumque complicibus præter occisos gladio, quorum non fuit numerus præscriptus, captivorum solummodo quos regius carcer astrinxit quindecim millia, & ultra numero computantur. Versi sunt itaque subito dies solemnitatis ejus in luctum, sublatis in opprobrium honoris insignibus: itaque eorum superstitione deposita, qui dum in honore essent non intellexerunt, jam sumentes annexationis vincula, intellecta Regis ejusdem mandata devote suscipiunt, & reverenter ejusdem placitis colla submittunt.

Medio autem tempore Papali Curia morante Viterbii, ibique Alexandro IV. Summo Pontifice viam universæ carnis ingresso dum Collegium Cardinalium, in quibus velut in Montibus Sanctis Ecclesiæ fundamenta sunt posita habere incœperant, substitutione tractatum, & cum inter eos vertiginis spiritu & invidiæ livore suffuso non possent in aliquo de gremio convenire contigit quod Hierosolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad Curiam ipsam pro Ecclesiæ suæ promovendis negotiis accesserat concorditer ad Apicem Apostolicæ dignitatis assumptus sit. Itaque factus de petitore concessor de subdito Dominus, de filio pater, Papa Urbanus IV. meruit nominari anno Domini 1160. Cumque post hæc viderentur jam omnia Regni negotia sic firmiter tuteque deposita, ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex deliberato consilio Festum Malettam, Rescani Comitem consanguineum suum, cum quadam quantitate Teutonicorum ad gubernandam Siciliam in Capitaneum destinavit, qui dum in partibus illis contingentia quælibet prudenter, & caute disponeret, dum se versus Montem-Trapani de cujus habitatoribus aliquid forte contrarium fama referente præsenserat, se cum sua familia vicinaret, & moraretur in campis accidit quod descendentibus ad eundem Comitem decem viris ex incolis dictæ Terræ qui pro parte Terræ, totius universitatis verba devotionis offerrent, cum ex longa, sed vitiosa potius consvetudine nullum officialem libenter ad montem incolæ paterentur accedere, dum Comes ipse famuli ejus intimi (quia nulla pestis occurrit proclivior ad nocendum) præcavere non posset insidias, quidam insolens juvenis nomine Gelbus natione Teutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris, & intimus fuerat, quem etiam dictus Comes Comestabulum Teutonicorum ex confidentia præfecerat, & ad familiarium negotiorum consortium admiserat, capta tunc forsitan occasione qua posset per contemptum malitiæ suæ motum jam in acta producere, proditoria temeritate tentatus cum quibusdam sequacibus suis in eundem Comitem sub tentorii velo jacentem inopinanter insilivit, ipsumque temerarie interemit, de cujus obitu cum rumor veniret in publicum, homicida prædictus, & complices ejus ad montis ejusdem excelsa una cum prædictis nuntiis confugerunt, frustra credentes inter eos commissi facinoris invenisse tutelam: sicque montis ejusdem habitantibus, seu rebellionis malignitate detentis, ne scelus hujusmodi remaneret inultum, & Montis perversitas in sua obstinatione persisteret Fredericus Lancea Comes Squillacii qui insolentias regionis ejusdem ab experto calcare prævenerat de beneplaciti Regis Capitaneus in Sicilia subrogatur, qui sub fortuna Regia viribus instauratis perurgens obsidionis instantiam superbiam montis ejusdem per extremæ desolationis & exhabitationis excidium potenter edomuit, & ejusdem facinoris patratores convenientis supplicii pœna quam juste meruerant cæde confecit: de cujus montis incolis jussit Rex Constantiam civitatem novam, quæ vocatur Regalis, prope Scupellum ædificari in loco, ubi antiquitus civitatis Apollinis vestigia subsistebant.

Jam in tota Sicilia pacis reformatione disposita, & Frederico prædicto domesticis restituto solatiis Riczardus Filangerius Comes Marsici ad ejusdem regionis regimen deliberatione provida destinatur. Dum autem Riczardus officii sui partes impleret, & Rex in Apulia feliciter ageret, credens sic omnia in Regno disposita, ut ex nulla timeri posset parte, novus & inopinatus in Siciliæ partibus ignaviæ morbus invaluit, & mirabilis stupor irrepsit. Dum enim quidam pauper Joannes de Calcaria nomine, infamia conditionis, & abjectæ fortunæ mole depressus, ac inopiæ squallore discurreret ex concordibus forsitan vultus, ac ætatis indiciis per quæ fallax opinio in uno eodemque subjecto diversas plurimasque formas similitudine uniformitatem mentitur, audivit pauper ab aliquibus qui eleemosynarum sibi suffragia porrigebant Imperatori se mortuo fore consimilem, cumque videret inopinato ore verba crebrescere, mutavit repente mendicus animum & quæsitus hactenus super his responsa negantia dissimulat quatenus verisimilia faciat, quæ dicuntur. Oritur ex ipsius negatione suspicio, & cum nutriatur hominis appetitus, inventis eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas quo major inficiatio tradebatur. Jam rumor de verbo in verbum in fabulationem dispergitur, discedit pauper a frequentia populi, barbam nutrit, ut inventa liberius valeat fabricare mendacia, loca petit vicina silvestria, firmat in Monte Gebello latibulum, Imperiales sibi mores, & verba quæ veritas, & natura non dabant ad ultra fictionem componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit: visitatur pauper, in tenebris honoratur plus solito, & rerum victualium quarum ipsi prius inopia fuerat, copiosa per aliquos opportuni-

tunitate fulcitur. Ad hoc plures exules quos perfidiæ macula de naturabilibus terris vicinis abjecerat, & in nemoribus latitabant ad simulatum ipsum audito rumore corrunt, falsitates tantas explorant, quæsitas inveniunt, & velut qui fluminis impetu prolabentis apprehensa jam stipula credunt undas evadere, adhæserunt exules magistro mendacii, & quas solus forte formare non poterat, jam plures sibi addunt semitas, falsas roborant fictiones. Ecce jam plenum falsitatis Imperatorem titulant, colunt ut præsidem, venerantur ut dominum, & in securitatem Principis excelsum Montem-Centurbii, quem olim exhabitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt, per quos Imperiali sigillo vitiose constato sub consueto titulo Cæsaris literas per diversas partes Imperator phantasticus subdola firmatione conscribit, & ut facilius audientium animos novæ fraudis adinventione corrumperet, indicat se olim obitu simulato divinæ permissionis oraculo ad expianda delicta nonum annum peregrinationis exercitio peregisse, sollicitat, & sub isto colore requirere non formidat.

Hæc quippe fraudis & erroris intemperies multa confinia & loca Siciliæ callida machinatione corrupta, remota etiam, nisi necem prævenisset antidotus, morbus assiduus infecisset, cum essent quamplures quos ad credendum simplicitas tanta conduceret, & nonnulli quos etsi super hoc scientia certe non falleret, simulantes se tamen nescire quod noverant ad aliquorum sequelam violatæ jam mentis præsidia cogebantur. Cumque super hoc Regis amicos relatio inopinata perstreperet, & ad longinquas ferme provincias figmenti hujusmodi novitas pervenisset, ad evertendum idolum & cultores ejus dictus Riczardus Præses Provinciæ instanter accingitur, & cum ad summitatem montis ipsius in quo jam perversorum quantitas magna convenerat, tum ex prædictæ saxosæ rupis objectibus, tum ex viarum arctissimis intervallis, sibi & suis impugnare volentibus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis ingentem exercitu congregato firmavit, inclusisque coercuit ut nulla victualium quantitas, quibus interim regi possent, media ad eos more solito portaretur. Cum autem nimis esset inelegans nec Regia etiam fortuna permitteret, ut ejusdem perniciosa temeritas quæ turpe nimis habuerat in sui fictione principium non absque multorum jactura concresceret, & hujusmodi figmenti convicium ulterius transiret, ac multorum comitiva sequacium per devia montium procederet, & honorifice fuisset ibidem a civibus in illa una pompositate receptus, dum frustra crederet tempus in antea servire versutiis, dictus Riczardus Comes illuc cum suorum equitum comitiva procedens conflictu cum hostibus violenter præhabito præfatos senem & complices ejus ibidem prudenter, & strenue capere procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licet in spectaculum servari eos, & opprobrii causa petierat, quia tamen digna non erat, reus qui tam sibi quam pluribus aliis fuerat causa mortis, pœnas digne sortitus quas juste meruerat, furcarum patibulo suspensus, quos intimos sequaces sui figmenti participes, & collegas habuerat ejusdem supplicii non dimisit expertes.

Ad hæc Rex præfatus post prædictorum judicia firmato consilio partes Siciliæ personaliter repetit, ut Provinciam ipsam ab omni contagio perversitatis expurget, & in statu pacifico suæ præsentiæ visitatione confoveat, pergensque Panormum multis fuit & fariis denariis præsentatus.

Sic igitur regione ipsa disposita Rex ad consueta solatia lacus Pensilis, quæ copiosa venationis habilitas, originalium fontium amœna frigiditas & placidi situs nemorosa temperies grata reddunt, æstate succedente revertitur. Dumque toto jam Regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis, & exteris ad quæ jam suarum virium habenas extenderat stadium debitæ curiositatis attingit, parentelam cum Rege Aragonum tractatam hinc inde per nuntios præmisso primordio contrahit, & filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice filia quondam A. Sabaudiæ Comitis Imperatore vivente susceperat, Don Petro primogénito dicti Regis Aragonum matrimonio copulavit.

Post hæc ipse Rex Manfredus quem Papalis Curia, ut sic exaltari non valeat, diffamare contendit, qualitas temporis, & rerum eventus invidiæ zelo quotidie crescente felicitatem concumulant, citatur ad præsentiam Summi Pontificis, citatione videlicet pulica in colloquio tantum Papalis prædicationis expressa, & inscripta cedulis affixis præ foribus Ecclesiarum Urbis-Veteris, ubi tunc Sedes Apostolica morabatur, quæ ad eumdem Regem, nec literarum, nec nuntii visione pervenit: cumque nollet super hoc Rex ipse de arrogantiæ suæ contumaciæ culpa videri nobilis, quem Papalis Curia satagit in quantum potest infamiæ nota lacessere, nuntios suos ad Sedem ipsam consulta deliberatione præmisit humiliter, supplicari ut ex quo ipsum illuc personaliter juberet accedere de securo, & habili loco, cum familia decente sua posset commode, juxta suæ dignitatis exigentiam inhospitari sibi Pater Apostolicus provideret, tamen Rex ipse magnifice usque ad Regni confinia cum magna, qua decuit equitum comitiva processit, ut ex vicinitate locorum posset habilius super his nuntiorum expectare responsa, & de ulteriori processu, vel mora, sicut sibi melius expediret, consulta deliberatione pensare. Excusatorum itaque prædictorum allegationibus non discussis ipse Summus Pontifex eum vinculo excommunicationis astrinxit, cumque super hoc nihil sibi devotio demonstrata profuerit, quem conabatur Ecclesiastico jure omni qua posset occasione concutere, repetit Rex partes Apuliæ, ut cira alia negotiorum studia curas debitas & visitationes impendat.

Interea Conradus de Antiochia Comes Albæ, Regis ejusdem nepos, qui pro Capitaneo

fuerat destinatus in Marchiam, dum ad castrum Monticuli habitatorum copia & montuosi situs eminentia munitum sub confidentia solita, & spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita, & inopinata proditione detentus, in cujus subsidium ad mandatum Regis, magno & præpotenti exercitu congregato Gualuanus Lancea Comes Principatus, & Fundorum Marescallus Regni, socer ejusdem Conradi, cujus cordis intrinseca generi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus, aliisque Regni nobilibus sociatus accessit sicque per eum circa castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, & ingenti depopulatione peracta, ibique protracta mora usque ad vigesimum hyemis instantis tempestatis, dimissa quoque in Macerata magna equitum comitiva ad expugnationem Monticuli processit, & captis quampluribus regionis nobilibus qui factionis ejusdem capita dicebantur dictus Gualuanus, & alii de comitiva sua soluto exercitu cum castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulterius necessaria inde discessit. Contigit autem quod idem Conradus quem proditores ipsi ante depopulationis illata stipendia liberare noluerant, procurante solertia quorundam devotorum suorum, qui circa custodiam assistebant, intempestivæ noctis silentio de carceris compedibus evasit, & restitutus beneficio libertatis.

Cum autem Regi undique ad votum universa succederent, Romani cives de more mobiles quos ex hoc in illud exilis de facili versat occasio, illius modicæ libertatis reliquias quas ipsis præscripta veterum transfundit auctoritas, temere distrahentes, exclusis, pro magna parte nobilibus Karolum Provinciæ Comitem elegerunt in Dominum, & Senatorem Urbis perpetuum, & evocaverunt. Hunc etiam Summus Pontifex, ut habeat operarium per quem temporalem gladium seculariter exerat, non absque jactura multorum Regi Manfredo procuravit opponere dum Regni Siciliæ, cujus Rex ipse possessione pacifica fruebatur verbosas & scriptas dirigit responsiones.

Interea Dominus Karolus ad requisitionem, & instantiam Romanorum Vicarium suum misit in Urbem, ut civitatem ipsam in ejus absentia regat, & dirigat loco sui. Cum autem Vicarius ipse rector in urbe præesset, & nobilibus quos abjectos invenerat civitatis introitum denegaret, nobilis quidam Urbis Proconsul nomine Petrus de Vico qui in maritimæ partibus urbi vicinis plura castra tenebat & qui Regi Manfredo jamdudum ex zelo multæ devotionis inhæserat, guerram cum quibusdam adversariis suis, & specialiter cum Pandulpho Comite Anguillariæ quotidianis conflictibus agitabat. Hujus autem Comitis pater multum fuerat Imperatori Frederico devotus: sed hic a paterna devotione degenerans Regi Manfredo, per quem forte multa vitasset dispendia, signa reverentiæ non ostendit.

Illis quoque diebus JORDANO Comite Sancti Severini exercente officium Vicariæ dum in obsidione Monticuli potenter existebat. Hic deficit.

Post paucos autem dies ad petitionem & instantiam dicti Petri liberalitas Regia quæ devotis proximis & remotis opportune porrigit de more suffragia, quandam quantitatem Teutonicorum sub præsidiatu ejusdam familiaris sui nomine Francisci Trevisii in ejusdem Petri subsidium destinavit. Cum autem dictus Petrus tam gentis ejusdem auxilio, quam partis suæ favore confisus contra hostes suos animum roborasset, & civitatem Sutrinam, cujus idem majorem partem habere videbatur violenter intravit, eamque Regio dominio subdidit, ac fidelitatis fecit Sacramenta præstare.

Medio autem tempore Rex intermissis solatiis suis profectus est in Terram Laboris ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum Regni tam de resistendo viriliter Comiti Provinciæ, si veniendi per eam sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quam de obstando quibuslibet aliis qui Regni vellent turbare quietem deliberationis debitæ consilio provideret. Generali propterea apud Neapolim celebrato colloquio Comitum & Baronum, aliorumque Regni nobilium animos, & vires examinat, & servitium quod eorum quilibet deberet, & posset singulari discussione requirit. Jam vocatis singulorum servitiis & feudatariis omnibus apertis, provida deliberatione statuit, ut Percivallus de Oria familiaris, & affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militia, & Saracenorum quantitate procedat.

Interea Vicarius Urbis, populusque Romanus pro recuperanda civitate Sutrina communiter exeunt, & cum civitatis mœnibus appropinquassent priusquam ad impugnationis conflictus signa perveniant, civitatem ipsam propter subitam & mobilem revolutionem civium ad manus suas, & dominium revocarunt: discedentibus inde cum fuga supradicto Petro de Vico, & aliis de comitiva sua, qui non potuerunt sic omnes illæsi discedere quin plures Teutonici de stipendiariis Regiis cum eodem Petro morantes, equis & omnibus armis amissis evaserint, & quin nonnullis etiam ex eis in Romanorum manibus in carcere remanserint, ac in castro Vici in quo se receptaverunt dicti Petrus, & sui Romanorum ipsorum obsidione circumdantur, & machinis, caveis, & multis impugnandi generibus instanter urgentur.

Cumque rege morante Capuæ hæc omnia ad ejus notitiam pervenissent in melius mutato consilio, in continenti Percivallum de Oria, qui versus Ducatum gressus direxerat cum exercitu suo versus partes Urbis in ejusdem Petri subsidium propere mandavit accedere. Alium quoque exercitum in Regni confinibus, sub Magistratu Riczardi Filangerii Comitis Marsici jussit illico congregari, ut Romanis eisdem nisi a prædicti castri obsidione discederent omni quo possent hinc inde conamine detrimenta continuæ offensionis inferrent. Romani vero saniori usi consilio audito quod exercitus ibat contra eos, Rex etiam dicebatur iturus,

rus, & tempus recolligendarum frugum instaret, procedentes ab ejusdem castri obsidione discedunt, & in Urbem propere revertuntur. Vel forsitan Romanorum innata dissentio, & natura semper ad dissentiendum proclivior, quæ nunquam commune commodum sed privatum dumtaxat affectat, cum jam expugnationis ipsius castri diem cerneret esse propinquum, nutantibus animus illorum de illo exercitu, & divisis, rei cœptæ & jam votivæ depopulationis partæ non expecta eventum. Sed Vicarius Urbis Jacobis de Gualtebino de Provincia oriundus, qui jam pro Domino Karolo venerat pridem a Gallia mature debitum exolvens, exercitus vota divisa præsentiens, & majoris partis exercitus ejusdem mentes, quæ non libenter ad finale dicti Petri exterminium accedebant sic intra se cognoscens quasi quadam machinatione corruptus, quando Teutonici intra clausuram Burgi morantes, qui de Tuscia venerant ad defensionem ipsius, de se videbantur victoriam polliceri, discedendi licentia popularibus data cohortibus, & militantibus in dictis catervit scilicet dissoluto exercitu cogitur ab obsidione recedere.

Deinde cum de mandato Regio Percivallus præfatus gressus suos versus partes Ducatus repeteret & ad cujusdam aquæ transitum, quæ dicitur Nigra de Marchia prope Ayronem, cum exercitu pervenisset, & in ipsius aquæ passagio, quanquam gens prævia illæsa pertransisset dum quendam alium præcedentem sibi relevare vellet, occisus fuit ille solus equo succumbente permersus: substituto sibi in Capitaniæ officio juxta Regis edictum Joanne de Manerio, ut ejusdem exercitui præsideret.

Post modicum vero temporis Rege Apuliam redeunte dum Petrus de Vico, & Franciscus Trevisus cum stipendiariis Regis in quodam castro ipsius Petri, quod Bremum dicitur morarentur, & Comes Anguillariæ cum comitiva sua, & alia copiosa multitudine equitum, quam sibi Summus Pontifex & Vicarius Urbis transmiserant apud castrum Ventillæ, quod tribus fere millibus distat a Bremo, pervenisset, dum non possent se hostes præ nimia oppositione collium recte respicere, nec alter in alterum insilire contigit quod cum dictus Comes, & sui de multitudine confidentes in quadam media plana procederent, memorati Franciscus & Petrus, cum Teutonicis secum morantibus qui pridem ab ipsis hostibus fuerant lacessiti, & ultionis tempus promptis animis aspectabant in eos viriliter irruerunt conflictuque magno inter eos hinc inde commisso quodam Pippione Lombardo quem Capitaneum 400. millitum illuc destinaverat Ecclesia pusillanimiter fugiente captus est dictus Comes, & plures alii nobiles Romani cum ipso multis ex suis quibus maxime Teutonicorum gladii non parcebant, occisis, multisque in æstus ardore, & armorum valida oppressione peremptis, ubi Stephanus Attancia vexilli ver exercitus Comitis, vir in bellorum exercitatione strenuus, & famosus æstuans siti, ut referunt, oppressus & suffocatus interiit quanquam fortassis ex multis percussionum concussionibus expirare potuisset. Cum eodem occubuit Palamedes ejusdem vellixiferi nepos, cujus animositas in armis juventutis multa probitatis industria se probavit.

Ad hæc memorato Vicario Karoli Romæ prosecutionem sic benignius agente feliciter non solum Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Karoli, sed cives Gibellini Romani vigilanter intendunt, parati undique sollicite bellari, jam per maris excubias multitudo galearum invigilat, & volvit parata æmulis classica numerosa concertare. Jam Teutonicorum voluntas strenescit effrenis, & eorum signa velut ex eventu forent futuro victricia in partibus Triburtinis prope Cellas circa Regni confinia pompose descensa præfulgent.

Interea tamen cum per Romanam Ecclesiam Domino Karolo ad prosequendum Regni negotium esset in ipsius Regni concessione omnium stabilitum, quod saltem ipse personaliter Romæ deberet adesse: Rex prædictus principiis sollicititus obstans tam per mare, quam per aridam ipsius Karoli nisus est adventum præsidere, ut per lapsum temporis Karolus idem ab accessione hujusmodi caderet & dictus Rex postea ejusdem Ecclesiæ reconciliare se posset affectibus; unde sub ipsius Regis toto conamine quosdam fovebat honoribus in urbe, qui cum quibusdam aliis Gibellinis, consilio inito prius cum ipsis Gibellinis ad impediendum memorati Vicarii, & Karoli dominium diverterent, quibus cum suorum equitum comitiva per certas Urbis portas certa hora repente intrent, ut non solum contra eundem Vicarium, sed contra Guelfos Urbis, qui Karoli promovebant excellentiam toto posse confligerent. Apud castrum Cerveteris quantitate quadam equitum congregata versus Urbem tota nocte deproperat, ita quod in auroræ titulo Urbis mœnibus appropinquat, & dum solus cupit dona prævenire fortunæ, vel potius infortunii calicem prægustare ne sibi forte mora posset imbecillitatem animi imputare, protinus subintrat Urbem, domos quasdam quas tenebat, & quas faciebat tunc Vicarius custodiri animose invadit. Est enim Romæ locus ab utroque Tyberis latere circum se positi divisus ad quem præstant aditum pontium munitæ conformiæ, insula Licaonia ex antiqua nuncupatione vocatus. Hic absque montuosa eminentia, & sine munitione murorum est per se valde tutus, & fortis, ita quod longo tempore potest ab insultatione quorumlibet defensari. Ad hunc autem idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet præsentitus a loci ejusdem custodibus ita secreto nequiens se ut credebat reducere, se & suos juxta eundem locum, qui Piscinula dicitur receptavit, quasdam domos inibi muniens & communis viæ fortificans passus, ut imminentem incursum qui jam erant contra eum venturi subcaute posset evadere. Cumque Vicarius prædictus cum quibusdam suis commilitonibus de provincia, Romanorum Guelforum non expectato subsidio ad expellendum dictum Petrum, & gentem

suam decenter accinctus armis, & equis accederet, conflictus primordia reportavit diversa. Licet enim utraque pars provincialis videlicet, & Gibellini Romani qui cum dicto Petro aderant dure, ac fortiter conflixerint, in ipso tamen principio Vicarius cum suis repellitur, sed occurrente sibi per insulam supradictam Domino Joanne de Savello homine securi cordis qui honorem supradicti Karoli tota mentis affectione zelabat, eodemque ab alia illius contractæ parte cum gente dicti Petri viriliter confligente, dictus Vicarius contra hostes resumit vires, & animum, & belli perurgens insultum eumdem Petrum convertit in fugam, hos milites ejus perdit, illos capit, & carceribus mancipat, & tam gloriosissimum & victoriosissimum ex ipsius hostibus triumphum consequitur, quod hostes omnes prædictos excepto, eodem Petro, cum tribus tantum sociis fugæ præsidio ab hostili tempestate subductis, vel crudelis gladius excidiose contrivit vel Capitolii carcer adstrinxit.

Ex hac itaque debellatione quam plurium Gibellinorum fuerunt corda concussa, & eorum adeo perterriti animi quod ad turbandam Urbis quietem quam dæmoliri moliebantur externis, non acceptant ulterius requirendam: sed in Urbis circuitu tanquam aper a venatore confusus per eorum anxii castra discurrunt; cumque tota fere Gallia & Provincia pro dicto Karolo, qui de Regni dominio perpetuam jam a Sede Apostolica receperat cessionem ad mactandum vitulum saginatum, quem ejusdem Regni Siciliæ delitiosa nutrierant, provida foret sollicitatione commota, quibusdam militibus gratuito animo, quibusdam mellifiua coactione perversis nonnullis stipendia magna recipientibus, quæ de mandato Summi Pontificis de proventuum Ecclesiasticorum decimatione acceperant contra Regem dictum mirifice venire paratis, jam per montes, & rura fulgentia liliorum signa vernarunt. Jam pro conservatione Urbis ad præparandam Carolo viam quam plures milites præmittuntur, & dum favet huic Dominus Clemens Ecclesiæ universalis Antistes qui cum esset de Provincia oriundus erga Carolum multa teneritate cordis accensus & de statu suo tanquam pater de filii honore sollicitus, ipsius quasi Ecclesiæ duntaxat negotium indefessa sollicitudine vocis, & operis ferventer assumpserat, omnia quæ sub cœli reguntur regimine, & quæ ambitus terræ claudit sereno, & votivo lætitia jubilo Carolo militant, cum quidam miles cognominatus Ferrerius, qui statura magna corporis ferri verisimiliter nomen æquabat; hic Romam primitus veniens versus partes Tiburtinas ad loca, quæ Gellas nominant cum quodam promptitudinis fervore procedit. Ibi Dominus Jacobus Neapolim caput Gibellinorum Urbis propter Gibellinitatem ab Urbe dejectus habebat prope ipsas Gellas castrum Vicovarii valde forte, qui erat Dux, & ductor quorundam Teutonicorum, quos ad partes illas in ipsius subsidium Rex ex callida provisione transmiserat cum quibus dictus Ferrerius sperans in illo sui fervoris impetu de Teutonicis & Romanis exulibus promereri triumphum ex inproviso bellum durissimum inchoavit: licet a quibusdam militibus Campanis quos Summus Pontifex stipendiari fecerat in eum subsidium fuisset inchoatum bellum fortiter dissuasum. Verum non sine mysterio Karoli volebant auspicia ut propinquum campestre bellum perderetur a suis, quia fortuna plurimum actibus humanis illudens nonnunquam per præcedentia signa victoriæ ultra mentitur cum felicitate futura, & cum quosdam favores primordialiter exhibet, omine jactans votivo primitias, ut incautos postmodum in Abyssum finalis exterminii liberius demergere valeat. Hoc continuo ludo ludendo volens Regi prædicto favisse videri dat sibi, ut ita loquar morsellum cerebri, ut non possit amplius ex aliis deglutire, & sic dictum Ferrerium quod incaute incœperat in præcipitii discrimen adduxit, & bello totaliter perdito captum inibi hostium suorum conclusit in manus, quem Ferrerium memoratus Dom. Jacobus Neapolim ex novo repletus gaudio captivim ad Regis præsentiam sub fida custodia destinavit. Hujusmodi captionis diem Rex ipse quasi felicium successuum gloriam, & mysterium solemnitas festiva celebratione commemorat. Veniunt augures, adstant astrologi, adsunt aucelli, currunt aruspices, divini festinant, ac veluti qui sua dicta, ut volentibus applaudant dominis, & dissimulantibus adulentur soliti sunt adornare mendaciis, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

Interea terminus peremptorius qui Karoli exaltationi tanquam fatalis instabat ex temporis decursione paulatim serpens appropinquat, & dum de adventu ipsius vota hominum quodammodo desperarent subito juxta fauces Urbis galearum stolium cum gente in mare pugnabili ad impediendum Karolo marinas semitas destinatur. Hoc postquam fauces urbis conspicuas trabibus & palis, & magnorum lapidum mole replendo turbavit in tantum quod galeis aditus de facili non patebat, ruina credens per hoc Karoli galeas naufragium sic intercipere quod nullatenus potestatis suæ judicium posset effugere, metuens propter inundantes tempestatum procellas in cassum ad terram naufragiis deportari, alta petit æquora, & forte spatiosa pererrat. Galeæ vero, quæ Karolum devehebant ad terram ab impetu ventorum ab invitæ fortassis impulsæ hostium non obviantes galeis, juxta Romanam plagam fixis anchoris, extensis rudentibus se coarctant, & eadem durante procella Karolus ascendens quandam sagittinam non sine personæ discrimine terram petit, cupidus forte prius in ipso littore mari quam ignominiose a Regni concessione repelli. Sicque in descensu dum non crederet evadere, sed omnino submergi terra Romana ipsum excepit redivivum, & itidem maris impetu tranquillato Galli sui procedunt ad fauces quæ objecta fuerant obstacula submovent, & Tyberis alveos libere ingrediuntur, & sani: ac deinde (sicut moris est) trahuntur ad Urbem. Karolo qui ad terram ante descenderat, sicut Deo placuit, qui hominum

hominum dirigit vias, & vota omnes Romani nobiles veniunt obviam, & cum reverentia multa suscipiunt, & tandem apud Monasterium Sancti Pauli prope Urbem conducunt eundem, cui turba Romana plebis infinitæ generis utriusque senex, & juvenis, laicus, & Clericus, ac Religiosi etiam cum palmis processionaliter circumeundo pronunciaret Osanna pium, atque ex ejus adventu Romanus Populus sumens ex animo festiva tripudia choreis ludentium & psallentium cantica noviter exinde adinventa, de more dispositis plateis & in eis saltantibus pedibus calcare non cessant, & quilibet nobilis, juxta suæ facultatis potentiam secum quorundam sociorum equitum comitivam signanter inducit ad ludendum nec est sane memoria, quod alicui Domino Romani usque ad illa tempora majora ostentamenta gesserint, quæ diserti oratoris officium nequaquam brevis hora temporis enarret.

Dictus ergo Karolus qui mille forte milites electissimos in exercitio belli viribus expertes per mare traduxerat dura maris tempestate confractos, quorum fatigata membra Ecclesia prædicta restaurat exercitum copiosum expectat, qui per terram de Ultramontanis partibus veniebat, & interim equis opportunis milites suos munit. Sed dum Admiratus stolii galearum Regis quas usque in districtum Januæ valida tempestas impulerat, Karolum & galeas suas vidisset quod prospere Romam advenerant, statim turbatus medulliter, & confusus spiritu retrocessit, & repetens fauces Urbis comperit de faucibus Tyberis omnia obstacula, quæ objecerat provida deliberatione dejecta, & neglecta sollicitudine redargutus passus est digne contumelias, & terrores.

Rex itaque Manfredus audito quod Karolus Romam sub tanto discrimine venerit cœpit mente fremescere, & dum vix credere posset narrationem rumoris hujusmodi qui ex sollicitudine Nuntii velut Caldararii malleus, qui ictum ad cudendum socii expectat, denuo statim perstrepebat auditum, non solum veniendi admiratur modum, sed qualiter stolium galearum suarum classica Karoli sic præterire potuisset invisa, vehementissime obstupescit. Ex his & aliis præsagiis, quæ cælum terra, & mare portenderant, intellectum recipiens quod ex Dei judicio singula videbantur esse talia præparatoria contra eum. Illis enim temporibus cometa qui multos annos clausus sub cæli volumine in sui apparitione consuevit benignus invitare, & subsistentiæ quassare dominia, velut solares radios suos usque ad terras lucidissime Cometa extendit, sed quanquam dicto Regi de suorum proxima ex præcedentibus signis desolatio daretur intelligi, consulens tamen augures & requirens astrologos, mentiebantur sibi quodam palliato solamine per longa tempora regnantium, sicque generali colloquio apud Beneventum edito Barones & Feudatarios omnes Regni Siciliæ, ac quosdam bonos viros de singulorum bonorum locorum districtu evocat, & Teutonicorum cohortes quas per Italiam sparserat collegit.

Congregatis ergo universis quod fecerat accersiri, ad Comites tanquam ad electos suos se dirigens talis sermonis propositiones orditur. Ecce inquit ignis urens de longinquo præ foribus nostris assistit, unusquisque propterea suæ domus aquam sine excusatione manibus suis excipiat, & obsistat, nedum sine rerum, & personarum exceptione consumit, domus cujuslibet devoretur ab eo. Ecce incurata ulcera, quæ malus noster pudor sub contempta dissimulatione celabat, sine medicorum suffragio parantur ad fistulam; quilibet ergo proprio gladio vias morbi hujus toto posse concludat, nedum usque ad cordis viscera venerit, & nostras intimas neglectus medullas inficiat, deinde incurabilis habeatur. Gens quippe ista dum Comites, & Barones Regni & patrimonium nostrum venit invadere, ferocissima, & austera censetur. Hæc inquam pietatem & misericordiam dimisit infantia, cor durum ferocitatem mentis, animum inexorabilem contra nos ex proposito secum congestat. Audivistis aliquando de benignitate & mansvetudine illorum de domo Franciæ aliquid enarrari, sed tales non credatis esse qui nos veniunt aggredi, hos quidem nec amicæ præces, nec affectionis zelus contra nos, & Regnum nostrum concitavere venturos, sed sola cupido auri, & affluentia Regni nostri, quam pompa Regnicolarum fecit esse desiderabilem, illa violentos prædictos allicit, & rerum alienarum sitibundos attrahit, & ad spolia desiderata compellit, & sicut Comes Provinciæ Karolus filius Regis Franciæ facit nostram ut personam exterminet, quotidie se contra nostras fortunas porat, sic, imo avidius illi, qui cum illo associantur sub illa intentione deproperant, ut bona vestra diripiant, & non dimittant personas. Crudelis impietas nostris inaudita temporibus. Exteræ & effrenes gentes, quæ nonnisi ad crudelia execrabiles habent aptas ad ferocitates manus & ad spolia promptas, quærentes semper quid devorent, tranquillum statum Regni concutiunt & omnia nostra perturbant, dum credunt solo fruitorii impetu subjugare, sed ex quo cum ferocitate festinant ferocius resistamus eisdem. Firmum enim credere possumus quidem quia pro nostrorum virium defensione, & pro conservatione nostræ justiciæ dimicabimus, malitiam ipsam justitia non debeat confovere. Unum quidem attendite quod si venientibus cedamus hostibus, aut lente resistamus, vel si nos audient aliquo modo trepidantes in aliquo, Gallici de more tunc quantum possunt impellent: animosi enim sunt aggressores, sed si resistatur sibi viriliter consvetudine superborum finaliter consveverunt succumbere. Quia igitur hæc injuria tangit omnes nostros fideles & illum magis quem Regis copia plus abundare concessit, & qui terram a nobis obtinet ampliorem. Universi ergo & singuli, qui zelant nostræ Majestatis honorem, & affectant celsitudinis nostræ gloriam, juxta suarum facultatum potentiam armis, equis & proborum virorum comitiva se muniant, & cum venientium turba nostrorum hostium confinia

 Regni

Regni nostri pulsaverit, illis, & eorum superbiæ sic potenter, & viriliter obsistatur, quod doleant se in Ultramontanis partibus non fixisse vestigia, & si qui manus potuerunt copiose nostræ gentis effugere, confusi mox subito retrocedant.

Postquam igitur Rex Manfredus circumstantibus turmis votum totaliter suæ mentis aperuit, & propositum sui cordis fundo deprompsit, universi quidem, & singuli collocutioni Regiæ annuunt, & parlamento dimisso a quibuslibet ad propria sub eo colore, ut quilibet juxta suæ facultatis potentiam contra venientes hostes sua muniant. Redeuntibus jam promissa fides Comitum latenter violatur interea, quam sola imbecillitas animi ac falsæ mentis inconstantia & non metus violabilem faciebat; nondum enim quemquam timere poterant, sed ejus formidine quod verebantur accidere, futuri casus præmeditatione perterriti tractatum per nuntios, tam cum Comite Provinciæ, quam cum Apostolica Sede dolosius ineunt, & eorum vota Comitis & ejusdem voluntatibus nuntiorum destinatione confœderant, ac ipsius mandatis placida significatione arctantur.

Rex tamen Manfredus post hæc in Alamania pro duobus millibus militibus equitibus pro quibus pro sex mensibus stipendia duplicata transmiserat non sine anxia voluntate transmittit.

Interea Karolus Romæ in Basilica Apostolorum per quatuor Cardinales a Summo Pontifice ad Urbem, Viterbio propterea destinatos in Regem Siciliæ delinitur & Regali diademate coronatur. In cujus coronatione mirabilia festa sunt anno Domini 1265. per Clementem IV. Succedente Urbano, & nova tripudia, & festiva gaudia celebrantur. Ludunt enim generaliter omnes Romani, & quilibet sicut ei plus bonorum copia suppetit, ita miles pariter & pedes instructus per agmina pomposius se ostendit ibidem, & celebriora constituit solemnia festi hujus, ut diei tanti negotii memoria perenniter memoretur. Jam Gallicorum multitudo numerosa circumfluit, jam totus Regis Karoli sollicitatur exercitus. Romam veniunt quidam inopes & laboribus fatigati, ac expensis oppressi, & ideo eorum prompti spiritus violenti appetitu ad bella eos accelerant, compellunt, & verbo & opere acerbiores efficiunt, & amicitiæ traditores. Unde extingui celeriter pro prima furia cupiunt vel cædis occasione aut spe pretiosorum eorum sacrorum mobilium amplo voto cogitant, & affectant. Contrahit tamen & ipse Karolus, & alii de exercitu suo mutua a Romanis mercatoribus qui desiderabant in Regno Siciliæ libertatis immunitate gaudere, multaque præcedenti pollicitatione recipiunt. Reconciliantur quamplures Gibellini Romani & ad Regis Karoli gratiam cum quadam promptitudine redeunt, ex quibus Petrus Romanus jam dictus qui Regis ejusdem quondam prosequebatur honorem, nunc Majestati Regiæ devotus efficitur, & ad ipsius fidelitatem gratiosius admittitur. Hic ut dictus Rex de conversione sua pignora certa reciperet contra Manfredum una cum Regis exercitu ultra se offert iturum. Profecto modica suppellex, rerum penuria & carentia pretii Gallicos instantissime impellebant ad Regnum: sicque a Dominis Cardinalibus supradictis suscepta cum devotione venia omnium peccatorum, quam auctoritate Summi Pontificis poterant indulgere versus Ceperanum, ubi Regni, & Campaniæ fluvius quidam confinia dividit avida voluntate festinant. Cardinales vero prædicti extra Urbem tantum Regem traducunt; eundem ibi juxta formas ipsum mutuo pacifice osculantes, & signantes eum crucis signaculo abire licentia data permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Riccardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis natione Romanus usque ad castrum Malaviæ proprii impensa peculii pro sua & suorum perpetua propensione comitatus est Regem prædictum.

Manfredus vero status sui hujusmodi ventura flagella præsenserat, ac veluti in extasi ac alto terroris involucro posito, ignorat penitus ubi venientibus hostibus se opponat, ubi eis obstacula præparet, ubi obsistat eisdem, & dum ad resistendum propterea flumen repetit, ut per se facta impedimenta sint talia, quod hostes in oppositum constituti nequeant se manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Caperanum, & tandem Beneventum festinus discurrendo gressus dirigit, & revoluit. Quamlibet enim terrarum hujusmodi alta fluminis ripa fortificat, ac profundi defossum aggeris roborat; sed præscitus ad malum obstinatus Manfredus qui apud Ceperanum gentis suæ resistentiam ordinare debebat passus Regni vacuos, & sine custodiæ munitione reliquit, ut liber ad Regnum aditus pateat inimicis. Verum tamen in castro Sancti Germani duo millia Saracenorum, & mille equites jussit pro tuitione morari: sicque Rex Karolus cum suo victorioso exercitum Regnum liber ingreditur, de cujus amœnitate jam aspergitur nova lætitia, jamque gaudio votivo completur, & quamlibet pro anno sibi computat effluere donec resistentium adversariorum posset faciem intueri. Venit igitur propere ad quoddam inexpugnabile castrum quod aliquid contrarii videtur habere, cum Rocca Arcis appelletur a fulgo: hac enim Rocca vix fortior posset inveniri, quam rupes montuosæ circumdant, & quasi de medio petrarum confixa saxosa montium prærupta convallant. Hanc Gallici pedites quasi leve quid esset miraculose conscendunt ad quam nisi noviter mutaretur infirmitas, vix crederentur posse per longa tempora devenire, sed sicut Deo placuit Castellanus inibi deputatus violentis perterritus Gallicorum insultibus, & præ multitudine copiosa exercitus castrametati per ipsius castri circuitum stupefactus misericordiæ mercedem implorat, cui mandata Regis Karoli coacta voluntate petenti Rex ipse personæ veniam benignius indulsit, & mobilium rerum suarum quas in eodem castro habebat omnimodam tutelam spopondit.

Fama itaque referente per patriam quod gentes Ultramontanæ, tam fortissimum, & inexpu-

expugnabile castrum belli subjugaverant insultu, quælibet terra quæ ea se minus fortem esse putabat, & debilius poterat se tueri tanto magis diem conflictus & expugnationis expectare formidat. Unde factum est quod quæcunque civitas, castrum, seu casale situm est in circuitu Burgi Sancti Germani prædicti abjurato Manfredo Domino, & Regis Caroli mandatis devote parendo signa subjectionis; & fidei voce confitetur, & opore. Jam famelicis, & fatigatis gentibus de suorum victualium fœcunditate subveniunt & quoque pretiosa pro liberatis dono assequendo Regi offerunt, & militibus Regiis.

Sed hæc modica pars Regni, nec tanta nec talis erat, quæ de substantia sua replere posset vacuum Gallicorum, seu eorum resarcire penurias, vel anxietates extinguere, unde succedentibus eis ad votum undique prosperis figorosiores, & magis voluntarios ad spolia, & excidia hostium, requiemque suorum laborum Princeps iste mendicus suos in his efficit, & velut astur, quæ plumis deformis suscipitur ad capiendos æstivo tempore teneros perdicum pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus valet ab ungulis per doctum aucupem provida incitatione dirigitur, ut capta præda, & pullorum hujusmodi sanguine prægustato, deplumare jam discat, & efficiatur postmodum magis rapax. Ita Gallicorum innata complexio, quæ per se speciali ferocitate suffulta sine pavore mortis infert, & refert exitialia jacula ad illas rationes occisionis accenditur, & ad spolia prædicta violenter allicitur jam pro matura feliciter capta præda, & deliciarum Regni dulcedine prægustata.

Hujus igitur successu felicitatis accensi ad castrum Sancti Germani, ubi magnam partem opponendæ resistentiæ invenire credebant, propere nimis pergunt, & cum omnes fere machinas, quibus mobilium equorum suffragio uti consueverant in obsidione castrorum secum fecisset Rex Carolus per multitudinem curruum deportari, ibi apud S. Germanum singuli de curribus deponuntur, & currus pariter, & aurigæ subsistunt. Verum nihil his machinis, & aliis similibus generibus oppugnandi profecerunt, nam quanto invalescebat Gallicorum animositas, tanto in hominibus terræ crescebat audacia. Insultum igitur manualis pugnæ contra muros a latere fluminis ferventer incipiunt, & quoniam plus Latini de more quam Gallici consueverunt, & industriosius etiam oppugnationes castrorum hujusmodi gerere, quam Ultramontani, nonnulli nobiles animi & corporis vires, & virtutes cum quadam fervoris anticipatione moliebantur ostendere, inter quos Petrus Romanus Romanorum Proconsul superius nominatus cupiens Regis ejusdem gratiam redimere mentis, quam apud eum demerendo perdiderat, locum pugnæ cum quibusdam commilitonibus suis anticipans, ipsius Burgi muris sine discrimine approximavit impavidus, quem jactus frequens innumerabilium lapidum, illorum videlicet qui muros tuebantur eosdem usque ad mediam corporis partem obsedit in tantum quod se movere non poterant, sed eum quasi perditum Gallicorum, & Latinorum succurentium promptitudo salvavit cujus audaciam videntes corda fortificantes, & animos & cœptum continuantes insultum ita fortiter dimicarunt, ut fugatis murorum defensoribus portam occupaverint prædictam. Profecto tam durissimum insultum Sarraceni, & alii qui pro ingressu exercitus ad custodiam Sancti Germani per Manfredum fuerant deputati oculis intuentes, & majorem illo mentis intuitu recensentes, se fugæ præsidio commiserunt, cum non ad impellendo ex deliberatione potius essent acti: sed his fugæ remedium usquequaque non profuit, nam majorem ipsorum partem Gallicorum gladius sine misericordiæ venia trucidavit. Occubuerunt inibi sine numero multi quibus non pepercit Gallicus, vel Latinus, & eorum corpora, quæ præ vulnerum confusione crudelium discerni vix poterant in esum esurientium animalium jacebant exposita & famelicis volatilibus derelicta: nonnulli tamen manum Gallicam evadentes, & fugam usque Beneventum continuantes, ubi Manfredus cum magno exercitu Teutonicorum, Lombardorum, & Regnicolarum aderat satis vere poterant de hujusmodi strage referre. Cumque denuo successus & prosperitates Gallicorum multiplicantur feliciter, violentius eorum invalescebat audacia, & voluntatis anxiæ promptitudo crescebat; unde nullo quæsito diffugio, sed sublato quolibet more dispendio ad Manfredum pervenire desiderant, & cum suis militibus confligere anxiantes usque fores ad validas civitatis Beneventanæ actu continuo, & impulsu non cessant adversariorum reliquias prosequi, & dum nec sibi nec equis eorum parcerent qui erant præ longo itinere fatigati, quasi omnes deficere videbantur. Sed tanta erat spoliorum aviditas succedentibus ei undique prosperis quod totius laboris & discriminis onera levia reputabant.

Postquam igitur Gallici continuo, & veluti Arcerus Siculus, qui de mane ad vesperas clamans sequitur, fatigati ad quendam campum de prope Beneventum devenerunt in quodam colle, qui respicit ex opposito Beneventum, cujus distantiam alveus fluminis tantum facit, figunt accelerata vestigia & dum sic sunt in ipso colle castrametati, Rex Karolus qui continuo motu per exercitum frendens, sicut aper dentibus discurrebat, multos militiæ cingulo ad perpetuam rei memoriam decoravit continuo quasi clamore has voces catervis exercitus emittendo. Hic clarius apparebit quales habent Gallici milites? qui militiæ zelant honorem! Sane post hæc primatibus exercitus congregatis in loco campi, ubi qui voluit potuit interesse his eos verbis brevibus alloquitur.

Parlamentum Regis Karoli.

Sciatis certissime Domini Milites, quod de loco isto in Franciam fuga longos habet protractus,

tractus, ut pugnemus venimus, si succumbamus hostibus sine spe misericordiæ moriemur, fuga præsidio nullum tutelæ patrocinium nobis impendetur, quia gentes per quas venimus, sicut nos venientes honorabiliter tractaverunt, & reverenter impenderunt nobis gratum obsequii famulatum, ita nos fugientes animis eorum in pravitatem conversis quadam æmulatione usque ad mortem persequentur. Resistamus ergo viriliter, & pugnemus audacter, ut vel omnes uno ore diglutiamur, vel speratum triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius enim est mori, quam fugere, nam fuga anxia multiplices mortes inter odientium discrimina secum trahit. Nos quidem confidentius possumus dimicare, cum enim adversarii, quos anathemate excommunicationis sententia perculit sub illius nomine Sathanæ, cujus manibus per hujusmodi sententiam sunt a Sede Apostolica mancipati cum æternæ vitæ desperatione confligunt. Nos non solum sub illius celebritate vocabuli, qui pro nobis pati, & affligi usque ad mortem voluit, cum spe, imo cum certitudine misericordiæ ab ipsius Vicario, solliciti tamen sitis unde venientium ad pugnam prius equos lædatis, quibus succumbentibus sessores ad terram prostratos & pannorum gravitudine lentos, & hebetes nostrorum peditum prompta manus excipiat, & trucidet. Reguletur taliter providentia vestra quod singuli juxta se singulos pedites habeant, vel binos si poterint etiamsi non possent alios quam ribaldos habere: tum pro equis interficiendis hostium, tum pro conterendis iis quos excusserant, vel in acie præ labore continuo quiescere non sinant. Ideo potentes, & fortes, quod nisi taliter juvent, valeant cum equis hostium pari labore concurrere & longa in bello mora durare.

His igitur regulis præmuniti velut canis in venationibus Domini sui vocibus ad prædam quilibet campum passu voluntario coivit, & quærens quem devoret cibum, sicut famelicus Karolus lætus expectat.

Interea nonnulli Barones Regni quod propter suspicionis causas factos a Regno exules aliena diu patria fuerat, castra & terras innumeras quarum dominium justis titulis dabat eis licentia Regis Karoli quam in regni obtinuerant ingressu per diversas Regni provincias occupant, & patrimonia sua recuperant. Propterea Regnicolarum corda cœperunt inter se mutari non modicum, & generaliter minores gaudere. Credebant enim firmiter quod jam Regnum esset votivæ tranquillitati paratum, & ex adventu Regis Karoli libertati omnimode restitutum. Minantibus itaque Regnicolis usquequaque per Regnum, non cessant interea fortes belli parcere discrimini, & quilibet, ut fortius dimicet se accingit.

Manfredus tamen qui semper de instabilitate, & voto contrario illorum de Regno merito dubitabat, suis Comitibus hos sermones eructat.

Parlamentum Regis Manfredi.

Hostes nostros quos jam diu fama, & clamatio pronunciavit esse venturos videtis in oppositum existentes, & per Dei gratiam tantos, & tales esse visa nostra non judicat, quantos & quales fama referente credimus, malos equos, & macilentes & parvos habent, & si sunt ibi aliqui magni equi, extenuati præ labore nimio parum valent. Dum sic sunt fatigati, priusquam quæsita requie convalescant, & fortificati aliqualiter omnino invalescant approperemus horam conflictus, & in media arva ruamus, et si inevitabiliter fuerit moriamur. Gallici enim in ipso instanti videntur audaces, nec sunt stabiles, nec animum habent fortem: omnino sunt pavidi quando resistentiam aliqualem inveniunt. O bona posteritas memoramini gesta progenitorum nostrorum nonne Teutonici gentes istas antiquitus vilissimas reputabant? nonne hos & alios requirebant Itali, & eorum mero dominio multifarie submittebant: Fortiores sumus patribus nostris, & majori etiam personarum, & rerum potentia præditi, quid veremur? quid formidamus? certe nihil aliut cogitemus, quam in exterminium hostes adducere, & eos a facie nostra delere.

His & aliis Manfredus Gallicorum mores, & facta vilificans suos viriliter animabat, sed comitum suorum quilibet juxta magnanimitatem, & imbecillitatem animi secundum quod magis, & minus fidelitatem sibi servare disposuit, voluntatem suæ mentis aperuit, & suadebat, vel dissuadebat pugnam, secundum quod virtus, & vitium animi ministrabat. Verumtamen de hora pugnæ Manfredus consilio cujusdam Astrologi regebatur. Sed cum jam deliberatione præhabita compertum per artem esset quod felici omine pugnam poterat aggredi quidam ex Comitibus ipsis proditoria obstinatione corrupti, & machinationem nequissimam moliti dissimulantes sibi displicere prælium, solum commodum ipsius Manfredi fore, si non confligeret, pro dignitate spurii derelinquendum. Quidam etiam, quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat accersiri, sumpta causa, vel occasione potius quam quærunt volentes recedere ab amicis, substituerunt in loci primis futuros successus morantes potentiæ utriusque: Sed qui pares censeri poterant in crimine, inde fines simulabant se ad terrarum suarum custodiam remanere.

Inter hæc Manfredus cum quibusdam Lombardis Comitibus, & maxime cum Gualvano, Jordano, & Bartholomæo, & cum quodam Theobaldo de Anibaldis cive Romano secretum fecit consilium, & ab eis prudenter an intendant statim contra hostes irruere sciscitatur, an quidem de attentanda pugna videatur eisdem diligenter interrogat. Hi sane cum essent homines belicosi quibus aliquando famose triumphus ex bello successerat, & fortuna prospera in eorum aliquando principiis amiserat quodam motu voluntario regebantur, ut animo videlicet plusquam virtute se vincere posse sperarent. Unde viva & prompta voce stupe-

scentes

ſcentes quomodo de eo quod Manfredus jam eorum in ultimis probitatem expertus indagabat ab eis, clamant, & dicunt. Et ſi ſtatim nos oporteat mori tecum non te negabimus, perſonam tuam ex cujus vita, & obitu noſtræ felicitatis ſubſtantia & ultimæ infelicitatis dependent occaſus, e veſtigio ſequimur & te feliciter vivere, noſque ſub militaris honore fortunæ fideliter pro te mori volumus, & optamus, & ut fidem quam pro defendenda regalis nominis libertate congeſſimus ſtatim noſtra teſtificentur opera, primus noſter erit aggreſſus.

Incipit hic pugna Manfredi.

Cumque in hujuſmodi voluntatis examinatione perſiſterent, & militiæ agmina, nec non agminum præpoſiti deceſſerint clamor æthere tantus inſonuit, quod ſicut fertur uſque ad Alfim ventus impulit murmura, & veluti cum freta fervent valida ventorum concita tempeſtate, omnium perturbabat auditum. Saraceni namque de Luceria, maxime arcerii numero decem millia mandati, fines furioſe transgredientes, dum ſic Gallicos cogitarent arcuum perterrere miſſilibus, quod poſtea Teutonicis, & Lombardis quominus prædictus Gallicos expugnarent nullius difficultatis pararetur obſtaculum, circa flumen veniunt. Sed Gallicorum ferocitatem plus concitant, & accendunt quod magis militum cohortibus appropinquant, clamant de more, & quaſi cadentes hoſtes contererent vocibus, clamare continuo invaleſcunt. His occurrunt Ribaldi qui congregati de facto ad manus adveniunt, & comperto quod Saraceni eſſent, clamant dicentes, porci ſunt iſti, qui ad nos cum tanto clamore deſcendunt: unde quaſi innermes ſine alicujus magiſtri conductu, ſolita conciti furia velut arborum frondes quando in nubiloſa multitudine de loco moventur ad locum venientibus Saracenorum turmis occurrunt. Verum Saraceni more ſolito priuſquam ſejungant manualiter hoſtibus ex peraciis tela projiciunt, & ſubito ſagittantes Ribaldos ſine numero vulnerant. Emiſſæ plus vel minus, prout ex lacertis fortioribus prodeunt poſt terga ſagittæ ad inſtar ſerpentis inter ſtipulas progredientis congeminatæ ſibilant, & inopinate, & irremediabiliter ex hoc in illum fulgura ferunt. Sed dum frequentius eructantur in diverſis corporum partibus nonnullæ ſubſiſtunt modo in capite, modoque in facie gemina reſidentes nova figurant cornua, & geminatæ taliter affixæ circum pectus, & ſcapulas exornes vitium palmites ſimulant. Recipiunt hujuſmodi ſimulatos ramos innumerabilia corpora, ſed non funduntur, perforantur in nixum, & veluti greges ovium in campis Apulia quando Boream de Dalmatiæ derivatum montibus patiuntur, quaſi caduco morbo confectæ ſimul & ſubito in multitudine concidunt. Sic Ribaldorum infirmitas quorum caſus parum, vel nihil Regis Karoli tangebat exercitum, ex animis redditur, & expirat. Milites autem Gallici Ribaldorum ſtragem occumbentium ſubito factam noſcentes, & dolentes potiſſimum, ne Saraceni ex hac ſtrage ſumant vigoris audaciam, & contra eos fortius invaleſcant, quandam ſervientium aciem deputant qui Saracenos in campo clamantes invadant. Irrunt quidem equites numero forte mille in Saracenos prædictos & ita fortiter percutiunt Saracenos, quod mortificati univerſaliter cum arcubus, & quodammodo facti exanimes ſolo metu, ſe nemine adhuc percutiente proſternuntur, facti ſunt veluti paſſeres in ſepibus, quando in eos Niſus de aere ſubito veniens irruit, & gregales aves, quas audax Aquila quaſi de cœlo corruens proſternit in nemore. Trucidantur canes, & eorum corpora quæ Gallicus gladius ſine pietate aliqua extinguebat, laniata ſicut venales carnes carnificium canibus relinquuntur.

Ad hæc Comes Jordanus promptus, & audax, cujus aliquando fortuna juvit audaciam, non expectata deliberatione Manfredi, ſtatim cum mille Teutonicis proſilivit in campum, & dato ſigno inter comeſtabulorum catervas bellum fortiſſimum cum illis ſervientibus Gallicis iniit. Ii quidem ex multa Saracenorum occiſione fatigati, & quia nec erant tales, nec equis talibus inſidentes, quod occurrentibus Teutonicis poſſent obſiſtere ſuccumbunt protinus, & pauci e Teutonicorum manibus potuerunt effugere, omnes fere Gallicos gladius devorat, omnia objecta agmina lacerat. Erant enim prædicti Teutonici melior quaſi pars totius exercitus Manfredi.

Hoc autem Rex Karolus intuens, fremens, & furens modo perſonaliter in Teutonicos volebat irruere, modo uſus ſaniori conſilio ſubſiſtebat, ſed tamen ordinatis banderiis, & magiſtris militiæ, ac præpoſitis agminum qui in campum venerant, mille milites ſuos electos jubet invadere. Sortes igitur contra fortes fortiſſime nectunt, ſed Teutonicis finaliter ſuccumbentibus adſunt Gualuanus Bartholomæus, & plures Comites cum Lombardis, & Teutonicis, & aliis catervatim bellum ſubmittunt, & configunt duriſſime ſicut poſſunt.

Belli ſic durante conflictu, ex utraque parte deficientibus multis, quos vel labor, vel gladius comprimebat, aliam comitivam Rex Karolus initum conflictum duriſſime edicit ituram. Hoc quidem adeo fortificavit pro parte Regis Caroli bellum, quod omnino reverſi ſunt Gallici prævalere, imo potius prævalebant. Ah ah Manfrede prædeſtinate ad malum. Totam pugnam & pugnæ modum oculis intuetur, & corde dividit, jam jam omnino volens irruere denuo ſollicitus, & attentus, ſicut leporarius quem tenet venator, ſollicitatus bracchettis & excubiis nemoris laxiatum fremebat, & anxiabatur aggredi bellum: mandat cæteris Capitaneis, & præpoſitis ſui exercitus quod illico deſcendant ad pugnam. Sed cum nonnulli de Regno, qui quoſdam falſos Comites cum quibus Rex Carolus ſub colorato patrimonialis ſucceſſionis titulo ſpolia Regni diviſerat ſequebantur nollent bel-

 lum

lum ingredi sed proditorie abstitissent, Manfredus cum suis militibus mori potius eligens, quam eis morientibus alieno profugio vitam petere, quasi desperatus, cum prædicto Domino Theobaldo Romano, qui eum nullatenus dimittebat, imo quantum poterat, suadebat quod omnino statim aggrederentur bellum, & suis militibus qui pugnabant succurrerent, & vel sic omnes unus affectus una hora, unus gladius devoret, vel exaltet, inimicorum suorum ruit inmedium, pugnat, percutit, percutitur, & expugnatur. Proh dolor? a suis sic proditus invalescit violentia Gallicorum, circumdat astutia totum campum, nulli parcit Gallicus, singulos de Manfredi exercitu necant, & trucidant immaniter, lavant sitientes manus suas sanguine occisorum. Quam plures quidem attendentes inhumanitatem hujusmodi, videlicet quod nec prostratis Gallicus parcebat gladius, se mergebant armatis cum equis in flumen quam sic immaniter trucidari: unde quos gladius non contrivit, fluvius deglutivit.

Facta est igitur tanta strages, quod nihil incampo remansit, undique corpora occisorum equorum super cadavera hominum quiescebant, vix cadaver integrum, imo mutilatum diversimode poterat inveniri omnia in desertum, & sine prima figera jacebant impie sic tractata.

Rex itaque Carolus qui nondum de Mansfredi obitu certus erat conscendit triumphaliter civitatem veterem Beneventi,& quæ diu anxie affectaverat spolia, magis anxie amplexatur, lætus comperit, & lætior excipit gazas innumeras, & pretiosa nonnulla, quæ non solum Manfredus in proprio gazophylatio, sed & Conradus frater, & Fredericus pater in non modica congesserant quantitate, ex diversis quantitatibus auri compositis magnis acervis sollicitus adunat, quem faciebat sola rerum indigentia, & diuturna penuria sitibundum Thesauros multorum Comitum incautos invenit, & recondit. Ditantur undique Gallici, nec tamen sitis extinguitur, vel repletur exuries. Nam non solum occisorum hostium spolia sua faciunt, sed civitatem miseram sine personarum exceptione dirobant, & quod pessimum est incolas cædunt, & externis inventis ibi non parcunt. Cædes continua non quiescit interea, sed prædictos magis cædunt tanto plus fortiter, quanto plus ardent quoslibet Beneventanos adducere in exterminium & in prædam. Mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforte, ac quaslibet Regni Provincias visitat per officiales, & ministros; veruntamen propter Gallicorum multitudinem quorum frequentia singulæ Regni partes complentur quælibet terra sua deplorat incommoda, & clades perterritat. Non palpavit incendia exiguo, & continuo transitu, attamen violentos sentit incursus, & afflictione jactibus offenditur improviso; namque cum iis qui sequuntur castra fides, & pietas nulla insit, naturam sapiunt ignis, & fulgoris, ut videlicet omnia per quæ transeunt loca contaminent, & quos ita subito nequeunt interimere subactos ad instar ignis materiæ denuo partes contiguas comprehendentis adurunt.

Ad hæc Rex prædictus tam glorifico triumpho magnificus, ut de Regnicolarum moribus Regnique consvetudinibus se informet quosdam Regnicolas quos Manfredus penes officiorum administrationes, & ministeria ante seriose congesserat in suam familiaritatem advertit, & receptat, inter quos quemdam Barolitanum præcipue nomine Giczolinus de Marra, cujus primogenitores de montibus Amalphiæ traxerunt originem,ad tractus rerum domesticarum, & commissionum regalium officiositas Regi red. debat acceptum. Hic registra proventuum Regni, officiorum, ac officialium etiam per diversa ipsius Regni loca particulariter ponendorum habebat, in quibus non solum jurisdictiones, & jura Regni per quæ felices contentis duntaxat eisdem sui feliciter conservabantur honores, memoriter erant inserta, sed omnes angariæ perangariæ, collectæ, regliæ,dativæ, contributiones exercituum, immunitatum quibus quibus Regum nefandorum impietas, & miseros Regnicolas opprimere ac vexare didicerat studiosius fuerunt rubricata. Hujus Giczolini consilio ut suggestu Rex, qui Regnum prædecessorum suorum vitæ in vivendo modum sequi, ac mores eorum probabiles non prætendebat habere legem ponit Regnicolis,novoque Secretarios, Justitiarios, Admiratos, Protonotarios, Partuzanos Dohanerios, & Fundicarios, Magistros Scholariorum & Magistros juratos, Bajulos, Judices, & Notarios ubique per Regnum,& super hos majores Præpositos statuit. Hi religione juramenti, quod in officiorum susceptione consveverant præstare præsumptuosis ab usibus violata ubilibet subjectos gravant indebite, ac eis importabilia onera imponentes exigenda plus debito cruorem eliciunt ac medullas.

Provocavit Regnicolas Dominus diris oppressos flagitiis, & jam mente corrupti violenter inermes quilibet inter se specialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur, & præ novi timore Domini plus gemitibus quam verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinsicus intentionis suæ pandit arcana,& lamentabilibus saltem conquestibus suæ mentis reserat voluntatem, ac tristes voluens in pectore questus misera ejulatione quasi Nestores lupis clamat, o Rex Manfrede! temet non cognovimus, quem nunc & ter etiam deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves pascuæ hujus Regni secus præsentis respectu dominii quod de mobilitatis, & inconstantiæ more sub magnorum profusione gaudiorum anxie morabimur, agnum mansvetum te fuisse cognoscimus jam fuisse. dulcia tuæ potestatis mandata sentimus, dum alterius, & majora gustamus: Conquerebamur frequentius nostram partem, partem, in dominii tuæ majestatis adduci, nunc autem omnia bona, quod pejus est, & personas alienigenarum convertere debemus in prædam.

Quando

Quando Gibellini miserunt pro Conradino & Frederico de Stuffen in Alemaniam.

Regniculis igitur ubique per Regnum murmurationes emittentibus, & lamenta nonnulli de Regno ipso hæc & deteriora recepta Comitibus, Equitibus, & Baronibus exteris, & abjectis, ac profugis, nec non & universis in Lombardia & Tuscia Gibellinorum capitibus intimare procurant de aspero, & angusto ac importabili dominio Gallicorum. Quamplures inter hæc viri magnifici, videlicet Gualuanus & Fredericus fratres Comites prælibati Conradus Capicius, & Marinus ejus frater de Neapoli, quibus ad preces B. de Pignatellis Archiepiscopi Messanensis vitæ veniam post eventum præfatæ deliberationis indulserat, in Alamaniam ad suscitandum Carolum dormientem, qui nondum ætate cœperat adulta pennescere propere se convertunt, ibi enim de tota Frederici posteritate solus Conradus natus quondam Regis Conradi ejusdem Frederici filii, qui cum Frederico de Stuffen quondam Duce Austriæ, ac multis de Teutonica magnis viris linea consanguinitatis conjunctus tanquam quoddam miraculum supererat. Ad hunc sane variis licet alienis suasionibus excitandum non solum prædicti exules, & alii quamplures de Regno perveniunt. Sed ab omnibus Gibellinis, & a civitatibus etiam Imperialibus de Provinciis supradictis, quæ quondam sub devotione Frederici, & filiorum fuerant, solemnes nuntii destinantur, qui sibi tanquam Regi venturo aurum thus offerebant, & mirrham, ac eis de propriis peculiis, & civitatum ipsarum thesauros promittentes pro expendiis necessariis ampliores non tantum ipsum qui corpus & cor ætatis puerilis habebat sed alios eo majores virtute, & ætate amicos, & consanguineos suos ad deliciosas & fertiles Regni epulas invitarunt quos illico illi festinis gressibus concitaverunt venturos.

Quando Conradinus misit literas suas per Italiam.

Conflato igitur, & sculpto sigillo sub Regis Siciliæ titulo Conradinus per Italiam literas spargit, & nuntios, & suum adventum celerem fore pronunciavit.

Conradus autem Capicius de Generali Vicariatu Siciliæ subventus sub ipsius Conradini sigillo, literas, in quibus se Regem Siciliæ confingebat, studuit obtinere, dicens quod ad præparandas Domino suo vias ejus in Regnum civitatibus prædicando adventum volebat, ut præcursor sublato moræ dispendio properare, sicque obtenta superioris licentia Pisis de voluntate quoque Principum Alamaniæ, ac oblata per eas ipsi Conradino in antea voce prænuntia promulgavit. Postulat interim hoc a Pisanis per mare subsidium quod possit ad præsens in Tunisium transfretare: & quia Pisani jam disposuerant prosequi factum, & causam favorabiliter, Conradini concedunt Conrado prædicto unam galeam armatam quantum vehatur, suæque subserviat voluntati. Applicans igitur in Tunisium Conradus Capicius prælibato Dopno Frederico nato Regis Hispaniæ cogitatu calido de invadenda Sicilia machinationem, factumque Conradini justificans, & suorum magnificans potentiam amicorum, oblato sibi per magnificos viros Italiæ, ac insignia loca subsidia plusquam ipsa foret veritas referebat. Prædictus enim Dopnus Fredericus, & Dopnus Henricus germanus ejusdem quos invidentia quam habebant de magnitudine, ac prosperitate fraterna, & abjectos & absentes a propria diu patria fecerat, tunc quidem pro se, ac quibusdam militibus de Hispania dispendia recipiebant a Rege, Tunisii qui quotidianis cavalcatis, & assiduæ guerræ sollicitudine angebatur per alios Saracenos. Hi sane fratres Hispani pro Saracenorum conversatione diutina actibus Agarenorum imbuti, & fere Christianæ Religionis obliti a Saracenis ipsis vita parum & moribus differebant. Verum Dopnus Henricus a præfato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa superba, & proditoria machinatione suspectus ad seducendum, & concitandum Romanam Provinciam, & Curiam dimissus, ab Ecclesia ac Apostolicæ dignitatis auctoritate magnæ libertatis, & gratia immensa dona poposcerat, ac sua nobilitate Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ Ministros adeo videbatur inebriasse repente, ut ei deberet de Regno Sardiniæ provideri, conditum fuit, & factum consistorium & tractatum.

Quando Dopnus Henricus factus fuit Senator in Urbe.

Quidam nobilis Romanus civis Angelus Capucia nuncupatus seditionem in Romano populo suscitavit per quem contra Urbis Magnates cœperunt populi quibusdam viris de qualibet Regione vii electis secum adjunctis sub pacis specie viribus Magistratus est erectus. Hic ex contradita sibi per dictum populum potestate qua quem vellet posset eligere Senatum, Dopnum Henricum prælatum contra plurium nobilium repugnantiam, & obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius Dopni Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad Urbis regimen evocavit, cujus evocationis solemnitas etsi fuisset ante publicationem a pluribus impugnata, & multorum corda non immerito durius pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Venit ergo de Romana Curia factus Senator ad Urbem, & aliqua diu statuta, justitiæ sub equitatis libra omnibus suæ potestatis appendens, tandem corde, & voluntate perversus, vita & moribus protinus regulatis abjectis, in arcum repente convertitur inopinabilis pravitatis, Guelphis quidem Urbis, & amicis Ecclesiæ, ac devotis in abundantia mellis promissi verto tenus fellicum, & venenosum poculum actualiter subministrat. Concipit iste similiter odia contra prædictum Regem Siciliæ,

liæ, cui gradu attinebat consanguinitatis, & cum de Sicilia, & suorum successuum felicitate invideret, quærebat opportunitatem ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare, vel cædere, aut in Regni possessione eundem se Regem habere legitimum, & motum sui animi fore justum pro eo quod eidem Regi quando primum contra Manfredum inops, & jam substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniæ quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguiorem sibi, ut bona fide spoponderat reddere contemnebat.

De adventu Conradini in Italiam.

His contra præfatum Regem, imo ex cordis iniquitate Conradino Italiam jam venire disposito, & parato literarum, & nuntiorum destinatione confœderat, & ei posse suum ac Romanorum potentiam subsidiose spondens contra Regem Karolum experiri multis ipsum inductionibus ac celeriter veniendum reddit attentum ostendens sibi mendaciter quod adventum suum Regnicolæ, & Roma, & tota Italia suspirabat, & asserens eidem Gibellinorum saltem subsidia non posse deficere, ac se etiam toto animo hostiliter Gallicis fore armatum obviaturum. Ad hujusmodi igitur grande factum exhortatione ac pollicitatione suggestum statim Conradinus sollicitatione omnibus instantissime quibus ultra se promiserat venturum in Italiam esse congressus accinctos magis accelerat.

Interea perfidus Christianus Dopnus Henricus varie excogitans ac tentans omnes nobiles Urbis Guelfos una hora simul in Capitolio irretiri ad instar piscium quando plures numero uno tractu retium capiuntur, facit ad se prædictos nobiles proditorie accersiri, cumque nobilium ipsorum alter alterius vocationem penitus ignoraret, quamplures intrepidi sed decepti Capitolium ascendunt. Sunt autem prædicti nobiles Dominus Neapoleon, Matthæus frater ejus de filiis Ursi, D. Joannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tamen qui nihil de excogitata fraude præsenserant ad vocationem prædictam pure ac simpliciter venientes statim Dopnus Henricus cepit, captosque jussit in Capitolio prisonari quibus in ipso captionis initio nullam motu, vel gestu formam turbationis, aut alicujus asperitatis ostendit, imo præconceptæ contra eos fraudis petula lenitate verborum sagaciter temperabat virus: & merito ne propter hujusmodi captorum detentionem jam subito seditiosus contra eum tumultus commoveretur in populo. Postquam vero dictos captos verbis assecuravit mellifluis, perpendens quod concitata populi corda quieverant, ex eis aliquod videlicet Dominum Neapoleonem, & fratrem apud Monticellum, quod est castrum fortissimum prope Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum beneplacitum destinavit, & tamen ut eos de districtu extraheret Urbis, eosdemque posset libere conservare apud Sarraciniscum quod est castrum Conradi de Antiochia nepotis quondam Frederici prædicti jubet, exacta custodia in arcto carcere detineri. Verum ex reliquis in Capitolio sic detentis prælibatum Dominum Joannem de Sabello de quo cum esset homo probatæ fidei zelans pacem & tranquillitatem Urbis toto mentis affectu nulla sinistra peteret suspicio, receptis primo ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio a carcere Capitolii relaxavit.

Et quia Raynaldus de filiis Ursi vocatus cum aliis Capitolium non conscendit, interim se in castro Marini non sine audaci promptitudine receptavit jam dictus prædo Christianus contra eundem Dominum Raynaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, & castrum ipsum dira obsidione circumdant. Cumque ratione nequiret castrum ipsum quod quamplures de Urbe strenui milites, & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad Urbem furibundus, & fremens.

Quomodo Dopnus Henricus extendit manus per Ecclesias, thesaurum accipiens.

Qui in Urbe commorans non contentus in viros Ecclesiasticos, & Ecclesiæ Romanæ devotos manus immaniter immittere violentas, ad thesauros innumeros quos conservabant Ecclesiæ sceleratas manus execrabiliter extendere non pavescit. Sunt enim Romæ diuturni mores, quibus non solum Romani, qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet congregant, vel habent res pretiosas quas propter latrones, hostiumque incursus in domibus propriis conservare formidant, sed quamplures exteri vicini libentius petentes Romam sacris in Monasteriis, & Ecclesiis magna, & multa deponunt peculia, quæ per longum tempus non requiruntur a dominis, considerato quod in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari.

Ad hæc itaque diripienda deposita contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum prædictus Dopnus Henricus anxiis instat conatibus, totoque inceditur mentis ardore, sicque prædo severus Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere loca depositorum hujusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hic confringit sacrillegus ostia. Hic confringit sacrillegus ostia, hic Sacristias violat sceleratus, hic fur violentus aperit eatenus Clericorum, inde pecuniam, inde argentea vasa, & aurea, inde sacras vestes, & quæque pretiosa diripit & asportat procul. Proh dolor! Lateranen. Sancti Pauli, Sancti Sabæ, Sancti Basilii Aventini, Sanctæ Sabinæ, & aliorum Monasteriorum, & Ecclesiarum loca & lugent suis disturbata depositis & altis clamoribus conquerendo pro voce dant gemitum, & per illum doloris ingentia suspiria & singultus: orant Eclesia-

clesiastici viri & has voces sub incendio lugube- ris infelicitatis emittunt. O infelix Urbs ur- bium Roma, tot Sanctorum Patrum glorificis dilata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in suis venerabilibus sanctuariis ho- norata, facta es modo opprobrium, & subsan- nationis illusio gentibus, quæ circumstant. Ve- nerunt inquam gentes in hanc Sanctorum hæ- reditatem quæ in cordis insipientia Deum in Sanctis suis non cogitant & dum divina templa poliuere non formidant, Ecclesiarum pecunias & loca desolaverunt ipsarum. Ergo suppliciter nos peculiaris Christi, & Ecclesiæ suæ populus, grex Dominicus, & pascua, boni pastoris oves, & tu Deus ultionum Dominus hanc, tuam, & Ecclesiæ tuæ temporibus nostris ulciscaris inju- riam. In conspectu tuo sic gemitus compedito- rum introeat, sicque oppressorum clamor ad se- dem majestatis tuæ ascendat, ut iniquitates istas quas fidelis populus tuus patitur a gentibus quæ te non noverunt provida clementia tuæ propi- tiationis aboleat & miseratio tuæ pietatis ab- stergat.

Jam inter hæc Conradinus una cum filio Du- cis Austriæ, comitante sibi equitum Teutonico- rum manu in Lombardiam de Alamania vene- rat, ubi aliquantulum moram trahens fautorum quondam Manfredi patrui sui tam de Tuscia, quam de Lombardia cepit tunc quondam per literas oblata subsidia, sed sedula consideratione attendens quod ad invadendum Regnum, & Gallicos in Regno morantes pro illorum comi- tiva Teutonicorum qui sequebantur ipsum non possent etiam triplicata sufficere, consideravit tamen quod Gibellinorum usquequaque subsi- diis, quæ tam a civitatibus, & locis Provincia- rum ipsarum, quarum contra Regem Karolum videbatur pariter agi negotium, quam etiam a personis particularibus, quas vel vicinorum in- vidia, vel temporalium bonorum cupido con- citabat ad arma sumenda, oblata & destinata de- mum sibi fuerant, in uno eodemque exercitu contra Regem ipsum unanimiter adunatis po- terat cum Gallicis qualibet succumbendi subla- ta formidine victoriose pugnare. Unde con- tra monitiones mandati, & inhibitiones tandem expressas Romanæ Sedis Antistitis cum anathe- mate excommunicationis sententiam mente juvenili temere in hac parte contempsit, Ro- mam quam citius venire festinat, ut & fautori- bus, & complicibus suis ejus adventum expe- ctantibus celeriter votum animi sui promat: plus tamen verbosis literis, & præconiis quam pedibus molitur in jam deliberata vestigia. Eum enim fugientem suasiones, & stimuli fortius ad ultima fatorum excidia impellebant, eumdem- que in tantum sub delusoria sponsione Arecii trahebant ad nubilum tenebratum, & sub fe- licitatis ostentamento futuræ, debilem, & in- sanum in medium procellarum fluentium addi- cebant.

Fama igitur de prædictis ad Conradum Capi- cium, & Dopnum Fredericum qui adhuc erant apud Tunisium devoluta statim sub favore il- lius Regis Tunisii cum ducentum Hispanis toti- dem Teutonicis, & quatricentum Turcis sti- bendiariis quos in Tunisio ad Regis ejusdem sti- pendia commorantes avidos ad spolia Siculo- rum tanquam alias expertos temporibus retro- actis esse compererant, in duabus navibus in quibus quidem decem, & septem equos indu- xerant cum eis, multis tamen sellis & frenis mu- niti in Siciliam transfretant.

Hos quædam terra quæ vocatur Schiacca re- galis dominii, sed dehabitata primordinaliter receptavit, ipsisque nonnulli Siculi quos tan- quam perpessos successionis occasione exilium aversos adhuc spes vacua fovebat, grandia ense- nia præsentarunt per quæ non modicum eo- rum debilis fortificatur adventus.

Conradus igitur Capicius per totam Siciliam spargit literas, ac se Illustrissimi Regis Conradini Vicarium in Sicilia generalem literali fictione describit, tales literarum tenores inter alia inti- mando. Ecce Rex noster cito veniet in celebri magnæ potentiæ majestate in manu potenti, & brachio excelso nimis, veniet tanquam verus Dominus novus Rex, & naturalis successor ad hæreditatem sui regiminis, & patrimonii, gen- tem quam unanimiter opprimunt exteri, & gre- gem non suæ possessionis quo possessor violen- tus abutitur liberare disposuit, & te erectam in antiquis felicium progenitorum suorum liber- tatibus confovere.

Cujus sane Conradi Capicii nuntios, & literas quamplura loca & nonnullæ personæ recipiunt, ac Conradini adventum gratificant, & acce- ptant, eo quidem perveniente instabili volun- tate, ut ad Conradini nominis, & honoris ma- gnificationem aspirent: sicque tota Vallis Ma- zaræ, totaque Vallis Nothi, & fere tota Sicilia exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Pa- normum, Messana, & Syracusæ dictorum Con- radi & Dopni Frederici beneplacitis, saltem nu- tibus obtemperare videntur. Cumque quidam Fulco de Podio Riccardi Provincialis natione Vicarius tunc in Sicilia Regis Karoli generalis videret Siciliam tam subito studiosa machina- tione commotam, contra prædictos Conradum & Dopnum Fredericum adhuc in Schiacca pro- pter equitum paucitatem multum debiles ex- istentes, amicorum, & aliorum de consensu quorum fraudulens voluntatis propositum ignorabat exercitum congregavit. Verumta- men prædicti milites convenerunt ipsum Ful- conem, & quod multi violata mente conflictum cum hostibus in montaneis inirent, sedula de- nuo suasione confortant, hac consideratione potissime, ut ipsum sagacius, & liberius pro vo- to possint adducere inpræcipitium, & ruinam, ac eundem, & gentem suam in cibum & præ- dam exercitus hostium præparare, & iis ipsis profectis quamplures extranei proditorie fa- bricaverunt bannerias, & vexilla ad descenden- tibus hostibus ad conflictum ea in ipsorum ho- stium auxilium, & exterminium reliquorum terga vertentium exigerent, & banneriis, & vexil-

vexillis erectis de amicis nova quadam mutatione facta subito gladios, & lanceas converterent in amicos.

Factum est itaque quod dum prælibatus Vicarius prope Schiaccam magnum Siculorum exercitum congregasset, & illi potissime qui vocati in partibus illis vexilla ferebant appellati vulgari linguositate FERENTES fidem Regis Karoli proviteri viderentur, jam dicti Conradus & Dopnus Fredericus, cum equis & equabus, quos & quas invenire tunc poterant in illo modico temporis intervallo versus exercitum contra eos adductum quasi familiares hostes inimicis domesticis appropinquat.

His igitur juxta ejusdem exercitus ambitum audacter subintrantibus loca castrorum statim in ipso debili eorum congressu nullius tutela defensionis adhibita Siculorum agmina fugata finaliter exparguntur ac Provinciales in prædam hostium derelinqunt, ex quibus alii erectis fabris & fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis & vexillis post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post commissionem hinc inde jam factam intrant suorum agmina pedetentim conversique repente in arcum pravæ malitiæ convertunt manus & dimicant contra suos.

Vicarius autem se aspiciens sic subito proditum & dolose deceptum, dimissis pavilionibus, & tentoriis, fractis arnesiis fugæ non improvide petit remedia, nec se voluit discriminoso certamini conscientia gravata committere, sed se, suosque Provinciales a manibus invalescentium hostium eripere studuit fugiendo: pauci vero demum ex omnibus lætaliter vulnerati, quamquam & interfecti, & capti fuerunt multi tam ex Provincialibus, quam ex Siculis supradictis sed hostes, advenientes ad spolia maxime capienda, equos studebant habere potius, quam extinguere morte totaliter.



XV. RICO:

XV.
RICOBALDI FERRARIENSIS
HISTORIA
IMPERATORUM ROMANO-GERMANICORUM
a Carolo M. usque ad ann. 1298. producta.

* * *

PIpino primo ex Francis principe mortuo, Karulus Martellus ex concubina filius patri successit in principatu, vir armis strenuus, qui Saxones armis subegit, Lanfridum Alamanorum ducem devicit, Suevos & Bayverios debellavit, Eudonem etiam Aquitaniæ ducem superavit, Aquitaniam & Burgundiam sibi subjecit. Hic cum bellis vacaret, ecclesias spoliavit decimas militibus conferendo; cujus animam mox Sanctus Eleuterius Episcopus in inferno vidit torqueri. Ejus corpus apud Sanctum Dyonisium conditum est, sed mox post tempora ejus sepulcro aperto nichil in eo inventum est, nisi quidam maximus serpens. Mortuo Karulo Martello successit in principatu ejus, Karulus Magnus primogenitus & Pipinus Secundus; Karulus obtinuit in sortem Turingiam & Austriam, Pipinus vero Burgundiam & Provinciam. Karulus anno quinto principatus sui devotionis causa ad limina Apostolorum Romam profectus est. Ibi coram Papa Zacharia mundo renuntians factus est monachus & cessit in montem Sirati, factoque cœnobio in honorem Sancti Siluri & alio monasterio Sancti Andreæ non longe ab eo monte, & bene dotatis illis ibidem religiose conversatus est; sed cum multi Francorum & Theotonicorum Romam venientes eum inquietarent, transivit ad montem Cassinum ibique post laudabilem vitam quievit in Christo.

Eo tempore claret beatus Bonifacius Maguntinus Archiepiscopus, qui in silva Beetania (Buchonia) Cœnobium Vuldense fundavit in partibus Germaniæ, quod cæteris monasteriis extat præclarius. Igitur Karulo a seculo abdicato, Pipinus secundus frater ejus illi in principatu successit, qui propter ejus strenuitatem vice Ilderici regis Francorum desidis & ignavi regnum gubernabat, & major in aula præ aliis habebatur. Misit igitur ad Papam Zachariam, quis potius rex esse deberet, an ille qui ocio deditus solo nomine regnabat, an ille qui omne regni onus portaret, cui Papa respondit, quod potius regnare deberet, qui utilius regno præesset. Mox Franci Rege suo Ilderico & uxore monasterio inclusis, Pipinum sibi Regem constituunt, quem Sanctus Bonifacius Maguntinus Archiepiscopus jussu Papæ unxit in Regem. Mortuo Zacharia Papa Stephanus Secundus consecratur in Papam. Hujus tempore Astulfus Longobardorum Rex infestus omnibus per vallem Spoletinam Romam pervenit, loca venerabilia populatus est igne ac ferro, censum capitis ab unoquoque exigendo. Stephanus igitur Pipinum ex Francia vocat, tunc in principatu Romanorum Pipinus electus est. Compresso per Pipinum Astulfo, ut superius agitur, Pipinus in Franciam est regressus, sed mortuo Astulfo ejus filius Desiderius Rex Longobardorum creatus est. Eo tempore corpus beati Viti martyris per abbatem Sancti Dionysii nomine Fulcandum a Roma defertur in Franciam. Finito bello Aquitanico & in Arvernia & Guasconia, moritur Pipinus & apud Sanctum Dionysium tumulatur. An. Christi DCCLXVIII. Indictione sexta, cui Karulus Magnus ejus filius in regno successit.

Constantinus quintus Imperator convocata Synodo apud Constantinopolim depositiones imaginum jussit, & ecclesiam maxime infestat, ita ut videretur Dyocletiani quondam Imperatoris in persequendo ecclesiam esse vicarius. Idem Constantinus cum Leone filio suo & Pipino Rege Francorum & patricio Romanorum, ejusque filiis Karulo & Karulomagno annis XVI imperavit. His temporibus Imperator Constantinopolitanus solo nomine imperabat, quod in oriente & meridie Saracenorum gens premebat provincias; unde cum fideles ibi nomen Maumeti blasphemarunt, maxima persecutione afflicti sunt & plurimi martyrio coronati. Regnante in Francia Karulo Adrianus primus Rom. Pontifex propter molestias Desiderii Regis Longobardorum Karulum ad subsidium vocavit ecclesiæ, Karulus copiosum in Italiam duxit exercitum, Desiderium in Papia obsessum in deditionem accepit; Regem, uxorem, liberos ac quosdam ejus proceres captos misit in Gallias. Cuncta quæ Longobardi acceperant, ecclesiæ suæ restituit. In cujus exercitu erant amicissimi sodales Amicus & Melius, quorum miri actus leguntur, qui apud Mortariam, ubi prælio conflixit Karulus, ceciderunt cum Longobardis pugnando, Capto Desiderio Rege terminatum est Regnum Longobardorum; nam demum eum regem habuerunt, quem

quem Cæsares eis dederunt. Karulus mox Romam pergit, cujus instantia Papa Adrianus Synodum eorum Episcoporum CCCLIII. habuit, qua Synodo concessum est jus Karulo eligendi urbis episcopum & ordinandi apostolicam Sedem & diffinitum est Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ante consecrationem investituram ab ipso recipere, filii quoque ejus in reges sunt uncti, Pipinus super Italiam, & Lodovicus super Aquitaniam. Sed mox Pipinus de conjuratione contra patrem facta convictus monasterio intruditur, & ibi consecratur. Eo tempore Alchinius Philosophus præceptor Karuli illustris habetur, quorum opera studium Philosophiæ, quod a græcis Romam translatum, Roma Parisios est translatum. Defuncto Adriano Papa, ut traditur, apud Spinam Lamberti agro Mutinensi, & ejus corpore secundum ejus dispositionem locato monasterio Nonantulano, Leo illi successit, Vir per omnia reverendus; cujus sublimationem propinqui prædecessoris ejus indigne ferentes, cum letanias majores ageret, contra eum populo concitato ei oculos eruerunt & linguam præciderunt. At Deus illi linguam mirabili indulgentia visumque restituit; qui mox confugit ad Karulum, ille vero eum in sua sede restituit & sontes punivit.

Anno nativitatis DCCLXXXXIIII. Romani populo suadente & omnium assensu relicto Imperio Orientali, cujus sedes erat Constantinopoli, Imperatorias laudes Karulo acclamantes Cæsarem & Augustum appellant, qui mox per manus Papæ Leonis tertii diadema suscepit. Tunc Imperium Romanum divisum est, ut Imperium occidentale diceretur Romanorum; aliud vero orientalium, nec de cetero est unitum; hoc vero cessit in Franciæ Reges principe Karulo. Constantinus vero huic Imperio cedens in oriente imperabat, qui ut scriptum invenitur, excæcatus fuit a matre anno Christi DCCXCVI. quarta indictione, qui mox annis sex supervixit. Irene vero mater ejus post hæc imperavit in oriente, post eam Nicephorus, post illum Michael; sed de iis, qui post hos imperaverunt, in oriente non fit sermo in cathalogo Romanorum Augustorum.

Leo quartus dictus Mecazarus filius Constantini quinti, imperavit annis quinque. Hic cum insaniret, concupivit cujusdam ecclesiæ coronam habentem carbunculos, quam cum portaret capite, moritur febre correptus.

Constantinus Sextus Leonis filius cum Irene matre sua imperavit annis decem. Hoc tempore quidam in via publica fodiens archam invenit lapideam quam cum aperuisset comperit cadaver consumtum & literas sic dicentes; Christus nascetur ex Maria Virgine, & credo in eum, sub Constantino & Ierene Imperatoribus o sol iterum me videbis. Constantinus post hæc matrem privavit imperio & annis septem regnavit, Mater ejus fæmineo stimulata dolore filium exoculavit & sola quinque annis regnavit. Per hoc tempus sol XXVII. diebus obscuratus non apparuit, ita ut multi dicerent propter excæcationem hoc accidere. Jerene autem ut securius regnaret, oculos filiorum Constantini fecit evelli ne quid mali adversus eam propter patris excæcationem, quam mors secuta fuerat, machinarentur.

Taurutius Jerenæ filius post matrem in Constantinopolin annis duobus regnavit.

Nicephorus Imperator in Constantinopolim post hæc annis VII. regnavit. Cujus tempore Imperium orientale in nihilum est redactum.

Michael Imperator in Constantinopolim annis duobus regnavit, vir orthodoxus, amabilis omnibus, qui omnes quos Nicephorus læserat, consolatus est, & omnes rectæ fidei adversarios conabatur extinguere. Hic vero tempore Lodovici imperavit, ut infra dicetur.

Anno Christ. nat. DCCXCVI. quarta indictione excæcatus est Constantinus Imperator, qui mox cæcus annis sex supervixit, matre imperante.

Sermo de divisione Imperii.

Quatuor regna maxima habuit præsens ævum primum in oriente, quod dictum est Regnum Assyriorum sive Medorum seu Persarum, quæ gentes habitant regionem sitam inter Indum & Tygrum flumina, montem Caucasum & sinum Persicum maris rubri. Secundum in septentrione, quod dictum est Regnum Macedonum seu Græcorum; In quo monarcha fuit Alexander Philippi: Tertium fuit Karthaginensium in meridie, qui post Græcos regnarunt, præsertim in Libia: Quartum Romanorum, quod fuit in occidente, & hoc fuit robustius ac diuturnius aliis. Regnum hoc a populo Romano cæptum est, & auctum post Punica bella, & Macedonicum Rep. Romana libera existente; post bellum civile inter Cæsarem & Pompejum, Cæsar victor se dominatorem fecit invito Senatu, quod dictatura magistratus erat potestatis plenissimæ, nec se Cæsar ab illo officio abdicabat, quamobrem Cæsar e Senatorum conspiratione occisus, ut libertate solita potirentur. Marcus Antonius cum exercitibus cæsaris & favore plebis insurgens cœpit persequi Cæsaris occisores, Senatus timens illum sibi adversum illius cœptis obviare decrevit. Et consulto Octavianum nepotem Cæsaris & hæredem, ut inter eos, qui ad vindictam Cæsaris studebant, esset dissidium, principem elegerunt. Octavianus igitur & Senatus judicaverunt Antonium hostem publicum, quod Senatus decreta calcaret, persequens Cæsaris occisores. Mortuis consulibus apud Mutinam bellum inferebatur contra Antonium, Octavianus principatum legionum accepit. Tandem opera Lepidi, qui fuerat magister militum Cæsaris, Octavianus & Antonius in concordiam devenerunt. Et perditis occisoribus Cæsaris diviserunt inter se Romanum Imperium, ut Octavianus occidentale, Antonius orientale teneret Imperium. Mox discordantibus illis facti sunt hostes, Octavianus superato Antonio & a se ipso occiso Romam rediit anno XII. quam fuerat princeps electus, tunc ei a populo & Senatu Romano collata est

est dignitas Augustalis, & est factus monarcha: hoc est principium Romanorum Augustorum, & ab hoc alii nominati Augusti. Hactenus erat Cæsar Octavianus, nunc autem Augustus. Et majus est esse Augustum, quam Cæsarem. Cæsar est ab exercitu princeps electus, Augustus est, cui Senatus Romanus consensum & autoritatem contulerit. Augustus Cæsarem potest creare, non Cæsar Augustum; & Augustus Augustum creare potest, ut Diocletianus Maximianum Augustum & Cæsares Galerium & Constantium: Augustus quoque successorem unum & plures Imperio instituebat, ut Augustus Tyberium, Tyberius Gajum, Theodosius filios, Tyberius Secundus Mauritium generum. Si Augustus successorem non reliquerat, aut culpis majorum descendentes ex genere Augustorum Romani respuebant, tunc exercitus eligebat Cæsarem, & Senatus, si sibi placebat, illum appellabat Augustum, & licet interdum duo vel plures essent Augusti, tamen imperium unum erat; sed Augusti, ut facilius possent comprimere barbaros orientis, secundam a Roma sedem posuerunt in Trachiæ urbe Constantinopoli, & ibi plurimum habitabant; sed cum temporibus primi Adriani Papæ Romanis pressis a Longobardis opem non ferrent Augusti in oriente morantes, Romani consensu Imperatoris & opera pontificis urbis, dividentes imperium, sibi Imperatorem in occidentis imperio, quod dicitur Romanorum Imperium creaverunt. Et primo Karulo Pipini filio Franciæ Regi & in successores illius imperialis dignitas est collata, & ab hoc tempore divisum est imperium Romanum in duo imperia, nec ulterius est unitum, & successit in Imperio proles Karuli usque in Lodovicum tertium Arnulphi filium, tunc illius ignavia hoc Imperium occidentis partitum est aliquo tempore, ut aliqui imperarent in Gallia, aliqui in Italia, aliqui in Theotonia usque ad primum Othonem Theotonicum genere. Nam Theotonici meritis eorum, deficientibus Francis & Italicis ad opem ecclesiæ Romanæ, obtinuerunt jus & potestatem eligendi Augustum. Sed cum olim de institutione succederet Imperator voluntate decedentis, nunc per electionem procerum jus in hoc habentium Imperator eligitur. Quæsitum est horum duorum imperiorum utrum dignius. Nam quidam dicunt, quod orientis Imperium, quod potentiores Romani tunc monarchæ eam portionem Imperii sibi prælegerunt potissimum; occidentali parti renunciantes, & Augustus integer in oriente remansit. Mea quidem sententia est, hoc occidentale dignius illo fore, quippe Romanus populus & Senatus Imperium constituere Romanum; & ubi Roma & Senatus, ibi est stipes Imperii; In Constantinopoli vero est ramus. Occidentale Imperium pater est, Orientale est filius, & quod ex patre filius est, & non pater ex filio, pater dignius approbat Occidentis sive Romanorum. Imperator populi & Senatus Romani ac Romani Pontificis auctoritate fulctus est. Hic est stipes & radix Imperii. In oriente est truncus, & ubi radix, ibi vigor; ramus a stipite cæsus arescit, abscisso ramo viret stipes & pululat; quamobrem hoc orientali est dignius judicandum.

Karulus Magnus.

Anno nat. Christi DCCCII. anno vero octavo Pontificatus Leonis tertii Papæ, qui sedit in Romana sede primum anno Chr. DCCXCIIII. Karulus Magnus Imperio Romano potitus est & a Leone tertio Papa coronatus est. Tunc divisum est Romanum Imperium, nec ulterius est unitum. Nam Karulus Romanorum Imperator est dictus, Constantinus vero sextus & ejus successores orientalis Imperii Cæsares appellati sunt. Karulus antequam Imperator esset, Desiderium Regem Longobardorum, ut supra legitur, cepit. Ejus tempore fuerunt Comites Palatini Rotholandus ejus sororis filius & alii, de quibus gesta habentur, qui in Hyspania perierunt. Karulus bis subegit Hyspanos; Saxones subjugavit & gentem Germanorum: super Rhenum duos pontes construxit.

Romam pergens longe ab urbe miliario pedes accessit in urbem loca urbis venerabilia pedes visitavit, postes ecclesiarum humiliter osculando & munera larga largitus est. Omnia quæ pater suus Pipinus pro ecclesia statuerat, confirmavit, addito ducatu Spoleti. Hic etiam terram sanctam a Saracenis occupatam, comitatus Legatis Imperatoris & Patriarchæ Constantinopolitanorum, vendicavit cultui Christiano. Mox ad ipsum Imperatorem pervenit, qui Karulo aurum & gemmas multas obtulit. Sed eis spretis Karulus ab Imperatore solum voluit sacra donaria. Recepit itaque ab illo partem etiam crucis Dominicæ, Sudarium domini, Camisiam beatæ Mariæ, & brachium Sancti Symeonis, quæ omnia secum detulit in Europam. Karulus barbam prolixam ad pectus ferebat, formoso corpore, visu ferus, octo pedum ejus fuit statura, facies ejus palmum & dimidium habebat, frons pedis unius. Equitem & equum uno ictu spada armatum dissecuit, quatuor feramenta pedum equorum manibus extendebat. Militem armatum stantem super manum suam a terra ad caput sola manu velociter elevabat. Leporem integrum aut duas gallinas vel anserem una refectione edebat, parcus in potu raro ultra ternam vicem potabat in cœna, satis literis doctus. In quibus per singulos studebat, Monasteria multa construxit. Inter quæ ecclesia beati Jacobi in Gallecia. Tot autem monasteria construxit, quot est numerus literarum. In singulis eorum in crepidine seu fornice super altaria unum ex elementis aureum fecit impingi & primo quidem A, secundo B, tertio C, sicque de ceteris, propter quod potest discerni, quotum fuerit in construendo quodlibet eorum cœnobiorum. De hoc tanto viro mirabile dicitur, quod nullam duarum filiarum, quamdiu vixit, conjugio tradere voluit, dicebat se earum contubernio carere non posse, & ut Alcuinus ejus doctor scribit de eo, licet alias felix esset, in hoc adversæ fortunæ malignitatem expertus est. Satis declarans quid super

hoc vellet dicere, quod tamen Imperator ita dissimulavit, ac si de eo nulla haberetur suspicio, quamvis de eo multus sermo haberetur per homines. Unde quocunque iter faciebat eas sibi Comites suæ profectionis (sumebat). Karulus primogenito filio suo Ludovico coronato & de regno disposito moritur & Aquis grani in basilica beatæ Mariæ, quam construxerat, sepelitur. Ante vero quam moreretur advocatis Prælatis, quos habere potuit, omnes thesauros suos tradidit per ecclesias distribuendos. Mortuus est autem ætatis anno LXXI. quinto Kal. Febr. Anno regni Francorum XLVII. Italiæ subactæ anno XLIII. anno Imperii XIIII. Scribit Torpinus Episcopus Remensis, quod in castris Karuli dum esset in Hispania, Miles quidam moriens cuidam commilitoni propinquo suo in fide commisit, ut equos ejus & cum armis utensilia venderet, & pretia pie pauperibus erogaret. Acto funere ejus ille avaritia tentus sibi ea tenebat, cum autem pluries in somnis esset increpitus de perfidia, nec tamen ea, quæ male tenebat vellet exhibere, ut in fide promiserat, de die a dæmonibus, omnibus videntibus, de castris ereptus est, & licet clamaret in aëre & dæmones rugitus ederent, absportatus est longe illinc. Ejus cadaver discerptum mox inventum est inde eminus spatio quatuor dietarum.

De adinventionibus divini officii.

Hujus Imperatoris tempore, eo svadente, omissum est officium Ambrosianum, & Gregorianum venit in usum. Nam Ambrosius mœrore affectus persecutione Justinæ Augustæ matris Gratiani Augusti, Arrianæ, in solatium ecclesiæ instituit hymnos & psalmos secundum morem Orientalium decantari, qui mos per ceteras repsit Ecclesias. Gregorius superveniens plura mutavit, demovit & addidit; Sancti enim primi statim omnia ad decorem ecclesiæ videre non potuerunt, sed diversi diversa addiderunt. Nam missæ inceptio tres habuit varietates; prius enim a lectione inchoabatur, sicut sabbato sacro adhuc. Post Cælestinus Papa psalmos ad introitum missæ cantare instituit; Gregorius vero introitum missæ in cantu ordinavit, & illum usum ex illo psalmo, qui cantatur, cantari retinuit: psalmos enim olim circa aram in modum coronæ circumstantes concorditer concinebant, Eoque dictus est chorus: Sed Flavianus & Theodorus, quod alternatim cantarentur, instituerunt ab Ignatio hoc habentes, qui super hoc divinitus doctus fuit. Jeronimus psalmos, epistolas, Evangelia, & ex magna parte officia divina & nocturna præter cantum ordinavit. Gelasius & Gregorius orationes & cantus addiderunt & lectionibus & evangeliis coaptaverunt. Gradualia, Tractus & Alleluja Ambrosius, Gelasius & Gregorius ad missam cantari instituerunt. Hylarius addidit ad Gloria in excelsis Deo, Laudamus te, & quæ sequuntur. Notherius Abbas Sancti Galli Sequentias pro neophytis ipsius Abbatiæ composuit. Sed Nicolaus Papa ad Missam eas cantari concessit. Hermannus Contractus Theotonicus fecit: Rex omnipotens, & Ave Maria, & Sancti Spiritus assit nobis gratia, & Antiphonam, Alma redemptoris & Symon Bariona. Quidam scripsit, quod Robertus Rex Franciæ fecit Sancti Spiritus nobis assit gratia. Petrus vero de Compostella Episcopus edidit salve regina Mariæ &c.

Lodovicus regnat annis XXV.

Anno nativitatis Christi DCCCXVI. Lodovicus Karuli filius succedit imperio, qui annis XXV. imperavit. Hic duos fratres habuit unum, qui Theotoniam regebat, alium qui Hispaniam; hos ambos sibi adversantes superavit, ultimo malo fine vitam finierunt. Ludovico tres nati fuerunt scilicet Lotharius, cui Cæsari facto pater Italiam commisit regendam: Karulus secundus filius a patre Aquitaniæ Rex factus est, Lodovicum filium tertium Bavariæ & Germaniæ principari fecit. Hujus tempore in territorio Tulensi puella annorum XII. post sacram communionem a sacerdote in Pasca susceptam per menses sex pane & aqua; deinde ab omni cibo & potu per triennium abstinuit. Hujus tempore in Gallia ante solstitium æstivale orta tempestate cum grandine ingens fragmentum glaciei de cœlo cecidit, cujus latitudo sex pedum & longitudo XV. altitudo duorum fuit. Huic Michael Imperator Constantinopolitanus inter cætera munera misit libros beati Dyonisii de Hierarchiis angelorum in latinum translatos, qui cum gaudio sunt recepti, & ea nocte in ejus ecclesia XIX. infirmi curati sunt.

Tempore Ludovici clementissimi principis Episcopi & clerici vestes exquisitas & auro tectas aliaque ornamenta secularia deposuerunt. Ludovicus Theophilum Aurelienſem Episcopum falso accusatum Andegavis custodiæ mancipavit. Cum die palmarum clerus & Imperator cum processione pergerent, eo ubi erat domus custodiæ, idem Theophilus aperta fenestra, factoque silentio pulcerrimos illos versus a se editos præsente Imperatore cantavit scil. Gloria laus & honor tibi sit Rex Christe &c. qui in tantum Imperatori placuerunt, quod eum absolvit a vinculis & in propria sede restituit. Moritur Ludovicus relictis tribus liberis Lothario Karulo & Lodovico.

Reg. Lotharius primus ann. XI.

Lotharius senior Lodovici filius patri succedit usurpando imperium. Ejus fratres id ægre ferentes, in eum armis contendunt & in pago Altissodorensi prælio sunt congressi tanta strage utrinque acta, quod ante in gente Francorum tanta non fuit; & cum attenuatis viribus adversariis eorum non possent resistere, post damna componunt, regnum dividunt: Ludovicus obtinuit Germaniam, Karulus Franciam, Lotharius Italiam & partem Franciæ quæ dicitur Lotharingia. Lotharius mox cum filio suo Ludovico annis V. imperavit, Anno imperii XV. partito inter filios regno, renuntiavit seculo, & in Prumia monasterio suscepto habitu monachali obdormivit in Christo. De cujus anima maxima inter angelos & dæmones altercatio

catio fuit, ita ut cunctis assistentibus corpus distrahi videretur; sed orationibus monachorum dæmones fugati sunt. Anno nono Imperii ejus, corpus beatæ Helenæ matris Constantini majoris, quod Romæ in ecclesia Sanctorum Marcellini & Petri conditum erat, in Franciam est translatum, & in dyocesi Remensi excolitur.

Reg. Ludovicus secundus annis XXI. Anno Christi VIIICL.

Lodovicus secundus Lotharii filius post patrem annis XXI. imperavit, qui a Nergio secundo Papa coronatus est. Hujus tempore in Brixia Italiæ tribus diebus & totidem noctibus sanguis fertur de cælo pluisse. Per idem tempus locustæ innumerabiles in Galliis apparuerunt alas senas habentes, senos pedes & dentes duos duriores lapillis, turmatim volantes, ut acies castrorum, spatium diurni itineris & quatuor aut quinque millium per amplum extendentes omnia viridia herbarum & arborum devorantes, ad mare Britanicum tandem pervenientes ventorum flatibus immersæ sunt mari; sed cum fluctuum æstus eas rejecisset in littus earum fœtore aërem corrumpunt, eoque tantæ internecionis lues subsecuta est, ut fere tertiam hominum partem deleverit. Hujus Lodovici filius Karulus per tres dies in patris & optimatum (conspectu) vexatus est dæmone, qui mox fassus est, hoc sibi accidisse, quod conjuraverat contra patrem. In parochia quoque Maguntina malignus spiritus domorum parietes quasi malleis pulsans manifeste loquens, & discordias seminando, adeo vexabat homines, quod quocunque intrasset, statim domus illa exurebatur, presbiteris Letanias agentibus & aquam benedictam aspergentibus lapides jactabat, & aliquos cruentabat, tandem confessus est, quod dum aqua illa aspergeretur, latitabat sub cappa unius ex illis sacerdotibus sui familiaris, qui filiæ sui procuratoris stuprum intulerat. Per hæc tempora quidam Rex (Bulgarorum) ad fidem conversus tantæ perfectionis fuit, ut tradito regno primogenito ipse monasterio se dicarit; cum autem filius ejus Rex gentilium cultum tenere cœpisset, pater re comperta habitum monachalem deposuit & prosecutus filium cepit & effossis oculis eum trusit in carcerem. Mox regno tradito filio juniori habitum monachalem resumpsit. Saraceni per Italiam discurrentes ecclesiam beati Benedicti incenderunt tempore Johannis octavi urbis Episcopi. Lodovicus in Italia moritur, cui patruus ejus Karulus successit Imperio.

Regnat Karulus secundus ann. I. mens. VIIII. Anno Christi VIIICLXXI.

Karulus secundus dictus Calvus primi Lodovici filius & frater Lotharii superioris successit Imperio, qui imperavit anno uno & mensibus novem. Hic Romam pergens, Johannem octavum Papam & Romanos placavit muneribus, a Papa imperium obtinuit. Multa in Italia & in Francia construxit cænobia, & demolita restauravit ac largis possessionibus ampliavit. Ejus tempore Saraceni pelluntur Sicilia.

Regn. Karulus tertius ann. XII. Anno Christi VIIICLXXIII.

Karulus tertius dictus Grossus vel Simplex succedit, qui regnavit annis XII. Hic anno secundo imperii a Johanne VIII. Papa coronatur, qui Galliam & Germaniam possedit pacifice. Hujus tempore quinque millia Romanorum & ultra a Gallicis perimuntur. Anno Christi DCCCLXXXV. Rollo cum gente de Dania venit in locum, ubi nunc est Normandia. Karulus Simplex Rex Franciæ facto fœdere post bellum illis eam terram concessit, ac filiam suam Rollo in conjugem dedit, qui baptizatus est anno Christo DCCCC. & vocatus est Robertus: qui primus fuit principum Romanorum, qui obtinuerunt Appuliam, ex quibus fuit Robertus Gviscardus, qui vicit Alexium Imperatorem Constantinopolitanum in MLXXXVIII. Gregorio VIII. Papa.

Regnat Arnulfus annos XI. anno Christi VIIICLXXXV.

Arnulphus post, annis XI. imperavit, qui longa lue pediculorum correptus adjuvari non potuit, quin ab eis consumeretur. Arnulfo successit filius ejus Lodovicus, ad coronam tamen imperii non pervenit.

Regnat Ludovicus tertius ann. VI. Anno Christi VIIILXXXXVI.

Lodovicus Arnulfi filius, annis sex, vel quatuor, secundum alios, imperavit: hic coronatus non fuit imperio, & ultimus fuit ex progenie Karuli & Pipini, qui regnavit in Francia & imperium gubernavit. Hoc regnante translatum est imperium ad Italicos & divisum est, ita ut aliqui in Italia, aliqui in Alamania imperarent usque ad tempora primi Othonis, qui utrobique imperavit imperium solidando.

Imperat in Italia Berengarius primus.

Berengarius primus in Italia imperat annis quatuor, vel VI. secundum alios; hic in armis strenuus cum Romanis bellatus est. Hoc tempore a Gvilielmo pio principe Burgundiæ Cluniacense monasterium est fundatum.

Conradus eo tempore in Alamania annis septem imperavit. Hic inter Imperatores non ponitur, quod benedictionem non habuit Papalem, nec in Italia imperavit. Hoc tempore Saraceni Siciliam, Apuliam & pene totam Italiam oppresserunt.

Berengarius annis duobus vel quatuor in Italia imperavit.

Henricus Saxo annis XVIII. in Alamannia imperavit, unde inter imperatores non ponitur, quod nec coronatus fuit a Papa, nec in Italia imperavit. Hoc tempore Spitigeus Dux Boëmorum ad fidem convertitur, qui religiose, licet Rex esset, conversatus est, cui successit in ducatu filius ejus Hyenceslaus vir pollens justitia, in sanctitate conspicuus. Hunc frater ejus stimulatus invidia occidit anno primo Othonis primi & principatum fratris invasit, Otho imperator annis XIIII. hunc persecutus est fratris

ultione & cum magna ruina prostravit. Sanctus itaque Hyenceslaus unicus tantæ humilitatis fuit, licet esset princeps & dominus, quod cum uno servo clam de nocte ad primam silvam ibat, de qua lectis lignis ea propriis humeris ad fores viduarum relinquebat & pauperum. De agro quoque proprio spicas legebat & granis propriis manibus excussis ex eis hostias conficiebat & per ecclesias dispertiebatur humiliter. Hic post annos CCC suæ passionis, Regi Dacorum Henrico quiescenti per visum apparuit, eique cum suo genere mortis moriturum esse revelavit, præcipiens ei, ut in honorem ipsius, qui Hyenceslaus dicebatur, monasterium faceret. Rex a somno consurgens, de visione stupefactus de sancto, de quo nunquam audiverat, ab episcopis & aliis cœpit exquirere, & audito quod fuisset princeps Boëmiæ & a fratre occisus, cœpit illi ad honorem illius & nominis illius in Ralba Cystercienfis ordinis monasterium magnis prædiis addotatum; sed antequam opus perficeret, fratre suo dicto Abel procurante, sicut revelaverat, est peremtus.

Uto rex primus Franciæ, qui regnavit post descendentes a Karulo his temporibus in Gallis annis XXVII. imperavit. Hujus tempore Ungari usque in Hyspaniam transierunt, armis omnia opprimendo.

Berengarius tertius annis septem in Italia imperavit, cujus tempore fuit in Italia magnum scisma.

Lotharius secundus annis imperavit duobus in Italia. Hujus tempore sol factus est sangvineus; mox post paucos dies lues hominum est secuta.

Berengarius quartus in Italia cum Alberto filio annis undecim imperavit. Hic nimia feritate pressit Italiam Davildamque (Adeleidam) uxorem Lotharii Imperatoris carceri inclusam servavit, quam mox Otho primus Imperator a vinculis liberavit eamque sibi conjugem accipiens Natalis domini festum celebravit Papiæ, mox Otho Berengario recepto in gratiam ei Longobardiam restituit, exceptis Marchia Trevisina & Veronensium & Aquilegia. Deinde post modico a Papa & Longobardis ad Othonem legati veniunt, de tyrannide Berengarii conquerentes. Otho ergo pro corona imperii Romam pergens a Longobardis reverenter excipitur & in Baveriam relegato (Berengario) Romam profectus est; ubi a Papa & a Romanis devote recipitur. Hoc tempore duæ mulieres in Gvasconia visæ sunt, unum corpus ab umbilico infra habentes, quarum altera dormiente, altera manducabat, nec tamen uno die defunctæ sunt vita.

Otho primus annis XII. Anno Christi DCCCCL.

Otho primus Henrici regis superioris filius primus ex Theotonicorum gente imperium occidentis solus obtinuit, qui imperavit annis XII. Hoc imperante desierunt Italici imperare. Hic cum multa potentia in Saxonia regnasset, propter malum statum Papæ Johannis XII. a quibusdam Cardinalibus clam vocatus est, ut necessitati Romanæ ecclesiæ subveniret & Imperii gubernacula possessurus adiret. Iter ergo faciens per Longobardiam & Tusciam Romam pervenit, ubi a Papa & a populo in urbe honorifice susceptus diadema imperiale adeptus est & multa donaria ecclesiis est largitus.

Otho secundus regnat annis IX. Anno Christi DCCCCLXII.

Otho secundus superioris filius cum Othone filio suo annis novem imperavit. Hic dum Italici pacem sæpe violarent, Romam venit apud Gradus ecclesiæ pontificibus & proceribus grande paravit convivium, quibus epulantibus latenter omnes cingi fecit armatis militibus, mox de violata sæpe pace querimoniam profert, & nomina eorum, qui sontes erant, fecit edici, quibus nominatis statim eos decapitari fecit, alios epulari jussit. Otho dum Græcos Calabria incaute prosequitur, amissis militibus, de navi exiliens evasit: mox collecto exercitu Beneventum obsedit, quo capto, beati Bartholomei Apostoli ossa inde asportavit, & in Insula collocavit in tumba, ut ea inde transferret in patriam. Sed eo ibi in brevi defuncto pretiosus thesaurus ossium Romæ remansit usque in diem præsentem. Hic Imperator bellicosus adeo, ut sit nominatus Pallida mors Saracenorum.

Regnat Otho tertius ann. XIX. Anno Christi DCCCCLXXI.

Otho tertius filius Othonis secundi imperavit a tempore Papæ Benedicti sexti usque ad tempora Silvestri sexti Papæ annis XIX. Hic Romam veniens a Papa Gregorio quinto coronatus est. Mox ordinata Italia per Galliam in Saxoniam est reversus. Crescentius vero Romanorum Consul fugato Gregorio Papa Johannem Græcum Placentinum episcopum pecuniosum ordinavit in Papam, quod audiens Imperator Romam cum furore reversus Crescentium tam diu in castro sancti Angeli obsedit, quo usque castro & homine est potitus. Crescentium captum decapitavit. Ipsum vero Pontificem exoculatum prius, debilitatos & membris alios nobiles sontes secum traxit in Saxoniam, mox brevi migravit a seculo. Hic ob sui strenuitatem dicebatur Mirabilia mundi. Hic, ut habetur in historiis, coniugem habuit, quæ cuidam Comiti imperatoris voluit commisceri. Ille aspernatus est scelus. Illa cæco furore stimulata in odium illius viro detulit, quod eam ille ad turpitudinem sollicitabat, propter quod jussu Imperatoris decollatus est. Sed priusquam morti traderetur, rogavit uxorem, ut Judicio candentis ferri eum probet innocentem, adest dies, quo Imperator in auditorio se offert, pupillis & viduis audire delata; affuit & vidua, mariti caput habens in ulnis quæsivitque ab Imperatore, qua morte dignus esset, qui aliquem injuste occidisset. Qui respondit capitis abscissione; tu, inquit, es ille, qui virum meum innocentem uxoris tuæ suggestione occidi fecisti; ut me verum asserere comprobes, hoc candentis

dentis ferri judicio approbabo; quod audiens Imperator obstupuit, & in manus fœminæ, quod receperat, caput sepeliendum dedit, interventu tamen Pontificum & procerum dierum decem, mox octo tertio, septem, quarto, sex a vidua recepit inducias. Examinata demum causa,& veritate comperta uxorem Vitam vivam fecit igne cremari; pro sui vero redemtione viduæ quatuor castella exhibuit, & vocantur induciis dierum Decimum, Octavum, Septimum & Sextum.

Henrichus primus regn. ann. XII. mens. VI. anno Christi DCCCCXCVII.

Henrichus primus dux Bavariæ imperavit ann. XII. mens. sex,qui Imperium orsus est tempore Silvestri secundi urbis episcopi usque ad tempus Benedicti octavi Romani Episcopi. Hic Henricus primus dictus est inter Imperatores, quod superior Henricus non computatur inter Augustos; in regno autem Alamaniæ nominatur secundus. Hujus tempore luna visa est colore cruento. Hic Henricus sororem suam nomine, Gallam (Gislam) in conjugium dedit regi Ungariæ adhuc gentili, propter quod ipse rex & ejus gens ad Christi fidem conversi sunt; qui Rex Stephanus tantæ virtutis fuit,ut multorum miraculorum illustremDeus illum reddiderit. Henricus vero Cæsar & ejus uxor Kunegundis virgines permanserunt, & vitam agentes cœlibem, fato concesserunt,post cujus initium annis duobus vocavit imperium. Robertus rex Franciæ vir sanctus agnoscitur, quo orante in ecclesia, muri castelli, quod obsidebat, corruerunt.

Regn. Conradus primus ann. XX. Anno Christi M.XIX.

Conradus primus dux ex Francorum genere vir, nepos superioris Henrici successit imperio, qui annos XX. imperavit. Hic pacem in terra servare cupiens statuit, qui pacem violaret, capite puniretur. Hujus tempore visa est trabs ignea in cœlo miræ magnitudinis currere super solem jam ad occasum vergentem, & in terram cadere. Hic Imperator quosdam episcopos de Italia conjecit in vincula, & quod episcopus Mediolanensis aufugerat,ejus civitatis igne consumpsit suburbia: die ergo Pentecostes, dum imperator apud Romam coronaretur ad Missam, tam gravia tonitrua sunt audita, & fulgura visa sunt, ut aliqui mente excederent, aliqui spiritum exalarent. Bruno episcopus,Augusti familiaris, qui missam celebrabat, & alii dixerunt, se beatum Ambrosium tunc ibidem vidisse Imperatori fortiter comminantem. Hujus Augusti tempore comes Lupuldus iram regis metuens cum uxore in silvæ tugurio latitabat, in qua silva, dum Imperator venaretur, nocte superveniente in eo tugurio eum oportuit hospitari, cui hospita prægnans, vicina partui decenter, ut potuit, ministravit & lectulum stravit. Ea nocte mulier masculum peperit, Cæsar tertio vocem ad se venientem audivit hoc modo: Conrade hic puer nunc genitus gener tuus erit. Mane ergo surgens duos armigeros sibi secretarios vocat. Ite, inquit, confestim & puerum illum de sinu matris ereptum per medium scindite, & illius cor mihi afferte. Illi conciti regis mandatum explere festinant, de sinu matris infantulum eripiunt, quem videntes elegantis vultus, miseria moti ipsum super quandam arborem, ne a feris devoraretur, apponunt, & cor leporis Cæsari detulerunt. Ea die dux quidam ea iter faciens, qua erat puer, audivit puerum vagientem, eum ad se portari imperat, & dum liberis orbus esset, illum nutriri mandavit, confingens illum ex uxore progenitum, eumque vocavit Henricum. Igitur cum puer esset adultus,erat corpore elegans, ore facundus & omnibus gratiosus, quem Imperator tam prudentem & decorum videns a patre expetiit, ut illum sibi haberet ministeriis assistentem. Cum autem illum cunctis amabilem cerneret,& ab omnibus commendari, dubitare cœpit, ne hic esset ille, quem occidi præceperat & qui post eum regnaret. Volens igitur his occurrere, manibus suis literas scribit uxori, in hunc modum: In quantum vitam caram habes, mox ut literas istas receperis, puerum istum perimi facias. Dum ergo puer literarum gerulus iter faciens, in quadam ecclesia labore fessus quiesceret & dormiret, super banchum decubans, loculus, quo servabat literas, dependebat; sacerdos curiosus loculum aperit, Literas regis sigillo signatas aperit atque legit, quas cum legisset, scelus obhorruit, & radens subtiliter, ubi dicebant: hunc perimens; scripsit sic: Filiam nostram dabis: abiit juvenis & literas Augustæ porrexit, quæ cum literas Imperatoris & sigillum vidisset,convocatis principibus nuptias celebravit,& filiam illi matrimonio copulavit,quæ Aquis granis celebratæ sunt; quæ cum imperatori nunciata sunt,obstupuit, & sciscitatus ab armigeris rei veritatem & a duce & sacerdote & comperto omni negotio, ordinationi Dei non esse resistendum professus est, & mittens pro puero, in generum tenuit & moriens imperio successorem instituit. Loco autem silvæ, ubi fuit Henricus, mox constructum est monasterium nobile, quod usque in hodiernum diem Ursana vocatur.

Rom. princ. Henricus secundus regnat an. XXII. Anno Christi MXXXIX.

Henricus secundus Conradi gener successit Imperio tempore Papæ Benedicti noni, qui imperavit ann. XVII. secundum alios ann. XI. Henricus omnes joculatores a curia sua removit, &, quæ eis dari debebant, pauperibus erogabat. Hujus tempore Normanni Romam vi sunt ingressi. Eo quoq; tempore Romæ corpus cujusdam Gygantis incorruptum inventum est, cujus vulneris hiatus fuerat quatuor pedum & semis, altitudo vero corporis altitudinem muri vincebat. Lucerna quoque ad caput ejus ardens inventa est, quæ flatu extingui non poterat, nec liquore, sed cum stilo facto foramine subter flammam, extincta est, per illud foramen aere introducto. Ajunt quod Turnus hunc occide-

occiderit, & hoc ipsius erat epitaphium: Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni Militis occidit, more suo jacet hic. Hoc tempore in Apulia erat statua marmorea circum caput habens circulum cum literis hujusmodi: Kalendis Maji oriente sole habebo caput aureum. Quod quidam Saracenus a Roberto Guiscardo captus intelligens, quid loqueretur, in Kalendis Maji oriente sole, termino migrante illius, thesaurum infinitum reperit, quem pro sui redemptione exhibuit. Hujus Henrici tempore fuit in ecclesia magnum schisma, quod tunc tres essent Romani Pontifices. Quidam tamen Gratianus presbyter multa pecunia Papatum obtinuit. Dum Imperator pro hoc negotio Romam pergit, Gratianus ei occurrens auream illi coronam obtulit, Imperator convocata Synodo Gratianum de Symonia convicit & illum aliis subdidit. In libro tamen Deoniti, (alia manu superscriptum BONICI; an forte: Donizi seu Donnizonis vid. inf. 1101.) quem misit ad Comitissam Matyldam, dicitur, quod cum dictus presbyter simplicitate ductus pontificatum sibi per pecuniam acquisivisset, ut schismati obviaret, ipse mox errorem suum cognoscens, suadente Imperatore, se abdicavit officio.

Henricus tertius regnat annis XXXIX. Anno Christi MLVI.

Henricus tertius superioris filius succedit Imperio, qui imperavit secundum quosdam annis XLVIII. Hujus tempore Bruno in Papam eligitur, qui Leo nonus est dictus, qui dum iret ad sedem obtinendam, audivit voces angelorum canentium: Dicit Dominus Ego cogito cogitationes pacis. Hic de multis sanctis cantus composuit. Hoc tempore Lanfrancus prior Boccensis Anselmi Canturiensis magister, insignis doctor habetur, qui sibi in prioratu successit. Hoc tempore ossa beati Nicolai ad Barrensem urbem transferuntur. Hoc tempore quidam potens, dum sederet in convivio, repente a muribus impetitus est, quorum maxima multitudo nihil præter illum appetebant, sed cum a muribus defendi non posset, in pelagus ductus est navi, mures quoque ipsam navim insecuti sunt, & rodebant omnino; in terram tandem ductus totus a muribus dilaceratus est & consumptus. Hoc illi traditur evenisse propter ejus nimiam avaritiam. Nam annonam colligebat avide & servabat usque quo maximo vendebatur. Hic Henricus creditur fuisse genitor matris Comitissæ Mathildæ, quæ virgo aufugit a patre cum juvene ex quo, qui nominatus est Bonifacius Marchio ipsa concepit Mathildam. Imperator vero filiam suam marito promisit, & illi magna in Italia contulit, quibus mox Mathilda successit.

Henricus IIII. ann. XV. Anno Christi MCCV.

Henricus quartus patri succedit, qui annos XV. imperavit, qui patrem suum cepit & mori fecit in vinculis. Ideo Dei judicio sine liberis decessit, cui successit Lotharius Dux Saxoniæ. Anno Christi MXCVI. Tempore Papæ Urbani secundi Christicolæ cruce signati duce Boamundo trans mare profecti sunt per Constantinopolin & Niceam. Anno MXCVIII. capta est Antiochia ab ipso exercitu Christiano. Anno sequente capta est urbs Jerusalem, quæ mox fuit in potestate Christicolarum usque ad tempus Saladini Soldani, quam habuit anno Christi MCLXXXVI. & mansit usque in præsens tempus. Per hæc tempora fames & mortalitas ingruit toto orbe.

Anno Christi MCI. Comitissa Mathilda obsedit Ferrariam, quæ mox post annum XIIII. migravit a seculo. Temporibus dictæ Comitissæ Ildebrandus prior Cluniacensis (imo: Archidiac. Rom.) factus est urbis episcopus. Hic ante Papatum Apostolicæ Sedis legatus apud Lugdunum Archiepiscopum Ebroniensem (forte: Ebroinũm) de Symonia miraculose convicit. Nam cum idem Archiepiscopus omnes accusatores convinceret nec posset convinci, legatus imperavit, ut diceret Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto; dixit: Patri & Filio; sed Spiritui Sancto dicere non poterat; quippe quod in Spiritum Sanctum peccaverat; qui mox peccatum suum confitens, ut privatus est officio, Spiritum Sanctum expedite nominavit. Hoc miraculum refert Bonizo (forte Donizo) in libro ad Comitissam Mathildam. Anno Christi MCVI. apparuit stella Cometes. Per hæc tempora Robertus Guiscardus vicit Alexium Imperatorem Constantinopolitanum. Anno Christi MXI. Henricus Pascalem Papam cum tota curia cepit & conjecit in vincula, quos cum dimisit, exegit ab eis Episcoporum investituram & Abbatum per baculum. Per hæc tempora Robertus Monachus cum aliis XXI. egressi de suo monasterio pro voto mutato habitu nigro in album monasterium Cistertii fundaverunt, ut vitam agerent arctiorem, qui ordo a Deo auctus est in tantum, ut sub se habeat illud monasterium Abbates mille ducentos & plures.

Anno Christi MCXV. moritur Comitissa Mathilda. Hoc tempore beatus Bernardus cum fratribus germanis monasterium est ingressus; & in patria Legiensi porca porcellum enixa est faciem hominis habentem. Mortuo Henrico quarto, Spiræ cum patre sepelitur, cui est istud epitaphium: Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic.

Lotharius IIII. regnat annis XI. Anno Christi MCX.

Lotharius Quartus Dux Saxoniæ annis XI. imperavit, temporibus Honorii Secundi & Innocentii II. urbis Episcoporum: hic zelo Dei & ecclesiæ verus catholicus fuit, & ecclesiæ advocatus. Hujus tempore in Francia tanta fuit siccitas, ut flumina lacus, fontes, ut & putei siccarentur. Ignis quoque primas (f. prunas) subintraverat, ut nec biennio, frigore, imbribus vel alia posset arte extingui. In Hispania quoque mulier gemini monstrum corporis est enixa in speciebus diversis aversis vultibus sibi corpora celebrabant, in parte anteriori facies hominis erat integro

tegro corpore & membrorum miro ordine tota compago; retro vero canis facies & integra proprietas corporis & membrorum. Post hæc tempora Ordo Hospitalis Sancti Johannis Baptistæ in Jerusalem ordinatur. Anno Christi MCXXIIII. Tyrus a Christianis est capta. Anno Christi MCXXVIII. ordinatus est Ordo militum Sanctæ Mariæ de templo per Honorium Secundum Papam, qui mox ab Eugenio Tertio Papa signum crucis rubræ obtinuerunt Anno Christi MCXLVIII.

Conradus Secundus regn. ann. XV.

Conradus Secundus succedit Imperio, qui annis XV. Imperio potitus est, temporibus Pontificum Romanorum Innocentio Secundo, Cœlestino Secundo, Lucio Secundo, Eugenio Tertio. Tempore dicti Conradi & Innocentii Secundi quidam magister Arnoldus in urbe prædicavit, reprehendens superfluitates clericorum, cujus dicta multi optimates Romani laudabant: tandem a clericis captus morte suspendii est damnatus. Eo quoque tempore fames validissima fuit in orbe, ita ut parvus sextarius frumenti X. f. grossis venum venderetur. Ascalonia urbs Palestinæ a Christianis est capta. Anno Christi MCXXXIX. defunctus est Johannes de Temporibus, qui annis vixit CCCLXI. cum armiger fuerit Karuli Magni filii Pipini. His temporibus moritur Ugo de Sancto Victore doctor egregius, qui cum in ultimis esset, & vomitu lassaretur, Eucaristiam postulavit; fratres ut ei satisfacerent, cum dominicum corpus propter vomitum ei dare non vellent simplicem hostiam obtulerunt, quod ille cognoscens ait: misereatur vestri Deus, cur mihi voluistis illudere, hic non est Dominus meus: Fratres mox ei veram hostiam obtulerunt; cum vero videret illam non posse percipere, ait manibus sublevatis: Ascendat Filius ad Patrem & Spiritus ad Deum qui fecit illum, interea spiritum emisit & corpus dominicum disparuit. Anno Christi MCXLVII. Hujus Imperatoris tempore Innocentius Papa concilium Laterani habuit, Gilibertus quoque Porrectanus magnus magister agnoscitur. Anno Christi MCXLVII. Conradus Imperator & Rex Franciæ pro voto trans mare profecti sunt. Anno MCXLVIII. beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in ecclesia apud altare occiditur jussu Regis Angliæ. Eugenius Tertius Papa urbe pulsus a Senatoribus, alio Papa suffecto, in Gallias est profectus & Bernardum Monachum Cisterciensem ante se præmisit, qui viam domini prædicabat, & mira multa Deus per illum agebat. Eugenius Tertius signum crucis indulget militibus Sanctæ Mariæ de Templo. Senatus Romanus innovatus est Anno Christi MCLI. Gratianus Monachus de Classa civitate Tusciæ natus Decretum composuit apud Bononiam Monasterio Sancti Felicis.

Fridericus Primus regnat annis XXXVIII. Anno Christi MCLVII.

Fredericus Primus nepos Conradi succedit imperio, qui annis XXXVII. imperavit, sedentibus in sede Apostolica Eugenio tertio, Anastasio quarto, Adriano quarto, Alexandro tertio, & Lucio tertio. Hic Imperator largus fuit & strenuus ac triumphator. Hic Spoletum destruxit & anno Christi MCLIII. Terdonam oppidum subvertit. Anno Christi MCLVI. inventus est sanguis Domini Jesu Christi Mantuæ. MCLVIII. Cremonam urbem obtinuit, cujus plateam arari fecit, & Laudæ oppidum & Cremonam ædificavit. MCLXII. Mense Martii Mediolanum subvertit cum LXXXII. millibus hominum. Alexander tertius Papa Concilium contraxit. Contra Alexandrum Papam Octavianus Johannes Cremensis tituli Sancti Calixti & Johannes Strumensis successive eliguntur in Papas & Imperatoris fulciuntur favore: duravit hoc scisma annis XVIII. Infra quod tempus Theotonici, qui apud Tusculum pro Imperatore morabantur, Romanos apud pontem Porcam invadunt & tot a hora nona in vesperum cædunt, ut tot vix unquam ulla ætate occisa sint. Anno Christi MCLXX. moritur Rugerius Rex Siciliæ & Argenta oppidum ecclesiæ Ravennensis primum a Ferrariensibus capitur. Anno Christi MCLXXI. Vicentia urbs magno incendio est cremata. MCLXXXI. moritur Emanuel Imperator Constantinopolitanus. Per hæc tempora Petrus Lombardus territorio Navariæ agnoscitur, clarus ingenio qui librum Sententiarum composuit, vir peritus & humilis. Hic cum esset Episcopus Parisinus, quidam optimates illius pagi, quo fuerat genitus, eum salutandi cum matre illius, quam cum eis ducebant, Parisius sunt profecti; & quod mater paupercula erat, eam ut decere opinabantur, vestibus ornaverunt, quibus illa ait: Ego novi filium meum, qui non gaudebit hoc cultu. Profecti ergo ad Episcopum Petrum, matrem offerunt, quam ille intuitus ait: hæc mater mea non est; nam ego fui pauperculæ filius, & oculos avertit ab ea; mater tandem comitibus viæ dixit: Vobis dixi, novi filium meum & mores ejus, date mihi, ut vestiar vestes solitas, tunc me noscet. Resumto ergo solito cultu ad filium reducitur. At Petrus, ubi eam sic aspexit, ait: Hæc mater mea est; hæc est paupercula mater, quæ me genuit, lactavit, fovit & educavit, & surgens eam sinu suo suscepit, & se juxta fecit sedere: Hic etiam Pauli epistolas utiliter compilavit. Per hæc tempora Guilielmus de Marchesella agnoscitur vir princeps in populo Ferrariensi, qui pio voto terram Sanctam adivit; hic studiosius fuit ad opus majoris ecclesiæ in Ferraria. Hic sine liberis obiit. Ex fratre ejus Thedelgardo superstes fuit filia Marchesella, quam fraude Petrus Traversaria de Ravenna de domo Sallinguerræ (eduxit) consilio adversariorum Sallinguerræ & ex composito eam tradiderunt, virginem fere octennem, Azoni Marchioni Estensi, qua habita Marchio hæreditatem illius adeptus est, & in Ferrariam venit capitaneus partis ejus, quæ foverat Guilielmum, qui Marchionibus adversarius fuerat. Obiit Marchesella ante tempus nuptiarum, ante tempus

pus

pus condendi testamentum. Joculi nobiles cives Ferrarienses, qui jure succedebant in hereditate, eam vendicare noluerunt, licet adjutores haberent, contenti ut eam Marchiones haberent, & capitanei suæ partis essent Ferrariæ. Ejus Guilielmi habitatio fuit Ferrariæ parochia Sancti Petri secus Padum. His temporibus visæ sunt tres lunæ, & in medio signum crucis, nec multo post tres soles visi sunt. Per hæc tempora Lucii tertii Papæ agnoscitur Petrus Comestor qui Historias utriusque testamenti utiliter digessit, libro qui dicitur Historia Scolastica. His temporibus viri agnoscuntur illustres s. Guilielmus Rex Siciliæ, Philippus Rex Franciæ, Ricardus Rex Angliæ, Conradus Marchio Montis ferrati. Tempore Alexandri tertii Papæ nimiis terræ motibus attritæ sunt urbes, Antiochia, Tripolis & Damascus in Syria, in Sicilia Cathaniensis urbs penitus est eversa, & ultra XX. millia hominum perierunt ea clade. Mare quoque ultra solitum concussum, ita quod in Sicilia quinque millia hominum sunt extincti. Anno Christi MCLXXXVI. indict. V. Saladinus civitatem Jerusalem in potestatem suam redegit multis Christianis peremtis, & omni illa regione Palestinæ & Phœnicis potitus est, Acon & Biblin in deditionem habuit. Acon autem modico post obtinuerunt Christiani usque ad tempus eversionis ejus, MCCXCII. factæ: Jerusalem autem usque ad præsens tempus non paruit Christianis. Fuit vero Saladinus Princeps Saracenorum, vir sine fide catholica tantæ præstantiæ & virtutis, ut etiam ore Christicolarum inclitus habeatur, nec quisquam illi probitate præferatur, adeo fuit nobilis ingenii & præstantis. Per ea tempora nix alta fuit pedibus octo & ultra tempore Lucii tertii; cujus etiam tempore dicitur fuisse Primas versificator egregius ultra humanum ingenium. Fridericus primus transiens per Thraciam in subsidium terræ sanctæ flumine Ferô suffocatus interiit, relictis duobus filiis Henrico seu Friderico secundo primogenito, & Philippo illo juniori. Per hæc quoque præterita tempora agnitus fuit Guilielmus de Marchesella Princeps Ferrarensis, cujus hereditas per filiam fratris illius Marchesellam devenit in marchiones Estenses.

Henricus quintus regnat VII. annis mens. V.
Anno Christi MCXC.

Henricus quintus superioris filius succedit imperio annis VIII. mens. V. Hic a quibusdam dictus est Fridericus secundus. Hic a Cælestino tertio dicitur coronatus fuisse die secundo pontificatus illius mensis Aprilis, feria secunda post Pascha, quo anno nono Kalendas Julii facta est solis eclipsis fere a tertia usque in nonam. Henricus iste Neapolim obsedit, sed morbis affecto exercitu inde discessit & in Alemaniam est profectus. Mox anno Imperii IIII. rediens totum regnum Siciliæ subjugavit, rebelles pœnis affecit, Filium Tancredi Regis Siculorum cum matre & Margarito Rege Epirotarum secum in Germaniam traxit captivos. Mox Ecclesiæ fuit infestus, eoque Innocentius tertius, qui illi Cœlestino successit, mortuo Henrico dedit operam, ne frater ejus Philippus illi succederet, sed prælegit Othonem Ducem Saxoniæ eumque apud Aquasgranis fecit coronari in Regem. Hujus Henrici tempore tantæ aeris tempestates fuerunt, quæ nulla ætas tantas meminerit. Nam pluviæ, tonitrua & fulgura crebra fuerunt, grando quadrangula ad quantitatem ovorum cum pluvia mixta de cœlo cecidit & vineas & segetes & arbores profligavit & homines plures occidit. Per hæc quoque tempora Hugutio Episcopus Ferrariensis librum derivationum composuit. Hujus Innocentii tertii tempore Concilium coactum est (in)ecclesia, quæ dicitur Constantiniana. (Constantiniana id est Laterana) Hic ædificari fecit, ut ajunt, turrim mirabilem Romæ, quæ nunc dicitur Turris Comitis Johannis Pauli, sumptibus ecclesiæ. Ob cujus rei satisfactionem construi fecit Hospitale Sancti Spiritus Romæ; renovavit etiam ecclesiam Sancti Sixti. Composuit librum decretalium, librum de miseria hominis, sermones: Huic scripsit Gualfredus librum, qui dicitur Poetria novella, Orator Regis Angliæ, & alium librum de officialibus Romanæ curiæ, qui incipit: Pastor apostolicus.

Anno Christi MCXCVIII. moritur Henricus relicto filio Friderico, qui mox fuit inclitus Imperator. Anno MCCIIII. urbs Constantinopolis capitur a Francis & a Venetis ac aliis principibus petentibus Terram Sanctam, Duce Balduino Comite Flandriæ, qui mox fuit Imperator in ea.

Otho IIII. Dux Saxonum regnat annis II.
Anno Christi MCCIX.

Otho quartus Dux Saxonum Romæ in Ecclesia beati Petri ab Innocentio tertio coronatur Imperator, exacto juramento ut jura ecclesiæ tueretur. Ipse vero ea die irritum habuit juramentum. Nam Romipetas spoliavit & regnum Apuliæ invasit contra voluntatem ecclesiæ, eoque statim anathemate percussus est, & Imperio est privatus, & ideo anni Imperii non computantur eidem, quia statim fuit privatus Imperio. Anno Christi MCCXI. indictione nona Fridericus Henrici filius suffragio ecclesiæ a Principibus Alemaniæ Imperator eligitur. Per hæc tempora Elysabeth filia Regis Ungariæ, quæ Langravii conjux fuerat, vita sanctissima, miraculis coruscavit, cujus meritis Deus mortuos suscitavit & hominem natum cœcum illuminavit, de cujus corpore usque in diem hodiernum oleum effluere dicitur. An. MCCXII. moritur Azo Estensis, qui sepultus est Monast. Vangadiciæ, pago qui dicitur abbatia diœcesi Adriensi; hic Azo primus fuit Marchionum Estensium, qui vi principatum Ferrariæ habuit. Nam huic nupserat Marchesella filia fratris Guilielmi de Marchesella viri optimi, summatis in Ferraria. Eo quoque anno moritur Comes Sancti Bonifacii, pater Ricardi Anno MCCXIII. Cremonenses prælio superant Mediolanenses.

diolanenses. Anno MCCXIIII. mortuo Innocentio tertio Honorius tertius ordinatur urbis episcopus. Anno MCCXV. Paduani turrim Baybæ obsederunt, sed imperfecto opere inglorii sunt regressi. Anno MCCXVI. Ordo prædicatorum cœptus est a beato Dominico, & modico post Ordo Minorum a beato Francisco subsecutus est. Anno MCCXX. a Christicolis capitur Damiata, quæ tertio anno sequente devenit in potestatem Saracenorum.

Fridericus secundus annis XXX. Anno Christi MCCXX.

Fridericus secundus Henrici imperatoris filius anno Christi MCCXX. Romæ in ecclesia beati Petri ab Honorio tertio coronatur, qui mox ann. XXX. regnavit. Hic insuper Rex erat Siciliæ & Jerusalem ac Svaviæ Dux. Anno sequente perdita est Damiata eam vendicantibus Saracenis. Anno MCCXXII. apparuit stella cometes, & obiit Rex Franciæ Lodovicus, cui ejus filius alter Lodovicus successit, qui mox Sanctus est habitus. Anno MCCXXIII. die natali Christi hora prandii fuit ingens in Italia terræ motus, qui civitatem Brixiam vexavit potissimum. Anno MCCXXIIII. Marchio Estensis cum Mantuanis & Ricardus Comes cum Veronensibus castra posuerunt apud Ferrariam Pado medio existente. Acto de pace receptus est Comes cum Veronensibus in Ferrariam: Sed cum matronis dicerent, qui eos habebant hospitio, facite bonam cænam, quod novas nuptias hac nocte habebitis, Sallingverra princeps alterius partis hoc audiens, jubet arma corripere. Veniens ergo manu armata in regione occidentis, cum Veronensibus pugnam conserit, quos fugat, capit & spoliat, tunc Comes captus est apud ecclesiam Sancti Johannis. Sallingverræ conjux, cujus idem Comes privignus fuerat, eum suæ assumpsit tutelæ ac domum suam perduxit. Anno MCCXXVII. moritur Honorius, cui successit Gregorius nonus. Eo anno magna in Italia fuit annonæ caritas. Orta inter Fridericum & Gregorium Papam discordia magnarum cladium fuit initium. Ajunt quidam hanc fuisse causam dissidii: Gregorius, ut ajunt, affinitatem cum Friderico contrahere voluit, ut ejus neptem pro filio suo Imperator assumeret, persvadere filiis non potuit, ut id eis placeret: Imperfectum ergo est incœptum. Papa imperatori mandavit, ut cum exercitu succurreret terræ Sanctæ; Imperator mandatum executus est; dum ageret contra hostes Christi, Papa per Ducem suum quasi totam Apuliam de potestate illius eripuit, quo audito Imperator de treuguis cum Saracenis composuit, & celeriter una galea trans mare vectus recepit pauca opida, quæ suis non paruerant adversariis. Mox omnem regionem recepit vel expugnat; dehinc fuit hostis summi Pontificis. Anno MCCXVIII. Rex Castellæ Saracenos pellit Hispania. Et Rex Arragonum armis obtinuit insulas Majoricam, Minoricam ac Valentiam. Anno MCCXXXI. Fridericus Henricum filium suum primogenitum carcere trusit, quod contra patrem res novas moliens, cum Papa tractaverat, abjecto patre potiri imperio, quo in carcere vitam finivit. Hoc quoque anno beatus Anthonius de ordine Minorum defunctus est vita seculi, urbe Padua, ubi corpus ejus coruscat miraculis. Inter cætera Ego Ricobaldus Ferariensis anno Christi MCCXLIII. Paduæ aderam vesperis sollennitatis, quando vir natus mutus, ut omnium civium erat assertio, dum orasset vesperis sub illius sepulcro, loquelam & auditum recepit, quem vidi & audivi loquentem; sed nesciebat loqui, nisi quod verba, quæ audierat, recitabat. Anno MCCXXXII. Imperator transiens per Venetiam, in Forum Julii cum Ecelino ibi fœdus contraxit. Anno MCCXXXIII. frater Johannes de Ordine prædicatorum multos populos convenientes in unum, in agrum Brixiæ contraxit cum eorum Cariotii & paces plures inter eos firmavit. Hic vir fuit plena gratia in sermone, ut facile homines quæcunque persvaderet, amplecterentur. In Montanis Bononiæ Italiæ visæ sunt duæ puellæ uno corpore infra umbilicum, quæ diversis diebus sunt mortuæ. Per hæc tempora Michael Scottus agnoscitur astrologus, Imperatoris Friderici familiaris, qui usum invenit armaturæ capitis, quæ dicitur Cervilerium. Anno MCCXXXIIII. hiems fuit asperrima. Nam aruit Pinetum Ravennæ, ficus, vites & olivæ. Plurimi anno sequente convivia nuptiarum agentes vini defectu aquæ potum ponebant.

De rudibus moribus in Italia.

Per hujus imperatoris tempora rudes erant in Italia ritus & mores; nam viri infulas de squamis ferreis capite gestabant insutas biretis quas appellabant Maiatas. In cœnis vir & uxor una manducabant paropside; usus inciforiorum lignorum non erat in mensis; unus vel duo scyphi in familia erant: nocte cænantes lucernis vel facibus mensas illuminabant, facem tenente uno puerorum vel servo; Nam candelarum de sebo vel de cera usus non erat; Viri clamidibus pelliceis sine operimento, vel laneis sine pellibus & infulis de Pignolato utebantur; mulieres tunicis de Pignolato, & quando veniebant ad nuptias viris suis & conjugatæ. Viles tunc erant cultus virorum & mulierum, aurum & argentum rarum vel nullum erat in vestibus, parcus quoque erat victus; plebeji homines ter in septimana carnibus recentibus vescebantur. Tunc prandio edebant olera cocta carnibus; cænam autem ducebant ipsis carnibus frigidis reservatis; non omnibus erat usus vini æstate; modica denariorum summa se locupletes habebant. Parvæ tunc erant cellæ vinariæ, orca enim ampla promptuariis contenti. Modica dote nubebant fæminæ, quod earum cultus erat parcissimus, virgines in domibus patrum tunica de Pignolato, quæ appellatur Sotanum & paludamento lineo, quod dicebant Xoccam, erant contentæ; ornatus capitis non pretiosus erat virginibus aut nuptis. Conjugatæ latis vittis tempora & genas sub mentum vittabant. Virorum

rum tunc erat gloria esse in armis & equis commodos. Nobilium locupletum erat gloria turres habere, quo tempore urbes Italiæ singulæ multis turribus inclitæ visebantur, Anno MCCXXXV. Beatrix nata Aldrovandini Marchionis Estensis & Anconitani, Andreæ regi Ungariæ jam grandævo matrimonio traditur. Anno sequenti moritur Rex, Uxor ejus habens in utero, in Alemaniam fugit, timens insidias privignorum. Ibi peperit filium, quem nominavit Andream; hic conjugio habuit neptem Pauli Traversarii de Ravenna, quæ moriens filium superstitem reliquit, qui patri præmortuus est. Idem Stephanus mox migravit Venecias, ibique conjugatus est Thomaxinæ de Murisinis, quæ illi peperit filium Andream nomine, qui hodie Ungariæ regno potitur. Anno MCCXXXVI. Guidottus Parmensis, prosapia de Carrigia, Episcopus Mantuanus die rogationum, dum cum populo esset in ecclesia beati Andreæ secundum morem orando, ab Advocatis nobilibus viris Mantuæ est occisus, quamobrem urbe illa exterminati sunt, nec unquam ulterius sunt admissi perpetuo exulantes. Anno sequente Imperator Vicenciam urbem in Venecia occupat & in Alemaniam transit. Anno MCCXXXVII. Imperator Alemania rediens contra Mediolanenses duxit exercitum, quos fortiter expugnavit. Eorum rectorem filium ducis Veneciæ familia Teupoulonum bello captum suspendio perdidit; Carrotium eorum captum Romam in signum victoriæ titulo tali transmisit: Urbs decus orbis Ave, victus tibi destinor ave, Ave currus ab Augusto Friderico Cæsare justo, fle Mediolanum, jam sentis spernere vanum, imperii vires proprias tibi tollere vires; Ergo triumphorum potes urbs memor esse priorum, quos tibi mittebant reges, qui bella gerebant. Anno MCCXXXVIII. Imperator Brixiam obsidione cinxit, sed ea potiri nequivit. Eo etiam anno Ecelinus de Romano in Marchia Trevisii tyrannus obsedit Motagnanam, inde fuga discedente Azzone Marchione Estensi. Anno MCCXXXVIIII. in Burgundia Imperiali circiter quinque millia hominum suffocati sunt ruina unius montis ab aliis scissi, cujus partes per plura millia passuum per vallem unam dilapsæ sunt, & plurimas casas villarum operuit. Tempore quoque hujus Imperatoris & Ferandi regis Hispaniæ in Toleto Judæus quidam rupem saxeam comminuens pro vinea amplianda in medio saxi concavitatem invenit, nulla apparente scissura, in qua concavitate librum reperit psalterii magnitudine quasi folia lignea habentem scriptum literis Græcis, Ebraicis & Latinis. Loquebatur autem liber de triplici mundo ab Adam usque ad Antichristum, cujusque mundi proprietates loquendo: Principium vero tertii mundi posuit, de Christo, sic dicens: In tertio mundo filius Dei nascetur ex virgine Maria & pro salute hominum patietur; quod ut Judæus percepit, cum tota domo sua baptismate est renatus. In illo libro scriptum etiam erat, quod tempore Ferandi regis Castellæ, liber ille inveniri debebat. Simile inventum est tempore Constantini quinti imperatoris dicens: quod quædam lamina aurea in Constantinopoli inventa est, in quodam sepulcro cum defuncto ibi jacente cum tali scripto: Christus nascetur ex virgine & credo in eum. Anno MCCXXXIX. Imperator Paduam venit, Papa autem Gregorius nonus contra eum sententiam excommunicationis promulgat & proceres omnes absolvit a juramento fidelitatis, quod præstiterant Imperatori. Gregorium quoque de Monte longo legatum constituit in Italia, ut totis nisibus imperatori obsistat. Imperator cum Ecelino & Sallingverra confœderatur spretis Marchione Estensi & Comite Veronæ, quos prius habebat præcipuos. Hoc anno mense Junio feria sexta hora nona solis facta est eclipsis, & cælum diu visum est stellatum, ut horis nocturnis.

De obsidione Ferariæ.

Anno Christi MCCXL. Gregorius legatus ecclesiæ, Dux Venetiæ, Bononienses, Mantuani & exules Ferrarienses obsederunt Ferrariam a festo purificationis usque ad primam ebdomadam Junii. Sallingverra præsidio quingentorum equitum ab Imperatore datorum urbem eam tutabatur: diu præliis actum est navalibus maxime & machinis; Seductus tandem Ugo de Kanbertis in spem pacis dixit, omnino pacem habere velle, ne & segetes instantis anni perderet & præsidium parvum quod habebat in Agris castellulo. Cui Sallingverra: Nam & ego pacem præopto maturam, sed non eam, qua hostes superiores nobis freti tot præsidiis inimicissimis hac urbe potiantur eo animo, ut se victores putantes audeant impune quodcunque ira, odium aut libido perpetrandum svasisset: Cæterum si pares viribus nobis admitterentur in urbe concives exules, mihi non esset timori. Tum ille, qui ab illo secundus esset in principatu in urbe, illectus pollicitationibus multis ab iis, quorum intererat, ut voti compotes essent, montes aureos polliceri: Volo, inquit, prorsus hanc urbem pace gaudere. Cui Sallingverra: si hanc pacem præoptas, ego nec abnuere possum. Nam hostes potentissimi, plurimi civium cohabitantium hostibus animo faventes, tu qui hactenus propugnator es, deficis: fiat igitur, sicut optas. Verum scire tibi expedit, quod hujus pacis gladio mihi genitalia, tibi vero nares abscindis. Ego quidem genitalibus operimentum honeste prætendam. At tu deformata naso facie id operimento velare non poteris. Acto igitur de fœdere Sallingverra venit in castra, stipulationibus pacta firmantur. Cum mox legatus cum cæteris agerent irrita promissa ducere, Azo Marchio scelus perfidiæ horrens, detestabatur efficere aliquid contra fidem; cui legatus persuasit, ut calcato honesto & juramento amplecterentur, quod utile sibi foret, ut scil. urbe potiretur illo excluso. Secundum igitur pacta legatus, Dux Veneciæ Potestas Bononiæ & Azo marchio cum omni comitatu castrorum secum Sallingverram jam octuagenarium quasi, ducunt in urbem & atria ejus Sallingverræ petunt

tunt directe, ut fidem servarent, qua promiserant, eum incolumem in domum suam traducere & servare. Cuncti igitur aula discumbunt, Vina, ut moris est, miscentur, fit aliquamdiu sermo festivus. Mox Paulus Traversaria surgit, orat, Sallingverram in multis accusat, quo verbis finem dante, Sallingverra mox surgit, purgatque se ab objectis: tum multi pedibus strepere, iterum & iterum, ut ne ille posset audiri, quod, ut Sallingverra notavit, æger animo certus ad mõ. eo quod suspicabatur, locum sessionis petit; tamen omnes subsellia & aulam deserunt, secum ducunt Sallingverram ad flumen, & navi cum Veneti imponentes traduxerunt Venetias & carcere servant, ubi etiam vitam finivit. Ugo pacis suasor in urbe remansit, sed cum post paucos dies consiliis secretis non admitteretur, animo tabuit. Ruri tandem relegatur. Inde metu mortis abscessit & proscriptus, judicatus est hostis. Ceteri ejus factionis consortes consternati diffugiunt, aut supplices se regnantibus subjiciunt.

Eo anno mense Augusto Fridericus Imperator Ravennam obtinuit, defuncto Paulo jam dicto. Anno MCCXLI. Fridericus Imperator obsedit Faventiam, quam tandem obtinuit, Eo anno mortuo Gregorio Papa Cælestinus succedit, qui dies paucos sedit pontificatu, gensque Tartarorum Ungariam profligavit. Anno Christi MCCXLII. Innocentius quartus genere Januensis pontificatu eligitur ex Cardinali. Nam cum quidam Imperatori congratularentur, eo quod hic, qui eum favebat, sublimatus esset Papatu, ægro vultu ait; amicum perdidi, qui quondam mihi amicus fuit, adversarius dirus erit. Nec falsum locutus est; nam vix biennio latuit inter eos simultas, mox aperte infensi fuerunt in alterutrum. An. MCCXLIIII. cum jam Imperator duos ex Cardinalibus servaret in vinculis, Papa cum in Italia Imperatori non posset obsistere, Januam petit, inde Lugdunum, quo Concilium convocavit. Imperator Cardinalibus aliquot & Curiæ Romanæ ad Concilium pergentibus tetendit mari insidias, quos & cepit: Citatus igitur Imperator eo anno, ut personaliter adesset eo Concilio, ire contempsit Anno Christi MCCXLV. Lugduni celebratur Concilium, quo contra Imperatorem fertur sententia, qui tanquam male de fide sentiens, privatur imperio. Anno altero sequenti Langravius princeps in Alamania opera Romanæ ecclesiæ electus Imperator contra Conradum Friderici filium duxit exercitum. Anno sequente Langravius fato concessit, post quem eligitur Gvilielmus Comes Holandiæ qui mox in brevi a Frixonibus est occisus. Fridericus vero de Apulia venit in Lombardiam civitati Parmensium infestus.

De obidione Civitatis Parmæ.

Anno Christi MCCXLVIII. Fridericus maximo exercitu Parmam cinxit statuens animo eam urben subvertere, unde in suburbiis, ubi castra posuerat, civitatem fossis & vallo ædibusque constrxit, quam nominavit Victoriam. Ducens animo urbe Parmæ subversa eam inclitam & populosam facere multitudine civium urbis subversæ. Ei maxime Cremonenses erant subsidio. At Mantuani, Ferrarienses & cæteri, qui adversabantur Friderico, Parmensibus erant auxilio. Interea dum Fridericus solatio aucupii abesset a castris, cives Parmenses uno agmine portis erumpunt. Novam civitatem impugnant, capiunt, diripiunt, & incendunt. In qua opima spolia habuerunt, Currum quoque Cremonensium in eorum urbem traxerunt captivum. Fridericus viso eminus fumo & re comperta Cremonam aufugit.

Rex Hencius a Bononiensibus capitur.

Anno Christi MCCXLIX. Bononienses in agrum Mutinensem duxerunt exercitum, Hentius Rex Sardiniæ Friderici filius ex concubina de Cremona illo repentinum duxit equitatum, & modica requie lassis equis indulta Mutinæ, Bononiensium petit exercitum, conserta itaque pugna Hencii exercitus vincitur. Ipse Rex captus longa carceris honesta custodia Bononiæ terminum vitæ dedit.

Capitur Damiata.

Eo anno Lodovicus Rex Franciæ cum cruce signatis trans mare ducto exercitu Damiatam urbem in deditionem accepit, quam anno sequente ipse captus a Saracenis pro redemptione sui & cæterorum Saracenis restituit, & domum reversus est fœdere adjuratus.

De morte Friderici.

Anno Christi MCCL. festo beatæ Luciæ Virginis moritur Fridericus in regno anno coronationis ejus XXX. ætatis suæ anno LVII. relictis liberis Conrado rege & duobus filiis Henrici sui primogeniti carcere mortui, Hentio quoque Rege Sardiniæ incluso carcere Bononiæ, & Manfredo principe Tarentino, & aliis sexus promiscui. Fridericus ex prima conjuge genuit Hinricum primogenitum jam prænominatum; Ex secunda filia regis Johannis Conradum genuit, propter quam regnum Jerosolymitanum habuit; Ex tertia, filia regis Angliæ etiam sobolem vidit; Ex sorore vero Marchionum Lanzonum ejus concubina Manfredum genuit, qui mox injuste regnavit.

De moribus & gloria Friderici.

Fuit autem Fridericus non procerus, obeso corpore, subruffus super homines prudens, satis litteratus, linguarum doctus, omnium artium mechanicarum, quibus animum advertit, artifex peritus. Aucupiis avium maxime delectabatur, satis liberalis dignis, non profusus donando, opibus exuberavit. Nam præter imperii jura, Rex erat Siciliæ per genus maternum, Rex Jerusalem per conjugem, Rex Alamaniæ per electionem, Dux Svaviæ jure proavorum. Muliebrium amplexuum amator nimius; nam speciosarum fœminarum gregem servabat, modicæ clementiæ in offensos, beneficus in familiares dilectos, quos plurimum sibi perfidos

perfidos esse comperiit, in prole inclytus, nam inter cæteros Conradus alter Absalon judicatus est, Hentius in armis strennu9 & nobilis indolis, quem & omnes adversarii laudabilem virum testantur. Manfredus, qui regnans omnes una & summa liberalitate respexerit, qui Tito Vespasiani Imperatoris filio ingenio in omnibus arguto, & cunctis benefico videtur jure posse conferri.

Imperii vacatio annis circiter XXIIII.

Anno Christi MCCLI. vacavit imperium annis circiter XXIIII. usque ad pontificatum Gregorii decimi. Igitur Innocentius Papa hoc anno cognita morte Friderici in Italiam venit divertens Januam, mox Mediolanum, mense tandem Octobri festo beati Francisci Ferrariam appulit, ubi, ut vidi puer, populo prædicavit, deinde per Bononiam in Tusciam est profectus. Hoc anno Conradus Friderici proles Jerusalem & Siciliæ rex per Veronam de Alamania veniens in Apuliam pergit. Anno sequente Gregorius de Monte longo patriarcha Aquilegiæ ordinatur. Anno MCCLIIII. XIII. Klas Junii moritur rex Conradus cum annis duobus regnasset. Opinio plurimorum est, quod fraude Manfredi fratris ejus fuerit venenato extinctus. Hoc anno moritur Innocentius, Alexander quartus succedit.

De obsidione Mantuæ & captatione Paduæ.

Anno Christi MCCLVI. Ecelinus de Romano inhumanus tyrannus, qui tunc dominabatur Veronæ, Vicenciæ ac Paduæ, ad obsidendum Mantuam maximas copias traxit, cui auxilio erant Cremonenses cum duce suo, Uberto Marchione Palavicino. In ea quoque obsidione XI. millia Paduanorum in armis. Suburbia igitur Mantuæ igne populatur, & ferro. Interea Alexander Papa Philippum Ravennatem Archiepiscopum legatum præfecit contra tyrannum, qui congregato exercitu Cruce signatorum, Venetorum, Ferariensium, & exulum, Paduam petit, levi impugnatione, qui præsidio ejus urbis relictus fuerat, urbem deserit qua sine conflictu victor potitur exercitus die XI. exeunte Junio. Ea urbs summe opibus est exhausta. Ecelinus Mantuam obsidens, audito clam nuntio repente motis castris, Veronam traxit, exercitum XI. millium virorum Paduanorum inermium in ædibus quiescentium capit & carcere trudit. Mox omnes inedia & igne consumsit. Inde petit Paduam, sed nihil profecit.

Anno Christi MCCLVII. festo beati Simonis apostoli maxima tempestas fuit mari, classis Clugiensis rediens de Marchia bonis multis onusta in partu Clugiæ est passa naufragium. Naves fractæ, opes perditæ, viris undis submersis. Eo anno Philippus Archiepiscopus Ravennensis legatus sedis Apostolicæ a Brisiensibus est urbe receptus, qui mox eorum fraude, Ecelino ea urbe recepto, captus apud Furrisselas est, & in vincula trusus. Ipso quoque anno Laurentius Teupulo dux navalis exercitus Venetorum in mari cum exercitu Januensium confligunt. Victor Venetus exercitus Januenses urbe Acon expellunt & eorum turrem mirabilem a fundamentis evertunt.

A. Christi MCCLVIII. Veneti apud Padum districtum Ravennensium castellum de tignis construxerunt, quod ipsi castellum sancti Alberti appellant, ab aliis dicitur Mackamoy situm eo loco, quo fluentum Capitis urcei in Padum labitur longe a mari circiter quinque miliaria vel sex. Eo anno æstate fuit hominum magna mortalitas. Per hæc tempora moritur Accursius Legum commentator bonus, natione Tuscus, urbe - - Cui paucis annis supervixit Odofredus natione Bononiensis juris peritus Accursio non inferior. Hi ambo sepulti Bononiæ apud Fratrum Minorum ecclesiam, quibus fabricatæ sunt in sepulchra pyramides speciosæ in operimentum mausolæi.

De morte Ecelini de Romano.

Anno MCCLIX. facta confœderatione contra Ecelinum tyrannum per Cremonenses, Ducibus eorum Uberto Marchione Pellavicino & Bosio de Duaria ex una parte, & Mantuanis & Ferariensibus, duce eorum Azone Marchione Estensi ex altera. Ecelinus cum magno exercitu equite Mediolanum tendebat sibi promissum. Rediens ergo inde spe cassus ad flumen Adduam pervenit, sperans transitum facere per pontem, cui præsidium imposuerat. Pontem igitur invenit ab hostibus occupatum, & ibi prope numerosum exercitum Cremonensium, Mantuanorum ac Ferariensium insidentem. Ecelinus tunc ibi pede spiculo sanciatur. Brixiensis equitatus, qui cum eo erat, primus flumen vadavit, die quarta exeunte septembri. Mox confestim Ecelino relicto motis signis propero gressu aufugiunt, deinde Ecelinus equitatum per vadum trans flumen traducit, quibus hostes insequuntur. Capitur Ecelinus clava ictus in capite, paucis post diebus moritur, & sepelitur apud Palatium Sulcim territorio Cremonensi, cum jam annis XXXIIII. in Marchia Trevisana tyrannidem exercuisset infamem. Hic ultra tyrannos sanguinarius fuit. Crudelis, sontes & insontes nullis causis perdebat. Carceres plenos pueris & mulieribus singulis habebat in urbibus, parvulos excæcabat, & peremptis patribus filios genitalibus privabat; fratrem ejus, quod pius esset, & illius immanitates horreret, carcere trusum peremit; sororis filium, qui nomen ejus gerebat, consumpsit in vinculis. Ejus impia acta vix sufficerent ad exponendum facundo poëtæ. Horreo multitudine & magnitudine truculentiæ ejus de ipso amplius scribere, victus mole immanitatis illius.

De morte Alberici de Romano.

Anno Christi MCCLX. Albericus de Romano, Ecelini germanus, cum jamdiu sævam tyrannidem exercuisset in Trevisio, adeo ut omnia abrasisset, cognita fratris nece cum uxore & quatuor liberis in castellum sancti Zenonis aufugit

aufugit. Paduani, Trevisini & Azo Marchio Estensis obsidione cingunt castellum. Cum diu obsessum esset, & rebus inclusi deficerent: Ii qui erant præsidio loci deditionem faciunt, invito Alberico. Eductus ergo Albericus cum uxore & filiis in ejus aspectu primo filii trucidantur, Matri tyrannæ vestes tenus inguina abscinduntur, ita ut obscœnæ partes paterent, demum rogo crematur cum filia. Ultimus Albericus pulsatus faciem membris natorum tantæ cladis spectator in frustra secatur. Judex quoque ejus assessor, scelerum illius adjutor, eodem calice est potatus: hic licet minus debacharetus in sanguinem innocentium injustior tamen fratre ejus Ecelino asseritur. Nam nemo sub hujus tyrannide vivere potuit, nisi mendici, quibus non erat facultas patriam deserendi.

De verberamento hominum pie acto.

Eo anno inaudita novitas fuit per omnes Italiæ partes. Nam omnes prima hyeme nudi longo agmine bini euntes tecto corpore infra umbilicum per urbes vicos & villas villicolæ incedebant se flagellis & loris cedentes & psallentes Dei laudes & beatæ Mariæ, clamitantes: Pax, pax. Eo infinitæ discordiæ & hostilitates pacatæ sunt; Mulieres in turmis hoc noctibus faciebant; sacrilegus habebatur quicunque id non ageret, sed post Januarium paulatim defecit ea novitas quæ appellata est Verberamentum.

De clade Florentinorum apud Montem apertum.

Anno Christi MCCLXI. Florentinis & Lucensibus cum maximis copiis euntibus ad subveniendum opido Montalcino per agrum Senensium; Ipsi Senenses apud locum qui dicitur Mons apertus magnam cladem intulerunt. Gibellini tunc Florentia sunt potiti. Auxilio Senensibus erant equites Regis Manfredi, duce illis Comite Jordano, & exules Florentini in exercitu Florentinorum fuisse tunc dicuntur ad LX. jumentorum, quæ appellant Salmarios. Eo anno Imperator Balduinus & Veneti de urbe Constantinopoli secesserunt. Alexander IIII. Papa Viterbii moritur, cum jam annis sex & mensibus totidem sedisset. Eo quoque anno die octavo octobris Ferariæ magna seditio. Nam Ubaldinus de Fontana & complices ea urbe pelluntur. Ipso anno festo beati Nicolai audita sunt magna tonitrua. Anno Christi MCCLXIIII. XVI. Februarii moritur Azo Estensis, Marchio Ferrariæ & ea urbe apud Minorum ecclesiam est sepultus, in cujus funere & qui adversarii erant factione partium, non lacrymas aut gemitus continebant. Vir liberalis, innocens, tyrannidis inscius, quem summe pudebat quicquam postulantibus non præbere. Cui successit Obizo filii filius, qui anno præcedente in uxorem duxit nepotem Cardinalis Otthoboni de Flisco Januensis, nomine Jacomínam. Hoc anno Alphonsus rex Castellæ Saracenos, qui in Hispaniam transierant, prælio sternit & superat. Ipso quoque anno festo beatæ Luciæ mense decembri civitate Mutina seditio facta est, qua pars, quæ appellatur Grasulforum, est ea urbe extrusa.

De adventu Karuli regis in Italiam.

Anno Christi MCCLXV. mense Januario Karulus Comes Provinciæ, frater Lodovici regis Franciæ, vocatus ab ecclesia Romana parvo comitatu navi per mare clam Romam appulit. Hoc anno magna fuit in Italia boum interitio. Mense Septembri diu apparuit stella cometes, quam vidi sæpissime in aurora, in regione cœli, qua est sol hora tertia lucis, cui stellæ ab Occidente erat cauda fumea desinens in accutum, longitudine hastæ militis equitis. Eo anno mense decembri exercitus Francorum duce Comite Flandriæ per Ferrariam transivit Bononiam, inde ad Karulum apud urbem morantem.

De prælio inter Karulum & Manfredum.

Anno Christi MCCLXVI. prima sexta feria mense Martii Karulus quondam regis Franciæ filius & Manfredus Friderici Imperatoris proles, qui usurpatione Siciliæ regnum nactus est, apud Sanctum Germanum agro Beneventano acie pugnant, in ipso conflictu Comes de Caserto, & Thomas Comes de Certa cum suis aciebus relicto Manfredo, ut compositum erat, licet Sororum Manfredi viri essent, a bello aufugiunt. Manfredus, cui persuadebatur, ut fugere consuleret: potius, inquit, hodie volo mori rex, quam vivere exul & miser; & procedens cum suis fortissimis pugnando aliquamdiu hostibus obstitit. In ipsa pugna equus, cui insidebat Manfredus, transfixo pugione oculo, dolore insurgens super circumstantes equos defertur. Rex ipse alio confossus pugione, equo delabitur pedibusque equorum proteritur: dehinc pugna declinat. Victor Karulus hostes cædit & fugat, parta victoria cadavera spoliantur, edicto ne quis cadavera sepeliat, donec de Manfredo aut vivo aut mortuo veritas haberetur. Tertia dehinc die cadaver Manfredi nudum a servo suo indice monstratur. Allatum ergo in castra Karuli agnoscitur, & ignobili sepulturæ mandatur. Nam rex Karulus jussit terrorem (forte: un tertre, terræ elevationem) fieri secus Pontem Sancti Germani, & ibi ejus corpus condi, secundum ritum vilium hominum. Karulus confestim toto regno potitus est, fortissimos pugnatores Manfredi, Comitem Jordanem, Petrum Asinum de Ubertis, Bernardum Castaneam captos prælio in Galliã dirigit. Ibi cum jam diu carcere macerati essent, fugam de carcere meditati custodes occiderunt; fugientes ergo sunt comprehensi & significato regi negotio, Rex ipse mandavit, ut singulis pes unus & manus una abscinderetur & oculi evellerentur, quod cum factum esset, mortem sibi inedia consciverunt. Italici exinde Francorum uti cœperunt pugionibus hoc tempore, & enses obsoleti sunt.

De bello inter Karulum & Conradum.

Anno Christi MCCLXVII. ultimo Augusti Conradus secundus Conradi filius, filii Friderici quondam Imperatoris, heres ejus in regnis Jerosolymitano & Siculo cum exercitu Theothonicorum Veronam pervenit, & ea hieme ibi mansit, tum Karulus rex cum electo exercitu obsidione vallavit oppidum Tusciæ, quod Podium Bonici dicitur. Eo se contulerant universi optimates factionis Gibellinæ, cum obsessos fames & obsessores hyemis sævitia premeret, tandem actum est, ut milites inclusi cum equis & armis, & omni eorum supellectile oppido dedito incolumes possent abscedere. Rex potitus est oppido, obsessi liberi sunt digressi. Eo anno Amatinus de Amatis cum complicibus Cremonensibus legato agente ea urbe pace recepti sunt, & Bosius de Duaria alterius partis princeps cum suis ejus legati opera expulsi sunt, mense Februario. Ipso anno die resurrectionis mense Martio Guelfi de Florentia Gibellinos expellunt.

De prælio inter Karulum & Conradum reges.

Anno Christi MCCLXVIII. Rex Conradus cum exercitu suo relicta Verona Papiam pervenit, Mox Pisas per mare, Romam deinde. Ibi Henricus frater regis Castellæ urbis erat Senator. Hic cum prius Karulum multa pecuniæ ope & manus in prælium validæ plurimum adjuvisset, nec ei rex Karulus creditam pecuniam redderet, nec promissa adimpleret, erga Karulum animum gerebat hostilem. Ergo Conradum confœderatur in Karulum. Mensis ergo Augusti XXIII. die juxta flumen, quod campo Palatino proximum est, prælium conferunt, Conrado copiosior erat exercitus. Nam cum eo erant Theotonici, Romani, Lombardi & Tusci; Karulus se numero imparem cernens, usus est artibus, delegit ergo ex communi exercitu suo equites quingentos probatissimos ad certamen, ceteros equites aciebus instructis ad prælium conferendum præmittit. Arma quoque ejus & insignia induit quendam militem in acie præliantem. Conserta pugna diu cædes utrinque asperrima; cæduntur tandem milites, Franci sternuntur, non valentes hostium impetum sustinere, ipse quoque vir regiis armis ornatus notatus in acie ab Hispanis & eorum duce Henrico occiditur, fusis hostibus & prostratis Conradi milites maxime Germani diffunduntur, ad prædam; Conradus in acie integra eminus prælii spectator erat. Interea Karulus in officio Missæ supplex orabat, ubi vero ab iis, qui in speculis montium erant, audivit suas acies esse cæsas & stratas cum quingentis optimis equitibus de monte digreditur, quod, ut hostes diffusi viderunt, magno sunt metu perculsi videntes Karulum adventare, quem putabant interemptum in campo jacere. Karulus igitur dispersos aggreditur; sed cum tempus instaurandi acies non daretur, fessi prælio & incompositi, licet numero plures, aciem integram & Vegetorum virorum impetum substinere minime potuerunt. Conrado cum Karulo volenti confligere oblatum est consilium, ne se pugnæ committeret cum viris fortissimis, quos rerum desperatio fortiores agebat, quam id in ancipiti esset eventu, sed dispositis rebus alias cum rege multum in opere congrederetur, a quo Siculi regni pars magna desciverat. Conradus cum maxima parte sui exercitus inde digreditur. Henricus Hispanus urbe Senator prælio captus est integer. Karulus cruentam victoriam habuit. Nam pene omnis exercitus prælio cecidit. Conradus igitur cum Duce Austriæ ac paucis nobilibus statuit furtivo aditu in regnum prodire, quod pro majori parte in Karulum se creserat (croi faverat.) Præmittunt ergo nuntium ad castellum maritimum, qui conducat Liburnam qua vehantur in regnum. Et quod non parvi conducta est navis, suspicio fuit castelli domino, quod magnæ fortunæ viri hanc forent ascensuri; debiles ergo remiges eidem navi assignati sunt, fortiores alia navigaturos servavit. Conradus cum comitibus plebejo habitu navi ascendit, & in altum remigant, confestim altera Liburna qua vehebatur castelli dominus subsequitur: nec mora, ut ad Primum appropinquant, imperat is remigibus, ut regrediantur confestim. Conradus & socii sciscitantur quisnam sit is, in cujus potestatem pervenerint. Ut autem audiverunt esse de gente Romana, familia Francipanum, quæ quondam Friderici Imperatoris fuisset amicissima, clam illum affantur; hunc esse Conradum produnt, qui in paternum & avitum regnum possessurus accedat; orant, ne impediat cœptum iter. Ipse quoque adjuvet, & cum eis veniat, præmia grandia possessurus, tum veteri amicitia, tum beneficio novo. Exclusis precibus prædo maris eos in castellum reducit, res diffunditur. Karulus hoc comperto illo cum suo parvo properat equitatu captos petit & recipit ac inde abducit. Sunt qui dicant, per Pontificem & Cardinales, ut Conradus & cæteri in eorum potestatem & carcerem venirent, fuisse decretum. Clemens quartus Karuli amicissimus tunc erat urbis episcopus, quod ne accideret Karulus fategit. Convocat ergo juris peritos, quos consulit, si Conradum & cæteros legitime possit morti damnare, allegans, quod contra eum justum regem arma moverint, & quod monasteria prædaverint & quoddam succenderint: diu de eo judicio acto, plurimorum erat sententia, & maxime Guidonis de Suçaria eo tempore præstantissimi legum Doctoris, Conradum non esse mortis reum; captum fugiendo a prælio, tum etiam quod regnum, quod paternum & sui juris credebat, armis peteret, ut eo posset potiri, & cum Karulus insisteret, ajens: hi monasteria incenderunt: Respondebatur; non constat, quod hi jusserint id fieri, cum sæpe prophani homines, qui castra secuntur talibus oblectentur. Quidam Juris peritus hoc posse juste fieri, quod Karulus allegabat, asseruit. Karulus hujus consilium amplexus, Conradum & cæteros morti addixit.

dixit. Ludente ergo schachis Conrado, ei defertur regis judicium & modicum temporis assignatur, ut animæ saluti possit consulere. Condito igitur testamento & confessione acta, VI. Kalendas Novembr. urbe Neapoli in litus ducitur, Mortis sententia legitur, Conradus superius vestimentum exuit & genibus flexis orrato cervicem lictori porrexit, hanc ultimam vocem edens: ha genitrix! quam profundi mœroris nuncium ex me suscipies. Dux Austriæ, ut vidit Conradi propinqui cervicem feriri, quanta potuit indignantis animæ voce rugitum emisit, & doloris desperatione, nec erga Deum culpam voluit profiteri: & cæsi sunt deinde Dux Austriæ, Comes Gerardus de Pisis filius Galvagni comitis, quem Karulus, hujus rei spectator, jussit in sinu patris occidi, ultimo ipse Galvagnus. Pauci spectatores lacrimas continebant, præsertim equites Franci, qui, quod timebant minus, Regis Karuli detestabantur sæviciem. Cadavera maris littore sunt humata more cadaverum pelago ejectorum; nec licuit cuiquam religioso ea cymiterio condere. Hæc ego, quæ scripsi, accepi a Joachimo Judice cive regio, tunc in comitatu & familia jam dicti Guidonis de Sucaria, qui his præsens, ut dixit, se hæc audivisse & vidisse, mihi retexuit. At vero hujus pii Karuli nutu, superioris Karuli filii, super illorum tumulos constructa est ecclesia, quam fratres de Carmello concelebrant. Hoc anno Tartari cum Saracenis confligunt in Parthia, & superatis Saracenis urbe Baldach sunt potiti. Anno MCCLXIX. Karulus Rex Nuceriam obsidione in deditionem recepit. Tunc magni terræ motus & mons Anconæ scisso in mare dissolvit.

De exercitu apud Karthaginem.

Anno Christo MCCLXX. Rex Franciæ Lodovicus vir sanctus, Rex Siciliæ Karulus ejus frater, Rex Navarræ, & Rex Angliæ Odobardus castra in litore Karthaginis posuerunt, ut Tunitio potirentur. Ibi tandem Rex Franciæ ac Rex Navariæ decesserunt, & maxima hominum interitio fuit in castris. Facta demum pactione & auro recepto a barbaris discessit exercitus Christianus. In reditu circa portum Trapani naufragium triste fuit, hominibus & navibus ponto mersis. Rex Angliæ a castris navigavit Acon subsidio terræ sanctæ, ibique quasi mansit triennio, qui mox cum Saracenis acto de belli induciis per Italiam regressus est eques. Eo anno mense Julio moritur Aldigerius de Fontano, qui dominium Ferariæ contulerat Obizoni. Eo mense festo beati Alexii, frater & filius ejus Aldigerii ac plurimi potentes illius factionis res novas molientes nec valentes efficere, Ferrariæ aufugierunt. Ipso anno, autumno, Bononienses in portu Primarii territorio Ravennate, construxere castellum. Veneti in altera ripa fluminis Padi castra ponentes machinis, ne id fieret, obstiterunt, post multos labores, cum viri, qui ibi erant, præsidio interirent, Bononienses opus inperfectum liquerunt. Per hæc tempora viri illustres nominantur Magister Albertus Theotonicus de ordine Prædicatorum Philosophus in scripturis mirabilis; Thomas de Aquino ejus ordinis ingenio & scientia alter Origenes; Bonaventura de Bagnareto, de ordine Minorum, generalis minister, vir magnæ præstantiæ, quem Gregorius X. in Cardinalatum ascivit, quo brevi tempore functus est.

Initium cladis Bononiæ.

Anno Christi MCCLXXII. seditio magna Bononiæ, cum una partium secundum decretum suum, quod in petra scripserant, exercitum vellent ducere in Mutinenses, ut exules suos reciperent, quemadmodum actum fuerat tempore pacis præteritæ; & altera pertinaciter prohiberet; obtinuit tandem pars Jeremiarum & egit, ut petra illa, quæ decretum continebat, de muro evulsa confringeretur omnino. Et Forlivienses visi sunt animo favere parti Lambertatiorum, propositæ sunt duræ condictiones Forliviensibus in parendo communi Bononiensi; Forlivienses potius bellum pati statuerunt, quam eas conditiones subire, cum servitutis jugum sibi viderentur. Igitur anno sequenti MCCLXXIII. pars Jeremiarum, altera parte obtinuit exercitum apud Forlivium sistere, ubi castris positis Rex Angliæ Odovardus rediens Acon, dum iter per Italiam faceret, ad ea castra pervenit; qui audita belli causa de compositione tractavit, sed infecto abscessit negotio, cum nullo modo partes bellum agentes de fœdere conveniretur.

Mantuæ seditio.

Eo anno mense Julii Mantuæ magna seditio, Factio, quæ Marchioni favebat, extrusa; eo quoque mense, ultima hora diei ultimi, seditio magna Ferrariæ inter Obizonem Marchionem, & Fontanenses; ea seditione periit Ubaldinus de Fontana, reliqui aufugerunt.

Rodulfus Comes eligitur Imperator qui regn. ann. XX. Cap. C.

Anno Christi MCCLXXIIII. Rodulfus Comes, Alamanus genere, eligitur Imperator, qui regnavit in Alamania annos circiter XX. Hic Regem Boëmiæ sibi obsistentem prælio superavit, quo etiam est occisus; ejus filio Rodulfus pacem reddidit, quem fecit & generum. Hic jura Imperii in Alamania vendicavit. Fuit autem vir justus, simplex & deum timens, civilis & parcus, quo mortuo in ejus locum eligitur Adulphus in regno.

De Concilio apud Lugdunum.

Gregorius decimus ipso anno apud Lugdunum Concilium habuit, vir dignus pontificatu urbis, utpote justus. Inter cætera eo concilio actum est, ut Christicolæ Terram Sanctam vendicarent cultui Christiano, ob hoc census maximus ecclesiis indictus est per annos plurimos, ex

ex quo inæstimabilis argenti quantitas est congesta; Sed cum parvo post tempore fato concessisset, ea pecunia est expensa, ut successoribus placuit, ubi non dico. Hic Gregorius præstantes quatuor sapientia viros secundum ejus opinionem & consilium captum ad cardinalatum ascivit, quorum consilio agebatur; scilicet quendam Magistrum in ordine prædicatorum, qui sibi in papatu successit; Magistrum ordinis Minorum fratrum Bonaventuram de Bagnareto; Magistrum Petrum Hispanum qui mox Papatu est functus dictus Johannes XXI. Et quartum alium virum scientia æque persimilem.

De exterminio Lambertatiorum a concivibus Bononiæ.

Anno Christi MCCLXXIIII. Bononiæ dissidentibus partibus miserrima clades fuit. Nam pars Jeremiarum decreto suæ urbis obtinuit, ut iterum urbem Forlivium obsiderent, & eorum currum in plateam aduxerunt: altera pars Lambertatiorum ajebat non sic, sed potius exercitum debere duci in Mutinam, ut exules suos reciperent, sicut pacis fœdere tenebantur. Hac causa bellum inter cives est captum XL. diebus continuis, die noctuque ferro, machinis & igne pugnatum est; multi peremti, ædes plurimæ succensæ, vix quies dabatur ad somnum. Ipsæ matronæ succinctæ pugnantibus ferebant suppetias. Plurimæ tabescebant summa mæsticia, cum hinc patrem & fratres, illic virum & filios pugnantes viderent. Tribuni plebis tandem dolo decernunt ut deni optimates ex partibus conveniant in palatium, nec inde discedant, nisi rebus compositis. Vocati igitur decem & decem suo parent potestati. Ubi vero convenerunt, dimissi sunt decem ex factione Jeremiarum, reliqui decem retenti, inter quos erat ejus partis princeps, Castellanus de Andalais civis illustris. Pugna denuo instauratur. Convocant subsidia hi & illi: cum tandem impares essent Lambertacii, urbem deserunt & Faventiam fugiunt. Hæc acta sunt mense Majo & Junio. Ejus autumno anni pars victrix obsidione cinxit Faventiam machinis maxime oppugnantes, sed defensa urbe vi exulum Bononiensium, fuit negotium imperfectum. Bononienses domum tandem sunt regressi.

De clade Bononiensium apud Sanctum Proculum.

Anno Christi MCCLXXV. mense Junio Bononienses cum eorum subsidiis ad populandos agros Faventiæ maximum duxere exercitum. Eis Dux erat Malatesta de Arimino; Forlivienses sibi ducem præfecerant Guidonem de Monteferetro, virum bellandi peritum. Ad defensionem ergo Faventiæ properant: die ergo beati Antonii Bononienses ultra pontem Sancti Proculi copias educunt, & missis populatoribus, qui falcibus sata secarent, acies equitum instructas in conspectu urbis duxerunt, peditum vero globus maximus illinc magna intercapedine aberat. Guido Dux Forliviensium & exulum Bononiensium copias longe numero impares ex urbe educit, aciem unam ex omni equitatu cum peditibus instruit, & in hostes procedit, quos ubi appropinquare viderunt stipendiarii equites locum deserunt. Ita metu concussus omnis equitatus fugæ sibi consulit. Jam acies populi Bononiensis adventabat; sed cum suos equites fugere viderent, sistunt gradum, hostes supervenientes petunt, ut prius se dedant, quam cæde perdantur. Abnuunt deditionem facere. Conglobati igitur siti, metu, & mærore tabescentes fixi persistebant; tum adductis ballistis sternuntur. Constipatione porro potius, quam ferro hostium sese conficiunt, inanes demum cum nec vires ad gladios vibrandos haberent, cæduntur: nulli illic hostilis humanitas, omnes devorat gladius. Potius sileo, ne narrando etiam hodie animi irritentur male pacati, hostes ex hostium spoliis locupletati sunt. Eo anno Ravennæ seditio. Guido minor de Polenta præsidio sibi delato Arimino adversarios cives prævenit, & ejus urbis potitus est. Per hoc tempus Papa Nicolaus IIII. fratrem suum Bertholdum de Ursinis Romanum in Romaniolam Primum Comitem misit, ut pacaret provinciam, Latinum quoque Cardinalem & propinquum Legatum cum eo direxit; qui ea legatione decrevit, ut non liceret mulieribus per publicum incedere nisi capite velo operto. Nam prius nurus, & matronæ vittis aut sericis funiculis crines compositæ per publicum incedebant.

Anno Christi MCCLXXIX. Exules Mediolani contra illos de Turri bellantes Franciscum de Turri apud oppidum, quod Desium dicitur, occiderunt, cujus caput abscissum, Mediolanum pillo, & per eam urbem portatum est, & ea die Mediolano potiti sunt, captis plurimis de Familia eorum, & in carcerem trusis. Reliqui aufugerunt. Per hæc tempora Anthonica mulier Mutinensis ante annum ætatis ejus XL. filios XLII. peperit ex viro exule Mutinæ: decies & pluries gemellos peperit, pluries quaternos interdum sex interdum vero tres. Bonifacius Archiepiscopus Ravennensis inductis in Argentam Albertino & Guilielmo de Fontana exulibus Ferrariensibus contra Obizonem Marchionem bellum egit; post paucos menses, pax acta est inter eos.

Anno Christi MCCLXXIX. opera Bertholdi Primi Comitis in Romaniola pro ecclesia Romana pax immatura acta est inter Bononienses cives & exules & in Bononiam sunt reducti. Eo anno post paucos menses, Vigilia scil. natalis domini, bellatum est Bononiæ in platea; diu Lambertatii obtinuerunt plateam pugnantes viriliter; cedunt tandem multitudini prælium capescenti. Fusi igitur diffugiunt urbe relicta, licet fortiter iterum vigerent. Plurimi diffugientium per concivium domos servati, & humanitate tractati, & ad loca tuta perducti. Anno MCCLXXX. facta est

est fovea & agger inter Argentam & agros de Consandalo a flumine Pado usque in paludes per millia passuum plurima. MCCLXXXI. Filia Rodulfi Imperatoris nupta filio Regis Karuli transivit ad virum Ferraria. Veneti contra Anconitanos bellantur, mari eam urbem obsidentes, & machinis ex navibus eam urbem vexantes: pax tandem acta inter eos, postquam utrosque belli pertæsum est.

Prælium apud Forlivium.

Anno Christi MCCLXXXII. Martino tertio Papatu fungente, Johannes de Appia Comes in Romaniola Faventiæ inclitum congregavit exercitum. Nocte igitur præcedente Kalendas Majas in suburbium Forlivii, licet fossa & vallo munitum, traxit exercitum. Mane exeunt Forlivienses Duce Guidone de Monteferetro, qui in acie communibus latebat in armis, altero milite cum suis armis exposito tunc perempto. Impleta fovea, quæ media erat inter acies adversas, pugna conseritur. Primo congressu utraque pars vincit & vincitur; pugna diu durissima fuit, tandem victores Forlivienses præda hostium potiti sunt. In hoc Johannes Comes post strages suorum cum XXI. equitibus aufugiens campum deseruit & pervenit Faventiam. Ipso anno Siculi a Rege Karulo desciverunt occisis omnibus Francis, qui erant in regno, monachi quoque ejus gentis casum similem sunt experti. MCCLXXXII. Mulieres Siculæ prægnantes ex Francis evacutæ sunt fœtibus, ferro uteros dissecante, & Petrus Rex Arragonum in Siciliam est ingressus. MCCLXXXIIII. Pisanus exercitus navali prælio mari Pisano a Januensibus superatus est XIII. mille capti III. mille vero in pugna perierunt ferro & undis. Anno Christi MCCLXXXIII. civitas Forlivium Comite Romaniolæ Johannes de Appia, viro in armis strenuo & studio Papæ Martini, deditionem sui faciens, in potestatem Ecclesiæ cessit: fossæ & aggeres æquati sunt, portarum postes ablati; licentiati de eo sunt Guido de Monte fereto & Lambertatii exules Bononiæ.

Ipso anno Gerardus de Camino invasit Tervisium & extruso adversario ejus Girando de Castellis principe adversæ partis, dominio ejus urbis potitus est, tyrannus æquissimus & tollerabilis satis. Tunc in Romaniola & Lombardia magna boum interitio. Anno Christi MCCLXXXIIII. Karulus princeps, filius Karuli Regis Siciliæ a Siculis captus est cum classe sua apud portum Neapolis, cum eo capta est magna procerum multitudo & adducti in Siciliam. Servato ipso Karulo cum aliis novem, quos elegit arbitrio, reliqui proceres numero CC. & ultra gladio cæsi sunt in vindictam Conradi Regis. Multitudo plebeja classe cum eo capta male perdita est. Eo anno Venetiis aquarum magna inundatio, naves per plateas ductæ, inde damna multa.

Anno Christi MCCLXXXV. Rex Franciæ in Arragonam duxit exercitum, & urbem Girundam vi cepit, fame tandem & lue muscarum quasi defecit exercitus. Ipse Rex Franciæ in castris morbo periit. Post modico moritur Petrus Rex Arragonum parvo vulnere, quod in prælio habuit. Anno sequente mense Januario, Rex Karulus morbo periit in regno ejus. Ajunt, quod mœrore rerum adversarum sibi ingruentium apocopata sit vita ejus; nam princeps Karuli primogenitus ejus captus ab hostibus tenebatur, thesauri & pecunia ejus in belli sumptus exhausti, CC. nobiles capti cum filio in vindictam necis Conradi Regis, quem occiderat ipse, gladio dissecti nunciati erant. Mense Martio sequente moritur Papa Martinus domitor Forlivii, cui successit Honorius quartus, qui tribus annis Papatu est functus. Anno Christi MCCLXXXVIII. Nicolaus quartus in Papam eligitur, genere Esculanus ordine Minorum, cum jam diu Cardinalatu functus fuisset. Eo anno mense Decembri Obizo eligitur Mutinæ dominus. Anno sequenti Arretini apud Bibena a Florentinis superantur prælio, ubi fortissimi viri perierunt, & Episcopus Aretinus ibi armatus occubuit. Anno Christi MCCXC. Civitas Syriæ Tripolis a Saracenis subvertitur, Christianis, qui ibi erant, cunctis peremtis. Eo anno Marchio Montisferrati ab Alexandrinis dolo capitur & trusus carcere ibi veneno periit. Stephanus quoque de Divazano Romanus, Comes Romaniolæ pro Ecclesia, Ravennæ captus est ab Eusterasio & Lamberto filiis Guidonis de Polenta, tunc Potestatis Florentiæ; servatus est in carcere ibi diu, donec habita jussione & remissione ab apostolica sede relaxatus.

De subversione Acon.

Anno Christi MCCXCI. Civitas Acon a Saracenis funditus est subeversa, bello pertinaci jam victa, quam urbem infinita barbarorum manus diebus XLII. sagittis & machinis impugnavit, Anno MCCXCII. Paduani apud flumen Aticen Castellum Baldum condiderunt. Anno Christi MCCXCIII. Obizo Estensis Marchio Ferrariæ moritur mense Februarii, postquam dominium tenuerat ann. XXIX. Anno Christi MCCCIIII. Paduani bellum moverunt Azoni Marchioni filio Obizonis, & pace facta obtinuerunt pagum Abbatiam & tertiam portionem Lendenariæ jure sibi cesso ab Aldrovandino filio tertio ipsius Obizonis Marchionis. Eo anno Cœlestinus, vir anachorita, Papa eligitur, qui anno sequente, circa quadragessimam, ut liberius Deo vacaret, Papatu se abdicavit. In cujus locum eligitur Bonifacius VIII. qui hodie sedet.

Adulphus Rex Alamaniæ eligitur, qui hodie regnat.

Anno Christi MCCXCV. Adulphus Comes, Alamanus genere, Rex Alamaniæ & Imperator eligitur, qui hodie regnat. Hoc anno morbo defecit Bononiæ magister Thadeus,

Medicorum magister peritissimus, Tuscus natione, & apud locum Minorum conditus est sepulcro. Anno MCCXCVI. Marchio Azo expulsis Parma viris suæ partis qui castellum Ciuriacum habebant, ipsos Parmenses bello aggressus est, præstantibus Bononiensibus opem Parmensibus sibi confœderatis: ipse Marchio confœderatur nobilibus Romaniolæ, qui prærerant Faventiæ, Forlivii & Cesenæ, & eorum ope Imolam occupant, ubi erat præsidium Bononiensium. Mox ipsos Bononnienses bello aggressus est, & Bassanum castellum quondam dirutum restauravit, quod eo anno Bononienses obsidione in deditionem receperunt, abeuntibus cum equis & armis obsessis. Hoc tempore Guido Comes de Monteferetro, Dux bellorum strenuus, quondam contra Bononienses Forliviensibus ductor belli, & Pisanorum post clades reparatorum, depositis honoribus secuti Minorum ordinem ingressus est, ubi hodie militat in castris Francisci. Anno Christi MCCXCVII. magna Romæ seditio inter Bonifacium Papam & duos Cardinalium de Columna, quibus mandavit, ut pileos deponerent Cardinalatus insignia. Eos quoque, cum non parerent, ac cæteros clericos illius generis usque in quartam generationem privavit ecclesiasticis beneficiis & honore; Palacia quoque eorum dirui fecit in urbe; Castella eorum impugnari fecit, & quæ vinci non potuerunt, perpessa sunt populationem agrorum hinc cedes in urbe & prælia. Nepam & Columnam postea obsidione subactas duces belli in deditionem receperunt. Hoc anno opera ejus Bonifacii facta est pax inter Karulum secundum Regem & Regem Arragonum triplici nodo affinitatis hinc inde firmato MCCXCVIII.

Bonifacius Papa sextum librum Decretalium edidit, quo multa utilia sunt congesta.

Oppidum Columna diu obsessum muris subfossis in deditionem habitum; liberatis obsessis, oppidum est subversum.

Hoc anno quarto die Julii Bonifacius Papa Karulum fratrem Philippi Regis Franciæ & filium alterius Philippi elegit & confirmavit dominum & Rectorem Romaniolæ, Marchiæ Anconæ, ducatus Spoletani & Patrimonii Sancti Petri.



XVI. RICOBALDI

XVI.

RICOBALDI FERRARIENSIS HISTORIA PONTIFICUM ROMANORUM.

☆ ☆ ☆

INCIPIT HISTORIA EPISCOPORUM URBIS ROMÆ

Successorum Petri Apostoli Vicarii Christi anno XLV.

PEtrus, Apostolus, Johannis filius, Provinciæ Galileæ de vico Bethsaidæ in urbe Roma primus Episcopus fuit, ubi sedit annis XXV. mensibus VII. & diebus VIII. temporibus Claudii & Neronis Imperatorum; Coronatus est, ad martyrium per crucem a Nerone anno Imperii ejus XIV. ætatis ejus anno LXX. & Romæ quiescit. Dum vivebat Ecclesiam Lino commendavit & Cleto, quos Episcopos ordinavit. Ipse vero prædicationi verbi vacabat. In morte cathedram commisit Clementi. Hic scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur, & Marchum filium suum probatissimum & auditorem de Evangelio instruxit. Ordinavit quoque Episcopos quinque, presbyteros decem, & Diaconos septem.

Anno Christi LXX.

Linus natione Tuscus Esculano sedit annis XI. vel IX. mensibus tribus, diebus XIII. Imperantibus Galba, mox Vespasiano & post Tito. Hic ex præcepto B. Petri constituit, ut mulieres ecclesiam intrarent capite velato. Coronatus est Martyrio nono Kalendas Octobris & quiescit in Vaticano juxta Corpus B. Petri. Dicunt quidam, qui diligentius perscrutati sunt verum, quod Linus & Cletus non sederunt Pontifices, sed ut summi Pontificis coadjutores, quibus credidit in vita sua B. Petrus unam Ecclesiarum credidit & rerum dispensationem. Ipse vero tamen orationi & prædicationi vacabat. Imo propter tantam auctoritatem meruerunt in Catalogo poni Pontificum. Clementem vero ipse B. Petrus sibi successorem constituit.

Anno Christi LXXXI.

Cletus, natione Romanus Vico Patricio, sedit annis XII. mensibus I. diebus XI. Hic præcepto B. Petri XXI. Presbyteros ordinavit Romæ: sepultus est autem juxta beatum Petrum VI. Calendas Maji & cessavit mox Episcopatus diebus XXXV. Hic Pontifex populis scribens approbat & commendat peregrinationes ad sanctos, maxime ad limina beatorum Petri & Pauli, addens, quod validior ad salutem est Sancti Petri visitatio, quam duorum annorum jejunium.

Anno Christi LXXXX.

Clemens natione Romanus monte Celio, sedit annis IX. mens. II. dieb. X. imperantibus Domitiano, mox Nerva. Hic quamvis a Petro esset electus, tamen coegit Linum & Cletum ante se pontificari primus post Petrum per electionem, per gradum vero tertius. Unde ipse ad beatum Jacobum epistolam Jerusalem scribens dixit: Symon Petrus tempore, quo vitæ suæ finem imminere sensit, in conventu fratrum positus, apprehensa manu mea sic dixit: Fratres hunc Clementem Episcopum urbis ordino, qui ab initio usque in finem Comes in omnibus mihi fuit. Cumque ego ad pedes ejus procidens declamarem honorem cathedræ, respondit: Tu peccati periculum timens fugis cathedram; certus esto, quod amplius peccas, qui populum Dei, juvare cum possis, velut in fluctibus positum subterfugis; Tui tantummodo considerationem habens, & non quod in commune expedit, providens. Hujus corpus circa Cersonara, ubi relegatus fuerat exilio, in mare Ponticum diu projectum jacuit: Tempore autem primi Nicolai Papæ beatus Cyrillus Episcopus illud corpus Romam transtulit, & in Ecclesiam S. Clementis per Papam & populum Romanum honorifice conditum est, ubi & beatus Cyrillus tumulatus est. Hic Clemens constituit, ut Cathedra Episcopalis in eminentiori loco statui debeat, ut in ea stans Episcopus omnes possit conspicere, & ab omnibus circumspici.

Anno Christi LXXXXIX.

Anacletus natione Græcus Atheniensis sedit annis IX. mens. II. diebus X. & cessavit diebus III. imperante Trajano. Hic constituit ut Clerus nec comam nutriret nec barbam, & per Epistolam monuit omnes fideles, ut Presbyteri præ cæteris honorentur, dicens: quod Deo sacrificantes non debent vexari, sed portari atque ab omnibus venerari, & quod Presbyteri, quatenus sacrificant testes secum habeant, maxime Episcopi, ut Domini sacrificare perfecte probentur.

bentur. Hic composuit vitam beati Petri, & juxta eum sepultus est.

Anno Christi CVIII.

Evaristus natione Græcus patre Judæo, nomine Juda de civitate Behelem sedit annis IX. mensibus II. diebus V. & cessavit Episcopatus dies XVIII. imperante Trajano & post Adriano. Hic titulos Romæ divisit & septem, & septem Diaconos ordinavit, qui custodirent prædicantem propter stylum veritatis, & constituit, ut conjugium publice præsentibus parentibus fiat, & quod benedictionem a Sacerdote recipiant. Coronatus martyrio apud beatum Petrum quiescit.

Anno Christi CXIX.

Alexander primus natione Romanus, regione Capuanus sedit annos X. menses VII. & cessavit diebus VII. imperante Ælio Adriano. Hic constituit aquam cum sale benedici & per domos aspergi. Hic addidit in missa, qui pridie quam pateretur, usque ad hoc est corpus meum. Hic & constituit hostiam modicam ex azymo fieri.

Anno Christi CXXVII.

Sixtus natione Romanus de regione Vialata sedit annos X. menses II. diem I. & cessat II. imperante Adriano & mox Anthonino. Hic constituit dici in missa: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabaoth; & constituit, ut ministeria sacrata non tangantur, nisi a ministris, & ut mulier vasa altaris & pallia non tangat; & ut corporale non fiat ex serico, sed ex lino mundissimo non tincto, & quod quicunque Episcopus vocatus esset ad sedem Apostolicam non reciperetur rediens cum literis Papalibus. Decollatus extra portam Appiam, ubi Dominus apparuit Petro, quatenus quondam dixit: Domine quo vadis. Ejus corpus juxta beatum Petrum quiescit.

Anno Christi CXL.

Telophorus natione Græcus sedit an. XI. mens. III. dies XXII. & cessavit diebus VII. imperante Anthonino. Hic constituit jejunium XL. dierum ante pascha & in Natali Domini tres Missas dici secundum morem præsentem, & Missam celebrari ante tertiam, & in Missa dici hymnum scilicet: Gloria in excelsis Deo &c. Coronatus Martyrio juxta beatum Petrum quiescit.

Anno Christi CLI.

Hyginus Atheniensis sedit annos IV. menses III. dies VI. & cessat dies III. imperante Anthonino. Hic constituit ut Patrinus vel Patrina suscipiat levatum a fonte baptismatis vel in confirmatione, vel cathecicatione, Clerum opposuit & distribuit gradus. Martyr apud B. Petrum quiescit.

Anno Christi CLV.

Pius natione Italicus urbe Aquilegia, sedit annos XIX. & cessat dies XIIII. imperante Antonio. Hic sanxit, ut Pascha Domini die Dominico celebretur. Nam aliquibus super hoc dubitantibus angelus habitu pastorali apparuit beato Hermeti, dicens ut dies paschæ celebretur Dominico die, quod ipsi Episcopo urbis nuntiavit. Constituit etiam ut hæreticus Judæus suscipiatur, & baptizetur. Hoc tempore fuerunt duæ virgines Potentiana, & Praxedis. Hermes etiam tunc librum edidit Pastoralem. Jacet apud beatum Petrum idem Pius.

Anno Christi CLXVI.

Anicetus natione Syrus sedit annos XI. menses IV. dies III. imperante Anthonino & post Lucio commodo. Hic constituit, ut Clerici coronas portent in modum sphærulæ: ut Episcopus non sacretur, nisi tres Episcopi affuerunt, & quod, quando Archi Episcopus consecratur omnes Episcopi Provinciales ibi adsint, sicut omnes ei obedire tenentur. Appia via Cœmiterio Calisti quiescit.

Anno Christi CLXXVI.

Sother natione Campanus sedit an. IX. mens. III. diebus XXI. & cessat dies XXII. imperante Marcho Anthonino cum Fratre suo Lucio Commodo. Hic constituit, ut nulla Monacha pallia sacrata tangeret, nec incesum in ecclesia poneret, & ut velum portarent, & ut uxor non habeatur legitima, nisi fuerit a sacerdote benedicta, & a parentibus solenniter tradita, & a Paranimphis etiam custodita. Via Appia jacet cœmiterio Calisti.

Anno Christi CLXXXV.

Eleuterius natione Græcus Oppido Nicopolis, sedit an. XV. mens. III. dies II. & cessat VI. dies, imperante Commodo & post Elio Pertinace & Severo. Hic constituit, ut nulla esca usuralis Romanis & humana a Christianis repudiaretur, & Lutium Regem Britanniæ Christianum fieri fecit. Coronatus martyrio juxta beatum Petrum quiescit.

Anno Christi CC.

Victor natione Afer sedit annis X. mens. II. dies X. & cessat dies XII. imperante Pertinace Severo. Hic Concilium habuit in Alexandria Palestinæ, ubi fuit Narcisus Patriarcha Jerusalem & Theophilus Episcopus Cæsareæ, & ibi firmatum est Pascha debere celebrari die dominico. Anno XIIII. luna Martii usque ad XXII. Aprilis, & constituit posse baptizari flumine, mari vel fonte ob necessitatem. Juxta beatum Petrum jacet.

Anno Christi CCX.

Ceferinus natione Romanus sedit an. IX. mens. VI. d. X. imperante Severo & post Anthonino Caracalla. Hic constituit, ut in præsentia omnium Clericorum & Laicorum fidelium quilibet annorum XII. vel plurium Eucharistiam die Paschæ accipiant, & quod omnia vasa altaris essent vitrea, vel stagnea. Sepultus cœmeterio Calisti.

Anno Christi CCXX.

Callistus natione Romanus sedit annis VI. m. II. d. X. imperante Macrino & post Antonino & Alexandro. Hic constituit jejunia quatuor temporum, & fecit Basilicam Sanctæ Mariæ trans Tyberim. Sepultus via Aurelia III. ab urbe miliario.

Anno Christi CCXXVII.

Urbanus natione Romanus sedit a. IIII. mens. X. dies XI. & cessat diebus XXX. imperante Alexan-

Alexandro. Hic constituit vasa altaris esse debere aurea vel argentea, vel saltim stannea. Hic multos nobiles ad fidem convertit, inter quos Valerium sponsum beatæ Ciciliæ, quos etiam ad martyrium perduxit. Via Appia cœmiterio Prætexatati quiescit.

Anno Christi CCXXXV.

Pontianus natione Romanus sedit ann. IX. mens. V. dies II. & cessavit diebus X. imperante Maximino & post Gordiano. Hic in Sardinia exulavit, mox martyrio coronatus Cœmiterio Callisti.

Anno Christi CCXL.

Quidam scribit de ordine Prædicatorum, quod Cyriacus Papa successit Pontiano & sedit an. I. hebdomad. XI. mox renuntians officio cum beata Ursolina & XI. millibus virginibus coronatus est martyrio.

Anno Christi CCXL.

Anteros natione græcus sedit an. XII. vel III. mens. I. dies XII. imperante Maximino. Hic gesta Martyrum fecit colligi per notarios & in Ecclesia recondi. Constituit etiam ut Episcopus ad aliam sedem posset transferri. Martyrio obiit, & jacet Calisti cœmiterio.

Anno Christi CCXLIII.

Fabianus natione Romanus sedit annos XIIII. mens. XI. dies XI. & cessat dies VII. imperante Gordiano & post Philippo cum filio suo Philippo. Hic constituit sanctum chrisma fieri ab Episcopo sancto die cœnæ Domini. Regiones divisit Diaconorum, & per Notarios etiam gesta martyrum invenit. Iste cum, Papa defuncto, inter Episcopos loqueretur de Episcopi urbis electione, subito columba candida super caput ejus descendit de cœlo dicens: Romæ ordinabis clericos. Laudabiliter gubernavit; post vitam laudabilem mox pro fide a Decio decollatur, cœmiterioque Calisti quiescit.

Anno Christi CCLVII.

Cornelius natione Romanus sedit an. III. mens. II. dies X. imperante Decio. Hic constituit, ut sacerdos, si vellet, pro certa causa possit jurare. Hic corpora Apostolorum de Catacumbis levavit, Paulum posuit via Hostiensi Persecutio VII. ubi decollatus est. Petrum vero juxta locum, ubi fuit crucifixus, inter corpora Sanctorum Episcoporum, in templum Apollinis, in monte aureo, in Vaticano, Palatio Neroniano. B. Agatha sub Decio martyr facta est.

Anno Christi CCLX.

Lucius natione Romanus sedit an. III. mens. III. Imperante Gallo cum Volusiano. Hic constituit, ut duo presbyteri & tres Diaconi semper sint cum Episcopo omni loco propter testimonium Ecclesiasticum. Martyrio coronatur tempore Valerii, capitis truncatione.

Anno Christi CCLXIII.

Stephanus primus natione Romanus sedit anno VI. mens. VII. dies II. imperante Valeriano cum Gallieno. Hic constituit Sacerdotes, & Levitas non uti vestimentis sacerdotalibus, ad usus communes; De collatione martyr factus est, & sub Valeriano Cœmiterio Calisti quiescit.

Anno Christi CCLXVIII.

Sistus II. natione Græcus sedit a. II. mens. XI. d. VI. & cessavit dies XXII. Hic constituit missam celebrari super altare. Hic cum Felicissimo & Agapito Decio præsentati capite sunt puniti, quos B. Laurentius & Hypolitus & alii sunt secuti. Cœmiterio Calisti jacet.

Anno Christi CCLXX.

Dionysius ex monacho sedit an. II. mens. II. & cessavit dies VIII. imperante Valeriano. Hic ordinavit & divisit cœmiteria & parochias Sacerdotibus & Levitis, & terminos parochiis posuit, & quod quilibet esset contentus sua parochia. Martyr cum aliis jacet.

Anno Christi CCLXXII.

Felix natione Romanus sedit a. IIII. mens. III. dies XXV. Hic constituit missam cantari super memoriam martyrum. Jacet martyr ecclesia, quam fecerat, via Aurelia fere miliario ab urbe.

Anno Christi CCLXXV.

Euticianus natione Tuscus sedit a. I. mens. I. diem I. Hic constituit uvas & fruges benedici super altare: suis manibus sepelivit martyres CCCXLII. Constituit, ut nullus martyrem sepeliret absque dalmatica vel collobio. Martyr coronatus quiescit via Appia cœmiterio Calisti: passus VIII. Kalendas Augusti.

Anno Christi CCLXXVII.

Gajus natione Dalmatia ex genere Diocletiani, sedit a. XI. mens. IIII. d. VIII. & cessavit dies XI. imperante Probo, mox Floriano, deinde Caro cum Carino filio, post Diocletiano & Maximiniano. Hic constituit, ut gradatim clericus per ordines ascendat; & ut nemo Episcopum aut Clericum accuset apud judices seculares. Sub Diocletiano martyr jacet cœmiterio Calisti.

Anno Christi CCLXXXVIII.

Marcellinus natione Romanus sedit a. IX. mens. II. d. VI. & cessavit Episcopatus an. VII. mens. VI. dies XXV. imperante Diocletiano & Maximiniano. Hic compulsus a Diocletiano incensum diis posuit idolis. Mox Synodo facta in Campania pœnituit coram Episcopis CLXXX. cinere caput aspersus pœnitentiam postulavit pro errato, dicens se obediturum, quicquid mandaretur. Illi responsum est: absit, ut summus Pontifex ab aliquo judicetur: Negasti tu, negavit & Petrus tuus Magister, & quis Apostolorum ausus est eum judicare; Sed egressus flevit amare; tu ergo in te ipso corrige causam tuam, & ore proprio te ipsum judica. Ad hæc Marcellinus ob scelus, inquit, Idololatriæ me judico deponendum, & anathematizo etiam, quicunque corpus meum tradiderit sepulturæ, & flens dixit: Heu me avarum aurum corrupit, & non possum sacerdotio fungi. Sicque pergens ad Diocletianum confitens se Christianum esse, capitalem cum Claudio & Quirino accepit sententiam. Et iratus Diocletianus præcepit illius corpus non sepeliri in metum Christianorum. Cumque illius corpus per dies XXX. inhumatum stetisset nocte

 appa-

apparuit Petrus Apostolus Marcello, qui illi successit, qui dixit illi: Marcelle, quare corpus meum inhumatum non sepelis; Ego Petrus sum; & dedit intelligere, quod de Marcellini corpore diceretur, & addidit: Nonne legisti, quod qui se humiliat, exaltabitur; multum se humiliavit, qui se indignum sepultura judicavit; Vade igitur & sepeli eum juxta me, ut quos justificavit gratia, non dividat sepultura. Hoc tempore passus est apud Valentiam in Hispania beatus Vincentius Levita.

Anno Christi CCC.

Marcellus natione Romanus regione Via lata, sedit a. VI. mens. VIII. dies XXV. & cessavit dies XV. imperante Diocletiano cum Maximiniano & post Gallerio. Hic constituit in urbe Cardinalatus XV. vel XXV. propter hominum sepulturam & baptismum tempore Maxentii. Passus est via salaria.

Anno Christi CCCVII.

Eusebius natione Græcus ex Medico. Sedit a. II. mens. II. dies XXV. Imperante Constantino. Hujus tempore inventa est sancta crux. Imo ipse instituit inventionem crucis celebrari. Cœmiterio Calisti quiescit.

Anno Christi CCCXIX.

Melchiades natione Afer sedit a. IV. mens. II. Imperante Constantino. Hic constituit, ut nulla natione die Dominico vel Jovis jejunium ageretur, quod Pagani eos dies quasi sacrum jejunium celebrant.

Anno Christi CCCXXIII.

Silvester natione Romanus sedit a. XXIII. menses X. d. II. & cessavit diebus XII. tempore Constantini. Hic in Nicea Bithiniæ congregavit concilium. Ibi exposita est fides Catholica & multa sunt acta decreta. Hic constituit, ut nullus Laicus crimen Clerico inferre audeat & ut Chrisma sanctum tantum ab episcopo conficiatur, & ut Diaconus Dalmatica utens in Ecclesia linea palia leva contegant; nec Clericus qualibet causa in curia juret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia & ut sacrificium altaris non in serico nec panno tincto, sed lineo terreno celebrari, sicut corpus Domini in syndone munda sepultum est. Hic baptizavit Constantinum Imperatorem; In Dei virtute a lepra mundavit. Hoc tempore Constantinus via Tyburtina ædificavit B. Laurentio Basilicam in agro Verano, & hoc tempore multi ad fidem conversi unde libertas data est Ecclesiæ. Cœmiterio Prysallæ sepultus fuit, cujus corpus nunc Monasterium Nonantulæ est conditum.

Anno Christi CCCXLVII.

Marchus natione Romanus sedit a. II. mens. VII. dies XXI. & cessavit dies XX. imperante Constantio & fratribus. Hic constituit, ut Episcopus Hostiensis qui Romanum Pontificem consecrat, palio uteretur, & ut symbolum in missa alta voce cantaretur. Via ardeatina ecclesia, quam fecit, sepultus est.

Anno Christi CCCXLIX.

Julius natione Romanus sedit annos XV. menses II. dies VIII. & cessavit VIII. diebus imperante Constantio & fratribus. Hujus tempore celebrata est sacra Synodus apud Niceam Episcoporum CCCXVIII. qua damnata est hæresis Arriani, qui asserebat filium minorem patre. His temporibus fuerunt B. Nicolaus Episcopus, Eusebius Episcopus, S. Hilarius Pictaviensis. B. Epiphanius & Grisogonus, Cosmus & Damianus gemelli florent, Julius Papa via Aurelia Cœmiterio Calopodii jacet.

Anno Christi CCCLXIIII.

Liberius natione Romanus sedit annos VI. menses III. dies IIII. & cessavit diebus XXV. Imperante Constantio. Hic constituit conjugium benedici a sacerdote, qui in exilium missus est a Constantio, quia hæresi Arrianæ noluit consentire. Clerus Romanus de Consilio Liberii ordinaverunt Felicem in Papam venerabilem presbyterum, quo celebrante concilium invenit interesse duos Presbyteros Arriana lue infectos, & familiares Constantii Imperatoris s. Ursatium & Valentem quos de Concilio XLVIII. Episcoporum ejecit. Illi contra Felicem excitati operam dederunt cum Constantio, ut Liberius magis eis consentaneus de exilio revocaretur. Liberius vero Imperatori consentiens revocatus est. Imperator convocato Concilio cum Ursato & Valente Felicem Catholicum de Papatu deponunt. Liberium vero Arrianis assentientem in papatum restituunt, qui post Felicem Papatum tenuit annis quinque. Clerici multi Liberio contrarii passi sunt martyrium, præsertim Eusebius, qui Liberium Arrianum dicebat; Liberius sepultus est cœmiterio Priscillæ.

Anno Christi CCCLXX.

Felix secundus natione Romanus sedit a. I. mens. III. dies II. Imperante Constantio. Hic declaravit Constantium esse hæreticum Arrianum, & secundo rebaptisatum ab Eusebio Nicomediæ Episcopo, propterea, quod de Papatu ejectus capitis truncatione martyrio coronatus est, & via Aurelia est sepultus ecclesia, quam Presbyter construxerat.

Anno Christi CCCLXXI.

Damasus Hispanus natione sedit annos XVIII. mens. III. dies XI. & cessavit XXXI. diebus imperante Juliano Apostata, post Joviano, post Valentiniano, post Valente ejus fratre ultimo Gratiano & Valentiniano secundo & Theodosio primo. Hoc tempore B. Ambrosius Episcopus Mediolani ordinatur. Florent etiam tunc Basilius Cæsariensis; Gregorius Naziancenus. B. Martinus. Jeronimus correxit Psalterium LXX. Interpretum, quod in omnibus ecclesiis cantabatur. Damasus Papa rogatu B. Ieronymi instituit, ut in fine Psalmorum diceretur in Ecclesia: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Via Ardeatina quiescit cum matre & germanis Ecclesia, quam fecit. Alii scripserunt, quod jacet Ecclesia S. Petri. Ursinus Diaconus in tantam prorupit audaciam, ut contra Damasum se urbis Episcopum faceret. Inde orta seditione magnæ cædes factæ sunt in urbe & ecclesiis.

Anno

Anno Christi CCCLXXXIX.

Siricius natione Romanus sedit a. XV. m. XI. dies XXV. & cessavit diebus XX. Imperante Theodosio cum Honorio. Hic secundam Synodum congregavit apud Constantinopolim CCCL. Episcoporum. Hic constituit Manichæum ad Ecclesiam non debere communicari, nisi in morte, & hæreticum per manus impositionem recipi præsente cuncta Ecclesia. Jacet Cœmiterio Priscillæ. Hoc tempore B. Hieronymus transtulit Bibliam de Hebræo in Latinum. Tunc Ruffinus Presbyter Aquilegensis agnoscitur. In castello Emaus nati sunt duo pueri uno corpore infra umbilicum, quorum uno dormiente alter commedebat, qui annis duobus vixerunt, & triduo alter alteri præmortuus est.

Anno Christi CCCCIV.

Anastasius natione Romanus sedit a. III. d. X. Imperantibus Archadio & Honorio. Hic constituit hominem membro carentem non fieri Clericum, & nullum Clericum ad superiores ordines promoveri, nisi de licentia sui Episcopi; & quotiens Evangelium recitatur, sacerdotes non sedere sed stare, amos. Romæ sepultus.

Anno Christi CCCCVI.

Innocentius primus natione Albanus sedit annis XV. mens. II. diebus XII. Imperante Archadio cum Honorio, & mox Theodosio secundo. Hic constituit natum de Christiano renasci baptismate, & jejunium sabbatho, quia Dominus potitus erat sepulcho & jejunaverunt discipuli, & quod homo carens membro aliquo non possit clericus fieri. Hic constituit oleo consecrato uti ad infirmorum non tantum presbyteris sed & aliis Christianis. Hoc tempore B. Alexius vixit in carne.

Anno Christi CCCCXXI.

Zosimus natione Græcus sedit a. I. mens. IX. & cessavit dies XXVI. imperantibus Honorio & Theodosio Archadii Filio. Hic constituit cereum benedici in pascha; per Parochias & Diaconos lævam tectam habere de Palliis Linostinis, & clericum in publico non uti poculo, & quod nullus servus ullo modo Clericus fiat.

Anno Christi CCCCXXIII.

Bonifacius primus natione Romanus sedit annos III. mens. VIII. d. VII. imperante Honorio & Theodosio post eum Valentiniano genero suo. Hic constituit, ut nulla monacha vel mulier pallia sacrata tangeret, nec servum fieri clericum vel obnoxium curiæ vel cuilibet rei.

Anno Christi CCCCXXVII.

Cœlestinus primus natione Romanus sedit annis IX. mens. X. diebus XVII. & cessavit diebus XXI. imperantibus Theodosio II. & Valentiniano tertio genero suo, jacet cœmiterio Priscillæ. Hic constituit, ut Psalmi David ante sacrificium cantarentur, & antiphonarium ex Psalmis, quod antea non fiebat; sed legebantur tamen epistolæ Pauli & Evangelium. Hic misit S. Patricium filium Chotes sororis S. Martini Turonensis in Hiberniam, & omnes ad fidem convertit.

Anno Christi CCCCXXXVI.

Sistus tertius natione Romanus sedit a. IX. d. XXVIII. & cessavit d. XXII. Imperante Theodosio II. Jacet juxta corpus B. Laurentii. Hic constituit, ut nullus Clericus in alterius Parochia ordinari præsumat.

Anno Christi CCCCXLV.

Leo primus natione Tuscus sedit a. XXII. mense I. diebus XVII. Imperante Theodosio & Valentiniano & post Martiano. Jacet ecclesia B. Petri. Hic tertiam sacram Synodum Chalcedoniæ celebravit Episcoporum CC. & defendit contra Eutichen & Nestorium duas in Christo esse naturas. Hic scripsit ad Martianum Imperatorem Epistolas XII. ad Leonem Imperatorem Epistolas XIII. & ad multos alios Episcopos. Hic mitigavit Atilam, mox Gensericum Regem Vandalorum. Hujus notarius fuit beatus Prosper, mox Reginus Episcopus. Leonis Papæ natalis agitur vigilia Apostolorum Petri & Pauli.

Anno Christi CCCCLXVI.

Hilarius natione Sardus sedit a. VI. mens. III. dies X. & cessavit dies X. Imperante Martiano cum Valentiniano & post Leone. Hic constituit, ut nullus Clericus investituras accipiat a laicis; & confirmavit tres Synodos. Jacet ad Sanctum Laurentium. Hujus tempore in Britannia regnabat Arthurius, qui sua probitate ac benignitate Franciam, Flandriam, Novergiam, Daciam & cæteras insulas ejus regionis suo sceptro regebat. Idem in prælio vulneratus pro curando vulnere secessit in quandam Insulam, nec ultra apparuit.

Anno Christi CCCCLXXII.

Simplicius natione Tiburtinus sedit a. XV. mens. I. d. VII. & cessavit diebus VI. imperante Leone & post Zenone. Hic constituit, ut nullus investituras a laicis accipiat, nullus Pontifex successorem constituat. Jacet Ecclesia sancti Petri. Hoc tempore Merlinus Propheta in Britannia natus est ex filia Regis sanctimoniali & incubo dæmone. Nam mater ejus filia regis Metiæ inter Monachas degebat in ecclesia sancti Petri in urbe Kamulodono, quæ asseruit se nunquam virum cognovisse, sed quidam in specie pulchra nimis ipsam frequenter deosculans & evanescens & rursum apparens & eam amplectens ipsam prægnantem reliquit. Cum vero Rex Britanniæ miræ magnitudinis ædificium strueret, & nocte evanesceret, quod die ædificabatur, admirans Rex responsum a magis accepit, quod ædificium non perficeret, nisi calx cum cruore unius nati sine patre misceretur. Cum autem talis quæreretur per regnum, Merlinus Puer ab alio puero secum contendente talis notificatur. Merlinus captus, magos dixit esse mentitos, & ostendens sub terra voraginem dixit, ibi esse duos dracones, qui opus demoliebantur & ita inventum est. Propter quod Merlinus a morte evasit.

Anno Christi CCCCLXXXVIII.

Felix tertius natione Romanus sedit an. VIII. mens.

mens. XI. dies XXVII. & cessavit diebus quinque. Imperante Zenone mox Anastasio. Jacet Ecclesia beati Pauli. Hic constituit Ecclesias esse consecrandas, & damnavit Petrum Episcopum Alexandrinum & Achatium Episcopum Constantinopolitanum Entucianistas. Hic etiam constituit, quod accusato dandæ sunt induciæ ut se possit defendere, & quod accusatores & judices tales sint, qui omnium careant suspicione.

Anno Christi CCCCIC.

Gelasius primus natione Afer sedit an. IIII. menses IX. Jacet ecclesia sancti Petri; qui sedit imperante Anastasio. Hic in missa addidit: vere dignum & justum est &c. Hymnos & libros composuit, sicut Ambrosius. Hujus tempore regnabat Theodoricus Rex Gothorum in Italia & Boetius florebat, & hoc tempore facta est inventio Criptæ sancti Michaelis.

Anno Christi DI.

Anastasius secundus natione Romanus sedit an. II. mens. XI. d. XXIII. & cessavit diebus IX. imperante Anastasio. Jacet ecclesia St. Petri. Hic constituit, ut nullus Clericus omittat suum Officium propter iram vel rancorem, præter missam. Tempore Theodorici Regis Gothorum fuit.

Anno Christi DIV.

Simachus natione Sardus sedit annos XV. m. VII. d. XXVII. & cessavit Episcopatus diebus VII. imperante Anastasio. Jacet ecclesia Sanct. Petri. Hic constituit, ut diebus Dominicis & solemnibus diceretur in missa: Gloria in excelsis Deo, quod ante non fiebat. Hoc tempore Childericus Rex Franciæ propter insolentem vitam & luxuriosam de regno ejectus a suis octo annis mansit apud Basinum regem Turogorum, quo revocato in dominium suum, Basina uxor Basini Regis secuta est illum Adericum, qui eam accipiens in uxorem ex ea genuit Clodoveum, qui mox baptizatus est per Sanctum Remigium, & effectus Christianissimus matyrio coronatus est. Beati vero Remigii filius fuit per Spiritum Sanctum Leonardus.

Anno Christi DXIX.

Hormisda natione Campanus sedit a. IX. dies XVII. & cessavit diebus VI. imperante Anastasio, post Justino. Et jacet ecclesia sancti Petri. Anastasius hæreticus hujus nuncios ad se missos rejecit, & statim fulmine periit, mox missi ad Justinum Imperatorem, ab eo gratanter recepti sunt: unde Græcos, qui excommunicati erant, Papa absolvit, & bonus bona multa operatus est.

Anno Christi DXXVIII.

Johannes primus natione Thuscus sedit annos II. menses IX, & cessavit diebus octo, imperante Justino. Hunc Theodoricus fecit occidi, quod eum missum ad imperatorem ipse Imperator devote susceperat. Hoc tempore Boetius occiditur & Symmachus ejus socer Romanus illustris. Et Francia ad fidem convertitur.

Anno Christi DXXX.

Felix quartus natione Sabinus sedit annis IV. mens. II. d. XIII. & cessavit dies XLV. Imperante Justiniano. Jacet Ecclesia beati Petri. Hic atavus fuit beati Gregorii Papæ magni Doctoris.

Anno Christi DXXXIV.

Bonifacius secundus natione Romanus sedit annis II. mens. III. & cessavit dies VI. tempore Justiniani & Athalarici, filii filiæ Theodorici Regis Gothorum. Hic constituit, ut Clerici sint divisi a Laicis, dum missa celebratur. Jacet ecclesia sancti Petri.

Anno Christi DXXXVI.

Johannes secundus natione Romanus, qui Mercurius dicebatur, sedit a. II. mens. III. d. VII. & cessavit diebus VII. imperante Justiniano & tempore Athalarici. Jacet Ecclesia sancti Petri. Hic damnavit Athemium Episcopum Arrianum. Huic Papæ Justinianus per Ypaticum Episcopum Chirographo fidem suam Catholicam misit. Hoc tempore florent beati Benedictus & Maurus ejus discipulus.

Anno Christi DXXXVIII.

Agapitus primus natione Romanus sedit menses XI. dies XVIII. Hic constituit processiones fieri die Dominico. Hic missus est ad Justinianum a Theodato Rege Gothorum culpato, quod occidi fecerat Amalasiuntam Reginam matrem Athalerici, qui eum in regnum consociaverat, ut Imperatorem placare. Imperator hujus precibus removit Athemium ab Episcopatu Constantinopolitano & Mennam subrogavit. Papa ibi mortuus est, & corpus ejus adductum Romam. Jacet ecclesia sancti Petri.

Anno Christi D.XXXIX.

Silvius natione Romanus ex patre Hormisda Episcopo sedit a. I. mens. V. d. XI. Hic a Justiniano in Pontum fuit relegatus, quod revocare noluit Athemium hæreticum Episcopum depositum, ubi est confessor mortuus & sepultus.

Anno Christi DXL.

Vigilius natione Romanus sedit annis XVII. d. XXVI. & cessavit mens. III. & dies V. imperante Justiniano. Theodora Imperatrix fautrix Athemii persecuta est Vigilium, & de mandato ejus ductus est Vigilius in Constantinopolim. Ibi cum Athemium non vellet restituere alapis cæsus, de Ecclesia sanctæ Sophiæ, quo confugerat, est extractus, sed per gratiam populi Romani revocatus, & rediens Syracusis mortuus est; cujus corpus Romæ conditur via Salaria apud sanctum Marcellum. Hujus tempore Roma a Gothis est capta, & quinta Synodus facta contra Theodorum & alios, qui dicebant Christum solum hominem.

Anno Christi DLVII.

Pelagius primus natione Romanus sedit a XI. mens. X. d XVIII. & cessavit mens. III. & diebus XXV. imperante Justiniano. Hic constituit, ut hæretici comprimerentur per judices Seculares. Culpatur quoque de morte Vigilii Papæ coram omni populo tacta cruce Evangelio se purgavit. Hoc tempore Sanctus Brandanus in Scotia clarus habetur. Ossa quoque beati Stephani Proto-martyris Romam allata sunt, & locata cum corpore beati Laurentii.

Anno

Anno Christi DLXVII.

Johannes tertius natione Romanus sedit a. XII. m. XI. d. XXVI. & cessavit diebus XXXIII. imperante Justiniano & post Justino secundo. His temporibus Fortunatus Poeta vir ingenio & vita laudabilis de Italia Turonam veniens gesta beati Martini Episcopi conscripsit, mox demum fuit Episcopus Pictavenus. Hoc tempore moritur sanctus Maurus discipulus beati Benedicti. Hoc etiam tempore claret sanctus Germanus Episcopus Parisiensis Johannes Papa cœmiteria constituit & restauravit ecclesiam Apostolorum, in qua corpus ejus est conditum.

Anno Christi DLXXVIII.

Benedictus primus natione Romanus sedit a. III. mens. I. d. XIX. & cessavit menses III. & dies X. imperante Tyberio secundo. Hujus tempore Longobardi in Italiam sunt ingressi, comitante multa fame & peste; quibus laboribus obiit idem Papa, qui Ecclesia beati Petri quiescit.

Anno Christi DLXXXI.

Pelagius secundus natione Romanus sedit annos X. menses II. dies X. & cessavit menses VI. & dies XXV. Imperante Tiberio & post Mauritio. Hic fecit domum suam Zenodochium pauperum. Jacet ecclesia sancti Petri. Hujus tempore, Tyberis in tantum intumuit, ut aquæ ascenderent muros urbis, & secum traxerunt in mare innumerabiles serpentes cum ingenti Dracone, quibus mari nectis facta corruptione aëris multi perierunt, inter quos Papa, qui beatum Gregorium suum Apocrisarium in Constantinopolin legaverat ad Augustum.

Anno Christi DXCI.

Gregorius primus natione Romanus sedit annos XIII. mens. VI. dies X. & cessavit Episcopatus menses V. d. XVI. cœpit sedere IV. idus Martii. Hic Doctor eximius divinarum scripturarum fuit, & Pontifex mansuetus. Hic fecit Homelias XL. Iob & Ezechielem moraliter & mire exposuit. Registrum Pastoralem scripsit pro eruditione Maureliani Episcopi Ravennatensis. Dialogum etiam composuit. Primo Monachus domum suam fecit monasterium. Ejus studio gens Anglorum ad fidem conversa est. Addidit in missa: & dies nostros in pace dispone. Et licet tantus scientia & sanctitate fuit, multos tamen adversarios habuit, maxime post mortem, adeo, ut propter detrectationem ipsius, omnes libros ejus vellent facere cremari, nisi Petrus ejus Diaconus per Spiritum sanctum, quem in Columbæ specie viderat super ipsum sedisse, libros scripsisse juramento, & mortis suæ, quam prædixit, termino, sive legendo in publico evangelium confirmasset. Jacet igitur in secretario beati Petri.

Anno Christi DCV.

Sabinianus natione Tuscus sedit a I. mens. V. dies IX. & cessavit m. I. & diebus XXV. imperante Phoca. Jacet Ecclesia sancti Petri. Hic constituit, ut horæ diei per Ecclesias pulsarentur.

Anno Christi DCVII.

Bonifacius III. natione Romanus sedit mens. IX. d. XXI. Imperante Phoca. Hic constituit, ut vivente Episcopo, non eligat superstitem, & quod mundus pannus super altare ponatur.

Anno Christi DCVIII.

Bonifacius IV. natione Marsorum, de civitate Valeria sedit a. VI. mens. VIII. dies XII. imperante Phoca. Hic obtinuit ab Imperatore, ut Romana ecclesia caput haberetur omnium ecclesiarum. Nam Ecclesia Constantinopolitana se primam scribebat. Hic etiam obtinuit ab Imperatore, ut templum Pantheon consecratum ad honorem Cybeles matris Deorum, ubi sæpe Christiani a Dæmonibus percutiebantur, consecraretur ad honorem Dei & sanctorum, quod nunc dicitur Sancta Maria rotunda. Consecravit igitur illum ad honorem beatæ Mariæ & omnium sanctorum Kalendis Novembris, & constituit, ut ea die Pontifex Romanus ibi missam celebret, & populus accipiat corpus & sangvinem Domini Jesu Christi, sicut in die Natalis Domini: & dies illa sit celebris beatæ Mariæ & omnibus Sanctis, & populus Christianus festivitatem agat; sequenti vero die pro fidelibus defunctis quoque per omnes ecclesias sacrificium fiat.

Anno Christi DCXV.

Deusdedit natione Romanus sedit a. III. dies XXI. & cessavit mens. I. diebus XXVI. imperante Eraclio. Hoc osculante leprosum, statim mundatus est idem leprosus.

Anno Christi DCXVIII.

Bonifacius V. natione Campanus urbe Neapoli, sedit a. V. d. XIII. & cessavit mens. VI. diebus XIII. imperante Eraclio. Hic constituit, ut fures ecclesiarum anathematizentur, & ut Acoluthus reliquias martyrum non audeat levare.

Anno Christi DCXXIII.

Honorius primus natione Campanus sedit a. XIII. mens. XI. d. XVII. & cessavit m. VII. dies XVIII. imperante Eraclio. Hic constituit, ut omni Sabbatho procederent Letaniæ ad sanctum Petrum. Hoc tempore sanctus Anastasius Monachus coronatur martyrio.

Anno Christi DCXXXVI.

Severus natione Romanus sedit a. II. & cessavit mens. IIII dies XXVIII. imperante Eraclio. Hic fuit sanctus & benignus amator clerici ac pauperum. Jacet apud ecclesiam sancti Petri.

Anno Christi DCXXXVIII.

Johannes IV. natione e Dalmatia sedit an. I. mens. X. d. XLX. & cessavit mens. I. dies XLII. imperante Eraclio. Hic de Thesauris ecclesiæ multos captivos redemit, qui per Ystriam & Dalmatiam serviebant.

Anno Christi DCXL.

Theodorus primus natione Græcus ex Patre Theodorico Episcopo de civitate Jerusalem sedit a. VI. mens. V. dies XVIII. & cessavit diebus LII. imperante Constantino tertio. Hic dum Missam celebraret, Olybrii spatarius ab illo missus eum voluit occidere, sed ut ensem levavit, statim factus est cæcus.

Anno Christi DCLIII.

Eugenius primus natione Romanus sedit an. II. mens. IX. d. XXII. & cessavit mens. uno, dies XXIX. im-

XXIX. imperante Constantino III. Hic in omnibus fuit bonus. Jacet ecclesia sancti Petri. His temporibus ecclesia Ravennatensis ecclesiæ Romanæ omnino non obediebat.

Anno Christi DCLVI.

Vitalianus primus natione Campanus civitate Signensi, sedit an. XIV. menses VI. & cessavit mens. II. & diebus XIII. imperante Constantino III. Hic cantum Romanum composuit, & dulcisono Organo concordavit. Hic Papa Ferariæ primum Episcopum contulit Marinum fratrem Cardinalem natione Romanum.

Anno Christi DCLXX.

Deodatus natione Romanus ex monacho sedit a. IV. mens. II. dies V. imperante Constantino IV. filii Constantini tertii. Hic tantæ benignitatis fuit, ut omnem hominem ad se venientem consolatum dimitteret, & dum obscularetur leprosum statim mundatus est a lepra. Jacet apud sanctum Petrum. Hujus tempore translatum est corpus beati Benedicti a monte Cassino ad cœnobium Floriacenum in Aureliana ditione.

Anno Christi DCLXXIIII.

Donus natione Romanus sedit a. I. mens. V. d. X. & cessavit mens. II. diebus XV. imperante Constantino IV. Hoc sedente Ravennas, qui diu non obedierat Pontifici Romano ad obedientiam ecclesiæ Romanæ devenit, Theodato Archiepiscopo Ravennatensi: & defuncto Episcopo Ravennatensis electus in curiam Romanam venerat, ordinandus ab Episcopo Romano. Hoc tempore sexta Synodus acta Constantinopoli est.

Anno Christi DCLXXVIII.

Leo secundus natione Siculus sedit mens. X. dies XVII. & cessavit mensibus XI. diebus XXII. imperante Constantino IV. Hic fuit eruditus apprime græcis literis & latinis eloquentissimus, qui constituit in missa post Agnus Dei pacem dari inter Christianos.

Anno Christi DCLXXIX.

Benedictus natione Romanus sedit a. X. dies XII. & cessavit mensibus II. & diebus XV. imperante Constantino IV. Hic vita sanctus & bonus jacet apud ecclesiam sancti Petri.

Anno Christi DCLXXXIX.

Johannes V. natione Syrus urbe Antiochia, sedit an. I. dies IX. imperante Constantino IV. Hic vita commendabilis jacet apud S. Petrum.

Anno Christi DCXCI.

Sergius primus natione Syrus urbe Antiochia, sedit a. IX. mens. VIII. d. XXIII. & cessavit mens. I. diebus XX. imperante Justiniano secundo. Hic per Patricium Romanorum factus est Papa, unde aliqui eum non scribunt Papam propter malum introitum; & sequens Leo appellatur Leo tertius etiam in Decreto.

Anno Christi DCCIII.

Johannes VI. natione Græcus sedit a. III. m. II. d. XXIII. & cessavit m. I. & d. XVIII. imperante Leone II. & Tyberio III. Post hic martyr jacet in Catacumbis ecclesia Sebastiani.

Anno Christi DCCVI.

Johannes VII. natione Romanus sedit an. II. mens. VII. d. XXVII. & cessavit m. IX. imperante Tyberio III. Hic fuit scientia eruditus & facundus eloquio.

Anno Christi DCCVIII.

Sisinius natione Romanus sedit d. XX. & cessavit m. VI. imperante Tiberio. Hujus tempore magnum scisma fuit in ecclesia.

Anno Christi DCCVIIII.

Constantinus natione Syrus sedit an. VII. d. XV. & cessavit d. XL. imperante ipso Tyberio & post Justiniano iterum, jacet in S. Petro.

Anno Christi DCCXVI.

Gregorius secundus natione Syrus sedit an. XVI. mens. II. dies XXII. & cessavit d XXV. imperante Philippo secundo & post Anastasio secundo & post Theodosio tertio, & post Leone tertio, cum Constantino suo filio. Jacet Ecclesia S. Petri. Hic per Bonifacium Episcopum Maguntinum Germanos ad fidem convertit, & constituit quintam feriam jejunari, ut quadragesimam, quod non ante fiebat.

Anno Christi DCCXXXII.

Gregorius III. natione Romanus sedit an. X. m. VIII. d. XXII. & cessavit diebus IX. imperante Leone, cum filio suo Constantino. Hic cum Roma obsideretur a Rege Longobardorum misit navigio ad Karolum patrem Pipini claves confessionis beati Petri rogans, Romanam Ecclesiam liberaret a Longobardis.

Anno Christi D.CCXLII.

Zacharias natione Græcus sedit an. X. m. II. d. XV. & cessavit dies II. imperante Leone IV. cum filio suo Leone & Constantino VI. post cum Irene matre sua. Hic pacem fecit cum Longobardis, & librum Dialogorum transtulit in Latinum, de Græco. Hic Karrulum Magnum (Carolomannum) fratrem Pipini fecit Monachum, & eum misit in Casinense cœnobium, ut monachus fieret. Cui Monasterio dona & privilegia Apostolicæ sedis contulit. Hujus monitione Rachis Rex Longobardorum cum Uxore & filiis relicto seculo monasterium est ingressus. Ad hunc Papam monachi montis Cassini adjuncto sibi fratre Karrulo Magno Romam venerunt, rogantes Papam, quatenus Pipino Regi Francorum literas dirigeret, ut Corpus beati Benedicti, quod Floriacenses Monachi furtim habuerant, loco Cassinensi restituerent. Rex Pipinus mandavit Monachis Florianæ, ut illud restituerent jejunantibus & flentibus. Nuncii vero, qui corpus aufferre debebant, sunt cæcitate percussi, & hoc cognito ibidem remansit. Zacharias Papa moritur omni virtute ornatus. Hoc tempore corpus beatæ Mariæ Magdalenæ a Gerardo Comite Burgundiæ Urgiliatum translatum est: quinque alii scribunt id esse apud Ephesum.

Anno Christi DCCLII.

Stephanus secundus natione Romanus sedit a. V. mense uno, diebus XXVIII. imperante Constantino V. Hic ob infestationem Astulfi Regis Longobardorum pergens in Franciam unxit Pipinum in Regem Francorum, cui occurrit Pipinus pedes per tria millium passuum & officium stratoris exhibuit, illius equum per habenas

habenas dirigens usque in aulam suam. Hic ultimo anno sui Pontificatus Romanum imperium in Francos transtulit, in personam Karuli filii Pipini, de qua translatione tangitur codice Decretalium.

Anno Christi DCCLVII.

Paulus natione Romanus sedit a. X. m. I. & cessavit anno I. m. I. imperante Constantino cum filio suo Leone. Hujus tempore Gengulfus in Burgundia claret, qui cum uxorem adulteram sprevisset, a Clerico adultero est occisus, qui miracula ejus, vita laudabili corruscabat, uxor ejus miraculis derogans ait: si Gengulfus facit miracula, meus anus cantet, id quidem mox completum est. Nam semper ea loquente anus ei cantabat.

DCCLXVII.

Constantinus secundus natione Redmanus sedit annum I. mens. I. Imperante Constantino VI. Hic ex Laico subito factus presbyter & tyrannica ambitione invasor magno scandalo ecclesiæ fuit, sed zelo fidelium ab Ecclesia est deturbatus.

DCCLXVIII.

Stephanus tertius natione Siculus sedit a. III. m. V dies XXVIII. & cessavit diebus VIII. Imperante Constantino VI. Pipinus moritur. Hic Papa convocata ex Gallia in Italia Synodo cuncta ordinata per Constantinum Papam exauctoravit propter baptisma & crisma, & omnes per illum ordinatos degradavit.

DCCLXXI.

Adrianus I. natione Romanus sedit ann. XXIII. mensibus IX. diebus XXVIII. & cessavit dies III. imperante Irene matre Constantini cum Leone filio ejus Constantini, & post Nicephoro, post Michaele. Hujus precibus Karulus vocatus obsedit Papiæ Regem Longobardorum Desiderium cum uxore & filiis, quos captivos duxit in Franciam. Inde Romam perrexit, & confirmavit Ecclesiæ omnia acta per Pipinum addito etiam Ducatu Spolentino & Beneventano, propterea quod Romanus Patricius factus est. Hic Papa restauravit Ecclesiam S. Anasasii ad Aquam salinam, post incendium muros quoque & turres urbis Romæ ædificavit; portas æreas beato Petro Papæ dedit. Hujus tempore celebrata est Constantinopoli VII. Synodus episcoporum CCC. aliam quoque Synodum Romæ celebravit præsente Karulo Episcoporum CLIIII. & aliorum prælatorum, qua Synodo datum fuit Karulo jus eligendi pontificem Romanum & sedem Apostolicam ordinandi, & ut Archi-Episcopi per omnes Provincias ab ipso Karulo investituras reciperent; & anathematizati sunt omnes huic decreto rebelles, nisi resipiscerent, & eorum bona confiscata. Hoc tempore claret Alcuinus Anglicus Philosophus non solum scientia sed & vitæ honestate præclarus, qui præceptor Karuli persuasit eidem ab urbe Roma in Franciam Philosophiæ studium transferri, quod a Græcis fuerat Romam translatum. Alcuino Karulus Monasterium Domini Turonis regendum commisit. Nam Monachi præteritæ Religionis obliti adeo defluxerant, quod sericis indumentis incedebant, & deauratis calceamentis, carnis oblectamentis vacando. Unde uno Monacho vidente duo angeli dormitorium intrantes omnes Monachos extinxerunt, uno excepto qui Angelos videbat, qui ne occideretur sed ad pœnitentiam agendam reservaretur, vix ab Angelis obtinuit: post laudabilis Alchinus ejus monasturio tumulatus est.

DCCXCIIII.

Leo III. natione Romanus sedit a. X. mens. V. dies XVI. & cessavit dieb. III. Tunc Constantinus sextus Imperator excæcatus est. Marmedus Viennæ Episcopus ob imminentem cladem ante diem Ascensionis Domini per tres dies Letanias instituit. Leo Papa dum die S. Marchi cum Litaniis, quas ipse constituerat, ante ascensionem ad S. Petrum pergeret, captus est & excæcatus lingua præcisa; sed Deus illi reddidit loquelam & visum. Mox ad Karulum profectus in Franciam magno ab illo honore suscipitur. Inde Romam cum eo rege devenit, & facta est ex inimicis ejus vindicta. Idem Rex Karulus tunc ab eo coronatus est, imperiali diademate a. C. DCCCII. Hic Papa fecit construi porticum Sancti Petri & civitatem Romam muris cinxit, propter Saracenorum incursum.

DCCCXIV.

Stephanus IV. natione Romanus sedit mens. VIII. & cessabit diebus XVIII. Hic honorifice ab Imperatore Lodovico in Gallia susceptus est & captivos multos per Franciam redimens Romam reversus ibi sepultus est ecclesia Sancti Petri.

DCCCXV.

Paschalis primus natione Romanus sedit annos VII. dies XVII. & cessavit diebus XVIII. Imperante Lodovico. Hic ante aditum ad corpus Sancti Petri ostia ærea & altare construxit, & ibi corpus Sancti Sixti primi recondit.

DCCCXXII.

Eugenius II. natione Romanus sedit ann. IV. mens. VIII. Imperante Lodovico. Hic per Laicos Romanos cæcatus est & martyrio coronatus. Jacet etiam ecclesia Sancti Petri.

DCCCXXVII.

Valentinus I. natione Romanus sedit dies XL. & cessavit d. III. Lodovico imperante.

DCCCXXVII.

Gregorius IV. natione Romanus sedit a. XVI. imperante Lodovico & post Lothario. Hujus tempore orta turbatione inter Christianos quidam scelerati miserunt ad Soldanum Babilonem vel Babiloniæ, ut in Italiam accederet, eam possessurus; propter quod Saraceni per portum Centucellensem intrantes, ut locustæ impleverunt superficiem terræ. Roma obsessa capitur, Ecclesia B. Petri spoliatur & equorum fit stabulum; omnis etiam Tuscia in solitudinem redacta est. Tandem ad petitionem hujus Papæ Guido Marchio cum Longobardis veniens, post Lodovicus cum Gallicis cum multa sanguinis Christianorum effusione fugati sunt. Ipsi etiam Saraceni Apuliam & Siciliam fuerant populati. Hic Papa jacet ecclesia Sancti Petri.

 DCCCXLIII.

DCCCXLIII.

Sergius II. natione Romanus sedit annos III. mens. II. Imperante Lothario. Hic vocabatur Os porci, unde mutatum est nomen abinde omnibus Romanis Episcopis. Hic Sergius Lotharium coronavit in Augustum.

DCCCXLVI.

Leo IV. natione Romanus sedit annis VIII. mensibus III. diebus V. imperante Lothario & post suo filio Lodovico. Hujus tempore Adulphus Rex Anglorum, qui primus Angliæ obtinuit Monarchiam, devotionis causa Romam veniens coram Leone Papa tributum obtulit beato Petro de una quaque domo annuum nummum argenteum & hoc tributum hodie perseverat. Hic ornatus multis virtutibus vigiliis & orationibus erat intentus & scripturarum persedulus perscrutator. Hic a parentibus ob studia literarum positus fuit apud monasterium Sancti Martini confessoris, juxta Ecclesiam beati Petri Apostoli. Hic non solum scientiam, sed ut perfectus Monachus conversatione apparuit. Hunc mox Sergius presbyterum faciens titulo Sanctorum quatuor assignavit, quo mortuo nec sepulto omnis Clerus & populus Romanus una voce Leonem in suum Pontificem elegerunt, qui factus Episcopus Romanus omnes ecclesias, quas Saraceni deformaverant, honorifice restauravit. Hic pro Neapolitanis contra Saracenos orando fecit orationem: Deus, cujus dextra beatum Petrum ambulantem in fluctibus &c. Saraceni autem, qui locupletati spoliis Italicis, redibant in Africam, ecclesiis exspoliatis, in mari sunt mersi. Leo Papa moritur Romæ & sepelitur ecclesia Sancti Petri, cujus festum agitur XVII. Calendas Augusti.

DCCCLIV.

Post hunc Leonem Johannes Anglicus natione sedit a. II. mens. V. d. IIII. & Romæ mortuus est, & cessavit Episcopatus mense uno. Hic, ut asseritur, fœmina fuit, & in puellari ætate a quodam suo amasio in habitu virili Athenis ducta sic in diversis scientiis profecit.

DCCCLVI.

Benedictus III. natione Romanus sedit a. II. mens. V. & cessavit diebus XV. imperante Lodovico secundo. Hic constituit clericos honeste incedere. Jacet ecclesia Sancti Petri.

DCCCLIX.

Nicolaus primus natione Romanus sedit annis IX. mensibus II. diebus XX. imperante Ludovico II. Hic post beatum Gregorium in sede Romana parem non habuit, cujus orationem idem Ludovicus II. Imperator sua præsentia honoravit. Hujus tempore orta Coloniæ tempestate populo in Basilica confugiente subito fulmen instar ignei draconis cecidit, scindens Basilicam & tres homines diversis locis occidit & sex semivivos reliquit. Tempore hujus Sanctus Cyrillus pene omnium Sclavorum Apostolus corpus beati Clementis Papæ a Cresoa, ubi in mare Ponticum projectum fuerat, mari excitato Romam adduxit, quod per Papam & Romanos reconditum est Ecclesia Sancti Clementis, ubi idem Cyrillus mox sepelitur miraculis corruscando. Nicolaus Papa Ecclesia S. Petri tumulatur.

DCCCLXVIII.

Adrianus secundus natione Romanus sedit a. V. imperante Lodovico secundo. Hic post multa bona, quæ fecit, apud Sanctum Petrum sepelitur.

DCCCLXXIII.

Johannes VIII. sedit a. X. diebus V. imperante Karulo secundo & post Karulo tertio. Hujus tempore Saraceni per Italiam discurrentes Ecclesiam beati Benedicti in monte Cassino sitam incenderunt.

DCCCLXXXIV.

Martinus secundus sedit a. I. mens. V. & cessavit diebus II. Karulo III. imperante.

DCCCLXXXIV.

Adrianus tertius natione Romanus sedit anno uno, mensibus IV. imperante Karulo III.

DCCCLXXXV.

Stephanus V. natione Romanus sedit ann. VI. d. IX. & cessavit dies V. imperante Arnulfo. Hujus tempore timore Normannorum, qui Dacis sibi junctis populabantur Galliam, corpus beati Martini de Turrone Altissiodorum est portatum, sed monachis propter oblationes litigantibus & ascribentibus suo sancto miracula, quæ fiebant pro determinatione Leprosus inter corpora illorum sanctorum positus est, qui ea parte, qua cohærebat beato Martino, curatus est, alia nocte aliam partem applicuerunt corpori beati Martini & ab eodem est curatus. Non propter impotentiam beati Germani, sed Martinum hospitem honoravit Germanus.

DCCCXCI.

Formosus Episcopus Portuensis sedit a. V. mens. VII. & cessavit diebus II. imperante Arnulfo. Hic per picturas renovavit ecclesiam Sancti Petri Apostolorum Principis. Hic aliquando timore Johannis Papæ fugiens Episcopatum Portuensem dereliquit, post vero cum revocatus redire nollet, anathematizatus est. Sed post ad Papam in Galliam veniens, usque ad statum Laycalem degradatus est. Insuper juravit, nec ad Episcopatum, nec Romam se venturum. Post a Martino secundo successore Johannis VIII. contra juramentum restitutus, non solum Romam reversus est, sed & Papatum suscepit; propter quod seditiones multæ fuerunt, ut infra agitur.

DCCCXCVI.

Bonifacius VI. natione Tuscus sedit diebus XV. imperante Lodovico III.

DCCCXCVI.

Stephanus VI. natione Romanus sedit a. I. m. III. & cessavit diebus III. imperante Lodovico III. Hic a Formoso Papa ordinatus Episcopus Annagn. ipsum Formosum persecutus est, & omnes illius ordinationes irritas esse decrevit. Legitur etiam, quod ipse corpus Formosi in concilio positum & papali veste exutum induit Laicali, & duobus digitis dextræ ejus abscissis manus ejus in Tyberim jactari præcepit.

DCCCXCVII.

DCCCXCVII.

Romanus natione Romanus sedit menses III. dies XXII. imperante Lodovico tertio.

DCCCXCVII.

Theodorus natione Romanus sedit diebus XX. imperante Lodovico III.

DCCCXCVII.

Johannes IX. sedit a. II. dieb. XV. imperante Lodovico tertio. Hic cum Romanis pugnavit. Synodum quoque Ravennæ habuit ad confirmandam Formosi ordinationem. Ubi reprobata est Synodus, quam Stephanus contra Formosum Papam fecit.

DCCCXCVIIII.

Benedictus IV. natione Romanus sedit a. III. mens. II. & cessavit diebus VI. imperante Lodovico III.

DCCCCII.

Leo V. sedit dies XL. imperante Lodovico tertio; post dies XL. præsulatus ejus Christoforus ejus Presbyter hunc capiens & carcere trudens sibi rapuit præsulatum, qui cum ei mensibus septem præfuisset, a Sergio Papa deponitur, & in carcerem tanquam invasor retruditur.

DCCCCIII.

Christoforus sedit menses VII. imperante Berengario primo. Hic de Papatu ejectus factus est Monachus.

DCCCCIIII.

Sergius tertius Romanus natione sedit a. VII. m. III. dies XVI. & cessavit diebus VII. imperante Berengario primo post Conrado Alamanno. Hujus tempore Ecclesia Lateranensis corruit, quam Papa a fundamentis reparavit. Hic Sergius Diaconus a Papa Formoso reprobatus a Papatu, tandem Papa factus ad Francos se contulit, quorum auxilio Christoforum invasorem Papatus incarcerans Romam ingressus Papatum obtinuit & in ultionem suæ repulsæ Formosum de sepulchro extractum & in sede Pontificali sacerdotaliter indutum decollari præcepit, & jactari in Tyberim. Omnes quoque Ordinationes per illum factas exauctoravit. Formosi corpus a Piscatoribus inventum & in Basilica beati Petri positum, quædam imagines adorasse & venerabiliter salutasse palam omnibus visæ sunt.

DCCCCXI.

Anastasius III. natione Romanus sedit a. II. mens. II. & cessavit dieb. II. imperante Berengario II.

DCCCCXIII.

Lando natione Romanus sedit mens. VI. & cessavit mens. I. imperante Berengario II.

DCCCCXIV.

Johannes X. sedit an. XIII. menses II. dies III. imperante Henrico. Hic fuit filius Sergii Papæ & Episcopus Ecclesiæ Ravennatensis, qui invasor Ecclesiæ fuit, & depositus ab omni populo Ravennatis. Hujus consilio & auxilio Saraceni, qui tunc in Italia dominabantur, primo prope urbem victi sunt, demum ipse Papa cum Marchione Alberico intrans Apuliam contra Saracenos apud Garilianum dimicavit durissimo prælio, & in pugna obtinuit. Post victoriam a populo Romano cum gaudio sunt recepti, mox discordante cum illo Marchione urbe depellitur.

DCCCCXXVII.

Leo VI. natione Romanus sedit mens. VII. d. XV. & cessavit dies X. imperante Henrico Theotonico.

DCCCCXXVIII.

Stephanus VII. natione Romanus sedit a. II. mens. I. diebus XII. & cessavit diebus II. imperante Henrico Theotonico.

DCCCCXXX.

Johannes XI. natione Romanus sedit a. IV. mens. X. d. XV. Hujus anno primo in Januensium urbe fons olei largissime effluxit, forte portendens ipsius cladem imminentem. Nam eodem anno a Saracenis ex Africa venientibus capta est, & hominibus atque thesauris exhausta.

DCCCCXXXV.

Leo VII. natione Romanus sedit a. III. m. VI. dies X. & cessavit mense uno, imperante Berengario tertio, post Lothario.

DCCCCXXXVIII.

Stephanus VIII. sedit annos III. mens. IV. dies XV. & cessavit dies X. imperante Berengario III. post Lothario II.

DCCCCXLII.

Martinus III. natione Romanus sedit an. III. mens. VI. dies XIV. & cessavit dieb. III. imperante Berengario IV.

DCCCCXLVI.

Agapitus II. natione Romanus sedit a. VIII. mens. VI. dies X. & cessavit dies XII imperante Berengario IV. & post Ottone primo. Hujus tempore Oddo Abbas primus Monasterii Cluniacensis obdormivit in Christo.

DCCCCLIIII.

Johannes XII. de regione Via lata sedit a. VII. mens. X. dies V. & cessavit dieb. XII. imperante Ottone primo.

DCCCCLXII.

Benedictus V. sedit mens. II. d. V. & cessavit diebus XX. imperante Ottone II. Hic vivente Johanne Papa a Romanis eligitur, propter quod Imperator Otto cum Romam obsideret, traditur Benedictus.

DCCCCLXII.

Leo VIII. sedit a. I. mens. IV. & cessavit d. VII. imperante Ottone II.

DCCCCLXIII.

Johannes XIII. sedit a. VII. mens. XI. d. XV. & cessavit diebus XIII. imperante Otthone II.

DCCCCLXX.

Benedictus VI. sedit a. I. m. VI. imperante Otthone II. & post Otthone III.

DCCCCLXXII.

Donus sedit a. II m. VI. imperante Otthone III.

DCCCCLXXIV.

Bonifacius VI. sedit mens. I. diebus XII. & cessavit diebus XX. imperante Otthone tertio.

DCCCCLXXIV.

Benedictus VII. sedit annos VIII. mens. VI. & cessavit diebus V. imperante Ottone tertio.

Hujus tempore in Remmensi ecclesia fuit Archiepiscopus vir honorabili nomine Rodulfus prosapia Karuli magni genitus, cujus genus regnare in Francia cessaverat. Nam Ugo prior extra genus Karuli regnavit in Francia. Ugo igitur Rodulfum, odio habens convocatis Episcopis allegans eum non esse legitimum deponi procuravit. Gilbertum vero Philosophum & Nigromanticum substituit. Quod Papa Romanus audiens legatum misit, & Remis convocato concilio Gilbertus deponitur & Rudolphus restituitur. Gilbertus depositus ad Otthonem tertium, quem erudierat, se contulit, & nacta oportunitate, primum Episcopum Ravennatem, post Romanum Episcopum diabolo instigante fieri procuravit, qui infra dictus est Sylvester secundus.

DCCCCLXXXII.

Johannes XIV. sedit mens. VIII. & cessavit diebus X. imperante Ottone III.

DCCCCLXXXIII.

Johannes XV. natione Romanus sedit mens. IIII. & cessavit die I. imperante eodem.

DCCCCLXXXIII.

Johannes XVI. natione Romanus sedit annos X. mens. II. d. X. & cessavit dieb. XII. imperante Ottone III.

DCCCCXCIIII.

Gregorius V. sedit ann. II. mens. VI. & cessavit diebus XV. imperante Ottone III. Hic primo dictus Bruno ad instantiam ipsius Imperatoris factus est Papa sed post Imperium Crescentius Consul urbis Episcopum Placentinum de legatione cum magna pecunia redeuntem in Papatum instituit, sed hoc factum per Imperatorem mox est graviter vindicatum.

DCCCCXCVII.

Johannes XVII. sedit mens. X. & cessavit diebus XX. Hic natione Græcus Placentinus Episcopus, vivente Papa Gregorio per Consulem Urbis Papatum habuit, qui mox per Imperatorem exoculatus est.

DCCCCXCVIII.

Silvester secundus sedit a. IIII. mens. I. d. VIII. & cessavit d. XXIII. Imperante Ottone III. & post Henrico primo. Hic natione Gallicus nomine proprio Gilbertus, mortuus fuit Romæ ad sanctam crucem in Jerusalem. Hic primum juvenis cœnobii Floriacensis Monachus fuit, mox omisso Monachatu Diabolo fecit homagium, ut voti sui compos a Diabolo fieret, & Diaboli familiaris alloquio multum per ipsum obtinuit. Studuit itaque in Hispali Hispaniæ, & in tantum profecit in Nigromantia, quod sua doctrina maximis placuit. Habuit quoque Otthonem Imperatorem discipulum & Robertum Regem Franciæ, qui inter alia composuit sequentia: Sancti Spiritus adsit nobis gratia &c. & Neothericum, qui mox fuit Archiepiscopus Senonensis. Cæterum idem Gilbertus nimium honores ambiebat. Diabolus vero eum voti compotem fecit. Fuit enim primo Archiepiscopus Remensis, post Ravennas, & tandem urbis Episcopus. Et Papatu fungens quæsivit a Diabolo, quam diu viveret in Papatu? responsum habuit; quam diu non celebraret in Jerusalem. Tunc valde gavisus, sperans multum a morte abesse, sicut multum longe aberat a voluntate peregrinationis in Jerusalem ultra mare. Cum autem in quadragesima ad ecclesiam, quæ dicitur in Jerusalem apud Lateranum celebraret, per strepitum dæmonum sensit, mortem adesse. Suspirans igitur ingemuit; & licet esset sceleratissimus de Dei misericordia non desperans coram omnibus peccatum suum confessus est, & membra omnia, quibus Diabolo obsequium fecerat, sibi jussit præcidi, & demum truncum corporis sui exanimem super biga poni, & quocunque animalia illud perducerent, ibi sisterent, atque ibi sepeliretur; quod factum est. Sepultus est igitur in Lateranensi Ecclesia in misericordiæ signum, cum ad transeuntes sepulchrum ipsius tam ex tumultu ossium, quam ex sudore præsagium est morituri Papæ; sicut eodem sepulchro est literis exaratum.

MIII.

Johannes XVIII. sedit mens. V. d. XXV. & cessavit dieb. XIX. imperante Henrico primo. Hic nihil constituit.

MIV.

Johannes XIX. Romanus natione sedit a. V. & cessavit diebus XXX. imperante Henrico I. Hujus tempore floruit Robertus Rex Franciæ vita & scientia præclarus, qui tantæ devotionis fuit, quod in festis in aliquo monasterio propter officium esse voluit, & non solum cum Monachis cantabat, sed etiam Capa soria erat indutus. Chorum regebat, unde cum quoddam castellum obsideret, dimisso exercitu propter festum Sancti Damiani Aventianis venit, & cum ibi etiam chorum regeret, alta voce cantando Agnus Dei, genibus positus, muri castelli, quod obsidebat, funditus corruerunt.

MVIIII.

Sergius IV. sedit a. II. mens. IV. imperante Henrico I. Hic fuit vita laudabilis.

MXI.

Benedictus VIII. natione Tusculanus sedit a. XII. & cessavit a. I. imperante Henrico I. & post Conrado I. testante Petro Damiano, de Papatu fuit ejectus, & alius substitutus, propter quod fuit magnum scisma. Hunc Benedictum mortuum quidam Episcopus equo nigro insidentem vidit, & ait illi. Nonne tu es Benedictus Papa? qui respondit: Ego sum ille infelix. Et ille ait: qualiter tibi est? Graviter, inquit, torqueor, sed de misericordia Dei non despero, si mihi adjutorium præbeatur. Vade igitur ad successorem meum Johannem Papam, & dic ei, ut in tali theca summam pecuniæ accipiens in pauperes distribuat, quod quicquid antea per me datum est pauperibus, nihil mihi adjumento fuit, quod de rapinis fuit congestum; qui Episcopus fideliter explevit mandatum; & Episcopatu cedens monasterium est ingressus.

MXXIII.

Johannes XX. sedit a. IX. imperante Conrado I. Hujus tempore Almericus filius Sancti Stephani primi Regis Ungarorum virgo cum sponsa sua obiit miraculis corruscando.

MXXXII.

MXXXII.

Benedictus IX. natione Tusculanus sedit a. XIII. imperante Conrado & post Henrico II. Iste ejectus est de Papatu, & factus est Sabiniensis Episcopus, qui infra vocatus est Silvester tertius, & iste etiam ejectus, & Benedictus recuperavit Papatum; & iste mox ejectus est, & datus est Papatus Johanni Archipresbytero S. Johannis ante Portam Latinam, qui infra dictus est Gregorius VI. & hic, cum esset literarum rudis, alterum in Papam ad vices ecclesiastici officii exequendas secum consecrari fecit, qui cum multis non placeret, tertius superinducitur, qui solus vices duorum impleret. Unus itaque contra duos Romam contendit, & eis Canonica & Imperiali censura depositis, Svidegerum Bambergensem Episcopum, qui infra dictus est Clemens II. in Papatu per vim substituit, a quo Henricus Imperator coronatus est. Romanis illi permittentibus & jurantibus se sine ipsius consensu nunquam Romanum Pontificem electuros. Iste Benedictus nepos superioris Benedicti apparuit juxta molendinum cuidam in specie cujusdam monstruosi animalis, cujus caput & cauda erat asini, reliquum corpus ut ursus. Cumque conspector aufugeret, clamans monstrum post ipsum dixit. Noli me expavescere; scito me hominem fuisse, sicut tu es. Sed sic me repræsento, sicut olim infelix Papa bestialiter vixi.

MXLV.

Silvester tertius sedit diebus LVI. imperante Henrico II.

MXLVI.

Gregorius VI. de S. Johanne ad Portam Latinam sedit, a. II. m. VII. Hic cum Henrico Imperatore bellum habuit. Hunc Guilielmus dicit virum sanctum fuisse in suis Cronicis. Hujus tempore propter incuriam prædecessorum suorum peregrini Romam euntes a prædonibus spoliebantur. Quare eos omnes Papa primo ammonuit, mox excommunicavit, tertio quod contemtores erant, eis manum armatam opposuit. Et primo raptores ablatorum Sancti Petri aut penitus extinxit, aut fugavit. Occisis itaque raptoribus, prædia & oppida amissa vendicavit. Tunc omnes eum homicidam & sanguinarium Papam dicebant. Cardinales quoque, cum illi dies mortis instaret, indignum dixerunt esse in beati Petri Ecclesia sepeliri, qui tot mortibus hominum sacerdotium fœdasset. Tunc Papa resumpto spiritu eis longum sermonem dixit, asserens, eos stultos fuisse locutos, & se benefecisse, allegans illud, quod Ezechiel improperavit sacerdotibus, qui se non opponebant murum pro domo Israel, & alia multa dixit, demum subdidit sic: cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite, Januas quoque ecclesiæ ferreis vectibus obfirmate, & si voluntate divina portæ aperientur corpus inferte, alioquin de ipso pro placito facite. Cum eo mortuo sic factum esset, turbo divinitus veniens portas Ecclesiæ firmatas non solum aperuit, sed cum magno fragore usque ad parietes deportavit.

MXLVIII.

Clemens V. sedit mens. IX. imperante Henrico secundo. Hic fuit invasor Ecclesiæ, & per vim papatum obtinuit, & cessavit diebus XX.

MXLIX.

Damasus II. sedit diebus XXVI. & cessavit diebus XI. imperante Henrico tertio. Hic fuit invasor apostolicæ sedis, & subito est defunctus.

MXLVIIII.

Leo IX. genere Alamannus, sedit a. V. m. II. d. VI. imperante eo Henrico.

MLIV.

Victor II. genere Alamannus sedit a. II. mensibus III. & cessavit diebus III. imperante ipso Henrico. Hic timore imperiali factus est Papa, qui Synodum apud Florentiam celebravit, ubi multos Episcopos propter Simoniam & fornicationem deposuit, mox in Galliam veniens ab Henrico imperatore gloriose suscipitur.

MLVI.

Stephanus X. sedit mens. XI. d. XXVIII. Hic natione Lotheringus in Tuscia Florentiæ est sepultus, imperante Henrico tertio.

MLVII.

Benedictus X. sedit m. XI. Hic mitius nomine per vim factus Papa, mox sponte Papatui cessit.

MLVIII.

Nicolaus II. natione Burgundio sedit a. II. mens. VI. dies XXVI. & cessavit diebus X. imperante Henrico III. Hic primo Florentinus Episcopus apud Senam a cardinalibus est electus concorditer, mox Romæ celebrando Concilium est defunctus.

MLX.

Alexander natione Mediolanensis sedit a. XI. mens. VI. dies XXV. imperante Henrico tertio. Hic cum esset Lucanus Episcopus, concorditer a cardinalibus est electus. Contra hunc fuit Cadolus bis Romam veniens, cum magno Comitatu Papatum voluit obtinere, sed nequivit. Alexander deinde ad instantiam Henrici Imperatoris in Lombardiam devenit, & celebrato Mantuæ Concilio omnibus pacatis postquam venit Romam ibi defunctus est, & in Lateranensi Ecclesia tumulatus. Eo tempore Normanni, qui contra voluntatem Apostolicæ sedis Apuliæ Regnum occupaverant, fines Campaniæ populantur, cum quibus ea causa congressi sunt bello Dux Spoletanus, Godofredus ac Comitissa Matilda adeo potentissima, quod etiam bello cum Imperatore certavit durissimo, quæ cum amplissimis possessionibus abundaret, totum suum patrimonium super altare Sancti Petri obtulit, & hoc quod obtulit usque in hodiernum diem dicitur Patrimonium Sancti Petri.

MLXVII.

Gregorius VII. sedit a. XII. m. I. diebus IIII. imperante Henrico III. Hic Tuscus natione captus est a Centhio nocte Natalis. Hujus tempore Henricus venit Romam primum, & Robertus Guiscardus Romam intravit. Tunc

magna

magna fames & mortalitas. Papa mortuus est Salerni.

MLXXIX.

Victor III. sedit a. uno diebus VIII. Hic proprio nomine vocatus est Desiderius Abbas Casinensis. Hoc tempore incipit ordo Cartusinus.

MLXXX.

Urbanus II. sedit a. XI. mens. IV. & cessavit diebus XVI. imperante Henrico III. Hujus tempore Dux Boamundus cum Christianis recuperavit sepulchrum Christi anno Christi MXCVIII. & castrum S. Angeli a Romanis est captum.

MXCI.

Paschalis II. sedit an. XVIII. mens. V. diebus VIII. imperante Henrico III. & post Henrico IV. Hujus anno primo Comitissa Matilda obsedit Ferrariam. Henricus IV. Rex Theotonicorum cum magno exercitu venit in Tusciam, ut coronaretur Imperator. Mox bellum fuit inter eum & Papam. Unde Papam cum tota curia cepit anno Christi MCXI. Ejus tempore scilicet anno MCVI. apparuit stella, Cometes. Hic Papa Tuscus jacet Laterani.

MCXIII.

Gelasius secundus natione Campanus urbe Gajeta, sedit a. I. d. VI. & cessavit diebus XXIV. Imperante Henrico IV. Hic propter Henricum IV. cum Cardinalibus Gajetam secessit, inde per mare pergens in Franciam pervenit in Caniacum vel Cluniacum, ibi obiit, & sepultus est.

MCXIV.

Callistus II. Archiepiscopus Viennæ sedit an. V. m. X. d. XIII. & cessavit diebus XXIV. Henrico IV. imperante. Hic natione Burgundius filius Comitis in Cluniaco a Cardinalibus concorditer est electus. Burdinus quidam per Imperatorem factus fuerat Episcopus urbis, qui audito adventu Papæ Calisti, in Sutrio se recepit, quam ob sensum Papæ & Romani cum habuissent positum in Camelo vasa facie ad tergum, caudam cameli pro freno habentem duxerunt per publicum. Mox in arce Fumonis retrusus est, & Papa vero cum Imperatore Concordato Laterani obiit.

Honorius II. sedit a. V. mens. II. d. III. imperante Henrico IV. & post Lothario IV. Hic fuit patria Bononiensis. Hic devenit Aquiliam urbem vocatus a Proceribus, ut eam tueretur a Rugerio Comite Siculo, qui juris est S. Petri. At Papa videns perfidiam Procerum, Rugerium recepit in gratiam & facta fidelitate ipsum Rugerium de Ducatu Apuliæ investivit. Hic per legatum Cardinalem duos Patriarchas deposuit scilicet Aquilegiensem ---- Hujus tempore Ordo S. Mariæ de Templo in Jerusalem ordinatur.

Innocentius II. natione Romanus sedit a. XIII. m. VI. d. VIII. imperante Lothario, postea Conrado II. Jacet Laterani. Hoc tempore fuit maxima fames. Synodum etiam Romæ habuit hic Papa, qui contra Regem Siciliæ ducem Apuliæ duxit exercitum cum Romanis; sed ab Imperatore proditione captus est. Hujus tempore Magister Arnaldus patibulo suspensus est Romæ, quod contra Clericos prædicabat, reprehendens eorum superfluitates & pompas.

Cœlestinus II. sedit mens. V. d. XIII. imperante Conrado II. Laterani jacet.

Lucius II. natione Bononiensis sedit mens. VI d. IV. imperante Conrado. Jacet Laterani. Hic ante Presbyter Cardinalis sanctæ Crucis totam Ecclesiam & Claustrum a fundamentis renovavit.

Eugenius III. natione Pisanus sedit a. VIII. m. IV. d. XX. imperante Conrado II. & post Friderico I. Hoc tempore Anno Christi MCXLVII. Imperator Conradus & Rex Franciæ Cruce signato exercitu transfretarunt.

Anastasius IV. natione Romanus sedit a. uno mens. IV. d. XXIV. & cessavit d. XX. imperante Friderico. Hic apud sanctam Mariam rotundam Romæ construxit novum Palatium, & Ecclesiæ Laterani dedit pensantem marchas XX. & alia plurima dona. Jacet ibidem Petrifico lapide.

Adrianus IV. natione Anglicus sedit a. IV. & cessavit a. I. imperante Friderico I. Jacet in Vaticano. Hic primum Episcopus Albaniensis in legationem missus Cormatiam pro verbi prædicatione, qui eam gentem barbaram de lege Dei instruxit.

MCLX.

Alexander III. natione Tuscus urbe Sene, sedit a. XI. d. XI. Hic Concilium Laterani habuit, aliud Turoni. Hic Fridericum Imperatorem Romanum & Emanuelem Imperatorem Constantinopolitanum & Guielmum Regem Siculum & Lombardos ad concordiam revocavit. Post XX. annos suæ sedis fuerunt immensi terræ motus. Antiochia Damascus & Tripolis urbes Syriæ maximæ sunt vexatæ. In Sycilia urbs Cathiriensis penitus eversa, in qua perierunt homines ultra viginti millia: mare etiam concussum, unde quinque millia hominum sunt submersi. Hujus tempore maximum schisma fuit.

MCLXXXI.

Lucius tertius natione Tuscus sedit a. IV. m. II. d. XVIII. & cessavit diebus XVIII. imperante Friderico. Hujus tempore floruit Petrus comestor, qui utriusque Testamenti historias ordinavit, & primus versificator egregius. Hic Papa Veronæ obiit & ibi sepultus est.

M.CLXXXV.

Urbanus III. natione Mediolanensis sedit a. I. m. X. d. XXV. imperante Henrico V. Hujus tempore capta est Jerusalem per Saladinum Soldanum Anno Christi MCLXXXVI. quo dolore obiit Papa, & Ferrariæ jacet majori ecclesia.

MCLXXXVI.

Gregorius VIII. natione Pisanus vel Beneventanus sedit a. I. d. XX. imperante Henrico filio Friderici. Hic Zelando pro Terra sancta pacem fecit inter Pisas & Januam. Pisis mortuus ibi jacet.

MCLXXXVII.

Clemens III. natione Romanus sedit an. III. d. XVI. imperante ipso Henrico. Hic ordinavit

vit Claustrum apud sanctum Laurentium foris muros Romæ,&Laterani fecitPalatium altius & picturis ornatum; equum quoque circum fecit fieri.

MCXC.

Cœlestinus III. natione Romanus sedit a. VI. m. IX. d. XI. Hic secundo die sui Pontificatus coronavit Henricum filium Friderici dictum a quibusdam Fridericum secundum. Ugutio Episcopus Ferrariensis per hæc tempora librum derivationum edidit.

MCXCVII.

Innocentius III. natione Campanus consecratus festo Cathedræ S. Petri, sedit an. XVIII. mens. IV. d. XXIV. imperante Henrico, & post Otthone IV. Hic construxit Hospitale S. Spiritus; renovavit ecclesiam S. Sisti, Decretalium librum ordinavit, composuit librum de miseria hominis. Singulis ecclesiis Romæ unam libram argenti contulit pro calicibus faciendis, ea conditione, quod eos vendere non liceat. Hic, ut dicitur, ædificari fecit in urbe turrim omnium pulcherrimam, propter quod mox fecit jam dictum Hospitale. Huic scripsit Gualfredus Poëtriam novellam, hic etiam coronavit Otthonem,& deposuit ejus excessibus (motus.) Hujus tempore capta est a Francis & a Venetis Constantinopolis. Anno Pontificatus ejus XVII. Romæ celebravit Concilium generale pro subsidio Terræ sanctæ Prælatorum MCCXV. Obiit Perusii & ibi sepultus est, & cessavit Papatus die una, civibus illius urbis arctantibus Cardinales ita, ut coacti elegerunt Honorium.

MCCXVI.

Honorius III natione Romanus sedit an. X. m. VIII. d. XXIII. Otthone deposito. Hic apud sanctum Laurentium foris muros Romæ coronavit,* & Fridericum Henrici filium Imperatorem Romanum in ecclesia beati Petri. Anno Christi MCCXX. Moxque eum invenit sibi adversarium, anathematizavit, & absolvit a fidelitate ipsius Barones. Honorius anno primo sui Pontificatus confirmavit ordinem prædicatorum procurante beato Dominico Hispaniensi ejus ordinis inventore. Nam Innocentius superior Papa, qui sibi in hoc fuerat durus habita visione, quo beatus Dominicus Lateranensem Ecclesiam cadentem humeris substentasset eum ordinem confirmare voluit, sed morte præventus non potuit. Hujus tempore a Christianis capitur Damiata. Honoribus Romæ moritur & sepelitur, apud sanctam Mariam Majorem.

MCCXXVII.

Gregorius IX. natione Campanus sedit an. XIV. qui vocabatur Ygolinus Episcopus Hostiensis. Hic sanctam Elisabeth filiam Regis Hungariæ & Uxorem Langravii Lotharingiæ canonizavit, ut sanctam. Hic etiam sententiam latam contra Fridericum Imperatorem roboravit. Dum hic Romæ Concilium celebrare jubet, aditus veniendi Romam terra marique arctantur, duo Cardinales & Prælati plurimi ad Concilium venientes a fautoribus Imperatoris capiuntur. Gregorius urbe ab Imperatore obsessus, videns Romanos pronos ad Imperatoris obsequium, processionem cum Clero faciens, capita Apostolorum gestando ab Ecclesia Lateranensi usque ad Sanctum Petrum Romanorum animos ad se revocavit, ut pene omnes contra Fridericum crucem assumerent. Hoc audito Imperator ab urbe procul abscessit. Gregorius tribulationibus tantis concussus anno Pontificatus sui XIV. mense Augusto Romæ obiit; Qui anno Christi MCCXXXIII. canonizavit beatum Dominicum a Confirmatione ordinis anno XVIII. ab obitu ejus Sancti Dominici anno XI.

MCCXLI.

Cælestinus IV. natione Mediolanensis sedit d. XVIII. & vacavit Episcopatus anno uno mens. X. jam deposito Friderico secundo filio Henrici. Hic Episcopus Sabiniensis vita & scientia laudabilis, senex & infirmus electus cito moritur, & in Ecclesia beati Petri sepelitur.

MCCXLII.

Innocentius IV. natione Januensis sedit a. XI. mens. Hic dum Cardinalis erat, fautor erat Friderici Imperatoris; cui cum nunciatum esset, amicum suum factum esse Papam, diu mœstus tacuit; tandem ait: Amicum magnum perdidi, qui hactenus mihi fuit amicus, at mox hostis erit: nec aliter dixit, quam evenit. Nam factus adversarius Friderico de Italia in Gallias perrexit, & Lugdunum convocavit Concilium, ubi Fridericum hostem ecclesiæ pronunciavit, & contra eum sententiam protulit, quo de Imperio deposito procuravit eligi Imperatorem Landgravium; quo brevi mortuo eligi fecit in ejus locum Guilielmum Comitem Olandiæ; qui etiam non diu ibi vixit. Mortuo Friderico Innocentius venit in Italiam transiens per Franciam Bononiam. Inde cum pervenisset Neapolim, ibi moritur & sepelitur.

MCCLIIII.

Alexander IV. natione Campanus sedit a. VI. m. VI. & cessavit m. III. d. IV. nemine imperante. Hic bellum gessit contra Manfredum filium non legitimum Friderici, qui usurpatione regnum tenebat Siciliæ. Hic Papa canonizavit beatam Claram, quæ fuit ordinis S. Damiani. Hujus Papæ tempore Electores imperii in Alemannia diffidentes elegerunt alii Alfunsum Regem Castellæ, alii Ricardum comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ, & neuter imperio est potitus. Hic Papa reprobavit duos pestiferos libellos, quorum unus damnabat religiosos elymosinis viventes: alter vero asserebat, quod Evangelium Christi & novi Testamenti doctrina neminem ad perfectum perduxit & evacuari debere & debere inchoari doctrinam Jochahim, quam conditor libri Evangelium æternum nominavit, totam perfectionem hominum salvandorum in illa ponendo. Hos libellos Alexander Viterbii* & ibi in Ecclesia beati Laurentii tumulatur anno Christi MCCLXI.

MCCLXIII.

Urbanus IV. natione Gallicus sedit a. III. mens. I. d. IV. & cessavit mens. V. nemine imperante. Hic Concilio Cardinalium vocavit Karulum

rulum Comitem Provinciæ, fratrem Regis Franciæ Lodovici contra Manfredum, qui regnabat in Regno Siculo. Papa idem Perusii moritur & tumulatur.

MCCLXV.

Clemens IIII. natione Provinciæ de Villa S. Ægidii sedit a. III. m. IX. d. XXI. & cessavit a. III. m. II. d. X. Hic anno Christi MCCLXV. mortuus est Viterbii & sepultus prædicatorum Ecclesia. Hic primum uxorem & liberos habuit, qui erat verus advocatus & Jurisconsultus, mox Regis Franciæ Consiliarius. Is conjuge defuncta factus est Clericus & primo propter laudabilem vitam fuit Episcopus Padiensis, mox Archi-Episcopus Narbonensis, post Sabiniensis Episcopus Cardinalis. Eo fungens officio ab Urbano Papa in Galliam legatus mittitur, ubi exercens legationis officium, mortuo Papa a Cardinalibus Episcopus Romanus absens eligitur, cui ita præfuit, ut nullo digniori Episcopo ea ætate Ecclesia Romana gubernata sit penitus. Hoc sedente Karulus expugnavit & occidit Conradinum Friderici cujusdam Imperatoris nepotem, qui cum exercitu venerat ex Alemania pro vendicando regnum avitum Siciliæ.

MCCLXXII.

Gregorius X. natione Placentinus sedit a. 4. d. X. Hic dum esset in terra sancta fidei devotione a Cardinalibus absens eligitur. Hic vir timoratus & justus, qui quantocius potuit, ut terræ sanctæ subveniretur, Lugduni Concilium congregavit, pro Passagio decimas ab ecclesia colligi fecit; Mox inde rediens morte præventus jacet Aritii. In eo Concilio affuerunt legati Græcorum, qui symbolum cum latinis concorditer cantaverunt. Affuerunt quoque Tartarorum legati, qui baptizati & concordati cum Papa ad propria sunt regressi.

MCCLXXVI.

Innocentius V. natione Burgundio sedit mens. V. & dies II. & cessavit diebus XVIII. Rodulfo Rege electo in Imperatorem. Hic de Ordine prædicatorum Doctor fuit in Ordine & libros composuit; mox Archi-Episcopus Lugdunensis: demum a Gregorio X. factus est Cardinalis cum aliis tribus viris summæ præstantiæ. Innocentius Romæ moritur, & Laterani sepelitur.

MCCLXXVI.

Adrianus V. natione Januensis sedit diebus XXXIX. Romæ electus moritur Viterbii, & ibi sepelitur. Hic Cardinalis dicebatur Otthobonus de Flisco, nepos Innocentii IV.

MCCLXXVII.

Johannes XXI. natione Hispanus sedit mens. VIII. d. I. & cessavit mens. VII. d. VII. Hic electus fuit Cardinalis a Gregorio X. Hic magnus Magister, in scientiis plus delectabatur, quam omnibus reliquis in negotiis, cui nomen fuit Magister Petrus Hispanus, qui tractatus in logica composuit. Dum hic longo vitæ spatio gauderet, quod sibi & affuturum jactabat, dumque nova Camera legeret quam sibi circa palatium Viterbii paraverat, eo præsente palatium corruit, & solus inter ligna & lapides attritus die quinto supervixit, & munitus sacramentis ecclesiasticis migravit e seculo & sepultus est Viterbii ecclesia Sancti Laurentii.

MCCLXXVIII.

Nicolaus III. natione Romanus familia Ursinorum sedit a. - - - Hic Cardinalis est dictus Gaytanus vir prudens & summæ honestatis aspectu, multum studens ad amplificationem sui generis paterni.

MCCLXXXI.

Martinus IIII. natione Gallicus sedit a. IV. Hic magnis sumtibus bellorum subegit Forlivium & Guidonem de Monte Feretro Ducem Gibellinorum in Romaniola; multam quoque impensam fecit ex pecunia, quam paraverat Cardinalis, in levando caritatem annonæ, qua gravabantur ii, qui curiam sequebantur, emens majoris & vendens minoris. Obiit Perusii & ibi jacet.

MCCLXXXV.

Honorius IV. natione Romanus. Hic Cardinalis dictus est Jacobus Sabellius, pedibus ægrotus, ut nec ambularet, sedit a. III.

MCCLXXXVIII.

Nicolaus IV. natione Esculanus de Ordine Minorum sedit a. - - - Hic Minister Generalis ejus ordinis factus est Cardinalis, Jeronimus nomine. Hujus tempore capta est Tripolis & altero anno subversa est Acon urbes Syriæ. Hoc mortuo diu fuit vacatio.

MCCLXXXXIV.

Cælestinus V. sedit minus anno uno. Hic vir anachorita electus est a Cardinalibus in alius electione non convenientibus. Vir simplex & Deum timens, contemnens seculum & Deo studens placere: cum huic molestum esset fungi Papatu cum talium rerum prudens non esset, de suæ conditionis statu quærebatur, persuaso sibi tandem a quibusdam ex fratribus Cardinalibus, celebrata Missa coram populo depositis insigniis Pontificatus se abdicavit officio & clam profectus est peregre.

MCCLXXXXV.

Bonifacius VIII. natione Campanus Anania oppido, sedit ann. - - - Hic Cardinalis dicebatur Benedictus, vir prudens in agendis negotiis. Hic multa irritavit a Cælestino acta, & constituit, ut Festa Apostolorum & Evangelistarum & quatuor Doctorum Ecclesiæ, ut Pascalia, celebrentur. Lodovicum Regem Franciæ, qui obiit apud Karthaginem, taxavit (addendum) Sanctorum Catalogo. Celebritatem quoque instituit mense Junio fieri pro veneratione corpus Domini nostri Jesu Christi. Composuit quoque inter Regem Karulum & Regem Arragonum diu inimicos. An. Christi MCCXCVIII. edidit sextum librum Decretalium. Eo quoque anno composuit inter Philippum Regem Franciæ & Obdoardum Regem Angliæ. Karulum quoque fratrem Regis Franciæ elegit & confirmavit in Dominum & Rectorem Romanistæ, Ducatus Spoleti, Marchiæ Anconitanæ & Patrimonii S. Petri.

Benedictus XI. fratrum Prædicatorum de Trivixio obiit Perusii. Clemens V. Archiepiscopus

ſcopus Burdegallonenſis de Guaſcogna tranſit Curiam Romanam ultra montes & adhuc eſt ibi & multa fecit.

Johannes XXII. de Chaturſio obiit Avinione, multa fecit.

Benedictus XII. de ordine Ciſterſienſis obiit Avinione.

Clemens VI. Monachus niger de ordine S. Benedicti.

Innocentius VI.

Urbanus V.

Gregorius XI.

Urbanus VI. Hujus tempore cœpit Schiſma.

Bonifacius IX.

Innocentius VII.

Gregorius XII.

Alexander V.

Johannes XXIII.

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Antiochenæ.

Petrus Apoſtolus.	Gabila.
Enodius.	Fabianus.
Ignatius.	Demetrianus.
Neros.	Paulus Samotenus.
Cornelius.	Dominus.
Nero.	Tymeus.
Theophilus.	Quirillus.
Maximus.	Dorotheus.
Serapion.	Tyrannus.
Aſelepiades,	Eudoſio.
Filetus.	Meletius.
Chabenus.	

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ.

Jacobus frater Domini.	Gajanus.
Simon Juſtus.	Symachus.
Juſtus.	Gajus.
Tacheus.	Julianus.
Tobias.	Capito.
Benjamin.	Maximus.
Johannes.	Anthonius.
Matthias.	Valens.
Philippus.	Dulcianus.
Seneca.	Narciſſus.
Juſtus.	Dyus.
Levi.	Germanio.
Effren.	Gordius.
Joſeph.	Narciſſus iterum.
Judas. Hi omnes ſuperiores ex Judæis fuerunt.	Alexander.
	Mazabanes.
	Nyrenius.
Marchus primus ex Gentibus.	Numeneus.
	Gabdas.
Caſſianus.	Hermo.
Publius.	Maximus.
Maximus.	Cyrillus.
Julianus.	Johannes.

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Alexandrinæ.

Marchus Evangeliſta.	Gerdon.
Anvianus.	Primus.
Abilius.	Juſtus.
Heumenes.	Achillas.
Marchus.	Alexander.
Celadion.	Athanaſius.
Agrippinus.	Georgius Arrianus nequam.
Julianus.	
Demetrius.	Lucius.
Heraclas.	Dydimus.
Dionyſius.	Petrus.
Maximus.	Thimotheus.
Theonas.	Theophilus.
Petrus.	

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Ravennatis.

Apollinaris Antiochenus primus Epiſcopus miſſus a Petro Apoſtolo.

Adericus a beato Apollinare ordinatus eſt Presbyter: jacet Claſſi.

Eleucadius ordinatus Diaconus a beato Apollinaro. Hic Cantum edidit Eccleſiæ Ravennatis.

Martianus ordinatus Diaconus a beato Apollinare ſepultus cum ipſo Eleucadio extra muros Claſſis.

Galocerus miraculis inſignis, utilis prædicatione, jacet Eccleſia Sancti Probi.

Proculus prædicator egregius jacet cum Galocerio Probi, per quem Deus ſanabat languores. Jacet infra civitatem Claſſis.

Datus animarum Piſcator.

Liberius Philoſophus caritate plenus.

Agapitus elemoſinator.

Marcellinus vir Juſtus.

Severus vir ſimplex, jacet Eccleſia ſui nominis extra Claſſem. Hi omnes XI. electi fuerunt a Deo columba indice miſſa cœlitus, & requieſcunt juxta Claſſem, vel extra eam regionem.

Liberius II. pater orphanorum.

Probus II. angelos vidit exſpirans.

Florentinus pater pauperum jacet eccleſiæ beatæ Petronillæ.

Liberius III. eloquens prædicator.

Urſus, qui Urſinam fundavit Eccleſiam, quæ dicta eſt Anaſtaſis i. e. ſancta reſurrectio.

Petrus fundator Eccleſiæ Patrianæ, ubi fuerunt altaria Eccleſiaſtica.

Heon fundator Eccleſiæ S. Petri majoris & tricollis. Hic fuit tempore matris Gallæ Placidiæ.

Exuperantius, cujus tempore facta eſt eccleſia S. Agnetis, qua dormit.

Johannes, qui vidit angelum. Hic XIV. eccleſias acquiſivit huic Eccleſiæ a Valentiniano Auguſto filio Placidiæ.

Petrus, Sanctus dictus, Ravennas, os aureum, jacet Imolæ majori Eccleſia.

Aurelianus jacet ubi Heon.

Eccleſius: hic ædificator eccleſiæ S. Mariæ majoris; cujus tempore conſtructa eſt eccleſia Sancti Vitalis Ravennæ, in qua expenſi fuerunt XXVI. aureorum.

Urſicinus; cujus tempore ædificata eſt eccleſia Sancti Apollinaris in Claſſe: jacet eccleſia Sancti Vitalis.

Maximianus Eccleſiarum fundator, conſecravit eccleſiam Claſſis. Jacet eccleſia beati Andreæ.

Agnellus. Hic acquisivit Argentam ecclesiæ Ravennatensis, ædificavit item ecclesiam Sancti Georgii. Ejus tempore mortuus est Justinianus apud Constantinopolim. Ipse Agnellus jacet Ecclesia S. Agathæ Ravennæ.

Petrus Senior. Hic fundavit ecclesiam S. Severii in Classe. Hujus tempore occupata est Venetia a Longobardis.

Johannes Romanus. Hic consummavit ecclesiam Sancti Severii.

Mauriammus natione Romanus jacet Artecha Ecclesiæ Classe.

Johannes Classensis jacet eadem Artecha.

Johannes IV. Hic fuit tempore Phocæ Imperatoris & Papæ Bonifacii.

Bonus. bonus operibus, jacet ecclesia Sancti Apollonaris in Classe.

Maurus. Hic excommunicatus a Papa eum etiam excommunicavit.

Reparatus. Hic non obedivit Episcopo Romano. Jacet Ecclesia Classis.

Theodorus; Homo plenus fallacia, mortuus gaudio omnium.

Damianus, per quem Deus mortuum resuscitavit; jacet ecclesia Classis S. Apollinaris.

Felix prædicator optimus, jacet eadem ecclesia.

Johannes V. humilis & sapiens cujus tempore corruit terræ motu ecclesia Patriana: jacet in ecclesia Classis cum aliis.

Sergius, qui sponsam habuit. Hujus tempore Zacharias Papa ivit in Franciam, petens auxilium a Pipino contra Astulfum Regem Longobardorum.

Leo qui de ovili hoc fuit electus.

Johannes VI. jacet Artecha ecclesiæ classis.

Gratiosus vir optimus. Hic Karulum Ravennæ prandio coluit. Prophetavit de iis, quæ acciderunt Ravennæ. Jacet ecclesia Classis.

Johannes VII.

Constantinus.

Petrus Bononiensis, qui rexit ecclesiam annis XLVI.

Honestus.

Johannes VIII.

Herbertus.

Heomutus.

Federicus, anno, quo mortuus est Henricus Rex Maximus, primo venit in Italiam.

Arnaldus.

Eribertus.

Geboardus. Hic dotavit ecclesiam Pomposianam bonis pluribus, & in eadem quiescit.

Henricus.

Gibertus.

Gualterius vir religiosus, qui ecclesiam rexit annis XXIV. obiit anno Christi MCLIV. anno secundo Papæ Anastasii quarti, anno tertio Federici Imperatoris, qui venit in Italiam.

Anselmus, qui pallium accepit ea die, qua Fridericus Imperator fuit coronatus Romæ in ecclesia S. Petri ab Adriano IV. Papa. Hic

Anastasius mortuus est principio obsidionis Mediolani.

Guido.

Geraldus.

Guielmus LXXIV.

Guidotus LXXV.

Guielmus II.

Albertus.

Egidius.

Ubaldus.

Simeon obiit MCCXXVII.

Theodoricus vir corde & animo pulcher fuit tempore Friderici II. Imperatoris. Obit anno Christi MCCXXXVIII.

Philippus electus ecclesiæ Ferrariensis, vir strenuus. Hic legatus ecclesiæ Paduam de manu Eccelini eripuit. Obiit MCCLXX.

Bonifacius, prosapia de Lavania, de ordine Prædicatorum, vir summe facundus, qui bona & jura ecclesiæ multum ampliavit. Jacet Ecclesia majori, prope altare Magdalenæ, quod construxit. Obiit Orioli pridie nativitatis Christi MCCXCIV.

Usque ad hunc Obizonem scribit Rycobaldus.

Obizo natione Parmensis & Episcopus ejus urbis vir literatus & strenuus.

Post ipsum Raynaldus de Concoregio de Mediolano, Vir sanctus literatus & honestus.

Post istum fuit electus Raynaldus de Polenta, qui fuit per Hostachium ejus consanguineum interfectus.

Post istum fuit electus consecratus & confirmatus Dominus Aimericus de Castro Lucii, Capellanus dom. Papæ, tunc Comes Romandiolæ factus; postea Episcopus Carnotensis & postea Cardinalis.

Post istum factus est dominus Guido de Tripoli de Regio, vir nobilis, literatus; modicum vixit.

Post istum fuit dominus Francischus de Camichele de Venetia: Præterea translatus ad Archiepiscopatum Candiæ in Insula Cretensi.

Post istum dominus Nicolaus de Chanale de Pergamo translatus postmodum ad Archiepiscopatum Patratensem.

Post istum frater Fortenerius de ordine Minorum Ultramontanus, qui hodie viget.



XVII. RICOBALDI

XVII.

RICOBALDI FERRARIENSIS COMPILATIO CHRONOLOGICA.

usque ad annum 1312. producta.



CUm relicta non sponte genitalis soli dulcedine in Urbe Ravenna relegatus degerem, & cum canonicis Ecclesiæ majoris in choro ac eorum laribus conversarer frequenter, aliquando non vana curiositate perquisivi in ejus Archivio Ecclesiæ libros Divinarum scripturarum qui mihi essent in oblectamentum honestum, dum libros obsoletos volverem, venit in manus meas vetustissimus & obsoletus, visu mirabilis, cum serie invisa, cum litteris plurimis coloribus scriptis. Hic erat liber dictus: Chronica B. Hieronymi. Difficile esset exprimere (quam utilis) ad rerum veterum tempora indicanda. Ex libris Eusebii erat deductus, per tempora multa intactus manserat, ejus membranæ libri putruerant. Aperui illum & intuitum in eum legendo defixi, continebat multarum rerum & illustrium virorum tempora a nativitate Abraam usque ad tempus Honorii Imperatoris. Dolui rem tam dignam proborum cognitione virorum esse abditam ac perditam, ut thesaurus suffossus. Proposui ad publicam utilitatem, Opus Chronicum ordinare, non difficile intelligi & scriptura breviter moderatum. Plura, quæ non expediebant sciri, præterivi, alia cognitione digna digessi quam breviter, & cum ultra tempus Honorii Augusti nil poneret, ex aliis commentariis & libris hystoriarum multa addidi & inserui usque ad tempus Henrici Augusti, qui obsessa Brixia eam obtinuit, quod fuit millesimo trecentesimo XII. Porro si in hoc opere apparuerit quid erratum, Lector nequaquam miretur; nam exemplaria ut plurimum depravata reperiuntur errore scriptorum; si in quoque ipse erravi veniam posco; nam quanquam non scite, attamen egi fideliter.

De septem Ætatibus Mundi.

Prima ætas Mundi incipit ab Adam, & durat usque ad Diluvium sub Noe, quæ continet Annos M. M. CC. XLII.

Secunda incipit ab ipso Diluvio, & durat usque ad nativitatem Abraam, quæ continet annos D. CCCC. XLII.

Tertia incipit a Nativitate Abraam & durat usque ad Moysem & exitum Israel de Egipto habet annos D. V.

Quarta incipit ab ipsius exitu & durat usque ad ædificationem templi sub Salomone, quæ continet annos CCCC. LXXIX.

Quinta incipit ab ipsa ædificatione & durat usque ad reedificationem templi, factam post tempus captivitatis in Babylonem anno secundo Darii Regis Persarum, quæ ætas habet annos D. XII.

Sexta incipit ab ipsa reedificatione, & durat usque ad baptismum seu prædicationem Christi, factam Anno XV. Imperii Tyberii Cæsaris, quæ durat annos D. XLVIII.

Septima incipit ex tempore baptismi Christi, & durat usque ad diem novissimum, tempus incognitum hominibus & Angelis.

Hæc divisio traditur a Beato Hyeronimo: Beatus autem Augustinus in libro de Civitate Dei ponit principium quintæ ætatis in David usque ad Christum; Principium autem sextæ ætatis ponit in tempus Christi. Septimam ætatem dicit esse vitam æternam post diem judicii, meo Judicio melius Augustinus ponit, quam Hyeronimus, quia sex ætates comparat sex diebus, quibus Deus operatus est in Mundo formando, septima ætas sabbato.

A creatione Mundi usque ad nativitatem Christi fiunt V. M. CLXXXIX.

A Diluvio Noe usque ad nativitatem Christi Anni MMDCCCCLVII.

A nativitate Abraam usque ad nativitatem Christi Anni MMXV.

Ab exitu Israel de Ægipto usque ad nativitatem Christi Anni MDX.

Ab ædificatione templi per Salomonem usque ad Christi nativitatem anni MCCCI.

A reedificatione ejus templi post captivitatem in Babyloniam usque ad Christi nativitatem anni DXIX.

A Baptismo Christi usque ad finem temporis, anni nobis infiniti, Deo tamen cogniti.

De temporibus primæ ætatis.

Adam Anno XV. ætatis ejus genuit Gemellos, scilicet Caym & sororem suam Calmanam, quæ & uxor ejus fuit.

Anno XXX. Adam genuit Abel & sororem ejus Delboram, mox ejus uxorem.

Anno Adam CXXX. Caym occidit Abel in terra promissionis, Caym ex uxore genuit Enoch, qui genuit Matussalem, qui genuit Lamech, iste primus Bigamiam induxit. Ejus uxores Oda & Sella.

Lamech genuit ex Oda Jabel, qui artem musicam invenit, & genuit ex Sella Tubalcaym qui artem ferrariam invenit.

Jabel ad sonum malleorum Tubalcaym, in eis delectatus, proportiones & consonantias in cantu invenit.

Hoc tempore inventa est ars sculpendi in Laminis.

Noema soror Tubalcaym artem variæ texturæ invenit.

De successionibus Adæ R.

Adam Annorum CCXXX. genuit Seth.
Seth annorum CCV. genuit Enos.
Enos annorum CXC. genuit Caynam.
Cayna annorum CLXX. genuit Malalael.
Malalael annorum CXLV. genuit Jareth
Jareth annorum CLXXXII. genuit Enoch.
Enoch autem CLXV. genuit Matussalem.
Matussalem autem CLXVII. genuit Lamech quo tempore nati sunt Gigantes.
Lamech annorum CLXXXVIII. genuit Noe qui anno ætatis suæ quingentesimo cepit construere archam, in cujus constructione operatum est annis C.

De secunda mundi ætate.

A Principio mundi usque ad præsens Diluvium exacti sunt secundum LXX. Interpretes & secundum Græcos & Latinos anni MMCCXLII. aliter secundum Judeos.

Anno ætatis Noe DC. ingressus Noe cum uxore, filiis & nuribus Archam secundum Dei mandatum, & eo anno egressus archa, & facti sunt omnes dies Noe DCCCCL. quo vivente nati sunt ex eo virorum XXIIII. milia &c. præter feminas & parvos.

Filii Noe fuerunt Sem, Cham, Japhet.

Cham genuit Chus qui genuit Nembroth qui Gigas Babilon construxit tempore Eber de semine Sem.

Generatio Cham Africam tenuit, ex quo gentes XXX.

Japheth genuit Zamer & alios, qui tenuerunt Europam & Plagam septemtrionis in Asia, a Tauro monte usque ad flumen Tanaym.

Super filios Japheth primus regnavit Sutonem, ex his gentes XV.

Sem genuit Arphaxat anno secundo post Diluvium a quo Caldei.

Sem & genuit Asur, qui primus purpuram invenit, & unguenta crinium, de quo Assyrii & Caldei.

Arphaxat filius Sem cum esset annorum CXXX. genuit Caynam, & mox vixit annis CCCCXXX.

Cayna annorum CXXX. genuit Sala, mox vixit annis CCCCIII.

Sala annorum CXXX. genuit Eber, mox vixit annis CCC.

Eber annorum CXXXIIII. genuit Phalech & supervixit annis CCLXX.

Tempore Eber ædificata est turris Babel, cujus altitudo passuum V.MCLXXIIII. quam ædificavit Nembroth. Hic post linguarum confusionem ruit ad Persas, & eos docuit colere ignem. Phalech annis CXXX. genuit Ragau, mox vixit annis CCIX.

Hujus tempore primo constructa sunt templa & Dii gentium coli ceperunt.

Ragau annis CXXXII. genuit Seruch. Hujus tempore exortum est Regnum primum Scytharum, in quo primus regnavit Tanaus.

Seruch annis CXXX. genuit Nachor: mox vixit annis CC.

Sub hoc exortum est regnum Ægyptiorum, ubi primus Coges regnavit.

Nachor annis LXXIX. genuit Tharam.

Hoc tempore inchoat Regnum Assyriorum. Eis primus regnavit Belus annis LXV.

Inchoat etiam Regnum Siciniorum, eis primus regnavit Acgilaus, a quo Acgilea dicta est, quæ mox dicta est Peloponesus.

Tharam annorum LXX. genuit Abraam, Nachor & Arram, patrem Loth.

Ex Sem Filio Noe sunt gentes XXVII. quæ tenuerunt Asiam.

A Diluvio Noe usque ad nativitatem Abraam sunt anni DCCCCXLII.

De tertia Ætate mundi.

Abraam natus ex Tharam anno XLII. regni Nini secundi Regis Assyriorum, qui regnavit post patrem annis LII.

Anno primo Abraam, in Græcia regnabat Sycionus Rex secundus * Europæ, post annum regni sui XXII.

Ninus Rex Assyriorum dimicavit contra Zoroastem Regem Bactrianorum Magum famosum.

Ninus post regnavit Assiriis annis LII.

Semiramis uxor Nini post virum regnavit annis XLII. hæc invenit usum bracharum, regnum auxit, intravit in Indiam, muris etiam Babylonem construxit.

Hoc tempore Thebæi imperant in Egypto.

Abraam primam ætatem degit apud Chaldeos ubi natus est.

Anno Abraam LXXV. facta est ei a Deo repromissio, ante legem datam Moysi annis CCCCXXX.

Abraam anno ætatis ejus LXXXVII. genuit Ismael ex Agar ancilla.

Anno Abraam CIIII. regio finis Arabiæ, quæ Penthapolis dicebatur a quinque Urbibus scilicet Sodoma, Gomora, Adama, Seboym & Segor, incendio misso cœlitus propter peccata fœde libidinis periit. Ea regio nunc aquis submersa est, & mare mortuum appellatur. Influit fluvius Jordanis in eum.

Anno Abraam CXXXVII, moritur Sara uxor ejus.

Tempore Abraam primus regnavit in Creta Cres indigena, a quo Cretenses dicti sunt.

Anno CLX. Abraam, qui & erat annus LX. Isaac, nascuntur ei Gemelli: scilicet Esau & Jacob. His temporibus apud Argos regnavit Inacus, cujus filia fuit Io.

Obiit Abraam anno ætatis suæ CLXXV, anno Jacob & fratris ejus XV.

Anno Abraam CC. Esau annorum XL. duabus uxoribus copulatur, cujus socer Anna, filius Sebeon, primus fecit asinos commiscere equabus: unde muli nati sunt.

Niobe, primæ omnium mulierum mixtus est Jupiter, ut Græci dicunt, ex quibus natus est Apys, quem Ægyptii Seraphim nominarunt & coluerunt ut Deum.

Niobe ex Inaco genuit Foroneum, qui primus leges & judicia constituit.

Tessalus Græci filius regnat in Thessalia.

Virgo

Virgo Minerva, quæ invenit lanificii artem.

Ismael, postquam vixit annis CXXXVII. mortuus multa prole relicta, Moyses in heremo philosophabatur.

Cohoretes & Chorunbates primi in armis modulatam saltationem & modulationem repererunt.

Diluvium in Thessalia sub Deucaliome anno Abraham CCCCXC. & ante Urbem conditam annis CCCX.

Hoc tempore fuit incendium Phaetontis.

Job vir patiens & Ballaa propheta agnoscuntur.

De quarta Ætate mundi.

Anno Abraam, D V. & a morte Joseph anno CXLIIII. Moyses, cum esset annorum LXXX. in desertum eduxit populum de Ægypto. Aaron autem tunc erat annorum LXXXIII.

Moyses Kalendis Junii ascendit in montem Synay die autem quinquageno ab exitu de Ægypto legem a Deo accepit.

Judæi litteras & legem acceperunt.

Hoc tempore Cecrops, metu plagarum Ægypti, fugit in Græciam, & condidit Athenas, & primus bovem immolavit Jovi.

Ægyptus regnans eam provinciam, quæ dicebatur Aeria, nominavit Ægyptum, quæ prius dicebatur Mezrayn.

Archas filius Jovis & Calisto, Pelasgis in suam ditionem redactis, eorum provinciam Archadiam nominavit.

Moyses moritur anno Abraam DXLVI.

Josue illi succedit, & terram promissionis ingreditur, fluxis a principio mundi secundum LXX. interpretes annis MMCCXXIX, secundum Judeos M. M. D. L. secundum vero Bedam M. M. DXLIII.

Danaus per L. suas filias occidit. L. filios fratris sui Ægypti conjugatos filiabus suis, Evandete solo relicto, qui post eum regnavit.

Busyris filius Libyæ filiæ Epaphi, filii Thelagoni & 10. (annos) tyrannidem exercet, juxta loca vicina Nilo.

Phenis & Cadinus fratres transeunt e Thebis Ægypti in Syriam, a quo Phenice dicta est Phenix illa regio, in qua sunt Tyrus & Acon, quæ prius dicebatur Ptolomayda.

Europæ filiæ phenicis mixtus est Jupiter, quam mox Aristerius Rex Cretensium uxorem accipiens, ex ea genuit Minoem, Radamantum & Sarpedonem.

Pandeon filius Erictoyn, cujus filiæ fuerunt Prognes & Phylomela.

Dionysius qui dictus est Liber Pater, filius Semele, filiæ Cadmi, qui Thebis regnavit, agnoscitur; qui prius litteras græcas invenit, & usum vitis ad vinum. Alibi legitur Noe primo vitem plantasse.

Idei Dactyli hoc tempore ferrum repererunt.

Erictonius primus in Græcia junxit quadrigam, qui filius Dardani regnavit in Dardania. Damie mater Persei agnoscitur.

Pelops regnat apud Argos, a quo Pelopenses vocati sunt.

Triptolomus cum longa navi, quæ vocata est serpens, frumenta ministrat.

Fabula Proserpinæ & Cerberi, qui fuit canis ingens Orci Regis Molossorum.

Hoc tempore inventa sunt misteria.

Thebis regnat Amphyon & Zetus Cadmo expulso.

Phryxus & Elles fugiunt a Noverca, & fabula aurei velleris. In Dardania regnat Tros, a quo Trojani sunt dicti.

Tantalus Rex Phrygiorum rapuit Ganimedem filium Troji, Regis Dardaniorum, ut eo abuteretur.

Sycion regnavit Sycioniæ, quæ prius dicebatur Aegilea.

Pelops Ypodomiam duxit in uxorem.

De Perseo & Gorgone quæ fuit meretrix venustissima, ita ut eam videntes in eam intuitum figerent & quasi lapides amentes fierent.

Jon, vir fortissimus, a quo Jones.

Amphion regnat Thebis. Europa capitur a Cretensibus, cui fuit insigne aries. Ilion condita ab Ilio Rege.

Perseus, Crysio non sponte occiso, migravit ad Argos, & ibi regnavit.

Apollo artem Medicinæ invenit.

Dædalus faber agnoscitur.

Europa Agenoris filia rapitur, altera Europa filia fuit Phenicis. Gedeon agnoscitur in Judæis.

Navigatio Jasonis pro aureo vellere in Chlocos, in qua fuerunt Hercules, Castor & Pollux.

Orpheus agnoscitur.

Lunis Magister Herculis clarus habetur, Medea a Cholchis discedit. Schytæ provocati a Vesoge Rege Ægipti tendunt in Ægiptum.

Hercules occidit Ydram, quæ fuit callidus Sophista.

Minotaurus fuit judex Mynois.

Mines mare obtinuit, bellum Laphytarum & Centaurorum.

Priamus regnat in Troya.

Androgeus dolo Athenis occiditur. exitiale bellum inter Cretenses & Athenienses morte Androgei ante Romam conditam anno DLX.

Mynos in Creta leges constituit.

Theseus agnoscitur, qui Helenam rapuit quam fratres receperunt. Hercules Agonem Olympiadum constituit a quo usq; ad primam Olympiadem supputantur anni. CCCC. XL.

Corus & Cathago Tyrii transmigrant in Libiam, & condunt Carthaginem.

Atreus regnat Archis. Phedera amat Ypolitum.

Hercules occidit Anteum.

Theseus fugit ab Athenis. Meneslaus regnat Lacedemoniis.

Fabula apricali.

Agamenon regnat.

Amazones contra Thebas bellant, hæ Ephesum Civitatem construxerunt secundum Orosium. Minos in Cicilia occiditur.

Alexander Paris rapuit Helenam.

De

De tempore captæ Troyæ.

Anno nativitatis Abraam DCCC. XXXII. Troya capitur a Græcis ante Romam conditam annis CCCCXXX. secundum Jheronimum; secundum vero Solinum annis CCCCXXXIII.

Ab Ilion condita usque ad subversionem Troyæ anni CXXXV. Menelaus & Helena post Troyæ excidium diverterunt ad Regem Ægipti, nomine Tuoris, qui fuit maritus Achandræ, ait Homerus.

Carmentis mater Evandri litteras latinas invenit.

Sampson fortissimus in Judea, qui populum rexit annis Viginti.

Æneas in Italiam venit. Syrenes fuerunt meretrices, quæ sua venustate & verbis navigantes decipiebant.

Pyrrhus Achillis filius Delphis in templo Apollinis fraude macharei sacerdotis ab Oreste occiditur.

Hectoris filii Ilion receperunt, posteris Anthenoris expulsis, Heleno sibi auxilium ferente.

Hely sacerdos populum Dei regit. Ascanius Albam condidit. Lavinia viduata Ænea nubit Melampodi, ex quo filium genuit.

Archa testamenti perditur & moritur Hely sacerdos. Samuel & Saul regnant.

Incursus Amazonum & Cymeriorum pariter in Asiam. David in Regem eligitur.

Latinus Sylvius regnat in Alba.

Salomon in Regno succedit.

De quinta Ætate mundi.

Salomon anno Regni sui quarto templum Domino ædificare orsus est annis triginta, & octo annis completum.

Ab exitu Israel de Ægipto, usque ad hanc templi constructionem, fiunt a. CCCCLXXIIII. Traces mare obtinent annis XIX.

Sybilla Eritrea agnoscitur. Susachym Rex Ægipti templum spoliat, Roboan filius Salomonis regnat.

Tyberinus Rex Albanorum in flumine Albula suffocatur, a quo mox nominatus est Tybris. Agrippa regnat in Alba.

Homerus poeta agnoscitur. Rodii mare obtinent annis XXIII.

Helyas rapitur regnante Joram in Judeis. Frigenas f. Phryges mare obtinent annis XXV.

Zacharias propheta occiditur.

Hely seus propheta moritur.

Cyprii mare obtinent annis, XXXII.

Phenices mare obtinent annis XLV.

Ultimus Rex Assiriorum Sardanapolus quo regnante capta est Babylon, & spoliata per ejus præfectum Arbacem habentes a conditione sua annos M.C.XLIIII.

Anno Abraam M.CXCVIII. finitum est regnum Assyriorum, in quo regnaverunt Reges XXXVII. a Belo primo Rege & Sardonapalo ultimo.

Medorum regnum inchoat, in quo regnatum est per octo Reges annis CCXL. quorum ultimus fuit Astyages, cui successit Cyrus, Rex Persarum, qui regnare cœpit an. M.CCCLVII. Abraam.

Igitur regno Assyriorum successit regnum Medorum: cui successit regnum Persarum finitum in Dario Arsemi, quem Alexander superavit.

Post regnum Persarum fuit regnum Alexandrinorum, quod habuit initium in Alexandro: cui successerunt XI. Ptolomei, unus post alium, & ultimo Cleopatra Regina, Ptolomei soror, quæ se Cæsari in concubitum dedit: mox Antonio in matrimonium se copulavit. Finitum est autem regnum Alexandrinorum tempore, quo Cæsar Octavius superavit Antonium & Cleopatram anno XII. post necem Cæsaris dictatoris. Ægiptus facta est Provincia Romanorum & Cæsar Octavius nominatus est Augustus.

Licurgus jura constituit Lacedemoniis.

Esidorus illustris habetur.

Sydon Archivus, primus pondera & mensuras invenit.

Phocas regnat Latinis. Prophete apud judeos Osee, Esayas, Amos & Jonas.

Olympias prima apud latinos. Olympias autem continet annos M. erant autem ludi & non certamina.

A captivitate Troyæ usque ad primam Olympiadem fiunt anni CCCC.VI.

A prima Olympiade usque ad Urbem conditam fiunt anni XXIIII.

Ægiptii mare continent. Agnus locutus hoc tempore in Ægipto.

Lacedemonii contra Messenios pertinaciter bellant, obsidendo eos annis decem.

Romulus & Remus generantur.

Terey f. Tyrii Cyrenem condiderunt. Conditor Bacchus, cui nomen Aristoteles.

Prophetissant Esayas & alii.

Achas regnat in Judea.

A modo tacebuntur anni Abraam & anni Urbis Romæ conditæ supputabuntur.

De tempore Urbis Romæ conditæ.

Anno nativitatis Abraham M.CCLXII. anno quarto sextæ Olympiadis; anno tertio regni XI. Kalendas May Parilibus, qui dies festus erat, Roma conditur, a fratribus gemellis Romulo & Rhemo.

Romulus regnavit annis XXXVIII.

Milesii mare obtinent.

Romani rapiunt Sabinas anno XVIII.

Decem tribus Hebræorum, qui erant apud Samariam, captivantur a Salmanasar, & ducuntur in montes Medorum. Thobias vir patiens agnoscitur.

Catania & Syracusa conditæ in Sicilia.

Cares obtinent mare.

Esayas & alii tres prophetant.

Romulus moritur in campo Marcio.

Senatores anno uno regunt rempublicam.

De Numa Pompilio Augusto.

Numa Pompilius, genere Sabinus, regnavit annis XL.

Per

Per hæc tempora conditæ sunt hæ Urbes.

Tarentum, in Apulia, Gela in Sicilia, Phaselus in Pamphilia, Cizicus Locris in Ytalia Calcedon in Asia. Sybilla erophyra, quæ & Sanna dicta est.

Annus in menses XII. distinctus a Numa Pompilio.

Ordo Vestalium virginum cœptus Romæ.

Conglutinum ferri inventum a Glaucochio. Esayas Propheta occiditur.

De Tullio Rege tercio.

Tullius Hostilius Rex III. regnavit annis XXII.

Sybilla & Orophila. Archilochus Poeta græcus; Phalaris tyrannus in Sycilia his temporibus agnoscuntur, Lesegii mare obtinent annis XL.

Bizantium Urbs condita in Tracia, quæ nunc dicitur Constantinopolis. Hystrus condita in Poncho, Gelinus condita in Sicilia.

Zaleucus legumlator agnoscitur.

De Anco Rege quarto.

Ancus Rex quartus regnavit Romæ an. IIII.

Draco legumlator agnoscitur in Græcia.

Prophetant Hyeremias, Olda mulier & Sophonias apud Judæos.

Epidamius, quæ nunc dicitur Durachium, Cyrene, Abatro, Synope, Lypara, & Prusias urbes conditæ.

Thales Milesius unus ex VII. Sapientibus agnoscitur, naturalis & Astrologus Philosophus, ut ait Beatus Augustinus. Ejus auditor fuit Anaximander hujus Anaximenes, Anaxagoras Lius [f. illius, vel hujus] Archelaus, ejus Socrates, illius Plato, ejus Aristoteles. Hi successive scolam tenuere, unus post alium.

De Tarquino Prisco Rege quinto.

Tarquinus Priscus Rex quintus Romæ regnavit annis XXXVII. Hic ædificavit Romæ circum, & prior triumphavit.

Panetius primus in Sycilia tyrannidem exercet. Joachim regnat in Judea, cujus anno tertio Nabuchodonosor Rex Babylonis Judeam capit, & vasa templi aufert. Sappho & Alceus Poetæ agnoscuntur.

Captivantur Hebrei in Babilonem, quæ duravit annis LXX. captivitas. Solon, Chylon & alii quinque Sapientes agnoscuntur.

Hujus Regis tempore conditæ sunt in Italia a Gallis Urbes, scilicet, Mediolanum, Brixia, Verona, Vicentia, Pergamus & Cumum, ut attestitur Trojus Pompejus & Justinus; Placencia & Parma, ut attestatus est Livius. Daniel Propheta & tres pueri & Ezechiel agnoscuntur, Esydorus Hesiodus poeta clarus habetur. Thales Philosophus moritur, unus ex septem.

De Tullio Rege sexto.

Tulius Servilius Rex sextus regnavit annis XXXIIII.

Romæ, censu acto, inventa sunt civium Romanorum LXXXIIII. f. millia.

Daniel Interpretator scripturarum mysticarum quas vidit Balthasar Rex Babiloniæ in pariete scribi.

Solon & alii sapientes clarent.

Sapho mulier poeta agnoscitur.

Phalaris iterum tyrannizat in Sycilia.

Cyrus avum suum Astyagem superat & regnum transfert ad Persas.

De Tarquino Superbo.

Tarquinus Superbus Rex VII. regnavit Romæ. XXXV. annis.

Ferecides hystoricus clarus habetur. Jessus filius Josadeth Pontifex maximus apud Judæos.

Judich honesta, & Prophete Aggeus, Zacharias & Malachias noscuntur Pythagoras Physicus agnoscitur. Cyrus regnat super Persas, Babylonem capit & spoliat ac subvertit; cujus ambitus stadiorum CCCCLXXX. murorum latitudo cubitorum L. altitudo vero CC. portæ ereæ centum. Cyrus superat Crœsum Regem Lydorum, & ei capto parcit. Regina Masegetarum Cyrum occidit, capite desecto. Hujus Regis tempore finitur captivitas Judeorum.

Cambyses filius Cyri in Ægypto condidit novam Babyloniam. inde regrediens ægrotus, mortuus est Damasci. Lucrecia uxor Colatini Tarquini, rure oppressa a filio Tarquini Regis, prius conquesta de hoc patri & viro, statim se coram eis gladio peremit.

De sexta Ætate mundi.

Anno Urbis conditæ, CCXXXIIII. qui est annus Abraam M. CCCCXCVI. & est annus secundus Regis Darii Persarum, templum Jerusalem reedificatur a Zorobabel. Licencia ædificandi templum exordium habuit; consummatum est secundario.

De rebus gestis a Romanis post Reges exactos.

Anno Urbis, CCXLIIII. expulso urbe Tarquino Rege, primi Consules facti sunt Junius Brutus & Colatinus maritus Lucretiæ. Censu acto Romæ Cives, CXV. millia.

Democritus Phylosophus.

Anaxagoras Physicus.

Largius primus Dictator fuit, Spurius Cassius Magister militum.

Pythagoras moritur, Sophocles agnoscitur, Anaxagoras moritur, Socrates nascitur, solis facta defectio.

Esdras Sacerdos apud Judeos nascitur.

Virgo vestalis ob stuprum viva defossa.

Herodotus, Censis pictor, Euripides } Græci, viri clari habentur.

Anno Urbis, CCLXXV. Darius Rex Persarum, qui Cyro successit, moritur. in regno ejus Xerxes filius Darii Rex Persarum succedit, qui traxit in Greciam de regno suo armatorum D.CC. millia de auxiliis CCC. millia, & tamen victus rediit.

Anno urbis CCC.I. creati sunt decem viri remotis Consulibus: quo tempore Romani miserunt in Græciam legatos pro legibus habendis ab eis, & eas obtinuerunt.

Romæ iterum creati sunt Consules anno urbis CCCIIII.

Hypocras medicus his temporibus & Democritus Philosophus clari habentur.

Empedocles, Parmenides, Socrates, Zeno, Sophocles, poeta agnoscitur, Paricles moritur.

Plato nascitur.

Dionysius in Sicilia tyrannus sævit, Diogenes & Aristippus agnoscuntur.

Democritus moritur.

Xenophon Græcus agnoscitur, solis facta defectio.

Athenienses uti ceperunt 24. litteris. Gens Campana in Campania constituitur.

Ethna ignem ultra solitum emisit. Socrates bibit venenum, Plato phylosophus agnoscitur.

Galli Senones Romam capiunt & incendunt, excepto capitolio. Justinus ponit, quod Galli Senones, qui Romam incenderunt, condiderunt in Italia Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tarentum, Vicentiam, Placenciam & Parmam. Rempublicam gerunt Tribuni militum sublatis consulibus Romæ. Camilus Furius agnoscitur. Aristoteles Phylosophus floret. Demosthenes orator claret. Philippus Macedo regnat.

De rebus gestis, orto Alexandro.

Anno urbis conditæ, CCCCV. oritur Alexander, octavo anno regni patris. Plato moritur, post quem academiam tenuit Speusippus.

Romæ facto censu inventa sunt Civium Romanorum Capita CLX. millia. Romani apud Caudinas furcas a Samnitibus, id est, Beneventanis (nam olim Beneventum Sampnium vocatum est) ignominiam ferunt. Alexander Patri succedit in regno. Alexander autem VII. sui regni anno condidit Alexandriam in Ægypto.

Papirius cursor Romæ notatus est eligi Dux belli contra Alexandrum, si cum eo bellandum esset. Alexander veneno periit, ob cujus mortem bellum cum illo cessatum est, nec ille eis devinctus est.

Ptholomeus Lagi illi succedit in Ægypto.

Appius Claudius cœcus Romæ agnoscitur.

Demetrius græcus Phalereus nominatur.

Onias Iadi filius apud Judeos.

Seleucus anno XII. regni sui Antiochiam condidit; mox alias urbes: Laodiceam a nomine uxoris Seleuciam, Apameam, Edessam & Pellam. Simon cognomento justus apud Judeos celebratur.

Censu facto Romæ virorum CCLXX. millia.

Curius Dentatus Consul Samnitas prostravit prælio.

Ptholomeus Philadelphus cum Romanis amicitiam jungit.

Bellum cœptum inter Romanos & Tarentinos quibus fuit auxilio Pyrrhus Rex Epyrotarum, de quo Trogus & Justinus plene explicant.

Divina scriptura transfertur per LXXII. Interpretes studio Pthølomei Philadelphi.

Fabricius secundo agnoscitur.

Curius consul prælio superat Pyrrum qui ex Italia cessit in Græciam.

Ariminum in Gallia.

Beneventum in Samnio a Romanis conditæ, quod affirmat Magister historiæ scholasticæ.

Turris, quæ farrum (Pharus) dicitur, condita ab ipso Ptholomeo juxta portum Alexandriæ: de cujus admiranda mirabilitate refert Plinius in libro suo de mirabilibus mundi, dicens, illam super quatuor cancros vitreos in littore maris fundatam.

Anno urbis CCCCLXXVIII. cœptum est primum bellum Punicum cum Romanis. Argenteus nummus primum figuratus Romæ. Aratus Sicionius agnoscitur, de quo ait Cicero libro officiorum, Marcus Regulus bellatur contra Pœnos.

Romæ censu facto virorum CCXL. millium.

Ennius Poeta, natus Tarenti, mox Romam transfertur.

Jesus Sirach librum, qui a vulgaribus mendaciter Salomoni attribuitur, sapientiæ edidit, Simeone Oniæ filio Pontifice apud Judeos: Ymo Ecclesiasticum: cum librum sapientiæ ediderit Philon, ut refert Hyeronymus in ipsius libri prologo.

De bello Punico gesto ab Hannibale.

Anno urbis conditæ DXXIIII. cœptum est bellum Punicum secundum cum Romanis, Hannibale Duce Carthaginensium.

Nevius comicus, Plautus ex Umbria scriptores agnoscuntur. Scipio, mox Affricanus major: Lælius ejus amicissimus noti habentur. Masinissa mox Rex Numidiæ juvenis in Hyspania contra Romanos bellat pro Pœnis. Pax data Carthaginensibus, victis a Romanis, jam bellantibus annis XVI.

Bellant Romani cum Macedonibus. Per hæc tempora viri agnoscuntur Antiochus Rex Syriæ, Apolonius Tyrius, Ennius Poeta, Cecilius comœdus Mediolanensis, Terentius Comœdus Carthaginensis. Tytus Livius tragœdus. Marco Portio Catone Consule contra Antiochum Regem Syriæ bellant Romani.

Bononiam deducta est Colonia a Romanis ex civibus latinis III. M. Virorum: Equitibus data jugera septuagena, ceteris quinquagena. Agerdatus agalisbous captus custos ipsi expulerant. Hannibal se veneno perimit in *Babilonia*, ne in manus Romanorum veniret. Scipio Affricanus major relegatus obiit Lucerni. Mutinam & Parmam ex civibus Romanis, inde expulsis Ytalis, qui illas prius condiderant ante annos CCC. ut refert Titus Livius, Coloniæ ductæ a Romanis in Æmilia.

Æmilius Paulus consul bello superat Persem Regem & capit.

Bellum punicum cœptum a Romanis.

Aristarchus grammaticus } nominantur
Paucinnus Poeta }

Carthago diruitur per Affricanum. Hic natus ex genere Æmiliorum, adoptatus fuit a filio majoris Affricani, nato per matrem ex Æmiliis.

Masinissa Rex Numidis amicus P. R. senex moritur: qui hunc Affricanum reliquit divisorem regni inter filios. Censu facto Romæ virorum CCCXXII. millium.

Jona-

Jonatha Machabeus } noſcuntur.
Lucilius Poeta }

Numantia ſubverſa per Affricanum ſecundum.

Simon Machabeus principatur poſt mortem Jonathæ. Scævolæ de Dalmacia triumphavit.

Carthago a Romanis reſtauratur anno urbis Romæ DCXXXVII.

Tarenti floret Varro philoſophus & poeta. Bellant Romani contra Jugurtham Regem Numidiæ.

Furius poeta Cremonenſis.

Lucretius poeta.

Pomponius Bononienſis ſcriptor Attellanarum.

Plocius Doctor Ciceronis docet in rhetorica, & Cicero ſtudet.

Scævola alter, qui fuit pontifex maximus.

Saluſtius hyſtoriarum ſcriptor.

Catullus poeta Veronenſis.

Varro Narbonenſis phyloſophus & poeta.

Quinticius togatorum ſcriptor.

Cajus Marius conſul ſepties.

Lucius Cornelius Sylla dictator.

Pompejus magnus, viri clari per hæc tempora.

In Syria terræmotu facto perierunt homines CLXX. M. urbes aliquæ ſubverſæ. Tygrane Rege ejus provinciæ, Alexandra regnat apud Judeos.

Cenſu acto Romæ CCCCLXIIII. Millia.

Virgilius oritur Mantuæ pago qui dicitur Andes non longe a Mantua.

Marcus Porcius Cato Stoycus Phyloſophus, Horatius Flaccus Venuſii oritur.

Catilina conjurat in patriam.

Tytus Labienus opidum Cingulli in Auſonia condidit ſuis expenſis.

Cæſar exercitum ducit in Gallias.

Via Claudia ordinatur, qua tranſitur a Placentia Ariminum.

Tytus Livius Patavii oritur de quo loquitur Beatus Hyeronimus.

Meſſala Corvinus orator ſecundus.

Curio juris peritus ſecundus.

Bellum civile inter Cæſarem & Pompejum actum quadriennio.

Prælio commiſſo Alexandriæ inter Cæſarem & Ptholomeum, cremata eſt ibi bybliotheca marina, quam Ptholomeus Phyladelphus paraverat. Cato in Vtica ſe occidit.

Cæſar occiditur a Bruto & Caſſio & ab aliis vulneribus XXII. confoſſus in curia in capitolio Ydibus Martiis. Cadaver ejus incineratum; cinis mox condita eſt in vaſe æreo, qui eſt in vertice columpnæ, quæ dicta eſt Julia; quæ nunc vulgo dicitur Agulia.

Cæſare occiſo & turbato ſtatu reipublicæ, ſurrexerunt tres viri ſcilicet Cæſar Octavius, Marcus Anthonius & Lepidus & diviſerunt ſibi principatum, & annis duodecim turbatus fuit ſtatus reipublicæ: quo tempore fuerunt quinque bella civilia usque ad Monarchiam Auguſti. Cicero relegatus occiditur ab homine, cui patronus fuerat oportunus: caput & dextra illius delata Anthonio.

Ovidius Naſo naſcitur Peligni oppido Apuliæ.

Lex Falcidia editur auctore Falcidio.

Salluſtius moritur natus Amiterni. Varus poeta in Capadocia moritur.

Marcus Antonius qui ſortitus fuerat cum Cæſare Octavio Imperium orientis, ſuperatus a Cæſare navali prælio apud Actium; mox etiam deſertus a ſuis, in Ægypto deſperatione rerum ſe ipſum occidit.

Cleopatra recepta a Cæſare Octavio, ſe occidit, poſitis aſpidibus ad mammillas.

Ægyptus facta eſt provincia Romanorum quam primo pro Romanis rexit Cornelius Gallus, de quo ait Virgilius.

Cæſar Octavius creatur Auguſtus a populo Romano.

Anno Urbis DCCXXII. octavo Ydus Januarii Cajus Octavius Cæſar a populo Romano appellatus eſt Auguſtus, & ei totius Imperii Romani collata eſt monarchia annis XII. elapſis a nece Cæſaris; qui poſtquam Auguſtus eſt dictus, vixit annnis XLIIII. & ultra.

Cenſu acto Romæ inventa ſunt civium Romanorum XLI. centena LXIIII. milia.

Nicopolis Civitas juxta Actium facta.

Apollodorus Phyloſophus, Præceptor Auguſti.

Marcus Terentius Varro philoſophus & poeta prope nonarius moritur. Cornelius Gallus Forojulienſis poeta moritur, qui primus pro Romanis rexit Ægyptum.

Legati Indorum in Hyſpania fœdus & amicitiam firmant cum Auguſto, bellum gerente cum Cantabris.

Valerius Maximus ſcriptor agnoſcitur.

Quintilius Cremonenſis, Virgilii & Horatii contubernalis, moritur. Auguſtus factus eſt Pontifex maximus. Auguſtus per Druſum privignum ſuum ſubjecit Germanos.

Auguſtus per Tyberium privignum ſubjecit Armenios & Pannonios. Herodes pro Romanis regnat in Palæſtina.

Virgilius Brunduſii moritur: ejus oſſa delata Neapolim; inde condita ſecundo miliario. Varus & Tucha poetæ, Virgilii & Horatii Contubernales, emendare cœperunt opus Æneidos ſub ea lege, ut nihil adderent, ſed demerent.

Æmilius Macer poeta Veronenſis in Aſya moritur.

Virgo Maria naſcitur, mater Domini.

Tytus Livius ſcribit hyſtoriam Romanam.

Herodes ædificavit Cæſaream in honorem Auguſti quæ prius dicebatur turris Stratonis: Samariam reſtauravit quam appellavit Sebaſtiam id eſt Auguſtam.

Condidit Antydonam & Antypatram: Phaſelum vero in nomine fratris ſui, & Herodium in ſui commemorationem, ubi ſepulchra ſuæ domus.

De tempore Nativitatis Domini noſtri Chriſti.

Anno ab Urbe condita DMCCLII. & a diluvio Noe annis MMDCCCCCLVII. & a nativitate Abraam annis MMXV. naſcitur Dominus Jeſus Chri-

Christus in Bethlem Juda, anno a morte Cæsaris XLII. anno Imperii Cæsaris Augusti XXX.

Asynius Pollio orator & consularis, qui de Dalmacia triumpharat: moritur Tusculanæ anno ætatis suæ LXXX. de quo Virgilius in Bucolico.

Archelaus regnat post Herodem.

Jesus puer septennis cum Matre Maria & Joseph de Ægypto rediit.

Censu facto Romæ per Augustum & Tyberium, inventa sunt civium Romanorum nonagies trecentena & LX. milia Romæ. Fames gravis nimis: solis facta defectio.

Augustus Atellæ moritur anno ætatis ejus LXXVI. Corpus ejus de Campania portatum Romam: sepultus in sepulchro, quod paraverat in campo Martio, quod dictum est Augusta.

Herodes tetracha regnat Judæis.

De Tyberio Augusto.

Tyberius Imperator Secundus imperavit annis XXIII. cepit imperare anno urbis DCCLXVII. & anno nativitatis Christi XVI.

Tytus Livius Patavinus hystoriographus Patavii moritur anno ætatis suæ LXXVII.

Ovidius Naso poëta eo anno moritur, relegatus in Scythiam: sepultus in oppido Thomos.

Urbes XIII. in Asya ceciderunt, terræ motu magno concussæ.

Pylatus a Tyberio mittitur in Judæam.

Joannes filius Zachariæ prædicat in deserto & baptizat anno XV. Imperii hujus.

Principium ætatis VII. Mundi.

Anno XVI. Imperii Tyberii Augusti Dominus Jesus, baptizatus a Joanne Zachariæ in Jordane, prædicare orsus est. Anno sequenti aquam mutavit in vinum, altero anno Joannes Baptista occiditur ab Herode. Dominus Jesus Christus sub Pontio Pylato Præside Judeæ morti crucis damnatur anno Imperii Tyberii XVIII.

Tunc solis eclypsis maxima hora diei sexta luna XV. secundum Judeos.

Eo anno Beatus Stephanus baptizatus est, Saulus convertitur ad fidem Christi anno nativitatis XXXV. & Paulus vocatur.

Tyberius Imperator operam dedit, ut Christus coleretur ut Deus: sed senatus suadente Domiciano prefecto Tyberii prohibuit id fieri.

Moritur Tyberius Cæsar in Campania anno Imperii ejus XXIII.

De Gajo Augusto.

Gajus Caligula Imperator tertius annis fere quatuor imperavit. Hic fuit filius Germanici, filii Drusi, fratris Tyberii Augusti.

Pylatus in multas incidens calamitates, se propria manu occidit, Phylo Judeus, vir peritissimus, pro Judeis coram Gayo oravit.

Gajus Imperator a suis occiditur ejus malitia.

De Claudio Augusto.

Claudius Imperator imperavit annis fere XIIII. hic fuit filius Drusi, & Patruus Gaji.

Matthæus Apostolus Christi evangelium scripsit anno Christi XLII. anno sequenti Marcus evangelium suum scripsit. Petrus Apostolus Romam venit anno secundo Imperii Claudii, & ibi Episcopus fuit annis XXV. & ultra.

Anno quarto Imperii & anno nativitatis Abraam M.LX. Claudius subegit Britanniam & triumphans rediit sexto mense, quam Roma discesserat.

Fames Romæ gravis nimis.

Agrippa Rex Judeorum moritur, cui successit filius ejus Agrippa.

Censu facto Romæ inventa sunt civium Romanorum LXVIII. centena & XLIIII. milia.

Ravennæ Porta aurea facta.

Palemon Vicentinus Doctor in grammatica docet Romæ.

Claudius Judæos pellit Roma.

Romæ fames gravissima, Jacobus Apostolus ab Agrippa occiditur.

Symon magus a Samaria venit Romam, cujus fuit discipulus Menander non eo inferior.

Hujus Imperatoris tempore in Arabia Avis phœnix aparuit, quæ vivit annis D.C. magna, ut aquila, cristata, coloris rubri. Claudius veneno moritur anno ætatis ejus LIX. uxoris fraude.

De Nerone Augusto.

Domicius Nero Imperator quintus regnavit annis XIII. mensibus 8. hic fuit gener & privignus, filius adoptivus Claudii, filius Domicii & Agrippinæ, sororis Gaji Imperatoris.

Terræmotus & solis eclypsis.

Nero matrem Agrippinam occidit.

Jacobus Apostolus frater Domini præcipitatur de templo in Jherusalem, ejus urbis Episcopus.

Marcus Episcopus Alexandriæ martyrio vitam finivit.

Persius poëta moritur anno XXIX.

Menarmeus (Marcus Annæus) Lucanus Cordubensis poëta, in Pisoniana conjuratione deprehensus, ad secandas venas brachium medico præbuit.

Nero urbem inflammavit diebus sex & noctibus septem.

Anneus Seneca Cordubensis, Lucani patruus, incisione venarum & haustu veneni periit.

Junius Galo frater Senecæ egregius Declamator propria manu se occidit.

Tres urbes in Asya terræmotu corruerunt.

Nero decreto senatus in expensas accepit centies centena milia annua & Octaviam uxorem occidit.

Flavius Josephus Judæus agnoscitur.

Petrus & Paulus Romæ martyrio coronantur anno ætatis Petri LXX. nativitatis Christi LXV.

Linus urbis Episcopus post Petrum sedit annis XI.

Persecutio prima sub Nerone.

Ursicinus medicus & Vitalis Mediolanensis Ravennæ martyres.

Nero nocte fugit Roma metu senatus, & in villa latitans, se propria manu confodit pugione.

De Galba Augusto.

Galba successit imperio menses VII. qui ab Hyspania Romam duxit Quintilianum, egregium rhetorem.

Galba ab Othone occiditur.

De

De Othone Augusto.

Otho invadit Imperium, qui metu Vitellii se occidit. Vitelius invadit Romam: a militibus Vespasiani pugnando occiditur.

De Vespasiano Augusto.

Vespasianus Imperator annis X. imperavit.

Tytus filius ejus, relictus a patre obsidere Jherusalem, a fundamentis eam subvertit: ubi perierunt virorum undecies centena milia præter mulieres & parvulos, fame & gladio; reliqui venundati.

Romæ capitolium incensum.

Prodigia magna visa in Jherusalem, stella cometa visa est ante eversionem, & vitula parata ad sacrificium, in manibus ministrorum enixa est agnam.

A Passione Christi usque ad eversionem Jherusalem fiunt anni circiter XXXIX. Tytus omnia ornamenta templi Romam tulit & in templo pacis locavit, ut ait Beatus Jheronimus.

Vespasianus & Tytus filius simul in curru de Judeis tryumphum egerunt: qui fuit inter præteritos centesimus & vigesimus.

Hoc tempore Jani portæ sexto ab urbe condita clausæ sunt.

Colossus erectus Nithedos habens altitudines CCVII. turris ænea ad formam hominis. Tres urbes terræ motu ceciderunt.

Ruffus patricius a Beato Apolinari baptizatus est Ravennæ. Mox Episcopus Capuæ ordinatur.

De Tito Augusto.

Titus filius Vespasiani imperavit annis II.

Cletus urbis Episcopus ordinatur, qui sedit annis XII. & ultra.

De Domiciano Augusto.

Domicianus Imperator fratri successit, qui regnavit annis XV. mensibus V. qui ædificavit Romæ templum, quod dictum est Pantheon, nunc vero dicitur Sancta Maria rotunda. Quintilianus rhetor, docens Romæ, primus salariatus ex publico.

Cornelia maxima Virginum Vestalium, convicta stupri, secundum legem viva defossa est.

Clemens secundus urbis Episcopus, qui sedit annis IX. & ultra.

Joseph Judeus librum antiquitatum scripsit, tempore hujus Augusti.

Statius poëta Tholosanus his temporibus scripsit. Juvenalis poëta Aquinas hoc tempore agnoscitur, Joannes Evangelista in oleum fervens mittitur anno Christi XCVI. & ab hoc Domiciano relegatur in Pathmos.

Domicianus Imperator occiditur a suis anno imperii sui XVI.

Cletus urbis Episcopus. Eutropius Episcopus in Galliis.

Nycomedes.

Dionysius Areopagita cum sociis, Lucianus, Beati Petri discipulus, martyres persequutionis secundæ.

De Nerva Augusto.

Nerva Imperator regnavit annis & mensibus quatuor.

Joannes Apostolus de exilio rediit.
Ignatius Episcopus Anthiochiæ.
Polycarpus Simneus. - - - -
Victorinus Episcopus.
Papias Episcopus Jherosolymitanus.
} noti habentur.

De Trajano Augusto.

Trajanus Imperator regnavit annis XIX. & mensibus VI.

Joannes Apostolus dormivit in Domino, anno secundo Imperii Trajani.

Anacletus Episcopus urbis ordinatur, qui sedit annis IX. & ultra; qui constituit quod Clerici barbam & comam non nutrirent.

Terræ motu in Asya facto quatuor urbes ceciderunt.

Simon Justus Apostolus, Episcopus Jherusalem, in cruce complet martyrium cum jam esset annorum centum & ultra, Ignatius Episcopus Anthyochiæ Romam ductus bestiis traditur.

Judæi exules per orbem debacchantur & multas urbes infestant in Lybia, Ægypto & Cypro ac populantur: tandem a Trajano compressi sunt. Trajano Augusto Frontinus scripsit librum stratagematum. Juvenalis poeta in Scotia moritur, missus a Trayano invitus tribunus.

Evaristus urbis Episcopus ordinatur, qui sedit annis IX. & ultra: qui constituit conjugium benedici a sacerdote, & titulos Romæ divisit, & septem Diaconos ordinavit.

Plinius secundus agnoscitur Veronensis, qui scripsit librum de naturali historia, continentem volumina triginta sex.

Trayanus scripsit Plinio suo præfecto, ut Christianos non inquireret: oblatos vero secundum decretum senatus judicaret.

Decreto senatus facta est hoc tempore persequutio tertia in Christianos.

Anthyochia pene tota corruit terræ motu.

Trayanus morbo extinctus est.

De Adriano Augusto.

Adrianus Imperator imperavit annis 21. hic fuit filius consobrinæ Trayani, qui vir Phylosophus Judæos perdomuit annis III. Imperii sui.

Alexander primus urbis Episcopus ordinatur qui sedit annis 10. & ultra: qui constituit aquam benedici & aspergi & addidit in Missa; qui pridie quam pateretur &c. usque ad: hoc est corpus meum; & constituit hostiam modicam ex azimo fieri.

Terræmotu facto Nicæa & Nicomedia corruerunt.

Julianus juris peritus agnoscitur. In Lybia Coloniæ factæ metu Judæorum.

Palæmon agnoscitur rhetor, Basilides Jheriarches Alexandriæ. Aquila interpres agnoscitur.

Adrianus bello Judæos dissipat; reædificavit Jherusalem loco mutato, & eam Helyam nominavit. Mox morbo obiit apud Bajas. Thelesphorus urbis Episcopus ordinatur, qui sedit annis XI. & ultra. Hic constituit jejunium XL. dierum ante Pascha, & in Natali Domini dici tres Missas, & missam ante tertiam celebrari, & in

in missa dici Gloria in exelsis Deo. Hujus Imperatoris tempore hi martyrio coronati sunt.

Alexander Papa,

Sixtus Papa, Eustasius & filii Faustinus & Julia, Seraphica Virgo Sabina.

De Antonio Pio Augusto.

Antonius Pius Imperator regnavit annis XXII. & ultra, hic gener fuit Adriani, vir justus & prudens.

Hyginus urbis Episcopus ordinatur: sedit annis quatuor & ultra: qui constituit baptizatum suscipi fonte a Patrino vel Patrina & in confirmatione & cathechizatione Clerum composuit & gradus distribuit.

Valentinus & Cerdo Hæresiarchæ Romam venerunt. Polycarpus Episcopus Romam venit, Hermes librum Pastoralem composuit.

Pius urbis Episcopus sedit annis XIX. & ultra, qui constituit, pascha celebrari die Dominico.

Galenus medicus, Pergamo genitus, Romæ clarus habetur.

Justinus Christianus Philosophus. Trogus Pompejus Hyspanus historicus.

Ptholomeus Alexandrinus astrologus, qui vixit annis LXXXVIII. & librum almagestum composuit.

Antonius Imperator annis LXXVII. morbo defecit.

De Antonio Vero Augusto.

Antonius Verus imperavit annis XIX. & Lucius frater ejus aliquot annis cum eo, quem consortem Imperii sibi fecit. Anicetus urbis Episcopus sedit annis IX. & ultra, qui constituit, ut Clerici coronam portent in modum sphærulæ.

Fronto Orator fuit Augusti hujus.

Polycarpus & Pronus Martyres sunt.

Lues & pestilencia per orbem.

Sother Episcopus Urbis sedit IX. & ultra, qui constituit Monachas velum gestare, & quod uxor non habeatur legitima, nisi a parentibus tradita, & benedicta a Sacerdote & a Paranymphis custodita.

Lues maxima per orbem totum maximam hominum partem delevit.

Eleuterius urbis Episcopus sedit annis XV. & ultra, qui constituit quod nulla esca usualis & rationalis a Christianis repudietur.

Smyrna Urbs Asyæ terræmotu ruit: ideo data decennis immunitas. Martyres persecutionis quartæ:

Polycarpus Episcopus, Alexander & Gajus, Germanicus, Justinus Phylosophus, Epodius, Victor & Corona: Felicitas, & septem ejus filii. Antonius verus morbo decessit.

De Commodo Augusto.

Commodus Imperator, superioris filius, regnavit annis XIII.

Hyrencus Episcopus Lugdunensis agnoscitur.

Romæ fulmen Capitolium arsit, & bybliotheca publica & ædes vicinæ crematæ.

Incendio iterum facto Romæ, ædes Vestæ & pars magna urbis solo equatæ sunt incendio.

Commodus Imperator, omnibus incommodus, a suis militibus strangulatur.

Euletherius Papa, Cecilia Virgo, Symphorianus, Apolonius, Julianus Senatores.

Anasthasius, Eusebius, Pontianus, Faustinus.

De Pertinace Augusto.

Pertinax Imperator regnavit mensibus sex: fraude Juliani jurisperiti, nepotis superioris occiditur. Victor Urbis Episcopus sedit annis X. qui concilium habuit Alexandriæ, Narcisso Episcopo Jherusalem & Theophilo Episcopo Cæsareæ, in quo firmatum fuit, Pascha debere celebrari Die Dominico, a XIIII. luna Martii usque ad XXII. Aprilis; & constituit, ob necessitatem posse aqua baptizari ubique.

De Severo Augusto.

Severus Afer Imperator regnavit annis XVII. vir probus.

Clemens Presbyter Alexandrinus, qui scripsit hystorias. Musanius Phylosophus Christianus, Tertulianus Afer. Origenes hoc tempore natus.

Anno XII. Imperii hujus, & anno urbis Anthiochiæ CCLI. inventum est, esse annum jubileum.

Hujus Imperatoris tempore terminatum est per Papam Victorem de Pascha, ut supra agitur.

Quinta persecutio in sanctos agitur hoc Imperante Augusto.

Victor Papa.

Hyeronimus Episcopus.

Perpetua & Felicitas.

Cepherinus Urbis Episcopus sedit annis IX. & ultra, qui constituit Christianum majorem XII. annis die Paschæ Eucharistiam sumere in conspectu omnium, & quod calices essent vitrei vel saltem stannei.

Severus Imperator in Britannia moritur.

De Antonio Augusto.

Antonius Caracalla, superioris filius, regnavit annis VII. homo impatiens libidinis; qui Juliam novercam accepit in uxorem, a suis militibus mox occisus est.

De Macrino Augusto.

Macrinus Imperator regnavit annum I. qui tumultu militari cum filio apud Archelaidem occiditur. Romæ amphyteatrum incensum. Abgarus vir sanctus regnat Ædessæ in Parthia.

De Aurelio Antonio Augusto.

Marcus Aurelius Antonius Imperavit annis quatuor.

Calixtus urbis Episcopus sedit annis V. & ultra.

Hic constituit jejunia quatuor temporum & fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ trans Tyberim.

Nicopolis condita in Palæstina, quæ quondam dicebatur Emaus.

Julius Africanus, scriptor temporum claret.

Sabelius Hersiarches apparet.

Imperator cum matre occiditur.

De Alexandro Augusto.

Alexander Imperator regnavit annis XIII. cujus mater fuit Mammæa, Origenis devota.

Urbanus primus urbis Episcopus sedit annis quasi IX. qui constituit vasa altaris esse aurea vel argen-

argentea vel saltim stannea, & convertit ad fidem Christi sponsum Beatæ Ceciliæ, & alios plures nobiles. Sub hoc Papa cepit Ecclesia prædia possidere, quia ante pauperibus accipiebant pecuniam tantum.

Ulpianus juris Consultus Alexandri fuit Assessor Augusti.

Poncianus Urbis Episcopus sedit annis V. & ultra qui exulavit in Sardinia. Quidam tradunt, quod huic successit quidam Ciriacus (f. Cyriacus) qui non ponitur in numero Episcoporum Urbis, qui, ut dicunt, omisso officio Pontificatus cum Beata Ursulina & undecim Virginibus profectus, complevit martyrium: sed falsum hoc apparet. Nam scriptores non exclusissent talem Virum a numero Pontificum Romanorum.

Item invenitur, Beatam Ursulinam esse passam tempore Attilæ, cujus tempore fuit Leo Papa, qui sedit anno Christi, CCCCXL.

Alexander a suis militibus occiditur.

De Maximo Augusto.

Maximus Imperator regnavit annis III. qui contra fidem Christi sextam persecutionem egit.

Nomina martyrum Pontianus & Antherus, Episcopi Urbis, Juliana Virgo.

De Gordiano Augusto.

Gordianus Imperator regnavit annis sex, hic jam portas aperuit, & Parthos feliciter superavit. Fraude Philippi occisus est non longe ab Euphrate fluvio. Ejus ossa delata *

Fabianus Urbis Episcopus ordinatur, columba indice missa cœlitus, qui sedit annis quasi XIII. Hic constituit secundum Crisma confici de cœna Domini, & regiones divisit Diaconis, & gesta martyrum per notarios invenit. Origenes ejus discipulus Episcopus Ponti.

Julius Africanus scriptor temporum agnoscitur.

De Philippis Augustis.

Philippus & filius ejus Philippus imperaverunt annis VII.

Hic primus ex Imperatoribus fuit Christianus.

Anno quarto Imperii istius completus est annus millesimus ab urbe condita. Hi ludi maximi Romæ.

Origenes sexagenarius scripsit epistolas imperii & Severæ *

Hyerus presbiter Alexandrinus, vir a primævo litteratus, Phylosophus Christianus claret.

Julius Africanus adhuc vivit.

Philippus pater Veronæ, Philippus filius Romæ fraude Decii occiditur.

De Decio Augusto.

Decius Imperator regnavit annis II. hujus uxor fuit Beata Triphonia martyr Christi tempore sequenti.

Cornelius Urbis Episcopus sedit annis tribus & ultra. Hic corpora Apostolorum condidit Romæ, ubi nunc sunt eorum Ecclesiæ: Sanctum Petrum in Vaticano Palatio Neroniano, ubi fuit templum Apollinis & Paulum via Hostiensi, ubi decollatus fuit.

Cyprianus Episcopus Carthaginensis agnoscitur & Beata Justina Virgo. Novatus Presbyter Cypriani, Romam missus, novum errorem induxit, dicens: lapsum in peccatum non posse resurgere. Septima persequutio in Christianos agitur.

Fabianus Papa, Cornelius Papa, Agatha Virgo, Nestor Episcopus. Abdon & Senen & Serapion. Decius moritur mersus palude.

De Gallo & Volusiano Augusto.

Gallus & Volusianus imperaverunt annis VII. Lucius primus urbis Episcopus sedit annis III.

Ingens pestilentia per totum orbem, ita, ut provincias hominibus vacuaverit. Cyprianus libros scribit sanctis.

Origenes obiit jam annorum LXXX. corpus ejus Tyri sepultum.

Philippus Episcopus, pater Sanctæ Eugeniæ, Alexandriæ coronatur Martyrio. Hi Imperatores edicta Decii contra sanctos prosequuntur. tandem occisi sunt.

De Valeriano & Decio Galieno Augustis.

Valerianus Galienus & Decius ejus filius regnaverunt annis XV.

Stephanus Urbis Episcopus sedit annis quatuor.

Cyprianus Episcopus Carthaginensis martyr factus. Sixtus secundus Urbis Episcopus sedit annis quasi tribus.

Hic constituit missam celebrari altari.

Valerianus Imperator, spretis Christianis, magorum gaudet consortio.

Octava persecutio contra Christianos agitur. Lucius Papa, Stephanus Papa, Sixtus Papa, Laurentius Diaconus, Romanus miles.

Zeno Episcopus Veronensis.

Protus & Jacinthus Asterius senator, trecenti Martyres igne consumpti Carthagine.

Galienus Imperator, capto Valeriano patre suo, aspersis * pacem reddidit Christianis. Imperium laceratur a Barbaris, Paulus Samosathenus Episcopus Antiochiæ ordinatur, qui sedit annis duobus & ultra.

Hic ordinavit cimiteria, & parochias divisit, & jussit Clericos suis parochiis esse contentos, & terminum illis imposuit.

Fœlix urbis Episcopus sedit annis duobus & ultra; qui constituit missam cantari super memoriam martyrum.

Dionysius Episcopus Alexandriæ obiit anno Imperii XII.

Galienus Imperator cum fratre suo Mediolani occiditur, fraude Ducis sui.

De Claudio Augusto.

Claudius Imperator regnavit annis duobus, vir optimus. morbo decessit.

Euticianus urbis Episcopus sedit annis VIII. Constituit uvas & fruges benedici altari.

De Quintilio Augusto.

Quintilius frater Claudii factus Cæsar a militibus, & a senatu Augustus, post paucos dies occiditur, vir etiam fratri præferendus.

Dionysius Papa Manus * Martha & eorum filii

lii Andifax & Abacum * Cirilla, filia Decii Cæsaris, Cæsarius & Julinus, Cæsarius & Presbiteri, Eusebius monachus.

De Aureliano Augusto.

Aurelianus Imperator regnavit annis * & ultra vir strenuus & felix in bellis; fraude servi sui occisus fuit a ducibus suis deceptus asaio [a Serajo.] *

Hic Imperator prœlium ad flumen Metaurum & Fanum Fortunæ *

Aurelianus usum carnium porcinarum induxit & capiti suo primus Augustorum Dyadema imposuit & aurea veste est usus. Euticianus Papa.

Quirinus, Theodora soror Hermetis, martyres, Chonon & filius Tertulius, Sabianus mamas.

De Tacito Augusto.

Tacitus imperavit menses sex, postea occisus fuit in ponte.

Florianus in Imperio successit tercio mense apud Tharsum occiditur.

De Probo Augusto.

Probus Imperavit annis sex & ultra, vir illustris gloria militari fuit, qui Pannonios & Gallos vineas habere permisit.

Secta manicheorum emergit.

Gajus urbis Episcopus sedit annis XI. & ultra; hic constituit, ut Clericus gradatim per ordines * & ut nemo Sacerdotem vel Clericum accuset ante judicem secularem.

De Caro Augusto.

Carus annis duobus Imperavit. Cum castrum, * apud Flumen Tygridem ictu fulminis periit. filius Cari factus Cæsar, a socero suo ejus fraude occiditur, ut illi succederet. Miles strenuus in concione Aprum occidit coram militibus, quemadmodum fraude generum occiderat, ut illi succederet.

Chrysantus & Daria, quorum corpora quiescunt Regii in Æmilia Claudii.

Claudius, & Hylaria uxor, & eorum filii Jason & Maurus Papias, Dioscorus, Claudianus, Serapion, Nicephorus.

De Diocletiano & Maximiano Augusto & de Galerio & Constantino Cæsaribus.

Diocletianus, Maximianus herculeus Augusti.

Galerius Maximianus, Constantius, Cæsares sub Augustis.

Dioclecianus cum videret Imperium laceratum, primo sibi consortem Imperii fecit Maximianum Herculeum; postea Galerium & Constantinum Cæsares fecit.

Cum pluribus annis imperassent, & decus Imperii satis recuperatum videretur: ipse Dioclecianus & Maximianus Augusti substituerunt sibi in officio imperandi Galerium & Constancium, & se ad vitam privatam tulerunt, de quo valde doluit Maximianus. Per istos augustos & eorum Vicarios imperatum est annis. XX. in quibus facta est decima persecutio contra Christianos, qualis nec ante nec post fuit.

Hoc tempore apparuit quidam Perses nomine Manes, qui nunc se Christum nunc se Paraclitum asserebat, qui etiam XII. discipulos habens, eos prædicando misit, suum disseminando errorem. Marcellinus urbis Episcopus sedit annis VII. & ultra, qui metu Diocleciani posuit thura Diis: mox vero pœnituit. Synodo facta in Campania coram CLXXX. Episcopis cinere se aspersit: propter quod Martyrium fecit.

Terre motu facto apud Tyrum & Sydonem multa milia hominum perierunt.

Marcellus urbis Episcopus sedit annis * & ultra, qui constituit in urbe Cardinalatus XXV. vel XV. propter hominum sepulturam & baptismum anno Imperii XIX. facta sunt edicta contra Christianos, & Sacræ Scripturæ incensæ sunt, & persecutio decima fuit aliis sævior.

Demissa Imperii administratione a Dioclecíano & a Collega ejus, Galerius partem Imperii Orientalem administravit. Constantius occidentis partem. Sed vir optimus Italiam & Africam resignavit Galerio: ipse vero Hyspanias & Gallias gubernavit illis contentus. Galerius persecutionem persequitur, a superioribus cœptam & Maximium Cæsarem fecit, qui etiam sæve persecutus est sanctos. Galerius Dei judicio durissimis penis vitam finivit.

Constantius Augustus in Occidente nulli sancto fuit infestus, qui ex Helena genuit Constantinum.

Maxentius filius Maximiani Romæ factus est Cæsar. Etiam sanctos Dei persecutus est, qui Beatam Katherinam occidit.

Licinius factus Imperator a Galerio. Etiam sanctos Dei persecutus, cujus uxor filia fuit Constantii, & soror Constantini magni. Nomina martyrum.

Gajus Papa.
Marcellinus Papa.
Marcellus Papa.
Largus & Smaragdus.
Genesius.
Sergius & Bacchus.
Felix & Danctus, Cosmas & Damianus, Sebastianus.
Bonifacius.
Primus & Felicianus.
Pancratius.
Vitus & Modestus. Pantaleo, Vincentius Levita Hispanus. Euleterius cum aliis innumeris sanctis XV. Martyres uno mense Blaxius Episcopus.
Georgius Capadox, Theodorus Menna *
Hermolaus, Grixogonius, Ruffus, Symplicius, Faustinus, Victor.
Mauricius cum aliis VI. Nomina virginum Martyrum; Agnes, Barbara, Eufemia, Cresentia, Beatrix, Susanna, Romana, Anastasia, Theodoxia.

De Galerio Augusto.

Galerius idem post dictos Viginti annos ascriptos Diocletiano, imperavit annis duobus: sub quo Maximianus Cæsar factus, Christi sanctos persecutus est.

De Constantino Magno Augusto.

Constantinus, Constantii filius, imperavit annis

annis XXXI. Hoc tempore respublica Romæ sub quatuor Principibus: scilicet Constantino & Maxentio filiis Augustorum, & Licinio & Maximio novis hominibus, factis Cæsaribus.

Anno quinto Imperii exortum est bellum civile inter Constantinum & Maxentium. Tandem Maxentius suis fraudibus periit. Nam fraude pontem struxerat, ut Constantinus, illum ascendens, periret aquis. Sed Dei judicio dementatus, ipse super pontem ascendit & periit.

Eusebius urbis Episcopus sedit annis tribus & ultra qui constituit, nullo modo jejunari die Dominico quia eo die Pagani jejunabant potissimum. Hic primus omnium Episcoporum urbis a martyrio fuit alienus.

Constantinus Bausiam (Faustam) uxorem suam occidit. Sylvester urbis Episcopus sedit annis XXIIII, cujus tempore Imperator libertatem Ecclesiis dedit, & Romæ Ecclesias construxit.

Hoc tempore congregata est Synodus Nicena, in qua fides catholica exposita est, id est, factum fuit credo majus, quod exponit credo minus.

Eusebius Cæsariensis hucusque scripsit hystoriam, ex qua Hyeronimus suam cronicam texuit, quam ego potissimum imitatus sum. India ulterior & gens Hebreorum, quæ a Xepontico est, ad fidem Christi conversa.

Bizantium urbs Thraciæ ampliatur a Constantino, quam suo nomine appellavit Constantinopolim. Hic a Beato Sylvestro baptizatur.

Constantinus, data libertate Ecclesiis, templa Deorum claudi jussit.

Dogma Donatistarum apparet. Oritur Jheronimus, mox presbiter. Stella Cometa apparuit.

Constantinus anno ætatis 66. bellum moliens contra Persas, instituit Constantium filium absentem heredem in Imperio orientis: in reliqua instituit filios Constantem & Constantium & Dalmatium filium fratris ipsius.

De Constantio Augusto.

Constantius Imperavit annis viginti quatuor, sed Dalmatius & Constantinus aliquo tempore imperaverunt, mox occisi sunt.

Constans vero factione Magnetii occisus est anno Imperii XVIII.

Constantius vero supervixit, & imperium administravit solus. Marcus urbis Episcopus sedit annis II. & ultra. Hic constituit Symbolum in missa alta voce cantari, & ut Episcopus Hostiensis, qui Romanum Pontificem consecrat, pallio uteretur.

Arrius errorem suum effudit.

Constantius Imperator, errore Arrii pollutus, Catholicos persequitur.

Anastasius Episcopus Alexandrinus persecutione vexatur ob fidem.

Hylarius Episcopus clarus.

Julius Papa sedit annis XI. & ultra. Hic congregavit Synodum apud Niceam Episcoporum CCCXVIII. inter quos fuit beatus Nicolaus Episcopus Mirreorum: qua Synodo damnatus est error Arrii, qui asserebat, filium patre minorem, in hac etiam Synodo decretum est a clero occidentis a conjugibus continere, & cœlibatum tenere.

Terræ motus in oriente plurimas urbes solo stravit.

Arrius ad opus naturæ pergens in Constantinopoli, viscera emisit crepans.

Beatus Nicolaus Episcopus Mirreorum.

Eusebius Episcopus Vercellensis }
Hylarius Episcopus Pictaviensis } agnoscuntur.
Epiphanius Episcopus Papiensis }

Liberius Papa sedit annis VI. & ultra, qui constituit, conjugium benedici a Sacerdote: qui missus est in exilium a Constantino, quia errori Arrii non consensit, anno Imperii XX & Felix ordinatur a Clero.

Felix secundus Papa substituitur, qui sedit anno uno & ultra; qui declaravit, Constantium esse sectæ Arrianæ & rebaptizatum ab Eusebio Episcopo Nicomediæ: propter quod decapitatus est. Gallia Phylamium * Ariminensis perfide ille * damnat.

Donatus grammaticus, doctor Hyeronimi.

Evancius grammaticorum eximius.

Victorius rhetor Afer Romæ agnoscitur.

Synodus facta per Arrianos apud Arriminum, & alia Synodus apud Jeuciam (f. Seleuciam) Ysauriæ. Macedonius Catholicus Episcopus Constantinopoli pellitur. Beatus Antonius monachus obiit annorum CV. cujus corpus Viennæ est, Macharius ejus discipulus claret.

Athanasius & Hylarius Episcopi celebres habentur.

Paulinus Episcopus Treverorum exulans in Phrygia obiit. Felix Papa & Eusebius Episcopi coronantur martyrio. Ecclesia magna Constantinopolitana dedicatur.

Catholici ubique ab Arrianis vexantur, Beatus Nicolaus Episcopus dormivit in Domino anno Christi CCCLXIII. Liberius Papa iterum sedit occiso Felice secundo, qui sibi successerat.

De Juliano Augusto.

Julianus imperavit anno uno & mensibus octo. Hic ex Clerico factus est Cæsar a Constantio suo patrueli & socero. Qui ad ydolatriam versus, Christianos insequitur magis blandiciis quam sævicia; qui statuit, Christianos non posse cingi militari cingulo, nec posse scholam tenere.

Julianus licentiam dedit Judæis in odium Christianorum, ut templum in Jherusalem restaurarent: & cum jam opus cœpissent, virtute Dei nocte materia dissipata est, & signum crucis in vestimentis Judæorum inventum est: propter quæ multi ad fidem Christi conversi sunt.

Damasus Papa sedit annis XVIII. & ultra, qui rogatu Beati Hyeronimi constituit, ut in fine psalmorum diceretur: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.

Hujus Damasi tempore fuerunt hi Episcopi Viri sancti & noti:

Mercurialis Episcopus Forolivienfis;

Boſſilus Epiſcopus Foropompilii;
Gaudentius Epiſcopus Arimini;
Leo Epiſcopus Feretranus, Marinus;
Hyeronimus hoc tempore correxit Pſalterium LXX. interpretum.

Julianus Imperator dum ſiti laboraret ejus exercitus apud Cteſiphontem, a quodam profuga ductus eſt in deſerta, ut aquam quæreret, ſed a quodam milite ignoto lancea perfoſſus per ylia periit.

Hylarion Abas agnoſcitur.
Pigmenius Epiſcopus Doctor Juliani.
Quiriacus Epiſcopus.
Gordianus.
Donatus Epiſcopus.
Epymachius.
Galicanus. Sabiniana Virgo.
Joannes & Theodorus Presbyteri.

De Joviano Auguſto.

Jovianus Imperator regnavit menſes IX.
Synodus Antiochiæ facta eſt.

De Valentino Auguſto.

Valentinus imperavit annis XI. qui fratrem ſuum Valentem Imperii fecit conſortem.

Terræmotu facto per totum orbem mare eſt littus egreſſum.

Vegetius renatus librum de re militari huic ſcripſit Auguſto.

Urſinus Diaconus X. in tantam prorupit audaciam, ut ſe Papam faceret contra Damaſum propter quod multæ cædes in urbe fuerunt. Valens Imperator baptizatur ab Eudoxio Epiſcopo Arriano & cum contra catholicos vehementer perſequeretur, a Valentiniano prohibitus eſt. Grando maxima in Conſtantinopoli ita ut homines. - - -

Nicea urbs terremotu facto funditus eſt everſa. Hatalaricus Rex Gothorum Chriſtianos perſequitur.

Euſebius Epiſcopus Vercellenſis obiit.

Dydimus Alexandrinus multa commentatur pro fide qui ſine viſu corporeo litteras didicit.

Baſſianus Laudenſis Epiſcopus ordinatus anno ætatis ejus LV.

Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus obiit cui ſucceſſit Petrus.

Ambroſius Mediolani Epiſcopus ordinatur.

Chorus Aquilienſis ſanctus habetur.

Valentinianus Auguſtus morbo apoplexiæ obiit.

De Valente Auguſto.

Valens frater ſuperioris annis quatuor imperavit poſt fratrem, qui legem ſtatim dedit, ut Monachi militarent.

Gens Hunorum, id eſt Hungarorum, relictis eorum ſedibus Gothos ſedibus ſuis expulit. Theodoſius Pater Theodoſii mox Auguſti juſſus decolari apud Affricam Baptiſmum petiit & habuit.

Fotinus Hereſiarches errorem ſuum diſſeminat contra Chriſtum. Apollinarius Hereſiarches apparuit.

Valens expugnatus a Gothis fugit ſaucius ſagitta in caſam vilem. Illuſtres Monachi in deſerto erant tunc Nitriæ, Macharius & alter Macharius, Paulus, Yſidorus, Moyſes, Eraclides; Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis,
Gregorius & Petrus fratres Baſilii,
Gregorius Nazianzenus agnoſcuntur.

De Graciano Auguſto.

Gracianus filius Valentiniani Auguſti imperavit annis VI. qui ſtatim fratrem ſuum Valentinianum imperii fecit conſortem.

Gracianus Theodoſium virum ſororis ſuæ Gallæ, Auguſtum fecit in Imperio orientali, quod premebatur a Gothis.

Priſcilianus Epiſcopus Galiciæ Hyſpaniæ errores Manicæorum diſſeminavit.

Martinus Epiſcopus Turonorum agnoſcitur.

Athanaricus Rex Gothorum facta pace cum Theodoſio Auguſto Conſtantinopoli moritur, cujus funeri Imperator honorem regium detulit.

Siricius Papa ſedit annis XV. Hic Synodum congregavit apud Conſtantinopolim patrum CCCL. contra Macedonium & Eudoxium: etiam Synnodus appellata ſexta ſancta Synodus & univerſalis. Hyeronimus hujus Papæ tempore Bibliam de hæbræo in latinum tranſtulit.

In caſtello Emaus nati ſunt pueri duo in uno corpore infra umbilicum, quorum uno dormiente alter edebat, alter alteri triduo præmoritur.

Hyeronimus Presbiter,
Martinus Epiſcopus Turonenſis,
Arſenius Heremita agnoſcuntur.

Maximus Dux exercitus Romanorum in Britania, vocatus a militibus Graciani (fit Auguſtus) qui fugiens occiditur apud Lugdunum.

De Valentiniano Auguſto.

Valentinianus frater Graciani regnavit annis 8. poſt fratrem in occidente Theodoſio imperante in oriente.

Valentinianus mortuo fratre fugit ad Theodoſium in Conſtantinopolim.

Theodoſius cum exercitu venit in Italiam & Maximum apud Aquileram vinctum capite damnat, & reſtituit Valentinianum in imperium occidentis.

Preſcilianus hæreticus damnatur.

Joannes Anachorita futura prædicit; Auguſtinus in fide proficit.

Claudianus poeta agnoſcitur. Caput Joannis Baptiſtæ latum Conſtantinopolim. Valentinianus ſecundus Imperator inventus eſt Viennæ ſuſpendio mortuus.

De Theodoſio Auguſto.

Theodoſius Imperator poſt mortem Valentiniani ſecundi Auguſti imperavit annis tribus, qui jam imperaverat annis XIIII.

Theodoſius cum exercitu venit in Italiam contra Eugenium, qui opera Arbochaſti Comitis ſuſpecti de nece Valentiniani amiſerat imperium; & conſulto Joanne Anachorita Theodoſius illos ſuperat magis Dei virtute quam armis; Eugenius captus interfectus eſt, Arbogaſtes ſe propria manu occidit.

Eo anno Theodoſius Mediolani obiit relictis Archadio & Honorio filiis Auguſtis & Placidia filia

filia ejus ex Galla filia Valentiniani Majoris Patris Graciani;

Obiit autem anno ætatis quinquagesimo.

Vidi ego in Ecclesia sancti Laurencii sacello, quod est apud Ravennam sepulchrum nobile juxta id in pavimento erat petra scripta litteris celatis, diens sic: Theodosius Imperator. Vidi & legi.

Ambrosius Episcopus Mediolani.

Hyeronimus Presbiter.

Augustinus Episcopus Yponensis.

Martinus Episcopus Turonensis; Bassianus Episcopus Laudunensis.

Paulus Orosius.

Joannes Crisostomus.

Prudencius Vir poëta; hujus temporis viri.

De Archadio Augusto.

Archadius Theodosius filius Imperator in oriente annis XIII. imperavit, fratre ejus Honorio in occidente imperante.

Anno secundo imperii Archadii Beatus Martinus migravit ad Dominum anno ætatis MLXXVI.

Anno sequenti moritur Beatus Ambrosius. Hujus Imperatoris tempore Donatus Episcopus sputo oris occidit draconem, ad quem trahendum ad locum incendii octo jugaboum fatigata sunt. Anastasius Papa sedit annis tribus, qui constituit hominem membro carentem non fieri Clericum, & nullum clericum promoveri ad ordines superiores nisi ad licentiam sui Episcopi; & cum Evangelium legitur stare curvos sacerdotes.

Gothi Alarico & Radagasio Ducibus in Italia regnant, Romani & Gothi pari clade in Italia pugnant. Innocencius Papa sedit annis XV. & ultra, qui constituit renasci baptismate & jejunium sabbato & uti oleo sancto ad infirmos laycos per Presbiteros. Beatus Alexius agnoscitur.

Eudoxia Augusta imaginem suæ speciei erexit & ad eam puellas & fœminas cantare fecit: & cum Joannes Chrysostomus Episcopus id argueret prædicando, ab Archadio Augusto pulsus est sede sua: quamobrem Papa Innocentius eum excommunicavit.

Radagaisius Rex Gothorum in Thuscia apud Fesulas in monte concluditur cum - - - Gothorum. Ipse capitur & occiditur, Gothi vero dissipantur & vili precio venduntur ut pecora.

Wandali transito Rheno Gallias occupant.

Constancius Comes vir Placidiæ transit in Gallias missus ab Honorio Augusto.

Arsenius agnoscitur Romæ, Mox vir Placidiæ, qui postquam annis XL. in aula Imperatoris fuit, factus monachus annis XLV. vixit Heremita.

Prudencius Aurelius Clemens vir Catholicus & poeta agnoscitur.

Archadius Imperator in oriente postquam annis XIII. imperavit morbo defecit apud Constantinopolim relicto sibi Imperatore filio suo Theodosio.

De Honorio Augusto.

Honorius Imperator postquam imperavit cum Archadio fratre suo cum illius filio regnavit annis XV. in occidentis imperio. Wandali a Gothis capiuntur, spoliantur & incenduntur & Placidia soror Honorii rapitur adducitur inde, & paulo post moritur Rex Alaricus.

Haytulphus factus Rex Gothorum Placidiam in Conjugem accepit apud Forum Cornelii, & Gothi in Gallias transeunt.

Burguziones partem Galliæ Rheno propinquam obtinuerunt.

Pelagius Brito hæresiarches apparet.

Haytulphus Rex Gothorum & maritus Placidiæ a suis - - -

Vallia Rex Gothorum facta pace cum Constantino Vicario Honorii Placidiam restituit, quam ipse Constantinus in uxorem accepit, ex qua mox genuit Valentinianum & Honorium.

Valentinianus nascitur Placidiæ filius sexto nonas Julias.

Cosimus Papa ordinatur, qui sedit anno & ultra: hic Synodum habuit apud Carthaginem Episcoporum CC. XIIII. quo hæresis Pelagiana damnata est, contra eum Augustino agente. Hic Papa constituit Cereum benedici in Pascha per parochias & dyaconos levante *, Servum etiam non fieri Clericum, & Clericum in publico non uti poculo (balneo.)

Bonifacius Papa sedit annis tribus & ultra, qui constituit neminem in Ecclesia ponere incensum nisi ministrum, nec obnoxium curiæ vel servum posse fieri Clericum.

Constancius hoc anno pacem firmat cum Valia Rege Gothorum data eis ad habitandum Aquitania cum aliis Civitatibus vicinis. Honorius Imperator Constancium virum sororis suæ Placidiæ apud Ravennam fecit Augustum & Regem & Regni consortem qui septimo mense post moritur, quinto anno nupciarum Placidiæ.

Beatus Hyeronimus hoc anno obiit pridie Kalendas Octobris ætatis ejus anno XCIX.

Pharamondus primus Rex Francorum creatur ab illis per hæc tempora.

Placidia ab Honorio Italia pellitur quæ cum filiis profecta est ad Theodosium Archadii filium in Constantinopoli imperantem.

Cœlestinus Papa sedit annis fere X. qui constituit ut Psalmi David ante sacrificium cantarentur, & Antiphonarium ex psalmis, quod ante non fiebat, sed legebantur Epistolæ & Evangelium. Misit quoque Beatum Patricium filium Chotes sororis Beati Martini in Hyberniam, qui eos convertit.

Beatus Cassianus libros composuit.

Honorius Imperator Romæ occiditur; cujus tempore constructa est apud Ravennam per eum in Cæsarea Ecclesia Beati Laurentii, juxta quam constructum fuit Sacellum elegans, in quo sunt mansolæa preciosa ex marmore affabre cælata, in quo quidem elegantiori corpus Theodosii Augusti esse & litteræ in petra scriptæ id testantur, quas legi.

De Theodosio Augusto.

Theodosius minor imperavit in oriente post mortem Honorii patrui.

Gens Wandalorum de Hyspania transit in Affricam anno Christi CCCC, XXVI.

Anno secundo Imperii a Theodosio Placidiæ datur imperium occidentis.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus novum errorem induxit prædicans Christum tamen esse - - -

Placidia veniens in occidentem metu maris naufragii Beato Joanni Evangelistæ Ecclesiam vovit, quam mox construi fecit Ravennæ.

Germanus Episcopus Altysiodorensis missus a Cœlestino Papa ad Britannos Pelagiano errore (infectos) eos correxit ab eo errore. Augustinus Episcopus Ysponensis dormivit in Domino anno Christi CCCC, XIX. anno sequenti facta est Synodus per Cælestinum Papam apud Ephesum Patrum CC. & ultra ibi hæresis Nestoriana & Pelagiana damnatæ sunt.

Ad Scotos in Christo credentes a Cœlestino mittitur primus Episcopus Paladius. Sixtus III. Papa sedit annis 8. & ultra, qui Petrum Ravennatem ordinavit Ravennæ Deo sibi indice per somnium.

Pax facta cum Wandalis data eis ad habitandum aliqua parte Affricæ.

Gensericus Rex Wandalorum Catholicos in Affrica sæve persequitur.

Carthago a Wandalis capta qui fuit dicionis Romanæ & anno Christi CCCC, XXXVIII.

Leo Diaconus, secundus, absens ordinatus Papa sedit annis XXI. & ultra, hic quintam Synodum congregavit apud Calcedonem CC. patrum contra Euticium Episcopum Constantinopolis & probatum est in Christo duas esse naturas scilicet Dei & hominis, hujus Leonis fuit notarius Prosper Aquitanicus, mox Episcopus Reginus in Emilia.

Gens Hunorum Regibus suis Actila & Bella fratribus Thracias vastant.

Romæ terræmotus ingens stravit ædes.

Manichæos in urbe latitantes Leo Papa persequitur & damnat errorem.

Actila Rex Hunorum fratrem suum Bellam occidit, ut solus regnaret.

Hujus Augusti tempore diabolus in Creta in specie Moysi Judæis apparuit dicens, velle eos inducere in terram promissionis suam, ingressi sunt, ut videbatur, apertam: multi undis perierunt, reliqui salvi ab undis Christo crediderunt.

Hujus Augusti tempore septem dormientes apud Ephesum surgunt a somno, qui annis CC. dormierant a tempore S. Decii Imperatoris & coram Theodosio Augusto & aliis sunt de fide loquuti. Et iterum in Christo dormierunt anno Imperii istius Theodosii XXIIII. Theodosius moritur in Constantinopoli Imperante in occidente Valentiniano ejus consobrino & genero.

De Valentiniano III. Augusto.

Valentinianus tertius imperavit in occidente post mortem Theodosii annis V. cum jam ante imperasset cum illo annis XXV. Hic fuit Placidiæ filius. Tunc in oriente imperabat post Theodosium Marcianus qui cum hoc Valentiniano imperavit annis V. & post eum annis duobus.

Actila Rex Hunorum secum trahens gentes multas scilicet Regem Gepidarum, Regem Gothorum, Marcomannos, Suevos, Quados, Erulos & Turcilingos pugnant in Gallia cum Eutio Duce Romanorum & cum Rege Gothorum Aquitaniæ, quibus erant auxilio Burgundiones, Franci cum Rege suo Merone (Merovæo) Halani, Saxones, Riparolli, Sarmatæ & Armaritiani (Armoricani), in qua pugna ceciderunt homines CLXXX. & Rex Gothorum Theodoricus. Actila tum superatus fuit.

Actila superatus in Pannoniam rediit & congregato majore exercitu venit in Italiam, & primo annis tribus obsedit Aquilejam, quam demum cepit & subvertit ann. Chr. CCCCLXXX. mox Actila per urbes Venetiæ (Liguriæ, Emiliæ & Flamineæ item Romandiolæ, quæ tres Provinciæ hodie Lombardia vocantur) debacchatur. Cum in reditu suo pervenisset, ubi Mencius fluvius intrat in Padum, Leo Papa illi advenit, qui ab eo pacem totius Italiæ impetravit. Actila rediens in Panonias & novæ conjugis agens nuptias nocte eruptione sanguinis suffocatus est, cujus arcus ea nocte fractus apparuit in somnis Marciano Augusto.

Germanus Episcopus Antisiodorensis. }
Lupus Episcopus in Gallia. } agnoscuntur.
Fulgentius Episcopus. }

Valentinianus Imperator Romæ occiditur a militibus Etii, quem principem occidi fecerat invidia, jam ante mortua Placidia matre, quæ obiit V. Kalendas Decembris.

De Marciano Augusto.

Marcianus Imperator regnat post Theodosium in oriente annis V. regnavit post Valentinianum iterum annis II.

Gensericus Rex Wandalorum advectus ex Affrica navibus, Romam cepit & spoliat, cui Leo Papa occurrit humiliter, & eum aliquanto sedavit; inde Wandali transeuntes Capuam & Nollam capiunt ac spoliant, homines inde captivos adducunt in Affricam.

Paulinus Nollæ Episcopus cum omnia expendisset pro redemptione Captivorum, non sustinens lachrimas unius viduæ flentis filium ductum Carthaginem in Affricam, cum vidua est profectus & se in permutationem filii viduæ captivi dedit illo liberato. Cujus sanctitate demum cognita laxatus est cum suis captivis.

Gothi Aquitanici invadunt Hyspanias.

Epiphanius Episcopus Ticini vir sanctus virtutibus habetur illustris.

In Colonia Agrippina XI. Virginum Millia martyrio coronantur.

Martianus Imperator suorum conspiratione occiditur in Constantinopoli.

Eudoxia Augusta uxor quondam Valentiniani tertii de Jherusalem tulit Romam reliquias protomartiris Stephani, & catenas, quibus catenatus fuit Petrus Apostolus.

Et quia Kalendis Augusti Romæ fiebat memoria victoriæ Octaviani Cæsaris de Antonio factæ apud Actium, ideo eo die fit festivitas Beati Petri de Vinculis.

De

De Leone Augusto.

Leo imperavit annis XVII. in oriente morans, qui mox Leonem filium ejus Imperii fecit Consortem.

Majoriannus apud Ravennam invadit Imperium occidentis, qui cum prope annis quatuor imperasset, occiditur non procul ab Oppido Tertonensi.

Severus statim apud Ravennam Imperator efficitur, & appellatur Augustus, qui post annos quatuor Romæ obiit.

Hylarius Papa sedit annis sex & ultra: hic confirmavit tres Synodos. Arturus Rex Britanniæ tempore hujus Papæ & Imperatoris agnoscitur.

Olibrius a Leone Augusto Romam mittitur Imperator. Epiphanius Episcopus Tycini agnoscitur, Symplicius Papa sedit annis XV. & ultra. Merlinus Propheta agnoscitur. Prosper Reginus Episcopus agnoscitur, qui multos libros composuit, quos legi in monasterio Nonantulano.

Mamertus Episcopus Viennensis agnoscitur, qui jejunium & rogationes fieri triduo ante ascensionem statuit. Hæresis Dyoscori & Acephalorum, emergit, cujus Auctor nescitur. His temporibus Euricus regnabat Wisegothis, id est Gothis occidentis, qui Aquitaniam tenuerunt.

Ostrogothis vero, id est Gothis orientis, regnabat Theodoricus Strabo, Triarii filius, qui tunc ad quartum urbis miliarium duxit exercitum, nulli tamen Romanorum infestus, qui in brevi obiit.

De Zenone Augusto.

Zeno Usaricus (Isauricus) gener Leonis imperavit annis XVI. iste, cum quæreret Leonem filium Leonis Augusti mala intentione, ut eum perderet, eum mater occultavit & Clericum fecit, qui vixit in Clericatu usque ad tempora Justini Imperatoris. Per hæc tempora fuerunt viri famosi milites Tabulæ rotondæ, ut - - - Augustulus a Zenone mittitur in Ytaliam Imperator.

Odovacer Rex Erulorum cum ingenti exercitu intravit in Italiam & eam possedit annis XIIII. qui anno Christi CCCCLXXVIII. superavit prælio Augustulum & Italia potitus est regnans Ravennæ. Beatus Severinus Odovacro venienti in Italiam futura prædixit.

Felix tertius Papa sedit annis quasi novem, qui constituit Ecclesias consecrandas esse anno nativitatis Christi CCCCXCII.

Theodoricus Rex Ostrogothorum missus à Zenone Imperatore ad possidendam Italiam, postquam Odovacrum tribus annis obsesserat, apud Ravennam ipsum Odovacrum capit & occidit, ac totius Italiæ dominio potitus est annis fere XL.

Epiphanius Episcopus Ticini missus a Theodorico Rege in Gallias pro redimendis captivis, vim captivorum recepit ultra illos, qui pretio erant redempti.

Hunnericus Rex Wandalorum Genserici filius in Affrica catholicos persequitur, Arrianus secta. Episcopos omnes suis sedibus depellit, multos excruciavit.

Corpus Beati Barnabæ Apostoli & Evangelium Matthæi ejus stilo scriptum eo revelante reperta sunt. Boëtius vir nobilis Romanus studiis Phylosophiæ floret.

Zeno Imperator Constantinopoli moritur.

De Anasthasio Augusto.

Anastasius Zenonis gener regnavit annis XXVII. Gelasius Papa sedit annis IIII. & ultra, qui condidit dici in missa: Vere dignum & justum est; qui etiam libros & hymnos composuit.

Hoc tempore facta est inventio criptæ Michaëlis archangeli.

Cassiodorus ex urbe Ravenna vir nobilis clarus habetur.

Anastasius Papa sedit annis tribus, qui constituit ut nullus clericus suum officium propter rancorem omittat præter Missam.

Symachus Papa sedit annis XV. & ultra, qui constituit dici diebus solempnibus in missa: Gloria in exelsis Deo. Romæ propter electionem Symachi & Laurentii tumultus fuerunt.

Turismundus Rex Wandalorum, alter Genserici filius, in Affrica claudit Ecclesias Catholicorum fovens Arrianos. Episcopos CC. XXIII. Sardinia relegavit, quibus Symachus Papa subveniebat in stipe.

Sygismundus Rex Burgundiæ hoc tempore construxit monasterium in Burgundia Beato Mauricio & sociis martyribus & dotavit opibus b. b. b.

Ormisda Papa sedit annis IX. & ultra annò nativitatis Christi D. XIX.

Hujus nuncios Anastasii Imperatoris * Euticianus ad se missos rejecit; post paucos dies ipse Imperator ictus fulmine periit.

Post hæc tempora quibus Theodoricus regnabat in Italia, ipse astrui fecit Ravennæ egregia opera, Gothicam turrem Palacii dirutam Anno Christi M. CC. XCV. Ecclesiam beati Martini in Cœlos aureos, Ecclesiam Sanctæ Mariæ rotundæ extra muros, quæ uno tegitur lapide, equum æreum cum equite, qui nunc est Papiæ, quæ Carolus Rex Franciæ adduxit a Ravenna Papiam, ut portaret in Franciam.

Boëtius Philosophus. } agnoscuntur.
Cassiodorus. }

De Justino Augusto.

Justinus Imperavit annis IX. qui fuit vir catholicus. Ormisda misit Germanum Episcopum Capuanum, qui Justinum solidavit in fide, quo facto jussit claudi Arrianorum Ecclesias eos persequentes.

Hyldericus Rex Wandalorum filius Turismundi natus ex filia captiva Valentiniani tertii abducta tempore, quo Romam ceperunt Wandali, relicto errore avi & patris ad fidem catholicam convertitur ministris sua vestigia sequentibus propter hoc Affrica errores dimisit.

Boëtius Episcopus Romanus, sicut legi in quadam cronica, metu Theodorici Regis annis quatuor per Italiam latitavit, mox de nocte comprehensus territorio Mediolani jussu Theodorici Regis strangulatus est Papiæ, ubi sepulchrum ejus monstratur.

Beatus Remigius Episcopus baptizavit Clodoveum quintum Regem Francorum ex Regibus illis primum Christianum & Francia ad Christi fidem convertitur D.XXV. Idem Remigius Episcopus baptizavit beatum Leonardum. Beata Brigida Virgo in Scotia obiit. Joannes Papa sedit annis quasi tribus: hunc Theodoricus Rex legavit ad Justinum Imperatorem in Constantinopolim, ut operam daret cum Justino & desisteret Imperator a vexando Arrianos, quorum erat Rex - - - alioquin Italiam affligeret. Justinus Imperator (non) annuit petitioni suæ Papæ, quem honorifice habuit & dimisit, propter quæ Theodericus Joannem Papam ad se reversum in carcere fecit deficere, Symachum quoque virum optimum Boëtii socerum fecit occidi. Item Theodoricus die XCVIII. a morte Joannis Papæ subita morte præventus obiit, sepultus Pharo, quod est extra Ravennam uno tectum lapide, quod nunc dicitur Sancta Maria Rotonda. Justinus Imperator obiit, Justinianum filium sororis suæ sibi successorem instituit in imperio.

De Justiniano Augusto.

Justinianus imperavit annis XXXVIII. Felix quartus Papa sedit annis quatuor & ultra, hic attavus fuit Gregorii primi mox Papæ.

Athalaricus Rex Gothorum filius Amalasunthæ Reginæ, filiæ quondam Theodorici Regis Gothorum, postquam annis quatuor in Italia regnavit, morbo periit, mater successit Amalasiuntha, orba filio consortem Regni fecit secum Theodatum propinquum, virum litteratum, qui mox eam fecit strangulari occulte in balneo, ut solus regnaret.

Bonifacius secundus Papa sedit annis duobus & ultra, qui constituit, ut Clerici sint in Ecclesia divisi a laycis, dum Missa cantatur.

Cassiodorus patricius Ravennas claret.

Joannes secundus Papa sedit annis duobus & ultra hic Mercurius vocabatur.

Beatus Benedictus & Maurus ejus discipulus agnoscuntur.

Agapitus Papa sedit annis tribus & ultra: hic constituit processiones fieri diebus dominicis; hic a Theodato Rege accusatur de nece Reginæ Amalasiuntæ, missus est ad Justinianum Imperatorem, ut eum placaret; & Imperatorem lapsum in errorem Euticis solidavit in fide.

Silverius Papa sedit anno uno & ultra, hic in Ponto relegatus obiit, quia Anthonium Episcopum Constantinopolim noluit revocare.

Vigilius Papa sedit annis XVII. & ultra; hunc Theodoxia Augusta persequuta est, quia Anthonium Patriarcham noluit revocare. Hujus Papæ tempore quinta Synodus facta est in Constantinopoli contra Theodorum, Justinianus Affricam liberat a Wandalis per Belisarium Ducem. Carthago recepta, postquam Wandali eam possiderant, per annos XCVI. Roma a Gothis capta est. Totilla Rex eorum parum sævus fuit. Gothi metu Belisarii Ducis Justiniani aufugiunt Roma.

Gens Longobardorum morans in Pannonia sub Albuino Rege fuit auxilio Romanis.

Tempore hujus Totillæ urbs, quæ nunc Venecia dicitur, esse cœpit ab his facta, qui de Venetia fugerant, metu Totillæ Regis & Gothorum.

Beatus Herculianus hoc tempore Perusii a Gothis occiditur.

Beatus Benedictus Abbas agnoscitur.

Pelagius Papa sedit annis quatuor & ultra: hic constituit, ut hæretici comprimantur per Judices seculares.

Propter pestem ingruentem in Constantinopolim ordinata est Festivitas Purificationis Beatæ Mariæ, quæ nunc dicitur Ypapanti.

Beatus Remigius obiit.

Beatus Brendanus in Scotia agnoscitur.

Ossa Beati Stephani protomartyris Romam lata & locata cum corpore Beati Laurentii.

Justinianus Narsetem in Italiam misit, qui auxilio Longobardorum, quos vocavit ex Pannonia, Gothos Italia expulit, quorum tunc vires in Italia evanuerunt.

Justinianus Imperator leges ordinavit in Digesta, codicem edidit.

Ecclesiam quoque olim speciosissimam in Constantinopoli construi fecit, quam in honorem Christi, Agyan Sophiam nominavit, id est, Sanctam Sapientiam, Ecclesias etiam elegantes Ravennæ construxit, scilicet Ecclesiam Beati Vitalis in ea Urbe & Ecclesiam Beati Apollinaris in Classe. Joannes tertius Papa sedit annis fere XIII. hic constituit & ordinavit Cymiteria & Apostolorum Ecclesiam Romæ restauravit.

Beatus Maurus Monachus obiit.

Beatus Germanus Episcopus Parisiensis.

Fortunatus poëta Gesta Beati Martini versibus scripsit, mox factus est Episcopus Pictaviensis.

Agnellus Archiepiscopus Ravennas Argentam suæ acquisivit Ecclesiæ.

Cassiodorus Monasterio degit.

Arator Diaconus Poëta Apostolorum actus versibus scripsit. Priscianus Cæsariæ Capadociæ apud Constantinopolim grammaticam in melius ordinavit. Stella cometa apparuit. Justinianus Imperator gloriosus defecit.

De Justino Augusto.

Justinus secundus imperavit annis XI. hic nepos fuit Justiniani Augusti. Narses sub isto Italiam liberavit a Gothis Longobardorum auxilio anno Christi DLXVIII. indictione prima.

Albuinus Rex Longobardorum venit in Italiam & eam possedit, qui obiit anno Christi D.LXXI. Indictione quarta. Longobardi Italiam possederunt annis CC, VI.

Benedictus Papa sedit annis tribus & ultra, qui mox fatigatus laboribus & curis Longobardorum, qui Italiam premebant, morte defecit. Armenii ad fidem veniunt.

Corpus Beati Barchi (f. Bartholomæi) de India latum in Lyparam, mox Beneventum. Ecclesia sancti Severi extra Ravennam in Classe constructa.

Longobardi affligant Italiam: inde fames immensa ubique. Longobardi Romam obsident.

Mortuo Papa Benedicto Romæ subrogatus est

est Pelagius secundus sine consensu Imperatoris, quia propter obsidionem nuncius ad Imperatorem mitti non potuit.

Pelagius secundus Papa sedit annis X. & ultra; hic legavit ad Imperatorem in Constantinopolim Gregorium Diaconum ejus Apocrisarium, virum jam sapientia & virtutibus illustrem.

De Tiberio Augusto.

Tiberius Imperator regnavit annis VII. vir justus & catholicus fuit, Gothi pagani facti sunt christiani: hæretici facti sunt catholici. Tyberius moriens Mauricium generum in imperio substituit.

De Mauricio Augusto.

Mauricius Imperavit annis XIX. Bresillum Opidum in Emilia juxta Padum flumen a Longobardis evertitur Rege Authari in Italia. Romæ pestis ingvinaria est sequuta. moritur Papa.

Gregorius Papa primus sedit annis XIII. & ultra quarto ydus Marcii ordinatur.

Hoc tempore fraude Agysulphi Regis Longobardorum concremata est tota civitas Padua, mox statim diruta a Longobardis. Cives Paduæ permissi sunt abire habitatum Ravennam.

Eo tempore Longobardi Cremonam & Mantuam destruxerunt.

Gens Anglorum ad fidem Christi convertitur.

Ecclesia Aquilejæ in duos Præsules ordinatur.

Festo Beatorum Gervasii & Protasii pax facta inter Romanos & Longobardos.

Theodolinda Regina ex Longobardis construi fecit in modoetia agri Mediolanensis, quæ est abinde X. miliaria, Ecclesiam Beati Joannis Baptistæ.

Vestis Domini nostri Jesu Christi inconsutilis invenitur in Sapath.

De Phoca Augusto.

Phocas imperavit annis quinque.

Gabinianus Papa sedit anno & ultra, qui constituit, ut horis determinatis diei ac noctis per Ecclesias pulsarentur campanæ, ut nunc est mos.

Bonifacius tertius Papa sedit mensibus quasi X. hic constituit vivo Episcopo non eligatur successor, & quod mundus pannus. - - -

Bonifacius quartus Papa sedit annis VI & ultra; hic impetravit, ut Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum, & prius Constantinopolitana se primam scribebat.

Frigus immensum, lues, Uredo (fruges) a muribus consumtæ sunt: inde fames valuta * fuit messes.

De Eraclio Augusto.

Eraclius imperavit minus quinque annis. Cosroas Rex Persarum capit Jherusalem & lignum Crucis Christi inde exportavit quam Eraclius vendicavit.

Deusdedit Papa sedit annis III. & ultra anno Imperii V. & anno Christi DC.XIIII. Eraclius Imperator habens in uxorem privignam suam ydropicus moritur.

De Constantino Augusto.

Constantinus filius successit Imperator & annis quatuor post patrem suum imperavit, qui fraude Martinæ noverc e & Pyrrhi Patriarchæ veneno extinctus est.

De Eracliona Augusto.

Eraclonas cum matre Martina post fratrem annis duobus imperavit.

Bonifacius V. Papa sedit annis. V. Rex Persarum opera ejus uxoris baptizatur in Constantinopoli cum Persis L X.

De Constantino Augusto.

Constantinus alter regnavit annis XX. hic abscidit nasum Eraclonæ & Linguam Martinæ novercæ. Honorius Papa sedit annis quasi XIII. qui constituit, ut omni Sabatho letaniæ ad sanctum Petrum procederent.

Anastasius Monachus Martyr fit. Secta Sarracenorum emergit in Arabia; Severinus Papa sedit annis duobus vir justus in Deo.

Sysebustus Rex Gothorum multas civitates subditas in Hyspania Imperio Romano occupavit: exinde exinanitum est Imperium Romanum.

Idem Rex gentem Judæorum in Hyspania habitantem ad fidem Christi convertit.

Isidorus Episcopus Hyspalensis; Beatus Gallus Beati Columbani discipulus agnoscitur.

Joannes quartus Papa sedit annis quasi duobus.

Theodorus Papa sedit annis quasi VI. hic constituit benedictionem cerei sabbatho sancto.

Hic Imperator obsedit Beneventum, sed voti compos non fuit: nam Gerimoaldus Rex Longobardorum auxilium tulit filio suo Romoaldo ibi obsesso. Martinus Papa sedit annis VI. & ultra. Spatarius missus ad eum occidendum spata levata excœcatus est. Eugenius Papa sedit annis tribus & mensibus IX. Hujus tempore Papæ Ecclesia Ravennæ non obediebat Ecclesiæ Romanæ. Vitalianus Papa sedit annis tribus & ultra. Hic cantum romanum composuit. Marinum virum misit Episcopum primum (in) Ferariam factam Civitatem.

Sarraceni construunt in Jherusalem templum in loco, quo Salomon Rex primus construxerat.

Item Siciliam invadunt & spoliant.

Solis facta eclipsis indictione VII.

Constantinus multis ornamentis spoliavit Romam.

Operimentum æreum Pantheon ademit: idem in Sicilia a suis occiditur.

De Constantino Augusto.

Constantinus superioris filius imperavit annis XVII.

Deodatus Papa sedit annis. 4. vir optimus, a quo nemo non consolatus abiit, qui osculo leprosum mundavit. Hujus Papæ tempore corpus Beati Benedicti translatum est a monte Cassino ad Monasterium Floriacense in diœcesi Aureliana. Donus Papa anno I. & ultra sedit.

Maurus Archiepiscopus Ravennæ & Reparatus

tus ejus Successor Romano Pontifici non parebant; sed alter alterum excommunicavit.

Agato Papa sedit annis duobus & ultra; cum hoc Theodatus Episcopus Ravennæ in concordiam venit contra voluntatem Cleri Ravennatis.

Sexta Synodus universalis facta est tempore Agathonis apud Constantinopolim Episcoporum CL. contra Gregorium Patriarcham & alios Episcopos orientis, qui dicebant in Christo unam esse voluntatem. Duo ex Cardinalibus pro Agathone affuerunt; Gregorius correctus non alii; ea hæresis damnata est.

Damianus Episcopus Tizini utilem epistolam illi concilio scripsit. Papia urbs Italiæ olim dicta Tizinum propter luem desolata est ita, ut herbedo per plateas esset, quia homines in agros secesserant. Leo secundus Papa sedit anno tertio & mensibus X. & ultra. Hic vir litteris græcis & latinis eruditus valde, constituit in missa post Agnus Dei pacem dari in populo Ecclesiæ. Benedictus secundus Papa sedit annis fere tribus. Joannes V. Papa sedit anno uno & ultra. Conon Papa sedit fere annis duobus. Beda Presbyter agnoscitur. Constantinus hic Imperator moritur.

De Justino Augusto.

Justinus filius Constantini patri succedit, qui imperavit annis X. hic Affricam liberavit a Saracenis.

Sergius Papa sedit annis IX. & ultra, qui constituit, in Missa dici Agnus Dei. Hujus tempore Concilium factum in Constantinopoli.

Leo Papa ordinatur per Patricium Romanorum, non per Ecclesiam, ideo non ponitur in Catalogo Pontificum Romanorum: sedit tamen quasi annis tribus; unde sequens Leo Papa tertius dicitur. Affrica occupatur a Sarracenis.

De Leone Augusto.

Leo imperavit annis tribus, qui Justinianum expulit Imperio & filio ejus Tyberio nares abscidit.

Hoc tempore terræ motus maximi. Joannes VI. Papa sedit annis tribus & ultra; hic martyrio coronatus est.

De Tiberio Augusto.

Tiberius dictus Hismarus insurgens contra Leonem Imperatorem illum de regno expulit. Synodus facta Aquilejæ contra Theodorum super eo * quo facta fuit olim tempore Justiniani Augusti & Vigilii Papæ, firmatum in ea fuit, ut Beata Maria Dei Mater. * Joannes VII. Papa sedit annis duobus & mensibus fere VIII. sapientia plenus & eloquio.

De Justiniano Augusto.

Justinianus Imperator resumit Imperium, quo regnavit annis VI. hic Leonem, qui eum Imperio sumoverat, ac Tyberium illius Successorem & eorum complices capit & occidit. Syssunus Papa sedit dies XX. Tunc scisma magnum fuit in Ecclesia.

Constantinus Papa sedit annis VII. & ultra: hic reverenter fuit susceptus a Justiniano Augusto in Constantinopoli, & renovationes privilegiorum Ecclesiæ Romanæ ab illo impetravit.

De Philippico Augusto.

Philippicus imperavit annis uno & dimidio: hic epistolas pravi dogmatis scripsit Papæ Constantino, quæ spretæ sunt, ideo idem Papa in porticu sancti Petri pingi fecit Imagines, quæ continent gesta sex universalium Synodorum. Imperator sacras picturas deponi fecit. Philippicus ab Anastasio dejectus est Imperio, non occisus, sed privatus luminibus.

De Anastasio Augusto.

Anastasius annis tribus imperavit; hic per litteras & legatos misit Romam & contestatus est per eos, se sexti concilii assertorem.

Pipinus Parvus moritur, qui genuit ex concubina sua Alpaide Karolum Martellum.

Gregorius secundus Papa sedit annis XVI. & ultra usque ad tempus Leonis tertii Imperatoris: hic per Bonifacium Maguntinum Germanos ad fidem convertit, qui etiam constituit sextam feriam jejunari, ut quadragesima; nam ea die non abstinebatur, ut nunc fit. Secundus, Egidius Abbas, Cæsareus Episcopus Arelatensis, Albinus Episcopus, Beda presbiter agnoscitur.

De Theodosio Augusto.

Theodosius anno uno imperavit, hic contra Anastasium insurgens eum prælio vicit apud Nicæam, & illi victo Sacramento dato eum fecit ordinari presbiterum, mox ubi in Constantinopolim pervenit, eum fecit ordinari presbiterem reverenter erexit tabulam depositam a Philippico, in qua erant pictæ Synodi, loco restituens.

Diluvium Romæ propter aquas Tyberis, qui tam intumuit, ut in Via lata ad hominis staturam & semis fuerit, duravit diebus VII. letaniis ad Deum actum est & cessavit.

De Leone Isauro Augusto.

Leo Isaurus imperavit annis XXV. Constantinum ejus filium fecit Imperii Principem; hic Imperator Imagines sanctorum aportari fecit Romam Constantinopoli & ibi igne cremari, & persecutiones fecit in eos, qui sanctorum imagines pedibus non conculcabant.

Sarraceni tribus annis obsederunt Constantinopolim: fame & frigore & peste intra eam urbem perierunt circiter CCC. tandem Civibus ad Deum clamantibus sunt liberati.

Saraceni abeuntes mari naufragium passi sunt.

Gregorius tertius Papa sedit annis quasi IX. Hic Viennam Archiepiscopatum fecit.

Hic Papa Romam obsidentibus Longobardis, misit per mare claves confessionis Sancti Petri ad Carolum patrem Pipini, rogans, ut ab infestatione Longobardorum Ecclesiam liberaret.

Hoc tempore Syrus quidam pseudo-christus apparuit, qui multos Judæorum pervertit.

Hoc tempore Saraceni transito mari angusto Hispanias occupant. Karolus Martellus filius Pipini post annos X. eis volentibus occupare Aquitaniam occurrit exercitu & commisso prælio

prælio ex Sarracenis occiderunt CCC. ex Francis vero M. D. cecidere.

Leo Imperator mandavit Papæ Romano ac Italicis, ut imagines sanctorum deponerent, sed hoc præceptum a Romanis, Ravennatibus & Veneciæ populis spretum, & nisi Papa prohibuisset, alium Imperatorem creassent.

Germanus Patriarcha non consentiens illi errori ab Imperatore sede sua privatur, Anastasius sufficitur.

Luprandus Longobardorum Rex Ravennam obsidens opidum Classem subvertit, Faventiam mox destruxit, qui Corpus Beati Augustini de Sardinia in Italiam translatum Papiæ locavit.

Zacharias Papa sedit annis X. qui librum Dyalogorum transtulit in latinum. Leo Imperator excruciat eos qui sanctorum imagines venerantur.

De Constantino Augusto.

Constantinus Leonis filius regnavit annis XXV. qui dictus est Persequutor, quia patrem sævicia superavit, persequens Christianos & fovens magos, quorum artibus vacabat.

Beda Venerabilis obiit an. Chr. D.CCXXXI.

Karolomannus Pipini frater consilio Zachariæ Papæ relicto seculo factus est Monachus Monasterii Casinensis.

Rachis Longobardorum Rex monitis Zachariæ Papæ non solum destitit a vexando Italiam sed factus est Monachus, & cum eo uxor & filii.

Beatæ Mariæ Magdalenæ corpus a Gerardo Comite Burgundiæ Virgiliatum translatum est.

Pipinus filius Karoli Martelli deposito Childerico Rege Franciæ propter ejus ignaviam constituitur Rex Franciæ consilio Zachariæ.

Aystulphus Rex Longobardorum (residens) Papiæ tributis premit Italiam.

Anselmus Dux frater uxoris Aystulphi Regis, relicto seculo factus est Monachus, de suis opibus fundavit Monasterium Nonantulanum agro Mutinensi, titulo Apostolorum, ubi pater fuit CCC. Monachorum: illuc mox de Roma adduxit corpus Beati Sylvestri Papæ.

Stephanus secundus Papa sedit annis V. & ultra, hic ob infestationem Aystulphi Regis perrexit in Franciam ad Pipinum Regem, quem in Italiam induxit.

Pipinus in Italiam ingreditur cum exercitu, Aystulphum superat, & acceptis obsidibus ab eo & juramento, quod non vexaret Ecclesiam & juribus Ecclesiæ restitutis, recessit; sed irritam fidem fecit. Hic Papa Stephanus ultimo anno sui Pontificatus Imperium Romanum in Franciam transtulit in personam Pipini, filii Caroli, qui Pipinum in Regem unxerat primo.

Constantinus Imperator in Imperium occidentis admittit socium Pipinum.

Paulus Papa sedit annis X. & ultra.

In Scythia congelatum est mare altum gelu cubit. XXX. nix desuper alta cubitis XX. in aliis quoque Regionibus summum gelu.

De Leone Augusto. Anno Chr. DCCLIX.

Leo Macazarus patri successit, qui regnavit annis V. hic jam factus insanus, cum coronam unam dicatam uni Ecclesiæ capiti suo aponeret, moritur febre correptus.

Constantinus secundus Papa sedit anno uno & ultra: hic de laico subito factus est Clericus, Papatum invasit & Ecclesiæ scandalo fuit.

Stephanus tertius Papa sedit annis tribus & ultra: hic convocata Synodo ex Gallia & Italia cuncta irritavit acta per Constantinum Papam præter baptismum; degradavit etiam ordines.

Moritur Pipinus Rex Franciæ hujus Papæ tempore anno scilicet Christi D.CC.LXVIII.

De Constantino & Herene matre & aliis Augustis usque ad Carolum.

Constantinus superioris Leonis filius cum matre sua Jerene & aliis usque ad imperium Caroli Imperatoris imperaverunt annis XXX. & ultra: idem cum primo cum matre regnavit annis X. post hæc matre spreta annis VII. imperavit: Jerene mater ejus occupat imperium (cum Leone filio ejus Constantini) imperavit annis III. excæcato filio suo Constantino; tunc sol obscuratus est, ita ut naves per mare erraverint; & ut ipsa regnaret, filios filii sui fecit exoculari.

Taurucius Jerenæ filius in Constantinopoli annis duobus regnavit.

Nicesorus post illum annis VII. imperavit in oriente; Michael post illum successit, qui imperavit in oriente; Karolo imperante in occidente & post eum Lodovico.

Adrianus Papa sedit annis XXIII. & mensibus X. & ultra, imperante Jerene matre Constantini & Leone filio ejus Constantino, & post Taurucio, Nicephoro, & post Michaele.

Hic Papa turres & muros urbis ædificavit & portas æreas Beato Petro dedit; idem Papa septimam Synodum celebravit Constantinopoli Episcoporum CCC.

Romæ quoque Synodus celebrata Episcoporum CLIIII. qua data fuit potestas Carolo eligendi Episcopum Romanum & ordinandi Apostolicam Sedem, & ponendi Archi-Episcopos per Provincias suæ ditionis. Per hæc tempora Carolus Rex Franciæ, mox Imperator egregia facta operatus est in Hispania contra Sarracenos, ad quod bellum fuit Anno Christi D,CC,LXXVIII.

Karolus a populo Romano imperiales laudes audivit, per hæc tempora vices Imperatoris gerebat, antequam coronaretur a Papa Leone III.

Beatus Egidius Abbas agnoscitur, cui Carolus confessus fuit omnia peccata præter unum, quod Angelus dedit in scriptis Ægidio.

Anno Christi D. CC,LXXXV. mense junio festo Beatorum Martyrum Viti & Modesti, fuit prælium in exitu Hispaniæ loco, qui dicitur Roncevalle, quo Rollandus & alii perierunt.

Per hæc tempora agnoscuntur duo amicissimi viri sodales Sanctus Melius & Amicus, qui perierunt prælio commisso cum Longobardis apud Mortariam.

Leo tertius Papa sedit annis XX. & ultra: hic a Deo restitutus est membris, quibus mutilatus fuerat: hic Leo letanias trium dierum ante ascen-

ascensionem Domini instituit, quas Mamertus Episcopus Viennæ instituerat ob cladem imminentem, Porticum quoque Ecclesiæ Beati Petri construi fecit & urbem melius cinxit muris propter Saracenorum incursus.

Anno Christi D CC. XXVI. indictione quarta excœcatus fuit Constantinus Imperator a matre Jerene, qui post vixit annis sex. Anno Christi D. CCC. I. Imperium pervenit ad Francos.

Anno sequenti Leo III. Papa VIII. anno sui Pontificatus Carolum Regem Franciæ, qui jam dudum Imperium occidentis administraverat, consensu & autoritate senatus & populi Romani Augustali dyademate coronavit.

De Divisione Imperii Romani.

Divisum est igitur Imperium Romanum in duos Augustos. Occidentale apellatum est Imperium Romanorum, cujus sedes est Roma: Orientale dictum est Imperium Constantinopolitanum, cujus sedes est propria Urbs Constantinopolis, quæ dicta est Roma secunda, nec ulterius Romanum Imperium est unicum.

Sermo Imperii Romani, unde inceperit ortum.

Quatuor Regna maxima habuit præsens ævum.

Primum in oriente, quod dictum est Regnum Assyriorum sive Medorum seu Persarum, quæ gentes habitant regionem sitam inter Indum & Tygrim flumina, montem Caucasum, & sinum Persicum maris Rubei.

Secundum fuit in Septentrionem, quod dictum est Regnum Macedonum seu Græcorum, in quo Monarcha fuit Alexander Philippi.

Tertium fuit Carthaginense sive in meridie, qui post Græcos regnaverunt præsertim in Lybia.

Quartum Romanorum, quod fuit in occidente & hoc fuit robustum & diuturnum magis aliis.

Regnum a Populo Romano cœptum est & auctum post Punica bella & Macedonicum, republica Romana libera existente: sed post bellum civile inter Cæsarem & Pompejum. Cæsar victor se dictatorem fecit invito senatu; quia dictatura Magistratus erat potestatis plenissimæ, nec se Cæsar ab illo officio abdicabat, quamobrem Cæsar est senatorum conspiratione occisus, ut libertate solita potirentur.

Marcus Antonius cum exercitibus Cæsareis & favore plebis insurgens cœpit persequi Cæsaris occisores.

Senatus timens Antonium eis adversum illius cœptis obviare decrevit & consulto Gajum Octavium Cæsarem natum ex Atia filia Juliæ sororis Julii Cæsaris, illius hæredem, ut inter eos, qui ad vindictam necis Cæsaris studebant, esset diffidium, Principem elegerunt Senatus; Antonium hostem publicum judicarunt, qui Senatus decreta calcaret persequens Cæsaris occisores.

Mortuis Consulibus apud Mutinam, ubi bellum inferebatur contra Antonium. Octavius Cæsar principatum legionum accepit, Tandem opera Lepidi, qui fuerat magister militum Cæsaris Dictatoris. Cæsar Octavius & Antonius in concordiam devenerunt, & perditis occisoribus Cæsaris inter se Rempublicam Romanam diviserunt, ut Antonius in Asia, Octavius in Europa & Lepidus in Lybia Principatus tenerent, mox discordantibus illis facti sunt hostes.

Anno XII. a nece Cæsaris Kalendis sextilis id est Augusti deserto apud Ægyptum Anthonio a suis exercitibus confugientibus ad Cæsarem Octavium, Antonius se peremit rerum desperatione.

Octavius Cæsar Ægiptum obtinuit Romam redivit, tunc ei a Senatu & Populo Romano Octavo ydus Januarii collata est summa potestas, & factus est Monarcha Princeps Romanus.

Nominatus est autem Dictator, Augustus, id est factus Augurio; nam ea quæ fiebant tunc sine Augurio, vicio facta reputabantur. Dictator, hoc est, Imperator. Atque hoc est principium Romanorum Augustorum ob hoc sunt alii nominati Augusti. Hactenus erat Cæsar Octavius, quia hæres Cæsaris institutus cum nomine Cæsaris fuit; nunc autem Augustus ob dignitatem collatam: & majus est esse Augustum, quam Cæsarem. Olim Cæsar dicebatur ab Augusto vel ab exercitu Princeps electus; sed Augustus, cui Senatus Romanus consensum & auctoritatem contulisset: Augustus Cæsarem creare poterat, non Cæsar Augustum, & Augustus Augustum creabat, ut Dyocletianus Maximianum Augustum, & Cæsares Valerium & Constantinum.

Augustus quoque Successores unum vel plures instituebat, ut prius Augustus Tyberium, Tyberius Gajum, Theodosius filios, Tyberius secundus Mauricium generum, Carolus etiam Lodovicum.

Si Augustus Successorem non reliquerat aut culpis majorum descendentes ex genere Augustorum respuebantur a Romanis, tunc exercitus eligebat Cæsarem & Senatus, si sibi placebat, illum appellabat Augustum: & licet interdum duo vel plures essent Augusti, tamen Imperium unum erat.

Sed Augusti ut facilius possent comprimere Barbaros orientis secundam a Roma sedem posuerunt in Thraciæ urbe Constantinopoli & ibi plurimum habitabant.

Sed cum tempore Caroli Magni Regis Franciæ a Longobardis Italia & Romana Ecclesia premerentur nec Augusti in Thracia morantes opem ferent opressis; Romani consensu Imperatoris & opera Pontificum Romanorum dividentes Imperium, Imperatorem sibi occidentis Imperio creaverunt, quod dicitur Imperium Romanorum, & primum Karolo Pipini filio Regi Franciæ; & in Successores illius dignitas est collata.

Leo tertius Papa Romanum Imperatorem Carolum de Imperio coronavit.

Successit in Imperio proles Karoli Lodovicus & cæteri usque ad Lodovicum tertium filium Arnulphi, tunc illius ignavia hoc Imperium occidentis partitum est aliquo tempore, ut

ut aliqui imperarent in Italia, aliqui in Germania usque ad tempus primi Ottonis genere Germanici, qui fuit Augustus; nam deficientibus Francis & Italicis ad opem Ecclesiæ Romanæ (vocati sunt) Germani, quorum meritis ab Ecclesia Romana & ab aliis jus in hoc habentibus obtinuerunt jus & potestatem elegendi Augustum. Verum tamen cum olim de institutione decedentis & voluntate succederetur in Imperium, nunc per electionem procerum jus in hoc habentium Imperator eligitur.

Utrum dignius Imperium.

Quæsitum est horum duorum Imperiorum utrum dignius; nam quidam dicunt, quod orientis Imperium, quia Imperatores Romani tunc Monarchæ, portionem Imperii sibi elegerunt potissimam, occidentali parti renunciantes, & Augustus integer in oriente remansit. Mea quidem sententia est hæc, Occidentale dignius illo fore quippe Respublica & Senatus Imperium constituere Romanum & ubi Roma & Senatus ibi est stipes Imperii, in Constantinopoli non est (nisi) ramus. Occidentale Imperium pater est, orientale est filius; & quia ex Patre filius est, non pater ex filio. Tanquam Pater, dignius approbatur occidentis sive Romanorum Imperium. Populi & Senatus Romani ac Pontificis summi auctoritate fultus est hic stipes & radix Imperii; in Oriente est truncus: & ubi radix ibi vigor. Ramus a stipite cæsus arescit, abscisso ramo viret stipes & pullulat. Quamobrem mea sententia hoc occidentale Imperium orientali est dignius judicandum.

Diviso Imperio in duas partes Karolus Rex Franciæ primus fuit Romanorum Imperator & nominatus est Augustus.

Karolus Pipini filius Rex Franciæ coronatus de Imperio a Leone III. Papa Anno Christi D.CCC.III. vixit Imperator annis XIII. nam obiit anno D.CCC.XIIII. Kalend. Februarii.

Post mortem patris Pipini Karolus regnavit in Francia cum fratre suo, mortuo fratre solus regnavit.

Anno Christi D.CC.LXXII. cœpit regnare Karolus in Italia & regnavit annis XXXIII. cum jam ante regnasset in Francia annis VI. sed anno Christi DCCCV. Regnum Italiæ resignavit Pipino filio suo secundo, in quo regnavit annis VII.

Carolus tres habuit filios legitimos scilicet Karolum primogenitum, Pipinum & Lodovicum, etiam filias tres Rotrudem Borgam & Galam. Ejus mater Bertranda apud eum honorifice consenuit. Anno Regni octavo obiit Mediolani Pipinus ejus filius provincia Venecia subjugata. Bernardus ejus filius in locum patris substitutus a Karolo.

Anno Imperii XI. Karolus coronavit Lodovicum filium suum superstitem corona Imperiali.

Anno Imperii VIIII. obiit Karolus primogenitus.

Karolus Imperator antequam Imperium esset adeptus maxima gessit: inter cætera vicit prælio Avares, qui fuerunt Hunni, populus Actilæ, habitantes in Pannonia & expoliavit eos thesauris, quibus olim spoliaverant Italiam sub Actila.

Karolus Alchimum Phylosophum cum Studio de Roma Parisius transtulit, quod prius de Athenis fuerat translatum Romam.

Idem olim rediens de Jherusalem per Constantinopolim spretis donariis sibi ab Imperatore oblatis solum voluit ab ea sacra donaria scilicet partem Coronæ Domini, clavum unum passionis Christi, partem Crucis Domini, Sudarium Domini quod Romæ divisit, Camisiam Beatæ Mariæ & brachium Beati Simonis, item equum æreum cum equite, qui erat Ravennæ abstulit, ut portaretur in Franciam, nunc Papiæ.

Tempore ejus omissum est officium Ambrosianum, & Gregorianum assumptum est.

Idem Karolus Monasterio Nonantulano contulit Bondenum, quod situm est in agro Ferariensi non longe a Pado fluvio.

Beatus Ægidius claret.

Guilielmus Dux ex proceribus Karoli constructo Monasterio sororibus suis Virginibus illis bene invidens factus est Monachus humilis illius cœnobii, ubi virtutibus coruscavit.

Lodovicus primus patri successit qui annis XXV. regnavit in Imperio. Stephanus quartus sedit mensibus octo & ultra. Michael Imperator in Constantinopoli Lodovico transmisit libros Beati Dionisii de Jerarchiis angelorum.

Theophilus Episcopus Aureoliensis invenit die Palmarum: Gloria laus & honor tibi sit Rex Christe redemtor.

Paschalis Papa sedit annis VII. Eugenius secundus Papa sedit annis IIII. mensibus VIII.

Valentinus Papa sedit XL. dies.

Gregorius quartus Papa sedit annis XVI. imperante Lodovico & mox Lothario: hic constituit Februa * defunctorum fieri die secundo Novembris.

Bernardus Rex Ytaliæ Pipini filius convictus conjurationis factæ contra Lodovicum Imperatorem suum patruum esse conscium oculis, & vita privatur.

Rabanus Vir doctus Poëta fit Abbas monasterii Fuldensis.

Soldanus vocatus a quibusdam Christianis seditionibus irritatis venit in Italiam cum exercitibus ut locustæ. Roma diu obsessa capitur. Ecclesia beati Petri spoliatur & in ea stabulati sunt equi. Sicilia, Apulia & Tuscia populatæ & in solitudinem actæ mox ope Lodovici & Guidonis Comitis cum multa sanguinis effusione Christianorum fugati sunt Sarraceni & Italia liberata est.

In territorio Tullensi, puella annorum XII. post sacram comunionem a Sacerdote sumptam per sex menses in pane & aqua abstinuit, deinde per triennium omni cibo & potu abstinuit.

Ante solstitium æstivum, orta tempestate, cecidit fragmentum glaciei cujus latitudo fuit sex pedum longitudo quindecim, altitudo duorum.

De Lothario Augusto.

Lotharius primus patri Lodovico successit & imperavit annis IX.

Georgius secundus Papa sedit annis tribus & ultra, qui vocabatur Os porci, unde huic mutatum est nomen, & deinde omnibus pontificibus Romanis: hic Lotharium coronavit, & Lodovicum filium Lotharii unxit in Regem Lombardorum.

Lotharius cum fratribus suis Karolo & Lodovico prælium magnum commisit, in quo utriusque fuit strages immensa, demum bello inter eos composito Lodovicus obtinuit Germaniam, Karolus Franciam, Lotharius Italiam, & partem Franciæ, quæ ab ipso dicta est Lotharingia.

Leo quartus Papa sedit annis 8. & ultra, tempore Lotharii, & Lodovici filii; hic Leo Ecclesias deformatas a Saracenis restauravit, vir plenus sapientia & virtutibus, qui composuit orationem: Deus, cujus dextra Beatum Petrum.

Hujus tempore Adulphus Rex Anglorum huic Papæ tributum obtulit, scilicet pro unaquaque domo annuum nummum, quod hodie manet.

Anno IX. Imperii hujus Corpus Beatæ Helenæ, quæ crucem invenit, a Roma translatum in Franciam.

Lotharius relicto filio & regno vita monachali defunctus est.

De Ludovico Balbo Augusto.

Ludovicus Balbus secundus patri suo successit in Imperio, qui regnavit annis XIX.

Joannes, qui fœmina fuit in Papatu sedit annis II. mensis V. a quibusdam non ponitur in Catalogo.

In Brixia Italiæ tribus diebus totidem noctibus sanguis pluit de Cœlo; in Gallia innumerabiles locustæ apparuerunt senas alas habentes, senos pedes, dentes durissimos, volantes in aëre per spatium diurni itineris per longum, & amplum spacio quatuor miliariorum; quo omnibus viridibus corosis in mare Britannicum mersæ sunt; propter quod lues sequuta est aëre infecto ex cadaveribus earum in littus dejectarum, qua lue fere pars tertia hominum extincta est.

Joannes Scotus Doctor eruditus rogatu hujus Imperatoris libros Beati Dionisii de Hierarchiis de græco transtulit in latinum.

Benedictus III. Papa sedit annis duobus & mensibus VIII.

Karolus filius hujus Lodovici per tres dies coram omnibus a dæmone est vexatus, qui mox confessus est, id sibi accessisse, quia conjurationem fecerat contra Principem.

Paulus secundus Papa sedit annis duobus.

Stephanus quintus Papa sedit annis V. & diebus XXVI. Nicolaus Papa sedit annis IX & ultra: hic vir vita similis fuit beato Gregorio, qui oratione sua benedixit Lodovico Imperatori.

Corpus Beati Clementis a Beato Cyrillo translatum est Romam & per hunc Papam locatum in Ecclesia Beati Clementis.

Adrianus secundus Papa sedit annis V. Vir optimæ vitæ, hoc tempore Rex Franciæ (Bulgariæ) habitum monachalem assumpsit, cum vero ejus filius Rex cultum teneret gentilium, Rex deposito habitu Monachali filium regno privavit & oculis, & tradito alteri filio regno monachalem habitum resumpsit.

De Carolo Calvo Augusto.

Karolus secundus dictus Calvus filius Lodovici primi & frater Lotharii imperavit fere annis II.

Joannes VIII. Papa sedit annis X. & ultra: huic Papæ Carolus secundus Romæ munera obtulit.

Idem Imperator in Francia & in Italia construxit multa cœnobia suis opibus & deformata restauravit: Sarraceni per Italiam discurrentes Monasterium Beati Benedicti incenderunt situm monte Cassino, mox Italia pelluntur.

De Karolo Simplice Augusto.

Karolus tertius dicitur Simplex vel Grossus superioris filius regnavit annis XII. qui anno secundo Imperii sui a Joanne Papa coronatus est, hic Imperator Galliam & Germaniam possedit in pace.

Martinus secundus Papa sedit mensibus 17. Adrianus tertius Papa sedit mensibus 14. Quinque milia Romanorum hoc tempore perimuntur a Gallis Anno Christi DCCCLXXXV.

Rollo cum gente de Dania venit in locum, ubi nunc est Normandia, Karolus Simplex Rex Franciæ post bellum fœdere facto illis eam terram concessit ac filiam suam illi dedit in conjugem, qui baptizatus est anno Christi DCCCC. & vocatus est Robertus; qui primus fuit Principum Normanorum, qui obtinuerunt Apuliam.

Hungari a Scythia veniunt & Pannonias occupant ejectis Avaribus, qui fuerunt gentes Actilæ.

De Arnulpho Augusto.

Arnulphus imperavit annis XI. non tamen coronatus fuit de Imperio: hic longa pediculorum peste correptus ex carnibus ejus scaturientium, adjuvari non potuit ultra, quin consumeretur ab illis.

Stephanus VI Papa sedit annis VI. & ultra.

Hujus tempore Corpus beati Martini timore Normanorum, qui Danis sibi conjunctis populabantur Galliam, Altissidorum est portatum.

Formosus Papa sedit annis V. mensibus VII.

Hic picturas Ecclesiæ Beati Petri Apostoli renovavit.

De Lodovico tercio Augusto.

Lodovicus tertius patri succedit. Post aliquot annos Imperii dejectus fuit de Regno Franciæ ab Hugone magno Burgundione, qui regnavit illo ejecto; qui postea resumpsit Dominium. Propter hujus Lodovici ignaviam defecit regnum Karolorum & exinanitum est Imperium abhinc usque ad tempus Otthonis primi de genere Saxonum.

Interim aliqui imperabant in Italia, aliqui in Germania, nullus tamen eorum corona Imperiali decoratus fuit.

Anno Christi DCCCCXXXV. defecit genus Karoli, quod duravit CXXI. Stephanus VII. Papa

Papa sedit anno I. & ultra: hic consilio facto irritavit omnia acta per Formosum Papam, a quo factus fuerat Episcopus, & in concilio exui fecit corpus Formosi & indui veste Laycali, & duobus digitis dextræ illius abscissis, corpus in Tyberim jactari precepit.

Hic Romanus Papa sedit quasi annis quatuor.

Theodorus secundus Papa sedit dies XX.

Joannes IX. Papa sedit annis II. & ultra. Hic synodum Ravennæ habuit, in quo reprobata est synodus facta per Stephanum VII. & confirmata sunt, quæ ordinaverat Papa Formosus.

Benedictus IIII. Papa sedit annis tribus & ultra, Leo V. Papa sedit dies XL. qui mox a Christophoro suo Presbitero capitur & carcere trusus.

Sequentes septem Principes, qui sequuntur usque ad Othonem primum, non fuerunt Augusti, sed aliquam partem Imperii occidentis administrabant, aut in Italia aut Germania.

De Berengario Augusto.

Berengarius primus in Italia solum Imperium administravit annis quatuor vel sex. Christophorus invasor Papatus mensibus VII. sedit, mox de Papatu dejectus; factus est Monachus a Sergio depositus.

Hoc tempore monasterium Cluniacense a Guilielmo Vice Comite Burgundiæ fundatum est.

Berengarius hic cum Romanis bellavit, Sergius tercius Papa sedit annis VII. & ultra. Ecclesia Laterani corruit, quam Papa a fundamentis reparavit. Sergius ad Francos se contulit, & eorum auxilio Christophorum invasorem Papatus incarceravit.

Idem exauctoravit ordinata per Formosum Papam & corpus ejus tractum de sepulchro decollari fecit & jactari in Tyberim, quia olim Formosus hunc Diaconum a Papatu prohibuit, sed hoc corpus a marinis piscatoribus est repertum & in Ecclesia Beati Petri positum, quod imagines salutarunt. Et sic indigni dignum tandem opprimere nequiverunt.

De Conrado Augusto.

Conradus in Germania administravit Imperium annis VII. coronatus non fuit, hic in obitu suo neglectis filiis suis, quia erant ignavi adversarium suum, quia probus erat, Henricum filium Othonis Ducis Saxonum sibi succedere in Imperio voluit.

Saraceni hujus tempore Siciliam, Apuliam & pene totam Italiam oppresserunt.

Berengarius secundus in Italia vices Imperii gessit annis IIII. •

Anastasius III. Papa sedit II. & ultra.

Lando Papa sedit mensibus VI.

De Henrico non Augusto.

Henricus Saxo Othonis filius in Germania imperavit, * Archa annis 18. secundum aliquos.

Spintigeus Dux Bohemorum ad fidem convertitur Christi, cujus filius fuit Sanctus Vincilaus, propter ejus sanctitatem a fratre suo occisus.

Joannes X. Papa sedit annis XIII. & ultra: hic fuit filius Sergii Papæ & Episcopus Ecclesiæ Ravennatis, quia invasor fuerat ab ea sede expulsus. Hujus Papæ tempore Sarraceni, qui Italiam oppremebant, superati sunt prælio & expulsi ex Apulia auxilio Alberici Marchionis.

Hujus temporibus Hungari qui jam possidebant Pannonias in Ytaliam intrant infesti eam populantes.

Leo VI. Papa sedit mensibus VI. & ultra, Stephanus 8. Papa sedit annis duobus & ultra, Joannes XI. Papa sedit annis IIII. mensibus X. & & ultra; hujus anno primo in urbe Genua oleum largiter effluxit, forsan protendens cladem urbis illius; nam eo anno a Saracenis venientibus de Affrica navibus capta est & hominibus ac thesauris exhausta.

Hungari Italia armis oppressa etiam Galliam & Hispaniam oppresserunt. Hugo magnus de Burgundia violenter regnat in Francia, ex quo prodierunt Reges Franciæ, qui nunc regnant.

Robertus Comes Andegaviæ de genere Saxonum a Normanis fuit occisus; Ottho primogenitus ejus sine liberis est defunctus; Robertus alter filius occisus fuit prælio conserto cum Karolo Simplice Rege Franciæ; Hugo Magnus Princeps in Burgundia, filius jam dicti Roberti occisi, prælio commisso cum Karolo Regnum Franciæ invasit, & eo dejectus fuit; Hugo Capucius ejus filius vir justus mox legitime regnavit in Francia. Hic fuit Rex primus Franciæ ex eo genere, quod nunc regnat; ejus filius Robertus Rex Sanctus.

De Berengario III. non-Augusto.

Bernegarius tertius in Italia annis VII. & ultra imperavit, cujus tempore fuit in Italia magnum schisma. Leo VII. Papa sedit annis tribus mensibus VI. & ultra. Stephanus IX. Papa sedit annis tribus imperante hoc Berengario, post Lothario.

De Lothario Augusto.

Lotharius annis duobus in Italia regnat, cujus tempore sol factus est sanguineus, mox post dies paucos lues in homines est sequuta.

De Bernegario quarto.

Bernegarius quartus cum filio Alberto in Italia annis XI. imperavit. Hic oppressit Italiam & diu Adeleidam uxorem Lotharii inclusam tenuit, quam Ottho Imperator, qui mox imperavit in uxorem cepit. Martinus tertius Papa sedit annis IIII. & mensibus VI. & ultra. Agapitus secundus Papa sedit annis VIII. & ultra. Hoc imperante mox Otthone Augusto, Oddo primus Abbas monasterii Cluniacensis dormivit in Domino. Duæ mulieres in uno corpore ab umbelico infra visæ sunt in Gasconia: Quarum altera dormiente, altera comedebat, nec una die obierunt.

De Othone primo Augusto.

Otho primus Henrici superioris filius ex Saxonum genere Imperium occidentis solus obtinuit, qui imperavit in Romano Imperio annis 7. Quo imperante desierunt Italici imperare. Joannes XII. Papa sedit annis quasi octo, Otho Imperator in Saxonia morans vocatus a Joanne XII. Papa, ut veniret succurrere Ecclesiæ Romanæ, Romam venit per Tusciam, Romæ cum

cum gaudio est susceptus ac coronatus & multa donaria Ecclesiæ contulit.

De Othone secundo Augusto.

Otho secundus Imperator superioris filius annis XI. imperavit vir armis strenuus, Benedictus V. Papa sedit mensibus duobus & ultra hic vivente Joanne Papa a Romanis eligitur Papa propter quod cum Otho secundus Romam obsideret traditur Benedictus.

Leo VIII. Papa sedit mensibus XVI. & ultra Joannes XIII. Papa sedit annis quasi 8.

Sanctus Adalbertus Episcopus Pragensis natione Bohemus agnoscitur hic baptizavit Stephanum Regem Hungariæ, qui sanctus Adalbertus in Polonia prædicando pro fide martyrium fecit anno Christi D. CCC. LXXV.

Ottho Imperator Romæ apud gradus proceribus paravit convivium, quibus epulantibus militibus suis clam paratis eductis, violatores pacis e convivio vocatos decapitari fecit ceteros epulari in pace jussit.

Ottho hic Beneventum obsedit & accepit, ossa Beati Bartholomei abstulit ut portaret in terram suam, sed dum ea Romæ collocasset ubi mortuus est, ibi vero ossa manserunt. Benedictus VI. Papa sedit mensibus XVIII. hic fuit strangulatus nocte natalis a Cyrithio Stephani.

De Otthone tercio Augusto.

Ottho tercius Imperator superioris filius imperavit annis XIX. hic ob sui strenuitatem dictus est Mirabilia mundi. Domnus secundus Papa sedit mensibus 18. & ultra. Bonifacius VII. Papa sedit mense 1. & ultra.

Benedictus VII. Papa sedit annis IX. & mensibus VI.

Anno tertio Imperii hujus moritur Hugo Capucius Rex Franciæ, primus Rex ex hoc genere, cui successit Robertus ejus filius, vir sanctus, qui regnavit in Francia annis XXIIII.

Joannes XIIII. Papa sedit mensibus 8. Joannes XV. Papa sedit mensibus 4. Joannes XVI. Papa sedit annis X. mensibus VII. & ultra; Gregorius V. Papa sedit annis II. mensibus VI. hic suffragio Imperatorem electus est.

Ottho tertius Imperator ab hoc Papa Romæ coronatus est, qui ordinata Italia in Saxoniam recessit.

Crescencius Consul Romanus Gregorium Papam fugavit, & in ejus locum substituit Joannem Græcum Placentinum, hominem pecuniosum a legatione redeuntem; hoc comperto, Ottho Romam rediit, & tam diu Crescentium obsedit & Castellum sancti Angeli, donec obtinuit. Crescentium captum decapitavit, illum Pontificem oculis privavit & membris debilitavit, inde rediit in Saxoniam.

Joannes XVII. Papa memoratus sedit mensibus X.

Sylvester secundus Papa sedit annis 4. & ultra, Imperante Otthone tertio, mox Henrico Augustis; hic fuit Monachus Floriacensis, nigromanticus, qui suffragiis diaboli facto illi omagio Papatum obtinuit: hic Doctor fuit Ottonis III. & Roberti Regis Franciæ viri sancti: hic primo fuit Episcopus Remensis, mox Episcopus Ravennensis, & tandem Papa, qui mortuus est Romæ, celebrans in loco qui dicitur Jherusalem, qui pœnitens in morte, jussit sibi vivo abscindi membra, quibus diabolo obsequium fecerat.

Ottho Imperator suggestione uxoris occidit virum Comitem falso accusatum, quod cum conjuge noluit commisceri, mox comperta veritate, conjugem suam Ottho igne cremari fecit, & uxori Comitis falso occisi satisfecit.

Hoc Otthone mortuo vacavit Imperium annis multis.

Quidam scripserunt, quod annis XXII. alius quod an XIIII. Sarraceni Capuam obsederunt. Joannes XVIII. Papa sedit mensibus VI. Joannes XIX. Papa sedit annis V. Sergius quartus Papa sedit annis duobus & ultra. Luna visa est cruenta. Otthone Imperatore mortuo [fuit] vacatio Imperii per annos XXII. quo tempore fuerunt aliqua scripta superius.

De Henrico Augusto.

Henricus Claudus Dux Bavariæ imperavit annis XII. & mensibus VI. Robertus Rex Franciæ secundus ex genere Hugonis Zapete, vir sanctus agnoscitur per hæc tempora, qui tam devotus fuit in Deum, ut cum Monachis cantaret officium cappa indutus. Hic dum obsideret Castellum festo Beati Damiani ivit ad officium Monachorum & eodem genibus flexis cantante Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, muri Castelli corruerunt.

Henricus Imperator Gallam (Giselam) sororem Stephano Regi Hungariæ adhuc gentili conjugavit, propter quod idem Rex & gens Hungara ad Christianam fidem sunt conversi. Idem Rex Stephanus virtutibus fuit insignis, qui baptizatus fuit a Beato Adalberto Episcopo Poloniæ natione Boëmo.

Benedictus 8. Papa sedit annis XII. imperante Henrico, post Conrado; hic de Papatu fuit ejectus, & alius substitutus. Hujus Benedicti anima visa fuit a quodam sancto Episcopo maletorta in pœnis.

Sarraceni occupant Terram sanctam.

Henricus Imperator & uxor ejus Cunegundis virgines permanserunt usque ad obitum. Henrico defuncto vacavit Imperium annis duobus & ultra.

De Conrado Augusto.

Conradus primus Augustus, Dux, ex Franconico genere vir, nepos superioris Henrici, successit in Imperio, qui annis XX. regnavit. Joannes XX. Papa sedit annis IX.

His temporibus Almarichus filius Stephani Regis Hungariæ Virgo (relicta) sponsa sua obiit, qui miraculis coruscavit. Robertus Rex Franciæ vir sanctus defunctus est, cui successit Henricus filius ejus, primogenito jam defuncto.

Trabs ignea miræ magnitudinis visa est currere per solem. Hic Conrardus occupatus venatione hospitatus fuit in sylva, ubi Comes Lupoldus metu grandi cum uxore latitabat, vicina puerpera, quæ ea nocte peperit puerum de quo Imperator audivit vocem dicentem: Conrarde, hic puer gener tuus erit; licet Imperator jussisset

jussisset suis Ministris ut pueri cor ad eum ferrent.

Benedictus IX. Papa sedit annis XII. imperante Conrardo & mox Henrico. Hic fuit de Papatu ejectus & subrogatus est Episcopus Sabinensis dictus Sylvester tertius: hic est etiam dejectus & Papatum recuperavit Benedictus.

Ipse etiam mox dejectus est & successit Gregorius VI.

De Henrico Augusto.

Henricus gener Conradi successit in Imperio & regnavit annis XVII. Hic omnes joculatios a curia sua submovit.

Normani Romam capiunt.

Sylvester tertius Papa sedit dies LVI.

Gregorius VI. Papa sedit annis duobus & mensibus VII. Hic cum Henrico bellavit. Hic est ille Papa, qui armis compescuit prædatores peregrinorum, cui in morte eligenti sepulchrum in Ecclesia Beati Petri duxerunt Cardinales, non esse eum dignum eo, qui vir sanguinum fuerit, quibus ait: Clausis portis Ecclesiæ cadaver meum in loculo extra portas exponetis & secundum Dei voluntatem fiet. Quo facto aperti sunt postes Ecclesiæ & corpus inductum est. Clemens secundus Papa sedit mensibus IX. Romæ cadaver inventum est Gigantis incorruptum, magnitudinis insolitæ, ita quod excedebat in altitudine muros Romæ, habens vulneris hiatum quatuor pedum & semis, cui erat tale epitaphium.

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

De Henrico Augusto.

Henricus dictus secundus superioris filius successit Patri in Imperio, in quo fuit annis XLIX. Damasus secundus Papa sedit 26. diebus. Leo nonus Papa sedit annis V. & ultra. Victor secundus Papa sedit annis duobus & ultra. Hic Florentiæ Synodum habuit, in quo multos symoniacos & fornicatores exauctoravit, si hodie faceret hoc, multos exauctoraret.

Hoc tempore mures persecuti sunt quendam potentem avarum usque ad mare ad navem, in quam confugerat & tandem illum occiderunt mures: erat namque absconsor annonæ. Hic Henricus Imperator, ut ajunt quidam, pater fuit matris Comitissæ Matildæ: nam filia Regis cum juvene Bonifacio nobili aufugit a patre Imperatore & nupsit illi, ex quo concepit Comitissam Matildam: mox Imperator pepercit filiæ ac genero, qui fuit Marchio Bonifacius & ex juribus Imperii multa in Italia concessit filiæ & genero, in quibus Comitissa Matildis successit. Stephanus X. Papa sedit quasi anno uno: jacet Florentiæ. Benedictus X. per vim Papa factus sedit mensibus IX. sponte Papatum omisit. Lafranchus primo Becensis, Magister Anselmi agnoscitur. Nicolaus secundus Papa sedit annis duobus mensibus VI. & ultra: Romæ concilium habuit. Alexander secundus Papa sedit annis XI. mensibus quasi VII. contra hunc electus fuit Cadolus Parmensis Episcopus, volens per vim Papatum occupare, & illum per aliquod tempus occupavit. Hic Papa concilium habuit Mantuæ.

Gregorius VII. Papa sedit annis XII. & ultra. Robertus Guiscardus Romam intravit, ubi fames tunc facta est & lues. Victor tertius Papa sedit anno uno & ultra.

Ordo Carthusiensis inchoat. Urbanus secundus Papa sedit annis XI. & ultra. Boamundus filius Roberti Guiscardi Dux Normanorum, qui tenebat Apuliam, cum exercitu Christiano trans mare profectus est, iter faciens per Constantinopolim.

Petrus Alphonsus agnoscitur, qui librum * * * * * * anno Christi M.XC. capta est urbs Nicæa a Christianis, Anno M.XCIX. capta est Jherusalem. Ipso anno inventa est lancea, qua latus Christi apertum fuit, Beato Andrea revelante. Anselmus vir doctus agnoscitur.

Officium Beatæ Mariæ dici inchoat diebus Sabbati & in horis. Godofredus de Bullione Dux Burgundiæ Princeps in Jherusalem obiit anno Christi M.CCI. cui successit frater ejus Balduinus.

Paschalis secundus Papa sedit annis XVIII. & mensibus V. Imperante Henrico secundo Comitissa Matilda obsedit Civitatem Ferrariam an. Christi M.CI.

De Henrico tertio Augusto.

Henricus dictus Tertius patri succedit, qui annis 16. imperavit: hic patrem cepit & tenuit usque in finem vitæ ideo Dei judicio sine prole obiit.

Henricus Imperator Paschalem Papam cum curia ejus cepit, & cum eum dimisit, exegit investituras Prælatorum. Robertus Monachus cum aliis XXI. ordinem Cisterciensium inchoat. Moritur Commitissa Matilda. Gelasius secundus Papa sedit anno uno, qui metu Henrici pergens in Franciam, per mare pervenit in Monasterium Cluniacense, ubi morbo defunctus est ac sepultus in Parochia Legionensi. Porca porcellum enixa est habentem hominis faciem.

Beatus Bernardus & fratres Monachi fiunt.

Ordo hospitalis inchoat in Jherusalem propter peregrinos & infirmos. Calixtus secundus Papa sedit annis quasi VI. Hic Burdinum factum Papam per Henricum, obsessum subito cepit, qui ductus est super tergum Cameli caudam pro freno tenens mox arcte inclusus.

Papa cum Imperatore in concordiam venit. Hic Papa Episcopum Compostulensem Archiepiscopum fecit.

Honorius secundus Papa sedit annis quinque & ultra. Imperante Henrico, mox Lothario, Tyrus a Christianis capta. Balduinus Rex Jherusalem capitur a Sarracenis. Hic Papa Rugerium Comitem, facta concordia, tunc Principem Dominii temporalis in Apulia per Pontifices Romanos, investivit de ducatu Apuliæ. Hugo de sancto Victore agnoscitur.

Ordo militum Sanctæ Mariæ de Templo inchoat in Jherusalem. Henricus Spiræ moritur, cui est tale Epytaphium:

Filius hic, Pater hic, Avus hic, Proavus jacet istic.

De

De Lothario non Augusto.

Lotharius tertius Imperator annis XII. imperavit. Hic Dux Saxoniæ, vir Dei amicus. In Francia tanta ficcitas fuit, ut flumina, fontes, lacus, pene putei ficcarentur; & ignis subterraneus, ut nec biennio frigore, imbribus nec alia arte posset extingui.

In Hyspania monstrum gemini corporis in anteriori parte hominis species integra, in posteriora vero canis facies cum membris.

Innocencius secundus Papa sedit annis XIII. mensibus VI. & ultra, imperante Lothario & mox Conrardo.

Synodus Romæ facta est. Magister Arnoldus patibulo est suspensus, quia Clericorum superfluitates arguebat, quod nunc etiam fieret viro justo talia prædicanti. Hic Papa Innnocencius confirmavit Regulam Hospitalis sancti Joannis. Idem Papa bellans contra Regem Siciliæ, Ducem Apuliæ, proditione capitur. Ecclesia maxima Ferrarensis construitur.

Anno Christi MCXXXVI. defunctus est Joannes dictus Bucadei de Temporibus (armiger) quondam Caroli Magni. Vixerat tunc annis CCC.LXI Hugo de sancto Victore obiit. Richardus Magister Parisius.

De Conrado de Suevia Augusto.

Conradus secundus de Suevia imperavit annis XI.

Cœlestinus secundus Papa sedit quasi anno I. Hic patria Bononiensis renovavit Ecclesiam sanctæ Crucis Romæ. Eugenius tertius Papa sedit annis 8. & ultra Conrardo & Frederico imperantibus. Hic Papa signum crucis rubeæ dedit Ordini Templi. Anno Christi M.C.47. Conrardus Imperator & Rex Franciæ Lodovicus cum exercitu Romanorum transfretarunt.

Beatus Bernardus crucem prædicavit pro Passagio. Idem Eugenius Papa urbe a senatoribus pulsus, dum iret in Gallias, Beatum Bernardum præmisit. Gilbertus Porretanus Magister magnus agnoscitur. Liber Joannis Damasceni de græco in latinum transfertur. Beatus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis jussu Regis Angliæ in Ecclesia occiditur. Gratianus Monachus de Clussa Civitate Tuscie codicem Decretorum composuit Bononiæ in monasterio sancti Felicis.

Obiit Conradus M.C.LII.

De Frederico primo Augusto.

Fredericus primus filius fratris Conradi de genere Suevorum imperavit annis 32. Hic coronatus fuit ab Eugenio tertio, vir largus & strenuus & magnanimus. Hic Spoletum profligavit anno primo Imperii, post Mediolanum, Terdonam & Cremoniam funditus evertit & Laudum reædificavit.

Anastasius 4. sedit anno I. mensibus 4. & ultra. Imperator Terdonam destruxit. Adrianus 4. sedit annis V. Sanguis Christi inventus est Mantuæ & in Ecclesia Beati Andreæ honorifice & devote reconditus.

Imperator Cremonam obtinuit bello, Laudi oppidum ab eo est constructum anno Christi M.CLVIII. in Kalendis Augusti.

Abbas Joachim agnoscitur.

Magister Petrus Lombardus agnoscitur, qui libros Sententiarum & Glosas psalterii & Epistolarum Beati Pauli composuit.

Corpora trium Magorum, olim de Perside in Constantinopolim translata, deinde Mediolanum, inde per hunc Imperatorem in Coloniam Agrippinam translata sunt.

Alexander tertius Papa sedit annis XXI. & ultra. hic concilium habuit Laterani. Contra hunc Papam electi fuerunt successive tres, Octavianus, mox Joannes tituli sancti Calixti, post Joannes, qui fulciebatur Imperatoris favore; duravit autem hoc scisma per annos 18. inter quod tempus gens jussu Imperatoris maximam stragem Romanorum fecit.

Oppidum Alexandria in Liguria a Mediolanensibus Placentinis & Brixiensibus Papæ faventibus ædificatur, & nomen datum est in honorem hujus Papæ Alexandri.

Et hoc tempore post cœpit ex hac discordia primum semen & denominatio partis Ecclesiæ & Imperii, quæ postea in nomina Diabolica scilicet Guelfa & Gibellina Florentiæ baptizatæ sunt.

Anno Christi M.C.LII. mense Martio Mediolanum ab Imperatore subvertitur, cum LXXXII. virorum.* Rugerius Rex Siciliæ moritur. Argenta a Ferrariensibus capitur.

Vicentia magno incendio crematur.

Hic Papa Fredericum Imperatorem & Emanuelem Imperatorem Constantinopoli, Guilelmum Regem Siciliæ & Lombardos ad concordiam duxit. Emanuel Imperator Constantinopoli moritur.

In Syria nimiis terræ motibus attritæ sunt Antiochia, Damascus & Tripolis: in Sicilia Catania penitus eversa; millia 20. hominum perierunt eo terræ motu. In Scicilia mare ultra solitum concussum est, V milia hominum extincta.

His temporibus visæ sunt tres lunæ simul & in medio signum crucis, nec multo post tres soles visi sunt. Lucius tertius Papa sedit annis quatuor: hic Veronæ quiescit. Petrus comestor agnoscitur, qui utriusque Testamenti historias nexuit.

Primas Gallicus Versificator eximius notus habetur. Nix alta pedibus octo & pluribus. Beatus Bernardus obiit an. Christi M.CLXXX.

Gabriel de Camino primus Potestas Ravennæ ibi mortuus & sepultus: nam hoc tempore urbes Italiæ Consulibus regebantur.

Ossa Beati Nicolai de Mirrea civitate translata sunt. An. Christi M C.87. Philippus secundus Rex Franciæ, Guilielmus Rex Siciliæ, Richardus Rex Angliæ, cujus opera Conradus Marchio Montisferrati occisus fuit ex invidia.

Anno Christi M. CXCII.

Urbanus tertius Papa sedit annis quasi duobus: Ejus corpus jacet Ferrariæ. Abbas Joachim de partibus Calabriæ ad hunc Papam Veronam venit.

Anno Christi M.C.LXXXVI. indictione V. Jherusalem & Terra sancta per Saladinum Soldanum Babiloniæ occupata est; post modico tempore

tempore Acon, quæ Pholomais dicitur, a Christianis capta, quam tenuerunt usque ad tempus, quo fuit eversa in M. CC. XCI. Perdita est autem Terra Sancta occupata per Saladinum, postquam possessa fuit per Christianos per annos LXXXVII.

Urbanus jam dictus ejus cladis dolore Ferrariæ obiit, ibique jacet.

Fredericus Imperator petens Syriam ad subsidium Terræ Sanctæ per Thraciam transivit in Asiam, qui dum lavaretur in fluvio Oronte, qui nunc * Ferrum dicitur, situm juxta Antiochiam, submersus undis periit.

De Henrico (sexto) Augusto.

Henricus superioris filius Imperator regnavit annis 8. mensibus V. Hic a quibusdam dictus est Fredericus secundus.

Conrardus Marchio Montisferrati fraude Richardi occiditur. Anno Christi M C. XCII. obiit Saladinus Soldanus Babiloniæ, Vir præclarus.

Gregorius VIII. Papa sedit uno mense hic zelando pro Terra Sancta pacem composuit inter Januam & Pisas, inter quas prius longa & exitialis fuerat discordia, ibi obiit & quiescit.

Clemens III. Papa sedit annis III. & ultra; hic palatium Laterani exaltavit, & picturis ornavit, & ibi puteum ante equum æreum cum equite fieri fecit. Cremonenses in Padua suffocati.

Cœlestinus tertius Papa sedit annis VI. mensibus IX. & die: hic secundo die sui pontificatus coronavit Romæ Henricum feria secunda post Pascha in Aprili. Eo anno IX. Kalendas Julias facta est solis ecclipsis ab hora tertia in nonam. Hugo natione Pisanus, Episcopus Ferrariensis agnoscitur, qui datus adjutor a sede Apostolica Abbati Nonantulano homini prodigo & indigno ex libro Papiæ, qui illic est, librum derivationum composuit.

Henricus Imperator Neapolim obseditnec obtinuit: mox anno IIII. Imperii rediens totum Regnum subjugavit, & filium Tancredi Regis Siciliæ cum aliis multis in Germaniam traxit.

Richardus Rex Angliæ obsidendo * Castellum unum ictus sagitta moritur anno Christi M. C. XCIX. Innocentius tertius Papa sedit annis 18. & mensibus 4. & dies 24. Imperante Henrico, mox Otthone. Henricus Imperator moritur anno Christi M. C. 97. Corpus Beati Bassiani Laudensium Episcopi translatum fuit a Civitate Laude veteri destructa ad civitatem novam Laude anno Christi M. CC. die 4. Novembris. Argenta capta a Ferrariensibus.

Tartarum regnum inchoat, qui occiso David filio Presbiteri Joannis regnum dilataverunt. Ordo Prædicatorum inchoat sub hoc Papa; inde Ordo Minorum.

Anno Christi M. CC. 4. Constantinopolis capitur a Francis & a Venetis, duce exercitus Balduino Comite Flandriæ, qui mox ibi imperavit post Alexium & Mariculphum M. CC. Brangatinum castellum a Ferrariensibus conditum juxta Padum.

De Otthone Augusto.

Ottho Saxo quartus imperavit annis duobus, quem coronavit Innocentius tertius Papa in urbe præstito juramento de Ecclesia defendenda, sed statim irritavit juramentum: nam Ecclesiam spoliavit, & Regnum Frederici invasit, ideo ab Ecclesia excommunicatus est.

Joannes Comes Brerinensis capta Jherusalem ibi Rex constituitur, accepta filia Conrardi Regis, ex qua genuit filiam, quam habuit in conjugem mox Fredericus Imperator secundus, ex qua genuit Conrardum filium.

Ottho Imperator jam exauctoratus Imperio conflixit in acie cum Philippo Rege Franciæ, a quo superatus est.

Anno Christi M. CC. XI. indictione IX. Fredericus Henrici Imperatoris quondam filius suffragio Ecclesiæ a Principibus Germaniæ Imperator eligitur.

Azo Marchio Estensis superato ejus adversario Salviguera, qui erat caput partis Imperii, intravit Ferrariam: tunc Ubaldus Archiepiscopus Ravennensis vendicavit Argentam a Vicario Otthonis eam tenente.

Azo Marchio Estensis obiit & sepultus est Monasterio Vagandiciæ.

Elizabet filia Regis Hungariæ viduata viro Landgravio, vita sanctissima noscitur.

Cremonenses apud Castellum Leonem Mediolanenses superant prælio.

Innocentius anno Pontificatus sui XVII. concilium habuit Romæ, ubi pro subsidio Terræ Sanctæ convenerunt Prælati M. CC. XV. Hujus Papæ tempore constructum est hospitale Sancti Spiritus: Opera hujus turris speciosa Romæ constructa. Hic Papa composuit de miseria hominis.

Gualfredus Anglicus Doctor vir poëta agnoscitur, qui huic Papæ librum suum (qui dicitur Poëtria novella) præsentavit.

Anno Christi M. CC. XVI. moritur Innocentius Perusii.

Honorius tertius Papa die sequenti ordinatur, qui sedit annis 10. mensibus 9. Hic coronavit de Imperio Constantinopolitano Petrum Comitem Altissiodorensem: Ordinem quoque Prædicatorum cœptum a Beato Dominico confirmavit. Damiata capta a Christianis.

De Friderico secundo Augusto.

Fridericus secundus Imperator ab Honorio coronatur Romæ in Ecclesia Beati Petri anno Christi M CC. Hic Dux fuit Sueviæ, filius secundi Henrici: hujus mater fuit Constantia, filia Rugerii Regis Siciliæ, Rex Jherusalem ex jure uxoris, qui imperavit annis 30. festo Beatæ Luciæ coronatus fuit, ipsa die revolutis annis 30. obiit.

Damiata capta per Sarracenos. Beatus Dominicus obiit quinto Augusti anno Christi M. CC XXII.

Anno Christi M. CC. 23. die natalis Domini terræmotus magnus fuit per Italiam totam.

Stella cometa apparuit.

Philippus secundus Rex Franciæ obiit. B. Franciscus dormivit in Domino.

Faventini occiderunt unum Principem in eorum territorio, quem credebant esse Imperatorem Fredericum.

Honorius Papa moritur; Lodovicus moritur Rex Franciæ, successit filius suus mox sanctus.

Gregorius 9. Papa sedit annis XIIII. qui Beatam Elizabet canonizavit, qui etiam cum Frederico Imperatore venit in discordiam.

Rex Castiliæ Sarracenos expulit Hyspania, & Rex Arragoniæ obtinuit armis Insulas Majoricam & Minoricam atque Valenciam.

Comes Richardus de Sancto Bonifacio Veronæ capitur in Palacio & pars ejus expellitur. Portum & Lignatum subvertuntur.

Fredericus Imperator Henricum primogenitum suum contra eum res novas molientem suggestione Ecclesiæ cepit & in carcere servavit, in quo tandem vitam finivit.

Eo anno Beatus Antonius de ordine Minorum Paduæ in Christo dormivit. Beatum Dominicum Papa * Gregorius canonizavit ab obitu ejus anno XI.

Michael Scotus astrologus illustris, qui usum insulæ ferreæ, quæ dicitur Cervelaria, in capite gessit.

Sermo de Ritibus Antiquorum.

Per hujus Imperatoris tempora rudes erant in Italia ritus & mores; nam viri infulas de squamis ferreis capite gestabant insutas biretis, quas appellabant majatas. In cœnis vir & uxor una manducabant parapside: usus incisoriorum ligneorum non erat in mensis: unus vel duo scyphi in familia erant: nocte cœnantes lucernis aut facibus mensas illuminabant, facem tenente uno puerorum vel servo: nam candelarum de sevo usus non erat. Viri chlamidibus pelliciis sive operimento vel laneis sive pellibus & infulis de pignolato utebantur: Mulieres tunicis de pignolato, etiam quando nubebant, erant contentæ. Viles tunc erant cultus virorum & mulierum, aurum & argentum rarum vel nullum erat in vestibus. Victus erat parcissimus: plebeji homines ter in septimana carnibus recentibus vescebantur, tunc prandio edebant olera cocta in carnibus. Cœnam autem ducebant ipsis carnibus frigidis reservatis: non omnibus erat usus vini æstate modica denariorum summa se locupletes habebant. Parvæ tunc erant cellæ vinariæ, orca non ampla, promptuariis erant contenti. Modica dote nubebant fœminæ, quia earum cultus erat parcissimus. Virgines in domibus parentum, tunica de pignolata, quæ apellatur Sotanum & Paludamento lineo, quod Socca dicebant, erant contentæ. Ornatus capitis non pretiosus erat virginis aut nuptæ. Conjugatæ latis vittis tempora & genas sub mentum vittabant. Virorum tunc erat gloria, esse in armis & equos esse commodos. Nobilium locupletum erat gloria turres habere. Quo tempore urbes Italiæ singulæ multis turribus inclitæ florebant.

Per hæc tempora fuit homo in Sicilia nomine Nicolaus Piscis, qui in mari vixit, ut piscis nec diu extra aquas esse poterat. Hic multa de secretis maris hominibus revelavit, post matris maledictionem sortem talem sortitus est.

Anno Christi M. CC. 34. hyems ultra solitum asperrima. Aruit gelu pinetum Ravennæ.

Bindotus Episcopus Mantuanus die rogationum in Ecclesia Beati Andreæ ab advocatis nobilibus ejus urbis occisus est, propter quod exularunt perpetuo.

Fredericus Imperator prælio conserto Mediolanenses expugnat, currum eorum Romam misit, filium Ducis Venetiarum eorum rectorem peremit suspendio.

Idem Imperator Brixiam obsedit nec obtinuit. Contra Fredericum Imperatorem sententiam excommunicationis protulit Papa Gregorius.

Ipso anno solis Eclipsis mense Junii hora meridiana.

De Obsidione Ferrariæ.

Legatus Ecclesiæ Gregorius de Monte longo, Dux Venetiarum, populus Bononiæ, Mantuani, exules Ferrarienses expulsi obsederunt Ferrariam a festo Purificationis usque ad introitum Junii. Pace dolosa actum est, & omnes in ea urbe recepti sunt, ea die Salinguerra Princeps suæ partis Gibelinæ, qui obsessus fuerat, est captus & ductus Venetias, ibi in custodia vitam finivit ejus sequaces ex urbe aufugerunt.

Eo anno mortuo Paulo Transversario de Ravenna ipse Imperator Ravennam obtinuit. Tunc de Basilica Sancti Vitalis abstulit duas columnas de onice & portari fecit in Regnum. Idem Imperator obsessam novem mensibus Faventiam obtinuit.

Cœlestinus quartus Papa sedit diebus 18. * Sebastem quoque Urbem sitam in Mesopotamia occupant & ditantur prædis. Innocentius quartus natione Genuensis Papa sedit annis XI. & mensibus VI.

Anno Christi M.CCLV. concilium celebratum est Lugduni, in quo Papa contra Imperatorem sententiam excommunicationis & depositionis tulit.

Anno sequente Landgranius electus Imperator suffragio Ecclesiæ contra Conrardum filium Frederici Imperatoris duxit exercitum.

Alio anno sequente mortuo Landgranio eligitur Imperator Guilielmus Comes Olandiæ, qui in brevi a Frisonibus est occisus.

Fredericus Imperator Parmam obsedit, ibi in suburbio condidit civitatem, quam appellavit Victoriam, quæ ipso recedente capta est a Parmensibus & incensa.

Henricus Rex Sardaniæ filius Frederici captus est a Bononiensibus agro Mutinæ, qui servatus longa custodia carceris obiit anno M.CC.LXXII.

Lodovicus Rex Franciæ Lodovici filius Damiatam cepit: ipse vero mox a Sarracenis captus est, pro cujus redemptione Christicolæ Damiatam reddiderunt.

Fredericus Imperator festo Beatæ Luciæ in castro Florenciolæ in Apulia morbo moritur ætatis ejus anno LVII. relictis Conrardo legitimo & duobus liberis ex Henrico filio, qui carcere

cere suo obierat, & Hencio naturali filio incluso Bononiæ, ac Manfredo Principe Tarentino naturali filio, qui mox in fraude regnavit, & aliis pluribus sexus promiscui.

Isti versus scripti sunt in sepulchro dicti Frederici Imperatoris qui conditi sunt tempore suæ mortis:

Annis millenis bis centum pentaque denis,
Dives mendicus decessit Rex Fredericus;
Illo namque die celebrantur festa Luciæ;
Si probitas, sensus, virtutum copia, census,
Nobilitas orti possent obsistere morti,
Non foret extinctus Fredericus, qui jacet intus.

De Vacatione diuturna Imperii.

Vacavit Imperium itaque circiter annis 24. usque ad tempus Papæ Gregorii decimi; qui concilium congregavit Lugduni.

Festo Beati Francisci idem Papa pervenit Ferrariam, ibi populo prædicavit.

Obiit Innocentius Papa anno MCCLIIII. Alexander quartus Papa sedit annis VII. mensibus VI. qui Beatam Claram canonizavit. Conrardus Rex Siciliæ veneno extinctus est fraude Manfredi ejus fratris, qui se Regem fecit Siciliæ.

Eccelinus de Romano Dominator tunc Veronæ, Vicenciæ ac Paduæ, Mantuam obsedit nec obtinuit, quo obsidente eam Philippus Archiepiscopus Ravennensis legatus Ecclesiæ cum exercitu cruce signatorum & aliis Paduam male defensam (cepit) XI. Paduanorum erant cum Eccelino apud Mantuam, quos quasi omnes igne consumpsit & carcere.

Guilielmus Rex Alamaniæ a Frisonibus occiditur, post quem in discordia eliguntur duo, scilicet Rex Hyspaniæ Alphonsus & Richardus frater Regis Angliæ.

Veneti & Genuenses confligunt mari, victores Veneti turrim Genuensium, quam in Acon habebant, funditus everterunt.

Veneti construunt Castellum de roboribus secus Padum loco, qui dicitur ad Sanctum Albertum juris Ravennæ. Acursius natione Tuscus & Odofredus Bononiensis, viri jurisperiti & legum commentatores, quorum corpora Bononiæ apud Minorum Ecclesiam pulchris mausolis, optimis pyramidibus, requiescunt.

Capitur Eccelinus de Romano apud flumen Padum vulneratus & mortuus sepelitur in Soncio.

Albericus frater ejus Eccelini qui sævus tyrannus Trivisio fuerat a Paduanis & Trivisinis & Vicentinis castello sancti Zenonis obsessus a suis traditur. Tres filii coram eo trucidati uxor cum filiabus igne crematæ; ipse mox tantæ cladis spectator gladiis secatur in frusta. Eo anno novitas in Italia tota fuit, quæ dicta est Verberamentum; nam populi nudi longo agmine per Urbes & per villas incedentes loris terga verberabant. Eo anno paces multæ factæ sunt.

Urbanus quartus Papa sedit annis tribus & ultra: hic consilio Cardinalium contra Manfredum regnantem in Sicilia vocavit Karolum fratrem Regis Franciæ, Comitem Provinciæ, qui vocatus venit.

Florentini & Lucenses apud Montem Apertum non longe a Sena ab ipsis Senensibus magnam cladem senserunt, dolo plurimorum Exercitus Florentini.

Balduinus Imperator & Veneti pelluntur Urbe Constantinopoli.

Rex Hyspaniæ Alphonsus prælio conterit Sarracenos. Pars Grasulforum Mutinæ festo Beatæ Luciæ expelluntur.

Azo Marchio moritur Ferrariæ. Clemens 4. Papa sedit annis tribus mensibus novem & ultra vir dignus officio.

Karolus Comes Provinciæ per mare Romam venit occulte mense Januarii, ejus exercitus per Italiam venit eo anno mense Decembris. Stella cometa diu apparuit.

Anno Christi MCCLXVI. mense Martii Karolus Manfredum superat prælio agro Beneventano, perit Manfredus in prælio, sepultus est apud pontem sancti Germani.

Anno Christi sequenti in hyeme Conrardus filius Conradi Regis Veronam venit cum exercitu Germanorum.

Rex Carolus tunc obsedit oppidum, quod dicitur Podium Boniti. Florenciam diu obsessam in deditionem accepit. Gibelini inclusi incolumes abierunt.

Eo anno Cremonæ pars Ecclesiæ recepta in pace opera legati Ecclesiæ, cujus fraude pars altera scilicet Gibilina est emissa.

Ipso quoque anno die resurrectionis Domini Guelfi Gibelinos expulerunt Florentia.

Anno Christi MCCLX8. Conrardus proles Frederici Imperatoris cum Germanis, Tuscis, Romanis & Lombardis prælium commiserunt cum Karolo Rege certando de Regno Siciliæ, quod alter possidebat datum ab Ecclesia, alter petebat, ut juris aviti & paterni. Karolus cruenta tamen Victoria prævaluit in prælio. Henricus frater Regis Hyspaniæ tunc Urbis Senator capitur.

Conrardus ob juvenilem ætatem dictus Conradinus inde abiit, & cum paucis tentans intrare quod pro magna parte in Karolum secesserat, mare ingressus navi capitur & Karolo traditur, Neapolim ducitur: ibi Carolus contra eum tulit sententiam capitalem. Decapitatus ibi cum Duce Austriæ & aliis paucis proceribus, ibi secus mare in tumulis conditi sunt.

Eo anno Tartari Sarracenos in Parthia superant, Urbem Baldach in suam redigunt potestatem, eorum Pontifex maximus nomine Calipus (Caliphas) captus a viro suo suffocatur. Erat enim ei aurum inæstimabile, de quo in tanta necessitate belli expendere non est ausus. Carolus Rex Nuceriam obsessam cum Sarracenis obtinuit in pacto.

Anno Christi MCCLXX. Lodovicus Rex Franciæ vir Sanctus Rex Siciliæ, Karolus ejus frater, Rex Angliæ. Obdourandus, Rex Navarræ castra apud Carthaginem posuerunt, ibi lue innumeri perierunt. Obiit Rex Franciæ ac primogenitus ejus & Rex Navarræ mox auro capto a Sarracenis discessit exercitus.

Rex Angliæ inde profectus Acon pervenit.

Eo anno mense Julio moritur Aldigerius de Fontana veneno extinctus fraude Obizonis, quem creaverat Marchionem: post dies paucos frater & filius illius Aldigerii volentes res novas (moliri) Ferraria Urbe discesserunt exules & cum eis Tureli (Turelli) & alii nobiles. Ipso anno Bononienses juxta portum Primarii construxerunt castellum, quod ne perficeretur, impedivit exercitus Venetorum sedens in adversa parte fluminis Padi, Machinis pugnando.

Frater Albertus Teuthonicus, Frater Thomas de Aquino ambo de ordine Prædicatorum, frater Bonaventura de Baguareto ordinis Minorum mox Cardinalis: horum trium virorum opera litteris data mira leguntur & pulchra.

Seditio magna Bononiæ & initium cladis ejus Urbis fuit petra, quæ litteris continebat decretum, quo tenebantur cives Mutinæ tenere in pace, expulsos reducere, studio Jeremiarum contra voluntatem Lambertatiorum extrahitur & conteritur.

Rex Hencius carcere Bononiæ moritur, in Ecclesia Prædicatorum sepultus.

Gregorius X. Papa sedit annis 4. & ultra justus & Dei cultor fuit, qui ut succurreret terræ Sanctæ concilium congregavit Lugduni, constituit decimas ab Ecclesiis exigi pro ipso negotio, quatuor summos viros Cardinales fecit in consilium sibi: non autem elegit propinquos aut amicos, ut plurimi faciunt cathedram tenentes.

Bononienses licet invita parte Lambertatiorum Forolivium obsederunt nec obtinuerunt.

In Faventia Theobaldejus (f. Theobaldillus) introduxit Forolivienses. Manfredi abierunt Faventia.

Bononiæ seditione partium igne ferro ac machinis pugnatum est per dies ultra XL. Demum Lambertacii, qui erant Gibelini, capto per dolum Principe ipsorum Castellano cum aliis IX. summatibus ejus partis, cum viribus essent impares parti Jeremiarum, qui erant Guelfi, qui habendo suos Principes majora subsidia habebant, urbe Bononia sunt extrusi, ipso anno pars Jeremiarum obsedit Faventiam, quæ vi Lambertaciorum est defensa.

De Rodolpho Comite facto Rege Germaniæ electo in Imperatorem.

Rodolphus Comes Rex Germanorum eligitur: vir justus & strenuus, qui regnavit annis quasi XX. Hic prælio conserto superavit Regem Boemiæ sibi obsistentem, qui prælio occiditur, cujus filium Rodolphus non est persequutus, sed pace receptum eum sibi generum fecit. Anno Christi MCCLXXV. Beati Antonii mensis Junii Bononienses copioso exercitu transito ponte Sancti Porchuli agrum Faventiæ populabantur, tunc Guido de Monteferrato Dux Lambertaciorum exulum Faventinorum & Foroliviensium exeunt Faventia contra hostes, Stipendiarii equites Bononiæ statim aufugiunt, deinde omnis equitatus ante pugnam confertam: ibi fuga & cædes. Omnis peditatus Bononiæ a suis equitibus destitutus captus aut cæsus. Bindor * minor de Polenta eo anno occupavit Ravennam, exclusis adversariis ejus.

Innocentius quintus Papa sedit mensibus V. & dies *, hic de Ordine Prædicatorum electus Cardinalis a Gregorio X. propter ejus præstantiam. Adrianus V. Papa sedit dies 39. natione Genuensis.

Joannes 21. Papa sedit mensibus 8. Dei judicio palacium super eum corruit & novum, nec nullum præter eum læsit; non statim expiravit, sed potuit confiteri.

Nicolaus tertius Papa sedit anno, hic pecuniam collectam ex decimis Ecclesiarum pro passagio expendit suo arbitrio. Construi fecit palatia maxima, & pomerium apud Ecclesiam Sancti Petri, ut Pontifices Romani delectatione ejus loci & curiæ ibi manerent.

Per hæc tempora Antonia femina Mutinensis ante annum 40. ætatis ejus ex viro concepit filios 42. Nam tantæ fœcunditatis fuit, quod aliquando V. aliquando tres filios uno partu ederet, undecies autem gemellos edidit, tandem in partu defecit. Exules Vice-Comites Mediolani occiso apud Dexium opidum Mediolani Francisco de Turri, ingressi sunt Mediolanum,* ne a Polio Princeps familiæ de Turri & aliqui alii sunt generis capti & carcere trusi, reliqui aufugerunt.

Eo anno Lambertacii Exules Bononiæ per Bertholdum de Ursinis primum Comitem Romaniolæ in Bononiam acerba pace inducti sunt. Ipso anno vigilia natalis Domini Lambertacii sentientes adversarios cives iniisse consilium de eos expellendo, primi plateam occupaverunt armis, demum cum viderent se destitutos ab aliquibus Jeremiis, qui spem dederant auxilii, Bononia aufugerunt, in eos non fuit sævitum cedibus, sed potius servati ab hominibus partis adversæ.

Facta est fossa per Ferrarienses inter Argentam villam * Cosadoli, quæ caput habet juxta Padum. Veneti navibus habendo machinam Urbem Anconam maxime vexaverunt bellando. Martinus quartus Papa sedit annis 4. & ultra: hic bello afflixit in Romaniola Gibellinos. Sicilia a Carolo Rege defecit, omnibus Francis occisis, tam religiosis, quam laycis.

Eo anno pugnatum est Kalendis Majii in suburbio Forolivii per Joannem de Appia Comitem Romaniolæ & Sequaces contra populum Forolivii, Duce eorum Guidone Comite de Monteferrato. Ibi cædes maxima fuit utriusque, tandem Forolivienses victores fuerunt.

Forolivium urbs subacta est a Joanne de Appia Comite Provinciæ ejus. Fossæ Urbis oppletæ sunt & postes portarum ablati.

Karoli Regis Siciliæ Karolus filius classe captus est a Siculis apud portum Neapolis cum multis proceribus omnes male perditi præter ipsum & alios novem per eum electos vitæ servatos. Genuensis classis apud portum Pisanum classem Pisanorum dissipat, XIIII. milia hominum capta, III. milia necata.

Honorius quartus Papa sedit annis tribus & ultra.

Rex

Rex Franciæ Philippus in Aragoniam duxit exercitum, cepit urbem Zirundam, mox in ejus exercitu fuit tanta lues muscarum & fames, quod multitudo virorum & jumentorum periit, etiam ipse Rex ibi obiit.

Petrus Rex Arragonum eo anno moritur, Rex Siciliæ.

Karolus mœrore rerum adversarum in regno suo moritur mense Januario; moritur etiam Papa Martinus mense Martio.

Honorius III. Papa sedit annis tribus & ultra, genere Romanus. Nicolaus quartus Papa sedit anno: hic fuit minister generalis Minorum, mox Cardinalis. Eo anno ante festum natalis Domini Opizo Estensis Marchio ipsius opera sub dolo Dominus Mutinæ ordinatur.

Aretini apud Bibenam prælio maximo conserto a Florentinis expugnati sunt, ibi fuit cædes fortissimorum virorum utriusque partis. Episcopus Arecii eo prælio armatus cecidit, auctor periculi.

Civitas Tripolis in Syria a Saracenis capta incensa & subversa præter parvulos & mulieres.

Marchio Montis ferrati ab Alexandrinis dolo captus est eo oppido, ibi etiam veneno extinctus est.

Eo anno Ravennæ Stephanus de Divazano Romanus Comes Romaniolæ cum omni equitatu suo captus est a Poletensibus ejus urbis Principibus. Civitas Acon Syriæ XL. diebus pertinaciter præliis impugnata, jam parte murorum dirupta, ab innumero Sarracenorum exercitu capitur, incenditur & tota subvertitur.

Castrum Balduini apud flumen Athicen, construitur a Paduanis.

Opizo Marchio Dominator Ferrariæ, Mutinæ & Regii fraude filiorum duorum in lecto strangulatur, quia tertio filio minori ætate sibi non inobedienti Dominium Ferrariæ conferre parabat.

Paduani diruunt Arcem Estensem; Castella Cerum & Calaonem subvertunt in odium Azonis Estensis.

De Adolpho Rege Germaniæ Electo Imperatore.

Adulphus genere Germanus Rex Germaniæ ordinatur, huic parere contempsit Adalbertus Dux Austriæ, filius Rodulphi quondam Regis Germaniæ. Cum ad pugnam campestrem Rex & Dux convenissent, Rex fortiter pugnando cecidit. Dux fuit superstes. Cœlestinus V. Papa sedit mensibus 9. vir anachorita, qui mox, ut liberius vacaret Deo, Papatu abdicavit se ac peregre profectus est. Qui mox a Rege Carolo traditur successori suo ac servatur cum clavi ab illo * Demum ibi vitam finivit, ut ajunt.

Bonifacius VIII. Papa sedit annis 10. Hic constituit festa Apostolorum & Evangelistarum ac quatuor Doctorum Ecclesiæ, ut Paschalia celebrari, librum VI. Decretalium edidit; Duos Cardinalium exauctoravit, scilicet Jacobum & Petrum de Columna, eorum munitiones & Palatia in urbe subvertit.

Eo anno Magister Thadæus medicorum Magister Bononiæ moritur.

Azo Marchio Dominator Mutinæ bello impetivit Bononienses, Bazanum reconstruxit; ejus opera Kalendis Aprilis Imola occupata a Gibelinis, cum quibus societatem belli contra Bononienses firmavit. Guido Comes de Monte ferrato quondam bellorum Dux strenuus abdicato seculo Ordinem Minorum ingreditur, in quo obiit.

Adulphus Rex festo Beati Joannis Baptistæ cum Adalberto Duce Austriæ prælio congressus fortiter pugnando cecidit.

De Adalberto Rege Germaniæ.

Adalbertus Dux Austriæ, filius quondam Rodulphi Regis, Adulpho successit in regno Germaniæ, quo regnavit annis X. Genuenses & Veneti mari Adriatico loco, qui dicitur Scurzola, prælio navali confligunt, multi utriusque partis ferro perierunt & undis Genuenses Victores, unde captivos & galeas plurimas duxerunt Genuam, quos captivos honeste tractarunt.

Anno sequente compositione facta conditionibus æquis captivi sunt restituti & pax firmata.

Anno Christi M CCC. Bonifacius Papa celebritatem Veniæ instituit, quæ toto anno duravit, scilicet ut quicunque vere pœnitens & confessus iret Romam & XV. diebus visitaret Ecclesias Petri & Pauli, omnium peccatorum veniam promeretur ac si terram sanctam visitaret, eo anno multitudo innumerabilis Romam confluxit.

Eo anno Mantuæ Guido Butesella de Bonacessis expulsis patruis suis de Mantua Principatum occupavit, annum * Pinamontem honesta conservavit custodia, quæ morte defecit.

Ipso anno fructus arborum ultra solitum præmaturi mense Aprili vidi rosas & cerasa edi, non tamen plene matura, mense Julio bibi mustum ex uvis præcoquis.

Tartari Armeniam occuparunt, urbes ceperunt, Saracenos mag * expugnarunt * impedimento deserti ab Egypto abstinuerunt. Stella cometes versus occidentem sparsis crinibus apparuit mense Decembri, quæ diu per cœlum erravit.

Misit in Italiam Papa Bonifacius Karolum fratrem Regis Franciæ. Fama fuit, quod ex jussu Papæ veniret compositor pacis Civitatibus habentibus exules cives. Venit itaque Florentiam, ut pacis compositor ab imprudenti vulgo statim receptus protinus exules * Guelfi de parte, qui Nigrorum dicitur sunt secuti, invitis Guelfis Blanchis ingressi sunt, eam Urbem. Karolus non obstitit. Post modicum tempus Blanchi eliminantur, reliqui remanserunt.

Rex Franciæ Philippus copiosum exercitum duxit in Flandriam callidis artibus magis quam viribus. Flandrenses Regi & suis cladem maximam intulerunt.

Innumeri equites & proceres Francorum perierunt incaute præcipitati in foveas instructas velatas cespitibus.

Tartari Syriam secundo ingressi eam ad votum populati sunt mox inde egressi sunt.

Terræ motus in Creta permaximus adeo concussit, ut aqua maris impulerit in Civitatem

Candiam tanto impetu, quod omnia ædificia ſtravit, omnes homines fere occidit, mox adeo retroceſſit mare ex portu urbis, ut, ubi aqua profunda erat, tunc nulla videretur. Arenæ fundi maris oculis hominum patuerunt.

Etiam totus ſinus Adriaticus concuſſus eſt terræ motu eodem.

Bonifacius Papa in Anagnia ejus patria ſtudio Regis Franciæ Philippi captus fuit, poſt paucos dies laxatus eſt, inde Romam venit, propter illatam injuriam tabeſcens animo moritur, apud ſanctum Petrum ſepelitur in Eccleſia ſepulchro, ſumptuoſe quod ſibi paraverat.

Benedictus XI. Papa ordinatur, qui ſedit menſibus IX. vel id circiter: hic legatum ex latere miſit in Tuſciam ad crucem prædicandam.

Cum per legatum pax facta videretur ſubito eſt reſciſſa fraude Florentinorum, quibus pax ipſa odioſa erat.

Idem Papa extinguitur impoſito Adamante in ficu una ex illis, quæ ſibi apoſitæ fuerant, quibus avide veſcebatur. Vacatio Apoſtolicæ ſedis fuit in annum ſequentem. Bellant Paduani cum Venetis propter ſalinas, quas fieri impediebant Veneti territorio Paduano ſitas, juxta maris lacunas.

Clemens V. Papa ordinatur in Gaſconia manens; hic Archiepiſcopus Burdelenſis natione Gaſconus, aſſumpto Papatus officio ad ſe vocavit Cardinales & curiam, duos Cardinales de Columpna exauctoratos olim per Papam Bonifacium priſtinæ reſtituit dignitati; concilium vocavit Viennam, Templariorum ordinem irritavit.

Confirmavit Henricum Imperatorem, in urbe * clericatum, ac per Cardinales, quibus commiſit negotium, coronavit eum Imperatorem in urbe. Piſtorium diu obſeſſum a Florentinis & Lucenſibus, tandem cum fame pene deperirent cives, per deditionem habent. Mœnia diruta ſunt tota, exules inducti, eliminati ſunt alii.

Zotus pictor eximius Florentinus agnoſcitur; qualis in arte fuerit teſtantur opera facta per eum in Eccleſiis Minorum Aſſiſii, Arimini, Paduæ, ac per ea, quæ pinxit Palacio comitis Paduæ, & in Eccleſia Arenæ Paduæ.

Adverſus Maſæum Vicecomitem, populi Mediolani Principem, Cremonenſes, Placentini, Papienſes & alii populi Urbium Vicinarum Mediolano inierunt ſocietatem belli, præfecto ſibi duce belli Alberto de Scotis Placentino, quia pertæſum erat eos potentiæ ejus Maſæi ſibi formidoloſi: junctis ſibi illis de Turre, qui eo tempore exulabant, in agrum Mediolanenſem copioſum duxerunt exercitum.

Temptatum eſt de conditionibus pacis, actum eſt demum, ut Maſæus deſineret principari & reciperet exules. Confeſtim Turiani in Mediolanum irruunt, Civitatem occupant, Maſæo excluſo, hoc Alberto de Scotis diſplicuit; ſed fraudem emendare non valuit, cum aliis ſociis belli placeret. Mutinæ populus tyrannidem Azonis Eſtenſis perhorrens cum omnibus ſævus eſſet atque terribilis a cervicibus ſuis jugum ſervitutis excuſſit; quo acto, populus Regii idem fecit, poſtridie arces, quæ in ipſis Urbibus erant, ad præſidium ſervandæ tyrannidis confeſtim dirutæ ſunt a populis avidis libertatis.

Bononiæ fuit rerum mutatio: nam orta ſeditione inter eos, qui libertatem publicam conſervaverunt contra vexationes illatas ab Azone dominatore Mutinæ, a quo cædibus, igne ac direptionibus ſævitum eſt contra eos, qui auctores fuerant libertatis ſervatæ: itaque relegati ac proſcripti cives, qui Azoni favorabiles viſi fuerant propugnatores populi contra Azonem.

Creant ſibi ad facinora unum ex plebe Becarium, quem nominant Barixelum. Gibelini ac Guelfi, qui non erant complices, iſtis prævalentibus, ſæve vexati ſunt & excluſi.

Eccleſia Laterani concremata eſt funditus incendio vicino ex ædibus. Confeſtim ut reſtaurarent eam & viri & mulieres certatim devotis animis inſtiterunt operi, opibus ac corporibus propriis adjuvando.

Terræmotus magnus Arimini ædificia multa concuſſit & ſcindit, quemdam etiam ſtravit in humum.

Azo Eſtenſis tyrannus Ferrariæ in exitu menſis Januarii moritur. Freſcus, quem tenuerat ut filium, ex pellice conjugata, favore aliquorum dominium Ferrariæ (obtinuit.) Rex Germaniæ Kalendis Maji a filiis fratris ſui occiditur.

Magiſter & milites fratrum ordinis ſanctæ Mariæ de Templo delati a Philippo Rege Franciæ, quia turpiter vixerunt, capti ſunt in Francia juſſu Clementis Papæ & eorum bona ſequeſtrata ſunt per orbem.

Populus Ferrariæ auctore eorum Epiſcopo Guidone, jugum, quod ſubierant; preſſuræ Marchionum de Eſt, a cervicibus ſuis excuſſit.

Freſcus, qui Dominium Ferrariæ occupaverat, latitavit apud præſidium Venetorum, quod illuc vocaverat contra eos, qui adverſus eum exercitum duxerant; arcem caſtri Tedaldi tradidit Venetis. Cum populus Ferrariæ arcem peteret, nec daretur, orta eſt ſeditio. Subito Veneti irruentes ex arce regionem arci vicinam incendunt, mox navibus eorum deſcendunt per Padum, & fere omnes naves civium incendio conſumpſerunt; bellum inde ortum eſt, utrimque ſpiculis certatur ac machinis: tandem ſecundo menſe belli cœpti cives Ferrariæ coacti pacem expoſcunt, quam Veneti ſuperbe dederunt eis fœdis conditionibus & iniquis, ut inter alias conditiones pacis arcem tenerent ac burgum arci contiguum & regimen Civitatis haberent.

Anno ſequenti menſe Aprilis pax ſcinditur, bellatur iterum, menſe Auguſto quidam ex Venetis nocte arcem deſerunt atque aufugiunt. Manefacto, qui in arce remanſerant, eam dederunt Legato Eccleſiæ, qui cum exercitu erat Ferrariæ, ipſam arcem, pontem, turrim ac burgum occupat legatus & munit.

Inde exercitus ducitur ad obſidendum caſtellum ſancti Alberti ſitum ſecus Padum in pertinentiis

tinentiis Ravennæ, quod Veneti construxerant & tenebant, infra mensem castellum dederunt salvis inclusis personis: continuo spoliatur, incenditur atque diruitur.

Mensis Aprilis anni sequentis hora nona diei vel decima fuit solis eclipsis non magna.

Venetiis fuit nova rerum mutatio. Quirini cives nobiles, qui arcem Ferrariæ deseruerant, se civibus suis odiosos sentientes, pro eo dominium urbis suæ occupare sunt ausi, & occiso Duce cum optimatibus adversæ factionis, cives adversos expellere aggrediuntur, sed deseruntur, a civibus occiduntur, alii complures urbe difugiunt.

Eo anno mense Julio orta seditione Ferrareæ inter cives in partes duas divisos, scilicet inter partem populi, quæ studium liberatis agebat, & inter partem quæ Marchionibus favebat; quidam ex parte populi palatium majus, quod Marchionum fuerat, incenderunt, quia ex illo jacebantur lapides in homines populi, qui * plamanebant: tandem per aliquos populares visum est sedare ac emendare quod gestum esset non bene. Agitur de concordia cum nuntiis Ecclesiæ, qui erant in arce; actum est Priore prædicatorum fratrum mediatore, ut totius scandali esset oblivio & populus Ecclesiæ parcat & emendet, si quid violatum est. Vocati sunt igitur a nuntiis Ecclesiæ in arcem officiales populi & ex optimatibus civitatis multitudo non parva, ut in arcem irent ad nuntios Ecclesiæ ad conditiones concordiæ confirmandas.

Incauti cives arcem introeunt, quidam ingredi abnuerunt timentes, capti custodiuntur.

Vocantur tunc Bononienses, Ecclesiæ nuntii concurrunt confestim, civium domos ac religiosorum indifferenter avare diripiunt, plurimi civium metu Bononiensium clamantium, moriantur Gibelini, urbe aufugiunt, ex civibus captis non dato spatio temporis ad confitendum peccata (post) sententiam mortis nudos educunt circiter 28. quos in platea cōis furcis suspenderunt, ut fures & diebus plurimis sic esse noluerunt ad tam triste spectaculum.

Multi ex iis, qui aufugerunt, proscripti sunt, & eorum bona Ecclesiæ confiscata; quidam etiam, qui abierant tempore seditionis etiam proscripti sunt, alii relegati divisim. Ab eis autem qui inclusi servabantur in arce, sunt maximæ extorsiones nummorum factæ & laxati.

Quidam inclusi sunt carcere & nihilominus extorsiones plurimæ factæ, ut carcere laxarentur, quibus etiam data pecunia fides promissa servata est.

Ipso quoque anno in Romaniola fuit rerum mutatio, postquam Guelfi Italiæ senserunt Henricum Imperatorem electum in Italia venturum data opera efficiunt, ut Provincia Romaniolæ per summum pontificem daretur regi Roberto eam provinciam pace compositurо.

Gibelini tunc in Imola, Favencia, Forolivio ac Britinorio prævalebant, in reliquis locis Guelfi.

Itaque Rex Robertus præfectum suum misit, qui Provinciam obtineret: venit præfectus, paruerunt omnes, credentes pace quieta gaudere; reduxit præfectus exules in omnes Civitates excepto dumtaxat Arimino, tunc visa est prudentibus res suspecta.

Parebant omnes præfecto provinciæ, dummodo mensuram æqualiter servaret. Guelfis odiosus est factus, data est opera apud Regem, ut hunc amoveret, alium surrogaret; sic factum est, missus est alter, vir severus, & alter. Hic Princeps Gibelinorum alios cepit & trusit in carcerem, alios relegavit.

Gibelini consternati diffugiunt, qui manserunt alii oppressi calumniis, quidam occisi, tota provincia in Guelforum potestate remansit.

Castella etiam Gebelinorum erant, ut plurimum capta & dirupta, in * invictum tamen bachanalium reducti fuerunt Gibellini per præfectum provinciæ.

De Henrico Augusto.

Henricus Imperator electus mense Decembri Anno Christi M. CCC. X. in Italia non cum multis venit equitibus Papiam, mox Mediolanum intravit pacifice, exules Mediolani reduxit.

Principio anni sequentis apud urbem Mediolani corrona ferrea secundum morem coronatus est, reduxit exules in civitates suas, paruerunt ei omnes urbes Liguriæ præter paucas obedientes Regi Roberto. Reduxit in Brixiam Theobaldum Bruxatum hominem factiosum, atque, ut eum sibi fidum ac benevolum faceret, passus est eum Theobaldum compatrem fieri in baptismate filio Imperatoris noviter nato ac eum præ ceteris honoravit. Consilium inierunt Florentini & Bononienses, ut obstarent Henrico, qui exules reducebat in urbes.

Itaque impulerunt promissis omnes Principes partis Guelfæ, ne parerent Henrico, quem inprægnatorem vocabant & cives Gebellinos ex urbibus pellerent, subito ubique rebellant.

Guidotus de Turri, qui Mediolanum Princeps oppresserat, temptat armis per insidias Imperatorem opprimere, ipse vero vi opprimitur & urbe illa expellitur.

Cremona expelluntur Gibelini, qui nuper redierant; Vicarius Imperatoris expellitur. Mantuæ Guelphi reducti conati sunt expellere concives, verum ipsi expelluntur, armis expulsi. Brixiæ Theobaldus Brixatus expulsis fraude concivibus, qui eum jussu Imperatoris pace receperant, Imperatori rebellat ac omnes adversarios Imperatoris recepit, obsequentes expellit. Imperator eos oppressit, qui Cremonam fecerunt; obsedit Imperator Brixiam exercitu maximo fere mensibus V. Theobaldum fortuna in manus Imperatoris obtulit: invitatus, ut scriberet complicibus suis, ut Brixiam darent Imperatori; scripsit eis, ut urbem defenderent, quoniam oportebat Imperatorem proficisci Romam pro suscipiendo coronam: Litteris receptis & lectis Theobaldus trahitur per exercitum, mox in quatuor partes corpus ejus partitur absque capite, caput & singulæ partes divisim altis trabibus in patibulis suspenduntur mense Septembri.

Brixia

Brixia coacta omnium rerum penuria deditionem fecit: in eos Imperator non sævit.

Eo anno Vicentia a Paduanis defecit, ut a longinqua Paduanorum oppressione liberi forent.

Concilium a Clemente Papa in Gallias convocatur Viennam.

Henricus Imperator Gibertum de Corigia sibi fidum putans Regii præfecit Vicarium: Urbem quoque Parmæ fidei suæ commisit; ditionem quoque Guastallæ ei contulit.

Composito statu urbium Lombardiæ ac Marchiæ Trivisinæ, cum pax esset ubique eorum locorum, Imperator cum copiis suis, instante tempore hyemali, profectus est Genuam, ibi mansit usque in ver anni sequentis.

Interim Gibertus de Corrigia primo occulte adversatus est Imperatori confœderatus cum Florentinis, Bononiensibus ac cæteris, qui adversabantur principi Romano, & primo exules Cremonæ Guelphos adjuvit, ut in Cremonam intrarent.

Qua occupata per adversarios Imperatoris aperte Parmam ac Regium rebellavit; tum Paduani ab Imperatore deficiunt ac hostes fiunt illius, Vicentiam impetendo.

Rizardus de Camino Vicarius Imperatoris in Trivisio, quia obediebat in fide manens, fraude fratris sui, * Guelphorum de Padua occisus est ab homine ignoto, qui statim occiditur ab eo, cujus inductu homicidium fecerat.

Comes quoque Phyliponus, qui Princeps Papiæ erat & Guelphus ab Imperatore defecit.

De Henrico coronato Romæ.

Anno Christi M.CCC.XII. instante vere novo Princeps Romanus de Genua profectus est Pisas, inde Romam pervenit, plurimas Urbis munitiones occupaverant Ursini, introducto Joanne fratre Regis Roberti.

Imperator per vim Romam ingreditur, favore etiam eorum, qui illi parebant, intra mœnia urbis bellatur; omnes tandem munitiones sibi obsistentes armis cepit præter Castellum Sancti Angeli, & locum Beati Petri, quæ tenebant Ursini.

Imperator tamen festo Pentecostes vel Ascensionis in Laterano coronatus est per Cardinales, quibus commissum erat negotium a summo Pontifice Clemente V. Dum quotidie bellaretur in Urbe, utrique parti summus Pontifex jussit, ut urbe abirent; paruerunt mandato. Henricus Augustus in Tusciam veniens damna maxima intulit Perusinis, pervenit Aritium, inde magnum Florentiæ duxit exercitum: obtinuit Castella & posuit Florentiam in timore. Erant tunc Augusto copiæ, ut ajunt, equitum mille quingentorum, ex Germania, peditum vero VI.

Florentinis vero erant equites cum auxiliis tria millia quingenti, peditum vero XL. millia, non tamen ausi sunt se committere prælio signis collatis aliquando aggressi Imperatoris gentem, clade accepta, digressi sunt inde.

Eo anno Concilium Viennæ solvitur, in quo inter cætera decreta exauctoratus est Ordo militum Sanctæ Mariæ de Templo; ejus ordinis bona collata sunt per summum Pontificem ordini Hospitalis Sancti Johannis Jherosolomitani, qui esset ubique terrarum, præterea quæ habebant in quatuor Regnis Hyspaniæ, scilicet Regno Castiliæ, Portugaliæ, Aragoniæ & Majoricano. Ipso etiam anno bellum infestum agitur inter Paduanos, factos adversarios Imperii & inter Vicentinos, quos sustinebat Vicarius Augusti, id est Princeps Veronæ, cui nomen est Canis de Scalla, Vir juvenis acer & securus præliorum discrimine.

Hoc anno fere per omnem Italiam maxima Caritas annonæ, vini & escalium cunctorum, quæ permansit per annum: hominum etiam mortalitas maxima magis virorum, quam mulierum, magis etiam locupletum, quam egenorum.

Ipso anno mense Augusto Franciscus filius Opizonis quondam Marchionis de Est postquam obtinere non valuit a Papa, ut constitueretur Vicarius in dominatu Ferrariæ, molitus est, ut vi aut fraude ejus urbis occuparet dominium. Molitionibus ejus consentiebant Guelphi vicinorum locorum. Præsensit hoc Dalmasius miles Catelanus illi præfectus urbi per summum Pontificem: cum instaret tempus aggrediendi negotium, ipse Franciscus hora meridiei causa aucupii cum paucis inermibus exivit in agros.

Dalmasius portas civitatis claudi fecit præter unam qua venturus erat Franciscus, illuc armatos misit, qui Franciscum ingredientem ad eum ducerent si reniteretur, eum perimerent; interim convocato consilio paucorum civium ejus Francisci fratrem Aldobrandinum & complices capi jussit & servari.

Introeunti portam urbis Francisco dictum est ab eis, quibus datum erat negotium ejus rei, ut coram Dalmasio urbis Præfecto pro summo Pontifice compareret; abnuit dicto Franciscus ac gladium, quo cinctus erat, confestim exemit dicens; quis mihi vim inferet, cum fuste ferreo percussus est capite a fratre naturali Dalmasii. Tunc cæteri irruunt in eum, confoditur pugionibus, occiditur, expoliatur nudus; confossus est tragulis Catelanorum peditum vulneribus L. vel circiter.

Detestanda res agitur, nudum corpus in via juxta Portam Leonis relinquitur, ibi mansit horis fere duabus; habita licentia inde asportatur per fratres Prædicatores; complices ejus difugiunt, aliqui capti, qui suppositi supplicio confessi sunt consilia Francisci inita ad occupandum ejus civitatis dominium: ex eis quatuor damnantur suspendio, aliqui capti, aliqui proscripti, aliqui relegati.

Principio anni sequentis cum exercitu suo mansit Augustus apud Vicum, qui dicitur Sanctus Cassianus, distans a Florentia circiter 8. millia passuum.

Hic locus versus Senam situs, commodus est habitaculis multis ac pulchris: ibi hiemando damna plurima intulit in agro Florentiæ atque Senen-

Senensium. Facto vere Podium Bonici restauravit pristino loco in monte. Hoc oppidum viris frequens olim destructum fuit a Karolo primo Rege Siciliæ; deinde incolæ habitacula posuerunt in montis radicibus: nunc in cacumen montis est loco pristino reconstructum natura loci prætutum. M CCCCII. die XI. Februarii, quod fuit primum Sabbatum quadragesimæ apparuit stella vocata Cometa futurorum malorum prænuncia, habens caudam seu potius comam a parte superiori, quæ apparuit per totam quadragesimam augendo quotidie aliqualiter comam usque dum fuit ad mensuram unius perticæ & ultra: in ebdomada autem sancta per tres dies ejus coma mirabiliter crevit in modum flammæ longissimæ, ita ut prima die videretur esse brachiorum XXV. secunda die brachiorum fere C. tertia vero brachiorum CC. & ultra; & ulterius non apparuit de nocte, sed postea apparuit de die per dies octo sequentes diem Mercurii Sanctum, apparens juxta solem, habens caudam videbatur ab uno brachio usque ad duo brachia, nec solis lumine obscurabatur, quin videretur; quæ admirationem & magnitudinem futurorum malorum & timorem intelligentibus intulit.

De natura autem cometarum & earum significationibus sic fere scriptum reperi per Doctores Philosophiæ, cum illum vidissem existens Vicarius in Mediolano; primo quod Cometa secundum Philosophum est stella a materia exhalationis calidæ & siccæ & igne causata, & quod Cometarum novem sunt species; & quandoque apparet magna, quandoque parva, quandoque habet comam circumquaque dispersam, quandoque ad unam partem tantum & tunc vocatur barbata; quandoque retro & tunc dicitur caudata; quandoque cauda ejus brevis est, quandoque valde longa & tunc talis vocatur trabis. Joannes vero Damascenus dicit, quod tales stellæ non sunt ex his quæ a principio genitæ sunt, sed divina jussione constituuntur, quæ peracto suo cursu dissolvuntur & sic miraculose & naturaliter * fuit, quod in eis nulla naturalis causa sit, item per omnes Cometæ universaliter significant malum, in quo concordant omnes Philosophi & Astrologi, ut habetur a Ptolemeo libro II. capitulo III. de hoc inquit Plinius Philosophus, quod cometa est terrificum sydus: & Virgilius sic ait: Sanguinei lugubres rubent in nocte cometæ. Et Claudianus Poëta: Et nunquam cœlo spectatum impune Cometam. Item quod Cometæ multa mala futura significant & prænunciant, & primo ventos aut magnitudine aut multitudine, de quo Statius sic scribit: Ducunt aut ratibus ventos aut urbibus hostes. Et hoc idem asserit Aristoteles quia pluries expertus est. Causa est, quia cum secundum Philosophum sit ex exalatione calida, denotant causam & magnam habundantiam talium exalationum, quæ sunt magna causa ventorum. Secundo significant terræmotus, subversiones Civitatum & causa est, quia multitudo exalationis est causa terræmotus; quoniam est inclusa in terra. Ponitur exemplum de duabus Insulis in mari per terræmotum submersis, de quibus Anaxagoras, Aristoteles & Seneca referunt. Tertio significat inundationem aquarum & hoc per aliquod accidens, non per se; quia per se significant siccitatem, cum sint ex exhalatione calida & ignea. Quarto significat per se simpliciter siccitatem secundum Ptolomeum, ut prædictum est. Quinto significant sterilitatem & famem; uti dicit idem Ptolemeus in fine Centiloquii: causa est propter nimiam siccitatem & malam exhalationem talium alterantium & terras disponentium ad herbas malas. Sexto denotant mortalitates & epidemias & mortes subitas & febres acutas, ut inquit Ptolemeus; est causa, quia in tali multitudine exhalationum sunt aliquæ venenosæ & infectivæ, & tunc tota natura animantium est in magna colera sequendo dispositionem temporis. Septimo significant contentiones, rixas & bella & sunt res festini motus, quæ movent cito omnem spiritum, ut dicit Ptolomeus; est causa, quia propter inordinationem temporum inordinantur complexiones & accenditur colera & homines fiunt magis iracundi. Octavo significant mutationes Regnorum & Dominiorum, quia tale quid sequitur ad Guerras & Bella, ut fuit tempore Cæsaris & Pompeji; unde Lucanus: obliquas per inane faces crinemque timendi Syderis & terris mutantem Regna Cometem. Nono significant destructiones scripturarum & mutationes legum, ut refert Seneca in libro de Naturalibus. Decimo significant mortes Principum, ut probat Al. per experiencias multas. Aliqui tamen dicunt, quod generaliter significant mortalitatem, sed magis Principum; alii autem, quod habent super Principem quasdam speciales influentias, quas non habent super alios homines. Ultimo quod cometæ non significant per modum causæ, ut aliæ stellæ, nec habent naturalem influentiam, sed significant per modum effectus; unde aliæ stellæ per causam ipsam causant alios effectus, consequente quodam ordine; hi autem effectum ostendunt. Insuper per cometam significantur non de proximo, sed etiam de longo futura & sic in effectu monstravit cometa modo visus.



XVIII.
PHILIPPI DE LIGNAMINE CONTINVATIO CHRONICI RICOBALDINI

ab anno 1316. usque ad an. 1469.

* * *

Anno Christi MCCCXVI.

JOannes XXII. Papa sedit annis XVIII. totus gloriosus fuit, quoad ea quæ in activa vita exercenda sunt: Constitutiones Clementis publicavit & ad universalia studia misit: multos sanctos canonizavit: Episcopatus pingues divisit contra pluritatem beneficiorum, multa bona instituit; & hæreticos præcipuo zelo damnavit. Declaravit edicto perpetuo hæreticum esse censendum asserere Christum & Apostolos nil habuisse in proprio vel communi: Item affirmare in Christo ejusque Apostolis in his quæ eos habuisse Sacra Scriptura testatur, nequaquam Jus ipsis utendi competierit, nec illa donandi aut ex ipsis alia acquirendi, erroneum & hæreticum.

De Ludovico IIII. Imperatore.

Ludovicus IIII. imperavit annis XXX. Hic fuit Dux Bavariæ & coronationem Papæ contemsit: Quapropter ab eo depositus est, & multus sibi labor & pericula succedebant.

Nixus est etiam scindere unitatem Ecclesiæ, & Fredericum Ducem Austriæ contra se Electum vicit, qui in contumacia ad finem durans; tandem Carolus contra eum eligitur qui prævaluit & Ludovicus equo lapsus subito moritur.

Ordo novorum militum in Portugalia contra Sarracenos instituitur per Joannem XXII.

Judæi comburuntur per totam Alamaniam, qui puteos & fontes toxicaverunt.

Carolus IIII. imperavit annis XXXI. qui fuit Rex Bohemiæ, Vir prudens & astutus jussu Clementis fuit electus adhuc vivente Ludovico, & quia humiliter Sancti Petri benedictionem ac Papæ coronationem expetiit in omnibus bene directus fuit, & prævaluit contra omnes Adversarios suos. Multa statuit & præcipue Legem favorabilem pro personis & rebus spiritualibus quæ Carolina dicitur: Moritur divitiis & gloria plenus: Sepultus Pragæ.

Thomas de Aquino canonizatur Anno L. post obitum suum.

Thomas Episcopus Erfordensis canonizatur.

Ludovicus Tholosanus Episcopus canonizatur filius Regis Siciliæ Ordinis Minorum.

Pauperes de Lugduno qui se dixerunt de tertia Regula Sancti Francisci tanquam hæretici sunt combusti pluribus locis & vicibus cum suis articulis erroneis: Unus articulus fuit quod Christus & Apostoli nihil habuerunt in proprio vel communi, & quia nullum Jus habuerunt in his, quæ scriptura dicit habuisse.

Scisma XXII. inter Joannem XXII. & quendam Petrum de Carbario Ordinis Minorum, causa fuit Tyrannis Ludovici: Sed hic Petrus venit ad pedes Joannis veniam petens, & obtinuit, tamen fuit conservatus ut hostis omnibus diebus vitæ suæ.

Joannes Mandevil Doctor Medicinæ & miles in armis natione Anglicus, fuit circa hæc tempora, & mirabilem peregrinationem quasi totius mundi perfecit, & scripsit eam tribus linguis: Sepultus Leodii.

Odericus Vir Sanctus de ordine Minorum in Asia & India evangelizando discurrit, miraculis clarus & quatuor Sanctorum Matyrum corpora de civitate Hermes transtulit per mare ad superiorem Indiam in civitatem Carram non sine miraculis, & descripsit peregrinationem suam.

Begardi multi combusti sunt Parisius propter heresim Pauperum, quia sub speciem boni mala suscitare conabantur.

Ventus magnus fuit qui terram movit & undas, & ædificia subruit.

Visio flebilis facta cuidam heremitæ in præsentia Innocentii Papæ VI. adhuc Cardinalis, unde, ait, vidi animam in infernum descendere sicut nives densissimas, in purgatorium sicut nivem rarissimam: Sed ad Paradisum tantum tres vidi animas introire Sancti illius Episcopi, & illius viduæ Romanæ, & illius Prioris Carthusiensis, quæ omnia sic reperit vera: & maximam devotionem ad sacrum ordinem Carthusiensium deinceps habuit.

Aquarum inundatio fuit maxima non ex pluviis, sed ex scaturientium terræ venarum, damna fecit infinita toto orbe.

Bellum inter Philippum Regem Franciæ & Eduardum Regem Angliæ fuit, & tanta strages vt Mare Flandrense aliquot diebus tinctum sanguine videretur.

Pestilentia maxima fuit, ita quod vix vivi sufficiebant ad sepeliendum mortuos: & multæ villæ desertæ diu manserunt.

Jubileus mutatur per Clementem de C. in L. propter brevitatem humanæ vitæ.

Portentum ignis in cælo visum est, & a Philosophis vocatur Candela rotunda & eodem anno

anno MCCCLI. Circumflagellatores surrexerunt: hæc pestifera secta surrexit in superiori Alamania & descendit ad inferiorem: Demum ad partes Gallicanas: confluebant hujusmodi ex diversis doctis & indoctis, Nobiles cum ignobilibus: flagellabant autem se cum flagellis nodosis acubus insutis, & nisi Papa prohibuisset multa mala attemptassent.

Lector quidam Paulus negando beatam Virginem conceptam fuisse sine originali peccato coram toto Clero in Cracovia cecidit & expiravit in medio Sermonis: Henricus de Hassia testatur.

Joanna Regina Franciæ virtuosissima & humillima, & ut creditur sancta obiit.

Benedictus Papa XII. Tholosanus sedit annis VII. mens. III. dieb. XVII. & fuit Monachus Monasterii Bellensis ordinis Cistertiensis & vocabatur Jacobus de Furno ab infantia bonæ vitæ, & Magister in Theologia: Factus autem Papa reformavit ordinem Sancti Benedicti & Cistertiensis. In quo necesse fuit; in largiendis beneficiis durus fuit & ne indignis conferrentur, Decretalem edidit Benedictus Deus in domis, & multos privavit: erat enim fervidus fidei cum veritate zelator, & ob hoc multis minus carus: tantæ rigorositatis fuit, quod consanguineos vix cognoscere voluit, dicens Papam consanguineos non habere, & per eum declaratum est, quod animæ sanctæ, quæ nihil habent purgabile, primum statim ut decedunt faciem Dei vident, aliter sentire, aut dogmatizare esse Hæreticum MCCCXXIII.

Clemens VI. sedit annis X. mens. VI. dies XVI. Leoniensis fuit nomine & re totus virtuosus, multaque per Benedictum rigorose facta mitigavit, & quosdam privatos restituit, laudabilis fuit rigor severitatis Benedicti, multo amabilior fuit benignitas Clementis, hic erat Sermocinator Egregius, & Sermones multos collegit, nullum inconsolatum a se abire permisit.

Sanctus Ivo Britho Doctor Marthyr canonizatur; qui fuit advocatus pauperum & Sancti Viti. Anno Christi MCCCXXXIII.

Innocentius VI. sedit annis X. Leoniensis fuit Amator Religiosorum, & fecit fabricari in Regno Franciæ prope Sanctum Andream Monasterium ordinis Cartusiensis & multa privilegia eidem sancto ordini concessit; ibidemque sepelitur, fuit Canonista Maximus.

Vuenzelaus Imperator imperavit annis XXIIII. filius fuit prædicti Caroli Regis Bohemiæ, & adhuc Patre vivente electus est in Regem, cum puer esset, sed non curavit de Imperio & ideo post multas amonitiones tandem depositus fuit. Nobilem ejus indolem libidinosa vita polluit, & fuit finis ejus sine honore. Nimis enim degener erat a moribus & virtutibus sui genitoris: nec unquam Imperiali diademate coronatus: Paterna autem probitas in Sigismundum fratrem ejus transisse fertur.

Terræmotus fuerunt per diversa loca & Basilea tota cecidit cum diversis Castris in circuitu, tunc homines velut bestiæ in silvis commorantur nec civitates intrare audent, bella etiam plura & pestilentiæ & fames fuerunt: Terraque in multis locis aquam albam & fœtentem evomuit, quæ castra & loca casui fortia dedit.

Tempora criminosa propter Hæreses & sectas plures: & superbia & iniquitas invaluit nimis: unde in libro beatæ Brigidæ primo c. XLV. dicitur, quod secundum rigorem justitiæ mundus merito deberet perire, quia pejor erat, quam tempore diluvii, sed meritis Sanctorum misericordia parcit ei.

Urbanus Papa V. sedit annis VIII. fuit Abbas Massiliensis Ordinis Sancti Benedicti decretorum doctor, & sanctus reputatur. Fecit crucem prædicari contra Turchos, & passagium ordinavit, intoxicatus obiit; Ad ipsum beata Brigida fuit missa a Christo pro confirmatione Regulæ: Brigida vidua sanctissima de Regno Suetiæ clara habetur, multas revelationes habuit informativas ad omnem statum Ecclesiæ, & ordinem instituit cujus ipsa Patrona est. Festum ejus agitur XXIII. Julii.

Ordo Salvatoris qui vulgariter dicitur ordo beatæ Brigidæ circa hæc tempora inchoatur, cujus Regulas ipsemet Salvator dictavit.

Joannes de Rupe scissa de ordine Minorum prædixit futura de duobus Anti-Christis & desolatione terrarum & generali conculcatione Cleri & reductione totius orbis ad fidem Christi pluraque alia ante annum Domini MCCCLXX. quæ dixit revelata a Domino Jesu, sed non evenerunt, & diu municulis tentus grandia scripsit de futuris.

Caterina de Senis Virgo incomparabilis sanctitatis hoc tempore claruit, vitam ejus scripsit Raymundus ordinis Prædicatorum Confessor ejus obiit anno Domini MCCCLXXX. Multum justificavit partem Urbani VI. dicendo eum esse indubitatum papam. Habuit secum Virginem filiam beatæ Brigidæ, & alios plures utriusque sexus homines venerabiles MCCCL.

Gregorius Papa XI. sedit annis VIII. dictus fuit Petrus de Belforte Lenonicensis diœcesis obiit Romæ in pace Christi: post eum sequitur tribulatio, quam Dominus beatæ Brigidæ præostendit propter peccata Clericorum.

Urbanus Papa VI. sedit annis XI. Qui electus fuit in urbe propter vim Romanorum: sed Cardinales hoc metu fecerunt quapropter fugientes ad urbem Fundorum dixerunt ipsum non esse Papam & eligerunt loco ejus Dominum Robertum de Gibennis eodem anno, qui dictus est Clemens VII.

Clemens VII. qui habitus est Papa an. XV. Et hic oritur scisma XXII. omnium scismatum quæ ante fuerunt pessimum: adeo enim perplexum fuit ut etiam doctissimi & bonæ conscientiæ viri non valerent discutere, cui magis esset adhærendum, fuit continuatum per annos XL. cum scandalo grandi totius Cleri & gravi jactura animarum, propter hæreses & alia devia,

via, quæ tunc pullularunt, eo quod non esset disciplina in Ecclesia contra hujusmodi, & ideo ab isto Urbano VI. usque ad Martinum V. nescitur quis fuerit Papa.

Festum visitationis instituitur ab Urbano VI. secundum formam Sacramenti Eucharistiæ propter impetrandam unionem merito Beatæ Mariæ Virginis.

Bonifacius IX. an. XV. eligitur Romæ loco Urbani dictus fuit Petrus de Thomacellis & continuatur scisma MCCCLXXXVII.

Benedictus XIII. sedit annis XXII. electus fuit in Avinione in locum Clementis & dicebatur Petrus de Luna & perduravit usque ad Concilium Constantiense: Sed nec tunc quidem obedire voluit & semper pertinax mansit moriens: tandem in Regno Aragoniæ jussit suis Cardinalibus, quod statim alium loco sui eligerent & quod effecerunt, & ydolum elevantes Clementem VIII. vocaverunt; sed nihil profecerunt.

Rupertus alias Ropertus imperavit annis IX. Dux Bavariæ fuit & Comes Palatinus Rheni Vir justus & Catholicus coronatus a Bonifacio IX. Hic cum grandi exercitu Almanorum intravit Italiam contra Joannem Ducem Galeaze: sed cum jactura gravi rediit dignus habitus, ut pro justitia pateretur.

Joannes Rüsbroeth clarus habetur vir admodum devotus & illuminatus, multa scripta reliquit in theutonico.

Hæresis perversa Joannis Wyclef in Anglia & Joannis Hus in Bohemia a Hyeronimo de Praga pullulavit, & multos infecit, & sub habitu ovino lupinam crudelitatem abscondentes totum Ecclesiasticum statum subvertere nitebantur, adjuvit eos tempus pessimum propter scisma.

Innocentius VII. sedit annis II. fuit electus Romæ, in locum Bonifacii: dicebatur autem Cosinarus de Aperusio.

Gregorius XII. sedit annis XII.

Sigismundus filius Caroli imperavit annis XXVII. fuit Rex Ungariæ, vir Christianissimus & humillimus adeo devotus ut merito Canonizari debuisset juxta quorundam piorum vota; hic afflictæ Ecclesiæ pene desolatæ sua mirabili sapientia & industria succurrit, nec in aliquo sibi ac suis pepercit, donec plena unio fieret, contra Turcos infideles. Novem bella habuit ubique triumphando. Quid ultra? quæ de Constantino, Theodosio, Carolo, Ottone cæterisque dignis Imperatoribus laude digna scribuntur, huic secure possunt applicari.

Cometa apparuit valde singularis Anno MCCCCVIII. & statim post Leodium cecidit XL. M. interfectis. Et Domini Pruteni contra Regem Poloniæ bellantes superati sunt occisis XL. millibus.

Concilium Pisanum in quo inchoata fuit materia de modo faciendæ unionis: duos enim deposuit & tertium substituit, & sic pejor scissura facta est, quia non valuit exequi bonum, quod decrevit.

Bohemia vastatur atrociter per Sigismundum & Principes Alamaniæ propter hæresin Hussitarum, & fuit Crux data, & prædicata contra eos.

Concilium Constantiense magnum, in quo fides Christiana quæ jam multis annis quasi titubare videbatur fortiter exurrexit: ibi scisma pessimum XL. annorum finitum est: ibi Hæreses damnatæ, & duo hæresiarchæ scilicet Joannes Hus & Hyeronimus combusti fuerunt, & plura bona instituta. Determinavit etiam eadem sancta Synodus, quod Consilium legitime congregatum repræsentans, uuiversalem potestatem habet immediate a Christo.

Franci in Turchia miserabilissime ceciderunt, propter superbiam, quia noluerunt audire consilium Sigismundi, & captus fuit Dux Burgundiæ aliis interfectis. Qui post infinitum sanguinem in Christianitate vidit juxta præsagium cujusdam Pagani Astrologi.

Itemque Joannes Dux Burgundiæ idem Regnum æque laceravit & ipse traditorie occiditur in conspectu Regis Franciæ statim post treugas initas cum Sacramentum divisum ambo sumsissent, & sequuntur multa mala longo tempore: Tandem Dominus Cardinalis sanctæ Crucis ordinis Carthusiensis pacis modum inter eos reperit; sed Anglici noluerunt recipere: sed Burgundi tantum.

Alexander V. sedit anno uno. Græcus fuit electus in Consilio Pisano dicebatur Petrus de Candia, & sic additum fuit scisma scismati: quia tres gerebant se pro summis Pontificibus.

Joannes XXIII. sedit annis IIII. dictus erat Balthasar de Coxa; qui successit Alexandro & primum quidem bene inchoavit pro unione & fuit in Concilio Constantiensi: & obtulit cessionem Papatus: Sed post damnatus latenter fugit & tamen nil profuit ei: Capitur tandem & sic cessit coactus; factus etiam Cardinalis sepultus Florentiæ, & hic scisma XXII. quod duravit annis XL. finiit anno Chr. MCCCCXIIII.

Martinus Papa IIII. Romanus sedit annis XIIII. fuit electus per Consilium Constantiense depositis aliis contendentibus qui diu scisma tenuerunt. Hic fuit Papa potentissimus super omnes dives, & Justiciarius, plateas & stratas publicas securas reddidit, hæreticos delevit, multa bona patravit, & adjuvante sibi inclito Principe Sigismundo pro Terra Sancta recuperanda multos thesauros congregavit, sed morte præventus res impedita fuit. Et concilium etiam brevi ante mortem congregari jussit in Basilea Anno Christi MCCCCXXVIII.

Eugenius IIII. sedit annis XIIII. Hic erat dictus Dominus Gabriel de Venetiis; Fuit electus pacifice in urbe mortuo Martino, & indubita-

bitatus Papa. Sed postea breviter expulsus de Roma fuit ita ut nudus fugeret: Item a Concilio Basiliensi citatus & etiam depositus fuit. Sed non curavit; & hic iterum oritur scisma, quod duravit usque ad mortem ejus. Qui favebant sibi, multa laude digna de eo dixerunt, qui adversabantur plura enormia sibi imposuerunt, tamen quicquid est, ante susceptam dignitatem fuit vir abstractæ vitæ & bonæ famæ: Ipse etiam Romam recuperavit adjutus a Venetis & majorem obedientiam habuit.

Albertus Imperator imperavit anno I. Electus est Franckfordiæ. MCCCCXXXVIII. die XVIII. Marcii. Fuit Dux Austriæ & gener Sigismundi & ideo assumptus fuit in Regem Bohemiæ & Ungariæ, propter filiam scilicet ejus quia alium hæredem non reliquit, hic electus fuit in regem Alamania: sed statim intoxicatus obiit, Vir utiq; virtute præditus & adeo pius, ut tota plebs diceret, quod mundus ejus præsidentia non esset dignus: reliquit unum filium parvulum, cui simile contingit & duas filias.

Tres soles hoc tempore visi sunt in cælo & sequitur statim triplex regimen in Ecclesia. Scilicet Eugenii, Concilii & Neutralitatis. Item Anno Christi M.CCCCXXXIIII. fuit ventus maximus.

Concilium Basiliense in quo multa bona instituta fuerant pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris habuit principium gloriosum & finem humilem & tribulatione plenum propter scisma. Mirabilis rerum eventus prævaluit Concilium Constantiense contra tres Papas, eos dejiciendo & quartū constituendo, cum tot haberet adversitates, & a nullo confirmatum fuit: Istud autem tanta auctoritate collectum & confirmatum, nec unum potuit vel in modico reducere, ad Normam sui præpositi imo est contra: processus ejus impeditus fuit ab uno, ibi debile principium & finis gloriosus. hic contra scisma XXIII. inter Eugenium & Felicem duravit annis XVI. & fuit res satis nova & ante hæc tempora non audita, quia Concilium Basiliense deposuit Eugenium unicum & indubitatum Papam & quod non servaret decreta concilii Constantiensis, ut dicebatur, nec obedire curavit Concilio Basiliensi, asserens magis econtra debere fieri. Unde oritur magna altercatio scribentium de hac materia pro & contra. Una pars dicit Concilium esse supra Papam, alia pars dicit quod non, sed Papa est supra Consilium. Felix Papa V. sedit an. IX. eligitur M.CCCC.XXXIX. die XVII. Novembris. Eugenius depositus fuit X. Julii anno eodem. Iste Felix fuit Dux Sabaudiæ Princeps devotus & senex vidit filios filiorum suorum cum jam celebrem vitam duceret electus est in Papam a Concilio Basiliensi deposito Eugenio, & fuit scisma longo tempore, & non habuit magnam obedientiam quia Neutralitas subintravit: tandem defuncto Eugenio cessit: Nicolaus propter favorem unionis factus legatus Franciæ, & Cardinalis Sabinianus Papa creatur.

Fredericus III. imperat annis. Fuit Dux Austriæ electus in regem Alamaniæ & diu distulit coronari a Papa propter scisma: Tandem facta unione a Nicolao V. cum magna gloria imperiali diademate extitit in urbe coronatus vir utique pacificus & quietus & patientiæ singularis, nec odiens Clerum: filiam quoque Regis Portugaliæ duxit in uxorem:

Constantinopolis capitur a Turchis tradita per quendam Januensem qui post triduum a Turcho constituitur rex juxta promissum; & die IIII. decollatur: multi Christiani trucidati sunt, innumerabiles venditi: Imperatoris corpus jam mortuum decapitatum fuit livore Turchi, & periit pene totaliter fides in Græcia.

Ludovicus Arelatensis Episcopus Cardinalis moritur: vir sanctæ vitæ ac miræ patientiæ miraculis coruscans, singularis columna Concilii Basiliensis cui diu præsidit.

Bernardinus frater Minorum, qui novam reformationem inchoavit, moritur miraculis fulgens. Joannes de Capistrano discipulus sancti Bernardini statim post obitum sancti Bernardini præfuit novæ reformationi miraculis claret, moritur M.CCCCLVI. habita victoria contra Torcos.

Bella plura in diversis partibus diu continuata in Westphalia, in Pouscia, in Flandria, in Anglia, in Romania, in Suevia, in Maguntia: Anno Christi M.CCCC.XLII.

Nicolaus V. sedit annis VIII. Electus est in urbe loco Eugenii adhuc pendente scismate, paulatim ubique obtinuit obedientiam mirantibus cunctis quod vir humillimæ nationis sic prævaleret contra Ducem Sabaudiæ, qui fuit quasi affinis cunctis Principibus Christianitatis. Sed statim sequenti anno vivo rediit cedente Felice, quia placuit domino per abjecta mundi glorificare nomen suum: Hic fuit Magister in Theologia totus activus, & in conceptu locuplex multa diruta reædificavit, & grandem murum Romæ in circuitu palacii construxit, & mœnia Romana reintegravit. Idem habuit annum jubilæum Anno M.CCCC.L. canonizavit sanctum Bernardinum.

Calixtus III. sedit annis III. mens. V. Catelanus fuit, senex electus, & continue infirmus: vir Eleemosynarius, Adjutor Pauperum nec potuit perficere suum zelum, quem contra Turcos concepit morte præveniente: Electus fuit anno Christi M.CCCC.LV. ipso die sancti Sixti, in quo festum transfigurationis instituit.

Anno uno elapso canonizavit sanctum Vincentium: Festum autem Transfigurationis instituit pro gratiarum actione victoriæ miraculosæ factæ contra Turcum in Ungaria. Victoria miraculosa cœlitus datur Christianis in Ungaria trans Danubium contra Turcum, & perdidit multos, & fugit turpiter timore hostium percussus, cum nemo eum persequeretur, sola manus

manus Dei terruit eos in die sancti Sixti Anno Christi M.CCCC. LVI.

Joannes de Capistrano præsens fuit ibi, & provocavit populum trepidantem ad persequendum infideles fugientes, & facta est ultio magna.

Cometa magna visa est, terræ motus magni in toto Siciliæ Regno, & in Neapoli, ædificia plura terræmotu sunt diruta.

Alfonsus Rex Aragoniæ & utriusque Siciliæ vir Regno dignus, virtute præditus, & viros doctos honore, & donis prosequebatur, liberalis, humanus, & affabilis diem suum obiit.

Æneas Silvii filius de nobili familia Picolominum urbis Senæ ortus, vir eloquens & orator bonus, poëtaque laureatus; Imperatoris Legatus ante fuit, & in Concilio Basiliensi tractatum pro ejusdem auctoritate scripsit: Ejusdemque civitatis Episcopus, & Cardinalis sanctæ Sabinæ: Romæ in Pontificem maximum anno Christi M.CCCC.LVIII.XIIII.Kalend. Septembris electus: Numerumque Pontificum Ducentesimum decimum nonum sortitus, Pii secundi nomen accepit.

Pius Secundus Papa sedit annis V. mens. XI. dies XXVI. idem Papa conventum Principum Christianorum ad consultandum de bello gerendo adversus Turcos Christiani Nominis hostes Mantuæ celebrandum indicit, & per mensem Januarium de sua sede Roma discedens, eo spretis difficultatibus omnibus alacri animo sese confert.

Idem Regnum Neopolitanum, quod vulgo Siciliam citra Pharum nominant, Ferdinando filio olim Alfonsi Regis Aragoniæ, ac ipsius Neapolis sub censu annuo XLVI. mill. aureorum tradit, & eundem per Legatum Apostolicum in Regem coronat, recepto Benevento in ditionem Ecclesiæ, quod a Patre ejus invita Ecclesia detinebatur.

Idem Mantuæ pridie Idus Julii Episcopos Prothonotariis Romanæ Ecclesiæ publico decreto præferri sancit.

Jacobus cognomento Gutenberger patria Argentinus, & quidam alter, cui nomen Justus, imprimendarum literarum in membranis cum metallicis formis periti, trecentas cartas quisque eorum per diem facere innotescunt apud Maguntiam Germaniæ civitatem: Joannes quoque, Mentelinus nuncupatus, apud Argentinam ejusdem provinciæ civitatem, ac in eodem artificio peritus totidem cartas per diem imprimere agnoscitur.

Mantuæ ad Kal. Octobris in publico Christianorum consessu bellum triennale adversus Turcharum gentem unanimiter gerendum decernitur.

Secundo Kal. Januarii decretum est ad bellum adversus Turchos administrandum, ut Sacerdotes decimam, Judei vigesimam, Populares Trigesimam sui census partem Pontifici maximo viritim pendant.

Quarto nonas Januarii Bessarion Episcopus Thusculanus Cardinalis, cognomento Nicerius, in Germaniam provinciam bello furentem pacandæ gentis causa, ductandæque eam adversus Turcos legatur.

Decimo quarto Kal. Februarii idem Pontifex rebus a se jam bene dispositis ad bellum Turcense gerendum e Mantua solvens ad propria remeat, & apud Senam patriam suam pacandarum seditionum civilium causa subsistens, illic per mensem Martium Cardinales quinque creat, inter quos Franciscum Piccolomineum Senensem suum Nepotem sancti Eustachii diaconum.

Antonius Piccolomineus eques auratus hujus Cardinalis frater uxorem accepit Regis Ferdinandi filiam: Et Rex ipsum Ducem Malfensem constituit.

Anno Christi M.CCCCLIX. Decimo quinto Cal. Aprilis Senæ ad primam horam noctis terra mota est. Olim sub Eugenio IIII. Romano Pontifice unione facta inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam: cum eam tamen Præsules Ecclesiarum non servarent, ecce Marcus Alexandriæ, & Joachim Antiochiæ, & Joachim Jherosolimorum Patriarchæ, ignorantiæ tenebris excussis, & fidei lumine a Pio secundo illustrati per Legatum suum Moysem cognomento Gilbetum ac Antiochenæ Ecclesiæ Archidiaconum quæcunque Romana Ecclesia tenet sese servaturos promittunt Senæ VI. Cal. Maji.

Decimo quinto Cal. Augusti ad horam diei decimam sol ad mediam horam deficit per mensem Augustum: Sigismundus Dux Austriæ ob id quod Nicolaum Episcopum Brixinensem Cardinalem sancti Petri ad vincula posita obsidione per injuriam ceperit: per publicam sententiam Pontificis a Ducatu deponitur.

Per mensem Septembrem Monabasia Civitas Metropolitana in Peloponesso a Turcis oppressa Romanæ Ecclesiæ sese tradit.

In mense Novembre Sigismundus Pandulfi Arimini Civitatis Romanæ Ecclesiæ vicarius, Novennio cessans a solutione census, fidelium communione privatur.

Per eundem mensem ad horam septimam noctis terra mota est.

Per mensem Martium Genuenses excusso jugo Gallicæ damnationis, in libertatem suam sese vindicant & Prosperum Adornum populi Ducem creant Anno M.CCCC.LXI.

Decimo tertio Kal. Julii. Katerina patria Senensis tertii ordinis Prædicatorum a Pio II. Pontifice maximo sanctorum Catalogo connumeratur anno Christi M.CCCC.LXI.

Per eundem mensem Genuenses pulso Prospero Adorno eorum duce Ludovicum Campofregosum dominationem urbis usurpantem in ducem recipiunt.

Per

Per eundem mensem Carolus Rex Francorum extremum diem claudit: & Ludovicus ejus filius in Regnum succedit.

Per mensem Octobris Karulotta Regina Cypri a fratre Spurio Regno pulsa Romam ad Pontificem actutum contendit & ejus hospitio benignissime excepta viribus Ecclesiæ in Regnum reduci implorat.

In agro Romano apud Tolfam opidum idem Pontifex aluminis fodinam exuberantissimam primus invenit instituitque.

Per eundem mensem Jacobus Mellinus natione Francus hospitalariæ domus sancti Joannis Jherosolymitani magnus Magister, Rhodique Princeps, moritur & in demortui locum Petrus Raimundi cognomento Sacosta, & natione Aragonensis, sufficitur.

Quinto Kal. Decembris ad horam quintam noctis terra vehementer mota: Castellum sancti Sani Agri Aquilanæ civitatis, ipsiusque civitatis bonam partem subvertit.

Decimoquinto Kal. Januarii idem Pontifex in Cardinales delegit Bartholomeum Archi-Episcopum Ravennatem, cui in Titulum dat Ecclesiam Sancti Clementis, Item Jacobum Episcopum Papiensem, quem Sancti Crisogoni Cardinalem nominat, Item Joannem Episcopum Atrebatensem, quem vocari jubet Cardinalem tituli Sancti Martini in Montibus, Franciscum insuper Ludovici Mantuani Principis filium & Apostolicæ sedis Prothonotarium, cujus titulus est Ecclesia Sanctæ Mariæ novæ, eidem ejusdem Ordinis Prothonotariorum Ludovicus de Libreto Natione Gallus associatur; Ecclesiam Sanctorum Petri & Marcellini in titulum sortitus: inter hos etiam Episcopus Urgelensis conscriptus nominatur tituli Ecclesiæ Sancti. - - -

Anno Domini M.CCCC.LXII. XVI. Kal. Maji Ludovicus Francorum Rex Pragmaticam Sanctionem in regno ejus per seditionem adversus Romani Pontificis potestatem olim obortam, & a Patre suo Karulo longo tempore sustentatam prorsus a regni sui finibus eliminat, liberam Ecclesiastici imperii potestatem Papæ restitui mandans, Joanni Episcopo Atrebetense Legato Apostolico procurante.

Thomas Despotus Paleologus Porphyrogenitus ex Patrarum urbe in Italiam commeans Turcorum obsidionem fugiens inde secum caput Andreæ Apostoli Anconam devehit: & fidele Christianis obsequium præbens per Alexandrum Cardinalem Sanctæ Susannæ Apostolicæ sedis Legatum illud Romam ad Pontificem dono transmittit X. Kal. Maji, maxima populorum comitante caterva.

Quinto Cal. Maji Sigismundus Pandulfi Malatestarum Degener pro Romana Ecclesia Arimini Princeps, ob continuatam ab ineunte ætate flagitiorum multitudinem, ob spretam clavium Ecclesiæ potestatem, & futuræ vitæ contemptum, & Sacramentorum parvi pensionem ab omni potestate & dignitate deponitur, & cum hæreticis deputatus æterno igni damnatur.

Per mensem Aprilem Pascalis Maripetrus Venetorum Dux vita decedens Christoferum cognomento Morum a Senatu electum Potestatis successorem recipit.

Fanum urbs Flamineæ speciosissima a castris Ecclesiæ diutius obsessa ductu Nicolai Cardinalis Theanensis, Sigismundo Pandulfi Malatestarum Degeneri homini de hæresi damnato VII. Kalen. Octobris fœliciter adimitur anno Christi M.CCCC.LXIII.

Senogallia urbs vetus in Picentibus, cui idem Sigismundus dominabatur ab eisdem castris, ejusdemque Nicolai Cardinalis Theanensis ductu obsessa a præfato Sigismundo deficiens ultro per deditionem in potestatem Ecclesiæ VIII. idus Octobris devenit.

Idem Pontifex personalem profectionem adversus Mahimetem Turchorum regem XI. Kal. Novembris indicit.

Paulus Campofregosus urbis Genuæ Antistes ac alti cordis vir, Ludovicum etiam ejusdem gentilitatis hominem populique ducem ducali dignitate spoliat, atque arrepta urbis dominatione ipse totius reipublicæ gubernacula suscipit.

Joannes Comes Armenici in regno Franciæ, in cujus ditione quadringenta oppida esse feruntur, rem cum sorore habet ex eaque prolem suscipit: Inde a Pontifice, quo ei liceat sororem in uxorem habere poscit, repulsa accepta, fautore Ambrosio Gallico Episcopo Electensi fictas literas, quod optat continentes, ex curria Pontificis surripit: re cognita uterque, Comes scilicet a Rege, & Episcopus a Papa de gradu suo dejiciuntur.

Anno Christi M.CCCC.LXIIII.

Paulus Campofregosiæ gentis natus Genuæ Archipræsul, qui superiori anno ejus urbis dominationem arripuerat, tantæ rei molem sustinere posse diffisus, urbem ipsam in Francisci Sforciæ Mediolanensis. Ducis potestatem tradit.

Cosmas Medices Florentinus non solum in sua Patria civis amplissimus, sed per totum orbem Christianum maximarum divitiarum nomine Clarissimus, Kal. Augusti decrepitus feliciter obiit.

Idem Pontifex Maximus in Turcense bellum vadens ob iter Anconæ XVIIII. Kal. Septembris diem claudit extremum, seditque annos quinque, menses undecim & dies viginti sex.

Petrus Barbus, Venetus tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis Pontifex maximus creatus Paulum secundum se vocari elegit III. Kal. Septembris die Jovis hora tertia.

Paulus

Paulus II. Papa sedit annis VI. Mensibus XI. Jacobus Nicolai Piccinini filius Comes Castri novi inclitus, magnique militaris equitatus Dux, atque dominus omnibus Italiæ Populis formidabilis, a Ferdinando Rege Neapolitano in convivium amice accersitus, inter epulas, quasi esca allectus, prehenditur atque carceri mancipatus, ibidem incerto mortis genere interiit VIII. Kal. Julii.

Conradus Suveynem, ac Arnoldus Panaroz, Udalricus Gallus, parte ex alia Teuthones, librarii insignes, Romam venientes, primi imprimendorum librorum artem in Italiam introduxere, trecentas cartas per diem imprimentes.

Deiphœbus in Romano agro Anguillariæ domus haud parvi potentatus Princeps, ob suam atque paternam in Ecclesiam Romanam perfidiam, ab eadem Ecclesia septeno dierum spatio vi armorum omni ditione exutus, Italiam extra profugit.

Petrus Medices Florentinus maximus in republica civis, ruri, in quo per æstatem diversabatur, ab æmulis concivibus trucidandus: qui ad id facinus patrandum circiter XVI. milia virorum alieni militis proprio sumptu clanculum comparaverant: re prius agnita in civitatem se proripit ac ibidem die unico collectis ad domum suam supra XL. mil. hominum suæ factionis adversarios terrefacit & eorum Principes ex decreto publico perpetua proscriptione damnari obtinet: in quibus fuere Nicolaus Soderinus, Angelus Acciajolus eques, ac Dietisalvius Neronis, etiam eques cum quinque fratribus suis mense Octobre M.CCCCLXVI.

Anno Christi M.CCCC.LXVI.

Franciscus Sfortia inclitus Mediolanensium Dux diem claudit extremum.

Et Galeatius Maria suus primogenitus eidem VIII. nonas Martii succedit.

Anno Christi M.CCCC.LXVIII. Idem Pontifex Maximus pacem universorum potentatuum Italiæ invicem diffidentium conficit atque promulgat VII. Kal. Maji.

Maometh Amorantti filius Turcæ gentis potentissimus Princeps, Christianis omnibus formidabilis, Insulam Euboiam, quam nostra ætas Nigropontem nominat, aliquamdiu ab se obsessam, Venetis illi dominantibus eripit, mactato universo populo, quem in ea invenire potuit XIIII. Kal. Julii.

Jorsovicus Bohemiæ Rex a Pio secundo Pontifice Maximo superioribus annis de hæresi juridice condemnatus, a Paulo secundo Pontifice Maximo successore sententiam exequente, regno spoliatur, capiturque simul cum filio suo Victorino, ac vinculis truditur, executionis hujusmodi ministerium gerente Mathia Panoniæ Rege inclyto, cui & in præmium factæ executionis ipsum Boëmicum Regnum ab Apostolica sede dono tribuitur.

Cum dudum Bonifacius Papa VIII. plenariam peccatorum remissionem, quam nostra religio Jubileum nominat, quolibet centesimo anno a Christi nativitate inchoando Christicolarum generi fore erogandam sanciverit: Postmodumque Clemens Papa VI. hoc spacium ad quinquagesimum quemque annum restringendum duxerit, Urbanus subinde Papa VI. sic in sua obedientia nuncupatus propter humanæ vitæ brevitatem dictum quinquaginta annorum tempus, ad quemque trigesimum tertium annum coartaverit; Demum ætate nostra Paulus Venetus Papa II. propter nimiam humani generis caducitatem in vigintiquinque annos dictam plenariam indulgentiam Christi fidelibus tribuendam providentissimo decreto suo constituit. Est autem Jobil hæbrayce annus quinquagenarius, ut in Eusebio Jheronimi de temporibus scriptum invenimus.

Idem Papa omnes Italiæ potentatus superioribus annis universalis pacis vinculo sua auctoritate invicem conciliatos; eosdem noviter percussi fœderis nexu magis atque magis devincit stringitque.

Idem Pontifex palatium Sancti Marci dirutum ibidem sua impensa pulcherrime reædificare ac Ecclesiam ejusdem ornare fecit.

Urbini ædes magnificentissimæ ejus urbis invicti Comitis Frederici jussu atque impensa Pauli II. Pontificis Maximi temporibus inceptæ nec dum consummatæ propter illarum ornatum ac magnitudinem.

Neapolio quoque Comes Taleacocii in Braciano sito non procul a lacu, ædes erexit, & ad usum bellicum, si acciderit, opere ac loci natura munitas & ad habitandum accomodatas: Sed neque magnificentia, neque hortorum amœnitate, neque aquæ ductuum irrigatione, porticuum, aularumque magnitudine his cedunt, quas construxit ædes in Vico Varronis Joannes de Ursinis Tranensis Archi-Episcopus & Abbas Farfensis: Namque si ad loci situm habitumque respexeris saluberrimas, si ad magnitudinem nullarum postremas: Si ad ornatum atque structuram omnium pulcherrimas judicabis, loci vero ipsius natura atque arte inexpugnabiles, nulli unquam hostium pervias, Pontificibus, Regibus, Principibus, præclaris denique omni virtute viris semper patentes.

Anno Christi M.CCCC.LXIX.

Fredericus Imperator IIII. semper Augustus Romam in habitu nigro devotionis causa venit, cui idem Pontifex magnos imposuit honores.

Idem Pontifex postquam annos VI. & menses XI. Apostolicam sedem gloriosissime gubernavit capitis profluvio in fauces distillante repente

repente suffocatur VII. Kalen. Augusti, anno Christi M.CCCC.LXXI.

Franciscus de Rouore patria Sagonensis, frater ex ordine minorum, Theologiæ Professor sublimis, ejusdemque ordinis fuit Generalis, deinde Cardinalis tituli Sancti Petri ad vincula, in Cardinalatus tempore illa egregia composuit opuscula de Sanguine Christi, de Potentia Dei, & de Futuris contingentibus ab ipso summo Pontifice sancte præmeditata, graviter scripta, luculenter edita & apposite disputata, Romæ ad Apostolatus apicem anno Christi M.CCCC.LXXI. V. Idus Augusti faciliter assumitur, pristinumque nomen suum in Sixtum IIII. quod Papale nomen existit, mutat.

Sixtus Papa IIII. dum ad Sanctum Joannem Lateranensem coronationis causa ibat cum magna frequentia Populi, inter eundem prope Ecclesiam Sancti Joannis Lateranensis orta discordia inter Populum & milites, est ibi lapidibus & armis sævissime bellatum, cujus prælii causa summus Pontifex in maximo fuit periculo, tamen divina providente clementia illæsus evasit.

Homo liberalissimus, suosque Consanguineos liberaliter ornans, præsertim Lucissæ sorori suæ Matronæ dignissimæ, quæ e vita decessit sui Pontificatus anno primo funus honorifice cum fieri fecit cum constructione tumuli magnifici in Basilica Sancti Petri.

Venere Romam ad præstandam ipsi obedientiam Oratores innumeri a Potentatibus destinati præcipue Rex Ferdinandus Joannem Prothonotarium ejus filium claris Ducibus comitatum misit: pariter Dux Mediolanensis fratres ejus Aschanium Prothonotarium, & Franciscum Sfortiam Ducem Barensem. Rex Ferdinandus suam filiam Leonardo de Ruerre in uxorem collocavit. Hic Leonardus Nepos hujus Sixti erat, qui ab ipso Præfectus urbis & Dux Arciæ constitutus est: Fuit hic mirum in modum liberalissimus: Unam Dispoti sororem, quæ ex stirpe Constantini erat, suo impendio curavit, ut Dux Russiæ in uxorem acciperet & facta sunt Sponsalia ejus in Basilica Sancti Petri.

Regem Ferdinandum liberavit pro sua liberalitate a censu annuo LX.millium Ducatorum. Idem tamen Rex, ut superiorem recognoscere videretur, equum album faleratum per oratorem suum in die Sancti Petri post missam solemnem Pontifici donabat coram Cardinalibus cum magna reverentia: Hujus Ferdinandi Regis Lionoram filiam, ac Matronam dignissimam, Herculis Ducis Ferrariæ uxorem magno honore & multis muneribus idem Pontifex prosequutus est, dum ex Neapoli Ferrariam ibat: Nam per Cardinalem Sancti Sixti magnifice in urbe fuit recepta & apud Sanctos Apostolos magna pompa & convivio celeberrimo est honorata per totam Pontificis ditionem: Hujus Sixti expensis ipsa cum omni ejus comitatu liberaliter recepta fuit.

Hujus autem Sixti tempore, ut Italiæ pacem habuerint, externarum tamen rerum bellis ac cladibus insignita sunt: Siquidem & Aragonenses bellum ingens adversum Galliæ Regem Marte secundo gessere, & Joannes Rex Aragoniæ decrepitus, prudentissimus & invictissimus, ex diuturno bello, quod contra Joannem Ducem Andegavensium ad XII. annum protractum est variis utrinque acceptis illatisque Cladibus, Barchilonem recepit: & Siciliæ Rex Ferdinandus Joannem Aragonum Regis filium * accepta sorore Henrici Regis Castulonensium in Matrimonium, amicitiam, fœdusque perpetuum cum Principe Castulonensium contraxit: Unde Regnum ipsum Castulonense Aragonum Regi jure debetur, si Rex Castulonensium omni spe careat stirpis virilis. Solus igitur superest Aragonum Princeps qui tum fortunæ, tum corporis, tum animi bonis, tum totius orbis terræ judicio Castulonensium regno dignus est, & habetur; licet illum ad longe majora, modo ei natura fatumque longiorem vitam tribuerit, fortuna genuerit, produxerit, educavit.

Idem Pontifex creavit Cardinales X. Pontem ruptum sua impensa reficere fecit: in Vaticano hospitale Sancti Spiritus pulchro ædificio decorat, cujus fundamento primos lapides suis Sacrosanctis manibus imposuit.

Spoletum Tudertum & Castellum civitates sui Pontificatus anno III. per ejus nepotem Julianum Reverendissimum Cardinalem tituli Sancti Petri ad vincula Legatum plectuntur, ac a suis militibus deprædatæ fuerunt, propterea quod inobedientes sedi Apostolicæ fuere, & pene ab eadem sede desciverant: Hujus dignissimi Pontificis, in cujus Pontificatus anno III. scimus alia præclara gesta, aliis qui id cum majori re efficere poterunt, memoranda relinquo. Hic hujus temporis series terminum teneat.



XIX.

CHRONICON LVNEBVRGICVM

Vernacula lingua conscriptum atque ad Wilhelmum Regem Germaniæ extensum.

☆ ☆
☆

COnstantinus Leo quam an dat Rike, unde was daran XXXIIII. Jar. He was en Mordere unde en Gokelere un en Horere. Na deme Pavese Gregorio wart Paves Zacharias. Van des Paveses Rade quam it, en to Frankrike des Koninges Gewalt un des Groteren van deme Hus. De Koning Hilderich wart oc gestotten en en Closter. Do wart oc gewiet Pipin de Grotere van dem Hus to Koninge in der Stat do Sessun van Sente Bonifacio van Megenze. In den Tiden was Sente Burchard to Wurzeburch, de hof up Sente Kiliane. An den Tiden de Paves Zacharias vant dat Hovet Sente Gregorii to Rome. Do quam oc van Rome de Lichame Sente Viti to Frankrike. Na deme Pavese Zacharias wart Stephanus Paves, de quam to Frankrike, unde clagede deme Koninge Pypine over den Koning van Langbarden Aglistulfum. He quam oc to Sente Dionyse, unde wiede dar dat Munster, un stedegede dar an deme Rike den Koning Pypine, unde sinen Sone Karolum unde Karlomannum. He beswor oc de Vorsten van deme Lande, dat se nimmer ne keinen Koning nemen, wan van Koning Pypines Slechte. He losde se oc alle van deme Ede, den se gesworen hadden deme Koninge Hilderike. He gaf oc deme Clostere Sente Dionysii dat privilegium, das it der Koninge Hovet-Stat were, unde dat it de Ere Pallii hedde alse ene Ercebischop. De Paves Stephanus vor wider to Rome, unde brachte mit eme Sente Dionysii Hilichdom. He makede an sine Ere en Closter, dat het he en Criekesch Scole. In den Tiden quam de Koning Pypin to Langbarden, unde besat in der Stat to Paveia den Koning Aglistulfum, unde dwang ine dar to, dat he ime gaf de Stat to Ravenne mit deme Lande. Dat gaf de Koning Pypin Sente Petere to Rome. In den Tiden wart gemarteret de gude Riddere Sente Gangulf. Do wart oc vunden to Rome de Lichame Sente Patronille. Do starf oc Sente Othmar de gute Abbet. De Keiser Constantin makede en Concilium to Constantinopole mit dren hundert und drittich Bischopen; dar wart vorboden, dat jeman jeniges Hiligen Bilede hedde, dat quam dar - - - - to eneme groten Falle. De Keiser warp oc vile Hilichdome in dat Water, unde marterete oc manigen guden man, de ime nicht volgenne wolde. Na deme Pavese Stephano wart Paulus Paves. Constantinus de wart deme Stole to Rome to eneme groten Valle. He wart oc verstotten onde geblant - - - - an Sente Petere; want na disen Paves waren mer dan negentich Pavese, de waren alle uterkorene lude: se helden up de Werlet vor Gode mit ere Gude, mit erer Lere. Sider wurden se ettelike wandelbare, dat gescha darvan, alse man sprikt: Alse dem Manne wasset sin Gut, so wasset oc eme sin Mut. Na Constantino wart Stephanus Paves, de makede en Concilium, und vordomede alle de Dat Constantini ane de Dope; he vorben oc alle, de der Hilegen Bilede vorworpen. De Keiser Constantinus marterede do enen guden Man Stephanum, de vertich Jar Clusenere hadde wesen; he dwang oc alle dat Volk, dat se sworen by deme Hilegen Cruce, dat se nimmer nin Bilede noch nen Hilichdom bi in ne hadden: de des nicht donne wolde, deme nam he dat Gut und brac oc etteliken ut den Bart. He let oc mannigen guden Mann doden, de gerne durch Got de Martere leden. Darna starf de verdomede Keiser van deme wilden Vure; he rep oc, dewile he starf: ich bin gegeven deme ewigen Vure. De Koning Pypin dwang de Sassen dar to, dat se eme alle Jar gaven drihundert Perede. Darna starf he mit groten Eren. Na ime wart Koning sin Sone Karolus de Grote, de sider Keiser to Rome wart. In deme DCCLXIX. Jare van der Bort unses Herren Karolus de Grote des Koning Pipines Sone wart Koning over al Vranken-Lant na sines Vader Dode, und was dar an ses und nentich Jar. Der was he erst mit sine Broder Karlomanno an gelikeme dele. Na des Dode alene, und an Romischeme Rike XIIII. Jar. Vrankesch Rike wart bi ime gehoget mer dan bi jeneme Koninge. He was de erste Vrankeske Koning, de dat Romische Rike gewan, und was de erste, de je to Rome gewiet war. Van siner Bort ne vint man nicht gescreven, want dat sin Vader was de Koning Pypin, und sin Muder was geheden Berta. Sin erste Orloge was in Equitavia und an Waschonia, de Lant bedwang he mit groten Eren, und mit groten Arbeiden. Darna bat ene de Paves Adrianus, dat he ime hulpe van der unrechten Gewalt des Koninges van Langbarden, de was geheten Desiderius, den vordref he mit sineme Sone, und satte sinen Sone Pypine den Langbarderen to Koninge. Darna orlogede he uppe de Sassen mer den druttich

tich Jar mit groteme Schaden und mit groteme Arbeide. To jungest wart de Krig also gescheden, dat de Hertoge Widekint van de Sassen en Criste worden. He hof oc ut der Dopen den selven Hertogen Widekinde. Do wart gestichtet dat Bischopthom to Hamburch, allererst im satte dar enen Bischop, de het Eridagus, und sider dat Bischopdom to Halverstat, und to Padelborne, und to Munstere. He bedwang oc de Lant to Hispania, un dar to Britannia; he nam oc des Volkes over der Elve mit Mannen un mit Wifen vel dusent, de delde he allenthalven in dat Lant, darvan vindet man noch in al Dudischlant Wenedische Dorp. He bedwang oc dat Lant to Beieren, un brachte den Hertogen Tasselen dar to, dat he mit sineme Sone Monik wart. Deselve Hertoge hatte des Koninges Tochter van Langbarden Desiderii, un hatte de Hunen uppe des Koning Karles Rike gefort, dat he sinen Swager wreken wolde, den Karl vordreven hatte. Karl de Koning vor do mit groter craft in der Hunen Lant, dat nu iss Osterrik, dat was do vast van Watere un Broke, dat ir neman gewinnen ne konde. Uppe dat Lant orlogede he seven Jar, wante se sic ergaven. An den Tiden was des Landes Anegingе an deme Wate, dat geheten is die Ense, wante an den Bulgere Walt. Van deme selven Watere, wante an de Stat, dar no is de Ungeresche Porte, dat besched de Koning Karl to Dudischeme Lande, dat het no Osterrik; darinne orlogeden immer mer de Hunen, dat nu sint Ungeren, uppe Dudisch Rike. In deme selven Lande vant de Koning Karl groten Schat van Silvere un van Golde, den de Koning Ezzele un sine Nakomelinge van manegeme Lande gesammet hadden, van deme Schatte wurden de Franken rike. De Koning gaf is oc to den Closteren en michel del. Ime was oc underdan de Koning van Schotten unde van Ybernia. De Keiser van Constantinopole stedegete de Vruntschap under eme unde deme Koning Karle, swo sere he dat hatede, dat he sic des Keiserikes Namen underwunden hadde. De Koning van Persia sante ime sine Gafe van Golde unde van Pellele mit enen Orologio, dat was do in dieseme Lande en seltsen Dink. De Koning Karl buwede oc an allenthalven vil; dat Munster to Aken an Sente Marien Ere, unde enen Palas to Numagen, dat ander to Ingelheim. He buwede oc ene Brugge to Megenze over den Rin van Holte. Dusse brugge vorbarn desselven Jares, do he vorsched, van deme wilden Vure. Ju komme we weder to der Croneken. In deme DCCLXXVI. Jare van Godes Gebort Leo des Uvelen Keiseres Sone Constantini wart Keiser, de en unde seventegeste van Augusto, unde was dar an vif Jar. He was en vile gut man, unde beschenkede Clostere unde Moneke, de sin Vader de Uvele Constantin geuneret hadde, unde to der Ridderschap gedwungen, de makete he ettelike to Bischopen, unde dede in anderes gudes vele. Darumme quemen de Vorsten, unde baden, dat he in sinen Sone to Keisere maken wolde.

Dat widersegede he, wante se ime dat sworen' dat se nimmer mer van sineme Slechte Keisere nemen wolden. Allso wart dat Romische Rike to Constantinopole immer mer erve. An denselven Tiden bedwang de Koning Langbarden unde Sassen. In deme DCCLXXXI. Jare van Godes Gebort Constantinus Leonis Sone wart Keiser mit siner Muder Irena, unde was daran XVII. Jar; deme was gemahlet des Koning Karles Dochter, do gaf im sin Muder en ander Wif. An des Keiseres Constantines Tiden quam de Koning Karl to Rome, unde wart wol untfangen van deme Pavese Adriano, unde was to Paschen mit eme. Do dof oc de Paves sinen Sone Pypine, unde hof in ut der Dopen, unde vviede in to Koninge in Italia, unde sinen Broder Lodewike in Equitavia. Do vor Koning Karl wider an Dudischland, unde van de Sassen wider sic, uppe de vor he mit groter Trast, unde bedwang se mit groten Arbeiden. Do vor de Koning Karl aver to Rome, unde wart wol untfangen van deme Pavese Adriano, dannen vor he to Campanie, unde makede dat underdanich dem Stole to Rome. Allso vor he aver to Dudischeme Lande wider, unde makede enen Hof to Engelheim, dar quamen alle de Herren unde de Hertogen van Beieren; Tasselo unde sineme Sone wart dar vordelet Lant unde Lif. Do worden se mit des Koninges Orlove Monike beide. In den Tiden wart to Constantinopole en Sark vunden, an deme lach en dot Man, uppe deme vant man gescreven: Cristus de wirt geborn van ener Maget Marien, an den gelove ic, bi Constantines Tiden des Keiseres unde Irenen, o Sunne, so saltu mic aver sien. An den Tiden let de Koning Karl enen groten Graven maken van der Altmune wante an de Radenze, unde wolte, dat de Schepe gingen van der Donowe wante an den Rin. Dat Werk vordarf. An den Tiden vorsched Sente Burchard van Wurzeburch. Do starf oc die Koninginne Vasterat, unde wart begraven to Megenze to Sente Albane. In denselven Tiden wart Misschellunge twischen der Koninginne Irenen und ireme Sone Constantine, dat to leste de Keiser geblant wart van siner Muder Rade, di was sider alene vif Jar an deme Rike. An irme dridden Jare underwant sic Karl de Grote des Romischen Rikes. An denselven Tiden was di Sunne vorschaduwet 18. Dage, dat de Schepe an deme Mere erre wurden; dat se alle spraken, it wera darumme, dat de Keiser geblant were. An den Tiden starf de Paves Adrianus, unde wart gekoren Leo, des groten Karles Broder, de sante to hant deme Koning Karle de Slottel van Sente Peteres Altare, unde den Vanen van Rome. Na Eridago dem Bischope van Hamburch war Sente Ancharius Bischop, de predegede den Denen unde den Sweden den rechten Loven, unde stichte dat Godeshus to Ramesle durch den Vorchten der Heidenen, de Hamburch tostorden. Sente Willehardus quam van Engelant, unde wart Bischop to Brem, de predegede oc den rechten Loven.

Do vvolden de Romere van ireme Homude sic undervvinden der Keiserlichen Walt, des vviderstund in de Paves Leo. Durch den Torn lageden se ime, unde viengen ene, do he solde riden in der Procession to Sente Laurentio, unde braken ime sine Ogen ut, unde sneden ime sine Tungen af - - - - - - - - - - desse Missedat, unde nam den Paves, unde vordein mit ime vveder to Spolith. Do karden de Kriken van Rome mit der geistliken Walt, alse se van in karden mit der vveltliken Herschap. Do dede Got grote Gnade mit dem Pavese, dat he sende vvart, unde hadde jedoch ene vvitte Naren alse en Drat, vvante se eme mit eneme Scheremeszese utgeschneden vvaren. An den Tiden setten sic de Hunen vvider den Koning, unde stridden mit den Dudischen. Do vvart geslagen de Hertoge Gerolt, de dat Closter to Owe stichte in dem Bodense. Do de Koning Karl de Mere vornam van deme Pavese Leo, he sende sinen Boden na ime, dat he an Dudischlant queme, unde het ene bringen an de Stat to Palborne, dar untfeng he Sente Peters Vicarium mit groten Eren, unde helt in mit ime, wante he in wider to Rome sande. An den Tiden starf di Koningin Luckart des Koning Karles Wif. Na deren Vrowen Dode vor de Koning Karl to Rome. Do dat de Paves Leo vornam, he ret jegen ime, unde untfeng ene wol, unde ret do wider to Rome, im sop den Antfang des nien Keisers. Alsowart des anderen Dages de Koning Karl von der Pafheit, unde van den Senatoren mit groten Eren untfangen. Dat Romische Rike was wante an desse Tit to Constantinopole an deme Kore, unde an den Keiseren van deme Groten Constantine, de Constantinopole stichte, wante an den Koning Karle, mit deme quam dat Rike an de Vranken, unde darna an de Dudischen Herren. Sint de Dudischen Vorsten den Kore gewunnen, de Koninge van Vrankrike hateden dat sere, unde andere Koninge senedereden oc gerne dat Rike. In deme DCCCI. Jare van der Bort unses Herren, Karolus de Grote wart to Rome Keiser, de dre unde seventegeste van Augusto, unde was daran XIIII. Jar. Dat gescha alsus. Do de Koning Karl in deme Hilegen Dage to Winachten stunt vor Sente Peteres Altare to der Missen, de Paves Leo satte ime de Cronen uppet Hovet, er he is icht wiste, do wart he beropen Keiser unde Augustus mit groteme Love over al dat Volk; do wiede in oc de Paves Leo to Keisere, unde erede ine mit den Senatoren, alse men den alden Keiser darvore hadde gedan; swenne ere Bilede van Constantinopole to Rome wart gebracht. Na deme Kore kneden, unde negen al gemene. De Koning Karl schuldegete to de Romere umme de Dat, de dem Paves Leone vvas geschen, dar ne vvas nemande dem Paves vorwinnen mochte der Schult, de se up ine latten. Do stunt de Paves up, unde untschuldegede sic up dem Ewangelio, unde siner Stolen. Do wart vordelet Lif unde Gut den de Paves geblant hadden, den halp des Lives de Paves Leo mit groter Bede. Se wurden vorsant iodoch an dat Ellende. Do vor de Koning wider to Vrankrike, unde bedwang to sineme Rike dat Lant to Denemarken, unde oc dat Lant to Behem. Do wart geseget Mere deme Koning Karle, dat to Mandowe were gefunden unses Herren Blut: do umbot he dem Pavese, dat he dat irvore. Dar na quam de Paves to Mandowe, unde besach dar de Warheit: dannen vor he to Vrankrike to deme Keisere, unde was dar ene Wile mit eme, sider let he ene mit Eren to Lande bringen. De Keiser Karl was an Godesdieneste vlitich, wande he was wol geleret, he sang oc selven mit sinen Kapellanen, he minnede sere ellende Lude, unde hadde so grote Kost mit armen Luden, dat he is ettewenne vit sere bekummeret wart, dat duchte ime allet sachte durch Got. He merede de Dudischen Sprake mit der Walschen, unde gaf den Maneden Namen unde den Winden, dat er den Dudischen unkundich was. He hadde oc ene Vrowen van Swaven geborn, die was geheten Hildegart, en heilich Wif, bi dere hadde he dre Sone, Karle unde Pypine unde Lalewike, de na ime Keiser wart. He hadde oc Kindere bi enemen anderen Wive, die was geheten Vasterat. He hadde oc andere Kindere genoch bi anderen Wiven. De Keiser Karl let sine Kindere alle leren, unde het ire hoden mit allen Vlite. He ne wolde siner Dochtere nine to Manne geven, dat was en grot Wunder, dat en so salich Man ute unde heime des nicht overwerden ne mochte. He ne worde beswerer mit sinen Dochteren, dat se mit kranken Luden betegen worden. Dat druch he mit so groter Dult, also he - - - - vornommen ne hadde. Do de Keiser an dat Alder quam, do schop he mit den Bischopen, dat se makeden Concilia, unde vorderen Godesdieneſt. He schop oc sinen Sone Lodewike to deme Romischen Rike, unde cronede ene selve mit der Vorsten Rade. Also vorsched de Keiser Karl mit gudeme Loven, unde wart begraven to Aken in Sente Marien Munstere, dat he selve hadde gebuwet; al dar is he upgenomen. Do Koning Karl orlogede in Hispania, he gewan Stade unde Burge, he dwang de Heidenen sere, unde makede se Gode horsam. Do he quam an dat Lant to Averne, de Heidenen stridden mit eme - - - de Koning Karl behelt jedoch de Walstat, unde wart der Heidenen vile geslagen. Do besat over Koning Karl ene Burch, di was geheten Arle. En Water vlot to der Burch under der Erde: heimlike in deme Watere brachte men in de Burch genoch alles des de bedorften, de darinne waren. Vor dere borch lach he seven Jar, unde ne mochte se nicht gewinnen, wante in stadelike quam in deme Watere beide Wete unde Win, dat war vormeldet unde tostoret. De Burgere stridden do mit Koning Karle, unde worden geslagen Heidenen unde Cristen dat se waren ane Tale, se ne mochte neman underscheden. Do bat Karl Got unsen Herren, dat he se selve underscheden wolde. Des anderen Dages lagen de Christen alle an schonen Sarken, de man noch hude dar sehen mach. Karl vor do dannen vor ene Burch, de was geheten Gerundo, de wart gegeven durch Hungeres-Not, unde vvur-

de wurden de Cristen alle de darinne waren, unde Gode gehorsam. Dannen vor he an Galliam, dar wurden geslagen alle de by em waren. Karl vile kune, untran an ene Woltenunge, he besat up eime Steine, unde bewenede sine Doden vile sere, unde clagede Gode sine Not. En Engel sich schenegede eme, unde sprach: Got de wil di helpen, unde geven guden Trost: du scalt senden in alle dine Lant, samenen alle de Megede, de sulen komen di to helpe, mit den saltu Sege vechten. Se seget, dat de Sten, dar Karl uppe sat, noch nat is van den Trenen, de he wenede. De Megede worden gesamenet, si quamen wol gewapenet to helpe Karle, alse se Man weren an Barte sere, ire waren seventlich dusent unde mer. Der Heidenen Wartmanne, do se de Schare sagen, to deme Heidenischen Koninge se spraken: Herre, vor hebbet de Alden geslagen, de jungen sin nagekommen. Si willet vvreken ire Alderen. Si sint alle ana Bart, dicke umme ire Bruste, vvol geschapen to Wige, du ne macht mit in nicht vechten: gif dich an Karles Gnade, unde vvirt - - - - - Dat gescha. Karl nam Giselen van deme Koninge, unde vor dannen vvider to Lande, he quam mit den Megeden gereden an ene grone Wese. De Juncvrowen bekanden alle wol, dat Got ere Helpe was, unde loveden ene mit groten vlite, se stickten ere Schechte nider an de Wesen, wante se uber Nacht dar beliven solden. In der Nacht ein Michel Wunder dar gescha: de Schechte begonden gronen, bloien unde loven. Karl do he dat Teken sach, he lovede Got unsen Herren, unde buwede in der selven Wese ene Kirken an des Heiligen Geistes Ere, unde Sente Marien, unde aller Godes Megeden, to Troste der Cristenheit, wante he durch de Reinecheit der Megede over de Heidenen den Sege behalden hadde. He buwede dar oc ene Stat, de het he Domscers, dat quit to Latine: Domini Sanctitas. Men seget, dat noch dar si en Walt, de het der Megede Schechte-Walt. Koning Karl orlogede oc mit den Sassen drittich Jar unde twe. Nen Jar ne was he, me neme groten Schaden van in, unde se van ime to allen Tiden, unde ne machte se ne vorwinnen, bit dat he Keiser wart. Do quam he mit allen Vorsten, over se, unde wan over se den Sege, unde sloch ere hundert dusent: he dref se up de Elvestath, dar loveden se den vreden. Se gaven eme Gislen, de wurden gesant an Vrankrike, unde ne quemen nicht mer wider. Hertoge Gerolt van Swaven sloch dot Koning Witekinde, dat Lant delde do Koning Karl an achte Bischopedom, unde durch dat se - - - weren, he let se ane Herren, dat se Godde horsam weren unde eren Bischopen, unde geven eren Tegeden. Dat stunt lange Tid: De Bischopedom weren Hamburch, dat wart sider geleget to Bremen; Kovende, dat wart geleget to Verden: Gersburch, Minden, Zize, Osenbrugge, Munstere, Palborne, dar leget Koning Widekin begraven. Men vint oc gescreven an eteliken Boken, dat Paves Leo were Koning Karles Broder, unde wart gesant durch Lere to Rome unde durch Tucht. Bi den Tiden was side, dat de Herren sanden ere Kindere to Rome, dat se lert worden, enne ne moste oc do nin Keiser werden, he ne were wol gelert. Leo gedech, dat he Paves wart durch de Leve vor Koning Karl to Rome dat he sege sinen Broder, unde oc durch de Gnade der Hilegen Apostelen Petri unde Pauli, do koren ene Romere to Keiser unde to Herren. Do he an dat Richte sat, Leo clagede dat Untrecht, dat men ime dede an Sente Peteres Erve, so stark aver ne was he nicht, dat he richten ime mochte; he vor wider an Dudische Lant, unde schop des Rikes achte. Underdes des Paveses Viande banden ene up enen Esel, unde sanden ene schantlike mit eneme Kapellane an Dudischlant na sineme Brodere deme Koning Karle. Do he sach geblant Gode to Lastere sinen Broder, he clagede it jamerlike den Vorsten al gemene, se sworen do alle Herevart tegen de untruwen Romere. He quam do to Rome vor de Stat mit vil groter Herescraft up der Hoge, de en dese half Rome is, lach he dre Dage, unde beidede Hertogen Geroldes van Swaven, den he vile lief hadde. De Romere untsculdegeden sich sere, se baden dar de Schuldegen, der Dat allene untgulden, se wolden eme wesen underdan, alse se to rechte solden. Di Stat wart geopenet: man seget, dat de Vresen erst darin quemen; darumme gaf in Koning Karl, dat se immer mer vri weren. Se weren dar vore so egen, dat se bande an deme Halse drogen, unde hadden lanc Har, nu sin se aver hobescoren to Bilede erer Vriheit. Do Koning Karl mit Craft in de Stat quam, de Schuldegen worden vormeldet, se quemen alle vore, he wolde se laten bevechten. Se spraken, it ne vvere eres Redes nicht, dat se vochten, se solden svveren. Do svvoren sie up deme Hovede Sancti Pancratii; de Vingere vellen in ave, sie untolum * an dat Munster Sancti Petri. Do vvart so vile Ludes geslagen schuldich unde unschuldich, dat men dat Munster van dem Blude drie Dage reinegede. Do quamen tosamene alle, de dar vveren, in dat Munster Sancti Petri: si baden alle unsen Herren vor den Paves, dat he sehnde worde. De Paves predegede selve, dar wart he sehende, unde lovede Got aller siner Wundere, de he to eme gedan hadde. Do richte Koning Karl mit eren allgelike Armen unde Riken. Dat Recht let he do scriven aller hande Manne unde Wife, de het men noch Karles Gebot. De Koning Karl hadde ene Sunde gedan, de hi nineme vvertlike Manne leggene vvolde, umme de bat Sanctus Ægidius, de sin Bichtere vvas Got unsen Herren, dat si offenbare vvorde. Des anderen Dages do he Missen sungen hadde, unde geven de Segenunge, en Bref quam gescreven vamme Himele, den vvisde in deme Koninge, darinne vvas gescreven di Sunde. He sprach: nemanne dot so uvele in disser Werlde, is he Gode horsam, unde dot he sine Bichte, dat Himelrike vvirt ime upgedan. Do Karl den Bref gelas, do vand he darinne gescreven: du hevest Godes Hulde. Dat ervvarf ime Sanctus Ægidius mit sinem Bede.

In deme DCCCXV. Jare van Godes Bort Lodevvich Keiser Karles Sone quam an dat Rike, de verde unde seventegeste van Augusto, unde vvas daran XXVI. Jar. Ime vvart to hant geclaget, dat de Romere den Paves Leonem vvolden slan. Do dat de Paves vornam, do solden mit sineme Bode de Romere vvesen geslagen. Darumme sande Koning Lodevvich sinen Neven den Koning van Langbarden to Rome, dat he dat irvore. Do vvart deselve Koning Bernard sick, unde sande enen Greven, de deme Koning Lodevvike de M..e vvider segede. Do sande oc de Paves sinen Boden, unde untschuldegede sic de Paves vor deme Rike. Darna vorsched de Paves Leo, na deme vvart Stephanus Paves. To hant do de gevviet vvart, he vor to Vrankrike na deme Koning Lodevvike, de vant he to Remis: da vvart de Koning to Keisere gevviet van deme selven Pavese. Darna starf de selve Paves schere, to he vvider to Rom quam. Darna vvart Paschalis Paves, de sande sinen Boden to deme Keisere, unde dede sine Unschult, det he ungerne Paves vvere. De Keiser Lodevvik stichte dat Bischopdum to Hildenshim an Sente Marien Ere; Do vvart oc gestichtet dat Closter to Torvera. Bi den Tiden vvas Willericus to Bremen Bischop. Do starf des Keisers Wif, bi dere hadde he dre Sone, Ludere, unde Pypine unde Lodevvige. Darna nam he en Wif van Svvaven enes Herren Dochter, de vvas geheten Welp; bi dere gevvan he Karle den Kalen. An den Tiden vvart gevviet dat Munstere to Vulte, unde Sente Bonifacius upgehalven. Do ried oc up den Keiser sin Neve de Koning van Langbarden, tegen den vor de Keiser mit groteme Here, unde dvvang ene dar to, dat he sic an sine Gnade gaf. De Ratgeven vvorden alle geblant. In den Tiden vant de Paves Paschalis to Rome Sente Cæcilien Licham al bludich, unde Tiburtii unde Valeriani unde Maximi, unde oc Sanch Urban. De Keiser Lodevvik sande sinen Sone Ludere to Langbarden, dat he des Rikes Ding dar schope. De selve Ludere vvart van deme Pavese Paschali to Rome geladet, unde vvart gevviet to Keisere aldar, unde Augustus beropen; dat ne vvas vveder sinen Vader nicht, de leve sider manigen Dach. Darna starf de Paves Paschalis: na eme vvard Eugenius Paves; an den Tiden scha en Wunder to Duringen; en vvrase vistich vote lang, unde vierteine breit, unde ses vote dicke vor ut der Erde van siner stat vif unde tvvintich Vote. In denselven Tiden bi deme Arnesse vvos di Erde ene Nacht ener Mile breit to ener groter Hoge. De Paves Eugenius sande Sente Sebastianus Lichamen to Sessun in de Stat, dar geschach tekene vile. Na Eugenio vvart Paves Valentinus, na deme Gregorius de vierde vvard Paves, de satte, dat men begeit Octavam assumtionis Sanctæ Mariæ; he satte oc, dat nin Leie ne stunde in deme Sanghuse, de vvile men Missen sunge: An den Tiden vvorden gebracht de Lichamen Martellini unde Petri van Rome to Saligen stat, unde Sente Vitus van Paris to Corveja, unde Sente Liberius van Vrankrike to Padelborne.

An denselven Tiden was en Maget, do si Goddes Lichamen nam, si levede dridde half Jar sunder aller hande Spise. De Keiser Lodewich nam guden Ende, unde ward to Metze begraven.

In deme DCCCXLI. Jare van Godes Bort Luder, des Keisers Ludewikes Sone, quam an dat Rike, de vifte unde seventegiste van Augusto, unde was daran XXXVI. Jar. Na sines Vader Dode quam de Keiser van Langbarden, unde de Koning van Equitania sin Neve, unde wolden vorstoten Karle den Kalen van sineme Rike: darvan vvard ein grot Orloge, dat vvard also gescheden, dat de Keiser Luder beheld de Langbarden mit dem Keiserliken Namen, Lodevvik Dudischlant, Pypin Equitaniam, Karl de Kale Vrankrike. De Keiser Luder de en is an der Keiserliken Namen, tale nicht, vvante he vvard gevviet ane der Vorsten Kore, he ne gevvan oc nie Dudisch Lant noch Vrankrike. Deselve Keiser Luder vvard Monich to Pröme. Na ime vvard sin Sone Keiser, de ander Luder, des Rike ne vvas nicht mer vvan Langbarden. Dit is de erste Keiser, de to Banne vvard gedan na Karles Tid des Groten, he starf oc darna vil schere. Do vvas Bischop to Bremen Ludericus: an denselven Tiden Sente Anscharius brachte Hamburch unde Bremen over en, dat vvaren er tvvene Bischopdom, Bremen vvas underdan to Colne: Hamborch vvas en Erzebischopdom, dat vvard do al en. In denselven Tiden - - - vvorden de Ungaren, de hadden do enen Koning, de het Stephen. Do vvart oc upgehaven Sente Martinus. Na deme Pavese Gregorio vvard Sergius Paves, na Sergio vvard Leo, na Leone vvard Benedictus. Dese Benedictus vvard vorstot van bosen Luden, unde vvard up ene gekoren Anastasius, dene vieng des Keiseres Luderes Bode, unde satte vvider den Paves Benedictum. Na Benedicto vvard Paulus, na Paulo vvard Stephanus, na Stephano vvard Nicolaus, na Nicolao vvard Adrianus. In den Tiden vochten de Vranken mit den Behemen, unde vvorden Segelos: do untogen sic de Behemen van deme Rike. Darna vvard grot Hunger; an den Tiden vvard grot Vesterve, unde de Hunde, de dat Aser aten, de vorvvorden, dat se neman levendich noch dot ne konde vinden. Do vvard gemordet Sente Meinrat de Ensedelere. Do de Keiser Luder starf, Koning Karl de Kale, des ersten Welpes Dochter Sone, unde des Keisers Lodevvikes Sone, undervvant sic des Rikes, unde vvart gevviet van deme Pavese Johanne. Dese dre Keisere Luder, unde sin Sone Luder, unde Karl de Kale des ersten Luderes Broder, de vvaren an deme Keiserrike Kranklike. Bi des Koning Lodevvikes Tiden, de do vveldich vvas over Vranken unde over Dudischland, als it bescheden vvas under den Broderen, dat Romische Rike vvard do so krank van der delende, dat des Keiseres Karles Sone unde sin Neven hadden gedan, vvande it vvas er der Delunge en Rike Lothringen unde Dudischlant, darvan vvorden de Keisere also kranc, dat se jungest den Ungaren Tins

Tins gaven. Do mochten se bat biddere danne bedere heten. Di Krancheit warede wante an den ersten Keiser Hinrike van Sassen, de erwerede sic der Ungeren, unde hogede wol dat Rike, unde oc sin Sone de Keiser Otto, wante an den Keiser Heinrike, de sinen Vader vordref; dat sal man allet vinden noch gescreven an dissen Boke. Nu vare we wider to der ersten Tale. Bi des Koning Lodewikes Tiden regenedet dre Dage unde vier Nacht Blut van deme Hemele in ener Stat to Langbarden. In denselben Tiden quamen to Walscheme Lande Worme, de heten sie Stapele, to Latine locustæ, de hadden Tanden hardere danne Stene, des was also vele, dat se dat Lant sere vorderften. Darna wart so grot Hunger, dat vil na de dridde Del der Lude verdarf. Darna starf de Koning Lodewike.

In deme DCCCLXXVII. Jare van der Bort unses Herren, Karl de Junge des Koning Lodewikes Sone gewan dat Rike, de LXXVI. van Augusto, unde was daran XI. Jar. Sin Broder Lodewik hadde Oster-Vrancken, Karl Dudischlant, Karloman Beieren, des Sone Arnolt sider Keiser wart. Darna starf Karl de Kale, des jungen Karles Vettere. Paves Johannes ward sere missevort van den Romeren, dat he deme Koning Karle nicht bistan ne wolde. Do vor he to Vrankrike, unde was mit dem Koning Lodewike en Jar. Na deme Pavese Johanne ward Marinus Paves, de wiede den jungen Koning Karle to Keisere mit sineme Wife. Na Marino wart Adrianus Paves, na Adriano Stephanus. In denselben Tiden worden to Vrankrike geslagen mer den negendusent Normanne. Do sammeten sic de Normanne mit den Denen, unde tovorden Vrankrike unde Lothringe, unde branden oc dat Pallas to Numagen. An deme selven Jare quam de Koning Godefrid unde Sifrid mit den Normannen mit groten craft unde branden Ludeke, unde Mastricht, unde Colne, unde Aken, unde Triere, unde stalleden ere Perede an den Kirken, unde voren al to Mezze. Do ward de Bischop van Mezze geslagen van in. De Keiser Karl vor do weder se mit Here, unde ward also gevredet, dat de Koning Godefrid en Kerste wart, dar to let ime de Keiser Vreslant, unde gaf eme darto en eddel Wif. Dem anderen Koninge gaf he Schattes vile. De Koning van Vrankrike gaf ime twolfdusent Mark, dat se ime Vrede gaven. Do let de Koning Karl dat Rike, unde starf darna schere.

In deme DCCCLXXXVIII. Jare van der Bort unses Herren Arnolt Karlomannes Sone gewan dat Rike de LXXVII. van Augusto, unde was dar an XII. Jare. He was geweldegere dan sin Vorevore, wande he hadde mannich Lant; wider den was de Hertoge van Mereren, de was geheten Zwentepolt, deme ne mochte de Keiser nicht wederstan. Do ladede de Koning Arnolt de Ungeren imo to Helpe, unde brak up de Veste, dar se mite besloten waren: also lerden se den Wech an Dudischlant, dat quam manegen Landen to Valle. Hiermit bedwang he den Hertogen. Do ward geslagen en Bischop van Wurzeborch, de was geheten Arne under der Missen to Sassen in deme Lande. Do sloch oc de Kuning Arnolt der Normanne en Michel Here. Darna vor de Koning Arnolt to Langbarden, unde schop dar des Rikes Ding. Dar na quam he to Rome, unde ward dar to Keiser gewiet. In denselven Tiden de Paves Formosus led van den Romeren grote Not, darumme ladede he to Rome den Keiser Arnolde, de let de Romere hoveden, de den Paves missevort hadden. De Strit twischen dem Pavese unde den Romeren gescha aldus: Do Stephanus dot was, en Del Romere kos Sergium, de ander Del Formosum, de was wol geleret. Do men Sergium wien solde, de Del Formosi dref Sergium van deme Altare; also ward Formosus gewiet. Sergius vor do to Tuscan to dem Markgraven Albrechte, dat he ime hulpe; dat gescha. Do Formosus dot was, de Markgrave satte Sergium to Pavese weder Bonifacium, de gekoren was. Deselve Sergius let Formosum ut dem Grave tien, unde let in setten an den Stol gegerwet, unde darna let he in hoveden. He sprach oc: do du Bischop warest, wat woldestu des Stoles to Rome? He let in oc untgerewen, unde dre Vingere affniden, unde also in den Tiber werpen. He wider wiede oc al de Papen, de Formosus gewiet hadde. So gut Formosus were, dat was Schin, wande do men in ut der Tibere thoch unde an Sente Peters Munster droch, ettelike Bilede in dem Munster negen ime tegen der Bare. Sergius ward van der Pavese Tale durch sine Bosheit afgeschaven, unde Bonifacius gesat. Na Bonifacio ward Stephanus Paves, unde darna Romanus, unde do Theodorus, unde do Leo, darna - - - - Bi den Tiden was Erzebischop to Hamborch, unde to Bremen Sente Reinbrecht. In den Tiden ward geslagen van den Normannen de Bischop Sunderolt van Megenze. Na deme ward Hatto Bischop de Ungetruwe. Do satte de Keiser Arnolt to Lothringen sinen Sone to Koninge. An den Tiden was to Vrankrike en Koning gekoren Otto - - - - des Koning Karles Sone, de was en wenich Kint, darna ward vorstot de Otte, unde weder genommen des Koning Karles Sone. Dese Otte was en arm Riddere, unde hadde in geriket des Koning Karles Vater, unde hadde ime oc den jungen Karle bevolen, deselve Otte helt dat Lant to Vrankrike van deme Keiser Arnolde, darvan ward sider manich Orloge twischen den Keiseren unde den Koningen van Vrankrike. Do ward gemordet des Keisers Sone de Koning van Lothringen, dar van ward de Strit twischen den Keiseren unde den Koningen van Vrankrike umme dat Lant to Lothringe. Do wart aver gekoren tegen den jungen Karle en Koning Otten Broder des ersten, de was geheten Roprecht; wider den vacht de junge Karl, unde sloch in dot unde vil Ludes. Darvan ward en grot Orloge, dat warete lange, wante an Keiser Heinrikes Tid. Do ward de Koning Karl gevangen, unde starf an

an der Vangnisse. Dit sal man al vorebat gescreven vinden. De Keiser Arnold ward sieg, unde starf von den Wormen, de den Luden sin an den Clederen, Na sineme Dode voren de Ungeren an Dudischlant, unde tovorden Closter unde Kirken, unde drunken der Lude Blut, dat se deste vresliker duchten den Luden.

In deme DCCCC. Jare van der Bort unses Herren, Lodewic des Keiser Arnoldes Sone gewan dat Rike, de LXXVIII. van Augusto, unde was daran XII. Jar. He vor to hant mit Here wante an den Lech wider de Ungeren, unde vacht mit in, unde sloch ir mer dan dusent, unde do de Koning wande, dat he geseget hadde, de sine wurden vluchtich; alsò verlos he do den Sege. De Ungeren voren do geweldichlike durch Swaven unde durch Vranken, se slogen unde branden, unde viengen allet, dat se vunden. Darna voren se to Kerenden: darna ward ir vile geslagen in deme Avende to Paschen. In denselven Tiden quamen Saraceni van Africa, unde gewunnen Pulle, unde Kalabria, unde Langbarden en grot Del, unde daden grote Not der Stat to Rome van enen Berge, de was geheten Galerianus. In den Tiden wart vorraden en Vorste, de het Albrecht van Bavenberch van dem Bischop Hatten. Deselve Bischop quam to Bavenberch, unde bat denselven Herren, dat he mit ime to Hove vore: he wolde ime helpen des Keiseres Hulde, de he vorloren hadde. De Herre bat den Bischop umbiten, des ne wolde de Bischop nicht: se reden beide dannen. Do se up dat Velt quamen, de Bischop sprach: De Wech is lang, ic bidde, des men mich bat, we solen eten. De Herre was des vro, unde ret wider mit deme Bischope, unde ombeten beide, Dem Bischope wart dar wol gedenet. Deselve ungetruwe Bischop Hatte wolde siner Truwe ledich sin, de he sineme Verden hadde gegeven, dat he in gesunt weder brachte. Se reden aver beide to Hofe, dar ward vor deme Keisere vordelet dat Hovet deme Herren Albrechte. Alsò vorlos he sin Lif van deme ungetruwen Hatten. In denselven Tiden quamen de Ungere an Dudischlant, unde slogen vil Ludes, se namen de Vrowen unde de Diernen, unde bunden se mit dem Har to samene, unde dreven se mit den Kinderen alsò en ve to Lande. De Beiere stridden mit ine, unde worden segelos. De Ungeren voren to Duringen, unde do Sassen, unde daden grote Not. De Vranken wereden sic manlike, unde dreven se van ireme Lande. De Keiser Lodewich nam des Hertogen Ludolves Dochter. Desse Ludolf Vater des Hertogen Brunes, unde des groten Hertogen Otten. De Hertoge Ludolf ir Vader de was van deme Slechte des Hertogen Witekines. Deselve vor to Rome, unde brachte dannen van deme Pavese Sergio dat Heilichdom Sancti Anastasii unde Vincentii, an dere Ere stichte he dat Closter to Gandersem, unde satte dar sine Dochter to ener Ebbedischen, di was geheten Haddemut. Bi den Tiden was Bischop Adelgarius to Hamborch unde to Bremen. De Hertoge Brun vor do mit Here weder de Denen, unde ward vil gas mit groteme Watere bevangen. Alsò vordarf he ane Strit mit al sineme Volke. Na ime ward sin Broder Hertoge to Sassen, de was Vader des ersten Keiser Heinrikes. Do starf de Keiser Lodewich ane Kindere. De Vranken wolden alle kiesen den Hertogen Otten, des ne wolde he nicht, wande he was en alt Man. It vvard aver mit sineme Rade gekoren de Koning Conrad. An deseme Conrade karde dat Romische Rike to Dudischeme Lande, an ime to stund oc des Koning Karles Geslechtes.

In deme DCCCCXII. Jare van Godes Gebort Conrad des Conrades Sone, den Albrecht van Bavenberch hadde geslagen, darvan so grot Orloge vvas vvorden sider, unde er gevvan dat Rike, de LXXVIIII. van Augusto, unde vvas daran VII. Jar, en harde bederve Man. Wider den hatte sic de Hertoge van Beieren Arnolt, unde de Hertoge van Svvaven Burchart, de Greve van Vranken Everhart, unde de Hertoge van Lothringen Isebrecht, unde de Hertoge van Sassen Heinrich. Do vor de Koning Conrad mit guden Siden; he vordref iedoch den Hertogen Arnolde mit Wife unde mit Kinderen in dat Lant to Ungeren; de Hertoge Heinrich vviderstund eme aleine, den vvolde vorraden de Bischop Hatte, des vvard he gevvarnet, unde vacht do mit Everharde des Koning Conrades Broder. De Vranken vvorden vluchtich. In denselven Tiden quamen de Ungeren, de vvurden geslagen bi dem Leche van den Beieren, si irhaleden sic aver, unde voren an Dudischlant vvante an Vulde, se tovorden oc Basele, unde Elsazen, unde Lothringen. Na dem Pavese Christophorus vvard Sergius Paves, darna Anastasius, darna Lando, darna Johannes, darna Leo, darna Stephanus. Bi den Tiden vvas Biscop Hoger to Hamburch unde to Bremen. Do Koning Conrad vvard do siek, unde bescheid to deme Rike den Hertogen Heinrike van Sassen durch sine Manheit, svvo he sin Viant vvere, unde riet sinen Broder Everharde, dat he ime de Cronen brachte, unde oc den Herren allen. Alsò starf de Koning Conrad, en vil dugenthaftig Man.

In deme DCCCCXXI. Jare van Godes Gebort Heinrich des Hertogen Otten Sone quam an dat Rike, de LXXX. van Augusto, unde vvas daran XVIII. Jar. Do in de Bischop van Megenze vvolde cronen, he ne vvolde dis nicht. He sprach: Ic bin is unvvordich, vvante ic orlogede an dat Rike, unde an minen Herren den Koning Conrade. Wider den Koning Heinrike vvas de Hertoge Burchart van Svvaven, den overvvan de nie Koning schere. In den Tiden quam de Hertoge Arnolt van Ungeren to Beieren, unde vvolde Koning vverden, den besat de Koning Heinrich in der Stat to Regenesburch. Dat Orloge ward alsò gestillet, dat Hertoge van Beieren den Sat van den Bischopdomen van Beieren hadde: do lenede sider de Hertoge de Bischopdom to Beieren,

Beieren, darvan hevet de Hertoge van Beieren sinen Hof, unde bot in dem Vorsten an sineme Lande. In den Tiden vvas en Koning to Burgundien, de vvas geheten Rodolf, de hadde en Sper, dat vvas des Groten Constantinus; an deme Spere vvas en Cruce gemaket van dem Nagele unses Herren. Dat selve Sper gevvan de Koning Heinrich mit Bede, unde mit Drovve unde mit Gift van deme Koning Rodolve. Mit deme selven Spere sigede dicke sider de Koning Heinrich, unde gaf, unde gaf durch de selve lieve dudech Burgentlant deme selven Koning Rodolve. Dit is dat Sper, darvan geheret is Romisch Rike mit deme Spere, unde mit der Cronen. Do Keiser Heinrich buvvede de Stat to Goslare, unde dat Closter to Quedelingeburch unde Wenechhusen, sin Vrouve di Koninginne Mechtolt en heilich Wif buvvede dat Closter to Northusen, unde de Abbedie to Polede. An den Tiden vacht de Koning Heinrich mit den Ungeren bi Mersburch, unde lovede Godde, dat he Simoniacos alle vvolde vorstoten van sineme Rike, durch dat he segen muste. Dat gescha, vvande he sloch der Ungeren en Unmate. An den Tiden vor de Koning Heinrich to Bunne, dar quam de Koning Karl van Vrankrike, dar vvard de lange Strid gescheden, de tvvischen den Keiseren unde den Koningen van Vrankrike vvas, also dat Lothringe deme Romischen Rike horde. Dat vvard gestedeget mit groten Eden van den Bischopen unde van den Leien. In den selven Tiden quam Goddes Blut in dat Closter to Owe in dem Bodense, dat gescha aldus: De Joden crucegeden en Bilede unseme Herren Jesu Christo to Spotte, ut van des Wunden vlot Blut unde Water. De Joden de dat sagen, worden alle - - - van deme Blude, gescha oc Tekene vile. In denselven Tiden worden geslagen Sarraceni; de van Affrica hadden gewunnen Siciliam, Kalabriam unde Pulle, unde hadden oc gebuwet den Berch Galerianum vor Rome. An deme Stride was de Paves Johens mit groter Helpe des Keiseres van Constantinopole; an deme Stride worden oc gesehn Sente Peter unde Sente Paul. In den Tiden ward gevangen de Koning Karl van Frankrike, de sande do deme Koning Heinrike Sente Dionysii Arm, unde manede in aller Vruntschap. Deme Koninge was sines Vrundes Vangnisse leid, he ne mochte ime doch nicht helpen, wande de Koning Karl in der Vangnisse starf. In den Tiden quamen de Ungeren, unde besatten Oustburch bi des goden Bischopes Tiden Sente Odelrikes. Deselve gode Man mit goden Worden samnete Michel-Volk, de stridden wider de Ungeren, unde worden al meistich geslagen; die Stat moste oc dingen na der Ungere Willen, wande de Godes Zorn was so grot, dat Sente Odelrich de heilige Man den groten Slach nicht me mochte mit sinem Bede wider wenden. De Ungere quamen do in dat Lant to Sassen, do was de Koning Heinrich to Werle, unde ne mochte in nicht Widerstant. Do ward gevangen en Herre der Ungeren, den wolden se losen mit Silvere unde mit Golde, des ne wolde de Koning Heinrich nicht, unde bot, dat de negede Man van deme Lande in de Stede vore, unde buweden de vaste, unde dat nen Taverne ne were, unde nen Degeding, unde nen Market, unde nen Hochtit, wante in den Steden dat dede he vor dat, dat se sic deste bat oveden an dat Orloge. De Koning gebot oc, dat de eldeste Broder in dat here vore, dat se dat Herewede nemen, dat ward do recht. In denselven Tiden gewan de Koning Brandenburch, un al dat Lant; he gewan oc dat Lant to Behem, unde dat to Meran. Also worden gemaket unde geovet an der Ridderschap de Dudischen wider de Ungere in dissen Orlogen. Do de Vrede ut quam, de Koning van Ungeren sante na deme Tinse. De Koning Heinric samnede do de Vorsten, unde vragede se do Rades. Se segeden alle, it ne duchte in nicht gut, dat he it werede. De Koning Heinrich sprac do: Ic wille desen Tins weren mit juwer Helpe, oder mit enen sterven. De Vorsten quamen over en, unde loveden, dat se dat Lant weren wolden. De Koning Heinric sande do deme Koninge van Ungeren enen Kurtstarten Houent orlosen unde dikken, unde beswor de Ungere, de den Tins halen solden, dat se den Hunt deme Koninge brachten, of he wolde jenegen anderen Tins, den solde he winnen mit den Suerden. Do dit Mere to Ungerem quam, se worden sere irgremmet, unde sammeden sic mit groter Craft. Se hadden wol hundert dusent, se voren mit Gewalt durch Beieren unde durch Vranken, se quamen to Duringen, unde besaten Lecheburch mit vistich dusenden: mit den anderen vistich dusenden voren se durch Sassen, want an den Elm. De Koning besammede sic oc, unde gewan twelef dusent, de leten in durch Vorchten want an vier dusent. De Ungeren lagen ant Angest van der groten Craft. De Keiser troste de sine, unde segede alsus: We solen hir wisen, dat we Man sin: Wi solen manlike vechten vor unse Lant, vor unse Wif, vor unse Kindere; Ja is God in der Sake: se sin Heiden, we sin Sterve we, we hebbet geseget an dieseme Stride, wande we sin genesen an der Seele: unde irwere we dat Lant, des hebbe we immer Ere, unde oc to Godde Lon. Do ward des Nachtes en grot Regen, unde des Morgens en grot Nevel. De Koning Heinric vor mit den Sinen in deme selven Nevele manliken tegen de Ungeren de waren ungewarnet van groter Sekerheit van der groten Menien, de se hadden: he sloch ire also vile, wante de sine van Slande möede worden. De Schal quam over al dat Lant, dat de Ungere vlichtich weren worden. Se quamen alle deme Koninge to Helpe, unde jageden de Ungaren wante to Jecheborch, dar de anderen Ungeren weren. Se worden alle vluchtich, unde worden gejaget van Lande to Lande, want ere vile wart geslagen. Also ne quamen de Ungeren nimmer mer to Dudischeme Lande, de wile de Koning Heinrike levede. Na diseme groten Sege ward de Koning Heinric van den Vorsten, unde van allen

allen Dudischen Herren beropen Keiser unde Augustus, unde des Landes Vader geheten, unde Mere over alle Lant. De Koning Heinric hadde en Wif, di was geheten Mechtilt, der Brodere weren Witekint unde Imnot unde Regenbern, de dat Closter to Ringelheim stichten. Ir Vader was geheten Greve Cederic. Bi der gewan he dre Sone, den groten Otten, de na ime Keiser ward, unde Heinrike de Hertoge to Beieren ward, unde enen Brunen, de ward Bischop to Colne. Do de Koning Heinric guden Vrede hadde gemaket in sineme Rike, he wolde to Rome varen, unde ward siek. He sande na den Herren, unde besched sinen Sone Otton to deme Rike, dat was Torn sinen Broder Heinrike. Do vorsched de Koning Heinric, unde ward begraven to Quedlingeborch mit groten Eren. Dit is Heinric de Vogelere geheten, wande he to Vinkelere ward vunden. Do he van den Vorsten gekoren ward, do vogelede he mit sinen Kinden. Na deme Pavese Johanne ward Leo Paves, darna Stephanus, darna Marinus. An denselven Tiden ward enen Manne di Hant afgeslagen, di ward ime weder, do is en Jar was, des Nachtes, do he slep, ime ging aver en rot Ring, to Urkunde des Wunderes, umme den Naren.

In deme DCCCCXXXVII. Jare van der Bort unses Herren, Otto de Grote, des Koning Heinrikes Sone, quam an dat Rike, de LXXXI. van Augusto, unde was daran XXXVIII. Jar. He ward mit groten Eren gewiet to Aken, he helt dat Rike na Goddes Vorchten, da gewan he grote Ere. An sinen ersten Tiden satte sic wider ime de Hertoge van Behem Bogezlawe, de doch sinen Broder enen hiligen Man Wenezlawe. Durch de Wrake orlogede de Koning over dat Lant to Behem, unde gewan it to jungest to deme Romischen Rike mit groten Arbeiden. In den Tiden quamen de alden Viande de Ungeren mit groter Craft an Dudischlant, unde wolden besoken des nien Koninges Manheit. Do widerstunt in de nie Koning, unde vordref se mit groten Eren. Do satte sic oc wider den Koning sin Broder, de was geheten Dangmar, de wart geslagen bi enen Altare van des Koning Otten Vrunden. Dat was deme Koninge let, wante he was van Vader half sin Broder. De Herren, de demeselven Dangmare waren bi gestan, se karden wider den Koning to sinem Broder Heinrike; dat daden se darumme, dat se vorchten den Koning Otten. Dar was allermeist an de Hertoge Giselbrecht van Lothringen, de hadde des Koning Otten Suster, unde de Hertoge Everhart, de vorden den Koning Lodewike van Vrankrike in Dudischlant vvante an den Rin. In denselven Tiden vvas de Koning Otto vor Vrisach, dar vvas mit eme de Bischop Frederic van Megenze, unde andere Bischope vile. Deselve Bischop Frederic, unde de andere Bischope van sinemen Rade voren untruvvelike enes Nachtes van ireme Herren. Do vvas en Greve, de hadde Volkes vile in des Koninges Here, deme duchte, vvo sin Tit kommen vvere na sime Willen. Wande do he sach, dat de Herren alle an deme Koning irer Truvven vorgaten, he sprach to deme Koninge: Herre, vville je, dat ic ju diene, je solen mi lien dat Closter to Torse. De Koning Otto sprach do manlike: Svvelic man in den Noden Goddes vergit durch enen dorliken Man, de is dum. It is oc gescreven, menne schal vor de Svvin de Gimmen nicht werpen. God de helpe me do d. - - - also de anderen hebbet gedan. De Herre vvart vil rot, unde viel dem Koninge to Vode, unde lovede ime truvvelike Helpe. In den Tiden de Hertoge Giselbrecht, unde de Hertoge Everhart voren over Rin to Andernach, unde branden dat Lant allenthalven. Dar vvaren oc des Koning Otten Vrunt en Hertoge van Svvaven, unde en Conrad de Wise, de voren vvider de Herren, unde ne dorsten doch mit in nicht striden, vvande ir Schare vvas to vvenich. In bejegenede oc en Prester, de vvenede sere; den vrageden de Herren, vvat sin Clage vvere. He sagede: me is min Peret genomen in deme Here des Hertogen Giselbrechtes; je sin in oc vil na: se sittet, unde etet, unde sin vro. Do dit de Herren gehorden, se randen an de Walstat, (dar) de Herren saten, se slogen unde viengen alle, de se vvolden. De Hertoge Everhard vvard geslagen, de Hertoge Giselbrecht rande in den Rin, unde irdrang. Do dit de Koning Otto vornam, he sat van sinen Perede unde knete, unde lovede Got siner Gnaden. Do de Koning Lodevvich (van) Vrankrike siner Vrunde Dot vornam, he clagede se sere, unde nam to Wive des Hertogen Giselbrechtes Wedevven. Do vvard oc gevangen de Bischop Frideric van Megenze van des Koninges Mannen. Darna quam to hulden deme Koninge sin Broder Heinric, de vvard sider Hertoge to Beieren. Dise Heinric vvas Elder-Vader des guden Keiser Heinrikes, de dat Bischopdom to Bavenberch stichte. Do de Ungeren vornamen, dat de Herren in Dudischen Landen vvider den Koning Otten so vaste vvaren, se sanden deme Koninge grote Gave dorch dat, dat se bevunden, vvat de Herren daden. Do se ire Stade gesagen, se voren mit groteme Here in dat Lant to Beieren, unde besaten de Stat to Oustborch. Dat Mere quam schere to deme Koninge, de vvas in deme Lande to Sassen. De Koning sande sinen Boden allenthalven: se quamen ime alle, de Hertoge van Behem, de Hertoge van Sassen unde de van Svvaven, de Hertoge van Vranken sin Broder, de Hertoge Heinric van Beieren sande ime Helpe, vvande he selve siek vvas. De Ungere voren over den Lech, unde voren vvider den Koning, de untvveck in do ene vvile. Do quam de Hertoge Conrad to hulden deme Koninge, de di Ungere in dat Lant hadde bracht. He vvunschede oc, dat he in deme Stride dot beliven moste. Dat gescha: De Dudischen unde de Ungere quamen in dat Velt, unde stridden sere, der Dudischen vvart vil geslagen, unde begunden vviken. Do dat de Koning Otto gesach, he nam dat heilige Sper in de Hant, unde quam den

den Sinen to Helpe manlike. De Ungere vvorden do vluchtich, unde vvorden geslagen, dat ire Harde vvenig genas. Dre Herren vvorden oc gevangen, unde vvorden to hant irhangen. De Hertoge Conrad belef oc dot, alse se he gevvunschet hadde. Dit vvas der grotesten Segenunft en, de je to Dudischeme Lande gescha. Do vvard de Koning Otto Keiser unde Augustus, unde des Landes Vader geheten. Also losde he Dudischlant van der Ungeren Gevvalt, also sin Vader hadde gedan de Koning Heinric. De Koning Otto hadde enen Broder, de vvas Erzebischop to Colne Brun geheten, de vvas oc Hertoge. Do begunden allererst de Bischope vverltlike Richte hebben, dat duchte do unbildet manegeme Manne an den Bischop Brune, vvande he selve dachte Godes Vorchten hebben. He bekarde oc Normanne vile, unde buvvede dat Closter Sente Pantalionis to Colne. Disses Koning Otten Sone Willehelm vvard Bischop to Megenze na deme ungetruvven Frederike. Do vvas oc Erzebischop to Hamborch unde to Bremen. - - - Do starf oc di Koniginne Odgeve, de di Koning Otte van Engelant hadde genomen to Wive. Na deme Pavese Marino vvard Agapitus, na Agapito vvard Paves Johannes, darna Leo, darna Benedictus, darna Johannes. Disse Johannes sande na dem Koning Otten, unde bat in, dat he to Langbarden komen vvolte, dat he den Stol to Rome erlosde van der unrechter Gevvalt des Koning Berengeres van Langbarden. De Koning Otto vor do mit groteme Here to Langbarden, unde gevvan Meilan, unde satte dar Penninge, de heten Otteline. Do de Koning dannen quam, se vorvvorpen eme to Lastere sine Monete. De Koning vor aver vvider, unde dvvang se dar to, dat se van aldeme Ledere Penninge geven unde nemen mosten. Do quam en Vrouve vor in, unde clagede ime over enen Man, de se genodeget hadde. De Koning segede, alse ic vvider kome, so vvil ic di richten. Di Vrouve sprach: Herre, du vorgizt is. De Koning vvisde an ene Kirken mit siner Hant, unde sprach: Dise Kirke sis din Orkunde. De Koning vor do vvider an Dudischlant, vvante it vvas vvider ime sin Sone Ludolf; den besat de Koning to Regensborch, unde dvvang ine mit der Stat dar to, dat se to sinen Hulden quamen. Do let de Koning Otto sinen Sone den jungen Otten to Koninge vvien to Aken mit der Herren Willen, do he vvas seven Jar alt. Darna vor he mit groter Craft tegen den Koning Godefride van Denemarken, unde vacht mit ime, unde gevvan den Sege, unde sluch ere ummate vile. He volgede in an ire Lant vvante anne enen Sunt, dar in schot de Koning Otte sinen Schat. De Sunt vvart heten Otten Sund vvande hude an disen Dach. De Koning Godefrid lovede do den - - - unde alle de sine. Oc schude do en grot Teken: en Pape - - - geheten, de stred vveder enen Heidenen Denen umme de Afgode: de Dene stret dar vveder: de Strit quam vor den Koning, de Koning het do dem Papen, dat he vvarede, dat Christus Got vvere. De Pape nam en glojende Isern an de Hant also lange, also de Koning vvolde. Do de Denen dat Wunder sagen, se vvurden alle Kersten. De Pape vvard oc ir Bischop. De Koning Godefrid hadde enen Sone, de vvas geheten Svven, des Gevadere vvart de Koning Otte, unde gaf ime sinen Namen to jenes Namen, unde vvart geheten Svvenotto. Disse Svvenotto vordref sider sinen Vader, unde vornogerede sic, unde orlogede mit groteme Grimme tegen de Fresen de bi der Elve, unde bi der Wesere geseten vveren. Svveso de Orloge vorbat horen vville, de lese Cronica Wilhelmi van deme Lande Over-Elve. De Koning Otto dvvang oc de Wenede, dat se Kersten vvorden. He stichte an ireme Lande to Aldelburch en Bischopdom, dat is nu to Lubeke, unde en to Mekelenburch, dat nu is to Zvverin, de - - - vvarede an den Weneden alle vvile. Bi den Tiden sanden oc de Ruzzen to deme Koninge Otten, dat he sande Predegere. He sande in do den Bischop Adelbrechte, de vvart dar en grot Martelere. De Koning Otto karde do vvider to Sassen, unde buvvede Maideburch up der Elven Stat, unde stichte dar en Erzebischopdom van sime eigene, unde oc van des Rikes Orbore, unde hoge dit sere. He vvard do mit den Vorsten to Rade, dat he dat nidere Lant bi der Elve, dar dat Bischopdom inne lach to Hamborch, makede to enen Hertogedome, dat dat Hertogedom bi der Wesere dannoch ganz vvere, dat gevvesen hadde des Hertogen Witekindes van Sassen, de vvider den Koning Karle so lange orloget hadde, dat he geervet hadde sinen Nakomelingen, van des Geslechte Koning Otto selve geboren vvas. Dat Hertogedom unde dat Lant bi der Elve gaf de Koning Otte eneme Edelen Manne, de vvas geheten Herman, de vvas Sone enes Edelen Mannes Greven Billinges, unde hogede ene in desse Rike mit groten Vlite. Dese Hertoge Herman buvvede do Luneburch, unde stichte dar en Closter an de Ere Sanct Michaelis, unde gaf dar in Vorvverke unde Hove, unde tyrede it mit Vlite mit maneger hande Tyrode. Dar hadde oc dar bevoren en Closter gevvesen van vvitten Papen. De Koning vor do vvider to Langbarden, unde beval den jungen Koning Otten unde dar to dat Rike sineme Brodere deme Bischope Willehelme van Megenze. Do quam de Koning Otto uppe deme Wege to der Kirken, de he deme Wive hadde gevviset, dat he ire richten vvolde umme de Not. De Koning let dat Wif halen, unde let se clagen. Si segede: Herre, he is nu min Man echtelike, ic hebbe bi eme lieve Kindere. De Koning sprach do: Sein Otten Bart, (also svvor he jo) he mot miner Barden smecken. Also richte he deme Wive vvider eren Willen. De Koning Otto quam do to Rome, unde vvart dar to Keisere gevviet van deme Pavese Johanne, de in dar geladet hadde durch de Not, de he led van deme Koninge Berengere van Langbarden. Densilven Beringere vieng de Koning Otto, unde sande in to Bavenberch mit

ſineme Wive, dar ſtarf he in dem Ellende. Alſo vvard underdan deme Romiſchen Rike dat Lant to Langbarden. Se muſten alle Jar deme Keiſer Otten geven tvvehundert Punt lutteres Goldes. He bedvvang oc dat to Calabre unde Pulle, de horedem deme Keiſer van Conſtantinople. De Keiſer Otto vor vvieder an Dudiſchlant, unde hadde enen Hof to Colne; dat vvas der groteſten Hof en, de je to Dudiſcheme Lande vvard. He ſchop oc groten Vrede over al ſin Rike, unde vor wider to Rome mit ſinemen Sone deme jungen Koninge Otten, dar gaf he eme to Wiſe des Keiſeres Dochter van Cricken. Do vvart to Rome gevviet de Koning Otto to Keiſere, unde ſin Brut to Keiſerinne. Do ſtarf des Keiſers Muder die gude Mechtilt. Do vor de grote Keiſer Otto mit deme jungen Keiſer Otten vvider to Dudiſcheme Lande, unde vvard ſiek, unde ſtarf mit gudeme Geloven, unde is to Megedeburch begraven. Er de Keiſer ſtorve, men hadde geſehn an deme Himmele en unrecht Teken. Dit is de Grote Keiſer Otto van Saſſen des erſten Koning Heinrikes Sone, de hogede mer dat Rike, dan je hen Dudiſch Keiſer dede: he loſde dat Lant van der Ungere Gevvalt, he gevvan deme Rike Behem, Polenen unde Langbarden, Burgunden unde Lothringen; he vant oc allererſt dat Silver-Erzet in deme Lande to Saſſen, unde vvaret noch.

In deme DCCCLXXVI. Jare van Godes Gebort, Otto de Rode des Groten Otten Sone gevvan dat Rike, de LXXX. van Auguſto, unde vvas daran IX. Jar. Wider den hatte ſic ſines Vedderen Sone de Hertoge Heinric van Beieren; de vvard gevangen, unde vvard geſand an dat Ellende. In den Tiden de Koning Luder van Vrankrike vor mit Here tegen ſinen Neven den Keiſer Otten: he vvolde wider vvinnen Lothringen, unde brande dat Lant vvant an de Stat to Aken. De Keiſer vor vvider ene mit ſineme Herre. De Koning vvard vluchtich: de Keiſer volgede ime vvante vor de Stat to Paris, he brande dat Lant, unde dvvang den Koning dar to, dat he mit ſineme Sone ime to hulden quam, alſo dat he dat Lant to Lothringen verſvvor. Do vor de Keiſer Otto to Langbarden, unde vvolde Kalabrie unde Pulee to ſinemen Rike gevvinnen, de to Kriken horden durch ſin Wif, di van Kriken vvas geboren. De Crieken unde de Keiſer Otto quamen to ſamene in Kalabria, dar vvart en grot Srit; dar vvorden de Romere vil na al irslagen. De Keiſer vlo an dat Mere, unde vvolde ſvvemmen to eneme Schepe: de Schiplude viengen in vor enen Knecht; He vvard doch bekant van eneme Kopmanne, de brachte in mit groten Arbeiden vorholene to den ſinen. Dit vvas al der Keiſerinne Spot, vvande ſi vvas van Crieken, darvan gevvan ſi al der Vorſten Hat. In den Tiden quamen de van Africa mit groter Craft tegen dat Romiſch Rike. De Kaiſer Otto vor vvider ſe, unde ſtret mit in an den Schepen up dem Mere. Der Heiden vvard alſo vile geslagen, dat ſic dat Mere van der Heidenen Blude varvvede. Do vvard de Keiſer Otto geſchoten mit eneme lubbeden Pile, dat he ſtarf in eneme halven Jare, unde vvard to Rome begraven mit groten Eren. Dit is de rode Keiſer Otto. He hogede vvol den Hertogen Hermanne in deme Rike, alſo ſin Vader de groter Keiſer Otto darvore hadde gedan. De Keiſer beval oc eme ſinen Sone den jungen Koning Otten unde anderen Herren. Do he vor to Langbarden, under des ſtarf de Hertoge Herman, unde let na ime tvve Sone, Hertogen Bennen oder Bernarde unde Greven Ludere; diſe orlogeden, unde ſtridden mit grotem Vlite wider de deme Keiſere vvider vvaren. De Hertoge Herman vvard begraven in deme Munſter to Luneburch, dat he ſelve ſticht hadde. Hertoge Bernard de volbuvvede dat Cloſter Sanct Michaelis, dat ſin Vater ſticht hadde, unde ſatte dar enen Abbet Ludericum, de vvas van Sente Pantaleone van Colne. De Rode Keiſer Otto gaf in dat ſelve Cloſter enen Toln van der Sulten, unde ſtadegede ene mit ſiner Hantveſte. Na deme Paveſe Johanne vvard Benedictus Paves, na Benedicto Domnus, darna Bonifacius, darna Benedictus.

In deme DCCCCLXXXIIII. Jare van der Bort unſes Herren. Otto des Roten Keiſer Otten Sone gevvan dat Rike, de LXXXIII. van Auguſto, unde vvas daran XVIII. Jar. Do he Koning vvard, he vvas en Kint, unde vvard bevohlen deme Biſchope Brune ſines Vader Vedderen de sloch ine mit den Beſmen dikke, dat vvolte de junge Herre an deme Biſchope vvreken. He nam enes Nachtes en dot Kint, unde legede dat in ſin Bette, alſe he ſelve dot vvere. Do de Biſchop na Mettene quam to ſines Neven Bedde, he vvande, dat he dot vvere. Ime vvart van Lede vve: it vvart grot Wenent van dem Ingeſinde. De Jung-Herre quam do gande: de Biſcop vragede in, vvarumme he dat hadde gedan? De Koning ſprach: Ic slogen mic dicke, dat vvol die vvreken. De Biſchop Brun bit do enen Hof to Megenze, dar antvvarde he den Herren vvider, dat Rike und den Koning Otten. De Vorſten bevolen do dat Rike unde dat Kint Otten dem Biſchopen Willegiſe van Megenze. Dat Rike helt de Biſchop Willegis dri Jar, unde ſammede van deme Tinſe van Langbarden ſes hundert Punt Goldes, darvan let he en Cruce maken, dat vvas geheten Benne; dat vvart to broken bi des Friderikes Tiden an deme Stride, dat tvviſchen deme Biſchop Rodolve vvas unde dem Biſchope Conrade. Do de Hertoge Heinric vernam des Keiſer Otten Dot, he quam to Colne, unde vvolde Koning vverden. Do vviderſtunden ime de Herren; he gevvan jedoch darmide vvider dat Hertogedom to Beieren. De Koning Otto beſat Brandeburch, unde vvan it, unde bedvvang alle Wendeſche Lant to deme Romiſchen Rike. In den Tiden regenedet in Haſpegovve Korn van me Himmele unde clene Viſche; darna vvart grot Sterve Ludes unde Vehes. Na deme Paveſe Benedicto vvard Johannes Paves, darna vvard en ander Johannes Paves darna de dridde Johannes. Bi den Tiden vvas Biſchop to Hamborch unde to Bremen Adeldagus.

dagus. De Romere sanden do na deme Koninge Otten, unde ladeden in to Rome, dar quam he mit groten Eren. He satte dar to Pavese mit der Romere Willen sinen Neven Brune, de vvard geheten Gregorius, van deme vvard de Koning Otto to Keisere gevviet. Do de Keiser Otto van Rome quam, Crescentius, de Patricius vvolde sin, de vordref Gregorium den Paves, unde satte an den Stol enen Johannem den Bischop van Blesenze. De Paves Johannes vvard vorbannen unde verdomet van allen Bischopen. De Keiser Otto vor do vvider to Rome, unde let blennen, unde de Nasen affniden dem unrechten Pavese Johanni. Crescentius quam do to Stride mit deme Keisere an dat Velt, unde vvart gevangen, unde schentlike irhangen. De Keiser vor do in de Stat to Rome, unde levede vrilike. He vvolde bringen dat Rike unde den Stol to Rome vvider an de alden Stat, des vvaren ime de Romere vvider, unde besatten in in dem Palase, he quam doch mit groten Noden danen mit dem Pavese Silvestro, de Gerbrecht geheten vvas. De vvas allererst Bischop to Remis, darna to Ravenne, darna vvard he Paves, dat schop he al mit der List in Geomantie. He nis oc nicht rechte in der Pavese Tale. Dit is de Paves, van deme dumme Lude vvanet, dat sin Graf sivete, alse en Paves sterven sole, vvante it is maneges Stenes Art, dat he nat vvirt. Deme Keisere Otten vvart do lief to Rome sines Viandes Wif Crescentii, dat vvas den Herren led, unde irvvanden in van ire. De Keiser vvolde varen to Dudischeme Lande: di Vrovve sande ime tvve Hanzen und enen Vingerin. Do de Keiser dat Clenode in de Hant genam, he starf to hant. Men segede oc, dat de Paves van irer - - - - worde stum. De Dudischen namen dat Rike, unde des Keiseres Gebene, unde vorden dat to Lande. De Hertoge Heinric van Beieren nam in mit Gevvalt dat Rike, unde missevorde sere den Bischop van Colne, an des Gevvalt se alle vvaren. Do vvard de Keiser Otto begraven to Aken mit groten Eren. Dit is de Keiser Otto, de let upgraven den Koning Karle, unde vant an sineme Grave Wunderes genoch. De Koning Karl irschen ime do, unde segede, dat he nimmer alt ne vvorde, unde ane Erven sterven moste. Bi des Keiser Otten Tiden vvas Wenedlant al vvol - - - dat vvas van der Helpe des Hertogen Bennen, de oc het Bernard, unde sines Broder Luderes, de demeselven Keisere hadden hulpen to Rome, dat he dar de Cronen untfenc. Bi sinen Tiden vvas oc en Ensedelere geseten in dem Mere bi dem Berge, de geheten is Mons Vulcani, dat quit, de Berch Vulcan, dar dat Viur ut veret, de segede, dat he dicke sege de Sele voren in den Berch durch ere Missedat, unde dat de Duvele se untfengen. He sach oc dicke, dat se vvorden erloset van guder Lude Bede, unde van iren Almosen, unde bi Namen des Closteres Gebede van - - - - van diser Sake vvard gesat aller Sele Dach na aller Hilegen Dage.

In deme MCC. Jare van Godes Gebort, Heinric de Hertoge van Beieren, disses Namen de Ander, gevvan dat Rike, de LXXXIIII. van Augusto, unde vvas daran XXIII. Jar. Ime vvard gegeven to Wive di gude Konegunt: se beleven umbevvollen beide Wante an iren Dod. De Duvel vvolde se doch uneren, dat se de Keiser tech van enes Hertogen Rade, dat si vorhoget hadde. Di Vrovve bot darvore ir Gerichte, dar to quam manich Bischop. Dar vvorden seven Sek geleget, de solde die Vrovve treden: si hof up ire Hande to Godde, unde sprak: Herre God, di vveist mine Schult alene: ledege mic van duser Not, alse du dedest de guden Susannam van der unrechten Bitale. Si trat de Schare baltlike, unde vvart siker mit groten Eren. De Koning vel ire do to Vote, unde de Herren alle. De Koning Stephan van Ungeren nam des Koning Heinrikes Suster to Wive. di vvas geheten Gisle, darvan vvard deselve Koning Stephan Vient sinen Om den Koning van Polenen, unde dvvang in darto, dat he kerste vvard mit al sineme Lande. Also vvarden kersten de Ungeren unde Polenen. Dit is de Heilege Koning Stephan, to des Grave God vile teken dod. De Koning Heinric vor do to Walscheme Lande, unde besat en Castel, dar vvard he gevangen. De sine vvolden in do losen mit Silvere unde mit Golde, des ne mochte nicht geschen, se ne mochten oc der Burch nicht gevvinnen. De Koning sprank do enes Dages van der Muren, dat ime de Huf tobrak, darvan he jemmer mer de Huf-halte Koning Heinric het. De Koning stichte do to Bavenberch dat Bischopdom an Sente Peteres unde Sente Georgii Ere, unde an Sente Benedictus Ere en Clostere, unde en an Sente Stephanus Ere. In den Tiden stichte oc Sente Bervvart dat Closter to Sente Michaele to Hildensim. Na deme vvard Bischop Sente Godehard, do vvas oc Bischop Libentius to Hamborch unde to Bremen. Do vvard oc irslagen de Hertoge Ernest in der Jaget. In den Tiden vvas de gude Simeon en hilich Man to Triere. An den Tiden vvas so grot Sterve, dat de Lude vordrot, dat se de Doden begroven. Na dem Pavese Silvestro vvard en Johannes, unde aver en ander Johannes Paves, darna vvard Sergius Paves, darna Benedictus. Dese Benedictus vviede den Koning Heinrike to Keisere. Deselve Paves Benedictus vviede oc den Dom to Bavenberch. De Koning Rodolf van Burgunden sande sin Rike deme Keiser Heinrike. Deme Keiser Heinrike vvas vvider an deme Stichte to Bavenberch, sin Broder de Bischop Brun van Oustburch, unde der Keiserinne Broder van Mezze de Bischop Dideric. Do vvard oc de Keiser Heinric siek to Grone, unde vvard gebracht to Bavenberch. Do sande he na sines Wives Vrunden, unde antvvorde in vvider ere Maget, alse he se hadde untfangen. Also vorsched de Keiser Heinric mit gudeme Geloven. In den Tiden vvas en Ensedelere, de horde groten Schal van den Duvelen. He besvvor se bi Godde, vvar se hennen vvolden. Se segeden, to deme Dode des Keiseres Heinrikes. De gude Man besvvor se do, dat se ime vvider segeden, vvat se dar ir vvorsen?

worfen? De Duvele voren unwech. De gude Man bat vor des Keiseres Sele. He gedachte oc, wat unser Arm werden solde, dat de Duvele an eneme so guden Manne Del hebben wolden. De Duvele quamen wider to deme Ensedelere: he vragede se, se segeden: do de Missedat des Keiseres sine gude Dat vorwegen solde, unde we de Sele an unse Gewalt nemen wolden, do quam de besengte Laurentius, unde warp enen Kelek an de Wage, dat deme Kelke en Scherven utbrac; also vorlore we de Sele. Do lovede Got siner Gnaden de Ensedelere, unde umbot den Dom-Herren van Merseborch dese Mere. Se vunden denselven Kelek mit deme Scharde, alse men noch hude mach wol schowen. Disen Kelek gaf de Keiser Heinric to Merseborch Sente Laurentio. Do ward gestichtet dat Closter to Hasungen. Do starf oc de gude Sente Hemmerad, de dar is begraven. In deme tegenden Jare deses Keiseres Heinrikes starf de Hertoge Benne oder Bernard, unde vvard begraven in der Cluft to Luneborch bi sinen broder Ludere vor Sente Marien Altare, unde hadde enen Sone, de vvas geheten Bernard, dise hadde min Gelukkes dan sin Vader. Bi sinen Tiden vvas over al Sassen grot Bedrofnisse, vvante he vvider den Keiser Heinrike orlogede. Darvan nemen de Wenede ene Beschuldunge, unde traden van der Kerstenhet, dat quam alsus: De Hertoge lovede ene sine Nichten eneme Herren van Weneden, de vvas geheten Mestuvvin, van deme he grote Helpe hadde vvider den Keiser. Darna do de Hertoge des Keisers Hulde vvider gevvan, do untsegede he Mestuvvine deme Herren de Vrovven, vvante manich sprac dar umme, dat men so edele Vrovven solde geven eneme Wenedischen Hunde. Do Mestuvvin dat vor horde, he sprac: nu ic en Hunt bin, ic sal biten als en Hunt; unde quam mit den Weneden to Hamborch, unde slogen dot alle de Papen, unde alle de Kersten de se dar vunden unde vorden se oc mit in gevangen. Aldenburch, dar vile Volkes vvas, de tobrak he garlike, unde alle de Kersten de dar vvaren, Papen unde Leien, de sande he over al Wenedlant, unde let se marteren mit manichfaltiger Pine, den Kersten to Schanden: Mekelenborch datsilve Nunnen de dar vveren, de let he Godde to Lastere uneren. In denselven Tiden en Herre van Weneden Godeschal, van Muder Slechte en Dene, dese hadde de Scrift gelernet to Luneburch, de vorvvarp oc den Kersten geloven unde dede den Kersten vile Ledes, unde tostorede Kirken unde Godeshuse, dat bero ine darna, unde vviderdede al den Schaden, den he gedan hadde, unde vvard en Kerste. De Hertoge Bernard do he sach, dat de Wenede Heiden vvaren vvorden durch den Tins, den se gaven, unde durch de Clage der Bischope, de gevvorpen vveren van eren Bischopdomen, bi Namen van der Clage des Bischop Bennen van Aldenburch, de oc deme Keisere Heinrike claget hadde de Not unde den Jammer, de geschen vvas: he stunt mit allen Vlite darna, dat de Wenede aver lovich vvorden. Here Godeschalc vvarf do deme Koninge van Denemarken, unde oc to deme Hertogen Bernarde, dat se voren mit groteme Here der Kersten tegen de Wenede, unde slogen ere manich dusent, unde dvvungen se aver to deme Tinse. De Hertoge Bernard do de hadde gevvesen Hertoge to Sassen unde Herre over de Wenede viertich Jar, he starf, unde let dat Hertogdom sime Sone Ordelove; he hadde oc enen Broder, de het Herman. Under manegeme Leve, de he dede deme Clostere to Luneborch, so gaf he dar oc enen duren Mishakel, unde is begraven vor des Hilegen Cruces Altare.

In deme MXXV. Jare van Goddes Gebort, Conrad van Svvaven, des Hertogen Heinrikes Broder, quam an dat Rike, unde vvas dar an XV. Jar, de LXXXV. van Augusto. De Vorsten vvaren sere vvider ime: Ime halp de Hertoge Werner van Burgunden, de lovede den Bischopen dat grote Eygen, unde den Leien dat grote Len. Do begunde man allererst durch Gudes vvillen de Romischen Koninge kiesen. De Hertoge Heinric des Koning Conrades Broder de vvas sere vvider eme, unde orlogede dat Rike. De Koning vordref do den Hertogen van Dudischeme Lande: de Hertoge vor to deme Koninge van Ungeren, unde dienede eme. Deselbe Koning van Ungeren sande deme Hertogen Heinrike Vlesch van den Disch in deme Stillen Vridage, unde umbot eme, he mochte also vvol Vlesch eten des Dages, alse he vvider sinen Broder, unde vvider sinen Herren vvere. Do gevvan de Hertoge Heinric des Koning Conrades Hulde, also dat he Nurenberch deme Rike let. De Koning Conrad clagede do sere deme Hertogen Wernere, dat he des Rikes Gud hadde gelaten durch sinen Kore den Vorsten. De Hertoge sprak do: Herre, ic lovede den Vorsten, dat ic in dat Gut lege: ic ne lovede in des nicht, dat je it nicht vvirden ne nemen, svvenne je gevveldich vvorden. De Koning Conrad makede do enen Hof, unde gevvan al dat vvider, dat he den Vorsten gelegen hadde. He vvolde oc dat Bischopdom to Bavenberch to voren, van des Bischopes Rade van Oustburch Bischop Brunes, de vvas des Keiser Henrikes Broder, e Heinrik irschen des Nachtes sineme Brodere deme Bischope mit half geschorenem Barde. De Bischop vragede den Keiser, vvarumme he dat vvolde dun, dat he so geschoren vvere? De Keiser sprak: dat hevestu gedan: du vvolt mic beroven mines Gudes, unde de Hilegen, den ic it gegeven hebbe. Also vvard vviderbracht de Bischop sines Willen; also bestunt oc dat Bischopdom to Bavenberch an siner Ere vvante an disen Dach. De Koning Conrad stichte do en Closter van siner Burch Limborch, unde begonde allererst des Bischopdomes to Spire; dat vollenbracte do sin Sone de Keiser Heinric. In den Tiden vvas Bischop to Hamburch unde to Bremen Unvvanus, darna Libentius, unde do Hermannus. De Koning Conrad bot do enen Hof to Minden, dar ward

vvard sin Sone Heinric to Koninge gelovet. Darna vor de Koning to Rome, unde vvard dar gevviet. He vieng oc den Erzebischop van Meilan, unde den van Cremun, unde den van Blesenze, unde verfande se an dat Ellende, vvante se an dat Rike gereden. De Keiser Conrad vor do vvider to Dudischeme Lande, unde gaf sineme Sone Heinrike to Wive des Koning Knutes Dochter van Denemarken. De Koning Knut hatte sinen Stol an dat Mere. Di bist van mineme Rike, du salt me gehorsam sin. Dat Mere schot eme an den Schot, unde make de ine nat. De Koning stunt up, unde sprak: Aller Koninge Herschap is valch: Got is Herre alene. He satte do sine Cronen up en Cruce, unde levede sider salichlike. Dit is van Denemarken Sente Knut. De Koning Conrad quam an enen Pinkesten to Utrecht, unde vvas dar gecronet mit groten Eren. Des anderen Dages vorsched he jamerlike over deme Dische, unde vvart to Spire begraven. Dit is de ander Conrad, de erste Keiser van Svvaven Cono geheten vor deme Rike, Conrad an deme Rike. Do vorsched oc de gude Sente Konegunt, des Keiser Henrikes Wif. Bi Koning Conrades Tiden vvas Hertoge Ordolf to Sassen, he vvas sineme Vader ungelic an der Macht unde an der Ridderschap. Na sines Vader Dode begunden de Wenede aver vviderstrevech vverden, unde satten sic vvider den Hertoghe, se slogen dot Herren Godescalke den Herren van Weneden durch den rechten Loven, unde mit eme enen Prester by deme Altare to Lentsin, unde andere Papen unde Leien harde vile. To Razeburch vvard gestenet Ansvverus en Monic unde manich ander gut Man, en Bischop Johannes vvard gemarteret, unde manich mit eme. Sin Hovet vorden se van Stade to Stade over al Wenedlant to Spotte unde to Speigele. Dise Hertoge Ordolf stret dike mit den Weneden to Gift vvol tvvelf Jar bi sines Vader Tiden, unde ne konde ne den Sege behalden. He nam to Wive des Koning Olai Dochter, de vvart gemarteret, unde gevvan van ere enen Sone, de vvard geheten Magnus, unde vvard na ime Hertoge to Sassen.

In deme MXL. Jare van Godes Gebort, Heinric de dridde des Namen, des Keiser Conrades Sone, quam an dat Rike, de LXXXVI. van Augusto, unde vvas daran XVII. Jar. He vor tohant mit groteme Here in dat Lant to Behem, dar vvard vor deme Walde des Koninges Lude vile geslagen: alſo karde he vvider. De Ungere vordreven bi den Tiden eren Koning Petere, unde satten enen Oven. De Koning Heinric vor mit groteme Here in dat Lant to Ungeren, unde brachte vvider an dat Koningrike denselven Petere mit groteme Arbeide. Also vvard deme Romischen Rike Ungeren underdan. Na deme Pavese Johanne vvard Benedictus Paves, na Benedicto Silvester, darna Gregorius. Do de Gregorius starf, do vvorden gekoren to Rome dre Pavese, darvan gescha Ledes vile. En Ensedelere vvas geheten Wiprecht, de umbot deme Koning Heinrike, vvande he vvas do sin Bichtere.

Keiser Heinric en Vrouve
Nam dre echte Man to Male.
Dat drevolt Echt dat is ongevvis, dat
Saltu to storen an Goddes stat.

Dit mende de gude Man van den dren Pavesen. De Koning Heinric quam do to Wive ene Vrowen van Poiters, de het Agnete. Sin Brutlacht ward to Ingelheim: he vorbot, dat men jengeme Spelemanne Cledere ofte Spise gave. Darna vor he mit siner Brut to Rome. En Paves bejegenede ime to Langbarden, de ander in dem Bardenberge, de dridde to Tuscan. De Koning quam do Rome, unde satte de dre Pavese af und satte to Pavese van Bavenberch den Bischop Svidigere, de ward geheten Clemens: van deme ward de Koning Heinric gewiet to Keisere, unde sin Wif to Keiserinne. De wile de Keiser to Rome was, in der Stat was en Timberman, de hadde en wenich Kint. Do de Timberman an sineme Werke stunt, dat Kint spelede mit den Spanen. Id legede de Spane an Bocstave, dar quam en Prester to, unde las, dat dat Kint mit den Spanen hadde geleget. Dominabor a mari usque ad mare; dat quit: Ic scal werden Herre van deme Mere wante an dat Mere. De Prester wiste wol, dat dat Kint Paves werden solde; he segede it sineme Vadere deme Timbermanne. De Vater let dat Kint leren. Do de Scholere wos, he quam in des Keiseres Hof, unde ward den Scriveren lef. Des Keiseres Sone Heinric, de sider Keiser ward, de dede dem Scholere Ledes vile, unde spottede mit eme unvochlike. It wiste eme sin Herte wol, wat eme van deme Scholere schen solde. De Keiser spottede sines Sones unde des Scholeres Speles: der Keiserinne was it led, si schalt darumme dicke eren Sone Deme Keisere dromde enes Nachdes, we sin Sone to deme Dische sate, unde we deme Scholere Hildebrande, also was he geheten, wossen twe Horne wante an den Himmel, unde we he mit den Hornen sinen Sone uphove, unde en in dat Hore worpe. Disen Drom segede de Keiser der Keiserinne, di sched in also, dat de Pape Paves werden solte, unde eren Sone van deme Rike stoten solde. De Keiser let den Papen van (eme) unde let ene to Hammersten an enen Torn werpen: he wande, dat he Goddes Willen wider wenden mochte. Di Keiserinne vorwet dicke deme Keisere, dat he durch Drome an eneme Scholere so kranclike dede. Over en Jar darna het de Keisere den Scholere ledich laten. He ward Monic: he vor mit sineme Abbete to Rome, unde ward to Hove lef, unde ward to jungest Paves lange darna. Na deme Pavese Clemente ward Damasus Paves: he was er Patriarche to Ageleja - - - - geheten; darna ward Paves de Bischop Brun van Tul, unde ward Leo geheten, de was en hilich Man. Ime dromede enes Nachtes, we eme Sente Peter vif Keleke gave to Rome vor sineme Altare, he was oc vif Jar Paves. Dise Paves herbergede enen Maselsuchtigen enes Nachtes, den legede he in sin Bedde mit groten Vlite. Des Morgenes do he to deme Bedde

de quam, he ne vand des Mannes nicht. He was vro, dat he Godde geherberget hade. Dese Paves Leo makede Sancti Gregorii Sang, unde Sanct Gorgonii, unde Sancti Cyriaci. He quam oc to Dudischeme Lande, unde hadde en Concilium to Megenze, dar was de Keiser Heinric. In den Tiden blanden de Ungere eren Koninge Petere, unde satten sic wider dat Rike: den widerstunt de Bischop van Regensburch, de was des Keiseres Veddere. De Keiser vor do na mit groteme Here in dat Lant to Ungeren, unde vorde den Paves Leonem mit eme. De Ungere hadden dat Lant vorbrant unde vorheeret selve, dat de Keiser an deme Lande nicht beliven ne mochte. De Keiser vor wider, unde quam mit dem Pavese to Regensburch: deselve Paves hof dar up Senté Wolfgangen, unde vant dar dat Heilichdom Sancti Dionysii. De Paves unde de Keiser waren de Winachten to Wormoze beide. De Bischop van Megenze sang de ersten Missen, sin Subdiaken sang de Lectien, de he lesen solde der Hochtid to Eren. Dem Pavese ward dat torn, unde verbot ime dat singen. De Pape ne wolde des nicht laten. Do he de Lectien hadde gesungen, de Paves sande na ime, unde untgradede ine. Deme Bischope was dat let, unde sande to dem Pavese, unde bat ine, dat he ime sinen Dienere wider geve, des ne vvolde de Paves nicht don. De Bischop svvigede do stille, vvande he de spreken solde. Do sat he uppe sinen Stul: de Paves let ine vragen, vvarumme he nine sunge? de Bischop sprak: disse Misse ne vvirt nimmer vollenbracht, me ne vverde vvider min Dienere. De Paves sande do vvider deme Bischope gegerevvet sinen Subdiaken. Darna vor de Paves vvider to Rome, unde vor mit groteme Here to Pulle vvider die van Normendie, de sic des Landes to Sicilie unde to Pulle undervvunden hadden, alse se noch hebbet. De Paves unde de sine vvorden vluchtich; darna starf deselve Paves schere. Darna vvard di Bischop van Echstede Paves, de vvas geheten Gevehart, do vvard he Victor genumet. In den Tiden vvas Bischop to Hamburch unde to Bremen Alebrandus. In den Tiden orlogede de Hertoge Conrad mit den Ungeren vvider den Keiser Heinrike, deselve Hertoge vvard vordreven durch sine Untruvve. Do vvard oc gevangen de Bischop Gevehart van Regensburch, de vvas des Keiseres Veddere; de vvas oc vvider dat Rike. An den Tiden starf der Vorsten vele. It vvard oc grot Hunger unde anderes Ledes vile. De Heidenen Wenede slogen oc der Christenen vele. Deme Keiser Heinrike vvard herumme lede: he gaf allet dat vvider, dat he jemanne genomen hadde. He makede do oc sinen Sone den jungen Heinrike to Koninge, unde beval ine deme Pavese unde al den Vorsten. Darna vorsched de Keiser Heinric mit gudeme Geloven. Sin vvard en Del to Goslare begraven, unde en Del to Spire. Di Keiserinne Agnes bevvarede vvol dat Rike mit ereme jungen Sone deme Koning Heinrike. De Bischop Anne van Colne nam ire dat Kint mit der Vorsten Rade, unde vorwisten de Vrowen van deme Rike; darvan gescha vile Ledes, de Clostere vvorden tovort, de Papheit vordrucket, it ne kunde oc nieman nin Recht vinden. In den Tiden vvas de Koning Edevvard van Engelant, den vvolde sin Svvager vorraden: de sat enes Dages bi deme Koninge to deme Dische: de Koning schuldegede en der Verratnisse: de Svvager nam dat Brot in de Hant, unde sprak; God de late ime in desem Beten irvvorgen, of ic schuldich si. He nam dat Brot in den Munt, unde vvorgete altohant. Alsó vvrac God de groten Untruvve. Bi Keiser Heinrikes Tiden vvas Hertoge Magnus Hertoge to Sassen. Dese Hertoge Magnus na sines Vader Dode Hertogen Ordolves satte alle sinen Mut daran, dat he de Wenede vorstridde, de widerstrevech weren, dat to trosten ene Godeschalkes Sone Batue unde Heinric, unde hulpen ime sere. Batue vvard geslagen, unde mit eme manich Man, der - - - - unde sin Broder Heinric behelt darna de Herschap.

In deme MLVII. Jare van Goddes Gebort Heinric de verde desses Namen, des Keiser Heinrikes Sone, quam an dat Rike, de LXXXVII. van Augusto, unde vvas dar negene unde vertich Jare. Sine Muder de Keiserinne Agnes vvard do Hertoginne to Beieren. Bi sinen Tiden untsegeden sic aver de Wenede, unde satten sic vvider den Heinrike, do sin Broder Batue geslagen vvas, unde untsegeden ime den Tins, den se geven solden. Dise selve Heinric was en harde bederve Man: he clagede sine Not, unde dat Unrecht deme Hertogen Magno. Deme Hertogen vvas sines Vrundes Ungemak leit, unde vor mit eneme groten Here der Sassen uppe de Wenede sinen Vrunde to helpe, unde sloch ere ummate vile mit der Godes Helpe; van deme Sege worden se aver gelovich. In den Tiden voren oc de Sassen in dat Lant to Lusiz, unde wunnen dat to deme Rike mit manneges Mannes Dode. De Paves Victor was an Dudischeme Lande, unde vorsonde de Vorsten swar so he mochte, unde vor wider to Rome, unde starf. Na deme ward Benedictus Paves, na Benedicto Nicolaus. Darna ward en Strid to Rome under dem Bischop van Lukke Gerarde unde deme Bischope van Parme. De Strid ward gescheden van deme Bischope Annen van Colne, dat de Bischop van Lukke Paves worde, unde ward Alexander geheten. In den Tiden ward gemarteret de Bischop Kono van Triere van eneme Greven Diderike; durch den Bischop dud Got Tekene vile. De Bischop Sivrid van Megenze unde de Bischop van Bavenberch, unde de Bischop van Utrecht de voren mit groteme Volke to Jerusalem, unde vul quamen oc mit groteme Arbeide.

In den Tiden de Hertoge Willehelm van Normendie bedwang Engelant, unde ward dar Koning. He vordref de Bischope unde de Hertogen alle: van sineme Slechte sin noch de Koninge van Engelant, darvan hebbet se noch Normendie

Normendie. De Koning Heinric nam en Wif van Langbarden; he vvas in deme Lande to Sassen, unde levede na sineme Willen; he hogede de Unedelen, unde nederete de Edelen. He levede, swe so he wolde, darumme gescha ime, dat he nicht ne wolde. He sprak uppe de Vorsten honlike, unde helt se kranklike. De Vorsten van Sassen unde de van Duringe sworen uppe den Koning Heinrike: de Koning unde de Sassen quamen to samene to Nagelstede, dar vvard en Vrede gemaket: an demeselven Vrede vor he uppe di Sassen, de vvaren ungevvarnet. Dar vvard en grot Strid, de Sassen vvorden vluchtich. Dit is de Srit, de to Magelstede gescha. De Sassen irhaleden sic sider, unde gesegeden an deme Koninge, verstunt de Koning Heinric veng do den Bischop Bungen van Alverstat, unde vvolde ime tvva Burge afdvvingen, he quam danen van des Hertogen Helpe van Beieren unde van Sassen, de vvas geheten Otte van der Wesere. De Koning Heinric orlogede lange mit demeselven Hertogen Otten mit Brande unde mit Rove. De Koning legede deme Hertogen Hove, unde vordelde eme to Vingest sin Lant. Dit is di bederve Hertoge Otte, de vvas Alder-Vader der Koninginnen Rikenzen. He stichte oc dat Closter to Northeim, unde is aldar begraven. De Keiser Heinric let do dat Lant to Beieren deme Hertogen Welpe, des Broder vvas de Hertoge Heinric, de vvas Vader des anderen Hertogen Heinrikes, de sider des Keiser Luderes Dochter nam, van deme quam de Veide Hertoge Heinric des Verden Keiser Otten Vader. De Sassen vvorven grotliken vvider den Koning Heinrike: se vvunnen to Helpe den Bischop Sivride van Megenze, den Bischop Annen van Colne, unde den Bischop van Salzburch, unde andere Bischope vile. Se gevvunnen in oc to Helpe den Paves Alexandre. Do sande de Koning Heinric den Bischop Annen van Colne, unde den Bischop van Bavenberch to Rome, dat se dar sammeden sinen Schat. Bi denselven Bischopen sande de Paves Alexander sine Brieve to deme Koning Heinrike, unde ladede in to Rome to Recten Antvvorde. De Paves sprak den Koning an, dat he dat Bischopdom vorkofte, unde dat he unrecht levede. Dit vvas al van der Vorsten Rade, de vvaren dem Koninge hat. He vvas en Del schuldich. De Sassen begonde do Burge buvven, der ne vvas er nicht vile in deme Lande, se to braken oc Hartesburch de Burch unde dat Closter; se groven up des Koning Heinrikes Kint, dat vvas dar begraven; se tovvorpen dat Gebene, dat vvas van biderven Luden en schentlik Wrake an eneme doden Kinde. Do vorsched de Paves Alexander; na ime koren de Romere to Paves den Monik Hildebrande ane des Koninges Willen, vvante se er ane den Koning nenen Paves kiesenne mochten. Dit is de sevede Gregorius de Paves, de dede oc den Koning Heinrike to Banne. Dit is oc de Hildebrand des Tymbermannes Sone, van deme dromde deme Koning Heinrike, vvo he sinen Sone denselven Koning Heinrike mit tvven Hornen, de ime gevvassen vvaren, in dat Hore vvorpe. Deselve Hildebrant vvard Gregorius geheten, under deme vvard sere bevveget dat Rike, unde vvard in der Kerstenhet grot Misschellunge. Do vvard allererst tvvischen deme Stole to Rome unde deme Romischen Rike de Misschellunge, de noch hude des Dages vvaret, di ne vvirt oc nimmer tovort, it ne do God selve van sinen Genaden. De Paves Gregorius ladede do den Koning Heinrike to Rome, alse de Paves Alexander hadde gedan. De Koning Heinric vor do mit groteme Heere uppe de Sassen. De Beheme vvaren mit eme to Sassen, voren da vvider mit groter Craft: se quamen tosamene bi der Unstrot, dar vvard en grot Volk vvih: dar vvard Ludes vile geslagen, de Koning behelt den Sege; dar vacht sere de Hertoge Rodolf an des Koninges Dele, de vvider eme sider to Koninge vvard gekoren. Do vvard oc en grot Concilium to Wurmeze van allen Bischopen, de mit deme Koning Heinrike vvaren: de Koning vvas oc dar selve. Dar untsegeden de Bischope alle deme Pavese Gregorio iren Gehorsam: se unboden ime an iren Brieven: Wande di van dineme Mutvvillen unde van diner Mecheit, de di hevest irhaven, is di Heilige Stole sere besvvaret: darumme untsegge vve di Horsam: unde di hevest gesproken, dat vve dine Bischope nimmer ne vverden; du ne vvirdest oc nimmer unse Paves. In demeselven Jare vvard en ander Concilium van des Koninges Vianden to Oppenheim, dat vvas grot, dar vvas oc der Vorsten vile, de untsegeden alle deme Koning Heinrike, vvante he tvvier Pavese Ladunge vrevelike untsedeten hadde. Disse Misschellunge under den Herren vvas grot: darvan vvard so sere genideret dat Romische Rike, dat it sic nimmer mer irholen ne mochte. Do starf de Bischop Anne van Colne, unde vvard to Siberge begraven, dat he selve stichte. Do untsedde de Paves Hildebrand den Bischop van Bavenberch umme Simoniam: De Koning satte dar enen anderen Bischop. Darna vor de Koning Heinric to Rome, unde sochte des Paveses Gnade, dat vvas sinen Vianden let. He vant den Paves up eneme Castele: de Koning stunt vor der Porten dre Dage vullen unde barvot, vvante in de Paves untvieng, unde ut den Banne let. He lovede oc sines Levendes Beterunge. Devvile de Koning Heinric to Rome vvas, de Vorsten koren to Vorcheim to Koninge den Hertogen Rodolve, de vvard to Megenze gevviet van deme Bischope Syvrede; des Dages vvard oc grot Strit, dar vvard Ludes vile geslagen. Dat vvas en uvel Teken deme nien Koninge. De Koning Rodolf vor do van Megenze mit dem Bischope to Sassen; he sammede oc en grot Here, unde besat Wurzeburch, vvande se ereme Herren Truvve helden. De Koning Heinric vor do Langbarden durch dese Mere. he quam in dat Lant to Svvaven, unde orlogede uppe den Hertogen Bertolde van Teringen, de ne konde sic deme Koninge nicht ir vveren, he starf oc do, alse

alse men segede, van Lede. De Koning Rodolf vor do van Wurzeborch; he ne konde ire nicht gevvinnen, unde schop sin Ding vvider den Koning Heinrike. E Koning Heinric unde de Koning Rodolf quamen to samene mit Here bi Strouse, dar vvard en grot Volc vvich: dar vvard de Bischop van Magedeborch Wizzel geslagen, unde ande Herren vile; dar ne behelt neman den Sege. It vvard oc en ander Volc vvich tvvischen denselven Koningen tvven to Vladeheim, dar vvurden de Sassen vluchtich, deme Koning Heinrike vvorden alle sine Knechte geslagen an den Herbergen. Dat hadden de Sassen gedan, devvile dat dat Volk vvich vvas. In demeselven Jare vvard en grot Concilium to Brixe van drittich Bischopen van Langbarden unde van Dudischeme Lande, de verdelden alle den Paves Gregorium: se segeden up ene, dat he unrechte vvider den Koning koren vvere, unde dat he den Koning mit unrechte to Banne hadde gedan, unde dat he beschermede den meinen Rodolve, unde alle de ime bistunden vveder eren rechten Herren: van sineme Homude vvere verbrant Lant unde Kirken, unde vvere bevveget al dat Rike. Se koren do algemenlike van Ravenne den Bischop Wiprechte to Pavese. De anderen Bischope de hirvvider vvaren, de screven aldus: De Paves Gregorius de is rechte gekoren, it ne mach nech en ander sin; svve so vvil de ander sin, de is en Wolf. He is nicht to der Dore in komen, he is hindene geslopen in dat Hus. Bi den Tiden vvas Bischop Albrecht to Hamborch unde to Bremen, na ime vvard Liemarus Bischop, darna vvard Bischop Hubertus. Bi den Tiden Marcgreve Ude vvan den Weneden af Brandenburch. Do vvard oc dat Closter to Hersevelde gestichtet. In den Tiden vvas en ander Volc vvich tvvischen deme Koning Heinrike unde deme Koning Rodolve to Missen uppe der Elstere, dar vvard Segelos de Koning Rodolf, ime vvard oc sin Hant afgeslagen, unde vvard also to Mersborch gebracht. He sprak to den Bischopen, de dar vvaren, unde vvisede in de Hant, de ime afgeslagen vvas: Dit is de Hant, mit dere ic mineme Herren deme Koninge Heinrike Hulde svvor. Mit vvesme Rade satte ic mic an sinen Konigliken Stol? nu sed, vvo je mic hebbet gelet. Nu mut ic laten dat Rike, unde darto dat Lif. Darna starf deselve Koning Rodolf, unde vvard to Mersburch begraven. An denselven Tiden vvart grot Erdbevinge, de bevvisde de Bevvegunge, de an deme Rike vverden solde. De Koning vor do to Rome mit groter Craft: de Paves Gregorius vvas vvider ime mit den Romeren: de Koning orlogede vullichliche uppe de Romere dre Jar. In den Tiden vvas en grot Volcvvich tvvischen den Svaven unde den Beieren; unde en ander Volcvvich tvvischen den Svvaven * unde den Beieren. In den Tiden koren de Herren enen anderen Koning, devvile de Koning Heinric to Rome vvas, de vvas geheten Herman. He vvas, er he Koning vvorde, en vverd Man, sider vvard he ummere. De Koning Heinric herbergede do vor der Stat to Rome in deme heiligen Avunde to Paschen; he lach dar vore vvante an de Weken to Pinkesten, do gevvan he de Stat. De Paves vvas uppe deme Hus, dat geheten is Crescentia: de Koning Heinric makede do ene Veste van deme Palase majori: he satte darup sine Riddere, mit den dvvang he de Romere sere. Siner Riddere vordarf oc vile van der bosen Luft. De Romere gaven deme Keiser tvvintich Gislen, unde baden in, dat he dem Pavese Gregorio gave enen Dach: se vvolden se vorevenen mit groten sinen Eren. De Koning vor do van der Stat, unde quam vvider to deme Dage, de tvvischen ime unde deme Pavese vvesen solde. De Paves ne quam to deme Dage nicht: he vlo vorholene to Salerne, dar blef he, vvante an sinem Dot. De Koning Heinric vor do to Pulle, unde gevvan dat Lant. He vor vvider to Rome van der Senatore Ladunge: he vvard mit groten Eren untfangen. He vorde mit eme den Bischop van Ravenna Wiprechte, de to Brixe to Pavese gekoren vvas up den Pavese Hildebrande Gregorium. He vvard in deme hilegen Dage to Palmen mit der Romere Willen to Pavese gevviet, unde Clemens geheten, van deme selven Pavese vvard de Koning Heinric to Keisere gevviet, unde sin Wif to Keiserinne. Darna vor do de Keiser Heinric to Dudischeme Lande: He gevvan vvider de Stat to Ougstburch, de eme de Hertoge Welp afgevvunnen hadde. Do starf de Bischop - - - van Megenze: des Keiser Heinrikes Vrunt Wizzel vvard dar Bischop. Do vvard oc en grot Concilium to Megenze, dar vvaren de Boden des Paves Wiprechtes Clementis, dat vvard vorde'et allen Bischopen ir Bischopdom. De Keiser Heinric satte oc allenthalven Bischope in de Stede, unde vorstotte de vvider eme vvaren. Darna quam he to Sassen, de quamen ime alle to hulden, vvanne de Marcgreve Ekgebrechte van Brunesvvik des Keiseres mach, uppe den orlogede de Keiser: de Marcgreve vveredesic sere. In demeselven Jare vvard en Gesprake to Berka van des Keiseres Vrunden unde Vianden: mit deme Keisere vvas de Bischop van Megenze; vvider ime vvas de Bischop van Salzborch. De Bischop van Megenze sprak, dat sin Herre de Keiser mit Unrechte to Banne vvere gedan, vvande he vvere ut dem Banne gelaten van deme Pavese Gregorio, unde up in vvere gekoren van des Paveses Rade de Koning Rodolf, unde vvard de Keiser Heinric ungevveldiget van den Vorsten sines Rikes, devvile he to Rome vvas. He ne darf van Rechte nichte nicht antvverden dem Pavese, devvile he berovet is. De Bischop van Salzburch sprak dat vvider, de Man vvere berovet ofte umberovet, he solde jedoch to Godes Rechte stan. Dar vvard en grot Geruchte: jegelic Man redede na sineme Willen. Se to voren an Ende. Darna starf de Paves Gregorius Hildebrant to Salerne, na deme vvard gekoren de Abbet van Monte Casti Desiderius en Godes-Man: he vvart geheten Victor, de bat Got, dat he korte vvile leven

precht, den de Keiser hadde gesat uppe Gregorium Hildebrande; de hadde gesproken, it were ime let, dat he Paveses Namen gewunnen hadde. Bi den Tiden de Moneke van Hilsenebурch, de ne wolden deme Bischop Frederike van Halverstat nicht underdanech noch horsam sin, wante he to Banne was, unde en Rovere, darumbe dref he se ut ereme Clostere. Er Abbet Otto, en gut Man, vor to Jerusalem, unde belef dot uppe deme Wege an ener Stat, di het Andropolis, dar wart he begraven an der Kirken Sente Marien. De Vorsten reden deme Keisere, dat he to Rome vore, unde sic vorevende mit deme Pavese, des ne dede he nicht, noch Boden ne sande: he stunt darna mit Vlite, dat he enen anderen Paves satte, des he nicht don ne mochte. Bi den Tiden de Bischop Herrant van Halverstat, de oc het Stephan, besat vile Widermodes van deme verbannenen Friderike, unde starf. De Vorsten do se dicke quemen to des Keiseres Hove, unde ere Gut dar vordeden unde nicht des Rikes Dinges dar geschapen ne ward, darumme weren sie mit eme mit Untruwen, unde loveden sic to samene wider ene, wante bi siner Tit allerhande Ding sic ergeret hadde: manich Burch, manich Stat was vorvort; oc nam he der Goddeshuse Gut, unde gaf dat denen Herren, uppe dat he se mit eme vorevende. Dise Keiser hadde manege Bosheit gedan, de nie er gehort weren, noch an Boken gescreven, unde wan dat ene Got vriste, uppe dat he dat he sic bekerede, so hadde in levendich de Erde vorsloken, also se dede Dathan. In einen Winachten hadde de Keiser Hochtit to Megenze, dar let he uppenbare predegen enen Bischop Emehardum, dat he wolde sineme Sone Heinrike laten dat Rike, unde varen over Mere, dat ne was eme jedoch an deme Herten nicht. Darvan gevvan he grote Gonste van den Vorsten, van Papen, unde van Leien, unde van dem menen Volke: over al dat Rike menich Man van menegen Landen bereide sic oc to derselven Vard, unde ward darvan en Vrede. Bi den Tiden sameden sic de Herren van Sassen uppe den Marcgraven Uden, unde besaten Alesleve: an beident halven ward dat Lant beide rovet unde brant. Cono des Hertogen Otten Sone ward uppe deme Wege van bosen Luden geslagen, sin Broder Heinric, de de was to Fres Herre, de ward oc an ener Lage geslagen van den Fresen. He was oc to enen Winachten to Regensburch, dar was Greve Segehard, de vvas ungunstich deme Keisere: de Burgere besaten ene an sinen Herbergen, van nu derden morgene vvante to none, do braken sie up de Dore, unde vvard gehovedet: he dede doch sine Bicht, unde nam Goddes Lichamen. Darna ward grot Vrede in deme Lande unde gut Tit, di Luft vvard oc gut, unde vvurden vile sunt de Lude. It quemen oc Pelegrime van over Mere, de segeden, dat Akers gevvunnen vvere, unde mennich vrovvelic Ding, dat den tide geschen vvere. Conrad der Marcgrevinnen Beatricen Sone overtoch der Papheit, unde vvard geslagen. In dem Bischopdome to Spire vlot Blut ut dem Brode, unde ward gevunden, alse Linsen Korn, dat betekende dat orloge under dem Vader unde dem Sone na der Lichnisse der alten Historien der Romere, vvante desselven Jars, do de Keiser to Vrideslare quam durch ettelike Lude, he wolte dat Lant Sassen orlogen, dar af wende ene sin Sone, unde ne stadede ime des nicht. Also wart en grot Twedracht under in: de Sone karde do van dem Vader, unde vor an dat Lant to Beieren, dar schop he sin Ding, unde orlogede wider den Vader mit der Herren Troste unde erer Helpe, de ime reden, dat he van deme Vader vore. Allererst de Paves bekande ime rechte Horsamicheit, darvan over evende he sic mit den Herren van Beieren unde van Swaven, unde mit den Ostvranken, unde quam to Sassen, dar ward he herlike untfangen, unde belef to Quidelingeburch, dar worden ime geopenet al de Stede an Sassen, unde ward geeret van den Hogesten, alse men van rechte enen Koning eren solde. Van der Bischope Rade so bot he ene gemene Samenunge an des Rikes stat, dad in dar redede van der Tucht der Statecheit der Godeshuse, de over ergeret was. In derselven Sprake ward gelesen dat Recht der Alten Herren, unde swat ine dar berichten mochte, dat berichte men: ittelike Ding, de to swar waren, de sande men an den Paves. Dar ward Simonie unde Ketterie overboden, dar ward die Quatertemper, de in deme Mere is gesat, an de ersten Weken der Vasten, de Quatertemper, de de is in deme Junio, de ward gesat an de Pinkest-Weken na deme Romischen Sede. Dar ward oc gestadeget de Vride der Godeshuse. Darna dref he ut deme Lande to Sassen alle, de ungelovich weren, unde Unrecht, unde verbannen, unde satte wider an ere Stat, de recht unde gut weren. De Bischop Frederic van Halverstat ward unsat durch sine Simonien, de Bischop van Hildensim, de van Palborne worden untsat eres Ambechtes, wante se de Paves horde: de Bischop van Minden ward untsat durch Unhorsamicheit, unde ward en ander dar gesat Under deser Tit quemen de Moneken van Hilseneburch wider an ir Closter van des Koninges Gebode, de vif jar ellende hadden gewesen. Se koren oc under in enen Abbet, de het Martin, denselven wiede de Bischop Rothard van Megenze to Katelenborch to Abbeden. De Keiser Heinric de Alde wolde noch sinen Side halten: he hadde sine Bosheit lief, andere Lude Doget de overdusterde he. He horde spreken van enes edelen Ridderes Manheit, daran legede he allen sinen Vlit, dat he ene geunerede. Enes Morgens vile vro, ward de Riddere to Hove geholet, unde ne wiste nicht, dat vor der Dore en Lewe mit sineme Meistere gesat was. Do he vor de Dore quam, wol ne was he nicht gewapenet, he ne vlo jedoch nicht: de Lewe sprank to ime, den sloch he mit der Vust to der Erden, dewile gref he an sin Swert, unde sloch den Lewen dot, unde ging dannen. Darumme gerede de Keiser sines Lasteres, vorbat mer dan er. He let oc dat beste Ors, dat in deme Lande was, binden an den Rin to eneme Pale,

wante it irdrank; it svvam umbe den Pal dre Dage unde dre Nacht. Eneme Hunde, de starker was unde snellere danne jender, deme lonede he sines selves Dode. He let oc enen Man de Keiserinnen Agneten bidden erer Minne, dat was ere Unere. De Riddere bat se Vaste: di Vrowe sprach, si wolde don, alse ere Herre gerede. Do dat de Keiser vornam, he gebarede, also he riden wolde: he nam des Mannes Cledere an, de van sineme Rade dit gevvorven hadde, unde quam des Nachtes to der Keiserinne. Di Keiserinne hadde bereit starke Jungelinge an Wives Gewade, de hadden starke Knuppele: se namen den Keiser under sic, unde slogen ine harde sere. De Keiser riep, dat he it ware. Die Keiserinne irquam is sere, unde segede: Herre, je hebbet uvele wider mic gedan. De Keiser let do van Torne nakede Knechte to der Vrowen gan an deme Hilegen Dage to Pinkesten, dat undervieng de Bischop Rothard van Megenze, he let oc den Man dot slan, de in deme Rade was. Bi sinen Tiden vvard oc to Goslare an enen Pinkest-dage under der Missen tvvischen den Herren en grot Strit, unde do vele Volkes geslagen unde gevvunt vvas, do rep de Duvel mit luder Stemme, unde sprach: ditsen Orloges-Dach heb ich gemaket selve. He vvard darna an ene schone Vrovven, di vvas Wif enes Herren, de vvas geheten Bortold van Scartveld, unde vvas des Keiseres Anere, di Vrovve vvas oc na Nichte des Keiseres. De Keiser sande do den Riddere verre van eme an ene Bodescap, durch dat he mit der Vrovven sine Bosheit volbringen machte. Enes Nachtes quam he to Scarvelde, alse he van der Jaget mode vvere. He let van jime untvviken, de mit ime dar vveren, unde begonde mit der Vrovven heimlike reden, unde gevvan se te lest an eren Willen. Do der Vrovven Man vvider quam, si clagede ime mit groteme Herte-Svvare de Not, de ere de Keiser dan hadde, dat vordroch de Ridder mit groter Lede, unde quam vvider to Hove to deme Keisere. Des ersten Nachtes schop de Keisere, dat men ene an dem Bedde morden solde. De Ridder aver bedachte sic, unde ging van dem Bedde heimlike, unde nerede sinen Lif. Des Morgenes clagede he sine Not den Herren menlike, unde oc sines Wives Laster, dat vvas al den Vorsten Hertelike let umbe de Dad unde menege andere Missedat; so vvard he to Banne gedan. Do men van Dage to Dage jo ergere Mere vernam, de Vorsten quamen tosamene, unde vvorden to Rade, vvat se daden, se ne hedden nechen Recht van deme Keisere, se ne konden en oc nicht verdrifen. Do gaf in de Hertoge Otto van Sassen unde van Beieren den Rat, dat se koren sine Sone, wande he anderes nechenen Frost ne hadde. Also vvard gekoren durch Not de Sone uppe den Vader. Do de junge Koning Heinric van den Vorsten to Koninge was gekoren, he sande sine Boden an den Paves, unde vragede ene Rades umme den Et; den he gesworen hadde sinen Vader, dat he dat Rike sunder Orlof sines Vader unde Willen nimmer untfanne solde. Do de Paves de Mere vernam, he umbot ime sine Segenunge, unde let ene ledich des Edes vor Godde, of he recht Koning vvolde sin unde Beschermere der Christenheit, de lange Tit van sines Vader Versumnisse bedrovet hadde gevvesen. He let oc de Vorsten alle des Edes ledich, den se dem Vader gesvvoren hadden. Disen Kore overvvan dat Rike nimmermer: it vvas oppenbare vvider Godde, de selve gebot, unde mit siner Hant scref: Ere dinen Vader, dat du sist langlivech uppe der Erden. It vvas oc en bose Bilede den Kinden vvider de Vadere. Do de Vader disse Mere vernam, he vvolde den Sone hinderen, unde ne machte jedoch des nicht don. He samnede en Herre, unde vor in den Landen vvider, unde vord tvvei Jar: dicke lagede he deme Sone, undervvilen so vvolden se uppenbare striden. He overstorede unde verbrand alle der Lant, de mit deme Sone vveren; Also deden se vvider uppe de, de mit deme Vader vveren. Do vvart verbrand dat Lant in allenthalven, unde to vord Clostere unde Kirken. Darna quemen se tosamene to Beieren bi deme Regene: an ene Half des Wateres vvas de Vader mit den sinen, de Sone an dem anderen Stade des Wateres. Dar undersagen se sic dre Dage: do vvart en grot Strit under in, dar vvard Ludes vile geslagen an beidenthalven. Dar vvard oc geslagen in des Vader Dele Greve Hartvvich, unde gevangen Greve Segehart. De Vorsten an beiden Halven namen do enen Vrede; se vvorden to Rade, vvat se deden: it vvere en jammerlich Strit tvvischen deme Vader unde deme Sone; it vvere oc angestlec, men solte oc sconen der - - - unde men solde oc den Strit scheden tvvischen Vader unde Sone. Den jungen Koning irbarmede oc sin Vader, unde ret van Schare to Schare, unde dangkede den Ridderen sere durch de Gunste de se ime gedan hadden, uude segede, dat he sic des nimmer begen ne vvolde, dat sin Herre unde sin Vader immer geslagen vvorde. De Vader aver do he daran vvas, dat men des anderen Morgens striden solde, unde an den Vorsten Helpe sochte, de se ime untsegeden, wante se alle karden van ime to deme jungen Koninge, he vvard jamereges Mudes, unde untret heimlike van deme Here mit vvenich Ludes, unde quam to Ludeke, dar unthelt en de Hertoge van Limborch. Bi den Tiden do he to Ludeke vvas, dromde ime ein Drom, den men to rechte horen sal: Ine duchte, vve he an eneme schonen Vrithove vvere, de vvas umme bevvassen mit hogen Bomen. De hogeste, de under in allen vvas, begonde vallen, unde sloch up enen anderen Bom, unde sloch in mit sic to der Erde. de anderen viellen oc entelen alle an de Erde. kortelike darna vvard vvol schin, vvat de Drom betekenede. Enes Dages er deme heilegen Avende to Winachten vvard gesen uppe dat Westen under den Sternen en also grot Vuir bernen, also of it de Sunne vvere, of it in deme Ostene gesen vvere.

In deme MCVI. Jar van der Bort unses Herren Heinric disses Namen de vifte, des Keiser Heinrikes

leven moste. Dat gescha. Sinen Kore vorderede Vrovve Mechtild van Langbarden di vveldige Vrovve Marcgraven Ekbertes Suster van Brunesvvik mit anderen Vorsten, deme Keisere to Lede, devvile vvas Wiprecht Clemens to Rome Paves van des Keiseres Gevvalt unde der Romere. Diselve Vrovve Mechtild orlogede vvider den Keiser Heinrike: si gaf oc ire Lant Sente Petere to Rome vvider des Keiseres Willen. Umme dat selve Lant stridet noch de Keisere unde de Pavese; it is oc Vrovven Mechtilden Lant geheten. Do vvard beseten Wirzeburch van den Sassen unde den Svvaven. De Keiser quam vvider se mit eneme groten Here, unde stridde jegen se bi deme Blechvelde: he ne gevvan doch den Sege nicht; de Viande vvunne de Stat. Nicht lange darna vvan se de Keiser vvider van sime Widersaken Koning Hermanne, de vvider ine gekoren vvas to Isleve, dar dat Clufloc vvasset; he vvas oc Koning Clufloc geheten. Darna quam oc deselve Herman deme Keisere to hulden. He ret oc enes Dages uppe sine Borch an sinen Spotte, alse he der Viande vvere, he vvard oc an demeselven Spotte dot geworpen. In den Tiden quam Sente Nicolai Heilichdom to Bare, dat brachten Koplude van Kricken van siner Stat Mirrea, dar vorstalen se datselve Heilichdom. Darna starf de Keiserinne Bertha, unde ward to Spire begraven. Darna starf oc de Bischop Wizzel Megenze, na deme ward Bischop Rothard. Na deme Pavese Victor ward Urbanus Paves. De Keiser Heinric nam en ander Wif, di was geheten Agnes, en salich Vrowe. Si was Marcgraven Heinrikes Widewe, unde was Dochter des Koninges van Ruzzen. To Colne was ere Brutlacht. Darna besat de Keiser Heinric to Duringen ene Burch degelichen, de was des Marcgraven Ekbertes van Bruneswik: deselve Marcgrave Ekbrecht bestunt in deme heiligen Avende to Winachten den Keiser, unde makede ene vluchtich. Darna vor de Marcgrave to Hildensim, unde besat se, unde vieng den Bischop Oden. Darna vor de Keiser to Langbarden, unde was dar vil na seven Jar. Do ward oc geslagen de Marcgrave Ekbrecht in ener Molen, de he roven wolde, van des Keiseres Vrunden. In den Tiden sach men Worme vliegen, de waren langer dan Vliegen, der was also vele, dat se ene Mile Veldes beviengen in der Brede, unde dre in der Lenge, unde also dike, dat men de Erde kume sach. It geschuden oc do andere Tekene vele; dat betekenede al de groten Herevard, di gescha bi deme Hertogen Godefride: dar wille we en wenich van seggen, svve so it vorbat vveten vville, de lese dat Bok van derselven Herevard. Bi des Keiser Heinrikes Tiden des Vierden de Keiser Alexus van Constantinopole orlogede mit den Armenien: de Armenien vvunnen in to Helpe den Koning van Parthia mit den Turken, de orlogeden sere uppe de Cricken, unde do se dat gude Lant gesagen, unde se den Armenien eres vvillen hulpen, se voren vvider to Lande, unde besammeden sic grotlike van ettelikeme Lande, dar mer vvas Ludes dan Kornes. Se voren mit groter Gevvalt uppe den Keiser van Cricken, se vvunnen de Stat Antioch, unde Nikke unde Roas: se verhereden dat Lant vvante an Constantinopole: se voren uppe den Koning van Babylonie, deme vvas do Jerusalem underdan: De Christenen gaven eme Tins, de in der Stat vvaren. De Stat to Jerusalem gevvan allererst in der Romere Gevvalt Pompejus de Grote; darna tovorde se Titus, dat en Sten uppe deme anderen nicht ne belach, also Christus vore geseget hadde. Sider buvvede si vveder de Keiser Adrianus in dere Stat, dar unse Herre vvard gemarteret: sider gevvan sie Cosdras van Parthia, unde nam dat hilige Cruce; denselven Cosdram sloch de Keiser Heraclius van Constantinople, unde brachte dat Cruce vvider. Also vvas die Stat to Jerusalem immermer den Keiseren van Constantinople underdan, vvante van des Rikes Krankheit de Koning van Babylonie sic der Stat undervvant, dat eme de Christenen Tins mosten geven. De Koning van Parthia de gevvan do Jerusalem, unde satte dar in sine Turken vvider den Koning van Babylonie. In denselven Tiden vvas grot Irrecheit in der Werlet: de Stul to Rome unde dat Rike vvaren sere bevvorren, de Keiser van Constantinople vvas mit den Turken bevvorren, de nodeden in sere. De Turken hadden do Jerusalem, unde leten doch ganz dat heilige Graf durch eres Gevvinnes vvillen. De Keiser Alexius van Constantinople sande do to dem Pavese Urbano, unde bat in Helpe unde Rades to sinen Noden, unde oc der Stat to Jerusalem. De Paves Urbanus makede do en Concilium in Hispania, dar let he predegen dat Cruce, dat vvas oc dat erste Cruce-predegent, dat je gescha. Do vor en grot Here to Jerusalem mit eneme Prestere Godescalke; de vordorven alle. Men segede, dat deselve Godescalk en valsch Broder vvere. It volgede oc en grot Here eneme Moneke, de vvas Peter geheten. Se voren unbeschedenlike: se slogen alle de Joden in allen Steden, dar se se vunden. Do vor oc de Hertoge Godevrid van Lothringen, unde sin Broder Baldevvin, de Greve Ropercht van Vlanderen, de Greve Reinolt van Sente Ilien, unde de Grote Herre Boimunt van Sicilien, unde sine Tankgrat, unde en Bischop van Walscheme Lande. Dit Herre vvas grot van Mannen unde van Wiven. De Man let den Ploch stan uppe deme Velde, de herde dat Ve, dat Wif liep mit der Wige, de Monik ut deme Clostere, de Nunnen voren oc darmide. Se vorden mit in ene Gans; se vvanden oc, dat de heilige Geist mit der Gans vvere. Se vvanden oc, dat de Koning Karl upgestanden vvere, unde mit in vore, unde se geleidede: Se delden oc de Lant, er se it gevvunnen. Umme susgedane Missehellunge dede Got sinen Slach: it muste geluttetet vverden de Wete van deme Kave. Den Dudischen duchte disse Vard en Spot: se ne vvolden nicht varen durch den Werren, de tvvischen deme Pavese unde deme Keisere vvas. Sider voren se, alse de anderen

daden, unde vvageden eren Lif durch Got. De Herren quamen al to Constantinople; de Keiser entfieng si vvol, he gaf in oc grote Gave, unde lovede in grote Helpe. Se loveden ime darvvider, dat se alle de Stede, de se gevvunnen an sineme Rike, dat se se ime vvider gaven. Se gevvunnen de Stat to Nikke: se gaven se ime vvider. Se gevvunnen oc Roas unde Antioch mit groten Arbeiden, de behelden se: dat vvas vvider den Truen; darvan sin noch to Antioch de Franzoisere. De Koning van Babylonie umbot den Herren, of se de Stat to Jerusalem van den Turken vvolden gevvinnen, he vvolde se den Christenen laten vri mit deme Lande. Darna gevvan he de Stat to Jerusalem, he ne vvolde se den Christenen doch nicht laten: se gevvunnen se doch ne an sinen Dang mit Goddes Helpe. Dar starf oc de Hertoge Godefrid, sin Broder Baldevvin vvard dar to Koninge gekoren, he vvas oc de erste Koning to Jerusalem na Herodes; si vvas oc gestanden mer dan dusent Jar ane Koning vvante an den Koning Baldevvine. De Hertoge Fratizlas van Behem vel an der Jaget van sinen Perde, unde starf gehes Dodes. In den Tiden vvard gesen en Viur in der Luft, dat vloch also en Blas van deme Westene in dat Osten. In den Tiden de Hertoge Magnus van Sassen vor uppe de Wenede, unde orlogede se, unde vvan in ave XIIII. Burge. Do vvard oc - - - - der - - - - unde vvard oc gesehn en Drake: darna volgede en grot Sterve in der Cristenheit, unde vvard so grot Regen unde Ungevvedere - - - - - - Bi den Tiden starf Ladizlaus de gude Koning van Ungeren. Bi den Tiden de Hertoge Welp van Beieren, de sic vveder den Keiser gesat hadde, sin Hertochdom, de gevvan do vveder des Keiseres Hulde unde sin Lant. Do vvard oc gesehn en Teken an der Sunnen, unde vvard oc eclipsis lunæ, meneger Hande Wunder gescha do, dat er nie sehn noch gehoret ne vvard, dere vville vve en Del seggen, dat men der andere deste bat getruvve. Enes Dages do it an den Avent ging, also segeden, de dat sagen, dat an al der Luft nergen nin Wolken ne vvas, do erschenen in deme Himele van Steden to Steden alse viurege Clote, unde bescurden sic aver an enem anderen Dele des Himeles. Do merčte men dat, dat dat nen Viur ne vvas vvan der Engele Schare, unde betekeneden mit erer Wanderunge de Bevvegunge des Volkes, de do vvard darna over al de Lant an deme Westene, also hir bevoren screven is van Petro dem Moneke unde van anderen Herren, de to Palestine vvolden varen. Svvar so hinen voren, se slogen de Joden alle, oder se mosten sic laten dopen. To Megenze vvorden geslagen under Mannen, under Wiven, under Kinderen dusent unde vierteine. De oc gedoft vvaren, de vvorden aver vvider Joden. De Keiser Heinric vor do to Langbarden: de Paves schuldegede in, dat he mit siner Suster geslapen hadde: de Keiser schuldegede den Paves dar vvider, dat he mit Simonien Paves vvere vvorden. De Paves sang enes Dages Misse, unde sande na deme Keisere, unde na den Vorsten: he nam Godes Lichamen an de Hant, unde sprach: Keiser Heinric, of ic des schuldich si, des du mic ties, ic gebiede deme Diuvele bi deseme Lichamen Goddes, dat he vare an minen Lif, unde mic alto vore. De Paves nam do in den Mund den Goddes Lichamen, unde behelt in wol: he bot ine oc deme Keisere mit denselven Worden. De Keiser sprak: Ic willes hebben enen Dach. Also vor de Keiser danen. De Paves dede in oc in der Stunt to Banne; do quam de Keiser deme Pavese to Gnaden, unde ward ute deme Banne gelaten: de Paves dete ime enen grisen Rok an, unde ene swarte Kappe, unde het in vasten to Wattere unde to Brode unmen anderen Dach, unde alle Dage enen Salter lesen. Dat Bot helt de Keiser ene Wile. Darna quam he an Dudischlant to Regensburch, dar belef he to ener Wile: den Joden, de doft weren, gaf he Orlof wider Joden to werdende, unde nam al der Joden Erve, de de Pelegrine geslagen hadden. He verdref oc den Bischop Rocharde van Megenze, unde sine Vrunt umme den Schat der Joden, de geslagen weren: De Bischop untflog an dat Lant to Duringen. De Keiser nam al dat Gelt des Bischopdomes an sin Hof, unde aller siner Vrunde Gut, de mit eme vore vluchtich woren, let de Keiser vorvoren, unde ere Woninge over vesten, unde niderbreken. De Hertoge Welp van Beieren de over evende sine Sone mit deme Keisere, di wider den Keiser orlogen wolden, unde bat den Keiser, dat he siner Sone eneme daz Hertochdom na sime Dode verlege. Do erschen Cometes, unde wart dat Jar gut unde vile Kornes, unde alles Dinges genuch: de Winter was sachte unde stervich, it regenede ummate, unde worden al di Watere over vludich. Des Keiseres Sone Conrad unde Keiserinne Berthen, den he to Koninge hadde gekorn, de was wider sinen Vader. He vor oc to Langbarden, unde was dar negen Jar mit Koniglichen Namen, wante he starf. He starf oc mit groten Ruwen: menich sprach, ime were over gift geven: de dar weren, di sagen, dat an sineme Arme en Cruce gewassen was an sineme Dode, God dede oc grote Tekene an siner Graft. In den Tiden wart sehn en Viur, dat vloch an deme Westene in dat Osten, grot als it en Stat were. Ener hadde worme Papiliones, der vloch ummate vile dre Dage al umme van Sassen in dat Lant to Beieren. De Keiser Heinric makede do van Torne sinen Sone den jungen Heinrike to Koninge wider sinen Sone Conrade, unde let en to Aken wigen. Do swor deselve junge Koning sinen Vader, dat he nimmer wider ene were, dat behelt he boslike. De Keiser was to enem Paschen to Regenesburch, dar wart grot Sterve: dar starf de Palenzgrave Rabodo unde sin Vedderen Sone Greve Olrik, anderes Volkes starf oc vile, an menegen Landen ward oc grot Hunger. De ward de Bischop van Utrecht geslagen van eneme Vresen, de was en Copman. In deme selven Jare MXCVIIII. do wunnen de Pilegrinen Jerusalem, unde overwunnen oc den Koning van Babylonie, unde namen ime sinen Schat. Do starf de Paves Urbanus, na deme ward Paschalis Paves. Do versched oc Clemens Wiprecht,

Heinrikes Sone, quam an dat Rike, de achte unde achtentegeste van Augusto, unde was daran XXI. Jar. Dit was de Heinric, de to deme Welpes Holte verseget ward. He bot to hant enen Hof to Megenze, dar quam der Vorsten vele, dar waren oc des Paveses Boden. He kundegede do al den Vorsten, of sin Vader wolde deme Pavese horsam sin, he wolde eme an deme Rike untwiken. Dat behagede den Herren allen wol. To demeselven Hofe quam oc de alde Keiser, unde berouwen in sere sine bosen Dat, de he gedan hadde, unde begonde wenen, unde drovich wesen. He segede, dat ime geschen were, dat were van sinen Sunden. He vel to Vote vor sinen Sone, unde vor de Vorsten alle, unde oc vor des Paveses Boden, unde san Gnaden. He bat se alle, dat se eme hulpen, dat he ut deme Banne queme. He bekande des wol, dat he van dem Pavese Gregorio to Banne weregedan, unde mit Untrechte den Paves Wiberte up ene gesat hadde, unde dat dat Rike van siner Versumnisse alto sere bedrovet were. Dar ne dorfte ene jedoch neman ut deme Banne laten. De Herren baden ene, unde reden ime an beident halven mit guder Rede, dat he dat Sper unde Cronen unde andere Cirode, de to dem Rike horden, sime Sone antwarden wolde. Dat dede he, unde lovede, dat he to Rome wolte varen, unde na des Paveses Rade sin Leven setten. Alsus behelt de junge Henric dat Rike na sineme Vader. De alde Henric dede do anders, dan he gelovet hadde, unde brukede siner alten Liste. He sande Breve unde Boden an al de Stede, unde alle de Lant, de to deme Rike horden, unde clagede, dat ime de Vorsten Walt gedan hedden, unde eme sineme Gesone vordreven hadde. Mit deser Clage vorderede he dat, dat des jungen Koninges Boden edele Herren, de he to deme Pavese sande durch Eveninge der

in deme Trent-Dale uneret worden unde slagen unde vangen. Des dridden Dages aver quam de Hertoge Welp in to Helpe, unde loste de Vangenen, unde verderfte de Viende: van desen Saken ne machte nin des jungen Koninges Bode durch Langbarden komen. Bi den Tiden irschen Cometa mit ener groten Luchtinge, van der ersten Weken in der Vasten wante an den Sunnen-dach vor Palmen. Darna van des alden Koninges Rade namen des jungen Koninges Lude uppe der Mose groten Schaden. Do vor de Alde to Colne, unde schop de Stat herlike to were. Dosilves quam en unsinnich Man, Hetelo, de wette sine Tungen up ene, unde schalt ene an sin Antworde, unde sprach: Nu du vil alde sin, nu komen dine Sunde, de du hevest gedan mit untrechteme Richte, du verdructest oc de Armen, unde Wedewen unde Wesen: du hevest bedrovet de Lant van Rome wante an dese Stat. War sin nu dine Ercebischope unde Bischope, Hertogen, Marcgraven unde Palenzgraven, unde andere Herren: se komen nu, unde beschermen dic van dinen Noten. Werlike de Vos, de den Wingarden Goddes hevet verstoret, de is nu mit des rechten Richteres Nette betogen, hirna wirt he wol mit des Duveles Nette betogen. De alde Koning sprach to suchtende to demeselven Hetele: Gude, nu min Neman schonen ne wil, heve doch du Dult over mic. He vor do to Ludeke wider, dar untfeng en aver de Hertoge van Limborch. De junge Koning vor do vor Colne in dem Manede na dem Meje. unde besat se, unde lach darvor vier Weken, dat was unnotre, wante he ere nicht gewinnen ne mochte. Dar starf Greve Dideric van Katelenborch, de des Konings truweste Vrunt. Do quemen Mere, dat de alde Koning unde de Hertoge Heinric sic besamneden, unde wolden varen uppe sinen Sone. Darumme vor he van der Stat to Colne an des Hertogen Heinrikes Lant van Lotheringen, unde verbrande dat, unde verheredit garlike. He wolde oc deme Orloge gerne enen Ende maken. Deme Hertogen Heinrike ward do de junge Koning verraden in ener Stat, dar he ine van solde. Dar vor de Hertoge mit sinen Mannen, unde wolde den Koning van. De Keiser bat do den Hertogen, alse David dede Joab umme sinen Sone Absolone, dat he sines Sones Gnade hadde. De Hertoge sprach: Ja Herre, he hevet ju verdreven, unde min Lant verheret unde verbrant, unde ic sal siner schonen. De Koning ne ward doch nicht gevangen. Darna ward Keiser Heinric sick: vor sime Dode tweleve siner heimlikesten Vrunde storven schentlikes Dode. He ward oc to lest also arm, dat men sine Ridelersen vor Brot utsatte, unde do he nicht mer wan sin Swerd behalden ne hadde, datselve sande he sinemen Sone, unde umbot ime; hadde he ime des Rikes mer gelaten, he hadde ime mer gesant. Also starf he jammerlike, jedoch de Bischop Othbert van Ludeke begrof ine an Sente Lambertes Monstere, alse it wol getam eime Keisere, of he des weder Got werd hadde gewesen. Bi sine Levende ne vvolde he ne vertien des Sattes an den Bischopdomen, noch negenes Richtes an deme Rike. Na sineme Dode des visten Dages starf Greve Dideric, unde andere Vorsten vele. Do starf oc Hertoge Magnus van Sassen, unde vvard begraven to Luneburch in dem Munstere, dar is oc begraven diu Hertoginne Sophia sin Wif. Hir vville vvi laten de Cronica, unde seggen van irme Schlechte. Die Hertoginne Sophia vvas Dochter des Koninges Widrezlai van Ungeren, en salich Vrouve. Si hadde bi deme Hertogen twe Dochtere, en vvas geheten Eilika, unde vvard gegeven to Wive Greven Otten, de vvan van ere Marcgreven Albrechte, de was geheten Bere: de andere Dochter Wilfilt nam Hertogen Heinrike van Beieren, Hertogen Welpes Broder, van ere vvan he tvve Sone, Hertogen Heinrike unde Welpe den jungen. Dese Hertoge Heinric nam Koning Luderes Dochter Gertrude; van ere gewan he Hertogen Heinrike den dritten, de was geheten Lewe. De Henric was en weldich Hertoge over al Beieren unde Sassen. De Hertoge Heinric hadde oc bi Vrowen Wilfilde, des Hertogen

togen Magnus Dochter, vier Dochtere, der was ene geheten Jutta, de nam Hertoge Frederic van Swaven, de was Dochter-Sone des Keiser Heinrikes, de de vacht to deme Welfes Holte jegen de Sassen, de was Broder Koning Conrades, de na Koning Ludere Koning ward. Bi derselven Jutten gewan he den Keiser Frederike, de so vele orlogede uppe Meilan. Hertoge Magnus under manegeme Leve, de he dede deme Clostere Sente Michaëlis, so gaf he oc in datselve Closter de Kirken Sancti Cyriaci under der Burch. Nu van we wider an de Cronica. Na Hertogen Magnus ward Hertoge to Sassen Greve Luder, en edele Man, Greven Gevehardes Sone van Suplingeburch. In den Tiden ward geslagen Koning Henric van Weneden, unde ward to Luneburch begraven. Marcgreve Udo ward siek, unde let sic voren to deme Clostere Rossevelde, dat he selve gestift hadde it oc gegeven deme Stole to Rome. Nicht lanc darna he starf, unde is aldar begraven. Alse vortdan Koning Heinric Colne belegede; he hadde widergesat al de Bischope, de sin Vader untsat hadde. Do quam oc de Bischop Rothard to Katelenborch, unde satte dar ettelike Herren weder an ir Ere: He wiede oc datselve Munster. Also vor deselve Bischop wider to Megenze, dannen he vordreven was. Koning Heinric do he vornam sines Vader Dot, he begonde schallen unde lachen, dat ward anegant siner Unsalicheit. He nam do Rat vanden Herren, wat he mit sines Vader Licham dede. Se reden ime do, dat he ine upgraven an en ungewiet Munster also lange, wante he tome Pavese sande, of dat geschen mochte, dat he ut dem Banne queme. De Koning gebot do dat den Bischopen, dat se ene upgroven. Also ward he gesat an ene ungewiede Kirken, dar stunt he unbegraven vif Jar. Koning Heinric quam do to Goslare, do lach he, unde slep, unde quam en starc Donreslach, deme volgede en Blicsne, darvan vorbarn sin Schilt unde sin Swert bi sinem Bedde, dat was en uvel Teken, ime selven ne war aver nicht. De Paves Paschalis makede en Concilium to Trois, dar wolde he maken vrien Kore an den Bisc opdomen. Koning Heinric sande do to demeselven Concilio biderve Boden, unde umbot deme Pavese, he ne wolde nimmer den Bischopdom laten vrien Kore, also van des Koning Karles Tiden dat Rike behalden hadde wante an in; Unde de Sake ward do gevriest wante to Rome over en Jar. Desselven Jares vor de Koning mit Here uppe Vlanderen, unde orlogede dat Lant mit sineme Schaden, dat Orloge ward doch gevriest to deme nageste Hove. De Koning van Ungeren Colomannus orlogede wider sinen Broder Almum, unde grep an dat Rike, darumme vor Koning Heinric an dat Lant to Ungeren, dar ne schop he jedoch nicht. He gewan oc wider dat Lant to Polenen, dat sic wider dat Rike hadde gesat. Bi der Tit starf Bischop Rothard van Megenze. De Paves ladede do den Koning to Rome: he segede, dat he unhorsam were; darumme was he wider ene harte unmodich. Dat underviengen de Bischopen unde de Herren, unde makeden under in ene Sone, dat he to Rome queme. De Paves lovede, he wolde ene lieflike untfan, of he Kerstelike wolte varen, unde Beschermere wesen des Stoles to Rome. De Koning Heinric wolde do varen to Rome, do ward ime gesseget, dat en Heiden de Stat to Prage beseten hadde, unde dat Lant wider dat Rike behalden wolde. Do let de Koning de Vard to Rome, unde vor to Behem, unde gewan wider dat deme Rike. De Paves Paschalis clagede do den Herren, das de Koning to deme Dage, de bescheden was, nicht komen ne wolde. Dat ward undervangen, wante he an des Rikes Not was. Des Koninges Boden quemen do van Rome, unde segeden deme Koninge, wat gesproken hadde de Paves. Do lovede he unde de Vorsten algemenlike Herevard an dat Lant to Langbarden. In den Tiden irschein enes Nachtes en Stern, also it were Cometa, de gaf van sic langen Schin jegen dat Suden. Bi denselven Tiden quemen de Wenede in dat Lant bi der Elve, unde branden dat, unde slogen dar Ludes vele. De Hertoge Luder vor do uppe deselven Wenede, unde vorstorede ire Lant: he gewan in ave negen Burge, unde nam Gisle van in, unde vor wider to Lande. Koning Heinric vor do mit Here to Langbarde, da wurden ime underdan al de Stede unde Castele, (de an) deme Lande weren. He vor oc to Rome, unde ward herlike untfangen van deme Pavese. De Paves Paschalis mit den Cardinalen unde de Koning Heinric mit den Vorsten, de mit eme waren, de gaven under twischen Gisle, dat se deme Stole to Rome, unde oc deme Rike stadegeden ire Recht. Se quemen to samene in Sente Peteres Munstere. De wile se satten an deme Rade, do wart vor Sente Peteres Munstere an den Graden en grot Strit, dar ward Ludes vile geslagen. De Koning unde de Paves voren up, de Romere wolten den Koning slan, de Koning gewan de Overen Hant: He vieng den Paves unde de Kardinale, unde vorde se mit eme, he was oc vor der Stat to Romo wante Vasten. De Romere sanden do na deme Koninge unde na deme Pavese: de Vorsten oververden se beide. Do quam de Paves to Rome mit des Koninges Willen to den Paschen, unde de Koning quam oc dar, unde ward to Keisere gewiet van demeselven Pavese an Sente Peteres Munstere. De Paves gaf oc deme Keisere ene Hantveste, dat he hadde den Sat an den Bischopdomen, alse van deme Koning Karle dat Rike an se gebracht hadde. Do gaf de Keiser deme Pavese herlike Gave, unde scheden sic beide mit guden Minnen, unde gaf ime de Paves Orlof, dat he sinen Vader begrove. De Keiser vor do to Dudischeme Lande, unde satte to Megenze to Bischope sinen Kancelere Adelbrechte. Do was oc Bischop to Hamburch unde to Bremen Bischop Frederic. Darna schuldegeden de Romere den Paves Paschalem, dat he Hantveste deme Keisere hadde geven, unde dat he ene gewiet hadde wider eren Willen

Willen. Do vvard en grot Concilium to Rome, dar quam de Bischop van Ravenna, unde andere Bischope vele, dar vvard van deme Pavese vordielt unde vordommet di Hantveste, de he deme Keisere hadde gegeven, vvande he se gaf vvider Recht unde vvider Got. Do satten sic vvider den Keisere Bischop Adelbrecht van Megenze, Hertoge Luder van Sassen, Marcgreve Rodolf, de Palenzgreve Vrederic, Greve Wicberth unde Greve Lodevvich. Ettelike diser Herren quemen deme Keisere to hulten, Bischop Adelbrecht vvard gevangen, unde vvard gevord to Drivels, unde vvard dar behalden. De Keiser gebot do, dat men siner Viande Gut verbrande unde verherede. He tobrach Horneburch, dat he lange beleget hadde, he bestridde oc dicke sine Viande, unde dede in Ledes vele. Greve Hoger van Mannesveld vieng Greven Wibrechte, unde antvvarde ene deme Keisere, he vorvvundede oc sere den Palenzgreven Sifride, de starf nicht lange darna. Greve Reinolt van Burgundie vvolde oc sine Manheit began, unde quam deme Keisere mit groter Mancraft, de vvard gevangen. Keiser Heinric bot do enen Hof to Megenze, dar nam he to Wive des Koninges Dochter van Engelant, de vvas geheten Mechtild, dar makede he se to Keiserinne. De Keiser vvolde darna varen mit Schip here uppe ettelike Lant, de gelegen sin an jene Half der Fresen, unde do he quam to Colne, die Stat satte sic vvider ene, unde andere Herren vile over deme Rine, de Westvale vvaren mit ime. Do let he de Reise, unde besat Colne, de he jedoch nicht gevvinnen ne mochte, vvante dat he dat Lant in allenthalven vorvorde. De Sassen vvaren uppenbare alle vvider ene, he vor do mit groter Heres Craft uppe se, unde overvorde dat Lant an allenthalven mit dere Helpe, de van demeselven Lande mit eme vveren: he belach Brunesvvic, he tobrach Halverstat, oc vvard Orlagemunde beseten. Do de Sassen sagen dat grot Angest, dat up in lach, se quemen to samene mit deme Hertogen Ludere, unde mit anderen Vorsten vvider ene nicht darumme, dat se vvider eren Herren striden vvolden, vvane vveren ire Lant. Also umboden se deme Keisere, oc overnamen se vvol, dat he dat Lant vvolte tinshaftig maken. De Keiser unde de Sassen quemen do tosamene to deme Welpes Holte, dar vvard en grot Strit, unde en Michel Volc vvich. Dar vvard geslagen Greve Hojer van Mannesveld, de vvider sine Lantlude mit deme Keiser vvas; Der Sassen Vanere vvas Hertoge Luder. In demeselven Dage quemen de Wenede to Kotene, unde roveden unde branden dat Lant. De Herren, de den Sassen to Helpe kommen solden, de vunden de Wenede to Kodene, se stridden aldar mit in. Also vvard an eneme Dage van den Sassen de Strid tome Welpes-Holte vvider den Keiser; unde de ander Strit to Kotene. Se stridden aldar vvider de Heidenen, de Sassen gevvunnen oc an beidenthalven den Sege. De Keiser vor do mit groteme Torne van Sassen to deme Rike, he hadde gevangen den Bischop Albrechte van Megenze, de lach to Drivels. De Keiser bot do enen Hof to Megenze, dar quamen der Herren vvenich. De van Megenze baden den Keiser en Del mit Drovve, dat he in eren Bischop vvider geve, den he drie Jar gevangen hadde, dat dede de Keiser ungerne. Se besaten ine do uppe deme Palase, unde dvvungen ine darto, dat he in eren Bischop vvider gaf. Do gescha en grot Teken an den Winachten, do de Mane schone schen, en ander Mane vvard schinende van deme Westene, deselve Mane begunde striden vvider der rechten Manen; se quamen undervvilen tosamene, undervvilen vlun se jevvelet van deme anderen. To jungest quam en duster Wolken, unde bedekede se beide. Do de Wolken vort gienge, do schen de rechte Mane alene. Also gedanen Strid sach men oc van den Sternen. Dit vvas en Betekenunge des Orloges, dat sider vvard tvvischen deme Bischope van Megenze unde deme Keisere. Deselve Bischop Albrecht orlogede do sere vveder den Keiser Heinrike mit anderen Bischopen. He ne let ene des nicht geneten, dat he ene to Bischope hadde gemaket. Do vvard vil Landes verbrand van deme Keisere unde oc van den Bischopen. Se daden an der Kerstenheit, dat se an den Heidenen kume don solden. Durch dat so vvard oc an den Winachten van Goddes Torne so grot Erdbevunge, de er ne gesehn ne vvard, nemeleke an Langbarden, dar vielen de Berge tosamene, dat de Edese overstoppet vvard ene vvile, an der Stat to Berne, to Parma, to Venedie, unde an anderen Steden, unde an Castelen, unde an Burgen vvard so grot Hosvellinge, dat menich dusent Volkes dot belef: de Unstrot tobrac eres selven Grunt, unde gienc under de Erden, unde ne vlot, also si vore gedan hadde. To Ludeke in deme hilegen Avunde unses Herren Himelvard quamen to deme Dome van tein Sammungen de Papen, also dar Wonheit vvas, unde do men to der Vespere den ersten Salm gelesen hadde, do ward an der schiren Luft en Dvvere unde Donre, unde Blicse mit Svvevele unde mit Vure, unde sloch vreischlike Slege, dar ne vvas do Neman, he ne vvande do de jungeste Dag ne vvere komen. En Dvvere quam oc an dat Munster, unde vorde danen tvve Papen unde enen Riddere der Hogesten, de dar vvaren. Des viftegenden Dages darna van eneme Berge, de dar is bi deme Bischopdome, dar er des ne Water uppe gesehn ne vvas ane Regen, quam en grot Water here varene, unde to vorde derselven Stat en grot Del, unde vorde dat hinen allet, vvante to Mastrecht. Darna vor Sente Nicolaus Dage quam en Wolken van deme Nordene, viurich unde bludich, unde nicht lanc darna so vvard he schinende also de Sunne, unde henk sic midden den Himmel, darvan vvard grot Angest over al de Werlt, jevveliker Stat unde jevvelikeme Lande duchte, vve it dar vvere bi, unde vvanden, dat se darvan vorgan solden. Van suschedanen Tekenen vvard Koning Heinric sere an sineme Herten bedrovet:

he versan sic des vvol, dat it vvas van sinen Sunden, unde dat he an maneges Bischopes Banne vvas. He sande do sine Boden to Rome, unde bat den Paves, dat he ene vvolde ut dem Banne laten: he lovede Bederunge, der he jedoch nicht ne dede. In den Tiden sach men an den Manen oc en grot Teken, datselve beteknede, dat de Paves eme vvider umbot, dat he ene ut dem Banne nicht laten ne mochte an der Herren Rat. De Keiser brande do dat Lant uppe de Bischope, allermeist over deme Rine, an der Stat to Megenze vvard oc vile Ludes geslagen. De Bischope vvereden sic ime sere. An den Tiden starf Colomannus de Koning van Ungeren. Do starf oc de Koning Baldevvin van Jerusalem, Hertogen Godefrides Broder, an ener Hervard uppe de Arabes, He vvas de erste Kerstlike Koning to Jerusalem. Do he sek vvard, he satte na ime to Koninge enen anderen Baldevvine van Roas. He vvard begraven bi sinen Broder Hertogen Godevride to Calvarie mit groter Clage der Kerstenen. An dem Pasche-Dage vile vru dede sic up de Himmel uppe dat Suden, unde schien heraf en Schin schoner dan de Sunne, dat warede mer dan ene Stunde des Dages. An demeselven schine irschien oc en grot Cruce, dat was geschapen, als it geworcht were van Golde unde van edeleme Gestene, dat mochte men uppenbare wol sehn. Do vor de Keiser Heinric to Langbarden, unde ward dar untfungen mit groten Eren. In denselven Tiden en Bischop van Hispania geheten Mauritius, to Tonamen Burdinus, de ward gewroget van Nigromantien, unde vorwunne jedoch, so ward eme Gnade gedan. Do starf de Paves Paschalis, na ime ward Johannes de Cancelere des Hoves, en wis Man, de hadde vile gearbeidet mit dem Pavese an deme Rade, unde ward geheten Gelasius; he ward gekoren oc mit des Keiseres Willen. Deselve Paves Gelasius ne wolde deme Keiser nicht horsamen. De Keiser vor do to Rome, unde satte dar enen anderen Paves Mauritium Burdinum van Hispania den Bischop, he ward Gregorius geheten, darto hulpen ime en Del der Romere, den de Keiser gaf sine Gave. He was getonamet Burdinus van de groten Eselen, de an Hispania sin, de men het Burdune. Also ward de grote Misschellunge de an deme Rike gewesen hadde aver irhaven, wante do he gestedeget was an deme Stole. De Paves Gelasius vor van Rome mit den Cardinalen, unde vor in Capuam, dar dede he den Keiser to Banne. Do ward en Concilium to Colne, da ward de Keiser to Banne kundeget van deme Cardinale Konen, de des Paveses Legat was, * unde sinen Paves Gregorium: de Paves Gregorius was to Rome, unde ben darwider. In den Tiden ward Vrideslar gestiftet. Des Bischopes Lude van Megenze unde Greve Herman to braken Oppenheim, dat was des Hertogen Godevrides, unde verbranden it, dar vorbaren oc vile Volkes. De makede de Paves Gelasius en Concilium to Vienna, unde na unmanegeme Dage darna starf he an deme Clostere to Cluniac, aldar ward he begraven, aldar ward oc gekoren Milo to Pavese, de ward geheten Calixtus, unde was Paves VI. Jar, en werd Man, des Antlat an siner Herschap ne sach neman gewandelet. Do de Keiser dannen vor, de Romere beruweden dat se koren hadden Burdinum, unde loden to Rome Calixtum, unde viengen Burdinum, de was untvlon wante to Suders. Dissenselven satten se uppe enen Esel naket unde rukkelingen, dit, der is versmahet. De Kindere also se do vendich weren, worpen ene mit deme Hore, unde deden ime grot Ungemac: Se repen: seht, dit is de Paves, dit is de Paves. It is ene Abbedie, di het Cavea, di is an eneme Gebirge, dar di Sunne nimmer to komen ne mach, en vil enge Jegenede, dannen neman utkommen ne mach, * men ne latene darut, dat het des Paves Carcer. In deselven Hole ward gesand Burdinus, dar vvas he inne vvante an de Tit Lotharii, den let ene sehn Paves Innocentius, do he de Herevard vor in Siciliam. De Keiser do he horde den Ban, de an ene dan vvas uppenbare, unde de Vorsten oc ene Sprake to Wurzeburch geleget hadden, dar he to Antvvarte komen solde, oder van deme Rike gesat vverden, he quam van Langbarden an dat Lant to Svvaven harde unvvantlic mit grimmegen Mude, unde do he van siner Widersaken Unrechte sic nicht unthalden ne mochte, to hant begunde he roven unde bernen; van sinen Belede daden dat oc andere Lude, darvan vvorden alle Lant bevveget unde moit. Durch dat de Keiser durch Bodeschap aller Papen, de in me Rike vvaren, unde der Vorsten bedvvungen, stadede he ener gemener Sprake to Wormeze, dar nam Rat aller dere, de dar vvaren, unde het vvidergeven jevvelckeme Manne, dat ime afgerovet vvas. Also vvard Vrede gelovet over al de Lant van alle den, de dar vvaren. Alsus quemen de Keiser unde de Vorsten an ene Evenunge, dat men dese Sake enden solde vor deme Pavese. In den Tiden vvard menich Mensche van den Wolven gevreden. Do hadde de Paves Calixtus en Concilium to Remis, dar ne vvas de Keiser nicht verre; he vvolde horen, vvat dar geredet vvorde. Van nin Sone ne vvard dar geredet, vvan dat men in to Banne dede. De Keiser vvas do den Winachten to Wormeze nicht herlike. Darna vor he to Sassen mit Geleide Frederikes van Arnesberch. De Bischope van deme Lande ne vvolde ime nicht mensamen, vvante he to Banne vvas. Dannen karde he an Vrankrike, dar vvas he etteliken Luden anneme, der meren Menie aver hatich. Under des unse Herre Got selve versmate den Rite sines ungenarden Volkes, dat is di Kerstenheit, under maneger Plage, de de Werlt gemene vor ene rocht. An deme Bischopdome to Triere an deme Bracmanen irhof sic en Weder, unde hagelede so grote andere Ises, dat se vorkarde unde tobraken menich Hus. Dar gescha oc menich Angest van allermeist an Sassen, an dem Bischopdome to Halverstat vvas so grot Hagel, dat van negen Dorpmarken Korn unde Ve an dem Velde, Vogele

gele an der Luft untallic geslagen vvorden. Durch disse Plage worden de Sassen beangestet sere, unde quamen stadelike tosamene, dat se Endrach under in makeden unde Vrede: de Rovere se vervvisten unde vervvosten. Also vvard bi korter Stund over al ire Lant en vrolik Vrede. In dissen Tiden starf Palenzgreve Vrederic, de sic van den Sassen selschapet hadde, unde Truvve gelovet deme Keisere; en alt Man. Dat vvard sunlike uppenbaret eneme Goddes Knechte, dat he vor an de Pine, Bischop Dieger van Mezze, do he vile Unrechtes van des Keisere Mannen gedocht hadde: he starf oc, unde is aldar begraven. He vvas vvol gelert, unde vvas en stade Man an deme heiligen Levende vvante an sinen Ende. In Sassen sin tvve Veste nicht verre van en ander: vil na to Midder-Nacht so sagen de Wechtere van beiden Burgen bi Warheit enen Man, van der Muren der enen Burch over dat Velt, dat dar tvvischen was, vvante to der anderen Burch: al sin Lichame vvas also en bernende Blas oder en glovvende Clot: alse he quam bi de Burch, so ne sagen se ene nicht mer. Des vvisete he to dren malen. Hertoge Luder unde Greve Herman Winzenburch voren mit eme starken Here to Munstere, dat se vvider satten Bischop Thiderike. In dere Storlinge vvard verbrant Sente Paules Munster - - - mit eren gebuvvet vvas, unde oc de Stat vil na al. Do se den Bischop vvider sat hadden, se gaven vile Scattes, dat men den Dom nide vvider buvven solde. Se bedudden dat also, dat de Sake des groten Schaden, de dar geschen vvas, nicht anders ne vvere, vvane dat sin Vorevare Bischop Burchard vile Gudes dar gesamenet hadde mit Sunden, unde dat Offer hadde Godde gevvesen Unere. De Keiser wolde do de van Megenze besvvaren, de ime vvider vveren, unde besat de Stat. Jegen ene samnede ene Here Bischop Albrecht, de an den Tiden to Sassen vvas. Aldevvile de Burgere van der Stat over al ere Godes-hus boden ene Vasten, unde giengen mit den Hilegen, unde sungen de Letanien; se baden Got siner Gnaden: do sach Got eren Bede, unde sande den Geist des Vredes under die Vorsten, de in beiden Half vveren. Do vvard van der Herren Rade, unde van erer Bede gesachtet des Keiseres Torne also sere, dat he to in laten vvolde beide de selve Sake, unde oc de Evenunge tvvischen deme Rike unde deme Stole to Rome to deme Hove to Wirzeburch. Do se dar quemen, de Keiser gedachte sines Gelovedes, unde let allerhande Saken nicht to sines selves Willekore, noch der sinen, vvane an der altesten Herren Rat, de dar vvaren, dat se alle Ding mit eneme guden Ende besloten. Desselven Jares an deme Clostere to Svvarza gescha en grot Goddes-Teken likervvis alse unse Herre Christus grot Wunder dede hir bevoren an enem Manne, de blind gevvesen hadde van siner Bort, unde sehende vvard: alse hevet he gedan an desen Tiden an enem Jungelinge, de stum vvas van siner Bort, dat he sprekende vvart. Datselve Closter unde dat Munster is an de Ere Sente Marien Godes Muder, unde Felicitatis Martyris, unde erer seven Sone gestiftet unde gevviet. Dar quam en Jungeling van enem anderen Lande, de vvas stum. De Schaffere des Closteres nam ene to ime durch Barmhertecheit: he gaf ime en Ambecht, dat he uplas an dem Bomgarden der Brodere Appele, unde bevvarede de. Dit dede he allevvile. Enes hilegen Avundes alles Goddes Hilegen vastede he vvante to der Vespere: do he do at, ine gieng ane en Eisinge grot, dat he van sic selven quam, jedoch he huf sic up, unde gieng, devvile de men Hymnum sang to der Vespere, in dat Munster in de Stat, dar he plach sin Bet to dunde. He vel an sine Venie nider an de Erde, unde beval mit innechlikeme Herten Godde alle sine Ding. Under der Venie spe he ut sinem Munde en Stukke Vleisches mit Blude, unde vvard sprekende. Do brachten ine, de in deme Munster vveren an den Chor vor dat vrone Altare, dar lovede he God unsen Herren, sprekende de stum gevvesen hadde, unde alle, de dar vveren, sungen, ere Lof Godde to Eren. Mennig lovelic Ding gescha oc in denselven Tiden: In dem Bischopdome to Strazburch is en Lant, dat het Mortenovve dar vvonede inne Marcgreve Herman uppe ener Burch, de het Baclhon. Dese Marcgreve, Herman dede van des Hilegen Geistes Troste, alse gedan hadde Karlomannus des anderen Pippines Sone, unde versmade al vveldic Wunne unde Gut, unde Luft unde Werdicheit durch dat Himelrike, unde vertech des alles, unde nam mit sic enen sinen Man, de vragede ene, of he jenech Silver mide nemen solde durch de Lifnerunge. Dat verbot ime sin Herre, unde sprach, it vvere unrecht, svve so sic an Got leten, unde bevalen ime ere Ding, se ne solden vvertlic Gut mer hebben, alse se Godde missetruvveden: jedoch so nam de Knape mit ime uppe den Wech, dat it de Herre nicht ne vviste, vif Schillinge Penninge. Se scheden heimlike danen, unde giengen dre Dage al umbe, dat in Neman nicht geven ne vvolde to der Netunge. De Herre dachte do an sinen Mude, it ne vvere nicht sunder Sake, he gedachte oc, dat de Knecht vvanlike ettevvat mit ime gedragen hadde. Se quemen to eme Watere, dar se solden gan over ene Brugge. De Herre sprach do to deme Knechte: mic wunderet sere, dat dat Volc vvider uns so hart is, dat is uns nicht ne givet. Hevestu Gut, dat vve uns mide neren mogen. De Knecht versog: de Herre dvvang ine darto, dat he de Penninge dede ime, de vvarp he an dat Water. Do se over de Brugge quemen, de Lude van deme negesten Dorpe untfiengen se harde minnelike, unde gaven in, des se behoveden. Se helden se so vvol, dat se vergaten ir Ungemach, dat se geliden hadden. De Herre gedachte, unde hadde Angest, dat ine sin Geverde vermelden solde. He untgieng van ime heimlike, dat he ne vviste, vvar he gekommen vvas, unde quam to Cloniac alene, unde bat de Brodere, dat se ene untfan vvolden vor sine Sunde. Dat gescha. Do gaven se ime en Ambecht, dat he des hoden solde. Dat vvas

sin Gerunge, vvante he an Othmudicheit Godde dienen vvolde. Nicht lanc darna vvolden craftege Lude van sime Lande, unde oc sines selves Man varen Bedevard to Sente Ægidium, unde quemen al dar, dar de Herre des Vees hodde. Do he ere in vvare vvard, he karde in to den Nakken, dat he nicht bekand ne vvorde van in, he vvard jedoch bekand an der Grote van enen sinen Manne. Se spraken, so rike unde so vvaldich so he vvere, vvar umbe he ime selve so grot Unrecht dede. He sprak, he vvere en arm Man, unde verdienete dar sine Nerunge. Do quemen se to deme Clostere, unde baden den Abbet unde de Brodere alle, dat se ene van deme Ambechte nemen, unde leten ine erlike under in Godde dienen, vvante he en edele unde en rike Herre vvere. De Brodere giengen do alle na ime, se baden ine, dat he in vergeve, dat se vvider ine gedan hadden, unde namen ine mit in an dat Closter, unde ereden ine mit allen Vlite. He sprach to den Luden, de ine vermeldet hadden: Ic sin unnuttelike mi here gekommen, vvante je mi genommen hebbet mine Prouende, de ic liever hadde, dan ic je jenege vvunne. Dar vvas he do ene kurte Wile, unde ne vvolde de Ere, de men ime dede, nicht langer dragen, vvante he Godde mit Othmudicheit dienen vvolde, unde gieng van danen heimlike, dat se ne vvisten, vvar he hinnen quam, jedoch raseden se, dat he gevvanderet vvere, dat he heimlike mit Othmudicheit Godde dienen mochte. De Bischop van Megenze durch Hat des Keiseres besach sic alles, vvar he begonde mit groten Vlite buvven ene alde Burch, die het Ascafenburch, de Keiser aver durch dat Unrecht, dat he ime dede, unde it oc vvider dat Rike vvas, so begunde he sic dar to scheppen, dat he se belegen vvolde, vvanne unse Herre Godd van der Wisheit der Boden des Paveses, de do to Megenze vveren, an der Vorsten Herte begunde Vrede to sendende, vvante alse men vvarlike truvven mach, na so groter Missehellinge, unde na so menegeme invvendegeme Stride der Vorsten quam de Tit Goddes Barmhertecheit, vvol quam sie spade, sie quam jedoch, unde vvard to Wormeze en gemene Samenunge der Herren. Dar vvurden pichtelike Degedinge umbe den Vrede unde de Evenunge to makende ene vveken unde mer, vvante Got selve, an des Hant des Koninges Herte is, de bochde alle des Keiseres Homudicheit, des jedoch neman Hopenunge ne hadde. In derselven Stunt vvard de Keiser mit allen den sinen untfangen an de Mensamicheit der Kerstliken Kirken van deme Bischope Hostiensi, den de Paves gesand hadde, mit anderen sinen Boden, den Keiser ut dem Banne to latende. We den Keiser den Sat der Bischopdome unde ander geistlic Werflete, dat he lovet hadde nimber to latende, dat des Rikes Ere nicht ne vvorde mineret, de andere Dudische Koninge gehalden hadden, unde vve de Paves des volgede, dat sule je horen van der Scrift ire beider:

Ic Heinric Goddes Gnaden Romere Okere durch Goddes Minne unde der Hilegen - - - - - unde durch den Paves Calixtum unde de Genade miner Sele, late ic Godde, unde sinen Hilegen Aposteln Petro unde Paulo vorhend al der tiden den Sat der Bischopdome bi mineme Vingerne unde mineme Stave, unde ic late in allen Goddes-husen unen Kore unde Wiunge al dat Eigen Sente Peters, al dat to deme Stole to Rome hort, dat van dem Aneginge disser Tvvedracht vvante an dissen hudeliken Dach, oder bi mines Vadern Tit, ofte bi miner Tit genomen is, dat ic hebbe, dat geve ic vvider deme hilegen Goddes-huse to Rome; dat ic aver nicht ne hebbe, dat men dat vvidergeve, dar vvil ic truvvelike to gehelpen. Al dat Eigen aller Goddeshuse der Vorsten, Papen unde Leien, dat vvil ic oc vvider geven mit der Vorsten Rade, unde mit Rechte, dat ic hebbe; des de ic nicht ne hebbe, dat dat vvider geven vverde, dar vvil ic truvvelike to gehelpen. Unde ic geve vvaren Vrede Pavese Calixto unde deme Hilegen Goddeshuse to Rome, unde allen den, de an sine Half sin oder gevvesen hebbet, unde an al den Dingen, de de Stol to Rome an mi Helpe sinnet, dar vvil ic ime to helpen truvvelike.

Des Paves Widerscrift:

Ic Calixtus Knecht Knechte Goddes, sime lieven Sone Heinrike Goddes Gnaden Bedere der Romere unde Okere, verlie den Kore der Bischope unde der Abbede van Dudischeme Rike, de to deme Rike horet, dat men in an din Antvverde, do sunder Simonien, unde sunder ander Unrecht, also of under den Delen jen Tvvedracht vverde, dat do mit Rade der Herren, de in deme Bischopdome sin, deme gancEren Dele volges, unde Helpe dos. De Erkorene aver sal untfan de Regalia van di bi deme Sceptro, buten allen den Dingen, de to deme Romischen Stole horen solen; unde so vvat he di to Rechte don sole, dat he dat do; van anderen Landen aver des Rikes de gevviet vvirt, de sal van di untfan Regalia binnen ses Maneden bi deme Sceptro. Over svvene du aver clage doist, so sal ic na mines Ambechtes Rechte di Helpe don. Ic geve di vvaren Vrede, unde allen den, de an dine Half sin, oder gevvesen hebbet an der Tit disser Tvvedracht. Dit vvard gestadeget in deme MCXXII. Jare van Goddes Gebort KL. Octobris. Disse Scrift unde de Widerscrift des Paveses durch de untalhaftige Menie, de dar gesamnet vvas, vvard gelesen bi deme Rine up enen vviden Velde, unde na groten Love, dat men dar Godde gaf, sang de Bischop Hostiensis Missen, under der Missen deselve Bischop versonde den Keiser mit des Paveses Kusse mit der Kerstenheit, unde let ine ut dem Banne. Darna to Sente Martines Missen hadde de Keiser enen anderen Hof to Bavenberge mit den Vorsten, de to dem ereren Hove nicht ne vveren, al dar vvard verevenet manich Ding tvvischen deme Rike unde deme Stole to Rome. Se vvaren alle endrachtich in sinen Loveden. Do sande de Keiser sines selves Boden mit den Romeren vvider to Rome, bi den umbot he dar gude Bodeschap, unde sande dar oc herrlike Gave. In der Tit to Sassen to den Winachten

quam

quam en dwere Wint vile drade, unde tovorde Buwe untalelic unde Bome, unde so grot Overvlot Watere ward van Regene, dat it unloslic is: it dranc oc vile Ludes, unde de dar genasen, de hadden darvan manegen Dach Ser unde Beswarnisse. De Keiser hadde Hochtit to den Winachten to Utrecht, do ward dar en Storlinge under des Keiseres Ingesinde, unde under den Dienestmannen des Bischopes, also dat van des Keiseres Luden, unde van der Stat an beidenthalven wapenede Schare to samene liepen. Da ward grot Wapen rochte, also of de Burgere uppe den Keiser gesworen hadden, unde ward oc en scarp Strit, dat menich dar geslagen ward. De Burgere ward vile gevangen, de andere ur'flun up enen vasten Torn, de dar was; de Bischop selve ward gevangen, alse he schuldich were des bosen Rades, darna gaf he groten Schat, unde dar to van Bede der Hogesten, de imme Lande waren, ward he kume gelost. Do begunde oc to wassen deselve Twedracht, de ward des nagesten Sommeres mit groteme Scaden desselven Landes to Hollant van deme Keisere, de dar en grot Here arbeidelike vorde, geendet. Aldar was en Vrowe, die was geheten Gertrud, Suster Hertogen Luderes, to des Helpe sie sic verlet, unde vermad sic Orloges wider den Keiser. In derselven Tid allererst an Sassen, darna vil na over al Swaven wossen alle swar inwardige Orloge, unde de anderen Orloge roweden, unde also de seget, logene men het Manslacht, unde overhor sin Overvlodich, unde Blut Blut beroret. Warlike Rosere, der under Ridderes Namen alle swar vile was, de grepen an Dorp unde Ackere der Goddeshuse, de Burlude roveden se imme iren Husen unde Butene; gewelic man wrac sines selves Unrecht mit Rove unde mit Brande. Do began an to wassende en Hunger. In den Tiden an der Jegenode to Wurmeze ward gesehn en Menie nicht wenich wapeneder Riddere, de reden here unde dare mit Scharen, also it were to eneme Degedinge. Umme Nontit sach men se riden to enen Berge, dar men se hadde gesehn utgereden. To jungest en Man van derselven Jegenode bewarede sic mit deme Cruce, unde negede sic derselven Menie nicht sunder groten Vorchten. Altohand do motte ime derselven en, den beswor he bi deme Namen Goddes, dat he ime uppenbare de Sake des Volkes, dat dar sic so barewede. He antworde ime unde sprach: We ne sin nicht, also je wanech droch, noch ne si we Riddere Schare, alse je hir seht, mar we sin Sele der Riddere, de geslagen sin, de Wapene aver, unde Cledinge, unde Perede, de uns weren Materia to sundegende, nu sin se uns Materia der Pine; unde werlike allet, dat je an uns seth, dat is vurich, wol ne mochte je des mit vleischliken Ogen nicht sehn. In deser Menie seget men, dat sic oc barewede Greve Emicho, de geslagen was, unde segede, dat he mochte gelost werden van den Pinen mit Gegede unde mit Almosen. Ettelike Lude segeden oc, dat se sagen in der Nacht, de is vor deme guden Donres-Dage, do se to Mettene gingen, alse Wonehait was, alse Sterne untallic van deme Himele vellen, alse men Dropen in deme Regene sege vallen. In den Tiden was oc Bischop Thideric van Cice, de je der Twedracht, de bi sinen Tiden was, wider was. Dese stifte en Closter van Moniken nicht verre van der Stat uppe eneme Hovele, den het men van alder Tit Besowe. Under den Moniken was en Broder, den men het bekert, unde was unbekert: deselve was geboren van Zorben ut demeselven Lande, de ne wolde nicht na der Regelen, wante na sime Mutwillen leven. Dese ward stadelike sculdeget van sime Abbede, unde nicht gebeteret, den antwarde men dem Bischope to berichtende: de sculdegede de Bischop vile dikke bitterlike, darvan ward he so bose, dat he ene mit eneme Mezese stac vor deme Altare, dar he stunt an sime Gebede. Darna over dre Dage starf he, unde vor to Gnaden. In den Tiden Greve Wicbert unde Greve Lodewich vvorden Moneke, unde storven. In den Winachten hadde de Keiser enen Hof to Aken. To den Lichtmissen darna verging oc de Mane, darvan vvard vervaret Conrad des Keiseres Suster Sone, unde lovede sin Levent beteren, unde dat he vore to Jerusalem, unde vvorde Goddes-Riddere, darvan vvan he alle dere Gunste, de dat vornemen, oc menich sundich Man lovede mit ime dar hinen varen. Nicht lang darna der Keiser vor mit Here an Holland, unde gevvan dat, also hir vore gesproken is, dannen hof he sic an dat Overlant. Umbe Mitvastene legede he enen Hof to Wormeze, unde hadde dar Sprake mit den Herren, de dar vveren: de dar nicht ne vveren, Sassen, unde Beieren, unde Behemen, legede he enen Hof to Bavenberge - - - - Maj allermeist durch Hertogen Luderes Unsturecheit, de vvat nies Orloges vvolde maken jegen dat Rike, durch siner Suster Unrecht der Vrovven van Hollant, dat ere de Keiser gedan hadde. To deme Hove quemen alle de Hertogen, de ime geseten vveren, ane Hertoge Luder, oc vvas der Herren van Sassen dar cleine, de deme Keisere volgich vveren. De gude Bischop Otte gaf de Cost allen den, de dar kommen vveren, half oder al, vvante in allen Landen Hunger vvas. Do allerhande Sake to demselven Hove verevenet vvas, de Bischop Otto kundegede deme Keisere, unde al den Herren, de dar vveren, dat ene de Hertoge Bolizlau van Polenen geladet hadde, unde dat in darto de Paves sande in dat Lant to Pomeran, dat vil neleke deselve Hertoge Luder to deme Kerstendome bedvvungen hadde. De Rede behagede den Herren allen vvol, unde baden ime gudes Gevelles. De van Bavenberge aleine volgeden irme geistliken Vadere unde irme Herren mit vveneden Ougen, alse se ime to Grave volgen solden. Darna de Keiser schop ene Herevard, dat he sime Svvagere deme Koninge van Engelant hulpe umbe dat Lant to Normandie jegen den Koning Lodevvige van Vrankrike. Do satten sic vvider ene

de van Wormeze, de besat he do, unde dvvang se, dat se sic geven. Do starf Paves Kalixtus XIX. KL. Jan. na ime vvard Honorius Paves, de vvas geheten Lambrecht de Bischop Hostiensis. To den Winachten hadde de Keiser Hochtit to Strazburch, to deme Hove quemen de Herren van Elsaze, unde van Lothringe, unde de Herren over deme Rine. In den Tiden vvas grot Winter unde grot Hunger, darna so volgede so grot sterve, dat men rekenede dat de dridde Del des Volkes dot beleven vvere, allermeist des gemenen Volkes. In den Tiden in deme Hilegen Avunde to Paschen quam Bischop Otto van Bavenberg vvider to Lande na menegeme groten Arbeide, den he durch Got geliden hadde, unde vvard untfangen van sinen Luden, alse Got selve komen vvere, unde vvard de Vrovvede der Hilegen Upstannisse tvvevaldich. In den Tiden over al dat Romische Rike vvorden Tekene menege, unde anderes Ledes vele, der vville vve en Del scriven, dat man den anderen desto bat getruvve. In der Midvveke to Pinkesten quam en bitter Kulde, unde dede grote Plage an deme nien Korne allesvvar, unde an den Wingarden, de alle an irer Vrucht vollenkommen waren, unde tohant darna, dat deme Kalden achterstellich was, ward en Storm alse grot, alse de Werlt van Watere vergan solde. Aver so quemen Watere ut brokegen Jegenoden boven Woneheit: unde verdersten dat Korn, dat dar ti was, allermest de Wete-Sat. Oc weren de Imme vil na gare verdorven. Ettelike Lude segeden oc, dat se hadden gesehn in der Sunnen unde deme Manen, unde den Sternen maneger Vare Vorbat, denne it loslic is. In enem Kinde, dat geboren was van Tullifelt, deme swal dat vordere Bein lange Wile, to jungest brac de Swele, unde ging darut vor Etter, dat wunderlic is to segende, vile Kornes, Wetes, Rogken, Gersten, Haveren uppenbare. In den Titen Hertoge Luder vor mit Here over Elve uppe de Wenede, unde quam wider, dat he nicht ne erwarf. Do starf de Bischop Rotther van Maideburch. De Keiser Heinric de Viste des Namen was do to enen Pinkesten to Utrecht, dar ward verwunnen van ener Suke, de he lange verholen hadde. Do sande he na den Herren, unde redede mit in umbe des Rikes Ding, unde schop dat, so he best mochte, unde starf X. KL. Jun. unde ward begraven mit groten Eren to Spire, dar he oc sinen Vader begraven hadde. Dese Keiser under guder Velicheit nam sinen Vader, de to Banne was, dat Rike; do he daran gestedeget was, he wandelede sin Gemude, wane dem Unrechte, de he dede deme Stole to Rome, so was he je miner nederere. He ne besorgede des Rickes recht ne vele, he was bitteres Sinnes, stark unde kune, wol ne was he nicht salich an den Striden, he gerede to sere vremeder Lude Gut, he hadde oc vile Scattes gesamenet, alse dar gescreven is, he starf sunder Kindere, unde ne wiste, weme he dat samnede. In Sente Bartholomæus Missen quemen de Vorsten to Megenze to samene, unde koren to Koninge Hertogen Ludere. We willet hir nu rekenen, we sine Alderen weren. En edele Vorste de was geheten Ezerd, gewan enen Diederiken, Dideric gewan Bernarde, de was Vader Bennen, Benne gewan Diterike den Hertogen unde Marcgrafen, de was Vader Bernardes, de wan Marcgreven Bernarde, dese gewan Marcgreven Wilhelme unde Greven Conrade, unde ene Dochter Odam, unde enen Otten, des Muder was van Ruzen. De Marcgreve Willehelm ne hadde nene Kindere, he ward geslagen van den Weneden, unde mit eme tvve Greven Dideric van Katelenborch, unde Bernard van Domenesleve. Dese Bernard vvas Alder Vader tvvier Brodere, de ene het Bernard, de was Diaken unde Monik, unde enes Alverikes. Greve Conrad gewan ene Gertrude, de nam to Wive Frideric van Beieren van Vorenbach, unde gewan van ere Hadevvige: di nam Greven Geveharde van Suplingeburch, de gevvan Greven Ludere ere Lotharium; darna vvart he Hertoge, to jungest vvard he Keisere. Darna vvorden se vvrocht an deme Senede to Halverstadt, dat se Sitbe vveren. Dat dede Marcgreve Frideric, de vvas Broder Bischop Albrechtes van Bremen, aldar versvvoren se sic beide. Darna nicht lange Tit vvolde si riden mit erer Muder: uppe deme Wege so grep se Greve Gevehard mit Gevvalt, unde vvan se aver to Wive, unde ne achtede nicht der Ede, noch des Bannes, de ene ben de ander Bischop Burchard van Halverstat. Also vvard he vermensamet, unde verlos darna sin Lif jammerlike. He vvard geslagen bi der Unstrote bi Numburch. Na sime Dode nam diselve Hadevvig Hertogen Diderikken van deme Westerlande, bi deme gevvan si Hertogen Simonne, unde tvve Dochtere: de erste nam Greve Florentius van Hollant, de het Gertrud; diu andere het Oda, diu nam Greven Segeharde van Beieren. Wilhelmus Suster unde Conradus Oda nam Greven Christine, ere Suster het Alverad van Badeslove. Gerdruth Hadevvige Muder na eres ersten Mannes Dode nam Hertogen Ordolve van Luneburch, bi deme gevvan siu Bernarde, de vel van enem Perede, unde starf untitlikes Dodes. Greve Luder unde Hertoge Greven Gevehardes Sone nam Greven Heinrikes Dochter des Vetten unde der Grevinne Gerdrude, diu het Riketza, unde gevvan bi eme ene Dochter Gerdrude, dio nam Hertogen Heinrike van Beieren, Hertogen Welphes Broder, unde gevvan van ime Hertogen Heinrike den Levven.

In deme MCXXVI. Jare van Goddes Gebort, Luder de Hertoge van Sasse, Greven Gevehardes Sone van Suplingeburch, quam an dat Rike, de negen unde achtentegeste van Augusto, unde vvas daran XII. Jar. He vvas gekoren van den edelesten Sassen. Sine Edelicheit cirede he vvol mit meniger Vromicheit, unde mit guder Dat. He vvas oc van siner Juget dreven an Orloge, unde hadde so gedan Gelucke, svvar so he sic hinen karde, dat he jo den Sege behelt. Got sande ime oc an sin Herte, dat he makede Vrede unde Gnade amme

me Lande. Rovere unde Mendadere swar so he de vand, de let he hoveden: darvore ne wolde he niner Hadde Gud nemen, noch bede dogen. Ime was Recht lief, dat helt he vaste. He volgede wol mit Dogeden sinen Vorevaren Constantino, Karle deme Groten, unde Otten deme Groten, des Erve he was. He vorderede wol dat Goddesdienest, des vro wede sic al du Kerstenheit. Bi sinen Tiden was vulle aller Dinge, dat men darvan jemmer spreken mag, se heten de guldine Tit. He hadde to Wive ene edele Vrouven Rikezen, van dere hir vore oc gescreven steth: si gevvan ime ene Dochter Gerdrude. Darna loveden se Godde beide ere Kuscheit, se legen jedoch beide an enem Bedde under sunderliken Dekenen. Dat spreken de Kamerere, de mit in vveren, dat se sint je kusche vveren. An sineme ersten Jare starf Bischop Rother van Magedeburch: na ime vvard Bischop Norbert mit Willen des Koning Luderes; de verniede de Regelen Sente Augustines, de de Apostelen gesad hadden, de verderf vvas unde verdusteret van dummen Luden, de na Augustino vveren. He stifte oc dat Closter Sente Marien to Maideburch. Koning Luder vor do to Behem, dat he dar vvider brachte Otten, de dannen verdresen vvas: dar verlos he menegen biderven Man. Desselven Jares vor he uppe Hertogen Friderike van Svvaven, de hadde sic darvvider gevvarnet; darne schop he nicht, unde vor vvider. An den Tiden vvard gevunden dat Hilechdom Sancti Matthiæ Apostoli to Triere. Des anderen Jares hadde Koning Luder Hochtit to Mersburch to den Pinkesten, dar gaf he sine ene Dochter Gerdrude to Wive deme Hertogen Heinrike van Beieren. Dannen vor he to Norenberch, unde gewan it deme Rike. Conrad Hertogen Friderikes Broder satte sic oc do wider Koning Ludere. In den Tiden ward geslagen Greve Karl van Vlanderen, dar he was an sinem Bede. In sime dridden Jare vor he wider Conrade Hertogen Friderikes Broder, unde besat Spire. Se gaven ime Gislen, unde he vor dannen. En blodich Teken ward do gesehn imme Himmele, unde andere Tekene vile desselven Jares. Do ward oc gewrocht to Rome Bischop Otto van Halverstat umme Simonien, unde ward dar verwunnen, unde ward untsat. Des verden Jares besat de Koning aver Spire, wante se ire Truwe wider ene broken hadden. Do besat Marcgreve Albrecht Gandersleve, dannen ward he gedreven van des Koninges Vrunden. Desselven Jares Greve Gerard van Gelre ward gewrocht, dat he wider den Koning geraden hadde, darumme gaf he sic to sinen Gnaden, unde lovede ime vile Schattes to gevende umme sine Hulde. In deme Wester-lande hadden de Man van ener bosen Woneheit lang Har, dat verbarn menegen Manne uppe me Hovede vamme wilden Viure. Also verging de bose Sede. In deme Lande to Brisac gingen twe Man mit eme Kinde, unde solden roden: do begonde it sere donren. De ene Man dref sin Spot darumme, de andere unde dat Kind wreten vor sic dat Cruce, unde vleden unsen Herren Got, do quam en bernende Viur, unde verbrande denselven Man garlike ane sinen Clederen, unde sinen Gesellen ne scha nicht nen Schade. Des viften Jares gaven sic de van Spire deme Koninge durch Hungeres Not. Do starf Paves Honorius, unde wurden to Rome gekoren twe Pavese. Do makede de Koning en Concilium van XVI. Bischopen to Wurteburch, dar was de Ercebischop van Ravenna. De Strit ward dar gescheden, unde ward gestadeget Innocentius to Pavese. In den Tiden starf Bischop Berthold van Hildensim, na ime ward Bischop de Domprovest Bernard en gut Man. In demeselven Jare ward geslagen Marcgreve Udo, unde siner Lude vile gewunt unde gevangen. Greve Burchard van Lucca ward oc do geslagen, darumme ward de Koning erre, unde besat Wincenburch Greven Hermannes, wante men ene tech des Mordes Rades. Des negesten Jares darna mit siner Manne Rade gaf sic Greve Herman deme Koninge, unde de Burch de let he do breken uppe de Erde.

De Koning was do den Paschen to Triere, do verbarn di Stat to Utrecht, unde al de Kirken, de in der Stat weren, an anderen Steden alleswar unde an Goddeshusen ward oc grot Brant. Paves Innocentius makede en Concilium to Ludeke, dar weren XXXVI. Bischope, dar was oc de Koning unde de Koniginne, dar ward wider gesat Bischop Otto van Halverstat, de hadde verdreven wesen dri Jar. Do ward irhaven Sente Godehard to Hildensim, unde dede Got dar vile Tekene. Imme selvenden Jare vor de Koning to Rome, unde wolde sic laten wien. Do he quam to Oustburch, do ward en Strit under den Burgeren unde des Koninges Luden: under der Storlinge quam en Viur, unde verbarn de Stat vil na bedalle: dar ward vile Ludes geslagen unde verbrant. Do ward gesehn Cometa VI. Non. Octob. De Koning vor do dur Langbarden: he gewan al de Stede unde Burge, de ime wider weren, unde quam to Rome, dar ward he gewiet van Pavese Innocentio to Keisere to Sente Johanne an Lateran II. Non. Junii. Do he wider vor to Dudischeme Lande, do widerstunt ime en Here to Berneclus, dat he nicht vort kommen ne mochte. Dar halp ime Got, dat he deme Herren sine Burg afgewan, unde vieng ene selven, unde vorde ene mit ime to Lande. In den Tiden to Palborne irschenen twe Ringe umme de Sunnen IV. Kal. Julii an dem midden Morgene: de minnere Ring ging umme den Dom, de grotere umme de Stat. Desselven Dages umme Nontit verbarn de Stat vil na al, unde de Dom garlike: De Sunne verging also sere, dat men de Sternen sach IIII. Non. August. In den Tiden de Koning van Denemarken stumelede al de Dudischen, de in sime Lande weren. Darumme vor de Keiser Luder up in mit groteme Here: de Koning bat den Keiser Gnaden, wande he sic erweren nicht ne mochte. De Keiser legede do enen Hof to Halverstat in deme negesten

ften Jare to den Paschen, dar quam de Koning van Denemarken, unde gaf sic an des Keiseres Gnade, he untfieng oc sin Koningrike van deme Keisere, unde swor dat mit sinen Vorsten, dat he unde sine Nakomelinge immermer van den Keiseren ire Cronen untfan solden, unde ire Rike van deme Romischen Rike hedden. Dise Ere gewan deme Romischen Rike de Keiser Luder. Des Jares ward oc gestiftet dat Munster unde dat Closter Sente Godehardes to Hildensim van Bischop Bernarde. Do Sente Godehard upgenommen was, unde de Tekene, de Got dar dede, kundich worden an den Landen, do was en rike Vrowe an eme Dorpe to Duringe Weiferstede genamet, di hadde overgichtich gewesen achte Jar. Dese Vrowe gaf vile durch Got armen Luden, unde sande ere Offer alleswar, dat men Got vor se bede, dat si sunt worde oder storve an sinen Gnaden. Do quam enes Nachtes to ere en Stemme, unde sprak: Wiltu sunt werden, so love din Offer to bringende Sente Godeharde to Hildensim, de neleke upgenommen is. Dat segede si eren Vrunden, unde nam darumme Rat; to en se spraken; were dio Stemme van Godde, ire wurde bat. Diu Vrowe lovede sic dar, do ward ire tohant sachtere, unde ward gande, dat sio darvore nicht don ne mochte sunder Helpe. Do brachte sio mit groteme Love ir Offer Sente Godeharde unde ward garlike sunt. Also worden gemeret de Gnade Sente Godehardes alleswar, unde gelovet. In den Tiden starf Bischop Norbert van Maideburch, na ime vvard Bischop Conrad. Do vor de Keiser uppe den Hertogen Friderike van Elsezen, unde tovorde siner Stede unde Burge vile: He verbrande oc Ulme ene Mere-Veste, unde berovede al dat Lant. Do de Hertoge sach, dat he deme Keisere nicht untsitten ne mochte, he verevende sic mit eme. Desselven Jares Hertoge Conrad sin Broder verevende sic oc mit eme. Do sworen alle de Herren, de in deme Rike vveren vor deme Keisere vasten Vrede to tein Jaren. Des anderen Jares quemen de Wenede in dat Lant to Sassen, unde roveden dat: vvider de vor Marcgreve Albrecht an ire Lant, unde rovede, unde verbrant it. Do vor de Keiser aver mit groteme Here to Langbarden: Wider ene satte sic Koning Rother van Pulle, deme vvan he af dat Lant vvante an Bare. Bi Bare vvas en Burg, daruppe vveren vile Rovere, de roveden allet, dat se an deme Mere unde an deme Lande vunden: de besat de Keiser, unde gevvan se mit Arbeiden, unde verbrande se, vif hundert Rovere unde mer, de uppe der Burch vveren, de let he alle han umme enen Torn, de verbornen vvas. Dur den Angest gaven sic eme alle de Stede, unde Burge, de imme Lande vveren. Dit gescha vor Pinkesten. To den Pinkesten vvas he mit groten Eren in der Stat to Bare mit deme Pavese Innocentio. Devvile de Paves Missen sanc in dem Pinkest-Dage, sach men boven dem Munstere Sente Nicolai ene guldine Cronen hangen vamme Himele, uppe dere sat en vvit Duve, darunder vvas en Wirocvat mit Wiroke, darvore gingen tvve bernende Kercen. Wat dit bedunde, dat ne vviste neman, it ne bedunde, dat de Paves unde de Keiser vvol voren drogen. Darna vor de Keiser to Kalabre, unde gevvan des Landes en Del: dar quemen to ime des Keiseres Boden van Kreken, unde brachten ime grote Gave; de untfeng he, unde sande se van ime mit groten Eren. Do starf (anno 1137.) Bischop Albrecht van Megence: vvar sin Sele hinen vore, dat vvard oppenbaret eneme Prestere, de vvas Kanonic to Halverstat, unde besanc oc ene andere Capellen. He beherbergede oc to enen male enen Pilegrim, de hadde enen Coz, alse he van over-Mere kommen vvere: de vvard sek, unde starf, sinen Coz gaf he ime, dat he siner Sele bi dachte. Darna gaf he den Coz sime Knechte, unde vergat des armen Mannes Sele. Enes Nachtes slep he mit anderen Papen imme Slaphuse, do vvard sin Geist gevort, dar he sach vile Duvele gesamenet, unde Pine der Sele, de ime unloslic vve'en hadden. Do sach he enen Duvel here lopen, de ref: Rume, rume. En ander vragede: Weme sal men rumen? He sprac: deme Bischop Albrechte van Megenze, de mineme Mestere vile gedienet hevet. Na ime quemen twene, unde riepen dat selve. Darna quam ire harde vile mit groter Vrovvede, unde riepen: Rumet, rumet; unses Herren heimlikeste Vrunt komet. Den untfieng de Herre harde vruntlike, unde het ime schenken mit eme guldinen Nappe, de vvas vul gesmeltes Goldes unde Silveres. Do he nicht drinken ne vvolde, de Herre het ime den Munt updon, unde den Drank darin geten. Alto hant vor ime ut den Oren unde den Ogen, ut dem Munde unde der Nese en vreislic Flamma. Do he sus untfangen vvas, de Mester stunt up, de het upnemen under sinen Voten enen Sten, unde stec ine dar in, dar behelt he sinen heimliken Vrunt. Den Sten legede men dar vveder, unde he satte sic darvvider up. De Herre vernam vvol, dat dar enes Menschen Geist mide vvas. He sprac: Soket balde, vve is so dorstich, dat he besehn dorre unse Heimlicheit. Do de Prester dat gehorde, he vlo: se volgeden ime mide. De Herre riep: Werpet vor ene des Pelegrimes Coz, dat he gehinderet vverde. De Prester snavede over de Coz, unde viel an de Erde, dat ime Nase unde Munt brak, unde blodde sere. He begonde grimmelige ropen, unde vvekede alle, de in deme Slaphuse vveren. Dat Hovet helt he vamme Bedde, unde it Blut got van ime. Se liepen alle dar, unde vrageden, vvat ime geschen vvere. He segede in al de Dat, unde lovede Godde, dat he nimmermer ne vvolde van nimes Mannes Dode Gave nemen an sine Nut, he ne gavet armen Luden. In der Stunt to hant verbarn deselve Stat Megenze unde de Dom, den he selve herlike bedeket hadde. Oc verbornen doselves de Munstere to Spire, unde to Strazburch, Goslare vvard oc vil na al verbrant. Na Bischop Albrechte vvard gekoren to Bischope Albrecht de Junge, des Elderen Albrechtes Mage. Na den Tiden Marcgreve

greve Albrecht vor mit groter Heres-Craft des Winteres uppe de Wenede, unde berovede al ire Lant. De Keiser Luder verevende do vvol des Rikes Ding in den Landen, unde vor vvider an Dudisch-Lant. Do he komen vvas vil na Nurenberch, he vvard sek, unde starf II. Non. Dec. He vvard begraven to Luttere in dem Munstere, dat he selven gestift hadde.

In deme MCXXVIII. Jare, Conrad van Swaven quam an dat Rike, de negentegeste van Augusto, unde was daran XIIII. Jar. He besat Nurenberch, dar de Hertoge Heinric dat Rike hadde behalden, unde gewan it ane des Hertogen Dank. He let oc dat Hertochdom to Sassen dem Marcgreven Albrechte wider Koninginne Rikezen Willen, unde wider des Hertogen Heinrikes. Dat clagede di Koninginne iren Vrunden deme Marcgreven Conrade, Palenzgraven Friderike, Greven Sifride, unde Greven Rodolve. Se quemen to Stride wider den Marcgreven, de gewan den Sege, unde vieng ere vile. Do quam de Koning Conrad to Goslare to den Winachten, unde hadde dar enen Hof, dar let he aver deme Marcgreven dat Lant to Sassen. De Hertoge Heinric quam do van Beieren to Sassen, unde irwande der Herren vile van deme Koning Conrade; de orlogede sere uppe den Marcgreven Albrechte, de ne mochte ime nicht widerstan, wante des Hertogen Craft was grot van der Koninginne Rikezen Helpe. Do ward grot Hat under dem Hertogen Heinrike unde deme Marcgreven Albrechte. Hertoge Heinric sprak, dat Hertochdom to Sassen were sin: it hedde ime geven Keiser Luder mit siner Dochter, unde haddit van ime untfangen. De Marcgreve sprak, it were sin van sineme Alder-Vader, unde haddit van Koning Conrade untfangen. Hirvan ward dat Lant to Sassen von Orloge sere beswaret. Hertoge Heinric was jedoch starkere dan de Marcgreve, he to vorde ime Stade unde Burge, he tobrak Plozeke, dat Greven Bernardes was, wante he Gunnere was des Marcgreven. De Koning Conrad vor do mit groteme Here uppe de Sassen: he quam to Cruceburch, dar quam jegen ine de Hertoge Heinric mit den Sassen. Se wolden striden, dat ward upgehalten van den Bischopen, de dar weren in beidenthalven. Nicht lang darna vvard vergeven deme Hertogen Heinrike. Marcgreve Albrecht wande do, dat he dat Hertochdom vrilike behalden solde, unde wolde varen to den Boten, dat he dat Bot-ding dar sete: dat ward ime gewerет manlike van der Koninginnen Rikezen Helpe, unde des Wenegen Hertogen Heinrikes. De Herren satten sic vaste jegen Koning Conrade, unde wider sine Helpere. Do ward grot Hunger an Sassen. Do besat Palenzgreve Frideric Groninge en Vast-Hus, unde gewan it binnen seven Dagen unde tobrac it. Bischop Conrad van Maideburch besat oc en Hus Jabilinze, dat was Greven Sifrides, unde tobrac it. Do verdreven deselven Herren Marcgreven Albrechte ut deme Lande, unde verbranden Anehalt sine Burch. In den Tiden orlogede Hertoge Welp van Beieren wider den Koning: do besat de Koning sine Burch Winesberch, de Hertoge quam mit eme to Stride, unde ward segelos, dar ward vil Ludes geslagen, oc irdranc ir vile imme Nikkere, dar de Strid bi was: de Koning gevvan oc de Burch. Do makede de Koning enen Hof to Wirceburch to den Pinkesten, dar quamen de Herren van Sassen, uppe dat se sic mit deme Koning verevenden, dat ward gehinderet durch den alden Hat, de under in was. Do ward dat Closter to Sidekenbeke irhaven. Do starf di Koninginne Rikeze, unde ward to Luttere begraven. Do starf oc Bischop Albrecht van Megenze de Junge, na ime ward Markolf Bischop, en biderve Man; he stunt sere darna, dat amme Rike Vride worde. Men segede, dat van sime Rade de Marcgreve Albrecht vamme Hertochdome lede, unde irwarf wider de Herren van Sassen, dat he wider to Lande quam, unde lovede Beterunge. Do starf Bischop Conrad van Maideburch, na ime ward Bischop Frideric. De Koning makede do enen Hof to Vrankenevorde an der Himmelvard unses Herren, do gaf he des Hertogen Heinrikes Wedewen Gertrude, des Koning Luderes Dochter sinem Broder Heinrike deme Marcgreven van Osterrike, darmide gewan de Koning al der Sassen Gunste, unde ward grot Vrede imme Lande. Do starf de Biscop Marcolf van Megenze, na ime ward Heinric Bischop, en salich Man. De Koning quam to Goslare, dar quemen jegen ene de Vorsten, unde vereveneden dar wol des Rikes Ding; danen quam he do to Hildensim, dar ward sin Broder Domprovest, he vvas oc Domprovest to Utrecht, darna vvard he Bischop to Buzzowe. Darna quam de Koning oc to Brunesvvic, dar vvard he herrlike untfangen van der Hertoginne Gerdrude, di starf darna schere mit eneme Kinde uppeme Wege, do si vvolde varen to Beieren. Darna to den Lichtmissen quam de Koning to Quidelingeburch. In den Tiden starf Paves Innocentius, na ime vvard Paves Cœlestinus. Do vvard Greve Rodolf van Vrankeleve geslagen to Ditmarschen an deme Manede unde an demeselven Dage, do sin Broder Marcgreve Udo vvard geslagen. Do starf oc Greve Sifrid van Boumeneburch. In den Tiden starf oc Paves Cœlestinus, na ime vvard Lucius, de hadde geheten Gerardus. Keiser Heinric de Ander des Namen hadde gestift den Dom to Goslare: he hadde Sancti Matthiæ Apostoli Hilechdom, unde oc anderer Hilegen Rustici unde Venantii mit anderen Hilegen bestadet an eneme Altare der Cluft desselven Munsteres mit groten Eren. Darna over manich Jar vvard darumme en Tvvivel, do vvas daran de Provest desselven Godeshuses Eilbrecht mit deme Bischope Bernarde van Hildensim, dat se dat Hilichdom besagen, unde van der Stat anders vvar bestadeden. Dat gescha - - - - Darna over twe Jar vvard deselve Bischop blint, unde de Provest vvard oc blint, unde starf gais Dodes, di Stat verbarn oc, dat sio se sere ne verbarn. Darna hadde de Koning mit der Koninginnen Gertrude to enen Winachten to Maideburch enen Hof, dar vvard gedelt van der

Ss ss Herren

Herren Rade mit des Koninges Willen dio Graffchap, de gehad hadde Greve Rodolf finem Brodere Hartwige: darumbe ward ere de junge Hertoge Heinric van Bruneswic, wante he umbe defelven Graffchap wider den Bifchop Alberone vile Unvruntfchap gehat hadde, unde gearbeidet, dat fe ime worde. Defelve Bifchop do he to Hove varen wolde, ine vieng de Hertoge. Do dede de Bifchop des Hertogen Willen, unde let fe ime: Hartwig ward oc gevangen van des Hertogen Ridderen, darumbe gaf he vile, dat he ledich worde. Do ftarf de Paves Lucius, na ime ward Eugenius Paves. In den Tiden ward dat Clofter to Riddageshufen irhaven van Ludolve des Hertogen Dieneftmanne, de dar Broder ward. De Bifchop Albero van Bremen ftarf, na ime ward Bifchop Hartwig, des Marcgreven Rodolves Broder. De vor do mit Hertogen Heinrike uppe de Dietmarfchen, unde wolde wreken finen Broder, unde sloch ere vile, unde berovede dat Lant. In den Tiden gescha to Halverftat grot Bedrofniffe, alfe men vint gefcreven dar up eneme Grave:

Frater honorandus jacet hic Levita Wigandus
Quid moriens tulerit, hæc feries aperit:
Aufus enim Cleri communia jura tueri,
Saucius enfe ruit, juftaque facta luit.

Denefelven Wigande slogen des Domproveftes Mertines heimlike Vrunt, darumbe ward defelve Domproveft untfat finer Eren, wante men ene tech, dat he t geraden hadde. Do ftarf Heinric van Affele, Greven Hermannes Broder. Oc ftarf do dio Koninginne Gerdrud, unde ward begraven to Everat. To den Pafchen hadde de Koning enen Hof to Cuine, dar was de Marcgreve Albrecht mit groten Eren. Do ward upgehaven Keifer Heinric, de Bavenberg ftifte. De Hertoge van Polenen Bolizlaus delde fin Erve finen dre Sönen, deme alderen let he dat Hertochdom, de nam Koning Konrades Sufter. Dar ward he homodich, unde verfmade fine Brodere, unde wolde fe verdriven. Se wereden fic fere, unde quemen mit eme to Stride, dar ward geslagen manich dufent. Darumbe vor de Koning to Polenen, unde wolde fe verfonen. Do he des nicht don ne mochte, he vorde mit ime wider den Hertogen, unde unthelt ine to Aldenburch mit groten Eren. Do ftarf Hertoge Frideric, des Koning Conrades Broder. In deme Jar gefcha en ungehort Ding: Des Rikes Dieneftmann unde andere Herren Dieneftman wolden ane der Herren Willen richten an den Landen, dat ward wider dan. De Koning vor do to Saffen, unde wolde dar to Richte fitten, dat untftunt ime do. In den Tiden en Heidenifch Vorfte Sangvin gewan ene Stat Ediffam mit Verratniffe, de het oc Roas, unde sloch darinne an der Winachten Nacht den Bifchop to deme Altare, unde al de Papen, unde allet, dat darinne vvas jung unde alt. Dife Stat alene hadde behalden den Chriftendom vor allen den Steden, de in den Ofterlanden Kerftenen hadden gewefen menich Jar. De Heidene deden dar Godde grote Smaheit; fe dreven ire Unvore unde ire Unreinecheit in den Kirken unde uppe dem Altare. De Koning van Babylonie gewan oc do vile der Stede over Mere van den Kerftenen. Umbe de Not fande de Paves Eugenius to deme Koninge Lodewige van Vrankrike, de let do dat Cruce predegen den guden Abbet Sente Bernarde van Clerivas. Do namen allererft dat Cruce Koning Lodevvig unde fin Wif, unde al fin Volk, unde der Kerftenen ane Tale, dat fe voren to Jerufalem. Koning Conrad nam oc dat Cruce to den Winachten, to eme Hove to Spire, unde bereddе fic to der Vard mit anderen Vorften: darto trofte fe fere Abbed Bernard. Dat Cruce nam oc des Koninges Broder Bifchop Otto van Vrifingen, Bifchop Udo van Cice, de Hertoge van Behem, Heinric des Koninges ander Broder, de Hertoge van Lotheringen, Hertoge Welp, de Greve van Vlanderen, Greve Burchard van Plozeke, unde andere Herren vile, de voren alle an dem Meje. Do ward oc en Vard over Elve uppe de Wenede under demefelven Cruce van anderen Vorften, de worden gewunnen. Koning Conrad vor do mit groter Craft dur Ungeren, unde dur de Bulgarie: fe quamen to Conftantinople, unde herbergeden bi der Stat. Dit Here ward geachtet wapenedes Volkes feventich dufent, dat ander Volc vvas ane Tale. De Keifer van Conftantinople untfieng vvol den Koning Conrade, unde let dat Here voren over Sente Jorien Arm. He gaf in Kore drier Wege, he gaf in oc Geleide. De Herren koren enen Wech, de was vvofte dre Dach Vard, dar ftarf des Volkes en Unmate van Hungere unde van Dorfte. Dat Volc begunde Koning Conrade tien, dat he ire anech vverden vvolde, darumbe hadde he fe gelet an de Woftenunge. Se wolden kiefen to Herren enen Bernarde, dat undervieng de Koning Conrad mit groten Arbeiden. Darna quemen fe an ene Woftenunge, dio vvas vertein Dage-Weide lang, dar verdarf dat Volc almeiftich: fe irdrunken, fe ftorven Hungeres, fe worden oc van den Heidenen geslagen, unde gevangen, unde gefcoten. Do verging de Sunne in dem miden Morgene VII. Kal. Nov. De Koning Konrad ging do to Vote gevvapenet XIIII. Dage unde XIIII. Nachte, unde ftret manlike mit den Heidenen. Dar befaten de Kerftenen groten Jammer unde Ungemac, de Koning vvard oc gefcoten dur den Helm in dat Hovet, darvan he lange grot Ser hadde. Dar fcha oc en jammerlic Mere: en Heidene sloch eneme Pilegrime dat Hovet af mit deme Helme, den Helm fatte he vile drade uppe fin Hovet, unde ret here unde dare: he fchempte uppe de Kerftene, unde dede in grote Honfchap. Do nam fic ut en Riddere van des Koninges Gefinde, unde quam manlike uppe denfelven Heidenen. He sloch ime oc dat Hovet wider af mit deme Helme, unde vorde it under de Kerftenen, darvan vvorden fe fere getroftet. De Koning Conrad karde do vvider to Conftantinople mit den, de genefen vvaren. En Del des Koninges Heres vor to Hifpania, unde

unde gevvan de Stat to Leschebone, darinne namen se vile Gudes. Koning Conrad vvard do ſek to Conſtantinople. De Keiſer van Conſtantinople dede ime vile lieves, unde nam ſin grote vvare. Alſo dede he den verdorſenen Pilegrinen allen, uppe dat he ſic darmide untſchuldegede, vvante men ene tech, dat van ſinen Schulden dat Here verdorven vvere. He gaf oc ſine Suſter-dochter deme Marcgreven Heinrike van Oſterik Koning Conrades Brodere, unde verevenede ſic darmide mit deme Dudiſchen Rike. De Paves vor do van Rome an Wallant, dar was he alle vvile. He makede en Concilium to Mitvaſten to Remis, dar quemen Biſchope vile, unde Abbede, unde andere Papen. De Koning Lodevvig van Vrankrike ſtret do over Mere mit den Heidenen, unde vvan den Sege. He ſtret aver, unde vvard Segelos. Dio Koninginne vvard oc gevangen, ſio vvard aver tohant geloſt mit Gevvalt. Do de Koning genas, he vor to Jeruſalem, unde beſat Damaſch: dar vertech ſin de Patriarcha, unde de Koning van Jeruſalem mit Untruvven, unde ne gevvan de Stat nicht. He vor vvider to Conſtantinople, alſe he gelovet hadde, unde ſvvor, dat he deme Keiſere helpen vvolde vvider den Koning van Pulle Rocziere. Mit der Rede quam he vvider to Dudiſcheme Lande. In den Tiden vvard gebuvvet dat Cloſter to Sente Michaelis Stene. De Biſchop Udo van Zice vvolde komen ſin over Mere to Jeruſalem er de Koning Conrad, unde van ime mit viftein duſenden, unde irdranc. Na ime vvard Biſchop Wichman, de Domproveſt van Halverſtat. De Koning Conrad makede do enen Hof to Sente Jacobes Miſſen to Wirzeburch, dar ladede he de Vorſten van Saſſen. De junge Otte van Rinegge orlogede vvider Hermanne van Stalegge, de vvard gevangen van Herren Hermannes Luden, unde vvard gevvorget an der Vangniſſe. Diſſe hadde ſic lange undervvunden der Grafſchap des Biſchopdomes to Utrecht vvider Biſchop Hartbertes Willen: de ſtret mit eme, unde vieng ene, darumbe bat ſin Svvager Marcgreve Albre ht, dat he los vvard, unde beterede deme Goddeshuſe. In den Tiden ſtarf Biſchop Rodolf van Halverſtat, de hadde dat Biſchopdom gebeteret, ſvvar ſo he mochte, unde bedekede dat Munſter Sente Stephanes, unde buvvede vile Kirken, he let oc maken den Wech over dat Broc. De Hertoge Welp verniede aver de Viantſchap, de gevveſen hadde tvviſchen ime unde deme Koning Conrade. He quam mit ime to Stride, unde vvard vluchtich, unde vvorden gevangen vile edeler Lude, de mit eme vveren, durch der Losniſſe moſte he ſic anen ſinen Danc verevenen mit deme Koninge. In den Tiden vvard grot Overvlot VIII. Kal. Junii. Do vvard vergeſen Koning Conrades Sone Heinrike. Do ſtarf oc de Biſchop Hartbort van Utrecht. Paves Eugenius do he ene vvile to Rome hadde gevveſen, de Romere overvviſden ene: vvider ſe halp ime Rozier van Pulle. Do ſtarf oc de aldere Otte van Rinegge. Do ſtarf oc Agnes, Koning Conrades Suſter, des Hertogen Wif van Behem. Heinric van Brandenburch ſtarf oc, do ſin Erve vvard Marcgreve Albrecht. De Cardinal Didvvin ſtarf oc do: he vvas geboren van Svvaven. In den Tiden orlogeden to Denemarken Knut de junge unde Svven: do vvard Svven vluchtich, unde vvorden geſlagen alle, de ime van Saſſen to Helpe komen vveren. Do ſtarf Biſchop Arnolt van Colne, na ime vvard en ander Arnolt des Koninges Cancelere. In demeſelven Jare vvard grot Ungevveder, grot Hunger, grot Sterve in der Werltle, dat neman ſo grote Not denken ne machte. Do ſtarf Biſchop Hartvvigis Muder Richardis. Do hadde Koning Conrad to Sente Lambertes Miſſen enen Hof to Wirteburch, dar ſande de Paves to ime ſine Boden, dat he to Rome queme, dat he gevviet vvorde. Do ſtarf Biſchop Frideric van Maideburch. In den Tiden ſtarf oc de Hertoge Conrad van Kernten Zeringen, de lange gevveſen hadde vvider den Koning Conrade, ſe vvaren jedoch verevenet: des Dochter hadde genommen to Wive de Hertoge Heinric van Saſſen. Sio vvard ſider van, unde nam darna des Koninges Dochter van Engelant. In den Tiden vvard geſlagen Greve Herman van Winzenburch mit ſineme Wive, dio mit Kinde vvas, van den Dieneſtmannen van Hildenſim enes Nachtes uppe derſelven Burch, III. Kal. Se nemen oc ſinen Schat ſes duſent Punt: dat vvard in allen to Leide. Na ſineme Dode ſeven Dage irſchen he deme Proveſte C. van Paliden an eneme vurigen Halsberg. He ſegede ime mit groteme Jamere, dat de Halsberg ime durch de Arme genagelet vvere, dat he ine nicht uttien ne mochte. Darna over drittich Jar irſchen he aver eneme Brodere van demeſelven Cloſtere mit herliken Clederen gecledet, de vragede ine, of he deme Proveſte C. mit eme vurgen Halsberge irſchenen vvere? He ſegede, dat it vvere vvar, unde vvere darvan geloſt van deme Gebede der Brodere unde oc ander guder Lude, vvane dat he van bitteren Ate unde Dranke noch Pine hadde. Darbi mach men merken vvol, dat men den, de vvelichlike levet, unde to deme Vegevure geachtet vverden, vvol mit Almoſen, unde mit guder Lude Gebede helpen mach. Koning Conrad vvolde aver varen to Jeruſalem, unde beval ſime Sone Heinrike van Rodenburch dat Rike, deme ſint bi Keiſer Friderikes Tiden vergeven vvard. Dio Vard ne mochte nicht vol komen, vvante he upme Wege ſiek vvard, unde vor vvider to Lande. De Paves ſande ime aver ſine Boden, den Cardinal Octavianum unde enen Jordanen, dat he to der Wienge to Rome queme. De Bodeſcap untfeng he mit groter Leve, unde bereit ſic herlike to derſelven Vard, he vriſte ſe jedoch, vvante to Sente Marien Miſſen der Leteren. Do vvard he ſiek, unde ſtarf, unde vvard to Bavenberg begraven.

In deme MCLII Jare van der Bort unſes Herren Vrederic de Hertoge van Svvaven, de Koning Conrades Broder-Sone, quam an dat

Rike, de en unde negentegeste van Augusto, unde vvas daran XXXIII. Jar. He hadde to den Pinkesten enen Hof to Mersburch, dar verevenede he Svvene unde Knute, de Herren van Denemarken, de umbe dat Konigrike orlogeden, also dat Svven dat Konigrike behelde, unde Knut des Landes en Del. Do vvard Orloge under Marcgreven Albrechte unde Hertogen Heinrike umbe en Erve tvvier Greven Bernardes unde Hermannes. Dat undervienggen de Herren altohant, unde verevenedent also, dat de Marcgreve Bernardes Erve behelde, unde Hermannes de Hertoge. Do makede de Koning enen Hof to Wirzeburch, dar svvoren de Herren ene Herevard mit deme Koninge uppe Langbarden. Do starf Bischop Albrecht van Misne, deme hadde gesand Koning Conrad an Bodescap to deme Koninge van Crieken. Na ime vvard Bischop Abbet Gerung. De Koning vor do to Sassen mit guden Vrede. Des Jares verging de Sunne VII. Kal. - - - Do starf Ludolf van Warningerode, en hoge Herre unde en alt Herre: sin Sone Ludinger vvard geslagen tvvischen Osterrode unde Hirtesberch under deme Orloge, dat sic irhaven hadde tvvischen deme Hertogen unde deme Marcgreven. He vvard begraven to Polide. En sin Vrunt vvas Kanonic to Brunsvvig, en gut alt Man, deselve bat unsen Herren Got stadelike harde vele vor sine Sele, unde sorgede sere, vvar sio komen vvere: darumbe bat he oc, dat ime dat scheneget vvorde. Enes Nachtes lach he an sineme Bede in der Clucht, do duchte ime, vve he sege enen Man gan hir unde dar, de droch an sinen Armen en herlik Bok. He sprak: We geiht hir alsus umbe de Winkele an diser Tit Nachtes? Jene sprac: ic bin Ludenger, vor dene du so vele gebeden hevest, unde sal di uppenbaren, des du begeret hevest. He vragede ine do, vvat he droge? Jene segede: ic drage en vollenkomen Missebok. Dese sprak: Wat saltu mit deme Misseboke? ja ne vverestu nicht gelert. Warvan du it hebbest, segge mi. He sprac: Ic quam an Vrankrike mit vile Ludes an en Dorp. De armen Lude loveden uns, svvat se volbringen mochten, durch dat vve se beschermeden vor anderen Luden, de uns volgeden, unde gaven uns genoch. Deselven Lude hadden gebuvvet ene Kirken an irme Dorpe, diu vvas gevviet unde gebuet an de Ere Sente Marien Godes Muder. Se vveren also arm, dat se dat Missebok nicht tugen ne mochten Se vernemen do vvol, dat se geherberget hadden enes Greven Sone van Sassen, unde quemen to im, unde beden, dat ic in to dem Boke Helpe gave to durch de Ere Sente Marien men solde min dar jemmermer bi denken. Wante ic do nicht mer hadde, vvane dat ic to deme Wege hebben solde; ic bedachte mi, siu mochtes mi vvol lonen: unde satte enen minen Man eme riken Manne vor drittich Schillinge der Lantpenninge, unde koste dat Bok, unde gaf it an de Kirken durch Sente Marien Ere. Do ic vvider quam to Lande, ic sande mine Schult dar, unde losde minen Knecht. Unde vvante de Tit nu gekomen is, dat ic miner Werke Rede geven sal, so hevet mi diu milde Vrovve dit Bok gelegen, svven so de Viande koment, unde mic sokent, so is dat Bok min Schilt, dat se mi nicht to komen ne mogen. Also bin ic vor in beschermit. De Pape quam to sic selven, unde prosde degere, dat he gesen hadde, unde vrovvede sic sere. He bat do Dages unde Nachtes Sente Marien innelike, dat siu begunt hadde mit sime Neven, dat it jemmermer stade vvere. Bischop Bernard van Hildensim, vvante he blint vvas tein Jar, he gaf up dat Bischopdom, na ime vvard Bischop de Deken Brun, en biderve Man unde en hilech Man. He plach stadelike Unser Vrovven Sente Marien sunderlic Dienest to dunde. He helt den achteden Dach der Bort Sente Marien vile holike, de neman dan noch an nener Stat ne helt. To enem male hadde he grote Hochtit mit sinen Capellanen to der Mettene: an derselven Nacht do irschen ime Unse Vrovve Sancta Maria gecronet unde getieret, alse en Koninginne. Siu vvas bevangen mit deme Lichte des Himmelrikes. He grotte se innelike, unde sprac: Wat is dit, Vrovve, dat du so hogelike komst to me dinen armen Knecht. Siu sprac: ic vrovve mic sere, dat du mine Hochtit so holike begeist mineme Sone to Eren. Do dit oppenbare vvard, do satte men den achteden Dach to begande, alse den hiligen Dach. Darna starf he, unde vor to den Gnaden. In den Tiden sande de Paves Eugenius an Dudisch Lant tvve Cardinale Gregorium unde Bernarde, de deden ame Rike grote Ding, des stadede in de Koning Frederic: se makeden en Concilium to Wormeze, dar vvas de Koning, unde vile Bischope, unde Abbede, unde Vorsten vele. Dar vvard untsat Bischop Heinric van Megenze, en gut Man: he quam do (to) Enbeke, unde vvas dar ene Wile, he vvard oc aldar begraven. Na ime vvard Bischop Arnolt, vvelec Ere betere vvere, dat scheneget de Tit darna vvol. Des Bischopes Lude Heinrikes van Minden blanden enen Papen, darumbe vvard he untsat. He vvas oc overgichtich, sider vvard he sunt, unde ward wider gesat van denselven Cardinalen. Do starf de Paves Eugenius, na ime ward Anastasius Paves. Do vvard oc de Koning Vrederic gescheden van sime Wive vor denselven Cardinalen. In den Tiden Koning Rotzier van Pulle gevvan menich vremede Lant mit Orloge. Ime dienede Pulle, Calabria, Sicilia unde Africa. Dat he so grote Ere gevvan, des dankede he Godde, unde gaf dat Gut armen Luden unde Closteren, he gaf sic oc selven, unde vvard Monik, unde also verre he Gelucke in der Werlt hadde gehat, noc vorbat dienede he Godde. Nicht lang darna starf he, unde sin Sone Willehelm nam dat Rike; He vvas vvol gelic sinem Vader an aller Duget. Do de Cardinal Gregorius vile Schattes gesamenet hadde, he starf. In den Tiden vvas Strit umbe des Bischopes Kore under den Papen to Maideburch, do satte dar de Paves Anastasius to Bischope den Domprovest Bertolde vam Numburch mit des Koning Frederikes

derikes Willen. De Koning Frederic hadde do enen Hof to den Paschen to Maideburch. In dem Meie darna vor Koning Frederic mit groter Craft to Langbarden, de van Berne vvolden ime dat vveren: do gewan he in af ene Burch, de het Rivolan, unde vieng dar de beste Lude, de se hadden, unde let se han vor de Burch: dar vvard he sere untvrucht, dat in andere Sted vvol untviengen. Darna quam he to Pavie, unde ward herlike untfangen; dar was he ene Wile, vvante sic dat Here gesamnede. Do bot he enen Hof al den Herren van Langbarden, unde vor uppe de van Meilan, de des Viande vveren. He tobrac en Castele unde Veste, he het verhouvven ire Wingarden, unde Oleibome unde Bomgarten, he gevvan in oc af de gude Burch Tercionam mit grotem Arbeide, unde brac se uppe de Erde. Des Jares lach de Sne van den Kal. Octob. vvante an des Meies Kal. Do starf Paves Anastasius, na ime vvard Paves Adrianus. Arnolt en vvis Man to der Werlde hatte gemaket Missehellunge under den Pavese unde den Romeren mit Willen etteliker Romere, darumbe vvard he to Banne gedan mit den, de sine Gunnere vveren. De Koning Frederic vor do mit groter Craft to Rome, vvarf umbe de Wienge. In deme Wege gevvaldegede he alle, de ime vvider vveren. Do he to Rome quam an dat Munster Sente Petres, he schop sine Hude vvider de Romere, dar to halp ime mit Truvven de Hertoge Heinric van Sassen. He stret uppe Tiver-Brugge vvider se, unde sloch ere ummate. Do vvard gevviet de Keiser van Pavese Adriano mit maneges Mannes Dode XIIII. Kal. Julii. Des anderen Dages, dat vvas en Sunnendach, do de Hochtit noch vvesen solde, vvunderde de Romere, dat dit so gas geschen vvas. De Keiser herbergede verre van der Stat, he vvande vvol rovven mit den sinen, de Romere vvolden oc gut vvinnen, unde quemen ut der Stat mit grimmegen Scharen uppen Hertogen Heinriken an de Herberge: de Hertoge Heinric vveredde sic sere, de Keiser quam ime schiere to Helpe, dar vvard do der Romere geslagen en Unmate. Bi den Tiden slogen de Wenede Conraden van Plozeke, unde andere Lude des Marcgreven Dienestman. Do ward oc gehangen Arnolt, van deme hir vore gescreven is, de dat Werre makede under den Pavese unde den Romeren. De Keiser gaf do dat Bischopdom to Ravenne deme Bischop Anselme van Havelberge. Do de Keiser den Sege gevvan over de Romere, se makeden enen Vrede, unde he karde vvider to Lande. Do dat Here an dat Lant to Spolit quam, se vvolden ime den Wech vveren, unde stridden mit deme Keisere: he sloch ere unmate, unde verherede dat Lant garlike. He vor do to deme Gebirge, unde quam to ener Jegenede, diu het Clusa, dar vvorden se aver bestan, unde se gevvunnen den Sege: also quemen se darvore mit groten Eren, unde de Keiser quam vvider to Lande. In denselven Tiden vvard Svven verdreven van Denemarken, Knut unde Waldemar behelden dat Koningrike. Do starf de Bischop Herman van Utrecht gais Dodes. Do vvas de Keiser an den Paschen to Munstere an Westfalen: he bot den Herren, dat se tosamene quemen to Sente Waldburge, Missen to Halverstat. De Bischop Ulric vvas beseget sere to deme Keisere, darumbe bat ene de Bischop Everhard van Bavenberg unde andere Herren vele, dat ime de Hulde vvard. De Herren loveden do alle den Vrede. Darna to den Pinkesten nam de Keiser en ander Wif to Wirzeburch, ene Vrovven van Burgundie. Do starf Bischop Arnolt van Colne jamerlikes Dodes. In den Tiden de Koning Willehelm van Pulle vvard overgichtich, ime vvard aver schiere darna gehulpen van enemeHeidenischen Arzaten. De Koning van Kricken orlogede up ene mit Schip-Here. Willehelm gevvan den Sege, unde vvard gedrenket manich dusent. He gevvan oc de Stat to Bare, de in den Tiden des Koninges vvas van Kricken: he tovorde se, unde dref al dat Volk danen, unde ne let dar nicht beliven, vvane alene en Monike-Closter. Wante it ime so vvol to Handen ging, unde he oc de Cronen van deme Pavese untfangen hadde, vvard de Keiser sin Viand. In den Tiden vor de Hertoge Heinric mit Here an Vreslant, unde ervvarf dar nicht. Do bot de Keiser enen Hof to Regensburch, dar behelt de Hertoge Heinric van Sassen dat Hertochdom to Beieren vor deme Keisere. De Hertoge Heinric, Koning Conrades Broder, de Hertoge gevvesen hadde, de behelt darvvider de Marke des Landes. De Marcgreve Conrad, do he to Jerusalem gevvesen hadde, he vvard siek, unde vvard Broder to eneme Clostere, dat het to Latine Mons æthereus, dat quit Luchtberg, dar vvas he lange Wile, unde starf aldar. De Hertoge Heinric brachte do Koning Svvene van Denemarken vvider mit Gevvalt an sin Rike, de dar ut gedreven vvas. In den Tiden Marcgreve Albrecht gevvan vvider Brandenburch van den Weneden, dat se eme afgevvunnen mit Bischop Wichmannes Helpe van Maideburch. Dar vvard geslagen sin Suster-Sone Werner de junge van Veltheim van den Weneden, unde biderver Lude vile. Do vor de Keiser mit groteme Here to Polen, unde gevvan dat deme Rike. In den Tiden de Koning Svven bat to siner Hochtit to Roschilte Koning Knute unde Koning Waldemare: des Avendes vvorden de Licht ut geslagen, unde vvard geslagen de Koning Knut, unde Koning Waldemar sere gevvundet, unde untflo kume dannen. Darna over lange Tit stridde Koning Svven unde Koning Waldemar, unde vvard Svven segelos, unde gevangen, unde gedodet. Dese Koning Waldemar de vvas Sente Knutes Sone, de behelt do dat Koningrike alene, unde sider sine tvvene Sone, allererst Koning Knut, unde sider Koning Waldemar, de sint al dat Lant over Elve gevvan. De Keiser Vrederic hadde do enen groten Hof to den Winachten. In den Tiden vor Marcgreve Albrecht unde Bischop Olric van Halverstat to Jerusalem durch Krieken. Do bat de Keiser enen Hof to Vrankenevorde, unde darna to den Paschen to Utrecht. Na deme

Hofe vor he to Langbarden, unde voren mit eme de Vorsten, unde de Bischope van Dudischeme Lande, de Hertoge van Behem, unde meneger hande ander Diet, unde besat Meilan mit groter Craft, unde tobrak ire Porten mit Wederen unde mit Mangen. He dvvank se darto, dat se sic gaven. In den Tiden de Hertoge Heinric vor mit groteme Here to Weneden, unde verbrande dat, unde verheredit garlike. Desselven Jares hageledit so vreslike, unde vvas so stark Wint-Dvvere, dat he nidervalde grote Walt-bome, manich Hus, manige Kirken, unde manich ander Buvve. In den Tiden schenegede unse Herre God sine Gewalt unde sine Tekene an tvven guden Vrovven, an Hildegarde, de vvard uppe Sente Ropertes Berge bi ener Jegenode, dio geheten Pingvva, unde an ener Elseben to Schonaugia. Dese ervullede he mit deme Hilegen Geiste, unde oppenbarede in bi eneme Engele maniger hande Wundere, de gescreven sin. Dese Elsebe vvas en Maget unde en Closter-Vrovve, unde vvonede mit anderen Vrovven an eneme Clostere, de Godde lovelike unde innelike dieneden. Ire vvard gescheneget van den Ellef dusent Mageden, des solen to rechte unde vlitelike truwen alle lovege Lude. Manege Lude vvanet des, dat se bi Koning Ettelines Tiden gemarteret vvorden. Na rechter Merkinge so vint men, dat se lange Tit darvore gemarteret weren. Wol spricht men an irer alden Passien, de van in gescreven is, dat nene Man under in ne weren, men vint jedoch in desen Tiden gescreven, dat mit in weren de Paves Cyriacus, de Cardinal Vincentius, manich Bischop, manich Pape unde Leyge. Oc vvas mit in Sente Urselen Brudegam. Des vvunderte de Kolnere sere, unde vvorden to Rade, dat ment solde vervinden an der Hilegen Maget Elseben, van dere man horede so grote Goddes Gnade, dat sio darumbe God bade, deme alle Ding kundich sin, vorgan unde vorganklic, dat in it endeleke unde vveit here komen vvere, dat it ire uppenbaret vvorde. Dereselven Hilegen Maget uppenbaredet God allet, unde dat dat Here der Ellefdusent Megede vor deme Ende der Werlede sole allet oppenbaret vverden. Siu vvard oc gegrepen van deme Hilegen Geiste, unde ire duchte, vve sio were an ener wolrukenden Wese an ener Paulunen, dar ward ere gevvist vele Boke, de oppenbaret solen vverden vor deme Domes dage. Van den Boken ward ere en geantvvardet, dat het to Latine Libellus viarum Dei, dat quit to Dudesch, dat Bok der Goddes-Wege; dat is nutte allen lovigen Luden, it solde van ere uppenbaret vverden. Diser Gnaden dankede se Godde mit groteme Vrochten. Sio bat Geistlike Lude, unde alle to ire quemen, dat se God vor se beden, dat he ire des enen guden Ende geve. Dat gescha, wande amme seveden Jare des Keiser Vriderikes, do menich Wunder oppenbaret vvas, sio starf mit gudeme Geloven. De van Meilan vvorden aver widerwardich, vvante de Keiser alle de Vorsten, Hertogen Heinrike van Sassen, den Hertogen van Behem, unde andere Herren van deme Rike, unde vor aver vvider to Langbarden, unde besat mit groter Craft ene Burch, de was dere van Meilan, Creman, de gevvan he mit groteme Schaden siner Lude, unde tobrak se. In den Tiden starf Bischop Vrederic van Colne; na ime vvard Bischop Reinolt de Cancelere. Do untfieng de Hertoge Heinric van deme Keisere de vvalt, dat he Bischopdome makede an Weneden durch Ocnisse der Kerstenheit. In den Tiden starf Paves Adrianus, unde vvard Twedracht under tvven Cardinalen Rolando unde Octaviano umbe dat Pavesdome, vvante se deme Pavese Adriano heimlic vvaren unde lief, unde stunt des Hoves Rat to Rome allermeist an in. Rolant vvas de jungere, unde svvat men mit eme redede, dat moste men allet kopen mit Gave, darumbe vvas he rike. Octavianus aver vvas en alt Man, en Goddevrochtich Man, unde kondich deme Keisere. He vvas arm des Gudes, unde groter Werdicheit, alse it an sineme Ende vvol schin vvard. Hadde jeman Sake to deme Keisere oder to deme Pavese, bat he ine darto to Helpe, dar halp he ime to sunder Gave, so he best machte. An deme Kore vvorden gedelt viere, der enen solde men kiesen, under den vvas Rolant: de anderen giengen to deme Rade, under den vvas Octavianus. Do men ene vragede Rades, he sprach: Me ne dunket under den Cardinalen nen bequamer darto alse Rolant: he is rike unde vvol gemaget, unde mach den Arbeit dragen: he is gesprake, unde an allen Dingen vrome. Sime Rade volgeden alle, de dar vvaren, unde namen dat Dalmaticum, alse Sede is, dat ment antie deme, de gekoren vvirt, unde vvolden it antien Rolando. Des vverede he sic mit Handen unde mit Tungen, unde sprak, he ne woldes nine wis volgen, wante he des unwerdich were: He were noch en jung Man: of he leven solde, he machte noch manich Jar sinen Vrunden to staden stan. In desen Eren aver ne machte he nicht langer leven over de Mate, de geachtet were, alse lange Sente Peter in der Walt gelevet hadde, dat sin untvvintich Jar. Horet nu mines Rades, je solen kiesen Heren Octavianum, de is en hilech Man, he hevet oc in des Keiseres Hove vile gewesen, unde is deme Stole to Rome de bequameste, unde mach nutte vvesen der Kerstenheit: de Brake, de he amme Gude hevet, de moge we menlike wol ervullen. He is gekomen an sine Dage, unde wirt sin Arbeit drade geendet. Swat so God darna vvil, des ne vviderspreke ic nicht. Do se alle de Rede verhorden, se koren Octavianum, vvol was it oc eme vvider, unde brachten ene in den Stol. In den Eren ne belef he nicht, vvane elleven Dage. He vvas geheten Victor. Dit hateden Rolandes Vrunt, unde schuldegeden ene sere, vvarumbe he untseget hadde, dat ime geboden was, unde hadde ir aller Vromen versumet, des he dat Hovet vvesen machte. Hirvan ward he umbegedan, unde beror ene, dat he de Ere untseget hadde, unde sprac to sinen Vrunden: Is ju dat lef, des erhale vve uns noch wol, we solen ime raden, dat he den Keiser durch sin Wif to

Banne

Banne do. Dot he dat, so vvirt he untsat durch des Keiseres Hat, ne dod hes nicht, so hebbe vve Schult vvider ene, ene to untsettende. Do Octavianus iren Rat nicht don ne vvolde, se satten sic vvider ene, unde deden dar ire Wille to stunt, unde koren up ene to Rolande. Do untvvec he mit den sinen to deme Keisere, unde segede ime, vvo se mit eme gedan hadden. De Keiser verstunt vvol, dat se mit eme valschlike gevaren hadden, unde behelt ene mit ime. Dese Pavese vvorden beide gevviet, Rolandus vvorde geheten Alexander, Octavianus Victor. Victor sprac to deme Keisere, de Ere ne vvere ine umbe nicht, of Rolant mit sinen Willen, unde van deme Gemeine der Kerstenheit gekoren vvere: untvveke he aver durch de valschen Rade, de mit eme gedan vveren, dat solde ummate schaden sinen Nakomelingen. De Keiser makede do enen Hof to Papia, dar vvolde he verevenen de Tvvedracht. Dar quemen de Bischope, Abbede unde andere Prælaten vile, dar se under den tvven dio Warheit vvorde geprovet. Dar vvard van in allen Victor gestadiget, Alexander verdreven, alse en verbannen Man. Do vvard Alexander van der Helpe Willehelmi des Koninges van Sicilia horsam der Kerstenheit uppe dat Osten, unde van der Helpe des Koninges van Vrankrike an Wallant, Victore stunt de Keiser al ene vore. De Keiser verdref oc Bischop Conrade van Megenze, unde satte dar Kerstene. Dese Alexander dede do den Keiser to Banne, vvante he sin Wif gelaten hadde, unde genomen ene andere. De Keiser sprac dar vvider, he ne machte me nicht bannen, he ne vvere oc nicht to Banne. Dese Strit gevvarede XX. Jar. It vvorden oc to Rome binnen den Tiden dre Pavese gekoren en na dem anderen van des Keiseres Willen, de storven alle binnen der Gevvalt. In den Tiden vvas Picht under den Hogesten in der Kerstenheit, unde vvard to spleten diu Enecheit des Pavesdomes, unde bennen sic en jegen den anderen. It vvas oc ungevvis, vvelec ere Bannen machte, vvante men de Walt nicht delen ne mach, so ne mach oc ungedelt nicht vveder sic selven vvesen. Van deme Banne, de se sic under tvvischen bennen, vvas an allen Lande under den Bischopen unde al der Papheit grot Tvvedracht. De Bischope ne vvisten, vvelekerme men volgen solde. Des vvard Hat unde Nid unde Strit, dat de Herren van allen Landen dur de Tvvedracht al der Goddes-huse Rente namen, unde sande se deme Keisere. In den Tiden starf dio Marcgrevinne Sophia, unde darna over achte Dage starf ere Suster dio Abbadische van Quedelingeburch Beatrix. Do slogen de van Megenze uppe Sente Jacobes Hove eren Bischop Arnolde. De Keiser stridde aver mit den van Meilan, unde gevvan in an Sente Ambrosies Vanen, unde segede over se. He sloch ere vile, unde vieng ere oc vile. In den Tiden de Hertoge Heinric vor mit groteme Here to Weneden, unde verstorede dat Lant, unde verbrand it. He let oc slan den Herren van Weneden Niclote, unde bedvvang alle, de dar vveder ene vveren. He makede do dar drio Bischopdom: to Aldelburch satte he to Bischope Gerolde; Evermode to Razeburch; Bernonem to Mekelenburch, dat vvard sider geleget to Zvverin. Do vvard grot Tvvedracht tvvischen deme Hertogen Heinrike unde deme Bischope van Regensburch. Do bot de Keiser enen Hof to Bisintia, dar solde komen de Koning van Vrankrike unde de van Denemarken, dar vvolde he vorevenen de Tvvedracht, de under den Pavesen vvas, dat dio Kerstenheit overendrogen De Koning van Vrancrike untvvek van deme Hove, dat reden ime sine Papen, allermeist de Prælate van deme Ordine van Clerevas, unde vor do mit eme vvider (to) sinen Rolande to Vrancrike. De Keiser stedegede do ander Warve Victorem to Pavese mit des Koninges Rade van Denemarken unde der Vorsten vamme Rike, de dar gesamenet vveren. De Paves vor do an Dudischlant, unde makede en Concilium to Triere, dar quamen vile Bischope unde Prælate. De Keiser vor do aver vor Meilan, unde besat se sere, unde stret mit in dicke, unde sloch se. To jungest verzageden se van Hungeres Not, unde gaven sic. Do tobrak de Keiser ere Torne, ere Muren, unde overvulde ere Graven. In den Tiden besat Hertoge Heinric to Weneden ene Burch vverle. De Keiser quam do to Megenze, dat he vvroke den Bischop Arnolde, den se geslagen hadden: he tobrak de Muren umbe de Stat, unde velde ere Torne. De schuldegen vervesten he: ettelike vvorden geslagen, etteliken al ire Gut genomen. In den Tiden de Hertoge Heinric makede den Convent to Lubeke, unde buvvede dar ene holtene Kirken: he let se vvien an de Ere Sente Marien Goddes Muder unde Sente Nicolavves. He makede oc dar dat Bischopdom, dat to Aldenburch gemaket vvas. Dar quemen oc de van Rivan deme Hertogen to Hulden. In den Tiden vvard grot Storm in deme Mere, de Watere stegen up ut van der Grunt ho alse ho Gebirge, dat alle, de darbi vvoneden, vvanden alle erdrinken. Dre Dage al umbe hoven sic de Watere van den Afgrunde, unde dovveden also, dat al de Watere, de in dat Mere gad, sic hoven ut irme Stade, unde verdrenkeden menich Elant mit Luden, mit dem Vee unde de Hus, Kirken unde Kirkhove de vvorden gevort an andere Jegenode mit deme Erthrike. Men sach dar menigen groten Jammer: oc sach men dar grote Goddes-Barmherticheit under deme Goddes Ordele. Tvvintich Mile bi den Staden der Watere sach men de verdrencten Lichamen: darvvider sach men oc vlieten Kindere levendich an den Wegen, an Malden, an anderen Reten, menich Man vlot oc dar uppe Hus-Balken unde up andereme Timber. Se vvorden alle verdreven van deme groten Winde verre levendich an vremede Lant. Dise Plage ging over de Westerlant unde de Nortlant XIIII. Kal. Martii. In demeselven Dage vvorden geslagen to Mekelenburch vile Kerstener Lude. Desselven Dages oc vvard Blicsne ummate

ummate gruvvelike Donreslage, unde bevede dat Ertrike, unde ludede, als it loide als en Rint. Dit betekenede grote Bedrofnisse, de in der Werlde vverden solde, dat kundegeden gude Lude. Do vvard menich verbrant van dem Blixne, unde ire Svvert versmulten an den Scheden alse en vvas, etteliken verbornen de Ben binnen den Lersen, dat se svvart vvorden alse en Pic, dat de Lersen ganz bliven. Oc vvorden Tekene an der Sunnen unde an dem Manen. Dat Korn an dem Velde vvard geslagen an menegen Jegenoden. Do vvard grot Tvvedracht tvvischen Bischop Reinolde van Colne unde deme Palenzgraven vamme Rine dur dat Hus Rinegge. In den Tiden de Hertoge Heinric mit Helpe der Bischope unde Abbede, unde der Herren van Sassen vor mit groteme Here to Weneden, unde besat Domin, unde gevvan it. He let han Niclotes Sone, der Kersten vvas van boser Lude Rade, dene he an siner Gevvalt hadde, unde se vvorden alle vluchtich. Mer ere Sekerheit dede deme Here grote Versumnisse. Enes morgenes vro quemen se an de Herberge, unde vvard geslagen Greve Alf, Greve Reinolt, unde anderer guder Lude vile. De Hertoge quam to hant mit den sinen, unde vvard der Wenede vile geslagen unde gevvunt, unde vvorden vluchtich. Des Jares quam Paves Victor to Lucken, unde vvard siek vvante an den Dod. In derselven Stat vvas en rike Vrovve, dio hadde gevvesen bedderedech ses Jar unde mer, dat sio erer Lede nene Gevvalt ne hadde. Do du Vrovve vernam, dat de Paves amme Ende lach, sio bot iren Megeden, dat se ire brachten ire besten Cledere, unde sprach, it vvere ir geboden, dat sio gan solde, unde sen solde des Hilegen Mannes Ende. De Megede vvanden, dat sio reve, unde lacheden. Se spraken, sio vvere vil na dod: sio bedurfte vvol, dat he to ire queme, vvante sio nergene komen ne mochte, menne droge se mit den Handen. Sio bot aver, dat men ire ere Ciedere dede. Sio richte sic selven up, unde toch sec hasteliken an, unde to Wundere aller dere, de dar vveren, trat sio up ere Vote, unde ging mit menegeme, de ere volgeden, unde horde sine lesten Segenunge, unde sach mit groter Gerunge sinen lesten Ende, unde sio belef sund. De Moneke, de dar vveren, de ime nicht horsam vvesen ne vvolden, do se horden de Goddes Gnade, se vvorden to Rade, se vvolden eme dod horsam sin. Er se to eme quemen, se sagen in des Paveses Hus Duvele spelen an iren Lichnisse: se hadden Ketene an de Halse gehangen, unde toch en den anderen here unde dare. Do de gude Lude dat sagen, se vvanden, dat it Moneke vveren, de dovendech vveren. Do de Moneke de Spokne oc sagen, se gingen na den Hilegen, unde na den Crucen, unde vervlohden mit Wivvatere der Duvele Schare. Darvan vvorden se so sere gemanet, dat se gingen to deme Doden, unde legeden ere Hande an de sine, unde deden ime Horsam, den se ime levendegen nicht don ne vvolden. Dar quam oc en blint Vrovve, unde legede sic bi sin Graf, unde vvard sende. Menich Teken gescha oc darna. Do Victor dod vvas, na ime vvard Paschalis. Do de Keiser dat verhorde, he sprak, vvere he rechte koren, unde levede he Kerstelike, svvat so he ime to rechte don solde, dat dede he gerne. Nu merket alle, de dit scrivet oder leset, dat dise Tvvedracht vvider des Keiseres Wille vvas, unde sunder sine Wizschap, vvante he it dicke sere arbeidede, dat it verevenet vvorde. In den Tiden de Bischop Reinolt van Colne nam de dre Koninge to Meilan mit des Keiseres Orlove, unde dat Hilechdom Naboris, Nazarii, unde brachte se mit groter Vrovvede to Colne. Do vvard Tvvedracht tvvischen Hertogen Heinrike unde Marcgreven Albrechte, unde deme jungen Palenzgreven Albrechte, dat viel alle uppen Palenzgreven, vvante de Marcgreve siner vertiech. Des let he Levvenberch, unde dat Len, dat he hadde van Halverstat, deme Hertogen, unde quam to sinen Gnaden darmide. De van Berne satten sic do vvider den Keiser, unde gevvunnen ime an de Burch Rivolam, unde viengen, de dar uppe vvaren. De Keiser quam do vvider van Langbarden to Goslare, unde hadde dar enen Hof to den Lichtmissen, unde enen anderen to Pinkesten. Darna in deme Heren - Veste vor he vvider to Langbarden. Do vvard aver Tvvedracht tvvischen deme Hertogen Heinrike unde deme Marcgreven. Do besat Bischop Wichman van Maideburch mit des Marcgreven Helpe Haldesleve an Sente Thomases Avende, unde vvard en Vrede gemaket, unde Burge gesat, dat men na den Paschen it deme Bischope laten solde. Do men des nicht ne leste, de Bischop unde de Marcgreve samneden en grot Here, unde roveden, unde branden dat Lant, unde tobraken en Hus des Hertogen bi Goslare. Do vvard aver en Vrede maket vor des Keiseres Boden, deme Bischope van Megenze unde deme Hertogen van Zaringen, unde rovvede dat Lant ene Wile. De Keiser do he vele Lande bevaren hadde, he ilede sere mit Here to Rome vvard, he let vore varen Bischop Reinolde van Colne. De Romere quemen do vvider eme mit manegemen dusende, unde vvolden ene besitten uppe eme Hus, dar he vvas. De Bischop do he dat vernam, he rande an se mit unmanegeme Riddere. Do se mode vvorden, se mosten untvviken, unde vlen. De Bischop quam uppet Hus, unde quam aver heimlike vamme Hus, unde quam uppe se an de Siden, unde brac se durch dre Warve, unde dref se up Hoge. De er gevlun hadden, de quemen do to samene, unde slogen der Romere en ummate: en Del vlo ere in to Rome. Do de Keiser to Rome quam, he besat sine Viande in Sente Peteres Munstere, dar se in gevlon vveren. Devvile he dar vore vvas, vvard gebrand van bosen Luden dat Munster Ad Sanctam Mariam Rotundam, van dannen quam dat Viur, unde verbarn oc Sente Peteres Munster. Under der vvile de de Keiser dar vore lach, quam en grote Sterve in sin Here, dat vile Ludes dod belef, nemelike der Romere, de in den Muren besloten

besloten weren, de nicht ergischen ne machten: alsso grot Sterve ward, dat se sic nicht al begraven ne machten, mer harde vile vvard ere gevvorpen an den Tiber. Dar starf Bischop Renolt van Colne, de Bischop van Ludeke, Bischop Herman Vardunensis, Bischop Daniel van Prage, de Bischop van Basele, Vrederic van Nuenburch Koning Conrades Sone. Dit gescha in dem Ouste, alse de Lude van deme Lande van der heten Sunnen allermeist sek vverdet. De Keiser do he sin Here verloren hadde, he quam mit wenich Volkes to Papiam, unde vvolde den Winter dar beliven. Do ging de Vrede ut under den Herren van Sassen, unde vvard aver Rof unde Brant. De Keiser quam do heimlike van Langbarden, unde legede enen Hof den Herren van Sassen to Wirceburch na Paschen, dar ne vvolde de Hertoge nicht komen. Do besamneden sic de Herren, unde branden des Hertogen Lant, unde rovedent. In den Tiden starf Paves Paschalis, na ime vvard Paves Calixtus. Do starf oc Bischop Hartvvich van Bremen, na ime ward Baldevvin Bischop, darna vvard Bischop Sifrid, de vvas Broder des Hertogen Bernardes. In den Tiden nam de Keiser Vrederic up Koning Karle to Aken. Darna vor de Greve Bernard van Anehalt to Duringen, unde brak Meldungen mit groter Craft. Darna vor de Landgreve mit deme Hertogen Heinrike uppe den Greven Bernarde, unde branden dat Lant vvante an de Sale, unde tovorden Aschersleve. De Keiser hadde darna enen Hof to Aller Hilegen Missen, unde stadegede dar den Vrede under den Herren. Do hadde de Keiser enen Hof to Wilehusen to Licht-Missen, dar stadegede he aver den Vrede. De Hertoge Heinric let do sin erste Wif, des Hertogen Suster van Zaringen van des Keiseres Willen, unde nam des Koninges Dochter van Engelant. Do hadde de Keiser enen Hof to Erpesford to midden Somere, da make he sinen Sone Heinrike to Koninge, darna to Sente Marien Missen, der Eren let he ene vvien to Aken. Darna in der Vasten de Hertoge Heinric brande unde rovede uppe den Bischop van Maideburch. In den Tiden starf Marcgreve Albrecht XIIII. K. Dec. Do verging de Mane an dem vollen. De Hertoge Heinric vor do to Jerusalem durch Krieken mit groter Craft. De Keiser vor oc do to Polenen, unde ne vvarf dar nicht. Darna hadde de Keiser enen Hof to Goslare. Na deme Hove vor he to Langbarden, unde quam to Venedie to eme Concilio, dat he de Tvvedracht, de in der Kerstenheit vvas, verevenede, dar vvard untsat Calixtus, unde Alexander gestadeget. Do vvard de Keiser verevenet mit dem Pavese, unde quam de Paves Alexander to Rome an sine Gevvalt, unde der andere Bischope negen, de de Keiser vordresen hadde: de Keiser behelt oc sinen Strit unde sin lestere Wif, he ne vvolde oc ut dem Banne nicht komen, vvante he segede, he ne mochte en nicht bannen, he ne vvere oc nicht to Banne. De Paves Alexander satte do vveder den Bischop Olrike, den sin Geelegene mit des Hertogen Helpe verdreven hadde. De Hertoge Heinric vvas do vvider komen van Jerusalem. Do buvvede deselve Bischop Langensten, dar vverede ime de Hertoge Heinric, unde brande de Buvvinge. Sider buvvede he se aver mit des Bischop Wichmannes Helpe van Maideburch, des ne machte de Hertoge do nicht vveren. Do sande de Hertoge en Here heimlike in dat Lant, dat solde mit Brande unde mit Rove de Herren locken van der Buvvinge. Dat Here vvard vermeldet unde quemen de Oster-Herren dar en jegen in eneme Nevele bi dem Broke, unde stridden mit in, unde viengen Greven Simone van Tekeneburch unde vvol drio hundert Riddere. Do clageden de Vorsten alle over den Hertogen Heinrike, unde de Marcgreve Dideric van Landesberch sprac up ene kamplike, dur dat de Wenede hadden gebrant de Marke to Lusiz mit des Hertogen Rade. De Keiser legede deme Hertogen Hof na Hove, oppet lest do he nicht vore ne quam, do dede in de Keiser to Achte dur den Marcgreven Diderike: in der Achte belef he Jar unde Dach, darumbe vvard eme verdelet Echt unde Recht, unde Egen unde Len; dat Egen in de Koninglike Walt, dat Len als men Herren ledich. Des verloren sine Kindere dat Egen, dat se it ut der Koningliken Walt nicht ne togen binnen Jare unde Dage. Do hadde de Keiser enen groten Hof to Maideburch to Sente Johannes Missen, dar loveden de Vorsten ene Herevard uppen Hertogen Heinriken vor Haldesleve. Vor dere Herevard to Herre missen let de Hertoge Halverstat bernen: dar vvard gevangen Bischop Olric, unde bederver Lude genoch: dio Herevard volging jedoch, alse sio upgeleget vvas. De Bischop van Colne vor vore Haldesleve mit viftein hundert Ridderen, unde mit der Rote van Burgundie, unde mit der van Sente Ilien: oc vor dar vore de Lantgreve, unde de Ostervorsten al. He ne vvolde de Stat in des Rikes Gevvalt geven untobroken, alsso vvolde se de Bischop untfan, des ne vvolden de Vorsten nicht. Darumbe voren de Vorsten dannen, unde de Bischop belef alene dar: alsus belef dio Stat do ungevvunnen. De Bischop van Colne gaf do deme Landgreven Lodevvige unde sinem Brodere alsso vile, dat he mit eme reden over Wesere. Dit dede he durch des Hertogen Vorchten. Do ret de Hertoge Heinric mit den sinen, unde brande Kalve, unde dat Lant, unde schop, dat de Wenede desselben Dages Juterbok branden. Darna schop de Keiser, dat de Vorsten in reden to Goslare na den Paschen, unde des Landes hodden vor deme Hertogen Heinrike. De Hertoge ret do mit uprichten Vanen vor Goslare to Duringen, unde brande Northusen unde Molehusen. De Herren, de to Goslare inne lagen, volgeden ime do: de Landgreve unde sin Broder quemen in to Helpe, unde stridden mit deme Hertogen: se vvorden alle segelos. De Hertoge vieng den Landgreven Lodevvige unde sinen Broder Hermanne, unde darto vvol seshundert Riddere. Do de Keiser vernam, dat sine Stede Northusen

unde Molehusen verbrant vveren, he vor mit groteme Here in dat Lant to Sassen, unde let beliggen Blanckenburch unde Waldenberch: selve vor he vor Lichtenberch, unde gevvan de Hus alle dro, unde brak se, unde buvvede Hartesburch, unde vor mit groteme Here to der Elve, unde de Hertoge brande sines selves Hus Erteneburch MCLXXXI. De Keiser vor over Elve vor Lubeke, unde gevvan dat. Dar quam de Koning Waldemar van Denemarken, unde sin Sone de Konut, unde vvorden beide des Keiseres Man; unde he gevveldegede den Hertogen Bernarde des Hertochdomes, dat he ime in der Vasten darvore gelegen hadde. Darna in der Vasten vor de Bischop Wichman vor Haldesleve, unde irdrencte se mit VVatere, unde gevvan se vor Pinkesten, unde to vorde se. Darna in deme Hereveste vorde de Bischop VVichman den Hertogen Heinrike to Hove, unde brachte in to Hulden deme Keisere. Dar verlovede de Hertoge Heinric alle Vorderunge an sin Egen unde an sin Len sunder Brunesvvic unde Luneburch, unde dat eme dar to bescheden vvard, unde versvvor dat Lant to dren Jaren. Darna to Sente Jacobes Missen vor he to Engelant, unde vvas dar dru Jar MCLXXXI. Darvore vvas Sente Thomas geslagen van Cantelberge, unde vvard dat Lant to Rujan lovich. Do vvard oc Sente Knut gehaven van Denemarken. De Hertoge Heinric quam vvider to der groten Hochtit to Megenze, dar de Koning Heinric unde de Hertoge Vrederic van Svvaven des Keiseres Vrederikes Sone Riddere vvorden. Dat vvas de groteste Hochtit en, de je an Dudischeme Lande vvard. Dar vvorden geachtet de Riddere uppe viertich dusent an ander Volk. Tvve Jar vor der Hochtit vvolde de Keiser verevenen den Bischop van Megenze unde den Lantgreven to Erforde to eneme Hove: vor ime vvard en grot Gedrenge, do brac du Love, unde viel mit den Luden in enen Gank: dar erdrank de Greve Vrederic van Avenberch, unde de Greve van Bogen, unde Greve Heinric van Svvarzburch, unde darto manich edele Man Tvve Jar na der Hochtit. Saladin gevvan dat Lant to Jerusalem in Sente Olrikes Dage. Des anderen Jares nam de Keiser dat Cruce, unde de Koning van Vrankrike, unde de Koning van Engelant, unde manich edele Man. De Kerstenen Pelegrime voren do over Mere, unde quemen Surs: de hadde de Marcgreve Conrad van Montferra mit groten Arbeiden behalden vor den Heidenen: dannen voren de Kerstenen vor Akers MCLXXXII. Do starf de Koning VValdemar van Denemarken, unde vvard sin Sone Knut Koning. De Keiser vor over Lant to Jerusalem vvart, durch Ungeren, unde durch Kricken over en Jar na der Tit, dat he dat Cruce nam. De Krieken deden den Pelegrimen Ledes vile, dat vvroc de Keiser vvol an in: he let se han beidenthalf der Strate alse Hunde, unde gevvan in af ane vvere Burge unde Stede, de bi sineme Wege lagen. De Keiser dvvang oc den Koning van Constantinopele darto, dat he eme Schepinge unde Spise gaf over Sente Jurien Arm. Des Soldanes Boden van Konin quemen to den Keiser mit loser Rede an unde mit logenliken Meren, unde loveden ime unde deme Here grote Vulle van Spise in ere Herren Lande to gudeme Kope, unde oc ane Kop. Darto verleten sic de Pelegrime, unde leten vile Spise hinder in, unde voren mit groter Hopenunge to Konin vvard, vvante de Soldan hadde in umboden, he vvolde sic dopen laten. Do de Pelegrime quemen an dat Gebirge, dar des Soldanes Lant ane ging, de Heidenen Turken vveren uppe den Bergen, unde vvolden in den Wech vveren. De Kerstenen meden do den rechten Wech, unde gevvunnen den Heidenen dat Gebirge an, unde voren over ane Schaden. Se slogen der Heidenen vele, unde viengen enen in to groten Gelucke, de vvisde in den Wech, dar se varen solden. De Keisere schuldegede do des Soldanes Boden, dat de Heidenen deme Here so vile Ledes deden. De Boden spraken: Herre, do hevest Rovere unde Mordere an dime Lande, de dar schulet in dem Walde, unde in dem Gebirge, des ne kan sic oc min Herre hir nicht bevvaren: swente do komes vorbat, du salt vinden gut Gemak. Do vor de Keiser vord bi eneme Se, dar vvolde de heidenische Vangene, dat se beleven waren durch dat Water, unde segede, in Se ne vunden vorbat nen Water. Dat Here ne vvolde nicht beliven: in duchte du Herberge to na, unde voren vorbat al enen ganzen Dach in groter Hitte, unde leden groten Dorst Perde unde Lude, unde groten Hunger. Se quemen to lest bi en bose Brok, dar herbergeden se, unde drunken dat Water so girlike, dat ire darvan vile siek vvard, unde storven. Dat Here vor vorebat: de Turken quemen se an mit groteme Here, unde vvaren bi in Nacht unde Dach, unde schoten uppe se, dat neman ut deme Here komen ne machte ane Schaden. Do untreden in de Boden des Soldanes. De Keiser vor do vord to Konin: de Heidenen striden mit eme, unde vvorden segelos bi der Stat: ere vvard ummate vile geslagen. Sin Sone de Hertoge Vrederic gevvan de wile de Stat, unde herbergede dar in. En Burch lach binnen der Stat, dar vvas de Soldan uppe: vor der Burch lagen de Kerstenen also lange, vvante se den Soldan darto dvvingen, dat he in des Gisle gaf, dat se hadden guden Vrede, unde guden Kop al dur sin Lant. Do de Keiser dannen vor, de Heidenen braken den Vrede: des behelt de Keiser de Gisle, unde vorde se mit eme to Armenie, dar vvolde de Keiser svvemmen, unde irdrank: do vvard grot Jammer in der Kerstenheit. Do starf de Greve Ludolf unde Greve Wilbrant van Halremund, unde der Kerstenen vele. Des Keiseres begrof men en Del to Anthioc, dat ander Del vorde men to Surs, unde begrof it dar mit groten Eren. De Hertoge Vrederic des Keiseres Sone, unde de Pelegrime, svvat ere genas, de voren to Antioch, unde darna to Akers. Dar starf de Hertoge Vrederic vor Akers. Tvve Jar er des Keiseres Dode to vorde de Hertoge Heinric Bardevvic. Na deme Pavese Alexandro vvard Lucius Paves, bi des Tiden vvard grot Hunger;

Hunger; na deme quam Urbanus, na deme Gregorius, na deme Clemens, na deme Cœlestinus. Bi desselven Keiser Vrederikes Tiden stridde de Marcgreve Otto van Brandenburch wider Herren Bugizlawen van Dimin, unde worden de Wenede segelos. Dar ward geslagen Here Kazemar, unde Here Brok, unde der Wenede vile.

In deme MCLXXXX. Jare van Goddes Bord ward Heinric Koning des Keiser Vrederikes Sone, de twe undenegentegeste van Augusto, unde was daran achte Jar. De weiede de Paves Cœlestinus to Keisere. De Keiser gaf an der Romere Gewalt Tusculan de Burch mit sament den Luden dur siner Wienge willen: de blenden se, unde bestomeleden se jamerlike, unde dodeden de besten alle. De Keiser Heinric vor to Pulle, unde herbergede vor Naples, dar verdarf sines Heres vele, unde die Stat belef ungewunnen, unde he vor selve sick dannen. De junge Hertoge Heinric van Bruneswic untret ime in de Stat to sinen Vianden, wande he hadde des Keiseres Angest. Dat let de Keiser clagen den Dudischen Vorsten: de Bischop Wichmann van Maideburch samnede do de Vorsten to Goslare van des Keiseres halven, unde de Herren vamme Lande de sworen ene Herevard vor Bruneswic, do volging des Someres darna. De Bischop Wichman ne was dar nicht, wante he sekede do, unde starf. Deselve Bischop Wichman was de erste, de twies imme Jare Penninge let slan to Maideburch. He verlegede oc, dat dat Recht, dat der Dieneſtman de vrieme Wive nene vrie Dochter ne machte gewinnen: dar erhof he anhere Gumprechtes Suster Kinderes van Allesleve. De Hertoge Bernard ward oc vor des segelos vor Louenburch. An den Tiden starf de alde Hertoge Heinric van Bruneswic, sider gewan de junge Hertoge Heinric des Keiseres Hulde, wante he sines Vedderen Dochter to Wive nam des Palenzgreven vamme Rine MCXCIIII. Do voren de Denen de ersten Herevard in dat Lant to Holtsaten, dar verevenede sic Greve Alf mit deme Koning Knute. Bi den Tiden was to Bremen de ander Bischop Hartwich, de vor uppe de Ditmarschen mit groteme Here, unde dwang se darto, dat se eme groten Schat loveden, des ne lesten se nicht al. De Keiser Heinric let slan den Bischop van Ludeke overholene, wande he wold is unschuldich sin. Darumbe rieden up ene de Vorsten alle, unde wolden ene untsetten. Bi denselven Tiden wunnen de Kerstenen Akers wider, unde ward de Koning Ritshard van Engeland schipbrokich in der Widervard, unde ward gevangen to Wene: he ward oc deme Keisere geantwardet, de beschattede ene uppe hundert dusent Mark: he gaf oc sin Koningrike in dat Romische Rike, unde untfieng it van deme Keisere. Mit deme Silvere, dat de Koning van Engeland gaf, brachte de Keiser de Vorsten vile wider to sineme Dieneste, unde verdref do den Hertogen Odakkere van Behem wante an des Keiseres Dod, unde orlogede uppe den Marcgreven Albrechte van Misne bit an des Marcgreven Dod. Deselve Marcgreve Albrecht hadde darvore sinen Vader gevangen, unde nam eme sinen Schat, den he to Misne behalden hadde. Seder let he den Vader ledich, unde orlogede jedoch up ene, wante de Vader starf. Na des Marcgreven Albrechtes Dode behelt de Keiser de Marke to Misne ledich, wante an sinen Dod. Do de Keiser sic verevenet hadde mit den Vorsten, he bat se, dat se wolden geloven, dat dat Rike - - - - alse andere Koningrike dot. Dat geloveden se, unde gaven ime des Hantveste. Do dit de Sassen vernamen, it versmade in sere, unde makeden grote Degeding uppe den Keisere. Do dat de Keiser vernam, he hadde Angest vor in, unde let de Vorsten ledich eres Gelovedes, unde sande in ere Handveste weder in datselve grote Degeding. Do de Keiser sic an Dudischeme Lande verevenet hadde, he vor aver to Pulle weder, unde gewan dat, unde gewan Sicilie unde Kalabre, dar dodede he menegen edelen Man, de weder eme waren. He let se han, unde let se slepen de Perede dur de Strate vvante an den Dod, unde pinegede se meneger vvis. He schop oc ene Vard over Mere: do gevvan he Baruth, unde belach Torun, dat belef ungevvunnen. He schop oc, dat de Vorsten sinen Sone Vrederike to Koninge loveden, unde dat se eme svvoren. Do vvard deme Keisere vergeven, unde starf, unde vvard begraven to Messin, dar namen ene up, unde vorde ene to Monrial bi Palerme, dar leget he begraven.

In deme MCXCVIII. Jare van Goddes Gebort vvard Philippus de Hertoge van Svvaven, des Keiser Heinrikes Broder to Koninge gekoren, de dre undenegentegeste van Augusto, unde vvas daran tein Jar. Uppe den ward gekoren Otto van Poiters, des Hertogen Heinrikes Sone van Bruneswic. Uppe den vor de Koning Philippus over Rin mit den Behemen, unde stridde vveder ene unde vveder den Bischop van Colne, unde vveder de Rin-Herren, de vvorden alle segelos. De Koning Philippus volgede deme Bischope, unde besat ine uppe Wassenberge; dat gevvan he, unde vieng den Bischop, unde dvvang ene to sineme Dieneste. Bi den Tiden vor de Koning Knut, unde de Hertoge Waldemar van Denemarken uppe de Eydere, unde de Greve Alf vveder se an ander Sit. Mit deme vvas de Bischop Hardvvic van Bremen, unde de Marcgreve Otto van Brandenburch, unde andere Herren vile, unde lagen dar also lange, dat de Denen voren to Lande. Darna vor aver de Hertoge Waldemar MCCI. in dat Lant to Holzaten, unde Greve Alf gave ime Reinoldesburch, also dat heit: Solte breken, unde ne brak is nicht, vvane tvve Planken. Desselven Jares untsatten sic de Stedinge vveder ere rechten Herschap, unde branden de Burge, de in irme Lande vvaren. Des anderen Jares do vor he aver in dat Lant to Holtzaten, unde vorvore Hamburch, unde gevvan dat, unde vieng Greven Alve. Do starf oc de Koning Knut, unde vvard Hertoge

 Walde-

Waldemar Koning. In dem anderen Jare vor de Koning Otto vor Stade, unde gevvan se Bischop Hartvvige af. In denselven Tiden stridde Greve Simon van Tekeneborch, unde Greve Herman van Ravensberge, unde vvard Greve Simon dod geslagen, unde sine Lude behelden den Sege, unde viengen Greven Hermanne unde sinen Sone Greven Otten. Des anderen Jares gaf men Louenburg deme Koninge van Denemarken, darmit vvard Greve Alf ledich. Bi den Tiden buvvede Bischop Albrecht mit den Pelegrimen de Stat to Rige to Liflande. In denselven Tiden vor de Bischop Hartvich van Bremen uppe de Stedinge, unde ervvarf dar clene, unde starf darna. Na deme Pavese Cœlestino vvard Innocentius Paves, de vvas deme Koning Otten gut, unde deme Koning Philippo ungnadich, unde dede ine to Banne: he besat doch amme Rike bit an sinen Dod. Do de Landgreve vviderquam van Over-Mere, he karde tome Koning Otten, unde er vvande vamme Koning Philippo Odakkere van Behem, de Koning Philippus to Koninge hadde gemaket. De Koning Otto unde de Lantgreve voren vor Northusen, unde gevvunnen se. De Koning Otto vor oc to Goslare, unde vordingede de Stat, dat su to ime keren solden, bit an enen beschedenen Dach, of men se nicht ne ledegede. Do ledegede se de Koning Philippus mit groter Craft. De Koning Philippus hadde oc enen groten Hof to Maideburch, dar he kronet ging mit sineme Wive. De Hertoge Heinric brande oc do Calve, darvvider brande de Bischop van Maideburch Helmenstede, unde brak Wereberge, unde buvvede Somerschenburch, unde vor mit demeselven Here mit Koning Philippo vor Brunesvvic, dat belef ungevvunnen. Des anderen Jares vor de Koning Philippus uppe den Lantgreven mit eme groten Here Do quemen de Beheme deme Lantgreven to Helpe unde de Koning Otto, den untvvech de Koning Philippus to Erforte in. De Koning Otto unde de Behem voren vil na Halle. Do ire vodere reden ut in dat Lant, de Greve Otto van Bremen unde Greve Olric van Witin bestunden se bi Zorbeke, unde slogen ere mer dan dru hundert dod. Do kerden de Behem vvider to Lande. De Koning Otto vor oc vvider, unde buvvede den Harlunge-Berch. Desselven Jares vvas Lopene verloren unde Gatersleve, unde stridde Greve Heinric van Anehalt vveder Greven Olrike van Witin, unde vvard Greve Olric segelos. Des Jares vvard geslagen de Cancelere de Bischop van Wirzeburch. Des anderen Jares vor aver Koning Philippus uppe den Lantgreven. Do quemen aver de Beheme ut eme to Helpe, unde rede vluchtich vveder to Lande, unde gevvan de Lantgreve des Koning Philippes Hulde. Do gevvunnen de Dudischen unde de Walen Constantinopele, unde kamen dar vele Gudes. De van Venedie namen dar oc grote Tyrode. Darna starf de Marggreve Otto van Brandenburch, unde de Bischop Ludolf von Maideburch. De Marcgreve Conrad van Landesberge gesegede oc darna an den Polenen vor Lubus, unde sloch ere vele dot, unde gevvan de Burch. Des anderen Jares quam de Koning Philippus to Bavenberch, dar sloch ene de Palenzgreve van Wetelingesbach binnen guden Truwen: he ward oc aldar begraven. Sider ward he up genomen, unde to Spire gevort, dar begrof men ine an der Warve. Na Bischop Hartwige van Bremen ward gekoren Bischop Waldemar, den untsatte de Paves. An den Tiden ward Weder van Donre unde van Winde, dat de Torne to Stade vellen. Darna gewan de Bischop Waldemar Stade mit den Stedingen, unde berovede se.

In deme MCCVIII. Jare van unses Herren Bort, Otto des Hertogen Heinrikes Sone van Bruneswic ward gekoren to Koninge van al den Vorsten, de vierte unde negetegenste van Augusto, unde was daran tein Jar. Do he gekoren ward, he samnede de Vorsten alle to den Pinkesten, unde makede ene grote Hochtit to Bruneswic: dannen vor he to Rome, unde de Paves Innocentius wiede ene to Keisere. To hant darna vor he to Pulle, unde gewan dat vil na al des Heinrikes Sone Vrederike an. He unterwant sic oc des Landes, dat men het Vrowen Mechtilde Lant, dat ime de Paves to seget. Darumbe dede ene de Paves to Banne, unde schop, dat de Bischope van Dudischeme Lande datselve deden. De Lantgreve unde de Koning van Behem karden oc van ime. Do koren des Keiseres Widersaken den Koning Vrederike van Pulle, des Keises Heinrikes Sone to Koninge weder den Keiser Otten: darumbe voren des Keiseres Helpere uppe den Lantgreven, unde orlogeden ene mit Rowe unde mit Brande. Do vieng de Lantgreve Greven Vrederike van Bichlingen. Do de Keiser dit Orloge vernam, he vor wider to Lande, unde belach Wizense. In demeselven Orloge nam de Keiser Otto sin Wif to Northusen des Koning Philippus Dochter, du starf unlange darna. Do karden van deme Keisere almeistich des Rikes Dienestman, darna de Vorsten al entelen. Do de Koning Vrederik van Pulle dit Orloge vernam, he karde to Dudischen Lande mit groteme Arbeide. De Keiser vor ime to jegene, unde quam to Brisach, dar striden up ene de Burgere van der Stat, unde slogen unde viengen sine Lude, unde de Keiser quam kume dan. Darna vor de Keiser over Rin, unde schop ene Herevard uppe den Koning van Vrancrike mit des Greven Ferrandes Helpe van Vlanderen. De Koning Philippus van Vrancrike quam wider ene, unde de Keiser ward segelos, unde gelosede mit groter Not, unde Greve Ferrant ward gevangen, unde mit eme menich edele Man. De Keiser vor darna to Bruneswic, unde schop ene Herevard uppe den Bischop van Maideburch. De Bischop quam weder ene mit den Sinen bi Remekersleve, unde ward vluchtig, unde de Keiser vieng des Bischopes Lude vele. Do vvard Bischop Gerad van Osenbrugge Bischop to Bremen. MCCXIII. do stridden de Stedinge bi der Hojen,

Hojen, dar ward der Stedinge vile gesʃlagen unde gevangen. Do buwede oc Bischop Gerart van Bremen Lutter. Darna ret de Keiser Otto mit Here to Mersburch, dar de Koning Vrederic enen Hof hadde geleget: den werede he, unde brande dat Lant to Doringen, unde vieng Greven Guntere van Keverenberch. Do quemen aver herut de Behemen, unde voren wante to Quedelingenburch, dar karden se wider. Do ward oc du Koninginne van Ungeren gesʃlagen. Darna karde Libzeke van deme Marcgreven Diderike van Misne MCCXV. In den Tiden vor de Keiser Otto over Elve vor Hamborch: de Koning van Denemarken vor jegen ene, unde de Keiser untwek eme, unde vor wider over Elve. Des anderen Jares vor de Koning van Denemarken vor Stade, unde verherede dat Lant, unde rovede dit, unde brand it en Del, unde vor do weder over Elve, unde buwede twe Burge vor Hamborch. In den Tiden vor de Koning Lodewic des Koning Philippus Sone van Vrankrike to Engelant, unde gewan Lunden, unde des Landes vele. Do starf de Koning Johan van Engelant, unde gewan sin Sone dat Lant weder. Desselves namen de van Bremen den Hertoge Heinrike in de Stat wider den Bischop. Do gaf men oc Hamburch Greven Albrechte. Do vor de Bischop Gerard van Bremen, unde Greve Albrecht mit eme vor Stade, unde buweden Swingenberg; dar vor de Hertoge Heinric vore, unde ward en Evenunge gemaket, dat men dat Hus gaf. In der Tit hadde de Marcgreve van Misne Aken upper Elve beseten, dat belef ungewunnen. De Marcgreve van Misne gewan darna Libzeke weder, dat tobrac he, unde aver vor Aken. Do quam de Keiser Otto deme Hertogen Albrechte to Helpe, unde vor over Elve mit Here, unde brande dat Lant, unde karde weder. Do ward grot Hunger twe Jar. Do brande oc de Koning Vrederic Stasforte. Do starf oc de Lantgreve Herman van Doringen MCCXVIII. Des anderen Jares brande de Keiser Otto Aschersleve: darna ward he siek to Hartesborch, unde starf, unde is to Bruneswic begraven. Darna to midden Somere wiede men den jungen Koning van Denemarken to Sleswic, de starf darna sunder Sone. Do wart oc du grote Watervlot, de Liude unde Lant irdrencte wol ses unde drittich dusent. Bi des Keiser Otten Tiden hadde de Paves Innocentius en grot Concilium to Rome, dar alle Bischope, unde alle Abbede unde Prælaten waren gesamenet van Dudischer Tungen unde van Walscher, dar worden verleget twe Sibbe, dat men in der viften wol bruden mot, alse men er dede in der seveden. Na Pavese Innocentius ward Honorius Paves.

In deme MCCXVIII. Jare van Goddes Bort ward de Koning Vrederic, des Keiser Heinrikes Sone, Koning ane Werren, de vif unde negentegeste van Augusto, unde was daran XXXIII. Jar. Deme antworte de Hertoge Heinric, des Keiser Otten Broder, dat Rike to Goslare. Bi den Tiden was en Husman in dem Lande to Stade, de het Othbern, de underwant sic des, dat he Tekene dede, unde droch menegen Man, unde wande dat gemene Volk, dat he hilech were, unde sochte ene dat Volk van menegeme Lande, unde brachten eme Offer. In der Tid vvard Vurde gevvunnen deme Hertogen Heinrike an van den Dienestmannen van Bremen, unde vvard Othbernes Tusche tostoret. Bi des Koning Vrederikes Tiden vvard en Vard over Mere, dar vor de Koning van Ungeren, unde karde vvider mit Sunden unde mit Schanden. De Hertoge Lippolt van Osterrike vor dar oc hin, unde was dar mit groten Eren, unde menich ander edele Man: se worden to Rade ener Hervard vor Damiat, du volging. De Kerstenen gewunnen dat Stat mit groteme Arbeide den Heidenen an: sint gewunnen se enen Torn, de vor der Stat lach mit michelem Arbeide MCCXIX. darna gaf in Got selve de Stat, wante de Liude, alse sek darinne weren, dat se to were nicht komen ne machten. De Stat hielden de Kerstenen wante in dat ander Jar. Do voren se aver ene Herevard bi deme Watere upward, dar beging se dat Water, dat se nicht weder komen ne konden. Des worden se alle gevangen, des gaven se de Stat deme Soldane weder, unde bedingeden darmede alle Kerstenen ledich, de gevangen weren, unde sic selven. Darto gaf men in weder dat hilege Cruce, dat de Soldan den Kerstenen afgerovet hadde. De Soldan leste al sin Gelovede unde sin Geleide harde truwelike, unde dede den Kerstenen grot Gemak, unde geleidede se heraf. An demeselven Jare starf de Marcgreve Albrecht van Brandenborch. Desselven Jares legede de Koning Vrederic enen Hof to Vrankenvorde, dar bat he de Vorsten alle, dat se Heinrike sinen Sone to Koninge loveden. Des volgeden de Vorsten, unde sworen en to Koninge na des Vader Dode. Aldar starf de Bischop Gerart van Bremen, unde ward na ime en ander Gerart Bischop. Do wart versont dat lange Orloge twischen deme Stifte to Bremen unde deme Hertogen Heinrike van Bruneswic, also dat de Hertoge sine Dienestman unde sin Egen in der Grafschap to Stade deme Godeshuse to Bremen gaf. Do lech ime de Bischop wider datselve Egen, unde de Denestman unde de Grafschap to Staden. Do spraken ettelike Lude, dat he nicht don ne machte ane Erven Lof, ettelike, dat het don mochte sunder Erven Lof: dar ward enes Ordeles umbe gevraget. Do vant men to Rechte; were he en Swaver, he mocht it wol don. Dat is wol witlic, dat he nen Swaver ne was, wane en recht Swaf van allen sinen Alderen. In den Tiden buede de Koning van Denemarken Revele to Estlande MCCXX. De Koning Vrederic vor do to Rome dur de Wienge, unde beval sinem Sone Heinrike deme Cancelere, deme Bischope van Spire, unde deme Bischope van Wirzeburch, unde Greven Gerarde van Diers, unde anderen sinen heimliken Luden. De Bischope storven darna schiere. Do wart dat Kint bevolen deme Bischope van Colne.

 De

De Koning Vrederic ward gewiet to Rome to Keisere van deme Pavese Honorio, unde sin Sone ward gewiet to Koninge to Aken. Des anderen Jares gewan de Bischop van Bremen Otterberge Greven Bernarde af van der Welepe. De Keiser vor do to Pulle, do he gewiet was, unde gewan dat, unde gewan Sicilie unde Kalabre, unde de Heidenische Lant, de darbinnen lagen, unde alle de Heidenische Elant, de umbe en legen. He verdref oc alle, de van ime kart waren tome Keiser Otten, unde de eme ovel hadden gedan: Sumelike verderfde he an irme Live, ettelike verdref he, unde nam in al ere Gut. Dewile de Keiser to Pulle was, starf de Marcgreve Dideric van Misne. Do irdranc oc Isleve van ener Wolkenborst, unde vile Ludes darinne. Bi desselven Keiseres Tiden vor en Here ut van Asia, de waren van eme groten Here, den quamen de Ruzen to Helpe, unde stridden mit deme Here, unde worden segelos. Dar ward der Ruzen unde der Valtwen ges lagen mer dan hundert dusent. Darna gewan Greve Hoyer van Valkenstein unde sine Helpere van Quidelingeburch, unde braken de Veste daran MCCXXIII. Dewile de Keiser to Pulle was, vieng de Greve Heinric van Zwerin den Koning van Denemarken unde sinen Sone den jungen Koning, enes morgenes in siner Paulunen, dar se beide up enen Bedde lagen in selves Lande, unde to heu des Koninges Schepe, unde nam, swat he Silveres darinne vant. Dat dede he binnen Truwen, unde he sin Man was, unde he des Avendes geten unde gedrunken hadde mit eme, unde he sie to eme nenes Oveles ne versach: unde vorde ene over Haf to Lande mit groten Arbeide unde Angeste, unde helt ene to Lentzin ene wile: darna helt he ene to Danneberch, darna vorde he ene to Zwerin. Mit deme Koninge solde he des Rikes Willen don, unde dingede de Koning weder des Keiseres Boden. Dur dat Gedinge vor Koning Heinric, unde de Bischop van Colne, unde andere Vorsten unde Herren vele mit groteme Here des anderen Jares to Sente Michelis Missen na des Koninges Vangnisse to Bardewic, dannen voren se to Blekede. Greve Albrecht van Louenburch unde de Denen lagen oc an ander Half der Elve mit eneme groten Here. Dat Gedingede ne volging nicht, wande de Koning unde de Denen braken ere Lovede. Des karde de Koning Heinric weder unde al de Herren an Ende: des belef de Koning vor Vangen. Darna an Sente Thomases Avende vor de Bischop van Bremen mit deme jungen Greven Alve, Greven Alves Sone, over Elve vor Etscho, unde karde al dat Lant tome Greven, unde de Lantlude besaten de Burge Greven Albrechtes. Tohant darna do stridde de Greve Heinric van Zwerin weder den Greven Albrechte van Louenburch, unde weder den Hertogen Otten van Luneburch, de worden beide segelos, unde ward Greve Albrecht gevangen, unde to Zwerin gevord bi sinen Om den Koning van Denemarken. Do wrak unse Herre Got an deme Koninge, dat he an Greven Alve gedan hadde, den he vieng, unde eme sin Gut nam, unde ene vorgislede. Also war he gevangen, unde moste sin Gut geven, unde ward vergislet, unde alse he hadde upgemeten, alse ward ime ingemeten, alse dat Ewangelium spricht: Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Van der Tit, dat de Koning den alden Greven Alve vieng, wante an de Tit, dat de junge Greve Alf weder an dat Lant quam, so hadde de Koning dat Lant gehat, unde Greve Albrecht van eme XXIII. Jar. Nu kome we to der ersten Tale. Do gaven oc de van Lubeke de Stat deme Rike. To denselven Vastelavenden do vor Greve Alf vor Hamburch, unde stormde ene Burch, de Greve Albrecht darvore gebuet hadde. Do gaven oc de van Hamburch de Stat deme Greven Alve. Do buede oc de Hertoge Heinric Horeburch. In dem anderen Jare darna ward grot Hunger. Desselven Jares sloch de Greve Vrederic van Altena den Bischop van Colne binnen guden Truwen, wante he sin Man unde sin Mach was. In demeselven Jare nam de Koning Heinric des Hertogen Lippolt.

(Hic folium deest in MSto.)

banne over Mere, unde hadde gelaten beredet ene Evenunge twischen den Heidenen unde der Kerstenheit, dat men eme dat Lant to Jerusalem allet weder laten solde. Des hinderede ene de Paves unde de Patriarcha van Jerusalem, unde de Temple, unde de Spetal, unde umboden deme Soldane, he were der Evenunge ungewaret jegen den Keiser unde de Kerstenheit. Do buwede de Keiser Elgaf, unde gaf ime de Soldan Jerusalem weder, unde Bethlehem, unde Nazareth, unde des Landes vele. Do ging de Keiser gekronet to Jerusalem in deme Sonendage vor Mitvasten, unde vor Sente Marien Dage. Do vvas it oc dat MCCXXIX. Jar van Goddes Bort. Des anderen Dages vorbot de Patriarcha Goddesdieneſt to Jerusalem, darmede bedrovede he al de Kerstenheit, de dar vvas. De vvile dat de Keiser over Mere vvas, gevvan eme de Paves af siner Stede unde siner Burge vele, vvante he let predegen, dat de Keiser dot vvere. Do dit de Keiser vernam, he vor hervvider over Mere, unde gewan mit groter Kost unde mit groteme Arbeide sin Lant, unde sine Burge vveder mit der Dudischen Pelegrime Helpe. In demeselven Jare do Jerusalem vvider gevvunnen vvard, do vvard ledich de Hertoge Otto van Luneburch, unde let deme Hertogen Albrechte Hiddesakere, unde orlogede uppe sine Umnesaten, uppe den Bischop van Maideburch unde uppe den van Halverstat mit des Marcgreven Helpe van Brandenburch. Se quemen to lest to Stride bi Brandenburch, dar vvard de Marcgreve segelos unde de Wenede, unde namen groten Schaden. Do ward dat Orloge verevenet, unde vvard Wallebeke gebroken. Darna in den Winachten-Dagen vor de Bischop van Bremen mit groteme Here uppe (de) Stedinge, dar verlos he sinen Broder Hermanne van der Lippe,

Lippe, unde scheid mit groteme Schaden dannen. In deme anderen Jare ward de Paves unde de Keiser verevenet, unde let ene de Paves ut deme Banne. Darna starf de Hertoge Lippolt van Osterrik. Do brande de junge Koning van Behem dat Lant to Osterik wante an de Donowe. Tohant na dere Herevard do starf de alde Koning Odakker van Behem. Darna ward de Hertoge van Beieren dot gesteken mit eneme Mezese van eneme Manne, de ward dot geslagen, unde ne wiste neman rechte, we he was. Do starf oc du gude Lantgrevinne Elsebe van Doringen, des Koninges Dochter van Ungeren, unde is begraven to Marchborch. Bi den Tiden waren vele Kettere unde unloveger Lude in der Kerstenheit to Rome, to Walscheme unde to Dudischeme Lande: der worden gebrant wol dusent van eneme Brodere, de het Conrad Torsus, unde oc van anderen Luden Do hadde de Keiser Vrederic enen Hof to Ravene to Aller Hilegen Missen, dar lach he lange, unde wachtede sines Sones des Koninges. Dannen vor he to Venedie, dar vvard he untfangen mit groten Eren, unde vor vord to Ageleje, dar quam sin Sone de Koning to ime. De Keiser vor wider to Pulle, unde de Koning to Dudischeme Lande. Des anderen Jares na deme Heve to Ravenne buvvede de Bischop van Bremen Sluttere, dat gewunnen de Stedinge. Desselven Jares let de Paves dat Cruce predegen uppe de Stedinge. MCCXXXIII. Darna vor Pinkesten sande de Hertoge Otto van Luneburch sine Lude, unde branden al wante vor Bremen, wante he wolde helpen den Stedingen dur den Hat, den he hadde to deme Bischope dur dat Eigen, dat sin Veddere de Hertoge Heinric gaf to Bremen. Darna vor he selven vor Stade, unde brande, unde rovede in deme Lande. Binnen des quemen de Pelegrime to Bremen, unde voren mit groteme Here beide an Schepen unde over Lant, unde wunnen dat Osterstat des negesten Dages Petri & Pauli to Middensomere, unde beroveden unde branden al dat Lant, unde slogen al, dat se begingen, Man unde Wif unde Kindere mer dan vierhundert, unde de men levendich vieng, de brande men. Tohant darna slogen de Stedinge Greven Borcharte van Aldenburch, unde mit eme twe hundert Man. In derselven Tid vor de Koning van Behem mit groteme Here uppe sinen Broder den Marcgreven van Meheren, unde gevvan ime af ene Stat to Brunne, unde brande des Landes vele to Meheren. Darna vor de Koning Heinric des Keiseres Sone mit groteme Here uppe den Hertogen van Beieren, unde dwang ene darto, dat he sic gaf an sine Gewalt. An derselven Tit was vele Riddere unde hoge Lude, de man tech, dat se waren ungelovich: der was en de Greve van Seine, uppe den predegede Mester Conrad van Marborch dat Cruce, unde nam vele Ludes dat Cruce, unde ward deselve Mester Conrad geslagen umbe deselve Sake: deselven gaven sic oc an des Koninges Gewalt almeistich. Do vor aver de Bischop van Bremen uppe de Stedinge mit Schiphere, unde togrof ere Dike, unde wolde se bedrenken mit Watere: dar ward oc en Del geslagen des Bischopes Lude. Desselven Jares to Lichtmissen hadde de Koning enen groten Hof to Vrankenevorde, dar der Vorsten vele was, dar swor men den Vrede: dar dede de Greve van Seine sine Unschult umbe den Ungeloven mit vile guden Luden. Der anderen ward oc vele ledich gelaten. Desselven Jares hadde de Koning van Denemarken Dimin, dat wunnen eme de Wenede af. MCCXXXIIII. Darna nam dat Cruce de Hertoge van Brabant, unde de Greve van Hollant, unde de Greve van Cleve, unde manich edele Mann uppe de Stedinge, unde voren mit groter Craft over Lant: unde de Greve van Hollant mit groteme Schip-here uppe de Wesere, alse men se alle prisede, de Pelegrime uppe viertich dusent, unde voren in dat Lant des dridden Dages na Sente Urbanus Dage. De Stedinge quemen darjegen: dar ward en grot Strit. De Stedinge worden segelos, unde vvorden vil na al geslagen mer dan vier dusent. Dar ward oc Greve Heinric van Aldenborch geslagen, unde mit eme unmanich der Pelegrime, unde ward dat Lant der Stedinge al verbrant unde gerovet. Alsus namen de Stedinge eren Ende, de grote Gewalt unde Unrecht hadden gedan mer dan dre unde drittich Jar, do sloch se unse Herre Got mit siner Gewalt. Darna vor de Koning van Denemarken unde Greve Alf, unde versegten de Travene, unde buweden twe Burge vor Lubeke. Bi denselven Tiden orlogeden de Romere weder den Paves, unde verwisden ene van Rome: de Keiser halp oc dem Pavese uppe de Romere. De Koning Heinric des Keiseres Sone de hadde sic untsat weder sinen Vader, darumbe vor de Keiser to Dudischeme Lande, unde brachte mit eine groten groten Schat, unde wolde orlogen uppen Sone: do karden de Vorsten alle van deme Koninge tome Keisere. Do vor de Keiser to Wormeze, unde nam dar sin dridde Wif. Allererst hadde he des Koninges Dochter van Arragun, bi dere gewan he den Koning Heinrike: darna nam he des Koninges Dochter van Akers, mit dere nam he dat Koningrike van Jerusalem; bi dere gewan he den Koning Conrade: darna nam he des Koninges Suster van Engelant to Wormeze. Dar quam eme sin Sone de Koning Heinric to Hulden, unde gaf sic an des Vader Gevvalt, des let ene de Vader gevangen halden, unde sande ene to Pulle. Doselves hadde de Keiser enen groten Hof to Megenze to Sente Marien Missen, der Eren dar he Cronen droch, unde waren de Vorsten vil na alle dar, unde andere Herren vile. He at do in der Wormlage in dem Velde, dar waren upgeslagen selcene Paulune, de de Soldan deme Keisere gesand hadde. He sat oc to Gerichte. Dar vvard gesat dat Recht: svvelec Sone oppenbare sic vveder sinen Vader satte, dat he al sin Recht verloren hadde an sines Vaderes Gude, unde an sinem Erve. Oc vvorden dar andere Recht gesat. Dar vvard oc verevenet de alde Hat, de lange gevvesen hadde tvvisen deme Rike unde deme Slechte ven Brunesvvic, alsus: De

De Keiser kofte van des Hertogen Wive van Beieren, unde van erer Suster van Baden dat Egen, dat se angeervet vvas van ereme Vadere deme Hertogen van Brunesvvic, unde gaf dat an dat Rike; De Hertoge Otto van Luneburch gaf oc al sin Eigen an dat Rike, darut makede de Keiser en Hertochdom mit Willen der Vorsten, unde mit Ordelen unde Legit eme to rechteme Lene mit Vanen, unde sinemen Wive Mechtilde: dar hebbet Volge an de Dochtere alse de Sone van fineme Slechte. Des Winteres darna vor de Hertoge mit groteme Here vor Bremen, unde vordingede dat Lant, unde verbrand is en Del, unde vor wider sunder Schaden. De Bischop Gerhart was to Bremen do in der Stat: he ne dorste noch he ne machte ime nicht widerstan. In demeselven Jare starf de Koning van Ungeren Sente Elseben Vader. In der Vasten darna starf de biderve Bischop Vrederic van Halverstat, unde ward de Bischop Ludolf gekoren. In Sente Walburge Dage darna do erhof men Sente Elseben van des Paveses Gebode; do siu vile Tekene gedan hadde, de was des Landgreven Lodewiges Weduwe van Duringen: dar was de Keiser, Vorsten unde hoger Herren vile, unde anderes Volkes untalhaftich van menegemen Lande. De Keiser beval fineme Sone Koning Conrade dat Rike, den he hadde van der Koninginne van Jerusalem mit etteliker Vorsten Willen, unde vor mit Here uppe de Langbardere dur de Walt, de se lange deme Rike gedan hadden. Do de Langbardere dat vornamen, se voren mit groteme Here jegen ene. Do he in dat Lant quam, unde se bestan wolde mit Stride, do worden se vluchtich, unde de Keiser gewan de Stat to Vincentie mit Gevvalt. Darna stridde Herre Gevehard van Arnestein, unde des Keiseres Helpere mit den van Padouwe, unde gevieng ere alse vele, dat se oc de Stat deme Keisere gaven. Des negesten Jares darna starf Koning Johan van Akers to Constantinople, dar he Keiser wesen solde. Desselven Jares to Herremissen voren de Pelegrime van Liflande uppe de Lettouwen, unde worden geslagen twe dusent der Pelegrime. Darna voren de van Meilan unde ere Helpere jegen den Keisere mit groteme Here, unde de Keiser jegen se mit vile minneren Here. Do sic de Keiser scharede, do quam en weldich Man van Cremun, de segede do deme Keisere: Du lez dich uppe der Dudischen Manheit unde ere Ellent dumlike weder so over grote Menie. Do sprac de Keiser: Ic wil se bestan uppe de Goddes Gnade, unde up min Recht; unde stridde mit in manlike. Do gewan he den Sege, unde vvart gewunt: dar worden geslagen unde gevangen mer dan viftein dusent, udde vieng eren Stanthart Karroze, unde den Potestat, unde sande den Karroze to Rome, den satten de Romere up ere Capitolium. Des anderen Jares let he den Potestat han boven dat Mere, he gaf doch alle Dage alse he at enen Punt Grossen. Darna legede de Keiser enen Hof to Berne, dar let he bidden de Dudischen Vorsten unde de Herren. Bi desselven Keiser Vriderikes Tiden erhof sic do Kerstenheit to Pruten. Bi sines Vader Keiser Heinrikes Tiden vvard Liflanden Kersten, unde bedwungen van den Sassen. Sic erhoven oc bi des Keiseres Tiden twe geistlike Levent, en der Barvoten, unde en der Predegere. An denselven Levenden worden hilich Sente Franciscus unde Sente Dominicus, unde daden Tekene. Sic erhof oc dat dridde Levent: dat vvaren gemene Vrowen, unde stiften dar af Clostere. Des Jares darna starf de Bischop van Bavenberch in der Hervard to Wene. Des anderen Jares darna starf de Bischop van Colne, unde de van Osenbrugge. In demeselven Jare ward gevangen Marcgreve Otto van Brandenburch umme des Bischopes Ludolves Schuldegunge van Halverstat, unde van sineme Gebode, unde ward to Langensten upgevort: dar belef he alse lange, wante dat al verevenet vvard also, dat de Marcgreve gaf deme Bischope seisteinhundert Marc Silveres, unde let eme up dat Hus to Alvesleve unde dat Lant. De Hof to Berne de ne volging nicht, vvante der Dudischen Herren quam dar clene. De Keiser vor do ene Herevard vor Bruxe, dat belef ungevvunnen. Sic erhoven oc do Clostere van der Brodere Ordme van Vrowen, de vvaren barvot unde besloten: dat erhof des Koninges Suster van Behem. Darna vor de Keiser uppe den Paves to Tuscan, dur dat he sterete de Langbardere weder ene, unde gewan Biterne, Stede, Castele unde des Landes vile. Des nagesten Jares vor en grot Here van Vrancrike, van Hispania, van Engelant, van Britannia, van Poytouvve, van Burgundia, van Normandie, van Aquitanie, unde van anderen menegen Landen, de hadden dat Cruce, unde scepeden to Marsilie: en Del vor ere over Lant dur de Bulgerie mit grotem Arbeide, unde stridden dries Sege, er se quemen to Solnic. De mit den Scepen waren, de quemen to Akers. En Del vor ere de Herevard jegen Damasc, dar bestunt se de Soldan unde en Vrowe van Alap, dere was ere Man geslagen to Damiat, do it de Kerstenen gevvunnen. Dar ward geslagen de Greve van Britannia, unde de Greve van Bart, unde andere Herren vile, unde gevangen vvol ses dusent Pelegrime. De Heidenen voren do vord to Jerusalem, unde gewunnen Davides Torn, unde dat darumbe gebuvvet was. Herre Vrederic van Sassen belef dar oc dot, des gaven se den Torn, dene tobraken do de Heidenen: de hadde gestan mer dan twei dusent Jar unde verhundert unde XXIII. Jar. Devvile do de Keiser to Tuscan was, gewunnen de van Venedie unde ere Helpere Ferrarie, unde Ravenne, unde karden van deme Keisere. De Keiser vor do wider, unde gewan Ravenne aver, unde vor vor Segenowe, unde gewan dat mit groten Arbeiden, also dat se Lif unde Gut an sine Gevvalt gaven, unde buweden ene Borch dar. In den Tiden vor de Bischop van Maideburch unde de Marcgreve van Brandenburch vor Lubus uppe den Hertogen van Polenen, unde stormeden dat: dar belef vile Lude dot, unde ne wunnens doch nicht. In derselven Herevard vvard Twedracht under deme

deme Bischope unde dem Marcgreven, unde scheden sic mit Umminnen. To hant do erhof sic en Orloge twischen dem Marcgreven van Misne unde dem Marcgreven van Brandenborch umme de Marke to Lusiz. Des Misneres Helpere ward de Bischop van Maideburch dur de Twedracht, de geschen was vor Lubus: des ward deme Misnere Kopnic unde Middenwalde. De Bischop van Maideburch unde de van Halverstat voren do vor Hademersleve, unde belagen dat: dar was oc vore de Greve van Anehalt unde andere Herren. Do sande uppet Hus de Marcgreve van Brandenburch sine Lude: des verniede sic de Hat, de twischen in geschen was vor Lubus: dat Hus ward jedoch gewunnen unde tobroken. Aldar satte sic de Bischop van Halverstat to Richte, unde vordelde dem Marcgreven sogedan Gut, alse he van deme Goddeshuse to Halverstat hadde. De Bischop van Maideburch unde de van Halverstat voren mit Here uppe de Marke, unde gewunnen mit Gewalt de Lantvvere, unde quemen over de Bese. Do branden se de Marke hodelos tvve Dage unde tvve Nacht unde den dridden Dach wante to der Vespertit. Do quam de Marcgreve, unde ret in an de Herberge: des worden se geschumpheret. De Bischop van Maideburch wart gewunt, unde untret uppet Hus to Calve; De Bischop van Halverstat ward gewundet unde gevangen, unde mer den sestich Riddere, dar belef oc dot vile Ludes geslagen unde gedrunken in der Bese. Do de Bischop gevangen was en half Jar, do ward he ledich unde sine Lude mit deme Silvere, dat he ime gegeven hadde, unde mit deme Hus, unde mit deme Lande, dat he ime upgelaten hadde, do he sin Gevangene was. Desselven Jares starf de alde Koning Waldemar van Dememarken, unde Lantgreve Herman, Sente Elseben Sone. De Bischop van Maideburch, unde de Marcgreve van Misne scopen ene grote Herevard uppe de Marke, unde quemen vor de Marke: se hadden wol twedusent Ors vordeket. De Marcgreve van Brandenburch unde de Hertoge van Bruneswic sin Swager quemen darjegen se, unde wereden in de Marke, dat se darin komen ne machten. Des voren se dannen, unde buweden Vogasge; unde besatten dat, unde de Marcgreve van Misne vor wider to Lande. Do schop de Bischop van Maideburch ene Hervart aver in dat Havelant, dar quam aver jegen ene de Marcgreve: dar nam de Bischop up ener Brugge, de over de Plawe ging, so groten Schaden, dat he sic weder den Marcgreven nicht mer uprichten ne machte. Dat Orloge warede dannoch alle Wile, dat ne machte neman vorsonen, noch de Koning van Behem, noch de Hertoge van Sassen, noch de Hertoge van Bruneswic. Do reden tosamene twe Dienestman, Here Godevrid van Weddinge unde Here Borchard van Irekesleve, unde makeden ene Evenunge. Alsoward versont dat grote unde dat lange Orloge, dat dar ne Edele Man to ne quam. In denselven Tiden quamen aver de Tateren mit eme creftigen Here in dat Lant to Polonen, de darvore hadden tovort Valwen, Ruzen unde menich Lant. Do stridde mit in de Hertoge Heinric van Polenen, unde ward geslagen, unde mer dan drittich dusent Volkes mit eme, ane de binnen deme Lande geslagen worden, Wif unde Kindere. Alsus geweldegeden se dat Lant, unde tovorden Bischopdome, Clostere unde Kirken. Do dise Mere quemen to Dudischeme Lande, do quemen to eneme Dage to Mersburch Vorsten unde Herren vile, unde worden to Rade, dat men dur dise grote Not dat Cruce gave allen Luden, Wiven unde Kinderen an der Wege. Dar to worden se des to Rade, dat varen solden alle, de binnen Campdagen waren bi al irme Rechte, unde solden varen alle, de Lif unde Gut hedden. De Gut hadden, unde nicht der Macht, de solden helpen den, de de Macht hadden, unde nicht dat Gut, unde viere solden den viesten utvorderen also dat he to der Herevart nutte were, de nicht bat gedon ne mochten. Dit ward gesat vor alle Sunde dur Goddes Ere, kerstenliken Loven to werende, Goddeshuse, Lant, Lif, Kint unde Wif, des is manlic ane Cruce plichtich. Des namen do dat Cruce Koning Conrad, des Keiseres Sone, Vorsten unde Herren, Riddere, Man, Wif unde Kindere, vil na al, de an Dudischeme Lande weren. De Tateren voren do to Ungeren, unde slogen dar Volk ane Tale. Dur dise Not sande de Koning van Ungeren sin Lant unde Cronen an den Keiser dur Helpe, he unde sine Nakomelinge van ime to untfande immermer unde van deme Rike. Darvore gewan de Hertoge van Osterric des Keiseres Hulde, unde ward ime Wene wider. Des anderen Jares ward en Tornei to Missen, dar belef mannich Herre unde Riddere dot, ane andere Lude van Hitten unde van Stove. An demeselven Jare starf Bischop Ludolf van Halverstat, unde ward gekoren Bischop Meinart, unde ward gewiet to Halverstat, dar waren vif Bischope. Desselven Jares vorging der Sunnen ere Schin van dem Manen an den midden Dage, des dat Volk sere underquam. Dessilven Jares starf de Keiserinne, de van Engelant was, sin dridde echte Wif. Des anderen Jares de Bischop van Megenze unde de van Colne deden den Keiser to Banne, unde orlogeden up ene: des quam de Bischop van Colne to Stride, unde ward gevangen van des Keiseres Helperen. Desselven Jares vieng de Bischop van Havelberge den Bischop van Brandenburch, vor des starf de Koning Heinric, des Keiseres Sone, an der Vancnisse: Desselven Jares vor de Koning van Engelant mit groteme Here uppe den Koning van Vrancrike jegen ene mit Here, unde verlos wol achtehundert Riddere, (dat seget men, dat it van Overgiftnisse queme,) unde ward dat Orloge gevredet. He brande oc binnen deme Jare der Joden Boke also vele to Paris, also wol twintich Vodere. Do starf de Paves Gregorius, unde ward gekoren Cœlestinus, de starf an deme seventegenden Dage. Do stunt Rome ane Paves an dat dridde Jar. Do ward gekoren Paves Innocentius mit des Keiseres Willen,

len, de helt densilven Ban, den de Paves Gregorius an dem Keiser hadde gedan. Sie erhoven do Degedinge twischen in, twen de to gingen alsso, dat deme Keisere bescheden ward to Genevve, dar ne vvolde he nicht komen, vvante he der Burgere Vient vvas. Des anderen Jares vor de Paves to Rodenlene, unde legede dar en Concilie: dar ladede he alle Bischope, der quam dar vile, unde vile Volkes van menegen Landen. Dat Concilium vvard grot: de Keiser ne quam dar nicht, unde sande dar sine Boden. de segeden he ne dorfte to Rechte dar nicht komen, unde untschuldegeden ene des de Paves up ene sprac: Se beden eme enen Dach, dar de Dudischen Vorsten to komen mochten, de an deme Rike den Kore hadden, des ne scha nicht. Seder dede he ene to Banne, unde gebot den Bischopen, dat se datselve deden. Van des Paveses Gebode eschede men van den Papen den tvvintegesten Del, unde den visten Del, unde den halften Del erer Orbore, dat er ne gescha; darto sande he den Legat an Dudischlant, de bot, dat men predegede dat Cruce uppe den Keiser. Do koren se den Lantgreven Heinrike van Duringen to Koninge bi Wirceburch, dar ne vvas nen Leien Vorste, vvane he alene. Dat vorderede de Bischop van Megenze, unde de van Colne, unde oc andere Bischope. Do legeden se up enen Hof to Vrankenevorde, dene sat de Koning Conrad, des Keiseres Sone, de hadde sic darto gesamnet. Darna quam de nie Koning mit groteme Here, unde erhof sic en Strit, dar behelt de nie Koning den Sege, unde vvorden gevangen mer dan ses hundert Riddere. Vor deme Jare erhof sic en Orloge tvvischen deme Soldane van Babylonie unde van Damast: deme van Babylonie quamen to Helpe de Crozemine, deme van Damasc hulpen de vamme Temple, de vamme Spetale, unde de vamme Dudischen Hus, unde stridden tvvene Dage: de van Babylonie behelt den Sege, unde vvorden geslagen der Brodere unde Kerstener Lude seshundert unde mer, unde der Heidenen ane Tale. Do roveden se Jerusalem, unde slogen amme Temple vile Kerstener Lude, unde karden weder, unde voren vor Damasc, unde besaten dat. De Legat, de an Dudischeme Lande was, besvarede de Bischope, unde het se sweren, dat se sin Gebot don solden, darto halp de Bischop van Megenze, unde de Minnere Brodere, unde de Grotere, de Predegere hetet, de gaven dat Cruce uppe den Keiser. Des Jares stridde de Hertoge van Osterrik weder de Ungeren, unde ward geslagen, de sine behelden jedoch den Sege. De Swave, de deme Koning Conrade untreden weren van deme Stride, ladeden Koning Heinrike in dat Lant to Swaven, dar ne gewan he nen Hus noch Stat, unde quam wider to Duringen, unde starf in deme Blude, unde ward begraven to Ysenac. In den Tiden ward oc grot Twedracht twischen deme Koning Erike unde sinen Brodere Hertogen Abele. Des Hertogen Helpere weren Greve Johan van Holzaten, de Bischop van Bremen unde sine Helpere, unde oc de van Lubeke. De Hertoge Abel gewan de Stat to Ripe deme Koninge an, unde rovede se, unde vieng dar sine Lude. De Koning gewan se drade wider, unde behelt se manlike. De Hertoge Abel unde de Bischop Gerad van Bremen, Greve Johan, unde andere Herren vile quemen aver mit groteme Here an Denemarken, unde wolden aver deme Koninge Ripen angewinnen: dat werede de Koning herlike. Des belagen se dar alsso lange, wente se de Hunger dannen dref. Do vereveneden sic de Koning unde de Hertoge, unde de anderen Herren beleven dar unbuten. De van Lubeke orlogeden oc mit Scepen den Koning sere, unde roveden, de se viengen, unde slogen menegen unschuldegen Man. In demeselven Jare, do Koning Heinric dot was, worden to Rade de Bischop van Megence, unde de van Colne, unde de van Triere, dat se koren van des Paveses Gebode den Greven Willikine van Hollant to Koninge. Dat gescha bi Colne, dar ne was nen Leien Vorsten, wane de Hertoge van Brabant, de starf darna to hant. Do bot men den Papen aver, dat se gaven ses Penninge van der Marc. Do voren se vor Werden unde vor Aken mit deme nien Koninge. Aken dat ward do van Watere unde van anderen Noden so gedwungen, dat se Dach namen dre Jar. Alsso verevenede sic, de Keiser was, Herre Vrederic mit dem Pavese wol unde gut: ne were des nicht, se wolden don al der Herren Willen. Darna na Sente Mertines Missen de Marcgreve van Brandenborch, de Hertoge van Bruneswic, unde de van Sassen voren mit groteme Here to Behem ward, unde wolden helpen deme alden Koninge van Behem, den sin Sone vordriven wolde. Dat ward gelegeret, unde de Hervard widerwant. In der Winachten Nacht ward darna en grot Blicse unde en Donreslach. Darna in der Kindere Nacht ward en Regen, unde en Wint vanme Sudwestene alsso grot, dat he tobrac manich Hus, unde dede groten Schaden: he warp oc manigen groten Bom in den Walden darnider. Menich sprac, it were Erdbevunge: du Vlot van der Se hof sic so ho, dat siu tobrac al de Dike in den Nider-Landen, unde erdranc Volk unde Ve ane Tale, unde gescha grot Jamer.



XX.

CONTINVATIO CHRONICI MARTINI POLONI

a Rudolfo I. Imp. usque ad annum 1343.



FRedericus primus regnavit an. XXXVII. & coronatus est in ecclesia Sancti Petri per Adrianum Papam IIII. Fredericus ille prius Dux Svevorum fuit. In Imperatorem eligitur provida principum consideratione. Nam cum inter domum regiam, quæ processerat de Gebulingua, & domum ducum Noricorum, quæ Guelforum progenies vocabantur, antiqui adhuc odii fumigaret incendium; consideraverunt, quod hic Fridericus quasi de paterna progenie Guebellingus, & ex materna de sanguine Guelforum progenitus, in se ipso discordia omnia terminaret. Hujus autem radicis virens ramus fuit Guelfo princeps Sardiniæ, Marchio Tusciæ, Dux Spoleti, Imperatoris & ducum Noricorum consanguineus, vir omni virtute præditus, & in bellis expeditus. Hæc autem pestis quantas calamitates in regno & in Italia maxime produxerit, cunctis patet: a sua compage membra unius corporis dissolvuntur. Hic anno domini MCLXIII. apud Ratisponam Bolislaum Bohemorum ducem, viribus & divitiis valde potentem, de duce regem creavit. Hic habuit tres filios, Henricum, quem regni consortem fecit, Fredericum, qui sibi adhæsit, & Philippum, quem Ducem Sueviæ fecit. Eo mortuo prædictus Henricus Rex Constantiam, filiam Rogerii Regis Syculorum, sororem Wilermi, duxit in uxorem, de qua genuit Fredericum secundum. Hoc tempore veniens apud Tyburtinum præcepit, ut Tyburtina civitas reædificaretur. Et rediens primo anno Spoletum destruxit. Iste largus & strenuus & facundus atque nobilis, in omnibus gloriosus fuit. Eo tempore Rex Alapyæ cepit Edissam civitatem, quæ in genesi dicitur Archa. Francos, qui ibi capti fuerant, morte ac servitute damnavit, Archiepiscopum vero civitatis quasi ducem gregis cum omni clero, quod ipsum noluerint abnegare, in medio urbis coram se decollari præcepit. Sic igitur Edissa civitas, quæ ab Agaro Rege ipsius orthodoxo, cui Christus ante passionem suam, sicut legitur in ecclesiastica historia, scripsit epistolam, & deinde per Apostolum Thomam fuerat prædicata, & Christo dedicata, tunc primum a gentibus prophanatur atque possidetur novorum sanguine martyrum purpurata. Hujus temporibus sol obscuratus est parum ante horam nonam, & post horam nonam in eodem statu permansit. Hoc anno fames valida fuit. Eodem anno captum est sepulchrum Domini, & ejus crux a Soldano. Hic cum pro coronatione Romam venisset: pacifice & cum magno gaudio ab Adriano Papa coronatus fuit. Et cum peractis omnibus ad stationem suam, quæ erat in prato Neronis exivissent, Romani armata manu familiam sequentem in porta Sancti Angeli crudeliter invaserunt usque ad tentorium Imperatoris persequendo, sed invalescente clamore Theotunici Romanos repulerunt crudeliter, adeo quod prostratis multis & captivatis cum multis precibus Papæ, qui capti fuerunt, sunt restituti. Hic post mortem Adriani Papæ pessime cum Alexandro Papa stetit, quod in præjudicium ipsius quatuor schismaticis successive adhærens contra Regem (Galliæ) duorum regnorum Bohemiæ & Daciæ fultus auxilio, nitebatur in Burgundiam veniens extirpare, sed rege Anglorum Regi Francorum ferente auxilium, nil profecit. Mediolanum a Frederico destruitur mense martio, anno domini MCLXII. siquidem muri ejus altissimi funditus suffossi sunt, cætera ad cinerem redacta. Albanum a Romanis concrematum est VI. Idus Aprilis. Hic post multas persecutiones per multa tempora Alexandro Papæ factas, timens ne a dominio suo caderet propter Lombardorum contra ipsum debellationem & Papæ Alexandri prosperitatem, missis nunciis solennibus, ut reconciliaretur Papæ, laboravit, & postquam Venetiis reconciliatus fuit, pro emenda assumto crucis charactere per terras, non per mare cum magna multitudine ad deliberationem terræ sanctæ procedens, cum esset in Armenia, in parvo flumine est submersus, dum se balnearet. Filius autem ejus, quem tunc secum duxerat, corpus ipsius detulit usque Tyrum, quo ibidem sepulto, cum Ptolomaidem obsideret, obiit. Obierunt pene omnes nobiles, qui eodem tempore cum Philippo rege Francorum & Richardo rege Angliæ cum maxima multitudine transfretaverant. Eodem tempore fuit abbas Joachim in Calabria, qui plures libros super Jeremiam & Apocalypsim & de omnibus prophetis conscripsit. Hic prædictis regibus requirentibus ab ipso peregrinationem in terram sanctam, quam facie-

bant, prædixit, quod parum proficerent, eo, quod nondum tempus advenisset. Tempore Friderici Imperatoris Radulphus (Rainoldus) Coloniensis Archiepiscopus trium Magorum corpora de Perside olim ad procurationem Helenæ reginæ Constantinopolim, ab Imperatore translata, & inde a sancto Eustergio præsule Mediolanum miraculose transvecta, Mediolano a Friderico destructo, transportavit Coloniam. Sub hoc tempore sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in Ecclesia sua metropolitana occiditur, & tandem miraculis coruscans per Alexandrum Papam canonizatur. Tempore etiam prædicti Imperatoris floruit Petrus dictus Comestor in Francia, qui utriusque testamenti historiam, quæ dicitur scholastica, composuit. Eodem tempore Hinricus Rex Anglorum propter necem Sancti Thomæ misit nuncios solennes ad Papam Alexandrum, qui jurante (jurarent) pro ipso in animam suam, ut ipsum excusarent de præmisso facto. Sed dominus Alexander Papa in Tusculana civitate, receptis nuntiis & auditis, misit duos Cardinales ad Galliæ partes, ut innocentiam Regis investigarent, coram quibus Rex juravit, quod nunquam de consilio suo aut jussu fuerat interfectus, sed quod occasione turbationis, quam erga ipsum habuerat, occisus fuerat. Pro illo mox obtulit ducentos milites ultra mare per annum ibi moraturos, se ipsum cruce signans, infra triennium transfretaturus.

Henricus V. Frederici filius imperavit annis VIII. Coronatus fuit mense Aprilis feria secunda post pascha XV. die. Eodem mense intravit Apuliam cum magno exercitu, & in eodem mense traditur in integrum Tusculanum Romanis ab Imperatore, & destructum est ab eis. Et eodem anno sol obscuratus IX. Kal. Julii, feria tertia usque ad horam nonam. Hic sub Cælestino, qui coronavit eum, & Innocentio tertio imperavit annos VII. & menses quatuor. Hic etiam anno primo Coronæ suæ Siciliæ regnum intravit, & cepit terram usque Neapolim, & obsedit Neapolim usque tres menses, ibique ejus exercitum tanta infirmitas invasit, quod omnes fere mortui sint. Ita quod Imperator cum paucis languens reverteretur. Hic accepit Constantiam filiam regis Siciliæ anno secundo, & anno quarto imperii sui totum regnum Apuliæ sibi subjugavit, ibique plurimos rebelles diversis pœnis flagellavit. Tancretum filium Tanceeti Regis Syculorum cum matre sua Margaretha & regem Epyrotarum secum in Alemanniam duxit captivos. Quo Panormi mortuo familiari veneno, orta est dissensio inter Principes Alamaniæ; una pars elegit Ottonem, alia Philippum. Sed Otto coronatus est ex mandato Papæ, & tandem obtinente Philippo, sub pace firmata inter illos, dolose a Lantgravio est interfectus. Et sic Otto obtinuit. Fuerat etiam Papa Innocentius, qui eodem anno successerat Cæleftino in Papatu, adversarius Philippo propter fratrem suum Henricum Imperatorem, qui contra Christianam religionem in regno Siciliæ Archiepiscopos & Episcopos trucidaverat, & contra Romanam ecclesiam semper tyrannidem exercuerat, propter quod ipsum & omnes fautores suos excommunicavit. Ottoni vero Duci Saxoniæ viriliter adhæsit, & ipsum Aquisgrani in regem Alamaniæ coronari fecit. Philippus autem Dux Sveviæ magnam Alamaniæ partem pro se habuerat.

Anno Domini MCC. capta est Constantinopolis a Francis & a Venetis, & Balduinum Comitem Flandriæ in Imperatorem constituerunt. Cujus captionem etiam post plures dies plurimique civitatis incolæ non credebant tum propter civitatis fortitudinem, tum etiam propter antiquam prophetiam, quam habebant prophetatam, si quidem erat, quod capi deberet per Angelum. Et ita ipsam posse capi per hominem non credebant. Sed hostilis turbo, (hostilibus turmis) ubi per murum pictus erat Angelus, civitatem intrantibus, se deceptos incolæ per æquivocationem Angeli cognoverunt. Hoc anno, sicut a plerisque traditur, Tartarorum dominium initium habuit. Hi enim sub montibus Indiæ in regione dicta Tartari constituti dominum suum regem Indiæ dictum David nomine, filium Johannis presbyteri occidentes, ad debellationem aliarum terrarum processerunt. Anno Domini MCCVII. ab Innocentio Papa, cum legato, XII. abbates Cistertiensis ordinis in terram Albigensium ad prædicandum fidem hæreticis mittuntur, quibus de Hispania Dydacus Exomensis Episcopus habens secum fratrem Dominicum in comitativa pro hæreticis convertendis adjungitur, qui Dominicus Ordinem prædicatorum incepit anno Domini MCCXIIII.

Otto quartus de gente Saxonum, & Dux Saxoniæ, pronepos Lotharii III. a domino Innocentio tertio fuit coronatus in basilica Sancti Petri, sed non fuerant sibi propter suum maleficium anni attributi. Hic accepta corona statim pugnam habuit cum Romanis, & contra voluntatem domini Papæ intravit regnum Apuliæ, auferens id a Frederico rege Siciliæ. Unde Papa excommunicavit illum & deposuit, ut supra in Cronica Innocentii III. & una in Cronica Frederici Imperatoris. Quarto autem anno Imperii sui Fredericum prædictum Imperatorem Principes elegerunt, qui veniens navigio usque Romam a domino Papa & a populo honorifice est receptus, anno Domini MCCXX.

Fredericus secundus Frederici primi nepos ex filio ejus Henrico sexto & Constantia filia Rogerii Regis Siculorum genitus, regnavit annos XXXIII. Hic, post depositionem Ottonis Imperatoris (ut supra) per Innocentium III. factam, ad consilium regis Francorum, cum esset Siciliæ Rex, a principibus Alamaniæ in regem Romanorum eligitur. Quo audito statim per navigium veniens Romam, honorifice suscipitur, statimque ad insequendum Ottonem accingitur. Cumque eum in Alamania deprehensum in Constantiensi territorio subito invasisset, de ipso magnifice triumphavit. Innocentio III. defuncto & Honorio III. substituto,

tuto, Fredericus Romam rediens anno domini M.CC.XX. Imperator ab ipso Honorio solenniter coronatus, primordia bene gessit, & constitutiones utiles anno tertio sui Imperii in Capua promulgavit. Deinde insolentius incipiens Angliæ * personas & res Ecclesiasticas molestans, & Ecclesiam Romanam prætergans,* excommunicatur ab Honorio, & a fidelitatis ei præstito juramento subditi omnes universaliter absolvuntur. Honorio Papa mortuo succedit Gregorius nonus, qui volens Romæ generale Concilium celebrare, duos Cardinales, videlicet Tusculanum & Penestrinum episcopos ad partes ultramontanas transmisit, ut celebrandum concilium publicarent, & contra Fredericum impugnantem ecclesiam subsidium postularent. Quod cum Imperator Fridericus intellexisset, conclusis & observatis passibus, mandat omnes prælatos transeuntes personaliter detineri. Unde tam Cardinales, quam alii prælati per navigia Pisanorum Friderico adhærentium capiuntur. Propter quod Papa contra ipsum motus, & quod passagium, quod facere juraverat, exequi distulit, in grande dispendium terræ sanctæ omniumque Christianorum ibidem existentium, quod etiam quandam nobilem dominam, quæ regni Jerusalem heres fuerat, & solatium terræ sanctæ, sicut præstito juramento promiserat, ducere noluit, pro eo sententias Honorii contra ipsum latas innovavit, & etiam aggravavit. Post hæc idem Imperator devotionis prætextu, accepto jam diu crucis signaculo cum gentium multitudine transfretavit, sed nichil proficiens non aliud, quod ad ejus pertineret honorem, quam titulum regni Jerusalem reportavit. Anno igitur M.CC.XXV. rediens triplici diademate, videlicet Romanorum, Siciliæ & Jerusalem, claruit insignis. Hic Fridericus genuit V. filios, duos ex prima conjuge sua, videlicet Henricum, quem constituit Regem Alamanniæ, & Conradum, quem fecit ducem Svevorum, tertium Manfridum, quem designavit Apuliæ principem, quartum Euchium (Encium) quem super Lombardos regnare constituit. Hos duos genuit ex Blancha Marchionissa Lanzensi de sanguine Marchionum Montisferrati de Pede Montium. Hic autem Euchius cum exercitum contra Bononiam duceret in Muciensem (Mutinensem) diœcesin prope Fossatam a Bononiensibus capitur, & Bononiæ diem clausit extremum. Quintum filium habuit nomine Fridericum susceptum ex filia Regis Anthiochiæ, quam duxit uxorem, dum in illis partibus moraretur. Hic Rex Tuscorum præfectus apud Florentiam obiit, a patre valde dilectus, & egregiis actibus decoratus. Primus ex prædictis filiis in Alamania regnans, apud patrem delatus, quod ad petitionem Papæ contra patrem aliquid moliretur, jussu patris capitur, & in Siciliam ductus in carcerali custodia interimitur apud Malta, statimque suus filius Conradus Rex Romanorum, & hæres regni Jerusalem & Siciliæ, designatur a patre. Hic Conradus accepta uxore videlicet Elisabeth, sorore Hinrici & Ludovici ducum Bavariæ, de qua postea genuit Conradum, & apud Aquisgranum cum magna lætitia coronatur. Anno Domini CCXXVIII. inter Ecclesiam & Imperium discordiæ materia crevit in tantum, ut Imperator Fredericus Romanos corrumperet, & circa urbem suum ducens exercitum Romanum pontificem obsideret. Papa vero ad chorum sanctorum Petri & Pauli cum solennibus letaniis processionaliter gradiens, Romanorum animos immutavit, dumque Imperator sibi portas urbis aperiri crederet, Romani contra ipsum cruce signati eum ab obsidione soluta recedere compulerunt. Tunc autem Leopoldus Dux Austriæ, vir magnificus cum de pace inter Papam & Imperatorem tractasset, vir divitiis & gloria pollens, multa tam gloriosa, quam etiam devota in diversis partibus operatus. Post se reliquit IIII. liberos, videlicet Hinricum, & Fredericum, & Margaretam, & Constantiam. Henricus primogenitus uxorem accepit sororem Lantgravii Thuringorum, de qua genuit unicam filiam Gerdrudam nomine, & mortuus est. Constantia (nupta est) Marchioni Misnensi, quæ multos filios & filias genuit. Margaretha prius nupta fuerat Hinrico Regi primogenito Imperatoris Frederici, qui patris jussu mortuus est in carcere, relictis ex ea duobus filiis, qui post patris decessum missi fuerunt in Siciliam ad Manfridum patruum suum, ubi veneni haustu peremti esse dicuntur. Anno Domini MCCXXXIX. in Tholeta Hispaniæ tempore regis Fernandi Judæus quidam in quadam rupe, inter vineam suam invenit in medio unius lapidis concavitatem unam nullam penitus divisionem vel scissuram habentem, & in illa concavitate reperit quendam librum folia lignea velut membranas habentem. Hic liber tractabat de triplici mundo ab Adam usque ad Antichristum, & proprietates hominum mundi cujuslibet exprimebat. Principium tertii mundi hoc modo ponebat: In tertio mundo filius Dei nascetur ex virgine Maria, & pro salute hominum patietur. Et in fine dicebatur, quod tempore Fernandi Regis Castellæ ille liber inveniri debebat. Judæus autem hoc libro perlecto statim ad Christianam fidem conversus, se fecit cum tota familia baptizari. Eodem anno mortuo Gregorio Papa IX. substituitur Cælestinus quartus, quo post dies decem & septem sublato de medio Innocentius quartus eligitur. Hic statim post suam assumtionem circa pacem faciendam inter ecclesiam & imperium sollicite laboravit. Interim mortuo Henrico primogenito quondam Lepoldi prædicti ducis Austriæ, Fredericus ejus frater Ducatum illum strenue gubernavit mirabili corporis elegantia & fortitudine præditus. Contra Bohemos, Bavaros & Moravos sæpe pugnans Ulricum ducem Karinthiæ captivavit, & eum tandem sibi reconciliavit. Contra Fredericum Imperatorem de dotalitiis sororis suæ Margarethæ, & de crudeli morte Henrici filii sui turbatus, grandes discordias habuit, quæ tandem sopitæ fuerunt tempore procedente. Anno Domini MCCXLV. augmentata

tata discordia inter Imperatorem & ipsum Innocentium IIII. Papa prædictus apud Lugdunum generale concilium celebravit, in quo Fredericum Imperatorem hostem & persecutorem ecclesiæ judicavit, ipsum ab Imperiali culmine deposuit ex causis, quæ habentur in decretalibus, extra de re Judi. ad apostolicæ &c. Lantgravium Thuringiæ in regem eligi procuravit. MCCXLV.

Lantgravius Thuringiæ vir ætate grandævus, magnæ strenuitatis & prudentiæ, Anno eodem MCCXLV. pro timore summi pontificis fuit per principes electus in regem. Curiam in Nurenbergh solenniter celebravit. Præterea cum Rege Conrado prælians magnifice triumphavit, sed post tempus modicum de seculo transmigravit. MCCXLV.

Gvillermus Comes Hollandiæ post Lantgravium eodem anno domini MCCXLV. in Imperatorem eligitur: Volens Aquisgranum ingredi, qui non intromittitur, per anni spatium civitatem obsedit. dimissoque ibi exercitu ad Papam properat, literas Papæ recommendatorias ad electores impetrans in Alemanniam rediit, in partibus inferioribus Alemanniæ dominatus, ad superiora loca Reni non audet conscendere, quod [quæ] rex Conradus, quod sibi firmiter obturaverat, ibique regni negotia sine contradictione disponens Jura patris sui tunc in Apulia existentis & sua totis viribus defendebat, ut versus Ovidii sibi dicere posset:

Induit arma sibi genitor patriæ civisque
Hostis ab indicio regna potente rapit.
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas,
Stabit pro signis jusque piumque tuis.

Anno sequenti videlicet MCCXLVI. Fredericus dux Austriæ pro defensione suæ terræ contra Hungaros exercitum ducens cum eis bellum conferit, & cum eis magnam stragem faceret quidam de suis militibus curiosus suarum virium explorator contra ipsum gradiens, cum sic suo gladio profunde perfodit, quod eum mortuum ad terram prostravit, de cujus morte fuerunt omnes australes summe turbati. Sed quod hic nullum habebat filium, nec de illa stirpe remanebat aliquis, qui posset in regimine ducatus succedere. Tunc nobiles Austriæ ad Fredericum Imperatorem depositum solennes nuncios direxerunt, ut eis de principe provideret. Fredericus exultans, quod tam famosum & gloriosum dominium acquisisset, Meinardum Comitem Tyrolis virum spectabilem in Austriam destinavit, ut suo nomine ducatum illum ad suum usque beneplacitum gubernaret. Interim anno Domini MCCXLVIII. Australes spe recuperandi heredis Gerdrudim filiam Henrici quondam sui ducis viro potenti Hermanno Marchioni de Paden in uxorem dederunt, de quo cum unum filium nomine Fridericum, & unam filiam Agnetem nomine genuisset, ipso Marchione defuncto viduata in Austriam est reversa, ubi ab Australibus & Margaretha ejus amica honorifice est suscepta. Anno Domini MCCL. Fredericus a Papa depositus pro viribus nitens in Italia sibi honorem Imperii conservare, quia Parmenses sibi exosos habebat & rebelles, circa Parmam ducens exercitum, eam copiis multis cingit, ad cujus successum Papa legatum suum dirigit cum exercitu copioso. Cujus auxilio confortati Parmenses, egrediuntur, Frederici castra invadunt & spoliant, ipsumque tristem in Apuliam redire compellunt, ubi apud Florentinum prope nutritiam [Nuceriam] in die beatæ Luciæ diem clausit extremum, vir magnorum operum, in bellicis strenuus, in agitationibus circumspectus, sed humanæ gloriæ cupidus, occulte lubricus & contra ecclesiam indevotus. Anno sequenti MCCLI. Manfridus acceptis thesauris imperialibus in Siciliam transiens, regnum Siciliæ pro Conrado fratre suo gubernandum recepit, & ad defensionem suam & regni viriliter se munivit. Eodem anno Gvillelmus Rex prædictus Frixiam [Frisiam] sibi subjugare disponens, ipsam invadit. Frixones egressi conserto bello eum interficiunt, & usque in diem præsentem se suamque patriam in solita libertate olim eis a Karolo magno concessa conservant. Rex Conradus audita morte Gvillelmi regis adversarii sui valde lætatur, & nullum deinceps in Alemania contrarium habens in Italiam venire disposuit ad suscipiendum regnum Siciliæ & Apuliæ sibi a patre relictum. Interim Innocentius Papa contra Manfridum regem Siciliæ pro fratre regnantem magnum exercitum ducit. Sed Manfridus se defendens, viriliter compulit Papam redire Neapolim, ubi mora contracta post tempus modicum ille clausit diem extremum. Anno sequente scil. MCCLIII. Rex Conradus in Apuliam transiens, & una cum Manfredo, & Imperialibus partibus Neapolim obsedit & cepit, captamque muris in circuitu privavit, potentiores de terra suspendit. Anno sequenti, scilicet MCCLIIII. Rex Conradus reversus in Alemaniam infirmatur, & per artificium Clisterii in visceribus infuso toxico a medico venenatus, sicque vitam simul & regnum in Svevia terminavit. Meinardus Comes Tyrolis postmodum relictam Conradi in uxorem accepit: Manfridus autem intellecta morte regis Conradi fratris sui, Conradinum etiam nepotem suum falso mortuum prædicavit, & sumto diademate, faventibus sibi Siculis, se regem Siciliæ declaravit. Anno sequenti MCCLV. divulgata morte Imperatoris Frederici secundi, & Meinardo Comite Tyrolis & Goriciæ, qui per ipsum Imperatorem directus fuerat ad Austriæ regimen, ut pro ipso Imperatore ducatum illum regeret, recedente de Austria, miserunt Australes solennes ambasiatores, ecclesiasticos & seculares viros, in Mysniam ad Marchionem maritum Constantiæ, sororis prædictorum ducum, ut ab ipso peterent unum de filiis suis in Principem sibi dari. Cum autem ambasiatores illuc euntes regnum Bohemiæ introissent, rex Bohemiæ Boleslaus eorum adventum præsciens, honorifice illos suscepit, & in secreto colloquio sic allocutus est eis: O viri, quos adornat virtutum probitas, & carnis nobilitas, nostis me habere filium strenuum, virum famosum Ottokarum, Marchionem Moraviæ, ad omnes actus

bellicos

bellicos expeditum, quem optarem vobis principem fieri, si placeret, de quo firmiter sperare potestis, quod status vester, qui nutat & turbidus est, cooperante Deo & ejus industria & probitate, in melius poterit reformari, & in omnibus suis juribus conservari: Si vestri consensus accedat ad adminiculum, quilibet vestrum secundum statum ejus, [sciat] sibi adesse nostræ magnificentiæ largitatem. Hiis auditis ambasiatores prædicti super habenda insimul deliberatione se trahentes, ad partem, taliter responderunt: Domine Rex, super hoc nullum mandatum recepimus, sed a nobis per terras vestras securum conductum deposcimus, ut nobis commissa perficere valeamus. Ad hæc cum facies regis videretur esse turbata, consideraverunt viri prudentes, utilius esse redire in Austriam, quam in periculum majus incidere. Volentes igitur regis iracundiam & sævitiam declinare, ad suos compatriotas in Austriam redierunt. Enarratis igitur omnibus, quæ acciderant, oritur inter Australes dissensio, quibusdam dicentibus, recipiendum Ottokarum, quibusdam resistentibus. Interim Ottokarus, qui ex jussu Patris prædictos ambassiatores præambulos juxta utramque partem Danubii sequebatur, pene omnes, quos per loca illa reperit, tam muneribus quam promissionibus ad se traxit, & sic in Austriam veniens nemine resistente dominium apprehendit. Post hæc Ottocarus, ut se fortius in dominio roboraret, Margaretham reginam, filiam quondam Leopoldi ducis Austriæ, in uxorem accepit, quæ nuptiis exactis Imperiale privilegium consignavit marito, per quod jus plenum in omnibus bonis patrimonialibus se habere monstrabat. De quo valde gavisus Ottokarus omnia, quæ per ipsum gesta prospere fuerant, patri per literas & nuncios intimavit. Post tempus modicum currente an. MCCLV. Styrienses post mortem Leopoldi principe carentes Principatum Styriæ obtulerunt Henrico duci Bavariæ, qui cum rem ad socerum suum Belam Regem Hungariæ retulisset, & super hoc ejus consilium & auxilium postulasset, rex ipse minus fideliter agens subplantavit eundem. Nam statim cum quibusdam de majoribus Styriensibus procuravit, quod Styriæ dominium sibi fuit oblatum. Quod cum recepisset, Ottokarus, hoc audito multum condoluit, eo quod constaret, Styriam, sicut & Austriam, ratione uxoris suæ ad ipsum pleno jure pertinere. Sed injuriam istam dissimulans, in mente proposuit, tempus congruum exspectare. Cum itaque Rex Hungariæ suos officiales & præsides in Styriam destinasset, & illi tam populares quam nobiles in consvetis angariis intolerabiliter fatigarent, contra quos officiales murmurare ceperunt; officiales vero nutantes & sibi timentes ad propria redierunt, quibus egressis a Styriensibus Ottokarus evocatur, & cum magna lætitia & unanimitate omnium recepit Styriæ principatum. Interim Ottokarus audiens, quod pater ejus gravi morbo correptus erat, in Bohemiam transiit. Rex autem Hungariæ his auditis, in manu valida super Australes irruens, contra Wyennam contendit cum incendiis & rapinis. Quod cum Australes significassent, Ottokarus scripsit eisdem, quod cum tunc, pater ipsius diem clausisset extremum, & propter ejus exequias ordinandas subito redire non posset, mandabat eis pro treugis cum dicto rege fieri, & certum diem & locum ad celebrandum colloquium inter ipsum & dictum regem statui procurarent, quod & factum est. Convenientibus igitur ad colloquium prædictis rege & Ottokaro die ac loco statutis, tandem multis tractatibus habitis in hoc pariter convenerunt, quod Austria Ottokaro, & Styria nominato regi Belæ Hungariæ perpetuo remanerent. Hæc compositio Styriensibus summe displicuit pro eo maxime, quod se videbant exoso domino remansisse, & a Stephano filio regis Belæ, quem pridem expulerunt, gravius affligi timebant.

Auno Domini MCCLVI. Post mortem Regis Conradi Alexander Papa mandavit Electoribus, quod virum idoneum in Regem Romanorum eligerent. Quo mandato suscepto, convenerunt Electores pro celebranda electione. Cumque quidam de principibus Ottokarum, tunc regem Bohemiæ, in regem Romanorum eligi procurarent, ipse nimiam videns esse discordiam inter electores, procurantibus hoc fieri non assensit, dicens, se de data sibi divinitus gloria contentari. Electoribus igitur ad Electionem in discordia procedentibus, tres ex eis, scilicet, Magventius, (Magontinus) Ottokarus prædictus Rex Bohemiæ ac Palatinus in Alfonsum Regem Castellæ, cæteri vero quatuor electores, Treverensis, Coloniensis, Saxoniæ dux & Palatinus in Richardum Cornubiæ Comitem, fratrem regis Angliæ, consenserunt, ex qua discordia ubique regnum & sacerdotium sunt confusa. Quælibet enim partium prædictarum sua, quantum poterat, defendebat, Jura vero partis alterius impugnabat. Et sic deficiente justitia unusquisque, quod sibi erat libitum, faciebat. Eodem tempore inclytus Dux Karinthiæ Bernardus debitum naturæ persolvit, & in monte sancti Pauli de valle Laventina cum pristinis ducibus sepelitur, relictis duobus filiis ex filia regis Bohemiæ progenitis, Ulrico & Philippo. Ulricus autem in ducatum Karinthiæ & dominium Carniolæ successit. Post hæc anno currente MCCLX. Styrienses ab Ungaris incessanter afflicti suppliciter Ottokarum invocant, ut eis miserando succurrat. Quod Bela præsciens Stephanum filium suum mittit ad Styriam devastandam. Ottokarus violatam sibi pacem asserens in manu forti Styriam introivit, & cum immensa lætitia susceptus ab omnibus, quendam nobilem virum Bohemum Styriæ præsidem deputavit. Bela his auditis coadunato magno exercitu videlicet mille ducentorum armatorum intravit in Austriam. Cui potenter obviavit Ottokarus, cum Ottone Marchione Saxoniæ & Ulrico duce Karinthiæ, cum quibus erant circa M. C. armigeri. Cumque prædictæ partes ad invicem conflixissent, tandem Bela & Stephanus filius ejus graviter vulneratus, positusque est Hungarorum exercitus

citus in conflictum, de Hungaris fugientibus præter eos, qui gladio corruerunt, novem millia dicuntur in flumine fere submersi. Ottokarus autem cum suis insecutus Hungaros Hungariæ Terras devastat. Et nisi Bela de pace tractanda nuncios direxisset, eos ad nihilum redegisset. Sed Marchione & Duce prædictis ad faciendam concordiam, suas partes interponentibus, ad hanc clausulam est deventum, quod Bela Styriam cum omni suo jure, quod sibi in ipsam competeret, resignavit, & Stephanus filius Belæ neptem Ottokari, prædicti marchionis filiam in uxorem accepit. Et die statuta sunt nuptiæ solenniter celebratæ. Anno sequenti scilicet MCCLXI. Ottokarus in funiculis * nativitatis in iniquitatem trahens, conjugem prædictam Margaretam repudiavit, non aliud ei quam sterilitatis defectum (imputans) & tandem, ut fertur extingui per toxicum procuravit, moxque filiam Magni principis Regis Ruthenorum & Belæ Regis neptem miræ pulchritudinis in uxorem accepit. Hoc anno etiam Rex Manfredus invasit patrimonium Sancti Petri, cujus exercitum cum auxilio cruce signatorum fugavit Urbanus anno Domini MCCLXVI. Karolus Regis Franciæ frater Romæ Senator effectus, & a Clemente Papa IIII. in Regem Siciliæ coronatus, contra Manfredum in Siciliam tenebat exercitum magnum. Cui cum occurrisset Manfredus, multi de parte Manfridi perfidia vel ignavia ducti se ad partem Karoli pertraxerunt. Manfridus tamen hoc viso cum reliquis bellum aggreditur, sed tandem cum suis corruens ibi vitam finivit. Unde Carolus Siciliam & Apuliam cum titulo Regni Jerusalem est adeptus. Una filiarum Manfredi captiva ducitur, ne per ejus nuptias adversitas Carolo suscitetur, alia in Aragoniam ad consanguineos est delata. Eodem anno MCCLXVI. Conradus Regis Conradi filius a Senatu Romano & multis Italiæ civitatibus solatiatur, ac a nobilibus (admonetur) ut ad suum regnum Siciliæ sibi debitum, de manu Karoli Regis eripiendum, festinaret descendere, in quo ei promittitur multus favor. Qui percepta crebrius hac invitatione, adjunctis sibi Palatino & Frederico Marchione de Baden, Gerdrudis supra dictæ filio, cum multis aliis nobilibus & famosis descendens in Italiam, Romam pervenit, ubi a senatu, & Henrico fratre Regis Castellæ, urbis Senatore, gloriose receptus, cum Gerardo Comite Pysano, & aliis Italicis fidelibus Imperii ad se confluentibus, contra Karolum bellum paravit. Quo inchoato, Conradinus cum suis exercitum Caroli superavit in primo congressu, cumque populus Conradini credens obtinuisse victoriam, se dispersisset ad spolia, Carolus subito impetu irruens super eos, excitato ingenti clamore, bellum revocat. Conserta igitur pugna Conradinus capitur, & captivatus Neapolin adducitur. Cum autem Carolus quid de ipso & aliis captivis faceret, sollicite perquisisset, Ottokarus sibi consulendo mandavit, quod eorum vita sibi vel Ecclesiæ non erat expediens. Quod consuluisse creditur sibi timens, eo quod Conradinus de sanguine imperatorum, & Marchio de sanguine Ducum Austriæ pullularant. Cumque Comes Flandriæ Caroli gener persuaderet amicitiam vel parentelam fieri inter Conradinum & Carolum, prævalentibus contrariis consiliis acquievit Carolus, & Marchionem & Conradinum decollari mandavit. Conradinus autem ante suam decollationem omnia jura sua, quæ habebat in Sicilia & Apulia, consanguineo suo Petro Regi Arragoniæ legavit, & publice per suam chirothecam projectam in aëre resignavit. Anno Domini MCCLXVIII. Ottocarus profectionem parans in Prusciam, in Poloniam venit, ubi cruce accepta iter arripuit. Sed quod stagna ob hiemis levitatem gelata non erant, procedere non potuit. Cum autem frustra videretur venisse ad illius terræ præsidium contra incursum Leoniensium, castrum fortissimum, quod dicitur Mons regis, ibidem construxit. Deinde reversus ad propria intellecto, quod Ulricus, Dux Carinthiæ, debitum naturæ persolvisset, Brunonem, Episcopum Olmuzensem, misit ad petendum Carinthiam & Carniolam secundum pacta, quæ prius fecerat cum Ulrico. Ambo enim similiter pepigerant, quod si quis eorum sine legitimis hæredibus prius decederet, alter superstes decedentis dominia possideret. Sed secundum hoc nihil profecit Episcopus, nec obtinere potuit, nisi duo castra, quæ se sponte Ottocaro subjecerunt; Reliquas terras invasit Philippus frater prædicti Ducis Ulrici. Anno Domini MCCLXX. Ottocarus apprehendere cupiens Carinthiam & Carniolam, primo invasit Laybacum (Labacum) & id per obsidionem & violentiam in deditionem recepit, deinde in Carinthiam properans, eam tandem sibi subjecit, & privilegium terræ cum aurea bulla de ducatus investitura in civitate Sancti Viti sustulit, & in Bohemiam destinavit. Demum veniens in forum Julii portum Naonis acquisivit, ut a mari usque ad mare, & ad terminos orbis terrarum suam potentiam dilataret. Hoc autem castrum ab ecclesia Aquilegiensi Marchio Styriæ prius tenuerat, sed tunc nobiles de Castello & de Porcillis terræ illius incolæ ipsum insimul possidebant. Cumque una pars aliam pati non posset, illi de Castello prius subsequentes, illi de Porcillis castrum ipsum eidem Ottokaro vendiderunt, qui factus ex hoc vasallus Aquilegiensis ecclesiæ, in Austriam est reversus.

De Rodolpho,

Tandem anno Domini MCCLXXII. Rodolphus Comes de Habsburg, prædictis duobus electis suas electiones non prosequentibus, in regem assumtus est. Gregorius enim Papa nonus audiens, quod electores Imperii datione vel promissione munerum fuerant depravati, eisdem mandavit, ut animo sincero electioni faciendæ de persona laudabili deberent intendere. In diebus autem illis in superioribus partibus Svevorum erat ille Rodolphus Comes prædictus, Hermanni * Comitis Veteranæ militiæ

litiæ filius, vir sanguinis nobilitate, morum honestate ac armorum strenuitate famosus, & inter viros spectabiles computatus. Nam Meinardus vir tunc magnæ autoritatis, Comes Tyrolis tres sui temporis viros intra regni viscera, videlicet Albertum Seniorem Comitis Tyrolis & Goritiæ proprium genitorem, Rudolphum istum & Bernardum Carinthiæ Ducem super omnes alios commendabat. Principes igitur ad celebrandum electionem, die statuta Rudolphum istum concorditer elegerunt. Hic electus apud Aquisgranum se transferens anno MCCLXXIII. fuit cum ingenti honore maximoque omnium gaudio solemniter coronatus, quamvis Ottocarus Bohemiæ Rex, Henricus Dux Bavariæ & Gerardus gentis Sveviæ, istius Rodolphi gloriæ invidentes, de hac promotione multum doluerunt. Rudolphus iste in urbem * Rothenrunberg fecit generalem curiam proclamari, ad quam regni proceres, prælati & nobiles convenerunt, ibique de pace terrarum & de aliis utilibus & necessariis causis multa constituta & ordinata fuerunt, (&) investituræ de feudis factæ. Cumque ad hanc Curiam venisset Fredericus Salzburgensis Archiepiscopus, & a Rudolpho sua regalia recepisset, Ottocarus hoc audito, plurimum indignatus mandavit totam ejus diœcesin devastari, & posita ejus obsidione circa Frisacum, id tandem habito incendio concremavit. Ad hanc etiam Curiam venit Philippus, filius Bernardi olim Ducis Carinthiæ, dolens de pactis, quæ frater ejus Ulricus quondam cum Ottocaro fecerat, & de manu Regis Carinthiam & Carniolam suscepit in feudum. Tunc Ottocarus Rex, & Henricus Dux Bavariæ supra dicti non comparentes, iterum citati fuerunt ad secundam Curiam in Herbipolim, orientalis Franciæ civitatem primariam, de proximo celebrandam. Cum idem Rex Rudolphus die statuto tertiam (dictam) curiam celebraret, solennem supremus Pontifex illuc Cardinalem unum direxit, qui prælatis regni generale concilium celebrandum Lugduni denunciavit, Regem ex parte Papæ salutat, & eum ad imperii coronam invitat. Rex vero ad concilium Deo duce se promittens, Cardinalem susceptum honorifice cum gratiarum actione dimittit. Quia vero prædicti duo Principes ad hanc curiam non venerunt, citati sunt ad curiam statuto certo die tertio celebrandam. Ad hanc tertiam curiam Ottocarus misit Sectonensem Episcopum, Henricus vero Dux Bavariæ Præpositum Ottingensem, viros in utroque jure peritos. Surgens igitur prædictus Episcopus in medio procerum, conatus est exquisitis coloribus electionem Rodolphi, quantum potuit, vitiare, allegans inter alia, quod quasdam ecclesias spoliaverat, propter quod excommunicationis vinculo fuerat innodatus: ideoque inhabilis erat ad Imperii dignitatem. Rex autem benigne respondit, quod hæc coram literatis viris, non coram principibus, qui literaturæ vel juris notitiam non habebant, erant judicialiter pertractanda, unde ambassiatoribus indicto silentio, vix obtento securitatis conductu, ad suos Dominos inaniter sunt reversi. Quibus recedentibus Ottokarus & Henricus ab omnibus suis officiis seu feodis & juribus, quæ ab imperio dependebant, communi sententia omnium sunt privati. Rodolfus iste ex Anna uxore sua filia Burchardi Comitis de Aierloch (Hegerloch) suscepit tres filios, scilicet Albertum, Hermannum & Rodolphum, & quinque filias speciosas, pro quibus omnibus secundum dignitatem hujus seculi Deus tribuit grande nomen. Nam Rex unam filiam suum in uxorem tradidit Lodovico Palatino, de qua genuit Rudolphum Palatinum & Ludovicum Bavarum, qui hodie de Imperiali nomine gloriatur, alteram vero tradidit Alberto Duci Saxoniæ, qui ex ea genuit Albertum Pataviensem Episcopum & Duces Saxoniæ viros inclytos & famosos. Post hæc soluta prædicta curia Rex ambasiatorem suum scilicet Henricum Purgravium de Nurenberg mittit ad Ottocarum, per quem ei mandat, quod libere dimittere debeat sibi regna, Austriam, Styriam, Carinthiam & Carniolam, quas injustæ usurpationis titulo possidebat, & nihilominus Regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ, quibus propter suam contumaciam communi sententia principum privatus extiterat. Ottocarus autem prædicta mandata deridens, respondisse fertur: Non credat Rex, quod tam faciliter sibi reddantur, quæ arcu & gladio meo cum multo sudore acquisivi, & quæ ad me consanguinitatis & affinitatis tramite devenerunt; adjiciens, non modicum se mirari, quod proceres regni potentioribus prætermissis exilem Comitem ad regni fastigium extulerunt. Rex autem responsione audita dissimulavit, dicens in corde suo, cum advenerit tempus, ego justitias judicabo. Anno Domini MCCLXXIIII. Gregorius Papa concilium generale celebravit Lugduni quæ est civitas supra Rodanum olim de regno Arelatensi, & de jurisdictione Romani Imperii. Soluto prædicto concilio Papa transtulit se Losanam, ubi Rex Rudolphus obviavit eidem, & inter se habito colloquio super multis, Papa Regem ad coronam imperii recipiendam in Italiam convitavit, rogans, ut in passagium in subsidium Terræ Sanctæ se præpararet. Rex vero cum magna maturitate respondit, se pro tunc non posse transire, nisi prius imperii negotia, quæ multum inordinata fuerant, in melius reformaret: sed cum se facultas offerret, libentissime pariturum. Papa vero ejus responsione contentus, ipsius electionem approbans, eam auctoritate apostolica confirmavit, rogans, & suadens, ut ipse Rex filiam suam filio Caroli, qui vocabatur Martellus, Regis Siciliæ matrimonialiter sociaret. Cui Rex conjugii pacta firmavit, & ecclesiæ Romanæ Romaniolam, quam prius eidem ecclesiæ donasse dicitur Otto quartus, per imperialia privilegia confirmavit, renuncians etiam advocatiis & aliis juribus, quæ sibi prius Imperatores in terris Ecclesiæ vendicabant. Quibus omnibus expeditis, in Alemanniam est reversus. Sequenti anno Australes & Styrenses ad Regem

Rudolphum ambasiatores miserunt, supplicantes eidem, ut contra Ottocarum eos diversis angariis crudeliter opprimentem, eis succurrere dignaretur. His auditis Rex collecto exercitu in Austriam properavit, Viennam obsedit per sex menses, totum ei territorium demolitur. Interim Meinardus Comes Tyrolis Carinthiam & Styriam ad jussum regis intravit, & brevi tempore nobiles, civitates & populos ad regis obedientiam inclinavit. Quibus auditis Rex plurimum exultavit. Viennenses etiam nimia constricti angustia regiæ gratiæ se submittunt, libertates solitas suæ civitatis poscentes instrumentis & literis regis solidari, quod Rex libenter annuens civitatem ingreditur. Ottocarus autem se artatum conspiciens petito a Rege colloquio, reconciliatus est regi per compositionem amicabilem in hunc modum: ut de manu regis per susceptum gladium Bohemiam & Moraviam, fidelitate facta, susciperet. Omnes alias terras reddidit, obsides nobilium relaxavit, pro filio suo Wenzeslao cum regis Rudolphi filia sponsalia celebranda firmavit. His actis & statuto termino pro celebrandis nuptiis, ambo læti ab invicem discesserunt. Cum autem Ottocarus in Bohemiam rediisset, & Reginæ consorti suæ, formam reconciliationis, & omnia, quæ acta fuerunt, seriosius enarrasset, ipsa ei vilem & ignominiosam compositionem improperans, sic ejus animam ab omnibus, quæ tractata & stabilitata fuerant, revocavit, ut statim Rudolpho Regi scriberetur, in compositione prædicta secum injuste actum: ideo repetebat terras in ejus manibus resignatas sibi restitui. Quod nisi fieret, bellum indicebat eidem. Quo audito Rodolphus Rex Regem Hungariæ, Svevos, Australes, Carinthianos, & Styrienses advocans, magnum exercitum congregavit. Ottocarus autem Regem Ruthenorum, Bohemos, Polonos & Saxones, Misnenses, Moravos & Turingos largis oblatis stipendiis convitavit ad prælium, in quo habuisse creditur XXX. milia pugnatorum. Congregatis igitur exercitibus, dispositis aciebus, conseritur bellum, in quo tandem Ottocarus, quamvis longe plures numero secum haberet, enervatus ab Ungaris & Australibus ante Novam civitatem gladiis est prostratus & obtruncatus. Rudolphus Rex post hanc victoriam habitam Bohemiæ regnum aggreditur, illud cum hæredibus Ottocari satagens dissipare. Cumque civitatem Pragensem appropinquasset, multi principes existentes cum ipso compositioni dantes operam, rem ad propria beneplacita perduxerunt. Veniens igitur Rex in Slaviam, celebrata ibidem curia, concordiam stabilivit, reginam relictam Ottocari & ejus pueros blanditiis leniens, diem de complendis nuptiis inter filiam suam & Wenzeslaum Ottocari filium Regis Bohemiæ ordinavit, & solenniter celebravit. Anno sequenti scilicet MCCLXXXVII. Rex Rudolphus reversus in Austriam, a Stirianis, Carinthianis & Carniolanis fidelitate recepta terrisque ipsorum per Comitem Meinardum & alios suos officiales dispositis, venit in vallem Anasii, ibique reperiens Hermannum, filium suum, in Reni fluctibus fuisse submersum, gaudium habitum convertit in luctum. Deinde disposita Styria, reversus in Austriam, reginam ejus consortem dilectam reperit in ultimis laborare, quæ tandem defuncta & cum immenso dolore sepulta. Tandem consolationem recipiens, filiam suam in Apuliam filio regis Caroli, sicut Gregorio Papæ promiserat, cum nobili societate principum & multa gloria destinavit, quæ ipsi Carolo peperit Carolum Regem Hungariæ, & Clementiam, quæ postea facta fuerat Regina Franciæ, & aliam filiam, quæ facta est postmodum domina Delfinatus. Eodem anno Rex ipse Rodolphus novissimam filiarum & conjugem tradidit Ottoni filio ducis Bavariæ, quæ tamen sine filiis intra breve temporis spatium est defuncta.

Hic Imperator Rodolphus celebrat Curiam.

Anno Domini MCCLXXXVI. Rex Rudolphus in Augusta civitate solennem curiam celebravit, in qua ejus filius videlicet Rudolphus, & Albertus, & Comes Meinardus de Tyroli cum aliis principibus & proceribus regni præsentes fuerunt, ibique præfatus Rex regalibus indutus de consensu & approbatione cunctorum principum ibidem astantium filium ejus Albertum ducem Austriæ, Stiriæ ac Carniolæ dominum; Rudolphum vero ducem Sveviæ designavit, Comitem vero Meinardum Carinthiæ ducem instituit, a quo fertur recepisse mutuo XX. milia marcarum argenti obligata sibi Carniola pro pignore. Eodem anno Dux ipse Meinardus in Calendis Septembris in sedem sui Ducatus secundum consuetudinem diutius observatam prope ecclesiam Sancti Petri sub monte Carinthiano sitam, super quodam lapide præsente Comite Goriciæ, qui est terræ illius Palatinus, cum quibusdam ceremoniis intronizatur solenniter. Cum hæc acta fuissent, Albertus Comes Goritiæ fraternæ gloriæ visus invidere, feuda sua, quæ ibi habebat, a fratre suo recipere recusavit, petens filium suum investiri. Quod cum Meinardus facere recusasset, amicis & propinquis se interponentibus & Albertum redarguentibus, judicatus est Albertus finaliter ad recipiendam investituram a fratre suo. Anno sequenti scilicet MCCLXXXVII. Cum Rex conjugem non haberet, filiam ducis Burgundiæ in uxorem accepit, ut per ipsius ducis Consilium & favorem regnum Arelatense cæterasque terras, quæ in Burgundia, & in Provincia per Regem Francorum & alios principes tenebantur injuste posset ad manus Imperii revocare. Interim inter Albertum præfatum ducem Austriæ & Archiepiscopum Saltzburgensem orta est dissensio grandis ex eo quod ipse Albertus dux quædam castra ecclesiæ petebat sibi dari in feudum, quod præcise Pontifex ipse facere denegavit. Porro dictus Albertus suum ducatum caute gubernans ex uxore sua Eliezabeth filia Meinardi ducis Carinthiæ filios genuit videlicet Rudolphum, Fridericum

&

& Lipoldum, Hinricum, Albertum & Ottonem, & filias quinque videlicet Agnetem, Eliezabeth, Annam, Catharinam & Gretam. Anno Domini MCCLXXXIX. Rex Rudolphus misit ad Comitem Burgundiæ repetens civitatem Bisantiam cum pertinentiis suis, quæ asserebat ad imperium pertinere. Cumque Comes de subsidio regum Francorum confisus, petita restituere denegasset, Rex in Burgundiam cum exercitu valido introivit, & castra sua ex una parte Danubii (Dubis) fixit, Comes vero ex altera. Cum autem Rex Francorum se ab auxilio Comitis retraxisset, & eidem de concordia consuluisset, Comes ad Regis Rudolphi mandata veniens, civitatem & se sibi submisit, & certis pactis inter ipsos firmatis, inter amicos Imperii familiarior est effectus. Anno Domini MCC. nonagesimo primo Rodolphus Rex prædictus graviter infirmatus, & tam labore quam senio prægravatus, in civitate Spirensi mortuus, sepelitur, cum regnasset annis XVIII. & mensibus VI. Eodem anno moritur Rudolphus filius ejus, Dux Sveviæ, vel Svevorum, relicta uxore gravida, quæ postea peperit posthumum Johannem.

De Adolpho Imperatore.

Adolphus Nassoviæ Comes eodem anno MCCXC. primo fuit in Regem Romanorum electus. Appropinquante enim die ad celebrandam electionem novi principis constituta, cum electores convenissent in unum, & præsul Maguntinus pro meliori nominasset Albertum, Austriæ ducem, ab omnibus aliis est responsum: Albertum quidem dignum esse imperio, sed non esse justum, nec expedire etiam, filium in imperio immediate succedere patri. Ideoque tunc omnes principes concordes & unanimi sententia Adolphum Comitem supra dictum virum virtutibus celebrem, & in præliis strenuum & famosum in Romanum principem elegerunt. Qui cum esset absens, vocatus per principes, venit in Aquisgranum cum ejus conjuge, & multa lætitia coronatur. Albertus vero Dux Austriæ supra dictis exasperatus laboribus & expensis, spe sua & de promissionibus sibi factis frustratus, ad superiora rediit, & terram Constantinensis Episcopi devastavit, civitatem Turigii (Turegi) & Castrum Nelemberg & ejus districtum destruxit. Tandem Adolphus ab Alberto insignia imperialia, quæ in Castro Cyburg fuerant, postulavit. Quibus redditis, & feudis ab ipso susceptis, fuit reversus in Austriam, ubi sedatis adversitatibus & molitionibus aliquorum, dum in Judunburg sederet ad mensam, per quendam suum secretarium in piris, quibus libenter vescebatur, extitit venenatus, sed venenum jam diffusum per viscera auxilio medicorum per unum oculum est excussum, & sic liber evasit. Interim Adolphus ad summum pontificem pro electionis suæ approbatione ac confirmatione transmisit Comitem de Offingue, qui petita statim cum multo gaudio reportavit. Hoc tempore in regno Hungariæ per mortem Andreæ regis patris Belæ Hungariæ regis, uxor ejus viduatur, quæ soror fuerat Marchionis Estensis, (&) quod filium ex ea non habuit, de regno expetitur exire; cumque redisset ad solum natale, frater ejus Marchio eam recepit in Jadria. Ipsa vero antequam navem conscenderet, se monstravit claris indiciis, esse prægnantem. Existens igitur penes fratrem, adveniente partus tempore, peperit filium, qui Andreas nomine patris sui est vocatus. Successu temporis hæc domina cuidam nobili civi Venetiarum de domo Mauricenorum matrimonialiter est conjuncta. Hæc cum puerum regaliter educasset, videns posteritatem regni Hungariæ jam cessasse ipsum Endreæ regis Hungariæ esse filium publicavit. Qui demum fultus quorundam nobilium Hungarorum subsidio regnum potentialiter introivit, & ut thronum suum fortius stabiliret, Agnetem, filiam regis Alberti seu ducis Austriæ, sibi per matrimonium copulavit.

Anno Domini M.CCLXXXXII. Rex Adolphus ab Alberto & Meinardo ducibus pro investituris suorum feudorum exegerat pecuniam excessivam. Quod (cum) moleste ferebant, orta est gravis dissensio inter eos, propter quam, facta conspiratione contra regem per quosdam potentes, Lodovicus filius ducis Meinardi capitur, & multi alii nobiles in exilium mittuntur, & alii decollantur. Tunc Adolphus, ut se roboraret in regno, filiam regis Bohemiæ filio suo recepit in uxorem, aliasque parentelas contraxit, videlicet, cum duce Bavariæ Palatino, & cum Henrico Burggravio de Nurenberg. Anno Domini M.CC.XCV. Dux Meinardus obiit. Filiis suis, scilicet Lodovico & comiti Hinrico magnum thesaurum reliquit, ducatum & comitatus prædiis & possessionibus augmentavit, & in monasterio Sancti Johannis in Stanis (Stambs) sepelitur, quod ipse sumtuoso opere pro ordine Cisterciensi construxerat, excommunicatus tamen, quod multas ecclesias in suis bonis multum damnificaverat. Sed abbas ejusdem monasterii postea de Romana curia filiis & patriæ absolutionem cum gaudio reportavit.

Anno Domini MCCXCVI. Adolphus in Misniam & Thuringiam duxit copiosum exercitum, ut incolarum insolentias, qui quasdam insolentias & commotiones ibidem fecerant contra jura Imperii, reformaret, & fideles imperii multum oppressos in suis juribus defensaret. Quibus feliciter expeditis, est reversus ad propria. Ex tunc autem cepit insolentius agere, res & jura ecclesiæ contra justitiam infestare. Civitatem novam construxit, ad quam homines ecclesiæ Maguntinensis multorumque nobilium invitavit, & sic veros dominos suis obsequiis spolians suæ libertati donavit. Benemeritos nobiles humiliavit, viles & degeneres exaltavit, salutis & honoris sui monita pro nihilo reputavit, propter quod factus est quasi omnibus odiosus. Postmodum igitur temporis, videlicet anno domini MCCXCVIII. Wenceslaus, Bohemiæ Rex, filius quondam Ottocari, ad coronationem suam & conjugis

 suæ,

suæ, quæ Alberti soror erat, ipsum Albertum & præsulem Coloniensem invitavit, ad quam ambo multa nobilium comitativa se personaliter transtulerunt. Cumque hujus festi gaudia cum magnificentia multa exacta fuissent, videns præsul potentiam & gloriam ipsius Alberti, eum svasionibus multis ad regimen invitat, & Adolphum pro enormibus excessibus, tanquam omnibus odiosum, deponendum affirmavit, & regnum eidem Alberto tradendum firmiter asseverat, si rex Bohemiæ sororius suus sibi velit assistere. Ipso igitur Rege suum favorem & auxilium promittente, Albertus statim Hinricum ducem Carinthiæ cum magna summa stipendiat, & electam militiam congregans, versus Maguntiam properat. Adolphus hæc audiens eum insequitur, dumque ad quendam locum ambo ruralem juxta Maguntiam in simili causa colloquii convenissent, Maguntius præsul, qui cum Alberto erat, regi Adolpho suos excessus in faciem ejus exprobrans, eum excommunicatum, suæq; fidei violatorem & perjurum asserit, pro eo maxime quod magna quantitate pecuniæ a rege Anglorum recepta, eidem sub juramento promiserat magnum præstare subsidium contra Regem Francorum, quod postea penitus attendere non curavit. Indignum igitur [ad] regnum Romanorum eum esse pronunciat, & assentiente rege Bohemiæ, Marchione Brandenburgensi & duce Saxoniæ ibidem præsentibus, Albertum dignum regem Romanorum, & utilem ecclesiæ defensorem in omnium audientia promulgarunt. Quo facto Albertus circa Urbantiam castra locat; Adolphus autem electa multitudine armatorum de Orientali Francia de partibus Rheni cum Ottone duce Bavariæ & Rodolpho Palatino in ejus opposito tentoria fixit. Statuta igitur die belli & dispositis aciebus prælium inchoatur, in quo cum Adolphus inconsulte pugnans galeam de capite sublevasset, Albertum insequitur inclamans post eum, Albertus autem videns eum facie detectum, primo ictu gladii eum super palpebram oculi vulneravit, de quo ictu connubilato vultu, ex multa sanguinis effusione per terram prostratus, tandem repertus est mortuus. Otto vero Bavariæ dux & Palatinus cum sequacibus suis commisso forti prælio, videntes Adolphum prostratum terga verterunt, Alberto victoriam relinquentes. Regnavit autem Adolphus annis VI. & mense uno. Albertus autem dux Austriæ anno domini MCCXCIX. Adolpho interfecto regnare cepit per modum superius enarratum. Raymundus Patriarcha Aquilegiensis moritur, & Petrus substituitur Eodem anno Lodovicus, Otto & Henricus Duces Carinthiæ, filii quondam Meinardi ducis, novam militiam & curiam in civitate sancti Viti solenniter celebraverunt. ad quam de diversis partibus multi principes & nobiles convenerunt, & ibidem suarum divitiarum & potentiæ gloriam ostendentes, nomen suum longe lateque per regiones alias diffuderunt. An. Domini M. CCC. bellum inter regem Francorum & Flandrienses constitutum est, in quo bello innumerabilis multitudo nobilium Franciæ dicitur corruisse. Anno eodem rex Francorum in Civitate Tulnensi [Tullensi] & rex Albertus ad colloquium convenerunt, ibique habitis multis tractatibus maxime de causa Flandrensi tandem parentela invicem pro filiis contrahenda firmata, data est Blanca regis Francorum filia Rudolpho, primogenito regis Alberti, quæ tamen in angusta [f. Augusta] gloriose transducta infra tempus breve sine prole decessit. Anno domini MCCCII. Rex Albertus solennes ambassiatores [misit] ad Bonifacium summum Pontificem approbationis & confirmationis beneficium postulans exhiberi. Quibus Papa tandem respondit: occidisti & possedisti; Replicans quod Albertus Adolphum suum Dominum & verum Imperatorem occiderit, & injuste regnum ipsum occupaverit; adjiciens etiam, quod Regina, conjux ipsius, soror fuerat, Conradini de radice tortuosi colubri, videlicet, Friderici secundi, hostis & persecutoris ecclesiæ, procreata. Non advertit tamen, quod, licet ipsa Conradini soror fuisset ex matre una, patres tamen diversos habuerint. Conradinus enim, ut dictum est supra, filius fuit regis Conradi filii Friderici; uxor autem ipsius Regis Conradi Elizabeth, quæ fuit mater Conradini & soror Ducum Bavariæ, post mortem ipsius Conradi viri sui nupsit Meinardo, duci Carinthiæ, de quo genuit uxorem Alberti. Hoc anno Domini MCCCII. moritur Andreas Rex Hungariæ, & regis Alberti sororius, nullo hærede relicto. Tunc Carolus secundus Apuliæ & Siciliæ Rex, qui claudus erat, inter cæteros alios filios suos habuerat primogenitum, qui Carolus Martellus fuerat nominatus. Hic cum mortuus esset Romæ, filium puerulum dimisit, qui etiam vocatus est Carolus Rubertus dux Calabriæ. Audita vacatione regni Hungariæ caute tractavit, quod ab ecclesia Romana & a patre suo Rege Carolo peterent ipsum puerum in Regem Hungariæ sibi dari, quod principes illi libenter fecerunt, credentes se posse facere de rege tam juvene quicquid vellent. Cumque ad hoc impetrandum ad curiam Romanam & ad regem solennes nuncios misissent, Rex Carolus & Papa petentibus assenserunt. Tunc ergo cum gente pauca missus est Carolus iste juvenis in Hungariam, & deputatus est eidem Cardinalis legatus, qui eidem assisteret, & contradictores per censuram ecclesiasticam coërceret. Tunc Otto dux Bavariæ, qui fuerat filius filiæ Belæ regis, vocatus ab Hungaris capitur, & angustatus de illis partibus vix evasit. Filius quoque regis Bohemiæ, qui ex matre patris sui de sanguine Belæ Regis prodierat, invitatus ad regnum in Hungariam properans, bonam partem circa metas Hungariæ conquisivit. Sed cum Papa favens Carolo, adversantes excommunicasset, Rex Bohemiæ filium revocavit. Carolus vero in monasterio Belefontis Cisterciensis ordinis degens, adversa & aspera multa sustinuit, quo usque divina sibi favente clementia depressis adversariis regnum potentialiter est adeptus. Tandem filiam Ladislai Regis Poloniæ dominam Elizabeth matrimonialiter in uxorem

uxorem copulavit, ex qua plures filios & filias generavit, & affluentiam divitiarum & prosperitatis gloriam augmentavit. Hac de causa Robertus postmodum patre suo Carolo decedente, successit in regno Apuliæ, de quo facto illo Carolus postmodum graviter est conquestus. Hoc tempore crescente discordia inter Bonifacium Papam & Regem Francorum ac cæteros alios principes, qui se reputabant offensos ab ipso, misit Papa ad Regem Albertum, quod ad eum solennes nuncios destinaret. Quod cum ad eum misisset Comitem Helberandum, dixit eidem Papa, quod approbationis & confirmationis gratiam vellet Alberto impertiri, tamen sicut fertur volebat, quod rex ipse quempiam suorum per matrimonii vinculum suo sanguini commisceret. Quo audito Rex lætus assensit, statimque Papa ipsius electionem approbans, eum de Papatus plenitudine dicitur confirmasse ac cum ipso super crimine læsæ majestatis ob mortem Adolphi dispensans, eum ad coronam imperii per Hinricum abbatem, imperatoris Henrici cancellarium, evocasse, qui factus est postmodum episcopus Tridentinus. Deinde Papa conformitate regalis amicitiæ confortatus concilium Romæ indicit, processus contra regem Franciæ dictaturus. De diversis mundi partibus, & maxime de regno Franciæ prælatos convocat, quos tamen Rex Franciæ venire prohibuit, quinimo Rex ipse convocatis prælatis Franciæ, doctoribus & magistris, quos Parisiis habere potuit, contra Papam proposuit diversos articulos hæresin concludentes. Sequenti anno Domini MCCCIII. Bonifacius Papa se Anagniam transtulit, ut processus inciperet contra regem Francorum. Rex autem hoc comperto Colomnensem ad se vocat cum Gregorio de Nugareto militem cum pecuniis & militibus transmisit Anagniam. Qui civitatem ingressi, faventibus civibus & quibusdam Papæ familiaribus, assensum præstantibus Papam ceperunt. Post modicum spatium cives ducti pœnitentia Francigenas expulerunt. Papa vero in hoc turbine adhuc remanente, subito venerunt Ursini, & eum reduxerunt in urbem, ubi post dies paucos debitum humanæ naturæ persolvit. Sedit autem annis VIII. mensibus XI.

Anno Domini MCCCIIII. Rege Klisye [f. Slesiæ id est Poloniæ Primislao] mortuo, unicam ejus filiam rex Bohemiæ Wenzeslaus, filius quondam Regis Ottocari, duxit in uxorem, regnum illud adjiciens suo regno. Quod moleste ferens Albertus, asserens regnum illud ad imperium devolutum, coadunato exercitu, Bohemiam est aggressus. Sed adversitate hiemalis temporis obsistente, nihil proficiens, ad propria rediit. Interim Rex Bohemiæ filiam suam, Annam nomine, Henrico, duci Carinthiæ sororio regis Alberti, matrimonialiter copulavit, sperans ex hoc Regis Alberti animum mitigare. His nuptiis celebratis post modicum tempus Wenzeslaus Rex Bohemiæ diem clausit extremum, relicto unico filio, qui propter juventutis suæ insolentiam paucis regnavit diebus, & a quibusdam nobilibus interfectus est. Sequenti anno scilicet MCCCV. Regno Bohemorum vacante, quidam de principibus Bohemis Henricum, ducem Carinthiæ, quondam sui Regis generum, ad Bohemiæ regnum evocant, quidam vero in Rudolphum, filium Alberti regis Romanorum, consentiunt procurantes, quod relictam Regis Bohemiæ accipiat in uxorem. Henricus Dux Carinthiæ recepta Bohemorum legatione, electam congregans militiam cum Stephano Duce Bavariæ Bohemiam introivit, [f. exceptus] ab his, qui vocaverunt eum. Rex vero Albertus electioni factæ de filio suo præbens assensum, cum forti brachio in Bohemiam veniens, inter reginam viduam & Rodolphum filium suum nuptias solenniter celebrat, & tandem a nobilibus Bohemiæ in regni solio stabilitur. Henricus igitur Dux, licet magnam haberet regni partem considerans sibi tutum non esse cum sororio suo Romanorum principe arma conserere, relinquens Bohemiam redit ad montana. Quod videntes, qui suæ partis fuerant, animo consternati Rudolphum in suum Regem unanimiter susceperunt. Albertus autem filio firmato in regni solio in Alamaniam est reversus.

Anno Domini MCCCVII. Rudolphus prædictus Rex Bohemiæ dissentive [f. dissenteria] gravatus diem clausit extremum, relicta uxore prægnante, quam Rex Albert9 in Austriam evocavit, deliberans, antequam de regno Bohemiæ aliter se impediret, finem partus ipsius exspectare. Eodem tempore Hinricus dux Carinthiæ iterato vocatur ad regnum adveniens, ab omnibus Bohemis suscipitur, in civitatibus & castris suos officiales instituit & pacifice regno toto potitur. Interim nurus Alberti Regis filium peperit, ad quem dixit Rex ipse, regnum Bohemiæ hereditario jure spectare, pro quo consequendo cum exercitu valido Bohemiam intrat. Sed tandem obsistentibus sibi Conrado de Honestayn, ibi præside pro Henrico, & gravitate hyemis instantis & victualium inopia, relicta Bohemia, in Alemaniam rediit. Tunc mandat Carinthiam & Carniolam per Fredericum ejus majorem filium præsidem Austriæ, [&] per Ulricum de Balse, capitaneum Styriæ, potenter invadi. Qui cum auxilio præsulis Saltzburgensis terras prædictas aggressi, eas tunc potentioribus propter absentiam Henrici vacuas, brevi tempore sub regis Alberti dominio submiserunt. Ulricus de Walse institutis officialibus de Carinthia, & receptis civium sacramentis, in Styriam est reversus. Comites vero Goritiæ & de Ortenburg, quæ acquisierant, in Carniola auctoritate ducis Austriæ pro suis stipendiis multo tempore tenuerunt. Henricus autem, dux Carinthiæ, Bohemorum regnum retinuit, in cujus regnum nimium deses fuit, contra ecclesias & monasteria suos grassari permisit, propter quod sibi multorum odia & inimicitias suscitavit. Interim propinato sibi veneni poculo unius orbatione oculi vix evasit. Vir iste autem corporis fortitudinem, [&] pulchritudinem pietate ac libertate animi decorasset, si [f. nisi] senior ad correctionem excessuum extitisset. Anno Domini MCCCVIII. Rex Albertus

bertus contra Mysnam & Bohemiam gerens animum acerbatum, caute se præparat, regnum circuit, fidelibus suis suum propositum aperit, cumque in civitatem, quæ Winterthur dicitur, intravisset, secum habuit multos principes, præsulem Maguntinum, Spyriensem Episcopum, Ludovicum Bavariæ ducem * Sveviæ sororis filium, Leopoldum ejus filium, & Johannem ducem Sveviæ, fratris sui quondam Rudolphi filium, cum multis nobilibus, qui ejus curiam sequebantur. Eis autem omnibus existentibus, in mensa rex volens eis præstare solatium singulis porrigi serta fecit. Johannes autem prædictus dux Sveviæ fratris sui filius dum rex eum alloqueretur, ut operam daret lætitiæ, respondit: O domine mi Rex, dudum meus tutor fuistis, nunc transacta infantia floridæ juventutis ramos accepi, non sertis puerilibus æstimo mihi meum dominium restauratum, sed sicut sæpius supplicavi, adhuc supplico mihi mea restitui, ut nomen & rem principis videar obtinere. Ad quem Rex ait: Salva sint tibi omnia tua, nepos bone, nec sub nostra tutela susceperunt diminutionem aliqualem, sed augmentum; sicut experieris breviter, cum tibi omnia dimittemus. Rex ulterius progrediens ad aquam, quæ dicitur Ruscha, pervenit, & primus navem cum Johanne Duce & quibusdam aliis nobilibus intravit, & ceteris navis reditum in alio littore fluminis expectantibus, se fecit transferri. Cumque Rex cum Johanne Duce suisque complicibus, scilicet de Palma & de Wartha & de Eschelbac, viris nobilibus, aquam transisset, & una cum eis clivum montis paulatim ascenderet cum solatiosis colloquiis; prædicti nobiles, Satanæ filii, ducem Juvenem secreto susurro alloquuntur, dicentes: quid facis, ecce dies, quem sæpius optasti! Ecce locus desideriis tuis aptus! quid præstolaris ulterius? Tunc juvenis animatus pugionem eductum pectori regis infixit, eumque juvantibus impiis lethali vulnere sauciavit. Rex circumquaque prospiciens auxilium exclamavit, sed facinoris (conscii) fugientibus, nullo ei opem ferente, ad montis planitiem se reduxit. Tunc Spirensi Episcopo & aliis, qui jam aquam transierant, accurrentibus, omnium ejulatus & ploratus invaluit. Rex vero in gremio præsulis se inclinans, spiritum commendans Domino exspiravit. Autores sceleris ad sua castra se reducentes, Johannem ducem absque omni consilio & spe vacuum, suæ salutis dubium abegerunt. Leopoldus autem prædictos autores persequens illos miserabili morte, rotarum videlicet inflexione, peremit, suosque filios & uxores de terra radicitus extirpavit.

Henricus VII. Comes de Luczhunburg torvis oculis, Anno Domini MCCCVIII. post mortem Regis Alberti fuit in Regem Romanorum assumptus, vir in bellicis actibus strenuus, in justitia & virtutibus aliis valde famosus. Henricus iste, cum prius haberet fratrem satis juvenem nomine Balduinum studiis liberalibus insistentem in Francia cum Regina & Rege Franciæ, quibus gratus extiterat, procuravit dictum suum fratrem in Archiepiscopum Trevirensis ecclesiæ tunc vacantis assumi. Quo assumto, & solenniter per Clementem Papam Pictavis in Episcopum consecrato, Maguntinus præsul vocavit eundem & alios electores imperii, ut certa die & loco solito ad tractandum & providendum de electione futuri principis convenirent. Eis igitur convenientibus primo in quodam pomerio Rense super litus Rheni secundum consuetudinem, deinde in Francfurt in festo beati Galli habito colloquio & tractatu omnium præsentium & absentium, & qui transmissi erant responsales, tandem in præfatum Henricum Comitem vota omnium unanimiter convenerunt, statimque Rex Romanorum cum laudibus acclamatur. Sequenti anno in Epiphania Domini una cum Margaretha ejus consorte, quæ fuerat filia Ducis Brabantiæ, in sede Caroli juxta ritum antiquum cum multo gaudio coronatur. De hac autem ejus consorte receperat filium unum nomine Johannem, quem postea fecit Bohemiæ Regem, ut infra dicetur, & duas filias. Una earum postea fuit Regina Franciæ, alteram vero duxerat Carolus Rex Hungariæ. Anno eodem cum Rex Henricus venisset in civitatem Spirensem, nobiles Bohemorum, videlicet de Lippa, de Wartenberg, de Leuthunburg cum quibusdam prælatis religiosis ad ipsum Regem Hinricum veniunt, dicentes, Regem Henricum Ducem Carinthiæ de facto, non de jure Regem Bohemiæ, negligenter, & improvide regere regnum suum, nec sub ejus regimine posse regicolas pacis tranquillitate gaudere, propter quod principi supplicant, ut tam regno quam civibus de oportuno remedio providere dignaretur. Ut autem eorum preces desideratum sortiantur effectum, supplicant, ut filiam quondam sui regis, Eliczabeth nomine, quæ sola de tribus filiabus innupta remansit, tradat in conjugem filio suo Johanni, quem Imperiali auctoritate Regem Bohemorum faciat & declaret. Rex autem ambasiatoribus auditis Bohemorum, & eis gratiose dimissis, duos Comites in Bohemiam mittit, qui de prædictis omnibus veritatem inquirant, & si sic repererint puellam, si possent, adducant. Redeuntibus igitur dictis Comitibus cum puella inter ipsam & Johannem, Regis filium, nuptias solenniter celebrant, & Johannes Rex Bohemiæ publice per Imperatorem & alios nobiles acclamatur. Hoc tempore Fredericus dux Austriæ, ut statum suum per antiquam parentelam & amicitiam augmentaret, mittit ad Henricum Bohemiæ Regem & avunculum suum, insinuans, se cum beneplacito fratrum suorum velle cum ipso amicitiæ vinculum reformare, & terras eidem ablatas per pacta convenientia restituere, ut inter ipsos pax perpetua conservetur. Hæc placuerunt Henrico, sed quia jam angustatur pro his expediendis Bohemiam relinquere non volebat, Otto frater ipsius cum duce Frederico in Vyllacum convenit, ubi actum extitit, quod de quadam summa pecuniæ XX. milia marcarum,

pro

pro qua Meinardo patri ejusdem Henrici Carniola fuerat impignorata, per Regem Albertum tantum defalcaretur, quod per sex milia marcarum tantum redimeretur a ducibus. His igitur tractatibus & conventionibus habitis, inter eos reconciliationis & pacis fœdera sunt firmata, ita quod Carinthia & Carniola officialibus australibus ad propria revertentibus ad possessores pristinos sunt reducta. Quo facto Dux Fredericus alta sæpe trahebat suspiria, quod propter metum Henrici principis Romanorum avunculum suum turbatum in Bohemia non poterat adjuvare. Eodem tempore Rex Henricus Johannem filium suum cum copiosa militum multitudine mittit in Bohemiam cum episcopo Moguntino Rodolpho Palatino & multis aliis nobilibus, quos credidit aptiores. Quo intellecto Henricus Marchionem Misnensem, sororis suæ filium, advocat, qui cum sexcentis militibus in ejus succursum veniens, civitates & terras ab adversariorum ingressu viriliter defendebat. Tandem per tractatum præsulis Maguntini treugis indictis & pendentibus, Pragenses Johanni portas aperiunt, & cum multo gaudio recipiunt novum regem. Marchio Misnensis cernens potentiam Johannis invaluisse, patre etiam eum vocante, dolens, quod avunculum suum juvare non poterat, jussu patris inde discessit, & cum rediret ad propria in provincia sua super aquam, quæ Alstra vocatur, per quosdam suos æmulos est occisus. Henricus autem & ejus consors anxii, quod de regno securum exitum invenire non poterant, tandem per nobilem virum Fridericum Burgravium cum omnibus adhærentibus securi fuerunt extra regni metas adducti, qui ad montana propria revertentes, absque reditu Bohemiam reliquerunt. Præsul itaque Maguntinus cum terræ nobilibus in præsentia omnium qui secum advenerant, Johannem Regis filium tunc annorum XIIII. in throno regio collocans, auctoritate Imperiali instituit & confirmavit in regem, & eidem Comitem de Henburg informatorem & educatorem reliquit. Hinricus ad montana reversus Ducatum Carinthiæ & Comitatum Tirolis cum Carniola sibi impignorata quiete possidens, Regni Bohemiæ titulum usque ad diem sui obitus non dimisit. Veniens autem in Carinthiam, quod prius factum non fuerat, ecclesias & monasteria suorum consiliariorum instigatione pro relevandis expensarum oneribus enormiter talliavit.

Anno Domini MCCCX. Rex venit in Spiram, & accersitis principibus & nobilibus omnibus, quos de regni corpore potuit congregare coram ipsis concionando proposuit de statu Italiæ, quæ dominio imperii longo tempore fuerat alienata, & propter discordias (&) partialitates tota languebat, dicens, se per multas civitates Italiæ requisitum, ut illuc se transferret, & ipsorum languoribus mederetur; asserens etiam supremum Pontificem Clementem hoc idem cum ostensione multæ benevolentiæ suasisse, ac eum ad coronam Imperii specialiter invitasse, super quibus eorum consilium & auxilium, sine quibus hæc adimplere non poterat, postulavit. Cunctis autem unanimiter acclamantibus: fiat, fiat; &, se ipsos, & quicquid poterant, promittentibus, Rex civitates regni perlustrans & de pacifico ipsarum statu disponens, ordinatis in eis officialibus ad iter arripiendum se præparat. Eodem tempore Woldemarus Brandeburgensis Marchio. qui omnibus suis patruis mortuis solus nuper in Marchionatu successerat, omnes nobiles regni & de circumstantibus regionibus ad Curiam, quam celebrem & famosam indixerat, & ad nuptias, quas cum filia patrui sui celebraturus erat in civitate * Mantina invitavit, ad quam curiam Rex Daciæ, Marchiones, Duces, Comites & Barones quam plurimi cum innumerabili multitudine convenerunt, ibique prædictus Marchio de manu Regis Daciæ recepta militia mille septingentos Tyrones de manu sua militiæ cingulo cum pompa maxima decoravit. Hæc autem mundanæ festivitatis & lætitiæ vanitas cito, tanquam favilla, in nihilum est redacta. Nam ipse Marchio brevi tempore, sicut creditur, tam per illicitas nuptias, quam inanis gloriæ fastum sine legitimis heredibus est defunctus. & Marchionatus dominium ad imperium devolutum. Sequenti anno scilicet MCCCXI. Rex accersitis & sibi adjunctis Baldewino Archiepiscopo Treverensi & Walherano Comite fratribus suis, Leopoldo Duce Austriæ, Episcopo Leodiensi consanguineo suo, Comite Sabaudiæ, qui Reginæ consortis suæ Sororis (sororius) fuerat, & multis qui ex speciali amicitia curiam sequebantur, per montem Jovis transiens Mediolanum pervenit VI. Kalendis Novembris, Guido autem de Lature, qui tunc Mediolani regimen gubernabat, cum Castone Mediolanensi præsule consanguineo suo aliisque suis fratribus gravem habens discordiam, quanquam ipsius Regis præsensisset adventum, per quem suam potentiam deprimi perpendebat, noluit vel nescivit eidem resistere, nec eum, sicut licebat, recipere læto vultu. Nam de palatio Comitis, quod tunc inhabitabat, cum pro parte Regis ab eo petitum fuisset. discedere noluit, donec inde fuisset per Theutonicos ejectus violenter. Post hæc Rex in die epiphaniæ in ecclesia beati Ambrosii per Castonem præsulem Corona regni ferrea coronatur. Interim vox insonuit, quod Guido prædictus, cum quibusdam suis sequacibus conspirationem fecerat contra Regem, propter quod Imperator & sui arma subripiunt, per civitatem sibi discurrunt, domos incendunt, adversarios feriunt & expellunt. Tunc Guydo præfatus ad monasterium Clarevallis confugisse dicitur, & inde demum latenter adductus in quodam vase vinario modico tempore supervixit. Eodem anno Clemens Papa quintus Viennæ celebravit generale concilium, in quo (f. multa) constituit, Clementinas edidit, ordinem Templariorum destruxit ad nutum Regis Franciæ, qui ecclesiam tunc Bonifacii Papæ VIII. tanquam hæretici memoriam damnari petiit, & ossa ejus igne cremari. Sed cum totus ecclesiasti-

siasticus ordo sibi resisteret, desiit ab incepto. Eodem anno Brixienses (cum) per suos nuncios Imperatorem prius invitassent, & eum honorifice recipere promisissent, spiritu rebellionis assumto a promissis resiliunt, propter quod Imperator circa eos obsidionem præparat, civitatem undique girat, denique cellarum obsidio pluresque Brixienses capiuntur & inhumane aliqui quoartatis laniantur corporibus, sed per intrinsecos Walerianus Imperatoris frater letali vulnere sauciatus diem clausit extremum, de quo totus Imperatoris exercitus est contristatus. Novissime civitas angustata certis præhabitis tractatibus Imperiali gratiæ se subjecit, cives majores funiculis involutis ad collum & genibus flexis se ipsos & sua cum urbe Imperatori offerunt, misericordiam postulantes. Tunc Imperator ad misericordiam eos recipiens muro civitatis dirupto, & facto inde castro, civitatem ingreditur, & recepto fidelitatis juramento a civibus & officialibus ordinatis in ea, post dies paucos inde discessit. Cremonenses etiam nimis angariati per excessivam exactionem pecuniæ, imprudenter expulsis officialibus suis, rebellionis audaciam assumpserunt, tandem a tractatoribus magnæ auctoritatis data eis spe veniæ, ut imperiali misericordiæ se subjicerent, sed gremio misericordiæ sibi clauso, duris inclusi carceribus, crudelissime sunt tractati. Post hæc Imperator versus Tusciam properans venit Pisas & ecce vagus & profugus Dux Johannes, Regis Alberti patrui sui interfector, habitu fratrum heremitarum indutus ad pedes Imperatoris prostratus, veniam postulavit, dicens, se illuc directum a Papa, ut Imperialem misericordiam impetraret. Imperator dubius, quid esset agendum, tandem deliberavit in causa eidem remittere, sed eum in turri quadam perpetuo carceri mancipavit, ubi sufficientem pænitentiam posset peragere de commissis, & Dei misericordiam promereri. Inde discedens Imperator perrexit Januam, undique receptus magnifice per singulas civitates. Cumque aliquam moram fecisset in Janua, Imperatrix gravi morbo correpta decessit. Anno Domini MCCCXII. Imperator principum & amicorum svasionibus & precibus importunis inductus, ad novum matrimonium procurandum quasi coactus assensit. Tuncque tractatum est & peractum, quod Catharinam sororem ducum Austriæ ducat, de quo totus populus Alemanicus exultavit. Post hæc Imperator Romam perrexit, contra quem Johannes, frater regis Roberti, Ursinorum & sequacium suorum fultus auxilio, bellum parat. Sed Columnensibus eidem Imperatori cum suis sequacibus adhærentibus & tribus Cardinalibus, videlicet Archiepiscopo Sabinensi, Apostolicæ sedis legato, fratre Nicolao Episcopo Ostiensi & Lucha de Flischo, illuc ad ejus coronationem per Apostolicam sedem transmissis, eidem Imperatori suum favorem præstantibus, coronatus est in Ecclesia Sancti Petri ad vincula in festo Apostolorum Petri & Pauli fatum (f. per præfatum) Episcopum Ostiensem: quo peracto Imperator ad petitionem Cardinalium prædictorum omnia privilegia Ecclesiæ Romanæ a pristinis Imperatoribus & Regibus olim concessa per manum Henrici Tridentini Episcopi, tunc ejus consiliarii confirmavit, petentibus tamen Cardinalibus nomine Romanæ Ecclesiæ juramentum fidelitatis ab ipso sibi præstari, respondit, se nulli juramentum præstare debere, nisi de regni vel Imperii justitiis conservandis; quod quantum postea Papæ displicuerit, & quantum hoc improbaverit satis declarat quædam constitutio Clem. Post hæc cum Johannes frater regis Roberti & Ursini prædicti contra Imperatorem cottidie, quantum poterant, insultarent, in die Apostolorum Petri & Pauli in ponte Tyberis grande prælium est inceptum, in quo de utraque parte plurimi ceciderunt, & inter cæteros vir strenuus Leodiensis Episcopus Imperatoris consanguineus fuit ibi prostratus & mortuus, Imperator tamen, ut fertur, habita cruenta victoria Romam reliquit, & in Tusciam rediens, ut perpessis laboribus aliquantulum indulgeret, agere cepit, qualiter illatas injurias pœna debita vindicaret.

Anno Domini MCCCXIII. Imperator Pysis exiens rebellionem & molestiam, quas passus fuerat, in Regem Robertum retorquens, crimen sibi læsæ majestatis, quod injustæ possessionis titulo Apuliam & alias terras contra Imperium occupatas teneret, imposuit, propter quod per suum edictum publicum eum peremtorie citavit, ut coram eo ibidem certo termino compareret, & quod non comparuit, eum tanquam contumacem & rebellem imperii regno privavit, & præterea sententia capitali feriendum, si veniret in ejus forciam, condemnavit. Ad hujus autem sententiæ reprobationem emanavit Clementina Constitutio, quæ incipit de Pastoral. de Sent. & re judicata. Præter hæc cum Florentinis infestus esset, contra eos magnum conglobavit exercitum, in quo cum tandem nihil proficeret Regem Robertum, non obstante prohibitione Romani Pontificis, decrevit invadere. Cumque ad hoc totius sui exercitus desiderium & persvasio declinaret, ad quendam vicum, qui dicitur Boni conventus territorii Senonensis pervenit, ubi dum officiis divinis & missæ celebrationi vacaret, & corpore Domini nostri Jesu Christi cum multa devotione suscepto, potum sacri calicis suscepisset, statim vis quædam infirmitatis tremulæ pectus ejus concutit, & quasi adamantina congerie ejus viscera contrahit. Dumque medici judicantes eum sumsisse venenum, eum tentarent * ad vomitum provocare, ad hoc induci nullatenus potuit, dicens, se malle gloriosius mori, quam auctorem vitæ, quem secum habebat, evomere, elevatisque manibus Deo spiritum commendans de seculo migravit, & honorifice sepultus est Pisis in vigilia beati Bartholomæi Apostoli, facto ibi solenniter sepulcro in ecclesia Cathedrali de cujus morte variæ sunt in illis partibus relationes. Quidam enim dixerunt, quendam religiosum clam adamantini lapidis pulverem poculo calicis miscuisse, & ob hæc ejus

ejus viscera tam celeriter fuisse constricta, ipsumque Imperatorem hæc sentientem ipsi ministro, ut statim fugeret, svasisse; dictum vero ministrum a Florentinis, quorum instigatione maleficium fecerat, cum multis laudibus & honore susceptum fuisse. Quam plures vero dicebant, quod cum de adversitatibus sibi vindictam sumere nequivisset, ex hoc fuit cor ejus tanti doloris acerbitate percussum, quod tam subito ei vita defecit, cujus signum, ut asserunt, quod corpore ipsius aperto & eviscerato compertum est, cor ipsius in duas partes esse divisum. Regnavit autem duobus annis vir justus & pius in officiis divinis valde devotus, Deum timens, ecclesias honorans, angelico opere, animo audax, & subditis gloriosus; sponsa ejus Catharina soror ducum Austriæ, dum ad eum cum Rege Bohemiæ ipsius Imperatoris filio veniret, percepto in itinere juxta Reni littora lugubri nuncio pene in mæroris pelagus est submersa. Tandem Rege Bohemiæ in Bohemiam revertente, post dies aliquos cum multa lacrimarum copia celebratis exsequiis sponsi sui ad lares proprios est deducta. Tunc Alemania tota & Italiæ partes Imperialis partis suo capite perdito languidi remanserunt, juxta illud poëticum Quinti Sereni.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur:
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
Ac contra ejusdem franguntur corda dolore;
Quin etiam, nisi cura juvet, cerebrum vitiari
Fertur, & internos illic avertere sensus.

Anno eodem scilicet MCCCXIII. post divulgatam mortem Imperatoris præfati, Fridericus Dux Austriæ misit potentes nobiles suarum terrarum cum magno exercitu & comitatu & cum nobilibus inferioris Bavariæ ad superiores partes, ut terras ejusdem adhærentes in illa vacatione foverent, & suasionibus & muneribus ad sibi faciendum in negotio electionis allicerent. Quod præsciens Ludovicus Dux Bavariæ dedignatus & antiqui rancoris discordia, quæ fuerat inter Bavaros & Australes scintilla, permotus, potenti manu contra ipsos occurrit. Conserto igitur bello Ludovicus factus superior in pugna victoriam habuit, & omnes prædictos nobiles captivos detinens eos tandem sub fide data de reditu ad carcerem remisit in Austriam. Quo audito Fredericus graviter doluit, & de captivorum exemptione volens tractare prudenter, Ludovicum prædictum fecit ad colloquium invitari. Cumque die condicta in locum unum simul convenissent, habitis ad invicem domesticis colloquiis, in amicitiam redierunt a captivis præstito juramento, quod contra Ludovicum de cætero neminem adjuvabant. Sic igitur amicabili concordia inter ipsos firmata lætanter ab invicem discesserunt. Interea Fredericus, quod uxore carebat, Eliesabeth Regis Aragoniæ filiam in uxorem accepit. Anno MCCCXIIII. Fredericus Dux Austriæ, amicitia cum Ludovico Bavariæ confirmata, sagaciter ad regnum anhelans fratrem prædicti Ludovici Rodolphum Palatinum & Hinricum Coloniensem Archiepiscopum ad se trahit, sperans indubie de Marchione Brandenburgensi & Duce Saxoniæ, quod eum in electionis favore non deserent. Interea sponsa Frederici filia regis Aragoniæ cum Catharina sponsa quondam Imperatoris præmortui pervenerunt in Austriam, ubi cum multo gaudio sunt susceptæ. Deinde Catharina prædicta Duci Calabriæ, Regis Roberti filio, matrimonialiter est conjuncta, & ad eum honorifice destinatæ. Eo tempore Maguntinus & Baldevinus Treverensis Archiepiscopus cum Johanne Bohemiæ suspectam habentes Frederici potentiam, Ludovico Bavariæ svaserunt, ut se in Regem eligi procuraret, eidem suas voces & patrocinium promittentes. Hoc anno Veronenses oppressi a Frederico Duce auxilium petierunt, eidem civitatis alius (illius) dominium offerentes. Fredericus autem oblatione recepta gratanter statim ad illius regiminis præsidatum transmisit Ulricum de Walse multis nobilibus sociatum. Ipse autem civitate disposita dimisso ibi filio in Austriam est reversus. Et ecce Veronenses cum magna potentia Paduam coartantes, & juxta eam castrum novum construxerunt, in loco qui dicitur Baxanellus. Quod audiens Ulricus præfatus in auxilium Paduanorum properans, collecta multitudine subito super Veronenses irruens, eos posuit in conflictu, & castrum ædificatum funditus dissipavit. Hoc anno Lucana civitas capitur a Pisanis. Hoc anno moritur Ottobonus Patriarcha Aquilegiensis, & vacavit sedes annis IIII. Post hæc Philippus Tarentinus Princeps Regis Roberti frater contra Pisanos obsidentes Castrum montis Catheni veniens in subsidium Lucanorum, in conflictum positus fratrem & filium interfectos ibidem dimisit, multis aliis Italicis nobilibus, occisis & captis. Interim in Alemania divulgata jam dissensione Principum, qui regem novum debebant eligere, unitas nobilium & civium ab invicem est divisa; juxta gnomen: Pulsant exterius diversis motibus hostes, inter civiles & sociale malum.

Hic Ludovicus eligitur, sed regnare non potuit.

Ludovicus Bavariæ (Dux) post mortem Hinrici Imperatoris electus est in Regem in discordia tamen, Anno eodem MCCCXIIII. Cum enim Ludovicus ipse ac Fredericus Dux Austriæ ambo undique procurassent pro electione fienda de novo Romanorum Rege sibi voces acquirendo, ambo ad locum electionis videlicet in Francfurt, quilibet eorum cum suis fautoribus & electoribus, qui suas voces ei promiserant, sicut gloriosius potuerunt die ad hoc præfixo, unanimiter convenerunt. Civitas illa Ludovico & suis patuit, de qua victualia ad sufficientiam habuit. Fredericus vero cum suis extra muros super ripam Mogii fluminis sua castra locavit, ubi de victualibus indigentiam

tiam sensit. Convenientibus autem Electoribus simul ad electionis tractatum cum Principibus, ad unam personam concordare non possunt, per Electores & alios in civitatis medio consistentes Ludovicus, per eos vero qui extra remanserunt, Fredericus, regni corona & honor votivis applausibus acclamatur. Sicque obnubilata eorum amicitia statim ab invicem discesserunt. Ludovicus Aquensem civitatem sibi faventem potentialiter introivit, ibique cum ejus consorte ducis Poloniæ filia juxta morem in sede Caroli coronatur, & tam ibi, quam in Colonia & in Spira, his, quæ ad regum officium in concedendis feudis & ordinandis officialibus pertinebant, feliciter expeditis, civitatem Noricorum, Augustam, Bavariam, Bohemiam, Franconiam inferiorem & alios regni angulos in obedientiæ & dominii recognitione recepit. Fridericus autem in civitate Buniensi in ecclesia beati Cassii a Coloniensi præsule fuit coronatus, & Rex rite electus, & justus & habilis acclamatur. Hic obtinuit Austriam, Stiriam, Carinthiam superiorem, Sveviam, in quorum complexibus validissimos habuit adjutores, se quoque titulo Regis Romanorum intitulans in locis famosis sibi faventibus solennes curias magnifice celebravit. Hoc etiam anno moritur domina Elisabeth ducum Austriæ genitrix veneranda. Anno sequenti scilicet MCCCXV. Fredericus rebus juxta Rhenum dispositis in Austriam rediit, & ad petitionem Regis Hungariæ contra Matthæum de Trenthinio, qui gravis adversarius ipsius Regis Hungariæ erat, magnum parat exercitum, quem ad obsidionem Castri, quod Camarum dicitur, ad complacentiam prædicti Regis transivit, dumque castrum gravi obsidione coartatum, licet alveo Danubii cingeretur, obtinuit, & jurisdictioni prædicti Regis subjecit; de quo sibi Regem Hungariæ fortiter obligavit. Post hæc Ludovicus Rodolpho Palatino fratri suo, qui vocem dederat Frederico, eique adhæserat, multum infestus, Castra, homines & omnia jura sua totis suis viribus expugnavit, per violentiam occupavit, dicens, eum fuisse fraternæ caritatis violatorem, hujus scissuræ auctorem & totius regni per consequens turbatorem, ipsumque tot molestiis lacessivit, ut cogeretur cum uxore, quæ Regis Adolphi filia fuerat, in Austriam commigrare, suique status miseriam Ducibus deplorare. Ipso tandem defuncto Ludovicus prædictus filiis ejusdem Rudolphi Palatini ablata restituit, ipsosque sibi reconcilians per amicitiam copulavit. Fredericus autem cernens, quod sine potentia virium Ludovicum superare non poterat, requirit Regem Hungariæ vicaria vice, sibi suum auxilium præstet, sicut alias eidem promiserat, pro quo auxilio consequendo Fredericus restituit certas terras, scilicet Polonium cum omnibus suis pertinentiis, quæ soror Ducum Austriæ Agnes relicta Andreæ Regis Hungariæ quondam nomine dotalicii ab ipso Rege receperat. Requirit etiam Fredericus omnes, quos credidit sibi esse benevolos, ut eidem non desint in honore imperii conquirendo. Lodovicus hoc sentiens suis requisitis subditis & amicis ad resistendum adversariis, potenter se armat, nobilibus dona largitur, beneficia & stipendia larga promittit, & sic utrinque gloria regali præfulgens satagit alter alteri prævalere.

Anno sequenti scilicet MCCCXVI. Fredericus Rex per Carinthiam transiens, civitatem Ezlingam, quam Lodovico faventem obsedit, contra quam Lodovicus veniens cum Rege Bohemiæ & ex opposito castra figit, tandem conserto prælio animose certatum est, quousque nox bellum dirimeret, neutri parti fuit acclamata victoria, sed duo Comites de parte Frederici mortui sunt in bello. Hoc anno Johannes Papa XXII. succedit Clementi. Hic Regnum Poloniæ, quod ab olim defecerat, relevans, missa sibi corona per Johannem Papam cum titulo regalis nominis Lottoni duci & Ladislao Regi Cracoviæ socero Caroli Regis Hungariæ, eum in Regem auctoritate & censu beati Petri roborans confirmavit. Tunc etiam Johannes Papa fundavit ordinem militarem contra paganos, quem appellavit ordinem militum Jesu Christi. Fredericus ad eum abbatem monasterii de Salem, qui postea fuit Curtensis (Curiensis) Episcopus ad ejus approbationem petendam transmittit, sed nihil profecit. Interea Fridericus secundam expeditionem parat contra civitatem Spirensem, sed in civitatis succursu Ludovicus occurrit, & tandem exercitus ambo ab invicem sine prælio discesserunt. Interim Argentini cives inter se dissidentes prædictos reges advocant, una pars unum, altera reliquum. Hoc tempore cum inter Regem Bohemiæ & Hinricum Carinthiæ Ducem, qui etiam Regem Bohemiæ se nominabat, longa fuisset discordia, tandem ad concordiam devenerunt, per quam actum, quod Henricus filiam suam nomine Margaretham Johanni filio Regis Bohemiæ valde juvenculo per matrimonium copulavit. Henricus autem pro se Beatricem Comitis Sabaudiæ filiam, Johannis Regis Bohemiæ consanguineam, de sorore videlicet matris ejus progenitam, duxit in uxorem.

Anno Domini MCCCXXII. Henricus Dux Austriæ cum equitum multitudine ad petitionem Papæ Johannis venit Brixiam contra vice-Comites, sed parum proficiens post multos tractatus reversus est in Alemaniam.

Anno eodem videlicet MCCCXXXIII. Fredericus Rex exercitum congregans, volens cum Ludovico per viam belli discordiæ negotium expedire, Henricum Ducem Carinthiæ, Hungaros & Cumanos in suum auxilium evocavit; Ludovicus vero secum habens Johannem Bohemiæ Regem & Hinricum Bavariæ Ducem Regis Bohemiæ generum festinavit hostibus obviare, dumque Fredericus versus hostes securus procederet, frater ejus Dux Leopoldus, ut fructuosius fratri succurreret circa quendam vicum, qui Campus Regis dicitur, moram faciens, suum direxit nuncium qui sui fratris statum & tempus belli perquireret statimque sibi omnia nunciaret. Leopoldo igitur nuncium præsto-

præstolante, capitur ab adversariis nuncius, & sic Leopoldus sua exspectatione frustratur. Interea bellum indicitur summo diluculo missarum mysteriis celebratis disponuntur acies; Henricus dux Styriensis pro parte Friderici; Rex vero Bohemiæ pro parte Ludovici primam aciem conducandam recipiunt; utriq; aquilarum imperialium signa sibi præferri faciunt, prælium acre conferitur, fortiter utrinq; bellatur, tandem Henricus Dux posternitur, & in sortem Regis Bohemiæ captivatur cum multis nobilibus; post modum Fridericus repertus ad præsentiam Ludovici captus adducitur. Hoc prælium gestum est in pratis Amphyngensibus, territorii Salzburgensis, quod per captationem dictorum Ducum solutum est, sicut dicit Ovidius: pugna suum finem, cum jacet hostis habet. Ex dictis autem captivis quidam [qui] sub fide revertuntur, ad carcerem sunt dimissi pro tempore, quidam vero data pecunia sunt redemti. Eodem anno Ludovicus Imperii civitates lustravit, & a quibusdam sibi contrariis honorabiliter est receptus. Interim Henricus Dux Carinthiæ cum Henrico Comite Goritiæ ad Ludovici præsentiam accedentes postulaverunt instanter ad tempus Fredericum dimitti, & interim de pace tractari, quod cum nihil proficerent, ad propria sunt reversi. Leopoldus vero adhuc spirans irarum & cædis, imperialia signa reddere recusavit, & nondum se victum esse propter fratrum angariam affirmavit. Rex Bohemiæ Regem Francorum visitans, quæ sibi de bello acciderant, indicavit, qui persvasit eidem, ut Henricum Ducem dimitteret, quod in ejus reversione Rex Bohemiæ certis conditionibus interjectis executioni mandavit. Eo tempore moritur Catharina soror Ducum Austriæ uxor Ducis Calabriæ absque prole.

Anno MCCCXXV. dum Ludovicus reputaret se a Leopoldo haberi ludibrio, & ob hoc dedignatus, omnibus se difficilem redderet ad Frederici relaxationem, quin imo conaretur eidem, quod eum suis principatibus & bonis privaret, quodque eum capitaret vel in perpetuo carcere eum detruderet; audiens tamen, contra se plures processus Papales invalescere, de Frederico cepit unanimiter cogitare: Et ecce quamvis super hoc multi de majoribus laborassent, & nihil penitus profecissent, vir religiosus Gotfridus, prior monasterii de Maurbach Cartusiensis ordinis, in spiritu fortitudinis ad Ludovicum veniens, multis rationibus & inductionibus persuasit eidem, ut Fredericum dimitteret, ipsumque sic sibi suis honoribus & beneplacitis obligaret. cujus consilio finaliter Rex Ludovicus acquiescens Fredericum de custodia fecit adduci. Tunc prior Præfatus coram eis missæ sacræ officium celebravit, ipsosque de hostia una corporis Domini communicavit. Post dictam missam Fridericus cum pacis osculo Ludovico reconciliatur, præstito ei juramento subjectionis & obedientiæ, ad quod & suos fratres implicans promittit, quod imperialia signa restituet, & regnum amplius non offendet. Quibus sic ad invicem amicitia colligatis, Fredericus in Austriam rediens cum ineffabili gaudio est susceptus, & quamvis post modum Papa Johannes eum ab hoc juramento reddiderit absolutum, ipse tamen contra ea quæ per juramentum & suam fidem promiserat, aliqua rectare [tentare] recusavit. Eo tempore Johannes Rex Bohemiæ ad petitionem extrinsecorum civium civitatis Metensis, cum multis comitibus & nobilibus ipsam civitatem obsedit, & ea depopulata, circumquaque cives reduxit ad bonam concordiam, & discessit. Eo tempore audiens ipse Rex Bohemiæ, Brandenburgensem Ducatum vacare, ad Ludovicum properat, insistens, ut juxta promissa laborum suorum memor Marchionatum illum concedat, maxime cum a quibusdam incolis & nobilibus illius terræ super hoc fuerit evocatus. Sed Ludovicus ejus petitionem admittere recusavit, dicens, se de illo Marchionatu filio proprio providisse, ad cujus corroborationem sibi filiam Regis Daciæ matrimonialiter copulasset: Ab eo tempore inter ipsum Regem & Ludovicum rancor non modicus est exortus. Aliud odii seminarium fuit, quod cum Johannes Rex prædictus filiam suam Marchioni Misnensi sub certis pactis & conditionibus desponsasset, ipse Marchio Misnensis sponsam ad patrem remisit pactis habitis inter eos solutis. Quo facto statim filiam Ludovici duxit in uxorem, de quo ipse Rex fuit non modicum dedignatus. Interea Fridericus in domo & in terris suis titulo solo regalis nominis utebatur, sed contra Ludovicum nihil amplius est molitus. A. sequenti videlicet MCCCXXVI. moritur Dux Leopoldus, vir non eximii corporis, sed valde agilis, magni cordis & intrepidi, quem Fredericus & alii fratres sui immenso luctu & ejulatu planxerunt, de cujus etiam morte propter probitatem ipsius Papa Johannes dicitur multum doluisse. Filias duas dimisit, quas postmodum Dux Albertus, unam in Francia, reliquam in Polonia nobiliter maritavit. Sequenti anno scilicet MCCCXXVII. Fridericus Dux Austriæ, qui post sui captivitatem rara potitus fuerat sospitate, novissime in Styria moritur. Eo tempore mortuis Leopoldo & Henrico prædictis suscitavit Deus inter alios fratres eorum spiritum vertiginis, nam Otto portionem se contingentem sibi æqualiter dividi & assignari precatur fratribus aliis nihil efficaciter respondere curantibus, [ita] inter eos insimul ac etiam inter alios Austriæ ac Styriæ nobiles ortum esse [est] dissidium, quibusdam approbantibus & quibusdam reprobantibus, petitionem Ottonis. Perstante discordia Otto Reges Hungariæ & Bohemiæ adiit, & eorum auxilium postulavit. Rex Hungariæ gentem multam in ejus adjutorium mittit, Rex Bohemiæ personaliter venit, in quorum occursum exiens Otto eos lætanter recepit, & cum ipsorum auxilio ex illa parte Danubii civitates & castra multa per obsidionem recepit, populus autem Regis Hungariæ loca munita quasi omnia ultra Danubium acquisivit, & dominio sui Regis subjecit.

Anno eodem videlicet MCCCXXVII. Ludovicus per vallem Tridentinam in Italiam intrans

trans Mediolanum pervenit, ubi in die Pentecostes corona ferrea coronatur. Inde discedens mense Octobri Pysas pervenit. Pysani vero quamvis a principio sibi denegassent introitum, eum tamen finaliter cum certis promissionibus receperunt, subjectionem & obedientiam impendentes, ubi dimisso eis Castrutio loco sui comite, contra id quod eis promiserat, versus Romam dirigit gressus suos. Romani eum alacriter receperunt. Anno sequente in die festi Epiphaniæ a Romanis recepit imperialem coronam ab urbis præfecto, cui hoc ex antiquo jure competere dicitur. Eodem anno de mense Maji quendam fratrem Petrum de Corbario de ordine Minorum, virum simplicem, per aliquos de clero Romano fecit in Papatum intrudi, quem intrusores Nicolaum quintum appellaverunt. Et sic abominationem & idolum in domo domini & monstrum in beati Petri cathedra collocavit. Cogitans demum contra regem Robertum exercitum ducere ab urbe discessit. Cumque videret, se nihil proficere, quinto die mensis Augusti Romam rediit, & suo anti-Papæ instituit, ut suam curiam ordinaret. Ille vero mox sex Cardinales instituit. Tandem Romani attædiati in otio Ludovici ceperunt sibi clam, & demum publice rebellare, milites etiam, quos ad stipendium secum habebat, sua mercede protractata, contra eum fuerunt, non modicum concitati. Cum hoc Ludovicus adverteret, habito consilio cum suo antipapa urbem egreditur, & venit Viterbium. Stephanus de Columna & Bertholdus Ursinus, qui Ludovico fuerant adversati, Romam ingredientes, a populo sunt magnifice recepti. Hoc tempore moritur Galeacius Vice-Comes in civitate Pisana, & demum Castrutius in civitate Lucana, post cujus Castrutii mortem Ludovicus Rex recepit terras, quas tenebat ipse Castrutius, scilicet civitates Lucanam Pysas & Pistorium. Hoc anno agente Marsilio de Carraria [Veronenses] Licenciatis officialibus existentibus ibi pro Duce Carinthiæ se dominio Canis de Scala submiserunt. Fridericus Rex eo tempore cogitans, sibi & patriæ periculosum esse cum fratre suo Ottone & cum Rege Bohemiæ habere discordiam, cepit concordiam procurare cum eis. Tandem ordinato per eum colloquio, bis insimul convenerunt, ubi finaliter amicis intervenientibus reconciliati sunt, simul & taxata magna pecuniæ quantitate Regi Bohemiæ pro expensis, quas stipendiariis fecerat, omnia, quæ ultra Danubium prius acquisierat, ipsis Ducibus libere relaxavit, de quo tota illa terra ineffabiliter exultavit. Anno sequenti, scilicet MCCCXXIX. Tervisini oppressi per Canem de Scala, cum nullum haberent aliunde subsidium, consilio & opere advocati Tervisini, se in ipsius Canis dominio submiserunt, qui statim post triduum civitate recepta tanto, sicut [fertur] est resolutus gaudio, quod de rebus est exemtus humanis, Alberto & Mastino nepotibus suis in omni ejus dominio succedentibus quod tamen mirabile fuit.

Anno Domini MCCCXXX. in Octava Epiphaniæ Fredericus Rex diem finivit extremum, morbo impetiginoso vexatus. Eodem anno domina Eliesabeth uxor Ducis Ottonis exiens cum Alberto Duce in quodam obsonio venenato sumsit cibum mortiferum, Dux vero Albertus membrorum compage contracta, quo ad operationes pedum & manuum factus est impotens, sella gestatoria mira præditus industria circumfertur. Cujus casus licet terram concussisset, ipse tamen cooperante Deo terras suas egregie gubernavit. His intellectis Dux Otto de morte conjugis & fratris infirmitate supra modum turbatus, tandem consolationem recipiens, cepit de novis nuptiis cogitare, & Annam Regis Bohemiæ filiam sibi matrimonialiter copulavit. Eodem anno Ludovicus Vicariatum Mediolani Azoni Vicecomiti, Vicariatum vero Lucanæ Francisco Castanii collatis, in Alemaniam est reversus, contra quem Papa innovavit & aggravavit processus, in quibus etiam Brandenburgensem Marchionem, Ludovici filium implicavit, quos quidem processus contra plures in multis partibus Alemaniæ receperunt, & exequi contemserunt, indictum per Papam prædictum interdictum Apostolicum, Dei timore postposito violantes. Interim Antipapa, quem Ludovicus in Italia dimiserat, videns se derelictum & desolatum, dum in territorio Pisanorum moraretur, occulte per tractatum Comitis Pisani reconciliatus est Papæ. Veniens enim ad eum suis pedibus se subjecit, misericordiam postulans, & proponens illud verbum: Pater peccavi in cœlum, sicut ovis quæ perierat, quære servum tuum, quod mandata tua non sum &c. Papa vero in consistorio eum recepit ad gratiam, sumto sermone de verbis apostoli; fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Post hæc sublatus, ulterius in publico non comparuit. Fuit tamen sine aliqua corporis afflictione, ministratis sibi omnibus necessariis honorifice conservatus. Eodem tempore Rex Bohemiæ iter arripuit versus Carinthiam, ut pacta nuptiarum Johannis filii sui & Margarethæ filiæ Ducis Carinthiæ confirmaret. Transiens igitur per montana, & audiens, quod in partibus illis mota erat gravis discordia inter Ludovicum Bavarum & Ottonem Ducem Austriæ, origine diffidii perquisita cum utroque breviter alloquens, inter eos fecit concordiam & amicitiam stabilivit. Deinde transiens in Carinthiam cum Henrico Carinthiæ Duce, prædictarum nuptiarum fœdera confirmavit. Cumque cum ipso Duce per aliquos dies festivis solatiis moram fecisset, ex certis causis se transtulit in Tridentum, eoque ibi manente, Brixienses ab illis de Scala vehementer oppressi, Regem ipsum evocant ad succursum. Ipse vero Brixiam veniens, oblatum sibi dominium civitatis accepit, & omnes extrinsecos in civitatem reducens, pro communi statu omnem terram laudabiliter reformavit. Interim a Veronensibus acquisivit terras omnes per ipsos detentas in territorio Brixiensi, quas ei statim libere dimiserunt. Hæc audiens Lodovicus mittit ad eum Comitem de Myssen, ut causam adventus sui ad terras

terras Imperii, & quæ ipsius esset intentio, seriosius indagaret. Ipse vero pallians, ut fertur, quod absconditum gerebat in mente respondit nihil contra imperium cogitare, sed pro conservandis & ampliandis honoribus Imperii laborare. Interim Pergamenses (Parmenses) Cremonenses & Papienses audito Bohemiæ Regem quod faciebat in Brixia, ut a longis guerrarum insidiis, quibus graviter erant afflicti possent sub ejus regimine respirare, se suarumque civitatum dominia in ipsius Regis manibus posuerunt, ipse vero reductis omnibus extrinsecis, terras illas in bono statu & pacifico reformavit. Deinde regimina civitatum Parmensis & Mutinensis, quæ prius ecclesiæ Romanæ ipsiusque legato rebellaverant, & Lodovico, ut eos a legato defenderet, se subjecerant, eidem Regi suarum civitatum dominium, sub certis conditionibus obtulerunt. Ipse vero tunc Padum fluvium transiens, & Parmam porro veniens, civitates illas recepit, & de Parma versus Lucam a Florentinis artatam progrediens, exercitu Florentinorum sublato, dominium Luchæ de manu Gerardi Spinolæ vicarii Ludovici, qui tunc civitatem illam regebat, abstulit ab eodem. Post hæc cum legato, qui tunc erat Bononiæ, ad colloquium venit in castro Plimacii, ubi civitates prædictas Parmam, Regium & Mutinam cum ipso legato amicabiliter concordavit, in ipsis tamen quatuor civitatibus quæ ultimo ad ejus dominium devenerant, nullos reduxit extrinsecos, nec in eis aliquid bonum fecit qui (quod) possit nobiliter commendari. Post hoc ipse Rex intellecto, quod Ludovicus contra Henricum Ducem Bavariæ dicti Regis generum gravem habebat discordiam, ut illam sedaret, vel sicut quidam dixerunt, ut de Bohemia vel de Francia copias in Italiam educeret ad suam potentiam ampliandam, filio suo in Parma dimisso, videlicet Carolo, in prædictis civitatibus eos, qui potentialiter dictas terras rexerant, vicarios suos instituit, & filium in eorum manibus dereliquit, illi filio districte præcipiens, ut in omnibus agendis eorum consilium sequeretur. Quibus sic dispositis, egressus Italiam se transtulit ultra montes. Contigit interea, quod tenentes dominia civitatum, Veronensem, Mediolanum, Mantuam & Ferrariam, facta insimul colligatione, inter se firmaverunt, dictas terras Parmensem, Reginam & Mutinensem invadere, ipsasque inter se divisas sic opprimere, ut ante reditum dicti Regis compellerent se ipsas eorum dominio subjugare, & sicut conceperunt * evenit. Interim vero cum Marchiones Ferrarienses, advocato auxilio aliorum colligatorum prædictorum, magnum misissent exercitum ad obsidendum castrum Sancti Felicis, quod est de territorio Mutinensi, obsidione ibidem firmata Mutinenses innotuerunt Parmensibus, & Reginorum auxilium postulant. Illi vero suis peditibus & militibus adunatis secum ducentes Carolum prædicti Regis Bohemiæ filium, tunc satis juvenculum, contra prædictum exercitum subito procedentes conseruerunt bellum, quod cum diu a mane usque ad vesperas æquali Marte durasset, tandem Ferrarienses in prælio defecerunt, multis ex eis captis, aliquibus interfectis. Eo tempore cives aliqui Brixienses oportunitate captata propter Regis absentiam illis de scala proditionaliter civitatem Brixiæ in suos concives adversarios * desævire; deinde Pergamenses & demum Cremonenses se Azoni Vicecomiti submiserunt, Papienses etiam rebellaverunt, expulsis officialibus dicti Regis. Sed quia in Papia erat castrum fortissimum, quod per Regis custodes quos ibi dimiserat, tenebatur, Papienses obsidionem statuunt contra castrum. Rex ipse tunc exiens in Francia, his auditis, anno Domini MCCCXXXII. cum Francigenis, Provincialibus & Theutonicis ad Italiam rediens, pervenit Papiam, obsidionem a castro submovit. Sed cum Papiam rehabere non posset, se Bononiam transtulit, & facta confœderatione cum legato, reversus est Parmam. Tandem cum per aliquod tempus ibi mansisset, videns in aliis nil posse proficere, una cum filio suo in Alemaniam rediit, transitum faciens per Veronam, qui sibi satis hilariter concesserunt. Cumque in Alemaniam pervenisset, filiam suam cum apparatu solemni ad Ducem Ottonem, ejus sponsum transmisit. Sequenti anno, videlicet MCCCXXXIII. Rex prædictus Bohemiæ venit in Austriam, & cum careret uxore, tractata sunt ibi sponsalitia inter eum & Eliesabeth, Friderici Regis filiam, valde speciosam puellam, sed cujus ductus consilio, non bene constabat, quod sponsalibus his desertis post non longum temporis filiam Ludovici de Francia, consanguineam Regis Francorum duxit in uxorem. Sequenti anno MCCCXXXIIII. XIIII. Kal. exercitus, quem tenebat, legatus in Burgo Ferrariæ cum auxilio Lombardorum fuit per Ferrarienses positus in conflictum. Eodem anno Bononienses rebellaverunt legato, qui tandem cum reclusus esset in castro, quod fecerat, inde per Florentinos eductus per portum Pisanum ad curiam est reversus. Hoc anno de mense Julio Bertrandus factus Patriarcha in festo Simonis & Judæ apostolorum, pervenit Aquilegeiam. Hic contra gentes Venetorum in Ystria, contra Ryzardum de Gaunno comitem juxta Sycinum, contra Comitem Goritiæ juxta Braguluum pro defendendis ecclesiæ suæ (juribus) pugnare coactus res egit viriliter, & Deo juvante, suos & ecclesiæ suæ potentes adversarios superavit. Hoc eodem anno moritur Papa Johannes, & Benedictus succedit, ad quem Ludovicus Bavarus solennes ambassiatores pro reconciliationis gratia impetranda destinavit, sed modicum profecerunt. Anno Domini MCCCXXXV. Henricus Dux Carinthiæ in castro Tyrolensi, dum missam audiret, subito pressus cholera suffocatur, & traditur sepulturæ. Post ejus mortem Johannes, filius Regis Bohemiæ, gener Henrici Ducis prædicti, de consilio nobilium subjectorum (misit) Parisius ad ipsum Regem Bohemiæ, qui tutor puellæ remanserat, ut statim veniat jura nurus & sponsi filii defensurus, qui

qui tunc (cum) propter plagas, quas tunc in quodam torneamento receperat, debilis factus esset & impotens, rescripsit eisdem, dicens, quod recuperata sanitate in brevi se ad illas partes transferret & de causis & utilitatibus illarum terrarum, dante Deo, salubriter provideret, rogans nobiles illos, ut interim filio suo ejus consorti se fideles exhibeant, sicut debent. Interea Duces Austriæ Carinthiam petunt tanquam sibi debitam, ratione matris eorum quæ filia Ducis Meinardi fuerat, Carniolam etiam ad se devolutam legitime asserunt, eo quod sui progenitores tam diu eam Henrico, quondam Duci Carinthiæ, pignoris causa tradiderant. Ludovicus eorum potentiam sibi necessariam esse considerans, prout tractaverat in litore Danubii cum eisdem adjudicavit fieri postulata, & tertio nonas Maji de prædictis jure feudi eos solenniter investivit. His expeditis Carnioli scientes se de jure esse subjectos duobus supra dictis sine aliqua resistentia nunciis illuc missis terras dederunt, Carinthiani vero ad quos Comes de Phanberch & Ulricus de Walse transmissi fuerant inducias postulaverunt, infra quas si auxilium non haberent de Tirolensibus vel a Rege Bohemiæ, se ad Ducum dominium inclinarent. Cum autem Rex Bohemiæ moram faceret, Tyrolenses nescientes, quid tunc ageretur, in Carinthiam Johannem Abbatem de Victoria ad Duces Austriæ transmiserunt, rogantes instanter, ut pupillos habentes recommendatos eis terras, quas pater ipsis dimiserat, defensarent. Cui respondit Albertus, de morte sui avunculi multum dolere & de filia ejus, si suum consilium sequi vellent, pro juribus tractaturum, sed Carinthia & Carniola, quas titulo justo tenebat, nulla ratione volebat dimittere. Interim Carinthianorum induciæ dilabuntur. Cumque nullus esset, qui succurreret eis, Dux Otto publicatis literis Ludovici, a nobilibus & civibus obedientiam recepit & fidelitatis solita juramenta. Ulricum Comitem de Fanberch, remoto Conrado de Onestayn, Carinthiæ Capitaneum statuit & in Carniola Fredericum libertinum, qui prius ibi erat Capitaneus, in officio confirmavit. Eodem anno Benedictus Papa apud pontem Gorgiæ congregans Theologos & doctores quæstionem prius agitatam de visione Dei, & fruitione beatorum, & de pœnis damnatorum per suam constitutionem super hoc editam terminavit.

Anno Domini MCCCXXXVI. Dux Otto, ut Carinthianorum votis satisfaceret, qui gratulantius eum videntes, suas constitutiones recenseri, & consuetudinem reformari cupiunt; venit in Carinthiam, & in sede sua inthronisari se fecit solenniter, & per Gurcensem Episcopum consecrari & benedici. Eodem anno Rex Bohemiæ recuperata corporis sanitate venit in Bohemiam, & ad Duces Austriæ mittit Episcopum Olmucensem & Ducem Saxoniæ, ut sibi oblata restituerent, vel se ad bellum præparent. Reponderunt Duces, se potius bellum suscipere velle, quam terras dimittere. Rex convocatis auxiliis Regem Hungariæ & Poloniæ, Misnensium & Saxoniæ Ducum, Ducibus Austriæ bellum indicit. Duces Austriæ Lodovicum invocant, qui veniens Wiennam, ipsos confortat, & suum promittit auxilium, & statim in Bavariam rediit. Interea Rex Bohemiæ Australem terram invadit, villas, oppida & loca ecclesiastica per incendia & rapinas dissipans, nulli parcit. Dux Otto ex opposito Regis cum suis sua collocat castra, Ludovici succursum exspectans. Quem cum frustra per dies aliquos exspectasset, invalescente Regis potentia & Ungarorum irruentium multitudine, Dux Otto versus Viennam redire festinat, & post eum tota ejus militia fugit nemine persequente. Albertus Dux de his mirabiliter conturbatus, fratrem corripit, sed correctio non profecit. Sequenti anno videlicet MCCCXXXVII. Rex Bohemiæ non solum domesticos suos milites reservavit, sed etiam ab externis partibus conduccias (conductitios) evocavit, ut si necesse foret, eos paratos haberet, ut (ne) majoris periculi dispendio quærerentur. Cognito autem, quod Duces suum exercitum detraxissent, iterum cuneos instruit, ut otiosam suam esse non sinat sævitiam. Interim Ludovicus Bavarus suos ambasiatores mittit ad Duces, admirans, sicut dicit, quod Dux Otto ante tempus statutum egressus improvide ad bellandum fuerit, nunc se paratum eis in brachio forti succurrere & adesse promittit. Duces ex hoc exhilarati ad Regem expellendum suam militiam conflant. Otto & Albertus cum eo suum educunt exercitum, quibus Ludovicus una cum Gregorio Comite Juliacensi, qui sororius ejus fuerat, & electam habebat militiam, juxta promissum adjungitur. Rex Bohemiæ videns se copiis hostium imparem, una cum Henrico Duce Bavariæ, genero suo, locum sequestratum petiit, in quo fossis & paludibus se munivit, ita quod hostibus aggressus inaccessibilis est effectus. Cum igitur Ludovicus & Duces importune insisterent, ut eum provocarent ad bellum, nec ullo modo proficerent, Ludovicus quasi pro sublevamine Ducum Austriæ in Henricum, Ducem Bavariæ, generum Regis Bohemiæ vindictam retorsit, & terras suas graviter dissipavit. Cumque qualitate temporis prohibente contra Regem nihil effectualiter possent moliri, quasdam terras in valle Anasy circa fluente Danubii pro recompensatione stipendiorum a Ducibus Austriæ postulavit. Qui cum postulata negarent, sed se ad similia promtos offerrent, Ludovicus ad Noricum superiorem conscendit. Interea Rex & Duces prædicti, procurantibus amicis aliquibus, ad colloquium insimul convenerunt, in quo licet ex utraque parte multa fuerint allegata, finaliter tamen in hoc concordes fuerunt, quod Carinthia & Carniola Ducibus remanerent, Duces autem Regi pro expensis, quas in illis expeditionibus fecerat, satisfactionem pecuniarum compensarent, de cujus integritate concordes ab invicem discesserunt. Hoc eodem anno videlicet MCCCXXXVII. inter Venetos & illos de Schala, qui tunc multarum civitatum

tatum potiebantur dominiis, inchoata est gverra ** non modica, videlicet pro jure quarundam Salmarum, quod illi de Schala dicebant competere Paduanis, & quia Florentini cum illis de Schala prius colligati, ab ipsis se reputabant illusos occupatione civitatis Lucanæ, quæ cum secundum pacta Florentinis dari deberetur, per illos de Schala fuerat occupata. Florentini se cum Venetis colligantes exercitum grandem contra Schalenses ad terram Buvolentæ Paduani territorii conduxerunt. Interim civitates Belunensis & Felbrensis rebellaverunt Scalensibus, & se Carolo, filio Regis Bohemiæ, tradiderunt & multæ terræ in Trevisino districtu se sponte Venetis submiserunt. Cumque a Schalensibus fortuna multum se averteret, & adversariis arrideret, Marsilius de Carraria, de quo confidebant, volens jugum deponere servitutis, & dominationis statum, quem prius habuerat, conscendere cupiens, cum suis sequacibus Paduam rebellavit, Albertum de Scala dominum Paduanorum ibidem cepit, captumque detinuit, & tandem Venetis complacere desiderans, ut cum ipsorum auxilio posset sibi civitatis Paduanæ dominium conservare, ad eorum petitionem ipsum Albertum ad Venetias pro captivo transmittit. Interim Marsilius & Petrus Magni Capitanei Venetorum exercitus moriuntur Venetiis & ibi honorifice tumulantur. Tandem tractata pace actum est, ut Albertus & carcerati omnes liberi dimittantur, Scalenses autem Venetiis tradant civitatem Tervisinam cum ejus districtu, Florentinis vero concedant quædam nobilia castra quæ tenebant in Lucano districtu. Hac pace facta, cum Schalensibus remansissent civitates Veronensis, Vincentiensis, Parmensis & Lucana procuratione Azonis Vicecomitis & communitatis Pisarum actum est, quod filii quondam Castrutii, qui olim dominium civitatis Luchanæ habuerant, in districtum Lucanum magnum exercitum contra Scalenses adducunt, & magnam partem ejusdem districtus sibi subjiciunt. Schalenses autem propter priores gverras exinaniti pecunia, cum civitatem Lucanam defensare non possent sine maximis & importabilibus expensis, cum Florentinis ad compositionem devenerunt, ut recepta vel promissa magna quantitate florenorum pro expensis, quas pro defensione illius civitatis eis fecerant, eis libere traderent civitatem Lucanam & castrum, quod ibidem tenebant. Quod totum fuit executioni mandatum. Cum igitur Florentini possessionem civitatis Luchanæ in se recepissent, ad Pysanos, cum quibus certas pacis conditiones prius habebant, miserunt, quod suum exercitum, quem in districtu Lucano tenebant, inde levare deberent, quia deinceps ad eos civitas pertinebat. Quod cum Pysani facere recusassent, procurat pars utraque suam congregare potentiam, Pysani ut suum exercitum, quo Lucana civitas circumvallata erat, conservare, Florentini vero, ut exercitum levare, vel saltem civitatem obsessam valeant necessariis communire; utrisque igitur in hoc ultimum de potentia [illegible]entibus, cum Florentini exercitum Pysanorum ex loci dispositione mirabiliter fortificatum sublevare vel etiam aggredi non valerent, conceperunt omnino necessaria victualia etiam cum periculo suarum personarum in civitatem obsessam conducere, cumque ipsis victualibus eos oporteret sustentare juxta Pisanorum exercitum per ineptos passus transire. Pysanorum gentes armigeræ de castris propriis exeuntes cum Florentinis ad bellum devenerunt, in quo tandem Florentini succumbunt, Pisanis victoriam relinquentes. Post hunc conflictum Florentini perterriti & cassati, cum Lucanis non possent succurrere, consenserunt, quod Gybertus de Fojano Capitaneus, & alii, qui pro ipsis Lucam regebant, cum Pisanis de pace tractarent, & terram Pysanis traderent cum melioribus conditionibus, quibus possent. Quo consensu habito, per tractatum pacis actum est, ut carcerati omnes hinc inde relaxarentur, & castra omnia, quæ in districtu Lucano tunc Florentini tenebant, in eorum dominio remanerent, civitas autem Lucana cum castro in ea posito traderetur Pysanis, certis tamen honoribus & immunitatibus in eadem civitate communi Florentiæ reservatis. Demum procedente tempore scil. anno MCCCXXXVII. de mense Januario cum civitas Florentiæ concassata propter novitates prædictas & maxime propter gravem discordiam, quæ exorta fuerat inter populares & quosdam magnates, qui reputantes se a popularibus male tractari, civitatis Florentiæ statum alterare tentaverant, propter quod quidam de potentioribus exulaverant. Civitate langvente, visum est civibus expedire, quod nobili viro Galterio Duci Atheniensi, qui ad stipendium venerat, ut communitati Florentinorum serviret, ad tempus dominium ipsius civitatis & regimen traderetur. Cumque propter hoc totus populus ad concionem publicam convenisset, subito tam potentes quam etiam populares unanimiter eum usque ad tempus vitæ suæ in dominium civitatis illius totiusque districtus elegerunt acclamantes, & in palatium priorum indeliberato impetu extulerunt. Qui recepto dominio, præteritos volens excessus punire, & per modos diversos intolerabiles pecunias exhaurire, sic omnes cives contra se provocavit in brevi, qui (quo) Civium contra ipsum incitato furore in palatio priorum se cum sequacibus suis recludere cogitur, & reclusus sic undique coartatur, quod victualium defectu laborans, ad exorandum securum exitum inclinatur. Unde ambasiatoribus Marchionis Estensis, & communitatis Senarum ad compositionem interponentibus partes suas, Dux prædictus renuntians illi dominio & omni juri exinde sibi quæsito, cum omnibus suis de civitate ipsiusque districtu securus educitur cum omnibus rebus suis.

Anno Domini MCCCXXXVIII. Albertus Austriæ Dux, & Patriarcha Bertrandus in Villaco ad colloquium devenerunt, & cum ad plenum propter difficultatem causarum convenire non possent, treugis ad certum tempus statutis,

tutis, ab invicem discesserunt. Patriarchæ ad propria revertenti ab officialibus Comitis (Comitissæ) Goriciæ, qui Venczonium tenebat, per terram illam transitus denegatur. Informatione plena recepta de juribus, quæ in Venczona habebat, Venczonium sic artat, quod nulla possunt ibidem victualia intromitti. Cumque terrigenæ non possent diu talem sustinere penuriam, inducias petunt ad subsidium Comitissæ præstolandum, quod si non habeant, transactis induciis se terram Patriarchæ donaturos promittunt. Interim nobiles, qui comitatum regebant, se pro viribus præparant ad obsidionem Venczoni tollendam, Patriarchæ redditum * vel munimen Venczoni possidere. Cumque in brachio forti versus Venczonium per terras Patriarchæ contraria submittendo incendiis & rapinis procederent; Patriarcha egressus de Utyna cum suis armigeris obviavit ei ibidem prope Glemonam, ibique conserto prælio inter eos Patriarcha orante suisque pugnantibus adversarii sunt devicti, & multi nobiles captivati, qui se in Bragantino concluserant, inter quos fuit capitaneus generalis Georgius de Duyno. Tunc Bragantinum Patriarchæ fuit redditum, & diruptum, & Venczonum ad proprietatem Acquilegiensis ecclesiæ, cujus prius fuerat, volente Deo, devolutum. Eodem anno multitudo locustarum erupit ab Ungaria usque in Italiam in mense Julio & Augusto, quæ locustæ omnia terræ virentia devorabant, & pene per tres annos duravit, & anno quarto consumtæ fuerunt, & postea non sunt visæ. Hoc anno quasi per totam Alemaniam fuit maxima persecutio Judæorum. Eodem anno Odoardus Rex Angliæ venit ad Ludovicum Bavarum in civitatem, quæ Confluentia dicitur, territorii Treverensis, & Ludovico pro tribunali sedenti, præsentibus quasi omnibus principibus Alamaniæ quam ecclesiasticis tam etiam secularibus, coram eis proposuit, quod Philippus Rex Franciæ contra Deum & justitiam in sui præjudicium non solum Normandiæ & Aquitaniæ Ducatum & Comitatum Andegavensem, sed etiam coronam Regni Franciæ sibi & filio sororis suæ debitam (retineret) propter quod ab ipso Ludovico, quem judicem & justitiæ defensorem interpellabat, de prædictis sibi justitiam fieri postulabat. Cum igitur a principibus communi omnium sententia eidem Regi acclamaretur justitia, & patrum hæreditas adjudicaretur, Rex ipse Odoardus ipsum Ludovicum, qui ejus sororius fuerat, & alios principes & nobiles multos ibidem existentes, qui se offerebant in auxilium suum, datis & promissis eisdem magnis stipendiis fecit conscribi, rogans eos, ut usque ad certum terminum per ipsum præfixum se ad præstandum omnibus suum subsidium de necessariis præparent. Quibusdam tamen ex eis jam Regi Franciæ obligatis visum fuit, quod sine suæ fidei corruptela, si Ludovicus adesset, signa imperialia sequi possent. Instante igitur expeditione, cum omnium desideria Ludovici præsentiam expectarent, ipse munera regis expectans, se movere neglexit. Fertur tamen, quod sponsiones Regis Franciæ de impetranda sibi sedis Apostolicæ gratia ipsum retraxerint a promissis. Rex tamen Angliæ nihilominus apud Durdracum Civitatem Olandiæ manens suum exercitum instruit, & in Pictavorum (an Piccardorum) partibus collocavit, habundans plus fortitudine quam multitudine pugnatorum. Rex autem Franciæ quamvis in militiæ numero Regem Anglorum excederet, ad prælium tamen exire tardavit. Quo se retrahente, Rex Angliæ provinciam illam rapinis & incendiis devastavit, sed rigore hiemis imminente ambo Reges ad propria redierunt, uterque tamen ad futurum eventum prælii collectione (attractione) militum & distributione munerum continue munire se studuit. Cardinales autem illuc pro concordia missi cum nihil possent proficere, discesserunt. Tunc Rex Angliæ filiam suam, quam Ludovici uxor in Curiam suam susceperat educandam, ad propria revocavit. Anno Domini MCCCXXXIX. Dux Otto mortis infirmitate gravatus IIII. Kalendis Martii diem clausit extremum, relictis duobus filiis, Frederico & Leopoldo, quos recommendavit intime fratri suo. Eodem anno Albertus, cum nullum haberet filium, quamvis quinque masculos habuisset, qui omnes decesserunt in Calendis Novembris, de uxore sua Johanna recepit filium, quem voluit nominari Rudolphum. Eodem anno Henricus Dux inferioris Bavariæ, Regis Bohemiæ gener, moritur unico filio suo relicto, qui cum post modicum tempus, matre mortua, diem finivit extremum. Ludovicus Bavariæ terram occupat, quamvis filii fratris sui Rudolphi Palatini, & filius Ottonis Ducis Austriæ, quorum mater fuerat soror Henrici defuncti dicerent, hereditatem illam ad se de jure spectare. Anno Domini MCCCXL. Rex Angliæ & Rex Franciæ iterato in terram Piccardorum conveniunt, civitatem Tornacensem obsedit Rex Anglorum, sed instante tunc hyeme firmatis treugis ab invicem discesserunt. Quia Rex Angliæ apud civitates & principes, sicut fertur, diffamaverat Ludovicum ex eo quod in auxilium ejus non venerat, Ludovicus hæc moleste ferens, cum vicariatu quarundam civitatum Imperii, quas sibi pridem pro sua defensione commendaverat, spoliavit. Eodem anno Reges Castellæ & Arragoniæ contra Regem Granatæ Sarracenum cruce signati cum magna multitudine procedentes, cum Sarracenis feliciter pugnaverunt, & innumeralibus Sarracenis prostratis & mortificatis, ad propria cum gaudio redierunt, & vexillum victoriæ supremo Pontifici transmiserunt, de quo Papa magnam fecit lætitiam decantans ore proprio: vexilla Regis prodeunt. Hoc Fredericus libertinus de Swedinch a Ludovico prædicto Comitis nomine recepit, seque nominavit Comitem de Seleya, qui locus dicitur olim in exercitiis militaribus claruisse, sed per Odonatrem (Odoacrum) Regem Bagorum (Rugorum) in Italiam venientem destructum fuisse. Hoc eodem anno Comites Goritiæ contra Bertrandum Patriarcham gverram moverunt, sed ipse

ipse vocatis ad se Carolo & Johanne filiis Regis Bohemiæ, qui tunc Comitatum Tyrolis gubernabant, ipsos adversarios suos fugavit, & Commono & Goritia & demum in Belgrando eos per obsidionem reclusit, & expositis terris eorum incendio & rapinis. Anno Domini MCCCXLI. nobiles civitatis Tyrolensis, habito prius tractatu cum Ludovico Bavariæ & cum Margaretha uxore Johannis filii Regis Bohemiæ, ipsum Johannem de Comitatu Tyrolensi expulerunt. Ipse vero expulsus, ad Bertrandum Patriarcham in Forum Julii declinavit, a quo multum honorifice suscipitur & tractatur. Hoc audiens Papa Benedictus, prædicto Patriarchæ causam inter dictum Johannem & ejus uxorem commisit, mandans eidem, quod convocatis partibus de causa cognosceret, & eam fine canonico terminaret. Cum autem Patriarcha, volens mandatum Apostolicum exsequi, prædictam Margaretham citasset, & ipsa contumaciter comparere recusasset, contra eam & terras ipsius per Patriarchæ nuncios diversi processus autoritate Apostolica publicantur. Hoc anno etiam Reges Castellæ & Arragoniæ cum Rudolpho Palatino Rheni contra Sarracenos exercitum magnum ducunt. Anno sequenti scilicet MCCCXLII. fama percrebuit, quod Johannes, filius Regis Bohemiæ, ab uxore repulsus fuerit propter impotentiam coëundi, quia ejus uxor, cupiens esse mater, & hæredem habere, qui eidem hereditario jure in ipso Comitatu succederet, vellet alteri matrimonialiter copulari. Quod audiens Ludovicus Bavariæ, filium suum Marchionem Brandeburgensem, cujus uxor, quæ Regis Daciæ filia fuerat, dudum decesserat, hortatur & stimulatur, ut dictam Margaretam in uxorem accipiat, & terram inclytam, quæ ad Italiam dat ingressum, acquirat. Cumque dictus Marchio pro viribus renuens, tale consortium abhorreret, tandem voluntas patris prævaluit. Unde assumto quodam suæ partis extrinsecæ Episcopo Frisingensi, qui inter dictum Johannem & Margaretham divortium celebraret, versus montana pater & filius iter arripiunt. Cumque ad clivum montis cujusdam omnes venissent, intrusus ille descendens per clivum, equo aliquantulum cespitante cecidit ex casu, & subito expiravit. Nihilominus tamen cum ad destinatum locum Ludovicus & filius pervenissent, ecclesiastico jure penitus omisso, inter Ludovicum Marchionem & Margaretam nuptiæ celebrantur. Expletis nuptiis & Ludovico patre ad propria redeunte, filius ibi remanens de suis reditibus singulariter perscrutatur, præterea sequens patrem conqueritur ei, se terram famosam cum fructu modico recepisse, cum nobiles illius Comitatus quasi omnia castra & reditus ad Comitatum pertinentes occupata possiderent. Cui pater ait, longam nimis tunicam esse inferius præcidendam & largum pallium aliquibus subtractis latis [lateribus] angustandum. Quod intelligens filius, unum de potentioribus nomine Folquinarium cum omnibus suis filiis artissimæ custodiæ mancipavit, sublatis eidem omnibus potentiis suis, eo colore videlicet, quod ferebatur certis judiciis infidelitatis maculam incurrisse. Rex autem Bohemiæ de his, quæ a Ludovico passus fuerat, ad Albertum Ducem Austriæ, deinde ad Papam & Regem Franciæ, nec non ad alios principes sibi domesticos querelam deferens, ab omnibus consilium & auxilium deprecatur. Hoc anno fuerunt in Alemania magna frigora, & immensæ inundationes aquarum, quæ damna maxima intulerunt. Eodem anno Benedictus XII. Papa moritur, & Clemens VI. substituitur. Eo tempore, dum Albertus Dux Austriæ audivisset, quod Ludovicus Marchio Brandenburgensis se Camerarium Imperii, Ducem Carinthiæ, Comitem Tyrolis & Goritiæ titularet, timens ex hoc, ne venisset in cor ejus spiritus invadendi Carinthiam, illuc properat, & se facit [in] judicatus illius solii [solio] collocari, & per Conradum Gurcensem Episcopum se benedici. Hoc tempore deficientibus stipendiis in partibus Lombardorum, quædam conglomeratio militum Germanorum, in qua existimabantur esse circa tria millia armatorum, soluta obsidione Pisanorum, quam circa Lucanam civitatem tenuerunt, * quidam insurrexit & principem se præfecit, qui Ducem societatis coronatæ se vocavit. Hæc societas de rapina vivens, in diversis territoriis per quæ voluntarie discurrebant, amicis & inimicis intulit magna damna. Hoc tempore moritur Rex Carolus Hungariæ, in cujus locum Ludovicus ejus primogenitus a Strigoniensi Archiepiscopo & Thoma Woywoda Transilvano ab aliisque Baronibus & proceribus Regni VI. die post obitum patris coronatur. Hoc eodem anno cum fama Ludovici Bavariæ quæ prius in Alemaniæ partibus redoluerat, in naribus principum fætere cœpisset propter excessus enormes in personam filii Regis Bohemorum commissos, eundem sprevisse dicuntur, & Rudolpho filio fratris sui regnum & imperium obtulisse; ipse tamen timens patruum exacerbare, renuisse dicitur. Eo tempore Ludovicus Bavariæ nunciata sibi creatione nova novi supremi Pontificis videlicet Clementis VI. ad curiam solennes ambassiatores transmittit, qui cum auxilio Regis Francorum, qui sibi promiserat pro eo fideliter laborare, reconciliationem ipsius cum Papa procurare deberent. Ipsi tamen euntes etiam cum prædicti Regis intercessione nihil proficere potuerunt. Hoc eodem anno Rex Castellæ certa subventione a Papa recepta cum Sarracenis bellum conferens LXXV. galeas granatorum de Sarracenis, opitulante divina potentia dicitur submersisse. Eodem anno Reges Francorum & Anglorum rursus ad bella conveniunt, ad svasionem tamen Cardinalium, quos illuc Papa miserat, treugas usque ad triennium statuerunt, & sic, ut fertur, Reges prædicti omnem litis materiam, quæ inter ipsos fuerat, in arbitrium supremi Pontificis & quorundam Cardinalium detulerunt. An. Domini MCCCXLIII. amba-

ambasiatores de curia Romana inefficaciter redeuntes, referunt velle ac sic expresse mandare, quod ipse Ludovicus suum cognoscat errorem, resignet imperium, & Comitatum Tyrolensem omnino dimittat, & hac via, non alia, eum Apostolicæ sedis gratiam obtenturum & inventurum; addentes, quod votis suis multum obstiterat Regis Bohemorum instans querela in Regem Francorum & impedimentum negotii retorquentes. Ludovicus vero quod quam diu spiritus regeret artus suos, nihil omnino de prædictis faciet. Qua responsione Papæ notificata, mandavit ipse Papa per Patriarcham Bertrandum novos processus fieri tam contra Ludovicum patrem quam contra filium, & omnes de Comitatu Tyrolensi, eorumque consiliarios & fautores, quos quidem processus Patriarcha publicari mandavit. Hoc anno moritur Robertus Rex Apuliæ, cui successit Andreas frater Ludovici moderni Regis Hungariæ. Hoc tempore regentes civitates Italiæ ad invicem concorditer convenerunt, ut societatem coronatam ab invicem separarent. Cum autem hoc ad aures ipsorum de societate prædicta devenisset, se ad Camporum latitudinem receperunt, inter se firmantes, quod se non divident, sed in unitate manentes usque ad mortem suam, libertatem & potentiam conservabunt. Quod advertentes civitatum prædictarum rectores, in illis partibus, ubi erant, victualia destruxerunt, suis destructionalibus * districte mandantes, ne ad illos aliqua necessaria pro suis usibus apportarent. Insuper in passibus & vadiis magnorum fluminum contra eos, ne sine damno ipsorum transire possent, insidias posuerunt. Hæc videntes illi, qui societatem regebant, quanquam de armorum virtute confiderent, quia tamen inopia victualium premebantur, se ad exitum paraverunt, & circa montem Padonis prostrata multitudine rusticorum eos obsidere conantium sine damno personarum & rerum clausuras singulas transierunt, quidam tamen instabiles & vagi remanentes ibidem miserabiliter spoliati & peremti exstiterunt. Eodem anno sed mense Januario Florentini ad rumorem & clamorem populi Ducem Atheniensem, quem modo simili suum dominum fecerant, turpiter expulerunt.



XXI.

THEODERICI DE NIEM VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM

a Nicolao IV. usque ad URBANUM V. & inde ab Anonymo usque ad annum 1418. continuatæ, additis IMPERATORUM gestis.



HONORIUS IV.

HONORIUS IV. natione Romanus (a) de domo Sabellorum (b) prius Diaconus Cardinalis, anno Domini (c) MCCLXXXIV. die secunda mensis Aprilis (d) eligitur in Perusio concordia fratrum, prima die, qua convenerant ad electionem summi Pontificis futuri celebrandam, & die mensis Maji; licet impotens ad id crederetur & penitus inhabilis famose diceretur, in sacerdotem est per Dominum Latinum Hostiensem Episcopum Cardinalem promotus apud Sanctum Petrum, & ibidem crastina die coronatus per eum in altari Sancti Petri, primitus divinæ Missæ officio celebrato.

Hic statim post electionem tam Comiti Atrebatensi in Apulia viriliter militanti, quam cæteris stipendiariis (e) in incertis partibus, per Dominum Martinum prædecessorem suum ordinatis, eos animose confovendo, (f) præstitit stipendia, & animavit ad suscepta negotia sollicite prosequenda.

(g) Moritur in die Parasceve Romæ apud S. Sabinam, (h) & in Ecclesia S. Petri, juxta sepulcrum Nicolai tertii sepelitur. (i)

EXPLICIUNT CHRONICÆ MARTINIANÆ. (k)

[Sequitur jam continuatio Theodorici de Niem, quæ extat in Codicibus Guelfebytano, Hanoverano A. & B.]

(l) Nicolaus IV. natione Lombardus de Esculo civitate de Marchia Anchonitana (m) electus ad Pontificialem Cathedram, eandem ascendit in festo S. Petri, a. Domini MCCLXXXVIII. (n) Seditque annis IIII. & tantum amplius quantum est in festo Cathedræ Sancti Petri usque ad hebdomadam sanctam in parasceve sancta. Vacavit autem sedes annis II. & mensibus quasi tribus. Hic prius vocabatur frater Ieronimus, de Ordine fratrum Minorum, quorum minister fuerat generalis, & exinde presbyter Cardinalis. Hic Nicolaus Papa fecit presbyterum Cardinalem fratrem Hugonem de Bilonio, ordinis Prædicatorum, magistrum in Theologia, & fratrem Matthæum de aqua Sparta ministrum generalem Fratrum Minorum Episcopum Portuensem. Pontificatus sui anno primo anno Domini MCCLXXXIX in fine mensis Aprilis, dum letaniæ fierent sancti Marci, Tripolis civitas capitur a Soldano & Saracenis: fueruntque capti ibidem & alibi captivati plures Christiani, & Christianitatis nomen & cultus delectus est ex eadem. Eodemque anno oritur discordia inter Regem Franciæ Philippum & Angliæ Ewardum, pro qua sedanda mittuntur duo Cardinales a latere Papæ, scilicet, Benedictus Gaytani & Gherardus de Parma, sed

(a) *de Sabellensibus.* Antv. Han. A. B. Guelf. Weissenb. Herold. (b) In Helm. deest: *prius D. C.* (c) *LXXXV.* Antv. Han. A. B. Guelf. Weiss. Herold. (d) *& Romæ apud S. Petrum consecratus & coronatus. Sedit annis duobus, die uno. Et vacavit Pontificatus mensibus decem, diebus duobus. Hic fuit omnino homo temperatus & magnæ discretionis: impeditus tamen corpore in pedibus & manibus: libenter ubique pacem quærens.* Antv. Herold. Han. A.B. Guelf. *Hujus anno primo in Octobri cum Rex Franciæ Philippus intrasset in multitudine gravi Cataloniam; & sibi ex pacto fuisset reddita Gherunda, rediens cum magno rerum & personarum* (numero) *& maxime in transitu montium Pyrenæorum V. die Octobris, obiit in Perpiniano, & filius ejus Philippus in Franciam rediens, coronatus est in Epiphania sequenti.* Hanov. A. B. Guelf. (e) *pro incertis.* Helm. (f) *præstavit.* Helm. (g) *Romæ obiit in die Parasceves apud S. S. & apud S. Petrum sepultus fuit.* Antv. Herold. (h) *Anno Domini MCCLXXXVII. die III. Aprilis, & sepultus est apud S. Petrum.* Han. A. B. Guelf. Lips. (i) *Numerus suprascriptorum Pontificum est scilicet XCV. ex quibus LXXXVIII. fuerunt Romani natione.* Han. A. B. Guelf. Lips. (k) [Hæc verba hoc loco habet Codex Helmstadiensis. Subjicitur tamen amplum supplementum usque ad 1438. quod Andreæ Presbytero Ratisbonensi tribuitur. Et superius a nobis editum est.]
(l) *de civitate Osculana.* Weiss.
(m) *Episcopus Prænestinus.* Weissenb.
(n) XV. *Febr.* Weissenb.

modicum profecerunt. Eodemque anno memoratus Carolus Princeps Rexque Siciliæ futurus de carcere liberatur, dimissis ibidem obsidibus pro pactis habitis observandis. Anno Domini MCCXCI. a captione civitatis Tripolitanæ fere biennio jam elapso, in festo sanctæ Potentianæ virginis XIIII. Kalend. Julii Achon civitas a Sarracenis capitur, captis & occisis ibidem plus quam XXX. millibus utriusque sexus. Causa autem proditionis ejusdem fuisse fertur multitudo dominorum & diversitas nationum ibi, quæ faciebant contrarietatem voluntatum. Tradunt etiam causam aliam extitisse transfretationem quorundam fatuorum, quia Nicolaus Papa IIII. crucem fecerat prædicari. Et euntes in Achon injuriabantur Saracenis, qui cum Mercimoniis in Achon veniebant. Unde provocatus Soldanus venit cum magno exercitu, & cepit violenter ac destruxit civitatem, & extirpavit omnes Christianos de terra. Anno Domini MCCXCI. Rudolphus Rex Alemaniæ moritur sine benedictione Imperiali, & apud civitatem Spiram Alsatiæ sepelitur, regni sui anno XVIII. Hic fuit in armis strenuus, & Princeps providus. Hic Nicolaus Papa obiit Romæ in parasceve. Sepultus fuit in (a) sancta Maria majori terminante an. Domini MCCXCI. vel inchoante anno Domini MCCXCII. Electores Imperatoris tam Principes quam Prælati congregati elegerunt in Regem Alemaniæ Adulphum Comitem de Nassaw, virum quidem in armis strenuum, sed in potentia non multum.

De Adulpho Rege Alemaniæ.

Adulphus Comes de Nassaw fuit electus in Regem Alemaniæ & Romanorum Anno Domini MCCXCII. Hic Adulphus Rex exercitum aggregavit contra Albertum, ducem Austriæ. Et fuit filius Rudolphi, quondam Regis Alemaniæ, pugnaveruntque simul, in qua pugna Adulphus occiditur, & sui in fugam convertuntur. Anno Domini MCCXCVIII. Regnavit autem apud Teutonicos annis VI. Benedictionem tamen Imperialem non habuit, nec Coronam Imperii.

Cœlestinus V. Papa MCCXCIIII.

Cœlestinus V. (b) conversione heremita natione de Terra laboris oriundus prope (c) Sullinonem inopinate sane eligitur in Papatum VII. (d) die Julii, anno Domini MCCXCIIII. in Perusio civitate, ubi Cardinales transtulerant se de Roma post mortem Nicolai IIII. Papæ, fuitque coronatus in Aquila civitate in sanctæ Mariæ Ecclesia de Colomaidio, (e) in festo decollationis sancti Johannis Baptistæ, seditque anno quasi dimidio, & vacavit sedes diebus X. (f) Ipse siquidem in Vigilia sanctæ Lucidæ, (Luciæ) scilicet pridie Idus Decembris cessit Papatus oneri & honori. Et sequenti die ante vigiliam natalis Domini Benedictus Cardinalis in Papam eligitur, & Bonifacius appellatur anno Domini prætaxato MCCXCIIII. Hic Cœlestinus prius vocabatur Frater Petrus de Murrone ordinis, qui a plerisque dicebatur sancti Damiani sub regula sancti Benedicti Abbatis, qui quasi eremita degebat in magna austeritate vitæ, multos habens discipulos in illis circum vicinis partibus, quibus ipse præerat tanquam (g) Pater. Hujus electio fuit tam admiranda quam inopinata. Perstiterant enim duobus annis & amplius Cardinales sic fixi atque divisi in voluntatibus & in votis, (h) quod in unum non poterant convenire. Tandem in hunc Fratrem de Murrone, cujus famam sanctitatis & odorem bonæ opinionis aliqui ex ipsis audiverant, tanquam in lapidem angularem suos oculos dirigentes ex improviso prius in ipsum convenerunt, ipsumque communiter elegerunt in Perusio, miseruntque inde suæ electionis decretum ad ipsum, qui tunc erat in partibus Apuliæ seu Aprutii in suo habitaculo, colens Deum. Postmodum venerunt ad ipsum, fuitque in civitate Aquila consecratus. Deinde venit Neapolim, ubi cum Cardinalibus suis sedit, fecitque ibi ordinationem Cardinalium satis magnam, inter quos ex suo ordine fratres duos elegit & constituit Cardinales. Hic homo Dei in secularibus rebus minus expertus, Theologiæ & orationi magis deditus fuit. Elegit ipse abjectus esse in domo Domini, & habitare secum. Unde edita prius a se constitutione, quod Papa Romanus posset Papatui cedere. Ipse in conspectu fratrum Cardinalium in Neapoli resignavit (i) Papatus oneri & honori, deponens ibidem Papatus insignia, & exuens se Papalibus indumentis, exemplum tantæ humilitatis & abjectionis voluntariæ relinquens posteris, a nullis aut paucissimis imitandum, cunctis vero plurimum admirandum. Unde & tam suam electionem quam resignationem admirati sunt universi, quod si dicatur mirabiliter; quia rarum est & insolitum evenire. Miraculosa ejus resignatio orbi proponitur in exemplum. Hic post cessionem suam fugere voluit, & latere, & redire ad eremum, sicut primo, sed per missos a Bonifacio suo Successore, comprehensus in fuga, reducitur, & in custodia ponitur, & tenetur cautius, si quidem Bonifacius præcavendo, quod sibi & ecclesiæ accidere poterat scandalum, si ab aliquibus pro Papa deinceps haberetur. Quod ex pluribus, quæ tempore ipsius Bonifacii Papæ facta fuerunt, verisimiliter timebatur, maxime, quia aliquibus dubium videbatur, utrum Papa potuerit Papatum resignare. Ex quo poterat schisma in Ecclesia generari. Supervixit autem anno uno, mensibus IIII. diebus XXXVIII. Hic itaque Cœlestinus frater Petrus de Murrone prius & posterius nominatus, tentus in custodia non quidem libera successoris in castro Fumonis moritur, & in quodam monasterio sui ordinis, quod dicitur Sancti Anthonii de Ferentino prope majus altare in ecclesia sepeli-

(a) apud S. Mariam majorem. Weissenb. (b) *natione Aprundensis de Majello seu Moronæ Monachus ordinis S. Benedicti.* Weiss. (c) *Sullonem.* Herold (d) V. Weiss. (e) *Colomadio.* Han. A. B. Herold.

(f) *XI.* Weissenb. (g) *Pastor & Pater.* Herold. (h) *nequeuntes concordare* Herold. (i) *Papatui propter insufficientiam suam.* Weiss.

tur

tur anno Domini MCCXCVI. Iste sanctus vir fertur & creditur in vita sua & post mortem miraculis claruisse, de cujus canonizatione facienda postmodum apud magnos viros in curia fuit sermo & tractatus. Fueruntque conscripta miracula & oblata examini ad hoc ipsum, fuitque propositum aliquotiens coram Papa publice & privatim tempore Clementis Papæ V, fuitque postmodum sibi nomine Petri sanctorum Confessorum catalogo annotatus sicut liquebit inferius loco suo. Anno Domini MCCXCIIII. oritur discordia & guerra inter Regem Franciæ Philippum & Angliæ Eduardum in partibus maxime Vasconiæ, in qua plurimi perierunt. Eodem anno obiit frater Latinus ordinis Prædicatorum, Cardinalis Episcopus Hostiensis, paulo ante resignationem Cœlestini Papæ, cujus electionis ipse post Deum fuit motor primus.

Papa Bonifacius IIX. MCCXCIIII.

Bonifacius VIII. natione Campanus de (*a*) Anagnia civitate, (*b*) fuit electus in Papam in civitate Neapoli in Vigilia Natalis Domini anno Domini MCCXCIIII. suo prædecessore vivente. (*c*) Seditque annis VIII. (*d*) menses IX, & vacavit dies X. Hic prius nominatus est Benedictus (*e*) Gaytani tituli Sancti Martini in montibus presbyter Cardinalis, fuitque Bonifacius nomine alteratus. Incepitque quadam singulari via potentiam suam & Papalem magnificentiam dilatare. Cujus prædecessor Cœlestinus miracula operatus est in vita sua & post mortem. Ipse vero Bonifacius mirabilia fecit, quæ in fine mirabiliter defecerunt. Hic Papa Bonifacius Pontificatus sui anno primo, anno Domini MCCXCV. statuit festum Apostolorum, & IIII. Evangelistarum, & IIII. Doctorum, scilicet Gregorii, Ambrosii, Augustini & Jeronimi, sub honore festi duplicis ab omnibus universaliter celebrari. Eodem anno Adulphus Rex Alemaniæ vicarium suum in Tusciam constituit, & transmisit Dominum Johannem de Cabilone, quem Bonifacius Papa favorabiliter recepit. Anno Domini MCCXCVI. Bonifacius fecit & erexit villam Appanensem in novam civitatem, constituitque ibidem in alberia Sancti Anthonii canonicorum regularium esse in perpetuum ecclesiam cathedralem, Dominum Bernhardum, Sayteti Abbatem, constituens primum Episcopum in eadem. Eodem anno Bonifacius Papa cepit processus facere contra (*f*) Columnenses, occasione & causa, quia Stephanus thesaurum ejusdem Papæ fuerat deprædatus. Deinde Dominus Jacobus & Petrus de (*g*) Columna, patruus & nepos, Cardinales videntes contra se motum Papam, libellum famosum conficiunt contra ipsum, quem ad multas partes mundi dirigunt, asserentes in eodem, ipsum non esse Papam, sed solummodo Cœlestinum. Unde citati a Bonifacio Papa, non duxerunt comparendum, & facti sunt contumaces. Ob quam causam tandem fuerunt in Consistorio sicut schismatici condemnati, & privati capellis rubeis, & omnibus beneficiis ecclesiasticis, & præbendis, & omni Cardinalatus titulo, ac commodo & honore. Insuper bona ipsorum & filiorum, Johannis de Columna, videlicet Agapiti, Stephani, & Syarræ fuerunt pariter confiscata in die ascensionis Domini. (*h*) Anno ejusdem MCCXCVII. Et super hoc idem Bonifacius constitutionem edidit decre. extra de scismatic. li. VI. ad succidendos. Prædicti vero Jacobus & Petrus de Columna fugientes a facie Bonifacii persequentis multo tempore latuerunt, donec idem Bonifacius fuit mortuus & sepultus. Eodem anno Domini MCCXCVII. III. Idus Augusti in Dominica die in urbe veteri idem Bonifacius Papa Pontificatus sui anno III. canonizavit sanctum Ludowicum Regem Francorum, & sanctorum Confessorum Cathalogo annotavit. Anno Dom. MCCXCVIII. IIII. Kal. Januarii Bonifacius Papa Pontificatus sui anno III. instituit in Ecclesia Cathedrali Sanctæ Cæciliæ Albinensis, ut essent ibi deinceps Canonici seculares, qui antea Canonici regulares vocabantur, & fuerunt annis multis, Domino Bernhardo de Castanetto, tunc Episcopo Albinensi, id ipsum sollicite procurante. Eodem anno Domini MCCXCVIII in fine hujus anni V. nonas Martii Pontificatus sui anno IIII. Idem Bonifacius Papa fecit publicari VI. librum decre. quem per tres magnos & solennes viros fecerat compilari, plurima nova constituens. Anno Domini MCCXCVIII. Adulphus Rex Alemaniæ & Romanorum exercitum congregat contra Albertum Ducem Austriæ, qui quondam fuit filius Rudolphi Regis Alemaniæ, pugnaveruntque simul; in qua pugna Adulphus occiditur, & sui in fugam convertuntur. Eodem anno congregati Electores Imperatoris Albertum prædictum Ducem Austriæ Aquisgrani elegerunt in Regem Alemaniæ & Romanorum. Eodemque anno Bonifacius Papa reconciliavit sibi & Ecclesiæ Regem Arragonum Alfonsum, & absolvit a sententia excommunicationis, & regnum Arragonum sibi restituit, regnumque Sardiniæ sibi concessit sub certis conditionibus & pactis. Eodem etiam anno Bonifacio cum sua curia Reate residente (*i*) dominica prima adventus Domini, in festo Sancti Andreæ Apostoli, incepit Reate & in vicinis partibus vehemens terræ motus, qualem & quantum nullus tunc vivens viderat prius, diruitque multa ædificia in pluribus locis: multis diebus & noctibus perduravit, non quidem continue, sed per plures vices in die pa-

(*a*) *Anagane.* Weissenb. (*b*) *post renunciationem Cœlestini Papæ, quam ipse præ cæteris procurasse dicitur.* Weissenb. (*c*) *consecratus & coronatus apud S. Petrum.* Weissenb. (*d*) *menses XI. diebus XVIII.* Weissenb. (*e*) *Cajetanus. Et prius fuit solennis advocatus in curia, deinde Domini Papæ notarius, & postea tituli S. Mart.* Herold.

(*f*) *Colonenses.* Herold. (*g*) *Colona.* Herold.

(*h*) *anno sequenti.* Herold. (*i*) *terræ motus magnus factus est in octava S. Augustini circa mediam diem, specialiter autem in Episcopatu Turonensi, turres & castra, ut dicitur, evertebat.* Helmst.

 riter

riter & in nocte timoremque non modicum incussit Papæ & Cardinalibus, ac toti curiæ: confugitque Papa ad claustrum Prædicatorum, qui in altiori & solidiori loco positi erant, ubi in claustro Papæ facto tentoriolo festinanter de subtilibus asseribus, conquievit. Homines vero de nocte ibant & fugiebant ad campos sub divo manentes, ædificia super se ne corruerent, formidantes, in timore magno exspectantes. Cadebantque passim homines & jumenta, cum terra tremeret & motibus mutaretur insolitis. In illis autem diebus, eadem hebdomade, prima adventus Domini pridie Nonas Decembris, Bonifacius Papa assumsit IIII. ad Cardinalatum, videlicet Archiepisopum Toletanum, & Dominum Richardum de Senis, & Dominum Theodoricum, & fratrem Nicolaum de Terviso, magistrum ordinis fratrum Prædicatorum, tunc sanctæ Sabinæ presbyterum Cardinalem, quem postmodum transtulit in Episcopum Hostiensem. Postmodum vero alio tempore assumsit fratrem Johannem de Murro, generalem ministrum fratrum Minorum, in Cardinalem Episcopum Portuensem, & Petrum Hispani in Cardinalem Episcopum Sabinensem. Anno Domini MCCXCIX. (*a*) Albertus prædictus, Rex Theutoniæ, solennes nuncios misit ad curiam pro confirmatione electionis suæ, quam Bonifacius Papa multis tunc rationibus repulit, & ipsam dixit penitus nullam. Anno Domini MCCC. Bonifacius Papa concessit plenam indulgentiam omnium peccatorum omnibus visitantibus limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli Romæ, & facientibus ibi quindenam infra annum ipsum, statuitque eandem indulgentiam imposterum in omni anno centenario ab omnibus visitantibus eadem sacra limina sic haberi. Factusque fuit concursus magnus populorum Romæ de toto orbe, de omni conditione, sexu & ordine ad indulgentiam supradictam. Anno Domini MCCCI. tempore autumnali apparuit Cometa in occidentis parte in signo Scorpionis. Aliquando ad orientem, aliquando ad meridiem suos radios emittebat, duratque per mensem. (*b*) Eodemque anno Bonifacius Papa, qui contra Philippum, Regem Franciæ, plura conceperat, provocatus transmittit literas cum bulla eidem Regi ad perpetuam rei memoriam, in quibus mandavit eidem, quod cum ipse Papa Dominus esset in temporalibus & spiritualibus in universo mundo, volebat, quod recognosceret regnum Franciæ ab eodem, & contrarium sentire & tenere hæreticum judicabat. Fueruntque literæ hujusmodi in palatio Regis coram pluribus concrematæ, & sine honore remissi nunctii vacui, qui portaverant. Et tunc Rex artari fecit omnes vias & exitus regni sui. Eo anno excommunicavit Papa omnes, qui impediebant illos, qui ad Romanam curiam veniebant. Eodem quoque anno corpus cujusdam nomine Armanni, quod XXXI. annis tanquam sanctum in ecclesia Ferrariensi extiterat veneratum, fuit studio & mandato Inquisitorum hæreticæ pravitatis in illis partibus exhumatum, pariter & combustum tanquam hæretici & damnati, & ejus ara pretiosa satis fracta fuit & destructa, inquisitorque, qui erat illo tempore frater Guido de ordine fratrum Prædicatorum, factus fuit postmodum Episcopus Ferrariensis. Eodem quoque anno in fine sanctæ quadragesimæ, Philippus, Rex Franciæ, considerans quod prævisa jacula minus feriunt minusque lædunt, convocavit omnes Prælatos & Barones personaliter, omnesque communitates regni sui per procuratores idoneos, & ad se venire pari suis (f. per suos) exegit, consilium & auxilium ab eisdem contra omnem hominem petiturus; specialiter autem contra Papam Bonifacium intentio ferebatur. Sicque rumor magnus in toto regno, turbatio cordium & confusio rerum. Fueruntque ipsi Bonifacio Papæ objecta crimina, & titulus hæresis, suoque prædecessore vivente intrusio & ingressus illegitimus ad Papatum, & quod ei non erat parendum. Sicque contra ipsum Papam provocatio ad Concilium generale. Anno Domini MCCCII. mense Julii prope Contractum (Contratum) fuit campale (campestre) bellum Gallicorum pro parte Franciæ contra Flandrenses, qui ante: rebellaverant Regem Franciæ, & adhuc rebellabant, cessitque ibi fortuna inopinata Flandrensibus, & casus ruina Gallicis tam mirabilis quam miserabilis, cum flos militiæ Gallicanæ in campo ceciderit, non virtute hostium quam incautela pugnantium Gallicorum, irruentium inconsulte. Ibique mortuus est Robertus, Comes Attrebatensis, & Radulphus de Nigella Conestabulus Regis Franciæ, aliique quam plurimi nobiles milites, & Barones in foveis & fossatis, unde, cum caderent, surgere minime prævalebant, mortui-

(*a*) Ad hunc misit *Albertus*, Dux Austriæ, qui se Romanorum Regem gerebat, solennes nuncios, qui ab eo electionis suæ confirmationem & approbationem suppliciter postularent. Quibus respondisse dicitur: *Occidisti, & possedisti*; renuens eorum supplicationem audire, quia Albertus Dominum suum, Adolfum Imperatorem, occiderat, & regnum ejus occupaverat, propter quod crimen læsæ majestatis incurrerat. Item quod ipsius Conradini soror de tortuosi colubri radice venenata prodierat. Fertur & addidisse, quod cum *Imperatorem oporteat esse Argum*, iste, qui erat monoculus, ad Imperium non erat idoneus. Sed eodem anno, videlicet MCCCII. scripsit eidem Alberto, quod ad eum Ambasiatores, Secretarios suos transmitteret. Cumque Rex ipse misisset ad fratrem Henricum Cancellarium suum, qui post Præcanodum factus fuit Episcopus Tridentinus, Papa, qui contra se multorum potentum odium provocaverat, ut Regis Alberti sibi favorem acquireret, eidem approbationis & confirmationis suæ gratiam de Apostolicæ potestatis plenitudine dicitur indulsisse, ipsumque ad coronam Imperii favorabiliter invitasse. Weissenb. (*b*) *Hic Papa constitutionem fecerat, in qua se dominum spiritualem & temporalem in universo mundo asserebat. Unde requisivit Philippum Regem Franciæ ut a se regnum suum cognosceret. Quod Rex facere contemsit.* Herold.

que

que fuerunt plurimi in exercitu Gallicorum. Eodemque anno Domini prætaxato MCCCII. III. Kal. Novembris Romæ Bonifacius Papa celebravit concilium, quod antea per annum & amplius convocavit, prælatorum Regni Franciæ omnique doctorum regnicolarum tam in Theologia quam in utroque jure Canonico & Civili, contra Philippum Regem Franciæ memoratum, coruscationem Papæ multis præviis contra Regem nulla pluvia apparuit subsecuta. Defeceruntque sibi prælati aliqui magni in regno quærentes, quæ sua sunt, & sibi ipsis tantummodo ad tempus consulentes. Anno Domini MCCCIII. Bonifacius Papa regi Franciæ movet litem, ipsum excommunicat indirecte, quia non permittebat aliquem exire de regno versus Curiam Romanam libere, nec pecuniam apportari. Ob quam causam idem Bonifacius Albertum, filium quondam Rudolphi, Ducem Austriæ, Regem Alemaniæ, cujus electionem ante repulerat, in Imperatorem confirmat, eidemque subjiciens Regnum Franciæ, sicut & alia regna. Anno Domini MCCCIII. In vigilia nativitatis beatæ Mariæ virginis in Septembri, dum Bonifacius Papa Anagniæ in patrio solo ac civitate propriæ originis cum sua curia resideret, ubi tutus esse amplius merito crederetur in gente sua & populo & natione, ibi conscii aliquibus domesticis suis (a) captusque atque detentus, & thesaurus suus & ecclesiæ deprædatus & deportatus, non sine ignominia ecclesiæ & dedecore grandi. Cardinales vero sibi timentes, relicto eo, fugierunt, duobus exceptis, scilicet Domino Petro Hispano Sabinensi & Domino Nicolao Hostiensi Episcopis. Cujus captionis & sceleris vexillifer fuit (b) Gvillis de Nogareto de Sancto Felice dioecesios Tholosanæ, complicibus & consentaneis Columnensibus (c) ex quibus duos olim decapellaverat Cardinales. (d) Super ipsum itaque Bonifacium, qui Reges, & Pontifices, & religiosos clerumque & populum horrere & tremere fecerat, & pavere, timor, tremor & dolor una die irruerunt. Aurumque nimis sitiens, aurum perdidit & thesaurum, ut exemplo ejus discant superiores prælati non superbe dominari in clero & populo, sed forma Sancti Gregis ex animo curam gerere subditorum, plusque amari appetant quam timeri. (e) De Anagnia vero Romam perductus XXXV. die a captione sua, in lecto doloris & amaritudinis positus, inter angustias spiritus cum esset corde magnanimus, obiit Romæ (f) V. Idus Octobris. Sequenti vero die fuit in tumulo, quem sibi vivens præparari fecerat, tumulatus in Ecclesia Sancti Petri, Anno Domini MCCCIII. Pontificatus sui anno IX.

(a) *Proditorie.* Weissenb. (b) *Guillo.* Weissenb. *Guilielmus.* Herold. (c) *quos ad hoc Rex ipse* (Philippus) *transmiserat.* Weissenb. (d) *In qua captione Papa præposita sibi cruce & sanctorum reliquiis dicitur Philippo Regi Francorum, ... usque in quartam generationem maledixisse.* Herold. (e) *Sed Ananiensibus de maleficio pœnitentibus, eodem die Papa restitutus est pristinæ libertati.* Helmstad. *Tandem cum sic detineretur, excitato populo civitatis Anagniæ divino nutu, & expulsis detentoribus &* Columnensibus, *qui ibi erant, restitutus est pristinæ libertati.* Weissenb. (f) *infra paucos dies die prima octobris.* Weiss. *trigesima die a captione sua.* Herold. (g) *anno sequenti.* Herold. (h) *apud beatum Petrum.* Weissenb. (i) *XVI.* Helmst. Weissenb. *XVII.* Herold. (k) *Guilielmus.* Herold.

De Alberto Rege Alemaniæ.

Albertus prædictus Dux Austriæ, filius quondam Rudolphi Regis, fuit electus in Regem Alemaniæ & Romanorum ab electoribus congregatis Aquisgrani, Anno Domini MCCXCVIII. Misitque solennes nuntios (g) ad Bonifacium Papam VIII. pro confirmatione electionis suæ, quam idem Papa multis rationibus allegatis repulit prima vice, & asseruit, esse nullam. Postmodum vero suborta gravi discordia inter Regem Franciæ Philippum & Papam Bonifacium, idem Bonifacius Albertum prædictum, Ducem Austriæ, in Regem & Imperatorem confirmat, eidem subjiciens Regnum Franciæ, sicut & alia regna. Albertus regnavit apud Theutonicos solum annis X. Benedictionem tamen Imperialem non habuit, nec coronam. Hic Albertus fuit occisus a nepote suo, filio fratris sui, Anno Domini MCCCVIII.

Papa Benedictus XI. MCCCIII.

Benedictus undecimus natione Lombardus de Terviso civitate, fuit electus in Papam Romæ (h) XI. Kalend. Novembris, & coronatus ex more Die Dominica sequenti, quæ fuit in vigilia Apostolorum Simonis & Judæ, Anno Domini MCCCIII. Sedit mensibus VIII. diebus (i) XVIII. & vacavit sedes mensibus X. & diebus XXIX. Hic prius vocabatur frater Nicolaus ordinis prædicatorum, in quo a primævo juventutis suæ anno XIIII. ætatis religiose nutritus & conversatus, lector extitit multis annis, & postmodum prior provincialis Lombardiæ, & inde magister ejusdem ordinis, ac de magisterio ad Cardinalatum assumtus. Existensque Cardinalis Episcopus Hostiensis assumitur ad Papatum. Hic Benedictus Papa Pontificatus sui anno primo fecit Cardinalem Episcopum Hostiensem, fratrem Nicolaum de Prato, ordinis Prædicatorum tunc Episcopum Spoletanum, in jejuniis IIII. temporum, in adventu Domini, & fratrem (k) Guillum Anglicum, Magistrum in Theologia, quem viventem esse credebat, qui tamen obierat in præcedente æstate. Ubi attende, rem novam alias inauditam nostris temporibus accidisse, ut quis mortuus efficeretur Cardinalis Romanus. Postmodum vero in sequentibus jejuniis & ordinibus IIII. temporum, post cineres loco præfati fratris Gvilli fecit Cardinalem Presbyterum fratrem Galterum Anglicum, de ordine Prædicatorum, Eduardi Regis Angliæ confessorem. Anno Domini MCCCIII. in natali Domini Philippus Rex Franciæ, cum uxore sua Johanna & tribus filiis suis, Lodowico primogenito, Philippo & Carolo, fuit Tholosæ, ubi stetit per unum mensem. Inde vero per Tartazonam,

Narbo-

Narbonam, biturrim, [f. Biterram] & Montem Pessulanum, & Nemmausum in Franciam est reversus. Hic Benedictus Papa denuntiavit excommunicatos publice in scriptis auctores sceleris & captionis Prædecessoris sui Bonifacii VIII. nominatim & expresse Guillelmum de Nogareto, Sarram de Columna, & quosdam alios, nominatim & generaliter omnes complices captionis & sceleris cum eisdem, quam ipse Benedictus Papa tunc Cardinalis existens fide viderat oculata. Hic etiam Papa reconciliavit ad ecclesiasticam unitatem, non tamen ad Cardinalatum restituit Jacobum & Petrum de Columna, restituens eis illa, (*a*) quæ tunc Ecclesia tenebat. Anno Domini MCCCIIII. post Pascha, Benedictus Papa recedit de Roma, & vadit Perusium cum Curia sua. Hic quoque Benedictus simultatem & dissidium, quæ prius suborta fuerant inter Regem Franciæ Philippum & Bonifacium Papam, sedavit, ac privilegia & libertates, quibus Regem privaverat Bonifacius Prædecessor, eidem Regi restituit & concessit, sicut antiquitus (*b*) in hebdomada Pentecostes præsentibus Regis Nuntiis in Consistorio in Perusio, anno prætaxato. Item ibidem edidit unam Constitutionem, quæ incipit: Quod olim: in qua restrinxit pœnam constitutionis, quæ incipit: Clericis Laicos, decernens, ut in solventibus aut recipientibus a sponte solventibus pœna dictæ constitutionis Bonifacii non vendicet sibi locum. Hic Benedictus Papa obiit in Perusio nonas Julii, pontificatus sui anno primo. Sepultus fuit in Ecclesia fratrum Prædicatorum Perusii ante altare Anno Domini MCCCIIII. ubi divina virtus & bonitas ejusdem gratia Benedicti & nomine merita cepit evidentibus miraculis declarare, maxime in dæmonibus expellendis de corporibus obsessorum, in multis infirmitatibus & languoribus propulsandis, quorum quædam non pauca evidentia & probata alibi scripturæ memoriæ sunt mandata. Vacavit autem sedes a prædicta die per illum annum sequentem usque ad quintam diem mensis Junii, (*c*) Cardinalibus stantibus inclusis, (*d*) non valentibus illo tempore concordare, quamvis a Perusinis plures restricti fuerunt & artati.

Codex Hannov. B.
Benedictus XI.

Anno Domini MCCCIV. idem Benedictus Papa XI. in Perusio constitutus ad instantiam fratrum Prædicatorum, quorum ordinis fuerat, fratres ordinis Eremitarum sancti Augusti voluit privare scapularibus suis, eo quod in illo habitu eis similes esse viderentur. Fratres vero Augustinenses spem suam in virginem gloriosam genitricem Domini Nostri Jesu Christi ponentes, ipsamque, ut eorum esset advocata, precibus & votis pulsantes. Quare plurima nocte illa, qua idem Papa modum privationis excogitavit, ad recessum vadens, omnia intestina & jecur per posteriora emisit, & mortuus est. Pontificatus sui anno primo. Quare non sibi fuerant anni attributi in Papatu, sed ut præfertur, mortuus est mense Julii. Curtisani vero de hoc dederunt hos versus:

Undenus victus Christi nutu Benedictus,
Fratribus accessit, quibus hæc fera pessima cessit.
Sis Christe testis, quod eorum candida vestis.
Indemta manet, velut hoc per secula claret.

Papa Clemens V. MCCV.

Clemens V. natione Vasco de loco, qui (*e*) Viandram dicitur, Burdegalensis diœcesis oriundus, ex patre (*f*) Burchardo milite. Fuit electus in Papam in Perusio, in vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonas Junii an. Domini MCCCV. Hic prius vocabatur Bertrandus Del goth seu de Gotho. Hic fuit primo Episcopus Convennarum, factus per provisionem Domini Papæ Bonifacii VIII. Anno Domini MCCXCV. Fuitque (*g*) Convennarum Episcopus annis V. & exinde transtulit ipsum, idem Bonifacius Papa in Archiepiscopum Burdegalensem paulo ante natalem Domini MCCXCIX, ubi sederat Archiepiscopus quasi annis VI. Et tunc temporis suam provinciam in Pictavi visitabat. Cumque Cardinales pro electione summi Pontificis inclusi in Perusio stetissent menses XI. & artati divisi in partes æquales, non est inventus in eis lapis aliquis angularis, qui utrumque parietem conjungeret, unumque faceret, ex eisdem versus occidentes dirigentes oculum, in istum Burdegalensem Archiepiscopum suos oculos erexerunt, & in summum Pontificem elegerunt. (*h*) Rediit autem de Pictavia Burdegalis idus mensis Julii sequentis, receptusque fuit Burdegali processionaliter a toto clero & populo, cum ingenti gaudio & honore totius civitatis ac patriæ, undique concurrentibus Baronibus & Prælatis, cum more tantum Archiepiscopi adhuc se gerebat, ut prius electionis suæ decreto nedum recepto. Quod postmodum a Cardinalibus sibi [missis] de Perusio recepit in Burdegali in Crastino sanctæ Mariæ Magdalenæ secrete, sed palam & publice sequenti die XI. Kal. Augusti in præsentia Prælatorum & magnatum in Burdegali [Burdegalensi] ecclesia Cathedrali. Ibi sedens in cathedra, vocari Clemens voluit ac elegit. Ex tunc cœpit agere & se gerere sicut Papa. De Burdegali vero recessit in fine sequentis mensis Augusti versus Lugdunum, dirigens gressus suos pertransiens Peragenium & Tholosam ac Montem Pessulanum, Cardinalesque ad se vocavit. Fuit autem coronatus solenniter in Lugduno in ecclesia sancti Justi dominica infra octavas sancti Martini in crastino beati Brixii, scilicet XVIII. Kal. (*i*) Decembris litera dominicali tunc currente, ubi Philippus Rex Francorum fuit præsens cum sua nobili co-

(*a*) *quæ sua fuerant, quæ tunc E. ten.* Herold. (*b*) *habebat* Herold. (*c*) *Tunc fuerunt inclusi Cardinales a Perusinis secundum tenorem Constitutionis Gregorianæ.* Weissenb. (*d*) *nolentibus* Herold. (*e*) *Viandam* Herold. (*f*) *Bernardo* Herold. (*g*) *Comisenarum* Herold. (*h*) *Anno Domini MCCCVI. die V. Junii in vigilia Pentecostes* Weiss. (*i*) *Augusti* Herold.

mitiva

mitiva. Cumque de loco priore coronationis ut Pontifex procederet coronatus, cum comitiva populari que pariter & regali, concurrentibus & comprimentibus se turbis, ut viderent tanquam regem, Salomonem in suo diademate coronatum, depulsa materia cujusdam muri non magni corruit prope Papam, ac etiam circumstantes. Ceciditque ibi corona de capite ejus. In quo casu avulsus fuit carbunculus pretiosus, cujus pretium dicebatur sex millia florenorum. Et ipse Papa depositus est de equo, sed minime fuit læsus. Fuerunt tamen de circumstantibus usque ad XII. (a) sic collisi, quod infra paucos dies obierunt. Inter quos unus fuit major & præcipuus, Johannes Dux Britaniæ, qui sic collisus, paucis diebus supervivens diem clausit extremum. Frater vero Regis Franciæ, Dux Carolus fuit graviter, sed non letaliter conquassatus. Ex quibus mirati sunt universi, & more vulgi plurima * præsagabant. Hic Papa eodem anno Pontificatus sui primo in adventu Domini sequenti XVIII. Kal. Januarii in Lugduno fecit. (b) X. novos Cardinales, inter quos fuerunt Petrus de Capella Tolosanus Episcopus, postmodum Tusculanus, Arnoldus de Cantalupo electus Burdegalensis, frater Thomas Anglicus, Magister in Theologia tituli sanctæ Sabinæ, frater Nicolaus, confessor Regis Franciæ tituli Sancti Eusebii, ambo de ordine Prædicatorum, Presbyteri Cardinales; Stephanus Archidiaconus Burgensis, Cancellarius Regis Franciæ, Gvillus arcu fati, Arnoldus de Pelegrua, Reymundus Delgoth seu de Gotho, Petrus Arnoldi, Bennanensis Abbas sanctæ crucis Burdegalensis, cui non fuerunt attributi anni in Cardinalatu, sed obiit infra annum. Item (c) duos veteres renovando, quos olim Papa Bonifacius VIII, deposuerat, ipse reposuit in Cardinalatu Jacobum & Petrum de Columna, patruum scilicet & nepotem. Eodem anno III. Kalend. Februarii Clemens Papa revocavit duas constitutiones Bonifacii quondam Papæ, unam quam direxerat Regi Franciæ, in qua scribebat eidem, ipsum Regem subjectum esse Romanæ ecclesiæ (d) in spiritualibus & temporalibus: aliam vero, quæ in VI. li. decret. est inserta, quæ incipit: Clericis Laicos, revocavit, & omnia quæ ex ipsis fuerant consecuta. Anno Domini MCCCV. mensis Martii Clemens Papa confirmavit Regem Arragonum in Regno Sardiniæ, dictusque Rex, juravit Papæ fidelitatem pro dicto Regno, promittens sub juramento ascendere dictam Insulam in mense Septembri, tunc proximo venienti. Eodemque anno mutata tamen incarnatione scilicet MCCCVI. Papa de Lugduno recedens rediens Burdegalim, transiens per Bituricas & Lemonicas, ubi fuit in festo sancti Georgii, & per Petragoram, seditque Burdegali cum sua Curia illo anno (e) Anno Domini MCCCVI. in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ de mandato & ordinatione Regis Franciæ fuerunt capti omnes Judæi ubique in Regno Franciæ, quasi imperceptibiliter uno die, & confiscata sunt bona ipsorum, quæcunque poterant inveniri: fueruntque a regno expulsi, ulterius minime reversuri. Eodem anno Hospitalarii cum Christianorum exercitu oppugnare cœperunt insulam Rhodi cum circum adjacentibus insulis circiter V. quæ ab infidelibus Turcis inhabitabantur sub dominio Imperatoris Constantinopolitani. Ceperunt autem statim ab initio aliquas insulas & castella. Steteruntque in pugna & conflictu pariter obsidentes & obsessi annis IIII. contra Turcos, & obtinuerunt finaliter Christiani. Anno Domini MCCCVII. Clemens Papa cum curia de Burdegali vadit Pictavim magna ex parte pertractanda & consummanda concordia inter Regem Franciæ Philippum & Regem Angliæ Eduardum. Stetitque in Pictavi curia anno uno & amplius. Eodemque anno in mense Julii obiit memoratus Rex Angliæ Eduardus, vir in omni probitate famosus: cui successit filius ejus similiter Eduardus. Et eodem anno in sequente mense Februario duxit in uxorem filiam Regis Franciæ Philippi nomine Isabelem. Anno Domini prætaxato MCCCVII. Res mira [&] magna accidit nostris temporibus, quæ futuris scribitur memoranda. In festo si quidem Eduardi confessoris III. Idus Octobris, fuerunt VI. feria capti primo Templarii ubique in Regno Franciæ, ex ordinatione Regis Franciæ & concilii inopinate, sane mirantibus cunctis, audientibus antiquam templi militiam ab ecclesia Romana nimis privilegiatum una die captivatam, causamque ignorantibus captionis tam repentinæ exceptis paucis Secretariis & juratis. Quæ tamen tandem detecta fuit, & publice infamata, prophana videlicet professio eorundem cum abnegatione Christi & exspuitione super crucem & in opprobrium crucifixi. Fueruntque plures ex eis & de majoribus illius

(a) *XV.* Herold. (b) *XII.* Herold. (c) *vocata & tractata Rom. Curia ultra montem ad civitatem Burdegalensem, primo anno pontificatus sui restituit Colonensem, quem Bonifacius deposuerat a Cardinalatu.* Weisſ. (d) *Temporaliter & spiritualiter.* Herold. (e) Hoc tempore MCCCVI. *Azo Estensis Marchio* perdidit civitatem Mutinensem & Rhegium, & postea modico tempore supervixit. Eodem tempore de mense Martii Bononienses invitaverunt revertentibus ad domum illis, qui Marchesani nuncupabantur. Hoc tempore dictus Papa Neapoleonem de Ursinis S. Adriani Diaconum Cardinalem cum plenissima legatione destinavit pro legato ad partes Italiæ. Qui tunc Florentinos & Lucenses ab exercitu, quem circa Pistorium per XI. menses tenuerant, voluit revocare. Sed nullatenus potuit. Hoc tempore MCCCVIII. Veneti occupaverunt castrum *Thebaldum* cum Fristo filio naturali prædicti Marchionis, & ibi tenuerunt exercitum circa civitatem Ferrariam, spretis processibus Ecclesiæ contra ipsos factis. Contra quos missi fuerunt primo nuncii Papæ, scilicet Abbas Tucellensis & *Onufrius Decanus Meldensis*, & præterea *Arnoldus de Pelagrua* sanctæ Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis pro Legato Apostolicæ sedis. Cujus procuratione cum auxilio Bononiensium & aliorum multorum fidelium Ecclesiæ expulsi sunt Veneti, & positi in conflictum, postmodum tamen reconciliati sunt Ecclesiæ, sed non sine suo magno dispendio. Weissenb. Cod.

ordinis confessi suæ professionis ritum tam abominabilem, quam execrabilem, quam nefandum, quæ antea a nemine poterant unquam sciri. Plurimi autem ipsorum confiteri minime voluerunt, quamvis nonnulli subjecti fuerunt quæstionibus & tormentis. Demum sedes Romana, cui factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægre ferebat, effecta est certior in Pictavi, ubi curia tunc morabatur. Templariis nonnullisque perductis coram Papa, & ibidem aliquibus denuo confitentibus, & confessiones factas a se antea recognoscentibus esse veras. Ipsorumque confessionibus intellectis, consequenter extitit ordinatum, ut ubique templarii caperentur, & veritas prodiret in lucem. Eodemque anno in quadragesima subsequenti inquisitores hæreticæ pravitatis in partibus Lombardiæ superioris de ordine prædicatorum tunc Episcopo Vercellensi cruce cum plena indulgentia peccatorum prædicata, congregaverunt exercitum magnum contra Dulcinum Navariensem hæresiarcham invitatorem non tam veterum quam novorum errorum, & diversorum dogmatum inventorem: qui multos infecerat, multos ad se traxerat, & habebat plurimos discipulos & sequaces, morabaturque cum suis in montibus Navariensibus. Accidit autem, quod propter intensa frigora multi qui erant in dictis montibus, fame & frigore deficientes a viribus & a vita in suis erroribus perierunt. Ascendentes autem fideles de exercitu, ceperunt ibidem Dulcinum, & cum eo circa CL. personas. Mortui vero fame & frigore cum interfectis gladio CCCC. & amplius sunt inventi. Cum eodem Dulcino fuit capta Margareta, non tam malefica quam hæretica, consors ejus in scelere & errore. Prædicta vero captio facta fuit in hebdomada sancta, in die sancto Cænæ, anno Incarnationis Domini inchoato MCCCVIII. Contra prædictum Dulcinum de mandato Apostolico fuerat autem crux cum indulgentia prædicata, & inquisitores pluries moverant exercitum contra ipsum, sed non poterant prævalere, quia sequaces & fautores & defensores ejus multiplicati erant super numerum in partibus Lombardiæ. Tandem quia fuit debita executio justitiæ de eisdem per curiam secularem, fuitque dicta Margareta ante Dulcini oculos membratim conscisa. De hinc & ipse Dulcinus membratim inscinditur, & amborum ossa & membra omnia pariter comburuntur, cum quibusdam aliis sibi complicibus, prout eorum scelera merebantur, non tamen perversum Dulcini dogma, ipso extincto, penitus est extinctum, Anno Domini MCCCVIII. fuit occisus Albertus de Alemania a nepote suo, filio fratris sui, cujus causa fertur, quia omnia dabat filiis, & de ipso parum curabat, quamvis esset filius primogeniti. Eodem anno in festo Sancti Johannis ante portam Latinam combusta est Ecclesia Sancti Johannis in Laterano Romæ. Unde in urbe lamentatio magna fuit facta, quasi hoc super se divinum judicium reputantes, feceruntque clerus & populus processiones ad Dei misericordiam & gratiam implorandam. Hincque sedantur in urbe discordiæ: paces fiunt: viri quoque timorati ac mulieres devotæ Romanorum assumunt lamentum, signa pænitentiæ demonstrantes. Ad reparationem vero ecclesiæ omnes sollicite dant operam, & mutuo se hortantur. Summus quoque Pontifex, his auditis, doluit, & ad reparationem manum apposuit adjutricem. Anno Domini prætaxato MCCCVIII. mittuntur nuntii & legati, frater Ægidius prædicatorum Patriarcha Grandensis & procurator, & minorum Vicarius ad Regem Franciæ, qui prius ad Papam suos nuntios destinaverant, innuens, quod volebat fidei & Romanæ Ecclesiæ obedire se submittere & subesse, & regnum suum pertrahere ad hoc ipsum. Fueruntque præfati nuntii Papæ recepti a Rege debito cum honore. Finis tamen intentus nullus fuit, ac modicus subsecutus, quia ipse matris suæ ac fratris metu retractus penitus nihil egit. Eodem anno Domini MCCCVIII in mense Augusti Papa Clemens ad universa Christianitatis tam regna quam climata literas Apostolicas destinavit, ut ubique templarii caperentur, & contra singulares personas illius ordinis per diocesanos cum adjunctis sibi personis religiosis inquisitio fieret super articulis redditis contra ipsos, & judicarentur in singulis provinciis in Metropolitano concilio æqua lance. Fuerunt insuper per Papam viri spectabiles & insignes in diversis partibus Christianitatis superintendentes, qui de toto ordine inquirerent, ut posset illius ordinis reformatio debita & totalis deletio fieri in proximo Concilio futuro generali. Anno Domini MCCCVIII. in festo Sanctæ Catherinæ electores Regis Alemaniæ convenerunt in Franckenfort, & elegerunt in concordia Comitem Lucelburgensem nomine Henricum in Regem Alemaniæ, & Romanorum. Fuitque coronatus in Regem Alemaniæ Aquisgrani in festo Epiphaniæ Domini subsequenti. Eodemque anno circa finem præcedentis mensis Clemens Papa cum Curia recesserat de Pictavi, transtulitque per Burdegalim & Agennesium & Tholosam. Fuitque Tholosæ in festo Natalis Domini usque ad Epiphaniam, recedensque de Tholosa declinavit ad sedem Bertrandi confessoris diœceseos, quæ dicitur Convennarum, ubi in festo Sancti Marcelli Papæ scilicet XVII. Kalend. Februarii corpus Sancti Bertrandi Episcopi & Confessoris, cujus ipse fuit consors in nomine, & successor in sede, de loco, in quo prius erat, in capsam transtulit pretiosam, quam ad hoc ipse Clemens Papa suis fecerat sumtibus fabricari. Magnam quoque concessit indulgentiam visitantibus ibidem sacras confessoris reliquias annuatim. Anno Domini MCCCIX. in Cæna Domini in Avinione Clemens Papa magnum processum fecit contra Venetos, eosque anathematizavit, & privavit consortio aliarum civitatum; personas ac res ipsorum exposuit volentibus & valentibus occupare, omnesque religiosos mandavit exire Venetiis, & de quibusque locis aliis eorum ditioni subjectis, quia

quia Veneti Ferrariam contra Ecclesiam indebite occuparant. Fuitque legatus missus a latere Papæ Dominus Arnoldus de Pelagrua, Diaconus Cardinalis, in Italiam festinanter, & subsecuta est hominum magna strages, fuitque capta & recuperata Ferraria per legatum in sequenti mense Augusto, in festo Sancti Augustini, non sine multo sanguine Ferrariensium & Venetorum in prælio juxta Padum, captis & expulsis Venetis de castro Thebaldi, quod conjungitur civitati. Unde ipsam civitatem graviter expugnabant, ipsum castrum cum burgo ac turri, quæ est in capite pontis, ac pontem prius Veneti occupaverant & tenebant. Fertur autem hominum occisorum numerus V. die quinque millia hominum, exceptis mortuis plurimorum, * quæ [qui] præcesserant, & postmodum alibi sunt secutæ [secuti]. Anno Domini MCCCIX. quinta die introitus Maji obiit Carolus II. Rex Siciliæ, & Comes Provinciæ, filius quondam primi Caroli Regis Siciliæ anno regni sui computando ab obitu patris sui XXV. cui successit in regno & Comitatu, Robertus filius ejus, qui fuit coronatus & unctus in Regem per Clementem Papam apud Avinionem, dominica prima sequentis Augusti, anno Domini prætaxato &c. Anno Domini MCCCIX. venerunt ambasiatores nunctii solennes Regis Alemaniæ Henrici ad Papam apud Avinionem, scilicet tres Comites, & duo Episcopi, petentes confirmationem electionis & confirmationem Imperii ab ipso Papa sibi dari. Ejus vero electionem admisit, & confirmavit in Avinione mense Julii subsequenti, volens ipsum nominari Regem Alemaniæ & Romanorum, & quod possit agere, quæ Regis erant, & Coronationem Imperii promisit, tempus ei assignans, ut a festo purificationis ad duos annos Romam veniret, Coronam Imperii ibidem recepturus &c. Sequenti vero mense Septembri transfretat Episcopus Ruthenus Legatus in terram sanctam, ad partes transmarinas cum Magistro Hospitalariorum & alia multitudine hominum copiosa pro quodam præparatorio ad futurum passagium generale, concessa a Papa transeuntibus plena indulgentia peccatorum, sed vento in mari contrario per sequentem hyemem, cum multo personarum & rerum incommodo & jactura, fuit navigatio impedita, & pervenientes Brunsidium, [Brundusium] multo tempore in illa vicinia perstiterunt, vernum tempus ad navigandum prosperum exspectantes. Eodemque anno MCCCIX. ultima die Januarii circa meridiem fuit eclipsis solis, non tamen tanta quod dies notabiliter fuerit obscurata, quæ a plerisque major futura erat publicata. Anno Domini MCCCX. fuerunt pluviæ multæ & inundationes magnæ in partibus Tolosanis, & Albigensibus, & Tarrasonensibus in toto fere tempore verno & æstatis, & subsecuta est magna sterilitas bladi & vini, tantaque fuit in ipso anno subsequenti victualium caristia, quanta nullus tunc meminit se vidisse, nec etiam audivisse in illis partibus, ac fere in toto regno Franciæ, & in multis regionibus, ita quod quarta frumenti vendebatur Tolosæ VIII. libris Turonensibus. Et quod gravius fuit, non inveniebatur bladum ad vendendum, nec panis in foro, & pauperes herbas, sicut bestiæ, comedebant, & de Tolosa plurimi propter inediam discesserunt. Anno Domini MCCCX. V. Idus Maji feria secunda per Archiepiscopum Zenonensem cum suis suffraganeis in Concilio provinciali Parisiis coadunati fuerunt sententiati & judicati propriis confessionibus LIIII. templarii, & relicti curiæ seculari tanquam impœnitentes super nefanda & prophana professione sua, & sequenti die Martis scilicet IIII. Idus Maji in Festo Sanctorum Nerei & Achillei fuerunt per secularem curiam Regis igni traditi & combusti. Et post paucos dies fuerunt ibidem IIII. alii similiter judicati. Item paulo post infra mensem in alio Concilio provinciali celebrato in Silvanecte per Archiepiscopum Remensem cum suffraganeis suis fuerunt novem templarii eadem de causa in modo consimili pariter sententiati, & consequenter per secularem curiam concremati. Unum autem mirandum fuit, quique omnes & singuli sigillatim confessiones suas, quas prius fecerant in judicio, & jurati confessi fuerant dicere veritatem, retractaverunt, dicentes, se falsa dixisse prius, & se fuisse mentitos, nullam super hoc reddentes causam al m nisi vim vel metum tormentorum, quod de se talia faterentur. (*a*) Anno Domini MCCCX. in festo assumtionis beatæ Mariæ Virginis exercitus Christianus cum Hospitalariis obtinuit civitatem Rodi, quæ est caput & Metropolis totius regionis & Insularum vicinarum. Et ex tunc Insula Rodi & aliæ Insulæ circumvicinæ redactæ sunt sub dominio & potestate Christianorum Turcis penitus subjugatis. Sunt autem ibi multi portus, & patet inde transitus conveniens Christianis in terram sanctam, & in Achon, & in Cyprum. Eodem anno MCCCX. filius Henrici Regis Alemaniæ accepit in uxorem filiam Regis Bohemiæ, quæ erat heres regni. Unde & ipse factus est Rex Bohemiæ cum eadem. Eodemque anno, (*b*) tempore autumnali,

(*a*) Hoc etiam tempore MCCCX. die XVII. Julii exorto tumultu in populo Ferrariensi, concitato furoris impetu, posuerunt ignem in palatiis, quæ olim tenuerant Marchiones. Quapropter compulsi fuerunt officiales Ecclesiæ, qui in eis erant, videlicet G. de *Brunicella*, Vicarius ibi pro Ecclesia, & Onufrius & Galiardus intrare castrum *Thedaldi*. Et statim miserunt Bononienses pro auxilio dicti & Comitis Bononiensis. Qui cum Ferrariam pervenissent, per civitatem currentes, & palatia communis comburentes cives ipsius bonis propriis spoliaverunt. Demum pro hac seditione de melioribus popularibus circa triginta quatuor & aliqui decapitati. Post hæc factus est rector civitatis Dalmasius Catelanus per legatum. Cujus familiares interfecisse dicuntur *Franciscum Marchionem Estensem*. Post hoc commissa est civitas per eundem summum Pontificem Regi *Roberto*. Codex Weissenb. (*b*) *MCCCXI. VI. Kal. Novembris.* Weissenb.

mnali, Henricus prædictus Rex Alemaniæ & Romanorum intravit Italiam jura Imperii percepturus. Et primo venit Thaurinum, deinde in civitatem Hastensem, deinde Vercellas, postea Mediolanum, ubi in Epiphania Domini subsequenti recepit coronam ferream, quam eidem Archiepiscopus Mediolanus imposuit, quam tamen accipere debebat in Modoetia ex more antiquo, sed ex causa fecit hoc in Mediolano. In festo illius coronationis fecit milites ducentos de diversis nationibus. Deinde requirit civitates alias Lombardiæ de homagio faciendo. Cremonenses vero & Laudenses subesse a principio noluerunt, sed paulo post non valentes resistere consenserunt. Brixinenses vero diu & plurimum usque ad sanguinem & stragem hominum restiterunt, sed postea voluntati ejus se submiserunt, & civitatem reddiderunt; de quo finaliter doluerunt. Anno Domini MCCCX. Clemens Papa Pontificatus sui anno VI. in sabbato IIII. temporum in adventu scilicet XIIII. Kalend. Januarii in Avinione fecit secundam ordinationem V. Cardinalium: fueruntque tunc assumti in Cardinales, Arnoldus de Falcueriis, Archiepiscopus Arelatensis, & * Episcopus Albinensis, Bertrandus de Bordis, Episcopus Albinensis & Camerarius Papæ, qui obiit infra annum sequenti mense Septembris, Arnoldus Novelli, abbas Fontis frigidi Cisterciensis ordinis Vice-Cancellarius in presbyterum Cardinalem, Reymundus vero Gvillelmi de Fariis, nepos Papæ ex sorore, & Bertrandus de Gamo, nepos Papæ ex consanguinea Germana in Diaconos Cardinales, qui nondum erant subdiaconi ordinati. Anno Domini MCCCXI. IIII. die exitus mensis Aprilis scilicet V. Kalend. Maji in Avinione per Clementem Papam fuit in Consistorio publice excusatus Philippus Rex Franciæ de his, quæ egerat contra memoriam Bonifacii quondam Papæ, & pronunciatum ad excusationem Regis, quod egerat ea in bona intentione & bono animo atque zelo, præsentibus ibidem Regis nuntiis. Et hæc fuerunt consequenter, ut dictum est, bullis Papalibus, testimonio confirmata: fuitque ibidem Clementi Papæ commissum totum negotium totusque processus habitus Bonifacii Papæ memorati ab utraque parte, scilicet accusante & defendente: fuitque renunciatio & conclusum per viam pacis tractatæ. Papa vero suscepit super se negotium examinandum & finaliter terminandum. Item ibidem Clemens Papa absolvit Gvillum de Nogareto præsentem, & petentem absolvi a sententia excommunicationis, qua tenebatur per Bonifacii Papæ captionem: fueruntque sibi ibidem per Papam impositæ & injunctæ in pœnitentiam peregrinationes aliquæ faciendæ, & insuper quod primo generali passu transeat ipse mare, ibidem, quamdiu viveret, moraturus, nisi secum per sedem Apostolicam fuerit dispensatum. (*a*) Anno Domini MCCCXI. fuit Epidimia magna, & tanta mortalitas hominum, nedum pauperum sed divitum subsecuta in partibus Tolosanis & maxime in Tolosa, quod vix inveniebatur Tolosæ domus, in qua non plangeretur defunctus, aut non doleretur plangens infirmus. Fuit etiam non modica Caristia bladi & vini sed [ad] aliam præcedentem non pervenit, ita quod quarta frumenti sex libris Turonensibus vendebatur. Sed respexit tunc Dominus plebem suam, & quod impossibile hominibus videbatur, tempore verno sequenti, quando magis sævitura seu futura major ex communiter accidentibus verisimiliter timebatur, cœpit bladum in quadragesima & paschali tempore abundantius inveniri, & pretium bladi viluit plusquam in duplo. Anno Domini MCCCXI. in Kal. Octobris fuit per Clementem Papam V. apud Viennam super Rodanum generale Concilium convocatum, (*b*) & fuit prima sessio Concilii inchoata XVII. Kalend. Novembris sabbato ante festum beati Lucæ. Ubi Concilio residente, summus Pontifex proposuit de agendis videlicet de statu ordinis militiæ templi, qui de nefanda professione graviter culpabantur, de passagio transmarino ad recuperationem terræ sanctæ, ac generaliter de reformatione totius status ecclesiæ & conservatione ecclesiasticæ libertatis, ut Prælati recogitarent super prædictis ordinandis, & circumspectione provida terminandis. (*c*) Post prædictam vero sessionem inter colloquia & tractatus deductum est tempus per totam hyemem. Eodemque anno in festo Sanctæ Agnetis scilicet V. Kalend. Februarii nata est filia primogenita Johanna Ludovico Regi Navarræ primogenito Regis Franciæ Philippi. Sequenti vero mense Martii feria IIII. in hebdomada sancta XI. Kal. Aprilis summus Pontifex multis Prælatis cum Cardinalibus coram se in privato Consistorio convocatis per provisionis potius, quam condemnationis viam, ordinem Templariorum cassavit, & penitus annihilavit, personis ac bonis ejusdem ordinis ordinationi suæ & ecclesiæ reservatis. In sequente vero mense Aprilis III. Idus introitus ejusdem, anno incarnationis ejusdem jam mutato scil. MCCCXII. fuit secunda sessio Concilii celebrata, in qua prædicta cassatio ordinis Templariorum extitit per summum Pontificem Concilio radiante, publice promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi, ac domino Carolo, fratre suo, & tribus liberis ejusdem, scilicet primogenito Ludovico Rege Navarræ, & Philippo & Carolo. Sicque annihilatus est ordo Templi post annos circiter CLXXXIIII. quibus militaverat, impinguatus & dilatatus nimis

(*a*) *Qui horrenda morte dicitur terminasse.* Herold. (*b*) *Et terminatum fuit VI. die Aprilis.* Weissenb.

(*c*) Codex Heroldianus. Clemens V. Et per fratres Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani, crucem ultramarinam fere in universa Christianitate prædicare fecit. Et plura millia Christianorum cruce signati, quum ad curiam Papæ venissent, ipse Papa absolvit eos a voto prædicto, & mandavit ipsos ad partes suas reverti. Et sic quasi delusi, illorum labores & sumtus maximi effectum nullum habuerunt.

mis multis libertatibus & privilegiis sedis Apostolicæ communitus. In sequenti vero mense Maji pridie nonas ejusdem mensis in festo Sancti Johannis ante portam Latinam, quod fuit in sabbato, infra octavas ascensionis Domini, tertia & ultima fuit generalis Concilii sessio celebrata, fuitque Concilium, quod septem fere mensibus pertractum fuerat, terminatum, anno Domini prætaxato, præsidente in Concilio Papa Clemente V. Pontificatus sui anno VII. in Vienna. Numerus autem Prælatorum, qui fuerunt in Concilio, in quo Concilio bona quondam Templariorum fuerunt applicata & concessa cum certis conditionibus & pactis ordini hospitalis Sancti Johannis Jerusalem, sicut ea prius templarii possidebant ubique terrarum, exceptis regni Hispaniæ seu Castellæ, Portugalliæ, & Arragoniæ & Majoricarum, pro eo quod propter bona, quæ in dictis regnis habebant Templarii, tenebantur ipsi contra frontarias Sarracenorum & Granatæ in illis partibus militare, defendere ac tueri, sicut ibidem in Concilio fuit propositum. Verum postmodum in Regno Majoricarum & Arragoniæ bona quondam ordinis Templi hospitalarii, sicut alibi habuerunt. De personis vero templarium sic extitit ordinatum, ut quibusdam nominatim expressis dispositioni sedis Apostolicæ reservatis, cæteri omnes judicio & dispositioni Conciliorum provincialium in singulis provinciis sint relicti, quatenus juxta diversitatem conditionum ipsorum cum eis per eadem concilia procedatur: ita videlicet, quod illis super erroribus, exigente justitia, fuerint absoluti: de bonis quondam præfati ordinis, unde juxta status sui decentiam sustentari valeant, ministretur. Circa eos autem, qui præfatis erroribus fuerint confessi, consideratis eorum conditionibus, modoque confessionis pensato, rigor justitiæ cum affluenti misericordia mitigetur. Circa impœnitentes vero & relapsos, si inventi fuerint, justitia aut censura tanta observetur. Quoad illos vero, qui suppositi etiam quæstionibus, se prædictis esse involutos erroribus negaverint, per eadem Concilia reservarentur, & fieret, quod justum foret, & æquitas Canonum suaderet, & collocarentur singuli in domibus ipsius ordinis quondam templi, ac in religiosorum aliorum Monasteriis ad expensas ordinis quondam templi; ita tamen, quod in una domo unove monasterio similiter nullatenus ponerentur. Illi autem, cum quibus nondum fuerat inquisitum, & qui sub potestate ecclesiæ minime tenebantur, & qui erant fugitivi, fuerunt citati cum edicto publico in consilio generali, ut præcise & peremtorie infra annum etiam coram diœcesanis suis personaliter comparerent, subituri eorum examen, & secundum conciliorum judicium pro meritis recepturi. Qui vero infra annum minime comparerent, excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto, quam si per annum sustinuerint animo pertinaci: ex tunc velut hæretici damnarentur. In prædicto quoque Concilio fuerunt multæ constitutiones editæ, inter quas fuit una, quæ incipit: Exivi de Paradiso, super declaratione seu interpretatione regulæ fratrum minorum, super qua & ejus observatione pars una fratrum minorum, qui Spirituales dicebantur, contra alteram communem tumultuans & altercans, privatim & publice contendebant, & judicium Sedis Apostolicæ postulabant. Eodemque anno, tempore Concilii Philippus Rex Franciæ V. habuit Lugdunum integraliter, data recompensatione in reditibus Archiepiscopo Lugdunensi pro jure, quod sibi in Lugdunensi ecclesia vendicabat. Super quo prius Clemens Papa per Archiepiscopum consultus, consensum non præbuit nec dissensum, sed reliquit Archiepiscopum in manu consilii sui; Ipse vero Papa tunc in Vienna Concilium celebrabat: & sic deinceps Lugdunum ad Regem & Regnum Franciæ pertinet tali jure. Post celebrationem Consilii generalis Papa cum curia versus Avinionem revertitur ad Viennam. Eodem anno XII. Kalend. Augusti obiit Reinhardus Comes Convennarum apud Buzetum in diœcesi Tolosana: indeque delatum est corpus ejus sepeliendum in Abbatia de bono fonte Cistertiensis ordinis in sepulcro parentum. Eodem anno sabbato in jejunio IIII. temporum adventus Domini, quod fuit X. Kalend. Januarii, apud Avinionem Papa Clemens V. fecit tertiam ordinationem IX. Cardinalium, quos assumsit: qui fuerunt Archiepiscopus Aquensis, Guillus de Mandagotho, Episcopus Avinionensis, Jacobus de Oza, & Berengarius Biterrensis, Arnoldus de Anxio Pictaviensis Episcopus; Item frater Gvillus, Petrus de Godino Bajonensis magister in Theologia, lector curiæ de ordine Prædicatorum, & frater Vitalis de Furcio Bazacensis, magister in Theologia de ordine Prædicatorum; item Michael de Beto Gallicus Decanus Sancti Quintini, item Abbas Sancti Severi, & Guillus Festa Condomiensis. Anno Domini MCCCXIII. V. die Maji in Sabato apud Avinionem, ubi tunc curia residebat, fuit Petrus de Murrone quondam Cœlestinus Papa, canonisatus & sub nomine Sancti Petri confessoris, sanctorum Confessorum catalogo annotatus per Papam Clementem V. Pontificatus sui anno VIII. a transitu vero præfati Sancti Petri anno XVII. & ejus festivitas fuit instituta XIIII. Kal. Junii celebranda, qua die exiverat ex hoc mundo. Anno Domini MCCCXIII. in Vigilia Sancti Gregorii Papæ, in die Lunæ Parisiis fuit combustus magister ordinis quondam templi cum quodam alio magno ejusdem ordinis præceptore. Qui tamen fuerunt prius cum peritorum & prælatorum consilio judicati ad agendam aliam pœnitentiam. Erant autem tunc præsentes Parisiis duo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales. Anno Domini MCCCXIII. in festo beati Benedicti Abbatis scilicet XII. Kalend. Aprilis in castro de Montiliis prope Carpentoraten (Carpentonatum) civitatem, in qua tunc morabatur curia, Clemens Papa fecit coram se in consistorio publicari constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreverat fieri librum unum, quem, sicut vulga-

tum fuit, volebat septimum decretalium appellari, sicut fecerat VI. Bonifacius prædecessor. Cepitque Clemens Papa exinde ægrotare, unde post obiit XXX. die scilicet XII. Kal. Maji. Et sic liber ille non fuit tunc missus ad studia generalia, ut est moris, nec expositus communiter, ad habendum; sed remanserunt sic fere constitutiones illæ quadriennio in suspenso, donec postmodum per ejus successorem fuerunt publicatæ, sub bulla ad studia generalia destinatæ. Hic Clemens Papa sedit annis (*a*) VIII. mensibus X. dies XV. a die creationis suæ usque ad diem sui obitus computando. Obiit autem in nocte præcedenti die Sabbati sequentis, quæ fuit XII. Kal. Maji Pontificatus sui anno IX. Anno Domini MCCCXIIII. apud (*b*) Rotham Mauram, quod est castrum Regis Franciæ supra Rhodanum in finibus regni sui. Fuitque inde reportatum corpus ejus Rodanum extra regnum Franciæ apud Carpentoraten civitatem, ubi Cardinales cum alia curia residebant. Sequenti vero mense Augusti de Carpentorate transvectum fuit corpus ejus in Vasconiam patriam suam, fuitque sepultum, sicut elegerat, in ecclesia, quæ appellatur beatæ Mariæ de (*c*) Uzesta diœceseos Vasatensis, ubi paulo prius Canonicos instituerat seculares, in villula minus insigni, ob devotionem, quam ad locum habuerat ab antiquo. Vacavit autem sedes annis II. mensibus III. diebus XVII. Defuncto Clemente Papa Cardinales numero XXIII. qui apud Carpentoraten civitatem cum alia curia residebant, intrantes conclave in Episcopali palatio pro electione summi Pontificis facienda, cum ibidem aliquamdiu perstitissent, non valentes concordare, suborta gravi & grandi turbatione exterius inter familias eorundem, ipsum conclave circa festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt, statuentes tempus, infra quod redire deberent ad eundem locum ad electionem summi Pontificis celebrandam. Sed subortis variis quæstionibus in invicem, quæ stylo magis relinquendæ sunt, quam scribendæ, illuc minime redierunt, sed in diversis civitatibus & villis dispersi sunt. Steteruntque sic divisi loco & proposito annis amplius quam duobus, fueruntque tractatus plures per personas medias inter eos, quorum finis tandem fuit mediante Domino Philippo, tunc Comite Pictaviæ, postmodum vero Rege Franciæ & Navarræ, quod congregati sunt in Lugduno pactis præmiis, quod non includerentur, & quod possent de Lugduno libere recedere, quando vellent. Quæ tunc eisdem fuerunt minime observata, quatenus pro majori bono reipublicæ, quæ præfertur privatæ, compellerentur universali ecclesiæ providere. Anno Domini MCCCXIIII. feria VI. in vigilia beati Andreæ Apostoli, Sede Romana vacante, obiit Philippus Rex Franciæ anno currente XXI. regni sui in castro de Fontebliandi, ubi natus fuerat, in hunc modum, fuitque sepultum corpus ejus apud Sanctum Dionysium, Cor vero ipsius apud Pissiacum in monasterio sanctimonialium, quod ipse fundaverat, dum vivebat. Cui successit in regno filius ejus primogenitus Ludowicus, qui tunc erat Rex Navarræ. In sequenti vero mense Aprilis Anno Domini MCCCXV. inchoante obiit uxor prima Domini Ludowici Regis Franciæ, filia Ducis Burgundiæ, quæ ob crimen adulterii in privata custodia tunc tenebatur. Eodemque anno, ultima die Aprilis, in qua occurrit vigilia Dominicæ Ascensionis Engelrandus de Marinhe miles, natione Normannus fuit ex multis contra ipsum accusationibus fratris suspendio elevatus, qui tempore Philippi Regis major post eum non tam merito, quam de facto fuerat nominatus in regno, ita ut secundus Rex videretur, ad cujus nutum regni negotia gerebantur. Quos enim volebat, ipse exaltabat, & quos volebat, deprimebat, & quod volebat fieri, factum erat. In medio tempore fuit super exaltatus & elevatus nimis, & post paululum audivimus eum tali exitu defecisse, ita quod ejus exemplo & alterius, qui præcessit, scilicet Petri de Brussia, qui elapsis tunc jam annis fere XXXVII olim tempore alterius Philippi, avi istius, Domini Ludovici, postquam super magnus effectus fuerat, post similem fortunæ gloriam, consimilem ignominiam est perpessus. Discant, & pertimescant tam præsentes quam posteri in gradu consimiles & fortuna sobrie & juste ac pie vivere in hoc seculo, præcaventes, ne casum consimilem merito patiantur. Eodem anno ultima die mensis Julii præfatus Ludowicus Rex desponsavit sibi in faciem ecclesiæ in uxorem Clementiam, filiam quondam Caroli Secundi Marcelli, qui fuit filius primogenitus Caroli Secundi Regis Siciliæ. Sequenti vero Dominica prima Augusti, in festo intentionis Sancti Stephani, fuit inunctus in Regem Francorum Remis civitate per Archiepiscopum Remensem cum memorata Domina Clementia sponsa sua, & mox inde Rex versus Flandriam rebellantem cum exercitu magno valde collectis viribus regni sui, non quidem electo verno tempore oportuno, quo solent Reges ad bella procedere, sicut rei eventus postmodum comprobavit, venit rex cum suo exercitu contra Decortato, ubi castra metati fixere tentoria. Ex adverso autem erat Comes Flandriæ cum exercitu Flamingorum in castro Decortato, & in exercitu ejus in tentoriis præparati ad resistendum, ne transirent ulterius Gallici ultra aquam fluvii, qui vocatur Lis, qui utrosque exercitus suspectis passibus & paludibus dividebat. Descenderuntque de cœlo pluviæ magnæ nimis: facta sunt luta grandia & profunda in terra illa, in quibus & ex quibus equi & equites totusque exercitus nimium gravabantur, nec fuit consilium ulterius procedendi, nec ibi diutius subsistendi. Unde circa finem sequentis mensis Septembris Rex cum suo exercitu inde recessit, non absque multo rerum incommodo & dedecore aliquali: Erant enim in exercitu Regis circiter XV. millia equitum armatorum, peditum autem erat numerus magnus,

(*a*) *annis XVIII. mensibus X. diebus XV.* Weiss.
(*b*) *Roccam Mauram.* Herold. (*c*) *Uresta, diœcesis Vasconensis.* Herold.

magnus, qui non posset tunc faciliter numerari. Et nunc Reges & Principes intelligant, & erudiantur, qui judicant terram, sic agere, sicque disponere justum bellum, ut summopere præcaveant, ne cum exactionibus pecuniarum indebitis & subditorum violentiis bella parent, quia

Non habet eventus sordita præda bonos.

Et cum bellandi causa ingruerit tempus, noverint congruum eligere ad bellandum. Eodemq; anno Judæi permittuntur redire ad Regnum Franciæ pecunia mediante, a quo dudum depulsi fuerant, bonis suis omnibus confiscatis, & æstimabantur ulterius nunquam redituri. Eodem anno in festo sanctæ Luciæ in Sabbato obiit apud Pontizaram Vasco Comes Fuxi, & Dominus de Bearnio in juvenili ætate, fuitque Parisiis in Ecclesia fratrum Prædicatorum sepultus, tres post se filios & totidem filias derelinquens quorum primogenitus erat VII. annorum. Eodemque anno circa natale Domini stella cometa apparuit, cursum suum per noctem faciens circa Polum, comamque suam nunc versus Occidentem, nunc versus Orientem, & aliquando ad partes alias protendebat, duravitque usque ad finem Februarii mensis. Paulo post apparuit stella cometa in parte Orientali, sed minor, quam alia videbatur. Anno Domini MCCCXVI. Sabbato infra octavas Pentecostes, nonis Junii obiit Rex Franciæ Ludovicus anno Regni sui secundo. Fuitque corpus ejus cum honore regio in Monasterio sancti Dionysii tumulatum, unicam filiam suam relinquens ex prima uxore, secunda vero uxore domina Clementia remanente gravida & prægnante. Gubernacula vero utriusque Regni Franciæ scilicet & Navarræ tenenda suscepit Philippus, germanus ejus, Comes Pictaviensis, si puer masculus nasceretur, usque quo ad intelligibilem ætatem annorum XIIII. pervenisset: Si vero filia nasceretur, ipse Rex Francorum fieret Philippus, & regnaret: & duæ filiæ Ludovici haberent, & sibi dividerent Regnum Navarræ & Campaniæ Comitatum. Post hæc vero XIIII. die sequentis mensis Novembris Dominica die sub nocte media præcedenti memorata Domina Clementia Regina peperit filium suum primogenitum Parisiis, & Johannes est vocatum ejus nomen, & multi in nativitate ejus gavisi sunt, sed transitum cito pertransiit. Nam VII. die a nativitate sua infans obiit, & abiit sibi accipere gaudium sempiternum.

Imperator Henricus VI. MCCCIIX.

Henricus, (*a*) Comes (*b*) Luceburgensis, fuit electus in Regem Alemaniæ & Romanorum in Franckenford, in festo sanctæ Catharinæ, anno Domini MCCCVIII. eodemque anno in festo Epiphaniæ coronatus Aquis grani. Post hæc anno Domini MCCCIX. misit ad Papam Clementem V. apud Avinionem solennes Ambasiatores, scilicet tres Comites, & duos Episcopos, petens coronationem Imperii ab ipso Papa sibi dari. Papa vero mense Julii electionem ejus admisit & confirmavit, & confirmationem promisit, tempus eidem assignans, ut a festo Purificationis ad duos annos Romam veniret, coronam ibidem ab ipso Imperii accepturus. Anno vero Domini MCCCX. in æstivo tempore mense Septembri Lombardiam intrans, primo pervenit Thaurinum, deinde apud Ascum, receptusque fuit ut Rex, & Dominus, & inde Vercellas & Mediolanum perveniens, coronam unam Imperii Mediolano suscepit in festo Epiphaniæ Domini, quam Mediolanensis Archiepiscopus sibi dedit, quod Modoetia ægre tulit. Ibi olim prædecessores Imperatores coronam hujusmodi suscipere consveverunt. Deinde per incrementa Lombardiam superiorem suo beneplacito & dominio adunavit, verum Parmenses & Laudenses a principio subjici noluerunt, sed paulo post non valentes resistere consenserunt (*c*) Brixia vero civitas restitit usque ad sanguinem & stragem plurimam hominum, sub anno Domini MCCCXI. in quo paulo ante festum beati Lucæ Brixenses reddiderunt se & civitatem suam voluntati ac misericordiæ Imperatoris, procurantibus Cardinalibus, qui missi fuerant ad ipsum Imperatorem coronandum Romæ. Et inde Henricus prædictus processit versus Romam, coronam Imperii suscepturus a tribus Cardinalibus, quos illuc hac de causa Clemens Papa admiserat loco sui de Avinione, vel potius de Maulasana, ubi æstivo tempore morabatur. Cardinales autem fuerunt, Dominus Nicolaus Hostiensis, & Dominus Leonardus Episcopus Albanensis, qui antequam venisset Romam ad coronationem Imperatoris, obiit in Luca civitate, & Dominus Lucas de Flisco Januensis, & Dominus Arnoldus Episcopus Sabiensis. Et iste ultimus debebat cum Imperatore Legatus remanere, ut novi Imperatoris negotium, quod omnibus non placebat, dirigeret & adjuvaret. Res enim nova & dura videbatur quibusdam Italicis atque Tuscis, & his maxime, qui populum regere videbantur, cum LXV. annis & amplius a depositione ab Imperio ultima Frederici sine Imperatoris dominio perstitissent, quod ejus dominio subderentur, quo se æstimabant in perpetuum plurimi liberatos. Sed tyrannidis grave jugum, quod in cives suos exercuerant, merebatur, ut tyrannidi subderentur. Et hoc ipsum populus præcipue affectabat. Fuit autem coronatus in Imperatorem per tres Cardinales superius nominatos de spirituali mandato Clementis V. Romæ in ecclesia sancti Johannis Lateranensis in festo Apostolorum Petri & Pauli, Anno Domini MCCCXII. (*d*)

(*a*) *Henricus VI. imperavit annis V.* Herold. (*b*) *Luxenburgensis.* Herold. (*c*) *Postea Imperator Brixiam obsedit, ubi frater Imperatoris cum multa strage hominum occisus est.* Herold. (*d*) Codex Herold. Nam in ecclesia sancti Petri intrare non potuit, præpediente exercitu hostium, cum quibus Imperator in urbe bellavit: & in direptione domorum tunc Roma graviter fuit deformata.

Hujus tempore [1313.] Rex Franciæ Philippus, contradicente Imperatore & Archiepiscopo Lugdunensi, Lugdunum occupavit.

Hoc tempore legem fecit, in qua Spiritum a Pa-

Papa

Papa Johannes XXII. MCCCXVI.

Johannes XXII. de Cathurco civitate oriundus ex patre Arnoldo, fuit electus in summum Pontificem VII. Idus Augusti in Sabbato, Anno Domini MCCCXVI. in Conventu fratrum Prædicatorum Lugduni, ubi Cardinales XXIII. numero, postquam a Carpentorate civitate, ob gravem & grandem turbationem commotam, a conclavi, quod prius intraverant, exeuntes discesserant, & dispersi in diversis civitatibus & villis steterunt annis amplius quam duobus: tandem congregati fuerunt pariter, & inclusi diligentia, arte & ingenio Domini Philippi, tunc Comitis Pictaviensis, germani Regis Franciæ Ludovvici, cui successit in Regno Francorum. Qui ad hoc antea anno fere dimidio laboraverat multis modis, cum non potuisset in unum locum sibi congregari, & XL. die ab inclusione ipsorum, quæ facta fuit in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, ipsis tamen, quod tunc deberent includi, penitus nescientibus pariter & invitis. Tandem tractatu præhabito, in præfatum Dominum Johannem omnes pariter assenserunt. Erat autem (*a*) Cardinalis Episcopus Portuensis, & Jacobus vocabatur. Sed Johannes exinde vocatum est nomen ejus: fuitque coronatus more Romanorum Pontificum cum honore solenni nonas Septembris, Dominica prima ejusdem mensis Lugduni in ecclesia Cathedrali. Inde translatus factus fuit Episcopus Avinionensis per Papam Clementem V. Anno Domini MCCCX. Ac deinde transsumtus fuit in Cardinalem per eundem Clementem Papam Sabbato in jejunio quatuor temporum adventus, Anno Domini MCCCXII. apud Avinionem, ubi tunc curia morabatur. Et tandem ex Cardinalatu assumtus est ad Papatum. De Lugduno vero circa finem mensis Septembris Sabbato recedens, venit Avinionem secunda die mensis Octobris in Sabbato, ubi prius futuram Curiam publice fecerat proclamari. Hic fecit unam ordinationem VIII. Cardinalium, quos assumsit apud Avinionem Feria VI. in jejuniis IIII. temporum Adventus Domini sive XVI. Kaland. Januarii, Anno Domini MCCCXVI. quorum sunt nomina, quæ sequuntur: Dominus R. de Castaneto, dudum Albinensis, tunc vero Avitiensis Episcopus, quem fecit Episcopum Portuensem: & nihilominus Episcopatum Aviciensem commendavit eidem, Anno XLI. Episcopatus sui tunc fere completo. Item Dominus Jacobus de via de Cathurco civitate, nepos Papæ ex sorore, electus tunc Avinionensis, quem fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Johannis & Pauli, & sibi Episcopatum Avinionensem tenendum pariter commendavit. Item Dominus Cantelinus Johannis de Chaturco civitate, tunc Vice-Cancellarius, [quem] Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Marcelli & Petri, item Dominus R. Depoieto de castro novo Racerii dioecesis quem Cathurcensem Presbyterum Cardinalem tituli sancti Marcelli, item Dominus Bernardus de Monte Faventio de prædicto castro novo Racerii diœcesis quem Cardinalem tituli sanctæ Mariæ in agro, item Dominus P. de Areblayo Gallicus, Cancellarius Regis Franciæ quem tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem, item Dominus Gilhardus de Montavasto natione, Domini Papæ Clementis V. quondam ex nepote nepos, quem Diaconum Cardinalem sanctæ Luciæ. Item Dominus Johannes Gayetani natione Romanus de Ursinis quem Diaconum Cardinalem tituli sancti Theodori fecit. Item canonizavit, & sanctorum Confessorum catalogo annotavit, sanctum Ludovvicum Episcopum Tholosanum (*b*) filium quondam Caroli secundi Regis Siciliæ VII. Idus Aprilis apud Avinionem, Anno Domini MCCCXVII. Item degradavit ac deposuit a sacerdotali ac pontificali ordine ac dignitate Episcopum Cathurcensem Hugonem Geraldi, ablatis ab eodem omnibus Pontificalibus insignus, videlicet annulo atque mitra & cappa cum Romana Camisia & bireto remotis. Sicque relictus primo in simplici habitu clericali, fuit adjudicatus perpetuo carceri IIIJ. die mensis Maji apud Avinionem anno Domini MCCCXVII. Degradationem vero cum solennitate, qua decuit fecit Cardinalis Tusculanus Episcopus. Sicque ultimo degradatus, fuit traditus Curiæ seculari, per cujus judicium fuit tractus publice, & in aliqua parte corporis excoriatus, & deinde combustus in mense Julii subsequenti, quia sicut dictum fuit, in mortem summi Pontificis fuerat machinatus. Anno Domini MCCCXVII circa festum sancti Johannis Baptistæ fecit Cardinalem Diaconum tituli sancti Eustachii Dominum Arnuldum de Via, suum ex sorore nepotem, loco Domini Jacobi de Via, germani sui Presbyteri Cardinalis, qui quasi octava die obierat præcedenti. Eodem anno tam in mense Julii quam Augusti cathedralem sancti Stephani ecclesiam Tholosanam erexit in Archiepiscopalem sedem. Primum Archiepiscopum instituit in eadem Dominum Johannem de Convenis, quem transtulit de Magalanensi sede in novam metropolin Tolosanam. Episcopus vero Tholosanus sine

tre & Filio confitetur procedere. Et tandem Robertum Regem Siciliæ sibi rebellem, crimen læsæ Majestatis declaravit incurrisse, & ipsum Regem ad pœnam capitis condemnavit. Quam sententiam *Clemens* V. Papa, ut vicarius Imperatoris, vacante Imperio, Henrico mortuo revocavit, & nullam esse declaravit. Et post mortem ipsius Imperatoris, idem Papa declaravit, Imperatorem perjurum fuisse; nec memoriam, eo mortuo, de ipso fecit.

Hic Imperator, ut communis fert opinio, per pœnitentiarium suum immixto veneno in calice, dum Imperator ab ipso eucharistiam sumeret, extinctus est, & Pisis sepultus.

Postea, mortuo Philippo Rege Franciæ, successit sibi Ludovicus, primogenitus suus. Cujus uxor, filia Ducis Burgundiæ, quæ olim cum uxoribus aliorum filiorum Philippi Regis Franciæ, ob crimen adulterii, quod cum quibusdam suis militibus secretariis commiserant, discoriatis ipsis militibus, condemnatæ fuerant in carcere, obiit. (*a*) *Forojuliensis Episcopus, postea Avinionensis, deinde Portuensis Episcopus & Cardinalis* Herold. (*b*) *de ordine fratrum minorum.* Herold.

Episcopa-

Episcopatu remansit, cui postmodum de Regensi Episcopatu idem dominus Papa providit, quem noluit acceptare. Diœcesin vero Tolosanam, quæ in redditibus Episcopalibus plurimum abundabat, in VI. Episcopatus divisit, quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tolosani. Sexque villas in novas civitates erexit, videlicet villam montis Albani, villam de Rivis, villam & Abbatiam de Lumberiis, villam de Sancto Paulo, villam de Vauro, villam de Mirapiste. Episcopos ac Episcopales sedes constituit in singulis earundem: fueruntque consequenter jussu & ordinatione summi Pontificis diœceses certis terminis limitatæ. Item in Archiepiscopatu Narbonensi duos Episcopos fieri ordinavit, quorum primum prius posuit in Limose, & Episcopum instituit in eodem. Sed paulo post sedem inde transtulit ad Abbatiam de Elcon. Secundum vero Episcopatum instituit infra annum, & sedem ejus posuit in Abbatia Sancti Pontii, fueruntque limitatæ diœceses consequenter. Item Episcopatum Abiensem divisit in duos, Episcopalem constituit in Abbatia Monachorum apud Castras. Villam Castrensem in novam erigens civitatem, Episcopalem sedem posuit in Abbatia Sancti Petri Deusdomio, fuitque consequenter diœcesis limitata. Item in Episcopatu Petragoricensi in villa de Sarlato modo simili novam erigens civitatem, in Abbatia instituit novam sedem. Item in Episcopatu Lemovicensi fieri ordinavit Episcopum, & sedem Episcopalem constituit in Abbatia Tullensi, novam ibidem erigens civitatem. Item in Episcopatu Claromontensi in villa Sancti Flori novam erigens civitatem, similiter instituit novam sedem. Item in Episcopatu Rethenensi (*a*) Episcopatum alium ordinavit, sedemque ejus posuit in Abbatia ac villa de Vabrio, eandem in novam erigens civitatem. Item in Episcopatu Pictaviensi duos Episcopatus alios instituit, sedem propriam & diœcesin novam cuilibet designando, in Abbatia siquidem de Malesio sedem esse constituit, & Maleacensis diœcesis appellatur. In villa vero de Lucionio in Abbatia sedem posuit, & ibidem Lucionensis diœcesis appellatur. Item in nonnullis villis de Tolosano & de Carcasesio & Albigesio & alibi fecit & instituit collegiatas Ecclesias Canonicorum secularium cum dignitatibus & præbendis congruis, redditibus singulis ecclesiis assignatis. In monte Albano collegiatam ecclesiam instituit, cui præesset Decanus, & tam ipse quam Canonici ejusdem una cum Monachis Abbatiæ ad electionem faciendam de ipso convenirent. Item in Castro novo de atrio collegiatam ecclesiam instituit, quæ Decanum haberet, & tam ipse quam Canonici ejusdem ecclesiæ una cum Monachis Sancti Pauli concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in villa de Burlato Albigesii collegiatam ecclesiam instituit pari modo cum Canonicis & Decano, jusque eligendi Episcopum Castrensem una cum Monachis ejusdem contulit & concessit. Item

(*a*) *Rutheriensi.* Herold.

in villa Sancti Felicis diœcesis Tolosanæ ecclesiam collegiatam instituit cum Decano & Canonicis & præbendis. Item in Villa de Insula Jordani collegiatam ecclesiam instituit, quæ Decanum haberet, Canonicos & præbendas. Item in villa Montis Regalis Carcasonensis Diœceseos Collegiatam Ecclesiam ordinavit cum Decano, Canonicis præbendis. Item in Ecclesia Sancti Pauli de Fevelhedesio (*b*) diœcesis Elertensis instituit collegiatam ecclesiam cum Decano, Canonicis & præbendis, jusque eligendi Electensem Episcopum una cum Monachis de Electo eos habere voluit & decrevit &c. Item anno Domini MCCCXVI. mense Novembri fecit publicari, & sub bulla sua ad generalia studia destinari constitutiones, quas dominus Clemens, prædecessor ejus, fecerat tam in Viennensi Concilio quam ante & post, quæ nondum fuerant ad generalia studia destinatæ, sed usque tunc steterant in suspenso. Anno Domini MCCCXVII. Johannes Papa XXII. post gravem dissensionem & turbationem subortam in ordine Gradimontensi [Grandimontensi] ipsum antiquum ordinem reformando in aliquibus, prout sequitur, innovavit. Ordinavit siquidem & statuit, ut ipsa domus Gradimontis, [Grandimontis] quæ totius ordinis noscitur esse caput, Priorisque ac Prioratus nomine a sui initio regebatur, deinde Abbatis & Abbatiæ titulo & vocabulo censeatur, & Abbatis electio pertineat ad conventum. De reliquis vero domibus totius ordinis, quæ in diversis partibus & regionibus plures erant, sic extitit ordinatum, ut XXXIX. Prioratus collegiati in locis seu domibus potioribus fierent, & facti sunt ex eisdem, in quorum singulis eligerentur Priores singuli collegio & ad Abbatem Gradimontensem tanquam ad superiorem eorum confirmatio pertineret. Reliquæ vero domus fuerunt unitæ singulis Prioratibus & subjectæ, nonnullis tamen Abbati & Abbatiæ Gradimontensi sine medio reservatis. Item tribus visitatoribus ordinis ab antiquo institutis unum superaddit, & quatuor deinceps esse statuit & decrevit. Hæc autem cum quibusdam aliis circa dictum ordinem ad ejus reformationem rationabiliter sunt provisa, ut obviarentur sequentibus scandalis, & in distribuendis domibus & instituendis Rectoribus eorundem maturitas gravior & major æqualitas servaretur, & voluntatum partialitas vitaretur, quando non per unius hominis voluntatem, sicut prius, sed per communem electionem plurium canonice fieret provisio de personis, & in beneficiorum distributione personarum merita pensarentur, ut vigeret amplius correctio in ordine tam in capite quam in membris, ubi plures essent oculi vigilantes. Acta sunt hæc anno Domini prætaxato, Pontificatus vero domini Johannis Papæ memorati anno II. elapsis jam tunc temporis annis CCXL. ab exordio ordinis computando, quo beatus Stephanus, primus ejus institutor & fundator, primum pervenit ad eremum de Mureto, quod

(*b*) *Fevesheldesio.* Han. B.

quidem fuit anno Domini MLXXVI. ficut in geftis ejusdem Stephani plenius fcribitur & habetur. Anno Domini MCCCXVIII. in menfe Augufti memoratus dominus Johannes Papa Archiepifcopatum Terraconenfem unicum tunc in regnum Arragoniæ divifit, ac conftituit effe duos. Epifcopalem fedem Cæfarauguftanam in Archiepifcopalem erigens, (*a*) pro ferviendo V. fibi fuffraganeis Epifcopis defignatis ex illis XI. quos prius Terraconenfis metropolis obtinebat, fex fibi tunc fuffraganeis refervatis. Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIX. pridie Idus Martii idem Dominus Papa Pontificatus fui anno III. de fratrum confilio inftituit novum ordinem militum, qui dicerentur de militia Jefu Chrifti in regno Portugalliæ & Algarbii, ad refiftendum in illis partibus Sarracenis pro defenfione fidei & Chriftianorum. Cujus ordinis caput feu domum principalem conftituit effe in caftro Marino Silvenfis diœcefeos. Conceffitque & donavit dominus Papa militibus dicti ordinis bona omnia cum pleno jure, quæ fuerunt ordinis quondam templi in prædictis regnis, accedente ad prædicta beneplacito & confenfu Regis Portugaliæ & Algarbii, qui prædictum caftrum eidem Ordini munificentia regia contulit & conceffit, fede Apoftolica confirmante. Ordo vero prædictus debet vivere & militare Deo pro defenfione fidei & infidelium impugnatione fecundum regulam & inftituta ordinis Colatrenfis, & quando opus fuerit, debet vifitari, corrigi & reformari tam in capite quam in membris per abbatem monafterii de Alto hasfia Ciftertienfis ordinis diœcefis Ulibonenfis. De præmiffis vero & de forma juramenti præftandi pro tempore Regi Portugaliæ per Magiftrum ejusdem ordinis nec non præfato abbati, nomine Romanæ Ecclefiæ, ac etiam de aliis conditionibus & circumftantiis appofitis, & refervandis in literis Apoftolicis inde confectis, feriofius ac plenius continetur: Actum Avinione ad perpetuam rei memoriam. Item anno Domini MCCCXX, (*b*) V. Kal. Maji Avinione canonizavit, & fanctorum Confefforum catalogo annotavit cum folemnitate in hujusmodi confveta Sanctum Thomam Epifcopum Herfordenfem a tranfitu ejus anno XXXVIII. qui fuit vir nobilis genere, nobilior vita & moribus, præditus fcientia & doctrina, Doctor in decretis, & Magifter in Theologica facultate, cujus præclara & ingentia merita, ingens fama virtutum tam præcedentium quam fequentium miraculorum longe lateque declarat non folum in beneficiis & remediis fanitatum, verum etiam in pluribus mortuis ejus meritis fufcitatis, in quibus mirificavit fanctum fuum Dominus & colendum exhibuit univerfis. Hic quoque Dominus Johannes anno Domini MCCCXX. XIII. Kal. Januarii feria VI. in jejuniis IIII. temporum adventus domini fecit ordinationem VII. Cardinalium quos affumfit: videlicet Reynaldum Loporta de Alaffato, Lemovicenfis diœcefeos Archiepifcopum Bituricenfem, fratrem Bertrandum de Tarre deambolico, Cathurcenfis diœcefeos, de ordine fratrum minorum, Magiftrum in Theologia, Archiepifcopum Salernitanum, Petrum de Prato, diœcefeos Cathurcenfis, Archiepifcopum Aquenfem, Simonem de Archiacho diœcefis Sanctonenfis electum Viennenfem, Pilumfortem de Rapiftrangno de fancto Georgio prope fluvium Carin diœcefeos Albinenfis, Epifcopum Rivenfem, Petrum Textoris de fancto Antonino diœcefeos Cathurcenfis, Vice-Cancellarium Curiæ, Reymundum de Rufo de Cathurco civitate. Anno vero Dominicæ Incarnationis MCCCXXII. in Menfe Augufto idem dominus Papa fufpendit fententiam excommunicationis ac pœnas alias contentas in conftitutione Nicolai Papæ tertii, edita fuper regula fratrum minorum, quæ incipit: Exiit, qui feminat, extra de V. fig. li. VI. contra gloffantes vel aliter exponentes, nifi grammaticaliter aut determinantes in fcholis feu prædicantes aut docentes. Hic dominus Papa Pontificatus fui anno VII. Dominicæ vero Incarnationis anno MCCCXXIII. XV. Augufti apud Avinionem canonizavit, & fanctorum Confefforum affcripfit catalogo fanctum Thomam de Aquino de ordine fratrum Prædicatorum, doctorem egregium, anno quinquagefimo decurrente a felici ejus tranfitu de hoc mundo. Item eodem anno Domini MCCCXXIII. pridie Idus Novembris ad perpetuam rei memoriam perpetuo declaravit edicto, quod pertinaciter affirmare, quod Chriftus & ejus Apoftoli nihil habuerunt in fpeciali vel etiam in communi, fic cenfendum hæreticum, affertionemque hujusmodi pertinacem deinceps effe erroneam & hæreticam diffinivit, cum contradicat fcripturæ facræ, quæ in plerisque locis ipfos nonnulla habuiffe teftatur. Item pertinaciter affirmare, quod Chrifto ejusque Apoftolis in iis, quæ ipfos habuiffe facra fcriptura teftatur, nequaquam ipfis jus utendi competierit, nec illa vendendi feu donandi jus habuerint, aut ex ipfis alia acquirendi, deinceps fore erroneum & hæreticum declaravit, cum fcriptura facra teftetur, ipfos præmiffa feciffe, feu facere potuiffe, fupponat expreffe, cum talis affertio ufum ipforum evidenter includat, in præmiffis fuiffe non juftum, quod utique de falvatore noftro fentire nefas eft, & fcripturæ facræ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum. Prædictamque declarationem & diffinitionem Apoftolicam cum bulla fua ad generalia ftudia deftinavit. Hic quoque fummus Pontifex anno Domini MCCCXXV. fabbato primo quadragefimæ videlicet VI. Idus Februarii reprobavit & finaliter condemnavit quandam peftiferam Poftillam fratris Petri Johannis de Scrinphino diœcefis Bytricenfis, de ordine fratrum minorum, continentem dogma peftiferum & articulos

(*a*) *Subtractis quinque fuffraganeis, Tarraconenfi Cæfarauguftano fubjectis, remanentibus Tarraconenfi fex, qui undecim fuffraganeos habebat.* Herold. (*b*) *XV. Mart.* Herold. Atque in has Canonizatione Appendix Codicis Herold. juxta Fuldenfe Exemplar, definit.

culos erroneos & hæreticos, de qua sumebat fomentum secta quædam pestifera illorum, qui Begvini vulgariter nuncupantur, qui se fratres pauperes de tertio ordine Sancti Francisci communiter nominabant, ex quibus plures fuerunt tanquam heretici condemnati & combusti. Hic Dominus Johannes summus Pontifex pontificatus sui anno XII. dominicæ incarnationis anno MCCCXXVIII. feriis VI. in jejuniis IIII. temporum adventus domini, videlicet XV. Kal. Januarii fecit quartam ordinationem X. Cardinalium, quos assumsit videlicet Joannem de Convenis, Archiepiscopum Tolozanum, Hanibaldum Gaytani, Romanum, Archiepiscopum Neapolitanum, Jacobum Cisterciensis ordinis, magistrum in Theologia, episcopum Mirapicensem, Reymundum Ruthenensis diœcesis Episcopum Sancti Pauli, Petrum de mortuo mari Lemovicensis diœceseos Episcopum Antisiodorensem Petrum de Capis, Episcopum Carnotensem, fratrem Matthæum Ursinis, Romanum de ordine Prædicatorum, magistrum in Theologia, Archiepiscopum Sypontinum, Petrum de Toleto Hyspanum, Episcopum Carthaginis vel Murciæ, Johannem de Columna Romanum, Ybertum de puteo de monte Pessulano. Hic summus Pontifex plures constitutiones edidit utiles & salubres. Hic contra Ludovicum Ducem Bavariæ, qui in contradictione in Imperatorem electus fuerat, sed ejus (cujus) electio per Sedem Apostolicam, ut moris est & juris, non fuerat approbata, & pro Imperatore se gerebat, multos fecit processus per temporum debita intervalla cum publicis & peremtoriis citationum edictis, qui tamen non duxit parendum, nec juri parendum. Fuitque tandem per eundem summum Pontificem privatus jure, si quod sibi ratione talis electionis competierat aut competebat, nec non excommunicatus, & fautor & defensor hereticorum adjudicatus. Qui Ludovicus pravo usus malorum consilio, contra eundem summum Pontificem Vicarium Domini nostri Jesu Christi, & adversus Sedem Apostolicam & ecclesiæ unitatem, multipliciter & barbarice se erexit, veniensque Romam quendam Pseudo-Antipapam Romæ fieri fecit legibus & ordine perversis & execratis orationibus execrari potius quam sacrari. Anno Dominicæ incarnationis MCCCXXVIII. in mense Maji: Cui Antipapæ ipse Ludowicus reverentiam exhibuit tanquam summo Pontifici, & tanquam Papam manu tenuit, & deduxit in magnum scandalum ecclesiæ Domini Jesu Christi. Præfatus Pseudo-Antipapa fuit frater Petrus Raynallucii de Corbareo Reatinæ diœceseos de ordine Fratrum minorum, qui antequam habitum ejusdem ordinis assumeret, uxorem Johannam de Corbario, cum qua cohabitaverat conjugaliter annis quinque, & rupto fœdere conjugali, ipsa vivente & invita, spreta Ade conjuge, ad fratres minores se contulit, & habitum eorum sumsit, & beati Francisci regulam est professus. Hic Petrus de Corbario, spreta tam religionis quam Catholicæ fidei professione, prophanæ & insanæ electioni in antipapam manum dedit & animum, & se Nicolaum papam V. a suæ partis consortibus voluit nominari. Cepitque agere & se gerere tanquam Papa Romanus in ipsa urbe in obprobrium dictæ urbis, refecitque Cardinales secum complices in vesaniam, & conatus est scindere ecclesiæ unitatem, utpote minister & membrum Antichristi. Præfata autem Johanna uxor ejus ipsum repetiit in judicio coram Episcopo Reatino, oblato libello, & pro Johanna contra prædictum Petrum per Dominum Johannem Episcopum Reatinum lata fuit sententia publice servato juris ordine penultima die mensis Novembris, anno Dominicæ incarnationis MCCCXXVIII. sicut in (*a*) transsumto sententiæ plenius legimus contineri. Anno Domini MCCCXXXIII. Papa Johannes (*b*) obiit in Avinione die IIII. mensis Decembris, quæ fuit dies dominica, litera dominicali currente B. pontificatus sui anno XIX. (*c*) vacavitque post mortem ejus sedes diebus XII. & Dominus Jacobus, presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Priscæ magister in Theologia, ordinis Cisterciensis, in Papam est electus, elegitque vocari Benedictus XII. &c.

Sequens Additamentum usque ad Historiam Benedicti XII. desumptum est ex Codice Weissenburgensi, neque de eo aliquid in cæteris Codicibus reperitur.

Johannes XXII. reservavit sibi reditus primi anni omnium beneficiorum vacantium ubilibet, vel quæ vacatura essent usque ad triennium. Contemsit tamen secreta servitia, quæ consueuerant Prælati dare Clementi prædecessori suo tempore promissionum suarum.

Hic eodem tempore dicitur duos nuntios misisse in Lombardiam, scilicet fratrem Bertrandum, Magistrum in sacra pagina, de ordine minorum, & inquisitorem Tholosanum de ordine Prædicatorem contra eos, qui tunc Lombardiam regebant, & specialiter contra Mamphæum de Vice-Comitibus & filios, qui sibi subjugaverunt quasi totam Lombardiam superiorem, videlicet, civitatem Veronensem, Mediolanensem, Novarensem, Vercellensem,* Terdoensem, Alexandrinam, Papiam, Parpanensem (Parmensem) Placentiam & Cremonensem ultimo, & quibus etiam adhærebant civitates Cumana & Laudensis & Januensis, extrinseco & Parmensis: & inter cætera mandasse eidem Mamphæo, quod Comitem Philipponem & Antonium de Fiserato de Laude, & multos alios nobiles, quos in suis carceribus detinebat, relaxare deberet. Quod cum face-re

(*a*) *transscripto.* Lips. (*b*) *ægritudine brevi gravatus.* Weissenb. (*c*) *mens. IV. die XXVIII. die sequente sepultus. Die Martis sequenti Cardinales intraverunt Conclave.* Weissenb. Huc usque pertingit Codex MCtus Hannov. A. qui, ut & Hanoveranus B. cum hoc textu, ex MCto Guelferbyt. transsumpto, plane congruit. Quæ vero sequuntur in Codice Hanoverano B. ad verbum extant in Engelhusio a Madero edito, a pag. 268. usque ad finem.

re recusasset, contra ipsum misit Bertrandum de Pogeto Caturcensis diœceseos tituli Sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & (qui) postmodum factus est Episcopus Ostiensis, pro Legato Sedis Apostolicæ, & Philippum de Walois, filium Karoli patrui Regis Francorum cum multitudine equitum. Qui cum pervenisset Vercellas, & medietatem civitatis, quam Guelfi rebellaverant, prædicto Mamphæo teneret, & vellet contra Mediolanum procedere, tandem Galyacus, filius prædicti Mamphæi cum exercitu magno obviavit eidem. Ipse vero videns, se transire non posse, & victualia necessaria deficere, facta quadam tacita compositione cum prædicto Galliaco, reversus est in Franciam, Legato prædicto apud civitatem Ostiensem remanente. Post recessum Philippi de Walois prædictus Mamphæus statim exercitum posuit circa Wercellensem. Guelphos & illam partem civitatis, quam tenebat, in deditionem recepit, capto Episcopo Wercellensi & Guidone de Colobiano. Episcopus tamen aufugit de captivitate. Post hæc facti sunt graves & ardui processus contra prædictum Mamphæum, & filios, & contra eos lata sententia, velut tanquam suspectos de hæretica pravitate. Tandem per Inquisitores prædicti Mamphæus primo, & postea omnes filii pronunciati sunt hæretici. Eodem etiam tempore & anno pronunciati sunt hæretici Raynaldus & Opyzo Exstenses, qui fuerunt contra præcepta, & graves processus ecclesiæ detinebant. Eodem tempore MCCCXXI. de mense Julii fuit missus contra prædictum Mamphæphæum Raymundus de Cardona propter Dominum Papam & Regem Robertum cum multitudine equitum, & applicuit Valentiam diœcesis Papiensis. Eodem anno de mense Octobri stipendiarii equites Bononienses & Florentini, quos mittebant in Lombardiam, cum venissent juxta vallem Tarii diœceseos Placentinæ, bello inito contra stipendiarios Gallyaci, projecti & positi fuerunt in conflictu. Et mortuus est ibi Jacobus de Cavalthabobus. Eodem anno de mense Decembri Galliacus cepit Cremonam. Eodem anno MCCCXXII. de mense Aprilis vel sequenti Henricus Dux Austriæ, frater Frederici electi in Imperatorem cum multitudine equitum venit Brixiam ad petitionem ecclesiæ, ut credebatur, impugnaturus Vicecomites. Tandem multis tractatibus habitis de mense Maji reversus est in Alemaniam. Eodem anno mortuo Maphæo de Vicecomitibus Raymundus de Cardono & Marchus Vicecomes apud Basignam bellum fecerunt. In quo tandem dicitur Marchus habuisse victoriam, licet hinc inde multi fuerint interfecti. Eodem anno de mense Octobri Verzusius de Laudo Placentinus, qui bellaverat Galliaco, per tractatum intravit Placentiam cum gente Legati & terras quiete intravit & obtinuit, expulso Azone filio Galliaci cum adhærentibus sibi.

Eodem anno de mense Decembri prædictus Galiacus, qui post mortem patris procuraverat dominium Mediolanense contra voluntatem nobilium multorum ejusdem facta conspiratione contra ipsum per dictos nobiles, & maxime per G. de Posterla & Simonem Ermellum & Franciscum de Garbagnara, & alios multos, qui fuerunt tractatores pacis inter Mediolanenses & Legatum, expulsus est de civitate Mediolanensi, concitato populo contra ipsum. Ipse autem se reposuit in civitatem Laudensem, tamen remanentibus stipendiariis suis, in civitate tamen post paucos dies de mense sequenti, procuratione quorundam amicorum suorum & auxilio stipendiariorum, qui ibi remanserant, reductus est in civitatem & in ejus dominium recedentibus iis, qui sibi prius fuerant adversati. Eodem tempore MCCCXXIII. de mense Februario Terdonenses receperunt per tractatum Raymundum de Cardona, venientes ad obedientiam Legati. Et fuit hoc statim post expulsionem extrinsecorum Januensium, qui ab extrinsecis de burgo, quod tenebant, cum magno damno fuerunt expulsi. Eodem anno & mense XXV. die, milites Legati exeuntes cum Mediolanensibus extrinsecis supradictis apud Caravazum, transiverunt flumen. Adde, & ingressi Comitatum Mediolanensem bellum fecerunt cum Marcho Vicecomite prohibente transitum. In quo bello multis hinc inde interfectis sustinere non valens Marchus prædictus, reversus est cum suis Mediolanum, milites vero Ecclesiæ intraverunt Modoetiam. Et tandem illic convenientibus illis de latere cum suis amicis & cum Raymundo de Cardona, qui tunc factus fuit Vicarius generalis exercitus ecclesiæ, iverunt omnes versus Mediolanum. Et cum pluribus diebus stetissent in burgis, cum civitatem habere non possent, & victualia eis deficerent, sine damno reversi sunt Modoetiam de mense Augusti. Sequenti anno de mense Martii, cum prædictus Raymundus intravisset Vaprum, & Mediolanenses statim post eum venissent, prædictus Raymundus inconsulte ad ipsos egrediens cum gente sua, fuit positus in conflictum, & captus cum aliquibus nobilibus. Tunc Henricus de Flandria cum sua gente reversus est Modoetiam, quam pro Ecclesia tenuit usque ad mensem Octobrem. Mediolanenses circa Modoëtiam ponentes exercitum, eam tandem sub certis pactis obtinuerunt in fine Novembris, & cum de carceribus evasit prædictus Raymundus cum custodibus, qui custodiebant eundem.

Sequenti anno, scilicet MCCCXXV. de mense Martii Azo Vicecomes cum Theotunicorum multitudine intravit burgum Sancti Dominici. Qui depopulantes circumvicina loca, in Parmensi diœcesi magna damna dederunt, ad quos obsidentes de mense Julii sequentis exivit exercitus ecclesiæ. Cujus capitaneus generalis factus est Rollandus Rubeus per legatum. Interim cum prædictus Raymundus capitaneus generalis guerræ Florentinorum exercitum grandem duxisset contra Castrucium de Ancelmello, ad depopulandum Comitatum Pistoriensem & Lucanum in alto passu, quem ceperat, suum haberet exercitum, tandem ad prælium

prælium veniens cum Lucensibus in quorum succursum venerat, Azo prædictus cum gente sua in conflictum est positus, & cum multis nobilibus captivatus XXIII. die Octobris. Post quem conflictum equitavit Castrucius in Comitatu Florentino, & ipsum depopulavit usque ad portas. Quibus novis auditis Capitaneus Mutinensis Franciscus, filius Passarini de Bonocolle procuravit sibi proditialiter tradi castrum Montis Bolii diœceseos Bononiensis. Cumque illud, prout tunc fieri potuit, munivisset, Bononienses egressi ad diœceseos suæ confinia, prædictum castrum obsederunt, illud adeo coarctantes, quod, nisi illi, qui castrum tenebant, celerem habuissent succursum, illud reddere cogebantur. Interim vero veniente Azone Vicecomite de civitate Lucana ad civitatem Mutinensem, Passarinus prædictus cum Azone Vicecomite & cum Raynaldo. Exstensi, qui omnes illic convenerant, ut inclusis in castro prædicto succurrerent. Egressi Mutinenses contra exercitum Bononiensium irruentes eis dederunt conflictum, ibique capti fuerunt Potestas Bononiensium, Maletestinus, filius Ferratini, qui cum multitudine civium Bononiensium ducti fuerant Mutinam die XV. mensis Novembris. Sequenti die prædicti victores equitaverunt versus Bononiam, depopulantes ejus Comitatum usque ad portas. Tunc custodes Bononiensium exeuntes in castro Bacani & in ponte Sancti Ambrosii ipsas fortalitias diviserunt. Cumque prædictis auris legatus Parmam venisset, prædicti depopulata Bononiensi Diœcesi Mutinam redierunt. Sequenti anno videlicet MCCCXXVI. mense Junii Versutius de Lando factus per legatum capitaneus gentis armigeræ missæ per eum contra Mutinenses, intravit in burgum Saxoli, & obsidens castrum, illud in paucis diebus recepit. Postmodum brevi tempore cepit Goranum & castrum vetus. Eodem anno Simon & fratres de Corrigia cum stipendiariis Ecclesiæ fortalitias Burgi fortis & insulam Sucariæ cum omnibus, quæ Mantuani circa Padum fluvium tenebant. Subsequente de mense Verzusius prædictus cum stipendiariis Ecclesiæ intraverunt burgum Cytanone civitatis Mutinensis, quem burgum cum diebus aliquibus tenuissent, eum satis viliter dimiserunt. Eodem anno de mense Novembri datum est dominium civitatis Parmæ Domino Legato, & de mense sequenti datum est dominium civitatis Reginæ. Eodem anno Karolus, Dux Calabriæ, filius Regis Roberti, dato sibi dominio civitatis Florentinæ, cum magno apparatu equestri venit Florentiam contra Castrucium & Lucanos, & licet etiam navigium magnum in mari habuerint, nihil eo anno profecit.

Sequenti anno scilicet MCCCXXVII. de mense Februarii Legatus venit Bononiam, & statim datum est dominium civitatis. Eodem anno & mense dominium civitatis Mutinensis licentiavit officiales Passarini, & cum Legato concordiam cum certis conditionibus & pactis accepit. Eodem anno datum est eidem Legato dominium civitatis Ymolæ repulso dominio Ryzardi de Manfredis. Anno Domini MCCCXXVIII. die II. Augusti Parmenses & Regini simul rebellaverunt Legato prædicto, omnes officiales Ecclesiæ expellentes. Die quinta ejusdem mensis Romani rebellaverunt Lodovico Bavariæ. Tunc etiam mortuus est Galleazus Vicecomes apud terras Pisiæ Lucanensis diœceseos. Et Pistorium a Castrucio captum est per obsidionem die XVI. ejusdem mensis Augusti. Mantuani fecerunt se liberos a tyrannide Passarini de Bonacolle autoribus filiis Loysii de Gonzaga, scilicet Guidone, Philippino & Feltrino, qui remanserunt liberi domini civitatis, interfectis Passarino, filiis & nepotibus.

Eodem mense mortuus est Castrucius in civitate Luchæ dimissis filiis in dominio civitatum Luchæ, Pistorii Lucensis diœceseos & Pisarum de mense sequenti. Ludovicus de Bavaria omnes prædictas civitates in detentionem accepit, privans prædictos filios prædicti Castrucii a dominio civitatum.

Eodem mense Canis de Scala autore Marsilio de Ferraria recepit dominium civitatis Paduanæ. MCCCXXIX. Tervisini autore Advocato regente civitatem Tervisii obsidione vexati tradiderunt prædicto Cani Tervisium. Ipse vero civitatem ingressus, infra triduum debitum naturæ humanæ persolvit, relicto Alberto & Mastino suis nepotibus in dominio terrarum, quas tenebat.

MCCCXXXIII. de mense Januarii Legatus prædictus contra Marchiones, paulo ante reconciliatos Ecclesiæ, & ejus autoritate constitutos Vicarios in Ferraria, occasione cujusdam foveæ, qua suum territorium fortificabant, guerram movit, mittens contra eos exercitum magnum, qui per Padum transiens, se locavit in burgo civitatis Ferrariæ, ipsoque vallato diu civitatem ipsam obsedit. Tandem die XIIII. Aprilis Marchiones prædicti fulti auxilio Lombardorum de Mediolano, de Verona & Mantua exercitum Ecclesiæ sunt aggressi, involutoque forti prælio posuerunt ipsum exercitum in conflictum, captis quasi omnibus, qui erant in burgo. Inter quos capti fuerunt Comes de Arınhat Capitaneus generalis, multique nobiles de comitativa sua, & quasi omnes nobiles de Romandiola, videlicet, Malatesta & Galeotus de Arminio, Ostasius de Polenta, Franciscus de Ordelasis de Forlyvio, Ryzardus de Manfredis, Lippus de Nordola, de Ymola, multique alii nobiles Bononienses. Cumque prædicti nobiles de Romandiola diu stetissent in carcere, nec redderentur per Legatum, a Marchionibus promissa eis certa tallia sunt dimissi. Cum autem ad propria reversi fuissent, rebellaverunt terras suas, primo Forlivii (Forum Livii) secundo Arminium, postea Ravennam & Cerivam. Deinde Marchiones prædicti posita obsidione circa Argentam, quam prius Ecclesiæ Romanæ restituerant, eam per obsidionem habuerunt. Sequenti anno scil. MCCCXXXIIII. die XVII. mensis Martii Bononienses male contenti

tenti de regimine Legati, qui adhuc tenebat exercitum super Comitatum Ferrariensem, circa Padum concitato furore populi contra eum & gentem suam, terram rebellaverunt. Et post paucos dies Legatus, qui in castro suo erat inclusus, per tractatum Ambasiatorum de Florentia castrum dimisit, & illæsus versus Florentiam cum sua comitativa recessit. Deinde per portum Pisanum ivit ad curiam. Et sic brevi momento dimisit Ecclesia, quæ longis temporibus, cum maximis laboribus, cum multorum Italicorum strage, cum expensis innumerabilibus visa fuerat acquisisse, nulla sibi civitate remanente præter Placentiam. Quæ tandem infra breve tempus propter divisiones ortas & suscitatas inter cives se tradidit dominio Azonis Vice-Comitis de Mediolano.

Benedictus XII.

Benedictus XII. natione Tholosanus anno Domini MCCCXXXIIII, de Sanardinio Appannarum diœceseos, prius vocatus Jacobus Abbas Fontis frigidi, ordinis Cisterciensis, Magister in Theologia, deinde Episcopus Appannarum, post Episcopus Mirapiscensis. Demum per Dominum Johannem XXII. prædictum creatus fuit tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis. Deinde mortuo Domino Johanne, IIII. die Decembris anno Domini MCCCXXXIIII. iste in Papam eligitur. (a) Anno eodem mensis ejusdem die XX. coronatus apud prædicatores Avinionenses. Sedit autem annis VII. (b) diebus - - - - - Hic primus cœpit construere palatium Apostolicum Avinione in loco, ubi solebat esse palatium Episcopale, in quo Dominus Johannes Papa residere consvevit. Hic justus & durus erat. Beneficia, quæ dispensatione sedis Apostolicæ reservavit, vix conferre voluit, timens, ut dicebatur, ne conferrentur indignis. Hic Marschalcum suum propter traditionem, quam ipse fecisse dicebatur, tradendo quosdam Anglicos Avinione tunc moram facientes in manus Domini Philippi Regis Francorum, inter quem & Regem Angliæ tunc gwerra orta fuit, quæ multis annis duravit, suspendi fecit ante domum, de qua Anglici proditi & educti fuerunt, fecitque illum in campum sepeliri. Sed Dominus Clemens VI. postmodum fecit illum extumulari, & in cimiterio locari, in favorem Regis Franciæ, sicut famabatur. Hujus tempore cœperunt Cardinales ædificia ultra pontem facere, in quibus æstivo tempore morabantur. Hic Papa aliquando moram fecit Pontisorigæ. Iste sententias latas per Dominum Johannem prædecessorem suum contra Ludowicum Ducem Bavariæ, qui se gessit pro Imperatore nunquam aggravavit, sed ei legatos suos misit, monens & hortans, ut ad ecclesiæ rediret unitatem. Hujus anno secundo, [alii dicunt anno primo] in festo Simonis & Judæ die - - - mensis - - - - - hora vesperorum, ventus improvise surgens in diversis mundi partibus adeo fortiter aërem commovit turbinosum, nec tamen diu durans, ut multis in locis tecta domorum & ecclesiarum etiam plumbea ad magnam distantiam transportaret: magnaque & multa fieret domorum ecclesiasticarum & monasteriorum ruina. (c) Hic anno domini [MCCCXXXVI.] & Pontificatus sui anno secundo prædicto IIII. Kal. Februar. decretalem, quæ incipit, Benedictus Deus in sanctis suis &c. decisoriam conclusionis seu altercationis tempore Domini Johannis inter Theologos agitatæ de visione faciali sanctorum ante diem judicii quam idem Dominus Johannes morte præventus non determinavit, sed indecisam reliquit, edidit & declaravit, quod animæ sanctæ nihil habentes purgabile, statim, ut decedunt, faciem Dei vident, & publicam fecit, mandans sub pœna anathematis & incursionis hæresis, ne quis contra hujusmodi determinationem dogmatizaret aut crederet. Anno Domini MCCCXXXVII. die Junii combustus fuit in Venetiis, anno Pontificatus Domini Benedicti tertio, frater Franciscus de Pistorio ordinis minorum propter opinionem, quam ecclesia reprobat, de paupertate evangelica. Isto tempore Papa creavit sex Cardinales. Hujus temporibus Eduardus Rex Angliæ, jam factus inimicus Philippi Regis Franciæ, venit in Frangkford Maguntinæ diœceseos ad Ludovicum Bavariæ, gerentem se pro Imperatore, pro auxilio sibi ferendo. Qui Ludowicus eundem fecit vicarium Imperii, cujus vicariatus prætextu renitentem sibi populum Cameranensem & civitatem, quæ est Camera Imperii in Francia obsedit, sed non cepit. Idem etiam Ludowicus Reynaldum Comitem Gelriæ, & Wilhelmum Comitem Juliacensem, illum Ducem, & istum Marchionem creavit in Francfordia, cœtu Principum congregato. Anno Domini MCCC - - - - - circa idem tempus surrexit quidam in partibus superioribus, qui se Regem Armleder nominabat, qui adunata multitudine * rumorum & rusticorum Judæos, & quoscunque reperire poterat, trucidabat. Sed demum per Ludowicum Bavarum prædictum captus, occidi jussus est, & tota illa dispersa est congregatio. Hujus

(a) *Coronatus dominica proxima post epiphaniam, quæ fuit XI. die Januarii anni sequentis* Weissenb.
(b) *mensibus IV. diebus XII.* Weissenburgens.
(c) MCCCXXXV. die XV. Junii Parmenses tradiderunt *Parmam* & demum *Lucam Mastino* & *Alberto de Scala*, & Regini Regium infra paucos dies. Tempore vero dominii de la Scala Regium donaverunt *illis de Gonzaga*, scilicet *Loysio & filiis Guidonis, Philippo & Feltroni*, qui civitate munita reduxerunt ad civitatem extrinsecos, licet non omnes.

Eodem anno moritur *Raynaldus Exstensis Marchio*, post cujus mortem paucis diebus transactis *Manfredus & Guido de Piis*. Vicarii Mutiniæ pro rege Bohemiæ, se *Opyzoni & Nicolano Marchionibus* Exstensibus subjecerunt castro Carpento remanente Manfredo. Hic licentiavit omnes Prælatos, qui erant in curia in causa voluntaria, & præcepit, quod ad suas reverterentur ecclesias. Hic mandavit omnibus *decimam restitui sexannalem* jam diu solutam impositam propter [per] decessorem suum pro subsidio terræ sanctæ, quod facere promiserat Rex Francorum, sed non fecit. Cod. Weissenb.

Papæ

Papæ temporibus Dominus Alphonsus Rex Hispaniæ contra Regem Marrochiæ conserto prælio triumphavit, & in signum victoriæ. Idem Rex vexillum suum Domino Papæ misit, quod usque hodie in capella prope Avinionem conservatur. Item Dominus Papa multas constitutiones & ordinationes fecit circa ordines monachorum nigrorum & Cisterciensium (*a*) obiit autem anno Domini MCCCXLII. die XV. Aprilis Pontificatus sui anno VIII. (*b*) Et vacavit sedes diebus XIII.

Clemens (*c*) VI. natione Lemonicensis de Malmonte Lemonicensis diœceseos, prius dictus Petrus Rogerii, monachus monasterii Casæ Dei, ordinis sancti Benedicti Claromontensis diœceseos. Deinde Parisiis factus Magister in Theologia, & post Abbas Fistanensis dicti ordinis, postea Episcopus Acarbacensis, deinde Archiepiscopus Senonensis & post hoc Archiepiscopus Rothomagensis. Demum per Dominum Benedictum præfatum creatus Presbyter Cardinalis titulo sanctorum Nerei & Achillei, & tandem mortuo eodem Domino Benedicto electus in Papam septima die Maji. Anno Domini MCCCXLIX. in die sancto Pentecostes apud fratres Prædicatores Avinione coronatus est cum pompa & gaudio, Johanne primogenito Philippi Regis Franciæ, Duce Normanniæ, qui postea fuit Rex Franciæ, ipsum advextrante. Mittuntur eadem æstate in Franciam Ambadus Tusculanus & Petrus, Prænestinus, Episcopi Cardinales pro gverra sedanda inter Edwardum Angliæ Regem & Regem Franciæ Philippum orta, qui tamen nisi inductis treugis paucorum dierum modicum profecerunt. Eadem æstate fuit tanta inundatio aquarum per totum mundum nostri climatis non a pluviis orta, sed undecunque scaturire etiam in cacumen montium videbatur, adeo quod loca inconsveta occuparet. in civitate Avinionensi navigio iretur, & per muros civitatis Coloniensis a navibus scanderetur: Pontes & turres plurimæ ruerent ab aquis suffossæ. Eodem anno de mense Januario præfatus Dominus Papa præsentibus Ambasiatoribus Romanorum, in anno quinquagesimo futuro omnibus visitantibus urbem concessit indulgentiam plenariam, & annum statuit Jubilæum illum in perpetuum, quem Dominus olim Bonifacius VIII. statuerat de centesimo in centesimum; iste de quinquagesimo in quinquagesimum commutavit. Anno Domini MCCCLIII. II. Idus Aprilis processus contra Ludowicum Bavarum innovavit. Eodem anno obiit Rex Robertus Rex Siciliæ, & Domina Johanna, neptis ejus, successit in Regnum, nubens Andreæ, fratri Regis Hungariæ, qui post modum instante coronationis die fuit in civitate Aversana, fune, ut dicebatur, circa verenda ligato e fenestra suspensus, per familiares Reginæ crudeliter strangulatus, contra cujus interfectores, idem Dominus Papa processum fecit Kal. Februarii an. IIII. Pontificatus, an. XLIIII. Wilhelmus Comes Hollandiæ a Frisonibus interficitur in bello, cujus Comitatum, quia sine hærede fuit mortuus, Bavarus prædictus filio suo contulit, qui eum possidet in diem hodiernum. Eodem anno II. Idus Aprilis Dominus Papa processus contra Bavarum præfatum innovans ipsum penitus reprobavit, monuitque electores, ut ad electionem procederent, alioquin sedes apostolica provideret, a qua ad ipsos jus eligendi provenerat. Eodem anno de mense Junio Edwardo Rege Angliæ contra Philippum Regem Franciæ transituro, prope Saluzam portum Flandriæ obviante exercitu Francorum, confligitur tanta strage facta, quod aqua maris plerisque diebus tincta sangvine videbatur. Victoria tamen potitus Rex Angliæ Tornacum obsedit, diruens & vastans castra & villas Picardiæ. Eodem tempore revertitur in Franciam Dominus Ambaldus Cardinalis, juncto sibi Domino Stephano titulo sanctorum Johannis & Pauli, qui postea fuit Innocentius Papa VI qui etiam modicum profecerunt, & Anglicis continuo cessit victoria. Circa idem tempus Henricum de Virenborch, Archiepiscopum Moguntinum Dominus Papa propter adhæsionem Bavari deposuit, & de Grolaco de Nassaw tunc de cano Moguntino ipsi Ecclesiæ providit. Verum ipse Henricus, quamdiu vixit, ecclesiæ incubuit, sententias excommunicationis levi pendens, terrasque Comitum de Nassaw incendiis devastavit. Postmodum dum electores, videlicet Balramus Coloniensis, Baldowynus Treverensis & Gerlacus novus Maguntinus Archiepiscopi, Dux etiam Saxoniæ, & Johannes Bohemiæ Rex in villa Rense Treverensis diœceseos congregati, Dominum Carolum dicti Regis Bohemiæ primogenitum in Regem Alamaniæ elegerunt qui postea in opido Bunnensi Coloniensis diœceseos circa festum sanctæ Catharinæ corona ferrea extitit coronatus, & quod urbs Aquensis, ubi hoc fieri est consvetum, & Francfordia, ubi electio celebrari consvevit, Bavaro tunc viventi adhæserunt. Circa idem tempus sedes Pragensis Episcopalis in Metropolitanam erigitur. Et postea anno sequenti de mense Novembri die VI. electio Domini Caroli confirmatur. Post hoc moritur Bavarus & Domino Carolo pro magna parte cessit imperium, præfatus tamen Hinricus Maguntinus depositus, & Marchio Brandeburgensis filius Lodowici Imperatoris defuncti, ac Robertus Comes Palatinus Rheni impie se contra electum erigentes, Güntherum de Schwartzeburch regem eligendo nuncupaverunt, cum quo in Francofordiæ campis castra metantes conabantur statum Imperii perturbare. Eodem vero prætenso electo cossito vita functo, in campis Dominus Carolus Aquisgrani, ut moris est, coronatur, & a civitatibus Imperii recipitur generose. Eodem anno Pontificatus, anno vero Domini XLVII. inter Engwertum de Mercka, tunc Leodiensem Episcopum & Patriam Leodiensem

(*a*) Cod. Weissenb. Hic modicum carnaliter fuit frigidus in viribus Ecclesiæ defendendis, tardus in processibus causarum expediendis, in ecclesiarum provisionibus faciendis, & rarissime alicui absenti & non probato providit. (*b*) *In Avinione* Weiss. (*c*) *In Clemente VI. desinit* Codex Weissenb.

diensem a gravi dissensione suborta idem Episcopus Johannem Regem Bohemiæ & Carolum Imperatorem novum pluresque terrarum dominos in campum prope muros civitatis Leodiensis, quæ Varem dicitur, secum duxit, civibus ipsum in præsidio exspectantibus, sed Episcopo cum suis incaute procedentibus, ceptum fuit bellum, & victoria cessit civibus, Episcopo & suis, etiam ipso Domino Carolo, qui vexillum Aquilinum Imperii primitus ibidem erexit, fugientibus, cæteris interfectis. Postea in festo beatæ Praxedis, idem Episcopus prope Turnis victoriam habuit contra cives, per quam pax extitit reformata. Circa idem tempus inter Philippum Franciæ & Edwardum Angliæ Reges prope Cressim confligitur. Idem Rex præfatus Bohemiæ Comes Flandriæ, & quam plures terrarum domini propter Regem Franciæ advenientes, occisi sunt, victoria cedente Anglicis. Præfatus dominus Papa canonizavit sanctum Yvonem Presbyterum Treconensem in Britannia multis miraculis clarentem, qui pietatis gratia pro pauperibus anno Domini MCCCXLVII. prædicto Pontificatus vero anno VI. die XXIII. mensis Maji, anno migrationis ejusdem sancti XLIIII. me tunc Avinione existente. Circa hæc tempora Lodowicus, Rex Ungariæ, vindicaturus mortem miserabilem fratris sui Andreæ intravit Apuliam, vastans totum regnum, fugitque a facie ejus Regina Johanna, quæ dicebatur conscia mortis Andreæ: fecitque justitiam horribilem de cunctis consciis necis ejusdem. Regina vero veniens Avinionem, dispensato cum ea per dominum Clementem super gradu consanguinitatis, in qua attinebat domino Ludowico de Tharento, matrimonium cum eodem contraxit. Et tractationibus missis per dominum Papam, Rex Ungariæ a regno recessit, fuitque Lodowicus in Regem coronatus per Archiepiscopum Bracharensem Neapolim ad hoc missum. Circa hæc tempora Rex Angliæ post longam obsidionem cepit Callesium portum maris in magnum Regis Franciæ detrimentum. Anno Domini MCCCXLVII. præfatus populus Romanus, nobilium urbis regimine tyrannico conculcatus, quendam Nicolaum Lauri Notarium urbis in tributarium elegit, qui populi fretus auxilio multos nobiles occidit, seque lavari faciens in concha, in qua olim Constantinus Imperator mundatus est a lepra, ipse die sancto Pentecostes miles factus, talem titulum sibi fecit: Candidatus Spiritus Sancti, miles Nicolaus, severus & clemens liberator urbis, zelator Italiæ, amator orbis & tribunus Augustus, iste gubernando urbem pacem multam in ea & viciniis ejus fecit, dominum Carolum electum & electores coram se citari mandavit, doctores de jure suo & alia multa fecit, quæ dignitati & juri Ecclesiæ & Imperii derogabant. Tandem habitum ignotum induens, curiam domini Caroli in Bohemia adiit scrutaturus, sed ipsum agnitum sibique præsentatum idem Imperator domino Papæ misit qui ipsum Avinionem in carcere aliquandiu reclusit sed comperto, quod contra ecclesiam nihil attentasset, relaxatus dimittitur, & Romam rediens a populo tumultuante perimitur. Anno Domini MCCCXLVIII. Pontificatus domini Clementis anno VII. circa purificationem beatæ Virginis tanta cepit mortalitas Avinione, durans ibi fere per annum. Et deinde per partes alias serpendo per totam Franciam, Italiam & Alamaniam grassabatur, tam vehemens, ut vivi vix sufficerent mortuos præ multitudine sepelire, & multæ villæ & loca multo tempore desertæ manerent. Nascebantur hominum ulcera sub acellis & hiis natis post tertium diem supervivere non poterant. Aliqui etiam proprio sanguine suffocabantur. Hanc pestilentiam aliqui asserebant ex commixtione quorundam planetarum ortum habuisse, videlicet trium superiorum in Aquario, cujus effectus XX. annis erat duraturus, & ex aëre corrupto, ita quod homines inficiebant se mutuo, sicut ad hoc erant dispositi secundum complexiones, & de infectis paucissimi evaserunt. Nec processit hæc epidimia directe, sed saltum faciendo de villa in villam tertiam media intacta manente, & postea iterum rediit ad eandem. Anno vero sequenti Judæi per Alemaniam combusti fuerunt, quibus imponebatur, quod fontes & puteos intoxicassent. Et aliqui torti id confessi fuerunt esse verum. Anno Domini MCCCXLIX. die VII. Septembris terræ motus fuit Romæ, & in multis civitatibus Italiæ, & tamen Ecclesia sancti Pauli Romæ & plurima alia ædificia ceciderunt. Anno Domini MCCCL. pestilentia eadem per totam Alamaniam grassabatur, sicut in aliis regnis ante. Iste est annus Jubilæus per dominum Clementem Papam præfatum institutus, in qua diversarum linguarum & nationum populus innumerabilis venit Romam pro indulgentia peccatorum plenaria consequenda, durans toto anno illo ipsam urbem & quinque Parochiales ecclesias ipsius visitantibus concessa. Circa hæc tempora obiit Alfonsus Rex Castellæ, qui contra Agarenos multas victorias habuit, cui successit malus filius Petrus, de quo infra scribitur tempore domini Urbani quinti. Anno etiam eodem Pontificatus domini Clementis IX. obiit Philippus Rex Franciæ, cui successit Johannes primogenitus. Cujus tempore Dalphinatus Viennensis venit ad manus Caroli ejusdem Johannis primogeniti ex renunciatione ultimi Dalphini, qui ex milite factus fuit Patriarcha Alexandrinus, & dominus Clemens in nocte natalis domini omnes sacros ordines eidem contulit, ne forte a proposito resiliret. Idem Dalphinus, cum adhuc erat miles, per eundem dominum Clementem missus est contra Turcas, & contra eos magnum apparatum navium & armatorum versus Asiam minorem dirigens, iter suum, sed modicum profecit. Eisdem fere temporibus civitas Avinionensis, quæ est Camera Imperii, quam Johanna Regina Siciliæ ab Imperatore in feudum obtinebat, ipsa vendente, & domino Carolo Imperatore consentiente, pervenit ad manus domini nostri

Papæ

Papæ qui de domo tõis, sita apud Sanctum Petrum Avinionensem, removeri fecit arma Reginæ, & sua reponi in signum dominii civitatis. His temporibus dominus Hanibaldus Cardinalis missus Romam in & ad annum Jubilæum, apud sanctum Maximum per suos intoxicatus obiit. Multi etiam ex familiaribus suis de eodem intoxico in vase vini, ut famabatur, posito mortui sunt potantes. Anno Domini MCCCLI. visum fuit in provincia portentum ignis in cælo, quod a Philosophis vocabatur candela rotunda, de quo plurimi multa præsagiebant futura, ut in tractatu super hoc edito apparet. Eodem anno surrexit in Alamania quædam secta pestifera gentium, qui se pœnitentes cruciferos seu flagellatores appellabant. Confluebant hujusmodi ex diversis doctis cum indoctis, nobilibus cum ignobilibus, sine delectu personarum congregatarum, & peregre euntes sub vexillo crucifixi XXXII. diebus cum dimidio peractis, nunquam in uno loco præterquam in diebus dominicis bina nocte quiescentes, tandem ad propria redierunt. Faciebant autem pœnitentiam qualibet die mane & sero, nudantes corpora, solis femoralibus retentis, se flagellabant flagellis nodosis, acubus insutis cum tribus chordis ictus dantibus, & ad singulos ictus sanguis erumpebat. Habebant iidem ductores & plebanos suos & religiosos vel mendicantes. Et ad tantam insaniam hæc secta crevit, ut se signa facere crederent, & dæmonibus expulsis, ut dicebant, fœminas circumducebant, quæ id in eis actum esse testabantur. Habebant etiam cantum specialem, quem flagellando cantabant, sæpius cadendo in faciem contra terram, & surgentes videndo & lacrimas provocabant. Hæc secta cœpit in superiori Almania, & ad inferiorem descendit, & ad partes Gallicanas vicinas, translato cantu & modo gestuque servatis, pervenit. Etsi prohibiti fuissent a clero, minabantur violentiam se facturos. Finaliter vero, nisi quod dominus Papa sub sententia anathematis id prohibuit, mala plurima per eos attentata fuissent. Circa hæc tempora surrexit quidam novus Marchio Brandenburgensis, simulans se esse quendam Waldemarum Marchionem dudum defunctum, asserens se defunctum non fuisse, sed pœnitentiam in longinquis partibus egisse. Et multi de Marchionatu credebant eidem. Tandem comperto, quod rusticus esset & fictus, ipsum repudiantes Marchioni suo pristino adhæserunt. Hoc tempore & circa Wilhelmus primus Marchio Juliacensis a filiis suis captus fuit, & detentus, tandemque liberatus. De causa captionis plurimi diversa sentiebant. Anno Domini MCCCLII. dominus Bononiensis Cardinalis mittitur legatus in Franciam, sed tunc non proficiscens & interim mortuo domino Clemente post creationem domini Innocentii Papæ VI. reversus Avinionem, satis cito iterum reversus pacem reformare cupiens inter Reges. Hic dominus Clemens suo tempore XXV. creavit Cardinales tribus vicibus, qui suis omnibus ad magna promotis, cum ei quasi omnia ad nutum successissent, pauco tempore languens insperate obiit die VI. Decembris, anno Domini MCCCLII. Pontificatus sui anno XI. in palatio Apostolico Avinionensi, indeque corpus portatum fuit ad ecclesiam beatæ Mariæ Virginis cathedralem, ubi stetit usque ad æstatem, & deinde asportatum ad monasterium Casæ Dei, ubi pridem fuit Monachus, quinque Cardinalibus comitantibus ipsum in capella ab ipso constructa depositum & tumulatum, cujus anima requiescat in pace.

Innocentius VI. natione Lemovicensis, prius dictus Stephanus Alberti, per dominum Clementem primo factus Noviomensis, deinde Episcopus Claromontensis, ultimo titulo Sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis, & deinde Hostiensis Episcopus summus Pœnitentionarius. Mortuo domino Clemente in die sancti Nicolai Cardinales intrabant conclave, & dominica post Luciæ & die Martis proxima hunc elegerunt, qui coronatus fuit in palatio Apostolico Avinionensi dominica die infra octavas Nativitatis Domini. Et statim eodem anno mittitur legatus in Italiam dominus Cardinalis Ægidius Hispanus ad recuperandum terras ecclesiæ omnes de manibus Tyrannorum. In subsidium recuperationis indixit decimas per totum mundum: sola Alemannia solvit subsidium loco decimarum, pro quo missus fuit dominus Philippus Episcopus Cavellicensis, postea Cardinalis. Hujus anno secundo duo fratres ordinis minorum propter hæresin de paupertate, & alia, quæ male senserunt, Avinione combusti sunt feria tertia post Pentecosten. Eodem anno dominus Carolus Alamaniæ & Bohemiæ Rex Metis curiam suam servans Wentzlaum fratrem suum Ducem creavit Lucenburgensem de mense Martii. Circa idem tempus fuit ventus validissimus in partibus istis, circa & Rhenum. Eodem anno die XVII. Septembris in terris fuit Eclipsis solis durans quasi duabus horis, hyems tam aspera fuit, ut fluvii quasi septem septimanis congelati starent, & cum magnis onusti ponderibus per glacies transirent. Egoque circa festum Sanctæ Agnetis eques bis transivi. Carolus de Hispania comestabulus Franciæ occulte occiditur. Anno tertio Pontificatus, anno vero Domini MCCCLV. circa medium Martii tanta fuit aquarum inundantia, ut pontes & turres subverteret. Eodem anno dominus Carolus Rex præfatus descendens in Italiam, coronam Imperialem suscepit, & uxor ejus cum eo in basilica Sancti Petri in die sancto Paschæ statim Romam exiens, eo die Vicarium fecit Marchionem Montisferrati in Italia, & Episcopum Augustensem fecit Vicarium in civitate Pasana [Pisana]. Eodem anno duo milites Avinionem venientes de Gasconia pænitendi causa coram pænitentiario trucidati fuerunt per suos æmulos, nepotes quorundam Cardinalium, & non longe post Cardinalis Appanarum, cujus nepos id perpetrasse dicebatur, obiit insperate. Eodem anno die undecim millium Virginum obiit dominus Bertrandus Episcopus Sabinensis Cardinalis,

lis, qui fundavit ecclesiam sancti Desiderii Avinionensis & dotavit pro clericis, licet post ejus obitum fuerit consummatum. Eodem anno captum fuit proditorie castrum Ransii Comitis Arellini prope Avinionem per quendam Robertum, Comitem Duracii, qui tamen, licet Cardinales foverent eum, coactus fuit reddere Comiti supra dicto. Eodem anno Rex Angliæ, cum tractatus pacis per Cardinalem Bononiensem in Francia coram Papa perfici non posset, impugnare cœpit regnum Franciæ, & graviter circa Tholosam, ita quod studium in Montepessulano suspensum fuit, ad tempus. Mense Octobris obiit Johannes Dux Brabantiæ, cujus filia cum ducatu fuit data uxor domino Wentzlao fratri domini Caroli Imperatoris. Eodem anno tanta nix cecidit Avinione, quod a festo Conceptionis usque ad Nativitatem Domini perduraret. Mense Decembri excommunicatus fuit in publico Consistorio Franciscus de Ordelastis, invasor & occupator rerum ecclesiæ. Eodem mense venit ad curiam dominus Jacobus, Rex Arragoniæ, brevissimæ staturæ & deformis, causa componendi cum ecclesia super regno Sardiniæ, quod ab ipsa ecclesia tenebat. Circa hæc tempora ad petitionem Regis Rassiæ missus fuit Episcopus Pactensis de ordine fratrum Carmelitarum, ad baptizandum ipsum & populum, sed illuc veniens vacuus revertitur, eo quod sincere non petiit idem Rex, sed ut alleviaretur ab incursu Regis Hungariæ, ipsum invadentis. Hoc tempore fundatum fuit Hospitale Sanctæ Trinitatis Avinione per dominum Bernardum Ristacii militem Avinionensem. Fuit etiam erecta capella extra Avinionem prope ecclesiam de miraculis in loco, qui dicitur Campus floris, ubi tempore Epidimiæ infinita corpora tumulata erant, qui non poterant in cimiteriis infra civitatem reponi. Hic Papa fundavit in villa nova Avinionensi diœcesis Monasterium Carthusiense. Et ad petitionem domini Imperatoris festum Lanceæ & Clavorum Christi instituit per Alemaniam & Bohemiam die Veneris post octavas Pascæ celebrandum. Anno Domini MCCCLVI. Pontificatus vero IIII. dominus Carolus Imperator convocatione facta principum in Nurenberch multas leges condidit. Eodem anno obsessam Papiam per Mediolanenses dominus Marchio Montisferrati liberat. Eodem anno dominus Rex Franciæ dominum de Haccuria & quosdam alios nobiles regni decollari fecit, asserens traditionem tractasse cum Rege Angliæ, licet ipse Rex excusaret eosdem. Unde credebatur verius, quod propter mortem Conestabuli supra dicti, cujus dicebantur conscii, fecisset eos occidi. Eodem anno circa octavas Pentecostes nuntii Imperatoris Constantinopolitani cum parva galea applicantes juxta ecclesiam beatæ Mariæ de miraculis Avinionensibus offerentes dominum suum crediturum ad ecclesiæ unitatem, ut sibi ab ecclesia subsidium fieret contra Turcas. Eodem anno die Martis post octavas Pentecostes mittuntur in Franciam legati a latere, Cardinalis Petragoricensis, qui & Albanensis, & Nicolaus de Capojis, qui & Vigellensis dicebatur, pro sedandis dissidiis inter Reges, postea Innocentius. Anno IIII. circa festum Palmarum dominus Comes Flandriæ infeudatus per capitulum ecclesiæ Leodiensis de Malchlinia ad ecclesiam ipsam spectante. Dux Brabantiæ ex adverso se Comiti opposuit, & castra metati sunt juxta Brucellas, ibique conserto prælio, Comite triumphante, Brucellenses se reddiderunt & tota Brabantia cessit. Sed & eodem anno Dux recuperavit totam terram sine gladio. Eodem anno dominus Papa Regem Franciæ Vicarium etiam constituit in Italia. Idemque Rex Venetos impugnans, obsedit Trivisium, sed non profecit. Eodem anno Edwardus primogenitus Regis Angliæ, Princeps Walliæ, vastavit Ducatum Aurelianensem, Duce Lancastriæ Britanniam devastante, & Rodonum obsidente. Eodem anno die Lunæ Septembris XVIII. Edwardo Principe prædicto primogenito Regis Angliæ & Johanne Rege Franciæ prope Pictaviam cum suis exercitibus congregatis, ipso Rege, cum esset fortior, pacis fœdera, ad quæ se Princeps obtulit, & quæ domini Cardinales præfati tractabant, admittere renuente, conflictum extitit. Et victoria cedente Principi, Rex ipse cum juniore filio suo Philippo captus est, aliis omnibus aut fugientibus aut occisis. Carolus vero filius senior, & Dux Aurelianensis, frater Regis, de prælio evaserunt, qui Carolus fuit Rex Franciæ post obitum patris sui. Eodem anno in superiori Alemania fuit terræ motus in die sancti Lucæ & pluribus diebus, adeo quod civitas Basiliensis tota periit in ruina, & castra eam circa LXXXV. ceciderunt, & montes, & rupes hiulcis aperturis patuerunt, quæ toto anno ad clausuram minime pervenere. Homines illis diebus vagi in campis currebant, non audentes in civitatibus & locis, ubi erant domus lapideæ permanere. Eodem anno fuit mortalitas & pestilentia cum caristia in multis locis Alamaniæ. Eodem anno dominus Papa creavit VI. Cardinales in vigilia Nativitatis Domini, inter quos erat Episcopus Florentinus. Eodem tempore Rodanus alveum suum exiens, loca plurima occupavit. Et similiter in Alamania & in aliis partibus fuit inundatio aquarum diu durans. Eodem tempore dominus Carolus Imperator parlamentum statuit Metis de pace tractanda inter Reges, sed non conclusit, ibique clerus Alemaniæ subsidium loco decimarum obtulit se daturum. Circa hæc tempora in die sancti Bartholomæi fuit terræ motus in regno Portugalliæ, fortilicia subruens atque castra. Anno Domini MCCCLVII. Pontificatus domini Innocentii anno V. inter Reges Castellæ & Portugalliæ orta gverra, civitas Syracusanensis capta est per Regem Castellæ. Eodem tempore in cœna Domini iterum fuit in partibus Basileæ gravissimus terræ motus, & postea de mense Maji circa Spiram, Argentinam & Treverim, ita quod in multis locis terra hiulca albam aquam & fœtentem evomens, castra & loca fortia casui dedit & ruinæ. In festo nativitatis sancti Johannis

nis

nis Cardinales præfati Callesii de pace tractabant inter Reges, Johanne Rege in Anglia captivo traducto, mense Julii. Miles quidam Gasco dictus Archipresbyter, collecta societate, intravit Provinciam, & plurima damna fecit & strages, propter quæ tota curia Romana stupefacta, Papa data pecunia, pro qua se Provinciales obligaverunt, ipsum abire fecit, & transitum per Avinionem concessit. Sed interim Papa stipendiarios multos tenuit, civitatem quoque muris & portis ac fossatis munivit, ad quæ omnes in Romana curia degentes contribuere cogebantur. Mittitur hoc anno die sabbathi XIIII. Octobris die in Alemania dominus Philippus Episcopus Cavallicensis, postea per Urbanum Papam factus Cardinalis, qui promissum subsidium a clero Alemaniæ sustulit & recepit. Et Episcopus quidam Gurcensis ad provinciam Saltzeburgensem mittitur pro eodem subsidio extorquendo. Die Lunæ XXIII. Octobris Dominus Sabinensis Legatus Italiæ revertitur, remanente pro eo ibidem Abbate Cluniacensi. Malatestam tyrannum secum duxit ad præsentiam Domini Papæ. Novembris die V. provisum fuit ecclesiæ Monasteriensi de persona Domini Adolphi de Marcha, nunc Comitis Clivensis. Ejusdem mensis die VIII. Dominus Armacharius Archiepiscopus, Primas Hiberniæ, quæstionem cepit coram Domino Papa contra omnes ordines mendicantium, sed postea defunctus est, & quæstio non sopita nullo ulterius prosequente. Eodem tempore fuit pestilentia per Almaniam, Bohemiam & Thuringiam, & guerræ quasi universales per totum mundum. Rex Arragoniæ cum Rege Marochiæ confœderatus est, ad resistendum Regi Castellæ. Eodem tempore dominus Petrus Episcopus Prænestinus Cardinalis ecclesiam Sancti Petri Avinionensis erigi fecit in Collegiatam, & chorum & claustrum novum fecit, & pro canonicis reditus comparavit. Anno Domini MCCCLVIII. Innocentii anno Pontificatus VI. indictæ fuerunt talliæ per civitatem Avinionem, pro quolibet capite medius florenus, & processus facti contra prædicatores Provinciæ. De mense Martii Archipresbyter cum societate reversus in Provinciam, non obstante pecunia sibi soluta, civitatem Aquensem oppugnat. Dominus Papa tam pro defensione quam munitione civitatis gabelas imposuit, & concessit, quod pro quolibet botte vini solveretur unus florenus. Et ne tabernarii nimis perderentur, mensuræ diminutæ fuerunt ad mensuram unius vitri, quorum octo fecerunt unum picerium. De mense Aprilis civitas Avinionensis domino Papæ obedientiam promisit, quam a tempore venditoriæ distulerant, & promissum fuit eis antiquas libertates servandas. In festo sancti Georgii dominus Rex Angliæ solennissimam curiam fecit suis Principibus, a qua reversus Wilhelmus Dux Hollandiæ, amens effectus, & alienatus a sensu clausus, tentus est: venitque frater ejus Albertus pro terra gubernanda. Circa hæc tempora propter violationem libertatum factam in Flandria mercatores circa litus maris Oceani stapellum removebant, a Brugis in Dordraco posuerunt, quod Brugenses postea cum difficultate rehabuerunt. Hoc tempore Rex Navarræ concordiam faciens cum Anglicis civitates Franciæ impugnans, Altissiodorum cepit, & loca multa vastavit. Fuitque his temporibus pestilentia per totam Alamaniam a Basilea usque ad mare, & per Saxoniam, & littora maris Oceani. De mense Octobri dominus Sabiniensis Cardinalis revertitur in Italiam: Dominus Bononiensis mittitur legatus in Hispaniam. Novembris die VI. Canonici sancti Petri Avinionensis intraverunt ecclesiam suam novam. Anno Domini MCCCLIX. mense Aprilis Petrogoricensis & Urgellensis Cardinales revertuntur de Francia sine fine, & Rex Navarræ cum Anglicis vastavit terras diœcesis Avinionensis fuitque civitas Avinionensis amplius fortificata in muris & fossatis, & collecta imposita civibus, & Cortesianis, & clericis. Mense Julii surrexit Avinionensis societas nocturnalis dicta Alphrigæ, qui nocturno tempore servabantur in armis, & stupra commiserunt, contra quos Papa justitiam fecit fieri, plerisque notabilibus occulte submersis. Circa hæc tempora dominus Carolus primogenitus Regis Franciæ, & Rex Navarræ captivi pacem mutuam firmabant. Circa festum sancti Matthæi canonici ecclesiæ sancti Desiderii Avinionensis novam suam ecclesiam per dominum quondam Bertrandum Sabinensem fundatam intraverunt, quam antea consecraverat. Die XX. mensis Septembris dominus Reynaldus, Episcopus Eduensis, domini Papæ thesaurarius obiit. Fuitque corpus dicti domini Cardinalis translatum & humatum. In ipso mense Octobris lata fuit sententia per dominum Cardinalem Florentinum pro domino Archiepiscopo Rigensi contra fratres ordinis beatæ Mariæ Theotonicorum. Novembris die XIII. Durenta fluvius prope Avinionem tantum excrevit, ut portam civitatis novam prope hospitale Sanctæ Trinitatis Avinionense dirueret & subverteret. De mense Decembri Rex Angliæ vastavit terras Campaniæ circa Remis. Anno Domini MCCCLX. Innocentii anno VIII. Dominus Mediolanensis obsedit Bononiam. Fuit etiam nova tallia indicta clericis Avinionensibus pro complendis muris civitatis. Restituta fuit eodem anno ecclesiæ Romanæ Bononia per dominum Johannem de Alegio, & dominus Papa Firmanam civitatem & aliquas in Marchia assignavit eidem, & inter Mediolanensem & ecclesiam gravis guerra orta est. Circa ascensionem Domini Gerardus Comes de Monte in conflictu insperate mortuus est. Mense Julio Dominus Reymundus regimine ecclesiæ Treverensis cessit, cui Cuno de Falckensteyn successit, cedenti reditibus assignatis. Hiis temporibus caristia fuit Avinione, & circa partes Lugdunenses pestilentia, & in Provincia Narbonensi Augusti die ultima fulminati fuerunt processus Apostolici contra Barnabonem

nem invasorem terrarum ecclesiæ. Circa hæc tempora pax reformata est inter Brugenses & Marcatores, & stapellus reductus Brugis. Hiis temporibus Johannes Rex Franciæ receptus a tyrannis Mediolanensibus multis milibus Romanorum, filiam suam tradidit uxoris filio Galeam (uxorem filio Galeacii). Dominus Carolus Imperator Comitem de Wittenberg sibi rebellem perdomuit. Hoc tempore Rex Franciæ pro tribus milionibus Florenorum liberatus est, & a regni sui populo receptus de mense Januarii. Anno Domini MCCCLXI. societas Anglicorum cepit villam Sancti Spiritus prope Avinionem, contra quos dominus Papa prædicavit crucem. Fuitque factus capitaneus cruce signatorum Dominus Hostiensis. Et sæpe congressiones factæ per Anglicos de villa prædicta contra gentem ecclesiæ, stantem in villa Mondagrun, & circa finaliter gentes ecclesiæ, cæsis ex eis plurimis & occisis, vacuæ redibant Avinionem, & Anglici recepta a Papa multa pecunia XXXIII. milibus Florenorum recesserunt de Villa prædicta, ipsa totaliter spoliata. De mense Februarii magnus ignis, quasi totus aër arderet, visus est in Alemania, me tunc Bunnæ residente, atque faciente in præbenda mea, & veniente die videlicet XVIII. ipsius mensis, & eo tempore Dux Juliacensis mortuus est in villa Durensi, qua decubuit. Eo tempore fuit hyems aspera, ita quod multæ vites frigore perditæ amputatæ fuerunt in partibus Rheni. Eo tempore in æstate mortalitas reincepit Avinione, ita quod æstate illa VIII. Cardinales mortui sunt, & populus innumerabilis, & caristia magna fuit, somata frumenti VIII. florenis vendebatur. Eodem anno Dominus Engelbertus Leodiensis Episcopus obsedit castrum Stochem de Comitatu Lossensi; fuitque sibi redditum seu traditum in festo sancti Viti, & per consequens totus Comitatus cessit ecclesiæ Leodiensi, Theoderico Comite Lossensi absque hærede defuncto. Hoc tempore Eduardus minor natus Ducis Gelriæ conserto prælio cum Seniore Reynaldo fratre suo, jam Duce, ipsum cepit & obtinuit. Hoc anno per fratres ordinis beatæ Mariæ Teutonicorum captus fuit Knynstud Rex Lituanorum, & positus in carcere castri beatæ Mariæ & eodem anno fuga lapsus evasit. Hoc anno de mense Septembris dominus Innocentius creavit VIII. Cardinales, tres Diaconos & quinque Presbyteros, quorum tres absentes intraverunt die Iovis post festum omnium Sanctorum. Eodem anno dominus Bononiensis Cardinalis, tribus annis Legatus in Hispania reformata pace inter Reges Hispaniæ & Arragoniæ rediit ad curiam. Eodem anno MCCCLXII. domini Innocentii anno decimo de mense Martii visus fuit Cometa in Provincia inter Orientem & Aquilonem ante ortum diei, comas suas versus Aquilonem protendens. Eodem tempore societas, circa Lugdunum congregata, prædis & damnis omnes terras circa Sagonam lacessivit, contra quos boni homines Franciæ venientes, victi fuerunt, victoria cedente prædonibus qui usque ad æstatem in Francia permanserunt. De mense Martii fratres prædicti ceperunt castrum Regis Lituanorum Cawin in vigilia Paschæ; in quo filium Regis & sociorum ejus circa XXXVII. ceperunt, & circa duo millia occiderunt. Eodem anno mortuus est Ludowicus Rex Seciliæ, cujus exequias fecit fieri dominus Papa de mense Junii die XX, mittens ad partes illas nuntium Dominum Guillelmum Grimoaldi, tunc Abbatem Masiliensem, qui postea electus est ibidem existens in Papam, & Urbanus quintus appellatus. De mense Augusti societas prædicta, quæ depopulata est Franciam & Burgundiam, recepta pecunia a Rege Franciæ recesserunt de Francia. Et transitum faciebant per villam novam Avinionensis diœceseos ituri in auxilium Regis Arragonum contra Petrum Regem Hispaniæ, contra quem fuerunt eodem tempore processus publicati, & portis ecclesiarum affixi, quos dominus Bononiensis Cardinalis fecerat, eo quod pacta per ipsum Cardinalem, cum esset legatus, ordinata non servavit. Post hæc Dominus Innocentius obiit, & XIIII. die sepelitur in ecclesia beatæ Mariæ de donis, ibique mansit, usque quo translatus fuit, sicut infra dicetur. Hoc tempore vacante ecclesia Romana, obiit Dominus Wilhelmus Archiepiscopus Coloniensis, cui successit Adolphus, frater Comitis de Marchia. Et eo sponte cedente, quia ad laicatum aspirabat, successit Gwilbertus, patruus ejus, tunc Episcopus Leodiensis, translatus ad ecclesiam Coloniensem per dominum Urbanum, Papam quintum. Peractis exequiis domini Innocentii more solito novem diebus: die X. Cardinales numero XX. intraverunt conclave, die videlicet beati Mauritii, & cum inter se concordare non possent in Dominum Guillelmum Grimaldi, tunc Abbatem sancti Victoris Massiliensem absentem, in regno Siciliæ nuntium Sedis Apostolicæ, vota sua major & sanior pars direxit, qui decreto electionis recepto, in vigilia omnium Sanctorum reversus est Avinionem. Interim vero quod Cardinales erant in conclavi, Prælati quolibet die missas celebrabant, & sermones faciebant rogando Deum pro felici & celebri Pontificis provisione, quodam speciali officio missæ ad hoc ordinato, quod incipit: Suscitabo in sacerdotem fidelem &c. die vero XXVII. cum dominus Guillelmus Papa futurus applicuisset Massiliam, eodem die misit dominis Cardinalibus consensum electionis de se factæ. Tanta vero fuit inundatio Rodani & Durantæ, quod usque ad fossata pertingeret civitatis, & dominus Papa intrare non potuit usque in vigilia omnium Sanctorum. Tuncque inthronizatus fuit. Et facta insinuatione ad populum, quod Urbanus quintus vocaretur, mox ab omnibus cantatum fuit, Te Deum laudamus. Die quoque dominica sequenti, videlicet in festo sancti Leonardi, post festum omnium Sanctorum, fuit in Palatio Apostolico coronatus per dominum Magalonensem, qui tunc

tunc fuit Ostiensis Episcopus. Sed post coronationem non equitavit per villam, ut moris est, licet omnia parata fuissent, fastum vitans prout dicebatur. Hoc tempore Rex Angliæ quasi totam Aquitaniam recuperavit de manibus Regis Franciæ, videlicet Iohannis supra dicti. Idemque Rex mensis hujus die XX. intravit curiam, & mane pransus cum domino Papa moram traxit apud villam novam in domo, quam dominus Clemens inhabitare consvevit. Eoque præsente & tota frequentia curiæ corpus domini Innocentii fuit portatum ad Monasterium Carthusiensium, ibique tumulatum die sanctæ Cæciliæ. Circa hæc tempora Comes Fuxi cepit Comitem Armeniaci cum multis nobilibus, pluribus interfectis. Mensis hujus die XXVIII. dominus Papa citari fecit coram se dominum Barnabonem, termino sibi præfixo ad primam diei Martii ad audiendam sententiam condemnationis, quod esset hæreticus. In die Sancti Nicolai fuit duellum inter duos milites ultra pontem Rodani, in præsentia Regis Franciæ & plurium nobilium, neutro tamen interfecto. Die Lunæ XII. Decembris dominus Papa providit ecclesiæ Avinionensi de persona fratris sui, nomine Anglici, Canonici Regularis in Monasterio Sancti Ruffi prope Valentiam, quæ vacaverat temporibus duorum Pontificum prædecessorum suorum: Fecit etiam dominum Rabiensem, qui Diaconus Cardinalis creatus fuerat per dominum Innocentium & pœnitentiarius summus, presbyterum Cardinalem. Januarii die VIII. dominus Papa sacram generalem celebrans fratrem suum supra dictum consecravit episcopum cum aliis tam Abbatibus quam prælatis XXVII. Die XXVI. Februarii Rex Daciæ intravit curiam. Martii die III in Consistorio publico declaratus fuit hæreticus dominus Barnabas Mediolanensis, & non longe post perdidit conflictum prope Panoniam. Mensis hujus die IIII. fuit eclipsis solis hora nona quasi duabus horis. Ejusdem mensis die Mercurii XXIX. dominus Petrus, Rex Cypri, intravit curiam, & in die Veneris sancta cruce signatus est per dominum Papam una cum filio Regis & multis aliis nobilibus contra Turcas. Aprilis die XIIII. Papa prædicavit ducem contra Turcas, ordinans passagium generale, cujus capitaneum constituit Johannem Regem Franciæ, tunc præsentem, qui ibidem iuravit passagium facere a Martio præterito ad duos annos. Anno domini MCCCLXIII. prædicto missus fuit in Italiam dominus Cluniacensis Cardinalis. Maji die IX. recessit Rex Franciæ, & nocte sequenti obiit dominus Cardinalis Magalonensis. Maji die ultima recessit Rex Cypri de Avinione, iturus ad principes mundi, eosque ad passagium inducturus. Hoc anno fuit pestilentia gravissima: quare per omnes partes mundi, & circa festum sanctæ Luciæ, gelu fortissimum, ita ut omnia flumina congelata essent me tunc Leodii morante, & Mosam sæpius transeunte: & duravit usque ad mensem Martii. Circa hos dies dominus Barnabas reconciliatus fuit ecclesiæ. Obiit dominus Petragoricensis Cardinalis Avinione. Anno Domini MCCCLXIIII. mensis Januarii die XVII. dominus Johannes Rex Franciæ reversus ad captivitatem in Anglia obiit, & fuerunt ejus exequiæ in capella Papæ celebratæ die Martis VII. Maji die tertia reversus fui Avinionem prosecuturus litem contra capitulum Bunnense, eo quod me a fructibus præbendæ meæ suspenderunt. Hoc mense intraverunt Ambasiatores Romanorum, supplicantes Papæ, ut ad urbem se transferret. Dominus Engelbertus Leodiensis Episcopus hoc tempore transfertur ad Ecclesiam Coloniensem. Die XVIIII. Maji dominica Trinitatis coronatus fuit in Regem Carolus, primogenitus domini Johannis Regis Franciæ supra dicti defuncti &c.

Finis Chronicæ Theoderici Nyem, famosissimi literarum Apostolicarum & fundatoris Hospitalis Alimanorum in Urbe, qui obiit & sepultus est Trajecti Leodicensis diœcesis in Ecclesia sancti Gervasii in qua erat Canonicus anno domini MCCCC.

Urbanus quintus, natione Lemovicensis, prius vocatus Gvillelmus Grisanc, post mortem Innocentii VI, dum esset Abbas Massiliensis, & in legatione ad dominos de vicecomitibus in Lombardia electus est in Avinione in Papam Anno domini MCCCLXII. die XIII. mensis Septembris. Sedit annis VIII. mens. IIII. diebus - - - Hic summus Pontifex vir sanctus & eminentium virtutum habitus est, libertatis ecclesiasticæ fortissimus defensor, & innocentissimæ vitæ, veniens & in Romam intrans, capita Apostolorum Petri & Pauli, quæ, ubi locata forent, in memoria hominum esse desierat, invenit, & de altari Basilicæ Salvatoris, quæ sancta sanctorum dicitur, in palatio Lateranensi, ubi recondita erant, reverenter levavit, eaque auro & pretiosissimis gemmis ornavit. Fabricatoque tabernaculo seu ciborio marmoreo super altari ligneo, quod in medio Lateranensis ecclesiæ est situatum, illa omnibus conspicienda & veneranda honorabiliter collocavit. Et fecit etiam palatium in monte Flascone, prospectum habens ad lacum Vulsinum. Item aliud palatium in urbe veteri magnæ structuræ fabricavit: ex Italia deinde rediens Avinionem animo tamen ad Italiam, ut ferebatur, redeundi, ibi defunctus est.

Gregorius XI. natione Lemovicensis prius vocatus Petrus Belifortis, & nepos Clementis VIti, dum esset Cardinalis sanctæ Mariæ novæ concorditer a Cardinalibus electus est in Papam in Avinione Anno Domini MCCCLXX. mense Decembri. Sedit annis VII. mensibus III. diebus - - - & sepultus est Romæ in Ecclesia Diaconiæ beatæ Mariæ, quæ nova nuncupatur. Et cessavit episcopatus diebus X. Hic enim, dum esset annorum circiter XVII. sanctæ memoriæ Clemens VItus, ejus patruus eum in Diaconum Cardinalem sanctæ Romanæ ecclesiæ assumsit, sic quod carni & sangvini attenuisse videretur. Continuo cum excellentissimis docto-

doctoribus utriusque juris, & aliarum scientiarum non vulgaribus præceptoribus tradidit erudiendum. Qui ita in multarum scientiarum generibus profecit, ut non modo mediocris, sed eminentissimæ scientiæ doctor a cunctis haberetur; In tantumque culmen & famam doctrinæ evasit, ut a famosissimis Italiæ doctoribus, a Baldo præcipue de Perusio in cathedra legenti jus civile, ejus opiniones & dicta adducerentur in medium; sæpiusque ejus dicta allegans diceret: dominus noster in hac lege sic dicit, intelligens de domino Gregorio XI. cujus scripta non ad mediocres solum, sed ad eruditissimos jam pervenerant. Vitæ etiam innocentissimæ fuit placidus in moribus, & super omnes humilis & devotus, vultu placidus, & complexionis admodum delicatæ. Dum etiamnum in palatio Avinionensi moram traheret, & die quadam in aula deambulans cum comitante Episcopo quodam ejus cubiculario, diceretque Gregorius Episcopo; Domine Episcope, quare non vaditis ad ecclesiam vestram? & continuo Episcopus respondens: & vos pater Sancte quare ad ecclesiam vestram non acceditis, intelligens de Romana, quæ sedes est Petri & Christi vicarii, ita animo compunctus est & in conscientia tactus, ut statim de veniendo Romam cogitaret. Erat per idem tempus totum fere ecclesiæ patrimonium in Italia opere Florentinorum per tyrannidos tyrannos plurimos Italiæ occupatum. Et hinc occasione sumta paucis hujusmodi sui secreti consciis paratis galeis contra attinentium & amicorum voluntatem Romam venit, quæ annis ultra LXX. a tempore videlicet Clementis Vti, Romani Pontificis præsentia, quæ in urbe continue resideret, privata fuerat. Intravit ergo urbem cum ingenti Romanorum lætitia & incredibili applausu ereptus acclamantibus cunctis: Benedictus, qui venit in nomine domini Pastor summus. Gaudebant omnes videre sanctum Pontificem dimissis parentibus & notis, dimissa patria propria, spretis omnibus persvasionibus, ut non veniret in sede propria collocatis. Dum sic Romæ moraretur veluti pastor bonus & Christi verus imitator, agere cœpit via pacis ad reducendum populum Florentinum, qui nimis se ab ecclesia separaverat, multumque contra ecclesiam commiserant. Propter quæ fuerunt anathematisati, gravati & aggravati majores de civitate, & civitas interdicto supposita. Pro qua reductione & pace cum dictis Florentinis tractanda & firmanda & recuperatione terrarum ecclesiæ, misit ad eos legatum de latere, dominum Johannem titulo sancti Marcelli Cardinalem Ambianensem, ante cujus legationis finem, sicut domino placuit, dominus Gregorius infirmatur, & Romæ moritur die XXVII. Martii Anno domini MCCCLXXVIII, cum omnium multo dolore & mærore, & vere dolore præsago futurorum malorum, longi videlicet schismatis, quod de ipsius morte in ecclesia Dei secutum est, cujus initium & causa inferius seriose describitur veritatem sequendo, sicut prope accidit infectio, licet aliter forte ab aliquibus casus hujusmodi schismatis ponatur in terminis.

Defuncto igitur Gregorio XI. erant tunc in Roma præsentes XVI. sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales collegium constituentes, videlicet Petrus Portuensis, vulgariter dictus Cardinalis Florentinus, Johannes Prænestinus vulgariter dictus Cardinalis Lemovicensis, Gvillelmus sancti Stephani in Cœlimonte dictus de Agrifolio, Bertrandus sanctæ Cæciliæ, dictus Glandatensis ordinis minorum, Robertus XII, apostolorum, dictus Gebonensis, Hugo Sanctorum IIII. coronatorum, dictus de Britannia, Gvido sanctæ crucis in Jerusalem, dictus Pictaviensis, Petrus sancti Laurentii in Lucina, dictus Vinariensis, Franciscus sanctæ Sabinæ, dictus Cardinalis sancti Petri, Simon sanctorum Johannis & Pauli, dictus Mediolanensis, Gerardus sancti Clementis, dictus Montis Majoris, Johannes sancti Georgii ad velum aureum, dictus de Ursinis, petrus sancti Eustachii, Johannes de Ursinis, Gvillelmus sancti Angeli, Petrus sanctæ Mariæ in Cosmedi, dictus de Luna. Alii item sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, videlicet dominus Albanensis, dominus Tusculanansis, dominus Sabinensis, sanctæ Anastasiæ, sancti Vitalis & sanctæ Mariæ in porticu erant in Avinione. Dominus vero Johannes sancti Marcelli Cardinalis Ambianensis, de quo supra, erat legatus Apostolicæ sedis in Tuscia, numero XXIII, quorum quatuor tantum erant Italici, dominus videlicet Florentinus, dominus Mediolanensis, dominus sancti Petri, & dominus dictus de Ursinis, Convocatis igitur ad se per jam dictos Cardinales præsentes in urbe senatore urbis, domino videlicet Gvidone de Phinis milite Ultra montanensi, cæterisque almæ urbis officialibus, eis præstiterunt solemniter juramentum in forma juris de observanda decretali, ubi de periculo & de custodiendo fideliter burgo sancti Petri & palatio, ubi futurum erat conclave ab omni violentia & impressione præservando. Quod quidem juramentum, multis etiam adjectis oblationibus, gravissime subierunt. Dum autem sæpe dicti Cardinales frequentes adessent in ecclesia sanctæ Mariæ novæ, ubi domini Gregorii corpus traditum extiterat ecclesiasticæ sepulturæ, ut moris est, ipsis quadam die sic ibidem congregatis officiales præfati tam nomine suo quam aliorum civium & populi Romani, non minus humiliter quam devote, ante dictis Cardinalibus supplicarunt, ut aliquem idoneum & sufficientem virum eligere dignarentur in Papam, qui esset natione Italus, asserentes, non modo hoc utile sed prope necessarium fore Romanæ urbi & ecclesiæ totique populo Christiano: postulationem eorum fundantes causa & rationibus infra scriptis. Inprimis itaque allegaverunt, & dixerunt, quod ipsa Romana sedes, quæ Apostolica est, & esse dicitur, imo vero Italia tota propter longissimam summorum Pontificum absentiam ab ipsa urbe, qua divina & incommutabili ordinatione Romanæ sedis fuerat stabilita, multipliciter collapsa & depressa fuerat propter dictam longam

gam absentiam, quodque palatia & ecclesiæ, urbis palatia, castra & ædificia, in quibus sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales in eadem urbe & urbi adjacentibus a longissimis temporibus erant diruta, neglecta & collapsa, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus enormiter & quam irreparabiliter ad exinanitionem deducta, in perniciosum exemplum non modo omnium ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, sed in scandalum etiam omnium Christianorum urbem devotionis aut peregrinationis causa visitantium; quorum oculis neglectus iste sacrarum rerum notorie subjectus erat; adjicientes, quod nulla erat reparationis & reformationis aptior via quam quod summus Pontifex quem Deus in sede Romana collocaverit, & Cardinales pariter in urbe residerent usque ad tempora Clementis Papæ quinti, & a cujus electione citra usque ad hæc tempora Romani Pontifices & Cardinales in urbe Roma, vel saltem in Italia prope Romam residentiam facere non curaverunt, sed potius se a propria sede sequestraverant. Quæ sequestratio ex eo potissime provenerat, quod dictorum temporum Romani Pontifices non fuerant Italici, sed Gallici, vel Ultramontani suæ propriæ patriæ & natalis soli rationem [potius] habentes, quam honoris & loci, ad quos profecti fuerant, ex divina dispositione vocati. Insuper addiderunt, toti mundo fore notorium, quod occasione prædictorum effectuum civitates & opida, castra, villæ, terræ, provinciæ Romanæ ecclesiæ per Italiam constitutæ, peculiare & antiquum ipsius Romanæ ecclesiæ patrimonium per dicta tempora fuerunt gverris, dissensionibus, partialitatibus, innumerabilibus suppositæ, vexatæ & lacessitæ, & per tyrannos & malos officiales maxime Gallicos, vel Ultramontanos miserabiliter subjugatæ & oppressæ, in tantum quod sancta Romana ecclesia ex ipsis civitatibus, oppidis &c. valde modicam, imo nullam utilitatem fuerat dictis temporibus consecuta; quinimo pecunias & thesauros omnes, quos aliunde eadem etiam ecclesia cum magnis oneribus & gravaminibus omnium ecclesiarum mundi acquisiverat & congregaverat, consumserat, & quotidie consumebat, in ipsarum civitatum & terrarum defensione adeo, quod eadem ecclesia, quoad temporalia fuerat, erat, & est maxime novissimis istis temporibus quasi ad nihilum notorie, manifeste redacta, exhausta, & in magno contemtu ubique posita. Non videbatur propterea honestum vel tolerabile, quod post tot annorum curriculum Romana sedes sine pastore, & sponsi sui præsentia & solatio destituta remaneret, & alibi in valde remotis partibus contra Dei præceptum, ne dicam contemtum, per tot annorum discursum, tot Romani pontifices, ea relicta & neglecta, elegissent habitare. Dixerunt etiam, verum, clarum & notorium fore cuilibet intuenti, quod ex continua Romanorum Pontificum residentia in urbe Romana, vel saltem in Italia sequentur multa Romanæ ecclesiæ & toti Italiæ & Christianitati, Deo dante, profutura: recuperatio videlicet terrarum & dotis Romanæ ecclesiæ prædictarum, quæ notorie propter rationes jam dictas contra ipsam ecclesiam rebellarunt, nec non pax & tranquillitas ac pacificus status Romanæ civitatis & ejusdem totius Italiæ, quæ non minima pars erat & est totius Christianitatis: & quod prædictis rationibus motus Urbanus Papa quintus Italiam visitavit. Et licet post aliquot annos redierit Avinionem, & quasi in continenti discessit, intendebat tamen, ut asserebatur a quibusdam, de sua mente informatus, quod si supervixisset, ad Italiam procul dubio rediisset. Gregorius quoque XI. qui contra voluntatem & magnas parentum instantias, patris, fratrum, nepotum & consanguineorum, affectuum [affinium] & amicorum suorum omnium, ac etiam multorum Regum & Principum, Cardinalium & familiarium suorum, lares proprios dimittendo, venire voluit ad urbem Romanam, & venit cum magnis laboribus & expensis personarum periculis in sede propria moraturus. Qui etiam asserebat, quod tempore, quo erat Cardinalis, displicuerat sibi domini Urbani reditus de Italia seu recessus. Et hoc ipsum Urbano prædixisse, plures affirmabant. Præterea magnis precibus supplicavit, quatenus his attentis rationibus Italicum Pontificem pro hac vice, qui his periculis sui præsentia valeret & posset, prout erat oportunum, tantis necessitatibus providere. His rationibus auditis Reverendissimi domini Cardinales paucis verbis in hunc fere modum responderunt. Quæ nobis exposuistis & supplicastis, attente audivimus, & intelleximus; disponimus enim nulla habita acceptione nationis vel personæ, ecclesiæ Dei providere de persona utili & idonea, prout Deus inspirabit, & conscientiæ nostræ videbitur & non aliter. His peractis & ordinata per dictos Dominos Cardinales tam palatii sancti Petri quam burgi ejusdem fidei custodia, deputatisque etiam custodibus conclavis, ut est moris, ut sic cum omni libertate, omni impressione & violentia cessante, electio summi pontificis canonica celebraretur. Cardinales ante ingressum conclavis simul in certo loco aliquo congregati, inter se colloquium habuerunt super persona futuri summi pontificis, tractantes & colloquentes, qui tamen non potuerunt concordare, quum Cardinales Gallici inter se erant discordes, Lemovicensis videlicet ex una, & Gallici reliqui ex alia, nec ad eligendum de collegio Italicum dispositi videbantur, & Italici numero tantum IIII. videlicet sancti Petri, Mediolanensis, Florentinus & de Ursinis non habebant potestatem, quod minor pars, & in Gallicum non libenter consentiebant. Patefacta ergo discordia inter Lemovicensem & Cardinales & alios Gallicos, reliqui Gallici, qui non erant Lemovicenses, tandem concordaverunt cum Cardinalibus Italicis, de habendo potius Italicum quam unum Lemovicensem, dicentes aperte, quod totus mundus admodum erat attædiatus de Lemovicensibus, qui tanto tempore Papatum possederant, quasi hereditarium. Lemovicenses

vicenses vero Cardinales intelligentes, tam Cardinales Italicos quam alios Gallicos sibi adversari, deliberaverunt, & inter se concluserunt, quod ubi non posset habere sufficientem numerum Cardinalium ad faciendum Papam, unum de ipsis, vel saltem in Vivariensi eorum sequacem eligerent potius Italicum, sed de extra collegium, & nominabant Dominum Archiepiscopum Barensem, qui Urbanus postea sextus dictus est. Et ratio, quare in istum Archiepiscopum vota sua dirigebant, potissimum erat, quia sperabant, Italicos Cardinales in istum Italicum potius quam in alium Gallicum debere consentire. Credebant etiam quod alii Cardinales Ultramontani in hunc concurrerent. Qui Archiepiscopus erat homo valde scientificus, practicus, doctus & structus in stylo Curiæ & Cancellariæ, & ab antiquo familiariter notus ac socius capellanus familiaris & domesticus Cardinalis Pampilianensis Vice-Cancellarii, qui & ipse erat natione Lemovicensis. Et dum Gregorius XI. venisset ad Italiam, ipsum Dominum Barensem Archiepiscopum, tanquam benivolum, & de quo dictus Cardinalis Pampilionensis plurimum confidebat, posuit ad regendam Cancellariam loco ipsius Pampilionensis Vice-Cancellarii: tum etiam quia ipsi Cardinales habebant & reputabant ipsum Dominum Barensem tanquam unum Ultramontanum & ipsorum moribus conformem, ex eo quod multo tempore fuerat cum Dominis Cardinalibus Ultra montanis conversatus in Avinione: tum etiam, quod dictus Barensis erat de Regno Siciliæ & civitate Neapolitana: oriundus, quorum Regni & civitatis erat Domina Serenissima Regina Domina Johanna, quæ fuerat, & est sanctæ Romanæ ecclesiæ devotissima, & ipsis Cardinalibus valde grata & accepta. Et ante ingressum conclavis jam erat quasi patefacta hæc Cardinalium Lemovicensium voluntas & dispositio, ita ut diceretur a multis, quod dominus Archiepiscopus Barensis esset futurus Papa. Imo & aliqui ex ipsis dominis Cardinalibus, prout ferebatur, se sibi verbis placidis commendarunt, sperantes, eum in summum Pontificem assumi debere. Adveniente autem tempore intrandi conclave, omnes Cardinales, qui erant numero XVI. ut prædiximus, intraverunt conclave, videlicet die VII. Apostolorum, anni Domini supra dicti, videlicet anni Domini MCCCLXXVIII. qua die, hora satis tarda, jam clauso conclavi & bene custodito, Cardinalis de Agrifolio & Pictaviensis accesserunt ad dominum Cardinalem sancti Petri, & ipsi aperuerunt, quæ inter se de domino Barensi tractaverant & concordaverant, persvadentes ei, ut in persona dicti domini Barensis [f. consentiret] quorum petitioni Dominus sancti Petri respondendo statim annuit & consensit. Eadem verba dominus Pictaviensis dixit domino Cardinali Mediolanensi, qui similiter respondendo consensit in dictum Barensem. Et statim cum domino Cardinali de Agrifolio computaverunt eos, qui consentiebant in dominum Barensem, & invenerunt duas partes collegii in ipsum consentientes præsentium Cardinalium. Die vero sequenti VIII. videlicet Aprilis omni impressione cessante, sed conclavi bene custodito & munito, Cardinales convenerunt in capella conclavis, & audita prius missa de Spiritu Sancto, ut est moris, cœperunt de negotio electionis inter se tractare. Cardinales vero prædicti, de Agrifolio & Pictaviensis, cœperunt inter se tractare singillatim unumquemque, utrum possent ex Cardinalibus dominis habere vota & voces, quæ sufficerent ad eligendum prædictum dominum Barensem. Et tandem repererunt voces & vota Dominorum Cardinalium in numero sufficienti concurrentium. Unde immediate dominus Cardinalis de Agrifolio omnibus aliis Cardinalibus ibidem dixit hæc verba: Domini, sedeamus statim, quod pro certo credo, quod in continenti eligemus & habebimus Papam. Cardinalis vero de Ursinis, qui ad Papatum, ut credebatur, aspirabat, videns vota dominorum ducta & concurrentia ad eligendum in Papam dominum Barensem, conabatur ipsum negotium electionis domini Barensis divertere & differre, ut crederet impedire. Unde hæc & similia verba protulit in effectu: Domini mei, differamus istam electionem in aliud tempus, ut possimus deludere istos de populo Romano, qui volunt, & clamant habere Papam civem Romanum, & vocemus ad nos unum fratrem minorem, eique imponamus cappam & mitram Papalem, & fingamus eum elegisse in Papam: & sic recedamus de loco isto, & post modum alium alibi eligemus. Erant enim aliqui de populo in platea ante palatium foris, nullam tamen violentiam vel comminationem facientes, sed incaute clamantes: Romano noi volemo, & exspectantes, petimus publicata electione Romani Pontificis currere ad domum electi, & per quendam abusum domum electi spoliare in signum gaudii, quam volentes & valentes aliquam impressionem facere, sicut in veritate postmodum alio quam Romano electo non fecerunt. Cui Cardinales Lemovicensis & alii sequaces responderunt & dixerunt: Domine de Ursinis, certe hoc non faciemus, quod nolumus facere populum idololatram, nec decipere & damnare animas nostras: imo certe intendimus de præsenti eligere & eligemus verum Papam, & de clamoribus & verbis istorum de populo non curamus. Videns autem Cardinalis de Ursinis, quod non proficiebat ad intentionem suam, & Cardinales jam sederant ad dictam electionem celebrandam, volens idem Dominus de Ursinis similiter divertere & impedire, quod dictus Archiepiscopus Barensis non eligeretur, persvasit dictis aliis Cardinalibus, quod eligerent Dominum sancti Petri Romanum, & eum ad hoc nominavit. Et fuit responsum ei per dominum Cardinalem Lemovicensem, quod licet Dominus sancti Petri foret homo bonus & sanctus, duo tamen obstabant; Primo quia Romanus erat, & Romanus per aliquos petebatur, & jam non haberent Romani, ne etiam diceretur forte Papa factus ad clamorem populi. Secundo obstabat, quia

Cardinalis

ırdinalis ſanctiPetri erat nimis debilis & infir-
us, nec poſſet ſufficere ad onera Papatus. Et
jecit hæc verba, vertendo ſe ad Dominum
orentinum: vos vero Domine Florentine
tis de Florentia, quæ eſt terra inimica eccleſiæ
omanæ, & ideo non eligemus vos. Domi-
ıs autem Cardinalis Mediolanenſis eſt de ter-
Barnabonis Tyranni, qui ſemper fuit contra
cleſiam. Dominus Cardinalis de Urſinis ſi-
iliter eſt Romanus, partialis & nimis juvenis
o Papatu, ideo vos vel eorum aliquem non
igemus in Papam. His dictis Cardinalibus
ſe Lemovicenſis præſentibus & audientibus
nnibus dictis aliis Cardinalibus, & coram eis
idem omnibus exiſtentibus, in Papam & Ro-
anum Pontificem elegit Dominum Bartholo-
æum Archiepiſcopum Barenſem, utendo
erbis iſtis in effectu; ego pure & libere eligo
aſſumo in Papam Dominum Barenſem Ar-
ıiepiſcopum. Illicoque ſine aliquo tempo-
s intervallo cæteri omnes Cardinales in nu-
ero ſufficienti facientes & conſtituentes mul-
majorem partem duarum partium ipſorum
ardinalium in conclavi exiſtentium, pure &
bere eundem Archiepiſcopum ſimiliter in
omanum Pontificem elegerunt. Cardinalis
lorentinus videns, quod duæ partes & plures
ictum Archiepiſcopum Barenſem elegerunt,
ceſſit, & eundem Archiepiſcopum pure & li-
ere ibidem elegit. Quæ electio fuit ſic cele-
rata, conclavi adhuc bene & ex omni parte
lauſo & firmato exiſtente, creato Domino Ar-
hiepiſcopo Barenſi in Papam, Cardinales fue-
ınt inter ſe locuti deliberantes, an expediret,
ictam electionem ſtatim populo publicari. Et
ndem concluſerunt, quod publicatio hujus-
ıodi differretur, donec tranſiſſet tempus pran-
endi, & donec ipſi pranſi fuiſſent. Cauſa au-
em dilationis hujusmodi hæc fuit, quia tunc
ictus electus non erat in palatio, etſi dicta pu-
licatio facta fuiſſet, antequam electus ipſe ve-
iſſet, ad palatium & ad ipſos Cardinales, du-
itari poterat, quod aliqua tædioſa & ſiniſtra in
ia eidem electo poſſent occurrere, eo quod
ſe electus non erat Romanus, & Romani li-
enter habuiſſent Papam natione Romanum.
lia etiam fuit cauſa, quia ex quo ipſi Cardina-
s jam elegerant, intendebant ante publicatio-
em prædictam aliqua vaſa argentea & quædam
lia bona, quæ tunc habebant infra dictum con-
lave, facere ad domos eorum vel alibi reporta-
i, quod non credebant tunc facere poſſe, ſi in
ontinenti illam electionem publicarent. Un-
e pro majori ſecuritate ipſius Barenſis electi, &
t aliquis nequiret ſuſpicari aut præſumere,
pſum electum fore. Et Domini Cardinales
iiſerunt pro nonnullis Prælatis Italicis, qui
ıoram trahebant Romæ, ut ad eos venirent
ro nonnullis arduis Romanæ Eccleſiæ nego-
iis, inter quos fuit Barenſis electus, Patriarcha
Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Uluxbonen-
s, Epiſcopus Novarienſis, Abbas Caſſinenſis,
Abbas ſancti Laurentii extra muros urbis. Qui
mnes, prout vocati extiterant, venerunt ad
alatium, non tamen conclave intraverunt, ſed
ſeorſum ab ipſis Cardinalibus pranſi fuerunt;
& ſimiliter ipſi Cardinales intra conclave pranſi
ſunt. Sumto autem prandio ad majorem ex-
preſſionem liberæ voluntatis & liberi conſen-
ſus eorum, & ad majorem etiam cautelam, in
præfatum Barenſem Archiepiſcopum iterato
pure, libere & concorditer ac unanimiter, omni
prorſus impreſſione ceſſante, ſed - - conclavi
adhuc bene cuſtodito remanente conſenſerunt,
& eum in Papam iterato elegerunt. Præmiſſis
ſic geſtis & conſummatis, vox tunc cœpit exire,
& dici apud aliquos de Romano populo, ſicut
verum erat, quod Papa eſſet factus, ſed ignora-
bant, quis eſſet, vel de qua natione. Et pro-
pterea ipſi de populo clamare cœperunt, & pe-
tere, quod hoc eis indicaretur, & diceretur.
Et tunc per Dominum Epiſcopum Maſſilien-
ſem locum tenentem cameræ, & conclavis cu-
ſtodem principalem, dictum fuit ipſi populo,
quod irent ad ſanctum Petrum. Et cum hoc
diceretur & publicaretur, quibus verbis dictis,
quidam de populo intelligentes & male perci-
pientes intellexerunt, quod irent ad hoſpitium
Domini ſancti Petri, credentes, qui erat Roma-
nus, & Romanum habere deſiderabant, ipſum
Dominum ſancti Petri eſſe creatum Papam.
Quare ad hoſpitium ſancti Petri iverunt, &
quædam bona mobilia, quæ ibi erant, aſporta-
runt. Quidam vero de populo ſtabant ante pa-
latium & clamabant: Papam Romanum deſide-
ravimus, & Romanum habemus. Et licet ver-
ba hujusmodi ſic ab aliquibus de populo jacta-
rentur, tamen quod electio jam facta non pu-
blicabatur, ſuſpicati ſunt aliqui, quod populus
per moram illam illuderetur eo maxime, quia
quædam pars conclavis fuit aperta, cauſa aſpor-
tandi vaſa argentea & alia bona Dominorum
Cardinalium. Ideo populus hoc percipiens
unam portam conclavis aperuerunt ad finem,
ut Cardinales non exirent, niſi facta & publica-
ta electione. Cardinales Ultramontani viden-
tes, populum intraſſe conclave, & timentes val-
de, quia Romanum non elegerint, induxerunt
Dominum ſancti Petri, ut contentaretur indui
tanquam Papa ad placandum populum. Sic-
que eſt indutus, ut Papa, & populus tunc ei
tanquam Papæ & credentes, eum eſſe Papam,
reverentiam exhibuerunt. Dum hæc ſic per
tumultum agerentur, omnes Cardinales exce-
pto Cardinali ſancti Petri, de palatio receſſe-
runt, & ad eorum hoſpitia ſecure reverſi ſunt,
Domino Barenſi electo in Papam in palatio in
quadam ſecreta Camera remanente. Poſt re-
ceſſum Cardinalium de palatio ſancto, aliquo
temporis intervallo, Dominus Cardinalis ſancti
Petri adhuc in palatio exiſtens, hæc verba pro-
tulit in effectu: ego non ſum Papa, nec volo
eſſe antipapa, ſed melior me electus eſt in Pa-
pam Dominus Archiepiſcopus Barenſis. Qui-
dam vero de Cardinalibus timentes, quod po-
pulus Romanus irritaretur contra eos propter
fictionem, quam fecerant de Domino ſancti Pe-
tri, domos proprias reliquerunt, & caſtrum
ſancti Angeli ingreſſi ſunt. Hi fuerunt Cardi-
nales Lemovicenſis, de Agrifolio, Pictavienſis

de Britania, Vivariensis de Neruches. Quidam vero extra urbem ad aliqua castra munita se contulerunt. Hi fuerunt Cardinales Gebenensis qui accessit Jagarolum, Cardinalis de Ursinis, qui accessit Viconarum, Cardinalis sancti Angeli, qui accessit ad quoddam castrum Monasterii sancti Pauli. Cæteri vero Domini Cardinales tam ultramontani quam citramontani remanserunt Romæ in domibus propriis, & sine læsione vel violentia. Et hi fuerunt Domini Cardinales, Florentinus, Majoris Monasterii, Mediolanensis, Claudacensis [Glandarensis] & de Luna. Eodem vero die VIII. videl. Aprilis de sero Cardinales, qui castrum sancti Angeli, & alii, quod ex eis, qui discesserant, miserunt ad Dominum Archiepiscopum Barensem electum in summum Pontificem nuntios, & scripserunt & intimaverunt, quod pro eo non erat Romanus electus, ne ei aliquid sinistrum posset occurrere, bene faceret pro securitate personæ suæ, & statu universalis ecclesiæ exire de dicto palatio, & se in aliquo loco tuto recipere. Qua requisitione audita, præfatus electus consuluit Dominum sancti Petri Cardinalem adhuc in dicto palatio existentem, qui ei respondit, quod ipse erat verus Papa, & secure manere poterat. Sicque tota nocte sequenti in eodem palatio remansit. In crastinum autem de consilio & voluntate dicti Domini Cardinalis sancti Petri fuit electio Domini Barensis intimata officialibus urbis, qui de electione hujusmodi remanserunt, & fuerunt valde contenti, & voluerunt accedere, & accesserunt ad dictum electum ad exhibendum ei reverentiam summis Pontificibus exhiberi solitam. Qui noluit talem sibi fieri reverentiam per dictos officiales, nec per alium quempiam, dicendo inter cætera, quod pro tunc noluit nominari, nisi Archiepiscopus Barensis. Eodem die de mane illi Domini quinque Cardinales, qui remanserunt in domibus suis, videlicet Florentinus, Majoris Monasterii, Mediolanensis, Glandatinus, [Glandarensis] & de Luna accesserunt ad palatium ad dictum electum, ei congratulando de sui concordi electione, & humiliter supplicando, quatenus dignaretur & vellet acceptare. Insuper persuaserunt, quod mitteretur pro aliis sex Cardinalibus, qui erant in Castro sancti Angeli, requirendo, quod convenirent omnes simul, & electo intimarent electionem de se factam, ut præberet consensum, & demum inthronizaretur, ut est moris. Ipse vero electus volens in conscientia esse securus, auditis, quæ per dictos Cardinales dicebantur sibi, interrogavit eos, & unumquemque per se, utrum revera ipse sincere, pure, libere & canonice per omnes Cardinales in conclavi fuisset electus in Papam. Qui responderunt, quod pro certo ita pure, libere & canonice fuerat electus in Papam, sicut aliquis canonice eligi potuisset, ei persuadentes, quod nullo modo recusaret vel differret electioni de se factæ consentire propter periculum longæ vacationis Papatus, quod posset occurrere pro eo, quod dicti Cardinales cum magna difficultate iterato possent congregari. Cardinales vero qui erant in Castro sancti Angeli per publicum instrumentum dederunt plenam & liberam potestatem illis quinque Cardinalibus, qui erant cum electo in palatio sancti Petri circa inthronizationem dicti Domini electi omnia faciendi, quæ ipsimet personaliter facere possent. Cum autem ad notitiam senatoris & aliorum officialium urbis pervenisset tenor hujusmodi schedulæ, accesserunt ad dictum castrum, & humiliter supplicarunt, quatenus exire vellent, & conjungere se aliis Cardinalibus, qui erant in palatio quoniam in nullo habebant dubitare; quoniam erant in loco libero, tuto & securo, & licet ipsi non elegissent Papam Romanum, de electione tamen Domini Barensis populus Romanus remanserat inde contentus, pacificus & quietus. Qui Cardinales, auditis istis verbis, de dicto castro exiverunt & ad palatium inierunt, ubi illos quinque Cardinales & Dominum sancti Petri invenerunt. Qui omnes in capella convenientes iterum & ad cautelam præfatum Dominum Barensem in Papam elegerunt, vel ut electus esset, consenserunt, pure, libere, concorditer & unanimiter. Quo facto, statim per Dominum de Agrifolio dictus electus ad Cardinales introductus extitit, qui ab eis tanquam in Romanum Pontificem electus fuit receptus, atque inter eos pro tunc consedit. Quibus sic consedentibus Cardinalis Florentinus nomine cæterorum Cardinalium ad electum orationem habuit, proponens illud Apostoli Pauli: Talis decebat, ut esset nobis Pontifex impollutus &c. prosecutus cum narratione rei gestæ & negotii electionis de ipso celebratæ, requisivit ipsum electum, ut consentiret electioni de se factæ. Qua requisitione facta, ipse electus verba illa assumsit: divinæ scripturæ timor & tremor, venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et cum prosecutus fuisset ad finem, ut dicebatur, volendo se excusare, ut videbatur, a sarcina tanti oneris, vel saltem velle tempus ad liberandum; Cardinalis Florentinus & alii Cardinales tunc dixerunt; quod prosecutionem autoritatis per eum propositæ pro tunc obmitteret, quod non erat de more, cum alias ipse haberet facere eis sermonem, eumque iterato requisiverant, quod eis responderet, & electioni de se factæ in nomine Domini consentiret. Ipse vero electus ipsorum precibus & instantia devictus, tandem cum timore & tremore animi dictæ electioni humiliter consensit. Præstito consensu per ipsum electum & cantato prius, Te Deum laudamus, statim ipsum intronizaverunt, petieruntque ab eo, quo nomine vocari vellet. Qui respondit, quod volebat vocari Urbanus VI. continuoque ei papalem reverentiam exhibuerunt. Et tunc Cardinalis de Vernelio ad quandam fenestram accessit, & dixit alta voce his, qui aderant: Annuncio vobis gaudium magnum, quia Papam habemus, qui vocatur Urbanus VI. Eodem die tres ex dictis Cardinalibus, videlicet de Agrifolio, Lemovicensis & Pictaviensis recesserunt ad partem in dicto palatio cum præfato Domino Papa in loco studii, &

& inter cætera dixerunt eidem, quod ipsi tres fuerunt causa suæ promotionis, & supplicaverunt pro executione testamenti dicti Domini Gregorii, & quod affines suos & de gente sua haberet commendatos, & præcipue dignaretur præstare certum subsidium pro redemtione Domini Rugerii fratris ipsius Gregorii in Anglia captivi; quod in prima creatione Cardinalium, quam faceret, dignaretur assumere in Cardinalem unum eorum consanguineum, quem Dominus Gregorius facere intendebat, filium scilicet Domini Hugonis de Rupe militis, nepotem dicti quondam Gregorii. Petierunt etiam ut dignaretur in suum cubicularium retinere Dominum Johannem de Barco eorum consanguineum, qui antea fuerat cubicularius præfati olim Domini Gregorii. Quibus omnibus Dominus Urbanus benignissime respondit, & in suum cubicularium prædictum Johannem retinuit. Die vero sabbati, quæ fuit decima Aprilis, Dominus Urbanus Papa VI. sociatus ab omnibus dictis Cardinalibus & Domino de Ursinis, qui de castro Viconari reversus fuerat, aliis Cardinalibus ab urbe tunc præsentibus descendit ad ecclesiam sancti Petri, ubi in cathedra Papali, quæ est in capite ante majus altare sedens, præsentibus Cardinalibus & toto populo, recepit reverentiam a Canonicis sancti Petri. Et tunc cum Jubilo cantatum est Te Deum laudamus. Deinde audiunt missam submissa voce in dicto altari. Qua finita, dedit papalem benedictionem, & una cum Cardinalibus prædictis numero XIII. rediit ad palatium, & juxta morem Romanorum Pontificum collationem seu sermonem Cardinalibus fecit. Qui sermone finito, petierunt ab eo plenariam remissionem & indulgentiam omnium peccatorum suorum & dispensationem super quibuscunque irregularitatibus, quas ipsi quacunque occasione vel causa forsan incurrissent. Quod etiam Papa libenter concessit. Et subsequenter quilibet eorum confessorem sibi elegit, per quem in forma ecclesiæ se absolvi fecerunt. Die autem XI. Aprilis, quæ fuit dominica in palmis, Dominus Urbanus VI. more Romanorum Pontificum dedit tam Cardinalibus quam prælatis, & aliis omnibus palmas & ramos olivarum, ut moris est Romanorum Pontificum, in cujus præsentia celebravit Dominus Cardinalis Florentinus. Die XII. exequias solemnes fecit cum missa pro anima felicis recordationis Domini Gregorii XI. prædecessoris sui, & missam celebravit Dominus Cardinalis Pictaviensis. Diebus vero sequentibus usque ad diem Jovis in cœna domini Urbanus exivit sociatus ab omnibus dictis Cardinalibus ad dandum indulgentias populo ac peregrinis, qui venerant causa devotionis ad limina apostolorum. Die vero Jovis exivit similiter ad fulminandum processus, ut est moris, cui astiterunt dicti Cardinales cum candelis accensis secundum consuetudinem Romanæ Curiæ. Et postea Cardinalis de Agrifolio missam in ejus præsentia celebravit, (a) qui discalceatis pedibus sanctam crucem adoravit, & subsequenter prædicti Cardinales & alii successive crucem adoraverunt. Sabbato sancto Urbanus ad capellam exivit, & coram se illius diei officium cum benedictione cerei & missam dici fecit, quam celebravit Dominus Sabinensis. In die sancto Paschæ coronatus est Dominus Urbanus Papa VI. cum omnibus ceremoniis & solennitatibus requisitis coram universo populo, & peregrinorum, qui ad Urbem devotionis causa devenerunt multitudine copiosa Cardinalibus omnibus numero XVI. assistentibus præsentibus, & sic fieri volentibus, ipsique Domino Urbano ministrantibus. Omnes enim dicti Cardinales numero XVI. qui in electione fuerunt, in hoc coronationis festo interfuerunt, pureque & libere consenserunt. Et quatuor illi Cardinales, qui ex urbe recesserant, jam fuerunt ad urbem reversi. Ubi omnes dicti Cardinales per tres menses continuo steterunt, ipsi Domino Urbano assistendo & ministrando, consistoria & alia per Cardinales cum summis Pontificibus fieri consueta faciendo, usque quo dicti Cardinales seu eorum aliqui de ipsa urbe & de licentia dicti Domini Urbani ad Anagniam se contulerunt. Et durante tempore dictorum trium mensium dicti Cardinales semper tractaverunt, & habuerunt dictum Urbanum pro vero, unico & indubitato summo pontifice, eum honorando, visitando, gratias petendo, annulos & alia pretiosa jocalia ei largiendo, in missa quoque ipsorum tam submissa voce quam in cantu celebrata, illam orationem dicendo seu dici faciendo, Deus omnium fidelium &c. pro ipso Urbano, tanquam pro summo vero pontifice, divinum auxilium implorando ad felix & prosperum regimen ecclesiæ suæ sanctæ. Die XXV. mensis Aprilis Dominus Cardinalis Ambianensis de legatione sua reversus est & a Papa Urbano consistorialiter receptus, ut moris est, recipiendi legatos de latere; qui Dominus Cardinalis pede Papæ & manu & ore deosculatis ipsi Domino Urbano exhibuit Papalem reverentiam. Adveniente die Ascensionis dominicæ Urbanus publice missam celebrans, in qua fuerunt omnes Cardinales prædicti, & Dominus Petrus de Luna, Diaconus Cardinalis ei servivit de Evangelio & de aliis ceremoniis consuetis. Similiter in die sancto pentecostes, & in die corporis Christi Dominus Urbanus celebravit in pontificalibus, cui omnes prædicti Cardinales parati sacris vestibus astiterunt, & eidem servierunt; Dominus Cardinalis de Ursinis in die pentecostes cantavit evangelium, & Dominus de Vernelio in die corporis Christi, fecitque Dominus Urbanus præsentibus & consentientibus dictis Cardinalibus in Consistorio secreto multorum prælatorum promotiones & translationes. Tenuitque etiam Consistoria publica, causas commisit Cardinalibus prædictis, super quibus diffinitivas sententias tulerunt, pro se familiaribusque suis dispensationes & gratias impetrarunt, ad diversos mundi principes sponte & libere

(a) die Veneris sancta in capella Dominus Cardinalis Mediolanensis coram Papa celebravit.

bere scripserunt; se Dominum Barensem Archiepiscopum in verum & indubitatum Romanum Pontificem elegisse. Ipsis etiam consultantibus, assistentibus & consentientibus, & quod non adhiberent fidem alicui, qui contrarium assereret, vel super his dubitare vellet. Et coram pluribus honestis & gravibus personis sæpissime asseruerunt, ipsum Dominum Urbanum verum & indubitatum fore Romanum Pontificem. Dominus Urbanus electionem Illustrissimi Principis Wenzislai in Regem Romanorum electi confirmavit, Dominumque Glandarensem, scrutatis votis singulorum, ipsum Cardinalem Presbyterum Episcopum Ostiensem, cujus promotionis vigore, Dominus Ostiensis possessionem dicti Episcopatus cepit, ipsumque rexit, administravit & tam in temporalibus quam in spiritualibus gubernavit, & aliquos actus Episcopales gessit consecrando & ordinando, prout Episcopos Cardinales facere convenit. Et per idem tempus, quo Cardinales prædicti in urbe fuerunt, continue absque ulla violentia & molestatione, omni prorsus metu secluso, habitaverunt & steterunt in Urbe. Una autem dierum Dominus Urbanus, convocatis ad se Cardinalibus omnibus, multas eis admonitiones fecit pro bono regimine Curiæ Romanæ, & pro bono exemplo de se ipsis populo tribuendo. Monuit etiam, ut abstinerent & manus suas excuterent ab omni munere detestans & graviter se (ferre) ultimum affirmans simoniacos & omnes turpis lucri sectatores, inhibens, ne munera a quoquam magno seu parvo reciperent, intendens negotia coram eo promoveri gratis, nihil inde sperando. Monuit etiam eos de honeste vivendo, cum ipsi essent cardines ecclesiam militantem sustentantes, & tanquam signum positi ad sagittam, debebant de se normam & exemplum aliis bene vivendi dare & præbere, detestantes superfluos sumtus & numerosam familiam, Equorum quoque & vestium & convivantium superfluitatem, asserens hæc omnia pomposa & inflata cedere ad gravamen potius quam ad relevationem honoris Romanæ curiæ & ecclesiæ. Multas quoque eleemosynas propter hos consumtus pauperibus deperire affirmabat. Dixitque præterea suæ intentionis fore, quod justitia ministraretur omnibus petentibus, absque aliqua personarum & pecuniæ acceptatione. Et addidit, quod, cum dispositione divina tota apostolica sedes esset in urbe collocata, intentio sua erat, in urbe residere, ibique & vivere & mori, quodque si aliter faceret, crederet se male facere, & Deum offendere. Hæc dum sic agerentur, Archiepiscopus Arelatensis, qui fuerat Camerarius Domini Gregorii XI. & penes quem omnia erant jocalia pretiosa, quæ fuerant dicti Gregorii, per mensem post dicti Domini Urbani coronationem, de urbe absque licentia recessit, & ivit ad Anagniam, secumque asportavit dicta jocalia, & inter cætera tiaram pretiosam, cum qua consueverant nonnulli Romani Pontifices coronari, & cum qua ipse Dominus Urbanus fuerat coronatus; propter quæ Dominus Urbanus commotus mandavit Dominis Cardinalibus de Agrifolio, Pictaviensi & Vivariensi qui & ipsi erant Anagniæ ut dictum Archiepiscopum arrestarent. Cum autem in castro sancti Angeli esset, Castellanus quidam Petrus nomine, positus ad instantiam Cardinalis Montis majoris, volens Dominus Urbanus pro sua securitate castrum illud habere ad manum suam, requiri fecit dictum Castellanum de ipsius castri restitutione. Sed Castellanus, spiritu rebellionis assumpto, illud facere recusavit, & se summi Pontificis rebellem constituit, cujus quidem rebellionis ferebatur conscius, particeps & tractator præfatus Cardinalis Montis majoris. Cum hæc ad Domini Urbani notitiam pervenissent, reprehendit acerrime Cardinalem Montis majoris, eique comminatus fuit, quod contra ipsum procederet, & de eo justitiam faceret, juxta formam & tenorem processuum felicis recordationis Johannis Papæ XII. contra talia perpetrantes promulgatorum. Similiter reprehendit & comminatus est Domino Ambianensi Cardinali, pro eo quod favebat Francisco de vico almæ urbis præfecto, qui occupabat civitatem Viterbiensem, quæ nullo modo pertinet & est de dominio Romanæ ecclesiæ, fueratque etiam Dominus Urbanus informatus, quod Cardinalis sancti Eustachii quasdam occultas practicas & conventiones tenebat & fecerat cum Britonibus in damnum ipsius Domini Papæ, imo ferebatur quod Cardinalis prædictus sibi certas pecunias retinuisset, quas Papa ei dederat ad finem recuperationis castri sancti Angeli. Unde etiam huic comminatus est, quod contra eum faceret justitiam. Fuerat præterea Dominus Urbanus avisatus, quod dictus Cardinalis sancti Eustachii per suos versutos & subtiles tractatus, ac per blanda ac deceptoria verba & fabulas & dolosas inductiones sollicitaverat ipsum Dominum Urbanum ad dandum societati Britonum magnas pecuniarum summas, quibus acceptis, ipsi Britones se hostiliter opposuerunt præfato Domino Urbano. Et quod earum machinationum conscii erant, & autores extiterant Cardinales Gebenensis, Ambianensis & Montis majoris & nonnulli alii Cardinales Ultramontani in Italia commorantes, ipsique Cardinales bene sciebant, Dominum Urbanum de his omnibus bene habere notitiam: unde propter jam dicta, & quia Dominus Urbanus denegaverat aliquas gratias concedere ipsis Dominis Cardinalibus Ultramontanis, credebant eos de sua sanctitate non contentari, imo erigere velle cornua contra eum, prout tandem fecerunt. Nota: circa finem Junii anni Domini MCCCLXXVIII. nonnulli ex ipsis Dominis Ultramontanis in urbe existentes Cardinales, videlicet Lemovicensis de Agrifolio, Glandatensis; Gebenensis, de Britannia, Pictaviensis, Vivariensis, Montismajoris, sancti Eustachii, sancti Angeli, de Verucho & de Luna, ipsi eorum quilibet supplicarunt & supplicari fecerunt de habendo licentiam recedendi de urbe & eundi ad Anagniam, prætendentes in urbe nimiam caliditatem &

aëris

ëris intemperiem, & Anagniæ erat aër tempe-ıtior & clementior. Unde Dominus Urba-ıs, volens eis complacere, concessit eis licen-am habendi. Qui prout ante acceperant, re-efferunt. Et Papa post paucos dies a recessu ardinalium recessit & ipse de Roma, & venit ybur. Dum sic Papa esset in Tybure, & Cardi-ales in Anagnia, jam in apertum dissidium in-er Papam & Cardinales res vergere cœperant, m affirmantibus Cardinalibus, quod Dominus 'rbanus non esset verus Papa, nec Canonice lectus, quod per impressionem, & quod ele-:io non Fuerat celebrata in loco tuto. Pro-terea Cardinales ipsi intelligentes se cum rincipe Fundi, illuc accesserunt, & tanquam postolica sedes vacaret, conclave intra-erunt, Dominum Robertum Ebennensem Cardinalem in summum Pontificem, seu in dolum potius erexerunt, qui vocari voluit Clemens VII. Unde in Dei ecclesia ortum est ıgens schisma, quod multorum malorum cau-ı fuit usque ad electionem Papæ Martini V. ı Constantia anno 1415. Nam principes Christiani dividi cœperunt, & quidam Urba-o, quidam vero Gebenensi adhæserunt. Urba-o enim adhæsit tota natio Italica, excepto Co-nite (de) Fundis & præfecto de Victoria, Natio Germanica & Regnum Portugaliæ, Anglia to-a; Gebenensi adhæserunt natio Gallicana, to-a fere Hispania citerior & ulterior, sicque se-uti sunt errores & difficultates, plurimi in po-ulo Christiano, & quod unus ligabat, alter sol-ebat. Fiebant hinc inde processus, privatio-es, anathematisationes in magnum ecclesiæ & Christianitatis vilipendium. Eadem præterea cclesia dabatur duobus, & vi armorum quæ-unque dirimebatur lis; unde sequebantur ho-ninum occisiones & depopulationes agrorum c plurimorum strages, propter quod est etiam ecutum illud famosum bellum, quod commis-ım est inter Ducem Burgundiæ & Leodienses, ı quo, ut fertur, XXXIII. millia interemti ınt prope Leodium Cardinales, qui Idolum rexerant, vel novum Pontificem secundum os, Antipapa vidit Avinionem, de Italia una um electo suo recesserunt de Gajeta, & ad Avi-ionem se contulerunt. Dominus autem Ur-anus videns, quod actum fuerat, fecit in con-nenti unam ordinationem XII. Cardinalium lectissimorum hominum & prima ordinatio II. Cardinalium magnæ commendationis, fe-tque processus, & privavit Cardinales, qui rant in Anagnia vel in Fundis una cum eorum rætenso Pontifice, eos anathematizando, : ipsos & eorum bona occupantibus conce-endo. Fecit & processus contra Principem undorum & contra Franciscum de vico almæ Irbis præfectum, qui Viterbium occupabat. t e contra ille Gebenensis contra Dominum Irbanum & ejus sequaces processus fulmina-it, sicque tota Christianitas, hac peste schis-natis involuta, annis XLV. & ultra laboravit sque ad tempora sacri Concilii Constantien-s, de quo infra dicetur. Urbano sic cum Ge-ennensi contendente Cardinales noviter or-dinati, Viri zelantes honorem ecclesiæ & pa-triæ populi Christiani, attædiati etiam moribus Urbani, cujus nimia severitas potius quam in-justitia tituli Papatus revera fecerat Cardinales, a quibus creatus erat, ab eo discedere, & schi-sma conflare; secreto modo inter se agere cœ-perunt de dando Domino Urbano Coadjuto-rem, & tractare cum Cardinalibus obedientiæ domini Gebennensis de unienda ecclesia. Quod percipiens Urbanus, decapitavit VII. ex ipsis, & IIII. ex eis, dum esset Januæ, fecit tetro car-cere strangulari, & ad parandum sibi amicitias plurimarum civitatum & dominorum Romæ in sancta Maria in transtyberim existens, fecit unam ordinationem XXVIII. Cardinalium, inter quos multi de civitate sua Neapolitana erant connumerati, super vero securitas &c. Eodem tempore veniens Catharina virgo de Senis, & rogata rogare sponsum suum ipsum Jesum, quis horum duorum coram eo esset Pa-pa, respondit ei sponsus Christus, Urbanus ve-rus sed sine modo. Similiter beata Catharina filia sanctæ Brigittæ, laborans pro canonizatio-ne suæ matris, loquendo cum Urbano aliquot dies ante suam electionem dixit; Reverende Pater, cum Deus dederit vobis benefacere, sitis memor matris meæ vobis notæ in vita; & au-diendo ipsam lepidam & claram in lingua, di-xit interrogando; quamdiu suxisti mammas matris tuæ, quia mater in lingua lepida, sed tu excellis eam: hæc in sancto Petro ante ele-ctionem trium dierum. Inter cæteros Januæ interfectus fuit Dominus Ludovicus Donato Venetus, qui fuerat primo generalis ordinis minorum, & postea per eundem Urbanum creatus Cardinalis; Regem insuper Siciliæ ne-potem suum creare constituit, qui cum per mare navigaret cum uxore, filiis & universis bonis suis, tempestate suborta periclitatus est, & uno momento ipse cum navi, & qui cum eo erant, maris fluctibus demersus est. Passus est hic Pontifex graves persecutiones, & obsessus est per aliquantum temporis in arce Nuceriæ in regno. Fertur tamen, omnium persecutio-num harum ipsum potissimum causam fuisse & extitisse, propterea quod homo ultra, quam decebat, severus erat & sui capitis, & sibi magis quam cæteris credens: tandem liberatus ab ob-sidione, in sede propria Romæ residens mori-tur, & in ecclesia sancti Petri in Vaticano sepe-litur. Longa verborum serie hujus Pontificis assumtio narrata est, pro eo quod schisma subse-cutum longi temporis fuit & multorum malo-rum, ut prædiximus, causa est, & ut ex gestis in electione ejusdem intelligi possit justitia tituli Papatus sui, quamvis longe aliter, a Cardinali-bus, qui ab eo recesserunt, postea positus fue-rit, prætendentes metum, qui cadere poterat in constantem virum, in actu electionis inter-venisse, quem de tribus mensibus, quibus con-tinuo fuerunt cum Domino Urbano nunquam allegarunt, sicut revera allegare non poterant, propter variam positionem casus necesse fuit varia peritorum consilia hinc inde enarrare, quæ fuerunt causa, ut schisma hoc diutius du-

 raret,

faret, qualibet parte prætendente se justitiam fovere & alia aliam vere schismaticam dicere posse.

Anno Domini MCCCLXXXIX,

Bonifacius IX. natione Neapolitanus, prius vocatus Petrus Tonacellus, post mortem Domini Urbani Romæ concorditer in Papam eligitur. Anno Domini MCCCLXXXIX, die II. Novembris, dum esset adhuc satis juvenis annorum circiter XXX. Sedit annis XIIII. mensibus IX. Hic postquam ad Pontificatum assumtus est, in alterum virum est prorsus mutatus, moribus enim & vita vivebat, ut senex, & etiam continentis vitæ in Papatu fuit, ut nunquam sinistrum aliquid de ejus vita prodiret in publicum, magnanimus & alti cordis, & quæ primus de multis prædecessoribus suis habuit dominium urbis Romæ, quod ante per populum Romanum regebatur, & per multa tempora per summos Pontifices desierat gubernari. Verum cum stipatus esset ampla & nobili familia, matris videlicet, fratrum & nepotum, multa per manus vel suggestionem fiebant eorum, quæ hujus Domini famam aliquantisper denigrabant, invaluit enim per hanc occasionem Simoniaca pravitas tempore suo & plenariæ indulgentiæ ad quæstum omnibus fere petentibus dabantur, ita ut ex eorum numerositate vilesceret clavium auctoritas, opusque fuerat, ut Bonifacius metellas revocaret, quibus revocatis iterum eas concedere aggressus est. Creavit hic summus Pontifex in Regem Siciliæ Ladislaum de Durachio, filium Caroli Regis Ungariæ, quem Urbanus excommunicaverat, multosque sibi favores præstitit ad regnum illud acquirendum & manutenendum, multos de sangvine suo exaltavit in dominio temporali, duos fratres suos præ ceteris, quorum unum Marchionem Marchiæ, alium Ducem Spoletanum constituit, qui omnes, sicut Domino disponente placuit, ad magnam inopiam postea redacti sunt, per Dominum Regem Ladislaum de regno Siciliæ pulsi 1391. anno secundo canonizavit sanctam Brigitam viduam de Svecia, mortuam Romæ sub Gregorio XI. Anno domini 1353. die Apolinaris quæ jussu Dei stabat Romæ XXX. annos cum familia XX. personarum. Ordinationes plures nonnullorum Cardinalium fecit, inter quos Dominum Baltesarem Cossa natione Neapolitanum cubicularium suum assumsit, qui postea Johannes XXIII, dictus est. Hujus tempore Clemens VII. sic in sua obedientia nuncupatus moritur in Avinione, & a Cardinalibus, qui ibi erant, creatus est, & dictus Petrus de Luna, qui Benedictus XIII. nominari voluit, homo certe elegantissimus & excepto schismate exemplar vitæ & magnæ commendationis, eminentisque scientiæ, de quo aliquid infra dicetur. Moritur autem Bonifacius Romæ ex dolore iliorum, & in ecclesia beati Petri in Vaticano sepelitur. Ante tamen creationem Benedicti, & similiter ante creationem Innocentii VII. Cardinales utriusque collegii ad evitandam infamiam, ne in schismate tollendo dicerentur negligentes, dum essent in conclavi, fecerunt juramenta & promissiones, quibus se astringebant persecutores unionis ecclesiæ, & Dominus Petrus de Luna juravit cedere in forma, de qua infra.

Innocentius VII, natione Sulmonensis antea vocatus Cosmatus sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, post mortem Domini Bonifacii Romæ creatur in Papam, anno Domini MCCCCIIII. die XVII. Octobris. Hic Cardinalis existens, vir admodum continentis vitæ habitus est, & suorum prædecessorum notans negligentiam, quod schisma in ecclesia introductum extirpare neglexissent, assumtus ad Pontificatum, cum omnes crederent, hunc esse, per cujus operam & diligentiam pax daretur ecclesiæ. Ipse in hoc Urbani & Bonifacii sectatus vestigia, non solum unionis negotium prosecutus extitit, sed ægre satis ferebat, de re illa sibi fieri verbum. Dum autem populus Romanus graviter pateretur scissuram, & requisitus aliquando foret de unienda ecclesia, secum de Papatu, quæ a Rege Franciæ per suos oratores ecclesiæ zelo, hujusmodi ductu, elegerunt XII. ex præstantibus civibus Romanis, qui supplicarent humiliter Domino Innocentio, quatenus hoc unionis negotium aggrederetur, adducentes in medium rationes, quibus ob hoc tam sanctum opus intendere debebat. Innocentius legatione hac audita satis benigne pro tempore respondens, eos a se dimisit. Dum vero redirent domum, & transirent ante hospitale Sancti Spiritus in Saxia, ubi hospitatus erat Dominus Lodovicus, nepos Cardinalis Domini Innocentii, vocari ad se fecit omnes illos cives, quos sigillatim unum post alium decollari mandavit, & corpora de fenestris in terram præcipitari jussit, propter quod tam horribile facinus in cives Romanos perpetratum, populus Romanus in iram & furorem versus, arma recepit. Ejus occasione Papa una cum Cardinalibus magna cum festinantia urbem exire compulsus est, & concito gressu in Viterbio se recepit. Multi tamen curiales deprædati, multi etiam in domibus quorundam Cardinalium Romanorum salvati. Aufugit pariter nepos ejus Ludovicus a facie Romanorum, qui ulcisci parabant mortem tot electorum civium tam crudeliter & inique & sine causa occisorum. Innocentius in Viterbio exiens, concordiam tandem cum Romanis firmavit, ita ut Romam redire non dubitaret. Ubi unam ordinationem plurimorum Cardinalium electissimorum fecit. Inter quos creavit Dominum Angelum Corrarium, natione Venetum, titulo sancti Martii, qui postea ei successit in Papatu, Dominum Petrum Philardi, natione Cretensem, Basilicæ XII. Apostolorum Cardinalem, qui postea Alexander quintus extitit nominatus, Odonem de Columna natione Campanum, de principibus urbis, sancti Georgii ad velum aureum diaconum Cardinalem, qui postea Martinus quintus dictus est. Fertur, hunc Innocentium Pontificem in moribus placidum & valde affabilem extitisse. qui etiam magnus interpres juris habitus, & paucos, qui in sede Petri post Innocentium IIII, fuisse, qui in

n consistorio publico ita promte & recte de jure responderent. Nepotem suum Dominum Lodovicum prædictum, Marchionem Marchiæ Anchonitanæ & principem Firmarium constituit, qui multo tempore Marchiam gubernavit, & tandem in Firmana civitate se munivit, ubi vitam mutavit, & in pace mortuus est. Ex apoplexia demum Romæ moritur Innocentius, Pontificatus sui anno secundo, & in ecclesia sancti Petri sepelitur in capella Pontificum nominata, quem Papa Nicolaus quintus in anno Jubilæo repertum decoravit lapide.

Dum sic schisma protraheretur in longum, principes Galliarum, duces videlicet Bituricenses, Burgundiæ & Aurelianenses, qui regnum Franciæ gubernabant propter infirmitatem Regis Franciæ, hujus jam inveterati schismatis tædio affecti, personaliter venerunt Avinionem ad Dominum Petrum de Luna Benedictum XIII. nuncupatum in sua obedientia, qui ibi tunc cum sua curia morabatur, supplicantes nomine Regis Franciæ & suo pariter, ut per omnem viam possibilem, etiam ut ad cessionem Papatus inclusive, prout promiserat & juraverat in conclavi, daret pacem ecclesiæ, quam hoc maxime ad suum officium facere pertinebat, & ne diceretur juramenti transgressor, & non minus ad eos, qui catholici principes erant, hoc procurare nomine Christianissimi Regis. Ipso domino Benedicto in partibus Galliarum potissime commoranti, parati etiam erant requirere secum contendentem de Papatu ad similem effectum, sicut & per solennes oratores nomine Regis Franciæ requisiverunt, quod dicto Domino Benedicto principes prædicti persvadere minime potuerunt, allegans, graviter Deum offendere putare, si sic ecclesiam Dei, cui se sponsum affirmabat, desereret, ad preces cujuscunque cum de justitia tituli Papatus sui rex & principes ipsi minime haberent dubitare, quodque ecclesiam Dei poneret in periculo, si ipse renuntiaret alteri, forte cum eo contendens renuntiare, recusaret vel recusatio fieret in loco non libero. Et multa hujusmodi dans alias ipse vias & media, propter quæ secundum eundem ad unionem poterat perveniri. Et tamen semper asserens, quod quando haberet certitudinem per suam & contendentis renunciationem, daretur pax ecclesiæ per unius summi Pontificis assumtionem. Ipse etiam, ut tantum bonum sequeretur in ecclesia, renunciare non recusaret, & ad hunc effectum promiserat & juraverat, & non aliter. Sed hæc via admodum sibi impossibilis videbatur. Hi autem principes intellecta intentione Domini Benedicti, & percipientes, eum velle in suo proposito permanere, cogitaverunt, quomodo via facti possent Dominum Benedictum ad hoc inducere. Unde ipse suspicans, ne qua sibi violentia inferretur, munivit se in palatio Avinionensi, in quo per aliquot menses obsessus fuit. Et tandem paratis galeis in Rodano de palatio clam effugit, & in Cataloniam, unde oriundus erat, se transtulit. Ferunt quidem, Dominos Cardinales Gallicos odio habentes Dominum Benedictum pro eo, quod erat alterius nationis quam Gallicæ, & quoniam inter se de uno Gallico post mortem Clementis VII. non potuerunt concordare, propterea in istum convenerunt, & non bene ferentes mores suos, cum esset homo contentiosus & simonicæ pravitatis maximus persecutor, moribus gravis & continentissimæ vitæ, sollicitasse hos Galliarum principes ad hanc requisitionem & infestationem. De alia parte, qui remanserunt post mortem Domini Innocentii VII, videntes negligentiam trium Pontificum in hoc tollendo dissidio, & quod ecclesia periclitabatur in tam diutina divisione, attentis etiam requisitionibus multorum regum & principum, qui contendentes de Papatu, & utrumque collegium sollicitaverunt ad remedia per quæ schisma tolli posset, congregati & in unum convenientes in conclavi Romæ in palatio sancti Petri pro negotio electionis unius summi Pontificis, qui jam sæpe dicto Innocentio succederet anno domini MCCCCVI. Indiction. XIIII. mensis Novembris, ibi Deo & omnibus sanctis ejus voverunt, & invicem unus alteri juraverunt & promiserunt, ut si quis eorum assumeretur in Papam, renuntiaret suo Juri & Papatui, libere, pure, & simpliciter, si & quando antipapa qui est, & qui erit pro tempore, consimiliter renuntiabit & cedet suo prætenso juri & Papatui suo decedat, dummodo etiam ante Cardinales cum eis velint sic convenire, quod ex ambobus collegiis sequatur electio unius summi Pontificis & indubitati. Et pari numero promiserunt & juraverunt, se curaturos & facturos eandem promissionem fieri per eum, qui de intra collegium vel forte de extra collegium eligeretur in Papam infra mensem a die suæ inthronizationis per suas patentes literas, dirigendas Imperatori seu Regi Romanorum, antipapæ & anti Cardinalibus, Regi Franciæ & aliis principibus, mundi prælatis, universitatibus & aliis secundum videre Dominorum Cardinalium, quodque se offerret ad omnem aliam viam rationabilem, per quam prædictum schisma tollatur, & ultra præmissa infra tres menses a die inthronizationis suæ in antea computandos suos destinabit Oratores ad eos, de quibus prædicto collegio videbitur cum plena potestate conveniendi de loco decenti ad implendum vel exequendum præmissa, & quod non creabit Cardinales de novo, nisi forte ad æquandum numerum Cardinalium alterius collegii, hocque intimabit antipapæ & anti cardinalibus, ut & ipsi similiter faciant, quodque post ejus electionem confirmabit omnia supra dicta autentico modo, & de novo etiam similem faciet provisionem coram omnibus Cardinalibus de collegio, Notario ac testibus ad hoc vocatis, & manu propria similem faciet subscriptionem, quodque etiam in primo Consistorio publico hoc ipsum promittet. Multa alia insuper Cardinales inter se promiserunt & voverunt & juraverunt, se fortiter astringendo ad prosequendum unionem ecclesiæ, creato summo pontifice, etiam se propriis manibus subscribendo.

Anno

Anno vero Domini prædicto die XXX. mensis prædicti elegerunt Dominum Angelum Corario titulo sancti Marci Presbyterum Cardinalem Constantinopolitanum natione Venetum, qui vocari voluit Gregorius XII.

Gregorius ergo XII. statim post electionem suam idem votum, juramentum & promissionem fecit, prout superius continetur, præsentibus Cardinalibus, Notariis & testibus subscriptis in singulis instrumentis, quorum quilibet Cardinalis habebat unum. Subscriptio autem fuit hujusmodi, Ego Gregorius XII. hodie ultima Novembris MCCCCVI. assumtus in Romanum Pontificem, sicut præmittitur, juro, promitto & confirmo omnia supra dicta. Deinde Dominus Gregorius, dum prosequeretur juxta promissa & jurata ad finem unionis consequendæ, & ipse & Dominus Benedictus tractarent de conveniendo in aliquo tuto loco, ubi ambo renuntiarent, & pax daretur ecclesiæ, non potuerunt de loco concordare, & juxta sententiam Cardinalium utriusque collegii ad invicem colludebant fugientes implere promissa. Inde Cardinales utriusque obedientiæ Pisis convenientes, generale Concilium celebraverunt. Ibique formato processu contra ambos contendentes de Papatu finaliter deposuerunt Dominum Benedictum & Dominum Gregorium. Et in Papam postea elegerunt Dominum Petrum Philardi Basilicæ XII. Apostolorum, qui vocari voluit Alexander quintus, cui adhæsit tota fere obedientia Domini Gregorii, paucissimis exceptis. Adhæsit etiam ei magna pars obedientiæ Domini Benedicti excepta Hispania citeriori & ulteriori nec non Regno Scotiæ & Comite Armeniaci. Dominus vero Gregorius se primum Gajetam contulit, postea in civitate Austriæ, ubi concilium generale contulit, convocavit, [convocavit, contulit.] Sed quia parum se ibi tutum reputavit, tandem Arriminum concessit, ubi a Carolo Malatesta benignissime susceptus ibi curiam suam continuit. Benedictus vero post celebratum concilium in Perpiniano, ad castrum Paniscole Dertusensis diœceseos confugit, ubi diutissime moratus est. Feceruntque utrique ordinationes Cardinalium: & inter cæteros Dominus Gregorius, dum esset in Luca cum Cardinalibus, qui nondum recesserant ab eo, assumsit in sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem dominum Gabrielem Condolmationi, qui postea Eugenius Papa IIII. dictus est.

Alexander quintus, natione Græcus de ordine minorum, vir profecto altissimæ scientiæ in Concilio Pisano assumtus est in Papam post depositionem Domini Gregorii & Domini Benedicti, anno Domini MCCCCVIII. Sedit mensibus VIII. diebus - - - - Hic a pueritia sua ordinis minorum frater effectus, vocavit liberalibus disciplinis in studio Parisiensi. In sacra pagina Doctor subtilissimus evasit, ita ut super libros sententiarum elegantissime scriberet: Magnus sermocinator etiam ex tempore fuit & longum, & multis auctoribus & sententiis orationem refertam sæpe texebat, vocatus a Galeatio Principe Lombardiæ secum habuit in consiliis. Deinde Episcopus Vicentinus effectus, postea Novariensis, deinde Archiepiscopus Mediolanensis creatus. Procedente tempore a Domino Innocentio factus Cardinalis Basilicæ XII. Apostolorum, ac demum, ut dictum est, in Papam creatus fuit. Hic Pontifex re & nomine Alexander omnium prædecessorum, qui de multo tempore eum antecesserant, superans liberalitatem, modo in facultatibus habuisset. Sed juxta statum pontificalem pauper multum existens, dicere consveverat, se fuisse divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, Papam mendicum. Hic Ladislaum Regem Siciliæ, approbante Pisano concilio, regno privavit, & jus dicti Regni Ludovico Duci Andigaviæ competere declaravit. Finito concilio venit Bononiam, ubi legationem tenebat Dominus Baldazar Cossa, Cardinalis sancti Eustachii, cujus auxilio fuerat concilium prædictum congregatum. Ubi cum aliquot mensibus moram traxisset, infirmatur, ante ejus mortem convocatis Cardinalibus ad eos sermonem habuit, proponens illud Salvatoris verbum: pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, exhortans eos ad unitatem servandam, & protestans, per eam mortem, quam se facturum continuo agnoscebat, credere & tenere rite & Juridice omnia processisse in concilio Pisano; ipsumque licet indignum fore Christi vicarium rite & legitime ad apicem summi Apostolatus vocatum: Familiam suam Cardinalibus valde commendavit, affirmans, quod Papa modicum temporis, quo fuerat in Papatu, non poterat esse gratus his, qui serviverant. Ipse quoque lacrimans, Cardinalibus etiam lacrimantibus, eos benedixit, & paulo post Deo animam dedit. In ecclesia fratrum minorum sepelitur.

Johannes XXIII. prius vocatus Baldazar Cossa, de nobilibus Neapolitanis originem ducens, dum esset legatus de latere in civitate Bononiensi post mortem Alexandri concorditer a Cardinalibus creatur in Papam, anno Domini MCCCCIX. Sedit annis III. mensibus - - - diebus - - - Hic tempore adolescentiæ suæ in jure Canonico Bononiæ studuit. Tandem sumto gradu doctoratus, & ad curiam Romanam venit. Bonifacius IX. eum suum cubicularium secretum fecit, deinde ipsum Cardinalem sancti Eustachii creavit & ad acquirendum civitatem Bononiæ legatum de latere misit, quam de manibus gentium armorum Ducis Mediolanensis eam occupantium acquisivit. Sicque annis circiter novem prudentissime & fortissime illam gubernavit. Floruit multum civitas & adaucta est longa pace. Dum autem instaret tempus celebrandi concilii Pisani, ipse omnes Cardinales, qui a Domino Gregorio recesserant, pecuniis legationis suæ in concilio sustentavit. Creatus Papa ad electores Imperii misit exhortando, ut Imperatorem eligerent Sigismundum de Lucemborgh, Ungariæ & Bohemiæ Regem, quod & factum est. Et quia in concilio Pisano decretum fueaat aliud concilium

lium debere celebrari ad certum tempus pro reformatione ecclesiæ, ipse concilium Romæ convocavit, ad quod accessit. Sed Ladislao Rege Siciliæ privato Papam persequentem * cogitur de Roma exire, & iterum Bononiam se conferre: ordinationem unam fecit Cardinalium, hominum profecto magnæ commendationis & non mediocris scientiæ. Dum autem animo gereret ecclesiam unire, quæ adhuc superstite Gregorio & Benedicto scissa remanserat de Bononia recedens init personaliter ad civitatem Laudensem in Lombardia, ut cum Rege Romanorum Sigismundo, qui illuc venerat, loqueretur de materia unionis & celebrationis concilii generalis, propter quam tamen postea misit ad Alamaniam pro eligendo loco sæpe dicti concilii Dominos Cardinales Florentinum & de Eclaneo, * qui concorditer elegerunt civitatem Constantiensem Maguntinæ provinciæ. Ad quam personaliter accessit, duxitque secum viros in Jure divino & humano peritos. Et dum stetisset aliquot mensibus, ibi exspectando vocatos ad concilium, tandem Sigismundus prædictus in nocte Natalis Domini venit Constantiam anno Christi, & in matutinis Domino Johanne præsente septimam lectionem cantavit. Deinde tempore procedente cum multa Domino Johanni de suis Italis objicerentur. & ipse timeret, ne in personam committeretur violentia, habitu dissimulato de Constantia fugit, & Scafusam se contulit, quæ civitas seu opidum erat Ducis Friderici de Austria. Aliqui Cardinales [comitati] sunt cum usque ad locum illum, sed postmodum per concilium, quod Constantiæ remanserat, reducitur. Dominus vero Johannes de Scafusa ivit Friburgum cum proposito eundi ad terras Ducis Burgundiæ, sed procurante concilio, per medium Imperatoris Sigismundi Dominus Johannes capitur; & in quodam Palatio Episcopi Constantiensis prope civitatem in carcerem detruditur. Anno IIII. sui Pontificatus concilium causam fugæ suæ & criminum contra eum commisit, certis judicibus, qui examinarent omnia, & causam instructam concilio referrent. Qui tandem retulerunt propositum, ut dicebat, & probatis quadraginta capitulis & ultra contra eum, quorum aliqua concernebant scandalum ecclesiæ & ejus incorrigibilitatem, quædam vero concernebant fidem, ex quibus Dominus Johannes sententialiter de Papatu deponitur & privatur. Ipse quoque sententiam contra se latam approbavit. Sed post latam sententiam de loco, ubi erat, mittitur custodiendus ad manus Ducis Lodovici de Bavaria, qui erat de obedientia Domini Gregorii XII. Fuitque Dominus Johannes positus in Castro quodam ipsius Ducis vocato Haldeberg, ubi annis tribus & ultra stetit absque alicujus Italici societate aut de suis, sed tantum custoditus per Theotonicos, cum quibus tantum nutibus & signis loquebatur, quod ipse linguam Germanicam ignorabat, & qui eum custodiebant, Italicam non noverant. Hujusmodi privationis sententia tam ab illis de obedientia Domini Johannis lata fuit, quam de obedientia Domini Gregorii & Domini Benedicti, nullus adhuc convenerat: & ut suam fundarent jurisdictionem ad validandum eorum sententiam, synodus decretum promulgarunt, per quod affirmabant, concilium generale legitime congregatum habere immediate a Christo potestatem. Quo fundamento præsupposito, ipsum etiam Papam concilio subjiciebant.

Privato Domino Johanne, actum est per medium Sigismundi Imperatoris, ut Dominus Gregorius convocaret similiter concilium in Constantia prædicta, & quod unirent se Cardinales sui & cæteri de sua obedientia cum Cardinalibus cæteris de obedientia Domini Johannis in Constantia congregatis, quod & factum est. Misitque Dominus Gregorius Dominum Carolum de Malatesta de Arminio cum pleno mandato & pure & libere resignandum juri suo & Papatui, quod etiam factum est. Nam ipse Carolus in solemni cessione nomine Domini Gregorii, illius mandati vigore, expresse renuntiavit, & ipse Gregorius per concilium legatus factus est in Marchia Anchonitana, qui Rechoneti existens, ante creationem Domini Martini diem obiit, & sepultus est in ecclesia Rachanatensi. His duabus obedientiis unitis restabat tertia longe major Domini scilicet Petri de Luna, pro quo concludendo, ut hoc ipsum faceret, quod Gregorius fecerat, Dominus Sigismundus prædictus ad multas mundi partes perrexit, ad Regem Franciæ primum, deinde ad Regem Angliæ, deinde Narbonam una cum oratoribus concilii, ubi etiam convenit Rex Arragoniæ Fernandus, qui & ipse non solum Regnum suum Hispaniarum, sed etiam Arragoniæ, quod erat de obedientia Domini Benedicti gubernabat. Fueruntque capitula conclusa & firmata, quibus inter cætera continebatur, quod deberet requiri Dominus Benedictus, ut hoc ipsum faceret, quod Dominus Gregorius fecerat. Quod si non fecisset, promittebant Principes de sua obedientia eum deserere, & concilio Constantiensi adhærere. Benedictus autem in castro Paniscolæ manens, in sua permansit sententia, dicens, ipsum esse verum Christi vicarium, & Constantiam non esse locum tutum pro celebratione concilii generalis, allegans quæ manu violenta facta fuerant contra Dominum Johannem, etiam per eos, qui erant de obedientia sua; & detestans in loco non securo renuntiare in manibus eorum, qui impressionem fecerunt. Principes Hispaniarum videntes duritiam Domini Benedicti Concilio Constantiensi adhæserunt. Sicque per solemnem sessionem celebratam uniti sunt isti de obedientia Domini Benedicti cæteris Domini Johannis & Domini Gregorii. Et tunc quæ gerebantur in concilio, expediebantur per nationes quinque: Italicam, Gallicam, Germanicam, Hispanicam & Anglicam, quæ nationes construebant totum concilium, priusque in nationibus obtinebatur determinatio una, deinde in generali congregatione omnium nationum concludebatur, demum decretum fiebat super concluso, & publi-

cabatur in sessione. Hic erat ordo & modus procedendi in concilio, per hunc modum contra Dominum Benedictum inchoatum est per concilium, & tandem sententialiter privatus de Papatu. Non venerant Cardinales Domini Petri de Luna ad concilium, sed adhærebant adhuc una cum Prælatis aliquot de Regno Hispaniarum, Scotiæ & Comitis Armeniaci dicto Domino Benedicto. Et completis omnibus, quæ ad unionem perficiendam spectare videbantur, condemnata tamen prius hæresi Johannis Wickleif, & combustis istis duobus hæresiarchis Johanne Huss & Hieronymo ejus discipulo, Magistris Pragensibus, cum jam sedes Apostolica annis tribus & ultra vacasset, & circa reformationem ecclesiæ non bene poterat vacari absque Papa, ob hanc causam, & ut sedes ipsa non diutius vacaret, tractare cœperunt de electione futuri summi Pontificis, & ut debita autoritas concilio redderetur, & nullus futuram electionem calumniari posset, quodque electus in Papam pro vero & indubitato summo Pontifice apud totam Christianitatem haberetur, sicque dici posset vere datam pacem ecclesiæ, & antiquissimum schisma extirpatum esse per Canonicam & indubitatam electionem, totum concilium in hoc convenit, quod quælibet natio eligeret VI. qui una cum Cardinalibus præsentibus in concilio intrarent conclave, & haberent facultatem eligendi Papam una cum ipsis Cardinalibus. Et qui a duabus partibus Cardinalium & ex duabus partibus ex deputatis cujuslibet nationis eligeretur in Papam, ille pro summo pontifice haberetur & teneretur &c. Anno ergo Domini MCCCCXVII. die VIII. Novembris Cardinales, qui erant numero XXXII. vel XXXIII. una cum deputatis cujuslibet nationis numero XXX. intraverunt conclave præmissis primo multis orationibus & processionibus, ut Deus inspiraret electores ad eligendum virum sanctum & idoneum, in cujus humeris in pace & unitate quiesceret ecclesia. Arbitrabantur enim omnes, non facile tot nationum diversarum homines in unam personam posse convenire, præsertim cum in potestate trium personarum, trium videlicet & sex unius nationis esset electionem impedire: credebatur, quod non solum per dies multos, sed per menses electores debere in conclavi stare. Fiebat enim omni die processio circumquaque conclave, quod optime custoditum erat magnis Dominis & Prælatis. Tandem Dominus compatiens longis calamitatibus ecclesiæ, manum misericordiæ suæ aperiens, ita Electores inspiravit, ut tantum tribus diebus in conclavi starent. Nam die XI. Novembris, quo festum beati Martini celebratur, hora tertia dominus Oddo de Columna, sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, tam a duabus partibus deputatorum Concilii cujuslibet nationis quam Cardinalium, Spiritu Sancto inspirante, electus est in Papam. Non sufficeret lingua narrare, quanto gaudio totum concilium una cum Imperatore Romanorum Sigismundo repletum sit. Publicata enim electione, statim ipse Imperator conclave intrans, & ad pedes summi Pontificis procidens, ipsos, non sine lacrimis cordis & corporis devotionem pariter & lætitiam exprimentibus, osculatus est, ipseque summus Pontifex e contra cum lacrimis Imperatorem ad osculum pacis recipiens, eum benigne amplexatus, & quia in die sancti Martini fuerat electio de se facta, & pax ecclesiæ data, ac etiam unio ecclesiarum Christi subsecuta, voluit vocari Martinus quintus.

Martinus quintus, natione Campanus, de Principibus urbis domus de Columna, electus concorditer in Papam Constantiæ Provinciæ Maguntinæ, ut supra narratum extitit, Anno Domini MCCCCXVII. die XI. Novembris. Sedit annis XIII. mensibus tribus, & cessavit episcopatus dies XII. Si Pontificis hujus singulæ dotes narrandæ forent, & quæ in annis sui Pontificatus tempore gesta sunt per eum, in modum codicis surgerent. Pauca tamen de multis dicentur, per quæ Domini hujus prudentia & vita satis prospici potest. Hic in juventute liberalibus artibus erudiendus a parentibus præceptoribus liberalium artium traditus, evasit in virum magnæ commendationis & famæ. Erat super modum humilis, gratus & dilectus hominibus. Postea in Perusio juri pontificio aliquot annis operam dedit, indeque plusquam mediocriter eruditus discessit, & Romam rediens Domini Papæ Urbani VI. referendarius factus, cum magna integritate munus illud explevit; deinde in Cardinalem Diaconum a Papa Innocentio VII. assumtus, non propriam naturæ conditionem deseruit, quinimo eandem humilitatem & uniendi modum in omnibus pontis [punctis] servavit, quem ab ineunte pene ætate jam imbiberat, ita ut potius remissus, quam multæ activitatis homo crederetur, in rebus publicis non multum se immiscens, nisi quantum dignitatis suæ onus requirebat. Unde cum in concilio Constantiensi multæ hinc inde altercationes propter contentiones hominum diversæ obedientiæ insurrexissent, ipse velut æquus arbiter in nullam* se partium constituit defensorem, sibi ipsi potius vacans, & aliena non quærens: gratus propterea tam Imperatori, quam Cardinalibus cæterisque de concilio factus. Hunc quem omnium nationum parentem judicabant in summum pontificem petierunt tanto animorum consensu & concordia, ut nulla summi Pontificis electio ex multo tempore majorum votorum & animorum unitate celebrata fuerit. Hic in summum Pontificem electus, sciens se vocatum in plenitudinem auctoritatis & potestatis, omnem illam remissionem & neglectum rerum præteritarum excussit, manum mittens ad fortia, & alios ad honorem ecclesiæ & rei publicæ Christianæ utilitatem excitabat, somno & quieti ac cibo etiam parum indulgens, jam in virum alterum mutatus videbatur, de eo quia vere illud dicebatur, principatus virum ostendit. Multa facilitate omnes ad se admittens & audiens, cunctos a se lætos & voti compotes aut contentos dimittebat. De prudentia vero ipsius, quæ certo eximia erat, omnium

omnium id judicium habebatur, perpaucosque ex Romanis Pontificibus extitisse ferebatur, qui in consultando tam sapienter rei & rationis medium teneret, quid etiam amplectendum, quid ve fugiendum etiam ex tempore tam apte indicaret. Secreti sui abstinentissimus fuit, ita ut perpauci, quid facturus esset, vix unquam intelligere possent: in sermone brevis, & quæ exprimebat, sententiis plena erant. In cerimoniis quoque ecclesiasticis, quæ ad Dei cultum & statum summi Pontificis pertinebant, ita se habebat, ut vel cunctos ad summam reverentiam & devotionem provocaret. Justitiæ amator & nullius acceptans personam, æqua lance unicuique, quod factum esset, tribuebat. Talem profecto Pontificem decebat ecclesiam Dei habere post tam longum & inveteratum in ecclesia Dei dissidium & antiquatum schisma, qui sua bonitate, prudentia & tolerantia sciret & posset naviculam Petri, quæ pene submersioni proxima fuerat, in tranquillo & quieto portu collocare, quemadmodum Domino adjuvante brevi tempore hic almificus & a Deo dilectus Pontifex collocavit, & moriens tamen in magna tranquillitate & pace dimisit. Post creationem itaque suam miraculose, ut sic dixerim, factam Petro de Luna cum Cardinalibus & nonnullis Prælatis sic in Paniscola permanentibus, cum adhuc quidam populi Arragoniæ in animis suspensi remanerent, decrevit, sacro Constantiensi approbante Concilio, ad partes Aragoniæ destinare legatum de latere, Dominum Alamanum de Adunariis tituli sancti Eusebii Presbyterum Cardinalem, natione Florentinum, virum singularem pro exequendo processu contra Dominum Petrum de Papatu abjectum, & contra ei faventes & adhærentes. Qui cum ingrederetur legationis suæ terminos, Cardinales quatuor præfati, videlicet Montis Aragonensis, sancti Georgii, sancti Eustachii & sancti Angeli, sic in sua dudum obedientia nominatum una cum cæteris Prælatis, qui remanserant in Paniscola, multum reverenter pluries sæpe dictum Dominum Petrum de Luna requisiverunt, ut vellet jam facere & implere, quod promiserat, allegationem [allegarunt] etiam privationem Johannis & renunciationem Gregorii, per consensum omnium fere Christianorum postea subsecutum, ecclesiam Dei jam unicam esse in persona Domini Martini: unde non poterat ullo modo dubitare, quod ipso cedente, non remaneret amplius ecclesia in schismate. Et quod ipse erat ille, qui per suam renunciationem poterat indubitatam pacem dare toti populo Christiano; & ita deinceps nullus scrupulus amplius posset remanere. Quod si hoc faceret, pro quo magnis precibus & cum lacrimis supplicabant, sequeretur ei magna laus & meritum apud Deum; de mentibus autem hominum omnis hæsitatio tolleretur. Ad quæ Dominus Petrus de Luna respondit, se nolle renuntiare satagens suis commentitiis argumentis electionem tam sanctam de Domino Martino prædictam improbare, addens intellexisse multa de humilitate & bonitate Domini Martini, & quod cum ipso bene concordaret. Videntes igitur Cardinales & Prælati prædicti, non posse hominis cor induratum flectere, tandem ab ipso recesserunt, & cum legato Apostolico concordarunt, & ad obedientiam Domini Martini, recognoscendo eum unicum & indubitatum Pontificem, tandem venerunt. Cum Domino Petro de Luna remanserunt duo Cardinales, unus Carthusiensis & alius, qui dicebatur Dominus Julianus de Dobla, qui fuerat summus auditor cameræ, jam etiam ab eo recesserat omnis Hispaniarum obedientia: remanserant solum Rex Scotiæ & Comes Armeniaci, qui tandem veritatem cognoscentes, in plenam obedientiam Domini Martini venerunt. Sicque tota Christianitas, Paniscola excepta, unum ecclesiæ sponsum Dominum Martinum tenebant & reverebantur, ecclesiæ unione perfecta, non tamen absque magnis laboribus tam secularium quam ecclesiasticorum principum, & inprimis invictissimi Romani Imperatoris Sigismundi, cui præcipue opus hoc, Deo inspirante, fuit attribuendum. Restabat, ut in sacro Concilio fieret reformatio morum tam in clero quam in populo Christiano. Sed cum jam anno circiter quarto concilium in civitate Constantiæ perstitisset cum multo prælatorum & ecclesiarum particularium incommodo & etiam in gravi sumtu, placuit summo Pontifici Martino, sacro consulente consilio, materiam hanc reformationis in tempus & in aliud concilium differre, ita ut in proximo futuro concilio materia reformationis duceretur in medium. Et quia non omnium nationum idem est ritus & vivendi modus, & juxta beati Jeronymi dictum quælibet provincia abundet in suo sensu, juxta uniuscujusque nationis mores in quibusdam capitulis cum unaquaque ad quinquennium tantum Dominus Martinus loco generalis cujusdam reformationis concordavit. Et quoniam schisma fuerat in Dei ecclesia introductum eo modo, quo supra narratum est, ex duratione cujusque multa mala in populo Christiano extiterant subsecuta, nec de facili primo dum fuerat extirpatum, quoddam decretum contra futura schismata & de celebratione generalium Conciliorum fuit promulgatum statim post Domini Johannis fugam. Aliud quoque decretum ediderunt de celebratione generalium Conciliorum, & inter cætera hoc habens, quod in fine Concilii Constantiensis ad quinquennium deberet generale Concilium celebrari, a fine illius ad septennium, aliud iterum Concilium celebraretur, a fine illius Concilii ad decennium, & sic de decennio in decennium generalia Concilia tenerentur, pro necessitatibus ecclesiæ. Quod quidem decretum generalium Conciliorum, sicut præmittitur, de tempore in tempus celebrandorum Dominus Martinus recepit, & per suam bullam approbavit. Cætera vero decreta ante ejus assumtionem facta, quanto fidem Catholicam concernebant & non aliter similiter recepit, & auctoritate Apostolica comprobavit. Ut autem Dominus Martinus decreto de celebrandis Conciliis satisfaceret, & aliud gene-

generale Concilium ad quinquennium celebraretur, XIII. Kal. Maji publicam sessionem tenuit, in qua, sacro consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiæ in Lombardia deputavit pro loco futuri Concilii in dicta civitate celebrandi, cujus quidem deputationis & Apostolicæ bullæ tenor talis est: Martinus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Cupientes ac etiam volentes decreto hujus generalis Concilii satisfacere inter alia disponenti, quod omni modo generalia Concilia celebrentur in loco, quem summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii supra dicti eodem approbante & consentiente Concilio deputare & assignare teneatur pro loco dicti proximi futuri celebrandi Concilii supra dicti eodem approbante & consentiente Concilio civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, etiamque assignamus statuentes & etiam decernentes, quod prælati & alii, qui ad generalia Concilia debent convocari tempore prædicto, ad ipsam civitatem Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo omnino hominum &c. datum & actum Constantiæ in loco publico sessionis dicti Concilii XIII. Kal. Maji Pontificatus nostri anno primo. Aliam quoque sessionem ultimam videlicet solemni ritu celebravit, præsente Imperatore & copiosa Principum & Prælatorum multitudine, die XXII mensis Aprilis, anno Domini MCCCCXVIII. in qua sacro approbante Concilio illud Constantiense tam magnum, & non tam memorandum quam venerandum Concilium dissolvit Reverendissimo Domino Ybaldo sancti Viti in macello Diacono Cardinali, de mandato dicti Domini Martini & consensu totius sacri Concilii, hæc verba alta & intelligibili voce dicente: Domini, ite in pace. Sicque Concilio dissoluto quilibet cum gaudio ad propria remeavit. Fuerat summus Pontifex Martinus magnis precibus exoratus ab Imperatore, ut aliquantulum temporis continuetur in Germania. Domini autem Gallici precabantur, ut proficisceretur in Galliam. Ipse vero Pontifex considerans totum primatum Ecclesiæ in Italia occupari per tyrannos & gentes armorum, quodque urbs Romana peste, fame, & gverris diu laboraverat, & pene ad internecionem redacta fuerat, compatiens sedi propriæ, & indolens ejus calamitati, tot malis in propria persona occurrere statuit, & ad sedem propriam remeare decrevit. Decebat enim, ut facta unione in persona sua propria unicus & indubitatus Christi vicarius, & legitimus Petri successor collocaretur. Recessit ergo de Constantia, & iter faciens per Sabaudiam venit ad Mediolanum, deinde Mantuam intravit anno Domini MCCCCVIII. die - - - notabiliter, ibique curiam suam tenuit mensibus circiter IIII, Anno vero Domini MCCCCXIX. die III. Februarii de Mantua recessit, & per Ferrariam transiens & Romandiolam, venit Florentiam, ubi curiam tenuit mensibus XVIII. Non enim per Bononiam transire voluit, quoniam tunc rebellis erat ecclesiæ populus Bononiensis, seque a dominio ecclesiæ post privationem Domini Baldasaris Cossæ subtraxerat, & in sua rebellione usque tunc perdurabat. Causa vero, cur potissimum se ad civitatem Florentinensem contulit, illa fuit, quod Brachius de Montone totum ducatum Spoletanum & Patrimonium sancti Petri una cum civitate Perusinensi & multis aliis civitatibus, castellis & terris occupaverat. Sibique etiam consideraverat multos tyrannos & armorum Capitaneos, quibus sic per tyrannidem occupatis non erat ipsi Domino Martino ad urbem, ad quam proficisci proposuerat, tutus accessus. Erat autem per idem tempus Brachius de Montone valde potens armis & terris, & multum amicabatur populo Florentinensi. Per hanc ergo occasionem & mediatoribus Florentinis, ut Brachius ecclesiæ terras restitueret, & tutum iter ad urbem proficisci Pontifici faceret, Martinus ad civitatem Florentiæ divertit, ubi cum Brachius in sua duritie persisteret, & terras Ecclesiæ restituere recusaret, Beatissimus Pontifex ad arma spiritualia recursum habens, contra eum in forma juris processit, ipsumque in publico consistorio excommunicavit, & in terris quas occupabat interdictum posuit, Ducemque Spoletanum Comitem Anthonium de Urbino creavit. Unde Florentini hoc videntes, se mediatores pacis constituerunt inter Dominum Martinum & Brachium occupatorem. Tandemque pax firmata extitit, & Brachius ad pedes Domini Martini veniam postulaturus accessit, magnam partem terrarum ecclesiæ, quas occupabat, relaxavit. Et insuper contra Bononiam rebellem ecclesiæ potenti manu se convertit, ut eam in potestatem Domini Martini revocaret. Pro qua expeditione creatus est tunc legatus de latere Dominus Gabriel Condolmario titulo sancti Clementis sanctæ Romanæ ecclesiæ Presbyter Cardinalis, postea Eugenius Papa IIII. cum quo Brachius contra Bononiam perrexit. Et tandem in potestatem ecclesiæ civitas ipsa redacta est. Martino itaque Florentiæ existente, venerunt personaliter Florentiam quatuor illi Cardinales de obedientia olim Petri de Luna cum magna comitiva Prælatorum & Cortesanorum Hispanorum ad numerum fere sexcentorum equorum in valde decenti apparatu, qui in publico Consistorio cum magno gaudio a Papa & a tota curia suscepti sunt, tres eorum erant Diaconi Cardinales, videlicet sancti Gregorii, sancti Eustachii & sancti Angeli, quartus vero Presbyter Cardinalis scilicet Montis Aragonensis Canonicus regularis. Erat per idem tempus Dominus Baldasar Cossa adhuc in carceribus apud Holdeborg in manibus Comitis Palatini carceratus in Germania. Pro ejus relaxatione quidam cives Florentini, quos magna ejusdem Baldasaris pecunia fore dicebatur, agere cœperunt apud beatissimum Pontificem, pro liberatione Domini præfati rogantes, ut partes suas interponeret, quod & fecit. Misit enim legationem ad Comitem Palatinum, persvadens ei, ut Dominum Baldasarem relaxaret. Ipse vero Palatinus, acceptis primo XXXta milli-

millibus Ducatorum, quibus se Dominus Baldasar redemit, eum tandem e carceribus dimisit. Qui cum iter faceret ad Italiam, pergens per Lombardiam, ut veniret Florentiam, recta via ad terras Domini Petri de Rosis Parmensis districtus pervenit. Ibi Domino Baldasari, duobus tantum sociis comitantibus noctu, die [de] loco ubi hospitatus erat, surrexit, & auxilio dicti Domini Petri de Rosis, qui sibi antea amicabatur, clam nuntiis eum comitantibus fugam petiit, seque tandem contulit in potestatem Domini Thomæ de Campoforgosio Januensis Ducis, cui & in Cardinalatu & Papatu per multa retro tempora amicus & servitor extiterat. Vulgata Domini Baldasaris fuga, cum esset homo alti cordis, & fuerat unus de contendentibus de Papatu, creditum est a multis, periculum aliquod imminere ecclesiæ, quasi per hanc fugæ occasionem schisma redintegrari deberet. Non defuerunt etiam, qui eidem persvaserunt, ut tentaret fortunam, & iterum Pontificatum arriperet. Sed Deus opus unionis tot periculis comparatum deserere nolens, Domini Baldasaris animum inspiravit, ut personaliter veniret Florentiam. Venit ergo cum magna totius Florentinæ & Romanæ curiæ exspectatione, & ad Domini Martini pedes procidens, eum verum & indubitatum summum Pontificem recognovit, & omnia, quæ circa Pontificis electionem gesta fuerant, quantum in se fuerat, approbando ac ratificando, suscepit. Mira profecto res hæc visa est omnibus, & Dei manu fabricata, ut homo in summo rerum fastigio constitutus, de Papatu dejectus in loco libero & ubi plurimum diligebatur & poterat, positus hoc faceret, quod multi etiam ex Cardinalibus, qui fuerant de obedientia Domini Petri de Luna, vix siccis oculis inspicere potuerunt. Hac humiliatione & recognitione peracta, per Dominum Baldasarem decursis diebus aliquot Dominus Martinus eum Episcopum Cardinalem Tusculanum creavit. Sicque usque in diem obitus ejus inter Cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ sedit. Post aliquot vero menses idem Dominus Baldasar Florentiæ moritur, & in sancto Johanne celebratissimo templo honorifice tumulatur. Dum Papa Florentiæ sic moraretur, venerunt oratores Imperatoris Constantinopolitani, petentes, velle uniri Romanæ ecclesiæ, quos Papa benignissime suscepit, atque legatum Apostolicæ sedis pro hoc creavit Dominum Petrum de Fonte Sitii Cardinalem sancti Angeli Hispanum, virum per omnia doctum, præmisso Constantinopolim fratre Anthonio de Massa ordinis fratrum minorum generalem ministrum ad explorandum Imperatoris mentem & dispositiones ad tam sanctum opus, appropinquabat tempus, quo beatissimus Pontifex Martinus sedem suam Romæ peteret, sed pro memoriali perpetuo Florentinorum voluit ante discessum ejus civitatem honore metropolitico decorare. Cum enim habuisset Episcopum ab ipsa pene origine civitatis, Episcopatum erexit in Archiepiscopatum, eique subjecit, & suffraganeos fecit Episcopatum Vulteranensem & Yscorensem. Consecravit etiam manibus propriis altare Sanctæ Mariæ novellæ ordinis Prædicatorum, ubi continue, dum Florentiæ foret, moram traxit; ibi indulgentias tribuendo. Et dum omnes jam difficultates substulisset, quibus iter suum ad urbem retardabat, tandem de Florentia discedens in crastinum nativitatis Domini nostri versus urbem profectus est, quam cum Romanorum omnium incredibili lætitia & singulari applausu intravit XXII. Septembris, Anno Domini MCCCCXXI. Invenit civitatem Romam pacificam, sed ita inopia laborantem, ut vix præ se civitatis faciem ferret. Omnis cultus omnisque ornatus propter mala, quibus afflicti fuerant, ab ipsa recesserat. Compatiens pius Pastor civitati suæ omnem modum quo restaurari posset, adhibuit, & tandem per Pontificis studium de tempore in tempus sic convaluit, ut inter primiores Italiæ civitates quoad opes & cives egregios, verissime Pontificatus sui tempore computari potuerit, meritoque etiam non modo sanctissimus Pontifex Romanus, sed Pater Patriæ debuerit appellari. De mense vero Novembri anni sequentis in vigilia sancti Andreæ flumen Tiberis extra alveum suum egrediens de Campoflorum per viam Papæ & parionis per portam flammeam ingrediens, & usque ad Sancti Marci ecclesiam se extendens, urbem inundavit; Templum Pantheon aqua repletum est usque ad altare majus. Dumque aqua sic ad staturam fere duorum hominum excrevisset, navigarentque per vicos, quos aqua Tiberis repleverat, tandem post duos dies siccatæ sunt aquæ & Tiberis ad proprium alveum regressus est non sine multo Romanorum damno, & animalium quæ in campis remanserant perditione. Venit futura æstate Romam Rex Ludovicus quondam filius Lodovici Regis pro titulo Regni Siciliæ, quem a Domino Martino impetravit, cum subscriptione Cardinalium tunc præsentium in curia. Qui Rex adoptivus factus Reginæ Johannæ II. putabat per hanc viam consequi posse pacifice Regni Siciliæ gubernacula. Sed studio partium prædictus Rex Lodovicus repulsus, in Calabriam secessit. Appropinquabat tempus quinquennii, infra quod juxta bullam suam & decretum Constantiensis Concilii summus Pontifex Concilium celebrare debebat, quod ipse ante discessum suum de Constantia solenniter indixerat. Actumque est ergo secretiori consilio cum fratribus, ut Pontifex ipse præmitteret aliquos ad civitatem Papiæ prædictam, quod Concilium illud inchoarent. Ipse vero cum Cardinalibus initiato Concilio sequeretur. Destinavit itaque pro hoc præsidentes suos numero IV. videlicet Petrum Donatum, Archiepiscopum Cretensem, nunc vero Episcopum Paduensem, Jacobum de campo Episcopum Spoletanum, Petrum Abbatem de Rosacio Aquilegiensis diœceseos, Referendarios suos, & fratrem Leonardum de Florentia generalem magistrum ordinis prædicatorum qui ad civitatem Papiensem accedentes neminem fere invenerunt,

præter duos Abbates de Burgundia, qui illuc pro celebratione præfati concilii jam convenerant. Statuto tamen die præsidentes ipsi una cum hiis, qui aderant, convocatis etiam prælatis circumvicinis in Dei nomine Concilium inchoarunt. Et in prima sessione missam celebravit Reverendus Pater Dominus Andreas Episcopus Poznaviensis, & sermocinatus est magister Johannes de Ragusio ordinis Prædicatorum. Sicque per multos dies steterunt, paucis adhuc comparentibus. Supervenerunt tandem ex Anglia Prælati & Abbates aliquot, cum quibus vix aliquid fieri poterat, quoniam concilium carebat partibus suis. Nam de natione Germanica nullus venerat, & de natione Gallicana erat Episcopus unus tantum, videlicet Ambianensis, qui de Episcopatu Constantiensi in Normandia litigabat. Et licet forte cum his paucis, qui aderant, multa potuissent expediri, tamen parum momenti agnoscentes fore, quod esset, licet forte juridice a paucis stabilitum, decreverunt adhuc modicum absentes præstolari. In hac itaque exspectatione stantibus tam præsidentibus Papæ quam cæteris paucis, supervenit Papiæ grandis pestis, quæ compulit præsidentes ad transferendum concilium ad alium locum tutum & sanum, habitaque super hoc consultatione de communi omnium ibi congregatorum concordia in solemni sessione, translatum est tandem de Papia Concilium ad civitatem Senarum: in quo loco major multitudo convenit ex omni natione, quam Papiæ convenisset. Per idem tempus Dominus Alphonsus Rex Arragonensis infestus erat Domino Martino, pro eo quod titulum Regni Siciliæ, ad quod aspirabat, ab ipso habere non poterat. Erat etiam eidem Domino Martino Brachius de Montone effectus inimicus, qui ruptis fœderibus pacis, etiam ecclesiæ velut publicus hostis inimicabatur. Misit igitur Alphonsus Rex ad concilium Senense quendam militem oratorem suum, qui quotidie secretas practicas habebat cum quibusdam de Concilio de ducenda synodo in longum, & quasi vellent iterum per distortas vias introduci facere causam Petri de Luna adhuc superstitis in Paniscola extantis, quique de Papatu fuerat dejectus. Hoc perpendens Dominus Martinus & intelligens, quantam perniciem hæc concilii protractio parere poterat, per hæc machinamenta, cum jam aliqua decreta fidem concernentia in eodem concilio fuissent publicata, mandavit Synodum dissolvi, prius tamen electo & deputato loco, ubi haberet generale futurum Concilium celebrari. Præsidentes itaque una cum prælatis omnium nationum, civitatem Basileensis provinciæ Bisuntium concorditer deputarunt pro loco futuri Concilii ad septennium celebrandum. Per hunc modum & Concilio Senensi, & machinationibus volentium iterum schisma suscitare, finis impositus est. Hic beatus Pontifex anno II. sui Pontificatus per manum Domini Petri sanctæ Mariæ in Cosmedun Diaconi Cardinalis coronari fecit in Regnum Siciliæ Dominam Johannam II. sororem olim Ladislai Regis, qui tempore procedente Alphonsum Regem Arragoniæ prædictum in filium, ut prædiximus, adoptavit, cum naturalibus & legitimis filiis Regina careret. In eaque domus nobilis de Durachio extincta est. Eundem Alphonsum Regina præfata publice proposita causa postmodum abrogavit, & Lodovicum filium Ludowici Regis Siciliæ a Domino Alexandro V. & Johanne XXIII. de regno investiri in filium adoptavit. Non desinebat Brachius de Monthone ecclesiam multipliciter vexare, & se de Regno Siciliæ & præcipue civitate Aquilana, quam multipliciter obsidebat, intromittere; contra quem Dominus Martinus exercitum paravit, sed Deus de cœlo victoriam ministravit foventi partem justiorem. Victus enim est Brachius in campo prope Aquilam, captus & interfectus, corpusque ejus Romam delatum, & extra portam Sancti Laurentii in loco prophano sepultum. Per hanc victoriam magna Domino Martino felicitas accrevit, & summa quies omnibus terris ecclesiæ. Nam tyranno hoc extincto, omnes civitates, quas detinebat, in potestatem ecclesiæ Romanæ pervenerunt, inter quas fuerunt Perusium, Todertum, Assisum innumerabiliaque alia Castella & oppida munitissima; multique præterea tyranni & occupatores terrarum ecclesiæ se tunc Domino Martino sponte submiserunt. Hac igitur victoria parata & terris in dominio ecclesiæ existentibus, decrevit almificus Pontifex pace a Deo sibi petita frui, & ab armis penitus abstinere. Sicque omnes ejus nomen reverebantur & timebant. Nullus erat viarum abscissor, nullum peregrinis præstitum impedimentum: die noctuque omnibus securum iter erat, & cum bonis & rebus in nemoribus velut in civitatibus aliquando transeuntes habebant, tantaque erat tranquillitas tantaque fertilitas, tantaque etiam in omnibus terris ecclesiæ pax, ut Octaviani Principis tempora venisse crederes. Hic ad armatam Bohemiæ hæresim extirpandam, quæ omnem pene Germaniam timore perculsam terrebat, in manu forti & potenti destinavit, primo Dominum Henricum Cardinalem titulo sancti Eustachii, deinde Dominum B. Cardinalem Placentinum, postremo vero Julianum Cardinalem sancti Angeli, Apostolicæ sedis legatum, qui pro tunc non tamen culpa sua sed ignavia potius catholicorum, hæreticorum potentiam & sententiam nimium pertimescentium parum profecit. Hic a Deo dilectus Pontifex multas ecclesias urbis reparavit. Nam porticum sancti Petri, quæ ruinam minabatur, ex integro magna impensa reædificavit, pavimentum quoque navis Mariæ Lateranensis ecclesiæ sumtuose valde fecit construi lapidibus porphyreticis & serpentinis. Eandem etiam navim de novo pretiosis figuris & mira arte fabricatis ex parte pingi procuravit, sed morte præventus compleri opus non potuit. Palatium etiam Basilicæ XII. Apostolorum, in quo magno tempore habitavit, quasi ex novo construxit. Ad ejus imitationem omnes pene sanctæ Romanæ

Romanæ Cardinales eorum titulos ruinæ pene proximos repararunt, & ad magnum ornatum usque perduxerunt. Hic Papa ordinationem fecit nonnullorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, inter quos nepotem suum Dominum Prosperum de Columna sancti Georgii ad velum aureum creavit Cardinalem. Interea Petrus de Luna in Paniscola, ut sæpe dictum est, moram trahens, & usque ad ultimum vitæ spiritum in sua duritie persistens, diem clausit extremum. Ipso defuncto duo Cardinales, qui ei adhæserant, quos supra nominavimus, novum conflare idolum aggressi sunt. Nam quendam Ægidium Mirmonis Canonicum Barchinonensem genere nobilem, elegerunt, & non sine voluntate Alphonsi Regis Arragonum moderni, qui adversabatur Domino Martino, pro eo quod ab eo titulum Regni Seciliæ impetrare non poterat. Et ipse Ægidius prophanationi de se factæ consensit, voluitque Clemens VIII. appellari. Creavitque Cardinales, & reliqua fecit, quæ per summos Pontifices consueta sunt fieri. Tandem de consensu Domini Alphonsi Regis Arragonum prædicti conciliati Domino Martino, in cujus patria & regno erat castrum Paniscolæ, Dominus Martinus ad partes illas Dominum Petrum Cardinalem de Fuxo misit apostolicæ sedis legatum, in cujus manibus ipse Ægidius suo prætenso pontificatu sponte resignavit, quem postea in Episcopum Majoricensem Dominus Martinus promovit. Cæteri autem Cardinales ab ipso creati omnes libere cesserunt. Duo vero anticardinales olim Petri de Luna, qui hunc antipapam creaverant, in sua duritia permanentes, ab Domino Cardinali de Fuxo capti sunt, & diris carceribus mancipati. Sicque ex omni parte schisma tam longum, studio hujus Pontificis, Deo adjuvante, extinctum est! Habebat hic beatus Pontifex duos fratres ex utroque parente tempore sui Pontificatus, Dominum videlicet Jordanum Principem Salernitanum, & Laurentium Comitem Albi. Erat Dominus Jordanus grandior natu, quem ut patrem ratione ætatis Pontifex colebat, & Laurentius junior erat ætate, ipseque Dominus Martinus medius inter eos. Contigit fratrem majorem ex acutissima peste infirmari. Et cum morti proximus foret, nequivit se Pontifex continere, quin fratrem, omni timore pestis abjecto, antequam obiret, videret, visitaret, alloqueretur, & manum tangeret, & per magnum spatium cum eo continuo Christiane exhortando remaneret, quod certe grandis, imo excessivi amoris signum ab omnibus extitit judicatum. Et quod paucissimi etiam privati homines fecissent, ipse Pontifex nimio fratris amore devictus, in fraterna pietate intrepide facere aggressus est. Cujus mortem postea ita patienter tulit, ut de cunctis spectaculum simul & exemplum præberet; alter ejus frater, dum in terra quadam igne casu inopinato assumptus foret, mane antequam celebraret, (instabat enim dies solennis) novum istum inopinatum & casum tam miserabilem, quidam domestici ei innuntiarunt. Quo intellecto non dimisit propterea publice divina etiam siccis oculis celebrare, sed quieto & placido, ut videbatur, animo omnem missæ solemnitatem expleret (explevit). Erat enim homo constantis & integri propositi, quique ad omnia adversa paratum jam animum haberet. Cum vero Deus statuisset, post tot bene gesta Dominum Martinum ad æternam vitam vocare circiter finem mensis Februarii Anno Domini MCCCCXXX. & apoplexia jam sumto prandio infirmatus est, & nocte sequenti paulo ante diem hic beatissimus & omni ævo semper memorandus Pontifex Deo animam reddidit ætatis suæ, ut ferebatur, anno LXIII. cujus quidem mors non modo populum Romanum, sed universos Christi fideles magno dolore confecit. Dimisit tamen ecclesiam ab omni prorsus schismate liberam, & ab omni strepitu bellorum infelicissimo statu quietam. Nec erat Christianus Princeps, quin eum in summo honore & cultu pariter non haberet. Corpus ejus terræ, ut ipse in vita mandaverat, in ecclesia Lateranensi sepultum est ante capita Apostolorum Petri & Pauli, ut quorum semper tenuerat memoriam, & pro quorum semper honore pugnaverat, ipsi apud Deum, pro eo fierent intercessores. Cessavitque Episcopatus diebus XII. Amen.

Numerum sanctorum Pontificum est CCXII. de quibus LXXXIX. fuerunt natione Romani.



XXII. MAR-

XXII.
MARTINI MINORITÆ
FLORES TEMPORUM
AB HERMANNO JANVENSI
continuati usque ad Carolum IV. Imp.

* * *

Virginis Mariæ indignus sacrista Ego Martinus Ordinis fratrum Minorum, scire desiderans, quibus temporibus, quilibet Sanctus vixerit super terram, diversas Chronicas & multas studiose perlegi; ex quibus omnibus ab initio seculi usque ad annum gratiæ Millesim. CCXC. mihi soli aliqua coacervavi verbis puerilibus & numero algorismi. Cum ergo in prædicationibus dicerem populo: hodie tot anni sunt quod iste Sanctus migravit ad cœlos, admirantes Fratres & Clerici pertinaciter exegerunt a me copiam exemplaris & numero usuali, (*) sed quia non solum Hebræorum opiniones & LXX. interpretes, verum etiam Christianos Historiographos veteres & modernos in annorum numeris inter se vidi heu plurimum discordantes, turbatus & anxius viam mediam sub dubio præelegi; secutus inter veteres Orosium & Isidorum ethimologarium; Inter modernos autem Fratrem Martinum Romanæ Curiæ pœnitentiarium de ordine fratrum Prædicatorum; sed heu nec isti tres autentici viri in annorum numero concordabant. Pro qua maxime causa hunc libellum mihi soli servavi, donec prælatorum meorum autoritate & de diversis ordinibus honestorum virorum nimia victus instantia publicavi. Nec dedignor, imo opto & appeto caritative ab aliis corrigi, malens cum beato Gregorio salva fide alieno intellectui cedere, quam contentionibus deservire. Obsecro autem scriptores, ut circa numeros annorum correctione scribendos adhibeant diligentiam. Alioquin ego quantum ad homines in vacuum laboravi, & ignaviæ meæ imputabitur non librarii dormitantis. Usualis autem numerus talis est: Centum C Quadringenti CD. Quingenti D. Sexcenti DC. Nongenti CM. Mille M. Duo millia $\overline{II}$. Quinque millia $\overline{V}$. Viginti millia $\overline{XX}$. Quinque igitur primas mundi ætates celerius transvolans, ætatis sextæ & maxime nostris temporibus duxi prolixius immorandum, ubi seorsum a dextris nomina omnium summorum Pontificum usque ad Nicolaum quartum, qui primus de ordine sancti Francisci Papa fuit, eorumque tempora & statuta potiora elucidans atque diversa mundi mirabilia interferens, omnia Regum Romanorum tempora & annos breviter annotavi, non ad eorum laudem, sed ad sanctorum ejusdem contemporaneorum gloriam & honorem, ut inter spinas principum terrenorum cœlicæ rosæ pullulent & lilia paradisiaca beatorum. Et ob hoc hoc præsens opusculum Flores temporum nuncupavi.

(*) Numerus *usualis* est Romanus, numerus quem vocat *algorismi* est Arabicus qui hodie factus est usualis.

Prima Ætas. Prima dies seculi æstimatur fuisse dominica post medium mensis Martii, in qua Deus secundum Isidorum creavit Adam feria sexta, ubi nos in Kalendario Annunciationem Domini celebramus. In Ebron sive in agro Damasceno hora prima formatus, hora tertia in Paradisum positus obdormivit in extasi donec Dominus Evam de costa ipsius in Paradiso formavit, pomum hora sexta comederunt, e Paradiso hora nona ejecti, ambo ad huc virgines, jam ita magni, quasi essent annorum triginta. Hanc diem scilicet VIII. Kal. April. Deus multis & magnis privilegiis honoravit, licet annis plurimis interjectis, in ea quidem primos homines formavit, animas novas creavit, nuptias præcipiens benedixit, Cœlum Empyreum, Angelos, lucem, aërem, ignem, aquam, terram, paradisum. Chaos Die vero secunda firmamentum fecit & aquas divisit. Tertia die maria congregavit, terram nudavit, arbores & herbas germinare fecit. Die quarta solem constituit, lunam, & stellas, signa & tempora dies & annos. Quinta die pisces, cete beluas aquarum, reptilia & natantia volucres cœli creavit. Sexta die Bestias terræ & reptilia, jumenta, & omne genus serpentum, pecudes domitas & silvestres, hominem scilicet Adam & Evam. Inde post CXXX. annos primus Martir Abel a Kain fratre suo pro justitia occisus est, quem Christus in Evangelio Justum appellat, nosque in canone cottidie memoramus. Deinde post MCXL. annos dedit Dominus victoriam Abrahæ gaudiosam qui cum CCCXVIII. servis suis quatuor Reges & eorum exercitus grandes superavit populumque captivum cum gaudio reduxit. Et ideo Melchisedech sacerdos qui & Rex Salem, die prædicta panem & vinum immolavit prout Genes. habetur XIV. Inde post annos XL. eadem die obtulit Abraham filium suum Isaac super altare in figura Dominicæ passionis prout habetur Genes. XXII. Inde post annos MDCCXCVIII. eadem die hora III. Virgo Maria Archangelo Gabriele nunciante concepit

oncepit salvatorem mundi, hominem interum & vivum organizatum per omnia, ut dicit ugustinus. Inde post annos XXXIII. eadem ie decollatus est Christi Baptista Johannes, liet hoc festum translatum sit ad finem Augusti, uoniam scilicet caput ejus fuit inventum. Ine post unum Annum Jesus Christus eadem die rucifixus, Patrem pro inimicis exoravit, Marem Johanni commendavit, Latronem beatiicavit, Solem obscuravit, Longinum illumiavit, terram concussit, monumenta aperuit, nortuos suscitavit, Inferni tenebras fugavit, anctos Patres lætificavit, dæmones terruit, Luiferum ligavit, prophetias enarravit, umbras egales cassavit, ac novæ legis virtutem contulit acramentis. Præterea Sanctus Jacobus Apotolus ea die legitur occisus & sanctus Petrus de arcere & cathenis per angelum liberatus, sicut crifice totum invenitur in passionali. Super æc omnia nonnulli existimant finale Dei judiium die prædicta futurum quod si ita esset, videretur mihi hæc dies præ cunctis diebus seculi eneranda, in qua Deus omnes mortuos suscitabit, omnes angelos & dæmones congregabit, omnia merita ponderabit, Solem & Lunam purificabit, Signum Crucis in nubibus exaltabit; alvandos ad dextram sub cruce congregabit, amnandos a sinistris in terra collocabit, se & os de inimicis vindicabit & finalem sententiam roferens omnia consummabit. Dicit Metholius quod anno XV. natus est Cayn & Calmania oror & uxor ipsius, post alios quindecim annos Abel & Debora. Sed ante Kayn multi nati fueunt secundum Methodium. Abel C annoum juxta agrum Damascenum occiditur ea die qua nos annunciationem Domini celebramus. Seth filius Adæ vixit CM. XII. annis quem Joeph & Methodius dicunt natum anno Adæ CCXXX. Enos vixit CMV. annis hic aliquas orationes fertur dictasse. Caynan vixit CMX. nnis. Malaliel vixit annis DCCCXCV. Jaeth CMLXII. annis vixit post Enoch quasdam iteras invenit & libros scripsit. Sub hoc Adam MXXX. annorum creditur mortuus, licet Moyses centum annos non computet, quibus uxit Abel filium suum. Igitur Enos vel Enoch nnorum CCCXLV translatus est in Paradyum anno mundi MCCCLXXII. Mathusalem ixit annos CMLXIX. Hic fuit filius Enos. Lamech vixit DCCLXXVII. annos, hic primus bigamiam induxit. Hic quoque sagitta intercit Cayn & arcu ductorem servum suum. Noe ixit annos CML. & quilibet præmissorum filius uit proximi præcedentis se. Quibus omnius vini & carnium usus fuit inconsuetus, Uxores etiam non duxerunt usque ad annum LX, no aliqui ad annum CLXXX. Hic Noe quinentorum annorum genuit tres filios quibus entenariis primo dedit uxores. Et sic termiatur prima ætas habens annos IICCXLII.

Secunda ætas. Diluvium mense Maji factum st, & per annum duravit, Archa Noæ habuit in ongitudine cubitos CCC. in latitudine L. in altitudine XXX. Cubitus autem fuit Geometrius habens fere X. pedes. A tribus filiis Noæ descenderunt Generationes LXXXII. De Sem liberi XXVII. in Asia. De Cham servi XXX In Africa. De Japhet milites XV. in Europa dicunt Historiæ quod ante mortem Noæ vidit de progenie sua simul XXIIII. pugnatorum & C. qui post obitum Noæ turrim ædificantes divisi sunt in linguas LXXII. quam turrim nominat Isidorus in libro Ethymologarum Babel. Postea orta sunt quatuor regna principalia Assyriorum in Oriente sub Belo, Sicyoniorum in occidente sub Eugialo, Scytharum in Aquilone sub Nino, Egyptiorum in Meridie sub Mineo. Belo successit Semiramis Uxor sua quæ Babiloniam condidit & Indos superavit. Hæc usum femoralium adinvenit, proprium filium Ninum in maritum accepit, qui Asiam totam obtinuit, ibique nomine suo Niniven Civitatem magnam construxit, in qua Jonas postea pœnitentiam prædicavit. Patri suo Belo formavit imaginem, secundum adhuc idola Bel dicta sunt Baal & Beelzebub. Usque adhuc vivebat Cham filius Noæ dictus Zoroastes Rex Bactrianorum in Antea, (inantea) qui artem Magicam reperit & septem liberales artes in XIIII. Columnis descripsit septem æneis & totidem lateritiis, quem Ninus occidit, & artes & libros destruxit comburendo.

Post diluvium & fontes & homines mirabiliter variari ceperunt. Dicit Isidorus libro Ethymol. XIII. In Sicilia duo sunt fontes quorum unus sterilem fœcundat, alter fœcundam sterilem facit. Lechitus fons Archadiæ aborsum fieri non patitur. In Italia fons Ciceronis oculorum vulnera curat. Garamantis fons die friget, nocte ardet. In Effino [Epiro] fons ardentes faces extinguit, extinctas accendit. Sardone fontes calidi oculos curant, fures cœcant & fons Job in Idumea quater in anno colorem mutat. Tribus enim mensibus pulverulentus, tribus sanguineus, tribus viridis & tribus clarus. Marsidie fons in Frigia saxa generat. Africæ fons terram indurat & favillas in cespitem solidat. Sylva sub monte Syon certis horis diebusque ebulit. Rivus Judææ quondam Sabbatis omnibus siccabitur. Stix Aqua Achajæ ex saxis fluens bibentes statim interficit, & ideo infernalis dicitur. In Affalcide lacu Judææ nihil vivum mergi potest, & omne quod non vivit mergitur in profundum Lucerna ardens supernatat, sed extincta statim submergitur. In Sydone stagno Indiæ nihil supernatat, sed omnia submerguntur. E contra in aræ lacu Pontitano nihil mergitur, sed omnia natant Brogodice lacus ter in die fit amarus, totiens dulcis. Celinium stagnum Siciliæ odore fugat homines. In Tessalia duo sunt flumina, de quorum uno bibentes oves fiunt albæ, de altero nigræ. Si commiscentur amborum fluminum aquæ fiunt oves variæ. Reate paludes indurant ungulas jumentorum. In Ethiopia fons rubeus bibentes Siphaticos facit. In Boecia duo sunt fontes, unus hominem ingeniosum facit, & bonæ memoriæ, alter obliviosum. Ibidem lacus farialis libidinem excitat. Cizici fons amorem Veneris tollit. Glitorius lacus Italiæ bibentibus tædium vini facit.

 Albu-

Albula aqua Italiæ vulneribus medetur, Ethiopiæ lacu perfusa corpora veluti oleo nitent. In Campania duæ aquæ, una virorum insaniam fugat, alia sterilitatem aufert fœminarum. Zame fons Affricæ voces sonoras facit atque suaves. In collibus Puteolanis Italiæ colligitur pulvis, qui aquæ immersus in lapidem consolidat sicut ignis argillam. In aquis Archadiæ invenitur lapis Abescon dictus, qui semel accensus nunquam extinguitur. Lapis Cindros semper sudat & paulatim stillat. Mare Siciliæ parit corallum sub aqua mollem albam & ramosam, sed siccata fit corallus rubea & dura quæ valere putatur contra tonitrua. Ibidem sal Agragentinum colligitur quod per aquam induratur & per ignem dissolvitur. In Cirmea [Cyrenaica regione] sal ammoniacum sub arena invenitur crescens & decrescens cum luna. Sunt & montes nativi salis in quibus ut lapis ferro ceditur, sal item renascens alicubi tantæ quantitatis ut muros in Arabia & in Pannonia ex eo fieri faciant. In Sicilia Sal menficus rufus, sed in Ethna purpureus. In Capadocia sal gilvus seu croceus. In Pathmo sal splendidus reddens imaginem uti speculum.

De Hominibus diversarum formarum dicit Plinius libro VII. Capitulo III. Et Augustinus libro XVI. de Civitate Dei Capitulo VIII, & Isidorus Ethymolog. XV. In India Cynocephali canina capita habentes cum latratu loquuntur, aucupio vivunt, quorum centum quinque millia conveniunt ut dicit Plinius, & omnes pellibus animalium vestiuntur. Cicopletri in India unum tantum oculum habent in fronte super nasum & tantummodo animalium carnibus utuntur in cibum, ob id Agriofagitæ vocantur. Lemine in Lybia sine capite nascuntur, os & oculos in pectore habentes. In oriente contra Paradisum circa fontem Ganges sunt homines nihil comedentes, quia os tam modicum habent ut calamo potum sumant, odore pomorum & florum vivunt, fœtore subito moriuntur. Ibidem sunt homines sine naso facie plana, item homines habentes labium inferius ita magnum, ut totam faciem contegant dormientes. Item alii sine linguis nutu loquentes. Panochi in Scithia aure tam magna ut totum corpus contegant, Arabitæ in Ethiopia proni ut pecora ambulant, aliqui vivunt per annos quadraginta. Satyri homines cornuti naso brevi, pedibus caprinis prout recitant in legenda Sancti Anthonii Abbatis. In Ethiopia occidentali Sciopedes uno pede latissimo tam veloces ut bestias insequantur. In Schithia ypopedes humanam formam & equinos pedes habentes. Macrodii in India statura XII. pedum. Ibidem pigmæi duorum cubitorum super hircos equitantes & cum gruibus præliantes. Ibidem fœminæ quinquennes concipiunt & annos octo tantum vivunt. Item homines cubitorum quinque. Nunquam infirmi usque ad mortem. De his omnibus scribit Plinius, Isidorus & Augustinus. Præterea legitur in gestis Alexandri quod in India sunt aliqui homines sex manus habentes, item homines nudi & pilosi, in fluminibus morantes. Item homines in manibus & pedibus sex digitos habentes. Item Ypotami in aquis, medii homines & medii caballi, item mulieres barbatæ usque ad pectus sed capite plano. In Ethiopia occidentali Ethiopes quatuor oculos habentes. In Eripia homines formosi sed capite & collo gruino, cum rostris.

Tertia ætas. Ab initio seculi usque ad Abraham fuerunt III. C & LXXXIIII. Inde ad Christum II XII. Hic Abraham Idola patris sui confregit, ignem quem Chaldæi pro Deo coluerunt & habuerunt adorare noluit. Et ideo Chaldæi eum & Aram fratrem suum in ignem projecerunt. Aram combusto Abraham illæsus evasit Deum Chaldæorum id est de igne quem Chaldæi adorabant & alia idola incendebant. Sed & idolum Beli prævaluit, quia coronam fictilem aqua plena habuit, cujus foramina cera fuerunt obstructa, qua per ignem liquefacta aqua exiit & ignem superans Chaldæos confudit. Abraham docuit Egyptios Arithmeticam & Astrologiam. Ad radicem Mambre dicitur adhuc quercus stare, vel ilex ubi Abraham tres vidit & unum adoravit. Et quia quercus illa jam aruit, id circo der Durbaum a peregrinis appellata est. Melchisedech putatur fuisse Sem qui fuit filius Noæ, & omnes primogeniti usque ad Aaron sacerdotes. Uxor Loth versa est in statuam salis, quam Josephus dicit se vidisse & adhuc ibi esse. Pulchra & delectabilia poma crescunt in Sodomis plena cineribus & favillis. Anno Abrahæ C natus est ei Isaac qui XXV. annorum ductus est ad victimam post Adam formatum III CCC IX. Et licet Judæi putant hoc fuisse prima die Septembris. Tamen in die annunciationis fuerunt III CCC XLIIII. anni qui fluxerunt ab Adam. Et Isaac genuit Jacob. Hunc Deus Israelem vocavit. Hic quatuor uxores simul habuit, quæ genuerunt XII. Patriarchas. Eodem tempore Minerva sive Pallas lanificium & multas alias artes mechanicas adinvenit. Diluvium circa Achajam multas regiones delevit. Joseph XVI. annorum venditur vivente adhuc matre sua Rahel & Isaac avo suo, ut dicit Josephus in fine primi libri. Et fuit in Egypto annis XXIIII. Hebræi dicunt Joseph servum fuisse filiæ Dyne. Et Job qui fuit Rex in Oriente, & tres amici sui reges in Occidente meridie & septentrione, & fabulantur etiam hos simul conjuratos habuisse quatuor arbores virides, quæ Job ægrotante pallidæ factæ sunt, & ideo hos tres in medio terræ insimul convenisse creditur. Vixit autem Job post infirmitatem CXL. annis & duplo ditior quam ante, genuit X. pueros, quorum nepotes vidit usque ad quartam generationem.

Athlas Gygas Astronomus floruit III DL. qui fabulose dicitur cœlum sustentare, ejus frater Prometheus annulum excogitavit ut rusticus ferreum, civis cupreum, miles argenteum, princeps aureum ferat, & quilibet unum tantum in quarto digito manus sinistræ, ut dicit Isidorus. Amphytrion post III DC LXXXIIII.

causa

causa studii Athenas perrexit. Postea diluvium particulare multa Regna submersit; sed Deucalcon in monte Parnasso pluribus hominibus alimenta porrexit. Quem fabulatur Ovidius homines ex lapidibus procreasse. Moyses post anno III. DCLXXXVIII. rubum vidit ardentem, literas Hebræas invenit, quamvis ab initio mundi Hebræum idioma fuerit. Sexcenta millia filiorum Israel exceptis parvulis & mulieribus ex Egypto per mare rubrum sicco pede duxit. Legem ac decem præcepta a Deo accepit ante Christum annis M. D. Eo tempore sol Ethiopiam incendio vastavit, quod Ovidius negligentiæ Faëtontis ascribit. Josue post III DCCXXX. Jordanem sicco pede transivit. Jericho destruxit. Reædificanti maledixit prout post annos D. tempore Aza & Achab completum fuit, Chron. III. Regum XVI. Eo tempore Ariccomus in Troyam quadrigam junxit. Cadmus literas Græcas invenit. Perseus a Græcia in Asiam transiens Genti Persarum nomen dedit. Tunc fabulæ fictæ sunt de Saturno, quem Jupiter filius suus castravit. Josuæ contra quinque Reges pugnans Soli & Lunæ præcepit ut starent immobiles, & una dies facta est sicut duo. Reges etiam, tunc XXXI. bello occidit. Huic successit Judas Dux Israel, qui captum Adonibosech* septuaginta Reges amputatis manuum & pedum summitatibus collegerunt sub mensa mea ciborum reliquias, ut feci ita reddidit mihi Deus. Delbora Prophetissa post III DCCCLXXXI. imperavit XL. annis. Tunc Jael Zizerum contrivit habentem C.M. curros falcatos. Apollo Cytharam reperit, Medicinæ artem invenit, quam frater suus Esculapius ampliavit, qui & fulmine interiit. Gedeon post III DCCCXV. imperavit XL. annis. Cui Dominus in vellere signum dedit. Qui pugnaturus contra Madyan populo suo dixit: Omnes timidi vadant domum & recesserunt XXI. & manserunt X. Quorum CCC. retinuit, cum quibus XXC. superavit, Interficiens Oreb. Zeb & Zebec & Salmana Reges Madyan. Hic LXX. filios habuit, quos Abymelech etiam filius suus occidi procuravit. Eo tempore Mercurius lyram reperit, Et chorea in Græcia est inventa. Seyn Dux Israel post IIII. Minus XX. hic habuit XXX. filios sedentes super XXX. asinos Principes XXV. civitatum. Tunc Priamus in Troya regnavit. Carmentis Nympha literas latinas invenit; Centauri in bello Thessalonico fuisse leguntur. Jepte post IIII. in filiam suam sicut stulte voverat Irrneam, immolavit eam. Dicit Isidorus libro IX. quod eo tempore inter Asiam & Europam de gente Gottorum viris omnibus in dolo interfectis uxores arma sumentes & per annos C. potenter bellantes Europam & partem Asiæ superaverunt, Ephesum destruxerunt, Mamillas suas quibusdam medicaminibus evulserunt, & jam Amasones dictæ sunt. Duas Reginas semper habebant, ut una mortua altera succederet, una præliante altera judicaret & sic usque ad Alexandri magni tempora durantes, eidem tributa postulanti rescripserunt: Si bello nos viceris, honorem modicum consequeris, si a nobis victus fueris, non modicum confunderis. Non per gladium & furorem sed potius per amorem fore cum mulieribus præliandum. His Hercules ex improviso irruit, sed parum proficiens se flammis injecit. Troya propter Helenam destructa post IIIIXVI. Eneas in Italiam veniens tribus annis regnavit. Et de progenie sua post eum per annos CCCC. ante Romam Reges XII. qui Silvii vocabantur, sicut Reges Egypti Pharaones, & nunc Reges Romanorum semper Augusti. In obsidione Troyæ non tantum Schakus sed alea ludique diversi generis. Codrus vituperavit ut occideretur. Samson post IIIIXXIIII. Judicavit Israel XX. annis. Hic ab angelo nunciatus ab infantia sanctus fuit, vinum nunquam bibit. Leonem dilaniavit, CCC. vulpes ligavit. Duos funes de novo factas dirupit. Cum mandibula asini mille viros occidit, ex eaque fontem produxit. Portas Gaze civitatis fregit, septem nervinos funes fregit, Crines cum licio extraxit rasus & cæcatus III. interfecit. Eo tempore Booz genuit Obeth ex Ruth ante Christum MCC. Hely Sacerdos post IIIIXLIV. regit Israhel annis XL. Tunc Omerus Poëta fertur floruisse. Samuel & Saul Rex post IIIILXXXIIII. rexerunt annis XL.

Sequitur quarta ætas. David post IIII CXXIIII. Scilicet ante Christum MLXVIII. Ante Romam conditam CCCLX. Hic puer vidit ursum quem superavit, & Leonem jugulavit. Golyam Philisteum superavit, & filiam Saul Regis sibi desponsavit, Annis XL. regnavit. Psalterium dictavit

Ter quinquagenos David canit ordine Psalmos.

Gad, Nathan & Asaph prophetarunt. Dido Carthaginem condidit, quam Scipio cum Romanis postea destruxit. Salomon post IIII CLXIIII. annos XL. regnavit. Habuitque curruum XI. & XII. equestrium, Uxores DCC. qui Reginas & CCC. concubinas prout habetur 3tio Regum XI. Roboam post IIII CCIIII. regnavit annis XVII. Habuit Jheroboam X. tribus, Abya annos tres, Asa annos XLI. prophetaverunt Ayas, Amos, Jeu, Johel, Azarias hujus anno XXVIII. regnare cepit Achab super Israel XXII. annis cum uxore pessima Jezabel. Quæ Helyam fugavit, Naboth occidi jussit pro vinea, in qua eam canes ultimo devoraverunt. Achab Syros bis vicit, primo cum Servio CCXXXII. Devicit Reges XXXIII. cum omnibus exercitibus eorum. Secundo percussit de Syris C. millia die una. Ethiopes decies centena millia venerunt contra Jerusalem quos vicit Rex Asa cum DLXXXX. millibus. Josaphat annis XXV. hic judicibus inhibuit munera. Achab in Ramoth ut supra, Joram annis VIII. qui sex fratres suos occidit. Cui Helyas literas duras misit, male obiit. Achazias annum unum, qui descendit videre filium Achab ægrotum, sed

utrumque occidit Jehu servus Joram. Ejus matrem Jezabel de alto præcipitavit. Filios Achab LXX. occidi præcepit, omnes cultores Baal delevit. Eo anno Helias raptus est in Paradisum post annos IIII CCC. minus duobus ab initio mundi transactis. Sed Enoch fuit in Paradiso ante Heliam II DCCCXXVI. Otholia mater Ochosiæ VII. annis regnavit, omnem stirpem suam occidit. Præter Joab filium Ochoziæ quem Josabeth amica sua uxor Jojadæ VII. annis abscondit. Eo tempore Jonadab filius Rachab omni cognationi suæ præcepit dicens Jeremiæ XXXV. Non bibetis vinum & posteri vestri domum non edificabitis, agros non coletis: vineas non plantabitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus. Joas post IIII CCC VI. regnavit XL. annis. Tunc floruit Helysæus qui pallio Heliæ Jordanem divisit. Sale aquam dulcoravit. XLII. pueris maledixit. Tribus Regibus aquam dedit. Oleum Viduæ multiplicavit. Filium Sunamitis resuscitavit. Coloquintidas emendavit, panes ordeaceos populo augmentavit. Naaman Syrum mundavit, Ghesiæ cum progenie sua læsum fecit, ferrum natare obtinuit. Exercitum Syriæ cæcavit. Samariam a fame & obsidione liberari prophetavit. Jezahel Regem Syriæ & Jheu Regem supra Israel constituit. Regi Joas tres victorias de Syriis promisit. Sepultum mortuum suscitavit. Hic Joas lapidari jussit Zachariam intra templum & altare, quod erat in atrio suo Regni sui antepenultimo. Amazias annos XXIX. hic prævaluit Idumæis. Sed Joas Rex Israel captivavit eum, & murum in Jerusalem destruxit per cubitos CCC. Ozias vel Azarias annos LII. Hunc Deus lepra percussit, quia de Sacerdotali officio se intromisit. Olympias sive ludus quinquennalis a Græcis instituitur. Regnum Assyriorum post IIII CCCCXX. In Medos transfertur. Quia Arbacus vicit Sardanapallam, qui purpuras fusavit & flammis injecit. Joacham post IIII CCCCXXVII. regnavit annis XVI. Tunc Amulius de progenie Eneæ Numitorem fratrem suum Regno Italiæ privavit, qui in agro suo vivens filiam Virginem Deæ Vestæ consecravit. Quod votum occulte infringens Remum & Romulum peperit, eosque juxta Tiberim projecit Mater, ergo viva defossa est, pueri adulti Amulium occiderunt, Numitorem Regno restituerunt, Romam construxerunt, ubi Romulus Remum occidit & urbem nomine suo Romam appellavit. Constituit etiam nomini suo imaginem auream in pallatio Romuliano, & prophetatum fuit, quod tam diu stare deberet, donec Virgo filium parturiret. Achas annos XVI. Hunc corripuit Isaias dicens pete ter signum a Deo, quod noluit, sed Deos gentium adoravit. Eo tempore Spartani seu Lacedæmonii per annos L. bellando vagantes uxoribus suis ut alios maritos ducerent ne genus periret. Ezechias post IIII CCCCLIX. regnavit an. XXIX. Excelsa sive altaria deorum destruxit. Phase celebravit in quo II. tauros & oves XVII. expendit. Serpentem Moysi fregit, quia populus ei immolavit. Hujus anno VI. Salmanazar Rex Assyriorum cepit Samariam & cum populo Israhel captivum duxit. Tobiam, qui anno LVI. cæcatus IIII. annis cœcus fuit, deinde illuminatus annis curatur LII. Donec filius suus VII. filios habuit, & ex eis nepotes plurimos videns obiit CXII. annorum, Junior vero Tobias XCIX. annorum obiit, qui videns quintam ex se generationem. Dicit Orosius quod Roma sit condita post eversionem Troyæ. Anno CCCCXIII. Olimpiade VI. Hoc est ab initio mundi IIII CCCC LXXXIIII. Scilicet ante Christum annis DCCVI. Et mirabile notavit Orosius, quod a condita Babylonia usque ad conditionem Romæ fuerunt anni MCLXIIII. & abhinc totidem usque ad destructionem Romæ, sub Rege Alarico. Anno XIIII. Ezechiæ Sennacherib cepit omnes civitates usque Jherusalem & misit Rapsacen ad exprobrandum Deo & Regi, Nocte sequenti Angelus percussit CLXXXXV. millia. Anno XV. Ezechias ægrotavit cui Dominus XV. annos addidit & solem X. gradibus retrocedere jussit. Tunc Rex fecit Psalmum, Ego dixi in dimidio dierum meorum. Manasses annos LV. Hic peccator maximus, sed in captivitate pœnitens Rex sanctissimus factus est. Savia Sibilla VI. claruit. Decem enim Sibillas Isidorus VIII. libro nominat & singularum dictamina super laudat. Quarum una Romæ scripsit in lapide: P.P.P. S.S.S. R.R.R. F.F.F. At Beda venerabilis Presbyter sic exponit, Papa parit patere, seu Pater perditur, Secum Sapientia Saltat, seu Sustollitur; Roma Ruet Romuli, Ferro Flamnisque Fameque. Anno II. Census primum exigi cepit. Josias post IIII DLV. hic anno VIII. regnare cepit & annis XXXI. regnavit, Excelsa & omnia Idola in Israel destruxit, sicut tempore Jherobeam nominatim de Josia prophetatum fuit, Anno XVIII. celebravit pfasc & obtulit boves III. Item agnorum & reliquorum pecorum XXX. Hunc occidit Rex Egypti. Unum librum lamentationum fecit Jeremias & addidit aliquid post eversionem Jerusalem. Tunc Tales Græcus Philosophus claruit qui primus cœli causas & vim rerum naturalium contemplatus ratione suspexit ut dicit Isidorus II. Ethym. Jechonias vel Joathas menses III. Hunc amovit Rex Egypti & constituit pro eo fratrem suum Helyachim seu Joachim qui IX. annis rexit, & post eum Joachim filius ejus tribus mensibus, quem vinctum cum X. transtulit Nabuchodonosor in Babyloniam. Constituit pro eo Patruum suum Sedechiam, qui & antea Manasses vocabatur & regnavit annos XI. Rupitque juramentum Nabuchodonosor, quia Jerusalem destruxit, Regem cœcavit, populum suum secum duxit. Et hæc est transmigratio Babylonis.

Sequitur quinta ætas. Transmigratio Babylonis post IIII. DCIX. annis LXX. duravit. In quibus prophetaverunt Ezechiel & Daniel, & historia

historia Judith scripta fuit. Sapho mulier diverso poëmate claruit. Cyrus regnare cœpit, sed multum timuit Crœsum Regem Lydiæ, qui supra modum divitiis abundavit, ut tangit Boëtius libro II. de consolatione Philosophiæ. Igitur Cyrus bello Crœsum vincens flammis injecit, tunc pluvia ignem extinguens & Crœsus illæsus effugit. Postea Crœsus vidit in somnis Jovem se irrigare & Phœbum siccare, quod filia sua audiens sic exposuit affixus cruci pluviis irrigaberis, & sole siccaberis, quod & factum est, quia de sua priori liberatione non retulit Deo grates. Cyro quadam vice præliante fortissimi sui de prælio fugierunt, quibus omnes mulieres regionis illius occurrentes ostenderunt nuda posteriora & dicentes quare fugitis vultis ventres matrum reintrare, & renasci, qui præ confusione ad prælium revertentes hostibus restiterunt. Miles quidam Cyro Carissimus in Physon sive in Gangi flumine est submersus, in cujus ultionem Rex Cyrus eundem fluvium in partes CCCC. divisit, item Eufratem, similiter dividens, Babyloniam cepit. Cujus muri C. cubitorum spisti & CC. cubitorum alti fuerunt, ambitus autem stadiorum CCCCLXXX. Et portæ æreæ C. cum vectibus ferreis ut dicit Orosius. De quibus Ysaiæ XLV. Christo meo Cyro portas æreas conteram & vectes ferreos confringam. Et dicit Jheronymus quod turris Babyloniæ in altitudine habuit III. passuum seu duas leucas. Canis Regina Scytharum bello superavit Cyrum Regem Persarum & cum eo CC. millia pugnatorum. Caput autem Cyri projecit in Ydriam sanguine plenam, & dixit: Sanguinem sitisti, sanguinem bibe. Anno Cyri primo redierunt de Babylonia fere V. Judæorum ducentes equos DC. mulos CC. Camelos CCC. Asinos VI DC. vasa aurea & argentea V. milia CCCC. Darius annos XXXIIII. Socrates Philosophus Deos contemnens veneno ab Atheniensibus occiditur. Plato ejusdem discipulus Rhetor & Philosophus clarus habetur. Usque huc Roma per annos CCXLIIII. regibus gubernabatur. Quibus ab urbe propulsis Romani duos Consules anno quolibet creaverunt, qui expletis hujusmodi officii annis Exconsules appellari consueverunt. Hi Romam per annos CCCCLXVII. gubernantes omnibus nationibus prælia intulerunt & una tantum æstate a præliis quieverunt. In judiciis enim etiam nemini pepercerunt contra justitiam. Brutus Consul, a quo Britannia vocabatur duos filios suos, & duos uxoris suæ fratres virgis cæsos securi occidit de quo Poëta: Natosque pater nova bella moventes ad pœnam pulchra pro libertate vocavit. Xerxes post IIII DCXIII. regnavit annis XX. Tunc equam vulpes peperit ut dicit Isidorus XI. Ethymologarum. Hic post urbem Conditam anno CCLXXV. Olympiade LXXXIIII. contra Spartas millia mille armatorum per mare vexit ut dicit Orosius cum DCC. navibus rostratis. Qui omnes superati sunt a IIII. Sparcianorum quibus ante bellum prandentibus dixit Leonides Rex eorum, Gaudenter prandete tanquam apud inferos cœnaturi: Cujus verbo omnes territi ad bellum protinus surrexerunt & victoriam obtinuerunt. Arthaxerxes post IIII DCCXXXIII. regnavit annis XL. Esdras Scriba exustam legem prout potuit renovavit. Darius Notus annis XIX. Artaxerxes sive Asverus post IIII XCII. regnavit annis LV. Anno tertio convivium suum fecit. Hester reginam duxit. Amon suspendit, Mardocheum exaltavit. Sic de præliis Romanorum victoriis & infortuniis aliqua breviavi. Scipio Carthaginenses bello vicit, XX. interfecit, Elephantes XXVI. occidit, sed quatuor vivos per Italiam ducens spectaculum adeo quasi rei novæ præbuit universis. Apud Rodanum Romani de exercitu Gallorum CC. millia occiderunt, item IIII. Italici de cæde profugi jugum montis insimul ascenderunt, ubi frigore & nivibus oppressi subito riguerunt. Nam alii saxis, alii armis innixi, quidam sedentes, quidam stantes oculis patentibus & nudatis dentibus in modum viventium videbantur, nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium. Crassus Consul Gallos & Germanos bello vincens XL. millia interfecit. Item contra Hanibalem in Africa venientes Romani ceciderunt, ubi Senatorum & militum LX. milia occisi sunt. Igitur Hanibal in testimonium victoriæ tres modios annulorum Carthaginem misit, quos a digitis Romanorum occisorum traxit. Regulus Consul bellum contra Carthaginenses sortitus juxta quoddam flumen constituit castra, ubi serpens maximus multos ad aquam descendentes occidit. Totus igitur exercitus ad expugnandum illam crudelem bestiam profectus est, sed horrenda squammarum crates telis & jaculis resistebat vix tandem multis occisis devictus est & saxis & telis oppressus, cujus corium CXX. pedum Romam ductum cunctis intuentibus admirationem intulit & terrorem. Diris etiam prodigiis Romani sunt territi antequam civitas vastaretur. Nam sol visus est pugnasse cum Luna, scuta sanguinem sudarunt. In die plures Lunæ apparuerunt, nox ultra spatium protendebatur, veri lapides more grandinis de nubibus ceciderunt. Quibus etiam diebus natus est Alexander Magnus. In medio Romæ loco quodam aperta est terra & hiantia infra patuerunt. Dii interrogati responderunt, non claudetur hæc vorago nisi aliquis voluntarie se immergat, sed cum hoc nemini persuaderi posset, dixit Marcus Tulius: Si per annum in Roma pro libito meo vivere me sinitis, anno elapso gaudenter & voluntarie me immergam, Romani concorditer consentientes nihil sibi clauserunt quibusque ipsum rebus & uxoribus libere uti permittentibus, anno elapso cum nobili equo saltu præcipiti se immersit & statim terra se clausit. Anno igitur ab urbe condita CCCLV. Brennius Dux Gallorum qui dicitur fuisse Syrenus Veronam construxit & Romam annis X. obsidens cum Gothis & Gallis urbem cepit & igne, fame & ferro penitus delevit, aliudque oppidum & nomen exagi-

exagitatis ac Romanis in extremis civitatibus prosequens ac disperdens. Nunc ad Regem Persarum redeam. Artaxerxes post IIII DCCCXXXII. regnavit annis XXVI. Tunc Demosthenes & Aristoteles claruerunt. Xerxes annos IIII. Xenocrates Philosophus claruit. Darius annis VC. Hunc Alexander vicit & Jerusalem cepit. Dicit Isidorus Ethymol. XI. Quod Alexandro de muliere natum est monstrum superius hominis figuram mortui, inferius diversarum habens formas viventium bestiarum, hujusmodi mirabilia latius reperies in metrico Alexandro. Alexander post IIII DCCCXLVIII. Asiam obtinuit. Ptolomeus post IIII DCCCLXXIIII. regnavit annis VL. Machabæorum primus liber incipit. Philadelfus post IIII CCXIII. Ante Christi adventum, anno CCC. Septuaginta interpretes claruerunt. Hos de Judæa in Græciam vocavit Rex Ptolomæus cognomine Philadelfus qui librorum LXX. millia congregavit & annis XXXVIII. regnavit. Evergetes post IIII DCCCCLI. regnavit annis XXVI. Librum Ecclesiasticum quem & Jhesus filius Sirach composuit. Philopater annis XVII. Iste Judæos prælio vicit, quorum XL. millia interfecit. Epiphanes annis XXIV. Romani Græcos superaverunt. Machabæorum liber secundus componitur, post primum annis CXXX. Philometer post V.XVIII. regnavit annis XXXV. Scipio Consul Africam vicit, Evergetes annis XXVIII. Brutus Consul Hispaniam subjugavit. Sother annis XVII. Thracia Romanis subditur, similiter & Syria. Ptolomæus annis VIII. Romæ ars rhetorica cepit. Insula quæ Walthanea dicitur quæ nec ante fuit reperta in mari edita cunctis mirantibus adhuc manet. Dionius annis XXX. Pompejus Judæam superavit. Cleopatra annis II. Julius Cæsar a Julio Æneæ filio traxit originem. Cæsar quidem dicebatur non causa honoris quia cæso matris utero eductus fuit, primus Monarchiam tenuit, idcirco Cæsares adhuc Monarchæ appellantur. Hic mense Julio nomen dedit, * annis regnavit & a Romanis occiditur. Octavianus Augustus post V CLVIIIII. sed ab urbe condita DCCCX. regnavit annis LVI. Toto corpore pulcher erat, maxime oculis quorum acies clarissimorum siderum modo vibrabat; erga cives benignus & amicos fidus, quorum præcipui erant Mecenas ob taciturnitatem, Agrippa modestiam & patientiam, diligebat etiam Virgilium Flaccumque Poëtas, liberalibus studiis tantum incumbens, ut omni die legeret, scriberet, leges dictaret, antiquas corrigeret & ornaret; Romam sic melioravit, ut diceret inveni latericiam, relinquo marmoream. Hunc cives non hominem sed Deum nominare volentes convenerunt in Capitolio, ubi nunc habitant fratres minores, sed ipse se mortalem intelligens Sibillam vocavit pro consilio, quæ orans in pallatio vidit in cœlo aureum circulum, in quo virgo pulcherrima bajulavit filium pulchriorem. Quod videns Imperator noluit Dominus aut Deus de cætero vocari. Cujus quidem pallatium modo est Ecclesia beatæ Virginis Mariæ. Non tamen vir tantus vitiis caruit, fuit enim occulte invidus, palam vitiosus, dominandi supra modum cupidus, Aleæ lusor, libidini serviens ac sæpius iracundus. Quintillus Varus cum tribus legionibus germanis rebellantibus penitus est deletus, ob hoc Imperator caput suum parieti frequenter illidens furiose clamavit: Quintille Vare redde legiones. Sed Tyberius privignus Cæsaris Germanos cum XV. legionibus per triennium est aggressus, eos vicit & sexaginta millia captivavit. Anno Cæsaris decimo indictio prima cepit. Ita quod per quinquennium, quod dicitur lustrum omnes regiones Cæsari ferrum darent pro armis fabricandis. Item per quinquennium argentum pro militum stipendiis solvendis. Item per quinquennium aurum pro coronis annulis & monilibus faciendis. Et sic per tria lustra seu quinquennia curantur indictiones quæ in literis ascribi solent. Anno XXV. Horatius Poëta obiit Romæ. Et Virgilius obiit in Brundusiis. Cujus ossa Neapolim sunt translata, quoniam civitatem in mari super duo ova dicitur Virgilius ædificasse, & multa in diversis locis supra humanum sensum mirabilia construxisse. Anno XXXVIII. Augustus qui mense Augusto nomen dedit quia prima die mensis ejusdem Octavianus Antonium Regem Egypti bello vicit & tantas divitias Romam vexit, ut pro uno nummo daretur quod ante pro quatuor vendebatur. Et pro tali augmento rerum & divitiarum populus Cæsarem vocavit Augustum. Ideoque Reges Romanorum facti Imperatores semper Augustos se nominant. Ejusdem autem mensis diem primam per CCCC. annos Romani solenniter celebrabant in honore victoriæ Cæsaris Augusti, sed modo celebrant vincula sancti Petri. Eudoxia relicta Archadii, quæ catenas ipsas quibus beatus Petrus vinctus fuerat a Jerosolymis adduxerat, efficiente. Anno XL. Gabriel Archangelus apparuit annuncians præcursorem Domini, qui conceptus est in æquinoctio autumnali scilicet octavo Kalendis Octobris. Anno XLI. Gabriel apparuit *Mariæ* Christum annuncians in æquinoctio vernali scilicet VIII. Kal. April. sicut habes alibi. Hanc diem Deus multis & magnis privilegiis honoravit ut patet in his versibus:

Salve festa dies, quæ vulnera nostra coërces,
Est Adam factus est eodem tempore lapsus,
Ob meritum decimæ cadit Abel fratris ab ense,
Offert Melchisedech, Isaac supponitur aris,
Angelus est missus, est passus in cruce Christus,
Est decollatus Christi Baptista Johannes,
Petrus ejectus, Jacobus ab Herode necatus.

Anno eodem exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis, voluit enim scire quot provinciæ essent in orbe, quot civitates & homines. Pax etiam talis per universum orbem fuit ut Romani construerent Templum Pacis, de quo prophetatum fuit, quod

tam

tam diu stare deberet, donec Virgo Filium pareret & hoc (quia) impossibile putabatur Imperite sic sculpebatur Templum Pacis æternum. Et sic finitur ætas quinta.

Sexta ætas. Jesus Christus de virgine Maria Bethleem natus est, Annis ab initio mundi transactis V̅CC. minus uno, ut scribunt Orosius & Augustinus, vers. Ante Jesum duo CC. minus uno millia quinque. Item ab Abraham I̅I̅XV. Item a David CCCCLXXX. Item ab urbe Romæ condita DCCLII. Item Olympiade Græcorum CXXIII. Item secundum Prophetam Daniel Ebdomadæ LXVI. Item anno Imperii Octaviani XLII. Indictione IIII. Concurren. V. Cyclo X. Novenali II. Epacta XI. Kalendis Januarii VIII. die Dominica hora matutina, quæ sicut meridies illuminata fuit, stella magna apparuit, pax cum Angelis de cœlo venit. Fons olei Romæ erupit. Vineæ Engaddi Balsamum protulerunt; Omnes Sodomitæ obierunt; Bos & Asinus genu flexerunt; Idola Egypti corruerunt. Imago Romuli cecidit. Templum Pacis corruit. Mane tres soles oriebantur, & in unum paulatim jungebantur. Meridie circulus aureus in cœlo apparuit, in quo virginem cum puero Cæsar vidit & vox insonuit: Hæc est ara Cœli. Dicit Augustinus quod ipsa dies nativitatis Domini fuit tunc in principio Capricorni in solstitio hyemali. Et Nativitas Sancti Johanis Baptistæ in principio Cancri, seu in solstitio æstivali. Sed modo non est ita quia anno Domini MCC. dixerunt Astronomi: Solstitium decimo Christum parit atque Johannem. Similiter æquinoctia sunt mutata. Et si mundus ab incarnatione Domini annis XXII. millibus duraret, tunc nativitas Domini stabit in æquinoctio vernali. Et nativitas Sancti Johannis in æquinoctio autumnali. Cujus rationem veram & validam lucide ponit Leachites Astronomus in hunc modum: annus solaris habet ebdomedas LII. diem unam & sex horas præter unius horæ quintam particulam, si illa residua de Kalendario deleretur, Tunc omnia festa Sanctorum manerent in suis feriis semper fixa, tunc omnia festa quæ jam sunt in hieme infra annos CC. fierent in æstate, & e converso sicut dicit Beda; ideo A litera ponitur in Kalendario vicibus LIII. prætera si residuæ sex horæ non supplerentur in bissextili, tunc omnia festa quæ jam sunt in hyeme post annos DCC. fierent in æstate & e converso; sed quia dictis sex horis deest quinta unius horæ particula ex hoc in annis CXX. subtrahitur dies una, ut dicit hic Leghites. Ergo quotiescunque ab incarnatione Domini fluxerunt anni CXX. toties ab hieme recedit nativitas Domini una die tantumque nativitas Johannis hyemi appropinquat, sicut ipse prædixit, me oportet minui, illum autem crescere. Ex prædictis colligitur quod festa prædicta jam X. diebus a suis solstitiis recesserunt & utrumque locum alterius obtinebit, Si per annos XXIIII. mundus stabit, sed ante mille annos dixerunt Apostoli, Nos sumus in quos fines seculi devenerunt, ideo ad propositum pristinum redeamus.

Dicit Jheronimus in minori breviario: Tres Magi cum magno comitatu & divitiis multis die XIII. venerunt in Dromedariis. De quo animali dicit Plinius libro: Dromeda est animal velocissimum, gracile & nervosum, Camelo minus sed longa habens crura, & passum longissimum, tamen suavem, quia sine magna equitantis fatigatione currit, infra diem naturalem C. milliaria, cortices arborum comedit aut fœnum modicum vel ossa dactylorum. Octavianus anno Imperii sui XLIII. Tyberium & Agrippam in filios adoptavit, XLIIII. Ascalonita Herodes infantes occidit, XLV. Judas Gallilæus hortatur Judæos ad rebellandum. XLVII. Herodes obiit cui Archelaus successit. XLVIII. Magna fames Romæ fuit. XLIX. Christus de Egypto rediit, Liber de infantia Salvatoris, multa ponit de septennio quo Christus mansit in Egypto, sed qui certis intendit, ambigua rejicit. L. Tyberius Dalmatas & Sarmatas regiones evicit. LIIII. Portas jam duodecim annos clausas Cæsar aperuit. LV. Ecclipsatus est Sol. LVI. Archelaus in exilium relegatur & Judæa tetrarchis committitur. Tunc Tyberius ex Cæsaris edicto Romanos cives numerans invenit, nonagies CC. & LXX. millia. LVII. Octavianus annorum LXXV. veneno interiit ut putatur, quem Senatus plangens hæc verba immiscuit: Utinam non nasceretur aut natus non moreretur. Tyberius anno Domini XVI. hic privignus & gener Augusti cognomine regnavit annis XXIV. Aliquandiu cum modestia Reipublicæ præfuit, præsidibus Provinciarum scripsit, Tributa nullatenus augeatis, Boni namque pastoris officium est pecus tondere non excoriare. Nam ante susceptum imperium prudens ingenio, clarus eloquio, fortunatus fuit in bello, sed nunc resolutis militiæ artibus nulla per se bella gerens populum Romanum graviter afflixit, filios proprios pluresque Patricios & consules interfecit, Temperantiam adeo abjecit ut qui antea vere Tyberius, nunc Nero libere vocabatur. Huic quidam artifex vitreum vas ductile seu fabricabile obtulit, ut dicit Isidorus Ethymol. XVI. quod Tyberius ad parietem projiciens non fractum sustulit sed curvatum. Igitur artifex malleum proferens & vitrum velut cuprum fabricans mox correxit & interrogatus a Tyberio dixit, hanc artem scire neminem super terram. Quem Tiberius mox decollari jussit dicens, si hæc ars venerit in consuetudinem pro nihilo aurum reputabitur & argentum. Hæc Isidorus. Anno Tiberii primo Herodes Antipas Galileæ præficitur frater Archelai, qui Philippo abstulit Herodiadem filiam Aristoboli. Secundo Mathematici pelluntur. III. Ovidius Poëta in exilio obiit. IV. Germanicus a Tiberio missus Germaniam subjugavit. V. Tredecim urbes terræ motu corruerunt. VI. Fenestella Poëta obiit. VII. Tiberius multos Reges & Nobiles ad se vocans nunquam remisit. XII. Tiberius Pilatum obsidem Judeæ præsidem misit. XV. Johannes Christum

stum baptizavit. XVI. Herodes Tetrarcha Johannem incarceravit circa pascha. XVII. Herodes Johannem decollavit in die annunciationis gloriosæ Virginis Mariæ. XVIII. Eadem die Christus passus fuit qua annunciatus. VI. Kalendas Aprilis resurrexit, III. Nonas Maji ascendit in cœlum, Idibus Maji Spiritum Sanctum suis dilectis misit, Stephanus lapidatus III. Nonas Augusti sequentis post ebdomedas XXVI. Paulus ex Saulo factus est. XIX. Jacobus minor ex Maria Cleophe filia & Alpheo Conjuge suo progenitus Jerosolymis Episcopus ordinatur, sedit annis XXX. XX. Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuit & seditionem Judæis excitavit. XXI. Tiberius lepra infectus Albanum misit ad Pilatum pro Jesu Medico adducendo, Territus Pilatus per literas quantum potuit se excusare attentans, Necem Jesu Judæorum invidiæ impingens de virtutibus Jesu multa scripsit, qualiter autem Sancta Veronica curavit Tiberium require in passionali. Tiberius ergo cum magno fervore ad Senatum retulit ut Jesus pro Deo coleretur, quod tamen processum non habuit triplici ratione, primo quia Jesus hanc gloriam sprevit, nec a Romanis coli voluit, donec immunditia Idolorum inde exstirparetur & Roma Martyrum sanguine rigaretur; Secundo quia Christus paupertatem laudavit, divitibus maledixit, contumelias honoribus prætulit, gaudio & quieti tristitiam præposuit & laborem, ideo Romani carnales avari & superbi dicebant, Cultores paucos habebit quia omnino stultus esset qui se vel in proximo paupertatem aut contumelias tristitiam diligeret aut laborem; Tertio eum invidum dicebant eo quod honorem divinitatis cum diis alienis nollet habere communem; Quarto quia Senatus Tiberium odio habuit eo quod multas terras ex sua negligentia perdiderat, nam Parthi Armeniam, Daci Swessia (Svevi) Sarmatæ Pannoniam & finitimi Galliam vastaverunt. Et ideo Tiberius in Campania veneno interiit annorum LXXXVIII. Gajus Caligula anno Domini XL. regnavit annis fere IIII. Vir nequam & sceleratus, tribus sororibus suis & filiæ unius quidem stuprum intulit, primus Diadema sibi imposuit & se Dominum appellari præcepit. Hunc exclamasse ferunt, Utinam populus Romanus unam cervicem haberet. Anno primo Herodem Agrippam filium Aristoboli a Tiberio incarceratum absolvit eumque Regem Judeæ misit. II. Judæi Alexandriam profugantur pro quibus Philo clarissimus apud Gajum interpellans nihil profecit. Pilatus Præses a Gajo multis calamitatibus oppressus se ipsum occidit, quo in Tyberim projecto Dæmones in aere & in aqua vociferantes fulgura, tonitrua & grandines commoverunt, inde in Rodanum apud Viennam projicitur, sed majores ibi molestiæ a dæmonibus sustinentur, unde de loco usque ad alpha Sireniæ translatus in cujusdam montis cisterna profundissima est submersus, ubi nunc lacus teterrimus est, in quem homo si lapillum projiceret, tonitrua crudelia in aëre mox sequuntur. Herodes Antipas suadente Herodiade Romam venit ut sibi unum regnum a Cæsare impetraret, sed ab Herode Agrippa filio Aristoboli fratris sui per literas apud Gajum accusatus in exilium apud Hispaniam relegatur. Gajus Herodiadæ licentiam dedit, ut si vellet ad patriam rediret. Quæ ait, absit, cui adhæsi in prosperis nunc adhæream in adversis, & sic ambo in exilio mœrore & inedia perierunt, Filia autem ejus saltatrix, cum plures filios genuisset super glaciem deambulans cecidit in profundum. Cujus progenies usque nunc in vigilia Sancti Johannis Baptistæ ad suam Ecclesiam veniens per totam fere noctem cum labore maximo quasi Corizando insanit. Alioquin sive vir sive mulier sive infans quicunque illa nocte defuerit erit per annum freneticus & insanus; Tempore Gaji Cæsaris Matthæus Evangelium suum scripsit anno Domini XL. Marcus XLIIII. Maria virgo assumta est XLII. De cujus ætate, ex quo diversi diversimode opinantur, ideo sanius judicavi penitus obmittere quam aliquid frivolum scribere.

Petrus Papa primus Cathedram sacerdotalem quatuor annos tenuit in partibus Orientis, deinde venit Antiochiam anno Domini XXXVIII. ubi per Paulum de carcere liberatus suscitavit mortuum qui XIII. annos jacuerat sepultus. Ibique Pontificatum tenuit annis septem, ubi modo sunt XII. Archiepiscopatus. Inde Romam veniens in die Sancto Paschæ, sedit in Papatu annos XXVI. menses VII. dies VIII. Nullus alius adhuc tot annis vixit in Papatu. Hic fecit ordinationes mense Septembri Episcopus sex, Presbyteros decem, & Diaconos septem; Constituit in Missa dici Pater noster. Jejunium XL. ante pascha & ante natalis tres ebdomedas & quartam inperfectam ab omni populo venerari. Scripsit epistolas duas & Evangelium Marci qui ejus discipulus fuit & filius in baptismo. Hunc misit in Alexandriam. Misit Maternum in Treverim qui ibi obiit, sed post dies XL. per baculum Petri revixit. Ideo nullus Papa baculo utitur nisi in Ecclesia Trevirensi. Misit & Apollinarem in Ravennam qui inde expulsus in campo monedulis prædicavit, & in crastino Mariæ Magdalenæ martyrium consummavit, idcirco dicitur quod ea die omni anno solent monedulæ de omnibus regionibus in Ravennam convenire, misit & Syrum in Papiam, Potencianum, Altinum, & Martialem aliosque plures. Pater Sancti Petri, Johannes de Bethsaida provinciæ Galileæ ideo Johannes dicebatur, sed Christus eum Papam constituens nomen sibi mutavit, ideoque mos inolevit omnibus successoribus suis nomina mutari.

Claudius anno Domini XLIIII. regnavit annis XIII. menses VIII. Pater suus Drusius privignus Augusti, Patruus Gaji, Moguntiæ occisus & ibidem sepultus est. Eodem tempore Fenix apparuit in Egypto qui ante DC. annos apparuerat in Arabia. Est autem admodum Aquilæ magna, capite cristato fulgore aureo circa collum, corpore purpureo, cauda rosea & cærulea,

cærulea, pulchrior omni pavone sine compare semper vivens ab initio seculi usque in finem, quæ post annos CCCC. per ignem se renovat ut dicit Ambrosius in Hexameron. Scribit etiam Alanus qualiter in Heliopoli tempore Oniæ in die Paschæ cunctis videntibus venit super altare. Anno II. Claudii divisio Apostolorum facta est secundum Bedam, post ascensionem Domini anno XII. Anno ejus III. Petrus Romam venit. IIII. ingens fames facta est, quam prædixerat Agabus. Item dum corpus sancti Jacobi ducentes boves indomiti clara die stella apparuit in campo, inde Compostella ipsa dici consuevit. V. Nova insula stadiorum XXX. in mari apparuit. VI. Cives Romani a Claudio miseriantur, LXXX. vicibus fere CXLIIII. millia. VIII. Claudius Judæos expulit a Roma. X. iterum fames valida fuit. XII. Felix Judeæ procurator efficitur. XIII. Egyptius quidam Pseudo-Propheta Judæos multos seducens a Felice opprimitur. XIIII. Tempore famis in foro a populo conviciis infestatus & fragmentis panum protectus fugit & demum veneno periit annorum XLIIII. sed procurantibus amicis divus seu deificatus est, ut scribit Juvenalis, quod fuit & intemperantissimus ac nullius memoriæ habens uxorem turpissimam & insatiabilem quam occidit, & post paululum sedens in triclinio interrogavit cur domina non veniret.

Nero gener Claudii Anno Domini LXIII. regnavit annos XIII. menses VII. dies XXVI. aureis retibus piscando usus fuit, nullam vestem bis induit, mulis suis sellas argenteas fecit, pallatium eburneum construxit; in bello infortunatus, Britanniam fere amisit. Hic primam persecutionem Christianis intulit & nequissime vivens nec a Matre sua vel sorore abstinuit. Anno secundo Festus præses Felici successit. Paulus vinctus Romam mittitur, sicut scripturæ testimonio comprobatur. Paulus post conversionem suam annis circiter XXXVII. verbum Dei sine intermissione seminando veluti ferrum ignitum totum ignis, ita ardentissima caritate redundans, non quæ sua, sed quæ Dei & proximi solerter perquisivit. Huc usque liber actorum Apostolorum continens a passione Domini annos XXVI. Statius Poeta claruit. V. Nero propriam Matrem suam & matris sororem ac propriam conjugem Octaviam occidit. VII. Jacobus minor lapidatus est, cui frater suus Simon Apostolus successit. Item Matthias lapidatus securi percutitur. VIII. Festo præsidi Albinus successit, huic Florus. IX. Marcus Evangelista passus est in Alexandria ubi ipse fuit Patriarcha. X. Nero jussit incendi Romam, ut similitudinem Troyæ ardentis videret. XI. Senecam jussit eligere mortem quam vellet, qui in balneo venas sibi ipsi incidens obiit. XII. Ducem Vespasianum contra Judæos misit. XIII. passi sunt Petrus & Paulus uno & eodem die. XIV. Nero a Senatu hostis pronuntiatus tali pœna sententialiter condemnatus est, ut nudus per publicum ductus furca capiti ejus inserta virgis cæsus de saxo præcipitaretur, fugit ergo ad quatuor miliaria & fustem dentibus acuens seipsum transfixit, sicque obrigescens a lupis devoratus dicitur annorum XXXI. Et sic progenies Augustorum cessavit.

Linus & Cletus primo beati Petri Adjutores sive Coepiscopi fuerunt, attamen Ecclesia utrumque colit, multi etiam putabant, Cletum & Anacletum esse unum & binomium, sed uterque in Ecclesia suum habet festum. Hos tres Sanctus Petrus instituit, similiter & Clementem, de quo quære in passionali.

Linus Papa anno Domini LXXI. sedit annos XII. Hic ex præcepto Petri instituit ut mulier velato capite Ecclesiam introiret. Item dæmones fugavit, mortuos suscitavit, & innumera miracula fecit. Cum autem filiam Saturnini curasset, ille hoc magicis artibus imputans Linum decollavit.

Cletus Papa anno Domini LXXVII. sedit annis XII. Hic primus scripsit Salutem & Apostolicam benedictionem. Item construxit memoriam beati Petri, suadens peregrinationes ad limina Apostolorum, dixitque hoc esse melius jejuniis duorum annorum, & omnes dissuadentes excommunicavit. Colliseus Romæ erigitur pedum centum, caput æreum adjacet in platea & dicitur Colliseum. Galba Imperator anno Domini LXXI. regnavit menses VII. Hunc Otto Romæ in foro decollavit. Otto regnavit menses VIII. Hic Sabinum fratrem Vespasiani in Capitolio incendit. Et ob hoc a militibus Vespasiani captus, nudus per orbem trahitur populis in os ejus fimum projicientibus, tandemque jugulatus in Tyberim projicitur annorum LVII. Vespasianum ante in Judæa præliantem Josephus prophetavit ad imperium sublimandum. Mirabilia require in Legenda Jacobi minoris.

Vespasianus anno Domini LXXII. regnavit annos IX. menses II. Hic militari virtute præcipuus interdum iratus, inimicitias tamen in corde nunquam retinuit, pecuniæ avidus fuit, quam tamen nulli injuste unquam abstulit, nulli etiam valde pauperi dedit. Hic a Claudio in Germaniam & Britanniam missus centesies & bis conflixit, & utramque imperio subjecit, Filium suum Titum ad imperium electum virtuosissimum ad expugnandum Jerusalem reliquit, donec Judæi pueros proprios comederunt & fame ac pestilentia interirent, per portas ejecta sunt DCCC. corpora mortuorum, per muros autem LX. ejecta, Titus circuiens dixit, Deus tamen vides quod ista non facio. A passione Domini anno XL. capitur Iherusalem, templum destruitur, & sicut Judæi triginta argenteis Christum vendiderunt, sic ipsorum triginta pro uno denario vendebantur. Dicit Josephus quod XCVII. venditi sunt & undecies centena millia fame & gladio perierunt. Anno IX. Terræmotus civitates Cypri subvertit & Romæ pestilentia magna fuit, anno X. Vespasianus profluvio ventris obiit annorum fere LXXII. Qui cum morte urgeretur, erexit se dicens: Imperatorem stantem decet e mundo migrare.

Titus anno Domini LXXXI. regnavit annos duos, menses duos. Hic ante Patrem suum Vespasianum se nominari præcepit. Erat enim omnium virtutum genere nobilis, ita ut amor & deliciæ humani generis diceretur. Vir bellicosus, & in græca latinaque lingua disertus, tantæ etiam largitatis, ut nulli quicquam negaret. Dicunt Iheronimus & Eusebius in Chronicis: Titus in cœna recordatus se nulli quicquam die illa dedisse tristis ac gemens dixit: O Amici hunc diem perdidi; hic Iherusalem destruxit, sicut Christus in die palmarum prophetavit. Ibi murum densissimum perforans senem venerabilem intus vivum invenit, qui dixit se esse Joseph ab Arimathia a Judæis ibi inclusum per annos XL. cœlesti cibo ac lumine confortatum. Titus de templo sumto manna Romam venit. XII. propugnatores sagittis confixi, to biit annorum XLIII.

Domitianus frater Titi annos XV. menses V. anno Domini LXXXIII. Hic decreto Senatus inter Deos refertur & se Deum ac Dominum vocari præcepit, secundam persecutionem Christianis intulit. Anno X. hæresis Menandri & aliorum multorum Ecclesiam Dei turbavit annis pluribus XII. Cornelia Virgo Vestalis ob stuprum viva defossa est, & aliæ ante ipsam tres. XIIII. Johannes Evangelista in Pathmos Apocalypsin scripsit. XV. Flaviam Domitillam & alios Christianos Domitianus in exilium relegavit. XVI. Domitianus a suis crudeliter interfectus est annorum XXXVIII. Quia Romanis multa mala intulit, Consobrinos interfecit. Auream imaginem nomini suo in Capitolio collocari præcepit.

Anacletus Papa sedit annos XII. menses X. Anno Domini LXXXIX. Hic constituit ut Clericus barbam & comam radat sicut habuit a Beato Petro. Quem pagani ad modum Coronæ radentes irrisione dixerunt Papa. Item constituit in missa dici Pax vobis & Dominus vobiscum. Item ut Episcopus a tribus Episcopis ordinetur. Et jejuni ordinent clericos infra missam. Passus est sub Trajano.

Clemens Papa anno Domini XCIII. sedit annos IX. menses II. Hic misit ad Gallias Dionisium Areopagitam & Lucanum Petri discipulum, qui passi sunt tempore Domitiani, item constituit sacras vestes baculum, annulum pallium; Item sententiam excommunicationis ferri in contumaces ut Petrus. Item doctores in ecclesiis haberi præcepit & Archidiaconos qui sint oculi Episcopi. Item de azimo pane confecit ut Petrus. Hic ad Sanctum Jacobum, scripsit sic: Cum ego ad pedes Petri Apostoli procidens declinare vellem Cathedræ honorem, Respondit, Tu periculum times, fugis cathedram, certus esto, quod amplius peccas quod populum juvare eum possis habes tantummodo considerationem tui & non provides quid expediat in communi. Qualiter autem Clemens parentes suos perdidit & invenit, require in passionali. Hic jubente Trajano in mari mersus jacuit per annos DCCCLXII. usque ad Nicolaum Papam primum in templo marmoreo ab angelis præparato ad quam Capellam peccatis hominum exigentibus non patet accessus cum corpus ejus inde translatum sit.

Nerva Senex regnavit anno uno menses IIII. Hic primo edicto omnes exules revocavit, Trajanum ad imperium adoptavit. Johannes Apostolus de exilio reversus Evangelium suum scripsit. Sed Apocalypsin scripsit in Pathmos, ubi sedens absque tecto, pluviæ nec venti nec tunc neque in hodiernum diem ad locum illum descendunt, obiit Nerva annorum LXXXI.

Trajanus genere Hispanus Anno Domini C. in Colonia Agrippina factus Imperator regnavit annis XIX. menses VII. dies XXV. Iste laboris patiens justitiæ & juris reparator & custos sic dicere consuevit: Talis debet esse Imperator erga subditos, qualem vellet optare erga se Imperatorem, si foret ipse privatus. Ad hoc exivit proverbium, quod principibus acclamatur, felicior Augusto, melior Trajano. Hic adjecit imperio Syriam Mesopotamiam, & Armeniam, deinde Asia & Babylonia capta classem in mari rubro composuit, qua fines Indiæ vastando intravit, inde cum gloria rediens deos suos laudavit & Christianos occidi jussit, cui sanctus Ignatius Episcopus Antiochiæ occurrens voce libera Christianum se esse acclamavit; ad terrorem ergo Christianorum Ignatium vinctum ferro Romam misit a Leonibus devorari, qui crebro nominans Jesum Christum interrogatur a paganis, cur non aliud loqueretur, respondit, quia hoc nomen inscriptum est in corde meo, igitur pagani cor extrahentes & in qualibet parte Jesus Christus literis aureis invenerunt. De hoc sancto multa require in Ecclesiastica historia. Qualiter videlicet Brigitta Virgo literas sibi misit, & ipse literis suis gloriosam virginem Mariam sæpius visitavit, cujus festum in Vigilia Purificationis celebratur. Anno Trajani primo Johannes Evangelista migravit ad cœlos VIII. Kal. Julii, ubi nativitatem præcursoris celebramus & sic uno eodemque die est amborum solennitas, licet utrumque mediant centum anni. VI. Simon filius Cleophe Jerosolymorum Episcopus crucifigitur annorum CXX. VIII. Terræ motus multas urbes subvertit, domus aurea incendio periit, Pantheon fulmine crematum est. IX. Plinius Philosophus clarissimus pro pace Christianorum Trajanum Cæsarem mitigavit. XVI. Trajanus tres provincias bello vicit. XVIII. Judæi congregati in Alexandria plurimos occiderunt. Tandem victi ab omnibus ubique trucidantur. Item Terræmotus Antiochiam subruit pene totam. XIX. Trajanus profluvio ventris obiit annorum XLIIII. Cujus ossa in foro quod ipse construxerat posita sunt in urna aurea sub columna CXL. pedum. Nullus Cæsar ante ipsum Romæ sepultus est. Pro hujus anima post annos fere quingentos Sanctus Gregorius flendo rogavit & ei meliorem locum impetravit. Sed Deus Gregorium Papam usque ad mortem gravibus infirmitatibus flagellavit, Alioquin purgatorium biduanum sustinuisset.

Adrianus Elius de Adria civitate, qua mare Adrianus dicitur Anno Domini CXIX. regnavit

vit annis XXI. homo facundus & eruditus in Philosophia, Musica & Astronomia; Bibliothecam miri operis construxit Athenis, pacem semper dilexit, ideo tres provincias amisit, Syriam videlicet, Mesopotamiam & Armeniam quas Trajanus acquisierat. Cujus gloriæ invidus fuisse dicitur licet Nepos Trajani fuerit Adrianus. Hic primo prosequebatur Christianos donec per Quadratum Apostolorum discipulum & Aristidem libris Apologeticis edoctus Jerusalem restauravit, & tantum Christianos in eam locavit, Eamque nomine Heliam nuncupavit. Hic diligens fuit circa ærarium & militum stipendia. Anno IIII. Terræmotus. XI. Sacerdines hæresim condidit. XII. Cornelius Antiochiæ Episcopus ordinatur de quo require Actuum, [orum] X. Eo tempore missa græce celebrari cœpit, quia primo tantum Hebraice celebrabatur. XIIII. Nicopolis & Cæsarea terræmotu corruerunt. XVII. Judæi Palæstinam urbem manu armata depopulantur. XVIIII. Judæi atrociter magnisque cædibus enecantur. XIX. Jerusalem per annos fere C. deserta reparatur, non in loco pristino, sed in loco Calvariæ ubi Dominus fuerat crucifixus, quotiescunque enim Judæi ubi aliquando in fundo pristino reædificare tentaverunt, toties magnis prodigiis territi fugierunt, & aliquotiens igne de terra erumpente plurimi perierunt. XXI. Adrianus aquis moritur morbo intercutaneo LX. & amplius annorum.

Anacletus Papa quartus sedit annos IX. Hic constituit Conjugia publice sponsari & ante fores Ecclesiæ benedici, Et pro transgressione hujus mandati heu multi homines sunt damnati, quia clandestina matrimonia sæpissime rescinduntur, nec debet aliquis Sacerdos talibus interesse.

Alexander primus Papa quintus sedit annos X. menses II. Hic addidit in cantione, Qui pridie quam pateretur. Item constituit quod Eucharistia de pane Azimo conficiatur in modica quantitate, dicens hæc oblatio, quanto potior tanto rarior. Item Sal & aquam jussit diebus dominicis benedici. Passus est sub Trajano cum duobus Presbyteris Eventio & Theodoto, Cum autem laniaretur ungulis ferreis & igne ureretur tacuit, postea interrogatus quare tacuisset, respondit quia tempore orationis Homo Christianus cum Deo loquitur, tunc non hominibus loqui debet.

Sixtus primus Papa VI. sedit annos X. menses IIII. Anno Domini CXXIX. Hic constituit Sanctus in missa dici. Item ne mulier tangat calicem aut corporale. Quod non de serico sed de lino candido fieri præcepit. Item decrevit, quod Episcopus vocatus ad Curiam inde rediens non recipiatur absque literis Papæ ad Ecclesiam suam.

Anthonius Gener Adriani Anno Domini CXL. cum filiis suis regnavit annis XXII. menses tres. Hic cognominatus est pius, sicut revera fuit, erga cives extraneos & Christianos. Hic dixit, mallem Scipionis exemplo unum civem servare quam mille hostes occidere. Hic sua liberalitate omnes thesauros distribuit & ærarium omnino evacuavit. Item in omni Regno suo concionibus recentibus debita relaxavit, postea necessitate incumbente ornamenta suæ uxoris vendidit & vasa sua pretiosa ut stipendia militibus erogaret, nec tamen in subditos exactiones fecit, idcirco Deus ipsum sic ditavit, ut ipse multos ditaret & ærarium relinqueret opulentum. Hujus filia nomine Faustina cum vidisset gladiatores denominationis causa pugnantes tam vehementer in unum exarsit, quod gravem ex hoc infirmitatem incurrit, sed non consentiens turpitudini causam languoris viro suo Marco Anthonio indicavit, qui ipsa ignorante gladiatorem illum jussit interfici ejusque sanguine & adipe totum uxoris corpus liniri, quo facto languor cum tentatione recepit.

Thelesphorus Papa VII. sedit annos XI. menses V. Anno Domini CXXXIX. Hic constituit gloria in Excelsis in Missa. Item ut omnes Clerici jejunare incipiant formam etiam ante Carnisprivium. Item tres Missas in Nativitate Domini constituit celebrari. Hujus tempore Galienus Medicus de Pergamo oriundus Romæ claruit. Item Pompejus Trogus natione Hispanus qui totius orbis historias per libros XLIIII. distinxit. Item Aquila genere Ponticus legis interpres. Item Ptolomæus vir mirabilis in Mathematicis, qui plus addidit in Astronomia quam fuerat antea totum corpus Astronomiæ, instrumentis observavit, multos libros composuit, scilicet Almagesti, & perspectivam, quæ in opere de oculo allegatur, Judiciarium & quadripartitum Centilogium & alia multa, vixit autem annos LXXVIII. natione Alexandrinus, statura moderatus, colore albus, fortis viribus, pauci cibi, redolentem habens anhelitum & indumenta nitida. Ista quoque proverbia dicere consvevit, inter homines altior extitit, qui non curat in cujus mansit terra. Item qui per alios non corrigitur, per illum alii corrigentur. Item ultimæ promissiones cariores sunt. Item Philosophus Secundus nomine claruit, qui de inconstantia mulierum audiens Philosophos disputare domum rediit & in specie peregrini ut matris animum attemptaret, quæ illum exaudiens quasi peregrinum ad carnalem copulam mox admisit, cui filius cum in lecto ei conjaceret, exprobrando dixit: Nunquam ibi intrare me decet, unde exivi, vera quidem est, Philosophorum sententia: Omnis mulier naturaliter est meretrix, ob quod mater nimium verecundata irremediabili dolore vitam finivit, filius autem de hoc semper dolens, silentium perpetuum sibi ipsi pro pœnitentia imponens etiam cum hoc libros plurimos compilavit. Item Justinus Philosophus qui librum de Christiana religione compositum obtulit Imperatori eumque Christianis benivolum fecit.

Longinus Papa VIII. sedit annos IIII. menses III. Anno Domini CL. Hic constituit, ut unus tantum patrimus vel patrima habeatur in baptismo, similiter & in confirmatione & cathechizatione.

Pius Papa IX. sedit annos XVII. menses IIII. Hic constituit sententias excommunicationis in Sacrilegos. Item ut Clericus vel Episcopus insidiatus deponatur & tradatur Curiæ seculari. Huic in specie sancti Pastoris Angelus apparens nuntiavit Pascha die Dominico celebrandum, quia prius semper sexto Kalendas Aprilis celebrabatur.

Anicetus Papa X. sedit annos XI. menses - - Constituit ut Corona Clerici sit sphærica & crines breves sicut ab Apostolis præceptum fuit.

Marcus Antoninus Verus anno Domini CLXII. cum fratre suo Lucio Commodo regnavit annos XIX. Hic Antoninum generatione pii præter fidem Christianam nobilissimus omnes virtutes & ingenium cœleste possedit, qui si non fuisset gloria Romana periisset. Ad nullum eventum fuit elatus, Ab hoc incepit Roma duos habere Imperatores, ut uno moriente alter succederet, uno præliante alter in judicio præsideret, unus in Oriente, alter in Occidente rempublicam gubernaret. Hujus anno VI. lues maxima & mortalitas provincias multas fere delevit, Eo etiam tempore multi Sancti martyrio coronati sunt, Cæsar ipse in Pannonia obiit.

Lucius Antonius Commodus post obitum fratris regnavit annos XIII. Anno Domini CLXXXI. Hic Philippum illustrem Romanum misit in Alexandriam ut esset præfectus Egypti, Cujus Filia Eugenia in habitu virili monasterium ingrediens in Abbatem eligitur, comitantibus eam Protho & Jacintho per melanciam infamata, Sergium & Bachum fratres ac totam parentelam suam ad Christum convertit, Omnium legendarum pulcherrimam require in passionali. Eo tempore Lucius Rex Britanniæ paganus virtuosus gentiles Episcopos XXVIII. dictos flamines, quorum tres Archiflamines vocabantur. Hic per nuncios Elevtherii Papæ baptizatus XXVIII. Episcopos & Archi-Episcopos suos in Regno suo constituit, Et ipse Rex solus fugiens, Bavariam venit, totamque Rhetiam inter Alpes sitam miraculis & prædicationibus convertit, deinde Episcopus ordinatus ac tandem martyrio coronatus & in diocesi Curiensi sepultus signis creberrimis illustratur. VII. Origenes in Alexandria natus est. IX. Capitolium Romæ & Bibliotheca fulmine concrematur. X. Colossi capite sublato Commodus suæ imaginis caput Colosso superposuit, & Julium Senatorem pro fide Christi fustibus interfecit multosque sanctos martyrio consumavit. XIII. Commodus cunctis incommodus in domo Vestali strangulatus est, prius tamen ab uxore sua nomine Marcia veneno infectus ut in quibusdam codicibus invenitur.

Sother Papa Undecimus Anno Domini CLXXV. Constituit ut uxor non habeatur pro legitima nisi per Sacerdotem fuerit benedicta nec tamen separari possunt. Item Monacha velum portet. Item ne fœmina ministret ad altare, Item ne mulier aut virgo de qua oriri posset suspicio maneat in domo Clerici, alias excommunicetur, Hæresis Cataphrygarum orta est, qui dicunt Spiritum Sanctum nec Apostolis nec aliis datum nisi ipsis tantummodo.

Eleutherius Papa XII. sedit annos XV. menses VI. Anno Domini CLXXXIIII. Constituit, ut nulla esca usualiter repudiaretur, item ut nullus a suo gradu ejiciatur nisi accusatus & convictus, quia Christus Judam non dejecit licet noverit, Item ut sententia feratur reo & actore petentibus aliter non, ne forsitan citati alter ipsorum contumaciter audire noluerit, tunc.

Victor Papa XIII. Anno Domini CC. sedit annos X. Hic commisit autoritatem Theophilo Episcopo Cæsariensi in Palæstina, ut in Concilio de paschali Cyclo deliberet, ibi determinatum fuit, quod Deus mundum in æquinoctio vernali creaverit, Sole existente in principio Arietis & luna plena in principio libræ, idcirco eo tempore Pascha celebratur die dominica post lunam XIIII. Martii vel Aprilis.

Ælius Pertinax Vir grandævus & omnibus æquus, munera nunquam accepit. Nunquam se vindicavit, rogatus a Senatu, ut filium suum Cæsarem faceret & uxorem suam Augustam vocaret, respondit sufficere eis deberet quod ego regnem invitus. Hic anno Domini CXXIIII. cum Severo regnasse legitur annis XVIII. Dicit tamen Isidorus quod regnavit menses sex, quem tamen, Julianus Occidens regnavit pro eo menses VII.

Zepherinus Papa XIIII. sedit annos VIII. dies X. Anno Domini CC.IX. Hic constituit, ut omnis Christianus annorum XII. semper in pascha sacramentum communionis recipiat, It. ut calix & omnia vasa sint vitrea, quod per annos C. servabatur usque ad Urbanum Papam.

Symachus legis interpres primus fuit. Tertullianus genere Africanus in Ecclesia insigniter claruit, Origenes puer Magistros ingenio præcellebat, cujus pectus Leonides Pater suus frequenter deosculans, dixit in corde filii mei Spiritum Sanctum veneror & adoro, sicut legitur liber VI. Ecclesiasticæ Historiæ qui fere totus est de virtutibus Origenis; semper nudis pedibus incessit, vinum & carnes non gustavit, in lecto non dormivit, se ipsum castravit, martyrium semper optavit.

Severus Pertinax primus & ultimus ex Africa Imperator Anno Domini CXCV. Julianum bello vicit & annis XVII. regnavit studiis civilibus & Philosophiæ scientiis clarus, literis græcis & latinis eruditus, in bellis fortunatus, aliquantulum parcus & natura severus, quintam exercuit in Christianos persecutionem. Apud Lugdunum in uno colle crucem, in altero idolum collocavit & Episcopum Hyrenæum cum omni populo in medio statuens, dixit, qui Deos adoraverit vivet, qui se cruci inclinaverit occidetur. Episcopus lætus cum vexillo præcedens ivit ad crucem & Clerus fere totus gaudenter. Qui cum suo Pontifice martyrio coronatus est. Anno Severi XI. passus est sanctus Leonides Pater Origenis, qui annis sedecim matrem cum fratribus aluit, & Grammaticam docens suis & sibi necessaria

necessaria conquisivit, libros novos dictabat cottidie & usque ad LXX. ætatis suæ annum plusquam quinque millia volumina compilavit, in quibus hinc inde ipse vel alter errores pessimos seminavit, ubi bene scripsit, nullus melius, ubi vero male nullus pejus, require in Epistolis Jeronymi. XIII. Perpetua & Felicitas bestiis deputantur cum aliis sanctis multis, quæ Dominum precabantur ut Felicitas octavo mense conceptus pareret, ne fœtus in matre periret. XIIII. Severus obiit in Britannia, ubi vallum cum curribus fecerat a mari usque ad mare per milliaria CXXXII.

Antonius Caracalla, a genere vestis nomen accepit, Severi filius, homo pessimus. Anno Domini CCXII. regnavit annos VII. Novercam suam duxit uxorem, occisus est annorum XLII. Eo tempore quinta editio est inventa. Cujus autor penitus ignoratur.

Philippus Maternus sive Ophilius Anno Domini CCXIX. regnavit unum annum tantum & una cum filio suo occisus est.

Kalixtus Papa XV. sedit annos XI. menses II. Anno Domini CCLXVIII. Hic constituit ut emens vel vendens spiritualia sit irregularis. Item jejunia quatuor temporum. Item ne quis contrahat cum consanguinea uxoris suæ. Item cimiterium subterraneum primo instituit, Et in Roma. Cimiterium subterraneum latius miliario habens testudines & diverticula infinita & dicitur adhuc cimiterium Calixti, in quo innumerabiles sancti sepulti sunt.

Marcus Aurelius Antoninus anno Domini CCXX. regnavit annos IIII. Eo tempore Nicopolis in Palæstina est condita quæ post Emaus vocabatur, ubi tunc sexta editio est inventa. Item hæresis Sabellii oritur. Item primus historiographus Julianus claruit genere Africanus inter scriptores nobilissimus. Item Aurelius cum matre sua occiditur.

Alexander Aurelius anno Domini CCXXIII. regnavit annos XIII. Cæsar ab exercitu, Augustus a Romanis vocatus. Hujus Matrem Mammeam Origenes ad fidem convertit. Quæ ob hoc a filio est occisa. Quo tempore sanctus Narciscus Episcopus Gerundinem beatam Affram in Augusta creditur convertisse, alii dicunt quod sub Dyocletiano. Item corpus beati Thomæ Apostoli de Judæa in Edissam translatum est anno Domini CCXXX. Alexander anno Domini MCXXXIII. in Moguntia decollatur.

Philippus primus Christianus Imperator anno Domini CCXLV. filium suum Philippum similiter Christianum regni sui consortem fecit & VII. annis regnavit. Anno IIII. Romani tribus diebus solenniter celebrabant annum millesimum ab urbe Roma condita. Et huic forte solennitati Deus Imperatorem Christianum voluit interesse. Quia eidem XV. gentiles Imperatores successerunt. Hic Decium militem suum cum exercitu misit ad Gallias rebellantes, Decius post triumphum rediens Cæsarem in Verona dormientem occidit & pro eo regnavit. Audiens hoc Junior Philippus Sancto Sixto Papæ thesauros Patris sui commisit.

Decius anno Domini CCLII. regnavit annum unum, menses tres, crudeliter prosequens Christianos, quem fugientes septem fratres Germani absconderunt se in monte Celion prope Ephesum in Spelunca quam Decius obstrui præcepit ut fame interius morerentur sed ipsi per annos CXL. usque ad tempus Theodosii Imperatoris Christianissimi uno somno suavissimo obdormierunt, igitur Decius dum Sixtum Laurentium aliosque plurimos occidisset. Et ipse a Gothis in Thracia occisus est sententia justa Dei.

Gallus Julius vel Ostilius anno Domini CCLIIII. cum filio suo Volusiano regnavit annos duos menses IIII. & intra annum occisi sunt. Origenes obiit anno ætat. suæ LXX.

Valerianus anno Domini CCLVI. cum filio suo Galieno regnavit annis VII. qui putatur fuisse præpositus Decii, & nominatur in Sanctorum legendis, quos Decius interfecit. Sic & Valerianus Christianos persequens anno septimo capitur, & cœcatur a Rege Persarum Sapore, quem Valerianus dorso suo attollebat, dum equum vellet ascendere, sicque miserabili servitute consenescens vitam finivit, cujus filius ob hoc territus pacem reddidit Christianis.

Galienus Valeriani filius anno Domini CCLXIII. regnavit annis octo. Eo tempore bella innumerabilia facta sunt, Germani Italiam, Alemanni Gallias & Italiam depopulantur, Græcia, Macedonia, Pontus & Asia per Gothos vincuntur & alias perplures civitates quassavit irruptio. Galienus in Mediolano occisus est, postquam libri quidam dicunt alterum Decium surrexisse tempore Sixti, sed autenticum non est

Urbanus I. Papa XVI. an. Domini CCXXIIII. sedit annos VIII. menses XI. Ceciliam, Tiburcium, & Valerianum aliosque multos ad fidem convertit. Hic constituit omnia vasa altaris aurea esse vel argentea aut stannea. Item Crismatis confirmationem.

Pontanus Papa XVII. an. Domini CCXXIX. sedit annos IX. menses V. Cui successisse creditur Cyriacus, sed non est in catalogo Pontificum. Qui cum XI. millibus virginum ipse virgo a sede recessit passus cum eis in Colonia sub Julio Rege Hunnorum. Anno Domini CCXL. sedit annum unum ebdomedas XI.

Fabianus Papa XIX. Anno Domini CCXL. sedit annis XIIII. constituit Chrisma in cœna Domini consecrare. Item pro causa licita homo juret. Columba alba descendit super eum in ejus electione.

Cornelius Papa XX. quem in canone nominamus, sedit annos III. Anno Domini CCLII. Græci Petri & Pauli reliquias furati sunt, & Dæmones clamabant, viri Romani succurrite dii vestri aufferuntur vobis, Græci territi ossa in puteum projecerunt quæ Papa levavit, & vox de cœlo dixit, ossa majora sunt prædicatoris, minora piscatoris.

Sixtus II. Papa XXI. Anno Domini CCLV. sedit

sedit annum unum menses XI. Hic & duo præcedentes Fabianus & Cornelius leguntur passi sub Decio.

Claudius anno Domini CCLXXI. regnavit unum annum menses IX. Hic Gothos jam per annos XV. terram vastantes bello vicit, idcirco in curia clypeus aureus, & in Capitolio statua ejus aurea est nomine dedicata. Item XV. Alemannorum in bello occidit & ipse infirmatus obiit. Maria Egyptiaca transactis in Eremo XLVII. annis obiit in cœna Domini IV. Non. April. de qua Zozimas versificans loquitur.

Quintillianus frater Claudii regnavit dies sedecim & occisus est.

Lucius Papa XXII. Anno Domini CCLVI. sedit annos III. menses III. Constituit ut vestes consecratæ non habeantur in usu cottidiano. Item ut Episcopus sit annorum XXX. Et cum eo semper sint duo Presbyteri & duo Diaconi. Item ut Papa eligatur a Clero in publico.

Aurelianus. Anno Domini CCLXXIIII. primo Christianus, clemens, postea persecutor acerrimus regnavit annos V. menses VI. Hujus meminit Glossa super Exod. Hic primus diadema capiti suo imposuit & vestes auro gemmisque contextas in usu habuit, quod antea Romanis moribus incognitum fuit, Porcinasque carnes in usum populo instituit. Hujus sponsa Domicilla fuit, quæ Christiana facta ipsum contempsit. Eo tempore passus est sanctus Mamertus Presbyter Gloriosus, de quo mira & inaudita leguntur prodigia. In octava sancti Laurentii Aurelianus fulmine territus juxta Bizantium occisus est a suis militibus.

Tacitus anno uno regnavit qui juxta Ponthum occisus est.

Forianus seu Marcus regnavit dies XXXVIII. & occisus est apud Tharsum.

Probus filius Aureliani Imperator annos VI. & menses regnavit. Strenuus, justus & fortunatus.

Karus annos duos regnavit & Parthos vincens super Tigridem fulmine interiit miserabiliter.

Miranus & Carinus filii Cari anno Domini CCLXXXVIII. Imperatores facti sunt & eodem anno occisi. Tunc passi sunt Pelagius, Crisantus & Daria. Paulus primus Eremita claruit, quem sanctus Antonius monstris indicantibus requisivit.

Diocletianus anno Domini CCIXC. regnavit annos XX. ab urbe Roma condita MXL. **Hic homo pessimus & maledictus, uxorem habuit sanctissimam nomine Serenam, quæ pro fide Christi passa est in crastino assumtionis Mariæ. Hic occidit Marseum vel Narseum Regem Persarum thesauris plurimis copiosum. Anno XL. Diocletianus se pro Deo præcepit adorari, habens joculatorem curialissimum Genesium militem & Magistrum omnium histrionum. Qui in toto quidem mirabiliter ad fidem conversus fustibus - - - ungula igne & gladio sustinuit passionem in Crastino Bartholomæi** anno XXI. Diocletianus in Nicomedia & Maximianus in Mediolano purpuras & regnum ob senectutis defectum sponte deposuerunt, sed Maximianus post annos IIII. In Marsilia strangulatus & turpiter interfectus est.

Stephanus primus Papa Anno Domini CCLVIII. sedit annos IIII. menses II. passus IIIIto nonas Augusti. Et sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginensis Doctor egregius XVIII. Kalendas Octobris.

Sixtus III. Papa constituit ut altaria ad orientem, * in Medio Martii & Septembris sedit annos IIII.

Dyonisius Papa XXV. an. Domini CCLXV. sedit annos VII.

Felix Papa XXVI. anno Domini CCLXVIII. sedit annos IIII. menses III. Constituit missas celebrare super altaria sanctorum Martyrum reliquiis dedicata, passus est sub Claudio Imperatore, Hæresis Manichæorum oritur de duobus principiis.

Euthicianus Papa XXVII. sedit annum unum anno Domini CCLXXII. passus sub Aureliano.

Eucharius Papa XXVIII. sedit menses X. passus sub Imperatore Probo, constituit benedici uvas.

Getius Papa XXIX. sedit annis XI. menses IIII. Anno Domini CCLXXVIII. constituit gradus sacrorum ordinum puta, Hostiarius, Lector, Exorcista, Accolitus, passus est sub Diocletiano suo cognato, cum nollet Susannam filiam fratris sui dare uxorem filio Diocletiani Maximiano.

Maximianum Regis consortem fecit cognomine Herculeum de Pannonia genere Rusticanum. Anno Domini CCXXIII. eumque in filium adoptavit. Cæsares etiam plures fecit, sed Galerium, Maximinum & Constantinum, patrem Constantini Magni. Qui & LX. milia Alemannorum in bello occidit.

Eusebius Cæsariensis Episcopus historiam Ecclesiasticam scripsit, tunc persecutio gravissima X. annis duravit & infra unum mensem occisi sunt XVII. Christianorum. Et cessavit Papatus annis VII. menses VI. Tunc passi sunt Mauricius Sebastianus, Agnes, Lucia, Gervasius, Gorgonius, & Crisogonus, Cosmas & Georius secundum quosdam, & alii infiniti, Diocletianus in Oriente & Maximianus in Occidente Ecclesias subverterunt, libros combusserunt, & nomen Christi omnino delere conati sunt.

Constantinus in Oriente vir mansuetus a Diocletiano Britanniam missus filiam Regis Britanniæ Helenam duxit uxorem. Qui anno Domini CCCX. cum Galerio regnavit annos II. & in Britanniam rediens, obiit ibidem. Cui successit filius suus Constantinus. Tunc scilicet anno Domini CCLXXXIX. Diocletianus mortuus est.

Marcellinus Papa XXX. Anno Domini CCXC. sedit annos IX. menses. Qui timore passionis Deum negans idolis sacrificavit postea pœnitentia ductus CXL. Episcopos convocavit

vocavit petens eorum sententia deponi, Episcopi autem responderunt, absit ut Papam judicet quisquam, sed magis tu judica temetipsum. Quia Petrum negantem Christum nec sancti Apostoli deponere præsumserunt. Igitur Marcellinus seipsum deposuit, & ad passionem vadens intrepidus, excommunicavit omnes qui eum mortuum sepelirent, sed sanctus Petrus successori apparens eum pro sancto coli & honorifice sepeliri, cujus festum Marci Evangelistæ celebratur.

Marcellus Papa XXXI. Anno Domini CCCIIII. sedit annos V. menses quinque. Constituit XV. Cardinales in Roma propter Baptismum & sepulturam. Item ut nullus Clericus trahatur ad judicium seculare absque permissu Episcopi. Item pueri in claustros cum pervenerint ad annos XV. si nolunt manere licite exeuntes possunt redire ad hæreditatem Patris.

Eusebius Papa XXXII. Anno Domini CCCX. sedit annos VII. Hic constituit Festum sanctæ Crucis V. Nonas Maji. Et multi libri dicunt Eusebii tempore sanctam Crucem fuisse inventam, licet Historia Sylvestri aliter fateatur.

Melchiades Papa XXXIII. Anno Domini CCCXII. Anno IV. constituit ut die dominica nullus jejunet, similiter feria quinta jejunium inhibuit, quod duravit per annos CCCCXX. usque ad Gregorium secundum, qui feriam quintam cæteris fecit æqualem.

Constantinus Magnus anno Dom. CCCXI. regnavit annos XXI. menses IX. Huic se opposuit per sex annos Maxentius Cæsar filius Maximiani Herculii de Pannonia genere Rusticanus, sub qua in Alexandria passa legitur gloriosa Virgo Katherina filia Casti Regis nobilissima. Maxentius igitur contra Constantinum usque ad pontem Ruinum perduxit Exercitum, cum quo pugnare hæsitavit Constantinus viditque in nocte crucem igneam ad Orientem & Angelum dicentem sibi Constantino: In hoc signo vinces. Et quamvis esset magnus persecutor, signum tamen crucis vexillis & clypeis imposuit, sicque bello triumphans Maxentium in Tyberim submersit. Eo tempore passus est Sanctus Quirinus, qui fistulam curat. Et Sanctus Petrus Episcopus Alexandrinus, qui Arrium maledictum excommunicavit. Denuo hi passi sunt cum multis aliis sub Maximiano Cæsare Orientis, qui restauravit decimam persecutionem cœptam sub Diocletiano. Galerius autem divina ultione tactus pepercit Christianis, sed Constantinus desistere nolens lepra pessima infectus est. Cui Petrus & Paulus in somnis apparentes baptismum suaserunt. Qui a sancto Silvestro baptizatus est & curatus, dehinc Helenam Matrem ad fidem convertit, Byzantium reparavit & suo nomine Constantinopolim eam vocans sedem Imperialem fecit, relinquens Romam Silvestro Papæ suisque successoribus, quibus & ornamenta Ecclesiæ suaque Regalia dedit, omnes regiones circumjacentes ad usum Papæ & Cardinalium perpetuo assignavit, Basilicam in suo Pallatio construxit, ubi solus Papa celebrare debet quod dicitur Sancta Sanctorum in honore Salvatoris; ibi servantur in scrinio aureo soleæ Salvatoris quibus usus fuit ut Fratres Minores. Item Caro præcisa de umbilico Domini, & velum beatæ Mariæ cum lacte ejus. Item Crux Christi in longitudine Cubiti unius & aliæ reliquiæ multæ. Fecit etiam Basilicam Sancti Petri in Vaticano Pallatio, ne Romani in templo Apollinis adorarent, & in monte Aurelio, quam constituit Dominam omnium Ecclesiarum, posuitque Corpus beati Petri in capsam ex ære & cupro spissam V. pedum & super hanc ciborium cum columnis porphyreticis & crucem de auro puro habentem libras CL. auri & circa tumbam XII. columnas onichinas de Græcia corpusque beatissimi Pauli posuit in cathacumbas in capsam priori similem. Capita autem in Sancto Sanctorum fecit, & Lateranensem Ecclesiam in honore Sancti Johannis Baptistæ, ibique locavit Archam veteris Testamenti quam Titus asportavit de Jherusalem in qua sunt Tabulæ lapideæ cum præceptis, Manna & Virga Aaron, pars de panibus hordeaceis. Tunica Domini inconsutilis, pars arundinis Domini, vestis Sancti Johannis Baptistæ & alia multa. Supra Archam illam in summo altari posuit mensam in qua Christus cum discipulis cœnavit, ubi nullus celebrat nisi solus Papa vel Episcopus Cardinalis. Singulis autem annis in cœna Domini remota mensa in arcano Archæ Papa consecrat corpus Christi, Oleum & Crisma, sed Sabbato sancto iterum consecrat mensam, quia Sanctus Petrus in eadem dicitur celebrasse. Item fieri fecit Basilicam Sancti Laurentii quam supra modum ornari præcepit, & ut omnibus Ecclesiis de universis rebus decimæ solventur. Tunc vox in aëre audita est: Hodie venenum infusum est Ecclesiæ. Dum autem Constantinus bellum contra Persas pararet, Cometes apparuit & ipse annorum LXVI. obiit apud Nicomediam XI. Kalend. Junii sepultus in Byzantio. Post hunc omnes Imperatores Christiani fuerunt, licet aliqui eorum deviaverunt a fide, sicut & filius suus Constantinus ejusque successor Julianus.

Sylvester Papa XXXIIII. Anno Domini CCCXV. sedit annis XXII. menses X. Constituit Ecclesiarum dedicationes & ut calix crismate inungatur. Item corporale sit lineum album & mundum, sicut Joseph Christum sindone munda involvit. Item Kyrieleison Christe Eleeison de græco sumtum cantari instituit ante missam. Hic Constantinum baptizavit. Helenam cum Judæis superavit, Thaurum suscitavit. Culturam Idolorum destruxit, fidem Christi plurimum exaltavit, primus absque martyrio in pace quievit, Anno Domini CCCXX. in monte Gergano Sanctus Michael Templum suum manifestavit. Anno Dom. CCCXXVI. Concilium contra Arrium Presbyterum in Nicea congregatum est, cui Sanctus Nicolaus cum CCCXVIII. Episcopis dicitur interfuisse Anno Domini CCCXXXII. Helena Crucem Domini invenit Ecclesiam in Bethleem in loco nativitatis Domini construxit cum columnis mar-

marmoreis XL. & chorum de marmore spinosum.

Constantinus cum fratribus suis Constantino & Constante Anno Domini CCCXLII. regnavit annis XXIII. menses V. Hic Arriana hæresi depravatus ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatus est. Huic anno III. Constinus bellum inferens Aquilegiæ est occisus, IIII. terræ motus multas urbes obruit, Paulus primus Eremita obiit annorum CXIII. X. Ecclipsis solis & terræ motus. XIII. Constans apud Hispaniam occisus est. XVIII. Constantinus Julianum Cæsarem fecit. Antonius Monachus obiit Annorum CV. Magnæ Alamannorum Copiæ deletæ sunt apud Argentinam. XX. Ossa Sancti Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ & Timothei translata sunt Constantinopolim.

Marcus Papa XXXV. Anno Domini CCCXXXVIII. sedit annos II. menses VIII. Constituit Credo in unum Deum alte cantari. XXIII. Constantinus contra Julianum arma sumens Persico bello dimisso obiit annorum XLVI. Eo tempore floruerunt Athanasius, Phafnucius, Eusebius Cæsariensis, Beatus Nicolaus, Hilarius Pictaviensis, Victorinus Rethor, Donatus Grammaticus, Johannes Chrysostomus, Hylarion, Sysors Pastor, & Eremita Sanctissimus. De quibus libro qui dicitur vita S. Patrum.

Julianus Apostata Anno Domini CCCLXV. regnavit annos II. Hic timore mortis primo Monachus factus a quadam divite fœmina duas ollas auro plenas cinere superspersо adservandas sibi traditas evacuavit, & diabolo sibi imperium promittente cum auro apostavit. Igitur Imperator factus Christianos graviter afflixit. Cujus Ducem Gallicanum nomine Johannes & Paulus converterunt, quos Gerencianus Campiductor occidens postea Christianus sanctissimus est effectus. Julianus autem Priscianum Grammaticum a fide Christi pervertens, sed sanctum Donatum pervertere nequiens patrem & matrem illius occidit. Iste Donatus Episcopus libellum composuit, quem pueri legunt in scholis, qui vivus & mortuus miraculis multis coruscans martyrio coronatus est VII. Idus Augusti. Igitur Julianus post necem plurimorum Martyrum profectus ad bellum Persicum, Basilio Cæsariensi Episcopo suæque civitati literas comminatorias destinavit; Episcopus orans vidit quod beata Virgo Mercurium militem noviter pro fide passum suscitavit qui lanceam suam quæ pro reliquiis ibi servabatur & Julianum videntibus cunctis aggrediens perforavit, qui XXX. annorum sic moriens blasphemavit, & sanguinem in aere spargens clamavit, Vicisti Galilee, vicisti. Rex autem Persarum Julianum Cæsarem excoriari præcepit, de cujus pelle substratorium sibi fecit.

Jovinianus vel Jobianus Anno Domini CCCLVII. regnavit menses VIII. corpore decorus, ingenio lætus, in literis studiosus, qui cum violenter ad imperium sublimaretur clamavit, nolle se paganis imperare cum ipse esset Christianus, sicque totum exercitum quem Julianus perverterat hic convertit. Cum autem tempore hyemali in novo cubiculo dormiret, sudore parietum nuper calce illitorum & calore prunarum suffocatus mane mortuus est inventus. Eodem anno libri autentici dicunt obiisse Sanctum Nicolaum, alii sub Sylvestro Papa tempore Constantini.

Julius Papa Anno Domini CCCXL. sedit annis XV. menses II. Nicenam Synodum adhuc vivente Constantino celebravit. Conjugium a Sacerdote benedici constituit, item ut cantiones vel instrumenta vel donationes vel commutationes, traditiones, testamenta, legationes, manumissiones & similia per Ecclesias a Clericis celebrentur.

Liberius Papa Anno Domini CCCLIIII. sedit annis XVI. menses VII. Qui in principio Arrianis consentire nolens a sede ejectus est & cum multis Episcopis Catholicis est expulsus.

Felix Papa XXXVIII. adhuc vivente Liberio sedit annum unum menses tres, capite truncatus est, quia Constantinum Imperatorem arguit de hæresi Arriana, Liberius hæresi se subscribens & Arrianis consentiens, Romamque victor intravit & facta est persecutio gravissima ab Hæreticis. Beatus Eusebius sancta caliditate Liberium Papam & XXX. Episcopos ab hæresi revocavit. Ideoque plurimas sustinuit passiones. Plura de his require in passionali III. Kalendas Augusti.

Damasus Papa XXXIX. Anno Domini CCCLXX. sedit annos XVIII. menses III. genere Hispanus, quo petenti Sanctus Jheronimus Presbyter Cardinalis Epistolas & Evangelia sicut hodie tenentur ordinavit, Et officium ad horas alternatim adjungens psalmis Gloria Patri & Filio, quod antea non cantabatur. Hic false de fornicatione inculpabatur, expurgavit se coram LX. Episcopis, & plenus virtutibus obiit sub Theodosio annos habens LXXX.

Valentianus anno Domini CCCLXXVI. regnavit annos XI. Hic Juliano Tribunus militum fuit. Quem dum Pontifex idolorum aspergeret tribunus dedignans, quia Christianus erat, Pontificem pugno fortiter verberavit. Ob hoc a Juliano Tribunatu privatus, sed a Christo ad imperium est sublimatus. Anno primo Imperium Occidentis commisit Fratri suo Valenti, quem Eudoxius Arrianorum Episcopus seduxit. II. Terræmotus per totum orbem factus est. III. Vera lana ad modum pluviæ de nubibus fluxit. IIII. Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus obiit in octava Epiphaniæ. Qui non vocatus venit ad Consilium Leonis Papæ Hæretici, qui Liberius fuisse putatur. Omnibus ergo Episcopis Papa inhibuit ne Hilario assurgerent, qui sedens in terra dixit Domini est terra, & mox ibidem colliculus est elevatus in quo bellator Christi omnibus altior sedit, Cui Papa iratus dixit, Ignoras quia sum Leo Papa in Sede Petri, Hilarius respondit, Es quidem Leo sed non de Tribu Juda, Sedem Petri male occupas, cujus fidem negas. Statim Papam dysenteria invasit & ad secessum currens

currens Hilario dixit: cum rediero, Leo tibi ero, Hilarius respondit, si non redieris, quis mihi respondebit pro te, sed Papa obiit & Hylarius omnes Episcopos in fide confortavit. XI. Valentianus apoplexiam passus obiit. Sanctus Germanus primo dux Burgundiæ juvenis & lascivus uxore velata factus Episcopus per annos XXX. vitam duxit Angelicam omni die usquead Vesperam jejunans, panem album & ligumina non gustavit, bis in anno vinum bibit, in cinere & cilicio sine pluma dormivit, calceos raro deposuit, vestes nunquam. Expulsus a rege Britanniæ ad quendam pastorem venit, cui vitulum comestum resuscitans regnare pastorem fecit, regem regno privavit, asinum suscitavit, per alleluja hostes fugavit, diem mortis suæ prædixit, obiit in festo sancti Remigii Anno Domini CCCCXX. Hæc omnia require in passionali, sed plura quære in Diario veteri, qualiter ventis imperavit, mare placavit, cœcum illuminavit, incendium compescuit, sanitatem servo recuperavit, Saxones fugavit, Hæresim Pelagianam extruxit, Honoratus ab Imperatore Valentiniano & matre ejus placida obiit in Ravenna Kalendis Octobris, inde in Antisiodorum reductus miraculis coruscavit.

Valens cum filiis suis fratri Gratiano & Valentiniano Anno Domini CCC LXXXVIII. Regnavit annos IIII. Consentiens Arrianis & persequens Christianos, occidit autem Theodosium patrem Theodosii Imperatoris aliosque nobiles multos, & legem dedit ut monachi militarent, nolentes fustibus interfici præcepit. Tunc floruerunt Viri sanctissimi Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazazenus simul Athenis eruditi i Effrem, Arsenius, Bachminus, duo Macharii, Apollinaris Anthiocenus & Iheronimus suus discipulus, Mrtinus Episcopus, Athanasius Alexandrinus qui composuit Psalmum, quicunque vult salvus esse, Banlaam & Josaphat. De quibus Johannes Damascenus egregium librum composuit, Didimus Alexandrinus, Johannes cœcus. Eo tempore Hunni Gothos expulerunt, qui intra racina diffusi propulsique fame omnia vastaverunt, exercitum Valentis perimerunt, & ipse Imperator fugiens in domo quadam vivus crematus est.

Gratianus cum fratre suo Valentiniano Anno Domini CCCLXXXIX. post mortem patrui sui sex annos regnavit, Theodosio Orientis regnum commisit, cujus filium Archadium Cæsarem nominavit, Italiam ab hæresi Arriana ad quantum potuit expurgavit, ideo inæstimabilem hostium multitudinem apud Argentinam vicit sibi Christo favente quasi XXX. Almannorum peremit. Anno Domini CCCLXXXIIII. Synodus in Constantinopolim CL. Episcoporum sub Damaso Papa aggregata est contra Macedonium, qui dixit Spiritum Sanctum non esse Deum distinctione XV. secunda Synodus, item qui ex Patre Filioque procedit.

Maximus sibi regnum usurpans Gratianum in Lugdino occidit, Valentianum de Italia expulit, & ipse nequam paucis diebus supervixit.

Theodosius primus anno Domini CCCLXXXVI. regnavit annos XI. Hic plenus virtutibus plus omnibus, qui in multitudine armata confidens hostes multos vicit, Gentes multas convertit, Exulem Valentianum revocans consortem regni fecit omnibus beneficus omnium quasi servus distare se a cæteris solo habitu fatebatur, sanctis fratribus Juliano & Julio dedit auctoritatem Ecclesias ædificandi, præcipiens omnibus sub pœna capitis ut eos juvarent, rustici quidam ut laborem subterfugerent virum vivum in curru tanquam funus duxerunt & sic transeuntes eundem mortuum invenerunt, apud Thessalonicam judices Cæsaris populus lapidavit, iratus Theodosius fere V̄. hominum necari præcepit, innocentes a noxiis non discernens, qui idcirco a sancto Ambrosio excommunicatus est cum lachrymis VIII. menses excommunicationem sustinuit, publicam pœnitentiam egit, lege statuit ut judex XXX diebus deliberet antequam sententiam sanguinis fulminet. VII. anno Valentianus dolo Arbogasti suspendio periit. X. Iheronimus libro Virorum illustrium finem dedit X. Theodosius Eugenium Tyrannum superavit, & ipse Mediolanum quievit in pace, Ambrosium Scholasticum de hæresi convertit & dixit cum eum baptizaret Te Deum laudamus, sanctus Augustinus respondit Te Dominum confitemur, & sic ipsi duo illum Psalmum totum composuerunt, eo tempore in Castello Emaus natus est puer duo capita habens divisus usque ad umbilicum, sed inferius perfectus, quando unus dormit alter vigilat, quando invicem se percutiebant uno mortuo alter IIII. diebus supervixit, infra invenies similia aliquoties procreata.

Archadius & Honorius filii Theodosii boni & devoti Anno Domini CCCXCVII. regnaverunt annos XIII. anno I. Johannes Eremita obiit. Secundo sanctus Martinus obiit. Tertio sanctus Ambrosius obiit, item Eudoxia uxor Archadii statuam suæ formæ erexit & ibi puellas ludere compulit, quam sanctus Johannes Chrysostomus dare corripuit asserens illud idolatriæ specimen esse, Eudoxia irata Johannem in exilium misit, in quo dum libros dictaret diabolus in caustum evertit. Johannes autem pennam ori suo intingens literas aureas scripsit, ut & cognomen Chrysostomus habuit. Mira multa de ipso narrantur. Mortuus tamen ipse Johannes in exilio Romæ sepultus est, item sancta Paula civis Romana in Bethleem obiit, cujus legendam scripsit Iheronymus. V. Albericus & Radagis cum Gothis ex Africa venientes Italiam ingressi sunt. VII. corpora Prophetarum Micheæ & Abacuc divinitus revelata honorifice sunt sublevata, quæ per annos CCC. occulta fuerunt. Sanctus Alexius annis XVI I. coram sponsa sua in domo paterna incognitus manens, XVI. Kalendis Augusti obiit, quod Papa Innocentius & Imperatores cum popu-

populo universo voce de cœlo lapsa a domo usque ad Ecclesiam sancti Bonifacii spargentes pecuniam cum laudibus portaverunt. XIII. Archadius Orientis Imperator obiit in Constantinopolim.

Siricius vel Ursinus Papa XL, Anno Domini CCCXC. Sedit annos XV. ad hujus preces Theophilus paschales Cyclos inchoavit, item constituit ne Presbyter agat solennem pœnitentiam.

Anastasius Papa XLI. Anno Domini CCCCIIII. Sedit annos III. Constituit Clericos absque licentia sui Episcopi non promoveri, item mutillatus repellatur, item quod nemo sedeat cum legitur Evangelium.

Innocentius primus Papa XLII. Anno Domini CCCCVII. sedit annos XV. menses II. Obiit in festo sancti Origenis vel secundum quosdam V. Kalend. Augusti, quia tunc ejus solennitas celebratur. Constituit pacem dari loco communionis postquam dicitur pax Domini, item Sabbato jejunari exemplo Apostolorum, item excommunicavit Archadium, quia Eudoxia ejus uxor Johannem Chrysostomum depulit, prout proxime supra. Item Pelagium Hæreticum de Britannia damnavit, qui dixit hominem propriis meritis absque Dei gratia salvari posse, & pueros præter originale peccatum nasci. Item Ecclesiam sanctæ Agnetis Romæ commisit Presbytero cum annulo qui adhuc videtur.

Honorius cum Theodosio filio Archadii, Anno Domini CCCCX. regnavit annis XV. primo anno Vandali Hispaniam occupant. II. Axtalus Romæ Imperator moxque privatus Gothis adhæsit contra Romanos, IIII. Alaricus rex Gothorum Christianus Romam cepit, igne & ferro totam vastavit, anno ab urbe condita CLXIIII. Dedit Edictum ut Ecclesiæ Petri & Pauli cum omnibus ad eam confugientibus pacem haberent, inde per Apuliam & Calabriam properans ad Africam obiit apud Crescentium. Gothi ergo Bastonem fluminum maximum dividentes, regem in medio Alvei cum multis opibus sepelierunt & aquam ad meatum proprium reduxerunt. Atraulfum autem Regem affinem pro rege constituentes Romam redierunt, & si quid remanserat reædificatumve fuerat vastaverunt. Clarissima etiam urbis loca comburi quæ non poterant fluminibus sunt obruta, Christianam ergo fidem & Christum blasphemantes hoc ideo se pati clamabant, quia sacra Deorum neglecta essent, contra quos Orosius librum suum scripsit, probans tempore Gentilitatis Romanos pertulisse similia & pejora. VII. Corpora Sanctorum, protomartyris Stephani, Nichomedi, Gamalielis & Abybon invenit Sanctus Lucianus presbyter, in ebdomeda nativitalis Domini quamvis festum hujusmodi III. Nonas Augusti celebretur. X. Honorius apud Ravennam consortem regni fecit Constantium qui contrivit naves ad CC. in quibus Carthaginenses Romam tendebant, & facta est Ecclypsis solis. IX. Sanctus Iheronimus virgo purus obiit in Bethleem annorum LXXIX. Qualiter Leo sibi obedivit & asinam custodivit, require in passionali. XIII. Constantinus obiit in Ravenna.

Theodosius minor Archadii filius anno Domini CDXXVI. regnavit annis XXVI. Vir multum sapiens, patientia & clementia universos præcellens interrogatus aliquando, quare se non vindicaret, & rebelles non occideret, respondit utinam mihi esset possibile etiam mortuos ad vitam revocare. Quod & de Honorio Patruo suo legitur, Anno primo Theodosius Valentianum filium Placidæ amicæ suæ Cæsarem fecit & matrem ad occidentis imperium destinavit. VIII. Sanctus Augustinus obiit Anno LXXVI. Anno Episcopatus sui XL. XI. Synodus III. universalis in Epheso congregata contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum qui duas personas in Christo dixit, & Mariam tantum hominis Matrem. XIIII. Valentinianus Occidentis Imperator Eudoxiam filiam Theodosii duxit uxorem, de qua legitur in passionali, quod ad Papam Pelagium detulit catenam beati Petri de Jerusalem, sed in Chronicis hoc legitur de Eudoxia relicta Archadii & de Papa Innocentio, quod melius credo, quia hoc tempore nullum Papam Pelagium invenio. XVI. Hunni cum Romanis contra Gothos pugnaverunt. XVIII. Theodosius bellum efficax movit similiter contra Gothos. Sanctus Buiccius Virgo Episcopus Thuronensis obiit. XXVI. Theodosius orientis Imperator obiit.

Zozimus Papa XLIII. anno CDXXII. sedit annis III. Constituit Cereum paschalem benedici. Quidam autem putant illum cantum composuisse. Exultet jam angelica turba cœlorum præter quædam verba ibidem posita, scilicet, O felix culpa quasi necessium peccatum Adæ, sed non credo. Item constituit ut Diaconus manipulam habeat in sinistra manu, item ut Christianus in missa sacrificet, item ut nullus ad Evangelium sedeat. Item ut nullus Clericus tabernam teneat aut publice potum vendat.

Bonifacius primus Papa XLIIII. sedit annos duos, menses VII.

Celestinus primus Papa XLV. Anno Domini CCCCXXVIII. sedit annis VII. Constituit prius cantari ad introitum, quia omnes missæ antea Kyrieeleison inchoabantur, sicut adhuc fit in vigilia Paschæ & Pentecosten. Item Psalmum Judica me Deus dici ante introitum in memoriam mortis Christi & lachrymarum Petri & pœnitentiæ latronis. Celestinus misit in Hyberniam Sanctum Patercium filium Sororis Sancti Martini, qui totam Hyberniam convertit, purgatorium quoddam sub terra invenit, de quo amplius invenies in passionali.

Martianus cum supra dicto Valentiano Anno Domini CCCCLII regnavit annis VII. Eo tempore in urbe Jasacensis Episcopus intra missam vidit tres guttas clarissimas, aliqualis magnitudinis supra altare cadentes, quæ simul defluentes in unam gemmam nobilem sunt conversæ, quæ intra multas gemmas in aurea cruce locata omnes aliæ gemmæ protinus exciderunt, videbatur etiam hominibus scelestis obscura, mundis

lis autem clara, Infirmis insuper multis contulit Sanitatem.

Thocila Rex Hunorum sive Attila Rex Vandalorum Belam Germanum suum regnique consortem peremit, & ad delendum Romanum Imperium se convertit. Igitur Ericius Patricius Romanorum Capitaneus Burgundiones, Saxones, Francos & pene omnes fortissimos Occidentis cum quibus Athilam vel Thocilam in Almania superavit, & cæsi sunt utrobique CLXXX. milia, tantusque sanguis effusus, ut torrens sanguinis cadavera traheret mortuorum, Attila victus majorem exercitum congregavit, Aquilegiam destruxit, Veronam, Vicentiam, Brixiam, Pergamum, Mediolanum, Ticinum, Parisius, Remis, Cui Leo Papa juxta Padum occurrens pacem totius Italiæ impetravit. Vidit enim Rex quendam terribilem in somnis sibi minantem, ut in omnibus Papam exaudiret, statimque Pannoniam reversus obiit anno III. Marciani qui dormiens in Constantinopolim vidit in somnis arcum Thocilæ esse fractum. Eo tempore sanctus Paulinus Nolanus Episcopus se pro filio viduæ vendidit, require III. Dialogorum in principio. Tunc posse putantur XI. millia virginum. V. Valentinianus etiam Patricium supra dictum occidit, idcirco ab amicis ejusdem & ipse occisus est. VII. Martianus Orientis Imperator obiit, Gensericus Romam cunctis opibus spoliavit.

Sixtus III. Papa XLVI. Anno Domini CCCCXXVI. sedit annos VIII. Constituit ut Clericus in Parochia alterius nihil audeat judicare. Item fecit Basilicam beatæ virginis ad præsepe in Roma. Et dedit Dominus signum nivis in Augusto ubi fundari deberet Basilica. Et hoc festum nivis in die sancti Dominici adhuc Romæ solenniter celebratur.

Leo primus Papa XLVII. Anno Domini CCCCXLIIII. sedit annos XXI. Synodum quartum congregavit in Chalcedonia in Ecclesia sanctæ Eufemiæ virginis & martyris ubi DXXX. Episcopi solvere non poterant argumenta hæreticorum dicentium in Christo humanam naturam non esse, unde pro sancto Anatolio mittentes, tamdiu in lapide alto conclusus quod nec stare poterat neque sedere. Qui de consensu partium tulit sententiam ut fides utraque cum suis argumentis in duabus paginis scriberetur & super corpus beatæ Eufemiæ poneretur, quæ paginam hæreticorum longe projiciens alteram pectori suo reverenter astrinxit. Leo igitur decretum dedit ut virgo Maria Theotocos & Christotocos appellaretur. Item quicunque imagines sanctorum inhoneste tractaverit, a communione fidelium separetur. Item in missa instituit dici Orate pro me, Et in fine Deo gratias. Item in canone apposuit sanctum Sacrificium & oblationem immaculatam hostiam. Item jejunia quatuor temporum restituit. Huic beata virgo manum quam ipse sibi amputaverat legitur reddidisse, In die paschæ ex eo ut tentationem carnis evaderet quam passus fuerat propter quandam honestam matronam, quæ ex devotione tempore offertionis manum eandem fuerat deosculata, prout in passionali, cujus festum quarto Idus Aprilis.

Leo primo dictus bestia cum filio suo Leone Anno Domini CDLVIII. regnavit annis XVII. in partibus Orientis. Hic omnes imagines de Roma in Constantinopolim transtulit & per Judiciarias sententias concremavit, Anno primo, Marcianus Imperator Occidentis in Africam procinctum movit. XI. Achemius mittitur a Leone. XVI. Olybrius Imperator VII. menses regnavit. Obiit eo tempore Artusus Rex Britanniæ, qui probitate & bonitate suis Flandriam, Franciam, Norvecam, Daciam cæterasque maritimas Regionesque sibi servire coëgit, deinde vulnera curaturus quandam insulam intravit, ubi a multis per annos plurimos adhuc vivere putabatur. XVII. Leo bestia obiit, cui filius suus successit.

Leo Junior Anno Domini CDLXXIIII. Imperium adeptus timore Zenonis Clericatum sumsit & usque ad Justini Imperatoris tempora vixit.

Hilarius Papa XLVIII. Anno Domini CDLXV. sedit annos VI. menses III. Constituit ne Clericus investituras a Laico recipiat, sub isto Dyonisius Abbas Romanus Ciclum Paschalem perpetuum adinvenit, Qui dicitur Tabula Dyonisii continens annos DXXXII.

Simplicius Papa XLIX. Anno Domini CDLXXI. sedit annos XV. Constituit ne quis Episcopus successorem sibi constitueret sicut Clemens, Item dedicavit Ecclesiam sanctæ Bimimanæ Matris ubi Sanctorum corpora IIII CCLXXII. requiescunt exceptis parvulis & mulieribus. Usque ad hunc Papam omnes leguntur fecisse ordinationes per mensem Decembrium.

Felix III. Papa L. A. Domini CCCCLXXXVI. sedit annos VIII. menses XI. Constituit Ecclesias ab Episcopis dedicari, Item ut judices & accusatores omni suspicione careant, Item ut accusationi mendacia cedant. Item damnavit Petrum accusantium Vitalem & Mesenium. Sanctus Mamertus Viennensis Episcopus propter cladem & insaniem bestiarum triduo ante Ascensionem Domini instituit letanias, quas Papa Simplicius approbavit; Merlinus vates egregius ex filia Regis virgine Sanctimoniali operatione Dæmonis incubi procreatus vaticinari cœpit in pueritia usque ad finem mundi texuit prophetiam de comitibus sibi invidentibus & frustra insidiantibus vice ejus. De quatuor generalibus supra dictis, scilicet Niceno contra Arrium, Constantinopolitano contra Macedoniam, Ephesino contra Nestorium & Chalcedonensi contra Euthicen require in decerto Dist. XV. Sic Sancti &c. Iterum autem pullulare incepit hæresis Acephalorum, qui Chalcedonense concilium impugnabant. Item Dioscorus errore suo Egyptum & Alexandriam maculavit; de his & aliis multis hæresibus require in Isidoro Ethymologiarum.

Zenon Imperator an. Domini CDLXXVIII. Orientem rexit annis XVII. Obdackus autem

tem Rex Thurtorum & Darelingorum cum barbaris Italiam veniens Romam violenter obtinuit Augustulum exilio damnavit, Cujus Patem Erasten & Patruum Paulus occidit, sicque per annos XIIII. quiete regnavit, Thedoricus de Verona Annorum XVIII. a patre suo Dethmaro Rege Ostro Gothorum pro obsidione missus est Zenoni Imperatoris Brientis, quem Zeno Magistrum militum statuens cum maximo Gothorum exercitu contra Obtacum in Italiam misit, qui per Bulgariam & Pannoniam cum labore veniens, juxta Aquilegiam se locavit, ubi Obdacem cum totius Italiæ viribus contra se venientem contrivit, Obdacus fugiens, cum Romam permitteretur intrare, in Ravenna se recepit, Quem Theodoricus post trienni obsidione peremit, & Romam veniens, cum gaudio est receptus, sicque per annos XX. Regnum Occidentis tenens filiam Regis Francorum duxit uxorem. Ossa Helisæi Prophetæ translati sunt in Alexandriam. Et Sanctus Mamertus in Venetias. Claruit eo tempore Prosper Aquitanius Leonis Papæ Notarius postea Episcopus, Baptizatus autem & ab Arrianis seductus eorum perfidiam potenter defendit, persequens Christianos & usque ad quintum Justini Imperatoris annum perdurans, Multa mira ædificia Romæ construxit, aquam ad Ravennam perduxit, victis Francis Galliam acquisivit, Filiam suam Almasionidam Euchario potentissimo dedit, Johannem Papam sanctissimum carceris afflictione peremit. Simacum Patricium & Boecium Philosophum viros Christianissimos Consules Romanos occidit. Et ipse post Ebdomedam XIII. Anno Domini DXXVIII. apud Ravennam subito mortuus, nusquam comparuit, quem Papa Johannes & Simachus in ollam Vulcani projecerunt, sicut fuit quidem Oraculi a Domino revelatum, Multa de ipso cantantur, quæ a joculatoribus sunt conficta. Eo tempore Armundus Rex Longobardorum juxta quendam lacum IV. pueros invenit, quos uno partu meretrix edidit & abjecit, Admirans Rex quid esset eos cum lancea revolvit, quam puerorum unus apprehendens fortiter tenuit. Hunc Rex diligentia educari præcepit, Qui processu temporis Dux factus probitatis suæ judicia multa reliquit; Sanctus Remigius, Clonodonem filium Hilderici Regis Franciæ baptizavit. Anno Domini CCCCLXXXVIII. sed cum eum ungere deberet & oleum deesset veniens candida columba ampullam cum oleo attulit, de quo adhuc Reges Franciæ inunguntur. Tunc claruit sanctus Leodegarius, sanctus Arnolfus, sancta Geovesa virgo LXXX. annorum, sanctus Sigismundus Rex Burgundiæ, qui in Andagavino Monasterium sancti Mauritii construxit, & dicavit pro pœnitentia qui proprium filium Noverca sua dentes peremit.

Anastasius Imperator An. Domini CDXCII. regnavit annis IX. Magna discordia fuit inter Cardinales in electione Papæ quibusdam eligentibus Simachum, qui & prævaluit, quibusdam Laurentium, quibus consensit Paschasius de quibus dixit Gregorius in dialogo, quod propter hoc post mortem crematus est in calore lavacri, quod Thermæ dicitur. Igitur in Ravenna Rex Theodoricus judicio præsedit & Simachum confirmavit, dum quidam Arrianus Olympus nomine in balneo lavaretur & de fide Trinitatis varias blasphemias loqueretur. Ecce igneus gladius de cœlo veniens jaculis eum protinus interfecit.

Heinricus Rex Wandalorum CCCCXXX. Episcopos exilio damnavit, quibusdam linguas amputavit, qui tamen egregie postmodum prædicaverunt, sicut dixit Gregorius in dialogo quorum unus in fornicationem cadens dono illo privatus est.

Tramundus successor Heinrici Ecclesias claudit & CCXX. Episcopos in Sardinam relegavit quos sanctissimus Papa Simachus aluit, Respublica diversis ubique bellis fatigari cœpit. Et Vitalianus servus contra Anastasium se erexit eumque irridens milites suos sæpe vicit. Tunc floruit Fulgentius Episcopus Doctor egregius in Scotia sancta Virgo Brigida claruit miraculis probatissimis & potentissimis, Anastasius Euticetis errore favens & Catholicos persequens, eorumque nuntios nec videre voluit nec audire, divini igitur Judicio fulmine periit major ætate quam octogenarius.

Hildericus Rex Wandalorum Episcopus ab exilio revocavit, sanctus Benedictus virtutum gloria claruit, de quo liber Dialogorum secundus totus est scriptus, sanctus Gregorius de ipso recitat miracula gloriosa & sorore ejus scolastica, Justinus Imperator in pace quievit.

Justinianus major anno Domini DXXVII. regnavit annis XXXVIII. Hunc Agapitus ab Eutheticis revocavit, hic leges pristinas breviavit, novas condidit, libros consumavit, videlicet, Codicem & digestum Paganis & Hæreticis ne militarent inhibuit. Bella plurima per Belisarium Patricium feliciter gessit. Qui Romam per annum a Gothis obsessam liberavit. In Africa Vandalos vicit, in Sicilia Neapolim cepit, Monasteria dirupit, nemini pepercit, Regem Gothorum captivum in Constantinopolim secum duxit, Eo tempore fames tanta invaluit, quod matres filios in Italia comederunt, Monasterium sanctæ Sophiæ reformavit, Judæi cum Saracenis adjuvati omnes Christianos Cæsareæ Palestinæ occiderunt, quod Imperator vindicavit, Anno IIII. Parthi Romanum exercitum vincivit, Sabbato sancto. V. Almasvvinda Theodorici Filia est occisa. VIII. Dyonisius Abbas fabulam suam de Paschali Ciclo invenit & incepit habens annos DXXXI. IX. Theophilus Diaconus in Sicilia Diabolo homagium fecit, quem beata Virgo gratiæ reformavit & hoc tempore Agapiti Papæ. XIIII. Corpus sancti Anthonii Monachi in Alexandria est inventum. Arator Subdiaconus Cardinalis Poëta Actus Apostolorum metrice scripsit & compilavit, XXI. Quinta Synodus Universalis in Constantinopolim celebrata est, Medardus & Gildardus Gemelli fratres una die ad scholas missi, una die Presbyteri ordinati, una die Episcopi

scopi consecravit, ambo magni sancti & una die defuncti.

Gelasius primus Papa LI. Anno Domini DCXXIIII. sedit annos IIII. menses VIII. Hic composuit canonem & præfationes novem, quosdam tractus, hymnos & collectas, Item ut quatuor temporibus & Sabbatho sancto Clerici ordinentur & examinentur, de vita, scientia, ætate & progenie, Item ut Presbyter post Missam populum benedicat & dicat Hymnum Trium puerorum, item Diaconus absente Presbytero det infirmis corpus Christi non alio tempore. XIIII. Agat corpus sancti Barnabæ Apostoli cum Evangelio, quod Mathæus Hebraice manu sua scripsit, Dominus revelavit & Ecclesiam sancti Michaelis in Gargano, quod alii sub Sylvestro scribunt factum fuisse.

Anastasius secundus Papa LII. Anno Domini CDXXVIII. sedit annos II. menses XI. Hic excommunicavit Anastasium Imperatorem pro hæresi Eutheticis, sed quia Papa familiaris fuit fontino Thessalis fautori Archatii, quem etiam restituere conabatur divino judicio percussus intestina retro egessit.

Simachus Papa LIII. anno Domini DI. sedit annos XXI. Constituit omni die Dominica de sanctis cantari Gloria in excelsis. Item ut Papa eligatur a duabus partibus Cardinalium, & qui aliter ascendit, sit excommunicatus ipso facto. Item Episcopus sit XXX. annorum. Item Reion appellent.

Hormisda Papa LIIII. anno Domini DLXVI. sedit annos XXII. Constituit ut si quis se missam celebrare simulaverit, perpetuo sit irregularis, multas eleemosinas pauperibus erogavit & basilicis ornamenta. Sepultus ad sanctum Petrum ubi dedit trabem argenteam librarum d XL.

Johannes primus Papa LV. anno Domini DXXV. sedit annos II. menses IX. Hic veniens in Constantinopolim honorifice est susceptus ubi cœcum illuminavit. Hunc Rex Theodoricus Hæreticus de Verona in carcere peremit.

Felix IIII. Papa LVI. sedit annos IIII. menses II. Constituit ut anniversarius dedicationis Ecclesiarum & Episcoporum singulis annis solenniter celebret.

Johannes secundus Papa quinquagesimus septimus sedit annos duos menses IIII.

Agapitus primus Papa LVIII. anno Domini DXXXII. sedit menses XI. Constituit ut nullus altare consecret nisi solus Episcopus, item Presbyter dedicationes fingens degradetur. Huic ad Justinianum Imperatorem pergens Anthemium Patriarcham deposuit, qui duas naturas in Christo negavit.

Silverius Papa LIX. an. Domini DXXXVIII. sedit annum unum, menses V. Hunc Justiniana deposuit eo quod Anthemium supra dictum restituere nollet, & quia in exilio obiit ideo pro martyre colitur.

Vigilius Papa LX. anno Domini DXLI. sedit annis XVII. sub isto constitutum videtur. Quod canon nunquam legatur nisi supra sacrificia in altari in vestibus sacris voce submissa. Olim enim quasi ab omnibus cottidianum dicebatur. Contingit quidem quod pastores hunc super panem & vinum aliquando dicerent & repente ante se carnem & sanguinem invenerunt, atque divinitus percussi interierunt.

Fabianus Papa LXI. sedit annum unum, menses V. sed nulla Cronica de eo mentionem facit, sedit annos IIII. menses X. Hic de nece Vigilii Papæ incusatus coram populo jurans se purgavit. Hic constituit novem tantum præfationes in Missa dici, reliquas vero omnes cassavit, quæ adhuc hinc inde in missalibus veteribus reperiuntur, Prima de nativitate Domini, Secunda de Epiphania, Tertia de quadragesima, Quarta de sancta Cruce, Quinta de Pascha, Sexta de ascensione, Septima de sancto Spiritu, Octava de sancta Trinitate, Nona de Apostolis, Decimam vero scilicet de beata Virgine addidit Urbanus secundus.

Johannes III. Papa LXIII. anno Domini DLXII. sedit annos XII. menses X. Hoc tempore ante adventum Longobardorum igneæ in cœlo acies visæ sunt, sicut dicit Gregorius in Omelia, sanctus Germanus Parisiensis Episcopus ægrotans jussit sculpi in muro V. Kalendis Maji & eodem die obiit, Fortunatus Poëta Gesta Martini scripsit, Et hic in Episcopum Viennensium est ordinatus. Maurus sancti Benedicti discipulus obiit, qui & Parisino requiescit.

Benedictus primus Papa LXIIII. anno Domini DLXXIIII. sedit annos IIII. menses II. Qui tempore Tiberii misit sanctum Gregorium Diaconum in Angliam, sed juxta Tiberim dum in meridie Pausaret & librum apertum teneret, locusta super librum saltavit, deinde in sinum Gregorii. Qui dixit non puto me ulterius profecturum, quia loco hoc ista stare me vult significare locusta, statimque nuntii Papæ venerunt qui sanctum Gregorium Romam reduxerunt.

Pelagius secundus Papa LXV. sedit annos III. menses XI. Constituit ut memoria defunctorum habeatur in omni missa, Eo tempore Draco mortuus cum multis serpentibus præterfluens pestilentiam excitavit, quæ primo Papam deinde Populum infectus occidit.

Gregorius primus Papa LXVI. anno Domini DXCI. sedit annos XIII. menses VI. Hic dulcis sancti Spiritus organum libros mellifluos dictavit, officium divinum & Horas Mariæ Virginis ordinavit. Item Letaniam majorem in die sancti Marci, quando Angeli cantabant, Regina cœli lætare, ipse adjunxit ora pro nobis Deum. Item Cineris benedictionem. Item ut homines Christiani incipiant in die Cinerum jejunare. Nam olim post Dominicam Invocavit, quadragesimas inceperunt. Item in cœna Domini pedum lotionem. In parasceve crucis nudis pedibus ad orationem. In Pasche agni benedictionem. In canone diesque nostros & ut calix locetur a dextris & hostia a sinistris. Item casti sint subdiaconi, & dicant horas. Item commemorationem sancti Pauli in crastino sancti Petri. Item Confessor nec nutu nec verbo prodat confessionem. Item mulier post partum, quando velit introducant Ecclesiam. Item

mulier non excommunicetur pro excessibus viri sui. Item composuit introitus offertoria quædam etiam quæstiones ut Ambrosius & gradalia. Item ut lumen circa missam ardeat in Ecclesia. Item Papa semper sit indutus alba procincta longa & ampla, sed Celestinus mutavit in strictam non cinctam ut est modo. Dicitur de sancto Gregorio quod vice quadam botros plurimum concupivit, Cui Angelus in specie servi botros acerbos attulit nec dum maturos, Quos cum nollet attulit & putridos minus valentes, Quos cum simul abhorreret, attulit ei optimos dicens, sicut tu Christo canonicas horas persolvis, dumque minus mature quam nimis. Si namque debito tempore diceres Deum & sanctos delectabiliter honorares & hoc dicto Angelus disparuit.

Savinianus Papa LXVII. anno Domini DCV. sedit annum I. menses V. qui & Fabianus dicitur. Constituit ut horæ pulsentur in Ecclesiis, hic avarus Gregorium prodigum & hypocritam fuisse dicebat, a quo in somnis ter monitus nec desistens quater in capite percussus obiit.

Bonifacius III. Papa LXVIII. Anno Domini DCVII. sedit annos V. menses X. Hic sub pœna excommunicationis furtum inhibuit in Ecclesiis.

Bonifacius IIII. Papa LXIX. anno Domini DCXII. sedit annos V. menses IX. Hic dedicavit Pantheon III. Idus Maji in honore omnium Sanctorum, sed festum translatum est ad Kalendas Novembris tempore Gregorii IIII. post annos CCXX. In hoc templo de Judæis congregatis scolaris cœcus responsorium, Gaude Maria Virgo quod ipse dictaverat cantavit & lumen recepit in festo purificationis, Unde quingenti viri Judæi ad fidem pervenerunt.

Deus dedit Papa LXX. An. Domini DCXIIII. sedit annos III. Constituit ut contra Simoniacum esse testes possint meretrices servi & criminosi, Item osculo leprosum sanavit, alter ejusdem nominis Papa scribitur post Savinianum, sed multa exemplaria hunc non habent.

Bonifacius V. Papa LXXI. Anno Domini DCXVI. sedit annos V.

Honorius primus Papa LXXII. Anno Domini DCXXI. sedit annos XII. menses XI. Hic fecit Ecclesiam sancti Adriani, in qua undecim sancti requiescunt.

Severinus Papa LXXIII. Anno Domini DCXXXIII. sedit annos II. menses IIII.

Johannes IIII. Papa LXXIIII. sedit annum I. menses VIII. Hic multos captivos redemit, omnes fautores hæreticorum excommunicavit.

Theodorus primus Papa LXXV. sedit annos VI. menses VI. Hic Pirrum Regiæ urbis Episcopum excommunicavit & Paulum successorem ordinavit.

Martinus primus Papa LXXVI. Anno Domini DCXLVII. sedit annos VI. Constituit feriam sextam jejunare propter passionem Domini, & Dominicam solenniter agi propter resurrectionem. Item Clerici cum benedictione sumant cibum & post cibum gratias Deo referant, Item irregularis sit ipso facto qui Concilio vel qualitercunque homicidio reus fuerit, aut sibi ipsi virilia amputaverit. In synodo CV. Episcopos damnavit, Sergium & Pirrum & Paulum. Hunc Spacarius infra missam volens occidere visum amisit.

Eugenius primus Papa LXXVII. Anno Domini DCLII. sedit annos II. menses IX. Constituit castos esse Presbyteros, Diacones & Subdiacones, Sicut Stephanus fecit, Gregorius Leo. Sexta Synodus anno Domini DCXXXII.

Vitalius Papa LXXVIII. Anno Domini DCLVI. sedit annos quatuordecim, menses sex. Hic cantum Romanorum composuit & organo concordavit. Nuntios ad Imperatorem in Constantinopolim misit ut Romanæ Ecclesiæ privilegia renovaret, qui petita concedens misit sanctum librum Evangelium auro scriptum & gemmis ornatum. Hic præfecit Ecclesiæ Cantuariensis Theodorum Monachum literatum, Cujus liber pœnitentialis in jure sæpius allegatur.

A Deo datus Papa LXXIX. sedit annos III. menses II. Anno Domini DCLXXI. Hic leprosum osculando mundavit, omnes ad se venientes consolatos dimisit. Tunc translatum est corpus sancti Benedicti ad monasterium Floriacense & sancta scholastica soror ejus.

Bonus Papa LXXX. An. Domini DCLXXV. sedit annum I. menses V. Hic fecit atrium quod & Paradisus dicitur Romæ ante Ecclesiam sancti Petri.

Agathon Papa LXXXI. Constituit ut distinctus sit habitus virorum & mulierum in vestibus & crinibus, Item rogatu Constantini misit legatos ad sextam Synodum Constantinopolitanam, ubi condemnati sunt omnes hæretici, specialiter Euthiciani præsidente Gregorio Patriarcha Antiocenus cum CCL. Episcopis. Tantæ igitur aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut hæresium sordes non immerito significarent.

Leo secundus Papa LXXXII. Anno Domini DCLXXXII. sedit menses X. Constituit ut Archiepiscopus pro Pallio nihil dare teneatur, obiit V. Nonas Julii.

Benedictus secundus Papa LXXXIII. sedit menses X. Hic misit sanctum Kilianum ad Francones in Germaniam, civitatem Wirzeburg, ubi post duos annos passus est cum duobus sociis Colonato & Totuano Geylana ducissa procurante.

Johannes V. Papa LXXXIIII. sedit annum unum.

Honoriundus Papa LXXXV. sedit menses undecim.

Sergius Papa LXXXVI. sedit annis XIII. menses II. hic sanctum Willibrordum Episcopum ad Frisones misit, qui eos convertit. Item tempore Leonis Imperatoris invenit partem crucis Christi.

Leo III. Papa LXXXVII. sedit annos II. menses XI. Hic propter malum introitum non ponitur in Cronica Romanorum Pontificum, quia eliminato Patricio violenter ascendit. Tunc

Tunc sanctus Lampertus Leodiensis Episcopus Pipinum Principem corripuit de Adultera Alpiade, cujus Frater Dodo propter hoc Episcopum occidit & Martyrem Christi fecit.

Johannes VI. Papa LXXXVIII. Anno Domini DCCI. sedit annos III. menses II. Dagobertus Rex Francorum fundavit Monasterium in Erphordia.

Johannes VII. Papa LXXXIX. sedit annos II. menses VII.

Sigismundus Papa LXXXX. dies XX.

Constantinus Papa XCI. sedit annos VII. Hic Justinianum Ecclesiæ reconciliavit, Philippum excommunicavit, eo quod imagines dehonestavit, Corpus sanctæ Petronellæ translatum est, in cujus sepulchro inventa est Tabula marmorea manu Sancti Petri sic scripta. Aurea Petronellæ dulcissimæ filiæ, ut ait Sigbertus.

Gregorius Sanctus Papa XCII. Anno Domini DCCXV. sedit annos XV. menses VIII. Constituit feria quinta jejunare in quadragesima, quod Melchiades prohibuerat Annis DC. Et quia quintæ feriæ officia propria non habebant collegit de Dominicis in æstate & adhibuit Epistolas & Evangelia quæ adhuc concorditer non habentur.

Gregorius III. Papa XCIII. Anno Domini DCCXXIX. sedit annos X. menses VIII. Tunc in Wormatia fuit Archi-Episcopus habens XVI. Suffraganeos Et vocabatur Wangia, Geroldo eidem Episcopo in bello occiso successit filius suus Gervvilo, qui propria manu occidit interfectorem Patris sui dicens, Accipe nunc ferrum, quo Patrem vindico carum. Ideo Papa misit Bonifacium legatum, qui sedem Archi-Episcopalem transtulit in Moguntiam. Et sanctus Bonifacius Archi-Episcopus construxit monasteria Hirzfeld & Fuldam. Eo tempore Albrandus Rex Longobardorum Romam obsedit.

Zacharias Papa XCIIII. Anno Domini DCCXL. sedit annos X. menses III. Constituit Ne sacerdos velato capite celebret nec cum baculo, item caput Sancti Georgii invenit in scrinio aureo literis Græcis depicto, Item libros Dialogorum transtulit in Græcum. Item sub eo facta est distributio Episcopatuum Saltzburgensis, Eystetensis, Regenspurgensis & Frisingensis, voluit etiam sanctus Bonifacius transtulisse ad Sedem Episcopalem in Erphordiam, sed Papa non consensit.

Adrianus primus Papa XCVIII. Anno Domini DCCLXX. sedit annos XXIII. menses X. Hic muros ac turres Romæ a fundamentis renovavit & Ecclesiam fabricavit. Hic duas Synodos celebravit, Carolo jus eligendi Pontificum dedit, & Sedem Apostolicam ordinandi, & ut in singulis provinciis Archi-Episcopi & Episcopi ab eadem sede reciperent investituras, omnes contradicentes excommunicat. LXIII. Similiter Stephanus supradictus, extra de electione venerabilem fide approbatum officium Ambrosianum Adrianus inhibuit & Gregorianum ubique servari præcepit. Require de hac in legenda sancti Gregorii.

Leo IV. Papa XCIX. Anno Domini DCCXCVI. sedit annos XX. menses X. Cujus sublimationi invidentes propinqui supradicti Adriani Papæ, cum Leo majores ageret letanias populo contra eum excitato, ei crimen turpe imposuerunt, Oculos eruerunt, linguam præciderunt & semivivum & nudum in platea Romæ dimiserunt. Ideoque Carolus Romam veniens judicio præsedit, & Papæ suam innocentiam Deus reddidit & loquelam, statimque Carolus de Romanis potioribus CCC. in campo Lateranensi decollari fecit aut exulari.

Sanctus Remigius septuagesimo anno Episcopatus in Scotia claruit de quo incredibilia recitantur, Ossa sancti Stephani olim quædam nobilis Domina ignorans transtulit de Jerusalem in Constantinopolim putans se ducere ossa viri sui. Sed Dæmones in aëre ululantes factum prodiderunt, quos angeli dulciter canentes fugaverunt. Filia autem Imperatoris Justiniani Dæmoniaca sic clamavit, si Stephanus venerit ad Laurentium statim sanabor, translatus est in Romam tempore Pelagii primi Papæ, Tunc etiam incepit festum Ypopanti sive purificationis. In Italia fuit tunc quidam Civis, rufus cœcus qui in foro multorum divitum annulis in unum cumulum congregatis retulit unicuique suum. Aliquibus hoc a Spiritu Phitonico esse dicentibus, aliquibus a natura.

Justinus Junior Anno DLXVI. regnavit annis XI. anno III. Narses Patricius Eunuchus bellator egregius, Pater pauperum, Constructor monasteriorum jejuniis & orationibus pugnans, Tocilam Regem Gothorum flagellis occidit, & Gothos de Italia expulit, Thesaurum multum congregavit & abscondit, cui Sophia Imperatrix inter alia varia contumeliæ sic dixit, lanam fusare deberes & pensum dividere, quia vir esse non vales, Narses respondit, Et ego talem tibi telam procurabo ordiri, quam, quam diu vives nunquam depones, secessit ergo Neapolim, & scripsit Longobardis, ut cum armis & omni familia in Italiam properarent, qui tempore Benedicti Papæ venientes totam Italiam per annos CC. occupabant præter Romam & Romaniolam, quorum Rex Albericus se omnes Christianos velle occidere, sed apud Mediolanum equus suus genu flectens moveri non potuit, donec pœnitens juramentum relaxavit, Fames & pestilentia venerunt. Armeni fidem ceperunt.

Tiberius Constantinus Anno Domni DLXXVII. regnavit annos VI. Homo summæ bonitatis, justitiæ & largitatis, neminem despexit, homines omnes diligens ab omnibus est dilectus, cui Deus sub pavimento cruce signato magnum thesaurum revelavit, Qui nolens occulte tollere coram omni populo dixit, Tollite crucem quia non debet esse sub pedibus servorum sed in frontibus Imperatoris, Tribus igitur lapidibus crucis signatis e terra difficulter evulsis thesaurus inventus est, Quem Tiberius totum distribuit viduis & orphanis Ecclesiarum procuratoribus & infirmis, ideo Deus thesaurum Narsis prædicti per quendam senem manifestavit

festavit. Anno III. Gregorius tunc Apocrypharius in Constantinopolim moralium libros scripsit & Euthicium ejusdem urbis Episcopum errasse in fide resurrectionis præsente Tiberio convicit, qui corpus nostrum futurum aeri subtilius esse dicebat contra illud Lucæ ultimo palpate & videte qui Spiritus carnem & ossa non habet. VII. Tiberius infirmatus Mauritium generum suum cum consilio ad imperium elegit dicens: in Mente habe ut rectitudinem semper ames, sicque obiit & populus multum flevit.

Mauritius Cæsar anno Domini DLXXXIIII. regnavit annos XVI Krymhilt Regina hæretica Collumbanum & Gallum & socios eorum a finibus Francorum expulit, Desiderium Wiennensium Episcopum per IIII. annos exilio afflictum martyrio coronavit, Anno IX. Rex Gothorum Richardus cum tota gente sua ad fidem conversus est per Leandrum Episcopum Hispaletanum. XIX. Sanctus Gregorius misit in Angliam verbum Dei & gentem totam per nuntios convertit ad fidem, XXI. Tunica Domini inconsutilis in Zamphat procul a Jerusalem in archa marmorea est inventa, quam Gregorius Anthiocenus, Thomas Jerosolimitanus, Johannes Constantinopolitanus & alii Episcopi multi jejunio triduano ordine pedestri in eadem archa Jherosolymam perducentes reposuerunt in Ecclesia ubi crux Domini adoratur, de morte Mauritii require in legenda sancti Gregorii circa medium, vox enim optionem sibi dedit, utrum hic vel in futuro puniri vellet, pro eo quod Gregorium & Ecclesiam sæpius molestasset, Imperator respondit, Hic melius esse. Datus est igitur cum uxore & pueris suis Focæ militi occidentis. Claruit tunc sanctus Johannes eleemosinarius Patriarcha Alexandrinus, Obiit X. Kalendas Februarii, cujus legendam pulcherrimam quære in passionali.

Focas Cæsar & Imperator Anno Domini DCIII. Regnavit annis VIII. Hic Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum esse constituit. Nam Constantinopolitana se hactenus primam scripsit, Anno III. Sanctus Gregorius obiit indictione VIII. Monstratur adhuc antiphonarius Gregorius apud Ecclesiam Lateranensem musicus vocatus. In quo apparet quod per versum cantantes plurima mutaverunt. VII. Focas dedit Ecclesiæ Templum Pantheon, quod præfectus Agrippa pro victoria de Suevia, habita construxerat tempore Domitiani. Require in Ecclesiastica historia. Eo tempore Persarum exercitus multas delentes provincias crucem sanctam de Jerosolymis abduxerunt, eamque per annos XVI. in Persia venerati sunt, in turri argentea, in qua Cosdras Rex Persarum sedit tanquam Pater & crucem juxta se locavit tanquam filium & Gallum loco Spiritus Sancti.

Heraclius Anno Domini DCXIII. regnavit annos XXIX. inprimis bonus & devotus sed ultimo Enticetis hæresi favens cultum Dei maculavit, habens filiam sororis suæ uxorem, XVI. Heraclius Cosdram occidit, majorem filium Gigantem submersit, minorem baptizavit, Paganos multos convertit, Crucem sanctam reduxit, Jerusalem murus se clausit, Angelus reseravit, Imperator cantavit Antiphoniam, O crux splendidior, inde Constantinopolim crucem transtulit, cujus magna pars anno Domini MCCXLII. ad instantiam Ludwici Regis Francorum Parisius devenit. XXIII. Saraceni Jerusalem destruxerunt Antiochiam vastaverunt, Romanum etiam Imperium ubique in fide cepit diminui. Huc usque sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus in libro Ethymolog. Cronicam suam perduxit, cujus nimirum ab initio seculi ad quemlibet Imperatorem posui in spatio seu margine per algorismum, ut studiosius appareat ubi discrepet a modernis, XXVI. Heraclius in Astris peritus vidit Imperium suum a circumcisis gentibus esse vastandum, Misit ergo ad Dagobertum Regem Francorum ut omnes Judæos Regni sui faceret baptizari sic & ipse potens imperii sui per provincias fieri præcepit. Venientes autem Aggareni circumcisi de exercitu Heraclii CL. milia bellatorum occiderunt, quorum spolia Heraclio remiserunt. Ille duas portas Caspias, quas Alexander Magnus ante mille annos obstruxerat, aperuit & inde CL. milia auro armatos eduxit, quos Provinciarum suarum militibus contra Aggarenos misit. Cumque in crastino essent præliaturi ipsa nocte LII. milia de exercitu Heraclii percussit gladius Domini. Videns Heraclius inimicorum violentiæ non posse resistere, febribus vexari cœpit & præ tristitia vitam finivit. Machomet pseudo-Propheta tempore Heraclii Imperatoris & Bonifacii Papa decepit Ismahelitas seu Aggarenos hoc modo. Sergius Apostata literatus & famosus cum in Roma honorem quem cupiebat assequi non posset, confugit ad partes ultramarinas, ubi Machometem verbum Dei prædicantem inveniens eum tractavit, ut unus eorum pro Rege, alter ut Propheta ab omni populo coleretur. Taurum ergo crudelissimum sub terra pascebant occulte & eum in die solemni emiserunt populo ignorante, qui currens ad forum, multos prostravit, Machometo vero pepercit, populo clamanti Machomet dixit, Quæramus a Spiritu jejuniis & vigiliis quid hæc bestia sibi velit, & ecce veniens alba columba quam ipse nutriverat tulit literam aureis verbis ita scriptam, quicunque potuerit, jugum huic tauro imponere debet tanquam Rex omnibus imperare, posuit ita columba rostrum suum in aurem illius tanquam sibi loquens, nam de aure ejus semper manducare consueverat, Venit ergo Sergius cum jugo quod tauri collo faciliter imponens in Regem ab omnibus electus est, stultus namque populus omnia supra dicta divina esse putabat, Machomet ergo Christo & Moyse majorem se asserens docuit eas leges quas ipse dictaverat observare, pueros scilicet circumcidere porcinam carnem vitare, quolibet anno XXXV. diebus jejunare, contra meridiem orare, in Ecclesia Diabolum lapidare jactando lapides, per crura furem prima & secunda vicibus verberare, tertia

tertia autem ei manus præcidere, quarta pedem ei amputare. A vino abstinent, vestem cucullæ similem absque Capucio deferunt, quatuor Uxores simul habent, quamlibet si volunt tertio mutant. Ipse autem habuit XX. De suo Sarcophago in aere pendenti ac aliis vanitatibus quibus diversimode populum illum dementare solebat scribere longum esset.

Heracleonas cum Martinia matre sua anno Domini DCXL. regnavit annos II. & occisus est.

Constantinus Heraclii filius regnavit mensibus VI.

Constans sive Constantinus quartus nepos Heraclii, Anno Domini DCXLII. regnavit annos XXVIII. deceptus a Paulo hæretico Christianos persequi cœpit, Martinum Papam in exilium trusit, Italiam a Longobardis eripere volens, quæsivit de exitu belli a quodam Viro sancto Propheta, qui nocte orans respondit, Regina Longobardorum juxta Mediolanum sancto Johannæ Baptistæ Ecclesiam nobilem construxit & ditavit, nec Longobardi superabuntur, quamdiu locum illum sedule venerantur. Quod usque ad Carolum duravit annos videlicet CXXV. Francorum autem exercitus de Probantia veniens Longobardiam potenter intravit, cui Grinnwaldus Rex Longobardorum veniens ex adverso fugam simulavit, relinquens in castris vinum multum & cibaria copiosa, quæ famelici Franci venientes ebrietatem crapula miscentes, quibus nocte tanquam ebriis graviter soporatis, Grunwaldus cum Longobardis irruit & pene omnes extinxit, qui brevi post tempore sanguinem minuens de vena quiescere noluit, Sed nono post minutionem die arcu columbam sagittare volens bracchium læsit, rupta ergo vena Rex obiit, sed hoc imputatur Medicis. Eo tempore Jodocus Rex Britanniæ Filius Regis ad Sylvas confugit, miracula multa fecit, in cujus missa Dei dextra apparuit & ministerium Angelorum, Hunc Laici vocant San Jost. Anno XXIIII. Constantinus Romam venit & pallium auro textum sancto Petro obtulit, toto exercitu cum cæteris, intrante. Sed diebus XII. in urbe cum mansisset spoliavit Ecclesias ornamentis XXVII. Ecclipsis solis hora XV. Nonas Maji in festo sanctæ Crucis, indictione septima XXVIII. Constantinus volens ornamenta quæ Romæ abstulerat in Constantinopolim transferre, in balneo occisus est, cui milites quendam de Armenia substituerunt, sed filius Constantini navigio veniens eundem interfecit, & patrem suum de interfectoribus vindicavit. Eo tempore Humarus princeps Saracenorum templum Jherosolymis a Vespasiano destructum reædificavit, ubi nunc manus & pes Machometi adoratur, nam reliquum corpus suum epileuticum & maledictum a porcis Christianorum legitur devoratum.

Constantinus V. Anno Dom. DCLXXVII. regnavit annos XVII. V. Saraceni Siciliam deprædantes cum gaudio Alexandriam redierunt, Cæsarea conjux Regis Persarum cum paucis fidelibus clam Constantinopolim venit, quam Imperator cum gaudio suscipiens de sacro fonte levavit. Hæc diu quæsita & inventa Regi Persarum mandavit, ut veniret & sacrum baptisma susciperet, alioquin ipsa nunquam rediret, qui cum magno exercitu Constantinopolim pacifice veniens & honorifice susceptus est & cum omnibus baptizatus. Ticinum Italiæ Civitatem tantum pestilentia vexavit, ut hominibus ubique fugientibus herbæ & frutices in civitate nascerentur. Constantinus vir Catholicus omnes hæreticorum opiniones ubique delevit quas sui foverant antecessores. Tunc Bulgari ultra paludes Mœotidas habitantes Romanum imperium vexaverunt, & cum videret Imperator quod eos fugare non posset, pacem cum ipsis fecit, eisque tanquam Dominis annua tributa dedit quasi servus. Claruit tunc Beda venerabilis cui hoc nomen per lapides cum eis prædicasset credens homines esse, & cum non bene videret, & ductor eum deridendo illuc monstraverat post sermonem clamantes una voce, Bene dixisti venerabilis Beda, inposterum nomen compertum est.

Justinianus junior Constantini quinti filius quia Anno Domini DCLXXXVIII. annis X. sed patris sui vestigia relinquens & hæresim sequens justo Dei judicio linguam, nasum & regnum perdidit annis X. Igitur in exilium relegatus asseruit, se iterum regnaturum, sed populo irridente fugit ad Principem Turcorum, cujus Germanam ducens uxorem suoque & Bulgarorum fretus auxilio iterum recuperavit ut post dicetur, quia tempore sui exilii duo Cæsares regnaverunt.

Leo secundus Anno Domini DCXCVII. regnavit annos III. Tunc Rex Frisonum Katholdus, cum baptizari deberet & pedem unum in lavacro misisset, quæsivit, quo major pars antecessorum suorum devenisset, & audiens plures esse in inferno pedem retraxit & dixit, sciendum est plures sequi quam pauciores & honestius sequi divites & potentes quam pauperes & leprosos, quarto autem die subito obiit ludificatus a dæmone multas ei divitias promittenti. In Campania Italiæ frumentum, hordeum & ligumina ad instar pluviæ de nubibus ceciderunt circa annum Domini DCC.

Tiberius III. anno Domini DCC. viventibus adhuc duobus Antecessoribus suis regnavit annos VII. III. Synodus VII. Aquilegiæ congregata est sub Papa Sergio Sanctus Oswaldus regnavit in Anglia tam largus, ut adhuc ejus dextra elemoysinas dare dicatur. VII. Justinianus cum Turcis & Bulgaris veniens Tyberium & Leonem Successores suos occidit, quorum complices reservans unum post unum jugulavit, quotiens nasum suum purgavit.

Justinianus sine naso recuperans regnum anno Domini DCCVII. cum filio suo Tiberio regnavit annos VI. V. pœnitentiam agens Constantinum Papam ad se in Constantinopolim vocavit, & de manu ipsius aliquotiens communicavit, Insulam autem Crassonam in qua exul fuerat omnino delere intendens, omnes infantes ibidem occidi præcepit,

pit, & contra Papæ Consilium misit exercitum ad pontem Comprehendere Philippum, quem damnaverat exilio ad insulam supra dictam. Conversus exercitus ad Philippum fecit eum Imperatorem, qui veniens Constantinopolim Justinianum cum filio suo occidit.

Philippus anno Domini DCCXIII. regnavit annum I. menses VI. qui omnes imagines sanctorum destruxit, & idcirco Constantinus Papa eum excommunicavit.

Anastasius Philippum cœcavit anno Domini DCCXVI. & pro eo tres menses regnans Presbyter postea est ordinatus. Eo tempore duo reges Anglorum Chœroth & Opha Romam venerunt, & Monachi facti sunt, qui neque literati fuerunt.

Theodosius III. Anno Domini DCCXVIII. coactus imperium suscepit, quia decus Sacerdotii semper desiderabat adipisci, igitur Anastasium Antecessorem suum prælio vicit & eum presbyterum compulit, sic & ipse dimisso imperio Presbyter ordinatus in pace vixit, uno tantum anno regnavit. Tyberis fluvius multa ædificia Romæ subvertit, ita ut via latina cresceret altitudine cubitus & semis.

Leo III. cum filio Constantino anno Domini DCCXVI. regnavit annos XXV. Hic omnes imagines Christi, Mariæ & aliorum sanctorum in medio Constantinopolim cremavit, & multos de populo non consentientes decollavit, unde Gregorius Papa triplici excommunicatione ipsum ligans Romam cum omni Italia ab ejus imperio recedere fecit, hujus anno primo Karolus III. avus Karoli Magni Saxoniam bello vastavit. V. Saraceni Constantinopolim triennio possidentes pulsi sunt fame, peste, ferro & naufragio, quorum multitudinem innumerabilem Carolus delevit, & Renum transiens usque Danubium totam Almaniam. Item Frisones, Burgundiam & Lothringiam Karolus debellavit, nec tamen Rex fuit sed Major Franciæ vocabatur. VI. Hilsprandus Rex Longobardorum transtulit ossa sancti Augustini Ticinum. VIII. Sanctus Pirminius in Anglia venit eamque a serpentibus liberavit, multi tanti viri, qui serpentibus hujusmodi sua benedictione fugavit sanctitatem escas sic benedicere solet:

Sanctificet nostram Sanctus Pirminius escam
Pirminii dextra benedicat pocula nostra.

Et credunt multi quod nihil immundum huic valeat benedictioni latendo obstare. X. Karolus supra dictus Rex Franciæ factus annos XV. regnavit cui successit Hildericus Rex inutilis & remissus XV. Beda venerabilis Presbyter obiit indictione XIIII, Anno Domini DCCXXXI. in die ascensionis ante altare cantans antiphoniam, O rex gloriæ, tantusque odor omnes perfudit, ut se esse in Paradiso æstimarent. XX. Gregorius Papa, misit Karolo claves sepulchri sancti Petri cum magnis muneribus, petens ut recederet a societate Constantini filii Leonis, qui fuit per omnia vitiosus, eo tempore sanctus Burchardus Erbipolensis Episcopus & Fulradus Abbas missi a Pipino ad Papam Zachariam, reportaverunt ut deponeretur Hildericus Franciæ supradictus, quem Franci tonsi in monasterio recluserunt. Eo tempore in Constantinopolim CCC. hominum pestilentia obierunt, terræ motus urbes multas subvertit, aliquas etiam integras salvis muris cum suis habitationibus sanis de montibus ad campestria transtulit; Armeniam infestabant tunc Tyberii omnes in modum crucis in capitibus suis tonsis, qui hunc tondendi modum a quodam Christiano didicerunt, cum pestilentia gravis ea patriam devastaret. Syrus quidam Pseudo-Christus apparuit & multos Judæos seduxit. Sarraceni per mare Augustum transeuntes totam Hispaniam occupabant, & post X. menses annos Aquitaniam & occupare voluissent, Karolus Marcello cum eis pugnavit, ubi de suis MD. perdidit viros, sed de Saracenis plusquam CCC interfecit. Corpus sanctæ Petronellæ translatum est, in cujus sepulchro inventa est tabula marmorea manu sancti Petri sic scripta, Aureæ Petronellæ dulcissimæ filiæ, sicut ait Sigbertus.

Constantinus VI. filius Leonis anno Domini DCCXLII. regnavit annos XXXV. Homo ferus & pessimus legum persecutor & recedens a Deo & omnibus sanctis ejus, insistens luxuriæ, maleficus, invocationibus dæmoniorum, sacrificiis idolorum, persecutionibus Ecclesiarum; peremtionibus Patriarcharum vitiosus per omnia veluti Diocletianus; prædicta omnia contingebant circa annum Domini DCCXL. Anno Domini DCCXXXIX. Pipinus cum fratre suo Karolo Magno Austriam & Almaniam atque Thuringiam sortita Anno IX. post multas victorias divino amore succensus Romam venit, ubi a Zacharia Papa Clericus factus monasterium sancti Sylvestri in monte Serapte construens seculum reliquit, cui successit Aiscolays homo malus. Anno Domini DCCLIIII. Pipinus auctoritate Stephani Papæ Rex Francorum appellatus & a sancto Bonifacio in Svvesana matre Francorum in solium regni levatus XIII. annis regnavit.

Anno Constantini sanctus Bonifacius Archi-Episcopus cum suis sociis passus est in Frisia anno peregrinationis suæ XL. sed pontificatus XIII. indictione VIII. XVIII. Haystolfus Rex Longobardorum obiit, cui successit filius suus Desiderius ultimus Rex Longobardorum XXI. Sanctus Othmarus Abbas in Insulam Reni relegatus obiit, Ecclipsis solis facta est in assumtione beatæ Virginis hora sexta. XXV Hyems & iterum Ecclypsis solis pridie nonas Junii in vigilia sancti Bonifacii Episcopi hora VI. XXVIII. Corpus sancti Nazarii ad Laurissam translatum est. XXIX. Pipinus obiit indictione VI. Cui in Regno Franciæ successit Filius suus Karolus in anno ætatis suæ XXV. qui postmodum in anno regni sui XXXIIII. Romanum Imperium est adeptus.

Karolus Magnus Rex Francorum Pipini Filius, Anno Domini DCCLXIX. cum fratre suo Karolomanno regnavit annos quatuor, postea solus XLII. Corpore decorus sed visu ferus; Statua ejus pedum VIII. facie longa ut palmas & dimidius

dimidius frons pedis unius; Unum militem armatum super equum sedentem a vertice scilicet, cum equo usque ad terram cum spata scindebat. Quatuor ferraturas equorum simul junctas cum manibus extendebat; Militem armatum stantem supra manum suam a terra usque ad caput suum sola manu velociter elevabat, leporem integrum, aut duas gallinas aut anserem uno pastu edebat, modicum vinum lymphatum bibit, & raro plus quam ter in prandio vel in cœna. Altwino Philosophus Karolum docuit artes liberales genere Anglicus, vita & scientia & moribus præclarus, Hic de Roma transtulit Parisius. Huic commisit Karolus monasterium sancti Martini, cujus Monachi præteritæ religionis obliti sericis vestibus utebantur & calceamentis auro textis, carnis illecebris vacabant, divini officii devotionis minime curantes. Cum igitur semel in dormitorio quiescere deberent, venerunt duo angeli & plurimos extruxerunt. Hujus Monasterii Abbas & Gubernator Altwinus Sanctitatem pristinam reformavit, Anno IIII. Corpus sancti Athmari integrum repertum translatum est ad Monasterium sancti Galli, Fratribus autem ad refectionem consedentibus vasculum sæpius exhaustum liquoris detrimentum non sensit. V. Karolomannus frater obiit, VII. Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Almaniam sunt translata. Eo tempore misit Adrianus Papa nuntios ad Karolum postulans contra Desiderium Regem Longobardorum, Karolus autem congregato exercitu per montem divisim Italiam intravit & Papiam potenter obsedit, ubi Regem cum Uxore & principibus capiens in exilium misit, sicque regnum Longobardorum quod per annos CC. cum magno Romanorum dispendio duraverat, Karolus ille terminavit, XIII. Fames & mortalitas Franciam devastavit. XIIII. Adrianus Papa Pipinum filium Karoli baptizavit XIX. Eclipsis solis XV. Kalendas Octobris facta est hora secunda. Eo anno cruces in vestibus hominum apparuerunt. XXIII. Karolus sine bello per annum sedit in Wormatia. XXVIII. Saxones fidem Christi derelinquentes & sæpius rebellantes Karolus bello vicit, terciam partem virorum obsides accepit. XXX. Hunni sive Ungari munera offerentes Karolo subjiciuntur. XXVII. Leonem Papam Romani cœcaverunt, Anno Domini DCCC.

Leo IV. Constantini filius Anno Domini DCCLXXVII. Cum uxore sua Irene regnavit annis V. Hic in Ecclesia quadam vidit Coronam carbunculis ornatam quam concupiscens abstulit & capiti suo imponens in medio populo cecidit & exspiravit.

Constantinus septimus filius Leonis anno Domini DCCLXXXII. Cum matre sua Irene regnavit annos XVII. Tunc quidam fodiens in longis muris Thraciæ invenit archam lapideam in qua jacuit mortuus ante Christi Nativitatem sepultus habens in lamine aureas literas hæc verba continentes, Christus nascetur ex Maria virgine & ego credam in eum, o Sol sub Constantino & Irene imperantibus iterum me videbis. Constantinus & Patriarcha Jerosolimitanus Karolo scripserunt ut succurreret terræ sanctæ, quam exercitu recuperans reversus est Constantinopolim, Ubi aurum & gemmas sibi oblatas recusans postulavit ex omnibus Sanctorum reliquiis archam unam. Territus Constantinus clausit reliquias pretiosissimas in archa vili, sed alias in scrineis aureis & gemmatis. Karolus hæc ignorans præmisit jejunium triduanum & præmonitus ab angelo, cum inter omnia scrinia deberet unum eligere, relictis aureis rapuit archam vilem, in qua erat pars coronæ spineæ quam, quæ floruit ad preces ejus, item unus clavorum Domini, Item pars crucis Domini, Item Sudarium Christi, Item Camisici gloriosæ virginis Mariæ, Item brachium sancti Simeonis, quæ omnia miraculis comitantibus ad Aquisgrani transtulit, & in Basilica beatæ Mariæ virginis collocavit. Constantinus Imperator Irenem matrem suam expulit, quæ ipsum & filios excæcari procurans imperium sola tenuit annis tribus, Cui successit Nicephorus avarissimus perdurans annos IX. post quem Michael bonus annos II. qui ditando placavit, quos Nicephorus spoliavit, & omnes adversantes fidei constringere conabatur. Hi duo vocari Imperatores Romani non possunt, qui tunc ad Karolum devolutum fuit.

Karolus Magnus imperiali benedictione a Papa Leone accepta sublimatus Augustus & Cæsar Romanus est appellatus Anno Regni sui XXXIII. An. ab incarnatione Domini DCCCI. An. ab urbe condita MDLII. A Cæsare Augusto Imperator LXXVII. Igitur a Constantino M. per annos CCCCXC. sedes imperialis fuit in Constantinopolim, sed cum vocabantur Imperatores Romani, Karolus autem sedem in Romam transtulit, & ius eligendi Imperatorem Teutonicis acquisivit. Sunt autem Principes VII. & eorundem successoribus electio data est, tres videlicet Archi-Episcopi Cancellarii, quorum primus est Archi-Cancellarius, & quatuor seculares, scilicet Marchio Brandenburgensis, Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Dux Bohemiæ, quorum ministeria his versibus declarantur:

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

De statura Karoli superius satis dixit. De cujus vita victoriosa, religiosa, miraculosa, potentissima, justissima vidi volumen egregium compilatum, in quo multa utilia & delectabilia continentur, quæ heu prætermittere me oportet. XII. annos Imperium tenuit, Constantinopolitanos vocans fratres suos, II. Græci cum Carolo firmaverunt, III. Terræ motus & mortalitas subsecuta est, VII. Eclypsis solis III. Idus Februarii hora VI. X. Karolus Christum hæredem suum fecit, unde thesauros suos in Ecclesias, dioceses & monasteria dividendo. XII. Febri ac pleurisi pulsatus sancto fine quievit sanctorum numero aggregatus Annorum LXXI.

 V. Kalend.

V. Kalend. Februarii An. Domini DCCCXIIII. effecit itaque VII. literas aureas Alphabeti quamlibet valentem C. libras tornensium & totidem monasteria fundavit, ponens in singulis literam earundem unam.

Stephanus II. Papa CXV. Anno Domini DCCLVIII. sedit annos V. Hic ab infestatione Haistulfi Regis Longobardorum in Franciam pergens, constituit Regem Pipinum Patrem Caroli Magni, Igitur Pipinus de equo descendens duxit Equum Papæ tria miliaria usque ad Palatium suum. Transtulit ergo Papa imperium a Græcis in Germanos in persona Karoli, require in Decretali venerabilem.

Paulus Papa XCVI. Anno Domini DCCLV. sedit annos X. mensem unum. Hic transtulit corpus sanctæ Petronellæ, quære supra. Fuit autem homo mitissimus nulli malum pro malo reddens, de nocte cum paucis circuit hospitia infirmorum, pauperibus & captivis, viduis, orphanis ministrans necessaria, Tunc sanctus Gingolfus claruit, quem propter uxorem Clericus scelestus interfecit.

Constantinus Papa II. in ordine XCVII. Ex Laico Presbyter subito factus ambitione tyrannica sedis invasor cum magno scandalo sedit menses XIII. nec ponitur in Registro quia zelo depositus fidelium est & excæcatus.

Stephanus III. Papa XCVIII. in synodo degradavit omnes ordinatos a Constantino, revocans omnia præter baptismum & Crisma.

Stephanus IIII. Papa C. Anno Domini DCCCXV. sedit menses VII. Hic Ludovicum filium Caroli coronavit Imperatorem.

Paschalis Papa CI. An. Domini DCCCXVI. sedit annos VII. Cui sancta Cæcilia revelavit ossa ejus & sanctorum Urbani, Tiburcii & Valeriani quæ latuerunt per annos fere DC. Hæc Papa transtulit intra urbem, Item Ecclesiam sanctæ Braxedis reparans instituit inibi Græcorum Monachorum Collegium, Ex Cimiteriis Sanctorum Corpora congregans ibidem collocavit.

Eugenius II. Natione Romanus per Laicos Papa factus sedit annos III. Hic primum sanctæ Sabinæ Martyris Presbyter Cardinalis ejusdem Ecclesiæ pictura solenni & ciborio argenteo decoravit.

Valentinus II. dies X.

Gregorius IIII. Papa Anno Domini DCCCXXXVIII. sedit annos XX. Tunc quidam Romani scelerati miserunt ad Soldanum Babyloniæ ut venirent in Italiam. Tanta itaque multitudo Saracenorum per portam Centumcellensem intrans implevit superficiem terræ velut Locustæ, totam itaque Tusciam in solitudinem redegerunt, Romam obsederunt, civitatem leoninam ceperunt, Ecclesiam sancti Petri stabulum equorum effecerunt. Tandem ad petitionem Gregorii Papæ Guido Marchio cum Longobardis veniens, deinde Ludovicus cum Gallicis Saracenos fugaverunt, Qui nihilominus Apuleam & Siciliam devastantes Christianum sanguinem multum fuderunt. Festum omnium Sanctorum usque huc per annos CCXX. celebrabatur III. Idus Maji, sed Gregorius ex consensu Imperatoris & omnium Episcoporum transtulit illud ad Kalendas Novembris, quando populus adveniens uberiorem victualium copiam possit haberi.

Ludovicus Magni Caroli filius. Anno Domini DCCCXV. regnavit annis XXVI. Michael Imperator Constantinopolitanus misit Ludovico inter cætera munera libros Dionysii de quibus XXI. infirmi curati sunt, Ewaldus Rex Slavorum sive Dalmatiæ cum omni familia sua in Moguntia baptizatus est, in qua tunc floruit Rabanus Moguntiensis Archi-Episcopus III. & discipulus ejus Strabeth, qui librum de officio Ecclesiæ scripsit Imperatori, eo tempore in Gallia ante festum Johannis Baptistæ fragmentum glaciei cecidit cum grandine quodam cujus longitudo XV. pedum & spissitudo -- erat: Magnum Concilium congregavit Imperator Aquisgrani, ubi regula Canonicorum & Canonicarum de diversis Patrum sententiis compilata est, & multa de statu Clericorum & religiosorum utiliter sunt tractata. Alia quoque Concilia ipsius tempore videntur esse celebrata. Episcopi & Clerici deposuerunt tunc cingula aurea ac auro texta & similia ornamenta. Ducolfum [Incolfum] Episcopum Aurelianum a falso tunc accusatum Imperator in Andegavi custodiæ mancipavit. Cum autem in die Palmarum processio ante Carcerem fieret, dictus Episcopus cantor egregius aperta fenestra & silentio facto præsente Imperatore cantare incepit hymnum, Gloria, Laus & honor tibi sit Rex Christe, Redemtor, quem ipse ibidem dictaverat, quem Imperator avunculus mox absolvit. Puella XII. annorum fuit tunc in Diocesi Fuldensi, quæ post communionem in Pascha recepta per dimidium annum in pane & aqua sine læsione jejunavit, deinde ab omni cibo & potu per annos III. abstinuit, & Corpus Christi frequenter accepit. Hunc Ludovicum filii sui capientes aliquandiu incluserunt, sed eodem anno pœnitentes & veniam poscentes ipsum restituerunt. Anno X. Nix magna cecidit in festo sancti Mauritii & usque ad Pascha duravit in tota Regione per ebdomedas XIX. XVII. Sangina fundata videtur. Sed de hoc anno Domini MXXV. plura multa invenies. XXVII. Ecclypsis Solis III. Nonas Maji hora VIII. Tunc Ludovicus obiit XII. Kalendas Julii, sepultus in Ecclesia Metensi.

Lotharius primus Anno Domini DCCCXL. regnavit annos X. Cujus fratres Ludovicus, Carolus & Pipinus omnes filii Ludovici supra dicti in pago Altissiodorensi tam grave prælium commiserunt, quod nulla ætas meminit tantam stragem hominum in Regno Francorum, deinde, pace facta Lotharius obtinuit imperium & partem Franciæ, quam suo nomine Lothringiam appellavit, qui filio suo Ludvvico relinquens Imperium habitum Monachalem suscepit, pro cujus anima dum de hac luce migrasset Angeli cum Dæmonibus taliter pugnaverunt, quod omnes parentes ejus timor & stupor

ſtupor invaſit, ſed monachis orantibus angeli prævaluerunt. Eo tempore corpus ſancti Martini e tumulo levatum eſt poſt obitum ſuum CCCCLX. annis. Imperator tranſtulit Liborium Epiſcopum de Zonomeranis in Padeborn, cui cives Turonenſes cum reliquiis ſancti Martini proceſſionaliter occurrerunt. Tunc quidam dives leproſus cum ſervis & amicis ſuis veniens procidit coram ſancto Martino, ut eum mundaret, cui vox de archa ſancti Martini reſpondit, jam te ex una parte corporis volo mundare, reliquum vero fratri meo Liborio mundanda relinquo, ſemper enim hoſpites honorandi ſunt, ille igitur dimidius ſanus cum omni populo procidit verſus ſanctum Liborium, & penitus eſt curatus. require ſimile infra LXXXV. ſub Stephano V.

Ludvvicus filius Lotharii cum fratre Lothario regnavit anno Domini DCCCLX. Hujus Ludvvici filius Karolus tribus diebus a dæmone vexatus confeſſus eſt publice ſe contra Patrem conſpiraſſe. Eo tempore apud Briuſſiam Italiæ tribus diebus ſanguis de nubibus pluit, item in Gallia locuſtæ apparuerunt ſex alas & totidem pedes habentes & dentes duos lapidibus duriores. Turmatim itaque volantes una die per IIII. miliaria arbores & herbas vaſtaverunt usque ad mare Britannicum, ubi flatu ventorum ſubmerſæ & rurſum furore maris ad litus rejectæ putruerunt, inde aere corrupto tam peſtilens morbus ſecutus eſt ut tertia vero pars illorum hominum interiret. Eo quoque tempore Adolfus Rex Angliæ Romam veniens obtulit ſancto Petro tributum, de qualibet ſcilicet domo annuatim nummum argenteum, quod permanet usque in præſentem diem, Item anno Domini DCCCCLXVI. in parochia Moguntina malignus Spiritus oſtia domorum pulſando manifeſte loquendo lapidibus homines obruendo domos plurimos incendebat, Clericis autem letanias agentibus dixit ſe aſperſionem aquæ evaſiſſe ſub cappa cujusdam Presbyteri, quem cum filia ſui Procuratoris aſſeruit fornicatum; Rex Bulgarorum cum ſua gente baptizatus tantæ perfectionis fuit ut majore filio in Regem ordinato ipſe habitum aſſumeret Monachalem. Mare Hiſpanicum usque Venetias congelatum fuit.

Mulier Papa Anno Domini DCCCLIIII. ſedit annos III. menſes V. Hæc dixit ſe vocari Johannem Anglicum, Margantamum. In habitu virili Athenas ab amaſio ſuo ducta, in diverſis ſcientiis erudita & valde profecit, poſt hæc Romam veniens triviales artes legit, & magnos Magiſtros diſcipulos habuit. Hæc cum in urbe vita & ſcientia non mediocriter omnes excelleret, in Papam eligitur, ſed a prædicto amaſio impręgnatur. Hæc dæmoniacum quendam adjurans, interrogavit, quando dæmon recedere vellet, cui diabolus verſifice reſpondit:

Papa Pater Patrum Papiſſæ pandito partum,
Et tibi tunc edam de corpore quando recedam.

Tandem inter Colliſeum & Eccleſiam ſancti Petri parturiens obiit, Ideo Papa adhuc transeundo viam illam obliquat.

Benedictus IIII. Anno Domini DCCCLVII. ſedit annos duos, menſes quinque. Conſtituit ut Clerici ordinate & honeſte incedant.

Nicolaus primus anno Domini DCCCLXX. ſedit annos IX. menſes III. Conceſſit cantari ſequentias, Item conſtituit ut Clericus non venetur, Item ut cauſam Papæ nullus judicet niſi Papa. Tunc ſanctus Cyrillus de mari levavit corpus ſancti Clementis & Romam transferens ſepelivit.

Adrianus ſecundus an. Domini DCCCLXXVIII. ſedit ann. Conſtituit ut nulla cauſa die Dominica judicetur.

Johannes VIII. ſedit annos X. Conſtituit ut nullus Judex ſecularis placita ſecularia tractet in ædibus conſecratis, item quod ibi non hoſpitentur niſi ex gratia. Sub iſto fuit V. Synodus Conſtantinopolitana.

Martinus ſecundus ſedit annum unum.

Adrianus III. annum unum, Conſtituit ut Imperator de electione Papæ ſe non intromittat.

Stephanus V. ſedit annos VI.

Formoſus Papa anno Domini DCCCXCII. ſedit annos V. menſes VI. Hic dum Porticenſis eſſet Epiſcopus usque ad habitum laicalem degradatus fuit a Johanne Papa & juravit ſe Romam nunquam ingreſſurum, & ſe Epiſcopum nunquam futurum. Poſtea autem Martino Papa reſtitutus Epiſcopatum recepit & proceſſu temporis in Papam eſt electus, qui in Ratisbona ad ſanctum Gumeranum dedicavit. Denique poſt obitum corpus ejus in Concilio poſitum Stephanus Papa ſextus condemnavit abſciſisque duobus dextris manus digitis in Tiberim projecit, & ordinationes quaslibet ab ipſo factas decernens irritas & inanes, ultimo Sergius tertius, iterum corpus ejus extumulari præcepit poſt annos VI. & in ſede Pontificali locatum decollari & in Tyberim jactari, eo quod ſua electio olim propter Formoſum fuerit impedita, Corpus autem a Piſcatoribus inventum & in Eccleſia ſancti Petri poſitum, Imagines Sanctorum ſe inclinantes venerabiliter inclinabant & ſalutabant. Duo etiam ſucceſſores ſui Theodorus II. & Johannes IX. Ordinationes Formoſi Papæ convocatis Synodis approbarunt.

Bonifacius VI. ſedit XV.

Stephanus ſextus hoſtis Formoſi ſedit annum unum & menſes III.

Romanus ſedit menſem unum.

Theodorus II. ſedit annos II. menſ. XI.

Benedictus IIII. ſedit dies quadraginta.

Chriſtoforus Papa ſedit menſes VII.

Sergius Papa III. Formoſi æmulus ſedit annos VII. menſes III. require in hoc folio qualiter ſe vindicavit & cauſam.

Anaſtaſius III. ſedit annos II. menſes II.

Laudo Papa ſedit menſes VI.

Johannes X. Filius Sergii Papæ anno Domini CMVIII. ſedit XIII. & menſes II. Hic miſſus

in carcerem strangulatus est & positus est super os cervicalis.

Leo Papa VII. Anno Domini CMXXVII. sedit menses VI.

Stephanus VII. sedit annos II. menses I.

Johannes XI. sedit annos IV. menses X.

Leo VIII. sedit annos III. Hic natione Germanus a Romanis mutilatus est Anno Domini DCCCCXL.

Martinus III. Anno Domini DCCCCXL. sedit annos III. menses VI. Tunc floruit sanctus Cunradus Constantiensis Episcopus, qui super lacum Potanicum siccis pedibus ambulavit, Item sanctus Udalricus Augustensis Episcopus, In cujus missa est visa dextra Dei hostiam benedicens, Item sancta Wigberda virgo apud Sanctum Gallum tunc ab Ungaris passa est.

Agapitus secundus sedit annos VII. menses VI. tunc primus Abbas Clunacensis Otto obiit, Cui Hademarus successit, postquam sanctus Majolus temporatur monasticæ disciplinæ.

Johannes XII. Anno Domini DCCCCLII. Nobilis Romanus & amicorum auxilio sedit annos VII. menses XI. Fuit itaque venationi & libidini intentus, Fornicator publicus, cuidam Cardinalium suorum nasum, alteri brachium amputavit, Otto vocatus Romam venit, Johannem deposuit, qui in adulterio perseverans miser & impœnitens interiit.

Karolus II. Imperator Anno Domini DCCCLXXVI. regnavit fere annos II. qui & Patruus Ludwici, Hic multa monasteria construxit & destructa renovavit, Compedium oppidum suo nomine Kariopolim appellavit & ad modum Constantinopolis eam construere cogitavit, Cum autem a Galliis in Italiam pergeret, pocionatus a quodam Judæo in Alpibus vitam finivit.

Karolus Tertius a Johanne Papa baptizatus & coronatus regnavit annis XII. qui corpore & spiritu deficiens a principibus est ejectus, sicque vivus regnum reliquit. Eo tempore Normanni & Daci Coloniam, Treverim & multas civitates alias destruentes, tandem baptizati partem Franciæ transitaneam, quæ nunc Normannia dicitur, pacifice receperunt. Tunc etenim Ungari Schicia a Pincernatis expulsi, seu Hunos nati de Pannonia ejecerunt, adeo tunc insulsi ut crudis carnibus in cibum, & sanguine uterentur in potum. Lotharius quidam Rex propter fornicationem excœcatus venit pro excusatione cum principibus suis ad Papam, Qui corpus Christi eis tali conditione dedit, ut qui indigne accederet infra anni spatium moreretur, Quod & factum est, Nam Rex & Nobiles in Via redeundi mortui sunt. Floruit tunc Johannes Scotus, qui Jerarchiam sancti Dyonisii de græco transtulit in latinum, quem postea discipuli sui scilicet confodientes peremerunt. Corpus sancti Martini in Anthisiodorum ad sanctum Germanum translatum est, ubi Monachi utriusque Sancti pro Sacrilegio litigantibus, & miracula quæ fiebant utrique sancto ascripserunt. Leprosus quidam in medio pernoctans ex parte Martini Dimidius curatus est, & nocte sequenti revertens ab eodem curatus est ex parte altera, Non propter sancti Germani impotentiam, sed quia Martinum velut Hospitem honoravit. Simile require supra Lotharius primus.

Arnolfus Imperator, Anno Domini DCCCLXXXV. Exercitum Normannorum qui Gallias annos XL. vastaverant, * Tunc Ungari Saxoniam & Thuringiam superantes Ducem Thuringiæ occiderunt, Item Franciam & Saxoniam devastantes usque ad Fuldam pervenerunt, Ratispona exusta est. Magna fames homines se invicem comedere coegit. Arnolfus filius Karolomanni obiit in Ratispona devoratus a pediculis, Anno regni sui XII. Tunc exemtum de manu Karolorum imperium ad Italicos devolutum est.

Ludwicus filius Arnolfi adhuc puer regnavit annos XVII. Beringarius vero Italiam tenuit, & Ludwicum captum excœcavit. Ungari tunc in Barbaria prostrati sunt. Albertus Comes Babenbergensis a Ludwico decollatur, Et hoc perfidus Alto Archi-Episcopus Moguntiensis suasit, Ideo a Dæmonibus in puteum Ethne montis præcipitatus est. Anno Domini DCCCCXIIII. voce in aere sic dicente, Sic peccata lues, sicque ruendo lues, Ungari Bavariam superant, Saxoniam & Thuringiam vastant, totamque Almanniam debellant, Basilicam destruunt, Alsatiam & Lothringiam pervagantes. Monasterium Cluniacense Wilhelmus Pius Princeps Burgundiæ renovavit, Spitigerius Dux Bohemiæ baptizatur, Cui successit sanctus Wenzeslaus filius suus, de quo require infra.

Conradus primus filius Conradi fratris Ludwici regnavit annis VII. Anno Domini CMXII. de genere Caroli ultimus Imperator, Cometa apparuit & regnum de Franconibus ad Saxones est translatum, Sepultus est in Fulda.

Heinricus primus filius Ottonis Ducis Saxonum, Anno Domini CMXXVIII. regnavit annis XVIII. in Almania, Iste in Saxonia Ungarorum exercitum delevit & duos Reges Christianos fecit scilicet Normannorum & Obotritorum. In civitate Jannensi fons sanguinis largiter fluxit, & civitas eodem anno a Saracenis capta thesauris & hominibus miserabiliter est spoliata.

Otto magnus filius Heinrici Anno Domini CMXXXIIII. regnavit annis XXXVI. Hic die paschæ principibus quinis antequam sederet ad mensam vehementer iratus, quendam misit occidi, qui Regem apprehendens ad terram dejecit & eum strangulari cœpit, Rex vix liberatus culpabilem se reddit eo quod festum tantum non honorasset, & malefactoris audaciam laudans liberum eum abire permisit. Fuit eo tempore in Vasconia mulier ab umbilico sursum divisa, duo habens capita & duo pectora, quæ longo tempore supervixit, Anno Ottonis primo Ungari Almaniam, Gallias, Burgundiamque & Italiam * in Pannoniam reversi sunt. XV. lapis ignitus volavit ab Occidente & visus est draco. XIX. Ungari totam Bavariam vastantes apud

apud Auguſtam victi ſunt ab Ottone. IV. Idus Auguſti ubi Dux Thuringiæ & Dyappoldus frater ſancti Udalrici occiſi ſunt, Reges autem Ungariæ ſuſpenſi ſunt, Ratiſponæ in patibulis, In anno Domini CMXLV. XXVI. Otto Imperator efficitur, & ex tunc ſoli Teutonici imperium Romanum usque nunc tenuerunt. A tempore enim Ludowici Beringarii & unus Lotharius in Italia regnaverunt. Cum autem Beringarius IV. Italiam premeret, Otto vocatus eum cepit, & ad Bavariam in exilium relegavit, Adelheydam Lotharii relictam quam Berengarius in vinculis tenuit Otto uxorem duxit, de qua filium genuit nominis & regni ſucceſſorem. Anno regni XXXVIII. Imperii vero XII. Otto obiit ſepultus in Meydeburg apud ſanctum Mauritium. Qualiter autem aliquoties Romam venit & quam potenter Papas depoſuit & inſtituit depoſitorum loca, require infra.

Otto IV. anno Domini CMLXXI. regnavit annis XXII. Hic pro eo quod Italici pacem violaverunt Romam quaſi gaudens venit & congregatis Eccleſiæ Magnatibus & Cardinalibus cunctis quam proceribus convivium magnum fecit, qui timore coacti lætitiam ſimulabant. * Hic contra Aggarenos & Barbaros cum Romanis & Teutonicis & Longobardis in Galliam procedens Romanis & Beneventanis terga vertentibus totum exercitum pene amiſit & ſolus in navim a Græcis ſub ſpecie militis eſt receptus, quibus Græce confabulantibus, quod vellent eum Conſtantinopolim ducere diſſimulavit ſe intelligere & invocans ſanctum Petrum finxit ſe theſaurum effodere, Nautis ergo ad littus eum ducentibus venit quidam Epiſcopus cum multis & Ottonem liberans nautas occidit, lætus igitur ad imperium rediit, ſed languens Romæ obiit ibidem & ſepultus eſt, anno Domini DCCCCLIX. Sanctus Wenzeslaus Dux Bohemiæ a proprio fratre occiſus martyr factus eſt, qui tantæ humilitatis fuit & devotionis ut occulte cum uno famulo de ſilva noctu ligna ferret & ante viduarum & orphanorum januas clam poneret, ſpicas etiam de propriis agris meſſuit & excuſſit pro ſacrificiorum hoſtiis faciendis.

Leo IX. Anno Domini CMLXI. ſedit annum unum menſes IIII. Conſtituit contra malitiam Romanorum qui ſuos intrudere ſolebant ut ſine conſenſu Imperatoris nullus ad Papatum aſcenderet, prout etiam ſupra & infra.

Benedictus II. ſedit menſes II. Hic vivente Leone conſtitutus eſt a Romanis, Ideo vocatus Otto Romam obſedit, donec Papa foret ſibi in vinculis præſentatus, qui in Saxonia exul & in Hoenburg ſepultus eſt.

Johannes XIII. ſedit annis VIII. quem Romani capientes in Campaniam in exilium miſerunt, quem Otto vindicavit, Nam potentes quosdam urbis in Saxoniam exilio relegavit. Tunc Otto Moguntinenſis Archi-Epiſcopus a muribus traditur devoratus obiit LXIX. Eo tempore famis pauperes in horreo concremavit, Nomen ſuum mures de libris & literis abſtulerunt.

Benedictus VI. menſes XVIII. incarceratus a Schitio ſtrangulatus interiit.

Domus Papa annum I. menſes VI.

Bonifacius Papa menſ. I. ſtrangulatus eſt.

Benedictus VII. ſedit annis VIII. menſes VI. multos Romanos cepit favente Imperatore.

Johannes XIV. Papa ſedit menſes VIII. qui poſt quatuor menſes in caſtello ſancti Angeli captivatus fame obiit ſepultus in Vaticano.

Johannes XV. ſedit menſes IV.

Johannes XVI. ſedit menſes X. in armis eruditiſſimus, libros multos compoſuit. Hunc Patricius Romanus Creſcentius expulit in Tuſciam, qui pro Ottone Cæſare nuntios miſit. Inde Patricius Papam inde revocans & ei cum ſenatu ad pedes procidens veniam poſtulavit, obiit ſanctus Wolfgangus Ratiſponenſis Epiſcopus. Anno Domini CMLXXXIIII.

Gregorius V. Saxo dictus.

Bruno ſedit annis II. menſ. VI. Ante quem Johannes Epiſcopus Placentinus cum magna pecunia veniens Romam auxilio Creſcentii ſedit invaſit, Otto veniens Creſcentium decollavit, Papam excœcavit, & eum de Capitolio præcipitavit. Eique Brunonem ſubſtituit, Ideoque nullus Papa Capitolium ſolet aſcendere.

Johannes XVII. ſedit annos X. menſ. I. De cujus vita peſſima & vita bona breviter eſt dicendum. Hic antea Gilbertus vocatus Apoſtata & Nigromanticus, ſe diabolo ſub juramento tradens ut daret ſibi divitias, ſcientias & honores, Magnos enim diſcipulos congregavit ſcilicet Ottonem Imperatorem, Rupertum Regem Franciæ, Anthonium Archi-Epiſcopum Senenſem adhuc pueros, quorum auxilio tres Archi-Epiſcopatus adeptus eſt, Remenſem Ravennenſem & Papatum, Cui diabolus permiſit vitam donec in Jeruſalem miſſam celebraret, Sic enim dicta eſt capella quam fecit in Roma Helena. Ubi dum celebraret ex dæmonum ſtrepitu mortem timens publice confeſſus pedibusque & manibus amputatis ſuper bigam cum equo indomito poſitus eſt ad Lateranenſem Eccleſiam devectus, Cujus ſepulchrum inſudat vel ſtrepit quando Papa mortuus eſt, & hoc eſt ſignum miſericordiæ conſecutæ.

Benedictus VIII. Anno Domini MIX. ſedit annis XII. venit in Babenberg propter Henricum Imperatorem. Dicit Petrus Damaſcenus, quod hic Papa poſt mortem cuidam Epiſcopo apparuit dicens, Ego ſum pauper & dolens, vade ad ſucceſſorem meum, cui dic quod in tali theca pecuniam meam quærat & pauperibus diſtribuat, quia eleemoſynæ hactenus mihi impenſæ nil profuerunt tanquam rapinæ, Epiſcopus igitur omnia complens factus eſt Monachus & feliciter vitam finivit.

Johannes XVIII. ſedit annos X. Tunc Heinricus Filius Stephani Regis Ungariæ cum ſponſa virgine virgo permanſit, ambo miraculis glorioſi.

Benedictus IX. ſedit annis XIIII. Quo aliquamdiu ejecto ſucceſſit Sylveſter III. qui ſedit menſes II. Item Benedictus reſtitutus denuo eſt electus,

electus, succedenti sibi Johanni Archipresbytero rudi & illiterato, qui causa officii exequendi alium secum consecrari fecit, quod cum nulli placeret quidam Gratianus data magna pecunia Papatum obtinuit. Igitur Heinricus Imperator veniens omnes amovit, & Sweigerum Babenbergensem Episcopum Papam fecit, qui infra Clemens IV. dictus est, Romani etiam juraverunt nunquam Papam se electuros præter consensum Heinrici Imperatoris, igitur Benedictus præfatus cuidam juxta quoddam molendinum apparuit in specie monstri, cujus caput & cauda quasi Asini, corpus autem reliquum sicut ursi, videns hoc territus fuit postquam Papa clamavit non metuas, Homo enim fui sicut & tu, sed talem faciem nunc repræsento qualem ego Papa miserrimus vitam duxi dum viverem.

Otto III. Anno Domini DCCCCXCII. regnavit annis XIX. Cujus uxor cuidam Comiti prostituere voluit, quem utputa recusantem ipsa apud Imperatorem tam graviter accusavit, quod ipsum statim decollari præcepit. Comitissa sciens innocentiam viri sui caput servavit occulte, donec Imperator judicio præsideret, Venit dies in qua Cæsar viduis & Orphanis judicare promisit, Adest & vidua Comitissa quærens sententiam qua morte puniendus sit qui innocentem sine judicio decapitasset. Imperator dixit talem similiter decapitandum esse, Quæ caput Mariti proferens clamavit, Tu es ille vir Imperator, qui meretrice uxore tua suggerente maritum meum innocenter decollari jussisti, Quod & ego candentis ferri judicio comprobabo, causa igitur examinata, Imperatrix flammis traditur, Imperator vero se viduæ subdidit arbitrio puniendum, Quæ pro quatuor castris quatuor inducias sibi dedit, pro primo X. diebus, pro secundo VIII. pro tertio septem, pro quarto sex. Quos numeros eadem castra pro suis nominibus adhuc retinent. Tandem supplicantibus cunctis vidua proceribus relaxavit. Tunc constitutum est ut Principes eligant Regem quemcunque velint quia a Papa Imperator consecrari debet. obiit autem primo Kalendis Februarii, Cujus intestina Augustæ requiescunt, Corpus Aquisgrani sepultum ubi ossa sancti Karoli ipse primus invenit.

Heinricus secundus Anno Domini MXI. regnavit annis XXIII. Hic Dux Bavariæ cum sancta Kunnegundæ conjuge & ipse sanctus Virgines permanserunt, Gyselam quoque sororem suam Stephano Rege Bavariæ [Hungariæ] dans uxorem ipsum & Gentem ad fidem convertit. Sanctus Albertus Pragensis Episcopus Regem Stephanum baptizavit, & post hoc a paganis septies confossus & capite truncatus ab aquila triduo custoditus est. Item Edwardus Anglorum Rex Noverca sua suadente perimitur miraculis coruscando. Floruit Robertus sive Rupertus Rex Franciæ qui sequentia, sancti Spiritus adsit nobis gratia composuit, vita, scientia & voce præclarus, qui in obsidione castri fortissimi relicto exercitu venit Aurelianis ut in festo Sancti Arriani chorum regeret, sic semper in festis facere solebat. Ubi cappa serica indutus dum Agnus Dei ter flexis genibus sonora voce incepisset, Muri castri illius obsessi funditus corruerunt. Fuit tunc in Moguntia Archi-Episcopus Wikinus cujus Pater currus & bigas facere consuevit. Igitur ad parietes Oratorii sui rotas suspendit ubi causa humilitatis sic scripsit, *Willikys Willikys gedencke wanne du kommen bist.* Clavem hujus solus Episcopus servabat, unde thesaurum ibi repositum putabatur habere donec Imperator intromissus fuerat. Ideoque adhuc in vexillo Moguntino duæ rotæ aratri sunt depictæ. Claruit Fulbertus Episcopus Carnotensis, qui inter alia laudabilia decantavit hymnum Chorus nove Jerusalem; Responsorium, Stirps Yesse, Et Responsorium, Solem Justitiæ. Igitur Heinricus anno VI. regni sui Episcopatum Babenbergensem constituit, ubi Eberhardum Episcopum præfecit. Anno XIII. Romæ Imperator factus Bohemiam, Poloniam & Sclavorum partes qui pagani erant expugnare disposuit. Cum ergo exercitum perceptione Dominici corporis muniri fecisset veniens ad locum certaminis, vidit sanctos Laurentium, Georgium, Adrianumque præcedere exercitum suum cum Angelo percutiente, sicque absque sanguinis effusione adversarii territi pacati sunt, Apuliam, Pannoniam & Ungariam Romanis subjecit. Cepit itaque infirmitate calculi laborare. Cui in monte Casino sanctus Benedictus apparens in somnis calculum ferro excisum in manum Imperatoris posuit & locum sanavit. Qualiter autem sancta Kunigunda de infamia se purgaverit dicere longum foret. Cum quidem Heinricus Imperator in morte decumberet quidam sanctus Eremita audivit multitudinem Dæmonum transeuntem qui adjurati dixerunt, redeuntes in morte Cæsaris fuimus, sed nihil profecimus, quia ille exustus Ollam in Stateram misit, cui aurem unam fregimus cum aliud nil possemus, Laurentium quidem exustum & calicem ollam appellavit.

Conradus II. primo Francorum Dux dictus Gallicus [Salicus] Anno Domini MXXV. regnavit annos XXIIII. Sepultus in Spira, qui pacem provinciis conservare desiderans statuit ut quicunque pacem infringeret capite truncaretur. Cujus dicti transgressor Comes Limpoldus in magna silva cum familia sua ad quoddam molendinum ubi nunc est Monasterium Hirsaw. Quo dum Imperator causa venationis ad pernoctandum divertisset, Comes fugit, & Comitissam ibi parturientem reliquit qua filium parturiente vox ad Imperatorem facta est tertio ita dicens: Scias Conrade quod puer jam natus gener tuus erit, qui territus eo quod homines rusticos esse putaret præcepit duobus armigeris suis ut puerum occiderent & cor ejus sibi afferrent. Illi cor leporis Imperatori afferentes puerum super arborem posuerunt, Henricus autem Dux Sueviæ ibi transiens puerum invenit & eum sterili uxori suæ clam attulit præcipiens ut diligenter educatum suum filium esse simularet, qui nomine Heinricus fortis & facundus factus est & omnibus gratiosus, Imperator autem suis aspectibus semper eum astare

fecit,

fecit, sed timens ne forte ille esset, quem ipse occidi mandaverat. Scripsit Imperatrici per eum literas hoc modo continentes, in quantum cara est tibi vita tua, mox ut literas istas acceperis puerum hunc necari procures, pergens igitur nuntius & in domo cujusdam literati pernoctans fortiter obdormivit, hospes vero curiositate ductus salvo tamen sigillo literas aperuit, & scelus abhorrens ubi scriptum erat, necabis hunc puerum delevit, ita scripsit, filiam meam in uxorem sibi dabis, quod & factum est. Veritate quidem comperta tam a Duce quam armigeris dixit Imperator, video quod divinæ operationi resistere nemo potest. Qui post socerum Regni suscepto gubernaculo claustrum ipsum Hirsaw in loco nativitatis suæ construxit.

Henricus Tertius Rex pius regnavit annis XVII. Anno Domini MXLVII. Hic omnium Histrionum genus de curia sua abigens quæque munera pauperibus erogavit, Ungaris & Bohemis forti manu perdomitis in Constantiam ad synodum venit, ubi debitis cunctis dimissis destructisque omnibus inimicis pacem firmavit hactenus inauditam, deinde Agnem Pictavi principis filiam in Geylnhusen regalibus nuptiis sibi copulavit, ubi infinitam joculatorum multitudinem sine cibo & muneribus depulit vacuam & illætam. Tunc inventum est Romæ Corpus Gigantis incorruptum altius muro civitatis cum tali versuum ephrasio: Filius Evandri Pallas quem Lancea Turni, Militis occidit morte sua jacet hic. Lucerna ardens erat ad caput ejus quæ nec liquore nec flatu extingui poterat, donec subter flammam foramen cum acu facto aër fuisset immissus, vulnus autem gigantis quatuor pedum fuit & dimidii, qui post versionem Troyæ ibi jacuerat occisus per annos duo milia CCXL. Fuit etiam in Apulia statua marmorea in cujus capite Circulus æreus sculpturam hujusmodi continebat: in Kalendis Maji Oriente sole habebo caput aureum, quod quidam Sarracenus ibidem captivus intelligens notavit Umbram statuæ illius Oriente sole prima die Maji & ibi defossum thesaurum inveniens se a vinculis liberavit. Floruit tunc Hermannus Contractus qui cantus plurimos & tractatum Astrolabii multaque utilia mirifice compilavit, & Chronicam novi Testamenti, ex qua ego hic plura notabilia si qua videntur introduxi. Floruit etiam Fulbertus Carnotensis Episcopus de quo folio præcedenti. Tunc recessit Ecclesia Orientalis ab obedientia Romanæ Ecclesiæ & Græci Papam sibi elegerunt Anno Domini M.XXVIII. & fatebantur nos omnes esse excommunicatos, eo quod Spiritum Sanctum credimus a patre & filio procedentem, quorum tamen error hujusmodi tempore Eugenii in Synodo Florentino sopitus est & evulsus, & etiam eo quod in baptismo & in Missa formam & ritum Ecclesiæ eorundem non servamus. Anno Imperii Heinrici XVII. ab omnibus petita venia ablatisque restitutis ac relaxatis cunctis injuriis filium suum Heinricum decem annorum Principum etiam electione Regem constituit, & præsente Victorio Papa Spiræ obiit, sepultus ibidem quarto nonas Octobris.

Heinricus IIII. puer X. annorum Anno Domini MLXIIII. regnavit, cujus Mater Agnes diu rem publicam strenue gubernabat, aliquando etiam cum suo exercitu vicit quendam Fridericum in Germania se contra Imperium erigentem. Tunc in Oppido Pfortzheim Principes congregati Rudolfum Ducem Saxoniæ contra Heinricum Regem elegerunt, quem Papa Gregorius subsequens nec confessum nec convictum, fovit. Ideo Heinricus Rudolfum bello vicit cruento & superans Curiam in Brixina convocavit, ubi Guitbertum Episcopum Ravennensem in Papam eligi procuravit. Eo tempore Gotfridus Dux Lothringiæ & IIII. Comites cruce Christi signati cum CC. milibus Antiochiam ceperunt. Tunc Rusticus quidam a sancto Andrea per visionem edoctus invenit ibidem lanceam Salvatoris, cum ignem magnum XIII. pedum quidam Bartholomæus illæsus transivit. Exercitus igitur animatus læte processit Cæsaream ubi columba supra exercitum volans detecta est, apud quam tales literæ sunt inventæ: Rex Acharon Duce Cæsareæ salutem. Gens contentiosa, generatio canina venit contra nos, igitur per te & per tuos legere tuam defendas, Aliis Civitatibus idem denuntia. In Sicilia Civitas Syracusana infra missam tanto terræmotu concussa est, ut Ecclesia cadente die Dominica omnes opprimerentur præter IIII. ministrantes. MLIII. In diœcesi Constantiensi mulier peperit infantem duo capita habentem & usque ad clunes omnia duplicia. MLXXV. anno obiit Archi-Episcopus Coloniensis fundator multorum monasteriorum. MLXXVII. Rex Rudolphus de Habspurg electus fuit ut post patebit. MLXXXXV. Indictione VIII. Gebhardus Episcopus Constantiensis tempore fanas dedicavit Ecclesiam sancti Georii in Hirsaw. MLXXXVII. Sanctus Nicolaus in Baram translatus est. MLXXXIX. Heinricus Rex Sueviam vastavit & in Bingen obsedit, & tunc Zwifelden monasterium fundatum est, quod olim fuisse dicitur in monte Achalim super Rutlingen, unde fulgura & tonitrua montem ipsum frequenter concutiunt, eo quod olim consecratus fuisse putatur. MCXIIII. Eclipsis solis undenis facta Kalendis Octobris mensis mansit fere tribus horis. Mors populos stravit subita quos peste voravit. Quidam nobilis a muribus devoratus est, quos nec in terra nec in mari evadere potuit ob sui demerita.

Gregorius VI. Papa Anno Domini MXLVII. sedit annos II. menses VI. Hic prædones Ecclesiarum post excommunicationis contemtum armata manu invasit pluribus interfectis, sed morti propinquans audivit Cardinales sibi propter hoc obloquentes & tanquam sanguinarium judicantes indignum fore Ecclesiastica sepultura. Qui resumto aliquantulum spiritu surrexit & se erexit, & longum sermonem faciens verba Ezechiel introduxit ubi Dominus

dure corripuit sacerdotes qui non opponebant se muris pro domo Israel, & in fine etiam adjunxit, cum mortuus fuero ponite me ante Ecclesiam, quam firmiter claudite & videbitis Domini voluntatem. Quo facto ventus turbinis aperuit januas, & sic Papa sepultus est in Ecclesia sancti Petri Domino procurante.

Clemens II. Anno Domini ML. sedit menses X. Sepultus in Babenberg ubi ante erat Episcopus. Hic Teutonicus fuit, similiter quatuor Papæ sequentes. Hic Regem Henricum & Agnem Reginam Imperiali Benedictione sublimavit, Corpus sancti Undonis de Italia in Spiram transtulit Heinricus Imperator Anno Domini MXLVII. Indictione XV.

Damasus secundus Anno Domini MLI. Sedit annum unum, qui prius dictus Poppo Brixensis Episcopus & Teutonicus fuit.

Leo IX. Anno Domini MLII. sedit annos V. menses II. genere Almanus dictus Bruno Tullensis Episcopus. Hic Moguntiæ cum Heinrico Imperatore & XL. Episcopis Concilium celebravit, statuens ne Clerici venationes sequantur canes & aves. Item ut negotia secularia & lucra turpia non exerceant, Item nullus fiat Monachus nisi legitima ætate & spontanea voluntate. Item ut quatuor tempora cum summo jejunio observentur & ab Episcopo jejuno consecrentur Clerici infra Missam, habuit autem gravem conscientiam pro eo quod ad Papatum per Heinricum Imperatorem fuerat sublimatus unde dignitatem Papalem penitus resignavit, sed ab omnibus denuo rite electus sanctissimam vitam duxit, clarens post obitum in Ecclesia sancti Petri miraculis manifestis. Item Ratisponæ invenit Corpus sancti Dionysii Ariopagitæ apud sanctum Emmeranum ab Arnolfo Imperatore illuc translatum, tunc & sanctus Zenon Confessor in Ulmam est translatus, dedit etiam Leo Episcopo Babenbergensi pallium quo ter in anno potest uti scilicet festis Paschæ, sancti Petri & sancti Dyonisii. Bruno Herbipolensis obiit coruscans miraculis & signis.

Victor Secundus anno Domini MLVI. sedit annos II. menses III. Alemannus Gebhardus dictus Episcopus Eystetensis, qui calicem non valens in canone levare, rogavit populum orare prostratum. Tunc Subdiaconus a dæmone vexatus publice fatebatur venenum se submisisse in calicem & idcirco Papa in altari perpetue clausit.

Stephanus IX. genere Almannus Frater Ducis Lothringiæ Monachus Cassinensis anno Domini MLVIII. sedit menses X. Huc usque V. Papæ Teutonici.

Benedictus X. Genere Lateranensis a Romanis adjutus irrequisito Rege sedem invasit, sed Heinricus Rex cum Principibus deliberatione præhabita Florentinum Episcopum constituit Papam.

Nicolaus Secundus Anno Domini MLX. sedit annos II. menses VII. dictus Gerhardus Episcopus Florentinus. Hic Romæ Concilium contra Berengarium Episcopum, Thuronensem Archi-Episcopum celebravit. De consecratione dist. II. Ego Bereng.

Alexander II quondam Ansehelmus Episcopus in Lucca adjutus favore principum dejecit Gaddum (Cadolum) Parmensem, qui Sedem Papalem sibi usurpaverat. Anno Domini MLXII. sedit annos XI. menses VII. Constituit Atta suspendi a septuagesima usque ad Pascha. Item Sacerdos non baptizatus baptizetur & per omnes gradus a principio consecretur, Item quod Subdiaconus perpetuo sit castus. De altioribus vero ordinibus disputet cui placet.

Gregorius VII. quondam Hiltprandus Prior Clunacensis Anno Domini MLXXIIII. sedit annos XII. mens. I. Constituit ut festa Romanorum Pontificum qui martyres fuerunt solemniter celebrentur. Sed excommunicationis pœna inhibuit ut auguria, sortilegia & omnes magicæ artes non observentur. Hic dum in nocte nativitatis Domini missam celebraret veniens præfecti filius eum captivavit & in turrim vinculatum dejecit. Sed cives Romani eadem nocte turrim destruentes Papam liberaverunt & præfectum cum sua progenie expulerunt. Hic Papa Heinricum Imperatorem & Episcopum Coloniensem cum multis nobilibus Almaniæ, excommunicavit, Ideo Heinricus Imperator in Longobardiam ad Papam veniens nudis pedibus aliquandiu stetit. Hic Papa Episcopum Symoniacum jussit dicere, Gloria Patri qui Spiritum Sanctum in quem peccaverat nominare non potuit, donec publice confessus fuit.

Victor III. Anno Domini MLXXXII. sedit annum I. menses quatuor. Hic veneno in calice missæ extinctus fuit veluti Scismaticus.

Urbanus Secundus An. Dom. MLXXXVII. sedit annos XI. menses IV. Constituit in Concilio Placentino præfationem, & te in veneratione beatæ Mariæ, quam ipse composuit & decantari, & omni Sabbato officium beatæ Virginis solemniter celebrari, quando proprium officium non impediret præcepit. Item horas beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia quotidie dici. Item nullus in pœnitentia recipiat subditum alterius sacerdotis in casibus expressis in jure demtis. Tunc ordo Carthusiensium initium habuit.

Pascalis Secundus Anno Domini MXCVIII. sedit annos XVIII. menses V. Huic Heinricus IIII. promisit literis suis de investitura Episcoporum se nullatenus de cætero intromissurum, sed Romam veniens cum deberet jurare Papam cum Cardinalibus captivavit, tandem tamen reconciliati benedictionem a Papa Imperialem recepit.

Gelasius IIII. Anno Domini MCVI. sedit annum unum, contra quem Heinricus Imperator ordinari præcepit, quendam Brodinum quem Kalixtus Papa successor Gelasii cepit, & camelo impositum retrorsum Romam duxit, Caudam insessi pro freno manutenentem cameli. Floruit tunc sanctus Anshelmus Canturiensis.

Kalixtus II. Anno Domini MCVII. sedit annos

os V. menses X. Huic Heinricus Imperator investituras Episcoporum & Prælatorum libere resignavit. Concedens in omnibus Ecclesiis fieri Canonicam Electionem. MCXX. Venit Johannes Patriarcha Indorum narrans populo, qualiter sanctus Thomas Apostolus omni anno communicavit Populum manu sua apud Ulmam Civitatem.

Heinricus V. quarti Heinrici Filius regnavit annos XV. Anno Domini MCXII. imperium adeptus Patrem suum captivavit & in vinculis usque ad mortem detinuit, Ideo Deus ipsum sine hærede mori permisit. Tunc Viscardus Robertus Francigena vicit duos Imperatores Constantinopolitanos. Terræmotus per totum orbem multas & magnas subruit urbes. Terra quoque dehiscens in pluribus locis civitates cum suis habitatoribus absorbuit. III. Nonas Januarii in Parochia Legeranensi porca porculum edidit faciem hominis habentem. MCXII. In die Paschæ quidam monachus apud sanctum Laurentium extra muros cogitans qualiter Dominus clauso sepulchro resurrexisset, vidit Cingulum suum solutum ante se jacere in terra & vocem audivit dicentem sibi: Sic potuit Christus clauso prodire sepulchro. MCXXIII. Sanctus Conradus Constantiensis Episcopus translatus fuit miraculis coruscando. MCXXVI. Ordo Præmonstratensium incepit Domino Comite Gotfrido auctore sanctoque Nortperto Archiepiscopo Meigburgensi cooperante. Tunc in Treveri sanctus Matthias inventus fuit tempore validissimæ famis quæ tunc cessavit. MCXXVII. Heinricus Imperator obiit, cujus parentibus in Spira sepultis tale Epitaphium scribebatur Filius hic, Pater hic, Avus hic, Proavus jacet istic. Hugo de sancto Victore Parisius, qui de contemplatione & moribus multa scripsit. Hinc in extremis laborans hostiam non consecratam Monachi propter vomitus periculum attulerunt sacram Eucharistiam simulantes, quod Hugo Presbyter intelligens exclamavit: Cur me fallere voluistis fratres, iste non est Dominus meus Jesus Christus. Qui territi verum Corpus Domini attulerunt. Hugo vero Presbyter propter vomitum communicare non audens sic orabat: ascendat Filius ad Patrem & cum eo Spiritus meus ad Deum qui fecit eum. Pullus Gallinæ quadrupes de ovo exiit. In Albania mulier monstrum peperit ante homo, retro autem canis.

Lotharius Quartus Dux Saxoniæ, Anno Domini MCXXVI. regnavit annis XI. Vir Catholicus fidelisque Ecclesiæ Advocatus. Tanta siccitas tunc fuit in Francia, ut flumina, lacus, fontes & putei siccarentur. Ignis quoque per rimas terrarum subintravit, nulla materia vel arte per biennium poterat extingui. Fames itaque validissima per Italiam homines & bestias fere consumsit. Anno Domini MCXXIV. Lotharius Sueviam vastaverat & Olmam Civitatem.

Conradus III. Frater Friderici Ducis Suevorum Anno Domini MCXXXVIII. regnavit annis XV. Sed ad Imperium non ascendit. Hic a sancto Bernhardo apud Francfurth cum multis Principibus crucis signo munitus, & Lothringia, Flandria, Anglia fortissimis pugnatoribus adunatis Iconium venit, ubi Ludwicus Rex Franciæ per Ungariam ad eum venit, sed Græci calcem farinæ miscentes magnum fecerunt exercitui illi detrimentum. Tandem vero transfretantes prospere sunt reversi. Floruit tunc in Calabria Joachim Abbas, qui super Jeremiam & super * * Prophetarum & super Apocalypsin libros mirificos compilavit, in quibus ante diem judicii ventura multa prædixit, Item in pariete cubiculi sui depinxit imaginem fratris minoris dicens, tales cito esse venturos cum funibus præcinctos, Sandaliis calceatos, sanctissimos & potentissimos, multa autem passuros ab universis, sed tamen usque in finem seculi duraturos. Item Regibus transfretare volentibus Joachim prophetavit, nondum esse tempus, eosque perimi futuros. Petrus Comestor Scholasticam historiam compilavit.

Fridericus primus filius Friderici Ducis Sueviæ Anno Domini MCLII. regnavit annis XXXVIII. Largus, Strenuus, & Facundus in omnibus gloriosus. Huic Soldanus Babyloniæ misit vas Tartareum, Smaragdinum, balsamo plenum, cujus pretium & decorem magnis laudibus extollens Imperator dixit, Absit ut ego solus rem tam pretiosam possideam, videntibus nunciis Soldani projecit vas in terram, præcipiens circumstantibus Principibus ut frusta colligerent inter se. Hunc Adrianus III. coronavit in Ecclesia sancti Petri, sed cum reverti vellent ad castrum, Romani sequentem familiam apud Portam sancti Angeli hostiliter invadentes usque ad Imperatoris tentorium persequuntur. Teutonici vero conclamantes, multos Romanos captivant & repellunt. Rex Alipiæ cepit Aedissam civitatem, quæ in genesi vocatur Arath, cui Christus literas miserat, & Francos ibi inventos atri (alios) morte, atri (alios) exilio damnavit, Archiepiscopum cum Clero decollavit. Eodem anno Soldanus Jerusalem cepit & crucem Domini asportavit. Sol obscuratus fuit & fames valida subsecuta. Terræmotus Civitatem Antiochenam cum Tripoli, Damasco & Cathanensium civitatem subvertit & hominum XX. interemit. Mari quoque in Sicilia exeunte V̄. hominum sunt submersi. MCLXII. Fridericus Mediolanum subvertit, Trium Magorum Corpora Regnoldo Coloniensi Archiepiscopo dedit, quæ olim de Præside in Constantinopolim sunt translata, inde a sancto Sergio Mediolanum profecta. Tres Lunæ in Cœlo sunt visæ & postmodum tres Soles, per quæ discordia Cardinalium in Electione Papæ & Principum in Electione Imperatoris significata est. Mortuo enim Adriano Papa tres simul electi fuerunt, Quorum unus Papatum potenter obtinuit auxilio Imperatoris, Idcirco Alexander in Franciam fugit, Quem prosequens Imperator cum Dacis & Bohemis Regem Francorum bello aggressus nil profecit,

Schisma autem hujusmodi XXVIII. annis duravit. Tunc Teutonici, qui pro Imperatore in Gostolano morabantur, Romanos invaserunt & tot a nona usque ad vesperam occiderunt, ut Epitaphium eorum contineret hunc Versum: Mille decem decies & sex decies quoque seni. Fridericus Imperator Alexandro Papæ reconciliatus pro emenda transfretavit, Et post multas victorias in quodam parvo fluvio balneari videntibus omnibus suis submersus est, & in Tyro sepultus. Filius etiam suus in obsidione Ptolemaidis Achon & multi secum nobiles de Francia & Anglia horribili pestilentia perierunt. MCLXV. In Thuringia Hugonem Palatinum obsedit Dux Welfo junior habens in exercitu $\overline{\text{III}}$. pugnatorum. Et Episcopos Spirensem, Wormatiensem, Argentinensem, Ducem Bertoldum de Zaringia, Marchiones Comites & Barones, sed Fridericus Dux Suevorum cum MC. militibus in ipsius Palatini subsidium veniens adversarios omnes fugerat, multos occidit & DCCCC. captivavit, quod audiens Fridericus primus Imperator præcepit Friderico Duci Sueviæ, ut omnes captivos relaxaret & Welfonis gratiam quæreret, quam obtinere nequit, Welfo vero obiit & Palatinus liberatus est.

Heinricus VI. Heinrici Filius Anno Domini MCLXXXVII. regnavit annis XIII. Hic adhuc Patre vivente cum semel in Erphordia esset, multi Comites & Barones ruptis trabibus in Cloacam cadentes septem ex eis in stercoribus submersi sunt. Anno Regni ejus primo Ecclipsis solis IX. Kalend. Julii, a tertia usque ad nonam duravit. Eo tempore tantæ pluviæ & tanta fulmina facta sunt, ut vix aliquis se meminerat talia vidisse. Corvi itaque & aves multæ per aera volantes in ore carbones portabant ignitos & domos plurimos incendebant. Anno III. Heinricus contra Apuleam aggrediens totam obtinuit, Captivos in Almaniam duxit, Regem scilicet Spirrotagum & Filium ejus Regem Siciliæ Tancretum cum Matre sua Margaretha. MCXCVI. Conradus Rex Sueviæ obiit, cui Philippus successit, Fames valida fuit in Almania annis tribus. MCXCVIII. St. Dominus cœpit prædicare. MCC. Ordo militum Teutonicorum in Acharon sumsit initium. MCCVI. sanctus Franciscus annorum XXV. incepit ordinem fratrum minorum & postea vixit XX. circiter annos, In quibus plusquam $\overline{\text{V}}$. sui ordinis fratrum congregavit, MCCXX. multa millia puerorum signatorum signo crucis versus mare iter carpentes peregrinando quorum congregatio in nihilum a seipsa deveniens evanuit, MCC. S. Dominicus ordinem Fratrum Prædicatorum incepit, MCCXIIII. In festo omnium Sanctorum Innocentius magnum Concilum congregavit, in quo multas constitutiones edidit & ad liberationem sanctæ terræ mentes hominum inclinavit, statuens ut post agnus Dei Psalmus Deus venerunt gentes per totam Ecclesiam legeretur, sed Papa idem uno anno tantum supervixit post Concilium. Quo apud Parisium ægrotante quidam abbas Cisterciensis ad terram sanctam ire volens XVI. Kal. Aug. in quodam prato ante Parusium obdormivit viditque in somnis ad Orientem in excelso throno Dominum sedentem cum Angelorum multitudine, Item ab Occidente hominem nudum Papali infula decoratum currentem versus thronum & alta voce clamantem, Miserere mei Deus misericordissime, quem persequebatur draco crudelis horribiliter clamans, juste judica invictissime judex. Dixit ergo Dominus ad Papam, Ubi divitiæ, ubi delitiæ ubi honores, Ego Dominus, ego judex, ego vindex, quo dicto trina vice animam rapere voluit, sed illa ad quandam crucem confugiens evigilavit Abbas, evigilans finem causæ scire non potuit & Parusium veniens Papam eadem hora evolasse cognovit, seriemque visionis præfatæ per ordinem multis enarravit. MCXCVIII. Heinricus Imperator veneno interiit, in Spira sepultus. Eadem vice, quidam vir sanctus pro statu universalis Ecclesiæ orans & nihil de morte Imperatoris sciens, dum ab oratione surgeret, invenit in manu sua scriptos hos versus:

Rex ruit in Regnum rapiens Rex alter habebit,
Ille potens medio, cadet hic & uterque carebit,
Surget ab Occiduo rex ut Leo regna tenebit,
Et post hunc nisi tres & regius ordo silebit.

MCXCIX. Schisma pro Regno oritur inter Philippum Ducem Sueviæ & Ottonem Ducem de Brunswick. MCCI. Coloniæ Philippus partem Ottonis multum debellavit eumque bello durissimo superavit. Eodem anno Tartari sub montibus Indiæ in Regione Tartarea constituti occiderunt Dominum suum David Regem Indiæ filium Johannis Presbyteri & ad depopulationem aliarum gentium processerunt. Eodem Veneti & Franci venerunt Constantinopolim eamque divitiis & reliquiis spoliantes ad Civitates alias transtulerunt. MCCVIII. Palatinus de Wiklispach occidit Philippum Ducem de Babenberg & ad Grangiam quorundam Monachorum secedens, dum causam deductionis, ubi necem cum clypeo provocaret, irruentes Philippi Complices Palatinum occiderunt.

Otto Dux de Bruneswick anno Domini MCCX. solus imperium adeptus regnavit annos IX. Hunc Papa Innocentius coronavit & ab eo juramentum fidelitatis accepit. Quod eadem die Otto ipse infringens Romipetas spoliavit, Ideo a Papa usque ad mortem excommunicatus, sibi Fridericum filium Heinrici Imperatoris Adversarium constituit & suscitavit. MCCXII Annis Millenis biscentenis duodenis, Est cruce signata puerorum multa caterva.

Fridericus II. Heinrici V. filius Rex Siciliæ Anno Domini MCCXI. contra Ottonem electus regnavit annis XXXIII. Hic divitiis & gloria super omnes abundans abusus est eis in superbiam. Nam in Francia per Ecclesiam tanquam per Matrem educatus ipsam non ut Matrem fovit sed velut Novercam quantum potuit amavit. Ideo convocato apud Lugdinum concilio Innocentius quartus Anno Domini MCCXLVIII. ipsum imperiali dignitate ac nomine spoliavit. Porro causæ depositionis hujusmodi

nodi Principales in prædicto concilio exponuntur videlicet perjurium, pacis reformatæ frequens violatio, duorum Cardinalium mancipatio, multorum Prælatorum submersio, Qui insuper Prælatos ab Ecclesiarum regimine destituit, cruces aureas, thuribula pretiosa & calices, pannos auri frigiatos & sacros Ecclesiarum thesauros diripuit, Clericos angariis & parangariis afflixit, qui non solum trahebantur ad judicia secularia, sed & cogebantur subire duella, Incarcerebantur, decollabantur & in patibulis suspendebantur, Papales sententias se non curare asseruit, Nomen Machometi in Templo Jerosolimis in sua provincia venerari & proclamari permisit, etiam familiaritate detestabili, Sarracenis conjunctus ipsos in cottidianis obsequiis tenuit possessiones Romanæ Ecclesiæ scilicet Marchiam Anchonitanam, Ducatum Spoletanum, Beneventum in Appulea Archi-Episcopatum habentem XXIIII. Episcopos Suffraganeos diruit & alias Tusciæ civitates, Iniquitatem præterea in excelso locutus est ponens in Cœlum os suum dixit audiente Lantgravio Heinrico, tres seduxerunt totum mundum Moyses Hebræos, Jesus Christianos, Mahomet Saracenos, Quamobrem si Principes institutionibus meis assentirent ego in lecto meliorem modum vivendi & credendi cunctis nationibus ordinarem, propter hæc & his similia depositus. Fridericus cum Portrina obsidione augeret victus in Apuleam rediit & veneno extinctus sepultus est in Phrygia In an. Domini MCCLII. in die Luciæ virginis tam occulte, quod multi per annos quadraginta variabant, eum vivere venturumque in proximo manu forti. Rex autem Conradus filius Imperatoris brevi tempore supervixit, & ibidem cum Patre sepultus.

Heinricus Landgravius Thuringiæ in odium Friderici licentia Papæ electus, Anno Domini MCCXLVII. Conradum Regem Filium Friderici cum suo exercitu apud Franckofurth, in die sancti Oswaldi ingeniose fugavit, & ipse Heinricus ipso eodem anno profluvio ventris obiit sine hærede sepultus in Isenaco.

Wilhelmus Comes Holandriæ, similiter contra Fridericum electus MCCXLVIII. regnavit annis tribus & a Frisonibus occisus est MCCXLIX.

Eo tempore Ludwicus Rex Franciæ transfretatur. Quo ibidem capto, Jacobus Apostata Cisterciensis ordinis finxit se sibi stellam locutam, quod Rex a Pastoribus liberari deberet, Congregans ergo omnes Pastores quasi totius occidentis venit in Franciam, ubi Jacobo similiter condemnato dispersi sunt pastores. Rex autem pro sua liberatione dedit centum millia marcas auri & Civitatem Daniratam. MCCXXXIX. Tartari in duo agmina se dividentes Ungariam & Poloniam intraverunt & utrobique Dominis interfectis tanta est penuria subsecuta, ut in Ungaria matres proprios filios comederent & loco farinæ cujusmodi pulvere homines uterentur. Item in Burgundia mons magnus ad alios montes aliquantulum longe approximavit, & per vallem terram plurimum populosam lapidibus sic obruit, ut Civitates & villæ in ea situatæ penitus delerentur. Quidam Judæus in Hispania pro vinea sua amplianda rupem fregit undique integram, interius vero cavam, in qua librum tanquam lignea folia, habentem invenit, qui Græce Hebraice & Latine scriptus est tantum literæ quantum Psalterium continebat loquens de triplici mundo ab Adam usque ad Anti-Christum, cujuslibet mundi proprietates exprimendo, Tertii quidem mundi principium tale fuit, In tertio mundo filius Dei nascetur ex Maria virgine pro salute hominum, crucis patibulum patietur, fuit etiam ibi scriptum quod liber inveniendus esset in diebus Fernandi Rectoris Hispaniæ. Quod dum Judæus legisset cum parentela sua fere tota baptizatus est. MCCLIII. Comes Burckhardus de Hohenberg fulmine interiit crastino Margarethæ. MCCLV. Balckmergen in Pentecoste civitas facta est. MCCLVI. Comes Ozelinus bello campestri superatus est. MCCLX. Flagellatores venerunt in Almaniam. MCCLXIII. Nonas Augusti Eclypsis solis post meridiem. MCCLXIIII. Cometa a festo Jacobi usque ad festum Michaëlis visa est. MCCLXV. Comes antiquus nomine Ulricus obiit. MCCLXVII. Pugna juxta Herbipolim Kizingæ facta est. MCCLXVIII. Pugna apud Heygerloch facta circa festum omnium Sanctorum. MCCLXIX. Conradinus juxta prophetiam Clementis Papæ in Appulia decollatus est. Cujus loco Teutonici ibidem quendam de Offchcaffenburg Fabri filium nomine Stochach Regem statuerunt, licet plurimum renitentem, Qui curialiter se ab exercitu subtrahens post menses octo ad incudem patriam est reversus.

Honorius secundus Papa Anno Domini MCXXVIII. sedit annos XIII. menses VII. Cum quo Anacletus per dissensionem ordinatus Innocentium fugavit in Galliam, unde tandem reversus Papatum obtinuit. Hic fecit Ecclesiam beatæ Virginis ad fontem Olei, qui erupit in nocte Nativitatis Christi, Et tunc de terra oleo madefacta infirmi plurimi sanati sunt. Constituit ut ipso facto sit excommunicatus qui in Clerum manus injicit violentas, Item ut Clerici cum Monialibus in uno Choro nullo modo cantent simul. Item artem balistarum contra Christianos sub anathemate prohibuit, Item eo quod sacerdotes non toties communicabant quoties celebrabant, Idcirco Papa instituit, ut omnibus modis ille qui celebraret simul communicaret in qualibet Missa.

Celestinus secundus Anno Domini MCXLII. sedit menses quinque. Tunc floruit Richardus de sancto Victore summe contemplativus, prout plene ostendit in veteris Testamenti expositionibus.

Lucius secundus Anno Domini MCXLII. sedit menses XI. Claruit tunc Petrus Longobardus, qui quatuor libris sententiarum Dei Ecclesiam decoravit, Cujus frater & Germanus dicitur Gratianus fuisse, qui & Monachus decretum composuit ex dictis sanctorum & summorum Pontificum. Anno Domini MCLII. Fuit in

 Almania

Almania Hildegundis sancti Monialis Prophetissa cujus libros mirabiles ego vidi.

Eugenius III. Papa anno Domini MCXLIII. sedit annos VIII. menses V. Hic sancti Bernhardi discipulus cum foret simplex, Dominus eum gratia & eloquentia mirabili perfudit. Hic canonizavit sanctum Heinricum Imperatorem. Unus Cardinalium huic negotio vehementer opponens visum perdidit, sed pœnitens & factum permonens illuminatus misericorditer fuit.

Anastasius IV. sedit annum unum, menses decem.

Adrianus IV. annos quatuor sedit.

Alexander III. Anno Domini MCLVI. sedit annos XXII. Hic constituit, ut novus sanctus non colatur nisi licentia Sedis Apostolicæ. Item in personas & loca ferri sententias interdicti, Item ut nullus Clericus habeat duas Vicarias. Item ut conjugati per religionem separentur autoritate Episcopi, si velit alter in seculo permanere. Item affinitas & paternitas simpliciter impediunt & dirimunt matrimonium. Item ut Prælatus debita prædecessorum suorum pro Ecclesiæ necessitate vel utilitate contracta solvere teneatur, Item ut Papa a duabus partibus Cardinalium eligatur, & qui se aliter gerit pro Papa sit excommunicatus ipso facto, extra de electione, licet. Anno Domini MCLXXIIII. Thomas Cantuariensis occisus est, canonizatus ab Alexandro, qui duos Cardinales misit in Angliam, coram quibus Rex Angliæ juravit, quod neque consilio neque mandato suo sanctus Thomas fuerat occisus.

Lucius III. Anno Domini MCLXXVIII. sedit annis IIII. menses II. Constituit ut missa Concubinarii possit audire, & ut ab eo possunt recipi Sacramenta Ecclesiastica, quamdiu a suo ordinario toleratur. Gravissime autem peccant sive sit Episcopus sive sacerdos.

Urbanus III. sedit annum unum, menses undecim.

Gregorius septimus menses II.

Clemens tertius An. Domini MCLXXXV. sedit annos VI. menses VIII. Constituit ne sponsæ traducantur solenniter a LXX. usque ad octavas Pentecostes, & ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, Item ne Clerici pugnent in duello nec per se Pugiles mittant, Item ne celebret, qui sibimet genitalia exciderit aut amputari procuraverit. Item ut Compaternitas impediat Matrimonium, Et si duxeris uxorem Compatris tui, matrimonium non stabit, tanquam si ipse levasses puerum tuum.

Celestinus III. Anno Domini MCXCII. sedit annos VI. menses IIII. Hic die secundo coronavit Heinricum Imperatorem. Hic constituit Ne quis eodem die plures ordines recipiat. Item ut pueri qui nutriuntur in claustris in habitu monachali cum pervenerunt ad annos discretionis, licite revertantur ad seculum si velint ad hæreditatem paternam. Item in Ecclesiis conventualibus fiat canonica electio de Prælato.

Innocentius III. MCXCVIII. sedit annos XVIII. menses V. Constituit ut ultra quartum gradum consanguinitatis licite matrimonium contrahatur. Olim namque prohibitum fuit usque ad VII. Item si excommunicatus signum contritionis habuerit recipiatur cum suffragiis ad Ecclesiasticam sepulturam. Item ante carnalem copulam potest alter conjugum religionem intrare etiam altero invito. Item Judæi ferant vestes quibus dinoscantur omni tempore, & non permittantur in diebus lamentationum in publicum prodire. Imo fenestras & januas claudere compellantur. Item Judæis Christiani nullo modo serviant in domibus, In agris quidem possunt omnis utriusque sexus. Item nullus plura beneficia curata vel dignitates habeat sine speciali Papæ licentia. Item religiosus ad ordinem strictiorem potest transire superioris licentia etiam non obtenta. Item in quadragesima infirmi possunt comedere carnes si necessitas hoc requirit, Item declaravit Innocentius pertinere ad Principes Almaniæ jus eligendi Regem Romanorum & futurum Imperatorem dummodo non fuit hæreticus, stolidus aut perpetuo infirmus, Extra de electione Venerabilem. Item ut Novitii non recipiantur ad Professionem nisi finito anno probationis, possunt tamen renunciari juri suo. Item Episcopus volens parochias visitare non gravet Clericos exactionibus vel expensis, nec ducat plures famulos quam XXX. Archidiaconus vero septem & omnino sine canibus. Item Apostolorum vigiliæ jejunentur præter Johannis, Philippi & Jacobi & Barnabæ, pro quibus Ecclesia jejunat diebus rogationum. Item Judæi novas Sinagogas erigere non permittantur, antiquas autem reficere possunt nec tamen ampliare. Concilium Lateranense celebravit idem Innocentius Anno MCCIX. In quo damnavit libellum Abbatis Joachim, quem composuit contra Petrum Lombardum. Item Almetricum vel Almaricum Episcopum Carnotensem cum sua doctrina, qui asseruit ideas quæ sunt in mente divina creari & creare. Item dixit Deum finem omnium dici quia in eum reversura sunt, ut in illo immutabiliter quietentur, Et unum individuum omnia in Deo permaneant & sicut alterius naturæ non est Abraham & alterius Isaac, sed unius & ejusdem, sic omnia dixit unum & omnia esse Deum. Item sicut Lux non videtur in se sed in aëre, sic Deum dixit non videri in se ab Angelo vel ab homine, sed tantum in Creaturis, Item dixit si homo non peccasset, non fuisset in duplicem sexum partitus; nec per generationem fuissent homines multiplicati, sed sicut Angeli in multitudine creati. Item dixit quod post generalem resurrectionem uterque sexus adunabitur, sicut in creatione fuit. Item quod in caritate constitutis peccatum nullum imputatur. Hæc omnia dixit Almaricus Hæreticus. Ideoque Papa & Concilium Lateranense eum damnaverat, in quo congregati fuerunt MCCXV. Prælati. Item Papa dedit cuilibet in Roma calicem magnum. Item fecit Hospitale sancti Spiritus. Item composuit decretales, constituit ut octava beatæ Mariæ ab

omnibus

omnibus Clericis in perpetuum festive celebretur.

Honorius IV. Anno Domini MCCXIII. sedit annos X. menses IX. Hic confirmavit ordinem Prædicatorum & minorum. Item coronavit Fridericum secundum & eundem sentiens Romanæ Ecclesiæ adversarium anathematizavit. Absolvens Principes & Barones omnesque alios a juramentis quibus se dicto Friderico astrinxerunt. Item constituit ut corpus Christi propter infirmos in Ecclesiis sub clausula semper servetur. Item inhibuit districte judicium ferri candentis, aquæ frigidæ & omnia similia. Item in electionibus usum sortis. Anno Domini MCCXX. primo sanctus Dominicus inclytus Pater migravit ab hac luce. Anno MCCXXIIII. sanctus Franciscus Apostolorum verus pedissequa contuens in aëre Seraph in cruce positum insignitus est stigmatibus Jesu Christi. MCCXXVI. S. Franciscus feliciter obiit.

Gregorius IX. Anno Domini MCCXXIII. sedit annos XVI. Constituit ne filius Presbyteri ducat in Matrimonium illam quam Pater suus baptizavit. Item Ne Laici cujuscunque religionis populo prædicare præsumant. Item ut homines & jumenta omnino quiescant Dominicis & festivis diebus nisi urgens necessitas instet vel nisi Ecclesiis & pauperibus gratis fiat, quispiam operis. Item Clericus ipso facto sit excommunicatus majore excommunicatione, qui cognoscit concubinam a judice propter hoc excommunicatam. Item tempore generalis interdicti semel in ebdomeda submissa voce, clausis janais sacerdos propter infirmos conficiat corpus Christi, quod etiam decedentibus in pœnitentia non denegetur. Extra de sen. exco. permittuntur. Hic per Fratrem Raymundum ordinis Prædicatorum ex pluribus decretalium voluminibus composuit unum volumen dans omnibus Doctoribus illo uti: Secundum Franciscum canonizavit veniens de Romana urbe personaliter assisium MCCXXVIII. MCCXXXI. Sanctus Anthonius Frater minor in Padua & sancta Elisabeth in Margburg migraverunt ad Dominum. Quos dem Dominus Gregorius canonizavit sub anno Domini MCCXXXII. Sanctum quoque Donatum sub anno MCCXXXIX.

Celestinus IV. MCCXLI. sedit dies XVIII. Et cessavit Episcopatus per annum unum & menses X.

Innocentius IV. MCCXLI. sedit annos XI. menses, Constituit ut Judex in excommunicando non servans ordinem juris suspensus sit per mensem vel erit irregularis. Extra de sententia Excom. cum modo. Floruit tunc Dominus Hugo Cardinalis frater ordinis prædicatorum, qui totam Bibliam postillavit & concordantias Bibliæ primus excogitavit.

Alexander quartus Anno Domini MCCLIII. sedit annos VII. Hic damnarat duos libellos pestiferos quorum unus continebat, quod religiosi etiam verbum Dei prædicantes de elemosyna vivendi salvari non possunt. Alter asserebat, quod Evangelium Christi & Doctrina novi Testamenti neminem ad perfectum deduxit, & evacuandum esset Evangelium Anno Domini MCCLX. Et ex tunc deberet incipere Doctrina Abbatis Joachim quam nominarat Evangelium æternum, quia in illo relucet omnis perfectio hominum salvandorum. Floruit tunc Dominus Albertus de Laugingen Episcopus Ratisponensis Frater ordinis Prædicatorum, Magister in Theologia & magnus Philosophus MCCLIIII. Sancta Clara juxta Assisium migravit ad Dominum tam viva quam mortua miraculis coruscans per ipsum Dominum Alexandrum canonizata. Hic Papa dixit se vidisse in corpore sancti Francisci stigmata Salvatoris.

Urbanus quartus MCCLX. sedit annos III. mensem unum. Hic regnum Siciliæ Carolo Comiti Provinciæ tradidit fugato exercitu Sarracenorum, Quos Meinfridus filius Heinrici Imperatoris illegitimus contra terram sanctæ Mechtildis adduxerat, Ergo Karolus in Appulea bello campestri Menfridum superans interfecit.

Clemens IV. MCCLXIIII. sedit annos III. menses IX. Hic vigiliis, orationibus & jejuniis aliisque operibus bonis adeo fuit intentus, ut multas angustias Ecclesiæ suis credatur meritis extinxisse. Dum Conradinus Nepos Friderici Imperatoris Karolum debellaturus intraret Appuliam forti exercitu, Tunc Clemens in sermone publice prædixit, Conradinum quasi victimam in Appuliam profecturum, & quasi fumum subito transiturum. Hic Papa primus uxorem & liberos habens fuit Consiliarius Regis Franciæ, deinde Podianus Episcopus, post Archi-Episcopus, postea Cardinalis.

Gregorius X. MCCLXXII. sedit annis IIII. Hic anno III. Lugdunense Concilium celebravit DLX. Episcoporum, In quo Græci ad unitatem Ecclesiæ & Catholicæ fidei sunt reducti. Tartarorum nuntii solennes sunt baptizati. Ordines mendicantes fere omnes cassati. Ecclesiarum Decimæ per VI. annos ad terræ Sanctæ subsidium deputatæ. Constitutiones plurimæ promulgatæ, ubi obiit Bonaventura frater ordinis minorum Cardinalis & Theologus gloriosus MCCLXXIIII.

Innocentius V. Frater ordinis Prædicatorum, Magister in Theologia Anno Domini MCCLXXXII. sedit menses V. dies VII. Postillas super quosdam libros Bibliæ fecit, Et scripsit notabilia super quatuor libros sententiarum, D. V. Kalend. Julii.

Adrianus V. dictus Ottobonus sedit mensem unum.

Johannes XXI. genere Hispanus MCCLXXVI. sedit menses VIII. qui aliis evadentibus pariete oppressus est.

Nicolaus III. nomine Johannes Galetanus MCCLXXVII. sedit annos IIII. per totum mundum præcepit regulam fratrum Minorum cum sua declaratione reipublicæ cum decretalibus in omnibus scholis juris, Excommunicans omnes dictam regulam de cætero impugnantes.

Martinus

Martinus IV. nomine Simon Thuronensis MCCLXXXI. seditannos II. Hic minores & prædicatores super Confessionibus audiendis singulari privilegio decoravit, ut possent hominibus ministrare Ecclesiastica Sacramenta, si plebani dictis fratribus voluerunt malignari.

Honorius X. dictus Jacobus de Sabellis MCCLXXXIII. sedit annos V. mente expeditus sed corpore totus contractus, hic misit in Teutonicam Legatum Episcopum Cardinalem qui Rege præsente in Herbipoli solenne Concilium congregavit, & quartam partem omnium proventuum a prælatis omnibus per annos IIII. postulavit, Tullensis Episcopus Frater minorum quondam lector Constantiensis de Thuringia oriundus & stans super baptisterium nobilissimum audacter præ omnibus appellavit, & seipsum defedavit, quia confusibiliter de Episcopatu dejectus est & in statum pristinum cum tristitia restrictus, Anno Domini MCCLXXXVI. Erat tunc in Mergentheim hœdus duorum capitum & trium cornuum.

Nicolaus quartus de ordine Fratrum Minorum Doctor Theologiæ MCCLXXXVII sedit annis V, Bis electus cum lachrymis resignarat. Tertio compulsus ab omnibus Cardinalibus, tandem acquiescens acceptavit.

Celestinus V. Anno MCCLXXXIX. sedit annos II. Iste fuit bonus Eremita vocatus antea Petrus qui deceptus fuit per Cardinalem Benedictum, valde callidum qui eidem Celestino successit in Papatu, Ipse enim cum esset Secretarius Papæ per fistulam sibi nocte quadam loquebatur quasi vox de cœlo lapsa est, Nisi Papatum resignaret & ad eremum rediret, salvari non posse, unde statim sic fecit, ubi in Sancto Proposito & bonis operibus vitam finiens miraculis coruscans Sanctorum Catalogo a scriptus est sanctus Petrus sicut & post vocatus est.

Bonifacius VIII. Anno Domini MCCCII. sedit annos VIII. Iste decepto Antecessore suo ut dictum est per calliditatem est electus. Hic compilavit sex Decretalium, quem prioribus quinque superaddidit, in quo multa nova jura statuit, multaque innovavit, minuit, mutavit atque annullavit. Duos Cardinales nobilissimos Romanos de columna deposuit, excommunicavit & de urbe expulit pro eo quod suæ malitiæ non consenserunt. Qui eum auxilio Regis Franciæ, in Ancona captivantes inter ostium & parietem compresserunt ita quod die tertia mortuus est. Cujus etiam animam dæmones rapientes deduxerunt. Sicut Navigantibus per Siciliam juxta montem Ethna, revelatum fuerat, audierunt namque dæmones clamantes: Aperite, Aperite, Bonifacium Papam ad tormenta recipite. Quem & eadem hora decessisse postea compererunt. De ipso quoque quidam sanctus ait, Intrasti ut vulpes regnas ut Leo, morieris ut Canis.

Benedictus XI. Anno Domini MCCCX. sedit annos II. Hic fuit Doctor Theologiæ ordinis Prædicatorum non consentiens prædecessoris sui malitiæ. Cardinales per Bonifacium destitutos restituit, post cujus obitum sedes vacavit per annum cum dimidio.

Rudolfus primus An. Dom. MCCLXXIIII. regnavit annis XVIII. genere Almanus Comes de Habspurg per omnia fortunatus, Qui ad imperium non ascendit. MCCLXXV. Gregorius Papa in Tholosa causa Regis venit eumque cruce signavit, & sacram Eucharistiam sibi dedit. MCCLXXVIII. Comes de Gulch occisus est Aquisgrani Dominica Invocavit In ponte super Mosam Oppidi Trajecti superioris CC. homines chorizantes XV. Kal. Julii cessare nolebant, donec sacerdos portans corpus Christi ad infirmum quendam communicandum transiret. Pons igitur cadens omnes chorizantes dimersi sunt ultione divina. Item feria sexta post Bartholomei Rudolfus Rex bello durissimo Regem Boemiæ nomine Odakorum occidit. MCCLXXIX. Anno scilicet V. Regis Romanorum Rudolfi modius Siliginis pro II. Flor. vendebatur, Modius speltæ pro XX. Flor. Mensuram Vini pro dimidio modio siliginis. Anno Domini MCCLXXIX. In Diezenhusen quidam mortuus est qui annis X. sub terra jacuerat, loquebatur fossori sepulchrorum cui & diem sui obitus veraciter prædixit. MCCLXXX. in diocesi Wormatiensi in villa quæ Garach dicitur, fuit anser duorum capitum & alter anser quatuor pedum; in dioceli Constantiensi in Steinbach mulier nobilis Leonem dicitur peperisse, simile contigit in Weiblingen prope Wirtenberg dum ipse ibi præsens fui, dum hoc opus compilavi. MCCLXXXI. Kalendis Aprilis peperit quædam Mulier in Eslingen partum monstruosum, qui erat ab umbilico usque ad pectus mortuus habuitque quatuor brachia se invicem complectentia, duo capita se contuentia & duas pudendas, sed post partum cito mortuus est. Item eodem anno in XL. Rotenburg super Neccarum reædificatur, ubi retroactis temporibus egregia ejusdem vocabuli Civitas sita fuit. MCCLXXXVI. Nutwertingen Rex destruxit, & in Baylingen certamen fuit. MCCLXXXIIII. Rex quinque castra firmissima in uno monte Waldeck sita destruxit in autumno. MCCLXXXV. in XL. fuit in Phulgingum Gallina quatuor habens pedes. MCCLXXXIX. Post Pascha Tripolim ceperunt & destruxerunt. Et ex tunc prout ex nunc Christiani totam regionem imo & ipsam Terram sanctam perdiderunt. Ipso die divisionis Apostolorum festo, magnus terræmotus per universum orbem terrarum sicut recenti memoria teneo qui hæc scripsi. Item Rothwyla est exusta tunc. MCCXV. Hiems calidissimus, tunc exusta est Rosenfeld Dominica post Urbani nive magna cadente. MCCXCI. idibus Julii Rex Rudolfus obiit.

Adolfus Comes de Nassau MCCXCII. prima die mensis Maji in Franckfurt ab omnibus principibus unanimiter est electus, Hic regnavit VI. annis Imperio valde fidelis, liberos suos de rebus imperii in nullo ditavit, sed imperium ampliare toto mentis conatu elaboravit. Ipse enim totum principatum Missenensem erit & Imperio

mperio incorporavit, quem potenti manu uccessor suus Rex Albertus totum perdidit. pse quoque Colmariam in Alsatia obsedit & :epit, captivans Baronem de Rappelstein, cujus iberos pro ipso obsides accepit & in Nastan oosuit usque ad obitum suum. Et Sculterum le Colmaria secum per terras in curru sedenem super rotam duxerat captivatum, tunc occidit Albertus Dux Austriæ bello ipsum aggressus, in campo sub monte, qui dicitur Tunperg, ad duo miliaria distans a Wormatia, de luo versus

Annis millenis Trecentis bis minus annis
In Julio mense Adolfus Rex cadit ense,
Per manus Austriaci processit Martiniani.

Albertus Dux Austriæ Filius Regis Rudolfi occiso Rege Adolfo regnavit pro eo annis X. Hic nimis avarus filio fratris sui defuncti scilicet Joanni Duci Austriæ & bonorum omnium, qui psum contingebant, de paterna successione, nde ipsum occidit prope oppidum dictum Bruck, cum in die Philippi & Jacobi transisset umen dictum Nyse. Iste stulte principatum Misenensium, quem Adolfus Rex emerat pro uo argento toto perdidit, Ipse etenim impeium non auxit sed minuit. Diversa oppida, illas & castra imperii vendens vel obligans suis amen liberis emit, quæcunque venalia reperit, no quasi vi abstulit nobilibus sua ut liberos os ditaret, & potestate magnos exaltaret.

Clemens V. de Vasconia Burgodolensis Ane Episcopus vocatus Bertrandus, Anno Domini MCCCIII. sedit annis IX. Iste ut dicitur ublicus fornicator erat, & transtulit Sedem Apostolicam in Avinionam sicut est usque unc. Ab illo tempore omnis disciplina & relio extincta est in Curia, & sine palliatione pullat superbia, avaritia & luxuria. Iste misit uos Cardinales Romam ad coronandum Heinicum Regem Romanorum, post Comitem de Luzelnburg in Imperatorem, quem tamen ane mortem suam incepit persequi. Hic celeravit Concilium generale in Wiena & condiit ibi VII. librum decretalium, uti venenosum c laqueis plenum, quem pœnitens in ultimo itæ suæ totaliter cassavit ac comburi fecit & nandavit, sed Johannes Papa successor suus psum denuo confirmat. Hic constituit ut Paa moriens inhumatus servetur, donec per uccessorem suum tumuletur, unde ipse inhunatus jacuit III. annos. Et candela cadens ante adaver ejus ardens corpus ipsius accendit & consumsit; ipso vero mortuo cessavit Papatus luobus annis cum dimidio Cardinalibus hinc nde dispersis, Philippus autem Rex Franciæ congregans ipsos in Lugduno obtinuit, quod elegerunt Papam dictum Jacobum unum ex Cardinalibus, quondam existens pædagogus Ludwici Confessoris & Episcopi Tholosani ordinis fratrum minorum.

Johannes XXII. Anno Domini MCCCXV. sedit annis XXII. Iste reformavit VII. decretalium, quem Clemens dictaverat, & ortus est intolerabilis error propter hoc, quod multi hæretici male intelligentes de religiosis domibus sub titulo de regularibus ac transeuntibus ad religionem, Cum de quibusdam coegerunt infinitas beginas ac conversas in Regno Almaniæ deponere habitum castitatis & matrimonium contrahere. Item excommunicavit Ludwicum Cæsarem pro eo quod citatus non comparuit in Avinionа, propter quod scisma grave ortum est in Ecclesia durans plus quam annis XXV. & vix adhuc sopitum est, quia si processus sui sunt validi, vix aliquis reperitur, qui non excommunicationis laqueo sit irretitus. Hic etiam in odium Cæsaris Litanis perfidis paganis favens Treugam fecit inter eos & ordinem Teutonicorum pacifice transeuntes in Marchionatu Brandenburgensi, multis Christianis occisis infinitam multitudinem hominum secum captivam duxerunt in Littaniam, ipse quoque plures opiniones erroneas tenuit quas dicitur die obitus sui tepide revocasse, Quas etiam successor suus discussione diligenti præhabita Theologorum tanquam errores pestiferos condemnavit. Qui si determinasset aliter tunc ipse Papa per Johannis cardinales creatus, & multi alii in Ecclesia nulli essent, quia quicquid fit per Hæreticum nihil valet, jacuit autem corpus ejus inhumatum per annum cum dimidio, usque post discussionem Magistrorum.

Benedictus XII. An. Dom. MCCCXXXVI. Ordinis Cisterciensis, sedit annis VI. Sub isto conversus & baptizatus est Imperator Tartarorum nomine Gamzim per Fratres minores, qui ad partes Gamzi misit centum fratres minores, quos ipse Dominus Papa omnes in Episcopos ordinavit, & inter eos unum Archiepiscopum quendam Magistrum Nicolaum Sacræ Theologiæ ad convertendam totam terram Tartarorum, Alios religiosos Imperator noluit acceptare. Eo tempore Soldanus Babyloniæ commisit custodiendum sepulchrum Domini in Jerusalem fratribus minoribus, quorum VIII. de consensu Papæ continuo commorantur, Iste suo ordini scilicet Cisterciensi & Hospitalariis nova statuta salubria edidit, quæ tamen utrique despiciunt & contemnunt. Anno Domini MCCCXXXIX. circa festum sancti Johannis Baptistæ venerunt locustæ per totam Franciam & in multis regionibus ut audivi multitudine maxime aërem instar densæ nubis obumbrantes habentes quasi ferrea rostra superficiem terræ obumbrantes ac operientes sicut nix segetesque ac gramina & fructus arborum, vinearum & agrorum devastantes quia sicut densa nix campos undique cooperuerunt, & licet homines undique interirent, eos tamen instrumentis ad hoc coaptatis interficere parum profecerunt. Nam de stercorum eorum immundiciis aliæ sunt subortæ, ultimo post dimidium annum & amplius avolaverunt & quo devenerunt adhuc nescitur.

Clemens anno Domini MCCCXLII. Quot annis sit sessurus nescio, cum adhuc sanus vivat, de quo nil mali affirmo, neque sibi obloquentibus credo, licet plura mala de eo fabulentur, præsertim, quod quando in die sancti Marci Evangelistæ in summum Pontificem fuerat electus,

Concubina sua peperit sibi puerum in profesto sancti Georgii Martyris, Item quod filium suum annorum XVI. fecerit Cardinalem fingens eum filium esse suæ sororis. Quod tamen contrarium valde veritati sonare videtur, cum sit Doctor Theologiæ egregius & famosus per universam Ecclesiam, & annis multis in ordine & regula sancti Benedicti Monachus probatus. Unde primo Abbas, deinde Episcopus, postea Archiepiscopus, deinceps Cardinalis & demum summus Pontifex concorditer electus, idcirco quæ de ipso hic notantur fallaciter excogitata magis sunt æstimanda quam vera. Anno Domini MCCCXLV. Rex Appuliæ Andreas Frater Regis Ungariæ qui ambo fuerunt ex fratre pronepotes Sancti videlicet Ludwici Episcopi ordinis Minorum & Domini Ruperti Regis Siciliæ & Appuliæ, in lecto dormiens cum uxore sua strangulatus fuit conscia consorte. Hoc flagitium multi æmuli Papæ & IIII. Cardinalibus suis impingunt, Papa vero in die sanctæ Cœnæ publice in Consistorio se de hoc crimine expurgavit. Econtra vero æmuli sui dicunt, quod contra ipsum laborant validæ suspiciones & argumenta contraria præsumentes, creavit enim Germanum suum Regem Apuliæ & Siciliæ, dicens illa regna ad sedem Apostolicam pertinere, ideo in feodum concessit fratri suo prædicto illa regna & concessit sibi eodem die quo se expurgaverat, M D. faleratos dextrarios cum expensis copiosis de Camera Apostolica ad prædicta regna expugnanda. Item Rex Ungariæ Germanus Regis per mare & per aridam manu potenti veniens totum Regnum Appuliæ expugnavit, & quiete possidet usque nunc fugato fratre Domini Papæ, multis principibus captis & interfectis, infelix autem conjux rea criminis fugit ad Papam, quatuor Cardinales ac sui Germani occisi relictam cum aliis pluribus quibus crimen homicidii imposuit diffidit. Anno Domini MCCCXLIIII. Papa deposuit Ludwicum Imperatorem non convictum neque sponte confessum, quamvis ut infra patebit per Ambasiatores de quibus maxime confidebat fallaciter seductum, qui in pergameno sigillo Imperatoris munito scripserunt quod eis placuit Imperatore inscio. Anno sequenti ex mandato Papæ aliqui Electores in Oppido Rens prope Andernach congregati elegerunt in Regem Romanorum Carolum Comitem Moraviæ filium Johannis Regis Bohemiæ Anno Domini MCCCXLVII. tam gravis pestilentia orta est ultra mare in terra Sarracenorum, & citra mare Christianorum, In tota Italia, Campania, Tuscia, Calabria, Romaniola, Sicilia, Appulia Provincia, Provinciæ Burgundia, Aquitania, Hispania, Trina Gallia Francia Britannia Anglia, Catheldicia & ubique in Almania quod æstimatione fide dignorum vix decimus homo in multis regionibus & locis supervixit, non enim diu ægrotabant sed vel subito spiritum exalabant aut secunda die vel ad majus tertia die extincti sunt, in tantum quod multæ civitates & villæ omnino desertæ sunt, & hominibus evacuatæ, sæpe enim uno die duo millia hominum moriebantur. In Bononia, Venetiis, Montepessulano vel Avinione, Marsilia vel Tholosa & adhuc valide durat in Francia, Normannia, Anglia & Hybernia. Ista pestilentia fuit ab incarnatione Domini MCCCXLIX. In aliis vero regionibus sic cessasse in parte dicitur, quod ibi pauci vivi superstites compareant respectu quo ante in illis Provinciis fuerant & proh dolor vehementer etiam ad nostram jam pervenit illa pestilentia Provinciam scilicet Anno Domini MCCCL. non tam copiose sicut in prædictis regionibus licet satis graviter, Austria, Carinthia, Bavaria inundet & Suevia per Rheni defluxum & circa Duregum, Lucernam & Basileeam. Dicunt autem multi illam pestilentiam ex aëris corruptione provenisse. Alii vero dicunt, quod Judæi volentes totam extinguere Christianitatem horribili veneno ubique terrarum puteos & fontes extoxicarunt. Sicuti multi eorum tormentati fassi sunt, & qualiter araneas & buffones in ollis aut cacabis ut venenum illorum animalium commiscerent illi horribili veneno mortifero, quod de ultramarinis partibus comparaverunt. Hoc autem nefas horrendum non constabat communiter omni plebi Judæorum ne divulgaretur, sed tantummodo potioribus & prudentioribus in quolibet loco. In evidentiam vero veræ veritatis tam nefariæ conceptionis in multis puteis, & fontibus inventi sunt sacculi veneno pleni, unde per totam Almaniam in civitatibus, oppidis, villis & campis & sylvis fere omnes fontes obstructi sunt scilicet clausi firmo ædificio ne homines ex eis biberent nec cibos coquerent, & ne ex aqua venenata interirent, unde oportebat homines aqua fluviali aut pluviali uti. Deus ultionum Dominus Judæorum perniciem manifestans non est passus eos sine ultione perire. Nam ubique per Almaniam paucis locis exceptis cremati sunt Judæi in magnis Civitatibus & parvis oppidis & villis. Multi quoque ipsorum utriusque sexus improvide baptizati sunt sine catechisatione, quod non multum approbo, cum non amore Dei sed potius timore mortis baptizati sunt. Quod de adultis sentio non de pueris Facta est autem hæc Judæorum concrematio Anno Domini DCCCXLIX. Et adhuc fortiter durat sicut & pestilentia sub anno Domini MCCCL. multi in diversis regionibus conjuraverunt nobiles & ignobiles, quod nunquam desistant, donec tota gens Judæorum in tota Patria pereat. Anno Domini MCCC. multi nobiles & ignobiles per Almaniam congregabantur & turmatim terram circuibant, se ipsos usque ad femoralia denudantes & diris percussionibus usque ad sanguinis etiam effusionem sese flagellantes, de quorum aspera pœnitentia diversi diversa sentiunt, sed jam ex communicantur, de quibus temere non audeo judicare.

Heinricus VII. Comes de Luzelnburg Anno Domini MCCCVIII. regnavit annos IIII. Hic fuit magnis justiciarius, Conradum Comitem de Ottingen dictum Schrimpf proscripsit

&

& in tantum depauperavit ut quasi mendicus peditando veniret in monasterium Keiserheim ordinis Cisterciensis ut ibi pane tribulationis & angustiæ usque ad mortem vesceretur. Item Eberhardum Comitem de Wirtenberg avunculum dicti Comitis sibi obtemperare nolentem Principes, Barones, Comites & per Civitates Imperiales oppidis & castris suis omnibus fere destructis aut imperio subjectis depauperavit, in tantum quod a Marchione Badensi receptus fuit in oppido Besikem, Omnia tamen, post mortem Heinrici Imperatoris recuperavit pluraque oppida & castra emens ditior ac potentior quam primo factus est. Beneficiorum autem a Marchione susceptorum oblitus castrum ejus Rickenberg obsedit, de quo tamen per Marchiones & Coadjutores ignominiose repulsus præ dolore & confusione in Stuckarten lecto decumbens impœnitens obiit sepultus ibidem. A. II. Regni Heinrici a duobus Cardinalibus Romam a Papa missis ibi in Imperatorem coronatus est, cum quo in urbe super pontem Tyberis conflictum iniit Ropertus Rex Appuliæ, Imperator vero gloriose triumphans Ropertum in fugam convertit, deinde Heinricus obsedit Civitatem Brixiensem, ubi grandis jactu lapidis cum machina facto occisus est frater Imperatoris Comes Walramus, deinde Cæsar urbe capta destruxit eam, dehinc obsedit Civitatem Senensem. Ubi in die festo Assumtionis beatæ Mariæ sumta Eucharistia dum de Calice bibere deberet, Confessor suus Frater quidam Ordinis prædicatorum venenum in calicem immissum sibi dedit, prout a multis dictum fuit, Illustris autem Rex Bohemiæ Heinricus præfati Imperatoris [Johannes Heinrici] Filius Fratrem eundem plenissime excusavit, similiter & illustris Domina Beatrix præfati Imperatoris Genitrix Vocis vivæ oraculo prædictum confessorem publice excusavit coram civibus Metensibus infra Missarum solemnia cum multis aliis qui Imperatori fuerunt cordialissimi, Omnes Imperatorem affirmantes sine omni suspicione Toxici naturali morte quiete vitam finisse, quæ omnia publice prædicare præcepit Episcopus Johan. Argentinensis per eandem diocesim de quibus huc usque sacræ sunt literæ sigillatæ in Conventu Ordinis prædicatorum in Nurnberga, sepultus est autem Cæsar, In Pisa, Imperatrix vero in Civitate Januensi in choro fratrum minorum sepulta quiescit. Iste Heinricus Ropertum Regem Apuliæ contra se citavit & non venientem proscripsit & bannivit, Qui appellavit ad Papam Clementem V. Qui processum sententiatum Imperatoris contra Robertum nullius declaravit esse roboris, Eo quod ipsum ad locum non tutum citaverat, unde idem Papa incepit persequi Imperatorem fulminans contra eum sententiam excommunicationis, sed utroque eodem anno moriente discordia illa penitus extitit annihilata ut infra dicetur.

Anno Domini MCCCXIIII. duo in lite fuerunt electi scilicet Ludwicus Junior Dux Bavariæ & Fridericus Senior Dux Austriæ, sed Ludwicus prævaluit. Electores namque Ducis Austriæ fuerunt Episcopus Coloniensis, Rudolfus Dux Bavariæ Germanus Ludewici, Hermannus Marchio de Brandenburg, & Heinricus Dux Carinthiæ, qui se asseruit esse Regem Bohemiæ, Ludwicum vero præfatum elegerunt Episcopus Moguntinensis, Episcopus Trevirensis, Johannes Dux Saxoniæ, Senior, Volgmarus [Woldemarus] Marchio de Brandenburg & Johannes Rex Bohemiæ. Anno Domini MCCCXVII. in lite Rex electus Eslingen obsedit, eo quod receperunt Ludwicum, omnes enim Civitates inferiores usque ad Argentinam receperunt pro Rege Ludwicum, superiores autem per Alsatiam & lacum receperunt Fridericum, Aliæ vero per Sueviam omnes excepta Ulma Ludwicum. Igitur Fridericus in vanum laborans de Eslingen recessit, sed anno sequenti iterum cum exercitu copioso eam obsedit, de sua Ludwici vero impotentia præsumens, Verumtamen Rex Ludewicus accurrens ei cum grandi adjutorio Episcopi Trevirensis & Johannis Regis Bohemiæ Friderico viriliter resistit. Accidit autem ut conflictum inirent in fluvio Neckaro ubi multi nobiles ex utraque parte captivati, multi etiam interfecti sunt, Anno vero Domini MCCCXXII. Fridericus contra Ludwicum ad vastandum Bavariam cum magna multitudine Ungarorum venit ad Bavariam inferiorem, Et dum præsumtuose, ibi manerent expectans Fratrem suum Ducem Leopoldum, cum exercitu magno de Suevia ad se venturum in Profesto sancti Michael Ludwicus cum Rege Bohemiæ & aliis Principibus, Comitibus & Baronibus, qui sibi in adjutorium venerant, bello feroci imperterrite Fridericum aggressus est, Ungaris autem omnibus fugam petentibus a mane usque ad vesperam præliantes Ludwicus capto Friderico adversario suo & Duce Heinrico fratre multisque nobilibus interfectis & multis captis gloriose triumphavit & Heinricum dedit Regi Bohemiæ depecuniandum. Ipse autem Fridericum eundem per annos tres & dimidium sub forti custodia in castro trans Neckarum detinuit captivum. Eodem autem anno Johannes Papa XXII. præfatum Ludwicum coram se citavit ad comperiendum [comparendum] in Aviniona, qui ob hoc quod non comparuit, cum tum sine mortis periculo, & timore, qui inconstantem virum cadit, venire illuc non posset, propter diversas inimicorum insidias, Papa A. sequenti sc. MCCCXXIII. Ludwicum excommunicavit & omnes Principes & nobiles & civitatem & oppidorum Scabinos, Præpositos & præfectos excommunicavit Ecclesiastico interdicto, & absolvit omnes a juramento fidelitatis quod fecerunt Ludwico. Isti processus a quibusdam stricte servabantur, A multis vero quasi invalidi nihil curabantur, quia Bononiæ & Parisius ut dicitur examinati a Doctoribus Theologiæ & utriusque juris judicabantur penitus nil valere, imo Johannem Papam magni Theologi scientia & vita probati dogmatizabant esse hæreticum, propter opiniones erroneas quas tenuit. ipsas tamen die obitus sui dicitur tepide revocasse, quas tamen successor suus

Benedictus ut hæreticus publice damnaverat & propter processus prædictos crudele schisma usque ad obitum Ludwici in tota Ecclesia est subortum, Anno vero Domini MCCCXXV. Ludwicus Mediolanum veniens ibidem die sancto Pentecostes fuit solennissime corona ferrea coronatus, deinde anno eodem veniens Romam Corona Imperiali sublimatus Novum Papam persuadentibus Romanis creavit qui se Nicolaum quintum appellavit, plures Cardinales creavit, & multi qui Johannem Papam hæreticum esse censebant sibi favebant, resignavit tamen Papatum. Ludwicus Imperator redit in Teutoniam & in gratiam Papæ receptus post non comparuit. Quid autem Papa de ipso fecerit certum non habetur. Anno Domini MCCCXXV. orta est discordia inter Regem Angliæ & Regem Franciæ ex hæreditaria successione & illum esse invasorem Regni, unde usque nunc multa prælia aggressi sunt, Et semper Rex Angliæ triumphavit Regemque & Ducem Lothringiæ multosque Principes, Duces, Barones & nobiles ultra XVIII. interfecit prope Parisius prælian tes ut dicitur multosque captivaret, Rex vero Franciæ fugit Parisius cum suo Exercitu. Qui Rex Angliæ magnam terram, oppida & castra multa abstulit & potenter tenet, contra quem Clemens VI. in favorem Regis Franciæ sententiam excommunicationis fulminavit, quam tamen iste non timens ad sanum Caput Ecclesiæ appellavit futurum. Eodem anno Cives Leodienses Regi Anglorum confederati obsessi ab Episcopo suo & aliis complicibus Regis Franciæ occiderunt plusquam XXVIII. Nobilium & aliorum inferiorum. Anno Domini MCCCXXXV. Ludwicus Cæsar Eduardo Regi Angliæ confœderatus ipsum per Flandriam, Brabantiam, Britanniam & Franciam Vicarium constituit, quem Rex Franciæ seduxit quod Regem Angliæ absolvit a Vicariatu sibi commisso. Ex tunc Cæsar Ludwicus prosperitatem nunquam habuit. Nam Rex Franciæ quanquam juramento corporali præstito juravit se velle facere nihil, omnino fecit. Anno Domini MCCCXLIII. misit Ludwicus Ambassiatores suos ad Papam Clementem sicut prius sæpe fecerat ad petendum veniam, dans eis plenam potestatem agendi cum pergameno non scripto, sed sigillo imperiali appenso, Qui malitiose agentes & favorem Papæ captantes in pergameno scripserunt quod Ludwicus fateretur se esse Hæreticum & inique creasse Antipapam seque intrusum & non canonice electum in Regem Romanorum. Hoc instrumento publico in consistorio recitato Papa habens intentum suum Ludwicum deposuit, Et Electoribus præcepit, ut in Regem eligerent Karolum Marchionem Moraviæ, filium Regis Bohemiæ. Anno Domini MCCCXLVI. Ludwicus venationi insistens de equo lapsus statim obiit, Anno Regni sui XXXIII. intoxicatus ut communiter dicitur per ducissam Austriæ quam ipse redeuntem de Alsatia in Austriam præcedenti die benignissime hospitio receperat, quæ etiam Ducem Ottonem Germanum sui Mariti & duos filios suos veneno dicitur extinxisse.

Karolus IVtus Filius Regis Bohemiæ ex mandato Papæ a quibusdam Principibus Rheni prope Andernach est electus in Regem Romanorum vivente Ludwico Anno Domini MCCCXLV. quem Civitates super Rhenum A Basilea usque Coloniam & in Suevia fere omnes pro Rege receperunt post mortem Ludwici, Hæredes vero Ludwici defuncti & Nepotes sui Palatini Rheni Et Episcopus Moguntinensis quem Papa deposuit elegerunt in Regem Romanorum Guntherum Comitem de Schwarzburg quem receperunt civitates in Wetravia scilicet Francfurt, Fridburg Wetzfeler, Geylnhusen & etiam Nurnberg, sed Rex Bohemiæ scilicet Carolus Romanum Regnum obtinuit, Et amicabiliter cum Comite de Schwarzburg complanatus fuit Marchione de Brandenburg mediante, qui etiam quam ipse tam Comites Palatini Rheni cum Rege sunt reconciliati, Rex itaque Karolus considerans quod nequaquam potenter & pacifice Regnum valeret possidere, nisi componeret cum Marchione prædicto & cum suis Germanis & Consobrinis Palatini Rheni & cum Gunthero prædicto invasore Regni infeodavit Ludwicum & suos fratres de ducatu Carinthiæ, & de Marchionatu Brandenburgensi, quem Ludwicus perdidit fere totum mirabili infortunio infra dimidii anni spatium veniente quodam ignoto omnibus & contestante se esse Wilckmarum [Woldemarum] filium Marchionis de Brandenburg & se exulasse XXXVI. annis propter quoddam nefas. Quæ deceptio maxima supra modum fuit. Reddidit ergo Karolus Palatinis Rheni quandam terram dictam Runckingen gratis quam unus eorum obligaverat Archi-Episcopo Treverensi, Item Marchioni Gunthero prædicto dedit ad dies vitæ suæ unam terram opulentam quæ dicitur Lusena, Item Rex dederat ei VI. millia marcarum argenti, item satisfecit ei de omnibus expensis quas fecerat pro habendo Regno, item promisit sibi procurare absolutionem excommunicationis defuncto Ludwico Imperatore ac etiam hæredibus suis & Coadjutoribus universis. Hic igitur Karolus (*a*) quot annis regnaturus sit nescio, quia adhuc vivit, verumtamen dicunt aliqui ipsum veneno extinctum esse.

Et sic finitur Chronica quæ Flores temporum dicitur includens annos ab initio mundi & in eisdem gesta Imperatorum Cæsarum Augustorum & Regum Pontificum summorum, atque Archi-Episcoporum usque ad annum Domini MCCCXLVI. Veluti legenti patebit per processum.

(a) Herman Jannensis: *Hic igitur Karolus regnavit annis XVIII. sed Guntherus veneno obiit, ut dicitur.*

XXIII. MAR-

XXIII.
MARTINI FULDENSIS CHRONICON
usque ad annum 1379. productum.



INCIPIUNT CHRONICÆ MARTINI.

Non auferetur sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Gen. XLIX. Quia in præsentis Cronicæ corpusculo ex diversis auctorum dictis compendiose collecto, intendo principalius Romanorum Pontificum Catalogum ac per eos & circa eorum tempora gesta valde pauca describere, Imperatorumque Romanorum tempora ac etiam modica per eos & circa eos acta inserere: idcirco adponendum primo seu describendum tempora primi ac summi Pontificis ac Regis omnium terrarum & regnorum scilicet Domini nostri Jesu Christi, dico, quod in hac præclara Prophetia S. Patriarchæ Jacob jam allegata duo circa Christum tempora innuuntur &c. [Reliqua a nativitate Christi usque ad tempus, quo Fundationis Monasterii Fuldensis meminit, tanquam ab authore nimis remota, omisimus]

ANno Domini DCCXVI. Gregorius secundus natione Syrus ex patre Johanne Pontifex Romanus efficitur XCI. post Petrum. Sedit autem annos XVI. menses VIII. dies XIV. & cessavit Episcopatus dies XXV. cujus festivitas celebratur pridie ydus Frebruarii. Hic constituit quintam feriam in quadragesima per totam Christianitatem cum missarum celebritate jejunari, & officium ejusdem diei, quod antea non fiebat, pro majori parte de Dominicis sumptum ordinavit. Hujus sancti Pontificis tempore ac aliorum trium sibi succedentium floruit venerabilis ac reverendissimus Deo dignus vir, per cuncta laudabilis sanctissimus Archiepiscopus Moguntinus ac martir Bonifacius, qui quasi toto vitæ suæ tempore dispensationi verbi divini cum mira gratia Dei insistens in vita & doctrina insignis fuit. Hic per eundem Pontificem sanctum Gregorium jam dictum missus legatus in Germaniam ad prædicandum gentibus verbum Dei, quatuor populos ejusdem Regni, scilicet Bajoarios, Thuringos & Hassones cum Frisonibus a paganismo & cultura ydolorum convertit, & fidei Catholicæ subjugavit: unde idem venerabilis sanctus ab omnibus Germanicis populis, quorum Apostolus existit & Doctor, devotissime est colendus ac summe & singulariter honorandus. Indignum enim valde ac magnæ ingratitudinis vitium est tantos fructus & beneficia percipere, & eorum dispensatorem sive exhibitorem nec scire nec dignas ei gratiarum actiones referre, aut ipsum debito prosequi honore. Quod attendens conscriptor suæ legendæ de vita ejusdem sancti in fine primi libri exclamando, sic ait: Confidenter dico, quia, quicunque filiorum ejus Germanorum, videlicet agnito tanti patris labore vel ex scriptis vel ex vulgaribus dictis non eum, quantumcunque prævalet, veneratione amplectitur in honore, quod parentibus exhibere jubemur, negligens invenitur. Quodsi negligentia peccatum est, & peccatum esse punitur, negligentia ergo simul punienda creditur. Adhæc etiam, si juxta Apostolum patres carnis nostræ honoramus eruditores & reverebamur: nonne multomagis obtemperabimus patri spirituali? pater namque spiritualis non solum Deus dicitur, sed etiam omnes, quorum doctrina & exemplis jam ad agnitionem veritatis instruimur, & ad stabilitatem religionis incitamur: Sicut & Abraham ob fidei obedientiæque suæ meritum cunctis imitandum pater omnium dictus est in Christo credentium. Sic aliqualiter sanctus præsul Bonifacius omnium Germaniæ incolarum pater dici potest, pro eo, quod illos verbo prædicationis primitus Christo genuit & exemplis confirmavit, & postremo animam suam pro ipsius posuit caritate, qua caritate nemo valet majorem exhibere. Hic igitur præsul clarus, qui exstitit Germanis speculum gratitudinis, ut percurrendo admodum pauca de vita ejus narrem: Fuit genere Anglus proprio nomine tunc Winfrit nominatus. Ipse in puerili ætate constitutus invito patre Monasterium intravit, monachus factus, ubi in vita & scientia tantum profecit, quod in reverencia non modica ab omnibus habebatur. Tandem ad sacerdotalis officii dignitatem XXX. & amplius annos habens eligitur: Et cum propter sui celebritatem sæpe peteretur interesse tractatibus ac negociis Principum, & mens ipsius Deo dicata ab omni humano favore esset sequestrata, cœpit diutius secum tractare, qualiter parentes affinesque ac patriam desereret, ac pro Christi nomine ac animarum salute in Christi precioso sanguine redemptarum, ad loca procul posita prædicaturus verbum Dei transmigraret. Obtenta autem

vix Abbatis sui ac fratrum suorum licentia cum literis commendaticiis Episcopi loci venit Romam, se præsentans Domino Gregorio II. jam dicto tum Pontifici Romano: qui perlectis literis commendaticiis, quas gerebat, gaudio magno repletus, ipsum legatum cunctis Germaniæ populis fecit: curam quia ewangelizandi verbum Dei eisdem populis adhuc paganis, tradidit, ubi per quatuor annos prædictis populis, mortuo jam Raboto Frisonum Rege vel Regi infideli, prædicans una cum sancto Wilbrurdo vel Wilbrordo Trajectensi Episcopo prædictos populos magna ex parte convertit a cultura ydolorum, multaque milia hominum babtismatis abluit sacramento. Quæ omnia Romano Pontifici per quendam suum fidelem, nomine Bunnam literatorie intimavit: qui sanctus Papa ipsum Romam invitavit, ac ipsum cum Romam venisset, Episcopum fecit & ordinavit II. Kalendarum Decembris, i. e. in natalitio sancti Andreæ Apostoli, ut eo liberius & constantius errantes corrigeret, & acceptior in prædicando existeret. Mutato quoque pristino nomine proprio, scilicet Windfrid alterius nominis, scilicet Bonifacius cum nova Episcopali dignitate & honorem ei imposuit; quod utique nomen optime suo sancto officio & statui competebat, quod & summus Pontifex ex instinctu divino perpendebat. Cui statim sanctus Bonifacius juramentum fidelitatis promittebat, Tuncque ipsum cum literis commendaticiis ad gloriosum Ducem Carolum Francorum, & ad alios Principes & populos Germaniæ misit ad prædicandum ibidem, ut prius, verbum salutis. Unde de consensu Ducis Caroli, prædictis quatuor populis Germaniæ ardenter verbum Dei prædicavit, nec non gentibus in Orientali parte fluminis Reni existentibus. Eodem etiam tempore Monasterium Monachorum in Orderdorfensi in honorem sancti Michaelis archangeli fundavit. Videns autem messem multam existere in Germaniæ partibus, operarios autem paucos, misit ad provinciam seu patriam suam, & tam viros religiosos quam feminas venire fecit ad verbum Dei seminandum. Inter quos erant præcipui viri Burkardus & Lullus, Wilibalt & Winibalt, frater ejus Wicta & Gregorius. Inter fœminas vero religiosas fuerunt matertera Lulli nomine Kunhilt, & filia ejus Berchgit. Hæc in Thuringorum regione constituebantur, quia Magistræ erant valde peritæ in scientiis: Kunhiltque in Bajoariam destinata est ad idem seminandum verbum Dei; Item Ecclesia *, quæ juxta fluvium Moyon in locis scilicet Kramzingen & Ossenfurt, fuit collocata; Item Lieba, quæ in Bischoueschcyni juxta Tubyr multitudini virginum ibidem præficiebatur; Item Walpurg soror Willibaldi & Winnibaldi. Deinde defuncto Gregorio II. cum ad Gregorium tertium successorem suum pro amicitia & obedientia cum antecessore suo habitis, legatos destinasset, ipse Romanus Pontifex non solum cum immenso gaudio omnia ei petita concessit, verum etiam pallium Archiepiscopale, ipsum Archiepiscopum faciens, destinavit: præcipiens ei, ut in missarum solempniis & Episcoporum consecratione tantum pallio uteretur; Moxque post hoc Archiepiscopus Bonifacius duas Ecclesias construxit, unam in Frislaria, quam in honorem sancti Petri consecravit: de qua prophetavit, quod per incendium consumi non possit; Alteram in Amaneburg, quam in honorem sancti Michaelis dedicavit. Deinde in Bajoariam vadens constanter ibidem verbum Dei prædicavit. Post hoc, cum ad videndum faciem summi Pontificis, scilicet Gregorii tertii, quem prius non viderat, Romam venisset, ab ipso honorifice susceptus est, ac a Romanis ex magna reverentia ibi diu retentus. Post hoc rediens in Bajoariam fultus multis privilegiis Romani Pontificis, cum consensu Decilonis Ducis Bajoariæ ipsam Bajoariæ provinciam in quatuor divisit Parochias; quarum prima fuit Salzburg, cui quendam virum venerabilem Johannem Episcopum præfecit; Secunda Frisingensis, cui Erbertum Episcopum præfecit; Tertia Ratisponensis totius Bajoariæ Metropolis, in qua Baibaldum constituit. Vernulius autem jam a Præsule Apostolico Ecclesiæ Pataviensi Episcopus fuit ordinatus, cujus Parochia a sancto Bonifacio, sicuti ceteræ tres, quia quarta erat, dividebatur. Divisit quoque Horgowe & Swalvelt de tribus Episcopis, scilicet Regenburg, Ousburg & Saltzburg, & ordinavit, & faciens unum membrum Ecclesiæ in loco Eystede nuncupato, ubi sedem Episcopalem instituens Wilibaldum venerabilem virum illic ordinavit Episcopum. Burbardum vel Burkardum autem virum probabilem, Wurtzborg destinavit, & ibi eum in Episcopum consecravit: ubi idem sanctus Bonifacius corpus suum transtulit. Item Erfurt, Buirburg sedes Episcopales fecit. Ejus vero legatio a Reno usque ad Danubium se extendebat. Deinde mortuo Gregorio tertio, nec non Duce Francorum Carolo, filiisque suis Carolomanno, qui senior erat, & Pipino sibi in Dominio succedentibus, sanctus Archiepiscopus Bonifacius a sancto Zacharia Romano Pontifice per literas ejusdem Romani Pontificis legationem accepit in Galliam Francorumque Regnum, ut ibi errores & hæreses exstirparet, & ipsum corrigeret & reformaret. Nam ab LXXX. annis, nullo ibi existente Archiepiscopo seu Synodo hæreses ibidem invaluerunt valde. Anno igitur a partu virginis DCCXLII. Karlomanno Francorum Duce consentiente, ac præsidente celebrata est Synodus per Bonifacium Archipræsulem in Regno Francorum sive Gallia, ubi multi errores correcti sunt & hæreses dampnatæ: In quibus hæresibus præcipui hæresiarchæ fuerunt Albertus natione Gallus, & Clemens natione Scotus, qui ibi depositi sunt & dampnati. Item Gialeb Maguntiensis Ecclesiæ Episcopus homicida, interfector sui patris ibidem depositus est, qui pœnitentiam agens voluntarie cessit Episcopatui, moxque Principes prædicti, scilicet Karlomannus & Pippinus sanctum Bonifacium Archiepiscopum Maguntiensis Ecclesiæ

præfi-

præficiunt, & ad majorem eminentiam dignitatis ejus Ecclesiam, quæ prius alteri Ecclesiæ Wormatiensi subjecta erat, metropolin omnium Ecclesiarum Germaniæ de cetero debere existere censuerunt. Mox quoque legatione facta ibi a sancto Zacharia Præsule Apostolico impetraverunt; statimque sanctus Bonifacius Moguntiensis Archiepiscopus factus, ut bonus Archimandrita, cœpitque divina plantare, ac cœnobia, monasteria & Ecclesias ædificare, pastores cautissimos eis præponendo. nam Gregorium ad Utrecht Episcopum constituit, & Lullum virum laudabilem sibi successorem, Episcopum Maguntinensem, subrogavit. Multa alia magnifica ac fidei catholicæ proficua gessit. In illo tempore sanctus præsul Bonifacius quendam locum pro congregatione Monachorum suæ professionis divina inspiratione in loco silvatico solitudinis Boconiæ in medio nationum, scilicet quatuor populorum suæ prædicationis, juxta fluvium Fuldam exploravit, quem locum prædictos Principes scilicet Karomannum & Pippinum, ad quos solos idem locus pertinebat, pro cœnobio ibidem construendo monachorum sibi dare rogavit: Qui Principes sibi ipsum locum summa devotione tradiderunt, ita ut ab illo loco marcha undique ad quatuor mundi plagas per tria miliaria protendatur, ad quem locum sanctus Bonifacius sanctum Sturmem cum aliis servis Dei misit, qui extirpata nemorum densitate ibidem monasterium ædificavit: quod sanctus Bonifacius in honorem Salvatoris consecravit, Monachosque sub regula sancti Benedicti venientes illuc collocavit, ac deinde sanctum Sturmem omnibus amabilem eidem monasterio Abbatem primum præfecit: Qui sanctus Sturmis ob suam probatam sanctitatem & doctrinam post mortem sancti Bonifacii per Carolum Magnum Imperatorem ad gentem Saxonum missus fuit, quam ibidem verbum Dei prædicando fidei Christianæ ab ydolatria revocando subjugavit. Qui tandem post laudabilem vitæ suæ cursum anno Dominicæ incarnationis DCCLXXIX apud Fuldense monasterium migravit ad Dominum. Cujus etiam monasterii exemptionem & ut nulli, nisi Romanæ subsit Ecclesiæ * sanctus Bonifacius hunc locum pre cunctis mundi locis in vita sua prælegit ac amavit, suumque corpusculum post hujus vitæ laborem consummatum in eo quiescere ac sepeliri voluit: quod & Lullo successori suo facere præcepit: unde voluit & firmiter præcepit, ut monachi ejusdem monasterii in regulari disciplina ac monasticæ disciplinæ observantia purissime ac singulariter viverent, & maceratione carnis puritatem cordis ac corporis conservarent. Quod attendens Pontifex Romanus Victor II. prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne mulieres intrent monasterium Fuldense; qui Papa fuit vir magnæ castitatis. Sane quantæ autoritatis, excellentiæ sive venerationis beatus Martir Bonifacius apud Romanos Pontifices aliosque magnæ dignitatis viros exstitit, nullo alio magis indicio, quam in epistolis ab ipso vel ad ipsum directis probari poterit. Nam Romani Pontifices in Epistolis, quas sibi scripserunt, ipsum reverendissimum ac dilectissimum fratrem Coëpiscopum ac comministrum appellaverunt, ac ei frequenter in eis pro suo labore vitam æternam promiserunt. Hic sanctus Archiepiscopus tantæ extitit justitiæ, quod successori Zachariæ Papæ Romano Pontifici Domino Stephano secundo, qui propter causas ad Pippinum, Regem Francorum tunc factum, ierat, in faciem restitit: quia quondam Rutgandum Episcopum Metensem ipso absente ordinavit, dicens: hoc canonum sanctionibus obviare. Quos sic contendentes Pippinus Rex reconciliare benigne nitebatur. Post hoc igitur sanctus præsul Bonifacius fine vitæ suæ ac palma martirii instante, sciens in proximo tabernaculum sui corporis deponendum, miro quodam præsagio Lullo suo itineris & prædicationis fidei commilitoni obitus sui diem, modumque finis vitæ suæ prænunciavit, ejusque apprehensa manu de consensu Regis Francorum Pipini & aliorum Ecclesiasticorum virorum, sicuti antea a præsule Romano impetraverat, ipsumque pro se Episcopum Moguntiensem elegit & ordinavit: committens omnibus Principibus ac Ecclesiasticis viris, ut ipsi tanquam patri in omnibus obedirent, præcepitque ei, ut Linteum, in quo corpus suum mortuum involveretur, in theca librorum suorum reponeret, & ipsum in cœnobio Fuldensi sepeliret, dicens ei: da mihi fidem, ut ubicunque abiero, corpus meum ad Fuldensem locum transferas. Quæ omnia Lullus audiens, licet ex intimo corde suspiraret & lacrimatus fuisset, non tamen aliud, quam quod Pater sanctus proposuit facere præsumpsit. Unde omnia secundum suam possibilitatem se facturum spospondit. Sic igitur martirii Bonifacius iter aggressus venit in Utrecht cum aliis Servis Dei, scilicet Erbano Coëpiscopo, quem ibidem Episcopum constituit, & cum tribus Presbiteris & tribus Diaconibus, & quatuor sanctis Monachis, qui omnes cum eo in Fresiam venientes multa milia hominum fidei subjugaverunt, & ibidem cum ipso sancto Præsule a quibusdam infidelibus Frisonum populis martirium, sui pretiosi sanguinis effusione, acceperunt: Sanctus autem præsul hoc singulari miraculo in sua passione claruit, quod cum ictui gladii percussoris in sacrum caput ejus, codicem sacri Ewangelii, quem manu gestare solebat, interposuisset, liber ipse incidebatur, sed nulla libri litera incisa videbatur. In quo etiam loco per effusionem sanguinis pretiosi sancti Bonifacii martiris consecrato postmodum constructo monasterio monachorum contra illius terræ naturam, fons magnus aquæ recentissimæ ac dulcissimæ emanavit. Cujus præsulis sanctissimum corpus omnes clerici Trajectenses post dies paucos Utrecht tulerunt, ibique cum magna veneratione sepelierunt. Post paucos autem dies sanctus Lullus Episcopus Moguntiensis ejus percepto triumpho misit legatos fideles in Utrecht pro sancti Præsulis corpore

corpore deferendo: qui cum corpus reddere nollent, per miraculum signi, quod glocca dicitur, sine humano amminiclo pulsati instructi corpus sacrum reddiderunt, quod legati prædicti tricesimo die a sancti præsulis passione in Moguntiam detulerunt: quo die in Moguncia Lullus Episcopus cum omni clero ob reverenciam corporis sancti martiris mira Dei ordinatione convenerunt: plurimi autem viri venerabiles censebant, sancti Præsulis corpus in hac urbe sepeliendum. Sancto autem Lullo Episcopo renitente reminiscente juramenti nec cum potentibus civitatis contraire valente, apparuit sanctus Bonifacius, nudam Dyacono Orhtpracht dicens ei; vade, dic Lullo Episcopo, ut sicuti juravit, corpus meum ad locum requietionis meæ transferat. Quod cum Diaconus ille cum Lullo Episcopo affirmaret juramento tactis sacrosanctis, vix eis crediderunt, sanctique martiris corpus eis transferendum dimiserunt. Cum igitur sanctus Archiepiscopus corpus sancti martiris laudaret, ac sindoni involveret ad transferendum, sanguis recentissimus de vulneribus sacris emanavit: qui ibi manens reverentia debita colebatur. Tunc venerabilis Archiepiscopus Lullus sanctissimum illum ac pretiosum thesaurum cum multitudine cleri & populi cum ympnis & psalmodiis ad cœnobium Fuldense transtulerunt, in sarcophago novo honorifice sepelierunt: quibus in itinere cum sancto corpore adhuc existentibus occurrerunt omnes orientales Franciæ nobiles, sacrum corpus cum gaudio ad locum præfatum conducentes, hoc enim doctore gaudent Franci, Baioarii, Thuringi & Hassi cum Frisonibus. In cujus sancti venerandæ tumbæ loco beneficia largissima tam corporum quam animarum exuberabant, quæ beneficia, si nostris temporibus tam crebra ut prius non existunt, aut si quotiens petuntur, non impetrantur, non imputandum est divinæ clementiæ vel invalido sancti Bonifacii patrocinio, sed potius in infidelitate captis, qui exaudiri non merentur, item divinæ & sanctorum servitutis negligentiæ, item quandoque incorrigibili inhabitantium malitiæ, item quandoque ingratitudini de perceptis beneficiis, de quibus grates Deo sanctisque ejus minime referuntur, sed nec memoriæ commendantur. Passus est autem sanctissimus martir Bonifacius Archipræsul Moguntiensis Legatus & Doctor egregius Galliæ & Germaniæ; totiusque Germaniæ legatus, Doctor & Apostolus anno incarnationis Dominicæ DCCLV. peregrinationis suæ anno XL. Episcopatus autem anno XXXVI. mense VI. die VI. ætatis vero suæ anno plus quam LXX. nonis Junii, regnante eodem Domino nostro Jhesu Christo, cui laus & gloria per omnia secula seculorum Amen. Hujus etiam Pontificis sancti Gregorii II. tempore sanctus Egidius natione Græcus in sanctitate & miraculis claruit, qui de Græcia ad Provinciam veniens ac monachus existens propter probatam vitæ suæ sanctitatem Abbas monachorum ibidem factus est. Hoc etiam tempore quidam civis Sixiensis dives, Petronax nomine, Romam veniens instinctu sancti Gregorii Pontificis Romani montem Cassinum, qui ad centum & decem annos inhabitabilis fuerat, & a Longobardis destructus reformavit & reædificavit, ac monachus ibidem factus multorum sub eadem regula viventium pater fuit. Hoc etiam tempore fuit Rabado vel Rabodo Rex Frisonum, qui ad prædicationem sancti Wilcordi Trajectensis Episcopi finxit, se velle babtisari, & cum pedem unum in lavacrum intinxisset, ad interrogationem suam informatus fuit, quod plures majorum suorum essent in inferno quam in cœlo, ludificatusque a dæmone eodem tempore sibi promittente, quod tertia die bona incomparabilia ei daret, retraxit pedem, dicens, sanctius est plures quam paucos sequi: qui tertio die mentiente diabolo subitanea morte interiit, ac morte æterna interiit. Eodem etiam tempore apud Longobardos regnavit Luitprandus filius Ariberti, vir magnæ probitatis ac devotionis apud Ecclesiam Romanam. Ipse ossa sancti Augustini Episcopi, tempore Gregorii tertii, de quo statim dicetur, dato pro eis magno pretio de Sardinia depopulata per Sarracenos transtulit in Papyam.

Anno Domini DCCXVII. ab urbe condita MCCCCLXVIII. Theodosius III. Anastasio deposito Imperator Romanus LXVII. a Julio efficitur, & unum annum imperavit. Hic bonus extitit, Imperatorque factus mox illam venerabilem picturam VI. conciliorum, quam Philippus Imperator hæreticus destrui mandavit, ut prius dictum est, reparari jussit. Et quamvis bonus fuit, ipsum tamen Leo III. potentissimus de imperio deposuit, & clericum fieri mandavit: qui residuum vitæ suæ in pace finivit, & ipse Leo imperavit. Et attende hic, quod, quia multi Imperatores infra breve tempus fuerunt, qui se mutuo læserunt & omnes malum exitum habuerunt, Ideo scissura & destructio Regni Græcorum non multum post secuta fuit, ut videbitur. Tales enim mutuæ læsiones præcedunt imminentes destructiones. Cum enim Domini terrarum se mutuo lædunt & persecuntur, tunc frequenter ruinæ & desolationes regnorum & Dominiorum subsequuntur, sicuti, heu! temporibus nostris cottidie apud principes terrarum nostrarum scilicet Boconiæ, Hassiæ, Franconiæ experiuntur fieri, anno scilicet a partu virginis MCCCLXXIX. & LXXX.

Anno Domini DCCXVIII. ab urbe condita MCCCCLXIX. Leo Theodosio de Imperio dejecto Imperator a Julio LXVIII. efficitur, & XXVII. annis imperavit. Hujus Imperatoris anno IV. Constantinus filius suus cum eo Imperator efficitur, & regnat, & ei post mortem in regno succedit, ut loco suo videbitur, cum de eo aliquid dicetur. Hic Leo homo sacrilegus & hæreticus pessimus fuit, & omnes ymagines, quas in urbe reperit, Constantinopolim asportat, ipsasque cum omnibus ymaginibus Christi, beatæ virginis & aliorum sanctorum in Constantinopoli existentibus cremari fecit. Tempore enim suo & filii sui Constantini maxima fuit

ait retroversa contra imagines. hæretici enim volentes ponere scisma inter Græcos & Latinos asseruntImperatoribus predictis,non esse imagines adorandas: quia videbatur species ydolatriæ. hoc autem omnino est falsum: quia imago fert [ferit] intellectum humanum & imaginatum in illum cujus est imago. Preceperunt quoque hi Imperatores Gregorio tertio Romano Pontifici, ut venerationem imaginum sacrarum prohiberet: qui Papa non solum facere hoc abhorreret, verum etiam concilium noningentorum trium Episcoporum in Roma congregavit, in quo venerationes sacrarum Imaginum confirmavit, atque earum violatores sententia generali anathematisavit, ipsumque Leonem Imperatorem excommunicavit & totam Ytaliam ab eo recedere fecit, & respiam *ac vectigalia ei dare interdixit. Unde propter hanc illorum Imperatorum hæresinStephanus IIdus Imperium a Græcis transtulit in Germanos, ut suo loco dicetur.

Anno Domini DCCXXXII. ab urbe condita MCCCCLXXXIII. Gregorius III. natione Romanus ex patre Marcello in summum Pontificem assumitur XCII. post Petrum, sedit annos IX. menses VIII. dies XXIV. & cessavit Episcopatus dies XI. Hic, ut Martinus scribit, adjunxit in secreta, quorum solempnitates hodie in Gloriæ tuæ celebrantur: Domine Deus noster in toto orbe terrarum. Quæ quidem verba in secreta nostra non habentur. Qualiter autem hic sanctus Papa concilium DCCCC. & trium Episcoporum congregavit in Roma, dictum est supra in cronica Leonis tertii Imperatoris. Hujus Pontificis tempore tres Reges Francorum scilicet Clotarius IV. XX. Rex Francorum a primo,& regnavit annis II. Item post hunc Olpertus IIdus, XXI. Rex Francorum, & regnavit annum unum: Post hunc Theodericus III. XXII. Rex Francorum & regnavit annis XI. Hoc tempore circa annum Domini DCCXLI. Carolus Dux Francorum & Major domus Regiæ moritur, filiique ejus Karolmannus & Pippinus principatum Regni suscipiunt, ut dictum est supra in cronica Constantini primi Pontificis Romani, & anno IIdo. post hoc Carolus Magnus Imperator nascitur ex Patre Pippino jam dicto, & matre Bertrade. Karlomannus autem primus, quem cum fratre suo Pipino contra diversas provincias pugnando triumphavit IX. principatus sui anno decrevit omnino seculum relinquere fratrique suo suum exponit propositum: unde devotus ac prudens princeps regno cedens Romam cum fratre suo Pipino properavit, ibiq; coram summo Pontifice Zacharia se totondit, & a summo Pontifice vestes sacras accepit, monachusque factus monasterium montis Cassini intravit, & sic Pipinus suus germanus partem fratris recipiens totius Regni Francorum Princeps ac Major domus Vtus factus est Qui accepto Regno in illis partibus, ubi sui fratris erat dominium, scilicet Austria, Swevia, Thuringia, circa confinia regni Saxonum in Germania strenue bella gessit,ac ipsos expugnavit. Tota enim regio juxta Renum fluvium a parte Occidentis, sicuti est Brabantia, Hollandria, Flandria, Lothoringia & Picardia fuit vera Gallia, non Germania, ut omnes historiæ Romanæ & Gallicanæ tradunt, & vocabatur Gallia Belgica. Hildericus iniquus, vilis & nullius potestatis erat: solo enim nomine Rex erat. Unde, ut scribit Ammonius in gestis Francorum, Pipinus redactis multis regionibus scilicet toto Regno Francorum tam Orientalium quam Occidentalium, totaque Germania ac multis aliis terris sive per se acquisitis sive per patrem relictis, in suam potestatem ac Regnum Francorum apportat, ut jam ultra non Major domus, sed Rex appelletur. Quare mittit solempnes nuncios ad Papam Zachariam scilicet Burkardum Wurtzborgensem Episcopum, & Fuldardum Cappellanum suum, qui summum Pontificem requirunt de Regibus Franciæ, qui tunc nullius potestatis & viles fuerunt, utrum ipsi vere Reges dici possent, vel illi, in quorum manibus erat tota potestas. Respondit Zacharias Papa, quod melius est, illum Regem vocari, qui potestatem habet, quam illum, qui sine potestate manet. Unde, ut non conturbaretur ordo regiminis per autoritatem Apostolicam, jussit Pipinum Regem fieri, & Hildericum deposuit, & Francos a juramento fidelitatis absolvit. Ex jussu igitur ejus electus est secundum morem Francorum per manus sanctæ memoriæ sancti Bonifacii Archiepiscopi Moguntini in monasterio sancti Modardi in Svessionum civitate, & elevatus a Francis in Regem. Hildericus vero, qui prius solo nomine Rex vocabatur, tonsoratus est, & in monasterium montis Cassini locatus. De hoc etiam autoritate Romani Pontificis in hac parte ponitur XV. q. VIIma C. alius. Post hoc Karlomannus monachus, frater Pipini Regis, cum aliis monachis venit ad eum Franciam, & corpus sancti Benedicti de monte Cassino sui desertionis tempore furatum, ac in Floriaco a Monachis ejusdem loci sepultum de licentia Zachariæ Papæ ac concessione Pipini, qui eundem fratrem suum animo tenero vel animo fervente dilexit, ibi prsæentem in montem Cassinum intulerunt seu retulerunt. Hujus Papæ festum agitur tertio Kalendarum Decembris.

Anno Domini DCCXLII. sed Martinus dicit XL. de quo tamen non est magna vis, & ab urbe condita MCCCCXCIII. Zacharias natione Græcus ex patre Policiano Pontifex Romanus XCIII. post Petrum efficitur. Sedit autem annos X. menses II. dies XV. Cessavit Episcopatus dies XII. Cujus festum celebratur Idibus Martii. Hic sanctus Pontifex insignis fuit in vita & doctrina, & multa ædificatoria & nobilia fecit. Ipse quatuor libros dialogorum de latino transtulit in græcum. Ipse, ut dictum est, Carlomannum principem Francorum monachum fecit. Item monasterium Fuldense cum omnibus rebus suis pro perpetuis temporibus exemit, sanctoque Bonifacio, quem ipse Moguntinum Archi-Episcopum fecit, multum familiaris fuit, & Pipinum autoritate Apostolica Regem Francorum fieri jussit, de quibus

omnibus jam in cronica Gregorii III. dictum est. Ipse tandem plenus virtutibus moritur, & in Ecclesia sancti Petri honorifice sepelitur.

Anno Domini DCCLX. vel sic XLV. ab urbe condita MCCCCXCVI. Constantinus V. impius, mortuo sacrilego Imperatore scilicet Leone tertio patre suo, solus imperium retinet, LXIX. a Julio & post mortem patris XV. annis imperavit. Unde in universo vel toto regnavit XXXVIII. annis. Hic fuit magis impius patre, non solum in errore patris pro Imaginibus exstirpandis, sed etiam in omnibus vitiis & peccatis, ut in maleficiis, artibus magicis, luxuriis, in quibus longo tempore vixit. Et quia in nullo juvabat Ecclesiam, sed magis lædebat ut pessimus hæreticus, & omni genere vitiorum plenus: ideo motus fuit Stephanus Papa II. ad diffiniendum translationem Romani Imperii a Græcis ad Germanos, ut statim videbitur. Ipse Pipino Francorum Regi cum multis donis aliis misit organa suavissima, quæ omnia, ut verus Deicola, non accepit, suam detestans impietatem.

Anno Domini DCCLII. ab urbe condita MCCCCCIII. Stephanus II. natione Romanus ex patre Constantino in summum Pontificem assumitur XCIII. post Petrum. Sedit autem annos VI. dies XXVIII. cessavit Episcopatus mensem unum dies X. Hujus tempore fuit Astulfus sive Agistulfus Rex Longobardorum, successor Lutprandi viri probatissimi. Hic Stephanum Papam gravavit nimium; unde ipse Papa ivit in Franciam ad Pipinum Regem pro adjutorio & justitia Ecclesiæ recuperanda, quem Pipinus recepit cum magno honore. Tunc Stephanus Papa ipsum revexit vel reunxit in Regem ac in Regno confirmavit. Item duos filios suos, quos habuit adhuc juvenes, scilicet Carolum, qui postea Imperator Romanorum factus fuit, qui tunc fuit X. annorum, & Carlomannum similiter unxit in Reges. Tunc Pipinus Rex volens Ecclesiæ deservire petitioni Papæ satisfecit, ivitque Italiam, & Astulfum expugnavit, ad restituendumque bona Ecclesiæ compulit, & sic Stephanus Papa ad sedem Apostolicam rediit. Hic Pontifex anno ultimo sui Pontificatus transtulit Romanum Imperium a Græcis in Germanos * Imperatorem magnifici Principis Caroli adhuc in juvenili ætate constituti, quia primogenitus fuit Pipini Regis, cujus merita apud Ecclesiam hoc exigebant. Cujus ratio assignatur in glossa brevi super Can. Venerabilem, Extra de electione: quia tunc mortuo impio Leone III. Imperatore in suo errore filius suus Constantinus pejor eo, qui ei successit, hæreticus pessimus fuit, & Ecclesiam, quæ tunc adjutorio indigebat, ut jam visum est, in nullo adjuvabat, sed potius lædebat. Ideo Stephanus motus fuit ad hanc translationem diffiniendam; non tamen intelligas hanc translationem statim factam per Carolum per realem imperii adoptionem, sed tantum ordinata fuit pro futuro fienda in Carolum prædictum: quia sub Leone Papa tertio, qui fere fuit ad XI. annos post Stephanum, Carolus Imperator factus est, & sic salvatur glossa brevis super Can. Venerabilem. Fuit enim primo ordinata hæc translatio per Stephanum, IIdo Carolus factus est Patricius per Adrianum Papam, & tertio recepit coronam Imperii per Leonem Papam. Hic Papa Stephanus sub tanto protectore Pipino moritur, & honorifice in Ecclesia sancti Petri sepelitur; quia homo fuit, qui magna adtemptavit & ex arduis honorem meruit.

Anno Domini DCCLVIII. ab urbe condita MDIX. Paulus natione Romanus ex Constantino patre de regione Viæ latæ Romanus Pontifex efficitur XCV. post Petrum. Sedit annos X. mensem unum. Cessavit Episcopatus annum unum, mensem unum. Quod fuit tempore sequentis Constantini Papæ, quod dicitur vacare, ut statim dicetur. Hic constituit, ut communiter historiæ tradunt, divina officia non celebrari in quadragesima ante horam nonam. Hic etiam corpus sanctæ Petronillæ, filiæ sancti Petri Apostoli transtulit ac in sarcophago pretioso reposuit. Ipse a Martino Polono de perfectione sanctitatis multum commendatur. Nam nocturno tempore sub silentio cum paucis familiaribus circuibat per cellas infirmorum, pauperum, incarceratorum, eis necessaria ministrando: viduis etiam & egenis & pupillis opem ferebat. Hujus tempore fuit in Burgundia sanctus Gangolfus. hic in Francia quendam fontem emit & ipsum in Burgundia exire a Deo impetravit. Hic cum uxorem adulteram dimisisset, ab adultero clerico occiditur. Sed cum uxor sua ejus miraculis detraheret, & diceret: Si Gangolfus miracula facit, anus meus cantat: tunc anus cantare incœpit, & usque in finem vitæ suæ cantavit, quotiens loquebatur. Hic vel hujus Pontificis tempore Pipinus Rex Francorum ob favorem fidei celebravit magnam Synodum inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate & Imaginibus sanctorum, ubi sententia Romanorum Pontificum prævaluit in veneratione Imaginum contra errorem Græcorum, qui toto tempore Leonis & Constantini sui filii Imperatorum prius duravit. Item Paulus Papa apud sanctum Paulum moritur & ibidem honorifice sepelitur, sed postea a Romanis ad sanctum Petrum transfertur.

Anno Domini DCCLX. ab urbe condita MDXI. Leo IV. filius Constantini sacrilegi Imperator LXX. a Julio efficitur, & quinque annis imperavit. Ipse fuit vir catholicus & tutor pauperum & religiosorum, & quia pauco tempore regnavit, pauca fecit.

Anno Domini DCCLXV. ab urbe condita MDXVI. Constantinus VI. filius illius boni Leonis sub regimine matris suæ Irenæ uxoris Leonis Imperator LXXI. a Julio efficitur. & cum matre sua XVII. annis imperavit. Hii quamvis litigaverunt, & se invicem læserunt, ambo tamen fidei faverunt & divinum cultum promoverunt. Nam tempore imperii ipsorum, ut scribit Richardus. facta est secunda Synodus Nicæna CCCL. Episcoporum, in qua fides Orthodoxa confirmata est, & veneratio ymaginum sublevata, &, ut scribit Vincentius, affirmatum

matum est ibi, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere. Refert Martinus, quod durante discordia inter matrem & Constantinum filium Imperatorem mater ipsum excæcavit & ab imperio dejecit, qui fuit multum pius & bonus: propter quod dicit, quod sol XVII. diebus obscuratus fuit, ita quod videri non potuit: quod tamen sonat incredibile. Mater autem ipso sic dejecto sola imperavit annis V. cujus regiminis anno tertio Carolus tunc Rex Francorum, factus per Adrianum Papam Patricius Romanorum, autoritate ejusdem Pontificis se intromisit de imperio cum Romanis; tamen non adhuc factus Imperator, sed post hoc post spatium XV. annorum per Leonem tertium Papam fuit corona imperiali gloriose laureatus: quæ omnia in sequentibus suis locis dicentur. Nichilominus in illo XV. annorum spatio post regimen Constantini & matris suæ Hyrenæ ante Imperium Caroli Magni fuerunt in Constantinopolim & Græcia duo Imperatores, scilicet Nicoferus LXXII. & Michahel LXXIII. qui solo nomine Imperii retento, Imperatores Græcorum appellabantur, ac alii post eos usque in hodiernum diem. Ex prædictis patet, quod a Julio Cæsare primo Romanorum usque ad Carolum Magnum Imperatorem fuerunt LXXVIII. Imperatores Romani exclusive.

Anno Domini DCCLXVIII. Constantinus secundus natione Romanus ex layco assumtus est in Pontificem Romanum. Sedit autem annum unum, mensem unum. De hoc nullæ cronicæ mentionem faciunt, præter Martinum & Cusentinum Episcopum. Hic, ut idem dicunt, parum sedit, & furtive intravit. Fuit enim pseudo-Papa & illiteratus. Unde de eo Ecclesia ruborem magnum perpessa fuit. Quæ statim, ut cognita fuerunt, degradatus & abjectus fuit, & oculis erutis in carcerem fuit retrusus. Punivit autem Deus Sergium Episcopum, qui eum ordinavit & consecravit: quia aruit manus ejus. Hic Pseudo-Papa numerum Romanorum Pontificum non auget, sed, ut dicit, Cusentinus, totum tempus suum ponitur pro tempore, quo sedes Romana scribitur vacasse inter Paulum & Stephanum tertium, quod fuit tempus unius anni, & unius mensis, ut jam dictum est in cronica Pauli Pontificis Romani.

Anno Domini DCCLXIX. ab urbe condita MDXX. Stephanus III. natione Siculus ex patre Olino, Constantino dejecto, a Clero Romano in summum Pontificem sublimatur, XCVI. post Petrum sedit annos III. menses quinque, dies XXVIII. & cessavit Episcopatus dies VIII. Hic, ut Martinus scribit, ex Gallia & Italia convocata Synodo Romæ omnia a Constantino pseudo-Papa ordinata revocavit, præter baptisma & confirmationem, & omnes per ipsum ordinati ibidem degradantur constanter. Et ibidem ut nullus ad Pontificatum assumeretur, nisi per distinctos gradus.* Moritur & in Vaticano sepelitur in Basilica sancti Petri. Hujus Pontificis, hoc est Constantini pseudo-Papæ tempore, quod pro tempore vacationis sedis computatur, mortuo Pipino Rege Francorum anno Domini DCCLXVIII. statim duo filii sui, quos reliquit, scilicet Carolus, qui fuit primogenitus suus, & tunc agebat ætatis suæ annum XXVI. & Carlomannus, qui fuit junior, Regnum Francorum suscipiunt. Hi licet prius per Stephanum Papam V. in Reges Francorum, patre adhuc vivente, inuncti fuerint, Franci tamen solempni facto conventu ipsos denuo sibi Reges Francorum constituunt. Unde, ut refert Eginardus, vir Philosophus & in omni sapientia expertissimus, educatus in palacio memorati principis, scilicet Caroli magni, qui inter multos, qui de eo scripserunt, fuit solempnissimus conscriptor actuum suorum. Hic, inquam, refert, quod Carolus primogenitus patris sui, qui magnus a magnitudine dictus est, & postea Imperator Romanorum factus, eandem partem regni accepit, quam pater suus Pipinus ante Carlomannum fratrem suum monachum factum mortuum habuit, & Carlomannus frater suus eandem partem regni occupavit, quam patruus suus jam dictus possidebat. Primus scilicet Carolus habuit Burgundiam, Neustriam & Provinciam: secundus sive Carlomannus habuit Sweviam, Thuringiam &c. sicuti jam dictum est. Horum mater Bertradis vocabatur. Hi pariter usque ad tertium regnaverunt annum, in quo Carlomannus diem clausit extremum sine prole: unde de consensu omnium Baronum & populi Carolus partem Regni possidet, quæ ad fratrem pertinebat; & sic totius Regni Monarcha. Regnavit autem XLVII. annis, scilicet tribus cum fratre: reliquis XXX. solus super Franciam tantum. Ultimis autem XIV. fit Imperator Romanorum & Franciæ simul. Ipse tempore sui regni multas terras & gentes expugnavit, & sibi subjugavit, scilicet Aquitaniam, Wasconiam. Item Saxones, Frisones, qui erant Germani, qui soli adhuc non suberant Regno Francorum: multasque alias gentes barbaras expugnavit, & sibi subjecit, scilicet Hunnos, Slavos, Gothos: Item Hispanos, Lombardos, Britones, Bunentanos. Ipse etiam sibi subjecit Austriam, Bavariam sibi rebellantes. Quum autem idem Rex magnificus cum solis duobus Romanis Pontificibus, mortuo fratre, sui regni tempore concurrebat, scilicet Adriano primo & Leone tertio. Ideo pauca de hiis, quæ circa eos egit, hic sunt ponenda. Referunt enim historiæ, quod mortuo Astulfo Longobardorum Rege prius per Pipinum Regem Francorum patrem Caroli Magni ad preces Stephani Papæ secundi expugnato & humiliato ob violentiam, quam Romanæ intulit ecclesiæ, filius suus Desiderius ei in Regno succedens omnia promissa per patrem violavit, ac Ecclesiam valde gravavit; detinens civitates & castra Ecclesiæ. Unde Adrianus Papa misso legato ad Carolum Regem Franciæ ipsius auxilium de prædictis imploravit. Qui veniens cum exercitu magno in Italiam & Lombardiam, ipsam sibi subjugavit, ipsumque Desiderium Regem cepit cum uxore & filiis, & in Franciam duxit, filioque suo Pipino regnum Ytaliæ tradidit. Tres enim filios generavit de uxore

sua legitima Hildegarda nomine devota & sancta, natione Bavera, scilicet Ludowicum, Carolum & Pippinum. Hæc acta sunt anno regni sui VII. deinde ipse Romam veniens omnia jura Ecclesiæ beato Petro restituit, & Ducatum Spoletanum & Buventanum reddidit. Tunc Adrianus Papa congregato concilio CLIV. Episcoporum, ut habetur D.LXIII. C. in recompensam beneficiorum tanti principis ei cum universo concilio hanc tradidit dignitatem, scilicet vim & potestatem eligendi Romanum Pontificem, & disponendi Apostolicam sedem. Item potestatem Patriciatus urbis. Item, ut omnes Episcopi ab eo investituras recipiant, & multa alia, quæ omnia filius suus Lodowicus, Imperator post eum factus, Paschali Papæ resignavit, eisque renunciavit ac cessit, ut habetur D.LXIII. C. Ego Lodowicus. Exinde Carolus Rex jam Patricius Romanorum factus, se cum Romanis de imperio Romano autoritate Adriani Papæ intromisit, non tamen ut Imperator, sed ut Patricius Romanorum: nam imperium antea de Græcia translatum fuit in Germanos, in personam ejusdem Caroli per Stephanum Papam secundum, ut sæpe prius dictum est. Post hoc Carolus Rex habita victoria contra Saxones pugnando venit cum familia sua Romam, causa orationis, ubi ab Adriano Papa, quem amore nimio dilexit, honorifice receptus fuit; qui cum eo ibidem pascha celebravit, & ipse Papa filium ejus Carolum baptizavit, ac de sacro fonte levavit, aliosque duos filios unxit in Reges: Pipinum scilicet in Italia, & Lodowycum in Aquitania. Et inde in Mediolanum veniens a clero & populo gloriose receptus fuit: ubi filia sua Gysela ab Episcopo Mediolanensi viro venerabili & sancto baptisata est. Et attende hic, quod baptismus parvulorum nobilium diu ex consuetudine retardabatur tunc propter majorem solempnitatem; quod tamen est periculosum. Prætermittendum quoque non est, quod Amonius scribit in gestis Francorum, quod Carolus Rex Adrianum Papam tantum dilexit, quod audita morte ejus copiose lacrimatus fuit; cum tamen, ut idem Doctor dicit, ita magnanimus fuerit, quod duos filios suos sibi caros mortuos non fleret. Circa Leonem autem Papam tertium & ipsum hæc acta sunt, de multis pauca hic scripsit. Nam ipso de Roma absente Romani de Imperio se soli intromittere volebant, quibus ipse Papa restitit, nec hoc permittere voluit. Unde Episcopi Romani occasiones multarum criminum contra ipsum fingentes eum in letania Majore, in processione ad Laurentium vel potius Petrum ceperunt, excœcaverunt, linguam detruncaverunt, ac in custodia posuerunt, qui noctu per murum urbis evasit, ac divina virtute omnibus restitutis membris ad Regem in Franciam venit, qui in Germaniam eum duxit, ubi cum ipso Rege Carolo usque ad reditum suum fuit. In quo reditu cum eodem principe aliquas Ecclesias & altaria in Germania consecravit, & cum urbi appropinquaret, Frisones, quos secum in exercitu habuit, ante eum in urbem scilicet Romanam sibi rebellantem primi intraverunt, propter quod vel eos ipsos libertati donavit. In cujus signum tonsis crinibus ipsos post hoc incedere jussit, quod adhuc usque in hodiernum diem retinent. Antea enim servilis erant conditionis, in cujus servitutis signum prolixos capillos habebant, funibus in collo dependentibus. Cum igitur Romam venissent, Rex Carolus concione vocata omnibus patefecit, cur Romam venisset, fuitque hoc XXXIII. anno Regni sui. Et quamvis difficilima opponerentur Romano Pontifici, non tamen inventus fuit legitimus probator: propter quod annuente ipso Rege in Basilica sancti Petri coram omni populo Pontifex Romanus ambonem conscendens invocato trinitatis nomine jurejurando ad sancta Evangelia Dei, se de omnibus sibi objectis criminibus purgavit cum tribus Cardinalibus, qui omnia crimina sibi subjecta falsa esse juraverunt. Post hoc dictus Princeps celebravit natale Domini in urbe, & cum idem Princeps ipso nativitatis Domini die Leone Papa missam celebrante ante confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret ex devotione, toto Romano populo præsente, ipse Romanus Pontifex, sicuti cum maturitate magna præceperat, & volens ab eo Patricii nomen auferre, ac ipsum Imperialis dignitatis culmine decorare, ad ipsum accessit, ac ejus capiti coronam Imperialem imposuit; statimque a cuncto populo Romano acclamatum fuit: Carolo Augusto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria sicque cum omni ac singulari reverentia Imperator Romanus ac Augustus factus annis XIV. supervixit. Post hæc admodum paucis elapsis diebus Imperator omnes illos, qui Romanum Pontificem læserunt, coram se vocatos jussit tanquam reos læsæ majestatis secundum legem Romanorum capite plecti: quibus Leo Papa vir pius & mitis, vix ab Imperatore vitam & membrorum obtinuit integritatem, ipsis tamen propter sceleris magnitudinem in exilium relegatis. Hæc omnia Egiriardus & Ammonius in gestis Francorum tradunt, partimque Martinus Polonus. Post hæc, ut Amonius scribit, misso quodam Abbate, Zacharia nomine, cum duobus Monachis per patriarcham Jerosolimitanum ad Imperatorem, ut de sepulcro Domini & terra sancta per Regem Egypti occupatis & expugnatis curam gereret, ac remedium adhiberet. Ipsos Imperator Carolus benigne recepit, & humane tractavit, datisque muneribus in Palestinam remittit. Deinde statim hac legatione motus cum magno exercitu ultra mare transfretat, ac Rege Persarum consentiente & contra Regem Ægipti prævalenter totam terram sanctam recuperavit. Referunt quoque gesta Gallicorum, quod, cum dictus Imperator festum resurrectionis cum Leone Papa ageret in urbe ob devotionem, simulque comederent, cœperunt cantores Papæ & Imperatoris, qui erant Gallici, de cantu & officio divino contendere inter se. Quod audiens Imperator, vocans, suis cantoribus hanc proposuit quæstionem, an in

fonte

fonte sit purior aqua vel in rivis? quibus respondentibus, quod in fonte. Respondit Imperator: Igitur contra vos jam sententiam protulistis. Beatum officium beati Gregorii super omnia est officia, & quod Romani tenent officium, omnia Ecclesiarum tenent officia, vel sic, & quæ Romanum tenent officium &c. cum Ecclesia Romana sit fons & origo omnium Ecclesiarum. Tunc Imperator cum beneplacito Romani Pontificis assumtis secum Romanis cantoribus ac toto officio Romano cum antiphonario beati Gregorii, in Francia fecit tres scholas ad officium Romanum ibidem addiscendum, unam in Methi, aliam Suessionis, tertiam Aurelianis, mandans resecare omnes levitates in cantu divini officii, quas maxime Gallici Belgici, qui juxta Renum morabantur, faciebant. Tradunt gesta prædicta, quod memoratus Imperator transtulit studium de Roma Parisius per aliquem discipulum venerabilis Bedæ, qui Alquinus fuit, Doctor magnus, insignis multum in doctrina & moribus, pollens spiritu prophetiæ. Hic Anglus natione fuit, eruditor solempnissimus ejusdem Imperatoris scilicet Caroli Magni ac filiorum suorum, & viguit tempore Adriani primi & Leonis tertii Romanorum Pontificum. Post hoc Leo Papa propter dilectionem intimam, quam ad ipsum Imperatorem habuit, venit ad eum Parisius ac per ipsum magno cum honore receptus ibidem cum eo natale Domini celebravit. Deinde Imperator ipsum in Aquisgranum deduxit, ubi cum eo octo diebus mansit. Deinde ipsum in Roma honorifice perduxit, fuitque inter eos tantæ amicitiæ ac dilectionis connexio, quod a quibusdam fratres nuncupantur. Demum de vita & moribus ejusdem Imperatoris prædictis modicum est adjiciendum. Tradunt enim gesta sæpe dicta, quod religionem Christianam ab infantia sanctissime ac cum summa pietate coluit. Nam ad jussum suum sanctus Sturmis primus Abbas cœnobii Fuldensis missus per eum, gentem Saxonum Ewangelium Christi eisdem prædicans fidei subjugavit. Ipse quoque tot Ecclesias cathedrales fundavit ac dotavit, quot sunt literæ in alphabeto latinorum: Inter quas in Germania fundavit hos Episcopatus scilicet Halberstadensem, Paderbornensem, Monasteriensem & Bremensem, item Ecclesiam sanctæ Mariæ in Aquisgranum, multasque alias Ecclesias. Ipse quoque propter bonam dispositionem sui cleri, de quo multum solicitabatur, mandavit suis metropolitanis concilia celebrare, & ob hoc celebravit concilium generale in Aquisgranum, in quo de processione Spiritus Sancti a patre & filio confirmatum est, & de correctione cleri & bono statu Ecclesiarum coram eo multa sunt actitata. Quomodo autem se habuerunt circa parentes, uxorem & liberos, refert Eginardus dicens: Quod mortuo patre, matrem Bertradim nomine in maxima tenuit reverentia & honore, ipsamque mortuam cum summa funeris devotione apud sanctum Dyonisium fecit sepeliri; eratque ei soror nomine Gisela, quam etiam ut matrem summa coluit pietate: quæ ab annis puerilibus in monasterio conversata ibidem decessit. Multum etiam decenter ac honeste educavit filios suos & filias, quos multum dilexit, & in tantum, quod domum positus nunquam cœnaret sine ipsis, & quocunque ibat, ad bellum ipsum sequebantur. Cæterum in tota vita conversatus fuit, quod nunquam ei a quoquam injusta crudelitatis nota fuit objecta. Amabat multum peregrinos & pauperes, circa quos suscipiendos & reficiendos in toto regno suo magnam habebat curam: & quamvis pulcher & robustus esset corpore, tamen veste peregrina minime utebatur & inconsueta. Fuit etiam in cibo & potu temperatus, eique cœnanti cronicæ seu gesta antiquorum legebantur de virtuosis actibus. Fuit quoque maximæ eloquentiæ, nec paterno sermone contentus, sed linguas peregrinas addiscens latinum optime pronunciavit ac Græcum: sed melius tamen Græcum intellexit, quam pronunciavit; artesque liberales & præcipue Astronomiam per Alquinum dyaconum Britonum, virum eruditissimum, suum præceptorem ac per alios doctores didicit, quos Doctores multum veneratus fuit. Ipse non solum in partibus propinquis pauperes aluit, verum etiam pauperibus extraneis Christianis ad partes transmarinas eleemosinam misit: ut in Sigiriam vel Syriam, Egyptum, Jerosolimam, Alexandriam, Carthaginem. Tandem ille gloriosus princeps in ultimo adventu suo in Romam causa peregrinationis appropinquans urbi ad unum miliare, pedes ivit urbem ad vel ob reverentiam Apostolorum & martirum, quorum sanguis ibi fusus fuit. Deinde principales ecclesias pedes visitavit ac unicuique ecclesiæ oblationem decentem & copiosam fecit. Traditque Eginardus de eo, quod idem Princeps vocato ad se filio suo Lodewico ei tradidit coronam Imperii, suumque in memorato Imperio successorem instituit: & forte hoc fecit autoritate Leonis Papæ tertii, qui usque ad annum secundum supervixit. Refertque Eginardus, quod ante mortem istius principis diversa & magna signa & prodigia apparuerunt, quæ mortem ejus vicinam esse præmonstrabant: scilicet Eclipsis solis & lunæ ultra naturalem & solitum cursum: item quædam macula coloris atri in corpore solis per VII. dies visa fuit, multaque alia signa apparuerunt, quæ propter brevitatem hic omitto. Demum hic sanctus & devotus Imperator Carolus, lux Francorum & Germanorum accedente febre, dolore laterum infirmatur in provincia eadem, in qua natus fuit, scilicet Gallia: quæ ab Orosio antiquitus in libro VIII. contra paganos Belgica vocabatur, quæ a Methi Lothoringiæ usque ad Coloniam Agrippinam super Renum fluvium se extendit, quæ nunc tota est Teutonica, ritu tamen Gallicano vivit; anno autem a partu virginis DCCCXIIII. ætatis vero LXXII. Imperii quoque XIV. sed totius regni sui simul & Imperii XLVII. Hic princeps beatus in provincia sua nativa jam dicta V. Kal. Februarii: viam universæ carnis ingreditur, ac in Aquisgranum in Ecclesia sanctæ Dei genetricis

cis Mariæ, quam sumtuose fundaverat ac dotaverat, honorifice sepelitur. Quo etiam obitus sui die ejus festum celebratur. Hæc de multis pauca de tanto principe dicta sufficiant.

Anno Domini DCCLXXII. ab urbe condita MDXXXIII. Adrianus primus natione Romanus ex patre Theodoro de regione Viæ latæ XCVII. post Petrum in summum Pontificem sublimatur. Sedit annos XXIII. menses X. dies XVIII; cessavit Episcopatus dies III. hic sanctus Pontifex tam intra quam extra muros urbis multas ecclesias ædificavit, & ipsum murum a fundamento disruptum reformavit. Item monasterium sancti Stephani juxta beatum Petrum situm ædificavit; & idem congregationem Monachorum instituit. Ipsius etiam tempore, ut Martinus scribit, celebrata est Synodus in Constantinopoli CCC. Episcoporum post Nicænam Synodum, de qua supra dictum est in cronica Constantini sexti Imperatoris: in qua Synodo Constantinopolitana, quæ fuit tempore Michahelis Imperatoris, qui fuit verus catholicus, veneratio imaginum confirmata fuit, & plura alia acta ad fidem pertinentia: quia Græci jam præsenserunt potentiam & fidem Caroli Regis Francorum, ac fidelitatem ad Ecclesiam Romanam. Cætera circa hunc Pontificem & eundem illustrem Principem Carolum facta require in cronica Stephani Papæ tertii immediate præcedenti. Moritur autem hic Pontifex in pace & honorifice in Ecclesia sancti Petri in Vaticano sepelitur.

Anno Domini DCCXCVI. ab urbe condita MDXLVII. Leo tertius natione Romanus, ex patre Athulfo in Romanum Pontificem eligitur XCVIII. post Petrum. Sedit autem annos XXI. menses V. dies XVI. Cessavit Episcopatus dies III. Hic Letaniam majorem, quæ est tribus diebus ante ascensionem Domini, quæ prius per beatum Martinum Viennensem Episcopum in eadem diœcesi instituta fuit, per totam Romanam Ecclesiam celebrari mandavit. Item porticum sancti Petri construxit, & fuit magnæ pietatis & sanctitatis. Cætera ejus gesta gloriosa circa Carolum Imperatorem magnum scripta sunt supra in cronica Stephani tertii, Romani Pontificis. Item post mortem Caroli magni jam dicti multos æmulos injuste patiebatur, & tandem anno secundo post ejusdem principis decessum mortuus est.

Anno Domini DCCCI. ab urbe condita MDLII. Carolus primus dictus Magnus, a magnitudine virtutis, secundus Francorum Rex filius Pipini Primi sui stipitis Francorum Regis, in ordine autem Regum Francorum XXV. Imperator Romanus efficitur, per translationem Imperii Romani a Græcis ad Germanos, in ejus Parentelam illustrem, LXXIV. a Julio, & annos XIII. mensem unum, dies IV. imperavit. De cujus actis gloriosis, multiplicibus & virtuosis dictum est supra in cronica Stephani II. ubi vide de translatione Imperii.

Anno Domini DCCCXV. ab urbe condita MDLXVI. Lodowicus dictus Pius, Caroli Magni filius, prius Rex Aquitaniæ existens, ac post hoc per patrem Imperator per successionem institutus Imperator Romanus efficitur sui stipitis II. XXVI. Rex Francorum: sed a Julio LXXV. qui simul Imperator Romanorum & Rex Francorum: nam fuit tertius Rex Francorum sui stipitis, & XXVI. in ordine Regum Francorum a Faramundo, primo Francorum Rege. Imperavit autem annos XXVII. Hic imitator verus Caroli patris sui totus fuit catholicus ac vir magnæ pietatis ac bonitatis. Ipse toto imperii sui tempore VI. Romanis Pontificibus concurrebat. Fautor fuit maximus Ecclesiæ Romanæ, ipsamque in omnibus protexit & defendit. Ipsum Stephanus Papa IV. ad eum veniens in Franciam pro defensione Ecclesiæ contra æmulos suos ex parte Leonis Papæ tertii dyademate Imperiali, quo prius a Patre coronatus fuit, denuo coronavit ob majorem imperii declarationem. Hic princeps virtuosus tres filios habuit, primum scilicet Lotharium, quem Cæsarem fecit: secundum Pippinium, quem Regem Aquitaniæ fecit: tertium Lodovicum, quem Germaniæ & Bavariæ Regem fecit; & hic fuit primus & specialis Germaniæ Rex, nam antea Reges Francorum ei dominabantur. Habuit & quartum filium adhuc parvulum dictum Carolus Calvus, qui postea major inter fratres factus est, ut videbitur. Hunc Imperator pater Regem Francorum constituit XXVII. Sed patre vivente gubernationem non habuit. Hic Imperator pius & humilis omnia privilegia patri suo ab Adriano Papa concessa sedi Romanæ restituit, & manus Paschalis Papæ, ut habetur d. LXIII. C. Ego Lodowicus. Et insuper omnes terras & oppida ad ecclesiam pertinentia eidem appropriavit & specificavit. Ipse etiam omne & totum testamentum per Carolum parentem suum factum mandavit plenarie executioni mancipari, sive in mobilibus sive non mobilibus. Ipse ob devotionem, quam ad Dei genetricem habuit, Episcopatum Hyldesimensem in honorem ejus fundavit. Quo etiam tempore Corbeia fundata fuit. Hujus etiam pii principis tempore Michahel Imperator Constantinopolitanus, vir totus catholicus, qui ex magna familiaritate ei literas suas direxit in Francia, ac libros sancti Dyonisii Parisiorum Apostoli, ei misit. Qui etiam Michahel ejusdem principis tempore mortuus est; Cui successit in Imperio Leo Armenus, & imperavit VII. annis, ut dicit Godfridus Vitriliensis & tunc Imperium Constantinopolitanum defecit, propter imperium in Germanos translatum. Post hoc ille piissimus princeps Lodowicus tempore Gregorii IV. ipso etiam dissimulante primum a fratribus suis Pipino & Carolo, ipsum ab imperio perturbare conantibus, turbationem est passus, de qua tamen contra ipsos prævaluit ac triumphavit. Item post hæc a filiis propriis prædictis, præviis horribilibus signis & prodigiis in cœlo, in sole & luna, in aëre & in terra turbationem gravissimam sustinuit, qui ei arma deponere & imperio cedere mandaverunt, & insuper ipsum incluserunt, uxoremque in monasterio, ei velum imponentes,

es, retruserunt, ut Amonius scribit. Sed devotus princeps Domino disponente, ad quem refugium ex intimis habuit, Romanoque Pontifice tandem per excommunicationis censuram concordiam inter ipsum & filios suos & - - - - faciente omnibus honoribus pristinis cum uxore, sua restituitur, Lothariusque, quem prius in Imperatorem coronaverat, cum ceteris filiis suis ejus ditioni subjiciuntur: quibus omnibus benevolentia plenus & amore, vir pius & pacis amator, omnem injuriam remisit, & sic tranquillitas magna facta fuit. Hæc restitutio facta fuit Dominica quadragesimæ, qua cantatur: Lætare Jerusalem. Post hæc vir piissimus informatus ac perceptis sacramentis de manu Dragonis Episcopi Methensis, quem quædam historiæ referunt fuisse fratrem suum, cum devotione maxima moritur, & in Methy juxta matrem suam in Basilica sancti Arnolfi honorifice sepelitur. Eodem quoque tempore Gregorius IV. moritur.

Anno Domini DCCCXVII. ab urbe condita MDLXVIII. Stephanus IV. natione Romanus ex patre Julio in summum Pontificem assumitur XCIX. post Petrum. Sedit autem menses VII. cessavit Episcopatus dies XVIII. quædam historiæ dicunt, annos VII. ipsum sedisse. Sed Martinus, & multæ aliæ historiæ dicunt, tantum menses VII. Hic ivit in Franciam ad inclitum Imperatorem Lodowicum pro defensione Ecclesiæ poscenda, & ibidem die quodam dominico infra missarum solemnia Imperatorem Lodowicum coronavit. Deinde omnibus, quæ poscebat, impetratis, cum redisset Romam post tertium mensem diem clausit extremum, visa prius cometa in signo Sagittarii, & lunæ eclipsi portentuosa, quæ ejus mortem non sine suæ apparitionis effectu prætendebat.

Anno Domini DCCCXVIII. ab urbe condita MDLXIX. Paschalis primus natione Romanus in summum Pontificem assumitur, centesimus post Petrum ex patre Martino. Sedit annos VII. dies XVII. cessavit Episcopatus dies XVIII. Hic corpus sanctæ Cæciliæ, ipsa ei revelante, & corpora beatorum Martirum Tiburtii & Bacani, & Maximini & sancti Urbani Papæ, manu propria elevans de loco, ubi recondita fuerant, & in Ecclesia beatæ Cæciliæ honorifice collocavit: quæ corpora, licet fuerint DC. annis tumulata, recenti tamen sanguine apparuerunt cruenta. Hoc etiam tempore Fuldense monasterium dedicatum est, & corpus sancti Bonifacii Moguntini Episcopi ibidem prius sepultum ad locum honorabiliorem translatum est. Ipse Papa Paschalis fuit Ludowico Imperatori multum familiaris, ejusque filium Lotharium prius per eundem patrem suum coronatum imperiali corona in Roma laureavit. Istius Pontificis tempore quædam puella in territorio Tullensi post sumtum corpus Dominicum XII. mensibus sine cibo corporali permansit. Item pestilentia maxima fuit, præviis multis prodigiis in cœlo, de qua pestilentia Papa Paschalis mortuus fuit. Unde piissimus Imperator jejunia, & omnes letanias & orationes indixit ad iram Domini placandam.

Anno Domini DCCCXXV. ab urbe condita MDLXXVI. Eugenius secundus natione Romanus, ex patre Moabundo in summum Pontificem eligitur CI. post Petrum. Sedit annos III. menses II. Hic in discordia electus est, sed prævaluit propter partem majorem nobilium & numerum eligentium. Discordia enim erat adhuc inter Romanos Pontifices, cives & Romanos propter Leonem Papam III. quos Lotharius filius Imperatoris Romam veniens funditus concordavit. Isto tamen non obstante Romani post hoc ipsum cœcaverunt & occiderunt, licet multum fuisset benignus ut dicit Martinus, & fuit S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, cujus Ecclesiam solemniter decoravit.

Anno Domini DCCCXXVIII. ab urbe condita MDLXXIX. Valentinus natione Romanus, ex patre Johanne in summum Pontificem assumitur CII. post Petrum. Sedit autem parum, quia vix per mensem. Martinus tamen dicit, quod XL. diebus. Hic de diacono Cardinali assumtus, nec adhuc consecratus, coronam Imperialem misit Lodowico Imperatori in Franciam secundum Cusentinum Episcopum, quia autoritas summi Pontificis statim post electionem habet vigorem.

Anno Domini DCCC.... ut supra de Valentino, Gregorius IV. natione Romanus ex patre Johanne in summum Pontificem assumitur CIII. post Petrum. Sedit autem annos XI. de factis circa hunc Pontificem & Lodowicum Imperatorem quære supra in cronica ejusdem Lodowici Imperatoris: nam ipsi circa idem tempus mortui sunt. Hic Pontifex de consensu prædicti Imperatoris & omnium Episcoporum Galliæ & Germaniæ, qui convenerunt, constituit festum omnium Sanctorum celebrari Kal. Novembris, ac templum, quod Pantheon vocabatur & per Bonifacium IV. in honorem Dei genitricis & omnium martirum dedicatum fuit, dedicavit in honorem omnium Sanctorum. De hoc vide supra in cronica ejusdem Bonifacii, qui fuit anno Domini DCXXVII. Ipse Ecclesiam sancti Martini renovavit. Hujus Pontificis tempore Soldanus Babiloniorum per traditionem quorundam malorum Christianorum totam Italiam, Romam & Tusciam cepit simul & devastavit. Sed Lodowicus Imperator & Marchio Longobardiæ Gwido ad petitionem Papæ ipsum de terris illis fugaverunt. Hic Pontifex virtuosus corpora sanctorum martirum Sebastiani & Gorgonii & Tiburtii transtulit ad Ecclesiam sancti Petri. Item octavam assumtionis Dei genitricis Mariæ celebrari instituit. Tunc etiam corpora sanctorum Martirum Marcellini & Petri de Roma in Selgistat translata sunt: item corpus Sancti Viti de Parisius in Corbeyam; item corpus sancti Liberii de Francia in Pallborn. Hujus etiam Pontificis tempore viguit Rabanus, & Abbas & Monachus Ecclesiæ Fuldensis.

Poëta

Poëta magnus, ac in Theologia præclarus: postea Episcopus Moguntinus factus. Hujus præceptor, secundum Richardum, fuit Albinus Diaconus Thuronensis. Hic Rabanus commentatus est libros Regum & Paralalipomenon; item libros Machabæorum, quos transtulit in latinum, & ipsos Lodowico Imperatori direxit: qua translatione utuntur latini: item sermones ad populum scripsit & præcipue de festo omnium sanctorum; item librum de figura Crucis & multa alia: quia fuit Doctor literis plenus & in conspectu præfati Principis gratiosissimus.

Anno Domini DCCCXLII. ab urbe condita MDXCIII. Lotharius primogenitus Lodowici Imperatoris, qui cum eodem patre prius imperavit; mortuo autem patre imperavit annis XV. ut Martinus scribit, X. annis solus, aliis quinque cum patre suo Lodowico. Fuit autem a Julio LXXVI sed sui stipitis IIItius. Huic alii tres fratres se opponunt, volentes ipsum ab imperio perturbare: inter quos tanta pugna fuit, quanta prius in gente Francorum unquam facta fuit. Imperavit autem Sergii V. & Leonis IV. tempore. Post hoc, ut Martinus scribit, anno Imperii sui XV. partito inter filios regno renunciavit seculo suscepto habitu Monachali, vir sancte & religiose vivens obdormivit in Domino. De cujus corpore cunctis assistentibus maxima fuit altercatio inter angelos & Dæmones, ita ut corpus distraheretur, sed orantibus monachis dæmones fugabantur.

Anno Domini DCCCLIII. ab urbe condita MXCIV. Syrgius II. natione Romanus ex patre Sergio summus Pontifex efficitur CIV. post Petrum. Sedit annos 3. menses 2. & cessavit Episcopatus dies V. Hic prius vocabatur os porci, unde ab ipso postea omnia propria nomina Romanorum Pontificum mutantur, cum primo eliguntur. Hic Lodowicum filium Lotharii in Imperatorem coronavit. Sub ipso Sarraceni propter discordiam Lotharii Imperatoris & fratrum suorum audaciam sumunt, & Romam intrant, & ecclesiam sanctorum Petri & Pauli cum aliis multis terris destruunt & devastant. Hujus etiam tempore Rex Danorum cum uxore ac filiis ac multa gente sua apud Moguntiam baptizati sunt. Item Rex Germaniæ Ludowicus IV. Duces Bohemorum & Polonorum baptisari fecit, & in fide edoceri. Item Ungari cum Rege suo sancto Stephano ad fidem conversi sunt. Item corpus sancti Martini translatum est. Hujus etiam Papæ tempore sancta Helena mater Constantini Romæ in sanctorum Marcellini & Petri ecclesia sepulta, in Francia in diocesim Revinensem transfertur, ubi veneratione magna excolitur.

Anno Domini DCCCXLVI. ab urbe condita MDXCVII. Leo IV. natione Romanus ex patre Radualdo, in pontificatu Romano sublimatur CV. post Petrum. Sedit autem annos VIII. menses III. dies 7. cessavit Episcopatus dies 6. Hujus festum agitur XVIII. Kal. Augusti. Hic fuit vir magnæ patientiæ multæque humilitatis ac divinarum scripturarum ferventissimus perscrutator, vigiliis & orationibus semper intentus. Hic Basilicam Petri & Pauli & alias ecclesias sub Sergio jam dicto destructas restauravit, & Basilicam sancti Petri muris adjunxit. Item murum civitatis Romæ destructum reconstruxit, &, cum ipso muro completo portis seras apponeret, illam collectam adjunxit: Deus qui beato Petro a collatis &c. Item, ut Martinus scribit, Neapolitanis expugnantibus contra Sarracenos, idem sanctus Papa orando fecit hanc collectam: Deus, cujus dextera beatum Petrum: & tum Sarraceni aut capti aut occisi aut in mare mersi succubuerunt. Hujus tempore Dani vel Daci Anglicam devastant, & Christianissimum Regem sanctum Ethmundum occidunt, cujus caput abscissum in silva diu perditum per se ipsum dicendo: Ego hic sum; se manifestat, quod lupus prius custodiens ipsum quærentibus asportavit, & sic sancto corpori rejunctum fuit vel reunitum. Floruit etiam tunc Johannes Scotus vir doctissimus in Franciam veniens, rogatu Ludowici Imperatoris, Irarchiam beati Dionisii de Græco transtulit in latinum. qui postea per discipulos suos confossus interiit.

Anno Domini DCCCLII. Lodowicus 2dus filius Lotharii, primus post Sergium, coronatus Imperator Romanus efficitur LXXVII. a Julio & XX. annis imperavit. scilicet quinque cum patre, & XV. solus. Hujus tempore Leo Armenus Imperator Constantinopolitanus a Michahele Comite occiditur, & ipse pro eo imperavit, & pacem cum Lodowico Imperatore facit. Regnavit autem annis VIII. & ipsum Nicolaus Papa excommunicavit, quia quendam Patriarcham, verum catholicum deposuit, & quendam Fotinum nomine promovit. Ipse Lodowicus anno ultimo Adriani Papæ 2di moritur.

Anno Domini DCCCLIV. ab urbe condita MDCV. Benedictus 3tius natione Romanus pontifex Romanus efficitur XCVI. post Petrum. Sedit autem annos II. menses VI. dies IV. cessavit Episcopatus dies XV. De hoc Pontifice pauca dicuntur, nisi quod in pace vixit & in pace quievit. De eo tamen scribit Cusentinus, quod in tempore mortis suæ cometa in Oriente apparuit, habens comam ad Occidentem.

Anno Domini DCCCLVI. ab urbe condita MDCVII. Mulier quædam natione Anglica, habitum habens virilem Ecclesiam deludens in Romanum Pontificem eligitur, & Johannem se appellans, sedit annos II. menses V dies IV. & cessavit Episcopatus mensem I. Hæc mulier, ut Martinus scribit, de Anglia in ætate puellari & habitu virili Athenis veniens ibidem per quendam amasium suum nutrita fuit, ac in scripturis divinis omnibusque aliis scientiis tam sufficienter imbuta, quod Romam veniens, philosophiamque ibi legens multos Magistros discipulos habuit, & quod ei par in scientiis ibi nullus fuit. Eratque in urbe tam in vita, quam in scientia tantæ opinionis, quod mortuo summo Pontifice Benedicto III. a Cardinalibus in Romanum Pontificem concorditer electa fuit. Post hoc a quodam secretario impraegnata

inter

nter sanctum Petrum & Lateranum transiens, juxta sancti Clementis Ecclesiam angustiata ac le tempore partus inexperta peperit, ac statim bidem mortua in eodem loco sepulta fuit, juam viam Dominus Papa ex ordinatione semper obliquat in hujus facti detestationem. Hujus mulieris tempora in Pontificatu pro tempore vacationis computatur, quia ipsa nec Pontifex fuit nec esse potuit propter sexus virilis defectum, & Ecclesiæ delusionem, & facti enormitatem: unde nec in Cathalogo Romanorum Pontificum collocatur.

Anno Domini DCCCLVIII. ab urbe condita MDCIX. Nycolaus primus, natione Romanus, ex patre Theodoro in Romanum Pontificem assumitur CVII. post Petrum, sedit autem annos IX. menses II. dies XX. Hic vir sanctissimus fuit post beatum Gregorium, in dicta sede nullus ei similis vel comparandus fuit. Hic pater pius Ludowico Imperatori scripsit, ut clero favorabilis esset & laycis, qui proni sunt ad obloquendum clero, aurem non præberet, cum ei detraherent: quod habetur XCVIma d. C. in scripturis. Hic constituit, ut nullus Imperator seu Dominus se de statutis cleri intromitteret, & ut unanimiter omnes Cardinales ad eligendum conveniant. Ipse sententiam fulminavit contra Lotharium filium Lodowici Imperatoris secundi, qui dimissa uxore legitima quandam pellicem duxit, ostendens per hoc Principem gravius delinquere propter malum exemplum subditorum, quod habetur XI. q. III. C. præcipue. Ipse post multa bona, quæ fecit & scripsit, in pace quievit, & in ecclesia sancti Petri sepultus fuit. Hujus Pontificis tempore sanctus Cyrillus Slavorum Apostolus corpus sancti Clementis mari siccato, ubi in Triforia in mari projectum fuit, auferens Romam portavit, ibique a Papa honorifice in ecclesia sua sepultum fuit.

Anno Domini DCCCLXVII. ab urbe condita MDCXVIII. Adrianus II. natione Romanus ex patre Carolo in summum Pontificem sublimatur CVIII. post Petrum. Sedit annos V. Ad hunc Lotharius Rex per Nicholaum Papam jam dictum excommunicatus Romam venit, ut se de crimine sibi imposito excusaret, sed excusatio legitima non fuit. Hic etiam Pontifex venerabilis, sicuti habetur LXIII. d. C. Adrianus, sicut per antecessorem ejus Nycolaum depositum fuit, multos solempnes viros Ecclesiæ Romanæ in Constantinopolim misit, ibique synodum VIII. universalem celebravit propter Scisma exortum, in qua Fotinus ordinatus deponitur, & anathematisatur, & Ignatius depositus restituitur. Post hoc, ejusdem Pontificis tempore iterato favente Basilio Constantinopolitano Imperatore cum filiis suis, qui tunc imperavit, exortum est scisma inter Latinos & Græcos, & nec revertuntur Græci ad Ecclesiam, nec in concilio Lugdunensi tempore Gregorii decimi. Hoc etiam tempore, cum major ecclesia Coloniensis collocari deberet, nocte præcedente dæmones clamaverunt, se a diu possessis sedibus debere expelli, ut scribit Vincentius Beluacensis. Eodem etiam tempore, ut idem Autor dicit, Ludowico Regi Germaniæ apparuit pater suus Ludowicus Imperator primus, qui tamen fuit vir multum bonus, adjurans eum, ut ipsum a tormentis, in quibus tenebatur, eriperet, ut vitam æternam consequi mereretur & requiem; qui ob hoc diversa monasteria requirens, eleemosynas faciens, patri succurrebat, qui sic misericordiam est consequutus.

Anno Domini DCCCLXXII. Johannes VIII. natione Romanus in summum Pontificem assumitur CIX. post Petrum, sedit annos X. & dies II. Ab hoc Papa anno sui pontificatus primo Carolus Calvus Imperium obtinuit. Hujus tempore Comitatus Flandriæ exordium habuit. Hoc etiam Pontificis tempore Sarraceni Italiam intrantes & devastantes, monasterium sancti Benedicti totaliter destruunt. Hic etiam Papa adhuc Cardinalis Diaconus Ecclesiæ existens vitam sancti Gregorii primi in quatuor libris laudabiliter scripsit. Hujus etiam Pontificis tempore celebrata est in Constantinopoli Synodus CCCLXXXIII. patrum, cui præfuerunt multi viri doctissimi per ipsum illuc missi. Ipse statuit, quod Principes requisiti ecclesias non defendentes excommunicari debeant, quod habetur XXIII. q. V. C. Administratores. Sub eo Carolus Calvus moritur, & Carolus Crassus ab eo Imperator coronatur, ut videbitur.

Anno DCCCLXXII. ab urbe condita MDCXXIII. Carolus Calvus filius Lodowici primi, frater Lotharii, & patruus Lodowici secundi jam dicti, Rex Francorum, Imperator Romanorum V. a Carolo M. efficitur, a Julio autem LXXVIII. & modico tempore per tantum VII. annos imperavit. Hic simul fuit Rex Francorum & Imperator Romanorum. Fuit enim IV. Francorum Rex stipitis sui, & XXVII. in ordine Regum Francorum, & post mortem patris usque ad imperium suum regnavit in Francia XXIX. annis, quo tempore multa & magna fecit. Ipse tam in Francia quam in Italia, ut Martinus scribit, multa monasteria diversarum religionum construxit, & multas Ecclesias destructas recuperavit. Ipse inconsulto Ludowico Rege Germaniæ apud Papam & Romanos Regnum obtinuit. Primo sui pontificatus anno moritur. Hic fuit Johannes VIII. ipse ad preces ejusdem Pontificis Sarracenos de Italia fugavit.

Anno Domini DCCCLXXIX. ab urbe condita MDCXXX. Carolus III. qui Grassus dictus est, & minor vocabatur, filius Lodowici Imperatoris Regis Germaniæ Imperator Germanus primus efficitur, de stipite tamen Regum Francorum VItus, & cum fratribus suis Rege Bavariæ Carlomanno & Lodowico XI. annis imperavit. Fuit autem a Julio LXXIX. Imperator. Ejusdem Imperatoris filius Rex Franciæ efficitur Lodowicus, Gallus appellabatur, & fuit V. a Pipino, & XXVIII. a primo Francorum Rege. Ipse fuit malus homo & parum fecit, & pauco tempore regnavit. Huic successit Carolus dictus simplex, in Regno Francorum a Pipino VI. & a primo Rege Franciæ

 XXIX. &

XXIX. & regnavit annis XXV. ut scribit Richardus. Ipse Carolus Imperator in fine desipuit in corpore & in anima, & a suis optimatibus repulsus est, & Arnulfus filius fratris sui ei successit, ut postea dicetur.

Anno Domini DCCCLXXXII. ab urbe condita MDCXXXIII. Martinus secundus, aliquæ historiæ dicunt ipsum Marcius, & tunc est primus, natione Romanus in pontificatu Romano sublimatur CX. post Petrum. sedit annum I. menses V. cessavit Episcopatus dies II. Ipse moritur & in Ecclesia beati Petri sepelitur. Eo tempore Leo & Alexander filii Basilii apud Constantinopolim imperabant.

Anno Domini DCCCLXXXIII. ab urbe condita MDCXXV. Adrianus 3tius natione Romanus ex patre Benedicto in summum Pontificem assumitur CXI. post Petrum. sedit annum I. menses III. Hic, ut Martinus scribit, constituit, ut etiam Nicolaus incepit, ut Imperator se non intromitteret de electione Papæ.

Anno Domini DCCCXXV. ab urbe condita MDCXXXVI. Stephanus V. natione Romanus ex patre Adriano de Via lata summus Pontifex efficitur CXII. post Petrum. sedit annos VI. dies IX. & cessavit Episcopatus dies V. Hujus tempore, cum persecutione Normanorum corpus sancti Martini Episcopi de Turonis portatur Altisidiorum apud corpus sancti Germani, & monachi litigarent, cujus sancti virtute crebra ibi mirabilia fierent, quidam leprosus in medio positus in parte versus sanctum Martinum sanatus, hoc indicavit. Sanctus enim Germanus suum hospitem venerabilem in hoc volebat honorare.

An. Domini DCCCLXXXX. ab urbe condita MDCXLI. Arnolfus filius Carlomanni fratris Caroli Imperatoris jam dicti, eodem Carolo desipiente, Imperator Romanus de stipite Regum Francorum VII. a Julio autem LXXX. efficitur, & XII. annis imperavit. Hujus tempore Carolus simplex regnat in Francia, & Constantinus filius Leonis in Constantinopolim, & hoc tempore malus fuit status Ecclesiæ, quia idem Arnolfus parum curavit Ecclesiam & Carolus Simplex modici valoris erat. Ipse enim Arnolfus irreverens fuit Ecclesiæ & eam vexavit, & ecclesias, quas patres sui exstruxerunt, dissipavit. Ideo Deus ipsum punivit mirabiliter vel miserabiliter. nam caro ejus computruit, scaturiensque vermibus id est pediculis ab ipsis occisus fuit.

Anno Domini DCCCXCI. ab urbe condita MDCXLII. Formosus primus, Episcopus Portuensis existens, in Pontificatu sublimatur CXIII. post Petrum, sedit annos quinque, menses V. & cessavit Episcopatus dies III. Hic, ut Martinus scribit, totam Ecclesiam sancti Petri picturis renovavit ac diversis coloribus decoravit. Hic in vita & morte multa injuriosa sustinuit, nam per Johannem Papam prædictum injuste fugatus ab urbe ac anathematisatus fuit: ymo usque ad Ytalem statum degradatus fuit; cum tamen esset magnæ literaturæ & sanctæ vitæ, & insuper compulsus jurat, se nunquam redire ad urbem. Causa autem fuit, quia in quadam causa Romanis in sua juratione favit. Sed a Martino secundo in tali juramento ex timore & illicito facto absolvitur, & in Cardinalem assumitur, & tandem Romanus Pontifex eligitur. De qua electione, qualiter facta sit, diversi diversa loquuntur; & insuper aliquæ cronicæ tradunt, ipsum a Stephano Papa VI. & Sirgio III. diversa sustinuisse. Sed, ut Martinus scribit, ea quæ hic dicentur, magis consona veritati videntur. Dicit enim Martinus, quod mortuo Stephano V. duo sub contentione fuerint electi, scilicet Formosus & quidam a cognomine Sirgius. hic cum a suis electoribus deberet consecrari, electores Formosi ipsum Sirgium ab altari repulerunt, & Formosum consecraverunt. Tunc Sirgius ad Albertum Marchium Longobardorum se transtulit in Tusciam pro auxilio: Formosus autem Imperatorem pro defensore habuit. Sed mortuo Formoso Margravius jam dictus consentientibus Romanis Sirgium contra Bonifacium electum Papam fecit, qui Sirgius Papa fecit Formosum Papam exhumari, & pontificalibus indui, & in sede collocari, & tribus digitis consecrationem amputatis fecit ipsum decollari & pontificibus exui dicens: Quare tu, cum Episcopus esses, Papatum desiderasti. corpusque ejus in Tyberim projici faciens, omnesque ab eo consecratos clericos reordinavit. Postea piscatores inventum corpus in Basilica sancti Petri reponunt, uti tradunt Vincentius & Martinus, quod in argumentum ejus passionis injustæ quædam sanctorum Imagines ibidem existentes ipsum adorasse ac salutasse ei se inclinando visæ sunt. Sirgius igitur propter suam tyrannidem & intensionem a cathalogo deletus est, & Bonifacius confirmatus.

Anno Domini DCCCXCVI. ab urbe condita MDXLVII. Bonifacius VI. natione Tuscus in summum Pontificem assumitur CXIV. post Petrum. Sedit XXVI. dies.

Anno eodem, quo supra Stephanus VI. natione Romanus in summum Pontificem eligitur, CXV a Petro, & sedit annum unum, menses III. Cessavit Episcopatus dies III. Hic, ut aliquæ cronicæ dicunt, omnes ordinationes Formosi Papæ irritas fecit, quia forte ipsum in Papatu expedivit.

Anno Domini DCCCXCVII. ab urbe condita MDCXLVIII. Romanus natione Romanus in summum Pontificem sublimatur, CXVI. a Petro. Sedit menses III. dies XXII. Hic in pace quiescit, & in Ecclesia sancti Petri sepelitur.

Anno Domini eodem, quo supra Theodorus Vtus natione Romanus, Papa efficitur CXVII. post Petrum. Sedit XX. diebus, in quo modico tempore revocat omnes processus factos contra Formosum Papam, & restaurat omnes ab ipso ordinatos.

Anno Domini eodem, quo supra Johannes IX. Sedit annos II. dies XV. post Petrum autem CXVIII. Hunc Martinus narrat pugnasse contra Romanos, & forte propter Formosum

mosum. nam ipse congregata Synodo LXXIV. Episcoporum Ravennæ revocavit & irritavit, quicquid per Stephanum VI. præfatum fuerat contra Formosum sententiatum, & omnes ejus ordinationes reintegravit. Ubi attende malum statum Ecclesiæ propter malitiam Arnolfi Principis, cui modica erat cura de Ecclesia.

Anno Domini DCCCC. ab urbe condita MDCLI. Benedictus 3tius natione Romanus in Pontificem Romanum assumitur, CXIX. post Petrum. Sedit autem annos III. menses III. dies VI. Hic fuit vir quietus & in Ecclesia beati Petri sepelitur. Suo tempore Arnolfus Imperator moritur.

Anno Domini DCCCCII. ab urbe condita MDCLIII. Lodowicus 3tius filius Arnolfi Imperatoris de stipite Regum Francorum VIII. & ultimus, a Julio autem Cæsare LXXXI. Imperator Romanus efficitur, & XII. annis imperavit. Hic coronam Imperialem non accepit, fuitque ultimus Imperator de stipite Regum Francorum. Quia post ipsum Imperium fuit divisum & laceratum, ita, quod alii imperabant in Ytalia, alii in Germania. Ipsi enim tunc mali erant, & a probitate suorum progenitorum degeneraverunt, & Ecclesiam in nullo juvabant. Ideo Deus eos tali honore privavit. Hic Imperator propter sua merita a quodam Berengario, potente de genere Longobardorum in Verona capitur, & excæcatur, & ab eodem Imperio in Italia privatur, ubi idem Berengarius vel Bevengarius cum aliis tribus ejusdem generis & nominis, & cum Comite Gwidone usque ad tempora Ottonis primi Imperatoris in Italia jam dicta tantum imperaverunt, aliis in Germania imperantibus, ut videbitur. Modicum tamen affectum ad Ecclesiam habuerunt: Ideo statim defecerunt. Eo etiam tempore regnavit in Francia Lotharius filius Lodowici 3tii, XXX. Rex Francorum in ordine Francorum Regum.

Anno Domini DCCCCIII. ab urbe condita MDCLIV. Leo V. Pontifex Romanus efficitur CXX. post Petrum, & parum sedit, quia tantum XL. diebus. hujus natio ignorabatur. Ideo, ut scribit Vincentius & Martinus propter debilitatem Pontificatus & Imperii Christoforus presbyter suus sumta audacia, virtute aliquorum armatorum hunc patrem suum sanctissimum ac divinum cepit, & in carcerem retrusit, & sic per invasionem præsulatum rapuit. Scelus tamen suum graviter luit, ut postea videbitur, in alia cronica.

Anno Domini eodem, quo supra, Christoforus supradictus præsulatum sibi usurpans CXXI. post Petrum. Sedit menses VII. Ipse fuit Romanus, & turpiter ejectus, & monachus factus, & sic suum scelus luit.

Anno Domini eodem Sirgius 3tius natione Romanus Pontifex Romanus efficitur CXXII. post Petrum, & VII. annis & mensibus III, diebus XVI. sedit, cessavit Episcopatus dies VI. Hic Papa inter cætera horribilia, quæ de eo referuntur, Christophorum suum antecessorem, jam Monachum factum, incarceravit.

Anno Domini DCCCCX. ab urbe condita MDCLXI. Anastasius tertius, natione Romanus, summus Pontifex efficitur CXXIII. post Petrum. Sedit annis II. mensibus tribus, & cessavit Episcopatus dies II. Ipse in pace quiescit & in Ecclesia sancti Petri sepelitur.

Anno Domini DCCCCXIII. ab urbe condita MDCLXIV. Laudo natione Romanus summus Pontifex efficitur CXXIV. post Petrum. Sedit menses VI. & cessavit Episcopatus dies XXXI. Ipse moritur & in Ecclesia Petri sepelitur.

Anno Domini, quo supra, Johannes X. natione Romanus, filius Sirgii Papæ tertii, Episcopus Ravennas in Pontificatu Romano sublimatur CXXV. a Petro. Sedit annos XIII. menses II. dies III. Ipse prius Episcopus Ravennas existens ab omni populo depositus fuit, quia dilapidator bonorum ejusdem Ecclesiæ erat. Ipse etiam, vir magis debellator quam Clericus existens, Sarracenos Italiam invadentes cum militia Alberti Marchionis vincit, & de terra expellit. Ipse tandem propter suam tyrannidem a militia Comitis Gwidonis, exosus factus, captus & incarceratus est, & ibidem cervicali super os posito strangulatus. In cujus loco alter Johannes substitutus est. Scilicet, quia non legitime intravit, ab eis, quibus incumbebat electio, ejectus est & catalogo Romanorum Pontificum privatus.

Anno Domini DCCCCXIV. ab urbe condita MDCLXV. Lodowico tertio imperio privato a Berengario, ipsoque, ut dictum est, in Italia imperante cum suis complicibus Cunradus primus filius Ottonis Ducis Saxoniæ cum magno labore & odio Francorum primus Imperator Teutonicus in Germania, & a Julio LXXXII. efficitur & imperium obtinet, & VII. annis imperavit: vir multum bonus. unde per eum Romanum Imperium ad principes Theutonicos a Francis devolutum est, & manet apud eos usque in hodiernum diem. Ipse in extremis germanum suum Henricum Ducem Saxoniæ Imperatorem fecit, ut Martinus scribit.

Anno Domini DCCCCXXI. ab urbe condita MDCLXXII. Henricus primus, germanus Cunradi Imperatoris, & filius Ottonis Ducis Saxoniæ Imperator 2dus Teutonicus sed a Julio LXXXIII. in Germania efficitur, & XVIII. annis imperavit. Ipse ab Episcopo Moguntino noluit ex humilitate coronari, eo quod contra Dominum Imperatorem Cunradum fratrem suum quinque gwerras habuit. Ipse fundavit monasterium Quedelingborgh, & civitatem Goslariensem ædificavit & Wenthusen. Ipsa vero Imperatrix, uxor sua Mechildis nomine, sancta & devota claustrum in Northusen fundavit. Eo tempore Comes Gvido occidit Berengarium II. in Italia imperantem, & pro eo imperavit. Post hunc mortuum imperavit Hugo ibidem, quo mortuo Lotharius filius ejus imperavit pro eo: ipso Henrico adhuc in Germania imperante.

Anno Domini DCCCCXXVI. ab urbe condita MDCLXXVII. Leo VI. natione Romanus

Pontifex Romanus efficitur CXXVI. post Petrum. Sedit autem menses VI. dies XV. Cessavit Episcopatus dies II. moritur & in Ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini ut supra addendo unum annum Stephanus VII. natione Romanus Pontifex Romanus efficitur CXXVII. a Petro. Sedit annos duos, mensem unum, dies XII. Isto tempore moritur Constantinopolitanus Imperator, cui successit Tyro Romanus, & usque ad tempora ista duravit genalogia Imperatorum in Constantinopoli. Hoc etiam tempore clarus inter nobiles Lotharingiæ sanctus Gwigbertus, qui militare deposuit cingulum, & Gemalbicence fundavit monasterium. Hoc etiam tempore clarus Spireveus Dux Bohemiæ, & ad fidem convertitur, qui juste multum ac religiose tenuit suum principatum, & fuit pater sancti Wentzlai viri sanctitate præclari, quem frater suus Boslaus piis ejus operibus invidens occidit, ac principatum usurpat. Tunc enim Ducatus erat, & non regnum.

Anno Domini DCCCCXXVIII. ab urbe condita MDCLXXIX. Johannes XI. natione Romanus in summum Pontificem eligitur, CXXVIII. post Petrum. Sedit annos IV. menses X. dies XV. Cessavit episcopatus dies duos i. e. per duos.

Anno Domini DCCCCXXXII. ab urbe condita MDCLXXXIII. Leo VII. natione Romanus summus Pontifex efficitur CXXIX. post Petrum. Sedit annos III. menses VI. dies X. & cessavit Episcopatus dies III. in pace moritur, & in Ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini DCCCCXXXVI. ab urbe condita MDCLXXXVII. Stephanus VIII. natione Germanus in summum Pontificem sublimatur, CXXX. post Petrum. Hic fuit primus Papa Teutonicus, & sedit annos menses IV. dies XV, cessavit Episcopatus dies XI. Hunc refert Martinus, a quibusdam Romanis mutilatum & occisum, de quo nec aliqua ultio invenitur facta. Hoc tempore sanctus Udalricus Episcopus Augustensis, vir miræ sanctitatis & magnæ famæ. Hic obiit anno Domini DCCCCLXXIII. ætatis vero LXXXIII. ordinationis autem suæ L. Hoc etiam tempore moritur Heinricus Imperator, cui succedit Otto Imperator Dux Saxoniæ, ut videbitur.

Anno Dom. DCCCCXXXIX. ab urbe condita MDCXV. Otto primus & magnus appellatus a magnitudine virtutis & probitatis, filius Henrici Imperatoris & Ducis Saxoniæ, Imperator tertius Teutonicus & LXXXIV. a Julio efficitur, & XXVIII. annis imperavit. Ipse fuit vir timens Deum: ideo magnum honorem consecutus fuit. Ipse enim consecratus fuit in Imperatorem in Aquisgranum cum magna solempnitate, forte ab ipso Coloniense Brunone, Germano suo, qui fuit simul Episcopus & Dux primus, quod tunc erat inauditum, & tunc Domini spirituales inceperunt habere Dominia temporalia. Ipse in primo Imperii sui anno Boslaum Germanum, ac interfectorem sancti Wenzlai vicit, ac suæ ditioni subjecit. Hoc etiam tempore Berengarius III. Imperator in Italia moritur, cui succedit Berengarius IV. qui multum premebat & vexavit Ecclesiam, & de genere Longobardorum descendebat. Ipse insuper ferina tyrannide Aldegundam, relictam Lotharii Imperatoris Italiæ, incarceratam tenebat: propter quod quidam Cardinales, ut dicit Martinus, clam scripserunt Ottoni in Germania potenter Imperanti, ut veniret, & Ecclesiæ scandalis occurreret, non solum ad Berengarium sed etiam, quantum ad Papam Johannem VII. qui fuit homo malus & luxuriosus; & de eo statim dicetur. Veniens ergo Otto Imperator cum ingenti Exercitu Germanorum, ipsum devincit, Aldegundamque de carcere eripuit, ac sibi ipsi statim in matrimonio copulavit, de qua postea Ottonem II. filium suum genuit. Deinde Romam venit, ac concilio convocato Johannem Papam XII. deposuit, ac Leonem VIII. de Layco Pontificem Romanum instituit, natione Romanum, forte propter aliquam excellentiam virtutum suarum: ubi per eundem Papam coronam Imperialem accepit: Eique Synodus omnes dignitates, quas Adrianus Papa Carolo magno dedit, confert: sicuti habetur D. LXIII. In Syno. quibus invenitur postea renunciasse, in eadem D. C. Sacrum vel sacrorum. Et sic Otto universale imperium tam in Italia quam in Germania obtinet, quod apud Teutonicos usque in hodiernum diem. Post recessum autem Ottonis de Roma Leo Papa a Romanis deponitur, & ex potentia amicorum Johannes XII, reponitur: quo mortuo iidem Romani Benedictum V. Papam faciunt, quem Otto Romam rediens deponit ac in Saxoniam in exilium mittit, ubi moritur, & in Hamborg sepelitur. Leonem V. sedi restituit, quam per totam vitam suam in pace tenuit, Ottone Imperatore ipsum defendente: quia sibi supervixit. Berengarium autem adhuc insolentem, facit capi & in Saxoniam duci, ubi miserabiliter vitam finivit. Et attende hic, quod quatuor Berengarii prædicti a tempore Lodowici tertii Imperatoris successive imperaverunt in Italia; & alii prædicti, qui etiam dicuntur in Italia imperasse, scilicet Gwido, Hugo, Lotharius cum eis concurrerunt usque fere ad Ottonem præsentem: quia Imperium in Italia fuit laceratum, & quilibet eorum partem habuit Italiæ, & non totam. Ipse Imperator Otto tempore vitæ suæ feliciter vivens multitudinem paganorum circa Germaniam habitantium ad fidem Christi convertit, & filio suo, sui nominis, Constantinopolitani Imperatoris tunc ibidem imperantis filiam in matrimonio copulavit, & tandem, ut verus fidelis moriens in Magdeborgh in Ecclesia sancti Mauritii, quam ipse fundaverat, honorifice sepelitur. Suo tempore, mortuo Lothario Rege Franciæ Lodowicus III. octavus a Pipino sed XXXI. in ordine Regum Francorum, filius ejusdem Lotharii, ei succedit. Regnavit autem tantum quinque annis, & moritur sine herede. Tunc in regno Francorum propter ejus debilitatem instituti fuerunt duo Duces regni ejusdem, sicuti prius

rius majores domus: scilicet Hugo dictus Caeto, & Otto frater ejus, nati de sorore Ottois primi Imperatoris, quorum primus scilicet Hugo Carolum primum Lodowici jam dicti fium, Ducem Lotharingiæ, volentem regnum ssumere cepit & in carcere necavit, & sic expirante stipite Pipini, & incipiente stipite Teutonicorum in Francia Hugo Rex Francoum XXXII. efficitur, ac sororem Regis Franorum in uxorem accipiens, posteritatem de 10 semine in regno reliquit. Circa idem temus Imperium universale per Ottonem priuum incipit apud Theutonicos, & de eoem stipite, de quo regnum Francorum, ut ditum est.

Anno Domini DCCCCXXXIX. ab urbe ondita MDCLXXXIX. Martinus tertius naione Romanus in summum Pontificem assuitur CXXXI. post Petrum. Sedit annos III. nenses VI. dies X. cessavit Episcopatus dies XII. Ipse in pace quiescit, & in Ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini DCCCCXLIII. ab urbe conita MDCXCIV. Agapitus secundus natione Romanus in Romano Pontificatu sublimatur CXXXII. post Petrum. Sedit autem annos X. nenses VI. dies X. & cessavit Episcopatus dies XII. Hic nichil reprehensibile fecisse legitur; noritur, & in ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini DCCCCLIII. ab urbe condi a MDCCIV. Johannes XII. natione Romanus n Romanum Pontificem assumitur CXXXIII. ost Petrum. Sedit autem annos VII. menses X. ies V. & cessavit Episcopatus dies XII. Hic rius Octavianus vocabatur, cujus pater Albeicus nomine Vir nobilis ac potens in urbe prouravit apud aliquos Romanos sui filii electioem in Papam. Ipse idem Papa erat homo nalus, luxuriosus, concubinarius, & ideo, cum blectaretur cum uxore cujusdam, a Diabolo ercussus & mortuus est. Qualiter autem per Ottonem Imperatorem depositus fuit, & Leo VIII. per eundem loco sui positus, & denuo abente Ottone Johannes per Romanos repositus, & mortuo Johanne Benedictus electus per Romanos, & per Ottonem Benedictus depositus, & Leo repositus hoc totum require supra n cronica Ottonis primi.

Anno Domini DCCCCLXI. ab urbe condia MDCCXII. Benedictus VI. ab amicis Johanis XII. mortui, Leone abjecto, qui per Ottoem Imperatorem fuit institutus, in Papam ligitur CXXXIV. a Petro, & II. annis & II. nenses, & dies V. sedit, & cessavit Episcopatus ies XX. Hunc Otto Imperator de Germaia veniens, Romam obsidendo ac obtinendo, eponit Benedictum, ac in Saxoniam in exium mittit, & Leonem Pontificatui restituit, c omnes rebelles corrigit, Ecclesiamque ac cleum in urbe reformat & restaurat.

Anno Domini DCCCCLXIII. ab urbe conita MDCCXIV. Leo VIII. cujus primum empus non computatur sibi, quia breve fuit: nde post Benedictum locatur, licet prius veus fuerit & manserit Papa. Hic Leo per Ottonem Augustum Pontificatui restituitur CXXXV. post Petrum, & II. annos sedit & menses IV. & cessavit Episcopatus dies septem. Hic propter malitiam Romanorum statuit, ut nullus Papa eligeretur, nisi de consensu Romani Imperatoris. Hic ex favore Principis, qui ei supervixit, in pace toto tempore vitæ suæ pontificatum tenuit.

Anno Domini DCCCCLXVI. ab urbe condita MDCCXVII. Johannes XIII. natione Narmensis in summum Pontificem assumitur CXXXVI. post Petrum. Sedit autem annos VII. menses XI. dies V. & cessavit Episcopatus dies XIII. Hic a Petro præfecto urbis in castello sancti Angeli detrusus primum, deinde in Campaniam in exilium missus, ubi X. mensibus & XVIII. diebus exulavit. Sed per Ottonem secundum, qui fuit egregius imitator sui genitoris, fuit cum magno honore liberatus ac pontificatui restitutus, suis persecutoribus acriter punitis. Deinde ipse Papa præfato principi coronam imponit Imperialem, quamvis prius per patrem esset institutus ex privilegio per Leonem octavum, quod habetur d. LXIII. C. In Synodo. Cui etiam pontifici idem Augustus juramentum fecit de fidelitate Ecclesiæ Romanæ servanda, quam juramenti formulam habes D. LXIII. C. Tibi Domino.

Anno Domini DCCCCLXVII. ab urbe condita MDCCXVIII. Otto secundus, dictus Russus, filius Ottonis magni Imperator Romanus IV. Teutonicus, & LXXXV. a Julio efficitur, & XIX. annis imperavit. Hic, ut omnes historiæ tradunt, fuit vir multum bonus, & magnus Ecclesiæ Romanæ zelator bellatorque maximus: quia tantus Sarracenorum persecutor, quod pallida mors Sarracenorum seu Sanguinarius vocabatur. Ipsius acta circa Johannem Papam XIII. vide in cronica immediate ejus præcedenti. Ipse coronam Imperii a Johanne VIII. prius acceptam, a Benedicto VII. denuo ob devotionem suscepit in Roma, illuc veniens cum Regina sive Imperatrice. Post hoc vadit in Calabriam contra Sarracenos, & ipsos expugnat. Deinde Romam redit, & ibi infirmatur & moritur, & apud sanctum Petrum honorifice sepelitur, opera Benedicti Papæ.

Anno Domini DCCCCLXXIII. ab urbe condita MDCCXXIV. Benedictus VII. natione Romanus summus Pontifex eligitur, CXXXVII. post Petrum. Sedit autem annum unum, menses VI. & cessavit Episcopatus dies X. Hic, ut Martinus scribit, a Centione quodam nobili Romano propter suam tyrannidem fuit captus, & in castro sancti Auli reclusus vel Angeli & jugulatus. Cusentinus dicit, quod fame fuit mortuus, nec fuit aliqua vindicta secuta, forte propter ejus demerita.

Anno Domini DCCCCLXXV. ab urbe condita MDCCXXVI. Dompnus secundus natione Romanus summus Pontifex efficitur CXXXVIII. a Petro. Sedit autem annum unum, menses VI. & cessavit Episcopatus dies X. Hic in pace moritur, & in Ecclesia beati Petri sepelitur. Hujus tempore floruit in Bohemia

hemia sanctus Adalbertus, sanctitate & doctrina præcipuus. ipse primo fuit Episcopns Pragensis: Deinde sanctum Stephanum primum Regem Hungariæ babtisavit, & tandem in Proszia pro fide passus fuit. Item floruit sanctus Eduardus Rex Anglorum, qui a noverca sua dolo occisus fuit & miraculis choruscavit.

Anno Domini DCCCCLXXVI. ab urbe condita MDCCXXVII. Bonifacius VII. cujus genus & patria ignoratur propter indignitatem suam & vitæ demerita, Romanus Pontifex efficitur CXXXIX. a Petro. Sedit autem annum unum ut Papa, mensem unum, dies XII. Hic de actu clericali minus habens, cum non valeret in urbe juxta beneplacitum suum manere, nec curaretur ab Imperatore propter vitam suam malam, in Constantinopolim ivit, ut Laycus, ferens secum res Ecclesiæ pretiosas. Deinde rediens in Romam cum pœnitentia magna, ut a nemine curaretur, ex melancholia nimia exstinctus fuit, & hoc tempore tantum sedit ut Papa, sicuti dicit Martinus.

Anno Domini DCCCCLXXVII. ab urbe condita MDCCXXVIII. ut fiat annus additis mensibus superfluis præcedentibus, Benedictus VIII. in summum Pontificem eligitur CXL. a Petro. Sedit autem annis IX. mensibus VI. dies V. Hic Pontifex multum commendatur de sanctitate & probitate. Ipse irato Ottone Augusto sibi coronam Imperialem imponit prius per Johannem XIII. impositam eidem. Cujus etiam tempore idem Imperator moritur.

Anno Domini DCCCCLXXXVI. ab urbe condita MDCCXXXVII. Johannes XIV. natione Romanus in summum Pontificem sublimatur CXLI. post Petrum. Sedit autem annos octo, cessavit Episcopatus dies X. Hic, ut Martinus dicit, in castro sancti Angeli per aliquos Romanos Nobiles incarceratur, & fame moritur. Causa ejus fuit sua protervia, & ideo nullus princeps legitur ejus mortem vindicasse. Ipse in Vaticano in Ecclesia sancti Petri sepelitur, & attende, quod istæ vexationes crebræ Pontificum, ut in pluribus, erant Romanorum, vel ex fastuoso sive tyrannico eorum regimine vel ex æmulatione Romanorum ad ipsos. Hujus Pontificis tempore floruit Berengarius Turonensis Doctor, in vita & scientia clarus, qui Philosophus vocabatur. Hic prius de sua scientia nimium confidens in errorem hunc de corpore Christi lapsus fuit: scilicet, quod ipsum non esset vere & realiter in sacramento, sed tantum significative & figuraliter. Hunc errorem in pleno concilio Romæ celebrato correxit sub Nicolao secundo de quo habetur de Conse. d. CI.C. Ego Berengarius; quod etiam prius in provinciali concilio fecit, Ipseque post hoc Archidiaconus Andegavensis existens relicta scientia, quicquid labore manuum acquisivit, totum pauperibus dedit vel distribuit.

Anno Domini eodem quo supra, Otto tertius filius Ottonis Imperatoris secundi, V. Imperator Teutonicus & LXXXVI. a Julio efficitur, & XXVI. annis imperavit. Hic ut pater & avus, favorabilissimus fuit Ecclesiæ Romanæ ipsamque in omnibus defendebat, ac tempore sui Imperii in Italia, Germania, Gallia Belgica strenue ac pacifice imperavit. Fuit tam bellicosus actuumque tam mirabilium, quod Mirabilia mundi dicebatur. Ipse in principio sui Imperii coronam Imperialem non accepit, sed postea a Gregorio V. suo consanguineo coronatus fuit. Hic Imperator magnificus electus non fuit: sed sicuti post translationem Imperii a Græcis Imperatores de stipite Caroli Magni per provisionem & Ecclesiæ concessionem per successionem paternam imperaverunt: Ita hii tres Ottones per provisionem & privilegium Ecclesiæ eis per Leonem VIII. in concilio Romæ celebrato concessum ex successione hæreditaria & non ex electione imperabant. Cujus fuit causa, quia magna Ecclesiæ beneficia contulerunt hii tres Ottones. Sed quia Otto tertius hæredem non habuit, ideo, ne imperium a Teutonicis devolveretur, qui favorabiles Ecclesiæ fuerunt, &, ut irreverentia civium Romanorum ad Romanos Pontifices restringeretur, idemque Romani cives in freno per Imperatorem tenerentur, propter quod ipse Romanorum Rex appellatur: Idcirco Gregorius Papa V. ad petitionem & consilium Ottonis tertii constituit & ordinavit electores Imperatoris per solam Teutoniam, & hoc concordat cum decretali Extra de electione. C. Venerabilem. Ex quo apparet, quod electio talis magni est vigoris, quia ab Ecclesia Romana traxit suam originem & potestatem. Electores igitur Imperatoris sunt isti Officiales, qui sunt septem & sunt Teutonici & officiales Imperatoris, scilicet Archiepiscopus Moguntinus Cancellarius Imperatoris per Germaniam, Archiepiscopus Treverensis, per Galliam Belgicam, Coloniensis per Italiam. Versus: Moguntinus, Treverensis, Coloniensis, Quilibet Imperii fit cancellarius horum. Et hii tres sunt electores spirituales & Cancellarii trium nationum, quæ principaliter ad imperium pertinebant. Layci autem sunt quatuor, qui cum officiis habentur per hos versus: Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus. Est Palatinus *Dapifer*, Dux Portator ensis, Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum. Et scias, quod Rex Bohemiæ non additus est aliis electoribus ad tollendum discordiam eorum, ut quidam false dixerunt, sed est unus de veris electoribus, sicuti Comes Palatinus Dapifer, & Marchio Brandenburgensis Camerarius, & Dux Saxoniæ Marschalcus. Post hoc tandem serenissimus princeps Otto de Saxonia Romam veniens veneno interficitur. Cujus causam tradit Vincentius Beluacensis, quia litigium habuit cum Romanis. Item quia Crescentium Patricium Romanum propter Gregorium Papam V. ut in sua cronica videbitur, occidit. Tamen etiam propter quoddam palatium, quod in urbe ædificare voluit. Ex prædictis igitur visum est, quomodo: Otto, post Otto, regnavit tertius Otto. Hujus etiam tempore regnavit Robertus Rex Franciæ V. de genere Hugonis magni, cujus etiam

tiam filius erat, & regnat XL. annis, & XXXIII. n ordine Regum Francorum. Hic, ut scribit Richardus, fuit vir piissimus & sanctæ religionis micus, sacris literis eruditus, in justicia & gratia cleri, præcipue timens Deum. Ipse enim, t Martinus scribit, diebus festis monasteriis monachorum indutus serica cappa, alta voce um ipsis canebat. Ipse multos cantus invenit, inter quos traditur invenisse illam prosam: ancti Spiritus assit nobis gratia. Aliqui tamen Gregorium magnum eam fecisse dixerunt: lii Sylvestrum Papam secundum, sed plus creo de Gregorio. De hoc etiam traditur, quod, um quodam tempore esset in obsidione unius astri, & in quodam festo relicto exercitu in uodam monasterio vicino vicem gereret cantoris, & cum agnus Dei cantaretur, ex devotioe genu flecteret, muri castri obsessi corruerunt, sui castrum ipso absente corpore, & oratione ræsente, intraverunt & obtinuerunt.

Anno Domini DCCCCLXXXVII. ab urbe onditaMDCCXXXVIII. Johannes XV. natioeRomanus summus Pontifex eligitur, CXLIII. ost Petrum, & sedit menses IV. Hic, ut Cuntinus dicit, Episcopus propter suam tyrandem vitam male finivit. Sepultus tamen in cclesia sancti Petri, & fuit ex patre Roberto.

Anno Domini DCCCC. eodem quo supra, ohannes XVI. natione Romanus in Romanum ontificem assumitur CXLIV. post Petrum. Set annos X. menses VI. dies X. Cessavit Episopatus dies VI. Hic fuit in doctrinis eruditimus & multos libros composuit, hunc Crecentius patricius urbis primo vexavit, & in Tuiam de urbe fugavit. Sed postea metu Imeratoris Ottonis ipsum ad urbem revocavit, elictum recognovit ac ipsum deinceps in maa reverentia coluit, & sic in pace Papa morir, & in ecclesia sancti Petri sepelitur.

Anno Domini DCCCCXCVIII. ab urbe ndita MDCCXLIX. ut assumantur menses perflui, Gregorius V. natione Saxo, consanineus Ottonis tertii Imperatoris ex patre ttone, ad promotionem ejusdem Imperato ex Cardinali in summum Pontificem subliatur, CXLV. post Petrum. Sedit autem anos II. menses V. & cessavit Episcopatus dies V. Hic prius Bruno vocabatur, & ante Carnalatum fuit Episcopus Coloniensis, & fuit us Papa Teutonicus, & statim, factus Papa, ttoni Imperatori coronam Imperialem imonit. Augusto autem in Saxoniam reverso rescentius Patricius urbis expulso Papa Grerio, quendam Græcum Johannem nomine, iscopum Placentinum propter multas penias, quas habuit, Papam fecit. Quod auensImperator ad urbem celeriter cum magno rore revertitur, & primo Crescentium trucri mandavit. Deinde Johannem sibi traditum oculari & mutulari membris fecit, qui postea la morte interiit, & sic Gregorius solempni-, ad suam sedem redit.

Anno Domini M. ab urbe condita MDCCLI. annes XVII. in summum Pontificem eligi-, CXLVI. post Petrum. Sedit autem annos X. dies XX. Hunc quidam cronicarum scriptores putant fuisse Johannem, quem, ut jam immediate dictum est, Otto Imperator membris mutilavit ac exoculavit. Sed quia hoc omnino stare non potest cum relatione prædicta, cum idem non Papa sed antipapa fuerit; Ideo melius dicitur, quod ille fuit alius ab illo.

Anno Domini, ut supra, Silvester 2dus natione Gallus in Romanum Pontificem assumitur, CXLVII. post Petrum. Sedit autem annos IV. menses II. dies IX. Cessavit Episcopatus dies XXIII. Hic, ut Martinus refert, Floriacensis cœnobii prius monachus existens ac nigromanticus dimisso monasterio diabolo omagium fecit, ut omnia sibi ad nutum succederent. Unde in Hispali Hispaniæ civitate tantum in doctrina profecit, quod postea Ottonem Imperatorem, qui eum in Papam promovit, & Robertum Regem Franciæ discipulos habuit, & sæpe cum diabolo loquebatur, qui eum in Remensem primum, postea in Ravennatem Archiepiscopum promovit: Deinde in Cardinalem, postea in Papam exaltavit, dicens: Transit ab R. Gilbertus ad R. fit Papa potens R. Gilbertus enim prius vocabatur, & tres Episcopatus ab R. incipientes successive habuit. Interroganti autem eo de tempore vitæ Diabolum, respondit, quod in Jerusalem mori deberet. Tunc Papa plurimum de longitudine vitæ gaudebat, quia ire in Jerusalem nolebat. Sed cum in XL. in ecclesia, quæ dicitur Jherusalem, in Laterano missam celebraret, ex strepitu dæmonum, qui eum deceperunt, sicuti solent, sentit sibi mortem imminere. unde suspirans ingemuit, quia in hac quantumcunque desperato locus est pœnitentiæ, propter quam, quamvis sceleratissimus Dei misericordiam considerans, totum suum delictum coram omni populo confitetur, jubetque propter tantum delictum omnia membra sui corporis præscindi: post mortem vero truncum super bigam transportari per equos, in loco, ubi biga quiesceret, sepeliri; quod factum est. venientes autem equi ad ecclesiam Lateranum ibi ipsum sepeliverunt. In signum autem misericordiæ consecutæ sepulcrum ejus ostenditur tam ex strepitu ossium quam ipsorum sudore, quasi in modum olei, ut idem Martinus scribit. Et licet ad detestationem tanti vitii a numero Pontificum Romanorum per tempus fuerit exclusus, postea tamen per revelationem suo successori factam, est eidem catalogo restitutus. Ejus tempore & aliquorum suorum successorum floruit Robertus Carnotensis Episcopus, vita & scientia clarus, qui, ut scribit Martinus, inter multa alia, quæ fecit, hæc Responsoria scilicet; Stips Jesse & Solem justitiæ, &, Ad nutum Domini, & hympnum, Chorus novæ Jherusalem composuit. Hujus etiam Pontificis tempore, ut Martinus scribit, primus millenarius a nativitate Domini est completus, vel melius Millenarius, ut daret.

A. Domini MV. ab urbe condita MDCCLVI. Johannes XVIII. natione Tuscus summus Pontifex efficitur CXLVIII. post Petrum. Sedit autem menses V. dies XXV. Cessavit Episcopatus

patus dies XIX. moritur & in Ecclesia sancti Petri honorifice sepelitur.

Anno Domini eodem, quo supra, Johannes XLX. dictus Farvassus, natione Romanus de regione, quæ dicitur Porta Metropolitana, CXLIX. a Petro summus Pontifex efficitur. Sedit annos IV. Cessavit Episcopatus dies XXX. Ipse fuit vir bonus ac vitæ venerabilis. moritur & in ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini MIX. ab urbe condita MDCCLX. Sirgius IV. natione Romanus ex patre Martino in summum Pontificem assumitur, CL. post Petrum. Sedit annos 2. menses IX & cessavit Episcopatus dies VIII. Hic fuit sanctissimæ vitæ ac gloriosæ conversationis, cujus tempore Ecclesia cum tranquillitate transivit, Ottone tertio adhuc imperante. Ipse moritur, & in ecclesia beati Petri sepelitur, quo etiam tempore Imperator Otto in Roma moritur.

Anno Domini MXII. ab urbe condita MDCCLXIII. Henricus II. Dux Baioariæ Imperator VI. Teutonicus, & LXXXVII. a Julio efficitur, & decem annis imperavit. Hic, ut Martinus & Cusentinus scribunt, ab omnibus principibus electoribus secundum institutionem Gregorii quarti primo electus est in Romanum Imperatorem, vir multum bonus ac verus catholicus, magnæque sanctitatis. Huic Benedictus Papa octavus coronam imperialem imposuit. Hic uxorem habuit sanctissimæ vitæ Kunegundim nomine, & ipsi ambo virgines toto vitæ suæ tempore permanserunt. nichilominus tamen, ut Martinus scribit, ipse in multis terris multa bella prospere gessit. Hic Imperator Christianissimus postremo in honore sancti Petri Episcopatum Babenbergensem ædificavit, ac sororem suam Regi Ungariorum Stephano in uxorem tradidit, per quam nomine Ghisselam, Rex ad fidem cum toto suo Regno convertitur, & sanctus efficitur, fratremque suum Regem Poloniæ, capit, eum (que) cum toto suo Regno ad suscipiendam fidem coëgit & baptismum. Hic insuper Imperator sanctus monasterium Babenbergense ædificavit, quod Benedictus Papa VIII. consecravit; In quo monasterio tandem, migrans ad Dominum, honorifice sepelitur. Post hoc sancta Kunnegundis conjux ejus, quæ ei supervixit ac virgo mansit, moritur, & in eadem Ecclesia devotissime sepelitur. Et tunc mortuo Henrico, Imperium Cunradus per electionem III. consecutus est.

Anno Domini, quo supra, Benedictus IX. natione Tusculanus ex patre Gregorio in Pontificem Romanum eligitur CLI. post Petrum. Sedit annos XI. mensem unum, dies XXI. Cessavit Episcopatus dies XVIII. Hic coronavit Henricum secundum Imperatorem, & eidem Imperatori supervixit. post mortem per quosdam Romanos a Papatu ejicitur, & alius substituitur, & maximum scisma exoritur, ut dicit Martinus. Sed postea restituitur & alius tamdiu intrusus ejicitur facta pace cum Romanis, & sic in pace vitam finivit. Moritur, & in Basilica sancti Petri sepelitur. Eodem tempore in Bohemia sanctus Guntherus martir claruit.

Anno Domini MXXII. ab urbe condita MDCCLXXIII. Conradus secundus, cujus genus non clare invenitur, aliqui tamen dicunt ipsum fuisse de genere Saxonum, Imperator VII. Theutonicus sed LXXXVIII. a Julio efficitur, & XXI. annis imperavit. Fuit autem Vir in armis strenuus & justitia rigidus, ut in Gestis Germanorum legitur. Suo etiam tempore Henricus Rex Francorum in Francia Dominium assumsit, III. a Hugone & pluribus annis regnavit, mortuus sub Victore secundo. Hic Imperator leges multas tradidit, inter quas omnes unam multum gratiosam, fecitque in extimis pacem [quam] in terris servari cupiebat. Statuit enim, quod, quicunque principum pacem infringeret, capite plecteretur. Hoc etiam tempore, ut dicit Cusentinus, Imperator Constantinopolitanus fuit Basilius, & filius ejus Constantinus. Ipse Conradus moritur, & Imperium duobus annis vacat.

Anno Domini MXXIII. ab urbe condita MDCCLXXIV. Johannes XX. natione Romanus ex patre Gregorio summus Pontifex efficitur, CLII. post Petrum, ex layco assumtus. fuit enim simul laycus & Pontifex summus. Sedit annos IX. menses IX. dies IX. Cessavit Episcopatus dies VIII. Hic Conradum Imperatorem coronavit. Hujus Pontificis tempore, ut Martinus scribit, Americus filius sancti Stephani Regis Ungariorum, virgo cum sua uxore obiit, & miraculis magis claruit.

Anno Domini MXXXIII. ab urbe condita MDCCLXXXIV. Benedictus X. natione Tuscuanus, dictus Thephilacus (alii dicunt, & melius, eum fuisse filium Alberici nobilis viri Romani) in summum Pontificem assumitur CLIII. post Petrum. Sedit autem annos XIII. menses IV, dies IX. cessavit Episcopatus dies XIII. Ipse de pessimo genere natus per se pessimus extitit. Ideo de Pontificatu pluries vituperabiliter ejectus est, ut referunt Martinus & Cusentinus. Primo enim ejectus fuit, & Johannes Episcopus Sabinensis loco ejus positus, & Silvester tertius vocatus. Sed ipso pauco tempore sedente amici Benedicti potentes & nobiles ipsum restituunt, & Silvestrum deponunt. Sed ille propter suam tyrannidem & maliciam iterum rejicitur, & papatus Archi-Presbitero ante portam latinam datur, qui Gregorius vocatur ut videtur.

Anno Domini MXLVI. ab urbe condita MDCCXCVII. Silvester tertius natione Romanus ex patre Laurentio, abjecto Benedicto jam dicto Papa efficitur CLIV. post Petrum. Sedit tantum menses II. nam Glossa: Ideo super Ca. XXIII. D. In nomine Domini amen, dicit, ipsum Symoniace intrasse: & fuit tamen ejectus per amicos & consanguineos Benedicti, quibus ballatus erat, qui confusionem ejus sustinere nolentes, ipsum ejecerunt, & alium restituerunt; qui in primo statu suo remansit, scilicet Episcopus Sabinensis. Sed ipse Benedictus secundo repositus propter suum & suorum parentum

parentum & consanguineorum nobilium tyrannidem & fastum ad tumultum & clamorem totius cleri & populi iterum ejicitur, & alius, scilicet Gregorius tertius ponitur.

Anno Domini quo supra Gregorius VI. Benedicto iterum ejecto, in summum Pontificem assumitur CLV. post Pontificem summum scilicet sanctum Petrum: sedit annos III. menses VI. Hic fuit Archipresbiter sancti Johannis ante Portam Latinam; & a toto clero & populo propter suam bonitatem electus est. Et attende, quod tunc Ecclesia usque ad tempora Nicolai secundi multum vacillavit. Nam tunc Pontifices per Imperatores dabantur. Quandoque enim vel etiam ipso absente principe, per Cardinales, clerum & populum Romanum simul ponebantur, sicut hoc factum cernitur. Postea errores varii & scismata generabantur, quæ omnia restringit Nicolaus secundus in concilio, sicut habetur D.LXVIII. C. Si quis & D.XXIII. C. In nomine Domini, amen. Ubi determinat electionem Romani Pontificis ad solos Cardinales pertinere debere; unde ex illa ejectione poteris perpendere, quod fastus Romanorum Pontificum frequenter malum exitum habuerunt. Hic Papa rudis fuit literarum, quamvis boni testimonii, & ideo consecrabantur duo coepiscopi seu Romani Pontifices ad vices Ecclesiastici officii exequendas, ut fuerunt Lynus & Cletus cum sancto Petro. De hoc etiam Pontifice dicit Cusentinus, quod Benedictus ejectus ei Papatum vendebat, quod non est intelligendum ex parte Gregorii, sed Benedicti, qui erat avarus & malus: cui datæ sunt pecuniæ, ut non contenderet pro Papatu, scilicet ut Gregorius pacifice intraret. hic vir bonus in suo Pontificatu existens, cum videret in urbe, quod Martinus scribit, malorum dominium raptorum & civium, & nemo primo suas monitiones, secundo excommunicationes curaret, ipse ob Dei reverentiam & populi pacem armata manu cum exercitu raptores & alios malos homines extinxit, ac de terra fugavit, & sic peregrinis liberum transitum ad limina sanctorum in urbe fecit. Ymo cum Henrico Imperatore nondum coronato magnum conflictum habuit, qui eo vivente urbem intrare ausus non fuit, propter quod a quibusdam non Papa sed vir sanguinum appellatus fuit. Et cum tandem in ultima ægtitudine positus esset, Cardinales ipsum visitantes judicabant eum sepultura Romanorum Pontificum in Ecclesia sancti Petri indignum, quia sacerdotium effusione sanguinis humani fœdasset. Quibus ipse longo sermone quamvis graviter ostendit infirmus, se non hoc male sed meritorie & virtuose egisse, & addidit, cum mortuus fuero, corpus meum ante ostium Ecclesiæ portate, & bene serate: & si ostium per se apertum fuerit, me in Ecclesia sepelite. Quod cum factum ipso mortuo fuisset, turbo fortissimus non solum ostia aperuit: verum etiam a suo loco transportavit. Quo miraculo Cardinales perterriti ipsum cum magna reverentia in Ecclesia sancti Petri sepeliunt.

Anno Domini, ut supra, Henricus tertius filius Conradi Imperatoris, tempore Gregorii VI. post vacationem Imperii tribus annis per mortem patris sui Imperator electus III. & Theutonicus VIII. sed a Julio LXXXIX. efficitur, & XIV. annis imperavit. Hic mortuo Gregorio alios de Papatu altercantes, qui prius dejecti erant, in Romam veniens, Synodo congregata omnes a Papatu dejecit, & Episcopum Babenbergensem Rudicherum nomine Papam Clementem secundum nomine fecit, qui ei coronam Imperialem imposuit. Hic Imperator propter bonum Ecclesiæ statum, & ad vitandum scismata a Romanis juramentum accepit, ut dicit Martinus, quod nunquam Papam eligerent sine consensu Imperatoris: quod postea Nicolaus secundus restrinxit, ut etiam prius dictum est. Ipse duxit in uxorem filiam sancti Cnutonis Regis Daciæ. Item Episcopatum Spirensem per patrem suum incœptum a fundamento consummavit. Tandem ipse in Gallia præsente Victore Papa secundo, qui illuc ad eum venerat, moritur, & juxta patrem in Ecclesia majori Spiræ sepelitur. Item Henricus X. Rex Franciæ moritur.

Anno Dom. ML. ab urbe condita MDCCC. primo, assumptis mensibus superfluis Clemens secundus natione Alemannus in summum Pontificem sublimatur, CLVI. post Petrum. Sedit annum unum, menses IX. dies X. Ipse fuit primus Episcopus Babenbergensis, ut prius dictum est. De eo aliquid in cronica Henrici præcedenti.

A. Domini MLI. ab urbe condita MDCCCIII. assumptis mensibus superfluis Damasus secundus, prius Popo vocatus, in summum Pontificem eligitur, CLVII. post Petrum. Sedit autem XXIII. dies, & fuit patriarcha Aquiliensis primus.

Anno Domini, quo supra, Leo IX. natione Alemannus, de Lothoringia trahens originem, prius Bruno vocatus, & Episcopus Tullensis, in Pontificem Romanum sublimatur CLVIII. post Petrum. Sedit annos V. menses II. dies V. Ejus festum agitur XIII. Calendarum Maji. Hic sic electus fuit. Cum sede vacante Romani per juramentum ab eis factum, ab Imperatore peterent, Romanum Pontificem sibi dari, & ipse neminem inducere valeret Theutonicorum ad pontificium suscipiendum, hunc Episcopum virum magnæ puritatis, literaturæ & simplicitatis ad hoc inclinavit, &, ut scribit Vincentius Baluacensis, cum veniret Romam ad dignitatem prædictam capessendam, & intraret urbem, audivit vocem angelorum cantantium: Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis. Unde hoc audiens, motus conscientia, quod non rite fuisset assumtus coram collegio cardinalium omnium, clero & populo, Papatum resignavit, & tunc denuo ab omnibus electus est. Item composuit historiam sancti Gregorii, sancti Gorgonii & sancti Cyriaci. Ipse in Theutonica vel Theutonia concilium in Moguntia præsente Imperatore celebravit. Ipse Christum in persona leprosi in lecto suo

Ooo oo locavit,

locavit, & post mortem multis miraculis claruit super sepulchrum suum. In basilica sancti Petri sepelitur.

Anno Domini MLVII. ab urbe condita MDCCCVIII. Victor secundus natione Teutonicus in Romanum Pontificem assumitur CLIX. post Petrum. Sedit autem annis duobus, mensibus III. diebus XIV. cessavit Episcopatus dies XI. Hic prius Gerhardus vocabatur, & fuit Episcopus Eistetensis, & invitus Papatum suscepit: quia timore principis hoc fecit, qui apud Cardinales & clerum suam electionem procuravit, ut dicit Martinus. Fuit etiam vir magnæ justitiæ & castitatis. Nam in Florencia Synodum celebravit, adhuc Imperatore vivente, in qua multos Episcopos deposuit propter Symoniam & fornicationem. Ipse etiam prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne mulieres intrent monasterium Fuldense.

Anno Domini MLIX. ab urbe condita MDCCCX. Stephanus IX. dictus prius Fredericus, natione Italus ex patre Martino in Pontificem Romanum assumitur, CLX. post Petrum. Sedit autem menses IX. dies VIII. cessavit Episcopatus dies XIV. & ab hujus tempore Nicoforus Imperator Constantinopolitanus moritur, cui Allexius succedit in imperio. Hujus etiam tempore Ecclesia Romana multum fuit desolata: quia Imperium Romanum & regnum Franciæ vacabant. Hic sanctus Papa veniens in Florentia ibidem moritur 4. Kalendarum Aprilis, & ibi honorifice sepelitur, multis post mortem clarens miraculis.

Anno Domini MLX. ab urbe condita MDCCCXI. Benedictus X. primo dictus Micius, natione Campanus, Episcopus Belletrensis. Sedit autem menses IX. CLXI. post Petrum. Hic, ut Martinus scribit, nobilis existens per violentiam & potentiam aliquorum nobilium Romanorum Pontificium occupavit. Postea cognoscens, se non per ostium intrasse, conscientia ductus pontificatui cessit, nec, ut Leo IX. reassumtus fuit, forte propter sua demerita: sed alius electus, ut patebit.

Anno Domini, quo supra, scilicet tempore Benedicti jam memorati Henricus IV. filius Henrici Imperatoris tertii Imperator Romanus efficitur, a Julio XC. & XLIX. annis imperavit, vel secundum alios XXXIX. Hunc adhuc Ecclesiæ fautorem Nicolaus Papa V. coronavit. Idem postea a pluribus Romanis Pontificibus excommunicatus fuit, in qua tandem mortuus fuit. Ejus gesta stupenda & horrenda apud Romanos Pontifices, cum quibus in vita concurrebat, & eorum apud eum, dicentur, cum de singulis narrentur. Eo tempore mortuo Henrico Rege Francorum successit ei Philippus filius suus, qui regnavit XLV. annis, & fuit IV. a Hugone.

Anno Domini eodem, quo supra, Nycolaus secundus natione Burgundus, dictus prius Gerhardus in Romanum Pontificem assumitur CLII. post Petrum, Vir sollempnis ac magnæ autoritatis. Sedit annos III. menses VI. dies VI. Cessavit Episcopatus dies XII. Hic sollempni concilio Romæ congregato præsente Henrico Imperatore, primo electo, in Ecclesia Latrianensi fecit constitutionem de forma electionis Papæ, quæ habetur d. XXIII. C. In nomine Domini amen. In qua restrinxit gratiam Imperatoribus datam propter multas abusiones secutas, ut visum est. Item declaratur error Berengarii, de quo prius in cronica Johannis IV. dictum est. Huic Papæ egregiissimo Christianissimus defensor ac filius Ecclesiæ Dux Robertus Apuliæ & Siciliæ cum fratre suo Rogero juramentum fidelitatis fecit de ejusdem terris, dato eis vexillo Papam per eundem *. Ipse etiam Nicolaus Papa Henricum Imperatorem coronavit, qui se tunc tenuit pacifice cum eo: quod cum nullo aliorum fecit. Item ipse multum honorifice in Ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini MLXIV. ab urbe condita MDCCCXV. assumptis mensibus superfluis Alexander secundus, natione Mediolanensis, nomine Anshelmus, Lucanus Episcopus a Cardinalibus concorditer in summum Pontificem eligitur, CLXIII. post Petrum. Sedit annos XI. menses VI. dies XXV. Contra hunc Papam quamvis bonum, omnes Prælati, scilicet Archiepiscopi & Episcopi Lombardiæ fecerunt Episcopum Parmensem Antipapam, quem Cadulum vocaverunt, asserentes, non debere eligi Papam de tali territorio, de quo Alexander. Tunc Alexander Papa ad majorem sui custodiam venit in Luccam civitatem, quam multa nobilitate dignificavit. Imperator autem Henricus favit Antipapæ, adjutorium ei cum exercitu suo præbens. Unde Alexandro in urbe existente dirissimum bellum inter Romanos & Cadulum Antipapam committitur, in quo Antipapa vincitur & fugatur. Quod videns Imperator ductus pœnitentia Alexandro Papæ reconciliatur, ipsumque Cadulum, suum errorem confitentem pius Papa de consilio Imperatoris, Concilio congregato ad gremium recipit ecclesiæ, & sic Ecclesia pacificatur. Ipse in Ecclesia Lateranum honorifice sepelitur.

Anno Domini MLXXV. ab urbe condita MDCCCXXVI. Gregorius VII. natione Tuscus, prius Hildebrandus vocatus, patria Senensis in Pontificatu Romano sublimatur CLXIII. post Petrum. Sedit annos XII. menses unum, dies IV. Hic vir per cuncta laudabilis magna ac miranda fecit, ac relatione digna. Ejus enim Pontificium ac varia circa Henricum Imperatorem gesta, sunt divinitus per facta miraculosa prænosticata vel præmonstrata. Refert enim Martinus de eo, quod tempore Henrici Imperatoris tertii idem Papa puer existens, habens patrem carpentarium, cum hastilis parvis per patrem laborantem de lignis resecatis, sedens apud ipsum literas ordinavit in hoc: dominabor a mari usque ad mare: quæ verba sacerdos quidam videns patri exposuit, ipsumque puerum literis imbuendum fore asseruit, puerumque eundem Papam futurum esse prophetavit. Traditus igitur puer literis a patre, tam famosus in probitate & doctrina efficitur, quod in curia

curia Imperatoris Henrici tertii recipitur ac omnibus curialibus dilectus efficitur: A solo autem Imperatoris filio nomine Henrico vexatur & deridetur: qui a matre, Agnes nomine, patre dissimulante, corripitur. Post hoc Imperator sompnium tale sompniavit. Videbatur enim ei, quod Hildebrando Notario duo in capite cornua usque ad cœlum extensa crescerent, quibus filium suum Henricum tolleret, & ad lutum projiceret. Quod sompnium pater ejus Imperatori interpretabatur, dicens: Hildebrandum in Papam eligendum, & filium suum per eum ab Imperio deponendum. Quo audito Imperator divinam ordinationem putans impedire, ipsum in turrim castri Haymersteyn ad annum captivum tenuit. Post hoc ad Imperatricis instantiam, quæ sompnia non esse curanda Imperatori alligat, a vinculis absolvitur, & monachus efficitur. Fama tamen sanctitatis ejus in curia in tantum publicatur, quod vadens cum suo Abbate Romam Cardinalis ordinatur. Ipse vitium Symoniæ & fornicationis multum abhorruit. Cum, ut unum referam relatione dignum, existens Cardinalis Legatus esset in Gallia, & quidam Episcopus de Symonia infamatus sibi adductus, testes vitii, pecunia corrupisset, ait Legatus: deficit humanum testimonium: proferatur in medium divinum oraculum: Episcopalis rigor donum est Spiritus Sancti. Ait ergo Legatus: Si igitur tu contra Spiritum Sanctum non fecisti, dic: gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Quod ille Episcopus trepidus, ait: gloria Patri, & nullatenus, frequentius repetendo, dicere potuit: & Spiritui sancto. Unde reus inventus ab Episcopatu ejectus fuit, & tunc totum plene dixit. Post hoc autem factus summus Pontifex prohibuit sub anathemate, ne Reges sive Principes quicunque se intromitterent de collatione Episcopatuum sive dignitatum, & eis annexorum sive investitura sive installatione Episcoporum, sive Abbatum vel aliorum prælatorum: quæ gratiæ prius fuerunt concessæ Carolo Magno & paucis aliis propter defensionem, & eorum singularem fidelitatem ad Ecclesiam Romanam: quas collationes faciebant cum annulo & baculo: quæ tamen gratiæ postea fuerunt sublatæ. Unde Pontifex jam dictus, ut pastor cautissimus, videns ex tali investitura sequi duo vitia, præcipue in Theutonia & Lombardia: scilicet vitium Symoniæ & luxuriæ, prohibitionem prædictam fecit. Propter quod Imperator se prohibitum videns, qui tales investituras fecit, provocatus nimis contra Papam, schismati Episcoporum Lombardiæ jam incepto contra ipsum favet, ac convenientes apud Brixiam, Archiepiscopum Ravennatem, Gilbertum nomine in Papam eligunt, quem Clementem vocant. Propter quod Gregorius Papa, facto concilio in Roma CX. Episcoporum, ipsum Imperatorem Henricum cum omnibus illis Episcopis excommunicat, ibidemque investituras supradictas fieri prohibet per Principes quoscunque, ut habetur XVI. q. VII. C. si quis. & C. Quantum investituras. Tunc Imperator cum suo Antipapa & Episcopis prædictis Romam vadit, & ab ipso coronam Imperii, prius a Nicolao secundo susceptam recipit, & ipsum Gregorium Papam sanctissimum cum toto Cardinalium cœtu in castro sancti Angeli recludit, &, ut refert Vincentius Baluacensis, tunc magis majus scisma fuit, quod a tempore Caroli Magni nunquam in Ecclesia fuit. Ipse quoque Imperator omnes Gregorio faventes diversimode affligebat. Quod audiens Robertus, vir Ecclesiæ fidelissimus, cum exercitu Comitissæ Mechtildæ devotissimæ ipsum Imperatorem cum suo Antipapa de Roma fugavit, & ipsam Urbem capit ac ferro & igne consumit, & Papam Gregorium in suam sedem restituit. Qui Papa duros contra Imperatorem renovat processus. Quod audiens Imperator in Teutoniam vadit, & in Wormatia super Renum cum suo Antipapa concilium Episcoporum suorum & Principum tenens, ipsum in Papatu confirmat adversus Gregorium, ut dicit Martinus. Tunc Gregorius concilio Episcoporum congregato in Roma de consensu Cardinalium & consilio Roberti Ducis Apuliæ & Ciciliæ jam dicti Henricum ab Imperio deponit, & Principes a juramento fidelitatis absolvit vel liberavit. Nihilominus tamen per potentiam regnavit. Sed cum hæc concertatio diu durasset, ultimo tamen Imperator suum delictum cognoscens, veniens in Italiam ante quoddam castrum, in quo manebat Gregorius Papa, tribus diebus nudis pedibus in nive & glaciebus stetit, veniam postulando. Quam cum ad nutum non consequeretur, Gregorio in justitia immobiliter persistente, indignatus in malitia permanebat, finiens vitam in eadem, ut videbitur suo loco. Suus etiam Antipapa male vitam finivit, dolens, se Papatum assumpsisse. Ipse autem Papa Gregorius, ut Archiepiscopus Cusentinus scribit, Salerni moritur, miraculis coruscando, ibidem sepelitur.

Anno Domini MLXXXVII. ab urbe condita MDCCCXXXVIII. Victor III. nomine Desiderius, Abbas in monte Cassino, vir bonus & sanctus in summum Pontificem eligitur, CLXIV. post Petrum. Sedit annum unum, menses IV. dies VII. Cessavit Episcopatus dies XXIV. Hic, Imperatore adhuc per potentiam regnante, ut Martinus scribit, calicem cum veneno in ipso posito sumens extinguitur per dissenteriam, quam per hoc incurrebat, quod venenum amici Henrici Imperatoris sibi dari procurabant. Hujus Pontificis tempore cives Barenses per aquam ad Mirream Liciæ venientes, ossa sancti Nicolai integraliter in oleo natantia ibidem reperiunt, quæ consentientibus vix monachis propter barbaros, qui locum occupaverunt, extraxerunt, & in Baram suam civitatem transferunt, anno autem depositionis sancti Nicolai DCCXXXV. ut Vincentius scribit. Eisdem etiam temporibus, ut Martinus scribit, ordo Carthusiensis incœpit per Brunonem nomine, vel natione Coloniensem.

Anno Domini MLXXXIX. ab urbe condita

dita MDCCCXL. assumptis mensibus & diebus superfluis, Urbanus II. prius Otto vocatus, monachus Cluniacensis, postea Cardinalis Episcopus Hostiensis, in Romanum Pontificem assumitur CLXV. post Petrum. Sedit autem annos XII. menses IV. dies XV. Et cessavit Episcopatus dies XII. Hic, ut Vincentius scribit, Henricum Imperatorem prædictum cum suo Antipapa Gilberto excommunicat, ut Gregorius VII. fecit. Ipse intravit Galliam, & in Claromonte Concilium celebravit, in quo crucem dedit contra Sarracenos, qui, ut in eodem concilio ex relatione recepit, terram sanctam obtinuerunt, & iniq; possederunt, passagiumq; ad terram sanctam recuperandum, primus instituit. Crucem igitur dominicam contra inimicos crucis Christi Principes, multi valde ac meliores, læti suscipiunt & vestibus suis affigunt: Et sic post hoc alio concilio facto pro subsidio terræ sanctæ in civitate Turonis, ad terram sanctam cum maximo numero vadunt, & totam Jerosolymæ provinciam cum civitatibus munitissimis, & ipsam Jerosolymam obtinent, Godfridumque Ducem Lotharingiæ, omnibus principibus hoc acclamantibus, propter sui strenuitatem Regem Jherusalem constituunt, de quo multa laudabilia per eum ibi facta referuntur. Item Urbanus in dicto Concilio constituit, ut horæ beatæ Virginis cottidie dicantur, officiumque ejus fiat solempniter omnibus sabbatis diebus, & hoc fuit in primo suo concilio scilicet Claromonte. Ipse etiam Urbanus post hoc mandavit, Henricum Imperatorem deponi, & filium suum Henricum V. in Imperatorem eligi, quod factum fuit: quia potentia ejus nimis debilitata fuit, ut videbitur. & tunc omnes fautores Gilberti antipapæ, qui jam mala morte interiit, graviter punivit. Ipse non multo post hoc moritur, & in ecclesia beati Petri sepelitur. Hujus Pontificis tempore, anno Domini MLXXV. Pontificatus ejusdem Pontificis anno V. incœpit ordo Hospitalariorum, qui sic ideo dicti sunt, quia in Jherusalem domum fecerant ad recipiendum peregrinos & infirmos, qui cum dicto passagio transfretaverant, & inde facti sunt famosi. Eodem etiam tempore incœpit in Burgundia monasterium Cisterciensium in die sancti Benedicti, in Diœcesi Gabillonensi, ut Martinus scribit. Item floruit in Anglia venerabilis Doctor Anshelmus, monachus primum & Abbas, deinde Archiepiscopus Cantuariensis, qui ad ædificationem fidelium multa scripsit, scilicet librum Meditationum; item, cur Deus homo: de libero arbitrio, de similibus, de Grammatica, de cruce librum; item de sancto Johanne Baptista, & multa alia devotionem provocantia.

Anno Domini MC. ab urbe condita MDCCCLI. Henricus V. filius Henrici IV. excommunicati ad mandatum Urbani Papæ, patre adhuc vivente, Imperator XCI. a Julio eligitur, & XXVI. annis imperavit. Hujus electionem pater excommunicatus, qui multa fecit scandala in Ecclesia, impedivit & ideo ipse eum, scilicet patrem suum, incarceravit, in quo detentus expletis omnibus annis, quibus prius dictus fuit imperasse, adhuc ipso in excommunicatione perseverante, mortuusque, & post mortem IV. annis inhumatus fuit, post quos filius suus absolutionem ejus a sententia excommunicationis a Papa obtinuit & tunc apud Patrem in Spira sepultus fuit, & ipse Urbanus Papa non longe ante obitum suum concilium in Placentia celebravit, in quo omnes fautores patris Henrici prostravit, & Episcopos Lombardiæ reconciliavit, favente hiis omnibus Henrico filio ejusdem Henrici IV. Hunc Imperatorem Henricum V. Paschalis Papa V. vel secundus coronavit, quomodo autem id factum fuerit, de Paschali dicetur; quia ei se Imperator opposuit, & male apud ipsum & Ecclesiam egit. Hic etiam Imperator nequissimus contra Gelasium Papam, successorem Paschalis, antipapam constituit, ut patebit, cum de Gelasio dicetur. Successor quoque Gelasii Calixtus II. contra illum eundem Imperatorem processus, sententiam excommunicationis propter investituras pronunciavit, sicuti sui antecessores fecerunt. Sed tandem, ad cor rediens Ecclesiæ, per Calixtum reconciliatur, & ad modicum tempus post Calixtum sine hærede moritur; & ultimus Imperator sui generis existens, Imperio successorem sui generis, propter sua & suorum aliquorum demerita non relinquit; sed electio Imperatoris modicum post hoc de domo Saxoniæ ad domum Sveviæ transfertur. Post hoc in Spira cum patre & avo, nec non proavo sepelitur, Imperatoribus suis progenitoribus. In quorum scilicet Conradi & trium Henricorum sepultorum Spiræ Epithaphio est hic versus: Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet illic.

Anno Domini MCI. ab urbe condita MDCCCLII. Paschalis II. natione Ebleda, Romanus Pontifex efficitur, CLXVI. post Petrum. Sedit annos XVIII. menses V. dies X. Cessavit Episcopatus dies III. Huic Henricus Imperator V. in Tusciam veniens cum exercitu, renunciavit omni investituræ, pro qua sui antecessores contenderunt, per literas, quas ei misit ad urbem, ut coronam Imperialem ab eo posset accipere. Quo facto Papa, præfato Henrico annuit de corona, &, ut dicit Martinus, cum Imperator venisset ad urbem, & summus Pontifex ab eo exigeret juramentum de recusatione investituræ, Imperator habito consilio cum suis, Papam cum Cardinalibus cepit & incarceravit, & hoc fuit anno VII. Pontificatus Papæ & VIII. Imperii Heinrici, In quibus semper caruit corona propter contentionem de investitura. Fuit autem Papa in carcere, donec permisit investituras, de quibus dictum est de Gregorio VII. & Henricum coronavit. Deinde Imperatore in Germaniam reverso Paschalis Papa pœnitentia ductus, monitione canonica præmissa omnes excommunicat cum Imperatore, qui tales investituras conferrent; in qua excommunicatione Imperator toto tempore Paschalis manet. Post hoc surrexerunt tres hæresiarchæ contra Papam, scilicet Albertus, Arnulfus & Theodorus, qui successive ac diversis temporibus

poribus sibi usurpaverunt papatus officium: qui omnes mala morte interierunt. Tandem pacificata ecclesia Paschalis moritur, & in Ecclesia sancti Salvatoris sepelitur. Hujus Pontificis tempore sanctus Bernhardus annorum XXII. sub Abbate Stephano III. in Cistertio ibidem monachus efficitur, anno IX. Pontificatus Paschalis. Deinde fundato monasterio Clarevallæ, illuc pro Abbate mittitur, ubi XXXVII. annis in vita & doctrina claruit, LXXV. annorum existens ad Dominum migravit: quia tantum uno anno fuit in Cistertio. Ipse ad utilitatem fidelium multa valde scripsit, scilicet, super Cantica commenta; item de consideratione divinæ contemplationis Epistolas ad Eugenium Papam, qui primus in suo ordine Abbas fuit; & ad fratres de Monte Dei nomine Apologeticum; item sermones solempnes de festivitatibus anni, plenos doctrina; item multas Epistolas ad diversas religiones, & multa alia. Item anno prædicto Paschalis Papæ incœpit ordo Præmonstratensium in Dioecesi Laudunensi sub Abbate Norperto, qui fuit natione Coloniensis. Hoc etiam tempore Philippus Rex Francorum moritur, cui succedit filius suus Lodoicus istius nominis IV. in regno. Anno Paschalis Papæ XI. ordo Templariorum incœpit, qui milites existentes ideo sic dicti sunt, quia prope templum in Jherusalem manebant, & peregrinos receperunt protexerunt ducendo & dirigendo ad dominicum sepulcrum & deducendo. Item tunc Godfridus Rex Jherosolimitanus post magnos & longos labores moritur, & frater suus Baldewinus in Regem Jherosolymitanum eligitur, ut Richardus scribit. Item Paschalis Papa instituit jejunium quatuor temporum vernale semper anno debere celebrari post Dominicam Invocavit, & idem jejunium æstivale infra octavas Pentecostes debere celebrari. Item viguit Dominus Robertus, fundator monasterii Cisterciensis, divitiis & genere optimus. Qui postea primus abbas ibidem, voluntarie pauper factus, magnæ fuit sanctitatis, cujus festum agitur III. Kalendarum Maji.

Anno Domini MCXIX. ab urbe condita MDCCCLXX. Gelasius II. natione Campanus summum Pontificem assumitur. CLXVII. post Petrum. Sedit annum unum, dies V. & cessavit Episcopatus dies XXIV. Hic, ut historiæ referunt, Cardinalis existens, vocatus Johannes, fuit Cancellarius Paschalis præcessoris sui, & ex officio se fidelissime opposuit pertinaciæ Henrici Imperatoris, propter quod idem Imperator asserens, ipsum non potuisse eligi sine suo consensu, quod tamen privilegium revocatum fuit, & paucis Imperatoribus concessum, irritat creationem Gelasii, & quendam Hispanum assumit, nomine Burdinum, quem Gregorium vocat, quem nos antipapam vocamus, quod videns Gelasius in Franciam cum Cardinalibus fugit, veniensque in Cluniacum, ibi moritur. Eodem tempore Baldewinus Rex Jerosolymitanus moritur, & statim Baldewinus cognatus ejusdem defuncti in Regem Jherusalem assumitur, & sic habemus tres Reges Jerosolymitanos. Ipse Gelasius Papa ante mortem suam in Vienna concilium congregavit, & Imperatorem cum suo antipapa in Roma existentem anathematisavit, quod & alius sibi viceversa fecit, & statim post hoc, ut dictum est, in Cluniaco mortuus est.

Anno Domini MCXX. ab urbe condita MDCCCLXXI. Calixtus II. natione Burgundus in summum Pontificem eligitur, CLXVIII. post Petrum. Sedit annos quinque menses X. dies VI. & cessavit Episcopatus dies VIII. Hic prius vocabatur Gwido, & fuit Archiepiscopus Viennensis, vir in suo papatu omni populo gratissimus, facies nunquam visa fuit mutari. Ipse statim Papa factus cum exercitu vadit in Italiam, & ipsum Burdinum antipapam prædictum cum exercitu Sutris inventum obsidet, cum quo sibi tradito per cives eosdem, Romam vadit, ubi cum magno honore a Romanis suscipitur, ibique ipsum Antipapam camelo imponit, vertentem faciem ad tergum vel tergus, & caudam pro freno tenentem, & cum tuta custodia per medium urbis facit ante se ire. Deinde in quodam orco & squalido carcere fecit mori. Ipse Calixtus Remis concilium tenuit, in quo Henricum Imperatorem, suos præcessores sequens excommunicavit propter investituras, ut scribit Martinus. Post hoc, operante Spiritu sancto, Imperator probitatem istius Pontificis ac favorem populi Italici ad ipsum videns, ad cor rediens, ecclesiæ reconciliatur. Nam congregavit concilium in Wormatia, ad quod legatus Papæ Episcopus Hostiensis mittitur, ubi Imperator investituras cedit & renunciavit, & ab excommunicatione a legato absolvitur, & pax plena reformatur. Ipse, ut Martinus scribit, ad devotionem, quam ad sanctum Jacobum habuit, ecclesiam Compestallam ditavit ac metropolitanam fecit. Item Ecclesiam Lucanam cum pallio honoravit, nam Ecclesia sub eo in pace floruit. Ipse tandem moritur, & in Ecclesia Lateranensi sepelitur; & post eum ad modicum tempus moritur Imperator. Hoc etiam tempore viguit Hugo de sancto Victore sic dictus, qui ibidem fuit canonicus regularis de Parisius natus, ut dicit Vincentius. Hic Doctor magnus multa scripsit, scilicet: librum de sacramentis, librum diascolicon; item librum de archa Noë; de arra animæ commentum; super regulam Augustini; item de doctrinis & artibus, & multa alia. Hujus etiam tempore Alexius Imperator Constantinopolitanus moritur, cui succedit Alexius nomine Kalo.

Anno Domini MCXXVI. ab urbe condita MDCCCLXXVII. Honorius II. natione Bononiensis, dictus Lambertus, in summum Pontificem assumitur CLXIX. post Petrum. Sedit annos quinque, menses II. dies III. Et cessavit Episcopatus dies VIII. Hujus Pontificis tempore Rogerus, nepos Roberti Gwistardi magni ex duce fit Rex Ciciliæ, Apulia in suo nomine manente. Item Luderus, Dux Saxoniæ, in Imperatorem eligitur. Eodem etiam tempore Baldewinus tertius Rex Jherusalem moritur, cui

cui succedit Fulco Comes Andegavensis quartus Rex Jherusalem, habens filiam Baldewini in uxorem, ut scribit Richardus. Item in urbe Regia tunc imperavit Manuel.

Anno Domini MCXXVII. Lulotharius, & secundum alios Luderus, quod melius credo, quia hoc nomen in Saxonia usitatum est, Dux Saxoniæ, Henrico V. mortuo sine hærede, ab Electoribus Imperator XCII. a Julio eligitur, & XII. annis imperavit. Ipse a Frederico Episcopo vel Archiepiscopo Coloniensi benedicitur & inungitur, quod intelligendum, quantum ad regimen Alemanniæ, & ei argentea corona porrigitur. Ipse fuit verus Catholicus, & fidei zelator, & Ecclesiæ advocatus. Nam quendam Antipapam contra Innocentium II. electum ab urbe fugavit & exterminavit, & ipsum Papam sedi restituit, ac coronam Imperii ab eo recepit. Item Rogero Regi Siciliæ, dicto Antipapæ faventi; ducatum Apuliæ ob favorem Ecclesiæ auffert, & in Teutoniam rediens plenus fide & devotione ad Ecclesiam Romanam moritur ibidem, ut Martinus scribit, sibi supervivente Innocentio. Hoc tempore reliquiæ sancti Mathiæ in Treveri inventæ sunt.

Anno Domini MCXXXI. ab urbe condita MDCCCLXXXII. Innocentius II. natione - - - de regione Transberina, in Romanum Pontificem assumitur CLXX. post Petrum. Sedit annos XIII. menses VII. dies octo, & cessavit Episcopatus dies III. Contra, hunc ab altera parte electus fuit quidam Petrus Leonis nomine, filius unius Cardinalis, potens in parentibus, & se Anacletum vocavit, Rogero Rege Ciciliæ eidem favente. Innocentius autem propter ejus potentiam ab urbe recedit & ipsum dampnat, veniensque in Galliam ad Lodovicum Regem Franciæ, filium ejus Philippum primogenitum in Regem coronavit, pro quo præcipitato & subito mortuo, filium suum secundum, Lodowicum V. ejus successorem coronavit in concilio, quod celebravit in Claromonte, ubi & Petrum Leonis denuo excommunicavit cum suis sequacibus, & constitutum fecit, quod, si quis svadente diabolo in clericum vel monachum vel conversum manus injiceret violentas, sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi, nisi a Pontifice Romano vel suo commissario, quod habetur XVII. q. quarta C. si quis svadente &c. præterquam in mortis articulo existens. Ac idem scripsit Ludero Imperatori electo, ut læsæ Ecclesiæ subveniret, qui veniens de Teutonia cum ingenti exercitu in Romam, ipsum Petrum Leonis fugavit, ac totam suam partem exterminavit, & ipsum Innocentium in suam sedem locavit, a quo & coronam Imperialem recepit, & prædictum Petrum in exilium misit, ubi & mala morte interiit. Innocentius autem celebrato concilio in ecclesia Salvatoris in Laterano, moritur, & in eadem Ecclesia sepelitur. Item viguit Gilbertus Porretanus, natione Brito, postea Episcopus Laudunensis, Doctor magnus. Item Innocentius Ecclesiam Januensem & Pysanam metropolitanas fecit.

Anno Domini MCXXXIX. ab urbe condita MDCCCCX. Cunradus III. natione Svevus, Imperator CIII. a Julio efficitur, & XIV. annis imperavit. Hic fidei Christianæ magnus extitit zelator, quod ex hoc patet, quia prædicata cruce Domini, & passagio instituto per Papam Eugenium, cum suis Germanis & Rege Franciæ & Gallicis passagium facit ac pro Dominica cruce cum magno fidei favore morti se exponit, plus sollicitus de ulciscendis Ecclesiæ Christi inimicis, quam de sua coronatione imperiali. Unde cum prosperitate de passagio rediens, infirmitate præoccupatus, sine beneficio coronæ Imperialis moritur sub Eugenio Papa, & æternæ vitæ corona laureatur.

Anno Domini MCXLV. ab urbe condita MDCCCXCVI. Cœlestinus secundus natione Tuscus de castro Felicitatis Romanus Pontifex efficitur CLXXI. post Petrum. Sedit annos X. dies XIII. cessavit Episcopatus dies XIV. Hujus Pontificis tempore Rex Alapff, de genere Turcorum, civitatem Edissam, quæ in sacra scriptura Arach vocatur, cepit, & omnes ibi inventos aut morte aut servitute dampnavit, ipsumque civitatis Archiepiscopum cum toto suo clero, Christum abnegare nolente decollari mandavit: propter quod Christianitas in partibus orientalibus multum debilitata fuit, quæ in eisdem partibus a tempore primi passagii, quod fuit sub Urbano Papa secundo sub quatuor Regibus Jerosolymitanis in prosperitate fuit. Unde hæc captio causa fuit passagii secundi, de quo statim dicetur. Item eodem tempore Fulcone præcipitato de equo insequendo leporem, & mortuo, qui fuit Rex Jerosolimitanus IV. [V.] Baldewinus puer, filius suus in Regem post eum assumitur V. [VI.] Hoc etiam tempore Rogerus Rex Ciciliæ per Cœlestinum Ecclesiæ reconciliatur, & Sarracenos expugnat.

Anno Domini M. quo supra Lucius II. natione Bononiensis ex patre Alberto, in summum Pontificem assumitur, CLXXIII. post Petrum. Sedit autem menses XI. dies IV. & cessavit Episcopatus dies VII. Moritur & in Ecclesia Lateranensi sepelitur.

Anno Domini MCXLVI. ab urbe condita MDCCCXCVII. Eugenius III. natione Pysanus Pontifex Romanus efficitur, & VIII. annis, mensibus IV. diebus XIX. sedit. Cessavit Episcopatus dies VI. fuitque CLXXIII. post Petrum. Hic Papa, ut Vincentius scribit, fuit in conversatione filius beati Bernhardi Clarevallensis Abbatis, & Bernhardus prius vocabatur; Deinde factus Abbas Monasterii sancti Anastasii extra urbem, ejusdem ordinis scilicet Cisterciensis, in Papam a cœtu Cardinalium electus est, & fuit vir sanctæ vitæ & reverendæ senectutis. Post suam autem electionem vocatus per Lodowicum Regem Francorum ivit per Franciam, ubi per ipsum generose receptus, ad ipsius petitionem concilium celebravit Remis, in quo proposita destructione Edissæ per Turcos & debilitatæ Christianitatis in Oriente, Papa per beatum Bernhardum crucem prædicavit,

vit, quam Christianissimus Imperator, coronatione Imperiali dimissa, assumit contra Sarracenos, qui fuit Conradus tertius, & cum eo Lodowicus Rex Franciæ, multique Principes alii; ita quod numerus fortium armatorum, præter inermes innumerabiles, fuit LXX. milia. Hic ad terram sanctam omnes passagium fecerunt, in quo modicum profecerunt. Nam multi ex eis in quodam deserto, ultra Constantinopolim, fame & siti perierunt, multique ab infidelibus fuerunt interfecti. Fuit tamen capta civitas Ascolona, & regno Jerosolymitano adjuncta. Hujus Pontificis tempore Richardus, de sancto Victore, sic dictus, qui Parisius ibi canonicus regularis fuit. Hic Doctor magnus multa scripsit, & præcipue librum de trinitate, & doctrina claruit. Item eodem tempore moriebatur Johannes de Temporibus, sic dictus, quia CCCLXI. annis vixit, & fuit armiger Karoli magni. Isto etiam tempore fuit Hildegarda Prophetissa in Alemannia, monialis in diocesi Moguntiæ, sanctissimæ vitæ, in Pingwia sepulta. Eugenius autem Papa rediens in Romam, anno Domini MCLIV. moritur, & in Ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini MCLIII. ab urbe condita MDCCCCIV. Fridericus primus, dictus Barbarossa, nepos Conradi Imperatoris, de domo & Ducatu Sveviæ originem trahens, ut gesta Germanorum tradunt, Imperator XCIV. a Julio eligitur, & XXX. annis imperavit. Hunc historiæ referunt fuisse largum, strenuum, facundum, in omnibus suis actibus gloriosum. Ipse ab Adriano III. cum gaudio magno coronam imperii suscepit, ac postmodum ei multa familiaritate conjunctus fuit. Post mortem autem ejus cum Alexandro Papa III. longo tempore in discordia fuit, ut de eo dicetur, ac Mediolanum destruxit; sed tandem ei reconciliatus in Emenda crucem assumit, ac ad terram sanctam passagium facit, veniensque in Armeniam, alio nomine dictam Ciliciam, in quodam parvo fluvio, in quo ad refrigerandum se balneabatur, submersus est cum ingenti omnium planctu secum comitantium: Cujus corpus filius suus, quem ibi secum habuit, in Tyro sepelivit, ut dicit Martinus.

Anno Domini MCLV. ab urbe condita MDCCCCVI. Anastasius III. natione Romanus, ex patre Benedicto in summum Pontificem assumitur, CLXXIV. post Petrum. Sedit annum unum, menses IV. dies XXIV. Cessavit Episcopatus dies VIII. Hic post multas generosas fabricas in urbe factas moritur, & in ecclesia Lateranensi in contha porphirica sepelitur.

Anno Domini MCLVI. ab urbe condita MDCCCCVII. Adrianus III. natione Anglus in Romanum Pontificem eligitur, CLXXV. post Petrum; Sedit annos IV. menses VIII. dies XXVIII. Cessavit Episcopatus dies XX. Ipse Papatum adeo meruit per hoc, quod Cardinalis & Episcopus Albanensis existens, in legatione missus in Norweyam, totam illam regionem sua prædicatione fructuosa ad fidem non solum convertit, sed in fide plene instruxit; unde ad urbem reversus, mortuo Anastasio Papa efficitur. Ipse Fredericum Imperatorem anno Domini MCLVIII. coronavit, eique multum familiaris fuit. Hic Pontifex refertur primus fuisse, qui curiam Romanam in aliam transtulit civitatem. Ipse enim ad urbem veterem vadit, ibidem moram traxit. Hujus Pontificis tempore viguit Richardus Monachus Cluniacensis, sed origine Pictaviensis, magnus historiarum scriptor, qui fecit cronicam ab Adam usque ad tempora Frederici Imperatoris.

Anno Domini MCLXI. ab urbe condita MDCCCCXII. Alexander III. natione Tuscus, patria Senensis, ex patre Renuncio, in Romanum Pontificem eligitur CLXXVI. post Petrum. Sedit autem annos XXI. dies XIII. & cessavit Episcopatus dies XIV. Hic fuit vir multum solempnis, & multas Epistolas decretales pro bono Ecclesiæ statu edidit. Hic, ut omnes historiæ referunt, cum Frederico Imperatore discordiam magnam & longam habuit, quæ XVIII. vel XVI. annis duravit. In qua, Alexandro per Imperatorem in Franciam fugato, in Roma de ordinatione Imperatoris IV. AntiPapæ successive fuerunt, quorum tres fuerunt Presbyteri Cardinales, primus fuit Octavianus, qui se Victorem nominavit, II. Gwido Cremoniensis, qui se Paschalem vocavit, tertius JohannesFerniensis, qui se Calixtum appellavit, & IV. fuit Lando, qui se Innocentium vocari jussit. Hos omnes cum suis fautoribus & Frederico Imperatore, dictus Pontifex gravi anathemate innodavit. De causa autem hujus discordiæ inter Papam & Imperatorem, & electione jam dictorum IV. Pontificum duæ sunt relationes. Prima fuit probabilis & est ista, durum & rigidum Imperatoris regimen super Lombardos & Tuscos, super quo Papa ipsum reprehendit, volens ejus sævitiam super prædictas gentes extinguere; unde ex hoc exorta perturbatio in tantum crevit, quod Papa coactus fuit relinquere Italiam, & ire Franciam, ubi a Lodowico VI. Christianissimo Francorum Rege honorifice receptus & tentus est; propter quod iratus Imperator, in despectum Alexandri Papæ prædictos Antipapas in urbe fecit successive ordinari. Secunda autem relatio de ista discordia est Martini, statim diffuse tradita, quod videlicet mortuo Adriano Papa, dum inter Cardinales contentio esset de duobus Cardinalibus in Papam eligendis, scilicet Rolando juniore, qui postea Papa Alexander III. factus est, & Octaviano, qui senior fuit Rolandus - - suæ cessit electioni, dicens, se extra Papatum diu adhuc posse vivere, & suis amicis & consanguineis proficere, sed in Papatu ultra XXV. annos per quos sanctus Petrus præcise in Roma sedit, se nullomodo posse supervivere; unde ad suum consilium Octavianus electus fuit, & Victor dictus, qui dum vix XLIII. diebus in Papatu sedisset, Rolandus ab amicis suis, super resignatione Papatus graviter correptus, habito consilio cum quibusdam Cardinalibus ad deponendum Victorem Papam, ipsum eundem Victorem sollicitaverunt, ut Imperatorem, qui uxorem

uxorem suam dimisit, & aliam accepit, excommunicaret: ut autem per ipsum, si hoc faceret, deponeretur, aut si non faceret, per ipsos. Sed cum Victor Papa hæc omnia Imperatori retulisset, Imperator celebrato concilio in Papia multorum Episcoporum & Prælatorum, Victorem in Papatu confirmavit; pars autem adversa Alexandro adhæsit nec non Wilhelmus Rex Ciciliæ cum toto suo regno ei obedientiam faciendo, qui fugit ad Regem Franciæ, ut dictum est, qui eum honorifice suscepit, & post hæc quælibet pars aliam excommunicavit; refertque Martinus, quod Victor Papa in morte & post mortem multis miraculis coruscavit. Alii autem dicunt, quod hii IV. Antipapæ vitam male finierunt. Prima assertio mihi verior & securior videtur. Post hoc anno Domini MCLXIII. ista discordia durante, Imperator Lombardiam vexans graviter, Mediolanum capit, ac totaliter destruit; in qua destructione Reynaldus Archi-Episcopus Coloniensis ex concesfione Imperatoris corpora trium Regum, prius per beatum Astorgium de Constantinopoli in Mediolanum miraculose translata; item corpora sanctorum Naboris & Felicis de Mediolano cum gaudio & reverencia magna transtulit in Coloniam, ubi in magna habentur reverentia. Item tunc corpus sancti Caroli Magni in Aquisgranum translatum est. Item eodem tempore scilicet anno Dom. MCLXXIV. sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, successor in Episcopatu Theobaldi vita & doctrina clari, passus est, & postea per Innocentium canonizatus. Item corpus sancti Knuthonis, Regis Daciæ translatum est. Hujus etiam Pontificis tempore viguit Gratianus, monachus Tuscus, de civitate Clusina natus, qui composuit decretum in Bononia in monasterio sui ordinis, ut Huwitio Pisanus scribit, in suo apparatu super dictum decretum: Qui Huwitio fuit tempore Innocentii III. Quod autem Gratianus fuit tempore Allexandri, dicit Glossa X. in II. ca. C. Formam; Licet Martinus dicat, ipsum fuisse tempore Innocentii III. Hiis etiam temporibus, ut tradit Vincentius Beluacensis, floruit Magister Petrus Lombardus de Novaria trahens originem. Hic doctor egregius scolam Parisiensem doctrina catholica decoravit. Scripsit enim librum Sententiarum, ipsum per IV. Libros distinguens secundum materias; imitatus in hoc Johannem Damascenum, qui primus apud Græcos eodem ordine sacram doctrinam contexuit. Hic commentatus est in psalterium, & Epistolas Pauli, quos omnes libros, sanctorum autoritatibus communivit; anno autem Domini MCLXXV. Alexander Papa concilium celebravit Thuronis, ad quod Imperator solempnes nuntios mittit pro pace reformanda. Forte ideo ad cor reversus pœnituit: vel quia vidit, totam Italiam stare cum Alexandro, intra se bene timuit, ibi fieri novitates contra se; in quo concilio tractatum fuit de concordia. Post hoc Papa, ut Martinus dicit, legatum mittit Venetias, & ibidem Imperator reconciliatur Ecclesiæ, ac pro satisfactione injuriæ crucem assumit contra Sarracenos. Anno autem Domini MCLXXIX. Alexander venit in Romam, mortuis jam quatuor Antipapis, ubi concilium convocat in subsidium terræ sanctæ, tota Italia pacem habente. Post hoc sub Lucio Papa III. fit solempne Passagium Imperatoris cum Germanis, Italicis & Gallicis, in quo tantum profecerunt, quod quasi tota terra sancta recuperata fuit, Sarracenis contritis; quod factum historiæ Francorum attribuunt Philippo Regi Francorum, qui tunc regnavit, & successit Lodovico VI. & annis XLIII. regnavit. Post hoc Alexander Papa anno Domini MCLXXXII. moritur, & in ecclesia beati Petri sepelitur.

Anno Domini MCLXXXII. ab urbe condita MDCCCCXXXIII. Lucius tertius natione Tuscus, de civitate Lucana natus, de nobili prosapia genitus, in Pontificem Romanum sublimatur, CLXXVII. post Petrum. Sedit annos IV. menses II. dies XXVIII. cessavit Episcopatus dies XIII. Hic toto tempore sui Pontificatus, quo Fredericus Imperator vixit, se cum ipso pacifice ac generose habuit; qui Imperator cum multis Germanis & aliis principibus anno Pontificatus Lucii II ut sub Alexandro prius depositum fuit, passagium facit, in quo moritur, ut dictum est. Post hoc Lucius Papa cum Henrico, filio Frederici, jam in Imperatorem electo, & sibi dilecto, in Verona concilium celebrat pro cruce assumenda contra Soldanum Babyloniæ, ubi & moritur, & ibidem sepelitur. In cujus Epitaphio suus ortus, processus & exitus talibus versibus est descriptus: Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum Ostia, Papatum Roma, Verona mori. Deinde ponitur versus, quasi quoddam apologeticum in contraria sententia:

Immo Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

Hujus Pontificis tempore, anno Pontificatus sui primo, scilicet anno Domini MCLXXXII. natus est sanctus Franciscus, ordinis fratrum minorum fundator clarus, cujus gloriosa vita, factis singularissimis & excellentissimis toti mundo stupenda & miranda, Dominum juxta dictum propheticum in factis suis fore mirabiliter ostendit. Item floruit magister Petrus Presbyter Tercensis, quem quidam Commestorem sive Manducatorem appellavit, qui historiam utriusque Testamenti, quæ scolastica nominatur, luculento stylo composuit. Hic, genere Lombardus sepultus est in sancto Victore Parisius, quia, ut refertur, ibidem fuit regularis canonicus. In cujus sepulchri Epitaphio ad mundi contemptum tales sunt scripti versus:

Petrus eram, quem Petra tegit, dictusque Comestor;
Nam comedor, vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt immoriatum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque, quod hic est.

Petra

Petra Petri corpus tenet hæc, animam Petra Christus.
Sic sibi divisit contra Petrumque Petramque. Hoc etiam tempore Joachim Abbas cujusdam Monasterii floruit dicti in Calabria sua autoritate instituti, trahentis originem ab ordine Cistercienfium, propriam habens religionem. Hic Joachim se opposuit Magistro Petro de Novaria in libro sententiarum in quodam suo libello, quem Innocentius tertius in corpore Juris reprobat, sententiam Magistri Petri approbando.

Anno Domini MCLXXXIII. ab urbe condita MDCCCCXXXIV. Henricus VI. Filius Frederici primi, Imperator a Julio XCV. eligitur, & XV. annis imperavit. Hic sub Lucio electus fuit, qui ipsum toto tempore sui Pontificatus multum familiarem & dilectum habuit. Urbanus autem Papa, successor Lucii, ei coronam Imperialem imposuit. Ipse duas uxores habuit; prima fuit Teutonica, qua mortua accepit in uxorem nobilem secundum Cusentinum, Dominam Constantiam, sororem Domini Wilhelmi Regis Ciciliæ, qui fuit de stipite Roberti Cuistardi, & sine hærede decessit. Unde suæ sorori Dominæ Constantiæ regnum de jure debebatur, & hoc multum valet pro aliquibus historiis sequentibus. Hic Imperator cum Domina Constantia sub Cœlestino Papa III. an. Domini MCXII. genuit Fredericum, postea Imperatorem secundum. In cujus ortu magnum fuit tripudium in Italia propter generositatem Imperatoris ad illas partes. Unde Cœlestinus Papa ad sui Imperii ratificationem & majorem solempnitatem ipsum secunda die sui Pontificatus *, in quo anno, scilicet imperii sui VIII, Henricus Imperator incipit tyrannizare contra Ecclesiam, & graviter persequi, & plures Ecclesiæ prælatos trucidare: unde a Cœlestino Papa gravi anathemate excommunicatur, ut dicit Vincentius & Martinus. Ipse tandem post Cœlestinum eodem anno moritur, & in Cicilia apud Panormum anno Domini MCXCVIII. sepelitur.

Anno Domini MCLXXXVI. ab urbe condita MDCCCCXXXVII. Urbanus III. natione Lombardus, ex patre Johanne in summum Pontificem assumitur CLXXVIII. post Petrum. Sedit annum unum, menses X. dies XV. Ipse Henricum Imperatorem coronavit, ut dictum est. Hujus Pontificis anno primo, Soldanus sanctam civitatem capit cum maximo exercitu, ut Martinus scribit, quod cum audisset Urbanus, præ nimio dolore infirmatus moritur, & Ferrariæ sepelitur. Eodem tempore, ut dicit Cusentinus, Imperator Constantinopolitanus Andronicus moritur, cui succedit Isathius.

Anno Domini MCLXXXVIII. ab urbe condita MDCCCCXXXIX. assumptis mensibus superfluis, Gregorius VIII. natione Beneventanus, Romanus Pontifex efficitur CLXXIX. post Petrum. Sedit autem mensem unum, dies XXVIII. & cessavit Episcopatus dies XIII. Hic Pontifex in hoc pauco tempore duas utiles constitutiones fecit circa reconciliatores Ecclesiarum, quæ habentur Extra. de Conf. Ecclesiæ vel altaris, ca. penultimo & ultimo. Ipse ad diversas partes crucem transmittit pro recuperatione terræ sanctæ, sed statim Pisis moritur & ibidem sepelitur. Ubi attende in hoc Pontifice & in præcedentibus, quantus eorum fuerit zelus pro recuperatione terræ sanctæ.

Anno Domini, quo supra Clemens III. natione Romanus in Romanum Pontificem assumitur, CLXXX. post Petrum. Sedit annos III. menses II. dies XIII. & cessavit Episcopatus dies III. Moritur & in Laterano sepelitur.

Anno Domini MCXCI. ab urbe condita MDCCCCXLII. Cœlestinus III. natione Romanus, ex patre Petro Bubonis in summum Pontificem constituitur CLXXXI. post Petrum. Sedit annos VI. menses VIII. dies XI. & cessavit Episcopatus dies XII. Hic fuit vir bonus, & Henricum Imperatorem coronavit, & eundem postea tyrannice agentem excommunicavit. Moritur & in ecclesia sancti Petri sepelitur. Ipse Innocentium successorem suum Cardinalem fecit, & sua persuasione ad Papatum promovit, quia generosus fuit.

Anno Domini MCXCVIII. ab urbe condita MDCCCCLXIX. assumptis mensibus superfluis, Innocentius III. natione Campanus, ex patre Transmundo, in summum Pontificem sublimatur, electus die VIII. mensis Januarii apud septem solium. Hic juvenis extitit, & acutus ingenio: in jure canonico & theologica peritus; fuit autem CLXXXII. post Petrum, & sedit annos XVIII. menses VI. dies XIII. & cessavit Episcopatus dies VI. Ipsius splendida facta fulgebant in urbe pariter & in orbe. Fuit enim gratiosissimus in morum honestate & doctrinæ claritate. Quantum enim ad doctrinam, inter summos pontifices plures decretales fecit: Inter quas tres ad principes destinavit: prima est de eorum per sedem coronatione: hanc habes Extra de electione C. in judiciis c. noviter. Secundus est de eorum irreverentia ad Ecclesiæ prælatos: hanc habes Extra. de majoritate & obedientia. C. solite est. Tertia est ad Electores Imperatoris: hanc habes Extra. de Electione. C. Venerabilem. Hic etiam Pontifex in suis decretalibus, sicuti profundus theologus nobis tradidit veram doctrinam in sacramento Eucharistiæ, de celebratione missarum, de sacramento baptismi, de restitutionibus faciendis, quæ omnia melius, quam unquam aliquis summus Pontifex disputavit, sicuti habetur sub prædictis tribus titulis. Item, quantum ad doctrinam theologicam, fecit librum de miseria & utilitate conditionis humanæ; item librum de officio missæ multum bonum, ut mihi constat; item sermones secundum tempora distinctos, sacra scriptura fulcitos. Item fecit Responsorium. Duo Seraphym, & Collectam A cunctis nos quæsumus. Quantum ad morum honestatem & pietatis opera, fecit vel fertur fecisse Hospitale Sancti Spiritus pro alendum & hospitandum pauperibus & peregrinis in urbe Romana, quod & ma-

gnis divitiis & possessionibus ditavit, sicuti adhuc clarum est. Item gratam eleemosinam fecit in urbe; nam cuilibet ecclesiæ urbis fecit ac tradidit unam libram argenti pro faciendis calicibus, eisdem Ecclesiis non alienandis, cum quibus cottidie divina ministeria vel misteria celebrarentur; quæ pecunia se extendebat ad CCCC. libras argenti. Item renovavit Ecclesiam sancti Syxti in recompensam cujusdam ædificii sumptuosissimi, quod Turris Comitis vocabatur, quod ipse fecerat, de quo reprehensus fuit. Ipse circa ultimum vitæ suæ, scilicet anno Domini MCCXV. anno autem sui Pontificatus XVII. Concilium magnum celebrat mense Novembris in Laterano pro subsidio terræ sanctæ & bono statu Ecclesiæ, cui, ut Martinus scribit, interfuerunt inter Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & alios Prælatos ecclesiæ MCCCXV. Interfuerunt & eidem Concilio hæc duo militantis Ecclesiæ lumina sanctus Franciscus & sanctus Dominicus, pro suorum Ordinum confirmatione supplicantes. Sed amborum Ordinum confirmatio successori suo, scilicet Honorio III. a Deo fuit reservata. Cætera hujus Pontificis gloriosa facta, circa statum Imperatorum, suo tempore existentium, dicentur, cum de ipsis tractabitur, quia Ottonem Imperatorem coronavit, & tyrannizantem postea excommunicavit, ac ab Imperio deposuit. Ipse post concilium celebratum descendit de Urbe in Tusciam pro subsidio terræ sanctæ procurando, & veniens Perusii moritur, & in Ecclesia sancti Laurentii honorifice sepelitur. Hujus Pontificis tempore, nec non Honorii III. sui successoris floruit sanctus Franciscus vir perfectissimæ humilitatis ac eximiæ sanctitatis, qui fuit secretorum cœlestium degustator expertissimus ac contemplator maximus. Hic, ut dictum est, natus sub Lucio Papa III. anno Domini MCLXXXII. de civitate Assisii vallis Spoletanæ, provinciæ Tusciæ traxit originem. Deinde anno MCCV. sui Pontificatus aut Innocentii Papæ III. anno VII. ætatis suæ anno XXIIII. jussu & revelatione Dei, nec non directione divina prævia idem sanctus Franciscus mundum totaliter relinquens ad Deum conversus fuit, eique in statu perfectionis perfectæ adhæsit. Post hoc autem anno II. scilicet anno Domini Christi MCCVII. Pontificatus autem Innocentii anno IX initiavit ordinem fratrum Minorum. Tres enim ordines Christo Jhesu sibi revelante in Ecclesia militante fundavit, qui omnes hominum status in se continent. Primus enim ordo continet sexum masculinum tantum. Hujus professores expropriati sunt omnino ac paupertatem altissimam, quam Christus habuit, in hoc profitentur. Hic est ordo Fratrum Minorum: hunc ordinem Dominus Innocentius Papa jam dictus approbavit anno sui pontificatus X. quod fuit anno Domini MCCVIII. ac ipsis fratribus ad prædicandum verbum Dei per totum mundum licentiam dedit, & habet regulam propriam, nulli alteri religioso deservientem. Honorius vero III. successor Innocentii anno Pontificatus sui VIII. scilicet anno Domini MCCXXIII. III. Kalendarum Decembris ipsum eundem Ordinem confirmat in Laterano. Secundus dicitur Pauperum dominarum sancti Damiani, & comprehendit tantum sexum fœmineum, cujus observatrices habentes proprium in communi; qui etiam Ordo habet propriam regulam. Cujus etiam primitiva ac sancti Francisci prima Plantula fuit virgo sanctissima sancta Clara de militari prosapia civitatis Assisii nata, in quo ordine ipsa annis XLII. Domino sub paupertate altissima militavit. Mortua autem fuit sub Innocentio Papa IV. qui etiam ad eam, vadens in extremis in Assisium, personaliter visitavit anno sui Pontificatus XI. & ultimo, anno autem Domini MCCLIII. quam Alexander IV. successor ejus, pontificatus sui anno II. verum Domini MCCLV, cathalogo Sanctorum asscripsit. Hunc secundum ordinem incœpit sanctus Franciscus sub Innocentio Papa III. anno sui Pontificatus XIV. anno autem Domini MCCLXII. Sed Urbanus Papa IV. post canonisationem sanctæ Claræ, anno sui Pontificatus III. anno vero Domini MCCLXIV. regulam & ipsum ordinem eundem XV. Kalendarum Novembris confirmavit apud Urbem veterem, ac ipsum deinceps Ordinem sanctæ Claræ nominari decrevit. Tertius ordo est quidam modus vivendi approbatus ab Ecclesia, habens etiam propriam regulam seu formam vivendi. Hic comprehendit utrumque sexum, & omnem hominum statum, scilicet virginalem, Clericos cum laycis, masculos cum fœminis. Hic dicitur Ordo fratrum & sororum de pœnitentia, quia sanctus Franciscus nitebatur omnes homines ducere ad statum profectionis & salvationis, tanquam verus zelator animarum pretioso sanguine redemptarum, sicuti expresse liquet in prædictorum trium Ordinum institutione. Hic tertius ordo nec paupertatem promittit nec castitatem, sed solum suis obedientiam prælatis, nec ad peccatum mortale suos obligat transgressores. Hunc ordinem sanctus Franciscus instituit anno Papæ Honorii III. sexto, anno vero Domini MCCXXI. Cujus ordinis regulam Dominus Nicolaus Papa IV. registravit & approbavit, quam postea Papa VIII. Bonifacius annotavit. De quo etiam ordine fit mentio in institutionibus Clementinis. Hic vir sanctus Franciscus totus in Christum crucifixum interius per amorem absorptus, anno statim sequenti post sui ordinis, scilicet fratrum Minorum, confirmationem, per Dominum Honorium Papam factam, biennio ante felicem ejus mortem, scilicet anno Domini MCCXXIIII. anno Pontificatus ejusdem Pontificis IX. insignitus est corporaliter a Domino nostro Jhesu Christo, sibi sub specie Seraph apparente, in manibus & pedibus & dextro latere stigmatibus seu vulneribus ejusdem Domini nostri Jhesu Christi tanquam bulla, quæ confirmationem ordinis & regulæ per Christi vicarium paulo ante factam, autenticavit, & quia miraculum hoc tam stupendum, quod

nec

neca seculo unquam fuit in aliquo homine puro prius visum vel auditum, potuisset per dentes caninos Judæorum fuisse negatum; ideo ad ejus testimonium certissimum, perpetuis temporibus valiturum, præter mirabilia vel miracula quasi innumera & privilegia ipsum approbantia, ipsum in jure communi sub titulo de verborum significatione. C. Exiit, qui seminat L I. VI. est expressum. Et insuper Dominus Gregorius IX. in litera canonizationis sancti Francisci hoc idem fatetur expresse. Idem Dominus Alexander Papa IV. publice prædicans fatebatur, se corporeis oculis vidisse stigmata sancti Francisci. Hæc autem sacrorum stigmatum impressio fuit facta ei anno ætatis suæ XLIII. Hic insuper sanctus vir Franciscus, ut, in quantum in eo erat, in omnibus animarum saluti intenderet, præhabita prius arcana collocutione ac voluntate Domini nostri Jhesu Christi, & sanctissimæ matris ejus, a summo Pontifice Honorio Papa III. impetravit indulgentiam & remissionem omnium peccatorum a pœna & a culpa pro prima ecclesia sui ordinis, quæ dicitur ecclesia sanctæ Mariæ de Angelis, sive Portiuncula extra civitatem Assisii, per diem naturalem semel in anno perpetuis temporibus omnibus pœnitentibus & confessis illuc venientibus a vespera sancti Petri ad Vincula usque ad vesperas crastini diei inclusive: quæ Indulgentia autenticatur singulis annis per præsentiam plurimorum sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalium illuc venientium ac ostensione multorum miraculorum super ea factorum. Hic tandem sanctus an. Domini MCCXXVI. moritur Assisii, ac ibid. innumeris corruscans miraculis sepelitur, anno Pontificatus Domini Honorii Papæ 3tii XI. & ultimo, anno autem Domini MCCXXVIII. anno Pontificatus Gregorii Papæ IX. Idem Pontifex ipsum sanctorum cathalogo asscripsit, & post hoc anno Domini MCCXXX. sanctissimum corpus ejus in Assisio tempore generalis capituli translatum est. Hæc pro nunc de tanto sancto tam breviter dicta sufficiant. Claruit quoque ejusdem Pontificis jam dicti scilicet Innocentii tertii tempore vir sanctissimus ac per cuncta laudabilis, Deo dignus sacerdos, sanctus Dominicus, pater & fundator ordinis præclarissimi fratrum Prædicatorum, qui intima ac sancta familiaritate quasi toto suæ vitæ tempore sancto Francisco fuit conjunctus, ut ex ejus vita & legenda clare ostenditur. Hæc duo lumina Deus mundo jam quasi perdito donavit, ut iram Dei contra ipsum placarent, & ipsum verbo & exemplo ad pœnitentiam revocarent, quod & suis successoribus suarum religionum, quas ad hoc fundaverant, facere mandaverunt. Hic vir sanctissimus venit Tholosam cum Episcopo Exoniensi, sibi in Domino multum familiari, Didaco nomine, anno Domini MCCII. & ibidem ab anno Domini MCCV. per IX. vel XI. annos constantissime verbum Dei prædicavit contra hæreticos ibidem pullulantes, usque ad sui ordinis confirmationem, quæ facta fuit anno Domini MCCXVI. per Honorium Papam III. Pontificatus sui anno primo, sub regula sancti Augustini, quam ipse cum suis fratribus cum quibusdam aliis additionibus, ad suum Ordinem pertinentibus, elegit. Anno autem Domini MCCXXI. Pontificatus Domini Honorii anno VI. hic vir sanctus Dominicus Domino carissimus ac familiarissimus obiit, & ad regna cœlestia migravit. Post hoc anno Domini MCCXXXIII. cum corpus sanctissimi patris Dominici de loco humiliori ad honorabiliorem Bononiæ transfertur, Dominus Gregorius Papa IX. per miracula multa nimis ibi facta, ipsum sanctorum cathalogo asscripsit. Item ejusdem Pontificis scilicet Innocentii III. Papæ, anno sui Pontificatus IX. & anno Domini MCCVII. nata est in Ungaria filia Regis Ungariorum Andreæ, sancta Elizabeth, quæ statim adhuc in cunabulis jacens desponsata est filio Lantgravii Thuringorum Ludowico, bonæ indolis adolescenti, ac non multo post anno a sua nativitate IV. de Ungaria in Thuringiam transportatur, ac post hoc anno ætatis suæ XIV. suo sponso matrimonialiter copulatur, ac annis VI. in matrimonio existens per eundem principem dulcissimum gignit unum filium, nomine Hermannum, qui patre post orbatus statim moritur post matrem. Item gignit duas filias, quarum una intrat monasterium Aldenburgh juxta Wetslariam, alia Zophia nomine Duci Brabantiæ in matrimonio copulatur. Post hoc anno XX. ætatis suæ Elizabeth vir ejus Lodowicus Princeps devotissimus, Passagium fecit ad terram sanctam, ubi mortuus est. Post cujus mortem sancta Elizabeth ei viduitate vel in viduitate supervixit annis IV. Post hoc anno Domini MCCXXXI. ætatis autem suæ XXIV. completo sancta Elizabeth, anno Domini Gregorii Papæ IX. vel VI. apud oppidum Marpurg Moguntiacæ diocesis moritur, & ibidem apud hospitale seu Xenodochium infirmorum & peregrinorum, cujus oratorium ipsa in honorem sancti Francisci dedicari fecerat, sepelitur. Nam ipsa adhuc vivens tantam devotionem ad hunc sanctum habuerat, ac de ejus vitæ perfectione tanta audierat, quod aliqualiter ejus paupertatem & vitam sequi gestiens, nudis pedibus ac fune cincta, nec non grisea induta tunica incedebat. Ipsam Dominus Gregorius IX. anno sui Pontificatus IX. anno vero Domini MCCXXXV. sanctorum asscripsit cathalogo. Prædictus etiam Papa Innocentius III. canonisavit sanctum Thomam Archi-Episcopum Cantuariensem & martyrem. Item canonisavit sanctam Kunegundim, virginem ac conjugem legitimam sancti Henrici Imperatoris, sepultam in Babenberch. Per solicitudinem etiam hujus Pontificis, ut Martinus scribit, Litonia, quæ est provincia confinis Daciæ & Poloniæ, pro majori parte ad fidem conversa est anno Domini MCCXII. Sed anno Domini MCCII. Tartaro * secundus Dominium jam tunc habuit. Hii, ut dicit Martinus, in regione, quæ dicitur Tartaria, sub montibus Indiæ constituti sunt. Hujus etiam Pontificis tempore viguit Huwitio Pisanus, qui in Grammatica fecit regulas derivationum, & copiose glosavit Decretum. Item floruit Papias natione Lombar-

Lombardus, qui expositionem Vocabulorum nobis clarissime tradidit. Hoc etiam tempore anno Domini MCC. civitas Constantinopolis a Francis & Venetis capitur, & ibidem de consensu omnium Baldewinus Comes Flandriæ Imperator Constantinopolitanus efficitur, quod Imperium Latini tenuerunt LVII. annis, usque ad tempora Alexandri Papæ IV.

Anno Domini MCXCIX. ab urbe condita MDCCCCL. Philippus frater Henrici VI. de Domo Sveviæ existentis jam defuncti, quem idem frater adhuc vivens in Tuscia Ducem fecerat, & Otto filius Henrici Ducis Saxoniæ in discordia eliguntur in Imperatores. Sed Romanus Pontifex Dominus Innocentius totum suum conatum adhibet ad promotionem Ottonis, & Philippi abjectionem in odium Domus Sveviæ, propter mala Henrici Imperatoris defuncti, quæ commisit contra Romanam Ecclesiam. Unde non obstante votorum pluralitate, Dominus Papa electionem Philippi irritavit, ac Ottoni favens ipsum Papæ vice mandavit Aquisgrani in regem coronari anno Domini MCC. Philippo nihilominus de facto in Alemannia regnante ac prævalente, qui tandem ab Alagano Comite Palatino, partem Ottonis tenente, in Babenberch dolose occiditur. In cujus occisionis recompensam summus Pontifex Fredericum postea Imperatorem II. tunc X. annorum existentem, filium fratris sui Regem Ciciliæ facit, adhuc sub tutela Dominæ Constantiæ existentem anno Domini MCCII. Post hoc summus Pontifex anno Domini MCCIV. fecit Ottonem in Modecia Lombardiæ corona ferrea laureari. Deinde anno Domini MCCVIII. ipsum in Basilica sancti Petri coronavit in Imperatorem, ubi fidelitatem juravit Ecclesiæ secundum formam debitam. Hic Otto IV. est Imperator, a Julio autem XCVI. multum discordans a primis tribus propter vel per infidelitatem subsecutam. Nam statim post hoc anno secundo contra voluntatem summi Pontificis Apuliam intravit, ac regnum in magna parte Frederico abstulit, ac insuper suus exercitus Romipetas spoliavit, ipseque cum Romanis magnam pugnam habuit. Unde Dominus Papa deceptum se videns anno Domini MCCXI. ipsum excommunicavit, ab imperio deposuit, & omnes Principes a juramento fidelitatis absolvit, mandatque electoribus, ut ad electionem alterius procedant; qui Fredericum II. eligunt, qui in Alemannia pugnans contra Ottonem prævalet contra ipsum, qui in Saxoniam rediens, tandem miserabiliter vitam finiens secundum sua merita, & in Brunswig sepelitur, & imperavit annos XII.

Anno Domini MCCXII. ab urbe condita MDCCCCLXIII. Fredericus secundus * filius Henrici Imperatoris VI. de domo Sveviæ, & filius Dominæ Constantiæ Ottone deposito ab Electoribus ad mandatum Domini Innocentii Papæ III. anno sui Pontificatus XIV. Imperator a Julio XCVII. efficitur, & XXXIII. annis ante sui depositionem & excommunicationem ultimam imperavit. Hunc Papa Innocentius nec coronare voluit, quamvis post ejus electionem per IV. annos in Pontificatu vixerit, propter demerita sui patris. Ejus tamen electionem dissimulavit propter odium Ottonis, & ne tot Principes perturbaret. Sed Honorius tertius successor ejus propter devotionem & merita Constantiæ Dominæ suæ matris ad Ecclesiam, & etiam, quia concorditer electus fuit, ipsum an. Domini MCCXX. pontificatus sui anno V. coronavit in Imperatorem in Basilica sancti Petri, & tunc erat annorum XXVIII. Item in principio bene se habuit ad Ecclesiam matre vivente, & ipsum regente. Sed matre mortua statim incepit ecclesias gravare & in servitutem redigere. Unde monitione præmissa Honorius Papa ipsum in tali tyrannide perseverantem Ecclesiasque persequentem anno II. a sua coronatione excommunicavit, & Barones Apuliæ & Imperii a juramento fidelitatis absolvit, ut dicit Vincentius. Post hoc, anno Domini MCCXXV. non obstante excommunicatione Imperator ad partes ultramarinas vadit, & cum filia Regis Jerosolymitani Johannis matrimonium contrahit. Deinde Dominus Gregorius IX. sui Pontificatus anno II. sui antecessoris excommunicationem renovat contra ipsum. Statim post hoc anno Domini MCCXXVII. Imperator cum cruce signatus mare transfretat, & coronam regni Jerosolymitani ratione uxoris suæ suscipit. In passagio Ludowicus Lantgravius Thuringiæ, cum multis Principibus se transfretavit ob devotionem contra infideles, relicta domi conjuge sua sancta Elizabeth, ubi & mortuus est. Imperator de ultra mari rediens, invenit per Papam regnum Apuliæ, quod ad eum ex successione matris pertinebat, aliter dispositum & innovatum, filiumque suum primogenitum Henricum, qui prius erat Rex in Italia constitutus, in carcere squalido includit, ubi & moritur. Post hoc anno Domini MCCXXVIII. non obstante depositione & excommunicatione, Fredericus Imperator Conradum filium suum de muliere sive uxore sua vel secunda natum, scilicet filia Regis Jerosolimitani, Regem facit Alemanniæ de facto, licet non de jure. Deinde mortuo Gregorio & Cœlestino Romanis Pontificibus, Innocentius IV. anno Domini MCCXLV. Pontificatus sui anno III. in concilio Lugdunensi Fredericum Imperatorem velut hostem Ecclesiæ condempnat, & ipsum tam ab Imperio quam a regno Ciciliæ, Apuliæ & Calabriæ deponit, & omnes Vasallos a juramento fidelitatis absolvit, ut habetur Extra. de sententia & re judicata C. Ab vel ad Apostolicæ depositionis quatuor assignantur causæ; prima fuit Romani perjurii, quod incurrebat apud Ecclesiam, non servando juramentum ei factum Romani Imperii defendi & de regno Ciciliæ secunda fuit sacrilegii. Fecit enim capi Cardinales & Ecclesiæ Prælatos ad concilium euntes, tempore Gregorii & ejusdem Innocentii III. Tertia fuit, quia suspectus fuit ab hæresi, immo notatus. Quarta fuit, quia per XI. annos non solvebat censum Ecclesiæ de regno Ciciliæ, quod habuit in feudum ab ea, quod est speciale patrimonium sancti Petri. Post hoc

hoc ipso Friderico adhuc vivente ac Ecclesiam graviter persequente, electi sunt duo in Imperatores successive, ante ipsum tamen mortui, ut videbitur. Anno Domini MCCL. ipse Fredericus in Apulia in quadam civitate dicta Friselon infirmatus moritur, ut Martinus scribit, hoc modo: Nam cum in dicto loco infirmaretur graviter, scilicet in jam dicta civitate, Manfridus filius suus naturalis, timens quod convalesceret, propter thesaurum patris, quem ipse custodiebat, ipsum cum Cussino super os posito suffocavit. & secundum sua merita in excommunicatione & sine sacramentis & contritione vitam male finivit. Post hoc mortuo Frederico, Conradus filius suus legitimus de filia Regis Jerosolimitani regnum Siciliæ suscepit, quem Manfredus frater suus jam dictus anno Domini MCCLII. intoxicavit & occidit, & regni ejusdem gubernationem contra Ecclesiam sibi usurpavit sub Innocentio IV. Quo mortuo statim post sumit audaciam, & regni coronam accipit, & se Regem vocari mandavit. Toto tempore Alexandri Papæ IV. prosperatur contra Ecclesiam, ipsam potenter persequendo. Malum tamen exitum suorum facinorum postea habuit, ut videbitur. Hujus etiam Frederici tempore, anno Domini MCCXVIII. Philippus Rex Francorum, qui regnavit XLIII. annis, ut supra dictum est, moritur: Cui succedit in Regno Lodowicus VI. filius suus legitimus, pater sancti Lodowici Regis Franciæ, & anno Domini MCCXIX. Remis coronatur, & habens uxorem Dominam Blancam filiam Regis Castellæ, de qua generat IV. filios, inter quos primogenitus sanctus Lodowicus, qui ei succedit in regno. Ipse fuit vir magnæ strenuitatis, & pauco tempore regnavit. Moritur autem anno Domini MCCXXVI. ut Vincentius scribit, cui, ut dictum est, succedit in regno sanctus Lodowicus VII. XIV. annorum, adhuc sub tutela matris Dominæ Blancæ existens, quæ fuit mulier magnæ virtutis & laudis, & anno XIV. ætatis suæ Remis coronatus est. Hic XX. annorum existens, accipit in uxorem filiam Comitis Provinciæ Rayimundi nomine Margaretam, de qua genuit V. filios & III. filias. Anno autem Domini MCCXXXIX. Pontificatus Gregorii XI. anno XIII. corona Domini spinea pro industria ejusdem piissimi Regis Francorum sancti Lodowici tunc XXVI. annorum existentis, Parisius est translata, cui multum favit Baldewinus tunc Constantinopolitanus Imperator. Post hoc anno Domini MCCXLIX. ipse sanctus Lodowicus de Parisius existens, Passagium facit, & a Sarracenis apud terram sanctam capitur, & in Syria pro se & suis captis V. annis detinetur. Interim Carolus frater suus, avus sancti Lodowici Tholosani Episcopi in Francia manet, pro consolatione matris Dominæ Blancæ. Nam uxor sua secum manebat in captione. Post hoc in Franciam revertitur anno Domini MCCLIV. se & suis pro CC. Sterlingorum redemptis Post hoc autem anno Domini MCCLXX. aliud Passagium facit contra Regem Tunitii cum magna comitiva, & cum intrasset regiones Carthaginis, epidemia exercitum invasit, de qua ipse cum duobus filiis multisque aliis mortuus est VIII. Kalendarum Septembris anno vitæ suæ LIX. sed Regni XLIV. sede Romana ac Imperii vacantibus per mortem Clementis IV. Ipsum Bonifacius IV. canonizavit an. Domini MCCXCVI. Pontificatus sui anno II. Ante hujus Principis sancti obitum anno VII. scilicet anno Domini MCCLXIII. anno autem Pontificatus sui secundo Urbanus Papa IV. Carolum fratrem ejusdem Regis & avum sancti Lodowici Episcopi Tholosani, Comitem Andegavensem & Comitem Provinciæ ratione uxoris suæ, propter suam bellicositatem & ad Ecclesiam fidelitatem, & fratris sui Regis Franciæ sancti Lodewici reverentiam cum suorum fratrum consilio Regem facit Siciliæ, & omnia sibi connexa ei confert cum regno, ad juvandam Ecclesiam contra Manfredum vel Manfredum usurpatorem ejusdem Regni jam dicti. Qui Carolus jussu Clementis IV. successoris Urbani per quosdam Cardinales in Laterano in Regem coronatur, & ipse Papa ipsum insuper senatorem urbis facit, cui idem Rex juramentum facit fidelitatis anno sui Pontificatus primo. Qui Carolus Rex statim anno sequenti, scilicet anno Domini MCCLXVI. agens fideliter ac strenue pro Ecclesia Manfredum vel Ganfredum in bello occidit, & totum regnum recuperavit. Ipse moritur anno Domini MCCLXXXIII. sancto autem Ludowico Regi Franciæ succedit in regno Philippus filius suus.

Anno Domini MCCXVI. ab urbe condita MDCCCCLXVII. Honorius III. natione Romanus ex patre Amakyto in Pontificem Romanum sublimatur CLXXXIII. post Petrum. Sedit annos X. menses VIII. & fuit electus Perusii. Ipse fuit vir magnæ laudis & literaturæ, & facta magna & ardua fecit. Ipse enim decretales multas & utiles fecit ad mores Clericorum & Religiosorum sub diversis titulis. Item Ecclesiam sancti Laurentii extra muros renovavit. Item renovavit Sancta sanctorum. Item Fredericum Imperatorem coronavit, & postea contra Ecclesiam tyrannisantem excommunicavit, ut visum est supra. Ipse etiam ad Religionum bonum statum multum intentus fuit. Ipsos enim religiosos multum dilexit; nam Ordines illos solempnes, scilicet fratrum minorum & prædicatorum confirmavit. Item mortuo Baldewino anno Domini MCCXVII. Pontificatus sui anno secundo. Comitem Altissiodorensem Imperatorem Constantinopolitanum instituit sine electione, & ipsum in Laterano coronavit. In quo apparet magna autoritas Romani Pontificis. Post hoc anno Domini MCCXVIII. Rex Hungariæ & Dux Austriæ cum multis aliis diversarum nationum, cruce signati vadunt ad terram sanctam, & fortiter cum Sarracenis pugnant, & Damiatam capiunt, ac totam terram Christianorum recuperant, ut Vincentius scribit. Sed anno sequenti Sarraceni Damiatam rehabuerunt. Hujus etiam Pontificis tempore & Gregorii sui successoris floruit in ordine fratrum Minorum in vita laudabili & doctrina

sanctus Antonius sacerdos, vir miræ sanctitatis & egregius prædicator, & hæresium exstirpator. Hunc ob gratiam verbi divini ac sapientiæ donum sibi divinitus infusum Dominus Gregorius IX. Archam testamenti peculiari vocabulo nominavit. Ipse in vita & in morte multis miraculis ac magnis claruit. Inter quæ legitur duos mortuos suscitasse. Moritur autem Paduæ anno Domini MCCXXXI. anno Pontificatus Domini Gregorii IX. V. & ante annum a suo obitu revolutum per magnum miraculum Domino Papæ eidem & Cardinalibus super hoc ostensum, ab eodem Gregorio IX. canonisatus fuit; quod nunquam apud curiam prius factum fuit: unde in aniversario obitus sui suum Festum solempniter fuit celebratum. Hujus etiam Pontificis tempore floruit Wilhelmus Altisiodorensis, qui magnam ac solempnem Summam in Theologia composuit. Item floruerunt duo Doctores viri Canonici, scilicet Laurentius & Vincentius, qui traduntur Hispani fuisse, & pro magna autoritate allegantur in antiquo jure. Hic etiam Pontifex confirmavit Ordinem fratrum Vallis Scolarium, qui adhuc in Francia florent, & habent Parisius Scolas, & Magistrum Theologica facultate. Item confirmavit Ordinem fratrum sanctæ Mariæ de Monte Carmeli. Moritur anno Domini MCCXXVI. & in Ecclesia sanctæ Mariæ honorifice sepelitur, scilicet majoris. Quo etiam anno sanctus Franciscus obiit, sed ante ipsum.

Anno Domini MCCXXV. ab urbe condita MDCCCCLXXVII. Gregorius IX. natione Campanus de Anagnia, prius dictus Hugolinus Ostiensis Episcopus, quem sanctus Franciscus adhuc constitutum in minoribus, prædixit Papam futurum per spiritum Propheticum, in Romanum Pontificem apud Septem solium XIV. die Martii eligitur, CLXXXIV. post Petrum. Sedit annos XIV. menses VI. Hic Pontifex fuit vir magnæ laudis & magnæ literaturæ, & multa laudabilia & virtuosa scripsit & fecit, tutor pauperum & religiosorum. Ipse decretales suorum præcessorum Romanorum Pontificum multum utiliter subjectis titulis in unum volumen redegit, continens quinque libros, ac eidem suas epistolas decretales adjunxit & inseruit, & hoc totum fecit per fratrem Raymundum ordinis fratrum prædicatorum, suum Capellanum & pœnitentiarium. Hic fuit Raymundus in jure perfectissimus & magnæ sanctitatis, fuitque natione Cathalonus diœcesis Barcinonensis, fecitque Summam, quæ de casibus appellatur, in qua confessores constituuntur in hiis, quæ ad animarum pertinent salutem. Hic Pontifex venerabilis sanctum Franciscum & sanctum Dominicum & sanctum Anthonium fratrem Ordinis Minorum, nec non sanctam Elisabeth Sanctorum cathalogo asscripsit, ut supra dictum est. Item Ordinem fratrum Heremitarum sancti Augustini confirmavit. Ipse etiam Fredericum Imperatorem, canonica admonitione præmissa, excommunicavit. Quo tempore Lombardia in duas partes dividitur, quæ partes sortiuntur nomina duorum fratrum valde nobilium de Tuscia natorum: scilicet in partem Ecclesiæ [& Imperatoris] quas sequebantur Gebellinus frater suus & Gwelfus. Anno autem Domini MCCXXXV. idem Pontifex mandavit crucem prædicari in Francia in subsidium Terræ sanctæ per fratres Minores & Prædicatores, quia jam incipiebat terram perdi. Hiis duobus Ordinibus prædictus Pontifex multum familiaris fuit, ipsosque multum dilexit, ac contra invidos bonis privilegiis munivit, quæ habentur Extra. de Excessu Prælatorum C. Nimis parva, & C. Nimis iniqua. Hujus etiam Pontificis tempore floruit in jure canonico Magister Johannes Theutonicus, de Halverstad vel Halberstad provinciæ Saxoniæ oriundus, qui fertur fuisse discipulus Hugonis, & fecit Apparatum super decretum post Hugonem prædictum. Item viguit præpositus * in Theologia, cujus autoritates ab aliis pro valde authenticis referuntur. Hoc etiam tempore, anno Domini MCCXXXI. quidam Judæus in Hispania in quadam rupe vineæ suæ in quadam concavitate profunda invenit quandam Cronicam, quasi lignea folia habentem, ab Adam usque ad Anti-Christum scriptam, tantam in scriptura, quantum est psalterium in tribus lingvis, scilicet Græce, Hebraice & Latine, & in tres mundi partes distinctam; in qua etiam continebatur, quod ipsa tempore Regis Hispaniæ Fernandi inveniri deberet, qui tunc regnavit. In cujus Cronicæ tertiæ partis principio continebatur sic: In tertio igitur mundo nascetur filius de Virgine Maria, patieturque pro salute hominum; quod videns Judæus statim credidit, & cum omni familia sua baptizatus est. Hic felix Pontifex bono fine ad Dominum transiit anno Domini MCCXL. in mense Augusto.

Anno Domini MCCXL. ab urbe condita MDCCCCXCI. Cœlestinus IV. natione Mediolanensis prius dictus Manfredus, Cardinalis & Episcopus Sabinensis, vir provectæ ætatis & vita laudabilis, in summum Pontificem eligitur CLXXXV. post Petrum. Sedit autem XVII. diebus tantum, & propter laborem officii statim mortuus est, & propter suam opinionem laudabilem præcentam, in Ecclesia sancti Petri honorifice sepelitur; & tunc Frederico Imperatore zizania discordiæ seminante, sedes Romana annis II. vacavit.

Anno Domini MCCXLII. ab urbe condita MDCCCCXCIII. Innocentius IV. nomine Sinibaldus dictus, de genere Comitum de Lavania, quæ est in Riparia Januensi apud Anagniam in crastino sancti Johannis Baptistæ, in summum Pontificem assumitur CLXXXVI. post Petrum. Sedit autem annos XI. menses II. cessavit Episcopatus menses III. dies IV. Hic anno sui Pontificatus secundo vadit in Galliam in Lugdunum sub protectione sancti Lodowici Regis Francorum, & ibidem anno Domini MCCXLV. concilium celebrat, in quo multa constituta vel statuta fecit, ac ibidem Fredericum Imperatorem præmissa requisitione de concordia, ab Imperio deponit, ut in ejusdem Frederici Cronica dictum est; & eodem anno

crucem

crucem prædicari facit contra infideles ad petitionem Lodowici Regis Francorum, fratresque Prædicatores & fratres Minores mittit ad Tartaros, ad ipsos convertendos, ubi magnum faciunt fructum. Anno autem Domini MCCXLVI. idem Pontifex mandat Electoribus Imperatoris Alemanniæ, ut ad electionem Imperatoris accedant, quod & faciunt, ut statim videbitur. Hic etiam Pontifex eo tempore, quo moram traxit in Lugduno, scilicet per annos VIII. usque ad annum Domini MCCLII. fecit magnum librum per modum apparatus Decretalium, quem Canonistæ magni imitantur. Erat enim Jurista magnus valde; fecit & alium librum Decretalium suarum, quæ in concilio suo tradita sunt, quem Novellam vocavit. Sed Dominus Ostiensis eas vocat Autenticas, quæ omnes sexto libro insertæ sunt. Item fecit librum de Jurisdictione & autoritate Imperii contra Fredericum Imperatorem, quem vocat Apologeticum. Hujus Pontificis tempore anno Domini MCCXLIX. claruit in Lombardia in vita, miraculis & doctrina sanctus Petrus martyr fratrum Prædicatorum, natione Veronensis in territorio Mediolanensi, ab hæreticis occisus, contra quos ardentissime prædicavit, canonizatus postea Perusii per eundem Innocentium IV. anno Domini MCCLIII. Hic etiam Pontifex apud Lugdunum canonizavit sanctum Ethmundum Archiepiscopum Cantuariensem, anno Domini MCCXLVI. Hoc etiam tempore viguit Parisius Doctor præclarus, Alexander Ordinis fratrum Minorum, qui grandævus Ordinem prædictum intravit, & multa fecit. Nam Johannem & Epistolas Pauli postillavit & plures alios libros; scripsitque Summam in Theologia valde copiosam. Hoc etiam tempore fuit Bernhardus Parmensis, qui apparatum fecerat super Decretales i. e. Glossam ordinariam. Item fecit casus earundem. Item viguit Compestellanus, qui apparatum fecit de Electione. Item floruit Dominus Hugo Cardinalis Ordinis Prædicatorum, qui totam Bibliam postillavit, & sicut Doctor clarus primas Concordantias super Bibliam cum suis fratribus ad invenit. Ipse Papa Innocentius tandem anno Domini MCCLII. de Lugduno vadit Perusii, deinde parato exercitu ad intrandum Apuliam contra Manfredum, mortuo jam Imperatore Frederico anno Domini MCCLIII. veniensque de Perusio in Neapolim ibidem moritur, & in Ecclesia sancti Laurentii honorifice sepelitur.

Anno Domini MCCXLVI. deposito Frederico de Imperio, adhuc vivente, per Innocentium Papam IV. ad mandatum ejusdem Pontificis, Henricus VII. Landgravius Thuringiæ ab Electoribus XCVIII. a Julio Imperator eligitur, & duobus tantum annis imperavit sine coronatione, propter brevitatem vitæ & resistentiam Conradi filii Frederici, quem prius Regem Alemanniæ fecit de facto, & non de jure. Hic Henricus in Imperatorem in Hocchym juxta Herbipolim est electus, & mortuus, & in Isenaco sepultus.

Anno Domini MCCXLVIII. mortuo Henrico Landgravio, in Imperatorem electo, adhuc vivente Frederico deposito, Wilhelmus Comes Hollandriæ ad mandatum Innocentii IV. Imperator XCIX. a Julio eligitur, & eodem anno sine coronationis Imperialis beneficio a Frisonibus occiditur, & statim post hoc, scilicet anno Domini MCCL. Fredericus moritur, vacavitque imperium per mortem Wilhelmi usque ad annum Domini MCCLVI. ymmo usque LXXIII.

Anno Domini MCCLIII. ab urbe condita MMIV. Alexander IV. natione Campanus in summum Pontificem sumitur CLXXXVII. post Petrum. Sedit annos VII. & cessavit Episcopatus menses III. Hic fuit vir pius admodum ac benignus, & pauperum præcipuus zelator. Ipse plures Decretales fecit pro bono Ecclesiæ statu. Ipse quoque multum beneficus & gratiosus fuit fratribus Minoribus & Prædicatoribus, quos contra Prælatos invidos multis privilegiis munivit. Specialiter tamen inter cætera multa unum eis privilegium dedit, quod incipit: Virtute conspicuos, sub bulla, quod aliqui propter multitudinem articulorum in eo contentorum, qui sunt 40. Mare magnum vocant; in quo privilegio omnes libertates & gratiæ eis a sede Apostolica pro - - parte datæ continentur. Quod quidem privilegium Clemens Papa IV. secundus post eum, addito adhuc uno articulo confirmavit, & bullam suam in perpetuum valituram authenticavit. Hic quoque Alexander Papa ad ostendendum vitam eorundem fratrum fore Evangelicam pariter & Catholicam, quendam contra eos librum piissimi dogmatis, cujusdam dicti Wilhelmi de sancto Amore damnavit, & publico consistorio conburi fecit, tanquam dogma pestiferum anno Domini MCCLVII. qui liber continebat, quod pauperes religiosi vivendo de eleemosinis & prædicando verbum Dei non essent in statu salutis. Alium quoque libellum impiissimi dogmatis comburi faciebat, continentem, quod lex Evangelica esset figura legis specialis, sicut lex vetus legis Evangelicæ. Contra quem Wilhelmum jam dictum sanctus Thomas de Aquino, Ordinis fratrum Prædicatorum, qui tunc florebat, ut statim dicetur, libellum composuit, qui incipit: Domine, ecce, inimici tui &c. Hic Alexander Papa vir magnæ humilitatis ac pietatis fertur per quasdam historias fuisse Episcopus Hostiensis. Unde quandoque ibat Ostiam & Velletrum, & ibi prædicabat verbum Dei personaliter, & alia multa humilitatis opera faciebat. Ipse Pontificatus sui anno III. & anno Domini MCCLVI. sanctam Claram Sanctorum catalogo annotavit. Hujus etiam tempore floruerunt duo viri magni in vita & doctrina Ordinis fratrum Prædicatorum. Primus fuit Doctor egregius, Dominus ac frater Albertus Teutonicus, Ratisbonensis Episcopus, dictus Magnus, vir laudabilis vitæ, qui multa in Ordine existens scripsit non solum in Theologia, sed & in Physica, & in Logica multos libros commentatus fuit. Diu enim

enim vixit, & post hoc suis meritis exigentibus Episcopus Ratisbonensis in Ducatu Bavariæ factus fuit; cui renunciavit propter ejus curam, quæ sine ense fieri non potuit, & in Coloniam ivit, ubi post renunciationem prædictam XIIX. annis Scholas rexit multum laudabiliter, & tandem plus quam octogenarius anno Domini MCCLXXX. in pace quievit. Secundus fuit Doctor clarus sanctus Thomas de Aquino in terra Apuliæ, qui annorum XVI. existens prædictum Ordinem intravit invitis parentibus. Fuit autem primum auditor Alberti jam dicti in Colonia, deinde Doctor factus Parisius sub quinque Romanis Pontificibus, scilicet Innocentio IV. & cæteris post eum, quibus vel cum quibus in Doctoratu currebat, non solum in vitæ sanctitate, verum etiam in doctrinæ claritate ipsam Ecclesiam illuminavit. Latus enim valde in scientiis fuit, & multos libros propter fidei zelum & ad ædificationem fidelium compilavit. Composuit enim inter cætera librum contra gentiles. Item quodam novo & singulari modo exposuit totum textum Evangeliorum, non nisi per autenticas sanctorum. Item scripsit solemnissimam summam omni scientia plenam, quam in tres partes divisit: prima fuit naturalis, quia ibi diffinit de naturis rerum, & primo de divina essentia, secundo de rebus increatis; Secunda pars est moralis, habens duo volumina, primum est de utilibus materiis, quæ Primæ & Secundæ vocantur respectu ejusdem Philosophiæ moralis. Secundum volumen sive pars continet speciales materias omnium virtutum & vitiorum, quod etiam respectu ejusdem materiæ * appellamus. Tertia pars summæ, quæ est quartum volumen, dicitur Sacramentalis, quia in eo agitur de incarnatione verbi & de Sacramentis. Hic etiam Doctor ad mandatum Domini Urbani Papæ IV. fecit totum Officium nocturnum & diurnum, & in missa, quod legitur & cantatur de corpore Christi; Et tandem anno Domini MCCLXXII. cum vocaretur per Dominum Gregorium X. ad Concilium Lugduni celebrandum, & transiret de Neapoli, in Campaniam veniens infirmatur & moritur anno ætatis suæ L. & in quodam solempni monasterio ordinis Cisterciensis, nomine Fossa Nova sepelitur. Post hoc per Dominum Johannem Papam XXII. canonizatur anno Domini MCCCXXIII. Pontificatus sui anno VII. Cujus festum agitur ipso die Perpetuæ & Felicitatis martyrum. Hoc etiam tempore floruit in ordine fratrum Minorum frater Bonaventura, Magister sacræ Theologiæ, in eadem facultate profundissimus de Tuscia provincia Tudertina civitate natus, vir magnæ devotionis ac innocentiæ, in vita & doctrina admodum gratiosus: Sed præcipue in sermone. Hic multos libros fecit, multosque libros Bibliæ postillavit, sicuti libros Salomonis & Job, & Epistolas Pauli & alia multa. Cujus scriptum super Sententias & Doctoribus sacræ paginæ multum approbatur, & quasi pro autentico reputatur; & fuit pulcherrimus & excellentissimus super omnes doctores sui temporis. Item Gregorius Papa X. fecit Cardinalem scilicet Episcopum Albanensem, de Generalatus sui ordinis officio eum assumens, qui in Cardinalatu interfuit concilio Lugdunensi; Ipsumque postea Nicolaus Papa III. summum fecit Pœnitentiarium, ac ipsum in domo sua habebat confessorem & specialiter familiarem. Hoc etiam tempore floruit in jure canonico Bartholomæus Brixensis, qui ad Glossam Johannis Teutonici super decretum, multa addidit & declaravit. Item fecit casus Decretorum. Item floruit Dominus Henricus Cardinalis Episcopus Ostiensis, prius Archiepiscopus Ebredunensis, egregius Theologus & in utroque jure magnus, & vir laudabilis vitæ in statu suo. Hic fecit Summam utilem, quam Copiosam vocant. Item fecit Apparatum super Decretales omni jure plenum. Hujus etiam Pontificis tempore tertio anno vel anno VI. sui Pontificatus quidam Græcus Michahel, dictus Palliologus per negligentiam Imperatoris Baldewini & Venetorum Constantinopolim capit & Latinis aufert, quam, ut supra dictum est, tenuerant ab anno Domini MCC. & coronatur, subjiciens omnes terras vicinas suæ ditioni. Post hoc anno Domini MCCLX. in festo sancti Urbani ille pius Papa Alexander in Viterbio moritur, & in Ecclesia sancti Laurentii honorifice sepelitur.

Anno Domini MCCLVI. Electores Imperatoris ad eligendum Imperatorem conveniunt, & in duas partes se dividunt, quia una pars eligit Regem Castellæ Alfonsum, alia pars Dominum Richardum Comitem Cornubiæ, & fratrem Regis Angliæ, quæ discordia duravit multis annis, scilicet XVII. annis usque ad annum Domini MCCLXXIII. nec terminata fuit, nisi per mortem Domini Richardi. Et licet Dominus Richardus plures Electores & fautores habuerit, tamen in Imperio nunquam potenter se habuit, & in Anglia mortuus fuit. Unde totum tempus horum duorum simul fuit tempus vacationis Imperii.

Anno Domini MCCLXI. ab urbe condita MMXII. Urbanus IV. natione Gallicus de civitate Trecas oriundus, Patriarcha Jerosolymitanus de ultramari post suam electionem vocatus, in festo sancti Johannis Baptistæ, scilicet decollationis, in summum Pontificem eligitur, CLXXXVIII. post Petrum. Sedit annos III. mensem unum, & cessavit Episcopatus menses V. Hic fecit ac instituit Festum corporis Christi annis singulis perpetuis temporibus celebrandum per totam Ecclesiam, mandans hoc per statutum, quod incipit: Transiturus ex hoc mundo; quod fuit postea per Clementem V. roboratum in Concilio Bennensi anno Domini MCCCX. ubi idem Papa prædictum statutum inseruit suis statutis, quæ Clementinæ nominantur, sub titulo de Reliquiis & veneratione sanctorum. Item Urbanus contulit regnum Siciliæ Carolo fratri sancti Lodowici Regis Franciæ, ut dictum est. Moritur autem in festo sancti Jeronymi.

Anno Domini MCCLXV. Clemens IV. natione

tione Provincialis de Villa sancti Ægidii, vocatus prius Guido Fulcon vel Fulcodii, Cardinalis & Episcopus Sabinensis, summus Pontifex eligitur in festo sanctæ Agathæ CLXXXIX. post Petrum; & sedit annos III. menses IX. dies XXIV. Cessavit Episcopatus annos II. menses IX. Hic fuit vir miræ probitatis, & de omni statu mundi expertus, semper se virtuose habens. Nam prius uxoratus fuit, & filios habuit, fuitque advocatus utriusque juris in curia sancti Lodowici Regis Franciæ, multumque ei familiaris ac vir bonæ vitæ, qui sanctus Lodowicus ipsum ad omnia promovit. Nam mortua uxore & ipso Clerico facto, non multo post propter exempla virtutum visa de eo per Regem assumtus est in Episcopum Avisiensem: Deinde in Archiepiscopum Narbonensem. Post hoc per Urbanum Cardinalis Episcopus Sabinensis factus est. Deinde mortuo Urbano ipse eligitur, & ad magnam precum instantiam sibi porrectarum vix cum lacrymis Papatum assumit, ac in Viterbio residentiam facit. Hunc Martinus Polonus sic describit, quod fuit Clericus, Generalis, Jurista summus, prædicator egregius, cantor pulcherrimus, concionator sine pari. Carnes non comedit; asperrimo lecto est usus, nec vestibus lineis ad carnem utebatur, ac sic sanctissimam vitam duxit, nec invenitur exaltasse parentes, totus Deo dicatus. Hic felix Pontifex canonizavit sanctam Hedewigem, quæ fuit Ducissa Poloniæ, & filia Ducis de Meran; Mater Henrici Ducis Poloniæ a Tartaris occisi, matertera sanctæ Elizabeth magnis resplendens miraculis, in diœcesi Wratislaviensi sepulta, quæ canonisatio facta est an. Domini MCCLXVII. Pontificatus Clementis anno secundo, Viterbii in ecclesia Fratrum Minorum. Ipse etiam, ut dictum est de Alexandro IV. dedit Fratribus Minoribus & Prædicatoribus Privilegium habens XLI. articulos, quod incipit: Vitæ conspicuos, & vocatur Mare magnum. Item coronavit ac senatorem urbis fecit Carolum Regem Ciciliæ, ac eum Vicarium in Tuscia constituit. Ejus etiam tempore moritur Richardus Comes Cornubiæ, qui fuit sub contentione in Imperatorem electus, sed Imperium non habuit. Item hoc tempore anno Pontificatus secundo Anthiochia a Soldano capitur, capta ad aliquot annos ante hoc Jherusolyma & terra sancta, & sic paulatim terra sancta consumitur & a Sarracenis possidetur. Item Clemens Papa moritur in festo sancti Andreæ anno Domini MCCLXVIII. & Viterbii in Ecclesia fratrum Prædicatorum honorifice sepelitur.

Anno Domini MCCLXXI. ab urbe condita MMXXII. Gregorius X. natione Lombardus de civitate Placentina, de domo Vice-Comitum, existens Archidiaconus Leodiensis, in terra sancta manens, ad quam ex devotione transfretat, in Viterbio in summum Pontificem circa principium Septembris eligitur CXC. post Petrum. Sedit autem a tempore suæ creationis annos IV. menses IV. dies X. & cessavit Episcopatus dies X. Hic fecit unam ordinationem Cardinalium, inter quos fuerunt duo egregii Magistri duorum Ordinum; primus fuit Magister Petrus de Tarantasia Ordinis Prædicatorum. Hic fuit primo Archiepiscopus Lugdunensis, postea per jam dictum Papam factus Cardinalis Episcopus Ostiensis, & tandem Papa, scilicet Innocentius V. non sine suis meritis. Fuit enim vir magnæ religionis & literaturæ, & multos libros Bibliæ postillavit, specialiter tamen Epistolas Pauli, & solempniter suas sententias conscripsit, & Parisius diu scolas rexit. Secundus fuit Magister Bonaventura, minister Generalis ordinis Fratrum Minorum, quem dictus Papa fecit Cardinalem Episcopum Albanensem, de quo dictum est supra in Cronica Alexandri IV. Hic etiam Papa Gregorius pro subsidio terræ sanctæ solempne Concilium Lugduni celebravit, quia terram sanctam proposuit personaliter visitare anno sui Pontificatus III. & anno Domini MCCLXXIII. Cui Concilio interfuerunt D. Episcopi, Abbates LXX. aliique Ecclesiæ Prælati diversi M. In quo Concilio pro diverso statu bono Ecclesiæ multa statuta facta sunt, quæ omnia postea libro VI. Decretalium sub suis titulis per Bonifacium VIII. inserta sunt. In quo etiam Concilio per solempnes nuntios Græci Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere confessi sunt. Hic Papa miræ fuit experientiæ in secularibus, quamvis modicæ literaturæ. Religiosos multum dilexit, nec intendebat pecuniarum lucris, sed potius per oppositum pauperum eleemosinis. Ipse in Arecia non multo post Concilium infirmatur, & ibidem IV. Idus Maji moritur.

Anno Domini MCCLXXIII. ab urbe condita MMXXIV. Rodolphus Comes de Habspurg Suevus, diœcesis Constantiæ Imperator Romanus ab Electoribus C. eligitur a Julio, & annis XVIII. regnavit, sine tamen benedictione Imperiali & coronatione, quod tamen est multum mirabile, quia Romanis Pontificibus sui temporis fuit multum familiaris. Ejus electionem Gregorius Papa X. confirmavit, cui & juramentum fecit fidelitatis, ut habetur LXIII. d. c. Tertio Domino. Cui etiam Pontifici Rex Castellæ Alfonsus adhuc vivus, in discordia prius electus cum Richardo Comite Carnubiæ jam mortuo, resignavit, & in suis manibus renunciavit, & cessit omni juri, si quod haberet vel habuisset Romanæ electionis pristinæ de Imperio. Hic Rodolphus quamvis esset de parentela exili & parva, fuit tamen miræ prudentiæ, & in Alemannia multum pacifice regnavit, & suam consanguinitatem multum nobilitavit & dilatavit, tradendo quinque filias suas, quas habuit, nobilissimis Regibus, Ducibus & Comitibus, filiusque suus Albertus, & Lodowicus Bavarus nepos suus, filius scilicet filiæ suæ, post eum successu temporis Reges Romanorum facti sunt, ut videbitur. Cum ipso Nicolaus Papa III. tractavit pro divisione Imperii in quatuor partes, sed hæc cogitatio evanuit per mortem Papæ statim subsecutam. Moritur autem anno Domini MCCXCI. & in Spira cum suis antecessoribus sepelitur. Versus:

Mortuus est anno milleno C. triplicato,
Sex minus atque tribus Julii Rex mense Rodolphus.

Anno Domini MCCLXXVI. ab urbe condita MMXXVII. Innocentius V. natione Tarantasinus, ordinis fratrum Prædicatorum in summum Pontificem sublimatur CXCI. post Petrum; sedit autem menses V. dies II. & cessavit Episcopatus dies XVII. Ipse electus fuit in Aretia in festo sanctæ Agnetis, & statim ivit in Romam, & in sancto Petro coronatus fuit, & inde ad ecclesiam Lateranensem se transtulit, ubi infirmatus XXII. die Junii mortuus fuit, & ibidem honorifice sepultus; qualis ipse fuerit, dictum est de Gregorio X.

Anno Domini M &c. quo supra, Adrianus V. prius dictus Ottobonus, Diaconus Cardinalis IX. die Julii in Laterano in summum Pontificem eligitur, CXCII. post Petrum. Sedit mensem I. dies IX. tantum, & cessavit Episcopatus dies XXVIII. Ipse sacerdos non fuit, & ante suam ordinationem in Viterbio moritur, & in Ecclesia Fratrum Minorum sepilitur. Ipse fuit de genere Innocentii IV. & statim post suam creationem constitutionem Gregorii de inclusione Cardinalium suspendit, quia intendebat de ipsa aliqualiter ordinare, sed non totaliter cassare.

Anno Domini M. quo supra, Johannes XXI. Natione Portugalensis, vocatus prius Dominus Petrus Hispanus, dictus Petrus Juliani Cardinalis Episcopus Tusculanus in summum Pontificem eligitur CXCIII. post Petrum. Sedit menses VIII. dies VI. cessavit Episcopatus menses VI. Hic constitutionem Gregorii Decimi, de inclusione Cardinalium per suum antecessorem suspensam, revocavit consilio Domini Johannis Gajetani, qui eum in omnibus dirigebat. Hic fuit magnus medicus, & scripsit librum in medicina, qui Thesaurus pauperum vocatur; in aliis autem scientiis fuit generalis. Ipse fuit modicæ discretionis Princeps in verbo, & minus cautus in moribus, & religiosos parum dilexit, & ad eum facilis erat ingressus, unde omnibus placebat suus defectus. Sæpe incautus de suo statu gloriebatur, cujus exitus malus sequebatur. Cum enim de sua sapientia confideret, & crederet quod possit longo tempore hac dignitate gaudere, sicuti ipse interdum dicebat, contigit ipsum quodam tempore in camera esse, ac quædam fulminanda contra Religiosos ordinare, & cum hæc cogitaret, & de suo statu nimis præsumeret, & risu totus solutus se ipsum inspiceret, subito divino judicio camera cecidit super caput ejus, & sic inter ligna & lapides collisus VI. die exspiravit, sua intentione frustratus. Hoc tamen habens, quod cum inferioribus & literatis non dedignabatur conversari, & ipsis literatis multum fuit beneficus. Moritur autem in VII. Pentecostes, Viterbii in Ecclesia sancti Laurentii sepelitur.

Anno Domini MCCLXXVII. ab urbe condita MMXXVIII. Nicolaus III. de genere Ursinorum Urbis Romanæ, dictus prius Dominus Johannes Garetani, Diaconus Cardinalis tituli sancti Nicolai in Carcere Tulliano, in Pontificatu Romano sublimatus CXCIV. post Petrum. Sedit annos II. menses IX. dies III. cessavit Episcopatus menses VI. Hic statim vadit in Romam, sacerdos ordinatur, electus prius in Papam sanctæ Catharinæ virginis. Post hoc eodem anno statim in festo sancti Stephani in basilica sancti Petri coronatur. Hic primo anno sui Pontificatus fecit unam ordinationem Cardinalium, in qua inter cæteros fecit Cardinalem fratrem Jeronimum, Generalem ministrum ordinis Fratrum Minorum, oriundum de civitate Esculo Marchiæ Anchonitanæ, qui postea factus est Nicolaus Papa IV. item Fratrem Latinum, Ordinis Fratrum Prædicatorum fecit Cardinalem Episcopum Ostiensem, item Fratrem Bonaventuram Cardinalem, Episcopum Albanensem fecit summum Pœnitentiarium, ipsum in suum assumens confessorem, ac familiarem habens in domo sua. Ipse circa electionem Senatorum Urbis fecit unam constitutionem, quæ incipit: Fundamenta. Ipse circa electionem aliorum Prælatorum aliam, quæ incipit: Cupientes. Quæ constitutiones insertæ VI. libro Decretalium sub titulo de Electione. Ipse residentiam suam fecit in Spiria vel Syriano, qui est locus munitus distans a Viterbio ad leucam. Hic vir venerabilis, fuit homo multum compositus in moribus, unus de pulchrioribus clericis mundi, fuitque magnæ prudentiæ, & maturus in responsione. Religiosos multum dilexit & fovit; specialiter tamen Fratres Minores, quorum regulam optime declaravit per constitutionem tertio & VI. libro insertam sub titulo de verborum significatione, quæ incipit: Exiit, qui seminat. Fuit & idem Pontifex magnus eleemosinarius, & devotissime missam celebravit, & ipse in missa flevit, & fuit in omnibus actibus suis multum maturus, & vacantes Ecclesias super omnes suos prædecessores velocius expediebat; Notarios etiam a se repulit, nullam eis audientiam dando. Hic ecclesiam beati Petri quasi totam renovavit, & Imagines omnium Romanorum Pontificum in ea in loco eminenti describi fecit. Multa alia opera virtuosa fecit. Ipse etiam quandam Constitutionem Gregorii IX. de promovendo quendam genere urbis ad statum Cardinalium, revocavit. Moritur autem apud Burianum, & corpus ejus Romam transfertur, & in basilica beati Petri, in Capella sancti Nicolai, quam ipse ædificavit, honorifice sepelitur anno Domini MCCLXXX. in VIII. assumtionis virginis Mariæ. Hujus Pontificis tempore Carolus Princeps Salernitanus, postea Rex Siciliæ, transtulit corpus sanctæ Mariæ Magdalenæ de Oratorio, ubi eam sanctus Maximius sepelivit, in villam quæ nunc a suo nomine nominatur. In qua villa fratres ordinis Prædicatorum, ædificato ibidem solempni Conventu, idem corpus habent commendatum.

Anno Domini MCCLXXXI. ab urbe condita MMXXXII. Martinus IV. natione Turonensis, dictus prius Dominus Symon Turonensis, tituli sanctæ Cæciliæ, presbiter Cardinalis,

nalis, Pontifex Romanus eligitur in palatio Viterbiensi, in festo cathedræ sancti Petri CXCV. post Petrum. Sedit annos IV, dies XXIV; & cessavit Episcopatus dies IV. Hic statim post suam electionem de Viterbio vadit Urbonetum, & ibidem coronatur. Ipse fuit in sumptibus multum magnificus & magnus cum hominum, tum religionum amator, præcipue tamen ordinem fratrum Minorum, & Prædicatorum quoque bonis privilegiis munivit. Ipse Perusii IVta feria infra octavas Dominicæ resurrectionis moritur, & ibidem in Ecclesia majori honorifice sepelitur. Hujus Pontificis tempore, scilicet anno Domini MCCLXXXIII. Carolus Princeps Salernitanus, filius Caroli Regis Siciliæ, & pater sancti Ludowici Episcopi Tholosani in bello navali capitur per Rogerum Ducem exercitus Regis Arrogonum, & in Cathaloniam ducitur, & incarceratur. Causa autem discordiæ inter eos fuit, quia Rex Arrogoniæ Petrus habuit filiam Maufredi, filii naturalis Frederici Imperatoris, & qui fuit Rex Siciliæ ex parte cujus filiæ dixit, Regnum Siciliæ ad se pertinere. Sed Dominus Papa Martinus propter hoc Regem Arragonum excommunicavit, immo crucem contra eum prædicari fecit. Carolus autem Rex Siciliæ, percepta captivitate filii, ex nimio dolore eodem anno moritur. Post hoc anno Domini MCCLXXXIX. a captione sua anno VIto, Carolus mortuo jam patre, Rex Siciliæ factus de carcere, mediante Rege Angliæ Eduardo, eripitur, datis obsidibus pro pactis servandis, quorum obsidum fuit unus sanctus Lodowicus filius suus, qui liberatus Ordinem intravit fratrum Minorum. Deinde per Bonifacium Papam VIII. Episcopus fit Tholosanus, vir miræ humilitatis & sanctitatis, magnis coruscans miraculis in vita & in morte; immo quod magnum est, multorum fuit suscitator mortuorum. Hic felix sanctus mortuus fuit anno Domini M CCCVII. tempore Clementis Papæ V. canonizatus per Johannem Papam XXIIdum Pontificatus sui anno I. anno autem Domini MCCCXVI.

Anno Domini MCCLXXXVI, ab urbe condita MMXXXVI, Honorius IVtus, natione Romanus de genere Sabellorum, quod fuit antiquum genus urbis, dictus Dominus Jacobus de Sabello, in octava Paschæ in Pontificem Romanum assumitur CXCVI. post Petrum, & sedit annis II. & paucis diebus, mortuus in --- Domini & cessavit Episcopatus usque ad cathedram sancti Petri. Hic Pontifex fuit vir sapiens, & statim post suam creationem ad urbem se transtulit, & suam ibi residentiam fecit. Ipse Ordinem fratrum Carmelitarum solidavit, qui prius in Concilio, per Innocentium III. facto in suspenso remansit, & ipsis mantellos stripaticos in cappas albas mutavit. Item istius Pontificis tempore promotus est ordo Heremitarum sancti Augustini, quantum ad Magistros Parisius, quos ex certis causis prius non habuerunt, & modo habundant in solempnitatibus viris & magistris: Inter quos viguit frater Ægidius, magister in theologia, natione Romanus, Episcopus Bituricensis. Hujus Pontificis tempore, anno sui Pontificatus primo, Philippus Rex Francorum, filius sancti Ludovvici Regis Franciæ moritur, & apud sanctum Dyonisium juxta Parisius sepilitur; Cui succedit in regno filius suus Philippus Rex Francorum IV a primo Rege Francorum XLII. Hic Papa moritur apud sanctam Sabinam, & in Ecclesia sancti Petri sepelitur apud sepulchrum Nicolai III.

Anno Domini MCCLXXXVIII, ab urbe condita MMXXXIX, Nicolaus IV natione de Marchia Anchonitana, de civitate Esculo de ordine fratrum minorum Presbyter Cardinalis, vocatus Jeronimus, in Pontificem Romanum assumitur CXCVII. post Petrum. Sedit autem annos IV, & tanto plus, quantum est a cathedra beati Petri usque ad Parasceve, in quo mortuus fuit. Hic ante suam electionem, mortuo Honorio IV. inclusus cum aliis Cardinalibus apud sanctam Sabinam in urbe, cum plures Cardinales de pestilentia morerentur, & ceteri fugerent, ipse solus mansit in loco illo & evasit. Cujus causa fuit, quia in profunda æstate semper habuit prunas copiosas in aula sua & in camera. Hic factus Papa statim se transtulit Reatem, & in Pentecoste fecit unam ordinationem solempnem Cardinalium, & in anno secundo sui pontificatus rediit in Romam, & in sancta Maria Majori suam curiam tenet. Hic fuit bonus religiosus, & circa suos consanguineos --- Cardinalis, amator suæ religionis & aliarum, & in Pontificatu prudenter & bene se habuit. Hujus tempore Jerosolyma cum tota terra sancta a Sarracenis occupata fuit, sola autem insula Ciprina mansit. Moritur autem in Parasceve & apud sanctam Mariam majorem honorifice sepelitur, & tunc cessavit, annis II. & mensibus III. Ipso autem mortuo statim Cardinales vadunt Perusium ad eligendum Papam; nam constitutio Gregorii IV. de inclusione tunc non fuit in vigore suo; ad quos illuc venit Carolus Rex Siciliæ, rogans eorum collegium pro creatione summi Pontificis, habens propter hoc dura verba cum Domino Benedicto Gajetani Cardinali, qui postea factus fuit Bonifacius VIII. & tunc forte ad Papatum adspiravit. Non proficiens autem Rex reversus est in regnum suum. Hoc etiam tempore Pallialogus Imperator Constantinopolitanus moritur, cui succedit filius suus Andronicus.

Anno Domini MCCXCII, ab urbe condita MMXLIII, Adolfus de Nassovv Comes ab Electoribus Alemanniæ in Imperatorem Romanum eligitur CI. a Julio, & VI. annis imperavit. Hic fuit vir strenuus in armis, sed in potentia defecit, quia non fuit bene in parentela radicatus, sed in corde totus magnificus & virtutibus plenus. Hic ex causis congregavit exercitum contra Albertum ducem Austriæ, filium Rodolfi Regis jam dicti, pugnaveruntque simul in monte, qui dicitur Hasenbül, in qua pugna Adolfus occiditur, & sui in fugam vertuntur anno Domini MCCXCVIII. moritur autem sine munere coronæ Imperialis.

Anno Domini MCCXCIIII. ab urbe condita

ta MMXLV, Cœlestinus V. natione Abrucio, dictus frater Petrus, de religione Heremita factus, VII. Kalendarum Julii in summum Pontificem sublimatur CXCVIII. post Petrum. Sedit mensibus *, usque ad adventum Domini. Hic fuit vir magnæ abstinentiæ & orationis, totus Deo consecratus, Regi Carolo multum devotus, in quodam saxo suum habens habitaculum; accepto autem Papatu ad instantiam Regis Caroli venit Aquilam, & ibi pedem figit, ac consecratur ibidem & coronatur, fuitque tantus concursus populi ad eum, quod stupor erat, ad ejus benedictionem obtinendam, propter ejus excellentem sanctitatem. Ipse unam solempnem ordinationem Cardinalium fecit ad petitionem Caroli Regis, quorum unus fuit Dominus Johannes monachus, Archiepiscopus Lugdunensis. Sed quia hic vir sanctus Papa Cœlestinus propter decrepitam senectutem & inexperientiam regiminis frequenter decipiebatur a suis officialibus, in gratiis dandis & in actibus curæ pastoralis: Nam post mutationem sui status in humilitate, puritate & innocentia primi status immobilis perseverans, sollicitus non fuit circa singula facta suæ dignitatis, propter quod aliqui Cardinales ipsum stimulaverunt, ut papatu cederet propter imminens Ecclesiæ periculum ex negligentia regiminis, & forte hoc fecerunt potissime ad persuasionem & inductionem Domini Benedicti, qui quasi totam curiam regebat, & forte ad papatum adspirabat. Papa autem ad rogatum Caroli curiam in Neapolim transtulit, nec ad eorum instantiam papatui cedere voluit. Post hoc iterum Papa a Cardinalibus mordaciter infestatur, quod teneat Papatum in periculum animæ suæ, ad quæ verba vere sanctus usus consilio amicorum suorum supersedit papatui, faciens prius de concilio fratrum suorum constitutionem, in qua constituit, quod in certis casibus Papa possit papatum resignare, quam constitutionem Bonifacius VIII. successor ejus confirmavit & autenticavit in libro VI. de Renunciatione c. 1. Ipsam imponendo. Post hoc statim facta resignatione, cum Cœlestinus vellet redire ad heremum, per successorem suum Bonifacium VIII. detinetur, ac in custodia honesta servatur, ad præcavendum scandalum Ecclesiæ Romanæ. Tentus igitur in castro dicto Simionis XIV. Kalendarum Junii moritur, & in quodam monasterio sui ordinis, quod dicitur Anthonii, sepelitur, anno Domini MCCCIII. Post hoc cum idem sanctus magnis choruscaret miraculis, ipsum Clemens Papa V. apud Avinionem canonisavit, ac sanctorum cathalogo adscripsit sub nomine Petri.

Anno Domini eodem, quo supra, Bonifacius VIII. Confessor, alio nomine Benedictus Dominus Gajetani in Neapoli præsente Carolo Rege Siciliæ in vigiliis nativitatis Domini in summum Pontificem assumitur CXCIX. post Petrum. Fuit autem natione Campanus de Anagnia oriundus, & sedit annos VIII, menses X. & cessavit Episcopatus dies XX. Hic prius fuit Diaconus Cardinalis, & per longam experientiam curiæ, quam habuit, non habuit parem ad casus Collegii declarandos, & negotia curiæ expedienda. Ipse statim primo anno sui Pontificatus transfert curiam de Neapoli in Romam, scilicet anno Domini MCCXCV, & eodem anno instituit festa XII. Apostolorum, IV. Evangelistarum, IV. doctorum Ecclesiæ, duplicia. Ipse propter suam experientiam & scientiam factus est fastuosus nimis & arrogans, omnes contempnens. Unde anno secundo sui Pontificatus deposuit duos Cardinales de Columpna, & sanctum Lodovvicum Regem Franciæ canonisavit, qui mortuus fuit anno Domini MCCLXX. Eodem etiam anno fecit publicari VItum decretalium. * Inter quos fecit Cardinalem fratrem Nicolaum, Priorem Generalem fratrum Prædicatorum, qui post fuit Papa factus Benedictus XI. item fratrem * generalem, Magistrum in Theologia, ordinis fratrum Minorum; item alios duos ejusdem ordinis; item Petrum Hispanum. Anno Domini MCCC, Pontificatus sui anno VI. Dedit plenam indulgentiam omnium peccatorum visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli in Roma in X: anno & hoc idem concessit perpetuis temporibus futuris in omni centenario annorum; sed Clemens Papa VI. considerans, post hoc paucos homines ad tantum temporis vivere, propter brevitatem vitæ hominum præsentium temporum, hoc concessit ad annos L. Anno autem Domini MCCCIII, post ortam turbationem sive discordiam cum Rege Franciæ, ipse Papa Anagniæ, ubi putabatur esse securus, a familiaribus Regis capitur in Vigiliis nativitatis beatæ Virginis proditus ibidem; sentiens autem adversariorum ingressum, quorum vexillifer fuit Gwilhelmus de Nogareto, Pontificalibus indui voluit, tenens in manibus crucifixum, a quibus sic capitur, ut dictum est; die autem III. a populo vi armorum eripitur & post paucos dies vadit Romam ad sanctum Petrum, extra mentem cordis positus, factus rabidus & furibundus, ita, quod ab omni superveniente se putabat capi, & ideo in eorum oculos & facies injicere sputa cupiebat. Decessit autem XXXV. die a sua captione. Ex prædictis igitur patet, quod idem Papa intravit ut vulpes, regnavit autem ut leo, mortuus est ut canis.

Anno Domini MCCXCVIII. Albertus filius Rodolfi prædicti Regis Alemanniæ, interfector Adolfi Imperatoris, sui antecessoris, electus est in Imperatorem ab electoribus congregatis Aquisgrani, & X. annis, sine tamen coronatione Imperiali, regnavit, CII. a Julio. Hujus electionem Bonifacius Papa, quamvis per solempnes nuncios legatio fieret ad eum, prima vice non confirmavit, sed ipsam repulit multis juris & facti rationibus. Sed post hoc suborta gravi offensione inter ipsum & Philippum Regem Franciæ, non solum ipsum electum confirmavit, sed ei regnum Franciæ verbo, non opere, cum aliis regnis Regis Franciæ subjecit. Hic Albertus a Duce Austriæ Johanne, filio fratris sui Rodolfi proditorie

rie occiditur, in proprio patrimonio suo, scilicet apud opidum, quod dicitur Brugga in diœcesi Constantiensi, in quo loco suæ occisionis domina Elisabeth Regina, uxor Imperatoris Alberti occisi fundavit solempne monasterium ordinis sororum sanctæ Claræ; ubi etiam sunt XII. fratres Minores divina ibi persolventes, ab Abbatissa ejusdem monasterii, elemosinam recipientes. Hoc monasterium sic fundatum per Dominam Elisabeth primum, Domina Agnes Regina quædam Ungariæ, filia Regis Alberti perfecit, ac multis possessionibus ditavit, ac habitando ibidem sanctam conversationem duxit. Hic locus nunc Campus Regis scilicet Kunigsvelt nuncupatur. Interfectus est autem Imperator jam dictus juxta castrum suum proprium, scilicet Habispurg anno Domini MCCCVIII. in die Philippi & Jacobi. Versus:

M semel & tria C simul octo Rex patiturve
Al. Romanorum, qui cecidit ense suorum
Philippi Jacobi, rogo det veniam Deus illi.

Ipse sepultus est in Spira juxta alios Reges Romanorum.

Anno Domini MCCCIII, ab urbe condita MMLIV, Benedictus XI. natione Trevisinus, dictus prius Nicolaus ac Prior generalis ordinis fratrum Prædicatorum, deinde Cardinalis, vir multum egregius, in Pontificatu Romano sublimatur CC. post Petrum. Sedit menses IX. dies XVII. & cessavit Episcopatus menses X. dies XXIX. Hic denunciavit excommunicatos autores captionis Bonifacii VIII. sui antecessoris. Ipse etiam reconciliavit Ecclesiæ, sed non ad Cardinalatum restituit illos de Columpna, & privilegia & libertates restituit Regi Franciæ, quæ Bonifacius Papa ei abstulerat. Ipse etiam cassavit constitutionem Bonifacii, quæ incipit: Super cathedram, & loco ejus aliam edidit, quæ incipit: Inter cunctas.

Anno Domini MCCCV. ab urbe condita MMLVI, Clemens VI. natione Wascoprius per Bonifacium VIII. factus Episcopus Burdegalensis, Papa Romanus efficitur CCI. post Petrum. Sedit annos VIII. menses X, dies XV, & cessavit Episcopatus annos II. menses II. Hic recepto electionis suæ decreto Lugdunum profectus est, ubi primum vocatis Cardinalibus coronatus est. Deinde XVII. Kalendarum Januarii X. Cardinalium ordinationem fecit, & duos Cardinales de Columpna restituit. Item post hoc anno Domini MCCCX. fecit XIV. Kalendarum Januarii secundam ordinationem quinque Cardinalium. Post hoc anno Domini MCCCXII. fecit tertiam ordinationem IX. Cardinalium X. Kalendarum Januarii in Civitate Viennensi multorum Prælatorum ecclesiæ. In quo Concilio cassatus fuit & annullatus totaliter ordo militiæ Templi sive Templariorum, quantum ad statum, ordinem & modum, bonis ejusdem ordinis ordinationi Ecclesiæ reservatis. In eodem quoque Concilio ipse Papa nonnullas constitutiones edidit, quas decrevit in unum librum redigere, quem voluit VII. Decretalium appellari, sicut fecerat Bonifacius VIII. circa VI. librum, quia hæ Constitutiones nondum plenum erant formatæ & bene limatæ ad purum, ut secundum morem ad studia mitterentur generalia; ideo earum publicatio per eundem Clementem per biennium suspensa & protelata fuit, & postmodum anno Domini MCCCXIV. Pontificatus sui anno ultimo, XII. Kalendarum Aprilis in castro de Montibus prope Carpentorate civitatem, ubi tunc curia morabatur, ipse fecit prædictas constitutiones coram se & consistorio publicari, & statim post hoc infirmatus die XXXI, scilicet XII. Kalendarum Maji mortuus est, & sic illa statuta non sunt ad studia generalia missa, sed manserunt in suspenso III. annos & menses VIII. Anno autem Domini MCCCXVII. mense Novembris Johannes Papa XXII. fecit eas publicari, sub bulla sua, ut moris est, ad studia generalia mitti, & vocantur Constitutiones Clementinæ, de quarum magno & singulari gravamine conqueruntur Religiosi, quia ipsi soli in eis obligantur ad pœnam excommunicationis latæ sententiæ & aliqui Prælati vel aliqui non Prælati in casibus non similibus vel actionibus. Nam quia est multum periculosa hæc pœna, ideo raro & cautissime deberet fulminari, quod tamen in prædictis constitutionibus non apparet.

Anno Domini MCCCVIII. ab urbe condita MMLIX, Honorius vel Henricus VIII. ex Comitibus de Lutzelmburg, tam factis, quam dictis laudabilis, in festo sanctæ Catherinæ in Regem Romanorum est electus, CIII. post Julium, & V annis imperavit. Hic statim in sequenti Epiphania post suam electionem, scilicet anno Domini MCCCIX misit ad Papam legatos scilicet ad Clementem pro confirmatione sua, quam mense Julii obtinuit. Ipse fuit vir strenuus valde & cum pace regnavit. Ipse etiam Johannem filium suum primogenitum in Regem Bohemiæ coronavit, quod regnum tunc Romano vacabat Imperio. Post hoc anno Domini MCCCXI. Mediolani a diœcesenanis unam suscepit de coronis Imperialibus, quod Modecia, ubi hoc fieri consvevit, * Anno autem Domini MCCCXII, Regni sui anno IV. accepit auream coronam in Roma in Laterano de manu trium Cardinalium, per Papam Clementem ad hoc deputatorum, & anno sequenti, scilicet anno Domini MCCXIII. Regni autem sui anno V. & imperii I. intoxitacur per quendam fratrem unius solempnis religionis per venenum sibi traditum sub specie corporis Christi juxta Beneventum, & statim vadit Beneventum, & ibi moritur in die sancti Bartholomei cum magno lamento omnium suorum. Versus

Cæsaris Henrici mortem plangamus amici.
Qualiter hic vitam finivit per Jacobitam;
Per corpus Christi venenum tradidit isti.
Hic in laude Dei moritur in Bartholomæi,
Est Pysani latus & cum fletu tumulatus.
Anno milleno trecenteno ter deno.

Anno Domini MCCCXIV. sede Romana vacante Lodowicus Dux Bavariæ, nepos Rodolfi

dolfi Imperatoris quia filius filiæ ejus, & Fredericus nepos ejusdem Rodophi, scilicet filius Alberti filii sui Imperatoris. Hic duo de fratre & sorore nati sub contentione ab Electoribus in duas partès divisis Aquisgrani in festo sancti Lucæ eliguntur in Reges Romanorum, in qua electione Rodolphus frater uterinus Lodowici eligit, Fredericum contra fratrem suum. Unde facta gravi inter eos & longa concertatione, tandem Dux Bavariæ Ducem capit Austriæ, & sic Imperium retinet, & Imperator CIV. a Julio efficitur, & XXXIII. annis imperavit. Hic fuit vir mansvetus valde prudens ac pacificus, qui toto vitæ suæ tempore, quo imperavit, Imperium pacifice ac solempniter rexit. Quo tamen non obstante Johannes Papa XXII. magnos processus contra ipsum habuit & facit, & ut multis viris magnis vita & scientia videbatur, minus justos. Et deinde anno Domini MCCCXXIV. ipsum excommunicavit, ac omni jure Imperii, si quod ei competierat, privavit. Cujus discordiæ causa, ut in quadam cronica legi, hæc fuit: Nam Johannes Papa quendam Legatum misit in Lombardiam, cui Mediolanenses & Ferrarienses subjici noluerunt, & hoc forte fuit in bonis temporalibus Imperii, quos Lodowicus Imperator fovit & defendit. Unde Papa tam ipsos quam Imperatorem excommunicavit, adhibitis multis aliis occasionibus minus justis. Hic perpende, quanta sit & fuerit ambitio & arrogantia nec non avaritia circa temporalia quorundam Romanorum Pontificum posterioris sive moderni temporis, respectu eorum, qui fuerunt temporibus prioribus; nam isti moderni spretis vestigiis suorum antecessorum illos venerabiles Imperatores Catholicos, qui, quantum ad proprietatem temporalium, item mundi totius Domini reliquosque Reges & Principes, quos sui antecessores in magna veneratione habuerunt, quia eos protexerunt, & contra hostes fidei ipsis auxilium præbuerunt, (nam sine eorum auxilio Ecclesiam pacifice regere nequaquam valuerunt, ut ex prædictis sepe visum est) hos, inquam, Imperatores & Principes isti Romani Pontifices moderni, nimia fastuositate ac avaritia circa temporalia ducti, irreverenter tractant, excommunicant subito & ex facili, nec eos, si in aliquo deviant, gratiose & humiliter & caritative movent seu informant, sed potius arroganter comminantur eisdem. Unde fit ex hoc, quod ipsi principes magis provocantur & indurantur, ut hic apparet in Domino Lodowico, qui spretis processibus contra se per Papam Johannem, ut sibi & aliis conscientiosis & literatis viris videbatur, minus juste factis, ivit in Romam, ac ibidem anno Domini MCCCXXVII, coronam Imperialem cum gratia & maximo favore omnium Romanorum suscepit, ac sic Imperator factus Imperium cum magna tranquillitate tenuit. Ipse, mortuo Johanne Papa, a duobus successoribus suis, scilicet Benedicto XII. & Clemente VI. excommunicatur, quam excommunicationem ipse sibi minus obesse ad salutem asseruit, quia contra Deum & justitiam latam esse dixit. Contra ipsum jussu Clementis VI. adhuc ipso vivente, Rex Romanorum alius a quibusdam electus fuit, de quo suo loco dicetur. Ipse tandem anno Regni sui XXXIII, Imperii autem XIX, sed anno Domini MCCCXLVII, V. ydus Octobris, apoplexia tactus, plenus virtutibus moritur in Monaco, tempore Clementis Papæ VI.

Anno Domini MCCCXVI. ab urbe condita MMLXVII, Johannes XXII. natione Cathuricensis, prius dictus Jacobus de Cathurco, in Lugduno VI. Idus Augusti in summum Pontificem eligitur CCII. post Petrum sedit autem annos XVIII, menses IV; cessavit Episcopatus dies XVI. Hic primo fuit Episcopus Forojuliensis in provincia Aquensi: deinde per Clementem V. factus est Cardinalis: Post hoc in Papam electus. Ipse, ut quidam asseruit, fuit ardentis ingenii, & in jure divino & ecclesiastico multum peritus, qua peritia ipse in quibusdam bene usus fuit, & in quibusdam multum abusus, ut videtur, quia sui capitis fuit, & diu sedit, & plura facta Ecclesiæ periculosa attemptavit, ut videbimus pro parte propter scandalum vitandum. Ipse in primis VI. annis sui Pontificatus se bene habuit, sed postea ductus in reprobum sensum multa periculosa & enormia attemptavit. In primo enim sui Pontificatus anno statim post suam electionem in Lugduno factam, navigio ivit in Avinionem, ponendo ibi sedem suam, & pedes ascendit palatium, de quo postea, nisi intrando Ecclesiam majorem, contiguam palatio, non exivit. Hoc ideo fecit, quia in sua electione juravit, se nunquam ascensurum equum vel mulum, nisi iret Romam, & sic modo dicto callide suum servavit sacramentum, quæ tamen astutia non fuit de mente Cardinalium, ipsum ad juramentum obligantium. Item eodem anno fecit unam ordinationem VIII. Cardinalium Avinionis XVI. Kalendarum Januarii. Item Episcopum Canturicensem a dignitate & ordine sacramentali deposuit, & potestati seculari tradidit tanquam homo arrogans & capitosus, qui Episcopus in parte combustus & in parte excoriatus fuit forte ideo; quia Episcopo tanquam habenti conscientiam non placuit, quod Papa cognatos suos, qui serviebant Ecclesiæ Canturiensi, nimis libertavit ac Comites fecit cum dampno Ecclesiæ prædictæ & bonis Ecclesiæ Romanæ. Item eodem anno canonisavit sanctum Lodowicum, scilicet filium Regis Siciliæ ordinis fratrum Minorum, & Episcopum Tholosanum, quia ejus Magister primum fuit, & ejus sanctitatem, cum adhuc puer esset, oculis vidit & manibus tractavit vel contrectavit: Cujus etiam Vitam scripsit, & per modum Epistolæ omnibus Ecclesiæ prælatis direxit. Item sedem Tholosanam Archiepiscopalem fecit ac eam divisit, ipsamque utiliter disposuit. Anno autem Domini MCCCXVII. Constitutiones Clementinas in Consistorio publicavit, & sub bulla sua ad studia generalia, ut moris est, misit. Sed anno Domini MCCCXIX. Ordinem, qui voca-

vocatur de milicia Jhesu Christi, in regno Portugaliæ instituit ad resistendum Sarracenis in illis partibus, eisque in illo Regno bona Templariorum concessit. Anno autem Domini MCCCXXIII. canonizavit sanctum Thomam de Aquino egregium ordinis fratrum predicatorum, ab obitu suo anno LI. Hic etiam Pontifex instituit Festum Trinitatis solempniter celebrandum per totam Ecclesiam Dominica die post festum Pentecostes, quod tamen festum Ecclesia Romana antea celebrare specialiter non consuevit, ut Extra de inferiis C. Quin in parte. Instituit etiam post orationem Dominicam in canone Missæ in sua capella flexis genibus a sacerdote celebrante dici debere, preces: Lætatus sum, cum quibusdam certis Collectis contra hostes Ecclesiæ, quod tamen non est de antiqua consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quæ prohibet fieri diebus Dominicis genu flexiones. Idem etiam Papa, ut fertur, suo ingenio ardenti, ut dictum est, valde abusus fuit; nam, ut asseritur veridice, sanctam Catharinam virginem & martyrem voluit de Sanctorum delere cathalogo, negando ejus sanctitatem & peritiam, pro eo quod dixit, se revolvisse & perlegisse omnes historiarum & cronicarum libros, nec unquam aliquid invenisse vel perlegisse de aliquo Rege Casius nomine, cujus filia hæc diceretur. Sed a Cardinalibus compulsus est hunc errorem revocare, & in ejus emendam, ne pœnam incurreret comburii, ipse extra Avinionem unum solempne Cœnobium Monialium construi fecit, cujus Ecclesiam in honorem sanctæ Catherinæ dedicavit. Idem quoque Papa post VI. sui Pontificatus annum, licet prius catholice oppositum determinavit, in hunc periculosum errorem Ewangelio & fidei Catholicæ contrarium lapsus fuit, quem etiam per suam Extravagantem Constitutionem, quæ incipit: Cum a nonnullis, determinavit, videlicet, quod Christus & ejus Apostoli in rebus omnibus temporalibus, quas habuerunt, secundum scripturam habuerunt tam in speciali quam in communi proprietatem & dominium, & quod nec proprietatem quarumcunque rerum temporalium reliquerunt, nec voluntarie pauperes fuerint, nec hanc paupertatem docuerunt; & quod Christus, in quantum homo fuit Dominus & Rex temporalis omnium rerum, qui tamen dixit; regnum meum non est de hoc mundo. Cui assertioni erroneæ viri solempnes in scientia & vita ordinis fratrum Minorum se opposuerunt, ejusdemque Papæ excommunicationem minime curantes veritatem Evangelicam sub protectione Domini Lodowici Imperatoris, quem ipse etiam minus juste excommunicaverat, ut de eo dictum est, scriptis & dictis constanter defenderunt. Hic quoque Papa Johannes anno penultimo vitæ suæ, scilicet anno Domini MCCCXXXIII. alium errorem perniciosum docuit ac determinavit, quem videlicet vocavit determinationem quæstionis, visionis, scilicet, quod sancti in patria ante resurrectionem mortuorum non haberent visionem essentiæ Dei, verum in patria; quam opinionem, cum frater Thomas de Aquino publice reclamavit, ex præceptione Papæ capitur & incarceratur. Rex quoque Francorum Philippus cum toto Studio Parisiensi ei restiterunt; unde Papa compulsus in consistorio, determinationem hujus constitutionis renovavit, sed non pro parte affirmatam determinavit, immo eam in suspenso reliquit & sic mortuus fuit. Sed Dominus Benedictus XII. successor suus partem affirmativam hujus quæstionis primo publice prædicavit, deinde præhabita matura deliberatione cum fratribus suis determinavit partem affirmativam, ac oppositum sententiæ, tanquam hæreticum puniendum; ubi attende, quod hæc determinatio inferat contra suum antecessorem, cujus Cardinalis erat, & eo vivente loqui non audebat. Ipse Johannes mortuus est nonis Decembris die Dominica, anno Domini MCCCXXXIV. Pontificatus sui anno XIX. & sic migravit de hoc seculo nequam. Hujus Pontificis tempore viguerunt in ordine fratrum Minorum duo excellentes viri in vita & doctrina; quorum primus fuit in Alemannia frater Johannes de Erfordia: hic magnus extitit Theologus, ac in jure canonico multum expertus. Ipse enim super Sententias utiliter scripsit, ubi multorum Doctorum opiniones posuit. Item multos libros Bibliæ optime postillavit, fecitque tabulam juris valde bonam, magnam, in materia juris copiosissimam, quæ incipit; Quum, ut scriptum est &c. quæ a multis valentibus Juristis multum reputatur & diligitur, quorum tamen aliqui ignorant, ipsum ejus esse autorem. Item fecit summam consensionum multum utilem. Floruit autem circa annum Domini MCCCXX. regens cathedram in Erffordia Thuringiæ usque ad mortem suam, sepultus ibidem in choro fratrum Minorum. Secundus fuit frater Nicolaus de Lyra Doctor sacræ Theologiæ in Parisius in Francia usque a mortem suam, apud fratres suos ibidem sepultus. Hic idem magnæ famæ fuit & laudis in vita & doctrina. Hic totam Bibliam optime postillavit ad literam secundum mentem & intentionem Doctorum, quæ Postilla a multis viris Ecclesiasticis specialiter reputatur. Floruit autem anno Domini MCCCXXX. vel circa, scripsitque solempniter super sententias. Item Hebraycam linguam bene novit & contra Judæos disputavit, quam disputationem in scripta redegit: plura alia etiam fecit.

Anno Domini MCCCXXXIV. ab urbe condita MMLXXXV. Benedictus XII. natione Provinciæ Tholosanæ, Magister sacræ Theologiæ monachus ordinis Cisterciensis, prius dictus Dominus Jacobus Cardinalis presbyter tituli sanctæ Priscæ in palatio Avinionensi a Cardinalibus, qui erant XXIV. in vigiliis sancti Thomæ Apostoli in Romanum Pontificem sublimatur CCIII. post Petrum. Sedit annos VIII. Hic fuit vir devotus & prudens, & in Pontificatu bene se habuit, & fratribus sui Ordinis multas Constitutiones fecit, item Nigris Monachis, quorum statum etiam bene novit, pro suæ regulæ

gulæ observantia utiles constitutiones fecit, in quibus eis præcepit omnino perpetuis temporibus servare debere capitula generalia & provincialia, provincias eis distinguens, ac omnia circa ipsa observanda pulchre & optime describens. Inter ipsum & Lodowicum Imperatorem rixarum compositio attentata sæpius fuit per Ambassiatores Domini Lodowici, sed facta non fuit. Ipse anno Domini CCCXXXVI. Pontificatus sui anno secundo determinavit quæstionem Visionis in publico consistorio præhabita prius super hoc cum fratribus suis diligenti deliberatione, videlicet, quod Sancti in patria nunc clare vident essentiam divinam, & de ea gaudent, & oppositum sentientes hæreticos sentiendos, moritur autem anno Domini MCCCXLII.

Anno Domini MCCCXLII. ab urbe condita MMCIV. Clemens VI. natione Gallicus, Magister sacræ Theologiæ, prius Archiepiscopus Rotomagensis Ordinis sancti Benedicti, Romanus Pontifex efficitur CCIV. post Petrum. Sedit annos X. Hic existens Archiepiscopus missus fuit per Regem Franciæ in legatione quadam ad curiam, in qua se tam decenter habuit, quia vir magnæ facundiæ & scientiæ erat, quod legatione peracta a Domino Papa Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei factus fuit, deinde Papa electus. Hic ad instantiam Romanorum, qui ei solempnes cives Romanos in Avinionem super hoc miserunt, clementer concessit propter brevitatem vitæ hominum, quod indulgentia omnium peccatorum a pœna & a culpa, quæ prius per Bonifacium VIII. data fuit visitantibus limina Ecclesiæ beatorum Apostolorum Petri & Pauli in Roma in anno centesimo, post modo esse deberet in anno quinquageno, scilicet Jubileo, deditque omnia continenter; ac insuper omnes indulgentias datas ab omnibus antecessoribus Romanis Pontificibus, qui fuerunt CCIII. prodesse civitati confirmavit, plerasque alias gratias pro tali anno quinquageno scilicet Jubileo dedit, quæ omnia continentur in sua litera bullata super eis confecta & omnibus fidelibus missa. Hic annus quinquagenus, primus incœpit ipso adhuc vivente, scilicet anno Domini MCCCL. quo etiam anno canonisavit Jvonem presbyterum, qui fuit in vita & in morte multis miraculis gloriosus. Qualiter autem idem Papa jusserit alium Imperatorem eligi contra Dominum Lodowicum de Bavaria, statim dicetur. Hujus Pontificis tempore anno Domini MCCCXLVIII. in conversione sancti Pauli fuit maximus terræ motus, per quem multa castra corruerunt. Idem fuit in die sancti Lucæ eodem anno, ita quod civitas Basilia quasi tota per hoc destructa fuit: anno autem sequenti, scilicet anno Domini MCCCXLIX. Judæi quasi per totam Alemanniam occisi sunt per Christianos, & eodem anno incœpit pestilencia universalis, quæ per totum mundum grassabatur, de qua tot homines moriebantur de glandibus subortis in eorum corporibus, frequentius tamen in partibus carnosis & verminosis, quod vix tertia pars hominum de toto mundo supervixit: quæ Epidimia, licet posthoc non fuerit tam generalis, nequaquam tamen adhuc heu cessat, quin successive in omnes homines omnium terrarum & locorum mundi deseviat, & multos homines occidat, qui, ut communiter, die tertia infirmitatis præcessæ moriuntur, & quamvis hæc horribilissima plaga propter invalescentem ac superexcrescentem hominum malitiam nunc existentium a Deo justo & vero judice toti mundo infligatur, nulla tamen emenda ex hoc experitur, quin potius cottidie novæ malitiæ per mundum excogitentur & exerceantur. Anno autem sequenti, scilicet in anno Jubileo multi hominum, conditionum diversarum, cum vexillis, quæ tulerunt, gregatim in Alemannia loca diversa, etiam a suis habitatoribus procul posita visitaverunt, ac corpora sua denudantes, coram populo se dirissime flagellaverunt pro ira Dei placanda, quam pœnitentiam publicam, sic proprio motu assumtam Clemens Papa VI. sub pœna excommunicationis prohibuit, quia tales sine autoritate Ecclesiæ fieri non debent. Hic Papa Comitatum Bellifortium pro ducentis millibus scutatorum de patrimonio sancti Petri redemit, ac filium fratris sui de novo ibidem Comitem fieri per Regem Franciæ procuravit.

Anno Domini MCCCXLVI. ad mandatum Clementis Papæ VI. Carolus Marchio Maraviæ, primogenitus Johannis Regis Bohemiæ & Comitis Lutzlinborgensis contra Dominum Lodowicum Imperatorem adhuc viventem in Regem Romanorum eligitur prope villam Rensse in quodam pomerio nucum ad hoc deputato, per quosdam Electores per Papam callide ad hoc assignatos & inductos; quorum primus fuit Dominus Gerlacus de Nassaw Archiepiscopus Moguntinus, quem idem Papa eodem anno Archiepiscopum fecit, & Dominum Henricum de Virnburg de eodem Archiepiscopatu degradavit, pro eo, quod contra Dominum Lodowicum Imperatorem jam dictum Carolum eligere noluit. Nichilominus tamen ipse Archiepiscopatum suum usque ad mortem retinuit; secundus fuit Dominus Baldewinus Archiepiscopus Treverensis, frater Domini Johannis Regis Bohemiæ & Comitis Lutziburgensis, qui fuit pater ejusdem Caroli electi. Tertius fuit Dominus Walramus de Juliaco Archiepiscopus Coloniensis, per eundem Papam creatus. Quartus fuit Rex Bohemiæ jam dictus Caroli electi pater. Quintus fuit Dux Saxoniæ Rudolfus. Hii omnes erant, ac per Papam ad eligendum Carolum inducti ac instituti in derisione omnium aliorum Ecclesiæ Principum. Nichilominus tamen post hoc, anno Domini MCCCXLVII. mortuo clementissimo Imperatore bonæ memoriæ Domino Lodowico Imperatore, Dominus Henricus de Virnburg Archiepiscopus Moguntinus, ac Dominus Henricus Dux Bavariæ cum quibusdam aliis Electoribus elegerunt Dominum Guntherum Comitem de Swartzburg in Regem Romanorum, virum valde probum, strenuum ac lauda-

laudabilem, qui cum adjutorio Domini Henrici prædicti de Virnburg Archiepiscopi Moguntini cum exercitu magno venit in Francfordiam, ad exercendam militiam Imperio debitam, ubi virtuosus Princeps per quendam medicum Fridancum ipsum propter quandam infirmitatem potionantem intoxicatur & cum magno lamento moritur, nec ille phisicus impune transivit; qui a pro precio propter hoc sibi promisso ipse post, eandem potionem ante jam dictum Dominum compulsus bibit, & ut Judas Domini traditor statim vitam suam male finivit, seipsum occidendo, reportans secum sui meriti justum pretium. Eodem quoque anno interfecto Johanne Rege Bohemiæ in bello, quod erat inter Eduardum Regem Angliæ Victorem, & filium Philippi IV. scilicet Philippum V. XLIII. Regem Franciæ succumbentem, fautorem & promotorem electionis prædicti Caroli, idem Carolus in Regem Bohemiæ 4. nonas Septembris coronatur, ac sic in utroque regno mortuo Domino Lodowico ac patre suo potens efficitur. Regnavit autem deinceps XXXI. annis, CV. Imperator a Julio. Ipse cum Romanis Pontificibus sui temporis, ut homo astutus transivit, regnum suum nativum scilicet Bohemiæ ampliavit ac privilegiavit & in magna tranquillitate rexit; de aliis autem regnis Imperii modicum curavit, utpote de regno Alemanniæ, in quo discordias Principum non sedavit, sed potius discordias suscitavit. Ipse anno penultimo ante mortem suam procuravit cum maximis muneribus filium suum Wentzlaum eligi in Regem Romanorum. Moritur autem anno Domini MCCCLXXVIII. in vigiliis sancti Andreæ Apostoli, & in Praga sepelitur in suo regno.

Anno Domini MCCCLIII. ab urbe condita MMCXIV. Innocentius VI. in summum Pontificem sublimatur CCV. post Petrum. Sedit annis X. Hic fuit homo grandævus, & cum tranquillitate sedit, & modicum fecit.

Anno Domini MCCCLXIII. ab urbe condita MMCXIV. Urbanus V. Niger monachus & Doctor Decretorum, Abbas in Marcilia in Monasterio Ordinis sui, in Romanum Pontificem a cœtu Cardinalium in Avinione eligitur CCVI post Petrum, sedit annos fere octo Hic Papa in suo Pontificatu fuit magnus Justiciarius ac sanctæ vitæ. Ipse enim pompam & arrogantiam Cardinalium repressit ac compescuit, quas habuerunt in equitatibus, ministris & sumptibus, ipsos ad sui status exigentiam & debitum redigendo. Viros quoque literatos multum dilexit, eos in beneficiis conferendis divitibus præferendo. Ipse in omnibus factis suis Deum præ oculis habuit, nec acceptor personarum divitum vel nobilium. Fuit anno sui Pontificatus II. scilicet anno Domini MCCCLXV. quidam exercitus cujusdam societatis pestifer, ac maxime collectus de diversis mundi partibus malorum Nobilium ac aliorum Ribaldorum, specialiter tamen Britonum, qui exercitus prius devastaverat terras & civitates Lombardiæ & Italiæ. Hic venit juxta Basileam volens invadere Alemanniam, se jam ad eam intrandum disponens, quibus omnibus omnes Principes ejusdem Regni cum exercitibus maximis occurrerunt, quod videntes illi omnes sunt in fugam versi. An. autem Domini MCCCLXVIII. in festo sancti Urbani vel circa ipse Urbanus Papa cum Cardinalibus transtulit se de Avinione in Romam, tenens primo sedem suam in Viterbio, quam translationem non sine magna displicentia multorum Cardinalium fecit; Ubi Carolus Imperator ad eum venit, eique ac Cardinalibus se nimium humiliando magnam reverentiam inpendit. Anno autem Domini MCCCLXIX. idem Papa Romæ canonizavit sanctum Elzianum Comitem de Lampade, sepultum in civitate Abtensi, cujus festum agitur ipso die Cosmæ & Damiani martirum. Iste etiam Papa fecit colligi magnam pecuniam in ordine Nigrorum Monachorum, cujus ipse professus fuit, pro reparatione Monasterii sancti Benedicti in monte Casino. Ipse etiam in Roma capita Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli fecit sumptuosissime ac pulcherrime ornari imaginibus corporalibus argenteis & deauratis, lapidibus pretiosis ac gemmis insertis, quæ imagines sunt protensæ a capite usque ad pectoralia. Suo etiam tempore anno Domini MCCCLXVIII. in quibusdam partibus Alemanniæ tanta fuit caristia annonæ, quod pretium unius mensuræ in anno usuali communi tunc fuit quintuplex, nec tamen aliquis percipiebatur fame perisse. A. Domini MCCCLXX. Urbanus Papa ad inductionem Cardinalium non sine magna displicentia Romanorum redit de Roma in Avinionem, & statim post eodem anno in adventu Domini moritur, & in Marsilia in Monasterio sui ordinis, ubi Abbas extitit, cum in Papam eligeretur, sepilitur, ubi, ut fertur, statim incœpit magnis choruscare miraculis, quæ hodierna die ibi fieri dicuntur, quæ a notariis juxta sepulcrum ejus manentibus & ad hoc assignatis annotantur, & in scriptis rediguntur.


Anno Domini MCCCLXX. ab urbe condita MMXXI. Gregorius XI. natione Gallicus, nepos Clementis Papæ VI. quia filius fratris sui, dictus prius Dominus Bellifortis a comitatu quem prædictus Papa Clemens redemit pro ducentis milibus scutatorum de bonis Ecclesiæ, ac fratri jam dicto Gregorio assignavit ac Comitem fecit. Hic in Romanum Pontificem eligitur CCVII. post Petrum, sedit autem annos VIII. Hic Romam ivit, ac sedem suam ibidem tenuit. Ipse fuit homo multum castus, pius ac devotus, sed in hoc reprehensibilis fuit, quod apud suam consanguinitatem nimis extitit carnalis. Nam Comitatum fratris sui de bonis Ecclesiæ ampliavit, ac de ejusdem bonis consanguineos suos ditavit. Ipse mortuo Johanne Archiepiscopo Moguntino Dominum Lodowicum Marchionem Misnensem Episcopum Babenbergensem transtulit ad Ecclesiam præfatam, eidem de ea providendo contra Dominum Adolfum de Nassaw Episcopum Spirensem, per collegium Moguntinum ibidem postulatum

stulatum & electum. Quo non obstante Adolfus prædictus Ecclesiam præfatam attemptavit, & contra voluntatem & mandatum Domini Papæ ipsam detinet, cui etiam cum ejusdem Ecclesiæ capitulo omnes Rectores oppidorum & castrorum ad ipsam spectantium in temporalibus homagium fecerunt ut Domino; propter quod prædictus Papa dictum Adolfum privavit omni dignitate, gravique excommunicationis sententia innodavit cum omnibus suis complicibus ac ejusdem communicantibus, propter quæ omnia magnum scisma & gravia scandala in Ecclesia prædicta, scilicet Moguntinensi, sunt orta, nec hæc discordia adhuc est terminata seu placata, licet ejus pacificatio sit sepius attempta. De cujus sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ periculo ac fluctuatione prædictus Papa, dum adhuc viveret, ut ipse suis familiaribus retulit & etiam publice dixit, ut vir pius, magnam perturbationem in corde suo sustinuit. Idem etiam Papa religiosos multum dilexit & fovit, eorumque protector præcipuus fuit. Moritur autem Romæ anno Domini MCCCLXXVIII. in XL.

Anno Domini MCCCLXXVIII. ab urbe condita MMXXIX. Wentzlaus, primogenitus Caroli Comitis de Lutzilnburg, Imperatoris Romanorum ac Regis Bohemiæ, ad procurationem ejusdem Caroli adhuc viventis ab Electoribus in Regem Romanorum eligitur. Hic adhuc superest, & nec est coronatus, nec confirmatus.

Anno Domini MCCCLXXVIII. ab urbe condita MMXXIX. Urbanus V. natione Italus, dictus prius Bartholomæus, Doctor Decretorum, primo Episcopus Acharontinus, postea Archiepiscopus Barensis ac regens Vice-Cancellariam Domini Papæ, a Cardinalibus in Romanum Pontificem eligitur XXVIII. post Petrum & adhuc superest. Hic, cum, Cardinalibus in palatio Domini Papæ Romæ in conclavi existentibus circa Annunciationem Dominicam in Papam eligeretur Romanum, populi quasi ratione carentes irruunt super eos, & stantes ante Palatium armata manu ipsos importunis clamoribus invadunt ac inpetunt, ut Romanum natione in Papam eligant, & breviter se expediant. Quorum insuper aliqui ostia cellarii palacii vi destruunt, & intrantes vina optima ibi inventa bibunt. Quæ omnia Cardinales audientes, quia jam dictum Papam elegerunt, ut vitam a mortis faucibus redimant, quendam antiquum Cardinalem natione Romanum, qui Cardinalis sancti Petri vocabatur, precibus inducunt, ut se in Papam electum proclamari permittebat; quem, cum alter Cardinalis Papam esse proclamaret Romanum, ipsum pro Papa habuerunt, ac ipsos de palacio ad suas habitationes redire fecerunt. Tunc statim ille Cardinalis Romanis dixit, non se, sed alium verum esse Papam scilicet Dominum Urbanum, quem iterum Cardinales ad tollendam omnem materiam discordiæ & dubitationis de novo sine omni actione libere elegerunt, & electionem prius factam ratificaverunt. Qui postea in die Paschæ coronatur ac consecratur, & per ipsos Cardinales per civitatem Romanam cum corona ducitur, ac populo coronatus præsentatur. Post hoc autem, quia idem Papa, qui cursum curiæ optime noscens ipsos Cardinales jubet ad titulos suos ire, & suas Ecclesias reformare, ac quia eos ad alia pro bono statu Ecclesiæ existentia inducere conatur, quia vir strenuus fuit & justus, ipsi conspirationem facientes, se ab eo successive subtrahunt, ac in æstate omnes in Amagnia conveniunt paucis demptis, ibidemque inter se quendam Cardinalem de regno Franciæ natum Cebennensem in Papam eligunt, qui se Clementem VII. vocavit, affirmantes, se primum Papam propter metum corporum & coactionem Romanorum non libere elegisse, & ideo ipsum Papam non esse, nec ejus electionem valere. Sed quod hoc sit falsum, ex jam dictis est manifestum. Deinde ipsi cum suo idolo, scilicet Antipapa suo, ad quendam Comitem Fundorum in Regno Siciliæ existentem se transferunt in opidum, quod vocatur Fundis, & ibi tam diu moram trahunt, donec per Caroli IV. nunc Regis Franciæ adjutorium, qui Rex idem idolum adhuc adorat, ac ei reverentiam facit, ac etiam adjutorium Reginæ Siciliæ, quæ idem facit, in Avenionem veniunt, ibique adhuc suam residentiam faciunt, Domino Urbano Pontifice Romano ac Christi vicario sedem sancti Petri in Roma gubernante. Qui idem Papa statim post Apostasiam prædictorum Cardinalium scismaticorum fecit duas solempnes ordinationes Cardinalium, cum quibus Romanam provide regit ac disposuit: Et sic est finis hujus, pro quo Deus gloriosus sit laudandus in secula seculorum.

EXPLICIUNT CRONICÆ MARTINI.



XXIV. JO-

XXIV.
JOHANNIS VITODVRANI CHRONICON
a Friderico II. Imp. ad an. 1348. procedens.

☆ ☆
☆

CUm rerum gestarum in præteritis temporibus & retroactis certa cognicio, & fidelis conscripcio posteris per continuas succesfiones sibi succedenbus non paucam, imo multam conferat utili-item, idcirco ego frater Johannes ortus de opido dicto Wintertur, fratrum Minorum miimus, decrevi non immerito, rudi tamen & icocto sermone, cum faleratis & pompaticis erbis loquendi periciam & eloquenciam non abeam, acta & gesta meorum temporum & aulo ante habita, non semper secundum deitum ordinem, sed secundum quod mihi ocurrerunt, summatim interdum & curtatim, uandoque singularius & diffusius annotare. uæ autem in principio operis præsentis scriturus sum, ad majorem perfectionem ejus faendam, partim ex quibusdam Cronicis a me erlectis, partim ex relacione hominum ipsa oram me attestancium & affirmancium hæc ompaginavi. Quæ vero post hæc per totum pus ponenda censui, prout visu proprio vel iditu didici, vel communis vox & fama celeis me edocuit diligenter conscribam, novitam & varietatem insuper historiarum scribenrum ab inicio usque ad finem in margine libri ajus per paragraphum designabo. Et si quan- me contingat in prosecucione ipsarum aliualiter exorbitare ac metas plenæ meræque ritatis excedere, vel incaute, vel diminute, l superflue, seu præpostero procedere ordi-, vel ab aliis, qui forte eorundem eciam temrum monimenta reliquerunt, discrepare: scretus lector, si placet, corrigat, & meæ fioni vel temeritati non imponat, sed potius eæ ignoranciæ, cum melius non intellexerim, t in memoria retinuerim, condescendat. mmos vero Pontifices & Imperatores conmperaneos non alternatim, more quorunm Historicorum, sed mixtim, prout mihi exdire in processu videbitur, collocabo. Exdium autem narracionis meæ assumere cogi-i ab Innocentio III. illius nominis Papa, & a iderico Imperatore secundo hujus nominis, ii non longe mea meorumque progenitorum tecesserunt tempora. Quamvis autem de trium parcium gestis scripturus sim, præsern tamen, cum Alemannus sim, de Alemanæ partibus.

Innocencius tercius fuit vir eruditus valde plurimum eloquens, sedit annos XXII. duos. ic multa opera famosa fecit, & libros composuit. Natus fuit de nobilibus Romanis: sub eo cepit ordo Teutonicæ domus oriri in Achoron. Hujus tempore capta est a Francis Constantinopolis, & a Venetis Amirandinus quoque Saracenorum cum innumerabili multitudine contra Hispanos veniens confusus ad partes suas reversus est. Hic Innocencius Papa in Lateranensi basilica generale concilium celebravit pro subsidio terræ sanctæ, & pro statu terræ utili, in quo Prælatorum summa fuit MCCXV. in quo multas constituciones edidit: ante agnus Dei, oraciones in Missa fieri instituit pro terra sancta, videlicet psalmus, Deus venerunt gentes cum collecta, Deus qui admirabili providencia &c. Hic Abbatis Joachimi libellum, contra quem Magister Petrus Lonbardus librum composuit, & damnavit, & Almarici doctrinam, sicut habetur in decretali, damnavit. Hujus tempore ceperunt duo ordines, scilicet Prædicatorum & Minorum. Prædicatorum incepit Beatus Dominicus in Tolosanis. Minorum iniciavit sanctus Franciscus prope civitatem Asinatem. Prædicatorum ordo inchoatus fuit anno Domini MCCXVI. Pontificatus Papæ anno VI. sed Fratrum minorum anno Domini MCCVI. Pontificatus Papæ anno XIV. Iste Papa sicut Alexander tercius sentenciam interdicti in personas & loca constituit. Hic eciam canonizavit beatum Thomam Episcopum Cantuariensem & Martyrem & sanctam Kunegundim virginem, scilicet Henrici Imperatoris sponsam. Hic Papa declaravit, quod Principes Teutoniæ jus habeant in eligendo Regem & promovendo: ut habetur extra de electione venerabilis & promovendo extra. In Perusio obiit, sepultus ibidem. Iste Papa Ottonem de Brunschwich coronavit in Imperatorem, & post eundem excommunicavit, suscitavitque illi adversarium Fridericum filium Heinrici Imperatoris. Racio autem movens Papam ad hoc faciendum fuit hæc, videlicet quod Heinricus noviter per venenum extinctus contra Ecclesiam Romanam in vita sua tyrannidem exercuit, & ideo eo mortuo Papa iste, ne frater ejus Philippus factus Rex Alemanniæ in regni scismate promoveretur, se opposuit & Ottoni adhæsit & eum Aquisgrani in Regem Alemanniæ fecit coronari; deinde eum in Imperatorem coronavit, & ut jura Ecclesiæ servaret, ab eo juramentum exegit, qui statim ipsa die contra juramentum venit & fecit, nec non Romipetas fecit spoliari, unde Papa eum excom-

excommunicavit & ab imperio deposuit, & Fridericum prædictum Heinrici Imperatoris filium contra eum erexit & ipsum ad sceptrum Regni sublimavit. Sed Otto Filius Heinrici Ducis Bawariæ,& Saxonum Inperium adeptus, regnavit annis XI. usque ad mortem suam fuit excommunicatus, tamen in mortis articulo a Prælatis absolutus, obiit sepultus in Brunschwich, Fridericus vero secundus hujus nominis sæpe dictus de propagacione Ducum Sweviæ Inperium assecutus est. & regnavit annis XXX. Hic Fridericus & sui Prædecessores progenitores oriundi de Swevia per multa annorum curricula sine interruptione Inperii gubernacula tenuerunt.

Honorius III. defuncto Innocencio III. natione Romanus sedit annos X. Hic confirmavit ordinem fratrum Prædicatorum anno Domini MCCXVI. & sequenti anno ordinem fratrum minorum. Hic Papa Fridericum Regem Siciliæ coronavit & consecravit Romæ in Imperatorem, sed tandem ipsum sibi rebellem & Ecclesiæ Romanæ adversarium conperiens anathematizavit, atque Barones ab ejus fidelitate absolvit. Hujus tempore Damictum Christiani ceperunt: sed Saraceni fortuito casu contingente eam postea recuperaverunt. Hic Papa multas constitutiones edidit & decretales conpilavit. Ejus tempore Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus occisus a Comite Friderico de Ysenburg, qui in ultionem sanguinis in Colonia per judicialem sentenciam crurifragio misere interiit. Iste Papa sanctitate & virtutibus plenus, feliciter obiit, sepultus Romæ ad sanctam Mariam, Anno Domini MCCXXX. Beatus Franciscus contuens in aëre Seraphim in cruce ex tunc in palmis, latere, & pedibus, effigiem plagarum Christi tulit usque ad felicem exitum suum, multis utriusque sexus videntibus illa in eo Christi stigmata.

Defuncto Honorio sedit Gregorius IX. annis XVI. natione Campanus. Hic canonizavit Bononiæ Beatum Dominicum, item Beatum Franciscum, qui ordinem suum incepit sub Innocencio cursumque sub Honorio perfecit gloriosum, succedens hiis (Gregorius) magnificavit anplius miraculis famosum. Hic Papa canonizavit de ordine fratrum minorum Beatum Antonium Paduæ Patronum, Item Beatam Elisabeth relictam Domini Ludwici Lantgravii Thuringiæ; Item excommunicavit Fridericum Imperatorem: sententiam, quam suus prædecessor Honorius contra eum fulminaverat roborando, objiciens sibi multa mala,& constituit sententiam interdicti, Nam Tertius hanc pœnam Ecclesiæ introduxit. Hic Papa secum habuit Prædicatores pro Secretariis suis. Et per fratrem Raymundum ex pluribus voluminibus decretalium unum volumen conpilavit, dividens id in V. libros. Huic Papæ Beatus Franciscus prophetico spiritu prædixit futurum Papam eum; Item duos novos ordines confirmavit, quos Beatus Franciscus ordinaverat unum Dominarum sanctimonialium sanctæ Claræ, unum pœnitentium sexum utrumque sive virorum & mulierum capientem. Item confirmavit ordinem de pœnitentia nuncupatum, sive, Mariæ Magdalenæ. Hic Papa, cum ab Imperatore Friderico, qui tunc ex magna parte patrimonium Ecclesiæ occupaverat, in urbe obsideretur, videns pene omnes Romanos per pecuniam corruptos esse: accipiens capita Apostolorum, & processionem a Laterano usque ad sanctum Petrum faciens animos Romanorum sic revocavit, ut fere omnes contra Imperatorem cruce signarentur, quod Imperator, qui jam se credebat intraturum urbem, audiens, timens longe retrocessit ab urbe. Item anno Domini MCCXCI. peregrina militia Barbarorum gens ferocissima cultibus Idolorum dedita Tartari Ungariam & Poloniam invaserunt & multa millia hominum occiderunt: Contra quos crucem fecit Papa prædicari; similiter contra Saracenos, de quibus quinque M. & XXX. a cruce signatis in ore gladii occisi sunt. Item ut jam dictum est, quando Tartari stragem memoratam commiserunt in Ungaria & Polonia utrobique Dominos interfecerunt, quo facto tanta penuria in Ungaria subsecuta est, quod matres suos pueros manducarent, & pro farina quodam pulvere uterentur homines. Item in Burgundia mons magnus ad alios montes longe translatus est. Hiis etiam temporibus quidam Judæus in Hispania volens ampliare vineam quoddam Saxum amovit, in cujus spelunca cavata reperit tabulam continentem ab Adam duplicem mundum,& in ultimo Christum nasciturum & humanum genus redemturum, & se inveniendum tempore Judicis tunc regnaturi in Hispania, propter quod Judæus ad fidem Catholicam est conversus. Gregorius IX. demum multis pressus tribulationibus feliciter obiit, sepultus Romæ in Vaticano. Hic Papa Celestino successori suo cum adhuc foret Cardinalis, prædixit, quod post obitum suum sessurus esset in sede Apostolica.

Anno Domini MCCXCIII. Celestinus Papa sedit dies XVI. Hic dum esset Cardinalis & Episcopus, negotia pauperum Clericorum frequenter promovit apud Papam Gregorium IX. Celestino hoc IV. Papa defuncto feliciter cessavit Episcopatus fere duobus annis, & cum non essent, nisi IX. Cardinales in Electione Papæ, concordare non poterant, & hoc in periculum totius Ecclesiæ.

Celestino IV. successit Innocentius IV. natione Januensis sedit annis XII. Hic canonizavit Beatum Petrum Martyrem de ordine fratrum Prædicatorum occisum ab hæreticis apud Mediolanum, Inquisitor enim erat hæreticæ pravitatis & cum una dierum de Cumis Mediolanum pergeret pro inquirendis hæreticis, satelles Diaboli nuncius hæreticorum loricatus, ei obvians venerandum caput ejus impressis vulneribus sauciavit, & Christi martyrem fecit. Iste Papa dedit Principibus Theutoniæ potestatem libere eligendi Regem Romanorum. Iste Papa contra fratres minores & Prædicatores iniquas constitutiones edidit, quas postea successores sui retractaverunt. Hic in Lugduno celebrans

ebrans Concilium prædictum Imperatorem propter crimina sua omni honore destituit, ipsumque condemnavit & imperio privavit, procuravitque Lantgravium Thuringiæ in Regem Alemaniæ eligi, & mortuo eo comitem Hollandiæ. Hujus Friderici condemnatio & ejus a Regno depositio patet in VI. Decretalium capitulo incipiente: ad apostolicæ dignitatis, & infra sane cum dura Gwerrarum commotio titulo: de sententia & re judicata. Hic Fridericus primo optimas leges pro libertate Ecclesiæ & contra hæreticos dedit supra multos prædecessores suos divitiis & gloria habundavit, sed eis in superbia abusus fuit. Nam tyrannidem contra Ecclesiam exercuit, quamvis enim ab infantia per Ecclesiam tanquam per matrem fuisset educatus, non tamen ipsam ut matrem fovit, sed tanquam novercam, quantum potuit, laniavit, & primo in Concilio Lugdunensi convocato ab Innocencio IV. ut dictum est, inperiali nomine ac dignitate spoliatus est. Causæ autem principales hujus depositionis in prædicto Concilio exprimuntur, scilicet, perjurium, pacis violacio reformatæ, frequens duorum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ captivacio, multorum Prælatorum submersio venientium ad Concilium, quod Papa Gregorius IX. Romæ duxerat convocandum, quod & ipse Imperator petierat convocari, Prælatos ab Ecclesiarum Regimine destituit, sacrilegium commisit, nam cruces aureas, thuribula preciosa, calices, pannos sericos, & Ecclesiarum thesauros diripuit, Clericos angariis & perangariis afflixit, qui non solum trahebantur ad judicia secularia, sed etiam cogebantur subire duella, incarcerabantur, decollabantur, suspendebantur in patibulis in opprobrium ordinis clericalis. De hæresi quoque suspectus habebatur, nam priusquam Gregorius Papa IX. ipsum anathematis vinculo innodavit, & post captionem Cardinalium, Prælatorum & Clericorum ad sedem Apostolicam venientium, claves Ecclesiæ contempsit, sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo fuit, prophanari divina, & sententias Gregorii Papæ IX. scripsit, vel allegavit, non vereri, & eas coëgit non servari; Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenorum nuncios & munera eorum hilaritate ac honorificentia recepit & munera eis pluries destinavit, ritus eorum amplectens, illos cottidie obsequiis secum tenuit, existimans quoque ipse in partibus transmarinis facta compositione quadam cum Soldano Machmeti nomen in templo Jerosolimis diebus & noctibus proclamari permisit, Bachario Regi scismatico inimico Dei & Ecclesiæ solemniter excommunicato, filiam suam tradidit in uxorem: Ducem Bavariæ fecit occidi, per Assassinos nulla hospitalia, nulla claustra, nullas Ecclesias construxit, sed destruxit, religiosas personas jugiter attrivit, manum sicut decet Principem, ad pauperes non extendit, possessiones Romanæ Ecclesiæ sibi subjugavit scilicet Marchiam Anchonetanam, Ducatum Spoletanum, Beneventum civitatem nobilem in Appulia, cujus Archiepiscopus habet sub se XXIV. suffraganeos; diruit & præoccupavit præter alias civitates Tusciæ. Hæc de eo promulgavit Innocencius Papa in decreto Concilii Lugdunensis.

Hic Fridericus, ut quidam ajunt, cum suis exercitibus, & etiam Papæ copiosis, id instanter ab eo fieri postulantis ad debellandum Soldanum Regem Egipti, qui Jerosolimam cum Christi sepulcro dudum Christicolis per vim abstulerat, dum semel transfretasset, & in proximo die prælium, certamen cum ipso committere decrevisset, ab eo taliter revocatus est a suo proposito, nam sibi significavit, quod frustra bellum secum inire disponeret, cum Papam suspicatum cooperatorem suum haberet adversarium, dicebat enim: Ego accepi Epistolas summi Pontificis certissimas suis exercitibus propriis directas, & etiam sibi delatas continentes hoc mandatum videlicet, quod quam cito nos aggredi ad præliandum contingeret, quod juncti meo populo pro me & ipso contra te & tuum populum, ad prosternendum te viriliter dimicarent, tibi ergo nullo modo expedit ut nobis bellum inferas, ne in manus nostras corruas miserabiliter cruciandus. Hiis auditis Cæsar territus cum Soldano pacem conposuit, & mox furore magno succensus ad persequendum Papam, iter, rediturus, arripuit, quod Papa audiens, Romam reliquit, & in Avionem secessit, ut sub protectione illic Regis Franciæ tute posset iram ejus effugere pertimescendam, & sic secundum relatores memoratos sedes papalis in Avionem translata est, & illic sub multis Apostolicis per multorum curricula annorum perduravit. Hic Imperator iniquitatem in Excelso est locutus, ponens in cœlo os suum, nam dixit, audiente Heinrico Lantgravio: omnes seduxerunt totum mundum, videlicet Moses Judeos, Christus Christianos, Machmetus barbaros; quamobrem si Principes Imperii institutioni meæ assentirent, ego utique multo meliorem modum vivendi & credendi cunctis nationibus ordinare vellem. Heinricus Lantgravius electus in Regem Alemanniæ in odium Friderici Cunradinum filium ejus apud Franckenfurt cum exercitu suo in die sancti Oswaldi vicit, confudit & ignominiose fugavit, & ipse Heinricus eodem anno Rex existens in profluvio ventris interiit, & sepultus est in Ysnaco, & sine herede defunctus est, quamvis feliciter plurima bella superaverat.

Wilhelmus Comes Hollandiæ similiter contra Fridericum electus est & regnans annis tribus, a Frisonibus occisus est. Hic Imperator, quemadmodum fertur a quibusdam, cum magno exercitu & copioso tam Suevorum, quam aliarum nationum ad partes infidelium transfretavit, ubi Soldanum per bellum atrocissimum, quod sibi intulerat, debellavit, cum autem pro triumpho accepto tam gloriose ab infidelibus, Domino cæli, a quo habuit, gratiarum actiones relaturus Monasterium intraret Domino Jerosolimitanum & victimas ac pacifica hostiarum munera, una cum optimatibus & Primatibus suis, & universa Catholicorum thurma in

templo Christi obtulisset, videns templariorum & hospitalariorum cuneos non ad dandum Deo gloriam & laudum preconia pro victoria tam solemni & laude digna & mirifica, ab omnium Dominatore data, paratos & intentos, sed æstu avariciæ succensos, non posse concordare in pacifica divisione, ac æquali possessione, vel perceptione libaminum & oblationum præciosarum inestimabilium, in basilica prætaxata, cui præfuerunt, ut asseritur, ad honorem & Dei reverentiam oblatorum, sed magis injuriose disceptare, nec non ad vendicandas & usurpandas sibi oblationes certatim ruere, ac hostiliter invadere esse studiosos, scandalizatus & offensus nimis in fide orthodoxa fuit, in tantum, quod verba perfidiæ, blasphemiæ & erroris multa protulit, quibus fidei detraxit, & ejus salutarem & firmam veritatem penitus annullavit, & sic id factum, a justitiæ tramite penitus alienum, cum alias in fide claudicaverit, sibi non modicum fomentum hæreticæ pravitatis ministravit. Unde agens in partibus forte ut suspicor transmarinis, triumpho jam potito, secundum opinionem istorum ac relationem, astruitur, quadam dierum ipsum in pompa præcellenti stipatum, undique corona Procerum, missarum solemniis interfuisse, & ibidem a Soldano, vel Principe quodam alio infideli, inquisitum ab eo fuisse, quid in manibus Sacerdotis elevaretur, & cum adoratione tam reverenda ab eo, & cunctis Christicolis tam diligenter conspiceretur, tale dicitur ei dedisse responsum sacerdotes nostri fabulantur, id quod sursum erigitur, fore Deum nostrum, ad quod ille, si fuisset Deus ille tantæ magnitudinis ut mons maximus dudum a Presbiteris vestris ipsam cottidie in Missa manducantibus consumptus fore potuisset. Quod dixi jam ultimo de ingressu Cæsaris Friderici ad terram sanctam, per conflictum habitum cum Soldano, secundum assertionem quorundam, quod minus verisimile factum prius enarrata est, imo minus comprobandum, sed tenendum est, quod per pacta quædam compositionis, vel Treugarum intraverit. Quidam tamen de eo referunt, quod ad tantæ dementiæ foveam deciderit, quod ad hoc totis vellet niti viribus ut ritus salutaris hostiæ seu Eucharistiæ de medio tolleretur, & huic cogitatui malignissimo judicio meo, incitamentum præstitit, prædicti Principis pagani venenosum verbum & plenum vesania, dicentis ad eum. Nisi hanc superstitionem pessimam abdicaret, totam gloriam suam deturparet. Fertur tamen de ipso, dum transiret quadam die cum exercitu suo campum prope fluvium Renum plenum segetibus uberibus speltarum, quod dixerit impie & perverse sentiens de altissimo Sacramento corporis Christi: O quot dii ex hoc frumento suo tempore conficientur? Quidam quoque ajunt eum per anni circulum cottidie jejunasse, nisi semel in die comedendo non intuitu divinæ retributionis, sed corporalis conservandæ causa sanitatis. Fertur insuper, quod frequenter balneis usus fuerit diebus Dominicis, per hoc patet, quod præcepta Dei & Festa & Sacramenta Ecclesiæ irrita censuit & inania. Nihilominus aliqui testantur & affirmant de Friderico Imperatore, quod dum aliquo tempore in partibus remotis ageret, quod miserit pro consorte sua Imperatrice, quæ dum Mediolanam urbem transiret a civibus ibidem putantibus ipsum forte mortuum, vel alias in statu quodam impossibilitatis redeundi positum esse, in odium & contemptum ipsius turpiter tractaverunt, nam ipsam vestibus detractis nudam ut in die nativitatis suæ statuentes posterioribus asinæ imposuerunt, & publice coram universo populo, ludibrio & ignominiæ & extremæ confusioni eam tradentes quasi perypsema, imo quasi scortum vel centonem abjecerunt, quod Imperator intelligens & ob hoc ad furorem inæstimabilem accensus in reversione sua postea accerbissime vindicavit, nam civitatem cum grandi exercitu obsedit & eam graviter ac multipliciter afflixit, tandem cum eam cœpisset & multum sanguinem effudisset hostium, & in ulcionem injuriæ uxori suæ irrogatæ omnes cives dirissimis suppliciis absumere disponeret, difficillime placatus factus est, nam ceteri cives perterriti res & corpora sibi supplicissime subjecerunt & emendam dignam cum humilitate profundissima subdiderunt. Fertur præterea de ipso, quod dum eum quidam Comes Sweviæ quadam vice offendisse debuisset & quendam ab hoc sibi accusatum persequi & infestare graviter cœpisset, & hoc Comes ultra ferre, pertimuisset, amicos & consanguineos suos congregavit & cum illis Cæsarem adiens & sufficienter se a sibi falso impositis expurgans, ipsum placavit, & ad sui amicitiam gratam flexit: cui dum postea in quodam pomerio reverentiam decentem exhibuisset & Imperator cum omnibus sibi cooperantibus & cohabitantibus illic deliciis, solatiis & gaudiis operam daret cifum preciosum optimo vino repletum cum salvia ex incuria & negligencia non coopertum, locatum in gramine, bufo grandis subintravit, quem dum prædictus Comes nescius de hoc Imperatori porrexisset & cifum ori applicuisset, bufo ore distorto & aperto contra ipsum caput erexit, de quo nimis perterritus, de intoxicacione Comitem suspectum habuit, quod cernens Comes totus stupefactus, in argumentum suæ Innocentiæ bufonem illico discerpebat, & coxam unam ejus mittens in os suum comedit, quod dum Imperator illæsum in hoc pertransire conspiceret, eum inculpabilem & alienum a crimine recognoscens, sibi pro suis meritis mox comitatum donavit. Insuper fertur de eo, quod dum esset a sede Apostolica mucrone anathematis percussus propter suam contumaciam & rebellionem, & cunctus Clerus tam secularis quam religiosus arctatus per summum Pontificem ad pronunciandum hoc districte teneretur, & medio tempore contingeret eum cum magno comitatu, quandam, ut puto, Sweviæ civitatem ingredi, & ab universo populo ibidem sibi obviam procedente, solemniter esse susceptum, quidam de fratribus Minoribus zelo fidei animatus & anhelans martyrii palmam attingere,

attingere, sibi etiam juxta portam introeundam occursum dedit, & spiritu Dei fortiter super eum irruente coram tota multitudine habenas equi Imperatoris apprehendens, ipsum figere gressum coegit, & aperta voce, erecto vultu ipsum hæreticum proclamavit, quod dum sui Satellites eum occidendo vel ad minus fustigando vindicare vellent, ab ipso Cæsare cohibiti sunt, & refrenati; dicebat enim: Iste per me vellet martyrizari, sed certe per me suum propositum ferventissimum nullatenus assequetur; & sic permissus est illæsus abire.

Tempore illo, quo fuit anathematisatus, Clerus & omnes religiosi de civitate Thuricensi expulsi sunt præter fratres minores, qui in manu forti retenti sunt & protecti, nam propter dissensionem Papæ & Imperatoris scisma grande fuit in Clero, quidam enim Papæ, quidam vero Imperatori adhærentes astabant. Tempestas itaque ferocissimæ persecutionis in Clero sæviebat illis in temporibus. Tunc fratres Prædicatores de Conventu Thuricensi se receperunt in monte sancto ad tempus extra muros oppidi Wintertur sito. Fridericus Imperator quondam sed anathematisatus & imperialis honoris apice privatus cum Parmam in obsidione cingeret, victus in Appuliam rediit, & anno Domini M.CC.LII. veneno extinctus est & in die Sanctæ Luciæ virginis & Martyris, sepultus apud Fodiam tam occulte, quod multi per annos XL. vadiabant eum vivere, venturum in proximo in manu robusta; Alii famant, quod ad exhortationem suorum Astronomorum Europam reliquerit & ad partes terræ longissimas per mare & per terram cum suis familiaribus servicialibus dudum ante mortem suam diverterit, ne mala sævissima incurreret sibi imminentia juxta Astrologorum suorum in astris certam præcognitionem, si remaneret, qui recedens ultra non apparuit in terra.

Post mortem patris filius suus Rex Cunradinus, cujus mentio sed sinistra habetur in VI. Decretalium capitulo incipiente, fundamenta, titulo de Electione. Post breve tempus misere sicut Patrem mortuus est quemadmodum infra dicetur. Iste Rex per Breganciam Italiam devenit. Et in Ravenspurg, antequam iter arriperet, longam contraxit moram, nec se ad prælia disposuit, quietem enim quæsivit, & ex hoc a vulgo ignominiam multam suscepit; nam de eo carmina prava decantaverunt. Fertur quoque de eo, quod ante introitum suum in Italiam una die mater assurrexit, & eam debito alias honore, sicut decuit suam magnificentiam, prosecutus fuit: In crastino vero dum comperisset, quod Dominum de Tirol in maritum traduxisset, commotus nimis, & ultra quam dici possit, consternatus, honorem debitum & ante exhibitum subtraxit, & nulla reverentiæ indicia demonstravit: quod admirans mater & moleste ferens causam sciscitans ab eo, responsum ejus habuit tale: Tibi heri adhuc surrexi tanquam Imperatrici Romanorum, sed hodie tibi degeneranti tuam illustrem & præcellentem stirpem & regiam honorificentiam, contrahendo matrimonium cum viro longe te minore, teque minime decente: Ego Rex & filius Imperatoris nego, & in perpetuum recusabo. Hic Rex dum vellet intrare Italiam, congregavit Exercitum copiosum & fortem pugnatorum & expeditorum ad prælium, ut fertur de regno Alemanniæ, & profectus est in Italiam, ubi dum esset Romæ & alibi honorifice susceptus & more regio pertractatus in Apuliam properavit, & citara sua versa est in luctum & organum suum in vocem flentium. Nam dolo ipse suique circumventi & irretiti, capti sunt, & capitum abscissione deleti sunt. Secundum quosdam vero propter avariciam suam nimiam interierunt, qui dicunt ipsos quandam civitatem obsedisse, quam cum jam fere cepissent & de inimicis triumphare debuissent, ipsos concludendo, occidendo vel captivando nimis præsumentes, de se adversarios conglobatos ad tuendum se & sua in civitate parvi pendebant prædam catervatim insequendo, quod hostes intranei jam desperati nimio præ amore videntes confortati in ipsos minus circumspectos impetum facientes, eos crudeliter percusserunt, & spoliis intendentes tantum ceperunt, quibus Rex ille dictus Carolus Gallicus a summo Pontifice illic Rex constitutus non pepercit, nam eos variis pœnis puniri ac trucidari præcepit, nam Principes Regis Cunradini cum de nocte secundum unam satis famosam assertionem fuissent repentino accessu convicti, quibusdam virilia fuerunt amputata; quidam decollati; quidam alias male tractati sunt, ibi multi nobiles insignes, Proceres robusti & bellicosi viri de Alemannia oriundi, heu truncatis capitibus lamentabiliter perierunt: cujus pectus nisi saxeum non contremiscit & stupescit attendens & animadvertens inclitum Regem exspectabilem tam genere, quam corpore tam crudeliter omni ablata misericordia capite jugulari cum tam egregia acie militum ex milibus electorum: qui si circumspecti & magis cauti fuissent nec ipsos adversarios ad deprædandum tantum accelerassent cum Rege suo, ut ita dicam, sine resistentia, devorassent hostium cuneos. Sermo famosus longe lateque divulgatus & in scripturam, ut dicitur, redactus testatur, hunc Cunradinum filium Friderici a conflictu inter ipsum & Siciliæ Regem Carolum inito mortis timore perculsum, ad oppidum cujusdam Domini creati quondam a Patre suo in militem confugisse, ut ibi latere posset sub unbra alarum suæ protectionis a facie inimici, animam ipsius perdere cupientis, qui immemor beneficiorum cunctorum sibi collatorum, contra suam firmam confidenciam eum Regi Seculorum prodidit & tradidit puniendum, qui gavisus Cunradinum una cum suo proditore sceleratissimo & XXXVI. Comitibus Alemannis victis & captis in bello præfato, genere & corpore, ut supra dixi, exspectabilibus ad mortem sententialiter & ordine judiciario coram maxima multitudine populi condemnavit, qui omnes mox capitum obtruncacione plexi sunt cæteris variis cruciatibus & tormentis consumptis.

sumptis. Fertur quoque, quod dum Rex Cunradino optionem dedisset primo an in medio, vel in ultimo inter cæteros mortis supplicium subeundi, primus in ordine acephalandorum mori elegit, ne funestam necem gloriosæ suæ militiæ gemitibus inenarrabilibus perspiceret. Adjicitur quoque præmissis, quod est stupendum nimis & admirabile in oculis meis, scilicet, quod una Aquila Cunradini Regis, passionis inpatiens de alto in imum citissimo volatu descenderit, & dexteram alam suam coram omni populo circumstante & ad spectaculum terribilissimum congregato per cruorem suum traxerit, & taliter cruentatus effectus in aëra, unde se præcipitaverat, revolaverit.

Præterea fertur, quod post decollationem Cunradini Regis prædicti, Miles quidam oriundus de Franconia veniens de Longobardia, ubi militaverat, ad patriam suam reverti voluit, quem videntes cives Thuricenses, quos in repatriando præterivit fore similem per omnia lineamenta corporis Regi Cunradino tunc noviter perempto suspicantes ipsum esse, in custodiam detruserunt forte per spatium unius mensis, donec de eo an esset vel non, certiores redderentur, comperto autem quod non erat, veniam ab eo postulantes pro offensa cum magna reverentia, & sumptuum in itinere necessariorum exhibitione ipsum libertati suæ restituerunt.

Circiter ista tempora Tartari partes orientales Soldano subactas expugnaverunt fugatis habitatoribus illarum regionum tam Christianis, quam aliis nationibus scilicet Saracenis & Judæis ultra mare, de quo dolens Pharao Rex Egypti Soldanus resumptis viribus cum exercitu clam irruit similiter castra Tartarorum, multa milia ex eis interfecit, quod factum fuit anno Domini MCCLVI.

Anno Domini MCCLXII. Rex Tartarorum misit solemnes nuncios citra XXX. nobiles Tartaros cum duobus Fratribus de ordine Prædicatorum, qui essent interpretes Linguarum ad Regem Franciæ Ludwicum, ut se & totum regnum Franciæ ditioni subjiceret Tartarorum, alioquin Franciam impugnaret. Tempore procedente qui Ludwicus Rex habito consilio cum Primoribus suis in regno constanter restitit.

Item anno Domini MCCLXIIII. universitas Angliæ bellum inferentes Regi ipsorum propter graves exactiones suas & violentas populo illatas, ipsum cum fratre suo cœperunt & multis aliis nobilibus, multaque millia hominum in ore gladii perierunt; a populo itaque Rex cum fratre suo & duobus filiis Regis & nobilibus plurimis captivi ducti sunt.

Hoc etiam tempore fere inter multos Dominos Teutoniæ bellum acerrimum commissum est in Vigilia Simonis & Judæ, in quo Dux Albertus de Brunswich strenuus in armis vulneratus est & captus, & cum eo multi Magnates & electa militia usque ad DL. cum amissione equorum & armorum, & in vinculis sunt detenti, circiter tria millia hominum memorata die in eodem bello prope Halle ceciderunt. Sed Dux Albertus redemit se a captivitate cum VIII. milibus marcarum argenti & VIII. castellis in Brunswich. Stella cometes apparuit in illo anno in oriente ante ortum diei post stellam matutinam cum radiis multis veloci cursu transivit, usque ad meridiem, præcessit stellam Luciferum a festo Mariæ Magdalenæ apparuit usque ad Festum sancti Augustini.

Innocencio IV. successit Alexander IV. natione Campanus sedens annis VII. Hic Papa beatam Claram canonizavit, & Ezelinum, tortorem Christianorum & interfectorem LX. fratrum de ordine Minorum, & eciam aliorum hominum sanctæ fidei professorum, tanquam hæreticum & persecutorem sanctæ fidei Catholicæ condemnavit & excommunicavit in litera Apostolica, quæ sic incipit: Scandalum fidei, malum Italiæ & macula populi iste Ezelinus hæreticus, publicus hostis Christiani nominis, captivatus cum crux Christi contra eum prædicaretur, traditus in reprobum sensum, nequaquam cibum volens capere se ipsum fame interfecit. Hic etiam Papa reprobavit duos pestiferos libellos, quorum unus dicebat, quod omnes religiosi etiam verbum Dei prædicantes de elemosynis vivendo salvari non possent; alter quod Evangelium Christi & doctrina Novi Testamenti neminem ad perfectionem perduxit, & evacuato eo anno Domini MCCLX. deberet inchoari doctrina Joachim, quam conditor libri Evangelium æternum nominavit, & tandem perfectionem hominum salvandorum in illo ponendo. Nam quidam Theologi Parisienses duplici corde composuerunt librum infamiæ contra venerabiles Fratres Prædicatores & Minores, qui tale habuit initium: Ecce videntes clamabunt foris. Hunc librum Papa Alexander IV. condemnans sentencialiter conbussit in audiencia Domini Alberti ordinis fratrum Prædicatorum, eosdem errores principaliter expurgantis, destituit eosdem magistros ab officiis & beneficiis, restituens Fratres supradictos famæ sanctæ & honestæ, scribens universis regionibus de statu & numero salvandorum.

Hujus tempore, scilicet Alexandri Papæ Manfredus filius naturalis quondam Friderici Inperatoris gerens se pro pædagogo, Cunradini nepotis Friderici ipso Cunradino mendaciter publicato mortuo sibi ipsi coronam assumsit, quod quia factum in præjudicium Domini Papæ fuit, propterea excommunicatus erat, post contra ipsum magnus exercitus, sed in nullo proficiens mittitur.

Hujus etiam tempore Principes Alamaniæ in duo se dividentes, quidam Regem Castellæ, & quidam Richardum Comitem Cornubiæ ad imperium elegerunt, quod scisma multis annis duravit. Hic Papa Alexander in die sancti Urbani Papæ defunctus est in Bitervino & ibidem sepultus est, & cessavit Episcopatus usque ad decollationem Beati Johannis Babtistæ discordantibus Cardinalibus in Electione. Anno Domini MCCLXIII. elegerunt Cardinales Patriarcham

triarcham Jerosolomitanum nomine Jacobum in Papam, & vocatus est Urbanus IV. Hic congregata multitudine tam Cleri quam populi cum Cardinalibus & Pontificibus XIV. Kalendas Decembris incepit solemniter prædicare crucem in subsidium terræ sanctæ, & fratribus prædicatoribus per literas Apostolicas datas Witerbii, stricte dedit in mandatis eandem crucem constanter & diligenter prædicando per Dei Ecclesiam cum larga indulgentia in subsidium terræ sanctæ. Inter hunc Papam & Manfredum Principem Appuliæ filium Friderici quondam Imperatoris orta est contentio pro Regno Appuliæ: & cum Dominus Papa cottidie stipendiariis suis donaret salarium, mille marcas, defendere se non potuit.

Hiis etiam temporibus venit quidam cum magno exercitu dicens, se esse Fridericum Imperatorem, qui ante X. annos mortuus fuerat. Hic impugnavit Manfredum Principem Appuliæ, & strenue ipsum persequebatur, asserens se velle rehabere Regnum Appuliæ & Siciliæ.

Temporibus etiam istis Soldanus Rex Egipti inpugnans Christianos in terra sancta, cæpit Azotum, castrum firmissimum & aliud domus hospitalis, quod alio nomine vocabatur Assur, in quo habitabant duo milia hominum, quos omnes occidit, sed & fratres milites domus hospitalis & domus templi centum LXXX. captivos stricte vinculatos deduxit in Egiptum, cepit Cæsaream & civitatem Raphas, quas nunc tenet violenter.

Hic Papa Urbanus IV. devocione speciali corporis Christi affectus pie statuit annuatim. Feria V. proxima post Festum Pentecostes memoriam integro officio Dominici corporis fieri per universam Dei Ecclesiam, tribuens largas indulgentias agentibus, recolentibus & frequentantibus officium Missarum & septem horarum per totam octavam solemnitatis corporis Dominici, sedit II. annos tantum & defunctus est. Post hunc ordinatur Clemens IV. qui ante fuerat Archiepiscopus Narbonensis, & sedit annos III. Hic uxorem & liberos habuit, Consiliarius Regis Franciæ fuit, post vero uxoris obitum in Papam electus est propter vitam & scientiam suam laudabilem. Hic Cunradinum debellaturum Regem Siciliæ, cui Papa Regnum contulerat, superandum prædixit & tanquam fumum transiturum & ipsum tanquam ad victimam Apuliam intraturum: quod factum fuit, quia captus, deinde decollatus fuit. Hic Papa bellum habuit cum Manfredo Principe Appuliæ pro patrimonio Beati Petri. Hic etiam sub præcepto districte Festum Corporis Christi fecit per Ecclesiam solemniter celebrari.

Post hæc anno Domini MCCLXV. Ludwicus Rex Franciæ cum Christiano exercitu contra consilium Papæ tunc sedentis transfretavit, & fugientibus Barbaris a facie ejus cœpit Damiatam, & eam pacificam habuit. Postea vero in brevi bello ipse a Soldano Babiloniæ, id est, a Pharaone Rege Egipti captus est, & suus Christianus exercitus dissipatus est & occisus totus, dedit autem Soldano pro redemptione sua centum mille Marcas argenti & civitatem Damiatam, arma vero & tentoria, vasa preciosa, equos electos, alimenta Christianorum Saraceni in illo prælio obtinuerunt. Cum autem Ludwicus Rex captus esset ultra mare convenerunt multa milia pastorum dicentes, quod venire vellent in adjutorium Regi Ludwico, & habebant unum Capitaneum nomine Jacobum peritum in pluribus linguis. Hic fuit Apostata Cisterciensium, sceleratissimus homo, violentas injecit manus in Clerum, & hunc sequebantur meretrices, Latrones, Magi, malefici, apud Bituris civitatem occisus est sentencialiter, & plures occisi sunt, alii dissipati sunt. Dixit autem hic seductor adhuc vivens, se vidisse in cursu astrorum Regem Ludwicum redimendum fore per pastores, & sic sub tali prætextu pastores allexit & congregavit.

Circiter ista tempora floruit frater Bertoldus ordinis Fratrum Minorum in Alamania egregius Prædicator, qui circumeundo & perambulando frequenter Alamaniam ipsam mirabiliter illustravit, & peccatores innumeros verbo & exemplo pariter ad Dominum convertebat, cujus memoria in benedictione est, & adhuc recentissima meo tempore perseverat in hominibus. In canpis sæpius solebat prædicare, & tunc populus ex omnibus partibus finitimis & locis circumadjacentibus in maxima multitudine confluebat, qui solitus erat cum anbonem in canporum planicie sibi constructum ibidem sermocinaturus ascenderat, quod per pennam filio appensam & in aërem protensam, flatum venti a qua parte veniret perpendebat, & versus illam partem populum perswadebat consedere. Ipse fuit linguæ disertæ, vitæ sanctæ, magnæ litteraturæ, sicut adhuc evidenter apparet & patet in diversis voluminibus ab eo conpilatis sermonum, quos rusticanos appellari voluit. In suis prædicationibus peccatores inveterati, obstinati ac sceleratissimi surrexerunt aperte peccata sua confitentes, & vitam turpem præteritam abdicantes, veniamque postulantes, & satisfactionem ac emendam dignam promittentes. Hic ab hominibus adhuc præsenti tempore scilicet anno Domini MCCCXL. superextantibus, qui sæpe suis sermonibus interfuerant mihi & aliis hoc narrantibus, asseritur habuisse Spiritum prophetiæ, nam multa & diversa prædixerat secundum relata eorum, quæ nostris sunt temporibus adinpleta. Hic nunquam in oppido, de quo oriundus sum, dicto Wintertur sito in pago nuncupato Turgow seminare verbum Dei voluit propter quoddam theloneum pessimum, imo exactionem nefandissimam, quæ illic in pauperibus huc usque acta est, & quia Burgenses illius oppidi illud theloneum noluerunt intuitu divinæ pietatis & ob precum suarum instantiam deserere, ideo ad eos declinare sprevit, dissimulans imo repellens precamina eorum assidua & obnixa, ut ad eos divertere dignaretur licet loca circunposita causa prædicationis ibidem faciendæ;

ciendæ; sicut oppidum vocatum Wil & oppidum nominatum Klingnow & civitatem Thuregum nomine sæpius visitaret. Inter cætera autem facta miranda sua, unum ponam, in quo patebit ipsum tam peccatores convertisse, quam etiam spiritum prophetiæ habuisse. In quodam enim sermone suo meretrix publica conpuncta surrexit, & suam vitam fœdam & turpem abnegavit. Cum autem Frater Bertoldus in turba copiosa sedente coram eo de eminenti loco suo, in quo stabat, proclamaret: si ibi vir aliquis esset, qui filiam suam peccatricem per eum conversam & renatam in uxorem traducere vellet ob respectum amoris divini, nam ipsam sibi daret & insuper dotaret, quod dum surgens quidam de multitudine faceret, sibi pro dote X. libras se donaturum repromisit; quas ut promtas de turba, cum alias non haberet colligeret, viros aliquot, turmas populi conpressi præ multitudine, perambulare mendicando hortatur, singillatim ab hominibus poscendo eleemosinam, quousque summa X. librarum denariorum conpleatur. Qui cum partem hominum petendo suffragium dotis percurrissent, & pars magna hominum adhuc restaret petenda, clamavit alta voce Pater sanctus in Anbone; sufficit, nos habemus pecuniam quam optamus. Illi sicut prius monitis suis obtemperantes, ab incepto destiterunt, & revertentes ad eum eleemosynam petendo, quæsitam dinumeraverunt, & inventa est præcise summa prætaxata, nec plus nec minus, nec pauciores nec plures denarii quam X. libræ sunt reperti, quos in continenti dari jussit illi viro, qui desponsaverat præfatam peccatricem, sibi eam fideliter recommendans. Quis sibi revelavit & suggessit hanc occultam & inscrutabilem veritatem nemo alius nisi Spiritus Sanctus, qui cor ipsius habundanter inhabitando, illustraverat. Humana enim ratio hoc archanum & ab humanis sensibus semotum & alienum capere non sufficit. Post mortem suam in civitate Bawariæ dicta Ratispona, in qua, ut fertur, natus & alitus erat, multis multo tempore coruscavit miraculis in loco Fratrum Minorum ubi sepultus est.

Postquam vacavit sedes Apostolica tribus annis defuncto Clemente IV. Cardinales in Biterbio concorditer elegerunt in Papam quendam Canonicum Ecclesiæ Leodicensis, nomine Thobaldum ultra mare existentem de Placencia oriundum, cum in ipsa peregrinatione esset, electus est, & missum pro eo ultra mare. Hunc Gregorium X. vocaverunt. Hic Papa cum solemni comitatu intravit urbem Romam, Karolum Gallicum institutum Regem Siciliæ fecit. Ante hunc Papam per annos XI. nullus intravit urbem propter discordiam Romanorum. Dum iste Papa processionaliter transivit per Romam, eum deduxerunt reverenter Baldwinus Inperator Græciæ & Rex Karolus Siciliæ tanquam famuli super terram sibi ministrantes. Hic Papa ordinavit, quod Principes Teutoniæ Regem eligerent & consecrarent, quod factum est, nam elegerunt Comitem de Habspurg. Hic in Lugduno Concilium celebravit, ubi vir sanctus multas edidit constitutiones. Hoc autem Concilium III. Pontificatus sui anno pro utilitate terræ sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, celebravit, in quo & Græcorum & Tartarorum solemnes nuncii interfuerunt. Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promittentes in signum cujus Spiritum Sanctum confessi sunt a Patre & Filio procedere, symbolum in Concilio solemniter decantando. Tunc Tartari fere omnes in Concilio babtizati ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui fuerant in Concilio, sunt Quingenti, Episcopi LX. Abbates & alii Prælati circiter mille.

Hujus tempore ad ordinationem suam, ut prius dixi, anno Domini MCCLXXIII. mense Octobri, Principes convenerunt in Franckenfurt, & elegerunt Comitem præfatum Rudolphum de Habspurg in Regem Alamaniæ, quam electionem Gregorius X. apud Losannam confirmavit, sed postea consecratus est Aquisgrani in Regem Alamaniæ & Romanorum, & concorditer fuit electus ab universis Principibus. Fertur de eo, dum adhuc Comes tantum extiterat, quod cum quadam vice per terram suam equitaret cum suis satellitibus obviam habuit Clericum corpus Domini portantem, & in terra pedibus ambulantem, quod cordi apponens, illico de equo prosiliit & Clerico in reverenciam corporis Christi dedit, qui statim post sublimatus fuit in Regem Romanorum, noluit tamen se transferre ad partes Italiæ ad captivanda & occupanda ibidem bona Inperii, quocunque nomine censerentur, territus exemplo Cunradini Regis in Apulia, ut supra dixi, cum sua militia decollati, ne more ipsius contingeret eum perire & periclitari, volens potius Regno Alamaniæ in tranquilla possessione potiri & contentari, quam alias se exponere discrimini & perditioni.

Cum Principes in Franckenfurt elegerunt Comitem Rudolfum de Habspurg, ipse interim potenter obsedit civitatem Basileam, cum Adjutorio suorum Civium Thuricensium, & licet Comes adhuc & tenuis rebus fuerit, tamen adeo acriter & hostiliter ipsam oppugnavit circunquaque, quod nullus per multos dies ipsis civibus introitus vel exitus evasionisque oportunitas patebat. Nam cives utriusque sexus de spe salutis diffidentes stupore ac tremore in eo, quod illis contigerat, medullitus sunt perculsi, dum autem medio tempore post longam & discriminosam conflictationem & perniciosum scisma habitum, ut supra dixi, inter Regem Castellæ Comitemque Cornubiæ in discordia electos, Principibus iterum Alamaniæ congregatis in unum ad Regem Alamaniæ eligendum, postea secundum tenorem Decretalis incipientis: Venerabilem in Inperatorem coronandum & confirmandum, & intelligentibus fama celebri gesta & acta terribilia & nimis mirifica magnanimi Comitis invictissimi & strenuissimi militis Rudolfi coram præfata civitate, ipsum concorditer, &, ut dixi, canonice elegerunt, sibi in continenti Legatos hæc nunciantes destinando

ſtinando in obſidione, quibus perſpectis a Comite Rodolpho admirabatur præ gaudio de gratia minus præcogitata & ſperata ſibi tam dignative in ſui abſencia collata, & exultans in ſpiritu jucunditatis, obſidione poſtpoſita abiit cum feſtinacione ad ipſos Principes, ipſisque gratiarum actiones referens, poſtulavit mediante eorum auxilio & conſilio in Regno Alamanie intronizari, & bona imperii poſſeſſione pacifica obtinere, quod & factum eſt ſecundum ejus votum & omnimodam voluntatem.

Fertur, quod tempore Rudolfi quidam faber per omnia ſimilis Friderico Imperatori apparuit, qui a multis Baronibus & Magnatibus dicti Regis, nec non a plebeja turma Imperator Fridericus æſtimabatur, & valde honorifice & glorioſe tractabatur, qui cum hujusmodi honorem non recuſaret, imo libenti animo acceptaret gerendo ſe in perſona ipſius & hoc in præjudicium Regis R. vergeret, commotus Rex dixit: Tociens & tam frequenter vidi faciem Friderici Imperatoris, quia ſæpe ſibi converſatus ſum, & quaſi in aula ſua enutritus, quod nolo dimittere, quin iſtum, de quo eſt opinio iſta frivola, videam an ipſe ſit vel non. Quem cum ipſum non eſſe comperiſſet, juſſus eſt ab eo occidi & de memoria hominum tolli nimium credula falſitate. Quidam vero ajunt, quod judicio meo credibilius & veriſimilius eſt, fabrum jam dictum ſimilem Imperatori Friderico Domini diu ante defuncto & ſepulto, totis viribus ſuis renitentem, prænominatis honoribus applicatum, maluiſſet enim operi, officio & artificio ſuo cum uxore & liberis ſuis in domo, & commodo ſuo vacaſſe & invigilaſſe, quam falſo & contra juſtitiam honoris apicem & culmen dignitatis, de quo non erat dignus, taliter uſurpare, cum autem diu reluctabatur ſuæ gloriæ indebite, & ad domum ſuam redire anhelaret, exaudiri meruit & ad propria rediit.

Item fertur de R. dum adhuc Comes erat, quod uno tempore cum adjutorio civium Thuricenſium bellum commiſerit cum Dominis nuncupatis de Regenſperg: tunc quidem in rebus & perſonis florentibus. Nunc autem quantum ad utrumque in nihilum redactis, In quo quamvis victoria potitus fuerit, de equo tamen miſerabiliter cecidit, nam tam acriter percuſſus & ad terram proſtratus fuit, quod ab hoſtibus mortuus putabatur unde Gaſcones more ſuo prædam inſequentes, arma ſua cum veſtimentis detrahentes, ipſum in conflictu nudum reliquerunt, mortuum enim ſe ſimulabat, ut tempore oportuno de ficta morte reſurgeret & de mortis faucibus erui videretur. Quod videns quidam Burgenſis de Thurego appellatus Müller, quem ego vidi, vir corpulentus & procerus fortisque viribus ipſum defenſavit pro eo ſe ut Clipeum opponendo, potenter eum erexit & in equum ſuum repoſuit, qui poſtea acies inimicorum ſecans & dirumpens ipſos crudeli plaga percuſſit. Hoc beneficium Rex factus in almario cordis ſui reponens dum poſt hæc una dierum in civitate Moguntina demoraretur & inter militiam ſederet ſuam, & molitori præfato civi, ad ſe illuc venienti ſereno vultu & alacri aſſurgeret, & eum dignis honoribus, & amicitiæ indiciis præcipue pertractaret, & ab eo ſciſcitaretur, cur tam ſimplici viro nulla dignitatis apice ſublimato tam reverenter & devote aſſurrexiſſet, reſpondit: Quia me in uno conflictu, dum adhuc Comes exiteram, cum in manus hominum incidiſſem hoſtium, de eis eripuit & in equum ſuum collocavit; per eum mortem evaſi & hoſtes meos fortiter ſtravi: nunquam non illum revereri debeo, qui vitam meam Domino adjuvante conſervavit.

Præterea fertur, quod tempore ſuo, eo adhuc Comite exiſtente, unum caſtrum excelſum & firmum in monte dicto Albis prope Thuregum ſitum erat, quod Thuricenſibus oneroſum & infeſtum valde fuit, nam ipſos odio habuit inceſſanter, quod tanto pernicioſius fuerat, quanto patencius introitum & exitum eorum de vertice montis, in quo caſtrum locatum erat, inhabitatores caſtri conſpicere potuerunt. Cum hoc diu toleraſſent & ſe minime defendere valuiſſent, ſuſcitavit eis Dominus liberatorem Comitem qui tunc temporis civibus Thuricenſibus glutino amoris & vinculo amicitiæ colligatus & conjunctus erat, nam illo tempore domicilium ſeu manſionem in oppido ſuo dicto Bremgarten tenens ſito in Ergow, ad quod etiam patulus erat aſpectus de caſtro prænominato, mira aſtutia & callida adinventione Caſtellanum cum ſuis auxiliatoribus taliter circumvenit & decepit: nam circiter XXX. equos præparari jubebat, & ſingulis binos armatos viros inſidere, qui una cum Comite præcepto hujuscemodi obtemperantes & ad nutum obaudientes in fortitudine & audacia magna montem contra caſtrum hoſtiliter aſcendentes, habitatoribus caſtri ſpeciem tantum unius viri prætendebant, propter quod eos ad exitum contra ſe provocabant, nam de ſua multitudine confidebant, paucitatem adverſariorum ſuſpicantes, qui dum fere congreſſi fuiſſent ad dimicandum, parati poſteriores de equis deciderunt, & ſimul cum in equis remanentibus in hoſtes irruere conati ſunt, ſed alii videntes eos multiplicatos contra ſuam confidentiam, & in viſu ſe deluſos eſſe, certatim cum feſtinatione fugerunt, ſed iſti ipſos celerius perſequentes & tandem ſuperantes, caſtrum ceperunt, & ipſum demolientes ſolo coequaverunt; Et ſic Thuricenſibus pax per Comitem acquiſita & reddita eſt. Quod factum tantum amicitiam, quam habebant Thuricenſes ad R. Comitem de Habſpurg, augmentavit & roboravit, quod poſtea ſecum ad confligendum pro eo contra Dominos memoratos proceſſerunt, ubi proſperati ſunt.

Hic Comes R. Rex factus extitit maximus deſolator & deſtructor caſtrorum, ex quibus homines ſpoliebantur; nam ipſa expugnavit, & expugnata confregit ſolo coequando. Benignus fuit erga amicos & domeſticos, ſed ſæviſſimus contra hoſtes; Liberalis fuit, ſed præcipue ſuis militibus ſibi fideliter militantibus. Uſurpavit

sibi res Dominorum, qui spreverunt eum, nec defendit Bonifacium Papam. Vir erat strenuus & sapiens, de confessione Fratrum Minorum.

Hic cum quadam vice in civitate Thuricensi quandam civem excellenter speciosam, uxorem cujusdam fabri ardenter amare cœpisset, quadam die, depositis Regalibus indumentis, in similitudine mercatoris domum ipsius intravit, marito stante super incude suo ipsum pacifice salutante & minime cognoscente. Cum autem Rex cum uxore fabri per modicam horam sedisset, & sibi, sicut concupiverat & intendebat, solaciose dulciterque confabulatus fuisset, conjux fabri ivit ad eum, dicens & hortans, hospitem illum ut majori reverentia reciperet & honorificentius eum, quam fecit, pertractaret, quia esset Rex R. qui in specie mercatoris, ipso vidente, intrasset; quo audito cum admiratione & stupore Regem accessit, & ipsum honore debito & congruo prosecutus fuit, rogans & invitans eum pariter, ut quando sibi placeret, domum suam frequentaret. De hoc vero Rex gratus existens, eis vicissitudinem rependebat similem, ambos diligenter commendando, & mulieri inmediate per unum famulum suum, pannum preciosum & decentem pro novo vestimento emendo.

Præterea cum quadam die vicum unum civitatis Basiliensis pertransiret, & quendam Cerdonem illic videret cuti rudi & fætidæ super lignum extensæ assistentem, ei dixit: O quam dulce & svave esset habere centum Marcarum reditus & insuper formosam uxorem, respondit Cerdo: Ambo in plena possessione habeo; ad quam responsionem Rex cum vehementi admiratione subjunxit: Et ego quam cito in hospitio meo de equo descendero, rediturus ad te, hæc videbo. Medio autem tempore, Cerdo abjectis & exutis vestimentis suis sordidis, induit vestes decentes & splendidas & decoras, quibus amiciri diebus festivis solitus erat; nec non consortem suam idem facere jubebat, mensam quoque poni præcipit sollemniter, & desuper in cifis & aliis vasis aureis & argenteis vinum nobilissimum copiose infundi, & de cibis delicatis & exquisitis apparatum magnum super mensam fecit præsentari, & matronam suam pulcherrimam indutam purpura & bysso, imo cultu muliebri accuratissime ornatam in capite mense locari. Hiis factis Rex expeditus, sicut promiserat, advenit, & videns singula admirans nimis, credidit & non parum magnificavit. Cum vero Rex omnia perspexisset & sibi placuissent, & ædificia sua cerdo & divitias non visas Regi declarasset, Rex subintulit: Cum hiis omnibus abundes, cur tam feculentum exercitium non relinquis. Qui ait: quamvis iis affluam, tamen sicut quando me preteristis, vobis dixi, non minus artis meæ officium fedum & contemptibile exerceo, ne divitiæ meæ decrescant, sed potius augeantur, quia per otium & vacationem notabile statim paterentur decrementum vel paulatim penitus absumerentur. Quod audiens Rex approbavit & consorti suæ exenia preciosa tribuens recessit.

Item quodam tempore, dum adhuc Comes existeret, in Castro dicto Kiburg residens, quidam Domini vocati de Regensperg æmuli sui ab antiquo una die in unum congregati dixerunt: Iste vilis Comes non effugiet manus nostras, nam hac vice sibi, quandiu sumus coadunati, insidias tendemus & suum nasum longum discerpemus. Quod audiens quidam fatuus eorum continue vecordiæ iter suum in continenti de Regensperg in Kiburg direxit, qui dum inportune in porta castri pulsaret & primo incognitus, tandem agnitus fieret, intromissus fuit, intuens autem vultum Comitis, ait: Certe tu non habes tam longum nasum, sicut audivi hodie a Dominis meis in Regensperg, qui audiens hæc verba coram familia sua sibi astanti dixit: Notate verba, signate misteria, aliquid enim innuunt. Volens autem sensum verborum clarius investigare, dixit: Quid dixisti? Ille ait: Domini mei multiplicati plus solito ad invicem dixerunt hæc. Comitis nasum longum conteremus: Longum enim, ut dicitur, nasum habuit. Comes autem animadvertens verba ab illo prolata, & in corde suo ponens, instruxit mox aciem virorum armatorum robustam, & cum ea contra Regensperg in furore tendens, Dominos illos conglobatos & contra eum conspiratos obvios habuit, & in eos bestiali more & indomito cum suis clientulis irruens plures ex eis occidit, reliqui vero per fugam, quam inierunt, salvati sunt, & sic malitiam eorum funditus extinxit inolitam.

Magnæ mansvetudinis & humilitatis fuit Rex Rudolfus, quod per tale exempli argumentum luculentissime demonstratur, nam cum quodam tempore in civitate Thuricensi moram ad aliquot dies contraheret, cum staret cum magna ex omni vallatus parte militum acie, quidam de plebeja turba pertransire cupiens, irrisit eum, alta voce dicens: Iste Rex cum longo nasu suo, quem habuisse, ut supra dixi asseritur, me inpedit, quod stratam recto tramite perambulare nequeo. Quod audiens Rex retrocessit, & sibi locum eundi vultu hylari & verbis pacificis benignisque dedit.

Fertur quoque, dum quadam die Lindaudiam venisset, quidam Burgensis ibidem sibi magnum piscem Lucium nominatum erogavit, quem dum coquus exenterare vellet & ad decoquendum præparare, invenit in faucibus suis grandem bufonem: ob hoc coquus piscem abjecit & eum coquere tanquam cibum abominabilem sprevit, quem dum Rex diu in mensa exspectaret, quemadmodum moris sui erat, ut eum militibus suis distribueret, & sibi apportaretur minime, coquum aspectui suo præsentari jubet, a quo dum causam didicisset, quare sibi piscis non esset allatus, respondit: Bufo suus cibus erat, ipse autem meus & meorum erit, propter hoc rejiciendus non est, nec minus edendus: vade igitur, & mihi eum coctum affer, quod factum est.

Hic Rex R. quanquam forte multa bellica facta strenue gesserit, inter cetera tamen unum laude dignum in scripturam redigere summatim

m curavi, quod celebri & recenti hominum ma & opinione vulgatur. Fertur, quod Rex oëmiæ dictus Ottaker ob persuasionem congis suæ nimis elate, & de fastigio regalis honos sui supra modum inflate contempsit Regem omanorum R. regnumque Boëmiæ in feoum ab eo, sicut merito, debuerat, postulare, uod cum tandem saniori ductus consilio fare reluctante sua uxore disponeret, & ad iter cum sua militia præpararet, & hoc Regi R. eraciter innotesceret, suis appocrisariis parier convocatis, sciscitabatur ab eis, quali veste ostendere deberet Regi Boëmorum venien- ad se & petituro ab eo Regnum Boëmiæ in odum sibi concedi, quibus sibi respondentius, quod regio cultu & indumento gloriæ ac xcellentiæ suæ deberet coram eo apparere, respondit eis, quod nequaquam, sed in veste ruicali & rudi scilicet tunica grisei coloris vellet suis obtutibus demonstrare, ut per hoc sibi atesceret, quod tumorem suæ arroganciæ arvi penderet, imo quasi pro minimo reputaet. Quod dum totum secundum quod dereverat, evenisset, & Rex Boëmiæ remeasset, consorti hæc omnia secundum ordinem narrasse plusquam dici possit, igne furoris accensa Regem conviciis affecit & improperiis cerbissime laceravit, dicens: Quare a tali tibi issimili & viliori & tali vestimento simplici & gresti in tui contemptum & confusionem inluto, cum sis longe præstantior eo divitiis, loria, & honore regnum tuum titulo feudi pereac recipere, in tuam grandem ignominiam ræsumpsisti. Hiis & aliis verbis multis ipsum oto conatu suo provocavit, ut Regnum Boëmiæ, rejecto titulo infeodationis, per se proprietatis titulo possideret, & insuper Ducatum Austriæ, quem sibi contra justitiam diu usurpaerat, fortiter teneret, & Regi R. eundem petenti sibi resignari, cum ad inperium pertineret, nullatenus restitueret, sed pocius ad defenlendum eum & sibi conservandum, se Regi R. pponeret, Principatum ejus nullatenus fornidando, se ad resistendum sibi & ad rebellanlum contra eum, quanto citius posset, se totis viribus præpararet. Quod intelligens Rex R. nstruxit virorum electorum de Swevia & aliis partibus exercitum robustum, & directus est contra eum in fortitudine & audacia magna, & convenientes in campo quodam magno, acriter pugnaverunt, sed prævalente Rege R. cum suo exercitu, sine multa sanguinis effusione suorum, Rex Boëmiæ occisus est & exercitus suus contritus, & sic Rex R. gloriose triumphans regnum memoratum sibi subjecit, & Ducatum Austriæ suis liberis & eorum posteritati jure feodi possidendum a se & a suis successoribus in perpetuum dereliquit, Filium suum Albertum illic collocavit, & multos Alemannos ibi præfecit, & sic terræ prævaluit, de ordine Fratrum Minorum tunc duo Episcopi creati fuerunt. Tullensis & Archiepiscopus Moguntinus frater H. (Henricus) ambo de Ysnina oriundi oppido in Albgowia sito.

Fertur quod in hoc bello Rex R. corruens de equo suo miserabiliter in terram prostratus, pedibus caballorum & manibus hostium expositus erat; quod cernens quidam miles suus vocatus de Ramswag, ipsum non solum a conculcatione equorum & insultu inimicorum eripuit, verum eciam super equum alium gloriose locavit, in quo devicta morte hostem fortiter cedens, solemniter triumphavit; cujus beneficii Rex memor existens, adjutori suo in tribulacione, Domino de Ramswag & suis posteris theloneum Lindaugense XX. ut dicitur, librarum & theloneum aliud apud Renum situm 2. librarum contulit in perpetuum possidendum, & super hiis patentes sibi litteras assignavit. Cujus hæredes usque in hodiernum diem hæc possident, & in usus suos convertunt. Inpetentibus ea instrumentum confectum super hoc demonstrantes & ab inpeticione conpescentes.

Ante congressum pugnæ prælibatæ per totam expeditionem, ut multi famant, quidam lector de ordine fratrum minorum magnæ scientiæ & optimi consilii Regem Rudolfum comitabatur, nam sibi speciali prærogativa & præcipuo amoris privilegio dilectus erat. Hic exhortationis verbum fecit ad exercitum Regis R. jam hostium cuneis se inmiscere volentem, per quod tantum proficiebant, quod victoriam celeriter obtinuerunt. Per hujus lectoris prudentiam, consilia & salubria monita non solum illa vice, verum etiam multis vicibus in periculosis & causis arduis & plenis vigiliarum negotiis Rex R. secundum omnem voluntatem suam prosperatus est, propter quod volens eum pro meritis premiari: Brevi postea interjecto temporis spatio sibi Episcopatum Basiliensem, tandem Moguntinum obtinuit, quibus per eum adeptis sibi fecerat, sicut & poterat, efficacius auxiliari Fratres etiam sui ordinis confessores sibi & suis Liberis propter eum adoptavit, & præ cunctis religiosis elegit; quod & per multa annorum curricula inviolabiliter perduravit. Hic suum ordinem intimo & præcordiali prosequebatur affectu, quamobrem ipsum ab injuriis defensavit, & in suis honoribus fovit ex totis visceribus & protexit, sed sacerdotibus & Clericis secularibus minus deferens, & favoris sui gratiam subtrahens, infestus nimis fuit.

Hic in Basilea apud Minores Fratres adhuc in Minoribus agens Lector existens quandam Dominam ibidem filiam confessionis habuit, quæ spiritus maligni per multa tempora illusiones frequentes sub specie angeli Lucis habuit, quæ putans taliter a Domino consolari, diu cum gaudio, sed falso sustinuit & amplexabatur affectuose illam visionem, tandem in hæsitationem & in ancipitem dubii agonem dictæ visionis Domino instigante perducta, querulosis vocibus causa informationis Lectori memorato exposuit, qui visionem ejus per propriam sapientiam sibi a Domino datam profundam recognoscens dyabolicam, sibi consilium salubre tribuit, (fuit autem ut contra eum proferret verbum Petri scilicet per aspersionem sangvinis Jesu Christi) quo ipsa proxima nocte sequenti utens, dæmonem abegit, & eum

eum penitus effugavit, qui dolens de hoc dominam, ut fertur, taliter allocutus est: Ille quem novi, qui tibi suggessit suis monitis, ut sic me repelleres, talionem a me recipiet, laqueum enim sibi extendam, in quem incidet non post multos hos dies, & ex quo mihi decidisti, per eum ipse loco tui cedet mihi. Cum vero Lector post istud factum statim fastigium Episcopalis dignitatis ascenderit, conjicitur Dæmonis taliter respondentis ex verbis, laqueum esse Prælaturam Pontificatus, quam procurare sibi Diabolus animo malevolo voluit causa capiendæ ultionis, ut sic tanto profundius & gravius in præcipicium mortis æternæ caderet, quanto altius per suum instinctum & suggestionem in gradu dignitatis tumore excessivo superbiæ comitante scanderet in altum, quod a multis evenisse minime dubitatur, quia in dignitatis suæ culmine positus, plus quam dici vel scribi possit, cordis & operis elatione intumescens, omnis humilitatis modum & metas penitus abjecit.

Tempore illo, quo Rex R. adhuc Comes, ut dicitur, extiterat, quoddam prælium ortum fuerat inter invictissimos Dominos Comites de Habspurg consanguineos Regis & civitatem dictam Bern sitam in metis Galliæ & Alamaniæ, quod quantum ad Bernenses flebilem sortiebatur exitum, nam cum utraque pars in campo ante civitatem sito convenisset, pars Bernensium stetit contra hostes conglobata in modum coronæ & conpressa cuspitibus suis prætensis, quam dum de adversa parte nemo aggredi præsumeret, Comes querulosis vocibus valenter & miserabiliter clamare cœpit: Heu mihi quod neminem habeo, qui cuneum adversariorum penetrare possit, vel etiam invadere præsumat: quod audiens quidam cordatus miles fidelissimus, respondit: Ego solus meo inpetu ipsos attemptabo invadere, vestris desideriis satisfacere cupiens; qui cum dicto modo in eos efferatus fuisset & in eorum lanceas receptus, in frusta discerptus & concisus, lamentabiliter periit, cujus occisione turmæ Comitum nimio furore succensæ unanimiter in turmam hostium more Beluæ inpegerunt & ipsam ab invicem disjunxerunt: quo facto in ipsos Bernenses tanta furia & crudelitate debacchati sunt, quod multi ex eis ciciderunt, multo vero plures pedibus mutilati sunt, ad quod faciendum maxime conati sunt, pauci illæsi de Bernensibus transierunt. Extranei ergo triumpho secundum vota ipsorum potito concinebant & alternantibus modulis miscebant dulcisona carmina; Intranei vero e contrario cum luctu & merore corpora peremptorum sepelierunt, sed mutilatis ex intimo cordis condolebant, statuerunt quoque suffragia pro peccatis mortuorum debita inpendi, præcipue autem anniversarium diem missarum solemniis & oblationibus, orationibus & eleemosinis devotissime in perpetuum celebrari, quod fideliter servatur usque in hodiernum diem.

Post istud bellum aliquanto tempore decurso, bellum atrocissimum excrevit inter Regem Francorum & Comitem Flandriæ, quod sæpe Flandrensibus prosperantibus & triumphantibus, Francigenis vero succunbentibus viribusque resumptis iterum rebellantibus nec prævalere valentibus perniciosissime replicatum est: una autem via Flandrenses taliter Francos superaverunt; cum enim essent proxima die una in quadam valle ad præliandum, congressuri Flandrenses dolum hujuscemodi, quo animas adversariorum minus cautas & inscias involverent, machinati sunt foveas subterraneas in nocte præcedente conflictum, occulte parando, subtiliter sollerterque desuper obducendo, quod Franci nescientes, & in crastino commissuri prælium contra hostes insultum & inpetum facientes, in foveas plenas aqua inciderunt, nam quendam rivum prædictam vallem præterfluentem in ipsas fluere fecerunt, qui sive in foveis obruti & conclusi, sive in aqua absorpti, seu in ore gladii hostium ipsos insequentium consumpti, in maximo numero perierunt, viginti enim quinque milia virorum fortium & armatorum ibi perierunt, ut a pluribus in illis partibus tunc temporis commorantibus enarratur; septuaginta quoque famosi & potentes Domini terrarum, ut didici relatione fide digna eorum, qui in bello eodem fuerant, illic interierunt, qui omnes sua vexilla distincta ab aliis, nota & nominata habuerunt. Quidam ajunt, Flandrenses callida intentione solas equas ascendisse, & illis ubi castra metati fuerant, ad resistendum parati, insedisse, ut per eas equos Francorum faleratos & egregios ex adverso constitutorum ad coitus appetitum attenderent vehementem, ut sic desiderio nimio commixtionis habendæ cum equabus tanquam furiosi & amentes effecti rapido cursu certatim per præfatam vallem contra ipsos ruerent & in fossas præcipites se darent cum suis sessoribus effrenatis, quod & factum est, quam cito enim equi equas senserunt, contra eas omni disciplina obliti cucurrerunt, & in fossas sibi studiose paratas, deciderunt. Tandem tamen Rex resumpto & recuperato quasi post infinitam stragem suorum robore, renovatoque exercitu de Flandrensibus triumphavit, & eos desolando prosternens & humiliando subiciens post jacturam magnam & ignominiam, fructum copiosum & supereffluentem gloriam reportavit ad prosequendum.

Adhuc factum laudabile unum de Rege Rudolfo manu apponam, nam licet ad Inperium non ascenderit, tamen fortunatus existens in Regno Alamaniæ mirifica opera & insignia multa patrabat: Paulo enim ante finem vitæ suæ quoddam castrum spolii, dictum Wisenburg situm infra Schafusam obsidebat, quod quamvis modicæ firmitatis & munitionis fuerit, tamen ejus obsidio ad sex septimanas continuas se protraxit, quia remisse obsidentes agebant non irruendo in muros ipsos ad dirumpendos, cum autem quidam de Familia Regis hoc tacitus animadverteret & Regi diceret, quod castrum studiosius & expeditius oppugnari juberet, & ut muri frangerentur operam diligentiorem adhiberi præciperet, quia cum magno dispendio

&

& gravibus sumptibus ibi moraretur: Ad hoc Rex tale fertur dedisse responsum: Ego malo castrum tardius capi & demoliri & prolixiori tempore, cum alibi constitutus, sumtus me habere oporteat cum salute corporum pugnatorum meorum, in quibus dependet virtus & gloria mea, quam citius & breviori spacio cum eorum discrimine ac ingenti periculo: & sic noluit, quod se morti muros incaute & inportune, more insipientium & freneticorum invadendo, irrumpendoque exponerent; Et sic castrum sine aliqua suorum cæde per suffossiones & concavacionem montis captum & dirutum est. Hic cum regnasset XVIII. annis in die Beatæ Margaretæ virginis defunctus est, sepultus regia sepultura in Spira. Mortuus est anno Milleno C. triplicato sex minus atque Tribus Julii Rex mense Rudolfus.

Circiter ista tempora oppidum nomine Buchhorn situm in ripa Lacus Botanici captum & desolatum ab aliis civitatibus in odium Domini sui, cui obligatum erat.

Defuncto Gregorio X. qui ut supra dictum est, electionem Regis Rudolfi confirmavit, sedit Innocentius V. natione Burgundus de ordine Prædicatorum Menses V. dies II. Electus est in die Agnetis, obiit vero in vigilia Johannis Babtistæ. Magister in Theologia erat, & plura opera fecit super Bibliam & sententias. Fuerunt autem usque ad hoc tempus a Beato Petro Apostolici CXCVII. Lino & Cleto exceptis & fœmina, quæ non conputatur Innocentio V. successit Adrianus V. natione Januensis, & sedit Mensem I. dies IX. anno Domini MCCLXXVI. Adriano V. successit Johannes XXI. natione Hyspanus, qui sedit pauco tempore, nam cum Kamera nova, quam pro se in Witerbio circa palatium construxerat, solus corruit, & inter ligna & lapides collisus, die VI. post casum sacramentis omnibus perceptis exspiravit. Sedit autem anno Domini MCCLXXVII. Hic scientiæ florem & Pontificalem dignitatem morum stoliditate quadam deformavit, adeo ut industria naturali pro parte carere videretur. Prius Tusculanus Episcopus erat. In hoc laudabilis erat, quod tam pauperibus se, quam divitibus communem exhibens multos egenos studia literarum anplectentes fovit, & in beneficiis Ecclesiasticis promovit: & cum vitæ spatium in annos plurimos extendi crederet, & hoc etiam coram aliis assereret, subito cum Kamera nova, ut dictum est, cadens extinctus est.

Post eum sedit Nicolaus III. natione Romanus. Hic regulam Fratrum Minorum per totum mundum præcepit cum suis declarationibus Legi publicæ in omnibus scholis juris, excommunicans de cætero omnes dictam regulam inpugnantes. Hic sedit anno Domini MCCLXXVII. ante vocatus Johannes Gajetanus. Sedit autem annos IV. & feliciter, ut pie creditur, defunctus est Domino conjunctus. Hujus tempore Tiberis excrevit in tantum, quod super Altare Beatæ virginis rotunde per IV. pedes & anplius ascendit. Hic ordinavit duos Episcopos Prædicatorum & unum Minorum. Post ejus decessum vacabat sedes V. mensibus, dies XXXII. multa quoque dissensio est secuta inter Ursinos & Hanibaldenses, & multa homicidia.

Nicolao III. defuncto successit Martinus III. Hic Fratres Prædicatores & Minores super confessionibus audiendis decoravit privilegio speciali, ut possent hominibus ministrare Ecclesiastica Sacramenta, si Plebani contra confitentes, dictis Fratribus voluerint malignari. Hic fuit natione Gallicus, & an. Domini MCCLXXXI. in Papam eligitur. Hujus tempore primo Pontificatus sui anno piscis marinus captus est monstruosus, pellis ejus pilosa, pedes ejus breves, cauda leonina, caput leoninum, aures, os & infra dentes & linguam habebat quasi Leo: In ejus captione planctum horribilem emisit pronosticum futurorum, quia parum post in Regno Siciliæ Panormitani Gallicos, qui morabantur ibidem, omnes tam mares, quam fœminas, senes & juvenes in ipsorum Regis Karoli contemptum occiderunt, ac etiam latus mulierum prægnantium Latinarum Gallicos partus antequam nascerentur necabant; deinde tota Sicilia rebellans, Regem Arragoniæ in suum defensorem & Dominum invocabant.

Honorius IV. natione Romanus hunc sequitur anno Domini MCCLXXXIV. & annos V. mente expeditus, sed toto corpore contractus, misit in Theutoniam Legatum Episcopum Cardinalem, qui Rege præsente in Herbipoli solemne Concilium convocavit, & quartam partem omnium proventuum a Prælatis omnibus postulavit per annos quatuor. Multis ergo Episcopis & aliis Prælatis trementibus & contradicere formidantibus, surrexit Dominus Probus Tullensis Episcopus Frater Minor quondam Lector Constanciensis de Tuwingen oriundus, & stans super Babtysterium nobilissimum pro omnibus appellavit, & se confudit, quia de Episcopatu contemptibiliter dejectus, in pristinum saccum est reversus.

Temporibus mortis Incliti Regis Rudolfi, quæ fuit circiter annos Domini MCCLXXXVII. in Alamania plura terribilia prælia pullulabant, imo more torrentis inundantis inpetuose supervenientes inundabant in tantum, cum adhuc hodierno die illa tempora ab antiquis rememorantur, magni prælii nomine vocitantur; sed inter cætera unum durum prælium inter cives Thuricenses & Winterturenses. Nam Thuricenses æmuli ab antiquo Dominii de Habspurg existentes, sublato de medio Rege Serenissimo Rudolfo, qui sicut supra dixi, de Habspurg oriundus fuit, machinationes pessimas diu ante latenter in cordibus suis versatas in lucem produxerunt; operibus, in quantum poterant exequentes, constituerunt enim bellum adversus Winterturenses, qui Dominio de Habspurg jure proprietatis pertinent, congregantes virtutem & exercitum fortem, & exaltatum & elevatum est cor eorum, & venerunt in multitudine gravi & turba bellatorum copiosa, & nimis de sua virtute præsumentes & malitia

tia propria excæcati supra modum & infecti, enormia & exsecrabilia, quæ pudor est dicere, cogitarunt de Wintertur facere ab eorum offensa seu turbatione penitus aliena: nam habitatores ejus viros & mulieres, juvenes & senes in ore gladii perdere decreverunt, mœnia quoque succendere igni, muros subvertere, mulierum prægnantium uteros & latera aperire, fœtusque extinguere & omnia adeo funditus delere moliti sunt, ut nec vestigium aliquod civitatis deinceps appareret, quæ omnia cives in Wintertur audientes, veriti sunt a facie eorum, & eorum corda nimia præ angustia & timore ipsis superveniente tabuerunt, aures tinnierunt, mentes tremuerunt, vultus emarcuerunt, arescentes nimio præ pavore & exspectatione eorum, quæ incumbebant universitati Burgensium, oculi ex nimio profluvio lacrimarum intumuerunt, viscera & omnia interiora ipsorum quodammodo concussa sunt, facies conciderunt, speciositas quoque mulierum inmutata est: Hæc omnia eis evenerunt, quia spem evadendi manus hostium non habebant, sed se magis morti subjacere æstimabant, attendentes suam paucitatem, & auxiliatorum raritatem, & adversariorum respectu ipsorum infinitam multitudinem; quæ tamen aliquantulum in eis mitigata sunt in nocte præcurrente pugnam & adventum hostium, qua receperunt de civitate Schafusensi semper adhærente fideliter Dominis de Habspurg & nunc de Austria & de aliis oppidis & locis prædicti Dominii circumpositis & Dominis circumsedentibus adjutores ydoneos & bellicosos, quorum multos oculis meis vidi, sed in crastino omni consolatione mittigante ac leniente dolorem eorum ad nihilum pro modo loquendi redacta desolatio acerbissima cum quadam horripilacione corda civium de Wintertur medullitus penetravit, quia tunc acies Thuricensium in apparatu incredibili aspectu terribiles more locustarum occupantium canpum attingentem oppidum Wintertur apparuerunt, quæ tantum horrorem & stuporem eorum mentibus incusserunt, quod mulieres præcipue muros, tecta, propugnacula, turres & alia loca eminentiora ascendentes, aëra repleverunt clamoribus & resolutis crinibus, scissis vestibus, expansis manibus & conplosis, oculis lamentantibus, rauco sonitu præ nimio fletu & dolore vociferantes in cœlum gemitibus inenarrabilibus a Domino postularunt, ut de manibus inimicorum venientium ad devorandum eos, mediante suo auxilio, qui salvos facit sperantes in se, eriperentur, alias libentius mortem subire vellent, quam videre mala gentis suæ ac excidium civitatis; cum ergo Deus vota humilium respiciat solita miseratione & tumorem superborum a longe cognoscendo conterat. Congregatis Thuricensibus in canpo propinquo muris Wintertur & ibi exspectantibus exercitum Episcopi Constanciensis sibi confœderati secundum quod condixerant, pro auxilio eis destinandum illa die, sed præpeditum per inundationem fluvii dicti Tur inter Constanciam & Wintertur fluentis, quem pertransire propter hoc minime poterant; suscitavit Dominus illico liberatorem illis de Wintertur fortissimum Comitem Hugonem de Werdenberg, qui ex inproviso multum desideratus, jam instante turbine certaminis formidolosissimi & conflictacionis acerrimæ, quasi Leo inperterritus advenit, & ascendens montem modicum dictum Linperg, in cujus pede versus occidentem Thuricensium agmina erant coadunata, erexit vexillum in altum habens speciem vexilli Dyotesani, quod prospicientes Thuricenses & suspicantes esse Episcopi, animati & exhylerati contra cives & civitatem hostiliter processerunt: Cognoscentes autem Winterturenses ipsum suum propugnatorem, & hostes eorum fortiter cedentem & conterentem revificati, qui semimortui fuerant, & supra modum consolati, mulieribus super tectis suis precibus & obsecrationibus salutem eis poscentibus constitutis, de civitate cum suis auxiliatoribus eruperunt cum magna audacia & confidencia & incurrentes adversarios prælium commiserunt; Videntes vero Thuricenses se fore defraudatos & aggravatum esse bellum contra eos, conclusi ex omni parte ab hostium cuneis, qui poterant, terga verterunt & fugam cursu leporino inierunt; reliqui vero vel occisi sunt, vel vulnerati; maxima autem pars, quia humane eos tractaverunt, captiva ducta est; si enim inpie contra eos egissent, maximam stragem commisissent. Nam isto modo tantum cruorem, prosternendo hostes & equos eorum, effuderunt, quod multi hostium volutabant se in eo sicut porcus in volutabro, ut sic occisorum similitudinem habentes mortem effugerent: multi spiramen retraxerunt & in antra cordis retruserunt, ut mortui apparerent; Dulcissimum fuit eis capi, imo videbatur ipsis ut quasi transitum habentes per ignem, & aquam educti essent in refrigerium. In argumentum hujus verbi & attestacionem est, quod certatim instabant obnixis precibus, quod ad captivitatem recipi dignerentur, quod & factum est; Nam quantumcunque vilis vel levis persona fuerat, quotquot valebat captos ad civitatem quasi pastor oves ad caulas ducebant. Unde locum habet hic verbum Isaiæ Prophetæ dicentis: Et puer parvulus minabit eos; & verbum Moysi dicentis: Unus ex nobis decem persequetur. Pater meus interfuit bello, qui contentabatur in uno sedente super equo phalerato & armato, armis rutilantibus ad instar quodammodo solarium radiorum. Fuerunt autem capti, qui pro majori parte fuerant nobiles & cives reputati in multis locis, tam in Wintertur, quam in aliis circumadjacentibus per multos dies custodiæ mancipati. Fuit tamen eis indultum, ut anbulare illic possent in conpedibus & manicis ferreis. Est autem Cœnobium Monialium extra muros non longe oppidi Wintertur situm, ubi, ut fertur, LXXX. occisorum Thuricensium in una fossa eis ad hoc præparata fuerant tumulata. Cæteri vero Thuricenses occisi deducti sunt Thuregum, & cum fletu magno & planctu sepulti sunt. Hæc dies triumphi gloriosi civium de

de Wintertur videbatur in diluculo in se gerere typum & pronosticum quasi extremi judicii calamitatis & miseriæ, iræ & caliginis, & horroris, quantum ad eos: sed post vesperam fuit eis conversa in diem gaudii & lætitiæ; & visum est eis, quasi novam lucem oriri.

Honorio IV. defuncto successit Nicolaus IV. de ordine Fratrum Minorum, qui sedit anno Domini MCCLXXXVIII. Hic erat Doctor Theologiæ & bis electus fuit, & toties cum lacrimis resignavit. Tertio conpulsus ab omnibus Cardinalibus difficulter acquievit; sedit autem annos VI. & feliciter ab hoc seculo transmigravit.

Anno Domini MCCLXXX. in Succental fragore nubium trecenti homines perierunt. Anno Domini MCCLXXXI. Sarraceni Tripolim destruxerunt. Item sub Nicolao IV. Sarraceni cœperunt Acheron, qualiter autem cœperint prout fama frequenti id adhuc recenti mihi innotuit, quanto succinctius & realius potero, delineabo. Cum in illo tempore in partibus transmarinis Asiæ civitates a fide orthodoxa primo illic pullulante & florente juxta illud Isaiæ Prophetæ: De Syon exibit Lux & verbum Domini de Jerusalem, apostaverunt & Machmeti sectæ & ditioni Soldani se subdiderunt, civitas Acheron grandis & populosa sita in portu maris inmobilis in fide Katholica, præter quam, & extra quam non est salus, sicut Petrus dicit in Actibus Apostolorum, perseveravit, quam gubernabant, ut dicitur, Cruciferi, nam eis subjecta fuit, quæ civitatibus aliis circunpositis & villis infidelium in tota illa contracta nimis infesta fuit, nam ex ea Christiani frequenter egrediebantur per turmas & Paganis indigenis & incolis illius terræ depopulando agros & vineta eorum, & auferendo eis res suas per rapinas, & ad civitatem suam Acheron deferendo magna & inportabilia damna intulerunt: Quæ cum diu amaro animo pertulissent, tandem unanimiter surrexerunt & Soldanum adierunt, & hæc omnia sibi querulosis vocibus exponebant, petentes ab eo, ut dictam Civitatem conpesceret, & temeritati habitatorum in ea eos spoliantium resisteret, & ausibus eorum frivolis aliqualiter contrairet, ut pace solita & quietis dulcedine consveta frui possent. Quo audito Soldanus commotus juravit per thronum Regni sui, quod nunquam desistere vellet, quousque civitatem illam humiliaret, contradixit ergo ei, tamen per anni spatium inducias habitatoribus ejus indulsit, infra quod si vellent ad resistendum sibi, se præpararent. Hoc facto exiit edictum districtum a Soldano, ut nationes omnium Provinciarum sibi mundi subjectarum ad obsidendam & demum demoliendam civitatem Acharon contra eum rebellantem convenirent. Insuper fuit ibidem a Sacerdotibus Sarracenorum & cuncti generis illorum Paganorum solemniter prædicatum, quicunque in expeditione sibi conpetenti ad illam obsidionem veniret & eum ibi occunbere contingeret, cælica Regna immediate attingeret. Fuit etiam ex parte civitatis Acheron cruciferis, qui sibi præfuerunt id agentibus procuratum, quod in cunctis generibus Katholicorum & finibus valenter & efficaciter prædicatum erat, quicunque ad civitatem Acheron termino ad id faciendum præfixo contra Paganos ad tuendam eam intuitu æternæ retributionis & divini amoris properarent, veniam omnium peccatorum suorum perciperent, & si eos illic decedere contingeret, sine purgatorio, imo sine medio ad cœlestem Patriam evolarent. Propter hoc de diversis partibus Christianitatis & regionibus multi exercitati in præliis viri ad urbem confluxerunt prænominatam: Ex parte autem Soldani, quia præceptum Regis urgebat, convenit maxima multitudo populi sicut arena maris, quæ præ multitudine dinumerari non potest: & illius multitudinis hominibus erat cor unum & anima una ad devastandam urbem ipsis tam contrariam & molestam & mutuo se inpellentibus in fossata magnæ altitudinis & latitudinis corruentes ipsa repleverunt: qui enim erant inutiles & minus expediti ad bellandum ad fossata urbis replenda trudebantur: multi eciam tantum accensi amore cœlestis mansionis, quam adipisci per hoc voluntarie, sine aliorum inpulsu oppinabantur, certatim ad fossata se præcipitaverunt, & fossatis usque ad summum per tales repletis, cæteri super eis ambulantes in muros inpegerunt, & continue sine intermissione vicibus sibi succedentibus ad minus per sex menses cum arietibus & aliis instrumentis bellicis urbem oppugnantes persistebant, Christianis viris bellicosis & animosis super muris & curribus constitutis cum machinis & sagittis ac lapidibus toto conatu, totisque viribus rebellantibus & repugnantibus, nec per hoc proficientibus, sed in cassum laborantibus, quia paucitas eorum in conparatione ad extraneos, quorum infinita multitudo & inæstimabilis erat, non quibat inpetum tantum restringere vel cohibere. Fertur unum, quod mirari non cesso, quod sacerdotes Paganorum, quamquam in prima cohorte, se ipsos laceraverint, voluntarie confisi de suis maleficiis ad oppugnandam Acheron, quantumcunque telis Christianorum inpetebantur, minime lædebantur. Fertur tamen, quod quidam Dominus Christianus de muro fortiter agens & hostes viriliter propulsans & reprimens, videns quendam Dominum Sarracenum præ omnibus acriter & incessanter murum infringere & ad desolationem urbis infatigabiliter nisum præbere, interrogavit eum, quis esset, quia eis præ cæteris horrorem & molestiam inferret, respondit, quod Soldani cognatus vel Affinis propinquus esset, & propter hoc tantum sibi esset cordi. Insuper adjecit, quod in crastino ascensurus & capturus esset locum suum, quod effectum perfecte sortiebatur. Pluries etiam audivi, quod illa die, qua civitas capta fuit, antequam caperetur, & jam capta esset in januis, Soldanum in hoc verbum Blasphemiæ prorupisse: Si Deus crucifixus jurasset super caput suum, oportet quod die hac relinquat mihi hanc civitatem: quod plenissime evenit sicut adhuc

exitus rei conprobat nulla Dei plaga comitante: Quod dum factum esset, Katholici cuncti, qui poterant, fugam arreperunt, & se in naves sibi ad hoc in littore maris, cui urbs ex una parte imminebat, paratas receperunt, & salvi in suas patrias redierunt; qui cum navigare cœpissent, multi timore mortis attoniti eos jam quasi præmortui insequebantur conantes naves ingredi, & cum eis mortis supplicium evadere, cujus cum facultatem non habuissent, in mari submersi sunt. Cum vero Barbari urbem ceperunt, paucis pepercerunt, nam fere omnes deprehensos in ore gladii peremerunt, multos etjam in captivitatem redegerunt, qui adhuc hodierna die cum suis posteris eorum servitiis sunt astricti, in magna tamen reverentia retinentur. Numerus autem Christicolarum in civitate deprehensorum & occisorum famatur extitisse LXX. milia; Paganorum vero multo plures propter pestilentiam inter eos exortam, propter causam prædictam perierunt. Præterea in captione civitatis, quod est miserabile dictu, Pagani mulieres fideles formosas sibi placentes temeraverunt, & cum ad Monasterium Sanctæ Claræ venissent, & Moniales ibidem Domino servientes violare vellent, Abbatissa cum magna precum instantia ab ipsis vix inpetravit, ut dimissa eis castitatis sanctimonia post hymnum & canticum Domino persolutum ab eis capita earum reciperent. Cum ergo Antiphonam salve Regina devote percantassent flexis poblitibus, porrectis cervicibus Martyrum palmam capitis obtruncatione meruerunt. Vastata itaque est civitas & heu penitus desolata. In mercatibus & mercimoniis, ut audio, ad diversas terras deducendis primatum inter alias civitates tenuit, & ideo, ut dicitur, Pagani pœnitentia ducti amara quod ipsam desertam fecerunt: utilis enim toti orbi fuit & fructuosa. O Si Deus ad verba blasphemiæ Soldani supra dicta, quemadmodum quondam Rapsacis exercitum percussisset. O quantum hostibus fidei profuisset Christianæ, imo eam non modicum confortasset, & hoc dico judicio meo & humano, quia judicia Dei multa occulta & inscrutabilia sunt, qui novit, quare fieri permisit. Dicitur, quod habitatores urbis illius & præcipue capita Deum in suis iniquitatibus provocaverunt, non ergo mittam manum meam in Christum Domini, nec os meum ponam in cælum, ut aliquid de hoc temere diffiniam, sed Deo totum, qui omnia novit & potest, & rationes eorum scit, committo.

Nicolaum IV. sequitur Cælestinus V. natus de terra laboris, vitam heremiticam prius duxit, & inde in Papam eligitur, & anno Domini M CC. LXXXXIV. Papatum resignavit. Sub quo Rex Adolfus de Nasowia in Regem eligitur anno Domini MCCXCII. Illo enim tempore Principes eum elegerunt vocatum Comitem Adolfum de Haidelberg, qui regnavit annis VI. Hic erat vehemens & audax in factis, & Principes, qui ipsum elegerunt, postea insurrexerunt contra eum, & Duci Austriæ Alberto adhæserunt: qui evocatus de Austria ab eis, iniit pugnam cum eo juxta Spiram in loco, qui dicitur Hasenbühel, sed Albertus Dux cum suis venit contra eum ex parte orientis orto Sole, & ille ex adverso, & erat induus thorace aurea. Rex Adolfus nec voluit exspectare suos pedissequos, & in prima acie irruit super Ducem insignem, qui defensionem susceperat a Comite quodam, qui dicebatur der Ruhe Grafe, qui misit manum suam in Christum Domini occidendo Regem, qui statim denudatus fuit, & thorax data est Duci Heinrico & fratribus Karinthiæ, qui illa die primam aciem direxerunt ad conflictum, quorum sororem Elizabeth nomine Dux Albertus in matrimonio duxerat. Comes der Ruhe postea a suis interemptus est. Comites de Muntfort de monte forti divisi erant pro tunc contra se. Quidam cum Rege, quidam cum Duce fuerant. Comes de Velckilch dictus Rudolfus vir strenuus & valens pugnavit usque ad noctem in strage met secundus ipse & Armiger suus Dominus Rudolfus Willer. De bello jam tacto sic rumor vulgaris in auribus meis, ab eis qui ei interfuerant, de mea patria personuit, quod Dux Albertus cum evocatus fuisset, sicut jam dixi, de terra Austriæ & concitatus contra Regem Adolfum, de partibus Sweviæ electorum virorum populum fortem & robustum, exceptis secum ductis de Austria, & exercitum paratum ad prælium congregavit & ad partes inferiores, pugnaturus cum Adolfo properavit. Rex autem Adolfus hoc audiens, de Alsacia & Renensibus, exercitu copioso congregato, præter magnam multitudinem pugnatorum venturorum de Bawaria, fugiendo tamen adversarium suum, ad partes inferiores Regni juxta Rhenum sitas festinus secessit. Dux autem Albertus cum suis tanta celeritate, & serio ipsum insecutus fuit, ut ubicunque in nocte præcedente fugiendo castra sua posuerat, illic in nocte sequenti Dux Albertus poneret eum persequendo, qui tandem velociori cursu Regem Adolfum præcurrentem præcucurrit, & locum, in quem causa tuitionis se contulerat, circumdans & infestans ipsum ad confligendum secum coegit: nam Rex Adolfus videns se bellum declinare non posse, de cetero confidens de sua justitia & de exercitus sui multitudine, non exspectans turbam bellatorum copiosam adhuc in adjutorium sibi advenientium, quia nimis audax & præsumptuosus erat, conflicturus cum Duce Alberto, contra eum processit, qui concurrentes in loco memorato prælium commisserunt, & aggravato bello & invalescente contra Regem, occisus est, & sic Albertus triumphans Regnum sibi usurpavit. Fertur autem inter ceteros pugnatores unum valde strenuum habuisse, qui adversarios fortiter cædens & multos prosternens, in galea demum suffocatus fuit propter nimium laborem, quo desudavit in belli certamine, mirabile dictu, quia postquam mortuus fuerat, tamen adhuc equo insidens & ab eo hincinde in belli turbine portatus, veritus fuit, quia vivus æstimatus fuit. Hunc Albertus Rex de facto factus, post belli finem videns mortuum amare deploravit, &

& non inmerito, quia per ipsum in magna parte victoria potitus fuit. Prius Dux Rex effectus non de jure, sed per vim, regio honore a Principibus & militia Alamaniæ tractatus est.

Hic Albertus post egressum suum de Austria ad colligendam expeditionem præfatam, cum jam collecta Wintertur veniens, Thuricenses cives ibidem & alibi in locis sibi subjectis invenit captivos a tempore conflictus, quem ante dudum cum civibus in Wintertur commiserant, pro quorum manumissione & liberatione Dominorum & civitatum, dum preces recepisset supplices, & ut animos eorum sibi conciliaret, & ut ad juvandum se inclinatos redderet, ipsos captivos ibi vel alibi detentos, salvis rebus & corporibus libertati suæ fecit restitui.

Præter hæc, ut fertur, dum de Austria egressus fuisset propter causam jam inmediate tactam, & malitiam Thuricensium partim occisorum & in grandi numero captorum perspexisset, civitatem eorum potenter obsedit, & per aliquot dies ipsam graviter coangustavit & afflixit: Propter quod cives in terrorem inmanem versi, imo quasi desperati callidam adinvencionem seu astutiam, qua hostes terrerent ac deluderent, invenerunt, videlicet, quod mulieres cunctas illic præ aliis locis copiosas numero arma portare valentes, armis induerent & eas cum cuspitibus super locum unum eminentem intra muros ejus situm, arboribus multis consitum, locarent, ut pavorem hostibus per hoc incuterent: nam patulus erat aspectus adversariis constitutis in monte vinetorum ad illum locum, quæ in oculis ipsorum multa millia armatorum apparuerunt: Cum autem illas in tanta multitudine considerassent & probabiliter æstimassent, suspicantes eas esse viros, supra modum attoniti Duci Alberto dixerunt: si ille tam ingens exercitus de civitate contra nos erumpet, in momento peribimus, imo quod majus & gravius est, si etiam contingeret, nos Deo dante civitatem oppugnando capere, similiter filii mortis erimus. Dux ergo hæc animadvertens, firmiter eis pacem donare, si peterent, alta voce repromisit: quod Thuricenses percipientes exierunt, & pacis fædera humiliter postulabant, quibus Dux annuens recessit. Quidam vero ajunt, quod propter cædem & captivitatem virorum Thuricensium solæ quasi mulieres in civitate remanserint & ipsam custodierint, quæ attendentes se circumdatas & conclusas obsidione Ducis acerba, tremefactæ, quid facerent penitus ignorabant, tandem a vetulo propter senium & inbecillitatem suam in civitate relicto informationem acceperunt, ut ad dictum locum armatæ confluerent, & corizando illic hostium obtutibus lætitiam & pugnatorum multitudinem demonstrarent, ut sic seducti pacem civitati relinquerent & abirent: quod & factum est. Dicitur tamen, Ducem non latuisse illam industriam ante discessum suum, sed quia contentari voluit in captivis, nolens ultra civitatem molestare, & etiam, quia tantum causa ostentationis potentatus sui coram civitate comparere voluit in robore & virtute voluntarie a turbacione destitit civitatis. Huic dicto argumentum præstat veritatis, quod postea captivos omnes diu famæ cruciatu verecundia miserabiliter afflictos salvis rebus & corporibus, ut dictum est, abire permisit.

Rex Albertus dum Regnum Alamaniæ adeptus fuisset possessione pacifica, accidit Regnum Ungariæ defuncto Rege suo absque liberis vacare & carere successore, quod tandem hæres verus de stirpe Regia Regni Siciliæ Dux & Dominus, ut fertur, Venetorum Andreas nomine obtinuit & possedit, qui licet potens, opulentus, generosus satis esset, tamen, quia illic male parentatus fuerat, filiam Regis Alberti unam sibi in conjugem dari poposcit, qui dum sibi negasset, civitatem Wiennam Metropolim Austriæ cum exercitu grandi circumdedit, & civitatem tam atrociter coangustavit, quod Rex Albertus necessitate conpulsus filiarum suarum sibi unam tradidit in uxorem. Qui post aliquot annos Consorti cohabitatos, viam universæ carnis est ingressus, relinquens eam pingvibus reditibus prædotatam, quos multis annis sibi devectos in Alemaniam integre percepit.

Item de Rege Alberto narratur, quod quadam vice intoxicatus fuit, propter quod graviter ægrotare cæpit, cui Medicus poscenti ab eo suffragia in hæc verba, respondit: Venenum quod hausistis a vobis expelli non poterit nisi per alterum oculorum vestrorum, cujus visum in continenti ammittetis: Ad hoc Rex ait: Malo oculum unum quam vitam perdere: quod ita factum fuit, quia eo usque ad mortem caruit.

Hunc Regem Albertum fama vicio avaritiæ nimis excessive irretitum testatur: nam tantum lucris & rebus temporalibus inhyavit, quod castra, civitates & oppida suorum consanguineorum sibi indebite usurpavit: quod causam ante tempus morti suæ dedit. Unde factum est, cum regni gubernacula XI. annis tenuisset, profectus est in oppidum dictum Brugg in Argowia situm, & dum ante oppidum, sive extra muros ejus non longe Patruelis suus Dux Johannes bona sibi ab eo ablata restitui amicabiliter postulasset, & hoc duris verbis sibi facere denegasset, & sua fore assereret, Dux Johannes ob hoc nimis iratus effectus, cum quibusdam Familiæ Regis pocioribus scilicet Domino de Wart, Domino de Eschibach, Domino de Balm & quibusdam aliis partem suam foventibus in necem Regis conspiravit & eum in loco memorato mox occidit: quo facto ipsi fugam arripientes festinanter in diversis locis, timore filiorum suorum relictorum perculsi delituerunt. In loco autem, ubi interfectus est, Monasterium solemne in brevi constructum est cum Cænobio dupplici sibi annexo in remedium animæ ejus: In cujus una parte locati sunt Fratres Minores dominio illi dilecti: In altero Sanctæ Claræ ordinis Moniales Domino in hymnis & canticis, jejuniis, orationibus, & lectionibus jugiter famulantes. Rex Adolphus electus fuit sub Celestino V. anno Domini MCCXCII. & sub Bonifacio VIII. ab Alberto Duce Austriæ occiditur, anno Domini MCCXCVIII. unde versus:

Millenis ac trecentis binis minus annis.
In Julio mense, Rex Adolfus cadit ense,
Per manus Australis processi Martiniani.

Rex vero Albertus sub Clemente V. a Johanne filio fratris sui occiditur, anno Domini CCCVIII. secundum hos versus:

Annis completis octo & mille trecentis
Rex est Albertus gladiorum morte peremptus
Contigit hoc Jacobi Festo sanctoque Philippi.

Et hoc factum in suo patrio solo. Hic Rex effectus juramentum fecerat Bonifacio VIII. fidelitatis & obedientiæ, propter hoc eum in specialem filium acceptavit. Sepultus autem est in Spira, sicut & Pater suus regia sepultura.

His temporibus, scilicet anno Domini CCXC. in medio fere æstatis sævissima grando inportunissime veniens cum lapidibus in magnitudine pugni, arbores multas radicitus evulsit, mænia discerpsit, pecora necavit, volucres prostravit omnia terræ nascentia sibi occurrentia vastavit, & in campis fætorem pessimum post se reliquit. Fertur autem hanc grandinem non solum in Alemania, verum etiam de mari ad mare percussisse; unde illa dies quasi typum extremæ diei gessisse dinoscitur.

Paulo, ut fertur, ante ista tempora Rex Franciæ de regno suo cunctos simul exterminavit Judeos, ut eorum cuncta sibi bona usurparet.

Circiter etiam ista tempora Apostolicus ob petitionem Regis Franciæ templarios propugnatores Ecclesiæ nobiles contra feritatem Paganorum abolevit, bona eorum pingvissima Regi conferendo, ut dicitur, minuta vero Hospitalariis.

Circiter annos Domini MCCXX. dum quidam prolictor in cemiterio oppidi DIESENHOVEN sepulcrum foderet pro mortuo homine in eo tumulando, sepultus in eo ante decem annos fossorem alloquebatur, & inter cetera verba, quæ sibi dixit, mortem sibi in proximo imminentem veraciter ac determinate prænunciavit.

In iis temporibus cœperunt pullulare multæ hereticæ pravitates in Alemaniæ partibus præcipue, imo aliquæ tam enormiter excreverunt, quod cum dolore cordis mei refero, quod octo Articuli sunt ex eis districte a sede Apostolica in perpetuum condemnati, sicut patet in septimo Decretalium, titulo de hæreticis, capitulo, incipiente: Ad nostrum, qui desiderantur in votis &c. Sed heu tempore posteriori memorato circiter annos Domini MCCCXLVII. in aliquibus locis Sweviæ tam valenter in scandalum hominum gravissimum & fidei perniciosissimum detrimentum, tantum multiplicatæ ac longe lateque disseminatæ sunt ac radicatæ quod evelli & aboleri non possunt prochdolor adhoc, quod lamentabilius est, devenit, quod nemo eos visitare, corrigere, examinare vel corripere attemptat vel præsumit, & idcirco more Lolii seu Zisaniæ triticum suffocare solentis fidem inficiunt orthodoxam, plusquam Judei vel gentes, nec inmerito cum liberiorem accessum habeant ad fideles, quam exteræ nationes; unde fundamentum Ecclesiæ militantis subverterent penitus si Doctores eis non obsisterent.

Fertur, quod Bonifacius Papa Regi Alberto tunc demorante in Kolmar civitate una Alsaciæ per duos fratres minores verbotenus & in scriptis instantissime supplicaverit, quod dignaretur terram Romodiolam uberem & sibi valde acceptabilem ob amorem sui sedi Apostolicæ erogare, quibus consilio habito bene cocto cum appocrisariis suis, respondit, sibi non licere possessiones imperii sibi vel aliis distrahere vel alienare, nisi vellet terram meliorem vel æquivalentem imperio vice versa conferre. Illis itaque reversis cum tali responso ad Papam, requisiti fuerant ab eo qualiter eis successisset, qui dicebant, optime quantum ad personas nostras, sed quantum ad intentum nostrum minime prosperati sumus. Et seriem rei & eventus, sic ut supra expressi differentes. Quo audito Papa indignatus supra modum, post paucos dies memoratos Fratres cum eorum non parva desolatione secundario ad Regem remisit cum Epistola hunc verborum tenorem tenente: videlicet, quod si prænominatam terram Sedi Apostolicæ finaliter negaturus esset, ipsum in filium adoptivum susceptum abnegaret, & ipsi regnum ultra non cuperet, nec ad Imperii coronam ullatenus acceptaret, quia in Christum Domini manum misisset, occidendo Regem Adolfum filium suum perdilectum: Qua coram Rege & satrapis suis recitata, & diligenti consideracione habita, sine responsali littera Papæ destinanda remandavit, quod eum in Patrem habere contemnat, & Regnum & coronam Imperii minime ab eo capere ambiat, cum dare sibi nequeat, contradicente malicia sua, quia non per hostium, sed aliunde tanquam fur & Latro Papatum perceperit & intraverit: Celestinum Papam suum Prædecessorem in similitudine celestis oraculi, quod Pontificatum resignaret, & ad solitudinem remearet, sicut & fecerat seducendo. Quo responso dum Fratres prælibati de Kolmar civitate, in qua eum iterum repererant, ad Apostolicum reversi fuissent, ipsi de suo itinere sciscitanti responderunt, quod Rex iterum eos sicut ante eos benigne recepisset reverenterque pertractasset & amicabiliter reliquisset, sed sibi heu nulla prospera vel placentia nunciarent, quæ dum Papæ clare mediante Anbasiatorum suorum relatione Fratrum Prædictorum, quod etiam Epistolæ Regiæ tristi tenore patuissent, frontem sui capitis repletus stupore cum una manu percusit, dicens: Bene mihi respondit, verba enim pro verbis mihi reddidit. Timens autem propter hoc sibi dissensionem & persecutionem Regis inminere, & satagens futuro periculo salubriter occurrere, reddendo sibi Regem propitium & pacatum, ad quendam mox locum Tusciæ se contulit, ut inde Legationem pacis & reconciliationis Regi mitteret, eum ad se vocare gestiens, quod sibi cuncta placita liberaliter inpenderet & donaret. Cum ergo ad locum illum per-

perveniſſet, ut prætaxata illic diſponeret, a Legatis Dominorum Romanorum Nominatorum de Columna ad petitionem Regis Franciæ, quem anathematizaverat, præventus & retractus eſt, & Romam deductus eſt, & arcte cuſtodiæ carceris intruſus injectusque. Hic Rex Albertus, poſtquam perdomaverat Boëmos, Heinricum Ducem Karinthiæ, qui tunc Regnum Boëmiæ occupaverat, de regno illo fugavit, & Rudolfum filium ſuum ſeniorem inter cæteros terræ præfecit, & in Karinthiam Ducem redire conpulit; veruntamen usque ad mortem ſuam ſe Regem Boëmiæ intitulavit.

Paulo poſt prædicta quædam mulier in Walaſtat devota Fratribus Minoribus defuncta, ſed nondum ſepulta revixit, & erigens ſe ſuper feretro, in quo adhuc jacuit, veſtimentis funeralibus inſuta, ſepulturæ jam tradenda, coram multis hominibus præſentibus in ſtuporem verſis ingentem, narravit, ſe fere fuiſſe damnatam propter quoddam delictum ſuum in confesſione non detectum, quia ipſam confiteri erubuit, ſed per interventionem ſancti Franciſci, cujus fratribus multum benefica fuerat, liberatam, reſuſcitatamque & vitæ reſtitutam, quousque peccatum abſconditum in confeſſione Terminario fratri Minori faciendam; Tunc non longe a loco illo conſtituto, quo facto, ſicut prædixerat, ſpiritum iterum exhalavit. Hæc, ut fertur, antequam ſecundario mortis debitum perſolveret, plura ſecreta abſentia & longe exiſtentia cum quibusdam in futuro tempore eventuris diſſeruit, quæ omnia evidenter hominibus tandem patuerunt poſt tunc ſuum ſecundum obitum. Multa terribilia. In domo illa diu noctuque Spiritus quidam malignus dolens de ſubtractione animæ mulieris memoratæ patenter exercuit, quæ hominibus inhabitantibus domum illam pavorem grandem & tremorem incuſſerunt. Hæc domus Fratribus Minoribus pro hoſpitio fuerat collata, per quorum inhabitationem dæmoniaca ſævicio repreſſa fuerat & ſopita. Affirmavit inſuper hæc mulier in ſua revificacione coram multis perſonis circumſtantibus eam, quam glorioſe Fratres Minores coram Domino apparerent, quod luce clarius in ſua defunctione ſe aſſeruit conſpexiſſe: Unde factum eſt, quod propter hæc & alia Fratres prænominati ibidem deinceps per multorum curricula annorum acceptiores fierent.

Pluribus annis revolutis poſt prædicta, extra muros civitatis Rotwil una nocte in quodam molendino Nekaro fluvio annexo ſpiritus unus vel forſan plures, quinque homines ſtrangulavit, uno vel tantum duobus hominibus mole illæſis remanentibus, qui iſtos ante diluculum ſuffocatos repertos aliis enarraverunt, qui cum ſtupore & planctu totius civitatis tumulati ſunt.

Circiter iſta tempora quædam filia meæ confeſſionis pulchra & decora ſatis in villula quadam commorans, quia villana vel ruſtica fuit, dum cujusdam diei diluculo, ad calefaciendum ſe apud ignem ſederet in domo ſua in qua ſola vel metſecunda vitam miſeram actitabat viro honeſto, quem ego novi, ultra ſtratam in caſa e regione poſita degente, jam in ſtrata regia ligna ſecante jam lucis orientis ſydere quidam vir niger de ſtabulo, vel, ut verius loquar, de fæno ſuper ſtabulo jacente egrediens viſibiliter, & contra eam progrediens, unum pedem ipſius violenter, ipſa renitente, in ignem ponendo vel tradendo abſumpſit.

Poſt hæc ſurrexit filius Regis Alberti alter Jehu dictus Lupoldus in furore magno, & ſeverus ultor factus eſt ſangvinis Patris ſui, nam Dominum de Wart poſt fugam redeuntem & in via ſibi proditum deprehendit & arcte cuſtodiæ mancipavit, cui cum objiceretur quod latrocinium & crimen læſæ Majeſtatis commiſerit, verum Dominum ſuum occidendo, reſpondit, quod non Dominum, ſed malefactorem occiderit, qui manus ſuas cruentas miſerit in Dominum ſuum verum & proprium Regem Adolfum interimendo innocentem. Tandem tamen poſt iſtam temeritatem in ferventiſſimam pœnitentiam ſuorum ſcelerum deductus eſt; ſed in ultionem flagitii ſui absque judicio ac ſine ſententia crurifragio & rotacione conſumptus eſt. Rotatus vitam finivit, qui Domini ſui & benefactoris præcipui turpiter vitam ademit. Unde verbum Prophetæ in eo verificatum eſt, dicentis: Qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſubplantacionem. Tribus diebus vixit ſuper rota, uxore ſua, ipſo ignorante, tam diu, ne ipſum in animæ ſuæ ſalute ibi agitanda inpediret, ſubter rota demorante. Non eſt dubium, quin acerbisſime doloris gladius ipſam pertranſierit. Caſtrum ſuum, quod habuit juxta Wintertur, funditus deſtructum eſt, tota ſua ſubſtantia ibi & alibi direpta eſt. Inſuper caſtrum fratris ſui cum ſuis pertinentiis amenisſimis per incendium, quod oculis meis vidi, vaſtatum eſt, qui poſt multis annis, quaſi in tugurio in domo ruſticana deguit, & quia inmunis erat a ſcelere fratris ſui hæc indebite meo judicio paſſus eſt juxta illud juris: Pena ſuos debet tenere auctores, nec eſt ulterius extendenda, quam delictum ſit in excedente repertum. Item juxta verbum Ezechielis Prophetæ: Anima quæ peccaverit, ipſa morietur, ſupple, & non alia. Et ſic patet ultio, quam accepit de uno Dux Lupoldus. Quomodo autem ultra ſit patratum in conplicibus ſuis, conſequenter, & quantum mihi innotuit, pertractabo. Caſtrum Excelſum Domini de Eſchibach dictum Schnabelburg prope Thuregum ſitum, obſidens paucis diebus cepit & ſolo coequavit: Caſtellum quoque, a quo denominatus eſt, vocatum Eſchibach radicitus ſubvertit, & alia bona ipſius diripuit; Ipſe vero profugus factus eſt, & in terra longinqua defunctus. Dux vero Johannes patruelis Regis, auctor ſceleris fugitivus effectus penitus de terra & cognatione ſua exterminatus eſt, & in partibus alienis de medio ſublatus; bona vero ſua cuncta Dux Lupoldus ſibi & ſuis in perpetuum vendicavit, & poſtea per ſententiam Heinrici Imperatoris ſucceſſoris Patris ſui Ducibus Auſtriæ ſunt jure proprietatis & hæreditario adjecta in perpetuum duraturo. Inſuper Dominus de Palm effu-

effugiens etiam manus Ducis Lupoldi & fratrum suorum, in terra ultra non apparuit, cujus Castrum dictum Albürzen situm in Ergow Dominus Lupoldus obsidens pluribus diebus cepit, & deprehensos in eo auctores & fautores homicidii Patris sui XLV. decollari secundum ordinem super uno sulco præcepit. Prætera cum Dominus de Vinstingen patronus & protector prædictorum sceleratorum virorum factus, quadam die Duci Lupoldo insidias apud Argentinam posuisset, & hoc Duci significatum fuisset, congregavit exercitum, & ad terram Domini de Vinstingen properans, ipsam per incendium devastavit. Ecce quam gloriose vindicavit mortem Patris sui Dux Lupoldus? Laudabilissime autem in illis decapitatis. Unde adinpletum est in eis verbum Christi, in Evangelio dicentis: Qui acceperit gladium in gladio peribit; & verbum Sapientis dicentis: In quo quis deliquit, in hoc & punietur.

Post hæc Dominus Henricus de Lyzlenburg anno Domini MCCCIX. in Regem Alamaniæ, postea in Inperatorem confirmandum & coronandum eligitur. Anno autem Domini MCCCX. Idem a Clemente V. Papa ad titulum Inperialem vocatur.

Cœlestino V. Papæ hoc nomine successit Bonifacius VIII. natione Tuscus, & anno Domini MCCXCVI. in Papam eligitur. Hic, ut fama testatur, suum Prædecessorem Cœlestinum V. ut Papatum resignaret, taliter fefellit: nam cum esset Clericus magnus, aspirans medullitus ascendere dignitatem Papalem, Cœlestino humili & devoto viro in similitudine quadam vocis angelicæ, cum esset orationi deditus, elapsæ de cœlo, suggessit, ut Papatui renunciaret & alteri relinqueret. Qui voci hujuscemodi satisfacere volens, putans eam advenisse divinitus, Papatum postposuit. Postea vero Bonifacius creatus, sextum Decretalium conpilavit, & annum Jubileum solemniter celebravit. Idem anno Domini MCCC. Regem Franciæ excommunicavit. Rex vero Franciæ eum hæreticum appellavit, & eodem anno Bonifacius obiit, quem plures asserunt a Dominis nuncupatis de Columna Romanis ob aliquam injuriam, quam eis intulit, turris artissimæ custodiæ mancipatum, & in ea manus suas præ nimia fama, quod est horribile dictu, devorasse.

Paulo ante ista tempora quidam nauta tempore hyemali navem mercimoniis valde onustam de Constantia Lindaudiam ducens, cum attigisset castrum dictum Wasserburg, & dies declinata esset ad vesperam, propter algorem insolitum & intemperiem aëris intolerabilem, ibidem applicuit, & dum neminem haberet, cui rerum navis custodiam vigilem committeret, & ipse in propria persona frigus horribile permanendo in navi sustinere non valeret, navem cum rebus Beato Georgio Patrono in Ecclesia Parrochiali sita intra muros castri prædicti fideliter commendavit. Cum autem nauta a navi discessisset & ad domum unam ad calefaciendum & recreandum illic sitam se contulisset, quidam rusticus videns nautæ absentiam & rerum navis copiam, navem intravit, & saccum unum frumento refertum, ut eum tolleret & domum portaret, super suos humeros posuit, & cum unum pedem extra navim locasset, altero adhuc intus remanente inmobilis sic contra omnem voluntatem suam usque ad diluculum permansit, quem nauta sic inveniens irato animo arguit, & furtum sibi objiciendo ad judicium trahere conabatur, ut illic apud Judicem accusatus pœnas furti attemptati exsolveret: propter quod fur terrore concussus nautæ voce lacrimabili supplicavit, ut sibi ignosceret, quia nunquam plus tempore vitæ suæ furandi animum, nisi illa hora habuisset, sed hac vice instinctu quodam diabolico validissime ad furandum attemptatum, & propter hoc, sicut cerneret, confusibiliter divina virtute percussum; Cui nauta hoc audiens, misericordia commotus simpliciter condonans ipsum illæsum abire permisit. Ipse vero cœptum iter conplens navigando, salvis rebus suis Lindaudiam pervenit, quia custos suus Beatus Georgius mirificus, sicut ab eo poposcerat, ipsas integras conservavit.

Circiter idem tempus tempore æstivali quædam nubes grandis & aquosa nimis ultra Wintertur apparens, resoluta fuit, & alluvium rapidissimum & valde ingens procreavit, & contra Wintertur inpetuose fluens cunctos terræ fructus sibi occurrentes & inventos devastavit, homines de planiciebus fugavit, & ad montes ascendere coëgit, arbores radicitus evulsit & subvertit, & in una arbore mulierem deprehensam quandam, quæ ipsam scandendo ascenderat, ut aquæ impetum furiose effugeret, infra Wintertur ad villam unam vocatam Wulflingen, devexit: Fossata vero oppidi Wintertur vicos & plateas replevit, & tandem evanuit.

Dux Lupoldus propter varia magnalia sua supra recitata & propter alia plura hiis infra narranda, pluribus Principibus Ecclesiæ & regionibus stupore plenus & admiratione, desiderabilis factus est; unde sibi non inproprie adoptari quodammodo potuit verbum Psalmistæ dicentis: In omnem terram exivit sonus eorum. In tantum enim invictæ virtutis suæ nomen in finitimis & circumpositis regionibus personuit. Quod Rex Franciæ regnans tunc temporis, præ cæteris Principibus terrarum circunadjacentium, desiderio videndi eum speciali accensus, in tantum fuit, quod sibi significare per epistolas & Legatos omni reverentia dignos seriosius curavit, quod ad eum ad locum aliquem sibi placibilem declinare dignaretur: nam beatum fore se æstimaret, si ejus in brevi jocunda præsentia perfrui mereretur. Hiis auditis Dux Lupoldus voto Regis exhyleratus satisfacere cupiens, collecta militia electa & copiosa ad Regem profectus est: Dum autem usque in Burgundiam pervenisset, Regem præcognoscentem adventum suum, in apparatu incredibili recipientem, eum in visceribus Karitatis, cum reverentia indicibili obvium habuit: Sed Dum Rex Franciæ Ducem Lupoldum progredientem ad se, ante non sibi cognitum,

tum, præ cæteris comitivæ suæ gracilem & parvæ staturæ, vestitum tunica grisea coopertumque capite virgato seu acuto pileo, aspiceret, mirari ultra modum tacitus intra se, ac verbotenus coram familia sua se deducente & familiariter assistente, cujus informatione & revelatione eum Ducem Lupoldum cognoverat, cepit, dicendo: Divini muneris est, non humani, quod tam exiguus homo in corpore, tam magno robore vigeret, & tantæ excellentiæ gloria atque tantæ potestatis, magnanimitatis, & famæ magnificencia per plura orbis climata præpolleret. Cum autem ambo cum suis exercitibus dulci salutationis alloquio, indiciis amoris mutui, benevolentiæ amplexibus, benignitatis & amicitiæ affatu mellifluo, osculoque pacis, & societatis sinceræ, honoris & reverentiæ quoque multimodis argumentis dum convenissent, se recepissent & prosecuti se in alterutrum fuissent, ad convivia & ad solatia inmensa & innumerabilia, & ad ludos diversi generis, & ad spectacula se contulerunt. Cum vero plures dies in deliciis & voluptatibus seculi peregissent, & Rex singulos Magnates & nobiles Ducis insignibus exenniis & preciosis muneribus honorasset, & tractatibus, confabulacionibus, consiliis in causis arduis, dulcorosisque consorciis & graciosis mutuis aspectibus diu desideratis, se recreassent, cum conjuratione ad invicem indissolubilis Karitatis deinceps habendæ, ab invicem cum valedictione amicabili discesserunt, ad propria remeantes.

Circiter ista tempora, scilicet circiter annos Domini MCCXX. Rex Persarum volens scire, quæ sectarum certior esset orbis inter omnes alias, misit pro universis sapientibus & prudentibus Magistris, Doctoribus, tam de Paganis, quam Christianis & Judæis suæ ditioni subactis, quatenus ad diem statutam & præfixam eis sub obtentu suæ gratiæ, omnibus negociis postpositis, se suis aspectibus præsentarent: Quibus congregatis & coram eo conparentibus universis, sciscitabatur ab eis, quæ mundi verior & cercior esset fides. Cui quæstioni singulæ sectæ respondentes, seipsas præ cæteris in certitudine & veritate pollere asserebant. Hiis auditis Rex iterum a singulis inquisivit sectis, quam post se veriorem & securiorem ad credendum affirmarent. Ad quam interrogationem singulæ secundario respondentes, fidem Katholicam post se sectis omnibus tanquam approbatam & autenticam prætulerunt. Quibus Rex responsionibus concludendo subintulit, dicens: Ergo secundum dicta vestra secta Christianorum certissima est & verissima potens salvare hominem, ejus professorem fecit, erga fratrem suum carnalem Christianum fieri sacrum Babtisma suscipiendo; Ipse autem in Paganismi ritu remansit, nolens amittere suam regiam dignitatem, quam utcunque inmediate perdidisset, si fidem cum fratre Katholicam assumsisset. Frater vero proficiens paulatim & succrescens in fide, perduravit in ea usque ad obitum Regis: Quo defuncto a fide Christi apostatavit, ut Inperium fratris carperet hæreditando, postposita & abjecta fide: nam si in ea perseverasset, ad regnum relictum a fratre mortuo possidendum ineptus fuisset. Antequam igitur regno Persidis privari ac carere vellet, potius fidem orthodoxam, extra quam non est salus, resignare voluit. Unde patet in hoc, quod radicem fidei non habuit, quia ad tempus credidit & in tempore tentationis, scilicet prosperitatis, recessit, a fide desistendo, apicemque regalem amplectendo.

Circiter illa tempora quidam vir ex instinctu forte Diabolico concipiens tædium & displicenciam vitæ mortalium, ascendit pontem Rheni apud oppidum Stein, ut fertur, & dicendo: Quid est vita ista mundana, nisi manducare & bibere, dormire, concumbere, in sero cubatum vadere, in crastino surgere, frequenter pedere & egerere, mingere, laborare: in profundum fluvii se de ponte præcipitem dedit, ut a fluctibus ejus absorptus & submersus, a vita tolleretur præsenti.

Hiis etiam fere temporibus dum multi Christicolæ in Baldach civitate maritima dedita cultui Machmeti, applicuisset, & unus ex eis nacta oportunitate fenestram unam, per quam Saraceni Machmeti Sanctuarium quoddam tangendo, adorabant, stercore suo in ejus contemptum fædasset, & hoc idolatræ conperissent, eos sæviendo peremissent, si non ad asilum confugissent.

Bonifacio VIII. successit Benedictus XI. natione Lonbardus de ordine Prædicatorum, & sedit menses X. dies quatuor, qui constitutione prædecessoris sui scilicet super Kathedram benignissime declaravit, qui, ut ab aliquibus fertur, haustu veneni sibi fraudulenter porrecto extinctus est. Incipit autem declaratio sua memorata: Cum inter cunctas, quæ si adhuc in suo robore inviolata persisteret, Fratres Prædicatores & Minores in Ecclesia gloriosiores essent.

Cui successit Clemens V. natione Vasco, qui declarationem sui Prædecessoris retractavit: Nam apud Viennam concilium celebravit, ubi septimum Decretalium statuit, sed tandem pænitencia ductus, sub præcepto publicari prohibuit, qui tamen per suum successorem publicatus est: ubi super Kathedram constitutio Bonifacii VIII. per unam Clementinam, quæ incipit, dudum a prædecessore edita renovata est, in præjudicium & gravamen magnum ordinum mendicantium.

Circiter ista tempora ingens multitudo fidelium mota cujusdam prædicatione ad eripiendum sepulcrum Christi & terram sanctam de manibus Paganorum surrexit, qui præparantes se ad iter perficiendum incedebant bini & bini secundum ordinem armati & valde disciplinati, petentes in singulis locis, quæ præteribant eleemosynam seu suffragium ab hominibus pro pessagio, & pro tam salubri itinere voluntarie assumpto consumando; qui magnam quantitatem peccuniæ taliter colligebant: Nam in singulis oppidis, villis vel civitatibus, quas cum vexillis cruce Christi splendide depictis peranbulabant,

bulabant, homines ad visitandos eos turmatim confluxerunt, & eis certatim manus adjutrices porrexerunt: qui ceptum opus non conpleverunt, sed mari apud Marsiliam & aliis locis appropiantes, & ipsum procellosum forte videntes territi, cum peccunia sic turpiter acquisita redierunt: Unde verificatum fuit in eis verbum Psalmistæ dicentis: Mare vidit & fugit. Et hoc dico mari passive sumpto. Nam secundum aliquos, quando mare viderunt, illico fugierunt. Quidam vero ajunt, eos ab initio deceptores fuisse, & callide res hominum tali modo surripuisse, & sic malo titulo possedisse. Ignorantia enim & aliqualis coactio excludunt voluntarium simpliciter. Hii radicem non habebant etiam primo modo, quia tempore temptacionis recesserunt. Hos ego vidi & tunc fueram scolis nuperrime applicatus.

De Imperatore Heinrico (VII.) de quo narrare exorsus sum, sciendum est, quod postquam a Principibus legitime & concorditer electus fuit & hoc constaret Papæ Clementi V. per Decretum ipsorum & Legatos Heinrici Imperatoris, & ab eo & suis Cardinalibus de Persona Heinrici & de fide ac probitate, moribus, statu & conditionibus ejus facta discussio & examinatio esset, & ipsis conplacuisset: In continenti Rex Romanorum nominatus, denunciatus & declaratus fuit. Et post hæc quemadmodum Heinricus petierat de Avione, ubi tunc Papa cum curia residentiam habuit; In urbem Romanam per Cardinales Papa consecrationis & coronationis insignia sibi transmisit. Quo facto Heinricus ipsis loco Papæ juramentum, quod debuit, fidelitatis & obedientiæ exhibuit. Heinricus autem aliqualiter postea, ut Papæ videbatur, in juramento claudicavit: ipsum partim denegandô, quod patet in septimo Decretalium, in una, quæ incipit: Principes Romanorum ortodoxæ fidei.

Inter Heinricum Inperatorem & Regem Appuliæ Ropertum materia grandis turbationis & discordiæ orta est: Nam Imperator asseruit, quod Rex Appuliæ Ropertus contra eum cum quibusdam conspiraverit, & quod Inperii civitates sibi rebellare fecerit, & bona ab eo Inperii occupata restituere recusaret, & insuper officiales suos a locis suis amoverit, suis loco eorum institutis, & proptor hoc crimen læsæ Majestatis eum incurrisse, quem cum citasset & non conparuisset, contumacem eum appellans, & læsæ Majestatis crimine reum processus fecit contra eum privando eum titulo dignitatis quocunque nomine censeretur, & cum hoc sententiam mutilationis capitis ipsius publice promulgavit, sicut etiam in VII. Decretalium innuitur, in uno capitulo, quod incipit: Pastoralis cura sollicitudinis. Narratur de hoc Inperatore, quod cottidie volebat Missam habere inmota, imo in propria persona devote & reverenter audire voluit quoque, ut quidam affirmant, omnes horas canonicas in curia sua solemniter decantari. Ante introitum suum per montana in Italiam, totam Alemaniam pacificavit & sibi subjugavit.

Hic dum intrasset terram Ytaliæ quandam civitatem nuncupatam Priss sibi rebellantem invenit, in quam tanta multitudo bellatorum ad defendendam urbem & ad resistendum sibi convenerat, quod præ nimia pressura se mutuo conprimentes vix actus poterant bellicos exercere: Ipse vero Imperator obsidendo eam, tanta multitudine & tam copioso exercitu ipsam circumdedit, quod dinumerari non poterat, nec æstimari. Prout enim audivi a quodam milite, qui eidem obsidioni interfuerat, plura illic fuerunt, quam centum centena millia: nam campus circumjacens civitati ex omni parte occupatus erat in tantum, quod nemo populum cunctum plene conspicere valebat: fines enim ipsius nullus oculus quantumcunque accutus vel altus attingere poterat: quocunque enim oculus vagando vertebatur, ibi populus diffusus latus cernebatur. Item alius miles de Alamania, qui etiam sub Imperatore in obsidione illa militabat, mihi recitavit, quod Inperator jubebat recenseri vexilla exercitus; quod nullo modo præ nimia multitudine fieri potuit. Durabat autem obsidio illa XXII. hebdomadibus. Infra illud tempus tam in civitate, quam extra propter pestiferum & infectum aërem ortum, propter eorum nimiam multitudinem & intollerabilem & propter nimis artæ conpressæque commansionis diuturnitatem inter eos innumerabilis multitudo fuit mortua, ita quod vix decimus de tanto populo incolomis ad patriam rediit; & adhuc cum reversi fuerant, plurimi propter corruptum aërem ibidem haustum defuncti sunt. Quidam ajunt, quod omnes aquæ circa civitatem fluentes veneno corruptæ fuerint a terrigenis illius regionis, & hac de causa viri in obsidione positi, potantes eas obierunt, & mortalitas illa fuerat subsecuta. Frater quoque Inperatoris vir utique magnanimus & robustus de civitate telo emisso percussus est ad mortem. Sed Inperatrix mortalitate præfata sæviente in populo de medio sublata est. Ecce quanta pestilentia hominum tam inopinate subsecuta fuit, ita quod stupor est dicere vel redigere in scripturam. Multa itaque mala Inperatorem in illa obsidione conprehenderunt. Tandem Burgenses civitatis illius cum suis stipendiariis & auxiliatoribus multipliciter afflicti, quod ultra non quibant conservare ac defensare ab hostibus civitatem, desperantes ipsam in manus Inperatoris resignaverunt, pacis fœdera humiliter postulantes, quibus facilem præbebat assensum, tali tamen conditione adjecta, ut in pluribus partibus ad spatium XXX. & XL. cubitorum murum civitatis dirumperent, & quatuor stratas regias facerent per medium civitatis. Præterea cives talliavit in multis millibus puto XX. auri & argenti, quibus adeptis a loco illo discessit.

Prædictorum militum mihi unus narravit, quod Inperator in eadem obsidione constitutus, de alia civitate dicta Pisa Lonbardiæ sibi semper fideliter assistente, tentorium habuit sibi inde missum cum micantibus excellentissime & luculentissime nodis, de super nobilissimo

panno

panno contextum, de subtus vero lineo panno vel canapino bene reparato, quod tantæ latitudinis vel amplitudinis fuit, quod duo milia virorum commode sub eo discumbere valebant, excepta familia Imperatricis constante ex XL. pedissequis seu ancillis ipsam tantum respicientibus & duodecim servis; continebat etiam sub se diversas officinas ad diversos usus deputatas, nec non citra trecentos equos: quod tentorium XII. servi vix sex diebus erigere & locare valebant.

Ajunt etiam, dum ad urbem Romanam venisset, ubi per duos menses moram contraxit, & per duos Cardinales, sicut supra dictum est, missos sibi a Papa coronationis & consecrationis insignia reciperet, interim, sicut moris ab antiquo fuisse astruitur, Teutonici cum Romanis super ponte Tyberis conflictum acerrimum commiserunt, ubi dum fortiter agerent & usque ad internecionem & sangvinis multam effusionem Italos seu Romanos absque trepidacione omni misericordia oblita percuterent, quod Tiberis multo cruore permixtus & aspersus fuit: nam in magna parte rubens apparuit. Romani hoc videntes valido clamore Imperatorem invocabant, ut Alemannos conpesceret, quod a suo furore desisterent, quo inebriati multos Romanos occidissent, & nisi eos refrenaret, innumeros Romanos prosternerent. Quo audito Imperator imperterritus in magna præsumptuositate ac elatione mentis suæ fertur dedisse responsum; quod secundum querimoniam vestram Germani Romanos tam crudeliter usque ad internecionem ceciderunt, argumentum mihi est, quod eos pro stipendiariis minime conducere & prœmiari curarent.

Cum igitur Heinricus Imperator Romam in manu forti & brachio extento sibi ad ungwem subjecisset, & ibi omnia secundum omne votum suum ordinasset, Germaniamque Longobardiam, Galliam & Italiam suæ ditioni subdidisset, triumpho potito de civitate dicta Priss, pauco tempore evoluto in Appuliam sibi rebellantem, in aliquot civitatibus Imperialibus, quemadmodum supra breviter perstrinxi, profectus est, ut & illam cum Rege suo contra eum, quasi contra stimulum calcitrantem perdomaret, & suo jugo, sicut merito debuit, applicaret. Cum vero adhuc in procinctu itineris esset constitutus, & igne divini amoris medullitus fervesceret, in tantum quod desideranti animo Corpus Dominicum toto mentis affectu percipere gestiret, ut suo voto mox divinitus inmisso satisfaceret; In quodam loco ad id faciendum se multo devotionis studio contulit. Quod intelligentes quædam civitates sibi adversantes, Cappellanum Imperatoris approbati ordinis, ut fama publica protestatur, quem tamen ad deferendum ei reticeo. A quo more solito Sacramentum id percepturus erat, Episcopatus in proximo sibi conferendi & aliorum munerum promissione agitatæ instinctu Diabolico corruperunt, ut latenter in communionis administratione venenum Imperatori inmitteret & sic occideret. Quibus ille malignissimus traditor, & more Judæ mercator pessimus, excæcatus malitia sua acquiescens post sacrosanctæ hostiæ Inperatori porrectam refectionem & ab eo reverenter sumptam, in communione calicis venenum in juncturarum digitorum manus suæ conplicatione occulte & dolose conditum & reservatum potui vini invisibiliter inmiscebat, & Inperatori epotandum præbebat: quo exhausto sentiens se Inperator intoxicatum, dixit communicatori: Video, quia intoxicastis me, & ideo quanto cicius poteritis fugam inite, ne in ultionem mortis meæ mihi illatæ a nobis in frusta concidamini. Qui aufugiens Episcopatum sibi promissum pro mercede adeptus est. Medici autem hæc notantes persuaserunt Inperatori, ut potionem ab eis, quo venenum evacuaretur & extraheretur, acciperet, si sanitati restitui vellet. Quibus ipse taliter respondit: Deum meum sumpsi, cum illo etiam moriar animo libenti: nam si sibi plus vita mea super terra placeret, me utique custodisset, vel me adhuc incolumem faceret, & virtuosius & efficacius posset, quam vos, cum omnia possibilia sint apud eum. Dum ergo medicinam recusaret infra triduum a carnis ergastulo feliciter migravit, ut pie credendum est, & deductus inde in civitatem dictam Priss, honorifice ac solenniter conditus est regia, ut ipsum decuit, sepultura. Obiit anno Domini MCCCXIII. anno regni sui quinto X. Kalend. Septembris. De cujus jussu graviter Dominus de Wirtenberg damnificatus fuit per devastationem terræ suæ.

Hic (a. Henricus Imp.) adhuc vivus & sanus existens firmiter decreverat, si, Domino sibi favente, Appuliam contra eum rebellantem suo Dominio subjugaret, mox robusto & copioso exercitu congregato mare transfretare vellet, ad subjiciendas sibi barbaras nationes. Quidam ajunt, quod postquam Mediolanum cum labore & alias civitates sibi rebelles expugnasset, tandem civitatem Priss obsedit, in cujus obsidione propter nimium laborem suum apostema incurrit, quod primo sensit in assumptione Beatæ virginis corpus Christi recipiens, & de hoc exierit sermo, quod in calicis participatione intoxicatus fuisset, electus fuit in Franckenfurt circiter Festi sancti Martini, & in Regem Romanorum consecratus Aquisgrani in Epiphania. In morte Inperatoris verificatum fuit verbum Evangelii dicentis: Inimici homines domestici ejus; & Jeremiæ Prophetæ dicentis: In omni fratre tuo non habeto fiduciam, omnis enim frater incedit fraudulenter.

Hic erat regula Justitiæ, summa Legis, Lux Ecclesiæ, fidei inmobilis columna, insolentium silentium, lima correctionis, zelator præcipuus veritatis, fidelis in commissis, constans in promissis, amator sedulus latriæ, norma temperantiæ, castitatis speculum, liberalitatis exemplum, forma justitiæ, defensor & patronus pauperum, imitator egregius Evangelicæ doctrinæ. Hic talis & tantus, quod cum maxima cordis mei amaritudine loquor, veneno necatur, quod heu Christianæ disciplinæ mina & plaga pernicio-

ciosissima fuit: nam maxime ei derogavit, quod in altissimo sacramento Religionis Katholicæ homo tantæ supereminentiæ interemptus est. Nam ubi in nostris temporibus affluentissime vernat fides credentium; & in sacramento, in quo maxime dependet devotio modernorum, ibi nefandissimum scelus perpetratum est, scandalum etiam perpetuo duraturum, quod infidelibus nauseam & displicentiam generavit nostræ professionis, imo insultant nobis per hoc, dicentes: si illa species, quam sumunt & reverentur Christiani, Deus esset, tam execrabile & horribile facinus sua in specie & participatione fieri nullatenus permisisset. Et quia nobis taliter insultant judicio humano & sensuum meorum conpellor dicere & exclamare, dicens: O Domine quare sinivisti, vel si ob aliquam causam tibi soli notam sinere voluisti, quod est in tam grande judicium & detrimentum fidei? Quare ergo secundum verbum sapientis non innovasti tua signa & inmutasti tua mirabilia ad demonstrandam potentiam dexteræ tuæ & ad firmandam plebis fidem, sicuti cæcum a nativitate illuminare voluisti ad manifestandam gloriam tuam, & Lazarum quatriduanum in monumento jam fœtentem resuscitare? sed quando ista revolvo in mente mea, & Domino obicio per modum argumentacionis & altercacionis, quemadmodum fecit Domino Jeremias Propheta dicens, Quasi disputando & contendendo: Quare Domine inpius prosperatur in via sua; rursus confligendo in me ipso, in memoriam reduco, quod consilia Domini & cogitaciones nemo novit, & judicia Domini abscondita & inscrutabilia sunt; Et sicut in Propheta dicitur: Perscrutator Majestatis opprimetur a gloria: Et quod in Ezechiele Propheta dicitur: Quoniam sicut cœli exaltati sunt a terra, sic viæ meæ a viis vestris. Et David dicit in Psalmis: Defecerunt scrutantes scrutinio. Et sic cogitando ista, Domini potentiam & Majestatem, sapientiæque infinitatam, & meam fragilitatem ignorantiamque perpendo, & decidens in me ipsum obstupesco, meamque curiositatem & præsumptuositatem reprehendo, & agens pœnitentiam tales frivolos cogitatus postpono, & Deo, sicut debeo, totum committo: tamen concludendo sermonem jam habitum, dico, quod religiosus ille, qui intoxicavit invictissimum Imperatorem, Christianitatem prophanavit, confudit ordinem, temeravit Inperium, corrupit, quidquid erat religionis, quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, quod Sacerdotalis dignitatis, quod Monachalis reverentiæ, perdidit & confudit.

Quod Heinricus Imperator Sanctus & incontaminatus fuerit & a peccatoribus gravibus segregatus, in multis virtutum suarum insigniis, quæ causa brevitatis dinumerare omitto, luculenter apparet, specialiter lucet luce clarius in hoc, quod sentiens se in communione ab illo malefico Monacho, filio Diaboli, cujus opera fecit occidendo caput Ecclesiæ nobilissimum, imo fere totius mundi, sibi vita sibi comes affuisset, intoxicatum ipsum Raritative admonuit, ut fugeret si mortis supplicium evadere vellet. Dico autem explanando dicta mea, hunc Monachum filium Sathanæ extitisse faciendo opera ejus, occidendo Cæsarem, quia secundum Evangelium Johannis Dæmon ab initio fuit homicida, & in veritate non stetit. Ergo bene dico, quod hic filius ejus erat, non fuit filius Abrahæ, quia opera ejus non patrabat: unde dicitur: Patrem sequitur sua proles.

Tunc temporis puer ego existens audivi, quod Fratribus Minoribus in terminis annonam petentibus multa contumelia irrogata fuerat, & multi terrores multusque contemptus, quia primo rumor, & postremo vulgaris exiit de eis, quamvis inmunes ab illo inmani crimine per Dei gratiam ipsos præservantem penitus fuerint, quod Regem Romanum veneno peremissent; Non tamen dico, quod ordini quicunque est sit inponendum interficientis unica & singularis malitia, cum ceteri illius ordinis malefactori assensum non præbuissent, nec conscii sibi criminis illius extitissent. Unde reatus illius extendendus non fuit in cæteros vel singulos sui ordinis, sed solum in delinquentem. Unde jus dicit: Delictum personæ non debet redundare in damnum Ecclesiæ. Ergo a simili, nec in damnum totius ordinis. Item jus: Poëna suos debet tenere auctores, nec est ulterius protrahenda, quam delictum sit in excedente repertum. Item jus dicit, quod vitia personalia non transeunt ad successores. Item Moyses in sacra Pagina dicit: Filius non portabit iniquitatem Patris, nec e converso. Item Ezechiel: Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Item Gregorius in Omilia super Evangelium Mathæi dicit: Non fuit societas tam sancta ab initio mundi, in qua reprobi non essent: incipiens hoc differere in creatione & societate Angelorum in cœlis, quorum multi mali fuerant inventi, & ideo de cœlis eliminati, & in aërem caliginosum detrusi & in Dæmones conversi, unde Job in Angelis suis reperit pravitatem. Item Christus duodecim elegit viros ex toto mundo, quorum unus Judas Ischarioth pessimus fuit tradendo Christum ex avaritia nimia pro XXX. denariis in mortem, sicut & iste sceleratissimus hominum fecit. Item post ascensionem Domini Apostoli elegerunt ex omnibus discipulis, imo excunctis fidelibus septem Diacones, quorum unus Nicolaus Antiocenus, sicut habetur in Actibus Apostolorum, malus excessive fuit, quare ergo ut ista verba introducta sacræ scripturæ applicem & coaptem proposito meo: Michael Angelus deterior dici deberet propter culpam Luciferi & aliorum malorum angelorum secum corruentium, vel, cur malitia sua in bonos extendi deberet, cum non esset consonum rationi. Quid demeruit Petrus in nequitia Judæ? Quid sanctus Stephanus in Nicolai Antioceni perversitate? sic dico in proposito. Quid peccavit ordo in scelere istius maligni traditoris? Nihil ergo ceteris sui ordinis Fratribus nunc imputandum. Hiis asto, quam quam multi ex eis præsertim in civitate Thuricensi

censi lætati fuerunt invidiæ stimulo agitati. Quando primo divulgatum erat de Fratribus Minoribus & postea conperta rei veritate Fratres minores percipientes hoc e contrario de interitu eorum, non tam affectuose sicut debuissent, fuerant conturbati, quia unus ex eis auctor fuit sceleris non eorum.

Patet etiam sanctitas Imperatoris in alio, quia post sumptionem Eucharistiæ, cum qua venenum hauserat, repudiavit omnem medicinam, per quam evacuaretur venenum, ne Deo & suo sacramento contumeliam & irreverentiam inferret. Hæc duo allegata & in medium producta pro Imperatore extollunt eum & reddunt ipsum laudabilem & gloriosum in secula tam in Ecclesia militante quam triumphante. Quis unquam audivit talia, qvod inferenti sibi mortem non solum indulgebat, verum etiam karitative anmonuit, ut fuga accepta vitam salvaret, ne pœnas mortis ejus exsolveret & crudeliter mactatus & discerptus lueret? Hoc raro vel nunquam in Primitiva Ecclesia visum est. A seculo autem non est audita tanta reverentia, quantam ipse corpori Christi exhibuit, quod potionem expulsivam veneni a medicis & sanativam accipere recusavit, ne sacramento injuriam irrogaret, malens vitam cunctis desiderabilem perdere, quam cum Dei & sui Sacramenti contemptu ultra vivere. De ipso audivi, quod eo Romæ, ut supra dixi, moram contrahente tantus cruor per Romanos & Germanos mutuo quasi cottidie accerime confligentes, effusus est, quod usque ad talos hominibus transeuntibus vicos attingebat; Germanis tamen frequentius prævalentibus propter prædicta & alia virtutum suarum insignia, Mortem ejus pretiosam non cesso dolere Ecclesiæ inmaturam & nocivam.

Per prædicta patet, quod a Rege Rudolfo omnes Reges Alamaniæ seu Inperatores in occisione gladii vel veneni mortui sunt. Præsagium autem mortis Regis Alberti mirabile audivi, quod recitavit quidam miles Sveviæ pluribus frequenter personis, adhuc hodierna die vivens, & dicit se illi facto interfuisse & oculis propriis conspexisse, videlicet, quod dum proxima die præcurrente necem Regis Alberti, in balneis naturalibus extitisset in præsentia Regis memorati & familiæ suæ ibidem tunc commorantium quidam vir vagus & in terra famosus de partibus remotis adveniens conparuit, a quo dum sciscitarentur si aliqua nova sibi constarent, respondit quod sic; quibus instanter exponi sibi poscentibus narravit, quod in via sibi sedenti super equo suo occurrerit maxima multitudo vesparum & attacorum, qui ipsum circumdantes, molestiam maximam intulerunt, quos dum abigere cum gladio & fustibus conaretur ne ipsum suffocarent, minime profecit: nam tanto inportunius & ferocius in ipsum, ut vitam ei adimerent, inpegerunt: quod animadvertens sagaciter sibi remedium adinvenit, quo mortem sibi intentatam & quasi proximam salubriter evaderet. Nam de equo celeriter decidit & sellam ab equo solvendo capiti suo inposuit, & illam morsibus & aculeis eorum sic opponens vitam suam cum multis laboribus conservavit: videntes autem memorata volatilia, quod facultas ultra eum lædendi ablata fuisset, in equum irruerunt, ipsum penitus perimentes. Cum autem Rex hæc audiens & anmirando ab eo quæreret, quid hæc innuere vel significare possent, subintulit ejus vitæ periculum, nisi caute ambularet: quod dum Rex distracta & suspensa mente cum vultus inmutatione cordi apponeret, conterritus; recitator inmediate graviter ab auctoribus necis Regis futuris percussus est, imo vix de manibus eorum ereptus est. Quod pronosticum vel præsagium in crastino rei exitus conprobavit, quia occisus tunc ab eis fuit extra muros oppidi dicti BRUG, ut superius est expressum.

Circiter ista tempora quidam Frater Minor Lindaudiæ conventuales in visione una divinitus, ut creditur, ostensa præsagium hoc accepit, videlicet, quod non posset evadere submersionis mortem in lacu Botanico, qui expergefactus de visionis oraculo stupefactus pertimuit & humane sentiens lacum abhorruit, & accessum & ascensum diu sollicite vitavit ejus. Dum autem quodam die post hæc tempora cujusdam necessitatis articulus ex insperato occurrens conventui suo Lindaugensi ingrueret, & sibi per obedientiam a suo Prælato injungeretur tanquam magis ad hoc idoneo, ut in navi citissime Constantiam pergeret, expediturus causam seu negotium prædicti articuli, & miliare navigando de Lindaudia Constantiam perfecisset, turbinem ventorum & tempestatis jam supervenientis sævitiam venturam prævidens, & per conjecturam sagacem notans, nautis supplicavit, ut festinanter applicarent, ne eos periclitari a voragine tempestatis prope existentis sive inminentis contingeret. Qui minime dicta sua advertentes per directum versus Constantiam remigando properabant: superveniens autem procellarum inmensa more indomito atrocitas, adeo quod ad litus eam fugiendo venire non poterant, repentinus enim supra modum erat ejus incursus navem validissimis ictibus & dirissimis inpulsionibus concutiens & collidens subvertit, & Fratrem absorbuit, & in fundum projecit. Ibi per anni circulum integrum ignotus a cunctis inmobiliter jacendo permansit, sed tum visum est quibusdam piscatoribus in somnis, quod ad locum illum cum navibus & retibus festinare deberent: nam laxatis illic retibus piscando multum prosperum tractum facerent: qui intelligentes de piscium prospero tractu gavisi sunt valde & prædictum locum attingentes navigando recia laxabant & Fratrem extrahentes prendiderunt, & quod est mirabile dictu, corpus ejus integrum illæsum & breviarium suum illibatum repererunt: qui dum ab eis miro cum stupore Fratribus conventus Lindaugensis repræsentatus fuisset, honorifice in Monasterio ipsorum tumulatus est.

Circiter idem tempus, ut pluries audivi certa relatione, duo Fratres de Schafusa Minores,

dum ambularent in oppidum dictum Vilingen in nocte ipſos deprehendente montem appellatum Rando Cantum quendam laudes glorioſæ virginis Mariæ Dominæ noſtræ perſonantem, celebrantes laxis fibris pertranſibant. Quem audiens quidam latro latitans latibulis montis, & intelligens ipſos Fratres per eum fore viros litteratos & religioſos, quia Latina Lingua editus erat, in tantum conpunctus fuit, quod non ſolum ipſos non perdidit & ſpoliavit, quod ante molitus facere fuit, verum eciam vitam ſuam abhominabilem in latrocinio transactam deſerere & firmiter abdicare diſponebat. Et ut voto ſuo ſalubri divinitus inſpirato ſatisfaceret ipſos Fratres a longe ſequitur, veniensque in Villigen portam Fratrum Minorum illic reſidentium adit & a portario ſciſcitatur, ſi ne duo Fratres de Schafuſa advenerint illa die, qui cum reſpondiſſet quod ſic, vocari ſibi eos vel alterum eorum inſtanter petit. Nam haberet aliquod ſecretum ad eos perferre, quod dum factum fuiſſet, uni ex ipſis peccata ſua detexit pure cum lacrimis ſerium & fervorem contritionis interioris ſignificantibus confitendo, & inter cetera in confeſſione ſibi aperuit, quod ipſos in monte prædicto cogitaverat occidere, ſed per cantum ſuum a propoſito ſuo turpi deſtiterit & penitus reſipuerit. Quod audiens Frater confeſſor non modicum admirans Deo gratiarum uberes actiones egit, quod ſibi & ſocio ſuo vitam temporalem conſervavit, & latronem ad ſtatum ſalutis perduxit.

Item circiter iſta tempora vel non longe ante inſigne factum ſatisque mirabile, dignum quoque relatione ac conſcriptione actum enarratur a Fratribus famoſis, veridicis adhuc hodierna die ſuperextantibus, in Provincia Saxoniæ in quodam Conventu Fratrum Minorum Lübeg videlicet, quod quidam Gardianus in termino ſuæ gardianiæ cum ſocio ſuo de eodem Conventu exiens una noctium in caſtro quodam hoſpitatus fuit, cujus Dominus ab antiquo informatus in hoc a ſuis Progenitoribus fratres in turri Caſtri ſolemniter ac reverenter in lectiſterniis copioſis collocare ſolebat, ſed illa nocte non audebat, quia noviter quoddam Dæmonium turrim illam inhabitare cum maxima inſolencia cœpit. Quamobrem Fratres more ſolito illic ponere pertimuit & in alio loco ipſis lectos ſterni jubebat. Cum autem Gardianus intentum Caſtellani tandem percepiſſet, carere noluit, quin in loco & comodo conſveto poneretur. Dum autem ſibi diligenter diſſvaderetur ne in eodem loco cubare attemptaret, ne a Dæmonio vexaretur, reſpondit, quod Domino bene confideret, quod eundem Dæmonem conpeſceret, & ſe caſtigari ab eo non ſineret: nam violentiam ſuam exercere in nemine valeret, niſi ſibi Deus indulgeret. Cum ergo Gardianus cum ſocio ſuo ſe in loco illo ſopori & quieti dediſſent, Diabolus illico eos aſperrime inquietavit, cui cum Gardianus cum increpatione ſevera indixiſſet ſilentium & pacem in nomine crucifixi, ſubintulit: Si in craſtina die hoſpitium in tuo cum redieris Cænobio præſtiteris, ab inſolencia mea penitus ceſſabo. Cui Gardianus in hunc modum fertur dediſſe reſponſum: Si abſque nocumento & malitia inter Fratres meos converſari vis, tibi utique concedam. Qui ſibi hoc ſub aſſeveratione repromiſit. Dum ergo in craſtino Gardianus cum ſocio ſuo illæſus, ſomno tranquillo bene refocillatus exivit, Caſtellanus cum tota familia non modica admiratione ac ſtupore repletus fuit, & per hoc viri ſanctitatem agnovit. Qui dum Gardianus rediiſſet altera die & portæ Clauſtri ſui apropiaſſet, Dæmon, qui eum prævenerat, de limite portæ eum ſalutavit: Qui dum neminem videret, quamvis oculos hinc inde regiraſſet, non modicum mirabatur, quisnam eum ſalutaverit. Dæmon vero hoc recognoſcens reſpondit: Ego ſum ille cui heri in turri in anguſtiis propter me poſitus tuum hoſpicium firmiter promiſiſti. Cujus verbis Gardianus adjecit: Hodie tibi promiſſum meum ratificabo, ſi tu mihi fidem præſtitam illæſam ſervabis, ita ut inter fratres meos in Conventu innocenter transeas: qui facere hoc ſpopondit. Intrans ergo Monaſterium Satanas cum licentia Gardiani per biennium Fratribus cohabitando, illic pactum hoc inviolabiliter cuſtodivit, imo quod majus eſt, beneficia ipſis plura inpendit, Fratres ad officia ſua ipſis injuncta ſollicite ac vigilanter hortando & eorum negligentias ſupplendo, etiam in actibus humilibus videlicet in ciſis purgandis, in ſcultellis lavandis & in aliis ſimilibus. Studenti in cella ſua cum lumine Fratri quandoque lumen extinxit, qui dum ſibi minaretur quod ad chorum iturus eſſet, advocandum orationi, ut ſtudii defectum ibidem reconpenſaret per orationem, rogatus ſtatim a Dæmone fuit, quod remaneret: nam lumen ſibi re incendere vellet libenter, quod & fecit. Quando Fratres tempore collationis habendæ conſederant, cum ipſis conferebat & confabulabatur; audibilis quidem erat, ſed non viſibilis. Quadam autem vice dum Fratres Juvenes ad frequentationem cultus divini more ſuo ſolito monuiſſet, & quidam Frater ſomnolentus & præ ceteris acidioſus contra admonitionem ſuam ad matutinum non veniſſet, Diabolus hoc videns, ad dormitorium properat, & ipſum de ſtratu ſuo tollens in medio chori deportavit, dicens: Oportet te velis vel nolis cum aliis Fratribus tuo Creatori ſervire. Ad cujus facti miraculum frater ſtupefactus cum cæteris fratribus matutinas laudes decantando Domino perſolvebat. Dum hic tandem Dæmon opus ſibi injunctum a ſuis ſuperioribus in civitate illa executioni dediſſet, & ad finem intentum perduxiſſet, ſcilicet, quod quendam Dominum Canonicum Reverendum cum Domina famoſa & bene parentata prius vitam celebem agente confiſcatos & conglutinatos per eum glutino amoris in lapſum carnis ſeu vitium fornicationis proſtraviſſet, & homicidium Canonici propter hoc ſubſecutum fuiſſet a Parentibus Dominæ inflictum deprehendentibus eum in actu venereo, & cum hoc Fratribus in noctis ſilentio, dum adhuc eis minime con-

constaret, & jam post factum esset, revelasset, & sui causam adventus extitisse declarasset; Gardiano hospiti suo gratias agens & Fratribus valedicens abscessit hortando eos ad ordinis sui disciplinam & observantiam: nam infinita & inæstimabilia præmia & gaudia in cælis per hoc consequi in perpetuum mererentur.

Circiter annos Domini MCCCXIII. lamentabile factum evenit in mea patria in oppido Wintertur in Festo sancti Thomæ non longe post crepusculum. Nam ignis casualiter invalescens partem superiorem oppidi concremans consumpsit, in favillam & cinerem redigendo. In quo incendio dum quidam homines propter hoc nimis consternati & attoniti & minus circumspecti facti fuissent ad cellaria, quibus nimis confidebant, se contulerant, qui magis contra cogitatum suum periculo corporum suorum per hoc se dederant: nam ignis fumigationes, vapores & fervorem per januas, rimulos & fenestram inmittens circiter XX. homines promiscui sexus suffocavit.

Clemente V. Papa hujus nominis viam universæ carnis ingresso, sedes, ut fertur a quibusdam, vacavit III. annis. Cui tandem successit Johannes XXII. anno Domini MCCCXVIII. oriundus de Katurco, homo brevis staturæ, corpore macilentus, lingvæ velocissimæ, qui contra prohibitionem sui Prædecessoris VII. Decretalium publicavit: propter quod tanta pericula, scandala, dissensiones, commotiones in populis, tot terrores, tot perplexitates saltem in Theutonia ebulliebant, quod nemo dinumerare valeret, specialiter per unam constitucionem libri VII. incipientem, cum de quibusdam mulieribus. Qua divulgata & pessime intellecta & pertinaciter mendaciterque in cancellis per universam Alamaniam pronunciata innumerabilia corda sororum tertii sancti Francisci ordinis, & etiam aliarum multarum fuerunt gravissime sauciata. Nam deposito habitu religioso oportebat eas induere secularem. Multæ enim in domibus propriis vel Parentum, quæ XL. & ultra annis griseis nigris vel albis Domino in castitate & aliis virtutibus & bonis operationibus famulabantur vestibus, cogebantur per parrochianos suos sibi assumere vestimenta rubea vel crocia, viridia vel blavia, & in illis rejectis aliis in Ecclesiis conparere, & si non farciebant modo & forma vel consvetudine seculari, Pastoribus seu Parrochianis minime satisfecerunt. Quot ludibria, quot contemptus, temeritates, irrisiones, tunc pertulerint multæ pudoratæ & castæ sorores, Deus novit. Fuerunt etiam in spectaculum & in Proverbium conversæ omnibus hominibus. O quam sæpe multæ verecundiam magnam passæ sunt, cum publice turpiter tractæ & tractatæ fuerunt. Confusio, quæ prætextu constitutionis Clementinæ eis inferebatur, quod dictu miserabile est, multis occasio ruinæ fuit: nam plures, quæ cælibem multo tempore vitam pro Domino actitabant, voto castitatis rupto, ad seculum redierunt, vel matrimonia contrahendo, vel, quod pejus est, fornicationes multimodas committendo. Sed illæ, quæ tunc perseverabant tam in ingenti rabie persecutionis in voto continentiæ sicut aurum in fornace probatæ, dignum Deo habitaculum in suą puritate præparabant. Quot & quantos tunc labores & sumptus apud sedem Apostolicam Fratres Minores pro reparatione ac instauratione suarum sororum habuerint, nemo facile æstimabit: nam tantum per sedem Apostolicam Fratres & sorores tertii ordinis Beati Francisci, mediante intercessione Fratrum Minorum & suorum amicorum ad pristinum statum reductæ sunt statim tempestate prædicta in sua adhuc asperitate perdurante. Si quis vidisset & audisset singultos varios, gemitus miserabiles, lamenta amarissima, ejulatus altisonos, suffusiones vultuum, sicut ego cum clamoribus argutissimis, non anbigo, quin ipsis ex intimis præcordiis condoluisset. Conpellebant autem acerbissime Parrochiani eas excæcati in malitia sua, nescientes scripturas, verba Decretalis hujus non intelligentes, vel aliqui ex eis intelligentes, sed ex invidia & ex pravitate sua studiose sensum verborum pervertentes sub prætextu præcepti Papalis & per terrores & comminationes & calumnias, per fulminationes excommunicationum & exclusiones a Sacramentis per verendos & pudendos latratus, horribiles clamores in conspectu omnium hominum singulis diebus Dominicis in Ecclesiis, quod quodammodo inpletum fuit verbum Jeremiæ Prophetæ dicentis: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus, quia usque in excelsa vociferatæ sunt a nimia turbatione hominum innocentiam suam præferentes, & injustitiam, quæ in eis exercebatur, totis viribus querulantes: nam constitutio, de qua jam est mentio, non loquitur, nec intendit, ut patet luculenter intuenti, nisi de Beginis, quæ nulli promittunt obedientiam, nec propriis renunciant, nec profitentur aliquam regulam approbatam, quamquam habitum deferant Beginarum, quarum quædam perductæ in mentis insaniam, de summa Trinitate & divina essentia disputant & prædicant, & circa articulos & Ecclesiastica Sacramenta opiniones fidei Katholicæ contrarias introducunt. Sane mulieres fideles non prohibentur per prædicta, quin in domibus propriis promissa vel non promissa continentia honeste conversari, pænitenciam agere volentes & in spiritu humilitatis Domino deservire. Ecce quam plana est Decretalis hæc, cujus medullam inserui. Patet ergo evidenter, quod ex sola invidia in sorores Parrochiani sicut copiose disserui sævierunt, conantes extinguere scintillam, imo lucernam religionis & Katholicæ disciplinæ. Cum vero penitus non possent hanc Lucernam obducere ac obfuscare, quemadmodum cogitarunt, sed ad minus quantum ad sorores tertiæ regulæ tanto magis creverint, quanto magis opprimebantur. Liquet verbum in hoc David in Psalmis adinpletum, dicentis: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania adversus Dominum & ad-

versus Christum ejus, & iterum cogitaverunt consilia, quæ non poterant stabilire.

De ista materia unum ridiculum factum tunc temporis præcedentibus adiciam. Quidam Plebanus inofficians Ecclesiam oppidi dicti Diezenhoven mihi notus, ille in tempore nimia stimulatus invidia contra prænominatas sorores multum ob hoc gaudens de ipsarum desolatione, ipsum interrogantibus, si verisimile esset vel credibile, eas ut aliqui sperarent resurrecturas de dejectione sua, & a gravi suorum ludibriorum præcipitio in culmen prioris status honorificum, respondit valde temere ac indignanter: Si de cætero unquam apparebunt in terra, me ipsum vobis aureum erogabo. Cum autem tribulationem illam brevi tempore pertulissent & ad statum pristinum rediissent de mandato Papæ, & illo ubique locorum promulgato, Moniales apud oppidum memoratum residentes propter ædificia sua plurima noviter constructa multis debitis involutæ, scientes eum in verba prædicta prorupisse, sibi per nuncium irrisorie instabant, ut ad relevandam inopiam ipsarum & in subsidium solutionis debitorum suorum saltem dignaretur eis unum membrorum suorum aureorum destinare, quia sorores tercii ordinis cum sint gloriose reversæ, & appareant in habitu suo sicut prius, & ipse propter hoc totus aureus effectus cunctis sit indigentibus dispensandus. Quo audito confusus, nesciens quid diceret, nimia propter hoc vesania, verecundia, & tristitia perculsus, verba inepta, scurrilia & plena spurcitia remandavit. Qui adhuc hodierna superest die, de mendacio si quis sibi objiceret, erubescens in invidia non desistens.

Circiter ista tempora propter Karistiam, quæ invaluerat in pluribus mundi partibus, perierunt nimia præ fame in civitate Alsatiæ dicta Calmur tot homines, quod in duabus foveis extra muros ad hoc paratis, sepulti fuerant XX. & XVII. centena & in aliis tribus LXXX. XIX. centena hominum, qui pro majori parte de Westerrich & de Lotharingia, ut fertur, extiterunt. Nam illic fames crudelius inhorruerat, & ut eam homines ibidem habitantes effugerent, ad civitatem prænominatam terræ fructibus tunc magis exuberantem turmatim confluxerunt.

Tempore eodem famis accidit homines de terris præfatis fugere & ad terram Ungariæ tunc fertilem & uberem, sterilitatem aliarum terrarum penitus nescientem properare. Cum autem in magna multitudine ad unam navim fluvii Danubii consedissent, ut proficiscerentur ad terram Ungariæ, nauta intelligens ipsorum intentionem & iter, & insuper perspiciens eos fame prævalida maceratos, confectos & pene consumptos, navem subvertit & omnes pariter in profundum Danubii dimergendo eos præcipitavit, dicens: Melius est, quod in hoc fluvio pereant, quam quod terram totam Ungariæ depascendo consumerent. Quod factum inhumanum, imo Diabolico persvasum instinctu, dum ad nostros terrigenos relatione plurimorum pervenisset, nautam celebriter commendabant.

Anno Domini MCCCXXII. In marg. MCCCXIV. tempore Johannis Papæ Fridericus Dux Austriæ filius Alberti Regis, & Ludwicus Dux Bavariæ in Franckenfurt in discordia eliguntur, sed secundus coronatus est Aquisgrani ab Petro Archiepiscopo Moguntino, qui ipsum elegerat. Plures famant, quod Ludwicus ante electionem una cum fratre suo cum jurejurando promisit Friderico, quod nullo modo vellet eum in electione impedire, & propter hoc magnam pecuniam ab ipso recepit uterque. Quod pactum frater Ludovici firmiter custodivit, sed Ludovicus juramentum & pactum minime servavit, & ideo a multis asseritur propter hoc perjurus esse. Alii vero zelantes pro eo, negant eum ob hoc pejorasse, quia Juridici sibi declaraverint, quod juramentum ab eo præstitum non obligaverit eum contra se; si enim alius ab eo electus fuisset, merito jusjurandum ab eo exhibitum servandum fuisset; ex quo autem ipse personaliter electus fuit, secus fuit. Ex quo autem discorditer electi fuerant, annis multis puta X. se invicem persecuti sunt, & propter Gverram exortam inde in regno Germaniæ multi depauperati, depulsi, spoliati, captivati, conbusti & occisi sunt, quia uterque opposuit se alteri, sæpius ad invicem sunt congregati ad pugnandum, quod uterque habuit circiter mille trecentos equites galeatos vel ultra, & circa XX. milia peditum; non tamen prælium commiserunt, quia nunc ille, nunc iste timore concussus, ut salvaret animam, fugiebat. Tribus, ut puto, vicibus ante Spiram convenerunt; duabus vicibus ante Eslingen, ubi plures, ut fertur, occisi fuerant & captivati in Nekaro fluvio; duabus vicibus ante Augustam; semel in Bawaria, sed maxime Fridericus per fratrem suum Ducem Lupoldum, qui totus cordatus & animosus & quietis inpatiens Duci Ludwico se opposuit & eum coadunatum in virtute ac multitudine exercitus sui de multis locis, sicut de Spir, de Cels, de Argentina potenter fugavit.

Horum tempore anno Domini MCCCXV. quædam gens rusticalis in vallibus dictis Swiz habitans, montibus fere excelsis ubique vallata, confisa de montium suorum præsidiis & munitionibus firmissimis, ab obedientia & stipendiis & consvetis serviciis Duci Lupoldo debitis se subtraxit & ad resistendum sibi se præparavit. Quod Dux Lupoldus dissimulare nolens in ira magna congregavit circa Festum sancti Martini exercitum de oppidis sibi subjectis, & de aliis auxilium sibi ferentibus in propinquo positis XX. ut fertur, milia virorum expeditorum ad prælium ad debellandum, ad deprædandum, & ad subjugandum montanos illos rebelles sibi factos. In quo exercitu Dux Lupoldus habuit militiam robustissimam & electissimam, & ad pugnandum peritissimam & intrepidissimam. Convenerunt igitur viri istius exercitus unanimiter quasi vir unus ad perdomandos & humiliandos illos rusticos, montibus pro muris circundatos, & volentes esse certissimi de victoria sua,

ia, & captione illius terræ ejusque direptione & deprædatione, restes & funes secum tulerunt, ut mediantibus illis prædam pecudum & pecorum inde abducerent. Quod illi audientes & nimis timentes, infirmiora loca terræ, & ubi ad eos aditus esse poterat, muris & fossatis & aliis quibus poterant modis muniverunt, & orationibus, jejuniis, processionibus Letaniisque Deo se commendaverunt, præoccupaveruntque omnes vertices montium, & datum est in mandatis singulis, per quos transitus esse poterat, ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad terram suam, & illic custodirent, ubi angustum iter esse viderant inter montes, & fecerunt secundum quod constitum erat eis, & clamavit omnis populus ad Dominum in instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis ipsi & mulieres suæ, & clamaverunt unanimiter ad Deum, ne darentur ad prædam pecora eorum, & uxores eorum in divisionem, & loca eorum in exterminium & honor & virtus ipsorum in pollutionem. Orabant itaque Dominum ex toto corde, ut visitaret eos populum suum, dicentes: Domine Deus cæli & terræ intuere superbiam eorum & respice ad humilitatem nostram, & ostende, quoniam non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, ac de sua virtute gloriantes humilias. Hæc autem dixerunt, pænitentiam agentes & de sua contumacia, gratiam & pacem totis viribus postulantes, per Dominum quendam dictum de Toggenburg Comitem, virum in virtute animi & corporis insignem, qui mediator extitit utrorumque, nitens pacem inter eos conponere & totam discordiam conplanare. Qui cum agitando profectum utriusque partis multum fideliter laborasset, nichil profecit apud Ducem Lupoldum, quia nimis indignatus contra Swicenses, & nimio furore succensus, noluit pacta humilia ipsorum sibi porrecta per Comitem de Toggenburg acceptare, sed tantum eos conterere voluit, & cum rebus suis dissipare. Quod audientes Swicenses timore ac tremore concussi sunt. Assumpserunt ergo arma sua bellica Swicenses & sederunt super loca, quæ angusti itineris erant & tramitem dirigunt inter montuosa, & erant custodientes ea tota die & nocte. Die ergo sancti Othmari Dux Lupoldus cum suis bellatoribus inter quendam montem & lacum vocatum Egrer Sew, terram invadere cupiens, propter montis proclivitatem & celsitudinem præpeditus est. Equites enim fere omnes nobiles amore & spe rerum percipiendarum æstuantes in prima acie se locantes & audacter constituentes minime facultatem seu possibilitatem ascendendi montem habebant pedites: nam vix gressus suos ibidem figere vel sistere quibant. Præscientes autem Swicenses per revelationem Comitis memorati se in illa parte aggrediendos, & recognoscentes impedimentum & obstaculum eorum propter difficultatem accessus ad terram ipsorum, animati & valde cordati contra eos descendunt de latibulis suis, & eos quasi pisces in sagena conclusos invadunt, & sine omni resistentia occidunt. Erant enim in pedibus secundum eorum consvetudinem quibusdam instrumentis, pedicis & ferreis induti, quibus faciliter gressum vel gradum in terra fixerant, in montibus quantumcunque proclivis inimicis & inimicorum equis minime pedes suos sistere valentibus. Habebant quoque Swicenses in manibus quædam instrumenta occisionis gesa, in vulgari illo appellata Helnbartam, valde terribilia, quibus adversarios firmissime armatos quasi cum novacula diviserunt & in frusta conciderunt. Ibi non erat pugna, sed tantum propter causam prætactam populi Ducis Lupoldi a montanis illis quasi mactatio gregis ducti ad victimam. Nemini pepercerunt, nec aliquos capere curabant, sed omnes indifferenter usque ad internecionem percusserunt. Qui vero ab eis interfecti non fuerunt, in lacu submersi sunt, per quem manus eorum effugere autumabant, transire posse nando sperantes. Quidam etiam de peditibus audientes pugnatores strenuissimos suos tam crudeliter a Swicensibus in mortem prosterni, terrore tam horribilis mortis consternati & inebriati, lacui se inmiserunt, magis volentes se in profundum aquæ dimergere, quam in manus hostium tam terribilium incidere. Referuntur autem mille & quingenti viri in illa cæde cecidisse in ore gladii, exceptis submersis, in loco memorato propter militiam illic perditam in terra circumposita, per multos dies militia rarior fuit: nam fere soli milites ibi perierunt, & alii nobiles in armis ab annis infantilibus exercitati. Qui vero ad alias vias directi sunt ad terram capiendam, evaserunt hostium manus cruentas: nam audientes alios tam ferociter cædi ab hostibus, cunctis postpositis, ad salvandas animas fugierunt; De singulis Civitatibus, Castellis & oppidis plures interempti fuerunt, & ideo ubique voce lætitiæ & jubilationis deposita, sola vox fletus & ululatus audita est. De oppido vero Wintertur nullus periit, nisi unus civis, qui se ab aliis sequestravit, & se in malum sui nobilibus associavit: ceteri omnes sani corpore & salvi suis rebus ad propria redierunt, inter quos Dux Lupoldus reversus, tanquam semimortuus apparuit nimia præ tristitia. Quod oculis meis conspexi, quia tunc scolaris existens cum aliis longe scolaribus Patri meo ante portam cum gaudio non modico occurrebam. Merito autem Ducis Lupoldi vultus lugubris & turbulentus apparuit, quia robur & virtutem exercitus sui pene amiserat. Hæc autem facta sunt fratre suo Friderico interim in Austria existente, anno Domini MCCCXV. XVII. Kalendas Decembris in Festo sancti Othmari. Bello peracto Swicenses detractis armis occisorum & submersorum, & spoliatis cæteris rebus suis, in armis & pecunia multum locupletati sunt, & illa die pro Triunpho a Deo habito diem festum, feriamque solemnem singulis annis in perpetuum recolendam statuerunt.

Post hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXII. uterque prædictorum Fridericus & Ludwicus resumentes bella aliquanto tempore

tempore intermissa, collegerunt magnum exercitum. Ludwicus vero in suo exercitu habuit Regem Boëmiæ & multos nobiles & Barones, sed Fridericus veniens de Austria duxit secum Australes Ungaros. Porro Fridericus præventus & præoccupatus a Ludwico & exercitu suo, fratrem suum Lupoldum venientem de Svevia cum robusto exercitu ibidem congregato adhuc ad plura miliaria distantem, festinantem in auxilium sui non exspectavit, sed in Bawaria, ubi convenerant anbo, cum Ludwico prælium committens in vigilia Michahelis, fortuna sibi minime arridente, captus est una cum fratre suo Heinrico & aliis nobilibus multis, quo ad mille viros & quingentos, & multi Ungari ex parte Friderici occisi fuerant cum pluribus aliis. Lupoldus Dux hoc percipiens, rediit in Sveviam, inæstimabiliter merens & lugens. Postea tamen longo tempore eidem Ludwico se opposuit, & sibi restitit in regno, & orta sunt prælia multa in Alemania.

Anno Domini MCCCXXIII. Dux Lupoldus intravit Alsatiam & omnes adversarios suos superavit, vindictam multam de eis accipiens. Item tempore illo, quo restitit Duci Ludwico in regno, sumto secum exercitu Svevorum copioso, terram Bavariæ audacter intravit & eam per incendium graviter devastavit.

Eodem anno Dux Ludwicus anathematizatus a Papa Johanne, contra ipsum appellavit, & ideo deponitur, adhuc Friderico in captivitate detento.

Post hæc anno Domini MCCCXXIV. vel V. Dominus Dux Ludwicus obsederat Castrum dictum Burgow circa Festum Martini. Quod audiens Dux Austriæ Lupoldus, non abhorrens frigus asperrimum, quod tunc inhorruerat, congregavit exercitum copiosum de Alsatia, de Swevia & Burgundia tam peditum, quam equitum, & ascendens versus Buchhorniam & obvians fratribus suis in Bibracho, qui venerunt de Austria cum sexcentis galeatis & multis peditibus, contra Ludwicum processit audacter, & fugavit eum in oppidum vocatum Laugingum, & ita liberavit castrum, Dicto Bawaro Ludwico in nocte recedente & relinquente ibidem tentoria, tuguria, machinas & alia instrumenta inconbusta Domino Friderico de Austria adhuc captivato usque ad Festum Paschæ.

Item quodam tempore Dux Lupoldus Comitem Wilhelmum de Muntfort se contemnentem & vilificantem humiliavit. Nam oppidum suum Tetnang obsedit in virtute magna, ubi quicquid per circuitum, arborum, segetum, frumentorum, hortorum, lignorum, vel aliorum terræ nascentium invenit, abscidit, conculcavit & destruxit. Et absque expugnatione ac desolatione Castelli seu oppidi non recessisset, si consors Domini Wilhelmi ipsum fletibus & supplicissimis obsecrationibus de Castello exiens non placasset. Nam propter illam in virtutibus & prosapia præclaram ab incepto destitit, pacem plenam relinquens, licet quidam hoc negent & dicant Ducem Lupoldum præter prædicta minime profecisse.

Postquam Fridericus duobus annis fuit in captivitate, Duce Lupoldo procurante liberationem Fratris cum adjutorio Papæ sibi multum propitii, nec proficiente tandem mirabiliter liberatus fuit, mediante interpositione cujusdam prioris ordinis Kartusiensium. Nam ille salubriter & sollerter se interponens, famosus enim in terra, boni consilii, & maturæ conversationis erat, & utrique acceptus in præsentia arborum sola & sui, omni homine absente & excluso ipsos concordavit scilicet Ludwicum & Fridericum per quædam pacta utrique conplacencia, & illa juramento confirmavit, sed quæ fuerint, nesciebatur, nisi quod Fridericus duas de suis filiabus in Bavariam in civitatem Monacensem destinavit,& sic a captivitate eruitur. Multa quoque colloquia inter Fridericum & Ludwicum tractantur, præsente Lupoldo. Post illa vero pacta & colloquia uterque sibi nomen Regale ascripsit publice,& sigillo regio utebatur, ut fertur; Et sic tempore se prolongante usque ad annos Domini MCCCXXVI. circa finem Martii moritur Dux Lupoldus Argentinæ, medio tempore Fridericus solo nomine in Austria deguit & regnavit aput suos.

De Duce Lupoldo refertur, quod vitam suam quasi tyrannicam bono fine terminavit: Nam cum Argentinæ per aliquot dies decumberet, fortem egit pænitentiam. Insuper a Papa Johanne sibi valde favorabili, eo quod se Ludwico semper opposuit, per Confessorem suum Fratrem Minorem cognomento appellatum de Bibrach absolutionem omnium peccatorum suorum atque pœnæ debitæ pro peccatis meruit adipisci. Dum ergo in illa infirmitate diem clausisset extremum, in campum Regis, ubi Pater suus Rex Albertus occisus fuit, solemniter deductus est, & ibi in Monasterio Fratrum minorum terræ commendatus est sepultura gloriosa. Obiit autem anno Domini MCCCXXVI. ut tactum est supra. Post eum Frater suus Albertus gubernavit Sweviam, etiam opponendo se Ludwico. Post hæc brevi tempore elapso Heinricus frater suus etiam obiit, vir elegantis formæ.

Tempore illo, quo obiit Dux Lupoldus, Argentinæ, frater suus Albertus homo proceræ staturæ & litteratus pulcherque in aspectu, agens in partibus Sweviæ, & ob quandam offensam sibi & suis factam, in procinctu itineris & expeditionis obsidendi civitatem Müllnhusum constitutus, & audiens interim mortis famam fratris sui, imo veritatem, dixit illud verbum Evangelium Lucæ: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, nos autem oppugnabimus civitatem. Quod & factum fuit per dies plures.

De Friderico posito in captivitate insperata hoc divulgabatur, quod a quodam Nigromantico Dæmon ad eum missus fuerit, invitans eum, ut secum descenderet, si de captivitate eripi vellet: nam si hoc faceret, ipsum illæsum & incolumem ad quemcunque locum vellet, transportaret. Qui nolens se ipsum sibi committere, sed ibi quamdiu Domino placeret, captivus remanere, fecit eum abire. Quod Fridericus

dericus post liberationem suam coram multis ore proprio confessus est.

Frequenter recitari audivi, quod paulo ante sta tempora Dominus de Wirtenberg potens n Swevia, una dierum, quia mirabilis & homo everus erat, multos pauperes ad unum horeum colligi præcepit: quod dum factum fuiset, ignem abunde horreo inmitti jubet, quod n flammam conversum pauperes in se clausos penitus incineravit. Dicebat enim, cum pauperum secundum Evangelium sit regnum cœlorum, ipsos ad regna cælica absque medio ransmisi. Ecce qualis Tyrannus hic fuit, naturam humanam abnegans, & feralem seu bestialem in hoc facto tyrannico induens.

Circiter ista tempora quidam lector in ordine Fratrum minorum quodam maligno spiritu dominatus, judaizare cupiens, ab ordine postatavit declinando ad Judæos, apud quos andem proditus, in quodam oppido Alsatiæ Fratribus captus est, & ad Fratres deductus, qui dum eum per argumenta, rationes & auctoritates sacræ scripturæ convincere non possent, ut ab erroris proposito cepto desisteret: nam nstantias eorum confutabat, & in quantum poterat, refellebat. Ipsum de Alsatia in Herbipolim urbem ibi arctæ custodiæ, quousque ab rrore sibi infiscato resipisceret, deduxerunt. Cum autem ad quoddam oppidum dictum Verdach devenissent, & cum ibi in stupa hopitii Fratrum Domini, donec percepta refectione ulterius pergerent, reclusissent, ipse interim per fenestram respiciens contra vicum, populum transeuntem allocutus alta voce fuit, icens: O vos omnes, qui transitis, vel me videtis, ut sciatis me non esse Christianum, sed udæum & eorum fide moriturum; Hujus rei n signum me ipsum in oculis vestris transfoiam. Et arrepto, iis dictis, cultro, incaute in tupa relicto, in conspectu hominum concurrentium ad vocem suam, se cum cultro usque ad mortem vulneravit. Quem Fratres semivivum post refectionem invenientes, nimis consternati ad mortem itineris perduxerunt: ubi altera die vitam finiens, sepultus illic in orto Fratrum fuit.

De Friderico fertur, ut cœptum de ipso condeam sermonem, quod post liberationem uam, conversationem laudabilem ante habiam ab eo, malo fine concluserit: Nam cujusdam Cænobii sacram Monialem formosam & bi conplacentem rapuit, contempta sua honesta conforte, Filia Regis Arragoniæ. Et sic ncestum simul & adulterium commisit. Præterea eandem Reginam uxorem suam propter ntoxicationem ei factam visu privatam irreverenter tractavit, imo, ut fertur, tanquam pepissima & inmunditiam usque ad mortem detetabatur. Propter quod forte Deum tantum rritavit, quod justo judicio ipsius permittente vel agente, irremediabili plaga scilicet pediculorum morsibus & corrosionibus longo tempore castigatus fuit & tandem consumptus.

Tempore, quo Fridericus solo nomine in Austria apud suos regnavit, Ludwicus Bavarus prænominatus cum paucis galeatis se transtulit in Longobardiam, an. Domini MCCCXXVII. & eodem anno in civitate Cumis corona ferrea coronatus est; postea potentia sua roborata & augmentata venit Mediolanum, ubi reverenter tractatus, magnam pecuniam assecutus fuit, ubi etiam Capitaneo per jussum suum deposito & suspenso, ut fertur, propter demerita sua Dominum Wilhelmum Comitem de monte forti civitati ac terræ ibidem præfecit. Qui quatuor annis illic potenter dominans, furtim, quia dilectus & acceptus valde ibi erat, abiens & discedens, in terram suam Sweviam rediit, reportans secum grandem pecuniam per suam dominationem in Mediolana civitate adeptam. Nam tantum illic locupletatus fuit, quod castrum solemne multis sumptibus in lacu postea Botanico apud villam dictam Argo exstruxit. Hic in bellicosis artibus strenuus, excellenter erat. Quidam ajunt de eo, quod multis præliis campestribus, puta XX. personaliter interfuerit, fortiter & gloriose ibi agendo. Ludwicus vero de Mediolano peractis sibi placitis recedens, & ulterius potenter & sine pugna in Italiam progrediens, venit Romam, ubi a Romanis civibus gratanter receptus, contra voluntatem Papæ coronatus est in Inperatorem. Ubi alium Papam una cum Romano populo creavit de facto ordinis Fratrum Minorum, sed ut non fieret, totis viribus renitentem, sed prævalere non valens, coactus cum amaritudine permaxima mentis non volens sed nolens, Papatum suscepit.

Qui mire fuisse dicitur sanctitatis, qui inter cætera virtutum suarum insignia abstinentiæ gloriabatur angustiis & cum orationum vigiliis, erat blandimentis præditus lenitatis, & ideo omnium civium Romanorum provocavit ad se eligendum vel instituendum, affectum. Qui per biennium, ut aliqui affirmarunt, diligentius quam ego temporis ejus momenta supputantes, jura & officia Papalia exercuit & ministravit, plures præter alia Episcopos ordinando per diversa loca, qui etiam pluribus Clericatus ordines inpenderunt. Hic communiter Antipapa vocabatur. Dum ergo plures ei obedientiam & reverentiam tanquam vero Christi vicario exhibuissent, & beneficia Papalia ab eo percepissent, tandem Ludwici & populi Romani suique errorem recognoscens, ad Papam Johannem in Avinionem convolavit, suam gratiam super commisso scelere humiliter postulando: qui ad votum exaudiri meruit: nam sibi misericorditer condonavit, & ipsum in custodia tamen in domicilio suo collocans seorsum, cuncta sibi necessaria usque ad mortem suam, quam brevi temporis spatio postea interjecto persolvit, pleniter ministravit, adhuc Johanne Papa per aliquot annos in vigore corporis Ecclesiæ præsidente. Ratio, vel motivum, quod Ludwicus Bawarus Romæ, sicut dictum est, coronatus, cum populo Romano attemptavit & ausus erat Papam alium eligere & instituere, fuit, quod Romani dixerunt, quod, quandocunque Papa transferret sedem suam ad alia loca, sicut

tunc longo tempore actum fuit, ex privilegiis ipsis concessis, licite possent alium Papam creare: quod & factum erat, mediante consilio & auxilio Ludwici Bawari qui a Papa Johanne erat excommunicatus, & loca interdicta, ad quæ venerat propter hoc, quod intromisit se de Regno sine legitima & unanimi electione Principum, & etiam, quod defendit quosdam hæreticos in civitate Mediolanensi: Et sic, quemadmodum dictum est, creaverunt Romani novum Papam, nomine Petrum Cornarium, & appellaverunt eum Nicolaum Quintum. Vel forte motivum Romani populi ad creandum novum Papam fuit, quod forte in memoriam eis venit, quod plurimi Imperatores in temporibus retroactis, sicut aliquæ Cronicæ testantur, similia fecerunt, Papam tunc temporis Ecclesiæ præsidentem, jura & insignia eis temere consecrationis & confirmationis negantem, amovendo, repellendo, & alium instituendo. Qui voluntarie eis munus benedictionis Papalis inpendit, prædicta eis sicut exegerant, conferendo. Legitur in una Cronica, quod Adrianus Papa celebrans synodum Romæ præsente Karolo Rege Francorum & Imperatore Romanorum, dedit Karolo jus eligendi summum Pontificem & sedem Apostolicam ordinandi. Quod resumere forsitan Romani una cum Bavaro cupientes, prædictum factum attemptarunt; sed non super petram, sed potius super arenam sic intendendo & faciendo ædificassent. Quia sicut etiam in libris Annalibus legitur, successores Karoli memorati præfato juri longe ante istius Bavari renunciaverunt tempora.

Post hæc anno Domini MCCCXXX. obiit Fridericus Dux Austriæ præfatus in lecto suo, sicut & fratres sui supra nominati. Quod audiens Ludwicus, illico exivit Italiam & venit in Sveviam superiorem, & inde descendit per Ulmam ad Rhenum, & venit in Coloniam, deinde Moguntiam & Wormatiam, & Spiram, & in alias Civitates finitimas, quæ omnes eum gratulanter receperunt, sed fere omnes religiosi & seculares Clerici servabant interdictum in civitatibus sibi juratis. Quod videns posuit in eis clericos alios, ut illi ibi cantarent. Postea volenti ascendere in Alsatiam & in Sweviam Dux Otto Austriæ Frater junior prædictorum restitit, & præcipue ne ad partes Lacus Botanici dilatando suam potestatem venire valeret, se firmiter opposuit. Tunc Civitas Alsatiæ Imperialis Colmur nomine contra se notabiliter divisa est: nam parte Ducum Austriæ reluctante, pars Ludwico adhærens, ipsum tunc temporis circa Hagnow civitatem etiam Imperialem demorantem ad se venire ut dignaretur, seriosis & devotis precibus invitando flagitabat. Quibus inmediate libenti animo & alacri vultu annuisset, si a Duce Ottone fratre Lupoldi resistentiam & obstaculum non habuisset. Nam is audiens partem illic civum sibi faventem & receptionem Ludwici dissvadentem, imo contradicentem & recusantem, & ob hoc a parte altera viliter contemptam & abjectam Ludwicum quoque propter precum instantiam suæ partis de inferioribus partibus ad declinandum ad eos, cum alias sibi cordi fuisset, se disponentem, iratus nimis & commotus exercitum grandem congregavit virorum fortium & robustorum circiter MCCCC. galeatos & XXX. milia peditum & obsedit civitatem tempore æstatis ad sex septimanas. Hic exercitus more torrentis inundantis & rapidi ad prædictam civitatem confluens, ipsam vallavit undique & coangustavit, & ipsam usque ad terram prosternendam anhelabant. Viri etiam hujus exercitus non solum civitatem circundederunt, verum etiam campum adjacentem civitati adinstar locustarum occupaverunt, ut viam Ludwico præcluderent & obstruerent, ne ad civitatem illam, nec ad terram ducum transitum habere posset; & omnes qui aderant in obsidione ista parati erant quasi vir unus ad pugnandum contra Ludwicum, si eos aggredi attemptasset. Sed ipse e contrario audiens robur & multitudinem ac fortitudinem exercituum Ducis Ottonis, veritus ab eis, ultra progredi non præsumpsit, sed illico pedem fixit. Quidam ajunt Ludwicum magnum exercitum medio tempore, quo Dux Otto Colmur obsederat, congregasse, & quod plures galeatos habuerit, quam Dux Otto, sed non tot pedites, & quod præparaverit se ad dimicandum cum Ottone, si non Rex Boëmiæ intromisisset se de compositione: nam obsidione se protrahente ad plures dies, pacis fœdera inter Ottonem & Ludwicum per Regem Boëmiæ tractantur. Quæ licet multa fuerint & diversa, Dux Otto sprevit, ipsis, quæ exhibebantur, non contentus. Quapropter non minus atrociter & hostiliter civitatem oppugnavit. Cum ergo multis eam per plures dies tribulationibus afflixisset, Rex Boëmiæ tam efficaciter se interposuit tandem, quod pacem civitati obtinuit, & Regem Ludwicum & Ducem Ottonem per pacta subsequentia confœderavit. Quorum unum fuit, ut redderet sumptus, quos fratres sui decertando & confligendo secum multis annis, pro regno acquirendo fecissent, qui feruntur fuisse XX. Milia marcarum, in quibus per eum fuerant damnificati, & pro iis solvendis Ludwicus Ottoni & hæredibus suis quatuor civitates Regni obligavit. *Vide paulo inferius.* (a) Secundum pactum erat, ut neuter alium in suis jurisdictionibus deinceps directe vel indirecte inpediret, sed potius totis viribus conservaret, & diligenter promoveret. In ista expeditione in auxilium Ducis Episcopus Rudolfus Constanciensis, genere & natione de Munfort, Comes strenuus misit XL. ut famatur, galeatos, & ipsemet in propria persona, quamdiu obsidio civitatis protendebatur, præsens fuit. Cum itaque Rex & Dux ad plenariam & amicabilem pacis concordiam per Mediatorem Serenissimum Regem Boëmiæ essent perducti, omnibus rite peractis & ordinatis in Civitate prælibata, simul per terram Ducum juxta Renum sitam, scilicet per oppidum dictum Sekkingum & Brugg & Baden, Winter-

(a) Scilicet Nüwenburg. Rinvelden. Schafusam & Turegum.

tur

ur & Vrowenveld reversi sunt in regiones uas. De memorata jam obsidione percepi, quod, postquam mediante industria & pia solicitudine Regis Boëmiæ Rex Ludovicus & Otto Dux pacis fœdus inierunt simul, Rex Boëmus pertransiens per circuitum Castrorum Ducis & perveniens ad aciem virorum de Glarus, vidensque eorum instrumenta bellica & vasa interfectionis dicta gesa, in vulgari Helnbarton amirans, ait: O quam terribilis aspectus est istius cunei cum suis instrumentis horribilibus & non modicum metuendis. Et sic factum est, ut Hystoriam hanc concludam, quod Ludwicus Bawarus contra oppinionem hominum intravit terram lacui Bodinensi circumjacentem. Nam paulo ante inpossibilis indigenis introitus ipsius ad eos videbatur, pauco enim tempore ante suum ingressum cum candelis accensis & canpanis conpulsatis, in Cancellis publice pronunciabatur in singulis locis a summo Pontifice excommunicatus & tanquam hæreticus censendus.

Thuricenses Duci Ottoni pro pignore tradi-i pertinaciter restiterunt & ratificare contempserunt, & propterea loco Thuregi a Ludwico Ottoni Brisach est pignorata. Sed Dux Otto æquanimitus sustinere non valens Thuricensium injuriam & rebellionem vineta eorum abscidere, & civitatem eorum obsidere decrevit: Quod quam primo eis innotuit, stupefacti & perterriti personas pauperes religiosas devotas collegerunt, imo quasi conduxerunt, ut in unum congregati in Capella Fratrum Minorum cottidie seriosis & obnixis precibus Dominum exorarent, ut de manibus eorum, qui cogitarent eis mala, eriperentur, & in pacis tranquillitate solidarentur. Quibus victus necessaria, quamdiu eis timor incubuit, copiose ministrabantur, die enim & nocte sine intermissione in templo perseverantes Deum pro salute civitatis inplorabant. Quorum Deus vota ex alto prospectans, ipsos ut pie creditur, exaudivit. Nam ut rei exitus conprobavit a peste, quam sibi supervenire formidabant, salubriter eruebantur. Duce Ottone, ut tactum est, Brisaco pro Thurego in pignus acceptante.

Post prædicta Dux Otto feoda sua recepit a Ludwico Inperatore de facto, & in Ulma conjuraverunt, & conspiraverunt contra omnes suos adversarios ad defendendum mutuo se & sua. Ex tunc plures civitates, fere omnes tam Ducum, quam etiam Ludwici abstinuerunt se a divinis, & interim Clerus graviter fuit angariatus & conpulsus ad divina resumenda, & plures annuerunt non verentes latam sententiam, nec ultionem divinam. Multi etiam erant inobedientes, & ob hoc de locis suis expulsi, & sic tandem facta fuit lamentabilis difformitas Ecclesiarum, quædam enim inmunem se existimans ab interdicti censura in laudes divinas celebrando, inperterrite ac secure laxavit ora; quædam vero e contrario interdicti pœna se plexam reputans organa Domino canentia suspendit. Et illæ mutuo se sinistre judicabant, & quod mirabilius est, tacentes in divino cultu habito clausis januis mutuo sibi non communicabant, sed frequenter se excludebant, cantantes etiam se alterutrum vitaverunt; unaquæque suo sensu secundum verbum Apostoli, quasi dicam, abundabat. Hæc autem diversitas lamentabilis causabatur non solum propter diversitatem conscientiarum, sive bene sentientium, sive erronearum, sed etiam ex eo, quod Jurisperiti in iis requisiti diversimode canones juris Ecclesiastici interpretabantur.

Postquam, ut est dictum, Ludwicus exivit Italiam, Longobardi fere omnes & ceteri Italici opposuerunt se sibi & etiam Papæ, quia Dominus Azzo filius Galiaci de Mediolano, & Canis de Verona & Comes Montisferrariæ conspiraverunt adinvicem contra omnes homines, & quod quilibet sibi subjugare posset in vicino, quod hoc haberet, & alii eum ad hoc juvarent; Et ob hoc Rex Boëmiæ intravit secundario ex parte Papæ ac Ludovici & sui ad subjiciendum & revocandum eos. Post hæc Episcopus Constantiensis, Aichstetensis, Babenburgensis & alii quam plures annuerunt Ludwico & receperunt sua Regalia ac feoda ab eo; propter quod excommunicati sunt, & ceciderunt in indignationem Papæ. Similiter voluit Episcopum Argentinensem coegisse ad divina & ad recipiendum sua regalia, qui viriliter se opposuit, & plus damnificavit Ludwicum & suos, quam ipse damnificatus fuisset, ita quod non poterat eum superare, & tandem pax & conpositio facta fuerunt inter eos, tali conditione quod uterque permaneret in statu suo.

De Johanne Papa XXII. hujus nominis plura consequenter referam, quæ legentibus non inmerito stuporem & horrorem inmittere possent, quia totam Ecclesiam commoverunt: nam talia facta fecit vel promovit, vel fieri procuravit, quæ in retroactis annis & a seculo audita non fuerunt, nec de cætero erunt, ut sperandum est. Nam quadam vesania ductus rationibus & auctoritatibus astruere nisus est, quod Christus meram cum discipulis suis paupertatem non habuerit, sed cum eis proprietates in communi tenuerit, & ipsis, cum oportunitas vel necessitas requirebat, usus fuit talibus & similibus verbis per modum quæstionis elidere & enervare voluntariam & perfectam Christi paupertatem moliebatur, cui cum Fratres Minores assensum præbere nollent, sed sibi viriliter resistentes, falsum & erroneum dictum suum affirmarent, & paupertatem Christi in sermonibus, lectionibus, disputationibus perfectam tam in privato, quam in communi auctoritatibus evidentissimis & rationibus multis insolubilibus extollerent & magnificarent, dictis Fratribus molestus cœpit esse & graviter ipsis insistere, & ad persequendum eos nisum non modicum adjecit. Fautores vero suos Prædicatores Benivolentia præcipua prosecutus fuit, ac multis beneficiis constanter fovit. Ut autem Fratres Minores facilius & comodius flecteret ad astandum & consentiendum sibi, capitula generalia ipsorum in locis sibi vicinis celebrari jubebat,

bebat, ut eos ibi minis & terroribus in prædicta quæstione ad suæ positionis assertionem retorqueret: Nam ibidem non paucas frivolas persvasiones denegando, una secum paupertatem Christi recipiebant, sed Fratrum dispersiones ibi congregatæ unanimiter adinstar columnæ marmoreæ inmobiles in professione sanctæ paupertatis perstiterunt, nec enim blandimentis suis seducebantur, nec suis terroribus concuciebantur, specialiter autem per Reginam Appuliæ consortem Regis Roperti in singulis capitulis Fratres permaxime extiterant roborati ad perseverandum in Christi altissima paupertate: nam in Epistolis illuc directis efficacissimis ab ea, utpote mulier divinitus edocta & supernis irradiata fulgoribus sectatores Fratres prænominatos paupertatis Christi hortabatur, ut constantes & inconcussi in ipsa perstarent: nam in sancto Francisco ferventissimo sectatore vere perfecteque paupertatis Christi, ut in legenda sua luculenter apparet, per quinque stigmata sibi divinitus inpressa, tanquam per bullas & sigilla est firmissime roborata. Hiis & similibus verbis Reginæ perlectis Fratres inmenso fuerant gaudio perfusi, & ad sibi in hoc obtemperandum inæstimabiliter animati. Et ut verum fatear, si claudicassent, & minam, quod longe fuit, facere visi fuissent, per ejus monita auro & argento pretiosiora quasi quodam fulcimento erecti perstitissent; nimirum quæ ordinem intimo & præcordiali diligit affectu, ipsius præcipitium summopere præcavebat. Videns igitur Papa Fratres invincibiles, & in sancto suo proposito inmutabiliter perdurare, ut assequi posset suum intentum, capitulum generale proxime postea celebrandum jubet sub optentu suæ gratiæ in villa Parisiensi fieri, ut in loco sibi magis subjecto & apto conprehenderet, conprehensos captivaret, captivatos averteret, & ad sentiendum cum eo animos eorum converteret: qui sicut prius dixi, iterum confortati inmobiliter perstiterunt: Nam per Regem Francorum ibidem dominantem in tantum protecti & custoditi fuerunt, quod illæsi omnes invito Papa & contra spem suam ad provincias suas redierunt. Non est enim consilium contra Dominum, qui salvos facit sperantes in se. Cum autem Fratres Parisiis convenissent, totam civitatem commotam & nimis turbatam repererunt: Innotuerat enim ei Papæ intentio maliciosa, & timebat, quod Fratres perculsi & perterriti per iram Papæ contra eos ferociter sævientem a proposito sancto resilirent, & paupertatem Christi una cum Papa a primordio Ecclesiæ præconizatam, & per omnes Ecclesias solemniter prædicatam abnegarent, & sic consequenter fidei orthodoxæ nexus rumperetur in perpetuum integer conservandus. Cum vero Fratres diversarum lingvarum de diversis nationibus illic in multitudine copiosa congregati verbum Dei propondituri consurgerent & loca eminentiora conscenderent, tam Clerus, quam vulgus attentis auribus auscultabat, an assertio paupertatis Christi, vel ejus abnegatio de ipsorum faucibus procederet. Intelligens autem omnis multitudo & audiens ipsos conformiter valenterque paupertatem Christi eructare, repleti sunt gaudio indicibili, dicentes: Benedictus sit Deus, qui fidem, extra quam non est salus, ut timebamus jam subruendam, & in ejus quodam articulo famosissimo subvertendam, tam misericorditer non solum conservavit, verum etiam excellentissime magnificavit, ita quod dubitatione pertimescenda salubriter effugata solida & sana perseverat. Pensemus & diligenter consideremus, quantum periculum Ecclesiæ incubuisset, si fides in professione sacratissima paupertatis Christi occubuisset. Si enim hæc Lucerna extincta & suppressa fuisset, quid aliud nisi tenebræ densissimæ remansissent, ibi ut putabatur Petri navicula, naufragari suspicabatur: nam procellis conquassata tribulationis submergi videbatur & periclitari, non tamen poterat, Dei præservata virtute. Exhyleratus est ergo universus populus cognita fortitudine mirifica & inoppinata sanæ fidei in Confessoribus pauperis Crucifixi Fratribus minoribus. Quantum igitur hæc scandalosa positio Papæ fidei Katholicæ jacturam & detrimentum ministraverit, homo intelligens animadvertat: nam in cunctis terris, regionibus, Provinciis, Angulis, Climatibus fidelium personuit, & innumerabilibus offendiculum & hæsitationem in fide probatissima inmisit: qui enim ante firmi fuerunt, hæsitantes, & claudicantes & titubantes facti sunt.

Fratres Prædicatores foventes in positione memorata partem Papæ, quod audire piæ mentes refugiunt, in contemptum & contumeliam Fratrum Minorum, & per consequens in scandalum totius Ecclesiæ depinxerunt, vel depingi procuraverunt Christum cum loculis & capsellis ad extrahendum denarios, ipsis manus suas inmittentem, &, quod est horror devotis dicere, videre vel audire, in parietibus Monasteriorum, & ubi erat frequens hominum transitus Christum pendentem in cruce depingebant una manu brachio crucis affixum, & altera denarios tractantem, & bursis in cingulo suo pendentibus inferentem. Hoc totum factum est, ut ementibus per hoc patesceret, Christum proprietates habuisse. Maxime autem Papa infestus & supra modum durus fuit Prælatis & Præsidentibus capitulis & capitibus ordinis Fratrum Minorum, videlicet Generali & sibi cohærentibus in Avione degentibus. Cum enim eos minis, blandimentis, terroribus ad sibi consentiendum flectere non posset, insidias intentabat, qualiter eos caperet, & squalore carceris & diris suppliciis cruciaret, vel ut aliqui oppinantur, quod morte eos afficeret & acerbissime trucidaret. Et cum hoc in continenti se facturum decrevisset, Generalis dictus Michahel, vir utique genere, scientia & morum honestate præclarus cum bona gratia Jurisperito expertissimo & aliis Fratribus Theologis acutissimis amicabiliter conmonitus fugam arrepit, & cum multis galeatis a Rege Franciæ sibi destinatis deductus est per mare propera navigatione

itione ad loca tutisſima, & a Papæ temeraria irracionabili valde ſemota poteſtate; qui tanem Ludwicum poſcentes ſæpe dictum, & ad ſum confugientes, ſub ejus umbra alarum ulto tempore protecti ſunt a facie inimici, & cunctis vitæ neceſſariis laute proviſi. Quoim fugam Papa ſentiens omnis generis contra os cenſuram Eccleſiaſticam fulminavit, & eoim extra ordinem ſuum ejectionem a Fratrius extorſit. Qui quamvis nobilia ordinis mni laude digna membra fuiſſent, Fratres taien, ſed nimis dolentes cum inmani amarituine mentis ad favorem Papæ capeſſendum, & am indignationis ſuæ exceſſivam temperanam, quia adverſus eos accendit omnem iram iam, ipſos tanquam membra arida ſeu putrida o ordine exciderunt. De quo ego ſum nimim conturbatus, quia gloriam & magnum deorem per eos ordo noſter habuit, quia ſicut ella præfulgida in eo micuerunt, & in mundo cut ſtella in medio nebulæ, & tanquam noum ſydus, imo ſicut ſol lucidiſſime coruſcaant. In iſto diſturbio Provincialis Fratrum iperioris Alamaniæ dictus Heinricus frater de alhein Magiſter Theologiæ excellens cum uodam Lectore ſibi familiari ad Inperatorem onvolavit, qui reverenter ab eo receptus, ejus ſt Cancellarius inſtitutus, ſed tandem ab illo fficio deſtitutus, ſplendide ac copioſe per um procuratus tranquillam vitam ab omni tuiultu negotiorum ſecularium ſegregatam duit in Auguſta Civitate Sweviæ inſigni. Socis vero ſuus ab Inperatore & Papa ab eo creato ontificatum adeptus eſt Vercellenſem. In uo reſidens plurimos Preſpiteros & alios cleicos ordinavit. Qui tandem penitencia dutus, Epiſcopatum reſignavit, & jugum Domini bjectum ordinem exeundo repetens, pollienſque ſe ſubiturum pœnam correctionis ſuis xceſſibus condignam, ordinem illico inpetrait. Magiſter ſimiliter Heinricus poſt eum faiens, ad ordinem eſt reverſus, ſed bona gracia extra eum debitum humanæ naturæ perſolvit.

Hiis igitur ſe ita habentibus, Papa & Inperaor mutuo ſe hæreticos nuncupabant, & uterjue errores alterius contra eum excipiens proluxit. Tunc etiam Inperator per fratrem onam graciam tunc temporis adhuc carne degentem Juridicum permaximum ſecum, ſicut lixi, in Bawaria cum Michahele Generali comnorantem a Papa ad futurum Papam vel Conilium appellavit. Papa vero ipſum excomnunicavit cum perſonis ſibi ſingularibus cunſtis conſilium, auxilium, favoremve præſtantious. Præterea terras perſonarum ſingularium, cujuſcunque conditionis, ſtatus, præeminentiæ exiſterent, feuda ſua ab eo recipientium vel ibi jurantium, vel alteri nomine ſuo præbentiim, ſibi conſilium, auxilium vel favorem, interlixit. Univerſitates quoque ſibi ſimilia faciintes interdixit: Quod interdictum communiter circiter IX. annos duravit. Cum igitur tanto tempore protraheretur organorum damnoſa ſuſpenſio, mala plurima, quæ tangit in VI. Decretalium, Decretalis: Alma mater initiata evenerunt, ſcilicet in devotiones hominum, pullulatio hæreſum, extinctio fidei notabilis & lacrimoſa.

Hiis temporibus, dum quidam valens Lector de ordine Fratrum Minorum, dictus Wilnhein Pariſius aperte coram Clero & populo paupertatem Chriſti prædicaret & defenderet, a Fratribus Prædicatoribus apud Papam Johannem, paupertatem Chriſti, ut ſupra peroravi, ſubvertere nitentem, accuſatus eſt. Qui ſtatim jubebat eum in carcerem recludi ſub arta cuſtodia, ut ab incepto deſiſteret, & ſecum in abnegatione paupertatis Chriſti concordaret: ſed ille minis, terroribus, cruciatibusque minime fractus, nec blandimentis & promiſſionibus ſeductus. Septendecim ebdomadibus, quibus in cuſtodia illa detentus erat, conſtans & inmobilis permanebat; maluit enim in profeſſione paupertatis Chriſti caſtigari variis ſuppliciis, quam in ejus abnegatione foveri & deliniri diverſis beneficiis; Multis in ſua captivitate diſputationibus, altercationibusque partem Papæ & poſitionem reſpicientibus inpetitus & inpugnatus eſt, in quibus ſtrenue quaſi fortis adleta in duello, & quaſi leo, qui ad nullius occurſum pavet, ſe defendit, auctoritates & raciones ſuorum adverſariorum ſibi diſſonas & contrarias ſuis auctoritatibus in ſcriptura evidentiſſimis, & rationibus acutiſſimis & firmiſſimis confutavit & luce clarius refellebat. Cum itaque Clero frequenter ſibi adverſanti ſatisfaceret, & invincibilis in aſſertione paupertatis Chriſti perſiſteret, a ſua detentione frivola eripitur & libertati reſtituitur. Cujus propter ſuam perſeverantiam laudabilem quædam potens & opulenta mulier gratiam non parvam concipiens, ſibi LXX. florenos, ut fertur, erogavit.

Præterea idem Papa, quemadmodum tunc fama communiter volavit, quendam Epiſcopum ſibi ſuſpectum de intoxicatione propter unum ſomnium diſplicibile habitum de eo, præcepit capi & diverſis cruciatibus dilaniari. Qui innocens ab omnibus & inmunis ab hoc ſcelere extitiſſe refertur. O qualem ſucceſſorem Beatus Petrus in ſede ſummi Pontificatus in eo habuit, qui humanitatis & pietatis paſtoriſque officium oblitus, vitam tyrannicam induebat propter conjecturam temerariam & ſuperſtitioſam ſomnii tantum Reverendum Præſulem diriſſimis ſuppliciis perimendo? Quomodo Petrus crediḋiſſet Kathedræ ſuæ & Eccleſiæ ſtatum fore tam enormiter in noviſſimis temporibus a juſtitiæ regula pervertendum in Kathedra ſeniorum. Hic laudandus non erat, quia in Kathedra peſtilentiæ ſediſſe videtur.

Præterea eodem Papa Eccleſiæ Præſidente, Epiſcopus Treverenſis Frater quondam Heinrici Inperatoris, patrui vero tunc Regis Boëmiæ tres Epiſcopatus ſcilicet Treverenſem, Moguntinenſem & Spirenſem ſibi vendicaverat, imo quoſdam uſurpaverat de facto, nullo juris titulo eos poſſidendo, & quod gravius eſt, more Pharaonis dimittere eos noluit, quantumcunque Dominus Papa ſibi, ut ipſos deſereret, demandaret, avaritiæ labe fœdatus nimis

XXX XX 3 &

& ad instar adamantis obstinatus & funditus induratus: propter quod processus varios summi Pontificis contra eum fulminatos penitus contempsit, & ne ad partes illas mitterentur, vel illic aliquatenus reciperentur, præcaveri summopere præcepit. Cum autem medio tempore Papa unum Archiepiscopum in sede Moguntina institueret, ut Ecclesiæ illi reverendæ sollicite ac salubriter, ut pius Pater de pastore provideret, & cives Moguntini ipsum dignanter suscepissent, eum quoque tanquam verum Præsulem ipsorum dignis honoribus prosecuti fuissent, indignatus est, & nimio furore succensus Episcopus Treverensis hæc audiens, civitatem Moguntinam graviter ac hostiliter persecutus est. Civitas vero stans pro Episcopo sibi a Christi Vicario collato contra Pontificem memoratum in furore opposito incessit, & sic gwerra perniciosa inter eos suscitata est, propter quam multa incendia, homicidia, spolia subsecuta sunt, & per consequens terra circunquaque depopulata est. Cum itaque alterutrum se multis diebus dampnificassent, Episcopo tamen majora dampna inferente, pax inter eos reformata est, & gverra a satana discordiarum sutore seminata feliciter sopita est. Post hæc vero non multo tempore interjecto Præsul Treverensis divinitus conpunctus & saniore consilio ductus sponte Episcopatum Moguntinum cum Spirensi resignavit, suo contentatus, duobus aliis idoneis cedens.

Item cum idem Papa Ecclesiæ Dei adhuc præesset, & persecutiones & molestias Ludwici Inperatoris & suæ partis in Longobardia pertimesceret, contra suos & Ecclesiæ hostes inmediate post Dominicam orationem psalmum: Lætatus sum in hiis, & cætera cum versiculis & collectis congruis & competentibus Missæ apposuit, & in Ecclesia cottidie districte orari flexis genibus jubebat: quod Fratres Minores per plures annos in toto ordine studiose custodierunt, multo Clero recalcitrante & id facere recusante.

Paucis annis transactis ante ista tempora factum lamentabile in Wintertur in crepusculo vel ad longius in prima vigilia noctis Festi sancti Thomæ evenit. Nam ignis casualiter invalescens partem oppidi memorati concremando consumpsit: In quo incendio dum quidam homines consternati, attoniti & incircumspecti nimis facti fuissent, ad cellaria, quibus nimium confidebant, se contulerant: sed ignis fumositates & fervorem per rimulos, januas & fenestras inmittens fere XX. homines promiscui sexus suffocavit. Post hæc in brevi rursus in noctis tempeste terribiliter conburitur oppidum præfatum: Sed nemo læditur, superno hominibus præsidio assistente.

Paulo ante ista tempora, dum quidam Frater Minor virtutibus & scientia redimitus quadam nocte in Conventu Bernensi in cella sua studio vigilem operam daret, aliis fratribus in locis suis dormientibus, audivit strepitum & sonitum quasi Fratrum simul orantium contra pomerium Fratrum tendentem, quem scire qualis vel quorum admiratione ductus affectans foret, caput erexit, & extra fenestram, quæ ad ortum respiciebat, ad perspiciendam rei veritatem, exponens, vidit quasi multitudinem grandem Fratrum, in qua bini & bini simul, sicut in processionibus fieri solet, incesserunt, & pervenientes ad medium viridarii, inclinatis capitibus disciplinate ab invicem se separaverunt, & uterque pariter & simul euntium ad latus sibi conjunctum secedens, sive ad dextrum, sive ad sinistrum, cum aliis similiter facientibus ordinem constituit more Fratrum in Capitulis seu processionibus sic facientium, & dum mutuo orantes per modicum temporis spatium e regione stetissent, rursus se conbinaverunt, & contra transitum prius ab eis peranbulatum iter suum direxerunt, & dum domum reintrassent, tristegam cum inpetu pariter ascenderunt, pulsantes inpoptune in cellis plurimorum Fratrum cubantium in eis, in domo cellarum cum ad eam pervenissent. Deinde dormitorium intrantes in stratus aliquorum similiter Fratrum illic pausantium procaciter inpegerunt, dum autem transitum facerent de domo cellarum ad dormitorium, Frater prædictus stupefactus, tremens & gemens nimio præ pavore adventum eorum terribilem & horribilem insultum, in cella sua sedens cum lumine formidabat, quem tamen contra oppinionem suam pertranseuntes, sibi & cellæ suæ nichil molestiæ & gravaminis intulerunt. Quotquot autem cellas vel stratus peranbulantes secundum ordinem tetigerunt, illorum Fratres postea in brevi tempore secundum eundem ordinem obierunt.

Circiter ista tempora officialis Basiliensis, vir valde condicionatus occisus est a civibus dictis de Sole ob injuriam quandam, quam eis & Fratribus Minoribus sibi tenerrime dilectis contemptibiliter irrogavit.

Item circa illa tempora quidam Clericus famosus a Papa Basileam dirigitur, ut quosdam processus frivolos ibidem promulgaret: qui statim de Curia Monasterii summæ Canoniæ dictæ Burg eminenti & valde excelso loco in fluvium Renum illic præterfluentem præcipitatur. Qui quamvis de alto projectus fuisset, quod verisimiliter mori potuisset, non tamen mortuus fuerat, nec eciam tantum conquassatus, nec collisus erat, quin Reno se mox inmitteret, ut natando mortem evaderet: quod & fecisset, si persecutores sui videntes eum nare, in naviculis celeriter ipsum insecuti non fuissent, quem cum apprehendissent, necabant.

De Johanne Papa exsecrabile factum fidelibus in perpetuum displicibile præcedentibus subnecto. Quotiens ego hoc recogito & in mente revolvo, flere mihi potius, quam aliquid dicere, fore censeo: nam timor & tremor & rigor me quoddammodo concuciunt & tenebræ contegunt. Nam in quibusdam Christianitatis, ut fertur, extremitatibus, Teutonicis cruciferis diffuse dominantibus Paganorum truculentam rabiem eos contingentium cohercentibus & refrænantibus, ne per suas invasiones & incursiones pestiferas fidelium terris, quantum

quantum gliscunt, nocere possint, Dominus Papa in mandatis districtissime dedit, quatenus ipsos per terram suam liberum transitum habere sinerent, ut in vindictam & injuriam Inperatoris ad terram filii sui demoliendam vocatam Brandeburg accessum habere possent. Qui jussioni Papali contraire pertimescentes, inviti cum ejulatu, ut ita dicam, amarissimo Paganis transitum pro suo libitu indulserunt. Quidam ajunt Papam hæc demandasse Regi Graagogie, & quia sibi in hoc paruit, Regem eum fecit, qui ante Dux unus Poloniæ fuit. Qui venientes ad terram prænominatam inmanissima scelera auditu horribilia commiserunt. Armati enim in multitudine incredibili ex insperato ad terram memoratam supervenerunt bestiali mente, indomito ac agresti more ipsam vastantes, nec in hoc eis suffecit, quin etiam mulieres certatim temerarent coitu nefario, ipsis quoque mamillas absciderunt, Ecclesias diruerunt, Altaria destruxerunt, &, quod est execrabile dictu, Corpus Christi in scriniis super aris reconditum sustulerunt, & sibi lanceas suas infixerunt, blasphemando dicentes: Ecce Deus Christianorum in nullo se defendere valens. Quod Deus dissimulavit, si autem eos plaga crudeli percussisset, ipsos & suos posteros forsitan convertisset, & judicio meo disciplinæ & fidei Katholicæ non modicum profuisset. Quare autem non fecerit, sibi soli constat, qui in viis suis inscrutabilis est: ponam iterum hic silentium ori meo & ostium circunstantiæ labiis meis, ne præsumam rimari archana Domini judicia temere & incaute, qui dicit per Isaiam Prophetam: Secretum meum mihi. Ad idem possum aptare verbum Philosophi in Metaphysica dicentis: Intellectus noster habet se ad manifestissimum in natura, sicut oculus noctuæ ad lucem, ergo quanto magis oculos intellectus finiti ad infinitam & inaccessibilem lucem perscrutandam erigimus, tanto magis per inmensam ejus reverberationem excæcantur. Nam ut dicit etiam Philosophus in libro Physicorum: Finiti ad infinitum nulla est proportio. Per istud factum abominabile Imperator Ludwicus per Papam promotum, & per inpugnationem paupertatis Christi Papæ maxime insultavit, satagens per hæc ipsum hæreticum convincendum fore, & ipsum propter hoc, justitia exigente, deponendum, & per consequens suas indebitas sententias deberi irritas censendas.

Sciendum quoque est, quod per eundem Papam multus sangvis effusus est, & multa homicidia perpetrata sunt in Longobardia, quæ ante multos annos a tempore, de quo non exstat memoria, contra se divisa est. Quædam enim usque in hodiernam diem civitates adhærent Inperatori; quædam vero Papæ; quas Papa Johannes concitavit una cum stipendiariis ab eo conductis contra partem Inperatoris. Et sic multa prælia, ipso præsidente Ecclesiæ, inter partem Lonbardiæ zelantem pro eo, & partem foventem Inperatorem commissa sunt. Frequenter autem Papæ in magno pars numero usque ad internecionem percussa est. Raro enim, sive pugnaverit cum alia bello canpestri vel navali prosperata est, sed fere semper succubuit, & contrita est per occisionem vel submersionem. Propter quod medullitus a Deo non raro perturbatus fuit, quod in amenciam seu furiam rapi multociens videretur. Si autem quandoque suos triumphare in bello contingebat, tantum exhyleratus fuit, quod metas humanæ exsultationis transcendens, extra se per mentis excessum & alienacionem tractus & raptus est, in tantum, quod se minime continere posset, tanto etiam desiderio optabat sinistros successus Inperatori evenire, quod si quis mendaciter vel veraciter talia sibi narrabat, mox sibi eum propicium & benignum invenit, & sibi gratiam suam inpendit, ut fertur ab hiis, qui præsentes fuerunt.

Ut autem crudelitas Johannis Papæ, quantum ad inmediate prædicta evidentius pateat, notandum est, quod audivi a quodam milite robusto fide digno, qui sub eo militaverat Videlicet, quod in gverris & præliis suscitatis & perniciosissime motis a Papa Johanne contra partem Longobardiæ sibi adversam & rebellantem, & Inperatori faventem, tantus sanguis successive tempore illo toto, quo præfuit Ecclesiæ, effusus est, judicio ac æstimatione præfati militis ex utraque parte, Papæ & Inperatoris, maxime autem & frequentissime Papæ, quod Lacus Potanicus seu Podmensis, qui in latitudine alicubi ad duo miliaria se extendit, & in longitudinem ad sex vel ad septem, totus sangvineus procul dubio appareret, si illum sanguinem recepisset. Præterea adjecit, quod idem lacus de portu ad portum vix continere posset cadavera occisorum. Nihilominus addidit, quod aliquando in uno conflictu ceciderunt centum milia hominum. Cujus hominis pectus nisi saxeum sit, non obstupescit? Cujus aures non refugiunt audire horrorem tam crudelis cædis permotæ a Christi vicario, sedente in sede sancti Petri, qui potius pacem procurare Ecclesiæ sollicite debuisset, cum ejus vicem in terris gesserit, qui propter pacem faciendam venit in mundum.

Hic etiam Papa quadam vice per modum disputationis astruere nisus est, quod ab initio mundi nulla anima cœlos ascenderit, excepta sola anima Christi usque in hodiernum diem; sed tantum, ut percepi relatione multorum hominum post diem judicii animas justorum evolaturas in cælica regna affirmabat, & sic Ecclesia penitus exorbitaret. Nam Natalicia Sanctorum vel festivitates colimus, quando animæ ipsorum, quemadmodum Scriptura refert, in æternæ claritatis abyssum absorptæ sunt. Sed quia error pessimus est hoc dicere procul abjiciatur: nam anima Mariæ Matris Christi, Petri & Pauli Apostolorum ejus adhuc miseræ essent & non beatæ, Viatores quasi & non conprehensores, cum divina essentia taliter ut ego sentio nullatenus fruerentur. Hæc opinio seu positio venenosa a Papa quasi a Regulo fota & effusa per multos Clericos & Laycos, nobiles & ignobiles in curia pro suis negociis agitandis commorantes

morantes in reditu suo ad Provincias suas vel patrias, quasi per diversos rivulos ad diversa Ecclesiæ climata derivata est hæc assertio falsa, & a veritatis tramite penitus aliena, infirmitas contagiosa existit, quæ multa corda fidelium simpliciter credentium in locis, quibus divulgata est, graviter infecit.

Hujus tempore Papæ Dominus de Klingenberg residens in Castro dicto Twiel a civibus de Rotwil, quibus longo tempore ob respectum favoris Ducis Lupoldi molestus extiterat; In canpo, ubi congressi fuerant, occisus est. Hic erat vir animosus, bellicosus & totus virtuosus, & ideo mors ejus inmatura in tota illa contrata seu confinio lamentabilis & querulosa satis fuit. Ejus ergo memoria in benedictione sit felici in seculum seculi.

Hujus etiam tempore circa annos Domini MCCCXXXIII. Luceriæ particulare diluvium per resolutionem nubis aquosæ repente & ex insperato factum est circiter Festum sancti Johannis Babtistæ hora vespertina, quod contra minorem partem oppidi Lucernensis se in tanta inundancia & inpetu totam vallem occupando degriens fluebat, quod hominibus habitantibus in oppido memorato non inmerito incutere poterat horrorem nimium & pavorem: nam excidium & destructionem suo cursu vehementissimo sibi minabatur & insolitum exterminium. Nam terram abduxit, & arenam solam reliquit post se, quam super ortos & olera sparsit, & sic texit, quod nichil aliud apparebat. Fossata & vicos oppidi aqua & arena replevit, tuguria quoque & horrea secum tulit, & homines dormientes repertos in ipsorum feno ipsis ignorantibus prope villam Lucernensem devexit, & lapidem grandem trans altam Zepem jecit, incudem unius fabri de loco suo radicitus evulsam ad fossatum villæ Lucernensis deportavit, lectisternia & varia utensilia hominum secum inportunissime detraxit, & in fluvium dictum Rys fluentem per oppidum Lucernense projecit.

Papa Johannes, ut fama publica de ipso volavit, homo brevis staturæ fuit, macilentus & deformis valde, sed garrulus totus & velocissimæ lingvæ, maxime parsimoniæ, in Katurko natus de humili progenie, qui tandem Regis Roperti pædagogus effectus, mediante intercessione sanctæ consortis Regis Appuliæ prænominati, in Episcopum Avionensem, tandem in Cardinalem, extremo in summum Pontificem sublimatus est. Dissimilis notabiliter suo prædecessori fuerat Clementi V. qui de Vasconia oriundus de nobili prosapia, totus personatus, fortis & decorus erat.

Hic Papa Johannes inter bona opera, quæ fecit, septem horas passionis Christi ritmico dictamine descripsit, differentias passionum, quas Dominus noster Jesus singulis horis pertulit, declarando, & in fine per modum orationis conclusit, orantibusque & perlegentibus ipsas sic ab eo conpositas cottidie multas indulgentias elargitur. Item sanctum Ludwicum hæredem Regni Siciliæ & Appuliæ, sed pro Dei amore relinquentem & ad Fratrum Minorum ordinem convolantem canonizavit & Sanctorum Kathalogo ascripsit. Quod & postea fecit Fratri Thomæ Doctori eximio de ordine Fratrum Prædicatorum. Fertur etiam, quod in fine vitæ suæ errores suos correxerit: qui multi præter a me supra tactos extiterunt. Hic postquam sedit circiter annos XIX. diem clausit extremum.

Hujus etiam Papæ tempore civibus in Philingen mala sæva & atrocia evenerunt, videlicet, quod a Dominis suis Comitibus pociores ex eis in oppidum vocatum Haslach, ubi domicilium tunc habebant, accersiti fuerunt. Qui dum detractis armis laute cum ipsis cibo potuque refecti fuissent, mox detenti sunt & turri mancipati, quousque pecuniam inmensam & inportabilem, quam indebite ac irracionabiliter ab eis exegerant, exsolverent: quam, quia nimia erat invenire manus eorum non potuissent. Duces Austriæ ipsorum calamitati & miseriæ condolentes & suæ utilitati providentes, unam partem, puto mediam, expediverunt, & sic eos redemerunt, & libertati restituerunt, sibi ac suis hæredibus eos in perpetuum vendicantes. Insuper propter prælium inter eos & Comitem de Vurstenberg suscitatum terra tota circumposita, per incendia & rapinas depopulata est. Nam mutuo plurima mala multis diebus sibi intulerunt. Cum autem diu se alterutrum damnificassent & ferociter afflixissent, tandem pacis tranquillitas inter eos amicabili conpositione reformata est. Per hæc mala Philingenses per plura annorum curricula in rebus inæstimabiliter attenuati fuerunt, sed demum ad pingviorem fortunam, Domino adjuvante deducti sunt, paulatim res amissas recuperando.

Post hæc quidam solo nomine Christicola, re autem hæreticus pessimus, imo Judæ mercatoris malignissimi verissimus imitator, corpus Dominicum ab eo de Ecclesia sancti Pauli civitatis Constanciensis sublatum Judæis illic vendidit, ut ludibrio, quo vellent, haberent: quod dum sub multis hostiis junctum pastæ in frixorio confixum esset, & adhuc continue in eo aducetur contemptibiliter, & ancilla Judæorum Christiana ei appropinquaret mox in eam saliens suo brachio adhæsit, quod videns quidam ex Judæis astantibus illico abstraxit, & in locum pristinum rejecit. Ancilla vero rem tacita animadvertens & in vicum & plateas domum exiens, inportunis vocibus lamentabiliter valenterque acclamavit dicens: Corpus Christi horribiliter a Judæis torquetur. Eadem hora Plebanus Ecclesiæ sancti Pauli, cui hostiæ consecratæ ablatæ & furatæ fuerant, horribilius succlamabat, dicens: Heu mihi, quia plures oblatæ corporis Christi consecratæ de Altari sublatæ sunt. Quod audientes cives Constancienses turmatim concurrerunt, & ulcisci Dei sui injuriam & contumeliam illatam a Judæis conantes, plures Judæos in insania & furore magno deprehendentes in scelere necaverunt, ipsos tanquam boves securibus mactantes. Quorum XII. extra civitatem ducti, & in acervum collecti,

collecti, igne consumpti sunt, sed sex alii in Renum præcipitati sunt submersi, & alias novem trucidati sunt. Reliqui vero Judæi per potentiores cives civitatis protecti & salvati fuerunt, qui octava die, quod est miserabile dictu, per exhortacionem Ducum Austriæ civibus de eis factam in civitate eadem tornamento acto post excessum prædictum Katholicos viros de locis eminentibus tornamentum prospicientes ab ipsis desideratis repulerunt, & sibi ipsis usurpaverunt. Duces enim prænominati patroni Judæorum frequenter, ut fertur, propter pecuniam extiterunt, & ideo secundum hominum opinionem diminuti sunt, quod Dominicæ incarnationis MCCCXXII. inceperunt Judæos in oppido dicto Engen occisores, imo carnifices & spiculatores unius pueri Burgensis, sicut protestatum fuerat, defensando, & ideo eis deinceps male successit. Ante tempus enim mortui sunt & alias minime prosperati.

Item paulo ante jam recitata, sicut relatione fide digna apud me & alios personuit, quædam mulier in oppido Sveviæ dicto Ehingen apud Danubium fluvium sito, proh! vocabulo seu nomine Katholica, re autem infideli deterior, quadam vice corpus Christi de Altari surripuit, & in quodam loco contemptibili occulte & tectum posuit, ut sic per hoc secundum opinionem suam supersticiosam ac hæreticam incantationis cujusdam maleficium perpetraret. Cum autem aliquot diebus corpus Dominicum in illo despecto loco pedibus transeuntium ac conculcantium expositum delituisset, & medio tempore una dierum Plebanus Ecclesiæ, cujus sacramentum Eukaristiæ per mulierem memoratam ablatum fuerat, hostias consecratas Dominici corporis non inveniret, sed cum bursa, in qua reservatum erat, subtractum & furatum cerneret, supra modum consternatus, ejus furtum & absentiam cum lacrimis & querulosis clamoribus civibus propalavit: qui furibundi nimis effecti, zelo divino accensi in Judæos illius loci, quos suspectos in scelere commisso habebant, cum inpetu tumultuantes ferocissime irruerunt, ipsos occidendo, qui XVIII. fuisse feruntur. Tandem vero conperto, quod Domina prædicta auctrix flagitii extitisset, prodita per alias mulieres Christicolas, quæ viderant ante necem Judæorum eam bursam, in qua reconditum erat Christi corpus, Judæis afferre ac vendere eis voluisse, certissime quasi per hoc ipsam criminis ream notantes, ipsam ceperunt & ad pœnam & ad supplicium mortis traxerunt. Quæ publice coram populo se criminis ream confessa fuit, & ideo igni tradita, consumpta est: Et sic Judæi inmunes & alieni a præfato reatu, quamvis existerent, deleti sunt.

De Inperatore Ludwico factum indecens consequenter adjiciam, quod suæ dignitati excellenti minime congruebat. Tempore namque, quo adhuc Johannes Papa supererat, breviter suam mortem præeunte, Comes Rudolfus de Hohenberg ex letali ac hostili inimicitia, qua agitabatur contra Episcopum Constanciensem, eo quod Episcopatum eundem tam per Papam, quam per electionem legitimam Canonicorum ejusdem Ecclesiæ adeptus fuit, suo filio abjecto Domino Alberto, Jurisperito egregio, Canonico Ecclesiæ præfatæ non propter demerita propria, sed propter tyrannidem Patris, quæ vehementer timebatur, & verisimiliter suspicabatur, Ecclesiæ sæpe dictæ inminere, si filius in electione prævaluisset, affectans Episcopatum, in contumeliam & contemptum tam Dyocesani, quam Canonicorum vastare quoddam oppidum Episcopatus situm in portu lacus Botanici, vocatum Merspurg, obsedit, & illuc in auxilium sui Inperatorem Ludwicum venire poposcit; qui tanquam stipendiarius una cum civitatibus Regni circunpositis, tamen minus voluntariis advenit: Qui cum exercitu suo & civitatum, & Comes cum virtute sui exercitus vallantes & oppugnantes oppidum per multos dies, nichil profecerunt, quamvis multis septimanis operam vigilem darent, ut ipsum caperent. Ratio autem suberat ista, quia civitati civitates pepercerunt nolentes eam offendere, quia vicina eis erat, & insuper innocens; & maxime, quia in castello fuerant bellatores indefessi & exercitati in præliis, qui machinis & balistis strenuissime oppidum tuebantur, & interdum egrediebantur, & quos inveniebant portis & muris nimis approximatos occidebant, & fugam ineuntes insequendo ipsos in ore gladii perdiderant. In lacu quoque rapacissimi & crudelissimi Piratæ facti sunt, naves hostium victum de blado vel bacho afferentes ferocissime abducentes. Ipsi vero de Constancia naves refertas alimonia cottidie per lacum venientes recipiebant, quas per conductum suum viriliter custodientes ad Castellum deduxerunt. Cum ergo obsidentes in cassum laborarent, Castellum oppugnando, relicto eo tandem ad propria redierunt. Nam Dux Albertus revertendo in Austriam de terra Sveviæ obsidionem pertransiens Inperatorem abstraxit, & per consequens cæteros ad recedendum incitavit. Itaque oppidum illæsum permansit, quanquam Comes prædictus in principio obsidionis, ore procaci & præsumptuoso locutus fuisset, dicens: Ego non desistam, quousque Mariam, id est, Episcopatum denudabo: Maria enim ibidem patrona est. Qui postea modico temporis intervallo interjecto in Austria mortuus est. Maria Domina nostra, ut verbis suis utar, vestita & salva permanente. Eorum autem, qui de oppido contra hostes fortiter egerunt, nominatissimus fuit Comes unus de Toggenburg tunc temporis Canonicus Ecclesiæ Constantiensis existens. Post eum vero quidam a cunabulis in artibus bellicis enutritus, dictus Jasso, viriliter & fortiter egit: nam navibus citissimis, nautis & remigantibus bene procuratis, sagitariis quoque & aliis viris armatis repletis naves hostium insequebatur, & ipsas deprehensas deprædabatur: reperiens autem in eis aliquos adversariorum, iis oculus suus non pepercit: more enim Leonis in eos sæviebat, & ut conparative lo-

 quar

quar de ipso, in lacu prænominato similis factus est piscatori quærenti pisces & retia tendenti: nam quos in lacu vel portu reperisset, mortis sagenæ inclusisset.

In hiis etiam temporibus quoddam Castrum in Alsatia dictum Swannow apud Renum situm, firmissimum erat, quod ab antiquo extiterat, domus spolii firmum erat, quantum ad hoc, quia muris & fossatis bene obvallatum seu munitum fuit, quibus continue Rhenus influebat, & ipsa usque ad summum replebat: Insuper caries & palludes profunde ipsum undique cingebant & accessum hostium prohibebant. Eratque domus spolii, & quod gravius est, latrocinii, quod jugiter in eo committebatur: Nam mercatoribus & aliis Renum descendentibus insidiebantur, & cum ipsis appropinquabant, de absconditis erumpebant & ripamRheni adeuntes balistis sui extensis & telis desuper positis, eos applicare conpulerunt, quos turri oppacissime injecerunt. A quibus, cum fame & carceris squalore & aliis variis tormentis, minis, terroribus, concussionibus res abstulissent, vitam quoque ademerunt. Quod toti terræ patuit, & ideo cunctis transeuntibus tremorem intulit. Quod licet luce clarius civitatibus & Dominis & Potestatibus circumpositis constaret, tamen dissimulabant, non audentes tam arduum, periculosum & difficile factum aggredi. Tandem autem, cum contingeret multas civitates Regni Germaniæ esse confœderatas prædictum Castrum accumulacius malitiam suam tunc exercens & replicans inperterrite vias suas malas unanimiter in manu forti & brachio excelso, dimissis cunctis negociis in æstate obsederunt multis diebus, quia inhabitatores Castri fortiter egerunt, resistendo machinis & balistis, lapidibus quoque, & aliis modis, quibus poterant: Civitates vero infatigabiliter viribus & artibus Castrum oppugnabant præter auxilium sibi cœlitus præstitum: Nam quanto tempore ibi manserunt, continue aura serenissima fuit. Et non solum communis serenitas fuit, imo uredo ex solis ardoribus & adustionibus diuturnis causata, aquam in fossatis, humositates in carie penitus exhauserat & exsiccavit, quod poterant arietibus murum infringere & quovis alio modo Castrum occupare & urgere, unde in Castro dicebant: Deus pugnat pro eis. Nam ut communiter homines agebant, si aura pluviosa extitisset, nunquam forte Castrum cepissent. Audivi a multis qui videbant, quod singulæ civitates habebant ibi castra sua ab aliis separata & sua vexilla ab aliis distincta; quod pulcrum & delectabilem videntibus præbebat aspectum. Præterea intellexi, quod cum machinis suis maximi ponderis lapides ad Castrum continue projecerunt, quibus murorum compagines laxabantur & eorum integritas rumpebatur: Insuper, quod est mirabile dictu & a retro actis annis raro vel nunquam auditum sollerter & callide factum cum machinis sordidum & fœtidum excogitarunt. Scilicet, quod stercora humana de locis vicinis in magna quantitate in carrucis & curribus afferri jubebant & illa per machinas in castrum certatim jecerunt, per quod tam intolerabilis fœtor in Castro ebullire cœpit, quod ferre ipsum non valentes & suffocari pertimescentes desperabant. Nihil enim eis tantam molestiam intulit. Quamobrem nimium consternati per hoc, & vehementer afflicti, extraneis cedere & castrum resignare post longam rebellionem conpulsi sunt. Captum itaque est Castrum, & inventi in eo latrones & raptores, & eorum conplices & fautores castrum defensantes, exceptis paucis ortis ex nobili prosapia, quibus propter hoc delatum est, fere sexaginta capitibus ablatis extincti sunt. Magister vero machinæ ipsorum, tanquam lapis machinæ inpositus est, & in altum projectus & in terram præcipitatus crepuit; & effusa sunt viscera ejus. Et ita in eo verificatum est verbum sapientis, dicentis: In quo quis deliquit, in hoc & punietur. De ipso fertur, quod prius mortis debitum persolverat, quam in terram collapsus fuerit. Castrum vero demolitum est & in pulverem redactum, & ne reædificetur amplius, per prohibitionem districtam præventum est, & sic sanguis innoxius in eis ultus est, & via transeuntibus, ante discriminosa, secura reddita est.

Item circiter ista tempora ortum est bellum inter Comitem de Kiburg & cives Bernenses. Qui dum congredi in quodam canpo vellent, Cives Bernenses una cum civibus de Solodoro, qui eis vinculo juramenti & fœderis specialis tunc temporis connexi erant, steterunt conglobati in modum globi vel coronæ prætendentes lanceas suas. Quod dum videret adversa pars, perplexa nimis facta est, quomodo eos invaderet, vel quid faciendum esset; tandem quidam nobilis dictus STUELINGER de Regensperg oriundus, vir utique robustus & animosus, & virtute, ut fertur, pietatis & hospitalitatis multum præditus, de se nimis præsumens, volensque Domino Comiti per hoc conplacere, & per consequens Ducibus Austriæ, quibus ratione bonorum suorum subjectus erat, quibus quoque militavit, de medio ipsorum prosilivit in equo suo forti & veloci, & contra eos in inpetu spiritus progrediens cuspite prætenso cupiens & sperans eos conpressos & copulatos in unum, tali modo ab invicem separare, ut suis per hoc iter ad eos prosternendos panderet, ipsos invasit, quem flebilissime ejulantem & ululantem dirissimis ictibus multarum lancearum usque ad mortem transfoderunt: Quod sui cernentes quasi elephanti viso cruore ipsius provocati, omnis timoris obliti, cum furore gravi in eos irruerunt, & ipsos disjunxerunt. Quo facto prævaluerunt in tantum, quod ex Bernensibus CC. & ex Solodorensibus totidem ceciderunt. Quos, postquam plancti erant dolore acerbissimo, ulcisci volentes, bellum instaurabant. Quod videns Comes prædictus Reginæ Ungariæ sorori quondam Ducum Austriæ tunc tempore in campo Regis apud oppidum Brugg commoranti querulosis vocibus exposuit & auxilium oportunum in tempore tribulationis contra eos flagitans,

tans, exauditus pro sua reverentia est. Nam ei in adjutorium, ut fertur, LX. galeatos viros destinavit, quibus eos conpescuit, & graviter per multos dies castigavit homicidia, incendia, direptiones rerum eis irrogando. Cum igitur ipsos sedasset, Reginæ viros cum gratiarum actione remisit: Nam ipsa eis sumptus præstitit, quamdiu ei necessarii fuerunt.

Præterea isto fere tempore prælium suscitatum est inter Comites de Muntfort & Dominum de Vazz residentem in terra dicta Curwalten: Cui cum montani dicti de Swiz sibi vicini ob petitionem suam in auxilium sui, mille & quingentos viros transmisissent, & eos exercitus Comitum vidisset, cujus Dux & Capitaneus Dominus de Runzuns fuerat, more beluæ ferissimæ, directo tramite, laxatis frenis, in eos cum insania & vohementia grandi irruerunt, & plures ex eis, forte ducentos usque ad internetionem percusserunt. Reliqui vero rejectis armis, ut expediciores essent ad fugiendum inermes, ad cavernas montium fugierunt. Multi quoque ex eis per montes nivibus repletos remeare ad propria volentes, in nivibus perierunt.

Dominus de Vazz jam memoratus tantam sævitiam & tyrannidem, quamvis Jurisperitus seu Canonista foret, in hostes suos exercuit, quod ipsos captos in multo numero quandoq; laute refecit cibo potuque, carceri postea in continenti nunquam ultra panem comesturos, mancipandos. Fama communis de ipso volans protestatur ipsum tantæ duritiæ extitisse ac obstinatæ malitiæ, quod, quandocunque suos captivos seu turri inclusos audivit lamentabiliter præ nimia fame ac carceris squalore & horrore ejulare & clamare, exultavit non modicum, dicens: Istæ sunt aviculæ meæ dulciter in meis auribus personantes. Iste cum diu Episcopatum Curiensem vexasset & bona ipsius plurima sibi usurpasset, & tandem in lectum infirmitatis ad mortem decidisset, & anmonitus fuisset, quod animæ suæ salutem, confitendo peccata sua, procurasset more fidelium de hoc mundo transmigrantium, respondit in malitia sua nimis induratus: Ego confessionem, licet ipsam faciendam fore optime noscam, non faciam, quia salubris mihi nequaquam esse poterit, sed frustratoria, cum eam absque contritione penitus agerem. Et sic heu absque pœnitencia & omni satisfactione & emenda, quod est miserabile & horribile dictu ab hoc seculo decessit. Et sic verificatum fuit in eo verbum Augustini, dicentis: Hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, quo dum viveret, oblitus est Dei. Reliquit autem suo hæredi seu successori Comiti Friderico de Toggenburg, cujus supra mentionem habui, cui tunc noviter suam filiam desponsaverat, in testamento, ut ita dicam, quod litem suam inchoaret sive initiaret, nisi ipse per mortis inpedimentum, interveniens destitisset, & hoc cum jurejurando ab eo, ut fertur, exegit, qui tamen ut vir bonus & justus sibi in hoc juxta consilium Isidori, dicentis: In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum; minime obtemperans executioni non dedit, sed, quia pacis cultor & præcipuus amator est, pacis tranquillitatem pro viribus amplectitur & sectatur.

Circiter etiam ista tempora, prout celebris fama attestabatur, a quibusdam Magistris Astrologis in partibus longinquis constitutis prædictum & præsagitum erat, & ad terram Alamaniæ scriptum, quod die & horis ab eis determinate prænunciatis ventum tam validum super faciem terræ venturum contingeret, quod flatu suo vehementissimo & inæstimabiliter impetuoso hominum capita tolleret, radicitus de locis suis in ictu oculi evulsa abiceret. Qui dum cum magno tremore & stupore exspectaretur, minime evenit, & sic hominum metus in ridiculum est conversus, juxta illud in Poëtria: Parturiunt montes, & cætera: Et tandem exivit mus filius ejus.

Circiter annos Domini MCCCXXVIII. Johanne Papa Ecclesiæ Præsidente anno, quo Inperator Ludwicus secundo in Ytalia demorabatur, pestilentia ingens in Germania orta tam excessive sæviebat in populo tempore quadragesimali, quod quandoque una die in civitate Basiliensi, ubi tunc præsens eram, L. funera reperta fuerant tumulanda. In Wintertur autem, unde nativitatis originem traxi, & in multis aliis locis Clerus non suffecit populo in exhibitione seu ministratione Sacramentorum Ecclesiasticorum. Nam multi tam repentina morte decesserunt, quod a Presbiteris ad hoc magno conatu paratis, confessionis, absolutionis, Eukaristiæ, extremæ unctionis remedium assequi non valebant, imo quod gravius erat, sacerdotes volentes subditis satisfacere in amministratione sacramentorum, morte subitanea & inprovisa de medio sublati sunt. Hæc mortalitas tam perniciose & valenter in civitate Moguntina inhorruerat & excrevit, quod CC. vel forte CCC. homines una die absumerentur, quemadmodum fide digna intellexi relatione. Qua propter nec inmerito cives illic superstites una cum Clero ac plebe universa ad sanctum Albanum extra muros processionem fieri statuerunt civitatis, quæ utique cum magna devotione facta est, in qua pro sanitate corporum carminibus funebribus variisque lamentationibus precibusque supplicissimis ac humilimis suspiriis & singultibus profundissimis tantum altissimum exorabant, quod exaudiri inmediate meruerunt: Nam crastina die venit eis salus, peste inmanissima penitus effugata.

Item isto fere tempore quidam Burgensis civitatis Coloniæ Agrippinæ audiens & advertens uxorem suam conventicula hæreticorum ibidem existentium frequentare sibi ignota, quadam die ipsum simulantem se iturum ad Ecclesiam, a longe clandestino gressu greditur, & ad locum subterraneum, ubi hæretici fuerant congregati, pervenit. Ubi dum post multas superstitiones, vanitates & erroneas hæreticasque pravitates perciperet, ut quilibet sibi viciniorem caperet mulierem & sibi commiscere-

tur, uxorem suam arrepit & ipsam cognovit, ea ignorante, quod maritus ejus esset: habitum enim suum inmutaverat: Insuper tenebræ ibi erant. In coitu autem maritus uxori anulum de digito abstraxit & secum domum deportavit. Cum autem consors sua memorata domum rediisset, prædictum facinus in faciem sibi objecit: Quæ dum firmiter & constanter negaret, anulum in medium pro intersigno projiciens ipsam graviter percussit: Nec in hoc contentus, verum etiam Consules civitatis adiit, prædictos hæreticos accusando. Qui abhorrentes scelera eorum, quibusdam aufugientibus, ipsos deprehenderunt & igni conbusserunt, qui circiter quinquaginta extiterunt.

Paulo ante ista tempora quidam Dominus de Regensperg in scriptura divina simul & humana præcellenter imbutus in turri Castri sui dicti Balb frequenter studio vacavit; quam tunc temporis quoddam Dæmonium incolebat, quod toti familiæ Castri tantum timorem incussit, quod nullo modo turrim ingredi præsumebat; soli autem Domino non verenti Dæmonem, sed in turri inperterrite studio vigilem operam danti Dæmon diu noctuque in habitu seculari apparuit, & juxta eum sedens de studii modo & qualitate inquisivit, multa quoque confabulatione cum Domino usus fuit. Qui tamen nullam læsionem sibi vel molestiam intulit, sed pacifice multo tempore secum conversatus fuit, & ipsum in multis informasset, si tantummodo postulasset.

Anno Domini MCCCXXXI. scelus inmane in Uberlingen a Judæis perpetratum est. Quidam enim puer a Parentibus suis illic amissus cum maximo dolore per aliquot dies cuidam fonti injectus, tandem repertus est. Qui allatus ad civitatem, a Parentibus agnitus est; notantes autem eum certis conjecturis & evidentibus argumentis, scilicet in incisionibus viscerum & venarum a Judæis necatum, nimis commoti super puero suo valenter clamare per civitatis vicos cæperunt, irritare cupientes Burgenses in ultionem filii, qui similiter rei veritatem in cicatricum renovacione, cum ante domos Judæorum portaretur, perpendentes, inconsulto Inperatore Ludwico, & advocati, qui judicio tendente ad indulgentiam Judæorum propter pecuniam spreto, quia ad parcendum eis non ad puniendum eos erat pronus, tumultu populi illico jam facto fremuerunt, adversus Judæos meditantes, qualiter eos oportune perderent, civitate illæsa permanente, videntes enim tot & tantis signis & indiciis ipsos fore reos, se refrænare non valebant ab eorum digna nece; Ut autem omnes pœna mortis una conprehenderet & nullus effugeret, eis tacite persvadebant per modum salubris consilii, ut ad domum quandam excelsam lapideam convenirent, quod dum fecissent, in partibus superioribus domus firmiter detenti & conclusi sunt, & infra in pavimento domus rogus copiosus accensus est, qui gradatim ardoris incrementa suscipiens & miro modo invalescens eos ad altiora domus confugere coëgit, & aliquot viros tectum conscendere: tandem ignis succrescens, & totam domum in flammam convertens omnes quidem quandam Melodyam personantes consumpsit & penitus incineravit. Quidam vero super tecto stantes, sentientes sibi mortem appropinquare, cultros suos exertos, gladios, trabes, lapides, spicula, & quicquid manus eorum invenire poterant, ad turbam populi quodammodo infinitam circa domum exitium eorum conspicientem projecerunt, & quod est mirabile dictu, neminem lædere potuerunt. Præterea aliqui sentientes molestiam ignis per fenestras & de tecto in turbam fidelium se præcipites dederunt, qui securibus mutilati & truncati repente sunt, & gladiis lanceisque transfossi: quidam usque ad excussionem cerebri percussi sunt; Quidam etiam latitans in privata, a quodam viro fideli casualiter repertus, tanquam bos ad macellum ductus, securi sectus est ad mortem. Judæi, qui ibi per ignem incinerati sunt vel perempti alias, & in ignem retrusi, ut fertur, plures quam CCC. fuerunt. Signa plura præter prædicta innocentiæ pueri & malitiæ Judæorum apparuerunt ibidem: Nam cum domus esset in medio ignis, multis domibus circunpositis contiguis illæsis & illibatis permanentibus a flamma, sola ipsa forma piramidali consumpta est. Item fertur, quod dum flagitium istud servo Judæorum Katholico nomine, non re, palam a pluribus inponeretur, vigil nam & custos cimiterii ipsorum erat, respondit: Si reus sum sanguinis hujus pueri, sicut mihi objicitis, satanas hac nocte suffocet me. Quod & factum ad litteram fuit, quia eadem nocte a Dæmone strangulatus extitit. A Judæis enim appreciatus fuit, ut puerum interfectum ab eis occultaret, propter quod ipsum in fontem prænominatum ante minus frequentatum deportando posuit, os fontis desuper luto & arena obducens. Item puer multis post mortem miraculis coruscavit: nam multi ægroti devoventes eum, & se aqua fontis abluentes, salutis beneficium perceperunt. Attamen, quia cives in Uberlingen in hoc facto non requisierant Inperatorem Ludwicum, ab eo puniti sunt: Nam eos taliavit, & murum civitatis in longitudine multorum cubitorum dirumpi præcepit. Historia supra dicta de Merspurg & de Swannow istam non præcesserunt; sed inbecillitate tamen meæ memoriæ causante, & alias id materiæ commoditate exigente hanc hystoriam ordine præpostero enarravi.

Circiter annos Domini MCCCXXXIIII. multi homines, ut fama celebris testabatur, in civitate Nuerenberg propter quandam suspicionem vel opinionem hæreticam orthodoxæ fidei valde contrariam & inimicam ab eis frivole diuque in malum corporum & animarum suarum servatam, ignis incendio deleti sunt.

In iis etiam temporibus quidam Katholici, viri potentes, dum sepulcrum Christi in Jerosolymis visitassent, vel visitare proposuissent, & a Soldano limitati, vel aliqualiter turbati fuissent, sibi minabantur, quod quam cito opportunitas se offerret, terram suam ad devastandum

dum

dum eam in virtute & populi multitudine magna intrare vellent: Nam via & accessus ad eam eis nota esset, quæ ei per nuncios significabantur. Quod audiens Soldanus terram suam munivit, & iter aggrediendi ipsam obstruxit, respondítque: Non alias nunc terram meam capient & occupabunt, nisi per Regnum Regis Armeniæ etiam Christicolæ, quapropter ipsum depopulabor & desertum faciam. Missis igitur exercitibus suis, voto suo satisfaciens, Armeniam in magna parte destruxit; Non enim loca firma castrorum & civitatum, quæ illic abundanti numero sunt, lædere seu diripere valebat, sed tantum infirma loca, oppida, & castella, & in planicie sita. Exercitus enim sui, quia Barbari barbarico modo processerunt, Ecclesias diruentes, altaria subvertentes, corpus Christi, & alia sacra & sacramenta prophanantes, mulieres amabiles & concupiscibiles stuprantes & temerantes, Clericos & alios sibi non obtemperantes in aris trucidantes, agros, vineta & hortos, prata cum pascuis & quæque terræ nascentia grassantes, ut sic Armeniam desolatam redderent. Sed quidam ajunt, huic desolationi Regem Franciæ occasionem dedisse. Nam Soldano etiam tunc temporis per interpositas personas approbatæ Religionis transfretare volentes ad partes infidelium, ad evangelizandum eis Christum, hæc expresse se in proximo facturum demandavit. Qui territus loca infirmiora terræ suæ firmavit, & iter veniendi ad eam obturavit; Armeniam quoque per incendia & spolia graviter dissipavit, & insuper eam sibi, secundum quorundam relationem, tributariam fecit. In hiis omnibus sicut fortes adlethæ Armeni stabiles & inmobiles in fide Katholica perstiterunt. Unde proprie dicere possent, imo verissime verbum Prophetæ dicentis: Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Et iterum: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.

Circiter annos Domini MCCCXXXIII. Rodanus fluvius excrescendo & excendendo alveos suos, effluxit in tantum, quod multa loca Galliæ sive villas, sive oppida dissipavit, & in parte, vel in toto funditus evertit, ita quod hominibus gravem & intollerabilem jacturam inferebat: Rapido enim & præcipiti cursu ex insperato, more torrentis, superveniens cuncta occurrentia vastavit.

Item circa hoc tempus vites in aliquibus partibus Alamaniæ sicut in Kussaberg & Tuengen & aliis locis finitimis tam uberem fructum protulerunt, quod vasorum copia haberi non poterat, quæ vina exuberantia caperent & continere possent, nec Emptores inveniebantur. Et sic vinearum cultores depauperati sunt. Tunc temporis somata vini vix pretii XVIII. denariorum Constanciensis monetæ fuit.

Circiter annos Domini MCCCXXVII. Episcopus Rudolfus Constantiensis de Muntfort oriundus totum Clerum suum in Constantia ad Synodum Episcopalem celebrandam convocatum visitari & pro suo excessu corrigi præcepit, &, ut se alterutrum studiose & districte accusarent, Clerici in suis delictis emendandis, statutum rigidum dedit; Qui obtemperantes jussioni suæ coram Examinatoribus & visitatoribus ad hoc electis & institutis satis acriter, ut aliqui mihi ex eis pandebant, hoc fecerunt, qui ipsis quemadmodum edocti & informati extiterant tantum pœnas seu pœnitentias pecuniarias inflixerunt, & sic maximam pecuniam Dyocesano collegerunt. Aliquis enim in X. libris, alter in XX. tercius in XXX. secundum magnitudinem & enormitatem excessuum condemnatus est. Redierunt ergo turbati tam propter exactionem & excoriationem eis irrogatam, quam propter visitationis severitatem. Dyocesanus vero locupletatus est nimis.

Anno Domini MCCCXXXVII. ut ejus relatione didici, qui personaliter interfuit; Cum Turcorum tria milia Regnum Regis seu Inperatoris Græcorum invadere disposuissent, & jam ingressui ejus appropinquassent, Rex anmonitus Græcorum, festinanter prout quibat populum congregavit, & contra eos per navigium procedens, gradum figere coëgit, eis stuporem & terrorem inferendo. Marschalchus insuper suus cum mille peditibus in montem modicum se contra hostes etiam locavit. Quadraginta autem stipendiarii Regis Græciæ de Alemania oriundi, quorum quinque tantum Svevi erant, tardius expediti cæteris suorum Dominorum, & vestigia sequi nescientes; nam oculos suos effugerant & per medium eorum incedentes, castris inimicorum se obtulerunt; Quos recognoscentes esse Turcos hostes Regis zelo fidei accensi & de divina virtute præsumentes, in hostes soli confidenter & viriliter inpetum fecerunt, & Dei adjutorio mediante contra eos tantum debacchati sunt, quod de ipsis mille & quingentos viros occiderunt; reliquos vero ceperunt, inter quos unum Dominum captivaverunt, qui tria oppida Inperatori Græcorum ante abstraxerat violenter, & suæ dicioni subegit; quem cum aliis deprædati sunt, & civitates vel oppida Regi adempta, recuperaverunt. Multi eciam de Turcis post ipsorum captivitatem ab Alemannis trucidati sunt, non solum, ut pecuniam ab eis per tormentum mortis extorquerent, verum eciam, ut eorum spurciciam ydolatriæ de medio tollerent, & de terra eliminarent. Imo multo acrius in eos sævüissent, si ab Inperatore & a Marschalco suo in auxilium eorum, qui convolaverant, audita & visa tandem ipsorum magnanimitate cohibiti non fuissent. Tamen ante adventum Inperatoris & Marschalci de locis suis ædes ab Alemannis cum triumpho mirifico fere patrata est, sed per memoratos feliciter consumata. Qui mihi istud bellum recitavit, ita se habere in rei veritate coram me & multis aliis hominibus contestatus est valenter, Svevorum supra tactorum unus erat.

Circiter etiam ista tempora, dum tam multus populus de diversis Regionibus & Nationibus Christianitatis, ad visitandum sancti Jacobi limina properavit, ut fere terram ad spacium

XX. miliarium occuparet, contigit, Regem Castellæ cum pluribus Regibus aliis occidentalibus Christicolis contra Reges aliquot Paganos ad dimicandum ac decertandum cum eis ex adverso locatos fuisse tanto tempore, quod fames horrenda nimis & aspera inter ipsos prævaluerat in tantum, quod quandocunque mutuo se ceperant se etiam alterutrum devorabant tali modo, quod corpus cum intestinis in fumum ignis suspendebant, abcisis pedibus & capitibus, & post morulam degluciebant. Congregatis igitur peregrinis sancti Jacobi, sicut dixi, in maxima multitudine, Rex Hyspaniæ in angustiis acerbissimis undique constitutus ab hostibus ydolatris, supplicissime demandavit, ut sanctum Jacobum, pro cujus nomine & reverentia se laboribus longi itineris arrepti exiliique desolationi exposuissent, devotis precibus exorarent, ut sua interventione ac efficaci intercessione apud Dominum, sibi & suis exercitibus inpetrarent victoriam de adversariis, tradendo eos in manus suas, & ab ipsis misericorditer liberando, ne nomen Domini irrisioni & blasphemiæ inimicorum crucis Christi deputaretur, dicendo: Ubi est Deus eorum, in quo habebant fiduciam: nam si secus fieret, fides periclitaretur orthodoxa, pro cujus gloria, fortitudinis, veritatisque eminentia ac munimine se cum suis rerum & corporum exponeret & inplicaret periculis, quasi cottidie rebellando contra infideles. Quod dum Fratres peregrini sancti Jacobi de diversis Provinciis Christianitatis collecti devote fecissent, quibusdam ex eis sanctus Jacobus in quadam effigie apparuit, & consolando ipsos, triunphum fidelibus Regibus prædixit, & ipsos exauditos a Deo, mediante sua interventione, certissime indicavit. Quod dum Regi Hispaniæ nunciassent, secure & intrepide infideles aggressus est, quorum magnam multitudinem in ore gladii peremerunt ipse cum suis, cæteri vero fugam inierunt. Hunc triunphum laudabilem & gloriosum a Deo habitum Reges Katholici toti terræ circunpositæ per nuncios celeres seriose demandarunt, ut incolæ ejus pro victoria tam solemni Deo & sancto Jacobo laudum præconia in hymnis & canticis exsolverent. Quæ peregrini redeuntes ad patriæ solum viderunt & audierunt per multas dietas cum maximo eorum tripudio. Hanc belli præfati historiam unus conpatriota meus civis fide dignus, qui peregrinorum unus tunc erat sancti Jacobi, mihi sub verissimo verborum testimonio explanavit.

In iis etiam temporibus dissensio est orta inter Dominos serviciales & milites simplices, ex una parte, & Dominos liberæ conditionis & magnæ excellentiæ ex altera parte in terra Turgow nominata, scilicet inter Dominos dictos de Rosenberg & de Baldeg cum suis fautoribus ex una parte, & de End & Comitem de Bregancia ex alia parte cum suis fautoribus. Cum hujus gverræ discordia aliquanto tempore perdurasset, contigit, Dominum Comitem de Bregancia in contemptum adversariorum in verbum contumeliosum prorumpere, dicendo: Videamus, si possimus istos Molossos morsibus dilacerare, & cum eorum ignominia vincere. Quod majoris rancoris, dissensionis & inimicitiæ seminarium fuit. Nam Dominus de Baldeg hoc audiens, ait: Ex quo nos sumus Molossi ab adversa parte nominati, more Molossorum agamus canes leporinos in fine diris morsibus superantium. Et congregatis multis armatis clientulis sibi subjectis cum clientulis suorum coadjutorum profectus est in furore contra Castrum unius adversarii Principalis videlicet Domini de End, & quæque reperta ante Castrum, devastavit. Nam vites, ut fertur, abcidit, domos conbussit, frumenta & alios fructus terræ conculcavit, pecora abegit & abduxit, *alia quoque* plura grassabatur: & sic cum *plura* damna sibi intulisset, cum gloria reversus est, canibus leporinis seu venaticis dormientibus, mutis, & latrare non valentibus, imo minime præsumentibus. Dum ergo gverra canum domos custodientium & canum venaticorum ad plures dies perseverasset: Et sermo & proverbium in tota contrata vel territorio exiisset, de ipsa tandem pax & concordia inter ipsos reformata est, leporinis canibus notabiliter perturbatis.

Item circa ista tempora quidam Sacerdos de ordine Hospitaliorum inofficians Parrochiam seu Ecclesiam in villa Schliengen vocitata apud Nüwenburg in Brisgow latrocinia horribilissima & execrabilissima perpetravit: nam fratrem suum carnalem in cellario domus, cum minime circumspiceret & malitiam ejus nullis signis vel conjecturis notaret, cum securi ad mortem percussit. Postea duas alias personas, ut tunc famabatur, per eum seductæ, ut frater prius fuerat, cellarium successive subintrantes simili modo, Diabolico instigatus instinctu peremit, quas in frusta concidit, & dolio imponebat, & per servum suum tanquam vinum veheret flagitii penitus ignarum in Nuwenburg duci jubebat: qui ingrediens portas civitatis, quid in vase reconditum afferret, nutu Dei notatus & deprehensus fuit. Qui dum a civibus trunco seu cippo injectus fuisset tanquam malefactor & criminis reus ad declarandam suam innocentiam, & ad expurgandum se de objectis, rei seriem, quemadmodum sibi ille Clericus & Dominus suus commiserit, per ordinem enarravit. Qui intelligentes eum esse inmunem a scelere, eum liberum & illæsum abire permiserunt: sacerdotem vero auctorem criminis jam civitatem ingredientem & servum, sicut decreverat & sibi prædixerat, subsequentem ceperunt, & hospitalariis ibidem Residenciam habentibus præsentabant, ut eum secundum ordinis sui formam & exigentiam corrigerent: qui ipsum recipere recusarunt, imo eum suum Confratrem fore valenter negaverunt. Cives ergo hiis visis eum crurifragio & rotæ supplicio de medio sustulerunt. Hic malefactor dum rotæ superpositus fuisset, inter cætera fassus fuit, ut fama de eo percrebuit, quod multis annis sacerdotio functus esset, & frequenter in ordine & inofficiando Ecclesiam suam celebrasset, & tamen nunquam corpus Christi confecisset.

Anno

Anno Domini MCCCXXXVI. vineta civium Thuricensium contra naturæ suæ antiquam consvetudinem tam bonum vinum protulerunt, quod vino Alsatico multorum judicio æquiparabatur, imo ut verius loquar longe præferebatur. Ante vero adeo acre & durum erat, quod ferrea rostra vasorum, in quibus continebatur & de quibus fundebatur, abrasit; Tantum autem fuit tunc mitigatum & dulcoratum, quod postea pristinam usque in hodiernum diem acredinem non resumpsit.

Anno vero uno mediate vel inmediate præunte annum jam tactum in festo Beati Georgii tam in partibus Alemaniæ, quam Italiæ vites per pruinam ita destructæ sunt, quod illo anno nullum fere fructum produxerunt.

Johanni Papæ defuncto XXII. successit Benedictus XII. ordinis Cisterciensium, qui statum sui ordinis in multis corrigens & emendans innuta vit, quod consequenter simili modo fecit de statu Fratrum Minorum, & ut hoc circumspectius faceret, plures de Potioribus ejusdem ordinis ante conspectum suum accersivit, & cum eis discussione status ordinis habita viginti, ipsum emendando ad melius perducere satagens, quantum ad statuta, plurima innovavit; Deinde idem districtius eodem modo fecisse de ordine Fratrum Prædicatorum dinoscitur, statum etiam nigrorum Monachorum lima correctionis emendans, aliqualiter reformavit. Hic electus circiter annos Domini MCCCXXXV. sedit circiter annos VII. fuit autem vir corpulentus, proceræ staturæ, potator vini, ut fertur, permaximus.

Hujus tempore inter Dominum de Klingenberg & Dominum de Bodmen gwerra grandis & satis hostilis initiata est, sed cum gravi damno Domini de Bodmen consummata est. Nam notabiliter per incendia & rapinas, per illum de Klingenberg usque ad Castrum suum damnificatus est. Inter cetera autem damna unum mirabile in oculis meis Domino de Bodmen illatum est. Nam villa longa dicta Bodmen sita inter lacum Bodmensem ex una parte, & excelsum montem ex alia parte per incendium clara die, rusticis interim in armis vigilantibus & villam custodientibus, in favillam & cinerem redacta est: Nam familia Domini de Klingenberg per proclivum præcipitium montis solis capreis quasi pervium, contra hominum opinionem, modo ferarum descenderunt, & villæ ignem injecerunt, & ante congressum rusticorum in custodiis dispersorum velociter exierunt. Quosdam vero eorum exitum suum cohibere, & ipsos prostenere conantium occiderunt.

Item tempore Ludwici Inperatoris & Benedicti Papæ XII. Duces Austriæ novam monetam in sua terra juxta Rhenum, veteri, quia vilis facta, abolita, fabricari præceperunt, eaque uti ibidem præcise voluerunt; quod cives Lucernenses facere temere contempserunt, & ut illi tanto præcepto fortius contradicere & contraire possent, montanis dictis de Swiz vicinis suis se vinculo juramenti astrinxerunt & glutine amoris specialis associaverunt, & utrique tempore aliis ignoto sibique apto & ydoneo tam diurno quam nocturno egrediebantur de locis suis ad Ducum loca finitima, & ea succendebant igni, & in cinerem redegerunt & spolia multa secum ad loca sua deduxerunt: Et sic per eos terra Ducum per incendia & spolia vastata est, & data est in direptionem. Quod videntes Ducum advocati remedium hujuscemodi, quo eorum ausus temerarios conpescerent, & ut loca, quæ adhuc ignis incendii & rapina non tetigit, custodirent & defensarent, invenerunt, videlicet, quod cunctis hominibus in illa contrata seu confinio Ducum ditioni subditis mercandi facultatem & cujuscunque contractus opportunitatem vel necessitatem cum eis habendi interdixerunt, sicque factum est, quod ad oppidum seu villam Lucernensem & ad valles sive montes dictos Swiz nec vinum, nec bladum de cetero ferebatur, in Castrum quoque dictum Rotenburg situm in propinquo apud villam Lucernensem aciem virorum robustorum & exercitatorum in præliis locaverunt, qui ipsorum rabiem & nocendi desiderium restrinxerunt, imo, quod majus est, eos interdum frenis laxatis usque ad portam persecuti sunt Luceriæ. Similiter in oppidum quoddam vocitatum Zug, quod etiam Ducum est, positi sunt viri bellatores in armis experti & præliis a cunabilis inbuti ad tuendam terram ibidem Ducum contra Montanos seu Vallenses dictos Swicenses vicinos præscripto oppido. Qui quandoque per turmas egrediebantur horis competentibus gressu clandestino, & villas conbusserunt, pecora & alias res hominum rapuerunt, properoque cursu ad montana sua repedabant, interdum in diverticulis sibi notis montium contiguorum terminis terræ Ducum latitabant, & quando aliquos vel paucos viderunt de adversa parte transire, eruperunt & ipsos occiderunt & universa arma eorum abstulerunt. Qui vero in oppido ex parte Ducum contrario in furore opposito similia facere attemptarunt: Nam etiam tempore apto & oportuno de oppido ad spoliandum & ad prosternendum hostes exierunt, sed tam in lacu, quam in campis adversarios & bona ipsorum quærendo parum vel nil proficientes, vacui omni fructu & laude redierunt. Ut autem breviter concludam sermonem cœptum istius gverræ, dico quod tam severum & atrox bellum fuit, quod quotiescunque convenerunt, se mutuo perdiderunt, neutra enim pars alteri treugas vel inducias dedit, vel eam captivavit, vel ad tempus conservavit, quando prævaluit, sed repente mutilatis seu anputatis extremitatibus corporis & perfossis interioribus semimortuos vel penitus vita orbatos in campis miserabiliter reliquit. Una autem nocte dum Lucernenses fluvium nomine Rüss descendissent, & quandam villam concremarent, & hoc Dominus de Ramswag cognovisset, qui tunc præerat LX. ut fertur, galeatis in Rotenburg ut, sicut supra memini me dixisse, commorantibus contra Lucernenses cum eis in inpetu & ira magna tam occulte profectus est: quos dum vidissent incendio

dio & flammæ operam dare diligentem, in eos irruerunt, & circa LXXX. viros extinxerunt; Alii vero vix effugierunt. Quæ cædes ipsos tantum perterruit præter alia mala plurima & multiformia, quæ propter gwerram hanc pertulerunt, quod gratiam Ducum & pacis fœdera cum magna instantia inplorare cœperunt, satisfactionem & emendam dignam pro sua contumacia subire spondentes. Qui exaudiri meruerunt tali conditione, ut pro commissis excessibus & futuris cavendis quædam pacta pœnalia ipsis injuncta per multos Dominos terræ utriusque partis arbitros ad reformandam Karitatis & pacis unitatem inter eos congregatos inviolabiliter custodirent in perpetuum duratura. Hæc maturo consilio, sagaci circumspectione, multaque industria & securitate tractata & acta sunt, & utraque pars libera voluntate se obstrinxit irrefragabiliter servaturam, quicquid arbitri, in quos causam suam conpromiserunt, eis faciendum esse decernerent. Montani hæc statim, ut dicitur, infregerunt: Cives vero conpetenter usque in hanc diem servaverunt damna. Sed ab utraque parte facta mutua conpensatione tollebantur. Sic itaque Duces placati sunt facti a malignitate quam agitaverunt facere villæ seu oppido Lucernensi; & pax quæ amissa fuit, reddita est; & nova moneta ante spreta gratanter recepta est.

Tempore etiam post prædicta Benedicti Papæ XII. cum adhuc pauco tempore Ecclesiæ præsedisset, Rex Ungariæ intimus amicus Fratrum Minorum, quod multis beneficiis demonstravit, quæ longa narratione inconplete dici possent, ob quandam injuriam hominibus Regni sui illatam, ut intellexi plurimorum relatione, a Duce Ottone Austriæ, se sibi opposuit, & mittens filium suum adolescentem cum ingenti exercitu terram Ducum Austriæ eam graviter devastando, occupavit. Dux moleste hoc ferens exercitu congregato, ipsum fugare & repellere decrevit. Qui cum in crastino bellaturus esset cum eo, a quodam sibi fideli milite monitus fuit, ut prælium cum eo non committeret, sed quanto citius posset cum suo populo ad civitatem rediret dictam Wien, sedem Ducatus, & Metropolin Austriæ, dicebat enim, quod in bonum suum cederet, quia deprehenderit Magnates suos aliquot, quibus maxime confideret, secum fraudulenter agere velle, & fidelitatem suis adversariis præstare, scilicet Ungariæ Regi & Regi Boëmiæ, qui propter aliquam causam una cum Rege Ungariæ rebellare Ducibus disposuit & decrevit; quamvis Dux Otto filiam Regis Boëmiæ noviter in uxorem traduxerit: Et in argumentum hujus esset sermonis, quod signa Regis Boëmiæ in saccis suis recondita essent. Quo conperto Dux consternatus nimis ad civitatem cum suo exercitu properavit; intellexit enim per hoc dolum illorum, quod eum non juvare vel defendere, sed in manus hostium more Judæ tradere vellent. Misit ergo Dux in terram Sweviæ & Alsatiæ & Sungowiæ nuncios suos mandans servitoribus suis singulis ibidem degentibus, ut quanto copiosiori bellatorum numero collecto possent ad eum concito gressu venirent: quod & factum est. Nam advocati sui & Episcopus Constantiensis de Vrowenveld oriundus, & alii serviciales sui & sibi militantes executioni fideliter manciparunt. Misit quoque Dux Legationem suam ad Inperatorem Ludwicum, a quo jam feoda sua recepit, qui mutuo conjuraverant, ut in manu valida in auxilium sui venire dignaretur. Cui annuens tam de Swevia, quam de partibus inferioribus Alimaniæ sex milibus pugnatorum, imo ut verius & magis proprie secundum modum dicendi modernorum loquar, sex milibus coronatarum galearum congregatis ad Duces Austriæ profectus est, non tantum, ut eis auxiliaretur, verum etiam ut Ducis inferioris Bawariæ terram grassaretur, qui rebellare & obstare sibi in suis negotiis conabatur. Nam cum Rege Boëmiæ & Rege Ungariæ contra Inperatorem conspiravit, & insuper viam transitus, quæ erat per terram Ducatus sui, tam Inperatoris, quam Ducis Ottonis exercitui præcludere ac obstruere cogitavit; sed aliud, quam quod machinabatur, evenit. Nam Inperator cum suis & Ducis Ottonis exercitibus veniens in potentia magna, terram ejus sicut decreverat, per incendium & rapinas desolabatur. Rex vero Ungariæ eos non exspectavit, sed ante adventum eorum abiit, & reversus est in regionem suam. Quare autem hoc fecerit, a diversis diversimode enarratur. Quidam enim dicebant, ipsum propter infirmitatem Patris rediisse: quia quem debilem reliquit, post recessum suum plus solito cœpit gravius ægrotare. Alii vero ajunt, quod quidam alius Rex paganus sibi confinis in servitium Ducum Austriæ Regnum interim Ungariæ occupaverit: ut hac de causa ad defendendum Regnum relictis omnibus reverteretur. Tercii vero affirmabant, quod adventum Alemannorum, præcipue Swevorum abhorruit, & ipsos tanquam ventum turbinis & tempestatem furiosam fugerit. Quid verius sit inter ista nescio, Deus scit: Sed sic dictum fuisse non mentior. Istis ita se habentibus Inperator & Duces Austriæ cum exercitibus suis exercitui Regis Boëmiæ bonam militiam tunc habentis approximatis, & secum prælium in continenti se commissuros disponentibus, multi milites ab Inperatore creabantur, qui ad dimicandum cum Rege Boëmiæ parati quasi ut essent ad epulas invitati, de conflictu committendo exultabant. Quod præcipiens & pertimescens Rex Boemiæ cessit, & ad locum tutum se contulit & firmum, qui carecto quodam & aquis circumdatus, ad quem suis adversariis accessus difficilis erat & quodamodo inpossibilis. Illic pluribus diebus castra metati sunt, & ab hostium accessu tutaverunt eum. Sic ergo Alemanni a desiderio suo defraudati sunt, non valentes aggredi eos talibus ut dixi, obstaculis præpediti. Cum igitur sic ex adverso locuti essent, & Alemannis facultas bellandi ablata fuisset, Dominus Albertus Dux Austriæ claudus & contractus Frater Ottonis sæpe dicti in curru suo ad utramque partem pergens, discordiæ

diæ se interposuit, pacis fœdera conponendo: qui tandem pium conatum suum ad finem laudabilem perduxit. Nam terram Ducatus Karinthiæ, Duce ipsius nuper defuncto, quam uterque jure hæreditario inpetebat, videlicet Rex Boëmiæ & Dux Austriæ Otto. Tractatores & Mediatores concordiæ magna & sagaci industria fideliter adhibita diviserunt, ita quod uterque de sua erat sorte contentus. Sic igitur dissensione orta inter eos propter terram Karinthiæ sopita, & Duce inferioris Bawariæ superato ab Inperatore, omnis multitudo tam Boëmorum, quam Alemannorum in pace domum sunt reversi.

In reditu vero Swevorum, quod cum amaritudine cordis mei refero, unus Dominorum de Blumenberg tironem virum strenuum & bellicosum unum de Tierberg multis & virtutibus redimitum, ex inimicitia letali dudum ad eum ante habita, cum non longe adhuc distarent a patria sua, occidit. Quod dum cives Vilingenses, quia eorum concivis erat, vindicare vellent, oppidum suum vocatum Huningen oppugnando, deinde demoliendo, a Ducibus Austriæ Dominis suis refrenati & cohibiti sunt, tandem modico tempore elapso, Dux Austriæ Albertus in terram Sweviæ egressus dictum oppidum una dierum, transeundo de Schafusa in Philingen pergebat, qui eundem de Blumenberg se seriosis & obnixis precibus pro venia & gratia sua obtinenda exorantem, tamen cum quibusdam pactis adhibitis, causa emendæ exaudivit.

In via etiam redeundo de prædicta expeditione contentio gravis orta est inter Dominum Comitem de Hohenberg, & Dominum de Hewen, quod mutuo sibi suas inimicitias propalaverunt, & illas effectui, cum opportunitas se offerret, in rebus & corporibus mancipandas. Nam alterutrum se damnificabant per incendia & spolia multa, uterque enim alterius terram intravit, ut ostenderet ei dominationis suæ potentiam potenter ibi conparendo, jumenta & pecora in magno numero auferendo. Tamen Dominus de Hewen, quanquam minor inpotentiorque fuerit, quia bene parentatus, majora damna Comiti intulit, ut pote locupletiori & hominibus minus propter suam tirannidem accepto. In hac gwerra Dominus de Hewen stipendiarium habuit vocatum sedulo, qui sibi adminiculum non modicum præstitit: Nam fortis erat & magnanimus in talibus sævis & tyrannicis factis ab infantia inbutus & præcellenter expertus, totam illam contratam cognovit, qui post illorum reconciliationem duorum Dominorum tandem subsecutam a Domino suo de Hewen gloriose remuneratus est.

De hoc Sedulo multa facta digna narratione referuntur. Inter cetera autem fertur, quod dum quodam tempore cives de Rotwil propter dampna plurima, quæ intulit eis, contra ipsum in tantum conspirassent, quod magnam pecuniam publice proclamatam exhibere promisissent illi, qui eum captum & vinctum adduceret. Quod ipse propter vadium quoddam & pactum initum cum quodam Domino illius terræ per civitatem Rotwil in habitu cujusdam Abbatis vel similitudine publice & reverenter salutatus a multis in vicis stantibus, quia ignotus propter immutationem amictus equitavit, illæsus domum rediens. Quod dum Burgenses postea perceperunt, non parum ob hoc doluerunt. Quadam quoque vice, cum fere in manus eorum se persequentium, quia pecudes ante portam abegerat, incidisset, deludendo eos, occurrens eis super sacco repleto farina vel frumento super equo rusticali posito transverso modo sedens, quem cuidam agricolæ sibi obvianti in via anxius de vita sua abstulerat, & per medium eorum equitans, veste insuper coloni sibi obviantis indutus, scil. pileo longe prætenso rusticali, ut minus agnosceretur, & amicabiliter salutatus, illæsus effugit. Quod dum civibus innotuisset, contristati fuerunt valde. Quadam etiam vice cives quandam villam, in qua eis proditus erat, circumdederunt undique, ut eum deprehenderent, ablata sibi per hoc, ut putarunt, omni spe ac oportunitate evasionis. Qui sentiens se ex omni parte vallatum hostibus, de mortis supplicio sollicitus, hanc astutiam callidam invenit, videlicet, quod fasciculum de grandi acervo fœni colligans, capiti suo inposuit, habitu & more rusticorum per villam ad campos progrediens; qui dum non agnosceretur, quia in fœno ex utroque prominente & usque ad genua dependente latere occultatus, salvus & sanus ad domum suam reversus est, relinquens post se cives de sua evasione & ipsorum delusione, & per consequens, erubescentia, quæ eos invaserat ob hoc nimium desolatos.

Post hæc pauco tempore decurso, circiter annos Dominicæ incarnationis MCCCXXXVII. grandis & plena periculis seditio in civitate Thuricensi de fonte iniquitatis, tempore Benedicti Pagæ memorati supra & Ludwici Inperatoris, ebullivit. Nam Consules civitatis, prout eis inponebatur, communes fructus & quæstus civitatis, qui pingues & multi sunt, dolose sibi longo tempore usurpassent, & frivola statuta ratione carentia ipsis quidem proficua & lucrativa, communitati vero damnosa & discriminosa edidissent, & hoc nemo reclamare vel retractare auderet: Quadam die universitas tota fere civitatis ipsos simul congregatos reperiens, invadit cum insania & vehementia magna, sed ipsi forte hoc præmoniti, & præmuniti, vel perse recognoscentes fugam stupefacti mox arripientes ad domos diversas circumadjacentes populi tumultuantis evaserunt. Quod si non fecissent, in manus communitatis perniciosæ corruissent: Nec mirum, cum multi & innumerabiles quasi paucos incurrissent. Postera die universitas civium tota conveniens in area Fratrum Minorum sentenciavit, ipsos pro commissis sceleribus rite & legitime pœnis condignis plectendos: Nec inmerito, cum eorum pertinacia & inveterata multorum dierum malitia hoc exigeret. Ab ore igitur communita-

nitatis emanavit verbum contra eos tale, ut juramento exhibito ac præstito coram omni multitudine aperta voce asseverarent, & promitterent, exsecuturos se studiose, quicquid eis oneris vel laboris pro emenda suorum excessuum injungeretur, abscondentes id ab eis quousque juramentum præstarent extortum. Quod audientes, elanguit cor cujusque nimio præ pavore. Angustiæ enim erant eis undique, & perplexi valde, quid eligerent, ignorabant; tandem metu coacti, quia præceptum potestatis urgebant, juramenti vinculo se astrinxerunt ad subeundum pœnam, quæ eis placita videretur. Imponebant itaque eis, ut de civitate in continenti recederent, eamque abjurarent, & in locis alienis sibi determinatis peregrinantes morarentur usque ad terminos sibi præfixos pœnitentiarum. Igitur facti pœnitentiabant singulos secundum exigentiam eorum demeritorum graviorum vel leviorum, & secundum qualitatem vel quantitatem reatuum suorum, præcipientes uni, ut in terra vel loco sibi nominato ad biennii spatium, alteri ad triennii, tertio ad quinquennii, nullatenus interim reversurus apud indigenas vel terrigenas illius loci vel terræ tanquam accola habitaret. Qui auditis iis sanctionibus, sauciatis & perturbatis cordibus abierunt, & valedicentes suis cum lacrimis amarissimis de civitate exierunt Thuricensi, & ad diversa loca se conferentes, dispersi sunt in nationibus & ab invicem separati. Non tamen ad loca sibi injuncta se contulerant, impleturi quod promiserant, quia contra juramentum propria temeritate venerunt ipsum contemnendo & irritum penitus faciendo. Quod audientes Burgenses Thuricenses intranei seu remanentes, indignati, ipsos irrevocabiliter exules & a civitate exclusos fieri in perpetuum decreverunt. Videntes autem extranei sive expulsi, se sine spe redeundi ab ipsis exterminatos & eliminatos, contra eos rebellare nisi sunt; Et ut hoc efficacius & potentius facere possent, in oppidum Rapperswile nomine ipsis a Domino Johanne Comite de Habspurg quondam pro pignore obligatum se assumptis tandem secum familiis suis receperunt. Et ut intraneis adversarium fortem suscitarent, & sibi propugnatorem, patrocinium & auxilium ferre valentem, memoratum de Habspurg allexerunt oppidum Raperswile ei autoritate, qua poterant, reddendo. Cum itaque ista dissensio & seditio civium se ad tempus aliquantum protraheret, accedit quosdam notari cives intraneos extraneis, ut suspicabatur, favorabiles de delatura civitatis, qui mox capitum truncatione multati sunt: quos innocentes & a delaturæ vitio inmunes & alienos fuisse, multi contestati sunt. Illo quoque tempore deprehensus fuit quidam ab extraneis ad hoc missus, domui uni civitatis Thuregi ignem inmittentem, quem illico morte condigna culpæ affecerunt. Isto etiam tempore intranei stipendiarios conduxerunt, cum quibus bis vel ter coram oppido Raperswile in potentia comparuerunt, de lacu per machinas in navibus lapides ad oppidum projicientes, sed modicum per hoc sibi nocere valentes, ex parte vero altera oppidi a lacu distante ante portam imperterrite aspectibus extraneorum se præsentabant: ubi plures intraneorum nimio odio & raucore concitati contra extraneos habitis, muros & portas invaserunt, imo quasi quadam vesania agitati, & quasi quadam mentis nube excœcati, more freneticorum, in muros inpegerunt. Quamobrem quandoque telis aliqui expulsorum civium & suorum stipendiariorum & coadjutorum pro eis in oppido commorantium, graviter sauciati fuere. Una etiam dierum Magister civium Bruno nomine vir floribus virtutum plurimum redimitus coram oppido eodem a quodam intentante & parante sibi mortem graviter *læsus est*, de cujus manibus dum insequeretur eum a tergo, volentem ad navem redire, & uno ictu ipsum vulnerasset per servos suos, quorum erant duodecim, tantum ipsum solum respicientes, celeriter ereptus est. Qui Magister civium etiam una vice ibidem, ut fertur, de duodecim viris adversariorum eum occidere conantium, gloriose eis resistendo, & temeritatis suæ rabiosam malitiam reprimendo, se eruit, & viriliter defensavit. Cum igitur coram oppido intranei extraneis gloriæ & magnificentiæ suæ magnitudinem demonstrassent hortis olerum conculcatis, & vastatis, erutis quibusque fructibus quoque illic repertis & evulsis Thuregum redierunt ovantes. Indignati sunt autem de Comitis supra dicti de Habspurg infidelitate medullitus, quia rupto pacis fœdere secum prius inito & jurejurando ipsis prius præstito, extraneis adhæsit in eorum præjudicium nimis grave, & ideo cogitantes quoddam Castrum ejus appellatum Grinow non longe distans a Rapersweiler, situm prope lacum, oppugnare, quendam artificem scientem facere instrumenta bellica, advocarunt. Qui dum exstruxissent per eum arietes, machinas & apparatus varios necessarios & aptos ad Castri memorati demolitionem distincti & ordinate per turmas suas in navibus multis tripudiantes cum sonitu fistularum, tympanis & cytharis lacum pariter ascenderunt, qui cum usque ad castrum navigassent, applicuerunt, & ibidem in magno solatio discubuerunt, & multi inermes sine trepidatione epulabantur, de sua multitudine confisi. Interim vero Comes de Habspurg cum indigenis sibi subjectis vocatis in der March & aliis auxiliatoribus suis in silva juxta Castrum ex adverso latitabat, insidias Thuricensibus tendens. Qui videns cum suis Thuricenses inconsideratos epulis intendentes, & minus de eorum propinquis insidiis cogitantes, de suis latebris erupit, & de monte & de nemore descendens cum impetu in eos vehementer irruit, & multos occidit: Et, quod dolens refero, Thuricensium Capitaneum & Ducem, Comitem unum de Toggenburg abducentes, in frusta plura conciderunt. Quod videntes Thuricenses nimio terrore concussi, terga verterunt & ad naves in ripa lacus fixas properabant: quos stipendiarii eorum confortantes ad regrediendum & fortiter ipsos adversarios ad percutiendum revocabant; Qui ipsis acqui-

acquiescentes, more beluarum occisis fœtibus in eos tanto furore debachati sunt, quod multi stupefacti tantum sunt, quod cunctis postpositis fugierunt; quidam vero in vepribus & frutectis se quandiu cædes duravit, absconderunt; Insuper plures graviter & lethaliter vulnerati sunt, multi quoque occisi, inter quos, quod est miserabile dictu, Comes Johannes de Habspurg, vir utique fortis viribus, decorus aspectu, sanguine præclarus cecidit; qui tamen multos, ut dicitur, ante casum suum gladio proprio peremit. Quidam etiam juvenis miles servitor suus laudabilis nimis, dictus Ulinger, plenus virtutibus, quem novi, sicut Dominus suus Comes occubuit. Cujus mors lamentabilis erat, quia dilectus hominibus valde fuit. De qua narrabatur, quod videns Dominum suum Comitem sæpe dictum in periculis corporis & maximis angustiis constitutum, audiensque ipsum in sui auxilium se flebili voce inplorantem, lateri ejus se conjunxit, & pro Domino vitam suam voluntarie exposuit, quia tenerrimus ac fidelissimus suus servicialis exstitit. Qui dum viriliter & manu valida mora aliquanta defensasset se ab hostium truculenta invasionis acie malevole mortem eis intentante, tandem uterque plaga insanabili & mortifera prostratus est. Sentiens autem se tumultu hostili circumdatum & jam opprimendum, suppliciter adversarios, ut sibi parcerent, exoravit. Qui cum renuerent, & ipsum tanquam bovem mactatum in macello crudeliter in diversis corporis partibus transverberarent, voce altisona, quia vociferatus erat & horribili, spiritum exalavit. Hic ante suam mortem unum de potioribus Thuricensibus, ut fertur, interemit, & ideo forte sui occisores sibi minus parcebant, & acrius in eum sæviebant. Ex hiis evidenter patet, quod Thuricenses in fine ubi laus canitur triumphabant & campum occupando obtinuerunt, intermissumque est bellum. Hoc facto Thuricenses cœptum opus consumare satagentes, Castrum, ut quidam ajunt, per triduum oppugnabant, & ab ipso non discessissent absque ejus desolatione, si ab Advocatis Ducum Austriæ, quorum Comes de Habspurg necatus ab eis consanguineus erat, revocati non fuissent diris minis & districto præcepto. Qui obtemperantes monitis & jussioni eorum navigio per lacum cum suis occisis fere viginti ad propria remeabant. Qui in revertendo lacum a portu ad portum palis & sudibus in fundum lacus infixis obstructum & obsitum repererunt, ut tanto minus reditus eis ad patrium solum pateret, & facilius tanquam piscis in rethi, & avis in laqueo, mus in muscipula, in captivitatem vel in mortem constringerentur. Quos sudes mediante informatione artificis machinarum extraxerunt & confregerunt, & inchoatum iter remigando & navigando perfecerunt. Qui uxores & filias, ceterosque amicos & amicas obvias cum planctu & ululatu miserabilissimo habuerunt, qui post defunctorum suorum sepulturam lacrimabilem, resumpto spiritu fortitudinis vexilla quinque, quæ ab hostibus fugatis vel superatis in conflictu vel alias sustulerunt, in Monasterio Felicis & Regulæ erexerunt: quæ multis diebus erectæ steterunt in titulum & memoriam victoriæ prælibatæ.

Paucis annis transactis ante inmediate dicta, quod supra suo loco ex oblivione transilivi, Rex, de quo supra memoriam feci, Boëmiæ, pluries ad terram gentilium cum Domino Alberto Comite de monte Sancto, genere Mundfort, & multa alia militia perrexit, & ipsos gloriose debellavit, fortuna sibi plurimum arridente; De Comite vero Alberto specialiter famatur, quod valde strenue & fortiter egerit inter eosdem paganos, multos eorum prosternendo, & se viriliter de manibus ipsorum eripiendo. In argumentum autem sui magnifici triumphi post longam decertationem & periculosam, filiam cujusdam nobilis & potentis Pagani adhuc in puerilibus annis existentem abducens ad terminos Christianitatis deduxit, & eam cuidam Collegio situm apud oppidum Bludenz sibi pertinens sororum ordinis Fratrum Prædicatorum fideliter commendavit. Quæ in regulari disciplina & Katholicis observanciis ut plurimum edocta, Domino Jesu Christo, oblita & abjecta superstitione idolatriæ ac spurcitia quasi ovis argumentosa deseruit. Quendam quoque masculum rapiens, domesticum famulum sibi fecit eum.

Circiter ista tempora in villa quadam dicta Sarnach sita apud Luceriam, quidam villicus seculo quasi renuncians sacrista ex devotione pro emenda suorum delictorum factus est. Qui dum quadam nocte matutinum ante lucem pulsaret, quædam visio defunctorum hominum horribiliter sibi apparens & in eum irruens ipsum non solum a pulsatione abstraxit, verum etiam cum sui clamore valido strangulavit. Homines vero illic notantes cessationem pulsationis insvetam & vociferationem crudelem, ad Ecclesiam certatim cucurrerunt & eum quasi mortuum repererunt: qui dum per morulam superviveret, linguæ officio penitus orbatus, diem clausit extremum.

Nunc mirabile factum in tantum, quod a seculo non est auditum, actum anno Domini MCCCXXXVI. tempore Benedicti Papæ XII. & Ludwici Inperatoris, quanto melius potero, enarrabo: Quidam enim vir nobilis tunc temporis in partibus Franconiæ a Judæis fraudulenter, malitiose, ac turpiter interfectus est. Quod audiens frater ejus de ordine Hospitalariorum vir robustus & animosus nimium dolens de occisione fratris, surrexit, & multorum virorum animos sibi concilians in ultionem fratris Judæos gravissime persecutus est in illa terra, & ut efficacius efficere posset, quod sollicite diligenterque volvebat in pectore, sub prætextu passionis Christi illatæ ab eis vindicando ab eo zelo fidei accensus tanquam esset magnam multitudinem virorum in exterminium & necem Judæorum provocavit. Ulcisci enim scelus Judæorum Christum crucifigentium in posteris tunc præsentibus & super extantibus se veraciter reputabant. Hic cum tali modo Judæos multos occidisset, tandem ejus mortem magno

magno pretio dando malis Christianis procurabant, & sic de manibus ejus erepti sunt.

Hujus exemplo quidam rusticus caupo existens, ut fama communiter protestabatur, in Alsatia, statim post eum, nescio pro certo quo motivo, instigatus, insurgens contra Judæos, populari turma copiose constipatus, magna plaga eos percussit, velle enim se vindicare in eis martyrium Christi, manifeste asseverans, de plebeja turma virorum nanciscens, & ad instar adamantis attrahens grandem multitudinem, oppida plura in Alsatia vexillo crucis, & imagine prætensa adiit petens oportune & importune intromitti, allegans se divina inspiratione, & cælesti oraculo in mandatis accepisse, in tota terra debere Judæos inimicos Christi per eum, & mediantibus suis auxiliatoribus deleri, & de medio tolli, addens quæcunque civitas, castrum vel oppidum sibi in hoc resisteret, ortodoxæ fidei & Dei ordinationi contrairet. Hiis auditis verbis exhilerati, libenti animo portas aperientes, liberum introitum ei & eum comitantibus indulserunt, nec contenti sunt in hoc, imo pari & concordi voluntate una cum ipsis in Judæos sævientes, ipsos cum uxoribus & liberis extinxerunt. In hac cæde multi Judæorum videntes se mortem evadere non posse, pueros suos utriusque sexus strangulabant, vel de alto in ima præcipitabant, ne timore mortis perterriti, ad baptismum convolarent. De una enim pulcherrima Judæa audivi, quod cuidam viro populari se & sua subdidit, promittens baptismi lavacrum suscipere, & ad lumen fidei Katholicæ declinare, ut per eum a mortis casibus eripi & liberari mereretur, quæ ille, quia ruralis, incompositus & insulsus erat, minime advertens, ipsam in inguine transfodit, & vitam præcidit. Hic persecutor Judæorum, de quo jam est sermo, vocatus erat a vulgaribus Rex Armlader, forte ut verbum rei gestæ alludat: hac de causa quod in brachio corio pro ferro utebatur, ipsum enim inermem gens inermis sequebatur. Nam sicut ista vocatio quemque alliciendo deprehendit, sic ad istam expeditionem seu congregationem in spiritu vehementi rapiebat: crebrescente enim fama Regis hujus & intentione sua bona, quam prætendit, ut prædictum est, quantum ad opinionem & credulitatem simplicium hominum, rudium & insipientium, de cunctis finibus & angulis Alsatiæ, more torrentis, raptim & certatim ad eum in ingenti numero confluebant, & obliti rerum suarum, cunctisque suis negotiis peragendis relictis, excepto solo pane, quem secum in sacculo deportabant, ad eum ardenti desiderio festinabant, quando voluerat, domum remeabant, quando vero voluit, catervatim redierunt ad eum, cum acceleratione incredibili, & propriis sibi stipendiis militabant, unusquisque instrumento sui officii vel artis suæ scilicet securi, rastro, gladio, malleo, vel tribula, cultro, ascia, bipenni, venabulo, arcu, balista cuspide, vel quocunque alio modo non providens in crastinum: sed providentiæ divinæ se committens, affectu mirifico divinitus, ut præsumitur, indito, ad regem quasi in momento accurrebat, una enim voluntas omnibus inerat ulcisci mortem innocentem, & sanguinem Redemptoris. Glutino enim fidei unum cor & una anima sunt effecti. Quid plura? sive in Rufach vel in Eisisheim, sive in aliis oppidis & locis Alsatiæ fuerit, M. & D. & ultra, ut fertur, Judæos perdidit, & spurcitiam eorum & maleficia de medio ibidem fidelium habitantium exstirpavit, cadavera eorum extra oppida vehebantur, & in aquis demergebantur, vel in aggerem seu cumulum in campis comportata, igne consumpta sunt. In hac persecutione Judæorum dicitur iste Rex habuisse in comitatu suo quandoque M. quandoque D. interdum fere duo M. virorum peditum, quorum severitas in omnem terram circumpositam personare vulgabatur, ut verbum prophetæ videretur quodammodo in eis completum, dicentis: in omnem terram exivit sonus eorum, &c. imo eorum rumor & pavor in certis circumjacentibus in tantum insonuit, quod post stragem præfatam Judæorum cæteri Judæi superstites, de cunctis illis terminis adeo conterriti & stupefacti fuerunt, quod in civitatem Alsatiæ Colmur imperialem confugerent, & Burgensium patrocinium invocarent. Quod percipiens Rex civitatem eandem in ira vehementi adiit, & Judæos receptos ab eis in protectionem sibi exponi poposcit: quod dum facere recusarent, cives ipsos multimode affligere cupiens, primo civitatem cum sua militia & exercitu copioso per multos dies potenter obsedit, messem & vindemiam eorum graviter impediens, propter quod scisma grande & seditio valde discriminosa in civitate orta sunt, nam vulgares expellere Judæos nitebantur, sed potentiores ausus eorum temerarios cohercentes Judæos totis viribus tuebantur, quam ob rem illic turbationes & terrores subsecuta sunt. Nam ut tunc a quibusdam dicebatur, de potioribus civibus pro muro ad defensandum Judæos stantibus aliqui vulnerati sunt. Cum ergo Rex iste civitatem taliter pluribus diebus afflixisset, tandem cum Judæos habere nequiret, ad quandam villam non longe distantem a civitate divertit, ubi eum, quamdiu *ibi* manebat, populares de civitate egredientes requirebant & frequenter visitabant. Cum vero proxima quadragesima sequente hoc factum Imperator Ludwicus, in sæpe dictam civitatem causa demorandi ibi ad aliquot dies, & Rex jam præfatus in partes Galliæ secessisset, cum consorte sua Imperatrice transtulisset, & Judæis & suis patronis astaret, indignata Imperatrix jubet duos gallos gallinacios assari, & assatos Imperatori per dapiferum in mensam afferri & præsentari, quos allatos abhorruit, & tolli irato animo mox a se præcepit, inquirenti quoque cur cibus jejunii tempore ab Ecclesia vetitus sibi propositus fuisset; Imperatrix nomine Margareta filia comitis Hollandiæ respondit: cum judaizare videamini, Judæis astando & consentiendo, consequenter consonum rationi videtur ut eis vosmetipsum conformetis, carnes quas jam non vitant, sed eis libere vescuntur,

ſcuntur, una cum ipſis licite manducando. Quo audito Imperator obſtupeſcens ad cor rediit, & præcavens in futurum ait: pœnitet me feciſſe præterita; ergo corrigam & deinceps me in talibus emendabo. Igitur cum Imperator a civitate illa, cunctis quæ volebat ibi diſpoſitis & peractis, diſceſſiſſet, prænominatus Rex reverſus eſt, & ſecundario civitatem obſidione concluſit, & multipliciter moleſtavit, agros & prata, frumenta & vineta degraſſando, univerſos quoque fructus depaſcendo, nec non cives intra muros coartando, & res & bona eorum extra muros ſpoliando, cum ibi & alibi dominatio ſua & poteſtatis ſuæ robur gradatim invaleſceret, & evidenter appareret, & longe lateque odoris ſui invincibilem ſpargeret magnificentiam, non ſolum Judæis in Alſatia conſtitutis, verum etiam in Swevia timorem & tremorem inæſtimabilem incuſſit, ut aliqui, relictis civitatibus ubi reſidentiam & domicilium multis prius habebant annis, loca tutiora & firmiora ſolliciti de animabus ſuis quærerent, & ut talia loca adipiſci poſſent, dominis terrarum ea habitantibus pecuniam magnam erogabant, vel eam ab eis ſibi debitam & in proximo ſolvendam remiſerunt, & totaliter condonarunt. Hic Rex dum ante civitatem memoratam in caſſum laboraſſet, a cœpto opere reſiliit, & ultra non comparuit, & ita cum Judæos diu tribulaſſet, nomen Majeſtatis ejus tandem evanuit, & ad nihilum redactum eſt ut aqua decurrens.

In iſtis temporibus hæreſes multæ in partibus Auſtriæ ſcaturiebant, & innumerabiles animas contaminabant, quæ opere agebantur in yppogeis ſive aliis quibusque locis ſubterraneis; nec ſolum in partibus Auſtriæ, ſed etiam in terris finitimis hæ pravitates hæreticæ pullulabant. Harum autem hæreſium auctores, fautores & ſectatores ignis conbuſtione & aliis mortis cruciatibus variis in magna multitudine deleti ſunt.

Illo quoque tempore in eisdem locis ſingularis Judæorum tribulatio orta eſt propter quendam Sacerdotem nimia inopia oppreſſum, qui hoſtiam ſanguine aſperſit, & a ſe projectam juxta Judæos, ipſos ſuſpectos reddidit, & graviter infamavit: quæ cum reverentia maxima ad Eccleſiam prædicti malefici presbiteri delata & deducta fuiſſet, & ibi collocata a populo totius terræ circumpoſitæ frequentabatur, ſacrificiisque & oblationibus devotiſſime venerabatur, quas presbiter recipiens multis diebus notabiliter locupletatus eſt. Qui poſtquam populum Chriſtianum diu deluſiſſet, ſub ſpecie ſimplicis panis prætendentis verum corpus Chriſti & conſecratum, tandem nutu Dei proditus fuit ab eo, mediante cujus adminiculo id flagitium finxit & perpetravit in ſuæ animæ & innumerabilium animarum periculum & perditionem. Nam more Jeroboam gentem peccare fecit, dum ſuperſtitionis & idololatriæ cauſam ſcienter, motus avaritia quæ eſt idolorum ſervitus, dediſſet: nam homines panem pro eucariſtia quamvis ignoranter adorabant ipſo procurante. Hic cum proditus fuiſſet, ſuo Dyoceſano erat præſentatus, qui eum captum & vinctum detinuit per plures dies, ſed quod artæ cuſtodiæ carceris traditus fuerit, vel alias ſecundum exigentiam malitiæ ſuæ punitus ſit, non audivi: quod ex intimis meis doleo præcordiis, cum ſuum immenſum nefas immenſam exigeret pœnam Moyſe atteſtante, qui dicit, quod ſecundum modum & menſuram culparum erit plagarum modus & menſura. Quod autem Epiſcopus ſuus remiſſus & negligens fuit in ſeveritate correctionis exercenda, merito in eo, ut quidam ajunt, ratio hæc eſt, quia per pecuniam & munera largiflua plebani, quæ turpiſſime modo præſcripto aſſecutus erat, corruptus fuit: nam, ut dicit Moyſes, munera excæcant oculos ſapientum, & pervertunt corda juſtorum; beatus ergo eſſet homo, ſi ſecundum verbum Iſaiæ prophetæ manus ſuas excuteret ab omni munere.

Præterea fertur, quod in hiis temporibus etiam in partibus Auſtriæ quidam Judæus per quendam malum Chriſtianum hoſtiam ſibi conſecratam afferri procuravit, quam allatam calceo ſuo ſollerter impoſuit. Cum autem quadam die in nuptiis cujusdam Judæi in chorea cum aliis Judæis coram magna multitudine fidelium per vicum unum civitatis procederet, divino nutu fixo gradu immobilis ſtare conpulſus eſt: quod videntes Judæi cæteri ipſum ad progrediendum ſtimulabant, timore enim perculſi fuerant ipſum forte talia commiſiſſe ſuſpicantes vel forſitan certitudinaliter cognoſcentes; ſed ſuperna ultione percuſſus ulterius progredi non valebat. Fideles vero notantes hæc, admiratione ducti & vehementi ſuſpicione incitati calceos ejus exui jubebant, & reperientes oblatam in calceo ejus ſtudioſe ut ſibi illuderet repoſitam, obſtupeſcentes quendam Sacerdotem illi loco viciniſſimum advocarunt, ut eam tolleret & in loco ſacro reverenter collocaret, qui dum ante hoſtiam ſacro-ſanctam, ſicut ipſum decuit, procideret, mox in ſinum ejus proſilivit, quam ob rem, ut audivi, multi Judæorum necati ſunt.

Ex quo hæreticorum in partibus Auſtriæ ſupra mentionem habui, id circo nunc, quemadmodum mihi ſignificatum eſt & inſtillatum, modum ipſorum & aliorum modernorum hæreticorum breviter explanabo. Eſt autem iſte: dum congregati ſunt in unum in ſuis latibulis in locis ſubterraneis, hæreſyarcha in loco eminenti ſibi deputato ſedet, & introeuntes tali inquiſitione parabolica examinat, dicens: punguntne ſpinæ? Si tunc ſunt de numero conplicum ſuorum, aliquis vel aliqua recognoſcens hoc dicit: non. Si autem ad eos non pertinet, dicit: pungunt utique domine. Si ſunt de ſuis, malitiam ſuam liberius exercent, ſi non, propter præſentiam ſuam ſe temperant, vel prorſus abſtinent. Cum hic hæreſyarcha ſermonem ſectæ & erroris ſui verbis faleratis & fuco colore decoratum ad finem perorat, IIII. juvenes accenſis luminibus ſubintrant, quos poſt modicum intervallum quidam micanti dyademate rex & ſceptro miro modo rutilanti, inſigniter

gniter preciosissimis indumentis amictus, sequitur stipatus splendida & venusta militum acie, qui regem cœli se asserens dogmata hæresyarchæ approbat, & sua auctoritate ea tradit observanda in perpetuum & tenenda. Cui loqui desinenti Attalus succedit, qui in ora singulorum sedet, & eis tantam dulcedinem infundit, quod in excessum mentis rapiuntur, & præ nimia dulcedine qua perfusi sunt, se continere non valent; quo facto luminaria extinguuntur, & quisquis proximiorem virum vel fœminam apprehendit, qui sibi occurrit & ipso abutitur, nam frequenter vir in virum, fœmina in fæminam turpitudinem exercet. Quia secundum verba Apostoli ad Romanos, tales traditi sunt in sensum reprobum, & passiones ignominiæ propter iniquitates suas, ut sit peccatum pœna peccati: tales statim fidem Petri subverterent, si doctores eam quotidie verbo veritatis non solidarent. Unde navicula Petri fluctibus maris hujus seculi supernatans, procellarum impulsibus variis conquassatur, sed non submergitur, quia doctorum manu forti tenetur. Quam ob rem non immerito columnis comparantur, quia per eorum patrocinium Ecclesia Christi in fidei robore sustentatur, proprie etiam per Redemptorem nostrum in evangelio luci conparantur, quia per eos tenebræ hæreticæ pravitatis deterguntur & fugantur salubriter. Hæretici sunt speciales filii Sathanæ, quia ejus verba & opera præ cæteris hominibus faciunt ac imitantur: Transfigurat enim se, ut dicit Apostolus, in angelum lucis, & sic multos seducit, & in erroris præcipitium prosternit.

Item breviter ante ista, quæ dixi, ut percepi viva voce fidei dignæ relationis cujusdam Baronis: Quidam Sacerdos parrochianus, utinam fuisset laycus inofficians, quandam parrochialem Ecclesiam territorii dyocesis Constanciensis in pago Turgoviensi lubricam valde duxit vitam, in tantum quod licet tabernarius lusor, corisator, perjurus, userarius, ebrius & fornicarius frequenter existeret, non minus tamen intrepide cottidie missam celebravit: quod dum sibi objiceretur, & duris & invectivis verbis redargueretur & diceretur sibi, qua fronte totiens præsumeret celebrare, cum sciret se absque contritione tam multis enormibus vitiis continue inplicatum, respondit, quod nunquam conficeret, sed tantum albam regulam formatam in modum hostiæ populo hora elevationis demonstraret, quam & loco secretissimo conservaret & extraheret, quum necessitas vel opportunitas celebrandi missam tempore debito immineret. Ex hiis patet, quod ille maleficus sacerdos instinctu dyabolico concitatus immanissimum scelus commisit: nam more etiam Jeroboam populum peccare fecit eum ad ydolatriam pertrahendo, nam lignum pro corpore Christi vero adorabant in manibus suis. Hic peccatum peccato addidit, nam in mortalibus peccatis cottidie constrictus communicare pertimuit, ne majus periculum & discrimen incurreret indigne corpus Christi percipiendo, præcavere intendens verbum Apostoli terribile dicentis ad Corinthios: qui indigne manducat & bibit, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Et iterum: quicunque manducaverit panem hunc, calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis & sangvinis Domini. O quanta dementia, error & iniquitas in illo perversissimo, cæcissimo presbitero, filio Diaboli, cujus opera fecit, ebullivit, nam volens effugere grande peccatum, incidit in enormissimum: nam ydolatriæ causam scienter dedit, sicut prius dixi, quæ est flagitium perniciosissimum & execrabilissimum, ut patet in multis sacræ paginæ locis. Patet etiam per hoc, quia ex institutione Christi & Ecclesiæ omnis celebrans tenetur conficere, & integre, & hoc clarere potest ex ipsius ratione sacramenti, quia sacramentum in se est quoddam integratum ex duobus. De ista integratione servanda districtum est Ecclesiæ præceptum, unde de consecratione: Conperimus, dicitur, aut Sacramenta integra percipiant aut ab integris arceantur; loquitur de Sacerdotibus conficientibus & non communicantibus, & subditur ratio, quia divisio ejusdem Saoramenti sine grandi sacrilegio non potest pervenire, & ultra, si tenetur integre conficere, & consecrare, tenetur & integre sumere ac percipere integre consecratum. Unde de consecratione habetur relatio: certum est quod illi qui sacrificantes non edunt rei sunt Domini Sacramenti. Et sequitur, qui talis uno anno a communione repulsum se noverit, ergo secundum allegata prædictus Sacerdos pessime ut ydolatra egit in scelere memorato, in malum animæ suæ & aliarum multarum, non advertens auctoritatem dicentem, quod falsa remedia pejora sunt veris malis. Fuit autem post erroris & facinorum suorum divulgationem turpiter, quia turpiter egit, non solum de parrochia, verum etiam de tota illa vicinia fugatus & eliminatus prædicto Barone id agente, quia potens illic erat, nam ipsum propter malitiam suam jam dictam ab eo cognitam & compertam tanquam venenum detestabatur deinceps.

Item circiter ista tempora, ut veridica relatione intellexi, cum in quadam domo rusticana apud oppidum Sweviæ Ravenspurg quidam serpens vel vipera nidificasset, & pullos suos, fœtum suum ibidem parturiisset, & educaret, & neminem in domo molestaret, & hoc villicus tacitus consideraret, & cupiens fidelitatem vermis experiri, cum abesset quadam hora, fœtum de loco suo abstraxit & abduxit, & in alio loco reponens caute abscondit: cum autem rediret, & fœtum suum subtractum cerneret, furore & insania repletus valde, cunctas officinas & angulos domus quærendo diligenter pullos suos percurrebat; cum vero non reperiret, nimia ira succensus ignem domus aggreditur, & ollam in eo bullientem cum hordeo inveniens, inficit cum cauda sua venenum suum sibi infundendo, & quam cito hoc fecit, cum festinatione abscessit. Cum autem omnia villicus

hæc

hæc conspiceret, pullos vermis surreptos in absentia sua in locum pristinum restituit & aufugit: cum vero vermis rediens post hæc fœtum suum amissum inveniret illæsum, pacata fuit, & pœnitentia ducta de malicia sua in pulmento ollæ peracta, repente rediit, & arte sua & viribus ollam evertit, & pulmentum effudit; quod totum paterfamilias tacitus animadvertens & cordi apponens toti familiæ præcepit, ne vermem illum in aliquo offenderent, vel turbarent, narrans quæ vidit.

Item circiter ista tempora, sicut fama me celebris edocuit, & prout oculis meis luculenter literis patentibus perspexi, quidam frater minor nomine Stephanus de Ungaria oriundus, in civitate imperiali in Tartaria aquilonari nomine Saray a Sarracenis passus est. Nam cum pluribus annis ibi stetisset, & multum fructum fecisset, & tandem fidem Christi negasset, habitu ordinis Sancti Francisci rejecto, & propter hoc gloriose a Sarracenis pertractatus fuisset, tandem cælesti gratia sibi infusa & copiose divinitus illapsa adeo medullitus compunctus est, ut fratres sui ordinis occulte accersiri faceret, & eis pure peccata sua confiteretur cum maxima cordis contritione ac amarissimo lacrimarum profluvio, & reinduens habitum quem ante temere rejecerat, statim ad Muschetam ubi omnes Sarraceni convenerant, introivit, & eis prædicare incipiens dixit, omnia quæcunque dixi & feci, contra legem Dei mei feci, sed nunc revoco errata legem Christi defendendo, & legem vestram destruendo. Hiis auditis Sarraceni intelligentes ipsum legem eorum dissipare conantem, acerbissime eum fustigarunt, & eum vinctum carceri manciparunt usq; ad IIII. dies, svadentes ei & promittentes pecuniam se daturos magnam, si Christum negaret: ipse autem semper constans & inmobilis perseverans in fide Christi sic respondit eis: pro fide Christi tormenta varia libenti animo subire paratus sum, spretis omnibus mundi hujus blandimentis & illecebris. Videntes autem Sarraceni se sic delusos esse & nichil proficere, die quarto ipsum in fornacem ardentem jecerunt, qui ibidem illæsus domino ipsum protegente permansit. Cum autem in diluculo crastinæ diei Pontifex Sarracenorum ministros misisset detestabiles, ut ossa ejus in fornace colligerent, ipsum illic vivum & orantem inveniunt, extrahentes autem eum de fornace pontificis ipsum aspectibus præsentabant, qui cum interrogasset eum quibus maleficiis hoc fecisset se salvum conservans, respondit: non maleficiis, sed Dei beneficiis incombustus permansi; cumq; eis iterum prædicaret de fide Christi constanter & inperterritus, Pontifex in una domo, per gulam eum suspendi jussit, & ibidem per noctem pendere finere. Cum autem crastina die in diluculo mulieres Sarracenæ, inter quas etiam fuerunt Christianæ, respexissent per fenestram, viderunt ipsum vivum & sub pedibus ejus duas manus ipsum sublevantem, & ab omni molestia penitus conservantem, nec non tres columbas candidissimas circa eum volantes, & ipsum benignissime solatio non modico foventes & dulcissime recreantes, insuper domum senserunt repletam odore svavissimo. Cum autem admirarentur de hiis omnibus, venerunt ad Pontificem & hæc omnia narraverunt: ipse autem properans ad locum & ipsum vivum & sanum invenit laudantem Deum, columbas autem tunc nemo videre poterat. Cum ergo eum solvi fecisset, misit ad omnes capitaneos Sarracenorum, dicens: hunc Sacerdotem interficere non poteram. Ipsi autem inito consilio, quod ipsum extra civitatem comburerent, operam quam poterant addiderunt. Cum autem eum ad caudam equi vinctis manibus ligassent, veniens unus carnifex, ipsius ventrem a pectore incipiens usque ad inferiora umbilici incidit, alius cultellum magnum inter scapulas ejus percussit, quod circa pectus ejus exivit. Tertius vero carnifex collum ejus præcidit usque ad medium; quidam vero cum lapidibus, alii cum cultellis in eum projicientes, duxerunt eum extra civitatem: ille autem omnia patienter tolerans, glorificabat Deum clamans & dicens: Domine Jesu, benedictum sit nomen tuum, qui tormenta ista subire me fecisti. Dum autem pellerent equum citissime ut eum destrueret, ipse colligens viscera sua in manus, ita velociter currere cœpit ut equum quasi præire posse videretur. Super hoc multi facto non immerito maxime mirabantur. Cum autem ad locum, ubi erat ignis, pervenisset, oravit ad Deum, & solutis manibus edito signo crucis intravit ignem, & ibi incolumis permansit, & dum illæsus & inpunis transiret, & eis Christum prædicaret, iterum ipsum aliqui cum lapidibus percusserunt, quidam vero cum cutellis sauciaverunt, sed unus eum cum ligno grossitudinem magni pedis habente, & longitudinem bene duorum passuum, letaliter percussit, ipse autem orans coram omnibus spiritum Deo reddidit. Passus est autem an. Dom. M.CCC. XXXIIII. sub Osbosecho Imperatore Tartarorum, XI. Kalendis Aprilis. Christiani autem, inter quos multi erant Latini, glorificabant Deum pro hoc facto. Pagani vero post hæc corpus ejus projicientes in ignem comburendum, nihil remansisse de eo viderunt nisi ossa. Cum autem Christiani reliquias ejus colligere vellent, videntes hoc Sarraceni ossa ejus acceperunt, & contundentes sicut pulverem sparserunt. Quæ autem ossa recipi poterant Christiani, habent Græci, Latini & Armeni. Cum vero mortuus fuerat, statim Græci & Armeni ipsum canonizaverunt: nam in loco ubi combustus fuerat, tribus diebus & tribus noctibus, omnibus videntibus tam Sarracenis quam Græcis, apparuit claritas de cælo, quæ totum locum cooperuerat. In eodem loco filius unius Armeni liberatus est a quadam gravi infirmitate. Item cum ad mortem duceretur, unus Sarracenus cum auriculam ejus abscidisset & in ignem projecisset, mox auricula, quasi esset viva, de igne saltum fecit, quam rapiens unus Græcus, eam super quendam hominem infirmum usque ad mortem cum posuisset, illico sanitati pristinæ redditus est. In multis quo-

que

que aliis coruscat miraculis, quæ nondum fuerunt omnibus manifesta. Quædam religiosæ fœminæ & sanctæ in illis partibus, viderunt visiones de ipso, quibus multa archana verba hæc scribenti ad partes nostras, incognita locutus est.

Præterea circiter hæc tempora, quod a mercatoribus fide dignis, quibus notum erat, quod quasi flens dico, percepi, quidam frater ordinis prædicatorum se transferens, ut evangelizaret illic Christum ad terram Sarracenorum, a fide Christi discessit & apostatavit, & sectam ipsorum patenter assumpsit, de quo nimis gavisi sunt dicentes: hic cum fuerit Doctor, lux & columpna fidei Christicolarum, ad sectam nostram conversus, sua fide abdicata, robur & firmitatem nostræ professioni præbet. Hinc revereri eum nos decet, ratio nam exposcit, tradiderunt ergo sibi uxorem, & honoribus & condignis præconiis eum extulerunt.

Anno Domini MCCCXXXVII. in partibus Alemanniæ innumerabiles locustæ apparuerunt, virorum galeatorum, vel mitratus armatorum speciem prætendentes, & ut castrorum acies turmatim volantes, strepitum & garritum in aëre magnum & raucum facientes, quæ dietas suas agentes, in aëre elevatæ & suspensæ super altitudinem arborum lucem diei obfuscabant, præ nimia earum multitudine & densitate solares radios obducendo, stationes suas humano more quasi habebant de superioribus ad inferiora terræ descendendo, & ibi simul quasi ad discumbendum consedendo, viridia tunc quæque herbarum, arborum & graminum depascebantur, & ea adinstar flammæ pertranseuntis tosta & arida in suo recessu reliquerunt. Plures quoque civitates, quarum una fuit Wintertur, processiones devotas contra eas faciebant, in ipsis Dominum deprecantes, ut ab ipsis liberari mererentur. Secundum conjecturas aliquorum hominum in se gerebant pronosticum & præsagium futurorum. In aliquibus terris, ut fertur a quibusdam, hæc plaga tam perniciose sævit, quod depascendo agros & vineta ibidem panis & vini Karistiam intulerint, & in tanta spissitudine terræ faciem operuerint illic, quod pedes hominum perambulantium eas, ultra talos longe ascenderint, ita quod quasi in limo profundi infixi essent, hæserunt. De habitationibus etiam hominum, in modum stercoris fœtidi ejiciebantur, & in fluvios præcipitabantur, ne ex cadaveribus earum putrefactis contingeret aërem corrumpi, & pestilentiam hominum generari, sicut accidisse legitur temporibus Ludwici Imperatoris filii Karoli Regis Franciæ & Imperatoris Romanorum, nam tunc, ut quædam cronica testatur, in Galliis locustarum innumerositas & infinitas orta fuit, quæ usque ad mare Britannicum perveniens, flatu ventorum in profundum maris dimersa est, sed æstu oceani ad litus rejecta ex putredine sua aërem infecit, unde mortalitas maxima & fames prævalida est secuta, ita quod fere tertia pars hominum interierit.

Eodem anno Domini fere, in quadam civitate marchionatus Brandenburgensis nomine, rector quidam puerorum illic degens, ut fideli relatione didici, quendam Fratrem Minorum sibi familiarem illic etiam existentem accessit dicens ei: venite mecum, & ego ostendam vobis Sanctam aperte Trinitatem: qui licet vehementi admiratione ductus, ex verbis visionem dictam cernere desiderasset, non tamen absque consensu & consilio fratrum suorum, attemptare præsumsit, qui tali sibi conditione indulserunt, ut corpus Christi secum secrete deferret, qui dum ad locum simul pergentes devenissent, rector fratri demonstravit virum valde decorum aspectu, regalibus vestimentis indutum, & hunc patrem fore affirmavit, juxta *illum* juvenem elegantissimæ formæ mira indumentorum decentia micantem ostendit, & illum Filium esse indicavit. Tercium vero adolescentem pulcherrimum, amictu splendido & dyademate fulgidissimo renitentem, & prædictis duobus astantem Spiritum Sanctum esse edocuit. Cum hæc rector dixisset, frater corpus Christi de brachiali, in quo absconditum tulit, extrahens, & in altum porrigens, subintulit: Et quis est iste, ad cujus adspectum dæmones, qui in specie Trinitatis homines diu deluserant, & dementaverant, cum fœtore pessimo quem post se reliquerant, disparuerunt. Frater vero cum gratiarum actione rediens, Dei virtutem & ejus mirabilia enarravit. Hæretici autem a dæmonibus ludificati & decepti, igni traditi sunt & exusti: qui dum ammonerentur ut abjecta spurcitia superstitionis & dyabolicæ illusionis ad cor redirent, & fidem orthodoxam firmiter sicut deberent profiterentur, nimis illaqueati & illecti in hæretica pravitate perduraverunt, volentes potius ignis incendio vita privari, in erroribus suis, quam in veræ fidei professione liberari. Dicebant enim, se in flamma eis parata aureos currus conspicere, & mox per eos ad cœlestia gaudia deberi feliciter transmigrare.

Anno Domini MCCCXXXVII. in Augusto civitates juxta lacum Botannicum conjuratæ, duo castra villicorum de Altsteten obsederunt, & ceperunt, & arma & alia in eis inventa quamvis pauca rapuerunt: villici enim *videntes* se non posse castra tueri, arma sua detrahentes fugierunt. Hæc eorum demerita gravia exegerunt; in captione tamen castrorum primi Lindaugenses & Thuricenses, ut fertur, cives extiterunt. Eisdem quoque diebus civitates prædictæ Comitem de sancto monte propter quendam excessum suum humiliassent, si eas precibus & quibusdam pactionibus emendæ non placasset, & sibi benevolas reddidisset.

Item anno Domini MCCCXXXVIIII. in civitate Schafusensi crudele latrocinium commissum est. Quidam civis illic Zelotypus existens, dum audisset uxorem suam cum servo suo nato de Thurego adulterari, ipsum in sede operi suo insudantem a tergo ictu cultri pungens & transverberans interfecit, quem cum in frusta plura concidisset, in fossa, quam ad hoc sub tristega paraverat, occultavit; cujus dum singula frusta

frusta singulis noctibus exportare, & ad Rhenum projicere attemptaret, januam domus suæ divino nutu fixus exire non valebat. Cum occisi itaque frusta pluribus diebus sic delituissent, & fœtere notabiliter cœpissent: uxor occisoris aufugiens Thuregum properat, & illic parentibus occisi, quemadmodum factum erat, revelavit. Qui dum cum potentioribus aliquot civibus Schafusam venissent, ut eum per judicium morti, quam promeruit, addicerent, nihil profecerunt. Nam ut de viris taceam, mulieres cum validis clamoribus eum defensabant. Quod Thuricenses civitatibus imperialibus sibi conjuratis querebantur, postulantes unanimiter ut sibi apud Schafusenses de latrocinio Burgensi suo illato, procurarent justitiæ fieri complementum. Quod eis irrationabiliter fuerat, quanquam seriose exegerint, penitus denegatum: quod videntes Schafusenses, occisorem civitatem abjurare compulerunt, si capitis truncationem effugere vellet, quod factum est.

Insuper eodem anno dum quidam civis Basiliensis filio suo de uxore Schafusæ providisset, & ipse eam legitime traduxisset, die ad hoc statuta, cum ipsa nuptias celebrans, & lateri ejus adhærens coream lætanter duceret: a fratre sponsæ suæ nimium dolente, quod pater ipsam tam abundanter dotasset, & sibi substantiam per hoc hæreditariam notabiliter subtraxisset & minorasset, ad mortem ictu cultri vel gladii percussus est, quem corruentem dum sponsa in sinum suum recepisset, & aliqua verba ab eo cum dolore acerbissimo exigeret, & ipse respondisset quod loqui non posset eo quod occisus esset, illico spiritum exalavit, occisor vero aufugit, & stuporem & horrorem populo post se reliquit, & totam civitatem in commotionem convertit.

Præterea annis paucis elapsis ante ea, quæ immediate dixi, partium civitatis sæpe dictæ, a tempore quo non extat memoria, venenum diu ante sopitum & quasi extinctum revixit & in medium erupit, se manifestans per largam & enormem effusionem sui. Tres enim viri de altera parte ab adversa occisi sunt: duo fratres in agro extra civitatem de vinea redeuntes, tertius vero Constantiæ eadem die interfectus est: qui in navi per fluvium Rhenum Schafusam deductus est. Aliorum vero cadavera a plebe Schafusensi de agro paulo ante tertii adventum ad civitatem delata, cum ejulatu amarissimo fuerunt. Quantus tunc planctus & horror illic invaluerit, breviter perstringere & perfecte explicare non valeo: tamen unum eructo verbum, & ultra non addam, quod quædam horripilatio acerrima penetraverit cor meum, immo timor & tremor graviter & pariter me invaserant. Videbatur enim mihi secundum Sophoniæ prophetæ verbum, esse dies quodammodo caliginis, iræ & miseriæ, magna & amara valde. Nam cum in ea viderem & audirem sonum terribilem campanarum, tumorem & tumultum populi, scisma seu partialitatem civium, portarum clausuram & custodiam, in memoriam mihi venit extremi judicii severitas, & ideo me fuisse absentem a civitate magno cordis desiderio & multis suspiriis peroptavi.

Anno Domini M CCC XXXVIII. quidam magister, ut fama communis volavit, de ordine fratrum prædicatorum Parisius, ut dicebatur, commorans, Astrologus, affectans in Ecclesia magnæ reputationis censeri, scripsit in partes Alemaniæ litteras continentes, quod horribilissimæ mutationes aeris & corporis supercœlestium venturæ essent, quadam die, quasi & hora, tempore autumnali, in terminis positis scilicet, quod luna in sanguinem & sol in colorem nigerrimum converti deberent, & quod quidam draco inmensæ magnitudinis, juxta cœlum & terram volaturus esset, qui in tantum aerem infecturus quoque foret, quod a quocunque homine aspirando attraheretur, morte subitanea mox dejiceretur. Multa nec non alia stupenda auditu nimis terribilia, quæ causa brevitatis omitto, in epistola futura præsagivit, & sub asseveratione certissime repromisit, & si aliter fieri contingeret, tota astronomiæ scientia vacillaret. Hæc a parrochianis in cancellis pronunciabantur, & ad opera pœnitentiæ juxta dicta magistri istius in epistola homines hortabantur, ne si repentinus interitus eos invaderet, & in mortalibus peccatis caperentur, in abyssum æternæ damnationis detruderentur. Hæc mira populo ingentem pavorem incusserant, & iram ultionis extremæ sibi in proximo imminere innuebant. Cum itaque rei exitus præstolaretur cum grandi trepidatione ac formidine, die assignata nulla eorum quæ dicebantur evenerunt, sed fictio & falsitas totaliter erant. Hæc epistola referans prælibata aperte fuit in consistorio coram consulibus civium Constantiensium recitata.

Hiis temporibus defuncto Johanne Papa XXII. qui sentencias excommunicationis & interdicti contra Ludwicum Inperatorem fulminaverat, & creato Benedicto Papa XII. Imperator Ludwicus confidens de eo, quia ipsum non offenderat, & cupiens Romanæ Ecclesiæ sedi sub eo & per eum reconciliari, & ab eo confirmari & coronari, legatos suos reverendos omnis generis quasi viros frequenter ad eum & pluries misit, ut causam suam & ecclesiæ apud eum agitarent & diligenter promoverent, qui semper frustra laboraverunt, & vacui omni gratia redierunt: non enim placabilem eum invenire potuerunt, quem Rex Franciæ in cujus manibus consistebat, induravit, ut fama communis attestabatur; si enim eum non avertisset & prohibuisset, benignum & propitium secundum relata hominum ipsum reperissent, sicut patebit per hæc quæ consequenter subnectam. Cum enim prima vice tam arduo negotio & tractatui condignos nuntios ad Papam destinasset, scilicet viros ingenuos & expectabiles, genere dignitatisque apice præcessos ac eminenter sublimatos, sapientiæ quoque radio illustratos, utpote Rhetores, Jurisperitos, Theologos acutissimos, & illi perspicaciter & disertissime coram summo Pontifice coramque suis Cardinalibus testimoniis Sacræ paginæ & utriusque juris civilis ac canonici verissimis & certissimis demonstrassent, Imperatorem Ludwicum

wicum deberi recipi ad gremium matris Ecclesiæ, & insignia confirmationis & coronationis inpendi sibi deberi, nec non relaxari interdictum indebite contra eum latum in regno suo a suo prædecessore, præsertim cum paratus esset subire pœnitentiam condignam suis excessibus, quos scienter vel ignoranter contra sedem Romanæ Ecclesiæ commisit, & quidquid oneris sibi inponendum censeretur, dum tamen rationabile esset, libenti animo sufferre, juraque & privilegia more suorum antecessorum Papalia confirmare, defensare, & pro viribus suis, quamdiu viveret, conservare Papa & Cardinales in gaudio exultantes in hiis dictis, assurgentesque inclinatis capitibus Deo gratiarum actiones, ut dicitur, reddiderunt, jucundum & facilem assensum ad singula petita perficienda prætendentes. Hoc videntes Imperatoris nuntii gavisi sunt gaudio magno valde, exspectantes beatam spem & adventum concordiæ & unitatis Ecclesiæ diu cum tædio concupitæ: sed heu! eorum exspectatio inanis fuit, quia rex Franciæ & rex Boemiæ, qui Imperatoris felicibus semper tunc successibus invidebant, percipientes Papam una cum Cardinalibus velle propiciari Imperatori, & ad gratiam eum recipere velle, ipsum averterunt propositum suum nobilissimum irritantes, sicque legati Inperatoris sine fructu reversi sunt, frustra habitis multis laboribus & expensis. Inperator vero iterum alios substituit & submisit, qui in nullo sicut priores profecerunt, immo opprobriis & contumeliis adhæc affecti absque omni effectu redierunt. Multis itaque nunciis & intercessoribus Inperatoris a consistorio & curia Domini Papæ cum injuria repulsis, & verecundia tandem an. Dom. MCCCXXXVIII. tempore autumpnali Apostolicus legatos suos misit, usque in Lothoringiam volens & demandans, ut & Inperatoris illuc ad eos properarent, ut illic utrique convenientes de pacis fœdere habendæ inter eos tractarent. Misit ergo Inperator solempnes nuntios suos illuc, de Svevia, Dominum Comitem de Nellenburg, & Dominum Dapiferum de Walpurg: de Bawaria, Dominum de Nifen, suum appocrisarium, & præ cæteris dilectum. Cum autem legati summi Pontificis tam difficilia & ardua, & valde pertimescenda ab Imperatore exigerent, videlicet ut se humiliter Domini Papæ conspectui præsentaret, & imperium in manu ejus libere resignaret. Sed quia secundum Jurisperitos Inperatoris juri consonum non erat nec rationi, quod tam personam quam res taliter in manus hostium suorum capitalium hoc faciendo traderet & exponeret, præcipue Regis Franciæ illic dominantis, legati Inperatoris memorati, omnibus postpositis, indignanti animo his visis recesserunt. Ob quam causam Inperator appellationem supra dictam, per fratrem dictum Bona gratia, utriusque juris legis & canonis magistrum & Doctorem expertissimum, quemadmodum supra memini me dixisse, contra Papam luculentissime renovavit, accersitisque Principibus Electoribus Regis Alamaniæ, & per consequens Inperatoris Romanorum, tam ecclesiasticis quam secularibus, nec non aliis majoribus natu in Alemania magnatibus, satrapis, baronibus, quocunque nomine censerentur, vel quibuscunque dignitatibus pollerent, in civitatem Frankenfurt Frankoniæ eis cum pondere, & flebili quasi voce contemptum sibi illatum a Papa querebatur per ordinem jam præscriptum: insuper regalibus vestibus, gemmis, auro & argento ad modum fulguris coruscantibus indutus, sceptro quoque & aliis insigniis regalibus decoratus, expurgavit se legitime coram omni multitudine militiæ suæ ibidem congregatæ. Rege etiam Angliæ cum sua militia præsente, a vitiis illis, quæ secundum decretalem incipientem: *Venerabilem*, in titulo de electionibus, ipsum impedire vel dejicere possent, ostendens se & suos progenitores a tempore, quo non extat memoria, fidei Catholicæ professores a cunabulis devotos, & verissimos esse sectatores. His & similibus sermonibus ab eo gloriose ac limpide peroratis, per se & per suos juridicos scisitabatur ab eis, quid ultra facere deberet quam quod fecit, & quid sentirent de interdicto contra eum in regno suo indebite, judicio sui & multorum, prolato, & jam per plures annos in dispendium animarum & periculum maximum servato, in suum etiam dedecus & gravamen. Qui discutientes causas & motiva singula tam Papæ quam Inperatoris, diligenterque examinantes, & acumine intellectus luce clarius omnia speculantes & perscrutantes per se, principaliter vero per Inperatoris Legistas & Canonistas valentissimos, principalissime autem per fratrem Bonam gratiam, almarium seu scrinium quasi totius juris, consequenterque per cunctos Prælatos, cæterumque Clerum ibidem congregatum repererunt, Inperatorem cuncta, quæ debuit, sufficienter peregisse, & sibi aditum & accessum omnis gratiæ & justitiæ interclusum, & obstructum, & indiscrete temereque penitus denegatum. Sententia ergo matura & unanimi Principes etiam jurejurando præstito determinaverunt, omnes processus a Domino Papa contra Dominum Inperatorem latos, indebitos, & prorsus nullius fore roboris vel momenti, sed eos irritos & inanes, & ab æquitatis lance penitus alienos. Astruxeruntque eodem jurejurando sententia diffinitiva, per totam terram Inperii Ludwicique Inperatoris ditioni subactam, divinum cultum diu indebite, in pœnam & contemptum Imperatoris interdictum & suspensum, legitime liciteque omni scrupulo conscientiæ deposito, debere resumi. Decreverunt nichilominus, totum Clerum ubilibet in regno seu inperio Inperatoris constitutum, qui adhuc non resumpsisset divina, compellendum ad resumendum cultum divinum, diu intermissum & intercisum, & si renueret, & contumaciter parere despiceret, tanquam hostis Reipublicæ esset acriter puniendus. Exiit ergo decretum a Cæsare Augusto Ludwico, ut universa pars orbis sibi subjecta vel subjicienda, sub obtentu gratiæ suæ, divi-

divinum cultum resumeret incunctanter; quod sui officiales, præsides, advocati, sibi seriosius commendatum, ad terras suas in litteris Imperatoris secum deportantes, fideli executioni mandarunt, præcipientes singulis civitatibus & aliis locis advocatiæ suæ vel jurisdictioni subjectis per minas & terrores, jussionem regis urgentem per omnia observari. Quod cum clerus aliquarum civitatum una cum civibus effectui mancipare aliquot dierum spatio minime curasset vel sprevisset, tandem cives habito consilio super hoc, ad cor redeuntes vel recognoscentes durum fore contra stimulum calcitrare, valenter jubebant per civitates proclamari: quicunque clericus tam religiosus quam secularis divinum cultum apertis januis pulsatis campanis habere vel resumere contemneret, extra civitatem in perpetuum vel ad tempus fieret, vel si quis animo fugiendi divina civitatem exiret, usque post decennium se sciret irremediabiliter exterminatum ab illa civitate, oppido, villa, cœnobio vel loco quocunque, relinquentes tamen & indulgentes clericis octo dierum, vel citra manendi, vel recedendi, deliberandi spatium. Multi igitur diversorum ordinum clerici & pauci seculares, aliis cantantibus, de locis suis discedebant, hinc inde vagantes, & in locis aliorum dominorum ad divina resumenda non coactis se recipiebant, & ibi nomen psallentium in tantum maculaverunt, ut more stercoris vel luti fœtidi abjicerentur, & ipsorum communio, familiaritas, conversatio, missa, oratio, prædicatio, absolutio, & quæque clavium auctoritas execrabilis haberetur. E contrario remanentes, & Domino præcinentes, tacentes & recedentes, tanquam vecordes, & oncos, pertinaces, fatuos & rebelles occulte & manifeste persequebantur, & eos coram hominibus vitandos & detestandos tanquam perversores & dilaniatores latere, nihilominus tanquam venenatos & contagiosos, & adinstar canis rabidi fugiendos affirmarunt. Utraque pars alteram desipientem, vel una alteram scismaticam, rumpentem & scindentem tunicam Christi integram & inconsutilem judicabant. Multi vero de numero exeuntium ducti post medium annum pœnitentia, locum suum ardenti desiderio repetebant, sed indultum eis non erat, quia fere tota universitas juramenta in eorum exitu in contrarium emiserunt, videlicet ut nullus eorum facultatem vel possibilitatem regrediendi haberet ante finem termini eis super hoc præfixi: unde factum est, ut inviti cum amaritudine maxima mentis extra remanerent, qui voluntarie ac improvide exierunt. Ut autem materiam hujus sermonis concludam, animadvertendum est, quod muta diu labia in vocem cantus & lætitiæ cultus divini sunt resoluta, & organa per multa annorum curricula suspensa relaxata sunt, in melodiæ ac psalmodiæ harmoniam, prædicta dissensione & difformitate perdurante usque in hodiernum diem.

Circiter ista tempora, ut fertur, dum ob petitionem Soldani XXX. fratres de ordine prædicatorum, famosi lectores a Papa directi, coram Soldano comparuissent, taliter ab eo temptati sunt. Dicebat enim, si vultis fidem Katholicam hominibus Imperii mei, pro quo accersiti a me, & a summo Pontifice Christianitatis postulati estis, disseminare, habitibus vestium abjectarum & tonsuris capitum vestrorum abjectis & postpositis, vestimenta conformia vestimentis gentis meæ vobis assumite, quod si feceritis, habebitis me cooperatorem, vobis in ministerio verbi divini oportunum & efficacem, nec non patronum peroptatum ac studiosum; si autem non feceritis, omnes vos filii mortis eritis. Qui consiliati in unum, decreverunt melius & consultius fore amictus eorum permutationem pati, quam ipsorum omnium perditionem & lucrum animarum, cujus causa venerant, negligentiam. Facta igitur vestium commutatione, cum se rursus Soldani aspectibus præsentassent, ab ipso in hunc modum affatum formidinem inferentem, nimisque terribilem receperunt: Cum vos sitis doctores Christianitatis, & duces & lux aliorum, & tamen tam cito & faciliter moti propter terrorem, quem vobis incussi, ab habitu vestræ professionis & regularis observantiæ, quam mobiles cæteros esse per hoc patet. Ego habeo sub me paganos tam fortes & constantes in paganismi observationibus, quod libentius se dilaniari & scindi in mille particulas sinerent, quam quod a suorum sacrorum rituum custodia declinarent. Idcirco quam cito poteritis, si mortis supplicia acerrima evadere cupitis, a facie mea discedite. Qui mox ad Regem Cipri confugientes, per eum ulterius ad partes Christianitatis secure deducti sunt, & inde ad loca, unde venerunt, reversi cum confusione sunt. Hi si litteras Regis Franciæ, ut dicitur, non habuissent, a Soldano trucidati miserabiliter fuissent.

Hic Soldanus, ut communiter asseritur, Christianos diligens, ipsos benigne & reverenter, cum ad partes ditionis suæ venerant, tractavit. Nam cum Barones, Episcopos, vel insignes, notabiles & strenuos advenisse Katholicos milites percepit, in terram suam ipsos in visceribus caritatis suscepit, multa beneficia, diversaque indicia amicitiæ & amoris eis inpendendo. Cum autem hoc aliqui de suis moleste tulissent, quadam vice contra eum conspirantes, hostiliter contra domicilium suum cum turma populari portante vexilla depicta cum imagine crucifixi, eo quod cultor ejus existeret, processerunt, quorum tumultum & inportunitatem per fenestram prospiciens compescuit, dicens se fore adeo bonum paganum sicut eos. Et in hujus argumentum proxima die futura, Ecclesiam unam Christianorum adhuc stantem illic a tempore, quo fides Katholica principabatur, una cum ipsis funditus destruere vellet, in cujus destructione & alias tanquam vir industrius & circumspectus, notans & animadvertens, & deprehendens auctores & machinatores sceleris memorati, ipsos occidi præcepit. Fertur etiam de eo, quod hiis in temporibus filium suum absque judiciali sententia, eo quod Christianum locupletem,

pletem, ut pecuniam suam sibi usurparet, occidisset, jusserit perimi. Narratur quoque de eo, quia severus Dominus & judex erat, quod frequenter ad explorandum excessus Baronum, Advocatorum, Præsidum, Prætorum, Judicum, Ducum, Comitum & cæterorum quorumcunque suorum terras, seu dominia ipsorum sub specie peregrina intraverit, & cum eos reos relatione hominum terrigenarum, secundum famæ opinionem de ipsis prius auditam reperisset, reversus in domum suam eos vocavit ad se, & objiciens eis crimina ipsorum in facies suas, super palum ferreum sedi infixum eos sedere coëgit, qui interiora corporis eorum penetrans una cum potione quadam venenata eis desuper per ora infusa in momento sedendo extinxit acerbissime.

Item in hiis temporibus Soldanus præfatus, ut fertur, tantum ascendit & profecit in inperii sui & dominatus amplitudine robore & augmento, quod LX. & ultra Regibus coronatis potenter præfuit, de quo minime cor suum elevatum esset vel tumesceret, sed potius Deo humiliter tribueret, a quo habere per interventionem Machmeti summi prophetæ procul dubio crederet; qui clare quoque recognoscens tunc temporis partialitates, gverras, scismata, dissensiones, prælia, discordias Christianitatis, videlicet inter Papam & Inperatorem, inter Regem Appuliæ & Siciliæ, inter Regem Francorum & Anglorum, inter Regem Daciæ & Sweciæ, inter civitates & Dominos Longobardiæ, & alias quam plures, gaudens & exultans, Christianorum incursum ad terram sanctam, ad eripiendum Christi sepulcrum de manibus suis, minus pertimuit, & eos aggredi, & molestare securius & audacius, si offensa eorum requireret, præsumpsit.

Item fertur, quod in hiis temporibus Inperator seu Rex magnus Tartarorum tam excellentis potentiæ fuit, quod quingentos principatus concedere habuit, quorum minimus regno Boëmiæ veraciter comparari valebat, qui ad mercatores solitus erat, tunc temporis venientes de regionibus Christicolis, ad regiones inperii sui causa mercationis, dicere: Inperator Romanorum & Rex Francorum deberent de jure a me in regnis suis infeodari, & quia facere hoc contemnunt, malo titulo ea posident, cum injuria mea magna.

Anno Domini MCCCXXXVIII. tempore Maji infra Pascha & Pentecostem, civitas Mediolana in terra Longobardiæ, ab exercitu Domini Canis grandi de Bern, foventis partem Inperatoris Ludwici, obsidione conclusa est: sed qui in civitate erant, nimio furore concitati contra extraneos eruperunt, & aggredientes eos cum ipsis fortissime conflixerunt, & cum diu anceps bellum extitisset, tandem extranei, qui erant ex parte Domini Canis de Verona, prævaluerunt, & alios in magno numero peremerunt. Quod dum factum esset, quidam Dominus de parte civitatis cum CCC. vel D. recentibus viris superveniens super extraneos quasi jam triumphantes, nimis ex conflictatione fatigatos irruit, & multos prostravit, multos quoque cepit, & cum gaudio propter victoriam in fine habitam civitatem intravit. In illo certamine referuntur cecidisse de utroque exercitu circiter V. M. virorum.

Eodem bello peracto, in autumno proxime succedente, Dominus Comes de Kiburg cum pluribus aliis Comitibus movit prælium adversus Bernenses supra pluries nominatos, qui dum obsiderent oppidum quoddam pertinens civibus in Bern, Bernenses coadunati una cum montanis Swicensibus supra etiam sæpe memoratis, sibi tunc conjuratis, & in adjutorium eorum accersitis ad defensandum oppidum & ad hostes reprimendos, in manu forti venerunt. Quos cum vidissent Domini Comites, nimis de se confidentes, quamvis magnum exercitum eis in auxilium destinatum ex parte Ducum Austriæ, & jam in itinere propero veniendi ad eos constitutum certissime scirent, licet pauciores essent Bernenses cum Swicensibus in copiosa multitudine evocatis, aggredi præsumpserunt. Commissum est ergo prælium, in quo cum Swicenses ad horam seorsum cessissent, pavore concussi, & vidissent adversarios pusillanimes factos & remissius agere, resumpta audacia quam prius amiserant, reversi sunt, & tam fortiter egerunt, & tam acriter dimicabant, quod primo & præ omnibus cives Friburgenses, hostes ab antiquo Bernensium existentes, multis eorum interfectis fugam inierunt: propter quod Swicenses cum Bernensibus magis cordati & animati effecti, plaga crudeli adversarios, nemini parcentes, usque ad internecionem cedebant, tanto etiam furore contra eos debachati sunt, quod heu Dominus Comes de Nidow, qui in multis præliis canpestribus & atrocibus tam inter Katholicos, quam inter Paganos illæsus permansit, cum toto cœtu suo ibidem occubuit. Comes quoque de Arberg, Comes de Vroburg, filius exterioris Comitis de Sabavia, adolescens elegantissimæ, ut fertur, personæ, Comes de Gruers illic ciciderunt; nec non viri alii plures, strenui & nobiles de diversis partibus ibi perierunt: de Swevia vero unus Dominus, vir robustus & fortis viribus, cum multis militibus creatis, ante congressum fugere erubescens, ultro se discrimini offerens, vocatus de *Blumenberg*, peremptus est. Sed pauci ex Bernensibus & Swicensibus in conparatione ad istos corruerunt, ex utraque tamen parte citra mille viros, ut medium teneam, dimissis extremis, in bello illo occubuerunt. Nam quidam longe plures, quidam longe pauciores affirmant. Post bellum autem multi Bernensium inventi in canpis vel negotiis suis, ab altera parte necati sunt; una quidem nocte fere XL. viri, ut dicitur, civitatem exeuntes occulte pro suis negotiis agitandis, ab hostibus eis insidiantibus cæsi sunt. Cum quibus dum Gwardianus Fratrum Minorum Mettercius egressus fuisset, a quodam Swevo adversæ partis graviter & lethaliter per maxillam vulneratus est, immo, sicut percepi ab ore suo, si ramus cujusdam arboris ictum primo vulnerantis non recepisset, caput ipsius anpu-

imputasset. Quod dum Swevus ille cognovisset, procidit cum lacrimis ante eum amarissimis, veniam de commisso petens, quia ignoranter fecisset, propter tenebras noctis eum ab aliis discernere non valens. Cui Gardianus ignovit, cicatricem, quanquam sanatus sit, valde apparentem in facie in perpetuum portans. Insuper Bernenses post conflictum istum ab hostibus trucidati sunt, & in tantum coartati & insidiis occupati, quod nulla via ipsis fuit potens vel libera ad intrandum vel exeundum, & ideo pauperes facti sunt nimis, ita quod baculus panis confractus est eis, & tanta Karistia praesertim vini ibi excrevit, quod mensura X vel XII. solidis denariorum illius monetae vendebatur. Multa itaque gravamina in rebus & personis illis in temporibus perpessi sunt, & in magna parte diminuti & minorati sunt, & superstites tamen sis miseriis intricati. Quod Bernenses in hac pugna victoria potiti fuerant, duplex judicio meo ratio fuit, quia justitiam seu justam causam habebant, quemadmodum tota vicinia libere & expresse profitebatur: Secunda, quia devote corpus dominicum ea die, qua exituri erant contra hostes pugnaturi, unanimes omnes receperunt, quo protecti tanquam clipeo, quo refecti & confortati viatico, sani & illaesi perstiterunt.

Item eodem anno Incarnationis Domini, in vigilia omnium Sanctorum, propter nimiam & insperatam pluviarum in multis locis inundantiam, Alemaniae rivi & fluvii in tantum excrescebant, quod molendina multa, domos, coenobia, & in parte civitates subverterent, & cum multis hominibus inaestimabilem pecuniam absorberent & abducerent, supra modum quippe suos alveos exeuntes, excesserunt; praesertim autem in Basilea quidam rivus, dictus Birsich, inundationis excessu desaevit, quod multam & gravem jacturam civitati, maxime autem fratribus minoribus intulit.

Praeterea eodem anno, circa festum omnium Sanctorum, Rex Angliae magna expeditione virorum bellatorum collecta, de regno suo & de terra Alemaniae profectus est in terram Regis Franciae, ad dimicandum cum eo, & ad eripiendum regnum de manibus ejus, & vero haeredi ejusdem regni, filio sororis suae ad reddendum. Nam cum Rex Franciae tantum tutor ejusdem filii in annis puerilibus constituti existeret, portando & conservando sibi regnum, usque dum annos legitimos attingeret, quod per se regni gubernacula regere posset: nunc habenti aetatem debitam & poscenti sibi regnum dari & resignari, temere violenterque detinet & reddere contradicit. Hujus rei causa, ut dicitur, Rex Angliae regnum Regis Franciae potenter invasit, & per VII. hebdomadas eam incendiis depopulatus est, multas civitates obsedit & cepit. Tandem Rex Franciae tempore praefato grandi exercitu congregato ad defendendum se ab eo, contra ipsum procedit in apparatu incredibili, & in canpis more locustarum terram occupantium, non longe a castris Regis Angliae distantibus se locavit, ibi, ut fertur, Rex Franciae constitutus, exercitibus suis dedisse in mandatis districte dicitur, ut nulli parceretur adversariorum, quem superari contingeret. Quod audiens Rex Angliae similia suis inperavit. Ibi Rex Angliae, quemadmodum relatione eorum intellexi, qui praesentes fuerant, habuit CM. peditum, & VIII. immo secundum aliquos XII. M. equitum seu galeatorum, quod longe plus est, virorum bellicorum & fortium, indefessorumque pugnatorum; Rex vero Franciae in triplo plures habuisse refertur, ita quod tres contra unum opponere valebat. Cum hii duo Reges pluribus diebus e regione, modico terrae vel spacio aquae interjecto, contra se locati fuissent, & Rex Angliae toto cordis affectu praelii certamen desiderasset, & a Rege adversario seriose postulasset, & assequi non posset, cum exercitu suo fame nimium cruciato, animo amaro recessit. Rex namque Franciae, ut famatur, conflictum se initurum cum Rege Angliae verbis simulabat, sed corde contradicebat, quia a suo Astrologo responsum accepit, se mortem non evasurum si bellum in persona propria committere attemptaret: quam ob rem stupefactus cum hoste congredi in pugnam non praesumsit, sed eam tantum per terminorum suorum praesentiam praetendit, & cum hoc retrocedendo simulatorie suspendit, quousque adversarii macerati famis angustiis, deficientibus alimoniis, bello dimisso ad propria remearent. Si enim Regi Angliae victus necessaria non defecissent, ab opere cepto incompleto relicto nullatenus destitisset: tamen, ut verum fatear, bellum non deseruit inceptum, sed usque ad futuram aestatem suspendit, ut tunc resumptis viribus ad opus initiatum consumandum in manu valida revertatur.

De hoc Rege Angliae insigne factum & dignum perpetua memoria hominum enarratur. Dum enim quadam die Ecclesiam quandam pertransiens more solito ab equo suo non descenderet, & devote Deum illic adoraret, & requireretur a quodam sibi militante & prae caeteris familiari, cur ibi bonam consuetudinem suam dimisisset, respondit: quod hospes, i. e. corpus dominicum in illo templo abesset, ideo consvetam reverentiam omisisset. Cujus responsione admiratus, tacitus ad investigandum ejus veritatem ad domum Plebani properat, & eukaristiam ab eo cuidam aegrotanti periculose de familia Regis Angliae dari poposcit: qui cum juramenti assertione exacto a milite responderet, id Sacramentum ad praesens in Ecclesia non haberi, & hoc multis a retroactis diebus non accidisset, sed si tanta necessitas infirmo incunberet, de Ecclesia parrochiali proxima, si placeret, afferret; miles in propria persona adire eandem Ecclesiam pro sacro corporis dominici sacramento se simulavit, ut per hoc causam suae inquisitionis velaret. Hic tunc de facto ita esse conperit, sicut Rex prius verbo edocuit, credens suo deinceps vaticinio, & ejus miram sanctitatem aliis revelavit.

Breviter ante ista tempora Episcopus Con-

ftancienfis, ortus de oppido dicto Vrowenveld, dum folemnia primæ Missæ fuæ die præfixa ad hoc celebrare decerneret, cunctis cœnobiis fibi fubditis tam monachorum quam monialium demandavit, ut per fe vel per interpofitas perfonas venirent Conftantiam, & eum pecudibus fecum ferendis, & aliis muneribus & xeniis feu clenodiis, ficut eum deceret & ipfis expediret, honorarent. Quæ juffum fuum exequentes, & executioni mandare conantes fecundum abundantiam vel tenuitatem fubftantiæ rerum vel poffeffionum fuarum, oves & boves attulerunt; quæ in via conftituta cum pecoribus, a Dominis terrigenis, i. e. Domino Tapifero de Diezenhoven, Domino Tapifero de Walpurg, Domino Comite de Wirtenberg, & aliis pluribus cohibiti funt, & ad reducendum pecora conpulfi. Et fic dyocefani avaritiæ immoderatæ, de quo gaudebant univerfi, obviatum eft, & folemnitas confequenter fperata concupifcenti animo, irritata eft in parte ac diminuta.

Hic Epifcopus, dum die quadam de Keiferftul, oppido epifcopatui pertinente, tranfiturus effet Wintertur, in villa una dicta Glattvelden, in via fita ejus, a Dominis de Tengen fibi illic infidiantibus ob injuriam, quam eis prius intulerat, captus eft, & de familia fua feu de comitatu fuo eum defendere conantibus, quia inermes erant, multi vulnerati funt. Ipfe vero in caftrum nomine Hewen deductus eft, ubi a tempore Pafcali usque ad tempus autumnale Anno Domini MCCCXXXVII. in captivitate detentus eft per eos, & tunc per quædam pacta, & per interventionem amicorum fuorum libertati redditus eft.

Tempore prædicto, quo Epifcopus in caftro prænominato detentus effet, fibi præfentari jubebat puerum monftruofum natum noviter prope caftrum in villa vocitata Welefchingen. Qui puer, licet infra in corpore valde pufillus effet, caput tamen in modum quartalis latum & magnum habuit, quod quotidie per inconfveta incrementa crevit, & tandem mirabili fua crefcentia oculos pueri obduxit, & ipfum cæcum effecit. Quod parentes ejus ante fores templorum multarum civitatum, quia pauperes erant, ponentes, multam eleemofynam ab hominibus ejus monftruofitatem admirantibus affecuti funt, quia cunctis ubique ipfum videntibus ftuporem & admirationem grandem incusfit; Præful etiam eo vifo in caftro memorato nimia admiratione perculfus eft.

Anno Domini MCCCXXXVIII. tempore æftivali, civitas Sweviæ infignis Rotwil Imperialis, fita apud fluvium Neker, ignis incendio, ut creditur, divinitus immiffo propter iniquitatem populi inhabitantis eam ulcifcendas, defolata eft funditus. Nam quidam mechanicus, dum incaute fagimen fuper igne refolveret, flamma de patella erupit, & proximiora loca quæque fuccendit: inde vero more animalis furiofi hinc inde difcurrens, vento valido & vehementi ipfam agitante, ad omnes partes civitatis fe quafi in ictu oculi irremediabiliter clara die difperfit, & longe lateque diffudit, & omnia fibi occurrentia pene confumpfit: LX. quoque homines, ut fertur, incineravit. Dum hæc plaga hominibus illius civitatis prædicta fuiffet a quodam bono viro, fpiritum prophetiæ habente, non adverterunt, nec Deum placaverunt, in malo indurati: Ideo repentinus interitus venit fuper eos. Plures autem civitates hæc videntes conterritæ funt, & ferias, jejunia, orationes, procesfiones, eleemofynas ad pacandum Deum fieri fanciverunt, ne eis infimilia evenirent, fed Dei falvi munere permanerent.

Anno Dominicæ Incarnat. MCCCXXXVIII. quidam Domini nobiles, Domini potentes, liberæque conditionis Swevi, *Domini tapiferi* de Walpurg, tempore hyemali, de medio noviter fublato generofo ac robufto patre fuo, dum mater ipforum, ut fufpicabantur, adhuc fuperftes, res mobiles hæreditarias, in auro & argento, in gemmis & in clenodiis confiftentes alienare conaretur, ipfam hoc præcavere fatagentes, & prævenire cupientes, ceperunt in uno caftrorum fuorum nomine Trutburg, cuftodiæ tamen humanæ mancipantes, quæ poft paucos dies illic vitam finivit. Infuper duos fratres de ordine prædicatorum captivaverunt: unum in turri caftri eorum dicti Walpurg per multas hebdomadas retrudentes, fecundum vero in diluculo diei Parafchafæ capientes, in ftupa hofpitii fui in yfnina per VIII. dies cum diligenti cuftodia detinebant. Hii vero propterea in captivitatem ducti funt, quia de grandi refervatione pecuniæ matris prædictorum dominorum noviter poft patrem defunctæ, fufpecti habebantur: nam dum adhuc viveret, pecuniam apud eos depofuiffe famabatur.

Anno Domini MCCCXXXIX. quidam Comes Sweviæ de Kilchberg vocitatus, in die parafchafæ, ex quadam vehementia fibi a dyabolica perfvafione immiffa, quod eft horribile dictu, fuum patrem interfecit, quod fcandalum & terrorem toti terræ intulit, qui acerbiffima pœnitentia, ut fertur, ductus ab Apoftolico abfolutionis beneficium a parricidii fcelere meruit mifericorditer adipifci.

Item eodem anno, Rex Tartarorum per quandam mulierem converfam ad *fidem* Katholicam a fratribus minoribus illic ad evangelizandum Chriftum commorantibus, converfus famatur: qui per legatos & epiftolam Papæ Benedicto fuppliciter demandavit, quod fibi Doctores, Prædicatores & Informatores orthodoxæ fidei deftinare dignaretur, qui gentem fuam ad fidem converterent, converfos baptizarent, baptizatos in fide novella folidarent. Qui mente hilari fibi annuens, L. fratres minores, eo quod converfionis fuæ occafio effent, viros idoneos, tam ratione bona, quam fcientiæ vitæ transmififfe aftruitur. Quantum illi profecerint, vel quantum populum ibi Domino Jefu Chrifto acquifierint, adhuc anno Domini MCCCXLIII. in quadragefima in Sveviæ partibus abfconditum & ignotum fuit.

Anno dominicæ incarnat. MCCCXXIX. cives

cives Bernenses suburbium Friburgense per ignem, quem injecerant, destruxerunt, quorum incursionem rabidam, repentinam & importunam effugere conantes, in fluvio illic præterfluente multi submersi sunt, nam per eum se evasuros mortis minas firmiter sperabant, si ab eis pertransitus salubriter fuisset. Tali etiam modo frater minor, illic conventualis existens, in eo interiit. Pecora Friburgensium in suburbio reperta a Bernensibus cum occisione Friburgensium aliquorum abducta sunt. Fertur autem, quod civium Friburgensium CCCC. vel D. per totam gverram ab eis contra Bernenses habitam occubuerint: quidam ajunt, fere mediam partem eorum a Bernensibus peremptam. Fertur vero, istud actum fuisse tempore paschali.

Item anno eodem, major pars oppidi Lucernensis casualiter per ignem vastata est.

Præterea anno eodem, in mense Junio, repentinum diluvium & particulare ex resolutione nubis aquosæ apud Uberlingen, ex insperato inportunissime supervenit, ita quod pecudes gregis inventas & deprehensas in campis secum veheret & deferret, & in eis homines graviter damnificaret nec solum in hoc, verum etiam in pratis, agris, vinetis, frumentis & ædificiis jacturam & molestiam grandem incolis illius confinii irrogaret.

Eodem anno in capite quadragesimæ, circa occasum solis dum in oppido Lindaugensi quidam vir in vico dextorum, lardum vel sagimen in caldari seu patella liquefaceret, flamma de sagimine jam resoluto tacto per ignem erupit, & per ventum repente in altum sublevata, tectum de tegulis ligneis confectum, jam propter nimiam vetustatem arefactum succendit: inde vero in momento derivata, & per venti inpetum seu flatum ad domos vicinas jactata, ipsas in rogum furiosissimum convertit; quæ dum incrementa inconsveta, & inopinata recepisset, & contra hominum confidentiam nimis excessive invaluisset, meliorem partem immo medullam exussit.

Eodem etiam anno quarta fere pars civitatis Moguntinæ, ut fertur, per incendium lamentabiliter in favillam & cinerem redacta est.

Insuper eodem anno, dum Pernenses per advocatos Ducum Austriæ, & per inediam damnificati in rebus & corporibus notabiliter, quod longa indigeret narratione, nimis fuissent, & consequenter territi & humiliati pacis fœdera petierunt, quæ per Reverendos Dominos, & viros alios industrios ad hoc electos mature sagaciterque tractata sunt, & legitime consumata. Hæc peracta sunt in Campo Regis, Domina Regina Ungariæ ibidem habitante, efficaciter se interponente, & nisum viscerosum & præcordialem ad hoc perficiendum præbente: nam sibi non parum cordi erat hoc fieri, pensans hominum stragem jam factam, & in futuro perniciosiorem pertimescendam, & terræ circumadjacentis desolationem. Per quæ autem pacta reconciliatio & conpositio ista patrata sit, proprie explanare nescio, multum etiam tempus & plura verba postularet conplanationis series, si ad ungvem declarari deberet. Facta sunt autem hæc anno prænominato, in mense Augusto.

Item eodem anno, tempore æstivali, cives Augustenses una cum aliis civitatibus Sveviæ sibi conjuratis, obsederunt tria castra spolii seu dominorum raptorum pluribus septimanis, & ipsa tandem capientes confregerunt, & solo coæquaverunt. In illa obsidione erant, exceptis civibus aliarum civitatum, de solis civibus Augustæ civitatis VII. vel VIII. ut fertur, milia virorum armatorum & ad prælia expeditorum: nam ipsis specialiter tunc temporis injuria ab illis spoliatoribus illata fuit. mercimonia enim eorum in via per insidias deprehendentes abduxerunt, vel ad castra sua transtulerunt, unum nobilem & insignem juvenem inventum in uno castro cum duobus servis, capitum amputatione mulctabant, quod etiam aliis fecissent, si eos in castris captis reperissent, nam fugam inierunt cum eos venire audierunt. Nec contenti fuerunt Augustenses in desolatione illorum trium castrorum fuissent, aliis illæsis permanentibus, nec civitatem suam reintrassent absque omnium castrorum deprædatorum destructione, si ab Imperatore Ludwico revocati districte non fuissent, qui ad conservandum favorem dominorum terræ hæc fieri præcepit.

Item eodem anno fames intolerabilis & nimis horribilis in Italia prævaluerat, ita ut multi homines de civitatibus expellerentur, & advenis & transeuntibus aditus & accessus præcluderetur, & innumerabiles præ nimia fame morerentur.

Insuper eodem anno, in civitate Florentia tanta pestilentia seu mortalitas orta est, ut narratur, quod de melioribus civibus XX. M. sunt defuncti, de aliis vero communibus LX. M. immo de plebeja turma quasi innumerabiles perierunt. Fertur quoque quod in hac mortalitate locupletes Burgenses aerem corruptum in civitate exortum, ad sua domicilia amœnissima extra civitatem sita fugiebant, quod quamvis studiose ac certatim facerent, nihil tamen per hoc perfecerunt, nam ibi sicut alias mors eos rapuit & prostravit; nam ibi sicut alibi aër infectus malitiam suam effudit. Similia quasi audivi de civitate Paduana & Januensi.

Præterea eodem anno Rex Angliæ, recuperatis & resumptis viribus, sicut supra prædixi, regnum Franciæ multis exercitibus occupavit. Quod videns Rex Franciæ misit exercitus suos, ut mare transfretantes regnum Angliæ devastarent. Quibus Rex Angliæ cum exercitibus suis, in vigilia Sancti Johannis babtistæ, in mari audacter occurrens, mox eos debellavit, LX. & CCC. naves in profundum maris dimergendo. Cum ergo Rex Angliæ Regis Franciæ navali bello, sicut dixi, vicisset populum, postea eadem æstate ante festum assumptionis beatæ Mariæ virginis, campestri bello superavit Regem cum suo exercitu, ipsum ad quoddam præsidium vel arcem fugando, & de populo exercituum LX. milia prosternendo.

Hoc

Hoc etiam tempore in quadragesima, in Kleggow pestilentia hominum grandis & satis prævalida orta est, ita quod circa Tuengen & Keiserstul & Klinggnow certatim morerentur, & multi periculose infirmarentur.

Præterea circiter ista tempora Imperator Ludwicus cives Ratisponenses propter rebellionem Episcoporum, in XL. vel ad minus in XXX. milibus marcarum argenti talliavit, treugas seu inducias ad triennium eis conferens.

Anno Domini MCCCXXXVIIII. in autumno, Imperator Ludwicus aliquot cives de Werd meliores sibi accusatos, & in Ingelstat sibi præsentatos jubebat exoculari: quendam vero in sacco dimergi, quod propter partialitatem & dissensionem eorundem civium occasionem traxerit: partes enim maximæ & gravissimæ civitates & alia loca confundunt. De hoc potest exemplum sumi primo & principaliter de civitate Romana, quæ est caput Ecclesiæ. Nam quando illic, ut in cronicis legitur, cives contra se divisi fuerant, magis ipsis & loco nocuit, quam perniciosissima & sævissima bella, quæ ab hostibus extraneis pertulerunt. Exemplum accipi potest de Thurego, sicut supra dixi, nam propter schisma ibidem exortum, adhuc hodierna die infelicior est, & deterior, & verisimile est, usque in generationem erit. Idem patet de Schafusa, ubi ab antiquo pars satis hostilis viguit, propter quam multa homicidia & crebra mala evenerunt. Idem patuit ante pauca tempora in Ulma, ubi cives potentiores & opulentiores propter discordiam & partialitatem, ibidem a satore zisaniarum dyabolo seminatam, se mutuo de civitate expulerunt, per hoc loco & hominibus occasionem perturbationis plurimam & variam inferentes. Nam prælia, seditiones & incendia, inde in malum ipsorum non modicum subsecuta sunt.

Item istis in temporibus, inter civitates & dominos terræ Sweviæ dissensio prævalida orta est. Nam cives civitatum contra dominos conjuraverunt, & injurias sibi a dominis illatas vindicaverunt, quod, quandoque Imperatore Ludwico invito, quandoque vero assentiente factum est: judicium enim & justitiam, pacemque habere non poterant ab Inperatore, remissius & negligentius in hoc & in aliis agente. Idcirco confœderationem istam contra dominos sibi infestos excogitarunt, & maturo ac circumspecto statuerunt consilio. Quod dum domini diu cum gravi eorum displicentia pertulissent, Imperatorem adierunt sibi seriosius hæc conquerentes: qui inportunas eorum querimonias animadvertens, ad capescendum & conservandum ipsorum favorem & amicitias, civitates in talibus ausibus conpescere nisus est, faciens decretum & pactum quoddam, quod pertranseo, minime civitatibus placens, quo pacis & dilectionis vinculum inter civitates & dominos persisteret.

Anno Domini MCCCXXIX. in Septembri, Regis Angliæ virtus & robur apparuit evidenter. Nam civitatem unam grandem, munitionibus, turribus & fossatis firmissimam, dictam Torn, Regi Franciæ subactam cum tanto exercitu obsedit, quod in eo fuisse feruntur tentoriorum, & casarum, & tuguriorum XL. milia.

Anno eodem vinum, quod prius duobus annis tam in vitibus quam in cellariis valde defecerat, copiose per totam terram crevit. Quod si factum non fuisset, omnis homo aquam de necessitate bibisset: nam vinum tam exhaustum fuit, quod pene nichil in cellariis remansit.

Anno Domini MCCCXXXVIII. IX. XL. in Alemania terra tam uberem fructum frumenti produxit, quod magnus panis in modum capitis magnæ bovis, pro uno denario Constantiensi vendebatur, ita quod duobus *vel tribus* sufficiebat, qui panis triticeus erat, albus, purgatus bene.

Anno Domini MCCCXL. prout fama publica contestabatur, Rex Angliæ cum tam fortem civitatem Torn per exercitus suos innumerabiles fame & aliis incommodis afflixisset in tantum, quod jam quasi ipsam in manus suas resignare decrevissent, & terram circumquaque occupasset, damnificasset, & crebris diutinisque malis desolatam reddidisset, multos quoque bellando occidisset tam in terra quam in aqua: tandem Rex Franciæ humiliatus, quia conterritus, ad pacandum eum terram Valconiæ, pro qua maxime, ut quidam ajunt, decertatio suscitata inter eos fuit, sibi restituit *libere*, quam prius multo tempore sibi ipsi temere & contra justitiam usurpaverat. Reconciliari insuper sibi petiit, & de injuria illata ei emendam facere certissime repromisit: reconciliationis & emendæ sed series & modus conpromissa sunt, in arbitros præclaros & industrios, ex utraque parte ad hoc electos, quorum pacta & statuta, determinationes & sanctiones uterque Rex ad nutum servare & custodire firmiter pollicitus est: nam infringenti pœna merito pertimescenda minata est. Et sic Rex Angliæ superno sibi assistente præsidio, bellum suum ad laudabilem exitum perduxit: gloriose enim triumphavit, & nomen gloriæ inmensæ per mundi climata acquisivit. Unde hirco in libro Danielis prophetæ comparari potest, qui arietem fortem superavit, & ejus duo cornua confregit & contrivit. Quis a multis annis retroactis audivit talia? videlicet, quod minor Rex, pauperior & impotentior longe regnum opulentioris, præstantiorisque Regis tam potenter intraret, & tam egregie tam Regem quam regnum perdomaret; nam Deus quia erat cum eo, nemo prævalere quibat contra eum; Deus erat pro eo, quis ergo contra eum? Nullus. Deus enim, sicut Sacra Scriptura refert, potest servare in paucis sicut in multis. Unde quamvis ingentem populum habuerit, tamen paucum habuit respectu Regis Franciæ: hinc sibi possum adaptare verbum Christi in evangelio Lucæ dicentis: aut quis Rex iturus bellum committere adversus alium Regem? nonne sedens prius conputat, si cum X. millibus possit occurrere ei, qui cum XX. millibus ad se venit: alias

alias mittens legationem rogat ea, quæ pacis sunt. Sic possum sibi applicare quodammodo verbum Isaiæ dcientis: dixi Christo meo Ciro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & Regum dorsa convertam &c.

Hic Rex Angliæ ante egressum suum de terra Angliæ ad terram Franciæ, Ludwico Imperatori magnam pecuniam se daturum repromisit, ut cum Alemanis, maxime autem Swevis in auxilium sui venire dignaretur. Qui se facturum sub juramenti asseveratione spopondit, & cum pecuniæ aliquam partem recepisset, ut quidam ajunt, a proposito resilivit, & suum promissum cum hominum displicentia & scandalo non modico infregit; & dum Imperatrix ei persvadere niteretur cum lacrimis, quod verba promissionis suæ ratificare ac verificare curaret impleturus strenue, quemadmodum se ad hoc astrinxerat, respondit: tu alium virum desideras, & ideo me hortaris ut discrimini & periculis præliorum me immisceam & committam. Et sic absque ejus juvamine Rex Angliæ palmam victoriæ hoc excepto adeptus est, quod Ludwicus primo anno exitus Regis Angliæ, in subsidium sui filium suum, Marchionatus Brandenburgensis Dominum misit, cum paucis galeatis forte C. qui dum cum aliis exercitibus & bellatorum turmis Regis Angliæ hostes agredi decrevissent, Dominus Otto de Walpurg, Swevus, vir utique juvenis, fortis viribus, proceræ staturæ, signifer seu primicerius unius exercitus Regis Angliæ ordinatus est, quem filius Ludwici de terra Seviæ in comitatum suum accersivit, quod Swevi in reditu suo fastigium honoris maximi reputarunt, & prærogativam specialem.

Fama communis affirmat, quod Dux Brabantiæ cum maxima multitudine Regem Angliæ adjuverit: similiter Comes Hollandiæ, & plures alii Domini de inferiori Alemania; Sed Flandrenses, ut astruitur, in duodecies centum millibus armatorum sibi auxiliati sunt. Per quorum adjutorium, & suorum de regno Angliæ secum eductis Rex Angliæ Regem Franciæ humiliavit. Unde de eo quodamodo, judicio meo, dici potest, quod legitur de Rege Alexandro Magno in libro primo Machabæorum, videlicet quod egressus est de terra Cethim, & adversus Darium Regem Persarum & Medorum constituit prælia multa, & omnium obtinuit munitiones, & accepit spolia multitudinis gentium, & siluit terra in conspectu ejus; unde sibi secundum hoc non incongrue potest conparari.

Fertur etiam, quod civitates obsessæ ab eo adeo affectuose desiderabant adventum Inperatoris Ludwici, quia Inperiales erant; quod si tantum vidissent vexillum Imperii, immediate absque resistentia portas, nimio gaudio persusi, aperuissent: nam mallent Imperio, cujus sunt, subesse, quam jugo alieno Regis Franciæ, qui eas Inperio, ut dicitur, illicite & indebite abstraxit; & ideo, si Imperator promissum suum exhibitum Regi Angliæ servasset, secum cum Swevis, Franconibus, Bavaris, Alsaticis, Rhenensibus sibi subjectis in regno Alemaniæ, contra Regem Franciæ præliaturus, procedendo, & regnum ejus intrando, procul dubio, ut verisimile est, regnum Franciæ cum Rege suo penitus debellasset, & civitates inperiales inperio recuperasset, & consequenter Papam Benedictum duodecimum tunc Ecclesiæ præsidentem, benevolum & propitium ad perficiendum omne voluntatis suæ desiderium invenisset. Nam Rex Franciæ ut supra memini me dixisse, Papam sibi subactum, quamdiu in Avione demoratur, cohibet & refrenat, ne Inperatori aliqualiter condescendat, ne bona Imperii surrepta & sibi usurpata eum amittere contingat. Cum autem Ludwicus, ut supra dixi, remissus & negligens pavidusque existat ad præliandum contra suum adversarium una cum Rege Angliæ, iter tactus belli horrore non arripuit, & bonum taliter suum & imperii consequenter neglexit: maluit enim in Alemania sibi valde subdita confessor esse, quam in Francia ut timuit, martyr fieri. Fortunatus enim valde erat, & multa bona sine prælii certamine adeptus erat: ducatum namque unum Bavariæ hæreditavit, multæ quoq; divitiæ & terræ sibi obvenerunt, & ad eum devolutæ, sui ditioni adjectæ sunt; cuncti quoque adversarii sui, quos in terra Alemaniæ habuit & alibi, defuncti sunt.

Item anno Domini MCCCXXXVIIII. Episcopus Augustensis graviter infamatus fuit de raptu seu oppressione virginis filiæ hospitis sui, in quodam loco Episcopatus ejus. Nam puella cum ejulatu & validis clamoribus publice hoc coram hominibus contestabatur, propter quod, ut fertur, a civibus Augustensibus a civitate depulsus & fugatus fuit. Qui declinans ad Inperatorem Ludwicum, a quo illic Episcopus constitutus erat, & sibi conquerens, & proponens, & se quantum poterat expurgans, per eum in locum suum restitutus fuit. Quidam ajunt, sibi falso impositum fuisse, quia non violenter, sed cum consensu virginis actum venereum cum ea perfecisse. Sed quia semper secundum jura præsumendum est de unoquoque potius bonum quam malum, nisi probetur contrarium; & in dubiis & in incertis interpretatio in meliorem partem facienda est, tenendum fuit melius deteriori dimisso.

Insuper eodem anno, idem Episcopus mediante informatione & auctoritate Inperatoris, totum Clerum suæ dyocesis gravissime talliavit: multitudinem enim suorum debitorum ac penuriam grandem allegans, & prætendens, inportunus exactor effectus est. Non solum autem clerum sæcularem, verum etiam monasteria non exempta & sibi immediate subdita, cujuscunque ordinis extiterant, absque moderamine excoriavit. Dicebatur a quibusdam, quod tertiam partem bonorum a singulis clericis ac monasteriis exegerit, ita quod multi pauperes & inopes Sacerdotes, modicas præbendas ac beneficia habentes, stipendiis inportabilibus sibi sine libra justitiæ & discretionis impositis onerati, sauciatis cordibus usque ad sydera ululatu miserabilissimo vociferati sunt. Magna enim erat velut mare contritio eorum, & ideo organa lætitiæ suspendentes, voce flebili

& rauco sonitu carmina & cantica funebria personabant.

Item eodem anno Inperator Ludwicus tantum congregavit populum contra Episcopum Saltzburgensem sibi rebellare cogitantem, quod circa civitatem, ut fertur, Bavariæ Monacensem campum ad IIII. milliaria occupavit: quod audiens Episcopus nimis perterritus, pacem petiit, & illico inpetravit, promittens Inperatori in omnibus obtemperare, & ab eo nunquam de cetero velle discrepare.

Anno Domini MCCCXL. in vernali tempore, Serenissimo Regi Angliæ a suis Baronibus fraus turpis illata est. Nam cum tunc temporis, ut fertur, in partibus Flandriæ ageret, Rex Franciæ pacis, ut supra dixi, fœdera inita cum Rege Angliæ infringere molitus, potiores regni Angliæ, qui domi remanserant, muneribus largis, promissionibus allectivis induxit & corrupit, ut regnum Angliæ absente Rege sibi traderent. Quod dum conati fuissent executioni commendare concupitæ, & hoc Regi celeriter per suos intimos amicos innotuisset, per alios strenuos milites & populum vulgarem traditores conprehendens, in furore magno diris suppliciis perdidit eos.

His in temporibus, in partibus Galliæ vel Italiæ, quod conscribere in animo meo dignum judicavi, ut percepi fide digna relatione, factum crudelissimum est commissum. Nam ibidem partialitate in una civitate, & seditione acerbissima id causante, quidam potens civis cum fautoribus suis expulsus fuit a civitate: qui propter hoc hostis sævissimus civitatis effectus, sibi molestus esse nimis cœpit. Medio vero tempore contigit, fratrem suum, virum elegantis formæ, robustum corpore, officio Abbatem Monasterii unius siti in eodem loco ordinis, ut intellexi, Præmonstratensium, in monte proclivo suspectum haberi de crimine delationis civitatis ejusdem, cum tamen inmunis esset ab illo penitus & alienus, propter quod captus fuit, & in carruca positus, per vicos & per plateas civitatis vectus & deductus est, in qua Karruca carbones igniti in uno vase fictili, & valde ardentes locati sunt; in quibus cives civitatis & adversæ partis sequentes karrum, forcipes ignientes suas & calefacientes, & corpori Abbatis applicantes, membra torrebant, adurebant, adusta & tosta abstraxerunt & abraserunt, ita quod membratim discerptus fuit. Unus namque coram populo nasum suum, alter oculos, tercius maxillam detruncabat, & prorsus dilaniavit, & sic de aliis, quousque corpus suum spectabile & decorum in formam trunci deformis redigeretur. Cum hæc patiens cum valido clamore & allegatione suæ innocentiæ pateretur, ipsum deinde equo indomito alligantes tanquam malefactorem deterrimum per vicos civitatis ignominiose, omni ablata & oblita misericordia, traxerunt. Quem mox, isto ludibrio & supplicio peracto, dolio circumquaque clavis acutissimis sibi infixis injecerunt, & de alto montis loci Monasterii hoc volvendo præcipitantes, per singulos vicos in imo constitutos innumerabilibus ictibus eum trucidabant: tandem eum extrahentes, capitis obtruncatione martyrii in eo asperitatem ac sævitiam conpleverunt. Servum sed ipsius atrocius & multo inhumanius, quod pertranseo, tractantes, miserabiliter in excogitatis suppliciis mori coegerunt, quod est horribile dictu.

Anno Domini MCCCXL. circiter festum sancti Andreæ, Dominus de Geroltzeg prælium committens cum alio Domino in Alsatia, propter electionem discordem duarum monialium terræ Alsatiæ, in cœnobio quodam celebratam, motus minime prosperatus est, immo, ut fertur, cum gravi jactura rerum & corporum succubuit, suorum adversario prævalente.

Præterea eodem anno, circiter festum sancti Martini, Paganorum innumerabilis multitudo partes Christianitatis in plaga Occidentali, ad demoliendas eas repentino & insperato cursu invaserant. Quod videntes tres Reges Katholici, scilicet Rex Kastellæ. Rex Arragoniæ, Rex Majoricæ, sumptis secum suis exercitibus, audacter & strenue infidelium truculentam & inæstimabilem aciem aggredientes certaminis discrimen commiserunt, & cooperante eis divino adjutorio, ut fama celebris attestatur, equitum centum millia cum XXX. millibus, peditum vero L. M. occiderunt, V. Reges peremerunt, X. reginas captivas duxerunt, spolia quasi infinita ceperunt, quibus nimium locupletati sunt. De fidelibus vero IIII. millia corruerunt: sed de gentilibus præter occisos in ore gladii jam numeratos, valde multi conculcati sunt & submersi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXLI. in quadragesima, tanta multitudo Tartarorum & aliorum Paganorum famis inedia conpulsa, terram Regis Gragowiæ & Ungariæ ingressa est, quod quantum ad longitudinem, in XX. milliaribus, & quantum ad latitudinem in V. vel IX. ut fertur, terræ spatium occupavit. De iis paganis talis opinio volavit, quod alimonia & victus necessaria in regionibus suis ipsis defecerant, & fames crudelissima illic prævaluerat propter locustarum voracitatem, quarum supra mentionem habui. Nam quæque viridia & terræ nascentia consumpserunt: quidam enim famant, eas ortum habuisse ibidem. De iis etiam gentibus recitabatur, quod cum suis uxoribus & liberis, ac pecoribus de finibus suis ad Christianorum terminos exierunt, & deficientibus victualibus se mutuo devorabant. Per eos ergo terra fidelium in multis locis grassata est, & graviter desolata. Dum ergo Rex Kraggoviæ & Rex Ungariæ inpetum ac feritatem cohibere ac restringere ipsorum minime sperarent, & eorum multitudinem inmensam & ferocem quasi desperati pertimuissent, non putantes a facie ipsorum posse subsistere, legationem miserunt per epistolam supplicissimam Inperatori Ludwico, & pluribus aliis Principibus Katholicis, hæc continentem videlicet, quod intuitu æternæ retributionis & fraternæ Karitatis, ac fidei orthodoxæ quam simul profiterentur, mittere dignarentur eis adjutorium

in

in tempore tribulationis eorum: alias infideles fidelibus prævalere contingeret, ut verisimiliter timerent, & per consequens nomen Christi ab eis blasphemari, in scandalum fidei Christianæ probatissimæ. Procul enim dubio dicturi essent: Ubi est Deus eorum, in quo habebant fiduciam? surgat & opituletur eis, & in necessitate hac eos protegat. Cum autem Inperator epistolam hanc perspexisset, subridens ait: cum sint Reges potentes & fortes, seipsos defendant ab infidelium incursu. Et sic nullum eis præstitit auxilium, sed penitus denegavit. Præsertim Regi Ungariæ adjutorium ferre contradixit, dicens: libentius velle se lingvam ejus devorasse, quam ei adminiculum quantumcunque parvum præstare: nam usque ad illam diem in omnibus promotionibus suis & negotiis eum sibi adversarium sensisset. De istis Paganis certum quasi nichil vel parum scio enarrare, eo quod fama varia & dissimilis de iis ad mei notitiam pervenit, qualiter inter fideles triunphaverint, vel qualiter vel quantum occubuerint vel succubuerint. Cum igitur assertim de hac materia scribere non valeam, tamen varietates famæ, prout melius potero, declarabo. Audivi autem primo, quod Christiani cum Paganis usque ad VI. diem conflixerint, noctibus exceptis singulis interjectis, quia secundum ipsorum placitum & condictum mutuum tunc quietis & pacis commodo fruebantur: & in VI. die, hora nona fideles triunphaverint, Paganis prostratis ab eis & occisis CXXX. milibus. Secundo percepi, quod a cruciferis & a suis coadjutoribus cæsæ sint Paganorum legiones multæ: nam in eos more indomito & bestiali sævierunt, & divino suffragante eis adjutorio plaga magna usque ad internecionem percusserunt. De ipsis tamen, ut intellexi, cruciferis in illo certamine D. ceciderunt. Terminos Regis Ungariæ ex utraque parte Danubii longe lateque occupaverunt: nam sicut locustæ super faciem terræ illius se diffundientes, perniciose ipsam vastabant. Quorum multitudini grandi Rex Ungariæ resistere non valens, populo suo universo nondum tacto & damnificato præcepit, ut pecora sua fugæ darent, & domos suas concremarent, ut dum hostibus superventuris in modum turbinis valde famelicis alimenti nichil remaneret, & comodi necessitate conpulsi tali tam urgenti terram illico desererent, & ad terras suas vel regiones nativas remearent. Dum itaque terram Ungariæ sine misericordia dissiparent, multi fidelium de diversis locis finitimis zelo fidei animati & accensi, cruce se signantes convenerunt, & cum furore ingenti in Paganos irruentes magnam partem ex eis in ore gladii occiderunt, reliquos vero fugarunt, ipsos acriter persequendo: quorum persecutionem & inpetum ferre non valentes, ad propria sunt reversi, secum tamen heu multis deductis Christicolis utriusque sexus, captis ab eis. Duo Svevi oriundi de Pago dicto Hegöw, demorantes pro negotiis suis agitandis in Austria apud Duces, in illo disturbio, & audientes gentium tyrannidem & Christianorum necessitatem & angustiam, postpositis cunctis negotiis suis, cum aliis fidelibus viris ad dimicandum contra infideles properabant, & aggredientes unum cuneum eorum constantem quasi ex V. millibus, & prælium committentes ipsum penitus peremerunt: quam multitudinem modicam reputabant, considerantes gentilium grandem multitudinem adhuc superstitem. Audivi etiam quarto, quod quoddam genus Gentium terram filii Inperatoris, dominantis in Marchionatu Brandenburgensi valde hostiliter invaserit. Quod audiens Imperator, exercitum juxta insignem civitatem, Sweviæ metropolim Augustam congregare disposuit, ut cum illo in filii auxilium veniret. Cum autem in hoc tardaret, & periculum propter inportunitatem infidelium, & moram Patris jam dicto filio Domino Brandenburgensi graviter incunberet, absque Patris juvamine prælii certamen cum hostibus Ecclesiæ iniit, & triumphum gloriose adeptus est. Causam adventus horum paganorum aliqui aliter assignant, dicentes quod Imperator Tartarorum duos paganos breviter ante ista tempora, Reges satis idoneos Ruthenis præfecerat, quibus successive ab eis per venenum extinctis, procuravit eis Christianum Latinum, si illi parcere vellent, ut videret. Qui dum regni gubernacula per plura annorum curricula strenue gessisset, tandem cum numerum & ritum Latinorum illic multiplicasset, & hoc Ruthenis displicuisset, ipsum intoxicabant per venenum tam forte, quod dissiliit in plures partes. Quod audiens Rex Kragowiæ, cujus consors soror uxoris Regis Ruthenorum jam intoxicati fuerat, illuc cum exercitu properavit, & inmensam pecuniam ab eo relictam rapiens reversus est: propter quod Imperator Tartarorum hæc intelligens, nimio furore agitatus, paganos memoratos ad devastandam regionem Regis Kragowiæ, & alias finitimas regiones principum fidelium emisit. Qui inter cætera facta sua civitatem unam regalem, pertinentem Regi Kragowiæ obsederunt: quod videns Rex sæpe dictus exercitum congregavit, & in eos irruens in obsidione constitutos, occidit ex ipsis VI millia, & civitatem viriliter defendit, Reges paganos plures & alios majores natu, qui se pecunia redimere poterant, illæsos abire permisit. In illo conflictu Duces Poloniæ fortiter egerunt. De prædictis paganis maxima multitudo repentino incursu & insperato Brusciam ingreditur, & eam degrassantur: Sed Christiani, quam cito poterant, se congregantes, bellum eis inferunt, & in eo prævalentes ipsos fugarunt, non tamen absque cæde & sanguinis effusione multorum Christicolarum. Hii pagani pueros Christianorum rapientes de manibus matrum suarum, devoraverunt, carnes infantium & lactentium dulces præ cæteris asserentes; matres vero ipsorum nimium dolentes de nece eorum, ipsos sibi abstractos more beluarum indomitarum ablatis fœtibus insequebantur, & invenientes eos in manibus paganorum, ipsos certatim inportunis vocibus & actibus repetebant: quos dum rehabere non valebant, in

paganos irruerunt, & prælii certamen commiserunt. Istæ mulieres paganæ, quod est mirabile dictu, ut fertur, habebant quosdam uncos ferreos, cuidam instrumento vel ligamini ferreo seu katenulæ alligatos, quos uberibus fœminarum Christicolarum infixerunt, & eas post se taliter traxerunt. Cum itaque ex dictis pateat, quod pauci Christiani multos paganos superaverunt & fugarunt, verificatum est verbum Moysi dicentis in libro Levitici: persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis; persequentur ex vobis quinque centum alienos, & centum ex vobis decem millia, cadent coram vobis inimici vestri gladio.

Item anno Domini M. CCC. XLI tempore æstivali, Rex Angliæ prælium intermissum inter ipsum & Regem Franciæ renovavit magnanimiter, & resumpsit. Nam æquanimiter ferre non valens, quod Rex Franciæ pacta & fœdera pacis inter ipsos, ut supra memoravi, salubriter habita & acta ausu temerario irritavit, directus est in fortitudine contra ipsum, & de populo suo multitudinem grandem nimis interemit.

Item eodem anno, tempore autumnali, Rex Angliæ Regem Scotiæ contra eum rebellantem, ac Regi Franciæ adminiculum præbentem, cum Regina consorte sua cepit, & custodiæ diligenter mancipavit, eosque in rebus & personis plurimum humiliavit; non enim more solito sibi subesse voluit, sed pertinaciter resistere.

Præterea eodem anno Imperator Ludwicus & Rex Franciæ repente, tempore quadragesimali confœderati sunt. Insuper Rex præfatus Legatos suos una cum Legatis Imperatoris solemnibus, scilicet Duce Saxoniæ, Comite Hollandiæ, Comite uno Sweviæ de Hohenberg, Jurisperito egregio misit ad summum Pontificem, mandans & committens eis, ut ex parte ipsius sibi suggererent, ut Imperatorem prænominatum, virum utique orthodoxum, pium & justum, & sibi penitus reconciliatum ad gremium matris Ecclesiæ karitative reciperet, nec amplius sibi clauderet, sed potius late ac libere aperiret, qui vacui heu omni gratia redierunt. Facta sunt autem hæc in autumno.

Præterea eodem anno circa festum Sancti Michaelis, Longobardia graviter & perniciose contra se divisa est. Nam Dominus dictus Canis de Bern cum civitatibus sibi adhærentibus ex una parte, & Dominus Mediolanensis una cum civitatibus sibi cooperantibus ex alia parte, contra se præliari cogitantes, ex Alemania & aliis regionibus ac nationibus multitudinem grandem stipendiariorum & bellatorum coacervarunt: immo, ut fertur, in tanta copia collegerunt & attraxerunt viros ad dimicandum paratos & expeditos, ut ex parte Domini Canis referantur in unum convenisse tredecies millena virorum equitum & armatorum, peditibus in magno & inæstimabili numero congregatis; & ex parte Domini Mediolani duodecies millena cum peditibus in incredibili numero, ut arena maris quodammodo, convocatis. Cum autem die statuto & opportuno cum canticis, imo ut verius loquar, cum carminibus funebribus ad prælii certamen prædictæ partes congressæ fuissent: ab ortu fere solis usque ad horam vespertinam tam acriter conflixerunt, quod ex exercitibus anbobus duo millia corruerunt. Quamvis autem de exercitu Domini Mediolanensis urbis plures ceciderint, in fine tamen, ubi laus canitur, campum obtinuit, & cum suis triumphavit. Ibi multæ personæ insignes, magnanimes, potentes, nobiles & robustæ lamentabiliter ceciderunt: erat enim prælium acerbum.

Item eodem anno, tempore æstivali, dum fratres minores in Ratispona more consveto, e regione in choro stantes cultum divinum facerent, & tempestas sævissima ingrueret, fulmen de cœlo veniens vehementissime, fratrem unum antiquum & reverendum prostravit, & ad mortem percussit, multos quoque alios fratres crudeliter terruit ac infirmavit.

Circiter hæc tempora Nüwenburg, in ripa Rheni sita, pignorata, ut supra memoravi, Ducibus Austriæ ab Imperatore Ludwico, eo quod eis obtemperare sperneret, obsidione ab eis vallata est VI. septimanis, & tunc per eorum supplices partes liberata est eis porrectas.

Anno Domini M. CCC. XLII. filius Regis Boemiæ junior ignominiose, Dominis terræ id procurantibus, propter inpotentiam vel saltem ob famam & opinionem inpotentiæ coeundi, a consorte sua, filia Ducis Karinthiæ, *pulcra nimis*, repulsus est: quam filius senior Ludwici Inperatoris, habens prius in uxorem filiam Regis Daciæ, sed tunc noviter defunctam, ductus persvasione Patris sui, traduxit solemniter, carpens cum ea dominatum gloriosum. priori marito fugato, uxore cum rebus spoliato, matrimonii divortio inter eum & eam minime celebrato. Nam XVI. annis in comitatu Tirol sibi cohabitans, in tantum ea, secundum famæ testimonium, abusus fuisse dicitur, quod Kapitella uberum suorum dentibus suis truncaverit. Fertur, quod multi Domini terrarum de Alimania & Longobardia ipsum filium Imperatoris, celebrantem nuptias cum memorata Domina tempore Februarii, copiosis exeniis & pretiosis muneribus honoraverint. In quibus nuptiis Episcopus de Vrisingen præsens ob reverentiam filii Inperatoris & Patris existens, mortem subitaneam ac insperatam & inprovisam incurrit, de alto in imum cadendo. Plures dyocesani vicini terræ Dominæ istius, divortium inter eam & priorem maritum celebrare dissimulabant, quamvis preces ad id faciendum Inperatoris obnixas recepissent: humiliter enim se excusabant, & a facie ejus callide declinabant, execrabile & prophanum id facere censentes; nam tota terra illud matrimonium multifariam multisque modis diris vocibus inculpavit.

In illo tempore Rex Boemus, pater filii memorati, visu orbatus est. Hic ante aliquot annos laudabilem famam in Ecclesia acquisivit; nam strenue fortiterque egerat tam inter Katholicos quam inter paganos: Sed tandem deturpa-

turpavit contra Ludwicum Inperatorem & alios Principes Ecclesiæ, tam in Longobardia quam in Germania fraudulenter agendo. Hic etiam quamvis cœcus factus fuerit, tamen per suos serviciales ac consangwineos, & cæteros amicos, per filium suum quoque majorem, Dominum terræ dictæ Merhern, in ultionem injuriæ illatæ ab Inperatore filio suo juniori, Domino Comitatus dicti Tyrol, supra memoratæ, Marchionatum Brandenburgensem incendiis, spoliis, oppidorum obsessione & eorum captione graviter depopulatur. Contra quos filius senior Inperatoris, raptor sponsæ filii Regis Boemiæ, una cum Patris auxilio exercitus dirigens, pro defensione terræ suæ bellum eis intulit, & sic plena periculis prælia inter eos commissa sunt & attemptata.

Item circiter ista tempora Pagani in parte ceperunt civitatem Katholicam nomine Trapæon, quos Inperator Græcorum, bonus Christicola, concito gressu superveniens, viriliter fugavit, & habitatoribus civitatis pacem reddidit, qui ipsam in statum pristinum totis viribus reformarunt. Sed quidam famant contrarium, quod non sit rehabita a Cristicolis, sed adhuc a paganis detenta.

Anno dominicæ incarnationis MCCCXLII. apud oppidum Horenberg vocitatum XIII. Judæi deprehensi in sacrilegiis & aliis furtis gravibus conbusti sunt, conplices quoque sui aliqui ab eis proditi, vel alias notati, Schahusæ, & in Friburgo inferiori, & in Phillingen morte condigna mulctati sunt.

Anno Dominicæ incarnat. M CCC XLII. Danubius fluvius, nivibus resolutis, circa festum purificationis Beatæ Mariæ, in tantum excrevit, quod in longitudine duorum miliarium, & in latitudine unius miliaris, per sui alvei effluentiam nimiam in quibusdam partibus res cunctas & fructus universos destruxit, ut fertur, & quod de hominibus VI. millia absorbuit. Tanta etiam inundantia eodem tempore maris circa Venetias facta fuit, quod totam civitatem absorbere quodammodo visum fuit: nam eam longe lateque occupans, & in singulis domibus alte ascendens, in radicibus & speciebus aromaticis, & aliis rebus damna inæstimabilia civibus intulit.

Eodem anno in cænobio Sveviæ, nomine Kilchberg, plures quam XXX. moniales mortem subitaneam quasi incurrerunt propter esum pulmenti, in quo ignoranter vermis venenosus decoctus erat, nam ollam negligenter depositam præterita die casualiter intravit, & crastina die in ea latitans, coco minime advertente, pulmentum decoctum in ea totum infecit, & edentibus id mortem inprovisam ministravit.

Eodem anno in villa quadam apud Turregum, fertur equum tantum de lolio comedisse, quod tam longum & forte somnium incidit, quod a Domino suo putatus mortuus extra villam vectus fuit, & excoriatus: qui tandem post somnii consumationem evigilans domum rediit, & domino & aliis hominibus eum cernentibus stuporem incussit.

Eodem anno in principio Maji mensis, duo viri in Swevia apud oppidum Lütkilch, dantes agriculturæ operam, cum jumentis a fulmine extincti sunt.

Anno eodem Rex Daciæ, habens in auxilio unum Dominum de Locha Swevum, cum CCC. galeatis, & confligens cum Rege Sweciæ, prostravit de potioribus regni illius CCC. cum L. exceptis vulgaribus valde multis: propter quam cædem Dominus de Locha cum suis commilitonibus ultra manere non audens, cum multa pecunia adepta per Regem Daciæ reversus est locupletatus.

Anno Domini M. CCC. XLII. tempore æstivali, ortum est prælium satis atrox inter Thuricenses & Schafusenses, quod mutuo se damnificabant rebus & corporibus per multas septimanas: tandem sopitum ac sedatum mediantibus quibusdam pactis per interpositionem civitatum Imperialium fuit.

Anno eodem in oppido Wintertur dissensio civium prævalida orta est tanta, quod communitas de potioribus plures cum furore & inpetu expulit, ita quod per menses aliquot eliminati de oppido in diversis locis se receperunt, exspectantes cum tædio regressum; malitia autem ipsorum perpetrata ab eis multimoda hoc exegit, ut fertur.

Item eodem anno seditio periculosa inter cives Constantienses ebullivit: nam universitas sentiens Consulum & Rectorum civitatis excessus graves & inportabiles, insurrexerunt ferociter contra eos, deponentes eos a suis officiis, & ab omni dignitatis apice, de civitate aliter & consultius ordinantes.

Anno Domini MCCCXLII. circiter festum beati Marci obiit Papa Benedictus XII. qui dum infirmari cepisset, venit quidam, ut fertur, conversus ordinis sui ad eum dicens: Pater Sancte, nisi vitam tuam emendes, in brevi morieris. Qui respondens ait: Unde nosti? Propheta es tu? Fecit ergo eum in custodia detineri, usque dum rei veritas videretur: qua visa juxta viri Dei vaticinium de captivitate ereptus est. Nam Papa brevi infirmitate correptus, viam universæ carnis intravit.

Anno eodem, defuncto Benedicto Papa XII. statim creatus fuit Clemens VI. ante Archiepiscopus Rothomogensis, ordinis Sancti Benedicti, qui illico post suam creationem in parte thesaurum Ecclesiæ dispersit Cardinalibus, & diversi generis pauperibus, nam liberalem eum virum & peritissimum in multis facultatibus fama testatur. Ad quem post suam creationem inmediate de diversis nationibus Christianitatis pro inpetrandis beneficiis confluxerant XX. M. scolarium, quorum II. M. obierunt morte debita, sed (C. in Rodano fluvio submersi sunt, ut opinio famosa astruit.

Præterea eodem anno in æstate, in partibus Alemaniæ tanta fuit facta inundantia imbrium, & excrescentia aquarum, quod multi pontes firmissimi, quorum unus in Frankenfurt fuit, discer-

discerpti & dissipati sunt; multæ quoque civitates & eorum cænobia, sicut patuit in Eslingen, propter aquarum inpetum & effluentiam inportunam in magna parte dirupta sunt cum maxima hominum displicentia, desolatione & tremore. Particulare enim diluvium videbatur hominibus in illa regione habitantibus imminere: nam Longobardiam hæc alluvio, sicut asseritur, non tangebat.

Anno Domini MCCCXLIII. ante purificationem beatæ virginis, Legati Inperatoris famosi, probati & incliti iterum redierunt vacui omni gratia, apud Papam Clementem VI. nichil proficientes, & nil reportantes boni de conpositione, concupiscenti animo ab Ecclesia sperata: nam, ut fertur, Papam non modicum inclinatum, & Regem Franciæ ad reformandam Ecclesiæ unitatem, Rex Boemiæ, propter contemptum Filio suo juniori irrogatum ab Inperatore, ut supra memoravi, revocavit & avertit.

Item eodem anno cives Ravenspurgenses infra triduum castrum unum dictum Walse ceperunt, & cives suos captos ibi & detentos a Domino de Elribach, & ob petitionem eorum humilem restitutioni pristinæ reddi suæ denegatos, de captivitate magnanimiter eruerunt, quinque castri custodibus captis illic repertis & secum abductis, quorum capita anputassent, si Dux Sweviæ, mediocris filius Inperatoris, tunc domicilium illic habens, pro ipsis tam seriose non intercessisset.

Item anno Domini M. CCC. XLII. dum creatus fuit Papa Clemens VI. in brevi postea creavit unum Cardinalem de ordine fratrum prædicatorum, & unum de ordine fratrum minorum. Insuper Generali eorum solemnem contulit patriarchatum.

His in temporibus obiit Michael in Monaco, ante præfatum Generalis fratrum minorum, cujus supra mentionem feceram copiose.

His etiam temporibus Ludwicus Inperator, ut fama communis me edocuit, gloriebatur in tribus Principatibus gradatim & successive se genuisse tria genera liberorum Principum, & quod hoc rarum fuerit apud suos Prædecessores, videlicet primum & humillimum in Principatu Ducatus Bawariæ, secundum in Principatu regni Alemaniæ, tertium & supremum in principatu Imperii Romanorum. Præsertim autem gloriebatur, se genuisse unum filium, dum interim ibidem demoraretur in Romana civitate. De quo eisdem temporibus Inperatore querimonia gravis & intolerabilis per totam terram suam volavit, quod inconstans esset in omnibus viis suis, maxime in suis promissis & litteris. Magnam peritiam habuit navim gubernandi & vehicula, quorum mirum usum habuit in venationibus, quibus frequenter deditus fuit.

In illo quoque tempore Commendator Prælatus Hospitalariorum in Uberlingen, vir nimis arrogans & præsumptuosus, occisus a quodam rustico fuit, qui multis post mortem suam hominibus in crudeli effigie, in diversis locis apparens, ipsis vel cæcitatem, vel insaniam, vel mortem subitaneam intulit, vel ad minus stuporem, & stuporis aliqua vestigia.

Item in iis temporibus Dominus Ulricus & Dominus Rudolfus Comites de Mundfort ex una parte, & filii Domini de Ems ex alia contra se mutuo gwerram satis hostilem commoverunt, quæ cum majori & graviori jactura Dominorum de Emps consumata est: quamvis enim utrique adversæ parti damna intulerint, tamen illi de Emps in rebus & corporibus graviora pertulerunt.

Item anno Domini MCCCXLI. ut fertur, rabies persecutionis sæva in regno Persarum contra fideles suscitata, plures fratres minores & alios Christicolas absumpsit. Nam Rex conpulsus a Magnatibus suis, præcepit cuncta genera hominnm aliarum sectarum in regno suo, quam Persarum, habitantia, ad sectam suam sub comminatione pene diræ mortis converti. Quo præcepto publicato, alterius professionis pagani, & Judæi, & Christiani illic degentes fugam citissimam arripuerunt, ut salvarent animas suas, ad alias se transferentes regiones. Sed quidam fideles fortes in fide Katholica remanserunt, qui variis suppliciis interempti sunt: quidam namque Episcopus capite truncatus fuit, multi lapidati sunt, quidam secti sunt, XVI. quoque fratres minores in cœnobio suo agressi decollati sunt, quos tamen Rex prius amicabiliter & karitative anmonuit, tenerrime eos diligens, ut saltem pro tunc fidem suam se abnegare velle simularent, & postea quidquid vellent facerent, qui nolentes sibi assentire Christi martyres effecti sunt, qui dicuntur miraculis pluribus coruscare.

Hiis temporibus, ut relatione fide digna percepi, Inperator Tartarorum, Canis magnus vocitatus, & Soldanus conjuraverunt contra totum orbem.

His quoque temporibus Soldanus, cujus mentionem supra habui, Katholicos amans, diu regnans defunctus est, & filius suus cum multis tamen præliis & gverris, quia Magnates & Satrapæ regni Patrem suum oderant, solium Patris ascendit.

Istis quoque temporibus atrocia bella inter Regem Æthiopiæ & Regem Egipti movebantur, ita quod alterutrum se in rebus & corporibus damnificabant. Fertur autem inter cetera, quod Rex Egipti Regi Æthiopiæ rapuerit & abstraxerit CCC. adolescentulas, & eas captivas duxit in civitatem Alexandrinam, quæ licet nigerrimæ extiterint, tamen quia in cunctis lineamentis corporis elegantissime dispositæ fuerunt, & alias optime conplexionatæ, a Dominis terrarum mirum in modum amatæ sunt; nam amore earum nimis illaqueati, ad eas certatim & katervatim de locis cunctis finitimis confluxerunt.

De Rege Æthiopiæ memorato narratur, quod adoraverat solem & lunam inter aliam militiam cœli, affirmans eos Deos veros totius orbis. Fertur quoque, quod libenter ad hoc nisum præbuisset, quod totum mundum ad secum

secum sentiendum induceret, & ad tenendam suam credulitatem in hoc artaret.

Item anno Domini MCCCXLIII. in dominica qua cantatur Letare, fulmen tam scindens quam urens de cœlo cum tonitruis & coruscationibus repente veniens, in Pago nominato Hegöw, in diversis tamen locis duos homines suffocavit, tres per stuporem, quem eis inmisit, officio linguæ privavit, muros dissipavit, & alia diversa damna intulit indigenis: nam terrores & tremores, offendicula & læsiones insperatas & insolitas illo in tempore eis irrogavit, prædictis tamen hominibus loquelam non tantum ademit, immo etiam usum rationis, non tamen diu, sed tantum ad tempus modicum, scilicet paucarum horarum, a sero usque ad diluculum. Fertur quoque quod præter prædicta, quod in Cimberholz eadem die duo viri a fulmine extincti fuerint. Est autem Cinberholz villula sita in vicino apud oppidum Engen, taliter fuit læsus & plagatus Pagus prænominatus.

Anno vero priori, id est anno Domini MCCCXLII. citra festum sancti Martini apud civitatem Paduanam & aliis partibus Longobardiæ, propter pluviarum excessum tanta aquarum inundantia excrevit, quod per multos dies viatoribus viæ obsitæ & obstructæ factæ fuerunt, & ob hoc mercatores peregrini plures illic contra voluntatem suam cum grandibus sumptibus suis detenti fuerunt, non valentes cum mercibus suis ad terras nativas repedare. Tonitrua etiam & coruscationes terribiles raro vel nunquam illo tempore visa, homines nimis terrebant. Hæc alluvies Longobardiæ sequebatur alluvium æstivale Alemaniæ præfatum.

In hoc fere tempore successive defuncti sunt Principes subsecuti, scilicet Soldanus Babiloniæ, Rex pius Græcorum Rex strenuus Ungariæ, & Rex litteratissimus Appuliæ Robertus, ut fertur: quorum omnium commemorationem fidelem habui in superioribus dictis meis.

Anno Domini MCCCXLIII. tempore vernali Longobardia a multis annis retroactis contra se divisa, concordiæ IIII. annorum curricula, mediante procuratione civitatum contra se dudum ante rebellantium illic reddita est. Quæ concordia tam firmiter & efficaciter conposita & confecta est, quod stipendiarii universi de Germaniæ partibus & aliis nationibus, qui ibidem militaverant, ad patrias suas reversi sunt. Quorum fere XL. apud oppidum Rineg, a Comite Rodolfo de Muntfort, irruente illic super eos, cum suis conplicibus, spoliati sunt. Ante concordiam memoratam plura millia, ut fertur, virorum purgatorum fortium, qui pro majori parte de Alemannia inferiori oriundi referuntur extitisse, se congregaverunt in ausu temerario magno contra omnem hominem, per quorum feritatem irrefrænatam terra Longobardiæ data fuit in direptionem. Nam homines & oppida deprædebantur, & terram multimode grassabantur, & quod majus est, si remedium salubris concordiæ subsecutum non fuisset, terram prænominatam quasi in solitudinem redegissent.

Item eodem anno Rex Franciæ & Rex Angliæ per Papam Clementem VI. reconciliati sunt, & ad pacis tranquillitatem deducti sunt ad triennium.

De triunpho fidelium a Paganis habito citra festum Beati Martini in partibus Hyspaniæ supra memorato, quod minus dixi, nunc aliquantulum complere gestiens, ajo. Quod Rex Kastellæ die, qua bellum committere una cum Rege Arragoniæ, Rege Majoricæ, & Rege, ut famatur, Portugalliæ, contra infideles multiplicatos nimis adinstar locustarum, & arenæ maris, & stellarum cœli, in terra Christicolarum, decrevit in civitate sua quadam, quam exiturus erat ad prælium, Missam de passione Domini devote decantari præcepit, & universum populum eidem interesse. Qua celebrata dum exiret civitatem, & cum prælibatis Regibus ad prælii certamen procederet, vidit, quia vir bonus & sanctus, tres milites insignes in aëre ipsum præire, cruce quemlibet aurea renitentem, sed unum specialiter rota fulgida, alterum testulis & conchulis splendidis insignitum, in auxilium suum advenientes: per quorum apparitionem tanquam per oraculum divinum, inimicos Christi & suos in manus suas & cæterorum Regum fore tradendos, intelligentes, perfusus gaudio medullitus indicibili, alacri vultu aliis visionem sibi divinitus ostensam propalavit, & consequenter de victoria eos certificavit. Qui confidenter & intrepide ob hoc in hostium cuneos innumerabiles impegerunt, & ipsos, quemadmodum supra dictum est, prostraverunt. Tamen quidam adjiciunt supra scriptis, quod ex iis duo Katolici Reges in bello ceciderint, captis & occisis XXIIII. Regibus infidelibus a Christicolis. Fertur quoque quod Pagani in tanta numerositate venerunt, quod X. viros ex eis uni Christiano opponere quibant. Hanc victoriam Papa Benedictus XII. intelligens, toto clero omnique populo in Avione constituto indixit, processionem devote in hymnis & canticis peragendam, in qua Deo laudum præconia debita & gratiarum actiones uberes persolverentur.

Anno Domini MCCCXLIII. clerus Constantiæ nolens celebrare, secundario expellitur, ut difformitas tolleretur, & uniformitas custodiretur. Hoc etiam tempore multa monasteria prædicatorum in partibus Alemaniæ ipsis penitus vacabant propter rabiem persecutionis sævientem in clero. Nam ipsi & alii nolentes interdictum servare, vel de monasteriis suis eliminabantur, vel voluntarie exibant, hinc inde vagantes: non enim opinabantur quod tanto tempore extra conventus suos fierent, vel quod illa tribulatio tanto tempore perduraret. Nam ante annum immediate Dominicæ Incarnationis nominatum, IIII. annis inchoavit præceptum Inperatoris de divinis resumendis: cum ergo incolatus eorum contra spem suam nimis protelatus fuisset, pœnitentia ducti, Constantiam & ad aliarum civitatum conventus

tus

tus suos libenter remeassent, si indultum eis fuisset. Conventus Eslingensis Prædicatorum vacavit, ipsis expulsis, quodam Episcopo ab Imperatore pro eis in eo locato. Vacavit quoque conventus Rotwilensis, conventualibus in Philingen & alibi hinc inde dispersis. Conventus etiam ipsorum Thuricensis ab ipsis voluntarie penitus derelictus est, quod nemo ipsum inhabitavit, nisi vinitor quidam cum uxore sua custodiens ipsum. Ipsi autem secundarie a tempore ultimi Friderici Inperatoris se receperunt, in monte sancto extra muros oppidi Wintertur, adhuc illis diebus servantis interdictum. In quo dum tandem clerus coactus resumpsisset divina, & ipsi cum magno hominum scandalo resumpserunt; nam paulo ante cum Clerus ibidem inciperetur conpelli & artari ad divina rehabenda dixerunt, quod potius vellent excoriari, & in partes scindi, quam celebrare. Propter quod cum essent a civibus illis a loco suo exterminati, plures ex eis in oppidum Keiserstul se contulerunt: ubi dum hospitiorum comoda & victus necessaria bene habere non possent, Wintertur redierunt, divinum cultum una cum clero illo inperterrite resumentes; qui dum postea in Keiserstul & aliis locis, ubi licite habebantur, divina celebrare & prædicare vellent, in ambobus prohibiti sunt. Fratres vero minores sive consultius sive stultius fecerint, non reliquerunt taliter conventus suos desertos absque habitatore; nam aliqui in eis remanserunt divinum cultum resumentes, aliis recedentibus ad alios conventus, ubi sana conscientia celebrare vel tacere poterant. Tamen quidam ad alios conventus se contulerant, ubi tandem æque bene vel male cantare cœperunt. Propter dispersionem tamen fratrum memoratam in conventibus pluribus multitudo fratrum diminuta est, & numerositas minorata. Propter vagationem autem prædicatorum, mala ipsis & hominibus plurima evenerunt, & scandala, quæ pertranseo; sed fratres minores contemptus non paucos propter cantum in terminis pertulerunt.

His temporibus mediocris filius Regis & Imperatoris Ludwici, Dux Sweviæ constitutus, cum paucis tamen redditibus residentiam seu domicilium habuit in Ravenspurg, habens consortem filiam Regis Ceciliæ.

In istis etiam diebus, dum cives Ravenspurgenses divinum cultum cujusdam plebani eis noviter collati ab Abbate de Vineis ob petitionem Ducis Sweviæ ibidem residentis, contemnerent, a Dominica, qua cantatur: Judica me Deus, absque Sacramentorum & Sacramentalium perceptione, ad plures hebdomadas more pecudum decesserunt.

Item in eisdem diebus, quidam vocatus de Honburg, falsarius argenti notabilis deprehensus Schafusæ, decoctus & frixus est, qui multos sui criminis participes in morte sua, tam seculares quam religiosos prodidit.

An. Dominicæ Incarnationis MCCCXLIII. in quadragesima, scelus parricidii horribilissimum in territorio Eistatensi commissum est. Nam quidam paterfamilias, rebus abundans, plures habens filios, dum a dominis suis excoriatus & talliatus fuisset in tantum, quod nihil sibi quasi de rerum suarum substantia remansisset, & ad paupertatem nimiam extremamque devenisset, filium suum majorem accessit supplicans sibi, quod victus necessaria ei tribueret, quia valde egeret, vel saltem sibi bovem unam conferret, per quam inopiam suam aliqualiter relevaret. Qui dum repulsam & utriusque negationem, apud filium reperisset, filio dixit: Ex quo famis necessitate coactus, conpellor hominibus res suas furari, tibi potius furari debeo, qui per me post Deum res & corpus habes. Recessit ergo his dictis pater, & licet comminationem mortis a filio recepisset, si quidquam rerum suarum sibi subtraheret vel surriperet, tamen tremens vaccam unam in quodam loco sibi cognito filio abduxit. Quod audiens filius, secutus est vestigia cum tanta celeritate patris, quod ipsum præcucurrit, & deprehendens eum in furto ad judicium proximum eum traxit, & judici præsentavit. Quod audiens junior filius dixit fratri: Absit a te, quod patrem nostrum tradas in mortem: nam si faceres, Deum inhonorares, & totam nostram progeniem deturpares. Qui videns per hæc verba fratrem minime placatum, sed magis in suo malo proposito obstinatum, dorsum ei vertit, & ad colligendos amicos suos, qui fratris animum revocarent ab incepto facinore, secessit. Medio tempore filius memoratus judici instabat, ut sibi de furto faceret justitiæ complementum. Cui dum judex una cum assessoribus & advocatis cunctis fideliter persvaderet, ne contra patrem criminaliter in judicio ageret, quia nefas grande in Ecclesia Dei esset, nichil profecit. Sedit ergo judex pro tribunali licet invitus, & mediante sententia judicum patrem morti suspensionis addixit. Qui dum ad supplicium trahi deberet, per apparitorem seu carnificem, studentem ad patris evasionem in populo silentium indicitur; quod cum factum fuisset, alta voce dixit: Quid vobis videtur? mihi videtur consonum rationi, ut de hic stantium numero malefactor pessimus hunc reum & condemnatum suspendat. Cui cum omnes acclamassent, quod ordo juris & rationis dictamen hoc exigeret; respondit: ille est, qui patris suspensionem, Diaboli filius, procuravit: qui per hoc minime territus vel aversus, patrem propriis manibus suspendit. Quod interim junior filius, cum amicis ab eo vocatis rediens, dum plane ita factum cerneret, in fratrem auctorem sceleris illico coram cunctis irruit, & ipsum gladio suo transverberavit, & vitam ademit, cadaver suum ibi relinquens inhumatum, ut canibus & aliis bestiis esca fieret: sed ipsæ eum propter malitiam suam abhorrentes tanquam venenum carnes suas non tangebant.

Anno Domini MCCCXLIII. fames horribilis provinciam Alemaniæ in tantum occupavit, quod heu multi honesti homines propter panis carentiam, & defectum inconsvetum omnis alimoniæ nimis famelici facti sunt, ita quod ob famem miserabilem sudorem gravem per totum

tum

tum corpus cum quodam tremore ac rigore emittentes ante, ad repellendam famis molestiam sopori se dederunt, imo quidam in facie crinosi quodammodo apparebant: multi quoque villani, quod oculis meis conspexi, solis herbis ex segetibus eradicatis, coctis, & modico butyro conditis, absque pane & aliis rebus esibilibus vitam suam miserrime cum nudis suis corporibus, & liberorum vitam suam actitabant, & quod gravius est, pluribus nec iste cibus sufficiebat secundum necessitatis exigentiam, propter butiri vel olei inopiam. Hæc fames crudelis & inmanis propter prioris anni imbrium immensitatem, quam supra tetigi, causabatur.

Item eodem anno tempore Maji, Comes Hollandiæ sororius Inperatoris venit cum exercitu suo in Bawariam, in civitatem Monacam ad Inperatorem, ad excusandum & ad expurgandum se apud eum de fraude, quam sibi fecisse fama contestabatur: Sermo enim satis communis per universam terram Germaniæ exiit, quod esset ab Electoribus principibus in Regem Alemaniæ contra eum suscitatus. Ut ergo hoc a se removeret, & se innocentem & immunem ostenderet ab hoc, nisi voluntas Ludwici Inperatoris ad hoc faciendum sibi assisteret bona, hanc ob rem ipsum festinus accessit.

Insuper eodem anno, in quodam loco Alemaniæ, dum quidam nimia famis molestia attenuatus & pene consumptus fuisset, suum vicinum adiit instantissime petens ab eo, ut sibi duos solidos accomodare dignaretur: qui statim eum repulit, & denarios postulatos ei concedere negavit. Sed ille nimia inedia conpulsus, pallium vicini furtim abstulit, & ipsum publice in foro venditioni exposuit: quod ille videns & deprehendens, eum redarguit furti, immo in faciem ipsi furtum vocibus ferocissimis objiciens, mantellum sibi ablatum repetivit proprose; cui ille respondens ait: tu mihi in extremis necessitatibus famis constituto duos solidos denariorum accomodare sprevisti, idirco non malitia vel temeritate motus, sed necessitate famis urgentissima tibi pallium furrui, ut eo vendito panem emerem, quo meæ & familiæ meæ mortem imminentem excluderem, & vitam conservarem, ne tam miserabiliter fame periremus. Quo ille audito conpunctus & stupefactus, sibi quinque mox solidos contulit, ut suæ necessitati provideret: quibus habitis victus necessaria per eos conparavit, quo facto ipse una cum familia sua cibum tam avide & tam copiose sumpsit more famelici, non valens appetitum edendi restinguere, quod natura consumere ac digerere minime poterat ipsum; unde illico in mortem, quam evadere ac effugere per esum satagebant desideranter, minus providi & circumspecti inciderunt: nam natura per famem nimium fatigata & exinanita diutinam, magis de cibo seu alimonia appetebat quam digerere valeret, quod ipsi minus prævavere vel præscidere scientes, mortis inopinatæ & insperatæ jus seu debitum persolverunt.

Præterea eodem anno fertur, circiter ascensionem Domini grandinem perniciosissimam ad spatium multorum milliarium circa Augustam civitatem insignem, metropolim Sweviæ, seu provinciæ Retiæ, fructus terræ uberrime productos percussisse, ita quod incolæ regionis illius, tempore pestiferæ ac mortiferæ famis cladem damnosissimam pertulerunt; nam fruges sive annonam exuberantem illius anni non solum amiserunt, verum etiam rursus arva proscindentes, pro speltis & siligine a grandine devastatis hordeum seminabant.

His temporibus, quemadmodum fide digna me informavit relatio, Cruciferi dominantes longe lateque in provincia Pruscena, Regni Regis Litaoniæ magnam partem potenter per bella, quæ sibi intulerant, auferentes, in suum dominium redegerunt, quam ut rehaberet, ipsis fidem katholicam recipere firmiter pollicebat. Quod dum facere recusarent, Rex Litaoniæ ajebat: in hoc luculenter comprehendo, quod non meam fidem, ut simulant, sed pecuniam appetunt, & ideo in paganismo perseverabo. De his cruciferis verbum lamentabile, & si ita est, fidei orthodoxæ penitus inimicum, quod absit, enarratur, quod omnes paganos, quos per bella sibi tributarios efficiunt, malunt in suo paganismo remanere sub eorum tributo, quam a tributo eorum exemptos, ut devote flagitabant, vel adhuc hodierna die flagitant fieri Katholicæ fidei professores: quem articulum per multos annos Archiepiscopus Rigonensis de ordine Fratrum minorum existens, litigans cum eis pro quadam terra, apud Summos Pontifices contra ipsos excepit. Famatur etiam, ipsos non solum terras Principum infidelium invadere, sed etiam fidelium, sicut Regis Kragowiæ, cui violenter abstulisse, fertur, duas terras. Qui licet sit Rex fortis & potens, tamen se nequit defendere ab eis, nec terras ademptas de manibus eorum eripere usque in hodiernum diem. Similiter nec Rex paganus Lytaoniæ, novem habens filios, ut sermo militantis Regi Kragowiæ me edocuit.

Item eodem anno tempore paschali, propter immensitatem & continuitatem inbrium, flores arborum tunc jocundanter florentium, impedientium graviter, multæ in diversis civitatibus, villis & oppidis processiones, obsecrationes, orationes, eleemosynæ fiebant Deo in laudem & gloriam & honorem, ut pluviarum inundantiam coërcendo serenitatem auræ tribueret, quatenus fructus terræ, quos humano generi misericorditer & abundanter produxerat, conservaret, eadem agebantur. Simili modo propter eandem causam, in mense Junio, quando florere cœperunt vites & frumenta, quæ replicata & renovata cultu seriosiori ac seduliori fuerunt, in Kalendis Augusti, ob causam sæpe dictam. Nam tunc per octo dierum spatium tantus fuit nimborum excessus, quod, exceptis aliis nocumentis & periculis de ista materia enarrandis, lacus Botanicus tantum excrevit, quod extra oppidum Lindaugense vineas, agros & prata, & fossata, intra vero domos, & plateas, & vicos occupavit.

cupavit. Ambitus quoque fratrum minorum illic residentium, & viridarium, & officinas subintrans fœdavit. Quid plura? Habitatoribus Lindaviæ intulit timorem pariter & tremorem. Nichilominus lacus, quod ex oblivione fere transilivi, fratrum præfatorum ecclesiam subintrans, & a pavimento erumpens, hominibus horridum & squalidum locum, & habitaculum orationis dedit, unde nauseam inde orandi ibidem concipientes, ad exteriora, scilicet ad porticum, & ad superiora, videlicet super podium ecclesiæ, quod in vulgari superior ecclesia dici consvevit, se contulerunt, ubi per missarum solemnia, quamdiu protendebantur, orationibus, obsecrationibus, devotioni & laudum præconiis vacantes persistebant: nam aqua in basilica latenter ebulliens fœtorem merito pertimescendum generavit, quem ne spirando haurirent, & præcordia inficerent, ab eo se, quemadmodum dictum est, elongaverunt.

Circiter ista tempora in villa scilicet Correnbürren apud Bregantiam, cuidam ibidem agricolæ, quadam nocte redeunti de vino ad domum suam occurrit longus vir & terribilis, cui volenti sibi nocere resistebat, gladium suum mox sæpe contra eum sæviendo, pluries verberando, & vulnerando. Quem eventum cras in cimiterio rusticis, & gladium patefaciens, & exertum putant, dentatum ostendens, nullius materiæ nec ferreæ nec ligneæ apparentem invenit, sed aspersus aqua benedicta, colore pristino visus est.

Hiis temporibus tam gravis gwerra inter Ducem Lothoringiæ ac Comitem de Bar exorta refertur, quod ex utriusque parte plurima spolia, & incendia ac homicidia subsecuta sunt, & ideo multi homines miserabiliter perierunt. In hac gwerra annona uberrime producta, hostiliter & absque misericordia, præcipue tamen in terra Comitis vastata est. Fertur, quod in hac dissensione Dux Comitis CCC. villas, sed Comes Ducis CC. concremaverit, quod est lamentabile dictu, præsertim cum affines esse ferantur, tandem ad concordiam & ad pristinam amicitiam, Domino procurante reducti sunt.

Istis quoque temporibus, scilicet anno Domini M. CCC. XLIII. in festo paschatis apud Wormatiam, in cujusdam nemoris spelunca quidam solitarius miræ sanctitatis, ut exitus vitæ suæ præclarus evidentissime demonstravit, a Judæis occiditur, immo ut fama testatur, dilaniatur, discerpitur, eviscceratur, & membratim dissolvitur. Quem homines illius regionis taliter necatum invenientes, cum magna compassione ac planctu terræ commendarunt. Cujus passionem audiens Dux de Heidelberg vocitatus, filius fratris Ludwici Inperatoris, lupum in suo corpore multis crudeliter annis ante sustinens, instanter eum precari cœpit, in eo tanquam in viro sancto confidens, ut infirmitatem suam diutinam ei auferret, & sanitatem tribueret: qui illico exauditus incolumitatem integerrimam resumpsit, quam in se sentiens plenissime sancti viri meritis operatam, quodammodo ineffabili zelo divino succensus, ditionis suæ cunctos Judæos igni combussit. Hic solitarius post mortem varia & insignia sanitatum genera se devocantibus conferens, multitudinem maximam hominum de regionibus finitimis & circumpositis ad se traxit. Videns autem Dux memoratus, prænominatum solitarium nomine Ludwicum tam stupendis coruscare miraculis, ab Imperatore, quem super hoc adiit, libenter licentiam extorsisset, ut famatur, torquendi totius regni Germaniæ Judæos.

Item anno Domini M. CCC. XLIII. tanta Karistia in inferiori Bawaria prævaluerat, quod incolæ terræ illius cortices arborum abraserunt, quas contritas & pulverisatas cum fœno etiam contrito & multo miscebant, & massam adinstar panis confecerunt & edebant, vel ista in mola comminuta plantagini decoctæ in aqua, & sale conspersæ admiscebant, & hæc manducantes famis sævissimæ dominantis injuriam repellebant.

Præterea eodem anno citra festum Sancti Jacobi, propter inundationes aquarum exortas, & causatas propter imbrium supra proxime memoratorum excessum, a Schafusa usque ad civitatem Argentinensem omnes pontes Rheni fluvii propter ipsius insvetam magnitudinem & inpetum furiosum dirupti & abstracti sunt, cum hominum non parva desolatione. In Thurego fluvius Lindimatus supra modum etiam tunc temporis excrescens, magna pericula & nocumenta, & angustias hominibus intulit. Plura & diversa damna, & discrimina, quæ in diversis locis contigerant propter alluviem jam tactam, essent enarranda, quæ quia nimia indigerent persecutione, hinc ab eis abstineam.

Item eodem anno in Kalendis Septembris, circiter festum Sancti Bartholomei, propter pluviarum continuitatem & immoderantiam, Lacus Botannicus & fluvii circumquaque tantum excreverunt, limites & terminos suos debitos & consvetos excedendo, quod nocumenta, pericula & discrimina, immediate jam & paulo ante in superioribus enarrata, cum hominum desolatione renovata sunt permaxima, quæ Longobardiæ & Tusciæ partes non tangebant.

Præterea eodem anno, fratres minores in festo Pentecostes generale Capitulum in Marsilia celebrantes, ex relatis & scriptis veridicis perceperunt, quod XII. fratres ordinis eorum, videlicet Sancti Francisci, habitantes apud sepulcrum Christi, quotidie in monasterio exstructo super eo, ex indultu Soldani, celebrent Missas suas, insuper quod potestatem ac licentiam acceperunt ab eo, hominibus illic & ubique in terra constitutis libere ac publice prædicandi.

Hiis in temporibus, tempore autumnali cives de Waltshut una cum Silvanis & civibus de balneis, suburbia castelli Klingnow vocitati, ob injuriam quandam eis a Dyocesano possessore castelli illatam, in cinerem & favillam penitus redegerunt. Postea vero in hyeme subsequen-

sequente dyocesanus idem castellum ob rebellionem suam per serviciales suos, & viros ceterorum oppidorum episcopatui pertinentium, in diluculo latenter cepit: nam importune portam, cum elucescente die aperiretur, introibant, & in domos certatim irruentes ipsas deprædabantur. Insuper Præsul cives graviter talliavit, singulis stipendia seu exactiones onerosas & quasi importabiles imponendo. Quæ tamen post reconciliationem statim postea obtentam ab eo, in festo nativitatis Domini resumpserunt: nam cuncta, quæ ab eis exegit, tunc more benedictionis & donationis libere relaxavit. Sed qui spolia in introitu hostium pertulerunt, minime, ut fertur, rehabere potuerunt. Facta sunt autem hæc anno Domini M. CCC. XLII. temporibus memoratis.

Anno Domini MCCCXLIII. tempore æstivali, citra festum Sancti Jacobi, cives civitatis Florentiæ unanimiter contra Ducem suum, Dominum famosum & reputatum, de Francia evocatum, postulatum sive electum, propter exactiones ejus gravissimas & tyrannidem intolerabilem conspirantes, & in domum suam una dierum impetum, cum minus cogitaret, trucem immo ferocissimum facientes, uxorem ejus, & liberos, & totam familiam cum omni anima vivente, cum etiam mingente ad parietem perdiderunt, ipsum vero, ut diutinis & variis cruciatibus affligerent, reservarunt. Non suffecerat enim ei tallias, sturas, servitutes indebitas burgensibus imponere, verum etiam eis justitiæ denegavit penitus complementum, & ideo talem ultionem nimio furoris calice inebriati, in eo exercuerunt.

Præterea eodem anno, proxima die ante vigiliam nativitatis beatæ virginis, paulo ante crepusculum tanta fulgura & tonitrua usque ad medium noctis durantia, cum pluviis excessivis & vehementibus, cum lapidibus quoque grandines, graves hominibus suo descensu læsiones inferentibus facta sunt, quanta a multis retroactis temporibus nulla hominum quodammodo meminit antiquitas. Propter enim tanto tempore pluvias ex insperato supervenientes, & breviter perdurantes, fluvii repentinam & insolitam excrescentiam & augmentum stupendum circa lacum Botannicum, præsertim circa Lindaudiam susceperunt. Propter autem tonitrua terribiliter crepitantia, supra debitumque modum fragorosa homines plurimi in itineribus & peregrinationibus constituti, in fossis & speluncis, & aliis locis sea tonitrui formidine subterraneis absconderunt. Multi quoque piscatores in lacu Botannico in periculis propter hanc positi tempestatem, corporum obliti periculorum incursionibus contra lapidum ictus mortiferos defensacula varia perferebant: jacturam insuper in diversis locis hominibus in terræ fructibus, pecoribus & domibus intulit hæc sævitia tempestatis.

Item eodem anno post festum Pentecostes, venit vicarius Tartariæ de ordine fratrum minorum in Avionem ad Papam Clementem VI. petens ab eo canonizationem VI. fratrum minorum tunc noviter passorum in Tartaria, multis claris & evidentibus miraculis coruscantium. His auditis Papa gaudio perfusus largifluo, ordinem extulit & magnificavit, dicens: hic est ordo præcipuus, per quem Ecclesia in fidei orthodoxæ luce illustratur in diversis mundi partibus, & robore solidatur, lucrumque animarum innumerabilium inæstimabile procreatur.

Præterea eodem anno in vigilia beati Jacobi Apostoli, per populares oppidi Lucernensis conjuratos, potentiores cives VII. adversarii Ducum Austriæ exterminati ac eliminati de oppido sunt, propter eorum demerita plurima, singulisque secundum exigentiam excessuum suorum terminus est exclusionis taxatus, & modus diffinitus; quidam tamen eorum post aliquot dierum evolutionem per preces & cum conditione nimis periculosa & incauta, quam pertranseo, ad oppidum revocatus.

Eodem fere tempore cives potiores civitatis Constantiæ fere XV. propter seditionem & dissensionem supra commemoratam ortam illic, exclusi de civitate redierunt, ovantes Domino mirabiliter, & quasi in momento contra spem & cogitatum hominum, inter cives intraneos & extraneos spiritum pacis & concordiæ immittente, quia, ut dicit sanctus Anbrosius, tarda molimina nescit sancti Spiritus gratia: paucis enim diebus incertis sedibus extra vagantes, celeriter cum reverentia, gloria & lætitia, Domino procurante, ut dixi, resumpti & revocati sunt.

Insuper pauco tempore ante præmissa, Dominus de Nassow, dum transfretasset ad visitandam terram sanctam, cum sociis sui itineris & peregrinationis a quodam Domino Sarraceno, potente ibidem, honorifice susceptus tractatusque est. Hic inter alia beneficia ipsis ab eo præstita, eos a censu seu tributo Soldano pro visitatione sepulcri Christi debito exemit, qui census satis damnosus & notabilis fuisset, si secundum quantitatem pecuniæ eorum ab eis exactus fuisset. Qui dum cum comitatu prædicti Domini loca quasi cuncta perlustrassent terræ sanctæ, & tandem Damascum quondam metropolim Syriæ devenissent, a quodam apostata fidei Katholicæ ibi commorante accusati sunt civibus illis, quod Imperatoris Romanorum exploratores essent, nam in brevi venturus foret cum exercitibus Christianis ad terram illam capiendam, & suæ ditioni subjiciendam. Qui illico illi credentes eos cœperunt, ut ad supplicia eos varia pertraherent: sed a Domino præfato cohibiti sunt difficulter & aversi, contestans fore eos immunes ab objecto eis piaculo, nam tantum divino zelo ducti causa visitationis sepulcri Christi & sanctorum suorum illic requiescentium advenissent, & hoc plane & plene Soldano, cujus aspectui se præsentassent, pateret, cujus litteras super hoc certas & veras afferre promisit, addens & sollicite præcavens suis exhortationibus, ne eis interim quidquid molestiæ inferrent, sed potius eos benigno favore & digna reverentia percolerent: quod & factum

factum est. Qui rediens litteras testimoniales insignita signo regio seu Soldani, perhibentes veridicum testimonium innocentiæ Christicolarum, apportabat; ob hoc statim libertati eorum redditi sunt, & ille falsidicus ipsorum traditor & accusator, medio tempore etiam in custodia detentus, mortis supplicio accerrimo de medio sublatus est. Sed Christiani gaudentes cum Domino sæpe dicto, ductore eorum ad Soldanum reversi, per plures dies ab eo honoris & reverentiæ gloriosis indiciis foti sunt. Quos recedentes cuidam Domino residenti in Akkorone, quondam fidelium civitate inclita & famosa, firma & opima, sed heu tempore, ut supra commemoravi, Nicolai Papæ IIII. per Sarracenorum infinitam multitudinem cum labore, corporumque periculis & diutino tempore destructa fideliter commendavit, ut eos in Ciprum regionem deduceret Katholicam. Qui renuens ab eis conpulsus est exequi sibi injunctum taliter scilicet, quod per eos & per prædictum Dominum, Ductorem ipsorum gratiosum, omnes mercatores Christiani hinc inde causa mercium suarum circumquaque vagantes & dispersi repente convocati sunt in Akkoronem, quos CCCC. fuisse dicitur, quorum auxilio urbem illam viriliter oppugnando infra biduum cœperunt, & Dominum jussui Soldani contraeuntem ad perficiendum, quod imperaverat, coëgerunt. Sed Dominus, ductor fidelium ab eo discedentibus, & sibi diligenter valedicentibus & regratiantibus, cum maxima mentis amaritudine avulsus est.

His etiam temporibus in extremitatibus Hyspaniæ apud mare regnum unum de secta Machmeti remansit, non Deo Jhesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto solus verus est Deus, sed idolis & superstitionibus deditum, cui Rex Kastellæ Christianus firmissimus propter rebellionem suam, & ad tollendam spurcitiam idololatriæ ejus, longe de fidelibus & finibus ejus infestus fuit. Nam annuatim per plura annorum curricula universos fructus civitatis metropolis regni Granat vocitati, abstulit, immo etiam, ut fertur, totam regionem pluries cum fidelibus aliarum nationum sibi cooperantibus dissipavit. De prælibata civitate Granat nomine, quemadmodum dixi, fertur, quod sit civitatum cunctarum quasi excellentissima in magnitudine, specie, divitiis, gloria & structura, cujus habitatores videntes se non posse subsistere a facie hominum hostium suorum Christicolarum desperati.

Anno Domini MCCCXLII. miserunt legationem Soldanis, ut dicitur, duobus, immo universitati Sarracenorum in ultra-marinis partibus constitutæ, ut multitudine exercituum Paganorum congregata copiosa, in Majo futuri anni immediate sequentis, in eorum auxilium & juvamen contra Christianos, inimicos eorum sævissimos venire, omnibus postpositis, dignarentur, ut mediante eorum auxilio de manibus inimicorum suorum eripi, sicut sperarent, possent. Qui in multitudine inæstimabili, & in manu forti & valida, eorum precibus sibi suppliciter porrectis annuentes, citra medium Maji mensis anni proxime & immediate futuri se venturos firmissime pollicebant. Anno ergo Domini MCCCXLIII. tempore vernali militia Christiana cum Rege invictissimo Kastellæ, Capitaneo prælii hæc audiens, ad confligendum contra Paganos se præparavit. Rex Angliæ supra sæpe nominatus in mari cum CCCC. secundum aliquos vero cum DCCC. navibus se illuc, ut leo inperterritus, contulit. Filius quoque Regis Franciæ, ut fertur, cum copioso exercitu illuc similiter properavit. Papa nec non Clemens VI. multitudinem magnam stipendiariorum galeatorum illuc de Gallia & Italia destinavit. Rex quoque Arrogoniæ, & Rex Majoricæ, & Rex Portugalliæ cum virtute & populi multitudine pari modo ad perdomandum regnum memoratum, & ad resistendum paganis venientibus in numerositate infinita fere & incredibili ad defensandam civitatem Granat, ferventi desiderio, ut fama testabatur, confluxerunt. Nichilominus de Katholonia, & de Sardinia, & de aliis Insulis finitimis, & terris maritimis, & de Alemania inferiori multa gens zelo fidei succensa orthodoxæ, in auxilium Regis Kastellæ, præcipue & principaliter bellum moventis convolabant. Contra quos venturos de Paganis XVII. immo LXX. Reges fama celebris personabat. Hinc ingens multitudo tam Christianorum quam Paganorum tempore veris mensis Maji conveniens, per totam æstatem in belli certamine, ut creditur, & asseritur, desudabat. Tandem tamen gens Christiana prævalens civitatem cepit, confligendo autem cum paganis multitudinem eorum innumerabilem, non sine sui sangvinis effusione ac plurimorum interfectione, peremit. De Christianis itaque triumphantibus, licet plurimi in prælio commisso cum paganis ceciderint, tamen inconparabiliter paganis pauciores.

Dum ad istam expeditionem peragendam cum ceteris Christicolis Comes de Holandia, frater Imperatoris, dum iter arripisset, in itineris aggressu a quodam Principe a cœpto itinere revocatus fuit. Falso enim, ut fertur, applausu regnum Alemaniæ sibi pollicebat: dicebat enim, quod eligendus in brevi & erigendus esset in Regem Alemaniæ, si dimisso itineris aggressu ad propria remearet. Mille enim equis de terra sua egressus fuit ad decertandum contra hostes Christi & Ecclesiæ intuitu divinæ retributionis. Taliter ergo consolatus reversus est, quamvis regnum minime, defraudatus a suo desiderio & a sibi promisso, fuerit assecutus. Secundum vero alios percipiens, se accusatum apud Imperatorem, quod anhelaverit cum effectu contra ejus voluntatem ad attingendam regiam, ipso subplantato, dignitatem, ut supra memini me dixisse, expeditione assumpta pro Christo relicta, rediit, & Monacum civitatem Bavariæ, ubi maxime domicilium Imperatoris & mansionis residentia extiterat, accelerans, apud Imperatorem, quem illic repererat, se de hoc, nisi de assensu & voluntate ejus esset bona,

se

se legitime expurgavit. Sed tamen Imperator excusationi suæ plene non credens, ipsum tam amicabiliter, sicut debuit, non tractavit: ab invicem ergo cum dissensione & disceptatione separati sunt. Comes autem post hæc audiens, Christianos in obsidione civitatis Granat & conflictatione contra gentiles prosperari: pœnitentia permaxima, immo, ut fertur, amarissima ductus, in emendam suæ retrocessionis ab incœpto pro Dei gloria itinere, circiter principium autumni cum CCCC. equis cum festinatione stupenda & miranda, versus Venetias iter suum direxit, ut inde per navigium ad partes Jerosolimæ, causa remissionis illic assequendæ peccatorum suorum, & ob respectum æternæ mercedis se, Domino cooperante, transferret, vel, ut alii ajunt, ut inde ad partes Græciæ divino amore inflammatus, cum Rege vel Imperatore Græciæ contra Turcos, ferissimos Ecclesiæ adversarios strenue ac magnanimiter cum Dei adjutorio pugnaturus. Nam, ut astruitur, Turci memorati, qui se alteros Svevos vocitant gloriantes, frequenter Regi Græcorum bella inferunt: ut ergo ausibus eorum frivolis obsisteret & occurreret, cum militia sua Græca & aliarum nationum Christianitatis, non tamen heu absque rerum & corporum suorum quandoque discrimine, quia varius est eventus belli, eorum contumaciam ipsos in furore & audacia incredibili aggrediendo, elidit & prosternit. Ut ergo Comes prænominatus mercedis & præmii Græcorum, pugnando contra gentes memoratas consors & particeps fieret, eorum discrimini voluntarie se cum suis secundum relatu quorundam, sicut prædixi, expositurus & oblaturus, terram seu regionem ipsorum intravit, res, corpora, terramque suam Deo committens, pro cujus honore militaturus in regionem abiit longinquam.

Item anno Domini MCCCXLIII. civitas Imperialis Ratispona, metropolis Bavariæ se Ludwico Imperatori opposuit, suas graves angarias, servitutes indebitas, inportunasque suas exactiones ultra æquanimiter ferre non valens, sed eas evincere & a se excutere per hoc satagens. Et ideo ut efficacius & cautius contra Ludwicum cives Ratisponenses rebellare valerent, turmatim una cum suis adjutoribus & stipendiariis de civitate egredientes, quidquid, ut fertur, de blado, leguminibus, arborum fructibus & aliis rebus esibilibus, vel victui necessariis manus eorum reperire poterant, infra duorum vel trium milliarium spatium, circumquaque amicis & inimicis, nemini parentes abstulerunt, & ad civitatem deduxerunt.

Item eodem anno, quod suo prætermisi loco, non volens sed nolens quia nondum tunc mihi innotuerat, tempore æstivali, in una excrescentia aquarum excessiva propter imbrium immensitatem fluvius Rüsa, oppidum Lucernense præterfluens tantum excrevit, quod in choro monasterii fratrum minorum illic residentium, altari majori appropinquavit, quod a retroactis annis forte nunquam visum vel auditum fuit; tanta etiam altitudine contra altare fluendo processit aqua, quod onustæ navi ad portandum eam suffecisset. Parvus quoque fluvius innavigabilis apud oppidum Wintertur fluens, Toësa nuncupatus tantum inundavit, quod unum cœnobium monialium cohærens sibi cum impetu pertransiens jacturam maximam intulit, immo quasi per suum augmentum more torrentis rapidissimum cœnobio & habitatoribus ejus minabatur excidium a tempore, quo non extat memoria, insperatum.

Item eodem anno exiit sermo satis vulgaris, quod a Papa Clemente VI. pluribus dyocesanis injunctum districte fuerit, quod ipsi cum toto clero suo contra Ludwicum Imperatorem deberent prædicare publice crucem Christi, quod etiam injunxisse fratribus prædicatoribus ferebatur, quemadmodum ipsi ore proprio coram hominibus contestati sunt. Sed anno dominicæ incarnationis prædicto, in festo Sancti Lucæ Evangelistæ, adhuc minime audivi, executioni commendatum fuisse.

Item anno Domini MCCCXLIII. dissensio miserabilis civium Campidonensium pluribus annis, sed heu ante suscitata a satore zisaniarum, adhuc perduravit. Nam tunc seminarium discordiæ, scismatis & seditionis, quod indigeret longa narratione, de fonte iniquitatis prodiit & effluxit, quod usque ad annum Domini prælibatum cum turbatione lamentabili burgensium jam dictorum se protraxit: propter quod quidam, quos principaliter causa tangebat vel factum, de civitate cum suis uxoribus exterminati sunt & exclusi, qui ad Episcopum Curiensem se transferentes, & sui serviciales effecti. In ultionem injuriæ injustæ eis illatæ, quia justitiam intendere & quærere secundum æstimationem satis vulgarem videbantur, furore agitati in oppositum similari, quendam concivem eorum opulentum eis casu occurrentem ceperunt in loco tuto & firmo, eum arctæ custodiæ mancipantes. Item frequenter ob causam tactam, jam in nemoribus vel abditis prope Capidonam latitantes, die noctuque concivibus suis insidias tendebant. Istud scisma aliquot annis atrociter sæviens, plures cives meliores de Capidona extrudebat: nam timentes verisimiliter illic periclitari, ad alia loca se contulerunt. Quid plura? Venenum illic a serpente Sathana diffusum, locum illum multum ante commendabilem labefecit, & horridum ad inhabitandum eum reddidit.

Consequenter plura præcedentibus stupenda annectam de inundationibus aquarum propter immensitatem imbrium causatis, quemadmodum supra commemoravi, quæ mihi tunc latuerunt, sed statim post patuerunt. Sunt autem ista, quod in una excrescentia importuna, & a retroactis temporibus insveta & inaudita Rheni fluvii supra memorata, homines pericula rerum corporumque metus & terrores horribiles incurrerunt, & damna. Nam Rhenus ultra modum incrementa suscipiens, de Louffenburg oppido fere XII. domos, cum pontis abstractione abduxit. Insuper ultra muros oppidi Sekkingen influens rapidissime, habi-

habitatores universos fere ejus exclusit & effugavit cum pluribus etiam domibus, quæ miserabiliter dissipando, & a locis suis avellendo abduxit. Nichilominus pontem oppidi Rinvelden constructum ex pilis lapideis, totaliter dirupit, nam inpetuose plures domos & propugnacula, & alia diversi generis ædificia deducens, & cum eis in statuaria lapidea & firmissima impingens, ipsa funditus de suis locis evulsit, habitatores quoque castri juxta pontem in medio sui quasi siti seu fundati deprehensos, famis miserrimis angustiis & submersionis metui, & aliis calamitatibus variis & sævissimis implicavit. Quæ per trium hebdomadarum spatium continue perdurantes, ex utraque parte ripæ Rheni incolas terræ quasi ad spectaculum attraxerunt. Illo etiam anno fama satis communis testabatur, mare plus solito, immo plus quam unquam ante visum fuerit, decrevisse. Audientes autem astronomi Parisius constituti, æquoris insvetam diminutionem, & in quibusdam regionibus insolitum aquarum excessum, & causam horum rimari & indagare satagentes repererunt, ut fertur, forte in Astronomiæ tabulis quandam stellam excellenter rutilantem, aquas nimis haurientem ac elevantem, & post refundentem regnare, quam ante D. annos regnasse, & usque ad illum annum, ultra non, & ab illo anno usque post iterum totidem annos, ultra non regnaturum asserebant.

Præterea anno pluries memorato, treugis compositis & peractis inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ, quemadmodum supra perstrinxi breviter, dum Rex Angliæ de Britannia sibi favente transfretando cum exercitu suo in pluribus navibus constituto rediret in Angliam, propter sævitiam tempestatis in pelago exortam vidit coram oculis suis fere XVI. naves, de quo amarissime doluit, amaris fluctibus absorberi, & in profundum dimergi: quæ tamen tempestas navem Regis minime contingebat, nam de ipso fertur hoc insigne privilegium, ut ita dicam, a Deo sibi præstitum, quod quantumcunque tempestatum vel procellarum immensa vorago, aut furibunda rabies mare exagitaverit, ipsius tamen cuicunque navi se commiserit, nullatenus unquam appropinquaverit, sed plenam tranquillitatem circa eam reliquerit, quod est admiratione plenum. In illa transfretatione Rex Angliæ graviorem jacturam, & perniciosiora dispendia incurrit, quam in tota gverra inter ipsum & Regem Franciæ acta incurrerit.

Eodem quoque anno in Alemaniæ partibus pluribus, tempore autumnali & hyemali, ut visu proprio didici & auditu, homines nimis gravi inedia & famis aculeis urgebantur. Nam annus ille sterilis nimis, nec arborum fructus, nec rapas, nec olera, nec legumina in illa regione protulit. Indigenæ illius terræ, præcipue Albgowiæ, quod aures pie audire refugiunt & abhorrent, panem ex avena rudi modo confectum, tantummodo mandicabant; rudi modo dico, quia avena in mola non erat purgata, nec bene comminuta, sed paleæ cum tritico mixtim in mola & superficialiter confringebantur, sive conterebantur, & inde panis potius pecoribus aptus, quam animæ rationali parabatur. Plures etiam vulgares agricolæ & mechanici tam in oppidis quam in rure, quod est miserabile dictu, modice in clibano decoctum, eundem panem cum aqua in patella, in materiam quasi primordialem massæ liquidæ redegerunt, & sorbiciunculam super igne ex eo fecerunt: nam omnia esibilia & victui necessaria ipsis defecerant, panem etiam memoratum in furno diminute ac imperfecte torrendo decoxerant, ut intus humosus, liquidus, colore terreus visus & gustatus minus mandi posset. Idem quoque annus produxit vinum paucum in regione præfata, & acerrimum: erat enim quasi agresta. De ipso bene Moyses dicere poterat in Deuteronomio: expectavi ut faceret uvam, fecit autem labruscam, uva eorum uva fellis & botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum. Unde & vere proprieque potatores ejus dicere poterant verbum Prophetæ in psalmis dicentis: potasti nos, Domine, vino compunctionis; erat enim potus quasi absynthii & amaritudinis. Tanta quoque Karistia eodem anno prævaluerat, quod aliquis homo præ nimia fame in effossionibus & apertionibus monumentorum, in tumulationibus defunctorum oris hyatu studioso, patulisque naribus, & rictibus fœtorem & vapores corruptos inde exalantes avide hauserat, ut taliter interioribus infectis vitam citius occarent, ne famis molestiis diutinis torquerentur.

Item eodem anno circa finem autumni, Dominus Ulricus Comes de Veltkilch, genere & natione Muntfortensis, ætate quasi octogenarius, ab hæredibus suis propinqua satis eum linea consangvinitatis attingentibus etiam Comitibus, eo quod hæreditarium jus hæreditandarum facultatum ad extraneos volvere ac transferre, ut fertur, nisus fuit, captus est, & in castro proprio ab eis tutæ custodiæ mancipatus est, sed statim postea liberatus.

Cum philosophus dicat, quod fama, quam omnes famant, in toto non perditur; ideo rem eodem anno gestam, forte in cordibus aliquorum hominum minus persvasibilem & credibilem, propter famam ejus crebram, multivolam & vulgarem, apud me cum contestatione & verborum firma assertione cum mea magna admiratione frequenter narratam, opusculo præsenti inserere dignum censui. Est autem ista, quod fertur passeres contra se divisos in quibusdam partibus Italiæ conflictum in alterutrum commisisse, in quo maxima multitudo eorum cum ceciderit, pauciores in Alemania quam aliis temporibus apparuerunt. Astruebatur quoque, quod in quibusdam partibus montuosis, ubi sunt metæ Germaniæ, picæ, cornices, orices, monedulæ, & graculi, & ceteræ aviculæ communes granis, graminibus, vermiculisve pro cibo utentibus, & quæ aliis ferocioribus sunt in prædam, cum accipitris, nisis, caponibus, furfariis, milvis, & aquilis cum ceteris-

terisque volatilibus earum persecutricibus, prædam insequentibus, ipsarum carnibus nec non vescentibus, in multitudine ingentissima congregatæ atrociter dimicaverint, sed communes viribus suis hostibus prævalentes innumerabilem turmam strenue ex ipsis prostraverunt. *Quæ dum ex intimis præcordiis merens, una principalis avicula vel forte capitanea de parte succumbentium cordi apposuisset, celeriter avolans grandem exercitum suæ partis avium breviter congregatarum attulit, quæ belli discrimina cum victricibus replicantes gloriose triumphabant, ipsas absque misericordia perimentes. Ex cadaveribus autem utriusque partis cadentium acervus adinstar collis vel montis factus est. Quæ alicujus cladis factæ præsagium prætendere timebantur apud homines, pronosticationis argumenta habentes. Nam a canum multorum pugna ante discordem electionem Friderici Ducis Austriæ, & Ludwici Ducis Bavariæ in Regem Alemaniæ, acta in partibus inferioribus Reni, conjecturam, & de multis aliis factis præteritis similibus induxerunt. Sequebatur enim eam longa & atrox decertatio pro regno adipiscendo inter eosdem, cum acerba hominum turbatione, & terræ gravi devastatione, quemadmodum in superioribus partibus hujus voluminis explanavi. Hujus pugnæ volucrum conflictatio, judicio meo in toto mihi impossibilis non videtur, consideranti animalium & avium naturæ varios instinctus, secundum quod legimus in diversis libris tractantibus de complexionum animalium variis affectionibus. Vulpem enim, ut dicit Isydorus, præ cæteris animalibus cornix odit, & contra nisum & accipitrem confligit, ut dicit Isydorus in libro Ethimologiarum. De cornice quoque dicitur in Exameron, quod deducunt ciconias, & dirigunt velut turmis quibusdam eas stipantibus, & eis turmatim se adjungunt, contra alias aves ciconiis infestas dimicantes propriis periculis, bella aliena suscipiunt,* cujus indicium est, quia in illo temporis intervallo, quo ciconiæ solent recedere, non reperiuntur in locis consvetis residere; immo cum vulnere revertentes, manifestis quidem sangvinis & vocis indiciis ostendunt, gravem se certaminum conflictum subiisse. Item Aristoteles in libro VI. de animalibus dicit, quod corvus niger pugnat cum asino & tauro, volitat enim super ipsos, & nocet eis percutiendo eos cum rostro, & pungendo oculos eorum. Item ibidem dicit, quod corvus niger est amicus vulpis, & immo pugnat cum aliis bestiolis ei molestis juvando eum. Ex iis patet, prædicta esse verisimilia.

Item eodem anno Veneti circiter finem autumni, VI. navibus magnis, onustis & refertis nobilissimis & pretiosissimis mercibus, de regionibus longinquis adductis in mari, a Gentibus eis in reditu ipsorum insidias tendentibus, cum minime timerent vel præcogitarent, spoliati sunt.

Eodem anno, ut fertur, circiter eadem tempora, & circa loca etiam maritima accidit, ut quidam paganus locuples & potens quendam reputatum Christicolam Venetum, pugno vel flagello in quadam vehementia cæderet: quod ipse postea, cum oportunitas sibi advenit, extemplo cum aliis viris fidelibus ipsum extinguendo, & ferro suo transfodiendo, cursu insperato eum cum suis familiaribus & domesticis invadendo, ultus est. Quibus cum Januenses requisiti ab eis, strage hac peracta quid expediret, consuluissent, quod una cum ipsis ante congressum gentilium unanimiter coadunati, gentilium corporibus peremptis, res earum cunctas ab eis celeriter abducerent, & domum deducerent: quod si non facerent, sibi similia fieri a paganis minime anbigerent. Quibus renuentibus, Januenses paganos invaserunt, & ipsos superantes tantum de rebus eorum abstulerunt naves, quod suas mercimoniis repleverunt, ad patriam cum tripudio citissima navigatione remeantes. Medio tempore Gentes, contra Dei populum in multitudine & robore collecti, Venetos acriter aggressi sunt, postulantes sibi dari homicidam illum, qui cædem fecit inter eos. Qui hoc facere recusantes, ab eis invasi sunt tam valide, quod heu LX. ex eis viri corruerunt: de quo nimis cæteri dolentes, cum tanta animositate ac furia, cum adjutorio, ut fertur, Græcorum in eos converso debacchati sunt, quod ii M. fere ex eis in ore gladii perdiderunt.

Relatio quoque multimoda ad me post memorata pervenit certamina, quod a Venetis, a summo Pontifice sæpe dicto, a Januensibus, a Rege Cipri, & a multis aliis sicut Pisanis, & aliis multis fidei orthodoxæ cultoribus, habitantibus in regionibus maritimis, in fine anni Dominicæ Incarnationis præfato & constituto, ordinatæ, ac conductæ naves, ut dicitur, L. repletæ bellatoribus Christianis sunt, quæ ad exterminandum & ad extirpandum piratas, & ad quoscunque hostes Ecclesiæ vel rei publicæ, per plures annos in terra vel in ponto ad perdomandos, vigiles, indefessæ & paratæ esse deberent.

Item eodem anno circiter festum sancti Galli, quod supra dubitative, nunc autem certificatus dico, Comes Hangoviæ seu Hollandiæ cum D. viris sive CCC. galeis Jerosolimam profectus est. Qui dum de Germania alpes pertransisset, & a Domino Mediolanensi solemniter susceptus tractatusque fuisset, & inde reverenter Paduam deductus, a Domino Paduano gloriose similiter receptus cum fuisset tractatusque, ab eo cum magno comitatu & ponposo Venetias directus est, relicta secum tota sua familia, exceptis LX. viris, pro quibus secum a Clemente Papa licentiam obtinuit, visitandi Christi sepulcrum. Dum autem Venetias devenisset, & ibi applicare cœpisset burgensibus illic sibi in occursum venientibus, cum suis assurrexit. Ubi dum navis incauti regiminis inpulsu ad palum quendam vel aliud quidquam importune inpegisset, Comitem cum duobus suis strenuis militibus & perdilectis in maris fluctus excussus est: sed militibus submersis, ipse per quendam artis natatoriæ virum, peri-

peritiam habentem fluentis maris, confestim se propter eum immittentem, vix per cincinnos capitis ereptus est. Qui dum ab aquis, quæ eum subintraverant, evacuatus & relevatus fuisset, a civibus honorifice nimis fotus & recreatus est. Inde vero, ut cœptum iter compleret, progrediens mare sulcando in multis periculis pelagi terribilibus pervenit Ciprum. Quod dum Rex Cipri præsensisset, sibi processionaliter cum fratribus minoribus, & toto suo Clero in littore æquoris occurrit: quem dum cum multis honorum insigniis eum decentibus prosecutus fuisset, eum abire permisit, ut suum votum peregrinationis exsolveret, visitando terram sanctam. Ad quam dum devenisset, a quodam fratre ordinis sancti Francisci, mihi noti, comite suæ peregrinationis, in Monasterio sacri tumuli Christi, cum tota sua familia præfata devote communionem accepit. Ubi dum plura & diversa vestigia Christi, & limina sanctorum suorum, secundum desiderium suum ferventi animo diu desideratum, visitasset & perlustrasset, cum classe fortissima ante sui adventum secundum suæ voluntatis decretum præparata, prospere ac salubriter in partes Europæ regressus est. Ubi reassumpta sua turma pedissequa relicta Paduæ, in terram Pruschiæ se transtulit absque mora, ut inde contra Paganos dimicaturus aliqua magnalia, Domino suffragante, perageret. Eodem fratre narrante didici, fratres minores XIII. commorari in monte Syon, eodem in tempore, quorum continue IIII. secundum vicissitudinem ordinatam, ex indultu Soldani ibi habitabant, ipsum custodientes: qui divinum officium, intromissis tantum Christicolis sive peregrinis seu illic degentibus agebant. Narravit mihi quoque, quod in monasterio eodem lampas absque fomento quocunque luminis, continue tunc temporis arserit & luxerit, & absque omni arte humana, sed tantum miraculose divina virtute; quod tamen quidam ita esse negant.

Circiter ista tempora, ut fertur, dum cives Ratisponenses, volentes, ut supra commemoravi, contra Imperatorem Ludwicum rebellare, quoddam castrum sibi pertinens eisque vicinum obsedissent, ab eo fugati sunt. Nam cum virtute majori exercituum contra eos veniens, & conflictum cum eis inire cupiens & disponens, tantum terrorem eis incussit, quod dimissis cunctis ad urbem festinanter redierunt. Parante autem Imperatore eis malum, ab intercessoribus eorum ab ira sua & a malignitate eis intentata, & placatus factus est, ad tempus treugis inter eos compositis. Quidam ajunt, Ratisponenses Imperatori unum castellum vile abstulisse, eadem gverra perseverante ipsum viriliter oppugnando.

Paulo ante ista tempora vel prædicta, in oppido Uberlingensi viri fere VII. juvenes, prodigi nimis existentes & vani, conjuraverunt nunquam ab invicem se discessuros, vel a fœdere societatis contractæ velle desistere, quousque substantia eorum penitus dilapidaretur. Feruntur autem singuli eorum circiter C. libras denariorum Constantiensis monetæ de patrimonio possedisse, quas in unum contribuentes eis mirabiliter abusi sunt: nam quidquid unus ex ipsis, vel simul omnes desiderabant de licitis vel illicitis, congruis vel incongruis, confestim executioni mandarunt. Carnis desideriis & illecebris, & petulantiis non solum militabant, verum etiam insolentiis, dissolutionibus, temeritatibus, vanitatibus & vecordiis a retroactis, ut puto, seculis inauditis, operam jugem animis indefessis dederunt. Cum autem Consulibus oppidi eorum excessus objicerentur, & quare sinerent vel quare eos non compescerent, responderunt: peculium suum expendunt, quis eos in hoc prohibere debet? vel etiam congrue potest? nemini nocent, & si nocent, pretio mox grato damna recompensant illata. Hi Consules dum in illis diebus decretum fecissent, quod hominum nullus sonitum fistulæ, buccinæ, citaræ vel cujuslibet generis musicorum inter Missarum solemnia concreparet vel concrepari procuraret: ipsi soli pluribus hoc vicibus ausu temerario prævaricari præsumpserunt, sed pœnam pecuniariam IX. solidorum super hoc sancitam, exactam ab eis celeriter persolvebant. Vitra in foro venditioni exposita emerunt, & projicientes ipsa in parietes vel plateas colliserunt: similiter ollas coram figulis in foro repertas, pretio pro eis dato debito, cum paxillo confregerunt, choreas in tectis duxerunt. Unus ex eis, dum quadam die quieti & sopori se dedisset, & sitis nimis urgentis incommodum eum invasisset, alteri ut potum boni Bachi juxta eum in propinquo locati sibi præberet, res pretii IX. Solidorum pro mercede sibi tribuit, unum jactum ludi tesserum pro C. libris, si qui secum inire vellent, in civitate tam Constantiensi quam Uberlingensi proclamari fecerunt. Hæc & iis similia a festo Paschatis usque ad festum Sancti Johannis Babtistæ actitabant. Hi quemlibet ex eis post rerum suarum dissipationem cum fistula & tympano Lindaudiam gloriose deduxerunt, ut inde militaturus in Longobardiam pergeret.

Anno Domini MCCCXLIII. in mense Decembri quidam spiritus in oppidi dicti Wangen suburbio, per plures dies quandam *domum* inhabitans, incolas ejus mirabiliter cum magna hominum admiratione ac stupore terruit & afflixit.

Anno Domini M CCC. XLIIII. grandis gverra, pro oppido Ehingen ac dominio circumposito possidendo, inter Duces Austriæ & Comitem de Wirtenberg orta est. Qui dum alterutrum se incendiis plurimis & gravibus, spoliisque ac depopulationibus agrorum per hyemem molestassent: tandem circa mediam quadragesimam treugæ inter eos necessariæ, pro seminum jactu & sparsione in agros, factæ fuerunt usque ad festum Walpurgæ Virginis, quod est prima die Maji; quæ medio tempore cum gaudio hominum terrigenarum maximo in compositionem & concordiam peroptatam conversæ sunt. Tota fere Svevia depopulata fuisset,

fuisset, si complanatio & fœdus pacis inter eos subsecuta non fuisset.

Anno Domini MCCCXLIIII. circa purificationem virginis Mariæ, fama celeberrima universaliter in Alemania personuit, inter Papam & Inperatorem ante mediam quadragesimam, vel ad longius ante festum Paschalis compositionem plenam & firmam certissime, omni dubio postposito, celebrandam. Nam tam efficaciter, & tam virtuose in arbitros fidelissimos & omni acceptione dignissimos compromissa esset, quod inpediri nullatenus posset. Quæ dum in janius fore putaretur, & ab universo populo cum spe inæstimabili, & desiderio indicibili diutissime concupito præstolaretur, evanuit & ad nichilum redacta est, sicut aqua decurrens. Nam citra festum Sancti Marci rumores nulla prospera, sed lamenta portantes Sveviam communiter percurrebant, ipsam conpositionem jocundanter speratam penitus esse divulsam, scissam & dissutam. Ista compositio, quemadmodum supra pluries disserui, sæpius attemptata est, sed heu frustra a Ludwico Inperatore cum Apostolicis sibi contemporaneis in malum grande totius Ecclesiæ. Discordia enim inter illa capita duo per multa annorum curricula durata, seminarium malorum innumerabilium ministravit: nam capita memorata, cum tam periculose ægrotent, non est mirum si membra graviter infirmantur, juxta illud: cum caput ægrotat, cætera membra dolent. More antiquo deberent sibi mutuo cooperari in necessitatibus, sed heu adversantur, & ideo regnum Ecclesiæ sub eis dissipatur & discerpitur, juxta verbum Christi: omne regnum in se divisum desolabitur. Propter quod Græci dudum ab obedientia sedis Apostolicæ discesserunt, in suo Patriarcha Constantinopolitano contenti. Propter dissensionem capitum prædictorum in partibus Asiæ multi episcopatus, patriarchatus ad paganismi vomitum reciderunt, præter Ecclesias simplices quasi innumerabiles: Si enim capita Ecclesiæ concordia extitissent, & sibi mutuo cooperativa fuissent, tanquam homines zelum Dei tenentes, magis propter hoc & salutem animarum querentes, ad debellandum hostes fidei majus studium & operam dedissent, & Ecclesiam sollicitius orthodoxam in suo robore conservassent, se unanimiter tanquam murum contra adversarios opponentes. Et quia hæc contra se divisi neglexerunt, ideo eam Christi Sponsam Gentilibus, quantum ad extra, tanquam lupis & aliis bestiis rapacibus ad devorandum reliquerunt, ab intra vero dissensionibus, indevotionibus, flagitiis, prævaricationibus sordidatam, dilaceratam, ipsam subactam permiserunt: ergo non inproprie significari poterat in libro Judicum per Levitæ uxorem concisam in frusta, propter scelera in ea execrabilia perpetrata. Nam crudeliter per scismatum, discordiarum, præliorum, gwerrarum, & vitiorum variorum abominabilium vepres dilaniata & dirupta est. Unde in Ecclesia & in membris ejus adimpletum est, hoc est fidelibus, verbum Moysi in Deuteronomio dicentis: consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo. Item in Genesis fera pessima devoravit filium meum Joseph, i. e. scelerum immensa ferocitas Christum in membris suis, quia Christum persequitur qui fideles persequitur, juxta illud actuum Apostolorum: quid me persequeris? supple: in menbris meis? Item adaptare possum verbum prophetæ dicentis: & singularis ferus depastus est eam, i. e. Ecclesiam. De vepribus Christi verbum in Evangelio applicare possum dicendo: & spinæ simul exortæ suffocaverunt illud, i. e. bonum sponsæ & matris Ecclesiæ, sponsæ dico Christi & matris fidelium. Propter etiam capitum principalium memoratorum repugnantiam, & aliorum consequenter negligentiam, hæreticæ pravitates & errores mortiferi, Ecclesiam in varia frusta scismatum & discrepantiarum Deo inimicarum flebiliter a sua unitate & integritate simplici diviserunt. Quam ob rem tunica Christi inconsutilis, repræsentans integritatem Ecclesiæ, lamentabiliter dissuta est, & in partes secata. Hæc insuper capita secundum verbi Christi evangelici sensum allegoricum gladii duo vocati, minus per multa annorum tempora Ecclesiæ suffecerunt: neuter enim in sua jurisdictione, auctoritate sibi tradita vel concessa laudabiliter proch usus est, fidem katholicam minime roboraverunt vel protexerunt, debilem curam & nisum cultui divino adhibuerunt, viriliter & remisse ipsum erigendo, augmentando vel emendando, bonos & justos parumper foverunt, malos non represserunt in sua malitia obstinatos, nec compescuerunt, justitiam male respexerunt, radice pestifera idolorum servitu moti, & corrupti avaritia, cuncta facienda quasi omiserunt, non fienda permiserunt, Deum raro intendebant in suis actibus, vel Reipublicæ & Ecclesiæ communem utilitatem, sed tantum quæ sua sunt vel fuerunt, juxta verbum Apostoli, quæsierunt. Propter hæc & alia multa, in quibus prædicta capita exorbitaverunt, merito & congrue vox divina, in dotatione larga & pingui largitione terrarum Silvestro Papæ & suis successoribus ab Imperatore Constantino noviter babtisato, ac ad fidem Christi converso facta dicere poterat, ut legitur: hodie per mundum venenum diffusum est; quod hodierna die luce clarius cernimus tam oculis mentis quam carnis, immo experimur malis quotidianis graviter & importabiliter, jacturam & dispendia honorum, corporum, animarum & rerum propter hoc sustinendo. Proprie venenum Ecclesiæ infusum, a voce memorata dicitur, quia illa liberalis datio & munifica erogatio Constantini Regis Romanorum summo Pontifici exhibita, fomes & occasio, quanquam bono zelo fecerit, schismatis prælibati, contentionum, præliorum, homicidiorum, scandalorum innumerabilium a capitibus sæpe dictis promotorum, pro regnis & terrenis bonis, seu possessionibus temporalibus capiendis extitit. Unde Apostolus bene poterat dicere ad Timotheum: in novissimis diebus, in quibus sumus, instabunt tempora periculosa;

culosa; quod jam plus sentimus, quam in codicibus legimus. Statum Ecclesiæ perversum & miserabilem propter capitum memoratorum dissensionem, succincte & prosaice, immediate a me peroratam & prosecutam, aliquot versibus infra positis, a me editis etiam prosequar, ut in hoc opusculo ita prosa utar, quod tamen versificatura seu metrum in toto me non effugiat.

Ecclesiæ capita nimis extant obtenebrata,
Delirant penitus Sathana delusa patenter,
Disceptant pariter, quod vigeat latius:
Primum Romanus Cæsar, sed Papa secundum.
Hæc sic ægrotant, quod cætera membra gravantur,
Ipsis infirmis contigit illa pati.
Dimissis rebus cœlestibus atque beatis,
Contendunt regnis pro terrenis capiendis,
Schismata quod dederat perniciosa satis.
Alter in alterius messem falcem male mittit,
Neuter jure suo contentari bene sentit:
Hinc pereunt animæ, vivere quæ poterant.
Vox Constantini Regis temporibus almi
De cœlis lapsa, dicens fore fusa venena;
In terris patuit, nunc & in acta ruit.
Papa cupit nimium sibi terras esse subactas:
Sed Rex Romanus negat hoc, simul atque reclamat;
Sic neuter remanet proprietate sua.
Rex Constantinus cum successoribus ejus,
Si Papæ regna tam pingvia non tribuisset,
Tunc humilis staret, simplicitate pia.
Hinc non immerito vox cœlestis resonabat:
Nunc est in mundum virus miserabile fusum,
Unde perit concors Ecclesiæ bonitas.
Sed quia dotavit Cæsar nimis atque ditavit
Fertilibus terris Papas, ideo tumuerunt,
Et cupidi certant carpere plura bona.
Rex gliscit terras sibi cunctas subpeditari,
Multo plus Papa cupit ipsis prædominari.
Hæc pestis sæva causat avaritia:
Ecclesiam nummus vilem fecit meretricem,
Nam pro mercede scortum dat se cupienti.
Nummus cuncta facit, nil bene justitia,
Cunctis prostituens pro munere, seque venalem
Singula facta negat, vel agit pro stipite solo;
Divino zelo nulla fere peragit.
Sed quis prævaleat, fit decertatio longa,
Et plus quis capiat ab eis, sententia fertur
Morbida, multimoda, quæ ratione caret.
Transgreditur quisque limites proprios sine causa,
Alterius damna reputans fore prosperitatem
Ejus, & adversa lucra sibi fieri.
Quanto plus sitiunt terras, tanto minus assunt:
Taliter Inperium Romanum diripietur,
Gentiles capient ut propriis socient.
Mos interdicti pœnæ nocuit maledictæ
Plus ceteris longe censuris Katholicorum,
Quam tulit in plebem. Papa nimis temere
Extingvit cultum Domini, fidei quoque lumen.
Devotos animos indurans reddit ineptos,
Suscitat ac hæreses inprobitate sua.
Scismatis istius præclara figura videtur
In libro veteri, per scissuram mulieris
Multam Levitæ, quæ vitiosa tulit.
Ni fœdus fiat capitum, bona consona statim
Æterni sponsa sponsi citius laceretur,
Grex ovium dabitur asperitate lupis.
Ecclesiam Christi sponsam cognoscito Lector,
Per dirosque lupos, Sarracenos noto cunctos
Ac alias Gentes, idola quæ sapiunt,
Acriter hii sponsam subito discerpere temptant.
Si non Christicolæ concordati resipiscunt,
Ut dictos reprimant a feritate sua:
Tunc Petri navis, arta maris concussa procellis
Flebiliter caderet, sine spe reditus, in abyssum,
Quod Deus abstergat cum pietatis ope.
Sic Christi tunica nunquam consuta pateret
Rupturis multis; hinc & dissuta periret
Per seculi cursus irrevocabiliter.
Præfatum multos duravit scisma per annos,
Quapropter vestis est Joseph tincta cruore,
Cum tanta rabie, dicere quod nequeo,
Ad Sexti Papæ Clementis tempora traxit,
Et Regis pariter Ludwici se male fluxu,
Radix perversa litibus apta malis.
In fortem fortis inpegit, sed ceciderunt
Ambo tam graviter, quod tarde surgere quibunt,
Incurrit lapsum, qui nimis alta petit.
Rex misit Papæ dignos non raro Legatos,
Qui vacui semper omni gratia redierunt,
Arduæ perdentes munera cum precibus.
Ecclesiæ gremio matris quod susciperetur,
Poscebat humilis satis hic a Præsule celso,
Funditus exclusus sed minus obtinuit.
Si Cæsar penitus Papæ se subdere sprevit,
In juris pacto nimium culpabilis esset,
Et merito lueret inproba damna sua.
Hii gladii bini non sufficiunt bene mundo,
Neuter vult reliquo modicum præstare juvamen,
Hinc bona depereunt, noxia quæque manent.
Annis millenis trecentis & quadraginta,
Insuper & quarto Domini, discordia dicta
Ad finem venerat, spes ut aperta fuit:
Fœderis & pacis sperandæ pacta ferebat
Fama satis celebris tunc; sed Marci prope festum
Conticuit penitus, prospera nulla gerens.
Mortuus est anno Milleno, C triplicato,
Cæsar septeno Ludwicus & in quadrageno,
Octobri mense, nullo læsus tamen ense.
Sed dum venatur eques, casumque minatur,
Equo detrahitur, moritur mox, post sepelitur.
Annis ter denis regnum tenuit bene lenis,
Et tribus, ut fatur, cum tempus ei numeratur,
Octava tacta jam mors est luce peracta,
Sancti Francisci Confessoris Benedicti.

Anno Domini MCCCXLIIII. Dominus de Roetenstein propter homicidium, quod intulerat

lerat uni civi Canpidonensi, tempore pascali, in castro suo sito in propinquo civitati Canpidonensi, ad quod confugerat, nimis sibi confidens, cæde perpetrata, a civibus Canpidonensibus obsessus cum castro, captus est, & cum suis coadjutoribus simplicibus & innocentibus IIII. viris decollatus est. Pro ipsis suppliciter cives exoravit, innocentiam eorum allegans, ut ipso trucidato capitis abscissione, eos liberos & impunes abire permitterent: pro se ipso etiam preces lacrimabiles effudit, ut eum a mortis præsentialiter sibi imminentis subportarent pœna, turris perpetuæ artis custodiæ eum includentes; pro quo si exaudiri mereretur, pœnam pecuniariam emendamque suis excessibus condignam & multifariam civibus repromisit. Sed pro se heu & pro suis, pro sua reverentia minime exauditus fuit: mors sua lamentabilis apud homines satis fuit, quia, ut fertur, vir juvenis, strenuus, magnanimus, fortis & speciosus erat. Cives tantum provocati & indurati contra eum erant pro occisione valentis concivis eorum, quod in nulla re super terra, quam exhibere vel offerre poterat, placari vel contentari volebant, nisi in oblatione corporis sui in mortem.

Præmissis aliqua ordine retrogrado, tunc suis temporibus scribendis debitis mihi incognita, nunc autem mihi nota & occurrentia subjungam. Paucis quasi annis evolutis ante præcedentia, forte circiter an. Domini MCCCXXX. quatuor fratres minores martyrisati fuerunt in provincia Chana inferioris Indiæ, in quadam civitate potestati Imperatoris Delduli subjecta, a Sarracenis ibidem dominantibus, præcipue ab Episcopo eorum. Nam ille a potestate extorta licentia & obtenta, per satellites suos martyres Christi ipsos effecit. Ratio autem, quare mortem idem Episcopus infidelis ipsis procuravit, est ista: noluit desistere, quin cum aliis Sarracenis litteratis cum fratribus certamen disputationis inire vellet de fide; in cujus certaminis ingressu infideles fratribus insultabant, & objecerunt Christum non fuisse Deum, sed purum hominem. Quem errorem & cæteros dum fratres luce clarius confutassent, & Christum Deum verum & hominem rationibus & exemplis probassent, confusi & victi clamore magno quæsiverunt a fratribus, quid sentirent de Machmeto? responderunt, quod esset filius perditionis positus in inferno, quia post Christum longe veniens legem contrariam legi Christi dederit, & ideo non solum ipse, immo omnes suæ lubricæ ac execrabilis vitæ vestigia imitantes, & suam pestiferam legem servantes, filii æternæ damnationis fierent. Quam confusionem Episcopus coram populo æquanimiter ferre non valens passam, passionis varia supplicia fratribus intulit, & eis vitam ademit. Qui in passione & post passionem evidentibus & stupendis miraculis claruerunt: quæ infidelibus ea cernentibus suæ sectæ anbiguitatis & diffidentiæ scrupulum non modicum ingerebant. Tantam etiam barbari, visis illis signis & prodigiis, quæ Dominus per famulos suos fratres memoratos operabatur, certitudinem & confidentiam fidei Christianæ conceperunt, quod certatim & turmatim ad locum, in quo fratres sanguinem suum pro Domino effuderunt, sentientes se variis languoribus gravatos, confluxerunt, & terram cruore martyrum pretioso aspersam lingentes, vel aqua perfusam bibentes sanabantur. Tunc temporis Canis magnus Imperator Tartarorum in maxima reverentia fratres minores habuit: qui etiam illis temporibus præter CCCC. medicos idololatras, & unum Sarracenum, VIII. medicos Christianos habuit in curia sua, in cunctis vitæ necessariis abundanter ac solemniter provisos. Hæc testatur frater Sanctus Odoricius, de Padua oriundus, qui peragratis cunctis regionibus orientalibus, & incolumis ad terram nativam reversus. Hæc & alia mira & stupenda illic visa & audita ab eo, rogatus & conpulsus a suis Confratribus minoribus, in scripturam redegit opusculum valde solatiosum & delectabile, de hujusmodi raris & a seculo quasi inauditis relinquens.

Circiter ista tempora in eisdem partibus, ut fideli relatione percepi, in paræscafæ quodam loco quidam frater minor a Gardiano suo licentiam petiit & obtinuit, ut sanguinem minuere posset, sub textu illorum verborum intendens martyrii palmam per sanguinis sui effusionem sibi illa die ab infidelibus procurare modo subscripto. Sciens enim iste frater, intime martyrii desiderio flagrans, Saracenos fore congregatos in multitudine ex omni terra finitima copiosa, ad colendum illa die more solito solemnitatem Veneris, in Ecclesiam barbarorum, in qua convenerant, audacter irrupit, & ascendens locum eminentem, Christum valenter prædicavit, & fidem Christi mirum in modum exaltans & approbans magnificavit, Machmeti vitam turpem, suamque legem sacrilegam, nec non sectam ejus Deo inimicam, cum observatoribus ejus detestando & reprobando. Propter hæc & alia ab eo luculenter & splendida perorata, Sarraceni ultra modum commoti ipsum acerrimis tormentis affecissent, si ab eorum Sacerdote vel Pontifice, qui præsto fuerat, cohibiti & refrenati non fuissent. Ille enim fratris locum ascendens, & silentium populo indicens, fratrem jussit, sine violentia & ejus injuria teneri, & alta voce dicta fratris retractans, ipsum insanire astruxit, dicens: ipse cum aliis Christicolis & Confratribus suis per VII. hebdomadas jejuniis, orationibus, vigiliis & aliis castigationibus tantum carnem suam afflixit, animumque coartavit, demens effectus, quod est, & minime rationis suæ compos, & judicio suo, hoc Gardianum suum cæterosque fratres penitus latere. Qui dum ad præceptum Sacerdotis, ad probandum rei veritatem in facto, ad locum fratrum reductus fuisset, ita esse repertum fuit. Et sic frater a desiderio suo defraudatus fuit, minime assequi valens aureolam martyrii, quam æstuanti animo concupivit.

Circiter etiam ista tempora apud lacum Botani-

tanicum, in villa una dicta Högst cuidam marito marita sua obiit, quæ post mortem quotidie in prandio in effigie qua sepulturæ tradita fuit, se tamen absque verbo mariti aspectibus præsentavit, posuitque se super lectisternia omni nocte ipsius, cum se ad lectum posuisset. Cum autem hanc visionem abominabilem cum terrore & pavore plurimo diebus aliquot sustinuisset, plebano suo detexit, ejus consilium & auxilium super hoc instanter flagitans. Qui sibi facilem præbens assensum, cum reliquiis secum pernoctavit sanctorum, per quas minime valens cum multis adjurationibus memoratam apparitionem abigere vel fugare, domum rediit, tantum virum illum relinquens desperatum, quod a villa in continenti recessit, Lindaudiam se transferens, sperans ibi se posse effugere prædictam terribilem visionem. Sed cum nec ibi posset ab ejus horribili adventu subportari, Schafusam declinavit, sperans se in remoto loco a pestiferæ apparitionis intuitu elongatum. Cum & ibi ejus crudelem accessum modo consimili pateretur, domum rediit se Deo committens. Cum autem una dierum quidam conversus mendicans domum suam intraret, ut ab eo eleemosynam acciperet, ad prandium invitatus est. Cum autem paterfamilias introrsus sederet in mensa, & illum peregrinum pauperem invitatum ex opposito sui extrorsus pro commensali suo locasset: species mulieris defunctæ advenit more solito, contra virum suum muta respiciens, in latere conversi invitati, cui se junxerat, constituta. Post cujus abscessum prandio peracto, conversus hospitem interrogavit, si ne aliquid in morte sibi promisisset, quod adhuc non solvisset? respondit, quod quendam hortum filiæ suæ parvulæ habitæ, per alium virum suum antecessorem, secundum exigentiam precum suarum sibi ab ea in agone porrectarum, minime contulisset; dixitque se facturum in proximo, ei viva & libera voce ipsi promittendo, sed adhuc voto mulieris non satisfecisse promissum complendo, cum in potestate sua pristina remaneret. Cui conversus ait: da promissum tuum executioni, hortum filiæ tribuendo, & amplius a muliere tua mortua non molestaberis. Qui monitis ejus acquiescens, liberatus ab ejus infestatione fuit. Hæc fidelissima assertione cum attestatione plurima intelligens, dignum duxi Scripturæ commendare. Aliqui famant, quod plebanus prædictus mercedem propter hoc a prænominato sæpe viro accipiens, stolam suam mulieri mortuæ sibi apparenti injecit & circumligavit, intendens per hoc eam ad loquendum compellere: quam nichil metuens in Sacerdotem irruit cum impetu, ipsum suffocando & vita privando, qui crastina sepultus fuit die, muliere, sicut antea, illic usque ad terminum prius dictum modo consueto apparente.

Paucis annis evolutis ante prædicta, quidam frater ordinis Sancti Francisci, oriundus de partibus inferioris Alemaniæ peregre profectus ad partes infidelium, ad evangelizandum eis Christum, cujus epistolam ab eo directam suo generali de vicaria aquilonari legi, latam & diffusam, laudabiliter ibi gessit, fructum animarum pinguem faciendo. Nam, ut ex epistola sua elicui & excerpsi, multam gentem in imperio Canis Magni Tartarorum Imperatoris, fonte babtismatis & verbo salutifero prædicationis ad fidem Christi convertit: immo maximum fructum animarum fecisset, si Nestoriani hæretici sive falsi Christiani illic multiplicati, ipsi non obstitissent. Nam illi felicibus eorum actibus invidentes, ipsi pro viribus adversabantur. Interdum aliquos per calumnias, detractiones falsas, adulationes de majoribus natu illius terræ contra eum concitabant, flagellationes, incarcerationes, & varias castigationes apud potentes per plures dies & annos procurabant ei nefarie fieri: quæ omnia patienter pro Christo sustinuit. Quandoque Canis Magnus, quia eum intime dilexerat, percipiens eum innocenter pœnis adstrictum, turris vel arctæ custodiæ mancipatum, clementer eripuit ipsum a captivitate, & a cunctis tribulationibus suis, libertati eum restituendo, pœnas graves eis minando, qui eum de cætero verbis vel factis læderent. Aliquot annis in plagis orientalibus & aquilonaribus degens, postquam ipsas intraverat, forte VIII. vel IX. Tam perfecte idioma terræ illius vel gentis didicerat, quod potenter & audacter in eo seminare poterat verbum Dei. Tantum etiam prædicationibus suis in populo fructificavit & profecit, homines ad Christi fidem trahendo, quod frequenter infra spatium unius mensis vel hebdomadæ multa millia hominum ad ejus babtismum convolarunt, in locis ubi prædicaverat, ut fatetur in epistola. Ante nunquam Evangelium Christi fuerat prædicatum: quanquam enim de beato Thoma legatur, quod per eum India, quæ sibi in sorte prædicationis advenerat, in magna parte, & per duos pueros Romanos tempore Silvestri Papæ, & Constantini Imperatoris Romani, ut legitur in Ecclesiastica hystoria, in Christum crediderint; tamen juxta verbum suum ad loca, ubi ipse evangelizavit Christum, nullus Katholicus ante ipsum fundamenta, vel saltem lapidem primarium fidei orthodoxæ qui poneret, venit. Nulla insitio, immo nec plantula fidei Apostolicæ ante eum illic pullulavit: sed ipse primus large ibi semen Christianæ ferens doctrinæ in terram bonam, vomere prædicationis & conpunctionis scissam, uberem messem credentium sive ad Christum conversorum messuit; diligens enim & indefessus quia fuerat operarius in vinea Christi & in agro Dominico, manipulos non paucorum conversorum, sed plurimorum millium reportavit. Presbiterum & Johannem, Regem opulentum & potentem, de quo plura hyperbolice in uno libello apud nos leguntur, ad Christum & per eum totam suam gentem convertit. Sed heu post mortem suam disciplinæ Christianæ perniciosam ad vomitum paganismi compulsa rediit, per successorem suum ydolatram pessimum & tyrannum; quos revocare oves errantes & perditas ad caulas seu ovile fidei, frater memoratus

ratus non prævaluit, quia nimis ab illo regno elongatus, degens in ditione Canis Magni, Domini dominantium ultra XX. vel XXX. dietas fuit. Hic sæpe dictus frater XL. pueros terrigenos emit, litterasque Latinas & Gramaticam eos docuit: tandem vero post lactis & pulmenti pueris congruam refectionem ipsis ministratam, solidum cibum ipsis præbuit, eos in Musica & in Sacra pagina inbuendo, horas quoque canonicas & cantum adeo perfecte didicerunt, quod eas alternatim in choro psallere egregie noverunt; Quidam etiam eorum ingeniosi, & vociferati præ aliis existentes chorum gloriose rexerunt. In cantu ipsorum Canis magnus summe delectabatur: unde prædictus frater ipsorum magister & instructor frequenter vocatus ab ipso fuit, ut assumptis secum IIII. vel VI. solatium sibi per cantum ipsorum faceret, qui sibi libenti animo obtemperans, & in hoc satisfacere & complacere affectans, alternatim ex pueris præfatis IIII. VI. vel VIII. secum assumptis coram Cane Magno & suis Satrapis in aula regia conparens pluries, per svavem melodyam ipsorum sibi gaudium & lætitiam non modicam inpendebat, eum cum suis taliter intime demulcendo, & mirabiliter recreando. Hanc ob causam frater ille, & propter vitæ suæ simplicem puritatem, & sanctam laudabilemque conversationem, tantam gratiam invenit, quod eum propitium patronum, protectorem, & quasi præcipuum & singularem amicum in cunctis suis necessitatibus gratiosissime sentiebat, in oculis Principis sæpe dicti.

Anno Domini M CCC XLIIII. in quadragesima vel citra, universitas oppidi Sveviæ dicti Bibrach plures cives potiores ab antiquo communitati, sed tunc noviter nocivos & adversarios factos & inventos, ut fertur, in furore quo contra eos vehementer exarserunt, de oppido expulerunt: quorum domus Advocatus Imperatoris Ludwici, residens in Ravenspurg, auferens, Imperio venditavit, frumenta quoque eorum & alias res mobiles eorum confiscavit, eas in castrum oppidi memorati abducendo.

Anno Domini M CCC XLIII. & XLIIII. Episcopus Constantiensis, ortus de oppido Vrowenveld, contra jura parcitatis & tenacitatis, sibi a primordiis nativitatis inditæ, super egenos, qui nimis propter Karistiam, ut supra disserui, tunc in Alemaniæ partibus crudeliter sævientem multiplicati fuerant, pia gestans viscera, misericordiæ operibus mirabiliter inpendebat. Nam, ut fertur, avaritiam suam pristinam & quasi innatam a se excludens, magnam multitudinem quotidie pauperum suis alimoniis pavit, multis quoque hominibus inediæ pondere oppressis, immo, quod majus est, oppidis mutuum liberaliter dabat, nichil inde nisi Dei gloriam & mercedem sperans. Unde hic fuit mutatio dexteræ excelsi: nam, ut verisimile est, verbum Prophetæ intendebat, almario cordis efficaciter inserendo, in psalmis dicentis: Jocundus homo, qui miseretur & comodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur, in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. Attendebat nichilominus verbum Redemptoris in Evangelio Lucæ, dicentis: mutuum dantes, nichil inde sperantes, ut filii patris vestri sitis, qui in cœlis est. Hæc & hiis similia ipsum a duritia cordis sui adamantina molliebant, quod rerum temporalium amorem & cupiditatem solitam strenue a se excussit, eleemosynam large miseris impendendo. Fertur autem notabiliter inter cætera liberalitatis suæ divinitus arreptæ insignia, quod duobus annis jam memoratis ad minus in hebdomada ter duo vel tria millia, quandoque tria millia cum quingentis pauperum pane pulmentoque large refecerit, & sic multos a mortis miserabilis faucibus præservavit. Verbum enim psalmistæ eum cum supradictis ad hoc movere poterat, qui dicit; Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus &c. Et illud Apostoli: qui large seminat, large & metet vitam æternam. Sit ergo nomen ejus benedictum in secula.

Anno Domini M CCC XLIIII. breviter ante festum sancti Johannis Babtistæ, firma & fideli relatione mihi heu innotuit, quod XL. Veneti æstimantes, discordiam exortam inter eos & barbaros, eodem anno tempore autumnali, quemadmodum supra memini me dixisse, ad tempus per treugas decisam vel penitus sopitam, merces suas ad eosdem more solito per navigium detulerunt. Qui mox contra confidentiam suam, in ultionem injuriæ in prædicto certamine Paganis ab eis illatæ, deprehensi & detenti sunt: ex quibus aliquos nolentes Christi fidem abnegare, & sectæ suæ professores fieri, accerrimis pœnis extinxerunt. Inter cæteras pœnas & martyrii genera, ut audivi, inauditam apud me alicui ex eis intulerunt, videlicet quod funem uni auricolæ Christicolæ perfossæ prius ab eis, immiserunt, transversaliter eum per oppositam auriculam extrahentes, in quo eum diu regirantes & ventilantes cum dolore dirissimo, perdiderunt. Hii attenderunt & cordi apposuerant verbum Christi in Evangelio dicentis: Qui negaverit me coram hominibus, &c. Item illud; Nolite timere eos, qui corpus occidunt &c. Et ideo martyres Dei facti sunt, se dealbantes in sanguine suo, vicissitudinem Christo rependentes, qui sanguinem suum pro eis fuderat in cruce; & ideo cœlicas immediate mansiones non immerito, ut pie creditur, perceperunt. Pagani vero reliquos Venetos, sectam eorum recipere volentes, illæsos a mortis aculeis reliquerunt. Quæ dum Veneti perceperunt, jaculo doloris inmenso perfossi sunt, & congregati in magno numero, CCC. vel CCCC. ex ipsis de Consulibus & aliis melioribus decreverunt, quam cito facultas se afferret, militia copiosa & armata manu galeas plures replendas, & contra paganos memoratos destinandas, ad ultionem ab eis de occisione concivium suorum insperata, Domino suffragante, strenue capiendam.

Anno Domini MCCCXLIII. & XLIIII. ut plurima veridica relatione intellexi, propter

Kariſtiam immenſam, quæ tunc in Alemania graviter accreverat, aliqui homines in Albogowia truncos ſilvarum putridos & bene comminutos farinæ rudi aveticæ commiſcebant, ex eis cibum agreſtem conficientes, ad famis moleſtiam intolerabilis repellendam, cibum ſive eſcam, non panem dico, quia paſtam ex ipſis compingere volentes, minime potuerunt: nam quia materiæ minus aptæ & proportionatæ fuerunt pro commixtione facienda, conglutinari in paſtam vel concurrere non valebant. Quidam etiam eisdem temporibus ſiſcum de arboribus collegerunt, & ex eo farinam quodammodo facientes, & conſequenter panem, ventres ex eo miſeros & nimis famelicos refecerunt.

Anno Domini MCCCXLIIII. tempore vernali ſeu æſtivali, dum cives plures in oppido Swevіæ Memmingen debitores cuidam Judæo eis cohabitante fuiſſent, & ſibi ſolvere illis diebus, quamvis inſtanter petiiſſet, neglexiſſent, dyoceſanum Epiſcopum Auguſtenſem adiit, ſuppliciter poſtulans, ut propter eum locum memoratum eccleſiaſtico dignaretur ſupponere interdicto, ut cives per hoc conpulſi de debitis ſibi ſatisfacerent prætermiſſis. Epiſcopus vero, quia etiam ſuus debitor extitit gravis, ut ſibi inducias vel dilationem ampliorem ſolvendi præſtaret, facilem præbuit aſſenſum, ſicut exegerat, Judæo locum ſubjiciens interdicto. Quod dum cives per aliquot dies amaro animo, quia extra cimiterium defunctorum corpora ponebantur, pertuliſſent, unanimiter Judæum potiores cum debitoribus ex eis acceſſerunt, rogantes ut interdicti propter eum in eos fulminati ablationem vel relaxationem, ne ultra illic carerent eccleſiaſtica ſepultura, illico procuraret. Ad quod faciendum dum eum flectere minime potuiſſent, miniſter civitatis valde induſtrium & ſagax reſponſum invenit, quo Judæum tantum terruit, quod eis in continenti aquievit. Fuit autem miniſtri verbum: ſi non faceret, cunctos Judæos morituros illic cum Chriſticolis in cimiterio cumularent; quod Judæus tantum pertimuit & abhorruit, quod mox eis annuit & aſſenſit. O quam vilis Eccleſia facta eſt, quod ad infidelis & ad hæretici verbum cultus Dei prohibitus eſt & indultus. Heu inſanabilis eſt plaga ejus, miſerabiliter cecidit, non adjiciens reſurgere, a planta pedis usque ad verticem non eſt in ea ſanitas, egreſſa eſt ab ea omnis decor ejus.

Item anno Domini MCCCXLIIII. in oppido Lindaugenſi proch tantum timor & amor, & omnis Dei juſtitia apud plures homines utriusque ſexus evanuerunt, quod imperterrite & manifeſte contra Dei mandata, Eccleſiæque ſponſæ ejus ſtatuta canonica turpius quam Judæi uſuram exercuerunt. Nam V. ſolidos pro II. denariis cum dimidio, X. ſolidos pro V. denariis per hebdomadæ ſpatium mutuabant. Tantum etiam in hoc crimine inprobæ uſuræ, quæ hominum ſubſtantiam exhaurit, indurati fuerunt, quod hominum cæterorum murmura, detractiones, præſertim juſtorum in cœlum propter hoc vociferantium voces minime adverterunt, immo quod gravius eſt, fratribus minoribus ibi reſidentibus, ſcelus ſuum inpoſuerunt, dicentes: fratres in confeſſionibus noſtris nichil nobis ponderant uſurarios contractus, ſed potius nobis eos facilis & lenis ponderis demonſtrant. Quod falſum penitus fuit, quia publice contra uſurariam prædicaverant pravitatem. Patet etiam falſitas ex hoc, quod prædicta loquentes mulieres uſurariæ fuerunt, de confeſſione fratrum nullatenus exiſtentes. Quæ etiam colorem excuſationis in ſua malitia invenientes dixerunt, quod valde meritorium eis eſſet, quia deſolatos homines per hoc redderent medullitus conſolatos. Hiis ita obſtinatis usque ad feſtivitatem ſancti Johannis Babtiſtæ accidit, quod quidam Judæus locuples alienigena cum aliis Judæis Lindaudiam devenit, petens a civibus in concivem recipi, ſerioſe pollicendo ipſis, quam diu eis commaneret per reſidentiam, quod ſingulis civibus, quandocunque indigerent vel requirerent, per ſeptimanæ ſpatium libram denariorum pro duobus tantum nummis vellet mutuare, adjiciens in futurum ſuæ jacturæ præcavendo, ne de cætero uſurarii Chriſtiani illic permitterentur, alias promiſſum ſuum & commanſionem exequi non valerent. Quod cives libenter acceptantes gaviſi ſunt, dolentes de uſura tam gravi, quæ inter Chriſtianos illic excreverat. Statuerunt ergo in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub rigida & diſtricta pœna transgreſſoribus irrefragabiliter infligenda, quam pertranſeo, quod deinceps uſurarius contractus vel inprobum fœnus nullatenus a Chriſticolis illic degentibus exerceri præſumeretur. Et ſic uſurarii cauſaliter propter burgenſium edictum & decretum, & occaſionaliter propter Judæi adventum inſperatum, inviti ab uſuraria pravitate deſtiterunt, qui eam ob amorem Chriſti deſerere temere contempſerunt. O Deus, quantum avaritia, idolorum ſervitus Eccleſiam fœdavit & deformavit: Quomodo ſanctus Petrus cæterique Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, martyres & Doctores Eccleſiæ fundamenta militantis ponentes, & immobiliter in fide Chriſti & actione perſiſtentes, crediдiſſent vel credere potuiſſent, in noſtris temporibus ſtatum Eccleſiæ quondam inclitum & glorioſum, fore ex peſtifera radice avaritiæ taliter deturpandum? Ipſa eſt heu dilacerata, ſauciataque in omnibus membris ejus, & non eſt qui alliget fracturam ejus, non eſt qui conſoletur eam, vel medeatur vulneribus ejus, attrita eſt in ſceleribus ſuis, tam graviter lapſa eſt in præcipitium vel foveam viciorum, quod per ſe reſurgere nequit, nec eſt qui ſuſcitet eam: omnes enim quaſi erraverunt ſicut oves errantes, unusquisque abiit in viam ſuam non rectam, quam non coluerunt patres ejus, cupiditate rerum temporalium dementatus. Unde adimpletum eſt verbum Jeremiæ Prophetæ dicentis: a majore usque ad minimum omnes ſtudent avaritiæ; in tantum etiam, quod verbum Micheæ videtur eſſe inpletum dicentis: principes in muneribus judicabant, & ſacerdotes in mercede

mercede docebant, & Prophetæ in pecunia divinabant. Hæc radix venenosa, avaritia cum ramusculis suis, scilicet symonia execrabili, & præda, furto, præcipue voraci usura mundum infecit & pervertit, in tantum quod Johannes in canonica sua proprie dicere poterat: totus mundus in maligno positus est.

Præterea eodem anno paulo ante resurrectionem Christi sive Pascha, quædam massa ignea formam parvi dolii in se gerens, post crepusculum unius diei in medium unius vici melioris oppidi dicti Veltkilch desuper dilapsa est; cujus lapsus & aspectus terribilis dum plebi accurrenti stuporem incussisset insolitum, se coram cunctis id cernentibus sursum elevans in aëra resolutus est Hujus rei repentinus & insperatus eventus ac horribilis, secundum æstimationem prudentium civium oppidi memorati, pronosticum & præsagium futuræ cladis, vel periculi ingruentis fore, probabiliter timebatur. Hujus pronosticationis veritas patuit evidenter in æstate sequenti proxima ejusdem anni: nam tunc initia & quædam præambula formidolosæ gwerræ exorta sunt oppido præfato, & terræ prope ipsi adjacenti. Nam tunc Dominus Ulricus Comes de captivitate sua superius tacta quibusdam pactis jurejurando firmatis noviter ereptus, sed male servatis, Imperatorem contra hæredes suos, Comitem Hugonem & Rudolfum, qui ipsum libertati suæ pristinæ restituerant a captivitate, cui eum propter sua demerita injecerant, ut ipsis visum fuerat, gravissime provocabat. Et hoc fecerat de oppido Lindaudiæ, ad quod se tunc contulerat, illic ad tempus aliquod commorandum.

Item eodem anno Episcopus Constantiensis, ortus de oppido Vrowenvelt, circiter festum beatæ Mariæ Magdalenæ ab hoc seculo transmigravit. Qui sentiens in ægritudine, in qua decesserat, sibi mortem in propinquo imminere, ordinavit quod soli mendici, quos per biennium paverat, præter suam familiam eum defunctum positum super libitinam, de castro suo Castell vocitato ad civitatem Constantiensem, ubi sepulturæ tradendus erat, sequerentur. Qui dum in magna multitudine eum, sicut desideraverat, in civitatem comitati fuissent, apud Sanctum Paulum, h. e. in monasterio sic nuncupato, quemadmodum ante mortem Præsul fieri instituit, in remedium animæ suæ largam eleemosynam perceperunt. Quam more valedictionis seu recessus ultimo recipientes, variis querulosis & funestis vocibus mortem ipsius eis amarissimam ac damnosissimam deplorabant, dicentes: Heu pie & Reverende Pater, quam male te baculum nostræ sustentationis amisimus? cui tuos filios desolatos, immo acerbissime sauciatos derelinquis? quia facti sumus orphani miserrimi, orbati & destituti patre amantissimo; spes nostra singularis te mortuo periit, venerunt dies luctus nostri, consumptis & prætcritis diebus consolationis nostræ. Versa est citara nostra in luctum, & organum nostrum in vocem flentium. Sublatus est nobis Pater gratissimus: quis modo miserebitur pupillis ejus? non est modo qui doleat vicem nostram, miseriamque & ærumnam: non est qui consoletur nos ex omnibus caris nostris. Facti sumus sicut oves, non habentes pastorem. Quis det capitibus nostris aquam, & oculis nostris fontem lacrimarum, ut possimus plangere mortem incliti patris nostri, pia gestantis ad nos viscera? Quis nobis det ut moriamur pro te? melius enim nobis deinceps mori est, quam vivere super terra, cum melius sit non esse quam male esse. Hiis & similibus verbis ex intimis visceribus Dominum & Patrem suum querebantur pauperes Episcopum, & planxerunt. Ipse vero interim tumulabatur in fossa unius prædecessoris sui, Domini Heinrici de Klingenberg, longe, ut fertur a quibusdam, ante XXX. annos ibidem sepulti. Qui quamvis tanto tempore in illo monumento jacuerit, tamen, quod est mirabile dictu, integer & incorruptus inventus fuit, apparuitque indutus vestimentis Pontificalibus, cum caligis rubeis minime putrefactis, cum anulo quoque in digito, quem polictor quanquam vilem sibi abstraxerat. Quam cito autem cadaver memoratum tactum frivole, & motum fuerat, in favillam & cinerem redactum est & resolutum.

Item eodem anno scilicet MCCCXLIIII. in pago Turgow superiori, in festo exaltationis sanctæ crucis, abominabile scelus & quasi immanissimum perpetratum est. Nam Dominus de Roschach castrum suum unum dictum Rosenburg, cujusdam agricolæ custodiæ fideliter commendaverat. A quo Domino, dum quidam nobiles in vicino residentes, a multis annis retroactis pecuniam sibi debitam habere nequivissent, cognomento illi Giel appellati, insidias memorato castro ponebant, & in prædicto festo nacta opportunitate, ipsum latenter ingredientes, villicum seu villanum ad præstandum eis juramentum fidelitatis per minas præcipitationis compulerunt, quatenus una cum ipsis & pro ipsis castrum conservaret, defenderet, & diligenter custodiret. Qui tam atrociter exactus recalcitrare pertimescens, vota eorum vocibus, non operibus exsolvit: quod rei exitus taliter conprobavit. Nam dum colonus sæpe dictus suæ malitiæ conscius perficiendæ, locum vidisset præfatos nobiles, quasi certos de pecuniæ solutione per pignus captum, divulsos a se invicem in castro, & unum ex eis super vas quoddam plenum spiculis ad cernendum ea, incurvatum a tergo eum aggrediens, ipsum uno ictu transfodit, vita privando; alterum vero minime hoc scientem, per valvam vel fenestram ad exteriora prospicientem, similiter a tergo tam valide securi, qua se armaverat latenter, percussit, quod unico ictu momentaneo sibi mortem intulit, ante dolose machinatam. Hiis itaque peremptis ab eo, descendit castrum, ut servum eorum infra in eo constitutum etiam perimeret. Ad quem cum pervenisset, securim contra eum levavit, ut eum perderet: quod servus forte armiger videns, brachium prætendit, & ictum in aliam partem a se retorquens rusticum invasit, & colluctando

luctando secum ipsum in terram subter se projecit. Videns autem filia rustici patrem suum servo subjacentem, ipsum tamen fortiter stringentem, cultrum unum sibi porrexit, quem mox desubter in inguine ejus infixit, & occidit; & surgens omnes tres de castro præcipitavit. Hic maledictus homo, immo diabolicus vel feralis, per ista latrocinia instinctu & aminiculo Sathanæ operata, totam viciniam vel territorium totum maculavit, corrupit & fœdavit.

Item in æstate ejusdem anni dominicæ incarnationis, scilicet MCCCXLIIII. sermo exiit inter homines satis communis & frequens, immo per totam fere Alemaniam percrebuit, compositionem plenariam inter Papam & Imperatorem in proximo certissime sperandam. Nam a latere Papæ duo Legati Reverendi emittendi essent ad locum aliquem Germaniæ, decreta voluntatis Apostolici afferentes, ab Imperatore anplectenda, si munus consecrationis Inperialis assequi gestiret: & in argumentum hujus esset, ut plures astruxerunt, quod Marchgravius Moraviæ, senior filius Regis Boemiæ, vir laudabilis testimonii, ad hoc promovendum de terra sua egressus Basileam devenisset, moram ibi contracturus usque ad exitum Legatorum Summi Pontificis. Eos enim illic exspectare deberet, quousque venirent, ut cum illis Cæsarem accessurus, in tractatu complanationis habendæ, inter prædicta capita mediator fieret opportunus. Cum autem terminus eventus prædictorum appropiaret, Imperator circiter principium autumni in singulis parrochiis Episcopatus Sweviæ Augustensis, nec non in singulis dyocesibus & parochiis terræ Bavariæ jejunium trium feriarum sextarum in pane & aqua, devote ab universis fieri demandavit. Constituit quoque sive edixit, in eisdem partibus processiones supplices & obnixas, & in eisdem Dominum obsecrationibus votivis & humilibus exorari, quatenus spiritum concordiæ, pacis & unitatis inter ipsum & Papam, & consequenter in tota Ecclesia infundere & immittere dignaretur. Et ut ipse aliis exemplum se præberet, in propria persona jejunasse modo prætaxato, ac in processione devotissime incessisse ferebatur. Hiis ita peractis, singulis civitatibus episcopalibus mandavit Alemaniæ, quod de potioribus aliquot cives sibi transmitterentur, quia cum ipsis decernere vellet, quid accipere vel respuere competeret sibi in illis, quæ sibi ex parte Papæ in placito conpositionis injungi contingeret, quia nulla illic nisi mediante consilio vel auxilio eorum attemptare disponeret. Igitur circa festum nativitatis Mariæ convenerunt Imperator & cives una cum Principibus Electoribus in Frankenfurt, secundum quosdam vero in Bachram, ad placitandum de concordia reformanda inter capita memorata. Intellexerunt autem ab ore Legatorum Papæ, si præsentes fuerunt, ut quidam affirmant, vel ex litteris Legationis Papæ, si Legati absentes fuerant, tam gravia onera, & pacta tam importabilia, quæ Papa ab Cæsare Ludwico exegerat, quod nullatenus acceptanda forent, sed penitus aspernanda. Dixerunt ergo Inperatori: Nos non consulimus nec assentimus vobis, quod istas conditiones suscipiatis, quia in decrementum & præjudicium vestræ dignitatis, & nostræ in perpetuum vergerent. Sed suademus vobis potius, quod jura regni, honoris & excellentiæ vestræ & nostræ totis viribus teneatis. Quæ confirmans Inperator adjecit: Ecce, sicut constat vobis, ego humiliavi animam meam per procuratores, intercessores, meos Legatos in emendam excessuum meorum, & ut gratiam Papalis benedictionis invenire seu attingere possem, pulsando aures istius Papæ & suorum Prædecessorum, contemporaneorum meorum, non semel, sed pluries cum magnis sumptibus meis. Sed heu nichil profeci, sed magis irrisioni, opprobrio & contemptui datus sum, quia non solum me confusibiliter abjecerunt velut hæreticum & latronem, verum etiam nuncios meos, tam Clericos quam Laicos, solemnes & omni acceptione dignos, tanquam scurras cum injuria remiserunt. Etiamsi nunc Summi Pontificis indiscretis desideriis satisfacerem, non solum in Regni dispendium, verum etiam in meum & posteritatis meæ damnum irrecuperabile duratione perpetua redundaret. Hæc approbando Principes cum civibus referuntur tale responsum Imperatori subintulisse: postulatio Papæ nichil quasi innuere videtur aliud, nisi quod vos regni gubernacula, & nos Electoriæ dignitatis apicem, a tempore Karoli ad nos devoluta, resignemus, & ad extraneos transferri permittamus, contra monita sapientis salubria, dicentis: ne des alienis honorem tuum. Sed hæc nec vobis nec nobis expedire dinoscuntur: sed potius satagere debemus, ad conservanda jura & privilegia nostra in suo robore pristino & virtute. Hiis respondens Inperator, adjiciendo ait: Ego, in quantum in me est, paratus essem Papæ obtemperare ad nutum in omnibus pœnis, censuris vel pactis mihi imponendis, pro satisfactione meorum excessuum, si quos contra sedem commisi Apostolicam, dum tamen essent consona rationi. Sed quia cernitis eum poscere ea, quæ libram seu dictamen rectæ rationis excedunt: idcirco vobis consentio penitus in hac parte. *Alii vero* famant, quod Principes magnam displicentiam propter nimiam sui humiliationem ergaPapam conceperunt, quia culmini Regalis Inperialisq; Celsitudinis derogaret: & ideo expresse sibi in faciem restiterunt non assentiendo sed contradicendo aperte suæ excessivæ ac indebitæ erga Papam humiliationi. Fertur quoque, quod idem Principes ægre ferentes, & amaro animo sustinentes remissionem & negligentiam Imperatoris, tanquam causam destructionis Imperii, ab eo seriose postulabant, ut filium Regis Boemiæ prænominatum sibi subrogaret in Regem Alemaniæ. Quem recusans, Filium, Marchgravium Brandenburgensem pro Rege præsentavit: quem ipsi similiter abjicientes, ab eo indignanter discesserunt; regnum tantum periit & debilitatum est sub te Bavaro, dixerunt ad invicem, quod summopere præcavendum est, ne deinceps

deinceps ad Bavaros transferatur. Tamen, antequam ab invicem divellerentur, quemadmodum fama communis me instruxit, decreverunt concorditer cum Imperatore, quod ultra a Papa gratiam quærere non attemptaret, quam totiens irrationabiliter sibi senserat denegatam.

Hiis etiam temporibus, ut certa relatione percepi, Rex Castellæ per dura prælia, quæ, Domino suffragante, Paganis feliciter intulit, præter civitatem Granatam, ut supra commemoravi, grandem valde & populosam, quam cepit Anno Domini MCCCXLIII. interfectis cunctis habitatoribus ejus ydolatris, Christicolis locatis pro eis, abstulit & abstraxit ipsis terram trecentorum miliarium, & suo dominio subegit, eam pacifice possidendo. Triumphavit autem de eis absque magna strage fidelium.

An. Dominicæ Incarnation. MCCCXLIIII. mense Septembri, propter ecclipsim Solis terribilem plus solito, futuram seu imminentem VII. die sive nonis Octobris, secundum tenorem epistolæ assertive Doctorum Astronomorum, directum & divulgatum, per plures regiones lamentabiles processiones, devotissima jejunia, eleemosynarum largitiones, orationes & obsecrationes obnixissime, præcipue apud Rhenum a populo fiebant, ut Deus ipsis placatus factus propter memorata, indignationem suam ab eis averteret, immutando cursum & influentiam astrorum damnosissimam & metuendissimam, eis superveniendam secundum certissimam æstimationem magistrorum Astronomiæ, tam Christicolarum quam Paganorum concordantium in illa, juxta eorum pronosticationem in mutabili positione. De ista ecclipsi mira & stupenda nimis ventura, in populis opinione celeberrima percrebuerunt: quæ credita merito corda hominum terrere potuerunt, & ad deprecandum Deum pro eis amovendis plebem provocare. Inter cætera enim personuit in Alemania, ecclipsim per triduum perduraturam cum densitate tanta tenebrarum, quod homines se mutuo videre non valerent; insuper cum tanta pestilentia seu mortalitate, quod tertia immo amplius pars hominum interiret. Et ideo a Parrochianis subditi in pluribus locis, ad pœnitentiam peccatorum suorum condignam, & ad recipiendam eukaristiam angariebantur, quod & factum fuit. Hæc autem ecclipsis cum suis concomitantiis vel sequelis formidandis, die prænominata juxta præsagium Astronomorum minime evenit: Serenissima enim dies absque omni opacitate & nubilo, a mane usque ad sero fuit. Unde huic loco satis proprie adaptare possum verbum istud novellæ Poëtriæ: Scaturiunt montes, seu tumet terra, exiit mus, tandem filius ejus. Item verbum Ysopi: Sæpe gerit nimios causa pusilla metus; quia magna hominum trepidatio, & pavor ingens in ridiculum conversus est.

Eodem anno post festum omnium Sanctorum fama personuit, apud lacum Botanicum, quinque Principes Electores conspiratos contra Imperatorem, venturos in multitudine gravi Frankenfurt, ad perdendum eum, vel ad deponendum eum, & alium loco sui subrogandum. Quod intelligens Imperator Ludwicus, se cum Archiepiscopo Moguntino, & cum Filio suo Marchgravio Brandenburgensi, inter cæteros Principes Electores pro eo zelantibus, & cum Civitatensibus & Dominis multis Germaniæ collegit in tanta multitudine, quod longe plures galeatos coronatos habuisse astrueretur, quam tria millia. Fama etiam mihi advolans testabatur, XX. millia pugnatorum ipsum in promtu tenuisse, præter multas civitates vicinas, quæ cum copiosis exercitibus sibi succurrere paratæ fuerunt, si necessitas ei, ut timebatur, incubuisset. Quæ non imminebat, quia nemo suorum adversariorum illic comparebat, & ideo domi remanserunt. Fertur quoque IIII. Filios Imperatoris ibidem coram eo in armis militaribus, & dyadematibus rutilantibus, adinstar astrorum: gloriosissime micuisse. Honorifice ergo recessit, qui anxius advenit.

Ordine retrogrado sive præpostero, non longe sed prope superius prætermissum quiddam valde notabile, & in scripturam redegibile referam, legentibus in futuro horrorem & stuporem immittens, loco suo debito ex oblivione transilitum. Est ergo istud: Anno Domini MCCCXXXIX. tres Baghardi, hæretici deprehensi, & Dyocesano Constantiensi supra pluries memorato præsentati, locoque eminenti cimiterii Ecclesiæ Kathedralis Constantiensis, coram toto Clero & omni populo, hæresium articulos multos abominabilissimarum legitime convicti, confessi sunt publice. Qui cunctis Auditoribus nauseam & admirationem, a retroactis annis inauditam incusserunt. Nam dum fuissent rite examinati, ac discussi superatique, errores suos execrabilissimos, in vetustate dierum suorum pessimorum perpetratos, imperterrite coram cuncta plebe civitatis Constantiensis illic congregata prodiderunt. More autem alicujus hominis, aliquot guttas aquæ de gurgite haurientis, paucos ex multis articulos persequar, nam plures quam XXX. fuerunt: ex quibus tantum istos relictis cæteris promam. Unus fuit, quod quidam ex eis una vice a mulieribus tribus interrogatus de Trinitatis essentia, antequam responsum daret, ad exhortationem sui vestibus detractis se penitus denudantes, ad dorsa sua se in latibulo suo projecerunt. Quo facto cum funiculo vel cordula pedem unius mulieris alterius mulieris pedi viciniori alligavit; Quibus taliter colligatis turpiter abusus fuit, nam eas regiravit, & hinc inde traxit, patula earum pudenda interim visu lubrico contuendo, tandem subnectens: hæc est Sancta Trinitas. Nec in hoc sibi suffecit, quin etiam petulantia carnis, commercia cum singulis secundum suum bestialem, immo diabolicum libitum post hæc exerceret. Tantum enim eas venenoso potu suæ pestiferæ doctrinæ ac hypocrisis dementaverat, quod suis desideriis nefandissimis totis viribus satisfacere studuerunt. Affirmavit quoque quod in pediculo tantum Deitatis vel divinæ bonitatis vigeret, quantum in homine vel alia qualibet creatura. Asseruit insu-

insuper tertio, quod panis non consecratus, vel hostiæ pacis consecratæ in duobus cophinis positus, sui sive porco æqualiter cibus aptus esset. IIII. astruxit, si viri & mulieris concubitus, & consecratio hostiæ a sacerdote in distantibus a se aris, vel duobus cornibus unius altaris fierent, quod utrumque æqualis ponderis foret, actus nec unus esset alteri præponendus. Hii errores & cæteri istorum hæresyarcharum fuerunt certissimis testimoniis probati. Hos autem quatuor ex cæteris multis præsenti tantum inserui opusculo, ne peccatum eorum in eo deleatur, sed memoriæ maledictæ in perpetuum commendetur. Cum in iis erroribus coram clero & plebe irrevocabiliter perdurarent, tandem videntes fore se tradendos Curiæ seu Judicio seculari, perterriti simulando pœnitentiam errores suos revocabant, pœnam condignam Ecclesiæ super excessibus suis subire parati fuerunt. Igitur ab ordinario in turrim conjecti, & in ea usque ad mortem pane arcto & angustiæ, aquaque tribulationis pasti.

Anno Domini M CCC XLIIII. in vigilia Ascensionis, ut ejus relatione mihi innotuit, qui præsens erat, atrox bellum navale commissum est inter Fratres hospitalarios Rodensis Insulæ, cum adjutorio aliorum Christianorum, & inter Turcos in mari. In quo quamvis Christicolæ tantum habuerint XVI. galeas absque aliis navibus penitus, & Turci XXV. galeas cum CXX. navibus: tamen, Deo sibi cooperante, de Turcis triunphabant, cæsis de Christianis tantum trecentis viris, ex Turcis vero XVIII milibus. Sed heu una galea fidelium, potito jam ab eis triumpho, per galeas Turcorum in absconso latentes, insperate & inopinate super eam irruentes, fatigatam a certaminis labore, abducta est & capta, cujus inhabitatores Christiani in captivitate dura ab Ascensione Domini usque post Festum Michaelis detenti sunt. Interim autem Christiani fratrem seu nepotem Regis Turcorum captum in eodem bello, in custodia arta detinebant: qui tandem libertati suæ a Christianis ob petitionem Turcorum, & ob promissionem firmam manumissionis ab eis fidelium jurejurando suo roboratam, quod & factum fuit, restitutus est; qui si captus non fuisset, Turci omnes Katholicos in galea memorata repertos perdidissent.

Paulo ante ista, ut mediante prænominati narratoris relatione didici, Turci clandestina, & nocturna & inprovisa invasione campestria Græciæ, villas & hujusmodi depopulantur, abductis secum Græcorum XL. milibus, adventum eorum minime grandem præscientium.

In fine fere ejusdem anni, civitatenses plurium civitatum sitarum juxta lacum Bodmensem ad præceptum Advocati eorum terram Comitum Muntfortensium perdomare, & Imperio applicare affectantium, in numero pauco & vili se apud Breganciam congregantes inconsulte, & ibi per biduum vel triduum commorantes, cum eorum derisione & contemptu absque fructu redierunt. Hæ civitates confœderatæ Imperiales, inprovide & inepte ad bellandum egredientes, cum convenissent in loco prænominato, & suam paucitatem plene perspexissent, veriti a facie hostium, ab incœpto destiterunt turpiter, cum Ecclesiarum multarum violatione, & earum deprædatione, cum pauperum spoliatione, desolatione, trucidatione, more Paganorum, ad propria in non modicam eorum ignominiam, opprobrium & verecundiam revertentes, ad pacem terræ integrandam venerunt, sed eam inter se detestabiliter ruperunt: Nam in transitu suo se mutuo spoliabant. Ad augendum Imperium confluxerunt, sed ipsum magis laniaverunt: nam in se & alios juramenti fœdere sibi copulatos insurrexerunt adinstar freneticorum quia filii Belial penitus extiterunt. Ista expeditio ante festum sancti Thomæ, quando erat algor intolerabilis, facta est, sed ante festum Nativitatis Christi contemptibiliter consumata, stulte attemptata, inaniter dissoluta.

Anno Domini M CCC XLIIII. in diebus Nativitatis Domini, quoddam dæmonium castrum oppidi Kampidnensis inhabitare cæpit, & diebus ac noctibus in diversimoda effigie animalium habitatoribus castri apparens, horridum eis habitaculum dedit in tantum, quod Kastellanus cum suis servicialibus, viris strenuis sibi cessit. Nam clara aliquando die eis tantum terrorem & tremorem intulit, quod Kameram in qua pariter dormierunt, exire, quamdiu eos molestaverat, minime præsumpserunt; arma ipsorum in conspectu eorum abstulit vel sustulit, & cum strepitu terribili ad ima, vel in partem oppositam projecit: quod inhabitantibus castrum stuporem & horrorem grandem incutiens, eos de castro ad oppidum fugavit.

Anno Domini M CCC XLIIII. & XLV. duo filii Ducis Austriæ Ottonis dudum ante defuncti, in primævo adolescentiæ flore, quia infra XX. annos constituti, unus circa finem anni XLIIII. alter in principio XLV. dominicæ incarnationis, ab hoc seculo in pace, secundum vero quorundam opinionem intoxicati transmigrabant.

Item anno Domini M CCC XLV. in partibus Italiæ, ante quadragesimam propter prædicationem crucis Christi contra Paganos, a Papa Clemente Sexto tunc temporis Ecclesiæ præsidente mandatam, sub titulo remissionis omnium peccatorum & pœnarum eorundem, multa millia Christicolarum contra Turcos, Christianis & Paganis adversarios transfretabant, ut fama veridica ad me pervenit. A qua quoque percepi, quod tunc noviter Veneti, Januenses & alii Katholici Turcis per sua bella atrocissima, quæ eis intulerant, civitatem gloriosissimam abstraxerunt, per quam Christianitas, si eam conservare prævaluisset, in perpetuum locupletari valeret.

Item eodem anno tempore quadragesimæ, in Ulma quædam mulier honesta, eo quod quendam civem locupletem ibidem commorantem impetivisset, & in spiritualibus judiciis vexasset, & vexando obtinuisset, quod matrimonium initiatum cum ea consumaret, ab eo jussa

jussa est occidi, quia pœnitentia ductus amara, de matrimonio contracto cum ipsa, aliam traducere satagebat. Sed extincta, post mortem evidentibus miraculis coruscans, innocens conprobata est: quæ longe lateq; diffusa ipsam non solum insontem, verum etiam sanctam Deoque acceptam demonstrarunt. Nam cæcis visum, claudis gressum, multaque beneficia, Domino largiente, indigentibus conferebat. Quæ dum parentes viri, tanquam indicatam justitiæ mulieris, civis vero malitiæ, obstruere, cohibere & obducere conarentur, magis erumpebant.

Item anno Domini MCCCXLV. mense Februario, XL. viri apud Smirnam, Kapitanei exercituum Christianorum, a Turcis interempti sunt, exercitibus illæsis permanentibus, quod tali modo accidisse asseritur. Kapitanei maturo consilio decreverunt, machinas Turcorum fore destruendas, ut minus per hoc civitatem Smirnam molestare, ipsam oppugnando, valerent. Quod dum factum fuisset cum prospero aliquali fidelium conflictu Turcis illato, ad civitatem redierunt. In quo reditu, dum Kapitanei divulsi ab exercitibus, ad quandam Ecclesiam juxta viam sitam, ad referendum Deo gratiarum actiones pro victoria de Turcis habita divertissent, & hoc Turci de loco eminenti perspexissent eis insidiantes, mox ab eis in multitudine congregatis circundati & comprehensi sunt, & in continenti omnes pariter extincti. Illic corruit, ut fertur, Capitaneus Papæ Clementis VI. qui quinque galeis illuc directis a Papa præfuit. Cecidit quoque ibidem Kapitaneus Hospitalariorum insulæ Rodes, & Cipri, & Venetorum, ac Januensium, cum Neapolitanorum & Pisanorum, cum aliis etiam mihi non nominatis, quorum mors pretiosa & in conspectu Domini, ut pie credendum est. Post mortem vero horum, ut fertur, Mense Martio Christianitas, Domino cooperante, damnum de suis cæsis, ut ita dicam, reconpensans, apud quendam fluvium de Turcis, ut turbo venientibus ad nocendum Christicolis, tria millia peremit & in campo quodam etiam fere totidem perdiderunt, pro quo Christus sit benedictus in secula seculorum.

Item eodem anno oppidum Lindaugense, honoribus, divitiis, & personis per cives aliunde venientes brevi tempore succrescens in altum, ad ima dejectum est abjectionis, opprobrii, vilitatis & paupertatis, ita quod sicut ante floruit, ita tunc tabuit: & sicut ante fragravit jocunda redolentia oppinionis excellentis, sic postea fœtuit fœtore famæ ignominiosæ. Nam partialitas iniqua, latenter diu exorta, ibidem infra octavam Pascæ in medium patenter erupit, burgensibus pluribus potioribus alteræ partis fugientibus ad civitates & ad castella circumposita, nec non multis tandem successive propter culpas levis ponderis a loco eliminatis. In disturbio illo ab Advocato Imperatoris humilis progeniei, residentis in Ravenspurg, magnanimiter tamen agentis, magister civium & tribuni plebis burgariorum ante non habiti, jussu Cæsaris Ludwici creati sunt. Ab eo quoque omnes cives reperti in oppido illo, ad fidelitatis juramentum conpulsi sunt sub districtione severa.

Eodem quoque anno incarnationis Domini, circiter festum Paschatis, legatio Imperatoris Ludwici pro compositione inter ipsum & Papam sæpius attemptata, ut supra expressum est, per nuntios omni Reverentia dignos replicata est; qui contra confidentiam hominum, ante Festum Sancti Johannis Babtistæ, reversi sunt omni desiderio terrarum frustrato. Nam nulla, sicut antea sæpe factum est, prospera reportabant. Propter quod homines præsertim Alamaniæ, de compositione capitum & unitatis Ecclesiæ recuperandæ, ad minus pro suis temporibus penitus desperabant. Tunc temporis religiosi & seculares Clerici, qui divinum cultum in locis Imperialibus, vel aliis interdicto suppositis resumpserant, absolutionem ab hoc a Romana Curia impetrarunt, aliis Clericis in eisdem locis libere & absque pavore in celebratione persistentibus: hujusmodi autem absolutio pro uno floreno facillime obtinebatur. O quam lamentabilis & execrabilis scissura, & difformitas Ecclesiæ illis in temporibus facta est! Hoc verbum evangelii: gratis accepistis, gratis date; irritum visum est.

Anno Domini MCCCXLIII. Dominus Ropertus, Rex inclitus Siciliæ & Apuliæ, litteris eruditissimus, ab hoc seculo transmigravit: qui fuerat præcipuus benefactor Ordinis fratrum minorum, quod in fine vitæ suæ apertissime demonstravit, habitum ordinis pluribus diebus ante vitæ suæ exitum devote assumendo, in quo & apud fratres, sicut fieri voluit, sepultus est.

Anno Domini MCCCXLV. Rex Franciæ, ut fertur, insignem & opulentum, & magnanimum Comitem de Bar accusatum sibi de dolo inito ab eo cum Rege Angliæ contra ipsum, sublatum de lecto suo violenter, vel, secundum aliorum dicta, fraudulenter ad se vocatum interfecit, cujus mortem uxor sua, secundum quorundam assertionem, fraude consimili vindicavit.

Hiis temporibus sedes Episcopalis Constantiensis vacabat ultra spatium integrum anni solaris, cum scandalo totius terræ. Nam Decanus ejusdem Ecclesiæ, & Dominus Albertus de Hohenberg contra se in Avione apud Papam Clementem VI. cum multo tædio & dispendio morabantur. Tandem Decanus Episcopatum obtinuit post graves sumptus, & pecuniæ immensas donationes. Hic a majori parte Capituli electus fuit, & sicut in vocibus eligentium prævaluit Comiti, sic & post in captione Episcopatus; reversus in secundo anno post obitum sui antecessoris, qui fuit citra festum Beatæ Margaretæ, infra festum Paschæ & Pentecostes.

Hiis in temporibus quidam tantæ agilitatis extiterat, quod coram plebe pluries super valangam sibi ad hoc præparatam, in civitate Argentinensi faciliter prosiliens, & in momento se transvertens, in pedica se pedis unius suspendit,

dit, capite contra terram verso, & in omnem partem se de valanga ventilando, & regirando stuporem omnibus aspicientibus dedit. Nichilominus virtute quadam mirifica sibi præ cæteris hominibus indita, membris sui corporis more puellari compositis, coram populo hoc spectante, de mensa longe ad alteram e regione locatam se transjecit, ita ut ibi se erecto statu non suppino statueret, quemadmodum de alia mensa erecte & directe ad illam transilivit, quod magis reputabat apud semetipsum, quam id quod prius narratum est. Fertur de alio quodam, quod Romæ excelsam turrim ascenderit, & totum corpus de ea prominenter & evidenter exponendo, solo pollice unius manus suæ super crepidinem muri, turris vel cancelli sui extremitate innixus, cunctis cernentibus spectaculum plenum anmiratione præbebat: nam per girum se extra turrim ventilando, & hinc inde convertendo, in solo pollice introrsus sustentatus, omnium hominum ad hoc conspiciendum confluentium oculos, a retroactis annis inoppinabili ac inaudito tractu ad se traxit & allexit. Item quidam in Rotwil, de alto ponte ratione cujusdam vadimonii initi cum aliis viris, ad spatium trium pedum contra profunditatem seu præcipitium vallis vel fossati, super tegulam tenuem infra pontis crepidinem sibi pro signo vel meta locatam decidens, mox potentia quadam incredibili naturaliter sibi impressa in pristinum locum pontis, unde in præceps voluntarie ruebat, resilivit. Quidam etiam mancus promtissime digitis pedum pro digitis manuum in ludo taxillorum cum cæterorum lusorum anmiratione non modica utebatur. Quidam insuper homines cum cæteris corisatoribus in suis capitibus loco pedum ad terram transversis expeditissime corisabant. Quidam etiam in pluribus locis equos velocissimos suo cursu velociori prævenerunt, insuper in eos retro promtissime saliebant, dum actu equi in suo cursu erant citissimo constituti; &, quod magis est, quidam in tali cursu & saltu capita sua in sellas equorum currentium fixerunt directe & erecte, pedibus suis transversis in altum contra cœlum.

Anno Domini MCCCXLVI. nuncii Ducis Austriæ intromittentis se pro tunc de compositione inter Inperatorem & Papam egressi in adventu immediate anni præeuntis a facie ejus reversi sunt circiter purificationem Beatæ Virginis, nulla gratia obtenta.

Anno Domini MCCCXLV. tempore vernali vel æstivali, Rex Kragogiæ filiam suam Romulo Imperatoris filio sibi nato, dum Romæ ageret, tradidit in uxorem. Qui circiter festum Sancti Jacobi perrexit cum pauco exercitu vel comitatu, ad consumandum matrimonium ante initiatum.

Item eodem anno vel tempore, Marchio Moraviæ, filius Regis Boemiæ in multitudine gravi Marchionatum Brandenburgensem intravit ad devastandum eam, in ultionem injuriæ illatæ fratri suo juniori a filio seniore Imperatoris Marchione Brandenburgensi. Hic enim uxorem fratris sui tulerat dudum ante temere, & sibi eam in conjugem copulavit, contra juris Canonici tenorem: consanguinitas enim inter eos habita, ut fertur, & divortii nullatenus obtenta celebratio matrimonium Christianæ Religionis fieri prohibebant. Dum autem, ut dictum est, filius Regis Boëmiæ demolitioni terræ Brandenburgensi insisteret, Rex pater suus, quamvis omnino orbatus fuerit lumine oculorum, tamen pro filiis discrimini se dedit, oppida terræ oppugnando, quod a seculo, ut credo, non est auditum. Fecit autem hoc nimio furore exagitatus contra Imperatorem filiumque ejus, ob causam immediate memoratam.

Circiter idem tempus Cæsar Ludwicus colligendo exercitus bellatorum in auxilium filii sui contra Regem Boëmum, licet frustra, quia effectui opus inchoatum non tradidit, circa civitatem Nüerenberg & urbem Ratisponam, ibidem circumquaque terram devastabat: liberam enim licentiam contulit cunctis congregatis, deprædandi quos vellent vel possent homines illic degentes. Eodem quoque tempore famabatur, quod Rex Boëmiæ una cum Filio suo, Regi Kragogiæ bella intulerit. Qui duo Reges, dum cum suis exercitibus contra se in canpestribus locati fuissent, & Rex Kragogiæ videret, se verisimiliter superandum a multitudine nimis copiosa hostium respectu sui, ad unam urbium suarum valde perterritus confugit, contra spem suam tandem humiliatus. Nam interim, dum speraret se auxilium habiturum oportunum, & hoc fiducialiter præstolaretur a Cæsare propter sponsalia noviter inita inter Filiam suam & Filium Cæsaris memoratum, & non inveniret, ipsa irritavit secundum assertionem plurimorum, vel ad minus cassare disponebat, aut attemptavit.

Item anno Domini MCCCXLV. in Septembri circa festum Sanctæ Crucis, in fluvio Rheno apud oppidum Rinvelden, centum & XXX homines promiscui sexus navigantes de balneis naturalibus, & de loco Heremitarum submersi sunt. Citra idem quoque tempus XL. homines Lacum transire juxta oppidum Raperswile in ferocissima tempestate more freneticorum satagentes, naufragium incurrerunt: nam absorpti a voragine procellarum, in profundum abyssi, rupta navicula, deciderunt.

Paulo ante ista præscripta, Generalis fratrum minorum legatione Summi Pontificis functus ad Regem cujusdam Insulæ Paganum, ipsum cum gente sua ad Christum convertit. Qui dum post hæc peracta, ad Capitulum generale celebrandum in Assisio an. Dom. MCCCXLII. pergeret, Rex adhuc Katechuminus, una cum populo neophito clamabat cum ejulatu lamentabili, post eum dicens: Heu Pater Sancte, cui novellam plantulam tuam fovendam relinquis? invadent gregem tuum lupi rapaces. Nisi post capitulum mittas aliquos fratres tui ordinis ad terram nostram, Doctores verbi ac exempli, qui plebem adhuc debilem & recentem, & novam in fide solident & confirment; qui precibus eorum supplicibus, indicibili gaudio per hæc perfu-

perfusus, annuens, a capitulo plures fratres idoneos eis transmisit, qui verbum Dei illic prædicarent valenter, & conversi ad fidem babtizarent.

Circiter ista tempora, dum quidam nobiles dicti de Lochen Swevi, Regi Daciæ auxilium contra suum hostem, ut puto, Regem Norwegiæ vel Sweciæ pro stipendio pingui cum multis galeatis præstarent, accidit Paganos alteri ex prædictis Regibus subactos Ecclesiam quandam violenter hora Missæ subintrare. Dum autem unus ex illis presbitero celebranti in altari, interim hostiam consecratam temere abstulissent, & cum alter Paganus propter hoc nimium dolentem cerneret, socio suo raptori hostiæ suggessit dicens: reddi illi tortulam ablatam, quia video quod medullitus pro ejus amissione est consternatus. Ecce qualiter Sacramentum Sacramentorum per ignorantiam & infidelitatem, quandoque vero per malitiam contemnitur & irridetur, in fidei non modicum detrimentum!

Anno Domini MCCCXLV. citra festum omnium Sanctorum, dum frater Imperatricis, Comes Hollandiæ quandam civitatem Trajectum vocitatam, sibi adversantem expugnare desudaret, a suis familiarissimis dolose, ut a quibusdam fertur, interemptus est. Alii vero asserunt sic, dum strues natatiles lignorum, longas & latas composuissent firmissimis ligaturis, super fluvium quendam puta Rhenum vel aquas maris præterfluentem, vel inhærentes civitati, & desuper cum multis millibus pugnatorum operam darent diligentem ad captionem & desolationem civitatis; conpagibus lignorum dissolutis, & tenaculis ruptis, in profundum maris vel fluminis pariter, paucis exceptis, corruerunt, submersionis mortem incurrentes. Tertia currebat opinio, inter memoratos famosior & veritati similior, videlicet quod Frisonibus bellum intulerit cum multa electaque militia, sibi eos subjicere gestiens. Qui egressi contra eum sua castra posuerunt, colligentes illic artificialiter multitudinem aquarum, quas dum tandem contra acies Comitis ex adverso constitutas emitterent, & illæ eruptæ ex insperato more torrentis inundantis rapidissime effluerent, ipsas una cum Comite in magna parte absorbebant, ceteris in ore gladii prostratis usque ad internecionem: pauci enim manus vel aquæ voraginem effugerunt. Fertur autem communiter, XL. millia virorum de exercitibus Comitis modo prædicto cecidisse, qui omnes una cum Comite miserabiliter perierunt. Imperatrix vero audiens mortem fratris, descendit in Hollandiam, & ipsam jure hæreditario ad eam devolutam sibi vendicavit, ipsam, ut dicitur, pacifice possidendo.

Anno Domini MCCCXLVI. Rex Siciliæ a suis servicialibus strangulatus fuit, pro quo Papa Clemens VI. medullitus jaculo doloris fuit perfossus in tantum, ut fama testabatur, quod ipsum amarissime deplanxit. Frater vero suus Rex Ungariæ ex mœrore immenso, quem gestabat in pectore suo pro sua interemptione, per multos dies cum tota familia & comitatu suo, in argumentum suæ desolationis, in veste funebri nigri vel fusci coloris incessit. Auctores vero latrocinii fere XL. viri de Optimatibus, post Regis mortem, notati in ultionem tam exsecrabilis sceleris commissi, horribili nece plexi sunt. Plerique ajunt, dum Rex præfatus cum consorte sua in Kamera regia sopori se dedisset, memoratos maleficos per ostium Kameræ audacter & importune irrupisse, & ipsum sublatum per eos a latere Reginæ, & in altum per funem elevatum, quem ad hoc secum attulerant, in trabe suffocasse, regina vix per fugam celerem manus eorum effugiente. Facta sunt autem hæc tempore hyemali circiter festum nativitatis Christi.

Anno Domini MCCCXLVI. Imperator Ludwicus apud Monachum, civitatem suam propriam in Bavaria, accusationes graves & querimonias miserabiles parentum pueri noviter tunc occisi a Judæis ibidem habitantibus, corruptus pecunia audire recusavit; populum quoque civitatis memoratæ, katervatim locum occisionis pueri extra muros frequentantem, ubi Dominus miracula sanitatum plurima, ut fertur, operari dignabatur, cohibere & restringere minis & terroribus a cœpto concursu satagebat. Cum autem videret se contemni prohibitiones & præcepta sua minime curando, demandavit sive ad minus permisit homines utriusque sexus spoliari, denudari, turpiterque tractari: & quod super omnia gravius est, tuguria & casas pro solatio adventantium illic constructas, & crucem excelsam erectam in titulum destrui & amoveri jubebat. Quod factum, fidei Katholicæ & justitiæ minime consonum ipsum fecit ignominiosum. Hæc fecit filio suo Marchione Brandenburgensi de hoc dolente, & in contrarium renitente. Iste nefarius actus Cæsaris, Christianæ Religioni penitus inimicus, suam gloriam non modicum obfuscavit: nam sicut antea in populo proprio illic gratiosus & gloriosus extitit, sic postea turpis est ei redditus & exosus. Multi etiam præsagiebant & conjiciebant, illud opus abominabile fore quoddam præambulum & pronosticum suæ infelicitatis in proximo imminentis.

Item eodem anno tempore æstivali Rex Angliæ, ut fertur, de Rege Franciæ in uno prælio ad invicem commisso in quodam loco triumphavit. Quo potito feliciter, Swevos aliquos a suo exercitu captos, timentes de vita sua inpunes libertati remisit tali adjecta conditione, quod si, Domino cooperante, in brevi contingeret eum Parisius potenter dominari, hoc audito ab eis illico se sibi ibidem præsentarent; sin autem, quod essent ab hoc vinculo penitus suportati. Qui ad hoc faciendum, ut fertur, se coram eo obligaverunt, sacro præstito juramento.

Anno Domini MCCCXLVI. in festo Valentini martyris plures cives extranei oppidi Lindaugensis, in disturbio ejusdem oppidi supra non longe memorato, fugitivi seu profugi effecti a facie inimici, scilicet Advocati, ex insperato

rato latenter cum multis armatis supervenientis, & zelantis pro adversa parte, congregati in unum cum alienigenis sibi allectis & secum assumptis, ita quod erant circiter XX. in numero in adjutorium suum, per portam unam male custoditam tunc, quadam vesania seducti, armis armati micantibus, & variis vasis interfectionis muniti, scilicet gladiis, cuspitibus, gesis & balistis, repente gressu clandestino paulo ante solis occasum oppidum introeuntes, importune ac inpetuose domos Capitaneorum contrariæ partis adierunt, ipsos in eis studiosissime queritantes. Quibus non inventis, quemadmodum sperabant, per vicos & plateas hostiliter procedentes, stuporem & tremorem habitatoribus in eis per eorum inprovisum introitum, & insperatum adventum, suspicantibus magnam multitudinem secuturam eos juvantium, incusserunt. Nemini tamen nisi sibi nocentibus molestiam intulerunt. Si autem facere voluissent, exceptis civibus vulgaribus, plures de melioribus sibi casualiter in stratis occurrentes, absque quovis obstaculo perdidissent. Clamabant autem unanimiter, nichil mali intendere, sed tantum res suas repetere velle, & de suis bonis indebite sibi ablatis fieri justitiæ complementum postulare, per hæc præsumentes, & verisimiliter sperantes, præstantiores Burgenses cum majore parte populi oppidi sibi in continenti adhæsuros, & mediante eorum patrocinio & auxilio adversariis ibidem prævalituros; sed frustra in arundine vento agitata confidentes ab eis. Nam in quibus anchoram spei suæ fundaverunt, omnino derelicti fuerunt. Nam in crastina die, treugis in sero præteritæ diei compositis, adhuc durantibus usque ad pulsationem horæ primæ, in quibus licitum fuit eis abscedere, ut fertur, salvis rebus & corporibus, sed acceptare nolentibus, quia adhuc aliqualiter prosperari sperabant, contra fiduciam suam comprehensi & conclusi a communitate loci, detractis armis insignibus ac vestibus cultioribus, tam in turribus quam in domibus sunt arcte custodiæ mancipati. Principales enim & capita illius partis in vinculis & compedibus, ac manicis ferreis; quidam vero de vulgaribus cum prædictis instrumentis pœnalibus in pane angustiæ & aqua tribulationis, propter eorum forte graviora demerita constricti & trucidati sunt. Post Pascha vero cum civitatenses & Domini terræ circumjacentis pluries una cum Advocato Cæsaris Lindaudiam ad tractandum & ad placitandum in cassum pro eorum redemptione venissent: tandem post Pentecosten locupletiores pro pecunia grandi, quam Imperator exegit, extorta ab eis a fidejussoribus eorum prompta, in festo Sancti Jacobi certissime Advocato præsentanda, de captivitate sua, cum duris tamen pactis adjectis in futurum servandis, quæ pertranseo, erepti sunt. Quidam vero ex cæteris occisi sunt, sive treugæ fuerit tempore, sive persecutionis; quidam per fugam salvi & illæsi evaserunt; quidam autem quod est miserabile dictu, famis inedia consumpti sunt. Liberati vero Constantiam se transferentes, pecuniam a fidejussoribus termino statuto expeditam ipsis solvere recusarunt, dicentes eis fidem in pactis custodiendam fore violatam, quia plures ex concaptivis necati essent, qui libertati suæ restituendi fuissent, & ideo non immerito etiam ipsi frangere consequenter eam deberent, exactam substantiam non solvendo. Pro qua rebellione tandem anathematizati sunt, & a civitate Constantiensi fere ejecti: porro vita misera fame peremptorum, cum variis tormentis absque famis cruciatu execrabilibus, & mirum in modum acerbis macerati & castigati usque ad mensem Augustum se protraxit. Circa finem autem eorum famis rabies tam crudeliter in eis sæviebat per omnimodam alimentorum subtractionem, quod heu scippos & statuas juxta se positas in parte, ut dicitur, corroserunt. Anno sequenti redierunt per pacta quædam interposita.

Anno Domini M CCC XLVI. Marchio Moraviæ, filius senior Regis Boemiæ, supra pluries memoratus, a Papa Clemente VI. Rex contra Ludwicum Cæsarem suscitatus est. Qui dum eodem anno fere a tempore quadragesimali cum militia copiosa, & cum potentia mirifica, nec non gratiis uberrimis sibi a Summo Pontifice collatis, ad regnum Alamaniæ possidendum, ubique venturus solemni satis fama divulgaretur, & a multis cum desiderio atque tædio non modico adventus ejus præstolaretur, & Cæsar Ludwicus idcirco congregare exercitus ad occurrendum sibi, & a finibus Alamaniæ repellendum disponeret: accidit, quod ipse quandam civitatem obsedit cum quodam Episcopo adversario illius civitatis, clero in civitate contra cives pro Episcopo fortiter zelante. Quam obsidionem cives æquanimiter ferre non valentes, quadam die in impetu Spiritus fortitudinis extra muros civitatis eruperunt, & conflictum cum hostibus ineuntes, & eis prævalentes, militiam bonam in aliquanta multitudine novi Regis prostraverunt. De quo perterritus, a cœpto itinere & opere resiliens, ad Regem Franciæ protinus refugiebat. Dum autem cives prælibati triumphatores ad civitatem rediissent, clerum sibi dissentientem, & Præsuli temere contra eos faventem in ore gladii, prout fama communis astruxerat, perdiderunt.

Anno Domini MCCCXLVI. apud Nuerenberg latrones in cujusdam nemoris abditis commorantes, tot damna in in rebus & corporibus hominibus transeuntibus intulerunt, quod stratam regiam incultam penitus reddiderunt. Quod cives ultra ferre non valentes quia in dispendium eorum & terræ non modicum vergebat, propter cessationem vecturæ, mercimoniorum preciosorum consveto more per stratam publicam illius nemoris deducendorum, per civitatem proclamari & denunciari valenter jubebant: quicunque unum latronum memoratorum captum civibus adduceret centum libras Hallensium ab eis immediate percipere deberet. Quod audiens quidam in vicino pauper rebus miles residens, desideransque

que aliqualiter de sua inopia relevari, latronibus sollerter insidiando, notavit eos una dierum XVIII. in numero quoddam castrum vile ascendere, & causa refectionis ibi accipiendæ intrare. Quo viso, illico congregatis pluribus armatis rusticis, & secum eis ductis castrum invadens, strenue & audacter in virtute fervida in ipsum irrumpens, latrones simul repertos omnes cepit, & civibus in Nuerenberg præsentavit. Qui gavisi valde morte eos acerba & congrua talibus malefactoribus de medio sustulerunt: militi vero captori eorum pro quolibet centum libras Hallensium, secundum eorum pollicitationem, liberaliter tribuebant, quibus receptis lætabundus domum revertens, suam penuriam exclusit.

Paucis annis evolutis ante immediate recitata, dum quidam hæretici utriusque sexus extra civitatem Nuërenberg ad cremandum ducerentur, & anmonerentur a fidelibus appropinantes portæ, in qua imago crucifixi depicta vel sculpta erat, ut elevantes oculos eam aspicerent, quatenus ejus intuitu ad cor redeuntes, & compuncti ab erroribus suis resipiscerent, veritatis agnitionem resumendo. Qui salutis spernentes monita, a Spiritu maligno illaqueati ac ludificati in verba blasphemiæ proruperunt, dicentes: (sicut mihi innotuit) in regno cœlorum Deo non cohabitant homines, sed tantum canes & catti; & exspuentes in detestationem imaginis, lætabundi ad tormenta properabant, rogum incendii subeuntes.

Pluribus annis ante narrata accidit, quod quidam nobilis residens non longe a loco Brigantino in suppremitate Lacus Botamici, nocte quadam equitando transiret parvum fluvium nomine Lüblach, cui ibidem obviavit Dæmon super alto equo constitutus, qui dixit nobili: Vis habere istum equum præstantiorem multo equo tuo? Cui cum responderet nobilis, quod libenter habere vellet eum, dum tamen vellet sibi eum donare. Tradidit ergo sibi eum dicens: accipe hunc equum eminentiorem ac velociorem cæteris equis, & habebis tibi eum ultroneum & paratum semper per multos annos ad omnia obsequia tua, si tantum unicum factum cavebis, hoc est, ne sibi pabulum anteponas. Qui gratias agens votivas suo datori, gaudens abscessit. Dum autem usus fuisset illo equo desiderabili forte per biennium, accidit quod dum cum aliis majoribus natu illius confinii ad placitum in una villula nuncupata Nidrewangen habendum perecturus esset, ad unum molendinum secus alveum fluvii Arg juxta villulam situm divertit, ubi equum uxori molitoris absentis fideliter commendavit, quousque placitum finiretur, injungendo sibi quanto seriosius potuit, ne equo pabulum ministraret; quod utique facere spopondit, & diligenter præcavere. Itaque nobilis ad placiti locum abiit. Post modicum vero temporis intervallum molitor, qui antea absens fuerat, domum repedavit, & videns equum illius nobilis sibi dilecti alimentis omnino carere, iratus nimis effectus conjugem verbis probrosis affecit, quod equo in necessariis non providit, suspicans eam ex incuria propria neglexisse. Cui ait mulier: mihi districte dedit in mandatis, ne sibi fœnum vel avenam apponerem, cui obtemperare cupiens prætermisi. Cui maritus subjunxit: ista tibi præcepit ex discretione multa qua pollet, volens nobis condescendere, ne nos equi sumptibus agravaret. Et accurrens in vehementia, equo pabulum præposuit: quo facto equus protinus disparens, per tectum cum fragore & strepitu evolavit, & ultra visus non fuit. Molitor vero cum conjuge stupefactus & turbatus, nobili revertenti de placito rei seriem enarrabat: qui videns se Dyabolum tanto tempore equitasse, mirans & pavens super hiis, domum pedester rediit, qui equo insidens, ut putavit, advenit.

Anno Domini M CCC XLVI. homuncio quidam vel gnanus de abditis suis egressus, clara in campis pastoribus superioris Albgogiæ die apparuit, quem dum capere niterentur, relicto baculo quem in manu tenebat, vix manus eorum effugit, recondendo se in suis latebris, unde exierat ipsis cernentibus, paxillum tamen suum vel hastulam pro grato munere vel exennio, quem rejecerat, reservabant, & poma.

Item eodem anno Domina Sancia Regina Siciliæ & Apuliæ, conjux quondam Regis Roperti supra pluries memorati, consolatrix piissima pauperum, præcipua tamen benefactrix fratrum minorum migravit ad Christum, sepulta in habitu, ut fertur, ordinis Sanctæ Claræ, in monasterio monialium ejusdem ordinis solemni apud Neapolim, quod ipsa construxerat de novo, in personis & rebus copiose provisum.

Anno Domini M CCC XLVI. circiter festum Sancti Bartholomæi Rex Angliæ iterum resumens & replicans contra Regem Franciæ conflictum, paucus existens in multitudine exercitus respectu Regis Franciæ in multitudine gravi contra eum congregati, ipsum fugavit una cum novo Rege a Papa creato, & cum multis millibus armatorum, etiam Swevorum. Porro de Magnatibus & nobilibus, & famosis civibus exercituum Regis Franciæ prostravit, ut fertur, circiter duo millia præter multa millia popularium, quorum certum numerum non audivi. Quamvis enim de utriusque Regis exercitibus multi sive in ore gladii percussi vel conculcati fuerint, in bello ceciderint, tamen quasi incomparabiliter plures ex parte Regis Franciæ corruerunt: nam Rex Angliæ victoria gloriose potitus est. Fertur, quod Rex Angliæ illa vice conflicturus exspectavit Flandrenses sibi in auxilium venturos, sed tardantibus eis, & dies statuta belli incumberet, & ultra protrahere bellum nollet, in Domino confisus qui potest salvare in paucis sicut in multis, viriliter & magnanimiter aggreditur hostes adversus se constitutos, & strenue fortiterque propriis cum cuneis eos usque ad internecionem cædens triunphavit de exercitibus Regis Franciæ. Cecidit Rex Boemiæ, cæcus dudum penitus effectus, Pater Regis noviter creati a Papa, quem ad instantiam suam magnam, robustus

bustus & magnanimis civis Basiliensis ex genere suo cognomento appellatus Monachus, duxit ad belli certamina, qui anbo a prælii tumultu extincti sunt. Corruit quoque de parte eadem, ut fertur, Rex Majoricarum, quod dolens refero, & Dux Lothoringiæ cum multis aliis Satrapis, Ducibus & Baronibus, quos Rex Angliæ deplanxisse dicitur, quando vidit eos post belli exitum tam lamentabiliter prostratos.

Anno Domini MCCCXLVI. propter frigoris & humoris per mensem Aprilem & Majum, & fere per medietatem Junii, nimium excessum pluviarum, cum sterilitate arborum vites saltem circa lacum Botamicum tarde florere cœperunt in tantum, quod Lindaugiæ in festo Sancti Jacobi nondum florere desinebant. Quamvis autem deinceps botri auram satis calidam habuissent, tamen per Solis ardorem decoqui non valebant in tantum, quod tempore vindemiæ apud Lindaudiam esibiles propter excessivam acredinem & duritiem suam minime essent; & tamen, quod est judicio meo mirabile, vinum expressum de uvis acerbis & botris amarissimis, ut ita dicam illis, quos bruina veniens nimis perniciose circiter Septembris principium non læserat, vel infecerat, competenter bonum & delectabile ad bibendum erat.

Item eodem anno Veneti quandam civitatem maritimam nomine Sadert, grandem & opulentam, eis in aliquo contrariam hostiliter obsederunt: quam Rex Ungariæ regno suo pertinentem, veniens de Ungaria itinere decem dietarum laborioso & difficili cum exercitu copioso, defendere nequibat, quanquam a festo Georgi usque ad festum Sancti Jacobi non lente, sed fortiter pro civitate contra Venetos repugnarent. Videns autem se frustra laborare, rediit in terram suam, multis valde viris tam de populo suo, quam de Venetorum in ore gladii propter atrocem oppugnationem & repugnationem utriusque partis ad alterutrum interfectis, quam alias subitanea defunctis propter pestilentiam exortam inter eos non modicam. Fuit autem illa civitas sic pro tunc, ut fertur, relicta, quod nec ab adversariis fuit superata, nec a Rege liberata, sed sui & Dei tuitioni reservata, propter assiduum tremorem & pavorem a Venetis civitati incussum. Miseria multifaria ibidem invaluit & excrevit in civibus, tamen viriliter & strenue rebellantibus: hæc evenerunt in mulieribus quoque, idcirco speciositas inmutata est; Nichilominus in Episcopo & suo Clero hæc lamentabiliter patuerunt. Fertur, quod in hac obsidione Veneti aggeres & arces, propugnacula ac alias structuras fecerint eminentes ita, quod mœnibus urbis in altitudine erant æquales, de quibus eam continue oppugnabant. Fertur quoque, quod quotiens Venetorum stipendiarii in oppugnando vel confligendo cum civibus eis acriter resistentibus, centum vel ducenti perierant, totiens totidem in locum eorum illo surrexerunt, a Venetis pro ipsis substituti: sumptus enim gravissimos impendere parvi pendebant, ut violentiam Burgariorum, & insultus eorum frivolos reprimere, & urbem conterere, ac ejus præsumptuositatem contumacem elidere prævalerent: quam tandem Veneti ceperunt.

Hiis temporibus floruit in ordine Sancti Francisci solemnis Doctor, plenus dierum, Parisius, Frater Nicolaus de Lira, qui multas postillas, glossas, tractatus, & alia opera preciosa super diversos libros Sacræ Paginæ compilavit. Et Magister Occa, qui plura volumina librorum egregia tam Theologica quam Philosophica composuit, sed præcipue artem Logicam lucidissime explanavit.

Anno Domini MCCCXLVI. tempore æstivali Fratres Prædicatores a civitate Colonia Agripina contemptibiliter expulsi, & eliminati sunt. Fratres vero minores paulo ante propter quartam dandam Parrochiano, sed per multorum curricula annorum frivole & inconsulte neglectam, tribulationes, inconvenientias, persecutiones, turbationes, vexationes, nocumentaque plurima pertulerunt. Fratres insuper Prædicatores præter prædictam, propter quædam sui demerita, ut fertur, satis gravia, quæ pertranseo, etiam ab Aquisgrani ignominiose exterminati sunt.

Anno Domini MCCCXLVI. Rege Angliæ demorante in Francia ad debellandum Regem ejus, Rex Scotiæ ad instinctum Regis Franciæ & instantiam, Regnum Angliæ ad devastandum eum intravit, qui per exercitum Regis vel Reginæ Angliæ hoc præscientis captus est, & miserabiliter detentus, exercitu suo in non paucis millibus contrito, & mox post, ut fertur, defuncto.

In istis temporibus multi latrones, raptores & fures increverunt in partibus Sveviæ homines certatim deprædantes, & miserabiliter suo latrocinio perimentes.

In hiis etiam temporibus unus Dominus de Podmeg, & unus Dominus de Hohenvels cum multis aliis Christicolis transfretantes ad visitandum terram sanctam, & alias transmarinas, a quodam Rege Pagano reverenter tractati sunt, & muneribus insignibus honorati sunt. Hii in quadragesima de domibus & de patria sua abeuntes, ante natales Christi domum reversi sunt ovantes, multis terris peragratis, Christique sepulcro diligenter perspecto, prius tamen pluribus florenis persolutis Sarracenis, qui eos ab ipsis extorserunt, antequam eis indulgerent introitum ad ipsum. Hii in reversione sua longe lateque diffamarunt hominibus, fratres Ordinis Sancti Francisci illic degentes sanctissimæ & perfectissimæ vitæ fore, et a Soldano sepulcri Christi custodiæ secundum vicissitudines suas ordinatissimas deputatos, altissimæ paupertatis perfectissimos sectatores.

An. Dom. MCCCXLVII. circiter quadragesimam Marchio Brandenburgensis, filius senior Ludwici Inperatoris rediit de Lytaonia, debellatis ibidem Paganis, ducens secum Regem vel tres Paganorum captivos cum Satrapis suis pluribus, quos, ut fertur, Principibus Katholicis diversis

versis distribuit possidendos, qui sui triumphi magnifici sunt evidens testimonium.

Anno Domini MCCCXLVII. in quadragesima, & inter Pascha & Pentecosten circa Avionem propter guerrarum rabiosam inundationem circumquaque exortam, fames exitialis & prævalida facta est, propter quam innumerabiles populi morte repentina extincti dicebantur. In tantum etiam mortalitas famem horrendam subsecuta sæviebat, quod in plateis, vicis & in sterquiliniis prostrati miserabiliter jacuerunt.

Anno Domini MCCCXLVII. oppidum Lindaugense iterum lamentabiliter per incendium paulo post meridiem voracissimum, repente superveniens, mediante flatu venti subsolani inpetuosissimo destructum est, cum pluribus hominibus extinctis.

Eodem anno quidam nigromanticus veniens latenter in villam dictam Correnbürren, per præstigia sua multos homines dementaverat: nam domum, in qua absconditus erat coram inhabitatoribus vel eam frequentantibus, auream apparere fecit, plures defunctos simul suscitare videbatur, & suis parentibus vivis locutos fuisse; facta & verba absentia hominum de seipso & de aliis clare novit. His & aliis multis modis quandam villicam deformem sibi præ cæteris inprægnavit dicens, eam parituram puerum sanctiorem Johanne Babtista.

Hiis temporibus apud oppidum Wangen erat quidam cœcus, domunculam habens juxta nemus, cujus novit singulas arbores, fagum vel pinum, quando sibi placuit, invenire, harum arborum cacumina, quando voluit, scandebat, & ramos ejus a summo usque deorsum gradatim abscidit, in ventilabro more videntis ventilare ac purgare frumenta optime novit, videlicet paleas a tritico bene excutiendo, ligna quoque secare cum securi non minus bene novit, & plura alia.

Hiis quoque temporibus, dum in villa Correnbürren quædam villica pastam farinæ ab ea confectam fornaci ardenti immittere vellet, ut inde panes formati in eo decoquerentur, ipsam cum magno stupore versam in sanguineum colorem reperit, quia feriam Sancti Laurentii non servavit.

In eadem villa paulo ante ista tempora, dum vulpes torcular intrasset, & vinitor superveniens stans sub janua torcularis eam conspectam capere studiose niteretur, vulpes hoc tacitus animadvertens, astutiam hanc evadendi adinvenit, scilicet quod tunicam seu pelliceum vinitoris intorculari repertum in prunas ardentes ibi positas, quia tempore vindemiæ erat, projecit, ut vinitor hoc videndo de janua torcularis abscederet ad eripiendum vestimentum de prunis, & sic per januam torcularis sibi fugiendi locum daret, quod & factum fuit. Causa autem introitus vulpis ad torcular prope montem situm, erat scilicet quod vinitor, post verutum bene assum & a se depositum, torcular exiverat: cujus odore veruti vulpes tracta, torcular intravit, & verutum ascendit ipsum devorando. Interim vero vinitor rediens, & vulpeculam verutum devorantem reperiens, januam torcularis addendo & ei assistendo, ne vulpi exitus pateret, quousque caperetur custodivit. Quod videns animal in angustiis positum, tunicam ipsius, ut quidam ajunt, polimitam seu stragulatam, in pavimento torcularis relictam ore suo ac dentibus suis sustulit, & ad ignem portavit. Hoc facto vinitor januam torcularis reliquit, & citius ad prunas accurrit, quatenus vestem de incendii periculo liberaret ipsam tollendo celeriter, & arsuram ipsius præcavendo: & sic vulpes per ostium exsiliens, animam suam salvavit.

Anno Domini MCCCXLVII. infra festum Paschatis & Pentecosten, novo Rege regionem inter montes, apud civitatem Bozen & alias munitiones finitimas constitutam, cum adjutorio Episcoporum circumpositorum sibi subjiciente, quæ ante Filio Cæsaris subacta fuit, propter mulierem quam rapuit quondam fratri novi Regis, & sibi eam copulaverat; dum Imperator Ludwicus profectionem militum contra eum ad defendendum se & terram ab eo parasset, & sibi prævalere nequivisset, confusus in Bavariam cursu leporino rediit, relinquens filium suum cum Comite Sancti Montis in castro Tirol, ad tuendum id, & conservandum a facie & vi prævalida inimici.

Hiis temporibus, ut fertur, quædam mulier apud Thuregum, breviter ante mortem suam aversa a cultu divino fuit, quod sibi ulterius sicut antea interesse abhorrebat. Quæ statim post a carne soluta, & apparens cuidam personæ, sibi devotæ narravit se nimis in hoc exorbitasse, quod pauco tempore cultum divinum vitaverat; & in argumentum hujus rei esset, si sepulcrum ejus aperiretur, in ventre jacens inveniretur, licet in dorso locata fuerit, quod ita fuit.

Hoc in tempore plures defuncti, post mortem familiaribus sibi personis apparentes, contestati sunt, homines in alio seculo lumine orbatos, qui in hoc seculo constituti in locis divino cultui deditis, divinum cultum contempserunt.

Anno Domini MCCCXLVII. in tempore æstivali, circiter festum Sancti Johannis Babtistæ Marchio Brandenburgensis sæpe dictus, inito prælio cum novo Rege collecto in montanis in multitudine populi grandi, ipsum fugavit, pluribus de exercitu suo ad mortem prostratis, quibusdam captivatis. Ex captorum numero fuit Episcopus Curiensis sibi adversantis, & pro novo Rege zelantis, qui tandem fuit, ut fertur, Imperatori in Monaco cum sui ludibrio ac contemptu præsentatus. Famatur insuper quod Marchio memoratus post prælium consertum & peractum, prætaxatam terram & munitiones abstractas & ablatas a novo Rege circa Nons & Tridentum recuperavit, sibi plene subjiciendo.

In eodem anno eisdem diebus, dum Comes de Bar zelans & agens pro Rege Angliæ & Dux

Dux Britanniæ agens pro Rege Franciæ, in absentia Dominorum amborum Regum ad belli certamina congressi fuissent, Comite prævalente Dux ab ipso captus est, quingentis, ut fertur, de suis viris interemptis, paucis vero de exercitu Comitis triumphantes respectu aliorum adversæ partis.

Anno Domini MCCCXLVII. tempore æstivali Rex Angliæ civitatem unam Regni Franciæ nomine Kalbis sibi graviter adversantem & obsistentem, & fere per anni spatium ab eo obsessam cepit, & eam subvertit, & habitatores ejus sexus virilis adultos in ore gladii perdidit, masculos vero, ut a quibusdam fertur, infra XII. annos constitutos, a morte exemptos & præservatos secum in Angliam transtulit. Hæc eo faciente, Rex Franciæ nec civitatem defendere, nec Regi Angliæ resistere præsumebat.

Item eodem anno tempore autumnali, circiter festum Michaelis Stephanus Dux Sveviæ, filius Imperatoris Ludwici profectionem, ut fertur, XXX. millium pugnatorum movens, ad humiliandos Comites Sweviæ, novo Regi favere, Imperatori vero rebellare studentes, terram Sweviæ superioris graviter devastavit, & Comites sibi occurrere trepidantes, ad rogandum ea quæ pacis sunt, eos sua insuperabili virtute conpulit.

Item eodem anno immediate post prædicta, in octava Sancti Francisci Imperator Ludwicus, dum venationi ferarum more solito in Bawaria lætanter operam daret, morte subitanea & insperata, residens in equo, vitam finivit. Quod etiam versibus istis a me editis notavi taliter:

Mortuus est anno milleno, C. triplicato
Cæsar septeno Ludwicus & in quadrageno,
Octobri mense, nullo læsus tamen ense.
Sed dum venatur eques, casumque minatur,
Equo detrahitur, moritur mox, post sepelitur.
Octava tacta jam mors est luce peracta
Sancti Francisci, Confessoris Benedicti;
Annis terdenis regnum tenuit bene lenis,
Et tribus, ut fatur, dum tempus ei numeratur.

Item eodem anno, ante mortem Inperatoris nix valida circiter festum Michaelis Archangeli, & Sancti Francisci cecidit super universam faciem terræ Sweviæ, quæ lamentabiliter annonam in campis adhuc stantem vel destruxit vel corrupit: nam VIII. vel X. diebus ipsa nix frumenta & legumina obducens, ipsa perniciose infecit & destruxit. Eodem anno fructus arborum valde exuberabant, sed ad debitam maturitatem propter anni humositatem minime ut plurimum pervenerunt. Propter hanc causam apud lacum Botamicum vindemia laboravit: nam acre vinum & paucum vineta ibidem protulerunt; nec mirum cum apud Lindaudiam eodem anno in festo Sancti Bartholomei vinum nondum in vitibus defloruerit. Item ille annus intemperatus monstruosas aristas, & spicas, & botros in aliquibus partibus Alamaniæ produxit. Hæc omnia fletum, terrorem & ululatum terræ illius incolis incussit.

Anno Domini MCCCXLVIII. in mense Januario Rex Ungariæ ad capescendam ultionem dignam in actoribus & fautoribus necis fratris sui Regis Siciliæ, cum magnis copiis procinctum in Canpaniam & Apuliam faciens, gloriosissime receptus est: ubi, ut fertur, filium fratris Regis Roperti antea defuncti propria manu decollavit; quendam etiam Comitem decollari mandavit ibidem. Uxor vero fratris Regis Ungariæ percipiens adventum ejus, suspecta habita de strangulatione mariti, cum suis complicibus & fautoribus ad partes longinquas & penitus ignotas aufugit. Mors Regis hujus supra recitata est.

Item eodem anno in festo Sanctæ Scolasticæ Legati seu Ambasiatores Græcorum & Imperatoris eorum diu divisorum ab unitate & integritate Ecclesiæ Katholicæ, venerunt Mediolanum, dicentes se velle adire summum Pontificem Clementem VI. ad exorandum eum, ut Græcos ad reditum unitatis Ecclesiæ recipere dignaretur: Nam tantum circumquaque Græci ab infidelibus coarctati & infestati essent, quod si Ecclesiæ Romanæ, dimissæ ab eis in malum suum, auxilium in tempore tribulationis eorum assequi nequirent, truculentæ rabiei Paganorum periculosissime subjacerent, & ideo necesse haberent, ad unionem & communionem derelictam fidelium revolare.

Item eodem anno in fine Januarii, in conversione Sancti Pauli factus est terræ motus magnus, qui in Longobardia multas turres dejecit, mœnia scidit, vinaque in doliis turbulenta fecit. Villach, quoque civitatem Karinthiæ subvertit, qua subversa & corruente omnes homines habitatores ejus, paucis exceptis, mœniis obruti extincti sunt. Plura castra & villæ, & quocunque nomine censeantur, munitiones, ut fertur, circiter XXX. ceciderunt: montes aliqui juxta Villach, secundum aliquos, de locis suis propter terræmotum istum moti sunt.

An. Dom. MCCCXLVIII. tempore hyemali, vel circa principium veris in partibus ultramarinis exorta est mortalitas seu pestilentia tam grandis, quod infinitam & inæstimabilem multitudinem infidelium absorbuit & absumpsit. Quæ derivata ad terras Christicolarum, maxime in locis maritimis, præcipue tamen in Sicilia innumerabilem populum prostravit. Fertur, quod in quadragesima circa Marsiliam urbem, & Avionem tam crudeliter endinia sævierit, quod infra spatium unius mens. XVI. millia hominum obierint; immo, ut dicitur, tantum in Avione excessit, quod vivi homines non sufficiebant defunctorum corpora tumulare, & ideo

& ideo tandem in fluvium Rodanum certatim projiciebantur. Fertur insuper quod Papa pestem hanc de Avione ad aliam civitatem fugerit. Nichilominus, fama testante, in Sicilia homines de Messana metropoli, & de aliis quam plurimis civitatibus, in quibus mors prævaluit, relictis eis vacuis fugierunt, ad montana se transferentes, ut ibi salubri aëre hausto, contagiosum in civitatibus captum emitterent & efflarent. In Messana urbe Siciliæ memorata de LX. fratribus minoribus conventualibus brevi spacio temporis XXX. mox mortis furia de medio sublati sunt. Quo viso superstites, conventu illo relicto, ad loca se alia contulerunt. Prædicta scilicet terræmotus & pestilentia, præcurrentia mala sunt extremæ voraginis & tempestatis, secundum verbum Salvatoris in Evangelio dicentis: Erunt terræmotus per loca, & pestilentia, & fames &c.

Item eodem anno novus Rex supra pluries commemoratus, a Papa Clemente VI. contra Ludwicum, dum adhuc viveret, suscitatus, de Boemia, morte Ludwici audita, erupit, & cum Papæ aliquali aminiculo per Alemaniæ partes se girans civitates plures ad suæ subjectionis confessionem suscepit. Nam ad eum concurrentes, & sub regimine suo pacis tranquillitate & protectionis munimine potiri cupientes, sibi fidelitatis & obedientiæ juramentum ab eo exactum præstiterunt. Civitates autem hoc facientes, beneficia seu signa benevolentiæ ac benignitatis hæc sunt secuta, Summi Pontificis promotiva Regis & hominum ad eum directam & attractiva, quæ fuerunt relaxatio interdicti, dispensationes, absolutiones ab excommunicationibus, suspensionibus, irregularitatibus contractis, & ab aliis censuris ecclesiasticis. Hæc beneficia aministrabant hominibus Prælati plures in diversis partibus terræ Teutoniæ, quibus Papa ea commisit. Hæ autem gratiæ tantum impertiebantur hominibus Regi juratis a Prælatis, qui injunxerunt hominibus tam urbanis quam villanis processiones cum cereis se luminaribus; injunxerunt quoque jejunia & eleemosynas, & hæc laycis imponebant: Clericis vero cum orationibus & jejuniis imposuerunt cessationem ad aliquot dies ab executione divini officii. Communiter autem IX. dies, vel ad majus secundum aliquorum relationem IX. hebdomadas Sacerdotibus religiosis & Clericis non celebrandas, sed tacendas injunxerunt, quatenus pro IX. annis male celebratis novem diebus bene tacerent. Quod consonat verbo Ezechielis Prophetæ dicentis: diem pro anno dedi tibi. Et verbo Sapientis in libro Sapientiæ dicentis: in quo quis deliquit, in hoc & punietur. Rex vero hiis peractis ad sua reversus est ante quadragesimam anni Domini millesimi trecentesimi quadragesimi octavi. Processit autem in factis præmissis absque quovis obstaculo, nullo quasi adversario sibi obsistente. Cum autem civitates non juratæ, & alia loca non jurata Regi, memoratas gratias assequi non possent; & aliquæ civitates & loca Regi jurata, eas ad aliquantum tempus obtinere non quæsierint, & aliqua perceperint absque tamen reconciliatione cimiteriorum Ecclesiarumque, & absolutione in excommunicatione Papæ defunctorum, in cimiteriis & basilicis sepultorum: difformitas Ecclesiarum, & scissura gravior quam ante fuerit, increvit in tantum, quod juxta verbum Christi in Evangelio novissimus error hominum pejor factus est priore. Prædictorum autem Prælatorum aliquis pro hominum absolutione & cimiteriorum reconciliatione indiscretam & immoderatam pecuniam exegit, & absolvendis extorsit, quod est miserabile & horribile dictu: nam scandalum, fidei scrupulum, perplexitates, detractiones, murmurationes, diffidentiam, desperationem, clamorem, commotionem, Symoniacæque pravitatis timorem & suspicionem apud plurimos homines generavit. Dicebant enim: Clerici Ecclesiam Dei, Sponsam Christi contemnunt, lacerant & deturpant, dissipant & confundunt, integritatem ejus scindunt, unitatem ejus rumpunt, concordiam ejus dissecant, caritatem vulnerant, benignitatem & mansvetudinem ejus indurant, fervorem laxant & enervant, liberalitatemque ejus obstruunt, & nexibus avaritiæ ligant, a datione libera eam retrahendo, gratuita dona ejus vendendo, & emendo, verbum Christi in Evangelio dicentis: gratis accepistis, gratis date; parvipendentes, penitus abjecerunt, maledictionem Gyesi & Symonis minime timent, excœcati in malitia sua. O quam vilis facta est Ecclesia in menbris suis principalioribus, replicantibus vias suas pessimas: Egressa est ab ea omnis decor ejus, quia hii, qui eam illuminare deberent verbo doctrinæ veritatis & exemplo justitiæ, obfuscant tenebris errorum & caligine vitiorum. Item dicunt, ut verbis eorum utar: Si pro denariis legitime celebratur, multo plus absque denariis celebrare bonum & pretiosum est; hæc dicunt Symoniani præmissis in exactionibus committi æstimantes. O quale nefas & quam grandis dementia, pro absolutione unius civitatis & relaxatione interdicti, vel reconciliatione cimiterii exigere XL. vel L. vel LX. florenos. Palliant autem, ut dicunt, Symoniam sub prætextu solutionis sigilli. Taceo de aliis. Omnia memorata execrantur homines simplices & seculares. Nemo sanæ contradicit mentis, sumptus pro Episcopo debitos & juri consonos exhibendos; secus est, quando fit prædicto modo: nam illo pastores vocati pascunt semetipsos, oves non pascentes, sed tondentes, immo quod gravius est, non tondentes sed excoriantes, non pastores sed lupos se esse demonstrant taliter faciendo. Filia Israël cecidit in profundum vitiorum: non est qui suscitet eam vel sublevet. Nam quorum hoc facere interesset, scilicet Rectores vel Pastores profundius cæteris corruerunt: argentum reprobum sunt vocati, aurum versum est in scoriam. Successor sæpe dictus Ludwici Imperatoris,

toris, cum civitatenses & Domini terrarum sibi juraturi erant, in litteris Papalibus secum ductis ab omnibus cum jurejurando præter multa alia, quæ pertranseo, exegit, ut de cætero nullum pro Imperatore reciperent vel tenerent, nisi quem Papa examinatum in Imperatorem vel pro Imperatore consecraverit & confirmaverit. Cui exactioni incaute, judicio meo, propter multa, quæ in medium producere prætermitto, satisfecerunt: ratificando etiam una cum Papa in eisdem litteris processus & sententias latas conta Reverendæ memoriæ Inperatorem Ludwicum, Marchgravium Brandenburgensem Seniorem Filium Ludwici, cum Imperatrice noverca sua, ac cum fratribus suis cunctis, & tota familia vel domo illa; judicavit, quamdiu se Sedi Apostolicæ non subderent, scismaticos fore censendos.

In prædicta pestilentia omnes Carmelitæ, & omnes fratres heremitarum conventuales in Messana civitate Siciliæ memorata morte absumpti sunt.

Item anno Domini MCCCXLVIII. Cruciferi, Teutonici Domini in vulgari vocitati, in Pruscena provincia dominantes, tempore hyemali more consveto, paucorum auxiliatorum fidelium pugnatorum suffragio pro tunc suffulti, Lytaoniam ad paganos conterendos intraverunt: in quos præparatos & congregatos ad bellandum cum eis irruentes, ut fertur, XII. circiter millia ex ipsis cum duobus vel tribus Regibus eorum usque ad internecionem percusserunt plus solito, quamvis ferme soli essent Dei juvamine prosperati.

Item eodem anno in mense Junii universitas civium in Nüerenberg, Marchgravium de Brandenburg, propulsis & per fugam elapsis pluribus de potioribus civitatis, qui novo Regi fidelitatis præstiterant juramentum, solemniter receperunt, secum pacis & fidelitatis fœdera componentes.

De Paganis & Cruciferis jam commemoratis narratur fama recenti & vulgata, quod Cruciferi præsentientes propinquum Paganorum adventum, præmuniti collectis incolis seu habitatoribus Christicolis totius terræ circumadjacentis, destituti pro tunc auxilio Dominorum fidelium, in loco nemoroso a latere ipsos de hoc inconsideratos agrediuntur, & prævalentes eis, XX. millia in ore gladii peremerunt, XX. quoque millia eorum in aquis & paludibus submersi sunt, pauci vero, ut fertur, de exercitu fidelium fere XX. viri in illo prælio corruerunt. De armis autem Paganorum detractis, & aliis eorum spoliis Christicolæ multum locupletati sunt, Domino adjuvante. Iste triumphus fidelium de infidelibus obtentus, isto malo universalius narratur, quam sicut ante conscripsi.

In hiis temporibus apud homines diversi generis, immo cuncti generis multos valde assertissime vulgabatur, Imperatorem Fridericum Secundum hujus nominis (a quo secundam partem præsentis operis inchoavi) ad reformandum statum omnino depravatum Ecclesiæ venturum in robore maximo potentatus. Adjiciunt quoque homines prædicta sentientes, quod necesse sit eum venire, si in mille partes secatus esset, immo si in pulverem per conbustionem redactus foret, eo quod divinitus sit decretum ita debere fieri, quod immutari impossibile est. Secundum igitur istam assertionem cum resuscitatus ad Imperii sui culmen reversus fuerit, puellæ vel fœminæ pauperi in matrimonio junget virum divitem, & e converso, moniales & sorores in seculo degentes maritabit, monachos uxorabit, pupillis, orphanis, viduis, omnibus & singulis spoliatis res ablatas restituet, cunctisque faciet justitiæ conplementum: Clericos persequetur adeo atrociter, quod coronas & tonsuras suas stercore bovino, si aliud tegumentum non habuerint, obducent, ne appareant tonsorati: religiosos, qui denunciando processus Papales contra eum, præcipue fratres minores, ipsum de Imperio repulerant, de terra fugabit. Post resumptum Imperium justius & gloriosius gubernatum quam ante, cum exercitu copioso transfretabit, & in monte Oliveti, vel apud arborem aridam Imperium resignabit. Non cesso mirari de ista falsa credulitate, quod defunctus homo ante LXXX. annos, qui XXX. annis imperaverat, speratur vel creditur reviviscere. Homines istius falsæ credulitatis decepti sunt quemadmodum Judæi, qui credunt David Regem resuscitandum a Domino, & regnaturum modo pristino super Israhel. Hæc credunt ex eo, quod dictum est per Prophetas a Domino: Et ego suscitabo vobis servum meum fidelem David; dicit enim Ezechiel: Rex unus erit omnibus imperans. Et post pauca verba sequitur: Et servus meus David erit Rex super eos. Item Jeremias ait: Et serviant Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis. Sed istæ & aliæ tales auctoritates vel similes intelligendæ sunt de Christo; vel si de alio quod sit de genere David juxta id Jeremiæ: Ecce dies venient, *dicit* Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex &c. non David in persona propria, sed germen suum, i. e. qui est de genere suo, Christus. Mortui quidem resurgent, revivificabuntur & suscitabuntur; non nego, juxta illud Isaiæ: resurgent mortui tui, vivent interfecti tui, expergescimini & laudate qui habitatis in pulvere. Et juxta id Danielis: multi de hiis, qui dormiunt in terræ pulvere, vigilabunt, alii in vitam, alii in opprobrium &c. Et juxta id Ezechielis: ego aperiam tumulos vestros, & reducam vos de sepulcris vestris, & reducam vos in terram Israhel, & requiescent super humum suam. Quæ intelliguntur auctoritates & aliæ similes de resurrectione futura generali, vel de speciali plurima præterita. Quod autem aliqui mortui & incinerati

rati resurgant rursus regnaturi & habitaturi modo pristino super terram, fidei Katholicæ contrarium est, & Scripturæ in multis locis dissonum, ex quibus aliqua tangam. Job dicit: memento mei, Domine, quia ventus est vita mea, & non revertetur oculus meus, nec aspiciet me visus hominis; qui descendit ad inferos, non ascendet nec revertetur ultra in domum suam, nec cognoscet eum amplius locus suus. Item Solomon ait: Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum. Item David: Introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum non videbunt lumen. Item alibi: Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum. Ex hiis concludo, quod est dementia magna & fatuitas credere, Fridericum quondam Imperatorem hæreticum resurrecturum, & terræ denuo dominaturum.

Paucis annis transcursis ante immediate narrata, quædam puella nata apud Mellingen, a pluribus Confratribus meis visa, quod est mirabile dictu, per quatuor annos a cibo abstinuisse fertur, ita quod infra illud tempus escam corporalem nunquam gustaverit. Sed qua virtute sustentata vitam actitaverit, ignotum omnibus fuit. Conjiciebatur ab aliquibus, quod una dierum oppidum prænominatum Mellingen situm in Ergöw exiens, vel villam situatam juxta Mellingen, cum cæteris pueris in silvam quandam pro colligendis & comportandis lignis, herbam vel radicem aliquam comederit, quæ ipsam ad manducandum inhabilem reddiderit, & sibi virtutem quandam supernaturalem ministraverit, ab omni cibo corporali se deinceps, cum macie tamen corpusculi sui, quod multis incredibile videtur, penitus continendi. Postquam enim a nemore domum rediit, ultra cibum non sumpsit. Fuit autem ætatis fere octo annorum, non mixit, non ploravit, alvum non purgavit, non exspuit, quia horum causativa non recepit. Quintum annum ætatis suæ abstinentiæ non attingebat, quia post medium ejus vita defecit, post decessit; eodem modulo & vigore, quo ipsam causa suæ abstinentiæ apprehendit, permansit.



XXV.
ANDREÆ RATISBONENSIS CHRONICON
A
JO. CHRAFT PRÆDICATORE CAMBENSI
interpolatum & usque ad an. 1490. continuatum.

* * *

DOMINUS Noster Jesus Christus unigenitus Dei Filius, quando venit plenitudo temporis, missus est ab arce Patris, natus orbis conditor, atque ventre virginali caro factus prodiit: deditque sedem ordinatissimam distributionum temporis, majora præcepta populo, quem caritate jam liberare convenerat, instruxit exemplis, docuit verbis, præcipue sanctos Apostolos. Et quamvis in omnes terras, & in fines orbis terræ sonus prædicationis Sanctorum Apostolorum exierit, tamen ut ad notitiam nostram clarius perveniret, verba suæ saluberrimæ doctrinæ nobis per Sanctos Evangelistas & Doctores in scripturis enarravit. Proinde ego Frater Andreas, Literatorum humiliumque minimus, Professus Monasterii sancti Magni Confessoris in præurbio Ratisponæ Ordinis Beati Augustini Canonicorum Regularium, considerans, & mente revolvens, quia memoria digna litteris sunt mandanda; præsertim, quod nos materiales homines aliorum vita magistramur & dirigimur: nam malorum hominum casibus ad fugam terremur vitiorum, & hominum bonorum exemplis, tanquam quibusdam speculis tersis & politis ad sectandum mores felices feliciter excitamur: ideo ea, quæ temporibus meis & præcipue in Concilio Constantiensi acta sunt, scilicet ab anno Domini millesimo quadringentesimo quinto, quo in hebdomada Pentecostes in Constantia ordinatus sum Presbyter, ut ad majorem notitiam perveniant & ad meam potissime utilitatem, quamvis ignoranter, etiam affectanter conscribere curavi; præterea, quia non est bonum, quod non pulchrius elucescat, si plurimorum notitia fuerit comprobatum, & bonum, quanto communius, tanto divinius. Chronicas antiquorum usque ad tempora Johannis Vicesimi secundi, & Ludovici quarti Imperatoris Romanorum & Bavariæ Ducis exploravi: cætera vero quædam ex diversis collegi libris, quædam sicut ex relatione virorum fide dignorum accepi, usque ad tempora Martini Papæ quinti & Sigismundi Regis Romanorum fideliter conscripsi, & fidelius juxta ingenii mei parvitatem in hanc formam redegi. Et ab ipsa sapientia, quæ est Christus, attingens, a fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter cœpi ordiri, hoc ordine, ut tempus nativitatis & Summi Pontificis & Regis Jesu Christi, ac deinde Romanos Pontifices in columna prima, & Romanos Imperatores contemporaneos, ut clarius elucescant, ad modum figuræ scholasticæ ex opposito in columna altera in circulis rubris describam, hos vero Pontifices, qui in numero Pontificum Romanorum non ponuntur præter Linum & Cletum, in circulis nigris; similiter Imperatores, qui in numero Imperatorum non ponuntur, in circulis nigris & aliquando non geminatis causa discretionis ponendo tempora Sanctorum & virorum Illustrium, ac cætera quædam digna memoria, ad modum rivulorum secus alveum decurrentium annotando. Fateor etiam cum Johanne Andreæ in Hieronymiano libro quarto in procemio, quod exflorare libros, licet sit utile, non tamen subtile. Scio namque ex præferendorum vel referendorum omissione facile me posse reprehendi: sed gaudeo, quia sicut adversarius veritatis vinci non potero; ergo semper sicut discipulus benivole edoceri desidero. Noverit ergo lector, quod meæ mentis intentio, nomina Pontificum & Imperatorum Romanorum ac cæterorum simpliciter, ut in Chronicis inveni, describere, non singulorum opiniones ac diversitates determinare. Cum enim propriæ mentis cogitationem sermo non explicet, & periculosum sit de alterius animo judicare, quanto magis periculosius est, singulorum Doctorum ac verborum investigare ac proferre rationem. Ideo opus subsequens in nomine ejus, qui est alpha & o, principium & finis, Dominus Deus, aggrediens, omnibus hoc opus pie visuris, audituris ac lecturis correctioni piæque memoriæ recommendo. De historice autem varia dicentibus scribit Isidorus Etymologiarum libro XV. Cap. I. Rubrica de Civitatibus sic dicens: De auctoribus conditarum urbium plerumque dissensio invenitur, adeo, ut ne verbis quidem Romæ origo possit diligenter agnosci. Nam Salustius scribit, Urbem Romam, sicut ego accepi, conditam, atque habitatam a Trojanis, & cum his Aborigines. Alii dicunt, ab Evandro, secundum quod Virgilius:

Tunc Rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

Alii

Alii a Romulo, ut Ennius: Hujus

- - Nota auspiciis illa inclyta Roma.

Si igitur tantæ civitatis certa ratio non apparet, non mirum, si in aliorum opinione dubitatur. Unde nec Historicos nec Commentatores varia dicentes imperiti condemnare debemus, quia antiquitas ipsa creavit errores. Hæc Isidorus.

De Julio Cæsare.

Julius Cæsar Lucii filius valentissimus omnium Principum descendit ab Ænea Trojano. Anno igitur ab Urbe Roma condita septingentesimo quinto per Cajum Julium Romanum incœpit Imperium, qui regnavit annis quinque: imperavit post finem bellorum suorum tribus annis & VI. mensibus. Hic Julius primus Monarcha Romanorum immediate ante Octavianum Augustum imperavit Romanis, & secundum Hugwitionem dictus est Cæsar, quia extractus fuit ex cæso utero matris, vel quia fortiter alios cædebat in prælio, vel quia primo fecit sibi cæsariem vel quia cum cæsarie fuit natus, vel a cesos dicitur, quod est elephas, quia in singulari certamine devicit elephantem. Et fuit Cæsar primus Imperator Romanus, a quo quilibet Imperator dictus est Cæsar, sicut & Augustus ab Augusto. Hæc Hugwitio. In Chronica satis autentica & antiqua, quæ habetur in Monasterio dicto Prüsingen prope Ratisponam ordinis S. Benedicti sic legitur. Ductu illius Julii, qui & Cæsar est dictus, undecies centum nonaginta duo millia hominum cæsa sunt. Quadam tamen die, quia insolentius contra consvetudinem Romanæ libertatis agebat, Senatu in curia congregato, viginti tribus cultris senatoriis confossus est. Hæc ibidem.

DE PONTIFICIBUS.

Anno a creatione mundi sive ab Adam quinto millesimo ducentesimo minus uno anno, secundum metrum:

Ante Jesum duo C. minus uno millia quinque;

Ab Urbe Condita septingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione tertia, anno quadragesimo secundo Regni Octaviani Cæsaris Augusti, anno regni Herodis tricesimo, universo orbe pacato, nocte Dominicæ diei Jesus Christus ex Maria Virgine in Bethlehem Judæ nascitur.

Testimonium Josephi Historiographi de Christo libro XVIII. Jud. Antiquitat.

Fuit his temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt, & multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi conjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum cum Pilatus in crucem agendum decrevisset, non deseruerunt eum ii, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, quod divinitus inspirati Prophetæ vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat & genus. Hæc Josephus.

De Augusto.

Anno a conditione Urbis Romæ septingentesimo decimo, Octavianus Cæsar natione Romanus, filius Achæ sororis Julii Cæsaris regnare cœpit, regnavitque cum Antonio & Lepido annis XII. postea solus XLIIII. qui sunt LVI. Hic dictus est Octavianus a prima impositione, Cæsar a Julio Cæsare, Augustus ab augmento reipublicæ, Imperator a dignitatis honore, qui ad differentiam aliorum Regum primo fuit hoc nomine insignitus. Fuit felicissimus omnium priorum & posteriorum: nam alta providentia sua imperavit prudenter & laudabiliter tot annis, quot Cæsar vixerat. Hic Virgilium Flaccumque poëtas dilexit, & liberalibus studiis in tantum incubuit, ut nullus quidem laberetur dies, quin legeret, scriberet vel dictaret. Leges novas protulit suo nomine correctas. Auxit ornavitque Romam multis ædificiis, isto glorians dicto; Urbem lateritiam reperi, marmoream relinquo. Hic Octavianus Antonium Regem Ægypti bello vicit, & tantas divitias ex Ægypto Romam vexit, ut pro uno nummo daretur, quod antea pro quatuor vendebatur: Pro tali augmento vocabant eum Augustum, & Cæsares se Augustos scribunt in præsentem diem. Et quia hoc fecit in prima die mensis Augusti, mensem Augustum vocabant, & eundem diem proinde Romani celebrem habuerunt. Fuit mitis & gratus & civilis animi, toto corpore pulcher, sed maxime oculis, quorum acies clarissimorum siderum modo vibrabat. A cujus facie dum quidam miles faciem averteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Hunc cives Romani non hominem, sed Deum nominare volebant. Dicebant enim: te volumus adorare, quia Deus est in te; si hoc non esset, non tibi omnia prospere succederent. Sed ipse mortalem se intelligens, Sibyllam vocavit pro consilio, quæ orans in palatio vidit in cœlo circulum aureum, in quo virgo pulcherrima bajulavit filium pulchriorem. Cum autem Imperator ad hanc visionem plurimum admiraretur, audiit vocem dicentem: Hæc est ara cœli. Intelligens ergo Imperator, quod hic puer major eo esset, ei thura obtulit, & Deus vocari de cætero recusavit. Hoc autem palatium in honore sanctæ Mariæ dedicatum est, & usque hodie dicitur Sancta Maria Ara Cœli. Denique vir iste erga cives clementissimus, & in amicos extitit fidissimus. Nec etiam hic tantus vir vitio caruit. Fuit enim paululum impatiens, leviter iracundus, occulte invidus, palam factiosus, dominandi supra modum cupidus, aleæ lusor studiosus, & libidini serviens, inter duodecim catamitos totidemque puellas accubare solitus erat. Cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii sævissimus ultor, more hominum quorundam, qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer indulgent,

gent, acrescunt. Nam Poëtam Ovidium, qui & Naso dictus est, pro eo, quod tres libros artis amatoriæ scripserat, irrevocabili damnavit exilio. Hunc mortuum Senatus multis modis censuit honorandum, dicens: Utinam aut non nasceretur, aut natus non moreretur. Hujus anno XXVII. Quintilius Varus cum tribus legionibus, id est, XXM. Romanorum militum a Germanis rebellantibus radicitus est deletus. Quam cladem Augustus adeo graviter tulit, ut sæpe caput parieti per vim doloris collidens clamaret: Quintili Vare, legiones redde. In cujus victoriæ signum adhuc apud Augustam Metropolim Rhetiæ in loco, qui dicitur Perleich, nomen sortitus a re, quasi perdens legiones, grandis alicujus in modum montis plenus cadaveribus prostratorum Romanorum demonstratur. Contra quos rursus Drusus, privignus Octaviani, mittitur, qui gravissimo bello cum Germanis habito ipsos quoque Romano subjecit Imperio, & nobiles Germaniæ urbes Maguntiam & Augustam mutato nomine instauravit. Augusta namque tribus nominibus invenitur appellata. Vocabatur namque Cycza, ab idolo Veneris nomine Cycza de Cypro insula illuc translato, quod in eadem urbe in loco, qui adhuc dicitur Cyczenberg ob reverentiam Veneris pro Deo colebatur. Unde beatissima Martyr Afra, quondam Veneris cultrix præcipua, de Cypro insula cognoscitur oriunda. Alio autem nomine Vindelica a duobus fluviis ipsam præterfluentibus, scilicet Vinda & Lico nominatur. Unde & gentes inter eosdem fluvios habitantes Vindelici quandoque vocabantur. Tertium ei nomen Drusus, ut supra dictum est, ob honorem Augusti Patris sui Augusta imposuit. Hujus temporibus Romæ sapientes erant insignes, Virgilius, Horatius Flaccus, Cajus Salustius, Ovidius, Hortensius, Athenodorus Tharsensis &c.

De crucifixione Christi.

Jesus Christus, Dominus noster, anno Incarnationis suæ XXXIII. regnante Tiberio, sub Pontio Pilato crucifigitur, & tertia die resurrexit.

De Tiberio.

Anno Dominicæ Incarnationis XVI. Tiberius Liviæ filius, Augusti privignus, mox gener, postremo adoptione filius regnare cœpit, regnavitque annis XXIII. Hic repentinis responsibus melior fuit, quam præmeditatis. Denique delatus ei a Patribus honor principatus, quem quidem astu percepit. Finxit, se abnuere, quid singuli dicerent aut sentirent, atrociter explorans. Quæ res bonos quosque pessundedit. Æstimantes enim, eum ex animo declinare magnitudinem Imperialis molestiæ, dum sententias suas ad ejus voluntatem, ut sibi videbatur, pronunciarunt, postrema exitia inciderunt. Hic primo aliquamdiu cum molestia reipublicæ præfuit, præsidibus provinciarum sic scribens: Tributa nullatenus augeatis. Namque boni Pastoris est, tondere pecus, non excoriare. Sed paulatim mutabatur in pejus. Nam ante susceptum Imperium prudens ingenio, clarus eloquio, fortunatus fuit in bello. Sed postea resolutis militiæ artibus, nulla per se bella gerens, Populum Romanum graviter afflixit, filios suos Drusum & Germanum veneno interfecit, Præfectum suum nova molitione occidit, & ex viginti Patriciis, quos sibi causa consilii elegit, vix duos incolumes reliquit, ceteros diversis causis necavit.

Richardus de sancto Victore ita tradit: Mos erat Romanis, ut provinciarum judices Senatui scripto denunciarent, siquid novi in his, quas regebant, provinciis, accidisset. Pilatus ergo scripsit epistolam ad Tiberium de iis, quæ perpetrata fuerant in Jesum, designans etiam eis, quod ipse esset vere Salvator mundi. Forma epistolæ hæc est: Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, quod ipse probavi, Judæos per invidiam se suosque posteros crudeli damnatione peremisse. Cum enim promissum Patres haberent eorum, quod eorum Deus mitteret illis per virginem Sanctum suum, qui Rex eorum merito diceretur, hunc me præsente misit in Judæam. Quem cum vidissent cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones effugasse, mortuos suscitasse, ventis imperasse, pedibusque suis super undas ambulasse, & alia multa miracula fecisse; & omnis populus Judæorum diceret, eum esse Dei filium: Principes sacerdotum invidiam passi sunt contra eum. Hunc itaque mihi tradiderunt & alia pro aliis mentientes, eum magum esse, & contra legem eorum agere dixerunt. Ego autem ita esse credidi, ipsumque flagellatum eorum arbitrio tradidi, qui eum crucifixerunt, & sepulcro custodes adhibuerunt. At ille militibus suis custodientibus, die tertio resurrexit. Interim nova nequitia Judæorum contra eum exarsit, ut ipsis custodibus pecuniam darent, quatenus discipulos ejus corpus rapuisse dicerent. Sed illi, quod factum erat, tacere non valentes testati sunt, eum resurrexisse, se quoque visionem angelorum vidisse, & a Judæis pecuniam accepisse. Hæc autem ideo scripsi, nequis aliter æstimet credendum mendaciis Judæorum. Post resurrectionem & ascensionem Domini Pilatus conversationem miraculosam Jesu pandit, quod ejus passionem Tiberio Cæsari scripsit. Quo audito, Tiberius eum colendum inter Deos esse decernens, ad Senatum retulit. Senatus autem eo quod præsens causa ad eos delata non fuisset, edictum Cæsaris recipere recusavit, exterminandosq; ab Urbe hujus nominis sectatores censuit. Ob quam causam Augustus ex mansuetissimo principe factus est sævissima bestia, plurimosque Senatorum ac nobilium perdi præcepit. Sic quoque factum est, ut, cum Regem Christum recipere nollent, Regem Cæsarem ultorem sustinerent. Unde tum Dei consilio factum creditur, ne fides Christi ab homine infideli testimonium, & a teterrimo Principe auctoritatem recipere videretur. His temporibus Stephanus lapidatur. Qualiter vero Tiberius Volusianum ad Pilatum pro Jesu medico adducendo miserit, & ipse Tiberius

berius a Veronica ab infirmitate gravi curatus fuerit, & fidem recipi a Romanis assenserit, reqvire in Novo Passionali de passione Domini & de S. Johanne ante Portam Latinam.

Anno effusionis sangvinis Christi pro salute generis humani, Ratisbona metropolis Bavariæ a Tiberio conditur, & Tiburnia, vel ut quidam dicunt, Tiberina nominatur. Ubi advertendum, sicut colligitur ex Chronica Magistri Conradi de Monte puellarum, Canonici Ratisbonensis Ecclesiæ, qui floruit tempore Karoli Quarti, Serenissimi Romanorum Imperatoris & Bohemiæ Regis, quod quatuor sint civitates libertatibus Romanorum Principum singulariter præ aliis civitatibus Christianæ religionis dotatæ liberaliter & exemtæ, sic, quod non recognoscant sibi Dominos, neque ulli hominum serviant, neque Apostolicæ autoritati & Imperatoriæ Majestati. Quarum prima est Roma, sita juxta fluvium, qui Tiberis dicitur. Secunda est Treveris, sita juxta fluvium, qui Mosola nominatur, in qua corpus Sancti Matthiæ Apostoli requiescit. Tertia est Colonia juxta fluvium Rheni situata. Quarta civitas est nostra Ratisbona in provincia Bavariæ, juxta flumen, quod Danubius nuncupatur, fundata, & corporibus Sanctorum, tanquam margaritis candidissimis ornata. Unde versus:

Gaude Ratisbona super excellentia dona:
Concludis duo bis in te gratissima nobis
Corpora Sanctorum, sacer est Dionysius horum.
In numero primus Emmeranus, laude nec imus
Wolfgangus Erhardus: neuter medicamine tardus.
Quatuor istorum precibus, nec non aliorum
Hic contentorum ducamur ad astra polorum.

Hæc civitas Ratisbona septemnomia, id est, septem nomina habens reperitur, quibus ipsa per Chronicas claret in libertatibus & juribus suis. Dicitur enim antiquitus Tiburnia a Tiberio Augusto, qui fundaverat eam. Dicitur Quadrata, quoniam ex lapidibus quadratis muri ejus a principio fundati fuerant; vel quia non orbicularem, sed quadratam habebat figuram in ambitu seu circumferentia murorum ipsius, sicut hodie cernitur in reliquiis murorum veterum apparentibus in ea. Dicitur tertio Ratispona, quia cum excrevisset honoribus & divitiis, mercimonia ibi confluebant quam plurima, & undicunque navibus seu ratibus afferebantur, ratesque hujusmodi ibidem in porticu deponebantur; vel ideo quia, postquam pons ibi super Danubio fieret, rates crebro propter multitudinem negotiorum frequentabantur transitu & ascensu; vel quia Karolus Magnus, cum debellaturus esset populum ejusdem civitatis, rates ibidem super Danubio fluvio propter exercitus suos transituros crebra congerie cumulabat; vel ideo Ratispona hodie dicitur, quia rate, id est firmiter posita est, & firmius ædificiis roborata. Quarto dicitur Hiatospolis, quod quidam dicunt Hiaspolis, cujus interpretationem puto esse, quia olim longe rudior erat lingva incolarum ejusdem civitatis, sicut hodie auditur in lingva rusticorum per rura circumflua, qui ore multum hiante proferunt verba sua. Unde hiatores merito dicuntur, quasi hiantes ore. Inde Hiaspolis dicta est quasi hiantium ore; polis id est civitas. Vel dicitur Hiatospolis, quasi hiantium aquarum civitas. In latere namque ipsius aquilonari tres fluvii grandes & hiantes confluunt, videlicet Danubius, Naba & Imber. Dicitur quinto Germanishaym a quodam Germano vel Germanico nomine, qui olim eidem præfuit civitati; vel a Germanis populis, qui confluere ibidem multipliciter solebant. Sexto dicitur Regniopolis, quia Reges & Principes Romani olim in hac civitate celebrabant suæ Regiæ & Imperatoriæ Majestatis solennitates, condebant & publicabant ibi leges & reipublicæ utilitates. Unde hodie Principum & Prælatorum Ecclesiasticorum & temporalium curiæ, & area domus Regiæ, intercluduntur muris civitatis ejusdem. Septimo dicitur Imbripolis, quod nomen hodie habet communiter, & non aliud in lingva Teutonica. Et dicitur Imbripolis ab Imbre fluvio, qui ad latus septentrionale dictæ civitatis in sinum Danubii (labitur.) Sic enim placuit nominis impositori. Et ut aliqui referunt, in finibus prædicti confluxus olim incœpta fuit ejusdem civitatis fundatio. Igitur sic nominata est. Sed maturiore consilio ultra Danubium translata est ad litus Danubii australe sive meridianum.

Isidorus Etymologiarum libro XVI. dicit, sub Tiberio Cæsare quendam artificem excogitasse vitri temperamentum, ut flexibile esset & ductibile, qui dum admissus fuisset ad Cæsarem, porrexit phialam Cæsari: quod ille indignatus in pavimentum projecit. Artifex autem sustulit de pavimento phialam, quæ complicaverat se tanquam vas aureum. Deinde malleum protulit, & phialam correxit. Hoc facto, Cæsar dixit artifici: Nunquid aliquis scit hanc conditurum vitrorum? Postquam ille jurans negavit, alterum scire, jussit illum Cæsar decollari, ne, dum hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur, & omnia metallorum pretia abstraherentur, & revera, quia, si vasa vitrea non frangerentur, meliora essent, quam aurum & argentum. Hæc Isidorus.

Anno Domini XXXVIII. Tiberius Romanos graviter affligens, ingenti omnium gaudio in Campania veneno periit insidiis Caligulæ, anno imperii sui XXIII. ætatis vero LXXVIII.

Anno Domini XLI. Matthæus Evangelium sub Cajo Cæsare in Judæa Hebraice scripsit.

De Cajo Caligula.

Anno Domini XXXIX. Cajus, filius Germanici, qui fuit filius Drusi, fratris Tiberii, regnare cœpit annis tribus, mensibus decem, diebus octo. Hic quia in exercitu natus fuit, coopertus est caligis. Inde ex calceamento militari Caligula cognominatus est. Hic ante principatum omnibus acceptus fuit. In principatu

vero talis: Nam exclamasse fertur: Utinam Populus Romanus unam cervicem haberet! Primus sibi diadema imposuit, & se Dominum appellari præcepit. Plurima fecit, de quibus nescio, an deceat memoriæ tradi, nisi forte, quia juvat de Principibus omnia nosse, ut impii saltem famæ metu talia declinent. In palatio matronas nobiles publicæ libidini subjecit. Tribus sororibus suis stuprum intulit, quas postea insulari exilio damnavit. Hic Herodem Tetrarcham, qui Johannis Baptistæ necis autor extitit, & passioni Domini interfuit, perpetuo exilio Lugdunum relegavit. Et eodem anno, scilicet Anno Domini XLII. ipse Cajus, cum adversus omnes ingenti crudelitate sæviret, a militibus in palatio occisus est, anno ætatis suæ XXXVIII. Inventi sunt post mortem ejus duo libelli, quorum unus pugio, alter gladius dicebatur, in quibus electissimorum nomina scripta erant, quos ipse occidere proposuerat. Arca etiam cum vasis multis venenis plenis apud eum inventa est, quæ scilicet vasa in mare fusa plurimos interfecerunt. Hujus temporibus Philo Judæus Alexandriæ, qui Librum Sapientiæ, & alia plurima conscripsit.

De Petro.

Petrus, princeps Apostolorum, filius Johannis, provinciæ Galilææ, de vico Bethsaida, frater Andreæ, post passionem Domini tenuit cathedram sacerdotalem in partibus orientis, scilicet in Jerusalem, & Cæsarea, atque in cæteris civitatibus Judæorum annos quatuor. Ubi primam missam celebravit, dicendo solummodo: Pater noster. Deinde venit Antiochiam, & ibi tenuit cathedram annis septem. Inde anno XII. a passione Domini, qui est annus secundus imperii Claudii Cæsaris venit Romam, ubi XV. annis, mensibus VII, & diebus VIII. tenuit pontificatum. Nullus adhuc tot annis vivere potuit in papatu. Hic fecit ordinationes mense Septembri, Episcopos septem, Presbyteros decem, diaconos septem, tamen occulte, quoniam tunc Romani erant gentiles, & quicunque accusabatur, quod esset Christianus, secundum eorum leges acriter puniebatur, præsertim usque ad tempora Constantini Primi. His diebus Marcus, qui primus Alexandrinam rexit Ecclesiam, ex ore Petri Evangelium in Italia Latino scripsit eloquio. Nam Matthæus suum antea in Judæa Ebraico sermone conscripserat, reliqui duo, Lucas & Johannes, sua postmodum Græca lingua ediderunt.

Hic primus instituit ante Pascha Domini quadragesimale jejunium, & ante Nativitatem Domini tres hebdomadas, & quartam imperfectam ab omni Populo Christiano instituit venerari in commemorationem primi & secundi adventus Domini. Scripsit duas Epistolas & Evangelium Marci, quod ipse Romæ rogatus a fratribus scripsit, recipiendum ab omnibus fidelibus approbavit.

Hic Sanctum Maternum in Treverim misit, qui ibi obiit; sed post XL. dies per baculum Petri revixit. Ideo nullus Papa baculo utitur, nisi in Ecclesia Treverensi. Misit etiam Apollinarem in Ravennam, qui inde expulsus, in campo monedulis prædicavit. Ideo dicitur, quod eo die, quo passus est, scilicet proximo post Mariæ Magdalenæ, omni anno solent monedulæ de omnibus regionibus in Ravennam convenire. Notandum, quod de successione Pontificum Romanorum & Imperatorum, de ordine ac temporibus eorum, jam inde a primo & deinceps in pluribus, diversa sentiuntur a diversis, quorum opiniones prudentibus discernendas relinquo.

De Claudio.

Anno Domini XLIII. Claudius, patruus Caji Caligulæ, filius Drusi privigni Augusti regnare cœpit, regnavitque annis XIII. Hic quia væcors erat, mitissimus videbatur imprudentibus. Hic cibo vinoque omni loco & tempore intemperantissimus fuit, ac nullius memoriæ, habens uxorem nomine Messalinam turpissimam ac insatiabilem, quam occidit. Hic meditatus est edictum, & legem statuit, qua veniam daret, flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum ex continentia præ pudore quendam periclitatum reperisset. Hic Claudius dedit Herodi quartam tetrarchiam, scilicet Judæam, qui sublimatus, occidit Jacobum Zebedæi, fratrem Johannis. Hic cum deficeret, Britannicum filium suum uxoris persuasionibus exsortem Romani Imperii faciens, Neronem filiæ suæ maritum dignavit Imperatorem, sic quod prælatus est gener filio ordine præpostero. Hic Claudius tempore famis in foro a populo convitiis infestatus, & fragmentis panum projectus fugit, & ab Agrippa uxore sua veneno, ut legitur, interemtus est. (a)

De Nerone.

Anno Domini LXII. Domitius Nero, filius Domitii, gener Claudii regnare cœpit, regnavitque annis XIII. mensibus VII. diebus XXVIII. Hic per quinqvennium primum bonus apparuit: reliqvum, quod a quinque annis supervixit, ita Caligulæ avunculi sui vestigia secutus est, immo supergressus, ut turpe sit dicere, ad quantam malignitatem pervenerit. Nam bonis omnibus hostis fuit: libidinibus porro tantis agitatus est, ut nec a matre quidem vel sorore ullave consangvinitatis reverentia referatur abstinuisse; virum in uxorem duxerit, ipse amictus nubentium virginum specie, convocato Senatu ad placitandum de ratione dotis, ipsisque nuptias celebrantibus, pelle coopertus, fere a viro & uxor ductus sit.

Sanctus Marcus cruenta passus & mortuus est IIX. anno Neronis. Anno Domini LXVIII. Annæus Seneca Cordubensis, Præceptor Neronis & patruus Lucani jussus a Nerone genus mortis eligere, incisione venarum & haustu veneni interiit. Nero Urbem Romam per sex dies & noctes incendit, ut, quale fuerit in-

(a) Nugamentum de Phœnice vid. ap. Martinum Minorit.

cen-

cendium Trojæ, videret. Auxit molem facinoris ejus temeritas in Deum. Primus enim persecutionem in Christianos movit per omne regnum suum, ipsumque nomen exstirpare cupiens, Petrum & Paulum occidit. Ipse Vespasianum cum filio suo Tito ad destruendam Jerusalem, misit, eo quod Judæi tunc Romano Imperio rebellarent. Hic a Senatu hostis pronunciatus, tali pœna finaliter condemnatus est, ut nudus per publicum ductus, furca capiti ejus inserta, virgis cæsis, de saxo præcipitaretur. Quod ipse audiens, fugit ad quatuor milliaria, & fustes dentibus acuens, seipsum transfixit, sicque obrigescens a lupis dicitur devoratus, anno vitæ suæ XXXI. Sicque omnis Augusti progenies in eo consumta est. Hunc Persæ in tantum dilexerunt, ut legatos mitterent Romam, multum rogantes, ut concederetur illis licentia fabricandi sibi sepulchrum. Cæterum omnes aliæ provinciæ & tota Roma de interitu ejus nimis exultaverunt.

Hujus temporibus Colossus erigitur, habens altitudinis pedes centum. Unde secundum Hugwitionem dicitur Collensseum quidam locus Romæ, ubi olim erant imagines omnium provinciarum, & in medio erat imago Romæ, tenens pomum aureum in manu, utpote domina & regina omnium, & erant ita dispositæ arte nigromantica, ut, quando aliqua provincia vellet insurgere contra Romanos, statim imago Romæ averteret dorsum illius provinciæ imagini. Vel, ut dicunt, imago illius provinciæ insurgebat contra imaginem Romanam, & tunc Romani ex improviso mittebant illuc exercitum, & provinciam illam subjugabant sibi. Tali arte Romani totum mundum sibi subjugaverunt. Hæc Hugwitio.

DE LINO.

Linus Italicus de regione Tusciæ, fuit Pontifex devotissimus & in Scriptura eruditissimus. Hic ex præcepto Beati Petri Apostoli constituit, ut mulier velato capite intret Ecclesiam. Item dæmones effugavit, mortuos suscitavit, & innumera fecit miracula. Cum autem filiam Saturni Consulis dæmoniacam curasset, ille magicis artibus hoc ascribens, Linum diversis pœnis afflictum decollavit V. Kalendis Decembris.

De Cleto.

Cletus natione Romanus, ex præcepto Beati Petri XXI. Presbyteros ordinavit in Urbe Romana. *(a)* Hic VI. Kalendis Maji martyrio coronatur. Est animadvertendum, quod quidam Historiographi Linum & Cletum dicunt Apostolicæ præsedisse succevisse post Petrum; quidam vero dicunt, eos fuisse sub Petro. De quo quidam Historiographus, præmissis pluribus opinionibus, sic scribit: Æstimo, hos magis sequendos, qui Linum & Cletum dicunt fuisse sub Petro, & illos quidem hoc officium, quod Chorepiscopi tenent, sub Episcopo administrasse, Clementem vero, Petro ipso tradente, legitimo jure successisse, & idcirco eum a quibusdam primum Papam vocatum, quia velut hæreditario jure ligandi solvendique a Petro dicitur accepisse Pontificatum; pro hoc vero ab aliis dictum tertium esse a Petro, quod sub ipso Apostolo præcesserunt eum Linus & Cletus in sacerdotali officio. Sunt autem Chorepiscopi, qui ordines minores tantummodo tribuunt, Leviticam autem & sacerdotalem benedictionem præstare non valent. Et hi hodie ab Ecclesia prohibiti sunt. Vide LXVIII. D. §. Inter Episcopos & §. Hi vero &c.

(a) Plura ap. Martin. Minoritam.

De Galba, Ottone & Vitellio.

Anno Domini LXXI. Galba antiquissimæ nobilitatis Senator ab Hispanis & Gallis electus, regnavit mensibus septem. Hic cum avaritiæ vitio segnitiaque omnes offenderet, mense septimo Imperii sui in medio Romanæ Urbis decollatus est insidiis Ottonis, qui post eum regnavit, ætatis suæ anno LXXIII.

Itaque Otto tenens imperium Romæ contra Vitellium, qui a Germanicis exercitibus Imperator factus fuerat, suscepit bellum, & victus levi prælio, ingentes tamen copias habens ad bellum, sponte semetipsum occidit, mense quarto imperii sui, ætatis vero anno XXXVIII. Hic propriis militibus tam amabilis fuit, ut plerique, viso ejus corpore mortuo, suis manibus interirent.

Igitur Vitellius Romam Victor ingressus cum multo dedecore imperavit. Et audiens, quod Vespasianus interim Hierosolymam obsidens, a militibus Imperator creatus esset, Sabinum fratrem Vespasiani cum multis aliis in Capitolio incenso interfecit. Unde a militibus Vespasiani, habito prælio, superatus, diversisque pœnis afflictus, postremo in Tiberim projicitur mense VIII. imperii sui, ætatis vero anno LVII. De istis tribus Imperatoribus Isidorus in Chronica sua libri Etymologiarum nullam mentionem facit, sed post Neronem immediate ponit Vespasianum.

De Vespasiano.

Anno Domini LXXII. Vespasianus, obscuro quidem natus, sed vir militari virtute præcipuus & optimis comparandus, regnare cœpit, regnavitque annis VIIII. Hic a Nerone in Judæam cum exercitu missus, cooperta morte Neronis, Imperator efficitur, dimissoque Tito filio suo in Judæa ad obsidendam Hierosolymam, ipse per Alexandriam profectus est Romam, ubi accepto Imperio moderate se gessit. Inter cætera namque bona hanc gratiam habuit, ut inimicitias in corde retineret in tantum, ut filiam prædicti Vitellii inimici sui multis dotatam divitiis nobilissimo traderet marito. Hic cum ab amicis moneretur, ut caveret se a Tametio Pomposiano, de quo sermo vulgabatur, quod regnaturus esset, Consulem illum fecit, alludens tali cavillo: Cum regnum acceperit, talis beneficii memor erit. Talibus sæpe verbis jocularibus amicorum iras placavit.

Anno Domini LXXIII. Jerusalem a Tito capitur, templumque funditus destruitur. Et sicut Judæi Christum XXX. denariis emerant, sic & ipse Titus uno denario triginta Judæos vendidit. Itaque nonaginta septem millia Judæorum venditi sunt, & undecies centena millia gladio perierunt & fame. Vid. in Novo Passionali in Legenda de Jacobo Minore. Anno Domini LXXVI. Colossus, de quo superius sub Nerone facta est mentio, secundum Chronicam antiquam erectus est, habens altitudinem pedum centum & septem. Anno Domini LXXVII. Josephus, qui & Josippus dictus est, claruit Judæorum Historiographus.

Vespasianus autem, cum Romam incendiis ruinisque veteribus destitutam repararet, ac multa Regno Romano adjecisset, cum Tito filio suo superatis Judæis triumpharet, cunctisque amabilis existeret, profluvio ventris fessus in villa propria circa Sabinos interiit anno ætatis LXVIIII. Et cum a morte urgeretur, erexit se. Stantem, inquit, decet Imperatorem de mundo migrare. Hic a Claudio in Germaniam & Britanniam missus, tricies & bis cum hoste conflixit, & utramque Romano Imperio adjecit.

De Tito Vespasiano.

Anno Domini LXXXI. Titus, Vespasiani & Domicillæ filius, regnare cœpit, regnavitque annis duobus & mensibus duobus. Hic Titus etiam Vespasianus ex nomine Patris dictus est. Et licet pater ejus magnarum virtutum fuerit, tamen quia patrem virtutibus excessit, præponitur patri in scripturis & communi locutione. Hic cum patre scilicet Vespasiano Jerusalem subvertit, & omnia templi ornamenta delata sunt Romam, & in templo Pacis reposita. Hic tantæ largitatis fuit, ut nulli a se petenti quicquam negaret. Denique convictos adversum se de conjuratione dimisit, & in eadem familiaritate, quam antea habuerant, permanere. Cum reprehenderetur ab amicis, cur hoc faceret, respondit, nullum debere ab Imperatore tristem exire. Anno autem ætatis suæ XLII. obiit in eadem villa, qua & pater ejus. Tantus vero planctus fuit in urbe Roma pro morte ejus, quasi orphani relinquerentur a patre. Hic anno primo imperii sui Amphitheatrum Romæ ædificavit, in cujus dedicatione quinque millia ferarum occidit. Est autem amphitheatrum spectaculum circuli figuram habens, in quo stantes omnes inspiciunt; & differt a theatro, quia theatrum semicirculi figuram habet, dictum a θεάομαι, id est specto.

De Clemente.

Clemens natione Romanus de regione Cœlio Monte ex patre Faustino fuit. Hic quamvis esset a Beato Petro electus, tamen coëgit Linum & Cletum ante se pontificari. Et ita est primus post Petrum per electionem tertius vero per gradum. Unde & legitur in Chronicis Martini: Ipse scribit in Epistola ad Jacobum Jerosolymitanum dicens: Simon Petrus tempore, quo finem vitæ suæ imminere persensit, in conventu fratrum positus, apprehensa mea manu sic dixit: Fratres, hunc Clementem Episcopum urbis civitatis ordino, qui mihi ab initio usque ad finem comes in omnibus fuit. Cumque ego ad pedes procidens declinarem cathedræ honores, respondit: Tu peccati periculum timens, fugis cathedram. Certus esto, quod amplius peccas, qui populum Dei, velut in fluctibus positum, cum possis juvare subterfugis, tui tantummodo considerationem habens, & non, quod in commune expedit, providens. Ita Sanctus Petrus ordinavit S. Clementem Papam mortuo Sancto Petro. Sanctus vero Clemens noluit succedere Petro in Papatu, ne in consuetudinem duceretur, ut unus Papa substitueret alium, & sic hæreditarie Sanctuarium Dei possiderent. Immo præmisit Linum, & illum in Papam ordinavit. Quo mortuo, præmisit Cletum, & illo mortuo, ipse secundum institutionem Petri electus est, & compulsus Papatum suscepit. Et sic secundum institutionem, & ordinationem, & voluntatem expressam fuit primus a Beato Petro, sed secundum rei veritatem fuit quartus a Beato Petro.

Hic fecit VII. regiones dividi notariis, qui gesta Martyrum, unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent. Hic statuit, ut cathedra Episcopalis in eminentiori loco debeat statui, in qua residens Episcopus omnes posset circumspicere, & ab omnibus circumspici. Hic etiam statuit, ut baptisatus, prout citius posset, confirmetur, quod aliter non esset perfectus Christianus, qui confirmationem non maturaret, sed incuria aut voluntate omitteret. Patitur tandem, secundum Chronicam antiquam, sub Domitiano, licet quidam contendant, eum passum sub Trajano IX. Cal. Decemb.

De Anacleto.

Anacletus, natione Græcus, memoriam Beati Petri construxit, & posuit loca, ubi Episcopi reconderentur. Hic constituit, ut Clericus nec barbam, nec comam nutriret, sicut habuit a Beato Petro, quem pagani ad modum coronæ radentes, irrisive dixerunt Papa. (*a*)

De Domitiano.

Anno Domini LXXXIII. Domitianus, Vespasiani & Domicillæ filius, frater Titi junior, regnare cœpit, regnavitque annis XV. & mensibus VI. Hic primum finxit se misericordem & modestum esse, sed mox Tiberio, vel Caligula aut Nerone sceleratior, ad omnia vitiorum gravamina progressus est in tantum, ut impletus sceleribus omnibus Christianos secundo persequeretur, primus post Neronem, in qua persecutione Johannem, Apostolum & Evangelistam, ob prædicationem verbi divini in Pathmum insulam relegavit, multosque nobiles ex Romanis necavit.

Hic Dominum ac Deum se appellari scribique

(*a*) Cætera hic omissa ad verbum apud Martinum Polonum extant.

que jussit, nullamque nisi auream vel argenteam statuam sibi in palatio statui permisit. In tantam vero mentis segnitiem devenit, ut remotis omnibus, solus in palatio muscarum persequeretur agmina. Quem cum quidam percunctaretur, an aliquis esset in palatio, respondit: Ne musca quidem. Cumque odiosus esset omnibus, conjuratione suorum interfectus est in palatio anno vitæ suæ XXXV. funusque ejus per vespiliones cum ingenti dedecore exportatum, & ignobiliter est sepultum. Senatus quoque nomen ejus abradendum decrevit, nequis eum Imperatorem nominaret. Hic in arte sagittandi tam doctus fuit, ut inter expansos digitos hominis a longe stantis sagittam transmitteret. Hujus temporibus hæresis Menandri, qui fuit discipulus Simonis Magi, exoritur, a quo dicuntur Menandriani quidam hæretici, qui mundum non a Deo, sed ab Angelis factum asserunt. (*a*)

De Nerva Coccejo.

Anno Domini XCIX. Nerva Coccejus, opido Narmensi genitus, mediæ nobilitatis, regnare cœpit, regnavitque anno uno, mensibus IIII. dieb. IIX. Hic in vita privata moderatus & strenuus extitit, in imperio vero civilissimum & æquissimum se præbuit. Hic ex decreto Senatus constituit irritum fieri, quicquid Domitianus jussit, & edicto suo exules omnes revocavit. Unde & S. Johannes Apostolus ab exilio Ephesum rediens, & Ecclesiam hæresibus turbatam inveniens, hortatu fratrum Evangelium scripsit, quo fidem rectam confirmavit. Obiit morbo confectus, anno ætatis suæ LXXII. Eodem anno ut legitur, S. Timotheus, multa pro veritate passus, ad Dominum migravit.

De Evaristo.

Evaristus, natione Græcus, ex patre Judæo nomine Juda de civitate Bethlehem, titulos in Urbe Romæ divisit Presbyteris. (*b*)

De Alexandro.

Alexander Primus, natione Romanus, ordinavit, ut oblatio fieret in missa pro paupertate Ecclesiæ, & pro vitæ subsidio sacerdotum. (*c*)

De Trajano.

Anno Domini C. Trajanus, gente Hispanus, ex familia antiqua magis, quam clara genitus. Apud Agrippinam Coloniam idem Imperator factus, regnare cœpit, regnavitque annis XIX. mensibus VI. diebus XV. Hic rempublicam ita administravit, ut omnibus Principibus merito præponatur. Laboris namque patiens fuit, justitiæ jurisque humani & divini, tam repertor novi, quam veterum custos. Hic multa beneficia per totum orbem quibusque parabat. Fuit enim bellicosus, & in omnibus studiosus. Hunc cum amici culparent, quod nimium communis erga omnes esset, respondit: Imperator talis esse debet erga subjectos, quales erga se Imperatores esse optaret ipse privatus. Ab hoc exivit proverbium, quod Principibus acclamatur: Felicior Augusto, melior Trajano. Hic adjecit Imperio Syriam, Mesopotamiam & Armeniam. Deinde Asia & Babylonia capta, classem in Mari Rubro composuit, quia fines Indiæ post Alexandrum vastando intravit. Inde cum gloria rediens, Deos suos laudans, deceptus errore, non per se, sed per suos consiliarios, tertiam jussit Christianis inferri persecutionem. (*d*) Hic Trajanus, inquit Gotfridus, in urbe Agrippina, quæ hodie vocatur Colonia, in Francia Imperii culmen accepit. Ejus temporibus domus aurea Neronis ictu fulminis incensa est & concremata. Hic aliquando profecturus ad bellum, jam equum ascendit, vidua quædam, apprehenso pede illius, miserabiliter lugens, justitiam sibi fieri de his, qui filium ejus innocentissimum occiderant, poscebat; Tu, inquiens, Auguste imperas, & ego tam atrociter injuriam patior. Ego, ait ille, tibi satisfaciam, cum rediero. Quid si non redieris? ait illa. Successor, inquit, meus satisfaciet tibi. At illa: Quomodo hoc sciam? Quid, etsi facturus, quid tibi proderit, si alius benefecerit? Tu mihi debitor es, secundum opera mercedem recepturus. Fraus autem est, nolle reddere, quod debetur. Successor tuus injuriam patientibus pro se tenebitur. Te non liberabit justitia aliena. Bene agetur cum successore tuo, si liberaverit se ipsum. His verbis motus, descendit de equo, & causam viduæ examinavit, & condigna satisfactione viduam consolatus est. Vincent. Lib. XI. C. XV.

Igitur Trajanus, post ingentem gloriam, bello domique quæsitam, Perside rediens, apud Seleuciam profluvio ventris exstinctus est, anno vitæ suæ LXIII. Ossa vero ipsius in urna aurea Romam relata, in foro Trajani sub ejus columna, cujus altitudo CXL. pedes habet, humata sunt. Pro hujus anima post annos fere quingentos Beatus Gregorius rogavit. De quo vide subtilia in Novo Passionali in Legenda de S. Gregorio, qui, cum quodam tempore ante palatia Trajani transiret, recordatus clementiæ ipsius, amarissime flere cœpit, & pro eo tam diu ante altare S. Petri flens oravit, donec vox ad eum dormientem dixit, Trajanum precibus ejus a pœnis infernalibus liberatum, sed de cætero caveret, ne pro aliquo infideli defuncto orare præsumeret.

De Sixto Primo.

Sixtus Primus, natione Romanus, sub Adriano IIX. Idus Aprilis foris portam Appiam decollatur.

VII. De Telesphoro.

Telesphorus, natus ex anachoreta, constituit, ut omni reliquo tempore nullus ante horam tertiam, qua Dominus tradebatur crucifixus, missam celebrare præsumeret. Hic martyrio coronatur IV. Non. Januar. & in Vaticano juxta corpus B. Petri sepelitur.

(*a*) *Panthei* s. Mariæ rotundæ descriptio ad verbum apud Martinum Polonum occurrit. (*b*) Cætera vid. apud Martinum Polonum. (*c*) Reliqua ap. utrumque Martinum.

(*d*) Cætera ap. Mart. Pol. & Minorit.

XII. De Adriano.

Anno Domini CXIX. Ælius Adrianus, genere Italicus, filius consobrini, qui fuit de Adria civitate; unde & mare Adriaticum dicitur, regnare cœpit, regnavitque annis XXI. Hic licet esset filius consobrini Trajani, noluit tamen eum Trajanus adoptare, sed sine voluntate ejus factus est Imperator, operam tamen dante Plotina Trajani uxore. Unde & gloriæ Trajani invidens, tres provincias reliquit, quas Trajanus adjecit, Armeniam, Assyriam & Mesopotamiam. Hic eruditissimus & facundissimus fuit Græco Latinoque sermone, acutus nimis ad interrogandum & respondendum, ordinata respondens ordinatis, jocosa jocosis, maledica maledicis, cantilenam cantilenis, ficta fictis, ita ut præmeditatum crederes eum ad omnia. In omnibus enim omnia studia Atheniensium secutus est, in loquendo, in canendo, in psallendo, in medicinæ artem discendo, in musica, in geometria. Item pictorum & figulorum scientiam habuit, & omnia hæc perfecte didicit, aliaque multa, ita ut rara esset res illi non experta, & super qua credi posset. Hæc in memoria retinebat, loca, res, causas. Milites, & eos, quos nunquam videbat, propriis nominibus appellabat. Fuit homo varius & multiplex, ac multiformis dissimulator in bono & in malo, & ut bonum se ostenderet, vitia, quæ habebat, callide abscondebat. Hic per Quadratum, Apostolorum discipulum, & per Aristidem Atheniensem virum fide sapientiaque plenum, & per Serenum Gravium legatum libris de Christiana religione compositis instructus mitior Christianis efficitur. Unde in Chronicis Martyrum per epistolam legitur præcepisse, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare.

Multos labores sustinuit, orbem circuiendo, & multa reparando. Alexandriam & Jerusalem dudum subversas restauravit. Judæos denuo rebelles ultima cæde perdomuit, ablata eis licentia Jerosolymam introeundi, sed tantum Christianis. Et illo tempore factum est, ut locus passionis Christi esset intra muros. Quotiescunque enim Judæi vel alii Jerusalem in fundo pristino reædificare tentaverunt, toties magnis prodigiis territi fugerunt; & aliquoties igne de terra erumpente perierunt. Et quia ipse vocabatur Ælius Adrianus, voluit, ut Jerosolyma vocaretur nomine suo Ælia. Ab hujus temporibus usque ad Imperium Constantini per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulacrum Jovis, & in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, & in specu, in quo quondam Christus vagiit parvulus, Veneris amasius peragebatur. Obiit in Campania morbo subcutaneo, anno ætatis suæ LXII.

Sub hoc passi sunt Eustachius cum uxore & filiis, Achatius cum decem millibus Martyrum. Hoc tempore Aquila proselytus Judæus, genere Ponticus, secundus interpres Mosaicæ Legis, floret. Nam prima interpretatio sive translatio fuit septuaginta Interpretum, facta in Veteri Testamento sub Ptolomæo, Rege Ægypti de Hebraico in Græcum. Hujus tempore missa Græce celebrari cœpit, quæ prius Hebraice tantum celebrabatur. Saturnides & alii duo hæresin condiderunt. Nicopolis & Cæsarea terræ motu ceciderunt.

Floruit & his temporibus Secundus Philosophus, qui philosophatus est, omni tempore silentium servans. Causa autem ejus silentii fuit: Ipse in scholis constitutus, de inconstantia mulierum audiens disputare, domum rediit in specie peregrini, ut matris suæ animum attentaret. Quæ illum audiens peregrinum, in carnalem copulam mox consensit. Cui filius exprobrans dixit: Vera est Philosophorum sententia, quod omnis mulier naturaliter est meretrix. Ob hoc mater nimium verecundata, irremediabili dolore vitam finivit, & filius de hoc semper dolens, silentium perpetuum sibi ipsi imposuit, & tamen libros multos composuit. Hunc cum Adrianus Imperator Athenis constitutus, nec minis, nec blanditiis cogere posset ad loquendum, jussu ipsius ad decollandum ducitur. Tunc sicut in quodam libello inveni, spiculator dixit ei: O Secunde, extende cervicem, & suscipe meum gladium. Secundus vero proponens silentio vitam finire, extendit cervicem. Gladium itaque extendens spiculator, ait: O Secunde, voce mortem redime. Secundus vero nihilominus persistebat in silentio. Apprehendens itaque eum spiculator, venit ad Adrianum, & dixit ei, quod tacens usque ad mortem silentium servasset. Adrianus autem admirans, ait: O Philosophe, silentium servans, tibi quandam legem constituisti solus. Sume igitur tabulam istam, & loquere saltem manu tua. Tunc Secundus scripsit: Ego te quidem, Adriane, non timebo, quod possis me occidere, quia Princeps hujus temporis esse videris. Me enim occidere tibi licet. Verum vocis meæ verbum proferendi nulla est tibi potestas. Adrianus hæc legens ait: Bene te excusasti, tantum proponens sibi quædam problemata. Inter cætera quæsivit: Quid est Deus? Tunc Secundus scripsit: Deus est merus spiritus, incogitabilis inquisitio, insomnis oculus omnia contuens, summum bonum, lux perennis. Item quæsivit: Quid est mulier? Secundus scripsit: Hominis confusio, insatiabilis bestia, continua solicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, domus tempestatis, castitatis impedimentum, viri incontinentis naufragium, adulterii vas, pretiosum prælium, animal pessimum, animal gravissimum, aspis insanabilis, humanum mancipium. Quid est, quod hominem lassum fieri non finit? Lucrum. Hæc & plura talia Adrianus ab eo quæsivit, quæ longum esset scribere.

VIII. De Hygino.

Hyginus, natione Græcus de Athenis, IV. Idus Januar. martyrio coronatur, & in Vaticano est sepultus.

IX. De

IX. De Pio.

Pius, natione Italicus, de civitate Aquilegiâ ex patre Ruffino constituit sententiam excommunicationis in sacrilegos, item, ut Clericus Episcopo insidiatus deponatur, & tradatur curiæ seculari. Hic IV. Id. Julii martyrio coronatur, sepultus in Vaticano. Hujus tempore Hermes librum scripsit, qui appellatur Pastor, quia in habitu pastoris ei angelus apparuit, in quo continetur mandatum, quod Pascha Domini non celebratur, nisi die Dominica, quia VI. Kal. Aprilis antea celebrabatur. Quis autem fuerit Hermes iste, Pius Papa in Epistola sua, ut in Chronicis Martini legitur, demonstrat.

XIII. De Antonino Pio.

Anno Domini CXL. Antoninus Pius, filius Bairo, sed non ad modum veterum ortus, regnare cœpit, regnavitque annis XXII. mensibus tribus. Hic propter clementiam cognominatus est Pius, quia in omni regno suo, cautionibus retentis, creditorum debita relaxavit. Hic ab Adriano adoptatus est in filium, cujus & gener fuit. Hic vir insignis extitit, nulli acerbus, cunctis benignus, erga Christianos pius, in re militari gloriæ moderator, defendere magis provincias, quam ampliare studens. Hic namque dixit; Mallem Scipionis exemplo unum civem servare, quam mille hostes occidere. Unde viros æquos ad administrandum rempublicam quærens, cum orbem terræ nullo bello per annos viginti duos auctoritate sua rexisset, adeo tremebant eum & amabant cuncti rectores ac populi, ut parentem sive patronum magis, quam Dominum vel Imperatorem eum reputarent, omnesque in morem cœlestium propitium optantes de controversiis judicem inter se poscerent. Hic ærarium opulentum relinquens, obiit anno ætatis suæ LXXVII. *(a)*

X. De Aniceto.

Anicetus, natione Syrus, XVI. Kal. Maji martyrio coronatur, & sepultus est in Cimiterio Calixti.

XI. De Sotere.

Soter, natione Campanus, ex patre Concordio de civitate Fundana XI. Calendas Maji martyrio coronatur, & in cimiterio Calixti est sepultus.

XII. De Eleutherio.

Eleutherius, natione Græcus, ex patre Abundo de opido Nicopoli, IIX. Kal. Junii martyrio coronatur, & sepultus est in Vaticano apud S. Petrum. Hic Eleutherius accepit epistolam a Lucio Rege Britannico, ut Christianus per ejus mandatum fieret. Cui Papa misit duos viros religiosos, videlicet Fugarium & Damianum, qui Regem prædictum baptisaverunt & populum. Erant tunc in Britannia XXVIII. Pontifices idolorum, quos Flamines vocabant, inter quos tres Archiflamines erant. Sed prædicti Sancti de mandato Apostolici, ubi erant Flamines, instituerunt Episcopos, ubi Archiflamines Archiepiscopos. Ipse vero Rex, spretis omnibus mundialibus rebus, sicut legitur in Martyrologio nostro, ad Sanctum Magnum nudus & expeditus peregrinatione suscepta, partes Bavarorum, & totam Rhetiam inter Alpes sitam, miraculis & prædicationibus ad fidem Christi creditur convertisse. Et deinde, ut legitur in Floribus Temporum, Episcopus ordinatus, & tandem martyrio coronatus in diœcesi Curiensi, sepultus est, ubi signis celeberrimis illustratur.

(a) Cætera apud Martin. Polon.

XIV. De Marco & Lucio fratribus.

Anno Domini CLXII. Marcus Antonius Aurelius Verus, ex nobilissimo genere, scilicet à Numa Pompilio ortus regnare cœpit, regnavitque annis XIX. Iste propinqvum suum Lucium Annium Antoninum Generum, qui erat gener Antonini Pii, nova benivolentia consortem Imperii fecit. Tuncque primum Romana Respublica duobus æquo jure Imperium administrantibus paruit, cum usque ad illos semper singulos habuisset Augustos, ut uno moriente alter succederet, uno præliante, alter in judicio præsideret. Hic Marcus omnes virtutes & cœleste habuit ingenium, & in calamitatibus publicis factus est quasi defensor. Et si in illis temporibus ipse non fuisset, sine dubio gloria Romana periisset. Et tamen anno sexto imperii ipsius mota est a suis in Christianos persecutio quarta, in qua Polycarpus, & Penius, & alii multi passi sunt. Hic Marcus Antoninus a principio vitæ suæ tranquillissimus fuit, adeo ut ab infantia sua vultum neque gaudio nec mœrore immutaverit. Hic ad nullum eventum fuit elatus, provincias ingenti benignitate & moderamine tractavit. Hic bellum contra Parthos gessit, ad quod tamen Lucius Severus perrexit. Multa quoque & ingentia per se ducesque suos peregit, rediensque cum victoria in Venetia obiit anno imperii XI. Sic quoque Marcus iterum Imperium solus obtinuit.

Unde & Lucium Commodum, filium suum, regni consortem fecit. Hic Marcus in Pannonia moritur, & omnibus certatim clamantibus, inter Divos relatus est. Hujus tempore Egesippus historiographus claruit, qui multa ingenii sui monumenta reliquit; item Melito, Sardensis Episcopus, qui Apologeticum Imperatori pro Christianis dedit.

XIII. De Victore.

Victor, natione Afer, ex patre Felice fuit. Hujus tempore quidam Episcopi Asiæ & orientis cum Judæis quarta decima luna mensis primi, id est Aprilis Pascha celebrabant, qvidam vero VI. Aprilis absque illius diei discretione vel lunæ observatione celebrabant. Quapropter Victor Papa Concilium in Alexandria Palæstinæ celebrabat, in quo Theophilo, Cæsariensi Episcopo, ut quo die Pascha celebrari deberet, autoritatem investigandi dedit. Autoritate igitur hujus Concilii Victor Papa constituit, ut sanctum Pascha semper die Dominica cele-

celebraretur, & a XIIII. luna primi mensis usque in XXI. observaretur. Hic etiam constituit, ut necessitate cogente, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, sub Christiana confessione quicunque homines ex gentibus venientes baptisarentur. Hic XII. Kal. Maji martyrio coronatur, & in Vaticano apud S. Petrum est sepultus. His temporibus Samarites quidam Symmachus, Judæorum factus proselytus, idem divinas Scripturas ex Hebræo in Græcum transfudit, suamque editionem, quæ appellatur tertia, condidit. Sed hic, ut in Ecclesiastica Historia Libro VI. legitur, Hebionius fuit, quæ est hæresis, asserens, Christum de Joseph & Maria natum, purum hominem fuisse, & legem ritu Judæorum servandam esse. Commentarios quosdam idem etiam conscripsit, in quibus conatur de Evangelio secundum Matthæum autoritatem suæ hæreseos confirmare.

Post hunc anno pene tertio Theodotion Ponticus idem suam in eodem opere editionem, quæ appellatur quarta, fecit. Item Narcissus, Jerosolymitanus Episcopus, cujus dies natalis IIII. Kal. Novembris agitur, & Theophilus, Cæsariensis Episcopus, Polycarpus quoque & Bachilus, Asianæ provinciæ Episcopi insignes habentur.

De Commodo.

Anno Domini CLXXXI. Lucius & Aurelius Commodus Antoninus, filius Marci Antonini Veri regnare cœpit, regnavitque annis XII. ac mensibus VIII. Hic nihil paterni habuit, nisi quod contra Germanos feliciter pugnavit. Hic Septembrem mensem ad nomen suum transferre dignatus est. In luxuriis & omni sorde vixit. Senatores multos interfecit, maxime quos vidit nobilitate & sapientia præcellere, inter quos Salvum Julianum legislatorem interfecit. Huic uxor sua Martia, nomine formæ & meretriciis artibus pollens, cum egrederetur de balneo, veneni poculum obtulit, immissoque ei fortissimo palæstrita in domo Nestilani eum strangulari fecit, anno ætatis suæ XXXII. Hic itaque Commodus cunctis incommodus, in tanta exsecratione fuit omnibus, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur.

Anno CLXXXVIII. Origenes Alexandriæ nascitur. Item Capitolium Romæ & bibliotheca fulmine crematur. (*a*)

XVI. De Ælio.

Anno Domini CXCIIII. Ælius Pertinax, ex libertino patre in Liguria natus, regnare cœpit, regnavitque mensibus VI. vel secundum alios VII. Ælius unius anni statione resedit tantum in populo, cui sufficienter obedit. Hic cum præfecturam Urbis ageret, jam sexagenarius ex Senatusconsulto suscepit Imperium coactus & repugnans.

(*a*) Historia de *Eugenia* verbotenus apud Martinum Polonum extat.

Hic obsecrante Senatu, ut uxorem suam vocaret Augustam, filiumque suum Cæsarem: Sufficere, inquit, debet, quod ego invitus regnavi, cum non mererer. Hunc septimo mense, sive ut alii volunt, octogesimo primo die occidit in palatio quidam Jurisperitus Mediolanensis, vir nobilis, nomine Julianus.

De Juliano.

Occiso autem Ælio, idem Julianus rempublicam invasit, sed non ultra septem menses regnavit. Hoc enim tempore Severus Septimus in Sabaria Pannoniæ elevatur in Imperatorem. Ab hoc Severo Julianus bello civili est victus apud pontem Molbium, & fugiens in palatium captus est, & extenta cervice more damnatorum decollatus est.

XIV. De Zepherino.

Zepherinus, natione Romanus, ex patre Abundo, VII. Kal. Septembris migravit, & in cœmiterio Calixti, via Appia est sepultus.

XVII. De Severo.

Anno Domini CXCV. Severus Septimus ex Africa primus & ultimus oriundus, regnare cœpit, regnavitque annis XVIII. mensibus tribus. Hic primum fisci advocatus fuit, mox militaris Tribunus. Per multa deinde & varia officia usque ad administrationem totius publicæ rei pervenit. Et quia Ælium Pertinacem *ultus* est in Juliano, Pertinacem se dici voluit. Bella multa feliciter egit, ex quibus maximum in Britannia habuit, ubi ut receptas provincias in securitate teneret, vallum fortissimum, crebris turribus suppositis, per centum triginta duo millia passuum a mari usque ad mare perduxit. Hic apud Eburacum moritur anno vitæ suæ LXV. Duos filios reliquit, Bassianum & Getam. Sed Geta hostis publicus judicatus est. Bassianum vero successorem reliquit, cui nomen Antonini imponi voluit. Hujus Imperii anno X. persecutio quinta in Christianos facta est. Multi quoque pro fide Christi coronati sunt, inter quos & Leonides, pater Origenis, martyrisatus est. Ipse autem Origenes tunc decimum septimum ætatis suæ agebat annum. Et, ut legitur in libro V. Ecclesiasticæ Historiæ, ardore capessendi martyrii in tantum exarserat, ut sponte se periculis ingereret, & aliis in certamine positis, præceps in medium rueret, sed dispensatione Dei ad utilitatem plurimorum potius Ecclesiasticæ ædificationi solicitudine matris putatur servatus, quæ gloriosæ ejus mortis desiderium impedivit. Cum enim patrem teneri in vinculis agnovisset, & mater eum maturare velle, & antelucanum prorumpere ad agonem certaminis persensisset, noctu cubiculum filii dormientis ingressa omnia ejus indumenta, quibus procedi ad publicum poterat, furata subtraxit, ut per hoc domi residere necessitate cogeretur. Ille maternis impeditus dolis, cum nihil aliud agere posset, nec tamen mens quiescere pateretur, audens aliquid super ætatem, epistolam scribit ad patrem, se quidem maternis

ternis artibus detineri, sed illum tenere, quod cœpit. Et addit etiam hoc: Vide pater, ne propter nos aliud aliquid velis. Hæc in Historia Ecclesiastica, & legitur in Floribus Temporum.

Severus apud Lugdunum in uno colle crucem, in altero idolum collocavit, & Episcopum Irenæum cum omni populo in medio statuens, dixit: Qui Deos adoraverit, vivet. Qui se cruci humiliaverit, occidetur. Episcopus lætus cum vexillo præcedens, ivit ad crucem, & populus fere totus gaudenter subsequens, sustinuit passionem. Hic Irenæus, ut legitur in Ecclesiastica Historia libro quinto, ad diversos scripta prorogavit, & VIII. ex suis libellis subscriptione satis eleganter affixit. Adjuro te, inquit, qui transscripseris librum hunc, per Dominum meum Jesum Christum, & adventum ejus, in gloria cum veniet judicare vivos & mortuos, ut conferas hæc, quæ scribis, & emendes diligenter ad exemplaria, de quibus transscripseris ad fidem & ad fidem; & ut sacramentum adjurationis ejus similiter transscribas, & inseras his, quæ transscripsisti. Et subdit Eusebius: Hæc autem utiliter ab eo scripta inserere operi meo necessarium credidi, quo per hæc diligens efficiatur omnis, qui hæc vel legere, vel scribere dignum duxerit, sciens exemplum diligentiæ a sanctis viris & illustribus traditum. Hæc Eusebius in Ecclesiastica Historia.

Anno Domini CCVII. Perpetua & Felicitas bestiis deputantur. Item Tertullianus Africus omnium ore celebratur. Anno Domini CXI. Origenes Alexandriæ studet. Legi in quadam Chronica antiqua, quod ab Origene duæ sint editiones inventæ, & tertia illius labore addita, nec non cæteræ collectæ ac correctæ. Anno Domini CXVIIII. qui est septimus Imperii Antonini Caracallæ, editio, quam nominamus quintam, Hierosolymis est inventa, alibi in Jericho, quæ vulgaris dicitur, sed quis autor fuerit, usque hodie ignoratur.

Antoninus Caracalla.

Anno Domini CCXIII. Antoninus Bassianus Caracalla, filius Severi, regnare cœpit, regnavitque annis VII. mensibus VI. Hic Bassianus a nomine avi materni dictus, rogatu patris a Senatu appellatus est Antoninus. Et quia plurimas e Gallia deferens calares, caracallas ex his fecit, populumque his vestibus indutum, ad salutandum se ingredi præcepit, Caracalla nuncupatus est. Hic morum fere paternorum paulo fuit asperior & minax. Hic conspecto Magni Alexandri corpore, Magnum se atque Alexandrum jussit appellari, adulantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte, ad lævum humerum cervice conversa, quod more Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Is adversus Parthos moliens expeditionem, apud Edessam secedens ad officia naturalia, a milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est anno ætatis XLIIII.

Macrinus & Diadumenus.

Anno Domini CCXX. Opilius Macrinus, qui Præfectus erat Prætorii, ab exercitu Imperator factus, cum Diadumeno filio suo regnare cœpit, regnavitque anno uno, & mensibus duobus. Hic ab eodem exercitu apud Archelaidem tumultuante occiditur cum filio.

XV. Calixtus sedit ann. V. CCXXI.

Calixtus, natione Romanus, ex patre Demetrio, fecit cœmeterium in via Appia, quod modo vocatur Cœmeterium S. Calixti, ubi quam plurima multitudo Martyrum est sepulta. Nam usque ad tempora Calixti Ecclesia non habuit Cœmeterium: omnes enim sepeliebantur in locis a civibus deputatis, sicut in Campo Martio vel aliis locis. Hic II. Idus Octobr. patitur, & sepultus est in cœmeterio suo.

XX. Antoninus III.

Anno Domini CCXXI. Marcus Aurelius Antoninus Varus, qui putabatur filius Antonini Caracallæ, ex consobrina sua occulte stuprata, regnare cœpit regnavitque annis quatuor. Hic cum Romam ingenti militum & Senatus exspectatione venisset, vitiis omnibus se contaminavit, impudicissimeque vivens, nullum obscenitatis genus omisit. Hic Marcellum, consobrinum suum, qui postea Alexander dictus est, Cæsarem fecit. Post triennium vero & menses octo, ex quo regnare cœpit, Romæ tumultu militari cum matre sua interfectus est, anno ætatis XVI. corpusque ejus per Urbis vias, more canini cadaveris tractum, a militibus cavillo militari appellantibus eum indomitæque rabidæque libidinis catulam. Hujus temporibus Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur, condita est.

XVI. Urbanus I. sedit annis VIII. CCXXVI.

Urbanus, natione Romanus, ex patre Pontiano, constituit, ut nulla esca reprobaretur a Christianis, quæ rationabilis esset & humana. Hic VIII. Kal. Junii patitur, & cum Cœcilia, Tiburtio, Valeriano & Maximo via Appia sepelitur.

XVII. Pontianus sedit annis VI. CCXXXIV.

Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, Maximino persecutionem movente, portatus fuit in exilium in insulam Sardiniæ, ubi fustibus mactatus XII. Kal. Decembris, martyrium consummavit.

XXI. Alexander.

Anno Domini CCXXV. Aurelius Severus Alexander ab exercitu Cæsar, a Senatu autem Augustus est nominatus, regnare cœpit, regnavitque annis XIII. Hic Mammæam matrem suam pie & unice dilexit, pro quo omnibus placuit. Illa vero ei multum dominata, eo usque illum coëgit, ut illa ipsa permodica, si qua mensæ superessent, quamvis semesa, alteri convivio reservarentur. Quæ tum postea Origenem Presbyterum audire curavit, eumque Antiochium vocatum honorifice tractavit, & eo audito Christiana facta est. Unde ob hoc a filio occiditur.

Alexander itaque, suscepto bello adversus Persas,

Persas, Xerxem Regem eorum gloriosissime vicit, militarem disciplinam rexit. Romæ quoque favorabilis & amabilis fuit. Cujus tempore Taurinus in oriente, & Julianus Maximus in Gallia sumsit Imperium. Alexander vero apud Moguntiacum positus, cum videret, se a militibus deseri, optavit, ut aliquis eum occideret. Cumque ei unus cum gladio occurreret, illi obvoluto capite cervicem præbuit, statimque periit, anno vitæ suæ XXVI. Sub hujus Imperio in Nicopoli Acciata, id est in Epiro, editio, quam sextam dicimus, inventa est.

CCXXXIX. XVIII. Antherus sedit mense uno, dieb. XIII.

Antherus, natione Græcus, III. Non. Jan. martyrio coronatur, & in cœmeterio Calixti via Appia sepultus est.

CCXL. XIX. Fabianus, sedit ann. IIX. mens. XI.

Fabianus, natione Romanus, multas fabricas per cœmiterium fieri jussit. Floruit his temporibus Africanus, inter Scriptores Ecclesiasticos nominatissimus. Item Porphyrius, Plotini Platonici Philosophi auditor Romæ clarus habetur. Item Origenes in Cæsaria Palæstinæ Theodorum cognomento Gregorium, & Anthenodorum fratrem ejus, postmodum Ponti Episcopos insignes, divina imbuit sapientia.

XXII. Maximinus.

Anno CCXXXVIII. Julius Maximinus, genere Thrax, ordine miles, sola militum voluntate, sine Senatus auctoritate regnare cœpit, regnavitque annis tribus. Hic persecutionem sextam a Nerone in Christianos movit, ita tamen, ut eos tantummodo, qui populis præerant & doctrinæ, puniri juberet, qui causam hujusmodi persuasionis cæteris præberent. Hujus tempore duo Gordiani, pater & filius, Imperium arripuerunt, sed unus post unum interierunt. Maximinus autem, bello adversus Germanos suscepto feliciter acto, apud Aquilejam a Puppiano quodam interfectus est cum filio adhuc puerulo cunctis militari joco clamantibus, ex pessimo genere nec catulum habendum fore.

Hujus temporibus S. Barbara a Nicomedia Alexandriam scripsit ad Origenem, petens ab eo fidei instructionem. Cui Origenes rescripsit, & eam in fide instruens, usque ad martyrii palmam perduxit. In Legendis Sanctæ Barbaræ, quas diversas vidi, pro Maximino Maximianum scriptum recepi. Similiter in Chronicis Martini.

XXIII. Gordianus.

Anno Domini CCXLI. Gordianus, nepos Gordiani ex filia, ortus Romæ ex clarissimo patre, regnare cœpit, regnavitque annis VI. Hic cum Romam venisset, Puppianus & Balbinus fratres, qui occiso Maximino Imperium invaserunt de rustico genere, in palatio interfecti sunt. Gordianus autem admodum puer cum Tranquillinam duxisset uxorem Romæ, ad orientem profectus, bellum Parthis intulit. Quo feliciter gesto, ingentibus præliis Persas afflixit, & cum rediret, a Philippo, qui post eum regnavit, occisus est, anno vitæ XX.

XXIV. Philippus ejusque filius Philippus.

Anno Domini CCXLVII. Marcus Julius Philippus invasit Imperium, occiso Gordiano, & una cum filio suo Cajo Julio Saturino Philippo regnare cœpit, regnavitque annis VII. Isti omnium Imperatorum primi Romæ Christiani effecti sunt, & in ipsis Paschæ vigiliis cum jungi vellent sacrificiis & communicare, a Fabiano Pontifice Romano non permissi sunt, nisi prius confiterentur peccata sua, & inter pœnitentes starent. Quod isti suscipientes libentissime, divinum sibi metum & plenissimam Christianitatis fidem, rebus & operibus comprobabant inesse.

His anno jam tertio imperantibus, millesimus annus conditæ Urbis Romæ impletus est. Quo solenniter ab omnibus celebrato, innumerabiles bestiæ in Circo magno interfectæ sunt, ludique theatrales in Campo Martio celebrati, populo Romano tribus diebus ac noctibus in multo gaudio pervigilante. Ambo deinde, scilicet pater & filius ab exercitu interfecti sunt, pater Veronæ, medio capite circa ordines dentium præciso, filius vero Romæ, cum esset annorum XII.

Hic filius adeo severi fuit animi, ut jam a qvinqvennii ætate nullo cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit, (&) patrem ludis secularibus petulantius cachinnantem, licet adhuc puer, vultu aversato notaverit. Hic Philippus junior, audita morte patris sui Philippi, vehementer extimuit, ut thesaurum totum patris & suum Beato Sixto & Sancto Laurentio commendarit. De quo vide in Novo Passionali in Legenda S. Laurentii.

XX. Cornelius sedit ann. I. mens. VII.

Cornelius, natione Romanus, XVIII. Kal. Octob. patitur, & in cœmeterio Calixti est sepultus. (a)

XXV. Decius.

Anno Domini CCLIIII. Decius de Pannonia inferiori natus, interfectis ejus fraude Philippis, hoc est patre & filio, Imperium invadens, regnare cœpit, regnavitque secundum quosdam annis duobus & dimidio. Hic in omnibus malus, sed tamen prudens in armis, odio habuit pauperes, & persecutionem septimam post Neronem in Christianos movit, occasionem sumens odium Philipporum, quos interfecit, in qua persecutione Fabianus Papa, & admiranda longævæ ætatis virgo, Apollonia nomine, & multi alii Sanctorum passi sunt. Prædicantur etiam passi sub Decio Sixtus & Laurentius, ejus Diaconus, quod quidam intelligunt de Decio juniore, sicut postea videbitur.

Hujus temporibus cum plurimi Gothorum Istrum fluvium transmeantes, Romanorum civitates devastarent, Decius cum filio suo, cui nomen erat Decius, illos bello aggressus est, (&) trigin-

(a) Cætera vid. apud Martin. Minorit.

triginta millia ex eis occidit, de suis quoque multos amisit, filius ejus etiam interfectus est. Ipse quoque inter confusas turbas gurgite cujusdam paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus inveniri potuerit, anno Imperii sui tertio, vitæ qvinqvagesimo.

Juxta historiam in Passionum V. Libro reperitur, quod interfecto Sixto Papa & ejus Archidiacono Laurentio aliisque, ac deinde Hippolyto, sociisque ejus, vigesimo septimo die post passionem Sanctorum Decius & Valerianus Præfectus, sedentes in carruca, cum tractarent adhuc de nece Sanctorum, a dæmonis arrepti sint, & in præsentia Decii Valerianus exspiraverit, Decius vero rediens ad palatium, triduo vexatus sit, & in conspectu Tryphoniæ, uxoris suæ, exhalaverit. Qualiter autem serio hæc veritas se habeat, in scriptorum ratione consistit.

XXVI. Gallus & Volusianus.

Anno Domini CCLVII. Virius Gallus Hostilius Imperator ab exercitu creatur, & cum Volusiano filio suo regnare cœpit, regnavitque annis duobus, mensibus quatuor. Hujus Imperii Dionysius, Alexandrinus Episcopus, sicut libro VII. Ecclesiasticæ Historiæ legitur, meminit ita: At ne Gallus (quidem) malum Decii aut videre potuit, aut cavere, sed in eundem lapidem offensionis impegit. Cujus cum regnum floreret in initio, & cuncta ei ex sententia cederunt, Sanctos Viros, qui pro pace regni Summo Deo supplicabant, persecutus est, cum quibus & prosperitatem suam pariter fugavit & pacem.

Hujus temporibus Æmilianus quidam in Mœsia Imperator elevatur, contra quem ambo, pater scilicet & filius pergentes, ab exercitu suo interfecti sunt, pater habens annos vitæ XLVII. Æmilianus autem, Maurus genere, post menses quatuor occisus est.

Primo anno regni Galli & Volusiani, Origenes Presbyter anno ætatis suæ LXX. nondum impleto moritur, & in Tyro sepelitur. Hic alio nomine dictus est Adamantius. Huic, ut legitur, in sexto Ecclesiasticæ Historiæ, non solum in verbo erat perfecta doctrina, verum etiam in opere consummatæ disciplinæ præbebat exempla, & dicebatur, sicut advertitur de eo: Qui quale habet verbum, talem habet vitam, & qualem habet vitam, tale habet verbum, qui, quæ docet, agit, quæ agit docet. Hic, ut ibidem legitur, quibusdam, qui ei attrectabant, ita scribit: Cum vero ad Verbi Dei studia me convertissem, & fama de nobis celebrior haberetur, atque ob id nonnulli Philosophorum, vel ad percontandum, vel ad obsistendum, adire & congredi convenirent, hæreticorum quoque quamplurimi ad impugnandum nos excitarentur, visum mihi est, vel Philosophorum, vel hæreticorum dogmata diligentius perscrutari, ne ad convincendos eos, si ignorarem, quæ apud ipsos sunt, imperitior invenirer. Hæc autem fecimus exempla, sequentes priorum &c. Hic in tantum fuit sedulus scribendi, ut Hieronymus quodam loco dicat, sex millia librorum ejus se legisse.

XXI. Lucius sedit mensibus VIII.

Lucius, natione Romanus, constituit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium ecclesiasticum. Hic IIII. Non. Maji capite truncatur, positus in via Appia ad S. Sixtum.

XXII. Stephanus primus sedit annis II.

Stephanus natione Romanus, constituit, ut Sacerdotes & Levitæ vestes sacras in quotidiano usu non haberent. Hunc milites Valeriani constantem ante altare, officia cœpta celebrantem, in eodem loco in sede sua decollaverunt IIII. Non. Augusti sepultusque est in cœmeterio Calixti. Hic Beatum Tertullinum baptisavit, & in albis Presbyterum consecravit, qui sub Valeriano II. Non. Augusti decollatur.

XXIII. Sixtus II. sedit annis XI. secundum quosdam ann. II. mensibus XI. diebus VI. (a)

XXIV. Dionysius sedit annis VIII.

Dionysius ex Monacho, cujus genus ignoratur, VI. Kal. Januar. martyrio coronatur, sepultusque est via Appia in cœmeterio Calixti.

XXVII. Valerianus & Gallienus.

Anno Domini CCLVIIII. Licinius Valerianus, cognomento Colobius, ab exercitu Imperator creatus cum filio suo, Gallieno, regnare cœpit, regnavitque cum eo annis VI. Gallienus vero postea solus annis IX, qui faciunt annos XV. Legitur in Chronicis Martini, quod ab his duobus quidam Decius in Cæsarem creatus est, sed non fuit Imperator, qui est dictus Decius junior, & ab hoc Sanctus Sixtus & Laurentius martyrizati sunt. Vide de hoc in Novo Passionali. Hic Valerianus nobilis quidem erat genere, stolidus tamen & iners multum, nec ad aliquem usum publico consilio seu gestis accommodatus. Gallienus autem primum feliciter regnavit, postea vero luxuriose vivens, imperium fere annihilavit. Mox itaque ut regnare cœpit, Valerianus, qui benignus & humanus erga famulos Dei, libro VII. Ecclesiasticæ Historiæ legitur fuisse depravatus, & a veritate dejectus est per quendam Doctorem pessimum, magistrum & principem Ægyptiorum Magorum, & persecutionem octavam a Nerone in Christianos exercuit.

Postea in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum Rege captus, luminibusque privatus, miserabili servitute ibi consenuit. Nam quamdiu vixit Rex ejusdem provinciæ, pedem cervicibus ejus imponendo, solitus erat eqvum ascendere. Unde Gallienus tam claro Dei judicio territus, pacem nostris dedit: ob meritum tamen vel propriæ libidinis vel pravæ theomachiæ innumera barbaris assurgentibus, Romani Regni detrimenta sustinuit. Ultimo profectus adversus Aureolum, Ducem suum,

(a) Cætera de Sixto verbotenus apud Martinum Polonum.

qui Mediolani regnare tentavit, comprehendit illum apud pontem, qui ex nomine ejus Aureolus appellatur, & Mediolanum obsedit. Sed cum ibi luxuriose viveret, artificio ejusdem Aureoli a suis interfectus est anno ætatis L.

His temporibus Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, quem nos in Canone appellamus, XVIII. Kal. Octobr. martyrio coronatur. Hic contra dogma Novati hæretici, a quo dicti sunt Novatiani, sicut libro VI. Ecclesiasticæ Historiæ legitur, librum magnificentissime scriptum edidit, in qvo & lapsos ad pœnitentiam cohortandos, & contradicentes alienos esse a Christi visceribus statuit. Item anno XII. imperii Gallieni Dionysius, Episcopus apud Alexandriam, quievit in pace. Hic multa Ecclesiasticæ instructionis monumenta in libris digesta reliquit. Scribit etiam ad Novatum hæreticum his verbis: Dionysius Novato fratri salutem. Si invitus, ut ais, in hoc venisti, in hoc ostendens, ut desinas volens - - - Sed nunc sive tu svadere sive etiam cogere potes redire fratres ad concordiam, majus tibi erit emendationis meritum, quam fuerat culpa commissi, quod illud jam non imputabitur. Hoc etiam laude dignum ducetur. Si vero illi in incredulitate permanserint, salvans salva animam tuam. Vale pacem desiderans, quam tibi apprecor. Item idem scribit in libro tertio de Baptismo: Ego, inquit, loquens de se ipso, tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiamsi videar ad horam verbis eorum pollui. Sed multum michi confert hoc ipsum, quod ex ipsorum verbis arguere eos possum. Denique cum aliquis ex fratribus Compresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione, tanquam veneni alicujus fœtore polluerer, visio mihi quædam a Deo ostenditur, quæ me confirmaret, & sermo ad me factus est, hæc mihi evidenter proloquens: Lege omnia, quæcunque in manus tuas venerint, quia probare singula quæque & discernere potes, quandoquidem & ex initio hæc tibi fuit causa credendi. Amplexus sum visionem, quia Apostolicæ sententiæ concordabat, dicenti: Omnia legite, quæ bona sunt, tenete. Hæc Dionysius. Est etiam de ejusdem monumentis hoc insigne: Revera plus omnibus & amanda & præferenda est veritas. Item: Laudari oportet & amplecti sine invidia, si quid recte dictum est, discuti vero & discerni, siquid minus sane scriptum est. Item: Non continuo, siquid semel animo visum fuerit, omni studio & contentione servandum est, sed esse rectius, tunc mutare sententiam, cum eam melior & rectior superaverit. Hæc omnia in Ecclesiastica Historia, quæ tanquam digna memoria huic operi inserere curavi.

Regnante Claudio Maria Ægyptiaca, cujus natalis est V. Idus Aprilis, eremum intravit, in qua XVII. annis vitam amarissimam duxit.

Claudius II.

Anno Domini CCLXXIIII. Claudius a militibus electus, a Senatu Augustus appellatus, regnare cœpit, regnavitque anno uno, mensibus octo. Hic fuit vir parcus & modestus & justi tenax, ac reipublicæ idoneus. Hic, interfecto a suis, Aureolo, recipiens legiones, Gothos, per XV. annos Illyricum Macedoniamque vastantes, ingenti prælio vicit. Deinde adversus triginta millia Alamanorum haud procul a lacu Benato dimicans, tantam eorum multitudinem fudit, ut vix dimidia pars remaneret. Qui cum intra biennium morbo interirent, tanto eum Senatus honore decoravit, ut Divus appellaretur, & in curia clypeus aureus, in Capitolio vero aurea statua ei poneretur.

Cujus frater Quintilianus, vir unicæ moderationis & civilitatis, solusque fratri præferendus, a militibus electus, & ex consensu Senatus Augustus appellatus, XVII. Imperii die Aquilejæ occisus est.

XXIX. Aurelianus.

Anno Domini CCLXXVI. Aurelianus, patre mediocri de Dacia Ripensi oriundus, regnare cœpit, regnavitque annis V. mensibus VI. Hic disciplinæ militaris & morum dissolutorum magnus erat ex parte corrector. Hic in bello potens, Gothos strenuissime vicit, & Romanum Imperium triennio ab invasionibus receptavit. Hic primus apud Romanos diadema capiti suo imposuit, & vestes auro gemmisque contextas in usu habuit, quod antea Romanis moribus incognitum fuit, porcinæque carnis usum populo instituit. Hic civitatem Galliæ, quæ Genebum dicebatur, nomine suo Aurelianam vocavit. Hic cum persecutionem nonam post Neronem in Christianos movisset, fulmen ante illum, magno circumstantium pavore ruit, ac non multo post inter Constantinopolim & Heracleam, servi sui fraude occisus est.

Legitur libro VI. Ecclesiasticæ Historiæ, quod Aurelianus primo clemens fuit Christianis, processu vero temporis immutare propositi sui bonum cœpit, & malis consiliis depravatus persecutionem erga Dei ecclesias meditari, eo usque, ut dicatur, quod dictatis jam literis & scriptis, cum superesset sola subscriptio, divina dextera superveniens superscriptionem nefandæ dextræ deturbaverit. Morte enim subita condemnatur, qui de piorum morte censebat, ut ostenderet Deus, quod non, cum voluerit tyrannis, cruciamur, sed cum probaverit ipse, corripimur. Hæc in Ecclesiastica Historia.

Hujus temporibus, Paulus Antiochiæ Episcopus, qui Filium Dei descendisse de cœlo negabat, sed a Maria, & materiam habuisse de terra, a pluribus Episcopis apud Antiochiam Concilio congregato, hæreticus esse convincitur. Hic Paulus verbum faciens ad plebem, jactare supra modum dexteram, ac palmas femori illidere, pede quoque subsaltare, ac scabellum ferire cum sonitu solebat, ab auditoribus vero non favorem neque plausum sperare solum, sed theatrali more orari ac moveri sibi exspectabat, & voces tanquam de caveis dari. Hæc non solum

lum a viris, verum etiam a fœminis indecenter exſpectabantur. Sed & auditoribus ſuis congregandi divitias facultatem dedit, quo ipſi in ſimilibus obnoxii magiſtro nequaquam crimen impingerent. His & pluribus aliis, ut libro VII. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ legitur, neceſſarium erat, patrem erroris deſignare, ut ſciatur, quomodo habendus vel quomodo exſecrandus ſit.

XXX. Tacitus.

Anno Domini CCLXXI. Tacitus regnare cœpit, regnavitque menſibus VI. Hic fuit vir egregius, & ad regendam Rempublicam idoneus, ſed nihil potuit oſtendere, quod poſt VI. menſes apud Pontum occiſus eſt. Huic Florianus ſucceſſit, ſed nec hic dignum aliquod memoria egit, quia duobus tantum menſibus, & X. diebus in Imperio vixit. Nam dum magna pars exercitus eligeret equitum Probum, militiæ peritum, Florus, quoniam per ludum tenuit Imperium diebus XL. deinde ſibimet venas incidens, ſangvine interiit effuſo.

XXV. Felix I. ſedit annis V.

Felix, natione Romanus, conſtituit, ut nullus etiam majoris probitatis & ſcientiæ præponat ſe prius ordinato. Hic, ut quidam ſcribunt, ſub Claudio III. Kal. Jun. martyrio coronatur, & in baſilica, quam fecerat, via Aurelia, ſecundo milliari ab Urbe ſepultus eſt.

Hujus temporibus Manes quidam extitit, genere Perſes, vita & moribus barbarus, tam acer ingenio, ut inſanire vel dæmone repleri videretur. Hic duas naturas & ſubſtantias introduxit, id eſt bonam & malam, & animas ex Deo quaſi ex aliquo fonte manare aſſeruit. Hic in tantum elatus fuit inſania, ut ad ſimilitudinem Chriſti duodecim diſcipulos eligens, eos mitteret ad prædicandum. Ab illo hæreſis Manichæorum cœpit. Hi Teſtamentum vetus reſpuunt, Novum ex parte recipiunt.

XXVI. Eutychianus ſedit menſibus X.

Eutychianus, natione Tuſcus, Pontifex fuit piiſſimus, quoniam multos martyres per diverſas partes manu propria ſepelivit. Hic VI. Idus Decembris martyrio coronatur, & in cœmeterio Calixti via Appia eſt ſepultus.

XXXI. Probus.

Anno Domini CCLXXXII. Probus, patre genitus ruſtico, hortorum cultore ſtudioſiſſimo, nomine Dalmatico, Imperium adeptus, regnare cœpit, regnavitque annis VI. menſibus IV. Hic fuit vir acer, ſtrenuus & juſtus, multa gerens bella. Interfectus autem eſt apud Smyrnium militari tumultu.

XXVII. Cajus ſedit annis XV.

Cajus, natione de Dalmatia, ex genere Diocletiani Imperatoris, X. Kal. Maj. martyrio coronatur, & in cœmeterio Calixti via Appia eſt ſepultus.

XXXII. Carus.

Anno Domini CCLXXXVIII. Carus Narbone in Gallia natus, Imperator factus, moxque filios ſuos, Carinum & Numerianum, Cæſares faciens, regnare cœpit, regnavitque cum his annis duobus. Hic Carus, nunciato ſibi Perſarum tumultu, profectus in orientem, cum apud Antiochiam maneret, Numerianus filius ejus Eccleſiam voluit intrare, & Chriſtianorum myſteria explorare. Quem cum Sanctus Cyrillus Epiſcopus prohiberet, dicens, illi non licere Divina Myſteria videre, qui pollutus eſſet ſacrificiis idolorum, indignatus, occidit eum. Carus autem cum Perſas fortiter in bello ſterneret, & notiſſimas urbes eorum caperet, ſuper Tigridem fluvium caſtra ponens, ictu fulminis interiit. Numerianus vero filius ejus, cum dolore oculorum captus, in lectica veheretur, inſidiis Apri, ſoceri ſui, occiſus eſt. Cumque mors ejus occultaretur, donec Aper regnum ejus poſſet invadere, fœtore corporis ſcelus proditum eſt. Interea Carinus in Italia relictus, Sabinum Julianum invadentem Italiam, in campis Veronenſibus, occidit. Seipſum vero ſceleribus inquinavit, multos falſis criminibus occidit, Nobilium matronas corrumpens, omnibusque inviſus, non multo poſt trucidatur cujusdam Tribuni manibus, cujus uxorem dicitur polluiſſe.

XXVIII. Marcellinus ſedit annis IIII.

Marcellinus, natione Romanus, conſtituit, ut quotiescunque Evangelia ſancta recitarentur, Sacerdotes non ſedeant, ſed curvi ſtent. Hic etiam conſtituit, transmarinum hominem in Clericatu non ſuſcipi, niſi quinque Epiſcoporum deſignaretur chirographis. Juſſu Diocletiani decollatur VI. Kal. Maj. ſepultusque eſt via Salaria in cœmeterio Priſcillæ. (*a*)

XXIX. Marcellus ſedit ann I. menſ. VIII.

Marcellus, natione Romanus, conſtituit XV. Cardinales in Urbe Romana propter baptiſmum & ſepulturam hominum. Hic etiam conſtituit, ut nullus Clericus trahatur ad judicium ſeculare absque permiſſione Epiſcopi. Item pueri in clauſtris cum pervenerint ad annum XV. ſi nolint manere in clauſtro, licite poſſent redire ad hæreditatem paternam. Hic patitur XVII. Kal. Febr. & ſepultus eſt in Cœmeterio Priſcillæ.

XXXIII. Diocletianus & Maximianus.

Anno Domini CCXC. Diocletianus, vir obſcuriſſime natus de Dalmatia, Imperator ab exercitu creatus, regnare cœpit, regnavitque annis XX. Hunc quidam dicunt fuiſſe filium cujusdam Dalmatæ ſcribæ, alii vero libertinum Æmilii Senatoris. Fuit autem natus de civitate & matre Dioclctia. Unde & ipſe quousque Imperium ſumeret, Diocles appellatus eſt, aut ubi ſumſit Imperium, a Dioclete dictus eſt Diocletianus. Erat autem callidus, & ſagax & ſubtilis ingenii.

Hujus tempore per omnes Romanos terminos turbatio facta eſt. Ob hoc Diocletianus

(*a*) Cætera apud utrumque Martinum.

Maximianum Herculium primo Cæsarem, ac deinde Imperatorem fecit, Constantium vero & Galerium Maximianum Cæsares constituit. Horum primus, scilicet Maximianus Herculius de Pannonia natus erat, genere rusticano, ferus & crudelis, asperitatem etiam vultus horrore significans, luxuriosus, in consiliis stultus. Genuit vero de Eutropia, Syra muliere Maxentium & Faustam, conjugem Constantini, cujus patri Constantio dedit privignam suam Theodoram, ex qua ille accepit sex liberos, fratres Constantini, qui postea factus est Imperator, quem ex concubina Helena generavit in Gallia. Hunc Maximianum Diocletianus in Gallias contra populos rusticorum, qui manu gravi collecta, Romano se opposuerunt Imperio misit, quos idem compescuit. Secundus vero Constantius Claudii nepos fuit ex filia. Hic in Gallia juxta Lingonas una die & adversam & prosperam habuit fortunam. Nam cum repente barbaris revertentibus, intra civitatem claudi cogeretur, vix quinque horis mediis adveniente exercitu, fere XLM. Alamannorum interfecit. Tertius autem, scilicet Galerius Maximianus in Dacia Ripensi natus est ex parentibus agri cultoribus, fuitque pastor armenti. Unde & Armentarius appellatus est. Sed satis laudabilis fuit, pulcer corpore, magnus & fortis bellator. Hic contra Narsæum, Regem Persarum, dimicans, primum victus est, fugiensque venit ad Diocletianum in Mesopotamiam, a quo male tractatus, ita ut faceret eum aliquamdiu ante currum suum currere. Unde ille collectis iterum militibus rediit, magnamque victoriam acquisivit. Diocletianus autem obsessum Alexandriæ quendam, nomine Achilleum, octavo fere mense superavit & occidit. Erat autem cum ipso Constantinus, filius Constantii, qui, cum adhuc juvenis esset, fortiter agebat in præliis, & condescendebat semper Christianis. Quem videns Diocletianus, intellectu animi ac robore corporis proficere, & deprehendens, hunc futurum tyrannidis suæ destructorem, invidia motus, dolo eum perimere cogitavit. Deus autem hunc inopinato salvavit, & patri restituit.

Nono decimo igitur regni sui anno Diocletianus in oriente, Maximianus Herculius in occidente persecutionem decimam post Neronem in Christianos exercuerunt. Quæ cæteris severior per X. annos Ecclesiam afflixit incessanter, quamvis & antea semper Christianos persequerentur: sed tunc tam crudelis, & tam sæva tamque crebra persecutio flagrabat, ut intra unum mensem XVIIM. Martyrum pro Christo inveniebantur. Passi sunt tunc Mauritius, Sebastianus, Agnes, Lucia, Blasius, Vitus & Modestus, Cosmas & Damianus, Anastasia, in civitate Augusta Beatissima Afra, & plures alii infiniti. Sub hac persecutione agitata crudelitas omnem superat narrationem. Legitur enim libro octavo Ecclesiasticæ Historiæ, quod tortores apud Thebaidem pro ungulis testas fictilium vasorum adhibebant, quibus omne corpus eo usque lacerabant, donec totam carnis eraderent cutem. Mulieres quoque nudas, ita ut nec pudenda quidem contegerentur, arte quadam compositis machinis, uno pede in excelsum suspensas, & capite in terram demersas, indignissimo spectaculo expositas, pendere per diem continuum sinebant. Alias, sicubi vicinæ duæ arbores erant, vi quadam ab utraque inflexis contra se invicem ramis eisque singulis singulos pedes martyrum obligantes, subito ramos, quos vi inflexerant, relaxabant. Qui cum ad situm suum naturali impetu ferrentur, discerptis visceribus avulsa secum membra rapiebant, & hoc non paucis aliquot diebus, a parvo tempore, sed per annos aliquot, quandoque minimum decem, interdum centum in una die viri & mulieres, sed & parvuli supradictis pœnarum generibus trucidabantur. Secundo autem persecutionis anno Diocletianus videns, propter senectutem se minus idoneum ad regendum Imperium, dixit ad Maximianum Herculium, videri sibi bonum, ut junioribus & fortioribus publicam causam regendam committeret, ipseque in otio quiete viveret. Quod licet ille non ex tota voluntate faceret, tamen consensit, & in una die purpuram regnique potentiam deposuerunt, Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum, persecutio tamen mansit usque in septimum annum Constantini Helenæ filii.

Floruit his temporibus Antonius, Alexandriæ Episcopus, qui Canones Evangeliorum primus excogitavit, quem Eusebius Cæsariensis secutus, ipsos Canones plenius composuit.

Anno Domini CCCX, cum Diocletianus & Maximianus jam a regno discessissent, administrationem Reipublicæ Constantius & Galerius, superius Cæsares appellati, (susceperunt, &) Augusti creati sunt, divisusque est inter eos ita Romanus Orbis, ut Constantius Galliam & Africam & Italiam, Galerius Illyricum, Asiam & Orientem obtineret. Sed Constantius Augusti dignitate contentus, administrationem Italiæ & Africæ recusavit, Galliam tantum obtinuit, vir egregius & mansvetus, & præstantissimæ civilitatis, non modo amabilis, sed & venerabilis, Gallis præcipue, eoque Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani sangvinariam temeritatem ejus Imperio evaserunt. Galerius autem vir egregius in re militari, videns, Italiam quoque suæ administrationi accessisse, sinente socero suo Constantio, Cæsares duos creavit, Maximinum, quem orienti præfecit, qui & ipse persecutor Christianorum fuit, & Severum, cui Italiam dedit. Ipse vero in Illyrico moratus est, qui, dum in Christianos per decem annos persecutionem crudeliter exerceret, tandem a Domino castigatus, dissolutis introrsus visceribus, vermes superius eructabat, & desperatus eodem dolore vitam finiit. Constantius vero Constantinum, filium suum, Cæsarem fecit, eique Galliam commisit. Ipse autem Constantius tertio anno persecutionis, qui est Imperii sui XVI, Eburaci in Britannia obiit. Quo mortuo, Galerius, Licinium Cæsarem fecit, natum de Dacia, notum

tum

notum sibi antiqua consvetudine ex bello, quod adversus Narsæum Regem gesserat. Erat enim strenuus laboribus & officiis acceptus. Interea Romæ Prætoriani excitato tumultu Maxentium, Herculii Maximiani filium, nuncupaverunt Augustum. Quo audito, pater ejus Maximianus Herculius, arrectus in spem resumendi Principatus, quem svasu Diocletiani invitus amiserat, Romam advolavit, Diocletianum quoque per literas adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem, quas ille irritas habuit & sprevit. Galerius autem Severum cum exercitu contra Maxentium misit. Qui veniens Romam, obsedit eam, sed militum suorum scelere desertus Ravennam fugit & in itinere ab Herculio occisus est. Post hoc Herculius Maximianus in contentione exercituum filium suum Maxentium Imperio nudare conatus, sed a militibus conviciis injuriatus ad Gallias tetendit, dolo composito, quod a filio expulsus esset, & genero Constantino jungeretur, moliens, & ipsum, si posset, recepta occasione interficere, regnumque ejus invadere, qui in Galliis & militum & comprovincialium ingenti jam favore regnabat. Detectis autem insidiis ejus a Fausta, quæ dolum ejus viro nunciavit, inde profugit, sed a Constantino insequente captus, fractis laqueo cervicibus, perfidiæ suæ pœnas dedit anno vitæ suæ LX.

Hujus igitur Maximiani filius Maxentius, sub quo passa est Sancta Catharina, primo vel immutandi se plebis gratia, fidei nostræ venerationem simulabat, & sicut legitur in libro IIX. Ecclesiasticæ Historiæ ob hoc persecutores Christiani, (nominis) omnesque injurias a Christianis arceri jussit, sed nihil in reliquis actibus suis, nihil in vita vel moribus, quod Christianis proximum videretur, ostendit. Denique quadam die imperat militibus suis exire per plateas totius Urbis Romæ, & omnes, qui occurrissent, cujuscunque ætatis vel sexus gladiis cæderent. Unde innumeræ multitudines populi Romani, non hostium, sed civium telis dejectæ sunt. Senatores vero, & ii maxime, qui honoribus, vel operibus clariores in curia videbantur, confictis criminibus tanquam rei puniti proscriptique sunt. Addit vero etiam hoc fastigium sceleribus suis, ut artis magicæ industriam summis studiis excoleret. Ad quæ mysteria explenda perquirebantur mulieres gravidæ nobiles, & adhibitæ funestis sacris, mediæ scindebantur. Rapiebantur & parvuli infantes, eorumque exta visceribus revulsa perscrutabantur. Jugulabantur & leones, & nefandis quibusdam commentis ac precationibus dæmoniaca arte compositis per hæc bella dicebantur arceri, & credebantur jus fasque regni per nefas posse salvari. Hæc in Ecclesiastica Historia. De fine vitæ ejus postea dicetur.

XXX. Eusebius sedit mensibus VIII.

Eusebius, natione Græcus, instituit Festum inventionis S. Crucis VI. Non. Maji celebrari, sicut innuitur in Decreto de Conse. Di. III. Crucis.

XXXI. Melchiades sedit annis IIII.

Melchiades, natione Afer, constituit, ut nullo modo die Dominico jejunium celebretur. Similiter & die Jovis, id est feria quinta inhibuit jejunare, quoniam Pagani antiquitus in tali die jejunabant, quod duravit per annos CCCCXVI. usque ad Gregorium II. qui cœpit præsidere anno Domini DCCXVI. qui feriam quintam cæteris diebus fecit æqualem. Hic discessit IIII. Idus Januarii.

XXXII. Sylvester sedit annis XXII. mens. X.

Sylvester, natione Romanus, ex patre Rufino, constituit, ut nullus laicus Clerico crimen audeat inferre, & constituit, ut diaconi dalmaticis uterentur. Hic etiam constituit, ut corporale sit lineum album & mundum, sicut Joseph Christum in sindone munda involvit. Item constituit Ecclesiarum dedicationes, & ut calix chrismate inungatur. Item Kyrie eleison, Christe eleison de Græco sumtum cantari in missa constituit. Hic, sicut in quadam ejus antiqua legenda legitur, primus scripsit, Clericos habere ferias, dicens: illud Psalmographi observari oportet: Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus; & illud Apostoli: Nemo militans Deo, implicet se secularibus negotiis. Ex eo contigit, ut ibidem legitur, ut nomen Dei in feriam mutaretur, & ut hoc nomen feria apud Grammaticum singularem numerum acciperet, quem ante non habebat, sicut Kalendæ vel thermæ. Nam sola nostra Religio Christiana consvevit feriam secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam vocare, Sabbathum vero ex Veteri Testamento, & Dominicum diem de novo assumens. Est autem feria, ut dicit Hugwitio, cessatio ab opere servili. Unde & feria festivus dies dicitur, in quo cessare debemus ab operibus servilibus, & in quo sola res divina dicitur geri. Hic Constantinum baptisavit. Helenam cum Judæis disputando superavit, de quo vide pulchra in Novo Passionali. Hic II. Kal. Januar. primus absque martyrio quievit.

XXXIII. Marcus, sed. mens. VIII. vel secundum alios, annis II. mens. IX. diebus XXV.

Marcus, natione Romanus, constituit, ut Episcopus Hostiensis, qui Papam consecrat, pallio uteretur, & ut Symbolum in Missa alta voce cantaretur. Hic requievit Non. Octobris, sepultusque est apud S. Petrum Apostolum.

XXXIIII. Constantinus Magnus.

Anno Domini CCCXI. Constantinus ex obscuriori matrimonio, scilicet ex Helena concubina Constantii filius, in Britannia Imperator creatus, regnare cœpit, regnavitque annis XXX. mensibus X. Hic sororem suam Constantiam Licinio Mediolanum vocato conjunxit, filiumque suum nomine Crispum, ex Minerva concubina, eisdem diebus a Relacensi opido

opido vocatum, & Licinianum, Licinii filium, mensium fere triginta Cæsares fecit.

Interea Galerius Maximianus, cum persecutionem a Diocletiano & Maximiano immissam, ipse atrocioribus edictis cumularet, divina tactus vindicta, putrefacto interius jecore, & vitalibus dissolutis, cum ultra humanæ horrorem miseriæ etiam vermes eructaret, & medici jam fœtorem non ferentes, crebro jussu ejus occiderentur, a quodam medico, ex desperatione constantiam assumente, increpatus est dicente, pœnam ejus a Deo esse, & ideo sanari non posse, moxque late missis edictis Christianos de exilio revocavit. Ipse tamen, cruciatus non sustinens, vitæ finem fecit.

Inter hæc Respublica a novis quatuor Imperatoribus tenebatur, Constantino, Maxentio, filiis Augustorum, Licinio & Maximino, hominibus novis. Quinto tamen Imperii sui anno, Constantinus religiosus Imperator bellum civile Maxentio intulit, propter magicas tamen artes, quas ille multum dilexerat, metuebat eum. Cumque congredi cum eo multum hæsitaret, & de cœlo, licet adhuc Paganus, auxilium quæreret, vidit per soporem ad orientis partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare, & tanto visu exterrito sibi astare angelos, dicentes: Constantine, in hoc vinces. Fertur autem & ipse Christus sibi apparuisse, & signum crucis sibi monstrasse, & ut simile faceret, præcepisse. Quod & fecit, habens eam in vexillis depictam. Igitur Constantinus Romam veniens, contra Maxentium castra posuit, non procul a ponte Malino. Maxentius autem jusserat, navibus ad decipulam compositis, fluvium sterni, & superpositis pontibus exæquari, & prorumpens portis Urbis Romæ ipse Maxentius equester, Constantino prior occurrit armatus, jubens, ut cæteri sequerentur, suique oblitus operis, pontem cum paucis conscendit, & decipula, qua Constantinum decipere voluit, est deceptus, & in profundum fluvii demersus. Erat autem Constantini annus septimus. Interea cives Romani civitatem coronant, & cum gaudio Constantinum vivificamque crucem suscipiunt.

Inter hæc Maximinus, Christianorum & ipse persecutor sævissimus, in oriente adversus Licinium res novas molitus, cum & adversus eum duceret exercitus, repente divino judicio doloribus viscerum internorum correptus, vehementer exagitari cœpit. Deinde homo, antea vorax, semperque vino repletus, nunc summis quidem labris cibum degustare, aut vinum potuit odorare, sicque carnibus suis inedia & ariditate consumtis, ad hoc solum profecit infelix, ut justam Dei vindictam in se profiteretur. Ad ultimum tamen morbi, prius luminibus amissis, vivendi finem fecit. Valens quoque in oriente ab exercitu Imperator appellatus, a Licinio occisus est. Alexander etiam quidam apud Carthaginem Imperator effectus, ab exercitu Constantini jugulatur.

Sic itaque omnis potestas Imperii ad Constantinum & Licinium pervenit. Qui Licinius cum primum se probum & devotum erga Christianos ostenderet, postea videns profectum Imperatoris Constantini, ductus invidia, occultis insidiis, maxime per familiares & ministros Principem decipere molitus est. Sed cum id parum procederet, apertum illi bellum indicit, Christianos vero privato & speciali odio persequi parat, hoc in querelam denotans, quod non ita pro se, sicut pro Constantino excubarent orationibus. Cujus flagitiis Constantinus obviam ire parat, devictoque Licinio atque comprehenso, & apud Thessalonicam capite truncato, solus cum filiis suis Imperii monarchiam obtinuit anno regni sui XIIII. Unde per insolentiam & ipse, ut ajunt, mutatus crudelior effectus, primum sororis suæ filium, egregiæ indolis juvenem interfecit. Mox Crispum filium suum ex Minerva, suggerente, ut dicunt, Fausta conjuge sua, necari jussit. Deinde ipsam Faustam in balneas ardentes conjectam interfecit. Cum eum dolore nimio mater Helena pro nece nepotis increparet, postea innumeros interfecit amicos, & cum in multis flagitiis grassaretur, cum tamen in eo multæ virtutes animi haberentur, divinitus lepra percussus, per Sanctum Sylvestrum Papam una cum matre aliisque multis ad fidem conversus est & baptizatus, mox omne studium ad Ecclesiæ transtulit profectum, legesque statuens Christianas, fecit basilicas multas. Fecit & urbem Constantinopolin nominis sui, quæ prius Byzantium dicebatur, quam sedem Romani Imperii & caput totius orientis esse voluit. Romam vero Sylvestro Papæ, suisque successoribus reliquit, quibus & ornamenta sua regalia dedit, omnesque regiones circumjacentes ad usum Papæ & Cardinalium perpetuo assignavit. Hic etiam præcepit, ut omnibus Ecclesiis de universis rebus decimæ solverentur.

Hujus mater Helena religiosissima, divinis admonita visionibus, Hierosolymam petiit & locum, ubi Christus est (passus) requisivit, qui idcirco difficilis ad inveniendum erat, quia ab antiquis persecutoribus simulacrum Veneris in eo fuerat fixum, ut, siquis Christum adorare vellet, illo Venerem adorare videretur. Ob hoc & locus iste non freqventabatur, peneque in oblivione fuerat, sed veniens Helena cœlitus designatum locum invenit, purgatisque in altum ruderibus, crucem sanctam reperit sub Episcopo ejusdem urbis Macario.

Hujus religiosi Principis tempore Arius, Alexandriæ Presbyter Ecclesiæ, a veritate fidei Catholicæ devians, execrabile dogma constituit. Sed mox ab Alexandro, ejusdem urbis Episcopo, ex urbe compulsus est. Hic Arius homousion, id est ejusdem cum Patre substantiæ Christum negans, & coæternum Patri Filium non agnoscens, diversas substantias in Trinitate asseruit, contra illud, quod ait Dominus: Ego & Pater unum sumus. Cumque Arius homines, quos in errorem duxerat, etiam in seditionem excitaret, Constantinus ex sententia Sacerdotum apud Niceam urbem Bithyniæ Concilium convocat, ibique in conventu

ventu trecentorum decem & octo Episcoporum sub intripertita hostia sub Julio Papa Sylvestro Papa Arianum dogma exitiabile palam est damnatum, idemque Arius in exilium missus. Sed in eo Concilio admirabile factum Principis Constantini, sicut libro X. Ecclesiasticæ Historiæ legitur, non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis Episcopi convenissent, &, ut fieri solet, diversis ex causis inter se quædam jurgia detulissent, interpellabatur frequenter a singulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hæc, quam ad id, pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns, quod hujusmodi jurgia causa summi negotii frustraretur, diem certam statuit, qua unusquisque Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Et cum resedisset, suscepit a singulis libellos, quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, etiam de nobis judicandi, & ideo nos a vobis recte judicamur: vos autem non potestis ab hominibus judicari; propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium, & vestra jurgia quæcunque ad illud divinum reserventur examen. Vos a Deo nobis dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in congregatione Deorum, in medio autem Deus discernit. Et ideo his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distingvite. Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos jussit exuri, ne innotesceret ulli hominum simultatio Sacerdotum. Ita Patrum virtus est, vitia (non) publicare, ne maledictionem incurreret, qui patris verenda non texit. Ideoque Constantinus alibi legitur dixisse: Vere, si vidissem Sacerdotem, aut aliquem ipsorum, qui monachico habitu sunt amicti, peccantem, chlamidem meam explicarem & operiendum, ne ab aliquo possit videri. Postquam vero mater Imperatoris Helena ab hac luce discessit, Constantia Licinii derelicta fratris Augusti solatiis utebatur. Huic in notitiam venit Presbyter quidam partibus Arii favens, qui primo nichil horum apud eum egit, sed ubi multam familiaritatis copiam dedit, paulatim cœpit Arium ei commendare, donec animum Constantiæ suum fecit. Quæ cum moritura visitaretur a fratre, extremam poposcit ab eo gratiam, ut eundem Presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ sibi pro salute sua ab eo suggererentur, audiret, seq; jam ex luce descendentem nihil curare, pro fratris vero statu esse sollicitam, ne forte per innocentum pœnas regni pateretur excidium. Cujus verbis frater credulus, aurem Presbytero accommodat, ejusque svasu Arium de exilio jubet revocari, ut quid de fide sentiret, exponeret. Qui cum de fide scriberet, quæ non quidem sensum nostrum, tamen verba nostra continere professionemque viderentur, miratus Imperator, rursus eum ad Concilii examen remisit, rogans, ut, si fides ejus probaretur, clementi erga eum uterentur judicio, si tamen Episcopi ejus Alexandri assensus accommodaretur. Cumquè Alexandriam Arius venisset, omne ejus inceptum frustratum est, quomodo quidem dolis apud ignorantes locus est, scientibus vero dolum intendere, non aliud est, quam risum movere.

Interea dum hæc Alexandriæ agerentur, Constantinus, republica bene ordinata, cum tres filios suos, Constantinum, Constantem ac Constantium, & filium fratris sui Dalmatium, Cæsares fecisset, ægritudine captus est. Et cum filius ejus Constantius, cui Regnum orientis decreverat, præsens non esset, fecit ei testamentum, sicut dicitur, quod vocato ad se clam Presbytero a sorore commendato dedit, præcipiens ei, ut nulli hoc, nisi Constantio daret. Quod cum ille post mortem Imperatoris faceret, etiam apud Constantium maximam familiaritatem obtinuit. Obiit autem Constantinus in suburbana villa Nicomediæ XXXI. sui Imperii anno, (Hæc in Ecclesiastica Historia) sepultusque est in Byzantia in Ecclesia Apostolorum. (*a*)

His temporibus floruit Antonius, primus eremi habitator. Item Nicolaus, Mireæ civitatis Episcopus. Item Eusebius Cæsariensis, qui novem libros Ecclesiasticæ Historiæ conscripsit, quos Rufinus de Græco in Latinum transtulit, & addidit librum decimum & undecimum. Item in monte Gargano Sanctus Michael templum suum manifestavit. Item Heberarum gens per quandam mulierem captam ab eis ad fidem Christi est conversa. Item in India interiori per duos pueros Christianos Christus est annunciatus. Item paulo ante mortem Constantini cometes apparuit.

XXXIIII. Julius sedit annis XII.

Julius, natione Romanus, constituit, ut nullus clericus, causam quamlibet ageret, ageret nisi in Ecclesia, & notitia fidei per Notarios colligeretur. Hic etiam constituit, ut cautiones, vel instrumenta, aut donationes vel commutationes aut traditiones, aut testamenta, aut legationes, aut manumissiones a Clericis in Ecclesia celebrentur. Hic sub Constantio Ariano multas tribulationes & exilia perpessus obiit II. Idus April. sepultusque est in cœmeterio Calopodii, miliario tertio ab Urbe.

His temporibus Eusebius, Nicomediæ Episcopus, partibus Arii favens, edicto Imperiali Constantii Concilium apud Constantinopolin convocat, ubi Alexandro, Alexandriæ Episcopo, certa dies denunciatur, in qua aut Arium suscipiat, aut si reniteretur, ipse Alexander de Ecclesia expulsus, in exilium remitteretur. Tunc, sicut libro X. Ecclesiasticæ Historiæ legitur, Alexander Episcopus noctem, quæ ad institutam intererat diem, sub altari jacens, atque in oratione & lacrymis pervigilem ducens, Ecclesiæ causam Domino commendabat. Cumque lux fuisset orta, neque tamen Alexander ab ora-

(*a*) De basilica Salvatoris constructa, & ligneo Petri altari vide apud Mart. Polonum.

tione cessaret, die statuta Arius Episcoporum & populorum frequentia constipatus, ad Ecclesiam veniens, humanæ necessitatis causa a publico loco declinat, ubi cum sederet, intestina ejus atque omnia viscera in secessus cuniculum defluxere. Ita tali in loco dignam mortem blasphemiæ & fœtidæ mentis exsolvit. Hæc in Ecclesiastica Historia. Hujus Alexandri natalis est in die S. Augustini.

XXXV. Liberius sedit annis XVI.

Liberius, natione Romanus, ab hæreticis ob fidem in exilium mittitur, pro quo Diaconus ejus Felix in sacerdotium substituitur. Qui cum Constantium devinceret, esse hæreticum, ab eo post annum dejectus est, &, ut quidam dicunt, capite truncatus est Kal. IIII. Augusti. Liberius vero exilii tædio victus, hæresi subscripsit, Romamque quasi victor intravit, & facta est persecutio maxima in Clero, ita ut Presbyteri & Clerici Liberio contrarii necarentur.

Floruit his temporibus S. Florinus, Pictaviensis Episcopus, qui non vocatus venit ad Concilium Leonis Papæ, qui Liberius fuisse putatur, de quo vide in Novo Passionali in Legenda S. Hilarii.

XXXVI. Felix sedit anno I.

Felix, natione Romanus, Catholicus fuit, & Liberium habuit Antipapam, fuitque tunc primum schisma in Ecclesia Romana. Post hujus mortem Liberius sedit in Papatu usque ad tempora Damasii Papæ.

XXXV. Constantius regnavit annis XXIII.

Anno Domini CCCXLI. mundi vero 4303. Constantius, filius Constantini, cum fratribus suis Constantino & Constante, regnare cœpit, regnavitque annis XXIII. Fuit autem inter successores Constantini Dalmatius, filius fratris sui Dalmatii, quem ipse Constantinus in consortium regni adoptavit. Hi singuli singulas partes regendas ab ipso Constantino acceperunt, Constantinus cuncta trans Alpes, Constans Italiam & Illyricum & Africam, Constantius Asiam & Orientem, Dalmatius Thraciam & Achajam. Verum Dalmatius prosperrima indole & patruo haud dissimilis, non multo post a militibus occisus est, Constantio, patrueli suo sinente potius quam jubente. Post hæc inter Constantium & Constantinum & Constantem discordia orta est propter Italiam & Africam. Constantinus itaque dum nititur partem fratris sui junioris invadere, bellum movit contra eum. Sed dum inconsultius apud Aquilejam prælium ingressus est, a Constantis militibus est interfectus, & in fluvium, cui nomen est Alsa, non longe ab Aquileja, est projectus. Et sic Romani Imperii principatus occidentalium quidem partium ad Constantem, orientalium vero pervenit ad Constantium. Igitur Constantis Imperium aliquamdiu strenuum fuit & justum, deinde cum pravioribus uteretur actis, intolerabilis provincialibus, & militibus factus est injocundus. Unde cum circa Gallias cupiditate venandi per sylvas & saltus erraret, auctore quodam Magnentio, regni avido, a militibus occisus est, anno ætatis XXX, Imperii XVII. Tribus autem Cæsar fuit, cujus regnum Magnentius invasit, & Decium, consanguineum suum, sive ut quidam volunt, fratrem suum Cæsarem fecit, nomenque suum ei imponens, eum in Antiochiam Syriæ misit, ut ibi habitans, partes illas custodiret; quem tamen postea jussit occidi.

Post hæc Constantius Magnentio bellum intulit, factaque congressione, Magnentius solus fugit Lugdunum, ibique coarctatus, gladium occulte a parte parietis accepit, sicque perfossus interiit. Cujus morte audita, Decius laqueo fascia composito vitam finivit. Eo tempore Romano Imperio Constantius solus Princeps & Augustus præfuit, vir nimium familiaribus credens. Hic ex omnibus uxoribus, quas plures habebat, Eusebiam præcipue diligebat, cujus etiam suasu Julianum, fratrem Galli, Cæsarem faciens, in consortium Regni assumebat.

Post hæc antiquo hoste paci Ecclesiæ invidente, impietas Ariana Constantii fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primo Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est. Constantius vero inter hæc Parthis bellum præparans, cum audisset, Julianum ad Imperium inhiare, inter Ciliciam & Cappadociam febri acerrima, quam indignatio augebat, obiit anno ætatis XLVI. Imperii XXIII.

His temporibus floruit Beatus Maximinus, Trevirorum Episcopus, qui Sanctum Athanasium, Alexandriæ civitatis Episcopum, a facie Constantii Imperatoris recepit, ibique, ut in Chronicis Martini legitur, Symbolum, Quicunque vult salvus esse &c. composuit. Hujus Athanasii anno Domini CCCLXXIIII. mortui natalis est VI. Non. Maji. Item Victorinus Rhetor, & Donatus, Grammaticus Romæ, insignes habentur. Iste Donatus Episcopus libellum composuit, quem pueri legunt in scholis, qui vivus & mortuus miraculis multis coruscans, martyrio coronatus est VII. Id. August. Item anno Domini CCCLX. ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ & Timothei Constantinopolin allata sunt. Item Eunomius, vir corpore & anima leprosus, arte tamen dialectica præpotens, plurima contra fidem nostram scripsit. Ab illo Eunomiani hæretici appellantur. Hi dicunt per omnia dissimilem Filium Patri, quia nullo genere similis possit esse factura factori.

XXXVI. Julianus.

Anno Domini CCCLXIIII. Claudius Julianus regnare cœpit, regnavitque annis duobus & mensibus VIII. Hic Julianus, qui Apostata dicitur, fratrem habuit nomine Gallum. Hi ambo secundum Tripartitam Historiam fuerunt filii Constantii, qui fuerat frater Constantini Magni. Constantius autem Imperator Gallum fecit Cæsarem, sicut superius dictum est, quem tamen postea jussit occidi. Timens vero

vero Julianus, ne idem ſibi faceret, timore mortis primum factus eſt monachus, & latenter quidem exercebatur in Philoſophia, in manifeſto autem ſacros Chriſtianorum legebat libros. Deinde fugiens per diverſas provincias, magos & hariolos, ut ſi Imperator fieri poſſet, requiſivit. Cui cum quodam mago mediante, dæmon apparuiſſet, accepta ab eo Chriſtianæ fidei renunciatione, ipſum futurum Imperatorem prædixit eſſe. Unde ipſe Julianus, tam ſecularibus quam divinis libris eruditus, a fide & vita monaſtica declinavit.

Hic a Conſtantio factus Cæſar, Gallos ſubjecit, & cum Alamannis apud Rhenum fluvium reſidentibus dimicans, potentiſſimum Regem Badomarum cepit. Et hoc elatus factus Julianus contra Conſtantium Auguſtum ſe erexit, eoque mortuo factus eſt Imperator.

Hic Julianus ingentis fuit facundiæ & memoriæ tenaciſſimæ atque ampliſſimæ. Fuit & corpore validus, ſed brevis, barba prolixa, oculis diſcurrentibus & huc illucque dejectis, audax plus quam Imperatorem decet. Hic ad idolorum ſe transferens culturam, blanda perſecutione primum Chriſtianos ſeducere tentavit, honoribus alliciens magis, quam tormentis impellens ad ſacrificandum. Unde multi decepti ſunt. Demum varia edicta contra Chriſtianos ſtatuens, multi ſunt martyrio coronati, inter quos Johannes & Paulus, Conſtantiæ Magni Conſtantini filiæ cubicularii, & multi alii terra marique peremti ſunt.

Hic militiæ cingulum non dari niſi immolantibus jubens, procurationem provinciarum, juriſque dicendi Chriſtianis ſtatuit non debere committi, utpote quibus etiam lex propria uti gladio vetuiſſet. Et proficiebat quotidie in hujuſcemodi legibus exquirendis, quibus ſi quid verſutum vel callidum, tamen quod minus videretur crudele, decerneret. Hic ad decipiendum tantæ ſubtilitatis & calliditatis fuit, ut etiam infelices Judæos vanis ſpebus illectos illuderet. Nam eis templum Jeroſolymis reædificandi licentiam dedit, eo quod eis lex ſua de ſacrificiis imperaret. Qui ex omnibus partibus congregati, quod magno labore conſtruxerant, per terræ motum funditus deſtructo, & locum & opus deſeruerunt.

Hic cum contra Perſas ad bellandum proceſſiſſet, tranſiens per Cæſaream Cappadociæ, multa opprobria Beato Baſilio intulit illius civitatis Epiſcopo & Chriſtianis comminationes futuras inferens, Beatus Baſilius orans, & jejunans cum Chriſtianis, vidit Beatam Virginem præcipientem Mercurio militi dudum ante in quodam Monaſterio ſepulto, ut ſe & Filium ejus de Juliano vindicaret. Quod & factum eſt. Ipſe enim dum in prælio vertitur, telo de cœlo emiſſo penetratur. Qui dum telum de alto contra ſe venire videret, in corde non pœnituit. Solebat enim Chriſtum ſemper Galilæum vel Nazarenum vocare. Fertur autem manum ſuam, ipſe exſpirans, ſangvine impleviſſe, & in aërem ſparſiſſe, & ita dixiſſe: Viciſti Galilæe, viciſti! Interiit autem anno Imperii ſui III. ſeptimo vero, ex quo Cæſar a Conſtantio fuerat ordinatus, vitæ autem XXXI. De hoc Juliano, qualiter ad Regnum pervenerit, habetur etiam in Novo Paſſionali in legenda de S. Juliano. Legitur libro VI. Tripartitæ Hiſtoriæ in fine, quod poſt mortem hujus Juliani ejus magicæ artes in civitate, quæ Carra nuncupata eſt, inventæ ſunt. Per hanc enim iter agens, cum ad bellum Perſicum pergeret, in templum Paganorum ingreſſus eſt, clauſiſque januis ſacrilegia quædam celebravit, & ponens ibi quosdam milites præcepit, ut templum hoc nullus intraret, donec ipſe de bello remearet. Cumque mortuus eſſet, ingredientes in templum invenerunt mulierem capillis appenſam, extenſas manus habentem, cujus uterum aperuerat, ut exitum belli in jecore ejus inſpiceret. Hoc ergo ſcelus in Carris inventum eſt. Verum in Antiochia plurimas arcas in palatio humanis ajunt capitibus plenas fuiſſe compertas, & innumera puteis immerſa corpora mortuorum. In qua urbe cum nunciatus fuiſſet ejus interitus, publicam cuncti habuerunt feſtivitatem, communiter omnes clamantes: Maxime fatue, ubi ſunt vaticinia tua? Vicit te Deus & Chriſtus ejus. Hæc in Tripartita Hiſtoria.

Hujus temporibus Lucifer Caralenſis Epiſcopus extitit. Hic ad Concilium, quod Euſebius, Vercellenſis Epiſcopus, cum Athanaſio Alexandriæ ejusdem civitatis Epiſcopo celebravit, Diaconum ſuum miſit, per quem profeſſus eſt, ratum ſe habiturum, quod eſſet Concilii ordine conſtitutum. Poſtea tamen ea, quæ Synodo placuerant, per contentionem reprobare conabatur. Unde Luciferianorum hæreſis eſt exorta.

XXXVII. Jovianus vel Jobinianus regnavit menſibus VIII.

Anno Domini CCCLXVI. Jovianus, genitus patre Barraniano, qui fuit incola provinciæ Pannoniæ, regnare cœpit, regnavitque menſibus VIII. Hujus pater cum liberos crebro amitteret, per ſomnium ei dictum eſt, ut eum, qui inſtante partu edendus eſſet, Jovianum vocaret. Fuit autem Jovianus inſignis corpore, lætus ingenio, ſtudioſus in literis, fortis viribus, miles illo tempore, quo Julianus legem militibus propoſuerat, ut aut ſacrificarent, aut militia cederent. Qui cingulum magis eligit amittere, quam Imperatoris præceptis obedire, ſed Julianus tunc propter belli neceſſitatem inter milites eum habebat. Qui cum violenter a militibus ad Imperium traheretur, clamabat, ſe nolle Paganis hominibus imperare, cum ipſe Chriſtianus eſſet. Cumque vox omnium communiter proclamaſſet, dicentium, ſe quoque Chriſtianos eſſe, ſuſcepit Imperium. Hic propter pericula Romani exercitus fœdus cum Sapore, Rege Perſarum, Romanis quidem inglorium, ſed tempore inſtanti perutile compoſuit. Ipſe etiam Epiſcopos a Conſtantio in exilium miſſos revocavit, Templa idolorum claudi præcepit, Athanaſium Epiſcopum vocavit, ut eum in fide Catholica imbueret, ſcriptoque rogavit,

qui sub sigillo & consensu omnium Episcoporum Ægypti scripsit, & misit ei fidem Niceni Concilii, id est Credo in unum Deum Patrem &c. Has literas Imperator gratanter suscepit, & fidem Catholicam edictis Imperialibus roboravit.

Denique cum Constantinopolim festinaret, venit ad prælium Dadastam, ubi tempore hiemis languore constrictus, cum in novo cubiculo recubaret, calore prunarum, & nidore parietum nuper calce illitorum suffocatus obiit octavo mense Imperii, anno vitæ XXXIII. decimo die mensis Februarii. Legitur libro VII. Tripartitæ Historiæ, quod, dum quidam Episcopi Joviano Imperatori libellum offerrent, ipse hoc accipiens, Episcopos sine responsione dimisit, hoc tantummodo dicens: Ego contentiones odi, eos autem, qui ad concordiam festinant, diligo pariter & honoro. Quod audientes, qui se ad contentionem præparabant, quieverunt. Hujus temporibus floruit Themistius Philosophus.

XXXVII. Damasus sedit annis XVIII. Ursinus. Schisma secundum.

Damasus, natione Hispanus, Ursinum, Romanæ Ecclesiæ Diaconum Antipapam habuit, qui per generale Concilium Sacerdotum Romanorum dejectus est, & factus est Episcopus Neapolitanus, & duravit hoc schisma quasi per annum. Hic Damasius elegans in versibus componendis ingenium habuit. Hic multa corpora Sanctorum requirens invenit, quorum tumbas versibus decoravit. Hic instituit, ut psalmi diu noctuque canantur in Ecclesia, & ut chori in duas partes divisi, psalmos alternatim canerent. Hic rogatu Beati Jeronymi etiam instituit, ut diceretur in Ecclesia in fine psalmorum Gloria Patri &c. Hic Damasius voce publica damnavit Liberium & omnia facta ejus. Hic falso de fornicatione inculpatus, expurgavit se coram Episcopis XLIIII. Hic plenus virtutibus obiit III. Idus Decembr. sub Theodosio ætatis annos habens LXXX. sepultus via Ardeatina, in basilica sua, juxta matrem suam & germanam. Sub Damasio Papa Hieronymus correxit Psalterium LXX. Interpretum, quod in omnibus Ecclesiis cantabatur. Quo iterum vitiato, iterum novum composuit. Quod Papa Damasus rogatu Hieronymi cantari instituit in Ecclesiis Gallicanis; & propter hoc Gallicanum vocatur; quo & nos utimur, Romanis Psalterio secundum LXX. remanente, unde & Romanum dicitur. Tertium transtulit de Hebraica virtute in Latinum de verbo ad verbum.

Anno Domini CCCLXXV. S. Martinus Turonis ordinatur Episcopus. Anno CCCLXXXIIII. secunda sancta Synodus CL. Episcoporum sub Damaso Papa Constantinopoli celebratur, in qua damnatur Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, qui negabat, Spiritum Sanctum esse Deum. Et assertum est, Spiritum Sanctum esse consubstantialem & coæqualem Patri & Filio. His temporibus floruit Josaphat in India filius Regis, factus eremita, & Barlaam, qui ipsum convertit. Item Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, ordinatur Episcopus, & omnes in Italia ad fidem Christi convertuntur. Item Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus, ambo collegæ & Athenis eruditi.

XXXVIII. Valentinianus I. regnavit annos XI. Valens I. Gratianus.

Anno Domini CCCLXVII. Valentinianus, Pannonius genere de Scibala civitate, regnare cœpit regnavitque annis XI. Hic fuit magnanimus, & non modo fortitudine, sed etiam prudentia, temperantia & justitia, & corporis magnitudine præfulgebat. Hic, ut in tripartita Historia legitur, dum sub Juliano Apostata millenarius esset, & integram fidem haberet, & Julianus quodam die templum Fortunæ ingrederetur, & ministri templi ex utraque parte januarum stantes, aspersione, sicut ipsi dicebant, purgarent ingredientes, Valentinianus præcedens Principem, aspersionis guttam sua vidit in chlamide, hoc indignatus, pugno percussit templi ministrum, dicens, se maculatum potius, quam purgatum. Quod respiciens Imperator, jussit eum in custodiam redigi, & ad eremum destinari. Sed ille, cum pauci transissent menses, pro mercede confessionis recepit Imperium. Non solum enim in illa vita diligentes se Deus honorat, sed aliquando etiam in præsenti bonorum operum retributiones impendit, & præsentibus præmiis illic sperata confirmat.

Hic dum exercitus tentaret, ut aliquem Catholicum consortem Regni faceret, respondit, quod cantatur ab omnibus: Vestrum fuit, o milites, Imperatore non existente, mihi dare regimen Imperii, verum ubi ego hoc suscepi, meum jam, & non vestrum est, de rebus cogitare communibus. Cujus verba mirati milites, ejus secuti sunt voluntatem. Post triginta tamen dies Imperii sui Valentinianus Valentem, fratrem suum, socium fecit Imperii, largiens ei partes orientales, sibi retentans partes occidentales. Cumque jam annum tertium cum fratre ageret, Gratianum, filium suum necdum plene puberem, hortatu socrus & uxoris suæ Serenæ Augustum creavit. Hic Valentinianus cum audisset ab uxore sua nomine Severa, quod virgo quædam nomine Justina sic speciosa esset, ut etiam ipsa, licet mulier ejus, tamen amore sit capta, tractans Justinam ducere uxorem, non tamen Severa abjecta, legem proposuit publice per civitatem, ut omnes, qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent. Qua lege posita, ipse conjunctus est Justinæ, ex qua natus est ei Valentinianus junior, & filiæ tres, Justa, Gratia & Galla, quarum duæ in virginitate permanserunt, Gallam vero postea major Theodosius duxit uxorem.

Anno Valentiniano octavo Didymus Alexandrinus post qvintum necessitatis suæ annum luminibus aqua orbatus, elementorum non ignarus fugit. In brevi enim, Deo docente, in tantam divinarum humanarumque rerum erudi-

eruditionem ac scientiam venit, ut scholæ Ecclesiasticæ doctor existeret. Quem etiam B. Antonius, cum fidei Athanasii testimonium laturus adversus Arianos, de Thebaide Alexandriam descendisset, magnificis consolatus est verbis: Nihil, inquit, te offendit, Didyme, quod carnalibus oculis videris orbatus; desunt enim tibi illi oculi, quos mures, muscæ & lacertæ habent, sed lætare, quod habes oculos, quos angeli habent, & quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur. Hic Valentinianus Ambrosium misit Mediolanum, ut Præses esset ibidem. Eo tempore Auxentius Arianus Mediolanensem tenebat Episcopatum. Quo defuncto, Valentinianus Imperator evocans Episcopos, hujusmodi apud eos verba locutus est: Nostis aperte eruditi divinis eloquiis, qualem oporteat esse Pontificem, & quod non decet eum verbo solum, sed etiam conversatione gubernare subjectos, & totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conversationem bonam habere. Talem itaque in Pontificali sede constituite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincera capita nostra submittamus, & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario veluti curantes, medicamenta suscipiamus. Hæc cum dixisset Imperator, petiit Synodus, ut magis ipse decerneret, sapiens & pius existens. At ille, super vos est, inquit, talis electio: vos enim gratia divina potiti, & illo splendore fulgentes, melius poteritis eligere. Tunc Sacerdotes egressi, de Episcopali sede tractabant. Verum cum inter Arianos & Catholicos de eligendo Episcopo seditio non modica oriretur, Ambrosius, cui tunc Præsidialis cura fuerat commissa, causa sedandæ seditionis ad Ecclesiam festinus accessit, & statim cessante seditione, communem omnes dederunt vocem, petentes, ut Pastor gregis ordinaretur Ambrosius, qui nondum fuerat baptizatus. Igitur Imperator divinum arbitratus hoc decretum, dum in electionem etiam pars contraria consonaret, statim jussit eum baptizari. Et hymnum Salvatori offerens, gratias, inquit, ago tibi Domine omnipotens & Salvator noster, quoniam huic viro equidem commisi corpora, tu autem animas, & meam electionem ostendisti justitiæ convenire.

Hic contra legatos Sauromatarum vehementi furore commotus, eruptione venarum, fluxu sangvinis exspiravit anno Imperii XI, vitæ LIIII. Hæc sparsim in Tripartita Historia.

XXXIX. Valens regnavit annis IIII. Gratianus XIX. Valentinianus XXIX.

Valens igitur, dum vivente fratre suo Valentiniano in Regno orientis, id est Constantinopoli regnasset annis XI, eodem mortuo ipse Valens anno Domini CCCLXXVIII. regnavit ibidem annis quatuor, Gratiano & Valentiniano, fratris filiis, Regnum occidentis, id est Romanum tenentibus Imperium. Hic Valens primum sinceris Apostolicis dogmatibus ornabatur. Postea vero svadente Dominica, uxore sua, quam Eudoxius Constantinopolitanus Episcopus seduxerat, ab eodem Eudoxio, qui Arianus erat, rebaptizatus est. Sic igitur Apostolicam derelinquens doctrinam, vivente adhuc fratre suo Valentiniano, omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare, gentibus scilicet atque Judæis, & omnibus hæreticis. Illis tantummodo inimicus erat, qui Apostolicam doctrinam prædicabant. Post mortem vero fratris impietatem, quam mente conceperat, operibus explebat. Nam Sacerdotes Domini exulabat, Monachos in malitiam cogebat, nolentes militari, interfici jubebat. Inter hæc diabolico instinctu perscrutari cupiens, quis post eum regnaturus esset, nigromantiam fecit. Sed dæmon ejus audacia & crudelitate abusus, non aperta, sed obliqua solite ei responsa dedit, per quæ multos artificiose interemit. Demonstravit enim ei quatuor literas ΘΕΟΔ, id est teod, dicens, hoc nomen post Valentem Imperii culmen accepturum. Unde ille zelo ductus, multos interemit, quos tyrannidem assumere æstimavit. Occidebantur itaque Theodori, Theodoti, Theoduli, & quicunque has literas in capite sui nominis habebant. Hoc ergo timore plurimi sua nomina mutaverunt, negantes cum juramento, quæ prius habuerunt, ut pericula effugerent. Inter cæteros autem occisus est Theodosius, vir fortis, ex Hispania genus ducens, pater Theodosii postea Imperatoris. Hic Theodosius a Valentiniano, fratre Valentis in Africam missus, Firmum qvendam sese in Regnum extollentem ad mortem coëgit, totamque Africam & Mauritaniam Imperio Romano subjecit. Sed cum a Valente per invidiam juberetur occidi, prius in remissionem peccatorum rogabat baptizari. Sicque jugulum ultro præbuit percussori.

Eo tempore Hunni Gothos ab antiquis sedibus expulerunt. Qui in Thraciam divisi, & fame propulsi omnia vastaverunt, exercitum Valentis peremerunt, & ipse Imperator fugiens, in vilissima casa vivus crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Antea quippe petentibus Gothis, ut eis mitteret prædicatores & doctores, qui eos Catholicam fidem instruerent, misit Arianos doctores. Sicque omnis illa gens Ariana facta est. Sub his temporibus librum egregium scripsit Johannes Damascenus Presbyter. Hic ab infantia Græcis literis eruditus, intra XII. annos omnium liberalium artium scientiam apprehendit, & in amore Dei & gloriosæ Matris ejus se exercens, Monachalium habitum assumsit, virgoque permanens, Reginæ Virginis horas quotidie studiosissime decantabat. Item Apollinaris, Laodicensis Episcopus, vir sane in cæteris instructus, sed cum contentione adversum quod quisque dixerat, delectabatur obviare, jactatione ingenii male fortis, hæresin ex contentione generavit. Hic finit Hieronymus Chronicam suam.

Fluxerunt autem ab incarnatione Domini usque

usque ad finem Valentis anni CCCLXXX, ab urbe condita M C XXXI. sub Regibus anni CCXL. sub Consulibus CCCLXIIII. sub Augustis & Cæsaribus CCCC XXVI. ab initio autem mundi secundum Ebraicam veritatem IVM CCC XX, secundum vero septuaginta IVM CCCC LXXIIX.

XL. Gratianus I. regnavit annis VI. Valentinianus II. Theodosius I.

Anno Domini CCC LXXXVI. Gratianus, filius Valentiniani majoris, cum fratre suo Valentiniano juniore regnare cœpit, regnavitque annis VI. Hic Gratianus ob perturbatum Imperii statum Theodosium, genere Hispanum, armis & fide religionis præcipuum, orienti Imperatorem præfecit, cujus filium Arcadium Cæsarem nominavit. Hic Gratianus literis instructus, plenus fuit virtutibus. Pietatem denique, quam mente perceperat, operibus demonstrabat. Scripsit enim legem, præcipiens, ut expulsi Pastores ad sua ovilia remearent, sacræque basilicæ redderentur eis, qui communionem Damasi Papæ sequebantur.

Interea Maximus in Britannia creatus, ad Gallias transfretans, Gratianum Augustum dolo occidit. De quo legitur libro IX. Tripartitæ Historiæ: Andragathius, Dux Maximi in lectica portatus, ut occideret Gratianum, hujusmodi opinionem misit in vulgus, quod uxor Gratiani suo viro festinaret occurrere in Lugduno, Galliæ civitate fluvium transeunti. Gratianus autem credens, revera conjugem venire, quam nuper acceperat, non præcavet ejus insidias, & veluti cœcus in foveam, in manus hostis incurrit. Dum ergo venisset Gratianus quasi ad uxoris vehiculum, ex improviso exsiliens Andragathius, Gratianum callide interemit. Audiens autem Maximus mala, quæ Justina Imperatrix faciebat Sancto Ambrosio, Mediolanensi Episcopo, scripsit Valentinio ejus filio, ut bellum, quod agebatur contra Ecclesias, solveretur, monens, ut pristinam non amitteret pietatem, adjecitque etiam minas belli, & nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum venit Mediolanum, ubi tunc ille degebat. Porro Valentinianus agnoscens ejus invasionem fugit in Illyricum, experimento cognoscens, quæ mala matris consilio sustineret. Porro Theodosius audiens, quæ a Justina fuerant gesta & a Tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit, Non esse mirandum, si Imperatori quidem terror, Tyranno vero potestas accresceret, dum Imperator pietati rebellis extitisset, Tyrannus autem ei auxilia commodaret, & propterea ille quidem fugeret nudus, ille vero armaretur adversus nudum. Ipse tamen Theodosius sumens cunctum exercitum, Mediolanum tendebat, ubi erat & Maximus. Non patiebatur, sub Tyranno positum Regnum Romanorum. Cognoscentes autem Maximi milites potentiam instructionis Imperialis, & signorum ejus adventum, nec fame ejus impetum sustinere valuerunt, sed apprehendentes Tyrannum, vinctum eum protinus ei obtulerunt, qui peremtus est XXVII. die mensis Augusti. Andragathius autem, qui peremerat Gratianum, in vicino fluvio semetipsum projiciens exspiravit. Hæc in Tripartita Historia.

His temporibus nobilissimum Franciæ Regnum exortum est. Item Regnum Britanniæ initium sumsit. Item circa idem tempus Regna Bisigothorum & Ostrogothorum. Item Winulorum, qui & Longobardi, & Hunnorum initia sumserunt. Anno Domini CCCXCI. Augustinus ad fidem conversus, ab Ambrosio baptizatur.

XXXIIX. Syricius, sedit annis X.

Syricius, natione Romanus, Manichæorum fidem vel legem delevit, & præcepit, ut si quis de eadem secta conversus rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum religioni Monasterii omnibus diebus vitæ suæ obnoxius teneretur, jejuniis & orationibus maceratus, probatus sub omni examine usque ad ultimum diem transitus sui, & ita viaticum accipiat. Hic decessit VI. Kal. Decemb.

Hujus temporibus Jeronymus Presbyter, Interpres, Doctor egregius, secundum Hebraicam veritatem Biblia transtulit de Hebraico in Latinum, qui anno CCCCXXXVI. obiit. Anno Domini CCCXCVIII. Augustinus, Doctor facundissimus, Hipponensis ordinatur Episcopus. Item Claudianus Poëta clarus habetur. In Ægypto Johannes Anachoreta sanctitate & prophetiæ spiritu hoc tempore claret. Temporibus Theodosii in Hispania Poëta Prudentius Lyricus claruit. Eo tempore Gregorius Nazianzenus Episcopus obiit. Eo tempore Sanctus Patritius Scotus in Hibernia cum suis sororibus venditur, & Angeli sæpe alloquio fruitur. Eo tempore Arsenius Abbas Romæ claret, qui per XL. annos in eremo sanctitatis exemplo omnibus mirabiliter emicuit. His diebus floruit Heraclides, vir religiosissimus, qui descripsit vitas primum Sanctorum, & liber Paradisus vocatur. Item Ruffinus, Presbyter Aquilegiensis Ecclesiæ, non minima pars Ecclesiæ Doctorum fuit, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit.

XLI. Theodosius I. regnavit annis XI. Valentinianus II. Arcadius I.

Anno Domini CCCLXXXVIII. Theodosius senior, filius Theodosii, qui genus ex Hispania duxit, post mortem Gratiani regnavit annis XI. Hic Valentinianum fratrem Gratiani, quamdiu vixit, regnare permisit. Hic Arcadium, filium suum, superius Cæsarem nominatum, vivente Gratiano Augustum designavit. Hic propagator Reipublicæ & defensor eximius fuit, clemens & misericors, comis cunctis, solo habitu differens a cæteris, in omnes honorificus, in bonos vero profusus. Hic tamen cum tantus esset, universas hostis antiqui insidias vitare non potuit: mente tamen divino solatio vigilans, machinationum ejus destruxit argumenta. Nam cum Thessalonicæ, quæ est

est civitas grandis & populosa, orta fuisset seditio, & populus quosdam judices Cæsaris lapidasset, iratus Theodosius non præcedente judicio, septem millia hominum occidit, innocentes a noxiis non discernens. Qui propter hoc ab Ambrosio beato excommunicatus, cum lacrymis excommunicationem sustinuit, & publicam pœnitentiam egit. De quo vide plenius in novo Passionali de Sancto Ambrosio, & quia Theodosius ex furore, & non ex ratione sententiam protulit, ex admonitione Beati Ambrosii legem statuit, ut judex triginta diebus causam examinet, antequam sangvinis sententi am fulminet. De quo vide XI. q. III. cum apud Thessalonicam.

Hujus etiam Conjux, nomine Placella, divino amore succensa fuit. Hæc namque per Ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, offerens cochlearia, panem frangens, cibosque ministrans, & alia cuncta faciens, quæ servis & ministris mos est solenniter operari. His autem, qui eam solebant de talibus rebus prohibere, dicebat: Aurum distribuere opus Imperii est, ego vero pro ipso Imperio hoc opus offero bona mihi omnia conferenti. Viro autem suo sæpe dicebat: Oportet te, marite, semper cogitare, quid dudum fueris, quid modo sis. Hæc si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, sed Imperium, quod suscepisti, legaliter gubernabis, & harum rerum placabis autorem. His sermonibus velut optimam quandam utilitatem, virtutisque abundantiam conjugi offerebat. Igitur anno X. Imperii Valentinianus causa ordinandæ Reipublicæ in Galliam transivit.

Tunc temporis Grammaticus quidam, nomine Eugenius, literarum Latinarum Doctor, relinquens scholas suas, in palatio militabat, eratque Imperatoris Antigraphus, & propter eloquentiam a multis honorabatur. Fuit & quidam facinorosus, nomine Arbogastus, dux militaris ordinis. Hi ambo contra Imperatorem Valentinianum necem machinantes, corrumpentes cubicularios eunuchos, dormientem Principem suffocaverunt, atque, ut voluntariam sibi mortem asciviſſe putaretur, laqueo suspensus est. Quo facto, mox Eugenio in Principatum electo ab Arbogasto, collecta multitudine Francorum atque Gallorum præparaverunt se ad bellum contra Theodosium. Quod ille audiens, congregavit multitudinem militarem, filiumque suum Honorium constituit Imperatorem. Considerans autem eventum belli, Eutropium sibi fidelissimum in Thebaidam ad Johannem, Monachum tunc præscientia clarum destinavit, ut aut eum, si vellet venire, duceret, aut nolentem de eventu belli perquireret. Qui venire nolens, mandavit, quod interfecto Tyranno sit victoria potiturus, sed ipse postea in Italia moriturus. Relictis igitur ambobus filiis, scilicet Arcadio & Honorio in urbe Constantinopolitana, Theodosius contra Eugenium bellaturus, cum maxima venit (multitudine) ad Gallias. Cum autem in quodam monte Oratorium invenisset, hujusmodi preces Domino fundebat: Deus, tu nosti, quod in nomine Christi, Filii tui, ultionis justa prælia suscepi: si secus, in me vindica; si vero cum causa probabili huc veni, porrige dexteram tuis, ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum. Circa gallorum vero cantum sopore constrictus, vidit in somnio, quasi jaceret in campis, & astarent duo quidam viri in vestibus albis, equis candidissimis residentes, jubentes eum habere fiduciam, primoque præparare diluculo milites ad victoriam, seque dicebant ad solatium sibi destinatos. Quorum alter dicebat, se esse Johannem Evangelistam, alter Philippum Apostolum. Quæ visio etiam uni ex militibus est revelata, & per diversos venit ad Principem. Ipse autem hac visione comperta, nequaquam ab oratione cessabat, sed lacrymas uberiores effudit. Fit ergo in crastinum congressio circa fluvium vocabulo Frigidum, & ecce turbo maximus a parte Theodosii in ora hostium surrexit, qui tela, quæ ipsi mittebant, in ipsos retorquebat, ea vero, quæ ab ejus parte missa sunt, ultra mensuram humani jactus ad hostes cum magna fortitudine deferebat. Eugenius itaque victus corruens ad pedes Imperatoris veniam rogabat. Qui circa pedes ejus a militibus capite truncatus est. Arbogastus vero tantorum causa malorum, dum fuga lapsus cognovisset, quod vivere non posset, propria manu se interfecit. De hac victoria dicit Claudianus Poëta:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Igitur Theodosius Mediolanum veniens post laborem, ibidem in pace quievit XVI. Kal. Febr. anno Imperii XI. vitæ LX. Hucusque Ecclesiastica Historia perducta est.

Eo tempore Sanctus Isidorus Presbyter claruit LXX. annorum ætatis, qui nec linteo utebatur, nec carnibus vescebatur, nec pane satiebatur, tamen tam lauti corpusculi erat, ut omnes, qui vitam ejus nescirent, epulationibus & voluptatibus imputarent. Dorotheus Monachus Thebanus nunquam sponte dormiebat, nisi aut opere fatigatus, aut cibo utens: frequenter enim edendo nimia vi somni capite nutabat, panisque ex ejus labiis cadebat, & cum a fratre cogeretur, ut ad momentum super mattam jaceret, ajebat: Si angelis persuadere potueris, ut quiescant, persvadebis & ei, qui Deo placere festinat. His temporibus in castello Emaus natus est puer, divisus usque ad umbilicum, sed inferius perfectus, ita ut haberet duo pectora, & duo capita, & unusquisque proprios sensus: unus edebat & bibebat, & alter non edebat: unus dormiebat, & alter vigilabat, nonnunquam simul dormiebant, insimul ludebant, & flebat uterque, & percutiebant se invicem. Porro vivebant annis duobus, & unus quidem mortuus est, & alter supervixit diebus quatuor. Item Donatus, Euriehepyri Episcopus, insignis habetur, qui draconem ingentem, exspuens in os ejus, necavit, quem octo paria boum incendii ad locum vix trahere potuerunt.

XXXIX. Anastasius I. sedit annis III.

Anastasius, natione Romanus, migravit V. Kal. Maj. *(a)*

XLV. Innocentius I. sedit annis XV.

Innocentius, natione Albanensis, ordinavit ad honorem Beatæ Mariæ in die Sabbati jejunium celebrari. Hic etiam decrevit ad missas pacis osculum dari. Hic statuit oleo ad usus infirmorum ab Episcopo consecrato uti, non Presbyteris tantum, sed etiam omnibus aliis Christianis. *(b)* Hic obiit quarto Idus Martii. Hujus temporibus corporum Sanctorum Stephani, Nicodemi & aliorum revelantur.

XLI. Arcadius I. regnavit annis XIII. Honorius I.

An. Dom. CCC XCVIII. mundi IVMLXI. Arcadius & Honorius, filii Theodosii, post mortem patris ipsorum regnaverunt simul, Arcadius in oriente, Honorius in occidente annis XIII. Hic Arcadius vir mitis & quietus fuit, & circa finem vitæ venerabilis. Hic defunctus est anno Imperii sui XIII, ætatis vero XXXI, relinquens filium, nomine Theodosium, annorum octo. Hujus uxor, cui nomen erat Eudoxia, Johannem Episcopum Constantinopolitanum in exilium misit. Hic est Johannes, qui pro mira & pretiosissima doctrina Chrysostomus appellatur, quod Latine oris aurei, vel os aureum habens interpretatur, vel ideo, quia, cum in exilio libros dictaret, diabolus incaustum omnino evertit; Johannes autem pennas ori suo intingens, aureas literas scripsit.

Hujus temporibus Alexius puer Romæ floruit. Item Prudentius Poëta insignis habetur. Item Severus vitam S. Martini describit. Item Orosius in Hispania Historiographus claret.

XLI. Zosimus sedit anno uno.

Zosimus, natione Græcus, constituit, ut servus nullo modo Clericus fieret. Item, ut in Sabbatho sancto cereus benedicatur. Item, ut Subdiaconus manipulum habeat in sinistra. Item, ut Christianus in missa sacrificet. Item ut nullus ad Evangelium sedeat. Item, ut nullus Clericus tabernam frequentet, aut publice potum vendat. Hic obiit VII. Kal. Jan.

XLII. Bonifacius I. sedit annis III. Eulalius. Schisma tertium.

Bonifacius, natione Romanus, Eulalium, electum a Clero Romano in discordia Antipapam habuit, qui per Honorium Imperatorem a sede ejectus factus est Episcopus Sepontinus, ipseque Bonifacius in sedem restitutus. Hic Bonifacius decrevit, ut nulla mulier aut Monacha pallam sacratam altaris tangeret. Hic etiam constituit, ut nullus sceleratus vel indiscretus ad Presbyteratum pervenire præsumat. Anno Domini CCCC XXIII. Sanctus Ieronymus migravit ad Dominum.

(*a*) Cætera habet Martin. Polon. (*b*) Cætera apud Martinum.

XLIII. Cœlestinus I. sedit annis fere VIIII.

Cœlestinus, natione Romanus, constituit Psalmos cantari ad introitum *missæ*, quia missæ omnes antea cum Kyrie eleison incipiebantur, sicut adhuc fit in vigilia Paschæ & Pentecostes. *(a)* Hic etiam constituit Sanctus cantari. Hic decessit VIII. Kal. Aprilis. Hic Sanctum Patritium, filium sororis Sancti Martini, Turonensis Episcopi, misit in Hiberniam, & convertit omnes ad fidem. Fuit vero S. Patritius genere Brito, qui in baptismo quidem dictus est Suchat, a Cœlestino vero Patritius, ac Archiepiscopus Scotorum ordinatus, per LX. annos signis, sanctitate & doctrina excellens, totam insulam Hiberniam convertit ad Christum. CXX. annis vixit, & sepulcrum ejus non invenitur.

XLIII. Honorius I. regnavit annis XV. Theodosius II.

Anno Domini CCCCXII. Mundi vero IIIIM CCCLXXIIII. Honorius post mortem fratris sui Arcadii cum Theodosio, filio fratris, regnavit annis XV. Hic Honorius moribus & religione patri suo Theodosio similis fuit. Hujus Imperii anno quarto Alaricus, Rex Gothorum, qui subjectus fuit Theodosio seniori, & ei auxilia contra Eugenium Tyrannum præbuit, Romam cepit, eamque totam igne & ferro vastavit. Jussit tamen Alaricus, ut siquis in loca sancta, id est Ecclesias confugeret, nihil mali pateretur, & quamvis tota civitas prædaretur, nemo tamen occideretur. Fertur autem, quod, cum Alaricus pergeret Romam, vir quidam venerabilis conversationis Monachus eum monuisse, ut mala talia facere non auderet, neque necibus gauderet, neque sangvine. Ad quod ipse: Non ego volens Romam proficiscor, sed quidam mihi quotidie molestus est, extorquens, & dicens: perge & Romam destrue civitatem. Deinde Alaricus ab urbe exiens, cum vellet transire in Siciliam, multi de suis in mari perierunt. Ipse vero cum deliberaret, quid ageret, subita morte apud Consentiam defunctus est. Quem nimia dilectione lugentes, Vasentem fluvium maximum de alveo suo derivaverunt, Regemque suum in medio fluminis cum divitiis multis sepelientes, ipsum fluvium in alveum suum reduxerunt. Et ne locum ipsum aliquis postea sciret, captivos, qui hoc viderant, omnes occiderunt. Post cujus mortem Gothi Athaulphum, consangvineum Alarici, Regem constituentes, Romam redierunt, & siquid residuum fuerat, more locustarum consumunt. Clarissima etiam Urbis loca, quæ comburi ab hostibus non potuerant, fulminibus diruta corruerunt. Christiani ergo fidem & Christum blasphemantes, hæc ideo se pati clamabant, quod sacra Deorum neglecta essent. Sed Gothis de Urbe recedentibus, Athaulphus Placidam, sororem Honorii, filiam Theodosii Imperatoris secum auferens, ipsam sibi in conjugio copulavit. Quæ blandimentis animum

(*c*) Cætera Martinus Polon.

viri

viri flectens, pacem Romanis impetravit. Athaulphus autem tertio anno, postquam Gallias & Hispanias perdomuit, fraude suorum interfectus est. Post quem Segericus regnum accepit. Sed & ipse a suis occisus, vitam cum Regno reliquit. Post quem Vallia, vir nimium prudens, Rex Gothorum constituitur.

Interea Honorius, cum videret rempublicam quotidie deficere, elegit virum fortem & pugnatorem, Constantium Comitem, quem & Consortem Regni fecit. Hunc contra Valliam dirigens, permisit ei, ut, si sororem suam Placidam, sive pace, sive quocunque modo reduceret, quod eam sibi conjugem daret. Quo placito, Constantius ovans cum armatorum copia Hispanias petiit, cui Vallia non minori exercitu occurrit. Sed ab utraque parte legatione directa, ita convenit, ut Vallia sororem Principi redderet, suumque adjutorium Romanæ Reipublicæ non denegaret. Constantius igitur Placidam reducens accepit eam in uxorem, genuitque ex ea Valentinianum.

His temporibus Heraclius, Comes Africæ, cum millibus armatis & septingentis navibus ad prædandam Romam venit, contra quem Constantius egressus, sic eum perterruit, ut cum una tantum navi Carthaginem fugeret, ubi & mox occisus est. In his ergo diebus, præcipiente Honorio & adjuvante Constantio, sopitis apud Africam hæreticis, pax Ecclesiis redditur, quamdiu præclarissimus Magister Ecclesiæ apud Hipponem Augustinus florebat. Honorius vero postquam cum Theodosio, fratris sui filio, regnavit XV. annis, & Rempublicam pacificam dimisit, Romæ mortuus est sine hæredibus.

XLIIII. Sixtus III. sedit annis VIII.

Sixtus, natione Romanus, de crimine, quod sibi Bassus coram Augusto imposuerat, coram LVII. Episcopis se purgavit, ipse autem Bassus ab Episcopis condemnatus est, & subito mortuus, a Sixto cum aromatibus sepelitur. Hic ædificavit Ecclesiam Sanctæ Mariæ majoris, quæ dicitur Præsepe; & Dominus ad designandum locum, ubi basilica locanda erat, signum nivis in Augusto dedit. Hoc festum Nivis adhuc Romæ solenniter celebratur Nonis Augusti. Hic decessit V. Kal. April. anno Domini CCCCXXXVII.

Synodus tertia universalis ducentorum Episcoporum sub Sixto Papa, vel secundum quosdam sub Cœlestino congregatur in Epheso contra Nestorium, Episcopum Constantinopolitanum, qui damnatus est, & in exilium missus, eo quod duas personas in Christo prædicans, hominemque purum ex Virgine natum Deitatem postea accepisse affirmavit. Et confirmatum est, Christi esse unam personam in duabus naturis, & ut Beata Maria Theotocos, id est Mater Dei appellaretur.

XLIIII. Theodosius II. regnavit annis XXVI. Valentinianus III.

Anno Domini CCCCXXVII. Theodosius Junior, Arcadii filius, post mortem patrui sui Honorii regnavit annis XXVI. Hic Valentinianum amicæ suæ Placidiæ ex Constantio filium ad recipiendum occidentale Regnum direxit. Qui veniens in Italiam consensu omnium factus est Imperator. Ideoque ex decreto Theodosii Augustus est appellatus. Hic Theodosius sapiens multum fuit, patientia & clementia cunctos præcellens. Sic enim fuit clemens, ut si quando aliquis dignum morte quippiam committeret, non usque ad portas moriturus civitatis perveniebat, sed ejus clementia mox subsequens eum revocavit. Quem cum quidam familiarium interrogaret, cur nullum se lædentium morti subjugaret? Utinam, inquit, mihi esset possibile, etiam mortuos ad vitam revocare! Nec tamen vir iste vitiis caruit. Erat enim mobilis animi, vento circumdatus. Unde & in chartis non perlectis se subscribebat.

Hic habuit filiam, nomine Eudoxiam, quam Valentinianus, Occidentis Imperator, duxit uxorem. De quo legitur in Novo Passionali, quod ad Papam Pelagium tulerit catenas S. Petri de Jerusalem, & instituerit vincula Sancti Petri. Sed hoc quidam intelligunt de Eudoxia relicta Arcadii & de Papa Innocentio. Hic Theodosius apud Constantinopolin obiit Imperii sui anno XLI, quorum quindecim regnavit cum patruo Honorio, XXVI. cum Valentiniano, consobrino suo.

Eo tempore quidam seductor Judæus finxit semet ipsum Moysem in Creta, & cœlitus destinatum, ut Judæos illam insulam habitantes in terram repromissionis per mare pede sicco perduceret, ipsum se esse dicens, qui olim filios Israel per Rubrum Mare salvaverat. Judæi igitur plurimi, ut per siccum mare ad repromissionis gaudia pervenirent, omnes pecunias atque possessiones monitione ipsius reliquerunt, ac ipsum sequentes perierunt. Alii autem cognoscentes seductionem culpaverunt seipsos, eo quod tam facile credidissent. Cumque voluissent illum seductorem perimere, comprehendere nequiverunt. Repente namque disparuit, deditque suspicionem, quod fuerat dæmon erroneus, humano schemate circumamictus. Pro hac itaque passione multi tunc Cretensium Judæorum ad Christianam conversi sunt fidem. Eo etiam tempore fuerunt duo Prætores, Ætius & Bonifacius, quos Theodosius, postulante Valentiniano, Romam direxerat. Cumque Bonifacius principatum Africæ percepisset, ibique gloriose ageret, Ætius invidia ductus, accusavit eum apud Placidiam, matrem Valentiniani, quod rebellationem meditaretur. Cæterum Bonifacio scripsit: Si accersitus fueris, accedere noli: incusatus enim es, & dolose te vocant Imperatores. Qui credens Bonifacius, accedere distulit accersitus. Tunc Imperatores quasi devotum Ætium acceperunt, & adversus Bonifacium duo Duces Mavortius & Galbio, missi sunt, sed ab eo interemti sunt. Rursus contra eum Sigisvaldus Comes dirigitur. Bonifacius vero cernens, se Africam non posse tenere, transfretavit in Hispaniam ad Wandalos & Alanos. Et cum Modigisilus Dux jam mortuus

mortuus esset, filios ejus, Guntharium & Geisericum suasit in Africam venire, eamque possidere. Qui venientes, totam pene Africam ferro & flamma, rapinisque dissipaverunt. Sub hoc turbine beatissimus Augustinus, Hipponensis Episcopus, ne civitatis suæ ruinam cerneret, tertio mense obsidionis ejus migravit ad Dominum V. Kal. Sept. septuaginta & sex annis vitæ completis, ex quibus XL. in Clericatu vel Episcopatu transegerat. Interea quidam Senatorum, amici Bonifacii, falsam accusationem Ætii intimaverunt Placidiæ, ostendentes ei epistolam ab eodem ad Bonifacium scriptam. At illa stupefacta, Ætium quidem non læsit, Bonifacio vero verbum exhortatorium, ut securus veniret, cum juramento misit. Qui veniens, suspicionem dissolvit, & Magister militum effectus, non multo post morbo exstinctus est. Deinde Romani Wandalis dederunt partem Africæ ad habitandum, facta cum eis pace. Item ex eo, quod ibi fit mentio Wandalorum, sciendum, quod Gothi, Hippogothi, Gyppidæ vel Gepidæ & Wandali quatuor sunt gentes, lingvam unam habentes, nomen tantum & nihil aliud mutantes. Item Gothi postea appellati sunt Getæ vel Scythæ. Est autem Scythia Germaniæ confinis eotenus, ubi fluvius Ister oritur. Item Gothi quidam sunt orientales, & vocantur Ostrogothæ, quidam occidentales, & vocantur Wisigothæ. Ugwition dicit: Occidentales Gothi Ostrogothæ dicuntur, orientales Ignisogothæ. Item Alani dicuntur, qui habitant juxta Lanum, qui est fluvius ultra Danubium, sicut & habitantes juxta Lemanum fluvium, Alemanni dicuntur.

Apud Ephesum septem dormientes, qui sub Decio fugientes, in spelunca quadam obdormiverunt, post annos CXCVI. expergefacti sunt, & confirmata fide resurrectionis mortuorum coram Theodosio Imperatore, quam quidam hæretici tunc negabant, iterum præsente Imperatore, & multis Christi fidelibus obdormiverunt in Christo. Item in Constantinopoli terræ motus magni facti sunt per quatuor menses, ita ut timentes Byzantii, id est Constantinopolitani extra civitatem in campo una cum Episcopo ipsorum nomine Proculo perseverarent in litaniis, ad Deum vociferantes. Quadam ergo die terra fluctuante, & omni populo attentius Kyrie eleison clamante, circa horam tertiam omnibus videntibus, quidam adolescentulus in aërem sublevatur, audivitque vocem dicentem sibi, ut nunciaret Episcopo ac populo litanias facere & sic dicere: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, nihil adhuc apponentes. Quod cum fieret, terræ motus cessavit. Porro Pulcheria, soror Theodosii, una cum fratre super hoc miraculo valde mirata, sanxit per universum orbem hunc hymnum taliter decantari. Sub his fere diebus Roma tanto terræ motu concussa est, ut plurima ædificia corruerent. Huc usque Liber duodecimus, qui & ultimus, Tripartitæ Historiæ est productus.

His temporibus Sanctus Servatius floruit. Item Cassianus facundissimus collocutiones Patrum conscripsit. Item Faramundus, primus Rex Francorum, moritur, cui successit Clodius Secundus. Hi ambo fuere gentiles. Hujus Faramundi temporibus Franci leges habere cœperunt, quas gentiles eorum Consiliarii, Wisogascaldus & Sagelast (condiderunt) Etiam Lex Salica dicitur & nominata. Hæ leges Salicæ adhuc apud nos habentur, & incipiunt Si quis ad mallum legibus dominicis &c.

XLV. Leo I. sedit annis XVI.

Leo, natione Tuscus, Canoni addit Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam. Hic etiam instituit dicere orate pro me, & in fine Deo gratias. Item jejunia quatuor temporum instituit. Item: Quicunque imagines Sanctorum inhoneste tractaverit, a communicatione separetur. Hic Attilam, Regem Hunnorum, mitigavit, & pro sua devotione ab Italia, ne eam vastaret recessit. Hic sibi manum amputavit, quam sibi Sancta Maria reddidit. Unde de hoc in Novo Passionali. Hic decessit IV. Kal. Jul.

Anno Domini CCCCXLV. Synodus quarta DCXXX. Episcoporum in Chalcedone industria Leonis, mandante Marciano Imperatore, contra Eutychem celebratum. Fuit autem Eutyches Abbas Constantinopolitanus, qui Christum post humanam assumtionem negavit existere de duabus naturis, sed solum divinam in eo asseruit esse naturam. In hac Synodo, cum in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ, quæ est in Chalcedonia, sexingenti & triginta Episcopi solvere non possent argumenta hæreticorum, negantium in Christo humanam naturam, missum est pro Sancto Accatio, qui tam diu in lapide arco inclusus jacuerat, qui nec stare potuit nec sedere. Qui de consensu partium tulit sententiam, ut fides utrorumque cum suis argumentis in duabus paginis scriberetur, & super corpus Beatæ Euphemiæ poneretur. Quæ paginam hæreticorum longe projiciens, alteram pectori suo reverenter astrinxit. Leo igitur decretum dedit, ut Virgo Maria Theotocos & Christotocos appelletur.

Anno Domini CCCCXLVI. Sanctus Briccius, Turonensis Episcopus, migravit ad Dominum, cui successit Eustochius.

XLV. Marcianus regnavit annis VII. Valentinianus III.

Anno Domini CCCCXLIII. Marcianus in oriente regnare cœpit, regnavitque annis septem, Valentiniano adhuc regnante in occidente. Hic Marcianus in religione & pudicitia floruit, egentibusque multa beneficia præstitit. Hic tamen apud Constantinopolin facta suorum conspiratione anno VI. Imperii sui occiditur. Eo regente Pulcheria, soror Theodosii, dormivit in Christo. Hæc inter cætera bona, quæ fecit, Marcianum fecit Imperatorem. Et hoc fit mortuo Theodosio, & morte ejus nondum divulgata. Pulcheria considerans Marcianum, virum senem & idoneum, ac in religione & pudicitia versantem, ipsum ad se

se accersivit, eique dixit: Ecce Imperator mortuus est, & ego te elegi, tanquam bene placentem ex omni genere Senatus. Da mihi igitur verbum, quod virginitatem meam custodias, quam Deo vovi, & ego te pronunciabo Imperatorem. Quod illo cum sacramento pollicitante, accersito Patriarcha Anatolio cum omni Senatu pronunciavit ipsum Romanum Imperatorem.

Licet intentionis meæ principale propositum sit, Chronicas antiquorum exflorare, libet tamen sæpius & historiis, ut ad majorem notitiam perveniant, immorari. Igitur regnantibus Marciano in Oriente, & Valentiniano in Occidente, Attila Rex Hunnorum, dum cum fratre suo Bela regnum inter Pannoniam, Daciamque gubernaret, Belam germanum suum regnique consortem peremit, & ad delendum Romanum Imperium se convertit. Fultus itaque præsidio fortissimarum gentium, quas sibi subjugaverat, in exercitu suo habuit millia quingenta, & quamvis speraret se posse facere, quod vellet per virtutem tantarum gentium, tamen & per astutiam vincere quærebat. Timens enim, ne Gothi, qui intra Galliam habitabant, jungerentur Romanis in adjutorium, cum esset nimis astutus & subtilis, misit nuncios ad Valentinianum, qui dicerent, nullatenus se adversus Romanos hostiliter venire, neque publicæ rei amicitias in aliquo se velle violare, sed contra Theodricum Wisigotharum Regem sibi certaminis causas existere. Similiter misit ad Theodricum, non sibi pugnam esse adversus Gothos, sed adversus Romanos, seque satis studere cum Gothis pacem habere. Hæc autem per astutiam fecit in dolo, ut si Romanos Gothosque ab invicem divideret, hos & illos postea facile vinceret.

Ætius autem Patritius, Capitaneus Romanorum, qui tunc militiæ præerat, intelligens astutiam & dolos Attilæ, misit ex persona Valentiniani Imperatoris legatos ad Theodericum Regem Gothorum, qui illo in tempore apud Tolosam regnabat, ut pacem firmaret cum illo. Consensit in hoc Theodericus, pacemque cum Ætio firmavit, seque cum Ætio contra Attilam pugnare promisit. Fuerunt autem in auxilio Ætii Patritii, Burgundiones, Franci, Alani, Saxones, Sarmatæ, & pene totus populus occidentis, prodiitque a Theodrico, Rege Bisogotharum, multitudo innumerabilis. Cumque ad locum venissent, ubi jam pugnare debuerant, interrogavit Attila divinatores suos, quid sibi de ista pugna divinarent. Qui more solito, nunc fibras pecorum, nunc quasdam venas, in abrasis ossibus intuentes, hujus infausta pronunciant, scilicet Attilam non habiturum victoriam. Hic tamen, quantulumcunque solatii, quod summus in parte hostili ductor in certamine occumberet, Attila vero cum hoc de interitu Ætii, cujus mortem sitiebat, denunciari putaret, modicum duxit cum sociorum perditione committere, dummodo Ætium, qui suis motibus fortiter obsistebat, posset exstinguere. Conveniunt itaque in campos Catalaunicos, qui & Mauriati nominantur. Committunt igitur circa nonam horam diei, jam ad vesperam die vergente, ut si ipse Attila ab hostibus superaretur, imminentis noctis se tenebris occuleret. Demum in bello adeo acriter pugnatum est, qualiter vix unquam in aliqua ante invenitur historia, nec ante a prælio cessatum est, quam nox superveniens pugnandi facultatem eis adimeret. Eo siquidem bello centum septuaginta millia hominum cæsa referuntur, tantusque sanguis effusus est, ut parvulus rivulus, qui ibi labebatur, sanguine occisorum subito auctus, cadavera defunctorum secum traheret, Attilam sane de morte Ætii sua fefellit suspicio. Nam Theodericus Rex Bisogotharum occubuit, Ætius vero sanus evasit. In quo prælio quamvis neuter cessisset exercitus, constat tamen, Attilam fuisse superatum. Sed quia virtus semper invidiam parit, Valentinianus Imperator, timens prosperos Ætii successus, occidit eum, simulque Boëthium, Senatorem nobilissimum, cum quibus pariter Occidentis Imperium, salusque Reipublicæ corruit, nec ultra potuit relevari. Sed Valentiniano mors Ætii non impune cessit. Nam sequenti anno a Trausscula, Ætii milite, per consilium Maximi Patricii & ipse confossus interiit anno Imperii sui tricesimo, ex quibus cum Theodosio, socero suo, regnavit XXV, cum Marciano quinque.

Attila ergo tanquam victus, Pannoniam rediit, & majorem exercitum colligens, cum furore Italiam intravit, ac primum Aquilejam, in ipso Italiæ positam principio expugnare aggressus est. Quam continuo triennio obsessus est, cum, adversus eum civibus strenue pugnantibus, nil prævaleret, jamque murmur sui exercitus penuriam famis tolerare non valentis, & discedere cupientis audiret, die quadam circuiens civitatem, ut, ex qua parte posset eam facilius expugnare, inquireret, cernit repente aves in ædificiorum fastigiis nidificare solentes, quæ ciconiæ vocantur, uno impetu ex urbe migrare, fœtusque suos sublatos forinsecus deportare. Et, ut erat sagacissimus, ait ad suos: Aspicite aves futurorum præscias perituram civitatem relinquere, casurasque arces periculo imminente deserere. Statimque ab habitis machinis hortatur suos, & acriter urbem impugnat, ac sine mora capit. Deinde Hunni per diversas urbes hoc est Veronam, Vincentiam, Brixiam, Mediolanum, reliquasque bacchantes, castra metati sunt in eo loco, quo Mincius fluvius Padum influit. Ubi Attila consistens, dum animo fluctuaret, utrum Romam veniret, an desisteret, non Urbi, cui infensus erat, consulens, sed Alarici exemplum, qui captæ Urbi non diu supervixit, pavens, Sanctissimus vir, Leo Papa eum accessit. Qui cum ad Regem barbarum introgressus esset, cuncta, ut optaverat, obtinens, non solum Romæ, sed etiam totius Italiæ salutem reportavit. Dum autem Attila a suis redargueretur, quod Triumphator Orbis a Sacerdote victus esset, respondit: Providi mihi & vobis. Vidi enim in dextris ejus fortissimum militem, evaginato gladio stantem, mihique

que dicentem: Nisi huic parueris, cum tuis omnibus interibis. Igitur Attila tali modo a sua sævitia repressus, relicta Italia, in Pannoniam rediit. Reversus autem ad proprias sedes, super plures, quas habebat, uxores puellam quandam valde pretiosam sibi conjunxit, ob cujus nuptias, profusa exercens convivia, dum tantum vini, quantum antea nunquam in semel bibisset, dormiensque supinus jaceret, nimia sanguinis eruptione, qui eidem naribus effluere solebat, suffocatus est. Eadem nocte Marcianus Imperator, qui tunc apud Constantinopolin morabatur, vidit in somnis arcum Attilæ fractum, quo scilicet genere armorum gens illa maxime utebatur. Ex hoc intelligens, ipsum Attilam esse mortuum. Ministri vero invenientes Attilam, sine vulnere sanguinis effusione mortuum, puellamque dimisso vultu lacrymantem, sub velamine crinium parte truncata, faciem ejus turpaverunt vulneribus, ut præliator eximius non fœmineis lamentationibus, sed agmine lugeretur virili.

Hæc omnia acta sunt adhuc regnante Valentiniano. Quo mortuo, ut supra dictum est, Maximus, Patritius anno quinto Marciani Imperatoris invasit Imperium, & Eudoxiæ uxori Valentiniani vi sociatur. Quæ nullum fore auxilium a Constantinopoli existimans, Theodosio patre & Pulcheria amica defunctis, missa legatione, Geisericum ex Africa invitavit. Qui subito per mare cum magna multitudine urbem intravit, cum adhuc beatus Leo Romanum regeret Pontificatum. Perculsis itaque Romanis pro adventu Geiserici, plurimi ex urbe fugerunt, inter quos & Maximus fugiens, membratim a Romanis discerptus est tertio mense tyrannidis suæ. Beatus vero Leo Papa extra portam Geiserico occurrit, & divino nutu precibus eum in tantum delinivit, ut, cum omnia potestati ejus essent tradita, ab incendio & occisione atque suppliciis detineret. Per XIIII. vero dies Romani omnibus divitiis suis evacuabant, multosque captivos exinde auferentes, Eudoxiamque, quæ Geisericum ad hoc malum invitaverat, cum duabus filiabus suis Africam deportabant. Hoc modo capta est Roma secundo, postquam eam Alaricus invasit. Relicta itaque urbe, Wandali per Campaniam diffusi sunt, omniaque ferro & igne consumunt, Nolamque urbem ditissimam, & alias multas subvertunt. Inter has vir sanctissimus angustias Paulus, (*a*) Nolanæ urbis Episcopus, seipsum pro filio viduæ vendidit. De quo vide plenius in lib. III. Dialogorum Beati Gregorii in principio.

Hujus temporibus passæ putantur undecim millia Virginum apud Coloniam. Item in urbe Jasacensi Episcopus infra missam vidit tres guttas clarissimas, æqualis magnitudinis sub altare simul confluentes in unam gemmam nobilem, in aurea cruce locata omnes aliæ gemmæ protinus exciderunt. Videbatur autem hominibus vitiosis obscura, & mundis clara, multis autem infirmis contulit sanitatem.

(*a*) Paulinus a Martino Polono vocatur.

XLVI. Hilarius sedit annis VII.

Hilarius, natione Sardus, decessit III. Idus Septembris. Sub isto Victurius Paschalem Cyclum DXXXII. annorum scripsit. (*b*)

XLVII. Simplicius sedit annis XII, & decessit Kal. Martii. (*c*)

XLVI. Leo I. regnavit annis XVI.

Anno Domini CCCCLX. Leo, dictus Bestia, ex Tribuno militum Imperator electus, cœpit regnare, regnavitque annis XVI. Hic filium suum Leonem socium fecit in Regno Orientis, Occidentale vero Imperium Mauronianus quidam accepit apud Ravennam, sed quarto anno Imperii sui occisus est, statimque Severus sine jussu Leonis apud Ravennam Imperator efficitur, & Augustus appellatur. Sed & ipse post IIII. annos Romæ defunctus est. Post cujus mortem, consensu totius militiæ Leo Imperator Anthemium, Divi Marciani generum, ex Patritio Cæsarem faciens, Romam misit in Imperium. Sequenti anno Servandus, qui Præfectus erat in Gallia, volens invadere Imperium, ab Anthemio in exilium missus est. Rursus post annum Romanus Patritius, tentans fraudulenter accipere Imperium, jussu Anthemii occisus est.

His temporibus Leo Imperator Senonem, generum suum, totius Orientis Magistrum fecit, & fratrem Basilicum, Verenæ uxoris suæ, Magistrum Africæ constituit. Leo itaq; Imperator pacem faciens cum Ostrogothis, quibus tunc Walamir præerat, fratris ejus Diethmari filium Theodricum, cum jam octavum ætatis annum gereret, obsidem accepit, quem tamen postea patri cum honore remisit.

Per hæc tempora inter Anthemium & Ricimerum Patricium, qui tunc apud Mediolanum positus, præerat Liguriæ, magnus discordiarum fomes exortus est, quibus se vir sanctitate conspicuus Epiphanius, Ticinensis, idem Papiensis Episcopus interponens, eos ad concordiam revocavit. Sed quia Ricimer de perfida gente erat Gothorum, pacem dirupit, ac cum manu valida ad Urbem tendens, Anthemium jam quarto anno regnantem occidit. Sed non diu de sua perfidia lætatus est. Nam post mensem tertium excruciatus langvore interiit. Inter hoc Olybrius a Leone Augusto missus ad Urbem venit, vivoque adhuc Anthemio regiam adeptus dignitatem Placidam Valentem, Principis natam, duxit uxorem. Qui cum sex menses Regnum tenuisset, morte propria Romæ defunctus est. Post cujus mortem Lycerius apud Ravennam Imperator effectus, sed anno sequenti veniens cum exercitu Nepos Patricius, Nepotiani filius, Lycerium expulit, ipseque sumens Imperium, illum Salonæ, civitate Dalmatiæ, ordinavit Episcopum. Eo tempore Ericius apud Tolosam super Bisigothas regnavit, filius Theodrici, qui cum Ætio contra Attilam pugnans occubuit. Leo

(*b*) Cætera uterque Martinus. (*c*) Simpliciana verbotenus apud Martin. Polon.

igitur

igitur Imperator, postquam orientale Imperium XVI. rexisset annis, Leonem, nepotem suum ex Ariagene filia, Zenonis filium, ordinans Imperatorem, diem clausit extremum.

Anno secundo Imperii Leonis Meroveus, Rex tertius Francorum moritur, cui Hildericus, filius ejus, succedit. Ab illo Meroveo Reges Francorum Merovigni vocati sunt. (a) His temporibus Sanctus Mamertus, Viennensis Episcopus claruit, qui tres dies Rogationum propter luporum & ursorum immanitatem aliasque plagas ante ascensionem Domini instituit. Item tunc claruit Prosper Episcopus, natione Aquitanicus, qui primo fuit Beati Leonis Papæ Notarius. Item Angelindus, Rex primus Longowardorum juxta quandam piscinam VII. pueros invenit, quos partu uno meretrix quædam ediderat, & ad necandum projecerat. Hos dum Rex casu repertos, cum hasta admirans revolveret, unus eorum hastam manu tenuit. Quem Rex & stupens nutriri fecit, & quia eum de piscina levavit, eorumque lingva aqua lama dicitur, Lamisso ei nomen imposuit. Hic cum crevisset, factus est fortissimus pugnator & sapientissimus, tantæque probitatis extitit, ut defuncto Agelnidone, ipse super Longobardos regnaret. Item ossa Elisæi Prophetæ in Alexandriam, & Sanctus Marcus Evangelista in Venetias transferuntur. Item Alexandria & Ægyptus errore Dioscori hæretici languens, immundo repleta spiritu, canina rabie latrat. Per idem tempus hæresis Acephalorum Chalcedonense Concilium impugnantium apparuit. Hi dicti sunt Acephali sine capite, eo quod nullus autor, a quo sint exorti, reperitur.

XLVIII. Felix III. sedit annis VIII.

XLIX. Gelasius I. sedit annis IIII. mensibus VIII.

Gelasius constituit, ut Presbyter post missam populum benedicat, & dicat hymnum trium puerorum. Hic decessit XIII. Kal. Decembris. Fuit amator pauperum, & Clerum ampliavit, & a periculis Romam liberavit. Hujus tempore facta est inventio Sancti Michaëlis in Gargano monte, quod quidam sub Sylvestro scribunt. Nam Sanctus Michael apparuit cuidam Episcopo in visione, dicens: Locum hunc in terris colo. Ex hoc igitur in loco isto Ecclesia ipsius Archangeli opere condita, & nomine consecrata est. Eo tempore viguit Fulgentius de nobili genere Carthaginensium.

XLVII. Zeno regnavit annis XVI.

Anno Domini CCCCLXXV. Leo junior, nepos Leonis Imperatoris, cum paucis diebus rexisset Imperium, manu sua coronans genitorem suum Zenonem, constituensque Imperatorem, rebus excessit humanis.

Anno Domini CCCCLXXVI. Zeno, genere Isaurus, gener Imperatoris Leonis regnare cœpit, regnavitque annis XVI. Hic leges plurimas fecit. Hic dum Leonem, Augusti filium, interficere quæreret, pro eo mater ejus alium figura similem obtulit, ipsumque Leonem occulte Clericum fecit, qui in Clericatu usque ad tempora Justini vixit. Regnante igitur Zenone in oriente, occidentale Imperium tenuit Nepos, quem Orestes Patricius de Regno perturbans, Augustulum suum Imperatorem fecit, sequentique anno cum Rege Vandalorum Geiserico fœdus statuit.

Dum hæc Romæ geruntur Odoaccar, genere Rugus, Turcilingorum & Sarorum Herulorumque turbis fretus, ab extremis Pannoniæ finibus, Italiam conscendit. Qui dum adhuc per Noricorum rura duceret exercitum, cognita fama servi Dei Severini, qui illis tunc degebat in locis, ad eum, petiturus benedictionem accessit. Qui benedictione percepta, egrediens a cellula, dum caput inclinaret, ne impingeret, eo quod proceræ staturæ esset, a Dei viro futurorum præscio audivit: Vade nunc ad Italiam, Odoaccar vade, vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plurima largiturus. Hæc verba exitus vera probavit. Nam postmodum per omnem Italiam regnavit. Ingressus igitur Italiam, Odoaccaro statim apud Liguriæ terminos Orestes Patricius occurrit, sed videns, multitudini tantæ se non posse resistere, intra Ticinum, quæ nunc Papia dicitur, se trepidus inclusit. Veniens autem Odoaccar, expugnatam urbem intravit, omnia rapinis vastavit, apprehensumque Orestem gladio trucidavit. Indeque dispersi barbari, omnem Italiam sine tarditate suo subdiderunt juri. Odoaccar itaque prosperos sibi cernens successus accrescere, statim regiam arripuit dignitatem. Augustulus vero, universam cernens Italiam Odoaccaris viribus subdi, & inopinabili metu perterritus, cum vix XI. mensibus Rempublicam obtinuisset, sponte purpuram miserabiliter abjecit, & Imperialem Majestatem deposuit. Igitur dejecto Augustulo, Odoaccar urbem ingressus, totius Italiæ Regnum est adeptus, quod per XIIII. annos, nullo inquietante, obtinuit, donec Theodericus, Rex Ostrogothorum, permittente Zenone Augusto, Italiam possessurus intravit. Quod qualiter sit actum, hoc ita colligitur ex historia Gothorum.

Zeno, Imperator orientis, audiens, Theodricum gentis suæ scilicet Gothorum Regem esse, grate suscepit, eumque ad se venire Constantinopolin præcepit digneque susceptum, inter Proceres palatii collocavit, & post aliquod tempus in filium sibi adoptans, consularibus fascibus, quæ dignitas post Imperiale fastigium prima est, eum sublimavit, nec solum hoc, sed & equestrem statuam, ad famam tanti viri, ante palatium ei constituit. At vero cum hujuscemodi deliciis Theodericus apud Constantinopolin fluitaret, ad Augustum Zenonem accedit, penuriam questusque suorum exponit, Italiam sibi dari expostulat, adjiciens, quod, si superare posset Odoaccarem, Italiamque obtinere, ad ejus gloriam redundaret, a quo directus fuisset. Si vero in bello superaretur, nihilominus

(a) Pictoris & Merlini historiam vid. apud Martin. Polon.

nus lucrum ejus accresceret, quandoquidem quotidianorum stipendiorum exactoribus careret. Talia Zeno audiens, licet ægre ferret ejus discessum, deliberato tamen consilio Reipublicæ utilitati prospiciens, ejus petitionibus annuit, Italiamque illi tribuens, Senatumque ac Populum Romanum ei committens, magnis ditatum muneribus abire permisit. Egressus igitur a Constantinopoli Theodericus, ad Ostrogothas revertitur, hortaturque eos continuo, ut quam primum parati sint, & quasi possessuri Italiam proficiscantur. Qui cum læti omnes obedirent, profectus cum omni multitudine Ostrogotharum, & cum omni supellectili, venit in Italiam, primumque juxta Sommum fluvium, qui non longe ab Aquileja labitur, castra ponens, cum ad reficiendum corpora hominum & jumentorum, pro longitudine itineris resideret, cum magno exercitu Odoaccar eis occurrit, quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatum in prælio, in fugam convertit. Odoaccar autem cum his, qui evaserant, fugiens, Romam tetendit. Sed obseratis portis, continuo exclusus est. Qui cernens, introitum sibi denegari, omnia, quæ attingere potuit, gladio, flammaque consumsit, Ravennamque ingressus, nummos sibi præparavit. Quam cum Theodericus per triennium obsideret, Odoaccar frequenter nocturno tempore cum suis ex urbe egrediens, exercitum Theoderici inquietavit novissimeque nocte, irruens in castra, exercitum Theoderici magna strage prostravit. Sed Gothis resistentibus, ad extremum victus, in urbem confugit, nec multo post legatione missa, veniam supplicans, a Theoderico quasi in fide susceptus, sed post ab eo truculente peremtus est. Hunc vulgares vocant Dyetreich von Peren, eo quod ingressus Italiam, primo vicerit Veronam. Inter hæc Gundabaudus, Burgundionum Rex, talium rerum varietates aspiciens, cum ingenti exercitu Liguriam intravit, cuncta, quæ reperire poterat, pro diripientium voluntate deprædans, infinitam captivorum multitudinem secum ad Gallias duxit. Ad hunc Theodericus Beatissimum Epiphanium pro captivis redimendis misit, qui excepta innumera multitudine illorum, pro quibus pretium dedit, sex millia captivorum, ob sanctitatis suæ solam reverentiam sibi concessa secum reduxit. Igitur Theodericus, exstincto apud Ravennam Odoaccare, totius Italiæ potitus est ditione. Nec multo post Romam profectus, a Romanis cum gaudio magno est susceptus. Post hæc Theodericus, ut sui Regni vires constabiliret, missa legatione ad Clodoveum, Regem Francorum, filiam ejus Audofledam in matrimonium petiit, quam ille libenter concessit. Nec fuit aliqua vicina gens Italiæ, quæ Theoderico a conjunctionis affinitate, aut pactionis fœdere, non fuisset sociata.

His temporibus Sanctus Remigius, Remorum Episcopus, Clodoveum filium Hilderici, Regem Franciæ baptizavit, sed cum ungi deberet & oleum deesset, veniens columba candida *ampullam* cum oleo attulit. Hic Clodoveus primus Christianus Regum Franciæ fuit. Item corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi, stylo ipsius scriptum, inventum est. Item Honorius, Rex Wandalorum, filius Geiserici, plus quam trecentos triginta quatuor Episcopos Catholicos exiliavit, quibusdam linguas excidit, qui tamen postea sine lingua loquebantur, sicut prius loqui per linguam consveverant. Horum Beatus Gregorius libro III. Dialogorum meminit. Unus autem ex eis in luxuriam lapsus, mox privatus est dono miraculi. Honorius tandem judicio Dei percussus, scatens vermibus, miserabiliter exspiravit, quia fuit pessimus Arianus. Eodem tempore gens Saxonum post multa & dura bella totam insulam Britanniæ possidet.

L. Anastasius I. sedit annis X. mensibus X. (*a*)

LI. Symmachus sedit annis V.

Laurentius. Schisma quintum.

Symmachus, natione Sardus, Laurentium Romanum habuit Antipapam. Propter quod facta sunt multa homicidia Romæ civium Romanorum, Clericorum, & etiam Sacerdotum per tres circiter annos, quousque Theodericus Princeps Romam venit, qui, quamvis Arianus esset, habita tamen Synodo, Symmachum Episcopum Romæ per modum compromissi firmavit, Laurentium vero in civitate Nucernia Episcopum locari præcepit. Qui tamen nullo pacto quiescens, sed seditiones commovens, a Symmacho deponitur, & in exilium Dalmatiam mittitur.

LII. Hormisda sedit annis VIIII.

Ormisda, natione Campanus, constituit, ut, si quis se habere missam simulaverit, perpetuo sit irregularis. Hic decessit Nonis Augusti.

LIII. Johannes I. sedit annis XI.

Johannes iste natione fuit Tuscus. Hunc quidam scribunt missum a Theoderico, qui Regnum tenebat occidentis, ad Justinum, qui Regnum tenebat Orientis. Sed hoc quidam intelligunt de Johanne Secundo hujus nominis.

Hujus tempore Francia ad fidem Christi est conversa.

XLVIII. Anastasius I. regnavit annis XXVII.

Anno Domini CCCCXCI. Anastasius I. in oriente regnare cœpit, regnavitque annis XXVII, Theodericus vero cum Gothis Romano præsidet Imperio. Hic Arianus, ille Eutychianus hæreticus. Hic Anastasius dum in hæresi, in quam dilapsus fuerat, perseveraret, misit ad eum Ormisda Papa Ennodium, Ticinensem Episcopum, cum aliis Catholicis, ut eum reducerent ad regulam fidei Catholicæ. Sed ille non solum monita salubria eorum sprevit, verum a conspectibus suis non sine injuria expulit, ac inter alia Domino Papæ rescripsit, dicens: Nos jubere volumus, non nobis jube-

(*a*) Anastasii fata ad verbum ex Martino Polono Andreas exscripsit, quæ apud eundem videas.

ri. Nuncios itaque navi veteri fragilique impositos, ne uspiam per totam Græciam, civitatem ullam intrarent, præcepit, quam ejus impiam temeritatem divina mox ultio subsecuta est. Nam cum vicesimum septimum Imperii annum ageret, mortuus est. Quidam vero ajunt, quod fulmine percussus sit.

Hujus temporibus Thrasamundus, Geiserici filius, qui jam super Wandalos regnavit, secutus patris sui & fratris Hunerici, perfidiam, Ecclesias Dei clausit, & CCXX. Episcopos in Sardiniam exiliavit. Quibus Beatus Symmachus Papa quotidiana subsidia ministravit. Inter has tempestates Fulgentius Episcopus in confessione fidei & scientia claruit. Item, dum apud Africam quidam Arianus, Olympius nomine, in balneo lavaretur, & indigna quædam & blasphema de Sanctæ Trinitatis fide loqueretur, subito igneus laqueus de cœlo venit, eumque percussit. Item Deuterius, Arianorum Episcopus, baptizans quendam Byzanthii nomine Barbam, dum contra regulam fidei, minorem Patre Filium & Spiritum Sanctum asserens diceret: Baptizo te, Barba, in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, subito aqua, in qua baptizare debuit, nusquam comparuit. Quod videns, qui baptizandus erat, confestim ad Ecclesiam Catholicam properavit, & juxta morem rectæ fidei baptismum accepit.

His temporibus Brigida in Scotia miraculis claret. (*a*)

LIIII. Felix IV. sedit annis IIII.

Felix natione Sabinus constituit, ut anniversarius Dedicationis Ecclesiarum singulis annis solenniter celebraretur. Hic decessit XI. Kal. Januar.

LV. Bonifacius II. sedit annis II. Dioscorus. Schisma quintum.

Bonifacius, natione Romanus, Dioscorum electum ab altera parte Antipapam habuit, qui paucis post diebus mortuus est, quem tamen Bonifacius, collecta Synodo, damnare molitus est. Hic, ut habetur in Chronica Hermanni, quæ est Ratisponæ ad S. Emmeranum, Vigilium Diaconum, post se Papam eligi in Synodo sub chirographo decrevit. Quod tamen postea rescindens, quod contra canones, eatenus combussit.

LVI. Johannes II. sedit annis II.

Johannes, qui & Mercurius, natione Romanus, damnavit Anthemium, Arianum hæreticum. Hic decessit V. Kal. Jun. Hic secundum Chronicam antiquam, cujus mentionem feci in principio hujus operis, quam etiam pro maxima parte sum secutus, & præsertim in annis ab incarnatione Domini, fuit missus a Theodrico Rege Gothorum Constantinopolin ad Justinum Imperatorem sicut in pagina Imperatorum habetur, sed secundum Chronicas Hermanni, Martini, Flores Temporum, Magistri Conradi de Monte puellarum, & alia satis authentica, de ordine Romanorum Pontificum dicitur fuisse Johannes primus. Eo tempore legitur floruisse Sidonius, quem Clivardus, humana & divina literatura instructus, in libro Virorum Illustrium appellat Salvianum, Massiliensis Ecclesiæ Presbyterum.

XLIX. Justinus I. regnavit annis VIII.

Anno Domini DXVIIII. Justinus, genere Illyricus, regnare cœpit, regnavitque annis VIII. Hugo dicit: Justinus senior, Christianissimus Imperator, Anastasio perfido succedens in Regno anno incarnationis DXI, imperavit annis XXIII. Hic, dum esset orthodoxus, cernens in partibus orientis illo tempore adhuc Arianam hæresin per singula loca vigere, pro ardore Catholicæ fidei decernebat hæreticos dissipare, sextoque Imperii sui anno præcepit, ut ubique hæreticorum ecclesias Catholici consecrarent Episcopi. Hoc audiens Theodericus, Ariana lue pollutus, Johannem Papam, simulque cum eo Theodorum atque Agapitum, Consulares viros, aliumque Agapitum Patricium Constantinopolin ad Justinum Imperatorem direxit, mandans illi, minando, quod nisi hæreticis ecclesias suas quantocius redderet, eosque in pace degere sineret, universos Italiæ populos ipse gladio exstingveret. Qui pervenientes ad Augustum, cum ab eo digne ut competebat suscepti essent, magnis cum fletibus postulabant, ut suæ legationis seriem, quamvis esset injusta, libenter exciperet, & Italiæ perituræ consuleret. Quorum fletibus Justinus permotus, eis, quod petebant, concessit, Arianosque suæ potestati dimisit. Cumque in itinere hi demorarentur, Theodericus, rabie iniquitatis suæ stimulatus, Symmachum Patricium & Boëthium, Senatorem & Exconsulem, gladio trucidavit. Johannes vero Papa, qui in Constantinopolitana urbe ad portam, quæ dicitur aurea, cœcum illuminavit, rediens a Constantinopoli, cum sociis itineris sui ad Theodericum venit Ravennam. Ille vero per malitiam impietatis & crudelitatis suæ, pro eo quod a Justino, Catholicæ fidei defensore, honorifice suscepti essent, carceri eos mancipavit, & famis afflictione interfecit. Sed hanc immanissimam ejus crudelitatem divina mox animadversio secuta est. Nam nonagesimo nono post facinus die, subita morte defunctus est. Cujus animam, ut S. Gregorius libro IIII. Dialogorum scribit, solitarius quidam vir magnæ virtutis apud insulam, quæ Lipparis appellatur, vidit inter Johannem Papam & Symmachum Patricium distinctam & discruciatam vinctis manibus deduci, & in ollam Vulcani jactari. Et merito ab illis in ignem mittitur, qui eos in hac vita injuste judicavit. Antea tamen ipse Theodericus, cum adhuc valeret, sed jam senior, convocans Gothos, & gentis suæ primates, Athalaricum, Almasuindæ filium vix decem annorum, Regem constituit, exhortans suos, ut Regem colerent, Senatum Populumque Romanum amarent, Principem Orien-

(*a*) De *Alamundato* vid. Mart. Polon. in *Symmacho* I.

Orientis placatum & propitium habere curarent. Quo defuncto, Gothi, ut præcepit Theodericus, Athalaricum cum matre sua Amalsuinda præficiunt Regno, hoc, quod præceptum erat, custodientes, quamdiu Athalaricus & mater ejus vivebat, qui pene per octo annos regnabat.

LVII. Agapitus sedit annis X.

Agapitus, natione Romanus, constituit, ut nullus altare consecret, nisi Episcopus sit. Item, ut Presbyter, dedicationem fingens, degradetur. Hic decessit X. Kal. Maji, seditque in Papatu annis X, secundum quosdam autem anno fere uno.

LVIII. Silverius sedit annis II.
Vigilius. Schisma sextum.

Silverius, natione Campanus, Ormisdæ dudum Papæ filius, Vigilium Archidiaconum, qui per potentiam Theodati sedem occupabat, Antipapam habuit. Hic Silverius in exilium missus, ibidem moritur, & claret miraculis. Quo mortuo, Vigilius ab omnibus est Papa receptus.

LVIIII. Vigilius sedit annis XIIII.

Vigilius, natione Romanus, constituit, ut altaria & Ecclesiæ versus orientem construantur, quoniam Christus in oriente natus & crucifixus est, a quo processit Christianorum fides & spes sanctissima. Hic Vigilius, licet male Papatum intraverat, quia tamen de facto pœnituit, pro exilio est relegatus, & ibidem vitam feliciter terminavit. Sub isto constitutum videtur, quod Canon nunquam legatur, nisi super sacrificia in altari in vestibus sacris voce submissa. Olim enim quasi ab omnibus per usum quotidianum discebatur. Et cum Pastores super panem & vinum dicerent, repente ante se carnem & sangvinem invenerunt, atque divinitus percussi interierunt.

Hoc tempore in urbe Siciliæ constat, Theophilum Archidiaconum extitisse, qui Christum & Mariam abnegando, diabolo homagium fecit. Qui post (per) diabolum, ad quod volebat, promotus, ad cor rediens, & cum fletu divina pœnitentia se affligens, mediante Dei genitrice Maria, veniam & gratiam recuperavit. Hoc etiam tempore apud Constantinopolin sub Vigilio Papa & Justiniano Imperatore Quinta Synodus Universalis congregata contra Theodoram, alibi Theodorum & omnes hæreticos, qui Beatissimam Virginem Mariam tantum hominem & non Deum genuisse affirmabant. Item Antiochia passa est, terræ motus magnos & tempestates, propter quod omnes discalceati fecerunt litanias clamantes Kyrie eleison. Tunc cuidam Dei cultori revelatum est; ut omnibus diceret, quod in superliminaribus scriberent suis: Christus nobiscum stato. Quo facto, stetit ira Dei. Item apud Byzantium, id est Constantinopolin anno Justiniani IX. facta est mortalitas magna. Qua de causa instituta est solennitas Purificationis Sanctæ Mariæ, quæ Græce Hypanti, quod Latine obviare sonat, dicitur. Item ibidem cœpit Festum Divisionis Apostolorum. Item Sanctus Remigius, Remorum Episcopus & gentis Francorum Apostolus, plenus virtutibus migravit anno Justiniani XVIII. ad Dominum. Item Arator Subdiaconus Romanus librum suum, quem de Actibus Apostolorum Heroico metro edidit, Vigilio Papæ oblatum, publice cum magno favore recitavit. Item Cassiodorus Romæ tam seculari quam divina scientia claruit, qui inter alia bona, quæ scripsit, Psalmorum secreta optime interpretatus est. De cujus verbis ibidem inter cæterum: Hoc est memorabile: omnis splendor Rhetoricæ eloquentiæ, omnes modi poëticæ locutionis, quælibet varietas decore pronunciationis a divinis scripturis sumsit exordium. Hic etiam Tripartitam Historiam ordinavit. Hic antea Consul fuit, deinde Senator, postea conversus, Monachus effectus, Monasterium construxit. Item Dionysius Abbas in Romana Urbe positus, Cyclos Paschales, id est tabulam intervalli sapienter composuit. Item Felix, Tarvisanæ Ecclesiæ Præsul & Fortunatus discipuli ejus fuerunt. Hic Fortunatus fuit de loco, qui dicitur Duplabilis, non longe a Tarvisio. Grammaticam vero & Rhetoricam didicit apud Ravennam. Qui cum dolorem pateretur dentium, similiterque socius ejus Felix, abierunt ambo ad Ecclesiam Sanctorum Petri & Pauli, quæ est in eadem civitate Ravenna, in qua est altare Martini, juxta quod fenestra est, in qua lucerna poni solebat, de cujus oleo super oculos suos posuerunt, & sanitatem ceperunt. Qua causa Fortunatus Beatum Martinum in tantum dilexit, ut patriam dimittens & sepulcrum ejus, Turonum veniret antequam Longowardi Italiam intrarent. Indeque Pictavium tendens, ibique manens multas passiones, alias per versus, alias per prosas composuit, ibique primum Presbyter, postea Episcopus factus est. Item Sanctus Pater Benedictus post eremiticam vitam, quam duxit in loco, cui Sublacus vocabulum est in monte Cassino, doctrina & miraculis claruit. Quo cum primum tenderet, relicta priori habitatione, ex divina jussione tres corvi, quos quotidie nutriebat, prope ipsum semper volando, secuti sunt eum, ut in Chronica antiqua scribitur. Cumque veniret ad quoddam bivium, duo angeli apparebant ei, per quam viam ire deberet. In loco autem ipso quidam servus Dei habitabat, cui vox de cœlo dicebat.

His tu parce locis: alter amicus adest.

Quod aptius dicitur: Amice, exi de loco isto, quia alter amicus debet hic habitare. Veniens autem Sanctus Benedictus, in summitate montis in magna se construxit abstinentia, factoque Monasterio, habitavit ibi. Item Medardus & Gildardus, gemelli fratres, una die geniti, una die ad scholas missi, una die Presbyteri ordinati, & ambo magni facti, una die Episcopi consecrati, & una die defuncti claruerunt. Item in pago Parisiensi claret Sancta Genophea.

LX. Pela-

LX. Pelagius I. sedit annis X, secundum quosdam annis X, mensibus III. diebus XXV.

Pelagius, natione Romanus, de morte Vigilii Papæ, coram populo jurans se purgavit. Hic constituit, ut hæretici & schismatici per seculares punirentur. Hic etiam constituit novem tantum præfationes in missa cantari, reliquas omnes cassavit, quæ adhuc in antiquis Missalibus inveniuntur. Una de Nativitate Domini, secunda de Epiphania, tertia de Quadragesima, quarta de Sancta Cruce, quinta de Pascha, sexta de Ascensione, septima de Pentecoste, octava de Sancta Trinitate, nona de Apostolis Te Domine suppliciter. Decimam addidit Beatus Urbanus Sanctus de Beata Virgine. Hujus temporibus Sanctus Brandanus clarus habetur in Scotia. Item ossa Beati Stephani Protomartyris sunt Romam delata, & cum Sancto Laurentio Via Tiburtina collocata.

L. Justinianus I. regnavit annis XXXVII.

Anno Domini DXXVII. Justinianus, filius Justini, regnare cœpit, regnavitque annis XXXVII. Hic mox, ut Imperialia jura accepit, ad reparandum Reipublicæ statum animum intendit. Renovavit leges, Codicem faciens singularem ex multitudine constantium, quæ in tribus Codicibus, scilicet Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano continebatur. Hic multas gentes bellando devicit. Unde & propter multas victorias diversa agnomina meruit, ita ut vocaretur Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Alanicus, Wandalicus, Africanus. Hic denique post bella plurima æterna pace sopita, animum ad Dei omnipotentis erigens adjutorium, ita ut neque armis, neque militibus, neque bellorum Ducibus confideret, manibus ad cœlum erectis, æterno auxilio invocato, omnem spem proferens ad Dei omnipotentiam, qui res penitus desperatas donare & consummare, suæ virtutis magnitudine potest, rem, quam nemo alius, neque sperare, neque optare ausus fuit, quæ quidem difficillima, imo maxime impossibilis videbatur, aggreditur. Nam omnem dispositionem Romani Juris, quæ pene in duobus millibus voluminum a veteribus erat conscripta, in tribus voluminibus, id est Institutionum, & Digestorum seu Pandectarum nec non Constitutionum perfecit. Hæc autem volumina in tribus annis sunt consummata. Quæ ut primum sperare cœpit, neque in totum decennium compleri videbantur. Quamvis autem omne studium Tribuniano, viro excelso, & aliis viris illustribus & prudentissimis, ut desiderium suum in hoc adimplerent opere credidisset, ipse tamen majestate sua super investigando & perscrutando, quæ ab eis componebantur, quicquid dubium & incertum inveniebatur, cum Numine cœlesti emendabat, & in competentem formam redigebat. Unde de his C. de. ve. jur. enucl. l. 1. Anno Justiniani secundo hyems nive & glacie ita exasperabatur, ut volucres & feræ indomitæ manu capi possent. Anno sequente obiit S. Medardus Episcopus.

Justinianus cum regnare cœpisset Athalaricus, nepos Theoderici, Rex Gothorum, cum paucis annis regnasset, immatura morte præventus est, cujus mater Amalsinda Theodatum, consobrinum suum, sibi ascivit in Regnum. Sed post dies aliquot idem, immemor beneficii, in balneo eam strangulari præcepit. Quia vero ipsa, dum viveret, se suumque filium Principi commendaverat, audita ejus morte, Imperator gravi exarsit iracundia in Theodatum. Quod ille sentiens, Agapitum Papam intercessorem misit Constantinopolim: Qui cum venisset, & colloquium cum Imperatore cœpisset, reperit eum in Eutychetis dogmate corruisse. Quem cum Pontifex pro errore increparet, ille minis aggressus est eum. Sed in fide Catholica Papa immobilis stabat, & ad Imperatorem dicebat: Ego desideravi venire ad Justinianum Christianissimum, sed, ut video, inveni Diocletianum. Videns autem Imperator constantiam ejus, ex voluntate Dei acquievit monitis illius. Quo ad fidei regulam revocato, idem Agapitus Papa Antimum Constantinopolitanum Episcopum, qui eandem hæresin defendebat, deposuit, & in ejus locum Menam Catholicum consecravit. Hoc facto, non multo post idem Pontifex Agapitus ibi defunctus est, & in loculo plumbeo Romam relatus, ad Sanctum Petrum sepultus est. Interea cum jam per multos annos Wandali Africam tenerent, misit Imperator Bilisarium Patricium contra eos. Qui veniens, tribus mensibus, id est a Kalendis Septembris usque ad Kalendas Decembris eos oppugnans, tandem eos vicit, Carthaginem intravit, Regem Wandalorum Gelismerum vivum cepit, omnemque Africam, post XCVI. annos a Wandalico jure liberatam Romano Imperio subjecit. Deinde contra Theodatum missus, cum venisset in Siciliam, Gothi a Theodato ad custodiam illic deputati, hoc audientes, & Romanis servire optantes Principibus, ultro se Bilisario tradiderunt. Quod Gothorum sentiens exercitus, suspectum Theodatum a Regno pellendum clamitat, & Witigem, qui ejus armiger erat, ad rebellandum elevat in Regnum. Qui elevatus in Regnum, Theodatum occidi præcepit. Bilisarius vero conceptas contra Theodatum vires in Witigem convertit, ipsumque captum, Constantinopolin perduxit. Quem videns Justinianus, gavisus est, & non post multum temporis fecit eum Patricium. Illeque ibidem plusquam biennium moratus, defunctus est. Wilisarius igitur, propter multas victorias, magnam gloriam apud Imperatorem, & omnes optimates obtinuit. Qui cum Romæ moraretur, Theodora Augusta ei demandavit, ut Sylverium Papam, falsorum testium accusatione convictum, truderet in exilium, eo quod Antimum hæreticum, Constantinopolitanum Episcopum, quem Agapitus Papa exsecrarat, absolvere noluisset. Quod Wilisarius, licet nolens, effecit, eumque ad Pontianam insulam exiliavit. Ubi & obiit. Similiter & Vigilius Papa, ejus successor, causa ejusdem indigna-

dignationis, per Antimum Scribonem Constantinopolin ductus, inde in exilium est missus. Balisarius autem Patricius accusatus apud Imperatorem, quod adversus eum conspirasset, ablatis omnibus, quæ habebat, missus est in custodiam. Sed post non multum tempus dimissus, omnia recepit.

Postquam autem Witigis captus est, Gothi duos Reges succesive sibi constituunt, qui ambo, duobus annis non expletis, jugulantur. Deinde & Waduillam, qui & Totila dicebatur, sibi præficiunt. Moxque collecto undique exercitu, totam Italiam invaserunt. Exinde cum percurrerent Campaniam, idem Totila, veniens ad Cœnobium Beati Patris Benedicti, qui tunc in monte Cassino magnis virtutibus claruit, ab eo talia audivit: Multa mala facis, multa fecisti, jam ab iniquitate compescere, equidem mare es transiturus, Romam ingressurus, novem annis regnabis, decimo morieris. Inde egrediens per Lucaniam, invadit Siciliam, indeque revertens Romam petiit, eamque obsidione concludit. Romanis itaque laborantibus, nec mœnia tueri valentibus, a porta Hostiensi Totila ingressus est. Volens autem parcere Romanis, per totam noctem clangere buccina jussit, quo se a Gothorum gladiis aut in ecclesiis tuerentur, aut quibuscunque modis occulerent. Habitavitque cum Romanis aliquantum temporis, quasi pater cum filiis. Sed animi benignitatem, qui antea nimiæ crudelitatis erat, Beati Benedicti admonitio, ut conjici datur, conferebat. Elapsi sane ex urbe quidam e numero Senatorum, Constantinopolim afflicti properant, quibus calamitatibus Roma subjiceretur, Principi narrant. Qui statim Narsetem, eunuchum, chartularium & cubicularium suum loco Bilisarii Principem fecit, & cum manu valida in Italiam dirigit, ut afflictæ Romæ quantocius subveniret. Qui commissa pugna, Dei gratia victor Totilam Regem occidit, & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminavit. Hic igitur Justinianus, licet circa leges & libros intentus esset, tamen multas victorias ubique prospere gessit. Basilicam quoque, quam ad hagian Sophian, id est sanctam Sapientiam nominavit, in Constantinopoli fabricavit. Cujus opus super omnia excellentius existimatur, ut in tantis terrarum spatiis ei simile vix inveniatur. Hic postquam XXXVII. annis regnavit, ibidem in multa pace defunctus sepelitur.

Hujus temporibus floret Priscianus Grammaticus. Item in Pompejopoli, Mysiæ civitate, scissa est terra terræ motu, & obrutum est medium civitatis cum habitatoribus, & voces eorum auditæ sunt de subtus clamantium, ut sibi succurreretur. Unde Imperator ad educendos eos multa donavit, viventesque liberaliter liberavit. Item per totam Italiam tanta fuit fames, quod matres carnes puerorum suorum comedebant. Item in Constantinopoli, & in urbibus circumquaque positis, anno Justiniano IX, in diversis Galliarum locis diversa signa facta sunt: cometes apparuit in die sancto Paschæ, terræ motus terribilis per dies quadraginta factus est. Item ignis apparuit in cœlo quasi species lanceæ. Item Judæi cum Saracenis adunati, omnes Christianos Cæsareæ Palæstinæ civitatis interfecerunt, de quo Imperator gravem fecit ultionem. Item ex regione Italorum apparuit quidam nomine *Andreas*, per villas discurrens, habens canem rufum & cœcum, qui jussus ab eo fecit miranda. Cum enim staret in foro in circuitu, & turba adesset, clam ei deferebantur astantium annuli aurei, argentei & ferrei, & ponebantur in terra, quos ille cooperiebat, ipsoque præcipiente canis tollebat, & unicuique suum dabat. Hoc autem aliqui a spiritu pythonico esse dixerunt, alii qui autem a natura. Item Sigismundus Rex Burgundiæ in Agauno Monasterium Sancti Mauritii construxit pro pœnitentia, eo quod proprium filium noverca suadente peremit.

LXI. Johannes III. sedit annis XIII.

Johannes, natione Romanus, restauravit cœmiteria Sanctorum Martyrum. Hujus temporibus Armenia conversa est ad fidem. Hujus etiam tempore, parum ante adventum Longobardorum, acies igneæ visæ sunt in cœlo, de quibus scribit Beatus Gregorius in Homilia Erunt signa &c. Ingens etiam nix cecidit, & insecuta est frugum copia multa & insolita. Anno autem tertio sequenti Italiam pestilentia attritam fames post ubertatem invasit. (*a*)

LI. Justinus I. regnavit annis XI.

Anno Domini DLXV. Justinus Junior, Justiniani nepos, genere Thrax, regnare cœpit, regnavitque annis XI. Hic habuit uxorem nomine Sophiam, quam coronavit Augustam, ipse autem coronatus est ab Eutychio Patriarcha. Hic cum esset pius & orthodoxus, adornavit ecclesias, quas Justinianus ædificaverat, dans eis thesaurum & omnem reditum. Fuit autem in initio bonus, postea vero in omnem avaritiam incidit, factus exemtor pauperum, spoliator Senatorum, faciens arcas ferreas, in quibus, quæcunque rapiebat, auri talenta reconderet. Hujus anno octavo, rupta est pax inter Romanos & Persas. Propterea Imperator misit Julianum Magistrum Militum cum epistola ad Aretham Regem Indorum, qui susceptus est cum gaudio multo ab Aretha Rege, appetente nimirum amicitiam Imperatoris Romanorum. Et narrabat idem Julianus, cum redisset, quod Aretha Rex, quando ipsum suscepit, nudus esset, habens in lumbis cincturam & linea vestimenta auro contexta, circa ventrem vero portabat indumenta scissa, margaritis pretiosis conserta, habens in brachiis quinos circulos, & aureas armillas in manibus, in capite autem pannum gemmatum habentem ex utroque ligamento plectas quatuor, & in collo torquem aureum, & stabat super quatuor elephantes, stantes & habentes jugum & rotas quatuor, & super se currum excelsum velatum petalis aureis; stansque desuper ferebat scutum parvissi-

(*a*) Cætera Martinus Polon.

mum deauratum, & duas lanceolas aureas, & Senatus ejus erat omnis cum armis canentes modulationes musicas. Introductus ergo Legatus Romanorum cum adorasset, jussus est ab eo erigi, & adduci ad se. Cum autem accepisset Imperatoris sacramenta, osculatus est signaculum, quod habebat Imperator, pectusculum. Susceptis autem donis gavisus est valde. Porro cum legisset epistolam, invenit, ut se armaret contra Regem Persarum, & ejus regnum vastaret. Quod protinus fecit, tenensque caput Juliani dedit ei pacis osculum, dimisitque eum in magna benevolentia multisque muneribus.

Interea Narses Patricius eunuchus, vir sapientissimus, in fide Christi Catholicus, in pauperes largus, recuperator Ecclesiarum, in vigiliis & orationibus assiduus, in tantum, ut victoriam magis obtineret oratione quam armis, Justiniano mortuo, cum superata gente Gothorum aliisque, qui Regnum Romanum perturbabant, ipse jam Italiam securus teneret, Romani per invidiam accusationem adversus eum direxerunt, Justino Augusto & Sophiæ uxori ejus dicentes: melius esset nobis servire Gothis, quam Græcis, ubi Narses castratus imperat, & nos servitio premit, & noster sanctissimus Princeps hoc nescit: aut libera nos de manu ejus, aut civitatem Romanam & nosmet ipsos gentibus trademus. Audiens hoc Narses, scripsit ad Augustum, dicens: Si malefeci Romanis, male inveniam. Sed Augustus motus adversus Narsetem ira, Longinum Præfectum statim misit in Italiam, qui locum Narsetis teneret. Sophia quoque Augusta, inter alia verba contumeliæ, sic ei scripsit: Lanam fusare debes, & pensum dividere, quod Teutonice dicitur Wickelin Kemmen, quia vir esse non vales. Ad hæc Narses respondit: Talem ei ordiar telam, ut, quamdiu vixerit Sophia, ipsa non possit deponere eam. Secessit igitur Neapolin, & in vindictam injuriæ suæ, misit Legatos ad Longobardos, amicos suos, qui in Pannoniis habitabant, dicens: Dimittite paupertatem Pannoniæ, & venite ad fertilem Italiam, omnibus divitiis plenam. Et ut animos eorum amplius incitaret ad veniendum, misit eis de omnibus generibus pomorum, & quicquid delectabile poterat excogitare, de divitiis terræ. Longowardi hoc audientes, gratanter acceperunt, & qualiter irent præparaverunt. Et continuo apud Italiam apparuerunt signa in cœlo, scilicet igneæ acies, sangvinem humanum, qui postea effusus est, significantes. Alboin, alibi Alboinus, alibi Albinus igitur Rex Longobardorum, petiit auxilium ab antiquis Saxonibus amicis suis, ut spatiosam Italiam intrarent cum multis. Cui Saxones plusquam viginti millibus juncti sunt, & secundum ejus voluntatem cum uxoribus & filiis, Benedicti Papæ tempore, Italiam cum eo intraverunt, & totam Italiam, præter Romam & Romandiolam (quæ sic vocata est quasi altera Roma, ex eo scilicet, quod semper Romæ adhæsisset) per annos ducentos occupabant. Albinus igitur Rex ingressus Papiensem civitatem, corruente & jacente juxta portam equo suo, divinitus mitigatus, surgere non potuit, donec juramentum, quo omnes Christianos se occisurum minitabatur, ad admonitionem cujusdam Christiani mutavit. Et statuens ibidem sedem Regni sui tribus annis & sex mensibus, in Italia regnavit. Tandem apud Veronam insidiis Rosemundæ conjugis suæ ab Helchinchiso armigero suo peremtus est. Vide de hoc in Novo Passionali in Pelagia Historia. Istis temporibus Longobardi, licet essent baptisati, nihilominus colebant idola, sicut arbores, & more bestiali simulacrum viperæ aureæ. A quo errore vir Sanctus Barbatus nomine, Beneventanus Episcopus, ipsos retraxit. Nam & arborem, quam colebant, succidit, & simulacrum viperæ aureæ in calicem commutavit.

Justinus igitur Imperator Tiberium, Comitem excubitorum, sibi filium faciens, Cæsarem appellavit, & successorem suum constituit. Erat autem Imperator æger pedibus, & per hoc magis in lectulo jacuit. Post hæc infirmatus est, sed paululum a languore dimissus, convocavit tam Eutychium Pontificem & Senatum, quam omnes Sacerdotes & cives. Et adducto Cæsare Tiberio, palam omnibus appellavit eum Imperatorem, his sermonibus usus: Ecce Deus benefecit tibi. Hunc habitum tibi dedit, non ego. Honora illum, & tu quoque honoreris ab illo. Honora matrem tuam, quæ aliquando tibi Domina fuit. Nosti, quamprimum fueris ejus servus, nunc autem filius. Ne graturleris in sangvinibus. Ne communices homicidio. Non malum pro malo reddas. Ne in malo inimicitiæ mihi similis efficiaris. Non elevet te habitus hic, quemadmodum me. Sic attende omnibus, sicut tibi. Scito, quis fueris. Ne superbias, & non peccabis. Omnes isti filii tui sunt, sicut & servi: Hos cum videas omnes, qui sunt Reipublicæ, vides. Hæc cum dixisset, & facta oratione a Patriarcha, cum dixissent omnes Amen, cecidit Cæsar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: Si vis sum: si vis, non sum. Et Imperator ait: Deus, qui fecit cœlum & terram, ipse omnia, quæ dicere oblitus sum, in cor tuum mittat. Hæc cum dixisset, Imperator implevit lacrymis totum collegium. Post hæc Justinus anno XI. Regni sui mortuus est, relicto Tiberio successore, qui in majori pace dies suos finivisset, si ad uxoris suæ (nutum) Narsetem suum Patricium non turbasset. Quidam scribunt, quod in hæresin Pelagianam inciderit, & ideo justo Dei judicio sensu perdito vitam cum amentia perdiderit.

Justini anno VI. Amandus nascitur Episcopus Trajectensis. Ejusdem anno VII. Gregorius Turonensis ordinatur Episcopus.

LXII. Benedictus I. sedit annis IIII.

Benedictus, natione Romanus. Hujus temporibus cometa in die Paschæ visa est. (*a*) Item Suessionis cœlum ardere visum est. Item Parisius sangvis de nubibus fluxit. Item pestilentia ingens & mortalitas facta est. Item in Hispaniis

(*a*) Locustæ loquentis miraculum vide ap. Martin. Minor.

ſpaniis hæreſis Ariana deſtructa, & Synodus Toletana collecta eſt induſtria Leandri Præſulis & Richaredi Regis Gothorum.

LXIII. Pelagius, ſedit annis X. menſibus II.

Pelagius, natione Romanus, de domo paterna fecit hoſpitale pauperum, & fuit primus, qui in urbe hoſpitale conſtruxit. (*a*) Sepultus eſt in Eccleſia Sancti Petri an. Domini DLXXXII. qui eſt ſecundus, quo Hildebertus, Rex Francorum, cœpit regnare. Sanctus Rudpertus Wormatienſis habetur Epiſcopus, qui ab infidelibus, qui erant in provincia Wormatienſi ejectus, venit in Bavariam, ubi Theodonem, gentis ejuſdem Ducem temporibus Heraclii Imperatoris in civitate Ratiſpona baptizavit, & poſtea ſedem Saltzpurgenſem fundavit.

LII. Tiberius regnavit annis VII.

Anno Domini DLXXVI. Tiberius Conſtantinus, genere Thrax, regnare cœpit, regnavitque annis VII. Hic ſummæ bonitatis fuit, ad eleemoſynas promtus, in judiciis juſtus, in diſcretione cautiſſimus. Nullum deſpiciebat, ſed omnes cum bona voluntate ſuſcipiebat. Et quia dilexit omnes, ab omnibus dilectus eſt. Hic cum adhuc vivente Juſtino palatio præeſſet, theſauros, quos Juſtinus male congregando, in arcis ferreis repoſuit, ipſe pauperibus diſtribuit. Cum autem Sophia Auguſta eum frequentius pro hac re increparet, dicens: Quod ego per multos annos congregavi, tu in modico tempore diſpendis: ipſe reſpondit: Confido in Domino, quod pecunia non deerit fiſco Regali. Hic igitur, quia multas eleemoſynas quotidie fecit, multum ei Deus aurum demonſtravit. Quadam itaque die ambulans per palatium, vidit in pavimento petram, in qua ſculptum erat Signum Sanctæ Crucis. Et ait, Cruce Domini ſignare frontes & pectora debemus, & ecce ſub pedibus noſtris eam calcamus? Et juſſit eam aufferri. Quæ cum levaretur, invenerunt aliam ſimiliter ſignatam. Cumque hanc ſublevari juſſiſſet, apparuit tertia. Hanc quoque cum levaſſet, invenerunt plusquam mille centenaria auri. Quo ſublato, multum pauperibus largitus eſt ex eo. Narſes quoque Patricius, cujus ſuperius facta eſt mentio, magnam domum habuit, in qua ciſternam faciens, multum aurum & argentum in ea recondit, occidens omnes hujus rei conſcios, præter unum ſenem, a quo juramentum exigens, omnia ei commendavit. Mortuo autem Narſete, prædictus ſenex ad Tiberium venit, & de eadem pecunia ei indicavit. Qui gaviſus, miſit pueros ſuos cum eo, qui aperientes ciſternam, tantam pecuniam invenerunt, ut per multos dies vix potuiſſet deportari, quam more ſuo pene omnem pauperibus erogavit. Hic anno ſeptimo Regni ſui cum ex infirmitate mortem ſibi vicinam ſentiret, Mauritium generum ſuum ad Imperium elegit, eique Principatum dedit, dicens: In mente habe, ut rectitudinem & juſtitiam ſemper ames. Hoc poſtquam dixit, de hac luce migravit, quem omnes populi pro bonitate ejus multum planxerunt.

Hujus Imperii anno tertio Beatus Gregorius tunc Archidiaconus, cum fuiſſet a Pelagio Papa Conſtantinopolin Apocryphariu miſſus, Eutychium, ejuſdem Urbis Epiſcopum, præſente Tiberio Auguſto, in fide reſurrectionis erraſſe convicit, qui corpus noſtrum futurum aëre ſubtilius eſſe dicebat contra illud Lucæ ultimo: Palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet.

LXIIII. Gregorius I. ſedit annis XIII. menſibus VI. diebus X.

Gregorius Primus Doctor, natione Romanus ex patre Gordiano fuit. Hic officium Divinum & Horas Beatæ Virginis ordinavit. Item Litaniam majorem in die Marci inſtituit. Cum autem Angeli in aëre ante imaginem Beatæ Mariæ Virginis, quæ ante proceſſionem in hac Litania ferebatur, Antiphonam Regina cœli &c. cantarent, ipſe adjunxit Ora pro nobis Deum. (b) Hic deceſſit IIII. Id. Mart.

LIII. Mauritius regnavit XXI.

Anno Domini DLXXXIII. Mauritius genere Cappadocus, primus ex genere Græcorum, regnare cœpit, regnavitque annis XXI. Hic ſecundo Imperii ſui anno Conſul appellatus eſt, & multos theſauros Urbi donavit. Provexit autem Philippicum quendam Prætorem orientis, cui & filiam ſuam Gordiam uxorem dedit, quem tamen poſtea ſuſpicioſum quaſi Regni uſurpatorem habuit.

Hujus temporibus, ipſo annuente, Beatus Gregorius ad gradum Romani Pontificatus provectus eſt, cujus filium antea idem Gregorius de baptiſmate ſuſcepit. Poſtea tamen idem Mauritius Gregorio Papæ infeſtiſſimus erat. Magnæ quippe avaritiæ & rapacitati deditus erat, pro qua re Gregorius, quantum potuit, eum corripiebat, & quia Imperatorem non verebatur, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur. Sed eodem anno, qui fuit Imperii ſui XVIIII, vir quidam monachico indutus habitu, ſpatam dextera tenens, a foro usque ad æneam gladiatoris ſtatuam diſcurrit, & Imperatorem gladio moriturum, omnibus pronunciavit. Quod Mauritius ut audivit, a tyrannide inferenda ſemet continuit, & reverſus in ſe cogitavit, quod Deum lateat nichil, ſed reddat omnibus ſecundum opera eorum. Recognoſcens etiam exceſſum, quem in captivatione multorum fecerat; multa enim bella in diverſis mundi partibus per diverſos Duces exercuerat, expedire ſibi judicavit, in hac vita recipere pro peccato pœnam, & non in futura. Compoſitasque ſcripto preces eidem Gregorio, & ad omnes civitates & Monaſteria civitatum ſive ſolitudinum cum cereis & thymiamatibus & pecuniis transmiſit, &, ut pro peccatis ſuis intercederent, ſupplicavit. Hoc potiſſimum, ut hic & non in futuro, quæ meruit, reciperet. Cumque hoc & ipſe vehementius

(*a*) Cætera apud utrumque Martinum.

(*b*) Cætera apud utrumque Martinum.

per

per tempora multa lacrymis postularet, quadam nocte dormiens, vidit in visu apud æneam palatii portam se coram multo populo imagini Domini Salvatoris assistere, & vocem terribilem ex eadem imagine se audire dicentem: Date Mauritium. Et tenentes eum judiciorum ministri, posuerunt eum apud purpureum umbilicum, qui illic erat. Cui eadem vox, Characteris, ait, ubi vis reddam tibi mala, quæ fecisti, hic, an in futuro seculo? At ille respondit: Amator hominum Domine & judex juste, hic mihi potius, quam in futuro retribue. Et jussit divina vox tradi Mauritium, & Constantinam uxorem ejus, & filios & omnem cognationem ejus Phocæ militi. Evigilans autem Mauritius, vocavit eum, qui ante se dormiebat, misitque, & vocavit ad se Philippicum, generum suum, quem dudum suspicabatur, velle sibi Regnum surripere. At ille pro suspicione prædicta se perdendum conjiciens, advocatæ ad se Gordiæ uxori suæ, tanquam ultra se non visuræ valedixit, Sacramentoque communionis accepto, ad palatium venit, & cubiculum Imperatoris ingrediens ad pedes ejus procidit. Qui assurgens Imperator, ad pedes ejus nichilominus corruit, dicens: Ignosce michi, deprecor propter Deum, quia peccavi in te. Nunc enim certissime novi quod nihil peccaveris in me. Siquem vero scias in agminibus nostris, qui soleat Phocas nominari, dic mihi. Et Philippicus diu secum recogitans dixit: Unum sic vocatum scio, qui nuper ab exercitu procurator positus, tuo contradicebat imperio. Cum autem Imperator quæreret de ejus qualitate, Philippicus ait: Est quidem juvenis temerarius, attamen timidus. Tunc Mauritius ait: Si est timidus, profecto & homicida est. Et narravit Philippico somnium, quod vidit. Porro nocte illa visa est stella, quæ dicitur cometa. In crastinum vero venit Magistratus, quem misit ad Eremitas, ferens ab eis hujusmodi responsum: Deus, recepta pœnitentia tua, salvabit animam tuam, & cum tota domo tua in numero Sanctorum te constituet, ab Imperio vero cum ignominia & discrimine discedes. His auditis, Mauritius glorificavit Deum magnifice, & pœnitentiam quidem tenuit, sed avaritiæ malum adeo non reliquit, ut exercitum in periculosis locis hiemare, & victum juberet ab extraneis cum periculo quærere, ne videlicet alimenta publica deberet eis ministrare. Quod audiens exercitus, in seditionem convertitur, exaltatumque super clypeum Phocam Centurionem acclamavit Exarchum. Commoto autem gravi tumultu Constantinopoli, Mauritius mutata veste cum uxore & filiis noctu dromonem conscendit, & fugiens, apud Sanctum Antonion venit. At Phocas cum exercitu in septimum veniens Imperator efficitur, a quo Mauritius cum uxore nomine Constantina & filiis suis, Theodosio & Tiberio Constantino apud Chalcedonem missus decollatur. Verum Mauritius patienter infelicitatem sustinuit, Deum in omnibus invocans, & crebro pronuncians: Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Ajunt autem quidam, quod eo occiso, lac cum sanguine fluxerit, ita ut omnes inspicientes dire lamentarentur. Sic etiam Imperator etiam naturæ legibus celsior factus, vitam commutavit. Porro ex illo tempore non defuerunt Romano Imperio variæ & ingentes ærumnæ.

Hujus temporibus tunica Domini inconsutilis, super quam milites sortem miserunt, in opido Zaphat, procul a Jerusalem in arca marmorea reperitur. Quam Gregorius, Antiochenus Episcopus, Thomas Jerosolymitanus, & Johannes Constantinopolitanus cum aliis multis Episcopis, facto triduano jejunio, ordine pedestri Jerosolomam in ipsa arca perducentes, in Ecclesiam, ubi Crux Domini oratur, posuerunt.

Quoniam in Legenda Sancti Magni Confessoris, Patroni nostri, mentio fit Theodowerti & Theoderici Regum Franciæ, & Agilolfi Regis Longobardorum, qui illis temporibus regnaverunt, libet digrediendo paululum ipsorum historiis immorari. Igitur regnante Justiniano, Romanorum Imperatore Clotharius Rex Francorum moritur, relinquens filios quatuor, scilicet, Heribertum, Guntramum, Hilpericum & Sigibertum, qui inter se Regnum diviserunt. Ex his Sigibertus Brunihildem, pulchram & ingeniosam filiam Regis Hispaniæ, accepit uxorem, quæ quia Arrianæ legi subjecta erat, in nomine Sanctæ Trinitatis eam baptisari jubebat, ex qua filium Hildebertum, cujus sub Pelagio Secundo mentio est facta, suscipiebat. Hic igitur Hildebertus cum regnaret annis XX, mortuus est, relinquens filios duos, seniorem nomine Theobertum ex concubina in morem, Theodericum ex Regina, sed senior Regnum Patris accepit, scilicet Austrasiam, juniorem vero scilicet Theodericum avia sua Brunihildis direxit in Regnum Gutrami Regis, videlicet Burgundiam. Hi duo Reges scilicet & Theodericus, gesserunt simul pugnam, quam Sanctus Magnus, semota longa regione raptus, in divina visione, vidit; periitque Magister suus Columbanus. Hujus autem pugnæ, sicut in historia Francorum legitur, causa se ita habet. Brunihildis subministrans malum consilium nepoti suo Theoderico, dixit: Cur non requiris thesaurum & Regnum patris tui de manu Theodeberti, cum non sit frater tuus, sed de meretrice quadam patris tui concubina sit editus. Unde ille hæc audiens, ut erat acerbis moribus, exercitum plurimum contra fratrem direxit. Cumque convenirent in prælium, Theodebertus victus fugit Coloniam, Theodericus autem illum persecutus, cum cuncta vastasset, & populus, ut subjectis parceret, clamaret, ait: Si vultis, ut parcam vobis, Theodebertum mihi vivum adducite, aut caput ejus afferte. Qui civitatem ingressi, cum svaderent Theodeberto, ut thesaurum redderet, quatenus frater ejus recederet. Ille verbis eorum credulus, ingrediens thesaurum suum, & cum pretiosissima quæque requireret, unus ex eis retro ejus cervicem gladio percussit, & caput

caput ejus amputavit. Theodericus vero apprehendens ipsam civitatem, multos thesauros accepit, veniensque ad urbem, Mentesem filiam Theodeberti pulchram nimis cum duobus filiis parvulis abduxit, filiosque occidens, filiam in conjugium accipere voluit. Cui cum diceret Brunihildis; Non debes ducere filiam fratris tui, ille iratus ait: Nonne tu dixisti mihi, quod non esset frater meus? cur induxisti super me peccatum hoc, auctrix mortis? & evaginato gladio voluit transfigere eam. Sed illa a circumstantibus erepta est. Post hæc odio nimio infecta, potionem venenatam per ministros ei direxit, quam ille bibens mortuus est. Taliter refert Historia Francorum, sed in Vita Sancti Magni aliter legitur. Verba vide, si placet. De hac autem controversia Scriptores videant. Mortuo autem Theoderico, filius ejus Sigibertus in Regnum successit, quem Lotharius, filius Hilperici, captum occidit, eo quod fines Regni, qui suæ ditioni debebantur, ipse Sigibertus conaretur auferre. Occidit etiam quinque fratres ejus, filios Theoderici, Brunhildem quoque captam, ligatamque indomitorum equorum caudis, ut digna erat, vita privavit.

Post hæc, cum Beatus Columbanus, Gallus & Magnus apud lacum Brigantinum, qui tum Constantiensis vocabatur, nunc autem Potanicus, vulgariter Podensee, populo Christum prædicarent, ejectus inde ob invidiam Sanctus Columbanus, febritantem Gallum ibidem reliquit, dimisso cum illo Sancto Magno sibi in solatium, ipseque relicta Alemannia in Italiam venit, ubi ab Agilolfo Rege Longobardorum & Theodelinda Regina, quæ fuit filia Garibaldi Regis Bavarorum, benigne susceptus, Cœnobium Bobiense construxit. Tunc etiam in Suevia sub diœcesi Constantiensi Ecclesia Sancti Galli valde honorabiliter constructa est, vivente Columbano, cum esset Abbas CCCC Monachorum, qui omnes Sancti esse creduntur, præter unum, scilicet Ebroinum. Anno Mauritii XV. Columbanus Abbas & Presbyter, Doctor Scotorum & Pictorum, obiit. Quomodo autem evenerit, quod Agilolfus Theodelindam accepit uxorem, sic colligitur ex Historia Longobardorum. Anno XII, postquam Albinus, Rex Longowardorum, cujus sub Justino Minore facta est mentio, obiit, Longobardi sibi quendam nomine Authari, Regem substituerunt. Hoc in tempore Mauritius Imperator quinquaginta millia solidorum misit Hildeberto Regi Francorum, ut de Italia Longobardos expelleret. Quo veniente cum magno exercitu, Longobardi civitates suas intraverunt, & xenia Hildowerto Regi miserunt, pacemq; cum eo fecerunt, qui reversus est in Galliam. Quod audiens Mauritius, solidos, quos ei pro dissipatione Longobardorum dedit, repetere cœpit. Post hæc misit Authari Rex Longobardorum legatos suos ad Garibaldum, Regem Bavarorum, petens filiam suam uxorem. Qui bene legatos suscepit, & filiam suam nomine Theodelindam ei promisit. Quod dum missi renunciarent, Autharius cupiens videre sponsam suam, elegit secum paucos juvenes fortissimos, & unum fidelissimum quasi pro Domino, & cum summa festinatione perrexit in Bavariam. Cumque starent in conspectu Garibaldi Regis, & ille, qui quasi senior videbatur, dicta sua complesset, dixit Authari ad Regem: Dominus meus Authari pro ista causa me misit, ut videam filiam vestram, Dominam nostram, ut qualis sit forma ejus, possim Domino meo vere nunciare. Qui statim fecit eam venire. Quæ cum Authari, dixit ad Regem: Si placet Vestræ Potestati, de sua manu det nobis bibere, sicut & posthac debebit facere. Quod cum fieri Rex jussisset, illa tollens calicem plenum mero dedit primum illi, qui senior videbatur. Deinde porrigebat Authari, nesciens, quis esset. Ipse vero postquam bibit, & calicem reddidit, nemine vidente, digito eam tetigit, & manum suam per faciem ejus duxit. Quæ verecundans, cum hoc nutrici suæ indicaret, nutrix respondit: Si Rex & sponsus tuus non esset, te nullo modo tangere præsumsisset. Sed taceamus, ne audiat hoc ipse pater tuus. Iste, qui talem habet personam, dignus est & Imperium habere, & te uxorem ducere. Erat enim Authari juvenis pulcerrimus, & boni status. Post hæc commeatum petentes a Rege, perrexerunt in patriam suam. Authari vero cum pervenisset prope fines Italiæ, comitantibus aliquibus Bavaris, appropinquavit arbori, quæ stabat prope viam, & erexit se super caballum, quantum potuit, & securi, quam portabat in manu, in ipsam arborem impegit, ibique dimisit, dicens: Taliter ferire solet Authari. Quo dicto intellexerunt Bavari, quod ipse esset Authari. Post aliquantum tempus conturbatus est Rex Garibaldus de adventu Francorum, & Theodelinda, filia ejus, cum fratre suo nomine Gundoaldo fugit ad Italiam, & mandavit sponso suo Authari, ut veniret obviam eis. Qui gavisus est, & faciens magnam præparationem, perrexit ad campum, qui dicitur Sardis super Veronam, & suscepit eam cum gaudio. Erat autem & ibi inter alios Longobardos Agilolfus, Dux de civitate Taurinensi. Huic unus de pueris suis, nescitur quo spiritu informatus, ait secrete: Illa mulier, quam mox Rex tulit uxorem, post non multum tua conjux erit. Qui iratus ait: Si illa alia vice dixeris, caput tuum abscindam. Cui ille respondit: Verum est, quod caput meum abscindere poteris; sed & hoc verum est, quod ista fœmina ad hoc venit in istam patriam, ut uxor tua sit. Quod & postea factum est. Authari igitur, postquam regnasset annis sex apud Ticinum, veneno, ut dicunt, mortuus est.

Regina vero Theodelinda, quia placebat Longobardis, dimiserunt eam regnare, dicentes ei, ut quemcunque amaret virum, tolleret maritum, talem tamen, qui dignus est regere Regnum. Quæ habito consilio cum sapientibus, elegit sibi maritum Ducem *Agilolfum*, qui erat vir sapiens & bellator, & per omnia aptus ad regnandum. Cui statim mandavit, ut veniret

ret ad eam. Ipsaque ad castellum, quod Laomellum vocitur, perrexit ei obviam. Qui cum inter se haberent colloquia, jussit Regina afferri vinum, bibensque ipsa prior, dedit Agilolfo. Qui cum acciperet, honorabiliter manum ejus osculatus est. Quæ subridens ait: Non debes manum meam osculari, quia Rex & maritus meus eris. Et sic eum amplexa est, & manifestavit ei omnia, quæ per consilia sapientum de gubernatione Regni & nuptiis suis ordinata essent. Inter hæc fiunt nuptiæ cum lætitia magna, & Agilolfus, qui erat cognatus Regis Authari, cœpit regnare, cognatisque Longowardis apud Mediolanum, in Regno confirmatur.

His diebus Beatus Gregorius Dialogum scripsit, eumque Theodelindæ Reginæ pro munere misit, quia sciebat eam Christianissimam, & timentem Deum. Per ipsam quippe multa bona in Ecclesia Dei facta sunt. Nam Longobardi, cum adhuc gentilitatis tenerentur errore, prope omnes substantias Ecclesiarum abstulerunt, sed ista supplicando, & ipsum Regem ad Catholicam fidem adduxit, & multas possessiones Ecclesiis contulit, Episcopos quoque, qui antea nullum honorem habebant, ad propriam dignitatem restituit. Hoc tempore ordinatus est Rex Tassilo in Bavaria a Hildeberto Rege Francorum, statimque ivit cum exercitu in provinciam Sclavorum, & victoriam habens, cum magna præda ad terram suam reversus est. Igitur dominantibus per omnem Italiam Longobardis, dum Agilolfus Rex Longowardorum, qui & Agio dictus est, Padum fluvium transisset, & summopere ad obsidionem Romanæ urbis festinaret, Beatus Gregorius in tantum territus est, ut ab expositione Ezechielis, sicut ipse ibidem in principio homiliæ primæ secundæ partis testatur, cessaret. Cœpit autem Beatus Gregorius frequenter per epistolas suas Theodelindam Reginam monere, ut hortaretur Agilolfum maritum suum, pacem cum Romanis habere. Quod & factum est. Nam in die Sanctorum Gervasii & Prothasii facta est pax inter Romanos & Longobardos. Et ideo Beatus Gregorius in eodem constituit cantari in Officio Loquetur Dominus pacem &c. In nativitate quoque Johannis Baptistæ prædictorum, pax & conversio amplius confirmata est. Theodelinda igitur meritis Beati Johannis Baptistæ, in quem specialem devotionem habebat, gentis suæ conversionem ascribens, apud Modetiam in Diœcesi Mediolanensi in honore ipsius Ecclesiam fabricavit, quam multis ornatibus auri & argenti decoravit. Hoc tempore Hildwertus Rex Francorum, cujus superius facta est mentio, per venenum, ut dicunt, occisus est cum uxore sua, cui filii sui, scilicet Theodebertus & Theodericus succedunt. Item circa tempora (hæc) destructum est a Longobardis Monasterium Sancti Benedicti in Castro Cassino. Item Agilolfus Rex Longobardorum, postquam regnavit annis viginti, defunctus est, relinquens in Regno filium suum Adolendum (Adalwaldum) adhuc puerum cum matre sua Theodelinda, qui cum regnaret decem annis, perdidit sensum, & ejectus est de Regno. Huic successit Aridaldus, qui, postquam tenuit Regnum per annos XII, mortuus est. Et Regnum suscepit Rutheri, vir fortis & strenuus, Arriana perfidia maculatus. Hujus temporibus pene per omnes civitates Regni ejus duo erant Episcopi, unus Catholicus, alter Arrianus. Hic Rutheri Leges Longobardorum composuit, & ipsum codicem Edictum appellavit.

LXV. Sabinianus sedit anno I. mensibus V.

Sabinianus natione Tuscus, constituit, ut pulsarentur horæ diei ac noctis in Dei Ecclesia, & qvod horæ per Presbyteros celebrentur. Hic cum esset avarus, Beato Gregorio post mortem derogabat, dicens: ipsum fuisse prodigum & hypocritam. Qui ab ipso ter in somnis monitus, cum non desisteret, quarto in capite percussus est, & obiit.

LXVI. Bonifacius III. sedit anno I. mensibus VIII.

Bonifacius III. natione Romanus, regnante Phoca Imperatore statuit, seu potius declaravit, Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum. Nam Constantinopolitana Ecclesia prius se scripserat Matrem omnium Ecclesiarum. Quidam tamen scribunt, hoc factum fuisse per Bonifacium Quartum. Hic constituit, ut panni, qui altaria cooperiunt, sint mundi & candidi. Hic etiam sub pœna excommunicationis furtum inhibuit in Ecclesia.

LXVII. Bonifacius IIII. sedit annis VII. mensibus VIII.

Bonifacius IIII. natione Marsorum, a Phoca Imperatore Templum Pantheon impetravit, & III. Id. Maji illud in honore Sanctæ Mariæ & omnium Martyrum dedicavit. Hoc autem festum post annos CCXX. tempore Gregorii IIII. translatum est ad Kal. Novembris. (a)

LIIII. Phocas regnavit annis VIII.

Anno Domini DCIIII. Phocas quidam Prisci, ut ajunt, Patricii quondam strator, post ad militiam profectus, deinde a populo Procurator factus, ad ultimum vero, vivente adhuc Mauritio Imperatore, ab exercitu ad Imperium electus, regnare cœpit, regnavitque annis VIII. Hujus Imperii anno secundo Gregorius migravit ad Dominum, ut legitur in Floribus Temporum, quod adhuc Antiphonarius Beati Gregorii monstrat Apud Ecclesiam latro musice notatus, in quo apparet, quod per usum cantantes, plurima mutaverunt.

Hujus tempore Cosdre, Rex Persarum, adversus Publicam Rem bella gravissima gerens, Ecclesias destruxit, ac sancta loca profanavit. Inter cætera autem ornamenta locorum vel sanctorum, de Jerosolymis etiam Crucem Sanctam abvexit. Phocas autem, cujus uxor erat Leontia, cum homicidia cæteraque multa mala

(a) Cætera quære in Martino Minorita.

fecisset

fecisset in populo, Priscus Patricius gener ipsius, dolens pro his scripsit Heraclio Patricio & Prætori Africæ, ut filium suum Heraclium mitteret, quatenus contra Phocam Tyrannum veniret. Qui veniens cum exercitu, pugnavit cum eo, & vicit eum, vulgus autem apprehensum interfecit, & in igne apud Taurum cremavit.

His temporibus claruit Johannes, Patriarcha Alexandrinus, qui ob eximiam pietatem, quam in Christi pauperes habuit, Eleemosynarius est dictus. Hujus legendam pulcerrimam vide in Novo Passionali.

LXVIII. Deusdedit sedit annis VII.

Deusdedit, natione Romanus, constituit, ut contra Simoniacos testes esse possint meretrices, servi & criminosi. Item constituit, si qui viri vel mulieres suos ipsorum filios quocunque modo de sancto Lavacro susciperent, separarentur ab invicem.

LXIX. Bonifacius V. sedit annis V.

Bonifacius V. erat mitissimus super omnes & misericors, qui a militibus Ravennate interfectus est. (*a*)

LXX. Honorius I. sedit annis X, mensibus IX, diebus XVII. (*b*)

LXXI. Severinus sedit anno I. mense I.

LV. Heraclius regnavit annis XXVII.

Anno Domini DCXII. Heraclius, occiso Phoca, cœpit regnare, regnavitque annis viginti septem. Hic coronatus a Sergio Patriarcha in Oratorio Sancti Stephani, quod est in palatio, cum desponsata sibi Eudoxia, simulque acceperunt nuptiarum coronas, & una eademque die & Imperator & sponsus ostenditur. Sequenti anno nascitur Imperatoris filius de Eudoxia Heraclius Minor, qui & Constantinus Novus est dictus. Et mortua est Augusta eodem anno. Deinde anno sequenti duxit Heraclius Incestem, Martiniani neptem suam sororis suæ filiam, quæ coronata est in Augustam a Sergio Patriarcha hæretico, de qua suscepit filium Heraclionam. Anno Imperii sui octavo, Heraclius misit in Persidem legatos ad Cosroen, postulans pacem. Qui sprevit eos, dicens: Non parcam vobis, donec Crucifixum, quem Deum fatemini, abnegetis, & solem adoretis. Heraclius igitur XII. Imperii sui anno, contracta omni militia sua, movit exercitum in Persidem, multaque prælia cum diversis Ducibus committens, per sex annos Persidem devastavit, occisoque Cosroë, septimo anno Constantinopolin, ablato a Perside vivifico Crucis ligno, rediit, moxque sequenti vernali tempore Ierosolymam pertendit, pretiosum illud lignum reportans ad gratiarum actiones Deo referendas. Dum itaque per portam, per quam Christus bajulans crucem, ad passionem exivit, vellet intrare, porta divinitus clauditur, eique humiliato ad intrandum rursum aperitur. Sicque Rex devotissimus in has Crucis laudes prorupit:

> O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clavi, dulcis mucro, dulcis hasta, dulcia ferens pondera, salva præsentem catervam, in tuis hodie laudibus congregatam, tuo vexillo signatam.

Et ita cruce velata celebritatem ipsius exaltationis instituit fieri annuatim. De quo in Novo Passionali.

Verum post hæc inter Romanos & Saracenos bellum importabile oritur, adeo ut Heraclius timens de cruce, ipsam de Jerusalem in Constantinopolim transtulerit, cujus pars magna post annum Domini MCCXLVII. ad instantiam Regis Ludvici, Regis Francorum, Parisius devenit. Igitur Heraclius a Sergio Patriarcha, & ab Anastasio quodam aliisque hæreticis circumventus, licet in primis bonus esset & devotus, tandem in Eutychianam hæresin incidit, & Mathematicus factus & Astrologus, vidit, Imperium suum a circumcisis gentibus esse vastandum, mittensque ad Dagobertum Regem Francorum, omnes Regni ejus Judæos baptisari petiit, & impetravit, ipseque per omnes Imperii sui fines & provincias idem fieri decrevit. Post Agareni, qui & Saraceni, gens circumcisa, provincias Heraclii vastant, contra quos dum Heraclius dimicat, centum quinquaginta millia militum ejus Saraceni interficiunt, & spolia eorum Heraclio remittunt. Quæ ille recipere nolens, sed vindictam ab eis quærens, portas Caspias, quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium fecit, & propter multitudinem sævissimarum gentium serari jussit, aperuit, indeque centum quinquaginta millia auro armata, cum omnibus universarum provinciarum militibus in prælium misit. Cumque in crastinum essent præliaturi, ipsa nocte quinquaginta duo millia de exercitu Heraclii percussit Angelus Dei. Reliqui, dum regredientes appropinquassent Jerosolymam, videns Heraclius, se nequaquam resistere posse, mœrore correptus est, factusque hydropicus, mortuus est.

Hujus temporibus Anastasius Monachus martyrio cum aliis septuaginta coronatur. Hic natus in Perside, magicas artes puer a patre didicit, sed mox, ut a captivis Christianis nomen Christi didicit, Jerosolymam petens post baptismum, monachus efficitur. Tandem a Saracenis captus, in Perside a Rege Cosdra diversis & gravissimis pœnis interimitur. Mox tunica ejus quidam dæmoniacus indutus curatus est. Cujus corpus Heraclius Imperator, devictis Persis, deducens Romam, in Monasterio Sancti Pauli ad Aquas salinas collocavit. His temporibus Sanctus Gallus & Magnus, discipuli Columbani, in Alemannia claruerunt. Item Isidorus, Hispalensis Episcopus, Beati Leandri successor, vir eruditissimus, huc usque abbreviationem temporum in libro Etymologiarum perduxit.

(*a*) Cætera in Martino Polono. (*b*) Omnia habes in eodem Martino de utroque Papa.

perduxit. Hoc tempore Machometus, qui & Mahammad a quibusdam appellatur, Princeps Saracenorum moritur. Hic pseudopropheta & magus Agarenos seu Ismahelitas, Saracenos decepit, hoc modo, sicut in Floribus temporum legitur. (*a*) Docuit auditores suos, quod, qui occidit inimicum, aut occiditur ab inimico, Paradisum ingreditur. Paradisum vero carnalis cibi, ac potus, ac commixtionis mulierum perhibebat capacem, Fluvium quoque vini, & mellis, & lactis, & affluentem voluptatem, multaque alia, luxuria & stultitia plena, quæ stultis videbantur delectabilia, ideoque credibilia. De pluribus aliis vanitatibus illius require in Novo Passionali in Pelagia Historia.

Notandum, quod - - - - - in tractatu suo de Translatione Imperii capitulo III ponit causam, quare orientales, videlicet Persæ, Arabes, Chaldæi, & aliæ nationes confines a Dominio Romani Imperii recesserunt, in hæc verba: Tenuitque Constantinus Magnus, ejusque successores Imperatores Romani pacifice dominium Orientis usque ad XX. annum Imperatoris Heradii, qui superius dictus est Heraclius, quo tempore omnes orientales populi a Latinorum dominio recesserunt, & modus, per quem recesserunt, communiter ignoratur. Iccirco conveniens judicavi, causam & modum describere, quo dicti orientales se a Græcis & Latinis in dominio & cultu divinorum omnimode diviserunt. Causa siquidem, quare orientales, videlicet Persæ, Arabes, Chaldæi, & aliæ confines nationes a dominio Romani Imperii recesserunt, fuit tyrannicus principatus Heradii. Nam post magnam victoriam de Persis habitam, Heradius Persas & alias nationes nimis crudeli dominatu premebat, propter quod rebellandi causam concorditer assumserunt. Sed ut ab obedientia prædicta sic recederent firmiter, ut nunquam ad eandem revocarentur, amplius consilio Machometi, tunc inter Persas divitiis & potentiis præeminentis diversum cultum assumunt, ut tam diversæ crudelitatis & fidei sive sectæ imitatores ad pristinum divinum de cætero non redirent, a Jeroboam forte sumentes exemplum, qui X. tribubus ipsum sequentibus diversum cultum tradidit, ut in pristinum & debitum dominium non redirent. Quod etiam, vel consimile, Græci fecerunt. Volentes enim ab Ecclesiæ Romanæ obedientia separari, sic cœperunt diversum cultum seu ritum in Ecclesia ministrandi. Et sic in diversos errores scienter prolapsi sunt. Omnes enim Græcorum Collogori, qui conservant & nutriunt schismata, vel sunt Nestoriani, aut Eutychiani, aut Ariani, aut Jacobitæ, aut Hebionitæ. Sic ergo factum est de illis populis & nationibus illarum regionum, in quibus jam dicta rebellio & inobedientia contigerunt. Nam ut talis rebellio esset durata, schismata induxerunt & sectas, ut non solum ab Imperio Christianissimo recederent, verum etiam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ resilirent. Hæc ille.

(*a*) Istam ex Floribus temporum excerptam historiam vide in Martino Minorita.

LXXII. Johannes IIII. sedit annis III. mensibus IX. diebus XXVIII.

Johannes omnes fautores hæreticorum excommunicavit. (*a*)

LVI. Constantinus II. regnavit mensibus IV.

Anno Domini DCXXXIX. Constantinus, filius Heraclii & Eudoxiæ, regnare cœpit, regnavitque mensibus IV. Hic mense IIII. Imperii sui a noverca sua Martina & Pyrrho Patriarcha veneno potionatur. Illo quoque exstincto, ipsa cum filio Heracleona dominatur per duos annos. Unde omnis Senatus Constantinopolitanus cum omni populo indignatione justa commotus, Heracleonam repulit, linguaque Martinæ & naso Heracleonæ abscisso, eisque in exilium destinatis, Constantem, qui & Constantinus, nepotem Heraclii provehunt.

Hujus temporibus Cyrus, Alexandrinus Episcopus, & Pyrrhus Constantinopolitanus, & alii multi hæresin instaurant. Sed Senatus & tota civitas Pyrrhum impium ac matrem suam expulerunt. Et rogante Constante, Paulus consecratur Episcopus & ipse hæreticus. Johannes autem, Præsul Romanus, collecto Episcoporum Concilio, omnes hujus fautores anathematizavit. Quo defuncto, Theodorus pro eo consecratur. Pyrrhus vero tendens in Africam, Maximi, religiosissimi illo tempore Abbatis, Sanctorumque Pontificum illic consistentium præsentatur aspectibus. Qui hunc redargutum ac persvasum ad Papam Theodorum Romam miserunt. Sed ille ficta, ut post apparuit, pœnitentia, orthodoxiæ libello Papæ tradito, ab eo receptus est. Mox autem, ut a Roma discessisset, Ravennamque pervenit, quasi canis ad vomitum suum rediit. Quo comperto, Papa convocatis cunctis Sacerdotibus & Clero, in Ecclesia Principis Apostolorum condemnavit eum sub vinculo anathematis.

LXXIII. Theodorus I. sedit annis VI. (*b*) DCXLII.

LXXIIII. Martinus I. sedit annis X. (*c*)

LXXV. Eugenius I. sedit annis II. mensibus IX. (*d*)

LXXVI. Vatalianus, sedit annis IX. mensibus VI. (*e*)

LVII. Constans vel Constantinus III. regnavit annis XXVIII.

Anno Domini DCXLII. Constans, qui & Constantinus, filius Constantini, Heraclii nepos, regnare cœpit, regnavitque annis XXVIII. Hoc regnante, in locum Pyrrhi, Constantinopolitani Episcopi hæretici, ut supra dictum est, consecratur Paulus Episcopus & ipse hæreticus, qui non tantum doctrina vesana decessoris sui, sed etiam aperta persecutione Catholicos cruciat, Potrifarios Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, qui ad ejus correctionem missi fuerant, partim car-

(*a*) Cætera Martin. Polon. debentur. (*b*) Mart. Polon. (*c*) Mart. Minor. (*d*) Mart. Polon. (*e*) Mart. Polon.

ceribus, partim exiliis, partim verberibus afficiens. Altare quoque eorum in domo Placidiæ consecratum, in venerabili oraculo destruxit, prohibens, eos ibidem missas celebrare. Unde Martinus Papa, qui Theodoro successit, succensus, a Maximo Abbate supra dicto ab Africa Romam veniente, collecta Synodo CX. Presbyterorum Episcoporum, Sergium, Pyrrhum ac Paulum anathemate damnavit. Quibus agnitis, Constans, qui erat seductus a populo, & avus ejus Heraclius a Sergio, ejusdem regiæ civitatis Episcopo, misso Theodoro Exarcho Martinum Papam & Maximum Abbatem Constantinopolin fecit adduci, injuriis affectos Cersonam Lyciæ provinciæ, ubi Sanctus Clemens relegatus fuerat, fecit exiliari. Ubi Beatus Martinus Papa defunctus, multis virtutum signis refulget. Constans vero postea permotus Zelo Dei, Synodo sacra & ipse convocata sub Vitaliano Papa nuper ordinato, hæresin abdicavit, misitque Beato Petro Apostolo Ewangelia aurata, gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata.

Hic autem Constans Imperator primum multos orthodoxorum verberibus & exilio condemnavit, eo quod hæresi suæ acquiescere nollent, propter quod, dum apud Constantinopolin omnibus exosus esset, voluit Regnum transferre Romam, pro eo quod Martinum Papam ignominiose tractans exiliavit, & Maximi Abbatis, viri sapientissimi, lingvam manumque truncavit. Ingressus igitur Italiam, & eam a Longobardis eripere volens, quæsivit de exitu belli a quodam viro sancto Propheta, qui nocte morans, mane respondit: Regina Longobardorum juxta Mediolanum Sancto Johanni Baptistæ Ecclesiam nobilem construxit ac ditavit, nec Longobardi superabuntur, quamdiu locum illum sedulo venerantur. Quod usque ad Karolum Magnum duravit. Dum autem Imperator ad Beneventanorum fines accessisset, Grimoaldus, ejusdem provinciæ Dux, fortiter resistendo, exercitum ipsius debellavit. Cernens igitur, quod ibi non proficeret, Romam perrexit. Cui Vitalianus Papa, sexto ab Urbe milliario, reverenter occurrit, & eum ad Beati Petri Basilicam adduxit. Qui super altare Sancti Petri pallium auro texile obtulit, toto exercitu cum cereis intrante. Et cum in urbe per XII. dies resedisset, magna ductus cupiditate, varia ornamentorum genera ex ære & marmore, quibus urbs ornabatur, in Tiberim vexit, ut in Constantinopolin transferret, inter quæ Basilicam Dei Genetricis & Martyrum, quæ olim Pantheon dicebatur, æreis tegulis discooperuit. Propter talia igitur cunctis odiosus, a Roma est digressus, VI. annis fuit in Sicilia. Ibi cum quadam die balneum fuisset ingressus, introivit cum eo quidam Andreas, obsecundans illi. Et cum cœpisset sapone Gallico deliniri, sumens Andreas situlam, dedit eam in cervicem Imperatoris, & statim fugit. Imperator vero cum tardaret, insilierunt hi, qui foris erant, & repererunt eum occisum. Quo sepulto, milites quendam Armenum Mitium vel Mezentium nomine Imperatorem fecerunt, vi cogentes eum. Erat enim valde decorus & speciosus. Sed non multo post Constantinus, filius Constantis, ibidem navigio veniens, Imperialem purpuram sumsit, & Mitium cum interfectoribus patris sui interfecit.

Hujus temporibus in Britannia Beatus Oswaldus, Rex Anglorum piissimus pro patria contra Pedanum, Regem Merciorum Paganum, pugnans, occubuit, & plurimis post mortem miraculis claruit. Item Sanctus Jodocus, Regis Britanniæ filius, Regno & mundo relicto, eremita effecta, in pago Pontino requievit in Christo. Hunc laici vocant S. Jobst. Item Rex Humarus, Princeps Saracenorum, in loco, ubi prius fuerat templum Judæorum, quod Vespasianus destruxerat, templum, quod nunc est in Hierusalem, construxit, ubi nunc manus & pes Machometi adoratur. Nam reliqvum corpus suum epilepticum & maledictum a porcis Christianorum legitur devoratum. Item Francorum exercitus, de Provincia veniens, Longobardiam intravit. Cui cum Grimoaldus Rex cum Longobardis occurrisset, & fugam simulans, tentoria vacua quidem hominibus, sed plena bonis, maxime vino relinquens, cum Franci putarent, eos metu ipsorum fugisse, ad tentoria pervenissent, & cibo repleti, potuque inebriati, in nocte dormirent, Grimoaldus, irruens super eos, pene omnes exstinxit. Qui brevi post tempore, sangvinem de vena minuens, quiescere noluit sed nona die post minutionem cum arcu columbam sagittare volens, brachium læsit, & supponentibus medicis venenata medicamina defunctus est.

Item Beatus Emmeranus in civitate Ratisponensi, virtutibus & signis claruit. Cujus epitaphium ibidem in Monasterio sui nominis ante Altare Sancti Georii Martyris hoc est:

Emmeranus, Pictavensis Episcopus, prædicando Verbum Dei, venit in Bavariam, & ibidem in Helfendorff, pro Christo passus est, Anno Domini DCLII, & hic primo tumulatus est. Ubi diligenter est advertendum, & sunt verba M. Conradi de Monte puellarum in Chronica sua, quod olim temporibus Paganismi & infidelium in illo colle, ubi nunc est Monasterium Beati Emmerani situatum, tunc extra muros civitatis fuit locus arborum sylvestrium, ubi diversorum simulacra idolorum ab infidelibus colebantur. Qua superstitiosa stultitia hominum tandem, Divina volente gratia, evanescente, & fide Catholica parum perscintillante, ibidem luco deposito, viles casæ pauperum hominum suburbanorum civitatis constructæ fuerant, & inter easdem casas constructum humillimum oratoriolum, consecratum fuerat cum ara per fideles Christi tunc tenuiter clarentes, in honore Beati Georii Martyris, quæ capella steterat ibi tugurii more. Quæ ara hodie in dicto Monasterio in honore prædicti Georii Martyris cernitur ad latus australe versus ambitum Monasterii supra dicti, antequam aram etiam publice videtur hodie Sancti Marty-

Martyris Emmerani epitaphium & sepulcrum; nimirum autem, quod Beatus Martyr in eadem Capella, Domino jubente, voluit quiescere, & extremi sententiam examinis præstolari. Quia, quam primo gratia docendi populum in fide orthodoxa, in Ratisponam se transtulisset, post crebros frequenter labores circa gregem Domino nostro Jesu Christo lucrandum, in prædicta secreta Capella tumultui hominum aliena, ipse felicissimus Pater solus soli Deo vigiliis & orationibus consveverat Angelica meditatione vacare. Sed quis suis temporibus Sedi præsederit Ratisponensi Episcopus, non invenio, nec ipse ibidem electus seu præfectus Canonice præfuerat, sed casualis & adventitius Pater Pastor tantum. Cui Clerus civitatis in exequiis suis, ut in Legenda sua scribitur, reverentiam exhibuit magnam, utrum autem Clerus ille tunc habuerit Episcopum, vel non, penitus subticetur.

LXXVII. Adeodatus sedit annis IV. (*a*)

LXXVIII. Domnus sedit anno I. mensibus V.

Domnus, sive Donus secundum quædam exemplaria, natione Romanus, decoravit Paradisum Romæ ante Ecclesiam Sancti Petri, sepultusque est apud S. Petrum.

LXXVIIII. Agatho sedit annis V. mensibus VI.

Agatho, natione Siculus, constituit, ut distinctus sit habitus virorum & mulierum in vestitu & crinibus. Hujus Agathonis tempore sexta Synodus universalis in Constantinopoli celebratur, in qua damnatis hæreticis, tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut sordes hæresium expulsas omnes intelligerent & mirarentur. Quid enim similius codicillis hæreticorum, quam telæ aranearum? Quoniam aranea vermis est venenosus, crebro filans & texans tenuissimum texulum sive stamen, quod mox debili vento rapitur, aut calamo perforatur, sicut hæretici aranearum ad instar venenosi & infectivi humanæ felicitatis, scribentes & docentes sophisticas & insanas assertiones, quæ mox divino Spiritus Sancti flatu propelluntur, & in nichilum rediguntur.

LXXX. Leo II. sedit anno I. mensibus X.

Leo (*b*) natione Siculus, fecit constitutionem, ut, qui ordinandus fuerit Archiepiscopus, nulla consvetudine, pro usu Pallii aut diversis officiis aliquid Ecclesiæ Romanæ persolvere debeat. Hic decessit VI. Non. Jul. sepultusque est in Ecclesia S. Petri.

LXXXI. Benedictus II. sedit mensibus X.

Benedictus, natione Romanus, decessit Non. Maji, sepultusque est apud S. Petrum. (*c*)

Tempore Benedicti II. Vigilius claruit, qui a Senescalico Regis Franciæ occisus. Hac tempestate luna eclipsin passa est post indictionem octavam, & eodem anno secuta est gravissima pestis tribus mensibus, Julio, Augusto & Septembri, fuitque Romæ mortalitas magna.

(*a*) Mart. Polon. (*b*) Adeatur Martin. Polon. (*c*) Mart. Polon.

LXXXII. Johannes V. sedit anno I.

Johannes, natione Syrus, ante Papatum, cum esset Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, legatus fuit Agathonis Papæ ad Sextam Synodum. In Papatu vero parum fecit, quia parum vixit. Solum autem in contemplatione vigebat, omnia alia relinquendo.

LVIII. Constantinus IIII. regnavit annis XVII.

Anno Domini DCLXX. Constantinus, filius Constantis, cum fratribus suis, Heraclio & Tiberio, regnare cœpit, regnavitque annis XVII. Hic Constantinus solus coronatus, cum venirent aliqui Orientalium partium, & dicerent: Si in Trinitatem credimus, tres & coronemus, turbatus est, & per Theodorum Patricium convocans majores natu ex eis, quasi in colloquium & consilium, ut fieret voluntas eorum, in patibulum eos suspendit. Quod videntes cæteri, fugerunt.

Hujus temporibus Agatho, Pontifex Romanæ Ecclesiæ, Legatos suos pro admonitione sanctarum Dei Ecclesiarum in Urbem Regiam misit, in quibus erat Johannes, Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiaconus, sed non longe post Episcopus. Qui benignissime suscepti a reverentissimo Catholicæ fidei defensore Constantino, jussi sunt, remissis disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de fide recta perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum libris, quos petebant, collecta universali Synodo CL. Episcoporum, sive, ut quidam libri habent, CCLXXXVIIII, præsidente Georgio, Patriarcha Constantinopolitano, & Macario Antiocheno, qui renovabant hæresin eorum, scilicet Monotheletarum, qui unam voluntatem & unam operationem astruebant in Christo, convictique sunt falsasse Sanctorum Patrum dicta perplurima. Finito autem conflictu, Georgius Patriarcha correctus, Macarius vero cum suis sequacibus, similiter & prædecessoribus, Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo, Petro anathematizatus est, & in locum ejus Theopanus, Abbas de Sicilia factus est Episcopus Antiochenus, tantaque gratia Legatos Catholicæ pacis comitata est, ut Johannes Portuensis Episcopus, qui erat unus ex ipsis, in Dominica octavarum Paschæ, missas publicas in Ecclesia S. Sophiæ coram Principe ac Patriarcha Latine celebraret. Hæc est Sexta Synodus universalis, id est quam mundus universus tenet Constantinopoli celebratam, & Græco sermone conscriptam temporibus Agathonis Papæ, exsequente ac præsidente piissimo Principe Constantino intra palatium suum, simulque Legatis Apostolicæ Sedis & Episcopis CL. sive CCLXXXIX. residentibus.

His temporibus Sanctus Lampertus, Trajactensis Episcopus, clarus habetur. His & tempori-

poribus fuit in Gallia homo præpotens, Deo dilectus, nomine Arnolfus, qui renuncians seculo, postea factus est Metensium Episcopus, cujus filius Ansgisus, qui de nomine Anchisæ Trojani creditur appellatus sub nomine Majoris Domus principatum in Regno Francorum postea tenuit. Item Cæsarea, uxor Regis Persarum, cum paucis fidelibus clam venit Constantinopolin, quam Imperator cum gaudio suscipiens, de sacro fonte levavit. Hæc diu quæsita, & tandem inventa, Regi Persarum mandavit, ut veniret, & Sacrum Baptisma reciperet, alioquin ipsa nunquam rediret. Qui cum magno exercitu Constantinopolin pacifice veniens, honorifice susceptus est, & cum omnibus baptisatus. Item Ticinum, Italiæ civitatem, pestilentia adeo depopulata est, ut hominibus per juga montium fugientibus, herbæ & frutices intra privatam Urbem nascerentur. Item quibusdam viris in eadem urbe per revelationem dictum est, quod non prius ipsa pestis quiesceret, quam in Basilica Sancti Petri Apostoli, quæ ad Vincula dicitur, si Sebastiani Martyris altare construeretur. Factumque est ita. Nam delatis ab Urbe Romana Sancti Sebastiani reliquiis, mox, ut jam in dicta Basilica constitutum est ipsius altare, pestis illa quievit. (*a*)

LXXXIII. Conon vel Seno sedit annis II. mensibus XI. Petrus. Theodorus. Schisma septimum.

Conon, natione Romanus, fuit vir provectæ ætatis, summæque innocentiæ sanctæque simplicitatis, qui dissentiente in duorum Presbyterorum electione, scilicet Petri & Theoderici, Clero & Populo, tertius ab utrisque electus est, finiturque hoc schisma ante annum. Hic Conon decessit XI. Kal. Octobr. & sepultus est apud Sanctum Petrum. An. Domini DCLXXXVIIII. apud Wirtzpurck Ostrofranciæ, quæ nunc Herbipolis dicitur, Sanctus Kilianus Scotus, Herbipolensis Episcopus, cum sociis suis martyrio coronatur.

LXXXIIII. Sergius I. sedit annis XV. mensibus VII. N. N. Schisma octavum.

Sergius, natione Syrus, de regione Antiochiæ fuit. Hic quoque, ut in Chronica Hermanni habetur, dissentientibus in duorum electione partibus, tertius, volente Deo, electus est. (*b*)

Hujus temporibus, regnante Tiberio, Synodus in Aquileja facta, quintum Universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus Beati Papæ Sergii monitis instructa, & ipsa cum cæteris Christi fidelibus huic annuere consentit. Eo tempore Venerabilis Beda, anno vitæ suæ XIX. Diaconus factus est, XXX. Presbyter, XXXIII. septem volumina edidit, & ad quinquagesimum nonum, ut decrevit scribere, non destitit. Anno Leonis III. nono, in Anglia præclarus obiit, hoc est in anno Domini 733. anno ætatis suæ LXX. Item Beatus Willibrordus apud Trajectum, Fresonum metropolin, Archiepiscopus clarus habetur.

(*a*) De Bulgaris vid. Mart. Polon. & Minorit. (*b*) Cætera habet Mart. Polonus.

LVIIII. Justinianus II. regnavit annis X.

Anno Domini DCLXXXVII. Justinianus, filius Constantini, regnare cœpit, regnavitque annis X. Hic pacem firmam decennio fecit cum Saracenis terra marique. Sed & provincia Africa subjugata est Romano Imperio, quæ a Saracenis fuit tenta. Hic Justinianus Beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quod erraticæ suæ Synodo, quam in Constantinopoli fecerat, favere & subscribere noluit, misso Zacharia Protospathario suo, jussit Constantinopolin deportari. Sed militia Ravennatæ urbis vicinarumque partium nefanda Principis jussa prævenit, & eundem Zachariam, contumeliis & injuriis Roma pepulit. Idem Justinianus Callinico Patriarcha exegit, ut orationem faceret ad destruendam Ecclesiam Dei Genitricis juxta palatium sitam, quæ metropolitæ dicebatur, volens ibi ædificia facere, ut a populo susciperetur. Patriarcha vero dicebat, orationem quidem ad statuendam Ecclesiam habemus, in destructionem vero Ecclesiæ orationem non suscepimus. Cogente autem Imperatore, & omnimode exigente, orationem dixit Patriarcha: Gloria Deo, qui jugiter sustinere patitur, nunc & semper, & in omnia seculorum secula. Quo audito, destruxerunt Ecclesiam. Alia quoque multa improvide faciens, odium populi in se excitavit. Unde Leontius Patricius, quem ipse quondam Prætorem & Magistrum militum orientalium fecerat, sed jam per tres annos in custodia tenuerat, cum exinde protractus, in exilium mitteretur, contra eum sensit, junctisque multis Justinianum comprehendit, nasoque præciso, in insulam quandam relegavit, ipseque regnavit. Anno Domini DCLXXXVIIII. Pipinus, filius Ansgisi, Major domus efficitur in Gallia, Regnumque Francorum administravit annis XXVII. cujus etiam anni suorumque successorum deinceps annotantur in Catalogo Regum Franciæ.

Leo III. sedit annis II. mensibus XI.

Leo III. natione Romanus, per Patricium Romanorum factus est Papa. Unde propter malum introitum in numero Pontificum non ponitur, sequens autem Leo appellatur Tertius, qui Karolum Magnum in Urbe coronavit. In quibusdam Chronicis nulla fit de hoc Leone mentio.

LX. Leo II. regnavit annis III.

Anno Domini DCXCVII. Leo, qui & Leontius, depulso Justiniano, regnare cœpit, regnavitque annis tribus. Hic dum apud Constantinopolin positus esset, venit Tiberius, qui & Absimarus, ex adverso civitatis cum multis, & prodita sibi civitate, Leontium cepit, præcisoque naso ejus, in Monasterio Dalmaci sub custodia constituit, ipseque regnavit.

Hujus Imperii anno primo, Apollonius, primus

mus Abbas in Monasterio S. Emmerani, Ratisponæ præficitur.

LXI. Tiberius III. regnavit annis VII.

Anno Domini DCC. Tiberius, qui & Absimarus, Imperium invadens, dejecto Leone regnare cœpit, regnavitque annis septem.

LXXXV. Johannes VI. sedit annis III.

LXXXVI. Johannes VII. sedit annis III. (*a*)

LXXXVII. Sisinnius sedit diebus XX. Theodosius. Paschalis. Schisma nonum.

Sisinnius, natione Romanus, simul habuit duos Antipapas, Theodorum & Paschalem electos a Clero & populo, quibus ejectis, per Concilium Senatorum & Primatum regentium urbem, Sisinnius in Sede reponitur. Et duravit hoc schisma annum unum, & finitum est. Hic Sisinnius, ingravescente podagra, viginti tantum diebus supervixit.

LXXXVIII. Constantinus sedit annis VI.

Constantinus, natione Syrus, fuit valde mitis & pius, & omnibus bonis studiis intentus. (*b*)

LXII. Justinianus II. regnavit annis VI.

Anno Domini DCCVII. Justinianus, filius Constantini, qui superius a Leone sive Leontio in insulam, prius naso præciso, relegatus, iterum regnare cœpit, regnavitque annis VI. Hic Justinianus in exilio positus asseruit, se iterum regnaturum, sed populo eum irridente fugit, & Tercebellem, Regem Bulgarorum, cujus fretus adjutorio, expugnata Constantinopoli, Regnum cepit. Recepto autem Regno, multa dona & regalia vasa Terbelli tribuit, eumque in pace dimisit. Absimarus autem, qui & Tiberius, ex Urbe profugit, sed in secutione captus, & ad Justinianum est adductus. Adductoque Leontio, qui eum dejecit, fecit ambos catenis constrictos, dum ludi equestres luderentur, per plateas trahi, tractosque publice ante pedes suos, dum in solio resideret, projici, calcavitque colla eorum fortiter, universa plebe conclamante: Super aspidem & basiliscum ambulasti, & leonem draconemque conculcasti, sicque eos præcepit decollari. Innumerabilem vero multitudinem eorum, qui contra eum consenserunt, diversa morte fecit necari. Quia enim naso se detruncaverant, quoties defluentem guttam rheumatis detersit, toties pene aliquem jugulari præcepit. Callinicum vero Patriarcham, erutis oculis, Romam exiliavit, & pro eo Cyrum in Episcopatum provexit, qui fuit Abbas in Ponto, quique illum exulem alebat, & ei imperium restituendum prædicabat.

Natus autem est ei filius eodem anno, quo recepit Imperium, ex Theodora, filia Chajani, quam acceperat, dum esset in exilio, quem vocavit Tiberium, coronavitque eum cum matre sua, & regnaverunt cum eo. Hic Constantinum Papam in Constantinopolin accersens, honorifice suscepit, orthodoxam quoque fidem amplectens, prostratus in terram, pro suis peccatis intercedere rogavit, cunctaque Ecclesiæ privilegia renovans, eum cum hoc honore remisit. Intendens autem Imperator Chersonam insulam, in qua exul fuerat, omnino delere, omnes infantes ibidem occidi præfecit, & contra Constantini Papæ consilium, misit exercitum in Pontum ad comprehendendum Philippum, quem illuc relegaverat. Homines autem provinciæ, quam Imperator omnino delere nitebatur, mittentes pro Philippo una cum exercitu, quem miserat Imperator, eundem Philippum in eorum Dominum elegerunt. Qui cum exercitu Constantinopolin veniens, pugnavit contra Justinianum ab Urbe milliario duodecimo, victoque illo & occiso, accepit Regnum Philippus. Filius quoque Justiniani, adhuc puer, ab his, qui a Philippo præmissi sunt, occisus est.

(*a*) Mart. Polon. (*b*) Mart. Polon.

LXIII. Philippus regnavit anno I. mensibus VI.

Anno Domini DCCXIII. Philippus regnare cœpit, regnavitque anno uno & mensibus VI. Hic priusquam imperaret, habuit quendam amicum Monachum inclusum, qui erat hæreticus, & tamen prævisor, qui dixit ei: Imperium tuum est. At ille turbatus est. Cur, ait inclusus, si Deus jubet, quare tu contradicis? Hoc autem dico, quod VI. Synodus male acta est. Si ergo regnaveris, hanc abjice, & efficietur Imperium tuum forte & longævum. Qui cum juramento spopondit, se hoc esse facturum. Cum ergo regnaret, fecit Synodum Pseudo-episcoporum, juxta illius pseudomonachi & inclusi sermonem, & abjecit sanctam & universalem Synodum, eodemque anno vanus ille inclusus oculorum cœcitatem incurrit. Reperiens autem Philippus quendam sui consensus Johannem, fecit eum Constantinopolitanum Præsulem, Cyrum vero deponens, ad Monasterium suum redire præcepit. Idem Philippus in disputationibus quidem suis rationabilis videbatur & prudens in actibus autem inhoneste ac indigne vitam consumens, improbabilis ubique demonstrabatur. Erat enim hæreticus & adulter. Hic Constantino Papæ misit literas pravi dogmatis. quas ille cum Apostolicæ Sedis Concilio respuit. Hac de causa fecit Constantinus picturas in porticu Sancti Petri, quæ sex sanctarum Synodorum acta continerent. Nam & hujusmodi picturæ habebantur Constantinopoli, quas Philippus jussit auferri. Statuit ergo populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperent. Unde nec ejus effigies in Ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum solennia prolatum.

Sabbato autem Pentecostes, cum lotus fuisset in balneo publico, ingressus cum equitatu & organis, habitoque prandio cum civibus antiquæ prosapiæ requiesceret in meridie, repente per auream portam introivit Rufinus, primus Stratorum, cum Theodoro Patricio, festinansque in palatium, & inveniens eum quiescentem, apprehendit eum, & oculos ejus eruit.

In craſtinum vero, id eſt Pentecoſtes congregato in magna Eccleſia populo, coronatus eſt Artemius, mutato nomine Anaſtaſius.

LXIIII. Anaſtaſius II. regnavit annis III.

Anno Domini DCC XIIII. Anaſtaſius regnare cœpit, regnavitque annis tribus. Anaſtaſius igitur, ubi Regnum accepit, Conſtantino Papæ per Scholaſticum Patricium literas Romam miſit, quibus ſe fautorem ac defenſorem fidei Catholicæ & ſancti ſexti Concilii prædicatorem eſſe docuit. Quo regnante, quidam adverſus eum conjuraverunt, & contra regiam urbem cum exercitu aſcenderunt. Cum autem ad Ramium adiſſent, & eſſent ſine capite, invenerunt illic hominem indigenam Theodoſium nomine, inertem & idiotam, qui publicorum tributorum erat exceptor, & hortati ſunt eum imperare. At ille fugiens, latebat in monte. Quem inventum, ut Imperatorem laudibus extulerunt, vi cogentes eum. Quibus Anaſtaſius cognitis Niceam abiit, ibique ſe munivit. Theodoſius autem ſecutus, magno prælio vicit eum, datoque Sacramento Clericum eum fieri, & poſtea Presbyterum fecit ordinari.

Anno ſecundo Imperii Anaſtaſii Dagobertus, Rex Francorum obiit. Anno eodem Pipinus ſenior Domus Major obiit, pro quo filius ejus Karolus in adminiſtratione Regni ſucceſſit, adhuc quidem Regibus in Francia manentibus, ſed parva dignitate regnantibus. In Romano quoque Imperio apud Conſtantinopolin adhuc Imperatores erant, ſed & ipſi inteſtinis pariter & extrinſecis bellis pene annullati, parum valebant. Karulus vero Regnum Francorum adminiſtravit annis XXVII. Item Ekbertus, vir ſanctus de gente Anglorum, Scotos Paſcha legitime celebrare docuit. Hujus anno primo Sanctus Ægidius, veniens de Græcia, ſanctitate claruit.

LXXXIX. Gregorius II. ſedit annis X.

Gregorius Secundus, natione Syrus, Romanorum lingva vulgari junior vocatus, conſtituit feria quinta, jejunare in quadrageſima, quod Melchiades prohibuerat per annos quadringentos & decem ſex. Et quia quintæ feriæ officia propria non habebant, collegit de Dominicis in æſtate, & adhibuit Epiſtolas & Evangelia, quæ ad hoc concordarent. Hic deceſſit II. Idus Febr. Hic Gregorius Winfridum, qui poſtea Bonifacius dictus eſt, genere Anglum, Germaniæ gentibus verbum ſalutis prædicantem, Maguntiæ Archiepiſcopum ordinavit, qui multis populis & gentibus verbo & exemplo profuit.

Circa hæc tempora compunctus divino amore Petronax de Brixia, venit Romam, & per exhortationem Beati Gregorii Papæ venit in Caſſinum caſtrum, cœpitque habitare cum ſimplicibus hominibus, qui tunc ibi reſidebant. Qui deinde eundem venerabilem virum Petronacem fecerunt ſibi ſeniorem. Cœperunt autem [illegible] ad eum concurrere multi viri nobiles, & adjuvante divina gratia pro meritis Beati Patris Benedicti reparavit priora habitacula, veniensque cum omnibus ſub jugo ſanctæ regulæ ſecundum ordinem Sancti Benedicti, ſanctum id Monaſterium ad bonum perduxit ſtatum. Huic venerabili viro multa fecit adjutoria dilectus Deo Zacharias Papa, dans ei libros Sacræ Scripturæ, & alia, quæ ad utilitatem Monaſterii pertinent, inſuper & regulam, quam Beatus pater Benedictus manibus ſuis ſcripſit. Fuit autem hoc Monaſterium ab adventu primo Longobardorum usque ad tempus id deſolatum plus quam centum annis. (a)

LXV. Theodoſius III. regnavit anno I.

Anno Domini DCC XVII. Theodoſius a militibus electus, regnare cœpit, regnavitque anno uno. Hic benignus fuit & humilis corde, quem quidam Leo, potentiſſimus Prætor Orientalium, qui auxiliabatur Anaſtaſium, & non fuit ſubjectus ipſi Theodoſio, de Imperio depoſuit. Qui poſt Clericus factus eſt, & reſiduum vitæ ſuæ deduxit in pace. Romæ Tiberis ſupra modum inundans, multa ſubvertit ædificia. Manſit autem diebus ſeptem, donec Gregorii Papæ agentibus litanias crebras civibus, octava demum die regreditur.

LXVI. Leo III. regnavit annis XXIIII.

Anno Domini DCCXVIII. Leo Prætor Orientalium, genere Syrus, regnare cœpit, regnavitque annis XXIIII. Hic ſciendum, & diligenter attendendum, quod ſecundum Chronicam Marſilii, primitiva occaſio translationis Romani Imperii de Græcis in Francos fuit diſcordia inter Imperatorem Leonem III. & Romanam Eccleſiam circa venerationem eccleſiaſticarum imaginum. Leo enim Tertius Imperator Chriſti & Sanctorum imagines dicebat minime venerandas, quia ſpecies idololatriæ videbatur, Gregorius vero Tertius, qui tunc Romanæ præſidebat Eccleſiæ, affirmabat Chriſti & Sanctorum imagines venerandas. In hoc ſiquidem propoſito ſuo Leo Imperator prædictus ſic perſeveravit, quod de Conſtantinopoli Romam veniens, omnes Chriſti & Sanctorum imagines, quas Romæ reperit, abſtulit & ſecum Conſtantinopolin aſportavit, easque per ſententiam igne damnandas cremavit. Propter quod dictus Pontifex, Gregorius III. præfatum Leonem Imperatorem anathematizavit, & omnia tributa Romæ urbis & Italiæ ſibi dari prohibuit, Romæque congregans Synodum, venerationem imaginum confirmavit, & violatores hujusmodi anathemate damnavit.

Deinde Leo prædictus in hoc propoſito moritur, eique ſucceſſit Imperio filius ejus Conſtantinus V. ejusdem cum Patre propoſiti. Et quoniam Imperator hic in nullo Romanæ favebat Eccleſiæ, propterea Stephanus II. Papa Imperium Romanorum transferre de Græcis in Francos aliqualiter ordinavit, veniente Pipino, Francorum poſtmodum Rege, qui dicto Pontifici ſupervixit. Et ideo, quod ab aliqui-

(a) De Karulo vid. Martin. Polon.

bus

bus dicitur tempore hujus Stephani fuisse translatum Imperium a Græcis in Francos, intelligi debet, quod fuerit hujus ordinata translatio, non tamen opere consummata. Fuit igitur hujus Papæ Stephani tempore Imperii Romani ad Francos ordinata translatio, quorum favorem & beneficia Romani Clerici senserunt in multis.

Hujus Leonis Imperii anno quarto Luitprandus, Longobardorum Rex, audiens, quod Saraceni, depopulata Sardinia, loca illa, in quibus ossa Beati Augustini erant, dehonestarent, quæ propter devastationem Saracenorum de Hippoania (Hispania) usque illuc delata fuerant, legatos illuc direxit, qui dato multo auro pretiosas illas reliquias secum detulerunt usque ad Januam, ubi Rex præfatus occurrens personaliter, cum magno gaudio & devotione ipsas Paviam deferens, ibidem in Ecclesia Sancti Petri, quæ dicitur Cœlum Aureum, honorifice collocavit. Hoc etiam tempore Racholdus, Rex Frisonum, ad prædicationem Wilaritii, (Wolframmi) Senonensis Archiepiscopi, adductus, ut baptisaretur, cum unum pedem lavacro imposuisset, alterum retraxit, quærens, ubi plures majorum suorum essent? in inferno, an in cœlo? & audiens, quod in inferno, intinctum pedem etiam retraxit, inquiens: Melius est, ut plures, quam pauciores sequar. Et ita ludificatus a diabolo, cum sibi bona multa in annos plurimos promitteret, tertia die subita morte defunctus est. Item in Campania Italiæ frumentum & hordeum & legumina instar pluviæ de cœlo referuntur descendisse. Item Leo anno sexto sui Imperii coëgit Judæos & Montanos baptisari. Sed Judæi abluebant unctionem Chrismatis, & post cibum participabant Sacramentis, & contaminabant fidem: Montani vero definientes sibi diem introierunt domos errori suo deputatas, & incenderunt semetipsos. Item Sanctus Pyrminius Episcopus in Augiam veniens, eam a serpentibus mundavit, atque Monasterium, vulgariter Reichnau nuncupatum, ibidem fundavit, quod distat a Constantia civitate ad milliare. Quidam sic benedicere solent:

Sanctifices nostram Sanctus Pyrminius escam.
Pyrminii dextra benedicat pocula nostra.

Et credunt, quod tunc nihil immundi in se abscondant.

CXXVI. LXXXX. Gregorius III. sedit annis VIII.

(*a*) Hujus tempore Beda Venerabilis, Presbyter Anglorum, obiit in die ascensionis, ante altare cantans antiphonam O Rex gloriæ &c. & tantus odor omnes perfudit, ut æstimarent, se esse in paradiso.

LXXXXI. Zacharias sedit annis XIX.

Zacharias, natione Græcus, constituit, ne Sacerdos velato capite celebret, nec cum baculo. Hic in Lateranensi Ecclesia corpus Beati Georgii Martyris cum epitaphio Græcis literis exarato reperit, & cum magna solennitate ad Velum aureum in Ecclesia sui nominis recondidit. Item quatuor libros Dialogorum Beati Gregorii transtulit in Græcum. Hic Papa omni virtute ornatus moritur, & ad Sanctum Petrum tumulatur. Sub hoc Papa est distributio Episcopatuum, de consensu Pipini Regis, Saltzpurgensis, Regenspurgensis & Freisingensis. Sanctus quoque Bonifacius Maguntinensis Archiepiscopus Nonis Junii, autoritate ipsius Zachariæ Papæ, duos in Parochia sua Episcopatus fecit, Birtzburgensem scilicet, cui S. Burchardum, & Eystetensem, cui Sanctum Wilibaldum, comprovinciales suos, primos Episcopos ordinavit. Voluit etiam S. Bonifacius sedem Episcopalem in Eyfordiam transtulisse, sed Papa non consensit. Ad hunc Papam, scilicet Zachariam, Monachi Cœnobii Cassinensis, adjuncto sibi Carlomanno, qui fuit frater Pipini Regis Francorum, Romam venerunt, rogantes eum, ut literas Regi Francorum Pipino dirigeret, quibus corpus Beati Benedicti, quod Floriacenses Monachi furtim habuerant, ad locum Cassinensem restituerent. Quod cum Rex Pipinus mandasset, Monachis Floriacensibus jejunantibus & flentibus, nuncii, qui corpus afferre debuerant, percussi sunt cœcitate. Et hoc cognito, corpus ibidem remansit.

Quoniam hic incidit historia Pipini, ut sciatur, quis fuerit iste Pipinus, libet per receptionem antecedentium, seu anticipationem sequentium aliquantulum huic immorari. Pipinus, dictus Grossus, filius Ansgisi in Regno Franciæ, primus fuit post Regem, & dicebatur Major domus, scilicet, ubi nunc est palatium Treverense, a quo palatio modo dicuntur Comites Palatini, qui olim Majores domus dicebantur. Hujus Pipini principale domicilium erat in Colonia Agrippina, in loco, ubi nunc est Monasterium Sanctæ Mariæ in Capitolio. Hoc siquidem Plectrudis, dicti Pipini conjux, fundavit, ibique conventum Monialium congregavit, & illum locum multis divitiis & ornatu regio sublimavit, in quo post mortem voluit sepeliri. Tandem præfatus Pipinus conjugem suam Plectrudem ad tempus deseruit, & illicite exorbitans, Aphoydi meretrici adhæsit. Super quo, dum Beatus Lambertus, Trajectensis Episcopus, ipsum argueret, Dodo, præfatæ Alphaidis frater, ipsum occidit. Considerans vero Pipinus, quod propter suum peccatum Christi Sacerdos, martyrium subiisset, rubore & verecundia confusus, reversus est Coloniam ad Plectrudem conjugem legitimam, Alphaide gravida relicta. Cum autem Alphaidis peperisset, nuncius venit ad Regem, ut sibi nova nunciaret. Sed inveniens Regem inter nobiles, & cum conjuge sedentem, dixit: Vivat Rex, quia Karolus est, cum hoc verborum tegumento innuens, quod Alphaidis pulcrum filium genuisset. Est igitur Karolus, lingva Germanica, homo robustus, magna habens membra. Respondit Rex: Bonum nomen est Karolus. Iste Karolus dictus Martellus, expulsis legitimis patris sui Drogone & Grimoldo, in administratione Regni

(*a*) Omissa quære in utroque Martino.

Regni patri successit. Erat autem tyrannus, multas Clero & Ecclesiis injurias & damna inferens, propter quod accidit, ut, dum ipse moreretur, Papæ somniarit in urbe, quod Karolus Martellus, Rex Francorum, corpore & anima duceretur ad infernum. Misit ergo Papa nuncios ad Aurelianum, qui aperto monumento serpentem miræ magnitudinis invenerunt, corpore non reperto. Anno igitur primo Imperii Constantini Quinti, qui est Dominicæ Incarnationis DCCXLII. Karolus Martellus, Pipini filius, Major domus in Regno Francorum, quem quidam vocant Regem, obiit, relinquens filios tres, Pipinum, Carlomannum & Griphonem. Quorum Gripho, qui erat minor natu, matrem Svanahildem habebat, neptem Odilonis, Bavarorum Ducis.

Hic Gripho, fratribus suis subjectus esse nolens, quamvis sub eis honorifice viveret, multa bella adversus fratres movit, sed parum profecit. Tandem Bavariam petiit, ipsumque Ducatum in suam potestatem redegit, Tassilonem cum Hiltrude in deditionem accepit. Hoc audiens Pipinus, cum maximo exercitu venit in Bavariam, fratremque suum Griphonem cum omnibus suis cepit, Tassilonem in Ducatum restituit, domumque reversus, Griphonem more Ducum XII. Comitatus dedit. Sed ille tali beneficio contentus non fuit, quod postquam anno quinto Pipino nunciatur, occisus. Pipinus autem & Karlomannus Regnum, quod communiter habuerunt, inter se diviserunt, Karlomannus Austriam & Alemanniam atque Thuringiam sortitur, Pipinus vero Burgundiam, Neustriam atque Provinciam. Iste Karlomannus anno sexto, divino succensus amore, Romam tendens, Zachariæ Papæ se obtulit, ab eo Clericus factus, habituque mutato, monachicum cupiens indumentum, in monte Soracte sive Syrapti constructo Monasterio, apud Ecclesiam Beati Sylvestri, cum Fratribus secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete fruebatur. Sed cum ex Francia multi Nobilium ob vota solvenda Romam commearent, & eum velut Dominum quondam suum præterire nollent otium, quo maxime delectabatur, crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam hujusmodi frequentiam proposito suo vidisset officere, relicto monte, in Sommum provinciam, ad Monasterium Beati Benedicti, situm in monte Cassino, se contulit & ibi, quod reliqvum fuit vitæ tempus, complevit. Pipinus vero anno Domini DCCLI. Sanctum Burchardum, Birtzpurgensem Episcopum, & Folradum Archiepiscopum, quem quidam Presbyterum, quidam Abbatem conscribunt, ad Zachariam Papam misit, ut consulerent eum super Regibus, qui in tempore illo fuerunt in Francia, nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habentes. Ubi advertendum, ut colligitur ex historia Francorum & antiquis Chronicis, quod anno Domini CCCCXXI. Pharamundus, primus Rex Francorum, moritur, cui successit Clodius Rex secundus, post quem regnavit Merovæus, filius Clodii, a quo Reges Francorum Merovingi vocati sunt. Aliquibus Regibus intermediis, Clodovæus suscepit Regnum Francorum anno Domini CCCCLXXXIIII. Hic traditur primus Rex Christianus fuisse Francorum, & per S. Remigium, Remorum Episcopum cum omni gente sua baptisatus. Ab hoc Clodovæo per successa tempora Imperatoribus egregiis Respublica Francorum gubernata fuisse demonstratur usque ad propinqua tempora Pipinorum & Karolorum, qui Majores domus in Regno Francorum ab Historiographis appellantur, eo quod Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris erant agenda ac dispensanda, per eos procurabantur. Quorum originis descriptio incipit secundum Chronographos ab Arnulfo, viro Deo dilecto, qui floruit anno Domini DCLXX, tempore Constantini Quarti. Horum temporibus per levitatem Regum, Respublica aliquantulum dilapsa, per hos egregios, de quibus nunc sermo est, ad dignitatem pristinam magnificentius est reducta. Istis præhabitis, sciendum, quod Franci ex antiqua Regum stirpe Reges habere solebant, qui a Merovæo, Clodii secundi Regis filio, Merovingi dicebantur, quemadmodum prænarratum est, quorum genealogia usque ad Hildericum, tunc temporis Regem, permanebit, in quo etiam deficiebat. Sed licet in illo finita possit videri, jam dudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se, præter inane Regis vocabulum, præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur. Nec aliud quicquam Regi permittebatur, quam ut regio nomine tantum contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus, responsa, quæ doctus erat aut jussus, ex sua velut parte redderet, cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud possideret, quanquam unam etiam perparvi reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi administrantes, atque obsequium exhibentes paucæ numerositatis haberet. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod junctis bubus & bubulco more rustico agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conventum, qui Kal. Maji ob Regni utilitatem celebrabatur, ire solebat, & coram tota gente præsidens, omnesque salutans, & ab eis salutatus, debitisque obsequiis honoratus, sic domum redibat, sicque secum ad alium Majum residebat, at Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi, vel foris agenda erant, Præfectus aulæ procurabat. Quo officio, cum prædicti Legati, scilicet Burchardus & Folradus Romam mittebantur, Pipinus, Karoli filius, itemque Karoli Magni pater, jam velut hæreditario jure fungebatur. Zacharias vero Papa, super hujusmodi negotio consultus, scilicet an ille deberet

ret esse Rex, qui otio deditus, solo nomine regebat, vel ille, qui omnino pondus Regni sustineret, remandavit, illum debere Regem vocari, qui utilius Regni gubernacula regeret. Qua responsione Franci animati, Hildericum cum uxore sua in Monasterio recluserunt, & Pipinum sibi Regem constituerunt, quem Sanctus Bonifacius, Maguntinensis Archiepiscopus, jussu Papæ in Regem unxit in Suessionum civitate.

His temporibus, scilicet Pipini Regis Francorum, & filii sui Karoli, qui dictus est Magnus, Erhardus Episcopus Ardinatensis, & Albartus, Caselensis Archiepiscopus, clari habentur, qui ambo Ratisponam venerunt, & ibidem post sanctas & varias doctrinas eorum, migraverunt ad cœlestia, & apud inferius Monasterium sepulti sunt, (quod) adhuc pusillum & exiguum tam in capacitate quam in reditibus suis, ut referunt quidam, sed prædictorum Sanctorum gratia, populus ibidem concurrere cœpit, & suis eleemosynis eandem domum Domini locupletare & augere satagebat. Tunc temporis fuerunt in eodem loco Moniales ordinis Sancti Augustini. In pulpito, quod est in medio chori ejusdem Monasterii sunt depictæ imagines duarum Reginarum, quarum una vocatur Geisel, altera Jewtta, in quarum circumferentia sunt scripti hi versus:

Illæ Reginæ natæ Græca regione,
Templum fundantes hoc, huc bona prædia dantes.

Item Otilo primus Rex, postea Bavaria in provinciam redacta, Dux, ex consilio Sancti Pirminii, Episcopi Metensis, inferius Altach Monasterium, ex suo allodio sub Monastica professione fundavit, & sepultus est cum uxore sua in Osterhoffen, ubi novissimum Monasterium, sub regula S. Benedicti, egregie satis ipse Dux construxerat. Item his temporibus in partibus Noricorum, id est Bavarorum erant duo fratres, Albertus & Otkarus, ex patre Burgundi, ex matre Bavari, divitiis præpollentes, Deumque timentes, consanguinitatis affinitate proximi Pipino Regi, Patri Karoli Magni. Horum primus, scilicet Albertus novem Comitatus possedit in Bavaria, alter vero, scilicet Otkarius, qui & ætate provectior, Ducatum tenuit in Burgundia. Hic habuit filium tenerum in aula Pipini Regis. Qui dum morum nobilitate filium Pipini Regis præcelleret, ipsa nobilitas morum sibi materia fuit odiorum. Difficile enim est, quemquam in prosperis invidia carere. Cum enim in ludo Scacorum doctior filio Pipini assidue inveniretur, & filius Regis multoties victus haberetur, animatus forte potentia patris, rixam agebat, & filium Ducis graviter super tempora percutiens occidit. Qua causa Rex cognita solito tristior efficitur, & multiplici studio adeo occultatur, ne rumores mentem parentium inficerent. Timebat enim potentiam memoratorum Principum, quia principia honorum contingunt sæpe difficilia esse. Nam ipse Pipinus eisdem diebus, auctoritate Zachariæ Papæ, regnandi potestatem in Gallia & in Burgundia, in Alsatia, in Thuringia, in Saxonia, in Alemannia, & in Bavaria, & in omni Germania noviter adeptus fuerat. Sedente igitur in causis Pipino, requisivit in sententia a Duce Otkario, quid faciendum sit in causa, quæ nullo emendationis cultu emendari poterit. At ille nesciens, hujus sententiæ spiculum in se retorqueri, respondit: Res, quæ nulla ratione conformanda constat, æquanimiter ferenda est. Quæ sententia dum præcipuis Principibus placeret, assensu celebri firma stetit. Rex vero fluctuabat animo, diligenter animadvertens, quomodo causam competenter componeret, medius inter spem & timorem. Timor enim diligentiam docet, & admonet futura prospicere. Inconsulta autem temeritas nescit consilium exspectare. Consultius eo itaque agente, casum pueri notificavit primitus patruo, deinde cum patruo patri. His auditis, pater supra modum tristabatur, & ex insperato malo per longum tempus conticuit. Multis igitur fidelibus Regis ipsum consolantibus & exhortantibus, quatenus sententiam, quam ipse tenore recti edixerat, factis comprobaret. Habitis longis suspiriis, tandem illustribus virorum precibus mitigatus, memor conditionis humanæ colligere se animo cœpit, taleque responsum Regi dedit: In humanis rebus nihil firmum, nihil perpetuum subsistit, sed dies hominis velocius umbra aut vento declinant. Quod cum multis clarum sit experimentis, & præsentis rei casus suum nobis exinde præbeat documentum. Consultum est, teneriori affectu nos superstites amplecti, de morte vero filii ultra, quam credi potest, conturbatus, quicquid in ejus morte mihi absumtum est, bonus status honoris vestri mihi carissimus, & vita fratris mei, Comitis Alberti, recompensat. Et in utriusque viri sospitate infiniti doloris remedium sumitur, & tantæ destitutionis jactura decenter emendatur. Sed & hunc dare qui potuit, auferre valebat eundem. Hæc dicta maximam virtutis gloriam pepererunt & uberem apud Regem gratiam. Nam & ipsum & plurimos alios ad lacrymandum suis lacrymis inflexerat. Inter Regem igitur & ducem perfecta amicitia solidata, Otkarius hæredis solatio destitutus cum fratre suo Alberto, qui ei naturæ debito sedulo compatiebatur, ad propria reversus, præmeditans, caducis rebus fidem adhiberi non debere, terrenis cœlestia comparantes, Christum rerum suarum hæredem fecerunt, & juxta lacum Tegernsee Monasterium Monachorum continuo fundare cœperunt, exinde acceptis literarum testimoniis a Beato Bonifacio, Maguntinensi Archiepiscopo Romam causa orandi, necnon pro reliquiis sanctorum profecti sunt, quos Zacharias Papa honorifice suscipiens, lætatus est, & omnis civitas de adventu eorum. Unde Summus Pontifex, cum non modico mœrore exposuit, conquerendo eis, quomodo Pagani nudius tertius civitatis majorem partem devastaverint, & thesaurum Ecclesiarum diripuerint, Romanique ad se defendendum concordes non essent, & exhortatus

tus est eos, in Romanis in concordiam revocatis, ipsi quoque in vindictam malorum essent cum illis parati, eo quod excellens esset in armis vis Teutonicorum, sicut testarentur experti robur eorum. Finitis querimoniis Principes Noricorum improbantes improbitatem desidiæ Romanorum, dixerunt: Nimis deses resides, inimicos domi exspectans, desolationem civitatis, contritionem gentis multarum tumultum injuriarum præcedentis. Sera est ista deliberatio. Prius certandum fuit, ne amitteretur libertas, quam ut amissa reposceretur. Et quia conferendi sermonis dabatur eis locus, conversi ad Senatores & cœtum Romanorum, cohortati sunt eos ad bellandum dicentes: Viri Romani, Principes Urbis, meminisse vos nominis & generis vestri decet, quorum manus nemo adhuc effugit. Animadvertite dolorem vestrum, reparate animos, & de illatis vobis injuriis non solum consolationem, sed etiam, quod amplius est, vindictam præsumite. Pericula rerum vestrarum faciant vos fortiores non timidiores. Et confestim coëuntes in concordiam, unum corpus ad persequendum Paganos sese fecere. Accepta igitur ab Apostolico benedictione, Noricus ensis Romanas aquilas regens, valida manu versus maritima properat, ubi hostes cum magno tripudio ac multo fragore prædam dividebant. Solent enim ante ruinam corda superborum exaltari. Unde superbe stultos agere, nemo debet mirari. Qui vero adhuc potest subjici, non debet dicere vici.

- Finis enim, non pugna coronat.

Habita autem deliberatione, quid aut quomodo agendum esset, quibusdam Romanis visum est, congressionem belli nocte aggredi, dicentes, hostes subito incursu attonitos, & caligine noctis oppressos, & facile posse devinci. Ad hæc Norici non sine indignatione responderunt: Hic mos, quem suggeritis, non est honestatis, sed improbitatis, & eorum maxime, quorum summa spes votorum est, dolis nocere, & latenti fallere fraude. Absit ergo, ut gloria nostra dolo militet, sed ut nihil obsit, quod fuligine labis valeat obscurare candorem famæ, aggrediamur hostes de luce, ut victoria, quam nos gladiis molimur, aut nulla aut sit honesta. Reparate vos quiete, ut fortiores sitis ad opus crastinum. Et constitutis vigiliis, fixis tentoriis castra metantur. Altero die illucescente, præfati milites nihil de armis, nihil de propriis viribus præsumentes, sed solum de Dei misericordia confidentes, potenti victoria de hostibus triumphantes, Romam revertuntur. Unde Pontifex Romanus, & tota civitas cum gaudio exultantes, gratias debitas Deo de tanta victoria egerunt. Datur igitur arbitrium Principibus Noricorum vendicandi partes, quas vellent de cunctis spoliorum facultatibus, qui terrena contemnentes, causa orationis & reliquiarum se patriam deseruisse dixerunt. Impetratur igitur ab eis præ cæteris reliquiis a summo Pontifice difficulter, sed & occultate corpus Sancti Quirini, quod tunc crebris clarebat miraculis, de quo gloriatur Monasterium dictum Tegernsee ab ipsis fundatum. Fuit autem Quirinus filius Philippi, primi Imperatoris Christiani, qui ante Imperium fuit Dominus Pannoniæ inferioris & superioris, & de uxore sua Severa, quæ mutato nomine dicta est Genovea, habuit liberos duos, videlicet Philippum, qui cum eo regnavit, & Quirinum, cujus nunc est mentio, qui Claudio capite plexus in Tiberim projicitur, postea tamen Romæ in cœmeterio Pontiani honorifice sepelitur. Erexerunt quoque prælibati viri, Albertus & Otkarius, & sororius eorum, nomine Otho, alios titulos & Ecclesias per plurima loca in proprio fundo, quas reliquiis nec non suis prædiis sufficienter dotaverunt. Unde reliquiis Sancti Hippolyti in partibus Austriæ, quæ adhuc ejusdem Martyris nomine intitulatur, honorificata est. Nustia, Monasterium ancillarum Dei adjacens litoribus Rheni, scypho Beati Quirini nobilitatur. Ilminensee Cœnobium Confessoris Christi Arsacii gaudet Patrociniis, nec non sæpe dicti Martyris Quirini gaudet reliquiis.

Fuerunt etiam his temporibus tres fratres, viri clarissimi, Lantfrid, Waldram, Ellilant, consobrini Karoli patris Pipini & Karlomanni, qui dum aliquando pro consvetudine venationibus exercerentur, inter frondosæ umbracula sylvæ, ad sempiterna Paradisi vireta suspirabant, jusseruntque statim exstirpatis fruticetis prope rivum Kalomonbach habitationem sibi, adjuncta basilica, construi. Quem quia locum sibi Dominus non elegit, signorum indicio declaravit. Cæsoribus namque repentina incisione vulneratis, columbæ advolantes cruentata ligni præsegmina raptim asportaverunt, & loco, in quo nunc venerandum altare Monasterii in Burnen consistit, sparsim inferentes, quasi ex rationabili industria cruciculos composuerunt. Animadvertentes igitur servi Domini cœlestis auspicii omen, quæ ibi cogitaverant, hic perficiunt, & cœnobium incomparabile structuris & picturis construxerunt. Deinde & alia tria grandi manu diligentiæ Monasteria instituunt, primum Chothalense, secundum Slethdorffense, tertium Schafenlense.

XCII. Stephanus II. sedit annis V. diebus XXVIII. Constantinus. Philippus. Schisma decimum. DCCLII

Stephanus II. natione Romanus, duos habuit Antipapas, scilicet Constantinum & Philippum successive electos armorum potentia, divina tamen inspiratione, populus Romanus illos duos ejecit, & Stephanum in Sedem reponit, & infra annum unum hoc schisma exspiravit. (*a*)

Hujus tempore Haistulphus, Rex Longobardorum, per quosdam pessimos Romanos inductus, Tusciam occupando, & vallem Spoletanam, usque Romam pervenit, Ecclesias, ubi corpora Sanctorum quiescebant, & alia loca sacra igne, ferro devastando, & de uniuscujusque capite censum repetendo. Papa igitur Stephanus

(*a*) De translatione Imperii vid. Mart. Polon.

nus tantam hominum & ecclesiarum afflictionem cernens, cum Imperatorem Constantinopolitanum requisivisset, & ab eo defensionem non haberet, personaliter venit in Franciam ad Pipinum, suggerens ei, ut se & Romanam Ecclesiam ab infestatione Longobardorum defenderet. Venit & Karlomannus, frater Regis, jam Monachus factus, jussu Abbatis sui, ut apud fratrem suum precibus Romani Pontificis obsisteret. Invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille Abbatis sui jussa contemnere, nec Abbas ille præceptis Regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat resistere. Pipinus autem venienti Pontifici ad trium milliarium spatium (occurrit) & de equo descendens, ac per frenum pedanei viri officium exercens, eum usque ad suum perduxit palatium. Stephanus autem postquam a Rege Pipino pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione finitatem accepit, ipsum in regiæ dignitatis honore confirmavit, & a juramento, quod Regi Hilderico cum cæteris Regni primoribus fecerat, absolvit, filiosque ejus, Karolum & Karlomannum cum matre eorum Berchtrada consecravit, Francorumque proceres una cum populo benedictione Apostolica sanctificans, autoritate Beati Petri Apostoli obligavit, & protestatus est, ut nunquam ipsi, vel quiqui ex eorum progenie per succedentium curricula temporum progeniti, de alia stirpe sibi Regem præponerent, nisi ex eorum propagine, quos divina providentia tunc in defensionem Ecclesiæ dignata est sublimare. Pipinus igitur manu valida Italiam intravit, & Haistulphum Regem in Papia civitate tam diu obsedit, donec firmitatis causa, pro facienda Sanctæ Romanæ Ecclesiæ justitia obsides quadraginta reciperet. Quibus datis promissoque jurejurando firmatis, Pipinus quidem domum rediit, Stephanum vero Papam cum minima Francorum manu Romam remisit. Karlomannus autem, frater Regis, qui cum Berthtrada Regina in Bienna civitate remansit, correptus febre, priusquam reverteretur, obiit, cujus corpus jussu Regis ad Monasterium Sancti Benedicti, ubi Monachus erat, relatum est. Sed recedente Pipino Haistulphus totum, quod promiserat, irritum fecit. Per quod iterum Pipinus Rex cum exercitu in Italiam veniens, eum in Papia obsedit, & ad implendum, quod promisit, obsidione coëgit, redditamque sibi Ravennam & Pentapolin, omnemque Exarchatum ad Ravennam pertinentem Sancto Petro dedit. Hisque peractis in Galliam rediit. Post cujus abscessum Haistulphus cum ea, quæ promisit, denuo commutare meditaretur, in venatione de equo suo prolapsus, ex hoc & infirmatus, intra paucos dies vivendi finem fecit, cui Desiderius successit. Eo tempore corpus S. Viti per Abbatem Sancti Dionysii Fulcardum nomine a Roma defertur in Franciam.

XCIII. Paulus sedit annis X.

Paulus, natione Romanus, fuit homo sanctissimus, ac in scientia eruditus, & circa eleemosynas pauperum devotissimus. Anno DCCLVIII. qui est primus Pauli Papæ, Pipinus Saxonibus iterum superatis annuatim trecentorum equorum censum imponit. His etiam temporibus Constantinus Imperator inter alia munera Pipino Regi etiam organum misit. Item Sanctus Othmarus a Barino, & Burchardi consensu Sidonii Episcopi Constantiensis, inique damnatus, in insulam Rheni relegatus, migravit ad Dominum. (a)

LXVII. Constantinus V. regnavit annis XXXIIII. mensibus II. diebus XXVI.

Anno Domini DCCXLII. Constantinus, filius Leonis, regnare cœpit, regnavitque annis XXXIIII. mensibus II. diebus XXVI. Hic fuit homo ferus, & pessimus legum persecutor, recedens a Deo & omnibus Sanctis ejus, insistens luxuriis, maleficiis, invocationibus dæmonum, sacrificiis idolorum, persecutionibus Ecclesiarum, peremtionibus Monachorum, & vitiosus per omnia Constantino primo contrarius. Nam primus dotavit Ecclesiam, hic persecutor Ecclesiæ nominatur. Nam omnes Christianos pro posse interfici faciebat. Habebat etiam sibi consentientem Anastasium, Constantinopolitanum falsi nominis Patriarcham. Hujus Imperii anno VIII. Rachis, Longobardorum Rex, dum rupto fœdere Romanos invadere nititur, a Zacharia Papa, non solum a malo reprimitur, sed etiam ejus instructu, cum uxore & filiis Romam veniens, Monachus efficitur. Cui Haistulphus, frater ejus, in Regno successit, qui post eum Romanos graviter infestavit.

Constantinus II. sedit anno I. (b)

XCIIII. Stephanus III. sedit annis III. mensibus V. diebus XXVIII.

Anno Domini DCCLXVIII. Pipinus Parisius obiit, ibique sepelitur, anno ætatis LIIII, pro quo filii ejus, diviso Regno, Karolus Magnus annos XLVI, & Karlomannos IIII. annos regnavit. His temporibus Imperator Constantinus solo nomine tantum imperabat, quia in oriente & in meridie quasi totum Principes Saracenorum occupaverant, propter quod & Ecclesia fidelium, eo quod Machometum blasphemabat, multam persecutionem sustinuit, & quamplurimos Saraceni interfecerunt.

XCV. Adrianus I. sedit annis XXIIII.

Adrianus, natione Romanus, tam intra Romam, quam extra, multas ecclesias restauravit, verum etiam muros Romanæ urbis, qui diruti erant, & usque ad fundamentum destructi, renovavit. Hic officium Ambrosianum inhibuit, & Gregorianum ubique servari præcepit, cujus rei Karolus Imperator executor exstitit. Vide de hoc in Novo Passionali in Legenda S. Gregorii & in Pelagia Historia. (c) Tunc cessavit Regnum Lombardorum, Karolo in tota Italia dominante. Nam deinceps illum Regem habebant, quem Cæsares sibi donabant.

(a) Cætera Martin. Polon. (b) De utroque Mart. Polon. (c) Cætera habet Mart. Polon.

LXVIII. Leo IIII. regnavit annis V.

Anno Domini DCC LXXVI. Leo, filius Constantini Persecutoris, regnare cœpit, regnavitque annis V. Hic ad breve tempus visus est pius esse, Sanctæque Dei Genitricis Mariæ ac Monachorum amicus, postea tamen cupiditate insaniens, concupivit cujusdam Ecclesiæ coronam, habentem carbunculos. Quam cum portaret in capite, febre correptus moritur.

LXVIIII. Constantinus VI. regnavit annis XVIII vel magis vel minus.

Irene regnavit sola annis V.

Anno Domini DCC LXXXI. Constantinus, filius Leonis, cum Irene matre sua regnare cœpit, regnavitque annis XVIII. cum matre. Infra hos tamen annos Constantinus matrem privavit Imperio, & solus imperavit. Unde ipsa rancore fœmineo stimulata, filium exoculavit, qui post breve tempus obiit, & mater de cætero pro ipso imperavit annis quinque usque ad secundum annum Imperii Karoli Magni. Obscuratus est autem sol eo tempore per dies XVII, ita ut aberrarent naves in mari, & omnes dicerent, quod propter Imperatoris obcœcationem sol obscuratus sit. Irene etiam, ut securius regnaret, oculos filiorum Constantini filii sui fecit evelli, ne quid mali adversus eam, propter patris excœcationem, quam mors secuta fuerat, machinarentur. (*a*)

Anno Domini DCC LXXXIII. Hiltigardis Regina, uxor Regis Karoli, obiit prid. Kal. Maj. & Berchtrada, mater Regis, quæ a quibusdam Berchta vocatur, obiit IIII. Id. Jul. Item Karolus Saxones bis acie confligens, magna strage vicit, & filiam Ratolfi Comitis, nomine Fastradam de orientali Francia, duxit in uxorem. Horum Imperii anno octavo facta est Sancta Synodus Niceæ CCC L. Patrum Episcoporum, in qua affirmatum est, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere. Eodem anno Karolus, Rex Francorum & Patricius Romanorum, apud Ingilinhem Pascha celebravit, & Generale Concilium habuit, ad quod Tassilo, Dux Bavariæ, sicut & cæteri Regni Primates, advenit.

Hujus Tassilonis historiam ex diversis posse colligi, & eam, utpote de nostrate, inserere huic operi curavi. Tassilo, iste Dux Bavariæ, fuit filius Otilonis & Helberudis, quæ fuit soror Pipini Regis, qui fuit pater Karoli Magni. Fuit autem Otilo iste primum Rex, postea vero Bavaria in provinciam redacta Dux, & fundavit Monasterium inferius Altach, sicut superius dictum est. Contra hunc Tassilonem Gripho, frater Pipini, Bavariam petiit, ipsumque Ducatum sibi subjiciens, Tassilonem in deditionem accepit. Quod audiens Pipinus, cum maximo exercitu venit in Bavariam, fratremque suum Griphonem cum omnibus suis cepit, & Tassilonem in Ducatum restituit. De quo etiam vide supra. Deinde Tassilo cum primoribus gentis suæ venit ad Pipinum in Compendio villa, ubi tunc populi sui generalem conventum habuit, promittens tam ipsi Regi Pipino, quam filiis ejus, Karolo & Karlomanno, fidelitatem jurejurando supra corpus Sancti Dionysii. Cum autem Pipinus Aquitaniam expeditione intraret, Tassilo, Dux Bavariæ, postponens sacramenta, quæ juraverat, oblitus omnia bona, quæ sibi avunculus suus, Pipinus Rex, fecerat, simulata infirmitate ab hac expeditione per dolum sese subduxit, & in Bavariam rediit, & ad conspectum Regis se ulterius venturum abjuravit. Mortuo autem Pipino, Karolus Magnus, filius ejus, ei in Regno successit, qui ad preces Adriani Papæ Desiderium, ultimum Regem Longobardorum, ut supra dictum est, debellans, ipsum vinctum cum uxore sua ad Franciam duxit. Tassilo autem Dux Bavariæ, cum esset consanguineus Karoli, & Luitpurgem, filiam Desiderii Regis Longobardorum, haberet uxorem, ab ipso Karulo Magno in Regem Lombardorum præficitur. Qui hortatu uxoris suæ Luitpurgis, quæ se exilium Patris per maritum ulcisci putabat, injuncto fœdere cum Hunis, qui Bavaris ab oriente sunt contermini, non solum imperata non facere, sed & Regem bello provocare tentabat. Inter hæc Karolus venit Romam, & ab Adriano Papa honorifice suscipitur. Misit itaque Adrianus Papa Formosum & Damasum Episcopos cum legatis Regis Ratholfo Diacono & Hebernhardo, pincernarum Magistro, ad Tassilonem Ducem, ut commonerent eum de juramento, quod Pipino & filiis ejus olim juraverat. Qui venientes, cor ejus emollierunt, ut cum eis Wormatiam veniret, datisque XII. obsidibus, Regi fidelitatem juraret. Sed ubi domum rediit, non diu in fide permansit. Karolo autem adhuc Romæ existente, venerunt ad Papam legati Tassilonis, Episcopus Junianus (Juvavensis) & Henricus Abbas, rogantes, ut pacem faceret, litemque terminaret inter Karolum Regem & Tassilonem. Qui, cum ille obnixe faceret, & Rex se id velle diceret, interrogati missi, quo pacto pacem vellent firmare, responderunt, sibi super hac re nichil imperatum fuisse, & se non audere pro seniore definitivam proferre sententiam, neque se ad hoc destinatos esse. Videns autem Papa, eos quasi fallaces & fraudulentos, anathematizavit prædictum Tassilonem, & omnes illi faventes, nisi fidelitatem, quam Regi Pipino & filio ejus Karolo promiserat, per omnia observaret. Et si ipse Dux nullatenus obedire vellet, tunc Karolus & exercitus ejus absoluti essent a Deo & S. Petro, & quicquid in Ducatu ejus perpetratum esset incendiis & homicidiis, vel qualicunque malitia, totum hoc super Tassilonem & socios ejus verteretur, & Rex & Franci essent innoxii. His verbis (legatos) Tassilonis ad ipsum remisit. Rex vero, accepta ab Apostolico benedictione, rediit in Franciam. Deinde venit in Wormatiam, ubi filios suos & filias cum uxore sua Fastrada invenit. Ibi ergo habito generali conventu, coram optimatibus suis, omnia, quæ

(*a*) De lamina aurea inventa vid. Mart. Polon.

quæ facta sunt in itinere suo, narravit, eorumque consilio misit legatos ad Tassilonem, qui monerent, utrum Apostolicis jussis obedire vellet, sibique fidem servare disponeret. Qui cum nollet obedire, Rex tripartito exercitu Bojoariam petiturus, prope civitatem Augustam ad Licum amnem venit, qui Bavaros ab Alemannis dividit, Pipino filio suo cum Italicis in Tridentinam vallem confluente, Saxonum vero atque orientalium Francorum exercitu super Danubium in loco, qui dicitur Peringa, conveniente. Videns autem Tassilo, se undique circumfusum, & quod Bavari magis essent fideles Karolo, quam sibi, ad Regem supplex venit, veniamque de ante gestis rogavit sibi dari. Rex autem, ut semper erat mitis, deprecanti pepercit, acceptoque ab eo filio ejus Theodone cum aliis XII. obsidibus, in Franciam rediit. Sicque bello, quod quasi maximum videbatur futurum, celerius est finis impositus. Deinde anno proximo sequenti, Karolo apud Ingelinhem Pascha celebrante, & generale concilium habente, Tassilo Dux, sicut cæteri Regni Primates advenit, quemadmodum prænarratum est. Sed a Bavaris accusatus, quod post datos proxime obsides fidem non servaverit, sed suadente uxore sua Luitpurga, Desiderii Lombardorum Regis filia, Avares, id est Ungaros in dissipationem Regni vocaverit, multaque hostiliter & dixisse & fecisse, cum hæc negare nequiret, Majestatis reus judicatus est, & dum omnium ore capitali damnaretur sententia, Rex Karolus, adhuc Patricius Romanorum, ob amorem Dei, & quia consanguineus ejus erat, liberare eum cupiens, interrogavit, quid jam agere vellet? Ille autem rogans, licentiam sibi dari pro peccatis pœnitendi, in Monasterium, quod ipse construxerat, missus est, similiter & filius Theodo, videlicet anno VII. Constantini VI. cæteri vero hujus perfidiæ consortes, per diversa exilia damnati sunt. Ulterius autem provincia, quam tenuerat Tassilo, non Duci, sed Comitibus est commissa. Post Karolus ad Ratisponam venit, ibique marchas & fines Bavarorum disposuit. Alibi legitur, quod Tassilo a Karolo in prælio publice devictus, cum suis, vinculis mancipatur, & per duarum pelvium ignitarum inspectionem excœcatur. Qui pœnitentia ductus, ad petitionem Principum absolvitur, & libere, quocunque vellet, ire permittitur. Ipse ergo ob spem futurorum, prospera mundi cuncta despiciens, Laurissam devenit, ibique sub specie pauperis, habituque religioso, & ab omnibus ignotus, usque ad extremum vitæ suæ terminum permansit. Post multorum vero annorum curricula jam dictus Karolus Magnus ad Ecclesiam Laurissensem pervenit, ibique solito more una noctium orationi vacans, Tassilonem lumine carentem per manus Angeli de ara ad aram perduci, cum summa reverentia perspexit. Summo igitur diluculo Karolus Imperator consurgens, Patrem Ecclesiæ advocat, diligenterque sciscitatur, quisnam sit, cui tanta beneficia ab Angelo impensa fuissent? Qui se ignorare respondit. Sequenti itaque nocte Abbas cum Imperatore hæc eadem beneficia, jam prælibato Tassiloni ab Angelo impensa, videre meruit. Post hæc Tassilo febre corripitur, & acceptis ecclesiasticis Sacramentis, ex instantia virorum religiosorum, vitæ suæ originem, graviter per singula suspirando, illis enarrans, feliciter migravit ad Dominum. Ad cujus tumbam Dominus quam plurima beneficia auxilium ejus implorantibus impertiri non dedignatur. Hic etiam Tassilo Dux, qui in servitio & officio divino devotissimus extitit, inter cætera Monasteria celebria, Pollingen Canonicorum Regularium construxit. Item Wessesprun, sic dictum a quodam suo venatore dicto Wesso, qui fontem ibidem a terra bullientem a se repertum ostendit. Vidit quoque Tassilo, dum ex venatione aprorum quadam vice pernoctasset, ibidem scalam ad cœlos porrectam, & Angelos Dei ascendentes & descendentes per illam, Sanctum autem Apostolorum Principem innixum scalæ, & canentem ea, quæ in officio dedicationis solent cantari. Item fundavit Monasterium Sancti Nicolai Pataviæ. Item Monasterio inferioris Althæ plurima prædia dedit. Item Pataviam civitatem Bavariæ instaurans, & renovans Episcopatus sedem, quæ apud Lauriacum, priusquam ab Hunis everteretur, inibi constituit. Denique in choro Monasterii in Beltenpurg subscripti versus habentur:

Tassilo, Dux Bavariæ,
Fundator hujus Ecclesiæ.
Sex struxit in Babaria
Tassilo Dux Monasteria,
Weltenpurg, Chremsmunster,
Laach, Wessesprun, Pfaffenmunster,
Tassilo Rex primum,
Postea Dux, sed Monachus ad imum.

Anno Domini DCCXCII. Synodo Ratisponæ collecta, hæresis Feliciana, sic dicta a quodam Felice Episcopo, damnata est, qui Christum secundum hoc, quod homo est, adoptivum Dei filium dicebant. Anno quoque sequenti, Synodo magna in Franckenfurt habita, hæresis eadem Feliciana damnata est, & liber contra eam, communi Episcoporum autoritate, compositus est. Quem Felicem Engilbertus in præsentia Adriani Pontificis adduxit, & post confessionem hæresin abdicavit. Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli congregata, septima universalis ab ipsa appellata, secundum Chronicam antiquam, ut nec septima, nec aliquid diceretur, supervacua ab omnibus abdicata est.

Mortua autem est Fastrada Regina, uxor Karoli, & Maguntiæ apud Sanctum Albanum sepulta est. Anno Domini DCCXCV. Huni, missis legatis ad Karolum, se cum terra sua ipsi tradunt, & Christianitatem promittunt.

Huc usque de Constantinopolitanis Imperatoribus tractatum est. Sed deinceps tantum de Romanis Imperatoribus est tractandum propter Imperii translationem. Ubi advertendum est, quod post Constantinum Magnum, qui imperavit tempore Sylvestri Papæ, Imperialis sedes

des apud Constantinopolin habebatur, pro eo, quod prædictus Constantinus Romanam sedem Vicariis Sancti Petri reliquit, & apud prædictam urbem sedem sibi ordinavit. Veruntamen propter dignitatem Imperatores Romani nuncupati sunt usque ad illud tempus, quo Romanum Imperium ad Reges Francorum translatum est. Postea vero illi Græcorum sive Constantinopolitani, isti vero Romani Imperatores nuncupati sunt. Est autem triplex translatio Romani Imperii usque modo regnante Sigismundo, Romanorum Rege, qui nunc regnat anno Domini MCCCCXXI. Prima est de Græcis in Francos, quæ facta est per manus Leonis Papæ III. qui Karolum Magnum, Regem Francorum in Urbe in Romanum Imperatorem coronavit. Secunda translatio est de Francis in Italicos, quæ facta est per manus Sergii Papæ, qui post Ludwicum Tertium, qui fuit de genere Karoli Magni, cum omni Romanorum velle, Berengarium, Italicum potentem Dominum, Romanorum Imperatorem fecit. Et imperaverunt in Italia annis quinquaginta quatuor usque ad Ottonem Primum. Tertia translatio fuit de Francis seu Gallis in Germanos facta per Romanos tempore Johannis Papæ XII. qui post Berengarium Quartum, qui fuit ultimus Imperator Italicus, Ottonem Primum fecit Imperatorem.

XCVI. Leo III. sedit annis XX. secundum alios XXV.

Leo III. natione Romanus, dum Romanis, qui ea, quæ Imperialis erant potestatis, sibi vendicarent, resisteret, quidam ex cognatis Beatæ memoriæ Adriani Papæ, seditionem moventes in populo, concitaverunt eum adversus Papam. Unde cum in letania majore de Lateranis progrederetur ad Ecclesiam S. Laurentii, captus & excœcatus est. Præcisa est etiam ei lingva. Deus autem omnipotens reddidit ei visum & loquelam. Postea pergens ad Karolum Regem Francorum, susceptus est cum maximo honore, & per Legatos Regis deductus, atque in locum suum restitutus. Post hæc Karolus pro atrocissima injuria hujusmodi vindicanda, cum Romam tenderet, pridie, quam Urbem intraret, occurrit ei Leo Papa apud Nomentum XII. lapide ab urbe, prandensque cum eo dimisit eum ibi nocte ista, & processit ad Urbem. In crastinum vero ordinatis per loca congrua turbis, ipse stans in gradibus cum Episcopo & Clero, honorifice illum suscepit, cunctisque psallentibus in basilica S. Petri eum introduxit. Facta sunt autem hæc VIII. Kal. Decembris. Post VII. vero dies Rex, concione vocata, omnibus, cur venisset, patefecit, inter quæ potissimum erat, de discutiendis, quæ objecta sunt Pontifici, criminibus. Ut enim se quasi absolutos redderent ejus calumniatores, mortiferum ei crimen imposuerunt. Rege autem de hoc inquirente, cum nullus esset criminis probator, Pontifex assumto Evangelii textu, coram Rege & omni populo ambonem conscendit, astantibusque accusatoribus invocato Sanctæ Trinitatis nomine, objectis se expurgavit. Post hæc Leo iste Karolo Regi, dum in Die Natali Domini ad Missarum solennia ab oratione surgeret, nichil minus speranti coronam imperialem supposuit, & Imperatorem pronunciavit, & a cuncto Populo Romano acclamatum est: Karolo Augusto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria! Post quas laudes unctus ab Apostolico, & antiquorum more Principum ab eo adoratus, ablato Patricii nomine Imperator & Augustus appellatur. Legitur autem de eo, quod Imperatoris & Augusti nomen in primo tantum aversatus fuerit, ut affirmaret, se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum, si præscire potuisset Pontificis consilium. Post paucos autem dies, habita quæstione de adversariis Papæ, secundum legem Romanam, ut majestatis rei decollationi adjudicati sunt, pro quibus tamen Papa pio affectu intercessit. Nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. Cæterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Quidam autem dicunt, quod de maribus eorum uno die in Lateranensi campo trecenti decollati sunt.

Per hunc igitur Leonem Tertium facta est translatio Imperii de Græcis ad Reges Francorum, & ex consequenti in Germanos. Et sic, ut verbis M. Conradi de Monte Puellarum utar, per Stephanum Secundum inchoative translatum est Imperium Romanorum in personam Karoli Magni in dando sibi autoritatem advocatoriam defendendi Ecclesiam Dei, & Adrianus I. auxit hanc potestatem in faciendo ipsum Patricium Romanorum, id est patrem & tutorem pupillorum & viduarum, sed Leo Papa III. hujusmodi translationem perfecit finaliter & implevit. Sed quia justum est omnia a fine denominare, ergo Leoni Papæ potius est ista translatio ascribenda.

Hic Leo fecit Porticum Sancti Petri, quæ adhuc dicitur civitas Leonina, & muro eam cinxit propter incursum Saracenorum. Hic moritur, & in Ecclesia S. Petri sepelitur.

LXX. Karolus Magnus regnavit annis XIV.

Anno Domini DCCCI. Karolus Magnus, Rex Francorum, Pipini Regis filius, regnare cœpit, regnavitque annis XIIII. Hic Karolus dictus est Magnus a magnitudine virtutum. Fuit natione Teutunicus, quia Francus Germanicus erat. Nam id habet communis assertio Germanorum, quod locus originis suæ fuerit villa Ingelinheim, qui a civitate Maguntina tantum per duas leuclas distat. Ad quam intentionem, Magister Conradus de Monte Puellarum, autoritate Chronicæ Godefridi Viterbiensis, quondam Imperialis Curiæ Capellani & Notarii, ponit hunc versum:

Nascitur Ingelnheim, cui Bertha fit Ungara mater. (a)

Hunc Alkwinus Philosophus, genere Anglicus, vita, scientia & moribus clarus, docuit artes liberales. Hic Alkwinus de urbe Romana studium

(a) De corporis qualitate habet Martin. Minorita.

dium Parisius transtulit, quod de Græcia illuc translatum fuerat a Romanis. Hujus Studii cum Alkwino præterea fundatores fuerunt Rabanus, Claudius & Johannes Scotus. Alkwino etiam Karolus commisit Monasterium S. Martini Turonensis regendum, qui hoc ad sanctitatem pristinam reformavit. Hic Karolus, cum adhuc Patricius esset, literas a Constantino & Patriarcha Ierosolymitano accepit, ut Terræ Sanctæ a Saracenis occupatæ succurreret. Quam magno exercitu recuperans, reversus est per Constantinopolin, ubi aurum & gemmas sibi oblatas recusans, postulavit ex omnibus reliquiis arcam unam. Territus Constantinus Imperator, clausit reliquias pretiosissimas in arca vili, sed alias in scriniis aureis & gemmatis. Karolus hæc ignorans, præmisit jejunium triduanum, & præmonitus ab Angelo, cui inter omnia unum deberet eligere, relictis aureis, rapuit vilem arcam, in qua erat pars coronæ spineæ, quæ floruit ad preces ejus. Item pars crucis. Item sudarium Christi. Item camisia Virginis Gloriosæ. Item brachium Simeonis. Quæ omnia miraculis concomitantibus ad Aquisgranum transtulit, & in basilica Beatæ Mariæ, quam construxerat, recondidit. (*a*) Ab hoc quoque Karolo primitiva fundatio Monasterii in Meten exordium habuit in hunc modum. Cum enim ipse Karolus Magnus provinciam Bavariæ obtineret, accidit, quod transitum faceret, in venatione positus, per locum, in quo prædictum Monasterium pronunc est situm, tunc silvaticum existentem, viditque ibidem hominem dispositione eremitica existentem, qui in constructione cujusdam cellulæ extitit occupatus, & bipennem, cum quo ligna exscindebat, ad radios solares suspendentem. Quo viso miraculo, prædictus Rex admonuit præfatum Eremitam nomine Nitonem, ut aliquid peteret, ad profectum suum, quod præsto esset, se daturum. Qui petiit, ut cultus Dei in constructione cujusdam Monasterii amplificaretur. Quod Rex statim annuit, & Monasterium ibidem fieri jussit, & muneribus magnificis regaliter sublimando dotavit. (*b*) Hic Karolus, legendi & psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus, quanquam ipse nec publice legeret, nec nisi submisse, & inconcinne cantaret. Fuit autem consuetudo, ut in basilica ejus Magister Scholæ designaret pridie singulis, quod responsorium quis cantare deberet in nocte, lectiones vero nullus cuiquam recitandas injunxit. Nullus ad terminum vel ceram imposuit, vel unguibus saltem quantulumcunque signum impressit, sed cuncti omnia, quæ legenda erant, ita sibi nota facere curarunt, ut quando inopinate legere juberentur, irreprehensibiles apud eum invenirentur. Digito autem vel baculo porrecto, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo demonstravit, quem legere voluisset, finem vero lectionis gutture designavit. Ad quem universi ita intente suspensi sunt, ut sive finita sententia, sive in media distinctione, sive in subdistinctione significaret, nullus sequens inferius aut superius incipere præsumeret, quantumcunque incongrua finis aut initium viderentur. Et hoc modo factum est, ut etiam, si non intelligerent, omnes in ejus palatio lectores optimi essent. Nullus alienus, nullus etiam novus, nisi legere sciens aut canere, chorum ejus ausus intrare. Hic etiam post susceptum Imperium, cum adverteret, multa legibus populi sui deesse, Germanis sive Teutunicis in lingua Germanica sive Teutonica quasdam leges dedit, quæ a multis hodie habentur. Hic etiam mensibus juxta propriam linguam vocabula imposuit, qui ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus pronunciabantur. Et Januarium appellavit Wintermonad, Februarium Hornunck, Martium Lentzmonad, Aprilem Ostermonad, Majum Wunnemonad, Junium Brachmonad, Julium Heumonad, Augustum Arnmonad, Septembrem Witemond, Octobrem Windemonad, Novembrem Herbstmonad, Decembrem Heiligmonad. Hic etiam Karolus Magnus terram Avarorum sive Hunorum, per bellum continuum octo annorum, capiens, Avaribus expulsis, ipsam terram Avariam, sive superiorem Pannoniam, quæ nunc dicitur Austria, totam inter Ecclesias Bavariæ, Pontifices & Abbates, Comites dividit & Barones, ubi Ecclesiæ inferioris Althæ non parvam dedit portionem.

Hic Karolus, cum jam morbo & senectute premeretur, Ludowicum, filium suum, Regem Aquitaniæ, cunctorum consiliorum consortem sibi totius Regni, & Imperialis nominis hæredem constituit, impositoquo capiti ejus diademate, Imperatorem & Augustum jussit appellari. Tandem febre & pleurisi correptus, V. Kal. Febr. decessit, anno ætatis suæ LXXII, Regni XLVI, Imperii XIIII. Indictione VII, sepultus Aquisgrani in basilica Beatæ Mariæ, quam ipse construxerat, hoc habens epitaphium: Sub conditorio hoc situm est corpus Karoli Magni atque orthodoxi Imperatoris, qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVI. fideliter rexit.

Nicephorus regnavit annis X.

Anno Domini DCCCII. Irene Imperatrix a Græcis deponitur, & in Monasterium, quod ipsa construxerat, ponitur, & Nicephorus in Imperatorem eligitur, per cujus negligentiam Orientale Regnum quasi ad nichilum venit. Hic Legatos Imperatoris Karoli, suis adjunctis, firmata pace, remisit. Quos suscipiens, cum pacto pacis literis mandato dimisit. Hic etiam Nicephorus, anno Domini DCCCXII. pugnans contra Vulgaros, occiditur, & Michael, gener ejus, Imperio potitur.

Michael regnavit annis XII. (*c*)

Hic cum Karolo pacem firmavit. Deinceps tantum de Romanis Imperatoribus, ut præmissum,

(*a*) De Cœnobiis locus est apud Martin. Polon.
(*b*) IV. Archiepiscopat. sunt apud Martin. Polon.

(*c*) Cætera habet Mart. Polon.

sum, est tractandum propter Imperii translationem.

DCCCXVI. XCVII. Stephanus IIII. sedit mensibus VIII.

XCVIII. Paschalis I. sedit annis VI. (*a*)

XCVIIII. Eugenius II. sedit annis III. Schisma XI.

Eugenius Secundus, natione Romanus, duos habuit Antipapas per contentionem electos a populo & Clero. Quibus per Lotharium, Ludwici Imperatoris filium, rejectis, Eugenius in sede reponitur, & finitum est hoc Schisma ante duos annos.

DCCCXXVII. C. Valentinus I. sedit mense I.

CI. Gregorius IIII. sedit annis XV.

Gregorius IIII. natione Romanus, ex consensu Ludwici Imperatoris & Episcoporum omnium, Festum omnium Sanctorum, quod per annos ducentos viginti celebrabatur III. Idus Maji, transtulit ad Kal. Novembris, ut populus adveniens majorem victualium copiam haberet. (*b*)

Hic Gregorius Pontifex post multa bona opera sepultus est ad S. Petrum.

LXXI. Ludovicus I. regnavit annis XXV.

Anno Domini DCCCXV. Ludowicus, cognomento Pius, Caroli Magni filius, regnare cœpit, regnavitque annis XXV. (*c*) Hic Ludwicus Rex Germanorum XIIII. Duces Bohemorum cum suis sequacibus baptizari fecit, & in fide Christiana diligenter edoceri. Item Ludwicum Imperatorem filii sui capientes, aliquamdiu incluserunt, sed eodem anno pœnitentes, & veniam postulantes, ipsum restituerunt. Item Michael Imperator Constantinopolitanus Ludwico Imperatori inter cætera munera libros S. Dionysii, qui cum gaudio magno sunt recepti. Item tunc floruit Rabanus, Abbas Fuldensis, postea Maguntinensis Archiepiscopus, postea magnus, & in scientia Theologica præclarus, qui librum, quem de Laude Sanctæ Crucis variis figuris metroque composuit, & Sergio Papæ transmisit. (*d*) Item corpus S. Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis Martyris, Radoltus, Turonensis Episcopus, a Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore Genesii Martyris in Augiam insulam attulit. Item in territorio Tullensi, puella duodecim annorum post Sacram Communionem a sacerdote in Pascha susceptam, per sex menses in pane & aqua (vixit,) deinde ab omni cibo & potu per triennium abstinuit. Item in Gallia ante solstitium æstivale, magna tempestate exorta, cum grandine ingens fragmentum glaciei cecidit, cujus latitudo VI. pedum, & longitudo quindecim, & spissitudo duorum fuit. (*e*)

DCCCXLII. CII. Sergius II. sedit annis II. mensibus II.

Sergius II. natione Romanus, ex patre Sergio fuit. Hic prius Os porci dictus est, sed mutato nomine vocatus Sergius. Unde ab isto in antea omnes proprium nomen mutaverunt, tum quia Dominus his, quos in Apostolatu elegit, nomina mutavit, tum quia, sicut mutatur in nomine, sic mutari debet in vitæ perfectione, tum ne ille, qui ad tantam dignitatem eligitur, aliquo nomine indecoro turpetur.

Hujus temporibus Saraceni Ecclesias Petri & Pauli funditus everterunt. Audita enim cæde mutua Lotharii & fratrum ejus, multæ gentes se contra Imperium erexerunt.

CIII. Leo IIII. sedit annis VIII. DCCC

Leo IIII. natione Romanus, primo professus Monachus existens, deinde Presbyter Cardinalis. Quo mortuo, nec dum sepulto, clerus & populus Leonem concorditer elegerunt, qui mox Ecclesias Apostolorum & alias, quas Saraceni vastaverant, restauravit. (*f*) Hic Pontifex, divinarum scripturarum ferventissimus perscrutator XVII. Kal. Augusti decessit, sepultusque est in Ecclesia S. Petri. (*g*)

LXXII. Lotharius I. regnavit annis X.

Anno Domini DCCCXL. Lotharius, filius Ludwici Imperatoris supra dicti regnare cœpit, regnavitque annis X. (*h*)

Johannes mulier sedit annis II. mensibus VII. diebus III. (*i*)

CIIII. Benedictus III. sedit anno I. (*k*)

CV. Nicolaus V. sedit annis IX.

Nicolaus, natione Romanus, concessit cantari sequentias Nœgerii Monachi S. Galli. (*l*)

CVI. Adrianus II. sedit annis II. vel plus. (*m*)

LXXIII. Ludowicus II. regnavit annis XXI.

Anno Domini DCCCL. Ludowicus, Lotharii filius Imperatoris, regnare cœpit, regnavitque annis XXI. (*n*) Hujus temporibus Rex Bulgarorum cum gente sua ad fidem conversus, tantæ perfectionis fuit, ut majore filio in Regem ordinato, ipse habitum Monachalem reciperet. Sed cum idem filius redire vellet ad cultum gentilitatis, pater habitum deponens, militiam resumsit, filium persecutus cepit, effossisque oculis in carcerem misit, & filio juniore in Regem ordinato, resumsit pater habitum Monachalem.

CVII. Johannes VIII. sedit annis X.

Johannes VIII. constituit, ut nullus secularis placita secularia tractet in ædibus sacris. Sub hoc celebrata est VIII. Synodus in Constantinopoli CCCLXXXIII. Episcoporum. Et quia regulæ hujus sanctæ & universalis Synodi habentur apud nos, Canonem unum de eisdem,

(*a*) Mart. Polon. (*b*) Martin. Polon. (*c*) De ejus fratribus & filiis vid. Martin. Polon. (*d*) De ossibus S. Viti Mart. Polon. (*e*) Omnia de Concilio Aquisgran. & de Dietolfo verbotenus apud Mart. Minorit.

(*f*) De duabus collectis Mart. Polon. (*g*) De Adulpho Rege Martin. Polon. (*h*) Cætera habet Martin. Polon. (*i*) Desumta omnia ex Mart. Pol. & versus *Papapater &c.* ex Mart. Minorita. (*k*) Itidem omnia ex Martin. Polon. (*l*) Cætera ap. Martinos, partim Polonum, partim Minoritam. (*m*) Omnia ad verbum ap. Mart. Polon. invenias. (*n*) Cætera apud Martinos, Polon. & Minor.

de

de adorandis imaginibus, quas hæretici his temporibus confringunt, cum sua rubrica huic operi inserere curavi, ut honoretur & adoretur imago Domini Nostri Jesu Christi, æque Sanctorum liber Evangeliorum, & figatur pretiosæ crucis, similiter & intemeratæ matris ejus, & Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum, nec non & cœlestium Ministrorum: Sacram imaginem Domini Nostri Jesu Christi & omnium Liberatoris & Salvatoris æquo honore cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem & Sapientes & idiotæ cuncti, ex eo quod in promtu est, perfruuntur utilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura, quæ in coloribus est, prædicat & commendat. Et dignum est, ut secundum congruentiam rationis & antiquissimam traditionem propter honorem, qui ad principalia ipsa refertur, & derivative icone honorentur & adorentur æque, ut Sanctorum sacer Evangeliorum liber, atque typus pretiosæ Crucis. Siquis ergo non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat formam ejus, quando venerit in gloria paterna glorificari & glorificare Sanctos suos, sed alienus sit a communione ipsius & claritate. Similiter autem & imaginem intemeratæ Matris ejus & Dei Genitricis Mariæ, insuper & iconas Sanctorum Angelorum depingimus, quemadmodum figurat eas divina scriptura verbis. Sed & laudabilissimorum Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & Sanctorum Virorum, similiter & omnium Sanctorum & honoramus & adoramus, & qui sic non habent, anathema, sicut a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.

LXXIIII. Karolus II. regnavit annis II. mensibus IX.

Anno Domini DCCLXXII. Carolus II. frater Ludwici II. alibi frater Lotharii Imperatoris & Rex Galliæ, Imperium invadens, regnare cœpit, regnavitque annis II. & mensibus IX. Hic cum de Gallia in Italiam pergeret, per quendam Judæum nomine Zedechiam potionatus, in Alpibus diem clausit extremum. Quidam scribunt, hunc fuisse patruum Ludwici Secundi, & eodem mortuo, Imperium adeptum fuisse. In quadam tamen Chronica in numero Imperatorum non ponitur. (*a*)

CVIII. Martinus II. sedit anno I. mens. V.

CIX. Adrianus IV. sedit anno I. mens. II.

CX. Stephanus V. sedit annis VI.

Hujus temporibus Johannes Scotus floret, qui Hierarchiam Sancti Dionysii de Græco transtulit in Latinum, quem postea discipuli sui stylis confodientes perimerunt.

LXXV. Karolus III. regnavit annis XII.

Anno Domini DCCCLXXV. Karolus, qui dicitur Grossus vel Junior, Rex Alemanniæ, id est Sveviæ, filius Ludwici Regis Germaniæ, qui fuit nepos Karoli Magni, & filius Ludwici Primi, regnare cœpit, regnavitque annis XII. Hic habuit duos fratres, Ludwicum, qui, ut ajunt, tenuit Ostrofranciam, & Karlomannum, qui tenuit Bavariam, & appellabatur Rex Bavariæ, cujus filius Arnolfus postmodum obtinuit Monarchiam. (*b*)

CXI. Formosus sedit annis V. mensibus VI. Sergius. Schisma XII.

Formosus Episcopus Portuensis, pro vera religione divinarum quoque Scripturarum & doctrinarum scientia electus in Papam, Sergium Diaconum Cardinalem, qui postea fuit Papa, propter divisionem populi & Cleri, habuit Antipapam, & sedatum est hoc schisma per Sergium prædictum propter seditiones. (*c*) Hic Formosus in Ratispona Monasterium Sancti Emmerani dedicavit. Denique post obitum ejus corpus in Concilio positum Stephanus Papa VI. condemnavit, & duobus digitis dextræ ejus abscissis, in Tiberim jactari præcepit, omnes ordinationes ab ipso factas decernens irritas & inanes. Ultimo Sergius III. iterum eum extumulari fecit. Post annos VI. corpus ejus in Sede Pontificali locatum decollari præcepit, & in Tiberim jactari, eo quod sua electio propter Formosum fuerat impedita. Ipse quoque Sergius legitur dixisse: Cum Portuensis Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam Universalem Sedem usurpasti? Corpus autem Formosi a piscatoribus inventum, & in Ecclesia S. Petri positum, imagines Sanctorum se inclinantes, venerabiliter salutabant. Duo etiam successores sui, Theodorus II. & Johannes IX. ordinationes Formosi Papæ, Synodis convocatis, approbaverunt.

CXII. Bonifacius V. sedit diebus XV.

CXIII. Stephanus VI. sedit annis II.

CXIIII. Romanus sedit mensibus III.

CXV. Theodorus II. sedit diebus XX.

CXVI. Johannes IX. sedit annis II.

CXVII. Benedictus IIII. sedit annis III. DCCCC.

LXXVI. Arnolfus regnavit annis XII.

Anno Domini DCCC LXXXVIII. Arnolfus, filius Karlomanni, qui fuit frater Karoli Grossi, regnare cœpit, regnavitque annis XII. Hic Arnolfus Regum Europæ famosissimus, cum Normanni pessimi Pagani Episcopia & Monasteria Sanctorum devastarent, & Episcopos una cum Canonicis & Monachis & Sanctimonialibus indifferenter necarent, conducto exercitu in fines Occidentalium Francorum, ubi hostes consederant, devenit. Tunc cæteris omnibus præ multitudine nimia Paganorum, & ob pedestre bellum Francis eatenus insolitum desperantibus, Rex solus in Regem Regum spem suam ponens, & exhortationibus validis ad ulciscendum Christianorum sangvinem

(*a*) Cætera Martin. Polon.

(*b*) Cætera Martin. Polon. (*c*) Degrationem ejus vid. apud Martin. Polon.

nem incitans milites, ipſe vexillum anteferens, præliari cœpit. Et mox ſubveniente gratia Dei victoria ceſſit ad Chriſtianos, ita ut amnis alveus, cui inſederant, & antea illis pro muro fuerat, tunc cadaveribus interceptus, univerſis ſtupentibus victus appareret. In eo prælio cæſi ſunt duo Reges Normannorum & Daciorum, Sigefridus & Godefridus, nec non regia ſedecim ablata ſunt (vexilla) & in Bavariam pro teſtimonio transmiſſa. Tunc quoque Rex cum omni exercitu ad littanias procedens, laudes magnificas Deo celebrari præcepit, qui talem ſuis tribuit triumphum, ut uno de parte Chriſtianorum occiſo, mille de Paganorum parte perirent usque ad unum.

Hic Arnolfus anno ſeptimo Regni ſui a Formoſo Papa coronatus, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. Hic præ cæteris Regni ſui locis Ratisponam metropolin Bavariæ dilexit. Unde etiam ob honorem pretioſi Dei Martyris Emmerani muros ejus amplificavit & auxit, Monaſterium quoque dicti Martyris Emmerani plurimum adornavit, ac largis poſſeſſionibus locupletavit. Hic cum triumpho de Gallia a cæde Nortmannorum in Bavariam rediens, oſſa S. Dionyſii Areopagitæ ſecum tulit, quæ quamdiu incolumis vixit, ſecum retinuit. Tandem ſentiens, ſibi mortem imminere, Oſſa dicta Monaſterio S. Emmerani, quod poſitum eſt Ratisponæ, perpetuo ſervanda tradidit, una cum Evangeliorum libro, qui ſic ornatus eſt ab extra auro gemmisque pretioſis, intus vero aureis literis ſcriptus per ſingulos margines omnium foliorum ſingulas habens mirandas picturas, quod vix ei ſimilis poſſit reperiri. Item vero Arnolfus paralyſi diſſolutus, nulla arte medicinali poterat adjuvari, quin a deſpectis inimicis, qui eum invaſerant, conſumeretur, & nonnulli inde veneficii & maleficii criminati puniti ſunt. Sepultus eſt hic in choro dicti Monaſterii S. Emmerani, cujus anniverſarius agitur ibidem in die S. Virgilii Epiſcopi, concluditurque officium pro defunctis cum Antiphona ſubſcripta: Fidelis Cæſar beatis Reliquiis potiri gaudens, apud illas ipſe ſepeliri præelegit, Dionyſii ſe ſperans ſubſidio & tutela fulciri, unde & deſiderium eſt impletum in (hoc) hujus viri. Hic eſt ille Arnolfus, qui Admatharii ferbuit cultum, quem & dilexit multum. Hic eſt etiam ille Arnolfus, qui ei, quem vivens coluit, tandem abeſſe mortuus noluit, Martyri juxta glorioſo, quem in cœlis coronatum novit lapide pretioſo.

CXVIII. Leo V. ſedit XL. diebus. Chriſtophorus. Schiſma XIII.

Leo V. Chriſtophorum Presbyterum habuit Antipapam. (*a*)

CXIX. Chriſtophorus ſedit menſibus VII.

Chriſtophorus de Papatu a Sergio ejectus, factus eſt Monachus.

DCCCCIV. CXX. Sergius III. ſedit annis VII. (*b*)

(*a*) Cætera Martin. Polon. (*b*) Vid. Martin. Polon

LXXVII. Ludovicus III. regnavit annis VI. vel XII.

Anno Domini DCCCCI. Ludowicus, Arnolfi Imperatoris filius, adhuc puer regnare cœpit, regnavitque annis VI, ſecundum alios vero XII. Hic ad Coronam Imperii non pervenit. Unde ipſe fuit finis Imperii, quantum ad poſteritatem Caroli, culpis exigentibus, quod Eccleſias, quas patres eorum exſtruxerant, non fovebant, ſed diſſipabant. Imo Francigenæ non adjuvabant Romanos contra Lombardos rebellantes, & ipſis multas injurias inferentes. Ob quam cauſam ſecundum ſententiam Romanorum facta eſt ſecunda Imperii translatio de Francis in Italicos per Romanos & Sergium Papam tertium. Nam Sergius Papa propter multas negligentias Ludwici pactus cum omni Romanorum velle, Berengarium Italicum potentem Dominum Romanorum Imperatorem fecit. Et ſic tempore illius Ludwici dividi cœpit Imperium. Quidam enim, ſicut infra patebit, tantum in Italia, & quidam tantum per Alamanniam imperabant usque ad Ottonem Primum, qui cœpit utrobique imperare. Iſte Ludwicus Berengarium, qui tunc regnabat per Italiam, fugavit, & cum pro ipſo regnaret, Veronæ capitur & excœcatur, & Berengarius Imperio reſtituitur. Hic Ludwicus moritur, & Ratisponæ in medio chori Monaſterii Sancti Emmerani ſepelitur.

Hujus temporibus Conradus, pater Conradi, qui poſtea per Alemanniam regnavit, fratrem Alberti Comitis occidit. Fuit autem Albertus iſte filius ſororis Henrici, ſed poſtea Regis, quæ dicta eſt Babani, a qua & mons Babenperg nominatur. In ultionem ergo fratris ſui Albertus Conradum occidit. Ex quo tam ingens bellum oritur, quod nullus hoc ſedare potuit, dolo tamen Albertus a Ludwico, Romanorum Rege, comprehenditur, & in Babenberg decollatur. Et quia hoc perfidus Hatto, Moguntinus Archiepiſcopus, ſvaſit, dando Ludwico tale conſilium: Ego, ut ad te ille veniat, providebo, tu, ne redeat, curato; quod factum eſt, ideo a dæmonibus in puteum Æthnæ montis præcipitatur, anno Dom. DCCCXIIII, voce in aëre ſic dicente:

Sic peccata lues, ſicque ruendo rues.

Item Spitigenus, Dux Bohemiæ baptizatur, cui ſucceſſit Sanctus Ventzeslaus.

LXXVIII. Berengarius I. regnavit annis IIII. vel plus.

Anno Domini DCCCCVIII. Berengarius Italicus poſt Ludwicum, qui fuit ultimus Karolorum apud Orientales Francos imperantium regnare cœpit, regnavitque annis quatuor. Hic prudens in armis fuit, habuitque bellum cum Romanis.

Conradus regnavit annis VII.

Anno Domini DCCCCXIII. *Conradus*, filius Conradi, quem Albertus occidit, vir ſtrenuus bellorumque exercitio doctus omnium electione in Alemannia regnare cœpit, regnavitque

vitque annis VII. Hujus temporibus potentissimi Principes erant Arnolfus in Bavaria, Burchardus in Svevia, Eberhardus Comes in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia, inter (quos) Henricus, Saxonum & Thuringorum Dux, præpotens pollebat. Secundo autem ejus Regni anno memorati Principes huic præsertim rebelles extiterant, quos ille tam sapientiæ vigore, quam fortitudinis robore superavit, suamque ad fidelitatem perduxit. Arnolfus autem nimio terrore coactus, cum uxore ac filiis ad Ungaros fugit, ibique usque ad obitum Conradi permansit. Hic Conradus Rex filius Conradi, qui fuit frater Ludwici Tertii, quem & Albertus Comes occidit, a quibusdam fuisse putatur, & sic ipse esset ultimus Karolorum apud Orientales Francos imperantium. Sed de hujusmodi diversitate videant Regnorum Scriptores.

CXXI. Anastasius III. sedit annis II. mensibus II.

CXXII. Laudo sedit annis II. mensibus II.

CXXIII. Johannes X. sedit annis XIII. (a)

LXXXIX. Berengarius II. regnavit annis VIII.

Anno Domini DCCCCXII. Berengarius II. Imperator Italicus regnare cœpit, regnavitque in Italia annis VIII. Hujus Berengarii tempore Hugo Francorum Rex solum in Francia regebat. Hujus Hugonis tempore Ungari per Galliam & Hispaniam omnia igne & ferro destruunt & consumunt. Qui Hugo post mortem Berengarii II. ad partes Italiæ transivit, & Imperavit apud Romanos annis VI. secundum quandam Chronicam, in Chronicis vero Martini, & in quibusdam aliis non fit de hoc mentio.

Henricus I. regnavit annis XVII.

Anno Domini DCCCCXXI. post Conradum Henricus, genere Saxo, filius Ottonis Ducis, regnare cœpit, regnavitque annis XVII. Hic Henricus appellatus Humilis habuit uxorem nomine Mathildam, sanctæ conversationis fœminam, ex qua genuit Ottonem Magnum, & Henricum Ducem Bavariæ. Henricus Dux Bavariæ, genuit Henricum Ducem, deinde Hezil. Hic Henricus genuit Henricum Bambergensem dictum Pacificum, qui sine hærede discessit. Hic Henricus dictus Humilis inter Imperatores non computatur, quia non regnavit in Italia, nec fuit per Papam coronatus, legitur tamen in antiqua Chronica, quod cum unctio & diadema a Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, sibi offerretur, non sprevit, nec tamen suscepit, satis, inquiens, mihi est, ut præ majoribus meis Rex dicar & designer, divina annuente gratia vestraque pietate, penes meliores vero nobis unctio ac diadema sit. Tanto honore nos arbitramur indignos. De isto Herigero Summo Pontifice in Chronicis nullam inveni mentionem, præterquam in Chronica antiqua, ut præmissum est.

(a) Omnia ad verbum vid. ap. Mart. Polon.

Eo tempore Arnolfus Dux, audita morte Conradi Regis, qui sine hærede decessit, cum uxore & filiis ab Ungaria rediens, honorifice a Bajoariis suscipitur, nec solum suscipitur, sed etiam, ut Rex fiat, vehementer ab eis exoratur. Rex autem Henricus cum inter omnes Regni Principes sibi obtemperantes Arnolfum solum resistere cerneret, collecto exercitu prævalido Bajoariam tetendit, eumque juxta quosdam in præsidio urbis Ratisponensis obsedit. Quod ille videns, seque Regi resistere non perpendens, portis apertis aggressus est ad Regem, tradens semetipsum cum omni Regno suo, & honorifice susceptus, ab eo amicus Regis appellatus est. Quidam vero scribunt, quod non passus sit Arnolfus adventum Regis in Bavaria, sed collectis, quibus potuit, copiis obviam ei processit ad pugnam. Cumque in eo essent, ut bellum inire deberent, Rex Henricus, ut vir sapiens & timens Deum, cogitans, ex utraque parte damnum irreparabile posse accidere, Arnolfo, ut solus cum solo loquatur, denunciat. Henricus igitur prudente sermone alloquens Arnolfum, increpat eum, cur Dei ordinationi resistere vellet, cum se ab omni populo electum sciret, quod nisi Deo disponente non fieret affirmans, quod si populus æque communiter eum eligeret, & forte ipse primus in ejus electione occlamaret. His verbis demulsus Arnolfus, ad suos rediit, indicans eis Henrici sermones. Qui consilio ipsorum electioni ipsius Henrici consensit, ea tamen conditione, sicut ex consilio habuerat, si sibi hoc, quod decessores ejus non habuere, concederet, scilicet ut totius Bavariæ Pontifices suæ potestati subjacerent, unoquoque defuncto, alterum ordinare liceret. Arnolfus igitur miles Henrici efficitur, & ab eo, ut dictum est, totius Bavariæ Pontificibus sibi concessis honoratur. Hic est Arnolfus ille, super cujus denotatione Sancto Udalrico, Augustiensi Episcopo, ut in libro Gestorum ejus legitur, ostensus est gladius sine capulo, qui Rex fieri frustra cupiens invasor Regni extitit, & pro hujus adquisitione Ecclesias Monasteriaque destruens, res earum distribuit in beneficia laicorum.

CXXIIII. Leo VI. sedit mensibus VI.

CXXV. Stephanus VII. sedit annis II.

CXXVI. Johannes XI. sedit annis IIII. mensibus X.

Johannes XI. natione fuit Romanus. Hujus Pontificatus primo anno in Januensi civitate fons sangvinis largissime effluxit, forte præcedens ipsius cladis eminentiam. Nam eodem anno a Saracenis ex Africa venientibus capta fuit, & hominibus & thesauris evacuata.

LXXX. Berengarius III. regnavit annis VIII.

Anno Domini DCCCCXXI. vel secundum quosdam XXVIII. Berengarius III. regnare cœpit, regnavitque annis VIII. Hujus temporibus magnum schisma fuit in Italia propter Johannem decimum, de quo vide Martin. Polonum in vita Johannis Papæ X.

CXXVII. Leo VII. sedit annis III.

DCCCCXXXIX CXXVIII. Stephanus IIX. sedit annis III.

Stephanus IIX. natione Germanus fuit, mutilatus a quibusdam Romanis.

CXXIX. Martinus III. sedit annis III.

Martinus III. natione fuit Romanus. Tunc floruerunt S. Conradus Constantiensis, & S. Udalricus Augustiensis Episcopi.

CXXX. Agapitus II. sedit annis fere X.

Otto I. regnavit annis XXVI.

Anno Domini DCCCCXXXVII. Otto, filius Henrici Regis in Alemannia, regnare cœpit, regnavitque annis XXVI. priusque Coronam Imperii acciperet. Hujus Regni anno XVIII. Ungari totam Bavariam vastantes, civitatem Augustam, ut in Legenda S. Udalrici legitur, obsident. Otto igitur Rex suos alloquens ac monens, ut modo in præsentia non cederent, qui sæpius in terra aliena victores exsisterent, illos bello aggressus devicit. Ubi Dux Conradus fortiter pugnans, fraterque S. Udalrici Dypoldus occisi [illegible], Reges autem Ungariæ suspensi sunt Ratispone in patibulis, qui in quibusdam Chronicis tres fuisse leguntur, in Legenda autem S. Udalrici Principes appellantur.

LXXXI. Lotharius II. regnavit annis II.

Anno Domini DCCCCXXXVIII. vel plus Lotharius II. in Italia regnare cœpit regnavitque annis II. Hujus tempore sol factus est quasi sangvis, unde post paucos dies cædes hominum magna secuta est. Multoties enim superiora corpora signis futurum indicium de rebus inferioribus indicant & ostendunt. Hujus etiam tempore ultimo anno Imperii sui hyems fortissima fuit, nec de hoc contenta, sed postea in mense Majo ad dies VIII. tanta nix & glacies supervenit, quod per totam Italiam fere omnia bona agri sunt deleta. Unde ob hoc in Italia fames valida supervenit.

CXXXI. Johannes XII. sedit annis VII. (*a*)

LXXXII. Berengarius IV. regnavit annis XI. Albertus.

Anno Domini DCCCCLI. Berengarius IIII. cum Alberto filio suo in Italia regnare cœpit, regnavitque annis XI. Hic Berengarius IIII. ultimus Imperator, sed velut tyrannus Italiam gubernabat. Et cum crudelitatibus ipsam opprimebat, & etiam Saraceni Italiam in multis locis usurpabant, tunc Papa Johannes XII. & Romani, & Italici solennes Legatos ad Ottonem Regem Alemanniæ destinarunt, & coram Ottone de iniquitatibus ac male gestis Berengarii & filii sui conqueruntur, Ottoni humiliter supplicant, quod Imperii gubernacula suscipiat, & quod Italia a Saracenis per eum, & a Berengarii manibus defendatur. Otto igitur Italiam intrans pro Imperii Corona Berengarium posuit in conflictu, & ipso capto in Bavariam cum conjuge sua nomine Willa in castellum Babenberg misit. Postea Otto Romam pergens, honorifice susceptus est, & a Johanne Papa XII. & Romanis triumphabiliter coronatur.

Hic incipit tertia Imperii Translatio de Italicis in Teutonicos, & hic incipiunt Teutonici imperare amisso Imperio per Italicos. (*b*)

CXXXII. Benedictus V. sedit mens. II. dies V.

Benedictus V. vivente Leone Papa VIII. a Romanis in Papam eligitur, propter quod Ottoni Imperatori, cum Romam obsideret, traditur Benedictus, & Leone restituto, Benedictus in exilio in Saxonia moritur, & in Hamburch sepelitur, Johannes vero XII. oblectatus adultera, sine pœnitentia subito moritur.

CXXXIII. Leo VIII. sedit anno I.

Johannes XII.

Benedictus V. Schisma XIIII.

Leo VIII. duos Antipapas habuit, scilicet Johannem XII. & Benedictum V. Johannes deponitur ob infamiam, & a diabolo percussus moritur, Benedictus in Saxoniam relegatur, & in carcere Imperatoris strangulatur. (*c*)

CXXXIIII. Johannes XIII. sedit annis VII.

Johannes XIII. a Romanis comprehensus, in Castrum Angeli truditur, ac deinde ab eis in exilium mittitur, qui post aliquod tempus Romam reversus, per Ottonem vindicatur. Nam potentes Urbis quosdam suspendit, quosdam in Saxoniam in exilium trusit.

Tunc Hatto Maguntinensis Archiepiscopus a muribus traditur devoratus, quod tempore famis pauperes in horreo concremavit, nomen suum a literis abraserunt.

CXXXV. Benedictus VI. sedit anno I.

CXXXVI. Bonnus, secundum alios Domnus, sedit anno I.

CXXXVII. Bonifacius VII. sedit annis II. secundum quosdam annis III. (*d*)

LXXXIII. Otto I. regnavit annis XII.

Anno Domini DCCCCLXII. qui est XXVI. quo Otto I. regnavit in Alemannia, idem Otto Rex Alemanniæ, Dux Saxoniæ suscepit Imperium, regnavitque annis XII. Hic fuit primus Imperator Teutunicorum. Exemto enim Imperio ab Italicis, soli Teutonici imperaverunt usque ad præsens tempus, scilicet, quo numeratur annus Domini MCCCCXXI. Hic pacata Italia cum uxore sua Longobarda nomine Adaleyda, quæ fuit relicta Lotharii Imperatoris, quam ipse Otto de carcere Berengarii Imperatoris liberavit, & in Saxoniam rediit, de qua filium tam Regni, quam sui nominis successorem genuit, cui etiam filiam Theophaniam Constantinopolitani Imperatoris de Romano sangvine procreatam in conjugem dedit. Hic etiam Otto Primus, postquam subjecit Lombardos, & adhuc Coronam Imperii non habe-

(*a*) Hujus omnia apud Mart. Polon.

(*b*) Monstrum biceps vid. ap. Mart. Polon. (*c*) Cætera Polonus. (*d*) Ad verbum omnia in Mart. Polono.

ret,

ret, ex edicto statuit fieri monetam ibidem a nomine suo Ottleni vocitatam. Dum autem idem Otto ab ipsis recederet, statim ipsi Lombardi in contemtum ipsius Ottonis monetam istam abjecerunt. Quod audiens Otto, ipsos iterum subjecit, & ut haberent monetam de corio factam coëgit.

Hic Otto fratrem habuit Brunonem, Coloniensem Archiepiscopum. Hic etiam fuit Dux. Tuncque secundum vulgarem Chronicam Episcopi primum cœperunt habere gladium temporalem, quod quamplurimi in Brunone, tanquam in viro Deo devoto mirabantur. (*a*)

Hic etiam Otto vocatus Magnus, dum in Paschali solennitate Principibus convivium præparasset, antequam sederent, cujusdam Principis filius more puerili pherculum de mensa recepit, quem dapifer fuste prostravit. Quod cernens pædagogus pueri, ipsum dapiferum mox peremit. Quem cum sine audientia Cæsar condemnare vellet, ille Cæsarem ad terram dejecit, & suffocare cœpit. Qui cum de ejus manibus vix erutus fuisset, ipsum reservare jussit, se culpabilem clamans, eo quod festum non honorasset. Unde ipsum liberum abire permisit.

Hujus Ottonis temporibus S. Venzeslaus, Dux Bohemiæ, invidia fratris sui occiditur, propter quod ipse Otto Bohemiam XIIII annis impugnans, totam devastat.

CXXXVIII. Benedictus VII. sedit annis VII. (*b*)

CXXXIX. Johannes XIV. sedit mensibus IIII.

Hujus temporibus floruit S. Adelbertus, natus de Bohemia, Pragorum Episcopus.

CXL. Johannes XV. sedit mens. IIII.

LXXXIII. Otto II. regnavit annis IX.

Anno Domini DCCCC LXXV. Otto II. Ottonis Magni filius, regnare cœpit, regnavitque annis novem. Hic Otto, dum Italici sæpius pacem violarent, iterum Romam venit, & omnibus Proceribus, Magnatibus & Pontificibus apud gradum Ecclesiæ convivium grande fecit. Quibus epulantibus omnes suos ministros latenter attingi fecit. Deinde de violata pace querimoniam movens, jubet in scriptis culpabiles recitari, quos statim decollari ibidem faciebat, alios vero gaudenter epulari præcepit, qui omnes timore coacti lætitiam simulabant. Hic Otto in quadam Chronica Ruffus vocatur. (*c*)

CXLI. Johannes XVI. sedit annis X, mensibus VII, diebus IIII. (*d*)

CXLII. Gregorius V. sedit annis II.

Johannes XVII. Schisma XVIII.

Gregorius V. natione Saxo, ex patre Ottone, Bruno antea dictus est, & Johannem XVII. habuit Antipapam. Nam cum ipse Gregorius consangvineus Ottonis III. esset, ad instantiam ipsius in Papam est electus. Sed post parvum tempus Urbis Consul Crescentius Johannem Placentinum Episcopum de Legatione Constantinopolitana cum magna pecunia redeuntem in Papatum intrusit. Sed Otto veniens, Crescentium decollavit, Papam excœcavit, & eum de Capitolio præcipitavit, eique Brunonem substituit. Ideoque nullus Papa Capitolium solet ascendere.

CXLIII. Johannes XVII. sedit annis X.

CXLIIII. Sylvester II. sedit annis IIII. (*e*) DCCCCXCVII

LXXXV. Otto III. regnavit annis XVII.

Anno Domini DCCCCLXXX. Otto III. Ottonis Secundi filius adhuc puer Mirabilia Mundi vocatus, regnare cœpit, regnavitque annis XVII. Hic a Gregorio V. in Imperatorem est coronatus. Hic Monasterium inferioris Altach, consilio Episcoporum Wolfgangi Ratisponensis & Pilgrini Batavi reformavit. In prima namque fundatione instituti erant ibi Monachi secundum regulam Sancti Benedicti. De hoc habetur superius sub pagina Zachariæ Papæ. Dum autem Arnolfus Dux Regnum ambiret, ejusdem Ecclesiæ aliarumque proprietates fere totas in Bavaria & Austria diripuit, & sibi militaribus distribuit. Unde his necessitatibus norma Monachica ibidem defecit, sub regula tamen Canonicorum usque ad tempus hujus Ottonis III. perstitit locus idem quasi per centum annos, & tunc per Imperatorem in priorem regulam reformatur. Hic Otto III. dum adhuc puer esset, & sub jugo Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, qui erat avunculus patris sui, esset, idem Bruno ipsum Ottonem sæpius virgis corrigebat. Otto igitur volens se in eo vindicare, puerum mortuum in sui ipsius lectum posuit. Videns autem Bruno puerum mortuum, existimabat esse Ottonem. Unde perterritus incidit in infirmitatem. Dum autem famuli maxime flerent, Otto ingreditur. A quo Bruno quæsivit, cur hæc fecisset? Qui respondit: Quia sæpius me correxisti, volui me vindicare. Post hoc Bruno convocat Curiam Maguntiæ, ubi Regnum cum ipso Ottone Principibus resignat, qui ipsum Regnum cum Ottone Archiepiscopo Maguntino committunt. (*f*)

Isti tres Ottones per successionem generis regnaverunt, ut habetur in versu:

Otto post Otto, regnavit tertius Otto. (*g*)

CXLV. Johannes XVIII. sedit mensibus V.

CXLVI. Johannes XIX. sedit annis V.

CXLVII. Sergius IIII. sedit annis II. MVII.

CXLVIII. Benedictus VIII. sedit annis XI.

N. Schisma XVIIII.

Benedictus VIII. natione Tusculanus, fuit

(*a*) Verba de depositione Johannis, structura templi Magdeburgi & sepultura Ottonis vid. ap. Martin. Polon. (*b*) Omnia Polonus habet. (*c*) Cætera ap. Mart. Polon. (*d*) Polonus.

(*e*) Vid. omnia in Polono. (*f*) Historiam uxoris Comitis amplexus nequicquam ambientis habet Mart. Minor. (*g*) De Electoribus vid. Mart. Pol.

ejectus de Papatu, & habuit Antipapam quendam Clericum Romanum, cujus nomen non inveni. Unde maximum fuit schisma, divina tamen gratia intrusus ille per Populum Romanum ejicitur, & Papa Benedictus in sede restituitur. (*a*) Finitum est hoc schisma ante annum unum.

LXXXVI. Henricus I. vel II. regnavit annis XXIII.

Anno Domini MI. Henricus, Dux Bavariæ primus, qui ab Officialibus Imperii, seu a Principibus Alemanniæ in Imperatorem Romanorum est electus, regnare cœpit, regnavitque annis XXIII. ac mensibus V. Hic finita progenie Ottonis Primi, Secundi, Tertii sine hæredibus, Romanum suscepit Imperium, de cujus genealogia vide superius sub Henrico I. Hic notandum, quod plures sunt Henrici Reges, quam Henrici Imperatores. Unde cum legitur Henricus I. ratione nominis dicitur secundus. Fuit enim quidam Henricus Rex ante ipsum. Idem intelligas de Conradis. Hic tamen Henricus, cujus hic fit mentio, Henricum Secundum Romanorum Regem in Privilegiis suis se scripsit. Denique hoc patet in Privilegio, quod Gebhardus, primus hujus nominis Ratisponensis Ecclesiæ Episcopus Monasterio in Pruel dedit. Quamvis enim mortuo Ludwico III. Imperium Romanum de Francis ad Italicos esset translatum, nihilominus tamen Alemanni suos Reges habebant, quod plane patet superius, licet Imperiali benedictione carerent. Utrum autem Henricus iste post acceptam Imperialem benedictionem, quam anno XIII. sui Regni a Benedicto Papa Romæ accepit, scripserit se Henricum Primum vel Secundum, in scripturis invenire non potui. Hic Benedictum Papam in Babenberg deduxit, ubi Ecclesiam S. Stephani dedicavit. Hic Henricus Stephano Regi Ungariæ adhuc gentili sororem suam Gisilam in uxorem dedit, & tam ipsum Regem, quam totam suam gentem ad fidem Christi convertit. Qui Stephanus tantæ religionis fuit, ut multorum miraculorum gloria Deus ipsum illustrem reddiderit. (*b*) Hic Babenberg civitatem, quæ fuit S. Petri pro Narmensi apud Papam commutavit.

Hic cognita sanctitate Beatissimi Godehardi inferioris Altach Monachi, & postea Hildesemensis Episcopi, ejusdemque discipuli Guntheri, quorum secretis consiliis fruebatur, Monasterium inferioris Altach larga munificentia ditavit. Hic in civitate Ratisponensi Ecclesiam, quæ dicitur Vetus Capella, ampliavit in Venerabile Collegium Canonicorum. In hac Ecclesia usque ad tempora, quibus hanc Chronicam cœpi scribere, permansit capellula S. Mariæ sub gradu versus occidentem & septentrionem, quæ tunc ampliata fuit. Nam ante latitudinem non plus habebat, quam longitudinem altaris, quod permansit immobile. Hæc Capella, ut fertur, fuit postea prima Ecclesia in terra Bavariæ, unde & nomen Vetus Capella accepit. (*c*)

CXLIX. Johannes XX. sedit annis IX. (*d*)

CL. Benedictus IX. sedit annis XIII. vel plus. An. 103

Sylvester III. Gregorius VI.

Schisma XVII.

CLI. Sylvester III. sedit diebus XV. An. 104

CLII. Gregorius VI. sedit annis II. mensibus XII.

N. Gratianus.

Hoc schisma continuatur priori.

Gregorius VI. de Johanne ante Portam Latinam prædones Ecclesiarum, post excommunicationis contemtum, armata manu invasit, pluribus interfectis. Sed morti propinquans, audivit Cardinales sibi pro hoc alloquentes, & tanquam sanguinarium judicantes indignum ecclesiastica sepultura. Qui aliquantulum spiritu se erexit, & longum sermonem faciens, verba Ezechielis introduxit, ubi Dominus dure corripuit Sacerdotes, qui non apponebant se murum pro domo Israhel. Et in fine adjunxit: Cum mortuus fuero, ponite me ante Ecclesiam, quam firmiter claudite, & videbitis Domini voluntatem. Quo facto, ventus turbinis januas aperuit. Et sic Papa sepultus est in Ecclesia S. Petri, Domino procurante.

LXXXVIII. Conradus I. vel II. regnavit annis XV.

Anno Domini MXXV. Conradus, Dux Franconiæ, dictus Salicus, ex Regni Primoribus unus Regno ante per rebellionem adversus, regnare cœpit regnavitque annis XV. Hic anno secundo Regni sui Romam pergens, imperialem benedictionem accepit. Hic multas leges condidit. Hic pacem in terris servare cupiens statuit, ut, quicunque pacem infringeret, capite plecteretur. Cujus edicti transgressor Comes Leupoldus de Calwe cum uxore sua in sylvam fugiens, in quodam tugurio multis temporibus tanquam eremita latitabat. Quo dum Imperator causa venationis a suis elongatus divertisset, Comes fugit, & Comitissam ibi parturientem reliquit. Qua parturiente, vox ad Imperatorem facta est, tertio dicens: Scias Conrade, quod puer jam natus gener tuus erit. Qui territus, eo quod homines rusticos esse putabat, duobus armigeris præcepit, ut puerum occiderent, & cor sibi afferrent. Illi cor leporis Imperatori ferentes, puerum super arborem posuerunt. Henricus autem Dux Sveviæ, causa venationis ibi transiens, puerum invenit, & eum sterili uxori suæ clam attulit, præcipiens, ut diligenter educatum filium suum simularet, quod & factum est, vocavitque eum nomine suo Henricum. Cumque jam crevisset, erat corpore pulcerrimus, ore facundus, & omnibus gratiosus. Imperator ergo eum suis semper aspectibus astare fecit, licet patre scilicet Duce plurimum renitente. Sed timens, ne for-

(*a*) Visionem quære apud Martinum Polon. (*b*) De S. Kunigunde vid. Mart. Polon.

(*c*) De S. Rudberto, Willikino & Fulberto omnia vide apud Martin. Minorit. (*d*) Mart. Polon.

te

te ille esset, quem ipse occidi mandaverat, scripsit per eum literas a Mediolano Imperatrici in hunc modum. In quantum tibi cara est vita tua, mox, ut literas istas perceperis, puerum hunc necabis. Qui pergens, in domo Decani Ecclesiæ Spirensis pernoctans, fortiter obdormivit. Hospes curiositate ductus, sigillo salvo literas aperuit, & scelus abhorrens, ubi scripsit necabis delevit, ita scribens, filiam meam in uxorem sibi dabis. Quod & factum est. Quæ nuptiæ Aquisgrani celebratæ sunt. Veritate igitur aperta a Duce & Armigeris, dixit Imperator: Video, quod divinæ ordinationi nemo resistere potest. Qui post socerum Regni gubernaculo suscepto, in loco nativitatis suæ Monasterium construxit, quod usque hodie Hirsania dicitur, prout habetur in Novo Passionali, si saltem vitio scripturarum non est depravatum. Hic Conradus sepultus est Spiræ.

46. CLIII. Clemens II. sedit mensibus XIX. (*a*)

CLIIII. Damasus II. sedit diebus XXIII.

Damasus II. antea vocatus Poppo Brixinensis Episcopus, alibi Aquilegensis Patriarcha, natione fuit Teutonicus. (*b*)

CLV. Leo IX. sedit annis V. mensibus II. (*c*)

Post laudabilem vitam XIII. Kal. Maji decessit, & in Ecclesia S. Petri tumulatur, manifestis clarescens miraculis. Hic anno Domini MLII. sui Pontificatus anno quarto per instantiam Serenissimi Imperatoris Henrici ad partes Germaniæ, & præcipue ad nostram urbem Ratisponam, ad Venerabile corpus Beati Wolfgangi, hujus Sedis Episcopi, transferendum est evocatus, quo ea, qua decuit, reverentia, Nonis Octobris translatio in crastinum, hoc est VIII. Idus prædicti mensis, ad preces Imperatoris & aliorum fidelium, nec non sanctitate & meritis Beati Erhardi Ardinatensis Episcopi, corpus transtulit in Monasterio inferiori: sicque Sanctus Papa Leo plurima urbis Ratisponæ loca perlustrans, tandem rogatus a fidelibus, Basilicam super testudinem in honore Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ personaliter consecravit, cujus anniversarius dedicationis dies Dominica post prædictorum festum Apostolorum annis singulis celebratur. Hic etiam rogantibus Parisiorum Legatis litem, quæ inter civitatem Ratisponam & Regnum Francorum diu erat de reliquiis S. Dionysii Areopagitæ, quæ illuc translatæ fuerant ab Arnolfo Imperatore, determinavit, & eas apud Sanctum Emmeranum haberi probavit. De quo inter cætera sic scribit: Vos autem dilectissimi in Domino, Fili Rex Francorum, tuique fideles. Quamvis invidendi Teutoniæ gaudio videamur justam quidem habere materiam, ita ut merito putatis, de Alemannorum vobis lætitia sit dolendum: considerantes tamen, & Dei Omnipotentis, & invicti Martyris sui, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes intentius, quod nec totus vobis ablatus est, quippe qui Romanos, prædicationis suæ & passionis consortes, Rusticum & Eleutherium, in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit. Nec dolete, si Germanos visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc vivens prædicavit.

Denique ipse Leo Papa venit ad Vormatiam, ubi præsente Imperatore in die Nativitatis Domini missam celebravit, & Liutpoldum, Maguntinensem Archiepiscopum, ut ipse die sequenti missam cantaret, utpote præcipuum in sua diœcesi subrogavit. Dum autem peracta processione quidam ex Diaconis suis, Hunbertus nomine, sicut ob illius festi venerationem solet, Evangelium decantaret, quidam de Romanis Papæ assistentibus vituperantes, eo quod more Romano non ageretur, Papæ persvaserunt, ut ad eundem Diaconum mitteret & decantationem interdiceret. Quod cum factum esset, & ille iterum admonitus mandatum Papæ contemneret, & lectionem, utpote juvenum more, eadem vocis sonoritate usque ad finem decenter perduceret, Papa finita Evangelii lectione, illum ad se vocavit, & quasi pro inobedientiæ contumacia degradavit. Ad quem Archiepiscopus misit, ut sibi suum redderet ministrum. Quod ubi Papa abnuit, Pontifex tamen, licet ægre, tamen patienter interim tacendo, sustinuit. Decantato autem offertorio, ubi Sancti Sacrificii tempus advenit, Pontifex in sede sua resedit, vere contestans, nec se, nec alium quenquam completurum illud officium, nisi reciperet processionis suæ ministrum. Quod ubi Apostolicus intellexit, Pontifici cessit, reindutumque ministrum continuo remisit. Qua in re & Pontificis autoritas, & Apostolica consideranda est humilitas, dum & ille officii sui dignitatem defendere contendebat, & ille licet majoris dignitatis, Metropolitano tamen in sua diœcesi cedendum perpendebat. (*d*)

CLVI. Victor II. sedit annis II. mensibus III. (*e*)

CLVII. Stephanus IX. sedit mensibus IX, diebus XXVIII. An. 1056.

Stephanus IX. natione Alemannus, prius dictus Fridericus, frater Godefredi Ducis Lotharingiæ, Monachus Cassinensis, a Romanis Pontifex ordinatur & Stephanus appellatur. Hucusque fuerunt quinque Teutonici Papæ.

LXXXVIII. Henricus II. vel III. regnavit annis XVII.

Anno Domini MXL. Henricus II. vel III. Conradi Imperatoris filius, vel secundum alios, gener ipsius, regnare cœpit, regnavitque annis XVII. Hic Bohemiam ingressus, igne prædaque cuncta vastat, & rebellem Ducem obsides dare, ipsumque post se Ratisponam ad deditio-

(*a*) Videatur de eo Martin. Minorita. (*b*) Cætera Polonus. (*c*) De prima ejus vocatione & resignatione vid. Mart. Polon.

(*d*) Subnexa de Concilio Moguntin. & Bamberg. Episc. vid. apud Martin. Minorita. (*e*) De Victore II. videantur Martini.

ditionem humillimam venire, sibique jurejurando fidelitatem ac servitium confirmare cohortatur. Hic etiam Pannoniam sibi rebellantem invadens, satisfactionem & obsides ac munera pacisque confirmationem per jusjurandum accipiens discessit. Deinde ad Constantiensem Synodum veniens, cunctis in se delinquentibus debita dimisit, omnibusque inimicitiis destructis, pacem hactenus inauditam in tota Svevia, quasi in aliis provinciis Regni per edictum Regiæ censuræ confirmavit. Agnetem hic Wilhelmi Pictaviensis Principis filiam apud Ingelheim regalibus sibi nuptiis copulavit, unde infinitam histrionum & joculatorum multitudinem, non solum muneribus, sed etiam cibo potuque vacuam & mœrentem, abire permisit. Hujus temporibus multi diversarum regionum Principes perierunt, fames multas regiones afflixit, egestas & penuria undique prævaluit, multaque mala tunc temporis facta sunt. His malis Henricus Imperator, vocatus Pius, cordetenus compunctus, infirmari cœpit, & petita ab omnibus venia, prædia, quæ quibusdam abstulit, restituit & omnibus injuriis relaxatis, filium suum Henricum decem annorum, præsente Victore Papa, electione Principum Regem constituit. His itaque & aliis, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispositis, III. Non. Octobr. vitam præsentem finivit sepultus in Spira. (*a*)

His temporibus floruit Hermannus Contractus, qui cantus pulcerrimos fecit, & tractatum Astrolabii, multaque alia utilia mirifice compilavit.

(*b*) Anno Domini ML. Altmannus cum adjuvatione Agnetis Imperatricis erexit Collegium S. Nicolai Pataviæ, quod primitus fundavit Tassilo, Dux Bavariæ.

An.1057. CLVIII. Benedictus X. sedit mensibus IX.

An.1058. CLIX. Nicolaus II. sedit annis IIII. vel minus.

Benedictus X. Schisma XVIII.

Nicolaus II. natione Burgundus, dictus Gerhardus, Florentinus Episcopus, Antipapam habuit Benedictum Decimum electum per violentiam & metum. Sublatum tamen est hoc schisma per eundem Benedictum Papatui renunciantem. Hic Romæ Concilium contra Berengarium Turonensem Atchiepiscopum celebravit. De Consec. Dist. II. Ego Bereng.

An.1063. CLX. Alexander II. sedit annis XI. mensibus VI. diebus XXV.

Cadulus.

Alexander II. natione Mediolanensis Lucanus Episcopus, concorditer a Cardinalibus est electus in Papam. Hic Cadulum, Parmensem Episcopum, habuit Antipapam, qui Henricum Regem & omnes Prælatos Lombardos contra ipsum Alexandrum commovit, & se fieri Papam procuravit. Et cum vellet Romam cum potentia intrare, ut Alexandrum expelleret, a Romanis cum auxilio Mathildis Comitissæ, quæ Filia Beati Petri dicebatur, est exterminatus cum suo exercitu Lombardorum. (*c*)

CLXI. Gregorius VII. sedit annis XII. mense I. diebus IIII. An.10[illegible]

Clemens. Schisma XX.

Gregorius VII. natione Tuscus, quondam Hiltprandus, Prior Cluniacensis, propter laudabilem vitam a Cardinalibus in Papam electus, Wichpertum Ravennensem Archiepiscopum, qui dictus est Clemens, habuit Antipapam. De cujus electione vid in pagina Imperatorum. Sublatum est hoc Schisma per mortem Clementis, qui obiit Anno Domini MC, tempore Paschatis duravitque annis viginti. Hic Clemens, ut ajunt, coactus in Papatum ascednit, & tres sibimet alternatim succedentes supervixit, extorris utraque Sede, Romæ & Ravennæ, malens, ut scribunt hi, qui ab ejus ore didicerunt, Apostolici nomen nunquam suscepisse. Item apud Wormatiam habitum est Concilium præsente Rege Henrico, ubi universi Teutonici Episcopi Gregorium Papam abdicarunt, mittentes ad illum Epistolam post multas culpationes in illum injectas ita conclusam. Quia ergo introitus tuus perjuriis est initiatus, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversatio tua tam multiplici infamia dehonestat, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse renunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit Episcopus, tu quoque nulli nostrum a modo eris Apostolicus. Quomodo autem hæc cum prioribus concordent, mea non interest. (*d*) Hunc Censius, Præfectus Urbis in nocte Nativitatis Domini, cum primam missam ad Præsepe Domini celebraret, cepit, & in turri sua posuit, sed Romani eadem nocte turrim destruxerunt, & prædictum Censium cum sua gente extra Urbem ejecerunt.

Hic in minoribus constitutus, dum legatione fungeretur, apud Lugdunum Archiepiscopum Eburdunensem de simonia miraculose convicit. Nam cum idem Archiepiscopus omnes accusatores suos corrumperet, & convinci non posset, Legatus, ut Gloriam Patri & Filio & Spiritui Sancto diceret imperavit: ille Gloriam Patri & Filio expedite dicebat, Spiritui Sancto dicere non potuit, quippe qui in Spiritum Sanctum peccaverat. Qui peccatum suum confitens, mox, ut depositus est, clara voce Spiritum Sanctum nominabat. Vide de hoc pagina Imperatorum.

CLXIII. Victor III. sedit anno I. mensibus IIII. diebus VII. An.[illegible]

Clemens. Hoc Schisma continuatur schismati vigesimo. (*e*)

(*a*) De corpore Pallantis & statua marmorea vid. Martini. (*b*) De recessione Ecclesiæ Græcæ a Romana Martin. Minor. De hæresi Berengarii Mart. Polon.

(*c*) Constitutiones ejus vid. ap. Martin. Minoritam. (*d*) Constitutiones Gregorii vid. ap. Martin. Minoritam. (*e*) Martin. Polon.

CLXIIII.

CLXIIII. Urbanus II. sedit annis XI. mensibus IIII.

Clemens. Hoc schisma continuatur priori vigesimo.

Urbanus II. quondam Otto Hostiensis constituit in Concilio Placentino, alibi apud Clarum Montem præfationem, & deinde venerationem, quam ipse composuit, decantari, & omni Sabbatho Officium Beatæ Mariæ Virginis solenniter celebrari, quando proprium Officium non impediret. Item horas Beatæ Virginis quotidie in Ecclesia Dei dici. Item ut nullus ad pœnitentiam recipiat subditum alterius sacerdotis, nisi in casibus jure expressis. Hic sepultus est in Ecclesia Lateranensi.

Hic Urbanus, acceptis non paucis epistolis ab Alexio, Constantinopolitano Imperatore, quibus in defensionem Orientalium Ecclesiarum se non sufficere declaravit, videns Ecclesiam Dei undique impugnari, & præcipue sepulcrum Domini a Turcis nefandissime pollui, Concilium in Alverna apud Clarum Montem CCCX. tam Episcoporum, quam Abbatum celebravit, ubi inter cætera, quæ facundissimo ore declamavit, hæcque dixit: Necesse est, fratres mei dilectissimi, quatenus confratribus vestris in orientalibus partibus habitantibus auxilio vestro, accelerato itinere, succurratis. Nam si sic inimicos vestros aliquamdiu quiete permiseritis, multo latius fideles Dei supragradientur. Fiant ergo nunc Christi milites, qui dudum extitere rapaces. Nunc jure contra barbaros pugnent, qui olim contra fratres & consanguineos dimicabant. Hujusmodi verbis animata multitudo Christi fidelium, ob remissionem peccatorum, quam idem Pontifex proficiscentibus donabat, cruce signatur, & per civitatem Constantinopolin transiens, Antiochiam captat. Tunc rusticus quidam a Sancto Andrea per visionem edoctus, invenit ibidem lanceam Domini Nostri Jesu Christi. Dubitantibus autem plerisque, utrum esset lancea Christi, quidam Bartholomæus nomine fuit, cui Christus apparens, de lancea signaverat, cum ipsa lancea per ignem XIII. pedum, quem fieri jusserat, illæsus transivit. Exercitus igitur animatus, læte per Ptolomaida nunc Achilon dictam cum lancea Christi procedens, venit Cæsaream, ubi columba supra exercitum volans dejecta est, apud quam tales literæ inventæ sunt: Rex Acharon Duci Cæsareæ salutem. Generatio canina, gens contentiosa, venit contra nos. Igitur per te & per tuos legem tuam defendas. Aliis civitatibus hoc idem annunciato. Post venientes in Hierusalem, ceperunt eam. Versus:

Anno milleno, ducenteno, sed minus uno
Virginis a partu, peperit quæ gaudia mundo,
Urbem tunc Franci capiunt virtute potenti.

Ibi Godefridus, Dux Lotharingiæ, Rex factus, secundo anno post captam Hierusalem moritur, ibidemque sepelitur. Cui Waldwinus, frater ejus, in Regno successit. Exercitus autem Christianorum in subsidium Terræ Sanctæ legitur fuisse sexenta millia, præter clericos & mulieres & parvulos, ex quibus multi, postposito Dei timore, cum lasciviis incumberent, turpiter perierunt. Humiliati vero contra vicies centena millia gloriose triumpharunt. Igitur dum pene omnes populi Teutonici causam hujus passagii in principio ignorarent, propter schisma, quod tunc erat inter Regnum & Sacerdotium, videntes tot legiones equitum, tot turmas peditum per terram suam transeuntes, eos quasi delirantes subsannabant, utpote qui pro certis incerta captantes, terram nativitatis suæ varie relinquerent. Tandem tamen ex respectu divinæ miserationis gens nostra ad integrum edocta, ad tam salutare iter inclinatur. Nam & Welfo, Dux Bavariæ, Jerosolymitanum iter arripiens, in Cypro de hac vita discessit, cujus ossa deinde sublata, ad Altorfen Monasterium translata, ibidem reposita sunt. Socii vero peregrinationis & laboris ejus, vel interfecti vel vivi, machinante perfidissimo Imperatore Alexio, Saracenis traditi sunt, inter quos Tyemo, Saltzburgensis Episcopus, qui primum fuit inferioris Althæ Monachus, comprehensus, exquisitis suppliciis martyrio est coronatus.

Hic Welfo fundator extitit locorum Stemgadem, Altorff, quod nunc Wingartum vocatur, Alten Munster & Reytenpuch.

CLXIIII. Paschalis II. sedit annis XVIII. mensibus V. diebus VII. An. 1100.

Clemens. Hoc schisma continuatur vigesimo.

Paschalis V. natione Tuscus, sepultus est in Ecclesia Lateranensi. Hujus temporibus Henricus V. Teutonicorum Rex, cum magno exercitu venit in Tusciam, ut Romæ coronaretur in Imperatorem. Et præmissis ad Papam nunciis, refutabat omnem investituram Episcoporum, Abbatum & aliorum Clericorum, super qua alii Imperatores, prædecessores sui, quæstionem cum Romanis Pontificibus habuerant. Sed Romam veniens, cum jurare deberet, Papam & Cardinales cum tota Curia captivavit. Tandem reconciliatus, benedictionem imperialem a Papa recepit. Hæc autem divisio inter Papam & Regem, ut in Chronicis legitur, ex eo accidit, quod pater tanquam hæreticus non deberet in Ecclesia sepeliri, (ut) Papa volebat, & per longum tempus, scilicet per quinque annos patris corpus in feretro jacuit & ipsum Henricum Quintum consecrare nolebat. Unde propter hoc talia sunt secuta. (*a*)

Hujus temporibus Rex Ungariæ per literas suas scribens Domino Papæ, renunciavit investituris Episcoporum & aliorum Prælatorum. (*b*)

LXXXIX. Henricus III. vel IV. regnavit annis V.

Anno Domini MLXII. Henricus III. vel IIII. Henrici Imperatoris II. filius, admodum puer patri succedens, regnare cœpit, regnavitque annis quinquaginta. Hujus mater, scilicet

(*a*) De tribus pseudopapis vid. Mart. Polon. (*b*) De S. Wernhardo idem Polonus.

Agnes Imperatrix, quia filius ejus Henricus adhuc puerulus erat, Rempublicam aliquamdiu ſtrenue gubernabat, & quendam nomine Fridericum, qui ſe in Germaniæ partibus contra Imperium erigebat, cum exercitu vicit, & in dedicationem accepit. Principes igitur aliqui invidia ducti, puerum matri abſtulerunt, eamque a regimine Regni alienaverunt. Horum numero Dominus Anno, Colonienſis Epiſcopus ſe immiſcuit, qui puerum in loco, qui Berida dicitur, navi imponens, matri abduxit. Quod ille qua intentione fecerit, vel qualiter divino judicio placuerit, diſcernere non valemus. Multa tamen incommoda ex tunc orta, & deinceps aucta, certum tenemus. Nam deinde diſſenſiones in Regno Eccleſiæ perturbatio, Monaſteriorum deſtructio, Clericatus deſpectio, totius juſtitiæ ac religionis conculcatio & cœpit & permanet. Ipſa vero Imperatrix rerum permutationes conſiderans, Italiam ſe contulit, & aliquanto tempore religioſam vitam ducens, Romæ defuncta eſt, & in Eccleſia Sanctæ Petronellæ honorifice ſepulta. Hic igitur Henricus adoleſcentiæ uſus libertate, Saxoniam ſolam ex omni Romano Imperio cœpit incolere, Principes deſpicere, Nobiles opprimere, inferiores ſuſtollere, venatui, luſibus, cæterisque hujusmodi exercitiis, plusquam juſtitiis faciendis incuſatus eſt operam dare, filias illuſtrium quibuslibet obſcure natis conjugare, privata præſidia, nimirum potentibus Regni non ſatis fidens inſtituere. Unde gens Saxonum, ut eſt animis acerrima, non ceſſavit accuſationes & blaſphemias inauditas in illum referre, ſociosque ſibi ex omni Regno Teutonico, literis & nunciis, aſciſcere. Nam primo Sigrifidum, Maguntinenſis Sedis Metropolitanum, Adalbertum Wormatienſem, Adalberonem Birtzburgenſem, Gebhardum Saltzburgenſem, aliosque plures Præſules, indeque per ipſos etiam Papam Alexandrum ſibi fautorem faciunt. Igitur cum Henricus Rex a duobus Apoſtolicis, ſcilicet Alexandro II. & Gregorio VII. ad ſatisfactionem vocatus fuiſſet, & non veniret, a Gregorio Papa in Romana Synodo excommunicationis ſententiam accepit, propter quod pene totius Regni Principes, ſed maxime Saxonum & Alemannorum ſubjectionem Regis renunciabant. Hac commotione coactus Rex ad Papam Gregorium humiliter veniens, depoſito omni regio cultu, diſcalceatus tribus diebus ante portam ſtans, vix abſolutionem ſuam impetravit, acceptis ab eo correctionis in futurum vitæ ſuæ ſecuritatibus multis. Poſtea tamen idem Henricus Rex, quia non ſervabat, quod promiſerat, a Gregorio iterato excommunicatur.

Rudolfus regnavit annis IIII.

Et Rudolfus, indigena Sveviæ, per Principes, præſentibus quibusdam Romanæ Sedis Legatis, apud Forchheim in Regem elevatur, a quibus Maguntiam deductus, a Sigefrido Epiſcopo in Regem ungitur, cui Papa cum ſculptis literis coronam mirabilem tranſmiſit. Verſus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.

Hoc cognito ab Henrico, plurimi ſeditioſi Epiſcopi, de juſſu ejusdem Henrici, apud Brixinam Noricam congregati, Wichpertum, Ravennenſem Archiepiſcopum in Papam elegerunt, Clementem vocantes eum. Quem Rex Henricus pronus in terra cum omnibus aliis adoravit. His ita geſtis inter Henricum Regem & Rudolfum, juxta fluvium Elleſtram bellum geritur, in quo idem Rudolfus cecidit, ſed a ſuis Merſiburg vivus delatus eſt, & in brevi defunctus, honorifice ibidem eſt humatus. Fertur tamen, in extremis poſitus, & abſciſſam dextram intuitus, ad Epiſcopos, qui forte aderant, graviter ſuſpirans dixiſſe: Ecce hæc eſt manus, qua Domino meo Henrico fidem ſacramento firmavi. Ecce ego jam ejus Regnum & vitam derelinquo. Præſentem videte, qui me ſolium ejus conſcendere feciſtis, & recta via me veſtra monita ſequentem duxeritis. Exinde Rex Henricus cum Papa ſuo Clemente Romam venit, & ab eodem Clemente, ut quidam ſcribunt, anno Regni ſui XXVIII. Coronam Imperii in die Paſchæ aſſumſit, Papam Gregorium in Caſtro Angeli cum Cardinalibus obſidendo. Sed audito, quod Swichardus in adjutorium Domini Papæ veniebat, Imperator deſtructo Capitolio & Urbe Leonina cum ſuo Antipapa fugit usque Senas, & Swichardus eodem die Urbem capiens, ferro igneque omnia conſumens, Papam Gregorium ab obſidione liberatum, in palatio Lateranenſi reſtituit. Qui poſt Apuliam deſcendens Salerni mortuus eſt, miraculis coruſcans.

Hujus Henrici temporibus, juxta præſagium Evangelicum, ſurrexit undique gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, terroresque de cœlo, & ſigna magna facta ſunt, cometes per totum orbem diu apparuit. Item per multas regiones viſi vermiculi nimis ignoti, non longe a terra volantes, hoc eſt ut vel manu vel virga tangi poſſent, groſſitudine quidem muſcis æquales, ſed longitudine ſatis deductiores, quorum tam infinitus numerus extitit exercitus, ut unum pene milliarium in latitudine, duo vel tria in longitudine viderentur occupare, denſitate vero ſua ipſam ſolis lucem terris negare. Per quam prodigioſam viſionem illam, quæ poſt quadriennium facta eſt, Ieroſolymam tendentium profectionem quidam interpretati ſunt figurari. Item peſtilentia magna facta eſt hominum & pecudum. Item viſus eſt ſplendor quidam, quaſi facula volans per aërem ab oriente in occidentem. Item nubes ſangvineæ tam ab occidente, quam ab oriente ſurgentes, ſibique invicem in cœlo concurrentes viſæ ſunt. Item quidam venerabilis Presbyter, nomine Swiggerus, cujusdam diei hora fere nona, duos equites conſpexit concurrentes in aëre, diuque concertantes, alterum qui & crucem non modicam ferebat, qua percutere videbatur, in altero victorem exiſtere. Item mulier duobus annis inprægnata, tandem disrupto utero filium loquentem fudit. Item infantulum per omnia bimembrem, alterum

rum vero capite bino, agnellos quoque aliquos binis capitibus ortos fuisse. Item nonnulli etiam crucis signaculum sibimet in frontibus vel vestibus, sive in corporis quolibet loco divinitus impressum ostendebant. His & hujusmodi signis tota creatura in Creatoris militiam se cohortatur, & mox ex omni pene terra, sed maxime ab occidentalium Regnorum partibus innumerabiles turmæ armata manu Hierosolymam tendere cœperunt, excitati scilicet in zelum frequentibus nunciis super oppressionem Dominici sepulcri ac desolationem omnium Ecclesiarum orientalium, a gente ferocissima Turcorum. Transeuntes autem per Germaniam, indeque per Bavariam atque Pannoniam pacifice transibant, nefandissimas tamen Judæorum reliquias, ut vere intestinos hostes Ecclesiæ per civitates, quas transibant, aut omnino delebant, aut ad baptismatis refugium compellebant, quorum tamen plurimi, sicut canes, ad vomitum postea redibant. Henricus autem Imperator ab Italia recedens, Ratisponam Bavariæ urbem venit, ibique aliquamdiu moratus, Judæis, qui baptizari coacti sunt, legibus suis judaizandi, ritu uti concessit. Deinde ipse Imperator Coloniæ Natalem Domini celebravit, in Aquisgrano vero in Epiphania Domini filium suum minorem Henricum, qui ei in Imperio successit, Regem fecit, reprobato majore filio Conrado, quem prius coronaverat, qui erat vir per omnia Catholicus, & Apostolicæ Sedi subjectissimus. Hic anno nono postquam a patris palatio discesserat, sicut sangvine, ita & contubernio conjunctus est Mathildi magnæ, & ut quidam dicunt, religiosæ fœminæ, & in rebus per Italiam disponendis, tam illius, quam Domini Apostolici, cæterarumque Deum timentium personarum semper usus consilio. Hic immaturo præventus occasu, veneno dicitur interiisse. Cujus exequiæ quibusdam miraculis sunt honorificatæ. Anno Domini MCIII. Henricus Imperator, Nativitate Domini Maguntiæ celebrans, filio suo Henrico Regi rerum summam dimissurum, seque sepulcrum Domini visitaturum, per Emehardum Episcopum publice prædicari fecit, indeque favorem maximum tam vulgi, quam Principum, quam Clericorum Regni totius adquisivit, multosque e diversis Regni partibus ad ejusdem itineris comitatum se præparari voto ipso succendit. Anno sequenti ipse Henricus Imperator Natalem Domini Ratisponæ celebravit. Dum autem ibidem aliquamdiu moraretur, & Franci vel Saxones familiarius, & honorabilius, quam indigenæ tractarentur, Segehardus Comes, qui hoc specialiter notabat, præ cunctis, qui tunc aderant, abundantiori militum copia illuc venit, ex quo invisus Imperatori cœpit haberi. Cum autem idem Comes post aliquot dies jam securior factus, suorum turmas diffluere permisisset, excitatur contra illum furibunda seditio. Unde ab hora diei tertia usque ad horam nonam in hospitio obsessus, tandem fractis foribus ipse, prius confessione facta, sumto & Dominici Sacramenti viatico, capite truncatus occubuit. Hic Henricus Imperator, mortuo Clemente Antipapa, Romam se venturum condixit, quatenus in Generali Concilio tam sua, quam Domini Apostolici causa, canonice ventilata catholice inter Regnum & Sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permansit. Fit igitur Romæ Synodus magna, ad quam tamen Henricus Imperator minime venit, imo & alterum Papam ipso Domino Paschali supponere voluit, in quo tamen nil profecit. Exinde Henricus Rex contra patrem rebellationem parat, & primum Paschali, Apostolicæ Sedis Pontifici, debitam reverentiam profitetur, Fitque conventus generalis in villa regia, quæ Northusen dicitur, ubi Henricus Rex Christi Sacerdotibus dignam exhibens reverentiam, testatus est per Regem cœli cunctamque cœli militiam, se nulla regnandi cupiditate, primum sibi Regnum usurpare, neque Dominum & patrem suum a Romano deponi Imperio exoptare, imo debitam pertinaciæ & inobedientiæ compassionem semper exhibere, sicque Sancto Petro suisque successoribus lege Christiana subjici velit, sive Regno cedere, sive serviliter ipsi se subesse promisit. Exinde idem Henricus Episcopos, quos pater expulerat, restituere curavit. Et primo Ruthardum, Maguntinensem Archiepiscopum, sibi resistente suo patre, non potuit. Venit igitur in Wirtziburg, ubi Errolongum, quem Imperator Episcopum designaverat, expulit, & per prædictum Ruthardum, Maguntinensem Archiepiscopum, quendam nomine Rupertum, electum a Clero & populo, introhnisavit. Deinde Castellum Nurnberg obsedit, quo post duos menses prospere capto, soluto exercitu, Ratisponam se contulit. Quem pater e vestigio sequens, Rupertum expulit, & Errolongum Wirtzburgensi restituit. Veniensque Ratisponam, faventibus sibi civibus, filium exurbem fugavit. Qua residens, Præsulem eidem Cathedræ quendem adolescentem, nomine Ulricum præfecit, de hoc tamen in Catalogo Pontificum Ratisponensium, qui communiter habetur, nulla fit mentio. Post hæc Imperator undecunque congregavit exercitum, cum filio bellum commissurus. Conveniunt igitur, & dum ex una ripa Regini fluminis Imperatoris, & ex altera parte Regis signa volitarent, ea die, quæ certissime generalis belli congressionem præcedebat, Principes, qui utriusque exercitus capita esse videbantur, concessis invicem pacificis colloquiis, divino, ut creditur Spiritu edocti, fratribus, id est populo ex utraque parte Christiano parcendum, imo parricidiali pugna cessandum pari voto judicabant. Soluto itaque sic exercitu utroque, filius commotis visceribus super patre suo, lugubriter fertur inclamasse, Grates, inquit, o boni Commilitones, affectui vestro circa me summopere refero. Unicuique quoque vestrum par pari referre, si res exegerit, non abnuo. Nemo tamen in hoc me sibi velit, vel credat fore fœderatum, ut Dominum & Patrem meum per se glorietur

occisum, vel unquam æstimet occidendum. Noveritis ergo, me non impugnatorem esse patris, sed ut Apostolicæ se subjiciat obedientiæ, paterni Regni propugnatorem. Exinde Henricus Rex, firmato fœdere cum civitate Ratispona, Harthwicum, virum utique probatum, Catholicum atque nobilem, abdicato Ulrico, quem pater suus Episcopum fecerat, inthronizavit. Fit deinde apud Maguntiam totius Regni Teutonici conventus, in quo præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis Henricus Imperator, juxta summi Sacerdotis totiusque Ecclesiæ decreta suæ consulturum animæ promisit, ibique Henricus Rex primum a patre, deinde ab universis Regni Principibus in Regem jam secundo eligitur, & ab Apostolicæ Sedis Legatis per manus impositionem Catholicæ confirmatur.

Hucusque Chronica, quam in hoc Opusculo antiquam appellavi, est perducta.

His temporibus Mathildis Comitissa adeo potentissima, quod etiam cum Imperatore bello durissimo congressum habuit, cum amplissimis possessionibus abundaret, patrimonium super altare Sancti Petri obtulit, quod usque hodie dicitur Patrimonium S. Petri. Anno Domini MLXXVII, Haizka Comitissa felicis recordationis filia Regis Arragoniæ, & primitus nupta Hermanno, Comiti de Castel, sed non ab eo cognita, quo decedente sine liberis, copulata est Ottoni, Comiti de Stheyrum, per quem habuit tres filios egregiæ indolis. Mortuo vero Ottone, relicta Haizka in quodam prædio, quod primitus ipsi donatum erat in dotem, initiavit structuram novam, congregans ibidem XII. personas Monasticæ religionis. Postmodum, quia locus nimis arctus erat, Monasterium in Vispachau construxit, & prædictos Monachos illuc collocavit, & inibi feliciter obiit. Anno Domini MCVII. Bertholdus, nobilis Comes de Burgeck, & Otto junior, Comes de Stheyrum, Romæ castrum habuerunt, dictum quandoque Glanegk, nunc vero Usenhofen vel Mons S. Petri, cui castro renunciantes, Monasterium inibi in honore Sancti Petri construxerunt, & fratres de Vischpachau ibidem collocaverunt, quod ibidem per XVII. annos permansit. Transeunte autem hoc tempore anno Domini MCXXIIII. Otto, Dux Bavariæ, & Agnes uxor ejus regnaverunt, & persvaserunt omnibus, qui habuerunt partem hæreditariam in Castro Scheyrum, scilicet Duces de Dachau, Comites de Scheyrum, Palatinus de Wicelspach, aut Marchiones de Andechs, ut Beatæ Mariæ resignarent, & offerent prædictum Castrum, quia negligentia horum omnium cœpit desolari & destitui. Qui omnes rogatu dicti Principis unanimiter obtulerunt Sanctæ Mariæ. Præterea idem Dux cum uxore sua Agnete transmutationem fecerunt, & caput Monasticæ religionis in Scheyrum statuerunt, & ibidem Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ ædificaverunt, quam etiam multis prædiis & beneficiis dotaverunt, ita tamen, & eo pacto, ut prædicta Monasteria Vischpachau & Usenhofen cum omnibus suis respectum haberent ad Ecclesiam Scheyrum, & sic prædictum castrum in Scheyrum in Monasterium mutatum est.

Item Bruno de civitate Colonia oriundus instituit ordinem Karthusiensium. Versus:

Anno milleno, quarto quoque, si bene penses,
Ac octogeno sunt orti Karthusienses.
His ortum tribuit excelsus Bruno Magister,
Consul hic inde fuit Papæ pariterque minister.
Hinc eremum petiit divino Pneumate flante,
Et populos adiit Calabros, ubi vixit ut ante.
Junctis namque sibi sociis, terrestria sprevit,
Et tumulatus ibi cum summa pace quievit.

Anno Domini MLXXXV. Norpertus, Episcopus Curiensis, fundavit Collegium Canonicorum secularium de octo Canonicis in propria Ecclesia sua Heybach, quod longis postea temporibus per Nobiles de Sevelt desolatur, sed per Ludwicum Imperatorem, accepta advocatia, quam claustro Etal dedit, reformatur. Circa hæc tempora Monasterium Dyetramssel fundatur, sic vocatum a quodam venerando Sacerdote nomine Dyetramo. Item in Anglia floruit Anshelmus, primo Abbas, post Cantuariensis, in vita & scientia mirabilis.

CLXV. Gelasius II. sedit anno I. diebus V. An. 1118
Burdinus. Hoc schisma continuatur schismati XXI.

Gelasius II. natione Campanus, quendam nomine Burdinum Antipapam habuit; quem Henricus Imperator ordinari præcepit. (a)

CLXVI. Calixtus II. sedit annis V. mensibus X. diebus XIII. An. 1119

Burdinus. Schisma XXI.

Calixtus II. natione Burgundus, Comitis filius, & Archiepiscopus Viennensis, post mortem Gelasii Papæ in Cluniaco a Cardinalibus concorditer est electus. Qui Romam veniens, Burdinum camelo retrorsum impositum secum duxit, tenentem caudam cameli pro fræno, & in arce Simonis retrusit, ubi spiritum exhalavit. Sicque cessavit hoc schisma numero vigesimum primum. Nam & Henricus Imperator ipsi Calixto Papæ investituras Episcoporum & Prælatorum libere resignavit, concedens in omnibus Ecclesiis fieri Canonicam electionem, & de hoc legem condidit, sic dicens: In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis ego Henricus &c. Hic Calixtus in Ecclesia Lateranensi est sepultus. Item Monasterium in Pewberg ab Ottone de Castro Yrmgi fundatur, & a Calixto Papa confirmatur.

CLXVII. Honorius II. natione Bononiensis sedit annis V. mensibus II. diebus IIII. (b) An. 1124

XC. Henricus IIII, vel V. regnavit annis XX.

Anno Domini MCVII. Henricus IIII. vel V. Henrici Imperatoris III. filius, regnare cœpit, regnavitque annis XX. Hic Imperium adeptus,

(a) Cætera Mart. Polonus. (b) Omnia apud Martinum Polonum.

patrem

patrem suum captivavit, & in vinculis usque ad mortem tenuit. Ideo Deus ipsum sine hærede mori permisit. Qui sepultus est Spiræ cum aliis Regibus, hunc versum habens in epitaphio:

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic.

Hic Henricus ob Regni negotia procuranda, curiam in Urbe Ratispona celebravit, ad quam Venerabilis Otto Babenbergensis Episcopus, utpote prius inter primos Principes vocatus, venit. Hic colloquio Imperatoris, quod in Urbe gerebatur, intererat, tentorium vero sibi suisque in loco opaco & amœno, in quo erant arbores nuces portantes extra urbis mœnia causa commoditatis collocari præcepit. Ubi dum quiesceret, vidit in somnis scalam, cujus summitas cœlos tangebat, & Angelos Dei descendentes & ascendentes per eam. Qui evigilans a somno, ex visione sibi cœlitus facta animatus, Monasterium Prufing sic vocatum, ut dicitur, *das mans prüfen sol*, ibidem fundavit, jubens fieri altare in eo loco, quo dormierat, fuditque oleum desuper, cum ipse & Herwicus Episcopus Ratisponensis consecrarent idem altare in honore Dei & omnium Sanctorum, principaliter autem in honore bellatoris fortissimi, Georgii Martyris Christi. Dum autem locus, in quo fundatum erat dictum Monasterium, ad Canonicos de Veteri Capella in urbe Ratispona pertineret, qui, sicut hodie perspicuum est, sub tutela & dominio Episcopi Babenbergensis degunt, ipse studiose egit cum eis, ut ei hoc prædium darent in commutationem alterius prædii. Quod & factum est. His ita pactis, venerabilis Episcopus Erminoldum, virum venerabilem de Monasterio, quod Hirsaugia dicitur, a Brunone, ejusdem Monasterii Abbate, petiit & impetravit, eumque suo Monasterio Prufing dicto præfecit. Hujus Erminoldi virtus, cæteris omissis, specialiter refulget in duobus, primo, quod cum ipse Erminoldus cum confratribus suis, nisi de adjacentis terræ bonis, præter solum Monasterium, in quo habitabant, possideret, Abbas sibi Emmerani nomine Reginhardus, ad cujus Monasterium pertinebant fere omnia, quæ in circuitu erant, graviter cum fratribus suis tulerit, dictum Monasterium Prüfing in medio suorum bonorum situm. Unde exardescens iracundia, operarios mercede conduxit, qui omne Monasterium vallo circumdarent, & undique locum istum coangustarent. Cum igitur opus jam usque ad finem pervenisset, Abbas Erminoldus nichil permotus ex his, quæ gerebantur, alacriter suis præcepit, ut magnam ciborum abundantiam præpararent. Quos vocatis ipsis operariis apponit, dicens: Multum laborastis, corpora vestra quiete reficite, libenter comedite, libenter do vobis. Comederunt igitur, & biberunt, & admirantes beati viri patientiam & caritatem, statim, ut egressi sunt, vallum omne * repleverunt liberum intrantibus & exeuntibus, iter facientes. Et sic ad sua sunt reversi. His auditis, Abbas de Sancto Emmerano & Fratres ejus mitiores sunt effecti. Secundo, virtus ipsius Erminoldi in eo refulget, quod, dum Henricus illius nominis quartus Imperator, Rex vero quintus, res illicitas ab antecessoribus suis usurpatas, ipse nihilominus usurparet, scilicet investituram Episcoporum & Prælatorum, sicut patet in pagina Pontificum, & frequenter ab Apostolico admonitus fuisset, & tamen salubri consilio nullatenus adquiescens, sententiam excommunicationis ab eo accepisset, in hac excommunicatione dum esset, venit ad Monasterium Prufingen. Cogitans igitur Erminoldus, quæ Dei sunt, non timet iratum Regem offendere, ut Deum placatum haberet, præcepit suis, nequis eum susciperet, vel aliqua processio ei more regio fieret, sed ipse tantum solus ei obviam processit, non ut adulator, sed ut verus veritatis amator. Imperator igitur nobiliter iræ impetus temperans, ipsum convenit, æstimans, se eum prius in aliquo læsisse. Ad quod Abbas: Non est, inquit, ita, ut suspicaris. O Rex non sum a Te læsus, vel aliquo tuorum, sed quod excommunicatus es, maculam offensionis & crimen peccati veremur per te incurrere. Et hæc est causa, quod honor congruus tibi a nobis non impenditur. Episcopi, qui forte tunc Imperatoris latus ambiebant, nequaquam Imperatorem excommunicatum esse dicebant. Ille de contra, veraciter, inquit, dico vobis, quia ita est. Quia interfui, & vidi, & audivi, quando sententia excommunicationis in eum processit. Per hoc itaque, quod animositatem Regis non timuit, intelligi potest, quanta in eo virtus animi fuerit.

Anno Domini MCXVIII. Dyepoldus, Marchio de Vohburch petitione matris suæ Leukardis & uxoris suæ Alhaidis cœpit construere Monasterium in Reichenbach in honore Beatæ Dei genitricis Mariæ & omnium Sanctorum. Et hæc fuit causa fundationis ejusdem loci. Prædicta Leukardis cum quadam vice infirmaretur, apparuit ei Beata Virgo, dormienti significans, quod suæ esset voluntatis, ut sibi a Marchione Dyepoldo mons in Reichenbach offerretur, & fundaretur ibidem Monasterium in suo honore servorum Dei, a quibus Deus ibidem jugiter laudaretur, dans eidem Leukardi pro signo, quod, postquam evigilaret a somno, in quo hæc viderat, statim se ab infirmitate sanatam sentiret. Quod & factum est, ita quasi nullius infirmitatis molestiam ante pertulisset. Tandem precibus, quibus potuit, institit suo filio Marchioni, ut locus in Reichenbach Deo, & Beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis manciparetur. Et cum jam duabus vicibus consensum filii impetrasset, & fundamentum ponere cœpisset, cœpit ei resistere Marchio, quia volebat civitatem in prædicto loco & castrum posuisse. Tunc ipsa Leukardis mittens manum ad fortia, obtinuit per ordinem judiciarium coram Imperatore Henrico hujus nominis quarto, quod ipse Harchio filius ejus, plenarie consensit, & cum diligentia & devotione cœpit esse auctor fundationis Monasterii in Reichenbach, instituitque ibidem Monachos Ordinis S. Benedicti, vocans de Monasterio in castello, unde nata fuit mater

* f. reliquerunt.

mater sua Leukardis prædicta, quosdam fratres, inter quos fuit Witigo, primus Abbas ejusdem loci. Hujus Marchionis filia fuit Domina Reicza, Ducissa Bohemiæ, quæ construxit Monasterium in Cladurna. Hæc transitum faciens in Reichenbach, mortua est, ibidemque in Capitulo cum liberis suis sepulta. Anno Domini MCXXXIII. prædictus Dyepoldus Marchio dedit Monachis Cistertiensis Ordinis in Baldsachsen aream, in qua constructum est Monasterium eorum, & de sylva, quantum ipsi fratres per unam diem poterant in circuitu perlustrare. Unde & ipse est fundator eorum.

Circa hæc tempora cœpit Ordo Præmonstratensium in Laudinensi diœcesi sub Patre Noberto, qui fuit Coloniensis, sicut & Bruno, qui Ordinem Carthusiensium cœpit. Versus:

Anno milleno, centeno, bis quoque deno,
Sub Patre Noberto Præmonstrati viget ordo.

Hoc etiam tempore, scil. MLXXXVIII. Ordo Templariorum ex militibus congregatis in Jerusalem incœpit & dicti sunt Milites templi, quia in porticu templi sedem sui Ordinis statuerunt. (*a*) Item terræ motus per totum orbem magnas & multas subruit urbes. Item in parochia Legionensi porca porcellum edidit, habentem faciem hominis. Item in die Paschæ quidam Monachus Romæ ad S. Laurentium extra muros cogitans, qualiter Dominus clauso sepulcro resurrexerit, vidit cingulum suum insolutum ante se jacere in terra, & vocem audivit dicentem:

Si potuit Christus clauso prodire sepulcro.

Item sub Silvestro Papa Sanctus Conradus Constantiensis Episcopus translatus fuit miraculis coruscantibus. Item in Treveris S. Matthias Apostolus inventus fuit tempore famis validissimæ, quæ cessavit. Item Papa Calixtus Compostellanum Episcopum, pro reverentia corporis S. Jacobi Apostoli, quod ibi requiescit, Archiepiscopum substituit, subjiciens sibi totam Emericanam provinciam, Lucanam quoque Ecclesiam gloria pallii decoravit. Item Hugo de S. Victore, Doctor excellentissimus & religione devotus, Parisius claret. Hic, ut referunt, dum infirmitate ultima laboraret, & nullum cibum retinere posset, corpus tamen Domini cum multa humilitate postulabat sibi dari. Tunc Fratres ejus turbationem sedare volentes, simplicem hostiam instar Dominici Corporis sibi detulerunt, quod ille per Spiritum recognoscens ait: Misereatur vestri Dominus, Fratres: cur me deludere voluistis: iste enim non est Dominus meus, quem deportastis. Mox illi stupefacti cucurrerunt, & sibi Corpus Dominicum portaverunt. Sed ille videns, quod recipere non valeret, elevatis in cœlum manibus sic oravit: Ascendat Filius ad Patrem, & Spiritus ad Deum, qui fecit. Quo dicto, Eucharistia disparuit, & Hugo feliciter exspiravit.

Circa hæc tempora Monasterium Althæ superioris initiatur, & sub Honorio Papa II. libertati traditur a Friderico, Ratisponensis Ecclesiæ Advocato, cum consensu conthoralis suæ, & Adelberti Comitis de Windberg, & uxoris suæ filiorumque eorum, scilicet Perchtoldi & Alberti admodum parvulorum, ad quorum ditionem idem locus hæreditario jure pertinebat.

(*a*) Ruberto Francigeno vid. Martin. Polon.

CLXVIII. Innocentius II. sedit annis XIII. mensibus VII. diebus VIII.
Anacletus. Schisma XXII.

Innocentius II. natione Romanus, quendam Petrum nomine, Petri Leonis filium, Anacletum dictum Antipapam habuit, qui thesauro pene omnes Romanos corrupit, & Innocentium Papam, dum nullum a Cardinalibus subsidium haberet, de urbe expulit. Qui in Galliam cum duabus galeis veniens, a Rege Francorum honorifice est receptus, & postea a Lothario in Papam repositus, qui ab eodem Innocentio in Ecclesia Lateranensi coronam Imperialem accepit. (*a*) Hic sepultus est in Laterano in concha porphyretica minore opere sculpta.

XCI. Lotharius III. regnavit annis XI.

Anno Domini MCXXVII. Lotharius, Dux Saxoniæ, regnare cœpit, regnavitque annis XI. Item cum isto Lothario Conradus, Frater Friderici Ducis Suevorum, in discordia eligitur. Qui interventu Clarævallensis Abbatis, S. Bernhardi, ab eodem Lothario in gratiam est receptus. De hoc habetur de elec. venerabilem &c. Hic Lotharius fuit vir Catholicus, & fidelis Ecclesiæ Advocatus, de quo vide etiam sub Innocentio II. (*b*)

Hujus temporibus tanta fuit siccitas in Francia, ut flumina, lacus, fontes & putei siccarentur. Ignis quoque, qui per rimas terram subintraverat, nulla materia, vel arte poterat extingvi per biennium. Ideo fames validissima per Italiam bestias & homines fere consumsit. Item Rhenus ita siccus fuit, quod sicco pede transiretur. Versus:

Annis nongentis, terdenis atque ducentis
Christi carnati Rhenus ardore coactus,
Rhenus siccatur, sicco pede transpeditatur.

Hujus tempore Ordo Hospitalis S. Johannis inceptus est in Jerusalem, & Ordo S. Mariæ de Templo. Anno Domini MCXXX, anno scilicet XXXV. ab institutione Ordinis Cistertiensis, vivente adhuc Beato Bernhardo annis XVII, fundatum est Claustrum Cæsariense, vulgariter Kaisersheim vocatum, Ordinis Cistertiensis per Henricum Comitem de Lechsgemunde & Luitgardim uxorem suam, & Volradum filium suum.

CLXVIIII. Cœlestinus II. sedit mensibus V. diebus XIII. An. 1143
CLXX. Lucius II. sedit mensibus X. diebus IIII. An. 1144

(*a*) Hujus constitutiones & Ecclesiam B. Virginis vid. ap. Martin. Minoritam. sub Honorio II. ubi Innocent. II. omissus est. (*b*) De strage Bohemica & Rugero vid. Martin. Polon.

Hic

Hic Monasterium S. Magni in præurbio Ratisponæ privilegavit. (*a*)

CLXXI. Eugenius III. sedit annis VIII. mensibus IIII. diebus XX.

Eugenius III. natione Pisanus, S. Bernhardi discipulus, cum simplex fuerit ante, Deus eum mirabili gratia perfudit & eloquentia. Hic canonizavit Henricum Imperatorem. Dum autem quidam Cardinalis Johannes nomine se negotio vehementer opponeret, visum perdidit, sed pœnitens, & factum promovens, illuminatus est. Hic in Basilica S. Petri est sepultus.

His temporibus floruit Richardus de S. Victore. Item Liber S. Johannis Damasceni de Græco in Latinum est translatus. Item floret Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, qui quatuor libris sententiarum Ecclesiam Dei decoravit, Glossas Psalterii & Epistolarum Pauli utiliter compilavit. Hujus frater dicitur esse Gratianus, Monachus Ordinis S. Benedicti de Clusa, civitate Tusciæ natus, qui Decretum Bononiæ composuit ex dictis Sanctorum & Summorum Pontificum, Anno Domini MCLI, sicut innuitur Q. 11. c. 1. de forma. Anno Domini MCXLVII. in Festo Potentianæ Virginis omnes Principes Bavariæ obsederunt Ratisponam. Item in Alemannia Hiltigardis Monialis, Prophetissa in Pingen sepulta claruit.

Anno Domini MCXLII. Albertus, Comes illustris de Pogen, fundavit Monasterium in Windwerg Ordinis Præmonstratensium, & sepultus est ibidem cum successoribus suis, scil. Hartbico & Perchtoldo, filiis suis. Hic Perchtoldus genuit Albertum, qui vicit civitatem Spoletanam in Tuscia, & inde transtulit duo corpora, Sancti scilicet Sabini Episcopi & Sanctæ Serenæ viduæ, & misit in Windwerg. Idem Albertus genuit tres filios, Leupoldum, Perchtoldum & Albertum ultimum. An. MCXLIII. locus, dictus in Walderbach, incorporatus est Ordini Cistertiensi, amotis inde Canonicis Regularibus, qui quondam ibi habitasse feruntur. Anno Domini MCL. Beatus Eberhardus, Sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in Synodo, quam Ratisponæ, Suffraganeis suis assidentibus, habuit, octavas matris Mariæ beatæ instituit. MCLII. urbs Ratispona maximo conflagravit incendio, in qua præcipua Monasteria, videlicet Ecclesiam S. Petri, S. Johannis, Veteriscapellæ, inferioris Monasterii & S. Pauli XVIII. Kal. Maji vorax flamma consumsit.

XCII. Conradus II. vel III. regnavit annis XV.

Anno Domini MCXXXVIII. Conradus II. vel III. frater Friderici Ducis Suevorum & Henrici Ducis Bavariæ, regnare cœpit, regnavitque annis XV. (*b*) Anno Domini MCXXXVIII. incarnati Salvatoris, qui est tertius inchoati pontis super Danubium Ratisponæ, Ripens Agricultura id est Monasterium S. Magni in præurbio Ratisponæ mutari cœpit in ædificia per venerabilem Dominum Gebehardum, Presbyterum Canonicum Ratisponensis Ecclesiæ. Ad cujus petitionem Rex Conradus prædictus eo tempore, quo Castrum Ottonis Palatini Comitis in Kelheim obsederat, cum consilio fratris sui, Henrici Ducis Bavariæ, præurbium Ratisponæ Monasterio Sancti Magni largitus est. De ponte Ratisponensi per Danubium hi habentur versus:

Pons fieri cœpit, Domini dum annus incepit
Mille centenus, tria decem semi quoque denus.

CLXXII. Anastasius IIII. sedit anno I. mensibus IV. diebus XXIV. An. 1153.

CLXXIII. Adrianus IIII. sedit annis IIII.

Adrianus IIII. natione Anglicus, primum fuit Episcopus Albanensis, postea Papa factus, propter vulnerationem unius Cardinalis totam Urbem usque ad dignam satisfactionem posuit sub interdicto. Hic primus Papa dicitur fuisse, qui in urbe veteri moram traxit. Hic sepultus est in Vaticano juxta sepulcrum Eugenii Papæ.

CLXXIIII. Alexander III. sedit annis XXI. mensibus XI. diebus XXV. An. 1159.

Victor. Paschalis. Calixtus. Innocentius. Schisma XXIII. (*c*)

Auctores hujus schismatis fuerunt Cardinales aliqui, in minori parte discordantes ab aliis in majori parte, eligentes Octavianum. Auctor etiam fuit Fridericus Imperator, defensor dictorum schismaticorum, divina tamen gratia sublatum est hoc schisma per reconciliationem Friderici Imperatoris cum Papa, & propter ipsius humilem subjectionem, qua se pedibus Papæ submisit. (*d*)

CLXXV. Lucius III. sedit annis IIII. mensibus II. dieb. XXV. An. 1181.

CLXXVI. Urbanus III. sedit anno I. mensibus X. dieb. XXV. An. 1186.

CLXXVII. Gregorius VIII. sedit mense I. diebus XXVII. An. 1187.

CLXXVIII. Clemens sedit annis III. diebus XVI. An. 1188.

Clemens, natione Romanus, constituit inter missam post Dominicam Orationem Psalmum Deus venerunt decantari, & quadragesimale jejunium ante Nativitatem Domini, quousque Christiani liberantur a Paganis. (*e*)

XCIII. Fridericus I. regnavit annis XXXVIII.

Anno Domini MCLII. vel secundum alios LIII. Fridericus I. barba russa, filius Friderici Ducis Sueviæ, fratris scilicet Conradi Regis, post Conradum III. patruum suum, apud Franckenfurt electus, regnare cœpit, regnavitque annis XXXVIII. Hic in principio Regni sui omnium Teutonicorum favorem habens, per districta

(*a*) Martin. Polon. (*b*) Hic omissa quære in Mart. Polon.

(*c*) Principium extat apud Martin. Polon. (*d*) Constitutiones ap. Minoritam. De Alexandria ap. Polonum. (*e*) De claustro vid. Mart. Polon.

districta judicia pacem optimam fecit in omnibus partibus Regni sui. Hic anno III. Regni sui Romam veniens, ab Adriano Papa in Ecclesia S. Petri imperialem coronam accepit. (*a*) Hic post mortem Adriani Papæ pessime stetit cum Alexandro Papa, quia ipse Alexander Papa ipsum Fridericum Imperatorem excommunicavit, pro eo quod legitimam uxorem dimisit, & aliam duxit. Ex hoc Fridericus motus, Alexandrum Papam repulit. (*b*) Denique ista dissensio inter Papam & Imperatorem per annos fere XX. in tantum invaluit, quod perplures Archiepiscopi & Episcopi, faventes & obedientes vero Apostolico, ab Imperatore propriis sedibus pellerentur, indignioribus substitutis. Plures etiam Principes seculares detrimentum honoris sui & rerum in hoc schismate pertulerunt. (*c*)

Anno Domini MCLVI. Ducatus Bohemiæ mutatur in Regnum per Fridericum Imperatorem, & Latislavus, Dux Bohemorum, Rex constituitur. MCLIIII. Fridericus Imperator Henricum, Marchionem Austriæ, tunc Ducem Bavariæ, ab eodem Ducatu removit. Et quia ejusdem Marchionis magna nobilitas & multa exigebat honestas, ut nomen Ducis non perderet, & Duces Bavariæ minus deinceps contra Imperium superbire valerent: Imperator de voluntate & consensu Principum in curia Ratisponæ habita, Marchionatum Austriæ a jurisdictione Ducis Bavariæ eximendo, & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo, convertit in Ducatum. MCLVIII. Vilsa fluvius in Ensdorff III. KL. Febr. siccum iter præbuit. MCLXIII. Mediolano, cujus muri erant altissimi, a Friderico Imperatore funditus destructo, Rudolfus, alibi Reynoldus, Archiepiscopus Coloniensis, trium Magorum corpora Coloniam transportavit, quæ de Perside olim per Helenam, matrem Constantini M. Constantinopolin translata, & in Ecclesia S. Sophiæ reverenter collocata, inde a S. Eustorio & Arsacio, regnante Theodosio I. Mediolanum miraculose sunt translata. MCLXIIII. Beatus Eberhardus, primum Monachus Prüfingensis, deinde Abbas Piburgensis, postremo Archiepiscopus Saltzpurgensis, feliciter rebus excessit humanis. MCLXVI. Ordinantur Canonici regulares in Saltzpurg. MLXXX. Marchionatus Striæ mutatur in Ducatum: Eodem anno Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ a Friderico Imperatore per sententias Principum deponitur, & Otto, Comes de Schira, Dux Bavariæ constituitur. Hic Otto genuit duos filios, Ludwicum & Henricum. Ludwicus duxit uxorem Mariam, Ducissam Brabantiæ. Qua mortua sine liberis, accepit in conjugem Dominam Annam, filiam Ducis Poloniæ, ex qua genuit filiam Agnetem & Ludwicum, egregiæ indolis virum.

(*a*) De reversione uterque Martinus. (*b*) De bello cum Francorum Rege Mart. Polon. (*c*) Donum Soldani, prodigia, terræ motus & stragem Roma-Romanorum vid. ap. Mart. Minor. De Edessa capta, Friderici reconciliatione, obitu, Joachimo Abbate Mart. Polon.

Mortua Domina Anna, gloriosissimus Rex Rudolfus filiam suam, Dominam Mathildim sibi tradidit, ex qua genuit Rudolfum & Ludwicum Ducem juniorem, qui postea Regnum Romanorum est adeptus.

MCLXXXVI. Soldanus, Paganus Rex Babyloniæ & Alexandriæ & Syriæ, Rex quoque Ægypti, Persarum Chaldæorum & Medorum, cum innumerabili exercitu veniens Hierosolymas, cepit eam cum civitatibus sibi adjacentibus, occisis nec non comprehensis multis de exercitu candido Christianorum; ubi etiam non parvam multitudinem de suis amisit.

CLXXVIIII. Cœlestinus III. sedit annis VI. mensibus VIII. diebus X. (*d*)

CLXXX. Innocentius III. sedit annis XVIII. mensibus IIII. diebus XXIII.

Innocentius III (*e*) anno XVII. sui Pontificatus in Basilica Lateranensi celebravit Concilium Generale, de quo in Chronicis non legi, quotum dicatur in ordine fuisse. In respectum tamen Synodi, quæ in Constantinopoli sub Johanne Papa VIII. celebrata est, & quæ octava legitur, hæc Sancta Lateranensis Synodus Nona videtur computanda. (*f*) Hic Innocentius post Concilium Lateranense anno uno supervixit; quo apud Perusium ægrotante, quidam Abbas Cistertiensis ad curiam ire volens XVI. Kal. Augusti, in prato apud Perusium obdormivit, viditque in somnis ad orientem in excelso throno Dominum cum multitudine Angelorum, item in occidente hominem nudum, papali infula decoratum, currentemque versus thronum, & alta voce clamantem: Miserere mei, misericordissime Deus; quem sequebatur draco crudelis horribiliter clamans: Juste judica, invictissime judex. Dixit ergo Deus ad Papam: Ubi divitiæ? ubi deliciæ? ubi honores? Ego Dominus, ego judex, ego vindex. Quo dicto, tertia vice draco animam rapere voluit; sed illa ad quandam crucem secus viam fugiente, evigilavit. Abbas evigilans, finem causæ non scire potuit, & Parusium veniens, Papam eadem hora migrasse cognovit, & visionis seriem præfatæ multis enarravit. (*g*)

His temporibus, sicut a plerisque traditur, Tartarorum dominium initium habuit. Hi enim sub montibus Indiæ, in regione dicta Tartara constituti, Dominum suum David, Regem Indiæ, filium Johannis Presbyteri, occiderunt, & ad depopulationem aliarum terrarum processerunt.

Item Innocentius III. Legatos ad Philippum, Regem Franciæ misit, ut terram Albigensium invaderet & hæreticos deleret. Qui omnes capiens, concremari fecit.

(*d*) Principium apud Polonum, constitutiones apud Minoritam Martinos vide. (*e*) Plurima hic vide in Mart. Polono. (*f*) Constitutiones enumerat Martin. Minor, censuram Joachimi & damnationem Mart. Polon. (*g*) De Constantinopoli capta, de duobus ordinibus Prædicatorum & Minorum vid. in Mart. Polono omnia verbotenus.

Anno

Anno Domini MCCIIII. Lantzhuta construitur. MCCVIII. Berchtoldus Comes de Pogen moritur. Eodem anno Straubinga nova construitur.

XCIIII. Henricus V. vel VI. regnavit annis VIII.

Anno Domini MCXC. Henricus V. vel VI. Friderici Imperatoris filius, regnare cœpit, regnavitque annis VIII. (*a*) Hic primo exercitum contra Apuliam movens, perdidit fere totum. Idem secundo aggrediens, Apuliam totam obtinuit; captivos in Alemanniam duxit Regem Epirotarum, & Regis filium Siciliæ, Tancretum cum matre sua Margaretha. (*b*) Hic anno Domini MCC. minus duobus, veneno interiit, sepultus in Spira. (*c*) Per hæc quoque tempora Ugwitio, Ferrariensis Episcopus, librum Derivationum composuit.

Philippus.

Anno Domini MCC. minus duobus vel tribus, Henrico Rege mortuo, orta est dissensio inter Principes Alemanniæ. Una pars elegit Ottonem de Brunswich, filium Henrici Ducis Bavariæ & Saxoniæ, alia Philippum, fratrem Henrici superius dicti. Sed Innocentius III, ne Philipus promoveretur, se opposuit, propter tyrannidem Henrici Imperatoris fratris sui, quam semper contra Romanam Ecclesiam exercuerat. Denique Philippus, Dux Suevorum, vir justus, XI. annis imperasse legitur. In quibusdam vero Chronicis inter Reges Romanorum non computatur. (*d*)

Anno Domini MCC. Gerdrudis, Regina Ungariæ occisa est. Hæc fuit mater S. Elizabeth & Belæ, qui fuit Rex Ungariæ, qui genuit Elizabeth, Ducissam Bavariæ. Causa autem, quare Gerdrudis Regina sit occisa, sic se habet: In desponsatione S. Elizabeth filiæ suæ, quæ duxit Ludwicum Lantgravium Thuringiæ, nuptiæ celebratæ sunt in civitate Ungariæ Ovena, quæ alias Buda dicitur. Quibus nuptiis interfuit Perchtoldus, Patriarcha Aquilegiensis, filius Perchtoldi, Ducis Meraniæ, frater præscriptæ Reginæ, qui videns quandam Comitissam Ungaricam valde formosam, circumvenit eam & oppressit. Dum vero Comitissa hoc malum marito suo conquesta esset, Patriarcha querimoniam illam vilipendens, ad propria remeavit. Temporibus igitur paucis elapsis, prædictus Comes suspicionem sinistram habuit, quod Regina conscia fuerit, & consensum præbuerit huic malo, quod uxori suæ acciderat. Unde tempore sibi congruo convenit quosdam maleficos pro pecunia; qui nocturno tempore intraverunt cameram Reginæ, & ipsam strangulantes suspenderunt. Quo facto, omnes simul & semel contractionem membrorum inciderunt, & de mane familiaribus intrantibus, omnes muti inventi sunt, excepto uno, qui totum negotium confitebatur; qui propterea condignam mortis pœnam subierunt. Hæc & alia signa apud Reginam claruerunt; quæ postmodum autoritate Ecclesiæ fuit canonizata.

(*a*) De baronibus in cloacam cadentibus, Mar. Minor. De tempestate inusitata Polon. (*b*) De excommunicatione, Mar. Polon. (*c*) Visionem de ejus morte & versus habet Mart. Minor. (*d*) Philippi mortem vid. ap. Mar. Minor.

Item anno Domini MCC. Magister Alexander Monachus Ordinis S. Benedicti Doctrinale, quod incipit scribere clericaliter &c. Parisius legitur composuisse. MCCIII. propter guerram inter Episcopum Ratisponensem & Ducem pene tota provincia periclitatur,

XCV. Otto IIII. regnavit annis IX.

Anno Domini MCCVIII. Otto, de gente Saxonum, Dux de Brunswich, pro solicitudine Innocentii Papæ III. & favore, Imperium est adeptus, regnare cœpit, regnavitque annis IX. (*e*)

CLXXXI. Honorius III. sedit annis X. mensibus VIII. diebus XXIII.

Honorius III. natione Romanus, apud Perusium electus constituit, ut corpus Domini propter infirmos in Ecclesiis sub clausura semper servaretur. Hic confirmavit ordines Prædicatorum & Minorum. Hic in basilica S. Petri Fridericum, Regem Siciliæ, in Imperatorem Romanorum coronavit, & postea eundem Fridericum sibi rebellem, etiam Romanæ Ecclesiæ adversarium comperiens, anathematizavit, atque barones omnes alios ab ejus fidelitate absolvit. Hic Honorius Romæ moritur, & ad Mariam majorem sepelitur.

Anno Domini MCCXXX. Landau construitur. An. 1226.

CLXXXII. Gregorius IX. sedit annis XIIII.

Gregorius IX. natione Campanus, prius dictus Hugolinus, Hostiensis Episcopus, anno Domini MCCXXVIII. S. Franciscum canonizavit. (*f*) Anno Domini MCCXXXI. S. Antonius frater minor, & S. Elizabeth Lantgravia Thuringiæ, filia Regis Ungariæ, migraverunt ad Dominum, quos idem Gregorius canonizavit. MCCXXXIII. idem Gregorius S. Dominicum canonizavit, (*g*)

CLXXXIII. Cœlestinus IIII. sedit diebus XVII.

Hic constituit, ut judex in excommunicando non servans juris ordinem, suspensus sit per mensem, vel etiam irregularis. (*h*) Hujus Innocentii Gwilhelmus Duranti in principio Speculi Judicialis, quod ipse composuit, memoriam facit his verbis: Nostris temporibus duæ stellæ nitidissime rutilarunt, videlicet sanctissimæ recordationis Dominus Innocentius

(*e*) Cætera ex utroque Martino confusa & descripta miscentur. (*f*) Constitutiones de filio presbyteri & laicis religiosis Mart. Minor. (*g*) De volumine decretalium & Gregorii processione Martin. Polon. (*h*) De sedibus Cardinalium, Concilio Lugdunensi, canonizationibus, ingressu in Apuliam, Hugone, Mart. Polon.

Papa IIII. noster Patronus, Pater Juris, & reverendus Pater Dominus meus Henricus, Hostiensis Episcopus, lumen juris, quorum veneranda memoria fulget, ut splendor firmamenti perpetui velut stellæ, in æternitates perpetuas permansura.

Anno Domini MCCXLI. Conradus Rex duxit filiam Ottonis Ducis Bavariæ, quæ post obitum viri Comiti Meinhardo Tyrolensi nupsit, ex qua genuit Elizabeth, quam duxit Albertus, Dux Austriæ, postea Rex Romanorum.

An. 1254. CLXXXV. Alexander IV. sedit annis VII. (*a*)

Anno MCCLVI. ossa S. Wilibaldi de tumulo sunt levata apud Eistet.

CLXXXVI. Urbanus IIII. sedit annis III. mens. I. dieb. IIII.

Hic excelsum & gloriosum festum Corporis Christi, ut per universas Ecclesias solenniter & devote celebretur, instituit. Floret his temporibus Thomas de Aquino, Ordinis Prædicatorum Doctor egregius, cui ab ipso Urbano, ut dictet & scribat Officium corporis Christi, indicitur, quod dono divini muneris perficitur. Hic Urbanus Perusii moritur, & ibidem sepelitur.

An. 1264. CLXXXVII. Clemens IIII. sedit annis VI. mensibus IX. (*b*)

Clemens IIII. Cum Conradinus, nepos Friderici Imperatoris contra Dominum Carolum, cui Papa Urbanus Regnum Siciliæ contulerat, debellaturus, Apuliam intraret, & pleriq; factum Regis Caroli pro desperato haberent, tum propter Conradini exercitus multitudinem, tum propter Regni Siciliæ pene totius rebellionem, prædixit Papa publice in communi sermone, factum Conradini tanquam fumum transiturum, & ipsum tanquam victimam Apuliam intraturum, quod & rei postmodum probavit eventus. Nam Conradinus post fugam captus fuit, decollatus, & factum ejus paucis diebus tanquam fumus evanuit. Hic Clemens mortuus est Viterbii, & ibidem in Ecclesia Fratrum prædicatorum sepultus.

Anno Domini MCCLXXIII. Ecclesia Cathedralis Sancti Petri Ratisponæ voragine ignis penitus est destructa, & campanæ omnes sunt exustæ XV. die Aprilis. MCCLXXVI. in festo Beati Pauli Apostoli consecratus est primus lapis Cathedralis Ecclesiæ S. Petri Ratisponæ a venerabili Episcopo Leone.

XCVI. Fridericus II. regnavit annis XXXIII.

Anno Domini MCCXVI. Fridericus II. Henrici V. Imperatoris filius, Rex Siciliæ, contra Ottonem electus, regnare cœpit, regnavitque annis XXXIII. Hic divitiis & gloria super omnes abundans, abusus est eis in superbia. Nam quamvis primum leges optimas pro libertate Ecclesiæ & contra hæreticos ediderat,

(*a*) Ex Mart. Polono & Minorita. (*b*) Principium videas apud Mart. Polonum.

postea tamen Ecclesiam, per quam ab infantia tanquam per matrem fotus, velut novercam, quantum potuit, laniavit. Ideo Innocentius IIII. convocato apud Lugdunum Concilio, ipsum Imperiali dignitate ac nomine spoliavit. Porro causæ depositionis principales in prædicto Concilio exprimuntur, scilicet perjurium, pacis reformatæ frequens violatio, duorum Cardinalium captivatio, multorum Prælatorum submersio; quod insuper Prælatos ab Ecclesiarum regimine destituerit, cruces aureas, thuribula pretiosa & calices, pannos aurifrigiatos, & sacros Ecclesiarum thesauros diripuit, Clericos angariis afflixit. (*c*) Sepultus est Anno Domini MCCL. in die S. Luciæ tam occulte, quod multi per annos XL. putabant, eum vivere, venturum in proximo manu forti. In quadam tamen Chronica Fridericus iste in omnibus gloriosus fuisse legitur. Denique causa discordiæ inter Fridericum & Gregorium Papam magis Gregorio, quam Friderico imputatur. Quod autem horum verius sit, prudentum discretioni relinquo. Ejus epitaphium hoc fuisse legitur:

Si probitas sensus, utriusque gloria, census,
Nobilitas orti possent resistere morti:
Non foret extinctus Fridricus, qui jacet intus.
Alta palatia, summa potentia, gloria mundi
Non valuere mihi tollere posse mori.

Hic Fridericus in excommunicatione Gregorii Papæ transiit mare. Hic Henricum filium suum primogenitum in carcere mori fecit; causa autem fuit licita. Ipse enim de consensu Papæ voluit in Imperio se præponere patri.

Mortuo Friderico, remanserunt de eo plures filii & nepotes, inter quos fuit Conradus filius legitimus, qui fuit Rex Siciliæ & Jerusalem, qui in brevi tempore post patrem moritur. Et dicunt aliqui, quod dolo fratris sui naturalis Manfredi venenum habuerit. Qui Manfredus post eum Regnum Siciliæ contra voluntatem Urbani Papæ violenter detinebat, sed a Carolo, fratre Regis Franciæ, qui contra prædictum Manfredum Regnum Apuliæ intravit, bello campestri habito, prædictus Manfredus regno & vita privatur. Hunc puto esse Conradum Regem, qui, ut legitur in Chronica ad S. Emmeranum Ratisponæ, anno Domini MCCLI. vocatus a civibus Ratisponensibus, apud S. Emmeranum incaute dormiens, cum suis a Conrado de Hohenfels invasus est nocte, & vix mortem evasit, occisis duobus militibus de suis, & quibusdam captivatis. Legitur etiam ibidem, quod Conradus Rex in Apuliæ partibus moritur excommunicatus. Et interdictum positum a Papa per septem annos duravit, ita quod nec divina fiebant, nec sepulturæ, nisi eis, qui cruce signati declarabant, se schismatico tali non favere. Iste Conradus reliquit filium Conradum vel Conradinum, qui contra Karolum, fratrem Regis Franciæ Apuliam intravit. Sed post durum campestre bellum Conradus cum suis

(*d*) Plura & judicium ejus de Mose, Christo &c. apud Mart. Minor.

terga

terga vertentibus capitur, & a Karolo cum multis Nobilibus decollatur, cujus loco Teutunici ibidem quendam de Ochsenfurt fabri filium, nomine Stockch Regem statuerunt, licet plurimum renitentem, quia curialiter ab exercitu se subtrahens, post octo menses ad incudem paternam est reversus. (*a*)

Anno Domini MCCXLI. Albertus, ultimus Comes de Pogen, obiit. Hic ad Terram Sanctam volens transfretare, in obsequium Crucifixi dedit Ecclesiæ superioris Althæ tertiam partem fori in Pogun, cum omnibus attinentibus & jure forensi.

Henricus VI.

Anno Domini MCCXLIIII. post promulgationem sententiæ excommunicationis per Innocentium IIII. in Fridericum Imperatorem factam, Principes Alemanniæ Electores de licentia Papæ Henricum, Lantgravium Thuringiæ in Regem Romanorum elegerunt. Qui anno Domini MCCXLVII. Conradum Regem, filium Friderici Imperatoris, cum suo exercitu cum adjutorio Ludvici, Ducis Bavariæ, sororii sui, apud Franckfurt ignominiose fugavit, & ipse Henricus eodem anno profluvio ventris obiit sine hærede. Sepultus est in Hysnaco.

Wilhelmus.

Post hunc anno Domini MCCXLVIII. Wilhelmus, Comes Hollandiæ similiter contra Fridericum electus, regnavit annis paucis, & a Frisonibus est occisus. Et sic ambo, antequam ad Imperialem benedictionem pervenissent, vitæ terminum exegerunt. (*b*)

Ricardus. Ansulsus.

Anno Domini MCCL. Fridericus Imperator obiit, post cujus mortem Electores inter se fecerunt schisma, & una pars elegit Ricardum, Comitem Cornubiæ, alii vero Ansulsum (Alfonsum) Hispaniæ, & duravit hoc schisma ab anno Domini MCCL. usque ad annum Domini MCCLXXII. Ambo autem, scilicet Rikardus & Ansulsus proditione Karoli, Regis Siciliæ, veneno interierunt.

Anno Domini MCCLI. Frater Bertholdus, natione Ratisponensis, ordinis Fratrum minorum, prædicare cœpit, ad cujus prædicationem dicuntur aliquando centum millia hominum confluxisse. Hic sepultus est Ratisponæ ad Fratres minores, hoc habens epitaphium: Anno Domini MCCLXXII. XVIIII. Kal. Jan. obiit Frater Bertholdus, magnus Prædicator, hic sepultus (die) Luciæ Virginis.

MCCLV. Ludwicus & Henricus, Duces Bavariæ, filii Ottonis, dividunt Bavariam: Ludwico, qui fuit major natu, cessit in partem Bavaria superior cum Comitatu Palatino Rheni & civitate Monaco; Henrico vero Bavaria inferior cum civitate Lantzhuet. Eodem anno Dux Otto, pater prædictorum, qui fuit Comes in Scheyrum, & Conradus Rex moriuntur.

MCCLVI. Ludwicus, Dux Bavariæ, Comes Palatinus, Dominam Mariam uxorem suam, sororem Ducis Brabantiæ in Werde Svevico decapitari jussit. Miserat enim ipsa duas literas, unam Duci, qui tunc in partibus erat Rheni, alteram Henrico Comiti, Hirsuto, quæ etiam ex errore marito proprio erat præsentata. Pro emenda vero occisæ uxoris, Abbatia in Furstenfeld a Ludwico fundatur. Hic Ludwicus montem oppositum monti Ratisponæ, qui dicitur Geyrsperck, invitis civibus incastellavit, ac ipsum castrum Landeschron appellavit.

Anno Domini MCCLVIIII. Constantinopolis, quæ olim per Gallicos & Venetos capta fuerat, per Palæologum, Græcorum Imperatorem, vi prælii recuperata fuit. Eodem anno in Tuscia Italiæ Florentini & Lucani miserabilem eventum habuerunt. Nam de suorum multitudine & fortitudine confisi, Comitatum Senensium intraverunt; & Senenses, freti auxilio Manfredi, tunc Regis Siciliæ, ipsis ad bellum obviam exivissent, Florentini & Lucani fraude suorum decepti sunt. Nam inchoatione conflictus, qui primi & præcipui inter Florentinos erant, ad hostes accedentes, in suos cum Senensibus quamplurimum sunt debacchati. Dicuntur autem de Florentinis & Lucanis, tunc inter mortuos & captivos, plusquam sex millia hominum corruisse.

MCCLX. Rex Ungariæ proterve Regem Bohemiæ aggreditur, habens in exercitu suo diversarum orientalium nationum & Paganorum circa quadraginta millia hominum equitum. Cui Rex Bohemiæ cum centum millibus equitum, inter quos dicitur habuisse circa sex millia equorum de ferro coopertorum, ad resistendum occurrit. Cumque in confiniis Regnorum bellum inchoatum fuisset, ex collisione equorum vel armorum tantus pulvis de terra surrexit, ut media & clara die vix homo hominem cognoscere potuisset. Tandem Ungari, Rege ipso graviter vulnerato, terga vertentes, cum cedentes festinarent fugere in quodam fluvio profundo, quem transire debuerant, præter alios occisos, quatuordecim millia hominum submersa sunt. Sed Rege Bohemiæ victoria habita, Ungariam intrante, Rex Ungariæ per Legatos pacem quærit, terras, quæ discordiæ causa fuerant, restituit, & in futurum amicitiam, matrimonio mediante, confirmavit.

MCCLXIIII. Cometa notabilis apparuit, qualem nullus tunc vivens ante vidit. Ab oriente enim cum magno fulgore surgens, usque ad medium hæmisphærii adversus occidentem comam perlucidam protrahebat. Et licet in diversis partibus forte multa significaverit, hoc tamen unum pro certo compertum est, quod cum plus quam per tres menses duraverit, ipso scilicet apparente, Papa Urbanus cœpit infirmari, & eadem nocte, qua Papa exspiravit, cometes disparuit.

MCCLXVI. quamplurima multitudo ex Afri-

(*a*) De libro Toleti invento Mart. Polon. (*b*) Ludwici R. transfretationem vid. ap. Polon. ubi etiam leguntur ista de Tartaris, & hominibus terræ hiatu in Burgundia absorptis.

Africa per angustum mare transiens in Hispanias, & adjunctis Saracenis, in Hispania magnam plagam exercuerunt in Christianos, intendentes, quam olim perdiderant, Hispaniam, recuperare. Sed illarum partium Christiani adunati & cruce signati, ex diversis partibus auxilio adjuti, licet cum multo Christianorum sangvine, de Saracenis triumphaverunt. (*a*)

CLXXXVIII. Gregorius X. sedit annis IIII. diebus X. (*b*)

Gregorius X. Lugduni solenne celebravit Concilium, in quo Græci Spiritum Sanctum confessi sunt a Patre & filio procedere, Symbolum in Concilio solenniter decantando. Hanc rem Gwilhelmus Duranti, Episcopus Mimatensis in Rationali suo libro IIII. Cap. de Symbolo, dicit, se vidisse. Unde & miratur, qua temeritate Græci Spiritum Sanctum a Filio præsumunt negare. Hoc Concilium Lugdunense sub Gregorio X. celebratum, quod in multis locis VI. libri Decretalium Generale legitur, licet taceatur, quotum fuerit in ordine in respectu tamen ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum, quod superius nonum Concilium universale computatur, hæc sancta Synodus Lugdunensis decima universalis, salva correctione Sapientum, videtur computanda. In hoc Concilio Ordines Mendicantium sunt fere omnes cessati, & Ecclesiarum decimæ ad Terræ Sanctæ subsidium per sex annos deputatæ. Pensa ibi lector, si te delectant, quomodo hic concurrunt Decimus, decima, decimum. Est advertendum, quod Ordo Cistertiensis, quem Papa Gregorius speciali prosequebatur affectu, de sex annis, quibus danda erat decima, pro octoginta millibus marcarum convenit, quam summam Patres Abbates inter filios suos dividebant annis singulis. De hac summa Dominus in Furstenfelt dedit annis singulis quatuor marcas. (*c*)

Anno Domini MCCLXXIIII. obiit Bonaventura Cardinalis, qui fuit de Ordine Minorum, Theologus gloriosus.

CLXXXIX. Innocentius V. sedit mensibus V. diebus II.

Innocentius V. natione Gallicus de Tarentasia, Ordinis fuit Prædicatorum, & Doctor Theologiæ eximius, primum Lugdunensis Archiepiscopus, deinde Hostiensis Cardinalis, & summus Pœnitentionarius Papæ, postremo Summus Pontifex. (*d*)

CXC. Adrianus V. sedit mense I. diebus IX.

Moritur Viterbii, & ibidem sepelitur. (*e*)

(*a*) Prolixa historia de expeditione Regum contra Soldanum ad verbum extat apud Martin. Polon. (*b*) Omissa reperies ap. Mart. Polon. (*c*) De experientia & morte Papæ Mart. Polon. (*d*) Cætera apud utrosque Martinos. (*e*) Mart. Polon.

CXCI. Johannes XXI. ante Tusculanus Episcopus, sedit mensibus VIII. die I.

Huc usque Frater Martinus Chronicam perduxit.

CXCII. Nicolaus III. sedit annis II. mensibus VIII. diebus XXVIII.

Nicolaus III, natione Romanus de domo Ursinorum, ante dictus Johannes Gajetanus, præcepit Regulam Fratrum minorum cum sua declaratione publice legi, cum Decretalibus in omnibus scholis juris. Hic constitutiones fecit, tam de electionibus Prælatorum, quam de electione Senatorum Urbis. Hic sepultus est Romæ apud S. Petrum.

CXCIII. Martinus IV. sedit annis II. An. [illegible]

Martinus IV. natione Gallicus de Turonis, ante dictus Simon, Presbyter Cardinalis titulo tunc Sanctæ Cœciliæ, Prædicatores & Minores sub confessionibus audiendis decoravit privilegio singulari. Hunc in die annunciationis Beatæ Virginis Mariæ, quæ fuit in die resurrectionis Domini, postquam celebrasset, solitamque refectionem cum suis Capellanis sumsisset, arripuit infirmitas occulta, qua debitum solvit conditionis humanæ. (*f*)

CXCIIII. Honorius IV. sedit secundum quosdam annis V. An. [illegible]

Honorius IIII. concordia Fratrum in Perusio electus est. Hic fuit mente expeditus, sed toto corpore contractus. Hic misit in Teutoniam legatum Episcopum Cardinalem, qui Rege præsente in Herbipoli solenne Concilium convocavit, & quartam partem omnium proventuum a Prælatis omnibus per IIII. annos postulavit. Multis ergo Archiepiscopis & Episcopis trementibus, & contradicere formidantibus surrexit Dominus Probus, Tullensis Episcopus, Frater Minor, quondam lector Constantiensis, de Tuwingen oriundus, & sicut in Floribus Temporum legitur. Stans super baptisterium, audacter appellavit. Legitur tamen in alio textu, & seipsum permerdavit, quia confusibiliter de Episcopatu ejectus est, & ad statum pristinum cum strictitudine reversus. Sepultus est apud S. Petrum, & vacavit sedes mensibus X. diebus II.

CXCV. Nicolaus IIII. sedit annis IIII. mensibus II. diebus XVII. An. [illegible]

Nicolaus IIII. natione Marchianus, ante dictus Ieronymus, Episcopus Prænestinus, Ordinis Fratrum Minorum, privilegiavit & approbavit Regulam, quam dicunt tertiam de ordine S. Francisci. Hic sepultus est apud S. Mariam majorem, post cujus mortem sedes vacavit annis duobus.

(*f*) De qua morte Mart. Poloni continuator.

HUC USQUE FRATER MINOR CHRONICA, QUÆ FLORES TEMPORUM DICUNTUR, PERDUXIT.

HIS

HIS, QUÆ SEQUUNTUR, ANDREAS RATISBONENSIS CHRONICON MARTINI POLONI CONTINUAVIT.

Rudolphus regnavit annis XIIX. XCVII.

ANno Domini MCCLXXIII. Cum bona Imperii jam diu vacante Imperio distracta essent, Gregorio Papa mandante Electoribus de Rege Romanorum, cum concordare non possent, vota sua in Ducem Bavariæ transtulerunt, a quo Rudolphus, genere Alemannus, Comes de Habspurken, utpote homo bellicosus, & ab infantia in armis nutritus, Rex vocatus & electus, regnare cœpit MCCLXXIII. regnavit annis XIIX. Hic fuit vir probus, & ab infantia bellicosus, justus, simplex, & timens Deum. Sed tamen ad Imperium non ascendit. Hic ad petitionem Gregorii Papæ decimi crucem suscepit, ut cum cruce signatis ultra mare Sanctum passagium acciperet. Sed non potuit transfretare, propter gverram Otakori regis Bohemiæ, qui postea a suis traditus in bello ab eo est occisus, eo quod sibi rebellans, ab eo contemsit accipere collationem. Versus:

Anni dum Domini fluxissent mille ducenti,
Octavo numero completo septuageno,
Dum sol in Geminis fuit, Augustique Kalendis,
Inclytus Ortakorus Rex hostibus ejus amarus,
Succubuit bello pugnans cum rege Ruodolffo,
Non vi Swevorum cecidit, sed fraude suorum.

Hic Ortakorus, Rex Bohemiæ, parum ante cum magno exercitu intrans Bavariam, destruxit Regenstauff & Nytenalt. An. Domini MCCLXI. Otokarius, Rex Bohemiæ, aggressus est Regem Ungariæ Belam nomine in campo Marchfeld, & obtinuit victoriam, auxiliante sibi Ulrico, Duce Karinthiæ, & fratre suo Philippo, Electo Saltzpurgensis Ecclesiæ. Et in signum victoriæ condita est civitas in eodem loco, quæ dicitur Marchegck. Postea in jam dicto campo Marchfelt dictus Otokarius Rex pugnans cum Rudolfo, Rege Romanorum, Bohemis terga vertentibus, cum multis Nobilibus est occisus. Hic Rudolfus Rex sapiens fuit, ad quem accessit quidam in civitate Laubing dicens: O Domine, date mihi aliquid. Qui respondit: Quare carissime. At ille, quia estis cognatus meus. Tunc Rex dixit: Unde carissime? Tunc dixit ille: de costis Adam. Dixit ei Rex: Vade ergo, & porta magnum saccum. Ille lætus putans, quod vellet sibi implere, apportavit. Tunc Rex recepit unum denarium, & projecit sibi ad saccum, & dixit: Modo vade, & fac tibi unumquemque tantum dare, qui tantum attinet tibi, ut ego, habebis saccum plenum. Anno Domini 1272. Summum Ratisponæ exuritur. Hujus temporibus ducenti homines XV. Kal. Julii, in ponte super Muslam choreizantes, cessare nolebant, donec plebanus transiret, portans sanctissimum corpus Christi. Igitur pons cecidit, & choreizantes omnes penitus sunt submersi. Item quidam nigromanticus, qui se Fridericum Imperatorem publice affirmaverat, jussu ipsius regis Ruodolffi est adustus. Item Comes de Mospurk moritur, & Comitatus ad Duces Bavariæ devolvitur. An. Dom. MCCLXXVII. Hainricus Comes de Rotenegk, Ratisponensis Ecclesiæ Canonicus, & Archidiaconus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic dictam Cathedralem Ecclesiam S. Petri Ratisponæ, consumptam & destructam incendio, & ab antecessore suo reædificari incœptam, sumtuoso opere, quod & materiam superabat, ut ad finem perduci posset, multis laboribus procuravit, & multa pretiosa ornamenta dictæ ecclesiæ dedit. Hic etiam patrimonium suum, scilicet Comitatum & Castrum in Rotenegk, cum pertinentiis suis, Ludwico, Duci Bavariæ, vendidit, & Ratisponensem Ecclesiam, multis debitis oneratam, ab usuris & damnis aliis liberavit. Item advocatiam in Velden, Eberspewet, Teispach, Franckenhausen, Ergoltzpach, Essenbach, Pilscing & Erling a Dominis Ducibus Bavariæ, & alia multa, magna pecunia comparavit, Item fecit fieri duas campanas, quarum una dicitur Apostolorum, altera S. Petri. Item per duos Monachos de Haltzprunn edoceri fecit musicam in sua Ecclesia, cantu usuali in musicam permutato. Hic sepultus est retro summum altare in Ecclesia sua Cathedrali, hoc habens epitaphium:

Hanc cathedram rexit Henricus, quem Petra texit:
De Roteneck ortus, cœli pateat sibi portus.

Anno Domini MCCLXXXV. Dominus Albertus de Hals, sua virtute & strenuitate, meruit a Ruodolffo Romanorum rege, honore & nomine Comitis insigniri. Item in Paterach Judæi bonum hominem Christianum, Bernherum nomine, occiderunt occulte, qui dicitur miraculis claruisse. Simile priori anno accidit in civitate Monacensi. MCCLXXXVI. in Dominica Invocavit, XL. sorores Ecclesiæ, quæ nunc dicitur Sanctam Claram Ratisponæ, vulgariter ob pœnitentiam Rewserinn nuncupatæ, ordinem Sanctæ Mariæ Magdalenæ mutaverunt, & hortantibus fratribus Minoribus, ordinem & regulam S. Claræ receperunt. Item Meldorff civitas, a Duce Henrico restituta est Episcopo Saltzburgensi, quam anno priori expugnaverat. MCCLXXXVIII. Tonitrua in die S. Stephani, circa Nativitatem Domini sunt per multas terras audita. MCCLXXXIX. Ludwicus bonæ indolis, filius Lodwici Ducis Bavariæ, cum hastiludio Nurnbergæ intenderet, lancea cujusdam Baronis de Hohenloch tactus gutture occubuit. MCCXC. Henricus Dux Bavariæ, frater Lodwici, bono fine apud Purkhausen obiit, relinquens tres filios, Ottonem, Ludwicum & Stephanum. Hujus Henrici

rici Ducis Bavariæ uxor fuit Elizabeth, filia Belæ regis Ungariæ, qui fuit frater S. Elisabeth. Item hyems calidissima fuit. MCCXCI. rex Ruedolfus obiit in divisione Apostolorum, sepultus Spiriæ. Hujus etiam Ruedolfi temporibus in Diessenhoven mortuus, qui decem annos sub terra jacuerat, loquebatur fossori sepulchri, cui diem sui obitus veraciter prædixit. Item in diœcesi Bormacensi, in villa Garrach, anser duorum capitum fuit, & aliis quatuor pedum. Item in diœcesi Constantiensi in Swandach mulier nobilis leonem dicitur peperisse. Item Rudolfus Episcopus Saltzburgensis obiit; cui successit Dux Bavariæ Stephanus. Sed missis nunciis Romam, videlicet Conrado, tunc Episcopo Laventinensi, cum multis aliis, super confirmatione ejusdem Stephani, Dominus Papa ipsum reprobavit, & dictum Conradum Laventinensem Episcopum per se ipsum in Archiepiscopum Saltzburgensem ordinavit, Magistrum Henricum, protonotarium & Canonicum tunc Saltzburgensem, jurisperitum, similiter ordinans Ecclesiæ Laventinensi Episcopum.

Adolfus regnavit annis sex. LXXXXVIII.

Anno Domini MCCLXXXXII. Adolfus Comes de Nassaw in Franckfurt ab omnibus Principibus electus regnare cœpit, regnavitque annis VI. Hic benedictionem imperialem non habuit. Hic anno Domini MCCXCIV. cum Alberto Duce Austriæ, & Gerhardo Archiepiscopo Maguntinensi conflictum habuit juxta castrum, quod Porlat (Pornland) dicitur, ubi Dux Austriæ obtinuit victoriam, & Rex Romanorum occisus est, in die SS. Processi & Martiniani. Anno Domini MCCXCIV, Ludwicus Dux Bavariæ est defunctus, & in Furstenfeld sepultus, relinquens duos filios, scilicet Ruedolfum, qui ei successit in regimine principatus, & Ludwicum postea Romanorum Imperatorem.

Celestinus V. sedit annis IV. m. 2. d. VIII. 196.

Cœlestinus quintus, ante dictus Petrus de Marona, Ordinis S. Benedicti, constituit, ut Papa posset renunciare papatui. Hic tantæ simplicitatis & bonitatis fuit quod non equum, sed asinum equitabat. Et papatui cessit, cum videret, quod non posset in papatu vivere ut monachus, & claustri silentia observare. Alibi sic legitur: Cælestinus Papa, qui propter vitæ sanctitatem, & miraculorum famam, electus fuerat de eremo & vita monastica in Papam, per machinationem Benedicti, tunc Cardinalis, de sede, ut dicebatur delusus, (f. detrusus) in custodia tamen honesta servatur: & Benedictus prædictus mutato nomine Bonifacius, ei successit.

Bonifacius IIX. sedit annis IIX. mens. IX. dies XVIII. 197.

Bonifacius octavus, natione Campanus, ante dictus Benedictus, Presbyter Cardinalis, fecit sextum librum Decretalium, & litem, quæ inter clerum quasi totius mundi ex una parte, & Fratres Prædicatores & Minores ex altera, diu duraverat, decidit per unam Constitutionem, quæ incipit super Cathedram. Quam etiam constitutionem, cum in quibusdam suis articulis videretur fratribus dubia, ad preces Conradi Saltzburgensis Archiepiscopi, & suorum suffraganeorum, per constitutionem aliam, quæ Cupientes incipit, declaravit. Hic Bonifacius post legitimam citationem, in Regem Franciæ excommunicationis sententiam promulgavit. Propter quod idem Rex corruptis Ananiensibus, ubi tunc Papa manebat, muneribus, per quosdam suos fautores, ipsum Papam armata manu invasit. Sed Ananiensibus de maleficio pœnitentibus, eodem die Papa restitutus est pristinæ libertati. Qui statim reversus ad curiam Romanam, consternatus animo, mortuus est ibidem, & sepultus apud S. Petrum. His temporibus Flandrenses, jugum regis Franciæ ferre nolentes, licet ipse rex dominum eorum in captivitate haberet, omnes Barones, quos idem rex, ad conservandas munitiones Flandriæ locaverat, occiderunt. Propter quod idem rex Franciæ exercitum infinitum ad delendum eos funditus destinavit. Quibus Flandrenses resistentes viriliter, occisis multis militibus, semel & iterum ac tertio sunt victoria potiti. Nec tacendum, quod rex ipse, qui in tertio conflictu affuit, personaliter vix evasit. Item Dux Ruedolfus Austriæ matrem propriam de suspecta familiaritate cujusdam militis, dicti Otlinger, ni mis notabiliter infamavit. MCCXCX. terræ motus magnus factus est, in octava S. Augustini circa mediam diem: specialiter autem in Episcopatu Turonensi turres & castra, ut dicitur, evertebat. Item, quidam novitius, jurans, se de cætero non comessurum, post XVII. dies, quibus non comedit, obiit. His quoque temporibus rustici & vulgares populi, audientes sacramentum corporis Dominici per Judæos, fidei inimicos, circa partes Franconiæ, sive Franciæ Orientalis in suis latibulis prophanari, uno animo & eadem inspiratione moti, per se, nullo angariante, aut compellente, undique conveniunt; & primo in parvis opidis, deinde in Herbipoli, Nurmberg, Rotenburkch, &c. usque ad Amberg, civitatem Bavariæ ipsos Judæos in castris & ædificiis munitissimis cæde & incendio coëgerunt interire. Rex autem Albertus recepta corona, necem Judæorum fortiter vindicavit in pauperes rusticos atque cives, humiliando eos, & res eorum diripiendo, & Judæos alios recollocans in civitatibus, de quibus exterminati fuerant priores. Anno Domini MCCXCVI. Conradus Comes de Luttpurkch, Præpositus Ratisponensis Ecclesiæ, præficitur Episcopus. Hic castrum Luttpurkch dedit Ecclesiæ Ratisponensi. Hic sepultus est in Ecclesia Cathedrali coram altari S. Andreæ Apostoli, hoc habens epitaphium:

Hæc servat fossa Conradi Præsulis ossa,
De Luttpurkch natus, *sit tibi, Christe, datus.*

Alber-

Albertus Dux Austriæ, primogenitus Rudolfi, regnavit annis 10. XCIX.

Anno Domini M CC XCIX. Albertus Dux Austriæ, primogenitus Ruedolfi, quondam Romanorum regis, regnare cœpit, regnavitque annis X. Hunc Bonifacius Papa coronare noluit, eo quod monoculus esset. Postea tamen suborta gravi discordia inter Philippum regem Franciæ & Bonifacium Papam, causa captionis suæ per illos de Columna, ipso Philippo favente: idem Bonifacius pro detrimento regis Albertum Ducem Austriæ in regem Romanorum confirmat. Hic tamen rex, non Imperator, fuisse legitur. Hic habita congregatione exercitus circa Nurmberg, cum multorum auxilio, contra regem Wentzeslaum Bohemiam est ingressus: ubi cum Kuttam, quam obsidebat, expugnare non posset, parum ibi proficiens, ad propria est reversus. Multi autem eorum nobiles & ignobiles, qui secum ierant, ibi manendo & redeundo, post reditum ad propria, propter infectionem aquarum, ut dicebatur, & corruptionem aëris, quam sustinuerant, defuncti sunt. Post hæc Rex Albertus cum infinita multitudine Bohemiam, ut cogitaverat, iterum intraturus, inopinata morte est præventus. Nam Johannes, filius fratris sui, Ducis Sweviæ & Austriæ, genitus de filia regis Bohemiæ, sorore Wentzeslai, pro eo quod ipsum hæreditate paterna privaverat, & sæpius requisitus, nihil certi super eodem negotio sibi responderat, in die Philippi & Jacobi, cum quibusdam suis fautoribus, juxta civitatem Badem, manu propria interfecit. Hujus temporibus Gebhardus Comes de Hirspurkch, est defunctus sine hæredibus.

Benedictus XI. sedit mensibus VIII. diebus XVI. 198.

Benedictus XI natione Italicus, ante dictus Petrus Hostiensis Episcopus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Statuta contra Mendicantes, a prædecessore suo facta revocavit. Hic regem Franciæ etiam ab excommunicatione absolvit. De illo dicitur, quod uno die XII. Episcopus de ordine Prædicatorum creaverit. Hic mortuus est Perusii, & sepultus ibidem, & vacavit sedes mensibus X. diebus XVIII. Anno Domini M CCC V. Wentzeslaus Rex Bohemiæ, homo miræ devotionis, specialem circa Ordinem Cistertiensium devotionem habens, moritur, & in aula regia, monasterio Cistertiensi, quod ipse fundaverat, sepelitur. Cui successit Wentzeslaus filius suus, qui anno primo regni sui occiditur. Exinde Albertus rex Rudolfum filium suum, Ducem Austriæ, coronatum per Episcopum Maguntinum, regem Bohemiæ fecit: qui etiam post unum annum, in obsidione cujusdam castri, infirmitate correptus, vel ut alii dicebant, intoxicatus, morte moritur immatura. Nec silendum, quod idem Rudolfus melior inter lupos communiter dicebatur.

Clemens V. sedit annis VIII. mensibus X. dies XV. 199.

Clemens quintus, ante Burdigalensis Archiepiscopus, a cœtu Cardinalium electus, traxit curiam Romanam de Roma & Italia: & primo sedit in Lugduno: demum celebravit concilium Vienense, & edidit Clementinas, quas successor suus Johannes XXII. bullavit. Iste primus venit ad Avenionem, & sedit ibi. Hic Templarios destruxit, cum adjutorio regis Franciæ, & sua voluntate: & multa alia fecit. Post cujus obitum sedes vacavit annis duobus, mensibus III. dies XV. His quoque temporibus Otto Dux Bavariæ, a Baronibus Ungariæ per solemnes nuntios vocatus in civitate quadam juxta Budam in regem solemniter est coronatus. Sed resistente sibi rege Romanorum Alberto, & rege Siciliæ, filio sororis ejusdem Alberti, qui ex magna parte regnum occupaverat, qui etiam a Papa ipsum regnum receperat: non sine multis periculis, infecto negotio ad propria est reversus.

Henricus VI. vel V. Comes de Lutzelburk, regnavit annis V. C.

Anno Domini MCCCIX. Hainricus Comes de Lutzelburkch electione Principum regnare cœpit, regnavitque annis V. Hic Henricus hujus nominis Sextus inter Imperatores & septimus inter reges, an. Dom. M CCC XIII. in festo Apostolorum Petri & Pauli Romæ per quosdam Cardinales benedicitur, & ad dignitatem Imperii sublimatur. Notandum autem, quod sedes Imperialis dignitatis a tempore Friderici Secundi, qui mortuus fuit anno Domini MCCL. & hanc diem vacaverat, annis scilicet LXII. Hic Hanricus vir magnanimus, probus, sapiens, catholicus. & in omnibus gloriosus, post Assumtionem B. Virginis, quo die communicaverat, secundum quod in omnibus solemnitatibus, contra morem aliorum Principum, facere consveverat, viam est universæ carnis ingressus. Legitur quod a malo homine, imo & pessimo, pessime quoque venenum habuerat. Ex cujus morte, qualis luctus suorum juxta eum existentium, qualis dolor in cordibus omnium per totam Alemaniam, suam mortem audientium, generatus sit, difficile est, sicut legitur, aliquem posse sermonibus explicare. Denique ille gloriosus Princeps Maguntinensis, sicut legitur, fertur dixisse: In quingentis annis non credo hominem vixisse, cujus mors majus damnum intulerit toti mundo. Anno Domini M CCC XII. obiit dominus Otto, rex Ungariæ, & Dux Bavariæ inferioris, relinquens filium fere XIII. dierum, dictum Heinricum, qui postea a castro, in quo nutritus fuerat, vocabatur princeps de Naternberkh. Dum autem prædictus Otto, rex Hungariæ, & Dux Bavariæ, consideraret, se in proximo moriturum, commisit filium prædictum Henricum, & fratris sui Stephani defuncti pueros, Hainricum & Ottonem, quorum primus erat circiter

circiter octo annos, secundus circiter quatuor vel quinque civibus seu civitatibus Lantzhuet, & Stravbing, contestans eos juramento publico & fideli, ut prædictos pueros, & principatum rerum nulli alii committerent, quam patruo suo Ludwico, tunc principe in Superiori Bavaria, & post Romanorum Imperatore. Quod & fecerunt, non tamen sine maxima discordia & disturbio principatus. Nam fere omnes ministeriales, & milites eastellati, nitebantur prædictos pueros, una cum principatu, ducibus Austriæ commendare. Hac igitur de causa per totum principatum non potuit pacificus angulus reperiri; donec anno Domini MCCCXIII. in die S. Theodori, publico & forti bello, juxta villam Gamelstorff commisso, discordia est complanata, ubi pluribus occisis, Dux Ludwicus nobiliores omnes captivavit, & suo dominio subjugavit.

Anno Domini MCCCXIII. Dominus Nicolaus, Regis Bohemiæ Cancellarius, Ecclesiæ Ratisponensi præficitur Episcopus. Hic maxima debita, quæ antecessor suus contraxerat, integraliter persolvit, & omnia castra & munitiones, quæ idem antecessor suus potentibus personis obligaverat; redemit, & quamdiu vixit, in sua habuit potestate. Quæ & moriens, plena dereliquit quasi eructantia ex hoc in illud. Hic inter Regni & Sedis dissensionem sic sibi & suo Clero seu Episcopo providit, quod a processionibus & a sententiis contra Imperatorem Ludwicum fulminatis seu fulminandis, ex speciali Papæ gratia supportatus, indignationem Cæsaris non incurrerit. Hic duobus Eremitis, scilicet Gotfrido & Alberto, ob humilem eorum devotionem necnon intercessionem dilecti ac fidelis sibi Raymero de Prennberg concessit, ut in nemore quodam apud castrum Prennberg in pede montis Schophloch cellam duorum vel trium & aliorum possint construere, & oratorium ædificare. Hic est locus ille, in quo nunc est Abbatia Ordinis S. Benedicti, *unser Frauen Cel* vulgo nuncupatus. Hic cum quædam gravamina Monasterio S. Emmerani Ratisponæ inferret, Paldwinus Abbas dicti Monasterii ad Sedem Apostolicam, quæ tunc Avinione erat, appellavit, ubi fideliter prosequens causam & principaliter libertatem & exemtionem sui Monasterii, moritur, & sepelitur ibidem. Qui Dominus Papa, videlicet Johannes XXII. fratrem Albertum dicti Domini Paldwini capellanum, qui in tota causa fidelis ei coadjutor extitit, autoritate Apostolica subrogavit, & sententiam tulit, pronuncians dictum Monasterium S. Emmerani esse liberanum, & ab omni jurisdictione Episcopi Ratisponensis penitus exemtum, Episcopo tamen singulis annis XXX. libras Turonensium parvorum tenetur ministrare. Hic fecit fieri magnam campanam, quæ vulgo *unser Frauen Glocken* nuncupatur, cujus superscriptio continet hunc versum:

Sanctos collaudo, tonitrus, & funera claudo.

Quoniam plerumque tabulata fortia unius scintillæ læsione ruere noscuntur, rem gestam hujus Nicolai temporibus, prout fertur, refero. Quidam pistor in civitate Ratisponensi per saltum gradus, qui vulgo Peckenpruck dicitur, culpis suis exigentibus punitus est. Qui dum de palude egrederetur, per insolentiam cujusdam civis in paludem retruditur. Quod dum pistor calamitosus ægre ferret, civis hoc, utpote gloriosior, non curavit. Fit igitur die quadam transeunte quodam Presbytero causa infirmi cujusdam cum corpore Christi, quod idem pistor sequitur eundem Presbyterum, & a casu, dum civis iste ob reverentiam Corporis Christi in vico prope turrim Episcopalis Curiæ geniculare, pistor eum in eodem loco interfecit. Et fugiens in aulam Episcopalem usque ad penetralia ipsius Nicolai Episcopi, violenter a civibus extractus est, & decapitatus. Quod ægerrime ferens Episcopus, egressus civitatem, firmavit, se nunquam vel vivum vel mortuum in Ratisponam venturum, quousque de hujusmodi violentia fractioneque libertatis debita talio redderetur. Sic itaque extra civitatem moritur, & in Superiori Altach sepelitur. Dicitur, quod postea nullus in hujusmodi gradu sive oscillo sit punitus.

Ludwicus quartus regnavit annis XXXII.
Dux Bavariæ CI.
Fridericus Dux Austriæ.

Anno Domini MCCCXV. Ludwicus, filius Ducis Bavariæ, regnare cœpit, regnavitque annis XXXII. Ubi animadvertendum, quod hoc in tempore Electores se in duo diviserunt; una pars elegit Ludwicum de Bavaria, cujus frater erat Ruodolfus, Comes Palatinus Reni, altera pars elegit Fridericum, Ducem de Austria, filium Alberti, quondam regis Romanorum. Horum uterque scripsit se Regem Romanorum. Unde cotidianis præliis se mutuo persequentes in metis exercebant incendia & rapinas, donec anno Domini MCCCXXII. Fridericus Dux Austriæ, habens secum fratrem suum Henricum, cum copioso exercitu venit in Bavariam, volens eam cum potentia pertransire. Cui Dominus Ludwicus cum paucis viriliter occurrit, inter Müldörf & Oetting, & ibidem prope villam Empsing in prato, quod vulgo dicitur die Vechwis, in vigilia S. Michaelis, forti bello commisso Ludwicus de Friderico gloriosissime triumphavit. Nam pluribus Australibus interfectis & occisis, & maxime de Hungaris & paganis, ipse Dominus Fridericus, Dux Austriæ, & frater ejus Heinricus, cum aliis de exercitu suo potentibus & nominatis, circiter mille trecentos, est captivatus, & in castrum Trausennicht deductus. Ubi animadvertendum, quod Dominus Ludwicus habuit quendam Vice-Dominum Vitztumb, Weigl vulgo nuncupatum, qui quamvis non esset nobilis genere, ob virtutem tamen animi erectus de stercore, in actu militari nulli secundus est habitus. Fuit namque in rebus bellicis, prout eventuum se qualitas obtulit, vir valde strenuus & famosus. Hic ædificavit castrum, cui nomen Trausennicht imposuit, quod distat a civitate Napurga circiter unum miliare. Huic Vice-Domino Dominus

nus Fridericus captivatus fuit commissus, atque ab ipso Lodwico Romanorum rege primum in Ratisponam deductus, sicut dicitur, in domum cujusdam civis Gumprecht an der Haidt cognominati: quæ domus est sita in myrica, vulgariter an der Haid, est modo dictorum Gräner, eo quod idem Gumpertus ipsi Domino Ludwico, tunc temporis, ut se terramque suam defenderet, magnam pecuniarum summam commodaverat. Deinde Dux Fridericus a dicto Vice-Domino deductus, dum appropinquaret ad Trausennicht, dixit: quod est nomen loci hujus? Respondit Vice-Dominus, Trausennicht. Ad quod Dux: *Es haisset pilleich Trausennicht, wen ich sein nicht entraut hiet, das ich in solcher mas solt her gefüert werden.* Dum igitur aliquandiu in hoc castro esset in captivitate, plurimas insidias hostis antiqui pertulit, qui eum nitebatur a captivitate liberare: agente hoc, ut dicebatur, per incantationes uxore sua. Quare fere cruces in omnibus fenestris præfati castri Trausennicht, prout hodierna die apparent, sunt factæ. Tandem inter ipsos concordia & pace firmata, nobilis Ludowicus Rex Romanorum, sine omni pecuniarum, castrorum, civitatum & terrarum exactione, more liberalis principis, ipsum Fridericum pristinæ reddidit libertati, nihil aliud quam regnum Romanorum ab eo & suis successoribus, Ducibus Austriæ, quotiescunque aliquis Ducum Bavariæ esset in electione, Romanorum regni accipiens in literis abrenunciationem. Legitur, quod in signum & robur tantæ amicitiæ inter eos contractæ, simul sumserunt corporis & sangvinis Domini sacramentum. Ipse autem Fridericus in Austriam reversus, oblitus, sicut legitur, promissionis, quam sub sacri corporis Christi sumtione fecerat, regem Romanum se nominabat, sicut prius, & scribebat. Unde etiam post aliquot annos a pediculis est devoratus.

Johannes XXII. sedit annis XIX. mensibus V. 200.

Schisma vicesimum quartum. Nicolaus.

Johannes XXII. ante dictus Jacobus de Cathurcho, electus canonice, habuit Antipapam quendam fratrem Minorem, nomine Petrum de Corbaria, qui se appellavit Nicolaum quintum, electum in Papam, per Dominum Ludwicum Baverum, qui se Imperatorem vocaverat, & qui Romæ in concilio congregato Papam Johannem deposuerat, tanquam hæreticum, & Majestatis Imperialis invasorem. Sublatum est autem hoc schisma per captivitatem ipsius Antipapæ, & in carcere extincti. Alii dicunt, quod facta reconciliatione inter Papam & Imperatorem, dictus Antipapa sponte Avenionem venit, anno Domini MCCCXXXIII. & ibi coram Papa & Cardinalibus suum recognoscens errorem, in publico consistorio receptus est honorifice & etiam Ecclesiæ reincorporatus. Auctores hujus scismatis fuerunt Ludwicus prædictus, & aliqui valentiores Ordinis fratrum Minorum, propter oppositionem Papæ in materia de paupertate Christi. Hic Johannes Papa Beghardos & Beginas condemnavit, & eorum sectam, & doctrinam. Hic est Johannes, de quo intelliguntur versus subscripti:

Tu Jesus in missa quotiens audisque Maria,
Et flectis genua, dat Johannes sibi Papa
Hanc veniam scelerum, viginti nempe dierum,
Hoc quoque confirmat Benedictus & totidem dat.

Quod intelligitur de Benedicto XII. Hic de fratrum suorum consilio, auctoritate Apostolica statuit & ordinavit, ut fratres Ordinis Heremitarum S. Augustini, juxta Ecclesiam S. Petri in cœlo aureo Papiensi, ubi corpus B. Augustini esse dicitur, & veraciter scitur solemniter esse tumulatum, cui præest Abbas & conventus Canonicorum regularium, debeant insimul perpetuis futuris temporibus habitare: hoc inter cetera observato, ut idem Abbas, quia antiquior in loco, & dignitate major existit, in omnibus solemnibus ejusdem Monasterii præferatur. Item versus de Ordine Heremitarum B. Augustini:

Alma Petri sedes caput ordinis efficiens est.
Hoc in concilio tertius Innocentius
acceptat fratres ipsosque registrat,
Inde cathedratus sub eodem nomine quartus,
Approbat, his formam dans officii quoque normam.

Postea Ludwicus solus regens, quasi toti Almaniæ dominatur. Parum post Ludwicus pro tanta victoria cum magno exercitu Italiam intrat, & in primo impetu Pysas obsedit & vicit. Deinde Romam veniens a populo Romano & magnatibus honorifice est susceptus, & ad Imperatoriæ dignitatis nomen obtinendum, nemine, nisi solo Johanne Papa XXII. qui tenebat sedem Avenione, resistente. Unde Romanorum inductus, vel potius seductus, consilio, gloriam, quam gloriose acquisiverat, maculavit. Quendam enim Papam, vel potius Antipapam, in Romana Ecclesia sublimavit, appellans eum Nicolaum quintum, prout post in pagina Pontificum, a quo etiam in Ecclesia Sancti Petri imperialem benedictionem accepit. Quapropter Ludwicus iste in curia Romana in Imperatorum numero non ponitur, quoniam a vero Pontifice Imperialem benedictionem non habuit. Appellatur autem Magnus Baverus. Causa autem discordiæ inter Johannem Papam & Ludwicum Imperatorem sic legitur accidisse. Domino Ludwico in regem Romanorum confirmato, nihil de omnibus, quæ ad virum sapientem & regni gubernatorem pertinebant, sibi defuit, nisi quod lingvam Latinam minime intellexit. Ex quo inter alia, quæ ei evenerunt, indignationem Domini Papæ Johannis XXII. incurrit quæ sumsit initium tali modo. Habuit enim quendam Cancellarium, qui vocabatur Magister Ulricus Haugenor, de Augusta, cui suum sigillum, & omnia scribenda & expedienda commendavit. Hic de quodam crimine enormi & infami apud regem est accusatus a quibusdam præpotentibus, quibus ipse Rex justitiæ

ſtitiæ complementum non potuit commode denegare. Quapropter partibus ſe Rex interpoſuit, & per quendam placita ad hæc perduxit, quod prædictus Magiſter Ulricus deberet ſe, cum quinquaginta prælatis, expurgare de objectis. Quod cum factum in Nürmberg fuiſſet, ipſe Magiſter Ulricus officio eſt Cancellariæ & dignitati priſtinæ reſtitutus. Eodem tempore Dominus Ludwicus Rex Romanorum feſtinabat, pro gratia ſedis Apoſtolicæ impetranda, ſolemnes ad curiam mittere nuntios, una cum literis, voluntariam obedientiam & omnem ſubjectionem continentibus, ex quo prædictus Cancellarius occaſione malignandi inventa, ut ſupra ſcriptam ſuam infamiam facile vindicaret, literas Apoſtolico dirigendas vitiavit, falſa pro veris ſcribendo Dominum Papam beſtiam a mari aſcendentem vocitando, & plura ſimilia ad ſimilitudinem illius, ſicut legitur, qui quondam Petrus de Vineis vocabatur, ponendo. Quapropter Dominus Apoſtolicus permotus, vel potius deceptus, contra ipſum regem ſententias excommunicationis promulgavit, & contra eum reges & principes inſtigavit. Tantarum autem diſcordiarum ſeminator tam occulte & doloſe, & tam diu, ſemen ſuarum malitiarum inter mundi capita ſeminavit, quouſque rege de Roma, ubi nomen Imperatoriæ dignitatis obtinuerat, reverſo, malitiam ſuam Dei gratia ordinante, in mortis articulo Imperatori perſonaliter eſt confeſſus: & quod hoc fecerit & procuraverit in vindictam pro eo, quod criminatores ſuos, de quibus ſupra ſcriptum, & non ſtatim occidit, ſed eos ad judicium venire permiſit, in ſuæ confuſionis augmentum. Quantum autem Imperator gemuerit, fleverit ac doluerit ſuper iis, ſcribere nemo poteſt. Veruntamen cognito a medicis, quod in tribus vel quinque diebus eſſet ſine dubio moriturus, dixit: quamvis ipſe nequam omni eſſet genere tormentorum puniendus, ejus tamen, qui eum percuſſit, judicio vel miſericordiæ eum voluimus committere judicandum. Hic Ludwicus anno Domini MCCCXXVII. Romæ accepta Imperiali benedictione, dum poſt ſplendidos ac magnos ſumtus fiſcus Imperialis deficeret, ſuis etiam magnatibus ratione ſumtuum in obſides datis, quadam die nimium anxiaretur, & ſolus exiſtens tractaret, quomodo ad terram propriam, ſcilicet Bavariam, poſſet reverti: quidam canus Monachus aſtitit dicens: Ludwice, ſi aſſentire velles conſilio meo, ego tibi darem conſilium, mediante quo finem curis tuis imponeres. Qui reſpondit, dicens: Quod ejus conſilio libenter acquieſceret dum modo Deum per hoc graviter non offenderet. Ad quod Monachus: per hoc Deus & mater ejus Maria honoratur. Et Imperator, quomodo? Reſpondit Monachus, habes in terra tua locum, dictum Amphering, in quo ad honorem Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ Monaſterium ædificabis. Ad quod Imperator: locum hunc ignoro, & nunquam nomen audivi. Ad quod Monachus: ſi hoc facere volueris, cum ad terram tuam reverſus fueris, locus iſte tibi oſtendetur. Tunc nomine loci ab Imp. notato, Monachus dixit Imperatori: Quidam Dominus Italicus ad te veniet, petens a te libertatem ſui, & ſuæ terræ: qui tibi tantum dabit de pecunia, quantum poſtulabis; qua habita, domum poteris reverti. Hoc audito, Imperator ſerioſe promittit, monaſterium hoc ſe eſſe fundaturum. Tunc monachus Imperatori dedit imaginem Virginis Mariæ, factam de alabaſtro, & continuo diſparuit, & nunquam ulterius potuit reperiri. Accidit (autem,) ut quidam dominus, ſicut monachus dixerat, veniret, & libertatem poſtularet: qui tantam ſummam pecuniarum, quantam Imperator poſtulaverat, dedit & ſuper hoc Imperatrici L. millia florenorum propinavit, & ad Cancellariam duo millia florenorum. Hanc hiſtoriam ſic ſcriptam, de vulgari in Latinum tranſtuli, de qua etiam a quibusdam fide dignis, ad quorum notitiam ex antiquorum relatione hoc, quod ſequitur, devenit, audivi. Qui prædictus monachus ſive Beghardus in eccleſia S. Petri Imperatore ſolo exiſtente, apparuit, modo prædicto, & Imp. ſecundum conſilium magnatum ſuorum, poſtulavit centum millia florenorum, quæ dominus, de quo ſuperius fit mentio, voluntarie dedit. Et inde ſit ortum proverbium quod dicitur: Quod centum millia florenorum maxima ſit ſumma, quam ſciat Bavarus ſive Alemannus poſtulare, Hæc ſicut ab illis audivi. Igitur Imperatore ad terram ſuam reverſo, locus Amphering in quadam denſa ſilva, in qua a viſpilionibus plurima homicidia fiebant, a venatore monſtratur, & monaſterium ibidem, prout Imperator voverat, fundatur, & Etal nomen imponitur, poniturque lapis primus ab Imperatore, anno Domini MCCCXXX. in die Vitalis Martyris. Fit itaque ibidem Abbatia Ordinis S. Benedicti, cum XXII. perſonis, & primus Abbas accipitur de Reichenbach, nomine Fridericus Heinreichreüter: inſtituitur etiam ibidem manſio XII. militibus, & uxoribus eorundem, & VI. viduis, quibus dabatur præbenda, ſicut & monachis. Et duravit hoc Imperatore vivente. Quo defuncto, filii ſui bona, quæ dederat Imperator, ſibi uſurpaverunt; propter quod milites ibidem eſſe deſierunt, & monaſterium multum eſt attenuatum. Hic Ludwicus litem habuit cum civitate Ratiſpona; quam cum per multos annos expugnare non poſſet, tandem cum ſcitu & juvamine quorundam civium & potentium, utpote Conſulum, in domo Ducum Bavariæ, apud S. Egidium fecit foramen ſub terra, ipſe laborando ab extra, civibus juvantibus ab intra; intendens per hoc foramen civitatem intrare, & eam obtinere. Sed fruſtra. Nam ea die, qua per foramen ſemper duo & duo debebant intraſſe civitatem, foramen fuit inventum. In cujus rei ſignum in eo loco, in quo foramen fuit factum, lapis impoſitus eſt muro, continens inſcriptionem quæ ſequitur. Anno Domini 1337. *des eritags vor ſand Urbans tag, ward das Loch funden, und zwen darinn gefangen, die das Loch grueben, und wurden des nechſten Eritags darnach an die Zinnen gehangen.* Hic Ludwici antequam

tequam regnaret, cum fratre suo Ruedolfo fundavit monasterium Augustinensium in Monaco. Hic etiam Ludwicus fundavit claustrum in Windespach, locavitque ibidem fratres de ordine S. Wilhelmi, prope castrum Fürstenberg. Hic etiam Ludwicus Imperator, & pater suus Ludwicus Dux Bavariæ, dicuntur esse fundatores Monasterii Sanctimonialium in Pettendorf, Ordinis Fratrum Prædicatorum. Hujus regni anno primo, scilicet MCCCXV. facta est fames magna, ita ut staffa (al. cassa) siliginis solveret quinque libras, & LX. denarios monetæ Ratisponensis. Versus:

Ut lateat nullum tempus famis, ecce cucullum.

Anno Domini MCCCXX. Dominus Fridericus Dux Austriæ, regem Romanorum se scribens, intravit per civitatem Muldorff Bavariam cum magno exercitu atque forti. Cui Ludwicus, Dux Bavariæ, etiam Romanorum regem se scribens, occurrit ibidem, videlicet juxta Muldorff, & contra eum castra metatus est, tanquam viriliter pugnaturus. Baronibus autem potioribus pecunia, ut dicitur, corruptis, Bavari mirabiliter sunt decepti, & in fugam conversi, nullo penitus persequente. Quod cum Duces Austriæ cognovissent, ultra progredientes cum suo exercitu, omnes villas & habitationes pauperum usque Ratisponam, vastaverunt incendiis & rapinis; sed nullum potuerunt castrum, quamvis modicum, obtinere. Cum autem prope Ratisponam venissent, petierunt a civibus, ut sibi ad partes Rheni tendentibus, darent copiam per civitatem eorum cum exercitu transeundi. Quod cum eis quodam præpotente, dicto Gumperto, contra multorum voluntatem procurante, fuisset derogatum, omnibus itineri suo adjacentibus devastatis, ad Austriam sine omni infestatione reversi, Ratisponensibus multa damna & pericula intulerunt, Vestiaria eorum, quæ Wiennæ habebant, miserabiliter spoliando. MCCCXXXI. facta est magna dissensio inter Principes Inferioris Bavariæ, videlicet Heinricum seniorem, qui habebat filiam Johannis, regis Boëmiæ, ex parte una, & inter Ottonem fratrem ejus & Heinricum juniorem patruum eorum, ex parte altera. Imperator igitur, cujus auxilium juniores Principes invocaverant, & Johannes rex Bohemiæ, socer senioris Heinrici Principis, venerunt cum multis Principibus & Comitibus Ratisponam, ut prædictos Principes ad concordiam reducerent atque pacem. Sed cum multis viis attentatis nihil viderent se proficere, duritia Principum obsistente: tandem beneplacitum fuit illis, ut principatus inter eos divideretur: quod & factum est. In eadem autem divisione cessit Hainrico seniori Lantzhuet, Straubing, Scherding, Pfarrkirchen, & plurima iis adjacentia. Fratri autem Ottoni cessit Purckchhausen, Otting, Trawnstein, Hall, & plurima adjacentia, usque in Saltzburckh, & ad montana. Porro Henrico juniori, patruo prædictorum, cessit Dingolfing, Landaw, Vilshoven, Dekendorff, Kam, Pogen, Kelhaim, & plura adjacentia. Facta est autem hæc terræ divisio, anno præscripto, circa festum S. Bartholomæi Apostoli. MCCCXXXI. in die Cinerum cœpit Henricus senior, Dux Bavariæ, fratrem suum Ottonem, & patruum Henricum impugnare, cotidianis præliis, incendiis & rapinis. Qui se defendendo, seu vindicando, totam ex utraque parte terram, a die Cinerum, usque ad festum Johannis Baptistæ, nulla interim inter eos pace habita, miserabiliter devastaverunt. Juniores igitur videntes, se non posse resistere seniori, Imperatoris Ludwici auxilium tam fortiter implorabant, quod cum forti exercitu Strauburgam civitatem senioris Henrici potenter circumdedit & obsedit, feria secunda post festum S. Uldarici, & mansit ibidem in obsidione, usque ad feriam V. ante festum S. Bartholomæi. Et quamvis civitati nullam vim inferre potuerit, mansisset tamen diutius, & severius laborasset, si rex Bohemiæ Johannes non venisset, & tam Imperatorem cum Principe Hainrico, quam Principes inter se concordasset amicabiliter & sapienter. MCCCXXXV. Dominus Ludwicus Imperator, constituit Henricum Ducem Bavariæ Inferioris, procuratorem regni per Alemaniam, & super hoc suas patentes literas sibi dedit. Mox igitur idem Henricus, vir potens & dives, ad partes Rheni se transtulit, ubi pro ostensione gloriæ suæ, multa pecunia expensa civitatem Atwensen, & quasdam alias, cœpit attentare, non per se, sed per interpositam personam, regem videlicet Bohemiæ, ut eum literas Imperatoris habentem susciperent, & ei tanquam domino fidelitatis facerent juramentum. Mox igitur civitates in termino, quem ad respondendum acceperant, ad Imperatorem miserunt, suum super tali responso consilium requirentes. Qui expavescens, non solum prohibuit, sed etiam literas ad omnes civitates regni festine direxit, quibus literas de procuratione regni Henrico Principi datas seriosius revocavit. Et sic Princeps, qui pro magna gloria acquirenda exierat, minus gloriose ad propria est reversus. Mox igitur, ut in terram suam est reversus, cœpit Imperatorem cotidianis rapinis & incendiis infestare. Anno Domini MCCCXXXVI. Johannes rex Bohemiæ veniens Avionam, conquestus est Domino Papæ, Johanni XXII. quod Imperator Ludwicus magnam Henrico genero suo, quem semper filium nominavit, fecerit injuriam in eo, quod literas de procuratione regni sibi datas, tam subito & sine debita causa in eorum confusionem revocaverit & annullaverit. Super quo diversis consiliis hinc inde habitis, multisque a Papa promotionibus promissis, promisit, se velle Imperatorem in anni spatio ipsi Apostolico aut vivum aut mortuum assignare. Quo Imperator comperto, intravit Inferiorem Bavariam cum gloriosa militia, & in campestribus civitatis Landaw, sitam quasi in medio ejusdem terræ, castra metatus est juxta fluvium Isaram, cujus profunditatem si transire potuisset, reversus Bohemiam, libenter

ter & secure festinasset. Cum autem ibidem per aliquot dies graviter, pro victualium penuria, adversarios exspectaret, venerunt rex Bohemiæ, & Dux Henricus cum exercitu (ad) fluvium Isaram, ex opposito exercitus Imperatoris. Imperator autem, cum ad eos hostes transire non posset, & ipsi per octo dies ab eo ad pugnandum exspectati non transirent, vel transire formidarent, penuria victualium coactus, a loco recessit, & secundum ripas fluviorum Isaræ & Danubii Pataviam descendit: ubi hominibus & jumentis refocillatis, curribusque eorum victualibus onustatis, omnia inter fluvios Eni & Isaræ, præter civitates, devastantes, ad propria redierunt, nemine eos molestante. Rex autem Bohemiæ, & Dux Henricus in eodem loco ubi Imperator & ipsi castra metati fuerant, ad triduum permanserunt, (&) quasi Imperatore fugato, triumpharunt gloriose. Unde & ipse Rex Bohemiæ, volens se de promissis Papæ, ut supra scriptum est, excusare, scripsit Apostolico sub sigillis quorundam Principum Slavorum, & aliquorum in Bavaria Prælatorum, quod sibi Imperatorem, si quantocius non fugisset, aut vivum aut mortuum obtulisset. Eodem tempore quidam fratres de Ordine Minorum, videlicet Franciscus, Wilhelmus Okka, a quo quidam Dialectici vocantur Okkanistæ, viri literati, gratiam Apostolici non habentes, venerunt ad Imperatorem Ludwicum in Monacum, & ei appellationem contra Papam formaverunt, qua ipse Imperator in Franckenfurt appellavit contra sententias Papæ in se latas. Verum quia multi hujusmodi appellationi derogabant, ipsi quendam tractatum fecerunt, in quo probare nitebantur, quod potestates, scilicet Pontificalis & Imperialis, sint immediate a Deo, & distinctæ: quia una, scilicet Pontificialis, est in spiritualibus, alia, scilicet Imperialis, est in temporalibus, & quod Imperium non habetur a Papa, & quod electus in Imperatorem ex sola electione est verus Rex Romanorum, & quod Papa non habet valentem jurisdictionem & plenitudinem potestatis in temporalibus, & plura similia. In quibus sicut Minores defendere, sic Prædicatores offendere Imperatorem nitebantur. Ipsi enim Prædicatores sententias interdicti, & excommunicationis in Imperatorem, & contra Imperatorem, a Domino Johanne Papa XXII. dudum, & ante plures annos, factas, tunc primum in Ratispona & in Lantzhuet, cum princeps Henricus cum Imperatore discordabat, in se receperunt, divina non nisi clausis janius celebrantes. Mortuo autem Henrico Principe, & filio ejus Johanne, cum principatus in manus Ludwici venisset, cum quodam satrapa, dicto de Degk, clam composuerunt, ut violentiam minitando, occasionem & excusationem eis pararet divina publice celebrandi. Quod & factum. Cum enim Imperator in Lantzhuet esset, tunc quadam die dictus dux de Degk venit cum accensis faculis in Monasterium ipsorum Prædicatorum, clamitans, sicut legitur, quasi iratus & nimium furibundus, ut sine mora publice divina cantarent, aut suæ ecclesiæ, ac omnium rerum suarum in instanti incendium paterentur. Qui mox, sicut legitur, occasione excusatoria inventa, absolutione papali non exspectata, divina publice celebrare cœperunt. Prædicatores etiam in Ratispona, cum circiter XX. annos divina clausis januis celebrassent, tandem cum Dominus Papa nullam ipsis gratiam faceret, dixerunt, quendam Episcopum, sicut legitur, cum eis dispensasse, & sic cœperunt publice divina celebrare. Originalis autem causa controversiæ inter Prædicatores & Minores, sicut audivi a quodam viro famoso, qui se sic retulit legisset, *sic se habet.* Quidam vir magnus Ordinis Prædicatorum, inquisitor fuit hæreticorum, qui quendam ob hæresin conveniebat, quem quidam fratrum Minorum defendere, tanquam Catholicum nitebatur, & principaliter in materia de paupertate Christi. Quæ res ad Apostolicam sedem devoluta, quæ tunc in Avione erat, ita ventilando invaluit, ut sedes Apostolica, sicut in parte superius tactum est, etiam manifeste contra quosdam fratres Ordinis Minorum procederet. Nam quidam ex fratribus Minoribus in hoc non assentiebantur. Sicque factum est, ut Ludwico Bavero existenti in indignatione sedis Apostolicæ, fratres Minores sibi jungerentur, facientes Anti-Papam Petrum de Corbaria, Ordinis fratrum Minorum, appellantesque eum Nicolaum quintum; prout *præmissum* est.

Benedictus XII. sedit annis quinque. 101.

Benedictus XII. ante dictus Jacobus Cardinalis, Ordinis Cisterciensis, sedit Avionæ. Hic fuit vir magnæ bonitatis & justitiæ, & bene rexit Papatum. Diversis namque Ordinibus sancivit regulas & constitutiones. Anno Domini MCCCXXXVII. inventum est corpus dominicum in Tetlendorff, quod martyrisaverunt ibidem Judæi, qui propter hoc cremati sunt. Anno Domini MCCCXXXVIII. orta est suspicio & maxima fama, vel potius infamia, de Judæis, quod in Synagogis suis peramandam & salutarem hostiam corporis Christi irriserint, & inter alia ludibria spinis acutis, usque ad effusionem sanguinis, transfixerint. Propter quod circa festum S. Michaelis in omnibus civitatibus, præter Ratisponam & Wyennam, per totam Bavariam & Austriam, a populo paupere miserabiliter & crudeliter sunt occisi. Quod autem hæc vindicta a Deo processit, patet: quia Principes & omnes eorum officiales pro eorum defensione seriose laborabant, nec tamen eos defendere poterant. Quidam enim Princeps, qui pro eis personaliter cum suis militibus stetit, cum ad trucidandum ventum esset, cum eis fere fuisset trucidatus, si quantocius non fugisset. Unde & in se reversus, dixit: Nunc scio vere, quia vindicta hæc a Deo est, cujus voluntati resistere nemo potest. Versus:

Annis millenis terdenis & octo trecentis,
Judaicus populus tunc temporis est trucidatus.

Item

Item alii versus:

Anno milleno, tria C. quater X. quoque nono,

Sunt interfecti Judæi die Benedicti.

Hos duos postremos versus æstimo intelligi de Judæis, postea Ratisponæ crematis. Anno eodem, scilicet MCCCXXXVIII. circa festum Sanctæ Afræ, martyris, innumerabiles locustæ ab Oriente venientes in Bavaria apparuerunt, senas habentes alas, sex pedes, duos dentes lapidibus duriores. (Dicunt vulgares, qui has locustas viderunt hürnan snabel) ut castrorum acies turmatim volantes, spatium diurni itineris tribus aut quatuor miliaribus extendentes, omnia viridaria in herbis & arboribus devastantes. Quo autem pervenerint, certum non est, licet quidam dicunt, eas in mari submersas. Postea post duos annos Cassiodoli, id est pisces, qui vulgo Kerphen nominantur, ab Ungaria in Danubio venerunt, ita quod ubique in terra secus Danubium tot pro denario venderentur, quod populus eos quasi immundos comedere abnueret. Anno Domini MCCCXLI. Fridericus Præpositus Ecclesiæ Ratisponensis, natione Burggravius de Nürenberg, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic Episcopatum multum destruxit, & Capitulum flebiliter attenuavit: Post cujus obitum Episcopatus vacavit per triennium. Eodem anno MCCCXLI. prima die mensis Martii, ingressus est Saturnus primum punctum Capricorni: & tunc initiabatur illa pestilentia magna, quam totus expertus est mundus. Sed prius quam veniret ad partes nostras, hoc est in Bavariam, regnavit primo in partibus transmarinis; deinde Gallicanis fere per octo annos. Hæc ubicunque sævitura erat, ibi primo in pueros, deinde in fortiores sæviebat. Quam magna autem seu sæva fuerit in popularibus aut villis, si scribatur, incredibile censeatur. Invasit autem homines & in lectos prostravit, aliquando per minimum calorem, aliquando per frigus, aliquando per capitis dolorem: interque glandes erumpebant in corporibus eorum, & crescebant aliquibus sub ascellis, aliquibus in inguine, aliquibus in coxis: quorum tamen multi evanescentes, ac saniem emittentes mortem hominibus non intulerunt. Inter hæc autem amara, dulcis & rectus Dominus fidelibus suis dulcem suam consolationem multotiens demonstravit in eo maxime, quod animæ multorum puerorum, qui tunc moriebantur, in hora exitus sui, dulcissime de Deo loquentes, vel cantantes jubilabant, quasi gaudia cœlestis patriæ prægustarent. Adultorum quoque multitudo, quanto mortem sibi certius adesse & vicinius cognoscebat, tanto exitum suum devotione & sacramentis fidelius munire studebat: propter quod non dubium est, eos sic munitos cœli gaudia introisse. Fuit iisdem temporibus puella quædam circiter annos XII. facie pulchra, moribus curialis, hac peste glandina prostrata, in lectum, quæ dum ad extrema venisset, pulchra ejus facies cœpit pulchrior apparere. Jacebat enim & quasi jubilans vel admirans in cœlum respiciebat. Cui pater ait: O filia quomodo vales? Cui illa, bene. Et pater, ut quid tam fortiter sursum respicis? Cui ista, non videtis cœlum apertum, sicut ego video? Illi vero non videntes, interrogaverunt eam, dicentes: quomodo vides cœlum? Quibus ille respondit, dicens: Video cœlum apertum, & innumerabilia lumina a terris ascendere, & in ipsum intrare. Illis autem non videntibus interrogabant eum dicentes: Quid putas sint lumina illa? Respondit, Animæ electorum cœlos ascendentium. Parentibus autem, & pluribus, qui aderant, tacentibus & mirantibus, ait: Ut me verum cognoscatis, dixisse, dico adhuc unum: En ego hac morte moriar, & tu mater tertia die sequeris. Deinde nominavit septem personas, quæ tunc præsentes erant, & hoc audiebant, & unicuique diem suum exitus prophetavit. Obstupescens autem pater ejus dixit: Et quid erit de fratre tuo sacerdote & monacho? respondit: Et ipse morietur in hoc mense. Cui pater; & quid erit de me? respondit: adhuc non morieris. Et cum hoc dixisset, paululum intra se jubilans & orans, mortua est, & quæ locuta erat, omnia sunt impleta. Subdit ibi hic, qui ea quæ ego hic transsumtive posui, originaliter scripsit: His autem similia audivi multa, in aliis provinciis contigisse, quæ præ multitudine scribi non possunt. MCCCXLIV, Abbas & Conventus S. Petri, monasterii in Superiore Altach, Ordinis S. Benedicti, Ratisponensis diœcesis, incœperunt magnum & arduum opus, multis incredibile. Magnus enim ille fluvius, & nominatus Danubius, juxta quem claustrum illorum fundatum est per longa tempora fundo illorum sic appropinquavit, quod ab eo distans ad unius sagittæ spatium, crebra litteris fulcatione minabatur ipsum cœnobium, cum suis silvis, pratis, agris, pascuis, funditus subvertendum. Unde ipsius Danubii fluvium, ab antiquo suo decursu retractum, per novam, quam in magna a loco suo distantia foderant, vallem a suo cœnobio abduxerunt, continuantes hujusmodi laborem plus quam per decem annos, expensisque plus quam mille libris denariorum Ratisponensium: Propter quod multi reditus a dicto Monasterio sunt alienati. His temporibus orta est guerra & dissensio, quæ jam ante fuerat multis de causis, inter Philippum regem Franciæ & Adoardum regem Angliæ. Nam domus Franciæ ab antiquo violenter tenebat in Vasconia supra mare de regno Angliæ multas inclytas civitates. Aliqui autem, sicut legitur, dicunt, quod pro matre regis Angliæ magis, quam Philippo regi, corona Franciæ succedebat: unde ex istis causis, cum alter jura alterius occupat, quod est abominabile & injustum apud omnes, quod etiam frater, si potest, a fratre non patitur, ob hoc guerræ & inimicitiæ pestiferæ nascuntur: & multis præliis comprobatis, tandem anno Domini MCCCXLIV. temporibus Clementis Papæ VI. ipse Philippus rex Franciæ, & Addoardus rex Angliæ, campestri bello conveniunt. In hoc bello Ludwicus Imperator regem Angliæ auxiliis confovebat: Johannes vero rex Bohe-

Bohemiæ ex adverso personaliter, quamvis cæcus esset, regem Franciæ auxiliabatur. Cernentes igitur milites custodiæ regis Johannis, exercitum regis Franciæ bellum contra Angelicas sustinere non posse, ipsum regem Johannem, viriliter pugnantem, cum cautela a bello deducunt. Qui sentiens se in rumore belli non esse, dixit militibus; Ubi sumus, quod clangorem armorum cum percussione non sentimus? Qui dixerunt: Domine, bellum pro nostris jam quasi penitus est amissum. Volumus vos de manu inimicorum eripere. Tunc rex Johannes furiose in talia verba prorupit: In mea juventute nunquam inimicorum facies evitavi; modo quia sum senex & orbus, nolo meum virile nomen in mea senectute delere. Melius est cum virilitatis honore mori, quam cum opprobrio & vilitate in vita marcescere. Obsecro itaque vos, ut ad prælium me conducatis, & ibi cum ense in manu meam faciam sepulturam. Quod & factum est. Nam iterum bellum conteritur, & Dominus Johannes rex, licet fere Francorum recuperasset exercitum, in fine tamen cum suis militibus lethaliter prostratur. Rex autem Angliæ pro tanta victoria cum suo exercitu, usque ad portas versus Parisius militavit, multa damna inferendo. Hic Johannes rex Bohemiæ; filius fuit Henrici Imperatoris, Comitis de Lutzelburkh, & pater Caroli Imperatoris Romanorum. Hic ipse Johannes rex, fuit in comitatu Ludwici, tunc electi regis, & postea Romanorum Imperatoris ipsum auxiliando, dum de Friderico Duce Austriæ bello campestri in Amphing, ut supra dictum est, gloriose triumpharet. MCCCXLVII. in die Gereonis martyris & sociorum ejus, Ludwicus Imperator obiit, sepultus in Ecclesia parrochiali S. Mariæ, quæ est in Monaco. Dicitur quod dum ipse Ludwicus Imperator esset in venatione, quædam Ducissa Austriæ sibi potum in flascone porrexerit, & dum ille ob suspicationem bibere contemneret, illa prior bibit. Quod videns Imperator, & ignorans, quod calliditate quadam geminus potus sibi in eodem flascone offerretur, confidenter bibens, lethale virus suscepit. Et mox corruens de equo, in gremio cujusdam rustici mortuus est. Ipsa vero Ducissa statim ut bibit Imperator, fugiens, evasit. Hic Ludwicus reliquit plures hæredes, & multitudinem terrarum. Senior filius suus vocabatur Ludwicus, Marchio Branburgensis, Dux Bavariæ & Karinthiæ, Comes Tyrolis, Advocatus Aquilegiensis, Brixinensis & Tridentinensis. Hic erat vir strenuus & bellicosus & largus, & transactis aliquibus annis, post obitum patris sui, divisit terras & provincias inter fratres. Item Dominus Stephanus frater ejus, ex parte patris & matris possedit Lantzhuetam, & terram quæ est versus Saltzburg. Item alii fratres ipsius, quorum mater natione fuit de Hollandia; unus illorum Dominus Albertus possedit Straubingam & inferiorem Bavariam: alter vero nomine Wilhelmus, possedit Hollandiam, Selandiam, Henigoviam, cujus gubernator Dominus Albertus extiterat, quia moribundus factus ex intoxicatione quadam fuerat. Item alter frater ipsorum nomine Ludwicus, cognomine Romanus, quia Romæ natus fuit, una cum juvene fratre, dicto Ottone, pro hæreditate receperunt Marchionatum Branburgensem, quem frater senior ipsis resignavit, & sibi superiorem Bavariam, & Carinthiam retinuit sponte pro hæreditate. Ab his principes Bavariæ superioris & inferioris, jam, cum numeratur annus Domini MCCCCXXI. dominantes descenderunt hoc modo. Stephanus qui possedit Lantzhuetam genuit filios tres, scilicet Stephanum, Fridericum & Johannem. Horum ingeniosior (&) sagaci erat Fridericus: unde cum paternam dividerent hæreditatem, ipse Fridericus faciens tres partes, principatum in Lantzhuet fecit eminentiorem cæteris: quem sibi retinuit, promittens æquivalentiam facere aliis principatibus in certa pecuniarum summa. Quod & fecit, quamdiu vixit. Post mortem vero ejus multa mala exinde evenerunt, sicut postea suo loco dicetur. Stephanus vero possedit Ingolstat, & fuit vir bonus, diligens mulieres. Johannes autem possedit Monacum. Ex his Fridericus & Stephanus duxerunt in uxores duas sorores, quæ fuerunt filiæ Domini Mediolanensis. Fridericus genuit Henricum, tenentem jam principatum in Lantzhuet: & Elyzabeht uxorem Friderici Margravii Branburgensis, qui & Burggravius Nurmbergensis. Stephanus autem genuit Ludwicum, jam tenentem principatum in Ingolstat, & Elyzabeth uxorem Karoli regis Franciæ. Johannes autem duxit uxorem de Goricia, ex qua genuit Ernestum & Wilhelmum, jam tenentes principatum in Monaco; & Sophiam uxorem Bentzeslai, quondam regis Romanorum & Bohemiæ. Principes autem Bavariæ inferioris, scilicet principatus in Straubing, descenderunt a Ludwico Imperatore hoc modo: Albertus filius Ludwici Imperaroris, qui possedit Straubingam, duxit Margaretham filiam Ducis Ludwici Poloniæ, & Brigæ, quæ genuit tres filios: Wilhelmum, qui tenuit Holandiam, & mortuus est superstite tantum una filia, nomine Jacoba: & Albertum, qui tenuit principatum in Strawbing, virum benignum, qui mortuus est sine liberis (non enim duxerat uxorem) & sepultus est in Strawbing, in Monasterio fratrum Carmelitarum. Johannem quoque, Electum Episcopatus Leodiensis: qui tamen mortuo fratre suo Wilhelmo resignavit, & jam tenet principatum in Strawbing, quem regit per suum Vicedominum, Ipse vero dominatur per Holandiam, Selandiam &c. Hic etiam advertendum, quod Rudolfus frater Ludwici Imp. Comes Palatinus Reni, in electione Ludwici fratris sui, non elegit ipsum Ludwicum, sed Fridericum Ducem Austriæ. Hic Rudolphus & Methildi, quæ fuit filia Adolphi regis Romanorum genuit tres filios, scilicet Rudolfum, Rupertum & Adolfum. Rudolfus autem & Rupertus vocatus Ruffus, decesserunt sine filiis. Adolfus autem, qui decessit ante obitum fratrum suorum prædictorum

rum genuit Rupertum. Iste Rupertus, vulgo Adolfus nuncupatus, genuit Rupertum, vulgo Chlem nuncupatum, postea Romanorum regem. Hæc per quandam anticipationem sunt dicta, ut postea de nostratibus clarius pateant historiæ.

Karolus quartus regnavit annis 32. CII.

Anno Domini M CCC XLVI. adhuc vivente Ludwico Romanorum Imperatore, Karolus rex Bohemiæ nepos bonæ memoriæ Hainrici Imp. & filius Johannis regis Bohemiæ, in detrimentum Ludwici Imperatoris, de consensu aliquorum Electorum, per Clementem Papam sextum in Avenione in Imperatorem coronatus: qui schisma erat inter sedem & Ludwicum Imperatorem: qui regnare cœpit, regnavitque annos XXXII. Hoc autem ordinatum fuit per Philippum regem Franciæ, qui cum Clemente Papa VI. taliter tractavit, ut hujusmodi coronatio Karoli sequeretur, volens facere per hoc vindictam in Ludwicum Imperatorem scilicet, & remunerare servitium defuncti regis Johannis, pro eo, ut supra dictum est, quod Ludwicus Imp. regem Angliæ in bello campestri contra ipsum Philippum regem Franciæ adjuverat: in quo etiam ipse Johannes rex Boëmiæ occubuit. Unde licet multa mala sint secuta, Ludwicus tamen, quamdiu vixit, quasi per totam Almaniam dominabatur.

Clemens VI. sedit annis X. 202.

Clemens VI. Ordinis fuit S. Benedicti, & magnus magister in Theologia. Hic sedem tenuit Avione, & multum pius ac liberalis consolabatur quemlibet, & Principes dilexerunt eum. Anno Domini M CCC XLVII. obiit Magister Johannes Andreæ, Bononiensis, ut dicit Johannes Calendrini, in repetitione Capituli Vestra, de Cohabitatione clericorum & mulierum. Hic scripsit Novellas super Decretalibus & Sexto, cum Quæstionibus mercurialibus. Hic etiam fecit Glossas Sexti, & Clementinarum, & excellenter scripsit Additiones Speculi: ubi in Titulo de filiis Presbyterorum se fatetur fuisse filium presbyteri, excusans tamen se, quod pater suus ante presbyterium habuerit uxorem legitimam, de qua ipse sit natus. Hic ex singulari zelo, quem in B. Hieronymum habuit, omnia ejus opuscula exfloravit, & in unum volumen compegit; quod incipit sic: Hieronymianum hoc opus. MCCCXLVIII. in Conversione S. Pauli, hora vesperorum, factus est terræ motus magnus, qui in diversis mundi partibus diversas evertit civitates, monasteria & castra, & præcipue in Villach, civitate Karinthiæ. Montes etiam in Karinthia in vallibus jungebantur, ita quod aquis non patebat exitus. Unde simul congregatæ, quasi ad X. milliaria secundum longitudinem, concluserunt terram & populum. Terra etiam ab invicem separabatur, & suscipiebat homines usque ad cingulum: ex quibus quidam moriebantur, quidam vero salvabantur: & duravit ad octo dies. Eodem anno scil. MCCCXLVIII. sævire cœpit in Bavaria & in Bohemia, ac etiam in Austria ista magna pestilentia, de qua supra scriptum est sub Ludwico, cum pagina Imperatorum, & per annos multos, nunc hic nunc ibi regnando, multa habitacula evacuavit. Ob hoc Clemens VI. Missam, cujus introitus est, Recordare Domine testamenti tui, pro pestilentia celebrari instituit.

Innocentius Sextus, sedit annos X. 203.

Innocentius VI. magnus Doctor, vir fuit durus & magnæ probitatis. Hic sedit Avione & multum bene rexit. Anno Dom. MCCCLVII. die octava mensis Novembris apud Avinionem facta est propositio Richardi Archiepiscopi Hermitanæ Ecclesiæ, & totius Hiberniæ primatis, in Consistorio coram Papa ac Cardinalibus Prælatis, ad utilitatem Cleri, & populi Christiani, super materia mendicitatis, & privilegiorum, contra fratres de Ordinibus Mendicantium.

Urbanus Quintus, sedit annis decem. 204.

Quibus Urbanus V. Abbas Monasterii S. Victoris Marsiliensis, nomine Gwilhelmus, Ordinis S. Benedicti, Doctor Decretorum excellentissimus, non Cardinalis, sed extra collegium Cardinalium, ex eorum discordia est electus. Versus:

Papatum munus accepit monachus unus:
Quem patrem Patrum, fecit discordia fratrum.

Hic, sicut dicitur, ante papatum in legatione sedis Apostolicæ, causa concordiæ faciendæ, cum literis ad Dominum Mediolanensem, qui contra Ecclesiam plurimum contendebat, missus fuit: Qui lectis literis ab eo quæsivit, utrum magis esuriret, vel magis sitiret? Qui dixit, quod magis esuriret. Quo audito, statim vim ei facit, ut aut literas una cum bulla comedat, aut moriatur. At ille timens mortem, bullam cum lima in pulveres redegit, & sic ipsam cum literis comedit. Deinde impositus asellæ, data sibi cauda pro freno, extra Mediolanum deducitur, & nullum aliud habens responsum, ad eos, a quibus missus fuerat, remittitur. Hic factus Papa, modicum curavit Cardinales. Hic Karolum Imperatorem contra Dominum Mediolanensem vocavit, de quo vide in pagina Imperatorum. Hic anno quinto sui pontificatus, cum cœtu Cardinalium, de curia Avionis se Romam transtulit, relinquens ibidem tamen duos Cardinales, ad gubernandam provinciam. Deinde iterum ad Avionem reversus, mortuus est ibidem, & claret miraculis. Hic est Urbanus ille, qui in Ecclesiis depingitur cum aureo pectore, in quo depictæ sunt imagines Apostolorum Petri & Pauli.

Guntherus Comes de Schwartzpurk.

Item alibi sic legitur: Quomodo autem, vel ubi aliquando, vel a quibus Electoribus Karolus sit electus, nunquam leviter experiri potui. Veruntamen Comes de Schwartzpurckch, vir magnanimus & optime parentatus, cum eligentium

gentium Regem favore, vel ut alii dicunt, cum eorum electione, opposuit se prædicto Karolo regi Bohemorum, regem se scribens & nominans Romanorum. Qui cum negotium, quod in manus acceperat, contra Bohemum viriliter agitaret, nec ab eo ullo modo flecti posset, mortuus est ex intoxicatione, quam prædicto rege Bohemiæ, ut multi dicunt, procurante, quidam Physicus sibi propinavit. Et sic sæpe dictus Karolus regnum obtinuit Romanum, nemine sibi resistente. Hæc, sicut legi. Hic Karolus astutus fuit, & in sensu naturali & accidentali acutus. Hic statim post obitum Ludovici Imperatoris cum exercitu intravit Bavariam devastans eam incendiis & rapinis, & venit usque in campum Beichs, prope Ratisponam: & ibi aliquantulum pausans cum quibusdam de exercitu venit in civitatem Ratisponam, ubi honorifice susceptus est. Hic accensus flamma divini fervoris, diversa monasteria in civitate Praga construxit in singulis singulos constituens ordines sive religiones, utpote Ambrosianorum, Sclavorum, Currentium &c. Hic etiam dotavit & erexit Studium generale in civitate Pragensi, quod inchoavit per Magistros in Artibus de Collegio Erffordensi, tunc etiam noviter erecto. Inter quos erat Magister Gerhardus, qui primus est Doctor, postea in eodem studio generali Pragensi in Theologia graduatus fuit, etiam unus ex eis, natione Bavarus, qui nationem Bavarorum ibidem introduxit. Fuere enim in eodem Collegio quatuor nationes, scilicet Bavarorum, Bohemorum, Saxonum & Polonorum. His temporibus in oppido Wiennensi, Pataviensis diœcesis, a Ruedolffo Duce Austriæ studium generale erigitur & privilegiatur. Quod postea Albertus tertius, Dei gratia Dux Austriæ, frater ipsius Ruedolfi, ex speciali concessione & indultu Domini Urbani Papæ quinti, suis etiam privilegiis dotavit & erexit, ordinans & distingvens clerum ejusdem studii generalis ad instar Parisiensis studii secundum quatuor partes, quas solitum est nationes vocari, scilicet Australium, Reynensium, Hungarorum & Saxonum. His etiam temporibus a Ruperto Comite Palatino Reni, qui vulgo dicitur *der rote Hertzog*, eo quod rufos crines habuit, erigitur in Haidelburg studium generale. Ubi animadvertendum, quod in his quatuor studiis generalibus, scilicet Erdfordensi, Pragensi, Wiennensi & Haidelburgensi, tunc noviter erectis, fuere primum tantum tres facultates, scilicet Artium, Medicinæ & Juris. Sed tamen postea statim, utpote temporibus Gregorii undecimi, & his fere temporibus introducta est facultas quarta, scilicet Theologia. Floruit tunc inter præcipuos Bononiæ Hugolinus, Doctor Theologiæ, frater Ordinis Heremitarum S. Augustini. Anno Domini MCCCXLVIII. Conradus Dux de Dek fuit occisus per Sweigkerum de Gundolfing, in domo sua in Monaco.

Gregorius XI. sedit annis VI. 205.

Gregorius XI. filius fratris Clementis sexti prius appellatus Petrus Belli fortis, in Avione electus est. Hic fuit homo pius & largus, diligens sangvinem suum. Hic tandem Romam se transtulit, ubi & mortuus est, in palatio Apostolico, sabbatho Lætare. Anno Domini MCCCXLVIIII. cum sæviret in toto mundo illa pestilentia magna, de qua dictum est in pagina Pontificum, sub Clemente sexto, orta est quædam secta in Alemania inter nobiles & ignobiles, & maxime in civitatibus & oppidis, ut interdum in una societate ducenti vel plures per diversa loca transirent, & dicerent se esse vere pœnitentes: & hi talem habebant modum. Cum primo exibant de suis parrochiis, elegerunt sibi unum laicum pro Magistro, qui plenam auctoritatem super singulos habebat; sine cujus licentia nullus ipsorum, quamdiu pœnitebat, aliquid agebat bibendo aut comedendo. Transiebant de loco ad locum, secum deferentes pulcherrima vexilla & candelas, cantantes pneumata & cantus spirituales in vulgari, & de eleemosyna pariter vivebant. Erant omnes signati rubea cruce, & quando veniebant ad cœmiteria ampla, coram omni plebe vestes exuebant, & ibidem se crudeliter flagellis in scapulis percutiebant, ita ut sangvis deflueret: unde & Flagellatores dicebantur. Habebant camisias a femore usque ad talos, sed superior pars corporis eorum denudata erat, & facies cooperiebant in parte, ne ab hominibus cognoscerentur, & multos errores & opiniones contra Ecclesiam & statuta canonum habebant. Contra quos Clemens VI. generalem processum dedit: processit & contra eos Fridericus Ratisponensis Episcopus, cum bona & matura deliberatione, nec non consilio jurisperitorum & virorum literatorum, quod tota illa truffa cessavit, sed duravit pene ad triennium. MCCCLIV. circa festum S. Jacobi, Karolus cum uxore venit Romam, ubi honorabiliter a Romanis susceptus, multos novos milites ordinavit: sed multa adversa passus est in via. In reditu autem emit castrum Stauff a Friderico Burggravio, Ratisponensi Episcopo. In hoc castro ipse Karolus Imperator quodam tempore constitutus, in Ratisponam venire dedignabatur. Miserunt igitur Ratisponensis ad eum solemnes nuntios, quærentes, quare ad eos non veniat: ac invitantes eum rogant, quatenus ad eos venire dignetur: promittentes ei velle secundum posse exhibere honorem, condignum Imperiali Majestati. Hæc ille audiens, præfigit certum diem veniendi, sed callide. Ipsum enim diem, quo sperabatur, sicut dixerat, venire, aliquot diebus prævenit. Nam ex insperato ante terminum præfixum, sicut dicitur, per omnes portas cum tanto exercitu venit in civitatem, quod præsumebat etiam sic civitatem posse obtinere. Cumque sic usque ante prætorium venisset, Consulibus omnibus tunc temporis in prætorio congregatis, ministri ipsorum obhorrentes armatos, sic extemplo venientes, fores prætorii clauserunt. Divina igitur largiente providentia, dolus hic fructum non habuit. Nam subito in defensionem civitatis, Satzenhofer Magister civium,

vium, cum turba armata venit ex parte una, & Henricus Tzand Sculterus ex parte altera, concluduntur que catenæ per vicos civitatis, ita ut nullus pateret exercitui divertendi locus. Quod videns Imperator, turbæ cedens, tentans petivit a Gumperto, cujus domus juncta erat prætorio, ut eum in domum suam susciperet. Quod cum ille de favore Consulum faceret; Imperator descendens in domum, cum nihil præter armatos in ea conspiceret, dixit: Et quid hic sumus acturi? Ad suos igitur reversus, conductu Magistri civium Alt ex latere uno, & Sculteti ex latere altero, ipse Imperator qui per diversas portas intraverat, per unam scilicet Orientalem, turbis in eum frementibus, egreditur. MCCCLVI. In die S. Lucæ Evangelistæ, hora vesperarum, factus est terræ motus per totam Alemaniam, nec non in quibusdam Galliæ partibus, tam magnus, ut Basilea, solennis civitas, quasi tota fuerit destructa, & quamplurima opida & castra nocte eadem, circumjacentia civitati prædictæ, per terræ motum ruerunt. Partibus vero in eisdem continuis noctibus postea per tres menses erat terræ motus, quod paucissimi homines propter timorem terræ motus in opidis manebant. M CCC LVII. Albertus, filius Ludwici Imperatoris, Dux Babariæ, & gubernator Hollandiæ una cum fratre suo Stephano, obsedit castrum, quod Naternberkch vocatur: in quo quidam miles, dictus Petrus Egkker, residentiam tunc temporis habebat. Hujus consanguinei, cum sævitiam prædicti principis Alberti mitigare non possent, licet dictus Petrus ipsi Principi multa bona fecisset, Bohemiam properant, constanter invocantes auxilium Karoli Imperatoris Romanorum, Bohemiæque regis. Qui victus precibus & muneribus, congregato exercitu Bohemorum venit in Stawff, & pertransiens pontem Danubii ibidem bene ad septem dies pausam fecit, corrumpens interim muneribus quosdam milites & ministeriales dominorum Bawariæ, & faciens incendia multa. Postea volens quasi cum prædictis principibus inire bellum, versus Naternberch descendit, & castra metatus est juxta exercitum Bawarorum in spatio dimidii miliaris. Cum autem Bawarorum principes fortiorem haberent militiam, & pugnaturos se jam sperarent, ipsi qui pecunia corrupti fuerant, partibus se interponentes placitaverunt, quod prædictus obsessus miles castro principi assignato in persona & rebus securus esset, donec de objectis vel objiciendis coram Imperatore & aliis Principibus responderet. Quod tamen non est factum, quia miles prædictus tantam in obsidione perpessus fuerat penuriam, quod tempus modicum supervixit. Posthæc circa diem Nativitatis Christi tres reges paganorum de Lituonia poscebant se baptizari ab Imperatore. At ille occurrit illis cum nobilissimo comitatu, scilicet Principum, Baronum & militum, inter quos erant duo Duces Bawariæ. Videntes autem pagani tantam gloriam Christianorum, mentiti sunt & fugam inierunt. At illi hos insequentes, multos occiderunt. Posthæc in die Innocentum, Reicher civis Ratisponensis occidit Magistrum Conradum de Pronovia, Canonicum Cathedralis ecclesiæ, cum ipsi equitarent in civitate cum suo Episcopo, scilicet puerorum. Propter quod Fridericus Episcopus posuit interdictum, & facta est magna guerra inter clerum & cives, ita quod cives inter se statuerent, ut nullus ex eorum filiis seu scholaribus in summo, vel in veteri Capella scholas visitare deberet; quod aliquantulum temporis duravit. Tuncque cessavit ludus ille, quem vulgaris locutio Episcopatum puerorum appellat, qui fiebat cum magnis expensis de Statutis novorum Canonicorum: decretumque tunc est, ut hujusmodi Statuta, per novos Canonicos solvenda, ulterius ad sacrarium darentur, pro augmento ornamentorum. MCCC LX. Albertus Dux obsedit Hilkesperg, & potenter obtinuit. Eodem tempore in die S. Oswaldi factum est incendium Ratisponæ in foro, & combusta est turris, in qua liquefactæ sunt duæ bonæ campanæ. Eodem tempore Albertus Dux construxit castrum in Strawbing. MCCCLXI. Ludwicus senior, filius Ludwici Imperatoris, dictus Marggravius, obiit, relinquens filium unum, scilicet Meinhardum, qui erat Comes Tyrolis. Quem, quia juvenis erat, quidam Barones & Milites de Abensperkch, de Laber, Liberi, nec non alii potentes, contra voluntatem patruorum suorum, gubernant & regunt aliquo tempore. Fit igitur, ut prædictus juvenis Meinhardus, & quidam juvenis, nomine Fridericus, filius Stephani, Ducis de Lantzhut, cum adjutorio prædictorum Baronum & Militum, in opprobrium dicti Stephani ducis, obsiderent castrum Götingwird (Cothingwerd) appellatum. Quod considerans ipse Stephanus Dux de Landshut, pater dicti Fridrici, cum filio suo Stephano, dictum castrum nititur defendere. Cum igitur bellum inire deberent, Fridericus Dux patri suo Stephano de consilio suorum versus Ingolstat cessit. Tunc, sicut dicitur, filio fugiente, & patre prosequente, invicem tamen se non lædentibus, in utroque exercitu, tirones, id est, novi milites, tot facti sunt, ut exinde ortum sit proverbium, ad modum nivis descendentis milites factos fuisse. Exinde per placita fuit deductum, quod dictus Meinhardus de cætero in Monaco morari deberet & regi secundum consilium suorum patruorum. Qui post breve tempus occulte recessit ad montana, & Tyrolis moritur. Uxor vero ipsius soror Domini Rudolfi Ducis Austriæ erat, quæ una cum matre Domini Meinhardi eandem terram prædicto Duci Austriæ subjugaverant: de quo gravis inter Dominos de Bavaria & Duces Austriæ oriebatur lis & gverra. MCCCLXIII. a festo Nativitatis Christi fuit tam excellens frigus, ut post mediam quadragesimam homines cum curribus & equis in pluribus locis fluvios in glacie pertransirent. M CCC LXIV. Principes Bavariæ obsident Muldorff, civitatem Archiepiscopi Saltzburgensis, qui Rudolfo Duci Au-

ſtriæ adhærebat. Rudolfus igitur Dux Auſtriæ defenſurus prædictam civitatem, venit in Bavariam. Quod audientes Principes Bawariæ, relicta obſidione, Ducibus Auſtriæ occurrunt, viriliter cum eis pugnaturi. Interea Duces Auſtriæ, cum audiſſent Bawaros ab obſidione Muldorf receſſiſſe, dixerunt: Sufficit nobis, quod civitate ab obſidione liberata, noſtrum obtinuimus, & perfecimus intentum. Sicque Bawaris non exſpectatis fugientes, in Auſtriam ſunt reverſi. Quo prædicti Principes audito, & ipſi ad propria redierunt, Muldorff amplius non impugnantes. MCCCLXV. Karolus Romanorum Imperator in Avinionem, ubi tunc ſedes Apoſtolica erat, ad Dominum Urbanum Papam V. venit, quoniam ex ſpeciali gratia dicti Domini Papæ obtinuit, quod Eccleſiæ & Epiſcopatus Babenbergenſis, Ratisponenſis & Miſnenſis a modo ſubjectæ eſſe debeant Archiepiſcopo Pragenſi, tanquam Apoſtolicæ ſedis Legato. Anno Domini MCCCLXVIII. vel quaſi Conradus de Hannberg Præpoſitus, Ratisponenſi Eccleſiæ præficitur Epiſcopus, & ab Urbano Papa confirmatur. Hic fuit humilis & dilexit Clerum. Hic feſtum Beatæ Barbaræ inſtituit ad celebrandum. Hit deceſſit in die S. Petri ad Vincula, ſepultusque in Summo ante altare Beatæ Barbaræ. Hujus temporibus Eccleſia S. Johannis Canonicorum Secularium a prædeceſſoribus Epiſcopis fundata, propter ampliationem Eccleſiæ majoris, eſt disrupta, & in eo loco, ubi erat domus *auf den Petren*, venuſtè & honorifice reædificatur. Fuit autem Eccleſia S. Johannis primum fundata, in area Cathedralis Eccleſiæ in eo loco, qui nunc monſtratur in medio duorum altarium, quorum unum eſt Sancti Florini, quod fundavit Dominus Albertus Stauffer, priusquam fieret Epiſcopus, & aliud S. Thomæ ex oppoſito verſus meridiem, quod fundavit N. Rebitz, Canonicus ejusdem Eccleſiæ Cathedralis, temporibus prædicti Domini Alberti, Epiſcopi Ratisponenſis. MCCCLXVII. Kal. Aprilis XVII. ex ſuperabundantia nivis aquæ in tantum excreverunt, quod in choro Monaſterii noſtri, hoc eſt, Ratisponæ ad S. Magnum, gradus altaris S. Andreæ attingebant. Eodem anno Albertus Stainhawff, civis & Præpoſitus dominorum Auguſtenſis Eccleſiæ in Strawbing, accedente aſſenſu Alberti Ducis, filii Ludwici Imperatoris, in area ſua dictæ civitatis in Strawbing, fundat clauſtrum fratrum Carmelitarum. Hujus prædicti Alberti filius, nomine Albertus in medio chori eſt tumulatus. MCCCLXVIII. Urbanus Papa vocat Karolum Imperatorem in Italiam, & ambo juncti exercitum movent contra Comitem Mediolanenſem, pro eo quod Dominum Papam, & omnia ejus præcepta, pro nihilo reputaret. Dum autem diu in caſſum laboraſſent, Imperator Romam ingreſſus, Dominum Papam prædictum cum omni ſolemnitate & reverentia, ac Romanorum tripudio in cathedram collocat Apoſtolicæ dignitatis. Imperatore autem in Bohemiam reverſo, Papa, cum tyrannidem Mediolanenſis reſtringere non poſſet, iterum ſe Avinionem transtulit, ubi etiam tempus modicum ſupervixit. MCCCLXXI. Peſtilentia fortiſſime ſævivit Ratisponæ. Eo tempore fuit lis inter Karolum Imperatorem & Duces Bawariæ, unde Imperator direxit cum exercitu in Bawariam Epiſcopum Mindenſis Eccleſiæ, qui quædam oppida ibidem incendit. Hic eſt Epiſcopus, qui vulgo Kugelweit, eo quod amplum capucium deferrit. Tunc enim temporis non erat conſvetudo deferendi ampla & magna capucia, ſicut modo. Differebant etiam tunc Chriſtiani ab Hebræis habitu in eo, quod Chriſtiani capucia ſua ſupponebant, Hebræi autem ſuperponebant palliis: quod modo omnino non eſt conſvetudinis. Ego autem ad hanc conſvetudinem ſervandam a ſenioribus meis coactus ſum. Eodem etiam anno 1371. circa feſtum B. Jacobi, apparuit in civitate Ratispona quidam Spiritus, qui videri non poterat, ſed audiri, quia verba intelligibilia in aures audientium proferebat, reſpondendo ad quælibet interrogata. Inter alia interrogatus de peſtilentia, quæ tunc temporis latiſſime regnabat, noluit directe reſpondere, ſed dixit: Quid me interrogatis, cum Deus matri ſuæ noluerit omnia ſecreta ſua revelare. Alia autem vice de eadem peſtilentia inſtantiſſime requiſitus, ab his, qui ei familiariores effecti fuerant, reſpondit: Ho! non videtis ſuperbiam & avaritiam hujus mundi, quam DEus impunitam non vult relinquere, nec inultam. Item interrogatus de lite, quæ tunc inter Karolum Imperatorem & Duces Bawariæ erat in finibus eorum, reſpondit: lites hæ ſine pugna ſopientur; quod & factum eſt. Item requiſitus de contentione quæ tunc temporis erat inter Imperatorem Carolum prædictum & principes Bawariæ pro Marchionatu Brandeburgenſi, dixit: Duces Bawariæ prævalebunt; quod & factum eſt. Dicit hæc, qui ea, qui ego hic transſumtive poſui, originaliter ſcripſit: Audivi tamen, quod multa dixerit, quæ aliter evenerunt. Tantæ etiam erat natura ejus ſubtilitatis, quod inter alia quæ faciebat, quadam vice, ipſum nemine vidente, ollam, quam omnes qui intererant, videbant, plenam lacte, de ſummo ſcamno recepit, & ſurſum, quaſi in aëre penderet, tenebat; ipſamque lacte omnibus videntibus effuſo, leviter deponebat. Item quædam matronæ, vel potius ſociæ, in eadem qua verſabantur domo exiſtentes, quadam die jejunii fecerunt piſtilias, hoc eſt, comeſtibilia, quæ a vulgo Chuchel nuncupantur, quas de ſero cum ſuis ſodalibus & amicis comedendas in quodam armario ſervaverunt. Tempore autem comeſtionis inſtante, cum ſimul comeſturi aliqualiter conveniſſent, venit & ſpiritus ipſe, & ollam cum piſcellis de armario recepit, ſeris non apertis, januisque clauſis manentibus & illæſis: & eadem piſta ſive piſtas in canali tecti ejusdem domus poſuit ordinate. Interim autem unus eorum, qui comeſturi erant, intravit domum, & audiens quæ facta fuerant, cœpit ſubſannare & vituperare, dicens: Ei ſicut diabolo non eſſe credendum,

dum, nec ipsum esse timendum. Quo audito spiritus mox super nasum eum projecit, quod sanguis omnibus, qui aderant, videntibus effluebat. Igitur interrogatus, cur hoc fecerit; respondit: quia me vituperavit, & mihi non credit. Nolebat autem ab aliis, qui cum eo loquebantur, appellari aliter, quam Lyes Herrel. Sacerdos quidam venerabilis, nomine Ernestus, in ejus familiaritatem venit, & inter alia, quæ secum loquebatur, quadam vice dixit: Lyes Herrel, porrige mihi manum tuam ut tangam te. Et respondit non faciam. Cui ille, & quare non facis? respondit: quia nimis horribile tibi esset, nec posses sustinere. Interrogatus a quadam virgine, quæ ei valde familiaris erat, cur præ multis aliis ad eam in domum ejus venisset? Respondit, hoc feci causa tui, quia si non venissem, & te præmuniissem, talis, quem nominavit, te impregnasset, & tu præ nimia confusione puerum occidisses, ex quo multa mala incurrisses. Utrum autem hoc verum fuerit, vel ita evenisset, nescitur. Sed verisimile videbatur his, qui curialem utriusque personæ familiaritatem, quam habebant ad invicem, cognoscebant. Cum quadam vice interrogatus, quis esset, (cum) non responderet, dixit interrogans: Angelus es tu? & respondit non. Cui interrogans, dæmon es tu? respondit non. Cui interrogans, quid ergo es? respondit: Nuntius sum de angelo. MCCCLXXIII. Marchionatus Branburgensis a Ducibus Bavariæ venditur. MCCCLXXV. in die S. Gregorii, obiit Leopoldus, ultimus Comes de Hilss, in Osterhoven sepultus. MCCCLXXVIII. Karolus Imperator in vigilia S. Andreæ moritur, & Pragæ in Summo sepelitur, relinquens filios tres: Wenzeslaum, qui ei successit in regno Romanorum & Bohemiæ: Sigismundum, regem Hungariæ, & postea Regem Romanorum & Imperatorem: & Johannem Ducem Gorliciæ, qui genuit filiam nomine Margaretam, & obiit sine hæredibus sexus virilis.

Urbanus Sextus sedit annis XI. 206.
Clemens VII. Schisma XXV.

Urbanus Sextus natione Neapolitanus, ante vocatus Bartholomæus, Archiepiscopus Barensis, a Cardinalibus Romæ in concordia est electus & in die Paschæ coronatus. Quem venerantes forsan per quinque menses ducti quodam spiritu, recesserunt ab eo, & in Fundis Dominum Rupertum de Gebennis, basilicæ XII. Apostolorum presbyterum Cardinalem elegerunt, cum quo inierunt Avinionem; appellantes eum Clementem VII. allegantes, quod Romæ existentes, metu Romanorum, qui petebant eligi Romanum vel Italicum, Dominum Bartholomæum elegerunt. Remanserunt autem cum Papa Urbano Cardinales quatuor, videlicet S. Petri, Florentinus, Mediolanensis, & de Ursinis. Cardinalis S. Petri in agone recognovit, Papam Urbanum esse verum Papam. Hic Urbanus cum dictis tribus Cardinalibus in civitate Tiburtinensi confirmavit Wentzeslaum, regem Bohemiæ, in regem Romanorum. Hic Urbanus Pontifex dedit indulgentias pro festo visitationis Mariæ tot & tantas, quantæ sunt in festo corporis Christi. Hic de fratrum suorum consilio statuit annum Jubilæum perpetue, de anno tricesimo tertio, in tricesimum tertium reduci. Hic obiit Romæ & dicitur, quod fuerit intoxicatus, propter nimiam suam duritiam.

SEQUITUR BULLA DE ANNO JUBILEO.

Urbanus Episcopus Papa, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Salvator noster unigenitus Dei filius, de sinu patris in uterum dignatus est descendere matris, in qua & ex qua nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ, in suppositi unitate, ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat assumens: & ut haberet, unde lapsum hominem redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem reciperent filiorum. Ipse namque factus nobis a Deo sapientia & justitia, sanctificatio & redemtio, non hircorum vel vitulorum, sed per proprium sangvinem introivit semel in sancta, æterna redemtione inventa. Non enim corruptibili auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati precioso sangvine nos redemit, quum in ara crucis pro nobis innocens immolatur, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum, pro redemtione totius humani generis suffecisset, copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem nulla sanitas reperiretur in eo. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua, tantæ miserationis effusionis redderetur thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes effecti sunt: quem quidem thesaurum non in sudario positum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suis in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis ac rationabilibus causis, nunc pro totali, non partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscentur vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus thesauri cumulum beatæ & gloriosæ genitricis Mariæ, & omnium electorum, a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. De cujus consumtione seu diminutione non esse aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut prædictum est merita, quam pro eo, quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quod felicis recordationis Bonifacius Papa, prædecessor noster, primo pie, prout indubitanter credimus, considerans, &

debita meditatione revolvens, quanta apud homines gloriosi principes terræ Petrus & Paulus, per quos Evangelium Christi Romæ resplenduit, & per quos religionis sumsit exordium, qui Sanctum Christianum populum per Evangelium generantes, gregisque Dominici pastores, fidei lucernæ, Ecclesiarum columnæ, præ cæteris peculiari quadam prærogativa in ipso Salvatore fidei virtute præcellunt. Quorum uni, sicut Apostolorum principi, sicut bono dispensatori, claves cœlestis regni commisit, alteri tanquam idoneo doctori magisterium Ecclesiæ eruditionis injunxit, ut speciali veneratione haberi debeant, & debita honorificentia honorari, pro ipsorum memoria recolenda crebrius, & reverentia a cunctis Christi fidelibus eis devotius exhibenda, ipsorum patrocinio favorabilius assequendo, inconsumtibilem thesaurum hujusmodi, pro excitanda & remuneranda devotione fidelium, voluit aperire: decernens de fratrum suorum consilio, ut omnis qui in anno a nativitate MCCC. & quolibet anno centesimo tunc secuturo, ad dictorum Apostolorum basilien: de urbe accederent reverenter, ipsasque, si Romanus ad minus triginta, si vero peregrinus aut forensis, quindecim diebus continuis aut interpositis, saltem semel in die, dummodo tamen vere pœnitentes & confessi existerent, personaliter visitarent, suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum. Et deinde felicis recordationis Clemens Papa VI. prædecessor noster, de fratrum suorum consilio, ut universi Christi fideles, qui vere pœnitentes & confessi, in anno Nativitatis ejusdem MCCCL. tunc proxime futuro, & deinde perpetuis futuris temporibus ac quinquaginta annis prædictis, ipsorum Petri & Pauli basilicas, & Lateranensem Ecclesiam, cum devotionis modo præmisso, visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequerentur: Nos considerantes, quod ætas hominum amplius solito in dies dilabitur pauciores, & desiderantes quamplurimos participes fieri indulgentiæ memoratæ, cum plurimi ad annum quinquagesimum propter vitæ hominum brevitatem non perveniant: & ut cunctorum populorum augeatur devotio, fides resplendeat, spes vigeat, & caritas vehementius invalescat: & attendentes, quod anno tricesimo tertio Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, ipse noster Salvator pro nobis æterno Patri Adæ debita solvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit, destructisque mortis vinculis victor ab inferis resurrexit, & per XL. dies, per multa argumenta, suis apparens discipulis, videntibus illis ascendit in cœlum, ac demum donum charismatum, promissionem S. Spiritus in filios adoptionis effudit: & quod mundo hujusmodi triginta trium annorum, qui fuerunt totum tempus nostri Salvatoris, quibus conversatus in mundo, miro clausit ordine moras sui incolatus: plura etiam alia & grandia divinarum scripturarum mysteria adaptari possunt: & ut jugis ipsorum Salvatoris, & eorum, quæ pro humani salute generis gessit, ac verbis docuit, & exemplis fidelibus misit memoria: de fratrum nostrorum consilio, ex supradictis & aliis justis causis, ad annum tricesimum tertium reducimus per præsentes, statuentes de eorundem fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis: ut universi Christi fideles, vere pœnitentes & confessi, qui in anno a Nativitate ejusdem Domini MCCCXC. proxime futuro, & deinceps perpetuis temporibus, de triginta tribus annis, in triginta tres annos, prædictas ipsorum Petri & Pauli basilicas, ac Lateranensem, & S. Mariæ Majoris de Urbe ecclesias, quæ ob ipsius reverentiam Virginis, inter alias prædictæ urbis Ecclesias, devotissime honoratur, & ad quam causa devotionis populi confluit multitudo, & ut cunctus populus ipsius precibus Virginis & meritis, quæ præ Sanctis omnibus ab eodem Salvatore nostro meruit exaudiri, hujusmodi consequatur indulgentiæ largitatem, in hoc ex hujusmodi & aliis certis causis rationabilibus censuimus honorandam, causa devotionis modo præmisso visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur: Ita videlicet, ut quicunque voluerit hujusmodi indulgentias assequi, si Romanus, ad minus XXX, continuis, vel interpositis, saltem in die semel: Si vero peregrinus aut forensis extiterit, modo simili XV. diebus ad dictas basilicas & ecclesias accedere teneatur. Adjicientur, ut hi etiam, qui pro ea consequenda ad easdem basilicas & ecclesias accedentes, post iter arreptum contingeret legitime impediri, quo minus ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo, in dicta urbe decesserint, vere pœnitentes, ut præmittitur, & confessi, eandem indulgentiam consequantur. Damus nihilominus & singulas indulgentias per nos & prædecessores nostros Romanos Pontifices, tam prænominatis, quam aliis basilicis & ecclesiis, de dicta urbe concessas, ratas & gratas habentes ipsas, autoritate Apostolica confirmamus & approbamus, ac etiam innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo homini, &c. nostræ reductionis, constitutionis, additionis, confirmationis, approbationis, & innovationis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, sexto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo. &c.

Item notandum, quod orto schismate inter Urbanum VI. & Clementem Antipapam Avinione, Imperator Karolus IV. Rex Bohemiæ, Reges Hungariæ, Poloniæ, Sveciæ, Apuliæ, Cypriæ, Portugalliæ: tota Alemania, Italia, & pars major Christianitatis, adhæserunt Urbano sexto ex parte una: Clementi vero reges Franciæ, Castellæ, Arragoniæ, Navariæ, Scotiæ, adhæserunt ex parte altera: & duravit hoc schisma usque ad Concilium Constantiense, in quo electus fuit Papa Martinus quintus. His temporibus in Universitate Wyennensi Henricus de Oytha, Leonhardus de Carinthia, Ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini; Conradus de Ebraco, Ordinis Cisterciensis; Henricus Langenstain, dictus de Hassia, clari habentur.

Item

Item Pragæ Albertus Engelschalkch, natione Bawarus, de Strawbing oriundus, Doctor Theologiæ clarus habetur.

Wentzeslaus, regnavit annis XX. CIII.

Anno Domini MCCCLXXVIIII. Wentzeslaus, filius Karoli Imperatoris, per ordinationem factam ab ipso Karolo, & munera, sicut dicitur, ab Electoribus electus, regnare cœpit, regnavitque annis XX. Hic tantum Rex fuit, non Imperator. Hic fuit homo ferus & horribilis aspectu. Hic quamdiu sobrius erat, subtilis erat ingenio: murifcidus tamen, hoc est, ignavus & remissus in regni negotiis. Postquam vero bibit, omnino regni negotia non curavit. Hunc fama non fama fecit famosum; inde morum antiquorum pauca de plurimis ejus gestis hic inserere curavi. Hic namque habuit canem, qui mordendo invasit, quemcunque sibi demonstravit, nullo ardente offendere canem illum, in quo plurimum delectabatur. Hic etiam, ut immitteret aliis timorem & terrorem, semper a latere habuit tortorem, quem vocavit compatrem, eo quod sibi puerum de baptismo levavit. Habuit etiam consuetudinem, ut a suis deferretur pellis; & quemcunque designabat, super hanc pellem in aëre jactabatur. Hic cum quadam vice intempestive a coco suo cibum peteret, & ille sibi denegaret, jussit eum impositum veru ad modum assaturæ torreri. Hic Johannem, Doctorem egregium Theologiæ submersit, eo quod dixerat, hunc esse dignum nomine regis, qui bene regna regeret: aliusque nomine Buchnico, (Buchinico) in quem tortor fecit misericordiam, dum ipsum ad mandatum ipsius, cum glossa accensa, cremare deberet, vix evasit: quem tamen postea promovit in Pragensem Archiepiscopum, sed modicum tempus supervixit. Hic cum civitates Romani Imperii de diversis incommodis sibi conquererentur, fecit cum eis ligam, quam vulgares vocant *Punt*, in qua erant omnes civitates Romani Imperii per Alemaniam, nec non Archiepiscopus Saltzburgensis, & civitas Ratispona. Dum autem invasores reipublicæ per hujusmodi ligam sive conspirationem graviter urgerentur, & civitates quodammodo de hoc intumescerent, suspicati sunt Principes, quod forsitan hoc modo potestas ipsorum postremo posset turbari. Succedentibus igitur sibi invicem malis, Wentzeslaus Rex civitates juvare dissimulat: Pilgrinus Archiepiscopus Saltzburgensis in Monasterio Ratenhaslach in treugis captivatur: communis gverra inter civitates Romani Imperii & omnes Principes Alemaniæ concitatur. Rupertus Comes Palatinus Reni, qui & postea Rex Romanorum, in monte opposito civitati Ratisponæ contra ipsam castra metatur. Castrum Stawf a Ducibus Friderico de Lantzhut, Stephano de Ingolstat, ejusque filio Ludwico Johanne de Monaco, ejusque filio Ernesto Alberto de Strawbing, nec non Ruperto prædicto, obsidetur. An. Dom. MCCCLXXXVIII. forus ibidem assultu impetitur & obtinetur, Congregatio Principum, per obsidionem impugnato sed non expugnato dicto castro, dissolvitur; præurbium Ratisponæ a Ratisponensibus subvertitur. Et hoc fuit damnum non reparabile nostri monasterii. Erat etiam jam in meta, ut Monasterium subverteretur; quod tamen divina clementia non est factum. Fit denique eodem anno die S. Briccii a quibusdam de militibus Principum & Ratisponensibus in campo ante portam S. Jacobi, prope montem, dictum Pürgerperkch, conflictus, ubi postremo de Ratisponensibus triumphatur. Post hæc communis illa gverra per placitationes sopitur. Ibi notandum, quod hoc in tempore Johannes dictus *der Gülden-Zenger*, per inpignorationem XIV. milium florenorum, tenuit præurbium Ratisponæ & Newnburkch, secus Danubium. Hic quia in indignatione Principum erat, cum cognatione sui nominis junxit se Ratisponensibus. Dum autem per placitationes ventum esset ad concordiam, ipsum præurbium & opidum prædictum Newnburkch, Principibus libere resignatur, dicta summa florenorum a Ratisponensibus, ipsi Zenger pro talione fienda, Principibus solvitur, Monasterio autem nostro nulla refusio paratur. Quamvis autem ipsi Zenger multa bona tunc pro civitate gesserint, postea tamen cum per aliquot annos præcipuus ex eis, dictus Partzennal (Partzifal,) qui & auctor extitit victoriæ prædicti conflictus, litem civitati intulit, in qua Monasterium nostrum, quamvis sub dominio Ratisponensium tunc non esset, magna damna sumsit; ex tunc factum est ut cives cautissimi sint facti in accipiendis literis ab omnibus suis stipendiariis. Hic Wentzeslaus, quia inutilis erat, a Romano regno deponitur, & Rupertus in locum ejus eligitur. Ipse tamen Wentzeslaus, quamdiu vixit, Regem Romanorum se scripsit, & regnum Bohemiæ tenuit. Quæ autem mala adhuc eo regnante in Bohemia evenerint, postea propter annum Domini in suis locis dicentur. An. Dom. MCCCLXXXI. Theodricus, Liber de Abensperkch, Canonicus Ratisponensis, Babenbergensis Ecclesiæ Præpositus, per electionem Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic ab Urbano VI. confirmatur. Hic anno primo suo pontificatus Stewram a Clero accepit, & Castrum Stawf redemit. Hic dum circa festum omnium Sanctorum, tentus infirmitate communicaret, misit pro Canonicis potioribus suæ cathedralis Ecclesiæ, qui non venerunt. Postea in vigilia S. Leonhardi ipse moritur, & in Ecclesia cathedrali retro summum altare sepelitur. Castrum Stawf alienatur, omnia vasa sive clenodia Episcopalis curiæ a suis consangvineis auferuntur: unde exequiæ ejus usque nunc non sunt peractæ. Huic succedit per electionem Magister Paulus, Doctor Decretorum, Canonicus Ratisbonensis & Pataviensis. Hic ante electionem suam, in summo Ratisponæ, fundavit altare S. Hieronymi, prope puteum. Hic circa festum Paschæ, Pataviæ ante confirmationem, diem clausit extremum. Anno Domini

 MCCCLXXXIV.

M CCC LXXXIIII. Johannes Præpositus Frisingensis, a Capitulo non electus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic mortuo Tewderico Ratisponensi Episcopo, dum Capitulum in eligendo Episcopum tardaret, ipse fretus provisione Urbani Papæ VI, fultusque potentia consangvineorum suorum, Magistro Paulo electo se opposuit. Quo in brevi defuncto, ipse Episcopatum obtinuit, & ab Apostolico confirmatur. Hic rexit potenter, & frequenter magnam curiam habuit. Hic posuit primum lapidem in fundamento turris Cathedralis Ecclesiæ, versus septentrionem construendæ. Sub hoc cœpit exactio clericorum in concessione curæ animarum: cujus exactionis tum magna pars fuit quidam tunc temporis in clero famosus: qui licet magnam pecuniam ipsi Johanni Episcopo per hoc acquireret, & ipse præpotens etiam literas securitatis ab ipso haberet, fortuna tamen arridente incidente in foveam, quam fecit. Nam ab ipso Johanne Episcopo captivatur, & omnibus bonis suis exactionatur. Et hoc justo quodam occulto Dei judicio, ut qui aliorum exactionem invenit, ipse primus gravissimæ exactionis pondus portaret. Fuit tamen hic ut plurimum laudabilis, propter solicitudinem fabricæ novæ cathedralis Ecclesiæ. Ipse est, cujus nomen est Petrus Reimago. Hic Johannes anno Domini M CCC LXXXIV. Synodum ordinariam celebravit, tuncque a Syfrido suffraganeo, Episcopo Ierapolitano, dedicatum est altare summum Cathedralis Ecclesiæ, ipsaque dedicatio ad celebrandum in commemoratione S. Pauli est instituta. Hic etiam ad celebrandum instituit festum S. Elizabeth. Hic decessit in die S. Marci, sepultusque in summo S. Andreæ.

Bonifacius IX. sedit annis XV. CCVII.
Benedictus tridecimus.

Bonifacius nonus, ante vocatus Petrinus Cardinalis, natione Neapolitanus, post Urbanum VI. dum in conclavi missam celebraret, coram Cardinalibus infra missam suam electus est in Papam. In Avenione vero mortuo Clemente Antipapa, Anti Cardinales anno Domini M CCC LXXXXIIII. elegerunt Antipapam secundum, Petrum de Luna, Diaconum Cardinalem, appellantes eum Benedictum XIII. qui vixit usque ad Concilium Constantiense, in quo depositus est. Hic Bonifacius fuit vir juvenis, & inauditas gratias fecit. Hic propter schisma præsentibus se confirmavit, & rotulas ipsorum signavit. Hic anno primo sui pontificatus, auctoritate Apostolica decrevit, quod Constitutio Urbani sexti, prædecessoris sui, de celebratione Visitationis S. Mariæ sortiretur effectum. Ipse enim Urbanus VI. pro gratia extinctionis schismatis impetranda, pie statuit festum Visitationis S. Mariæ, cum Octavis, sexto Nonas Julii, annis singulis in Dei Ecclesia, cum laudis cantico, lætitiæ jubilo, cordisque tripudio, per orbem universum solemniter celebrari. Superveniente tamen obitu literæ Apostolicæ super præmissis confectæ minime extiterunt. Hic etiam anno secundo sui pontificatus, post Mariæ Magdalenæ proxima die, transtulit S. Brigittam. Fuit autem Sancta Brigitta nata de regali semine, uxor Andreæ Comitis Sveciæ, quæ venit Romam, & tempore Gregorii undecimi, regnante Carolo IV. mortua est ibidem & sepulta. Hæc in Bascano, (Wastano) vulgariter Watscam, (Watstein), in regno Sveciæ fundavit Monasterium, in quo cœpit Ordo Salvatoris, quem ipsa statuit, quemque ipse Bonifacius nonus confirmavit. Hic inclinatos supplicationibus dilectorum sibi filiorum, nobilium virorum, Stephani Friderici & Johannis, fratrum Ducum Bavariæ, more pii patris saluti animarum fructuose providere volens, auctoritate Apostolica indulsit, ut in anno Domini MCCCXCII. a Dominica tertia Quadragesimæ, usque ad Octavam S. Jacobi Apostoli majoris, ex tunc proxime futura inclusive, gratia anni Jubilæi esset in opido Monacensi, vulgariter Munichen, Frisingensis diœcesis. In quo quidem opido sacramentum corporis Christi miraculose inventum, pars coronæ spineæ ejus capiti impositæ, ac de ligno S. Crucis, & plures venerabiles SSorum reliquiæ, diversis, ut tunc dicebatur, coruscantia miraculis, solemnitate maxima conservantur. Hic Bonifacius obiit Romæ, sepultus ad S. Petrum. Hujus temporibus media pars civitatis in Strawbing, a fulmine accenso, periit. Versus:

M tercenteno dabit iter nonaque geno,
Viti profesto Strawbing perit igne molesto.

Tunc factum est miraculum sub silentio non transeundum. Fuit in civitate eadem civis quidam annosus, nomine Jordanus, Vetz cognominatus; & est ibi V. in illa dictione Vetz, violenter proferendum. Hic in domum suam, magnam prope turrim, in medio civitatis Strawbing, versus Austrun tegulis ligneis tectam, dum civitas incendio flagraret, posuit imaginem S. Petri, quem semper in magna reverentia habuit, dicens: Sancte Petre, ego semper tibi servivi, obsecro ut domum meam custodias. Quod si tu non feceris, una cum domo combureris. Et factum est, dum in illa tota media parte civitatis propter incendium nihil remaneret, hæc sola domus in medio ignis illæsa permansit.

Anno Domini MCCCXCV. (al. 1396.) vel citra, factum est passagium contra paganos: tuncque Johannes Dux Burgundiæ, missus a Karolo rege Franciæ cum multitudine magna per Bawariam, venit contra ipsos paganos. Quem sequebantur multi de nostratibus, inter quos præcipuus erat Dux Rupertus, filius Ruperti, Comitis Palatini Reni, & Ducis Bawariæ, qui & postea Romanorum Rex. Sed quid multitudo sine juvamine divinæ gratiæ? Nam Dux Johannes cum multis captivatur: cæteri omnes aut submerguntur aut interficiuntur, aut fugantur: e quibus Dux Bawariæ cum magna penuria revertitur, sed statim post Ambergæ moritur, & ibidem sepelitur: de captivatis multi decapitantur: Dux vero Burgundiæ reservatur, & paulo post a captivitate solutus, in Burgun-

gundiam revertitur, ubi multis annis postea dominatur; & postremo a Thelphino occiditur. Causam autem internecionis hujus magni exercitus Christianorum quidam dicebant esse Francorum, propter lubricam & inordinatam vitam ipsorum, cum terras nostras pertransirent. Alii dicebant, esse animositatem ipsorum, eo quod in acie belli se Hungaris præferebant. Alii dicebant esse fugam ipsorum Ungarorum cum Sigismundo rege ipsorum. Hic tamen dicitur dixisse: Ungaros in acie belli constituite: quod si non feceritis, de juvamine ipsorum certos vos reddere non valeo. Quid autem horum interfuerit, novit ipse, quem latere nihil potest. Sed & hoc notum est, quod sola cruce, Christo duce, unus fugat millia.

Rupertus Comes Palatinus Reni, regnavit annos X. CIIII.

Wentzeslaus depositus Rex Bohemiæ.

Anno Domini MCCCC. deposito Wentzeslao, Rupertus Comes Palatinus Reni & Dux Bawariæ, ab Electoribus electus, regnare cœpit, regnavitque annis decem. Versus:

Mille quadringentis Augusto mense fit annis,
Bawarus electus Romanorum Rex, homo rectus.

Wentzeslaus tamen quamdiu vixit, regem Romanorum se scripsit. Hic Rupertus benedictionem Imperialem non habuit. Hic fuit Orthodoxus, mansuetus, in rebus bellicis strenuus, & in defensione oppressorum solicitus. Hujus consiliarii inter cæteros fuere Doctores egregii Conradus de Soltaw, Episcopus Urdensis, Mathæus de Cracovia, Episcopus Wormacensis, Nicolaus Prowin, natione Misnensis, & Ulricus natione Svevus, Episcopus Verdensis: qui propter adhærentiam Gregorii Papæ duodecimi, ab eodem Episcopatu removetur: & tandem in concilio Constantiensi, per Eberhardum Episcopum Saltzburgensem ad Ecclesiam Seccoviensem in Episcopum promovetur. Hic ante regnum a vulgo vocatus est Hertzog Chlem, Chlem autem interpretatum sonat pressura: quod nomen eum quidam dicunt accepisse a patruo suo Ruperto, qui dictus est Ruffus, eo quod primum pressus paupertate modicum habuit: vel ideo, quia dum esset puer, idem Rupertus, vocatus Ruffus, florenum sibi dedit; Quem dum jocando ab eo repeteret, non solum dare distulit, sed etiam tam tenaciter & compresse tenuit, ut hic cognomen Chlem tunc sibi imponeret. Alii dicunt eum sic vocatum, eo quod fortiter hostes reipublicæ presserit. Hic anno Domini MCCCCI. tempore Bonifacii Papæ noni, in octava S. Augustini venit Ratisponam: ubi cantato Responsorio Salus nostra, cum reliquiis a clero & populo honorifice suscipitur. Postea eodem itinere cum exercitu magno intravit Italiam pro Imperiali benedictione Romæ accipienda. Sed impeditus per Ducem Mediolanensem, qui civitates Romani Imperii occupabat, cum magno detrimento suorum ad propria est reversus. Eodem anno circa finem Februarii in Occidente post occasum solis plusquam per mensem per plures noctes apparuit stella, quæ Cometa nuncupatur. Hæc, sicut dicit Hugwicio, quando apparet, semper significat mortem, vel mutationem alicujus Principis, vel alicujus patriæ destructionem, & semper dirigit radios suos ad illam partem, cui minatur. Quidam tamen dicunt, quod non est stella: sed est quædam nubes, ignea claritate accensa, quod magis credimus. Hæc Ugwicio. Quid autem hæc Cometa tunc significaverit, nescio: multa tamen mala post ejus apparitionem, sicut in sequentibus narrabitur, evenerunt. Eodem anno Magister Petrus, Presbyter professus Monasterii in Castello, Ordinis S. Benedicti in Reichenbach constitutus, Boecium de consolatione Philosophiæ transtulit de Latino in Theotonicum. Hic sepultus est in Castello, vulgariter *zu Chastel*.

Innocentius Septimus, ante vocatus Cosmatus, Cardinalis S. Crucis in Jerusalem, natione fuit Bononiensis. Hic Romæ in conclavi, cum adhuc Cardinalis esset, cum cæteris Cardinalibus juravit ad Sancta Dei Evangelia, corporaliter manutactis: quod si per Dei gratiam aliquem ex ipso cœtu Cardinalium eligi subtingeret in futurum summum Pontificem, ille talis sic electus, quantocius commode fieri posset, omni tergiversatione ac dilatione remota, etiam usque ad renunciationem seu cessionem per eum fiendæ inclusive, quod si expediens fuerit, totis viribus & posse faciet, quod schisma, quo Sancta mater Ecclesia diu divisa & lacerata ad unitatem toti orbi necessariam reducatur. Hic factus Papa: sed breve tempus vivens, decessit Romæ. MCCCCVI. facta est eclipsis solis, proxima die post festum S. Viti martyris. MCCCCVII. tanta fuit constringentis hyemis obtusitas, ut a festo Martini, usque ad festum Purificationis S. Mariæ nulla nix liquesceret. Et circa festum Purificationis, cepit esse subita excrescentia aquarum, ita quod glacies in spissitudine & fortitudine per aquas elevabatur, & cum glacies in Danubio & Regnio fluviis prope nostrum Monasterium jungeretur, Ambo fluvii relicto naturali cursu retro fluere cœperunt, sic quod aqua per januam, sitam versus Orientem flueret in nostrum ambitum, ad modum vivi rivuli. Inveniebatur tunc glacies, quæ secundum spissitudinem habebat longitudinem virilem.

Gregorius XII. sedit annis duobus vel plus in schismate. 209.

Benedictus XIII.

Gregorius XII. ante vocatus Angelus de Corario, natione Venetensis, de cœtu Cardinalium electus Romæ fuit, vir senex & doctus. Hic etiam sicut Innocentius VII. juravit & vovit, sicut & cæteri Cardinales, quod si in Papam assumeretur, pro unione in Ecclesia Dei reducenda & schismatis exstirpatione, & renuntiaret papatui, & juri quod posset sibi competere in illo: dum tamen Benedictus pariter renuntiaret, vel moreretur: dummodo tamen Cardinales qui Domino Benedicto adhæserant, vellent

lent sic convenire, cum Dominis Cardinalibus Romæ existentibus, quod sequeretur electio unius veri & indubitati pastoris & Summi Pontificis. Factus igitur Papa, literas suas, præmissa continentes, misit fere ad omnes Pontifices, Principes, Universitatesque studiorum, & quod ea volebat inviolabiliter servare. Postea vero licet ipse Dominus Gregorius Papa XII. in civitate Senarum & Lucana, deinde, ubi aliquantulum temporis tenuit sedem suam, quadam collusione, sicut & Dominus Benedictus Papa XIII. nuncupatus in sua obedientia, locum in quo celebrandum erat concilium generale, ita difficultaret, quod omnino non possent; Cardinales tamen utriusque obedientiæ, anno Domini MCCCCIX. XXV. die mensis Martii, in civitate Pisana convocant concilium generale; quæ civitas alias per ambos contendentes de papatu ad consummandum pacis & unitatis vinculum fuerat electa, nominata, & conveniens reputata. In hoc concilio prædictus Gregorius una cum Benedicto deponitur, ac solemniter de papatu ejicitur, tanquam schismatici, & antiqui schismatis nutritores; & Dominus Petrus de Candia in Papam eligitur, & Alexander sextus appellatur. Huic electioni sive concilio Illustrissimus & Serenissimus Princeps Rupertus, Rex Romanorum per Ambasiatores suos appellationem in Pisis in ecclesia Prædicatorum interposuit, ex quo novum schisma, sicut in sequentibus patebit, sumsit initium.

Anno Domini MCCCCIIX. adhuc regnante in Bohemia Wentzeslao rege, desolatum est studium generale, quod Karolus quartus Romanorum Imperator, pater dicti Wentzeslai Regis, in Praga erexerat, & literis Imperialibus privilegiaverat; cujus desolationis causa sic incepit. Fuere in eodem Studio, sicut dictum est superius sub Karolo quarto Romanorum Imperatore, quatuor nationes, scilicet Bavarorum, Bohemorum, Saxonum, & Polonorum. Bohemi igitur, tanquam canes in foribus propriis, audaces per plures annos, ut aliis se possent præferre, opiniones sive vias, contra consvetum modum studii Pragensis in argvendo tenebant, appellantes illas viam ipsorum: in qua tamen ipsimet vel raro vel nunquam concordabant. Hanc viam Magistri cæteri considerantes, dicebant, eam esse viam verissimam ad hæresin, sicut & factum est. Nam Bohemi, ut viam sui pestiferi affectus deducerent in effectum, hæretica dicta Johannis Wiclef suis viis inseruerunt: & ut hæc defendere possent, occasionem recedendi ab aliis tribus nationibus quæsiverunt. Wiklef vero est nomen villæ Eboracensis diœcesis, quæ est una metropolis in Anglia, de quo dictus est hic hæresiarcha Johannes Wikleff, Presbyter & Doctor Theologiæ. Wikleff interpretatur Anglice, Latine sonat iniqua vita. Post diversis hinc inde actis, Bohemi a Rege Wentzeslao in privilegio obtinent, ut sola natio ipsorum Bohemorum æquivalere debeat in voce aliis tribus nationibus. Quod licet privilegium ipse Wentzeslaus ad instantiam aliarum trium nationum postea infringeret, constans tamen in hoc non permansit. Interea scelestus quidam Laycus, sed tamen Magister Artium, Ieronymus: Auctor iniquitatis, & Johannes Huls, Baccalaureus in Theologia, alterique eorum complices de natione Boëmorum, occulte & manifeste sibi attrahebant regem, reginam & populum. Pensanter hoc aliæ tres nationes, concorditer & unanimiter venerunt & juraverunt, velle omnes potius ab Universitate Pragensis studii recedere, & ad eam nunquam reverti, quam privilegia imperialis Majestatis pati infringi. Exulantes igitur collegiatos, nobilis ille Fridericus Margravius Misniæ, & Lantgravius Thuringiæ, fraterque ejus Wilhelmus recolligit, & in civitate sua Lewczk studium generale erigit. Ex tunc apparuit, quomodo bona actio cum elevatione non elevat sed gravat. Nam Bohemi sibi ipsis in suis observantiis placentes, & dicentes: Bohemum non posse hæreticum esse; dum cæteros superbe & falsissime bestias & hæreticos vocant, ipsimet præter paucos facti sunt hæretici, impleto communi antiquo proverbio, in scholis puerorum usitato, scilicet: Non est fides in Bohemo: de quo plenius dicitur infra sub Sigismundo, & pagina Pontificum, sub Johanne XXIII. Anno eodem in hebdomada quarta Paschæ factum est Tornamentum Ratisponæ, præsentibus Stephano & Henrico, Ducibus Bawariæ. Hic Stephani filius, nomine Ludwicus, tunc temporis regebat regnum Franciæ, eo quod sororius suus Karolus, rex Franciæ, comparationis non esset. Prædictus vero Henricus filius quondam Friderici, Ducis in Lantzhut, qui fuit frater dicti Stephani, Ducis in Ingelstat. Eodem anno circa festum S. Bartholomæi, adhuc adolescens congregat exercitum magnum, faciens famam, quod velit venire in auxilium Ducibus Austriæ, sed dolorose (dolose.) Invitat enim Consules civitatis in Lantzhut, in castrum suum situm ibidem, quasi commendaturus ipsis regimen principatus in sui absentia. Quos omnes facto prandio captivavit, cogens minis quamplures alios sibi ex dicta civitate Lantzhut captivos præsentari; quos cum prædictis Consulibus, numero fere quadraginta depecuniavit. Propter quod anno secundo sequenti in die parasceves orta seditione in dicta civitate, una pars castrum ibidem aggreditur, sed frustra in civitatem egreditur. Ob quod dictus Dux multos miserabili morte damnavit: alios præscriptos in exilium misit. Causa autem originalis hujus rei, sicut dicitur, fuit odium nobilium in cives, & quodammodo præsumtio civium. Eodem tempore Johannes electus Leodiensis, filius quondam Alberti Ducis Straubingæ, qui fuit filius Ludwici Imperatoris, ab ipsis Leodiensibus in Trajecto superiori obsidetur, eo quod dictus Johannes per plures annos dictam sedem Leodinensem sub titulo Electi tenuit, nolens de simplici & plano nec fieri presbyter nec laicus. Leodienses itaque in hac obsidione tanta ferocitate feruntur, ut mulieribus, propter pecuniariam de civita-

te

te expulsis impudice mamillas amputarent, & vestes circa femora abscinderent. Wilhelmus igitur Dux Bawariæ, Comesque Hollandiæ, frater ipsius Johannis electi, & Johannes Dux Burgundiæ ejus sororius, cum alias Johannem electum Leodiensem juvare contra Leodienses recusarent: videntes tamen eum in articulo mortis constitutum, exercitum decem millium virorum pugnatorum contra ipsos Leodienses movent, & progressos aliquantulum ab obsidione bello aggrediuntur, omnesque occidunt, ita ut vix evaderent, qui cæteris factum narrarent: ex parte altera circiter decem tantum occumbentibus. Versus:

Anno milleno C quater & semel octo,
Septembri mense, XXIII. die,
Leodii gentes lacrimosi nunc modo flentes,
Sunt gladio cæsi corporibus undique læsi,
Per Hollandrinos prostrati Burgundiosque,
Triginta millia quinque plus adde virorum.

Item in prædicto bello de exercitu Leodiensi occisi sunt XXXV. millia virorum, & trecenti & plures postmodum, ita quod fere æstimatur ad quadraginta millia utriusque sexus, qui interemti sunt.

Alexander Quintus, sedit mensis X. dies VIII.

CCX.

Gregorius XII.

Benedictus XIII.

Alexander quintus, ante dictus Petrus de Candida (Candia,) Presbyter Cardinalis, ordinis fratrum Minorum, depositis Gregorio & Benedicto in Pisano concilio, in eodem concilio in Papam est electus. Horum tamen uterque, scilicet Gregorius & Benedictus, post depositionem ipsorum, factam in Pisano concilio, inobedientia sua Papam se nominavit: sicque hoc schisma trium, quorum quilibet se Papam nominavit & scripsit, continuatur schismati præcedenti, quod cœpit tempore Urbani VI. De hoc tamen schismate plenius, & quomodo per Dei gratiam finem acceperit, infra patebit. Hic approbante sacro Pisano concilio, ex certis, magnis & arduis causis decrevit ad triennium, videlicet anno, quo dicitur M CCCC XII. generale concilium Ecclesiæ in civitate seu loco habili & decenti fore convocandum. Hic etiam constituit celebrare concilia provincialia, per metropolitanos, & synodos per eorum suffraganeos, secundum formam juris. Item ordinavit & mandavit Capitula Monachorum Nigrorum & Canonicorum Regularium secundum formam concilii generalis & Constitutionis felicis recordationis Honorii tertii & Benedicti XII. Hic fuit vir senex, & defunctus est in Bononia, in die S. Floriani, & in capitulo monasterii fratrum Minorum ibidem tumulatus. Idem versus:

Lucifer & Luna dum dicerentur ab una,
Mitra Papali sub concilio generali,
Quintus Alexander præcellens valde magister,
De Græcia natus est Pisis Papa creatus
Post M. C. quater, tria si posthæc repetis ter
In Jo Par festo, cujus facti memor esto.

Anno Domini M CCCC IX. Albertus Stauffer, Canonicus, summusque Scholasticus Ecclesiæ Ratisponensis, canonice a Capitulo electus, eidem Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic ut statum ejus decuit, vir fuit dignis moribus. Quibusvis enim, etiam minimis, ut frequenter, per inclinationem capitis reverentiam exhibuit. Hic moderatam curiam habuit, & Ecclesiæ in temporalibus multum utilis fuit. Nam castrum Hohenburg in Norico situm, quod prædecessor ejus Johannes alienaverat, a Ludwico Duce in Ingelstat, habitis multis laboribus, tempore Concilii Constantiensis, pro octo millibus florenorum redemit, & Episcopatui adjecit. Divinius tamen actum esset, si de bonis Ecclesiæ secundum posse benefecisset, & accipere munera a subjectis non canonice obmisisset. Idem Synodum ordinariam anno decimo sui pontificatus solemniter celebravit, in qua, sicut alibi latius scripsi, statuta provincialia Eberhardi Archiepiscopi Saltzburgensis sunt promulgata: & institutum est, ut deinceps tempore pulsationis campanæ majoris cujuslibet loci, circa horam nonam, cujuslibet diei Veneris, præterquam in die Parasceves sancta, qua pulsus fit ad tabulas sive ligna, pro memoria exspirationis sive mortis Christi per diœcesin Ratisponensem, (sicut & per totam provinciam Saltzburgensem Eberhardus Archiepiscopus præcepit & mandavit fieri) ut psalmus Deus Deus respice in me meus dicatur, aut quinquies Oratio Dominica, cum tot salutationibus angelicis. Hæc tamen institutio moribus utentium non ab omnibus est firmata. Item pro reformatione cleri & religiosorum diversas literas per diœcesin suam scripsit: unde & ipse quosdam personaliter visitavit. Anno MCCCCXX. Albertus Episcopus Monasteria quædam visitavit, & veniens in Prufing causa visitationis, tunc quidam Monachus Presbyter, motus passionibus animi sui, dum in melius proficere recusaret, cunctis aliis sedentibus & ignorantibus, vocato ad se juvene scholare suo, solus exiit, tabulatumque Monasterii ascendit, & se ipsum, trahens juvenem in medium chori, deorsum præcipitavit, sicque tali casu in eodem loco mox exspiravit, juvenis vero vivens evasit. Item Albertus perpendens, quod Magister Conradus de Hildeshaym, Licentiatus Decretorum Presbyter & Capellanus S. Georgii secus pontem Ratisponæ, Jurista civium, pecuniam, quam a Domino acceperat, in sudario; hoc est, percepta dona sub otia lenti corporis abscondere nollet, ordinavit, ut legeret in jure Canonico, in aula sua episcopali: quod & factum est, anno sui Pontificatus XI. Item Pontificatus ejus anno ultimo, feria secunda post Dominicam, qua cantatur Quasimodogeniti in Ecclesia Cathedrali, solemniter degradavit Grunssleder, presbyterum de Vahendram oriundum, & Ratisponæ ab adolescentia educatum propter hærosin Hussitarum: (&) quia conci-

concilium Constantiense impugnabat, defendens & dicens, Johannem Husſ, hæresiarcham, in eodem concilio legitime non fuisse condemnatum; tradidit ipsum pertinacem curiæ seculari: qui mox a judice, cujus quondam pædagogus fuerat, ducitur ad comburendum. Item anno eodem, scilicet ultimo sui Pontificatus, a quodam Decano seculari suæ diœcesis apud sedem Apostolicam accusatur, & ut personaliter compareat, citatur. Cui tamen per Dominum Henricum plebanum in Strawbing, Doctorem Juris Canonici, quem ad curiam Romanam causa hujus negotii misit, ut per procuratorem compareat, obtinetur. Tuncque guerra magna fuit in Bawaria, in qua ipse Albertus Episcopus principibus contra Ludwicum Ducem in Ingelstat in adjutorium fuit. Sub hoc turbine ipse tentus in senectute, acceptis sacramentis Ecclesiasticis, feria quinta, in die septem fratrum moritur, & in Capella S. Florini, quæ est sita in area cathedralis Ecclesiæ, quam ipse dudum ante episcopatum dotaverat specialiter, (sepelitur.)

Anno Domini MCCCCX. Rex Rupertus in proposito sub contra Concilium Pisanum, in obedientia Gregorii in Oppenheym moritur, & Haydelbergæ ad S. Spiritum XVI. die mensis Maji sepelitur. Et sequenti anno mortua est conthoralis sua regina, filia Burggravii de Nurnberg, relinquentes superstites quatuor (filios,) scilicet Ludwicum, Johannem, Stephanum, & Ottonem. Quomodo autem hoc in tempore cœperit & fuerit schisma in Alemannia propter contendentes de Papatu pro eo, quod Rupertus Rex Romanorum contra Concilium Pisanum appellavit. Hujus temporibus ortum est schisma pessimum per particulares ecclesias in Alemania, quod accidit hoc modo. Damnatis in Pisano Gregorio XII. & Benedicto XIII. & electo Alexandro V. Rupertus Rex Romanorum ad diversas terras & loca literas scripsit, declarans & conquerens, quomodo ipse semper, ut fidelis Ecclesiæ Advocatus, a longis temporibus toto cordis affectu optaverit & optet unionem Sanctæ matris Ecclesiæ: ipsum autem concilium Pisanum non sit legitime celebratum, & ex multis causis pro generali concilio non tenendum, nec unionem Sanctæ matris Ecclesiæ, sed majorem scissuram induxerit. Quapropter ipse, sicut hactenus fuerat, in obedientia Gregorii constanter vellet manere, quousque de ipso Gregorio legitime & canonice esset decretum. Interea Alexander Papa, cui major pars Christianitatis adhærebat, & Rex Rupertus, infra annum rebus excedunt humanis, & Alexandro Papa succedit Johannes XXIII. Ruperto vero in regno succedit Sigismundus. Mortuo igitur Ruperto rege, filii ejus Ludwicus, Johannes & cæteri, constanter in obedientia Gregorii XII. sicut & pater ipsorum perseverant. Unde omnes sub eorum dominio, ut obediant Gregorio Papæ, & non Johanni, potenter compellunt. Nolentes vero obedire, beneficiis privant, eadem aliis, existentibus voluntatis eorum conferendo. Tunc quidam clericus secularis, natione Hasso, nomine Hermannus, titulo Ebronensis Episcopi a Gregorio impetrato, venit Ambergam, celebrans ibidem, & in territoriis adjacentibus, quæ erant sub dominio filiorum prædicti Ruperti regis, pontificalia: ex quo Episcopo nostro Alberto, cæterisque, magna fiebant detrimenta. Et duravit hoc schisma usque ad Concilium Constantiense, de quo postea dicetur, in quo totaliter fuit sopitum. Item anno primo pontificatus Alberti Episcopi Ratisponensis, Conradus Haller, Præpositus hujus loci moritur. Post cujus mortem Conradus Ekger, plebanus in Saler, in Præpositum postulatur. Qui resistere nolens divinæ voluntati, factus est Præpositus hujus Monasterii, scilicet S. Magni, in præurbio Ratisponæ, & ipsum Monasterium a debitis maximis exoneravit: quod Deus ipsum tali fine concedat claudere, ut post hanc vitam possidere mereatur æternam.

DE ORIGINE DUCUM BISCOMITUM MEDIOLANENSIUM.

Cum Deus bonitatis suæ claro gubernare omnia jure credatur, & sæpe bonis jucunda, malis aspera; contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat; & tamen cuncta recte ab eo fieri, considerata ordinis ratione, non dubitentur: libet hic, quemadmodum vir discretus Franciscus Putreich, civis Ratisponensis, mihi retulit originem Ducum Mediolanensium inserere, eo quod unus eorum quodammodo causa extitit, quod Rupertus Rex Romanorum ad Imperialem benedictionem non pervenit. Igitur temporibus Henrici VII. fuit in partibus Liguriæ vermis quidam, quem vocabant Bischon, similis lacertæ, magnus ad modum vituli, cujus pellis adhuc in Mediolano monstratur: qui plurimos sæpe in fugam convertebat. Unde plurima loca, hominibus habitabilia, deserta faciebat. Ex quo motus Imperator prædictus fecit edictum, quod, quicunque vermem hunc occideret, ipsum, vel suos hæredes Imperiali munificentia ditaret. Quod cum nemo facere auderet, quidam calceator Mediolanensis ob spem retributionis imperialis, vermem aggreditur, & percusso eo in capite, ipsum in terram stravit. Timens autem, ne forte mortem simularet, ipsum in aliam partem corporis percussit, unde virus ab eo exivit, ex quo ipse infectus, post paucos dies obiit, relinquens filios tres superstites, scilicet Lukinum de uxore prima, Galiatz autem & Barnabo fratres de uxore secunda. Interea Henricus Imp. moritur, & Ludwicus quartus, natione Bavarus in Imperio succedit. Qui volens remunerare dictos tres pueros, pro re gesta a patre ipsorum, ipsos dicto de Cribegi, Teutonice *dem von der Reittern*, Vicario tunc temporis Romani Imperii per Lombardiam committit. A quo Lukinus, quia senior erat, ad scholas mittitur: qui statim in magnum Philosophum crescens, factus est Mediolanensis Archiepiscopus. Hic fratres suos prædictos Galiatz & Barnabo, ob discendam sapientiam Parisios ad regem Franciæ misit. Qui post-

postquam creverunt, promoti a dicto Lukino, Archiepiscopo Mediolanensi, fratre ipsorum, apud Ludwicum Imperatorem, facti sunt ab ipso Ludwico Vice-Comites. Dicti sunt Vice-Comites, ut volunt quidam, Biscomites; eo quod pater ipsorum vermem, Bischon nuncupatum, modo prædicto interfecit. In cujus rei signum numisma monetæ ipsorum, quomodo vocant, in una parte habet vermem, masculum vorantem; vel ut alii sentiunt, dicti sunt Biscomites, eo quod bina dignitate præcellere debeant Comites. Postquam autem facti sunt Vice-Comites, Lukinus Archiepiscopus frater ipsorum, datis muneribus ab Ulrico de Augusta, Cancellario Ludwici Imperatoris, ipso Ludwico ignorante, literas obtinet, quibus ipsi fratres, Galiatzius scilicet & Barnabo, in Vicarios Romani Imperii per Italiam assumerentur, abjecto dicto de Cribegi, Vicario ab ipso Ludwico constituto. Sic primum facti Vicarii Romani Imperii, ipsum Vicariatum, cum juvamine fratris ipsorum Archiepiscopi potenter obtinent. Ad hos missus Urbanus Papa quintus ante Papatum, in legatione sedis Apostolicæ, coactus est ab eis literas Apostolicas cum bulla comedere: de quo vide superius in pagina Pontificum. Sub Urbano V. horum fratrum prior, scilicet Galiatz moritur, relinquens uxorem filiam Comitis Sabaudiæ, vulgariter *von Sophoy*, mulierem callidam nimis: de qua genuerat filium æquivoci nominis, nomine Galiatz. Barnabo autem plures filios habuit & filias: ex quibus unam ob firmiorem amicitiam desponsavit Galiatz, filio fratris sui: Dominam vero Tatheam Stephano Duci Bawariæ in Ingelstat; ex qua genuit Ludwicum: Magdalenam vero Friderico Duci in Lantzhut, fratri dicti Stephani, ex qua genuit Heinricum. Hic Barnabo ductus cupiditate regnandi, multis modis cogitavit generum suum Galiatz opprimere, ut ipse solus posset regnare. Quod dum conspiceret fieri non posse, veneno ipsum variis modis extinguere molitur. Fingit itaque primum societatem, in qua vult omnes similes caligas deferre. Mittit igitur duas venenatas genero suo; volens ut se faciat suæ societatis participem. Videns hoc mater ipsius Galeatz, mulier callida nimis, consulit filio, ut hujusmodi calidæ examinentur prius, quam ipsis calceetur. Quod dum factum fuisset, indutus iis statim veneno infectus exspiravit. Deinde ipse Barnabo per aliam societatem in tunicis similium specierum ipsum Galiatz generum suum extingvere (conatur); sed frustra, sicut prius per caligas. Considerans igitur Barnabo, se hoc modo interitum suum perficere non posse; ephebum, hoc est, juvenem pulcherrimum nutriri cum veneno ab infantia procurat; quem quodam tempore paschali ipsi Galiatz misit, utpote qui ministraret in conspectu ejus. Erat enim curialis per omnia ut vel sic ipse Galiatz ex frequenti aspectu ejusdem juvenis infectus moreretur. Mater igitur ipsius Galiatz, suspicans, quod per ipsum juvenem fraus forsan fieri posset, rem examinat hoc modo. Ponit enim nocte quatem alium juvenem ad ipsum, qui eadem nocte infectus ab eo inventus est mortuus. Hoc viso, mater alloquitur filium, dicens: Ecce vides, quomodo socer tuus subvertere te nititur. Si audire me volueris, ista omnia faciliter in eum retorquebis. Ex consilio igitur matris Galiatz habitum militarem deponit, & griseum ad modum Beghardi, quem Italici Pytzocker appellant, assumit, & die noctuque incubat precibus, postponens quodammodo omnia terrena. Processu etiam temporis omnes exactiones novas, quas vocant *Ungelt*, in omni Comitatu suo tollit atque relaxat, dicens, has exigere, esse contra divinam justitiam. Paulo post vocat omnes offensos a se vel a patre suo, quibus omnibus de rebus injuste ablatis dignam facit recompensam. Dum igitur hæc fierent per Galiatz, ipse maximum favorem populi meruit, utpote vir bonus & timens Deum. Barnabo vero socer ejus cum filiis suis ipsum per hoc magis abjectum habebat, & suos multum gravabat. Præterea etiam Barnabo, invidens bono regimini Domini Benedicti Abbatis monasterii dicti Galasena, Leodiensis diœcesis, ipsum venire ad se præcepit; & quærens occasionem ipsum offendendi, seriose ab eo quæsivit, dicens: Dicite mihi, quid jam Deus operatur in cœlo? Ad quod Abbas, tanquam vir prudens & discretus, respondit: Ego non solum dico vobis, quid Deus jam operatur; nihilominus etiam quid omnis cœlestis exercitus. In angustiis igitur positus, Abbas compulsus ad loquendum, dixit: Deus jam facit scalas ascendentium & descendentium, sicut potest, per universum orbem; ad quas faciendas singulis cœlestis exercitus certa deputata sunt officia. Fecit autem tibi scalam jam triginta interscalarium, in cujus penultima constitutus jam es, posuistique pedem unum super extremam interscalarem. Timeo vero, ne dum pedem attrahere volueris, per scalam corruas retrorsum. Ad hujusmodi prudentem responsionem Barnabo mitigatus, ipsum Abbatem illæsum abire permisit. Considerans igitur Galiatz cunctos sibi esse favorabiles, eo quod ipse oppressos quos potuit relevaret, Barnabo opprimeret: dolum, quem habebat in affectu, deduxit in effectum. Induit namque se cum familiaribus armis occultis, & venit sub specie Pytzocker, quasi ad orationem, in Ecclesiam S. Mariæ, sitam in opido Parlaytschin, quod a Mediolano ad unum milliare Teutonicum distat; misitque ad Barnabo socerum suum, qui erat Mediolani, rogans quatenus ipse cum suis filiis ad eum causa solatii venire dignetur. Quod dum Barnabo faceret, ecce Medisma, qui erat Camerarius ipsius Barnabo, in via venit de Parlatschin, dicens ipsi Barnabo Domino suo: Videte, quid facitis: ipsum enim Galiatz secrete armatum consideravi. Quem cum indignatione Barnabo repulit, tanquam nitentem discordiam inter se & generum suum Galiatz seminare. Sicque Barnabo non diffidens de bonitate generi sui Galiatz, venit ad eum ad prædictam Ecclesiam S. Mariæ. Quem mox Galiatz comprehensum, captivum duxit in

in Mediolanum. Quod audiens omnis populus, in tribus diebus relicto Barnabo, Galiatz sumsit in dominum. Tunc Galiatz accepto dominio, cæteras filias ipsius Barnabo desponsavit, tradens Antoniam filiam quartam Comiti de Wirtemberg: Johannam Comiti Montuæ, vulgariter zu Montall; unde Virgilius Poëta, quem vocant, filius de Zamber, extitit oriundus, & ubi est Camera Imperii: Elyzabeth vero Ernesto Duci Bavariæ in Monaco, ex qua genuit Albertum. Hunc Galiatz Benzeslaus Rex Romanorum & Bohemiæ, ex Vicecomite & Officiali Lombardiæ, fecit Ducem ipsius Lambardiæ; & Comitem Paviæ, acceptis aureis, non obstante titulo & fama regiæ majestatis. Dum autem ipse Wentzeslaus ob hanc & alias causas depositus esset a regno Romanorum, & Rupertus Comes Palatinus Reni, & Dux Bavariæ, in regem Romanorum esset electus atque coronatus, & pro adipiscenda corona Imperiali Romam tendendo venisset in Italiam, idem Galiaz, promisit Regi Ruperto, quod vellet eum sub expensis suis deducere Romam & reducere, dummodo sibi literas sui ducatus roboraret. Quod cum Rupertus, utpote Romanorum Rex semper Augustus, facere nollet, ipse Galiatz sibi restitit, ac iter ejus, quo venire Romam voluit, impedivit: sicque coactus ipse Rupertus, cum magno detrimento suorum in Alemaniam est reversus, ac ad Imperialem benedictionem non pervenit. Aliam quoque historiam prædictus Franciscus Putreich mihi plenius retulit, quæ quia respicit dignitatem civitatis nostræ Ratisponæ, & magnanimitas volentium jura antiquorum defendere, in ea pensatur, eam hic inserere curavi. Temporibus Karoli quarti Nurnbergenses, utpote qui magna negotia tractarent, locum supremum, qui debebatur Ratisponensibus, in domo Teutonicorum Venetiæ sibi usurpavere. Animadvertentes hoc Ratisponenses concorditer tantam summam aurearum Venetiam miserunt, quod una vice pro promtis aureis tanta mercati sunt, quanta omnes Nurnbergenses Venetiæ mercati. Hoc pensantes Consules Venetiæ, Ratisponenses in antiquo jure, quod primum locum in domo Theutonicorum ibidem habent, conservare. Processu tamen temporis, regnante Wentzeslao rege Romanorum, Nurnbergenses iterum cœperunt sibi dictum locum supremum usurpare. Fuere autem tunc temporis Venetiæ Matheus Rantinger, & sæpe dictus Franciscus Putreich adhuc adolescens, cives Ratisponenses; qui dolentes perdere locum antiquum civitatis Ratisponæ, ipsum baculis impositis Nurnbergenses voluerunt conservare. Propter quod causa devoluta fuit ad Ducem & Consules Venetiæ. Fuit autem Dux solus favorabilis Ratisponensibus, sed occulte. Erant enim tunc multi Nurnbergenses Venetiæ personaliter, singuli singulos habentes fautores. Ex informatione igitur Ducis, dictus Franciscus in publico concilio proponit jura antiqua, & dignitatem Ratisponensis civitatis, & specialiter, quomodo e proximo Ratisponenses pro promtis florenis una vice sive die tanta essent mercati, quanta Nurnbergenses pro induciatis per circulum anni: adjungens ad hæc jacturam, quam ipsi Venetiani ibidem tunc personaliter constituti pro hoc essent passi: qui tamen, nec aliquis antiquorum, nullum damnum a Ratisponensibus suscepissent. Tunc Dux perorans dixit: Animadvertite verba eloquentiæ hujus adolescentis. Consules igitur considerato jure & veritate decernunt bullam Ducis, continentem: Quod Ratisponenses perpetuo locum supremum in dicta domo debeant obtinere. Quæ bulla per dictum Franciscum Putreich, Mathæum Rantinger Ratisponam est deportata. Hæc sic sæpe dictus Franciscus, adhuc Domino largiente, superstes, mihi retulit. De dicto autem, Mathæo Rantinger piæ memoriæ sunt alia digne memoriæ commendanda. Dum enim tempore vitæ suæ processio illa solemnis in festo Corporis Christi per civitatem Ratisponam ex nomine peragatur, dictus etiam Matthæus auctor fuit, ut murus exterior fossati per circuitum civitatis Ratisponæ a porta quæ dicitur ad S. Paulum, usque in occidentalem partem civitatis totaliter duceretur. Item cum quædam plateæ sive viæ in civitate tam profundæ & lutosæ essent, quod diceretur impossibile esse eas pavimentari: ipse auctor extitit, ut fieret pavimentum. Et hæc omnia facta sunt regnante Ruperto Rege Romanorum: cujus regni anno octavo ipse Mathæus Rantinger obiit, sepultus in introitu superioris monasterii, in quo omnis genealogia masculini sexus hujus cognationis defecit. Defecerunt etiam his fere temporibus in civitate Ratispona genealogiæ antiquæ & famosæ, quorum cognomina sunt subscripta: Zand, Oberhöver, Hallern, Sternar, Vessler, Spitzer, Enynkel. Defecerunt etiam genealogiæ militeres, scilicet, dictorum von Starn (Stein), Rinfelss, (Hohenfels, Ernfelsar) omnes, præter Dominum Præpositum Ratisponensis Ecclesiæ, virum decrepitum. Item Massenhauser & Harsskircher, item Weigser, in dominio Ducum Bavariæ.

Johannes XXIII. sedit annis quinque, Constantiæ resignavit.

Gregorius XII.

Benedictus XIII.

Johannes vicesimus tertius, ante dictus Balthasar de Chossa natione Neapolitanus, Cardinalis tituli S. Eustachii, Alexandro V. vita functo electus, duos contendentes de papatu habuit adversarios, scilicet Gregorium XII. & Benedictum XIII. sic in suis obedientiis nuncupatos. Hic Johannes fuit vir bellicosus, pecuniæ cupidus, & in disponendis negotiis callidus. Hic ante papatum, dum esset Cardinalis, Bononiam ut Legatus ingressus in deditionem accepit, & statim, postquam fuit electus, a Bononiensibus quasi interemtus fuit, sed a carnificibus est liberatus. Hic recuperata Romana urbe de manibus hostium, rogatu Romanorum, qui præsentiam ejus pro conservatione

ne

ne urbis plurimum flagitabant, promittentes ei, se daturos Gabellam sive Daciam, scilicet tertiam partem omnium vendibilium, venit Romam: ubi secundum constitutiones Alexandri V., scilicet de concilio ad triennium post concilium Pysanum celebrando, ipse Johannes generale concilium in Romana urbe celebrandum convocat. Videns autem, quod in tempore constituto Prælati, & cæteri, qui hujusmodi concilio generali interesse debebant, nequaquam in tanto numero convenissent, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbatur; ipsum concilium prorogavit: & requisitus instantissime per literas Sigismundi, electi in Regem Romanorum, & Hungariæ regis illustris, ut non properaret pro concilio celebrando, sed supersedere vellet, donec ipse nuncios suos, super hoc instructos ad ejus præsentiam destinaret: ipse Johannes Papa, de voluntate, consilio & assensu fratrum suorum, Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, adventum prædictorum nuntiorum duxit exspectandum. Interea Ladislaus rex Neapolitanus, qui se scribebat regem XII. regnorum, & adversarius fortis Johannis Papæ fuerat, ipsi Johanni Papæ literas mittit continentes omnem reverentiam & obedientiam; ipsumque Johannem divina providentia Papam XXIII. verum & unicum Romanum Pontificem, & in terris Jesu Christi vicarium, Petrique Apostolorum Principis successorem. Tunc temporis fit vociferatio Romanorum contra Johannem Papam, propter Gabellam sive Daciam rerum vendibilium, & alia: nunciaturque adventus Ladislai regis Neapolitani in manu valida contra Romanos. Tunc a Romanis auxilium a Johanne Papa petitur, quod & eis promittitur: Sed & Gabella sive Dacia, quam nos Ungelt vocamus, per præconem revocatur. In signum denique promissi auxilii stipendiarii a Johanne Papa in magna multitudine scribuntur. Romanis igitur non caute provisis, Ladislaus rex manu hostili, non tamen magna, quibusdam, sicut dicitur, ipsum foventibus, urbem ingreditur, Johannes Papa relictis Romanis fuga petitur, urbs damnatur, & Romani plurimi ad Neapolim captivi ducuntur. Hoc facto brevi tempore elapso, Ladislaus rex miserabiliter morte finem vitæ fecit. Dicitur enim quod dum puellam quandam impudice amaret, indigne ferentes hoc ejus fratres carnales, dixerunt matri: Ecce rex sororem nostram polluit. Accipe ergo hoc ungventum, & da sorori nostræ, & dic, ut rege volente sibi commisceri, secrete locum sexus sui cum illo perungat: Quod mox ut fecerit, ipsa concipiet, vel rex semper eam adamabit, & sic omnes per eum ditabimur. Quod dum factum ex svasu matris fuisset, mox ipsa infecta moritur, & rex circa genitalia putrefactus, moriendo etiam pœnam suæ libidinis accepit. Denique post Romanæ urbis miserabilem casum Johannes Papa & Sigismundus Rex de generali concilio celebrando, præhabitis diversis tractatibus, simul concordarunt. Per Apostolicas igitur literas Johannis Papæ, adjunctis literis regis Sigismundi, concilium generale initiandum prima die mensis Novembris, quando numeratur annus Domini MCCCCXIV. in civitate Constantia Maguntinæ provinciæ pronunciatur & decernitur. Ad sacrosanctam synodum hujus generalis concilii in Spiritu S. feliciter congregatam, sanctam matrem & universalem Ecclesiam militantem repræsentantem, Ego frater ANDREAS, ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ alumnus, quantum in me erat, paratus eram etiam cum onere personaliter venire; ob status tamen mei parvitatem, affectum in hoc non deduxi in effectum: & licet hoc intervenerit, ferventius tamen Domino largiente, pro modulo ingenioli mei, acta ipsius generalis Synodi, ut in posterorum notitiam perveniant, scribere curavi, & pauca e multis, prout a fide dignis audivi, vel ex scriptis collegi, hic memoriæ recommendavi. Item Johannes Papa, velut gigas montes transiens, de Italia venit in Germaniam celebraturus concilium generale in civitate Constantia, vulgariter Chostnitz, provinciæ Moguntinæ, terraque Sveviæ: ubi dum personaliter in termino decreto, de quo supra dictum est, consisteret, & concilium adhuc exile esset, voluit, ut voces habere debeant nisi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi: non tamen omnes, sed certi; quorum voces requirendæ sunt in sessione publica, seu publicis sessionibus, & non in particularibus consiliis. In quo ipse Johannes Papa non fuit auditus: sed confluentibus singulis membris singularum nationum ad capita suæ nationis, decretum est, ut synodus ipsa generalis secundum discretiones nationum, ad morum studiorum generalium ordinari deberent: sicque primum factæ sunt nationes quatuor, scilicet, Italica, Gallicana, Germanica & Anglicana: & postremo per eos, qui erant de obedientia Benedicti, introducta est natio quinta, videlicet Hispanica: fuitque in singulis nationibus ordinatum, ut nulla persona fidelis, quæ audiri requirebat, excluderetur, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen Ecclesiæ Catholicæ in fide & moribus respiciebant. Item ad exstirpandum induratum & pestiferum scisma, pro unione Ecclesiæ Dei tres fuerunt modi oblati, scilicet, disceptatio juris, quis illorum trium contendentium verus dici deberet: secundo amicabilis compositio; tertio cessio contendentium de papatu. Et quia primi duo modi pro exstirpatione scismatis, & Ecclesiæ Dei redintegratione impossibiles fore putabantur, rejecti fuerunt, & tertius, scilicet via cessionis, tanquam facilior, celerior, sanctior & justior, amplexatus fuit, & per singulas nationes approbatus. Item Johannes Papa, audita deliberatione nationum, sua spontanea voluntate viam cessionis amplexatus, obtulit eam successive in duabus scedulis: quæ ambæ, quia nimis exorbitantes videbantur, sunt rejectæ. Unde sibi scedula alia, pure concepta, est oblata, cujus tenor sequitur, & est talis: Ego Johannes

Papa XXIII, propter quietem totius populi Christiani, profiteor, spondeo, & promitto, juro ac voveo, Deo & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio, sponte & libero dare pacem ipsi Ecclesiæ, per viam meæ simplicis cessionis papatur: & eam facere & adimplere cum effectu, juxta deliberationem præsentis Concilii, si & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII, in suis obedientiis nuncupati, papatui, quem prætendunt, vel per se, vel per procuratores suos legitimos similiter cedant: & etiam in quocunque casu cessionis vel decessus, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei, ad exstirpationem præsentis scismatis. Hanc scedulam Johannes Papa gratanter & devote suscipiens, legit eam in sessione publica, habita die tertia mensis Martii, anno Domini MCCCCXV. realiter & cum effectu, digitis in pectus suum junctis, & capite inclinato versus aram. Quibus peractis, tenorem dictæ scedulæ etiam cum bulla sua roboravit: post quorum omnium expeditionem & gesta supra dicta in quantam lætitiam & gaudium corda fidelium suscitata fuerint, dicant, qui viderunt. Sed paulo post, scilicet XXI. die mensis Martii, in qua fecit festum S. Benedicti Abbatis, gaudium & lætitia in tristitiam & mœrorem fuerunt conversa, eo quod dictus Dominus noster Apostolicus eodem die, nocte surgente, & sole ad occasum vergente, nescitur quo spiritu ductus, furtive, mutato habitu, de Constantia ac concilio Constantiensi clandestine aufugit, populum sibi fideliter commissum, & supradictum concilium miserabiliter erroneum dimisit, cum quodam ductore, scilicet Friderico Duce Austriæ, oppidum Schaffhawsen intrando. Quanta tunc lamentatio Zelatorum fidei Catholicæ fuerit, nimis longum esset perorare: & quanquam multi Italici sui officiarii ipsum sequerentur ad locum prædictum, tamen generale Concilium per hujusmodi fugitivum recessum se minime recognovit dissolutum. Item Johannes Papa, post recessum a concilio, literas suas in orbem terrarum ad reges & principes misit, adjuncta scedula, continente articulos XVII. fuco illitos, quibus ipse Johannes causam sui recessus nitebatur colorare: sed tamen frustra. Nam Concilium ex opposito literas in universum mundum misit, quibus omnis dolus intentus frustrabatur. Et factum est, Domino excelso, qui alta a longe cognoscit, largiente, ut ipse Johannes Papa, per Sigismundum regem, fidelibus adjuvantibus, & præsertim Ludwico Duce Bawariæ in Ingelstat, ad Concilium reduceretur, & in Gotlieb castro prope Constantiam, in custodia tuta, ad standum determinationi Concilii servaretur. Item Johannes Papa, præmissis diversis requisitionibus, secundum determinationem concilii, dum acquiescere nollet, ab administratione papatus suspenditur, & propositis contra eum quinquaginta quatuor articulis, postremo per sententiam definitivam a papatu deponitur, universique Christicolæ ab ejus obedientia absolvuntur. Traditurque vigore dictæ sententiæ in manus Sigismundi Regis Romanorum, universalis Ecclesiæ Advocati, ad standum & morandum in aliquo loco bono & honesto, quamdiu sacro generali Concilio, pro bono unionis Ecclesiæ videbitur. Qui Sigismundus statim cum Ludwico Comite Palatino Rheni, qui erat de obedientia Gregorii XII. recommittit: a quo ductus in castrum Rheni Monhaim (Manhaim) nuncupato, honeste ab eo, sicut definitum erat, tractatur: De cujus solutione postea sub Marino V. patebit. Item versus de Johanne XXII. post ejectionem ejus de papatu:

Qui modo summus eram, gaudens de nomine Præsul,
Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.
Excelsus solio nuper versabar in alto:
Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo,
Et vultum informem quemque videre piget.
Omnibus e terris aurum mihi sponte ferebant:
Sed nec gaza juvat, nec quis amicus adest.
Sic varians fortuna vices, adversa secundis
Subdit, & ambiguo numine ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit
Vertice de summo mox ego Papa cado.

Item Johannes post suæ depositionis sententiam, cui acquievit, expresse consensit spontaneam Papatui cessionem: dictamque suæ depositionis sententiam per instrumentum firmavit, & juri si quid haberet in Papatu, renuntiavit. Item Gregorius XII. sic in sua obedientia nuncupatus, per procuratorem suum legitimum omni juri, quod prætendebat in Papatu, & ipsi Papatui sponte cessit. Hic Gregorius ante paucos dies electionis unici pastoris Ecclesiæ, scilicet Martini V. Arimini in provincia Romandiolæ decessit. Item per depositionem canonicam Johannis XXIII. & cessionem Gregorii XII. sic in eorum obedientiis nuncupatis, istæ duæ obedientiæ in unam, scilicet in obedientiam Constantiensis concilii sunt reductæ. Item reductis duabus obedientiis in unam, sicut supra dictum est, restabat adhuc obedientia Benedicti XIII. Qui Benedictus spretis salutaribus monitis & requisitionibus, & præcipue Regis Romanorum Sigismundi, & orthodoxi Regis Ferdinandi Arragoniæ, sub cujus dominio erat, ad quem Sigismundus Rex cum cæteris Oratoribus Concilii Constantiensis per longa laboriosaque itinera venit, invenitque eum in ægritudine gravissima morti proximum. Qui tamen Ferdinandus Rex contra valetudinem, medicorumque consilia, ut ipse tanto Dei & Ecclesiæ negotio non deesset, se mari cum magno vitæ periculo committere non expavit, ut & ipse personaliter, una cum rege Sigismundo ipsum Benedictum in Perpiniano requireret, ut, secundum quod promiserat, & juramento firmaverat, per suam cessionem de Papatu pacem

cem Ecclesiæ daret, dum ipse Benedictus a facie regum a Perpiniano fugeret, eosque audire recusaret obedientia sibi a prædicto rege Ferdinando, cæterisque regibus & principibus subtrahitur, & Concilio Constantiensi, quod erat de duabus obedientiis, ut prædictum est, unitur. Ipse autem Benedictus citatur, & non comparens canonice damnatur, & de Papatu ejicitur. Nempe ipsum Concilium Constantiense sæpe dictas tres obedientias, scilicet quondam Johannis XXIII. Gregorii XII. Benedicti XIII. indifferenter approbat, & quæcunque per ipsos tres jam dictos ante ejectionem sive cessionem, ut præfertur, de Papatu alias canonice seu rationabiliter sunt acta, ad habundantem cautelam limitat, & cum eis, quantum oportunum fuerit, dispensat. Item reductis tribus obedientiis in unam, ut præmissum, decretum est a concilio, ut ad electionem futuri summi Pontificis, ad cœtum Cardinalium, qui numero erant XXIII. de nationibus, quæ numero erant quinque, scilicet Italica, Gallicana, Germanica, Anglica & Hispanica, jungerentur viri docti (&) experti: & a nationibus electi numero triginta, hoc est, de qualibet natione numero sex, qui una cum Cardinalibus haberent auctoritatem totius concilii eligendi Papam. Habuit autem quilibet illorum assumere duos, quoscunque voluisset, pro ministris in conclavi. Hi igitur ingressi conclave cum ministris, octava die mensis Novembris, postquam ingressi fuerunt, cum concilium jam annis tribus continuis durasset, in die S. Martini Episcopi Turonensis Oddonem de Columna, Diaconum Cardinalem, in Papam concorditer elegerunt: unde & ipse Martinus mutato nomine voluit appellari. Post cujus electionem ipsum usque ad XXII. diem mensis Aprilis, qui numeratur annus Domini 1418. durat, & tunc auctoritate Martini Papæ absolvitur, omnibusque & singulis in eo existentibus, ad propria remeandi, ipso approbante concilio, licentia impertitur. Hæc sacrosancta synodus Constantiensis concilii, licet non audiatur, quota sit in ordine ad synodos generales præcedentes, imitando tamen eos, qui hanc synodum Pisano generali concilio, in quo electus est Alexander hujus nominis quintus continuant in respectu ad generale Lugdunense Concilium sub Gregorio X. celebratum, & decimum superius computatum, poterit hæc Sancta Constantiensis Synolus, salva correctione sapientum, undecima universalis computari. In hac Synodo tanta fuit multitudo gloriosorum Principum, Prælatorum, suorumque Oratorum, Magistrorum, Doctorum, Universitatum, Ambasiatorum & Procuratorum, cujus similem neque homo meminit, ac scriptura commemoravit, fere unquam retroactis temporibus causa concilii convenisse. Ibi etiam Græci affuerunt. In hoc concilio condemnati & reprobati quadraginta quinque principales articuli perversi dogmatis Johannis Wykleff, & alii etiam ducenti & sexaginta de ejus libellis excerpti. Et quia idem Johannes Wycleff notorius fuit hæreticus, & pertinax in hæresi decessit, anathematizatus, condemnando ipsum pariter & suam memoriam, decretum & ordinatum est corpus ejus & ossa, si ab aliis fidelibus corporibus discerni possint, exhumari, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari, secundum canonicas & legitimas sanctiones. Hic asseruit: Si Episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, nec baptizat. Item, populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Item oratio præsciti nihil valet. Item, Universitates, Studia, Collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitas, & vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus. Item, Deus debet obedire diabolo. Item, juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos tractatus & commercia civilia. Item omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo. Hæc de ejus articulis pestiferis hic dicta sufficiant, ut per cæteros humanus animus non polluatur. Fuit autem dictus Johannes Wykleff temporibus Karoli IV. Romanorum Imperatoris in Anglia magister Universitatis Oxoniensis, & presbyter plebanus cujusdam parochiæ Cantuariensis diœcesis, & sicut quidam mihi retulit, natus in Anglia ex patre Judæo, matre vero Christiana, & vidua: quæ mortuo marito depauperata de Francia venit in Angliam. Ab illo Wykleff ejus sequaces dicti sunt Wyklefistæ. Ad hoc etiam concilium Johannes Huss in bona custodia deductus, & præsente Sigismundo rege Romanorum tanquam hæreticus judicatus & condemnatus, Curiæ seculari traditus, igne comburitur, perpetuo igne arsurus, projectis pulveribus ejus in lacum, ut reliquiæ non remanerent super terram. Hic Johannes Huss post condemnationem Johannis Wygkleff, & articulorum librorumque ejus, quos Dialogum & Trialogum appellavit, publice restitit, & in multitudine cleri & populi Johannem Wykleff in prædicationibus virum catholicum & doctorem Evangelicum in favorem ejus doctrinæ asseruit: Unica est Sancta Universalis Ecclesia quæ est prædestinatorum tantum. Item, Petrus nec est, nec fuit caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ. Item, condemnatio XLV. articulorum Johannis Wykleff per doctores facta est irrationabilis & iniqua, & male facta est causa per eos allegata, videlicet, quod nullus ex eis est catholicus, sed quilibet eorum, aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus. Item, nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus Episcopus, dum est in mortali peccato. Item fecit librum, quem intitulavit de Ecclesia, in quo & in aliis suis opusculis viginti sex principales articulos sui erroris posuit, ex quibus paucos in reprobationem suæ perversæ doctrinæ hic inserui. Fuit autem dictus Johannes Huss damnatæ memoriæ natione Bohemus presbyter Baccalaureus in Theologia, Universitatis Pragensis, oriundus de villa nomine Huss, a qua & Huss est vocatus. Hus autem interpretatum Latine, sonat Auca. Ab illo Johanne Huss Hussitæ hæretici sunt vocati.

Igitur

Igitur damnato Johanne Huss, Magister Hieronymus, laicus, natione Bohemus, dictus de Praga, Magister in artibus, de quo dictum est supra, sub Ruperto rege Romanorum, qui scripta Johannis Wykleff tulerat Johanni Huss de Anglia in Bohemiam, fictis quibusdam falsis literis in defensionem sui erroris, de Constantia equitans venit in Bavariam, volens intrare Bohemiam. Qui casualiter a judice Ducis Johannis, filii quondam Ruperti regis Romanorum, dicto Teynstauffer, juxta opidum Hyrssaw tentus, ab ipso Johanne Duce per solemnes oratores, adjunctis literis subtilis dictaminis, Concilio Constantiensi præsentatur: ubi similem pœnam sui complicis, scilicet Johannis Huss accepit. Idem tamen Hieronymus in uno articulo, scilicet de sacramento altaris & transsubstantiationis panis in corpus Christi professus & se tenere & credere, quod Ecclesia tenet & credit, dicens: se plus credere Augustino & cæteris Ecclesiæ Doctoribus, quam Wykleff & Huss. Facta igitur unione, amputatisque capitibus hæresiarcharum prædictorum in Concilio Constantiensi, dum Ecclesia exultans, aliquantulumque respirans pace frui speraret, jactura proh dolor gravis est exorta. Nam sicut der Machomet pagani, ita & per Huss Bohemi sunt decepti, dicentes, & pertinaciter defendentes, ipsum Johannem Huss fuisse virum justum, & injuste condemnatum esse sanctum: respuentes omnes Sanctos, quos tenet Ecclesia catholica. Versus:

Machmet paganos a fide fecit prophanos,
Talmud Judæos, sed Huss decepit Bohemos.
Non Prophetarum præsagiis, sed poëtarum
Fabulis, jam credunt, omnes a fide recedunt.
Salva nos Christe, rex regum, tu benedicte,
Quos redemisti sanguine de nece tristi.

MCCCCX. Sigismundus regnavit an.
Jodocus Marchio Moraviæ.
Wentzeslaus depositus, Rex Bohemiæ.

Anno Domini MCCCCX. Ruperto Rege Romanorum vita functo, vivente adhuc Wentzeslao Rege Romanorum, qui & depositus Rex Romanorum, quique quamdiu vixit, Regem Romanorum se scripsit. Electores duo, scilicet Archiepiscopi Moguntinus & Coloniensis, secrete quodammodo Sigismundum Regem Ungariæ, fratrem jam dicti Wentzeslai, ad suscipiendum regnum Romanorum per internuntia invitarunt. Qui Sigismundus in castro Ungariæ Vicegradu, vulgariter Plintenwurkch dicto talia nuntia gratanter suscipiens, remunerationem tamen jam duorum dictorum Electorum, quam petebant, relinquens in suspenso, eo quod nollet celsitudinem tantæ dignitatis simoniacæ intrare. Obstabat etiam inter cætera, quod nolebat facere molestiam dicto fratri suo Wentzeslao, dicens: quamvis esset per Principes Reni (f. regni) depositus, tamen quia frater suus esset, utriusque eadem esset fama & infamia. Fit interea ipsi etiam difficultas propter Electores, & præsertim Archiepiscopum Treverensem & Comitem Palatinum Reni, qui vota sua in alium possent dirigere. Quapropter si ipse publice pro regno videretur laborare, eo non obtento pro hujusmodi aspiratione cunctis hoc audientibus ridiculum faceret se ipsum. Fit etiam difficultas propter Jodocum Marchionem Moraviæ, qui etiam tenebat Marchionatum Brandenburgensem, patruum dicti Sigismundi: ne forte ipse eligeretur, vel vota sua in alium dirigeret. Ad quod Rex Sigismundus: Quamvis ipse Jodocus patruus meus teneat jam dictum Marchionatum Brandenburgensem, tamen dum eundem Marchionatum hæreditario jure possiderem, ipsum dicto Jodoco patruo meo subjeci, salvo mihi jure Electorum Romani Imperii. Sicque sumus confœderati, quod mihi promisit, ut si simul aliquando electi fuerimus in Romanorum regem, ipse mihi velit cedere, & me non impedire, mihique assistere. Dum hæc agerentur, memorati duo Electores, qui secrete Sigismundum ad regnum invitarant, hoc idem apud memoratum Jodocum Marchionem faciebant. Qui auditis eorum postulationibus, annuit eisdem. Igitur dum Electores, præter Ducem Saxoniæ, qui non assenserat, depositioni regis Wentzeslai in Franckfordia convenissent, bis memorati Electores scilicet Maguntinensis & Coloniensis in Ecclesia Franckfordiensi dictum Jodocum in Romanorum regem elegerunt, clausisque foribus ecclesiæ, ab Archiepiscopo Maguntinensi, eo quod Decanus sit ipse Electorum, *ipsaque* ecclesia suæ diœcesis, cæteri Electores non potuerunt intrare. Quapropter ipsi, scilicet Archiepiscopus Treverensis & Ludwicus Comes Palatinus, filius quondam Ruperti regis Romanorum in cimiterio ejusdem ecclesiæ sæpe dictum Sigismundum in Romanorum regem elegerunt. Ex quo cœpit istud, commune vulgi proverbium: *Zu Frangkfurt hinderm Chor, haben gewelt ainen Künig, ein Chind und ein Tohr.* Puerum dicebant Comitem Palatinum, propter juventutem; stultum vero Archiepiscopum Treverensem propter senectutem. Affuit tunc ibidem ex parte regis Sigismundi Fridericus Burggravius Nurbergensis, qui videns rem sic variatam, Ulricum Meyler, Baccalareum Decretorum, Constantiensis diœcesis, qui fuerat nuntius inter sæpe memoratos duos Electores, & Sigismundum, seriosius convenit, eo quod ipsi duo Electores dicerent, aliter, quam habuisset in mandatis, apud Sigismundum regem perorasset. Qui viriliter pro se respondens in publica conventione Principum, per literas, quas habuit, a jam dictis Electoribus contra ipsos in testimonium perhibuit veritatis. Igitur Jodocus sic electus assensit electioni de se factæ, dixitque se habere vocem Marchionis Brandenburgensis in electione Regis Romanorum, sæpeque dictum Sigismundum sibi promisisse, quod si simul quandoque in Romanorum regem fuerint electi, ipse sibi vellet cedere, eumque non impedire. Hæc animadvertens Sigismundus, dissimulavit. Jodocus vero ad obsidionem Frangfordiæ secundum morem electi in

in Romanorum regem, se præparavit. Dum hæc fierent, Jodocus ipse moritur & in Brunna civitate Moraviæ sub regali sceptro tumulatur. Posthæc Electores iterum in Frangfordia conveniunt, & concorditer omnes memoratum Sigismundum in regem Romanorum elegerunt, apposita hac conditione, quod ab illa concordi electione, & non a prima Regem se scribere deberet. Quod ipse quidem sic promisit, sed tamen ratum non tenuit. Assensit etiam eidem electioni Sigismundi sæpe memoratus Wentzeslaus, Rex Bohemorum; qui dum conveniretur, quare ipse per assensum hujusmodi vellet facere scisma in regno Romanorum? respondit: Quod nequaquam faceret scisma, quia ipse, quamdiu viveret, & nullus alius, Rex esset Romanorum. Electioni autem fratris sui se viventе assentiret, quemadmodum pater ipsorum Karolus Imperator adhuc vivens Regem Romanorum fieri ordinasset. De his tribus Regibus, scilicet Sigismundo, Jodoco & Wentzeslao, habentur versus:

Adorant Christum tres reges jam Romanorum
Non sunt Tharsenses, nec Arabes, nec Sabinenses.

Igitur Jodoco in brevi sine hæredibus defuncto, & peractis exequiis, sub sceptro regali in Brunna civitate Moraviæ sepulto, Sigismundus Rex Hungariæ regnum obtinet, & quamdiu regnabit, novit hic, qui terminum vitæ hominis constituit. Hic Sigismundus a Johanne Papa XXIII, & a Gregorio XII. sicut in eorum obedientiis nuncupatis, simulque præsidentibus, in regem Romanorum confirmatur. Hic expertus plurium linguarum fuit; item cum Venetianis grandem gverram habuit. Idem hic Sigismundus, dum Johannes Papa, secundum quod decretum erat in Pisano concilio, cui Alexander quintus præsederat, de convocando generali concilio cogitaret; nuntios suos ad eum destinavit, requirentes eum, ut de tempore locoque celebrandi concilii suis votis se conformaret. Ad quem ipse Johannes Papa Cardinales suos misit, qui sine omni exceptione acquiescerent ejus voluntati. Quo facto, auctoritate Johannis Papæ & Sigismundi regis Romanorum concilium generale celebrandum, initiandumque die primo mensis Novembris, anno Domini MCCCCXIV. in civitate Constantia Moguntinæ provinciæ statuitur & pronunciatur. Ad quod Johannes Papa tempestive cum auxilio Friderici Ducis Austriæ personaliter venit, & adventum regis Sigismundi per duos menses exspectavit. Qui postquam venit, ad Aquisgrani se transtulit, & ibidem cum uxore sua, nomine Barbara, filia Comitis de Cili, octavo die Novembris coronam regni Romani accepit: deinde ad concilium rediit, in quo multa digna memoria fecit. Item Johannem Papam, qui nocturnis temporibus & clandestine, in habitu dissimulato & indecente, cum fanone Friderici Ducis Austriæ, a concilio recessit, ipse Sigismundus, Domino largiente, fidelibus adjuvantibus, ad concilium manu extenta reduxit. Item Fridericum Ducem Austriæ, quia Johannem Papam in recessu suo de Constantia foverat, Episcopum Tridentinum captivaverat, & Episcopatu spoliaverat, Episcopum Brixiensem depecuniaverat, Episcopum Curiensem captivaverat, & alia multa enormia commiserat, ipse Rex Sigismundus proscribit: qui tamen post concilium reconciliatus est ei. Item Johannem Papam per Concilium depositum, tanquam Romanæ Ecclesiæ Advocatus, dictique concilii protector & defensor, Ludwico Comiti Palatino Reni, filio quondam Ruperti regis Romanorum, ad servandum sub custodia tuta, in aliquo loco bono & honesto, quamdiu dicto sacro generali concilio pro bono unionis Ecclesiæ Dei videbitur, recommittit. Item in dicto sacro generali concilio ipse Sigismundus Rex a Ferdinando rege Arragoniæ, fervido fidei catholicæ cultore, propter Johannem Huss hæresiarcham literas accepit, clausulas sequentes inter cætera continentes: Nuntiatum est mihi, quatenus jamdiu est ille hæreticus in carceribus vestris; sed non judicatus. Miror de tanta majestate, si ita est, non puniri, quem Deus judicavit, dicendo per Moisen: Si tibi voluerit persvadere frater tuus, filius matris tuæ, non miserearis ejus, nec occultes eum, sed statim interficies eum. Et idcirco Serenissime Rex rogo vos, quod consecratis Dei præceptis non dimittatis illum hæreticum: nunquam Rex serenissime conductus sibi concessus per majestatem vestram hominem liberavit, qui jugiter delinquit per hæresin continuam, de qua non est conversus, nec contritus de peccato suo, sed perseverat in iniquitate sua. Absit, certe dignus est punitionis, quoniam non est frangere fidem in eo, qui Deo fidem frangit, &c. Item profecturus in legatione Concilii ad Benedictum XIII. sic in sua obedientia nuncupatum, Ludwicum Comitem Palatinum Reni protectorem Concilii constituit, quod ipse Ludwicus solicite protexit. Item, antequam proficisceretur ad Benedictum Papam, qui erat sub dominio Ferdinandi Regis Arragoniæ, ingressus concilium petiit, ut fieret finis in causa Johannis Huss, & quod proficisci nollet, nisi causa determinata. Quod & factum est. Nam Johannes Huss tanquam hæreticus condemnatur, & curiæ seculari traditur. Quem Rex Sigismundus Ludwico Comiti Palatino tradit, a quo statim ductus ad ignem, dignam meritis pœnam accepit. Item constitutus in dicta legatione ad Benedictum XIII. cum cæteris legatis Concilii Constantiensis ex parte una, & Ambasiatoribus regis Arragoniæ ac principum obedientiæ dicti Benedicti ex parte altera, pro unione in Ecclesia Dei consequenda, in capitulo Narbonensis ecclesiæ XII. capitula conclusit, inter quæ est hoc principale; Quod per uniendum concilium Constantiense ad uberiorem cautelam, tolli & aboleri, annullari & irritari debent, quicunque processus, sive decreta, ordinationes, statuta pene citra occasionem, vel causa ipsius scismatis facti & facta &pro-

& prolata, contra Dominos Reges, Principes, & alios quoscunque, obedientiæ dicti Domini Benedicti Papæ XIII. sic per ejus obedientiam, ut præfertur, nuncupati. Et idem intelligitur dictum de persona dicti Domini Benedicti, casu quo renunciaverit pure & libere, ante sententiam ejectionis, intellecto tamen &c. Item in hac profectione Sigismundus Rex Comitem Sabaudiæ, nomine Amedium Ducem fecit. Item de hac profectione Sigismundus Rex per concilium fere per annum exspectatus venit. Quo præsente Concilium per Dei gratiam ad finem, optatam videlicet unionem sanctæ matris Ecclesiæ perducitur, atque unicus & verus pastor, videlicet Martinus Papa quintus, eligitur. De quo vide plenius in pagina Pontificum. Item Marchionatum Branburgensem, quem ex obitu patrui sui Jodoci hæreditario jure habebat, Friderico Burggravio Nurnbergensi, & suis hæredibus contulit perpetuo possidendum. Hic Fridricus Burggravius adhuc regnante Ruperto Rege Romanorum in Ecclesia parochiali oppidi in Lagentzend, quæ jure collationis ad eum pertinebat, Monasterium Canonicorum regularium instituit. Item ipse Rex Sigismundus anno primo post concilium, qui est MCCCCXIIX. circa festum S. Martini per Ratisponam in Ungariam descendens, ex concessione Martini Papæ V. decimam redituum & fructuum a clero per Alemanniam accepit. Item anno Domini MCCCCXX. circa festum Epiphaniæ Domini Rex Sigismundus venit in civitatem Poloniæ Christianiam nuncupatam, in qua XXIII. cives de potioribus ejusdem civitatis judicialiter capitali captivat sententia. Item anno Domini MCCCCXX. ipse Sigismundus Rex ad exstirpandum hæreticos, civitatem Pragensem obsedit. Sed exercitus ille magnus, qui centum millium virorum dicebatur, solutus est non deletis hæreticis. Post hæc ipse Sigismundus in Regem Bohemiæ coronatus, de imaginibus Sanctorum abstulit aurum & argentum, & in suos usus convertit protestans, se hoc non facere ob irreverentiam reliquiarum, sed ne Hussitis hæreticis relinqueretur posse auferendi. Item anno sequenti, qui est MCCCCXXI. dum per Electores cæterosque Principes & communitates expeditio fieret in Bohemiam ad delendum hæreticos: ipse Sigismundus Rex Elisabeth filiam suam unicam Alberto Duci Austriæ copulat matrimonio. Solutus autem est exercitus jam dictæ expeditionis per Electores in Bohemiam in obsidione oppidi Satzensis sine omni effectu. Qui exercitus, ut quidam dixerunt, dicitur fuisse ducentorum & triginta millium virorum. De supradictis duabus expeditionibus in Bohemiam alibi latius scripsi. Item sæpedictus Rex Sigismundus jam in Bohemia & Moravia pro convertendis hæreticis dicitur laborare, quod Deus ipsum sic agere concedat, ut voluntas sua & veritas ipsa transluceant, & ipse apud Deum præmia sempiterna, & apud homines mereatur ingentem gloriam & honorem. Hæc de Sigismundo, Rege Romanorum, ubi etiam quædam propter historiarum varietatem per anticipationem respectu sequentium sunt dicta. Quod autem ulterius accidat, paratus sum in scriptis, quamdiu vixero, prout Dominus donaverit exarare. His temporibus guerra magna fuit & est inter Principes Bavariæ, cujus inter cæteras causas potior hæc est. In Concilio Constantiensi coram Rege Sigismundo Dux Ludwicus de Ingelstat, & avunculus suus Dux Henricus de Lantzhut, pro hæreditate paterna, de qua supra dictum est sub Ludovico IV. Romanorum Imperatore, judicialiter certabant: ubi in præsentia Regis Sigismundi Ludwicus Henrico, qui junior erat ætate, improperat. Ex quo motus ipse Henricus, egressus a facie Regis, die quadam equester, Ludwicum similiter equestrem aggressus in civitate Constantia, ipsum letaliter vulneravit. Quo ex improviso facto, Ludwicus gladium de manibus Henrici, ut vir strenuus, abstulit, & cedens in domum vicinam, evasit. Fugiens autem Dux Henricus, illæsus usque in terram suam pervenit. Super hujusmodi excessu Sigismundus Rex placatus, vindictam contra Henricum Ducem dissimulat. Interea Dux Henricus Elizabeth, sororem Ducis Alberti Austriæ ducit in uxorem, & Ludwicus de vulnere convalescit: nullaque aperta guerra inter duces jam dictos movetur usque ad annum, quo numeratur M CCCC XXI. & tunc civitas, Newstat dicta, prope Abensperkg sita, quæ erat sub dominio Henrici Ducis, jure vero proprietatis ad Duces in *Monaco pertinebat*, a paucis ex inopinata & paucis verbis non explicabili causa, civibus non caute provisis, in principio Quadragesimæ obtinetur, & Saccomannus in ea paratur, ac postremo in toto exuritur. Quo facto, lis publica, cæteris Principibus aliis etiam ex causis Henricum Ducem juvantibus, contra Ludwicum Ducem concitatur, fueruntque incendia plurima. Tuncque castrum Payprunn prope Monacum, & castrum Torring versus Saltzburgam situm, a quo nobiles Törringe sunt nuncupati, per Henricum Ducem totaliter corrumpuntur. Similiter per Johannem Ducem castrum Pentzenstein, prope Haspurck situm, totaliter corrumpitur: Ipseque Johannes Dux, cum adjutorio Friderici Margravii Branburgensis, qui erat sororius Henrici Ducis prædicti, obtinet civitates, Weiden, Freystat, Stain: castraque Flos, civitatemque Lauffen, Pargstain, &c. Et hæc omnia & alia quæ dispendiosum est, scribere, anno uno non diu elapso evenerunt, & de pace, proh dolor, adhuc nihil auditur. Anno Domini MCCCCX. Cruciferi de Domo Teutonicorum, in die divisionis Apostolorum, inierunt bellum cum Rege Poloniæ & Bitoldo fratre ejus pagano; & prostratus est, proh dolor, totus exercitus Christianorum, ut dicitur, centum milia, & quinquaginta novem millia pugnatorum perveneruntque pagani in hostili gladio usque ad castrum Maryenbergk, in quo est thesaurus Cruciferorum. Quod quidem castrum Crucifer quidam de Plawn, cum quodam barone laico de Plabin cæterisque adjutoribus, Domino

mino largiente, viriliter obtinuit. MCCCCXI. obiit Lewpoldus Dux Austriæ in die S. Erasmi. Eodem anno Jodocus Marchio Branburg Rex Moraviæ, electus a quibusdam in Regem Romanorum, sine hæredibus moritur, & Branburga ad Sigismundum: Moravia vero ad Wentzeslaum patruos ejus devolvitur. MCCCCXII. in urbe Romana concilium per Johannem Papam celebratur. M CCCC XIII. circa festum Penthecostes, per Ladislaum Regem Neapolitanum Roma miserabilem casum patitur, & Papa Johannes ab urbe fugatur. Eodem anno Ludwicus Dux Bavariæ in Ingelstat, ex ordinatione Johannis Ducis Burgundiæ Parisius a carnificibus detentus fuit, sed per Thelphinum salubriter est liberatus. Hujus Ludwici Ducis præsentia tunc temporis in Bavaria multum desiderabatur, in cujus præsentia Bavaria jam variis guerris incendiisq; vastatur. MCCCCXIV. Concilium Constantiense prima die mensis Novembris initiatur. MCCCCXV. Johannes Papa decima octava die mensis Maji a Papatu ejicitur, MCCCCXVI. Ludwicus Dux Bavariæ in Ingelstat, ab Hainrico avunculo suo in civitate Constantiensi letaliter figitur. Item una Scaffa siliginis duas libras Ratisponensium solvebatur denariorum. MCCCCXVII. Oddo Cardinalis in die S. Martini Episcopi in concilio Constantiensi in Papam eligitur, & Martinus quintus nominatur. Item Johannes Stromvelser Abbas in Reichenbach XIX. Kal. Febr. moritur, & ibidem in ambitu sepelitur, habens in Epitaphio hos versus:

Divini cultus amator fuit ille probatus
Atque reformator morum, virtutis amator.

Item Wyennæ in Monasterio, dicto ad Scotos, & Nurnbergæ ad S. Ægidium, Scoti ejiciuntur, & Alemanni instituuntur. Item Ratisponenses litigantes cum Johanne Stauffer, in ejus damnum castrum Ernvels in hebdomada Paschæ obsident, & die tertia viriliter obtinent: patruumque prædicti Theodericum Stauffar militem captivum ducunt in Ratisponam. Quod tamen castrum postea facta pace redditum est ei. MCCCCXVIII. per Martinum Papam Concilium Constantiense XII. die mensis Aprilis solvitur, & ipse circa festum S. Urbani versus Italiam proficiscitur. Item Saltzburgæ Concilium Provinciale XVIII. die mensis Novembris celebratur. M CCCC XIX. Rex Wenzeslaus Bohemiæ, quondam Romanorum, moritur sine hæredibus, & regnum Bohemiæ, ac Marchionatus Moraviæ ad Sigismundum regem Romanorum, fratrem ejus, devolvitur. Post hujus Wenzeslai obitum statim hæretici in regno Bohemiæ cœperunt ecclesias desolari, & fideles variis modis persequi: de quo alibi latius scripsi. Item Ratisponæ Synodus ordinaria celebratur. MCCCCXX. Praga a Sigismundo rege Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. ad extirpandum hæreticos obsidetur; de quo vide paulo ante. Item Johannes Dux Burgundiæ a Thelphino, hoc est filio seniore regis Franciæ, qui sic a Comitatu, vulgariter Thelphiney, solet nuncupari, occiditur: ubi par pœna facti accidit. Nam ipse Johannes Dux Burgundiæ ante paucos annos Ducem Aurelianensem, ut regnare posset in Francia, Parisius occiderat. Hoc in tempore Henricus Rex Angliæ, cujus uxor erat Katherina, filia Karoli regis Franciæ, ipsum Karolum regem, quia furibundus erat, una cum regno Franciæ, potenter, contra voluntatem Telphini, sibi subjicit: & dum quandam civitatem obsideret, timens Thelphinum, auxilium Ludwici Comitis Palatini Reni, filii Ruperti regis, invocat. Qui Ludwicus cum exercitu militari ei in adjutorium venit: sicque compulsa civitas fame, a rege Angliæ obtinetur, ipseque Ludwicus cum suis honorifice ad propria revertitur. MCCCCXXI. Bavaria per Principes Ducesque suos rapinis, incendiis & obsidionibus vastatur: & exercitus per Electores in Bohemiam ad expugnandum hæreticos ducitur, & opidum Satzense obsidetur: de quibus vide superius. Anno eodem, tempore Quadragesimali, cremati sive deleti sunt omnes Judæi in die Gregorii Papæ, per omnem terram Alberti Ducis Austriæ, propter irreverentiam corpori Dominico in Onaso illatum. Item circa festum S. Nicolai fuit excrescentia insolita aquarum, quæ in Anglia & Hollandia multa damna referebatur fecisse. MCCCCXXII. hæc pagina per Dei gratiam ab exordio nativitatis Christi, ejus filii, usque huc perducta XIV. Kal. Februarii finitur.

Martinus V. sedit annos XIII. mens. III. dies CCXII. 19.

Martinus quintus, natione Romanus, ante vocatus Oddo de Columna, Diaconus Cardinalis tit. Sancti Gregorii ad velum aureum, sopito inveterato schismate, quod a tempore Urbani sexti, lustris fere octo duraverat, in Concilio Constantiensi, in die S. Martini Episcopi Turonensis est electus. Unde, sicut supra dictum est, mutato nomine, Martinus voluit nominari. Hic statim post assumtionem suam ad summum Apostolatus apicem quasdam ordinationes sive regulas fecit, quæ incipiunt: Ad illius, cujus perfecta sunt opera: quamvis suo, dum vixit, tempore durante noluit observari. Item considerata malitia aliquorum temporum præteritorum, pro Simoniacis in foro conscientiæ absolvendis specialem gratiam fecit. Item de interdicto ex parte excommunicatorum servando, vel non servando, statuit, prout sequitur in forma: Insuper ad vitandum scandala & multa pericula, subveniendo etiam conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit, in vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, aut locum

certum vel certam, a judice publicata vel denunciata specialiter vel expresse, constitutionibus Apostolicis & aliis, in contrarium facientes, non obstantibus quibuscunque: Salvo, si quem per sacrilega manuum injectione in clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones. Item Dominum Balthasar de Cossa quondam Johannem XXIII. de custodia Ludwici Comitis Palatini Reni, in quam post suam depositionem datus erat, ipse Martinus Papa absolvit. Qui Balthasar veniens in Florentiam, ubi tunc Martinus Papa sedem tenebat, anno Domini MCCCCXIX. in vigilia Nativitatis Domini decessit, sepultus ibidem in capella S. Johannis, prope ecclesiam S. Liberatæ. Item notandum, quod hic Balthasar pro expensis dedit Comiti Palatino supra memorato quadraginta millia florenorum. Item Brandam Cardinalem in Germaniam, ad prædicandam crucem contra Hussitas hæreticos misit: sed proh dolor negotium ipsum grande principium & exilem exitum habuit: de quo alias latius scribere cœpi. Hic Martinus Papa jam residet Romæ, & habet gverram magnam cum regina Neapolitana, in cujus dominio Petrus de Luna, quondam Benedictus XIII. nominatus, sub titulo Cardinalis jam dicitur esse. Donet Deus ipsi Martino Papæ & Ecclesiæ Catholicæ, cui præsidet, pacem, nobisque cum ipso vitam & requiem sempiternam.

Anno Domini MCCCCXXI. XV. Kal. Augusti, die Alexii Johannes Streytperger, Canonicus & Custos, Judexque Consistorii Ratisponensis Ecclesiæ, Canonice electus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic a Martino Papa est confirmatus, sed adhuc in Episcopum non consecratus. Cui Deus de fonte suæ pietatis, prout interpretatio nominis ejus exigit, gratiam infundat, ut secundum cognominis interpretationem, bello spiritali, utpote in monte certando, evellat & destruat & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet, ut una cum grege sibi credito, post hanc vitam, æternam mereatur possidere. Qui dedit Alpha & O, sit laus & gloria Christo.

SEQVITVR CONTINVATIO SEQVENTIVM AD PRÆCEDENTIA.

Licet Chronicis supra scriptis per verbum Expliciunt, hoc anno Domini MCCCCXXII. in die S. Agnetis, finem tunc temporis imposuerim, & postea ad ulteriora scribenda dimiserim, quoniam plura folia vacua, postque Concilium Pisanum, & Concilium Constantiense, & etiam quædam Chronica, & præsertim materiam Hussitarum hæreticorum, usque ad annum Domini MCCCCXVIII. latius in hoc volumine scripsi: quia tamen largiente Domino, bonorum omnium distributore, tempus est iterum scribendi; Ideo prædicta folia, ut non appareant vacua adornata, quasdam historias, secundum formam, quæ sequitur, memoriæ recommendavi.

Anno Domini MCCCCXXII. fit congregatio Principum Nurnbergæ. In hac congregatione, feria VI. in octava S. Augustini, celebrata & cantata missa solemni de S. Cruce, per Hermannum Præpositum in Newnkirchen, Ordinis B. Augustini Canonicorum regularium, Branda Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, vexillum vivificæ crucis tradidit in Ecclesia S. Sebaldi Sigismundo Romanorum Augusto, & Hungariæ & Bohemiæ regi, ad Hussitarum hæreticorum in regno suo Bohemiæ deletionem. Qui statim idem vexillum dedit Friderico, Marchioni Brandeburgensi, faciens ipsum Capitaneum ad hoc negotium exequendum. Hoc in tempore castrum Karlstein in Bohemia ab Hussitis hæreticis fuit obsessum, sed factis treugis non obtentum. Sed quid dignum memoria memoratus Fridericus Marchio per exercitum tunc temporis ductum & in Bohemiam ducendum fecerit, aliis committitur ad scribendum. Item eodem anno feria quinta in die SS. Remigii &c. gverra sævissima inter Ludwicum Ingelstat, Ducem Bavariæ ex parte una, & aliorum plurimorum ex parte altera, de quibus in scriptis superius & inferius est mentio, per sollicitudinem Sigismundi Regis Romanorum, & Brandæ Apostolicæ sedis legati, factis treugis Ratisponæ est sedata.

Anno Domini MCCCCXXIII. feria secunda post Dominicam Quasimodogeniti, Johannes Episcopus Ratisponensis in Ecclesia Cathedrali, coram clero & populo, Henricum Rategebe, presbyterum de Gotha, diœcesis Maguntinensis, in hæresin Hussitarum relapsum, canonice & solemniter degradavit, relinquens eum curiæ seculari, a qua ductus ad ignem est combustus. Item eodem anno scilicet MCCCCXXIII. qui est annus quintus a fine concilii Constantiensis, in quo statutum est a fine ejusdem generalis Constantiensis concilii in quinquennium immediate sequens aliud concilium generale celebrari, quidam Prælati, ratione concilii, in civitate Papiensi convenerunt. Sed nihil ibi agitur, ad ipsum concilium ad civitatem Senarum transfertur. Item eodem anno Petrus de Luna, quondam Benedictus XIII. in sua obedientia nuncupatus, & in concilio Constantiensi tanquam schismaticus & hæreticus condemnatus, in partibus Arrogoniæ in sua pertinacia moritur, aliusque nomine Ægidius, ab invicem sibi succedentibus erigitur, qui tamen in Papam nunquam est consecratus. Item eodem anno 1423. multi propter Jubilæum secundum constitutionem Urbani sexti de tricesimo tertio anno in tricesimum tertium annum celebrandum Romam peregrinantur. Sed Martinus Papa quintus hunc jubilæum non prohibuit nec autorizavit. Item eodem anno in die S. Cyriaci obiit Dominus Gregorius de Hohenloch, Episcopus Pataviensis, almæ Strigoniensis Ecclesiæ Administrator, nec non sacri Romani Imperii Cancellarius,

rius, in ecclesia Pataviensi tumulatus. Hic de favore Sigismundi regis Romanorum, partem reliquiarum, quas idem Rex de Bohemia in Ungariam propter persecutionem Hussitarum hæreticorum duxerat, in ecclesiam Pataviensem apportavit. Huic in Episcopatu successit Leonhardus Layminger ex Cancellaria electus: sed tamen quidam ex Cancellaria ab ejus electione dissentientes ad Albertum Ducem Austriæ se transferentes, magnam dissensionem fecerunt: contra quos usque ad interdicti sententias est processum. Interea Leonhardus ipse Romam proficiscitur, & coram Martino Papa quinto negotia sua personaliter exponens, ab eodem in Episcopum confirmatur. Posthæc ad terras revertitur, & dissensio memorata Henrico Nathaft milite solicitante per placita complanatur.

Anno Domini MCCCCXXIV. 26. die mensis Februarii, Concilium Senense est solutum, aliudque Concilium in civitate Basileensi, Bisuntiensis provinciæ, ad septennium celebrandum, auctoritate Martini Papæ est publicatum. Item eodem anno, tempore Quadragesimæ, reliquiæ seu insignia Imperialia de castro Carlstain in Bohemia, per Sigismundum regem ad Vicegradum vulgariter, Plintenpurg in Ungariam propter hæreticorum perfidiam deductæ, de Hungaria in Nurnbergam civitatem Imperialem sunt portatæ. Item eodem anno in die SS. Johannis & Pauli, hora vesperarum, facta est eclipsis solis. Item eodem anno quædam gens Ciganorum, vulgariter in terris nostris vaga exulabat.

Anno Domini MCCCCXXV. in die Epiphaniæ Domini, obiit Johannes Dux Bavariæ inferioris, Comes Honigoviæ, Holandiæ & Selandiæ, ac Dominus dominii Frisoniæ, veneno ut dicitur, a Magistro curiæ suæ infectus, in villa, dicta Hag, quæ est in Holandia, tumulatus. Quo defuncto, domina Jacoba, filia Wilhelmi fratis ejusdem Johannis felicis recordationis, prædictas terras, scilicet Honigoviam, Holandiam, &c. nititur obtinere. Sed prævalens Philippus, Dux Burgundiæ, memoratas terras cœpit possidere. Ducatus vero Bavariæ inferioris, cujus capitalis civitas est Strawbinga, a quatuor Principibus, scilicet Ludwico Ingelstat, Ernesto & Wilhelmo Monaci, fratribus, & Henrico Lantzhut. Ducibus Bavariæ, possidetur.

Anno Domini MCCCC XXVI. congregatis Principibus Nurnbergæ, ad tractandum de deletione Hussitarum hæreticorum, in regno Bohemiæ, commissum est prælium a Misnensibus cum Hussitis in obsidione opidi, Awsk nuncupati, Dominica III. post octavas Pentecostes, quæ fuit XVI. Kal. Julii, in quo Catholici, quod dolorose scribo atque refero, dum in fortitudine multitudinis suæ sperarent, aspiciente Domino, qui dum vult, flagellat, dum vult miseretur, miserabiliter sunt prostrati. Tunc mihi occurrit dictum B. Augustini: Si quis bellum justum susceperit, utrum aperta pugna, an ex insidiis vincat, non refertur ad justitiam. Fuerunt, qui dicebant, plagam istam justo Dei judicio fuisse permissam. Aliqui ex eo, quia Fridricus Marchio Misnensis, vir antiquus, post obitum Ducis Alberti, Saxoniæ Lunburg Electoris, qui decessit sine liberis, per favorem Sigismundi regis Romanorum, nobilem ducatum Saxoniæ jam memoratum, cœpit de novo possidere, quem Ericius, Bernhardus, & Otto, fratres Ducis Saxoniæ Brunsweikg, hæreditario jure dicebant ad se pertinere. Alii vero dicebant, &c. De hoc alibi latius scripsi. Item eodem anno, quarto Non. Martii obiit Catherina, Ducissa Pomeranorum, uxor Johannis, Ducis Bavariæ, filii Ruperti regis, in Veltenmarckt tumulta. Hæc est fundatrix monasterii Montis gratiæ, de ordine Salvatoris, qui & S. Brigittæ dicitur, non multum inde distantis. Item eodem anno memoratus Dux Johannes, emit domum ab Henrico Nothaft quæ est Ratisponæ, prope S. Emmeranum. Item eodem anno circa festum Pentecostes, obiit Rupertus, filius Ludwici, Comitis Palatini Reni, circa vicesimum ætatis suæ annum.

Anno Domini MCCCCXXVII. Fridericus Burggravius Nurnbergensis, qui a Sigismundo rege factus fuerat Marchio Brandeburgensis, castrum suum Nurnbergense, quod situm fuit in monte, secus castrum Imperatoris, civibus Nurnbergensibus vendidit quod ab ipsis statim est dirutum, & sic deletum, quod vestigia ejus non apparent. Item eodem anno Comites, Barones, militares viri terræ Franconiæ, de voluntate & assensu quorundam Principum Heroldes in universum miserunt, proclamantes & invitantes catholicos pugiles ad tabulam militaris honoris: scilicet ut militaria exercitia, ludos & solatia, quæ hactenus in tornamentis & hastiludiis agere consueverant, in impugnationem hæresum & errorum convertere conarentur. Hortatur ad hoc salubre propositum perficiendum Martinus Papa quoscunque fideles. Electores itaque Romani Imperii leges optimas de voluntate Sigismundi Romanorum regis in scriptis faciunt, pro expeditione forti & valida in Bohemiam fienda. Fuerunt igitur hujus expeditionis summi Capitanei Otto Archiepiscopus Treverensis, & Fridericus Marchio Brandenburgensis: Quibus ingressis Bohemiam Misa opidum obsidetur. Ex insperato vero eodem opido non obtento exercitus versus Tachoviam progreditur ubi in campo ab Henrico Tit. S. Eusebii Presbytero Cardinali Angliæ vulgariter nuncupato, Apostolicæ sedis Legato, die lunæ, quarta mensis Augusti, vexillum imaginis Christi erigitur. Sed proh dolor tunc facta fuit fuga in populo Dei, ita ut illud Isaiæ Prophetæ, Cuncti principes tui fugerunt, impletum quasi ad literam videretur. Hæc fuit expeditio tertia generalis ad expugnandum hæreticos in Bohemia, de qua hæc pauca sufficiant, quia alias latius de illa scripsi. Item eodem anno Johannes Dux Bavariæ, filius Ruperti regis, circa festum S. Ægidii venit in Ryetenburg, ubi sibi a Johanne Episcopo Ratisponensi Beatrix, relicta

Comitis de Cilegia legitime datur in uxorem, præsentibus patre ejus Ernesto, & ejusdem Ernesti filio Alberto, Ducibus Bavariæ. Item Otto Dux Bavariæ filius Ruperti regis Romanorum, Johannam filiam Ducis Bavariæ Lantzhut duxit in uxorem.

Anno Domini MCCCCXXVIII. Hussitæ hæretici de Bohemia inter alia mala, quæ non possunt enarrari, in die SS. Primi & Feliciani Nytenaw in Bavaria exurebant, & Dominum Johannem plebanum ibidem nudum catena ferrea vinctum, ad currum ligatum captivum in Tarost ducentes, in vinculis afflictum mori coëgerunt. Eodem tempore pauci ex eisdem hæreticis in monasterium Walderbach, ordinis S. Bernhardi, venerunt, ubi quosdam vulneraverunt, quosdam occiderunt, januas ruperunt, organum & SS. imagines confregerunt, Dominum Fridericum, tunc temporis Bursarium, postea vero Abbatem, per manum & brachium sagittaverunt. Hanc historiam audiens Dominus Petrus de Mellico, Pataviensis diœcesis, Ordinis S. Benedicti, cum esset Ratisponæ in collatione cum Magistro Conrado de Hildeshaym bonæ memoriæ, me præsente, & subtilitatem acuminis ingenii ejusdem Domini Petri ignorante, ipse nobiscum pariter fabulabatur, & interim imaginando, composuit metra sequentia, quæ me aspiciente cum creta in mensa optimis literis retrogade scripsit. Versus:

Perfidus Hussita monachi, Bursner cui nomen,
Invida mens cui stat adversus relligiosos,
Dura cum sica manui dat vulnera dira.

Item concedente Johanne Episcopo Ratisponensi a Gregorio Frawnberger, in territorio Hohenberg, super Enum fluvium, monasterium Ramsaw, Ordinis S. Augustini heremitarum fundatur. Hoc monasterium secundum testamentum Wilhelmi Frawnberger, militis inter Bavaros famosi, in Krichdorff Frisingensis dioecesis sepulti, debebat fundatum fuisse in loco, qui vocatur Olnchofen, secus Danubium, non multum a Ratispona distante, de ordine Carthusiensium. Sed rebus variis difficultatem facientibus, testamentum illud non est consummatum. In refusionem autem prædicti loci in Ramsaw memoratus Georius Frawnberger supra dictum castrum Hohenberg, quod impignoratum pro certa summa pecuniarum ab Episcopatu Ratisponensi possidebat, post mortem suam sine pecunia libere voluit ad ipsum Episcopatum redire. Item, anno Domini supra scripto MCCCCXXVIII. Kal. Aprilis, in die Cœnæ, Johannes Streitperger, Episcopus Ratisponensis, procuratus ecclesiasticis sacramentis, integro aspectu atque auditu, coram positis fratribus, dormivit cum patribus: & in medio summi tumulatur. Hic sedit in episcopatu annos VII. menses VII. dies XXIV. Hic bene rexit, & omnibus affabilis fuit. Hic propter castrum Tuernstauff quamplura perpessus est. Nam cum idem castrum jure proprietatis pertineat ad episcopatum, cives autem Ratisponenses hoc idem vigore impignorationis possiderent, Henricus Dux Bavariæ Lantzhut, ad quem immediata redemtio ejusdem castri pertinebat, ipsi Johanni Episcopo Ratisponensi, cujus hic est mentio, loquebatur, ut ad redimendum hoc castrum sibi assentiret. Ipse autem Johannes Episcopus, dum esset consiliarius ejusdem principis, & bene cum eo haberet, considerans quia per se redimere non posset, assensum præbuit principi ad redimendum. Dum autem idem princeps pecuniam Ratisponam misisset, videntes cives, quod principi in hoc resistere non valerent, accedentes Episcopum sic soli cum ipso concordaverunt, quod Episcopus certis promissionibus sibi factis confidens, hoc idem castrum per se redimere, & Episcopatui addicere conabatur. Et ut hoc contra memoratum Principem obtinere posset, ad Sigismundum Regem Romanorum in Ungariam se contulit, a quo gratiose ac statim expeditus, obtentis literis suæ voluntatis revertitur. Dux autem Henricus memoratus, quia alias ad redimendum hoc castrum etiam apud expressum Regem labores habuit, & ejus assensum obtinuit, motus contra Episcopum defedationem eidem facit. Episcopus autem promissionibus circumductus, castrum sæpius nominatum propter defectum pecuniarum redimere non potuit. Indignationem vero Principis cum jactura magna placavit. Nam facta placitatione, tria millia florenorum eidem Principi dedit: hac tamen conditione obtenta, quod jus immediatum redimendi dictum castrum *Turnstauff* ulterius non ad sæpe dictum Principem Henricum, sed ad Episcopum Ratisponensem pertinebit. Propter jam dictum negotium Episcopus ille multos tractatus habuit cum civibus, & dum infirmaretur ægritudine illa, qua defunctus est, quiescere non potuit, quousque causa finaliter conclusa illam transmitteret ad posteros in literis sigillatis. Viri autem isti tres, quorum promissionibus Episcopus crediderat, non diu superviventes dura morte obierunt. Johanne igitur Episcopo Ratisponensi vita functo, Canonici statim post festum Paschæ ad eligendum præsulem procedentes, formamque scrutinii servantes, compromiserunt etiam, quod si vota diversa fieri contingeret, in illum concorditer vellent assentire, quem sanior pars elegisset. Itaque electione facta, clero & populo in choro majoris Ecclesiæ Ratisponensis collecto, Echardus Satelpoger, Presbyter & Canonicus, in Episcopum electus publicatur, & cantando Te Deum laudamus inthronizatur. Unus autem eligentium chorum exiens, Romam proficiscitur, similiter & alius quidam presbyter de familia Domini Decani, qui tunc temporis Romæ erat, facientes famam, quod ipse Dominus Decanus in Episcopum sit electus. Decanus autem cum Roma exivisset, & esset in via ad partes redeundi, hæc audiens, Romam regreditur, sed tamen Domino Præposito, qui etiam tunc Romæ erat, sibi repugnante non promovetur. Præterea Dominus electus jam memorato Domino Præposito confidens, certum nuntium, unum Canonicorum pro confir-

confirmatione misit. Sed quia is qui missus fuit, spernitur, animus electionem impugnantium in deteriora provocatur. Infamatur enim electus inter alia, quod sit monoculus, & claudus, cum esset in veritate proceræ staturæ, & forma speciosus. Istis qualitercunque se habentibus, Domino Conrado de Susato, Doctori Theologiæ, qui crucem ante Papam deferre solebat, ab eodem Domino Papa, sc. Martino V. de Episcopatu Ratisponensis Ecclesiæ providetur. Hic igitur memorato electo quibusdam placitis intermediis sibi cedente, feria quarta in die S. Emerani anno Domini, ut supra, ingressus Ratisponam, cum solemnitate a clero & populo in Episcopum est receptus. Posthæc memoratus Erhardus Satelpoge aspectui Apostolici personaliter se præsentavit: sed hora jam transierat, quia tempus unicuique rei sub cœlo.

Anno Domini MCCCCXXIX. surrexerat quædam virgo, filia cujusdam pastoris de ducatu Lutringensi, quæ veniens in Franciam, dixit, se esse missam a Deo, ad reformandum regnum Franciæ. Hæc itaque ordinatione procuravit, quod Karolus filius Elizabeth reginæ Franciæ, quæ soror Ludwici Ducis Bavariæ Ingelstat, qui & Telphinus, in regem Franciæ coronabatur. In propria etiam persona pugnando contra Anglicos duxit vexillum, in quo depictum erat extremum judicium, & mira fecit contra eos, magnas victorias obtinendo. Quæ tandem a Duce Burgundiæ capta, & Anglicis tradita Rothomagi est combusta, solum propter hoc, quemadmodum certi viri retulerunt, quorum unus interfuit sententiæ; alter scilicet Dominus Ægidius Decanus Cameracensis, examinando eandem sententiam, legit, scilicet, quod interrogata, utrum examini & judicio Ecclesiæ vellet obedire, primo usque ad prolationem medietatis sententiæ facere renuit: sed sententia usque ad medium prolata assensit. Ex quo Judex sententiam totaliter ferre recusans, tutæ custodiæ ipsam mancipavit. Sed hoc postea nescitur, qualiter seducta finaliter est sententiata, & tanquam relapsa concremata. Audivi quendam, qui dixit, se audivisse, quod prædicta virgo post primam sententiam, dum esset in custodia posita, seducta fuerit, quemadmodum Cælestinus quintus, ut Papatum resignaret. Item eodem anno, in vigilia S. Johannis Baptistæ, facta est divisio ducatus in Bavaria, cujus capitalis civitas fuit Strawbing, in quatuor partes. In hac divisione per sortem cessit Wilhelmo Duci Wildenstain, Dyetfurt, Chelhaim, Abach, Schönperg, Sigenstain, Valckenstain, Werd, Sawlberg, Lindel, Peylnstain, Aigen, Eschelkam, Newkirchen, Furt, Kotzting, Teckendörff, & potestas redimendi Cham. Item Ernesto Duci, fratri ejus, cessit Haydaw, Strawbing, Mitterfels, Pogen, Domus, quæ est Ratisponæ cum omni dominio & jure ibidem, pariter & moneta, exceptis Judæis. Item Ludovico Duci, Scherding, Newhausen, Tieffenstain, tertia pars Dingolfing, Kirchpergk, & Judæi Ratisponæ. Item Henrico Duci Laimda, Naterberg, Pledling, Wintzer, Hilkersperck, Hoffkirchen & Vilschoven. Item eodem anno circa festum S. Michaelis, Hussitæ de Bohemia prædam prope Cambiam faciebant. Exeuntes vero de Cambia civitate, & ignorantes latentes insidias, ab hæreticis miserabiliter sunt interfecti, multique in captivitatem ducti. Non multum postea ipsi hæretici ad prædandum, & incendia faciendum, redierunt, & tunc gratia Dei Catholici prope Cambiam de hæreticis gloriosius triumpharunt. In hoc prælio gens rusticana digna laude viriliter stetit, & equestribus auxilium forte fecit. Item Johannes de Haydegk, Episcopus Aichstetensis est defunctus, post quem Albertus de Kerchperg est electus, & a Martino Papa quinto confirmatus. Item eodem anno VI. Id. Febr. Eberhardus de Starhemberg, Archiepiscopus Saltzburgensis, pontificatus sui anno secundo obiit. Huic dum esset electus, misi in scriptis quasdam novitates, quas grate accipiens, per rescripta sua quam plurimum jocunda, singulare solatium mihi fecit: utinam diutius in hac vita perdurasset. Post hunc Johannes Reisperger, Præpositus Ecclesiæ Saltzburgensis, in Archiepiscopum eligitur, & a Martino V. Papa confirmatur. Item eodem anno Otto Treverensis Archiepiscopus moritur, post quem alius eligitur, qui a Papa non admittitur, sed ab eodem scilicet Martino V. Rabano Episcopo Spirensi, viro antiquo de Treverensi Ecclesia providetur. Ex hinc multa mala evenerunt. Item eodem anno, circa festum S. Leonhardi, Wilhelmus Dux Bavariæ personaliter cum exercitu contra hæreticos voluit expeditionem facere. Sed prohibitus a malitia, exercitum in Bohemiam misit, qui magna incendia faciens, & non parcens, prospere in Bavariam est reversus.

Anno Domini MCCCCXXX. Hussitæ hæretici de Bohemia cum potentia valida crudelitatem suam in Catholicos in Misna, Franconia & Bavaria exercebant: tantusque timor fuit Christicolis, ut etiam, priusquam hostes viderentur, civitates munitæ & castra sine habitatoribus desertæ relinquerentur. Item eodem anno, VII. die mensis Febr. quæ fuit feria III. ante Septuagesimam, sub Conrado de Susato, Ratisponensi Episcopo, cives ejusdem Ratisponensis civitatis magnam seu præstantiorem partem ædificiorum fortium & excellentium, hospitalis S. Catharinæ & quarundam domorum in præurbio destruxerunt, & ibidem fossatum per antemurale fecerunt. Item eodem anno, nona die Aprilis, quæ fuit vigilia Palmarum, Corpus B. Monicæ, matris S. Augustini, de Hostia Tiberina ad Urbem, tempore Martini Papæ quinti est translatum, & in Ecclesia S. Tryphonis, in qua sunt monachi Ordinis B. Augustini Heremitarum, apud turrim Sagerneam est locatum. Eodem anno celebratum est capitulum eorundem fratrum Heremitarum, in Monte Pessulano, in quo diffinitum est, idem festum translationis dictæ Monicæ sub officio duplici perpetuis temporibus celebrandum. Item eodem anno ante festum Pentecostes Principes Nurn-

Nurnbergæ congregantur, Sigismundus Rex in Hungaria constitutus exspectatur, & venturus nuntiatur. Sed non venit ad hanc congregationem & Fridericus Marchio Branburgensis Hussitis præfixit certam dietam, convocavitque Catholicos Doctores, sub hac intentione, ut ibidem cum Hussitis de articulis eorum disputarent: & ob hoc etiam misit ad Martinum Papam V. petens ut ad hoc assentire dignaretur. Qui indigne tulit hujusmodi petitionem, mandavitque, ut nequaquam cum præfatis hæreticis disputaretur. Sic itaque tunc temporis nihil est factum. Item eodem anno in mense Majo, & præcipue dominica Cantate, & feria secunda sequenti, bruma omnes fere vineas in Bavaria, dum essent uberrime dispositæ, corrosit & comedit. Similiter in multis locis arbores & bladum. Anno autem sequenti gratia Dei tanta fuit abundantia vini, ut de ista omnes mirarentur, & grates Deo referrent. Item eodem anno, Sabbatho, post festum Corporis Christi, circa horam vesperorum, subito orta est tempestas aëris, & tonitrus factus tantus, qui cunctos terruit: ita ut impleretur illud propheticum: Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt. Item in Ingelstat ecclesia parochialis S. Mariæ ampliatur: in cujus medio a Duce Ludwico sepultura paratur in qua ossa Ducis Stephani, patris ejusdem Ducis Ludwici, de Schönfeld atlata tumulantur. Item Ernestus Dux Bavariæ filiam suam Elizabeth Duci de Monte desponsavit.

Anno Domini MCCCCXXXI. die mensis Febr. quæ fuit feria III. post Invocavit, obiit Martinus Papa hujus nominis quintus. Hic sedit annos XIII. menses III. dies XIX. sepultus ad S. Petrum. Hujus temporibus murilegus sive cattus quidam Romæ multos infantes in cunis jacentes, dum a nutricibus non bene custodiebantur, nacta oportunitate interficiebat. Tandem quidam vir senex & sapiens, custodiens puerulum sibi comissum, simulans se cattum per fenestram ingredientem non videre, dum accessisset ad puerum suffocandum, ipse eundem cattum cum gladio usque ad effusionem sangvinis vulneravit. Ex tunc per vestigia sangvinis, & vulnus illatum, compertum fuit, illum cattum esse unam vetulam, de prope commorantem, quæ a Cirologo in cura habebatur, & quando voluit in cattum mutabatur, sicque de interfectis parvulis, ut se diutius conservaret, recentem sangvinem sugebat. Quæ vetula tanquam striga judicata, igne est combusta. Ecce altera Circe, maga famosissima, quæ socios Ulixis mutasse fertur in bestias: de quo habetur in Boëthio de Consolatione Philosophiæ libro quarto, metro tertio.

Eugenius IV. sedit annis. CCXIII.

Item eodem anno, tertia die Martii, Gabriel Episcopus Senensis, Cardinalis tituli B. Mariæ Transtiberinæ, natione Venetus eligitur, & XII. die mensis ejusdem coronatus, Eugenius quartus nominatur. Item eodem anno in congregatione Principum Nurnbergæ, casus quidam de violenta manuum injectione, qui in Concilio Constantiensi dudum inter Ludwicum & Henricum Duces Bavariæ emerserat, a Sigismundo rege Romanorum judicialiter terminatur: sic tamen quod Dux Henricus, ad satisfaciendum læso, in certis locis debeat fundare missas, & armaturam militarem in certo numero Duci Ludwico stipendiare, &c. Hæc de accessorio. De principali vero, quod vertebatur inter prædictos Principes, scilicet de divisione terrarum, facta a patribus ipsorum, nihil est discussum. Quendam casum sub silentio hic pertranseo, more Moysi, qui tacens crimen filiorum Jacob refert, quod Joseph fratres suos apud patrem crimine pessimo accusavit. Item eodem anno Sigismundus Romanorum Augustus, & Hungariæ & Bohemiæ, &c. Rex, propter negotia regni Nurnbergæ personaliter constitutus, dum præcipue tractaret de exstirpatione Hussitarum hæreticorum in Bohemia, venit Julianus tituli S. Angeli Diaconus Cardinalis Apostolicæ sedis, legatus missus ad hujusmodi negotium, contra hæreticos promovendum. Interea Martinus Papa V. a quo missus fuerat, obiit, cui Eugenius successit. De hoc, quemadmodum de Antiocho, falsus rumor exivit, quod circa festum Paschæ, excitato contra eum tumultu, vita excessisset, ac a Romanis esset interemtus. Medio tempore Sigismundus Rex venit Egram, opidum Ratisponensis dioceseos, & ibi inter alios, præsentibus Johanne Episcopo Herbipolensi, & Friderico Marchione Brandeburgensi habens colloquium cum Hussitis, cum nihil exhortatione sua proficeret, sed ipsi magis in suis erroribus pertinaciter indurati manerent, ipse edicta sua regalia, quæ dederat pro expeditione in Bohemiam fienda, iterum seriosius literatorie est persecutus. Appropinquante igitur festo S. Johannis Baptistæ fit fama, quod Dux Burgundiæ cum magno exercitu sit in via veniendi contra Hussitas. Hæc cum primum sunt audita, quam plurimum fuerunt gaudiosa, sed proh dolor statim facta sunt dolorosa. Nam quidam exercitus, qui sperabatur contra hæreticos pugnaturus, cuidam Comiti ferens auxilium, ducatum Lotharingiæ, quem soror Ludwici, Comitis Palatini Rheni, tenebat, invasit. At vero idem Comes Palatinus habens exercitum collectum, qui paratus erat contra hæreticos, eundem exercitum in auxilium sorori suæ misit. His itaque bello congressis, Burgundiones obtinent victoriam, & Comites, Milites, & militares viri alterius partis, fere omnes in prælio occiduntur. Auget præterea etiam dolorem rumor vulgaris, scilicet, quod expeditio illa contra Bohemos, propter treugas cum ipsis factas, per regales literas sit revocata. Istis sic currentibus, exercitus qui convenerat, in principio mensis Augusti Bohemiam ingreditur & prope Tachoviam aliquot diebus castra metatur. In hoc exercitu præcipui fuere Jordanus Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, Theodericus Archiepiscopus Coloniensis, Fridricus Marchio Brandeburgensis, qui & Burggra-

Burggravius Nurnbergensis, summus Capitaneus: Fridricus Dux Saxoniæ, qui & Marchio Myesnensis, Signifer Papæ; Johannes Dux Bavariæ, Signifer Regis Romanorum: Johannes Episcopus Herbipolensis, Signifer Regni Bohemiæ: & filius Marchionis Brandeburgensis prædicti, Signifer vexilli S. Georii. Hæc fuit expeditio quarta generalis & magna in Bohemiam ad exterminium Hussitarum ordinata, de qua quid amplius scribam? quid dignum memoria referam? Tristia sunt cuncta, & dolore plena. Nam anno Domini prædicto, in vigilia Assumtionis S. Mariæ, Virginis gloriosæ, mane prope Tustam, vulgariter Tawst, exercitu se movente, hi qui præerant cæteros hortantur, ut montem ibidem vicinum ascendant, hostium adventum in eodem exspectaturi. Quod dum fieret, Marchio Brandeburgensis, Capitaneus summus, non ad montem illum, sed ad silvam exiturus Bohemiam festinabat. Hoc viso regimen deseritur, ordo confunditur, ratio turbatur. Ultimi cum curribus mutuo invicem se percutiunt & occidunt. Alii relictis curribus fugæ præsidium quærunt, e quibus multi crudeliter ab hostibus occiduntur, quamplures vero captivantur. O quantum tunc splendidus ille nobilium exercitus, nuper tam gloriosus, dedecore fuga triumphalem quondam honoris titulum denigravit! Tanta copia armorum, pyxidum sive bombardorum, ac pulveris, pecuniæ, vasorum aureorum, & argenteorum, pretiosarum vestium, & aliorum bonorum, ad manus hostium tunc pervenit, ut illud Jeremiæ: Manum misit hostis ad omnia desiderabilia, ad literam impleretur. Albertus autem Dux Austriæ, qui in tertia expeditione in campum non venit, in hac quarta expeditione contra perfidissimos hæreticos in campo viriliter permansit, & quamplurima gloriose peregit. Itaque Rex Sigismundus tunc temporis Nurnbergæ personaliter constitutus, Principes per literas suas ad festum S. Galli Frangfordiam vocat, scribitque seriosius iis, qui prædictæ expeditioni in Bohemiam secundum advisata & conclusa non interfuerunt, ut ad cotidianam impugnationem hæreticorum sint parati. Interea Rex ipse ad Italiam proficiscitur, & de executione ordinationis suæ nihil auditur in effectu. Item eodem anno in diebus quatuor temporum, post Exaltationem S. Crucis, Hussitæ de Bohemia prope Orenswangk in Bavaria, Erasmo Satelpoger, domino illius castri, domi non existente, magnum incendium in villis fecerunt. At Catholici eos insequentes, dum putarent, eos velle fugere, illi animose ad pugnandum se objecerunt. Et factum est divina protegente gratia, ut Catholici, dum multo pauciores essent, de ipsis Hussitis gloriosius triumpharent. Hic non est sub silentio transeundum, quod ex parte Hussitarum, præter equestres, centum erant sagittarii pedestres, qui omnes tela sua in cassum & in vanum contra Catholicos miserunt; quia ab his omnibus nullus est læsus, præterquam unus. Item anno eodem, scilicet 1431. in die S. Calixti, quidam Hussita nomine Socoll, senior & junior, Dominus de Platz, Samoret de Serabitz, Dominus de Flesching, Dominus Zesin de Genspitz, & alii quamplures, cum duobus millibus equitibus & pedestribus, & circa centum curros, intraverunt terram Austriæ circa Pernegk, & montem S. Martini, & ibi occurrentibus eis, Dominus Lewpoldus de Frey, Georius de Puchaim, Strewn, cum aliis vicinis, & circa mille rusticos, & prædicto die viriliter triumpharunt, & ceperunt de Hussitis sexcentos, & mille perierunt, pauci fugierunt. In hoc signum victoriæ vexilla vel panneria Hussitarum delata sunt in Capellam Curiæ Ducis Wyennæ. Item eodem anno, circa festum S. Lucæ Evangelistæ, Bohemi valida manu Bavariam intraverunt, & incendium ac prædam magnam in Schanse & locis vicinis fecerunt: & dicebatur, quod essent de Tyna cum iis, qui landfridum faciebant, & inter Catholicos reputabatur. Cujus causa fuit, quia cum exercitus Catholicorum ante Assumtionem Mariæ Virginis gloriosæ fuisset in Bohemia, incendio & præda plus læsit illos, qui inter Catholicos reputabantur, quam Hussitas hæreticos manifestos, orthodoxæ fidei veros inimicos. Item eodem anno, auctoritatibus generalium conciliorum Constantiensis & Senensis, mandatisque fere Martini V. nec non successoris ejusdem Domini Eugenii quarti, specialibus & expressis, a Domino Juliano, tituli S. Angeli Diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato, concilium Basiliense in provincia Bisuntina, prima die mensis Octobris inchoatur, atque a Sigismundo Romanorum Rege Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ, protector ejusdem concilii ordinatur. Posthæc parvo tempore elapso idem Eugenius certis ex causis, in literis suis expressis, ac in universum missis, hoc ipsum concilium dissolvere, vel in alium locum transferre conatur. Propter quod ad idem concilium citatur, pluresque termini ad veniendum, vel concilium confirmandum eidem præfiguntur. Item eodem anno 1431. XXVI. die mensis Novembris Hussitæ ad Concilium Basiliense literis optimis invitantur & vocantur.

Anno Domini M CCCC XXXII. circa festum Purificationis S. Mariæ obiit Domina Elyzabeth, filia Barnabæ Vice Comitis Mediolanensis, uxor Ernesti Ducis Bavariæ, Monaci sepulta. Item eodem anno, XXV. die mensis Februarii, feria III. Sexagesimæ, fons vivus cœpit in ambitu nostro erumpere, & aqua in tantum excrescere, quod in eodem ambitu per fenestras hinc & hinc fluitaret. Item eodem anno circa festum Exultationis S. Crucis, ex ordinatione Johannis Ducis Bavariæ castrum Reichenstain, situm in silva Bohemorum, quod Hussitæ per traditamenta occupaverant, obsidetur & fortiter impugnatur, & tandem per placita obtinetur. Item eodem anno in die S. Katherinæ, in Mediolano, in domicilio S. Ambrosii, Sigismundus Rex regium diadema Italici regni assumsit. Item eodem anno circa Adventum Domini, Hussitæ cum magna securitate & benevolentia & libertate ipsis facta, eunte cum eis inter alios Conrado Episcopo

po Ratisponensi in propria persona, ad concilium Basiliense venerunt.

Anno Domini MCCCCXXXIII. die Dominica, in octava Innocentium, propter excrescentiam insolitam aquarum, fons aquæ viventis, suavis ad potandum, in ambitu nostro iterum cœpit erumpere, & largiter fluere, quousque aquæ in unum excrescentes illum suffocarent. Item eodem anno Wilhelmus Dux Bavariæ Protector Concilii Basiliensis, Margaretham, filiam Adolphi Ducis de Clivis, ætatis circiter XVIII. annorum duxit in uxorem; quæ concepit & sequenti anno peperit filium nomine Adolfum. Item eodem anno castrum Werd, ab episcopatu Ratisponensi diu per modum impignorationis alienatum, iterum in die SS. Philippi & Jacobi in possessionem est receptum. Et quia Wilhelmus Dux Bavariæ, singularem ac notabilem munificentiam in hoc fecit; idem ad perpetuam rei memoriam Conradus Episcopus, in signum gratiarum actionis eidem Duci Wilhelmo anniversarium singulis annis in ecclesia cathedrali instituit solemniter peragendum. Item eodem anno, post festum Paschæ, Hussitæ de Concilio Basiliensi cum solemni ambasiata ipsius Concilii ad Bohemiam redierunt. Qui habitis Pragæ variis tractatibus, & signanter de pace, rebus variatis, coacti sunt per aliam viam in regionem suam redire. Ex tunc statim circa festum S. Margarethæ Hussitæ cum valido exercitu opidum Pilsna, quod fortiter cum Catholicis stetit, obsederunt. Nec est prætereundum, quod iisdem temporibus Pragæ tanta fuit tempestas aëris, immensitas grandinis, ac excrescentia aquarum, quæ non poterant enarrari. Denique Ambasiatoribus Concilii Pragæ existentibus non erat domus, in qua non esset mortuus aut infirmus, præterquam in domo Ambasiatorum, cunctis dicentibus, quod hæc fierent justo judicio divinæ ultionis. Item eodem anno Sigismundus Rex, sine voluntate & assensu Electorum, pro imperiali corona obtinenda Romam tendens, primum a vasallis Papæ impugnatur, missusque quidam ab his occiditur. Præterea fit communis vox & fama in populo, quod Papa illum regem non velit ad Imperium sublimare, nec sine promotione Electorum sit coronandus, præsertim quia Hussitas hæreticos in regno suo Bohemiæ non deleret, nec exstirparet. Vulgabatur etiam, quod nullus secundum prophetiam Sibyllæ deberet fieri Imperator, præterquam Fridericus. Papa autem, cum natione esset Venetus, Veneti ei adhærebant. Istis sic currentibus, per Concilium Basiliense contra Papam, qui idem Concilium revocaverat, procedit: Ipsum vero Concilium per Wilhelmum Ducem Bavariæ nomine regis protegitur. Idem autem Sigismundus Rex Romam ingreditur, & anno Domini supra dicto, scilicet MCCCCXXXIII. in die sancto Pentecostes, anno regni Romanorum XXIIII. ab ipso Eugenio IV. imperiali diademate coronatur, impleto verbo: Nescit regnare, qui nescit dissimulare. Post Imperialem coronationem Sigismundus circa mensem Novembris, qua via, omnibus fere ignorantibus, ad Concilium Basiliense cum paucissimis venit, & se pro defensione Papæ seriosius interponit, inter alia Patres Concilii hujuscemodi verbis alloquendo: Non æstimetis, quod sic possitis facere schisma, ut vobis videtur. Ego sum Imperator, & potius vellem mori, quam pati fieri de novo schisma in Ecclesia Dei. Dum hæc fierent, Eugenius Papa per literas suas omnes actus Sigismundi Imperatoris pro eo factos vel fiendos revocat, & nullos esse declarat. Interea post recessum Imperatoris ab Urbe, Giblini, qui audierant dulcia colloquia, & prosperos successus Imperatoris viderant, Romæ in Belfos tumultuantur. Videns hæc Papa, timuit, & occulte fugiens, Florentiam confœderatam Venetis venit. Interea Pilsna, opidum in Bohemia, cinctum obsidione Hussitarum, angustias patitur. Concilium quoque Basiliense a Papa confirmatur. Item eodem anno, die XII. mensis Junii, quæ fuit feria quarta infra Octavas Corporis Christi, nobis vesperas cantantibus, facta est eclipsis solis, & factæ sunt tenebræ tam magnæ, ut in choro non esset lux ad legendum. Prognosticavit autem quidam, has fieri tam magnas, quantæ ab initio seculi nunquam fuissent, præterquam in passione Domini scilicet Jesu Christi. Item eodem anno Hungari peregrinati sunt ad Aquisgrani. Eodem etiam anno venerunt ad terram nostram, quidam de populo Ciganorum, vulgariter Cigewner nominati, qui dicebant sese esse ex Ægypto. Item eodem anno in mense Aug. XVII. Nobiles de Austria, cum totidem *nobilibus* de Svevia, Strawbingæ cum acutis lanceis hastiludium fecerunt. Hos ego laudibus extulissem, si hujusmodi pompam in subsidium Catholicorum in Pilsna obsessorum convertissent. Item eodem anno, feria quarta, die XVI. mensis Septembris, Hussitæ de obsidione opidi Pilsen in Bohemia miserunt partem exercitus in numero duorum millium virorum in Bavariam: qui a feria quarta prædicta, usque in feriam secundam sequentis septimanæ, in qua erat festum S. Matthæi Evangelistæ, incendiis, spoliis, depecuniationibus & Catholicorum captivitatibus, terram crudelissime perturbabant. Tunc temporis Johannes Dux Bavariæ, filius quondam Ruperti Regis Romanorum, personaliter in opido Newnburg constitutus, contra filios perfidiæ Spiritu Dei accensus, cum filio suo Christophoro, cum eisdem hæreticis paratus erat inire bellum. Sed prohibitus a militia, cum videret tot mala, confisus in Deo, a quo est victoria, equestres paucos quos habuit, minus, ut dicebatur, ducentis, cum plebe rusticana cupida & fervida, ad pugnandum contra illos pessimos hæreticos misit. Et factum est donante Domino, bonorum omnium distributore, ut commisso prælio gloriosissima victoria de hostibus obtineretur, occisis de hæreticis MCCCC. viris, ut putatur, vel plus: de Catholicis autem, ut æstimatur, quasi decem numero interierunt. Hujus prælii Capitaneus fuit Henricus Pflug, vexillifer autem Wilhelmus Paulstörffer, sagitta graviter vulneratus. Interfuit huic prælio Johannes Zenger, miles

miles septuagenarius, strenuus præliator. Dum hæc agerentur, Episcopus Lugdunensis ex parte Concilii Basiliensis fuit Ratisponæ, tractabatque de pace inter Ludwicum & Henricum, Duces Bavariæ. Sed dum rei finem habere non posset, idem ipse Archiepiscopus eosdem duos Principes ad præfatum Concilium Basiliense citavit. Fuit etiam tunc Ratisponæ & Fridericus Marchio Brandeburgensis, cum filio suo. Venit etiam post prædictam victoriam de Hussitis habitam Johannes Dux Bavariæ supra memoratus, cum filio suo Christophoro: & factum fuit gaudium magnum in civitate, ita ut etiam festivæ in cathedrali ecclesia gratiarum actiones Deo de hujusmodi victoria redderentur.

Anno Domini M CCCC XXXIIII. tempore Quadragesimali, in hebdomada Reminiscere, nobiles Domini Conradus de Potendorff, Christophorus de Lichtenstein, de Incolspurg, receperunt se ad iter ultra mare, ad sepulchrum Domini. Sed proh dolor præfatus de Potendorff obiit in Jerusalem ibidem sepultus. Item eodem anno in die S. Georii, hoc est, sabbatho post Dominicam Jubilate, & etiam ipsa Dominica Cantate frigus & ventus urens omnia vineta, dum uberrime disposita essent, totaliter annihilavit. Item eodem anno, Dominica Exaudi, Johannes de Polomar, Decretorum Doctor, Archidiaconus Barchionensis, Domini Papæ Capellanus, & ipsius palatii causarum auditor, nec non sacri Basiliensis Concilii nuntius, mulierem nomine Magdalenam Walpotin, in ecclesia Cathedrali Ratisponensi personaliter coram populo statuit in habitu crocei coloris, cum cruce rubea, & infula de papyro facta, in qua ante & retro scripta fuerunt hæc verba: Hæc mulier in hæresibus fuit comperta, sed per Dei gratiam est conversa. Et hæc asseruit, & tendit errores in generali Viennensi concilio damnatos, videlicet, quod aliquis possit in tantum proficere, in hac vita, quod efficeretur omnino impeccabilis. Item asseruit & multipliciter publicavit, spiritu superbiæ & mendacii decepta, quod ipsa esset illa puella, quæ pristinis temporibus in Francia multa exercuit bella, & se habuisse divinas revelationes, & gratiam sanandi infirmos. Item ipsa dixit, quod esset mater Christianitatis a Deo constituta, & plura alia. Quapropter ad peragendam pœnitentiam primum in carcerem est retrusa. Item eodem anno feria VI. ante festum Pentecostes, facta est processio solemnis a clero, Ratisponæ, ob gratiarum actionem reddendam Domino, bonorum omnium distributori, pro eo quod civitas antiqua Pragensis, per adjutorium Baronum regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ, Hussitas in nova civitate Pragensi trucidavit, aliis fugientibus, aliis in aquis pereuntibus. Et hoc factum est in die Ascensionis Domini. Ex tunc Hussitæ, qui opidum Pilsnense quasi per annum obsidione vallaverant, Dominica post Ascensionem Domini ab obsidione, nemine eos impugnante, recesserunt. Dicebatur quod Hussitis novæ civitatis Pragensis, a quibus habebant victualia, intendebant venire in adjutorium. Sed gratia Dei assistente opidum Pilsnense ab obsidione est libertatum, & civitas nova Pragensis a Catholicis, priusquam isti de obsidione venirent, potenter obtenta. Ex hinc cum prædicti Hussitæ, quod singulari vocabulo Orphani vocabantur, civitati Pragensi appropinquassent, Barones regni & multi ex iis, qui non stabant cum unione Ecclesiæ, propter communionem sub utraq; specie, bello ipsos hæreticos aggrediuntur. Et dum pulvis terræ oculos existentium in parte nostra nimium turbaret, facta imploratione & invocatione divini auxilii pulveres a parte Catholicorum per pluviam sedantur, oculi vero Hussitarum vento concitato per pulveres obscurantur. Sicque anno Domini suprascripto, Dominica infra Octavas Corporis Christi bellum committitur, & a parte Catholicorum gloriosus triumphus obtinetur, Christicolis paucis vel quasi nullis occisis, a parte autem Hussitarum hæreticorum quamplurimis millibus prostratis, paucis per fugam evadentibus. Dicebant quidam, quod Deus plus quam decem millia Hussitarum essent occisa. Item eodem anno Princeps quidam propter multiplicem excommunicationem & anathematizationem ex parte quorundam Monasteriorum denunciatur incidisse pœnas Constitutionis, quæ dicitur Carolina, sive libertas Ecclesiastica. Propter hoc Sigismundus Imperator, dum esset Ulmæ, voluit ducere exercitus contra Principem eundem. Videns igitur Princeps ille Imperatoris potentiam, literas quasdam, quas ab Imperio habuit, magnam summam pecuniarum continentes, ipsi Imperatori libere resignavit. Pro monasteriis vero a memorato Principe læsis, facta sunt Ratisponæ quædam placita, literis Imperialibus sigillata, de quibus ipsa Monasteria fuissent contenta. Scilicet non est bonum contendere cum potentibus. Item eodem anno, circa festum S. Bartholomæi, Ambasiatores sacri Basiliensis Concilii cum nuntiis regni Bohemiæ in dicta Ratispona conveniunt: ubi coram Sigismundo Imperatore præfati nuntii regni Bohemiæ, omissis omnibus aliis erroribus Hussitarum, solum uni articulo, scilicet Communioni sub utraque specie (intenti ut) per totum regnum Bohemiæ, & Marchionatum Moraviæ introduceretur; alioquin inter se non possent pacem habere: & quod hujusmodi concessionis ipsis daretur bulla Concilii, inter alia cum clausula tali, quod communio sub utraque esset utilis & salubris. Legati autem sacri Concilii responderunt, quod alias in Praga fuerant sub hoc articulo de Communione sub utraque specie, & aliis, certa puncta concordata, & manuum stipulatione firmata ex consensu congregationis totius regni: quæ quidem capitula petebant iidem legati deduci ad executionem, sicut & ipsi Bohemi promiserunt. Fueruntque hujusmodi Capitula itidem in præsentia Domini Imperatoris lecta persuasitque idem Dominus Imperator ipsis Bohemis, ut hujusmodi Capitula concordata servarent, & deducerent in effectum. Præterea

 iidem

iidem nuntii Bohemorum diversas instantias fecerunt apud fideles de eodem regno Bohemiæ, qui semper in obedientia Ecclesiæ permanserunt; sicut apud Dominum de Rosis, qui personaliter non missus aderat, & alios Barones secum existentes; & apud illos de Pilsna & cæteros. Dum igitur ipsi nuntii Bohemorum quod petebant, nequaquam possent obtinere, multasque difficultates facerent; svasit eis Imperator, ut saltem pacem inter se haberent. At illi responderunt, quod concordata cum difficultatibus suis habitis ad congregationem generalem regni sui in festo S. Galli referre vellent, & deinde dare responsum super hoc in Egra in festo S. Martini: & sic est discessum. Item in prædicto colloquio cum Bohemis habito accidit illud notabile memoriæ tradendum. Presbyter nomine Magister Johannes Roquozana pro parte Bohemorum erat orator. Hic animosa verbositate quasdam produxit scedulas, quarum tenorem pro propugnatione patriæ sic verbis defendebat, quod cedere noluit: Sed contenta in iisdem scedulis utique per legatos sacri Concilii sic fuisse dudum in Bohemia compactata & conclusa asserere & contentiose defendere audebat; dicens inter alia expressa & tubali voce: Vos Legati Concilii dicitis, quod non volumus stare in concordatis. Sed nos volumus dicere & scribere in universum mundum, quod vos non vultis stare in concordatis. Hac contentiosa impugnatione Dominus Johannes de Polomar, Archidiaconus Barchionensis, natione Hispanus, orator Ambasiotoris sacri concilii, motus spiritu, ut eundem Magistrum Johannem, offensorem & non defensorem, nec patriæ propugnatorem, fortius convinceret, testimonio partis contrariæ scilicet dominorum Bohemorum, iteratis vicibus se submisit, talique submissione & modo prædictum Magistrum Johannem Roquaczana, tanquam oppugnatorem patriæ, totaliter tacere coëgit. Huic negotio ego frater Andreas Presbyter, Canonicus monasterii S. Magni Confessoris in pede pontis Ratisponæ, interfui, & sicut vidi & audivi, ita hæc scripsi. Item audivi simile de eodem Domino Johanne Polomar, quod fecit in concilo Basiliensi. Ipse enim dum coram Sigismundo Imperatore, cum quodam de parte Hussitarum contenderet, ut adversarium significantius convinceret, probationi ignis se submisit, quod tamen adversarius ille facere recusavit. Item dum prædictos tractatus cum Bohemis haberet, monasterium Waldesachsen, Ratisponensis diœcesios, in libris, calicibus & aliis bonis, a quibusdam de parte Hussitarum Bohemorum deprædatur. Istud malum Sigismundo Imperatori regique Bohemiæ notificatur, & quia tunc præsens eram, ac intentus sui valde cupiens audire, quid ipsi nuntii Bohemorum responderent de hac re, tanquam de pace violata conveniret. Sed nulla fuit responsio Bohemorum, qui ipsis de re sic gesta, & pace non servata nulla facta fuit interrogatio. Item plura in prædicto colloquio cum Bohemis habito hic sub silentio pertranseo causa brevitatis. Item hoc in tempore Bohemi sic cœperunt stare cum Ecclesia, quod Catholicos manifeste non impugnabant. (f. Concessit exercitus) Sigismundi Imperatoris ad partes Reni, qui Electores ibidem utique vellet humiliare. Item illis temporibus in partibus Reni magna fuit turbatio & præsertim propter contendentes pro Archiepiscopatu Treverensi. Nam in multis locis interdictum servabatur.

Anno Domini MCCCCXXXV. XI. Kal. Maji, feria quinta Paschæ, in terra Bavariæ, vineæ iterum, sicut anno præterito, perierunt omnino. Item eodem anno feria quarta post Dominicam Jubilate, Conradus Episcopus Ratisponensis Synodum ordinariam celebravit. Item eodem anno cessavit lis, quæ fuit inter Ludwicum seniorem Ducem Bavariæ ex parte una, & Episcopum & civitatem Pataviensem parte ex altera: Qui quidem Ludwicus de castris suis Scherding & Künigstain Pataviensibus multa incommoda & damna fecit. E contra cives Patavienses in territorio Scherding magnum incendium patenter fecerunt. Hæc lis per placita fuit sedata, sic tamen, quod ambæ partes determinationi juris Ratisponæ, per certos a partibus deputandos se submiserunt: quod & factum est eodem anno. Quadragesimali tempore & Paschali. Item eodem anno tanta fuit controversia inter clerum & populum Babenbergensem, quod clerus compulsus exivit civitatem, soli fratres Minores manserunt. Hujus rei sive controversiæ inter alias causas una fuit, quod cives nolebant facere fossatum & murum per circuitum civitatis ad quos eos impulsaverat imminens persecutio, valida manus Hussitarum. Et licet verbum esset ab antiquo, quod civitas ipsa non deberet circumdari muro, eo quod S. Kunigundis eam sericeo filo pro muro circumdedisset, tamen clerus aliquantulum in hoc assensit ut fieret murus, quamvis postea dissentiret, quemadmodum dicebatur. Ista causa currente, & aliis, propter quasdam libertates res deducitur ad generale Basiliense Concilium & etiam Eugenium Papam quartum, Concilium cives banno ligat, Papa absolvit, &c. Sigismundus Imperator tanquam arbiter, ut dicebatur, ab utraque parte electus, civibus dat auream bullam, de qua clerus non contentatur. Propter quod Episcopus de Ratehan & Canonici Ecclesiæ Babenbergensis circa festum S. Petri & Pauli exercitum in obsidionem ipsius civitatis ducunt. Res ipsa pacificatur, & per placita sedatur, & clerus sic ad civitatem est reversus. Item his etiam temporibus Domino Johanni de Ottenwald, Episcopo Erbipolensi, omnis potestas administrandi fuit ablata, & tempore vitæ suæ certa summa pecuniarum, cum certo dominio deputata. Hanc ordinationem, factam per Archiepiscopum Magundinensem & alios Principes, ut audivi, per modum compromissi ipse memoratus Episcopus Erbipolensis non fecit ratam. Quapropter sæpius ducti sunt exercitus ex parte ipsius Episcopi, & similiter partis alterius scilicet Capituli & civium Erbipolensium. Hæc multa indigerent experientia, si quis vellet ea clare scribere. Hoc sufficiat ad præ-

præsens: quia idem Johannes Episcopus nobiles & cives in suo principatu, modis quibus potuit, potenter perdomuit & subjecit. Item eodem anno mense Augusto Januenses prope Gajetam, quæ est civitas Apuliæ, magnam victoriam in mari habuerunt. Nam capti sunt Rex Arragoniæ, Rex Navarræ, Rex Portugaliæ, Dux Sessyæ, Princeps Tarenti, XXXV. Barones, LXXX. milites, & populus communis innumerabilis. Istis currentibus facta est concordia inter Eugenium Papam & Philippum Ducem Mediolanensem & Dominum Januensium, sic tamen inter alia, ut audivi, quod Eugenius Papa in Florentia, confœderata Venetis, sedem non debet habere, sed in alia civitate quacunque, Venetis non subjecta. Prædicti autem reges per Ducem Mediolanensem memoratum sine exactione pecuniarum dimissi sunt liberi cum certis punctis; de quibus tamen Januenses non contenti, ipsi memorato Duci amplius noluerunt esse subjecti. Quapropter statim eos cœpit impugnare, & audivi, controversiam istam per placita esse sedatam: sic quod Januenses habent regimen suæ civitatis, Duci autem Mediolanensi annuatim dabunt IV. millia florenorum. Item eodem anno feria tertia Idibus Septembris, obiit inclitus Princeps Wilhelmus, Dux Bavariæ sepultus Monaci. Hic reliquit filium, nomine Adolfum, & uxorem gravidam, quæ peperit filium, nomine Wilhelmum, qui paucis diebus supervixit. Item his temporibus Ludwicus Comes Palatinus Rheni, Elector, filius Ruperti Regis Romanorum, propter debilitatem visus, quia apertis & claris oculis parum vel nihil videbat, & quia largus erat, procurante ejus uxore per consiliarios ipsius potestatem administrandi desiit habere. De hoc dixit mihi quidam, se audisse subscriptam historiam. Quadam die prædictus Princeps Ludwicus, dum esset in ecclesia, vocavit ad se coram populo filium suum adhuc puerum: & primum ei blandiens, magnam dedit alapam. Cui filius: o Domine, dicite, in quo ego vos læsi; quare me sic percutitis. Ad hoc pater: Volo, fili, ut per hanc alapam memor sis injuriarum, quæ mihi a matre tua inferuntur. Item eodem anno, ante festum Nativitatis Domini, dum in castro inferiori Pataviæ minus caute & provide ageretur cum pulveribus bombardarum, factum est incendium, & idem castrum exustum.

Anno Domini MCCCCXXXVI. Ambasiatoribus sacri Basiliensis Concilii & Bohemis in opido Hungariæ Weissenburg cum Sigismundo Imperatore existentibus, refertur facta esse concordia totalis inter ecclesiam Catholicam ex parte una & Bohemos, qui non plus Hussitæ hæretici nominabantur, sed Bohemi, ex parte altera, & ob hoc in signum gratiarum actionum feria quarta in vigilia Purificationis S. Mariæ solemnis processio habita est Ratisponæ. Item eodem anno circa Carnisprivium Henricus Dux Bavariæ Lantzhut castrum Laber emtum in possessionem accepit. Tunc Barones, dicti de Laber, castrum tituli sui possidere desierunt. Item durante adhuc termino treugarum, quæ inter Ludwicum & Henricum, Duces Bavariæ, per Sigismundum Imperatorem Romanorum Ratisponæ fuerant factæ, inter eosdem Principes iterum lis est exorta, non propter principalem causam dissensionis, scilicet terrarum divisionem, & ex post opidorum & castrorum expugnationem, sed propter quædam accessoria, quæ modo subscripto emergere cœperunt. Quidam quasi propriis causis ipsos moventibus ducatum Ducis Henrici spoliis & incendiis turbabant, & hi a Duce Ludwico in ducatu suo non impediebantur. Alii a simili ducatum Ducis Ludwici devastabant, & illi a Duce Henrico fovebantur. Fiunt ex hinc defedationes a satellitibus partis utriusque, incendia ac deprædationes manu potenti. Inter hæc ipsi duo memorati Principes Ludwicus & Henricus inter se nolebant defedare, ut treugas per Sigismundum Imperatorem inter eos factas viderentur non violare. Præterea tempore prædictæ litis gverra inter Henricum Nothast, militem antiquum ex parte una, & cognominatos Hertenberger parte ex altera est exorta: cujus causa a tali fomite processit. Unus ex Hertenberger, nomine Georius, contra prædictum Henricum Nothast in generali concilio Basiliensi, in curia Romana, in curia Sigismundi Imperatoris, nec non coram collatore, scilicet Episcopo Ratisponensi, castrum Haylsperg judicialiter obtinuit: Et ille idem Georius Hertenberger ob hoc etiam quandam decimam in Cholbenpach, tanquam pertinentem ad idem castrum Haylsperg, nititur possidere. Et contra memoratus Henricus Nothast eandem decimam dicit esse sui juris: unde & eam potenter colligit, & per viam juris defendit. Istis sic currentibus, duo alii ex cognominatis & consangvineis Hertenberger, & supradictus Nothast incipiunt prædas & incendia furiosius exercere. Georius autem Hertenberger in via juris perseverat: & licet ipsi Hertenberger essent minus potentes, habebant tamen plurimorum favorem, & ipsum Nothast, quamvis potentem & se defendentem, incendiis, prædis & pauperum captivitate quamplurimum perturbabant. Accidit præterea quidam casus, quem indignatus Dux Albertus, filius Ducis Ernesti supra memorato Duci Ludwico confœderatur. Hoc in tempore in septimana Paschali, anno Domini suprascripto, Dingolfing opidum Ducis Ludowici ab exercitu Ducis Henrici obsidetur, sed non obtinetur. Itaque Henricus Nothast Henrico Duci jungitur, ejusdem Capitaneus ordinatur. Interea navis cum rebus Ducis Ludwici a Duce Alberto in territorio Vohenburg conducitur: sed vasalli Ducis Henrici, qui erant in opido Newstat Ducem Albertum, & ejus conductum non curantes, bona in eadem navi diripiunt. Ex his & aliis Albertus Dux contra Henricus Ducem commotus eidem defedationem facit, & prædictum opidum Newstat, quod jure proprietatis erat Ducis Ernesti supra nominati, sub forma autem impignorationis Ducis Henrici, ab eodem Duce Alberto obtinetur. Dominica igitur Jubilate Fridericus Marchio Brandeburgensis, & Johannes Dux Bavariæ, pro concordia facienda Ratisponæ conveniunt.

Eisdem vero Principibus Ratisponæ existentibus, Dux Albertus supra nominatus, & Dux Ludwicus juvenis, filius Ludwici antiqui supra memorati, ab Johanne de Abensperg in Abensperg intromittuntur. Exinde procedens ipsorum exercitus, feria secunda post prædictam Dominicam Jubilate, in offensam Henrici Nothaft, Affhausen, Mangolting, Senchofen & cæteras villas comburit. Ex tunc feria tertia sequenti in die SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, ipse Henricus Nothaft, forum dictum Mayberg in ducatu Ducis Ernesti, patris Alberti Ducis, sæpius memorati ex insperato, dum incolæ, utpote amici, nihil timerent, spoliis, incendiis, & pauperum captivationibus devastat. Istis malis sic factis, in prædicta diæta Ratisponæ inter Principes Henricum & Albertum fiunt treugæ usque ad festum Pentecostes. Item in diebus Rogationum Geyselhering, quod pertinet ad territorium Kirichperg Ducis Ludovici, ubi ecclesia & cimiterium de novo erant incastellata, & exinde in hoc tempore litis fiebant pericula, incendia, & deprædationes, ab Henrico Nothaft, ex parte Ducis Henrici potenter obtinetur. Item circa festum Pentecostes ab Henrico Duce Dingolfing secundo obsidetur, Henrico Nothaft Capitaneo obsidionis existente. Item in duobus Pentecostes Fridericus Marchio Brandeburgensis, Ernestus, & ejus filius Albertus, Johannes sororius ejusdem Alberti, & Henricus Duces Bavariæ, Ratisponæ conveniunt, fitque concordia inter Henricum & Albertum Principes jam memoratos per modum compromissi, sic tamen, ut opidum Newstat, quod ipse Dux Albertus obtinuerat, a modo debeat possidere. Item Dominica Trinitatis, in die S. Erasmi Principes Eichstaviæ convenerunt, ubi propter personalem præsentiam Ducis Ludwici interdictum servabatur, & sine concordia est discessum. Item feria V. in octava Corporis Christi Dingelfing opidum supra memoratum ab Henrico Duce obtinetur. Item Leonhardus Layminger, Episcopus Pataviensis, & cives, habitis cum Henrico Duce suis interlocutionibus sive tractatibus, Scherding opidum, & castrum Künigstain obsidione circumdederunt. Item Johannis Baptistæ Kirichperg castrum a Duce Henrico, & ejus Capitaneo Henrico Nothaft obsidetur, & feria secunda post octavas ejusdem festi obtinetur. Item tempore hujus litis a Duce Henrico etiam castrum Churnstain obtinetur. Item ab eodem Duce Henrico etiam castrum Rotenegkch, quod Dux Ludwicus in offensam dictorum Layminger obtinuerat, exuritur. Item Ernestus Dux Bavariæ, attendens, quod dissensionem inter Henricum & Ludwicum Duces Bavariæ non posset placare, tempestive, scilicet a tempore Quadragesimæ, antequam mala supramemorata sic invalescerent, diligentiam suam in Concilio Basiliensi fecit, reducens ad memoriam fidelitatem fratris sui Ducis Wilhelmi, protectoris quondam ipsius Concilii, rogansque, ut ob bonum pacis sacrum Concilium Ambasiatores suos in Bavariam mittere dignaretur. Missi sunt *igitur* Johannes Episcopus Lubicensis, provinciæ Bremensis, & Magister Nicolaus de Cusa, Diaconus, Præpositus Monasterii Meinfeld, Treverensis diœcesis, Doctor Decretorum: ad quorum solicitudinem in diæta Ratisponæ habita factæ sunt treugæ præter spem, a Dominica post festum S. Jacobi tunc instantis, ad quatuor annos, ad instar treugarum, prius per Sigismundum Romanorum Imperatorem Ratisponæ factarum, inter Ludwicum seniorem & Ludwicum juniorem, filium ejus, Comites Palatinos Reni & Duces Bavariæ, Comitesque Mortaniæ & Graispach, parte ex una, & Ducem Henricum & cum (eo) in liga existentes, scilicet Fridericum Marchionem Brandeburgensem, tanquam Capitaneum ligæ seu confœderationis, & Johannem Ducem Bavariæ, Ludwicum, Ulricum & Wilhelmum, Comites in Ottinga, & cives civitatum Imperialium, scilicet Rotenburg super fluvio Tawber, Schwäbischwerde, Nordling, Dingkelspuhel, Weissenwurg, & Poppfingen: & specialiter Dominum Leonhardum, Episcopum Pataviensem, & cives ibidem, parte ex altera, cum certis clausulis, quarum aliquas ex literis vulgaribus desuper confectis extractas, & in Latinum translatas, pro Chronicis hic inserere curavi. Item castrum Chunigstain prope Pataviam debet destrui, & non reædificari, nisi judicialiter fuerit obtentum. Item opidum Scherding Dux Ludwicus debet possidere, sic tamen quod ex ejus ordinatione ita custodiatur, ut nemo periculum aliquod exinde patiatur: & si ipse Dux Ludwicus aliquid novi ibi voluerit ædificare, hoc debet facere de bonis propriis, & sine gravamine aliorum. Item Ecclesiasticæ & seculares personæ, & eorum adjutores, uti debent antiquis libertatibus & juribus, & nullis novitatibus gravari; & in hoc a prædictis duabus partibus, similiter & Duce Ernesto, & ejus filio Duce Alberto, nec non patruo ipsorum duce Adolfo, debent manuteneri & defendi sine dolo. Item si aliqua partium in aliquo articulo vel pluribus gravaretur, tunc Episcopus Eichstetensis, qui pro tempore fuit requisitus, secundum modum & formam, in supra memoratis literis expressam, judicium & justitiam Ratisponæ facere tenetur. Hæc propter brevitatem sufficiant. Item prædictis nondum totaliter sigillaris, monasterium Ebersperg in ducatu Ducis Ludwici, a vasallis Ducis Henrici in bonis suis deprædatur. Item secundum tenorem literarum castrum Künigstain a civibus Pataviensibus destruitur. Hoc castrum primum ab Henrico Nathaft sæpius nominato, dum esset Vicedominus Inferioris Bavariæ in die trium Regum cœpit in structuram ordiri, & ideo Künigstain nominari. Item propter hanc supradictam litem seu lites hoc pro memoriali ad posteros est transmittendum, quod plurimorum vox fuit, quod lis sive gverra supradicta tenderet in dejectionem Henrici Nathaft sæpius memorati. Sed contingit contrarium, quemadmodum ex supradictis haberi potest. Item feria quinta eodem anno, in vigilia S. Bartholomæi, Sigismundus Imperator, post susceptam coronam imperii cum magna solemnitate ingressus Pragam, Domini-

minica sequenti in regem Bohemiæ secundo est coronatus. Item eodem anno feria sexta, in die exaltationis S. Crucis, habita est solemnis processio Ratisponæ, & factæ sunt obsecrationes pro pestilentia removenda, atque missa Recordare, quam Clemens VI. instituit, celebrata est per quinque dies. Item tunc temporis tanta fuit Wyennæ pestilentia, quod propter obitum Studentium & recessum collegium fuit clausum. Item eodem anno, Dominica XVIII. in die S. Marci Papæ, factus est sermo ad populum in majori Ecclesia Ratisponensi propter spem & dispositionem reductionis Ecclesiæ Orientalis sive Græcorum, ad Ecclesiam Occidentalem sive Romanam: & auctoritate Concilii Basiliensis publicata est plenaria indulgentia peccatorum, semel in vita & semel in mortis articulo, quæ datur his, qui confessi & contriti contribuunt ad expensas, quæ dandæ sunt pro Græcis, veniendis ad concilium Oecumenicum, hoc est, generale, &c. Item eodem anno, circa festum S. Leonhardi, Albertus filius Ernesti Ducis Bavariæ, Annam filiam Ducis de Brawnsweigkch ducens uxorem, nuptias Monaci celebravit.

Anno Domini MCCCC XXXVII. quarto Kal. Januarii Sabbatho post nativitatem Domini, obiit inclytus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ Ludwicus, filius Ruperti, regis Romanorum, relinquens filios tres, scilicet Ludwicum, qui ei successit in Comitatu. Item eodem anno XV. Kal. Junii, Sabbatho sancto Pentecostes, obiit venerabilis in Christo Pater & Dominus Conradus de Susato Episcopus Ratisponensis, in ecclesia sua Cathedrali ante altare Sancti Stephani tumulatus, & hinc feria sexta Pentecostes Dominus Fridericus Parsperger, Licentiatus Decretorum, Præpositus dictæ Ecclesiæ Ratisponensis, electus in Episcopum, die Dominico, in commemoratione S. Pauli, Saltzpurgæ ab Johanne Archiepiscopo, auctoritate Concilii Basiliensis est consecratus. Item eodem anno, secundo Kal. Augusti Concilium Basiliense sexaginta dierum terminum Eugenio quarto peremtorie præfigit, infra quem in Concilio per se vel alium ad hoc deputatum vel deputandum debet comparere. Sigismundus autem Imperator, in congregatione Principum in Egra constitutus se interponens, ut non fieret nova scissura, scribit Principibus & Communitatibus, dicens inter alia, potius velle sustinere mortem, quam videre novam in Ecclesia Dei scissuram, &c. Item eodem anno die omnium animarum, hora quarta ante ortum diei, quidam de secta Hussitarum valentiores, numero fere quadringenti, in unum congregati, opidum Moraviæ Luttaw per scalas ingrediendo occupaverunt, præter unam turrim, ad quam quidam civium, numero fere decem confugerunt; ex quibus unus emissus, rem gestam per girum divulgavit. Insurgentes igitur primum de opido Newnstat, quod per Albertum Ducem Austriæ ante fuerat destructum, & postea de Olmutz cum cæteris convicinis, prædictum opidum Luttaw die præfata, scilicet omnium animarum hora quarta post meridiem vice versa obtinuerunt, adversariis aliis occisis, aliis suspensis, aliis captivitati præfati Ducis Alberti, Marchionis Moraviæ, reservatis. Item eodem anno, circa festum S. Dionysii, Anna Alberti Ducis Bavariæ peperit filium, nomine Johannem. Item eodem anno XIV. Kal. Octobris, Eugenius quartus Bononiæ residens Concilium Basiliense sub gravibus pœnis solvit, & mandat, ut infra certum terminum dierum ad Ferrariam se transferat. E contra idem Concilium non assentit, & idem per decretum suum simili modo sub gravibus pœnis processum Papæ cassat & annullat, mittiturque ab eodem Concilio Basiliensi Dominus Georius, Viciensis Episcopus, natione Catellanus, ad Sigismundum Imp. Romanorum, tunc Pragæ existentem, ut in re tam grandi ejus voluntas & consilium audiatur. Imperator autem, priusquam illa legatio ad eum perveniret, gravi infirmitate tentus & laborans, propter quam causam pedica fuit sibi obscisa, subito & ex imperato circa festum S. Martini cum conthorali sua a Praga recessit, & in Znayma opido Moraviæ V. Id. Decembris cum contritione & devotione magna obiit: ductusque in Ungariam est in ecclesia Bardiensis provinciæ Strigoniensis tumulatus. In cujus memoriam facta sunt metra sequentia pro Epitaphio sculpenda. Versus:

Cæsar, & Imperium, tuus en ego, Roma, sacratum
  Rexi, non ense sed pietatis ope:
Pontificem summum feci spretis tribus unum:
  Lustravi mundum, scisma necando malum.
Turcos oppressi & barbaras gentes excussi:
  Ampla dominia contulit manus mea.
Et sunt Hungaria mea regna Bohemia plura:
  Pace Sigismundus hic requiesco pius.
Ac iter in Znayma mihi mors præclusit amara,
  Cum grege Catholico transeo fine bono.
Anno milleno quater centum ter decem, adde
  Ac septem, mensis Decembris dieque nono.

His Sigismundus, postquam in Romano regno triginta septem annis regnavit, anno IV. post imperialem coronationem, sentiens sibi mortem vicinam, Imperatricem, ne aliquid mali machinaretur, jussit custodiri, & omnia regna sua, ac alios principatus, ubicunque, unicæ filiæ suæ, Dominæ Elizabeth, ejusque marito Alberto, Duci Austriæ ex testamento legavit, quamvis jus successionis sufficisset: ejusdemque verba, quæ elevatis manibus, & lacrymosis oculis, coram omnibus adstantibus, ad Ambasiatores in regnum Bohemiæ destinandos, protulit, hujuscemodi fuisse memorantur: Fideles dilecti, video imminere mihi periculum mortis, & quod omnipotens Deus vult laboribus meis, quos pro Ecclesia sua sancta, & bono fidelium, tantum sustuli, dare finem. Idcirco vobis committo & mando strictissime, ut non obstante morte mea legationem vestram omnino perficiatis, rogetis & requiratis universum regnum Bohemiæ, ut filiam meam & filium admittant & suscipiant ad gubernacula & dominium regni attentis juribus successionis hæreditatis juxta Auream Bullam, quam regnum desuper habuit, in quibus expresse habetur, quod fœminæ succedunt, sicut & filii. Et sic avus meus rex Johannes venit ad regnum, & multi prædecessores sui. Sic etiam per filiam intravi Hungariam. Attentis etiam inscriptionibus solemnibus inter domos Bohemiæ & Austriæ, quas prædecessores nostri laudaverunt & sigillaverunt, & præstito juramento super Sanctos, pro se & hæredibus suis & successoribus in perpetuum promiserunt servare; quemadmodum & literas rever-

reversales omnium terrarum suarum in Karlstain habetis, una cum Aurea bulla, de quibus inscriptionibus bene tempore suo informabantur per istos nuntios filii mei, quos vobis adjungo: Attento etiam meo ultimo testamento, avisando eos, quod si hoc fecerint, claram justitiam fovebunt, regnum pacificabunt, & nobis complacebunt, & sibi & posteris suis benefacient, & erga totam Christianitatem honorem & amorem acquirent. Imo si illæ rationes orationes & desideria mea non essent, tamen attenta probitate, honestate, & ordinata vita illustris Ducissæ, ac justitia, veritate ac virtutibus, opibus, potentia, ac vicinitate terrarum ipsius Ducis, & quod ego etiam regnum Ungariæ ipsis dedi, ubi per Dei gratiam acceptabuntur, & propter unire tot magna regna & dominia, ipsi deberent eos etiam de novo & libera voluntate eligere. Et sic eis omnino persvadeatis, quia ea fideliter dicimus & consulimus, Deus novit, ad cujus gratiam jam vocamur: quoniam si secus fecerint, quod absit, quacunque levi aut inde aberrata suggestione, memores sint mei testamenti, quod hoc fieret contra justitiam & honorem, Deum offenderent, nec hoc in longum quoquo modo durare posset, & redundaret in maximum periculum & confusionem regni, & offensiones incolarum, & maximum scandalum: de quo ego coram Deo innocens esse volo, quia fideliter apud eos feci, &c. Hoc de testamento Sigismundi Imperatoris. Item eodem anno feria quarta die XIX. mensis Decembris in Posonio. id est, Prespurkch, Albertus Dux Austriæ in regem Hungariæ est electus.

Anno Domini MCCCCXXXVIII. Albertus Dux Austriæ & electus Rex Hungariæ, in die Johannis Evangelistæ, Pragæ in Regem Bohemiæ est electus. Item eodem anno, nono Kal. Febr. Concilium Basiliense, in sessione publica, in majori Ecclesia Basiliensi celebrata, Dominum Eugenium Papam IV. ab omni administratione Papatus in spiritualibus & temporalibus suspendit, ac suspensum declaravit. O quam dolendus casus! O quam gravissima inter Christianos tunc scissura Ecclesiæ Latinæ in oculis Græcorum est aperta! quæ initium posuit, dum æstate præterita, postquam Concilium Basiliense, ad quod huc usque pertinebat nominatio loci pro concilio cum Græcis celebrando, galeas & alia necessaria præparavit, & in Græciam misit, pro conductione ipsorum Græcorum; Dominus autem Eugenius quartus alias galeas misit, & Græcos in Ferrariam, ad quam ipse concilium convocavit, adduxit.

Albertus Quintus Dux Austriæ.

Item eodem anno 1438. feria quinta post Oculi, die vicesima mensis Martii, Electores, scilicet Theodericus Maguntinensis, Theodoricus Coloniensis, Rabanus Treverensis, Archiepiscopi, Otto Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ tutor Ludwici Comitis Palatini Rheni, Fridericus Dux Saxoniæ, & Fridericus Marchio Brandeburgensis, concorditer Albertum Ducem Austriæ, electum Regem Hungariæ & Bohemiæ, in Frangkfordia in Regem Romanorum elegerunt. Item eodem anno, feria IV. post Johannis Baptistæ, Fridericus Episcopus Ratisponensis synodum celebravit. Item eodem anno feria tertia in Octava S. Johannis Baptistæ obiit Ernestus, inclytus Dux Bavariæ, Monaci tumulatus, relinquens filium Albertum. Item eodem anno circa festum S. Augustini, Anna uxor Alberti Ducis Bavariæ peperit filium secundum, nomine Ernestum.

SEQVENTIA SVNT A JOHANNE CRAFT, PRÆDICATORE CAMBENSI.

Anno Domini MCCCCXLIII. Dominus Palatinus Fridericus, qui pro tunc nomine tutorio sive procuratorio rexit & tenuit Palatinatum, adoptavit & subrogavit sibi Philippum, verum hæredem, fratris sui Ludwici filium. Eodem Anno Ambergenses diversas discordias inter se habuerunt.

Anno Domini MCCCCLIIII. tumultus communitatis insurrexit contra Consiliarios præfati Domini Friderici per eum missos, eos manu forti & armata captivantes, & ducentes in prætorium feria sexta in vigilia Annunciationis Beatæ Mariæ. Quod tunc erat in Sabbato ante Palmarum, & habitum fuit interdictum ab hora captivitatis usque ad secundas vesperas Palmarum propter detentionem Magistri *Johannis Ernesti*.

Anno Domini MCCCCLIIII. intravit prænotatus Dux Fridericus in die S. Agathæ fraudulenter, ut vulpes, ferociter ut lupus, potenter ut leo, cum magno exercitu equitum circa MCCC. & quingentorum armatorum rusticorum, & feria quarta proxima ante festum Conversionis S. Pauli eodem die omnes portas civitatis munivit, ponens custodes nobiles & rusticos circa XL. circa quamlibet portam.

Anno Domini MCCCCLXVII. in diebus Rogationum, fuerunt inundationes aquarum, non tamen magnæ circa civitatem Camb, & in die Ascensionis Domini, sicuti est consuetudo, præfatæ civitatis Clerum & populum post prandium transire in Cambinensem, quæ est unica mater, & ibi decantare nonas, Dominus Leonhardus Stettner, pro tunc Decanus, cum fratre suo Udalrico Stettner, equestres exierunt, & circa pontem molendini, quod vulgo Gruadtveldt dicitur, cum equis ceciderunt in aquam vel flumen, *quod Imber* dicitur, & in præsentia trecentorum vel ultra hominum, qui in ambobus littoribus parati fuerant ad subveniendum eis, ambo dolenter submersi sunt. Et successit ei Matthias Pollinger in Decanatu. Idem præfatus Dominus Leonhardus diligens fuit in ædificiis reparandis, quæ usque hodie videntur in Camb, quorum animæ in pace requiescant.

Anno Domini 1474. in die Petri & Pauli Apostolorum hora vesperarum fuit tam magnus ventus, ut Ecclesiam S. Udalrici in Augusta dejiceret, & plebanum ibidem cum populo suo circiter XL. homines utriusque sexus suffocaret. Et plurima ædificia corruere fecit in eadem civitate & aliis usque in Ungariam, & istius venti non meminit homo. Et pro tunc Illustrissimus Imperator Fridericus fuit in eadem civitate, videlicet Augusta.

Anno Domini 1475. feria quarta post Judica fuit tam ingens coruscatio & tonitru, sicuti nunquam visa est tunc temporis, & maxime circa sylvam Bohemorum.

Anno Domini 1484. fuit tam ingens pestis in Bavaria, quod non meminit homo, & sæviebat per universum orbem. Vix tertia pars hominum salva vita mansit.

Anno Domini 1486. secunda die mensis Januarii circa ultimum tactum horæ diei in Camb fuit validus ventus, & venit vehemens cum tonitruis & coruscationibus quasi per totam noctem. Credo quod non vivit homo, qui meminit.

Anno 1490. Sanctissimus Innocentius VIII. dedit annum Jubilæum per totam Germaniam, etiam in Camb, ubi tunc eram prædicator.



INDEX



INDEX
RERUM TOMO I. CONTENTARUM.




Yyy yyy Aginen-

Ansbal-

B.

Berthol-

Yyy yyy 3 Bruno

Carolus

D.

 S. Engel-

F.

Franco-

Grego-

Herman-

Hugo

[Irmen-

N.

O.

Populo-

T.

Tartarorum

V.

Wefter-

